

GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA complectebatur, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Operâ & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.

TOMUS DECIMUS-TERTIUS:

Ubi de Provinciis TOLOSANA *&* TREVIRENSI *agitur.*

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCLXXXV.

HOC IN TOMO CONTINENTUR.

ABBATIÆ, PRIORATUS, &c.
CUM VIRORUM TUM FEMINARUM IN PROVINCIIS TOLOSANA ET TREVIRENSI.


ordine alphabetico digesta.

INDEX VETERUM MONASTERIORUM

AD HAS PROVINCIAS SPECTANTIUM.

EMENDANDA.

Pag. 2. *lin.* 57. Casellus *lege* Catellus.
Col. 13. *A. lin.* 12. intersui *lege* intersuit.
Col. 26. *A. lin.* 1. Tolosiæ *lege* Tolosæ.
Col. 27. *A. lin.* 1. allique *lege* aliique.
Col. 40. *A. lin.* 11. præsulimus *lege* prælusimus.
Col. 54. *A. lin.* 10. Bernardo *lege* Bertrando.
Col. 58. *A. lin.* 13. ejerare *lege* ejurare,
Ibid. C. lin. 4. controversiis *lege* controversis.
Col. 63. C. *lin.* 2. Europeæ *lege* Europæ.
Ibid. lin. 3. studiosæ *lege* studiose, *ibid.*
Ibid. D. lin. 4. spiritu-sancti *lege* spiritus-sancti.
Col. 67. *D. lin.* 11. compulserit *lege* compulerit.
Col. 71. *D. lin.* 4. concessum *lege* confessum.
Col. 81. *B. lin.* 2. closura *lege* clausura.
Col. 112. *B. lin.* 7. restituerunt *lege* restiterunt.
Col. 136. *D. lin.* 5. firmandi *lege* firmandæ.
Col. 161. *C. lin.* 8. XXII *lege* XII.
Col. 186. *B. in margine* de Piletort *lege* Pilefort.
Col. 344. *A. lin.* 7. Bernardo *lege* Bertrando.
Col. 355. *B. lin.* 11. Elzear *lege* Eleazar.
Col. 416. *C. lin.* 1. Henricus III *lege* Henricus IV.
Col. 466. *D. lin.* 12. scivit *lege* civit.
Col. 467. *D. lin.* 9. depulsit *lege* depulit.
Col. 502. *A. lin.* 13. immunitionis *lege* imminutionis.
Col. 510. *E. lin.* 4. Jabobus *lege* Jacobus.
Col. 759. *lin.* 12. *A.* Rogerius *lege* Rodulfus.
Col. 982. *E. lin.* 51. Brunone *lege* Adalberone.
Col. 1079. *C. lin.* 10. Metensis *lege* Tullensis.
Col. 1156. *C. lin.* 13. *post* monasteriis *adde* munia.
Col. 1177. *B. lin.* 4. Ludovici *lege* Caroli.
Instr. col. 218. *E. lin. penult.* Montis-Allani *lege* Montis-Albani.
Col. 248. *instr. B. lin.* 1. dominici *lege* Dominici.
Col. 536. *instr. C. lin.* 4. transferatur *lege* transferat.
Col. 573. *instr. E. lin.* 4. episcopi *lege* archiepiscopi.
Ibid. lin. 8. episcopus *lege* episcopis.


Vaurum
A
Diœcesis


GALLIÆ CHRISTIANÆ
PROVINCIA ECCLESIASTICA
TOLOSANA
Continens Diœceses
Montalbanensem, Lumbariensem,
Rivensem, Appamiensem,
Mirapicensem, S.t Papuli,
et Vaurensem.
æcesis
Vaurensis
Rota O.C.
Soricinium O.B.
Diœcesis
S. Papuli
S. Papulus
Prullianum P.O.P.D.
Mirapicum
apicensis
Cambonum O.B.
TOLOSA



GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA TOLOSANA
CUJUS METROPOLIS TOLOSA,

TOLOSA Volcarum Tectosagum civitas primaria clarior est, quam ut indicari aut describi egeat. Antiquitate, amplitudine ædificiorum, incolarum multitudine, opum copia & varietate, Academiarum studiis, florenti Senatu atque Archiepiscopatu insignis totius Occitaniæ caput est. Origo ejus incerta, quæ tamen urbs stabat anno post conditam Romam quingentesimo, si Livio & Justino fides, qui ad hæc circiter tempora Tectosagum aliorumque in Asiam Phrygiamque referunt expeditionem. Oppidum Tolosanum, Gellio, lib. III, cap. IX. Tolosatium, Gregorio Turon. lib. VIII miracul. & in Imperii notitia nuncupatur.

Certum ex Ptolemæo aliisque statim post debellatos a Romanis Volcas Tolosam fuisse Romanorum coloniam, unde Senatu, Capitolio & Amphitheatro decorata, cujus adhuc extant in arenis vestigia. Nota fuit urbs Cæsari, lib. VIII, cap. V; Melæ, lib. II, cap. V; Suetonio in Vitellio, cap. ultimo; Justino, lib. XXXII; Straboni, lib. IV; Plinio, lib. III, cap. IV, & lib. IV, cap. XIX; Ptolemæo, lib. II, cap. X; Ammiano, lib. XV, aliisque scriptoribus. Apud Strabonem & in Notitiis primæ Narbonensi provinciæ adscribitur. Ad dexteram Garumnæ ripam posita est, loco commerciis apprime commodo, ubi pontem habet inter cæteros Galliæ structura nobilem, quo suburbio frequentissimo S. Cypriani, vulgariter *de S. Subra* dicto conjungitur. Ibi etiam *vadaculum Tolosæ*, quod memorat Guillelmus de Podio Laurentii, cap. XXX, sic dictum quasi parvum vadum: postea *Badaclum* nuncupari cœpit, vulgo *Basacle*: unde nomen habent *castrum Vadaculi*, aut *castrum de Badaclo*, *le château du Basacle*, *pons Badacli* vel *ad Badaclum*, *le pont du Basacle*, *pistrina Badacli*, *les moulins du Basacle*, ubi moletrinæ toto regno celeberrimæ; & *porta Badacli*, *porte du Basacle*, loca castro proxima.

Una hodieque e maximis Galliarum clarissimisque urbibus Tolosa per annos 88 aut 89 regia Visigothorum fuit, caputque regni Tolosani quod Chlodovæus Francorum rex victo cæsoque Alarico evertit ac occupavit. Postea Charibertus Dagoberti Francorum regis frater, cum Tolosates, Cadurcos, Aginnenses, Petrocorios, Santones & Novempopulos a fratre accepisset, *sedem Tolosanam eligens regnavit aliquandiu in parte provinciæ Aquitanicæ*, uti Fredegarius scribit, & quotquot eum transcripsere. Deinde sub Pippino & Carolo ducibus & principibus Francorum, subque Pippino rege Caroli filio Tolosam cum Ucetia duces Aquitaniæ obtinuere Eudo ejusque filius ac nepos Hunoldus & Waifarius, quos a Chariberto prognatos, proindeque Chlodovæi posteros autumat recens historiæ Occitaniæ autor D. Josephus *Vaissette*. *Vide notam 8; hist. Occitaniæ, tom. I, pag. 688.* Post hos Tolosa potiti sunt reges Aquitaniæ Ludovicus Pius & Pippinus ejus filius, neposque Pippinus ac Carolus Caroli Calvi filius. Successere eis aliquanto post intervallo Tolosæ comites, nonnunquam comites S. Ægidii nuncupati, qui totam Gothiam & partem etiam Aquitaniæ, nimirum Albigenses, Cadurcos, Aginnenses, Rutenos ac etiam Petrocorios obtinuerunt ad

annum 1249, quo mortuus est Raymundus comes ultimus parens Johannæ unicæ filiæ ex Sancia Arragonia, hujus comitatus hæredis, quæ nupsit Alfonso comiti Pictaviensi S. Ludovici fratri, quibus sine prole defunctis, Tolosæ comitatus Gallicæ coronæ iterum adcrevit, ex pactis conventionis Parisiis initæ sanctum Ludovicum inter & Raymundum comitem, anno 1229, mensis Aprilis die 12.

Ab Anglis Gallias infestantibus obsidionem sæpius nunquam tamen expugnationem passa est Tolosa, verum a Simone comite Montis-fortis vi capta, turres ejus ac munimenta præcipua funditus eversa sunt, quæ tandem rege concedente, octovirisque, ut vocant Capitolinis, seu Capitulariis, ac cæteris civitatis optimatibus suppliciter petentibus, anno 1346 restaurata ex integro fuere.

Quo tempore Tolosa duas in partes, urbem scilicet & suburbium, muris, turribus ac portis dividebatur, quemadmodum antiquitus Narbo, Rutena & Carcassona, comes Raymundus anno 1247 duplicem quoque constituit magistratuum ordinem, geminosque, ut vocant viros Capitolinos. At rebus mutatis, cum suburbium iisdem mœnibus, quibus civitas, esset cinctum, octoviri Capitolini creati sunt, quibus totidem urbis regiones ad administrationem commissæ, de quibus vide Aufrerium, quæst. 52 decis. capellæ Tolosanæ.

Parlamentum ejus amplissimum post Parisiense primum, regi Carolo VII institutionem suam aut saltem stabilitatem debet, cujus Consiliarii hac gaudent prærogativa, ut in curia Parisiensi juxta receptionis ordinem sedeant & vicissim. De quo Guillelmus Benedicti. Seneschallia quoque amplissima decoratur. Themidis sedes in eo loco posita est, in quo alias Narbonense castellum, ita ut vere arma in hac urbe togæ cesserint. Domus publica ornatissima est, ubi florales ludi singulis annis celebrantur calend. Maii, profanis illis Romanorum & impudicis longe absimiles, quippe qui poëseos & eloquentiæ certaminibus incruentis consecrati. Stat illa Academia ab anno 1323, cujus originem & progressus vide passim apud scriptores rerum Occitaniæ. Variis aucta legibus & constitutis anno 1694 quadraginta sociis continetur, quos patrio sermone vocant *Mainteneurs*. Præter hanc duplex ibidem litteris regiis ad hoc datis fundata fuit Academia altera scientiarum & humaniorum litterarum, anno 1740, quæ ex 74 membris coalescit; altera picturæ, sculpturæ & architecturæ, 13 Januarii 1751. Universitate studiorum quatuor facultatibus ornata ab anno 1233, omnique scientiarum genere multis a seculis floret, unde a Martiali, Sidonio & Ausonio, lib. de claris Urbibus, maxime celebratur & Palladia nuncupatur, e qua velut ex Helicone tot egregia doctorum virorum monimenta prodiere. Universitatis auctor est Gregorius IX, in qua Urbanus V facultatem Theologiæ instituit, quæ doctrinam firmam & solidam S. Thomæ Aquinatis doceret, cujus corpus Tolosam deferri voluit, atque Universitatis conservatores creavit episcopum Rivensem, priorem B. Mariæ Deauratæ, & præpositum ecclesiæ Tolosanæ. De hujus privilegiis agunt Midendorpius, lib. VI; Panormitanus, cap. ultimo *Ne clerici*, & Baldus in lege *omnia Privilegia*, cod. *de episcopis & clericis*, qui omnes summopere celeberrimam hanc Academiam commendant. In ea præter illustrissimos cujuscumque ordinis viros qui de ecclesia & republica optime meriti sunt, litteris informati fuere tam sacris quam profanis, 12 cardinales, inter quos enituerunt maxime San-Martialis, Fuxensis & Petracoricensis. Collegium Fuxense dictum sua debet ornamenta cardinali Petro Fuxensi, ubi celebris olim bibliotheca variis manuscriptis codicibus locupletata, quæ lapsu temporum plurimum neglecta fuit. Aliud etiam propriis impensis condidit civitas, in quo Hebraica, Græca & Latina linguæ addiscuntur.

Quod spectat ad res sacras & ecclesiasticas episcopatu gaudet Tolosa a primis christianæ fidei in Gallias disseminatæ seculis, non autem metropoli, ad quam dignitatem anno duntaxat 1317 pervenit. In notitiis Galliæ Narbonensis civitas Tolosatum prima ponitur sub Narbone metropoli, donec vicissitudine temporum, cum Narbo Gothis & Gallis Tolosa cessisset, a Bituricensi archiepiscopo cœpit Tolosanus accipere electionis suæ confirmationem, cujus etiam visitationi subjiciebatur: ubi observandum ad eum ut proximiorem tunc confugisse, quod Narbonensis Gothis esset subditus hostibus Gallorum, in quorum ditionem venerat Tolosa. At Gothis ab imperio Narbonis ejectis, ad eamdem iterum metropolim rediit Tolosa, eique paruit, donec a Johanne XXII summo pontifice in sedem archiepiscopalem erecta est anno 1317, eique assignatæ suffraganeæ diœceses septem, Appamiensis, Montalbanensis, Mirapicensis, Vaurensis, Rivensis, Lombariensis & sancti Papuli, quæ pene omnes magna ex parte coaluerunt ex distractione amplissimi episcopatus Tolosani, nec destitere propterea Bituricenses Primatiæ jus in eam sibi vindicare, ut ex multis patet titulis quos Casellus in historia Occitaniæ retulit.

Basilicæ Metropolitanæ patronus est S. Stephanus Protomartyr, ingentis sane molis opus, cujus chorus cum incendio absumptus fuisset anno 1608, longe illustrior restauratus fuit, sacellis undique ambientibus. Claustrum apparet esse perantiquum opere Gothico adornatum. Capitulum cujus canonici ab undecimo seculo regulæ S. Augustini addicti eamdem, ut ex regularibus seculares fierent, anno 1510 excusserunt; præposito constat, quæ est primaria dignitas, insignibus decorata prærogativis, atque inter alia totius regni opimum valde sacerdotium, 24 canonicis, pluribusque aliis ministris jure annonæ inter canonicos fruentibus,

atque ad ecclesiæ officium deputatis. Post cathedralem primas tenet S. Saturnini templum abbatiale seculare, in quo reconduntur sacræ hujus S. martyris & primi Tolosatium episcopi, aliorumque plurium Sanctorum insigniores reliquiæ. Monachorum antiquitus sedes fuit, tum canonicorum regularium, qui tandem seculares effecti 24 numerantur, omissis inferioribus ministris, & capitulum componunt, cujus dux & caput est abbas secularis. Celebris quoque est apud Gregorium Turonensem ædes sacra B. Mariæ vulgo Deauratæ, quæ quondam fuisse creditur templum Minervæ, quod S. Exuperius purgatum in ædem sacram commutavit, de qua libellum edidit Johannes *Chabanel* ejusdem ecclesiæ rector.

In urbe præter utriusque sexus religiosas familias virorum 24, feminarum 14 aut 15, octo sunt parochiales ecclesiæ, & in tota diœcesi 250. Plura sunt alia templa, sacella, procotrophia, ex quibus non mediocris sanctimoniæ & pietatis argumenta præfert hæc nobilissima civitas, cujus historiam ejusque antistitum & suffraganeorum res gestas descripsit clar. vir. Guillelmus Catellus senator Tolosanus in suis Occitaniæ commentariis. Eo usi, nec non & recenti ejusdem provinciæ historia a nostro D. Josepho *Vaissette* adornata, novisque insuper auxiliis ac propriis observationibus adjuti post Sammarthanos, a quibus bene multa sumus mutuati, damus Antistitum seriem, ut sequitur, cui subjiciemus Præpositorum indicem, & pro more nostro historiam Abbatiarum, tam quæ fuerunt, quam quæ nunc extant sive in urbe, sive in diœcesi.

EPISCOPI TOLOSANI.

ANNI CHRISTI

I. S. Saturninus.

« Postquam sensim & gradatim in omnem » terram Evangeliorum sonus exivit, pa» rique progressu in regionibus nostris, inquit » auctor passionis S. Saturnini, Apostolorum » prædicatio coruscavit, cum raræ in aliquibus » civitatibus ecclesiæ paucorum Christianorum » devotione consurgerent, sed nihilominus crebra » miserabili errore Gentilium nidoribus fœtidis » in omnibus locis templa fumarent, ante annos L, » sicut actis publicis, id est Decio & Grato » consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, » primum & summum Christi Tolosa civitas S. Saturninum habere cœpit sacerdotem, » ex partibus Orientis in urbem hanc destinatum, ut legitur in missali Gothico, quem tamen Fortunatus, lib. II, carm. 9, ex Romana urbe advenisse scribit; quod ita conciliari potest, ut natus in Oriente, a Romano pontifice S. Fabiano Tolosam directus fuerit. Hujus fide viri atque virtute, cum e domo sua ad ecclesiam tunc temporis parvulam frequenter iens & rediens, ante Capitolium inter utramque situm transiret, Dæmonum vaticinia cessare cœperunt. Tanta rei novitate furens plebs Tolosana, Saturninum ad officium solenne properantem circumdat, presbyteroque uno ac duobus diaconis, qui obsequiis ejus adhæserant, fuga lapsis, solum ad capitolium attrahit. Illic cum Dæmoniis immolare renueret & Christum profiteretur, parato ad victimam tauro vinculis alligatur, actoque in præceps stimulis acrioribus tauro, capite ad primos capitolii gradus colliso cerebroque excusso dignam Deo animam reddidit 29 Novembris. Corpus exanime & sauciatum a furente bellua perducitur ad eum locum ubi disruptus est funis. Ibi in ligneo feretro a duabus mulierculis alte in terra conditum est, sicque permansit, donec sanctus Hilarius post multum temporis Tolosanus episcopus effossa ad feretrum terra, concameratio-

A nem desuper instituit, basilicamque admodum parvulam adjecit, quæ deinceps a tauro nomen habuit. Procedente tempore cum locus tumulatorum prope corpus martyris corporum multitudine impletus esset, sanctus Silvius speciosam ad transferendas ejus reliquias inchoavit basilicam, quam successor Exsuperius perfecit, translatisque imperatorum permissu sancti viri reliquiis insignivit. Elevatum inde cum tumulo suo marmoreo corpus ibidem ad altiorem locum præparata crypta cum testudine. Postmodum B facta est capsa argentea super tumulum coaptata, & infra capsam tumulus marmoreus cum reliquiis collocatus est 184, VII cal. Julii. Illic debito adhuc honore S. Martyris exuviæ coluntur. Neque enim audiendi qui e veteribus S. Dionysii prope Parisios monumentis tradunt Dagoberti regis jussu translatum fuisse in hoc cœnobium corpus S. Saturnini; sed ob ingravescentem apud Tolosates luem, propter ablatas ipsis patroni sui reliquias, postea libenter ab abbate & monachis restitutum fuisse, receptis C pro corpore S. Saturnini aliorum Sanctorum, in his S. Hilarii & S. Romani reliquiis, sed traditioni huic nullo fultæ fundamento ipse contradicit historiæ sancti Dionysii auctor.

Memoriam S. Saturnini celebrem semper in ecclesia fuisse præter martyrologia testantur antiquæ liturgiæ, in quibus singularis de beato Saturnino Missa occurrit. Non minus in Hispania quam in Gallia solenne erat S. Saturnini festum, ut patet ex missali Mozarabum, ubi in Missa quæ de eo habetur ejus passionis tota D series eodem modo quo in ejus actis enarratur. Hæc habes ex compluribus codicibus mss. quinquaginta post annos scripta inter acta Martyrum sincera & selecta D. Theoderici *Ruinart*. De sancto Saturnino agunt quoque Gregorius Turonensis, lib. I, hist. Francorum, cap. 48; Sidonius Apollinaris, lib. IX, epist. 16 ad Firminum; & Venantius Fortunatus, lib. II, carminibus 8 & 9, ubi de sancti

ANNI CHRISTI

martyrio & sepultura eadem omnino refert quæ in actis habentur.

5 De S. Papulo nihil loquimur. Saturnini discipulus fuerit & vicarius, ac martyr, bene est; at non Tolosanus episcopus. Et certe prope magistrum sepultus primum, cum eo ad basilicam S. Saturnini translatus est, cujus corpus cum corporibus SS. Silvii, Hilarii & Honorati ibidem inventum est nonis Octobris, an. 1265, ex chronico Simonis Montis-fortis comitis, apud Chesnium, t. V, p. 783.

II. S. Honoratus.

Saturnini successor Honoratus S. Firminum primum Ambianensium episcopum ordinavit: id docent perantiqua ejus acta quæ Diocletiani & Maximiani persecutionem indicant, in qua passus est beatus Firminus an. 287. Honorati membra quiescunt in basilica sancti Saturnini, ut diximus, coliturque 25 Decemb.

III. S. Hilarius.

« Post multum temporis in Tolosana urbe episcopus ordinatus (Hilarius), de antecessoris sui (Saturnini) obitu instructus & merito, effossa usque ad ipsum sepulcrum ligneum terra, sanctas veritus commovere reliquias, transvolutionem desuper multo latere diligenter exstruxit, basiliculam etiam admodum parvulam vilibus lignis ad locum tantum orationis adjecit, abscondendo videlicet martyris corpus, ne perfidi homines effossum eum diriperent. » Ita acta S. Saturnini apud Ruinartum. Hilarius vero post obitum prope S. Saturninum tumulatus, ad ecclesiam ejusdem cum eo translatus, prope eum inventus est an. 1265 nonis Octob. posteaque elevatus. Festum ejus celebratur 21 Maii.

5 De Mamertino jam diximus, t. I, col. 968, observavimusque concilio Arelatensi adfuisse an. 314. Mamertinum episcopum non e civitate Tolosa, ut in ms. Colbertino correxerunt amanuenses imperiti, sed e civitate Elosatium quam ignorabant, ut legit in ms. Corbiensi Sirmundus, & approbavit Binius. Præterea Mamertinus reperitur in catalogo episcoporum Elusanorum, qui omittitur in Tolosanis. Denique cur prætermissus inter decessores qui ad S. Saturninum omnes sepulti sunt?

IV. Rhodanius.

Rhodanius qui & Rhodanusius exsul factione
356. Arianorum in Orientem pellitur anno 356, cum Hilario Pictaviensi in concilio Biterrensi, procurante Saturnino Arelatensi, qui falsis suggestionibus Constantium imperatorem circumvenerat. Hæc testatur Severus Sulpitius, lib. II, cum ait: « Hilarus Pictavorum episcopus damnatur exsilio: Rhodanium quoque Tolosanum antistitem qui natura lenior, non tam suis viribus quam Hilarii societate non cesserat Arianis, eadem conditio implicuit. » Clerici quoque ejusdem ecclesiæ fustibus cæsi, & diaconi plumbo elisi, episcopo suo fideles semper adhæsere, ad quos librum de synodis inter alios Hilarius Pictaviensis direxit. Rhodanius vero ad ecclesiam suam redire nequaquam permissus, in exsilio mortuus est circa annum 358, ut creditur: non memoratur enim inter episcopos qui omnes ad unum Seleuciam hoc anno synodum habituri vocati sunt.

V. S. Silvius.

« Episcopatum Tolosanæ urbis indeptus Silvius, pulcram & speciosam basilicam magnis sumptibus parans, ad venerandi martyris (Saturnini) transferendas illuc reliquias, ante consummationem cœpti operis recessit e seculo. » Ita legitur in actis protopræsulis. Jam diximus corpus ejus inventum fuisse seculo 13 in eadem ecclesia.

VI. S. Exsuperius.

« Post S. Silvii obitum, S. Exsuperius in summum sacerdotium cooptatus, vir absque ullius præcessorum injuria, absque ullius qui id temporis ecclesias regere videbantur invidia, non solum nulli secundus, verum etiam ipsi beato martyri (Saturnino) virtutum meritis comparandus, basilicam quam decessor suus fideliter inchoaverat, instantissime consummavit & fideliter dedicavit, » ex actis sancti Saturnini apud Ruinartum. Toto fere seculo aberrant qui hunc cum Exsuperio Burdegalensi rethore ab Ausonio tantopere laudato cum Baronio eumdem com miniscuntur. Id enim in nulla S. Paulini legitur epistola, nec ulla in iis Exsuperii fit mentio, præterquam in fragmento epistolæ, cujus meminit Gregorius Turonensis, lib. II, cap. 13, ubi memoratur Exsuperius inter præsules, qui hoc tempore in Galliis floruere. Et certe insigni prorsus vitæ sanctimonia enituit, erga pauperes præsertim profusissimus, de quo est illud sancti Hieronymi epistola ad Rusticum monachum versus finem: « S. Exsuperius Tolosæ episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios & ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui absque funiculo...... mensas subvertit, mammonæ & nummulariorum æra dispersit, &c. » Exorta in diœcesi sua nova Vigilantii hæresi apostolicam sedem consulendam ratus, tum de hac, tum de nonnullis ecclesiasticæ disciplinæ capitibus & sacrorum librorum canone, ab Innocentio I summo pontifice, 20 Febr. 405, de continentia cle- 405.
ricorum & pœnitentiæ ritu edocetur, ex quibus plerique canones apud Gratianum, dist. 31, can. 6; & dist. 82, can. 2; & quæst. 4, causæ 30. His munitus litteris Exsuperius Vigilantium quicum hactenus circumspecte egerat, ab ecclesia sua expulit. Circa id tempus cum divino afflatus numine venturum Galliæ excidium, Tolosamque Barbaris dedendam

A præsnosceret, magna celeritate omnem substantiam in pauperes erogavit, cumque ejus liberalitati Gallia non sufficeret, Sisinnium monachum in Orientem cum ingenti pecunia ablegavit, ut monachis Palestinæ & Ægypti subsidia vitæ ministraret. Hanc nactus occasionem sanctus Hieronymus, qui litteras ab Exsuperio acceperat, eidem sancto episcopo libros in Zachariam prophetam quos elucubrarat, dedicavit, & libro 3 commentariorum in Amos ejus meminit. In epistola quoque ad Ageruchiam præsidio Exsuperii servatam Tolosam in illa clade qua Galliæ urbes a Vandalis aliisque Barbaris fuerunt desolatæ anno B
408. 408 memorat his verbis: « non possum, inquit, absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut huc usque non rueret sancti Exsuperii merita præstiterunt. » Denique in
411. epistola 95 ad Rusticum scripta anno 411, hunc ei ad imitandum proponit sic: « hujus e vicino sectare vestigia & cæterorum qui virtutum ejus similes sunt, quos sacerdotium humiliores facit & pauperes. » Quo anno, quo loco obierit Exsuperius incompertum. Colitur in martyrologiis Usuardi & Romano 28 Septemb. & Translationis festivitas 14 C Junii celebratur.

5 Savaro notis ad Sidonium, Baronius in Annalibus, quin & Tillemontius ipse in Commentariis, Maximum episcopum Tolosanum hoc circiter reponunt tempore auctoritate Sidonii Apollinaris, epist. 24, lib. 4, ad Turnum Turpilionis filium, de qua cognoscat lector & judicet. Tolosam pergens Sidonius, accessit ad villam non paucis ab aggere publico millibus distantem. Invenit ibi Maximum Palatinum amicum quondam suum factum omnino religiosum. Dubius an amicus monachusne, clericus, an foret pœnitens, audit ab D astantibus eum nuper impacto sacerdotio fungi, quo recusantem factiose ligaverat civicus amor. De status ejus apice gratulatus, ut rogata impetret, professionem ejus novam commemorat, cui Maximus: « absit a me, inquit, ut hæc reposcam clericus ab ægro, quæ vix petiissem miles a sospite. » Hactenus Sidonius. Sed quæso, quid horum episcopum sonat & episcopum Tolosanum? an habitus religiosus? status apex? sacerdotium impactum? professio clerici? sed hæc omnia sacerdoti quales tunc temporis plurimi erant apte congruunt. Cur nulla pontificalis dignitatis ne minima quidem mentio? E Deinde cur Maximus episcopus Tolosanus? an quia Tolosam pergebat Sidonius? sed ubi tunc erat? episcopine Tolosani villam habebant quinto seculo, cum vix omnem substantiam erogaverat pauperibus decessor? sed fatendum, vacua tunc erat Tolosa episcopo Wisigothis imperantibus, viduaque remansisse videtur ad seculum VI. Nulli saltem noti hactenus ejus episcopi, nequidem Occitaniæ historico. Gundisalvum enim & Leontium non curo, uterque quippe Aelosani, non Tolosani antistites fuere.

VII. Heraclianus.

Canonibus concilii Agathensis anno 506 subscripsit Heraclianus. 506.

VIII. S. Germerius.

Ejus notitia eruitur ex veteribus sanctorum legendis Bernardi Guidonis, tom. II, ubi plura de ipsius gestis referuntur, maxime vero ex ejus actis a Pretioso ipsius commilitone & convictore scriptis, sed, ut creditur, interpolatis. Ex iis discimus Germerium apud * Inculismam ortum habuisse ex præpotentibus parentibus. Chlodovæo Tolosa potito anno circiter 508, vir sanctus ibidem sedem fixit, ratus fidem catholicam hac in urbe sub Francorum potestate tutam magis fore quam quo tempore Wisigothis parebat. A Gregorio Sanctonensi subdiaconus & diaconus factus, triennio post electus episcopus Tolosanus, ab eodem ordinatus est Parisiis approbante Chlodoveo, qui in ejus gratiam ecclesiæ Tolosanæ opimum prædium & multa vasa sacra contulit. Ergo ejus consecratio ante annum 511 assignanda, 511.
quo mortuus est Chlodoveus. Post 50 annos episcopatus, mortuo Chlotario I, animam Creatori reddidit. Sepultus est in loco dicto *Doz* prope Muretum, ubi ædificatum postea sub ejus nomine monasterium a Lezato dependens. S. Germerii reliquiæ inde translatæ sunt in ecclesiam parochialem sancti Jacobi de Murello, pluresque habet in diœcesi Tolosana ecclesias suo nomini dicatas. In proprio Sanctorum diœcesis commemoratio ejus agitur 12 Maii. Ejus cultum, qui apud suos intepuerat & obsoleverat, redintegravit medio 17 seculo Carolus *de Montchal*, cathedræ ejus successor.

* Jerosolymam.

IX. Magnulfus.

Gregor. Turon. Hist. Franc. lib. 7. c. XXVII.

Tolosanam regebat ecclesiam Magnulfus cum « Tolosam digressus (Gundovaldus) emisit nuncios ad Magnulfum episcopum civitatis, ut ab eo susciperetur. Sed ille non immemor prioris injuriæ, quam per Sigulfum quondam, qui se in regnum elevare voluit, pertulerat, dixit civibus suis: scimus enim regem esse Guntchramnum ac nepotem ejus Childebertum: Hunc autem nescimus unde sit. Estote ergo parati: & si voluerit Desiderius dux hanc calamitatem inducere super nos, simili ut Sigulfus sorte depereat: sitque omnibus exemplum, ne quis extraneorum Francorum regnum audeat violare. His ita resistentibus & bellum parantibus, adveniente Gundovaldo cum magno exercitu, cum vidissent quod sustinere non possent, susceperunt eum. Posthæc cum ad convivium in domo ecclesiæ episcopus una cum Gundovaldo resideret, ait: filium te Chlotacharii regis adseris, sed utrum sit verum an non, ignoramus. Et si possis vindicare cœpta, incredibile habetur apud animos nostros. At ille ait: ego regis Chlotacharii sum filius & partem regni de præsenti sum percepturus, & usque Parisius velociter

ANNI CHRISTI. » accedam & ibi sedem regni statuam. Cui episcopus ait: verumne est ergo quod nullus » de stirpe Francorum remansit, si tu quæ dicis » impleveris? Inter has altercationes cum hæc » Mummolus exaudisset, elevata manu alapis » cecidit episcopum, dicens: non pudet ut tam » degener & stultus ita Magno regni respondeas? » Verum ubi & Desiderius de consilio episcopi » comperit quæ fuerant dicta, ira commotus » manus in eum injecit, cæsumque communiter » hastis, pugnis & calcibus ac fune revinctum » exsilio damnaverunt, res ejus tam proprias quam ecclesiæ integre auferentes.» Sagittario autem Vapincensi episcopo, qui intimus erat in consilio Gundovaldi, promissus episcopatus Tolosanus. Sed illo paulo post cæso, Tolosæ restitutus est Magnulfus, qui concilio Matisconensi per procuratorem adstitit anno 585.

585. ¶ De Menna Telonensi, male autem Tolosano episcopo, abunde satisfecit Sammarthanus noster, tum in hac Gallia Christiana, tom. I, col. 742, tum in nota ad epistolam 58, lib. XI editionis quam accuravit operum S. Gregorii papæ. Mennas quoque episcopus, cui prius purgato & absoluto in Galliam redire permisit Gregorius, erat episcopus Telesinus in Campania, non Tolosanus in Gallia, ut idem observavit in notis ad epistolam ad Brunichildem reginam, 6, lib. XIII, & 113, lib. IX.

X. WILLEGISELUS.

625. Concilio Remensi an. 625 interfuit Willegiselus.

¶ Sedocus autem qui eidem concilio adstitit, erat episcopus non Tolosanus, sed Elosanus, ut post Ruinartum, col. 631, observavit Sammarthanus in Elusanis, col. 970, t. I.

XI. S. EREMBERTUS.

Natus in vico pagi Pinciacensis dicto Viliolicorte prope Alpicum ad Sequanam, circa Chlotarii II tempora Erembertus, parentes nobiles & prædivites habuit: sed contemtis omnibus, Fontanellæ Deo se consecravit sub S. Vandregisilo ab anno circiter 649. Quo magistro ita profecit, ut virtutum ejus fama permoti Tolosates, eum ad suæ civitatis episcopatum postulaverint anno circiter 656. Accessit præceptum Chlotarii III filii Chlodovæi II & S. Bathildis ejus matris. Nec spes de eo præconcepta fefellit. Nam Erembertus virtutibus, quas in monasterio sibi paraverat, humilitati, abstinentiæ, pietati, &c. alias quæ pastores decent & ornant adjecit, vigilantiam, caritatem, sollicitudinem, assiduum in docendo & hortando studium. Sed cum per annos 12 in cura pastorali strenue se gessisset, laboribus fractus & ætate gravis, cum se ad onus episcopale jam imparem putaret, iterum Fontanellam secessit, ubi monasticæ vitæ piis exercitiis totus incubuit sub Lamberto abbate postea Lugdunensi episcopo; quo tempore cum aliis confirmavit donatum

A monasterio Fontanellensi a S. Wlfranno Mauriliacum. Hic vitæ feliciter cursum consummavit an. 671 aut 678. Obiit 14 Maii, ad quam diem vita ejus refertur a Bollandistis. Vide quoque Mabillonium, sec. 2 Benedictino. Sepultus est in ecclesia S. Pauli, unde postea an. 704 transfertur ad S. Petri basilicam, cujus Translationis festum celebratur 30 April. Postea tamen, anno scilicet 1027, a Roberto Rotomagensi archiepiscopo una cum corpore Condedi anachoritæ in loculo repositum est cal. Junii.

B ¶ De Silvino diximus, tom. X, col. 1532. Nobis præiverant Mabillonius, annal. t. II, p. 3; & Historicus Occitaniæ, t. I, p. 386. Ortu quidem erat Tolosanus, non vero pontificali dignitate decoratus. Sed propter nominis similitudinem Silvinum cum Silvio quidam confuderunt.

XII. ARICIUS.

Fundationi Carrofensis monasterii an. 785 subscripsit Ericius qui & Aricius. Arricho autem subscripsit concilio Narbonensi an. 791. Unus ex episcopis est quibus Carolus magnus C scripsit epistolam de gratia septiformis Spiritus quam habes Analect. Mabillonii, tom. IV, p. 312. 785. 791.

¶ Luso in veteri codice Bisonticensis ecclesiæ vereor ne sit idem ac Luzo Darentasiæ archiepiscopus, e veteri missali codice sancti Stephani memoratus a Chiffletio in historia Vesontinensi, part. 2, p. 137.

¶ De Firmino & Nescio sat nobis sit dubios cum Sammarthanis hærere.

XIII. MANTIO.

D Ejus notitia debetur Theodulfo Aurelianensi episcopo qui poëmatum lib. IV, cap. 7, in Elegiacis describit pugnam avium in terra Tolosana ad initium seculi IX, ad quam visendam undique convenerunt populi, quos inter Mantio episcopus fuit, ut patet his versibus:

Res sonat ista, venit populus, factumque stupescunt,
Mirantur variæ membra jacentis avis,
Ipse Tolosana præsul quoque venit ab urbe
Mantio, plebs rogat hæc ales an esca fiat.
Inlicitis spretis, licitas adsumite, dixit.
E *Plaustra onerant avibus, in sua quisque redit.*

XIV. SAMUEL.

Anno 843 Samuel obtinuit a Carolo Calvo præceptum pro ecclesiis S. Stephani, B. Mariæ & S. Saturnini. Insequenti Normanni adverso flumine Garumnæ provecti sunt Tolosam usque & omnia depopulati sunt, indeque in Hispaniam transmiserunt, ubi a Saracenis repulsi sunt. Non multo post, scilicet 850, Tolosa obsessa est a Normannis, doloque Judæorum capta, direpta & combusta. 843. Charta 1, col. 1. 850.

ANNI CHRISTI

XV. Salomon.

Hist. Occit. tom. I, prob. p. 106. Ejus cum consensu Ermentrudis & filius
Egofredus parochiam S. Andreæ de Moressaco
construxere in diœcesi Tolosana, III cal. Ja-
nuarii, fer. V, anno XX Carolo regnante,
857. Christi 857. At Salomon differtne a Samuele?

XVI. Helisachar.

Conventui abbatum apud Tolosam habito
a Raimundo marchione, adsuit Helisachar
861. anno 861, qui reliquias sancti Vincentii
martyris ab Hispania in monasterium Castrense
delatas, magno populi concursu veneratus est B
863. an. 863.

XVII. Bernardus I.

Bernardus qui & Berno, subscripsit litteris
Berteiz comitissæ, pro monasterio Vabrensi,
883. anno 883. Interfuit concilio Nemausensi in
886. villa Portu an. 886. In antiquis membranis
890. scribitur an. 890, inquiunt Sammarthani.

XVIII. Armannus.

Armannus qui Arimandus, Ardemaldus &
Aridemandus memoratur episcopus in charta
venditionis cellæ Modulfi factæ a Soricinen- C
sibus monachis anno 5 Caroli Simplicis. Sub-
scripsit chartæ confirmationis rerum monasterii
sui, quam Emma abbatissa Rivipulli obtulit
episcopis apud Barcinonam congregatis anno
906. 906, & adstitit anno 907 synodo apud
907. Tiberium. Adfuit & 911 alteri concilio in
911. villa Fons-coopertus dicta, in quo Savaricus
abbas S. Pauli ad vicem ejus subscripsit, quia
forte Armannus aut cæcus aut æger erat, uti
sæpe alias factum est. Armanno inter alios pro-
914. vinciæ episcopos scripsit an. 914 Johannes X
adversus Gerardum intrusum in gratiam Agio-
nis electi Narbonensis. Placitum habuit XVI cal. D
918. Junii, an. 21 Caroli Simplicis, in quo cum
Charta II, col. 2. aliis episcopis, abbatibus, presbyteris, &c.
controversiam inter Raimundum comitem &
marchionem, & Arisonsum abbatem sancti
Johannis Vallis-Ligerii diremit. Commuta-
tionem fecit cum eodem Arisonso abbate
922. Montis-olivi, an. 25 Caroli, Christi 922.

XIX. Hugo I.

Cum aliis provinciæ episcopis pro Aimerico
Narbonensi electo scripsit Hugo ad Johan-
nem X summum pontificem, qui obiit anno E
937. 928. Concilio Ausidinensi interfuit an. 937.
940. Subscripsit an. 940 donationibus factis mo-
nasterio sancti Pontii. Fundatum monasterium
943. beatæ Mariæ Camboni approbavit an. 943.
Chart. III, col. 4. Luponi clerico nonnulla per vitam possidenda
949. tradidit an. 948. Subscripsit an. 949 chartæ
Montis-Olivi. Eodem monasterio Coxanensi
benefecit. Alodium vendidit Amelio an. 1
Lotharii regis. Testamentum condidit circa
960. Illud habes inter probationes historiæ
969. Occit. t. II, p. 104. Confirmavit an. 969.
Ch. IV, col. 5. Lotharii 15, donatam Coxano monasterio

A ecclesiam S. Mariæ inter Medias-aquas a
Luppone archidiacono S. Stephani, quæ refecta
rogatu Guarini abbatis, a Bernardo episcopo
Conseranensi consecrata est cum jussione Hu-
gonis, pontificis sedis Tolosæ XI cal. Febr.
Lotharii 18. 972.

XX. Atto.

Cum Atone Ripacuriæ comite nepote,
confirmavt Ato, VI id. Febr. 973, dona- 973.
tiones factas monachis Alaonensibus in diœcesi
Urghellensi. Charta edita est in probationibus
hist. Occit. t. II, p. 124.

XXI. Issolus.

Issolus, Issus & Ysolus, cum aliis episcopis
novam monasterii Coxanensis ecclesiam con- *Marca Hispan. col. 911.*
secravit an. 974, scilicet retro calendarum
Octob. elapsis Dominicæ Trabeationis annis
bis novem jubilæis lustrisque tricenis, indic-
tione terna, anno bis deno Leuthario Fran-
corum rege. Concurrit circa annum 985 cum
Gairaldo præposito qui dat ad fevum Bene-
dicto Clerico & fratri suo Petro Clerico *Charta V, col. 6.*
quædam B. Stephani Tolos. Emit a Raimundo
& Godila uxore alodum de Campo-bello *Char. VI, col. 6.*
pro solidis 40, quos donavit ecclesiæ suæ an. 1,
quo Ludovicus rex V cœpit regnare, mense
Junio an. 986. 986.

XXII. Atus.

Subscripsit dono Guillelmi filii Arnaldi
comitis Astaracensis Garcia tunc archiepiscopo
Auscitano, qui sedit ab anno 982 ad annum
circiter 1000. Vide probationes, t. I, p. 159.

XXIII. Raimundus I.

Cœtui episcoporum a Widone Aniciensi
episcopo pro treuga & pace circa 1004 con-
vocatorum adsuit Raimundus, qui synodum
apud Tolosam habuit anno circiter 1006,
pro anathemate illorum qui pedagia exigebant.
Bullam obtinuit a Johanne XVIII an. 1007. 1007.
Decretum Ermengardi episcopi Urghellensis
de vita canonica in matrice ecclesia insti-
tuenda XIV cal. Decemb. 1010 cum aliis 1010.
episcopis confirmavit.

XXIV. Petrus I.

Roger.

Cum Rogerio Normannorum principe, &
40 solummodo Christianis, Saracenos 500
electos in insidiis latentes offendens Petrus,
plus 100 extinxit in ulteriori Hispania. Ille
forte est episcopus Petrus qui Berengarium
filium cum Ermesinde matre de hereditate
patris dissidentem conciliavit anno 1023.
Donationem monasterii Peciani factam Si-
moræ a Willelmo Astaracensi comite, manu
propria subarravit. Controversiam habuit cum
canonicis sancti Saturnini, ex quorum mensa
oblationes sollicite recuperando, summam pe-
cuniæ coacervavit pro restauratione basilicæ
ejusdem beati Martyris. Sub Henrico Fran-
corum rege apud Cluniacum existens, mona-

ANNI CHRISTI

Biblioth. Cluniac. p. 571. chorum ibi degentium sanctitatem miratus, contulit eis ecclesiam S. Columbæ in diœcesi sua sitam.

XXV. Arnaldus I.

Concil. Aguirre, tom. III, p. 202; Amplis. Collect. t. VII, col. 57. Dedicationi ecclesiæ Rivipullensis adstitit Arnaldus, & huic factæ donationi subscripsit an. 1032, XVIII cal. Febr. Circa id tempus

1032. concilio Narbonensi interfuit.

XXVI. Bernardus II.

A Lupone S. Stephani archidiacono donatam Coxanensi monasterio ecclesiam beatæ Mariæ inter Ambas-aquas, in conventu epis-

1035. coporum confirmavit IX cal. Julii 1035 Bernardus episcopus Tolosanensis. Charta legitur in diplomatica Mabillonii, p. 615.

XXVII. Hugo II.

1043. Concilio Narbonensi an. 1043 habito & edito a Martenio, t. IV Anecdot. col. 84, subscriptus legitur Hugo Tolosanensis episcopus.

XXVIII. Arnaldus II.

Consecrationi ecclesiæ sancti Martini Fenoliotensis ab episcopo Carcassonensi factæ anno

1045. 1045 subscripsit Arnaldus, & interfuit con-

1056. cilio Tolosano anno 1056, idibus Octobris, jussu Victoris papæ celebrato, qui vice sua delegavit Rajambaldum Arelatensem & Pontium Aquensem archiepiscopos. In eo conventu actum est de simonia, nonnullisque aliis populi & cleri vitiis. Synodi constitutiones habes concil. t. IX, pag. 1054, & anecdot. tom. IV, col. 90.

XXIX. Durandus.

DE DOME.

Gente Arvernus Durandus, frater Bernardi Henrici qui in pago Arvernico ecclesiam *de Bredon* possidebat, ex monacho Cluniacensi

Tom. I, col. 162. abbas Moissiaci in diœcesi Cadurcensi, factus Tolosanus episcopus hanc abbatiam sub comite retinuit Tolosano, qui eam a rege Francorum obtinuerat, & sub Gausberto principe qui eamdem a comite emerat. Duplici hac erat

1059. decoratus dignitate anno 1059, quo mense Junio Lectorensis S. Genii ecclesia Duranno episcopo & abbati subjecta fuit. Subscripsit diplomati Bernardi comitis Wasconiæ pro fundatione cœnobii S. Montis, IV non. Maii

1061. 1061. Eodem anno Deusdet abbas Ruthenensis, nomine Roberti comitis, dedit abbatiam Vabrensem regendam Hugoni abbati Cluniacensi, ut eam Durandus monachus D. Hugonis abbas Moissiacensis atque etiam Tolosæ episcopus regulariter gubernaret. Basilicam Moissiaci refecit, & cum septem epis-

1063. copis aliis consecravit VIII id. Decemb. 1063. Subscripsit chartæ Bigorrensis episcopi & Bernardi comitis conferentium Cluniaco monasterium sanctorum Felicis & Licerii anno

1064. 1064, eodemque approbavit in concilio Cabilonensi chartam Hugonis Nivernensis

A episcopi, pro ecclesia sancti Stephani. Memoratur in concordia inter archiepiscopum & vicecomitem Narbonensem an. 1066 inita. 1066.
Subscripsit eodem litteris Almodis comitissæ ejusque filii Ruthenensis comitis, quibus concessa sancti Egidii abbatia Cluniacensi congregationi. Adfuit eodem mense Novemb. sancto Hugoni Cluniacensi, quando Aimericus comes Ausciensis ejusque frater Bernardus ipsi dederunt monasterium S. Orientii in urbe Nemausensi. Concilio Gerundensi per Seguinum monachum procuratorem interfui an. 1068. 1068.
Ipse vero anno eodem concilio Tolosano,

B ubi restituendum esse Lectorensem episcopatum, qui in monasterium conversus fuerat, decreverunt Hugo abbas cardinalis legatus apostolicus, archiepiscopi Bituricensis & Ausciensis aliique præsules & abbates. Præsens fuit anno eodem conventioni habitæ inter Raimundum comitem Barcinonensem, & Raimundum Bernardi vicecomitem Carcassonensem. Per id tempus Alexander II scripsit ei epistolam 33, præscribens modum pœnitentiæ ab eo agendæ, qui licet invitus causa tamen fuerat cædis fratris sui. Ut Raimundus electus abbas Soricinienſis Tolosæ in basilica B. Mariæ *Baluz. Miscell. tom. IV, p. 446.*

C consecraretur assensum præbuit, & monasterii ejus bona confirmavit an. 1071, XVIII cal. 1071.
Sept. Ejus tamen obitus consignatur in necrologio idibus Maii. Magno autem cultu honoratur apud Moissiacenses, qui ejus imagini in claustro sancti titulum adscripsere, licet ei vitio detur quod scurrilia verba proferre solitus esset, pro quibus post mortem pœnas luit.

XXX. Isarnus.

Ex antiqua Vaurensi domo editus Isarnus, sancti Saturnini præpositus erat anno 1071, *Ibid.*

D eodemque urbis episcopatum adeptus ex charta Curtensi, auctor fuit Willelmo Ausciensi & *Char. VII, col. 6.*
Raimundo Lactorensi episcopis an. 1074, ut 1074.
locum de S. Genio conferrent Cluniaco & Rotgerio comiti Fuxensi castrum *de Lordad* anno 1075. Insequenti præsens fuit ecclesiæ 1075.
Cluniaco datæ ab eodem comite. An. 1077 1076.
B. Mariæ Deauratæ ecclesiam Hugoni Clunia- 1077.
censi ordinandam commisit. Circa id tempus canonicos ecclesiæ suæ ad regularem normam *Ch. VIII, col. 7.*
collapsam revocavit, consilio Guillelmi comitis fratrisque ejus comitis Ruthenorum, primatum *Chart. IX, col. 9.*
ac nobilium comitis ditioni militantium. Do-

E nationi factæ monasterio Asiliensi subscripsit anno 1081. Querelam habuit cum canonicis 1081.
sancti Saturnini, qui pontificiam subjectionem detrectabant; quapropter Hunaldo Moissiacensi & Hugoni Cluniacensi abbatibus eorum *Chart. X, col. 10.*
ecclesiam tradidit an. 1082, instante Guillelmo 1082.
comite pro monachis canonicorum loco substituendis: sed donatio contradicente Richardo pontificio legato, suum sortita non est effectum, nam anno sequenti canonici regulares revocati *Chart. XI, col. 11.*
sunt in eamdem ecclesiam. Assensum præbuit donationi ecclesiæ sancti Petri de Villa-Materii Hunaldo abbati Moissiacensi, ab Attomardo

factæ

ANNI CHRISTI
1083. factæ anno 1083. Ecclesias & res Crassæ, A
1085. Montis-Olivi & Mansiazilis in diœcesi Tolosana sitas confirmavit an. 1085. Subscripsit
litteris Dalmatii archiepiscopi Narbonensis,
1086. pro ecclesia S. Mariæ de Burgo anno 1086.
1088. Canonicis S. Stephani restituit anno 1088
ecclesiam sancti Genesii de Barada. Eodem subscripsit litteris Sergii abbatis Jerosolymitani, ecclesiam sancti Pulcri sub annuo censu monasteriis Cluniacensi & Moissiacensi concedentis. Confirmavit testamentum Geraldi
1090. Caturcensis episcopi anno 1090. In concilio quod pro moribus ecclesiæ Gallicanæ reformandis habitum Tolosæ est eodem anno ac- B
1091. cusatus Isarnus purgatus est. Insequenti concilio Narbonensi adfuit. Cum canonicis S. Saturnini
1093. concordiam iniit anno 1093 de jure sepulturæ, ita ut episcopus, comes, milites & uxores & liberi eorum inibi sepelirentur: unde cœmeterium illic positum juxta capellani sancti Exsuperii, vocatur cœmeterium nobilium. Bullam obtinuit pro monasterio Moissiacensi
1096. 7 Maii 1096. Concilio Nemausensi adstitit eodem anno, & regularibus sancti Saturnini canonicis oblationum ecclesiæ quam Petrus Rogerii retinuerat, auctoritate concilii quartam partem restituit. Vaustensem ecclesiam fere C destructam Frotario abbati Tomeriensi instau-
1098. randam commisit anno 1098, eidemque &
Chart. XII, col. 12. monachis donavit anno eodem ecclesiam sancti Elani in pago Tolosano sitam juxta fluvium Agoti. Emeiradi de Alteias Jerosolymam petenti auctor fuit ut cœnobium sancti Orientii construeret an. 1098, nonis Aprilis, fer. 2. Occurrit in instrumentis ejusdem fer. 5, IV cal.
1099. Maii, in festo sancti Vitalis 1099, ubi de monachis apud sancti Orientium. Subscripsit chartæ Bertrandi Narbonensis archiepiscopi,
1100. abbatiam S. Aniani monasterio sancti Pontii
1101. Tomeriarum subjicientis an. 1101, XIV cal. D
1102. Aprilis. Denique reperitur annis 1100, 1102
1105. & 1105 in chartis Lezati.

RAIMOND DU PUY.

XXXI. AMELIUS.

Ch. III, col. 265. Ex abbate Fuxensi & priore Fredelacensi Tolosanus episcopus Amelius, cum præposito & archidiacono concessit monachis Soricinensibus ut ecclesiam S. Martini de Tornadoro transferrent juxta castrum Podii-Laurentii
1106. an. 1106. Ecclesiam sanctæ Columbæ sitam
Chart. XV, col. 14. in territorio Cercorbensi Cluniaco restituit
1110. anno 1110, eodemque Petrus Raimundus frater ejus, & Adela uxor Pontii abbatis, E reddiderunt quidquid de bonis ecclesiæ ejusdem habebant. Eodem anno Richardus Albanensis episcopus synodum apud Tolosam celebravit, cui adfuit Amelius: vix enim tunc crescente Romanorum pontificum auctoritate ulla synodus habebatur, nisi adessent aut etiam præessent eorum legati. Eodem anno Amelius Moissiaco dedit ecclesiam sancti Leofardi, & annuit donatæ eidem & Cluniaco ecclesiæ B. Mariæ Dealbatæ a Geraldo hospitalis sanctæ Mariæ Deauratæ præceptore. Eodem anno

seu 1111 sententiam tulit in placito inter Richardum Narbonensem archiepiscopum, ac Bernardum *de Canet* & Remigium fratrem ejus. Adfuit an. 1111 translationi reliquiarum S. Volusiani. Memoratur eodem anno mense Ch. VI, col. 154.
Julio in carta Arnaldi Pontii *de Noer*, donanti sancto Petro Lezatensi decimas & primitias de S. Cassiano, quando monachum induit in hoc monasterio. Dedit eodem anno abbati & monachis Conchensibus apud Ruthenos, montem ubi ædificabatur ecclesia in honorem sanctæ Fidis, mense Octobri. Testis fuit anno
1113 ecclesiæ de Caplada monachis Electensibus restitutæ. Factas a comitissa Pictaviensi 1113.
Roberto de Arbrisello donationes in diœcesi approbavit XII cal. Martii 1114. Subscripsit
donato a Guillelmo comite monachis Lezatensibus fundo in suburbiis Tolosanis in ho- 1114.
norem S. Antonii 1115. Consensit anno Ch. XVII, col. 15.
1118 fundationi abbatiæ Grandis-silvæ. In 1115.
synodo Tolosæ hoc anno habita decretum 1118.
fuit suppetias ferendas Alfonso Aragonum regi, qui die 6 Decemb. adversus Mauros feliciter pugnavit, & die 10 sequenti Cæsaraugustam expugnavit. Insequenti Callixtus 1119.
papa in hac urbe concilium celebravit, cui adfuit Amelius & subscripsit litteris pontificis pro monasterio Electensi. Hospitalariis sancti
Joannis Jerosolymitani cessit anno 1120 1120.
ecclesiam S. Remigii. Eodem anno ad ejus preces Callixtus sub apostolicæ sedis tutela suscepit Soricinensem abbatiam. Memoratur
Amelius an. 1121 in charta Rogerii comitis 1121.
Fuxi pro Lezato. Ratam habuit donationem factam Arnaldo abbati S. Sacerdotis Sarlatensis
an. 1122. Eodem annuit priori & fratribus 1122.
cœnobii B. Mariæ Brageracensis, se & suum Ch. XVIII, col. 16.
cœnobium ecclesiæ Fontebraldensi & abbatissæ Petronillæ subjicientibus; quam quidem cessionem firmavit 1127. Circa id tempus cum Bertrando episcopo Convenensi dedicavit ecclesiam S. Orientii. Huic & ecclesiæ Tolosanæ ecclesiam *de Lumbers* dedit Arnaldus
abbas VIII cal. Aprilis anno 1125. Eodem 1125.
Amelius Alfonsum Jordanum in Gallæciam comitatus est. Subscripsit restitutioni ab eodem factæ bonorum a patre invasorum ecclesiæ
sancti Saturnini 24 Aprilis 1126. Transegit 1126.
eodem cum Berengario abbate Vallis-Sigerii
super ecclesia de Amanciana. Dedit an. 1130 1130.
Grandi-silvæ ecclesiam Richerii cellæ cum juribus. Memoratur anno eodem in placito habito Tolosæ pro Moissiaco. Lezato confir-
mavit anno 1134 ecclesiam sanctæ Columbæ 1134.
de Ampolag. Subscripsit & consensit anno
1136 fundationi præceptoriæ Vallis-Dei. 1136.
Cessit Lezato ecclesiam sancti Cidii anno Ch. VIII, col. 155.
1137. Denique occurrit in charta Lezati 1137.
anno 1139. 1139.

XXXII. RAIMUNDUS II.

DE LAUTREC.

Jam sedebat Raimundus anno 1140, ut constat ex charta Arsendis Lezatensi monasterio se devoventis, offerentisque nonam

ANNI CHRISTI 1140. partem ecclesiæ *de Macernay*, mense Jun. fer. 3, A
luna 28, an. 1140, regnante Ludovico rege,
comite Tolosano Ildefonso, episcopo Rai-
Ch. XXIII, col. 18. mundo, & ex alio instrumento ejusdem anni
quo Guiscardus Aymerici prior sancti Ægidii
& hospitaliorum minister ratam habet tran-
sactionem factam inter Guillelmum priorem
ecclesiæ S. Mariæ & fratres ejusdem ecclesiæ,
& Bernardum rectorem ecclesiæ S. Remigii
super ecclesia S. Mariæ quæ dicitur Dealbata,
& aliis quibusdam. Concilio Narbonensi adstitit
1141. anno eodem. Memoratur 1141 in charta
Ildefonsi comitis. Bullam obtinuit ab Inno-
1142. centio II pro ecclesia sua an. 1142. Reperitur B
in charta Ildefonsi comitis Tolosæ pro privi-
legiis civitatis, testisque hominii quod Barralis
Baucii dominus præstitit archiepiscopo Arela-
1143. tensi 1143. Donatam ei & ecclesiæ sancti
Ch. XXVI, col. 20. Stephani a Rogerio de Noërio Convenensi
episcopo, ecclesiam sancti Martini de Noërio,
diximus eodem anno 1143, t. I, col. 1095,
ubi ex charta hujus donationis a nobis recu-
perata, quam damus in instrumentis emen-
dandum ejus agnomen, & pro *de Nuro*,
legendum ubique *de Noër* aut *de Noërio*.
1144. Occurrit an. 1144 in charta Ildefonsi comitis,
locum Montis-Albani incolis concedentis ea C
Charta III, col. 182. lege ut in eo urbem construerent. Mandatum
accepit anno sequenti IX cal. Julii ab Eugenio
papa, in querela abbatis S. Theodardi contra
comitem de constructione dictæ urbis. Anno
1145. 1145 de ejus consilio & plurium tam cleri-
corum quam laïcorum, Rogerius comes Fu-
xensis filius Stephaniæ se reum professus ob
usurpata quæ erant ecclesiæ Fuxensis, cui ut
faciat satis & S. Volusiano ejus patrono hanc
ecclesiam liberam declarat ab omnibus quæ
ab ipsa exigebat, eique pollicetur tuitionem &
defensionem & dat duos casales, permittitque D
duo construere fortalitia. Simul abbas erat
S. Antonini Appamiensis anno 1149, quo
nomine de Pariagio convenit cum Rogerio
Bernardo comite Fuxensi. Pollicitus est anno
1150 nec a se nec a successoribus suis inter-
dictum iri castrum de Podio Laurentii ob
fidelitatem incolarum. Judex electus senten-
tiam tulit inter Hugonem Escafredum ejusque
fratres, & Raimundum Trincavellum vice-
1152. comitem III cal. Febr. 1152. Diploma ob-
tinuit a Ludovico rege pro ecclesiis sancti
Stephani, S. Saturnini & B. Mariæ Deauratæ,
1154. 1154. De consilio Petri Conseranensis epis- E
1155. copi composuit 1155 litem inter Bernardum
præpositum & Atonem abbatem Lesatensem
super ecclesia S. Gernerii de Murello recens
constructa. Eodem adfuit mense Martio con-
ventioni inter Petrum *de Bessence* & Armandum
de Verduno. O. abbatissæ Vetuli-muri bene-
1157. fecit an. 1157. Ecclesiam & prædia donavit
1159. pro fundando an. 1159 parthenone Cister-
ciensi apud *Marenx*. Henricus rex anno eodem
obsedit Tolosam. Ad preces Guischardi prioris
S. Egidii tradidit Bernardo de Asiliano priori
hospitalis sancti Remigii jus sepulturæ in dicta
ecclesia cal. Aprilis an. 1160. Adstitit eodem ANNI CHRISTI 1160.
x cal. Nov. dedicationi monasterii Scalæ-Dei.
Habitum an. 1161 Tolosæ concilium coram 1161.
regibus Francorum & Anglorum, cui adfuere
cardinales missi tum ab Alexandro III, tum
a Victore antipapa, nec non legati impera-
toris & regis Hispaniæ. In eo recepta est &
probata electio Alexandri. Anno 1162 con- 1162.
silio Bernardi præpositi concedit Bernardo
abbati & monachis Gimundi, decimas terrarum
omnium quas proprio colebant labore, &
ecclesias de Maderiis, sanctæ Mariæ juxta
Gimundum ante monasterium sitam & sancti
Justini. Recensetur adhuc in charta Gimundi
1163, quo anno obiit XV cal. Maii, ex
necrologio.

XXXIII. BERNARDUS III. BONHOMME.

Sancti Stephani præpositus Bernardus, electi
nomen præfert in charta Bonifontis an. 1163,
eodemque episcopi idibus Decembris in ta-
bulis Bolbonæ. Pontio abbati Grandis-silvæ
dedit anno eodem ecclesias sancti Sulpicii *de
Boulhac* & sancti Saturnini de Ricanella. Testis
fuit pactionis inter Raimundum comitem
Tolosanum & Raimundum Trincavelli vice-
comitem Biterrensem, 5 & 6 Junii 1163.
Recepit eodem anno Montarsinum *d'Escal-
quens* & Guillelmam ejus uxorem in cano-
nicum & canonicam, eisque mille Missas
spopondit. Ecclesiæ vero suæ donavit id quod Ch. XXIX, col. 21.
ab eis habuerat, mense Martio anni ineuntis
1164, cujus mensis idibus obiit ex necrologio. 1164.

XXXIV. GERALDUS. DE LA BARTHE.

E familia dynastarum Bartanorum apud
Convenenses oriundus Geraldus prius archi-
diaconus Ausciensis, in quibusdam Gimundi
chartis Tolosani annis 1162 & 1163 electi
titulo gaudet. Hinc collige ante Raimundi
obitum qui an. 1163 contigit, aliquam factam
fuisse electionem, duosque in contentione
electos fuisse episcopos, Bernardum & Ge-
raldum, prævaluisseque Bernardum, quo de-
functo pontificalis dignitas cesserit Geraldo,
qui anno 1164 pacifice fruens episcopatu in 1164.
variis Gimundi, Elnarum, Bellæ-perticæ, &c.
chartis reperitur. Concilio Lumbariensi adstitit
an. 1165. Notatur in charta Bernardi comitis 1165.
Convenarum quædam Lezato conferentis
mense Januario 1165. Ludovici VII ad
preces Tolosa civitas ab Alexandro III li- Ch. XXXI, col. 22.
beratur a suspensione, epistola ejusdem papæ
Geraldo cleroque Tolosano missa IV id. Mar-
tii 1168. Guillelmo abbati *de Vajal* dedit 1168.
Geraldus anno 1169 totum dominium quod 1169.
habebat in molendino *de Taladol*. Interfuit
mense Junio 1170 cum Maurino abbate 1170.
infractioni pacis initæ inter abbatem Combæ-
longæ & Guillelmum abbatem *de Vajal*. Eo-
dem anno mediator laudatur conventionis
inter abbatem Bellæ-perticæ & priorissam de
Brageraco. Eodem adhuc anno electus est Tom. I, col. 987.
archiepiscopus Ausciensis, sed non potitus est

ANNI CHRISTI

ante annum 1173: unde episcopi adhuc Tolosani nomen retinet annis 1170 & 1171 in chartis Gimundi, Tolosani episcopi, Auscitani archiepiscopi & sedis apostolicæ legati anno 1171 mense Octobri in charta sancti Orientii, sedesque vacasse legitur annis 1170, 1171 & 1172 in aliis Gimundi chartis, & 1171 in charta Lezati, quo anno sede vacante Raimundus Guilaberti præpositus mense Julio recepit in canonicam Alsaniam quondam uxorem Bastardi *d'Escalquens*. Tolosanus autem episcopus Geraldus ecclesiæ suæ honores Ch. XXXV. col. 24. distractos & obligatos exsolvit & restituit, ac censum annualem quem Judæi ei persolvebant concessit.

XXXV. Hugo III.

Hist. Occit. t. II, prob. col. 609. Ex secundo abbate sancti Saturnini Tolosæ episcopus Hugo, jam præsidebat 1170 mense Julio, ex concordia Isarni de Dorniano & fratrum ejus, & mense Novembri ex charta Mansi-azilis. Reperitur in chartis S. Saturnini
1172. anno 1172 mense Augusto. Nominatur in
1173. donatione eidem ecclesiæ facta anno 1173 ex Catello in comitibus Tolosanis, pag. 32. Occurrit 1172, 1173 & 1174 in chartis Gimundi, Boni-fontis, Fulii & Bellæ-perticæ. Pontio abbati Grandis-silvæ dimisit an. 1173 decimas eorum quæ monachi propriis colebant manibus. Petro abbati *de Vajal* dedit molendinum de Taladulio mense Augusto
1174. 1174. Obiit IX cal. * Maii 1175, ex necrologio. Nominatur mense Januario 1176 in donatione facta Lesato, & mense Martio: sedes tamen vacasse legitur in veteri charta
1175. Lesati an. 1175, & 1176 in charta Gimundi, 1175 in charta S. Saturnini, & 1176 mense Madio in Soricinensi.

* al. 16 Aprilis ex necrologio S. Saturnini.

XXXVI. Bertrandus I.

DE VILLEMUR.

Ex priore Camonis Tolosanus episcopus legitur Bertrandus an. 1175 in charta Man-
1176. siatilis. Memoratur in charta Lesati anno 1176
1177. mense Aprili. Benefecit mense Martio 1177 monasteriis Lesati & Boni-fontis, cujus decimas in diœcesi sitas concessit monachis.
1178. Occurrit anno 1178 in chartis Lesati. Hoc autem anno & sequenti sedes vacat in chartis Lesati, Gimundi, & sancti Saturnini. Bertrandus vero quondam prior Camonis & episcopus Tolosanus nominatur in charta Camonis anno 1180.

XXXVII. Gosselinus.

A Gaufrido priore Vosiensi cum Geraldo Auscitano archiepiscopo, & Geraldo Convenensi episcopo, Gosselinus Tolosanus præsul hæreticorum Albigensium confessiones coram omni populo audiisse narratur circa 1178: cæterum nullibi comparet in chartis quæ visæ sunt.

§ Ex Petro Cellensi, ep. 8, lib. VIII, discimus Henricum Claravallensem abbatem ad cathedram Tolosanam postulatum fuisse: & A certe electus Tolosanus Henricus reperitur in veteri instrumento collegii Tolosani sancti Bernardi an. 1178, de venditione cujusdam solarii factæ Hispaniolo Judæo a Pontio Aimerico. Sed qui summum pontificatum postea recusasse dicitur, certe Tolosanum tunc acceptasse non credendus est: unde eodem anno & 1179 sedes vacasse reperitur in chartis Gimundi & Lesati.

XXXVIII. Fulcrandus.

Episcopus erat Fulcrandus an. 1179 mense 1179.
Decembri, ex charta Lesatensi. Memoratur
B 1180 in chartis Gimundi & Lesati. Cum 1180.
Bernardo de Gradaco archidiacono sententiam tulit mense Maio 1181 inter sacristam sancti 1181.
Stephani & Judæos Tolosæ, pro cera quam annuatim subministrare tenebantur fer. 6 Parasceves. Memoratur mense Augusto in ordinatione Raimundi comitis pro civitate Tolosana. Dedit mense Januario 1181 Alquerio abbati Bellæ-perticæ ecclesiam de Cordua. Canonicos sancti Stephani conciliavit arbiter cum Petro sancti Andreæ priore hospitalis Jerosolymitani mense Julio 1183. Dedit 1183.
1185 Guillelmo abbati *de Vajal* ecclesias 1185.
C sancti Petri *de Canens* & sancti Johannis *de Fajac*. Occurrit 1187 in charta donationis 1187.
factæ Grandi-silvæ a Gastone Bearnensi. Odoni abbati Bolbonensi concessit anno 1188 exem- 1188.
tionem a primitiis & decimis omnium terrarum quas monachi proprio colebant labore. Eodem anno cum Odone abbate Bolbonensi & Guillelmo præposito sancti Stephani litem composuit inter Arnaldum abbatem Combælongæ, & Guillelmum abbatem *de Vajal*, præsente Bernardo abbate Fontis-calidi. Præsens fuit sacramento quod Raimundus comes Tolosanis fecit an. 1189 in festo Epiphaniæ. Anno 1189.
D 1196 dominus Fulcrandus Tolosan. episcopus, 1196.
& Guillelmus de Cantelio præpositus, & conventus ecclesiæ S. Stephani commendaverunt Char. XL, col. 28.
Gauterio *de Noër*, nomine bajulationis, ecclesiam *de Noër* cum tribus partibus totius decimæ, & cum omnibus primitiis & cum omnibus juribus ad ipsam ecclesiam pertinentibus in omni vita ipsius Gautherii, sub certis pactis & conditionibus in ipsa charta enuntiatis. Nominatur anno 1197 testis pactorum matrimonii inter 1197.
Bernardum Convenarum comitem, & Mariam filiam Willelmi domini Montispessulani. Memoratur in donatione facta ab eodem comite
E monasteriis de Gojono & de Oratione-Dei 1197 mense Febr. Cum Laurentio Conseranensi episc. ecclesiam monasterii Bolbonensis consecravit die Domin. 15 Martii 1198, sub- 1198.
scripsitque donationi factæ Berengario abbati a Raimundo Rogerio comite Fuxensi. Sancium abbatem Gimundi exemit anno eodem a decimis & primitiis, eique confirmavit ecclesias sancti Petri de Maderis & S. Mariæ juxta Gimundum. Eodem anno memoratur III cal. Januarii in charta donationis factæ monasterio Grandis-silvæ ab *Esquirols* de Monte-podio.

ANNI CHRISTI 1200. Convivium sibi a canonicis debitum relaxavit A anno 1200, septima die introitus Septembris, præsente Guillelmo abbate sancti Saturnini. Obiit Fulcrandus VI cal. Octob. anni ejusdem, sedesque vacabat anno & mense eisdem, ex
1201. charta Lesati, 1201 ex chartis Gimundi & Bolbonæ, & 1202 VII id. Januarii ex charta Bellæ-perticæ. De Fulcrando ita legitur in chronico Guillelmi de Podio Laurentii: « In diebus illis erat Fulcrandus episcopus Tolosanus, de quo cum pauca egisse audivi, pauca referre valeo; nisi quod didici a suis contemporaneis de paucis quæ percipiebat, & de boriis suis & furno suo vivebat in episcopali B hospitio ut Burgensis. Nullas enim percipiebat decimas, quas milites vel monasteria possidebant & habebant primitias capellani..... Harum autem nullam percipiebat episcopus portionem. Si quando egredi vellet parochias visitatum, dominos ad quorum terras ire disponeret, necesse habebat guidagium implorare, de quo forte inculpari comes non immerito videretur, quod securum in terra suum episcopum non teneret. Sed licet non in toto sed in tanto non excusabilis videbatur, quod tenere secure sua non poterat, quod a guerra sui quiescere non sinebant. Propter quod & C de Hispania sibi ruptarios advocabat, quibus licentiam dabat per terras libere discurrendi.» Fuit quidem pontifex pius Fulcrandus opumque contemtor: attamen idem historicus eum redarguit, quod ejus simplicitate, vel, ut vocat, negligentia, hæretici multum in diœcesi propagati sint.

XXXIX. RAIMUNDUS III.

DE RABASTENCS.

Proprio viduata pastore ecclesia Tolosana, propter dissensiones & jurgia laboribus & expensis diu afflicta est. Bifariam enim divisi D canonici, alii elegere Raimundum Arnaldi jam episcopum Convenensem, alii vero sollicitati Raimundum Aginnensem archidiaconum. Electus uterque statim summum pontificem appellavit, qui utrique cardinalem assignavit auditorem. Causa quidem vicit episcopus Convenensis, quem ut in possessionem sedis Tolosanæ immitterent Arnaldo Grandis-silvæ & Bellæ-perticæ abbatibus mandavit Innocentius III, sed frustra: nam Raimundus archidiaconus Aginnensis, qui missus licet ædes episcopi retinuerat reditusque percipiebat, canonicos qui in prima electione contrarii ipsi fuerant, E sacramento obligavit, omnesque ad alteram revocavit, in qua ab omnibus electus est episcopus Tolosanus, quo nomine occurrit
1202. 10 Junii, fer. 2, & mense Augusto 1202 in chartis Grandis-silvæ. Sed cum apostolicæ sedi multa de persona ipsius proposita fuissent, Innocentius III horum inquisitionem Johanni Lemovicensi episcopo & P. Majoris-silvæ ac R. de Corona abbatibus commisit. Qui diligenti habita inquisitione electionem confirmarunt, electumque metropolitano suo consecrandum miserunt. Raimundus itaque dicitur

Baluz. Miscell. tom. V. p. 457.

episcopus 4 Decemb. 1202 in charta Johannis Hospitalarii xenodochii sancti Antonii extra portam Narbonensem, ejusque uxoris Sibiliæ obsequio pauperum sese devoventis. Præsens fuit sacramento quo consules & primates civitatis obligarunt se in manibus legatorum tenere fidem catholicam, 13 Decemb. 1203. 1203.
Præsens fuit alteri instrumento consulum Tolosæ 14 Junii & mense Martio 1204. 1204.
Occurrit 16 Aprilis & mense Sept. 1205 1205.
in chartis Tolosanis. Hoc ultimo anno a legatis apostolicis meritis suis exigentibus depositus est; de quo Guillelmus de Podio-Laurentii: « defuncto Fulcrando episcopo anno circiter 1201, eligitur Raimundus *de Rabastens* archidiaconus Aginnensis; sed quia festinavit ab initio vitio simoniæ, benedictione caruit in fine. Nam cum illam eamdem libertatem quam prædecessor suus habuerat, in litigando & alias guerras gerendo cum Raimundo forti de Bello-podio vassallo suo inutiliter fere triennio consumsisset, & borias suas & fortias creditoribus obligasset, ipse tandem ab episcopatu per sedem apostolicam ad depositionem fuit finaliter condemnatus.» Triennio post cum archiepiscopo Auscienss a comite Tolosano Romam missus est ad summum pontificem, ut quereretur de abbate Cisterciensi, qui legatione pro negotio fidei nimis aspere adversus eum fungebatur. Quin in charta anni 1210 8 Febr. De dono quod fecerunt domini & milites *de Rabastencs* testis reperitur Raimundus *de Rabastencs* quondam episcopus Tolosanus. Sedes autem jam vacabat mense Novemb. 1205 ex charta Lesati.

XL. FULCO.

DE MARSEILLE.

Alfonso ditissimo Genuensi mercatore parente Massiliæ natus Fulco, unde Fulquetus de Massilia dictus, litterarum studiis a tenera ætate operam dedit, ubi tantos habuit progressus, ut inter nominatissimos sui temporis poëtas a coævis scriptoribus annumeratus sit. Quibus aliisque dotibus maxime excultus, ad Richardi regis Anglorum, Alfonsi Aragonum & Raimundi comitis Tolosani favorem aditum sibi & amicitiam aperuit. His autem defunctis ad præstantioris vitæ professionem evocatus, Christo se mancipavit circa 1199, cum duobus filiis monasticam religionem ingressus in monasterio Grandis-silvæ auctore Chrysostomo *Henriquez* in fasciculo Sanctorum ordinis Cisterciensis. Inde factus abbas Toroneti in diœcesi Forojuliensi, cum multa virtutum specimina edidisset, vacantis, pulso Raimundo, sedis Tolosanæ pontifex renunciatur exeunte anno 1205, quo electi titulo reperitur mense Decembri in charta Boni-fontis. « ejus promotionem cum audisset (Petrus de Castro-novo) legatus, qui eum optime noverat, ut jacebat in lecto infirmus, elevatis manibus in cœlum gratias egit Deo quod de tali persona providisset ecclesiæ Tolosanæ.» Electus autem confirmatus est a tribus legatis, qui eum ab archiepiscopo

ANNI CHRISTI

Arelatensi fecerunt consecrari; propter quod A noluit Innocentius III ecclesiæ Narbonensi, cujus ad jurisdictionem Tolosana jure Metropolitico pertinebat, præjudicium generari litteris archiepiscopo & capitulo Narbonensi datis v id. Maii, pontificatus] 9. « Ingressus (jam » fuerat Fulco) ecclesiam suam in festo sanctæ » Agathæ, quæ dies Dominica erat in Sexa- » gesima, & cum orasset, convertit se ad populum » sermonem inchoans, quod missum ad epis- » copatum mortuum suscitandum velut alterum » Elisæum jam nemo debebat dubitare: agebatur » autem quando intravit Tolosam annus 1205
1206. » (nunc 1206). Quod autem dixi episcopatum B » mortuum, inquit Guillelmus de Podio-Lau- » rentii, cap. VII, non est mirum: nam ipsum » audivi dicentem etiam in sermone, quod » quando intravit episcopatum, a terra usque » ad cœlum nihil expeditum quod ipse posset » percipere invenisset nisi centum minus quatuor » solidos Tolosanos, & ipse creditoribus urge- » batur coram capitulariis respondere. Terramque » extra repleverant Ariani, Manichæi hæretici » & Valdenses, sicut forte Dominus ordinabat, » qui in primitiva ecclesia non multos nobiles » aut potentes secundum carnem, sed infirma » mundi elegit ut fortia quæque destrueret, ut C » episcopus pauper prodiret & pedibus ad expugnandam hæreticam pravitatem ». Reperitur episcopus die Veneris 24 Febr. 1205, in tabulis Grandis-silvæ. Eodem anno ad preces Dominici Oxomensis ecclesiam B. Mariæ de Pruliano concessit mulieribus conversis per prædicatores ad prædicandum contra hæreticos delegatos. Fulco enim fuit inter Tolosanos episcopos omni virtutum genere cum pari doctrina, pietate & zelo animarum pro exstirpatione hæreticæ pravitatis summopere eminens. Quapropter a beato Dominico cui gratissimus erat & Didaco episcopo Oxomensi D in Hispania de modo expugnandorum Albigensium edoctus, contra eos non in Hispania solum congressus est, sed in Britanniam quoque transfretavit ut crucem prædicaret, incredibili plane propagandæ religionis fervore. Didacum Hispanias repetentem Appamiis convenit anno
1207. 1207. Cum Navarro Conseranorum antistite ad summum pontificem ab episcopis provinciæ
1208. missus est an. 1208, ut periclitanti ecclesiarum provinciæ Narbonensis paci consuleret. Eodem anno mense Novembri, cum Regiensi episcopo sedis apostolicæ legato, & W. de Aligno priore S. Honorati Arelatensis, de mandato E Innocentii III ad monasterium sancti Victoris Massiliensis, & cum multis aliis viris sapientibus accessit pro sedanda discordia quæ ibidem orta fuerat paceque reformanda, ibique amplissimam constitutionem fecerunt. Præsens fuit
1209. an. 1209, hominio quod Simon comes Montisfortis præstitit abbati pro castro Appamiensi, quod ei tradiderat abbas. Hoc ipso anno sodalitatem instituit adversus usurarios. Tolosanos
1210. ab excommunicatione absolvit anno 1210. Eodem obsidioni de Minerva adstitit. Consilio

S. Egidii adfuit anno eodem. Cum Raimundo decessore occurrit 8 Febr. in donatione quam milites *de Rabastens* comiti Raimundo fecere. Circa id tempus ab abbate Cisterciensi in Franciam missus est ad sollicitanda nova præsidia adversus hæreticos, contra quos atque etiam usurarios societatem Tolosæ instituit
an. 1211. Monialibus a S. Dominico con- 1211.
versis concessit anno eodem ecclesias beatæ Mariæ de Pruliano & *de Bram* in tractu Lauracio. Eodem adstitit hominio quod Rogerius Convenensis comes præstitit Simoni Montisfortis comiti. Pulsus a comite Tolosa exiit anno eodem 1 Aprilis, & ad cruce signatos Vaurum obsidentes confugit. Eodem clericis tam civitatis quam suburbii Tolosa mox obsidenda exire cum corpore Christi injunxit. Eodem adstitit hominio quod Guillelmus episcopus & comes Cadurcensis præstitit Simoni de Monte-forti pro comitatu Cadurcensi in obsidione Tolosæ XII cal. Julii. Concilio Nar-
bonensi adfuit anno 1212, eodemque anno 1212.
conventui Appamiensi. Cum aliis multis præsulibus præsens aderat ut vicelegatus an. 1213, tum cum exercitus cruce signatorum dimicavit adversus regem Aragonum, comitem Tolosanum aliosque vel Albigenses hæreticos vel ipsorum fautores, & insignem reportavit victoriam apud Murellum, die Jovis in octava Nativitatis B. Mariæ, cæso Aragonum rege. Fulco & cæteri qui aderant episcopi die sequenti gravem scripserunt epistolam ad omnes fideles rem ut gesta erat enarrantes, quam habes tom. XI, concil. col. 99. De consensu fratris Dominici capellani de Fano-jovis dedit monialibus de Pruliano decimas & primitias trium aratrorum suorum & 30 arpentorum
vinearum anno 1214. Concilio Monspeliensi 1214.
adstitit anno 1215. Eodem jussus a cardinali 1215.
legato possessionem urbis Tolosæ & castri Narbonensis arripuit. Eodem concilio Lateranensi interfuit Romam profectus cum beato Dominico Prædicatorum institutore, qui ejus commendatione & favore subnixus ordinis condendi confirmationem ab Innocentio III obtinuit. Prædicatores in sua diœcesi anno eodem instituit Dominicum & socios ejus, quibus assignavit sextam partem decimarum diœcesis. Eidem donatam a capitulo capellam
S. Romani assensit mense Junio 1216, quibus 1216.
mense & anno subscripsit chartæ pro consulibus Nemausensibus. Cum archiepiscopo Ebredunensi & episcopo Vapincensi bonorum operum quæ fierent in ipsius diœcesi participes reddidit eos qui monialibus S. Antonii Paris. benefacerent anno eodem. Præsens fuerat juramento quod Simon comes Montis-fortis civibus Tolosanis præstiterat 8 Martii, fer. 3. Quot autem & quanta hoc anno Tolosanis iisdem ipse intulerit mala, auctor Simoni prædicto ut eos bonis omnibus spoliaret & incarceraret, propudiosum est dicere. Circa id tempus ab Honorio papa licentiam abdicandi curam pastoralem & cucullam resumendi petiit, qua

ineunte anno 1217 negata, rogavit ut in
1217. plures episcopatus Tolosanus divideretur. Id
autem non nisi post annos fere centum est
effectum. Eodem anno missus a Bertrando
legato cum nonullis sociis, in his Jacobo a
Vitriaco, accessit in Franciam, prædicavitque
bellum sacrum adversus Raimundum comitem
& Albigenses: cujus exhortationibus plurimi
assumta cruce ad Tolosanam obsidionem confluxerunt.
Vicissimque illi Simon comes &
successoribus dedit in beneficium castrum
Viridis-folii vigentique ab eo pendentes vicos
1218. anno 1218, ea solum recognitione ut in bello
armatum militem exhiberet episcopus. Defuncto
anno eodem Simone, Amalricus ejus
filius Fulconem ad regem direxit nova adversus
hæreticos postulaturum auxilia. Cum Galtero
Carnotensi & Garino Silvanectensi episcopis
1219. consecravit mense Augusto 1219 ecclesiam
Caroli-loci. Eodem anno a capitulo Cisterciensi
petiit abbatem mittendum Romam
epistolamque ad summum pontificem pro
terra Albigensium, & exauditus fuit. Cum
B. Magalonensi episcopo a Conrado Portuensi
1220. missus est XI cal. Martii 1220, ad fundandum
parthenonem S. Petri de Almanarra in diœcesi
Tolonensi. Ecclesiam de Fano-jovis dedit
fratri Dominico ejusque sociis XV cal. Maii
1221. 1221; qui quidem sextam partem decimarum
diœcesis ei restituerunt, ecclesiam vero de
Fano-jovis monialibus Pruliani cesserunt, quam
confirmavit Fulco anno 1227. Occurrit anno
1222. 1222 in charta Bernardi comitis Convenarum
pro abbatia Fuliensi. Philippi regis exsequiis
1223. interfuit anno 1223 cum plurimis episcopis
qui ad concilium Parisiis adversus Albigenses
convenerant. Altare beatæ Mariæ in capella
Milonis abbatis sancti Theoderici Remensis
1225. sacravit anno 1225. Conventui Appamiensi
1226. adstitit anno 1226, & de suo quandiu rex
in ipsius diœcesi remansit, impensam fecit.
Ecclesiam B. Mariæ intra Ambas-aquas mo-
1227. nasterio Bolbonensi adjudicavit anno 1227,
eodemque adstitit obsidioni castri Betetæ. Paci
Spicil. t. II, p. 621. initæ & juratæ regem inter & comitem Tolosanum
Parisiis cum aliis episcopis & magnatibus
1229. adstitit 12 Aprilis 1229, eodemque concilio
Tolosano interfuit habito a legato, cujus litteras
publicavit in ecclesia S. Jacobi. Anno
eodem, calendis Julii, in conventu episcoporum
& abbatum apud S. Johannem *de
Verges* præsens fuit reconciliationi Rogerii
Bernardi comitis Fuxensis, cum rege Franciæ
& sede apostolica pro facto hæresis. Anno
1230. 1230 confirmavit monasterio de Pruliano
ecclesiam B. Mariæ de Fano-jovis, mense
Decemb. ex tabulis monasterii, quod a nobis,
inquit, ædificatum est. Hortum de Garrigiis
in parochia Deauratæ, in cœmeterium Prædicatoribus
qui ecclesiam S. Romani deseruerant
benedixit anno eodem, ecclesiæ primarium
lapidem posuit, missamque primam primus
celebravit Dominica die in Natali Domini.
1231. Quædam onera canonicis suis dimisit 1231,

A die 10 exitus Decemb. fer. 2. Tandem
singulari sanctimoniæ laude præditus in Christo
quievit in festo Dominicæ Nativitatis anno
1231, ut his verbis exponit Guillelmus de
Podio Laurentii, cap. 41. « Interea quandiu
permittebatur episcopus ab officio non vacabat, «
ecclesias ordinando, plebes quoque neophytas «
visitando. Cum igitur bene omnia fecisset & «
episcopatum quasi olim mortuum suscitasset, «
& de manu laïcorum traxisset decimas unde «
possent sustentari honorifice successores, qui «
quando intravit episcopatum unde viveret, «
nec centum invenit solidos Tolosanos, Domino «
B volente retribuere servo suo, in die Natalis «
Domini diem clausit extremum anno 1231, «
episcopatus 27. Sepelitur in suo monasterio «
Grandis-silvæ, juxta tumulum Guillelmi de «
Montepessulano ad summum altare ». Sedes
autem vacabat X cal. Febr. 1231 & XV cal.
Martii, ex chartis Soricinii.

XLI. RAIMUNDUS IV. DE FELGAR.

« Sepulto reverendo episcopo in cœnobio «
Grandis-silvæ, inquit Guillelmus de Podio, «
cap. 42, non post multos dies eligitur vene- «
rabilis vir Raimundus prior provincialis fratrum «
C Prædicatorum in Provincia, in episcopum «
Tolosanum, in concordia capituli ecclesiæ «
universi, cujus electionem oblatam sibi legatus «
continuo approbavit. Electus ergo in festo «
S. Benedicti, Quadragesimæ in Dominica qua «
cantatur *lætare Jerusalem*, consecratur & se- «
quenti Dominica in Passione Domini, suam «
ecclesiam cum processione cleri & populi est «
ingressus anno 1231. Inchoavit igitur ibidem «
episcopus, ubi decessor ejus desierrat, hære- «
ticos viriliter prosequendo, jura ecclesiastica «
defendendo, comitem modo cum rigore, modo «
D cum mansuetudine ad quæcumque bona poterat «
dirigendo, » huc usque Guillelmus. Raimundus
autem e castro de Miremonte in Tolosatibus
oriundus Arnaldi militis frater nepotem habuit
Willelmum de Falgerio, cui B. Crassensis
abbas medietatem redituum ad ecclesias sancti
Stephani *de Soplesenes* & S. Mariæ de Grasseta
pertinentium ad vitam concessit an. 1249.
B. Dominici discipulus a prima ætate Prædicatorum
societati se tradidit. Suis postmodum
exigentibus meritis ad ordinis magistratus
provehitur, designatus provincialis Dominicanorum
in Provincia, unde suffragante ca-
E pitulo universo Tolosanus sublectus est epis-
copus anno 1232. Eodem cum Durando 1232.
Albiensi episcopo transegit super decimis quas
uterque in confinio suæ diœcesis ab annis 23
acquisierat, XIII cal. Augusti, & cum capitulo
suo super tribus præbendis quas petebat episcopus.
Eodem nominatur in pacto matrimonii
inter Grimaudum *Exuin* & Guillelmam, secunda
die exitus mensis Sept. fer. 4. Consecravit
altare B. Magdalenæ in ecclesia Grandis-
silvæ anno 1233. Eodem jam instituta pro- 1233.
curante Romano sedis apostolicæ legato, ut
bonarum litterarum ope hæresis profligaretur, Spicil. t. III, p. 181.

ANNI CHRISTI

1234. Tolosiæ academia a Gregorio IX confirmata est. Anno 1234 Raimundus concilio Biterrensi adsuit. Solenniter eodem anno celebravit festum canonisationis S. Dominici in ecclesia sui ordinis, monasterioque Pruliano confirmavit ecclesiam Bromi, quam dederat Fulco anno 1211. Cum fratribus Prædicatoribus
1235. Tolosa missus abiit 6 Novemb. 1235 ad inquisitorem fidei apud Carcassonam, & adsuit sententiæ latæ 10 ejusdem mensis adversus capitularios Tolosæ inquisitionem recipere
1236. renuentes. Romam petiit anno 1236, querelas ad summum pontificem de sua expulsione delaturus, eodemque anno a comite Tolosano revocatus est. Delegatus ab J. Viennensi archiepiscopo sedis apostolicæ legato, monas-
1237. terium Lezatense visitavit anno 1237, cujus abbatialem mensam a conventuali separavit. Eodem anno a Raimundo comite judex & arbiter constitutus est querelæ inter ipsum &
1238. capitulum Albiense. Pepigit anno 1238 cum Arnaldo *d'Aragon* priore *de Castel-Sarazin*. Archidiaconis & archipresbyteris suæ diœcesis
1239. mandavit anno 1239, ut bona monasterio Bolbonæ usurpata, adhibitis etiam censuris, restitui curarent. Trencavelli vicecomitis Biterrensis filii conatibus & nobilium suæ factionis obstitit cum archiepiscopo Narbonensi: apud
1240. Carcassonam enim se recepit anno 1240, pro tuendis Occitaniæ urbibus, populosque agendi solertia & eximia qua pollebat eloquentia ad
Ch. XLIX, col. 35. regis obsequium revocavit. Tabulis sponsalium comitis Tolosæ cum filia comitis Provinciæ
1241. suum apposuit sigillum anno 1241. Circa id tempus pacem tractavit & ordinavit inter Raimundum comitem Tolosanum, comitem Fuxi, comitem Marchiæ & Angliæ regem.
1242. Anno 1242 Carmelitæ in urbe instituuntur. Eodem anno Raimundus comitem Fuxensem hortatus est ut Bolbonenses monachos adversus Lesatentes tueretur in possessione ecclesiæ de
1243. Marenis, quam ipsis concesserat. Insequenti concilio Biterrensi adfuit; vocatus ivit ad curiam regis, a quo jussus est R. comiti Fuxensi restituere castellum *de Saverdun*. Præsens fuit hominio Guillelmi de Barreria anno
1244. 1244, & hominio quod B. Convenarum comes Tolosano comiti præstitit. Concilio
1245. Lugdunensi adstitit anno 1245, & cum aliis episcopis ad Innocentium papam scripsit XVIII cal. Julii, ut libera daretur inquisitoribus in hæreticos agendi licentia. Eodem anno dedit sororibus Prulii decimas Gratalausæ, *de la Serre*, *de Rodel*, & S. Martini juxta Prulium.
1246. Concilio Biterrensi adstitit anno 1246, in quo præscriptæ inquisitoribus adversus hæreticos regulæ. Eodem anno priori monasterii de Pruliano indulsit ut ecclesiam S. Martini, quæ diruta fuerat, intra monasterii septa transferret. Eodem juxta bullam Innocentii papæ monuit archiepiscopum Narbonensem & episcopum Biterrensem censuris ecclesiasticis impedirent ne archiepiscopi Viennensis, Arelatensis, Aquensis, Auscìensis, Burdegalensis,

A & Bituricensis, alliique episcopi & abbates suæ diœcesis urbem fratribus Prædicatoribus interdicerent. Johanni abbati de Capella Ch. LI, col. 36.
confirmavit anno 1247 ecclesias de Miranis, 1247.
de Rustinaco & de Omevilla, a Fulcone decessore eidem jam traditas sub onere trium librarum ceræ totidemque piperis. Hospitalis de Tescon. & Montalban. administrationem
Guillelmo Tustano commisit anno 1248, qui 1248.
eidem fidem fecit. Jus suum in ecclesiam beatæ Mariæ de Bromis, & decimas S. Martini de Silva-longa Molineriæ abbatissæ & monialibus
de Favars cessit anno 1249, quæ quotannis 1249.
B solvere spoponderunt duas ceræ libras totidemque piperis. Ecclesias Montis-olivi confirmavit anno eodem; arbiter fuit mense Decembri inter archiepiscopum & vicecomitem Narbonensem, & B. abbati Crassensi gratias egit mense Martio, quod Guillelmo de Felgario ipsius nepoti nonnulla indulsisset. Monachis Grandis-silvæ capellas & oratoria
in grangiis ipsorum indulsit anno 1250, cum 1250.
facultate in iis officia celebrandi. Adsuit anno eodem hominio quod B. Convenarum comes
præstitit Alfonso comiti Tolosano. Anno 1251 1251.
Alfonsus Tolosæ comes ab hominio ipsi præsC tando exemtum se voluit, modo suus ipsi senescallus præstaret. Eodem judex & arbiter eligitur querelæ inter G. Narbonensem archiepiscopum & Amalricum vicecomitem super excommunicatione, quam archiepiscopus in vicecomitem detorserat. Hoc etiam anno inquisitionis protector & defensor declaratus fuit ab Innocentio IV. Dominicanis a quæstore Pictaviensi & Guidone Fulcodii nominandis jus fecit inquisitionis in diœcesi sua exercendæ
anno 1252. Eodem cum Galhardo Lactorensi, 1252.
Nicolao Conseranensi & Arnaldo Convenensi D episcopis dedicavit ecclesiam Grandis-silvæ, v. cal. Mai; quin & statutis a Guidone Fulcodii & aliis Alfonsi comitis Tolosani delegatis adversus hæreticos & excommunicatos præsens fuit in ecclesia sancti Jacobi
Montalbanensis. Transegit anno 1253 cum 1253.
Egidio abbate Bellæ-perticæ super nonnullis ecclesiis. Querelam habuit adversus Bertrandum de Monte-acuto, priorem B. Mariæ Char. LII, col. 38.
Deauratæ, quæ mediis arbitris sopita est
an. 1254. Ecclesias bene multas confirmavit 1254.
Manso-Garnerii anno 1255, quo cum aliis 1255.
episcopis inquisitoribus fidei indulsit ut indulE gentias in sua diœcesi possent concedere. Concilio Biterrensi adfuit anno eodem, ecclesiasque permutavit cum Petro Soricinensi hoc anno & 1258. Medio G. Narbonensi archiepiscopo transegit cum G. abbate Lesatensi de benedictione abbatibus impertienda obe-
dientiaque sibi debita anno 1256. Corpus 1256.
sancti Saturnini cum tumulo suo marmoreo
elevavit 6 Septemb. 1258 ad altiorem locum, 1258.
præparata crypta cum testudine. Arbiter electus inter Bartholomæum Cadurcensem episcopum & consules urbis ejusdem pœnæ de homi-
cidio repetendæ, judicium tulit anno 1259. 1259.

ANNI CHRISTI

Fundationem ecclesiæ Fratrum Prædicatorum A
Tolosæ factam in horto de Garrigiis confir-
1260. mavit an. 1260, cujus Fulco decessor lapidem
primum posuerat, in eoque crucem plantaverat
& religiosos constituerat; ipse vero 4000
solidos Tolosanos ad ædificandam ecclesiam
ipsi largitus est annuumque ad 20 Dominicanos
vestiendos pannum. Donatam a Fulcone eccle-
siam beatæ Mariæ de Fano-jovis monasterio
1261. Pruliano ratam habuit anno 1261. Eodem
Raimundus episcopus & Bertrandus præpositus
ex una parte, & Pontius abbas Grandis-silvæ
cum suo procuratore ex altera, compromisere
in Bertrandum *de Miramont* abbatem Lum-
bariensem & canonicum sancti Stephani, &
Bernardum de Baco monachum Fontis-frigidi,
super decimas agrorum & ecclesiarum quas
monachi Grandis-silvæ tenebant in diœcesi.
Guillelmo de Spata se & ordinem suum de
Spata Cisterciensi ordini in monasterio Fulgia-
Anecdot. t. I col. 1110. censi subjicienti assensum præbuit 15 Martii.
Fratribus de Pœnitentia ecclesiam & claustrum
ædificandi extra civitatem licentiam dedit 26
1262. Septemb. 1262; conventus autem ille cum
cessaverit an. 1295, ipsis ignotus est Tolosanis.
Eodem anno monachis Bellæ-perticæ confir-
mavit ecclesiam de Cordua. Fratribus & soro-
1263. ribus Prulii tradidit an. 1263 ecclesiam sancti
Saturnini de Insula. Dedit litteras idib. Febr.
anni ejusdem, quibus continebatur bulla quam
acceperat ab Innocentio IV, pontificatus 9,
ne quoquomodo Fratres Prædicatores turbari
pateretur. Interfuit anno eodem exsequiis
Rogerii comitis Fuxi apud Bolbonam. Adstitit
1264. an. 1264 Rogerio-Bernardi comiti Fuxensi
castrum Appamiarum canonicis S. Antonini
reddenti. Monialibus Prulianensibus præbuit
1265. an. 1265 ecclesiam S. Saturnini de Insula.
Transegit eodem cum Guillelmo Gaufridi
abbate Bellæ-perticæ. Accusatus fuerat Rai-
mundus apud Urbanum summum pontificem,
quod vitam olim duxisset & duceret enormiter
dissolutam, objectaque illi sunt scelera & cri-
mina, qualia fratricidii, simoniæ & infamiæ.
Quapropter Urbanus archiepiscopo Narbo-
nensi, episcopo Magalonensi, & priori de
Neraco rem inquirendam commisit, quibus
de bonis episcopatus necessaria assignavit circa
annum 1264, quæ cum denegassent episcopus
& præpositi ejus ac ballivi, tam ille quam hi
ab inquisitoribus excommunicationis vinculo
sunt innodati. Raimundus autem tanquam male
sibi conscius de Tolosanis partibus recessit,
inquisitores recusavit, & ad summum ponti-
ficem apellavit & confugit, de cujus mandato
a vinculis absolutus in provinciam rediit, ubi
nec citatus nec monitus ob easdem quæ prius
causas denuo ab archiepiscopo Narbonensi
Anecdot. tom. II, pag. 404, 433. innodatus est. Raimundus itaque Romam
repetiit, novum pontificem Clementem IV
convenit, a quo ad cautelam absolutus est
1266. mense Julio 1265. Insequenti dum sub judi-
cibus lis est, mandavit eis summus pontifex
XII cal. Octobris, ut usque ad 100 testes
reciperent pro eo ad reprobationem testium,
& XV cal. Januarii anni ejusdem tres eidem
episcopo prorogat septimanas ad producendos
innocentiæ suæ testes. Quid inde acciderit non
omnino scimus. Victorem tamen emersisse
conjicimus, ex eo quod cum serpisset rumor
de morte episcopi, vicarius Tolosani comitis
qui regalium prætextu bona ipsius occupaverat,
ab officiali Tolosano excommunicationis sen-
tentia multatus est, quam ut confirmaret epis-
copo Biterrensi mandavit Clemens IV, XIII
cal. Nov. pontificatus 3, 1267. Biennio post 1267.
Raimundus in festo Omnium-sanctorum in 1269.
B conventu Prædicatorum Appamiensi missam
celebravit & cœmeterium fratribus benedixit.
Denique anno quo mortuus est B. abbati
Appamiensi confirmavit in vigilia S. Matthæi
quam ei concesserant cœnobii tam in spiri-
tualibus quam in temporalibus administra-
tionem monachi. Eodem anno 1270 querela 1270.
Carmelitarum qui non petita a capitulo sancti
Stephani licentia oratorium ædificaverant anno
1267, ab arbitris sedata, eis facultatem fecit
suo cœmeterio a quocunque episcopo bene-
dictionis procurandæ. Animam exhalavit post-
tridie festi S. Lucæ, 19 Octob. anni ejusdem,
C episcopatus 39, conditusque est in extremo
choro ecclesiæ Dominicanorum, ubi æneæ sta-
tuæ tumuli inscriptum legitur hoc epitaphium:

Præsul Raimundus jacet hic, quem flet modo mundus,
Cujus erat fundus Mirius mons, hinc oriundus.
Verbis facundus, paucis probitate secundus,
Factis fecundus magnis, sensuque profundus.
Ordo facit fratrem, fratrum Provincia patrem,
Monspessulanus ipsum de fratre priorat.
Sede Tolosanus cathedrali clerus honorat.
D *Virgo Maria Dei præsentet eum faciei.*
Ut sic fiat ei, dic miserere mei.

XLII. BERTRANDUS II.

DE L'ISLE-JOURDAIN.

« Anno Domini 1270, XIV cal. Novemb.
inquit Bernardus Guidonis, obiit dominus «
frater Raimundus episcopus Tolosanus, epis- «
copatus sui an. 39, quo sepulto apud prædi- «
catores Tolosæ, cujus ordinis ipse fuit, eligitur «
in crastino dominus Bertrandus de Insula «
præpositus ejusdem ecclesiæ in episcopum «
Tolosanum in concordia totius capituli con- «
E firmatusque mox Narbonæ, dehinc in ecclesia «
sua Tolosæ in vigilia S. Thomæ apostoli in «
sabbato promotus est in sacerdotem, & in ejus «
festo die Dominico in episcopum consecratur, «
& in proxime sequenti die Natalis Domini «
primam missam sacerdos novus & episcopus «
celebravit. » Bertrandus, male dictus aliquando
Bernardus, filius erat Jordani II & Indiæ
filiæ naturalis Raimundi V comitis Tolosani,
cujus anniversarium celebrabatur in Exiensi
cœnobio an. 1286. Post obitum patris natus,
juxta ultimæ ejus voluntatis tabulas factus est
canonicus regularis sancti Stephani, inde
præpositus,

ANNI CHRISTI

præpositus, demum episcopus Tolosanus & A
archiepiscopi Narbonensis vicarius Ludovico
IX regi libellum supplicem obtulit in quinque
divisum articulos an. 1270, conquestus de
jussione sibi facta veniendi in conspectum
Guillelmi de Cohardone senescalli Carcasso-
nensis ut regi de bonis quæ habebat præstaret
fidem. Querelam inter Maurinum Narbo-
nensem archiepiscopum & capitulum super
constructione cathedralis ecclesiæ composuit
1271. v cal. Maii 1271. Præsens fuit 16 Septemb.
hominio quod regi & comiti Tolosæ præs-
titerunt consules. Eodem anno XVII cal.
Martii sacrista & archidiaconus Narbonensis B
ecclesiæ tanquam procuratores Maurini archi-
episcopi ratione monetæ quam cudebat, fidem
præstitere in manibus Bertrandi, annuen-
tibus Narbonæ consulibus, quibus ut pote
laïcis fidem facere detrectaverunt, circa idem
tempus nempe die Mercurii ante festum
sancti Petri ad cathedram anno 1271, ad
præsentationem venerabilium virorum præ-
positi & capituli ecclesiæ Tolosanæ, & spe-
cialiter Olivarii prioris de Noërio concessit
Ch. LVI, col. 42. & contulit Guinardo Engibberti clerico de
Cesseraco capellaniam ecclesiæ S. Martini de
Noërio cum omnibus juribus & pertinentiis C
1272. suis. Rationes deduxit Bertrandus an. 1272
quibus ab armis pro rege ferendis subditos
suos eximere conabatur. Concilio provinciali
adstitit anno eodem mense Octobri. Unus
ex episcopis est qui anno exeunte ad cardinales
Viterbii congregatos & ad Gregorium X
dedere litteras de electione Petri de Monte-
bruno archiepiscopi Narbonensis. Munificentia
in basilicam, zelo singulari summisque animi
ornamentis cum paucis suæ ætatis comparandus
amplissimum chori cathedralis sancti Stephani
ædificium cum 14 capellis novo opere magna
ex parte constructis renovavit. Hanc plurimis D
fundationibus dotavit & possessionibus auxit
quas confirmavit Gregorius X pontificatus
an. 3, in eadem ecclesia duodenum præben-
dariorum numerum & octo clericos hebdo-
madarios instituit ut divinis officiis in choro
deservirent. Primæ dotationis privilegium
1273. bulla 27 Febr. 1273 approbari quoque ob-
tinuit, eodemque die & anno concessit the-
saurario locum de Arnaldo. Querelam habuit
cum abbate Moissiacensi pro abbatia Lesatensi,
cujus arbiter Bernardus de Monte-mirato
1274. 1274. Eodem transegit 2 Februarii cum E
Bernardo abbate & conventu monasterii sancti
Theodardi super pluribus articulis ad ecclesias,
beneficia, decimas, primitias, aliaque jura,
quæ ipsi in diœcesi Tolosana possidebant,
spectantibus, magnamque eorum partem sibi
& ecclesiæ suæ acquisivit mediantibus arbitris.
1275. Insequenti memoratur in instrumentis matri-
monii Jacobi regis Aragoniæ cum Esclarmunda
1277. filia comitis Fuxensis. Anno 1277 judex
electus a comite & episcopo Rutenensi sen-
tentiam tulit die Sabbato post festum sancti
Vincentii ad componenda eorum dissidia quæ

in apertum bellum eruperant. Concilio Biter-
rensi adfuit an. 1279 in crastino Inventionis 1279.
S. Crucis, in quo cum archiepiscopo Narbo-
nensi missus est ad regis Parlamentum pro
tuendis ecclesiasticis libertatibus. Querelam
habuit cum rege pro justitiis castri de Balma
quod construxerat, Viridis-folii, S. Bernardi
Castelmauri aliisque toparchiis, cujus in gratiam
jure omni se rex abdicavit decreto anni 1279;
vicissimque episcopus regi dimisit hominium
pro castris *de S. Jour* & *de Mongiscard* anno
1280, cessionemque ratam habuit capitulum 1280.
anno eodem. Insequenti 3 Junii de consilio
& auctoritate B. de Monte-acuto abbatis
Moissiacensis prioratum de Serinhaco in ho-
nore S. Gervasii univit ecclesiæ S. Martini
de Cultur. Cum aliis provinciæ episcopis regi
scripsit an. 1283 6 Febr. in gratiam electi 1283.
Narbonensis. Cum Vitale *Vasquier* præposito
& capitulo querelam habuit adversus Guil-
lelmum Gaufridi abbatem Bellæ-perticæ de
pluribus ecclesiis, quæ a Guillelmo Petri abbate
Mansi-garnerii sopita est 9 die exitus Aprilis.
Transegit cum consulibus & incolis Vauren-
sibus super nonam partem decimarum &
primitiarum vini, quas in eorum territorio
percipiebat, quæ ipsi concessa est 11 die
exitus Febr. fer. 7, anno 1284; qua de re 1284.
consule, si lubet, chartam prolixiorem, quæ
describitur in codice Bibliothecæ regiæ n.° 81.
Occurrit anno 1285 5 Junii in ordinatione 1285.
pro fundatione collegii Cisterciensis, item &
in festo S. Thomæ fer. 6 in charta Manzi-
azilis in archivis regiis castri de Fuxo. Anno
eodem, seu ut nunc loquimur, 1286, non 1286.
vero 1279, testamentum condidit 14 die
exitus Januarii in castro de Balma, in quo
magnam pecuniæ summam legavit pro ædi-
ficatione principis altaris argentei, quod ante
conflagrationem basilicæ visebatur, ac thesau-
rario plurimas vestes sacras & mille calices
argenteos ecclesiis provinciæ Narbonensis,
cœnobiis Grandis-silvæ, Gimundi, Bellæ-
perticæ, metropoli quoque Narbonensi pro
celebrando festo Conceptionis, nec non Biter-
rensi, Carcassonensi, Magalonensi, & plerisque
aliis cathedralibus, hujus ordinationis curato-
ribus nominatis archiepiscopo Narbonensi,
Bernardo comite Convenarum S. Stephani
præposito & cancellario, Jordano fratre domino
de Insula, priore Fratrum Prædicatorum, &
magistro Franciscanorum in Aquitania. III non.
Februarii obiit dominus Bertrandus de Insula
sanctæ recordationis episcopus, qui ob salutem
animæ suæ ad serviendum ecclesiæ Tolosanæ
in honorem Dei ac sanctissimi protomartyris
Stephani duodecim capellanos stabilivit, ex
necrologio S. Stephani. Juxta præscriptum
suum primus episcoporum sepultura donatus
est in choro cathedralis ecclesiæ, quam tot
muneribus insigniter decoraverat, & sub cupreo
cenotaphio tumulatus, quod testamenti ejus
exsecutores illi exstruxere, quodque in in-
cendio ecclesiæ an. 1608 consumtum est.

ANNI CHRISTI

MASCARON.

XLIII. Hugo IV.

Jam ab anno 1270 canonicus S. Stephani & abbas de Lumberiis Hugo, idem forte ac qui 1284 prior Murelli subscripsit chartæ urbis Vauri, Tolosanus electus dicitur in excambio facto a Bertrando de Faudoaris milite 13 exitus, id est 19 Martii 1285 (1286).
Anecdot. t. I. col. 1207. Episcopus vero convenit cum rege Philippo die Lunæ ante Cineres 1286 forte 1287, pro sacramento fidei quod exigebat pro temporalibus ecclesiæ, cui hac vice supersedit rex, promissis ab episcopo 4000 libris turonensibus. Obsequium præstitit P. Archiepiscopo Nar-
Ibid. col. 1216. bonensi IX cal. April. & laudavit ordinationem collegii Cisterciensis 8 Aprilis. Rectori sanctæ
1287. Gavellæ mandavit V cal. Julii 1287, ut monachis Bolbonensibus traderet octavam frumenti partem e decimis de Arbovilla quorum
1288. erat sequester. Transegit 13 Julii 1288 cum procuratore monasterii Bolbonensis super territorio *de Faisenals* quo fruituros per indivisum pepigere. Obtinuit a Nicolao IV facultatem curas suæ diœcesis a non sacerdotibus possessas conferendi juxta decretum concilii Lugdu-
1289. nensis non. Novemb. pontificatus 2. Querelam
1290. habuit an. 1290 cum Guillelmo abbate Cluniacensi de subjectione Lesati. Adstitit eodem sacramento quod capitulo Narbonensi præstitit episcopus Helenensis. Officiali suo inhibuit
1292. an. 1292, ne monachos Cistercienses excommunicaret, vel etiam in conspectum suum
1294. vocaret. Memoratur an. 1294 in concessione comitatus Astariaci facta Bernardo a Centullo
1295. comite patre suo. Occurrit adhuc an. 1295
1296. in tabulis urbis Albiensis, & 1296 V id. Sept. in chartis Soricinii. Quo intercederet ne Appamia in civitatem erigeretur, Romam petiit hoc ultimo anno, ibique obiit 2, 6 ex Sammarthanis, 9 ex necrologio, Decembris 1296, apud Dominicanos commendatus, unde allatum corpus, sicut vivus præscripserat, Tolosam in Dominicanorum ecclesia juxta altare majus ad dextram reconditum est die Lunæ post Epiphaniam 1299.

DE SICILE.

XLIV. S. Ludovicus.

Caroli II utriusque Siciliæ ac Jerusalem regis, Provinciæ & Andegavi comitis ex Maria de Hungaria deuterogenitus nascitur Ludovicus Bruniolæ in Provincia, mense Febr. 1275. Juvenis admodum cum fratribus obses datur an. 1288 pro patre Carolo, qui apud Jacobum Arragoniæ regem custodiæ detinebatur. Inter eas captivitatis angustias pietatis operibus addictus, ab ipso statim adolescentiæ primordio insignis virtutis jecit fundamenta, quibus denique in magnum, pium & beatum confessorem evasit, divi Ludovici regis sanctimoniæ imitator. Sub disciplina igitur & conversatione Franciscanorum aliorumve eruditorum hominum cum summos in litteris ecclesiasticis ac humanioribus progressus fecisset, & aliquandiu desperata ferme valetudine

ANNI CHRISTI

A confectus voto jurasset S. Francisci regulam suscipiendi, postea sanitati restitutus, sacra tonsura initiari voluit, cujus potestatem ei fecit Cœlestinus V litteris Sulmonæ datis nonis Octobris 1294. Sed antequam initiari potuisset, ecclesiæ Lugdunensis laborantis procurationem & administrationem contulit ei idem pontifex aliis VII id. Octob. litteris, quæ postea a Bonifacio VIII rescissæ sunt. Initiatus ergo inter festivitatem nuptiarum Blancæ sororis cum Jacobo Aragonum rege, præsentibus Carolo patre & legato apostolico an. 1295, primogenitus licet, etiamsi parens
B conjugem ducere suaderet Majoricæ principem puellam, pollicereturque mox se illi regnum renunciaturum; sed propositi tenax nec quicquam mundanis lenociniis sollicitatus Ludovicus has conditiones respuit. Cumque ex Catalaunia regressus Montempessulanum cum genitore divertisset, nec ulla iterum potuisset suasione induci ut conceptum animo jam pridem propositum detractaret, postulavit a ministro Franciscanorum habitum religionis, quem tamen filius obediens induere noluit metu patris offensæ, sed votum tunc renovavit. Patrem Romam secutus anno eodem, ab ipso
C pontifice ordines minores & subdiaconatum accepit, tum factus Neapoli diaconus & presbyter in ecclesia S. Laurentii fratrum Minorum, quorum forte familiam ingressus fuerat, mortuo Hugoni Tolosano episcopo substitutus est mense Decemb. 1296; sed disciplinæ religiosæ & paupertatis sectator, renuit se aliquam dignitatem ecclesiasticam admissurum, nisi prius regulam sancti Francisci, cui antea voto se obstrinxerat, solenni juramento profiteretur. Quod exsequi concessum ei est a pontifice vigilia Nativitatis Domini, Romæ in conventu Aræ-cœli, in manibus Johannis de Murro
D ministri generalis. Priusquam vero religionis votum emitteret omnem in regno Siciliæ prærogativam in Robertum fratrem ætate minorem transtulisse dicitur. Quin & extat in ecclesia sancti Laurentii Franciscanorum Neapolis imago ejus ad vivum expressa, coronam procumbenti coram se Roberto imponentis. Sexto post emissum votum die renunciatur præsul dato Laterani IV cal. Januarii diplomate quo, teste Spondano tom. I, Annal. « Clara utriusque parentis progenie præfulgens, eminenti litterarum scientia præ- «
E ditus, vitæ munditia redolens, gravitate morum «
& consilii maturitate conspicuus, aliarumque «
virtutum donis a Deo multipliciter decoratus «
prædicatur. » Annos quoque ei remisit summus pontifex, cum vigesimum primum non excederet, eumque ipsemet sacro chrismate inunxit. Eodem anno *urbs Appamia proprium recepit episcopum*, inquit Nicolaus Trivettus in chronico, *a Tolosano episcopatu per papam Bonifacium separata; sed cito post Ludovicus filius regis Siciliæ episcopus Tolosæ factus, episcopatum tenuit reunitum.* Tolosam profectus ineunte an. 1297 1297.
ut episcopalibus muniis vacaret, officium suum

ANNI CHRISTI

feliciter exercuit, ut testantur acta vitæ ejus, magna animi submissione, castitate, evangelicæ paupertatis amore, vitæ asperitate, in conferendis ordinibus sacris prudentia, cæteris denique omnibus virtutibus egregius. At strictioris vitæ cupidus, quo solitudini vacaret, episcopatum abdicare in manibus pontificis constituit, quapropter Romam tendens per Barcinonam transiit ubi ecclesiam Franciscanorum consecravit idibus Julii, tum Bruniolam natale solum morbi gravitate pressus divertit, ubi anno ætatis vigesimo tertio mense sexto, Ch. LIX, col. 47. 19 Augusti 1297, testamentum condidit, eodemque die ex febre pie ad Dominum migravit. « Consummatus, inquit Spondanus, » in brevi, ut sacra loquitur scriptura, explevit » tempora multa. Placita enim erat Deo anima » illius, ac propter hoc properavit educere » eum de medio iniquitatum: & quem adhuc » viventem miraculis illustrare voluerat, de- » functum tot ac tantis tam ad ejus sepulcrum » quam alibi ad ejus invocationem decorare » dignatus est, ut stuporem afferant legentibus ea quæ in actis vitæ & gestis recensentur. » Defunctum autem iisdem die & loco, quibus in lucem editus fuerat, Catellus lib. 5, Histor. testatur, videlicet XIV cal. Septemb. in castro Bruniolæ; quod quidem de obitu omnes constanter admittunt, sed de nativitate aliquatenus dissentit Waddingus, quam accidisse scribit mense Februario Nuceriæ Saracenorum regni Neapolitani. Sanctitate vitæ & miraculorum ejus frequentia permotus Johannes XXII, Ludovicum anno 1317, VII id. Aprilis in Sanctorum catalogum retulit bulla quæ extat tom. I Bullarii, triduoque post Matrem Ludo- Ch. LXIV, col. 55. vici adhuc superstitem Mariam Siciliæ reginam de eo certiorem fecit epistola quam post Frizonum & Sammarthanos recudimus in appendice. Corpus ejus elatum VI id. Novemb. 1319 supra majus altare missis a papa cardinalibus & aliquot episcopis, præsente ejus fratre Roberto rege Siciliæ & Jerusalem, ejusque uxore cum regina Franciæ, e Bruniola Massiliam transfertur, & in ecclesia Franciscanorum honorifice tumulatur, uti ordinaverat, propterea que ad distinctionem S. Ludovici regis vulgo appellatur S. Ludovicus de Massilia. Seculo insequenti an. 1423, expugnata & direpta Massilia ab Alfonso Aragoniæ & Neapolis rege, inter alia urbis ornamenta sacrum Ludovici corpus surripuit & Valentiam in Hispania deportavit, ubi & hodie religiose colitur. Henricus Sedulius ordinis Minorum religiosus principis vitam e manuscripto Lovaniensi scriptoris anonymi, sed synchroni, notis adornatam vulgavit, in cujus capite 20 multa recensentur miracula post mortem patrata, etiam plurimæ mortuorum resurrectiones, S. Antoninus archiepiscopus Florentinus, Franciscus Gonsaga Mantuæ episcopus, Petrus Rodulphius Tossiniacensis lib. I historiæ Seraphicæ plura quoque afferunt de moribus & gestis Ludovici, cujus præsulis vitam edidere Laurentius Surius Carthusianus, Abrahamus Bzovius Annal. Baronii continuator, Spondanus Appamiarum episcopus, Bollandistæ, Johannes-Antonius Sumonte in hist. Neapolitana, Catellus, lib. 5 Occitaniæ, ipsique etiam Sammarthani regis historiographi fuse satis lib. 3.° stemmatis genealogici domus Franciæ, in ramo regum Siciliæ & Jerusalem, ubi vita Ludovici peculiari elogio describitur.

XLV. Arnaldus Rogerius. DE COMINGES.

Vetustissima comitum Convenarum stirpe procreatus, Bernardo hujus nominis septimo comite & Theresia parentibus Arnaldus Rogerius, ex cathedralis Tolosanæ canonico & præposito absens a capitulo de more eligitur, & confirmatur a Bonifacio VIII litteris ad ipsum datis Romæ IV non. Decemb. pontificatus 3, & consecratur Dominica *Lætare* ab eodem papa, qui hac ipsa die XVI cal. Aprilis, pontificatus 4, scripsit capitulo de 1298. electione, confirmatione & consecratione Arnaldi. Electus dicitur 7 exitus Octobris 1297, & 7 Januarii in diversis chartis, episcopus vero 2 Octob. 1298 in regestis Vaticani. Roma revertens cum iret ad prendendam Vasconiam, dum bellum esset inter reges Franciæ & Angliæ, nondum indepta possessione, apud Urbem veterem obiit VI forte XI cal. Novemb. 1298, tam ex necrologio quam ex litteris Bonifacii VIII ad Philippum pulcrum. Testatur Bernardus Guidonis corpus sepulturæ mandatum fuisse in ecclesia Minorum *de Samatan* a Novatoribus destructa. Arnaldi excessum cum comperisset Hispanus capituli præpositus, omnem vasorum, librorum, aliarumve domesticarum rerum suppellectilem, qua congregationis sancti Stephani præfectus utebatur, sibi vindicavit; sed intercessit Pontius Blancardus canonicus & apostolicam sedem appellavit, ut liquet, ex veteri documento regesti capitularis 21 Octob. 1299.

XLVI. Petrus II. DE LA CHAPELLE-TAILLEFER.

Tolosanæ ecclesiæ per obitum Arnaldi solatio pastoris destitutæ, Bonifacius VIII, qui eam sibi reservaverat, præfecit Petrum *Tom. VI, col. 890.* Rogerii fortis archiepiscopi Bituricensis avunculum quem e Carcassonensi transtulit, ut liquet *Vitæ papar. Avenionens. Baluz. t. II, col. 280.* ex ejus commendatiis ad Philippum regem litteris Reate datis VIII cal. Novemb. pontificatus an. 4. Fuit autem episcopus Tolosanus annis septem & mensibus fere tribus, inquit Bernardus Guidonis, qui addit ad Tolosam translatum esse circa principium mensis Octob. Occurrit mense Julio 1299 in chartis Fuxi. 1299. Consecrationi Petri Carcassonensis ab archiepiscopo extra provinciam faciendæ assensum præbuit VI cal. Decemb. 1300. Concilio 1300. Romæ a Bonifacio contra Philippum habito adstitit anno 1302. Memoratur annis 1301 1301. & 1303 in regestis Parlamenti. Primus a 1302. Clemente V purpura donatus 15 Decemb. 1303.

ANNI CHRISTI

1305, intravit Curiam Romanam penultima
1305. Januarii anni sequentis, eodemque exeunte
ad sedem prænestinam promotus est, dictusque
cardinalis Prænestinus. Clemens idem Templariorum inquisitionem ei demendavit anno
1307. Insequenti Philippus rex ei dono dedit
16000 libras parvorum Turonensium sibi
debitas a Bertrando de Bordis episcopo Aniciensi. A Clemente delegatus est an. 1310
in dissidio fratrum Minorum. Privilegium
fundandæ collegiatæ ecclesiæ in villa de Capella, loco suæ originis ac proprio & natali
solo, obtinuit a rege Philippo. Nondum
ecclesiam perfecerat, cum defunctus 16 Maii
1312 ibidem sepultus est in sepulcro elegantissimo ex opere encaustico, quod subjecto
illustratur epitaphio:

Fama, genus, mores, quid opes prosint & honores
Aspice, qui memor es, fuge labentes subito res:
Ecce sub hac cella situs est Petrus, plange, capella,
Occubuit stella tua mortis flante procella.
Petrum petra tegit, heu sub petra modo degit,
Qui leges legit, qui tot bona scripta peregit,
Fomes justitiæ, castus, pius, arca Sophiæ,
Istius ecclesiæ fundator honore Mariæ,
Constans & lenis, parcus sibi, largus egenis
Hic fuit, indigenis sua præbens & alienis,
Consilium regis, legum professor & æqui
Multiplicisque gregis pastor fuit, anchora legis,
Præses Agennensis, lux sedis Parisiensis,
Carcassonensis posthac antistes & ensis,
Laudibus annosa quasi sole novo radiosa
Fit mage famosa tanto pastore Tolosa,
Cui felix omen dedit, ac a cardine nomen
Urbs Prænestina, cecidit necis inde ruina.
Anno milleno trecenteno duodeno
Traditur ad funus colitur cum trinus & unus
Pneumatis octavis obitus . . . . . situabis.
Parce sibi, Christe, Michaël tu sancte, resiste
Dæmonio, triste barathrum ne sentiat iste.
Rex pie, rex fortis, pietas tua dulcis a mortis
Liberet a portis hunc perpetuæ peto mortis. Amen.

XLVII. Gaillardus.

DE PREYSSAC.

Petro purpura donato, Gaillardus oriundus
e loco qui vocatur Trabes diœcesis Vasatensis,
Tolosanus fit episcopus circa festum Natalis
Domini 1305 a Clemente V, cujus sororis
erat filius. Cameræ apostolicæ solvit 6 Febr.
1306. 1306. Eodem anno in remotis agebat cum
vicarii ejus generales omnes diœcesis archipresbyteros ac rectores monuere fer. 2 post
festum S. Nicolai, ut sibi subjectos benigne
A compellerent ad auxilium præstandum fabricæ
ecclesiæ S. Stephani Tolosani quæ resarcienda
erat, proponendo indulgentias a summo pontifice concessas. Aberat adhuc anno 1307, 1307.
V non. Mart. Dominica 1 Quadragesimæ,
sicut annis 1310, 1312 & 1315. Anno 1308 1308.
mense Decembri Clemens V Tolosam solenniter ingressus est, & IV cal. Febr. sequentis
monasterium Prulianum cum episcopo Tolosano suo nepote visitavit. Anno 1309 Gail- 1309.
lardus cum Bernardo Guidonis sententiam tulit
adversus hæreticos VIII cal. Junii. Eodem in
B vigilia S. Laurentii monachis Bolbonensibus
facultatem fecit aquam rivi *d'Astald* ad suum
monasterium traducendi. Absolvit an. 1310 1310.
cives Carboni a censuris quas ob sacrilegia
ab eis commissa incurrerant. Eodem Augustiniani eremitæ in parochiam S. Stephani sunt
translati. Clemens V bulla data pridie cal.
Junii, pontificatus 7, anno 1312 Gaillardo 1312.
& mensæ episcopali transmisit 600 libras Ch. LXIII; col. 53.
reditus in pedagiis de Castro-Arrii & d'*Avignon*
& portus Bellæ-perticæ, ea lege ut assignaretur
æqua proventuum portio super decimis castri
Saracenici pro ecclesiis collegiatis B. Mariæ
C de Usesta & S. Martini de Villandrado ab
eodem pontifice fundatis. Facultatem concessit
Gaillardus capitulo syndicos creandi an. 1313. 1313.
Declaravit eodem nihil de jure & privilegiis
detractum velle monachorum Bolbonensium
qui in grangia *de Tramsaigues* eum exceperant.
Memoratur in chartis thesauri VI cal. Augusti
1315. A rege Angliæ rogatus est an. 1316 1315.
ut beneficium competens conferret B. de Casis 1316.
filio Guillelmi fidelis servitoris sui. Occurrit
eodem, die Lunæ ante festum beati Martini
hiemalis, Ludovico rege defuncto, in chartis
D *de Faudoas*. Episcopatum tenuit annis undecim cum dimidio, teste Bernardo Guidonis.
« Anno Domini 1317, inquit idem, in mense 1317.
Julii episcopali sede Tolosana per dominum «
Johannem papam in archiepiscopalem ac me- «
tropolim elevata, præfatus Gaillardus exone- «
ratus fuit ab episcopatus onere & honore, «
(cujus magnam redituum partem inutilibus «
expensis oppignaverat) cui postmodum infra «
annum Domini prætaxatum idem dominus «
Johannes papa XXII providit de episcopatu «
Regensi in Provincia ultra Rhodanum, quam «
E tamen noluit acceptare. » Denique vitam cum
morte commutavit Avenione anno 1327, ut
colligitur ex ordinatione Johannis XXII
Arnaldum de Verdala canonicum Mirapicensem instituentis commissarium pro debitis
ejus ante amotionem ab episcopatu confectis.
Gaillardum de Preyssaco consuderunt Sammarthani cum Gaillardo de Mota diacono
cardinali S. Luciæ in Silice.

ARCHIEPISCOPI TOLOSANI.

DE COMINGES.

ANNI CHRISTI

I. JOHANNES RAIMUNDUS.

Ch. LXV, col. 55. JOHANNES XXII summus pontifex Tolosanam sedem gravissimis de causis metropolitanæ dignitate decorare cupiens, hanc a Narbonensis jurisdictione exemit & propter provinciæ latitudinem ac populorum frequentiam, aliasque ob causas in bulla relatas ibi archiepiscopatum instituit VII cal. Junii, pontificatus I, assignatis civitatibus vicinis ac limitibus distinctis, primumque archiepis-
Tom. VI, col. 779. copum instituit in eadem Johannem de Convenis, quem e Magalonensi sede transtulit 25
Ch. LXVI, col. 58. Junii 1317, datisque nonis Julii litteris Philippi regis gratiam & favorem, nec non Consulum ac populi Tolosani assensum occupavit. Anno sequenti ineunte Johannes Raimundus cameræ apostolicæ solvit 16 Januarii
1318. 1318. Eodem anno Johannes XXII parochialem Insulæ-jordani ecclesiam in collegiatam erexit, in qua 12 canonicos, unum decanum, sacristam unum, præcentorem unum, tres hebdomadarios, capellanos 24, diaconos duos, subdiaconos totidem, clericos 6, ac pueros chori 6 esse decrevit, quibus reditus ad ecclesiam seu prioratum Insulæ-jordani spectantes, prout archipresbyter seu prior & sacrista ipsius ecclesiæ percipere consueverant, assignavit bulla data Avenione VIII cal. Martii, pontificatus 2. Johannes Raimundus synodum pro-
1319. vinciæ habuit mense Junio 1319. Eodem anno delegatus in negotio fratris Bernardi Delitiosi Minoritæ se excusavit. Eodem episcopis vicinis aut eorum vicariis seu commissariis ecclesiæ Auxitanæ, sede vacante, judicandi subditos suos in civitate Tolosana in proximo generali sermone licentiam dedit in castro de Valega die 7 Septemb. Eodem cum aliis provinciæ episcopis sententiam tulit 8 Decembris adversus fratrem Bernardum Delitiosi. Johannem Philibertum sacerdotem Bisuntinum errores Waldensium in diœcesi Auxitana docentem de mandato summi pon-
1320. tificis deposuit 5 Martii 1320. Cum aliis episcopis commissarios delegavit anno 1322
1322. pridie idus Septemb. ad sermonem Tolosæ habendum de inquisitione. Johannes XXII ei & magistro Hospitalariorum injunxit anno
1326. 1326 ut concordiam reducerent inter Guigonem VI delfinum Viennensem & Eduardum comitem Sabaudiæ. Pontifex idem creavit eum presbyterum cardinalem 18 Decemb.
1327. 1327. Post mortem Petri de Arreblayo 1329 factus est episcopus Portuensis. Johanne autem papa defuncto anno 1334 cum a cardinalibus postularetur Johannes Raimundus ad apostolicam sedem promovendus, ea conditione ut nunquam Romam proficisceretur, pontificatum his conditionibus oblatum recusavit, seque potius purpuræ renunciaturum palam professus est, quam tali legi assensurum. Johannes Villarius, hist. lib. 12, cap. 59, testatur Talayrandum Petracoricensem cardinalem a Johanne Raimundo insimulatum fuisse tanquam consensisset in necem Andreæ Siciliæ regis anno 1345, ut hoc facinore Caroli Duracii nepotis Calabriæ ducis gratiam consectaretur. Magnæ autem non solum existimationis fuit Johannes Raimundus, sed præter alias virtutes etiam eruditione præstans: opuscula enim edidit de sermonibus, de Passione Christi aliaque nonnulla. Ecclesiæ quoque Tolosanæ immemorem non fuisse probant codicilli ultimæ voluntatis quibus ordinat constructionem monasterii virginum canonicarum sancti Pantaleonis in loco vicino cathedralis, sub regula S. Augustini, sub regimine abbatissæ, nec non 12 canonicos regulares instituit pro celebrandis divinis officiis, sacris faciendis & administrandis, ac fundat 4 capellanias. Mortalitatem explevit Avenione 20 Novemb. 1348.

II. GUILLELMUS.

DE LAUDUN.

Unde oriundus inde dictus de Lauduno Guillelmus, cujus loci dominus erat ejus pater, e Viennensi post factum cardinalem Johannem Raimundum ad Tolosanam metropolim translatus 18 Decemb. 1327, cameræ apostolicæ promisit mense Januario 1328. Jussus est a 1328.
summo pontifice 21 Julii 1329 publicare 1329.
statuta a cardinalibus deputatis pro reformatione Universitatis Tolosanæ. Construitur anno 1331 ecclesia castri Narbonensis. Transegit 1331.
cum canonicis suis in controversia correctionis sententia cardinalium delegatorum 15 Dec. 1333. Quatuor præbendarios B. Dominici 1333.
in metropolitana fundavit 10 Decemb. 1340, 1340.
sic cognominatos ab institutore ordinis, unde assumtus fuerat in pontificem. Memoratur an. 1341 in regestis Parlamenti. Anno 1344 1341.
cum gentes regiæ senescalliæ Tolosanæ vexa- 1344.
rent ecclesiam & archiepiscopum, querelas detulit Guillelmus ad summum pontificem, a quo rogatus est rex ut prædicta gravamina revocaret, archiepiscopumque virum multorum meritorum & eminentis scientiæ, senio & aliis impedimentis detentum ne ecclesiæ suæ negotia prosequeretur, habere vellet commendatum. Anno 1345 3 Junii ad preces Guas- 1345.
berti Narbonensis archiepiscopi Guillelmus facultatem concessit scholaribus Narbonensis gymnasii exomologesis faciendæ capellanis ejusdem collegii. Oculis captus abdicavit anno eodem in gratiam sequentis sub onere pensionis, diuque post vixit & multa egregia maxime pro ordine suo & loco unde ortus erat patravit. Fecit enim claustrum pro recolligendis hospitibus in conventu Avenionensi, ubi Deo se mancipaverat, cui jam an. 1328 post mortem legaverat libros, crucem &

ANNI CHRISTI

capellam albam III id. Januarii, ecclesiamque valde solemnem in loco originis suæ construxit, in qua fundavit quatuor capellanias 5 Augusti 1352. Obiit Avenione in conventu fratrum Prædicatorum, ubi sepultus est in tertio sacello alæ sinistræ ecclesiæ. Consignatur in necrologio IV cal. Julii. De sermonibus ei a Sandero adscriptis, consule Echardum in scriptoribus ordinis, tom. I, p. 639.

DE CANILLAC.

III. Raimundus.

De Raimundo præsulimus, t. VI, col. 827. Decretorum doctor, canonicus regularis & præpositus Magalonensis, factus archiepiscopus Tolosæ consecratus fuit an. 1345 ex epistola 437, lib. IV Clementis VI, qui creavit eum presbyterum cardinalem tit. sanctæ Crucis in
1350. Jerusalem 17 Decemb. 1350. Gubernator terrarum Marquesii germani sui convenit cum Guillelmo comite Belli-fortis anno 1359. Eodem Innocentius V commisit ei examen controversiarum quæ erant inter magistrum ordinis S. Johannis Jerosolymitani & castellanum Empostæ. Ab eodem pontifice delegatus est an. 1360 ad recipiendum denarios biennalis decimæ Johanni regi Francorum concessæ in adjutorium ejus liberationis. Factus est ab eodem anno 1361 episcopus prænestinus. Defuncto Innocentio VI cardinalium de novo pontifice eligendo deliberantium vota undecim sortitus est. Interfuit & consensit conditionibus emancipationis Marquesii de Bello-forti 21 Julii 1366. Obiit Avenione 20 Junii 1373, sepultus in templo Minorum, unde 4 Julii corpus Magalonam translatum tumulatur in sepulcro parato quod adhuc visitur in sacello dicto Canilhaci. Funus cohonestarunt Petrus de Judicia archiepiscopus Narbonensis, Petrus Vernobius Magalonensis, Hugo de Monteruco Agathensis, Johannes Oscensis & Johannes Nemausensis, ex Gariello.

ALDEBRANDI.

IV. Stephanus.

E Tomeriensi ad Arelatensem metropolim translatus Stephanus promisit 19 Aug. 1348. Biennio post qua papæ camerarius declaravit abbatem Tironensem sedem apostolicam visitasse per Stephanum Bedelli decanum de Nogento-Rotrodi 17 Martii 1350, indict. 3, Clementis VI 8. Eodem anno ab eodem pontifice ad Tolosanam metropolim traductus promisit 22 Decembris. Mense elapso vicarius ejus jussus ab eo coram Johanne rege conquestus est de carceribus monachorum 27
1351. Januarii 1350 (1351) quos plurimum rex mitigavit. Ipse vero capellam fundavit in ecclesia S. Illidii Claromontensis, cujus fuerat monachus, quam rex jure morticinii donavit penultima eorumdem mensis & anni. Delegavit Jacobum abbatem S. Andreæ Claromontensis qui abbatis & monachorum sancti Illidii bona in æquas partes distribueret 16 Augusti. Scripto testatus est 1 Octob. Guillelmum abbatem S. Petri Carnotensis apostolicæ cameræ solvisse. A Clemente VI impetravit 22 Aprilis, pontificatus 10, ut ex omni ordine vel seculares clerici vel regulares honorem exhibentes metropolitano in supplicationibus ad basilicam S. Stephani convenirent, cujus promulgavit bullam Stephanus eodem anno 1352. Recognovit Johannem abbatem 1352.
S. Genovefæ Paris. visitasse sedem apostolicam
6 Maii 1354. Vicarius in archiepiscopatu 1354.
Avenionensi ab Innocentio VI creatus, cum ipse ecclesiæ suæ administrationi incumbere non posset, vicarium & ipse habuit Guillelmum *Bragose* qui postea factus est episcopus Vabrensis, demumque cardinalis. Durando Nantensi abbati dedit apocham 50 florenorum auri, quos papæ debebat, eumque absolvit ab excommunicatione quam incurrerat propter dilatam solutionem 19 Septembris 1354.
Testatus est 24 Aprilis 1355 Audoinum 1355.
abbatem Cluniacensem solvisse cameræ apostolicæ. Guillelmum Alberti recepit in capellanum commensalem papæ 28 Martii 1358. 1358.
Mandavit an. 1360 7 Augusti collectoribus 1360.
decimæ biennalis beneficiorum Franciæ & tricesimæ pro redemtione Johannis regis concessæ, ut nihil exigerent a prioribus beneficiorum unitorum domui S. Martialis. Tolosæ
Obiit 15 Martii 1360 (1361) ex necrologio 1361.
ecclesiæ Tolosanæ in qua obitum fundavit. Sarcophagus ejus situs est in medio capellæ SS. Jacobi & Martialis quam ipse fundavit & pluribus donis ditavit, in monasterio S. Illidii Claromontensis, cujus fuerat monachus, in quo obitus ejus celebratur III non. Martii. Donavit etiam ejusdem cœnobii monachis 2000 libras ad emendum 150 libras reditus quolibet anno de domino Guillelmo de Apchonio.

DE VAIRLOX seu DE VAYROLES.

V. Gaffredus.

Vita pap. Avenionens. Baluz. t. II, col. 753.

Gaucelini militis germanus Gaffredus *al.* Gaufridus e Carcassonensi ad Tolosanam ecclesiam translatus ab Innocentio VI, pontificatus an. 9, VI id. Martii, solvit cameræ apostolicæ 10 Aprilis & 22 Decemb. 1361. Anno sequenti instituuntur in urbe fratres sanctæ
Trinitatis redemptionis captivorum 1362. 1362.
Quatuor capellanias optimi reditus munifice
dotavit in ecclesia S. Stephani anno 1368. 1368.
Eodem cum episcopis suæ provinciæ ad concilium Vaurense convenit & præsedit indictum 27 Maii & absolutum 3 Junii. Eodem composita ab Urbano V inter Dominicanos & Cistercienses controversia, corpus B. Thomæ Aquinatis, quod in monasterio Fossæ-novæ, ubi decessit, tumulatum remanserat, Eliæ Raimundi Tolosano ordinis Prædicatorum generali magistro donatum, Tolosam ad monasterium ordinis translatum est, scriptis a pontifice ad Gaffredum & academiam Tolosanam litteris. Gaffrido qui maximam partem agri Cadurcensis ad obedientiam regis adduxerat, rex attribuit 800 libras auri an. 1369 1369.
5 Junii, quas accepit 10 mensis ejusdem.

ANNI CHRISTI

Gaffredi ad preces Urbanus papa confirmavit
XII calend. Novembris 1370 constitutionem
Clementis VI, qua declaravit episcopos suf-
fraganeos ad fidem metropolitano suo præs-
tandam teneri, quamvis nec electi a capitulo,
nec confirmati & consecrati pro antiquo more
a metropolitano, sed promoti fuissent ab apos-
tolica sede. Dominicanis permisit fundare
1372. monasterium pro monialibus 6 Januarii 1372
in domo Tolosæ dicta hospitum de Corona.
Nominatur Gaffredus in pactis matrimonii
inter Johannem filium Johannis comitis Bo-
noniæ & Alverniæ, ac Helionordim filiam
Petri Raimundi comitis Convenarum die 9
1373. Augusti 1373. Superstes adhuc 1375, de-
1375. functus dicitur a Sammarthanis 1376, nota-
1376. tusque in necrologio Tolosano 10 Martii.
1378. Sedes adhuc vacabat annis 1378 & 1379
1379. 11 Julii in chartis fratrum Prædicatorum
Tolosæ. Vide quæ diximus t. VI, col. 900.

DE CAR-DAILLAC.

VI. Johannes I.

De Johanne abunde diximus in episcopis
Ruthenensibus, t. I, coll. 220 & seqq. Pa-
triarcha Alexandrinus & administrator ecclesiæ
Ruthenensis cum Romæ esset tempore mortis
Gregorii XI & Gaufredi *de Vairlox* anno
1378, ab Urbano VI archiepiscopus Tolo-
sanus factus est: confirmatus autem a Clemente
VII promisit cameræ apostolicæ 7 Julii 1379.
Continuo principi suo Anglicæ factionis acer-
bissimis temporibus operam fideliter impendit:
singulari enim prudentia & fide concioni-
busque ad populum habendis facundia pollens
in eam rem adhibitus est a rege Christianissimo
pro civitatibus Aquitaniæ excusso Anglorum
jugo ad ejus obedientiam revocandis, quas
60 enumerat Froissartus, lib. I, chronici,
cap. 252. A Petro de Chalesio episcopo
Montalbanensi nominatus est executor testa-
menti conditi 13 Novemb. 1379. Suffra-
1380. ganeis suis mandavit 29 Januarii sequentis ut
ordinem fratrum Prædicatorum defenderent
juxta bullam Gregorii XI datam Avenione
pontificatus 7. Bullam accepit a Clemente VII
datam Avenione V cal. Julii an. 2, festumque
S. Thomæ instituit de præcepto 7 Martii
celebrandum. Cameræ apostolicæ solvit 24
1383. Febr. 1383. Eodem Luteciam profecturus
25 Julii ecclesiæ Tolosanæ donavit bona,
reliquiaria & jocalia. Duo anniversaria ibidem
fundavit 5 Augusti. Egregiam præterea sum-
tuosamque thecam argenteam caput sancti
Stephani ecclesiæ patroni referentem fabricari
curavit. Majorem etiam campanam turris
metropolitanæ de Cardaliaco nuncupatam ba-
silicæ largitus est. Adstitit consilio regis apud
Lugdunum ab eoque 1000 aureis donatus est
13 Novemb. 1383, totidemque 27 ejusdem
mensis, quod ipsum Lugduni convenisset cum
Occitaniæ communia, indeque cum eo Lute-
ciæ mansisset. Philippum de Molinis Ebroi-
censem episcopum consecravit Parisiis 1 Ja-
1384. nuarii 1384. Memoratur 23 Aprilis 1385
1385.

A in codicillis Johannis *Isalquier* militis domini
de Folcavalle. Interfuit 2 Octob. anni ejusdem
dedicationi ecclesiæ Dominicanorum Tolosæ
factæ ab archiepiscopo Metallinensi. Eodem
anno duci Bituricensi reliquias in ecclesia
S. Saturnini asservatas invisenti 13 Octob.
comitem se præbuit. Memoratur 1 Decemb.
1388 in charta Dulciæ de Agrifolio relictæ 1388.
Beraudi de Faudoanis militis domini de Canzio.
Biennio post obiit 7 Octob. 1390, sepultusque 1390.
est ante principem aram ecclesiæ metropolitanæ
a latere epistolæ sub tumba marmorea ubi sic
legitur. *Hic est sepultus reverendissimus in Christo*
B *pater & dominus Johannes de Cardalhaco, Dei*
gratia patriarcha Alexandrinus, administrator
perpetuus ecclesiæ & archiepiscopatus Tolosani,
qui obiit die 7 mensis Octobris, anno Domini
M. CCCXC. Cæterum vir eruditus Johannes
atque orator eximius, variisque ad pontifices,
imperatorem & principes legationibus obitis,
reliquit opera nondum typis mandata in
scriniis bibliothecæ Dominicanorum Tolo-
sanorum, aliaque mss. ex quibus non minus
rerum ecclesiasticarum quam scientiæ peritis-
simum fuisse liquet. Præterea volumen ser-
monum pro singulis Dominicis & Festivita-
C tibus anni, synodales discursus de convocatione
conciliorum, orationes pro inauguratione epis-
copi aut patriarchæ, de ordinum collatione
ab episcopis, visitatione diœcesana, tractatus
de sacro regis & reginæ, cæteraque lucubra-
tionum monumenta posteritati reliquit, quæ
testantur cum primis nulli ætate sua seu in
regimine archiepiscopatus aut in eloquentiæ
ac sacræ eruditionis laude cessisse.

Hujus elogium Catellus in sua historia
vulgavit, pluribusque memoratur in tabulis
domus de Cardaliaco, quæ aliis etiam nobi-
D litatur pontificibus, videlicet Guillelmo, Ber-
trando, & Francisco sanctitate conspicuo,
Cadurcensibus episcopis, & Guillelmo & Ber-
trando Montis-albani, denique Guillelmo
sancti Papuli præsulibus, qui omnes eximia
prudentiæ laude suas ecclesias gubernarunt,
uti in seculari militia strenuæ nobilitatis equites
protulit, quorum mentio est in genealogia
hujusce familiæ typis edita an. 1664.

VII. Franciscus.

DE CONZIÉ.

Gente Gonziacorum Sabauda antiquitate
& splendore nobilissima Franciscus natus est
E in Bugezio an. 1356 parentibus Petro hujus
nominis tertio, equite dynasta *de Conzié*, &
Ancelisa de Verbozio, toparchæ *de Chatel* filia.
Ab ineunte ætate omni scientiarum genere
institutus in curia Amedei VI Sabaudiæ
comitis, quem per aviam cognatione contin-
gebat, felicissimæ indolis & excelsi ingenii
specimina dedit, sacræque militiæ addictus,
a Roberto Gebennensi dicto Clemente VII
constitutus est episcopus & princeps Gratia-
nopolitanus 6 Febr. 1380, annos XXIV tantum
natus; unde ad amplissimas dignitates sibi
gradum fecit. Fuit enim diversis temporibus

ANNI CHRISTI

archipræſul Arelatenſis, Toloſanus & demum archiepiſcopus & primas Narbonenſis, S. R. E. camerarius & vicecancellarius apoſtolicus, legatus Avenionenſis & patrimonii eccleſiaſtici adminiſtrator, concilii Conſtantienſis legatus ad Sigiſmundum imperatorem, Martini V cubiculariorum princeps, ſanctæ ſedis nuncius in Germania, Italia, Hiſpania, Arragonia, &c. & tandem in ultimo ætatis tempore cardinalis deſignatus ab Eugenio IV pontifice, uti enarrant plurimi authores: ſed utrum ante obitum purpura inſignitus fuerit, dubitant quidam & recte. Tantis honoribus ſanguiniſque ſtemmate non magis enituit Franciſcus, quam auſtera morum probitate, maximo amore virtutis, miraque prudentia & perſpicacitate in tractandis miniſteriis publicis; vir maximæ exiſtimationis, ut aiunt Sammarthani, ſeverus in clerum cenſor, & diſciplinæ eccleſiaſticæ rigidus obſervator, qui ad dignitates pontificias duce virtute aſcendit.

Jam de illo in archiepiſcopis Narbonenſibus fuſe egimus, plura nobis adhuc ſuperſunt tractanda. A ſede Gratianopolitana ad Arelatenſem traductus eſt 1388, uti jam dictum tom. I, col. 580 & ſummo camerarii honore donatus a Clemente VII, cui propter conſanguinitatem & gerendarum rerum peritiam, qua pollebat, fuit cariſſimus. Anno 1389 arbiter factus eſt ab eodem pontifice inter Mariam Jeroſolimæ & Siciliæ reginam, comitiſſam Provinciæ & Amedeum VII Sabaudiæ comitem, qui de principatu Nicienſi contendebant: illoque auctore & agente induciæ in duodecim annos pactæ ſunt 24 Septemb. præſentibus Artaldo epiſcopo Siſtaricenſi, Arnaldo præpoſito Aquiſextano, Guidone *de Ravays* & Johanne *de Conflans* militibus, reginæ & comitis ambaſſiatoribus. Ex Arelatenſi archiepiſcopo factus eſt Toloſanus 1390 a Clemente VII, XVI cal. Novemb. pontificatus 12. Promiſit & recognovit pro Johanne deceſſore 7 Novem. anni
1391. ejuſdem. Memoratur 21 Aprilis 1391 in documento xenodochii. Qua papæ camerarius teſtatus eſt 9 Septemb. Bartholomæum Biterrenſem epiſcopum ſedem apoſtolicam viſitaſſe. Paucis poſt diebus ab eodem pontifice ad Narbonenſem eccleſiam traductus eſt XIII cal. Octobris, ut diximus tom. VI, col. 95, ubi de eo plura. Adhæſit partibus Benedicti XIII, ab eoque diverſis legationibus eſt inſignitus & inſuper S. R. E. vicecancellarii officio. Anno 1400 fuit ſimul cum cardinali *de Brognier* & epiſcopo Lauſannenſi teſtamenti curator Umberti VIII *de Thoire* comitis Gebennenſis. Mortuo Johanne IV domino *de Conzié*, qui, nulla prole relicta ex Antonia filia Theobaldi *de Chatillon*, majori hujus proſapiæ ramo, finem dedit 1402, totam jure ſanguinis adivit hereditatem Franciſcus, quam inde Jacobus *de Conzié* toparcha *de Vaucher* poſt patrui obitum adeptus eſt. Anno ſequenti 1403 cum ſubſtracta Benedicto, reſtituta fuiſſet obedientia, Carolus VI Franciæ rex Franciſcum commiſit, ſeneſcallumque Bellicadri, Georgium *de Marle*

A ſeneſcallum Provinciæ & alios, ut Benedictum protegerent; ſed hunc antipapam cum in vanum hortatus eſſet Franciſcus, ultro ſe a pontificatu ut abdicaret ad totius eccleſiæ pacem; obſtinatæ illius reluctationis pertæſus, ad Piſanam ſynodum confugit, comitiiſque adſtitit in quibus fuit electus Johannes XXIII, a quo legatus miſſus eſt cum ampliſſima poteſtate ut comitatus Vindaſcini oppida teneret in obſequio, fautoreſque Petri de Luna compeſceret. Multum auctoritatis habuit apud Sigiſmundum imperatorem, & ab eodem plurimi factus eſt. Hinc facillime opitulatus eſt patrueli ſuo Petro
B *de Conzié* regii palatii Sabaudiæ præfecto, quem Amedeus VI legatum miſerat ad imperatorem, ut ab eo Sabaudiæ comitatus in ducatum converſionem poſtularet; quæ quidem a Sigiſmundo Conſtantiam accedenti conceſſa eſt anno 1414. Hanc urbem ingreſſus eſt Franciſcus cum magno comitatu die 7 Febr. 1415, & a patribus concilii inter legatos adſcriptus, qui imperatorem varia itinera ſuſcipientem in gratiam unionis & pacis eccleſiæ nec non in arduis rebus concilii juvarent. Cæſarem Perpinianum uſque ſecutus eſt ubi erat Benedictus XIII, quem ad pontificatus
C ceſſionem inducere ſperaverat, ſed re nequicquam tentata, Narbonamque profectus princeps, ibi ſolenniter a Franciſco exceptus eſt, cum legatis regum Arragoniæ, Caſtellæ Navarræ, Scotiæ, qui ſchiſmatici pontificis pertinaciam ægre ferentes ejus obedientiam recuſare conſtituerant. Ibi ſtatuti ſunt duodecim articuli noti ſub nomine Capitulationis Narbonenſis, quam detulit Franciſcus ad concilium, a quo fuit approbata die 4 Febr. 1416. Menſis Novembris 21 hujus anni ſcripſit cardinalibus *de Brognier, de Chalant*, Salucii, ſancti Marci,
D & Cameracenſi Conſtantiæ congregatis, ut illis nuntiaret petrum de Luna Colliora Paniſcolam fugiſſe. Ejus epiſtola reperitur in antiquo codice mſſ. Windobonenſi. Expulſo Johanne XXIII a ſede apoſtolica, electioni adſuit Martini V Columnæ, ut eſt in ſeſſione 41 concilii Conſtantienſis, ab eoque donatus eſt ſui archicambellani officio & confirmatus in legatione Avenionenſi die 17 Julii 1418. Ibi primus poſt ſchiſmatis extinctionem & curiæ deceſſum, præfecturæ pontificiæ vices ſuſtinuit. Ejus metropolis Narbonenſis privilegia laudavit & auxit rex Carolus VI, litteris 4 Aprilis
E 1423, in quibus conſtituitur fidelis & dilectus regis conſiliarius. Jam habuerat a Martino V pontifice IV cal. Sept. 1418 confirmationem bullarum quibus Benedictus XIII hanc eccleſiam exemtam ab omni jure primatiæ Bituricenſis declaraverat. Anno 1420 Magalonenſes infulas obtinuit Ludovico *d'Alleman* nepoti ſuo, canonico & comiti Lugdunenſi, poſtea Arelatenſi archiepiſcopo & S. R. E. cardinali, quem ob memoriam egregiarum virtutum nec non miraculorum coruſcationem debito beatis cultu ac veneratione honorari juſſit Clemens VII papa an. 1527. Suum condidit

ANNI CHRISTI condidit testamentum Franciscus die 12 Dec. A
1431, heredesque suos instituit Eugenium IV
pontificem maximum, ecclesiamque Romanam
simul cum Jacobo *de Conzié* toparcha *de Vaucher* ducis Sabaudiæ cubiculario, qui seriem dominorum Conziaci & Bolomerii, marchionum Allemaniæ & Pomerii ad nostram ætatem deductam protulit. Maxima quoque assignavit legata cœnobiis diversis, pauperibusque Narbonæ & Avenionis, nec non nepotibus suis Ludovico cardinali *d'Alleman*, Francisco *de Menthon*, Claudio *de Bardonenche*, Henrico *de Sacconay* canonico & comiti Lugdunensi, plurimisque aliis parentibus. Tandem eximiæ B virtutis pontifex laboribus & annis gravis, supremum diem obiit Avenione 31 Decemb. 1432, ætatis suæ LXXVI, pontificatus LII. Sepultus est apud Cœlestinos Avenionenses, sub tumulo marmoreo prope Clementem VII pontificem maximum, uti jusserat, cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendissimus in Christo pater dominus Franciscus genere nobilis, legum doctor, diœcesis Gebennensis, primo Gratianopolis episcopus, demum Romanæ ecclesiæ camerarius, Arelatensis & inde Tolosanus, ultimo Narbonensis archiepiscopus, qui obiit anno Domini 1432 die ultima mensis Decembris, cujus anima requiescat* C *in pace.*

VIII. Petrus I.

DE SAINT MARTIAL.

Ex Rivensi ab anno 1359 & Carcassonensi ab anno 1372, tom. VI, col. 902, ad Tolosanam ecclesiam translatus Petrus promisit pro Francisco & Johanne decessoribus 23 Octob. 1391, solvit 2 Novembris. Pro eisdem recognovit 7 eorumdem mensis & anni.
1392. Prorogatus est 16 Martii 1392, solvit 29 Maii. Eodem anno magna celebritate adstantibus novem præsulibus sudarium Christi e D Caduinensi monasterio in Petracoriis Tolosam delatum ob Anglorum excursiones populo demonstravit, quod inde in ecclesia de Tauro fuit depositum. Conservator erat collegii sancti
1394. Martialis Lemovicensis 28 Januarii 1394. Eodem anno institutus est exsecutor testamenti Guillelmi cardinalis de Agrifolio junioris conditi 24 Septemb. Testamentum ipse condidit
1397. 17 Septemb. 1397, cujus protectorem & confirmatorem voluit esse cardinalem de sancto Martiale germanum suum. Illud habes in collectione actorum veterum Stephani Baluzii ad vitas paparum Avenionensium, col. 1076 E & seq. Quatuor præbendas in ecclesia sancti Stephani fundavit, quarum duas in honorem sancti Martialis patroni sui, duasque alias in honorem S. Catharinæ inscripsit. Vocatus a rege ad conventum episcoporum & doctorum per procuratorem præpositum adstitit 22 Maii
1398. 1398. Vicariam perpetuam ecclesiæ de Miramonte contulit anno eodem in castro suo de Balmario. Memoratur 8 Junii anni ejusdem in testamento Johannis de Faudoanis. Sumtibus suis capsam sancti Exsuperii in ecclesia sancti Saturnini fabricandam curavit; cujus beneficii memor abbas decreto capituli 10 Sept. 1399 annuam ejus commemorationem quotannis instituit. Officiali usus est Johanne Corrario collectore decisionum capellæ Tolosanæ. Notatus III non. Nov. in necrologio, ubi obitum pro se & parentibus fundasse legitur, sepultus est, ut testamento caverat, coram altari majori S. Stephani, juxta sepulturam Johannis de Cardalhaco, cum inscriptione in qua defunctus legitur 1, *al.* 24 Dec. 1401, sedesque vacabat 21 Januarii 1401, 1401.
id est 1402 ex chartis regiis.

ANNI CHRISTI 1399.

IX. Vitalis.

DE CASTELMORON.

Gente Tolosanus Vitalis, litteris apprime imbutus ad juris scientiam animum applicuit, & laurea professoris decretorum in academia donatus, hanc scientiam diligenter excoluit. Ea propter ex præposito capituli suffragiis Petro suffectus an. 1401 & confirmatus, a Petro Aimerici archiepiscopo Bituricensi & primate 5 Maii 1402 Tolosæ consecratur, confes- 1402.
timque ecclesiæ init possessionem. Verumtamen canonice sic electus, æmulo non caruit: nam Benedictus XIII pseudopontifex rejecta Vitalis promotione, Petrum *Ravot* Francis- *Tom. VI, col. 242.*
canum S. Pontii Tomerarium episcopum sibi adhærentem & referendarium ad hanc cathedram traduxit, quin & nuncios Tolosam destinavit ut temporale dominium Petrus adipisceretur. Gravissima igitur exoritur hac in provincia discordia, duobus archiepiscopis regimen sibi asserentibus. Quare Carolus rex Francorum epistola ad senescallum Tolosanum scripta anno 1405 temporalem administra- 1405.
tionem sibi attribuit. Insequenti Benedicto XIII, restituta a Carolo rege obedientia, nihil non tentavit Petrus ut possessionem iniret, sed incassum: e provincia enim pulsus hanc ob rem est an. 1408, dum esset Benedicti legatus. Vitalis interea archiepiscopatu cedere coactus præsens adfuit introductis XIII cal. Maii 1405 canonicis in sacram capellam Bituricensem. Concilio generali Galliarum tempore Neutralitatis Parisiis habito adstitit 1408, & missam 1408.
celebravit de Spiritu-Sancto in sacra capella Palatii 11 Augusti. Dies 40 de injuncta pœnitentia relaxavit anno eodem fidelibus qui certis diebus ecclesiam Montis-rubei in honorem Dominici sepulcri in ea constructi visitarent. Eodem anno Petro *Ravot* cum fautoribus Petri de Luna in concilio Gallicano damnato & ejecto, Vitalis qui concilio Pisano interfuit an. 1409, eodem ab Alexandro V ad eccle- 1409.
siam Tolosanam traducitur 29 Julii & pallio Ch. LXXIV,
cohonestatur summa celebritate ab Amedeo col. 75.
cardinali S. Mariæ-novæ 3 Augusti, & pontificio diplomate XIV cal. Sept. ab Alexandro V, qui commendatitias ad regem dedit litteras. At plurimis tum apud sedem apostolicam, tum ad regem Francorum magna laude gestis legationibus debitum naturæ persolvit 1 Augusti 1410. Tumulus ejus in choro ecclesiæ metro- 1410.
politanæ ante majus altare visitur cum marmori

ANNI CHRISTI

subjecta hac inscriptione: *Hic jacet sepultus* A
recolendæ memoriæ reverendissimus in Christo pater
& dominus dominus Vitalis de Castro-maurono,
decretorum eximius professor, divina gratia archi-
episcopus Tolosanus, qui prius fuerat præpositus
istius ecclesiæ, qui obiit 1 die mensis Augusti anno
Domini M. CCCCX.

DE FLORENCE.

X. Dominicus.

De Dominico jam diximus t. I, col. 28
& t. VI, col. 241. Ex regestis Vaticani electus
Albiensis cameræ apostolicæ promisit 28 Junii
1379, ex Albiensi Tomeriensis promisit 24
Julii 1382, e Tomeriensi iterum Albiensis B
promisit & recognovit pro Guillelmo decessore
5 Novemb. 1392, denique ex Albiensi ad
Tolosanam metropolim a Johanne XXIII
translatus est bulla data nonis *al.* idibus Sept.
1410, pontificatus an. 1, & in possessionem
1411. immissus a Nicolao præposito 12 Maii 1411.
Memoratur mense Julio 1411 & 1420 in
chartis cameræ computorum Paris. Concilio
1414. Constantiensi adstitit an. 1414. Collegiorum
1418. Magalonensis 1418 & Mirapicensis an. 1420
1420. apud Tolosam fundationem probavit. Hoc
ultimo anno cum undecim consiliariis præsedit
29 Maii primæ sessioni Parlamenti apud C
Tolosam mense Martio instituti. Cum autem
die 14 Junii sequentis blasphemi judicio
præsedisset & senatusconsultum, quo reus
damnabatur, pronunciasset, in eum ceu irre-
gularem insurrexit clerus omnis. Quod domi-
nica 16 mensis ejusdem purgare conatus,
summi pontificis ordinationi obsecuturum se
promisit. Itaque delegatus a Martino V Guil-
lelmus Aniciensis episcopus eum ad cautelam
absolvit, donec ab apostolica sede causa ter-
minaretur. Decretum de celebrando festo
S. Thomæ 7 Martii a Johanne *de Cardaillac* D
latum renovavit Dominicus 1418, quos
secuti sunt cardinalis *de Joyeuse* 1597, &
Carolus *de Montchal* 1644. Jussu Martini V
ipse cum Johanne episcopo Vaurensi statuta
1421. promulgavit 1421 pro restauranda basilica &
reformandis canonicorum moribus. Testa-
mento legavit summam pecuniæ & varios
codices conventui suæ professionis apud S.
Maximinum in Provincia. Ad alteram vitam
1422. migravit 17 Martii 1421 (1422) ex processu
electionis successoris sui & ex necrologio,
sepultusque est ante majus altare.

DU MOULIN.

XI. Dionysius.

E
Patria Meldensis Dionysius, in utroque jure
doctor peritissimus, cantor ecclesiæ Viennensis,
canonicus Carnotensis, Remensis, Turonensis,
Albiensis, Ebredunensis, in ordine subdiaco-
natus constitutus, consiliarius regis ordinarius,
archiepiscopus a capitulo electus 21 Aprilis
1422 (1423) confirmatur a vicariis gene-
ralibus archiepiscopi Bituricensis primatis 10
Junii & consecratur a Laudunensi, Novio-
mensi, & Albiensi episcopis. Eodem anno
libellis supplicibus a Carolo VII præponitur
13 Novemb. bullas tamen non obtinuit a
Martino V nisi XIV cal. Aprilis 1423, ex 1423.
regestis Vaticani. Ad Delfinates mittitur anno
eodem pro tractatu pacis faciendo. Memoratur
1424 & 1429 in chartis cameræ computorum 1424.
Paris. Anno 1425 Carolus rex mandavit 1425.
præfectis ærario ut solverent archiepiscopo
Tolosano qui erat ipsi a consiliis 1200 libras
Turonenses pro expensis legationis qua functus
erat ad Sabaudiæ ducem Amedeum ejusque
matrem Bonnam Bituricensem pacis ergo.
Comitiis Occitaniæ apud Biterras habitis adfuit
annis 1428 & 1435. Ad regem Castiliæ & 1428.
Leonis missus an. 1434 Lugduno profectus est 1434.
ubi cum rege erat mense Julio anni ejusdem,
hujusque legationis dux erat, pro qua rex illi
attribuit 3200 mutones aureos mense Julio
1435, e quibus cum jam 2000 accepisset, 1435.
reliquos 1200 accepit mense Novembri anni
ejusdem. Adfuit 15 Augusti 1436 desponsa- 1436.
tioni Amedei Sabaudiæ principis cum Yolande
filia Caroli VII. Missus ad Burgundiæ ducem
in Flandria cum domino *de Gaucourt*, post
reditum a rege donatus est 900 libris turo-
nensibus 27 Decemb. anni ejusdem, præter
800 alias quas eidem proficiscenti dederat.
Hac autem utraque in legatione Petro *le*
Normant secretario usus est. Cum episcopis
Claromontensi, Pictaviensi, Magalonensi, &
Malleacensi regem in Occitaniam euntem anno
1437 comitatus est, quo anno die 10 Maii 1437.
rex unicuique eorum pro hoc itinere dedit
300 libras turonenses. Comitiis apud Bitu-
ricas jussu Caroli VII celebratis, ubi facta est
Pragmatica sanctio, adstitit; inde conjicimus
Dionysium unum esse e procuratoribus quos
Johannes Armandi abbas S. Tiberii instituit
27 Aprilis 1438 ut hoc in cœtu ipsius nomine 1438.
præstarent quidquid facto opus esset. Occurrit
18 Julii anni ejusdem in tabulis matrimonii
inter Ayssinum de Montesquivo *d'Angles* &
Dulciam *de Faudoas* filiam Beraudi de Fau-
doanis domini de Barbasano. Postulatum dixi-
mus Dionysium ad ecclesiam Parisiensem die *Tom. VII. col. 148.*
11 Februarii 1439, ibique defunctum 15 1439.
Septemb. 1447, de quo legitur in necrologio
Tolosano: *XVII cal. Octob. obiit reverendissimus*
in Christo pater & dominus Dionysius de Molen-
dino Meldensis, patriarcha Antiochenus ac epis-
copus Parisiensis & antea archiepiscopus Tolo-
sanus, qui in sua ultima dispositione reliquit unum
portale fieri in præsenti ecclesia Tolosana, cujus
opus reverendus in Christo pater & dominus Petrus
archiepiscopus Tolosanus ac frater germanus &
principalis exsecutor ad effectum deducere cupiens,
incepit dicti portalis fundamentum construi facere
die 16 Octobris anno Domini M. CCCCXLIX.

DU MOULIN.

XII. Petrus II.

Dionysii germanus Petrus, juris civilis &
canonici licentiatus, libellorum supplicum ma-
gister, postquam in senatu Tolosano diu cla-
ruisset, per cessionem fratris ad infulas vocatus,
a summo pontifice confirmatur 10 Junii 1439

ANNI CHRISTI

& a Bernardo de Rosergio præposito in A possessionem sedis inductus est 10 Septemb. Eodem anno Petrus regi ac Delfino a consiliis, hunc in Occitaniam comitatus est; pro quo itinere dedit ei Delfinus 250 libras turonenses 1439, 11 Julii quas accepit 22 Octobris. Dicitur alter ex generalibus consiliariis a rege constitutis pro facto justitiæ subsidiorum in
1441. Occitania 1441, 8 Augusti. Eodem anno mense Aprili jussu regis ex urbe Monspeliensi in Vasconiam profectus est ut vicecomitem Lomaniæ moneret ne quid damni Occitaniæ
1442. inferret. Promulgavit 16 Octob. 1442 bullam Eugenii IV datam XIV cal. Januarii, pontifi- B catus 2, in gratiam jurisdictionis archiepiscopi Narbonensis & suffraganeorum ejus, quam nil lædant inquisitores, quibus vicissim præsto sint episcopi. Missam solennem celebravit 4
1444. Junii 1444, & adstitit primæ sessioni Parlamenti restituti an. 1443. Anno eodem 1444 20 Novembris receptus est in Parlamento unus e commissariis & supremis judicibus super facto justitiæ juvaminum, &c. Occitaniæ & Aquitaniæ nominatis a rege 21 Julii.
1445. Memoratur 5 Aprilis 1447 in testamento
1446. Ludovici de Faudoanis. Senatus Tolosani
1447. consiliarius legitur in regestis ejusdem annis C
1448. 1447, 1448, 1449 & 1450; & in chartis
1449. D. *de Gaignieres* annis 1443, 45, 46, 49
1450. & 51. Hoc ultimo comitiis Occitaniæ apud
1451. Tolosam habitis præsedit mensibus Februario & Martio. Magnum cathedralis vestibulum construxit, ædesque Palatii archiepiscopalis ex parte restauravit, cum amplissima aula castri Viridis-folii, auctore Bertrando in historia Tolosana. Peste correptus apud Balmam prope Tolosam exspiravit 3 Octob. 1451, cui sepulcrum ex marmore cum epitaphio in choro juxta epistolam positum est. Epitaphium autem est ejusmodi: *Hoc quiescit* D *tumulo urbis Tolosæ dignissimus archipræsul de Molendino Petrus nobilis genere, artium magister, utroque jure licentiatus .... ac linguæ Occitaniæ regius vicecancellarius & Poëtarum monarcha, qui anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo dormiens in Christo tertia Octobris beato fine quievit.*

DU ROSIER.

XIII. BERNARDUS.

E pago Lauracensi oriundus Bernardus, inter canonicos Tolosanos adolescens cooptatus, archidiaconi, infirmarii, & præpositi munera exercuit. Viginti autem annis in academia E professor publice docuerat juris & sacrarum litterarum scientiam, ubi & officio cancellarii honorate functus est. Igitur cum omni disciplinarum liberalium genere floreret, Romam tetendit ubi aliquandiu referendarius & Eugenio IV ac Nicolao V pontificibus acceptus, coram sacro cardinalium collegio non mediocri eruditionis fama, in primis eloquentia excelluit.
Tom. I, col. 1208. In patriam reversus, nominatur episcopus Vasatensis X cal. Febr. 1447, postea Montalbanensis 26 januarii 1450, demum ad

metropolitanam hanc sedem eligitur exeunte ANNI CHRISTI
1451 aut ineunte 1452, & a Nicolao V 1452.
confirmatur III non. Januarii, pontificatus anno 5, ut docent acta Vaticani. Statuta condidit sodalitii, cujus autor fuit, Conceptionis B. Mariæ 19 Octob. anni ejusdem. Eodem, Nicolai V, an. 6, declaratur conservator privilegiorum ordinis Dominicani. Reperitur
1454, 12 Martii, 1469 & 1470 in chartis 1454.
D. *de Gaignieres*. Regi fidem dixit 21 Febr.
1456 in manibus M. Petri *Varinier* proto- 1456.
præsidis Tolosæ ad hoc delegati. Coactus est
anno 1460 senatusconsulto revocare quidquid 1460.
egerat pro exsecutione quarumdam litterarum apostolicarum quæ non fuerant auctoritate curiæ Parlamenti comprobatæ. Tota fere urbs
Tolosa igne fuit consumpta an. 1463, quo 1463.
Ludovicus XI cum Castellæ, Aragoniæ & Navarræ regibus Tolosam ingressus, privilegia & consuetudines civitatis regio diplomate
approbavit 26 Maii. Occurrit an. 1464 in 1464.
instrumento Deauratæ, cujus monachi locum cessere Clarissis, quarum anno superiori incensus fuerat parthenon. Episcopum Appamiensem recens electum confirmavit anno
1469. Johannem Magalonensem episcopum 1469.
Narbonæ, absente archiepiscopo, consecravit
an. 1471. Nec interim præstantissimis artibus 1471.
exercitatus publicam ecclesiæ curam deposuit: cathedralem enim organis pneumaticis, pretioso reliquiarum gazophylacio, cruce lapillis decorata, sedilibus chori, aliisque donariis locupletavit. Sacris quoque musis addictus scripsit quamplurima opera de cultu Virginis & sancti Stephani, sermonum collectionem, commentaria in decretales juris, qua scientia præcipue enituit & dissertationes de auctoritate pontificia legatorum & cardinalium, quorum omnium elenchum habes apud Bertrandum in historia Tolosana. Publicavit accuratissime acta legationis Petri Fuxensis in Hispaniam. Tractatus ejus de sacro principatu exstat in Tolosana Dominicanorum bibliotheca, opus vero de ecclesiastica libertate in regia Parisiensi. De ejus mandato Stephanus de Ganno Minorita dicavit ei libellum de antiquitatibus Tolosanis. Denique multis commendatur a Guillelmo Benedicti in caput Rainutius Repet. 3, n. 45, ubi quidquid scibile fuit, non ignorasse tradit: supererat
adhuc anno 1474, quo ecclesiam de Jauro 1474.
contulit 14 Maii; sed paulo post impulsu Petri nepotis cessit in gratiam Petri *de Lyon* in manibus Sixti IV, cujus in regesto legitur: *Bernardus Larissensis archiepiscopus olim Tolosanus nonis Aprilis 1475*. Necrologium ejus mortem consignat anno eodem sic: *18 Martii obiit reverendus in Christo pater B. de Rosergio miseratione divina archiepiscopus Tolosanus, magister in theologia & artibus, ac doctor in utroque jure professor, qui suis temporibus præsentis ecclesiæ ac Vasatensis & Montis-Albani episcopus præfuit & hodiernis temporibus incessanter coruscat miraculis, & fundavit quatuor obitus in præsenti*

ecclesia anno Domini M. CCCCLXXV. a Nativitate Domini computando, & voluit quod unus celebretur in crastinum S. Gabrielis, alter in crastinum S. Thomæ de Aquino, alter S. Bernardi & fiat totum duplex in missa majori, alter in die S. Marci papæ. Alia legitur epocha ejus tumulo adscripta ante majus altare metropolis prope epistolam: *Hic jacet reverendissimus in Christo pater dominus Bernardus de Rosergio archiepiscopus Tolosanus, utriusque juris doctor & in sacra pagina magister, qui obiit Tolosæ decima octava Martii, anno Domini* M. CCCCLXXIV, *c. a. i. p. r. a.*

DE LION.

XIV. PETRUS III.

Nobilis Bearnus Petrus Gastonis domini *de Malause* senescalli Tolosæ germanus, abbas commendatarius Soricinii & de Pinu, a Sixto IV per cessionem Bernardi creatus episcopus 5 Febr. 1475, apostolicæ solvit cameræ nonis Aprilis, electus tamen post Bernardi obitum legitur & electioni suæ assensum præbuisse 9 Maii. Sedes tamen adhuc vacabat 2 Octob. anni ejusdem in testamento Matthæi *d'Espagne* hac die conditi in loco de Aurania diœcesis Tolosanæ, quia forte Petrus nondum inauguratus aut in possessionem inductus fuerat. Memoratur in chartis cameræ computorum
1476. Paris. annis 1476 & 1486. In remotis agebat
1482. an. 1482 cum Matthæus de Ponetis ejus vicarius generalis & officialis transactionem recognovit initam anno 1284 inter bonæ memoriæ Bertrandum episcopum Tolosanum & consules ac cives Vaurenses. Vide cod. ms. Biblioth. reg. n.° 81 in instrumentis pluries laudatum. Stephanum Aufrerium senatus Tolosani præsidem ad officialis Tolosani partes
1483. deputavit 10 Julii 1483 in consilio curiæ archiepiscopalis, ut ipse scribit in limine decisionum capellæ Tolosanæ. Eodem anno ecclesiam parœcialem sanctæ Anastasiæ de Castro-Mairano contulit 6 Octobris Antonio *de Cardaillac*, quam ipsi denegaverat Johannes
1487. diœcesanus episcopus Montalbanensis. Occurrit
1490. adhuc annis 1487 & 1490, 3 Febr. in chartis
1491. D. *de Gaignieres*. Obiit mense Januario 1491.

DE BOURBON.

XV. HECTOR.

Petro defuncto, plerique canonici postularunt 11 Febr. 1491 Petrum *du Rosier* Bernardi superioris nepotem, S. Stephani præpositum & abbatem Montis-Olivi. Petrus
1492. autem electus adhuc dictus 2 Maii 1492 in regestis Parlamenti Paris. probantibus tandem archiepiscopis Narbonensi & Bituricensi qui Aquitaniæ primatiam disputabant, possessionem
1493. nactus est 22 Septemb. 1493. Huic intercessit Hector filius naturalis Johannis Borbonii ducis, frater Matthæi cognomine magni, Borbonii nothi, maris Aquitanici & Provinciæ præfecti, nec non Caroli dynastæ *de Lovedan*, a quo marchionum *de Malause* propago emersit. Hector enim a nonnullis electus canonicis e Vaurensi ad Tolosanam ecclesiam translatus fuerat 18 Febr. 1491 bulla Innocentii VIII,

A a qua senatum Paris. appellarunt & Petrus & canonici. Rex vero ad senatum Burdigalensem referendum jussit mense Maio 1494, a quo 1494.
Hector post multas altercationes litis fiduciam obtinuit mense Decemb. anni ejusdem. Pacifice autem possedisse non videtur ante annum 1500 mense Aprili, quo alter alteri ecclesiam 1500.
suam cessisse legitur in regestis Vaticani. Anno eodem Hector cancellarius & præses consistorii Petri ducis Borbonii declaratur codicillis datis Molinii Boiorum 2 aut 9 Augusti. Statuta a decessore condita pro sodalitio Conceptionis B. Mariæ immutavit 17 Maii & confirmavit
B Dominica 25 Octob. anni ejusdem. Occurrit an. 1501 2 Martii in chartis D. *de Gaignieres*. 1501.
Suffraganeo usus est Johanne archiepiscopo Tarsensi in Cilicia. Defunctus tumulo conditur in ecclesia S. Stephani an. 1502 exeunte. 1502.

D'ORLÉANS.

XVI. JOHANNES II.

Francisco Dunensi, Longæ-villæ & Tancarvillæ comite, Normanniæ prorege & Agnete Sabauda Carlotæ uxoris Ludovici XI sorore parentibus editus est Johannes Partheniaci in Pictonibus posthumus 26 Aprilis 1492. Cum in juventute specimina bonæ indolis elucerent,
C Ludovicus Aurelianensis dux, postea rex hujus nominis duodecimus, erudiendæ principis adolescentiæ sollicitus, eum in bonis studiis instituendum curavit, quin & Hectori anno 1502 mortuo substituendum, quo nomine regi fidem dixit 17 Martii 1503. At cum ei 1503.
pontificalia per ætatem munia obire non liceret, datus illi est adjutor seu Vicarius generalis Antonius *de la Haye Passavant* ejus consobrinus: unde Bertrandus in historia Tolosana: *habemus archiepiscopum ad præsens viventem in juvenili ætate, sed prudentia & honestate provectum, ex altissimo sanguine genus trahentem.* Interea
D regulares ecclesiæ metropolitanæ canonici seculari toga induuntur XVI cal. Sept. 1510 bulla 1510.
Julii II papæ, quam 30 Novembris promulgavit Petrus Giffredi delegatus a Petro de Porta Rivensi canonico, senatore Tolosano, judice præposito. Huic assensum præbuit Johannes an. 1514. Ipse vero ad ordines sacros 1514.
promotus diaconi 25 Maii 1516 & presbyteri 1516.
15 Junii anni ejusdem, episcopus inunctus est Parisiis apud S. Genovefam 26 Aprilis 1517 1517.
a Philippo cardinali Luxemburgico, adstantibus episcopis Parisiensi Stephano *Poncher* & Lexoviensi Johanne *le Veneur*. Adsuit anno eodem
E apud sanctum Dionysium coronationi Claudiæ Francisci I uxoris, & post cardinalem de Luxemburgo legatum apostolicum qui missam celebravit primas in hac solemnitate partes obtinuit Johannes cum Ludovico *de Bourbon* episcopo Laudunensi. Commendæ Beccensis bullis donatus 26 Martii possessionem adeptus est 8 Aprilis 1520, & vicarium generalem in 1520.
spiritalibus & temporalibus instituit Johannem *Teste* decanum S. Florentii de Ambasia 29 mensis ejusdem. Jussus est anno eodem a senatu procedere ad reformandos urbis Augustinianos

ANNI CHRISTI

Tom. VIII, col. 1482.

9 Augusti quos reformavit, eaque de re regi
& cancellario scripsit 11 & 12 Maii sequentis.
A canonicis Aurelianensibus dictus episcopus,
1521. a Leone X confirmatus est 13 Junii 1521
cum facultate retinendi ecclesiam Tolosanam
& commendam Beccensem. Solenni apparatu
1522. Tolosam ingressus est 15 Martii 1522 Dominica *Lætare*, comitantibus Philippo *de Levis*
Mirapicensi, Johanne de Pratis Montalbanensi.
Simone Vaurensi, Bernardo Appamiensi,
Laurentio Allemanni Gratianopolitano episcopis, & Aimerico *de Vides* abbate Gimundi.
1524. Litem habuit 1 Decemb. 1524 pro hereditate
Annæ de Francia & filiæ ejus Susannæ.
1525. Querelam habuit an. 1525 cum Ludovico
episcopo Carnotensi pro terra de Loigniaco.
1528. Adfuit an. 1528, 17 Septemb. pactionibus
matrimonii Philippi de Sabaudia cum Carola
1530. de Longa-villa. Statuta promulgavit an. 1530
de quibus senatum appellavere cives 6 Julii.
Adstitit anno eodem coronationi Eleonoræ
1532. Austriacæ reginæ. Anno 1532, 16 Januarii
dicitur episcopus Aurelianensis & tutor nepotum suorum ducis de Longa-villa, fratrum,
sororum ac nepotum. A Clemente VII pur-
1533. pura condecoratus est 21 Febr. 1533 &
titulo S. Martini in montibus, quo nomine
regi pro tribunali apud Tolosam sedenti adstitit
4 Augusti. Dum autem summo pontifici
Massiliam adventanti pro celebritate nuptiarum Catharinæ Mediceæ cum Henrico
Aurelianensi duce obviam procederet, Tarascone in Provincia fato concessit 24 Sept.
1533 annum agens 42. Cor delatum ad capellam Castri-duni quod construxerat. Cathedralem etiam suam insigni opere amplificare
decreverat, ut testatur lapidea columna, quæ
ad summum altare erigitur. Sacristiam quoque
S. Stephani cum multis capellarum altaribus
choro adjacentibus construi ordinavit.

Post obitum Johannis capitulo electione
interdictum est 4 Octobris 1533.

XVII. Gabriel.

DE GRAMONT.

Rogerio Acrimontis dynasta senescallo Aquitaniæ & Eleonora de Bearno genitus Gabriel, puer exacte studia excoluit, quibus in omni genere feliciter instructus, ad aulam accedens & Francisco I inter alios reges litteratorum æquo æstimatori probatus, facile infulis episcopalibus dignus judicatur: primo enim ecclesiæ Conseranensi præpositus per cessionem Caroli germani 27 Aprilis 1523, tum Tarbiensi per translationem Menaldi ad Conseranensem XIV cal. Augusti 1524. Mox Burdegalensis electus 14 Julii 1529 & confirmatus a summo pontifice 24 Septembris anni ejusdem, cardinalis fit S. Ceciliæ 8 Junii 1530 & Pictaviensis episcopus 16 Decemb. 1532. Ultimo tandem ad Tolosanam metropolim assumitur apud Tarasconem in comitatu regis degens, cujus nomine Jacobus *du Faur* abbas Casæ-Dei possessionem nanciscitur 27 Octob. 1533, eodemque anno more majorum

A solenniter 15 Martii urbem suam ingreditur.
Hi autem honores merito tot exantlatis ab eo
pro republica & ecclesia Gallicana laboribus
debebantur. Diversas enim legationes obivit
ad summum pontificem, Carolum V imperatorem & Henricum VIII Angliæ regem ad
quem missus pro fœdere Britannico, ad
Carolum vero pro libertate Francisci I regis
& liberorum, qui in Hispania obsides detinebantur, ac comes ascitus est Margaritæ
reginæ Navarræ, ubi & memorabile illud
pactum Madriti confecit. Exinde Francisci
jussu in Italiam gravissimis de rebus profectus,
B cum egregiam in colloquio pontificio Massiliæ
operam impendisset, hoc munere ad propositum perducto, Roma reversus, collectaque
ex via & mole gravissimorum negotiorum
ægritudine, ut asserit Bouchetus in annalibus
Aquitaniæ, in domo archiepiscopali de Balma
primo ab urbe lapide animam Deo reddidit
26 Martii *al.* 7 Junii 1534. Jacet in ecclesia 1534.
castri *de Bidache* apud Bearnenses avorum
sepulcrali sacrario diœcesis Baïonensis.

XVIII. Odetus.

DE CHÂTILLON COLIGNY.

De Odeto abunde diximus in episcopis
C Bellovacensibus, t. IX, col. 763, &c. Gasparis
Castellionæi & Lodoicæ Monmorenciacæ
filius, frater autem Gasparis Coligniaci maris
præfecti, generosæ indolis adolescens, cum
sanguinis claritati bonarum artium & musarum
quas diligenter excoluit adeptionem adjecisset,
jam nonnullis beneficiis ditatus, petente Francisco I rege creatur diaconus cardinalis 7
Novemb. 1533 & archiepiscopus Tolosanus
per obitum Gabrielis *de Gramont* 29 Aprilis
1534, cum facultate licet in minori ætate
sacros ordines suscipiendi data 28 Augusti.
Diaconus continuo initiatus adstitit 13 Octob.
D anni ejusdem electioni Pauli III. Sedit in
curia Parlamenti Paris. 10 Decemb. 1538. 1538.
Guillelmus Piati Dominicanus episcopus Tarsensis Odeti suffraganeus an. 1543 cum debita 1543.
solennitate primum benedixit pontis novi
lapidem quem posuit senatus protopræses.
Decennio post Odetus de consensu Henrici
regis cardinali *de Meudon* resignavit in manu
Julii III x cal. Novemb. 1553 pro abbatia 1553.
Floriacensi cum indulto de regressu. Defuncto
autem Antonio cardinali, virtute novi indulti
dati 26 Novemb. 1559 Odetus cardinalis S. 1559.
Adriani iterum archiepiscopatus possessionem
E iniit mense Januario sequenti, potitusque est
tribus fere annis: sed quia primum indultum
ea lege concessum fuerat ut si aliam aut alias
ecclesias obtineret Odetus, adveniente morte
Antonii & ad primariam dignitatem reverteretur, omnes infra sex menses dimitteret;
permutavit an. 1562 cum Georgio Arme- 1562.
niaci qui ei transcripsit commendas Concharum
& Bellæ-perticæ, quod rex approbavit 17
Aprilis. Sed postea ejurata fide, rebus omnibus
est spoliatus, ut diximus in Bellovacensibus.
Cardinalis sane meliore fato dignus, si non

ANNI CHRISTI

pro temporis & rerum perturbatione poſt A Deos alienos abiiſſet.

SANGUIN.

XIX. ANTONIUS.

Antonium cardinalem *de Meudon* jam attigimus in epiſcopis Lemovicenſibus, tom. II, col. 539; in Aurelianenſibus, tom. VIII, col. 1483; in abbatibus Floriacenſibus ibid. col. 1566, quo nomine permutatione facta fit archiepiſcopus Toloſanus 20 Octob. 1550 ex regeſtis Vaticani, bullas tamen non obtinuit a Julio III, niſi x cal. Novemb. 1553. Rebus humanis Luteciæ exemtus eſt an. 1559, 25 Novemb. feſto S. Catharinæ, ibidemque jacet B in eccleſia Vallis-ſcholarium in ſacello beatæ Mariæ nuncupato.

D'ARMAGNAC.

XX. GEORGIUS.

Ex antiquiſſima nobiliſſimaque in Aquitania ſtirpe natus eſt Georgius anno 1500 parentibus Petro Caroli *(a)* comitis Armeniaci filio naturali, Inſulæ-Jordani comite, Gimoëſii vicecomite & Cauſſadæ regulo ac Iolanda *(b)* *de la Haye* orta ex dominis *de Paſſavant* in Andibus, qua cognatione Johannis cardinalis *de Longueville* in eccleſia Toloſana ſui antece C ſſoris ex Maria Aurelianenſi avia conſobrinus erat: ſed cum propter patrimonii tenuitatem majoribus titulis Armaniacæ familiæ reſpondentem fortunam minime ſperaret, inquiunt Sammarthani, ſacræ militiæ nomen dedit; ac primum quidem ſub diſciplina Ludovici de Ambaſia cardinalis Albienſis bonis moribus ac litteris egregie educatus, tum Carolo Alenconii duci ac Margaretæ Valeſiæ Navarræ reginæ plurimum acceptus, fit epiſcopus Ruthenenſis an. 1529, Vabrenſis 1536, Laſcurrenſis 1555, abbas Auriliaci, domnus Aubracenſis, demum ad hanc metropolim Toloſanam tra- D ducitur bullis Romæ datis pridie cal. Septemb. 1562, cujus poſſeſſionem ſolenniter iniit 21 Decembris anni ejuſdem per obitum cardinalis *de Meudon* jam a triennio defuncti, quia cardinalis *de Châtillon* tunc temporis a ſummo pontifice ſpoliatus eſt. Unde patet ex albo archiepiſcoporum Toloſanorum expungendum Robertum *de Lenoncourt* annumeratum a Sammarthanis. Georgius autem ampliſſimis ſacerdotiis a Franciſco I donatus eſt, ut qui ad Venetos ab eodem primum orator miſſus, iis rerum gerendarum peritia & dexteritate uſus eſt, ut Carolum V imperatorem Aquas-ſextias Provinciæ metropolim obſidentem, præſidiis militaribus Italorum procerum Rangonii, Gonzagæ, Fregozii, aliorumve obſidionem ſolvere & e Galliis abſcedere coegerit. Romæ poſtea legati regii munere perfunctus, totam negotiorum molem maximoſque in utraque aula pontificia & regia honores geſſit. Principis ergo munificentiſſimi commendatione in cardinalium collegium allectus eſt a Paulo III xiv cal. Januarii 1544 & titulo S. Johannis, dein a Paulo IV S. Nicolai in carcere exornatur. Mortuo rege Henrico in Galliam remeavit arcani conſilii particeps factus & in expeditione Germanica gubernator totius Occitaniæ ſummo cum imperio præfectus eſt. Interim Carolo cardinali Borbonio legationi Avenionenſi præpoſito anno 1565, 156 collegæ hoc in munere participavit Armeniacus, illoque abſente pontificiam ditionem adverſus Proteſtantes toto hoc bellorum civilium æſtu armis ſtrenue tutatus eſt, & militum a Pio V papa ſubmiſſorum præſidio fretus, nonnulla ipſorum caſtra invicto animi robore expugnavit. Eodem anno ſibi & ſucceſſoribus a rege obtinuit dignitatem conſiliarii nati in Parlamento Toloſano. Cum autem eſſet Georgius vir comitate & humanitate præditus, licet non adeo excellenti eruditione ipſe præſtans, litteratorum tamen fautor eximius fuit, cujus rei fidem faciunt tot viri docti in ejus familia educati ac ſublevati, Petrus Gillius Romæ, Guillelmus Philander Toloſæ in ædibus munificentiſſimi patroni mortuus, cui commentarios in Vitruvium dedicavit, Arnaldus Sorbinus poſtea Nivernenſis epiſcopus, ac Guillelmus Blancus Telonenſis epiſcopus qui Xiphilini epitomen hiſtoriæ Auguſtæ a Dione latinam de græca factam ejus auſpiciis publicavit, ubi ſic præfatur ut domeſticus teſtis: « ſtudiis, inquit, doctrinæ non ſolum a pueritia deditus fuiſti, ſed etiam ad ea diligenter exer- « cenda ita reliquos omnes inflammaſti, ut apud « Ruthenos, cum factus eſſes ejus gentis epiſ- « copus, multos tuo exemplo maximiſque bene- « E ficiis ad ſtudia litterarum atque humanitatis « excitares. Quæ enim ſtatuiſſes nunquam inter- « mittere in maximis occupationibus tuis eſſeſque « poſtea a Franciſco rege Gallorum optimo ac « tui amantiſſimo miſſus ad Venetos legatus, « atque inde huc Romam ad Paulum III ponti- « ficem maximum nactus occaſionem, magnam « operam poſuiſti in reſtituendis optimis auctoribus « & ab oblivione vindicandis. Quorum « magnum numerum non ſolum undique perquiri « ac deſcribi juſſiſti tuis ſumptibus, ſed « etiam regi omnium bonarum artium ſtudio- « ſiſſimo, ut idem ſaceret, miſſis in omnes partes «

ANNI CHRISTI

(a) In Carolo maſculi ſtirpis legitimæ deſierunt. Quapropter Petrum quem genuerat ex nobili puella Margarita *de Claux* ante ſuum conjugium ſingulari amore proſecutus eſt, cum alios filios ex legitimo matrimonio non haberet. Ipſe vero Petrus Ludovico XII gratiſſimus ab eo litteras obtinuit datas Lugduni menſe Septemb. 1502, quibus natalium vitium tollitur & jure hereditatis paternæ donatur. Hæc Antonius *Bonal* in epiſcopis Ruthenenſibus.

(b) Ex eodem Antonio *Bonal* alia matre ortus erat Georgius cardinalis, ſcilicet Flora *(Fleurette) de Lupe* ex familia *de la Lane* in Vaſconibus, cui Petrus ſpoponderat eam ſe ducturum in conjugem. Cum vero de die in diem differret promiſſa implere, Flora ei diem dixit coram archiepiſcopo Auxitano vel ejus officiali ſuper fœdere matrimonii. Officialis autem judicio Petrus juſſus eſt nuptias celebrare cum dicta Flora, quod tamen minime præſtitit ob Floræ mortem, quæ paulo poſt judicium latum contigit. Attamen Georgius ſemper loco legitimi filii habitus eſt a patre, eoque nomine teſtamento ſuo facto 17 Septemb. 1517 ab ipſo inſtitutus eſt heres bonorum omnium paternorum, ut nos docet qui illud teſtamentum legit laudatus Antonius *Bonal*. Poſt mortem patris tamen potitus tantum eſt aliqua portione toparchiæ *de Cauſſade*, quam integram ipſe poſſidebat, duce Alenconio ejuſque conjuge Margarita ſorore Franciſci regis ita volentibus. Nam ad Margaritam ſpectabant bona omnia potentiſſimarum domorum Armaniaci & Ruthenenſis. Verum pro Georgii inſtitutione ſollicita multum fuit & cum ejus fidem & induſtriam in rebus gerendis ipſa experta eſſet, eum regi fratri commendavit, qui ipſo uſus eſt legato, majoribuſque eum ſacerdotiis ditavit.

ANNI CHRISTI

„ Europeæ doctiſſimis hominibus facile perſua-
„ ſiſti, deinde cum eſſes propter has legationes
„ obitas libere cooptatus in ordinem cardinalium,
„ ad illuſtrandam nobilitatem tuam & ad me-
„ moriam laudum domeſticarum, nempe ut tu
„ unus memoriam majorum tuorum Armenia-
„ corum principum, quos viros clariſſimos fuiſſe
„ conſtat & potentiſſimos in Aquitania dignitate
ſimul & virtute renovares. » Cardinalem quoque pluribus celebrant Thuanus hiſt. lib. 82 & alii. Ceterum cum eſſet longævus ac proxima Paulo Foxio conſanguinitate junctus opulentiſſima beneficia ejus gratia ejerare in animo habens, Toloſanam eccleſiam, retentis fructibus & beneficiorum collatione ipſi dimiſit, aſſumpſitque adminiſtrationem Ave-
1577. nionenſis metropolis an. 1577, ubi ob aëris ſalubritatem ſenectutis ſuæ domicilium fixit, dumque optimi antiſtitis functionibus ſerio incumbit, ætatis anno 85 quinto nonas Junii ſupremum diem explevit an. 1585, in beatæ Mariæ de Donis ſacello archiepiſcoporum, ubi ſibi vivens monumentum condiderat, abſque epitaphio ſepultus.

DE FOIX-CARMAING.

XXI. PAULUS.

Johannis Fuxi Carmanii comitis & Magdalenæ *de Caupene* filius Paulus, natus anno 1528. A puero in modicis opibus iiſque controverſiis relictus, ſacris deſtinatur. Poſt humaniores litteras mira ingenii facilitate perceptas, græce latineque eleganter ſcribens, juris ſcientiæ operam navavit, Jacobum Cujacium inter omnes interpretes ſecutus, dein philoſophiæ ſe totum mancipavit & Ariſtotelis doctrinæ quaſi nomen dedit, ac in ea prælegenda non tam præceptores quam amicos monitores habuit Jacobum Carpentarium virum magni nominis in academia Pariſienſi & Auguſtinum Niphum Sinueſſani illius famoſi philoſophi nepotem, quem uti & pleroſque philologos inter domeſticos habuit. In Pariſienſi curia ſenator quamvis juvenis ob merita & natales aſſumtus, cum per aliquot annos fuiſſet bonarum artium lumine & longo rerum uſu illuſtratus, ex quo ſenatu exceſſit, viam ſibi ad regum amicitias patefecit, quibus & in legationibus obeundis operam ſuam addixit ſummas togæ dignitates, ac Toloſanum archiepiſcopatum a Carolo IX rege promeritus an. 1577 per ceſſionem cardinalis Armaniaci, cujus tamen bullas ante annum 582, 5 Nov. obtinuiſſe cum penſione ipſi & Cæſari Pamphilo annexa, nec initiatus fuiſſe videtur. Primum enim an. 1573 in italiam mittitur ut Reipublicæ Venetæ, pontifici ac cæteris Italiæ principibus, qui gratulatum novo regi Sarmatiæ Henrico principi oratores miſerunt, regis fratris Caroli nomine gratias ageret: inde in Germaniam eodem officio defuncturus ut pertranſiret in mandatis habuit. Ex Italiæ autem principibus Philibertum Emmanuelem Sabaudiæ ducem adivit, Guillelmum Mantuæ, Mirandulum comitem, Franciſcum Medicæum

A Florentiæ principem, Romanum pontificem. In arcanum circa id tempus conſilium promotus, muneribus ſuis ſumma cum prudentiæ laude feliciſſime defunctus eſt. Denique cum graviſſimis de rebus Henrici III apud Gregorium XIII pontificem oratorem ageret, inter ſacra morbo repentino correptus, optime meritam de patria & rege animam exeuntis Maii 29 die reddidit Romæ an. 1584, ætatis 1584.
anno 56 intempeſtivo plane obitu, qui debitum illi ſacræ purpuræ honorem invidit, ut teſtatur in ejus elogio Scævola Sammarthanus. Defuncto, apud S. Ludovicum ubi &
B ſepultus, magna pompa parentatum fuit & Marcus-Antonius Muretus, non ſolum Galliæ, ſed ipſius Romæ lumen, qui vivum coluerat, mortuum habita publice oratione celebravit, quæ typis excuſa & Pariſiis apud Robertum Columbellum an. 1584. Pauli encomium habes etiam in libris vitæ Jacobi Auguſti præſidis Thuani, qui honorifica præfatione eum appellat « paſſim nobilitate, eruditione ac rara morum probitate ævo ſuo cum paucis « comparandum, addit & ipſum incredibili « virtutis amore & caritate patriæ magnitudine « animi, ſollicita publicæ rei cura, candore, fide «
C cunctos in ejus amorem rapuiſſe. Accedebat « oris & totius habitus veneranda ſpecies & vere « imperio digna. » Pauli vitam habes graphice deſcriptam in commentariis academiæ Inſcriptionum, t. XVII, p. 620. Jacobus Cujacius clarum juriſprudentiæ lumen paratitla codicis Paulo inſcripſit, quem vocat nobiliſſimum longeque omnium juris peritiſſimorum præſtantiſſimum ac conſiliarium ſanctioris intimique conſeſſus Chriſtianiſſimi regis. Inter alia addit, « Gentili etiam proprium adjungo, clariſſimum ingenio acerrimo, quod contuliſti ad ſummam « juris civilis & perfectam cum ſanctæ & pri- «
D vatæ, tum etiam publicæ & domeſticæ diſ- « ciplinæ & antiquitatis alienæ noſtræque & « terrarum deſcriptionis & omnium bonarum « artium ſcientiam; illuſtriſſimum animi virtute « vitaque incorruptiſſima, illuſtriſſimum multis « legationibus, veluti Romana, Anglica, Scotica, « Veneta pro rege regnoque ſæpius iteratis, « multis honoribus plurimiſque muneribus miniſ- « teriiſque publicis maxime tuendæ pacis, cujus « ſemper auctor fuiſti, doctorum patronus. » Paulo quoque Jacobus Carpentarius librorum Ariſtotelis de ſapientia Ægyptiorum latinam interpretationem dedicavit. Paulus ipſe epiſ-
E tolas ſcripſit Romæ editas, dum regius eſſet legatus, longe poſt ejus obitum typis Luteciæ excuſas. Vide Muretum, lib. XIX, variar. lect. c. 10, & Stephani Forcatuli epigrammata p. 80.

XXII. FRANCISCUS II.

DE JOYEUSE.

De Franciſco exhauſtus eſt ſermo, t. VI, col. 117 & t. XI, col. 103. Jam erat archiepiſcopus Narbonenſis ab anno 1582, cum poſt Paulum nominatus Toloſanus, Petrum Auguſtodunenſem epiſcopum Romæ conſecravit in eccleſia Minimorum Trinitatis de

ANNI CHRISTI

Monte 17 Martii 1588. Novam hanc metropolim solenniter ingressus est die Dominica 7 Januarii 1590. Cessit anno eodem archiepiscopatum Narbonensem Raimundo Nemausensi episcopo; sed cessionem non probavit pontifex. Concilium provinciæ suæ mense Maio cum suffraganeis habuit, in quo præclaræ constitutiones pro œconomia ecclesiæ ordinatæ sunt juxta decreta concilii Tridentini. Ad ecclesiam Rotomagensem sublectus anno 1605, Tolosana in gratiam sequentis cessit. Attamen cathedralis chorus flammis exustus an. 1608 ipsius ope restitutus est an. 1612. Sub ejus pontificatu floruere Stephanus Duranti, Petrus Faber Saniorius & Philippus Berterius Tolosani senatus præsides, Franciscus Roaldesius & Petrus Gregorius clarissimi jurisconsulti.

Sedes autem Tolosana ab anno 1605 vacavit ad annum 1614, quo tempore Nicolaus *Gilles* vicarium generalem agebat.

DE NOGARET.

XXIII. LUDOVICUS.

Engolismæ natus est Ludovicus 8 Febr. 1593 patre Johanne-Ludovico Nogareto, Espernonii duce Franciæ pari, peditatus Gallici præfecto, variisque temporibus Normanniæ, Provinciæ & Aquitaniæ prorege, matre vero Margareta Fuxensi Candalæ comitissa. Fratres habuit Henricum de Fuxo a Valleta ducem Candalæ ac Bernardum Espernonii ducem, principem Buchii, Fuxii, Montis-fortis & Astaracensem comitem, Aquitaniæ tum Burgundiæ proregem. Ludovicus autem generosi spiritus adolescens grandior factus bellicam quidem disciplinam amplecti voluit, sed parentis voluntati obsequens ad ecclesiæ munera se applicuit. Humanioribus ergo litteris cum philosophia tum theologia apprime institutus titulisque donatus amplissimarum abbatiarum S. Saturnini, S. Victoris Massiliensis, S. Melanii Redonensis, Grandis-silvæ, S. Vincentii Metensis, Gardi, Crassæ, Berdonæ, & sancti Martini a campis Luteciæ, cedente cardinali
1614. de Joyosa fit Tolosanus archipræsul an. 1614, quo nomine anno eodem Parisiensibus regni comitiis interfuit. Purpuratos inter ecclesiæ patres adscribitur a Paulo V pontifice anno
1621. 1621, XI Januarii titulo S. Adriani, dictus cardinalis *de la Vallette*, eodemque anno indultum obtinet a Gregorio XV 18 Maii, quod majus consilium probavit ultima Septembris. Cœtui cleri Gallicani Burdegalensi adfuit anno 1621 & alteri Luteciæ habito
1623. an. 1625. Romam proficiscitur 1623, in
1625. negotiis politicis regi fidelissimus, sicut in theologicis subtilissimus ac solidissimus. Bernardus *de la Rocheflavin* in senatu Tolosano præses Ludovico antistiti dicavit opus Gallicum de Parlamentis Franciæ velut in gravissimo senatu ob suam archiepiscopalem dignitatem primo nato senatori. Paratitla quoque in quadraginta libros digestorum ei consecravit Jacobus *Maran* antecessor Universitatis Tolosanæ.

A Eodem præsule fundantur in urbe virgines Carmelitanæ anno 1616, Tertiariæ 1620, Benedictini reformati congregationis sancti Mauri 1622, Fulienses 1623. Hujus quoque tempore Guillelmus *Catel* scriptis clarus obiit 5 Octob. 1626, qui Tolosanorum comitum 1626.
ac Septimaniæ historias luci dedit, obiit & Petrus Matthæus auctor historiæ Gallicæ IV id. Octob. 1621, ambo in claustro S. Stephani sepulti. Cæterum cum ordinibus sacris initiatus non esset Ludovicus, administratore archiepiscopatus & diœceseos in spiritualibus Philippo *Cospeau* Nannetensi tum Lexoviorum
B episcopo usus est, sed post plures possessionis annos, ecclesiæ tandem Tolosanæ nuncium misit in gratiam sequentis. Transiit igitur ab ecclesiastica ad secularem militiam, regiisque exercitibus, in Germania, Belgio, Italia, ipsique Metensi urbi & provinciæ, nec non Andegavensi præficitur. Ordini S. Spiritus torquatus eques apud Fontem-bellaquam a rege adscribitur an. 1633. Cum Bernardo Veimariensi duce an. 1635 expeditionem in Germaniam suscepit: inde 1637 duci Candalæ fratri junctus, Landrecium oppidum munitissimum & alia loca expugnavit. Denique in Italiam
C missus ditionis Emmanuelis II Sabaudiæ ducis pupilli contra Hispanorum conatus fortiter tutatus, nonnullas urbes recepit; tandemque ex morbo decessit Rivolæ ad secundum ab urbe Taurinensi lapidem 1639 die 28 Sept. ætatis 47. Corpus in Galliam delatum ad S. Saturnini deponitur, tum Espernonii patris jussu Cadiliaci sepulturæ traditur. Elogiis funebribus ei parentarunt Vitalis *Theromes*, Johannes Samblacatus, Vincentius Rotomagensis tertii ordinis S. Francisci religiosus, Henricus *Auberi*, Antonius *Chanut*, Petrus Possinus,
D multique alii poëtæ, quorum opera jussu Caroli *de Montchal* ejus successoris collecta sunt.

XXIV. CAROLUS.

DE MONTCHAL.

Petri & Annæ *de Guillon* filius Carolus, abbas S. Amantii de Buxia diœcesis Encolismensis & S. Salvatoris Constantiensis, per cessionem Ludovici cardinalis *de la Vallette* consecratur Luteciæ apud S. Genovefam a Johanne Francisco cardinale a Balneo, assistentibus Claudio de *Gelas* Aginnensi & Claudio *de Rueil* Andegavensi episcopis, Dominica prima post Epiphaniam die 9 Januarii anno
E 1628, præsentibus cardinalibus de Rupefulcaudi & de Valleta. Urbem cum insigni pompa magnoque populi concursu ingressus est 14 Maii anni ejusdem, primumque in pontificalibus celebravit 17 mensis ejusdem pro anniversario liberationis urbis Tolosæ, tum in solenni supplicatione pro translatione reliquiarum S. Thomæ Aquinatis 18 Junii. Ejus exemplo & concionibus ad populum eloquentia & doctrina efficacissimis cæterisque vigilantissimi præsulis virtutibus quibus præditus fuit, vetus Tolosatum pietas majora in dies sumsit incrementa. Interfuit cœtui cleri 1628.
Gallicani

ANNI CHRISTI 1635. Gallicani Luteciæ habito an. 1635, ubi pro A sacro ordine coram rege Ludovico XIII peroravit die 18 Novembris. Alteri Meduntæ apud Velocasses 1641, cujus commentaria & diarium scripsit, demum tertio Luteciæ 1645 in quibus omnibus ecclesiasticæ libertatis acerrimum se præstitit defensorem, & in duobus postremis omnium votis in præsidem
1637. electus est. Parisiis consecravit 14 Junii 1637 Jacobum *Noël du Perron* episcopum Encolismensem in ecclesia Pœnitentium, assistentibus Egidio *Boutaut* Adurensi & Fr. *Mallier* coadjutore Trecensi, Alanum Cadurcensem in basilica sanctæ Genovefæ 27 Septemb. anni B
1643. ejusdem, & 4 Octob. 1643 in ecclesia Jesuitarum Henricum *de Maupas* Aniciensem episcopum. Plures magistratus urbis Tolosanæ, puta dominos N. *de Garault* præsidem, Jacobum *de Cassagnau*, Petrum *Dagret* consiliarios, Thomam *de Maniban* & Jacobum *de Marmiesse* regios advocatos anathemate percussit 17 Aprilis 1639, propterea quod munia episcopalia obturbaverant, obstiterantque ne haberetur conventus ab ipso apud pauperum hospitium indictus. Basilicam Soricinensem dedicavit 8 Septemb. 1642. Die 13 Novemb.
1644. 1644, cum clero suo in ecclesia S. Saturnini, C assistentibus tum episcopis Montalbanensi, Rivensi, Valentino, S. Pontii, Castrensi, Lombariensi & S. Papuli, cum senatu Tolosano, Octoviris Capitolinis ejusdem civitatis & incredibili non vicinarum modo, sed longe etiam remotarum provinciarum concursu, reliquias sanctorum Edmundi Angliæ regis, Symphoriani, Claudii, Nicostrati, Castoris & Simpliciani martyrum, secundum votum ab ipsis Octoviris tempore pestis emissum, qua dimidia fere pars civium perierat, ex sepulturis marmoreis in capsas argenteas reposuit, quas solenni apparatu sublatas & publice D super altare sancti Saturnini expositas magna populi frequentia per octo dies veneratur.
1647. Anno 1647 mense Decemb. a Carolo comprobata & translata sunt corpora Raimundi scriptoris archidiaconi Villelongæ canonici Tolosani & Bernardi ejus clerici, qui pro fide Catholica ab hæreticis Albigensibus trucidati sunt apud Avinionetum diœcesis tunc Tolosanæ, nunc S. Papuli in castro Raimundi comitis anno 1242, 29 Maii, quæ jacebant in claustro prædictæ ecclesiæ, ejusque jussu & auctoritate adstante capitulo reposita sunt E in capsa plumbea in penetrali parietis ad cornu evangelii capellæ S. Alexii in eadem æde, sub hac inscriptione marmori insculpta: *Hæc sunt ossa Raimundi scriptoris archidiaconi Villælongæ & Bernardi ejus clerici qui apud Avinionetum cum Inquisitoribus fidei ab hæreticis interfecti fuerunt.* Carolo sedente institutum est seminarium clericorum in ecclesia parochiali S. Petri de Coquinis & xenodochium validorum pauperum sancti Josephi *de la Grave* nuncupatum. Carmelitæ religiosi ad strictiorem vitam redacti. Erecta sunt & monasteria monialium Congregationis S. Mariæ, monialium Visitationis, religiosarum in xenodochio S. Jacobi, Ursulinarum in urbe Granata, & fratrum tertii ordinis S. Francisci in oppido Insulæ-jordani. Constituta est quoque in capella B. Mariæ *de Roqueville* congregatio presbyterorum ad populos ejusdem diœcesis erudiendos. Cæterum omni genere doctrinæ ornatissimus fuit Carolus, linguæ Hebraïcæ non ignarus, Græcæ peritissimus, antiquitatibus sacris plurimam operam dedit & Græcis præsertim historiæ ecclesiasticæ scriptoribus, ad quorum elucidationem & emendationem multa observavit, quæ in publicum promere a comitiis generalibus cleri Gallicani enixe rogatus est. Præterea perfectissima conciliorum omnium intelligentia, historiæ profanæ & juris cum canonici tum civilis lectione instructus, præsulis ex omni parte absoluti specimen dici poterat. Has omnes notiones vastissima mentis capacitate solidissimoque ingenii acumine acquisierat, quod etiam non parum contulerat exquisitissima bibliotheca, quam refertam habebat tum rarioribus in unaquaque Facultate libris jam editis, cum manuscriptis quamplurimis, quorum maximam partem Hebraïcis, Arabicis, Græcisque caracteribus exaratam, nec typis usque mandatam ex omnibus Europeæ regionibus studiose collegerat, illorum copiam viris doctis liberalissime faciebat, quibus præsidium tutissimum fautorque erat benignissimus, quod testantur plerique in epistolis operum quæ ipsi dicarunt, inter quos Stephanus *Molinier* Tolosanus conciones ecclesiasticas Gallica pietate & elegantia habitas & scripto redactas, Innocentius Cironius paratitla in libros decretalium, Franciscus *Combefis* Andreæ Cretensis ex Græco versionem, Frizonus opus Stephani Durandi de ritibus ecclesiæ, Casanova historiam sancti Edmundi gallice, Odo Jesuita vitam sancti Saturnini, Ravelius Doctrinæ christianæ alumnus librum de virtutibus & donis Spiritu-Sancti, multique alii quos referre longum esset antistiti nostro meritis laudibus sua opera consecrarunt. Plerique etiam ex ejus bibliotheca mss. codices in lucem prodierunt, Pselli synopsis legum ex græco in latinum a Francisco *Bosquet* versa, oratio Leonis imperatoris de S. Nicolao, Nili archimandritæ opera quædam, duæque exactissimæ Græcorum patrum catenæ in sanctos Matthæum & Marcum Evangelistas cum Petri Possini versione latina & annotationibus. Ex latinis quoque edidit facundum Jacobus Sirmondus ejusdem Societatis presbyter. Multi viri docti hujus archipræsulis meminere, quorum elogia cum præ multitudine hic adducere non possumus, satis erit dicere Rigaltium, Sirmondum, Aubertum, Holstenium, Allatium, Casamnovam, illustrioresque fere omnes ætatis nostræ auctores in suis operibus illius mentionem fecisse. Inter quos Johannes Samblancatus Tolosas præstantissimi illius ingenii ac animi dotes in epistola nuncupatoria indicis

comitum Ruscinonensium his verbis delineare conatur: « Quæcunque desiderantur immemorata habes & ex tempore depromis, quod divitis ingenii argumentum est: sed quamvis levi contactu veternum ignorantiæ excutias, atque ab ipso conjectu oculorum scientiam inspires, tamen pro tua sanctimonia nihil exire sinis, fontesque rerum uberrimos obstruis, nisi ad Dei cultum salutemque populorum deriventur. Illustria illa tua studia in omni ratione doctrinæ scriptis elegantissimis publicare potes, mavis tamen comprobare vitæ instituta & monimenta sanctitate morum, quam nitore sermonis evulgare. » Hactenus Samblancatus.

Multa autem dominia a prædecessoribus urgentibus rebus alienata mensæ episcopali univit & palatium archiepiscopale restauratum vetustate collabens, ad formam elegantissimam redactum adornavit, cujus superliminari portæ affixus hic titulus: *Benedic domui servi tui, Domine, ut sit in sempiternum coram te.* Demum ad comitia provinciæ Occitaniæ apud Carcassonam profectus, ultimo ibi morbo afficitur, perceptisque rite sacramentis ecclesiæ & sancta sinaxi, ministrante archiepiscopo Narbonensi, pio erga Deum animo, die 22 Augusti anni 1651, in hæc verba pastore vigilantissimo plane digna animam emisit: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum & sponsam meam.* Corpus deinde a canonicis elatum, Tolosæ humandum defertur & 5 Septembris sequentis comitia funebri pompa in æde sancti Vincentii Carcassonensis illi parentarunt. Mortuum oratione laudavit Petrus Berterius coadjutor Uticensis, postea Montalbanensis præsul. Sepultus est in ecclesia metropolitana ad cornu evangelii altaris majoris, sub extremis gradibus throni archiepiscopalis, juxta tumulum Petri de Molendino. Epitaphium ipse sibi dum viveret composuerat, jusseratque hæc tantum verba pro elogio ascribi: *Carolus* de Montchal *archiepiscopus Tolosanus hic expectat resurrectionem mortuorum.* Quibus tamen sequentia addita: *quod terrenum superest, hoc marmore tegitur: quod cæleste, cælo habetur. Quod re publica pro dignitate, immunitatibus & disciplina ecclesiastica pro rege, pro sponsa ecclesia fortiter, docte sancteque gessit, posterorum memoria æternum servabit. Sedit annis XXIII, obiit XI cal. Sept. anno Domini 1651, ætatis suæ LXII.* Ejus exequias in metropolitana celebravit Johannes-Ludovicus *Berthier* Rivensis antistes, assistentibus honorifice Johanne *Daffis* Lombariensi, Johanne *de Fossé* Castrensi, Petro *de Marca* Conseranensi postea successore, & Francisco-Stephano *de Caulet* Appamiensi, qui in choro S. Stephani præsente insigni omnium ordinum civitatis corona mortuum commendavit.

DE MARCA.

XXV. Petrus III.

Ortus est Petrus ex clarissima in Benearni principatu familia. Ejus auctor Garsias Marca, qui præfectus turmis equitum Gastonis principis Benearnensis, munus suum egregie obivit

A in obsidione Cæsar-augustana adversus Saracenos an. 1118. Captæ urbis pars maxima in Gastonis ditionem cesserat, qui vetustissimam orbe toto ecclesiam B. Mariæ de Columna nuncupatam privilegio auxit, quod suo ac procerum aliquot & inter reliquos Garsiæ sigillis munivit. Istius vero sigillum parte ex una verba ista præfert: *Garsias Marca Præf. equ. D. Gastonis*, parte ex altera impressum habet equum, ad ostendendam scilicet equitatus præfecturam, non abludente quoque nominis familiaris appellatione. Marca enim lingua Gallorum antiquissima equum significat

B apud Pausaniam & in legibus Alamannorum, unde stemma huic familiæ hereditarium mansit, equi scilicet aurei in area rubra. Militiam ejus posteri prout tabulæ domesticæ docent, cum laude principibus suis obsequentes exercuerunt ad annum 1440. Tunc Petrus Marca juris eximiam peritiam adeptus, negotiorum procurationi generali in universis ditionibus principis sui admotus est & ad præsidentiam ejus consiliorum tandem evectus. Quæ duo munera laudabiliter ab eo gesta in filium ejus Johannem per gradus transcripsere comites Fuxi supremi principatus Benearnensis domini. Brunetus Jo-

C hannis filius ad militarem functionem rediit, aulico officio ornatus a Johanne Albretio rege Navarræ. Sed litteris se iterum addixit Johannes alter Bruneti filius, qui juris utriusque & politicæ scientiæ peritissimus, ad consilia omnia ab Henrico II rege allectus est codicillis datis an. 1522. Hic Johanna *de Trescens*, quæ sola supererat ex proceribus ejus nominis, uxore ducta, stemma suum auxit gentilitio Trescensiorum stemmate, tribus nempe erminiis, proxima affinitate junctus Johanne avunculo Petro de Biaxio sive Biassio regum Navarræ Johannis & Catharinæ cancellario. Prognatus est ex eo

D matrimonio Hieronymus, qui promotus ad gradum præsidis in utroque consilio ordinario scilicet & secretiore Johannæ reginæ Navarræ, catholicas partes consilio & armis juvit, quando exercitu conflato sub regis Galliæ patrocinio, excidium ecclesiæ ac fidei a regina intentatum amoliri conabantur. Sed divino Numine averso populi sui peccata ulciscente, succubuit armis reginæ Catholicorum exercitus an. 1569, & Hieronymus proscriptus Parisios se contulit ubi regia munificentia bonorum spoliationem solatus est, donec illi concessa est in patriam redeundi libertas. Jacobus Patris Hieronymi

E monitis firmatus, catholicam fidem constanter retinuit, licet regis Henrici Borbonii domini sui castra sequeretur. Ex ejus conjugio & nobilis piæque matronæ Catharinæ *de Lartet* Petrus, de quo agimus, nascitur an. 1594 in domo paterna, quatuor millibus passuum ab urbe Palo in diœcesi Lascurrensi. Illa autem tempestate Calviniana hæresis vigebat in Benearnio, depulso per vim Catholicæ religionis exercitio ab anno 1569; qua calamitate coacti Catholici liberos suos ministris tingendos offerebant. At pii parentes ne communione hæreticorum

polluerentur, extra patriæ fines in monasterium sancti Petri Generensis in diœcesi Tarbensi baptisandum detulerunt filium, cui monachus ordinis S. Benedicti officio parochi in ecclesia sua fungens Petri nomen ex eorum voto imposuit, his de suo additis verbis: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Quæ sacri ominis vice accepta sunt a parentibus & ab universo cœtu, sæpeque adolescenti inculcata, ut studia conatusque suos ad restituendam in patria Catholicam religionem majorum suorum exemplo dirigeret. Itaque diligenter a patre in ea educatus fuit, qui studiosissime cavebat ne in tenera ætate ullo ne levi quidem spiritu hæreseos afflaretur. Quare licet in Benearno eruditis viris sed Calvinianis academia amplis stipendiis dotata floreret, maluit ejus juventutem studiis litterarum Ausciis primum, dein Tolosæ excolendam curare. Exinde humanioribus litteris, philosophiæ & utriusque juris cognitione apprime instructus, ante annum ætatis 22 supremi Benearnensis consilii senator designatur anno 1615, solus inter reliquos magistratus Catholicæ fidei professor. Eo in munere successerat patruo suo Johanni, viro gravitate morum insigni juris utriusque & politicæ peritissimo, qui ob egregia merita cum dignitate illa ornatus fuisset a rege, nec rescriptis ullis, nec delegatorum opera auctoritas regia obtinere potuit a senatoribus Calvinianæ factionis ut in corpus senatus admitteretur, eo quod non solum esset canonicus & vicarius generalis episcopi Lascurrensis, quibus dignitatibus renunciare poterat, sed præcipue quod esset presbyter; cujus contentionis meminit Johannes *Bordenave* vir eruditus in tractatu de curiis ecclesiasticis cum Petri nostri laude singulari. Incidit in ea tempora gravis in regno controversia ob edictum a rege Ludovico XIII conditum an. 1617 de restaurando generaliter in Benearno, quod definitis in locis jam institutum erat Catholicæ religionis exercitio & bonis ecclesiasticis restituendis, cujus exsecutionem consilium Benearnense una cum prorege variis artibus, minis quoque, Calvinianæ factionis per universum regnum sparsæ præsidio, per quinquennium distulerat: sed industria sua atque constantia Petrus adjuncta quoque Jacobi patris a nobilibus catholicis quater ad regem delegati gnava & solerti opera, factionis consilia sæpius detexit & elusit, licet non sine vitæ præsentis periculo: tandemque relationis suæ auctoritate regem ad aggrediendum iter Benearnense impulit: quo facto religio quidem in provincia restaurata est, sed bellum a Calvinianis per universas fere provincias eam ob causam excitatum, quod Ludovici armis compositum est. Cæterum rex consilii nomine in Parlamentum commutato, Petri merita rependit præsidis officio absque pecuniæ suffragatione & cum prolixa ætatis venia illi collato anno 1621. Petrus vero auctoritate magistratus sui in judiciis & fre-

A quenti cum hæreticis collatione, ut pote in antiquitate ecclesiastica & in controversis fidei quæstionibus, ex assidua scripturæ sacræ & omnium patrum pluriumque scholæ doctorum lectione eruditus, ministris quatuor præter cæteros ad ecclesiam reductis, religionem Catholicam amplificavit. Historiam patriæ suæ & adjunctarum provinciarum antea ipsis quoque indigenis incognitam, summa cura & diligentia ex veterum actorum fide, adhibitis passim eruditissimis observationibus descripsit an. 1640. Cum celebrior in dies evaderet ejus fama, ad sacrum consistorium paucis
B tunc apertum, licet fere invitus ob patriæ amorem, a qua divelli se ægre patiebatur, a rege ipso perhonorifice adscitus est anno 1639, in quo præclara ejus opera statim enituit, & vis ingenii solertiaque præsens patefacta est ad distringenda graviora quæque negotia cum singulari civilium rerum & ecclesiasticarum peritia. Tunc jussus est de iurisdictionis spiritualis & regiæ finibus dissertationes instituere, quas juxta propositum sibi finem de concordia sacerdotii & imperii inscripsit, eruditione multiplici & ad rerum usum accurate inflexa refertas. Desinente autem anno 1642 cum
C uxorem amisisset, ex qua susceperat Golacterium *de Marca* in Parlamento Palensi præsidem & S. Albini Andegavensis abbatem, rex Petrum nominavit episcopum Conseranensem, ut diximus, t. I, col. 1141. Incipiente anno 1644 Ludovicus XIV, auctore regina matre, transmisit illum in Cataloniæ principatum, visitatoris regii munere functurum, concessa scilicet ei censura in omnes regios provinciæ magistratus, præcipue in proregum absentia, quæ fuit frequentissima, non omissa quæ præfectis * mandari solet in milites & * Intendans.
copiarum ductores potestate atque ærarii cura.
D Sed hanc pecuniarum muneris partem cum abstinentissime exercuisset anno integro, a se amoveri enixe postulavit, quod vix a rege obtinuit, passus fere repulsam ea ex causa quam petitioni suæ prætendebat; nempe nolle se ex pecuniis regiis quidquam in rem suam vertere, nec ejus criminis suspicioni apud invidos patere. Reliquas visitatoris partes sic obivit, ut Gotholensium animos licet præfractos & exterorum contemtores ad sui venerationem compulserit, usus humanitate illa sua & mixta cum ingenua sinceritate, prudentia singulari ex assiduo rerum usu parta.
E Duas annis 1645 & 1649 factiosorum aliquot conjurationes adversus Barcinonem, cum in limite regius exercitus consisteret, copiis validis Hispanorum terra marique fultas, indigenarum ope, consilio, constantiaque sua dissipavit. Neque vero juvandæ rei litterariæ curam, licet negotiorum mole fere obrutus, omnino deposuit. Quippe Cataloniæ illustratæ volumen concinnavit in quatuor libros distributum, in quibus Hispaniæ integræ, sed præcipue Tarraconensis provinciæ veteris, mediæ & recentioris geographica veterum testimonia vix a

quoquam intellecta, & inscriptiones antiquæ
accurate explicantur. Tum civilis & eccle-
siasticæ administrationis ratio disputatione uber-
rima expenditur usque ad Gothorum tempora.
Discutiuntur deinde mutationes ab istis in-
vectæ in utroque regimine tam ex conciliis
Toletanis, quam ex integra lege Gothica juxta
codicem Rivipullensem scriptum anno decimo
Roberti regis. Excidium a Mauris illatum
ostenditur & restauratio Francorum armis facta,
qui pulsis Mauris fidem Catholicam in Cata-
lonia firmarunt. De comitibus in ea constitutis
differitur, deque dotatis & restitutis episco-
patibus atque excitatis abbatiis a regibus Fran-
corum, prolatis actis donationum quæ passim
explicantur. Claudit opus hereditariorum co-
mitum nova & enucleata explicatio & juris
illius, quod in ea provincia coronæ Gallicæ
competit. Psalmorum sensum litteralem &
perpetuum juxta mentem 70 interpretum &
vulgatæ editionis ad usum cleri sui exposuit,
additis scholiis in locos difficiliores, notatis
quoque præcipuis differentiis cum Hebraïco
textu. De Lugdunensi primatu & cæteris
primatibus dissertationem edidit, cum notis
ad concilium Claromontanum. Publica tabu-
laria tum regia, tum ecclesiarum cathedralium
& monasteriorum inspexit, unde acta quam-
plurima transcribi fecit. Inter cætera genuinam
collectionem canonum & decretorum Isidori
Hispalensis, commentis Mercatoris carentem,
ex archivo cathedralis ecclesiæ Urgellensis
descriptam, aliamque ex Rivipullensi monas-
terio antiquiorem Dionysio exiguo plurimi
faciebat. Utramque publicare decreverat, ad-
ditis quinquaginta dissertationibus de præcipuis
canonicæ disciplinæ articulis. In quo consilio
confirmatus fuit postquam ex locupletissima
bibliotheca Petri *Seguier* Franciæ cancellarii
atque illius beneficio nactus est edendam
collectionem Græcam Johannis Scholastici in
quinquaginta titulos digestam, cujus compendia
tantum extant in bibliothecis regia & Vaticana.
Cæterum cum ejus industria regi maxime
probata esset in ordinanda provincia, vix im-
petrare potuit reditum in patriam, licet sæpius
a se flagitatum, præcipue postquam anno 1647
litteris apostolicis præfectus est ecclesiæ Con-
seranensi, quæ tandiu dilatæ fuerant, inter
cætera artibus quoque legati Hispani in curia
Romana, verentis ne dignitate ex illa auge-
retur ejus auctoritas apud Catalanos nominis
episcopalis devotos cultores. Recessit tandem
ex illa provincia mense Julio anni 1651, &
post aditam dispositamque ecclesiam Conse-
ranensem in comitatum regium se contulit
fidei sacramentum ratione episcopatus ex officio
regi præstiturus. Demum principis obsequio-
rum in Catalonia impensorum memoris libe-
ralitate postulationem omnem antevertente,
ad ecclesiam Tolosanam nominatus est die
1652. 27 Maii an. 1652, facta illi ut solet fructuum
ab œconomo percipiendorum donatione. Unde
occasionem sumsit litteris a se ad Innocentium X

A datis inserendi verba sequentia: « non me
latet quantopere huic oneri ferendo vires
meæ sint impares: quarum tenuitatis apprime
conscius, ne dignitatem illam exambirem
plane sum deterritus. Attamen tanti principis
de me judicium fecit, ne illam nec petenti
oblatam detrectarem; ex mero debiti obsequii
officio divinæ opitulationis certissima præsidia
exspectans, si sanctitatis vestræ quæ Christi
Domini vices gerit in terris consensus accedat
& auctoritas quæ a priori ecclesia exsolvere
& alteri præponere sedis apostolicæ privilegio
sola potest. Ego sane polliceri nolim immensis
B & insolitis ecclesiam Tolosanam utilitatibus
ex mea translatione auctam iri, sed industriæ
qualiscunque meæ probandæ latiorem campum
in ejus regimine apertum iri quam in ecclesiæ
Conseranensis angustis finibus inficiari non
debeo. O me felicem! quando veteris illius
atque sanctissimi sacerdotis Exuperii exemplo,
(qui ex præsidatu in Hispaniis acto cathedram
illam suscipiens, eam deinde rexit juxta pium
atque prudens Innocentii primi ad ejus consulta
responsum) licebit per Innocentii X decretum,
post gestos magistratus regios in Gallia &
Hispania episcopatus quoque curis functo mihi
C Tolosanæ sedis administrationem capessere. »
Interim Petrus Johannem *de Miossans* Olo-
rensem episcopum consecravit Parisiis in ec-
clesia Dominicanorum Dominica 9 Februarii
1653. Tandem in consistorio habito x cal. 1653.
Aprilis 1654 ecclesiæ huic metropolitanæ 1654.
præficitur ab Innocentio X, eodemque anno
VI cal. Julii regi fidem dixit in sacello minoris
Borbonii, & V nonas Julii pallium a pontifice
missum excepit a domino *Seguier* episcopo
Meldensi; tum 16 ejusdem mensis possessionem
per procuratorem iniit & mense Decembri
habito Galliæ Narbonensis conventui adfuit.
D Tolosam pervenit idibus Martii 1655, & 1655.
Ludovicum Lactorensem episcopum conse-
cravit in æde Jesuitarum Pontisarentium 21
Septembris. Circa id tempus in conventu
episcoporum Tolosæ habito a provincia dele-
gatur ad comitia generalia cleri Gallicani,
quo in cœtu suscipitur XIII cal. Aprilis 1656. 1656.
Hoc autem in cœtu celeberrimo luculentissi-
mum dedit 22 Junii testimonium de Gallia
Christiana nuper a Sammarthanis edita & his
in comitiis ecclesiæ Gallicanæ oblata, cui
subscripsere duo alii episcopi. Illud habes, t. I
E Galliæ Christianæ in propyleo. Annam *le
Tellier* abbatissam S. Sidonii Rotomagensis
benedixit Parisiis 20 Martii 1657, episco- 1657.
pumque S. Papuli ibidem consecravit apud
moniales a Carmelo 8 Septembris 1658. 1658.
Insequenti conventui Narbonensi præsedit.
Cum Hiacintho Serroni episcopo Arausicano
delegatus est a rege 26 Novemb. 1659, ut 1659.
antiquos Galliæ Narbonensis & Hispaniæ
Tarraconensis limites investigarent post pacem
Gallos inter & Hispanos initam. Denique ad
Parisiensem metropolim a rege evectus est 26
Febr. 1662 per cessionem cardinalis Retzii 1662.

ANNI CHRISTI

apud Commerciacum factam, sed ante adeptam possessionem sublatus est e vivis, ut diximus, t. VII, col. 180. Præter vitam ejus de qua in Parisiensibus, Baluzio præiverat Paulus *de Fagette* Petri nepos in præfatione ad avunculi dissertationes posthumas.

D'ANGLURE DE BOURLEMONT.

XXVI. CAROLUS-FRANCISCUS.

De Carolo-Francisco Ludovici Burdegalensis archiepiscopi germano bis diximus in Adurensibus & Castrensibus episcopis, t. I, col. 78 & 1170, unde ad Tolosanos vocatus a rege 1 Julii 1662. Bullas obtinuit Romæ
1664. datas XVII cal. Octob. 1664. Possessionem per procuratorem adeptus est 28 Octob. anni ejusdem, per semetipsum vero mense Martio
1665. 1665. Præfedit hoc anno in comitiis pro-
1667. vinciæ. Post biennium die 16 Aprilis primam petram benedixit & fundamenta jecit alvei constructi ad mare Mediterraneum cum Oceano jungendum & committendum. Altero autem biennio obiit Tolosæ 25 Novemb. 1669, sepultus prope majus altare cum epitaphio:

D. O. M.

*Hoc publici doloris monumentum sibi meruit, qui magnum sui desiderium civitati reliquit nobilissimus ac illustrissimus dominus D. Carolus d'*Anglure de Bourlemont *archiepiscopus Tolosanus. Ejus in pauperes munificentiam memorat Atura, ubi primo fuit episcopus. Inde ad ecclesiam Castrensem translatus, hæreticorum fregit audaciam. Quamdiu tandem Tolosæ metropoli præfuit, præfuit quoque comitiis provinciæ generalibus summa cum populi utilitate & regis applausu. Quantum probant ejus pietatem cumulatæ infulæ, tantum commendat nobilitatem gentile nomen Saladini. Sed hæc historiæ celebrent, tu vero lector ad Deum funde preces. Obiit 1669. VII cal. Decemb. ætatis suæ 64.*

DE BONZY.

XXVII. PETRUS IV.

E Biterrensi, t. VI, col. 376, ad Tolosanam sedem a rege translatus Petrus 8 Decembris 1669, fit major reginæ eleemosynarius per
1671. obitum episcopi Lingonensis 10 Augusti 1671. Eodem anno bullas obtinuit datas Romæ IV cal. Octob. Possessionem per procuratorem arripuit 17 Januarii 1672. Cardinalitia purpura insignitur anno eodem 22 Febr. nominatus a rege Poloniæ. In ecclesia Tolosana
1672. admittitur 9 Aug. 1672. Transiit inde ad metropolim Narbonensem mense Octobri
1673. 1673, ut diximus eodem tom. VI, col. 123.

DE MONPEZAT DE CORBON.

XXVIII. JOSEPHUS.

Ex episcopo S. Papuli Josephus factus a rege archiepiscopus Tolosanus 22 Novemb.
1674. 1674 per cessionem Johannis germani ad Senonensem translati, bullisque donatus mense
1675. Maio 1675, possessionem per procuratorem apprehendit 17 Augusti & fidem regi juravit 25 Decemb. anni ejusdem. Litteras quibus libera concedebatur fructuum percipiendorum

A facultas in camera computorum inscribi quidem curavit mense Novembri; sed quia earum inscriptionem significare neglexit œconomis, cum vacassent canonicatus & cancellaria in ecclesia Tolosana, utrumque beneficium a rege impetravit quidam Clemens, & ille qui ab archiepiscopo provisus fuerat causa cecidit in Parlamento Parisiensi, quia jus regaliæ adhuc perseverabat, nondum facta præfatarum litterarum significatione. Litteras suscepit anno 1679 a papa queritante de violentia adversus *Charta LXXVII, col. 85.*
moniales Urbanistas exercita. Josephus autem 1679.
adfuit comitiis cleri Gallicani anno 1685 & 1685.
B obtinuit commendam Gimundi Ausciensis 15 Augusti. Biennio post obiit 17 aut 27 Junii 1687, ætatis 72, pontificatus 14, se- 1687.
pultusque est ante majus altare cum epitaphio. Extat breve Innocentii XI datum 15 Julii 1687 post Josephi mortem, quo ille inducitur ut emendet quæ perpetrarat contra sanctimoniales Urbanistas & virgines de Infantia Domini N. J. Ch. *Charta LXXVIII, col. 86.*

COLBERT DE VILLACERF.

XXIX. JOHANNES-BAPTISTA-MICHAEL.

Michaëlis Matisconensis episcopi germanus Johannes-Baptista-Michaël, prius episcopus
C Montalbanensis & commendatarius S. Petri de Curte, transfertur a rege ad Tolosanam metropolim 15 Aug. 1687, proponitur Romæ 5 Octobris 1693 & proclamatur die 12 1693.
sequenti, qua concessæ sunt ei bullæ pontificiæ. Pallium obtinuit 9 Novemb. qua die regi juravit fidem. Possessionem per procuratorem iniit 25 Novembris & admissus est Tolosæ die Dominica 7 Febr. 1694. Litem 1694.
habuit de præsidentia in comitiis provinciæ, archiepiscopo Narbonensi absente, adversus archiepiscopum Albiensem, quæ Tolosano adjudicata est decreto supremi regis consilii.
D De alia pro præsessione inter utrumque præsulem contentione vide in archiepiscopis Albiensibus. Cum autem exigeret senatus Tolosanus ut antequam ad concessum admitteretur hic antistes, omnes tum præsides, tum consiliarios, regii juris cognitorem ac advocatos singulos & ostiatim salutaret, supremi regis consilii judicio decretum est an. 1694 mense Octob. apud Fontem-bellaquam, ut præsides omnes infulatos ac majoris subsellii consiliarios, in unaquaque vero classe inquisitionum & libellorum supplicum præsides, decanum & subdecanum, simulque regios
E procuratorem & advocatos salutationis ergo conveniret. Multas alias habuit cum senatu altercationes nec non cum capitulo, imo cum omni pene clero tum seculari tum regulari, maxime ob tributa pro rege ultra modum exacta. Anno 1699 mense Maio in cœtu epis- 1699.
coporum suæ provinciæ suscepit cum reverentia constitutionem pontificiam qua damnatur liber archiepiscopi Cameracensis inscriptus: *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure.* Obiit Parisiis die 11 Julii 1710, ætatis 71, cum ad generalia cleri comitia convenisset,

ANNI CHRISTI

estque sepultus in ecclesia religiosorum Mini- A
morum ad Plateam-regiam die Dominica 13
illius mensis, capitulo ecclesiæ Parisiensis,
cujus canonicus fuerat & honorarius erat, ei
justa persolvente & funus curante.

DE BEAUVAU.

XXX. RENATUS-FRANCISCUS.

Post administratas Baïonensem & Tornacensem ecclesias, t. I, col. 1324 & t. III, col. 247, Renatus-Franciscus Tolosanam aggressus est, nominatus a rege archiepiscopus
1713. 29 Julii 1713, quo nomine adstitit comitiis
1715. cleri Gallicani an. 1715. Transiit inde ad
1719. metropolim Narbonensem 5 Novemb. 1719, B
ut diximus t. VI, col. 125, ibique obiit 4 Aug. 1739, annum agens 75.

DE NESMOND.

XXXI. HENRICUS.

E Montalbanensi ad Albiensem, tom. I, col. 44, ex Albiensi ad Tolosanam ecclesiam Henricus a rege translatus est 5 Nov. 1719.
1722. Romæ propositus 14 Januarii 1722, regi fidem obstrinxit 25 Augusti anni ejusdem. Abbas Mansi-Garnerii unusque e 40 viris academiæ Gallicanæ obiit in sua diœcesi 27
1727. Maii 1727. Omnia sua ptochodochiis reliquit.

BALBIS DE BERTONS DE CRILLON.

XXXII. JOHANNES-LUDOVICUS. C

Philippi-Mariæ comitis *de Crillon* filius Johannes-Ludovicus, ex ecclesia S. Pontii, t. VI, col. 254, transiit ad Tolosanam, archiepiscopus nominatus a rege 30 Julii 1727. Admissus Romæ 27 Septemb. anni ejusdem, regi sacramentum dixit apud Marliacum 19
1728. Januarii 1728, & pallium obtinuit 25 eorumdem mensis & anni. Commenda Caroli-
1735. loci Vesontionensis donatus est anno 1735. Traductus quoque est ad Narbonensem me-
1739. tropolim a rege 31 Augusti 1739, quo nomine Romæ proclamatur mense Novembri anni D
ejusdem. Regi fidem præstitit 30 Martii 1740, & obiit Avenione 15 Martii 1751, simul regiorum ordinum commendator.

DE LA ROCHE-AYMON.

XXXIII. CAROLUS-ANTONIUS.

Renaldi-Nicolai *de la Roche-Aimon* & Genovefæ *Baudri de Biancour* filius Carolus-Antonius, e Marchia oriundus, doctor theologus Facultatis Parisiensis a die 10 Aprilis 1724, vicarius generalis episcopi Lemovicensis, inunctus est episcopus Sareptæ in Phœnicia 5 Augusti 1725. Abbas Obasinæ mense Januario 1729, eodemque anno mense E
Octobri episcopus Tarbensis, abbas Sorduensis mense Julio 1731, ad metropolim Tolosanam
1740. a rege translatus est ineunte Januario 1740. Romæ proclamatus 4 Septemb. & propositus
1741. 8 Novemb. Regi juravit fidem 7 Julii 1741, eumdemque a comitiis Occitanæ provinciæ deputatus allocutus est 24 Aug. anni ejusdem. Translatus a rege ad Narbonensem metropolim
1752. mense Octobri 1752, insequenti factus est commendator regii S. Spiritus ordinis 10
1753. Junii 1753, & die tertia qua Narbonensis archiepiscopus regi fidem dixit. Biennio post

ANNI CHRISTI

generalibus cleri Gallicani comitiis præses alter
adstitit annis 1755 & 1758, antea donatus, 1755.
nempe anno 1757 commenda Belli-loci 1757.
Virdunensis diœcesis, ordinis Benedictini. 1758.
Generali cleri Gallicani cœtui primarius præses
adstitit anno 1760, quo etiam post obitum 1760.
cardinalis *de Tavannes* nominatus est a rege magnus Franciæ eleemosynarius; tum sequenti
nempe 9 Martii anni 1761 commendam 1761.
abbatiæ Fiscannensis assecutus est. Tandemque
translatus die 12 Novemb. 1762 ad archi- 1762.
episcopatum Remensem, regi sacramentum
dixit die 2 Februarii an. 1763; iterumque 1763.
præses primarius generalium comitiorum cleri
Gallicani an. 1765 convocatorum, eodem 1765.
anno mense Octobri Cari-campi abbatiam obtinuit. Ac tertio præfuit generalibus cleri
Gallicani comitiis an. 1770 habitis, & die 1770.
16 Decembris anni 1771 renuntiatus a papa 1771.
S. R. E. cardinalis, donatus est a rege abbatia
S. Germani a pratis 19 Januarii an. 1772, 1772.
pro qua fidelitatem promisit 25 ejusdem mensis & anni, dimissis prius abbatiis Belli-loci & Cari-campi. Tandem præfuit quarto iisdem generalibus cleri Gallicani comitiis an. 1775. Jam antea a rege nominatus, qui ipsi dignos & idoneos ad regia beneficia administranda designaret.

XXXIV. FRANCISCUS III. DE CRUSSOL.

De Francisco diximus t. VIII, col. 1345. E Blesensi ad Tolosanam translatus a rege
ecclesiam 18 Augusti 1753, Romæ procla- 1753.
matus est 26 Septembris, & regi fidem dixit 21 Octob. A canonicis more consueto & solenni in possessionem immissus est 12 Ja-
nuarii 1755, eademque die a Parlamenti 1755.
deputatis salutatus, quos inter consiliarius natus sedit 21 mensis ejusdem. Quarto post mense generalibus cleri Gallicani comitiis Parisiis habitis inter præsides adfuit. Obiit ibidem an. 1758, die 30 Aprilis, ætatis suæ an. 55.

XXXV. ARTURUS-RICARDUS. DILON.

Natus apud S. Germanum in Laya anno 1721 Arturus-Ricardus, postquam adeptus fuisset Ellantii Remensis diœcesis commendam III id. Maii anni 1740, ex vicario generali archiepiscopi Rotomagensis apud Pontisaram nominatus est a rege episcopus Ebroicensis 18 Augusti 1753, Romæque proclamatus 26 Septembris, & inauguratus 28 Octobris, regi sacramentum fidei præstitit Versaliis 17 Decemb. anni ejusdem. Inde translatus ad metropolim Tolosanam regi fidem juravit die 4 Septembris anni 1758, ac demum archiepiscopus Narbonensis a rege renunciatus die 12 Novembris anni 1762, sacramento regi se obstrinxit die 9 Aprilis 1763, atque sancti Johannis in Vineis Suessionensis abbatiali titulo donatus etiam fuit a rege die 9 Julii an. 1766.

XXXVI. STEPHANUS-CAROLUS. DE LOMENIE DE BRIENNE.

Parisiis an. 1727 parentibus Nicolao Ludovico comite Briennensi & Anna-Gabrielide

Chamillart-Villatte natus Stephanus-Carolus, ex abbate Baſſi-fontis Trecenſis, cujus commendam ſortitus eſt an. 1759 & vicario generali archiepiſcopi Rotomagenſis apud Pontiſaram, nominatus a rege 17 Auguſti an. 1760 epiſcopus Condomienſis, inunctus fuit Pariſiis in eccleſia PP. Dominicanorum ſuburbii San-Germanenſis ab eminentiſſimo cardinali Paulo *d'Albert de Luynes* archiepiſcopo Senonenſi die 11 Januarii 1761, regique fidem dixit die ſequenti 12 ejuſdem menſis; tum die 2 Feb. 1763 tranſlatus ad eccleſiam Toloſanam iterum fidem juravit regi die 9 Aprilis ejuſdem anni. Elegantiſſima concione funebri parentavit ſere- A niſſimo Galliarum Delfino defuncto in eccleſia metropolitana Pariſ. die 1 Martii anni 1766, & die 9 Julii ejuſdem anni commendam ſancti Michaelis in periculo maris a rege conſecutus eſt, qua dimiſſa, menſe Decembri anni 1769, nominatus eſt a rege abbas Frigidi-montis ord. Ciſtercienſis, diœceſis Bellovacenſis, prius, nempe anno 1766, die Julii 31 ſanctioris conſilii decreto inter commiſſarios adſcriptus, quibus rex mandaverat ut religioſos ordines ad priſtinam diſciplinam revocarent, ipſeque de cauſæ ſtatu ad alios referret: tandemque 25 Junii an. 1770 inter 40 viros Academiæ Gallicanæ cooptatus.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ TOLOSANÆ.

Tolosanorum præpoſitorum ſeriem debemus labori & obſequio eruditorum virorum D. *Beton* canonici ſancti Stephani & D. *Madron* equitis Melitenſis.

I. Gairaldus I allodium comparavit an. 1 Ludovici regis. Memoratur in permutatione facta inter Hugonem epiſcopum & Gausfredum abbatem eccleſiarum S. Mariæ & S. Saturnini pro eccleſiis S. Alani & ſancti Martini anno Ludovici 7.

II. Samuel primicerius, ut antiquæ tabulæ vocant, ſive præpoſitus, donavit eccleſiæ ſancti Stephani, Hugoni epiſcopo, Aufredo decano & Luponi archidiacono, quæcunque poſſidebat apud S. Melaniam an. 14 Ludovici IV.

III. Lupo ex archidiacono præpoſitus, memoratur in teſtamento Hugonis epiſcopi 960 qui alodem ab eo acquiſierat. Tres alodes monaſterio Coxanenſi largitus eſt in territorio Toloſano ſitos, prope fluvium Aurigeram & Ircium album, an. 969, indict. XII. Ch. IV, col. 5.

IV. Gairaldus II primicerius ex exſecutoribus unus teſtamenti Hugonis epiſcopi cum Iſſone epiſcopo nonnulla ad ſevum dedit Benedicto & Petro clericis. Occurrit in donatione eccleſiæ *d'Eſcalquens* facta canonicis, regnante Lothario. Charta V, col. 6.

V. Miro ex decano præpoſitus, cum Iſſone epiſcopo memoratur in charta Leſatenſi an. 20 Lotharii regis.

VI. Ato innoteſcit ex duabus chartis tempore Raimundi epiſcopi. Hunc in epiſcopis Conſeranenſibus omiſeramus, quem poſtea in emendationibus ad tom. I, col. 1127 ſcripſimus adſuiſſe concilio Gerundenſi anno 1019.

VII. Raimundus I Ebbo præpoſitus & epiſcopus Lactorenſis interſuit concilio Toloſano an. 1068. Donatæ ab Iſarno epiſcopo eccleſiæ B. Mariæ Deauratæ Cluniaco ſubſcripſit anno 1077, teſtiſque fuit Iſarno epiſcopo canonicam regulam in eccleſia ſua reſtituenti. Vide t. I, col. 1073. Chart. IX, col. 9.

VIII. Petrus I. Amelii archidiaconus Aginnenſis in charta Iſarni de qua ſupra, præpoſitus recenſetur in pluribus chartis capituli B annorum 1082, 1083, 1087 & 1088, de eccleſiis de Marnacho, *de Linarolas*, *de Lauraguel*, *de Baneiras*, *de Landil*, de Laſſala donatis capitulo pro admittendis canonicis.

IX. Arnaldus Raimundi ſubſcripſit concordiæ initæ IV non. Decembris 1093 ab Iſarno Toloſano, Simone Aginnenſi & Petro Carcaſſonenſi epiſcopis inter canonicos ſancti Stephani & S. Saturnini, de ſepulturis incolarum Toloſæ & archidiaconatu de Villa-longa. Huic Bernardus Ebo & Petrus de Liviniago ejus filius ceſſerunt quidquid habebant in C præpoſitura & decania menſe Aprili 1096. Memoratur in donatione eccleſiæ S. Martini *d'Eſcalquens* annis 1097 & 1110, & eccleſiæ ſancti Johannis *del Fraxe* an. 1102. Bullam obtinuit a Paſchali II regulare inſtitutum confirmantem VI id. Novemb. 1105. Reperitur adhuc in duobus inſtrumentis 1110 menſe Martio, & 1118 menſe Aprili. Obiit XII cal. Maii, ex necrologio.

X. Aicardus ex archidiacono præpoſitus donatæ eccleſiæ S. Martini ſubſcripſit anno 1118, & chartæ Jordani & Stephanæ pro familiaribus dantium ſe S. Stephano qui ab D Amelio epiſcopo ſuſcipiuntur menſe Aprili 1119. Memoratur in facultate ab Amelio data an. 1121 Giraldo priori S. Johannis Jeroſolymitani acquirendi in diœceſi. Huic & capitulo dedit anno eodem Hunaldus de Podio-Laurentii quidquid habebat in archidiaconatu Veteris Morenſis. Hugo Guillelmi renovavit an. 1123 ſocietatem quam Hugo Guillelmi & Guillelmus Ato inierant cum Petro Amelii & Arnaldo Raimundi præpoſitis pro ſepulturis eorum. Recenſetur Aicardus in dono eccleſiarum B. Mariæ *de Lumbers*, E S. Saturnini *de Pompiat* & S. Petri *de Sabonens*, facto Amelio epiſcopo & capitulo ab Arnaldo Lumberienſi abbate VII cal. Aprilis 1125, & in confirmatione loci Bragairacenſis ab Amelio epiſcopo facta Petronillæ abbatiſſæ Fontis-Ebraldi 1127. Pro eccleſia de Villeta abſolvit an. 1130 Bernardum a pœnitentia quam illi injunxerat epiſcopus per ſeptennium ire in exſilium pro clerico quem pependerat. Cum

Amelio episcopo dedit eodem anno hospitali Jerosolymitano ecclesiam de Lassalla. Ecclesiam beatæ Mariæ repetere volentem Aicardum in concilio Claromontano anni 1130 prohibuit Guillelmus Auscienſis episcopus. Memoratur adhuc Aicardus in charta Guillelmi *de Lager* ecclesiam S. Petri *de Lager* capitulo donantis, ut canonicus susciperetur an. 1135. Obiit ex necrologio XIV cal. Octob.

XI. Bernardus I Bonus-homo Beliardam filiam Johannis Ugbaldi canonicam excepit mense Octob. 1136. Bullam obtinuit ab Innocentio II XV cal. Martii 1137, pro regula ab Isarno episcopo in capitulo instituta. Subscripsit chartæ Ildefonsi comitis Tolosani Ch. XXII, col. 17. cedentis consuetudinem antecessorum, qui defuncti episcopi spolia exigebant an. 1138. Præsens fuit anno 1143 donationi ecclesiæ S. Martini *de Noër* factæ a Rogerio *de Noër* Ch. XXVI, col. 20. Convenarum episcopo ejusque fratribus, Deo & S. Stephano, & Raymundo episcopo & Bernardo præposito, & omnibus canonicis ibi modo manentibus & futuris. Concordiam iniit cum Hugone abbate S. Saturnini de stationibus quas ecclesiæ ter in anno facere consueverant an. 1145. Memoratur in charta Gilaberti archidiaconatum de sancto Paulo in 18 ecclesias divisum capitulo donantis mense Januario 1146. Querelam habuit cum Abbone Lesatensi abbate de ecclesia recens constructa juxta Murelli castellum, quam Raimundus episcopus composuit anno 1155. Assensu Raimundi Tolosani episcopi cum Pontio de Lordato priore hospitalis Jerosolymitani concordiam iniit 1162, qua confirmatur priori facultas acquirendi in diœcesi. Bullam obtinuit ab Alexandro III, VIII idus Julii 1162. Post obitum Raimundi electus episcopus, præposituram simul retinuit, ut patet ex duabus chartis anni 1163 mense Novembri, & 1164 mense Januario.

XII. Maurissus ex archidiacono præpositus occurrit mense Aprili 1164. Approbavit 1165 sententiam in Bonos-homines latam. Reperitur adhuc 1166 & 1167.

XIII. Raimundus II Guilaberti præpositus mense Septembri 1170 Alsaniam relictam Bastardi *d'Escalquens* in canonicam suscepit, talemque illi partem dedit qualem canonici habebant in ecclesia & in domo mense Julio 1171. Reperitur adhuc mensibus Junio & Martio 1174.

XIV. Guillelmus I Petri ex archidiacono præpositus 1179, 1180. Obiit nonis Decemb.

XV. Bernardus II de Gradaco ex archidiacono præpositus testis fuit anno 1181 concordiæ inter sacristam & Judæos qui quolibet anno 44 libras ceræ in feria sexta Parasceves capitulo solvere tenebantur. Memoratur in transactione inita a Fulcrando episcopo anno 1183 inter canonicos & priorem hospitalis Hierosolymitani. Reperitur & annis 1184 & 1185. Quiescit in claustro cum A inscriptione in qua defunctus legitur XVIII cal. Octobris.

XVI. Guillelmus II *de Cantés* mense Decembri 1185 præpositus cum Fulcrando episcopo & Odone abbate Bolbonensi arbiter fuit inter Arnaldum abbatem Combæ-longæ & Guillelmum abbatem Domus-Aimerici an. 1188, eodemque calendis Januarii Bolbonensibus dimisit decimas fundorum quæ ipsi colebant. Pepigit mense Maio 1189 cum Bernardo priore S. Antonii pro sepulturis, Bernardusque promisit se nulli e parochia S. Stephani sepulturam daturum, nisi de B consensu præpositi & capituli. Idem præstitit mense Junio cum Petro *Blasin* priore sancti Petri & S. Geraldi. Supererat adhuc annis 1192 & 1193, imo & 1196, quo simul cum Fulcrando episcopo reperitur in charta qua commendatur Gauterio *de Noër* nomine bajulationis ecclesia S. Martini *de Noër* sub certis pactis & conditionibus, ibique cogno- Charta XL, col. 26. minatur de Cantelio: ac proinde in alium annum (forte 1197) rejiciendum quod de sequenti successore legitur.

XVII. Bernardus III exegit sal consuetum de Monte-acuto commendatore hospitalis C Jerosolymitani, de Podio-sicurano qui obligavit se in posterum statutis temporibus illud exsolvere mense Martio, sabbato ante Passionem Domini 1194.

XVIII. Sparagus archidiaconus subscripsit chartæ Fulcrandi episcopi pro Sancio abbate Gimondi anno 1198. Præpositus electus occurrit mense Maio 1201. Confirmavit 1202 ecclesiam S. Saturnini *de Pissinas* quam Bernardus præpositus Fuliensibus concesserat. Largitus est mense Martio 1203, annuente Raimundo episcopo, Geraldæ priorissæ de Longaticis & Laurentio priori, ecclesiam D S. Catharinæ pro tumulandis monialibus & conversis tantum, ea lege ut parochus a priorissa electus, a capitulo institueretur. Occurrit adhuc mense Septembri 1204. Electus est anno sequenti episcopus Convenensis, inde translatus ad ecclesiam Tarraconensem. Defunctus 16 Martii 1232, ex necrologio Tolosano.

XIX. Mascaronus ex cancellario præpositus mense Julio 1205, quo recepit a Galterio Ch. XLI, col. 27. de Noërio tres partes totius decimæ ad ecclesiam de Noërio pertinentis, & primitias & E totum integre quidquid ad ecclesiam pertinet: quæ omnia olim eidem Gauterio nomine bajulationis concessa fuerant a Fulcrando episcopo, Guillelmo de Cantelio præposito & conventu ecclesiæ sancti Stephani. Fratri Dominico priori & magistro Fratrum Prædicatorum Tolosæ contulit ecclesiam S. Romani cum oblationibus sub annuo censu 3 solidorum, mense Julio 1216. Mense vero Octobri Ch. XLII, col. 28. Fulco episcopus præposito & capitulo regulariter victuris donavit ecclesias S. Marcelli, S. Petri de Previlla, de Roseniaco, *de Salas*, de Noërio & de Montealdrone. Memoratur in

in cap. *per inquisitionem*, quod est Innocentii III in collectione decretalium, ex quo apparet assensum præbuisse electioni Raimundi, inde S. Stephani electum præpositum & decreto sedis apostolicæ posthæc privatum fuisse.

XX. Guillelmus III de Laureto 1221. Transegit an. 1222 cum Arnaldo de Tolosa magistro militiæ, super decima quinta parte possessionum a Templariis in Tolosana diœcesi ad concilium Lateranense partarum. Occurrit & annis 1226, 1229 & 1230. Hoc ultimò obiit XVIII cal. Octobris, sepultus in claustro.

XXI. Guillelmus IV de Alanis legitur in sententia lata inter capitulum & Jordanum abbatem S. Saturnini, pro ecclesiis S. Georgii de Justarreto & de Pinibus, 12 Augusti 1232.

XXII. Petrus II de Gozenchis mense Febr. 1233, 1234, 1236. Memoratur in concordia inter Raimundum episcopum & Bernardum abbatem sancti Saturnini mense Martio 1237. Obiit VI nonas Octobris.

XXIII. Raimundus III Escrivanus 1240. Testis fuit hominii quod Bernardus Convenarum comes præstitit an. 1241 Raimundo comiti Tolosano. Ab episcopo delegatus est 1242 pro pace inter comitem & regem reformanda apud Loriacum in Vastinio. Occurrit annis 1243, 1244, 1246. Anno 1247 subscripsit confirmationi factæ a Raimundo episcopo donationis prius indultæ a Fulcone itidem episcopo, Johanni abbati de Capella. Eodem anno testatus est de signis pœnitentiæ & contritionis, quæ comes Tolosanus dederat in extremis. Approbavit pactum initum inter Raimundum episcopum & Molinariam abbatissam *de Favars* 1249. Transegit an. 1250 cum vicario urbis de finibus jurisdictionis ecclesiæ Tolosanæ, pro quibus terminandis tres appositæ sunt cruces. Occurrit & annis 1251, 1254. Moritur 1255 III id. Aprilis, jacetque in capitulo cum epitahio marmori ad latus inscripto.

Chart. I, col. 36.

XXIV. Bertrandus I *de Lisle-jourdain* præpositus Tolosanus & papæ capellanus nonnulla emit mense Septembri 1255. Transegit cum Berengario abbate Crassensi an. 1258. Parisiis conciliavit mense Sept. 1259 cognatos suos cognomines de hereditate Raimundi Jordani patrui disceptantes. Convenit cum Ronselino *de Fos* magistro domus Militiæ-Templi in Provincia, de decimis mense Febr. 1261 & cum Pontio abbate Grandis-silvæ mense Januario 1262. Testamenti Jordani fratris sui institutus est ordinator & exsecutor & totius terræ suæ IV cal. Februarii 1266. Bertrando, Clemens IV pontificatûs 3 terminandam commisit quæstionem inter abbatem & comitem Fuxensem an. 1267. Subscripsit Bertrandus testamento Johannæ comitissæ Tolosæ mense Junio 1270. Transegit mense Julio cum Carmelitis pro construenda ecclesia B. Mariæ de Monte-carmelo. Testis fuit IV idus Octobris conventionum sponsalium inter Henricum filium comitis Ruthenensis & Mascaronam filiam comitis Convenarum, & ad sedem episcopalem assumitur mense Decembri.

XXV. Vitalis I Vaquerii frater Vaquerii domini de Insula-jordani assensum præbuit dotationi 12 præbendariorum in ecclesia ab episcopo factæ mense Febr. 1273. Facultatem fecit Judæis transferendi cœmeterii sui prope portam Montis-olivi 1281. Concordiam iniit cum Guillelmo Gaufridi abbate Bellæ-perticæ super patronatu ecclesiarum, mense Aprili 1283. Unus fuit ex exsecutoribus testamenti Bertrandi episcopi conditi mense Januario 1285. Statuta condidit in capitulo generali pro administratione ecclesiæ Tolosanæ anno 1286. Quadriennio post in altero capitulo anni 1290 statuit ut canonici indesinenter solvere tenerentur cuncta quæ fide aliena sumserant. Obiit anno eodem calendis Martii & sepultus est in capitulo cum epitaphio.

XXVI. Arnaldus-Rogerius *de Cominges* jam notatus in charta mense Maio 1291, instituitur exsecutor testamenti sororis suæ Mascaronæ comitissæ Ruthenensis, conditi die Veneris ante festum S. Gregorii 1291. Circa id tempus litem habuit de præpositura cum Guillelmo *de Mandagot*, quem Bonifacius VIII creavit archiepiscopum Ebredunensem 28 Martii 1295, ut diximus tom. III, col. 1083. Arnaldus autem Romam profectus, præpositus a Bonifaciò confirmatus est; qui quidem summus pontifex dedit in mandatis B. priori *de Cassans*, Gerardo episcopo Atrebatensi & Leonardo Rubei *de Ferrentine* archidiacono Bassigneii in ecclesia Lingonensi, ut præposito & capitulo restituerent ecclesias quas Hugo episcopus, pendente lite de præpositura inter Arnaldum & Guillelmum *de Mandagot* clericum, auctoritate summi pontificis contulerat; qui quidem delegati subdelegarunt B. abbatem de Fageto & B. de Pessano, qui litteras dederunt die Jovis ante festum Pentecostes 1296. Eodem anno Arnaldus dictus est arbiter inter Bertrandum episcopum Convenarum & Augerium de Falgario abbatem Boni-fontis. Dum autem Romæ commoraretur, Ludovico episcopo defuncto anno 1297, a canonicis expetitus, a Bonifacio VIII Dominica 4 Quadragesimæ 1298 consecratur, & Roma rediens eodem anno in itinere fato suo concessit, ut diximus col. 35.

XXVII. Hispanus de Saishis decretorum doctor post obitum Arnaldi, illius libros, vasa argentea & suppellectilem sibi vindicavit, sed Pontius-Blancardus capituli syndicus summum inde pontificem appellavit 21 Octob. 1299. Occurrit adhuc mense Februario 1300. Biennio post defunctus idibus Julii 1302 sepultus est in capitulo cum epitaphio.

XXVIII. Garsias-Arnaldus *de Garlenx*. Post obitum Hispani dessidentium canonicorum alii Olivarium de Biterris, alii Pilum-fortem *de Rabastens* elegerunt: qui quidem electi ante proprios judices per decennium litigarunt. Re

tandem ad summum pontificem delata, contendentium uterque in manibus ejus cessit; ipse vero præpositum dixit Garsiam-Arnaldum *de Garlenx* canonicum Auxitanum capellanum suum tunc Londini in comitatu nuncii papæ commorantem IV non. Martii, pontificatus 4. Vicarius ejus generalis licentiam dedit Raimundo de Savailhano canonico sistendi in judicio adversus omnes die Veneris post festum S. Martini 1312.

XXIX. Gaillardus de Lobersano 1313 mense Martio. Insequenti mense cum capitulo instituit procuratores ad postulanda a Clemente V bona omnia Hispani de Saishis usque ad diem nominationis Garsiæ successoris. Libellum supplicem obtulit Gaillardo episcopo mense Julio anni ejusdem, adversus Narbonensem archiepiscopum, qui visitare volebat clericos diœcesis Tolosanæ. Arduis præpediebatur negotiis in curia Romana mense Maio 1314. Bullam impetravit a Johanne XXII, ut rectores ecclesiarum diœceseon S. Papuli & Mirapicensis jura synodalia præposito persolverent, quibus ante distractionem ab episcopatu Tolosano tenebantur: data est bulla Avenione VIII id. Octobris, pontificatus 8. Assensit mutationi & translationi ecclesiæ eremitarum S. Augustini infra parochiam sancti Stephani, mense Junio 1327. Querelam habuit cum Guillelmo archiepiscopo de jurisdictione in canonicos, quæ a cardinalibus a summo pontifice delegatis sopita est mense Decembri 1333. Præsens fuit capitulo provinciali apud Narbonam, in quo promulgatæ sunt constitutiones Benedicti XII pro reformatione canonicorum regularium, 25 Nov. 1339. Obiit 1 Septembris 1340, ex necrologio.

XXX. Rogerius de Noërio innotescit ex inquisitione facta de jure accipiendi spolia decedentium rectorum mense Decemb. 1340, & ex sententia de bonis mobilibus Gaillardi præpositi, quæ Rogerius & capitulum repetebant mense Martio 1342, ex processu jurium synodalium debitorum ab ecclesiis Lauraici tractus mense Augusto 1346, & ex fidelitatis juramento incolarum *d'Escalquens* facto præposito & capitulo mense Februario 1352.

XXXI. Centullus *d'Astarac* præpositus annis 1354 & 1355, cum Pontio abbate Lesatensi transegit super nova ecclesia ab ipso intra muros Tolosæ constructa, sub annuo censu 9 florenorum auri, mense Januario 1357. Statutum condidit cum capitulo mense Junio 1358, ne excommunicati ecclesiam, nisi missa finita, ingrederentur, nec in cenaculo comederent. Cum fratribus SS. Trinitatis per vicarios generales transegit 1360, de oratorio sancti Victoris de Samaleriis, & transactionem confirmavit mense Martio. Obiit 21 Augusti 1361, sepultus in capitulo cum inscriptione.

XXXII. Jacobus I *de Villeneuve* filius Raimundi-Arnaldi & Indiæ de Striniano, anno ætatis nono canonicus 1324, dein archi-

A diaconus Ulmesii successit Centullo, ratamque habuit transactionem initam mense Martio 1361, inter capitulum & Constantiam Pictavinam abbatissam Augustinianarum Tolosæ, de sacello in parochia S. Stephani ab ipsis constructo, & compositionem inter canonicos & fratres SS. Trinitatis mense Januario 1362. Transegit cum Gafredo de Vairolis, de collatione & provisione beneficiorum ecclesiæ Tolosanæ, omisso præposito, cujus electio ad capitulum de more pertinet, confirmatio vero ad archiepiscopum; quam compositionem confirmavit Urbanus V, pontificatus anno 1.
B Adfuit concordiæ cum consulibus Tolosæ de clausura urbis facta & facienda super muris publicis & antiquis, & eorum fundamento retro ecclesiam S. Stephani & illius ædificia, mense Febr. 1374; & transactioni mense Aprili, inter capitulum & Nanam de Villareria abbatissam 11000 virginum, de sacello quod intra parochiam S. Stephani construxerant. Interiit XVII calendas Junii 1375, ex necrologio.

XXXIII. Johannes I *de Casillac* post Jacobum vix per annum præfuit, defunctus 20 Maii, ex obituario.

C XXXIV. Gilbertus *de l'Etrange* occurrit 7 Aprilis 1378, 1380, 1383 in admissione donatorum ecclesiæ. Excessit XIII cal. Maii 1387, ex necrologio.

XXXV. Aldebertus de Sado mense Novembri 1387. Unus fuit ex executoribus testamenti quod Anglicus *de Grimoard* episcopus Avenionensis condidit Avenione XI Aprilis 1388. Recensetur in diplomate Caroli VI regis potestatem dantis capitulo construendi portum in flumine Aurigeræ mense Julio 1392, quam rex confirmavit anno 1394. Clementi VII a cubiculo, eidem morienti
D adstitit 16 Sept. ejusdem anni. Procuratorem nominavit ad ineundam possessionem prioratus S. Jacobi de Mureto, a Bonifacio IX mensæ capituli uniti, mense Januario 1396. Avenione defunctus est VIII id. Novembris anni ejusdem, ex necrologio.

XXXVI. Vitalis II *de Castelmoron* præpositus reperitur mense Martio 1398 & mense Septembri 1399. Petro archiepiscopo successit an. 1401, ut diximus col. 47.

XXXVII. Nicolaus Tercii Saxonis seu Tersisezonis mense Januario 1405. Adfuit
E concilio Pisano 1409. Memoratur in litteris capituli syndicis suis inscriptis ut redderent Dominico *de Florence*, ex episcopo Albiensi creato archiepiscopo Tolosano, castrum Viridis-folii aliaque archiepiscopatus temporalia, mense Maio 1411. Obiit VIII id. Septemb. 1414, jacetque in choro metropolitanæ, ex necrologio.

XXXVIII. Chatardus Aicardi decretorum doctor ex cancellario præpositus, præerat 25 Octobris 1415. Defunctus VI nonas Julii 1416, humatus est ante sacellum S. Laurentii.

XXXIX. Stephanus *de Gaillac* decretorum

doctor mense Decembri 1417. De consensu Dominici archiepiscopi & capituli servitute exemit incolas locorum *d'Escalquens* & de Podio-Davino, 17 Octob. 1420. Adstitit mense Augusto 1421 publicationi statutorum reformationis ecclesiæ Tolosanæ, a Dominico archiepiscopo & Johanne Vaurensi episcopo visitatoribus & reformatoribus a Martino V delegatis. Obiit ex necrologio 12 Maii 1433, sepultusque est in tumulo quem sibi vivens ante portam, quæ claustro S. Stephani patet, ex gypso construxerat cum epitaphio.

XL. Bernardus IV *du Rosier* publicus utriusque juris professor & cancellarius, via scrutinii 13 Maii 1433 electus est præpositus dum Romæ referendarii munere sub Eugenio IV fungeretur. Memoratur in transactione inter capitulum & Bertrandam de Selva abbatissam 11000 virginum, 27 Augusti 1436. Occurrit anno 1438 in charta ecclesiæ de Jauro. Vicarios generales instituit 17 Julii 1447, Vasatensi quippe ecclesiæ præfectus fuerat x cal. Febr. anni ejusdem, per obitum Henrici electi 6 Augusti 1434, qui successerat Bernardo memorato in regestis Vaticani IV nonas Aprilis 1421. Interim Bernardi vicarius generalis statuta condidit 1 Martii 1448, quæ Nicolaus V confirmavit VIII id. Junii. Ab eodem pontifice delegatus est Bernardus VI id. Maii 1449, ut perpenderet privilegia, statuta, &c. sancti Victoris Massiliensis, quæ approbavit. Translatus autem ad Montalbanensem ecclesiam a summo pontifice 26 Januarii 1450 e Vasatensi, locum fecit Raimundo eadem die electo, cui defuncto successit Raimundus alter 1 Aprilis 1457, sicque restituuntur episcopi Vasatenses, tom. I, col. 1207. Tandem Bernardus a capitulo Tolosano expetitus, a Nicolao V approbatus est III non. Januarii 1452, pontificatus an. 5.

XLI. Alanus *de Coetivi* episcopus prænestinus cardinalis Avenion. præposituram obtinuit a Nicolao V III non. Januarii 1452, sed non sine lite, ut videtur: eodem enim anno mense Februario syndici capituli a senescallo Tolosæ impetrarunt litteras ne præpositus ad Romanam curiam capitulum contra pragmaticæ sanctionis decreta in jus vocaret, sed ut litem de præpositura apud judices ordinarios ageret. Vicit tamen Alanus, quippe qui vicarios generales habuit, qui locum ejus tenuerunt ad annum 1472. Mortem oppetiit Romæ 22 Julii 1474.

XLII. Johannes II *du Chatel*, germanus Tanaquilli *du Chatel* vicecomitis *de la Beliere*, domini de Castellione, de quo diximus t. VI, col. 456 & 915, electus Carcassonensis æmulum quidem passus est, sed non Matthæum *de Graves*, ut ibi diximus, qui rector quidem & administrator urbis erat sede controversa, sed non æmulus Johannis, qui Tolosanam præposituram adeptus vicarium generalem dixit Guillelmum Ynardi, cujus datæ sunt litteræ mense Octobri 1472. Ipse vero cum indepta

A possessione nec sacramento præstito consedisset in secunda cathedra præpositis destinata a parte sinistra prope principalem portam chori, conquesti canonici ab eo sunt excommunicati, qui summum pontificem appellarunt 20 Junii 1475. At paulo post obiit Johannes 16 Sept. anni ejusdem, & sepultus est in choro Tolosanæ aut Carcassonensis ecclesiæ.

XLIII. Petrus III *du Rosier* juris utriusque professor, notarius apostolicus, ex cancellario electus via scrutinii præpositus 24 Sept. 1475, confirmatus est a vicario generali Petri archiepiscopi absentis & in possessionem missus.
B Æmulum quidem passus est nominatum a summo pontifice episcopum *d'Yonne;* sed quia Petrus patruum suum Bernardum archiepiscopum induxerat ut cederet in gratiam Petri *de Lion,* causam privato consilio cognoscendam rex commisit 27 Octob. 1476. Vicit autem Petrus qui Johannis Bardonis canonici sancti Stephani vota secundum regulam S. Augustini excepit 24 Febr. 1485. At post obitum Petri *de Lion* defuncti mense Januario 1491, a canonicis postulatus episcopus, & a Guillelmo Bituricensi archiepiscopo & Aquitaniæ primate confirmatus, possessionem quidem nactus est
C 22 Septemb. 1493; sed cedere coactus est Hectori *de Bourbon* bulla Innocentii VIII anno 1491 designato, quicum diu in curia Burdegalensi litigavit & causa cecidit assumtus in ejus locum & cessione episcopus Vaurensis 29 Aprilis 1500. Decennio post status regularis ecclesiæ Tolosanæ immutatus est, & canonici togam secularem induerunt bulla Julii II Romæ data XVI cal. Sept. 1510, pontificatus 7, promulgata per Petrum Giffredi archidiaconum Biterrensem delegatum a Petro de Porta Rivensi canonico & in suprema Tolosæ curia senatore judice commissario, 20
D Novemb. anni ejusdem, qua bulla duo archidiaconatus, octo prioratus & tria officia, eleemosynaria, infirmaria & thesauraria, quorum collatio ad capitulum pertinebat, ac etiam prioratus claustralis supprimuntur & exstinguntur, ac illorum bona, fructus & emolumenta quæcunque cum omnibus juribus & pertinentiis mensæ capituli perpetuo uniuntur & applicantur, & loco prioris claustralis cantoria dignitas erigitur ad capituli collationem spectans, cum potestate almutias leucophæarum pellium deferendi & in habitu, cærimoniis, ritu etiam quoad divinorum celebrationem
E moribus & vita canonicis secularibus aliarum cathedralium & metropolitanarum ecclesiarum secularium illarum partium se conformandi. Sed cum ad supplicationem solius capituli absque archiepiscopi & præpositi assensu summus pontifex concessisset bullam, uterque illius exsecutioni obstitit ac intercessionis causas edidit. Lis vero quæ per quadriennium sub judice fuerat, tandem componitur mense Martio 1514, quo secularitati canonicorum consensit archiepiscopus, quos inter convenit in posterum canonicatus & præbendas alternis

vicibus ab archiepiscopo & capitulo conferenda. Hæcque transactio anno sequenti majoris consilii decreto confirmata fuit, nec non & bulla Leonis X, v cal. Augusti, pontificatus 2, bullam Julii approbantis & suppressionem status regularis capituli in secularem redacti cum unione plurium prioratuum mensæ capituli annexorum. Petrus interea præpositus in favorem sequentis dignitatem ejuravit, servata tertia redituum parte & omnium beneficiorum præsentatione, bulla data prid. cal. Aprilis 1514, & paulo post obiit. De eo diximus in abbatibus Montis-olivi, t. VI, col. 1001.

XLIV. Petrus IV *Buxi* juris utriusque doctor, ecclesiæ Tolosanæ cancellarius, Albiensis & Vaurensis canonicus, archipresbyter ecclesiæ *de Montastruc* & notarius apostolicus, per cessionem superioris præpositus bulla data pridie idus Aprilis 1514, vicarium generalem habuit Johannem *Buxi* canonicum & archidiaconum de Montesquivo. Promotus ad episcopatum Vaurensem sequenti præposituram cessit, retenta tertia fructuum parte, mense Aprili 1526, eodemque in domo præpositi obiit 30 Octob. in choro defossus.

XLV. Franciscus I *de Tournon* cardinalis & archiepiscopus Bituricensis, præposituram per cessionem Petri obtinuit a Clemente VII, bulla data VII cal. Maii 1526. Defuncto postea Petro, canonici cessionis ignari elegerunt Stephanum *Sacaley* consiliarium Tolosanum & inquæstarum præsidem, canonicum & archidiaconum majorem, ultima die Octobris 1526, qui confirmatus a Johanne *d'Illiers* canonico & vicario generali archiepiscopi Tolosani, die 16 Novemb. anni ejusdem, vi provisionis sibi a papa concessæ, possessionem iniit die 25 sequenti; sed lite ad supremum consilium delata, post multas altercationes irrita capituli electio, Franciscusque ejusdem consilii decreto lato 14 Augusti 1528, possessionem nactus est per procuratorem 2 Junii 1529. Cessit & ipse paulo post in manibus summi pontificis.

XLVI. Ludovicus comes de Canossa, qui ecclesiam Bajocensem permutaverat ineunte anno 1531, cedente Francisco præpositus a summo pontifice dictus est litteris Romæ datis x cal. Maii 1531, & per vicarium generalem diœcesis Veronensis ad hoc delegatum promulgatis 8 Augusti anni ejusdem, quarum virtute Antonius *de Noailles* protonotarius apostolicus, rector *de Betaille* & procurator Ludovici possessionem iniit 21 Septembris. At Veronæ obiit Ludovicus anno eodem exeunte aut ineunte 1532, ut diximus t. XI, col. 386, & in ecclesia Veronensi sepultus est.

XLVII. Franciscus I *de Tournon* secundum. Denunciata 23 Februarii 1532 a Petro Fabro libellorum supplicum magistro Ludovici morte, electus est a canonicis 23 Maii 1532 Franciscus, & confirmatus ab archiepiscopo, possessionem iniit 6 Augusti. Vicarium generalem
A instituit Parisiis 10 Febr. 1534, & Molini 27 Febr. 1537. Cessit iterum sequenti.

XLVIII. Jacobus *de Castelnau-Clermont-Lodève* renuntiatur præpositus per cessionem liberam decessoris, juxta bullam Pauli III Romæ datam idibus Decembris 1538, & promulgatam a Petro de Folivio præcentore Avenionensis ecclesiæ 1 Augusti 1539, cujus virtute Guillelmus *de Cajot* abbas S. Afrodisii Biterrensis possessionem iniit 25 Julii 1540. Cessit Jacobus an. 1563. Vide quæ de eo diximus tom. VI, col. 251.

XLIX. Johannes III *du Tornoër*, filius
B Guillelmi senatus Tolosani præsidis infulati, & Catharinæ *du Ganay* dominæ *du Fombanoard*, juris utriusque doctor, canonicus, archidiaconus, Jacobi vicarius generalis, regis consiliarius & inquæstarum præses, dimissa a Jacobo in manibus capituli præpositura 24 Junii 1563, a canonicis electus est die 25, & ab archiepiscopo confirmatus, possessionem apprehendit die 27. Cessit & ipse in gratiam sequentis anno 1575, & defunctus 23 Januarii 1577 in choro tumulatus est.

L. Petrus IV *Daffis* juris utriusque doctor, filius Johannis *Daffis* Tolosani senatus prin-
C cipis, & Catharinæ *de Tornoër* sororis Johannis superioris, canonicus & archidiaconus, cedente avunculo fit præpositus a Gregorio XIII, VIII cal. Martii 1575, & possessionem iniit 23 Maii 1576. Johannem avunculum & Johannem *Daffis* germanum suum vicarios generales instituit 23 Octob. anni ejusdem. Testamento condito 22 Maii 1587 Johannem fratrem in omnibus heredem reliquit, eodemque mense defunctus in choro sepultus est.

LI. Johannes IV *Daffis* Petri germanus, juris utriusque doctor, canonicus & cancel-
D larius, Petro in manibus capituli die 22 Maii 1587 cedente a canonicis electus est præpositus die 23, & a canonico hebdomadario sede vacante confirmatus & in possessionem immissus. Mortuo Petro *Lancrau* episcopo Lomberiensi, cujus coadjutor sub titulo episcopi Aurensis designatus fuerat Johannes, successit 18 Octobris 1598.

LII. Antonius *de Bruyeres* filius Francisci baronis de Chalabro & Annæ *de Joyeuse*, canonicus & archidiaconus major, nec non abbas Villæ-lupæ, de Fontanis-albis, & sancti Saturnini, per cessionem Johannis factam 1
E Martii 1598, fit præpositus a Clemente VIII VIII id. Maii anni ejusdem, & confirmatur a canonicis 15 Junii, qui Johannis cognita promotione & cessione ad electionem processerunt. Antonius autem die eadem confirmatus a vicario generali archiepiscopi tunc in remotis agentis & possessione adepta præpositum egit ad diem 29 Junii 1606, qua in ædibus præpositi defunctus, in choro sepulturam suscepit.

LIII. Johannes V *Daffis* secundum. Post obitum Antonii divisis canonicis 16 Julii 1606, alii Bernardum *Daffis* canonicum

elegerunt, qui obtentis a Paulo V bullis calendis Augusti possessionem per procuratorem iniit ultima Junii 1607; alii Bertrandum *de Berthier* archidiaconum majorem, qui bullas impetravit VI cal. Martii 1607 & confirmatus a canonico hebdomadario, sede vacante, possessionem adeptus 27 Augusti ejusdem anni. Uterque vero cessit juri suo, Bertrandus quidem in manibus summi pontificis in gratiam Johannis *Daffis*, sub annua 650 librarum pensione; Bernardus vero medio in capitulo 11 Septemb. 1607. Itaque Johannes *Daffis* Lombariensis episcopus postera die denuo assumitur & pro more recipitur. Aulæa Tolosanos episcopos eorumque vitam depictam repræsentantia, quibus chorus duplici ordine exornatur sacrario largitus est. Anno 1609 choro flammis consumto ita operam suam utiliter impendit, ut in triennio organis pneumaticis erectis sedilibusque elaboratæ artis constructis chorum perfecerit, illiusque testudo lapideis fornicibus fuerit restaurata. Obiit in ædibus præpositi 1 Febr. 1614, & sepultus est in choro.

LIV. Bertrandus II *de Bertier* filius Ludovici domini *de Montrabe* & S. Genesii, & Margaretæ *de Roques-Montels*, licentiatus in legibus, canonicus & archidiaconus major ac abbas Lesati, a canonicis eligitur 5 Februarii 1614, a canonico hebdomadario, sede vacante, confirmatur die 8 & possessionem nanciscitur, bullasque impetrat a Paulo V III id. Martii, pontificatus anno 9, quæ 8 Novemb. promulgatæ sunt. Æmulum tamen passus est Franciscum *de la Prune* fratrem Francisci *de Clary* senatus Tolosani protopræsidis, qui nominatus a Ludovico XIII 7 Febr. 1614, bullas obtinuit III id. Martii. Lite autem consilii privati decreto 15 Maii ad majus consilium delata, judicatum est ultima die Martii 1615 penes capitulum S. Stephani esse præpositos eligere. Bertrandus præpositus remansit, adjudicati ei fructus prius sequestrati, Franciscus vero expensis damnatus est. Non interpellatam dignitatem sic tenuit Bertrandus ad annum 1620, quo eam ejuravit in gratiam Johannis-Ludovici fratris sui filii. Ipse vero cœcus in ædibus præpositi obiit 17 Octobris 1628, cujus corpus ad ingressum chori depositum fuit.

LV. Johannes-Ludovicus *de Bertier* filius Philippi domini *de Montrabe* præsidis infulati, & Catharinæ de Paulo sorore Antonii ordinis S. Johannis Jerosolymitani summi magistri, decessoris ex fratre nepos, consiliarius Tolosanus, canonicus 16 Junii 1598, archidiaconus veteris Moresii ab anno 1602, & major ad annum 1620, quo coadjutor Rivensis sub titulo episcopi Heliopoleos ab anno 1617, episcopus Rivensis Johanni patruo defuncto successit, alterique patruo præposito cedenti sub annua tertiæ omnium fructuum partis pensione. Bullas a Paulo V obtinuit nonis Octobris, pontificatus 16, a Lombariensi officiali promulgatas 21 Octob. 1621, & possessionem apprehendit 4 Martii 1623. Eodem anno per cessionem ejusdem Bertrandi fit abbas Lesati 16 Julii. Donatæ patribus Doctrinæ christianæ ab æditituis ecclesiæ sancti Romani 14 Decemb. 1608, una cum canonicis ad quos spectabat, assensum præbuit 8 Januarii 1628. Lesati & Capellæ commendas in gratiam Antonii-Francisci ex fratre nepotis an. 1652 dimisit, & præposituram an. 1656, demumque senio confectus administrationem episcopatus Rivensis an. 1662.

LVI. Antonius-Franciscus *de Bertier* Johannis domini *de Montrabe* senatus Tolosani protopræsidis & Mariæ *le Comte* filius, juris utriusque doctor, prior Berati, per cessionem Johannis-Ludovici patrui commendas Lesati & capellæ obtinuit III id. Aprilis 1652 ab Innocentio X, & præposituram ab Alexandro VII, III cal. Septembris 1656, cujus munitus bullis possessionem apprehendit 5 Apr. 1659. Anno vero 1662 eidem patruo Rivensi episcopo, 80 annos nato, cedenti in manibus papæ successit bulla motu proprio ab Alexandro VII data XV cal. Maii, cum facultate retinendi præposituram. Episcopus vero possessionem per procuratorem adiit 15 Maii anni ejusdem. repentina morte in ædibus pontificiis sublatus est 29 Octobris 1705.

LVII. Franciscus II *Madron* filius Francisci senatoris Tolosani & Jacobæ *de Boisset*, juris canonici baccalaureus & civilis doctor, a canonicis præpositus electus 3 Novembris 1705, & ab archiepiscopo confirmatus 3 Decemb. biduo post possessionem nactus est. Litem habuit cum archiepiscopo de cathedra in choro præpositis addicta, quæ illi a senatu Parisiensi illæsa servata est anno 1708. Defunctus est 9 Maii 1712.

LVIII. Johannes VI *de Cabrerolles de Villespassens* doctor in decretis & consiliarius Parlamenti Tolosani, electus 14 Maii 1712, possessionem arripuit 4 Julii anni ejusdem. Interiit 31 Martii 1722.

LIX. Guillelmus V *Juliart* doctor theologus, electus 6 Aprilis 1722 & admissus 15 Junii, obiit 21 Decembris 1737.

LX. Guillelmus VI *Beton* doctor theologus, canonicus, archidiaconus, vicarius generalis & officialis, electus est præpositus 28 Decembris 1737, & in possessionem inductus 30 eorumdem mensis & anni. Obiit 31 Julii 1759, annos natus 92.

LXI. Franciscus III *de Cassand* canonicus & major archidiaconus ecclesiæ Tolosanæ, in locum superioris defuncti electus est a capitulo præpositus die 2 Augusti an. 1759.

Petrus *Prioret* cui, ob chronologiæ defectum, locum assignare nequivimus, fatis concessit VII cal. Octobris; humatus in claustro cum epitaphio.

DE VETERIBUS DIŒCESIS TOLOSANÆ MONASTERIIS.

I. *Valada.* In pago Tolosano recensetur inter A
26 monasteria quæ Ludovicus Aquitaniæ rex in regno suo aut fundavit aut instauravit. Sed ubi sita fuerit nullum superest vestigium.

II. *Venercha* aut *Benerca*, vulgo *Venerque.* Quatuor ab urbe Tolosana distans leucis Venercha, ordinis S. Benedicti, Apostolorum principi sacra, ecclesiæ S. Pontii Tomeriarum attributa fuit, id probante papa Lucio an. circiter 1182. Modo prioratus juris ecclesiæ Tomeriensis.

III. *B. Maria de Marenxo.* Prope oppidum de Carla & ad ripam fluvioli *de Marenx*, a quo nomen accepit, situs erat hic parthenon, de B
quo ea legimus in codice ms. Bolbonæ: *Anno 1159, Raimundus episcopus Tolosæ dedit Deo & S. Mariæ Bolbonæ & abbati ejusdem loci, locum* de Mareux *ad monasterium monialium Cistercienfis ordinis instituendum, & in eo loco ipse abbas paulo post ædificavit cœnobium & moniales posuit.* Monasterii hujus constructioni contradixit Atto abbas Lesatensis, Verumtamen exoratus a Dominico abbate Bolbonæ ut id construeretur consensit. Guillelmus alter abbas Lesatensis & monachi quæ eam in ecclesiam jura habebant, monialibus cessere ea conditione, ut singulis annis quatuor sextarios tritici C
& duos fabarum, & alios duos alterius annonæ a præfato parthenone perciperent. Raimundus *de Marenx* dedit totum id quod habebat in villa & ecclesia *de Marenx.* Unde conjicimus nobiles ejus loci toparchas aut cœnobii auctores aut præcipuos benefactores extitisse. Perseveravit hæc domus ad seculum fere XV, quo adjuncta fuit cœnobio Bolbonensi a quo prodierat, eique hactenus adhæret uti prædium. Nonnulla ibidem hactenus visuntur rudera, extantque in tabulariis Bolbonæ & Lesati chartæ donationum ipsi indultarum. Adelaïdis D
sola ex abbatissis quæ nobis innotuerit id juramentum Geraldo episcopo præstitit: *Ego Adalaïdis nunc ordinanda abbatissa monialium ad titulum S. Mariæ* de Marenz, *subjectionem & reverentiam secundum præceptum sanctorum canonum, tibi pater Geralde episcope, & huic sanctæ Tolosanæ sedi & successoribus episcopis canonice substituendis, perpetuo me exhibituram promitto & propria manu confirmo.* Præter jura
Ch. xxxiv, col. 23. plurima quæ a Guillelmo abbate Lesatensi percepit, pactionem cum eodem iniit anno 1168.

IV. *Depontium.* In statutis capituli Cisterciensis E
habiti an. 1223. hæc verba referuntur apud Martenium thesaur. anecdot. tom. IV, col. 1337. « Petitio domini Tolosani de abbatiis
» monialium incorporandis ordini, videlicet
» abbatia de Depontio cum filiabus suis admittatur: ita quod infra annum includantur. »

V. *S. Laurentius Goionis.* A prima sui origine inquilinos habuit id monasterium Præmonstratenses ex Casa-Dei eductos, quibus toparchæ de Bono-repauso plurima largiti sunt: videlicet
Palagoz anno 1154 jus pascuorum per totam Ch. xxvii, col. 20.
terram suam, & India anno 1155 nemus Ch. xxviii, col. 21.
quoddam vicinum. Sic etiam Raimundus de Monte-acuto impignoravit an. 1164 terram in alodio *de Pelameuig* Willelmo abbati Capellæ & Præmonstratensibus de Goione. Verumtamen huncce locum in monialium Cisterciensium potestatem jam devenisse an. 1167 demonstrant litteræ Petri de Sayla; hic namque mense Junio die Dominica Gaudionæ prio-
rissæ ejusque sociis monialibus totum illum Ch. xxxiii, col. 23.
honorem cessit, quem Bernardus Odonis abbas Casæ-Dei iisdem jam reliquerat, quemadmodum & ipse ejusque canonici eo in loco tenuerant. Bernardus comes Convenensis anno 1197 mense Januario, & Raimundus comes Tolosæ an. 1249 huic monasterio suæ pietatis insignia dederunt. Bellis aliisque calamitatibus adeo desolata fuit ea domus anno 1450, ut summo pontifici placuerit anno 1454 eam monialibus destitutam, si unam excipias nomine Johannam Reverdidam, abbatiæ Gimundensi in diœcesi Auscienfi adunare. Earum quæ hunc parthenonem rexere, seriem præ oculis habes:

I. Gaudiona occurrit in instrumento Petri de Sayla anno, ut diximus, 1167 priorissæ titulo donata.

II. Peirona abbatiali dignitate insignita prima reperitur an. 1174 in litteris Giraldi *de Lambes*, & an. 1178 Vitalis de Blancaforti.

III. Ladaix de Rossio præerat an. 1215.

IV. Ursa, *sive* Orsa legitur an. 1215 in carta Raimundi de Insula, 1216 Geraldi de Insula, atque etiam an. 1217.

V. Maria transigit an. 1227 cum Geraldo *de Polastron* abbate Cellæ-modulfi.

VI. Comtors de Palmeriis a Petro de Bordello confirmationem impetrat omnium monasterii possessionum apud castrum de Saugeda an. 1239. Obtinebat adhuc an. 1252.

VII. Martina de Blanca-forti 1275.

VIII. Longrua de Arocha pactum iniit an. 1278 cum archiepiscopo Auxitano.

IX. Alasacia de Rossio recensetur ad annos 1287, 1288, 1289, 1305.

X. Ganciona de Rupe ex sacrista in abbatissam assumta abbatiali munere fungebatur anno 1313. Quasdam monasterii possessiones a Bernardo comite Convenarum confirmari curavit an. 1320. Prioratum S. Margaritæ de Fonteliis in diœcesi Lacturensi a suo monasterio pendentem visitavit an. 1321. Invenitur & anno 1323.

XI. Juliana de Convenis filia illustris ac potentis viri Bernardi de Convenis, domini de Forgis, germana Braydæ de Convenis tunc hujus loci monialis, cum Blancha condomina

de Forgis sua sorore altera aliquid controversiæ A habuit anno 1331. Effecit anno 1335 ut Aimericus de Convenis quædam sibi confirmaret. Regebat adhuc anno 1348.

XII. Honoria de Mota obiit an. 1424.

XIII. Johanna-Francisca *Stote* ex priorissa in abbatissam electa est anno 1424, & in possessionem inducta per Vidianum abbatem Boni-fontis die 6 Maii ejusdem anni. A capitulo generali habito an. 1428 obtinuit decretum, quo suo monasterio adjungeretur prioratus S. Margaretæ de Fonteliis, quem Geraldus abbas Portaglonii anno præcedenti suo uniri fecerat. Vitam monasteriumque bellis, aliisque infortuniis obrutum reliquit anno cir- B citer 1450.

VI. *S. Orientius.* Mulier quædam nomine Emeruis de Alteias, capto Jerosolymam adeundi consilio, Isarnum Tolosanum episcopum suæ diœcesis ecclesias visitantem convenit in parochiam S. Johannis, ab eo pro felici itineris sui successu benedictionem susceptura. Qua accepta, *episcopus ei dixit, quod melius illi esset si domum in honore Dei ut ibi pauperes Christi reciperentur ædificaret.* Isarni consilio adhæsit, veteremque ecclesiam S. Orientii positam in finibus diœceseum Tolosanæ & Convenensis pene destructam & inter vepres desertam, C quam diversi optimates ei offerebant, instaurandam accepit, juxta quam monasterium domumque hospitalem condidit an. 1098, nonis Aprilis, fer. II, episcopusque Isarnus ipsam & eos qui dona præfatæ ecclesiæ fecerant, de omnibus absolvit peccatis, unde sibi pœnitentiam sumserant. Instrumenta quædam contrectavimus ex quibus nobis innotuit nonnullos optimates post collata sancto Orientio bona, ejusdem loci monachos institutos fuisse. Hic autem parthenon Veteri-muro in diœcesi Castrensi unitus fuit an. 1140, uti diximus tom. I, col. 821, huicque subditus adhuc pluribus annis substitit, ut patet ex variis donationibus quas legimus tum in historia Occitaniæ, tum in fragmentis hist. mss. Claudii *Estiennot.*

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 349.

VII. *S. Petrus de Coquinis* in urbe Tolosa, qui quondam fuit prioratus simul & parochia, conditus ac dotatus est an. 1067 a Guillelmo comite Tolosano & Almode ejus parente. Moissiacensi monasterio cessit eodem anno quo Deaurata, procurante Isarno episcopo. In huncce locum conveniebant cives Tolosani de publicis negotiis tractaturi. Adjectus tandem est anno 1607 Cartusiæ Tolosanæ bulla Pauli V summi pontificis, & modo tantum est ecclesia parœcialis.

S. PIERRE DE CUISINES.

Catel. comment. hist. Occitan. p. 213.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ numero tredecim, & unus Prioratus.

Sanctus Saturninus, *S. Sernin.*

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Deaurata, *la Daurade.*
Mansum-Garnerii, *Mas-Garnier.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Feminarum.

S. Saturninus, *S. Sernin.*
S. Pantaleo, *S. Pantaleon.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Elnæ, *Eaunes.*
Grandis-silva, *Grand-selves.*

Feminarum.

Oratio-Dei, *Oraison-Dieu.*
Salanquiæ, *Salanques.*

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Capella, *la Capelle.*

ORDINIS S. CLARÆ.

S. Clara Tolosana. *S.te Claire de Toulouse.*
S. Clara de Alta-ripa, *S.te Claire d'Hauterive.*
Leviniacum.
S. Cyprianus, *S. Cyprien.*

ABBATIA SECULARIS S. SATURNINI.

S. SERNIN.

CELEBRIS S. Saturnini basilica, quondam in suburbio, nunc intra civitatis mœnia Tolosæ, antiquissima est, & primum auctorem habuisse creditur B. præsulem Sylvium. Hic S. Saturnini corpus venerandum ex oratorio decentiorem in locum transferre cupiens, insignis hujus templi fundamenta jecit: At morte præventus opus imperfectum relinquere coactus est. Exuperius ejus successor ultimam, inquiunt, operi manum imposuit. Monachos ille quamplurima dilectione prosecutus fuisse fertur; unde nonnullis placuit ipsi tribuere in hancce basilicam monachorum inductionem. Visum quidem est ipsis tres monachos Tolo- D sanæ diœcesis S. Hieronymo dilectos, nempe Sisinnium quem epistolæ latorem ad eum Exuperius Jerosolymam direxit, atque etiam Minerium vel Minervium & Alexandrum novi monasterii inquilinos exstitisse. Sammarthani versibus fortunati innixi Lannebodem Tolosæ ducem conditorem crediderunt; sed quod de ecclesia parœciali de Tauro intelligendum erat, de collegiata sancti Saturnini intellexerunt. Ragnoaldi ducis Petracoricensis uxor captiva Tolosam adducta, ut vitaret injurias desiderii Tolosani ducis, in eam tamquam in azylum aufugit anno 581. Ipsam autem a Saracenis urbem obsidentibus anno 721 funditus eversam fuisse conjicimus; at

incertum quando hæc fuerit instaurata. Si cui ex Francorum regibus tribui debeat refectio, tribuenda sane est Pipino regi Aquitaniæ, non vero Carolo-magno, ut volunt nonnulli; etenim in concilio Aquisgranensi in quo recensentur monasteria condita vel instaurata tum a Carolo-magno tum ab ejus familia, nulla istius occurrit mentio, nec etiam in indice abbatiarum quas erexit Ludovicus pius ab anno 781 ad 814.

Carolus-Calvus rex dum urbem obsideret anno 843, eo loci habuit conventum in quo edidit capitulare in gratiam Septimaniæ clericorum. Dedit & alia diplomata eo & sequenti anno pro diversis ecclesiis. Expugnata civitate, Samuel episcopus ipsi exhibuit præceptum Ludovici Augusti, suppliciter eum deprecans ut illud ratum haberet, atque in suam regiam protectionem susciperet ecclesias SS. Stephani & Saturnini pariter & Deauratæ. Hugo episcopus alter per suum testamentum plurima legavit anno circiter 960, sic etiam comes Raimundus anno sequenti. Donatus toparcha *de Carmaing* & Rixendis ejus uxor emporium Basiegii in tractu Lauracensi tribuerunt ætate Raimundi episcopi, qui a Johanne XVIII omnes S. Saturnini possessiones curavit roborandas an. 1007.

Hist. Occit. tom. I. prob. col. 79 & seq.

Ibid. col. 82.

Ibid. tom. II, col. 104 & seq.

Attamen hunc locum a longo tempore monachis suffecti occupabant clerici seculares, qui ætate Gregorii papæ VII, perfectioris vitæ desiderio accensi institutionibus sancti Augustini paruerunt. Id generis vitæ jam amplexatos fuisse anno 1076 comperitur ex diversis testimoniis. Præpositus namque Petracoricensis tum ipsis concessit ecclesiam sancti Cypriani ut ibi quoque regulariter viverent. Eamdem ob causam Geraldus episcopus Cadurcensis eo circiter tempore eis commisit curam ecclesiæ Viganensis. *Idque actum est mense Junio in festivitate B. Johannis, quo die Hugo* Oriol, *aliique Viganenses clerici ante altare B. Mariæ de Vigano, præposito beati Saturnini professionem & obedientiam promiserunt.* Canonici nostri paulo post reformationem magnas cum Isarno episcopo habuerunt contentiones de jurisdictione quam ille in eorum ecclesia sibi vindicabat. Interpellatus summus pontifex Gregorius VII privilegium protectionis indulsit, & defensorem instituit Richardum S. Victoris Massiliensis abbatem & cardinalem. Interea Isarnus omnia moliebatur ut eos inde expelleret, & quidem monachos ex abbatia Moissiacensi accitos introduxit an. 1077, favente comite Tolosæ Guillelmo, quem hujus facti pœnituit an. 1083. Rei novitate perculsus Gregorius præcitato cardinali præcepit anno 1080 ut restituerentur canonici & monachi excommunicationis vinculo innodati post expulsionem solverentur. Ecclesiam recens instauratam consecravit Urbanus II an. 1096, die 24 Maii, multisque juribus & prærogativis insignivit in concilio Nemausensi mense Julio ejusdem

Ibid. pag. 290.

Greg. VII. lib. 9, epist. 29.

Catel. comment. hist. Occitan. p. 873.

Baluz. Miscell. lib. VII, p. 127.

Chart. XI, col. 11.

A anni. In bulla data IX cal. Aug. 1097 de abbatiis SS. Aviti & Cypriani subjacentibus S. Saturnino agit hic pontifex, monet etiam abbatem S. Johannis de Piana ut a vexandis istius loci canonicis desistat. Raimundus de sancto Egidio Tolosæ comes plurima largitus destitit & de jure percipiendi ceræ portionem. Guillelmus simul Pictavorum & Tolosatum comes ad confirmationem bonorum jam collatorum addidit pagum S. Petri *de Blagnac*, & jus colligendi pugillum frumenti inquolibet venali sextario an. 1098. Verumtamen hasce possessiones in posterum sibi per vim arrogavit,
B sed per vim & ipse ex comitatu quem usurpaverat, a Bertrando legitimo herede ejectus est. Iste promisit se non fore molestum canonicis, verum secus egisse videtur, nam Alfonsus Jordanus gazas a patre præstitas & a Bertrando fratre invasas restituit 24 Aprilis an. 1126. S. Bernardus populos Occitaniæ ad iter Jerosolymitanum dum hortaretur, diversatus est in eo monasterio & unum e canonicis, Bernardum nomine paralysi conflictatum curavit anno circiter 1147. Tanti beneficii memor ille monachum apud Claram-vallem induit. Francorum rex Ludovicus VII anno 1155
C in capitulum accessit regiæ suæ benignitatis signa præstiturus.

Baluz. ibid. lib. VI, pag. 396.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 347 & seq.

Ibid. col. 354.

Hæc autem abbatia, unde regularis disciplina in diversa loca & præsertim apud Tolosam in parthenonem S. Saturnini tamquam a fonte dimanarat, sensim a primævo fervore declinavit. Idcirco summus pontifex Clemens VII, an. 1526, V cal. Octob. edidit bullam secularisationis tam in capite quam in membris, quorum ibidem fit enumeratio. Hic papa magni pretii gemmam eo loci diu servatam a Francisco I rege munere accepit an. 1533. Præter
D S. Saturnini corpus servantur ibidem plurimorum apostolorum & martyrum exuviæ, sic etiam S. Raymundi ejus loci canonici. Is in urbe Tolosa natus S. Saturnino adhuc puer a parentibus oblatus est. Aliquanto post clero valedixit uxorem ducturus. Defuncta ejus uxore, misericordiæ & charitatis operibus se dedit; domum hospitalem, quæ nunc est collegium Universitatis a S. Saturnino dependens, instituit ad cultum triginta pauperum; ad publicam utilitatem construxit pontem super Garumnam, potioremque proventuum suorum partem in hujus ecclesiæ structione consumsit.
E Tandem seculi pertæsus canonicorum recens reformatorum institutum suscepisse creditur exeunte seculo XI. Sepultus fuit in præfato xenodochio, & inde translatus ad S. Saturninum an. 1652. Priusquam Tolosæ comites apud Deauratam suam sepulturam elegissent, ea in basilica humari consueverant, uti comprobatur ex ipsorum tumulis adhuc superstitibus.

Ch. LXXVI, col. 77.

Præpositorum & abbatum indicem confecimus, auxilium mutuati a Sammarthanis & Historico Occitaniæ.

ABBATES.

Abbates.

Hist. Occit. t. II, prob. col. 355.

I. Petrus I subscripsit anno 1098 litteris Guillelmi comitis in gratiam S. Saturnini. Forsitan ille est qui in necrologio dicitur de Villa-monte.

Ibid. col. 355.

II. Munio innotescit ex instrumento Bertranni comitis qui an. 1100 astruxit villam de Blagniaco.

III. S. Raymundus I ex canonico Fredelacensi hujusce loci præpositus evasit. Hic in baronia de Durbano pagi Fuxensis intra limites diœcesum Tolosanæ & Conseranensis nobilibus editus est parentibus. Ad arma primum destinatus fuerat, at paulo post oblatus est in abbatia S. Antonini Fredelacensis, ubi litteris operam dedit. Fama ejus virtutum cum undique percrebuisset, electus est præpositus S. Saturnini anno circiter 1101, & præfuit ad annum usque 1104, quo in Arragonia dum versaretur rebus monasterii consulturus, assumtus fuit in antistitem ecclesiarum Barbastrensis & Rotensis, quas papa simul conjunxerat. Migravit in cœlum 21 Junii 1126.

IV. Raymundus II in cartulario dictus Willelmi, & in veteri necrologio Roberti, ex præposito primus abbas institutus occurrit ad annum 1117. Jussus a Callisto II papa convenit anno 1119 in monasterium sancti Theodardi abbatiæ suæ jura adversus canonicos cathedralis ecclesiæ defensurus. Argumentis sibi objectis cum respondere non valeret, judicium distulit papa usque ad festum *Hypapante*. Adversariis tunc absentibus, causam obtinuit in urbe Viennensi. Memoratur anno 1123, III nonas Octobris in litteris Willelmi episcopi Petracoricensis, a quo donatur cura tutandæ Catholicæ religionis in loco S. Aviti. Instrumento Alfonsi Jordani bona a suo fratre usurpata restituentis subscripsit 24 Aprilis anno 1126. Legitur anno sequenti in instrumentis ecclesiæ cathedralis. Obiisse creditur an. 1139, XI cal. Augusti.

V. Hugo I ab Innocentio II bullam accepit an. 1140, 21 Martii, in qua agitur de abbatia S. Cypriani. Donationem ab Arnaldo *Elie* & Odone ejus filio Grandi-silvæ tributam laudavit XII cal. Febr. 1147. Cum præposito S. Stephani de sepultura militum Tolosæ iniit pactum, quod Alexander III apud Montem-pessulanum laudavit 1162, die 8 Julii. Vitali de S. Georgio terram de Lirano, quibusdam juribus exceptis, in feudum tradidit mense Aprili anno 1165. Eamdem vero terram Guillelmo Grandis-silvæ abbati postea concedendam permisit XVII cal. Octobris. Arbiter extitit 1168 idib. Augusti conventionis initæ inter Cistercienses Grandis-silvæ & Præmonstratenses Capellæ. Licet in episcopum Tolosanum assumtus anno 1172, munus tamen abbatis dicitur exercuisse & eo nomine dedisse an. 1173 mense Augusto monachis Grandis-silvæ decimas & primitias terrarum quas pro-

Ibid. col. 386.

Ch. XXXII, col. 22.

A priis manibus excolerent in quadam grangia: Vide supra col. 18.

VI. Pontius *de Montpezat*, præerat anno 1176. Cum abbate Grandis-silvæ pactum fecit super feodo *de Gausinag* mense Sept. 1178. Eodem anno Petrum *Mauran* Tolosanum civem & hæreticorum fautorem ex carcere eductum Petro cardinali præsentavit ab anathemate absolvendum. Mortem appetiit 1183.

VII. Guillelmus de Cantesio *vel* de Lantesio quem anno 1184 electum asserunt Sammarthani, testis occurrit anno 1200 in carta Fulcranni episcopi. Fuit testis 13 Decemb.
B 1203 privilegiorum, quæ Petrus *de Castelnau* & Radulfus Cistercienses curiæ Romanæ legati indulserunt Tolosanis civibus, qui Catholicam fidem servarent. Vivere desiit 5 Jan. 1212.

Hist. Occit. t. III, prob. col. 250.

VIII. Jordanus vir religiosissimus & in sacris litteris versatissimus; cooptatus est in abbatem 1212. Recensetur ad annum 1214 in instrumento Boni-fontis. Domus hospitalis in urbe Tolosa ad portam Arnaldi Bernardi posita monialibus Prulii a Fulcone episcopo an. 1215 consensit ut traderetur. Codicillorum Guillelmi Pontastro militis, qui lampadem ante altare beatæ Mariæ perpetuo accendendam,
C cænamque pauperibus centum die Ascensionis annuatim instituerat erogandam, factus fuit executor die 4 Maii 1216. Eodem rursus anno 3 Junii quasdam terras dedit in feudum Bernardo Guillelmo de Scampodio abbati Bellæ-perticæ. Raimundo seniori comiti Tolosano, qui diu exsecratus a summo pontifice, sacrisque interdictus fuerat, quod Albigensibus hæreticis patrocinaretur, in extremis posito subvenit an. 1222. Cum abbate Grandis-silvæ electus est a Pontio de Capite-denario testamenti curator an. 1228, die 2 Martii. Judex motæ contentionis inter priores Rivi-
D petrosi & Montis-Landerii a Fulcone episcopo mense Septembri ejusdem anni fuit institutus, atque etiam Raimundum comitem inter & Heliam priorem S. Caprasii an. 1231 mense Septembri. Diem extremum clausisse dicitur XII cal. Aprilis 1233. Attamen, auctore Percinop. 47 & 107, Petrus de Malasayra erat abbas 1232, simulque fidei inquisitor 1235.

IX. Bernardus I de Gentiaco electus est an. 1234. Ab episcopo Avenionensi *Zoen* jussus an. 1243, II idus Maii, convenit in
E Exiense monasterium inquisiturus de electione Bernardi Jordani recens in abbatem assumti, eamque irritam declaravit IV non. Martii anni sequentis. Nonnulla statuta ad monasterii sui regimen ordinavit an. 1257. Recensetur in archivis Montis-pessulani ad annos 1259, 1260. Nobili viro Bertrando de Marestanno militi dedit in feudum medietatem villæ & castri *de Luberville*, pro qua homagium accepit an. 1263. Defunctus II id. Octob. humatus est in claustro subtus altare sacelli B. Mariæ de Salute.

Ibid. col. 109.

X. Arnaldus de Villa-muro in veteri

G

instrumento Appamiensi consignatur ad annum 1268. Anno 1269 litteras accepit ab Alfonso comite Tolosano, quibus dat abbati & conventui S. Saturnini quidquid juris habebat in castro de Vaqueriis & pertinentiis ejusdem. Occurrit etiam anno 1277 mense Aprili. A Bertrando episcopo die Jovis post festum S. Nicolai an. 1278 suscepit curam inquirendi utrum Jordanus toparcha de Insula-Jordani, qui puer habitum canonicorum regularium in cathedrali ecclesia gesserat, eorum legibus astringeretur. Ea re diligenter examinata, Jordanum ab omni obligatione liberum declaravit. Testis fuit privilegiorum quæ Raimundus Ato abbas Mansi-azilis concessit anno 1286 nonis Aprilis incolis ejusdem loci. Eodem anno a Bertrando abbate Grandis-silvæ exoratus concessit licentiam construendi ecclesiam in studio theologiæ, quod hic abbas instituerat in urbe Tolosa. Reperitur & ad annum 1292 in charta Mansi-Garnerii.

Hist. Occit. t. IV, p. 54.

Marten. anecdot. t. I, col. 1210 & seqq.

XI. Sancius de Aissada, *vel* de Narana, prout in veteri necrologio legitur, sepulturam habuit in sacello B. Mariæ de Salute, ad latus dexterum altaris, sub lapide marmoreo cui inscribitur hæc epigraphe: *Anno Domini 1301, pridie nonas Junii obiit dominus Sancius de Aissada abbas istius ecclesiæ, cujus anima requiescat in pace. Amen.*

XII. Raimundus III *Aton* Sancio subrogatus an. 1301, ex tabulis Mirapicensis ecclesiæ, non immerito parthenonis S. Saturnini in urbe Tolosa etiamnum existentis auctor habetur. Quodam in loco parœciæ S. Saturnini nonnullæ erant mulieres in unum congregatæ, quæ vitio simul & seculo nuncium nuper remiserant. Raimundus id opus fovere cupiens statuta condidit, &, dato velo, ipsas ad professionem regulæ S. Augustini admisit, canonicasque S. Saturnini voluit nuncupari anno 1302, die 3 Julii. Interfuit anno 1307 in monasterio Lesatensi detectioni reliquiarum S. Antonii. Mirapicensis primus præsul creatus est an. 1318 a Johanne papa XXII.

Hist. Occit. t. idem, col. 175.

XIII. Petrus II Textoris al. *le Tessier*, oriundus ex fano S. Antonini diœcesis Ruthenensis, & ex priore canonicorum ejusdem loci factus fuit abbas S. Saturnini an. 1318. Vicecancellarii Romanæ ecclesiæ & abbatis titulo insignitus litteras in gratiam canonicarum sancti Saturnini obtinet anno 1320 a Johanne XXII. Reperitur anno eodem in instrumento ejusdem pontificis de domo apud Cadurcum emta pro fundatione Carthusiæ. Hic variis pro curia Romana apud principes Christianos functus legationibus, cardinalitia dignitate sub titulo S. Stephani in Cœlio monte sublimatus est hoc ipso anno 1320. Avenione moritur an. 1330.

Ibid.

XIV. Amelius *de Lautrec* vir nobilis in abbatem assumtus est an. 1321 ex Sammarthanis. Memoratur an. 1322 cal. Novemb. in litteris Johannis XXII ad Raimundum Mirapicensem episcopum directis de pace inter ipsum abbatem & canonicas S. Saturnini concilianda. A Galtero de Nova-villa vicario Tolosæ & castri Narbonensis gubernatore hæresis accusatus in tribunali Inquisitionis, id crimen diluit, & ab ipsis Inquisitoribus & a Parlamento Parisiensi fuit absolutus 20 Januarii 1325. Eodem rursus anno cal. Augusti a Johanne XXII commissa ei fuit cura inquirendi in quosdam fratres Minores qui apostolicæ sedis privilegium habere dicebant recipiendi indistincte legata & male ablata, injunctum quidem est ei ut cum Guidonem Friderici comitis filium aliosque rebellionis participes in sua potestate obtinuisset, in eos ex legum præscripto pronunciaret. Cum magistratibus civitatum Piceni, cujus rector erat, apud eumdem pontificem tunc Avenione residentem institit hoc ipso anno ut de vita ac miraculis Nicolai Tolentinatis inquireretur. Ad episcopatum Castrensem promotus est Amelius an. 1327, ut diximus t. I, col. 67.

Hist. Occit. col. 21 & seq.

Bolland. t. III. sept. p. 667 & seq.

XV. Hugo II Rogeri præfecturam obtinebat an. 1329. Magnam litem exortam inter Gastonem comitem de Fuxo & Simonem de Arquerio super villa de Lautreco, quam uterque ad se pertinere contendebat, sopivit anno 1338; villam Gastoni & sex millia librarum Simoni assignavit. Adhuc memoratur ad annos 1352, 1356, quo ultimo obiisse creditur.

Hist. Occit. ibid. col. 26.

XVI. Johannes I *de Nogaret* Tolosanus decretorum doctor & eximius professor, cameræ apostolicæ solvit debita die 21 Nov. 1360. Sepultus in præfato sacello B. Mariæ de Salute, a latere sinistro altaris, habet id epitaphium: *Hic jacet reverendus in Christo pater dominus Johannes de Nogareto decretorum doctor Tolosanus, abbas istius monasterii, qui obiit prid. id. Augusti 1361, cujus anima requiescat in pace. Amen.*

XVII. Ramnulphus de Valignaco Johanni successit, & obiit 1375. Humatus etiam in sacello B. Mariæ, sub lapide marmoreo ubi prostat hæc epigraphe: *Anno Domini 1375, die Martis decima nona mensis Februarii obiit dominus Ramnulphus de Vasinhaco Lemovicensis diœcesis, abbas istius monasterii.*

XVIII. Petrus III Vitalis Blasini præerat anno 1376. Super quærelis inter capitulum ecclesiæ cathedralis Montalbanensis & ecclesiam S. Stephani *de Tescou* pronunciavit 17 Febr. 1392. Funeratus quidem in sacello beatæ Mariæ ad dexteram partem, cum hac inscriptione: *Anno Domini 1397, die Dominica decima nona mensis Augusti obiit reverendus in Christo pater dominus Petrus Vitalis Blasini decretorum doctor Tolosanus, abbas istius monasterii, cujus anima divina pietate corruscat in pace.*

XIX. Antonius *de Bruyeres de Chalabys* in necrologio occurrit ad annum 1397.

XX. Aimericus Natalis decretorum professor obtinebat anno 1398. Adhæsit Benedicto XIII summo pontifici, & ab ipso fuit

institutus referendarius, nec non conservator privilegiorum Cistercienfis ordinis. Eo nomine delegavit Tolosanum officialem qui sententiam excommunicationis ab officiali Mirapicensi in procuratorem Bolbonæ latam infringeret anno 1400, die 7 April. Legitur 1403 in carta Lezatensi. Testis occurrit 1408, III nonas Februarii in obligatione Benedicti XIII erga Johannem *de Boucicault* Franciæ marescallum, a quo hic pontifex mutuatus fuerat quadraginta millia librarum. Ea in charta solummodo dictus abbas, unde conjicimus eum ad episcopatum Condomiensem hoc ineunte anno nondum erectum fuisse. Vide tom. I, col. 71, tom. II, col. 965.

Marten. veter. script. collect. t. IX, col. 1460.

XXI. Bernardus II de Auri-valle decretorum doctor Aimerico in episcopum Condomiensem assumto suffectus recensetur anno 1411 in instrumento Luminis-Dei. Quiescit in præfato sacello B. Mariæ cum hoc epitaphio: *Hic jacet in Christo pater dominus Bernardus de Auri-valle decretorum doctor Tolosanus abbas, qui obiit decima nona die Maii, anno Domini 1412, cujus anima divina pietate requiescat in pace. Amen.*

XXII. Fulco *de la Rouëre* consignatur in documentis ad annos 1413, 1421. Missam solennem celebravit an. 1423, die 4 Decemb. in capella Parlamenti, pro exsequiis consiliarii laïci qui ad utilitatem totius provinciæ legatione perfunctus fuerat apud regem Arragoniæ. Sedit an. 1444, die 7 Aprilis inter Consiliarios, cum restitutum fuit Parlamentum. Privilegiorum ordinis Fratrum Prædicatorum subconservator institutus, officialibus provinciæ Bituricensis inhibuit 9 Septemb. 1447 quominus ullam in prædictos Fratres jurisdictionem exercerent. Idem sane est atque R. Carbonus abbas, an. 1449, die 19 Nov. exsequias Ainardi primi Præsidis Parlamenti Tolosani curavit. Ante altare B. Mariæ sub tumulo marmoreo humatus habet id epitaphium: *Hic jacet reverendus in Christo pater dominus Fulco de Royeria oriundus de S. Leonardo, diœcesis Lemovicensis decretorum doctor, abbas istius monasterii, qui.. præfuit.. anno Domini 1413, & obiit in Domino anno ejusdem Domini 1455, & die 2 mensis Septembris.*

Hist. Occit. Ibid. col. 38. Ibid. col. 43. Ibid. col. 46.

XXIII. Johannes II de Janhaco Lemovicensis designatus fuit abbas, juxta Sammarthanos, an. 1444, vivente adhuc Fulcone de Rueria, post cujus mortem regimen sumsit an. 1455. En ejus epitaphium quale legitur in sacello B. Mariæ: *Hic jacet reverendus in Christo pater dominus Johannes de Janhaco, diœcesis Lemovicensis oriundus abbas istius monasterii, qui obiit in Domino die 7 Junii, anno domini 1462. Ejus anima in pace requiescat. Amen. Qui abbatiam intravit a die Febr. 11, anno Domini 1444.*

XXIV. Bernardus III de Rosergio majorem ecclesiæ fenestram vitreaminibus vestiri curavit anno 1468.

XXV. Johannes III Joffredi cardinalis

A post superioris mortem abbatiam assecutus est, & obiit anno 1473. De eo pluries locuti, tom. I, col. 32; tom. III, col. 345; tom. VII, col. 405.

XXVI. Egidius de Valle Ludovico XI Christianissimo regi a consiliis, nec non sedis apostolicæ protonotarius, administrator perpetuus S. Saturnini memoratur in senatusconsulto inter ipsum & præbendatos ejusdem ecclesiæ a suprema Parlamenti Tolosani curia lato die 1 Februarii 1478. Occurrit eodem anno in instrumento Albiensis ecclesiæ, in quo nuncupatur *Labal.*

B XXVII. Laurentius I *Allemand* episcopus & princeps Gratianopolitanus 1478. Bullam recipit a Julio II papa XIV cal. April. an. 1505. Adhuc fruebatur an. 1520.

XXVIII. Laurentius II *Allemand* superioris nepos, item episcopus & princeps Gratianopolitanus fruebatur anno 1520. Litem habuit an. 1523 cum canonicis quos Parlamentum Tolosanum reformandos placito decrevit. Apud summum pontificem Clementem VII effecit ut ea ecclesia e regularibus canonicis ad seculares transmitteretur, prout comperitur ex bulla edita V cal. Octob. an. 1526. Fratrem Ludovicum *de Rochete* Dominicanum & fidei inquisitorem ob hæresim flammis damnatum ex ordine sacerdotum detraxit 10 Sept. 1538. Mortuus an. 1561, die 5 Decembris.

Annal. Tolos. tom. II, prob. p. 2, Ch. LXXVI, col. 77.

C XXIX. Johannes-Baptista *de Simiane* episcopus Aptensis a fide Catholica defecit an. 1571. Vide tom. I, col. 371.

XXX. Franciscus I *de Simiane* superioris germanus, item episcopus Aptensis decem præbendas in ecclesia sancti Saturnini a se fundatas jus præsentandi capitulo dedit. Vitam finivit an. 1587. Consule tom. I, col. 371.

D XXXI. Franciscus II *de Joyeuse* cardinalis, sacri collegii decanus, archiepiscopus Tolosanus, æmulum patitur N. *d'Aubigny* : At Henrici IV regis favore superiori defuncto succedit. Defunctus & ipse die 23 Augusti 1615.

XXXII. Ludovicus *de Nogaret de la Valette* cardinalis & archiepiscopus Tolosanus, præfato cardinali suffectus gavisus est usque ad annum 1639.

XXXIII. Johannes IV *Coeffier-Ruzé-d'Effiat* filius Antonii Franciæ marescalli ex Maria *de Fourcy* natus est an. 1622, & abbatiam obtinuit an. 1640. In capitulo S. Saturnini E solitum præstitit juramentum 28 Novemb. 1651, & postmodum in supremo Occitaniæ senatu veluti consiliarius Parlamenti natus die 11 Jan. 1652. Parisiis obiit 19 Oct. 1698. Simul obtinuit plura pinguia sacerdotia, uti diximus t. VII, col. 868; t. IX, col. 961; tom. XI, col. 532.

XXXIV. Franciscus III *Sanguin de Livry* filius Ludovici marchionis *de Livry*, ex Maria-Antonia *de Beauvillier-Saint-Agnan* adeptus est an. 1698, die 1 Nov. & clausit diem extremum an. 1729, uti legere est tom. VII, col. 846.

XXXV. Henricus *de Rosset de Ceilhes de*

Roscoel, de quo egimus tom. IX, col. 834. Nominatus fuit an. 1729, & potitus est usque ad annum 1748, quo de vita cessit 20 Febr.

XXXVI. N. *de Fleurigny* cancellarius Bituricensis a rege renunciatus est 28 Augusti 1748.

La Daurade.

B. MARIA DEAURATA.

B. Mariæ apud Tolosam ecclesiæ vulgo dictæ Deauratæ primordia quidam ad Theodosium imperatorem referunt; alii ad Theodoricum Wisigothorum regem, cujus cineres majori altari urna inclusos quiescere dicunt; nonnulli verisimilius eamdem, cum antea Jovis, vel ut placet viris quibusdam eruditis, Palladis templum esset, in honorem beatæ Mariæ ab Exuperio Tolosano antistite consecratam volunt tempore Honorii imperatoris, qui an. 399 decreto jusserat ut idolorum templa in ecclesias converterentur, prout constat ex antiquitatibus Deauratæ, lib. III, cap. de Paganis.

Evolutis aliquot post dedicationem annis, Placidia soror Honorii, & Atolfi Wisigothorum regis uxor, concamerato fastigio templi, parietem obduxit vermiculatis miro & aureo opere tesserulis, quæ B. Mariæ virginis & SS. Apostolorum icones exprimebant: unde templo B. Mariæ Deauratæ inditum nomen. Dejecta post quadraginta vel circiter annos concamerati ejus fastigii parte, Ranachildis regis Eurici sponsa, quam ibidem sepultam tradit Catellus, novo ædificio, quod instar navis esset, templum amplificavit. Basilicæ hujus tamquam omnium urbis Tolosæ ecclesiarum celeberrimæ tutissimæque meminit Gregorius Turonensis, lib. VI, cap. 12. Ille enim ait Ragnovaldi ducis uxorem, Chilperici Francorum regis furorem metuentem, ad sancti Saturnini ecclesiam confugere coactam fuisse; statimque ex eo loco quem sibi haud satis tutum diffidebat, ad Deauratam, majoris ergo cautionis, transiisse. Dum, eodem Gregorio referente lib. VII, cap. 10, Rigunthis Chilperici regis filia, dudum Recaredo principi promissa, tunc vero eidem nuptum in Hispanias profecta, atque in itinere a duce Desiderio thesauris suis spoliata, ne ab eodem acerbius tractaretur, delusis satellitibus, eo se recepit an. 584, exeunte mense Octobri; unde per vim erepta, in exsilium pulsa est.

Quinam huic loco inserviere primi, clericine an monachi? asserere non ausim. Id unum scimus, monachos illic insedisse anno 843, quo Carolus Calvus regni 4, indict. VI, mense Aprili diploma concessit Samueli episcopo Tolosano, per quod ad instar Ludovici Pii patris, regumque prædecessorum monasterium B. Mariæ, quod est infra muros civitatis Tolosæ sub sua protectione suscipit, novaque indulget privilegia. *Hist. Occit. tom. I, prob. p. 82.* Ex Hugonis episcopi Tolosani testamento condito an. 960, per quod pius ille præsul eidem ecclesiæ, post obitum Bernardi episcopi Conseranensis, allodium sancti *Ibidem, p. 106.* Marcelli legat, patet vocatam olim fuisse beatam Mariam Fabricatam. Sunt etiam qui eam a principio parochialem fuisse volunt, qualis etiamnum est, cujus primigenius pastor prior titularis sub se habet vicarium perpetuum qui parochialia munia exercet. Post seculi decimi bellicas tempestates ab ordine monastico ad clericos transiit, qui cathedrali ecclesiæ subditi Deauratam obtinuerunt duobus circiter seculis, puta ad annum usque 1077, quo Isarnus episcopus Durandi decessoris incœpto ultimam admovit manum. *Chart. IX, col. 9.* Is siquidem cernens beatæ Mariæ ecclesiam desolatam divino cultu & Dei servitio, consilio senioris sui Willelmi comitis, & aliorum suorum fidelium & præcipue paucorum suorum canonicorum, tradidit ipsam ecclesiam Hugoni abbati Cluniacensi, ejusque successoribus, quamdiu ibi religio foret in perpetuum. Summus etiam pontifex Paschalis II eidem Hugoni jussit an. 1105, ut proventus clericorum secularium statim post mortem in usus monachorum converteret. *Charta XIII, col. 13.* Attamen plurimi canonici cathedralis ecclesiæ ægre ferebant hunc locum, quem ad se spectare disputabant, in monachorum potestatem obvenisse. Et quidem in basilicam quadam die Natalis Domini irruperunt ut monachos inde expellerent, sed & ipsi repulsionem passi sunt. Perseveravit ista contentio ad annum 1130, quo Aicardus præpositus sancti Stephani ad concilium Claromontanum accessit summo pontifici de monachis questurus vindicaturusque jura ecclesiæ suæ in Deauratam. Siluit tamen, Guillelmo archiepiscopo Auscicusi consulente, & Petrum venerabilem abbatem Cluniaci tunc præsentem convenit ea de re cum illo communicaturus. *Catel. comment. Hist. Occit. p. 864.* Hic autem scripsit ad Rogerium abbatem Moissiaci, cui cœnobio Deaurata immediate fuerat subdita, ut id negotii componeret. *Tom. I, col. 164.*

Ut primum ecclesia B. Mariæ Cluniacensibus concessa fuit, cum ob loci celebritatem, tum ob monachorum sanctitatem, ad splendorem totius ordinis S. Benedicti plurimum contulit; nam disciplinæ regularis vigorem in monasteriis per totam Occitaniam Aquitaniamque diffusis vel excitavit, vel adauxit, vel tandem conservavit, ut patet ex capitulis generalibus, quorum exemplar in archivorum forulis ibidem reperitur. Plures summi pontifices diversis privilegiis eam exornarunt ut in decursu dicemus. Gregorius IX an. 1240 statuit ut ordo monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam ibidem institutus esse dignoscitur, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. *Ch. XLIV, col. 29.* Præterea sepulturam ipsius loci liberam, omnes libertates & immunitates a prædecessoribus suis concessas, nec non exemptiones secularium exactionum, a regibus & principibus, vel aliis fidelibus indultas auctoritate apostolica confirmat. Reges etiam Francorum beneficos se præbuerunt; Ludovicus VII rediens a S. Jacobo an. 1154 regiis litteris ratum habuit diploma, quod a Carolo Magno *Hist. Occit. tom. II, prob. p. 551.*

Ch. LXII, col. 52. concessum fuisse dicit. Philippus IV item rex 1306 facultatem tribuit exercendæ jurisdictionis temporalis & civilis in loco quem vocant claustrum B. Mariæ Deauratæ. Tolosæ comites Guillelmus & Alfonsus ejus nepos, aliique plures variis donis hunc locum nobilitarunt, & a papa Urbano II obtinuerunt ut ibidem fieret cimiterium suæ sepulturæ idoneum. Quod probavit Paschalis II jam citatus, addens hæc verba: quod si qua secularium personarum apud idem cœnobium sepeliri desideraverit, nullius prohibeatur obstaculo, nisi forte excommunicationis vinculo fuerit innodatus. Hinc locus iste postea factus quasi sepultura communis universæ civitatis. Verumtamen hic observare juvat hanc basilicam id sibi vindicasse semper, ut nullius defuncti corpus, cujuslibet dignitatis conditionisve existeret, infra murorum suorum ambitum terræ mandari unquam passa sit. Quam legem ipsi Tolosæ comites infringere ausi non sunt; sed se suosque posteros in arcuatis sepulcris lapideis affabre elaboratis, parietibusque ecclesiæ exterius affixis & suspensis sepeliri voluerunt.

(Ch. XIII, col. 13.)

Præter ingentem reliquiarum copiam, quas possidet hæc ecclesia, tituli etiam dominicæ crucis partem habere gloriatur. In altari præcipuo superne eminet lignea virginis Deiparæ Christum in ulnis gestantis statua, intra quam a priscis temporibus sacræ reconditæ sunt reliquiæ; quæ quidem statua gravissimis imminentibus periculis ad Capitolinorum, nomine totius urbis, voluntatem, e sede propria demittitur, & ad locum in quo malum urget magna cum pompa, populi universi concursu, præeuntibus sacris omnium ecclesiarum vexillis, defertur: & vix ac ne vix quidem frustra unquam, ut norunt omnes, ulla facta est solennis hæc demissio ac cerimonia. Jam pridem eo loci instituta fuit societas, vel ut vocant, confraternitas ejusdem beatæ Mariæ sine labe conceptæ, cujus statuta Bernardus de Rosergio Tolosanus antistes sub annum 1452 comprobavit, quæ successores ejus Hector de Borbonio & Gabriel de Grandimonte comprobarunt. Cognoscimus ex libro statutorum edito anno 1533 viros illustres huic dedisse nomina, inter quos præsides & consiliarios Parlamenti. Tum ergo Sodalitium istud frequenter a summis pontificibus laudatum & confirmatum, variisque indulgentiis, dotibusque fuit ditatum.

Proximum a cathedrali & collegiata sancti Saturnini in supplicationibus publicisque conventibus locum obtinet Deaurata. Insignita olim fuit doctorali cathedra, ut fidem faciunt tabulæ editæ an. 1441, ex quibus Hugonem *Hussoli* & Johannem *Arnaldi* monachos hoc munere perfunctos intelligimus. Ecclesias sequentes sibi subditas habet, nempe Dealbatam in urbe Tolosa, quam Deauratenses nostri presbyteris Oratorii dimiserunt anno 1620; S. Cyprianum quondam abbatiam monialium Benedictinarum, nunc vero in parthenonem (Ch. LXXV, col. 76.) A puellarum ordinis S. Francisci a priore Deauratensi anno 1464 conversum. Situs est in suburbio dicto de S. Cypriano ad occidentalem Garumnæ plagam, ubi extat ecclesia parochialis a Deaurata quoque pendens, quæ olim etiam dicta de sancto Cypriano, postea sortita est nomen S. Nicolai. His adde capellam SS. Petri & Martini titulo prioratus primum secularis tum regularis insignitam, quæ anno 1610, die 29 Septembris tradita est monialibus Ursulanis. Omitto prioratum S. Petri de Coquinis multis ab annis parochiæ deputatum, quem nullibi comperio Deauratæ subditum, sed potius fuisse collegium seu gymnasium B in quo juniores monachi Moissiacenses sacrarum scripturarum studio operam dabant. Ea quidem insigni prærogativa perfruitur, scilicet ut quotannis mense Maio a senatu & ædilibus proposita iis, qui arte poëtica antecellunt, prœmia ante majus altare prior vel alius ab ipso deputatus, assistentibus, quos senatus ædilesque delegavere, judicibus, dispensare soleat. Licet tandem sit solummodo conventualis prioratus, nullis est abbatiis inferior; adeoque quamdiu priores ejus regulares exstitere, baculo pastorali insigniebantur.

C Diversa plane ab Isarni mente inductus erat Johannes *de Lettes* episcopus Montis-albani & Moissiacensis abbas, ut pote qui jus in ecclesiam Deauratæ deferens effecit an. 1549, quantum in se fuit, ut ecclesia, quam Isarnus a secularibus clericis ad regulares transtulerat, tunc vero e regularibus ad seculares canonicos traduceretur. Verum ejus conatibus restitere monachi, nec a regulari tramite ut discederent unquam adduci potuerunt. Imo etiam monachos congregationis sancti Mauri e Parisiensi B. Mariæ Alborum-mantellorum cœnobio, D a clarissimæ memoriæ Saverio abbate sancti Savini & vicario generali archiepiscopi Tolosani, votisque universæ civitatis Tolosam evocatos, jamque ab anno 1623 in ædibus privatis, nempe in seminario sancti Ludovici eorum in gratiam sumtibus cardinalis *de la Valette* comparato & constructo stabilitos, annuente præfato cardinali, senatuque comprobante in hujusce loci possessionem immiserunt 29 Martii 1627, obtenta prius a summo pontifice istius cœnobii sejunctione ab ordine Cluniacensi v idus Februarii anni ejusdem. *Catel. comment. hist. Occitan. p. 266 & seq.*

E

Syllabus Priorum.

I. GIDBERTUS innotescit primus ex antiquo instrumento cartularii sancti Saturnini, partim latina, partim occitana lingua conscripto, in quo agitur de loco qui in ditione ecclesiæ Deauratæ situs erat. His dumtaxat verbis ille memoratur: *Gidbert prior S. Mariæ.* Quo potissimum anno beatæ Mariæ ecclesiam regere cœperit ac desierit, assignare haudquaquam possumus, quia instrumentum nullam temporis annotatam habet epocham. Hoc unum e tota instrumenti serie

ſcimus, ſub ipſis Iſarno præſule & Willelmo comite, qui eccleſiam S. Mariæ monachis Cluniacenſibus poſſidendam adminiſtrandamque tradiderant, fuiſſe priorem; adeoque aut primum aut ſaltem unum e primis exſtitiſſe.

Chart. XIV, col. 14. II. Radulfus eccleſiam B. Mariæ Dealbatæ ſibi reſtitutam ſuſcepit a Geraldo miniſtro hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani, uti colligitur ex reſcripto in clauſtro S. Saturnini, cura & ope Amelii epiſcopi Toloſani atque canonicorum S. Stephani confecto anno circiter 1109. Ea in charta nominatur Poncius Cluniacenſis abbas, ſic etiam Anſquilinus Moiſſiacenſis tamquam ſuperiores Deauratæ, ad quam eccleſiam Geraldus Dealbatam pertinere confitetur.

Chart. IX, col. 16. III. Raimundus I ſuperſtes an. 1121, ab Ildefonſo comite obtinet circiter annum 1125 ut ſuper Garumnam habeat & faciat in perpetuum pontem, qualem voluerit inter hoſpitale B. Mariæ & vicarios. Prioris dignitate jam ceſſerat an. 1128, ut patet ex charta in archivis ſervata, in cujus fine hæc ad eumdem pontem ſpectantia leguntur: *Hæc facta ſunt anno ab Incarnatione 1128, indictione VI, regnante Ludovico rege Francorum, Ildefonſo comite Toloſano, Willelmo epiſcopo Caturcenſi. ✠ Signum ſacriſtæ Raimundi qui fuit prior Toloſæ, &c.*

IV. Willelmus I 1130.

V. Raimundus II una cum Willelmo archiepiſcopo Auſcienſi circa annum 1135 compoſuit litem ortam Vivianum Lactorenſem epiſcopum inter & Guillelmum abbatem Moiſſiaci, de eccleſia S. Clari.

VI. Petrus I de Alta-ripa abdicavit anno 1141.

VII. Johannes I Oliva anno 1141 per ſuperioris ceſſionem præficitur.

VIII. Willelmus II an. 1150, idib. Sept. fer. 7, teſte Raimundo Toloſano præſule, juſſu Adriani papæ IV, in clauſtro S. Saturnini ſuburbii civitatis Toloſæ recuperavit eccleſiam S. Mariæ Dealbatæ, quam rector & fratres S. Remigii ordinis S. Johannis Hieroſolymitani injuſte vindicabant; ea conditione præmiſſa, ut Willelmus rectori ejuſque fratribus octoginta ſolidos largiretur.

IX. Petrus II S. Andreæ occurrit ad annum 1176, Lodoyco rege Francorum & R. comite Toloſano ſuperſtitibus; nec fides habenda Catello, qui, quod apud Rogerium legerat priorem B. Mariæ hoc anno adſuiſſe concilio Albienſi, ideo putat fuiſſe priorem Deauratæ. Sed in hoc corrigendus ex Labbæo, qui tom. X concil. coll. 1471 & 1479 oſtendit hocce concilium fuiſſe Lumbarienſe: & priorem de quo agitur fuiſſe Guidonem priorem B. Mariæ de Montepeſſulano. Non moror etiam ex Labbæo iſtud concilium aſſignandum eſſe anno 1165, contra quam ſenſerat Catellus, qui illud ad annum 1176 cum Binio aliiſque referebat.

X. Guillelmus III abbas Lezatenſis & hujuſce monaſterii prior dedit anno 1177 licentiam conſtruendi *Paxeriam* & molendinum Badaclei, molendinorum omnium Galliarum præſtantiſſimum. A Thoma eccleſiæ Dealbatæ capellano in Hiſpaniam mox profecturo, eamdem eccleſiam curandam adminiſtrandamque ſuſcepit, tali pacto ut ſi infra ſeptennium Thomas rediret, præfatam eccleſiam cum omni jure ſuo recuperaret; ſi vero uſque ad ſeptennium non reverteretur, vel decederet, exinde prior jus & poteſtatem haberet prætaxatam eccleſiam ordinandi. Subſcripſit an. 1184 chartæ donationis cujuſdam hoſpitalis factæ Bertrando abbati Moiſſiacenſi. Cartl. ibid. p. 215.

XI. Bernardus I de Monteſquivo præerat an. 1186. Ipſe quibuſdam monachis atque laïcis ſtipatus ſignificavit feria ſexta Septemb. an. 1190 Raimundo Toloſæ comiti ſe ſuoſque prædeceſſores a tempore Caroli Magni in Garumna portum habuiſſe. Quod Raimundus comes confirmavit. Eodem anno XIV cal. Novemb. monaſterii poſſeſſiones a Clemente III papa curavit firmari. Ch. XXXIX, col. 26. Eo annuente Brunus Baranonus eccleſiam pro leproſis in parochia B. Mariæ Deauratæ ædificavit anno 1191, Fulcrando epiſcopo. Controverſiam habuit an. 1192 cum Raimundo Gauterio, quam ſopivere Toloſani conſules. Hiſt. Occit. t. III, prob. col. 171. Dedit in feodum cuidam alteri Bernardo an. 1194, die 2 Junii, totam ripam Garumnæ ad faciendum ibi molendinos, quantos ibi facere voluerit, piſcationis decima ſibi reſervata. Idemque jus piſcationis in Garumna confirmari ſategit anno 1197.

XII. Robertus memoratur diverſis in locis 1201, 1203, 1206.

XIII. Ademarus 1209. Obiit ex necrologio die 3 Aprilis.

XIV. Arnaldus I *d'Arragon* occurrit ad annos 1225 die 25 Septemb. & 1228, quo N. *d'Albs*, forte Petrus qui ſequitur, tunc Deauratæ capellanus & procurator ejuſdem Arnaldi, conceſſit quemdam fundum terræ hoſpitali dicto *Novelli*, pro ædificandis domibus ad uſus pauperum, ſub annua duodecim denariorum Toloſanorum penſione, in feſto S. Thomæ, Raimundo Toloſæ comite & Fulcone epiſcopo.

XV. Petrus III *d'Albs* legitur ad annum 1230. Pactionem iniit 1234 cum Raimundo præſule, qua definitum eſt territorium Decumanum ſpectans ad Deauratam. Cum conſulibus Toloſæ controverſiam habuit, quæ per electos utrinque judices hoc modo ſopita eſt anno 1238, nimirum ut præcitati conſules forent participes proventuum pontis novi, id eſt pontis Deauratæ, quo eum reparare poſſent, quotieſcumque opus eſſet. Ch. XLIII, col. 29. Ch. XLIV, col. 29. Romæ verſabatur annis 1240 & 1241, ubi tum a ſummo pontifice Gregorio IX prædiorum eccleſiarumque monaſterio ſubjacentium confirmationem, tum a diverſis baſilicis, S. Johannis Lateranenſis, ſancti Pauli via Oſtienſi, ſed potiſſimum ſancti Adriani & ſanctæ Bibianæ Ch. XLV, col. 31. Ch. XLVI, col. 32. Ch. XLVII, col. 34. Ch. XLVIII, col. 35.

quamplurimas sacrarum reliquiarum particulas impetravit.

XVI. Arnaldus II *d'Arragon* scribitur in instrumento dato die 14 exitus mensis Nov. 1245, Raimundo tunc episcopo Tolosæ. Forte nepos vel propinquus erat Arnaldi de quo modo egimus.

XVII. Bertrandus I de Monte-acuto recensitus ad annos 1248 & 1251, die 12 Julii, confirmavit concessionem molendinorum Badaclei recens constructorum 1254. Eodem anno ab Innocentio IV donatus fuit indulgentiis per litteras datas Assisii v cal. Junii. Cum Raimundo episcopo commutavit x die exitus Novembris an. 1254, ecclesiam sancti Martialis de Bello-podio, pro ecclesiis sancti Martini de Portello, S. Andreæ prope Portellum, S. Sigismundi & S. Christinæ, cum omnibus decimis & juribus universis ad easdem ecclesias pertinentibus.

Chart. LII, col. 38.

XVIII. Bernardus II *de Geniés* possessionem accepit an. 1263, statimque locum ubi pons Deauratæ desinit, qui quondam fuit pratum a monasterio dependens, hospitali S. Jacobi tradidit, ut ibidem domus construerentur ad excipiendos alendosque pauperes. Haud multo post id hospitale adeo insigne evasit ut cætera absorbuerit. Deauratenses nostri in signum jurisdictionis majus sacrum solenni ritu die festo S. Jacobi quotannis ibidem faciunt.

XIX. Galhardus I de Monte-raberio recensetur in quodam instrumento facto die 12 introitus mensis Augusti 1265, Ludovico rege Francorum, Alphonso Tolosano comite, Raimundo episcopo.

XX. Bertrandus II de Monte-acuto laudatur in veteri syngrapho ad annum 1277, die sexta introitus mensis Junii. Nepos superioris Bertrandi fuisse creditur.

XXI. Galhardus II de Miramonte 1287, 1289. Ejus ætate Nicolaus papa IV tribuit indulgentias his qui ecclesiam Deauratensem visitarent in festis beatæ Mariæ anno 1291 nonis Februarii. Adhuc superstes 15 Januarii 1295.

XXII. Jacobus presbyter cardinalis tituli sancti Clementis Galardo a summo pontifice subrogatus obtinebat an. 1298.

XXIII. Raimundus III Bernardi de Aspero-monte post mortem Jacobi cardinalis prioratum invasit, & eo nomine 12 mensis Aprilis 1298 a consulibus Tolosæ statuendum curavit priorem & monachos Deauratæ dominos esse Garumnæ a sancto Hilario ad castellum usque S. Michaëlis. Sed nec diu prioratu pacifice fruitus est, ut cognoscimus ex litteris abbatis Moissiaci, a quo excommunicatus & ad claustrum Moissiaci redire jussus est an. 1299, vi non. Martii.

Ch. LX, col. 48.

XXIV. Amelhius dictus etiam Emilianus *de la Chastaneraye*, ex majore priore Moissiaci in locum Bertrandi expulsi suffectus fuit anno 1300. Dedit anno 1303, rogante Johanna regina Francorum, hospitale S. Jacobi veteris apud Tolosam Guillelmæ *d'Ayde* & nonnullis ejus sociabus, quas sorores B. Mariæ Deauratæ vocari voluit, easque in præcitato loco pauperibus inservituras stabilivit; præmissis his conditionibus, ut abbatissam, priorissam, seu aliam prælatam sibi eligere non præsumerent, sed prioribus Deauratæ parerent. Quas conditiones si non tenerent, vel conversarentur ibidem inhoneste, inde discedere cogerentur. Quibus auditis, sorores illæ priori obedientiam promiserunt; statimque Guillelma aliarum majorissa & gubernatrix ab ipso instituta est. Reperitur Amelius & anno 1304. Curavit 1305, die Martis post festum Omnium-sanctorum, plures reliquias thecis aureis, argenteis, aliaque materia decenti includi; participesque effecit omnium Deauratæ piorum operum eos, qui ad capsas fabricandas aliquid e suo erogare haud dubitarent. Eodem anno & sequenti apud regem Philippum IV monasterii sui jura a regiis ministris usurpari sæpe conquestus est haud incassum; nam ab ipso litteras obtinuit de exercenda jurisdictione temporali in loco vocato claustrum B. Mariæ Deauratæ. Coegit anno 1308, die 9 exitus mensis Junii, Raimundum Bernardi de sancta Arthemia rectorem ecclesiæ quondam sancti Cypriani, hodie S. Nicolai, ad solvendum quemdam annuum reditum cæteraque jura exhibenda, quibus hæc parochia jam dudum obligata fuerat erga Deauratam. Vixit ad annum usque 1309.

Ch. LXI, col. 50.

Ch. LXII, col. 51.

XXV. Bonifacius qui & Bonofossius, vel Bonofucius seu Bonafocius de Duro-forti; varie enim in variis actis chartisve legitur ejus nomen. Ex priore de Pomerio vico huic loco præficitur die sexto exitus mensis Augusti 1309. Memoratur an. 1312, quo Bertrandus prior de Ripistagno ab abbate Moissiaci jussus est ut hocce monasterium visitaret, statuta quædam ad regularem observantiam spectantia conditurus. A Galhardo episcopo Tolosano litteras in monasterio Grandis-silvæ an. 1313, die Purificationis datas suscepit, quibus ille episcopus significat prioratum Vallis-Beraudi esse patronatus ecclesiæ Deauratensis, moxque addit, quamvis hunc contulerit prioratum, se id non fecisse nisi de authoritate sedis apostolicæ & pro una tantum vice. Jurgium habuit an. 1331 cum Geraldo de Bordis clerico, super decimis S. Liberatæ. Annonam monachis erogandam constituit 10 Septemb. 1334. In processionibus & in divinorum officiorum solennitatibus baculo aureo vel argenteo utendi facultatem impetravit a Clemente VI, an. 1 pontificatus, id est 1342, xi cal. Decemb. Annuit compositioni initæ inter abbatissam S. Claræ & rectorem Dealbatæ 1355. Dedit mense Aprili 1358 Johanni comiti Pictaviensi trecenta denaria aurea, ea mente obtinendi veniam rebellionis ab indigenis de Gardella admissæ in judicem Rivensem qui fossores quosdam Castrenses comitis Armaniaci Occitaniæ proregis mandato

Ch. LXXI, col. 63.

Vading. annal. minor. t. IV, instr. pag. 50 & seqq.

conscribebat. Adhuc superstes 1361, cujus obitus notatur in necrologio III id. Septemb.

XXVI. Guillelmus IV *de l'Orme* ad instar decessoris sibi suisque successoribus ab Urbano V licentiam obtinuit utendi baculo pastorali tempore officii divini, anno 1363, VI id. Novemb. & Dec. nec non & alteram bullam XIII cal. Julii 1365. Idem Baluzio videtur ac Guillelmus, qui ex abbate S. Illidii, Casæ-Dei in Arvernis factus est abbas a Gregorio XI anno 1376. Jam adnotavimus tom. II, col. 327, Guillelmi nullam fieri mentionem in abbatibus S. Illidii. Nolim tamen asserere id monasterium ab eo numquam administratum fuisse; etenim in tabulis episcopatus Claromontensis legitur monachis sancti Illidii, post translationem Stephani ad abbatiam S. Victoris Massiliensis, facultatem factam fuisse abbatis eligendi, proindeque dicunt ab Urbano V in hac abbatia institutum fuisse unum vicarium generalem cum omnimoda potestate propter Stephani absentiam. Unde conjicere fas esset Guillelmum nostrum vel abbatem vel vicarium generalem sancti Illidii exstitisse primis circiter annis pontificatus Urbani V, (cujus extat bulla ad Deauratenses data XIII cal. Julii 1365) & inde translatum ad Casam-Dei, non anno 1376, ut ait Baluzius, sed anno 1366 aut an. 3 Urbani V, ex schedis D. *Suarez*, sedem occupaturum Guillelmi Gauterii ad S. Medardum Suessionensem nuper translati, qui non ex priore Deauratæ, ut diximus tom. IX, col. 420, sed ex abbate Resbacensi, ad Casam-Dei promotus fuerat.

Baluz. not. ad vit. pap. Aven. t. I, col. 1433.

XXVII. Bernardus III de Maloduno ab Urbano V diversas obtinuit bullas, & præsertim anno 1369, die 15 Decembris, ut ecclesiæ sibi ereptæ cum proventibus restituerentur; ac ut hospitale sub nomine Sancti Spiritus, juxta portas ecclesiæ Deauratæ nuper constructum, non amplius existeret. Pastorale pedum adhuc obtinebat 1370.

XXVIII. Bernardus IV Fabri reperitur ad annos 1372, 1374, 1377. Obiisse dicitur anno 1388.

XXIX. Raimundus IV *de Vairac* licentiatus in decretis obtinebat an. 1388. Ejus tempore Johannes magister generalis ordinis Carmelitarum litteras exhibuit anno 1397, die 8 Decembris, quibus sodalitio B. Mariæ sine labe Conceptæ ea in ecclesia jam a multo tempore instituto concedit participationem omnium bonorum spiritalium quæ per se & fratres ejusdem ordinis ubique terrarum dignabitur operari clementia Salvatoris. Sub ipsius Raimundi moderamine Johannes *de Capdenier* vir nobilis an. 1401, die 9 Julii Deauratenses monachos, excluso priore, sub quibusdam conditionibus heredes suos constituit. Adhuc erat prior Deauratæ an. 1402. In Moissiacensem abbatem electus, confirmatus est a summo pontifice an. 1407, III id. Januarii.

XXX. Johannes II de Maullio decretorum A doctor a Benedicto papa litteris Massiliæ apud S. Victorem datis 18 Januarii 1407, mandatum accepit litem dirimendi inter Fortium abbatem Caduini, diœcesis Sarlatensis, & Arnaldum de Caramanno Nigræ-pelissæ, diœcesis Montalbanensis dominum. In Vivis adhuc erat an. 1413.

XXXI. Guido I *de Vairac* prior erat die 5 Octobris 1413, ut constat ex instrumento ad nobilem familiam *de Guiscard* spectante. Inde translatus ad Moissiacum paulo citius, ni fallor, quam diximus tom. I, col. 170.

XXXII. Raimundus V de Arentis vel B Arenxiis illicito concubitu genitus, in jure canonico doctor & professor apud Tolosam, Johanni comiti Armeniaci a consiliis, prioratu, quem obtinuerat in commendam, fruebatur anno 1415, quo Petrus de Rocasello prior claustralis, postea abbas Aniacensis, concilio Constantiensi interfuit, biennioque post domum a Margarita de Tarrida comparatam laudavit die 5 Aprilis. Raimundi tempore sodalitium immaculatæ Conceptionis a Johanne magistro generali Carmeli, sive ab eodem qui supra, sive ab aliquo alio omnium piorum operum ordinis Carmelitani effectum C est particeps, prout testantur ejus litteræ Tolosæ datæ 28 Februarii 1425, in quibus Johannes ejusdem sodalitii confratrem esse se profitetur atque gloriatur. Abbatum Moissiacensium auctoritatem excutere tentavit Raimundus anno 1428. Sub ejus moderamine monasterium integrum conflagravit an. 1429. Post quod incendium monachi spoponderunt ut per se suosve parentes monasterium restituerent, modo eo loci, quamdiu viverent, remanerent perpetuo. Cui conditioni assentitus est Guido abbas Moissiaci 10 Junii anni D ejusdem. Inde morum depravatio, inde origo vitiorum, quibus extirpandis iterum atque iterum at frustra remedia allata sunt, ut in decursu dicemus. Monachorum numero Raimundi molimine ad quindecim redacto, claustralia quidem officia abrogare molitus est ut reditus suas ad partes attraheret, sed ejus conatus irritos fecit monachorum ad cardinalem Fuxensem in Occitania legatum appellatio 20 Maii 1437. Ab Eugenio IV pontifice prioratu sancti Orientii Auscienesis meritorum intuitu donatus est anno 1441, ut diximus tom. I, col. 1020. Ubi vero Raimundus E hoc prioratu potitus est, Moissiacensis abbas Deauratam Amalrico uni ex suis monachis regendam commisit. Quod ægre ferens Raimundus litem movit in foro ecclesiastico Tolosano, quæ sopita tandem est ejus obitu anno scilicet 1449 mense Junio.

XXXIII. Amalricus *seu* Amalarius *de Senerges* vir bonæ vitæ & honestæ conditionis & conversationis, baccalaureus in decretis, ex cellerario Moissiaci ab Aimerico episcopo Montis-albani & abbate Moissiacensi, ab anno 1441 hujusce loci regimini præfectus post translationem Raimundi ad S. Orientium, renunciatus

renunciatus est prior an. 1449, die 5 Julii, præstitoque fidei juramento possessionem iniit 17 ejusdem mensis. Excommunicationis sententia plexus est, ex eo quod fuerat in mora solvendi nobili viro Cosmæ *de Medicis* & mercatoribus Florentinis Romanam curiam sequentibus, summam nonaginta scutorum, in quibus cameræ apostolicæ efficaciter & ultime erat obligatus. Statuta sodalitii immaculatæ Conceptionis in ecclesia Deauratæ a retroactis longe temporibus erecti, nondum ulla auctoritate episcopali, nedum papali roborata, jam tandem a Bernardo de Rosergio archiepiscopo, una cum Amalrico nostro correcta & in optimam formam redacta fuere an. 1452, die 10 mensis Octobris, ipsique nomen sodalitio dederunt. Quorum vestigiis deinceps insistentes plurimi præsules, cardinales, Parlamenti præsides & consiliarii, aliique viri nobiles in sodalium album adscribi certatim ambierunt. Cum post mortem Aimerici abbatis Moissiaci in priorem nostrum aliquot monachorum vota conspirassent, Tolosani senatus auctoritate abbatiam sibi vindicare conatus est, sed incassum. Quapropter indignatus is debitam Petro abbati subjectionem negare meditatus, consentaneum desideriis suis diploma fictitiis aliquot rationibus a Nicolao V impetravit, verum Petrus, detecta fraude, aliis a Callisto III litteris obtentis an. 1456, VI id. Junii, Amalricum compescuit. Eodem anno hic in abbatem nescio cujus monasterii electus, quem Petrus abbas Moissiacensis ejusque superior denegaverat acceptandi consensum, hunc ab Odone Cluniacensi tamquam a primo superiore suscepit an. 1456, die 22 Februarii. Ipsum autem, atque Garsiam de Merloto sacristam prioratus S. Licerii diœcesis Tarbiensis, in magno tumultu & seditiose electos, Alanus cardinalis S. Praxedis & Bernardus archiepiscopus Tolosanus ea in causa judices constituti exauctorarunt, eorum in locum sufficientes Oliverium de Morlhone. Abbatiam sancti Cypriani in cognomini suburbio olim priori & monachis Deauratæ subjectam, tunc vero a monialibus Benedictinis relictam, sub certis conditionibus possidendam tribuit puellis tertii ordinis sancti Francisci 20 Julii 1464. Eodem anno vel superiori, prima hebdomada Maii monasterium cum maxima civitatis parte flammis deletum fuisse docet chronicon ecclesiæ S. Pauli Narbonensis. Cujus loci reparationi sicut & monachorum necessitatibus providit Amalricus, ut constat ex pacto eum inter & monachos confecto 31 Octobris 1465. Eumdem esse dicunt atque Amalricum, qui sedem episcopalem Vasionensem assecutus est an. 1479, de quo jam locuti t. I, col. 934.

Ch. LXXV, col. 76.

5 Si fides aliquibus adhibeatur, Johannes *de Bourbon* episcopus Aniciensis, cujus fit mentio tom. I, col. 882; tom. II, col. 732; tom. IV, col. 1158, pastorale pedum obtinuit ad annum circiter 1480.

XXXIV. Johannes III *de Morlon*, Antonii Parlamenti Tolosani præsidis filius, & quidem ipse consiliarius, juris professor, & sedis apostolicæ protonotarius, prioratum adeptus est in commendam anno 1480. Cœnobii bona pessumdedit & plures monachis suscitavit lites. Quæsito reformationis colore, abbatem Moissiacensem in monasterium evocavit, qui anno 1483, die 15 Februarii, multa statuta prescripsit, sed incassum, nam an. 1507, penultima die Junii, Johannes *d'Oriole* episcopus Montis-albani a cardinale Georgio *d'Amboise* in capitulum accessit ut monachos ad regularem disciplinam reduceret. Vixisse traditur Johannes ad usque finem anni 1522 vel ad initium sequentis.

XXXV. Johannes IV *de Narbone* abbas Moissiaci post mortem superioris pontificia dispensatione, nec non Tolosani senatus decreto regimen adeptus est anno circiter 1523, devicto Antonio *Berald* competitore. Anno sequenti 29 Maii Stephanus *Gentils* prior S. Martini a campis regiis munitus litteris cœnobii reformandi causa advenit, & quasdam leges monachis observandas & ipse frustra constituit. Memoratur Johannes ad annos 1531, 1532, 1533. Lis magna & gravis exorta est inter illum & fratrem Rogerium de Nuptiis, qui creatus prior claustralis dignitatem suam contra jus Johannis a Parlamento Tolosano perpetuam curavit declarari. Se abdicavit Johannes a regimine 1534. De eo jam locuti sumus in abbatibus Moissiaci, tom. I, col. 171; & in episcopis Biterrensibus, t. VI, col. 366.

XXXVI. Bertrandus III *de Narbone* superioris germanus, protonotarius apostolicus, per cessionem adeptus prioratum 1534, eum sequenti transcripsit 1538.

XXXVII. Antonius I *d'Oriole* abbas Guardæ-Dei, simulque prior sancti Petri de Bridonio, occurrit an. 1539. De vita cessit de monasterio benemeritus die 24 Novemb. 1542. Sepultus in medio capituli cum epitaphio, quod lege si lubet inter instrumenta primi voluminis, p. 47.

XXXVIII. Guido II *du Val* natione Picardus, loci monachus, post obitum Antonii, rogante Imberto *de Saveuses* libellorum supplicum magistro, ab abbate Moissiaci, vi indulti pontificii dictus est prior 3 Januarii 1543. Attamen plures sustinuit æmulos, puta Bertrandum de Narbona præcitatum tunc abbatem de Guarda-Dei, & Gilbertum de Manso item Deauratæ monachum, qui ambo anno 1547, die 13 Augusti decreto supremi consilii de sua spe submoti fuere. Inter litium anfractus & discrimina monachi regem adire coacti sunt, ut vitæ necessaria sibi denegata perciperent.

XXXIX. Antonius II *de Saveuses*.

XL. N. *de Calviere* obtinebat ad annum 1554.

XLI. Georgius *d'Armagnac* cardinalis archiepiscopus Tolosæ, obtinebat 10 Junii

1560. Occurrit & annis 1562, 1572. Assensum præbuit 7 Aprilis, die Paschæ 1577, ut Johannes *de la Barriere* abbas Fuliensis ea in basilica benedictionem ab episcopo Lombariensi sacris operante perciperet. De eo vide col. 56.

XLII. Jacobus *de Villemur* superioris cessione factus prior an. 1578, per publicum instrumentum supplicatus est a procuratore Deauratæ die 11 Novembris 1581, ne in monachorum decedentium locum monachos nisi e stirpe nobili sufficeret. Emit 16 Aprilis 1585 a Georgio cardinali *d'Armagnac*, baroniam *de la Caussade*, pro 15000 scutis aureis. Cessit & ipse in gratiam sequentis.

XLIII. Franciscus *de Joyeuse* cardinalis, Tolosanus archipræsul successit an. 1591, die 23 Decemb. Ejus institutioni monachi in temporalibus quidem consenserunt, in spiritualibus vero restituerunt, nec unquam adduci potuerunt ut, dum ille in possessionem prioratus pedem poneret, sinerent loca regularia ab eo perlustrari. Hic quoque ultro prioratu cessit 1598.

XLIV. Johannes V *d'Affis* præpositus S. Stephani Tolosani ac postea Lombariensis episcopus obtinuit 1598. Monialibus sanctæ Ursulæ Tolosam nuper accessis dedit 29 Sept. 1610 capellam S. Martini juris Deauratæ, ea conditione ut ipsarum capellanus, quem ipsemet suive successores instituerent, omnes & singulas missas prioris nomine celebraret, quibus hacce in capella celebrandis prior Deauratæ teneretur. Tenentur etiam eædem moniales die festo S. Ursulæ ad majus sacrum celebrandum priorem Deauratæ invitare, nec sinere aliumquempiam, præter ipsum si velit, hac die missarum solemnia celebrare. Obiit anno 1614.

XLV. Marcus I *de Calviere* Parlamenti Tolosani senator, Johannis consanguineus, possessionem iniit 8 Maii 1614. Ecclesiam B. Mariæ Dealbatæ cum jure nominationis cessit anno 1620 presbyteris Oratorii, præmissis hisce conditionibus, ut eadem obirent munia quæ presbyteri antecessores, & in primis quotiescumque peragendæ forent processiones, in Deauratam convenirent cum ministris ecclesiæ S. Nicolai, Deauratenses nostros ad locum designatum deducturi. Cum monachis congregationis S. Mauri pactum iniit 23 Augusti 1624 de reformatione in Deauratam inducenda. At hora nondum advenerat.

XLVI. Marcus II *de Calviere* præcedentis nepos successit anno 1624, die 22 Novemb. Eo favente & papa laudante Deauratenses reformationi nomen dederunt 29 Martii 1627. Fato functus est 3 Augusti 1635. Sepultus in ecclesia cathedrali, in sacello B. Mariæ post majus altare S. Stephani.

XLVII. Jacobus-Carolus *Amelot.* Post obitum Marci insurrexerunt tres competitores, scilicet Antonius *de Calviere* superioris nepos, A Petrus-Thomas Tolosas & Jacobus-Carolus *Amelot*, qui prioratum sibi vindicare voluit indulto pontificio nomine Antonii *le Villain* vel *Velain* monachi ulterioris portus obtento. Diu inter se disceptarunt, sed tandem vicit Jacobus, obtinebatque anno 1648, quo se abdicavit uxorem ducturus. Fuit item abbas Hermeriarum & Allodiorum. Duos vel etiam tres sui nominis gentisque successores in hocce prioratu habuisse dicitur.

XLVIII. Natalis-Franciscus *de Brion* 1692.

XLIX. Johannes-Baptista *Bourdet* monachus congregationis sancti Mauri, natus annos 72 B obiit 1750 in monasterio S. Germani a pratis, sepulturam habuit penes sacellum B. Mariæ. Pluribus annis ante mortem prioratum dimiserat.

L. Benedictus *de la Borde.*

MANSUM-GARNERII.

MAS-GARNIER. MAS-DE-VERDUN.

Qui Mastracurii cœnobium Aquitaniæ memoratum an. 817 in synodo Aquisgranensi, tempore Ludovici pii, pro S. Petro de Curte vel Manso-garnerii usurpant recentiores, ariolari gestiunt ob quamdam nominis affinitatem, quæ rem ipsam penitius inspi- C cienti nulla videbitur. Quippe sancti Petri monasterium veteres de curte tum de Curia dixerunt; Garnesium alii vel Garnense; postremo cæteri indiscriminatim de Manso, de Manso-Garnerii & de Manso-Virduni cognominarunt. Quæ deinceps appellationes cæteras antiquarunt.

Positum est id monasterium ad meridionalem Garumnæ ripam in peramœna colle, quinque ab urbe Tolosa leucis eorum versus, tribus a castro Virduni & a Grandis-silvæ monasterio milliaribus. Vetus notitia Lezatensis chrono- D logiæ vitiorum etiamsi non immunis, sed in multis innixa authenticis monumentis, ejus originem revocat ad annum 940, eamque tribuit comitissæ Ameliæ uxoris Atonis Benedicti, qui & Lezatense monasterium condidit. Duobus hisce conjugibus *cum ullo modo votivis nec oratione concederetur quatenus ex eis heres vel filius nasceretur, consilium cepere quod pro omnium parentum suorumque peccatorum remissione uterque in proprio fundo & propria hereditate, reverentia Dei & nomine Petri Apostolorum principis singula cœnobia & monasteria construerent vel ædificarent, tali pacto, talique decreto,* E *ut alter ex monasteriis serviat atque obediat alteri, in quo melius regularis norma habetur & servatur. Uno eodemque igitur tempore operam dantes labori, alter ædificans juxta fluvium Garumnæ monasterium S. Petri de Curte; alter autem Ato Benedicti vicecomes in proprio jure & paterna hereditate .... ædificans Lesatensem ecclesiam, abbatem & monachos secundum S. Benedicti regulam Domino servientes inibi constituit.* Eo in scripto statuitur ut ibi regularis disciplina longius viguerit, monasterium alterum sibi habeat subditum. Sane plus viguit in Lesatensi, nam anno 993 Johannes papa XV ad Guarinum

Lesatensem abbatem bullam direxit, qua ei confirmat generalem administrationem quinque monasteriorum, nimirum Lesati, Mansi-Garnerii, S. Hilarii Carcassonensis diœcesis, B. Mariæ Alectensis & sancti Michaëlis de Coxano. Summus hic pontifex de hisce monasteriis loquens *nostra* vocat, unde conjicimus ea ab initio fundationis Romanæ ecclesiæ sine medio subjecta fuisse. Re quidem vera monachos uniuscujusque cœnobii stabilivit in bonorum suorum possessione, & in jure eligendi suos abbates, a quolibet episcopo absque ulla mercede benedicendos. Prætere a vetat ne quis episcopus ullum auctoritatis actum exerceat in istis ecclesiis, quas suæ suorumque successorum jurisdictioni unice vult esse subjectas.

Marca Hispanica, col. 966.

In concilio Claromontano habito an. 1095 Seguinus Lesatensis abbas apud Urbanum II conquestus est de abbate Curtensi, ex eo quod obedientiam sibi debitam præstare denegaret. Re ad arbitrium archiepiscopi Toletani delata, jussit hic præsul ut locus ille Lesato remaneret subjectus; Curtensisque abbas promisit se perpetuo fore obedientem imperiis Lesatensis; at fidem datam fefellit, præfato enim abbati cum pluribus monachis ad Curtense monasterium accedenti, secundum sancti Benedicti regulam illud ordinaturo, totis viribus obstitit, monachos etiam Moissiacenses jussu Brunonis apostolici legati eo introductos magno cum dedecore expulit. Hæc omnia comperimus ex epistola quam contra Curtenses ad Pascalem II scripsere Cluniacenses circiter annum 1112. Curtenses tandem ut Lesatensium aliorumve monachorum dominationem effugerent, Clusino B. Michaëlis asceterio in Sabaudia sito se emanciparunt, præmissis hisce conditionibus, ut non visitationis modo jus & correctionis Curtensium penes Clusinos esset, sed etiam circa temporalium administrationem, maxime vero confirmationem abbatum auctoritas eorum versaretur. Innocentius papa IV in litteris ad abbatem Clusinum scriptis an. 1245, omnes possessiones, monasteriaque ei subjecta enumerans, Mansum-Garnerii non prætermittit.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 386.

Estiennot. Antiquit. Vasconiæ, part. I, p. 609.

Forto Guillelmus vicecomes in donatione B. Petro de Curte collata anno circiter 1015, Apostolorum principi virginem Deiparam & S. Gerontium patronos adsciscit. Eodem seculo videlicet ad annum 1060 aut circiter erat in Savensium partibus quidam desertus locus antiquum demonstrans sancti Licerii ecclesiæ vestigium; quem in locum dum adventasset Aymardus Curtensis monachus, rusticos ob neglectum Sancti cultum increpavit, & a Willelmo Unaldo nec non a Raymundo Arnaldi de Modlone-villa, & Arnaldo *d'Arsi* militibus, locum prædictum suo monasterio dimittendum curavit, probante Gausrido de Quater-podio supremo loci domino.

Hist. Occit. ibid. col. 169.

Ibid. col. 236.

Quot & quantis a Franciæ regibus, comitibusque Tolosæ & aliis optimatibus hæc abbatia donata fuerit privilegiis, omnia & singula per documentorum funestam direptionem non licet in lucem proferre. Plures prioratus habet a se pendentes, duos nempe in diœcesi Tolosana & tres alios in diœcesibus Montalbanensi, Condomiensi & Cadurcensi. Septem etiam parochiales ecclesias ministris instruit. Annuum vectigal frumentarium a Præmonstratensibus Capellæ de Mervilla suscipit.

Diversis temporibus varias clades experti fuere Curtenses: in bellicis Albigensium motibus, cum Tolosano comiti domino suo favere crederentur oppidani, castrum atque monasterium Simon de Monte-forti obsidione cepit an. 1216, & utrumque militibus diripiendum exposuit; nec minora passi sunt ab Anglis circumpositam regionem ferro flammaque vastantibus. Disciplinam pene collapsam ædesque ruinosas ut restitueret nihil non tentavit Geraldus abbas. Hic quantopere spiritalibus temporaneisque rebus reparandis desudarit apprime testantur litteræ Innocentii VIII. Quam feliciter sub Gerardo creverat domestica res, tam propere post ejus mortem cum disciplinæ studio diffluit. Johanne quippe cardinali, Johanne item de Castanha & Antonio *de Carman* abbatiam sibi vindicantibus, partem quisque suam diripuit. Cum vero Antonius rerum potitus esset, quos prius infensos ac renitentes senserat monachos, modis omnibus afflixit, adeo ut vix ac ne vix quidem illis vitæ necessaria suppeterent. Dissidia hæc magnam regulari normæ labem intulerunt. Majoribus tamen patuit ruinis monasterium ad diem 3 Martii 1574, quo illud invadentes Calvinistæ, diris monachos affecere plagis, ac domo fugarunt, sacram suppellectilem, Sanctorum exuvias, cartas, libros, mss. codices incendere; ecclesiam aliaque ædificia regularia susdeque partim igne, partim ferro evertere.

Curtenses abjecto fœdere, quod cum congregatione exemtorum inierant an. 1607, cum monachis S. Mauri de introducenda reformatione pactum fecerunt an. 1640, die 25 Augusti, quod ratum habuit curia suprema Parlamenti 11 Februarii 1643. Eodemque anno San-Mauriani ad castrum Virdunense accedentes sedem ibidem fixere usque ad annum 1661, quo, octo cellulis vix exstructis, convenerunt ad Mansum, ubi primum divina celebrarunt die 1 Novemb. Hancce domum, quali statu nunc videtur, a fundamentis instaurarunt. Hi autem sunt abbates quos tum ex archivis monasterii tum ex aliis antiquis monumentis depromsimus.

ABBATES.

I. HUGO an. 993, sub regimine Guarini abbatis Lesatensis, cui Mansi & quatuor aliorum monasteriorum generalis cura fuerat commissa, præerat abbatis titulo insignitus, ut constat ex bulla Johannis papæ XV, data mense Junio ejusdem anni, indict. VI. Huic Forto Guillelmus vicecomes bene multa concessit ad annum circiter 1015, tempore Rotberti regis.

Marca Hispanica, col. 966.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 169.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 281. II. Raymundus I reperitur anno 1070. A
A quibusdam proceribus accepit an. 1071, VIII id. Decemb. feodum & ecclesiam beatæ Mariæ de Gaia sitam in diœcesi Tolosano, testibus Guillelmo Tolosatum comite & Isarno qui eo anno episcopatum adeptus fuerat. Morti proximus an. 1089, IV non. Novemb. fer. VI, is una cum Petro de S. Ceserto, centum solidos Tolosanos dedit Poncio Arnaldi, Atoni & Aymardo fratribus pro comparanda medietate ecclesiæ de Ocamsvilla.

Ibid. col. 324. III. Bertrannus I suscepit a Poncio Arnaldi & ejus conjuge Meroelda medietatem ecclesiæ de Ocamsvilla, pro cujus acquisitione centum B
solidos jam contulerat Raimundus. Alteram ejusdem ecclesiæ partem acquisivit ab Arnaldo Gausberto principe castri Virdunensis, datis 90 solidis monetæ publicæ fer. VI in vigilia Epiphaniæ, regnante Philippo rege, id est anno 1095. Eodem rursus anno maximam habuit controversiam in concilio Claromontano cum Seguino Lesatensi abbate, cui obedientiam præstare recusabat. Ab archiepiscopo Toletano judice instituto ad vadimonium venire jussus obedire noluit, quin etiam de concilio præcipitanter ausugit. Sed paulo post ab eodem archipræsule ejus consanguineo per- C
ceptis minacibus litteris, convenit abbatem Lesatensem & ipsi satisfactionem fecit. Habuit & alteram litem cum abbate Moissiacensi anno 1106, ut patet ex querimonia ecclesiæ Cluniacensis ad Pascalem II directa an. 1112.

Chart. XX, col. 17. IV. Johannes I Ludovico Francorum rege, Alfonso Tolosæ comite atque Amelio episcopo superstitibus, quarta parte ecclesiarum *de Vivers* & S. Saturnini fuit donatus a Guillelmo *de Bessengs* & Maria ejus uxore: ea propter Odonem eorumdem filium monachum effecit.

Ch. XXX, col. 22. V. Odo nobili stirpe prognatus, ab Arnaldo *de Vivers* & ejus filiis perceptis decimis, D
primitiis & appendicibus in ecclesia de Riquersela an. 1163, Arnaldum alterum ejus filium monastico schemate donavit.

VI. Alacipus *vel* Mancipius adsuit an. 1166, XVIII cal. Septemb. commutationi factæ inter Garinum abbatem Sarlatensem & Pontium Grandis-silvæ. Memoratur an. 1167 in charta hujus ultimi monasterii. Vitali ejusdem loci abbati concessit an. 1178 facultatem molendina construendi super Garumnam. Mansi-Garnerii incolas putant ab eo in libertatem assertos fuisse.

Charta XXXVII, col. 25. VII. Raimundus II recensetur ad annum E
1180 in charta Raimundi Tolosatum comitis, qui sub sua custodia & tuitione suscipit cœnobium S. Petri de Curia; factas illi donationes confirmat, immunitatem & libertatem Castri colonis tributam comprobat. Res nonnullas apud Dieupantalam percepit anno 1184 ab Alberto de Dieupantala.

VIII. Willelmus I *Robert* certis sub conditionibus Arnaldo Grandis-silvæ abbati molendinorum in Garumna construendorum licentiam cum jure piscationis indulsit an. 1198.

IX. Petrus I Arnaldi locum habet in tabulis ad annum 1200.

X. Eustachius an. 1205 & sequentibus ibidem memoratur.

XI. Willelmus II Raterii subscripsit anno 1213 transactioni initæ inter Raimundum abbatem Moissiaci & Beroldum. Occurrit etiam annis 1226 & 1227. Pepigit an. 1229 cum Elia abbate Grandis-silvæ super villa Naissagua. Aliud pactum iniit anno sequenti 10 Julii cum eodem abbate. Legitur & ad annos 1231 & 1234.

XII. Bernardus an. 1236 adsuit Raimundo de Montepezato abbati Moissiacensi Exiense monasterium visitanti. Eodem anno, die 10 Julii pactionem iniit cum A. abbate Grandis-silvæ. Arbitrante Guillelmo abbate de Clusa, imo jubente, cum oppidanis Mansi-Garnerii, quos decessores sub annui census conditione in libertatem asseruerant, nova pacta sancivit an. 1248. Item & an. 1254 cum Richardo abbate Grandis-silvæ super quibusdam limitibus & decimis.

XIII. Raimundus III de Septenis, antea abbas Clariaci, a Raimundo episcopo Tolosano anno 1255, die 14 Martii diversas ecclesias suscepit, & alias monasterio jam concessas firmari curavit. Institutis a decano abbate Clusino, qui monasterium visitarat, egregiis sanctionibus assensum præbuit, atque ut idem præsul eas haberet ratas effecit. Sed cum postea quemdam monachum nomine Arnaldum de Cathusio multis criminibus obnoxium expulisset e monasterio ad annum circiter 1257, reum in tutela suscepit hic præsul, abbatique mandavit ut eum domi reciperet. Illo renuente, Petrum de Landrevilla Tolosæ senescallum misit in monasterium cum armata satellitum manu. Locum is occupavit, Raimundum expulit abbatem, monachos injuriis affecit, pretiosa quæque obvia sibi militibusque rapuit. Episcopus tandem eo vindictæ processit ut alterum abbatem in locum Raimundi sufficeret. Hic autem injuriis contumelisque immeritis confectus mortem occubuit an. 1264. Char. LIII, col. 40.

XIV. Vitalis Despao ab irato pontifice subrogatus Raimundo, tot & tanta mala monasterio intulit, ut inde quamprimum fuerit amandandus.

XV. Guillelmus III de Alahano Vitali expulso, permittente Raimundo pontifice, a monachis suffectus fuit. Natas cum eo episcopo lites composuit an. 1265, 8 Martii, die ipso quo Philippus *de Montleard* & Bartholomæus *d'Orléans* canonicus Engolismensis, quos Alfonsus comes a monachis exoratus eo in negotio commissarios instituerat, Petrum de Landrevilla senescallum condemnarunt restitutionis rerum ablatarum. Clientelæ fidem excepit a Petro Jordani pro villis & terris *de Beaupré*, *Brioucastel*, *&c.* an. 1271. Idem juramentum suscepit a Jordano filio Petri anno 1300. Excusavit se anno 1277 quod

synodo provinciali non interfuisset. Cum A cerneret Mansi-Garnerii incolas frequens ad rebellionem proclives, eorum audaciam ergo reprimendi, regem Francorum dominii, jurisdictionisque socium sibi adscivit anno 1279. Quæ constitutio viget hactenus, regiis & abbatialibus ministris, una populo jura dicentibus, & emolumenta pari sorte dividentibus. Litem inter Bertrandum episcopum Tolosanum & Guillelmum Gauffridi abbatem Bellæ-perticæ super quibusdam ecclesiis exortam sopivit an. 1283, mense Aprili. Eodem anno, mense Septembri occurrit in charta Othonis de Tarrida. Testis adest in permu- B tatione quorumdam prioratuum facta inter Bertrandum *de Montagut* abbatem Moissiacensem & Raimundum Clusinum. Vitam finivit circa annum 1304.

Hist. Occit. t. III, prob. col. 527.

XVI. Bertrandus *de Faudoas*, filius Bertrandi *de Faudoas* & Seguinæ *de Saboulies*, Germanus Ainardi abbatis Clariaci, legitur in tabulis an. 1306. Pepigit an. 1310 cum Girmundo priore Altivillaris. Eodem anno, die 9 Decemb. concordiam iniit cum Johanne Pagani compsore Tolosæ. Memoratur & ad annos 1312, 1314. Decessit an. 1317 ex C actis pontific. Avenion.

XVII. Raimundus IV de Monte-acuto ex Clariaco ad Mansum-Garnerii translatus fuit an. 1317, bulla Johannis XXII Avenione data pontificatus an. 2. Cum Pontio abbate Grandis-silvæ super limitibus & juribus quibusdam transegit an. 1322. Eleemosynarii munus erexit, eique certos reditus assignavit. Obiit an. 1323 ex actis pontif. Aven.

XVIII. Aimericus de Monte-acuto Moissiacensis monachus, abbas institutus est bulla Johannis XXII, pontificatus an. 8. Assignavit an. 1333 reditus camerario, infirmario aliisque D officiariis claustralibus & mensis, volente & laudante Bernardo Rogerii abbate S. Severi de Rustano capituli generalis præside. Statuit an. 1337, Sabbato post festum SS. Philippi & Jacobi, annuentibus monachis, ut apud Mansum-Garnerii semper existerent viginti quinque monachi. Rexit ad annum usque 1347.

5 Petrus de Margarita 1350, XI Martii, ex charta authentica D. *de Gaignieres*.

XIX. Raimundus V Hunaldi Montis-Albani monachus, ex priore Borelli factus abbas, diem extremum clausit an. 1342, ex actis E pontif. Aven.

XX. Guillelmus IV de Mederio, antea abbas S. Sophiæ Beneventanæ, huic monasterio præfuit ad usque annum quintum pontificatus Urbani V, a quo institutus est abbas S. Egidii, uti diximus tom. VI, col. 500.

XXI. Johannes II Alberti ex priore sancti Emerentii Auxitanæ diœcesis, fit abbas bulla Urbani V, an. 5 pontificatus, id est 1366. Adstitit anno 1368 capitulo monachorum Benedictinorum e tribus provinciis, Auxitana, Tolosana & Narbonensi, congregato apud Vauram, in ædibus Patrum Franciscanorum. Memoratur etiam ad annum 1382.

XXII. Rostagnus *d'Ansois* 1391, 1396, 1400.

XXIII. Petrus II occurrit an. 1404, die 8 Martii.

XXIV. Girardus an. 1408 eligitur præses capituli generalis in cœnobio beatæ Mariæ Deauratæ habiti.

XXV. Petrus III *Peladon* Ramerium Garumnæ insulam in vestes monachorum deputavit, suique monasterii jura totis viribus defendit. Cessit anno 1416 in sequentis & consanguinei sui gratiam.

XXVI. Bertrandus III de Avedato abbas efficitur die 21 Julii an. 1416. Biennio tantum sedit.

XXVII. Johannes III de Falgario *vel* de Falga ex priore Claustrali, abbas electus est an. 1418. Præfuit usque ad annum 1457, quo senio confectus, abdicato in capitulo regimine, monachis fecit licentiam abbatem sibi deligendi.

XXVIII. Audoinus *de Gaingh* vel *de Gain*, quem Petri abbatis Caduini fuisse fratrem opinor, ex priore S. Sacerdotis in abbatem assumtus, confirmatur an. 1458 a Guillelmo abbate Clusino. Æmulum passus est Ludovicum Alberti episcopum Adurensem, qui pontificiis litteris monasterii commendam præripuerat. Jam adnotavimus t. I, col. 1162, Ludovicum de jure suo in Audoini gratiam destitisse; attamen ex indicibus compertum mihi est hunc non excessisse annum 1459, indeque ad annum 1476 nullum ei fuisse suffectum; quod procul dubio Ludovicus commendam obtineret.

XXIX. Gerardus de Prato vir nobilis, prior Altivillaris, decessorisque vicarius generalis, abbas evasit an. 1476. Adstitit anno 1478 capitulo generali in monasterio beatæ Mariæ Deauratæ celebrato. Huic *Magni* nomen merito delatum ob res præclarissime gestas: monasterium enim instauravit, ac muro cinxit, rem auxit familiarem, plurima comparavit a Johanne *Ysalguié* domino de Castronovo; villas, molendina, cellas restituit, lites tulit adversus prædiorum invasores, basilicam ornavit, ærarium instruxit sacris vestibus. Presbyteros seculares numero tres & clericum item secularem instituit an. 1489, qui singulis diebus majus sacrum in sacello B. Mariæ ab se condito celebrarent, aliaque præstarent divinæ servitutis officia. Proventus illis congruos assignavit, munia legesque quibus ligarentur præscripsit. Inter alia statuit ut præfati presbyteri tenerentur semper habitu honesto & decenti incedere, cum caputiis habentes breves cornetas, & semper in ecclesia deferre superlicia honesta cum dictis caputiis, & non incederent cum pileis: clericus pariter teneretur superlicium deferre, non tamen caputium. De omnibus benemeritus obiit Gerardus an. 1495, longiori vita dignus.

XXX. Antonius *de Carman* major prior ecclesiæ cathedralis Montis-Albani, jam abbas Moissiaci, itemque Bonæ-cumbæ juxta nonnullos, devictis æmulis Johanne cardinali S. Sabinæ & Johanne de Castanha monacho Montis-majoris, Mansum-Garnerii, invitis adversantibusque monachis, arripuit. Ideo quamplurimum iratus eos vexavit dureque tractavit usque ad annum 1507, quo apud Montem-Ricosum nocendi ac vivendi finem fecit die 14 Decemb.

XXXI. Egidius de Falgario primum infirmarius, tum prior de Borello, abbas electus fuit die 18 Decemb. 1507, & confirmatus a Johanne *de Varax* Bellicensi episcopo & abbate Clusino. Etsi legitime institutus suæ dignitatis invidum habuit Mathurinum *de Balaguier* monachum Aureliacensem, qui Romam itinere suscepto, a summo pontifice Julio II Mansi præfecturam impetravit anno 1508; sed frustra, nam Egidius diploma a Romano pontifice Mathurino tributum nullius esse momenti probavit, cum sua ordinatione posterius esset. Sacellum S. Josephi exstruxit ac dotavit, & Basilicam ornavit. Suorum in commoda studium omne convertit hic optimus abbas, & præfuit usque ad annum 1521, quo in sequentis gratiam se abdicavit.

XXXII. Johannes IV *de Touchebeuf*, cedente Egidio, pedum accepit an. 1521. Dimisit & ipse abbatiam fratri suo an. 1554, cui superstes obiit mense Januario 1559, sepultura donatus in ecclesia.

XXXIII. Petrus IV *de Touchebeuf* superioris germanus obtinuit anno 1554. Fato functus an. 1557 mense Octobri sepulturam habuit in monasterio.

XXXIV. Jacobus *de Bajordan* protonotarius apostolicus, apostolicis regiisque litteris id monasterium primus in commendam obtinuit anno 1559. Cœnobium a Calvinistis pessundari ac everti conspexit. Gavisus est usque ad annum 1593, quo eodem anno vacabat abbatia mense Augusto. Post ejus obitum rex nominavit œconomum in spiritalibus Johannem *Bouvard* presbyterum 12 Jan. 1595, quem approbavit majus consilium 30 Martii.

s Petrus *de Caulet* & Johannes *de Berthier*, de quo jam locuti tom. I, col. 1246, comperto Jacobi obitu, ad Mansum illico advolantes, sese ut abbates gessere, & cum inter se diu litigassent, neuter pacifice sedit, imo tertius gavisus est.

XXXV. Christophorus *de Lestang* episcopus Carcassonensis commendam adeptus est an. 1607, quo monasterium congregationi exemtorum adjunctum fuit. Moritur anno 1621, die 11 Augusti. Vide t. VI, col. 924.

s Vacabat abbatia an. 1621, 8 Octob. & an. 1622, die 22 Novemb.

XXXVI. Johannes V *Alard des Plans* obtinet an. 1623, & cedit 1630, B. Francisci in ordine Capucinorum militiæ nomen daturus.

XXXVII. Guillelmus IV *de Guillhermin* memoratus ad annos 1634 & 1641, die 2 Septemb. monasterium congregationi S. Mauri adjungendum curavit. Extinctus est apud Montempessulanum mense Maio 1660.

XXXVIII. Petrus V *de Gau* nobilis Monspelliensis, Melitensis eques, satagente cardinali Mazarini, commendam impetravit an. 1660, & cessit sequentis in favorem.

XXXIX. Johannes-Michaël *de Colbert de Villacerf* episcopus Montalbanensis, postea Tolosanus archipræsul possessionem iniit anno 1686, die 6 Junii.

XL. Fabius *Brulart de Sillery* Suessionensis episcopus, aliorum monasteriorum commendatarius, superiori defuncto successit 17 Augusti 1710. Obiit & ipse 19 Novemb. 1714, uti videre est tom. IX, col. 382.

XLI. Henricus *de Nesmond* abbas Mansi-Garnerii, archiepiscopus Tolosanus, unus e 40 viris Academiæ Gallicanæ, obiit in sua diœcesi 27 Maii 1727.

XLII. N. *de Sorbs* a rege nominatur anno 1727, exeunte Augusto

XLIII. N. *de Castellane-Majastre* canonicus Riensis per superioris obitum a rege renunciatur 1743, exeunte Junio.

XLIV. N. *de Belsunce* vicarius generalis episcopi Massiliensis, concedente rege, commendam suscipit an. 1745, die 3 Julii.

XLV. Carolus-Augustus *le Quien de la Neuville*, Burdegalæ natus 25 Julii 1728, & in episcopum Aquensem inunctus 1772, die 27 Januarii, abbas eodem anno a rege dictus est.

S. SATURNINUS. S. Sernin.

Vitalis ordinis Minorum alumnus, priusquam episcopus Albanensis & cardinalis tituli S. Martini in montibus crearetur, dum Tolosatibus verbum Dei proponeret anno circiter 1300, nonnullæ mulieres quæ in civitate Tolosa obscœnam vitam ducebant, abjectis carnis illecebris, ad Christum se converterunt, & quemdam locum juris monasterii S. Saturnini in parœcia de Tauro situm, pro inhabitatione sua a canonicis regularibus petierunt, ut ibidem pœnitentiam agerent. Postquam aliquot annos in pietate & quarumlibet virtutum exercitatione transegissent, earumque numerus plurimum fuisset adauctus, Raymundus tunc abbas S. Saturnini, postea vero Mirapicensis episcopus, *ex hujusmodi operum & virtutum fragrantia gratum odorem velut ex aromatibus sentiens*, de plurium jurisperitorum & aliorum prudentium consilio, ipsas ad ordinis & B. Augustini regulæ professionem admisit juxta formam & modum quibus canonici sancti Saturnini ordinem & regulam profitebantur. Voluit etiam eas sorores canonicas S. Saturnini nuncupari. Johannes XXII pontifex maximus a Petro abbate S. Saturnini Romanæ ecclesiæ vicecancellario, atque etiam ab ipsismet mulieribus exoratus (Ch. LXVIII, col. 60. Ch. LXIX, col. 62.)

id ratum habuit an. 1320, cal. Decembris; nec non an. 1322, cal. Novembris, additis hisce conditionibus, nimirum ut illæ numerum tricesimum non excederent, candidatæ gratis in monasterium admitterentur, sub regimine priorissæ degentes abbati S. Saturnini, tam in spiritualibus quam temporaneis rebus parerent, penesque foret ipsum abbatem jus priorissam noviter electam confirmandi, atque monasterium, & ea quæ ab ipso prodirent,
Ch. LXX, col. 61. visitandi & reformandi. Idem summus pontifex parthenonem hunc, quem in prioratum erexerat, in abbatiam evexit an. 1327, III cal.
Hist. Occit. t. IV, instr. col. 175. Septemb. In hunc locum irruperunt sectarii an. 1562, canonicasque expulerunt, & Sanctorum icones in ecclesia everterunt. Adnotavimus tom. I, col. 60, id monasterium originem dedisse parthenoni S. Catharinæ in civitate Albiensi, jussu Sixti IV monialibus S. Claræ tributo ad annum 1484. Series priorissarum & abbatissarum hæc est:

I. Rama, dicta etiam Sibilia de S. Rama priorissæ nomen tantum habet in instrumentis annorum 1301, 1302, 1312.

II. Navarra Mauranda cum priorissæ titulo occurrit ad annos 1320, 1325.

III. Gausia *seu* Gausiona abbatissæ titulo decorata præerat annis 1331, 1333. Eadem sane est cum Johanna hujusce parthenonis abbatissa, quæ eo ultimo anno, die 5 Januarii a Beraldo Albiensi episcopo monasterium sui ordinis ea in urbe construendi licentiam petiit. Vetus charta quam edidimus tom I, col. 60, continet nomina earum quæ ad hanc coloniam missæ fuerunt; eas inter legitur Johanna de Castro-novo quæ, quidquid contra scripserimus, mihi videtur fuisse prima abbatissa parthenonis S. Catharinæ Albiensis. In instrumentis annorum 1335, 1338, 1341 abbatissa nostra Gausia & Gausiona adhuc nuncupatur.

IV. Richarda I Aymengarda *seu* Aimerigna, varie enim legitur in pluribus chartis ad annos 1349, 1358, 1364, 1375, 1376. Eam ab sequenti diversam existimo, tam propter diuturnitatem ejus regiminis, quam cognominis ergo a quo abstinet ab anno 1380.

V. Richarda II reperitur annis 1380, 1392, 1399, 1403, 1411, 1413, 1416.

VI. Auda Ysalqueria thesaurariæ munus gerebat an. 1411, & abbatissæ 1421, 1423, 1432, 1437.

VII. Francisca Pilota 1442, 1451, 1452, 1461.

VIII. Antonia I de Casarto 1486, 1492, 1501, 1507, 1509.

IX. Antonia II de Nogareto filia Johannis de Nogareto militis domini *de Trelaus* 1519, 1526.

X. Guyona *Dangerense* per obitum Antoniæ de Nogareto fuit electa 1531. Occurrit & an. 1534.

XI. Anna *Allemand* ex nobilissima apud Delphinates familia Guyonæ cedentis in locum
A suffecta memoratur ad annum 1570. Vitam finivit an. 1592, die 12 Junii.

XII. Claudia *Dangerense de Serres* electa 17 Junii 1592, & confirmata 21 ejusdem mensis, benedictionem percepit 21 Octobris 1593. Adhuc superstes 1604.

XIII. Maria *de S. André* bullas ab Urbano VIII accepit an. 1635, & benedictionem a Johanne *d'Affis* Lumbariensi episcopo 1636.

XIV. Carola *Rusé d'Effiat.*

XV. Antonia *de Tiffaut* 1668 electa, præfuit annis 20.

XVI. Bartholomæa *de Catel* præficitur
B 1687.

XVII. Francisca *de Richart* electa 1694 post novem regiminis annos obiit 1703.

XVIII. Maria *de Tiffaut* electa 1703.

S. PANTALEO. S. PANTALEON.

PARTHENON sancti Pantaleonis in urbe Tolosa fundatorem habuit Johannem-Raimundum *de Comminges* cardinalem, primum archipræsulem Tolosanum, qui ultimæ voluntatis suæ codicillis ordinavit constructionem monasterii ducentarum virginum canonicarum in loco ecclesiæ cathedrali viciniori,
C sub regula S. Augustini & regimine abbatissæ, quæ in quatuor classes distributæ divinas laudes alternis vicibus indesinenter celebrarent. Ingenti reliquiarum copia & vase ex lapide pretioso ab ipso S. Pantaleone, ut dicunt, cælato id monasterium ditavit, prout declarant hæc verba ex ejusdem loci codice mss. eruta: *Hic dominus cardinalis Convenarum ille est qui Tolosæ fundavit monasterium religiosarum virginum in honorem undecim mille virginum, & dedit plures alias reliquias honore & reverentia dignas, & qui prædictum vas cum osse brachii prædicti sancti Pantaleonis, quatuor capita dictarum virginum,*
D *ac plures alias reliquias honore ac reverentia dignas, in prædicto monasterio sancti Pantaleonis reportavit & reposuit. . Obiit autem ille dominus cardinalis Convenarum, episcopus Portuensis fundator monasterii S. Pantaleonis, anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo octavo. Fundatum vero est hujusmodi monasterium anno millesimo trecentesimo quinquagesimo, sicut in bullis pontificum continetur.* Jussit idem Johannes-Raimundus ut quindecim canonissæ aliunde accerserentur, quæ eas virgines ad disciplinam regularem informarent. Voluit etiam ut prope monasterium conderentur ædes pro duodecim
E canonicis regularibus, quibus cura foret canonissis sacra ministrandi. Fundationem ratam habuere Clemens papa VI & Johannes Francorum rex 1354, quo anno Nympha Struana Ch. LXXIII, col. 73.
Hugonis Jordani relicta, pro hujusce parthenonis constructione jam incœpta, domum concessit. Abbatissas ex monasterii chartis eo ordine eruimus.

SERIES ABBATISSARUM.

I. NAVA præerat an. 1358, occurrit 1360 die 12 Januarii in charta D. *de Gaigneres*, adhuc etiam & an. 1361.

II. Saura I 1363.

III. Navata de Villa Vyera memorata ad annum 1371, occurrit in charta ecclesiæ sancti Stephani 1374.

IV. Saura II de Pinu 1378, 1388, 1395.

V. Gallarda de Braderia 1404, 1413, 1419.

VI. Bertranda de Silva 1433, 1438.

VII. Alienordis I de Baroca 1451.

VIII. Alienordis II de Rupe 1461, 1463.

IX. Clara de punctis 1469, 1470, 1473, 1478.

X. Petrona de Montibus 1485, 1489.

XI. Johanna I *de Beralh* 1493, cessit anno 1519 in gratiam sequentis. Hæc tamen superstes adhuc an. 1533 vicariæ generalis & administratricis perpetuæ titulo gaudebat.

XII. Maria I *de Beralh* ætatis suæ anno 24 per superioris abdicationem facta abbatissa 1519, benedictionis munus tantum accepit 24 Octob. 1535, & præfuit ad annum 1573, quo & ipsa sequenti cessit.

XIII. Gabrielis *de Beralh* possessionem iniit an. 1573, die 15 Maii.

XIV. Johanna II *de Nantayre* 1576, 1588.

XV. Maria II *de Benis* 1595.

XVI. Catharina *de Savignac* præerat annis 1600 & 1618, quo ultimo reformatum est monasterium, atque ab eo anno perpetuæ desierunt abbatissæ, factæ deinceps triennales. Ipsa tamen adhuc reperitur abbatissa usque ad annum 1626.

XVII. Helena *de Sainte-Croix* 1626. Sub ejus regimine ex S. Pantaleonis parthenone exierunt virginum examina ad fundanda monasteria S. Marthæ *de Limons*, insulæ Albigensis, & in locis *de Castelnodari* & *de Moncug*.

XVIII. Maria III a S. Paula 1642.

XIX. Francisca *Juliard* dicta a S. Agnete 1674.

EAUNES.

ELNÆ.

BEATÆ virgini Mariæ dicata Elnarum *seu* Ealnarum abbatia, filia Berdonæ ex linea Morimundi, situm habet non longe ab oppido Muretti, in valle satis amœna, duabus ab urbe Tolosa leucis versus meridiem. Condita fuit anno circiter 1140 a dominis de Monte-alto, satagente Guillelmo de Monte-alto antea Lactorensi episcopo, tum vero archipræsule Auxitano. Huic cœnobio bene multa contulere comites Tolosæ & Fuxi, quos inter Raimundus codicillo facto apud Amilianum IX cal. Octob. an. 1249 cessit centum marchas sterlingorum. Plures viri nobiles eo loci vota nuncuparunt, plurésque aliorum monasteriorum rectores evaserunt; ex quibus Raimundus de Aratio in abbatem Pontis-alti, diœcesis Adurensis fuit assumtus bulla data anno septimo pontificatus Innocentii VI. (*Gal. Christ. tom. I, col. 1183.*) Seculo autem decimo sexto reliquias Sanctorum, sacri ærarii supellectilem, chartas fere omnes, aliaque pretiosa dissiparunt novatores & monasterium prorsus everterunt. Seriem

A abbatum qualem nobis suppeditarunt reliqua monasterii monumenta hic subjicimus.

ABBATES.

I. VITALIS Raimundus ab nobili muliere Rainaldæ de Lazinco suscipit in pignus terram *de Auriol* an. 1152.

II. Sancius I an. 1158 Auriolum Willelmi de Ainis se suaque bona monasterio largientem excepit. Donatus est etiam anno 1163 a Durando de Molnario terra de Vallo-novo, de Roiano & de Rivo-torto.

III. Geraldus an. 1164 ab Alberto de B Claro-monte pascua accepit.

IV. Arnaldus I præerat an. 1164. Pactioni initæ inter Willelmum abbatem Lezati, & Adelaïdem abbatissam *de Marenx*, adfuit anno 1168. Arbiter extitit an. 1178 cum Dominico abbate Bolbonæ, concordiæ initæ inter Grandis-silvæ & Combæ-longæ monachos. Memoratur an. 1184 in dono Asailitæ de S. Amantio.

V. Augerius recensetur an. 1191 in charta donationis Bombelli de S. Amantio. Anno sequenti Raimundus Galterius Lezatensis abbas C ipsi sub annuo censu tradidit primitias & decimas ecclesiæ de Monte, & anno 1196 decimas ecclesiæ de Ascha.

VI. Hugo I cum Grandis-silvæ & Bellæperticæ abbatibus terminavit litem inter Fulii & Bonæ-combæ monachos an. 1199. Donum Geraldi de S. Marcello obtinuit an. 1200.

VII. Raimundus I 1205. Is est forte abbas Ebrensis, qui an. 1209 ad oppidum sancti Egidii ab Raimundo Rogerio comite Fuxensi missus, pacis conditiones proponendi causa, interfectus fuit a Guillemo *de Rochefort* uno milliario a Carcassona, dum ad suum monas-D terium repeteret.

VIII. Sancius II memoratur in donatione Petri de Previlla an. 1209.

IX. Vitalis II 1223, 1229.

X. Petrus I 1234.

XI. Hugo II legitur an. 1239 in charta Boni-fontis.

XII. Guarinus an. 1239, una cum Petro abbate Benedictionis-Dei controversiam inter abbates Calercii & Bolbonæ sopivit in vigilia S. Benedicti.

XIII. Bernardus I 1255, 1257.

XIV. Johannes I 1260.

E XV. Jacobus I 1260, 1263.

XVI. Pontius de Podio 1265. Arbiter est anno 1275 dissidii moti inter abbates Bolbonæ & Calertii. Occurrit & annis 1278, 1279, 1282, 1284.

XVII. Bertrandus de Marasco 1285. Legitur anno 1291 in historia episcoporum Carcassonensium.

XVIII. Adzemarius de Pinibus ex syndico monasterii abbas electus, memoratur ad annos 1290, 1293, 1296.

XIX. Bernardus II de Magra 1300. Solemni

Solenni reliquiarum S. Antonii detectioni A apud Lezatum interfuit an. 1307.

XX. Arnaldus II de Mariis 1324.

XXI. Petrus II de Fuxo 1325.

XXII. Arnaldus III de Marcis *sive* de Marrasco 1330, atque etiam anno 1343 in veteri instrumento Lesati.

XXIII. Arnaldus IV de Cabanaco decretorum doctor 1352. Memoratur an. 1353 tamquam commissarius in charta fundationis monasterii Abundantiæ-Dei sive Salenquiarum. Occurrit in instrumento anno 1358. Fato functus est anno primo pontificatus Urbani V.

XXIV. Guillelmus I Arnaldo sufficitur B anno primo pontificatus ejusdem Urbani V, ex actis pontif. Aven.

XXV. Jacobus II de Vesca præerat anno 1374, ex tabulis Orationis-Dei, parthenonis Tolosanæ diœcesis, qui huic monasterio unitus an. 1145, ab eo disjunctus fuit an. 1615, & Muretum transmissus.

XXVI. Stephanus I *de Bartés* 1375.

XXVII. Stephanus II *Garini* 1388.

XXVIII. Guillelmus II Durandi 1406, 1407, 1414.

XXIX. Raimundus II *de Tailhapede* 1448, 1457, 1462. C

XXX. Johannes II *de Tailhapede* in decretis licentiatus 1469 & 1478. Obiit anno sequenti, simul abbas Orationis-Dei.

XXXI. Johannes III de Casalariis possessionem iniit an. 1479. Præerat adhuc annis 1489, 1490, simul abbas Orationis-Dei.

XXXII. Jacobus III *de Denese* in theologia baccalaureus 1506, die 12 Nov. 1509, die 12 Decemb. 1510, 1513. Ab abbate Morimundi institutus in abbatem Benedictionis-Dei an. 1525, die 25 Augusti Bernardo Lumbariensi episcopo locum cedere coactus est, Pedum pastorale adhuc obtinebat an. 1525. D

XXXIII. Franciscus I *d'Anthin* 1535, 1536, 1540, die 21 Jan. 1544, die 21 Nov.

XXXIV. Petrus III *d'Anthin*, 1541, 1549 & 1550, etiam abbas Orationis-Dei.

XXXV. Mathurinus *de Saboniere* 1560, 1561, 1569, die 2 Augusti.

XXXVI. Franciscus II *de Joyeuse* cardinalis 1591, 1599, 1606.

XXXVII. Henricus I *de Lorraine* 1620.

XXXVIII. Henricus II *Autemart* protonotarius apostolicus 1621.

XXXIX. Franciscus III *de Barthelmy de Grammont* obtinebat anno 1658. In ecclesia E ante majus altare sepultus id habet epitaphium ex gallico latine redditum: *Hic jacet Franciscus* de Barthelmy de Grammont, *dominus de Bellovisu, consiliarius in Parlamento Tolosano, abbas & instaurator ecclesiæ & ædificiorum monasterii; obiit anno 1668, die 22 Octobris, annos natus 71.* Extat etiam in ecclesia de eodem abbate isthæc inscriptio.

Has ædes Deo reddidit Bartholomeus quas ademerat pene vetustas, quibus non tam possessor quam restaurator accessit profuturus, potius quam fruiturus, ut abbas hoc egit religiose, ut senator juste, ut Patritius splendide, vide in vindicato suis e ruinis cœnobio qualis fuerit, in publico quod exercuerat cleri ministerio pietatem in corde quam foverat arcanam, eam in æde fecit publicam nonis Octobris, an. rep. Sal. M. DCLXI.

XL. Franciscus IV *de Barthelemy de Grammont* episcopus S. Papuli an. 1681, abbatias Elnarum & Calertii ab annis quindecim & amplius obtinebat, avunculi successor.

XLI. N. *de Foucaud* 1717, mense Nov. designatus.

GRANDIS-SILVA.

GRAND-SELVE.

Decem a Tolosa & Monte-albano leucis & ab ora Garumnæ sinistra una tantum distans Grandis-silva, conditur ineunte duodecimo seculo, puta an. 1114, a B. Geraldo de Salis sic dicto a loco natali pagi Petracoricensis. Is siquidem post navatam studiis operam, Roberti de Arbrissellis consilio, canonici regularis habitum induit adolescens in monasterio S. Aviti, quod non longe a Salis aberat. Ubi ad virilem pervenit ætatem, Roberto in prædicationis munere se adjunxit, cappa & cilicio indutus & asperum vivendi genus sectatus. Multis ad eum confluentibus discipulis diversa monasteria sub regula S. Benedicti construxit in Aquitania. Inter præcipua quæ condidisse dicitur, monasteria sunt Caduini & Grandis-silvæ positæ penes grandem & amplam silvam quæ ei nomen indidit, in limitibus Tolosanæ diœcesis quæ juris est hodiernæ Aquitaniæ. Eo loci vitam duxerunt eremeticam inquilini, ut legitur in antiquis monumentis Silvæ-majoris & Mansi-Garnerii, & abbatem habuerunt Stephanum, quem a Geraldo sibi datum fuisse ex chronico Malleacensi comperimus. Possessiones acquisitas acquirendasve ab Amelio Tolosano antistite firmari sategit an. 1117 Geraldus, & mense Januario anni sequentis ab Oliverio *de Bessens* (Ch. XVI, col. 15.) & Algarde ejus uxore quandam partem Grandis-silvæ jure perpetuo possidendam suscepit. Hanc autem abbatiam ab initio Caduino subjectam fuisse, fortassis tamquam cæterarum a (Ch. XVII, col. 15.) Geraldo erectarum capiti, testatur epistola Innocentii II data XIII Aprilis, ex qua intelligimus abbatem Caduini querelam apud sedem apostolicam deposuisse adversus abbatem & fratres Grandis-silvæ, qui sibi debitam subtrahebant obedientiam. Summus hic pontifex jubet episcopo Tolosano, Amelio, si Catello credatur, ut ipsos ad obedientiam præfatæ ecclesiæ redire districte commoneat; quod si recusaverint, ipsi injungit ut de illis tamquam inobedientibus plenam justitiam faciat. Qualis vero fuerit hujusce querelæ exitus nobis prorsus incompertum.

Id unum patet, nempe monachos Grandis-silvæ, abjecto pristino instituto, legibus ordinis Cisterciensis se obstrinxisse in linea Claravallensi anno 1147. Ea de re verba Angeli *Manrique* referre juvat: « unicum, inquit, (Annal. Cisterc. t. II, p. 79.)

» omnium fratrum consilium fuit abbatem suum ad Claram-vallem mittere, qui se, qui domum, qui cunctos ejus monachos Cistercio traderet, sub Bernardi & successorum illius visitatione. Bernardus * itaque ad Bernardum transmissus comiterque, atque pro gravitate viri reverenter susceptus a sancto patre, in Claræ-vallis capitulo prostratus, mutato habitu, promisit obedientiam; seque & illustrem Grandis-silvæ domum, ex tunc jam illustriorem, Cistercio tradidit, insignes dein viros producturam. » Bertrando ex Clara-valle post mensem Augustum redeunti litteras Tolosatibus reddendas commisit S. Bernardus, ex quibus innotescit id monasterium a paucissimo tempore ordini Cisterciensi unitum fuisse; in his enim Tolosates sic alloquitur: *Sit vobis commendatus lator epistolæ venerabilis abbas Grandis-silvæ & domus ejus, quæ & nostra est, nuper nobis & nostro ordini ab ipso tradita & ecclesiæ Claræ-vallis specialit r associata.* Ea abbatia ubi Cisterciensibus fuit addicta, locum inter ejusdem ordinis celeberrimas adepta est, & aliis plurimis originem dedit, ex quibus Fons-frigidus, Catercium, Candelium & Cartagenia in regno Murciæ ab Alphonso rege Castellæ pro equitibus adversus Saracenos debellaturis instituta an. 1273, eam tamquam matrem agnoscunt. Immensas ejus possessiones quibus ab omnibus Occitaniæ optimatibus, præsertim a comitibus Tolosæ & toparchis Montispessulani donata est, ut in decursu dicemus; Innocentius II & Gregorius IX auctoritate apostolica firmarunt.

*Bertrandus

Viros bene multos sanctitate & scientia protulit insignes, quorum alii episcopi, alii abbates evasere. Eos inter præcipue annotandus est Guillelmus Montispessulani toparcha, qui gloria famaque in bello parta cumulatus, monasticen amplexus est anno circiter 1148 exeunte. Hic namque cum sancto Bernardo familiaritate conjunctus, religionis & pietatis exemplar extitit. Ab Alexandro abbate suo provinciam accepit diversa monasteria construendi, in quorum uno, puta Candelio, abbas & ipse institutus est circa an. 1150, quo in Cataloniam iter aggressus, interfuit mense Decembri fundationi monasterii Valladauræ, hodie sanctarum Crucium, quod Grandi-silvæ subjecit. Relicta Candelii præfectura primum ad domicilium reversus est, ubi cum sanctitatis fama defunctus sepulturam habuit in ecclesia prope majus altare, a latere evangelii. In Sanctorum ordinis album relatus, etsi cultu publico nondum honoratus, perperam a nonnullis confunditur cum uno fratre converso itidem hujus loci monacho nominis ejusdem, qui duabus tantum primis salutationis angelicæ vocibus memoriter vix retentis, nihilominus ad sanctitatis eminentem gradum pervenit. Plures e gente Guillelmi, aliique nobili sanguine creti, vel vota eo loci vovere vel sepulturam elegere.

Marca Hispan. col. 1310.

De abbatiis Grandi-silvæ subjectis locuti, dicendum manet de ejus collegio in urbe A Tolosa. Fuit a principio hospitium in quo Cistercienses monachi per urbem transeuntes excipiebantur. Bertrandus Gauffridi abbas litterarum amantissimus a capitulo generali petitam an. 1280 hujusce hospitii in collegium erigendi facultatem, a sequenti proximo hisce verbis impetravit: « Petitio abbatis Grandis-silvæ super studio ordinando in civitate Tolosæ taliter exauditur, ut infra duos annos proximos ibidem construere necessaria ædificia & habere lectorem idoneum teneatur, omnibusque libertatibus & privilegiis studentes ibi gaudeant, quibus gaudent scholares, B qui apud S. Bernardum Parisiis commorantur. » Prædia non pauciora clientelæ & ditionis jure instructa tam in urbe Tolosa quam aliis in locis possidet hæc schola. Annuum vectigal percipit a diversis hujusce civitatis conventibus. Pene flammis absumtam tempore ingressus Francisci Galliæ regis restauravit abbas Grandis-silvæ, qui in hunc locum summa potestate potitus est usque dum abbatia in commendatariorum manus veniret. Tunc vero inter abbates Cistercii & Claræ-vallis, cui immediate subjacet Grandis-silva, exorta lite, diu inter se disceptarunt; sed vicit Cisterciensis, etenim an. 1695, die 30 C Martii, per decretum majoris consilii donatus est jure collegii regendi, visitandi, doctores & professores philosophiæ & theologiæ instituendi, atque confirmandi provisorem a monachis Gransilvensibus perpetuo eligendum.

Anecdot. t. IV, col. 1478.

Attamen hæc abbatia amplissimis proventibus cumulata sortem ex parte Anglorum adeo miserandam experta est, ut Johannes rex Francorum prohibuerit an. 1350, die 28 Jan. ne quis omnino rem ullam ab ea exigeret, ex eo quod ad tantam penuriam redacta fuisset, ut rebus ad victum monachorum necessariis indi- D geret. Modo basilica, aliaque regularia ædificia culta sunt & magnifica, reditusque abundantes. Multis gaudet privilegiis, & hæc inclyta domus situm tantum amœniorem, solumque uberius desiderare videtur. Abbatum seriem qualem ex antiquis & intricatis monumentis confecimus, nunc tempus est exhibendi.

Abbates.

I. Stephanus, dum Grandis-silva Benedictinum institutum servaret, primus abbas a B. Geraldo de Salis constitutus est, ex chronico Malleacensi.

E II. Bertrandus I anno 1128 a Guillelmo Sicharii munere donatur pro remedio animæ ejus fratris, quem etsi excommunicatum Amelius Tolosanus episcopus monachorum Grandis-silvæ precibus exoratus sepeliendum permiserat. Ecclesiam de Ricanello ab eodem antistite suscepit anno 1130. Precum & bonorum operum fratrum participem fecit an. 1133 Matfredum gratia beneficiorum erga monasterium. Ab Innocentio II obtinuit 1142, indict. v, cal. April. bullam confirmationis prædiorum & præsertim loci Fontis-frigidi in pago Narbonensi, cum decimis & omnibus

Ch. xxiv, col. 18.

Tom. VI, col. 198.

pertinentiis, quem Aimericus vicecomes Narbonensis ad ædificandam abbatiam pro redemptione animæ suæ in perpetuum contulerat. Suscipit & an. 1143 bona Rogerii de Biterri qui patris incitatus exemplo exoptat fieri monachus. Decimas in insula *de Bariols* a Guillelmo de Burdo impetrat VI id. Octob. an. 1144. Ad Claram-vallem itinere suscepto an. 1147, suum monasterium ordini Cisterciensi univit & Claræ-valli subjecit, & divo Bernardo de sana fide Tolosatum testimonium tribuit. Quare vir ille sanctus per Bertrandum gratulatoriam direxit epistolam post mensem Augustum ejusdem anni, in qua illos adhortatur ut in fide perseverent, rogatque ut epistolæ latorem, ejusque monasterium commendatos habeant. Eodem anno Willelmus Petri, ejusque fratres Aymericus & Ademarus totam terram suam quæ est inter Combam *de Goyre* & Condaminam Rosanellam, & usque ad rivum Calertii, cultam & incultam nostro Bertrando tribuerunt. Divini verbi eximius præco Bertrandus totam hanc regionem suis prædicationibus illustravit. Pedum pastorale adhuc obtinuisse traditur an. 1148, quo eum ad Cœlum evolasse credunt. Ejus memoria publico cultu apud Grandem-silvam honoratur.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 503.

S. Bern. epist. 242.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 520.

III. Alexander I vir nobilis, canonicus & doctor famosissimus in urbe Coloniensi, cum seculari scientia & opulentia tumeret, a sancto Bernardo tunc in Germania ad Hierosolymitanum iter populos adhortante, monasticen ut amplecteretur inductus est. Apud Claram-vallem paucis annis in pietate transactis, a B. Bernardo Grandis-silvæ pastor effectus est, & abbatis munere fungebatur anno 1150, IX. cal. Febr. quo accepit a Raymundo Ademarii terram de Banis cum pertinentiis, atque a Guirando *Bec*, Guillelmo de Grava, Raymundo Berengarii, Pontio *de la Mothe* ejus filio, Raymundo de Monte-acuto, quidquid possidebant in silva Candelii, ad constructionem monasterii ejusdem nominis, cujus primum instituit abbatem Guillelmum de Montepessulano. Jordanus de Insula ipsi dedit pascua in omni terra sua an. 1152. Curam pastoralem dimiserat Alexander an. 1158. Quid de eo factum fuerit usque dum in Cisterciensem abbatem eligeretur, id est ad annum usque 1168, prorsus me latet.

Ibid. col. 528.

IV. Pontius I Guillelmi a Randulfo priore S. Sacerdotis an. 1158 sub certis conditionibus recipit donationem totius latifundii, quod ille possidebat in loco de Sarragoza. Donatur 1159, VII cal. Martii a Bertrando *de Rocafort* & Aimerico germanis omni honore quo fruebantur in territorio *de Ricolmont*. Eodem rursus anno jus pascuorum obtinet in omnibus prædiis Galardi & Guillelmi *Siraq*. Beneficos experitur an. 1161 Guillelmum de Francosta & Geraldum *de Marcastald*. Donatur 1162 omni possessione quam Petrus de Insula habebat in territorio de Vetula-aqua. Eodem anno, III id. Junii is una cum Bernardo

Ibid. col. 546.

A abbate Gimundi & cum Vitale Fontis-frigidi silvam nuncupatam *Al Thor de Visderan*, atque pertinentias dominii sancti Hyppoliti a Raymundo de S. Laurentio excepit, & missus est ab Alexandro III ad Ludovicum VII Francorum regem pro legatione obeunda. Ab eodem summo pontifice bullam protectionis & confirmationis possessionum monasterii impetravit 1163, quo anno Bernardus episcopus Tolosanus ipsi indulsit ecclesias S. Sulpitii *de Boulhon* & S. Saturnini de Ricauello. Pontius *de Bruguieras* ipsi contulit insulam *de Baniols* VII id. Octob. ejusdem anni, nec non etiam

Concil. t. X. col. 1317.

B Guillelmus *Arinon*, Berengarius & Arnaldus omnes pascuas in terra sua tribuerunt. Donum Athonis *d'Abarils* & Petri *de Montesquieux* ejus fratris, Guillelmi Sancii & Raymundi ejus nepotum accepit, subscripsitque donationi Othonis *Descuders* in gratiam Bellæ-perticæ an. 1164. Jura honorifica in locum de Bosavilla recepit ab eodem Othone XV cal. April. an. 1165, quo arbiter extitit pacis initæ inter Petrum Boni-fontis abbatem & milites templi. Terras etiam quas Grandis-silvæ monachi propriis manibus colebant in territorio S. Georgii a quolibet oneroso jure hoc anno liberandas

Hist. Occit. Ibidem, col. 599.

C curavit. Pontium ad Claram-vallem translatum fuisse an. circiter 1165 jam diximus tom. IV, col. 801. Idque testantur indices abbatum ejusdem monasterii, nec non scriptor novæ historiæ Occitaniæ. Unde sequitur illi datum fuisse ejusdem nominis successorem, nam

Ibid. pag. 448.

V. Pontius II conventionis initæ inter Dominicum abbatem Bolbonæ & Arnaldum Combæ-longæ arbiter extitit an. 1166, quo Galabrunus de Saubolea & Petrus de Lavarsaco ei dederunt quidquid possidebant in Bordis veteribus. Monachos quadraginta quinque de medio peste sublatos an. 1167 intra

D duos menses luxit. Eidem a patre suo concessa in Bordis S. Georgii firmarunt anno 1168 Johannes & Sanceia de Bordis, sic etiam comes Tolosanus Raymundus rata habuit in capitulo, die festo Omnium Sanctorum, privilegia a decessoribus suis indulta. Memoratus an. 1170 in tabulis Candelii, obtinet eodem 29 Decemb. immunitatem pedagii & leidæ a Rogerio vicecomite Biterrensi. Donum suscipit anno 1171, XIV cal. Febr. jam autem acceperat IV id. Januarii ejus anni a Guillelmo Hunaldi *de Malsamunt* & Pontio *de Bruguieras*,

E quidquid habebant in locis *de Fauz* & de Maurenvilla. Donatur etiam ab iisdem anno sequenti, IV id. Decemb. rebus omnibus quibus fruebantur in parœciis de Lermo & de Manequila, sicut & in terra & in silvis *de Setes*. Eum inter & Raymundum Guillelmum de Montugio inita fuerat permutatio III cal. Maii hujus anni, quo Guillelmus Montispessulani toparcha, cujus pater vitam monasticam in Grandi-silva professus fuerat, suam sepulturam eo loci eligit ultimo die Septemb. & jubet ut Raymundus filius monachum induat cum dono mille solidorum.

Ibid. t. III, p. 125.

Donum recepit an. 1173, XV cal. Junii ab Aimardo *Descuders* in territorio de Bosavilla, & alio in loco anno eodem alterum a Gausberto de Montugio.

VI. Guido Vitalis diversa dona sui regiminis tempore percepit, videlicet an. 1173 ab Aimerico *de Rocafort*, 1174 ab Arnaldo *Espam*, XIV cal. April. ejusdem anni a Guillelmo de Flaunaco totam ejus possessionem in loco de Heremo, VII cal. Octob. a Jordano de S. Laurentio & Guillelma ejus uxore atque Arnaldo eorum filio plurima quæ possidebant in territorio S. Laurentii, 1175 a Bertrando *de Glatens*, 1176 a Raymundo *de Blanquet*, 1177 nonis Augusti ab Arnaldo de Bersaco. Memoratur & anno 1178, die 10 Maii, eodemque reperitur in charta Mansi-Garnerii, per quam Alacippus abbas ipsi concedit facultatem molendina construendi super fluvium Garumnam.

VII. Guillelmus I *de Combanol* memoratur ad annum 1178. Suscipit an. 1179, III id. Januarii a Bernardo de Bersaco totum ejus latifundium in territorio de Bersaco, cum ea conditione ut ille in Grandem-silvam monasticen professurus admitteretur. Jus pascuorum ab Odone de Insula in omnibus ejus prædiis ac in toto territorio *de Argumbaud* VII cal. octob. anno 1179 obtinet, nec non etiam dona Porcelli, Fortonis, Bernardi & Berengarii *d'Esparvers* fratrum. Otho de Lomaniva *seu* de Lomania ejusque filii ipsi concedunt anno 1182, VI id. Junii liberum transitum per terram suam, adeo ut nemo leidam & pedagium exigat. Quorumdam bonorum permutationem iniit anno 1183, X cal. Aprilis cum Gausberto abbate Marcilliaci. Recensitus an. 1186 in donatione Raymundi *Garcias* pro monasterio Bellæ-perticæ, recipit & ipse anno eodem largitiones Bernardi & Arnaldi de Longanio, atque Viviani vicecomitis *d'Hautvillars*. Præter bona in territorio *de Dalbs* & *de Mairas* a Gauterio *de Terride* & India ejus uxore collata, atque etiam jus pascuorum a Geraldo de Insula concessum anno 1187, donatus est etiam facultate exscindendi ligna in nemoribus ejusdem. Vitalem de Insula Raymundi filium, ob pascuorum jus indultum, suffragiorum & precum participem effecit an. 1188 mense Martio. Legitur V id. Maii ejusdem anni in donatione suo monasterio tributa ab Arsino & Ainardo *de Faudoas* fratribus, nec non in altera a Raymundo Tolosæ comite collata mense Novemb. Transegit cum Porcello *d'Esparvers* 1189, quo anno XVI cal. Novemb. donationem obtinuit a Jordano de Insula. Controversiam eum inter & Odonem abbatem Bolbonæ exortam terminarunt anno 1191 mense Julio abbates Aimericus Candelii, Johannes Gardæ-Dei, Bernardus Bellæ-perticæ, & Guillelmus Loci-Dei. Eodem anno Bernardus Aurevallis a patre suo concessorum confirmationem ipsi impertivit. Raymundum de Montepessulano Grandis-silvæ monachum adipiscentem episcopatum Agathensem conspexit an. 1192. Pluribus in chartis Guillelmus occurrit ad annos 1193, 1194, 1195 quo Gerardus comes Armeniaci ei tribuit immunitatem pedagii, adhuc etiam ad annum 1196.

Charta XXXVIII, col. 25.

VIII. Hugo regimen obtinuisse dicitur an. 1197, quo Raymundus comes Tolosanus omnia dona quæ suus pater Pontio contulerat, auctoritate sua roboravit. Hugo occurrit & an. 1198.

IX. Arnaldus I *Amalric* ex abbate Populeti in Catalonia promotus in abbatem Grandis-silvæ, reperitur an. 1199, quarto die Martii; eodem rursus anno in charta S. Petri de Curte, ex qua constat præstitam illi fuisse a Guillelmo abbate facultatem construendi molendina super Garumnam. Anno sequenti donationes Sancii *de Lugas* & Dominici *Dels* acceptavit. Occurrit & an. 1200 mense Aprili & III cal. Decemb. quo anno a Bernardo abbate Aginnensi donatus est ecclesia *de Masceres*, & in Cistercienfem abbatem cooptatus fuisse creditur, uti jam diximus tom. IV, col. 990.

X. Aimericus an. 1201 mensibus Febr. & Octob. memoratur in chartis Raterii & Pontii Guillelmi *de Castelnau* septem terræ jugera in feudo de Gausinaco tribuentis, atque etiam in instrumento donationis Fortanerii *de Lalane*. Monasterium istud adhuc regebat an. 1202, quo Guillelmus Montispessulani dominus gravi morbo correptus per suum testamentum conditum die quarta Novembris suam sepulturam elegit in monasterio Grandis-silvæ, cui centum libras contulit.

XI. Guillelmus II Roberti an. 1203, VII id. Octob. inducit Raymundum Rogerium vicecomitem Biterrensem ut libertates a patre suo concessas confirmet. Anno sequenti cal. Sept. silvam & terram recipit ab Hugone de Bellopodio, 1205 a Raymundo *d'Arcombat* exemptionem Leidæ & pedagii in jurisdictione Castelli-mazani, 1206, die octava Januarii ab Amaluino *de Blancafort* jus pascuorum in omnibus ejus terris, a Raymundo comite Tolosæ donationem die 24 Februarii, item die quinta April. omne dominium quod Bernardus de Ispania habebat in terra *de Maseraulas*. Munificos expertus est anno 1207 Matfredum de Verduno largientem mense Aprili medietatem terræ de Carbonada, atque etiam Athonem *de Drudas* & Mauritaniam ejus uxorem. Eodem transegit cum Porcello, Geraudo, Arnaudo & Centullo *d'Esparvers*. Bernardus de Monte-alto tradidit ipsi quamdam possessionem anno 1209 mense Novembri, similiter & Vitalis *de Blancafort* jus pascuorum in omnibus terris suis an. 1210 id. Feb.

XII. Petrus I quædam recipit an. 1214 mense Julio a Guillelmo Sancio de Casalibus & Guillelmo Raymundo fratribus, & anno 1215 mense Septembri a Vetiano vicecomite Lomaniæ facultatem domus exstruendæ in castello Alti-villaris. Recensetur & ad annos

1216 & 1217 quo Bernardus de Monte-alto ipsi donationem exhibet mense Octobri.

XIII. Raymundus I Petri de Roquevilla quædam recipit octavo die exitus Febr. anno 1218 ab Arnaldo *de Fauldoas*. Eodem rursus anno Senebrunus dominus de Lesparra modium salis in loco *de Soulac* annuatim percipiendum concedit. Superstes Raymundus ad annos 1220 mense Aprili & 1221.

XIV. Bernardus I 1221, suscipit ab Odone de Pardalha jus pascuorum in omnibus ejus terris an. 1222 mense Decembri, & donum a Sicardo *de la Motte* an. 1223.

XV. Helias Guarinus anno 1224 mense Julio donationem Aldiarsis, annuente ejus marito Galterio de Fossato, excipit. Eodem anno in vigilia S. Bartholomæi pactioni inter comitem Tolosæ & episcopum Aginnensem initæ subscripsit; donatur etiam hoc anno modio salis quotannis percipiendo mensura Burdegalensi, similiter & immunitate leidæ & pedagii in jurisdictione *de la Fauconcere*. Percipit an. 1225 cal. Octob. ab Anselmo fero equite 25 libras piperis annui reditus. A Garsia de Sobolena terram & honorem quem ille habebat juxta grangiam *de Lescolt* acquirit an. 1227 mense Martio. Iisdem mense & anno transigit cum Auriolo abbate Gimundi, arbitro Vitale abbate de Berdona. Testamenti Pontii de Capite-denario una cum Jordano abbate S. Saturnini curator eligitur die secunda ejusdem mensis Martii. Quin etiam hoc anno nomine Romani legati apostolici conditiones pacis obtulit Raimundo comiti Tolosano & aliis Albigensium fautoribus. Bernardus Jordanus an. 1228, die 2 Martii apud Grandem-silvam sepulturam sibi dari per suum testamentum postulat, & idcirco suum equum monachis legat. A Romano cardinale de sancto Angelo summi pontificis legato & Ludovico rege Francorum ad Raymundum Tolosæ comitem missus fuit Helias, ut ei pacis conditiones offerret eas acceptavit comes, & Heliæ provinciam demandavit per litteras datas anno 1228, die 10 Decemb. de pace agendi, cum promissione ratum habendi quidquid ab ipso factum foret. Eam ob causam Helias accessit Meldas & cum Theobaldo comite Campaniæ pacis sequestro de quibusdam capitibus convenit, quæ revera Raymundus confirmavit an. 1229 mense Januario, & pridie id. April. mille marchas argenti Grandi-silvæ donavit. Eodem anno, IV non. Mart. Hoto *de Terride*, nec non Odo *d'Armagnac* mense Novemb. quædam Heliæ largiuntur. Is atque Guillelmus abbas Mansi-Garnerii sibi mutuam damnorum suorum compensationem promittunt an. 1230, die 10 Julii. Incertum est utrum Helias fuerit superstes anno 1231, die 25 Decemb. quo Fulco Tolosanus episcopus, quondam, inquiunt, Grandis-silvæ monachus, ibi humo mandatus fuit.

Tom. II, instrum. col. 432.

Hist. Occit. t. III, prob. pag. 326, 327.

Ibid. pag. 326, 327.

Ibid. pag. 330.

XVI. Arnaldus II *Gailhard* occurrit nonis Decembris anno 1232, ut constat ex compromisso quod in ejus manibus fecerunt P. abbas Bolbonæ & Bertrandus *de Belpuech*. Recensetur & ad annos 1235 & 1236, quo V cal. Maii pactum iniit cum B. abbate Mansi-Garnerii.

XVII. Bernardus II memoratus an. 1236, suo monasterio quædam acquisivit an. 1237.

XVIII. Raymundus II Berterius *vel* Ferrerius 1238. Amanevus de Lebreto ipsi dedit an. 1240, die 15 mensis Octob. leidem & pedagium in omnibus terris suis.

5 Ex actis capituli generalis eo anno habiti intelligimus abbatem Fontis-frigidi in Grandis-silvæ pastorem electum fuisse. Attamen eam dignitatem recusavit, & idcirco exauctorationis reus evasit; sed quod justissimas causas habere se comprobavit, levi culpa punitus est.

XIX. Otho, *vel* Odo de Castro-Radulfi, Bituricensis, sacræ theologiæ doctor & cancellarius Parisiensis, primum Ursi-campi dein Grandis-silvæ abbas, ab Innocentio IV cardinalitia dignitate sublimatus est an. 1244, & episcopatu Tusculanensi donatus. Distinguendus videtur ab altero Odone, cujus extant diversæ quæstiones inclusæ in Bibliotheca regia. Is superstes tempore Eugenii III extitit etiam abbas Ursi-campi & episcopus Tusculanus. Forte nominis similitudo in causa fuit cur Otho noster inter abbates Ursi-campi a nonnullis recensitus fuerit, licet locus non remaneat ei assignandus.

Anecdot. tom. IV, col. 1374.

Biblioth. Cisterc. pag. 257.

XX. Petrus II *Raymond* an. 1244, die 10 Martii jure pascuorum donatur in omnibus terris Geraldi *d'Armagnac*. Diversis in locis dona accipit annis 1245, 1247 ab Othone *de Terride*. Occurrit etiam ad annum 1248, 16 Julii, & a Raymundo Tolosæ comite centum marchas sterlingorum percepit ergo constructionis ecclesiæ anno sequenti. Concordiam iniit an. 1250, octavo die Junii cum Beraldo *de Faudoas*.

XXI. Richardus conventionem iniit anno 1250, mense Jan. cum Bernardo Gauterio, Montarino fratribus, & aliis super honore *de Argumbad*. Memoratur 1252 in dono Vidalis de Herra presbyteri. Eodem anno ecclesia dedicata fuit a Raymundo Tolosano episcopo pluribus aliis præsulibus stipato V cal. Maii. Composuit an. 1254, die 13 Junii cum Jordano de Insula, cujus in testamento reperitur anno 1256, ex quo constat Jordanum suam sepulturam in cimiterio Grandis-silvæ elegisse. Quædam jura ei relaxavit Arnaudus *de Gontaud* eo ultimo anno, quo transegit cum Raymundo *de Setz* abbate Mansi. Pactionem iniit & anno 1258, mense Januario cum Bartholomæo abbate Gimundi.

Hist. Occit. t. III, prob. p. 525.

XXII. Pontius III memoratus ad annum 1259, die 3 Januarii, transigit die 17 April. cum Simone Bellæ-perticæ. Occurrit etiam annis 1260 & 1261, & mense Januario 1262.

XXIII. Bernardus III *de Bac*, quem tom. IV, col. 1148 appellavimus Bertrandum,

querelam habuit an. 1262 adversus Yvonem abbatem Cluniacensem super territoriis & ecclesiis de Manetuila, *de Noguer* & de Serenis, fer. IV post Dominicam qua cantatur *Jubilate*. Habuit & alteram adversus Heliam *Aucher* priorem de Regula super pedagio Regulæ, quæ sopita est judicio arbitri Guillelmi *de Pins* prioris Mansi Aginn. anno 1263, die 11 Augusti. Cum Petro Boverii præfecto hospitii pauperum S. Johannis Hierosolymitani de Brugali pactionem iniit anno 1265, die 1 Martii. De eo benemeritus est 7 Novemb. anno 1267 Geraldus comes de Armaniaco. Abbatis munere Bernardus etiamnum fungegebatur an. 1268.

XXIV. Bertrandus II Gauffridi præerat anno 1269. Donum Johannis *de Saradan* excepit an. 1270. Alphonsus rex Castellæ, instituta nova confraternitate dicta de B. Maria de Hispania, pugnandi causa adversus Saracenos, struxit quatuor monasteria in regno Murciæ, in quibus collocarentur monachi, clerici, milites & alii fratres laïci ad modum Calatravæ. Idemque rex jussit ut horum primum Cartagenia scilicet tribus aliis præficeretur, nempe B. Mariæ de Portu, Crumenæ, ac S. Sebastiano tanquam Cartageniæ membris. Hæc autem incorporari ordini Cisterciensi voluit; quamobrem misit ad Johannem Cisterciensem abbatem Gauffridum de *Everle* clericum ea de re cum illo tractaturum. Johannes regis petitionem benigne suscepit, & ad Bertrandum nostrum direxit epistolam anno 1273, X cal. Febr. per quam ei ejusque successoribus concedit potestatem constituendi priorem in monasterio Cartageniæ, simul etiam auctoritatem instituendi novitios tam clericos quam laïcos. Verum Bertrandus alias accepit litteras ab eodem Johanne an. 1275, ut unum e monachis Cartageniæ destinatis præficeret in abbatem. Iisdemque monachis concedit licentiam sui abbatis in posterum eligendi, & abbati Grandi-silvæ potestatem electionis firmandi. Diversis in locis occurrit an. 1277 & 1278, quo Philippum regem Francorum urbis Belli-montis condominum fecit, & ab ipso monasterii possessiones regia auctoritate roborandas mense Aug. anni sequentis curavit. Præsens fuit anno eodem 1278 executioni compromissi facti an. 1272 inter B. episcopum & Bernardum comitem Convenarum. Litteras in cœnobii sui gratiam impetravit an. 1282, die 6 Junii ab Helia Talairando vicecomite Lomaniæ & Alti-villaris. Dominica die ante festum S. Johannis-Baptistæ an. 1284 a Petro de Fontanis regis quæstore apud Tolosam suscepit apocham 500 librarum, in decessionem 9600 quas Grandis-silva debebat regi ex mutuo pacto, super terris & honoribus de Septenis, *de Ribaut*, &c. Cum Arnaldo *de Villemur* abbate S. Saturnini pepigit an. 1286, die 5 Junii, & ab ipso facultatem impetravit ecclesiæ erigendæ juxta collegium S. Bernardi, cujus ab aliquot annis in urbe Tolosa fundamenta jecerat intra parœciam S. Saturnini pro theologiam tam regularibus quam secularibus edocendis. Ea in pactione statuitur ut in illa ecclesia officia libere celebrari, sacramenta fidelibus ministrari, sepultura mortuis exhiberi possint, cum ea tamen conditione, ut quarta oblationum ac legatorum pars canonicis sancti Saturnini exhibeatur. Sepultus in capitulo brevi epigraphe donatur, cujus numeri vetustate corrosi diem & annum ejus obitus nobis occultant.

Thesaur. Anecdot. t. I, col. 1135 & seqq. — *Ibid. col. 1149.* — Ch. LVII, col. 42. — Ch. LVIII, col. 43.

XXV. Petrus III Alsarici 1288. Transigit an. 1290 cum Bernardo abbate Bellæ-perticæ super jure pascuorum. Philippus rex Francorum cui quoddam jus in urbe Granata cesserat, confirmavit conventionem eum inter & Eustachium de Bello-marquesio senescallum Tolosæ actam an. 1291 super privilegiis & consuetudinibus concessis eidem urbi Granatæ, quam recens fundaverant. Servantur litteræ ejusdem anni in thesauro chartarum, datæ die Lunæ ante nativitatem B. Mariæ, ex quibus constat Petrum regi cessisse locum ad castrum construendum. Statuta quædam pro indigenis urbis Granatensis an. 1292, die 3 April. conscripsit.

XXVI. Bertrandus III *de Bruaval*, antea abbas Axmerati, memoratus ad annum 1293, idem sane est atque abbas ille Grandis-silvæ qui anno 1294 medio Januarii cum abbate Bellæ-perticæ, & quibusdam tam clericis quam viris nobilibus ad S. Macarium missus fuit significaturus Johanni *de Saint-Jean* regis Angliæ vices gerenti, ut Philippo regi Francorum ducatum Aquitaniæ restitueret. Pluribus in locis occurrit ad annos 1297, 1299, 1300. Societatem precum iniit an. 1304 cum abbate sancti Petri Condomiensis. Cum Consulibus Coloniæ super quibusdam decimis transegit an. 1307. Immunitatem Leidæ & Pedagii a Raymundo milite domino Podii Gontaldi obtinet 17 Octob. 1314. Rexit ad annum tertium pontificatus Johannis papæ XXII, quo diem clausit extremum, ex actis pontific. Aven.

Spicil. tom. XIII, p. 500.

5 Johannes Egidii Silvæ-majoris monachus in abbatem Grandis-silvæ a nonnullis monachis eligitur, verum ut pote minus canonice electus deponitur a summo pontifice, ex schedis Henrici *Suarez*.

XXVII. Pontius IV Maurin ex abbate Vallis-magnæ, diœcesis Agathensis, bulla Johannis XXII edita an. IV pontificat. id est an. 1319 Grandi-silvæ præficitur. Pro limitibus ac juribus quibusdam componit an. 1322 cum Raymundo abbate Mansi-Garnerii. De vita cessit an. XI pontificat. ejusdem papæ, hoc est an. 1326, non vero 1325, ut diximus tom. VI, col. 724.

XXVIII. Guillelmus III *de Piret* ex abbate Belli-locensi, diœcesis Ruthenensis, Grandem-silvam adipiscitur brevi apostolico Johannis XXII, pontificat. anno XI, id est 1326. Recensetur & ad annos 1338, 1346.

XXIX. Radulfus regebat anno 1348.

A rege Francorum Philippo curam suscepit anno 1358 cujusdam negotii exsequendi in curia senescalli Carcassonensis. Domum Tolosæ contiguam collegii sancti Bernardi acquisivit anno 1364. Cum parocho Granatæ controversiam habuit 1366. Regimen perduxit ad annum 1368, quo diem supremum obiit.

XXX. Bernardus IV *de la Fours* primum Fontis-vallium tum Sinanquensis cœnobii in diœcesi Cavallicensi abbas, Grandis-silvæ pedum accipit jubente summo pontifice Urbano V, brevi dato an. 1368. Reperitur in chartis Bellæ-perticæ 1370, 1376; & in aliis 1377, 1386.

XXXI. Bertrandus IV præerat an. 1386. Apocham generalem accepit a domino de Faudoanissa an. 1391, die 14 Novemb.

XXXII. Galinus regimen obtinebat annis 1391, 1393, 1398. Idem esse videtur cum Guillelmo, qui in charta ecclesiæ Tolosanæ memoratur an. 1399.

XXXIII. Petrus IV Olierii ex provisore collegii S. Bernardi abbas factus regebat annis 1400, 1405. Quædam bona recepit anno 1407, die 15 Januar. ab Esclarmonda de Brugimonte vidua Bertrandi de Augerolio. Reperitur etiam annis 1408, 1409. Monasterium Calercii visitavit an. 1415.

XXXIV. Johannes I Azemarii 1424. Ob negligentiam in administratione ab abbatibus Morimundi & Caduini commissariis in capitulo generali institutis exauctoratus fuit an. 1432.

XXXV. Egidius *de Morban* electus anno 1432, confirmatus fuit ab abbate Boni-fontis, qui eo accesserat ad reformationem monasterii. Occurrit 1437, 16 Aprilis in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Dat apochas pecuniæ a rege sibi concessæ ad annos 1441, 28 Junii; 1442, 12 Febr. 1447, 16 Aug. Ratam & ipse habuit an. 1448 electionem Martialis abbatis Fontis-frigidi. Capellam de Purgatorio in ecclesia Granatensi fundavit an. 1454, pro qua quædam statuta conscripsit 13 Januar. 1460. Occurrit & annis 1455, die 21 Jan. & 6 Julii 1456, quo circiter anno ab Amanevo *d'Albret* domino de Orvallo & de Lesparra duos salis modios annuatim in loco *de Soulac*, mensura Burdegalensi percipiendos acceptavit die Nativit. B. Mariæ. Eum adhuc superstitem fuisse an. 1458 & 1459, 4 Martii probant chartæ D. *de Gaignieres*.

XXXVI. Bertrandus V *d'Alby* 1463, 1467. Confirmavit electionem Jacobi Guichardi abbatis Calercii 1469, & Petri de Roca abbatis Fontis-frigidi 1473, die 15 Martii.

XXXVII. Arnaldus III *Blanc al.* Blanchi 1475.

XXXVIII. Antonius-Petrus *de Narbonne* episcopus Vabrensis & abbas Fontis-frigidi, de quo diximus tom. I. col. 280; & tom. VI, col. 214, Grandem-silvam obtinebat 1476, cessit in gratiam sequentis.

XXXIX. Georgius I *d'Amboise* cardinalis abbatiam obtinebat ad annos 1477, 1480, 1482 & 1483.

XL. Ludovicus I *de Narbonne* Antonii-Petri germanus & in episcopatu Vabrensi successor, in chartis signatus occurrit an. 1494. Litteras protectionis a Carolo rege obtinuit. Testatur se accepisse in thesauro regio quindecim libras an. 1513, die 4 Maii. Ecclesiam & claustrum picturis ornari curavit, ut testatur inscriptio apposita an. 1514, die 21 Julii, limini basilicæ ejusdem. Tenuit ad annum 1519, quo moritur die 7 Febr.

XLI. Gabriel I *de Narbonne* 1519, 1521, 1522, 1530. Eum omisimus tom. I, col. 59 in abbatibus Candelii, quod certe assecutus est.

XLII. Georgius II *de Narbonne* 1533, 1535. Simul abbas Fontis-frigidi & S. Geremari Flaviacensis.

XLIII. Johannes *de Bertrand* Tolosanus cancellarius & cardinalis 1549.

XLIV. Petrus V *de Bertrand* consanguineus vel frater superioris itemque Tolosanus 1550, 1551, 1552, 1553 & 1557, quo ultimo Cadurcensem episcopatum consecutus est, uti diximus tom. I, col. 148.

XLV. Alexander II *Farneze* cardinalis episcopus Tusculanus, sedis apostolicæ vicecancellarius & Avenionensis legatus 1559, 1560, 1572.

§ Johannes *de la Barriere* abbas Fuliensis, & Augustinus *Guillelmot* prior Bolbonæ, jubente Cisterciensi abbate, visitarunt monasterium & nonnulla statuerunt pro ipsius meliori regimine an. 1579.

XLVI. N. *de la Roche* Tolosas 1589.

§ Petrus *Lanes* à monachis electus est 29 Maii 1593; at regi minime probatus cessit.

XLVII. Ludovicus *de Nogaret de la Valette* cardinalis archiepiscopus Tolosanus 1599, 1604. Chorum exstrui curavit, & cessit in gratiam sequentis an. 1612.

XLVIII. Franciscus *de Joyeuse* cardinalis ex sede archiepiscopali Tolosana ad Rotomagensem translatus obtinebat an. 1612.

XLIX. Ludovicus *de la Valette* post mortem Francisci abbatiam iterum tenuit ab an. 1616 ad 1639.

L. Armandus *de Bourbon* princeps *de Conty*, de quo multoties sumus locuti, abbatiam adeptus est an. 1639, & dimisit an. 1654, quo duxit uxorem Annam-Mariam Martinozzi neptem sequentis, qui ei vicissim successit.

LI. Julius *Mazarin* cardinalis per superioris cessionem hanc abbatiam cæteraque beneficia Armandi deglutivit an. 1654, & obiit 1661.

LII. Gabriel II *de Roquette* Tolosas, episcopus Eduensis, prior Cari-loci & S. Dionysii in Vallibus, bullas obtinuit datas Romæ 10 cal. Maii 1665, & eodem anno 8 Augusti possessionem accepit per procuratorem Amantium *de Senaux* abbatem S. Severi de Rustano. Obiit an. 1707. Vide tom. IV, col. 429.

LIII. Josephus-Emmanuel *de la Trimouille*

cardinalis, episcopus Bajocensis, tum archipræsul Cameracensis & abbas Latiniaci, monasterium Bonæ-combæ dimisit, Grandemsilvam capessiturus 23 Aprilis 1707. Vitam cum morte mutavit anno 1720, ineunte Januario.

LIV. Fredericus *Lanti de la Roëre*, filius Antonii equitis torquati & Ludovicæ-Antoniæ *de la Trimouille* superioris germanæ, per cessionem ejusdem commendam obtinuit anno 1719.

LV. N. *de Veri* an. 1766.

ORATIO-DEI.

L'Oraison-Dieu.

A parthenone Luminis-Dei *seu* de Favartio in Convenensi diœcesi ortum traxit Oratio-Dei seculo duodecimo, prædia possessionesque cedentibus Tolosæ comitibus, potissimum Bernardo, qui an. 1197, mense Febr. B. Mariæ de Oratione-Dei plurima largitus est. Raimundus Tolosæ comes & Provinciæ marchio codicillis apud Amilianum IX cal. Octobris an. 1249, centum marchas sterlingorum legavit. Dura passa est hæc domus in bellis contra Albigenses; & tandem a Novatoribus solo æquata, diu caruit abbatissis & monialibus: imo etiam adjuncta fuit abbatiæ de Elnis an. 1444 ab abbate Morimundi generali reformatore. Attamen ab ea senatusconsulto sejuncta, ad pristinum splendorem reducta est, eamque modo nobiles non paucæ incolunt virgines, quæ relicto primo cœnobii situ aspero nimis & inculto, ad oppidum Murelli, annuentibus episcopo Rivensi aliisque proceribus quorum intererat, se recepere & in eo sedem fixere. Hic parthenon nunc unitus est abbatiæ Salenquiarum.

Paucas quas ex chartis extraximus abbatissas eo ordine exhibemus.

ALIQUOT ABBATISSÆ.

I. MARIA *de Benca*, cui bene multa cessit anno 1250 Bernardus Convenarum comes.

II. Johanna de Casalibus 1413, mense Decembri; & 1439, 19 Junii.

III. Margarita de Bona-fide 1439, 1 Martii, id est 1440.

IV. Gratiana de Retoreto 1443, 24 Febr. 1444, 14 Novemb. & 1446, 4 Decemb. ex chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

V. Catharina *de Benca*, renitentibus abbate & monachis Ealnensibus, a rege & a summo pontifice instituta abbatissa circa annum 1615, pacifice non sedit.

VI. Anna *de Bize de Saint-Elis* monialis Luminis-Dei, Bertrandi *de Bize* militis domini *de Saint-Elis*, & Ubertæ *de Laton* filia, Catharinam excepit an. 1632. Bullis donata pridie nonas Julii 1636, locum in quo olim extabat abbatia a patriæ proceribus vindicavit. Anno 1663 parens ejus Uberta *de Laton*, Bertrandi relicta, cum quatuor ejusdem generis domicellis monialem ibidem induit, cœnobio omnia sua dimisit, in quo pie devixit anno 1665. Anna vero ejus filia jam obierat 1 Septemb. 1664. Huic successit, cui cesserat

VII. Antonia *de Gauljeac de Barriere*, migravit a seculo 29 Augusti 1691.

VIII. Elisabeth de *Gauljeac de Barriere* breve regium obtinuit 1 Novembris 1691, bullas X cal. Junii 1692, possessionemque est adepta die 7 mensis Augusti sequentis.

SALANQUIÆ.

Salinques.

IN diœcesi Rivensi, juxta ecclesiam S. Felicis de Salenchis, unde nomen Salenquiæ Gasto comes Fuxensis in suo territorio parthenonem pro triginta monialibus sustentandis struere cœperat; sed eo morte prævento Alienordis Convenensis ejus vidua & Gasto Phœbus filius ejusdem, post adeptam licentiam a summis pontificibus Clemente VI & Innocentio VI, quod ille imperfectum reliquerat opus, ad ultimum finem perduxerunt an. 1353, die 1 Septemb. cujus negotii exsequendi pontifices supra laudati, primus sui pontificatus an. IX idib. April. & alter an. 1 pontific. VII id. Febr. provinciam demandarunt Arnaldo Ulnarum, Pontio Lezati, & Bernardo Calertii abbatibus. Fundatorum intentio ea est, ut monasterium nuncupetur Abundantia-Dei, & moniales iisdem privilegiis & libertatibus gaudeant, quibus gaudent alia monasteria ordinis Cisterciensis. Jus patronatus in eo parthenone sibi retinent, & volunt ut abbatissa recens electa sibi vel suis successoribus præsentetur, ut cognoscant an electio de idonea persona facta fuerit, & in receptione monialium nunc & in posterum facienda eorum expectetur assensus, ita videlicet ut quando contigerit unam vel plures moniales aut deficere aut mori, ipsi vel eorum successores Fuxi comites jure fruantur designandi virgines recipiendas. Statuitur etiam ut parthenon ille Bolbonæ pareat, cum potestate tradita abbati ejusdem loci abbatissam confirmandi, eamque & ejus moniales, ubi opus fuerit, corrigendi. Ab Alienorde & Gastone ejus filio enixe rogatur hic abbas ut hanc subjectionem grato animo recipiat & monialibus assignet perpetuis temporibus duos monachos providos & discretos, futuros earum patres spirituales & confessarios, quibus abbatissa singulis annis octo florenos pro vestiario in festo Omnium-sanctorum solvere tenebitur, sex vero tantum cuidam presbytero seculari, qui a comite Fuxi instituts aletur in parthenone, missam quotidianam celebraturus pro animæ Gastonis sponsi Alienordis salute, & pro incolumitate Gastonis filii & matris ejusdem. Huicce fundationi adstiterunt Johannes electus ecclesiæ Rivensis, Petrus episcopus Olorensis, G. abbas Fuliensis, atque complures optimates qui eam auctoritate sua roborarunt. Præfati Gastonis alias litteras idiomate vulgari conscriptas die 16 Maii an. 1365 contrectavi ex quibus innotescit id monasterium permultis bonis auctam fuisse. Eo loci cum splendore substitit ille parthenon ad

Ch. LXXII. col. 64.

ad annum usque 1574, quo a Calvinistis A susdeque eversus, moniales in urbem Montesquivum se receperunt, & seculo sequenti ampla domo in urbe Tolosa emta, sedem suam ibidem fixere.

SERIES ABBATISSARUM.

I. MANTHELIO de Castellione monialis Luminis-Dei in diœcesi Convenensi cum aliis pluribus ad Abundantiam transmissa, ob morum honestatem & alia virtutum merita a præfatis abbatibus commissariis apostolicis instituta est abbatissa an. 1353, die 1 Septemb. & in signum auctoritatis tam spiritualis quam B temporalis in sedem abbatialem deducta. Quibus peractis abbas Lezatensis alta voce imposuit hymnum *Te Deum laudamus*, & Canardus episcopus Conseranensis sacris operatus est.

II. Margarita I 1370.

III. Margarita II *de Levis* nobilissima Mirapicensium dynastarum gente nata præerat annis 1398 & 1414. Sub ejus regimine degebant plures illustri sanguine cretæ moniales, scilicet Aiglantina & Mirada de Fuxo, nec non Martha *de Pardeilhan*.

IV. Henrica *de Causan* superstes an. circiter C 1460 inter suas moniales habuit Beatricem & Yolandam de Fuxo, atque Griseam *d'Estou*.

V. Eleonora I *de Foix* clara comitum Fuxensium familia exorta priorissa reperitur anno 1458. Abbatissa autem eligitur circa annum 1462. Occurrit & annis 1464, 69, 70, 75, 80, 82, quo ultimo jussu abbatis Cistercii parthenon est reformatus. Eadem forte est abbatissa quæ an. 1483 ad papam Sixtum IV appellavit a sententia excommunicationis, quam in ipsam vibrare minabatur Johannes abbas Cistercii, propterea quod recusaret in parthenonem admittere monialem D quæ licentiam non obtinuerat a comite Fuxensi, absque cujus consensu ullam recipere nefas erat.

VI. Agnes de Monte-alto 1489, 1499, 1507.

VII. Eleonora II de Roca memoratur ad annos 1512, 13, 24, 26, 28, 30.

VIII. Anna I *de Saint-Étienne* 1536, 1564, 1570.

IX. Juliana *de Corneilh* superstes annis 1573, 1592, disciplinam regularem collabentem, bonaque monasterii a Novatoribus, E proceribusque patriæ invasa maximo cum dolore perspexit.

Estiennot, tom. XII, fragm. hist. p. 301.

X. Carola *de Noé* 1598.

XI. Miramonda *de Labiston* 1601.

XII. Johanna *de Mauleon* an. 1610 aut circiter eligitur.

XIII. Margarita III *de Mauleon de Francon* 1620.

XIV. Anna II *de Noé* Urbani *de Noé* ex Maria *de Mauleon* filia, post superioris obitum bullas accepit datas Romæ 15 cal. Octob. 1625.

XV. Philiberta *de Noé* Annæ neptis & coadjutrix, brevi regio præficitur 18 Novemb. 1658, bullasque accipit VII cal. Maii 1659, quo anno Petrus de Marca Tolosanus archipræsul benedictionem ei impertivit. Domum amplam in urbe Tolosa emit, ad monasterium transferendum. Prædia a Novatoribus aliisque restituenda curavit. Sui monasterii chartas Claudio *Estiennot* evolvendas benignissime exhibuit an. 1680.

XVI. N. *de Seirgan d'Erce* a rege renuntiatur abbatissa anno 1694, die 1 Novemb. bullisque donatur anno sequenti.

XVII. Gabrielis *de Seirgan d'Erce* ex priorissa nominatur abbatissa 1723, mense Novemb. per obitum N. *d'Erce*.

XVIII. N. *de Montillet* regiis litteris abbatiam obtinuit 25 Octob. 1742.

CAPELLA.

LA CAPELLE.

« AD Garumnæ littora, inquit abbas Stivagii, tribus a Tolosa leucis, in pro- « minentis monticuli vertice, cujus radices « sinuosus decurrens per circumcingentes silvas, « alluit rivus, in Garumnam muros allambentem « ab oriente, se exonerans, posita fuit an. 1143 « abbatia Capellæ & dotata ab Bernardo Jor- « dano de Insula, prosapiæ illustris & comitum « Insulæ-Jordani inclyto autore & summo dy- « nasta. » Hic namque Bernardo abbati Casæ-Dei totum jus suum in loco qui dicitur Capella, a rivo usque ad extremum Garumnæ concessit. Ejusdem posteri, puta filius & nepos, hancce donationem ratam habuere & auxere. Hos præter non parum ad monasterii fundationem contulerunt an. 1144 Guillelmus archipræsul Auxitanus atque ejus frater Vitalis, uti testantur hæc verba ex necrologio deprompta: *Commemoratio domini Guillelmi archiepiscopi Auxitani & Vitalis ejus fratris Guillelmi, Patroci ac Ceciliæ filiorum suorum, qui dederunt domino fratri Bernardo abbati Casæ-Dei, nepoti suo, & nobis, totum id quod habebant in loco qui Capella dicitur, & totam terram de Tornola, Padoentia, completa aquarum, herbarum & nemorum, pro quibus tenemur facere specialem memoriam in vigiliis & missa & mediam commendationem in conventu.* His & forte aliis hujusmodi donis acceptis Bernardus abbas Casæ-Dei, novæ abbatiæ constructioni totus incubuit, & ex suo monasterio Præmonstratensium examen eo eduxit, addita conditione ut novella plantatio Casam-Dei tanquam matrem haberet. Quædam damna Capellæ ab Albigensibus illata fuisse comprobat epistola Gervasii Præmonstrati abbatis, ex qua constat canonicos ejus loci excommunicationem incurrisse ex convictu & colloquio cum Heterodoxis. Calvinianorum furori obnoxia solo æquata est an. 1570. Abbatum seriem qualem ex chartis monasterii aliisque documentis excerpsimus nunc exhibere juvat.

Annal. Præmonst. tom. I, prob. col. 365.

Catalogus Abbatum.

I. Guillelmus I recensetur an. 1162 in veteri charta Gimundi. A Jordano de Insula an. 1163 accipit totam ejus terram *de Forcleux*, & quidquid possidebat in feudis *de Gala* & *de Mairas*; atque etiam jus pascendi greges & armenta monasterii ab omni censu & exactione liberum, nec non facultatem acceptandi quidquid ejus parentes aut vassalli monasterio tradere voluerint. Guillelmus horumce beneficiorum non immemor Jordano ejusque filiis tribuit participationem precum & bonorum operum in toto ordine Præmonstratensi. Decessit IX cal. Junii 1165.

Annal. Præmonst. tom. I, prob. col. 365.

II. Bos migravit a seculo VII cal. Martii 1169.

III. Bernardus I anno 1171, die 6 Maii omnium donorum suo monasterio tributorum confirmationem adeptus a Jordano, ipsi concessit eumdem favorem, quo Guillelmus ejus patrem prosecutus fuerat. Obiit VII id Januar. 1174.

Ibid.

IV. Arnaldus I ultimo fine quievit XVI cal. Junii 1178.

V. Bonus-homo 1200.

VI. Johannes I a Fulcone Tolosano episcopo donatur omni decimarum possessionumque jure, quod episcopus ille habebat in tribus ecclesiis, scilicet de Mairanis, de Rustiniaco & de Mervilla, intra cujus fines situm est monasterium, & ab eodem firmari curat omnes acquisitiones in prædictis locis a laïcis per se comparatas; tresque libras piperis episcopo annui census in festo Nativitatis Domini persolvendas promittit. Gervasius abbas Præmonstrati apud Honorium III intercedens pro absolutione excommunicationis & irregularitatis, quas incurrerant canonici Capellæ, ait Johannem in vita sua virum fuisse potentem in opere & sermone. B. Dominicum ordinis Prædicatorum fundatorem hospitio excepit, & cum eo amicitiam contraxit. Obiit anno circiter 1215, III nonas Julii.

Ibid.

VII. Guillelmus II mortem oppetiit ex necrologio V cal. Julii 1232.

VIII. Raimundus I viam universæ carnis ingressus est VII cal. Martii 1244.

IX. Oto de Vico diem extremum clausit VII cal. Decemb. 1244.

X. Johannes II an. 1247, die 7. Novemb. ecclesias ab episcopo Fulcone Johanni supra laudato indultas auctoritate Raimundi episcopi suo monasterio asserendas procuravit, & alteram dictam *de la Bouta* cum omnibus decimis, possessionibus & universis juribus ad eam spectantibus obtinuit. Statutumque fuit inter eos ut in posterum abbates Capellæ Tolosam bis in anno accederent synodo adfuturi, & episcopo tres ceræ libras, totidemque piperis annui census in festo sancti Thomæ persolverent.

Ch. LI, col. 36.

XI. Raimundus II Garsias tempore Bertrandi episcopi sedem abbatialem obtinebat

A an. 1279. Transegit an. 1282, die 12 Junii cum procuratoribus abbatis & monachorum Grandis-silvæ super territorio *de Tircapel*. Ejus obitus consignatur in necrologio VI cal. Febr. 1285.

XII. Arnaldus-Guillelmus de Gordii superstes an. 1293, non alius esse videtur ab Arnaldo de Corduno, qui juxta obituarium e vivis abiit pridie id. Junii 1294.

XIII. Sancius superstes annis 1299 & 1302 idem esse videtur cum Bantio qui ex necrologio vitam reliquit non. Dec. 1316.

XIV. Arnaldus II Calberti ex abbate Fontis-

B calidi factus abbas Capellæ occubuit XIII cal. Martii 1340.

XV. Arnaldus III memoratus ad annum 1367 idem forte est atque abbas ille, qui de Viridario nuncupatus vitam finivit anno 1374.

XVI. Bernardus II transegit anno 1391 cum Bertrando de Nogareto archidiacono. Reperitur in veteri instrumento 1394. Idem forsan est atque Bernardus de domo, cujus nomen extat in obituario prid. id. April.

XVII. Arnaldus IV de Melhono ex Capella ad Villam-podii in diœcesi Urgellitana,

C deinde ad Casam-Dei translatus, id ultimum monasterium regebat an. 1401.

XVIII. Bernardus III de Porta ex urbe Marciaci oriundus, abbatis munere fungebatur an. 1401. De vita cessit XVII cal. Decemb. 1413.

XIX. Stephanus *de Lachan* electus est an. 1413, eodemque confirmatus ab abbate Casæ-Dei.

XX. Raimundus III de Descuto absque temporis nota in necrologio collocatur non. April.

D XXI. Dominicus de Melono recensitus ad annos 1459 & 1460, in necrologio consignatur hisce verbis: IV id. Febr. Dominici Meloni abbatis Capellæ, qui construxit molendinum super brachium Garumnæ.

XXII. Bernardus IV Doyali electus est anno 1461 ex chartis Casæ-Dei. Diem consignatum habet in necrologio ad nonas Julii 1483. Forte pluribus annis ante mortem cesserat, nam

XXIII. Bernardus V de Molendinis, quem eumdem esse suspicor cum Bernardo de Turre qui reperitur an. 1483, in abbatem electus

E est an. 1478 ex chartis Casæ-Dei. Transiit e seculo anno 1513, die 6 mensis Martii, cum aliquibus ante annis & ipse cessisset. Jacet in ecclesia ante majus altare.

XXIV. Johannes III de Senacho benedictionem percepit anno 1510 a Laurentio Allemandi episcopo Gratianopolitano. Diversis in chartis memoratur usque ad annum 1539. Obiisse dicitur an. 1542, paucis ante annis regimine abdicato.

XXV. Johannes IV *Capergin* in veteri instrumento abbas Capellæ dicitur an. 1539, die 5 Novemb.

XXVI. Jacobus *Bernui* præses curiæ inquisitionum Parlamenti Tolosani, primus in commendam abbatiam obtinuit anno 1542, eamque tenebat adhuc an. 1570, nec parvum ei detrimentum intulit.

XXVII. Bertrandus *Descars* nominatus est anno 1603, non excessit annum 1616, quo vacabat abbatia.

XXVIII. Johannes-Ludovicus *de Bertier* major archidiaconus Tolosæ, præpositus sancti Stephani ejusdem urbis, abbas Lezati, episcopus Heliopolitanus, deinde Rivensis bullas per obitum Bertrandi obtinuit a Paulo V, datas Romæ 1617. Vivere desiit 16 Junii 1662.

XXIX. Antonius-Franciscus *de Bertier* superioris nepos & beneficiorum hæres fato functus est an. 1705, mense Nov. concessis monasterio quibus utebatur sacris ornamentis & trecentis libris.

XXX. N. *de Montlezun de S. Lary* canonicus Lascariensis abbatiam obtinuit an. 1705, 24 Decemb. Filius erat marchionis *de Lary* & Magdalenæ *de Gassion.*

XXXI. N. *de Sainte-Hermine* reginæ ab eleemosynis designatur mense Maio 1741.

XXXII. N. *de la Tour* vicarius generalis episcopi Alesiensis, consiliarius Parlamenti Tolosani, a rege renuntiatur an. 1741, mense Junio. Fatis concessit die 2 Januarii 1753.

XXXIII. Franciscus *Tristan de Cambon* vicarius generalis Tolosanæ diœcesis, & consiliarius Parlamenti urbis ejusdem a rege nominatus est mense Febr. 1753. Designatus a rege episcopus Mirapicensis, unctionem accepit 10 Julii 1768.

S. CLARA.

Vading. annal. Minor. regest. pont. t. II, p. 16. SANCTIMONIALES ordinis sanctæ Claræ prope Tolosam jam extabant an. 1254, VI id. Julii, teste Innocentio IV papa ipsis declarante quem habitum debeant portare. Excommunicationis vinculo innodatæ ob recusationem solvendi decimam, quam archiepiscopus Tolosanus & rector ecclesiæ sancti Martini de Laijraco ab ipsis exigere intendebant, absolutæ fuerunt a Johanne XXII anno 1332, V nonas Octobris. Cum earum monasterium, propter positionem extra civitatem, bellorum incommodis perpetuo pateret, ab Innocentio VI petierunt an. 1353, XV cal. Februarii, facultatem sedem suam in urbe figendi; moxque destructis quibusdam domibus sibi a Bernardo cardinali & episcopo Portuensi in burgo S. Saturnini testamento relictis, novum ibidem construere cœperunt monasterium pro vitandis hostium invasionibus. Verumtamen id opus vix inchoatum fuerat, cum Guillelmus de Quinballo parochus ecclesiæ Dealbatæ, ut destrueretur & totaliter demoliretur, tanquam sibi detrimentosum, efflagitavit; at summus pontifex præcitatus per litteras datas an. 1355 idibus Julii pacem inter utramque partem restituit. Quin etiam Gregorius XI an. 1372 abbatissæ & monialibus loci hujus necessariis indigentibus, ad incœpti operis consummationem, licentiam fecit eleemosynas percipiendi.

(Marginal notes: Id. tom. III, p. 224. — Id. tom. IV, p. 27. — Id. p. 50 & seqq. — Id. p. 114.)

En aliquot abbatissæ, quarum curis huncce parthenonem commissum fuisse credimus.

ABBATISSÆ.

I. CLARA de Limassio, memoratur 1390, 20 Martii, 1391 20 Maii.

II. Francisca *Arnaut Delpont* 1427, 16 Octobris.

III. Messendis de Morlanis 1433, 10 Febr.

IV. Edoarda *de Torneur* 1435, ultima Febr. 1436, 23 Maii; 1440, 4 Martii; 1441, penultima Maii; 1442, 16 Februarii; 1444, 14 Junii; 1447, 18 Junii.

V. Arnalda *de Grimoart* 1457, 12 Maii; 1458, 24 Junii.

VI. Margarita *de Durfort* 1468, 24 Martii; 1469, 19 Martii; 1470, 5 Julii; 1480, 22 Martii & 23 Septembris; 1481, 19 April. 27 Septemb. & 7 Junii; 1482, 26 Novemb. 1483, 28 Februarii, 18 Aprilis, 5 Junii & 20 Julii.

VII. Johanna de Grossollis 1483, 18 Sept. 28 Novemb. 1494, ultima Maii.

VIII. Maria de Grava 1505, 4 Maii.

IX. Fromenta *de Caussade* 1507, ultima Julii; 1509, 18 Maii; 1515, 24 Maii; 1531, 18 Februarii; 1547, 5 Novembris; 1548, 8 Februarii & 6 Junii.

X. Carola *de Minut* soror Gabrielis *de Minut* baronis de Castera.

S. CLARA DE ALTA-RIPA.

ABBATISSÆ & sanctimonialibus S. Claræ de Alta-ripa Johannes XXII per bullam Avenione datam an. 1331, nonis Junii an. 15 indulget ut ipsæ nec non illæ quæ in monasterio successerint, omnibus privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibusque apostolicis utantur & gaudeant, quibus abbatissa & conventus sanctæ Claræ Tolosanæ utuntur & gaudent. Quocirca Narbonensi & Tolosano archiepiscopis mandat ut in horumce privilegiorum possessione prædictas moniales tueantur. Innocentius VI pontifex maximus ad abbatissam ejusque sorores litteras direxit VI cal. Maii an. 1357, quibus ipsis permittit ut suum monasterium bello penitus destructum reædificent infra muros castri de Alta-ripa, in domo quam Guacelmius Masconis loci dominus eis concesserat.

(Marginal notes: Vading. annal. Minor. regest. pont. tom. III, p. 213. — Ibid. tom. IV, p. 57.)

5 Exstant litteræ Urbani V ad archiepiscopum Tolosanum directæ anno 1369, II non. Januarii, ex quibus constat Franciscam de S. Raimundo nobilem viduam Tolosanam ab eodem summo pontifice petiisse & obtinuisse facultatem construendi monasterium ejusdem ordinis S. Claræ in castro Carreti Tolosanæ diœcesis.

LEVINIACUM.

Tiburgis de Insula-Jordani comitissa de Astaraco anno 1334 parthenonem hunc condidit in gratiam Clarissarum Urbanistarum, quas Leviniaci dominas constituit. Henricus II rex Francorum medio circiter seculo XVI vi concordatarum suum esse jus abbatissam designandi contendit, sed interveniente bello ante negotii exitum, prohibuit ne quævis persona Romam adiret abbatiam expostulatura. Interea hicce princeps tamquam protector, patronus & præsentator abbatiarum regni sui, ut ipse ait, Margaritam *de Gau* loci alumnam proventuum monasterii œconomam ac dispensatricem creavit, atque cardinali *de Meudon* archiepiscopo Tolosano negotium dedit ut huic regimen spiritale consignaret.

Pinsson. regal. t. II, p. 670.

Abbatissæ.

I. Antonia *de Mons* dicta etiam *de Pelot* fatis concessit medio seculo XVI.

II. Margarita *de Gau* post obitum Antoniæ ab Henrico II rege designata fuit abbatissa an. 1551, die 8 Novemb. bullisque acceptis possessionem apprehendit.

III. N. *de Menville* an. 1574, die 15 Octob. renuntiata est ab Henrico III, qui 11 Nov. ejusdem anni consulibus Leviniacensibus jussit ut huic abbatissæ debita uti dominæ jura præstarent.

IV. Francisca *Maignault de Montegut* ab Henrico IV nominata, bullas obtinuit a Clemente VIII anno 1598, atque possessionem apprehendit 9 Martii 1599.

V. Magdalena *de Campeils* primum abbatissa *de Montech*, breve regium obtinuit a Ludovico XIII an. 1615, die 8 Julii.

VI. Margarita *du Faur* 1633.

VII. N. *de Pibrac* abbatiam adepta est 1694, in Pentecoste.

S. CYPRIANUS.

Juxta portam suburbii S. Cypriani extat ecclesia eidem Sancto dicata, cui olim inserviebant moniales ordinis S. Benedicti. Cluniacensi congregationi sub regimine abbatissæ parebant, prioremque Deauratæ superiorem agnoscebant immediatum, & ad eumdem abbatiam conferendi jus spectabat, prout testantur litteræ datæ ad annum 1324. Bellorum Garumnæque exundationum incommodis crebro vexatæ in civitatem se receperunt, sedemque fixerunt in ecclesia quadam a canonicis ecclesiæ cathedralis S. Stephani indulta an. 1325. Parthenonem S. Cypriani a pluribus annis desertum & inanem sorores ordinis tertiæ regulæ S. Francisci conventu suo per incendium orbatæ, expostularunt a priore Deauratæ in perpetuam emphiteosim. Quarum petitionibus annuens Amalricus de Senergiis tunc prior postulata concessit anno 1464, die 20 Julii, sub certis conditionibus, quas lege si lubet in instrumento donationis. Eodem anno, instante Ludovico XI rege, Pius II pontifex maximus hæc firmavit. Attamen virgines illæ primam regulam sancti Francisci amplexari constituerunt, & vicario generali ordinis in provincia Occitaniæ se subjecerunt anno 1507. Quamobrem frater Gilbertus Nicolai, qui id munus exercebat, an. 1510 sanctimoniales ex parthenone sanctæ Claræ Albiensis accivit, quæ sorores tertiæ regulæ tenaces coërcerent, juvenesque puellas Deo consecrandas informarent.

Ch. LXXV, col. 76.

Dalphina *de Pasquet* abbatissa Minoritarum S. Cypriani de Tolosa occurrit 1582, die 11 Maii; 1583, die 20 Febr.

ECCLESIA APPAMIENSIS.

OMNES pene civitates omni ævo duxerunt honori originem ſuam ad remota tempora referre. Appamienſis urbs frequentius plurali numero Appamiæ quam ſingulari nuncupata, licet ſat recens hanc prærogativam inſtar cæterarum ambivit. Quapropter ſinxit ſe quondam extitiſſe ſedem imperii Fredelai cujuſdam e Gothorum ſtemmate, fratris Theodorici regis, qui Toloſam ſuæ ditioni ſubjecit. Sita eſt hæc civitas, totius Occitaniæ poſt Toloſam ampliſſima, ad ripam fluvii Aurigeræ ab auro gerendo hanc appellationem conſecuti, & cenſetur in comitatu Fuxenſi amœniſſimo fertiliſſimoque ſolo totius provinciæ, quanquam non ad ipſum comitatum pertineat, nec ejus juriſdictioni ſubſit, ſed propriam habeat & peculiarem communem regi & epiſcopo. Diſſita eſt a Toloſa octo tantummodo leucis patriis, viginti quatuor Romana milliaria pene conficientibus, & a Lutetia centum ſeptuaginta quinque. Hæc ineunte ſeculo duodecimo nihil aliud erat quam pagus nomine Fredelacum, in quo exſtabat abbatia cognominis S. martyri Antonino ſacra, quæ ab Arnaldo vel a Rogerio ejus gnato Carcaſſonnæ comitibus Fuxenſium comitum progenitoribus in territorio ab ipſis dependente paulo ante annum 961 condita fuiſſe creditur. Nullum ſiquidem ſubſiſtit monumentum quod fundationem ejus ad provectiorem ætatem producat, ſi excipias acta tranſlationis ejuſdem S. Martyris Antonini, fabulis adeo referta ut nullam mereantur fidem. In his confutandis non immoror, & poſt recentioris hiſtoriæ Occitaniæ ſcriptorem repeto hunc S. Martyrem nec filium Fredelai nec *Hiſt. Occit. t. I. p. 621. & ſeqq.* pago Fredelacenſi oriundum, prorſuſque alienum videri a S. Antonino, qui Apameæ in Syria martyrii palmam eſt adeptus, ſed eumdem atque S. Antoninum, qui in Aquitania videlicet in Cadurcenſi territorio cum duobus ſociis Johanne & Almachio martyrium paſſus fuiſſe traditur, unde pars earum reliquiarum fortaſſis in id monaſterium fuerunt allatæ.

Porro Fredelacenſis abbatia quam non multo citius anno 961 erectam fuiſſe diximus, diu ſub regimine prioris comitibus Fuxi paruiſſe videtur, verum ab ipſis libertatem nacta, ab iiſdem nihilominus crebras longinquaſque exagitationes perpeſſa eſt. Ceſſit tamen anno 1034 Petro epiſcopo Gerundenſi juxta pactum eum inter & Rogerium comitem Fuxi hujuſce nominis primum ejus nepotem initum. *Ibid. t. II. prob. col. 190.* Idem comes circa annum 1060 una cum uxore ſua Amica ſcripſit ad Hugonem abbatem Cluniaci ſignificans ſe ei committere locum S. Antonini, qui vulgo vocatur *Fredeleiz*, quatenus ibi monaſtici habitus regularis ordo inſeratur; *Charta I. col. 87.* ſed comitis voluntas aut caruit effectu aut monachi brevi temporis intercapedine ſubſtiterunt, nam canonicos regulares illic jam degiſſe comperimus exeunte ſeculo XI, nempe anno 1095. Rogerius II redux ex itinere Jeroſolymitano in fundo monaſterii Fredelacenſis caſtrum ædificaſſe creditur, cui nomen Appamiarum indidit, forſan ab urbe Appamia in Syria, unde corpora Sanctorum retulerat, & forte B. Antonini martyris, qui ſane cum altero S. Antonino martyre in Aquitania abbatiæ patrono in poſterum confuſus fuerit. Præfatus hic comes edidit chartam anno 1111, menſe Junio, pro reſarciendo damno quod eccleſiæ & canonicis Fredelacenſibus, *Charta III. col. 89.* eorum poſſeſſiones injuſte detinendo, intulerat. Id inſtrumentum, quo inter cætera bona reſtituitur caſtrum Appamiarum, eſt vetuſtior epocha nominis Appamienſis, quam noverimus in Galliis, indeque conjicere fas eſt urbem hanc fuiſſe compactam pago Fredelacenſi duobuſque alteris pagis finitimis ſenſim auctis, nomenque ſuum a prædicto caſtro Appamienſi traxiſſe. Conſtat ex præcitata charta atque etiam ex altera conſcripta anno 1149 comites Fuxenſes *Ibid. 525.* a loci canonicis inſtitutos fuiſſe dominatus monaſterii participes, ea conditione ut adjutores defenſoreſque bonorum & poſſeſſionum exiſterent, atque fidei juramentum abbati præſtarent. Simon comes Montis-fortis hæreticorum Albigenſium ſtrenuiſſimus inſecutor a Vitale abbate *T. III. prob. col. 216 & ſeq.* Fredalenſi infenſo comiti Fuxenſi Heterodoxorum fautori accerſitus ut urbem occuparet in ejus locum ſuffectus eſt an. 1209, & poſt Simonem Almalricus an. 1218, qui Ludovico VIII *Ibid. col. 320.* regi jus ſuum ceſſit an. 1226. Eodem anno, menſe Octobri, Mauricius ſacriſta & canonici S. Antonini, conſentiente Romano cardinali S. Angeli, ſedis apoſtolicæ legato, eidem regi *Char. VII. col. 93.* commendarunt caſtrum cum fortitiis cuſtodiendum tantummodo in vita ſua & ſub certis conditionibus in charta relatis. Clemens IV papa ad querimoniam abbatis & canonicorum S. Ludovico regi ejuſque ſucceſſoribus tuenda cœnobii jura ad tempus & beneplacitum ſedis Apoſtolicæ commiſit epiſtola regiſtri Vaticani, quos defenſores ſeu cuſtodes & advocatos appellat, certam portionem redituum tribuens titulo cuſtodiæ: poſt Ludovicum Philippus Audax filius ejus pariter tuenda ſuſcipit jura, quæ moriens Philippo Pulchro commiſit, & iſte jus ſuum transfudit in comitem Fuxi, qui multa in præjudicium abbatiæ tentavit, ut pluribus hiſtoria Fuxenſis proſequitur.

Attamen exeunte ſeculo decimo tertio, nimirum anno 1295, placuit ſummo pontifici Bonifacio VIII abbatiam S. Antonini in epiſcopatum erigere, uti conſtat ex ejus bulla data *Chart. XII. col. 98.* Anagniæ XVI cal. Octobris, in qua cauſam mutationis hujus affert Toloſanam diœceſim eſſe

ampliorem quam ut ab uno episcopo regatur, additque se nihil exsecutum fuisse nisi quod Clemens IV item pontifex maximus longe ante conceperat. Præter tria millia librarum turonensium annui proventus futuro episcopo in abbatia Appamiensi attributa, ei assignat septem altera millia quotannis ex episcopatu Tolosano percipienda, & totam partem meridionalem diœcesis Tolosanæ ejus curis committit. Quæ limites constrictæ sunt anno 1317, cum Johannes XXII papa in Occitania novos instituit episcopatus, præsertim Mirapicensem & Rivensem ab Appamiensi distractos. Constitutione pontificia erectionis an. 1296, Sabbato post Dominicam *Lætare* ab archiepiscopo Narbonensi publicata, cujus metropoli novus episcopatus subditus fuit, Hugo *Mascaron* Tolosanus præsul, sine cujus assensu id factum fuerat, Romam mox adiit & apud summum pontificem effecit ut hæc nova ecclesia cathedralis non adipisceretur episcopum saltem ad tempus. Hugoni Romæ defuncto an. 1296, die 6 Decemb. Ludovicus filius natu major Caroli II regis Siciliæ annos natus 22 a papa haud multo post suffectus fuit, episcopatumque Tolosanum tenuit indivisum quandiu vixit, nempe ad annum 1297, quo animam Deo reddidit. Tandem post Ludovici obitum a Bonifacio primus institutus est episcopus Appamiensis ipso anno Bernardus Saxeti, ut in decursu dicemus, canonicis regularibus in pristino statu remanentibus. Evecta postea & ipsa Tolosa a Johanne XXII in metropolim, Appamias ob proximitatem sub se recepit, ea tamen honoris prærogativa, ut cæteris ejusdem provinciæ suffraganeis erectionis antiquitate præferretur, etiamsi quoad episcopos vetus ecclesiæ consuetudo absque ulla controversia in universa Gallia vigeat, ut quisque locum obtineat pro consecrationis tempore.

Protenditur diœcesis ab Aquilone ad Austrum, qua longior est, milliaribus quadraginta, ab ortu ad occasum, qua latior, viginti; circumvicinas habens diœceses Rivensem & Mirapicensem ejusdem provinciæ Tolosanæ, Conseranensem Auscorum provinciæ, Electensem Narbonensis, & Urgelitanam Tarraconensis in Hispania. Potissima pars diœcesis circumscribitur terminis comitatus Fuxensis, reliqua in marchionatus Mirapicensis ditione jacet. Oppida habet muris cincta præter civitatem Appamiensem Varilios, Fuxum a quo comitatus denominationem sumsit, Tarasconem diversum a Tarascone Provinciæ ad Rhodanum, Aquas ad flumen Aurigeram, Montem-altum, Montem-ferrarium, pagos amplitudine celebres, Sauratum, Vicdessosium, Signerium, Capanas, Pradas, San-Paulum, Rupemfissam, Dalonum, San-Felicem de Rivotorto, Riverotium, Dunum, Bonacum, & alios. Comprehendit centum parœcias seu verius parochos, cum numerentur aliæ nonnullæ parochiales ecclesiæ illis annexæ, quas rectores per vicarios voluntate mutabiles regunt, hujusmodi unionibus creatis, quo rectores commodius vivant, cum sint alioquin tenuioris proventus ad vitam sustentandam. Quod vero pleræque ecclesiæ eminus distent ab incolarum domiciliis, qui in dissitis invicem a se casis ac domunculis commorantur, unde latrociniis & incursionibus prædonum patent, unde evenit ut in paucissimis servetur sacra synaxis, vestesque ecclesiasticæ tuto relinquantur. Earum parœciarum maxima parte præsentatio pertinet ad quosdam abbates, priores ac capitula tam intra diœcesim quam extra existentia; institutio juris est episcopi, reliquarum omnimoda dispositio ad solum episcopum spectat, in quibus partitur fructus decimarum cum rectoribus, uti præfati abbates, priores & capitula in hisce quarum habent præsentationem. Quotannis pendunt hi fructus episcopo quatuor & viginti millia librarum turonensium. Recensentur in universa diœcesi archipresbyteri duo, unus Montalti, Aquis alter, octoque suggestus concionatorum ad plebem sacris instruendam quadragesimali tempore recurrente, præter homilias, quæ præcipuis locorum festivitatibus fieri consueverunt.

Quod vero ad Appamias totius diœcesis caput spectat, olim erat ut diximus monasterium canonicorum regularium, & cathedralis ecclesia extra mœnia urbis sesquimilliari sita, in civitatem cum capitulo translata est an. 1499 a Gerardo Johanne episcopo, confirmante papa Alexandro VI, bulla data VI cal. Martii, ejus pontificatus anno octavo; sed successu improspero: siquidem ab eo tempore canonici deserta communi habitatione & mensa, promiscuam sectantes cum secularibus vitam, mores quoque eorum facilius imbiberunt; foris cœnobium peramplum & basilicam insignem ruinæ ac dilapidationi, quæ mox subsecutæ sunt, exposuerunt; intus angusta ecclesia parœciali S. Mariæ de Mercatali in usus suos tradita contenti. Cum in ea resideret antea parochus perpetuus & collegium octo presbyterorum, qui dicuntur obituarii, inde parœciæ onera humeris suis imponentes, eaque vicario nutu submovendo committentes, sensim res eo dilapsa est, ut nomina tantummodo cum larva obituariorum restarint. Constat capitulum quatuor dignitatibus, videlicet archidiacono majori, archipresbytero, thesaurario vel sacrista & cantore, ac quatuor personatibus atque theologali, nec non duodecim canonicis, qui omnes regulæ S. Augustini addicti remansere donec Benedictus XIV summus pontifex, laudante Ludovico XV Christianissimo rege, per bullam datam an. 1745, pridie nonas Julii, eos ab omni & quacumque observantia, ac votorum emissorum obligatione, nec non ab omni canonicorum regularium instituto solvit, ipsosque & quidquid regularitatem redolebat, ad secularem statum reduxit. Totidem sunt præbendarii ab omni ævo seculares, qui in fructuum distributione dimidiam sortiuntur canonicorum partem. Prioratus & munera claustralia, quæ antea a solis canonicis regularibus possidebantur,

Hist. Occit. t. V, col. 75.

Ch. XXV, col. 139.

in commodum & utilitatem totius capituli conversa sunt. Quatuor præfatæ dignitates a solo episcopo conferuntur, personatus subsunt optioni canonicorum; alternatim ab episcopo & capitulo conferuntur canonicatus; præbendarum præsentatio ad canonicum hebdomadarium spectat.

Intra eamdem civitatem sedet aliud capitulum constans uno decano, decem canonicis & septem præbendariis, ab antecessoribus episcopis dotatum in ecclesia parœciali B. Mariæ de Campo diplomate sedis apostolicæ firmatum; eratque hæc basilica ædificii amplitudine ac magnificentia nulli totius Occitaniæ secunda. Sed nascente hæresi diruta nunquam restaurari potuit, unde canonici atque præbendarii fuerunt eo egestatis & penuriæ propemodum redacti ut vix sufficerent sacramentis administrandis, ac cæteris parœciæ oneribus deferendis, tantum abest ut officio horarum canonicarum hactenus fungi valuerint. Exstitere ibidem ab ordinum Mendicantium incunabulis egregia Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum & Carmelitarum cœnobia, sed a sectariis excisa an. 1561, una cum fanis suis humi jacent, sicuti domus ac collegium monachorum Cisterciensium, parthenon & ecclesia sanctimonialium S. Claræ, duo etiam xenodochia, adeo per fas & nefas Calviniana proles sæviit. Neque vero tantum in illa furor arma ministravit, verum etiam in Catholicorum & præcipue virorum ecclesiasticorum domos, ac maxime ædes episcopales in id collineans ut urbis incolatu eos excluderet egestate, quorum successionem incendio & gladio abolere non posset. Ab ipsa quoque Patrum Societatis Jesu in Gallias admissione, Appamias a Roberto *de Pellevé* vocati an. 1559, Jesuitæ collegium ibi construxere totius regni a prima erectione secundum; sed biennio elapso inde a Sectariis expulsi, Tolosanum ex ruinis Appamiensibus ædificarunt, nunquamque restitui valuere nisi post nuperam civitatis recuperationem, quantumvis cæteris religiosis atque ecclesiasticis, pace reddita, ibi agere muniaque sua exercere utcunque concederetur. Supersunt etiam duo parthenones, puta S. Ursulæ & Carmelitarum discalceatarum.

Jurisdictio atque privilegia urbis juris sunt episcopi, qui iis utitur, sicut olim consueverant abbates. Solus est dominus temporalis, & supremæ justitiæ prærogativa fruitur. Jus habet ad creationem Magistratuum, ad publicas proclamationes, ad fidei sacramentum a Consulibus excipiendum, ad confirmationem statutorum. Præest comitiis provinciæ Fuxensis, pluribusque aliis gaudet libertatibus. Civitas & capitulum præcipuum patronum agnoscunt S. Antoninum, cujus martyrium loco insignium gerunt iconem Divi martyrio affecti; quicum celebrantur SS. Johannes & Almachius S. Martyris in seminando verbo divino & in passione socii; fitque perennis eorum memoria in officio divino, sicut & Caii & Alexandri Apameæ Syriæ martyrum, quorum & forte B. Antonini reliquias quadam expeditione Hierosolymitana inde Appamias Occitaniæ unus comes Fuxensis detulit, thecisque argenteis gemmis ornatis inclusas collocavit in ecclesia B. Mariæ de Campo; sed thecis direptis, reliquiæ S. Antonini aliorumque Sanctorum, nec non S. Nataliæ virginis & martyris ab hæreticis igne crematæ sunt.

Præter ecclesias & monasteria quæ prætexuimus, habentur & alia in diœcesi; est extra oppidum Fuxi in colle sita capella seu ecclesia B. Mariæ Montis-gaudii, magno peregrinorum concursu frequens, quondam a Carolo Magno ex Hispaniis revertente fundata, quæ ab hæreticis olim direpta & diruta, in pristinum statum restituta fuit. Extat etiam conventus Capucinorum, nec ulla alia sunt monasteria virorum feminarumve nisi S. Francisci de Paula Tarascone, cujus fabricam perfecit Spondanus antistes. Quæ de Appamiis atque de episcopis prolixe retulimus, depromta sunt ex Sammarthanis nec non ex schedis & relatione historica, quam de episcopatu suo ad Urbanum VIII papam Spondanus ipse misit 25 Julii 1630. Plures hujus ecclesiæ episcopi ad cardinalitiam dignitatem evecti fuere, quos inter unus summus pontifex, scilicet Jacobus Furnerii Appamiis translatus Mirapicum, qui Johanni XXII nomine Benedicti XII successit. Cæteri cardinales fuere Pilus-fortis ob simultates cum canonicis Rivos translatus, Arnaldus *de Villemur*, & Amancus *d'Albret* germanus regis Navarræ. In cæterorum numero non pauci fuere magni nominis doctrinæ & potentiæ viri. Ex eo loco duo prodiere viri sanctitate celebres, quorum unus scilicet Ysarnus Appamiis natus & a puero in monasterio educatus, exstitit abbas S. Victoris Massiliensis. Alter est Raymundus, qui ibidem factus canonicus regularis, in præpositum S. Saturnini Tolosani electus est, & inde in episcopum Barbastrensem assumtus.

ABBATES.

I. S. ODILO abbas Cluniacensis monasterium S. Antonini *de Fredelaz* ordinandum ac disponendum a Rogerio comite Fuxensi excepit exeunte seculo X, ex chartulario Cluniacensi.

Charta I, col. 87. II. S. Hugo item abbas Cluniaci & successor S. Odilonis a comite Rogerio ejusque uxore Amica rogatur, quatenus ibi monastici habitus regularis inseratur ordo. Mabillonius litteras a comitis Rotgerii refert ad annum 1066 aut circiter. Nulla alia supersunt testimonia introductionis instituti Benedictini in Fredelacensem abbatiam.

ABBATES ORDINIS S. AUGUSTINI.

I. PETRUS I Rogerio comiti Fuxensi ad iter Hierosolymitanum mox profecturo, datis quingentis solidis Tolosanis, abbatiam S. Antonini Fredalensis, & omnia quæ ad Charta II, col. 87.

ipsam pertinent, tam homines quam feminas, alodes & fevos, & terras & vineas ab ipso comite suscepit VI cal. Maii 1095. In hisce litteris comes indigenas ejus loci nuncupat canonicos professos, & priorem designat Isarnum, qui eo nomine subscripsit an. 1108 instrumento comitis Fuxi in gratiam monasterii Electensis, atque etiam an. 1111 eumdem comitem a papa excommunicatum ob usurpationem pene omnium bonorum abbatiæ adduxit ad restitutionem, castrumque Appamiarum cum omnibus ipsius munitionibus & villa Fredelacensi custodiendum statim ipsi commisit. Prioris munus bis exercuisse videtur Isarnus; siquidem Amelius abbas S. Volusiani postea episcopus Tolosanus id muneris gerebat an. circiter 1101, uti legitur in diplomate Bertrandi comitis Tolosæ donum exhibentis ecclesiæ S. Saturnini. Post Isarnum reperio Petrum priorem S. Antonini, qui a Rogerio III recepit an. 1129, fer. VI, unam partem de ipso honore quam comes tenebat de abbatia S. Antonini.

Hist. Occit. tom. II, instr. col. 373. — *Ibid. col. 378 & seqq.* — *Ibid. col. 355.* — *Ibid. col. 449.*

II. Guillelmus I anno 1138 in officina carnaria jura omnia dat Petro Athonis percipienda, quæ Rogerius *de Montaut* in feodo a monasterio obtinebat.

III. Bernardus an. 1145 a Rogerio comite Fuxensi recuperavit libertatem, quam semper habuerat monasterium, quamque hic comes vi & mera mala voluntate injuste abstulerat. Id fecisse testatur comes ex consilio Raimundi episcopi Tolosani, Petri *Danzant* prioris Fredelacensis, &c.

Ch. IV, col. 89.

IV. Raimundus I simul episcopus Tolosanus & hujusce loci abbas, villam Fredelaci & castrum Appamiæ, atque insulam trans flumen Aregiæ suscepit a comite Fuxensi filio Rogerii & Xaminiæ. Quæ quidem omnia comiti, accepto prius ab eo fidei sacramento, iterum custodienda & conservanda tradidit an. 1149, mense Novembri.

Ibid. col. 525 & seq.

V. Pontius *de Brugale* recensitus ad annum 1156 in charta Rogerii-Bernardi comitis Fuxi pro monasterio Grandis-silvæ, ab ipso comite recepit castrum S. Felicis, quod sub fidei juramento ei custodiendum impertitus est mense Maio 1157. Is simul Carcassonensis episcopus adhuc obtinebat annis 1162 & 1165, uti dictum est, tom. VI, col. 876.

VI. Maurinus I memoratus ad annum 1170, testis occurrit & anno 1172 in charta Sicfridi de Pujolis pro monasterio Bolbonensi.

VII. Guillelmus II reperitur in documentis Cartophilacii Bolbonensis 1174 & 1176. Non alius esse videtur a Guillelmo Cabiscolo, qui anno 1180 occurrit in veteri instrumento ecclesiæ Tolosanæ.

VIII. Isarnus Odonem abbatem Bolbonæ & Raimundum-Arnaldum *de Castellar* concordes fecit an. 1181. Legitur & an. 1185 in charta Bolbonensi.

IX. Raimundus II a comite Fuxensi Raimundo-Rogerio filio Rogerii-Bernardi & Ceciliæ, totam villam Fredelaci, castrum Appamiarum, & totam villam tam veterem quam novam adjacentem ipsi castro, totam insulam quæ est trans flumen Aregiæ, atque discursum aquarum ejusdem fluvii adipiscitur mense Novemb. an. 1188; & vicissim hæc omnia præfatus abbas comiti, suscepto prius fidei juramento, custodienda atque defendenda transmisit. Hanc autem donationem comes rursum asseruit monasterio an. 1198.

Chart. V, col. 90.

X. Guillelmus III an. 1203 Petro-Athonis licentiam fecit ut Arnaldo de Lessiaco venderet unam mensuram salis unaquaque hebdomada in mercato Appamiarum, atque etiam mensam lanioniam in macellaria taberna.

XI. Vitalis legitur an. 1206 in charta Bolbonensi. Guillelmo *Calmels* lanioniam mensam in taberna carnaria urbis Appamiarum tradidit ad annum 1208. Comiti Fuxensi infensus tribuit Simoni comiti Montis-fortis, exercitus Cruce-signatorum præfecto, castrum Appamiarum cum ipsius munitionibus & villa adjacente custodiendum, eumque abbatiæ defensorem constituit anno 1209. Donum Prullano parthenoni concessum a viro nobili de Vilario, præsente Dominico Oximensi canonico, laudavit an. 1211, mense Decemb. Adstitit anno sequenti, mense Novemb. conventui episcoporum & procerum Appamiis habito, ad constituendas laudabiles consuetudines in tota ditione Simonis de Monte-forti, qui, victis Albigensibus hæreticis, Septimaniam, Occitaniam, aliasque provincias sibi vel potius ecclesiæ subjugaverat.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 216 & seq.

XII. Petrus II monasterii possessiones ab Innocentio III firmari fategit ad annum 1215, III id. Febr. Testis fuit 1218 doni a Guillelmo Guitardo Bolbonensi abbatiæ collati. Eodem anno castrum & munita loca Appamiensis urbis Amalrico duci Narbonæ & comiti Tolosano custodienda & defendenda commisit idibus Julii, anno II pontificatus Honorii III.

Ibid. col. 217.

XIII. Maurinus II innotescit 1228 ex specimine Bolbonensi. Suscepit anno sequente hominium, quod ei præstiterunt Aycardus de Cuiranio, ejusque uxor Honors filia quondam Petri de sancto Martino pro villis & munitionibus quas a flumine Strita ad usque speculam de Cassano possidebant. Is una cum abbate Bolbonensi compromisit III cal. Dec. 1230 in manibus R. Boni-fontis & B. Candelii abbatum super tertia parte donorum, quæ Bolbonensi monasterio tribuebant hi, qui ibidem suam eligebant sepulturam. Villam de Julhaco in diœcesi Tolosana comparavit anno 1231 a Berengario abbate Crassensi. Rogerio-Bernardi Fuxi comiti, suscepto fidelitatis sacramento, custodiam castri Appamiensis commisit an. 1232. Eodem anno, mense Septembri ipse & comes civibus Appamiensibus tribuerunt privilegia & consuetudines. Sub annuo censu obtinuit 1235 quidquid Elias Aginnensis habebat in ecclesia S. Fidis

S. Fidis *de Servelhas*. Annuit 1241 ut ortam inter se & Rogerium comitem Fuxi litem electi judices dirimant. Sedis apostolicæ legati munus agens an. 1242, mandat in crastina die festi S. Lucæ cellerario Arulensi ut priorem & monachos Campi-rotundi ad se adducat, quoniam ad eorum monasterium pergere nequit ob concilium quod apud Montem-pessulanum eo anno mense Septembri ipse præses celebraverat. Subscribit eodem rursus anno litteris Rogerii comitis ad Raimundum Tolosanum. Arbiter conventionis eligitur 1243. Munus ab episcopo Avenionensi legato *Zoen* accipit cogendi episcopum Tolosanum ad restituendas ecclesias, quas iste prælatus monasterio Bolbonensi abstulerat 1244. Fultus auctoritate apostolica anno 1145 inquirit de electione abbatis intrusi in monasterio Campi-rotundi. Arbitrante Boni-fontis abbate, transigit cum B. item abbate Bolbonæ 1248, quo anno Arnaldus de Castlardo agnoscit se suosque parentes hnc usque in feudum obtinuisse ab abbatia S. Antonini munimenta & villam de Castlardo. Chirographum apposuit an. 1252 litteris Petri de Vicinis senescalli Tolosæ. Pactionem iniit 1256 cum Ademaro abbate Bolbonæ. Eodem rursus anno a comite Fuxensi & ejus uxore Philippa castrum & urbem tam veterem quam novam Fredelacensem, nec non insulam ultra fluvium Aregiæ suscepit, & post fidei juramentum ipsis custodiam eorumdem commisit.

XIV. Guillelmus IV, quod suo decessori a comite Fuxi Rogerio præstitum fuerat sacramentum, ab eodem & ipse accepit an. 1261, x cal. Septemb. Triennio elapso, id est 1264, ratam habuit commutationem duarum domorum inter regem & Robertum de Sorbona initam. Eodem anno Rogerium-Bernardi Castrum Appamiarum solenniter restituentem experti sunt canonici, Azemario monasterii cellerario & syndico requirente. Præfecturam paulo post dimisisse creditur Guillelmus. Ch. VIII, col. 94.

XV. Bernardus Saxeti filius Raimundi Saxeti militis toparchæ S. Aniani in diœcesi Tolosana, idem forsan qui cancellarius erat R. episcopi Tolosani, occurrit ad annum 1267 in veteri instrumento Bolbonæ. Gastonem Benearnensem vicecomitem litis inter se & A comitem Fuxi exortæ arbitrum recusavit 1268. Ultima die mensis Julii hujusce anni Consules & tota universitas villæ Appamiensis, præhabitis inter se deliberatione magna & consilio diligenti, donaverunt ei plenam & liberam potestatem concedendi & quocumque alienationis genere voluerit transferendi dominium seu partem dominii quod in eos habebat, in dominum regem vel quemcunque alium principem. Ea potestate usus, dominium & jus exercitus & cavalcatæ concessit regi Ludovico & heredi ejus per decennium continuum, B litteris IV nonas Julii an. 1269 datis Parisiis. Eodem anno 1268, 7 die exitus mensis Augusti conquestus fuisse legitur de injuriis & damnis a præfato comite Appamiensibus incolis illatis. Composuit anno sequenti cum Rogerio abbate Bolbonæ. Spiritalem & temporaneam monasterii administrationem a canonicis recepit VIII id. Septemb. 1270, juxta pactiones inter G. abbatem & canonicos Fredelacenses olim initas, roboratasque ab Urbano IV, sed postea revocatas a Clemente IV, laudante R. episcopo Tolosano, & subscribente Guillelmo Bernardi decessore. Recensetur in C tabulis Bolbonæ ad annum 1274. Statuta inter Judæos urbis Appamiensis confecta probavit die Martis post festum S. Lucæ 1279. Iisdem Judæis sequenti anno, die Jovis post festum S. Andreæ, comprobantibus civitatis Consulibus, licentiam fecit commorandi in urbe Appamiensi, consensitque ut non gestarent signum quod Judæi Franciæ gestare consueverant, sed tantummodo rotulam de filo factam, qua sufficienter a Christianis distinguerentur. Philippus III Francorum rex litteras commendatitias in gratiam Bernardi, D ejusque monasterii, castelli atque urbis Appamiensis an. 1280, crastina die Purificationis B. Mariæ scripsit senescallis Carcassonensibus. Idque ratum habuit Philippus IV rex 1286 in vigilia S. Laurentii. Memoratur & ad annos 1289, 1291 in documentis Bolbonæ. Ab eodem Philippo IV rege rogatus fuit anno 1293, die 20 Februarii, ut amicam compositionem iniret cum Rogerio Bernardo Fuxi comite, de juribus quæ hic ab ipso rege in urbe Appamiensi obtinuerat. Legitur etiam ad annum 1294. Idem ac Bernardus qui sequitur.

Chart. IX, col. 95. Chart. X, col. 96. Chart. XI, col. 97.

EPISCOPI APPAMIENSES.

SAISSET.

I. BERNARDUS.

Appamiensi seu Fredelacensi abbatia in episcopatum a Bonifacio VIII summo pontifice erecta an. 1295 per bullam datam die 16 Septembris, Hugo *Mascaron* Tolosanus antistes Romam perrexit querendi causa de distractione sui episcopatus. Illuc cum adventasset omnia molitus est ne ecclesia Tolosana duas in partes divideretur, neque in abbatia Appamiensi institueretur episcopus. E Bonifacius Hugonis precibus partim annuens præsulis creationem distulisse creditur. Interea Hugo Romæ mortuus est ad annum 1296 exeuntem. Eo defuncto, Ludovicus Siciliæ regis filius a præfato Bonifacio consecutus est Tolosanum episcopatum, cumque integrum occupavit ad usque mortem, quæ accidit anno 1297, die 19 Augusti. *Mortuo Ludovico,* inquit Nangius, *Tolosanæ urbis episcopo, Appamia a Tolosa separata proprium suscepit episcopum.* Hic fuit Bernardus Saxeti, & gallice

ANNI CHRISTI

Saiſſet, ex familia dominorum S. Aniani, vulgo de *Saint-Agne* apud Toloſanos, de quo modo diximus in abbatibus, præpoſitus eccleſiæ cathedralis S. Stephani Toloſani. Ipſum autem a Bonifacio epiſcopum deſignatum non fuiſſe citius anno 1297, & quidem poſt mortem S. Ludovici Toloſani epiſcopi hujuſce ætatis monumenta inſinuare videntur, enim vero nullum comperimus anterius, in quo Bernardus epiſcopi dignitate honeſtatus evadat. Vetuſtiſſimum quidem quod ad noſtram uſque notitiam pervenerit, non antecedit diem pri-
1297. mam Novembris anni 1297: apocha ſiquidem eſt Eliæ comitis Petracoricenſis data Rogerio-Bernardo comiti Fuxenſi die & anno quibus ſupra, Bernardo tunc exiſtente Appamiarum
Ch. XIII, col. 100. epiſcopo. Exſtat etiam arbitralis ſententia Guidonis *de Levis* domini Mirapiſcarum inter Bernardum epiſcopum & comitem Fuxi lata VII idus ejuſdem menſis ſuper urbis & caſtri Appamienſis dominio. Quam ſententiam ipſe hoc anno VIII idus Decembris, & capitulum Appamienſe die I Januarii, atque Bonifacius
1298. papa 13 Martii 1298 ratam habuerunt. Eodem anno ab ipſo papa, pontificatus quinto, accepit III cal. Martii mandatum abſolvendi eumdem Fuxi comitem ab excommunicatione a præſulibus Auſcienſi & Carcaſſonenſi in
1299. eum vibrata. Reperitur anno 1299 in tabulis caſtri de Fuxo die 15 exitus menſis Auguſti. Berengarii Biterrenſis & Gaucelini Magalo-
Ch. XIV, col. 103. nenſis epiſcoporum opera a Rogerio-Bernardo ſuſcepit homagium pro caſtello & media parte
1300. urbis V cal. Julii 1300, confirmante & probante Bonifacio VIII. Sabbato ante Pentecoſten & die Martis ante feſtum S. Barnabæ
1301. 1301 confeſſus eſt ſe excepiſſe bis quatuor millia librarum deducenda ex viginti millibus a comite Fuxenſi debitis.

Superiore anno exeunte graviſſimæ inter papam Bonifacium VIII & Philippum IV Pulchrum exorta fuerant diſcordiæ ſemina ob tributa, quæ pro belli ſumtibus rex Clero indixerat. Quo in negotio implicitus fuit Bernardus hacce occaſione: is namque a ſummo pontifice ad regem miſſus legati munere functurus, ipſum arroganter allocutus eſt, & inhibuit ne decimas & reditus eccleſiarum vacantium, neque earum titulos, invito papa, conferret, eique ſimul injunxit ut crucem acciperet, Terram-ſanctam recuperandi gratia, ni faceret, ipſe ejuſque regnum quamprimum anathemati ſubjicerentur. Indignatus rex epiſcopum e conſ-
Chart. XV, col. 107. pectu ſuo propulit. Non eo loci ſteterunt res; regis enim indignatione cognita, multi accuſatores in epiſcopum inſurrexerunt, diverſa crimina ei imputantes, quæ lege ſi lubet in inſtrumentis. Attamen rex ea in cauſa juxta
Ch. XVI, col. 116. formas procedere cupiens, deſignavit commiſſarios, puta Richardum Nepotis & Johannem de Pinconio, qui Toloſam adirent inquiſituri de criminibus epiſcopo impoſitis. Inquiſitione peracta, commiſſarii regem con-
Ch. XVII, col. 118. venerunt Cleri & Optimatum conventum

A apud Silvanectum tunc habentem, in quo, poſt propoſita diverſa accuſationis capita, ſtatutum eſt ut epiſcopus comprehenderetur.
At iſte ut procellam ſibi imminentem devitaret, Ch. XVIII, col. 120.
Narbonenſi archiepiſcopo metropolitano caute
ſe tradiderat, a quo ad comitia Silvanectenſia Ch. XIX, col. 131.
adductus, crimina ſibi objecta pertinaciter
pernegavit. Nihilominus eidem præſuli, tum Chart. XX, col. 134.
epiſcopo Bellovacenſi creditus eſt cuſtodiendus veluti læſæ majeſtatis reus. Quod ubi reſcivit papa Bonifacius, miſit ad regem Johannem de Normandis archidiaconum Narbonenſem, qui ipſi præciperet ut præſulem Appamienſem
B dimitti ex præfatorum præſulum cuſtodia atque ad ſedem apoſtolicam accedere permitteret. Re quidem ipſa de regno ſub debita & indicta celeritate juſſus recedere, Romam ad Bonifacium confugit, ubi concilio adverſus regem
habito interfuit an. 1302. Poſt ſummi hujus 1302.
pontificis obitum, rebus cum curia Romana & rege compoſitis, in epiſcopatum ab ipſo rege reſtitutus fuit Bernardus, juſſiſque a Clemente V papa comitem Fuxenſem excom-
municatum reconciliavit cal. Julii 1307. 1307.
Subinde, ac forte ut regis benevolentiam aucuparetur, pactum iniit 29 Junii 1308
C cum Guillelmo *de Nogaret* in urbe Pictavienſi, quo ſuo & capituli nomine vocavit regem in conſortium ac ſocietatem juſtitiæ & bonorum temporalium ab eccleſia Appamienſi dependentium, ſcilicet ſuburbiorum civitatis Appamienſis, pagi Alamannorum, aliorum triginta caſtrorum, dimidiæque partis nemoris Bolbonenſis, ea lege ut a regio dominio nunquam abalienarentur. In quorum compenſationem Guillelmus regis nomine ſpopondit ſe latifundia in ſeneſcalliis Toloſana & Carcaſſonenſi in triennio ei aſſignaturum. Ex qua pactione,
D inquiunt Sammarthani, Appamienſis eccleſia non parum accepit detrimenti, tum quoad temporalia, tum quoad auctoritatem. Præterea ſupervenientibus Lutheri & Calvini hæreſibus, eamque regionem inficientibus, factum eſt ſive impotentia epiſcoporum & negligentia capituli, nec non abalienatione rerum temporalium ad bella hæreticis inferenda, ut fere omnia hujuſmodi bona eccleſia diſtracta fuerint aut uſurpata, ſervata ægre medietate dominii ac jurium civitatis & aliquot extra pagis. Bernardus hanc eccleſiam adhuc aliquot annos rexiſſe traditur.

E

II. PILUSFORTIS. DE RABASTENS.

In diœceſi Albienſi ad Tarnem fluvium natus Pilusfortis *vel* Pilafortis, filius comitis S. Georgii ex familia de Rapiſtagno, unde orti ſunt vicecomites *de Paulin* in Albigeſio; idem forte qui anno 1310 in abbatia Lombarienſi munus abbatis exercebat, jam erat
electus & confirmatus IV cal. Octob. 1315, 1315.
ut conſtat ex ejus litteris in quibus legitur invitatus fuiſſe ad migrandum e ſede epiſcopali in urbem Appamienſem ſedem ſuam ibidem figendi gratia. Ea de re urbis Conſulibus

ANNI CHRISTI reponit id sibi non licere, graveque vitæ periculum sibi imminere ex parte canonicorum; implorat quidem auxilium adversus injurias & vim quam ei illaturos canonici minabantur. Eodem anno cum iisdem canonicis facto compromisso, arbitralem obtinuit sententiam de divisione bonorum, de institutione & destitutione prioris claustralis, de collatione beneficiorum, de creatione & admissione canonicorum, sicut & de creatione dignitatum, personatuum & officiorum. Qua sententia statutum est ut præbendæ ab hebdomadario conferrentur, jure conferendi quatuor majora capituli munera perfrueretur episcopus, scilicet dignitates archidiaconi, archipresbyteri, sacristæ vel thesaurarii & præcentoris. Memoratur ad annum 1316, mense Augusto.
1316. Electus fuerat in episcopum Legionis in Hispania regni ejusdem nominis capitis, uti patet ex bulla Johannis XXII ipsum ad ecclesiam Rivensem traducentis, cujus verba hic exscribimus: *in dilectum filium Pilum-fortem tunc Legionensem electum direximus oculos, & ad præfatam Rivensem ecclesiam sic in cathedralem erectam duximus transferendum, &c. Datum Avenione idibus Novemb. anno secundo, id est 1317.*

FOURNIER.

III. Jacobus I.

Fornerii & Furnerii atque de Furno, alias vero Novelli cognominatus Jacobus, Guillelmi Molitoris filius, de quo fuse jam locuti tom. VI, col. 210, ortus est in oppido Saverduno olim diœcesis Tolosanæ, postea Appamiensis, demumque ut nunc est, Rivensis. Monachum admodum juvenis in cœnobio Bolbonensi Cisterciensis ordinis in Mirapicensi diœcesi induit, ut comperitur ex bulla de reformatione ejusdem ordinis, tom. I Italiæ sacræ edita, quam ipse ad summi pontificatus apicem evectus publicavit. In ea siquidem testatur se ab adolescentia sustulisse jugum ejusdem ordinis, & in eo juventutis suæ tempora peregisse. Unde colligitur eum nunquam fuisse carmelitam, priusquam Cisterciensium institutum arriperet, ut volunt nonnulli, quos egregie refellit Baluzius in notis ad vitas papar. Aven. tom. I, col. 796 & seq. Regulares disciplinas sat edoctus, apud Parisios totus incubuit sacris litteris, in quibus adeo profecit, ut magister in theologia fuerit effectus, tum abbas Fontis-frigidi in diœcesi Narbonensi anno 1311, indeque ad Appa-
1317. mienses infulas evectus an. 1317 ex codice Obligationum. Legitur in concessione carnalagiorum facta ante annum 1318 loco de Villa-nova. Is una cum Raimundo S. Papuli
1319. præsule an. 1319 judex delectus est in causa fratris Bernardi Delitiosi ordinis Minorum, qui operam dederat ut Benedictus XI papa poculo necaretur. Hunc enim ornamentis, quæ in ordinatione sua receperat, exuendo, sacro presbyteratus ordine dimovit, condemnavitque ad perpetuum carcerem die 8 mensis Decemb.

Baluz. vitæ papar. Aven. tom. II. col. 544 & seqq.

A ejusdem anni. Pactiones iniit 28 Januar. 1320 de collatione sacerdotiorum seu beneficiorum. 1320.
Sententiam in duos hæreticos Valdenses vibravit 2 Augusti 1321, præsente Germano 1321.
de Castro-novo archidiacono Appamiensi. Inquisitoris fidei munere una cum Raimundo episcopo Mirapicensi honestatus, conciones protulit Appamiis IV & III nonas Julii 1322. 1322.
Eodem rursus anno prid. idus Septemb. testis fuit excommunicationis a Johanne archiepiscopo Tolosano in officio inquisitionis obsistentes immissæ. Memoratur anno 1324 1324.
in instrumento de terra Podii-Aurioli. Nun-
B cius Johannis XXII papæ extitit ad annum 1325. Ad Mirapicensem ecclesiam translatus 1325.
est an. 1326, die 26 Januarii, ubi legesis.

IV. Dominicus.

GRENIER.

Prædicatorum ordinis & Tolosani conventus alumnus Dominicus, a Nicolao Bertrando in commentario de gestis Tolosanorum, capite de doctoribus conventus ejusdem, titulis insignitur magistri & doctoris in theologia valde nobilis, atque magistri sacri palatii sub Johanne XXII. Hic magnæ existimationis,
C virtutis & scientiæ vir collega datus est anno 1323 ante episcopatum Guillelmo de Lauduno archiepiscopo Viennensi misso a Johanne XXII ad Carolum IV Francorum regem ut ei suaderet bellum sacrum. In locum Jacobi Furnerii Mirapicas traducti suffectus est an. 1326, die 1326.
13 Martii ex regestis Vaticani. Litteras a summis pontificibus Johanne & Benedicto XXII accepit ad annos 1330 & 1335. 1330.
Super territorio & nemoribus Bolbonæ cum 1335.
Gastone Fuxensi comite & consulibus Appamiarum transegit an. 1336, diebus 24 Sept. 1336.
& 6 Decemb. Consulatum urbis Appamiensis
D a Parlamento Parisiensi fisco addictum anno 1340, die 22 Decembris, una cum præfato 1340.
comite perpetuo possidendum accepit a rege an. 1341. Eodem anno 7 Novemb. condita 1341.
& absoluta est in majori claustro Dominicanorum Tolosæ ejus curis & impensis capella ad honorem S. Antonini martyris, in qua fabricari curavit viginti-quatuor cryptas pro monasterii fratribus, & sex pro canonicis Appamiensibus, qui Tolosæ diem extremum obirent. Ipsum autem sacelli hujus conditorem fuisse testatur hæc inscriptio:

E
Frater Dominicus Domini cultor benedictus,
doctor mirificus & episcopus Appamiensis,
Sumtibus immensis opus hoc fabrefecit amicus,
inde Deo gratus regnet sine fine beatus.

Præter hanc capellam, hospitum & infirmorum ædes fategit ædificari. Ipse simulque comes Gasto condominus civitatis Appamiensis occurrunt ad annum 1342, festo die sancti 1342.
Barnabæ apostoli in instrumento confirmationis privilegiorum urbis ejusdem. Vicissim civitas vim argenti sat ingentem canonicis tribuit ad construendum novum caput ecclesiæ

ANNI CHRISTI

S. Antonini 19 Martii 1343. In Bibliotheca Dominicanorum Tolosæ asservatur mss. in quo leguntur plures ejus commentarii in sacram scripturam; videlicet in Genesim, Exodum, Leviticum, Numerorum librum, Deuteronomium, Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon, Esdram, Judith, Esther, Tobiam, & Machabæorum libros. Ibidem dicitur obiisse
1347. ad annum 1347.

V. ARNALDUS.

DE VILEMUR.

Aliis Arnaldus & aliis Pontius dictus fuit hic præsul; sed eos, qui eum nuncuparunt Arnaldum, falli asseverat Spondanus an. 1351, §. 5, adversus quem, inquit Baluzius, afferri potest auctoritas regesti Clementis VI papæ, in quo, ut ad annum 1350, §. 48 testatur Odoricus Raynaldus, vocatur Arnaldus. Præterea sic vocatur ab Onuphrio Panvinio in secunda epitome, & a Felice Contelorio & apud Bzovium, 1353 §. 28, levi mutatione Annibaldus pro Arnaldo. Quod confirmatur ex libro obligationum archivi Vaticani, quamvis mendoso, in quo scriptum est Guillelmum factum esse episcopum Appamiensem anno 1351 per obitum Arnaldi, cum scribi debuisset per promotionem Arnaldi ad cardinalatum. Exstant etiam acta quædam vetera confecta an. 1347, die 8 Junii, in quibus inter testes nominatur Arnaldus de Villamuro prior prioratus *de Vicodesos* ordinis sancti Augustini, diœcesis Appamiensis. Denique Bernaudus *de Villemur* prior S. Petri de Regula procuratores suos generales designavit 18 Septemb. 1348, Arnaldo Appamiarum tunc episcopo. Patria Vasco & ex oppido Villamuro ad fluvium Tarnem in diœcesi Montalbanensi exortus Arnaldus, canonicus ordinis S. Augustini, in jure canonico baccalaureus excellens, Pontii de Villamuro episcopi Conseranensis creditur germanus. Pontius & ipse perperam vocatur in vita Clementis VI, edit. Bosq. codice sancti Victoris Paris. & aliis antiquis chronicis; unde eos, qui Arnaldum nominarunt, corrigendos docuit Spondanus in annalibus ecclesiasticis.

Baluz nota ad vitas pap. Aven. tom. I, col. 902.

1348. Electus est episcopus die 1 Aprilis 1348, uti legitur in charta castri Fuxensis, in qua ejus nomen littera initiali A. indicatur. Codicillorum Rogerii-Bernardi de Fuxo vicecomitis Casti-boni sui nepotis exsecutor fuit
1349. institutus 24 Martii 1349, ibidemque Arnaldus vocatur. In cardinalium numerum sub titulo S. Sixti a Clemente VI cooptatus 17 Decembris 1350, repentina morte obiit Avenione 28 Octobris 1355.

VI. GUILLELMUS.

D'ESPAGNE.

Arnaldum dominum *de Montespan* & Margaretam *de la Barthe* parentes habuit Guillelmus, successitque Arnaldo ad cardi-
1351. nalatum evecto an. 1351, die 7 Februarii, ex libro obligationum Vaticani. Cum Gastone
1355. comite Fuxensi 18 Decemb. 1355 permisit ut syndici urbis quoddam vectigal perciperent super rebus venalibus, carnibus, pane, vino, &c. Vaurensi concilio trium provinciarum, Narbonensis, Tolosanæ & Auxitanæ adstitit mense Junio 1368. Eodem anno, 10 Dec. 1368.
reperitur in confirmatione statutorum sodalitii sancti Eligii instituti in ecclesia S. Mariæ de Campo. Occurrit & ad annum 1370 in 1370.
archivio Monspeliensi. Ad sedem Convenensem anno 1372 ipsum traductum fuisse diximus tom. I, col. 1102. Verumtamen codex obligationum Vaticani testatur Guillelmi successorem ad infulas Appamienses evectum 1371, die 4 Julii.

VII. RAIMUNDUS.

DE ACCONO.

Ordinis Eremitarum sancti Augustini & conventus Appamiensis Tolosanæ provinciæ alumnus Raimundus de Accono, priusquam episcopatum adipisceretur, exstitit theologus Appamiensis juxta Josephum Pamphilum in chronico ordinis Eremitarum sancti Augustini. Johanni Lemovicensi in muneribus pœnitentiarii, sacristæ ac bibliothecarii Romanorum pontificum successit an. 1346. Procul dubio est ille Raimundus Daronis, qui cum jam esset episcopus Tolonensis, traductus fuit ab Urbano V anno 1364, pontificatus tertio, ad ecclesiam Forojuliensem, subindeque Appamiensem episcopatum consecutus est an. 1371, 1371.
die 4 Julii, ex codice obligationum Vaticani. Romanis pontificibus Urbano V & Gregorio XI erat a confessionibus, ut diserte traditur in epistola Philippi de Maseriis de officio sacro Præsentationis B. Mariæ oblato eidem Gregorio Avenione 1372. Id quoque patet ex oratione Francisci de Urbino episcopi Faventini habita coram rege Castellæ. Adhuc erat superstes an. 1378 ex archivis Appamiarum, 1378.
nec non an. 1379, mense Octobri, ex schedis 1379.
Lezati.

VIII. BERTRANDUS I.

D'ORNESAN.

Ex equestri familia prognatus Bertrandus, consanguinitate cum Jacobo-Claudio barone *d'Auradé* Metensis urbis præfecto regio & parente Catharinæ uxoris Antonii *de Roquelaure* Franciæ marescalli conjunctus, a Clemente VII Raimundo subrogatus fuit 17 Martii 1380 juxta regesta Vaticani. Synodum 1380.
habuit 1 Maii 1382. Cum Gastone Phœbo 1382.
comite Fuxensi, quo familiariter usus fuerat, de juribus ecclesiæ suæ habuit grave dissidium, & ab ipso fuit adeo exagitatus ut ad prædictum papam coactus fuerit secedere Avenionem, ubi permansit usque ad obitum Gastonis, qui contigit anno 1390. Suam ad sedem inde 1390.
reversus una cum Matthæo Gastonis successore & Appamiarum condomino privilegia tribuit civibus Appamiensibus 20 Augusti 1391. 1391.
Eodem rursus anno 22 Augusti præsens recensetur in confirmatione privilegiorum monasterii Bolbonæ facta a præfato comite. Exstat vetus instrumentum in archivio collegii sancti Martialis apud Tolosam editum anno 1393, 1393.

ANNI CHRISTI

8 mensis Aprilis, in quo Bertrandus se dicit
conservatorem & judicem causarum, jurium,
privilegiorum, & libertatum eidem collegio
a sede apostolica tributorum. Reperitur in
1395. chartis ad annum 1395. Ipsum & Isabellam
uxorem Archembaldi & comitissam Fuxi
beneficos experti sunt cives Appamienses ad
1398. annum 1398. Eum invenio in instrumentis
1403. annorum 1403 & 1405. Aliam celebravit
1405. synodum 27 Aprilis 1406. Adfuit concilio
1406. Pisano 1409 mense Martio. Legitur in ins-
1409. trumento 1422, sede Tolosana vacante. Non
Spicil. t. VI, p. 351. excessit annum 1424, nam eo anno novi
episcopi electionem celebratam fuisse reperio.
Attamen exstat instrumentum conscriptum 4
Novembris 1428, in quo agitur de contro-
versia ipsum inter & comitem Fuxi exortam,
cujus dirimendæ causa ambo elegerant judices
Antonium *Marion* officialem Appamiensem,
Bartholomæum *d'Aguillac* ballivum Fuxi, Jo-
hannem *de Cos* abbatem S. Volusiani, qui
sententiam dixere anno & die quibus supra.
Nil aliud inde colligitur nisi quod hæc con-
troversia Bertrando sospite commota, post ejus
mortem composita fuerit.

IX. JOHANNES I.

Sub pensione 600 librarum turonensium
in magnum regis consilium admissus fuit Jo-
1425. hannes 23 Decembris 1425. Prædictæ pen-
1426. sionis dedit apochas ad annos 1426, 10
1427. Augusti; & 1427, 1 Februarii. De eo sane
intelligendum quod legitur in cartophilacio
ecclesiæ Laudunensis: sunt siquidem litteræ
datæ IV idus Septembris 1435, quibus Guil-
lelmus *de Champeaux* episcopus Laudunensis
confitetur se quindecim annos a sua diœcesi
abfuisse; per quod tempus vices episcopales
Johannes episcopus Appamiensis Lauduni
peregit. Dum in præfata urbe versaretur,
inter sacristam & fratres Minores inita fuit
1427. de sepulturis concordia an. 1427, die 24
Martii, indictione V, pontificatus Martini V
anno 10, præmissa conditione ut Johannes
1429. eam ratam haberet. Sedebat & anno 1429.
1432. Accessit ad concilium Basileense 1432, die 12
Decemb. & recessit die 19.

X. GERARDUS I. *DE LA BERGONE.*

Regi a consiliis ante episcopatum, nec non
abbas S. Afrodisii Biterrensis erat Gerardus
anno 1429, mense Aprili, & anno 1430;
deditque eo nomine apocham 208 librarum
& 15 solidorum turonensium 10 Septembris
1431, ex actis Parlamenti Tolosani. Factus
inde episcopus, litteras ab Eugenio IV impe-
1435. travit IV nonas Aprilis 1435, de unienda
parochiali ecclesia de Vallibus cathedrali ba-
silicæ. Exstat instrumentum conditum 7 Maii
1436. 1436, indictione XIV, pontificatus Eugenii IV
anno 6, in quo agitur de consueto homagio
& sacramento fidelitatis præstito ipsi Gerardo
episcopo a Gastone comite Fuxi pro castro
seu arce Appamiensi, & medietate pro indiviso
meri & mixti imperii, & omnimodæ ordi-
nariæ jurisdictionis & eorum exercitii, ac
omnium proventuum & redituum ejusdem
civitatis, quæ ab episcopo ejusque ecclesia &
episcopis, qui tempore forent, se in feudum
tenere recognovit dictus comes, comproban-
tibus Rogerio Adurensi & Jordano Mirapi-
censi episcopis, & Matthæo de Fuxo comite
Convenarum avunculo & tutore Gastonis.
Canonicos suæ cathedralis ex decem & octo
ad duodecim reduci curavit bulla ejusdem
Eugenii data XII cal. Junii ejusdem anni.
Præpositus ac cives Appamienses habuerunt
inter se controversiam 8 Junii hujusce anni
exortam super nonnullis juribus olim civitati
ab episcopo Bertrando & Matthæo comite
concessis. Migravit Gerardus ad sedem Tome-
riensem XVI cal. Maii 1435. Lege tom. VI,
coll. 245, 246 & 394.

XI. JOHANNES II. *MELLINI.*

In civitatem solenniter ingressus est Jo-
hannes 22 Julii 1438. Regi ac Delfino erat 1438.
a consiliis anno 1452, die 30 Octobris, ex 1452.
chartis authenticis D. *de Gaigneres*. Reperitur
15 Aprilis 1453 una cum comite Gastone 1453.
in privilegio civitati concesso, & in aliis actis
publicis cum eodem comite gestis anno se- 1454.
quente. Duarum præbendarum annuos pro-
ventus, quos ipse suique decessores percipere
solebant, atque nonnullas ecclesias capitulo
dimisit, comprobante Callixto III papa, bulla
data 1456, pridie cal. Maii. Invenitur ad 1456.
annum 1457. Synodum diœcesanam fertur 1457.
habuisse 29 Aprilis 1460. 1460.

XII. BARTHOLOMÆUS I. *D'ARTIGUELOUBE.*

Nobilis Benearnensis Bartholomæus de
Artigalupa ex senatore Tolosano factus epis-
copus sedebat an. 1461, ex regestis Parlamenti 1461.
Tolosani. Memoratur anno 1465 in actis 1465.
electionis infirmarii an. 1 pontificatus Pauli II,
atque etiam in tabula fundationis archidiaco-
natus Appamiensis. Parochialem ecclesiam
S. Mariæ de Campo civitatis Appamiensis
in collegiatam erexit an. 1466, & in ea octo 1466.
canonicos seu collegiatos, quibus præesset
primicerius, instituit, eisque leges præscripsit,
quorum institutionem sibi, suisque successo-
ribus reservat. Quam quidem erectionem
confirmarunt Romani pontifices Sixtus IV
1480, pontificatus 10; & Julius II 1516,
VII cal. Julii, pontificatus an. 3. Jurgium de
erectione archidiaconatus Appamiensis sedavit
an. 1467, die 25 Junii, indict. XV. Obiisse 1467.
dicitur exeunte anno 1469, sed dicere malim
1468, cum constet ex instrumentis sedem 1468.
vacasse ad diem 8 Decembris ejusdem anni.

XIII. PASCHALIS. *DU FOUR.*

Bartholomæi in locum a summo pontifice
suffectus fuit Paschalis notarius & Appamiarum
indigena an. 1469. Recensetur 16 Januarii 1469.
1469, id est juxta novum computandi morem

ANNI CHRISTI

1470. an. 1470, in veteri instrumento. Per procuratorem excepit an. 1478 hominium a Petro
1478. *de la Maison* domino de Luderiis, qui in subjectionis signum accipitrem ad Missæ offertorium obtulit. Francisci-Phoebi Navarræ regis codicillis subscripsit in urbe Pali mense Ja-
1482. nuario 1482. Vitam finivit ad diem 29
1483. Januarii 1483. Hic non pacifice præsulatum adeptus fuisse videtur, etenim anno 1483, mense Augusto, cum duo æmuli de episcopatu contenderent, hujus controversiæ occasione bona temporalia prioris, archidiaconi & canonicorum occupata sunt, at virtute senatusconsulti Parlamenti Tolosani restituti fuere in possessionem, ut indicant acta comitatus Fuxensis. Æmulus autem quem sustinuit Paschalis, est Matthæus de Artigalupa præfati Bartholomæi nepos, quem a canonicis electum confirmavit archiepiscopus Tolosanus; at summo pontifici, regi ac comitissæ Fuxensi exosus, repulsam passus est, quamvis fultus plurimis decretis Parlamenti adversus competitorem. Tanta apud Johannem de Fuxo vicecomitem Narbonæ, tunc comitatum Fuxi enitentem adipisci damno legitimæ comitissæ, auctoritate valuit, ut Paschalem expulerit ex Manso S. Antonini, castro episcopali extra civitatem, seseque in ejus locum intruserit, quamvis bigamus esset.

XIV. PETRUS.

DE CASTELBAIAC.

Baronum de Castro-Baiaco genere in diœcesi Tarbiensi natus Petrus, Paschali funere functo
1488. a papa substitutus fuit, obtinebatque an. 1488, comprobantibus rege Francorum & Catharina de Fuxo regina Navarræ. Eodem anno 7 Septembris confirmavit privilegia & consuetudines a suis decessoribus concessa syndicis & civibus Appamiensibus. Senatus-consultum Parlamenti Tolosani pro sua electione roboranda consecutus est 14 Maii 1491. Hic exsecutioni decretorum in gratiam Matthæi latorum fortiter sese opposuit, & varie cum eo, inquiunt Sammarthani, colluctatus litibus & expulsionibus, subsistens tamen in loco Mansi
1494. secus Appamias nominatus reperitur an. 1494, 7 Maii, una cum Catharina regina Navarræ & comitissa Fuxi in concessione consulatus civitatis Appamiensis, & in alio instrumento
1497. ad annum 1497, quo diem clausit extremum.

XV. GERARDUS.

JOHANNIS.

Frustra renitente prædicto Matthæo, sedem
1498. consecutus est a papa Gerardus an. 1498, ut apparet ex actis confectis 13 Aug. ejusdem anni, in quibus dicitur electus & confirmatus, vocaturque novus episcopus. Veterem cathedralem de Manso S. Antonini ab urbe mille passibus dissitam in ecclesiam parochialem de Mercadali civitatis Appamiensis fultus aucto-
1499. ritate bullæ Alexandri VI transtulit an. 1499. Eodem anno 9 Decembris a Johanne *d'Albret* rege Navarræ conjuge Catharinæ de Fuxo homagium in cathedrali excepit pro dimidia

Hist. Occit. t. V, p. 75.

A parte urbis Appamiensis, qualiter vidimus Gastonem comitem exhibuisse antiquiori Gerardo episcopo, & qualiter præstare consueverant singuli comites condomini. Legitur in pluribus aliis instrumentis usque ad annum 1502, quo decessit mense Februario.

XVI. AMANEUS.

D'ALBRET.

Alani de Alebreto & Franciscæ a Britannia filius Amaneus, germanusque Johannis Navarræ regis, generalis canonicorum regularium S. Rufi, Valentinæ diœcesis, diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Trulliano ab Ale-
B xandro VI fuit creatus 1500, biennioque post Appamiensem episcopatum regendum suscepit, ut probant hæc verba ex æquali documento deprompta: *anno 1502 & die ultimo mensis* 1502.
Martii, indictione V, pontificatus domini nostri papæ Alexandri V anno 10, & domino Ludovico rege Francorum regnante, & domino Amaneo cardinale Dalebreto in episcopum electo & confirmato. Præterea obtinuit & episcopatus Pampilonensem in Navarra, Lascurrensem & Vasatensem, ut diximus tom. I, coll. 1209 & 1297. Laudatur anno 1505, die 10 1505.
Novembris in erectione sodalitatis in urbe
C Appamiensi. Sedem hanc dimisisse creditur ad plures annos, nam Matthæus de Artigalupa dicitur apprehendisse possessionem, nemine reclamante, an. 1506, & retinuisse per reliquum vitæ, post quod occurrit Amaneus, præsertim ad annum 1518. Defunctus in oppido Beliojoso, seu Castrogeloso, diœcesis Vasatensis, 1520, mense Junio; & ex Sammarthanis IV idus Decemb. ibidem humatus est in ecclesia, unde ejus ossa in posterum a Calvinistis extracta fuere & combusta.

XVII. MATTHÆUS.

D'ARTIGUELOUBE.

D Bartholomæi supra laudati nepos Matthæus de Artigalupa, doctor in utroque jure & consiliarius Gastonis principis Navarræ, post patrui obitum a capitulo electus est juxta senatus-consultum a Parlamento Tolosano emanatum an. 1468, id est 1469, die ultima Februarii. Unctionem accepit a Bertrando de Rosergio archiepiscopo Tolosano, ut observat Capella Tolos. in decisionibus. Electus Appamiensis dicitur in donatione ab eodem Gastone in gratiam Johannis de Fuxo prædicti Gastonis filii, atque vicecomitis Narbonæ conscripta
E an. 1470, 20 Junii. Palatium episcopale vi captum præfato vicecomiti Narbonæ & urbem Appamiensem ejus militibus custodienda tradidit anno 1483. Subinde jussus recedere thesaurum cathedralis ecclesiæ secum abstulit, sedemque suam transtulit Liuracum in toparchia Mirapicensi. Illic favore Parlamenti Tolosani substitit, & licet a papa excommunicatus, proventibus episcopatus fruitus est. Rectoriam de Malleone ad præsentationem prioris Camonis contulit anno 1490. Per decretum curiæ supremæ Tolosanæ latum an. 1491 ab Appamiensi sede exclusus est, nobili familia

ANNI CHRISTI

Fuxensi, cui valde fuit infensus, forsan instigante, ut patet ex his verbis e veteri membrana descriptis: « certum est quod ipse » dominus Matthæus a tempore decessus bonæ » memoriæ domini Gastonis principis Navarræ, » Fuxi & Bigorræ comitis, etiam vivente eodem » domino Gastone, factus fuit capitalis inimicus » domus de Fuxo in faciendo & fieri procurando » interim in dicto comitatu de Fuxo, in quo » vicibus & temporibus diversis cum lacayo & » armigerorum multitudine se transportavit, » præsertim in obsidione castri de Fuxo, in » succursum & juvamen domini Johannis de » Castro-verduno dictum castrum violenter occupantis statim post decessum prædicti domini » Gastonis, item in Manso S. Antonini adversus » incolas habitatores & subjectos, tam dictæ » civitatis Appamiarum, quam comitatus Fuxi, » in quo quidem Manso dictus dominus Matthæus Arragonenses regni & regis inimicos » venire fecit, & ibidem recepit, qui homicidia » & alia infinita mala adversus subjectos & » incolas prædictos fecerunt & commiserunt, » ipso domino Matthæo tractante & operam » dante officiariis & commissariis regis illos » Arragonenses a prædicto Manso expellere » volentibus, infinitas insuper rebelliones faciendo, donec per serenissimam principem » dominam Magdalenam de Francia, matrem » & tutricem domini Francisci Phoebi, tunc » regis Navarræ & comite Fuxi, a prædicto » Manso per proditionem fuerunt expulsi; præterea pro eo quod prædictus de Artigalupa » domum episcopalem dicti Mansi cum armis » invasit, vi & incendio cepit & capi fecit per » dominum vicecomitem Narbonæ etiam inimicum prædictæ domus de Fuxo & suas » gentes: in qua quidem domo homines subjecti » dictæ Catharinæ interfecti fuerunt culpa & » facto ipsius Artigalupæ, nihilominusque etiam » proditorie capi & occupari fecit & procuravit » prædictam civitatem Appamiarum per Narbonenses & suos ipsius domini servitores, lacayos » & complices, sicut de præmissis dictus de » Artigalupa coram personis fide dignis confessus » fuit & se jactavit, adhuc quod deterius est, » in mortem dictarum dominarum principis & reginæ, maleficiis & aliis pluribus attentatis. »

Missus in Hispaniam ambassiatoris officium exerciturus a Johanne Narbonensi vicecomite, Navarræ regnum ambiente, valvis ecclesiæ cathedralis Cæsaraugustensis affixit injurium scriptum ejusdem principis adversus Catharinam reginam 1493, die 16 Decembris. Tandem post diutinas cum præcedentibus episcopis colluctationes, virtute decreti Parlamenti Parisiensis Appamiensem civitatem solenniter ingressus est Matthæus tamquam
1506. episcopus & condominus 16 Septemb. 1506.
1507. Occurrit in documentis ad annos 1507 &
1508. 1508. Elevationi corporum SS. Simonis & Judæ Apostolorum Tolosæ adstitit 25 Januarii
1511. 1511, ut narrat Nicolaus Bertrandus libro de gestis Tolosanorum, fol. 67: deputatur insuper ille peroptimus & doctus senex reverendus pater in Christo Matthæus de Artigalupa Appamiarum episcopus pro officio peragendo: qui suo more magna cum devotione negotium & onus devotionis pro Apostolis sumere grandi cum affectu pollicetur. In institutione confraternitatis sanctæ Luciæ Fuxensis
legitur 15 Januar. 1513. Ex his licet conjicere 1513.
vel inter utrumque episcopum, Amaneum scilicet & Matthæum, initum fuisse pactum, vel post Matthæi obitum administrationem episcopatus iterum fuisse comissam Amaneo, quem comperimus eam obtinuisse ad annum
1518, nam absente Amaneo, munere epis- 1518.
copali functus Matthæus, nomen præsulis Appamiensis quod antea gesserat, semper retinuit.

Amaneo defuncto, sedes non diu vacavit,
nam Gaspardus de Montepesato episcopus Ri- Ch. XXI,
vensis & abbas Scalæ-Dei a Leone X summo col. 138.
pontifice accepit provinciam Johannem de Pinibus in possessionem episcopatus immitendi, bulla data VI cal. Januarii 1520, pontificatus 8; verum Gaspardus aliis negotiis detentus id curæ commisit Bernardo de Joculatore suo vicario & officiali per litteras conscriptas 6 Maii 1521. Verumtamen hunc episcopatum non assecutus est Johannes, sed Rivensis præsul evasit, ubi vide.

XVIII. Bertrandus II.

DE LORDAT.

E gente nobili de Lordato comitatus Fuxi exortus Bertrandus, abbas sancti Volusiani,
electus an. 1520 æmulum sustinuisse creditur 1520.
Johannem de Pinibus supra memoratum quem evicit. Eodem anno, 11 Januarii indigitans se episcopum Appamiensem electum & confirmatum, corroboravit statuta sodalitatis sanctæ
Luciæ apud Fuxum. Interfuit anno 1522, 1522.
Dominica *Lætare*, solenni ingressui Johannis *d'Orléans* archiepiscopi Tolosani cum aliis tribus suffraganeis. Solenni pompa & ipse
Appamias ingressus est 14 Septemb. 1524, 1524.
ut indicant acta, quæ eum electum, confirmatum & consecratum astruunt. Hoc quidem anno ipse delectus fuit regius commissarius pro temporali administratione parthenonis
Prulliani. Benedixit anno 1530 Mafredum 1530.
abbatem Calercii. Recensetur in statutis confraternitatis blancheriorum, id est pellionum urbis Appamiensis, quæ condita fuere 23
Martii 1536. Episcopatus sub manu regia 1536.
aliquandiu substitit, quia Bertrandus diversis criminationibus oneratus, rebellione scilicet & fornicatione, aliisque sceleribus, detentus fuit Parisis apud Bastillam, & inde traductus est ad Montem-albanum ut ad interrogata responderet, ut patet ex litteris regiis datis
14 Decemb. 1537. In episcopatum restitutus, 1537.
ecclesiam & diœcesim adhuc aliquanto tempore rexit.

XIX. Johannes III.

DE LUXEMBOURG.

Filius Caroli Briennæ, Rocei, & Ligniaci

ANNI CHRISTI

comitis ex Carola *d'Estouteville* Johannes, abbas
S. Mauri, Ibreii, & Ripatorii, administrationem episcopatus per electionem suscepit ex
actis consistorialibus. Vocatur tantummodo
1540. administrator ad an. 1540 & 1541 in actis
1541. locationis fructuum episcopatus, quæ facta
fuere, cum ipse esset Parisiis. Nuncupatur
1547. episcopus an. 1547. Annæ *de Montmorency*
Franciæ constabularii Gallicis versibus, &
opusculum de institutione principis scripsit.
1548. Avenione mortuus an. 1548, humo mandatus
est apud Cœlestinos.

DE BARBANÇON.

XX. JOHANNES IV.

Michaële domino *de Cany* & Perona *de Pisseleu*, germana Caroli Condomiensis & Francisci Ambianensis episcoporum, atque Annæ
ducissæ Stampensis, satus Johannes & abbas
S. Eligii Noviomensis, in quibusdam actis
1550. publicis memoratur anno 1550, & in libro
recognitionum fundorum ac bonorum ecclesiæ
1551. Appamiensis anno 1551. Recensetur inter
episcopos de hæresi Lutherana seu Calviniana
suspectos, quos Pius IV papa anno 1563
Romam citavit, ut jam adnotavimus tom. I,
col. 331. Jam a pluribus annis ab episcopatu
cesserat, sed nihilominus ejus titulo semper
vocatus fuit, & sequentem habuit successorem.

DE PELLEVÉ.

XXI. ROBERTUS.

Caroli *de Pellevé* ex Helena *du Fay* filius
Robertus, in lucem editus est 22 Decembris
1512 in pago gallice dicto *Octeville*, diœcesis
Rotomagensis, exstititque Nicolai Ambianensis episcopi in Cardinalium numerum a
Pio V adscripti germanus. Hic utriusque juris
doctor & ab aliquanto tempore episcopus, ad
cleri sui reformationem statuta condidit anno
1556. 1556. Solenniter in urbem ingressus est 24
1557. Aprilis 1557. Litteras a rege obtinuit anno
1566. 1566, 23 Februarii, de prohibendo exercitio
Calvinianæ religionis in civitate & suburbiis.
Qua occasione mota sunt inter Catholicos &
Hæreticos jurgia, quæ maximis tumultibus
originem dedere. Ultro citroque pugnatum
est, at Calviniani parta victoria, Catholicos
vel interfecerunt vel expulerunt, & urbem
redegerunt suam in potestatem. Collegium
patrum Societatis Jesu, secundum totius Galliæ
a primo omnium Billomensi Arverniæ biennio
ante instituerat, vocatis ad opus tribus insi-
Annal. eccl. t. II, p. 613. gnibus viris. Postquam illi, inquit Spondanus,
multos labores in cultura ejus populi, ad
impietatem, hæresim, rebellionem, omne
vitium, præ naturali arrogantia & inertia, ex
rerum abundantia in opimo solo proveniente,
ab antiquo propensissimi, & in discipulorum
instructione impendissent: demum nequicquam obnitente episcopo, prævalente hæresi,
cum solitis grassationibus in ecclesias, & expilationibus atque profanationibus, quibus ubique reformatio stabiliebatur; tam iidem patres
Societatis, quam quatuor ordinum Mendicantium religiosi, quorum erant ibi amplissima
cœnobia, urbe pulsi sunt; religio Catholica
pessundata, ecclesiæ & monasteria eversa;
canonici utriusque ecclesiæ cathedralis & collegiatæ, cum aliis sacerdotibus totoque clero
pessime habiti, cives catholici spoliati, denique
omnia ad normam reformationis Calvinicæ
exæquata: quo uno verbo comprehenditur
quicquid sceleris ex inferno eructari potest.
Patres Societatis Tolosam abeuntes, ibi postea
collegium ex Appamiensi dilaceratione fundarunt. Attamen canonici & religiosi Mendicantes deinceps in urbem per intervalla redire
permissi sunt. Astitit Robertus anno 1577 1577.
comitis Blesensibus. Dictus a Julio-Cæsare
Bulengero, lib. I, hist. sui temporis pius &
patrum zelans religionem, vixit ad usque
annum 1579, quo decessit, & sepultus est 1579.
in ecclesia *de Liancourt.*

XXII. BERTRANDUS III.

DE BARRAU.

Viri nobilis Johannis *de Barrau*, domini
du Pairon in tractu Condomiensi, ex Francisca
du Bouzet prima uxore filius natu major
Bertrandus, antea parochus *d'Artigues*, canonicus Condomiensis, prior *de Perle*, & abbas
Boillani, in sedem episcopalem conscendit anno
1579. Ob hæreticorum in tota pene diœcesi 1579.
grassationes munia episcopalia vix aliquando
adimplere, vitæque necessaria & quidem
precario percipere potuit. Hic in editione
synodi Tolosanæ a cardinale *de Joyeuse* archipræsule celebratæ an. 1590 perperam dicitur 1590.
Petrus, indeque graviori errore a nonnullis
diversus existimatus, qui unum in duos diffecuerunt: cum revera nullus fuerit Petrus, sed
ipsissimus Bertrandus ei synodo interfuerit.
Extremum diem hunc obiisse 5 Junii 1605
diximus t. II, col. 1025. Sepulturam consecutus in ecclesia B. Mariæ de Mercadali.

XXIII. JOSEPHUS.

D'ESPARBEZ DE LUSAN.

Marchionum Albæ-terræ gente prognatus
Josephus, consanguineus Francisci *d'Esparbez*
marchionis *d'Aubeterre* Franciæ marescalli, patrem habuit Josephum *d'Esparbez* stipatorum
Henrici III regis præfectum, Meduntæ in
Wilcassino gubernatorem ac castrorum marescallum, & matrem Johannam *du Bois-Rouvray*.
Cum hic jam esset comes Consistorianus, post
aliquot annorum vacationem ab Henrico IV
rege episcopus designatus, sacra unctione
imbutus fuit mense Februario 1608. Gene- 1608.
ralibus regni comitiis Parisiis adstitit an. 1614 1614.
pro statu ecclesiastico provinciæ Fuxensis.
Ærumnas non leves nec paucas ab hæreticis
Appamiensibus passus, Tolosæ obiit 5 Dec.
1625. Sepultus in ecclesia metropolitana sancti 1625.
Stephani, juxta sacristiæ portam. Johannes-Josephus a nonnullis dicitur.

XXIV. HENRICUS.

DE SPONDE.

Patria Mauleosolensis Henricus in lucem
emissus est an. 1568 die 6 Januarii Epiphaniæ dicata Malleone, urbe Solæ provinciolæ.
Parentes

Parentes habuit Enecum *de Sponde* tunc ævi a ſecretis & conſiliis Johannæ Navarræorum reginæ, & Salvatam de Hoſta Baïonenſem Martini Pampilonenſis filiam, ambos, ut regionis Benearnenſis tum fata ferebant, hæreſi Calviniana infectos. Habuit & fratrem natu majorem Johannem Spondanum ſummo a natura inſtructum ingenio, qui annos natus viginti Iliadem & Odyſſeam Homeri latine primus eſt commentatus. Sacro Baptiſmi fonte tinctus fuit Henricus in urbe S. Pelagii citerioris Navarræ a Malleone tribus leucis diſtante, ſponſore Henrico Borbonio principe, qui poſtea rex Franciæ hujus nominis IV rebus præclare geſtis Magnus meruit appellari. Grandior factus Henricus noſter Orthas in principatu Benearnenſi mittitur educandus & humanioribus litteris informandus. Ibi Calvinianæ hæreſis veneno hauſto, cum ſuæ ætatis infantulis Catholicorum ſana & ſepulchra manu puerili, ut ipſe teſtatur, demoliri delectabatur. Adoleſcentiæ annos in comparandis diſciplinis cum uberiore fructu conſumſit, & philoſophicarum ſcientiarum emenſo ſtadio græce ipſe doctiſſimus evaſit, ac fratris ſui exemplo patrios reliquit Lares & Galliam; ſtudioſus exterarum regionum mores etiam hominum, & urbes avidus luſtrandi, ſe comitem dedit Guillelmo Saluſtio Bartaſii toparchæ Navarræ regis legato in Scotiam profecturo. Scotorum idioma paucorum dierum intercapedine aſſecutus frequenti colloquio cum rege Jacobo IV uſus eſt. Rediturus in Gallias tranſiit Londino ubi Eliſabetham Anglis imperantem ſalutavit. Hac Scotica & Anglicana peregrinatione confecta, juri pontificio & Cæſareo addiſcendo ſe conſecravit; omneſque legum civilium libros evolvit, tamque tenace & fecunda pollebat memoria, ut quatuor libros inſtitutionum Juſtiniani ad unguem recitaret. Exinde Turonibus ubi ſenatus Pariſienſis fuerat tranſlatus ſeſe exercuit in forenſibus exercitiis, & ſtatim a rege creatus a conſiliis & libellorum ſupplicum Navarræorum magiſter cum penſione ſexcentarum librarum turonenſium. Juri non ita attendebat quin interdum vacaret lectioni omnium controverſiarum de religione a cardinali Bellarmino editarum. Quæ ſane lectio & fratris exemplum, qui prior Calvinianam hæreſim ejuraverat, ipſum moverunt ad partes heterodoxorum deſerendas, quibus fuerat addictus ad annum ſuæ ætatis viceſimum ſeptimum. Quo ductu Spondanus luce gratiæ illuſtratus ſemitam reliquerit Novatorum, exprimit ipſe libello ſuo de cœmeteriis ſacris, nempe inſignibus duobus ſacrorum dogmatum magiſtris, Roberto Bellarmino & cardinali Perronio epiſcopo Ebroicenſi, quos vocat duo lumina coruſcantia. Itaque anno 1595, XI cal. Octobris, feſto die ſancti Matthæi hæreſeos abſolutionem accepit a Ludovico Gaudeberto majori eccleſiæ Pariſienſis pœnitentiario. Tunc ſe totum eccleſiæ Catholicæ ſe conſecrans anno ſequente libellum Gallicum de cœmeteriis

A ſacris adverſus Sectarios, dicatum Claudio *de Rambouillet* Cenomanenſium præſuli typis mandavit, quem poſtmodum multis auctum & in grandiorem formam redactum donavit latinitate. Beneficii orthodoxæ fidei, quam a cardinali Perronio edoctus fuerat, gratus & memor ipſi adhæſit & in Normanniam eſt ſecutus. Sacris ordinibus initiari cum ſummopere averet, Romam in comitatu Franciſci *d'Eſcoubleau* cardinalis *de Sourdis* properavit, dum celebraretur jubilæi annus ſecularis, ubi poſt certorum annorum intervallum ſacroſancti preſbyteratus charactere inſignitus fuit ab epiſcopo
B Polenſi Claudio Sozomeno VI cal. Aprilis an. 1606. Ab hoc die licet peregre, licet morbo detentus niſi graviſſimo, quotidiana offerre ſacrificia nunquam deſtitit. Romæ curam omnem adhibuit ut Cæſaris Baronii eccleſiaſticorum annalium auctoris amorem ſibi conciliaret. Cum autem prægrandes duodecim hiſtoriæ eccleſiaſticæ tomos exaraſſet Baronius, in mentem venit Spondano eorum epitomen, re prius cum Baronio communicata, conſcribere. Quod ita dilucide ita perfecte peregit, ut palmam omnibus præripuerit, qui in eo ſcribendi genere vacarunt, & in compendia
C Baronianam hiſtoriam redegerunt. Reverſus in Galliam ea de re gratulatorias litteras ab ipſo Baronio accepit. Defuncto hocce meritiſſimo cardinale, annalium epitomen typis mandavit anno 1612, dicato opere Clero Gallicano, qui id ſuo calculo atque beneficiis approbavit, ſic etiam orbis univerſus, uti colligitur ex frequentibus editionibus & in omnes fere linguas Europæas tranſlationibus. Ch. XXII, col. 138.

Romam cum repedaſſet Spondanus a Paulo V, apud quem magnæ fuit exiſtimationis, provinciam gubernandæ eccleſiæ & domus ſancti Ludovici Gallicæ nationis ſuſcepit, præfec-
D tuſque ab ipſo eſt reviſendis & trutina ponderandis diplomatibus tribunalis pœnitentiarii. In tanto erat pretio apud oratores Chriſtianiſſimi regis ob res curiæ Romanæ illi apprime cognitas & ſingularem in rebus gerendis prudentiam, ut nihil, eo inconſulto, agerent. Ea in urbe Spondanus perpetuam ſedem fixiſſe ratus, nihilque mente volvens, a Chriſtianiſſimo rege Ludovico XIII, juſto ad eccleſiam Appamienſem ob præclara pietatis & litteraturæ opera ſe nominatum fuiſſe accepit ſub primordium anni 1626. At ipſe epiſcopale onus 1626.
E acceptare renuens, ad regem ſcripſit epiſtolam ut ſe excuſatum haberet. Noluit rex aquieſcere poſtulatis, & altera regis epiſtola data V idus Martii acceptare juſſus eſt Spondanus; ſignificavitque ipſi ſummus pontifex Urbanus VIII *vocatum eſſe a Deo tamquam Aaron*. Divinæ voluntati parere coactus ſacra unctione delibutus eſt Romæ in ſacris ædibus S. Ludovici XVII calendas Septembris 1626, natus annos 59, ab eminentiſſimo cardinale Marquemontio archiepiſcopo Lugdunenſi, aſſiſtentibus Attilio Amalteo Athenarum antiſtite, & Antonio Provano archipræſule Dyrrachii, circumſtan-

ANNI CHRISTI

tibusque quatuor & viginti cardinalibus. Paulo post in Gallias remeavit novus præsul, cum ovibus Appamiensibus vitam ærumnis plenam acturus: Lutetia iter habens regem convenit, a quo benigne exceptus ei juramentum præstitit idibus Decembris in sacello Borbonico. Appamias vero gregemque suum invisere cupiens Tolosam appulit, ubi legationem magistratus municipalis Appamiensis accepit, urbemque suam episcopalem insigni pompa ingressus est
1627. an. 1627, die 23 Maii in vigilia Pentecostes, concursu amplius trium millium hominum, atque cleri paucis abhinc diebus in urbem reversi celebritate exceptus. Vigilantissimi hujus pastoris cura hæresi nuncium remiserunt mille quadringinti homines spatio trium priorum annorum episcopatus, adeo ut moriens Appamias fere totas catholicas reliquerit. Comitiis provinciæ Fuxensis ter congregatis ex jure ecclesiæ Appamiensi attributo præfuit, in quibus multa præclara pro ecclesia & republica gessit. Franciscanos Aquitaniæ provinciæ dictos de Observantia a pluribus mensibus inter se divisos, cooptante & requirente summo pontifice, ad concordiam adduxit.

Interea bonus hic pastor visitationi suæ diœcesis incohandæ se accinxit saxa & rupes conscensurus, quorum non pauci incolæ, quantumvis octogesimum ætatis annum attigissent, nunquam antistitem conspexerant, nec vero per se ibi conspecturos somnio unquam cogitarant. Pluribus hominum millibus sacramentum Confirmationis impressit, nonnullosque hæreticos Valdenses in montium cacuminibus latentes ad fidem reduxit catholicam. Diœcesi lustrandæ dum incumberet, accessit vir eum salutaturus & significaturus astu Dæmonis in saxa cum equo dejectum iri. Ad quæ subridens Spondanus, omnia, inquit, divinæ sunt committenda providentiæ. Rem probavit eventus, sed divina protectione nulla læsione fuit perculsus. Ab urbe episcopali cum abesset, nunciatum ei est ducem Rohanensem præcipuum Novatorum caput, qui contra regem & catholicam fidem manus ad arma moverat, stare ad portas Appamiarum. Statim in civitatem properavit, licet a capitulo dissuaderetur, timens ne sibi ab omnibus daretur culpa, si suo animi deliquio civitas in hostium potestatem deveniret. Attamen hostis in urbem prorupit 13 Novemb. 1627; & episcopus qui in turre inclusus fuerat præter omnem spem per muri quoddam foramen evasit. Translato in oppidum Fuxense ecclesiæ cathedralis collegio, Tolosam adiit ubi nepotem episcopi Urgelitani epistolarum latorem excepit, quibus hic antistes Spondanum enixe precabatur ut ad Urgellanam ecclesiam se reciperet, donec hæreticorum deferveret persecutio. Sequente anno 1628 Henricus Borbonius princeps Condæus strenuissimus Catholicorum defensor urbem obsidione cinxit & occupavit 10 Martii. Postridie receptæ civitatis Deo actæ sunt gratiarum actiones, amandatique fuerunt Sectarii, exceptis

A his qui catholicæ fidei nomen dederunt. Canonici ecclesiæ cathedralis, atque etiam canonici Campenses in suas sedes sunt restituti. Religiosi Mendicantes revocati ad sua domicilia, patres Jesuitæ una cum monialibus S. Claræ longissimo postliminio accersiti. Urbanus VIII papa audito post tot tantasque ærumnas reditu Ch. XXIII, col. 139.
Spondani ad ovile, ei gratulatus est brevi dato 26 Maii 1628. 1628.

Resumta diœcesana perlustratione pontifex noster ab iteratis hæreticorum illi ob sublatas Appamias extrema quæque minitantium insidiis se vindicavit, necemque præsentissimam
B semel effugit. Frequentes habuit synodos in quibus multa statuta condidit pro restituenda disciplina ecclesiastica, pro deligendis sacerdotibus & eorum promotione ad ordines sacros, nec non pro grege suo ad meliorem frugem revocando. Congregationem virorum pietate & prudentia clarorum indixit, qui sæpenumero pro rebus diœcesanis convenirent in palatium episcopale, quod summis impensis ædificaverat, etiam ipsum fundi solum olim distractum in alios usus & alienatum comparans, mensæque episcoporum in æternum addicens. Gravis tandem annis & fractus laboribus episcopatui
C nuncium remittere cogitavit, ut diligentiore cura vacaret continuandæ historiæ ecclesiasticæ Baronianæ. Abdicavit igitur in gratiam Johannis Spondani nepotis, tum Parisios se recepit operam daturus editioni prædictæ historiæ ecclesiasticæ, quam summus pontifex sibi sedique apostolicæ dicatam eximio elogio Ch. XXIV, col. 139.
comprobavit 9 Julii 1639. Sacros annales 1639.
ab orbe condito ad ejus per Christum reparationem primus scripsit uno volumine, epitomem annalium Baronii a Christo usque ad pontificatum Innocentii III duobus; & conti-
D nuationem eorumdem annalium a fine Baronianæ ad exitum anni 1640 tribus: Grandi, 1640.
ut ipse ait, plane conatu, necdum ab ullo alio hactenus tentato, saltem non viso, ut scilicet ab uno calamo res habeas ab orbis conditu continua serie, quantum per temporum monumenta licuit ad hanc qua vivimus ætatem. Imo etiam conscripsit omnium ecclesiæ conciliorum historiam mss. non absolutam, nec non episcoporum Appamiensium catalogum, quorum gesta e manuscriptis tabulis eruit & illustravit variis monumentis. Et præter opus de cœmeteriis superius memoratum, alia
E quædam opera edidit de controversiis religionis lingua gallica contra hæreticos. Historiæ Romanorum pontificum, qui in Gallia sederunt, a Francisco *Bosquet* episcopo Lutevensi contextæ, nuncupationem benigne excepit. Donatus est a rege abbatia sancti Leonardi Corbiniacensis, in cujus emolumentum præclara præstitit. Mortem sibi proximam auguratus liquit Parisios Tolosam migraturus anno
1642. Ea in urbe extremum Creatori exhalavit spiritum XV cal. Junii 1643. Biduo 1642.
elapso corpus ad basilicam sancti Stephani protomartyris episcopi delatum est sepulturæ

mandandum, Ludovico *Bertier* episcopo Rivensi divinæ rei operante. Unus e societate Jesu patribus oravit in inferiis frequenti senatu, recensuitque dignas antistitis virtutes & zelum illum domus Dei, quo sacrum ipsius pectus inurebatur. Condiderat suum testamentum die ultima Octobris 1634, quale conspicitur in archivo capituli Appamiensis, patribus Minimis Tolosanis amplissimæ bibliothecæ paucis diebus ante obitum institutis heredibus. En epitaphium quod ipse sibi fecerat. *Hic jacet corpus Henrici Spondani quondam episcopi Appamiarum, cujus anima requiescat in pace.* At Petrus Frizonius theologus Parisiensis Spondani familiaris & reliquarum ejus facultatum heres in grati animi significationem scripsit ejus vitam, unde hausimus pleraque a nobis relata, eique mausoleum in æde Tolosana S. Stephani ad latus majoris altaris extra chorum curavit erigendum, cui inscripta est hæc epigraphe:

D. O. M.

ÆTERNÆQUE MEMORIÆ

Vixit, vivit, æternumque vivet Henricus de Sponde *Appamiensis episcopus, genere illustris, pietate & doctrina illustrior, pontificia dignitate illustrissimus. Primum Henrico IV Magno a libellis supplicibus, tum Romæ Clementi VIII pontifici maximo ob singulares animi dotes plurimum dilectus, eidem ab expiationibus, & Cæsari Baronio cardinali bibliothecæ Vaticanæ præposito socius adlectus: quorum par laus in ecclesiasticis annalibus condendis; tanta quippe ingenii ac studiorum utriusque similitudo, ut Baronium fato functum Spondanus superstes induere videretur, cujus opus imperfectum unus perfecit, & ad nostra tempora, regnumque Ludovici XIII Justi feliciter perduxit: quoad cura & vigilantia incredibili, Appamiam atque universa diœcesis Calvinianis hæreticis aut ad Catholicos revocatis aut omnino profligatis, fractus annis, diuturnisque lucubrationibus exhaustus, animam Deo acceptam volens lubensque Tolosæ reddidit humanæ salutis restitutæ anno 1643, Maii die 18, & ætatis 75.*

XXV. JOHANNES V. — DE SPONDE.

Genitorem sortitus est Johannes fratrem Henrici Spondani natu majorem dictum etiam Johannem, regi a libellis supplicibus, demortuum a diutino tempore, virum summo a natura instructum ingenio, litteras græcas latinasque apprime callentem, qui nominis claritatem est adeptus, tum præclaris scriptis adversus hæreticos vulgari lingua exaratis, tum doctissimis commentariis in Iliadem & Odysseam Homeri, sic etiam in Hesiodum & nonnullos alios auctores tam græcos quam latinos. Cum Henricus apud se omnino constituisset suæ ecclesiæ valedicere, dignum successorem eligere cogitavit, & in Johannem nepotem suum oculos conjecit: at eum non alia ratione regi ejusque ministris commendatum voluit, quam ut is examine probatus vel admitteretur vel rejiceretur. Admissus primo in coadjutorem 40 annos natus titulo Megarensis, inauguratus est Lutetiæ in ecclesia Clarissarum de *Ave Maria* 2 Julii 1634 ab Alexandro cardinale Bichio, in sacro opere collaborantibus Victore *Bouthiller* Bononiensi præsule, postea Turonensi archiepiscopo, & Leonorio *d'Estampes de Valançay* tunc Carnotensi antistite, dein Remensi. Adstitit 15 Martii 1639 consecrationi Johannis *Fouquet* episcopi Baïonensis. Suscepta deinceps episcopatus plena administratione simulque commenda abbatiæ Corbiniacensis per patrui abdicationem, summa omnium laude onus suum adimplevit; sed ante obitum patrui e vivis ereptus est Appamiis 1643, die ultima Martii.

XXVI. HENRICUS. — DE SPONDE.

Post nepotis mortem iterum a rege nominatus est Henricus mense Aprili 1643, & iterum cessit eodem anno 5 Maii in gratiam sequentis, obiitque 18 ejusdem mensis. 1643.

XXVII. FRANCISCUS I. — BOSQUET.

Clericus Narbonensis & doctor in decretis Franciscus, idem qui Spondano historiam Romanorum pontificum, qui sederunt in Galliis, nuncupavit, ab ipso fuerat delectus successor, sed cita mors Spondani in causa fuit cur huic ecclesiæ non præficeretur. Postea evasit episcopus Lutevensis, ut diximus, t. V, col. 575 & seqq.

XXVIII. JACOBUS II. — DE MONTROUGE.

Ortu Parisinus Jacobus, Annæ Austriacæ reginæ ab eleemosynis, doctor theologus e regia domo Navarræa, nec non abbas sancti Volusiani Fuxensis, nominatus fuit an. 1643: at bullas non assecutus ad sedem sancti Flori transiit anno 1644, ut legere est tom. II, col. 434.

XXIX. FRANCISCUS-STEPHANUS. — DE CAULET.

Johannis-Georgii *de Caulet* thesaurariorum Franciæ in urbe Tolosa præsidis ex Margarita *de Garaud* filius Franciscus-Stephanus, vir doctrina & pietate celebris, ex seminario S. Sulpitii Parisiensis, quod ipse cum aliis celebribus ecclesiasticis condiderat & sapientissime rexerat, raptus est ad hanc ecclesiam administrandam, dimissa prius abbatia sancti Volusiani Fuxensis. Primus inter Gallicanos præsules ab Innocentio X admissus est in consistorio an. 1644, & consecratus Parisiis 1644.
in ecclesia S. Sulpitii an. 1645. Libertatum 1645.
& jurium ecclesiæ & episcopatus exstitit acerrimus defensor. Ecclesiam cathedralem, pulcherrimumque seminarium fategit ædificari, & in ædibus episcopalibus recens a se instauratis canonicos regulares suæ cathedralis, quos ad normam vix reduxerat, hospitio accepit. De Regalia cum rege & quidem nimia asperitate diu litigavit, præsertim ad annos 1679, mense 1679.
Januario, & 1680 17 Julii: quam ob causam 1680.
suis reditibus triennio privatus est. Defunctus

ANNI CHRISTI

7 Augusti 1680, sepultus est in ingressu ecclesiæ cathedralis.

Post mortem Francisci-Stephani a Christianissimo rege Ludovico XIV Cosma *Roger*, ex monacho Fuliensi jam episcopus Lumbariensis, huic ecclesiæ designatus, renuit accipere.

D'ANGLURE DE BOURLEMONT.

XXX. FRANCISCUS II.

Ludovici *d'Anglure* archiepiscopi Burdigalensis nepos Franciscus, doctoris lauream accepit in facultate Parisiensi 23 Martii 1679. Renunciatus a rege episcopus Appamiensis 4
1681. Julii 1681, bullas a summo pontifice non potuit adipisci, & ideo a jure suo sponte cessit an. 1685, mense Novembri, simulque abbatiam S. Florentii Salmuriensis obtinuit. Diem clausit extremum mense Augusto 1711.

DE CAMPS.

XXXI. FRANCISCUS III.

Ambiani natus Franciscus, fuit primum vicarius generalis archiepiscopi Albiensis, cujus quidem ecclesiæ texuit historiam, tum coadjutor episcopi Glandavensis 1682, tandem hujus ecclesiæ a rege designatus episcopus 12
1685. Novembris 1685, & ipse a papa bullas adipisci non potuit, sed ab ipso rege Ludovico Magno impetravit abbatiam Signiaci apud Remos, qua una cum abbatia S. Marcelli in diœcesi Cadurcensi, & pluribus prioratibus gavisus est usque ad annum 1723, quo migravit e vita. Scientia numismatum apprime fuit excultus.

DE VERTAMONT.

XXXII. JOHANNES-BAPTISTA.

Senatoria gente ortus Johannes-Baptista, filius Francisci *de Vertamont* requæstarum magistri, ante episcopatum munus promotoris exercuit in jurisdictione S. Capellæ Parisiensis, fuitque major vicarius Pontisarensis. Doctor sociusque Sorbonicus ab anno 1678, die 6 Septembris, regiis litteris designatur episcopus
1693. 8 mensis Septemb. 1693. Sacram unctionem Parisiis apud Jesuitas vici S. Antonii a Carolo *de la Berchere* archipræsule Albiensi accepit
1694. 3 Januarii 1694, in sacro opere assistentibus episcopis Briocensi & Valentinensi, sacramentumque regi dixit 5 ejusdem mensis. Mox ad ecclesiam suam se conferens, eam longo interpontificio, quodque pejus erat, diuturniori schismate laborantem invenit. Ex qua prima mali labe multa alia gravissima pullularunt, neglectum peneque intermissum in ecclesia cathedrali divinum officium, pessundata in clero disciplina ecclesiastica, & maxima morum corruptela in populo. Tantis malis ut mederetur, a clero incipiendum esse censuit. Quapropter canonicis suæ cathedralis jam pridem a recto tramite deviis vetus palatium episcopale, ubi commode communis ac religiosæ vitæ officiis incumbere possent, liberalissime cessit, sicque congregatis leges & constitutiones præscripsit articulis 14 comprehensas, quas Christianissimi regis sanctionisque ejus consilii auctoritate muniendas curavit 2 Octobris 1702. Patribus Jesuitis 1702.
Appamiensibus concessit an. 1704, die 19 1704.
Septembris, reditus sui prioratus *de Lanvejorls* in diœcesi Mimatensi construendi gratia eorum ecclesiam atque collegii auditoria, assignavitque 60 libras annuatim persolvendas ad incrementum suæ bibliothecæ, quam iisdem Patribus tradiderat. Sacram pyxidem pro expositione sacratissimi corporis Christi Dominicanis largitus est 12 Aprilis 1712, ea lege 1712.
ut in quavis benedictione pro eo sive superstite sive mortuo collecta adderetur in perpetuum. Non minus fuit de sua basilica ac de ejus ornatu sollicitus. Jacebat nuda, inculta, pristino spoliata decore nobilis illa ecclesia; *sed non vocabitur ultra derelicta*, postquam placuit munificentissimo ejus sponso amissa ei cum amplissimo fenore restituere ornamenta, vasa sacra plurima ex auro & argento, vestes sacerdotales opere & materie pretiosissimas, pallia altarium, tapetia, aulæa & cætera denique ad sacram suppellectilem pertinentia. Magnum sui desiderium relinquens obiit anno 1735.

XXXIII. BARTHOLOMÆUS II.

DE SALIGNAC.

Ex Francisco *de Salignac*, marchione *de la Mothe-Fenelon*, & Elisabetha *de Beaupoil de Saint-Aulaire* genitus Bartholomæus, canonicus & archidiaconicus Cameracensis, ob prioratum quem possidebat in diœcesi Sarlatensi deputatus fuit a provincia Burdegalensi ad comitia generalia cleri Gallicani an. 1725. Abbatia Bolbonensi donatus mense Novemb. 1729 eam dimisit, & anno sequente mense Junio assecutus est abbatiam sancti Martini Pontisarensis. Renunciatus 8 Octobris 1735 episcopus Appamiensis, proclamatus & propositus Romæ 2 & 19 Decembris, bullis tandem acceptis, inunctus est Parisiis in sacello seminarii S. Sulpitii ab archiepiscopo Senonensi 22 Januarii 1736, adstantibus episcopis Tarbiensi & Noviomensi, regique fidem juravit 5 Februarii 1736. Obiit Parisiis 17 Junii 1741, annos natus 50, & sepultus est in eodem sacello seminarii S. Sulpitii.

XXXIV. HENRICUS-GASTO.

DE LEVIS-LERAN.

Vicarius generalis archiepiscopi Burdigalensis Henricus-Gasto, genitus an. 1713, in episcopum delectus 24 Augusti 1741, sacram unctionem accepit 11 Februarii 1742. Bullas a summo pontifice Benedicto XIV datas pridie nonas Julii 1745, cathedralis ecclesiæ canonicos ab omni ævo regulares ad secularem statum reducentes, impetravit. Ch. xxv, col. 139.

Una tantummodo est Abbatia in diœcesi Appamiensi.

S. VOLUSIAN. DE FOIX.

S. VOLUSIANUS DE FUXO.

IN oppido Fuxensi ad Aurigeram fluvium octavo seculo abbatiam exstitisse S. martyris & episcopi Turonensis Volusiani titulo insignitam, & quidem a Carolo Magno conditam, in monumentum victoriæ a Saracenis reportatæ, nonnulli autumant. Hanc Ato vir potens jam pluribus ante annis a Carolo Calvo locupletatam & monasterio Cesarionis vel sancti Tiberii subjectam usurpare tentavit; contra quem Bonesindus Cesarionensis abbas insurrexit & protulit querelam coram Bernardo comite & marchione Misso Caroli regis, suoque B cœnobio vindicavit in placito Narbonensi habito idib. Junii *anno XXX regnante Karolo rege; indictione XV*, hoc est an. 867. Id patet ex instrumento quod lege si lubet tom. VI, instr. col. 313 & seq. Raimundus Rhutenensis comes inter ecclesias, quibus dona largitur, recenset ecclesiam S. Volusiani in codicillis ad annum 961. Plurimos pagos conferunt eidem abbatiæ Rogerius comes Carcassonensis & Adelaïs ejus uxor ad annos 988 & 1012. Posthæc a Raimundo comite Tolosano canonicos regulares e loco sancti Siriaci Fuxum C evocatos tradunt, & apud basilicam S. Nazarii prope Fuxense castrum ad officia divina celebranda inductos, juxta quam beati Volusiani corpore in urbem translato, Rogerii II Fuxi comitis studio, ecclesia multum inclaruit. Fundatores suos agnoscit Carcassonæ comites, multis reditibus a comitibus Fuxensibus Bernardo, Rogerio, & Rogerio-Bernardo aucta. Honorius III papa singulas ejus possessiones bulla data III nonas Decembris 1224 confirmavit. Comitiorum provinciæ præsidi Appamiensi episcopo assidet proximus abbas D supremus toparcha; quin etiam comes Rabati e gente Fuxensi capituli tutelaris patronus, privilegio canonici laïci instar avorum fruitur. Gallicana congregatio in hanc abbatiam inducta est 16 Decembris 1658. En abbatum nomina quæ ex vetustis schedis eruimus.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 109.

ABBATUM CATALOGUS.

I. AMELIUS, in posterum episcopis Tolosanis adscriptus, instrumento Bertrandi Tolosæ comitis in gratiam canonicorum sancti Saturnini subscribit anno 1101 hisce verbis: *Testis Amelius abbas Fuxensis & prior Fredelacensis.* E

Ibid. col. 355.

II. Hector *de Mazernes* a Rogerio comite Fuxensi plurimas possessiones adeptus fuisse dicitur ad annum 1104. Guillelmus prior sancti Velosiani occurrit an. 1108 in charta Rogerii II comitis Fuxensis.

Ibid. col. 373.

III. Rogerius an. 1104 in charta Raimundi-Benedicti viri nobilis & uxoris ejus Florentiæ exhibentium capellam dictam de S. Salvatore, A præpositi nomen tantummodo præfert, at dicitur abbas Fuxo castro in instrumento Mansi-azilis conscripto mense Maio 1124.

IV. Bernardus Rogerium comitem Fuxi bona juraque monasterii usurpata restituentem expertus est mense Novembri 1145.

Ibid. col. 510 & seq.

V. Petrus I de Heremo an. 1168, mense Augusto, die Dominica, luna 4, pareagium iniit cum Rogerio-Bernardo comite Eixemenæ filio, cui ejusque prosapiæ tribuit medietatem mercati Fuxensis, justitiæ urbis, cæterarumque possessionum; comes vicissim suo & heredum nomine spopondit se ecclesiam S. Volusiani & bona ad eam spectantia tuiturum: ad hæc addidit ex consensu baronum medietatem leudæ pontis Fuxensis ac justitiæ. Consimile pareagium confecit Petrus cum Raimundo-Rogerio itidem comite Ceciliæ filio an. 1188. Superstes adhuc an. 1196 mense Julio.

VI. Jordanus memoratur anno 1192 in charta Bolbonæ.

VII. Robertus an. 1224, III non. Decemb. procuravit ut Honorius III sua auctoritate pontificia monasterii possessiones fulciret. Statuit hic pontifex ut ordo canonicus, qui secundum B. Augustini regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuum ibidem inviolabiliter observetur, & prohibet ne quis novalium, quæ propriis manibus vel suis sumptibus coluerint canonici, præsumat exigere; jubetque ut canonici, qui ad ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiant episcopo, modo fidem catholicam & communionem apostolicæ sedis habuerit.

Charta VI, col. 19.

VIII. Guillelmus I Atho de Durbano anno 1229, XVI cal. Julii, magno episcoporum & abbatum cœtui pro reconciliatione comitis Fuxensis cum rege apud S. Johannem de Vergis in comitatu Fuxensi habito interfuit. Cum Petro abbate Bolbonæ transegit an. 1230. Pareagium iniit anno 1231 cum Rogerio-Bernardo comite Philippæ filio, cujus litteris in gratiam Maurini Fredelacensis abbatis subscripsit an. 1241. Insequente laudavit belli significationem a præfato comite indictam Raimundo comiti Tolosæ. Testis fuit 11 Dec. 1246 homagii, quod Arnaldus Convenarum comiti Fuxensi præstitit. Reperitur etiam ad annos 1249, 1250, 1252.

Hist. Occit. t. III, prob. col. 342.

Ibid. col. 458.

IX. Sancius Morlanus anno 1256 adfuit transactioni initæ inter Maurinum S. Antonini & Ademarum Bolbonæ abbates. Comitem Fuxensem, a quo tam ipse quam canonici male fuerant habiti, interdicto subjecit.

X. Arnaldus pedum pastorale obtinebat an. 1259. Narbonensem archiepiscopum is atque Rogerius comes Fuxi negotii elegerunt arbitrum anno 1261. In eumdem comitem, Mansum monasterii injuste detinentem, a

Bertrando de Insula Tolosano præsule sententiam pronuntiari curavit an. 1271. A

XI. Guillelmus II occurrit IX cal. Septemb. an. 1275. Eodem anno & mense sequenti una cum Bertrando episcopo Tolosano & Arnaldo Mansi-azilis abbate reperitur.

XII. Otho procuratorem mittit ad concilium Biterrense an. 1280. Transigit cum abbate Bolbonæ annis 1282 & 1283. Legitur in charta nonis Aprilis 1286. Precum societatem iniit an. 1288 cum Rogerio Crassensi abbate. Gentillæ moniali Vallis-nigræ, filiæ Guillelmi *de Lordat*, quædam legavit 1 Julii 1294.

XIII. Gaufridus de Crudillis, simul archidiaconus Tranchonensis & Savartesii, præerat annis 1296 & 1298, die 30 Junii. De ponte Fuxensi construendo pactus est cum operariis 17 Januarii 1299. Statuta de quatuor officiis claustralibus, scilicet sacristæ, infirmarii, eleemosynarii & operarii condita laudavit anno eodem. Adstitit an. 1300, 25 Junii absolutioni comitis Fuxensis. Eodem rursus anno, V cal. Julii, reperitur in compositione peracta inter Bernardum episcopum & comitem Fuxi. Præfati præsulis atque cleri archidiaconatus Savartesii auctoritate fultus, composuit cum ejusdem loci indigenis super quibusdam decimis mense Januario 1311, id est 1312. Curam comitatus Fuxensis a Gastone ad exercitum Flandriæ profecturo suscepit an. 1315, in vigilia S. Bartholomæi apostoli. Eodem anno, IV nonas Novembris, comitis nomine solvit Raimundo Falconis vicecomiti Cardonæ 60000 solidos Barcinonenses. Ratam habuit XVII cal. Novemb. an. 1322 institutionem novæ præbendæ, cujus collatio spectat ad Consules urbis Fuxensis.

XIV. Pontius qui & Petrus Ferreolus, regebat an. 1323, regnante Philippo Valesio, ut patet ex transactione inter Gastonem comitem ejusque subditos, & clerum pene totius diœcesis Appamiensis inita, sicuti factum fuerat an. 1312 a Pontii decessore. Memoratur in documento an. 1333. Cum Consulibus urbis pactus est an. 1337 super fontibus & aquæductibus.

XV. Hugo, rogantibus Fuxi Consulibus, testatur 23 Octobris 1384 se legisse in veteribus instrumentis urbem Turonum, Clodovæo I regnante, expugnatam fuisse a Visigothis, ejusque episcopum Volusianum ab iisdem adductum fuisse in locum, qui dicitur Petrosa, & ab incolis vulgo Corona, ubi sanctus ille vir, capite truncato, martyrium consummavit. Cujus corpus superno nutu admonitæ mulieres duæ, Juliana scilicet & Julitta, Fuxum attulerunt.

XVI. Bernardus anno 1398 recensetur in instrumento privilegiorum concessorum urbi & comitatui Fuxensi ab Archembaldo comite & Isabella nobilissimis conjugibus.

XVII. Guillelmus III commutationem iniit cum urbis Consulibus 24 Martii 1403 vel 1409.

XVIII. Petrus II *de Cos* episcopus Albanensis, cardinalis & abbas commendatarius, electus est an. 1428 judex ad dirimendam litem inter Bertrandum episcopum Appamiensem & Johannem Fuxi comitem. Ab Eugenio IV bulla data III nonas Septembris 1440, & anno sequente a Jordano Conseranensi episcopo publicata, impetravit ut decem & octo canonici ad duodecim redigerentur ob redituum tenuitatem. Hac in bulla nulla mentio Clericorum secularium præbendatorum, qui centum abhinc annis instituti fuerant.

B XIX. Johannes I cum abbatibus Lesatensi, Bolbonensi & Cumbæ-longæ aderat 1 Aprilis 1448 cum Gasto comes urbis & comitatus Fuxi privilegia confirmavit. Pons lapideus qui etiamnum existit, Petro superstite, Aurigeræ impositus est. *Hist. Occit. t. IV, prob. col. 480.*

XX. Raimundus anno 1457, die vero 20 Junii, a papa Callixto III curam suscepit exsequendi litteras, quas hic pontifex in gratiam ecclesiæ Appamiensis pridie cal. Januarii dederat, ea mente uniendi ecclesias Mansi sancti Antonini, Bastidæ, Gardæ, Baynonis & sancti Petri de Podiolis.

C XXI. Bartholomæus Dominicus de Monte in diversis chartis legitur ad annos 1462 & 1472.

XXII. Johannes II de Aula, de quo diximus tom. I, col. 1139 in episcopis Conseranensibus, obtinebat ad annos 1477 & 1487.

XXIII. Raimundus-Rogerius *de Cominges*, territorium *de Labarre*, olim nempe an. 1266 præstitum a Rogerio-Bernardo comite, dedit in feudum an. 1491.

XXIV. Johannes-Rogerius *de Cominges* præerat an. 1510, simulque obtinebat plures prioratus ab abbatia S. Saturnini dependentes, D mensæ capituli nunc unitos, videlicet *Migols*, *Mercus* & *Argniac*. Gravem habuit cum capitulo simultatem, quæ an. 1516 sopita est, ea lege ut antiquæ consuetudines servarentur, & cum abesset abbas, ab ipso institueretur vicarius generalis e canonicorum gremio electus. Quæ transactio etiamnum viget.

XXV. Bertrandus *de Lordat* episcopus Appamiensis memoratus ad annum 1520, unum canonicum ad professionem admisit anno sequente.

XXVI. Paulus *de Bearn*, Lascuriensis episcopus, suum generalem vicarium instituit E fratrem Petrum de Malucherio an. 1533. De eo vide tom. I, col. 1298.

XXVII. Jacobus I nothus *de Foix* item episcopus Lascuriensis, Benearniæ prorex, præsesque comitiorum ejusdem regionis, & Navarræ regis cancellarius, atque etiam abbas Regulæ, duos ex canonicis constituit vicarios generales anno 1535. Pactus est an. 1548 cum capitulo de partitione redituum & ædificiorum, celebri transactione, quæ Pauli III papæ auctoritate firmata, suum adhuc sortitur effectum. Lege tom. I, col. 1298.

XXVIII. Nicolaus *d'Angu* abbas S. Savini Tarbensis & Juliaci, e sede Sagiensi ad Mimatensem traductus, Navarræ regis cancellarius, vicarium generalem instituit an. 1555 fratrem Antonium *de Regert.* Comitatum & urbem Fuxensem, favente regina Navarræ, ab hæreticis obsidione cingi & occupari magno animi dolore conspexit an. 1562. Obiit an. 1567 & habuit sepulturam apud Juliacum. Vide tom. I, col. 106; tom. XI, col. 702.

XXIX. Paulus *de Foix,* archipræsul Tolosanus, occurrit an. 1580. Sub ejus præfectura, nempe anno 1582 urbs iterum ab hæreticis obsessa capitur, ecclesiæ & altaria evertuntur, perimuntur sacerdotes, ipsa abbatia solo æquatur, sacra vasa, campanæ, & quæcumque sacris mysteriis inservientia, usibus profanis deputantur: sancti Volusiani martyris reliquiæ traduntur flammis, aliæ pedibus conculcantur; canonici aguntur in fugam, alii Tolosam se recipiunt, alii per diversa loca vagantes, modo huc modo illuc congregantur sacris operaturi. Romæ Paulus obiit an. 1584 post celebratum missæ sacrificium.

XXX. Nicolaus *de Pellevé,* cardinalis & Senonensis archiepiscopus, per obitum superioris a Sixto V abbatiam obtinet an. 1585.

XXXI. Odo *de Ferrouil* a rege designatus anno 1591, bullas adipisci nequivit propter discordias inter Romanam & Francicam curias. Postquam plerosque mensæ abbatialis reditus distractos recuperasset, cessit in gratiam sequentis an. 1604.

XXXII. Johannes II *de Coheu* clericus Turonensis abdicatione superioris possessionem obtinuit anno 1604. Ejus tempore canonici hactenus dispersi, in urbem reversi sunt, & divina officia a viginti & amplius annis interrupta celebrarunt, non quidem in ecclesia abbatiali, quæ funditus eversa fuerat, sed in ecclesia xenodochii S. Jacobi.

XXXIII. Petrus III *de Caulet* nobili familia apud Tolosates oriundus, abbas Mansi-Garnerii & Oratorii, vir pietate singulari conspicuus, ad hanc abbatiam regendam accessit an. 1606. Ecclesiam ab hæreticis dirutam restauravit a fundamentis. Primum lapidem a Johanne-Georgio *de Caulet* suo fratre Thesaurariorum Franciæ apud Tolosam præside imponi curavit 13 Februarii 1609. Senatusconsultum a Parlamento Tolosano obtinuit an. 1615, die 14 Aprilis, pro recuperanda justitia alta, media & infima in urbe Fuxensi, qua abbates jam pridem exuti fuerant. Obiit an. 1617.

XXXIV. Bonaventura *de la Font,* præcedentis consanguineus, erat abbas an. 1620. Vicarium generalem instituit fratrem Raimundum *Molis* canonicum an. 1621.

XXXV. Franciscus-Stephanus *de Caulet,* Petri & Bonaventuræ decessorum nepos, nominatus fuit abbas 1627, annos natus 17. Eo nomine præfuit comitiis generalibus provinciæ ad annos 1634 & 1638. Reformationi in monasterium inducendæ multum insudavit, & eam ob causam privati consilii duo decreta obtinuit, primum anno 1639, 10 Martii; alterum 1644, quo Appamiensi ecclesiæ præfectus abbatiam dimisit in sequentis gratiam die 10 Junii.

XXXVI. Jacobus II *de Montrouge* anno 1644, laudante regina, abbatiam adeptus, opus reformationis, quod reginæ & decessori perficere promiserat, ad felicem exitum studuit perducere, & idcirco tertium decretum impetravit 1647, at in episcopum S. Flori statim assumtus, reliquit imperfectum. Tom. II, col. 434.

XXXVII. Franciscus *d'Escoperier de la Gardie de Pousols* ex ordine Benedictino in Augustinianum translatus, regularis abbas evasit, obtinebatque annis 1652 & 1653. Reformationi semper obstitit.

XXXVIII. N. cardinalis *d'Est* princeps Mutinensis fruebatur anno 1657.

XXXIX. Ludovicus *de Bassompierre* Santonensis episcopus abbatiam assecutus est 1658, & eodem anno 16 Decemb. canonicos regulares Gallicanæ congregationis induxit. Cum ipsis transegit anno sequente mense Augusto. Hujus monasterii merito instaurator habetur: etenim ejus impensis loca regularia, pristinus basilicæ decor, sacra suppellex, uno verbo quæcumque visuntur & mirantur omnes, perfecta sunt. Hisce piis operibus, nec non erogandis eleemosynis episcopo Appamiensi omnes abbatiæ proventus committebat. Ipsum fato functum 1 Julii 1676 diximus tom. II, col. 1085.

XL. Johannes III *de Gournay,* filius comitis *de Gournay* regiorum exercituum legati generalis, Metis natus commendam & ipse comes a rege nanciscitur an. 1677, & bullas a papa 1681.

XLI. N. *le Tonnelier de Breteuil* vicarius generalis archiepiscopi Senonensis, Johanni defuncto sufficitur a rege 22 Februarii 1743.

XLII. Carolus-Antonius-Gabriel *d'Osmond de Medavy,* comes Lugdunensis, adeptus est an. 1763. In episcopum Convenensem consecratus 1 Aprilis 1764.

ECCLESIA RIVENSIS.

RIVI, urbs Occitaniæ semper plurali numero vocata, judicatus sui nominis caput sub Parlamento Tolosano, posita est ad Rizam fluvium postea labentem in Garumnam, a Tolosa octo leucis distans. Hæc tantummodo vicus erat Tolosanæ ecclesiæ subditus, cum Johannes papa XXII ob immensas Tolosani præsulis opes, obque nimiam diœcesis amplitudinem, cui administrandæ episcopus unus erat impar, ex una diœcesi plures conficere
Ch. XIX, col. 169. constituit. Is siquidem an. 1317, V idus Julii, pontificatus sui primo, apostolicas litteras expedivit, quarum tenore quatuor villas, puta, de Monte-albano, sancti Papuli, de Rivis & de Lumberiis evehit ad civitates, suas distinctas diœceses habituras. Quoniam autem diœceses istæ a Tolosana avulsæ fuerant, Tolosanam ecclesiam ab omni jurisdictione, potestate ac subjectione Narbonensis archiepiscopi exemit, & in metropolim erexit, decernens quatuor prædictas novas sedes episcopales ipsi in posterum fore suffraganeas. Hujus ecclesiæ patrona habetur Deipara Virgo, finitimosque habet diœcesis episcopatus Tolosanum & Appamiensem, & complectitur centum & tres ecclesias parochiales.

RIVENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. GUILLELMUS I.

DE BRUTIA.

DECANUS Bituricensis Guillelmus de Brutia a Johanne XXII summo pontifice primus in Rivensem episcopum renunciatus est, ex bulla erectionis episcopatus data
Ch. XIX, col. 169. Avenione V idus Julii, pontificatus primo,
1317. id est anno 1317.

II. PILUSFORTIS.

DE RABASTENS.

Prius Appamiensis, tunc vero designatus Legionensis in Hispania præsul Pilusfortis, Rivensi ecclesiæ præfectus est litteris Johannis
Ch. XX, col. 170. XXII datis Avenione idibus Novembris, pontificatus anno secundo, id est 1317.
1318. Memoratur an. 1318 in charta Boni-fontis.
1319. Pluries occurrit ad annum 1319: 1.° in archivio domus publicæ Rivensis, die 4 Febr. 2.° Viros quosdam commisit mense Septemb. qui apud Tolosam hæreticos diœcesis Rivensis judicarent: 3.° Legitur in concilio provinciali habito per Johannem de Convenis primum Tolosæ archiepiscopum. Creatus est cardinalis titulo S. Anastasiæ XIV calendas Decembris
1320. 1320, feria VI Quatuor-temporum Adventus-Domini. Obiisse dicitur an. 1321.

III. BERTRANDUS I.

DE PILETORT.

1321. Electus reperitur Bertrandus 30 Maii 1321 in tabulis obligationum sacri collegii. Aliquot tantum præfuit mensibus, ut comprobatur ex documento Mansi-asilis, juxta quod sedes vacabat anno 1321, V Idus Novembris. In antiquo capituli repertorio confecto an. 1322 inscribitur secundus Rivensis episcopus.

IV. BERTRANDUS II.

DE CARDAILLAC.

Filius Geraldi de Cardaillaco Bertrandus
1322. anno 1322 occurrit die Dominica infra octavam SS. Petri & Pauli, IV nonas Julii, ex actis Inquisitionis. Vocatur autem Bernardus in documento conscripto eodem anno, A Dominica infra octavam Nativitatis B. Mariæ, sic etiam an. 1323 in institutione sodalitatis 1323.
constitutæ in parœciali ecclesia sancti Juliani. Dum præesset, vicarius ejus generalis jussit an. 1324, die 21 Aprilis, monachis Bolbonæ 1324.
ac præposito Rivensi ut assignarent reditus ad sustentationem parochi *d'Arbouile*. Ad ecclesiam Cadurcensem traducitur bulla Johannis XXII, pontificatus octavo, in archivio regio Parisiensi servata. Vid. tomos I, col. 141; VI, col. 553.

V. JOHANNES I.

DE LA TISSENDERIE.

In urbe Cadurcensi natus Johannes de B Texenderia, ordinis Minorum alumnus, ecclesiæ Lutevensi præfectus est an. 1322, uti observatum est tom. VI, col. 553; & inde ad sedem Rivensem accitus pontificiis litteris Johannis XXII datis Avenione XIII cal. Augusti, pontificatus VIII, ex regestis Johannis XXII in archivis vicelegati Avenionensis asservatis. Licet residens in curia Romana, legitur in collatione rectoriæ S. Sulpitii Lesatensis presbytero S. Johannis Jerosolymitani facta an. 1330 per Guillelmum vicarium generalem. 1330.
Memoratur ad annos 1345, 1346 in vetustis 1345.
chartis monasterii Salanquiæ. Inscribitur etiam 1346.
die 2 Augusti 1347 in sententia quam ejus 1347.
vicarius generalis & officialis protulit ergo C finiendæ litis inter Bertrandum Mansi-asilis abbatem & Consules urbis, occasione capellæ quam construere volebat abbas in ecclesia parochiali S. Stephani. Ejus insignia episcopalibus ædibus apposita hunc ipsarum conditorem innuere videntur; unde auctor ipsius epitaphii lapsus in errorem hunc primum Rivensem episcopum vocaverit. Construxit quoque grande sacellum in Tolosano conventu Franciscanorum majoris observantiæ, quod Rivensis capella dicitur, ubi sepulturam habet in marmoreo tumulo, cui adhæret lamina ænea exhibens præfatum epitaphium, cujus titulus

ANNI CHRISTI

titulus, contra regestorum Vaticani & plurium per parochias monumentorum fidem, hæc habet:

Epitaphium R. P. Johannis de Texenderia ordinis Minorum primi episcopi Rivensis.

Hoc jacet in tumulo dominus fraterque Johannes
Virtutum cumulo laudes promerendo perennes.
Cadurci civitas hunc protulit, & educavit:
Ad Christi semitas, Minorumque sacer ordo vocavit,
In quo continuo studio, moribusque profecit:
Lector & officio plurimos Christo lucrifecit.
Devotus, mundus, humilis, pietate fecundus,
Sensu profondus, verax, convictu jocondus,
Tandem vigesimo secundo papa Joanne
Christi vicario, Christicolis & præsidente,
Hic sublimatur præsulatum ad Lodovensem:
Postea mutatur ad pascua grata Rivensem.
Ubi palatium construxit pontificale,
Posteris eximium derelinquens memoriale.
Post hanc devotam capellam ædificavit:
Ecclesiam totam simul & hanc ipse sacravit.
Hoc oratorium in cæmeterium, dans speciale
Fratribus ordinis hujus agminis ultimo vale.
Transtulit & patrum pater hic & corpora fratrum,
Quos hic condivit, propria manu sepelivit:
Cum quibus ponitur cum præsens vita finitur,
Transit ad æternam requiem finito labore:
Sedem supernam meruit vir dignus honore.
Christi sancta mater, Francisce piissime pater,
Hunc filium gratum precibus habeto placatum,
Ut author fidei misereatur ei.
Nec sint ingrati fratres tantæ caritatis,
Sanctos implorent, & Christum jugiter orent,
Ut vitam tribuat, & bona retribuat.
Exorent Christum titulum qui legerint istum,
Ut hic locatum faciat sua pace beatum.
Amen.

DE LOBENS.

VI. Antonius.

1348. Sedebat Antonius Lobensis ad annos 1348
1349. & 1349.

DES CHAPELLES.

VII. Durandus.

Episcopale munus agebat Durandus 15 Septembris 1349, ex actis consistorialibus Vaticani & ex instrumentis archivii Lesatensis.
1350. Memoratur 11 Martii 1350 & 1352. Ipsum
1352. autem ad Magalonensem ecclesiam fuisse traductum affirmant documenta capituli Rivensis. Idem sane est qui Audoino in sacrum collegium allecto successit, ut diximus t. VI, col. 788.

VIII. Johannes II.

Ch. LXXII, vol. 64.

Adfuit Johannes 1 Septembris 1353
1353. fundationi monasterii de Abundatia-Dei sive de Salanquiis, & in diplomate dicitur electus.
Adhuc occurrit in diversis instrumentis ad 1354.
annos 1354, 12 Aprilis; 1355, 7 Augusti; 1355.
1356, 1358, & tandem usque ad annum 1356.
1359. 1358.

DE SAINT-MARTIAL.

IX. Petrus I.

Natus Petrus e castro de S. Martiale in parochia S. Thomæ de Capella de Planis in diœcesi Tutelensi, Rivensem ecclesiam regebat an. 1359. Vicarius ejus generalis eodem 1359.
anno absolvit quemdam Arnaldum *de Prat* oblatum monasterii Vallis-nigræ, qui sacerdotem de Savarduno multaverat. Legitur in
instrumentis Boni-fontis an. 1360, 1364, 1360.
atque etiam 1365, 1370. Ad Carcassonensem 1364.
ecclesiam traductus est an. 1372, uti legere 1365.
est tom. VI, col. 902; & ad archiepiscopatum 1370.
Tolosanum an. 1392, ubi quæ ad eum spectant vide fusius.

DE LANTAR.

X. Johannes III.

Petro successit Johannes 1372. Funda- 1372.
tionem a suo decessore factam in gratiam
capituli laudavit 20 Julii 1380, ex actis 1380.
capituli. Pro antecessore suo recognovit 4
Sept. 1386, ut testantur libri obligationum 1386.
Vaticani. Præfuit ad annum usque 1392.

DE FOIX.

XI. Hieronymus.

Pastorale pedum obtinebat Hieronymus
an. 1392. Ejus insignia depicta visuntur in 1392.
ecclesia S. Felicis.

XII. Thomas.

Tribus in actis capituli Thomas memoratur.
In primo conscripto an. 1393 dicitur electus 1393.
& confirmatus; in aliis autem confectis 1397 1397.
& 1398 vocatur episcopus. 1398.

DU PUY.

XIII. Guillelmus II.

Archidiaconus & licentiatus in decretis Guillelmus de Podio, in Rivensem episcopum electus, confirmationem electionis suæ a me-
tropolitano requirebat an. 1401. Mirapicenses 1401.
infulas assecutus est anno 1405.

Sub tumba ænea humatur ante majus altare Dominicanorum Rivensium Arnaldus Fredetus, quem in catalogum Rivensium addiderunt Sammarthani fratres. Sed observandum hic est eum nunquam fuisse episcopum Rivensem, imo Conseranensem, uti dictum fuit tom. I, col. 1134.

DE LEVIS.

XIV. Petrus II.

Ex canonico Aginnensi Rivensis episcopus institutus est Petrus ab archiepiscopo Bituri-
censi anno 1406, sede apostolica vacante. 1406.
Obtinebat etiam annis 1408 & 1410, uti 1408.
patet ex actis unionis ecclesiæ Cuserii factæ 1410.
capitulo Rivensi. Assensum præbuit an. 1414 1414.
ut eidem capitulo annecteretur prioratus sancti Petri *de Lasite*. Parisiis obiit mense Decemb.

ANNI CHRISTI

DU LYON.

XV. VITALIS.

Espaingi *du Lyon* militis domini *du Campet*, in tertio & quarto libris historiæ Froissardi memorati, filius Vitalis de Leone, Petri archiepiscopi Tolosani propatruus, licentiatus in decretis, canonicus Aginnensis & prior sancti Caprasii, ad hanc sedem tamquam vacantem promotus est 14 Septembris 1416 ab archiepiscopo Bituricensi Guillelmo *de Boisratier*, primatis munus in provincia Tolosana agente. Æmulum tamen sustinuit Gaucelinum *du Bousquet*, a quo, rege favente, evictus est.

DU BOUSQUET.

XVI. GAUCELINUS.

Doctor in legibus Gaucelinus, Tolosæ exercebat officia judicis appellationum causarum civilium Tolosanæ senescalliæ, & judicis incursuum a crimine hæresis dependentium,
1416. cum an. 1416 in Rivensem præsulem est cooptatus; jamque occurrit 11 Septembris ejusdem anni in documento capituli. Eodem rursus 18 Decembris atque etiam 27 Maii
1417. 1417 unctione sacra nondum delibutus, litteras regias obtinuit pro retinendis suis beneficiis, quæ malevoli propter ejus electionem impetrare tentabant. Magistrum Vitalem *du Lyon* ab archiepiscopo Bituricensi promotum semovit gratia regis, qui non semel ejus defensorem se professus est. Sacram unctionem accepit 26 vel 27 Novemb. 1417. Statuta pro collegio *de Pelegry* ab Hugone *Pelegrini* canonico fundato conscripsit mense
1420. Augusto 1420. Cum Guillelmo de Arpajone episcopo Cadurcensi iniit concordiam anno
1422. 1422. Ecclesiæ suæ magnum dedit calicem, in cujus pede hæc verba inscribuntur: *D. Gaucelinus dedit me B. Mariæ Rivorum.*

DE ROUFFIGNAC.

XVII. HUGO I.

Bulla Martini V data III idus Decembris,
1426. pontificatus anno decimo, id est 1426, e sede Lemovicensi ad Rivensem accersitus est Hugo patria Lemovix, Bertrandi Sarlatensis episcopi
1439. patruus. Consensit annis 1439 & 1441 ut
1441. duo prioratus *d'Oursas* & *de Mondavezan* capitulo unirentur. Tolosæ interfuit primæ
1444. sessioni Parlamenti 1444. Carnotum cum aliis regni præsulibus jussu regis accessit, prout testantur ipsius codicilli confecti 15 Maii
1450. 1450. Cathedralem suam consecravit & aliquot obituaria fundavit. Sex scuta & alia plura tradidit Cartusiæ Glanderii, unamque cellam construxit ibidem. Deposito episcopatu in manibus Pii II papæ anno circiter 1460, cum fama sanctitatis decessit in urbe Sarlatensi, unde ejus corpus pluribus post obitum annis Rivos, duobus canonicis comitantibus, allatum est 1475, & sepultum retro altare capellæ S. Sixti infra parietem, a latere evangelii. Lege tom. II, col. 535.

BONALDI.

XVIII. PETRUS III.

Juxta bullam Pii II summi pontificis, in
A archivio capituli & domus publicæ Rivensis asservatam, post superioris cessionem Petrus Sarlatensis episcopus ecclesia Rivensi provisus est an. 1460, transactis apud Sarlatum quin- 1460.
decim pontificatus annis. Suum testamentum Tolosæ condidit 15 Martii 1462. Vide 1462.
tom. I. col. 1520.

DE BASILHAC.

XIX. GAUFRIDUS.

Prinsquam Rivensem episcopatum adipisceretur Gaufridus, unanimi consensu canonicorum in Carcassonensem episcopum fuerat bis electus; sed a summo pontifice rejectus
B Rivenses insulas assequitur pridie cal. Maii 1462, quas damni resarciendi gratia curavit Johannes a Castro æmulus illi conferendas, ut observavimus tom. VI, coll. 914, 915. Memoratur in comitatu Petri cardinalis de Fuxo cum Johanne episcopo Conseranensi circa an. 1466 apud Garibaium in historia Hispaniæ. Pluribus in aliis instrumentis legitur
ad annos 1470, 1475. Prioratum S. Felicis 1470.
capitulo univit an. 1478. Sepulturæ traditus 1475.
est die Jovis 9 Martii 1480. 1478.

D'ABSAC.

XX. PETRUS IV.

C Dominorum *d'Absac de la Douze* apud Petrocorios illustri sanguine cretus Petrus, decretorum doctor, quondam regens in universitate Pictaviensi, præcipuus regis consiliarius, multarum scientiarum dono præditus, monachus ordinis S. Benedicti, tunc vero abbas Crassensis, in Rivensem episcopum
electus fuit 6 Aprilis 1480. Eodem anno 1480.
III nonas Maii a Romano pontifice Sixto IV licentia donatus est abbatiam cum episcopatu retinendi. Unus fuit e Commissariis, qui pro rege generalibus provinciæ comitiis Monte-
pessulano habitis mense Maio 1483 præfuere. 1483.
D Deputatus quoque est anno sequenti Turones 1484.
ut cœtui totius regni interesset. Rursus præ-
sedit 20 Julii 1485 conventui provinciæ 1485.
Anicii congregato. Occurrit adhuc regis com-
missarius in comitiis Occitaniæ 1489. Eodem 1489.
circiter tempore migravit ad sedem Lactorensem & inde ad Narbonensem. De Petro fuse jam locuti tom. I, col. 1083; tom. VI, coll. 108 & 964.

DE HISPANIA.

XXI. HUGO II.

Lactorensi episcopatu dimisso, Rivensem
E sedem consecutus est Hugo post Petrum *d'Absac* anno circiter 1489. Veterem sacristiam, in qua asservantur diplomata capituli, construi fategit. Roma rediens fatis concessit
exeunte anno 1500, habuitque sepulturam 1500.
in parœciali ecclesia *de Lates* prope Montempessulanum. De eo jam dictum est tom. I, col. 1083, ubi ejus obitus perperam assignatur ad annum 1487.

Post Hugonis mortem canonici in capitulo congregati, selecturi præsulem, in binas partes divisi sunt; major pars elegit Bertrandum de Hispania, altera minor Petrum de Porta.

Electionem suam uterque sustinere se accinxit:
Bertrandus siquidem appellavit metropoli-
tanum, a quo fuit confirmatus 25 Januarii
1501. Petrus autem quantum potuit, inter-
cessit. Interea Bertrandus vel obiit vel juri suo
cessit, sed discordia non cessavit; nam canonici,
qui Bertrandum elegerant, ei subrogarunt
Gaspardum *de Montpezat*, qui jurgia cum
Petro de Porta redintegravit, quibus summus
pontifex imposuit finem, alterum qui sequitur
substituendo.

DE VOLTAN.

XXII. PETRUS-LUDOVICUS.

Expetitus a Christianissimo rege Ludovico
XII Petrus-Ludovicus, episcopus a papa de-
1501. signatus est an. 1501. Eodem anno sacram
unctionem nondum adeptus, præfuit in urbe
Aniciensi comitiis Occitaniæ habitis 14 Sep-
tembris 1501. Regi commodavit 15 Augusti
1512. 1512 duo millia librarum, sub quo multis
legationibus clarus exstitit in Hispania, Italia,
& apud Helvetios. Pluribus in monumentis
1513. occurrit annis 1513, 1515. Accepit anno
1515. 1516, mense Augusto breve gratulatorium
1516. a Leone X papa ob symbolum numeris elu-
cubratum, quod ad eum direxerat. Corona-
tioni Claudiæ reginæ uxoris Francisci I adstitit
1517. an. 1517 in abbatia S. Dionysii. Sacellum
1518. B. Mariæ *de la Mourere* construxit an. 1518,
instauravitque ædes episcopales partim flammis
consumtas, quibus gentilitia stemmata atque
suæ compositionis inscriptiones diversis in locis
curavit apponi. Præterea ecclesiæ suæ statuta
condidit.

DE MONT-PEZAT.

XXIII. GASPARDUS.

Qui de episcopatu cum Petro de Porta
litigaverat Gaspardus, alumnus monasterii
Boni-fontis, & abbas Scalæ-Dei Cisterciensis
ordinis, gente nobili in Occitania exortus,
Rivensis ecclesiæ regimini incumbebat anno
1519. 1519, ex pluribus instrumentis, atque etiam
1520. anno 1520, VI calendas Januarii, uti testantur
litteræ Leonis X summi pontificis, quibus
hic papa ipsi præcipit ut ad ecclesiam Appa-
miensem se conferat, in hujus sedis posses-
Ch. XXI, col. 138. sionem Johannem de Pinibus immittendi
causa. At Gaspardus propriis negotiis detentus,
id muneris Bernardo de Joculatore juris pro-
fessori, archidiacono & officiali Rivensi com-
1521. misit 6 Maii 1521.

Ludovicus *d'Auvelle*, consiliarius Parlamenti
Parisiensis, insignitus episcopi titulo in decreto
Parlamenti Tolosani, quod asservatur in Ri-
vensi tabulario, diem clausit extremum anno
1522. 1522, quo Johannes episcopus Calcopolis
tamquam vicarius generalis diœcesim admi-
nistrabat, ut patet ex statutis sodalitatis pres-
byterorum de Gazeriis, atque etiam ex regestis
ecclesiæ S. Sulpitii Lesatensis.

DE PINS.

XXIV. JOHANNES IV.

Illustri familia, cui duo magni Magistri
Rhodinensis ordinis, Odo scilicet & Rogerius
A splendorem addiderunt, satus Johannes, pa-
rentes habuit Galhardum toparcham de Pinibus
& de Mureto atque Clermandam *de Saman*.
His orbatus a teneris missus est a germano
natu majore Tolosam, Pictavos, Parisios,
tandemque in Italiam, ubi Philippum Beroal-
dum majorem audivit magistrum, latinamque
& græcam didicit linguas. Reversus ex Italia
clero nomen dedit an. 1497. Iterum adiit in
Italiam, totoque quo ibidem mansit quin-
quennio, Beroaldi & S. Catharinæ Sennensis
vitas edidit. In Franciam demum redux a
Ludovico rege XII institutus fuit consiliarius
B clericus Parlamenti Tolosani. Quo munere
dum fungitur, Antonii *du Prat* in familiaritatem
venit, ipsique pergenti in Italiam comes ad-
jungitur, atque Mediolanensis senatus a rege
instituti creatur consiliarius, ubi difficillimis
in rebus tam caute ac circumspecte egit ut
paulo post Romam ad summum pontificem,
tum ad Venetam Rempublicam ambassiatorem
eum miserit rex Ludovicus, quo tempore
libellum Allobrogicæ narrationis scripsit, vitam
S. Rochi, opusculumque de vita aulica casti-
gata oratione scriptum. Rursus a Francisco I
rege mittitur orator Romam an. 1520, &
C paulo post nominatur Appamiensis episcopus,
teste Leone X papa, qui litteris Romæ datis
VI calendas Januarii 1520 jussit Gaspardo
de Montpezat episcopo Rivensi ut Johannem
in possessionem induceret. Verum Gaspardus
propriis rebus præpeditus curam hanc Ber- Ch. XXI, col. 138.
nardo de Joculatore suo officiali detulit 6
Maii 1521. Johannes tamen Appamiensem
episcopatum non obtinuit, sed de rege &
patria ubique benemeritus Rivenses infulas
consecutus est anno 1523. Factus episcopus 1523.
totum in muniis ecclesiasticis obeundis se
dedit. Ecclesiam S. Eparchii erexit in colle-
D gialem anno 1527. Ob doctrinam & erudi- 1527.
tionem honorifice prædicatus est a doctissimis
viris suæ ætatis, quos inter cardinalis Sadoletus
non est omittendus, qui epistola 18, lib. IV,
Carpentoracti scripta calendis Martii 1530, 1530.
sic ait: *Cum se mihi occasio, & prope dicam*
necessitas quædam obtulerit scribendi ad te, libenter
hac opportunitate sum usus. Etenim quibus in rebus
egere mihi videor, cum eruditi hominis doctrina,
tum amici fide, tu mihi statim occurris ad utrumque
aptus, cujus judicium & integritas a me maxime
æstimetur. Quamobrem a te peto ut cum hæc nostra
leges, reperiesque aliquid quod tibi satis non
E *probetur, sensumque acris judicii tui aliqua in re*
offendat, ne parcas monere & reprehendere me,
fidemque amicitiæ, quam a te sanctissime servari
non dubito, in hac re mihi potissimum præstes:
in aliis ad quæ ego me paro, plurimum mihi, &
tua eruditio proderit, & auctoritas. Vide etiam
epistolas Erasmi, p. 256, 953. Simlerum in
epitome bibliothecæ Gesneri, p. 406. Johan-
nem-Gerardum Vossium de historicis latinis,
lib. III, cap. 11. Consilium 36 Hyppoliti de
Marsiliis memoriæ Parandini, p. 78. Epis-
tolam Ludovici regis ad Philippum Cossæum

ANNI CHRISTI 1537. episcopum Constantiensem. Tolosæ obiit Johannes 1 Nov. 1537; ibidem in sepulchro gentilitio apud patres Carmelitas mitioris Observantiæ conditus est die ab obitu quinto, uti caverat testamento facto 27 Aprilis ejusdem anni. Tanto viro bustum in porticu basilicæ erexerunt Tolosates anno 1673.

XXV. Franciscus.

DU BOURG. Antonii *du Bourg* honesto loco in Arvernia prognati, Prætoris urbani in Parisiensi civitate, tum Magistri requæstarum, dehinc Præsidis infulati Parlamenti Parisiensis, tandemque Franciæ cancellarii, filius Franciscus ex Anna *Henard*, germanus Antonii baronis *de Saillans* in Arvernia & senescalli Lugdunensis, abbas S. Evurtii Aurelianensis, S. Laudi Constan-
1538. tiensis, obtinebat an. 1538 mense Januario. Eodem anno 15 Decembris, licet præsul jam foret, munere magistri requæstarum insignitus est, & in actu receptionis dicitur primogenitus ac præcipuus heres Antonii *du Bourg* Franciæ cancellarii. Sacram unctionem ab episcopo
1542. Andegavensi accepit 2 Septembris 1542.
1543. Consecravit & ipse an. 1543, 10 Novemb. Nicolaum *Montrosse* Minoritam doctorem theologum in episcopum Roussionensem, & anno
1545. 1545, 24 Octobris Philippum *Musnier* in episcopum Philadelphiensem. Statuta diœcesis renovavit ac duas majores campanas curavit conflari. Defunctus est Rivis an. 1568, & humo mandatus est ante altare parœciale, ubi tunc erat chorus cathedralis.

Hic observare juvat Franciscum ab episcopatu ante obitum se abdicasse in gratiam Ludovici *de Genouilhac* episcopi Tutellensis, qui consequenter bullas Romæ consecutus est, possessionemque invito capitulo accepit anno 1564. Rex autem hanc cessionem tamquam suæ regiæ auctoritatis usurpationem inspiciens, eam non modo improbavit, quin etiam in locum Francisci suffecit Johannem-Baptistam *du Bourg* ejus nepotem. Unde jurgia & lites emersere, quæ sopivit decretum sanctioris consilii die 19 Februarii 1566 in favorem Johannis-Baptistæ emanatum.

XXVI. Johannes-Baptista.

DU BOURG. Nominatus a rege Johannes-Baptista, item libellorum supplicum magister, abbas commendatarius Oliveti, in possessione firmatus est 19 Februarii 1566 decreto sanctioris consilii, in quo non germanus, sed nepos Francisci dicitur. Concilio Tolosano celebrato a Francisco cardinale *de Joyeuse* metropolitano
1575. subscripsit an. 1575. Ejus auctoritate scripto Rivis dato 28 Januarii 1588 primordia sumsere moniales Fulienses, agente domno Johanne *de la Barriere* abbate Fuliensi, in urbe *de Montesquieu de Bolvestre*, in sacello B. Mariæ sacro velamine 19 Junii ejusdem anni dato per eumdem præsulem tredecim virginibus & viduis Fulientinis. Omnes & singulas diœcesis sodalitates laudavit & confirmavit; cathedralis ecclesiæ choro atque

A sacristiæ construendis curam impendit, sed non perfecit, nam morbo correptus animum exhalavit 31 Augusti 1602, hora quarta matutina. Sepultus est in ecclesia Franciscanorum Rivensium ob exortam inter ejus heredem & capitulum controversiam, unde tamen in cathedralem delatus est 21 Martii 1603 prope decessorem. Leguntur autem quædam poemata latina ab eo antistite elucubrata, quæ summam venustatem redolent. ANNI CHRISTI 1602.

XXVII. Johannes V.

DE BERTIER. Tolosæ natus est Johannes an. 1556 patre
B Ludovico *de Bertier*, domino S. Genesii & Montis-rapidi, matre Margarita *de Roques de Montels*. Berteriorum familia, aiunt Sammarthani, utraque nobilitate & militari ac togata illustris, oriunda est in Tolosano agro ex castro de Pinsaguelio, in confluenti Aurigeris & Garumnæ, cujus castri toparchiæ Berterii a pluribus annis duplici generationum linea distincti sunt. Una baronum Pinsaguelliorum muneribus militaribus insignium; altera Sangenesianorum, quæ laticlavio jam pridem in suprema Tolosanorum curia coruscans, principatum tandem senatus assecuta est in
C persona Johannis Berterii Montis-rapidi domini, protopræsidis Tolosani. Johannes inter fratres minor natu, quos tres numero habuit, Philippum scilicet præsidem infulatum Montis-rapidi dynastam, Guillelmum præsidem inquisitionum, ac Petri Montalbanensis episcopi patrem, & Bertrandum abbatem Lesati, ecclesiæque Tolosanæ præpositum seu majorem decanum. In academia Tolosana humanioribus litteris imbutus, juri pontificio se maxime dedit, in quo lauream adeptus est. Abbas Mansi-Garnerii ad Garumnam sancti Severi Rustitanensis, S. Vincentii Silvanectensis, &
D Loci-restaurati apud Valesios diœcesis Suessionensis, reginæque Margaritæ Valesiæ cancellarius, & archidiaconus ecclesiæ Tolosanæ ac Tarbensis factus, ad Auxitanæ provinciæ Francici cleri comitia generalia anno 1595 Parisios convocata missus, tum primum agens rebus cleri per Franciam gerendis ipse institutus & electus est. Eo in pretio & honore habitus per decennium, quo agentis partes implevit (provinciis quibus agentium electio competebat in id successive consentientibus) ut & cardinales & præsides Franci eum in
E rebus cleri difficilioribus, quæ comitiorum consensum desiderarent, unicum arbitrum facerent, & ad ipsius domicilium tanquam ad ædem prudentiæ sacram, ad agitanda & decidenda cleri negotia concurrerent. Henrici IV regis placito, sive edicto apud Nannetes dato ipse intercessit & ad ejus orationem in secretiori consilio coram rege habitam, edicto pro ea clausula, qua rex urgente rerum necessitate, Calvinistis decimarum usum iis in locis quæ detinebant, permiserat, derogatum fuit. Margaritæ Valesiæ reginæ domesticarum rerum summæ & consiliis præpositus, maximam erga

ANNI CHRISTI

eam promeruit gratiam; annuente illa subde- A
legatus ipse fuit die 17 Novembris 1599,
ut eam in castro Ussonii in Arvernia commorantem audiret & interrogaret super articulos ab Henrico IV propositos in causa dissolvendi matrimonii, subrogatus a judicibus in hujusmodi quæstione a summo pontifice delegatis, cardinale scilicet a Joyosa, & episcopo Mutinensi nuncio apostolico. Regina sapienti & fido ministro intima causæ & libita marito referanda commisit. Hoc opere periculosæ pleno aleæ prudenter præstito, secretiori regis consilio adscriptus est, & ad Rivensem episcopatum vocatus anno 1602, B
fausta Francorum procerum acclamatione, &
1603. anno sequenti, sexto die Aprilis, consecratur a Petro cardinale Gondio, assistentibus Henrico *de Gondy* Parisiensi, & Bertrando *d'Eschaux* Baïonensi, in castro de Villa-petrosa juxta Lutetiam. Huic episcopo facto regina Margarita (cui se privatus totum devoverat) sigillum tradidit, hoc est suum cancellarium fecit, & Henricus IV laticlavia præsulibus destinata in senatu Tolosano decoravit. Plurimorum episcoporum inaugurationi cooperatus est, videlicet Claudii *de Bellievre* Lugdunensis in sacello superiori episcopatus Parisiensis 12 C
1604. Decembris 1604: Bernardi *de Coneilhau* Nicopoleos episcopi in abbatia S. Germani
1606. a Pratis 1 Januarii 1606: Philippi *Cospean* Adurensis in ecclesia Sorbonæ 18 Februarii
1607. 1607: Antonii *de la Rochefoucault* Encolis-
1608. mensis episcopi 5 Junii 1608 in ecclesia parochiali S. Nicolai de Cardoneto: Petri *de Fenouillet* Monspeliensis in capitulo Cœlestinorum Parisiensium 3 Novembris ejusdem anni: Francisci Tarsensis in ecclesia sancti
1612. Dionysii de Passu 16 Decembris 1612: Francisci *de la Beraudiere* Petracoricensis in
1613. choro Fuliensium Parisiensium 13 Julii 1613: D
Jacobi *Camus* Coronensis, & coadjutoris episcopi Sagiensis, in superiori sacello episco-
1614. patus Parisiensis 31 Augusti 1614. Eodem anno selectus est a senescallia seu præfectura Tolosana, ut interesset comitiis ordinum Luteciam convocatis ad regni dificiliores res
1615. decidendas. Sequenti anno 1615 conventui cleri generali Luteciæ habito adstitit. Ingravescente ætate, tot laboribus exantlatis pro religione, rege & patria, Johannem-Ludovicum ex fratre Philippo nepotem in coadjutorem, permittente rege, adscivit. Quo feliciter exacto, dum visitandæ & regendæ diœcesi E
incumberet, nec non optimi pastoris vices impleret, diem clausit extremum, multis ille quidem flebilis, pauperibus maxime & orthodoxis, quorum pater beneficentissimus, & assertor acerrimus exstiterat, ætatis anno 64, Christi vero 1620, mense Julio, & sepultus est primus in choro cathedralis ecclesiæ a decessore cœpto, pro cujus perfectione pecuniam testamento suo reliquit. Ad cardinalitiam dignitatem ab Henrico IV destinatus fuerat, quam tamen nunquam assecutus est.

XXVIII. JOHANNES-LUDOVICUS. DE BERTIER.

Superioris nepos erat Johannes-Ludovicus, filius vero Philippi præsidis infulati Parlamenti Tolosæ, Montis-rapidi toparchæ, ex Catharina *de Paule*, Antonii magni præceptoris ordinis Melitensis germanæ, itemque frater Philippi primi præsidis Tolosani senatus, cujus & ipse consiliarius clericus exstitit. Nondum episcopus comitiis generalibus cleri Parisiis adfuit anno 1615. In coadjutorem a patruo consecratus fuit sub titulo episcopi Heliopoleos 21 Junii 1617 apud S. Dionysium de Passu, post cujus excessum ad hanc sedem evectus
est anno 1620. Deputatus est iterum ad 1620.
cœtus cleri Gallicani habitos Parisiis 1645, 1645.
1646. Simul obtinebat abbatias S. Petri de 1646.
Lesato, Capellæ diœcesis Tolosanæ, Loci-restaurati Suessionensis, atque præposituram metropolitanæ ecclesiæ Tolosanæ S. Stephani, a quibus omnibus sic etiam ab episcopatu in gratiam sequentis se abdicavit anno 1657. Parisiis obiit 7 Junii 1662 in summa senectute.

XXIX. ANTONIUS-FRANCISCUS. DE BERTIER.

Filius Philippi primi præsidis Tolosani Parlamenti Antonius-Franciscus, regi a sanctioribus consiliis, prior Bezeti, a Johanne-Ludovico patruo, annuente Christianissimo rege, episcopatum Rivensem, abbatias Lesati & Capellæ, nec non præposituram S. Stephani
consecutus anno 1657, inauguratus fuit in 1657.
ecclesia Rivensi 25 Junii 1662 ab episcopo 1662.
Convenensi, sacro in opere collaborantibus Lutevensi & Papulensi præsulibus. Adstitit
Parisiis comitiis cleri an. 1688. Sacratissimi 1688.
Corporis Christi sodalitatem instituit in sua diœcesi. Anniversarium pro omnibus suis antecessoribus fundavit, & in oratione *Deus qui inter apostolicos sacerdotes*, celebrans singula eorum nomina recitare tenetur. Posuit in aula episcopatus octo capita antiqua falsarum divinitatum, cum hac inscriptione:

Hi sunt Dii in quibus habebant fiduciam.
Miratur artifex: irrideat Christianus.
Has idololatriæ reliquias & ignotæ famæ delubri
Mutilata fragmenta in agro de Martris
Tolosanis reperta, ad ornamentum episcopalis aulæ
Antonius-Franciscus Berterius episcopus Rivorum
P. an. ƆIC. IƆC. IV^{XX}XIX.

Rivense seminarium presbyteris Oratorii regendum commisit, traditique suam bibliothecam presbyteris de Doctrina Christiana in urbe Tolosa commorantibus. Pretiosissimam mitram emit, quam sacristiæ largitus est. Rivis obiit 29 Octob. 1705, annum septuagesimum quintum agens, cum fama unius e doctissimis ac piissimis sui seculi præsulibus.

XXX. PETRUS V. DE CHARRITE DE RUTHIE.

In diœcesi Oloronensi gente illustri satus

ANNI CHRISTI

Petrus, Bernardi *de Ruthie* majoris Franciæ eleemosynarii sub regibus Francisco I ac Henrico II erat consanguineus. Ex majori archidiacono atque vicario generali & officiali Convenensi a rege renunciatus est episcopus
1705. 24 Decembris 1705, & sacro oleo inunctus a Johanne-Francisco *de Brisay de Denonville* Convenensi episcopo in cathedrali ecclesia
1706. S. Bertrandi 31 Octob. 1706, assistentibus Conseranensi & Appamiensi præsulibus. Fatis
1709. concessit 29 Decembris 1719.

DE JOUANNE DE SAUMERY.

XXXI. Alexander.

Jacobo-Francisco *de Jouanne* domino *de la Carre*, & Margarita-Carlotta *de Montlezun* parentibus ortus Alexander, jam præpositus Rivensis & abbas Cellæ S. Mariæ in diœcesi Pictaviensi ab anno 1708, ad episcopatum
1720. evectus est an. 1720 mense Februario. De vita migravit in sua diœcesi 1747, annum agens sexagesimum septimum.

DE CATELLAN.

XXXII. Johannes-Maria.

Consiliarius clericus in Parlamento Tolosano Johannes-Maria, designatur a rege episcopus 29 Octobris 1747. Bullis acceptis, 1747.
Tolosæ inauguratur in ecclesia domus profes- 1748.
sionis Jesuitarum 1748, 28 Aprilis, ab illustrissimo ac reverendissimo Johanne-Francisco *de Macheco de Premeaux* episcopo Conseranensi, cooperantibus episcopis Daniele-Bertrando *de Langles* S. Papuli, & Henrico-Gastone *de Levis-Leran* Appamiensi. Regi fidem obligavit apud Versalias eodem anno 20 Maii. Abbatias S. Pauli Narbonensis & Bullencuriæ, munusque consiliarii simul dimisit; renunciatus a rege senator ad honores in Parlamento Tolosano schedula data 24 Augusti 1748. Cum esset abbas S. Pauli Narbonensis jus baculi & mitræ ab archiepiscopo Narbonensi impugnatum dictæ abbatiæ asseruit, transactione cum ipso inita 25 Augusti 1735, quam anno sequenti Christianissimus rex patentibus litteris confirmavit. Vivere desiit 27 Martii 1771.

DE LASTIC.

XXXIII. Petrus-Josephus.

Natus in diœcesi S. Flori an. 1726 Petrus-Josephus, & a rege renunciatus præsul, consecrationem adeptus est 29 Julii 1771.

PRÆPOSITI RIVENSES.

I. Raimundus I de Fabrica 1343.

II. Austorgius de Auriaco in statutis Durandi episcopi 1351, 1359.

III. Raimundus II de Marca-saba 1391.

IV. Arnaldus Bladerii 1406 & 1410 in bulla unionis Cuserii, nec non an. 1411.

V. Johannes I de Caulibus 1415.

VI. Guillelmus de Laimonte in decretis baccalaureus 1427.

VII. Bertrandus I de Ruffiniaco in decretis licentiatus 1450. Occurrit etiam an. 1455 in statutis de divisione præbendarum.

VIII. Johannes II de Plantedio 6 Aprilis 1480 præfuit electioni Petri de Absaco episcopi.

IX. Raimundus-Arnaldus de Sediraco annos natus 80 cessit sequenti 1492.

X. Bertrandus II de Hispania 1492. In episcopum fuerat electus, sed ejus electio caruit effectu.

XI. Firminetus de Capite-villæ, abbas Cumbæ-longæ & licentiatus in decretis, obtinebat annis 1514 & 1522.

XII. Petrus I *Boisson* 1532.

XIII. Guido de Ulmo 1536. Moritur an. 1548.

XIV. Johannes-Baptista de Ulmo in decretis licentiatus 1556, 1558, 1564, 1566.

XV. Renatus *Bartier* ex sacrista vicarius generalis & præpositus 1568, 1575.

XVI. Petrus II *Boisson* 1592. Permutavit cum sequenti 2 Augusti.

XVII. Antonius *Chambouret* ex parocho S. Eparchii gavisus est per duos tantum menses.

XVIII. Petrus II *Boisson* iterum obtinuit 3 Octobris 1592, occurritque ad annos 1594, 1612, 1632, 1633.

XIX. Bernardus *Daliès* 1643.

XX. Jacobus I *de Cassagnieux* in senatu Tolosano consiliarius 1644.

XXI. Jacobus II *Cardon* 1648 receptus.

XXII. Johannes III *Najac* possessionem adeptus est 1662.

XXIII. Guillelmus *Mulatier* doctor in sacra facultate, prior Aurigniaci an. 1669 possessionem accepit, & obiit 1689.

XXIV. Petrus III *Reboutier* electus est an. 1689.

XXV. Johannes-Ludovicus *de Bertier* præposituram adeptus est 24 Octob. 1711.

XXVI. Alexander *de Jouanne de Saumery* ex præposito in episcopum assumitur mense Februario 1720.

XXVII. Jacobus III *Lassere de Maran* in locum Alexandri sufficitur an. 1720.

VETUS MONASTERIUM DIŒCESIS RIVENSIS.

VALLENEGRE.

VALLIS-NIGRA. Parthenon iste diœcesis A Rivensis, ordinis Cisterciensis, ab abbatia Bolbonensi traxit originem saltem ineunte seculo XIII, opem ferentibus, prædiaque concedentibus patriæ optimatibus, præsertim Guillelmo de Lissaco milite, qui anno 1209 abbatissæ & monialibus ibidem Deo servientibus largitus est decimariam, aliaque jura & prædia quæ habebat in Valle-nigra. Perseveravit hæc abbatia ad annum 1432, quo ab abbate Morimundi Guidone ordinis visitatore, utpote bellicis tumultibus male acta ac tam in spiritalibus quam in temporaneis indigens, Bolbonensi cœnobio, a quo prodierat, adjuncta est, renitentibus quidem primum, postea tamen assentientibus abbatissa & nonnullis B monialibus. Supersunt adhuc hujusce parthenonis quædam rudera, e quibus facile patet amplam olim exstitisse domum, cujus situs juxta Lissacum ejusdem Rivensis diœcesis nimium asper erat.

SERIES ABBATISSARUM.

I. JORDANA 1206.

II. Mabilia I 1230.

III. Mabilia II 1267, 1277.

IV. Brayda I 1280. Donata est 9 Junii 1284 a Rogerio comite Fuxi licentia acquirendi fundum terræ pretio mille solidorum Tolosanorum. Reperitur etiam ad an. 1288, 1290.

V. Mabilla III 1291.

VI. Brayda II de Asuaria 1291. Dono recepit anno 1302, die 14 Junii, ab Agnete de Fuxo comitissa Bigorritana psalterium ligno coopertum cum laminis argenteis, quibus insculpta erant insignia comitis Fuxensis. Executoribus testamenti Annæ comitissæ Bigorritanæ præsentavit Petrum de Podio capellanum, ut foret unus ex duobus presbyteris, qui in ecclesia de Valle-nigra pro anima præfatæ comitissæ missas celebrarent 6 Nov. 1314. Filiam Raimundi *de Ravat* domicelli & condomini *de Barbazan*, Indiam nomine, in monialem admisit, pro cujus pensione Fizas ejus mater, uxor Raimundi, promittit se unoquoque anno soluturam quatuor frumenti sextarios, triaque vini meri onera, III calend. Septemb. 1316. Ejus tempore Clemens VI Romanus pontifex decreto sancivit ne numerus sanctimonialium quadragenarium excederet.

VII. Sanctimonda de Gaudino 1319.

VIII. Gallarda de Aura 1321, 1330. Una cum Leone *de Palhers* compromissum facit 11 Augusti 1336. Præerat & annis 1340, 1348.

IX. Geralda *seu* Gueranda 1397.

X. Braida III 1401.

XI. Martha Marlina 1432. Consensit ut extingueretur abbatia, & reditus Bolbonensi monasterio coagmentarentur.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Mansum-Azilis, *Mas-d'Azil.*
Lesatum, *Lezat.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Fulium, *Feuillans.*
Calercium, *Calers.*

MANSUM-AZILIS.

MAS-D'AZIL.

QUATUOR leucis ab Appamiis orientem versus distans hæc abbatia, jam exstabat D temporibus Caroli-Magni, ejusque filii Ludovici Pii imperatorum, & enumeratur in statutis Aquisgrani confectis. Condita autem sub patrocinio S. Stephani in tractu Fuxensi ad Risam, munificos sortitur an. 817 virum nobilem Ebolatum & uxorem ejus Veranam, (Chart. I, col. 149.) qui tradiderunt locum de Silva-agra nec non ecclesiam S. Petri apostoli, in qua requiescit corpus S. Rustici martyris, atque etiam Innocentium IV qui auctoritate apostolica singulas (Ch. XVII, col. 165.) possessiones confirmavit an. 1247. Adeo fuit C destructa a Calvinistis circa annum 1570, ut nullum prorsus supersit vestigium ejus antiquitatis ac magnificentiæ. Plerique monachi interfecti sunt, alii fugati, & sic quinquaginta annorum intercapedine monasterium æquatum solo remansit. Pauci qui periculum vitarant & in villam de Montebruno se receperant, circa annum 1620 accesserunt ut cœnobium instaurarent; denuo expelluntur, at paulo post reversi sedem in hospitali domo figunt, donec ecclesia reficeretur. Mirum est quod post tot & tantas calamitates aliquid occurrat dicendum. Seriem tam paucorum abbatum in hunc modum texuimus.

ABBATES.

I. CALASTUS a Sigobrando ejusque fratribus alodia de Cruciaco & de Cassiaco accepit an. 39 Caroli-Magni.

II. Asnarius præerat tempore Ludovici imperatoris, id est circa annum 817, quo Ebolatus ejusque uxor Verana ipsi tribuerunt cellam S. Petri de Silva-agra. (Charta I, col. 149.)

III. Ato occurrit regnante Roberto rege. Legitur in charta Lesati an. 1026, in qua Mansi-Azilis & Lesati dicitur abbas. (Hist. Occit. t. II, prob. col. 186.)

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 256. IV. Petrus an. 1067 malignos usus monasterio superimpositos curavit deleri a Bernardo *de Durban*.

Ibid. col. 312. V. Poncius simul obtinebat anno 1081 abbatias Mansi-Azilis & Lesati, ut constat ex donationibus utrique monasterio attributis.

VI. Raimundus patrem habuit Amelium, a quo suscepit ecclesiam post obitum ipsius Raimundi ad Willelmum ejus fratrem reversuram, eoque defuncto juris Mansi-Azilis perpetuo futuram. Facta est charta in mense Aprili, fer. 7, regnante Philippo rege & Isarno episcopo Tolosano.

Ibid. col. 432. VII. Petrus II an. 1089, mense Junio, fer. 4, amplissimam largitionem a Poncio *Belsom* & Atone fratre ejus adipiscitur. Bernardum *de Durban* anno 1097 compellit ut fateatur se esse monasterii clientem ob castrum de Durbano.

VIII. Petrus III a præcitato Bernardo *de Durban* & ipsius uxore quartam partem decimarum villæ de Salas ad Garumnæ ripam excipit anno 1124, mense Maio. Filium Fortanerii de Daravidana, nomine Petrum, in monachum admisit an. 1130, mense Maio.

IX. Raimundus Isarni memoratur anno 1135 in dono Sancii *de Cera* ejusque fratrum. Occurrit etiam ad annos 1150, 1151.

X. Anastasius an. 1151, mensibus Aprili & Augusto, legitur in donationibus monasterio attributis.

XI. Petrus an. 1170 Bernardum & Bertrandum *de Durban* ejus fratrem beneficos experitur mense Octobri.

XII. Poncius an. 1170, mense Novembri, in documento consignatur.

XIII. Petrus an. 1175, mense Septembri, fer. 2, luna 26, regnante Ludovico, donum recipit Arnaldi de Villamuro.

XIV. Laurentius anno 1186 Athonis *de Sartoer* munificentiam experitur. Cum Guillelmo abbate Calercii transigit de decimis apud Thesacum an. 1188.

XV. Stephanus an. 1234 una cum Guillelmo-Amelio casale Valletæ Calertio cedit. Is ex ordine Benedictino in fratrum Minorum ordinem ingressus, arbiter seligitur cujusdam litis ad monasterium spectantis causa finiendæ paulo ante an. 1237, ex archivis castri Palensis.

XVI. Guillelmus Arnaldi *de Dalbs* legitur 6 Augusti 1237 in archivis castri Palensis. Cum episcopo Conseranensi transigit atque antiquam societatem redintegrat mense Maio 1238. Legitur etiam annis 1242, 3 Aprilis; *Ch. XVI, col. 169.* 1244, 4 Novemb. Rogerium Fuxi comitem in bonorum monasterii societatem & participationem vocavit an. 1246, ea lege ut ille prædictum monasterium tutaretur ac defenderet.

XVII. Arnaldus Garsias anno 1254, 20 Novembris, Rogerium Fuxi comitem eo adducit ut profiteatur se ab abbatia Asiliensi tenere castrum *de la Bastide*. Eodem anno 3 Decembris cum ipso comite tribuit Isarno

A abbati Cumbæ-longæ quartam partem Montisesquivi. Præsens aderat cum iste comes anno 1261 Guillelmo abbati Appamiensi præstitit hominium. Tutor ac curator filii præfati comitis exstitit, ut apparet ex charta data VIII id. Martii 1264. Testis exstitit anno 1275, cum Esclarmunda regina Castellæ apocham suæ dotis Rogerio Bernardo fratri suo comiti Fuxensi dedit.

XVIII. Guillelmus Petri anno 1281 se excusat quod non possit adesse concilio Biterris mox celebrando, timebat enim ne quidam rebelles monachi e carcere elapsi ei in via B insidiarentur. Bertrandum episcopum Tolosanum atque Vitalem *Vaquier* præpositum S. Stephani Guillelmo Gaufridi abbati Bellæperticæ conciliavit an. 1283. Transegit 1284 cum Augerio de Turre abbate Boni-fontis. Eodem anno testis adducitur pactionis initæ inter episcopum Tolosæ & consules urbis Vaurentis. Superstes etiamnum an. 1285.

XIX. Raimundus Athonis hominium Rogerii Bernardi comitis Fuxi & vicecomitis Castri-boni excepit an. 1285. Consuetudines atque privilegia consulibus urbis Mansi-Azilis concessa confirmat nonis Aprilis 1286. Biter- C rensi concilio interfuit anno 1294. Adfuit an. 1300, 25 Junii, absolutioni a Bernardo præsule Appamiensi concessæ Rogerio Bernardo comiti Fuxensi. Is atque Gasto Fuxi comes consulibus Mansi-Azilis significant VII idus Aprilis 1303, quatenus, imminente belli periculo, urbis muros firment, ubi opus fuerit. Adfuit in monasterio Lesatensi detectioni reliquiarum S. Antonii 1307.

XX. Bertrandus Durbanni memoratur V id. Novembris 1321, quo consules urbis ipsi promittunt 750 libras turonenses pro ecclesia monasterii reparanda. Subscribit anno 1329 D chartis Calercii. Cum consulibus modo citatis de quibusdam juribus dissidium habuit XI cal. Aprilis 1331. Adhuc etiam obtinebat 1332.

XXI. Guillelmus-Arnaldus *de Dalbs* cum Lupo de Fuxo compromisit 6 Augusti 1337. Anno sequenti mense Maio cum episcopo Conseranensi composuit de prioratu & aliis quibusdam ecclesiis.

XXII. Bertrandus an. 1347 habet jurgium cum urbis consulibus de capella quam in parœciali ecclesia S. Stephani intendebat construere, cujus ergo litis finiendæ vicarius generalis Johannis Rivensis episcopi sententiam tulit E die 2 Augusti ejusdem anni.

XXIII. Johannes Pilusfortis *de Rabastens*, quem recensuimus inter abbates Insulæ-Barbaræ tom. IV, col. 230, ad abbatiam Mansi-Azilis transfertur an. 1354. Memoratur 14 Aprilis 1363 in compositione pacis initæ inter comites Fuxi & Armaniaci. *Hist. Occit. t. IV, prob. col. 264.*

XXIV. Johannes Alberti, prior S. Orientii Auxitanensis, doctoratus lauream Tolosæ accepit an. 1365, subinde in abbatem Mansi-Azilis assumtus est.

XXV. Bertrandus de Tonino 1390. Testis adhibetur

adhibetur in charta confirmationis pariagii Mazerarum facti a Bolbonæ monachis cum comite Fuxensi 1391.

XXVI. Petrus *de Foix*, cardinalis tituli S. Stephani in Cœlio-monte, fit administrator perpetuus bulla Martini v calendis Junii 1427. Eodem anno, Dominica ultima Augusti, fidem & hominium a vicario & consulibus Bastidæ *de Seron* præstari curavit, ex tabulario domus consularis.

XXVII. Franciscus de Sabaudia obiit mense Septembri 1490.

XXVIII. Guillelmus de Calvaria electus est an. 1490.

XXIX. Arnaldus de Barta præerat anno 1503.

XXX. Amaneus *d'Albret*, Vasatensis episcopus, obtinebat an. 1512.

XXXI. Petrus *de la Fay* occurrit ad annos 1571, 1582, 1587, 1592.

XXXII. Germanus *de Levi* 1595, 1596.

XXXIII. Johannes *de Volvire*, Philippi marchionis *de Ruffec* filius ex Anna *de Daillon*, simul abbas Mansi-Azilis & Coronæ 1602. Exstinguitur autem anno 1619. Post cujus mortem aliquot annis monasterium caruit abbate; nam an. 1622, 17 Februarii congregantur monachi ad eligendum vicarium generalem, & anno superiori 16 Julii 1621 Jacobus *de Cousert* dominus sancti Laurentii œconomus erat.

Tom. V, p. 150. 5 Guido *d'Harcourt* in historia magnatum Franciæ inter abbates Mansi-Azilis recensetur, clero valedixit militiæ nomen daturus.

XXXIV. Henricus *Dardier*, Parisiensis Parlamenti consiliarius, memoratur ad annos 1626, 1635.

XXXV. Jacobus *de Carbon de Montpezat*, Senonensis archiepiscopus, obtinuit annis quatuor, & obiit 5 Novembris 1688.

XXXVI. Johannes *de Montpezat* superioris germanus Tolosanus archipræsul commenda fruitus est sex vel septem annis.

XXXVII. Josephus *de Lestrades* e Montecarbone oriundus prope Neracum, adeptus est an. circiter 1687.

XXXVIII. N. *de Monteil* mense Novemb. 1617.

XXXIX. N. *de Maignol* a rege renunciatur 1 Februarii 1744.

XL. N. *de Montlezun* a rege nominatus an. 1746.

LESATUM.

LEZAT.

Mabillon. Annal. t. II, p. 617. MABILLONIUS atque Vessaitius nostri una cum Sammarthanis censuerant ambo monasterii S. Petri Lezatensis originem esse referendam ad medium seculum nonum; primus tamen, mutata sententia, hancce funda- Id. tom. III, p. 450 & seq. tionem ad decimum medium removet, & attribuit Atoni-Benedicti vicecomiti Biterrensi, cujus uxor Amelia simul condidit Mansum-Garnerii. Alter autem filium Wandregisili comitis marchiarum Vasconiæ superstitis

A anno 844, Atonium nomine, Biterrensem vicecomitem, ejusque uxorem Adoyram, utrosque sobole carentes, fuisse tam Lezati, quam Mansi-Garnerii conditores suspicatur, Hist. Occit. t. I, p. 541 prob. col. 86. fultus ea præsertim auctoritate, quod Atonio tunc fuerit germanus Asnarius itidem vicecomes Lupiniacensis ac Solensis, quem vir ille doctus eumdem arbitratur atque Asnarium istum, qui Romano itinere redux construxit in comitatu & diœcesi Convenensi monasterium Patricianum, quod Lezato subdidit, & dehinc seculi pertæsus monachum induit apud Lezatum, cujus in posterum abbas evasit. B Nos vero fluctuantes inter tantorum virorum opiniones, quæstionem solvere nequaquam audemus. Id tantummodo post Occitaniæ historiæ scriptorem observare juvat, nimirum istud monasterium forsan erectum fuisse ab Athonio Biterrensi vicecomite anno circiter 844, & uno post seculo aliquo casu pene deletum, in pristinum splendorem restitutum ab Atone-Benedicti, qui, juxta ipsum auctorem, non Biterrensis, sed Tolosanus fuit vicecomes. Cæterum bina fit annua commemoratio Atonii fundatoris, nempe feria secunda post Dominicam primam Quadragesimæ, & die secunda C Novembris, quibus diebus itur processionaliter ad altare sancti Benedicti, & ibi expressa pro ipso fundatore oratio decantatur, juxta antiqua documenta cœnobii, quod sancti Antonii & sancti Petri a posteris dictum est a corpore S. Antonii confessoris, ut perhibent, istuc translato.

Sita est hæc abbatia in Fuxensi pago ad fluviolum Lesam, unde nomen ejus derivatum, inter fluvios Aurigeram & Garumnam, quinque leucis ab urbe Tolosa distans. Primi ejus abbates nobis prorsus ignoti, præter Asnarium; id unum scimus hanc scilicet subditam fuisse D auctoritati S. Odonis Cluniacensis, qui eam Ibid. t. II, p. 75. Adasio, suo in monasteriorum congregationis Cluniacensis regimine collegæ, administrandam commisit. Cum hæc propemodum ad secularem statum prolapsa esset, monachi instaurandæ religionis studio accensi, una cum regionis optimatibus Hugonem Cluniacensem abbatem interpellarunt anno 1073, indictione XI, ut eam ad rectum ordinem reduceret. At ille non ante acquievit, quam abbatis electio ei Chart. IV, col. 151. ejusque successoribus committeretur. Conditionem admisere monachi, nec non nobiles E illi viri, quibus abbatis electioni interesse competebat, atque monasterium ipsi Hugoni ejusque successoribus in perpetuum subjecerunt & abbatis electionem detulerunt, quandiu Cluniacensis locus religionem monasticam secutus fuerit. Johannes XVI summus pontifex Charta II, col. 149. anno 993 ad Garinum abbatem inscripsit privilegium, monasterii possessionum ac immunitatum confirmatorium. Idem papa abbatiæ Lesatensi subdiderat monasterium de Curte, quod non semel jugum excutere tentavit. Abbas vero Siguinus questus est Urbano II item pontifici maximo tunc apud Clarum-

montem versanti, qui Toletano archiepiscopo decidendum credidit negotium. Re mature explorata, abbas Curtensis causa cecidit; at judicio se subjicere nolens arripuit fugam. *Hist. Occit. t. II, prob. col. 385 & seqq.* Verum admonitus a præfato archipræsule quod anathemati subjaceret, ni judicium subiret, rediit & Siguino de inobedientia fecit satis. Nihilominus cum hic una cum quibusdam suis monachis Lesatensibus ad Mansum-Garnerii accessisset, illius secundum regulam sancti Benedicti ergo ordinandi, repulsam passus est. Unde nova jurgia emersere, quibus Bruno legatus, & post hunc Richardus Albanensis finem imposuerunt. Multoties id monasterium *Ibid. col. 417 & seq.* Fuxenses comites expertum est beneficos, potissimum vero Rogerium II, qui plurima Odoni abbati privilegia indulsit anno 1121. In hac abbatia, inquiunt Sammarthani fratres, diu viguit, & per multa secula floruit magna observantia regularis, quæ viros protulit insignes, e quibus inter cæteros plerosque eminent Guillelmus tituli S. Stephani in Cœliomonte presbyter cardinalis an. 1343. Episcopi Conseranenses duo, Bernardus *Pelet* 1048, & Pontius de Villamuro anno 1368; ac Guillelmus Hunaldi de Lantario primo Tarbensis an. 1316, postea Agathensis episcopus 1337, & seculo proxime elapso Petrus *de Donauld* præsul Mirapicensis, æterna colendus memoria. Sodalitium habet a multis seculis hoc cœnobium cum basilica S. Saturnini Tolosæ, in qua 13 Martii anniversarium legitur in antiquo mss. necrologio. Abbatum autem quamvis forte ex integro nomina non exhibeantur, tamen quæ dantur, ex ipsis monasterii archivis aliisque documentis fideliter desumta sunt. Plura hic subjicimus absque chronicis notis.

Abbatum Syllabus.

I. Astaré.

II. Aureolus.

III. Vidianus.

IV. Asnarius, de quo in appendice egimus, reversus ex romano itinere, carens propria sobole, & cupiens Deum habere heredem, consilio & auctoritate domini papæ monas- *Charta V, col. 152.* terium Patricianum in Comuniensi comitatu, diœcesis Convenensis, in honorem B. Mariæ construxit, in quo abbatem, monachos & clericos sub regula viventes instituisse fertur, Patriciani nomine imposito ut nulli personæ pareret, nisi Cœlesti patri. Unam tamen refectionem in anno & tertiam partem beneficii domus Cominiensi comiti concessit, si domum ac familiam totumque jus monasterii defenderet, sin autem peccatum animæ illius inesset. Rebus monasterii rite ordinatis ac bene dispositis, idem Asnarius vicecomes illud subjecit cœnobio Lesatensi, ubi seculi pertæsus monasticum habitum sumsit, ibidemque abbas factus, recto itinere Cœlicas ad sedes pervenisse creditur.

V. Atasius vel Adasius, idem qui Sarlatensis A abbas, Lesatensis monasterii administratione *Hist. Occit. t. II, p. 75.* donatus fuit anno circiter 940 ab Odone Cluniaci abbate, suo in congregationis Cluniacensis regimine collega, cujus ope reformatio in huncce locum inducta fuerat. Hic Atasius solummodo generalem administrationem, abbatem vero peculiarem sibi ordinatum habuisse creditur. Nihilominus ecclesiam S. Eparchii ab Arnaldo comite Carcassonensi *Ibid. prob. col. 86.* & ejus uxore Arsendi consequitur an. 944.

VI. Daniel reperitur in dono mulieris *Ibid. col. 89.* nomine *Garsen*, quæ monasterio attribuit alodium de Fustiniaco, mense Februario, an. 9 B regnante Ludovico rege, id est 945. Eodem *Ibid. col. 90.* circiter anno legitur in altero instrumento.

VII. Guarinus I a Sicfrido allodio de *Ibid. col. 107.* Malarubia in comitatu Tolosano, anno 7 regnante Leutario rege, id est 961, donatus est. Aliud donum excepit mense Maio, fer. *Ibid. col. 118.* VII, anno XI regnante Leotario rege, id est 965.

VIII. Odo I in locum Guarini suffectus, occurrit an. 5 regnante Ludovico V rege.

IX. Adventus in Malleacensi chronico dictus Arveus, in Lesatensi monasterio munus abbatis gessit, sed ab immorigeris monachis pulsus, C ab Hugone nobili ac præpotenti Arverno præfectus est cœnobio S. Michaëlis, quod iste construxit in monte Pyrchiriano ad Clusam.

X. Ato I præerat *regnante Domino nostro Jesu-Christo*, id est post mortem Ludovici V regis, quo tempore Aquitani necdum Hugonem regem agnoverant.

XI. Amelius occurrit etiam *regnante Domino nostro Jesu-Christo.*

XII. Benedictus I vineam a quodam Stephano, qui eam acquisierat ab Amelio abbate, dono recepit an. IV regnante Hugone rege.

D XIII. Hugo I legitur variis in monumentis, Hugone & Roberto regibus. Ecclesiam sancti Michaëlis de Pitenas a Fuxensi comite Rodgario consequitur, regnante Roberto rege.

XIV. Guarinus II an. 993, indictione VI, *Charta II, col. 149.* accepit a Johanne XVI papa litteras in gratiam tam monasterii Lesatensis, quam cæterorum monasteriorum cujus erat abbas. Hic veluti generalis præpositus abbatiarum in Occitania fuisse videtur, scilicet Lesatensis, S. Hilarii Carcassonensis, S. Mariæ Electensis, S. Petri Garnensis, & S. Michaëlis Coxanensis, habens sub sua potestate vicarios abbates, quos inter E Benedictum in Lesatensi, qui & aliorum duorum monasteriorum, nempe S. Hilarii & S. Mariæ rector erat. Recensetur anno circiter *Hist. Occit. ibid. col. 153.* 997 in donatione facta Lesato. Non excessit annum 1000, ut patet ex charta data mense *Marca Hispanica, pag. 954 & seq.* Februario ejusdem anni, in qua vir venerabilis memoriæ dicitur.

XV. Benedictus II sub obedientia & ditione Garini monasteria S. Petri Lesatensis, sancti Hilarii Carcassonensis, & S. Mariæ Electensis *Charta II, col. 149.* regebat an. 993, ut constat ex bulla Johannis maximi pontificis modo citata. Memoratur

etiam anno quarto regnante Roberto rege in A charta donationis Benedicti monachi.

Hist. Occit. tom. II, col. 157. XVI. Hugo II præerat an. circiter 1001, ut patet ex dono Rogerii comitis Carcassonensis.

XVII. Gaucelinus recensetur in donatione Adalberti presbyteri indulta sancto Petro & S. Antonio Lesatensi, regnante Roberto rege.

XVIII. Aimericus donum accepit anno circiter 1024 in territorio Tolosano. Abbatiam de Patricianis, quam Odo Simorræ abbas suo monasterio competere contendebat, sibi suisque successoribus asseri curavit in placito apud Fustiniacum habito an. 1026.

XIX. Ato II simul abbas Aziliensis quasdam B *Chart. III, col. 151.* injurias & vexationes sustinere non valens, una cum Aimerico decano Raimundi Guillelmi marchionis præpotentissimi auxilium imploravit circa annum 1030.

Hist. Occit. ibid. col. 196. XX. Guiraldus I reperitur anno 1035 in charta Rodgarii comitis, ecclesiam S. Vincentii Levitæ & martyris, plurimaque alia bona, monasterio Lesatensi tradentis.

XXI. Bernardus I Raimundi, cognomine *Pelet*, episcopus Conseranensis, Lesatensem abbatiam obtinebat, & plurimum de suis facultatibus atque prædiis contulit circa annum *Ibid. col. 215.* 1040, ut instauraretur monasterium. Uxorem C & filios Sicfridi coegit ut donum ab ipso Sicfrido collatum dimitterent circa 1048. *Ibid. 230.* Obtinuit an. 1059 a Raimundo-Atone *de* *Ibid. 236.* *Spel* ecclesiam S. Pauli *de Lucan*; quod donum ab eodem firmari fategit an. 1060.

XXII. Pontius I a sancto Hugone abbate Cluniacensi, qui a monachis Lesatensibus & regionis optimatibus, ut monasterium ad rectum ordinem reduceret, fuerat interpellatus, Lesatensi cœnobio præfectus est circa an. 1073. *Ibid. col. 312.* Accepit ecclesiam S. Medardi 1075. Simul regebat abbatiam Asiliensem, ut probatur ex donario facto an. 1081. D

XXIII. Siguinus donatus fuit an. 1084 ecclesia *de Sentas*, regnante Philippo rege. Occurrit annis 1085, 1089. Ad concilium *Ibid. col. 385 & seqq.* Claromontense properavit Urbano II pontifici maximo conquesturus de abbate & monachis *Ibid. col. 353.* Curtensibus Lesatensi monasterio parere renitentibus 1095. Quam Amalvinus in ecclesia *de Sentas* possidebat partem recepit an. 1100.

XXIV. Geraldus II pedum pastorale obtinebat sub Philippo rege, anno videlicet tertio *Ibid. col. 366.* postquam capta est Jerusalem, id est 1102. Memoratur 1105 in litteris Hugonis ecclesiæ E Compostellanæ cardinalis capellani. Cum abbatiolam de Curte sive de Manso-Garnerii suo monasterio jam pridem subditam frustra *Mabil. Annal. t. V, p. 470.* tentasset ordinare, jus suum ac regimen de præfata abbatiola Asquilino Moissiacensi cessit in perpetuum.

XXV. Odo II *de Bajeras*, cum præ corporis infirmitate Romam proficisci non posset, ad Paschalem II anno circiter 1105 epistolam scripsit, qua ei significat quo pacto abbatiola S. Petri de Curte a Geraldo suo decessore tradita fuerit Moissiacensi abbatiæ reformanda. Anno 1111 Arnaldus-Poncius *de Noër* induens monachum in monasterio Lesatensi, donat Odoni abbati, & monachis præsentibus & futuris, decimarium & primitias de sancto *Ch. VI, col. 154.* Cassiano, de consensu & voluntate filiorum suorum, Rogerii videlicet & Bernardi & Isarni. Ingenti populorum frequentia stipatus cum monachis processionaliter adiit Tolosam anno *Hist. Occit. ibid. col. 393, 394.* 1114, gerens secum reliquias S. Antonii, cujus meritis plura patrata sunt miracula. Guillelmus vero comes Tolosanus & princeps Pictaviensis provinciæ eidem Odoni locum in *Char. VII, col. 154.* suburbio civitatis Tolosæ situm ante castrum Narbonense, ab omni dominatu immunem tradidit in honorem S. Antonii mense Augusto an. 1115. Rogerius etiam comes Fuxensis ipsi condonavit albergam quam requirebat in villa S. Eparchii an. 1121. Idem comes tam *Hist. Occit. ibid. col. 417, 418.* sui quam successorum nomine spopondit quod neque censum neque usum in Lesatensi abbatia contra voluntatem Odonis unquam requireret. Is admisit in Lesatum Raimundum filium Amelii *de Morecag*, a quo nonnullas possessiones consecutus est an. 1122. *Ibid. col. 423.* Cum Vitale *de Francor* litem exortam de ecclesia *de Salas* terminavit anno 1123. *Ibid. col. 423, 424.* Præerat adhuc anno 1127, mense Julio, fer. 2.

XXVI. Guillelmus I Raimundi *d'Espel*, anno 1127, mense Julio, luna 17, legitur obtinuisse ab Alfonso comite Tolosæ, duce Narbonæ & Marchione Provinciæ, locum secus castrum Narbonense ad plantandam vineam. Eodem anno, mense Decemb. fer. 2, donum Athonis *de d'Albs* suam in Lesatensi cœnobio sepulturam eligentis suscepit in villa S. Eparchii. Ermengardam *de Ampolag* & quemdam Pontium expertus est beneficos anno 20 regnante Ludovico VI rege, & Amelio Tolosano præsule. Recensetur etiam ad annos 1131, 1132, 1134 & 1137, mense Martio.

XXVII. Guillelmus II *Ravad*, priusquam eligeretur abbas, munus prioris exercuit, & eo nomine post Guillelmum Raimundi chartæ subscripsit anno 1137, quo factus & ipse est abbas. Convocavit 1139, mense Aprili, vicinos proceres, nempe Rogerium Fuxensem, Bernardum Convenensem, Raimundum Atonem de Alta-ripa, &c. ipsis ante oculos expositurus deprædationem & expositionem urbis *Ch. VIII, col. 155.* Lesatensis. Quorum consilio & auxilio adjutus ipsam muris cingere constituit. Recurrit quoque ad annos 1140, mense Junio; 1142, mense Julio.

XXVIII. Atho III diversus non videtur ab Azio seu Azione, cui Raimundus de Monte-Rodo... suis omnibus oblatis facultatibus, monachum induit mense Augusto 1142. Pluribus in monumentis inscribitur ad annos 1146, mense Junio; 1149, mense Augusto; 1153, mensibus Junio & Decembri, quo donum a Bernardo *de Vilar* excipit. Rogerium de S. Medardo inter monachos admisit mense Maio 1154. Eodem anno, arbitrante

Raimundo Tolosano præsule, concordiam iniit cum Bernardo præposito S. Stephani. Quem habebat honorem apud S. Sigismundum, tradidit in pignus Geraldo de S. Sigismundo mense Maio 1158. Pastorale pedum obtinebat & annis 1160, 1165, 1166.

XXIX. Guillelmus III de Castro-novo, simul prior Deauratæ, 1168 mense Augusto. Eodem anno finem imposuit liti quam habebat cum Adalaide abbatissa *de Marenz*. Tuitionis chartam a Rogerio Bernardi comite Fuxensi consequitur 1169, in festo Purificationis. Legitur in diversis instrumentis 1170, 1172. Cum Guillelmo de S. Claro priore S. Germerii adpaciscitur 1176, mense Januario. Inter Bernardum priorem ecclesiæ sancti Antonii & Petrum de Raissaco electus arbiter suam dixit sententiam an. 1180, regnante Philippo rege. In aliis deinceps memoratur documentis.

Chart. VII, col. 231.

XXX. Raimundus I Galterii vel Nucii, mense Maio 1189 adest quibusdam pactis initis inter Guillelmum de Cantesio Tolosæ præpositum, & Bernardum priorem S. Antonii. Pontii Ademari de Rodela donum suscipit 1191, in festo SS. Petri & Pauli. Pluribus in monumentis invenitur annis 1193, 1195, 1196, 1197. Cum Guaraldo de S. Marcello transigit mense Julio 1198. Vitali Portario ecclesiam S. Antonii Tolosani præstat ad vitam an. 1202. Quicquid habebat in decimariis *de Lusas*, de Aris, & de S. Andræa, sub quadam conditione tribuit an. 1203, mense Martio, Petronillæ abbatissæ Luminis-Dei. Dat etiam in feudum Raimundo-Attoni de Aurivallo totam condaminam S. Petri mense Novemb. fer. 2, an. 1205. Recensetur in dono assignato monasterio mense Junio, fer. 4, an. 1206. Adhuc superstes mense Decembri 1209, Fulcone episcopo Tolosano.

XXXI. Guillelmus IV Pontius commendavit & contulit 1209, mense Decembri, cuidam Pontio monacho in omni vita sua ecclesiam & domum sancti Petri de Rebaco. Liberum declaravit 9 Augusti 1210 Bernardum de Vaura cum ejus posteris, modo annuatim abbati Lesatensi & priori S. Germerii certam solidorum Tolosanorum summam solveret. Sæpe recurrit annis 1212 & 1213.

XXXII. Petrus I de Pena plurimas possessiones dat in feodum mense Novembri 1214. Obtinebat regimen ad annos 1215, 1217 & 1218, quo Guilbertus miles de Monte-alto, dominus Altæ-ripæ, ei hominium præstitit.

XXXIII. Raimundus II de Montepesato 1223. Dono recepit mense Octob. quicquid Odo de S. Medardo juris habebat in allodiis & territoriis Marsaci. Eodem anno, die 8 mensis Novemb. Raimundo cessit idem Odo totum villare de Planis, seseque clientelarem ac vassallum monasterii professus est. Raimundus cum sapientissime Lesatum rexisset, a monachis Moissiacensibus enixe postulatus in abbatem, eorum desideriis concessit circa annum 1229.

T. I, prob. col. 41.

A Miris ac multis laudibus extollitur in epistola ad abbatem Cluniacensem inscripta.

XXXIV. Bernardus II de Sarranta fidem præstat Raimundo abbati Moissiacensi 1229. Eodem anno recipit & ipse hominium Johannis Troni, sic etiam Raimundi & Petri fratrum. Ricsendam de Serrana in monasterio Lesatensi Deo se devoventem munificam est expertus mense Junio 1232. Ecclesiam sancti Antonii Tolosani Sancio Anerio de Sarranta contulit an. 1233, nec non ecclesiam Patriciani 1234. Raimundum episcopum Tolosanum inter & Arnaldum *d'Arragon* castelli Sarrati priorem conventionis initæ testis adhibetur 1238. (B) Apostolica auctoritate visitatur & corrigitur juridice ab episcopo Tolosano, ex commissione Viennensis archiepiscopi apostolicæ sedis legati, ob malam administrationem an. 1240. Transigit 1241 cum Fortanerio *de Scadoz* præceptore domus militiæ templi Montis-Salinerii. Eodem anno, mense Martio, fer. 2, legitur in charta, qua Guillelmus Ruferii & Durannus Carbonelli juramento testantur Aicardum de Moresaco sua omnia bona testamento reliquisse nostro Bernardo, filiamque suam ei commendasse ut ipsam aut in matrimonium collocaret aut Deo consecraret. (C)

XXXV. Petrus II *de Dalbs* munus prioris B. Mariæ Deauratæ exercebat an. 1238, ut apparet ex conventione inita inter Raimundum Tolosanum præsulem, & Arnaldum *d'Arragon*. In locum Bernardi abbatis suffectus est 1241, mense Maio. Eodem anno, die 7 Novemb. dedit Guillelmo Rufeti presbytero capellanias ecclesiarum S. Martini *de Magren*, S. Petri de Carciaco, & S. Andreæ de Moderciaco, cum omnibus juribus. Iterum mense Decemb. concessit Rogerio comiti Fuxensi dimidium vectigalium & aliorum jurium in urbe Lesatensi sub certis conditionibus. (D) Die 10 Martii 1243 hominium recipit a Jordano de sancto Medardo, & an. 1244 a Rogerio comite Fuxensi, nec non a Guillelmo de Podio-Auriolo. Prioratum *de Montesquieux* Arnaldo de Belsago confert 1245, ea lege ut ecclesiam & domos reædificet. Eodem anno 1 Aprilis postulatam ab incolis castri & villæ S. Michaëlis de Saxianis jurisdictionis suæ recognitionem adipiscitur, & domum Leprosorum fundat apud Salvam-terram, reservato sibi patronatu; fidei juramentum a Fabro de Biraco equite satagit sibi præstari 3 Martii 1246. Ipse cum (E) Raimundo abbate Calercii compromisit de limitibus decimarum ecclesiarum S. Eparchii & S. Johannis, in manibus Sicardi de Marnaco equitis 12 Aprilis ejusdem anni. Clientelam apud eum profitetur Hugo dominus *de Valhs* 1247, die 3 Aprilis. Pontificalibus ornamentis utendi facultatem ab Innocentio IV, pontificatus 7, Lugduni impetrat. Hic strenuus, sagax, prudens & industrius omnia monasterii sui chartas & documenta in unum codicem non sine multo labore curavit redigi atque renovari. Præfuit autem ad annum usque 1254.

XXXVI. Geraldus III de Villa-nova A innotescit ex sententia Ademari *de Burnos* monachi Lesatensis, & Bernardi capellani de Podio-Viridi, qui judices electi decernunt a conventu Gratiæ-Dei hominium Lesato deberi pro territoriis de Isola, Bervilla, &c. 3 Octobris 1255. Rogerium Fuxi comitem clientelam profitentem pro feodis Lesati & Salvæ-terræ admittit an. 1256, mense Febr. Eodem anno, mense Aprili transigit cum R. episcopo Tolosano. Poncium de Villamuro beneficum experitur anno 1257. Quædam latifundia comparavit 1260. Recensetur etiam in quibusdam chartis 1262, 1263, 1265. B

XXXVII. Petrus III de Binhaco quemdam terræ fundum in feodum tradit 1265.

XXXVIII. Aculeus præerat annis 1266, 1267, ex chartis monasterii. Transactionem olim initam inter Petrum *de Dalbs* & Rogerium Fuxi comitem confirmavit an. 1284. Sedebat & an. 1289 & 1290. Ob querelam adversus abbatem Bolbonæ, ipse una cum monachis a P. canonico Narbonensi excommunicationis vinculo fuit obstrictus.

XXXIX Raimundus III de Bauro 1293, 1294, 1295, 1298.

XL. Guillelmus V Hunaldi de Lantario, C fer. 5 ante Assumptionem B. M. 1299, dat Bernardo priori de Murello licentiam paciscendi cum Bernardo Convenensi equite, domino *de Lenthenac*. Compositionem a decessore suo Petro *de Dalbs* factam habet ratam 1302, die 7 Octobris. Adstitit abjurationi Stephanæ de Proaudo VII idus Martii 1307. Præsente Gallardo Tolosano episcopo & pluribus abbatibus eodem rursus anno solennem fecit detectionem reliquiarum S. Antonii. Eodem circiter tempore excepit in monasterio Lesatensi summum pontificem Clementem V omni qua potuit veneratione & magnificentia, D ut notat antiquum manuscriptum. Visitavit an. 1311 monasteria S. Mariæ de Fussiniaco & de Pardniano. Cœnobii claustrum exstruxit, uti docet sequens inscriptio lateri meridionali apposita: *Anno M. CCCXIII reverendus pater in Christo G. Unaldi de Lantario abbas monasterii hujus Lesatensis, ordinis Cluniacensis, incæpit construi facere annis sequentibus claustrum hoc, prout est in quadro, cujus, postquam solverit debitum naturæ, anima requiescat in pace. Amen. Et supplicat quicumque, qui hoc opus respexerit, pro anima illius dicat devote* Pater noster *cum salutatione Angelica. M. Reverend.* Dargut *de sancto Bertrando de Convenis fuit magister operis antedicti.* Insignis ille vir, magnificus, ac divini officii cultor præcipuus cum pluribus annis id monasterium administrasset, in Tarbensem episcopum cooptatus est an. 1316, quo nomine duas in monasterio Lesatensi fundavit capellanias 1326. E

Ch. XXI, col. 170.

XLI. Pontius II *de Villemur*, vir certe pius & multis titulis commendandus, institutus fuit abbas anno 1316. Judex a summo pontifice delegatus est inter canonicos Tolosæ & rectores ecclesiarum Mirapicensis & sancti Papuli de juribus præposito solvi consuetis 29 Octobris 1323. Procuratores ad capitulum generale Cluniacense misit 13 Aprilis 1325. In locum Bernardi de Loserto, quem vicarium instituerat 1326, Dominica post Epiphaniam, urbis consulibus exosi, suffecit 6 Februarii Antonium *Convers*, ex domus publicæ tabulario. Pactiones iniit 1328 cum Hugone de Carollis & cum Johanna Atrebatum comitissa. Multis liquet ex instrumentis, in tabulario Fuxensis castri asservatis, divisum fuisse dominium inter ipsum ac Fuxi comitem 16 Julii 1342. Guillelmum tituli sancti Stephani in Cœlio-monte presbyterum cardinalem quondam Lesati monachum munificum sensit, prout Ch. XXII, col. 179. constat ex ejus litteris, quibus ille crucem argenteam deauratam, calicem argenteum & ducentos florenos auri monasterio tribuit 12 Julii 1343. Capitulum generale habuit 9 Junii 1344, in quo unanimi consensu statutum est ut pro beneficiis a præfato cardinale acceptis, duo, dum ille viveret, singulis annis celebrarentur anniversaria, unum 20 Decemb. de Sancto-Spiritu, alterum 22 Martii de beata Maria; verum post ejus mortem duæ missæ de defunctis, ex authentico archivii Lesatensis. Privilegium ab Innocentio VI suscepit an. 1358. Rexit ad annum 1362, quo postquam ad ecclesiam Conseranensem pacificandam a sancta sede missus fuisset, ac ibi statuta varia pacis & tranquillitatis ergo ordinasset, invitus assumitur in episcopum 10 Decembris. Anno vero 1368 mortis memor sepulchrum sibi paravit in capella S. Benedicti, ubi etiamnum visitur erectum & magnificum; ipseque jacens & pontificaliter indutus insculpto lapide, junctis manibus, capite mitra cooperto, conspicitur cum hac inscriptione: *Anno Domini M. CCCLXVIII dominus Pontius episcopus Conseranensis qui præfuit isti monasterio Lesati 45 annis, fecit fieri istam sepulturam, ut ipsam intuentes orent pro anima ipsius episcopi, cujus anima requiescat in pace. Amen.*

XLII. Berengarius a Gregorio XI anno 1375 in Italiam nuncius missus est, ut Florentinos aliosque populos ad ejusdem papæ obedientiam revocaret, ut legitur apud Bzovium, ubi Berengarius perperam dicitur abbas Liscatensis.

XLIII. Guillelmus VI Rigaudi reperitur an. 1378 in veteri charta ecclesiæ Tolosanæ, atque etiam an. 1391, 22 Augusti. Prioratus a suo pendentes cœnobio visitavit an. 1402. Præerat etiamnum 8 Septemb. 1403. Procuratorem misit anno 1409 ad concilium Pisanum. Idem forte est qui de S. Papuli episcopatu cum Johanne de Rupe-scissa patriarcha Constantinopolitano litigabat anno 1412.

XLIV. M. ad ecclesiam Lesati parochialem præsentat an. 1416. Eodem anno occurrit in aliis quibusdam documentis.

XLV. Petrus V de Fuxo, cardinalis ſancti Stephani in Cœlio-monte, legitur an. 1419 in inſtrumento eccleſiæ Rivenſis, ſic etiam anno 1424, quo præſentat ad eccleſiam de Gnaculatio.

XLVI. Dominicus a ſententia in ſe ſuoſque monachos ab officiali Rivenſis eccleſiæ lata appellavit, eamque nullam a Martiale Furnerii electo Ebroicenſi declarari ſategit 23 Julii 1427.

XLVII. Guillelmus VII Rigaudi in locum Dominici defuncti ſuffectus eſt anno 1429. Is authoritate Martini papæ V, pontificatus 13, an. 1430, die vero 21 Auguſti, capitulum Mirapicenſe ab excommunicatione ob contemtas tres ſententias in illud latas abſolvit. Comitatum Venayſſinum regebat 14 Octob. 1441 loco Rogerii epiſcopi Tarbenſis, ut patet ex ſtatutis Avenionenſibus. Præſentavit anno 1448 ad eccleſiam parochialem ſancti Bartholomæi de Spercia. Obtinuit uſque ad annum 1450.

XLVIII. Sicardus Squivati an. 1455 in pace requievit.

XLIX. Guillelmus-Garſias de Benca pedum paſtorale adipiſcitur poſt Sicardum.

L. Garſias de Merleto Guillelmi Garſiæ germanus, & Olivarius *de Morlhon*, ambo monachorum calculis in abbates aſſumti, querelam ad invicem habuerunt ſuper electione ſua, quæ epiſcopis Ruthenenſi, San-Papulenſi & Montalbanenſi, atque abbati S. Saturnini commiſſa fuit a Pio II ſummo pontifice anno 1460, pridie idus Januarii, diſceptanda. Olivarius autem litem amiſit & ab omni jure ſuo ceſſit in gratiam Garſiæ, ſub annua ducentorum nummorum aureorum penſione 21 Aprilis 1464.

LI. Matthæus de Nardogarſia ex protonotario apoſtolico adminiſtrator perpetuus Leſati effectus eſt 1478, Ludovico rege Franciæ, Johanne Phœbo rege Navarræ, comite Fuxi & Bigorræ, ac Gaufrido epiſcopo Rivenſi. In remotis agens obiit 1485.

LII. Petrus VI de Fuxo, cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani, legatus a latere & nuncius apoſtolicus, obtinebat 22 Februarii 1486. Eodem anno Arnaldi de Hiſpania militis, domini de Duro-forti, ſeneſcalli Fuxenſis, & Catharinæ reginæ Navarræ vices agentis, recepit hominium. Superſtes adhuc an. 1489. Ipſi defuncto anno circiter 1490 ſuffectus eſt per electionem Petrus Bruni monachus ejuſdem loci, prior ſancti Germerii de Murello, qui minorem ſuffragiorum partem dumtaxat adeptus repulſam patitur.

LIII. Johannes de Pardilhano, canonicus Conſeranenſis, rector monaſterii S. Petri de Leſato tunc ſine paſtore exiſtentis, inſtituitur XV cal. Febr. 1491, ex regeſtis Vaticani. Abbatis titulo gaudebat etiam annis 1492, 1493, 1496. Poſt ipſius obitum cum duos abbates in diſcordia elegiſſent monachi,

LIV. Nicolaus de Moſſiaco monachus, in A decretis licentiatus, proviſus a Jacobo de Ambaſia Cluniacenſi abbate 5 Aprilis, poſſeſſionem adipiſcitur 12 Julii 1501.

LV. Amaneus *d'Albret*, diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Trullano, erat abbas an. 1504, quo Julius II his qui Leſatenſe monaſterium in diebus feſtis obitus & tranſlationis S. Antonii viſitarent, indulgentias in forma jubilæi conceſſit. Memoratur uſque ad annum 1520, quo obiit IV id. Dec. Sepultus in oppido Belnoſo, Vaſatenſis diœceſis.

LVI. Ludovicus Canoſſa Bajocenſis epiſcopus commendam obtinebat annis 1521, B 1526, 1528.

LVII. Hercules *de Gonzagues*, S. Mariæ-novæ cardinalis, in manu Pauli III ceſſit in gratiam ſequentis.

LVIII. Auguſtinus Trivulſius, cardinalis S. Adriani diaconus, bullas Romæ datas obtinuit III id. Aprilis 1537, poſſeſſionemque iniit 16 Auguſti ejuſdem anni. Præbendam contulit in eccleſia Leſatenſi 25 Junii 1542.

LIX. Carolus Trivulſius cardinalis 1543, cujus tempore Antonius de Cugniaco, camerarius S. Hilarii Carcaſſonenſis, ſtatuta pro reformatione monaſterii edidit.

C LX. Franciſcus comes *de Taurel*, Italus, id monaſterium adminiſtravit, viventibus atque comprobantibus cardinalibus Auguſtino & Carolo *Trivulce*, uti conſtat ex proviſione Romæ expedita III id. Septembris 1538. Occurrit ad annos 1545, 1547 in pluribus inſtrumentis. Plurimum dilexit Petrum *de Donnaud* loci monachum, poſtea doctorem Navarricum & meritiſſimum Mirapicenſem præſulem, ordinis S. Benedicti clariſſimum lumen, qui profeſſionem emiſerat anno 1571. Obiit autem Franciſcus an. 1579, & humatus fuit ante majus altare cum ſequenti epitaphio ſculpto D in lapide plano.

D. O. M.

Franciſco Taurello ex illa antiquiſſima comitum Montis Clericali Parmenſis diœceſis familia orto, juris utriuſque, ac ſacræ paginæ doctori, domini noſtri regis conſiliario, & eleemoſynario, ac hujus cœnobii abbati, aſſiduoque religionis, catholicæ defenſori, qui dum gregi ſibi credito invigilat, & ad vitæ integritatem, Dei timorem, fidei conſtantiam, mutuamque caritatem omnes adhortatur, oneri tandem ſuccumbens, terrena deſpiciens, & E *cæleſtia cupiens, magno omnium mœrore fato ceſſit pridie nonas Maii.*

Defuncto tandem Franciſco, monaſterium caruit abbate uſque ad annum 1593, ſed non receptore, eoque litigero.

LXI. Bertrandus *de Berthier* poſſeſſionem adeptus eſt an. 1593, 16 Julii; ſed quoniam pacifice non fruebatur, bullis iterum obtentis V idus Junii 1599, novam iniit poſſeſſionem 4 Martii 1600. Nepoti ſuo ceſſit 1623, & obiit cæcus 17 Octobris 1628 in domo præpoſituræ eccleſiæ Toloſanæ, quam ab anno 1614 poſſederat.

LXII. Johannes-Ludovicus *de Berthier* Rivensis episcopus, præpositus ecclesiæ Tolosanæ, & consiliarius ejusdem civitatis, Capellæ in diœcesi Tolosana commendatarius, patruo se abdicanti successit, & possessionem accepit 13 Julii 1623. Reliquias sancti Antonii in novam thecam argenteam mirifice elaboratam transtulit 1647. Abbatiam suum in nepotem transmisit an. 1657.

LXIII. Antonius-Franciscus *de Berthier* superioris nepos, episcopus Rivensis, S. Stephani Tolosani præpositus, atque prior Berati, commendas Lesati & Capellæ tenuit ab anno 1657 usque ad 29 Octobris 1705.

LXIV. Ludovicus Felix *de Crussol d'Usez*, filius Emmanuelis ducis *d'Usez* equitis torquati ex Maria-Julia *de Sainte-Maure de Montausier*, a rege nominatur 24 Decemb. 1705, & possessionem accipit 9 Januarii 1707.

LXV. Petrus-Johannes-Martinus *de Berulle* a rege renunciatur 15 Augusti 1712. Adfuit 25 Octobris 1715 generalibus cleri comitiis. Parisiis interiit 29 Junii 1732, annos natus 43.

LXVI. Carolus-Guillelmus *de Maupeou* comes consistorianus, quondam agens generalis cleri Gallicani, canonicus honorarius ecclesiæ Parisiensis, episcopus Lombariensis, Romæ præpositus est in consistorio 1 Octobris & 17 Novembris 1732 pro abbatia Lesatensi. Moritur in sua diœcesi 17 Februarii 1751, annum agens 71.

LXVII. Ludovicus *de la Marthonie de Caussade*, episcopus Pictaviensis, obtinuit commendam 7 Aprilis 1753. Inclytæ principissæ Adelaïdis a Francia primus designatus eleemosynarius 28 Januarii 1759, juramentum in manu regis præstitit 4 Februarii. Eodem anno e Pictaviensi sede ad Meldensem translatus est.

FEUILLANS.

FULIUM.

MORIMUNDI filia Caritas plerumque Fulium dicta a nemore cognomini in quo condita est saltem anno 1145, suam e monasterio de Crista diœcesis Lingonensis traxit originem. Cum propter locorum abscessionem nullo modo Cristæ matri parere non posset, Loci-Dei Ruthenensis diœcesis jugum subiisse conjicitur, potissimum ex eo quod Bernardus Colens abbas Loci-Dei licentiam fecerit, anno circiter 1163, Willelmo abbati totique congregationi domus Caritatis dandi nomen Cisterciensi ordini. Forsan subdita simul fuerat Boni-fonti, a cujus ditione effecta est immunis cessione ejusdem loci abbatis inita an. 1175. Verumtamen Romanus pontifex Gregorius VIII, an. 1187, mense Novembri, eximium indulsit privilegium ergo asserendi monasterio omnes & singulas possessiones. Immo Guillelmus de Marra magister ordinis de Spata in Vasconia, se suosque fratres ac sorores totius ordinis, accepta ab eis potestate, dedidit

Chart. x, col. 156. Chart. xiv, col. 158. Ch. xvi, col. 158. Ch. xviii, col. 167.

15 Martii 1261. Totum pene splendorem suum debet hæc abbatia Johanni Barrerio, cui cum in commendam esset collata, is animum revocans, cœpit de monastica vita amplectenda serio cogitare. Itaque, inquit chronicon Cisterciense, ex commendatario factus abbas regularis, suos primos sodales ac monachos ad disciplinæ observantiam exemplo ac monitis revocavit, novamque instituit congregationem, cujus regimen abbati Cisterciensi ejusdemque ordinis superioribus a Sixto V maximo pontifice interdictum est. Porro isthæc congregatio in diversas regiones diffusa est, præsertim vero in Galliam gratia Henrici III regis, qui Parisiis in vico S. Honorati, haud procul a Capucinis insigne monasterium construxit. Longe alia sunt ejusdem ordinis & utriusque sexus monasteria, tam in Gallia quam in Italia.

ABBATES.

I. RAINULFUS I sive Arnulfus nominatur in schedis an. 1145.

II. Bernardus I 1156 recipit a Bernardo, ecclesiæ Tolosanæ præposito, quicquid iste habebat in ecclesia S. Saturnini de Pissenis.

III. Guillelmus I ad preces prioris hospitalis Tolosæ, & Petri de Tolosa magistri domus Templi consequitur a Bernardo *Colens* abbate Loci-Dei licentiam se suumque monasterium legibus Cisterciensibus addicendi circa annum 1163. Transegit an. 1167 cum Petro abbate Boni-fontis. (Charta x, col. 156. — Chart. xi, col. 156.)

IV. Raimundus I 1174 legitur in donatione Bernardi *Gros de Ravidan.* Is ejusque monasterium a subjectione abbatis Boni-fontis eximitur an. 1175. (Ch. xiv, col. 158.)

V. Theobaldus I occurrit 1179 in instrumentis Boni-fontis, & an. 1182 in charta donationis quartæ partis molendini *de Ravidan.* Diploma protectionis & confirmationis quarumcunque monasterii possessionum obtinuit a Gregorio papa VIII an. 1187. Raimundum Frugerium precum ac suffragiorum participem effecit 1198. Superstes adhuc 1202, mense Maio.

VI. Aimo I pactionem iniit 1203 cum Bertrando *de Ravidan.*

VII. Ogerius I 1205.

VIII. Aimo II consignatur in actis ad annos 1206 & 1208, mense Octobri.

IX. Ranulfus II 1209, mense Januario.

X. Aimo III suscipit donum Rogerii *de Fitas* 1280. Memoratur multis in actis ejusdem anni.

XI. Theobaldus II 1211 mense Junio.

XII. Martinus *vel* Martialis de S. Felice recensetur in veteri documento cartophilacii an. 1211.

XIII. Aimo IV 1213 & 1214, quo ultimo accepit donum Guillelmi *de Seysses* 6 Septembris.

XIV. Guillelmus II abbas instituitur 1214.

XV. Raimundus II 1216, 1217.

XVI. Arnaldus I 1217 & 1220, die 10 exitus Januarii, imo 1221 in cartha Bernardi de Rupe-forti. A

XVII. Petrus I die 7 exitus Januarii 1221 in dono Sicardi *de Ravidan.*

XVIII. Arnaldus II 1222 commutationem iniit cum Clara *de Ravidan.* Eodem anno Raimundus dux Narbonæ, Tolosæ comes & marchio Provinciæ, Johannæ reginæ filius, integram in terris suis libertatem ipsi concessit.

XIX. Albertus 1225, mense Aprili.

XX. Hogerius II 1225, mense Octobri. *Hist. Occit. t. III, prob. col. 318.* Non alius videtur ab H. qui Jordani domini de Insula litteras sigillo suo roboravit VI cal. Octobris 1226. Eodem rursus anno, nonis Octob. adstitit hominio quod Guillelmus-Bernardus de Marca-saba præstitit comiti Convenarum. B

XXI. Alfonsus præfuit ab anno 1231 ad 1239, mense Junio.

XXII. Arnaldus III *de Brantaleon* 1240.

XXIII. Matthæus *al.* Martinus a S. Felice 1242, 1246, mense Julio.

XXIV. Arnaldus IV *Garsias* 1249.

XXV. Theobaldus III 1250.

XXVI. Guillelmus III de Aura 1252 transigit cum Sibilla Marquesana priorissa *de Lont*..... C

XXVII. Augerius III 1255, mense Junio. Raimundum de Marra, magistrum totius ordinis de Spata, nec non fratres atque sorores ordinis ejusdem ad frugem melioris vitæ transmigrare cupientes, Fuliensi monasterio adunavit 15 Martii 1261. Obtinebat & anno 1266.

XXVIII. Arnaldus V *Garsias* 1269, 1271.

XXIX. Ademarus *de Francon* 1271.

XXX. Arnaldus VI *Garsias* 1272. Cum dominis de Ravidano transigit 1273. D

XXXI. Augerius IV multas monasterii possessiones a Rogerio de Aspello milite satagit firmari 1275.

XXXII. Johannes I de Bolonia 1275, 1279.

XXXIII. Bonus-homo 1281 transigit cum Bernardo *de Seysses*, laudante Sicardo de Bartis abbate Lumbariensi.

XXXIV. Odo de Casalibus 1285 usque ad 1324.

XXXV. Arnaldus-Guillelmus de Villamolli an. 1328 ad 1332. E

XXXVI. Guillemus-Arnaldus de Falgario ab anno 1339 ad 1348.

XXXVII. Raimundus-Attonis *de Sés* 1348, mense Julio.

Estiennot, frag. t. XII, p. 301. XXXVIII. G. occurrit anno 1353 in instrumento fundationis Abundantiæ-Dei.

XXXIX. Johannes II de Falgario 1355, 1359.

XL. Bernardus II de Calmo 1368.

XLI. Johannes III *de Tornecy* 1400.

XLII. Johannes IV *de Pequaymond* alias *de Pegaresse*, 1420, 1421.

XLIII. Johannes V de Pognanis 1428.

XLIV. Johannes VI *de Pequaymond* 1433, 1437.

XLV. Sancius *de Lagoussan* fit abbas 1450, & resignat 1455.

XLVI. Jacobus Clericus dictus *le Bourguignon*, post regimen septem annorum & sex mensium abdicat 25 Martii 1462.

XLVII. Arnaldus VII de Calvaria 1462, cedit autem 1493.

XLVIII. Johannes VII de Morario, secularis doctor in jure canonico, an. 1493 & 1498. Cujus tempore Gregorius, aliis Prejentius *Alari* prior pro abbate se gerebat.

XLIX. Guillelmus IV *de Bonneval*, archidiaconus Convenensis ecclesiæ, an. 1499 & 1500, mense Octobri.

L. Petrus II de Trilhia 1505, 1507.

LI. Petrus III de Caupena 1516. Obiit 6 Septembris 1522.

LII. Johannes VIII *Bernard* dictus de Abbatia, ex priore claustrali electus 19 Novembris 1522.

LIII. Bernardus III *de Labadie* 1527 in cartario Boni-fontis. Quondam abbas Fuliensis, rectorem de Leutiniaco prosequitur an. 1540.

LIV. Bernardus IV *d'Ornesan*, episcopus Lumbariensis, abbas Nisortii, possessionem adipiscitur an. 1539.

LV. Carolus *de Crussol*, filius Caroli baronis *de Crussol*, vicecomitis *d'Usez*, magni Franciæ panetarii, & Johannæ *Galiot de Genouillac*, nominatur 1550. Bullas non obtinet, eique datur œconomus Johannes *Bourgoin* 14 Maii 1558. Cum permissu regis in gratiam Johannis *de la Barriere* cessit 17 Febr. 1562, paulo antequam in obsidione Arausicana interficeretur.

LVI. Johannes IX *de la Barriere* in pago S. Cereni diœcesis Cadurcensis nobilibus parentibus, scilicet Bartholomæo *de la Barriere* & Leonarda *d'Amadon*, exortus est 23 Aprilis 1544. Litteris operam dedit Burdigalæ, Tolosæ atque Parisiis sub celebri Arnaldo *d'Ossat*, qui in posterum episcopus Redonensis & Bajocensis, tum cardinalis evasit. Per cessionem Caroli *de Crussol* Johannes abbatiam adeptus est 1562, bullas vero Romæ datas VII calendas Maii 1564, & possessionem 15 Julii 1565. Undecim annos cum abbatiam in commendam habuisset, seculum deseruit & in abbatiam Ealnensem se recepit, novitiatus exercitiis per annum vacaturus. Professione solenniter emissa 9 Maii 1573, benedictus fuit Tolosæ 7 Aprilis 1577 in solemnitate Paschæ, in ecclesia B. Mariæ Deauratæ, a Petro *de Lancrau* episcopo Lumbariensi, tuncque totum se dedit ut Fulienses monachos ad primævum SS. Benedicti & Bernardi institutum reduceret. In hoc opere multum sudavit, maximasque difficultates expertus est, saltem a monachis Cisterciensibus. Verum Sixtus papa V ab ipso cæterisque Fulii monachis rogatus interdixit abbati Cisterciensi, ejusque ordinis

ordinis superioribus ne ipsos aut successores ad relaxandum rigorem observantiæ cogere præsumerent. Interea Henricus III Franciæ & Poloniæ rex increbrescente Johannis fama commotus, ipsum ad se evocavit. Venit itaque Lutetiam cum sociis sexaginta an. 1587, & ab ipso rege in saltu Vicenarum die 11 Julii humanissime exceptus est. Inde cum suis die 8 Septembris migravit ad monasterium ipsis ab eodem rege exstructum in Parisiensi sancti Honorati suburbano, haud procul a cœnobio Capucinorum. Postmodum vero præfatus summus pontifex, idibus Novembris, petitione præcitati regis concessit ut congregatio beatæ Mariæ Fuliensis, tam per universam Galliam quam etiam per alia regna, virorum & monialium monasteria fundare & instituere posset. Quæ congregatio celebris in brevi dilatata variis in locis sedes fixit, præsertim in Gallia, Romæ & in Italia, ubi viget etiamnum congregatio a Francica omnino sejuncta. In bellis civilibus quæ regnum agitarunt, Johannes regi semper fidem servavit, ideoque apud summum pontificem a suis quibusdam accusatus tamquam fidei suspectus Romam petiit, ubi tam a celebratione missæ quam a regimine suæ abbatiæ interdictus est. Id opprobrium humiliter passus Dei misericordiæ confidit, quæ ei non defuit. Re quidem vera Clemens VIII, innocentia ejus cognita, ipsum ampla & honorifica absolutione sublimavit. Barrerius autem non diu supervixit, decessit enim Romæ 25 Aprilis 1600 cum sanctitatis opinione, annum agens quinquagesimum sextum, sepultusque apud S. Bernardum ad Thermas Diocletianas. Unde cor ejus in theca argentea inclusum delatum est ad monasterium Fuliense. Caput quoque & pedes in Franciam a Spondano Appamiensi præsule allata sunt an. 1626. Caput penes Fulium remansit, pedes vero traditi monasterio Parisiensi.

LVII. Johannes X *de Vallades* per mortem superioris a Clemente VIII provisus est abbatia anno 1600. Se autem abdicavit an. 1609 in gratiam capituli generalis, quod, Christianissimo rege Henrico IV jus suum cedente, gavisum est ab isto tempore facultate unoquoque triennio abbates designandi.

LVIII. Marcus-Antonius *Monier* dictus a S. Bernardo electus 27 Octobris 1610 possessionem adipiscitur.

LIX. Johannes a S. Malachia 1611.

LX. Johannes a S. Guillelmo 1614, 1617.

LXI. Carolus a S. Maria 1620, 1622.

LXII. Matthæus a S. Gerardo 1625.

LXIII. Carolus *Vialard* a S. Paulo 1628. Fuit ille primus abbatum Fuliensium, qui superioris generalis congregationis dignitate fuerit donatus. Quæ dignitas deinceps abbatibus Fuliensibus decreto capituli generalis addicta est.

LXIV. Carolus *Lausan* a S. Maria 1634.

LXV. Carolus *Vialard* a S. Paulo 1637.

A

LXVI. Matthæus *Maillos* a sancto Gerardo 1643.

LXVII. Arnaldus *Trapier* a S. Benedicto 1649.

LXVIII. Matthæus *Maillos* a S. Gerardo 1654.

LXIX. Arnaldus *Boc* a S. Bernardo 1660, 1663.

LXX. Cosma *Roger* a S. Michaële 1666 & 1669. Postea Lumbariensis episcopus.

LXXI. Petrus *Roger* a S. Francisco 1672.

LXXII. Johannes-David *Toutsens* 1678, 1680.

B

LXXIII. Johannes-Baptista *Pradillon* a S. Anna 1681. Obiit an. 1689.

LXXIV. Antonius *Fremicour* a S. Benedicto 1687.

LXXV. Johannes *Briard* a S. Francisco Salesio 1689. Obiit 1699.

LXXVI. Johannes-Baptista *Pradillon* a S. Anna 1699. Obiit Parisiis in cœnobio vici S. Honorati 17 Septemb. 1701, ætatis 61. Pluries generalis & auctor plurimorum operum.

LXXVII. Nicolaus a S. Scholastica mense Augusto 1702.

C

LXXVIII. Johannes *Granier* a S. Ignatio 1705.

LXXIX. Ludovicus a S. Cosma *Palarin* 1711.

N. *Dorat* præerat an. 1767.

CALERCIUM.

Calers.

GRANDIS-SILVÆ filia Calercium, ordinis Cisterciensis, de linea Claræ-vallis in Rivensi diœcesi, condita fuit anno 1147. Plurimi hujusce regionis viri fratres divitiis & latifundiis affluentes, totam terram suam quæ est inter Combam *de Goyre* & condominiam Rosanellam, usque ad rivum Calercii, Bertrando Grandis-silvæ abbati tradiderunt. Qua largitione a patriæ optimatibus confirmata, idem Bertrandus eo in loco construxit cœnobium, in quod ordinis sui hoc eodem anno monachos induxit. Huic abbatiæ concessa Alexander III summus pontifex roboravit bulla apud Montempessulanum data per manum Hermanni subdiaconi an. 1165, XII cal. Augusti, indictione XIII. Abbatum seriem qualem ex vetustis cœnobii monumentis eruimus, hic exhibere juvat.

Chart. IX, col. 156.

D

ABBATUM NOMENCLATURA.

E

I. STEPHANUS I anno 1148 a Guillelmo Petri & Johanne de Lissaco accepit terras & vineas quas isti habebant in locis de Eremo & de Roca-forti. Eodem anno Guillelmus de Aura & Raimundus Bernardi huic dedere terram *de l'Erm*, donumque suum confirmarunt anno 1149, astante Willelmo de Bella-aqua.

II. Johannes I, præsente Athone abbate Lesatensi, a Geraldo de S. Simplicio donatus est an. 1159 fundis in parœcia S. Juliani de

Tesaco, adeptusque est totum honorem de A Manica a Guillelmo *de Unsens*.

III. Guillelmus I Jordani quasdam possessiones in loco de Thesaco obtinuit anno 1161. Reperitur eodem anno, mense Augusto, fer. 2, luna 4, in charta Bernardi *de Orcas*, Raimundo existente episcopo Tolosano. Jordani de Lissaco nepotis sui tradentis medietatem nemoris de Calercio munificentiam expertus est an. 1164.

IV. Poncius I legitur 1164 in chartis Raimundi de Marsaco & Jordani de sancto Medardo terram de Monte-lobone concedentis, astante & assentiente Athone abbate Lesatensi. Eodem anno XII cal. Augusti recepit B bullam Alexandri III omnes & singulas monasterii possessiones firmantis. Subscripsit 1165 chartis Boni-fontis, & ab Amantio quasdam decimas apud S. Cyricum excepit.

V. Dalmatius I 1166 quædam percipit a Guillelmo Pontii de Aura, qui monasterii defensorem se fore promisit. Regebat & anno 1167.

VI. Aimericus I 1169 Rogerium *de Orsens* munificum sensit. Pedum pastorale obtinebat adhuc 1176.

VII. Dalmatius II, laudante Bertrando Tolosæ antistite, donativum Raimundi *de* C *Morlac* nanciscitur 1177. Eodem anno Arnaldus de Essartis se suaque bona ei religiose addicit. Recensetur 1178 in charta Raimundi de Pino.

VIII. Bernardus I a Raimundo-Atone de S. Simplicio plura consecutus est apud Thesacum anno 1180, eumque defunctum in monasterio sepelivit. Juxta litteras Wlgerii *de Mornac* donatus est grangia in eodem loco de Thesaco an. 1181.

IX. Willelmus II præerat an. 1187, ut patet ex instrumento Raimundi Maurini, qui quicquid habebat in terra Calercii cessit. D Pactionem cum Laurentio abbate Mansi-azilis iniit 1188.

X. Nicolaus occurrit 1189 in litteris Raimundi & Jordani de S. Medardo terram de Ribera tradentium. Diffidium habuit 1191 cum Athone *de Essart*. Adhuc etiam obtinebat anno 1193.

XI. Guillelmus III de Falgari 1199.

XII. Arnaldus I decimas S. Juliani de Monte-justo a Raimundo de Nogareda excipit 1199.

XIII. Rodgerius 1206 in donatione Poncii-Ademari de Rodeilla. E

XIV. Stephanus II 1208.

XV. Bernardus II 1211.

XVI. Ossanus 1214 dat ad censum vineam quam Atho Ademari *de Unsens* pro salute animæ suæ concesserat Aimerico abbati 1176.

XVII. Bernardus III 1215 plura a Raimunda uxore Stephani *de Chausant* recipit 1176 apud Altam-ripam. Adhuc superstes 1220, quo Willelmus *de Eschart* suas possessiones monasterio tradens, se ipsum ibidem Deo consecravit.

XVIII. Arnaldus II 1222 obtinet quicquid Bernardus de Chauraco, avunculus Raimundi de Aura, habebat apud Chauracum. Legitur an. 1223 in donatione Isalguerii de Mornaco, & an. 1225 in dono Arnaldi de Aura, sic etiam an. 1229.

XIX. Bernardus IV Hugonis 1231, 1238, 1239.

XX. Petrus I de Menebaco 1243.

XXI. Armengarius sive Ermengaudus 1243, 1244.

XXII. Raimundus I Fortanerii pepigit 1246 cum Petro de *Dalbs* abbate Lesatensi. Plurima nactus est 1248 ab Artaldo-Guillelmo de Pulchro-monte apud Mornacum. Reperitur quoque an. 1249.

XXIII. Raimundus II Bajulus 1250 plurimos beneficos expertus est, præsertim Maurinum Fredelacensem abbatem, a quo consecutus est domum in urbe Appamiensi.

XXIV. Stephanus III pactum iniit 1251 cum abbate Lesatensi. Quædam adquisivit 1253 ab Ayraldo de Alba-roca, & a Fabro de Biraco filio Azemarii. Transegit iterum an. 1255 cum Lesatensi abbate.

XXV. Raimundus III de Arsaco recensetur ad annos 1255, 1256, 1257 & 1258, quo ultimo Bernardus de Chauraco avunculus Raimundi de Aura dedit totum quod habebat apud Chauracum.

XXVI. Guillelmus IV de S. Expertio 1258, 1260, 1262, 1263, 1264.

XXVII. Bernardus V de Bosco 1264, 1273. Pontio Ealnarum abbate, & G. Candelii testibus & arbitris composuit an. 1275 cum Aldrico abbate Bolbonensi.

XXVIII. Guillelmus V Roberti 1279, 1280, cujus tempore Raimundus Atho de Alta-ripa sepulturam apud Calercium elegit.

XXIX. Bertrandus de Auriaco 1282. Composuit 1283 cum Bertrando episcopo Tolosano. Sedebat etiam annis 1284, 1285.

XXX. Aimericus II de Brasseolis an. 1287, die 7 exitus Martii, pactionem cum consulibus & civibus Appamiarum iniit. Reperitur ad annos 1291, 1294. Privilegium a summo pontifice impetravit 1297. Cum Lupo Fuxensi quoddam nemus Sabbato in vigilia Pentecostes commutavit 1306. Solenni reliquiarum S. Antonii detectioni adstitit anno 1307. Donationem Jacobi *d'Arnaudat* excepit an. 1310.

XXXI. Raimundus IV de Monte-lauro 1317, 1321, 1322.

XXXII. Stephanus IV licentiatus in legibus 1323.

XXXIII. Raimundus V de Monte-lauro 1328 & 1329, quo ultimo plurimas ad novam construendam ecclesiam suscepit eleemosynas. Præerat quoque an. 1332.

XXXIV. Guillelmus VI de Viridario 1334, 1339, 1343.

XXXV. Pontius II de Castanaco in vetustis monumentis dictus magister in sacra

pagina, & vir non mediocris litteraturæ, A decessit anno 1348.

XXXVI. Bernardus VI de Plano-villario 1348. Memoratur 1353 in charta fundationis Abundantiæ-Dei. Obiit an. 1356.

XXXVII. Martinus in locum Bernardi suffectus post aliquot menses regiminis moritur anno 1357.

XXXVIII. Petrus III obtinuit ab anno 1358 ad 1359, quo cessit in fata.

XXXIX. Petrus IV Aulerii, monachus Bolbonensis, Petro defuncto succedit anno 1359, & obtinet ad annum usque 1370, quo in Bolbonæ abbatem eligitur.

XL. Johannes II in actis conscribitur ad B annum 1430.

XLI. Antonius Solerii abbatis titulo fruebatur an. 1459. Eodem anno ad Bolbonensem abbatiam traducitur.

XLII. Mauricius Palabati, monachus Fontisfrigidi, 6 Augusti 1459 instituitur abbas a Philippo Clarevallensi, defectu abbatis Grandissilvæ, qui cum unionem Calercii Bolbonensi abbatiæ faciendam ambiret, & quidem fieri fategerat, & idcirco monasterio neglexerat providere. Quam unionem capitulum generale declaravit irritam 1460. Mauricius autem reperitur adhuc 1471.

XLIII. Jacobus Gallardi, monachus Fontis- C frigidi, magister in Theologia, ab abbate Grandis-silvæ confirmatur 28 Julii 1469. Supremum diem obiit an. 1478.

XLIV. Julianus Pellicerii baccalaureus in decretis, monachus Grandis-silvæ, non diu fruitus est; capitulum enim generale ejus electionem improbavit, & in ipsius locum suffecit alium abbatem 1478. Juliani obitus adnotatur 25 Junii.

XLV. Petrus V de Tauro ex priore in abbatem assumitur 1505, 26 Junii. Superstes quoque an. 1522.

XLVI. Maffredus Villaris electus anno 1529, æmulos passus est Antonium *Vernet* & Johannem de Clotta. Benedictionis munus accepit a Bernardo Appamiensi episcopo 18 Decemb. 1530.

XLVII. Georgius *d'Armagnac* Turonensis archiepiscopus 1548. Circa idem tempus funditus evertitur monasterium, ejusque pretiosa & chartarum vetera monumenta pleraque diripiuntur.

XLVIII. Lancelotus *de Carles* episcopus Riensis 1553, 1556.

XLIX. Petrus VI Sabbaterii 1560.

L. Albertus *de Nobles* 1584. Reservata sibi pensione cessit in gratiam nepotis 1620.

LI. Franciscus I *de Nobles* per superioris cessionem breve regium obtinuit 1620, & possessionem 11 Februarii 1622.

LII. Petrus-Annas *de Montfaucon de la Roquetaillade* pagi Limosensis commendam obtinuit per annos fere 30, & usque ad 1659 quo migravit e seculo.

LIII. Franciscus II *de Barthelemy de Grammond* San-Papulensis episcopus brevibus regio & apostolico dictus est abbas an. 1660. Eo monasterio atque etiam Ealnensi gaudebat anno 1681.

LIV. Johannes-Mathias *de Barthelemy de Grammond* de Lanta, filius natu minor Jacobi *de Barthelemy de Grammond* de Lanta & Catharinæ *de Riquet*, abbas Calercii 1717, beatæ Mariæ de Arulis 1723, & Regalis 1725, episcopus Perpinianensis inunctus 26 Maii 1726, obiit in sua diœcesi mense Julio 1743, annum agens 55.

LV. Franciscus III *du Verdier*, episcopus Engolismensis, a rege nominatus est mense Septembri 1743.

LVI. N. *le Berthon* vicarius generalis Burdegalensis, deputatus ad comitia generalia cleri Gallicani 1750, obiit 24 Aprilis 1751.

LVII. N. *Guyonnet de Monbalen* obtinuit anno 1751.

ECCLESIA MONTALBANENSIS.

MONTAUBAN. MONTALBANUM vel Mons-albanus urbs dives, populosa & egregie munita, nobile olim castrum in finibus Cadurcorum & Tolosanorum, de quo Matthæus Westmonasteriensis & Petrus monachus Vallis-Sarnaii, solo ubere & amœno ad Tarnem fluvium situm est sub archiepiscopatu & Parlamento Tolosano. Locus iste antiquitus nuncupabatur Mons-Aureolus seu Aureoli ab ave ictero, ait Valesius, quam Giraldus Cambrensis Aureolum appellat, nostri *Loriot* corrupte pro *Loriol* a colore. Ibi vetustissima sub B. Martini nomine ordinis Benedictini abbatia a S. Theodardi aut Audardi Narbonensis archiepiscopi progenitoribus condita, sicut in vita ejus scribitur, a sepultura quoque ejusdem Sancti aliquando nomen ejus sortita est. Circa abbatiam paulatim adcrevit villa cujus abbas erat toparcha dicta Podium-Aureoli, vel Mons-Aureolus, in cujus vicinia incolæ novam urbem construere cœperunt, Alfonso comite Tolosæ & filio Raymundo S. Ægidii comite locum assignantibus, quam Montalbanum appellaverunt. Hujusce donationis vetus instrumentum latino idiomate scriptum anno 1144 mense Octobri Catellus in Occitanicis suis refert lib. II, extatque adhuc in publicis archivis civitatis, episcopii & capituli, cujus exemplar autographum damus Charta III, col. 182. in appendice. Constat etiam ex perantiquo urbis cartulario, post excessum Alfonsi comitis abbatem S. Theodardi Amelium querelam suam exposuisse apud Raymundum ejus filium & successorem, quod, nova urbe fundata, in ea migrassent cives Montis-Aureoli qui ei subjacebant, unde juribus suis fraudabatur; quamobrem concessit Raymundus, *ut media parte jurisdictionis, dominii & libertatum omnium atque immunitatum abbas S. Theodardi potiretur apud Montem-* ISLE-MADE vel VILLE-MADE. *albanum;* insuperque adjecit toparchiam Insulæ-madidæ, cujus conventionis tenor ex archetypis tabulis inseritur tractatui de franco allodio domini Gallandii: quæ quidem dynastia cum Chart. V, col. 184. sequioribus seclis in controversiam vocaretur, placito Parlamenti Tolosani 12 Septemb. anni 1633 episcopo adjudicata est, qua etiamnum potitur.

Verum, Raymundo Albigensium partes fovente, ejusque ministris obnitentibus, vix ullum effectum sortita fuit hæc transactio; quinpotius a comite S. Theodardi cœnobium diripiente abbas carceri mancipatus & tria castella, quæ jurisdictionis Montalbanensis erant, occupata, ut refert Catellus, donec a S. Ludovico, devicto Raymundo, Albertus tunc abbas cuncta sibi ablata nihilque relictum conquestus est: itaque intervenientibus Durando Albiensi episcopo, Pontio de Villa-nova milite, & Petro-Guillelmo de Castro-novo, inita est nova compositio Raymundum inter & Albertum in villa de Gaillaco mense Octobri 1231, qua donatio jurium regalium in urbe anni 1149, de qua superius, confirmatur, excepto quod media pars jurisdictionis in urbe Montalbanensi ad quartam reducitur, nullaque facta restitutionis mentione, Raymundus fatetur se feudi titulo castrum de Tolvio possidere, ex quo conjicitur illud retinuisse Raymundum ex tribus quæ invaserat. Instrumentum hujus conventionis quod Ch. XVI, col. 195. ab Henrico *le Bret* supra memorato gallice redditur ex latino authentico a se, ut testatur, viso & perlecto videsis, si lubet, in historia ejusdem civitatis Montalbanensis ibidem edita anno 1668. Aliud damus in probationibus Alfonsi S. Ludovici fratris, & Johannæ Tolosanæ uxoris ejus, quo hanc pactionem ratam habent mense Junio anni 1270 apud Armanzacas secus Aquas-mortuas. Inde a rege Philippo Audaci anno 1276, a Philippo Valesio mense Julio 1328, a Carolo VII 1442, & a Ludovico XI regibus eædem pactiones comprobatæ & confirmatæ fuerunt.

His itaque honorum ac privilegiorum titulis ornata S. Theodardi abbatia in sedem episcopalem erigitur a Johanne XXII summo pontifice anno 1317, diplomate dato Avenione 7 cal. Julii, pontificatus anno 1, ut testatur cap. Salvator. extravag. comm. de præbend. & dignitat. ubi corrupta est lectio *Theodori* pro *Theodardi*, & ecclesiæ Tolosanæ quam ex episcopali in sedem metropolitanam evexerat, subjicitur. Ibi pontifex Montalbanum vocat *locum insignem, ubertate multiplici rerum & hominum exuberantem, intra limites diœcesis Cadurcensis constitutum, a cujus jurisdictione & Bituricensis provinciæ ipsum exinit.* Paulo post alia bulla ibidem Ch. XIX, col. 203. data III cal. Augusti *monasterium de Monte-albano nuper in ecclesiam cathedralem erectum ab omni jurisdictione Bituricensis & Narbonensis archiepiscoporum ac Cadurcensis & quondam Tolosani episcoporum, capitulorum & etiam abbatum atque conventuum & ordinariorum quorumlibet aliorum ecclesiasticorum, quibus quomodolibet fuerat huc usque subjectum, perpetuo eximens; similiter quoad monasterium Casæ-Dei & abbatem & conventum ejusdem, quibus antea subjiciebatur, illud ab omni censu, præstatione, servitio &c. prorsus absolvit & totaliter liberat.* Tum novæ diœcesis Ch. XXI, col. 205. limites assignat & figit ex parte Tolosanæ justo ampliores, quales recensentur in fragmento bullæ apostolicæ apud Crucium & Sanmarthanos, e quibus eamdem transcripsimus. Urbs igitur a Cadurcensi episcopatu sic avulsa, partim in Aquitania ad Cadurcos, partim ad limites Galliæ Narbonensis superioris sita est. In tres dividitur partes, vetus Montalbanum, Villam-novam & Villam-Borboniam. Cathedralis ecclesia SS. Martino & Theodardo consecrata est,

in qua 24 canonici, ex quo ipsi adjuncta ecclesia collegialis, cum 60 circiter aliis ministris quos vocant hebdomadarios, præbendatos, clericos &c. rem divinam administrant. Primaria capituli dignitas est præpositus, secundaria archidiaconus major. Ibidem familiæ religiosæ plures variis temporibus institutæ, anno 1274 fratres Minores a vicecomitibus Montis-clari, Prædicatores a vicecomitibus *de Bruniquel*, Carmelitæ, Augustiniani, S. Claræ moniales ab Alfonso comite S. Ludovici fratre, Ursulinæ, PP. Societatis Jesu, PP. Capucini &c. In tota diœcesi unica est abbatia Bellæ-perticæ ordinis Cisterciensis. Parochiæ 86 numerantur cum pluribus annexis, quarum quatuor unitæ sunt capitulo. Archipresbyratus duo de Bello-monte & de Roca-maura. Eadem diœcesis incurrit in alias, ab oriente & septentrione in Cadurcensem, a meridie in Tolosanam & Lombariensem, ab occidente in Vasconiam. Sola urbs Montalbani posita est in provincia Cadurcensi, reliquæ partes diœcesis in Occitania & Aquitania. Episcopus sedem habet in conventibus & ordinibus Occitaniæ, quia major pars hujus diœcesis in ea provincia sita est. Hæc igitur civitas in qua erant quinque parochiæ amœno & feraci loco gaudet, sed hæreseos labe infecta, loco natura & arte munito nimis confisa, ab anno 1561 pene semper in reges suos Christianissimos rebellis fuerat; verum sub Petro *de Bertier* episcopo, qui apud regem, reginam & cardinalem Richelium favore & gratia plurimum pollebat, urbano magistratu ex bipartito facto in integrum catholico, subsidiorum, quæ Cadurci prius sedebat & Quæstorum curia ibidem evocata, novo segregum templo exciso, eorumque collegio seu academia Podium-Laurentii translatis, prisca patrum fides & avita religio refloruit, annitente potissimum & indefessis curis procurante eodem piissimo & doctissimo præsule. Montalbanensium episcoporum seriem primus texuit idem eruditus episcopus Petrus *de Bertier* ex archivis capituli & episcopii diligenter depromptam, qua usi sunt fratres Sanmarthani in ecclesiæ hujus historia describenda. Post hunc ampliorem edidit Henricus *le Bret* ecclesiæ Montalban. præpositus, in sua historia civitatis Montalban. quam ibidem typis mandavit an. 1668. Horum adjuti laboribus, novisque commentariis hinc inde conquisitis aucti, abbatum prius indicem, quorum nomina salva remanserunt, tum episcoporum ac præpositorum catalogum subjungemus, de Bella-pertica postmodum more nostro dicturi.

ABBATUM SERIES.

I. WILLARDUS anno I Lotharii regis 954.

II. Hugo I, cui, regnante eodem Lothario, Odo cessit prædium Sollotiense in agro Tolosano.

III. Basilius 961.

IV. Hugo II 963.

V. Theodgarius, cui anno 15 Lotharii datur prædium de Alciago in agro Caturcensi.

VI. Gauzbertus, rege Roberto, prædium *del Croset* accepit a Theossende.

VII. Geraldus an. 7 Roberti regis accepit ab Aimone locum de Primaredo, & a Rotgario prædium Puteanum, eodem rege Roberto. Occurrit & 997.

VIII. Arnaldus I anno 1003.

IX. Arnaldus II anno 1061. Philippo rege, Paxeriam de Menciaco cœnobio suo vindicavit, occurrit adhuc 1079, quo anno, ut videtur, cœnobium S. Theodardi subditum est Casæ-Dei in Arvernis, ubi tunc præerat abbas Seguinus, quod Gregorius papa VII probavit. Donatæ Cluniaco 1083 abbatiæ S. Saturnini interfuit.

X. Albertus I convenit Tolosam Urbanum II pro negotiis sui monasterii, ex chartulario Caturcensi. Citatur & an. 1096. Anno 1119 Callixtus II apud S. Theodardum hospitatus est, forte eodem Alberto abbate superstite.

XI. Hugo III præerat anno 1121. Huic G. Hospitalista & Bernardus Hugo de Frontaneo promittunt se singulis annis in festo sancti Theodardi super altare duos posituros solidos pro juribus quæ habebat abbas in ecclesiam de Verlhaco trans Tarnem, quæ antiquitus ex alode sancti Theodardi fuerat mense Septembri 1121. Raymundum Geraldum vel Geroldum monachum suscepit mense Julio 1134, & ab eo decimam terrarum quas habebat infra flumen Tarni simul recepit. (Chart. I, col. 181.) (Charta II, col. 181.)

XII. Albertus II ab Alfonso comite Tolosano & a Raymundo filio ejus terram ac dominium loci, ubi amnis Aveiron in Tarnem dilabitur, accipit ad construendam urbem, cujus protectorem se futurum comes pollicetur anno 1144, rege Ludovico, Caturcorum episcopo Guillelmo, & Tolosatum Raymundo; hancque donationem in gratiam capituli Montalbanensis Eduardus primogenitus regis Angliæ, qui tunc Aquitaniam obtinebat, postea confirmavit 11 Januarii 1363. Nec ideo tamen urbs nova, si de Montalbano agitur, ab Alberto abbate condita fuit. Nam mense Octobri ejusdem anni 1144 idem Alfonsus comes & filius ejus Raymundus *dederunt locum qui vocatur Montatiba ad opus ædificandi villam sive burgum habitatoribus tam præsentibus quam futuris. retento censu & usibus suis*, qui postea describuntur in hujusce donationis veteri instrumento. Nempe castellum habebat comes, quantum licet conjicere, & agros plurimos in eo loco, ubi nunc positum Montalbanum; quos incolis Montis-Aureoli tunc forte dominationis abbatis & monachorum abbatiæ sancti Theodardi, a quibus pendebant, pertæsis, cum ingentibus privilegiis & immunitatibus divisit, levissimo censu sibi retento, ut ibi urbem construerent. Hæc autem non sine magno abbatis ac monasterii damno perfecit comes; quippe qui non proprios tantum, sed etiam abbatiæ fundos quos usurpabat, cum juribus, servitiis & clientelis abbati debitis, (Charta III, col. 182.)

novis Montalbani civibus dimittebat. Hinc abbatis & monachorum S. Theodardi querelæ ad Eugenium papam III delatæ, quibus gravamina sibi a comite illata exponebant; & (Ch. IV, col. 183.) bulla ejusdem pontificis die 23 Junii 1145 data, qua mandat Arnaldo Narbonensi archiepiscopo & Raymundo Tolosano episcopo, quibus hoc negotium committit, ut de re inquirant, & si veras expostulationes abbatis compererint, comitem inducant ad satisfaciendum & damnum resarciendum intra 40 dierum spatium; quod si renuerit, urbem & diœcesim Tolosanam interdicto subjiciant, vetentque alia ministrari sacramenta præter baptismum & pœnitentiam in articulo mortis: ex his quid fuerit consecutum non videmus, (Vid. t. II hist. novæ Occit. p. 438.) at Alfonso ad bellum sacrum profecto, pauloque post demortuo, sub ejus filio & successore Raymundo rebus ad utriusque partis vota feliciter compositis, pax redintegrata fuit.

(Vid. ibid. p. 463.) XIII. Amelius conventui magno Biterris habito mense Maio anni 1149 adfuit, ibique transegit cum Raymundo comite Tolosano, qui cessit ei mediam partem villæ Montis-albani, seu medietatem jurium omnium quæ (Charta V, col. 184.) in urbe exercebat, simulque addidit plura privilegia in gratiam abbatis & monachorum S. Theodardi. Testes sunt hujus pactionis & sponsores Rogerius *de Beziers* Carcassonensis vicecomes, Sicardus *de Lautrec*, Sicardus *de Lauran*, Guillelmus *de Brugnieres*, & alii quos vide in chartis ad calcem editis. Sacellum S. Jacobi apud Montem-albanum ædificari permisit anno 1174.

XIV. Guillelmus I *de Severac* an. 1176.

(Ch. VII, col. 186.) XV. Galhardus ecclesias S. Stephani *de las Autuillas*, S. Jacobi de Faumonte & de Bello-videre, suo monasterio a G. episcopo Tolosano & capitulo S. Stephani Tolosani traditas abbati Bellæ-perticæ, sub annua pensione & retentione trium cartonum frumenti boni & legitimi, concedit anno 1188, ex tabulis Bellæ-perticæ & Montis-albani.

XVI. Guillelmus II 1191.

XVII. Raymundus Ademarius *(d'Azemar)* occurrit annis 1203 & 1212. Testis fuit an. 1210 in transactione inter Raymundum comitem Tolosanum & Raymundum abbatem Moissiaci inita. Graves habuit dissensiones cum comite, a quo incarceratus fuit per annum.

XVIII. Robertus a Guillelmo Cadurcensi (Ch. VIII, col. 187.) episcopo ecclesiarum a Guillelmo ipsius decessore donatarum confirmationem obtinuit anno 1215, eodemque autor est conventionis inter Bernardum abbatem Bellæ-perticæ & Raymundum de Ropato abbatem Moissiaci.

XIX. Arnaldus III 1219. Hujus aut proxime sequentis temporibus, nempe an. 1224, Armandus *de Bresons* abbas Casæ-Dei obtinuit ab Honorio III diploma seu privilegium, ubi inter abbatias huic celebri cœnobio subjectas san-Theodardensis recensetur.

XX. Albertus II, dictus Aurellia, Aurelha, Aurelianus & Aurioli, gallice *Aureilhe*, vicarium perpetuum in sacello S. Jacobi approbavit juxta mandatum Guillelmi Cadurcensis episcopi 23 Junii 1231. Eodem anno 13 Octobris, mediis arbitris Durando Albiensi episcopo, Pontio de Villa-nova milite, & (Chart. X, col. 188.) Petro-Guillelmo de Castro-novo, composuit cum Raymundo comite Tolosano super justitia aliisque juribus Montis-albani & Insulæ-amatæ, regnante Ludovico rege, Guillelmo episcopo Cadurcensi; quam compositionem ratam habuit Geraldus abbas Casæ-Dei. Hujus rei testes sunt Raymundus abbas Galliacensis & plures alii. Presbytero S. Jacobi pauperi sepulturam deneganti ob defectum quorumdam denariorum quos pro sepultura exigere solebat, injunxit 7 Julii 1236 ut nihil a pauperibus, ab aliis vero sepeliendis septem tantum denarios reciperet. Eodem anno Raymundo de Montepesato abbati Moissiacensi monasterium Exiense visitanti adfuit B. abbas Montis-albani, ubi forte legendum A.

XXI. Ildefonsus 1243, Alfonsus 1246, Andepulsus 1238, cum Guillelmo abbate sancti Martini *alias* sancti Maurini occurrit 3 Septemb. 1238 unus & idem, ut videtur, licet diversis nominibus designetur. Testis etiam 1243 in charta homagii quod Marquisia & Marcaderius filius ejus præstitere Bertrando abbati Casæ-Dei pro his quæ habebant in parochia S. Liberatæ. Arbiter etiam fuit anno 1244 inter Petrum Amanevum, & Bertrandum abbatem casæ-Dei & priorem sancti Liberatæ super dominio oppidi S. Liberatæ. Anno 1245 Bertrandus de Guilhiaco abbas Casæ-Dei visitavit cœnobium S. Theodardi, ubi ad disciplinam monasticam utilia edidit statuta quæ in Casæ-Dei tabulario asservantur. Petrum *d'Ambrogat* presbyterum ad curas ecclesiarum *de Frez*, *Antuillas*, de Laviaco, *d'Ordalilhas*, de Campguisa, & de S. Cyrico Geraldo episc. Cadurcensi præsentavit 1246.

S Namphos, incertum an diversus a superiore, quippe qui memoratur in chartis anno 1242. Cum consulibus & incolis Montis-albani pepigit 3 Junii 1247 ut nihil a sepeliendis in cœmeterio sui monasterii aut ecclesiæ sancti Michaëlis exigeretur, præter id quod defuncti testamento reliquissent; ab iis vero qui ab intestato morerentur, id unum quod sua sponte concederent, ex tabulis Montis-albani. Memoratur quoque in instrumento alio ejusdem anni die 12 Julii lingua patria scripto, quo mediis arbitris terminatur lis de decimis S. Mauricii orta inter Bertrandum *de Montaign* camerarium S. Theodardi, prioremque castri Sarraceni, & fratrem Raymundum *de la Brugueira* magistrum domus de Villa-Dei, & fratres ejusdem hospitii.

XXII. Petrus *Bermond* vel *de Bermond*, (Ch. XIII, col. 192.) Alexandri IV capellanus, in discordia electus pontificalium usum ab eodem pontifice obtinuit anno 1255, x cal. Augusti, pontificatus an. 1. Guillelmo *Laurens*, P. *de Castillon*, *Fraux* & *Fraux* ejus fratri ad 23 annos portum *del*

Perget donavit menſe Martio 1257. Excuſavit ſe an. 1258 abbati Caſæ-Dei, quod ad capitulum generale in feſto S. Roberti celebrandum accedere non poſſet. Alberto abbati Caſæ-Dei ceſſit anno 1260 prioratum *de Villamur* in diœceſi Montalb. ſitum. Adſuit ſacramento quod Bertrandus *de Riom* abbas Galliaci dixit Bernardo de Combreto epiſcopo Albienſi 1263. Clientelam recepit a Bertrando *de Mailhac* equite *de Villemur*, tutore Hugonis ac Bertrandi *de Mailhac*, aliorumque fratrum & ſororum 9 Julii 1266. Tranſactionem ab Alberto Aurelha cum Conſulibus initam approbavit menſe Februario 1266 (1267), una cum B. *Guiraud Vidal de Pots*.

XXIII. Bernardus de Mala-morte. Defuncto Petro, monachi qui a ſummo pontifice, eo quod C. regi Siciliæ decimas ad regni ſubſidium ſolvere detrectaverant, excommunicati fuerant nonis Novemb. pontificatus an. 3, ad electionem procedere non valentes, ad eumdem legaverunt Johannem eleemoſynarium. Clemens vero ut diſpendiis electionis Petri Bermundi obviaret, Bernardum de Mala-morte loci monachum abbatem eis præfecit. Sed Albertus abbas Caſæ-Dei, cui ſubjectus erat Mons-albanus, tribus a vacatione elapſis menſibus ſecundum generalis ſtatuta concilii, jus nominandi ſibi devolutum ratus, licet ad ſummum pontificem itum fuiſſet, Petrum Arnardi monachum ſuum nominavit abbatem & Bernardum excommunicavit: Petruſque vi & armata manu muros aſcendit, fores confregit, & poſſeſſionem violenter arripuit. Qua de re certior factus pontifex Bernardum ab excommunicationis ab abbate Caſæ-Dei latæ vinculo ſolvit V idus Martii, pontificatus 4; & menſe ſequenti præcipit abbatibus Moiſſiaci & Belli-loci, & archidiacono Cadurcenſi, ut ſacrilegos januarum effractores excommunicatos ubique denuncient. Pacificus ſic poſſeſſor Bernardus ab Alfonſo comite Toloſæ ſancti Ludovici fratre, & Johanna ejus uxore, tranſactionis inter Albertum Aurelha & Raymundum comitem Toloſanum initæ confirmationem obtinuit menſe Junio 1270. Donationem accepit Julio exeunte a Sicardo de Monte-acuto fratre Bertrandi abbatis Moiſſiacenſis. Jugum abbatis Caſæ-Dei conatus eſt eodem anno excutere, dum abbas Montem-albanum viſitaret: querela autem ad arbitrium Bertrandi Moiſſiacenſis abbatis delata, ſecundum Caſadenſem pronunciavit menſe Junio 1274, dixitque Bernardum Alberto abbati Caſæ-Dei obedientiam & fidelitatem flexis genibus promiſſurum. Eodem anno ſeu ſequenti Bernardus tranſegit cum Bertrando epiſcopo Toloſano de eccleſiis, beneficiis, primitiis & aliis juribus quibus gaudebat abbatia Montalbanenſis in diœceſi Toloſana 2 Febr. 1274 (1275); & 9 Martii cum Capitolinis de decimis quas monachi colligere debebant in locis *de Belſolelh, Campagnhas, las Groſſas* dictis, & alibi. Tranſactionem anni 1231, de qua ſuperius jamjam ab Alfonſo comite ejus rogatu comprobatam, iterum a Philippo rege Audaci cognominato curavit confirmandam an. 1276. Alberto abbati ejuſque ſucceſſoribus obedientiam & fidelitatem promiſit in monaſterio Caſæ-Dei III non. Novemb. an. 1277. Querelam habuit cum fratribus Carmelitis, quæ mediis arbitris finita eſt 30 Novembris 1280, ea lege ut iis data ſit facultas domus in urbe conſtruendæ, in eaque cœmeterium tam pro ſe quam pro civibus qui inibi ſepulturam deſtinarent, habendi, ita tamen ut tertia pars legatorum abbati & monaſterio San-Theodardenſi cederet. Donationes a Guillelmis deceſſoribus factas, & inter eas, eccleſias S. Michaëlis & S. Jacobi, ipſi Raymundus epiſcopus Cadurcenſis confirmavit 24 Junii 1281. Guillelmo de Longo-podio priori de Corundis dedit III id. Octob. 1284 decimas S. Sulpicii de Caſtaneda, ſub onere viginti ſextariorum frumenti. Medietas villæ de Breſſolis ei reſtituta eſt an. 1288. Excuſavit ſe an. 1290 abbati Caſæ-Dei, quod ad capitulum generale in feſto ſancti Roberti celebrandum accedere non poſſet, niſi hoc ad ſucceſſorem pertineat.

XXIV. Aſtorgius alias Auſtorgius, ex monacho Caſæ-Dei abbas Montis-albani ipſo anno 1290 ſucceſſiſſe videtur Bernardo de Mala-morte, & litem quam intulerat hic adverſus dominum *de Breſſols* de hominio abbati præſtando compoſuiſſe, quod quidem ipſe recepit. Toloſani ſenatuſconſultum impetravit menſe Martio 1291 adverſus Conſules urbis qui jurisdictionem ejus declinabant. Pepigit cum procuratore Grandis-ſilvæ 1296. Tredecim pauperibus quotidie monachi obſonium aſſignavit 1303. Capellam in monaſterio Caſæ-Dei in honorem S. Benedicti ædificavit, eique cenſus annuos addixit. Collatos a ſe prioratus de Corondis & de Campoguiſano a monaſterio dependentes revocavit an. 1306. Decimas vinearum de Toſa-fava eleemoſynarii officio annexas, ſed a ſe poſtmodum detractas ab illo, ipſi pro ſuſtentatione 13 pauperum reſtituit an. 1307, eodemque obiit.

XXV. Bertrandus de Podio alias de Biſturre Cadurcenſis, Imberti de Podio cardinalis forſan conſanguineus, ex monacho Caſæ-Dei, ut creditur, abbas Montis-albani, cum nullus fieret S. Theodardi abbas, niſi de fratrum Caſæ-Dei gremio, a Clemente V legatus eſt an. 1308, ut Picenum ad officium adduceret. Bertrando de Mailhaco domicello, ballivo ſuo, pro compenſatione officiorum ſibi ab ipſo præſtitorum, dedit anno eodem ad vitam decimas S. Syri juxta Bellum-montem, ſub annua heminæ frumenti penſione. Quatuor ad ejus preces litteras miſit rex Philippus Pulcher ad Seneſcallum Petragoricenſem & Caturcenſem, ſcilicet 15 & 16 Junii, 7 & 8 Julii anni 1314, quibus mandat ea omnia velle ſe obſervari quæ continentur in compoſitione olim facta inter R. quondam comitem

[Marginal notes: Ch. XIV, col. 193. — Chart. XV, col. 194. — Ch. XVI, col. 195. — Ch. XVII, col. 196. — Ch. XVIII, col. 202.]

Tolosæ, & abbatem conventumque monasterii Montis-albani. Cum Petro *de Nogaret* ab episcopo Albiensi delegatus, ipsum excusavit fer. 5 post Nativitatem B. Mariæ 1315 apud Ægidium archiepiscopum, quod concilio Bituricensi non adsuisset. Præsens fuit sententiæ Inquisitionis pridie nonas Martii, Sabbato 2 Quadragesimæ anno 1316. Eodem anno
A Bertrando abbati Montis-albani concessit Johannes XXII, IV id. Novemb. pontificatus I, primo vacantem prioratum seu decanatum ordinis Cluniacensis sub excommunicationis pœna a collatore, si secus fecerit, incurrendæ. Ex abbate factus est episcopus Montalbanensis a Johanne XXII, 10 Julii 1317.

ANNI CHRISTI

EPISCOPI MONTALBANENSES.

ANNI CHRISTI

DU PUY.

I. Bertrandus I.

Bertrandus de Podio, quo tempore abbatiam S. Theodardi tenebat, diuturnam apud sedem apostolicam moram fecerat, cui placida morum conversatione aliisque virtutum ornamentis pergratus fuerat. Hunc itaque ecclesiæ Montis-albani, quam in cathedralem erexerat, primum pastorem præfecit Johannes XXII ex abbate ultimo primum episcopum, eique nondum consecrato curam
1317. illius commisit III id. Julii 1317, pontificatus I, cui postmodum a Berengario Tusculano consecrationis munus Avenione procuravit. *Ad te*, inquit in extravag. capitulo, *ad cujuslibet*, *de præbendis & dignitatibus prædicti monasterii abbatem, quem litterarum scientia præditum, vitæ & morum honestate decorum, discretionis & consilii maturitate conspicuum, in temporalibus providum, in spiritualibus circumspectum, nobis & fratribus nostris placida tua conversatio continuata diu apud sedem apostolicam approbavit, direximus oculos mentis nostræ: quibus pensatis, de persona tua nobis & iisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis eidem ecclesiæ Montis-albani providimus, præficientes te eidem ecclesiæ in pastorem tibique curam illius in spiritualibus & temporalibus committendo, ac tibi postmodum faciendo per venerabilem fratrem nostrum Berengarium episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi.* Ecclesiam Montalbanensem sic in episcopalem erectam ab archiepiscoporum Burdegalensis & Narbonensis, episcoporum Cadurcensis & Tolosani, nec non abbatis Casæ-Dei aliorumque judicum ecclesiasticorum subjectione & obedientia qualibet
Ch. XIX, col. 203. prorsus exemit idem pontifex III cal. August. anni ejusdem. Paucis post diebus, nempe VI idus Aug. mensæ episcopi annexuit ecclesiam
Ch. XX, col. 203. S. Stephani de Tescone, cum suis pertinentiis, quæ prius Tolosanæ sedi annexa erat. Bertrandus cameræ apostolicæ solvit 5 Augusti, ex regestis Vaticani. At dum recederet a curia ut ecclesiam suam salutaret, in itinere decessit.

DE CARDAILLAC.

II. Guillelmus I.

Guillelmus *de Cardaillac* ex antiqua & nobili prosapia in Cadurcis, Bertrando domino de Cardaillaco & Bicula, sanctique Cyricii dynasta & Aleyde de Petra uxore secunda parentibus genitus, ex abbate de Pessano Auxitanensi

B Bertrando datus est successor a Johanne XXII pridie idus Novembris, pontificatus anno 2, licet ætatis defectum pateretur, sed quem supplebat probitas meritorum; litterisque eadem die datis archiepiscopo Tolosano, clero & populo Montalbanensi hanc electionem significavit idem summus pontifex. Cameræ apostolicæ per procuratorem promisit Guillelmus
13 Februarii 1318. Mense eodem, nempe 1318.
X cal. Martii, Johannes XXII concessam Bertrando ecclesiam seu hospitale S. Stephani de Tescone revocavit & in collegiatam erexit, biduoque post VIII cal. Martii ecclesiæ Mon-
C talbanensis fines & limites definiit, & episcopo Ch. XXI, col. 205.
5000 libras annuatim percipiendas assignavit; redditus ecclesiæ, sicut inter abbatem & monachos distributi erant antea, inter episcopum, priorem & capitulum partiendo. Hugo *Boischati* vicarius generalis Guillelmi Montalbanensis episcopi Guillelmo Othonis vicario generali Guillelmi Cadurc. episcopi significavit 19 Aprilis bullas Johan. XXII de exemptione & limitibus ecclesiæ Montalban. de quibus supra. Eodem anno, X cal. Augusti Guillelmum prohibuit pontifex ne canonicos S. Stephani de Tescone turbaret in possessione domorum
D quarumdam dictæ ecclesiæ adjacentium. Conventionis inter capitulum Montalbanense & Carmelitas initæ arbiter fuit 3 Martii 1320. 1320.
Consules qui suppressi fuerant 23 Januarii 1321 Tolosani vel Parisiensis, ut vult *le Bret*, senatusconsulto restituendos curavit in urbe
anno 1323. Transactionem anni 1231, de 1323.
qua jam sæpius, a Philippo Valesio confirmari
curavit mense Julio 1328. Cum capitulo 1328.
numerum monachorum ad 30 in ecclesia Montalbanensi decernit, & prioratus de Corundis & de Campoguisano ecclesiæ cathedrali adjunxit fer. 6 post festum S. Lucæ
E 1332, quæ postmodum, nempe anno 1343 1332.
confirmavit statuta Clemens VI bulla data XII cal. Febr. pontificatus 2. Eodem anno, fer. 5 ante festum Omnium-sanctorum, delinquentium monachorum cognitionem non officiali, nisi in gravi casu, sed priori majori attribuit. Litem habuit cum Consulibus pro administratione hospitalis domus S. Stephani de Tescone, & cum eis transegit 9 Septemb.
1335, eo pacto ut episcopus ejusque successores 1335.
administrarent per se vel per vicarios dictam domum, Consules vero præsentarent episcopo administratorem

ANNI CHRISTI

administratorem qui huic & illis simul rationem A
redderet. Eodem anno Viguierium constituit
Johannem Begonis, qui episcopi nomine jus
redderet. Statuta synodalia edidit in synodo
habita in Monte-albano die Martis post festum
S. Lucæ. Hæc habes Ampliss. collect. t. VIII,
col. 1560. Clemens VI bulla data IV cal.
1343. Junii, pontificatus 2, 1343 statuit a solis
capitulis ecclesiarum Castrensis, Montalbani,
Electensis, S. Papuli & Sarlatensis, ordinis
S. Benedicti, diœcesum olim Albiensis, Narbonensis, Tolosanæ, Cadurcensis & Petracoricensis, quas Johannes XXII in cathedrales
erexerat, eligendum suum quemque epis- B
copum, collegiatis ad electionem non vocatis.
Alia bulla VI idus Maii, pontificatus 4, idem
pontifex prioratum sancti Mauritii diœcesis
Cadurcensis capitulo Montalbanensi attribuit.
Jus procurationis sibi a canonicis & sacrista
ecclesiæ S. Stephani de Tescone debitum pro
ecclesia sancti Jacobi ejusdem urbis prorogat
Guillelmus 14 Febr. 1343, quo postea eos
exemit 4 Martii 1347. Transactionem inter
majorem priorem, capitulum ecclesiæ cathedralis, & inter commendatorem hospitii pauperum S. Antonii Viennensis de construendo
in urbe monasterio, sub quodam onere res- C
pectu capituli approbat & confirmat mense
1346. Novembri 1346. Fratribus eremitis sancti
1349. Augustini concessit anno 1349, 18 Maii, ut
ædificarent ecclesiam, claustrum & cœmeterium in Monte-albano ultra pontem Tarni,
ea lege ut singulis diebus missam celebrarent
tam pro episcopo quam pro monachis, &
annis singulis prior eorum offerret denarios
aureos duos sive florenos priori majori in
festo Assumptionis, tempore missæ solemnis,
solverent præterea tertiam partem oblationum
& octavam legatorum monachis sive capitulo D
Montis-albani. Transegit cum majori priore
& capitulo de querelis inter ipsos obortis circa
monachorum conversorum & donatorum dictæ
ecclesiæ correctionem, nec non jurisdictionem
tam in causis civilibus quam in criminalibus
dictorum conversorum monachorum & donatorum laïcorum. Hac autem transactione declarat episcopus, absente se, priorem majorem
synodos posse convocare, iis præesse coopertum
pelliceo amiculo, baculo pastorali ad manum,
statutaque decernere eadem qua episcopus
auctoritate; deque omnibus causis & monachorum & donatorum cogniturum, salvis ad E
curiam episcopalem appellationibus, 1 Martii
1350. 1350. Testamentum condidit 1354 &
1354. Bernardum Hugonem fratrem suum heredem
reliquit. Fundavit plures capellanos, quos
deinceps Petrus *de Chalais*, unus e successoribus heredes suos instituit; fundavit & sacellum sancti Benedicti in ecclesia monasterii,
quam & dotavit. Ignoratur dies & annus
1355. mortis ejus, qui tamen videtur esse 1355.
At in ecclesia sua sepultus est, ubi fit ejus
anniversarium 17 Martii.

III. Jacobus.

DE DEAUX.

Jacobus de Deucio, Bertrandi de Deucio
cardinalis Sabinensis nepos, sacrista Avenionensis & doctor decretorum, inter testes
nominatur in constitutionibus ecclesiæ Ruthenensis editis an. 1354 a patruo, qui eidem
episcopo Montalbanensi nepoti suo testamento
die Sabbati 17 Octob. 1355 condito Novellam Johannis Andreæ duobus voluminibus *Vid. Ménard.*
comprehensam legavit, eumque testamenti sui
exsecutorem instituit. Memoratur in duabus
chartis domus de Faudoanis 4 Septemb. &
12 Decemb. an. 1356 una cum suis vicariis 1356.
& officiariis. Transegit 27 Febr. ejusdem anni
aut sequentis cum majori priore & capitulo
super usu almutiæ & baculi, præsidentia synodorum, susceptione & correctione monachorum, quæ sibi prior vindicabat. Transiit
ad Vapincensem ecclesiam & cameræ apostolicæ pro ea solvit 20 Decembris 1357,
indeque ad Nemausensem an. 1362.

IV. Bernardus I.

Post Jacobum recensetur inter episcopos
Montalbanenses Bernardus, tacito gentilitatis
nomine, qui anno 1359 sedere debuit, nec 1359.
longo tempore præesse potuit. Hunc narrat
Henricus *le Bret* Montalbanensis præpositus &
historiographus innotescere potissimum ex
statuto & præscripto quod emisit in controversia inter cathedralem & collegiatam ecclesias
orta de nonnullarum parochiarum, monasterii
scilicet seu cathedralis & S. Jacobi limitibus,
aliisque juribus; quam postea litem iterum
diremit Arnaldus patriarcha Alexandrinus &
ecclesiæ Montalbanensis administrator a summo
pontifice creatus, ut infra videbitur, injecta
mentione & Bernardi & ejus statuti: cæterum
memoratur idem Bernardus in actis consistorialibus cameræ apostolicæ & apud Sanmarthanos. Unde illum ex Montalbanensium
præsulum albo expungere religioni duximus.

V. Bertrandus II.

DE CARDAILLAC.

Bertrandi V baronis *de Cardaillac* & *de
Bieule* ex Ermengarde *de Lautrec* Sicardi
vicecomitis filia natus, & Guillelmi decessoris
nepos ex fratre Bertrandus Bernardo succedit
an. 1360; & memoratur 24 Aprilis, Johanne 1360.
Francorum rege, in charta Beraudi de Faudoanis militis. Testamenti codicillos edidit
apud Montempessulanum ipso anno 1360,
ex archetypis documentis, quibus pontificem
maximum & capellanos sacelli S. Benedicti
heredes reliquit. Frater hic fuit Johannis
patriarchæ Alexandrini administratoris ecclesiæ
Ruthenensis, archiepiscopi Bracarensis & postmodum Tolosani, qui Bertrandi fratris funeri
interfuit, ipsumque e suggestu laudavit. Nonnulla ex hac oratione funebri excerpta leges
in notis Baluzii ad vitas paparum Avenionensium, ex quibus intelligitur quanta fuerit
Bertrandi sanctitas. Ipse est Bertrandus qui

ANNI CHRISTI

ecclesias S. Michaëlis & S. Vincentii univit ecclesiæ S. Jacobi quam in parochialem erexit de consensu capituli sui, pluribus tamen exceptis & reservatis in gratiam ecclesiæ suæ cathedralis, ut ex actis liquet quæ asservantur in archivis ecclesiæ collegialis. Post ejus mortem acriter litigatum est de futuro successore eligendo capitula inter cathedrale & collegiale, contendentibus canonicis vi bullæ cujusdam ferendi in hujusmodi electione suffragii jure se potiri, negantibus monachis, ex quibus coalescebat cathedrale capitulum: rebus hinc inde sic controversis summus pontifex ad quem causa tunc temporis deferebatur, cuique non invisa erant hujusmodi diffidia, utpote quæ illi facultatem dabant episcopatus eorumque proventus aulicis suis condonandi, lite sub judice relicta, administratorem perpetuum ecclesiæ Montalbanensi regendæ delegat qui sequitur:

VI. Arnaldus.

DE PEYRAREDA.

Arnaldus de Peyrareda, sic dictus in chronico Aymerici *de Peyrat* abbatis Moissiacensis, juris utriusque doctor, patriarcha Alexandrinus & administrator perpetuus ecclesiæ Montalbanensis, feuda ac oblias permutavit cum
1361. capitulo anno 1361, 7 Febr. Ecclesias de Deopantala & de Lesinchis erexit in vicariatum perpetuum, quem officio eleemosynarii cathedralis, episcopo servata collatione, univit 4
1363. Maii 1363. Eodem anno 6 Novemb. confirmat statuta pro reformatione ecclesiæ sancti Stephani *de Tescon* a Bernardo decessore suo condita, & canonicos illius ecclesiæ cum cathedrali capitulo & ecclesia sancti Jacobi conciliat. Memoratur in instrumento domus
1366. publicæ 1366. Ab Urbano V, bulla data IV non Julii, pontificatus 6, delegatus est ut inquireret de jure patronatus prioratus *de Biolion*, quod sibi vindicabat Bego episcopus
1368. adversus capitulum Cadurcense. Anno 1368, in festivitate Pentecostes adfuit concilio Vaurensi trium provinciarum per procuratorem. Martini de Texenderia clientelam pro domo sita in oppido Montis-albani excepit 2 Sept. Mense eodem die 22 absens, ut legitur in libro obligationum curiæ Romanæ, in collegium cardinalium adlectus est. Hujus quidem dignitatis nulla fit mentio in actis anni 1373 quæ de eo loquuntur, nec connumeratus est inter cardinales ab his qui de cardinalibus scripsere; quia, inquit Baluzius, extra Romanam curiam obiit medio tempore quod intercessit inter diem secundam & vigesimam secundam Septembris. Quinto enim post die datus est illi a summo pontifice successor.

Ch. XXIV, col. 210.

Porro Arnaldum de Peyrareda suspicatur Baluzius esse Arnaldum Bernardi de Poieto, nepotem Bertrandi de Poieto cardinalis, natione Cadurcensis, qui ex canonico Turonensi factus est archiepiscopus Aquensis an. 1348, & anno 1361 dulci patriæ illectus amore transferri se passus est ad ecclesiam Montalbanensem quæ sita est in Cadurcis, illamque ob eam rationem Aquensi prætulisse fertur, postquam patriarchæ Alexandrini dignitate ornatus fuisset, ne se ipso videretur inferior, ut temporibus illis assolet. Baluzianæ conjecturæ si quid favet, illud est quod legitur in regestis Vaticani, Johannem archiepiscopum Aquensem cameræ apostolicæ solvisse 23 Sept. 1361. Quod autem urget Arnaldo substitutum Bertrandum de Cardalhaco quem prædecessorem suum vocat Petrus de Chalesio qui sequitur, infirmius esse videtur: nam Bertrandus, sive ante sive post Arnaldum sederit, prædecessor fuit Petri; deinde Arnaldus non fuit proprie episcopus, sed administrator ecclesiæ Montis-albani.

VII. Petrus I.

DE CHALAIS.

Petrus *de Chalais* aut *Chalés*, abbas Coronæ Engolismensis, Arnaldo suffectus est non tanquam administrator, sed veri & proprie dicti episcopi nomine 18 Octob. anni 1368, ut legitur in historia Montis-albani, vel paulo citius, ut indicant sequentia ex actis consistorialibus depromta: Montalbanensi ecclesiæ vacanti per obitum Bertrandi providit Urbanus V de persona Petri præpositi ecclesiæ Nemausensis, licentiati in decretis, in presbyteratus ordine constituti: datum apud Montemflasconem V cal. Octob. pontificatus anno 6, ubi omisso Arnaldo, solius Bertrandi mentio injicitur, quasi Petro immediate præivisset in episcopatus regimine. Sed revocandum in mentem quod jam monuimus, ut ista concilientur, nempe Arnaldum administratoris non episcopi titulo hanc rexisse ecclesiam. Hinc ibidem dicitur Petrus electus tantum & nondum consecratus, recognovisse & promisisse cameræ apostolicæ pro Bertrando decessore 13 Octob. an. 1368. Ut ut sit regi Carolo V acceptissimus fuit, a quo legatus ad imperatorem Carolum IV, & cui in illa temporum acerbitate magno fuit adjumento, unde regia potissimum gratia procurante episcopatum videtur obtinuisse. Statim post eum adeptum vicarium generalem instituit Gerardum abbatem Bellæ-perticæ, qui an. 1370, 23 Martii 1370.
ejus nomine hominium excepit Navarræ *de Montaut* dominæ de Bressolis, quam & successores exemit ab onere sequendi abbates euntes ad capitulum Casæ-Dei. Transactionem inter Jacobum decessorem, vicarios ejus & officiarios, ac majorem priorem & capitulum, super usu almutiæ & baculi, præsidentia in synodis, correctione & susceptione monachorum confirmavit 16 Novemb. 1370. Controversiam habuit Petrus cum Consulibus Montalbanensibus super administratore hospitalis de Tescone quem nominaverat, contendentibus iis ad se id juris spectare: verum sententia vicit, quæ etiam confirmata fuit bulla anni 1372, cujus executores fuere major 1372.
prior ecclesiæ Montalbanensis cum abbatibus Grandis-silvæ & Bellæ-perticæ. Gravibus &

Le Bret, pag. 106.

ANNI CHRISTI

intricatissimis negotiis apud regem distentus,
ut conjicitur, ecclesiam suam anno tantum
1374. 1374 solemni pompa ingressus est. Huic
obviaverunt Consules solitum hominium exhi-
bentes die 10 Maii ante cimiterium ecclesiæ
S. Orentii, quibus & ipse vicissim spopondit
eorum se privilegia tuiturum & servaturum.
Ædificavit decem cameras in claustro colle-
gialis S. Stephani, quas canonicis dedit, ea
lege ut quotannis anniversarium ejus cele-
brarent. Facultate testandi sibi forte qua abbati
Coronæ Engolismensis ab Urbano V & Gre-
gorio XI data usus, testamentum condidit
1379. 13 Novembris 1379, quo sepulturam eligit
in ecclesia Montalbanensi ante altare beatæ
Mariæ, cui oblatus antequam natus fuerat. (Ch. xxv, col. 211.)
Romanæ curiæ 1000 florenos quos mutuo
illi dederat legavit, & 500 Clementi VII
Avenione sedenti, quem Gallia pontificem
maximum agnoscebat pro bello Insubrico:
ecclesiæ vero suæ pedum pastorale, mitram,
annulum & capellam nigram reliquit, cætera
autem successori suo. Inter exsecutores no-
minat Eliam Jacobi priorem Longæ-villæ
diœcesis Rotomagensis, & postea abbatem
Montis-olivi. Obiit 22 Novemb. & sepultus
est in cathedrali in sacello B. Mariæ, ubi fit
ejus anniversarium 16 Novembris, & xv cal.
Januarii in necrologio prioratus de Longa-
villa notatur.

VIII. BERTRANDUS III. (ROBERT.)

Bertrandus *Robert* aut *Roberti* quem Baluzius
opinatur filium Bernardi *Robert* & Johannæ
de Prulliaco, germanum autem Ademari
archiepiscopi Senonensis & cardinalis, ac Petri
decani S. Germani Autissiodorensis in vitis
pap. Aven. t. I, col. 1424; sed melius filius
Guillelmi Roberti militis, abbasque Tornutii
Cabilonensis, ubi vide tom. IV Galliæ Christ.
col. 974, cameræ apostolicæ promisit & recog-
novit pro Bertrando prædecessore 20 Januarii
1380. 1380. A Petro-Raimundo *de Rabastens*,
partim domino de Bressolis & aliis hominia
1381. recepit 4 Januarii 1381. Memoratur annis
1388. 1388 & 1393 in chartis Bellæ-perticæ.
1391. Prorogato ei tempore ad solvendum cameræ
1393. apostolicæ 23 Junii 1391, solvit 21 Decemb.
ejusdem anni. Circa id tempus domum emit
ad ædificandum episcopi palatium, quo hac-
tenus ejus decessores caruerant, ita ut succes-
sores ejus capitulo quotannis 28 libras turon.
solverent, & capitulum pro Bertrando preces
funderet. A Guillelmo cardinali de Agrifolio
institutus est inter alios testamenti sui exsecutor
1394. 24 Septemb. 1394. Statuta ecclesiæ colle-
giatæ nova confirmavit penultima die Augusti
1396. 1396, probante capitulo cathedrali. Servitium
1397. & officium decrevit 23 Aprilis 1397, quod
prior & capitulum ecclesiæ cathedralis in
capella sancti Martialis ibidem a se fundata
debebant implere. Emit domum quam suis
legavit successoribus testamento condito 18
1398. April. 1398. Nunc domus urbis publica sita
est ubi olim hæc fuit domus episcopalis præfata.
Eodem fundavit capellaniam S. Martialis in
cathedrali & suum anniversarium. De consensu
capituli sui confirmavit constitutiones Ber-
trandi *de Cardaillac* aliorumque decessorum
pro ecclesia collegiata 17 Decembris 1400. 1400.
Novos testamento codicillos addidit 12 Januar.
1401, quibus nonnulla quatuor mendicantium 1401.
religiosorum conventibus Montis-albani legat
tres auri libras ad missas pro se ipso faciendas
in ecclesia de Linhairaco; maxime vero heredes
suos instituit monachos ecclesiæ suæ cathedralis,
quibus 25 libras ad restaurandum baculum
pastoralem reliquit, & canonicis ecclesiæ col-
legiatæ sex cameras quas inter ecclesiam &
turrim campanariam construxerat. Obiit 5
alias 8 Septemb. anni, ut creditur, 1403.
Anniversarium ejus celebratur 5 Aprilis.

In actis concilii Pisani anno 1409 Ber-
trandus episcopus Montis-albani adfuisse dicitur
huic concilio per procuratorem: unde liquet
eum diutius vixisse ac sedisse; nisi forte dicamus
eum, dimisso episcopatu, superstitem misisse
procuratorem ad hanc synodum.

IX. GERALDUS I. (DU PUY.)

Geraldus de Podio, vernacule *del Puech*,
electus 13 Octob. 1403 promisit ex regestis 1403.
Vaticani. Vicarios generales instituit Petrum
Robert & Petrum *Faure* monachos suæ cathe-
dralis, qui ejus nomine possessionem inierunt
& solitum Consulibus sacramentum exhibuere
31 mensis ejusdem & anni. Transiit inde ad
ecclesiam S. Flori, natale ejus solum, ut volunt.
Vide tom. II, col. 426.

X. RAIMUNDUS. (DE BAR.)

Raimundus *de Bar* possessionem accepit & (Ch. xxvi, col. 213.)
Consulibus fidem obstrinxit servandi quæ-
cunque antecessores episcopi jura, privilegia
& pacta inierant cum civibus Montalbanen-
sibus 4 *alias* 9 Maii, *alias* 4 Septemb. anno
1405 *alias* 1406. Querelam habuit cum 1406.
priore majore & capitulo de synodo in
absentia sua celebranda, & de correctione
delinquentium monachorum conversorum ac
donatorum, quæ anno 1407 ab Hugone de 1407.
Tessiaco decretorum doctore, ecclesiæ Car-
pentoractensis sacrista, capellano & auditore
papæ, de mandato Benedicti XIII finita est
indictione xv: hancque transactionem ratam
habuit Johannes XXIII vi nonas Maii,
pontificatus 2. Litteris regiis donatus est quibus
ob privilegia regia prælatis linguæ Occitanæ
concessa, exemptus fuit 11 Augusti 1408 1408.
a manu regia apposita in bonis suis ab officiariis
regis. Confirmavit anno 1410, 23 Junii 1410.
unionem prioratus de Monte-alsato factam
a se officio eleemosynarii a quo pendebat.
Eodem anno transegit cum capitulo suo 23
Decemb. de usu baculi, mitræ aliorumque
vestimentorum quæ Petrus de Calesio epis-
copus testamento ecclesiæ suæ reliquerat, quibus
uti Raimundo capitulum permisit etiam in aliis

ANNI CHRISTI

urbis ecclesiis, ea lege ut episcopus ea capitulo A
restitueret. Anno 1411, VI nonas Maii bullam
Ch. XXVII, col. 214. accepit a Johanne papa XXIII, qua transactionem inter Guillelmum episcopum & priorem majorem Montis-albani de punitione & correctione monachorum confirmat. Eo sedente Clarissæ Anglorum metu e suburbio in urbem transferuntur, locus vero ubi degebant hodie nuncupatur *la place des Monges* seu monacharum; nunc earum conventus in suburbio positus est ad ripam Tarni. Raimundo præsente Gaillardus *de Villeneuve* abbatissæ procurator super altare ecclesiæ cathedralis duas auri libras intra missarum solemnia deposuit, B
ratione territorii in quo jacebat monasterium, seque teneri ad parem summam quotannis
1415. solvendam confessus est 1 Novemb. 1415. Sacristiam ecclesiæ collegiatæ S. Stephani de Tescone mensæ capitulari ejusdem ecclesiæ
1417. univit rogatu canonicorum 27 Octob. 1417, quod postea Nicolaus V & Clemens VII summi pontifices firmavere. In sigillo episcopi apparet imago beatæ Mariæ cum imaginibus SS. Martini & Theodardi patronorum ecclesiæ Montalbanensis a lateribus utrinque, inferius prostat episcopi genu flexi effigies cum tesseris familiæ. Constat autem ex bulla Martini V, C
1421. data anno 1421, conservatorem judicem ecclesiæ Albiensis fuisse Raimundum qui obiit 26 Martii 1424.

FAIDIT.

XI. Gerardus II.

Gerardus *Faidit* alias *Feyditi*, juris utriusque doctor & canonicus ecclesiæ Tolosanæ, fit
1424. episcopus a Martino V nonis Junii 1424,
1425. possessionem iniit mense Maio 1425, & ab eodem pontifice translatus fuit ad Conseranensem ecclesiam IV id. Septemb. ejusdem anni. Vicarii ejus generalis extant statuta D
quibus firmantur regulæ capituli S. Stephani.

COUTINE.

XII. Petrus II.

Petrus Cotinus (*Coutine* aut *de Cottines*) juris utriusque doctor, decanus sancti Petri Avenionensis, fit episcopus Montis-albani a Martino V, IV cal. Octobris 1425, & ab eodem transfertur ad Castrensem ecclesiam vacantem per obitum Raimundi cardinalis Castrensis IX cal. Novemb. 1427, ex regestis Vaticani. Procuratores nominavit 18 Aprilis
1426. 1426 episcopos Rivensem & Vabrensem, abbatem Galliacensem, Johannem Fabri in legibus E
licentiatum, & Petrum *Gardenne* baccalaureum canonicos S. Pauli Narbonensis, & camerarium ecclesiæ suæ, qui hanc in spiritualibus & temporalibus regerent, quousque ipse ad ejus regimen personaliter accederet; verum eam ne salutare quidem potuit propter ingruentia tunc temporis bella. Itaque Johannes Fabri unus e procuratoribus supradictis privilegia, consuetudines, usus & libertates ecclesiæ S. Stephani *de Tescon* confirmavit 12 Octob. sequent. quæ Petrus rata habuit Biterris 6 Martii, *alias* Maii 1428, ex tabulis illius ecclesiæ.

XIII. Bernardus II.

DE LA ROCHE-FONTENILLES.

Bernardus *de la Roche-Fontenilles* ordinis Minorum alumnus, magister in theologia, factus episcopus Cabellicensis a Martino V, IV cal. Junii 1424, ab eodem ad Montalbanensem transfertur IX cal. Novemb. 1427, 1427.
eodem die & anno quo Petrus decessor ad Castrensem, nec tamen ecclesiam suam ingressus est ante 29 Septemb. an. 1429. Delegatus 1429.
a summo pontifice canonicos ecclesiæ Albiensis absolvit ab excommunicatione quam in eos vibrarat Petrus Albiensis episcopus, eo quod ecclesiæ campanam infringi mandaverant, ex schedula quam papæ exhibuerant 12 Julii 1430. Societatem seu collegium confratrum 1430.
S. Mauri in æde S. Salvatoris castri Saraceni 11 presbyteris & priore conflatum instituit & dotavit 29 Januarii 1431. Carolo VII 1431.
regi pergratus fuit hic præsul, cujus mandato pluribus legationibus egregie functus est tam extra quam intra regnum, ut testantur antiquæ litteræ scriptæ Biturigibus 25 Augusti 1440. 1440.
Pro sanctione etiam pragmatica disponenda & promovenda plurimum laboravit. Debellatis Anglis in Vasconia, victor rex apud Montem-albanum hospitatus est in una e duabus ædibus episcopi intra urbis mœnia a Bertrando *Robert* comparata, & ab episcopo honorifice receptus, diplomate dato 19 Jan. 1442 concessit ei ut 1442.
ipse & successores domum pacifice possiderent sicut antiquum ipsius ecclesiæ patrimonium. Hoc autem quondam palatium episcopale postea partim versum est in domum publicam urbis, partim in templum Sectariorum, unde lis intercessit inter Annam de Muro-veteri episcopum & urbis syndicum, senatusque Tolosani consulto cautum ut ablatam domus possessionem recuperaret episcopus. Anno eodem Bernardus ab eodem Carolo obtinuit confirmationem omnium transactionum & privilegiorum, quæ tum comites Tolosani, tum antecessores reges Montalbanensi ecclesiæ concesserant. Testamentum condidit Parisiis 23 Septemb. 1445, quod reperitur in archivis capituli sui cathedralis, cui legat 100 aureos & 60 collegiali, ut pro animæ ejus salute orent. In eo asserit se ex Cabellicensi ad Montalbanensem ecclesiam fuisse translatum, & sepulturam eligit apud Minoritas Parisienses ejus sodales, ubi revera sepultus est fato functus 1445, exeunte Septembri.

XIV. Aimericus.

DE ROQUE-MAUREL.

Aimericus de Rupe-Morelli, prior major ecclesiæ Montalbanensis, & abbas Moissiaci, electus a capitulo cathedrali post obitum Bernardi, facultatem petiit & impetravit ab Odone Cluniaci abbate assignatum munus accipiendi 29 Octob. 1445. Ab Eugenio IV confirmatus 1445.
est bulla data XVI cal. Dec. pontificatus 15, aliaque ad Montalbanenses VII id. Jan. 1446. 1446.

ANNI CHRISTI

Retinuit interea administrationem abbatiæ A Moissiacensis. Litem habuit cum heredibus decessoris pro reparationibus ecclesiæ, quam
1447. composuit 29 Nov. 1447. In chirographis publicis recensetur annis 1446, 1447 &
1448. 1448 in bulla Nicolai V. Domnus Petrus *Valete* monachus & pitanciarius beatæ Mariæ Deauratæ officialis erat ecclesiæ Montalbanensis, sedente Aimerico pepetuo administratore Moissiaci, qui defunctus 16 Octob.
1449. anni 1449, sepultus est in ecclesia Moissiaci.

DU ROSIER.

XV. Bernardus III.

Bernardus de Rosergio Tolosanus, juris B utriusque doctor & Academiæ publicus professor in jure civili & canonico, ex cancellario & præposito ecclesiæ Tolosanæ electus Vasatensis per obitum Henrici Francisci X cal. Febr. 1447, transfertur ad Montalbanensem per obitum Aimerici vacantem a Nicolao V,
1450. ad preces capituli V id. Januarii 1449 (1450) ex regestis Vaticani, & ex bulla ipsa translationis, quam in instrumentis damus. Possessionem adipiscitur 2 Aprilis, & statuta ecclesiæ
Ch. XXVIII, col. 215.
1451. S. Stephani confirmavit 26 Febr. 1451. In urbem solemni pompa ingressus exceptus est 6 Julii. Inde ad metropolim Tolosam transiit C III non. Januarii 1452. Hinc emenda quæ diximus in Vasatensibus, tom. I, col. 1207 & 1208, ubi loco Bertrandi II & Bernardi II, unus est Bernardus II, unusque Raimundus quem in duos perperam divisimus. Cætera quæ ad Bernardum pertinent vide in archiepiscopis Tolosanis.

D'ESTAMPES.

XVI. Guillelmus II.

Guillelmus *d'Estampes,* cubicularius & subdiaconus Nicolai V papæ, & ecclesiæ Pictaviensis subdecanus, electus Montalbanensis
1452. III non. Januarii 1452, possessionem iniit D solemniter 3 April. anni ejusdem, translatusque fuit ad Condomiensem ecclesiam 18 Martii 1454, ex regestis Vaticani. Filius hic fuit Roberti de Stampis domini de Salebris, & de Firmitate Imbaldi *(la Ferté-Imbaut)* ex Jaqueta *Rolland.* Fratres habuit Robertum stirpis dominorum *de la Ferté-Imbaut* & *de Valançay* propagatorem, marescallum senescallum Borbonii, Johannem Carcassonensem & alium cognominem Nivernensem episcopum. De eo meminit historia mss. episcoporum Vasconiæ, quæ exstat in bibliotheca domus E professæ Tolosanæ Patrum Societatis Jesu. A Carolo VII Francorum rege missus fuit ad Alfonsum Arragonum regem, tum ad Fredericum Romanorum regem, cum esset tantum electus Montalbanensis, nondum initiatus, ut patet ex duobus instrumentis editis tom. VII Spicilegii, pag. 283 & 284. Ex eadem gente Stampensi prodiere Achilles cardinalis *de Valançay* & Leonorius ex episcopo Carnotensi Remensis archiepiscopus.

XVII. Johannes I.

DE BATUT.

E domo de Batuto *de Mont-rosier* in provincia Ruthenensi prognatus Johannes, ca- Ch. XXIX, col. 217.
meræ apostolicæ clericus bulla donatus est a Nicolao V, VIII id. Martii 1453 (1454), 1454.
pontificatus 7, & possessionem nactus est 18 Nov. 1455. Æmulum passus est Johannem 1455.
de Saint-Estienne Bellæ-perticæ abbatem, ideoque Montis-albani episcopatus in manu regis erat an. 1457. Petrum *de Carman* ex 1457.
cantore decanum S. Stephani de Tescone cum capitulo elegit. Anno 1466, die 10 1466.
Augusti Noteto Seguierio judici majori tum Senescallo Caturcensi dedit in feudum ditionem quæ Insula-madida, olim Insula-amata *(Isle-made)* vocabatur, forte quia vicinior erat Tarnensi fluvio, ea lege ut ipse & successores ejus unicuique episcopo in jocundo adventu par digitalium episcopalium exhibere tenerentur. Obiit anno 1470, sepultusque est in ecclesia cathedrali ad dexteram majoris altaris.

XVIII. Johannes II.

MONT-LAMBERT.

Nobilis Picto Johannes *de Mont-lambert,* monachus Cluniacensis, licentiatus in decretis, prior S. Martini a Campis, abbas S. Gildasii Bituricensis & Gimondi Ausciensis diœcesis, (omissus a nobis in catalogo abbatum sancti Gildasii, tomo secundo, col. 156) cameræ computorum ducis Aquitaniæ consiliarius & postea primarius præses, electus a capitulo per scrutinium Montalbanensis episcopus, confirmatur a Bernardo archiepiscopo Tolosano 23 Augusti 1470, & a Paulo II summo pontifice 1470.
calendis Julii 1471 per obitum Johannis *de* 1471.
Batut. Idem pontifex litteris ad populum Montalbanensem datis jubet ut eum recipiant eique obedientiam præstent Montalbanenses. Æmulum enim passus erat quoque Johannem *de Saint-Estienne* electum denuo & confirmatum an. 1470, sed quem evicit. Circa idem tempus a Carolo Aquitaniæ duce ad summum pontificem delegatus est, ut obtineret ab eo licentiam ducendi in uxorem filiam Caroli ducis Burgundiæ. Administrator S. Gildasii Bituricensis approbavit an. 1472 electionem 1472.
Aimerici ex priore de Tannaio abbatis Vindocinensis. Administrator etiam erat decanatus SS. Petri & Pauli de Cayraco 1 Septembris 1474. Deputatus est ad comitia regni Aure- 1474.
lianensia 16 Septemb. 1478, ubi rex Ludo- 1478.
vicus XI inter alia decreverat firmare & executioni mandare Pragmaticam sanctionem & universa in ea contenta; quæ res dilata & ad comitia Lugdunensia mensis Maii anni 1479 ablegata effectu tandem caruit, aut saltem intermissionem passa est ob bellum Belgicum. Obiit Johannes 29 Dec. 1484, 1484.
ut docet decretum electionis Petri *de Bidos* ejus in abbatia Gimondi successoris: 4 Jan. 1483.
1483, ex Sanmarthanis; & 29 Decembris 1483, ex chartis ecclesiæ Montalbanensis.

ANNI CHRISTI

D'AMBOISE.

XIX. Georgius.

De Georgio locuti jam sumus in archiepiscopis Narbonensibus & Rotomagensibus, tom. VI & XI. Decretorum doctor, notarius apostolicus & præcentor ecclesiæ S. Andreæ de Galliaco diœcesis Albiensis, electus Montalbanensis per obitum Johannis, legitur XVI
1485. cal. Januarii 1485, qua die Innocentius VIII scribit civibus Montalbanensibus ut Georgium admittant antistitem. Æmulos enim passus est Georgium *de Viguerie* eleemosynarium Montalbanensis ecclesiæ electum a capitulo, juxta statuta concilii Basileensis & Pragmaticæ sanctionis, ut loquuntur hujus electionis acta, 7 Maii 1484, qui interea obiit; Johannem *de Brugeres* cantorem Rutenensem, postulatum a capitulo, qui cessit; & Johannem *de Saint-Estienne* quicum contendebat Georgius anno 1485, quo defuncto similiter, senatus Tolosani decreto confirmatus Georgius 20 Nov. 1488, ex regestis Parlamenti, ecclesiam suam solemniter ingressus est 10 Maii 1489. Interim a Ludovico Germano episcopo Albiensi dictus est testamenti exsecutor 28 Januarii 1485.
1486. Occurrit & 7 Julii 1486 in chartis authenticis D. *de Gaignieres.* E Corbolio, ubi detentus
Vid. tom. II, col. 1481. fuerat, eo quod cum Ludovico Aurelianensi duce aliisque in Britannia fœderatis principibus quædam molitus fuisset, alio translatus est
1487. senatusconsulto anni 1487. A Carolo VIII, cui erat ab eleemosynis, & Ludovico XII regibus, qui eum magnopere diligebant, summis negotiis præpositus ad metropolim Nar-
1491. bonensem pridie nonas Martii 1491, tum Rotomagensem transfertur, creatus cardinalis, regni primarius administer, tum legatus in Francia. Vide tom. VI, coll. 106 & 107; & tom. XI, coll. 93, 94, 95 & 96.

D'AURIOLE.

XX. Johannes III.

Ex antiqua & nobili familia in Cadurcis Johannes juris utriusque doctor, Petri de Auriola Franciæ cancellarii sub rege Ludovico XI filius, archidiaconus Narbonensis, sigilli publici in Occitania custos, ac consiliarii Tolosani defungens magistratu altero qui ad episcopos spectat, Georgii translatione electus episcopus IV non. Decemb. 1491 æmulum passus est Petrum *de Sacierges* quem evicit Tolosani senatusconsulto 20 Julii 1492, factum ultima Januarii anni ejusdem episcopum Lucionensem per obitum Nicolai. Jam possessionem adeptus fuerat Johannes a tribus mensibus, scilicet die Veneris 13 April.
1492. 1492, Ludovico de Ambasia episcopo Albiensi præsente, sacramentoque se obstrinxerat Consulibus in capite pontis Tarni observaturum se religiose cuncta civitatis privilegia.
1494. Litem movit anno 1494 adversus canonicos S. Stephani de Tescone, eo quod ab episcopi se jurisdictione tum spiritali, tum temporali subduxerant, fulti privilegiis olim datis a Nicolao V & deinde a Pio II pontificibus

A maximis, quibus sancti Saturnini Tolosani & Moissiaci abbates huic capitulo judices conservatores præficiebantur: nihilominus tamen hos Tolosani senatusconsulto pervicit, & exinde statuta plurima condidit pro cultu divino eorumque reformatione placito Parlamenti Tolosani confirmata, quibus disciplinam ecclesiasticam inter canonicos collapsam studuit revocare. His quidem paruere nonnulli, cæteri vero tanquam a judice haud legitimo appellarunt, aliaque iterum sententia damnati sunt. Alterius generis actionem intendit an. 1501 1501.
B pro juribus feudorum monachis ecclesiæ cathedralis & canonicis sancti Stephani, nec non & S. Claræ monialibus, cujus eventum ignoramus, sed amicam videtur & pacificam inter partes initam fuisse 1512 compositionem ex donis 1512.
& legatis quæ postea singulis contulit. Novam interea movisse censendus est controversiam adversus capituli cathedralis monachos, qui viginti numero *summam sexaginta ducatorum auri de camera secundum communem existimationem in singulas monachales portiones* ad summum percipiebant *annuatim, distributionibus etiam quotidianis computatis,* quos tamen sic egentes ad triginta volebat augeri. Repressus enim
C fuit bulla papæ Leonis X, qua mandat archiepiscopo Tolosano, aut in ejus absentia, vicario ejus generali ut, *vocatis venerabili fratre nostro moderno episcopo prædicto & aliis qui fuerint evocandi, de præmissis Julio prædecessori nostro expositis te diligenter informes, & si per informationem ipsam præmissa vera esse repereris, priorem & capitulum præfatos, quamdiu singulæ portiones hujusmodi summam sexaginta ducatorum non excedent, ad recipiendum in eadem ecclesia aliquos monachos ultra dictum numerum viginti monachorum non teneri, nec ad id per modernum*
D *& pro tempore existentem episcopum Montisalbani, aut quoscumque alios cogi & compelli posse neque debere auctoritate nostra decernatis & eis concedatis &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Incarnat. Domin. anno 1512, XIV kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.* Cessit idibus *alias* 21 Julii 1516 episcopatu 1516.
in gratiam Antonii fratris sui filii & canonici Cadurcensis, annos nati 28, sibique retinuit mediam partem proventuum episcopalium, collationem canonicatuum, episcopale palatium & jus divinis officiis pontificalibusque muniis ad libitum fungendi. Sed suum hæc
E cessio non videtur effectum sortita; nullo enim episcopali munere functus fuisse traditur Antonius, quin imo canonicus tantum Cadurcensis dicitur in testamento patrui, qui alterum Antonium itidem nepotem suum heredem instituit, eique potestatem fecit ut prædictum Antonium adigeret ad solvendam 12000 librarum summam quam ipsi debebat, *quia,* inquit, *ingratus mihi fuit de multis beneficiis sibi præstitis.* Johannes enim facultate obtenta a Georgio cardinali sedis apostolicæ legato V id. Octobris an. 1509, testamentum condidit 13 Februarii 1518, in quo ecclesiæ suæ multa 1518.

legavit & capitulo Montalbanensi. Duabus campanis turrim cathedralis, æreo pulpito chorum & candelabro majore ornavit. Quinque sacellis ecclesiam suam & uno Clarissarum templum decoravit. Capitulo suo donavit 1300 libras fundo acquirendo, ea lege ut obitus 13 pro ejus animæ salute decantarent; eodem onere adstrinxit capitulum aliud collegiale, cui concessit decimas quas emerat in terra *de Baga* apud Cadurcos. Majorem præterea calicem capitulo cathedrali legavit, urceolos, candelabra quatuor & missale argenteo obtectum, quæ donaria marcas argenti 40 continebant, mitram insuper & casulam, ita ut successoribus inservirent, quibus tamen non liceret sine cautione quidquam horum alio transferre: geminam quoque stromatum supellectilem, aliamque successoribus præsulibus. Capsam argenteam fieri curavit in qua corpus S. Theodardi recondidit ex testamenti verbis hujusmodi: *Item volo & ordino quod capsa sive reliquiarium per me factum de puro argento, in quo fuit repositum corpus beatissimi Theodardi patroni mei perpetuo remaneat ad usum dicti Sancti, & in sacristia ecclesiæ meæ in armario ad hoc deputato, & quod successores mei habeant & teneant unam clavem, reliquam vero capitulum.* Libras 20 legavit cuique conventui religiosorum mendicantium: ordinavit etiam nosocomium pro pestis morbo laborantibus, quod quidem inchoaverat sub titulo S. Rochi, & ad quod absolvendum 3000 libras reliquit. Sepulturam elegit in sacello quod erexerat ad latus majoris altaris. Heredem instituit Antonium *d'Auriole* nepotem suum, filium majorem natu Johannis *d'Auriole* equitis. Executores nominat Antonium fratrem Cadurcensem canonicum, Jacobum *de Durfort* ex sorore nepotem, Johannem *d'Auriole* dominum *de Gramat*, Raimundum *de Vareze* abbatem Albæ-terræ, & Johannem *de Durfort* itidem nepotem & canonicum Cadurcensem. Porro domini *de Cabrerez* hujus episcopi bona possident matrimonio inito cum ejus nepte, ut ferunt domesticæ tabulæ. Obiit 21 Octob. sepultusque est in sacello supradicto. Anniversarium ejus celebratur 2 Martii.

DES PRÉS.

XXI. JOHANNES IV.

Johannes *des Prés* ex illustri familia dominorum *de Montpezat* in Cadurcis oriundus, Hugonis Caroli VIII regis Cambellani filius, castri de Monte-pesato dominus temporalis & collegiatæ ibidem a Petro Aquensi archiepiscopo & cardinali fundatæ decanus, curator Antonii *Barail de Cazillac*, electus & confirmatus episcopus Montis-albani legitur in instrumento confirmationis matrimonii Francisci *Rogier* de Convenis & Antoniæ *de Barail* 9 Junii 1517, proindeque vivo ac superstite decessore Johanne *d'Auriole*, cui forte coadjutor datus fuit per cessionem Antonii *d'Auriole* in cujus gratiam cesserat ipse patruus anno 1516, sed absque effectu, ut supra notavimus.

ANNI CHRISTI

Et certe Johannes abbas erat Gardæ seu Custodiæ-Dei Cadurcensis diœcesis, quo nomine permutasse videtur cum Antonio *d'Auriole* qui ei successit in ea abbatia. Vide tom. I, col. 186. Ut ut sit syndicatum monachorum suæ cathedralis suppressit 18 Octob. 1519. Capellanias sex in ecclesia de Monte-pesato instituit & dotavit an. 1520, 8 Octob. Statuta synodalia pro diœcesi edidit an. 1521, quæ typis excusa vulgavit 1526. Eodem anno 1521 canonicos sancti Stephani de Tescone jurisdictionem ejus detrectantes excommunicavit, qui summum pontificem appellarunt, a quo cum anno 1523 confirmationem accepissent bullarum Nicolai V & Pii II, quibus ab episcopi omnimoda jurisdictione fiebant immunes, Johannes senatum Tolosanum appellavit, cujus decreto anni 1533 confirmatur episcopi jurisdictio & capitulum S. Stephani mulcta 50 librarum punitur. Adstitit anno 1522 cum aliis episcopis Johanni *d'Orléans* archiepiscopo Tolosano ecclesiam suam solemniter ingredienti. Franciscus I rex procuratori ecclesiæ Montalbanensis licentiam dat 9 Aug. 1524 sedem apostolicam interpellandi pro monachatus depositione, bullaque in eam rem a Clemente VII papa impetrata eodem anno, monachi sancti Benedicti qui ab episcopatus erectione cathedralem ecclesiam occupaverant, deposito monachatu, fiunt canonici seculares an. 1525, annuente & permittente Johanne episcopo; qui paulo post statuta synodalia promulgavit pro præposito & canonicis ecclesiæ suæ cathedralis. Vide bullam secularisationis VII cal. Maii anni 1525 datam a Clemente VII, pontificatus anno secundo, quæ exstat integra & valde prolixa in cod. reg. mss. n.° 90, sæpius a nobis citato. Johannes *de Lettes* vicarius ejus erat 5 Aprilis 1529. Præscripta pro sodalitio Septem-dolorum virginis Mariæ in ecclesia Montalbanensi S. Jacobi instituto probavit & confirmavit 28 Februarii 1535. Castrum *de Piquecos* prope Montalbanum perfecit ad fluvium *d'Aveiron*, quod sub dominio est hodiernæ familiæ de Monte-pesato, ibique domicilium persæpe habuit, ubi etiam rex Ludovicus XIII commorabatur, dum Montalbanum obsidione cingeret an. 1621. Testamentum condidit anno 1537 asservatum in Thesauro Montis-pesati, quo omnia Pratensis domus bona Antonio ex sorore nepoti legavit. Vetera Montalbanensis ecclesiæ organa ad Montem-pesatum transtulit, ut constat ex charta 11 Januarii 1538, quanquam verisimilius id tribuit Henricus *le Bret* Jacobo ejus successori. Apud *Piquecos* obiit penultima Octob. an. 1539. Funus ejus solemni missa in pontificalibus celebravit Johannes de Narbonne Moissiacensis abbas. Humatur in capella S. Petri ecclesiæ de Monte-pesato.

1519. 1520. 1521. 1522. 1524. 1525. 1529. 1535. 1537. 1538.

XXII. JOHANNES V.

DE LETTES.

De Johanne jam diximus tom. VI, col. 365 in episcopis Biterrensibus. E dominis

ANNI CHRISTI

de Puechlicon in Occitania parentes habuit A
Antonium, cujus filium Petrus & Johannes
des Prés heredem instituerunt, & Blancam
des Prés eorum germanam, e quibus dynastis
propagata est illustrissima domus *de Montpesat.*
Decanus ecclesiæ de Monte-pesato, Johannis
avunculi vicarius generalis ab anno 1529,
nec non jam episcopus Biterrensis ab anno
1537, fit & Montalbanensis per obitum
1539. avunculi Johannis anno 1539, retento simul
1543. Biterrensi, quem permutavit 30 Martii 1543
1544. *alias* 1544 cum abbatia Moissiacensi, de
licentia regis & summi pontificis, retinuitque
ecclesiam Montalbanensem. Vicarium generalem habuit & suffraganeum Petrum de Bisqueriis episcopum Nicopolensem, qui variis in ecclesiis, maximeque in Montalbanensi sacros ordines ministrabat: unde nonnulli nosque ipsi in Biterrensibus conjectabamus Johannem episcopatus administratorem tantum fuisse, nec unquam sacro chrismate inauguratum; quod improbatur tum ex litteris ordinum, tum ex vita Calvini a Volseco edita an. 1577. Præterea cum esset fratris sui Antonii Franciæ marescalli in Occitania proregis vicarius, ita ut ad se rediret summa rerum eo absente, regio intentus ministerio, ecclesiastico minus vacare poterat. Denique Johannis tanquam veri Montalbanensis epis-
1551. copi meminit Thuanus ad annum 1551,
lib. VIII histor. his verbis: *Tolosæ*, inquit, *ante triennum* (nempe anno 1548) *VI cal. Novembris senatusconsultum factum fuerat, quo impudicitia sacerdotum gravibus admodum & ignominiosis pœnis coercebatur, regiis magistratibus potestate facta in eos animadvertendi, quod judices ecclesiastici connivere, & hujusmodi criminum castigationem negligere dicerentur: rem ordo sacer gravissime tulit, querimoniaque ab episcopo Montalbanensi de senatusconsulto ad regem, qui tum Ambasiæ erat, delata, tandem pervicit ut sanctioris consilii decreto illud revocaretur, & tanquam contra sacra decreta, & ecclesiastica privilegia factum induceretur; negotiumque datum Petro Alto-claro libellorum supplicum magistro ut decretum regium exsecutioni mandaret, & injurias a sacerdotibus acceptas publice sarciret. Id actum III cal. Maias hoc anno.* Ex quibus concluditur virum eloquentem, & ingenio præditum, jamque sacris initiatum fuisse Johannem, qui delectus sit ut totius cleri nomine apud regem peroraret. Anno eodem 1551, die 24 Decemb. in vigilia Nativitatis Domini, inter decimam & undecimam horam matutinam in majori palatii episcopalis aula, requirentibus Consulibus, præstitit juramentum super *Te igitur* & Crucem,
Ch xxx, col. 217. quod ipsi prius præstiterunt. Transegit mense
Februario sequenti cum capitulo super collatione canonicatuum & dignitatum ecclesiæ.
1556. Aliquot post annis, nempe 1556, cessit ecclesiæ
Montalbanensi in gratiam nepotis Jacobi qui sequitur, & commendæ Moissiaci in favorem cardinalis de Guisia, factus a rege primus Loci-Dei in Ruthenis commendatarius IV id. Nov.
1557, & post spoliatam bonis ecclesiam pretiosisque rebus & ornamentis in fundum proprium *de Beauvais* juxta Montalbanum secessit, non tam ut privatam ruri vitam ageret, quam ut cupiditatibus & libidini indulgeret liberius. Nobilem enim Armandam *de Durfort de Boissiere* relictam Johannis *de Bousquet* toparchæ *de Verlhac* in conjugem non modo assumpsit, quod mense Maio 1556 accidit, sed Genevam quoque deduxit apostata factus: ibique acquisivit baroniam *d'Eaubonne* 15 Martii 1557 (1558). Testamentum condidit 26 Junii B 1559 in gratiam uxoris, Margaritæ filiæ, liberorumque Jacobi & Francisci, quos omnes ex Armanda susceperat.

ANNI CHRISTI 1557.

XXIII. Jacobus.

DES PRÉS.

Antonii Franciæ marescalli & Occitaniæ proregis deuterogenitus filius Jacobus, frater autem Melchioris domini de Monte-pesato & *de Piquecos*, clericus Cadurcensis patruo cedenti successit 4 Maii 1556, ex regestis Vaticani, admissusque est 19 Novembris sequentis. Decanus quoque ecclesiæ Montispesati commendis Loci-Dei Ruthenensis, C Stellæ Pictaviensis, Nobiliaci, S. Benedicti Quinciacensis* & Monasterii-novi potitus est. Vir fuit ferocis animi, pro fide tamen catholica quantum potuit zelo flagrare videri appetens, sed non secundum scientiam Dei; hanc enim non episcopali dignitate, qua nunquam consecratus dicitur, nec litteris quibus carebat, sed armis & militibus quibus ad ultimum usque vitæ spiritum præfuit, tutari voluit, & hæreseos enascentis incre-
menta in sua diœcesi annis 1560 & 1562 1560.
extirpare totis viribus est aggressus. Cum enim D an. 1560 Montalbani paululum primo grassari cœpisset hæresis, ubi novatores furtim conventicula habebant, sequenti anno fere omnes invasit, unde per vim ejectis ecclesiasticis & melioris notæ catholicis, statim basilicas, sacella & quæcumque ad ecclesiam spectabant diripuere, ut ex archivis urbis ipsisque sectariorum libris comprobatur, inter quæ novem parochiæ consulatus urbis vastatæ direptæque fuerunt, nempe sancti Michaëlis quæ erat parochialis antiquæ urbis de Pechauriolo, S. Stephani, S. Jacobi, Gassaræ, Albi-folii, *du Fau*, *de Leviac*, S. Martialis, & de Falqueriis, quæ E tres postremæ sunt jurisdictionis Cadurcensis episcopi, quanquam patronatus earum Montalbanensis juris sit, sicut & S. Petri campi Redonii, & *de Montalzat* apud Cadurcos. Sectarii ergo in urbe potiores rebellarunt, ecclesias ac monasteria diripuerunt, cleri bona invasere, & Catholicos rapina, vulneribus cædibusque & probris afflictos e propriis domibus expulere, nec non instrumenta publica ecclesiæ igne combussere. Ex Catholicorum partibus non minore æstu actum in rebelles Sectarios, ab ipso Jacobo de Pratis, quem mss. asserunt bello Montalbanenses vexavisse, maxime

ANNI CHRISTI 1562. maxime cum anno 1562 a Monlucio per menses plures urbs obsidione cincta est; quos enim hæreticos intercipiebat Jacobus, eos vir ferox plerumque procumbentes pede suffocabat, ulturus forte injuriam quam se credebat a Montalbanensibus accepisse, quod durante obsidione ipsum cum cardinale Strozzio depictum publice ex propugnaculo civitatis suspendissent. Sic ex utraque parte sævitum est, & cum omnes pietatem & religionem obtenderent, plures injurias privatas ulciscebantur. Tandem Jacobus cum armatus inter Bellofortium & Montem-pesatum incederet, ab hæreticis e Caussada oppido egressis insidiis oppressus, cum diu vitam ferro propugnasset, eamque spe 10000 nummorum redimere tentasset, proditione familiaris cujusdam nomine *Tabouret* sui aliquando mulionis perfide
1589. enecatus est 25 Januarii 1589 in loco dicto *Mondomere* prope *Loubejac*. Corpus ejus Montem-pesatum delatum ibidem terræ conditur in ecclesia. Dum viveret 1558 legitur emphiteutici dominii jura percepisse sententia senescalli civitatis, nec non ex urbis publicis instrumentis consensisse 5 Augusti 1579 in castello suo *de Piquecos*, postulantibus Consulibus, gymnasium construi. Henricus autem III rex statuit mense Octobri ejusdem anni professores subditos episcopo tum ab eo tum a Consulibus eligendos. Ipse est qui, ut jam observavimus, organa & peripetasmata ecclesiæ Montalbanensis Montem-pesatum transtulit, forte ne sectariorum præda fierent.

Defuncto Jacobo, canonici elegerunt vicarium generalem in spiritalibus, & 13 Junii
1590. 1590 administratorem in temporalibus Franciscum *de Prevost* baccalaureum & canonicum ejusdem ecclesiæ.

XXIV. Henricus I.

DES PRÉS.

Henricus *des Prés* marchio *de Montpesat*, filius Melchioris & Henriettæ *de Savoye*, nepos Jacobi, favente Henrico Lotharingo duce Meduanæ nominatur quidem Montalbanensis antistes; sed a summo pontifice nec confirmatus, nec bullis donatus cessit anno 1595 non consecratus & uxorem duxit.

XXV. Annas.

DE MURVIEL.

Ex antiqua domo baronum de Muro-veteri prope Biterras ortus Annas *de Murviel*, per cessionem Henrici consobrini designatur an-
1595. tistes anno 1595 a duce Meduanæ tunc a fœderatis, ut vocabant, electo coronæ Gallicæ præfecto generali. Annæ quidem contradixit Henricus IV rex qui marescalli *de Matignon* filium dictum *Thorigny* nominavit: at cum paulo post Meduanius in gratiam regis rediisset, episcopatum Annæ servavit. Annas itaque bullis donatus XVII cal. Decemb. anni
1600. 1600 a Clemente VIII, pontificatus 9, ea
Ch. XXXI, col. 218. lege ut fidei sacramentum præstaret ipsi pontifici & regi. Inunctus est apud Murum-veterem
1601. 15 Augusti 1601, sedisque possessionem anno

A eodem adeptus est. Sub ejus pontificatu Montalbanensis ecclesia ob bella civilia plurima passa est incommoda: cum enim Catholica religio ab anno 1561 ab urbe exulasset, ter sub Anna restituitur, & primum quidem anno 1600, 20 Augusti; secundo eadem die anno 1623 per Petrum *Seguier* dominum 1623.
d'Autruy, libellorum supplicum magistrum ac sacri consistorii comitem & postea Franciæ cancellarium, cujus auctoritate ecclesiastici pulsi in urbem revocantur, divinaque officia in ecclesia sancti Jacobi, destructo S. Ludovici templo, celebrata sunt: sed potissimum anno
B 1629, quo Montalbanum in potestatem regis 1629.
fuit redactum, Annasque qui hactenus in oppido *de Montech* remanere coactus fuerat, sedem suam in civitatem ipsam transtulit. Eodem quippe anno Johannes-Armandus *du Plessis* cardinalis *de Richelieu* civitatem ingressus die ipsa quoque 20 Augusti Catholicam religionem a multis annis profligatam erexit, & sequenti die, assistentibus archiepiscopis Tolosano & Burdegalensi, nec non antistitibus Montalbanensi, Albiensi, Rivensi, Valentinensi, Cadurcensi, Miniatensi, Vaurensi & Appamiensi, cum duce Monmorenciaco &
C Bassompetra equitum tribunis, multisque aliis proceribus nobilibusque viris, Missæ sacrificium solemniter celebravit in basilica sancti Jacobi, quæ turpiter a novatoribus deformata, tecto nudata, turrique duntaxat & muris residuis postmodum restaurata fuit in eum modum qui hodie visitur, & in cathedralem ab Anna erecta. Hujus autem in perpetuam memoriam beneficii singulis annis dicta die 20 Augusti publica fit supplicatio ab omnibus urbis ordinibus, in qua solemnes Deo aguntur gratiæ. Tunc Societatis Jesu Patres & Capucini introducti in urbem fuere, ut missione generali
D plebem ad cultum Dei excitarent: ducis vero Espernonii liberalitate postea iidem Capucini ad Tarnem fluvium cœnobium construxere. An. 1631 justitiæ præfectus, cui exsecutio re- 1631.
giorum edictorum pacis in Aquitania demandata fuerat, ecclesiasticis bona & jura restituit. Postea an. 1632 Franciscani fundo antiquo repetito 1632.
novum monasterium condidere; moniales S. Claræ desertum cœnobium eodem tempore repetunt, Carmelitæ patres sequenti anno ac moniales Carmelitæ 1635, Ursulinæ vero 1639 in urbem admittuntur. Quod spectat
E ad civilem gubernationem, Electionis societas, ut vocant, statuitur 1631, Præsidialis sedes 1632, & Quæstorum conventus 1635. Interim cum jura episcopatus per tot incendia bellorum dissipata investigasset Annas, senatus Tolosani consulto anni 1633, 12 Septemb. 1633.
media parte jurisdictionis & feudi potitur in urbe, rege aliam obtinente. Eodem anno abbatiam S. Jacobi Biterrensis qua fruebatur nepoti cessit, pensione retenta. Anno 1634 1634.
a cardinale Richelio in partem sollicitudinis pastoralis alterum vocare quasi coactus successorem simul & adjutorem acceperat 27 Augusti

ANNI CHRISTI

Petrum *de Bertier.* Tandem octogenario major, quippe annos natus 84, episcoporum Franciæ decanus obiit Montalbani 8 Septemb. 1652, & a successore solemni pompa sepultus est in sanctuario ecclesiæ S. Jacobi ad latus evangelii.

DE BERTIER.

XXVI. Petrus III.

Petrus *de Bertier* ex nobili familia Berteria Tolosana ortus parentes habuit Johannem dominum *de Saint-Geniés* in senatu Tolosano præsidem, & Eleonoram *d'Esplas de Graniague;* avos N. *de Bertier* & Franciscam *de Mansencal* natam Johannis *de Mansencal* principis ejusdem senatus; & propatruum Johannem *de Bertier* episcopum Rivensem, cancellarium Margaritæ reginæ ducissæ Valesii. Hujus etiam gentis erant Philippus Berterius dominus *de Montrabe* præses Tolosanus virque doctissimus, qui parens fuit Johannis Berterii ejusdem Parlamenti Tolosani protopræsidis: Johannes-Ludovicus & Antonius-Franciscus itidem episcopi Rivenses; David Nicolaus primus Blesensis episcopus, pluresque alii scientia & eruditione, toga & armis mire commendabiles. Igitur Petrus cum in scholis Sorbonicis magna ingenii specimina edidisset, licentiatorum primus & laurea doctoris Sorbonici honestatus, ex canonico & archidiacono Tolosano, nec non abbate Loci-restaurati Suessionensis ac Bellæ-vallis Remensis diœcesis, a Ludovico XIII rege, cui elegantissimis concionibus potissimum innotuerat, annos tantum natus 26 coadjutor nominatur 9 Januarii 1634 Annæ de Muro-veteri Montalbanensi episcopo, præsertim ut operam navaret in diœcesi ab hæreticis corrupta, repurganda, & ad fidem orthodoxam reducenda: quod ecclesiæ bono studiose perfecit. Itaque bullis ab Urbano VIII cum futura successione donatus VIII id. Aprilis
1636. 1636 consecratur sub titulo episcopi Uticensis in partibus infidelium Montalbani coadjutor Tolosæ in basilica metropolitana die 30 Augusti anni ejusdem a patruele fratre Johanne-Ludovico *de Bertier* Rivensi, Henrico *de Sponde* Appamiensi, & Carolo-Jacobo *de*
1638. *Leberon* Valentino episcopis. Anno 1638 interfuit conventui ordinum Occitaniæ Carcassonæ habito, in eoque delectus est ut regi codicem querimoniarum provinciæ offerret, tuncque orationem elegantem habuit mense
1639. Aprili 1639 regi gratissimam, cui de nato Delphino congratulatus est. Anno sequenti in cathedrali Montalbanensi toto Quadragesimæ tempore pias doctasque conciones habuit, quibus plurimos ad Catholicam religionem reduxit. Idem præstitit per Adventum in ecclesia S. Gervasii Parisiensis an. 1641, & per Quadragesimam in metropolitana Tolosana 1643, & coram rege 1649. Illustres plurimos defunctos laudavit disertis orationibus, quos inter funebri laudatione prosecutus est Tolosæ marescallum *de Schomberg* anno
1642. 1633, cardinalem Richelium 1642: idem
1643. mense Julio an. 1643 deligitur a Sorbonæ collegio Ludovico XIII justa solvente, ut regi oratione funebri parentaret; quo etiam munere egregie functus est in æde S. Genovefæ an. 1645 in exsequiis Francisci cardinalis *de* 1645.
la Rochefoucauld, & 13 Novemb. 1646 in 1646.
ferali pompa Armandi *Maillé de Brezé* ducis Fronsaci admiralis ac maritimarum classium præfecti in cathedrali Paris. ex decreto regis. Adstitit Leonorio *d'Estampes* archiepiscopo Remensi Jacobum *Lescot* Carnotensem episcopum anno 1643, & Dominico *de Vic* Auscienfi Petrum *de Gassion* episcopum Olorensem consecrantibus an. 1648. In solemni 1648.
regis inauguratione an. 1654 Remis peracta 1654.
delectus a clero Ludovicum XIV regem luculento sermone salutavit. Consiliarius episcopus in Parlamento Tolosano per cessionem Johannis-Ludovici Rivensis episcopi admissus est an. 1655. Deputatus a provincia Tolo- 1655.
sana ad generalia cleri comitia anno 1656, 1656.
iisdem præfectus est præses a clero, dumque celebrarentur Parisiis apud Augustinianos sororem cardinalis Mazarinæi defunctam oratione funebri laudavit; quod etiam præstitit ibidem in funere cardinalis ejusdem anno 1661 & 1666 in exsequiis reginæ matris Annæ Austriacæ, & octavo post die in funebri pompa serenissimi principis *de Conti.* Defunctum quoque Carolum *de Monchal* archiepiscopum Tolosanum Carcassonæ e suggestu laudaverat, nec non Alanum *de Solminihac* episcopum Cadurcensem anno 1659. Commenda Bellæperticæ donatus est a rege anno 1656, & ad eumdem Ludovicum magnum a provincia delegatus est an. 1661, ut ei de nato Delfino 1661.
gratularetur. Commendam Loci-restaurati cum commenda S. Hilarii Carcassonensis permutavit an. 1665. Ædificavit domum episco- 1665.
palem supra Tarnem, quam munifice perfecit ejus successor: egregios quoque hortos concinnavit supra Tesconem in ipso loco in quo fuerat cathedralis. Collegium & Academiam Reformatorum alio transtulit, munimenta eorum & templum novum destruxit, eosque a consulatu penitus amovit. Ærariorum quæstorum collegium urbi suæ procuravit, ut credentium augeret numerum, eumdemque in finem rei tributariæ tribunal Cadurcis Montalbanum transferri obtinuit. Seminarium fundavit & presbyteris Congregationis sancti Lazari regendum commisit. Omnia sua pauperibus operariis sustentandis erogavit; nec minus sollicitus de iis omnibus quæ ad ecclesiæ suæ decus & ornamentum spectare poterant, curavit ut Montalbanensium præsulum exacta series colligeretur ex veteribus actis capituli aliisque monumentis, cum crederet pastoralis officii sui esse ut decessorum antistitum memoriam, quam civilia bella & segreges fere deleverant, renovaret, cui id acceptum debebit posteritas, cum antea pene ignota Montalbanensium episcoporum successio jaceret. Rheda eversa, dum Tolosa rediret, vulneratus est & aliquanto post defunctus 28 Junii 1674.

ANNI CHRISTI

magno bonorum omnium desiderio sepultus est in sanctuario ecclesiæ S. Jacobi. Oratione funebri laudatus est ab episcopo Lumbariensi. Celebratur ejus anniversarium 27 Junii.

COLBERT. XXVII. JOHANNES-BAPTISTA-MICHAEL.

Consiliarius in Parlamento Parisiensi admissus 1 Aprilis 1667, canonicus ecclesiæ Parisiensis 3 Augusti 1668, licentiatus in theologia & magister Requæstarum Mariæ-Theresiæ reginæ, abbasque Mansi-Garnerii, nominatus est a rege episcopus Montalbani Johannes-Baptista-Michaël *Colbert de Saint-Pouange* &
1674. *de Villacerf* 22 Novemb. 1674, inunctusque est Parisiis in ecclesia Patrum *a Piquepus* dictorum 28 Octobris a Carolo-Mauricio *le Tellier* Remensi archiepiscopo, adstantibus Lingonensi & Matisconensi episcopis. Cathedralem ecclesiam inchoavit, vetus Reformatorum templum solo æquavit, eorumque religionem ab urbe penitus proscripsit & amandavit. Ecclesiam in suburbio Villæ-novæ in honorem S. Johannis-Baptistæ, alteram in honorem S. Stephani in suburbio *de Sapiac*, & hospitale construxit. Ædificavit quoque domum pro novis Catholicis, quæ postea cessit filiabus Infantis Jesu instruendæ & educandæ juventuti destinatis. Generalibus cleri Galli-
1682. cani comitiis anni 1682 interfuit e provincia sua deputatus. Proceres civitatis in profundum hæresis mersos reduxit in ovile suum 24 Aug.
1685. 1685, qua die quotannis decantatur solemniter hymnus *Te Deum* in gratiarum actionem. Denique 15 Aprilis 1687 assumptus est ad metropolim Tolosanam, ut diximus ibidem, col. 71.

DE NESMOND. XXVIII. HENRICUS II.

Abbas Casiaci Suessionensis Henricus *de Nesmond* renunciatus episcopus Montalba-
1687. nensis 22 Augusti 1687, adfuit comitiis ge-
1688. neralibus cleri Gallicani an. 1688. Ecclesiæ suæ cathedralis fundamenta jecit & plebes suas doctis mellifluisque concionibus instruxit.

Ad Albiensem metropolim translatum diximus 14 Augusti 1703, tom. I, col. 44, & deinde ad Tolosanam 5 Novemb. 1719.

XXIX. FRANCISCUS. DE VAUBECOURT.

Vide t. IV. col. 241 & 303.

Franciscus *de Nettancourt de Haussonville de Vaubecourt*, filius Nicolai comitis *de Vaubecourt* prætorii legati pro rege, ex Clara *Guillaume* secunda conjuge, regi ab eleemosynis ab anno 1687 mense Decembri, doctor theologus Facultatis Parisiensis 16 Martii 1688, abbas Cassaniæ Lugdunensis 1 Novembris 1691, biennioque post Athanacensis 8 Septembris 1693, post recusatas duas episcopales ecclesias in iisque Agathensem, nominatus a rege Montalbanensis 15 Augusti 1703 Romæ procla- 1703.
matus est 17 Dec. anni ejusdem, propositus 11 Februarii 1704 & Parisiis inunctus 30 1704.
Martii apud S. Victorem ubi hospitabatur, a cardinali *de Noailles* archiepiscopo Paris. adstantibus Ambianensi & Silvanectensi episcopis. Proprium Sanctorum suæ diœcesis a D. *Figuier* canonico compositum typis edendum curavit an. 1719. Populum suum recens 1719.
conversum verbo docuit & exemplo, pauperesque eleemosynis adjuvit. Cessit an. 1729 & obiit Parisiis 17 Aprilis 1736, annum agens 80. Vide diarium, vulgo *Mercure de France* ad annum 1736, mense Maio, pag. 1030.

XXX. MICHAEL. DE VERTAMON DE CHAVAGNAC.

Præcentor ecclesiæ Lemovicensis Michaël *de Vertamon de Chavagnac* nominatus a rege mense Julio 1729, sacratur 8 Januarii 1730 1729.
ab archiepiscopo Parisiensi in sacello suo, 1730.
assistentibus Suessionensi & Tarbiensi episcopis. Fato functus est in sua diœcesi die 25 Septembris an. 1762, quintum & septuagesimum ætatis annum agens.

XXXI. ANNA-FRANCISCUS-VICTOR. LE TONNELIER DE BRETEUIL.

Parisiis natus anno 1726, in episcopum unctus fuit 24 Februarii 1763.

DE PRIMARIA POST EPISCOPUM DIGNITATE IN ECCLESIA MONTALBANENSI.

QUAMDIU stetit in ecclesia Montalbanensi disciplina regularis & monastica, primaria post episcopalem dignitas fuit major prioratus, plures hoc titulo insignitos recensuimus in serie episcoporum, reliquos ob monumentorum penuriam silere coacti; postquam autem in secularem conversa fuit hæc ecclesia primas obtinuit præpositus, secundas vero archidiaconus major, quæ duæ sunt capituli dignitates, cum alter archidiaconus & cantor duo sint tantum personatus. Præposito primariæ & principali post episcopum dignitati multa & ampla concessa fuere privilegia in bulla Clementis papæ VII data 25 Aprilis anni 1525, pontificatus 2, qua regularem hujus ecclesiæ statum in secularem mutat, eaque decretis & statutis capituli sub Johanne *des Prés* episcopo conditis 9 Septemb. anni 1527 approbata & confirmata; utriusque fragmenta subjungimus, & primo quidem ex bulla: *& quod præpositus missas & alia officia divina cum pallio & baculo & aliis ornamentis convenientibus in eadem ecclesia, assistentibus sibi duobus de simplicibus canonicis inibi præsentibus, qui sibi gradatim assistere teneantur, celebrare possit, ac primum locum & primam vocem in capitulo & aliis illius tractatibus habeat &c.* tum ex variis articulis decreto capituli super hæc formatis, quorum primus qui de sede in choro & capitulo ac præeminentia præpositi inscribitur, his verbis continetur;

« Præpositus habet primam sedem in choro a parte sinistra introitus chori, & pariter in capitulo primam vocem, cum sit dignitas prima & major post pontificalem; & quoties celebrat divina solemniter officium faciendo in eadem ecclesia, vel extra, præsente capitulo, tenentur duo ex simplicibus canonicis præsentibus gradatim sibi assistere, & gremiale ante ipsum deferre, & diaconus bordonem solitum portare, sedeque parata & almussia uti, & habet autoritatem primo loco dandi vocem suam, seu emittendi capitulum & congregandi, singulorum vota inquirendi, & ordinata ad majorem & saniorem partem concludendi, & appunctuandi nomine ipsius capituli, cum ab omnibus ei debeatur honor major post episcopum. » His itaque prærogativis insigniti Montalbanenses præpositi ad hæc usque tempora secundum ordinem qui sequitur sibi invicem successere.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ MONTIS-ALBANI.

I. ANTONIUS *d'Auriole* germanus Johannis cognominis episcopi ex priore majore capituli primus post hujus ecclesiæ mutatum statum præpositus, præfuit comitiis in quibus statutum auctoritate summi pontificis & episcopi conditum, lectum est, ratumque habitum a capitulo 9 Septembris anno 1527. Obiit 24 Novemb. 1542. Prior Deauratæ cognominis obiit iisdem die & anno.

II. Jacobus *de Roque-maurel* abbas sancti Marcelli Cadurcensis, frater Antonii archidiaconi majoris, ex canonico & cantore præpositus 9 Februarii 1542 (1543) nominatus ab episcopo, æmulum passus est Petrum *Galant* lectorem regium a Francisco I designatum & a Paulo IV confirmatum 25 Aprilis anni ejusdem, quem tamen evicit: ejus in manibus sacramentum præstitit Johannes *de Lettes* 23 Decembris 1551. Capitulo generali adstitit 28 Junii 1552, eoque absente Antonius frater ejus archidiaconus major alteri præsedit 10 Junii 1560. Ipse vero obiit an. 1561.

III. Gabriel *d'Arjac* clericus Tolosanus & præpositus Montis-albani capitulo præfuit habito 19 Junii an. 1565 in ecclesia sancti Jacobi. Obiit an. 1588.

IV. Claudius *Champaignier* ex canonico & minore archidiacono præpositus a Jacobo *des Prés* renunciatus, cujus erat vicarius, episcopo vero defuncto, electus a capitulo vicarius generalis, hoc nomine sententiam tulit 25 Januarii 1591 adversus abbatissam Fontis-Ebraldi: adfuit quoque synodo Tolosanæ an. 1592 habitæ, ecclesiæ Montalbanensis nomine, sede vacante. Obiit an. 1595, & ejus anniversarium celebratur 12 Febr.

V. Franciscus *Prevost* natus e Castello-Saraceni, doctor theologus & canonicus, sede vacante electus a capitulo 14 Februarii anni 1595, & bullis donatus admissus est a canonicis 15 Septemb. 1596 & vicarius generalis constitutus; quod munus obibat sub Anna episcopo anno 1603. Quinquiennio post excessit an. 1608. Celebratur ejus anniversarium 11 Augusti.

VI. Nicolaus *de Lalain* natione Picardus, prior *de Bourniquel* Cadurcensis diœcesis, vir eximiæ litteraturæ & pietatis, vicarium generalem agebat, Annæ episcopo. Obiit an. 1625, cujus fit anniversaria memoria 11 Maii.

VII. Cæsar *de Murviel* Annæ episcopi nepos, baccalaureus theologus, ex præbendato canonicus & ex canonico præpositus, successit Nicolao nominatus a Patruo 17 Mart. 1625, & permutavit cum sequenti priore *de Bourniquel*.

VIII. Franciscus *Prevost* clericus Cadurcensis, licentiatus in jure canonico, prior *de Bourniquel*, facta permutatione bullas obtinuit XII cal. Decemb. 1626, potitusque est præpositura ad annum 1628, 9 Maii.

IX. Henricus *de Rotondi de Biscaras*, abbas Sendraci Electensis, præpositus 9 Maii 1628, permutavit an. 1634.

X. Johannes *de Contensous* natus *d'Auvilar* Condomiensis, prior *de Vianes* aut *Vaines* Cadurcensis diœcesis, præpositus mense Julio 1634, vicarius generalis episcoporum Annæ & Petri obiit mense Junio 1657.

XI. Johannes *de Cominihan* filius Matthæi regii consiliarii & Annæ *de Briun*, doctor in decretis, advocatus in Parlamento Tolosano, uxorem duxerat Margaritam *de Bertier* sororem Petri Montalbanensis episcopi, qua defuncta, ordinem sacrum ingressus a Petro factus est præpositus 22 Augusti 1657; tum canonicus & archidiaconus ecclesiæ Tolosanæ, ubi defunctus mense Octobri 1662 sepultus est.

§ Bartholomæus *Mercier* canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Stephani, annis & infirmitatibus gravis jure omittitur, quippe qui possessionem clanculum arripuit, nulloque præpositi officio functus est, jus tamen suum qualecumque dimisit in manibus Petri episcopi qui sequentem nominavit.

XII. Henricus *le Bret* e Veliocassino Normanico oriundus, Parisiis tamen natus, doctor theologus & canonicus, a Petro episcopo creatus fuit præpositus & admissus 24 Martii 1663. Quadriennio post, nempe anno 1667 duo collegia cathedrale & S. Stephani de Tescone in unum coaluere Petri episcopi & Henrici curis. Plura scripsit Henricus, in his historiam urbis Montalbanensis, quam Petro episcopo benefactori suo dedicavit & typis edidit Montalbani anno 1668, item historiam veteris & novi Testamenti anno 1684 vulgatam, & alia quædam opuscula ad paparum historiam resque circa fidem christianam controversas spectantia. Permutavit cum sequenti archidiacono mense Julio 1705.

XIII. Germanus *de la Bazoniere* natus apud Bajocas in Normannia, archidiaconus alter Montalbanensis, doctor theologus, vicarius generalis episcoporum Henrici *de Nesmond* & Francisci *de Vaubecourt*, permutatione facta cum præcedenti fit præpositus & admittitur mense Julio 1705; obiit vero 1 Maii 1707, annos natus 56.

XIV. Johannes-Ludovicus *de Faudoas de Seguenville* filius Petri-Johannis *de Faudoas* domini *de Seguenville* & Lucretiæ *de Roquemaurel-Montégut*, doctor Sorbonicus & theologus Montalbanensis, a Francisco episcopo delectus præpositus 3 Maii 1707 possessionem iniit die 4 ejusdem mensis & anni. Per integrum fere Francisci episcopatum vicarium ejus generalem agens sapienter ipsi cooperatus est in totius diœcesis administratione. Cessit e vivis mense Aprili 1732. Celebratur ejus anniversarium die 9 ejusdem mensis quo obiit.

XV. Adrianus *Guerie* presbyter diœcesis A Lexoviensis, licentiatus in legibus Facultatis Parisiensis, præposituram adeptus est vi pontificiæ gratiæ quam vocant *Indultum*, eaque potitus est ab anno 1732 usque ad 25 Aprilis 1749, quo sequenti eam transmisit.

XVI. Johannes-Baptista *Mettra* presbyter Parisiensis, doctor & socius Sorbonicus, præpositus Montalbanensis a die 25 Aprilis anno 1749 quo in possessionem ingressus est, permutavit 14 Februarii 1755 cum sequenti B pro prioratu simplici S. Juliani *de Guignaise* Diensis diœcesis.

XVII. Franciscus *Ramondy* presbyter Ruthenensis, doctor theologus & licentiatus in legibus Universitatis Tolosanæ, vi permutationis cum præcedenti factæ præposituram Montalbanensem suscepit 18 alias 23 Aprilis anni 1755.

XVIII. N. *de Malartie.*

XIX. N. *de Blondeau.*

Unica est in Diœcesi Abbatia.

BELLA-PERTICA.

BELLE-PERCHE.

CLARÆ-VALLIS filia Bella-pertica, Cisterciensis ordinis, ad sinistram Garumnæ ripam, quatuor a Monte-albano distat leucis. Huc ob aquæ penuriam & aëris inclementiam translata est, superstite & auctore S. Bernardo, e loco dicto Bella-perticula juxta Larazetum in monte una a Bella-pertica leuca posito. Condita autem fuerat duodecimo, ut videtur, seculo ineunte a vicinis dominis de Castromairano toparchis de Arcombato. Quodnam primi institutum secuti sint monachi, & quo precise anno hic plantati facile non est definire. Ex consuetudinibus Tolosæ anni 1286 colligitur eos non semper fuisse Cisterciensis instituti legibus astrictos. Qui autem fuerint primi hujus loci inquilini non liquet, nisi forte constituti primum inibi sint monachi B. Geraldi de Salis, sicut in vicina Grandis-silvæ abbatia; sed desunt prorsus documenta. Id tantum scimus scilicet potentes olim toparchas de Arcombato huic cœnobio dedisse originem & incrementum seculo duodecimo, eodemque sex eremitas seu monachos, ut alii bene multi, S. Bernardo Clarevallensi abbati dedisse nomen anno forte 1143, quem assignant auctores ordinis, sed non probant.

Damus in appendice translationis monachorum litteras, ut videtur, suppostitias, quæ tamen ad eliciendam aliquam monasterii ideam conducere possunt. Ch. VI, col. 185.

Basilica non impar erat cathedrali: quanta vero fuerint ædificia regularia, tantæ quæ supersunt, ruinæ docent. De hoc cœnobio præter Arcombatos, qui sepeliuntur, tam bene meriti sunt patriæ proceres, Tolosani comites, Lomaniæ vicecomites, toparchæ de Insula-Jordani, domini de Roca-forte, de Agra, C de Pressillaco, de Masalmonte & alii, ut in oppidum & gentem magnam excreverit hæc domus & fere ducentos monachos aut conversos aluerit. Sed quantum mutata ab illa est in qua adhuc Domino famulantur vix 30 aut circiter monachi! Huic autem asceterio præfuere qui sequuntur.

ABBATES.

I. AIMARUS regimen obtinebat ætate Rogerii Convenarum episcopi, qui sedit ab anno 1136 ad 1152; in eorum manu Willelmus *Garsias* de Pomeriis tradidit D abbatissæ Luminis-Dei puta Willelmæ terram *de Lesfue.*

II. Alquerius ille sane est abbas sub quo e Bella-perticula, in qua primitus sita erat abbatia, ad eum, in quo nunc est, locum ob aëris intemperiem & aquæ penuriam, volentibus & cedentibus toparchis de Arcumbato ejusdem fundatoribus, ac S. Bernardo Claræ-vallis abbate adstante & consulente, translata est. Beneficos expertus est 1164 Raimundum Tolosanum comitem, qui monachos & homines Bellæ-perticæ a leuda seu pedagio per omnes terras suas exemit, E & Othonem *d'Escuders*, qui terram de Bellopodio cum decimis parochiæ de Verduello donavit; 1166 Jordanum & Gauzbertum de Agra; 1170 Galterium & Bertrandum de Arcumbato, eorumque fratrem Guillelmum Bernardi; 1173 Guillelmum & Petrum sacerdotem; 1174 Montarsinum de Arcumbato; 1175 Bosonem *de Dunzac*, qui dedit terram de Bella-artiga; 1177 Bernardum & Raimundum *de la Bolbona*, Guillelmumque eorum fratrem; 1178 Othonem vicecomitem Lomaniæ & Vivianum ejus filium, qui exemit

Chart. VI, col. 185.

eos a pedagio, præsentibus Garsia-Sancio Lactorensi episcopo, atque Grandis-silvæ & Portaglorii abbatibus Guillelmo & Bertrando; 1181 Fulcrannum episcopum Tolosanum, qui dedit mense Januario ecclesiam de Cordua; 1182 Raimundum comitem Tolosanum, qui cessit quidquid acquirerent monachi in toto suo dominio; 1183 Arnaldum *de Donzac* in territorio de Rivo; 1185 Gauzbertum de Agra pro sepultura, & Raimundum *d'Escuders* & Peregrinum de Conchis, qui dederunt id quod habebant in terra de Lartiga in territorio Castri-Saraceni; 1186 Guidonem & Seguinum *de la Landa* & Seguinum eorum patrem; 1189 Bertrandum de Roca-forti, qui dedit honores *de Montenoy* mense Martio. Præsens fuit conventioni inter monachos de Capella & monachos Grandis-silvæ, & fratres hospitii pauperum *de Rosolassgas* 1173.

III. Bernardus a Lemosona filia Arnaudi de S. Genesio & a Peregrino de Conchis accepit anno 1190 terram *de la Sedada*, cum parte insulæ de Cordua. Occurrit 1191 mense Julio in tabulis Bolbonæ. Habitum conversi indulsit circa 1183, XII cal. Septembris, die Dominica Arnaldo Guillelmi Delga, qui & ipse plura largitus est monasterio, ea lege ut filius ejus in monasterium admitteretur, quando ad virilem ætatem pervenisset. Monachi vero dederunt Galhardæ uxori Arnaldi 250 solidos, quibuscum monasticam vestem induit in domo Bragairiaci ordinis Fontis-Ebraldi, ad ripam Garumnæ prope Bellam-perticam.

IV. Arnaldus *Gaubert* terram *de las Graissunas* coram Geraldo archiepiscopo Auscienci & Bernardo de Sabarra Lactorensi episcopo consequitur a Bernardo Amarto de Saureda. Reperitur in documento ad annum 1193. Bertrandus de Agra ipsi dedit aventuras & naufragia de Seuscopa an. 1200. Verumtamen an. 1202 Amanevus de Arcombato dedit honorem *de Gresas* in manu Hugonis prioris.

V. Hugo ex priore abbas emortui mancipii jure liberatur 1206 mense Januario. fer. 3, a Raimundo duce Narbonæ, comite Tolosæ, marchione Provinciæ, filio Constantiæ, pro domo quam ab Arnaldo de Ulmo & Garsinde uxore apud Montem-albanum acquisierat.

VI. Petrus I domus in Alto-villari libertatem a Viviano vicecomite Lomaniæ & Od. ejus filio obtinet pridie cal. Januarii 1210.

VII. Bernardus-Guillelmus de Scampodio pepigit an. 1215 cum Raimundo de Ropaco Moissiacensi abbate. Obtinuit XVIII calendas Januarii 1216 jus omne quod habebant in terris, quas abbas acquisierat a dominis *de la Landa* & *de Monsobila* in locis Pecareti & Aurioli. A Jordano abbate sancti Saturnini Tolosani accepit die 3 Junii 1216 terras & honores *de la Paisselle* & S. Mariæ *de Donzac*. Occurrit XV cal. Januarii 1219 in donatione Arnaldi-Raimundi de S. Porcario. Immunitate Pedagii per terram & aquas Raimundi-

A Bernardi de Duro-forti donatur nonis Maii 1225.

VIII. Stephanus memoratur anno 1231. Transegit cum Bernardo *de la Motte* super honoribus & bonis, quæ ad Guillelmum *de Castelnau Barbe-de-fer* pertinuerant 10 Julii 1236. Honores *d'Embrezii* & *d'Artiga* &c. a Napardalha filia R. Bernardi *d'Arcombat* ac vidua Raimundi-Arnaldi *de Preissac* accepit 7 die exitus Martii 1245. Multa acquisivit prædia a Petro de Malsamonte apud Coluras, *Pardaillan*, & alibi anno eodem.

IX. Laurentius composuit cum Raimundo (Chart. XI, col. 191.)
B comite Tolosano XI cal. Decemb. 1246, ex chartis Tolosanis.

X. Egidius cum nobili Bernardo *d'Aslafort* convenit de limitibus *de Larazet* 1251, VIII cal. Martii. Transegit cum Raimundo comite Tolosano de pluribus ecclesiis 1253. Querelam habuit cum Guillelmo Raimundi rectore sancti Aviti, quæ sopita est sententia arbitrorum, ipsiusque ad preces a Bartholomæo Cadurcensi episcopo an. 1254 laudata. Quatuor ecclesias, nempe S. Caprasii *del Benedor*, S. Johannis *de Las-Graissonas*, S. Martialis, & S. Martini consecutus est anno 1255 a
C Guillelmo Aginnensi episcopo.

XI. Simon an. 1256, die Dominica *Oculi*, Alfonso comiti Pictaviensi & Tolosano dimisit censum 10 librarum pro 100 bessibus auri, quos Raimundus comes legaverat monasterio fer. 3 ante festum S. Dionysii 1254. Cum Pontio abbate Grandis-silvæ transegit Dominica *Quasimodo* 1259.

XII. Guillelmus Vacca al. *Jaufre* nobilis Petracoricensis, ab Arnaldo Odone vicecomite Lomaniæ facultatem obtinuit exstruendi quot vellet villas in terris quas monasterium acquisierat in pagis Lomaniæ, Aginni & Tolosæ
D die 5 exitus Febr. 1263, & jus pascuorum in omnibus terris vicecomitis. Anno eodem seu sequenti litteras accepit ab Urbano IV (Ch. XIII, col. 193.) papa, quibus varias concedit indulgentias summus pontifex iis qui ad dedicationem ecclesiæ Bellæ-perticæ accesserint, ad quam fideles omnes invitat. Incolis oppidi *de Larazet* consuetudines præscribit 2 Junii 1265. Pedagii, leudæ, & saumatæ vindemiæ quam castello Alti-villaris solvebant, immunitatem nanciscitur ab Arnaldo Othone vicecomite Lomaniæ fer. 4 post Natale Domini 1265;
E quo sententiam obtinuit adversus priorissam S. Aniani, atque cum Bertrando episcopo Tolosano transegit. A Raimundo-Bernardo *de Durfort* domino *de Clermont Soubira* honores territoriorum *d'Arguanac* & *de Donzac* accipit 21 Novembris 1270. Eodem anno, mensibus Octobri & Decembri occurrit cum Bertrando abbate Grandis-silvæ. Diploma consecutus est a Philippo Audaci mense Septembri 1274 pro confirmatione prædiorum & eorum quæ monachi acquisierant in locis *de Montay*, *de Larazet*, & in forestis *dels Cavayers*. Cum P. decano S. Martini Turonensis, & Johanne

de Puteolis canonico Carnotensi deputatus est mense Augusto 1279 a Philippo rege judex jurisdictionis villæ prioratus sancti Sacerdotis diœcesis Tolosanæ ad monasterium Sarlatense pertinentis. Pepigit cum Arnaldo *de Biemont* domicello filio *d'Escorbon* militis super medietate territorii *de Pomaret* in Lomania 1281. Eodem circiter tempore transegit cum Raimundo abbate Mansi-Garnerii. Querelam habuit cum Bertrando episcopo, Vitali Vacquerii præposito, & capitulo Tolosano de ecclesiis nonnullis, quæ sopita est, arbitro Guillelmo Petri abbate Mansi-Azilis 9 exitus Aprilis 1283. Definiit 5 Novembris ejusdem anni quid parochiis ecclesiarum S. Petri *de Lastaonars* & S. Jacobi *de Garganvilar* deberent solvere incolæ pro exsequiis & administratione sacramentorum Baptismi & Matrimonii. Pepigit cum Bertrando *de Durfort* barone *de Clermont* de Pistrinis & Paissellis dominii *de Donzac*, quorum pedagium domino *de Durfort* adjudicatum est anno eodem. Pariagium fecit quarumdam villarum cum Eustachio de Bellomarchio milite anno 1285, 10 Januarii. In consuetudinibus urbis Tolosæ a commissariis regiis approbatis die Martis post Purificationem B. Mariæ 1285 (1286) legitur Guillelmus Vacca al. Guillelmus *Jaufre* abbas Bellæ-perticæ Cisterciensis nunc ordinis. Disceptavit cum Bertrando episcopo, Vitale Vaquerii præposito & capitulo Tolosano super ecclesiis S. Petri de Cordua prope monasterium S. Petri de Lastaonari &c. quos conciliavit Guillelmus Petri abbas Mansi-Azilis an. 1280, die 7 exitus Februarii. Occurrit adhuc 1288, 1289, 1290, 1292. Ipsum autem Vasatensem episcopum factum fuisse constat ex ejus epitaphio quod ad suppedaneum majoris altaris ecclesiæ Bellæ-perticæ sic legitur: *Anno Domini M. CCXCIII ante Cineres obiit dominus Guillelmus Gaufridi Petragoricensis diœcesis & castri de Cota olim abbas hujus domus, postmodum Dei gratia factus episcopus Vasatensis, cujus anima requiescat in pace.* Diximus tom. I, col. 1201 in epitaphio pro an. M. CCXCIII legendum esse M. CCXCVI, quo adhuc superstes decessoris sui Hugonis episcopi compositionem ratam habuit.

XIII. Galterius Viridis *de Clarens* & ipse diœcesis Petragoricensis abbas erat an. 1296, quo Elias Talairandi comes Petragoricensis & Lomaniæ vicecomes dedit monasterio terram *d'Ambrezun*, concessaque eidem prædia confirmavit an. 1299, 3 Decemb. Galterius vero præsentavit ad ecclesiam de Comnaco 1298. Triginta tres libras turonenses assignavit ad quindecim lucernas diu noctuque in ecclesia accendendas anno 1299. Fidem præstitit Bertrando de Guto Lomaniæ vicecomiti & Alti-villaris pro possessionibus monasterii in vicecomitatu Lomaniæ positis anno 1311, die 12 exitus Februarii. Memoratur etiam an. 1317. Jacet in capitulo.

XIV. Bertrandus de Servola homagium præstitit Bertrando de Guto vicecomiti Lomaniæ & Alti-villaris pro justitia loci de Pomareto 2 Martii 1323. Centum asses turonenses annui proventus recipit 1330, 5 exitus Februarii a Bernardo de Preissaco domicello, condomino sancti Michaëlis *de Cornelhan*, ea lege ut missas & preces funderent monachi pro eo & Vitale *de Preissac* fratre ipsius. Subdelegatus Olivarii de Cartzato canonici Eduensis & capellanus papæ ad cautelam absolvit Augerium abbatem Moissiacensem ab excommunicatione quam fortasse incurrerat exsecutionis causa factæ contra Petrum *Veruhas* in ecclesiam de Riqua-fronte, cujus auctor fuerat, 18 Januarii 1324. Transegit cum vicecomite de Terrida 1328. Hominium fecit abbati Moissiacensi de ecclesia *de Montay* an. 1334. Bullam accepit a Benedicto XII secundo idus Januarii, pontificatus anno 4, qua mandat pontifex officiali Caturcensi ut bona monasterii a modernis abbatibus alienata vel distracta revocare & restituere procuret. Transegit per procuratorem an. 1338 cum priore S. Salvatoris de Castro-Saraceni pro terris & pascuis insulæ sancti Genesii super Garunnam. Fidem juravit Johanni comiti de Armaniaco *de Fezensac* & *de Rodès*, vicecomiti Lomaniæ & Alti-villaris, pro locis de Pomareto & de Clusello aliisque 6 Novemb. 1344. Rexit ad annum usque 1349.

Ch. XXII, col. 207.

Ch. XXIII, col. 209.

XV. Raimundus Audeberti de Arbeliaco hominium fecit Johanni comiti de Armaniaco vicecomiti Lomaniæ & Alti-villaris pro justitia loci de Pomareto & de Clusello 8 Januarii 1349 (1350). Varias recepit recognitiones an. 1359. Obiit an. 9 Innocentii VI 1361.

XVI. Geraldus I vel Guiraudus Calcelli *Caucel*, ex abbate Belli-loci Rutenensis fit abbas Bellæ-perticæ ab Innocentio VI. Vicarius generalis Petri Montalbanensis episcopi instituit mense Januario 1368 officialem Montalbanensem. A Gregorio XI delegatus est an. 1371 ad eximendum quoddam canonicorum collegium a jurisdictione episcopi. Occurrit annis 1371 & 1376 cum Petro episcopo Montalbanensi & Bernardo abbate Grandis-silvæ. Mediis arbitris convenit anno 1378 cum Jordano comite Insulæ-Jordani & domino *de Clairmont Soubira* de quibusdam juribus 14 Febr. 1378. Biennio post Robertus de Preissaco miles codicillo facto multa Bellæ-perticæ legavit.

XVII. Seguinus de Roseto abbas 1383 fidem fecit Bernardo comiti de Armaniaco *de Fezensac* & vicecomiti *de Rodès* & Alti-villaris pro justitia loci de Pomareto. Pepigit cum Aimerico de Peirato abbate Moissiacensi an. 1386. Iterum præstitit homagium præcitato comiti Bernardo pro loco *de Clusel* 8 Novemb. 1393.

XVIII. Johannes I de sancto Sacerdote, vulgo *de Saint-Sardos*, nobili hujus nominis vicina Bellæ-perticæ gente ortus, sedebat an. 1407. Præsentavit ad ecclesiam *d'Angeville*

anno 1419. Taxationis monasterio suo pro A camera apostolica impositæ imminutionem obtinuit a Ludovico Arelatensi archiepiscopo Francisci Narbonensis archiepiscopi & camerarii papæ vicario 22 Maii 1424. Testamenti Bertrandi *d'Archombat* inquisitionem fieri curavit mense Januario 1435. Eodem anno transegit cum Agnete de Bona-fide ejusdem vidua.

XIX. Gasto *de Béarn* nothus Gastonis I *de Foix*, dicitur abbas Bellæ-perticæ in historia Magnatum Franciæ, tom. III, p. 382, & decanus Cadilhiaci absque alio ullo testimonio.

XX. Johannes II de sancto Stephano, ex B familia baronum *de Comberou*, jam erat abbas an. 1457, quo a nonnullis monachis electus est episcopus Montalbanensis. Hominium præstitit comiti Armaniaci 1461. Transactionem Bertrandi de Servola decessoris cum vicecomite Terridæ fategit confirmari a senescallo Tolosano 1466. Præsentavit ad ecclesiam *d'Angeville* anno 1482. Receptioni Georgii de Ambasia episcopi Montalbanensis electus quondam ipse intercessit 1484, quicum adhuc contendebat 1485 defunctus hoc anno.

XXI. Johannes III *de Cardaillac* claris C ortus natalibus, in abbatem electus mense Octobri 1485, pontificalium ornamentorum usum a Julio II obtinuit v cal. Jan. 1507, pontificatus 5. Hominium præstitit Carolo Alenconii duci, pari Franciæ, comiti de Armaniaco, pro locis *de Pomaret* & *de Clusel* a vicecomitatu Lomaniæ moventibus 26 Aug. 1522. Simul erat abbas Auriliaci. Defunctus autem in basilica Bellæ-perticæ ad suppedaneum majoris altaris in cornu epistolæ sepultus est cum hoc epitaphio; *Obiit reverendus pater frater Johannes de Cardalhaco abbas monasteriorum B. Mariæ de Bella-pertica & S. Geraldi* D *de Aureliaco Cisterciensis & S. Benedicti ordinum, Montalbani & S. Flori diœcesum, anno Domini 1543, die Mercurii IV cal. Decemb. Præfuit in hoc monasterio B. Mariæ ab anno Domini 1485, pridie idus Octobris, & hic requiescit. Cujus anima per misericordiam Dei & Domini nostri Jesu-Christi sine fine requiescat in pace. Amen.*

XXII. Petrus II *du Chastel* episcopus Matisconensis & magnus Franciæ eleemosynarius commendam obtinuit an. 1545, quo tempore abbatia regis in manibus erat. Transegit anno eodem 21 Octobris cum Garganvillanis de juribus talliæ, & permutavit cum sequenti anno 1551.

XXIII. Franciscus *de Faucon* successive episcopus Tutelensis, Aurelianensis, Matisconensis & Carcassonensis commenda Bellæperticæ fruebatur an. 1551.

XXIV. Carolus cardinalis *de Vendôme* archiepiscopus Rotomagensis 1553.

XXV. Georgius *d'Armagnac* episcopus Ruthenensis, dein archiepiscopus Tolosanus, possessionem iniit 11 Decemb. 1557. Obiit 1585, cujus tempore monasterium invaserunt Calvinistæ, monachosque plures interemerunt.

XXVI. Jacobus Geraudi memoratur annis 1598, 1610, 1612.

XXVII. Geraldus II *de Cessac*, e familia nobili apud Cadurcos, cessit anno 1617 in gratiam sequentis.

XXVIII. Johannes-Bertrandus *de Caminade* transegit cum monachis an. 1618. Deputatus est ad comitia cleri generalia a provincia Senonensi an. 1641. Rector erat B. Mariæ *de Cassaignoles* & vicarius generalis S. Pontii anno 1645, quo 13 Febr. iisdem comitiis deputatus adstitit. Obiit an. 1658.

XXIX. Petrus III *de Berthier* episcopus Montalbanensis, ab anno 1658 ad 1672, etiam abbas Loci-restaurati & post S. Hilarii Carcassonensis. Moritur 30 Junii 1674.

XXX. David-Nicolaus *de Berthier* Petri nepos episcopus Blesensis, commendatarius 15 Augusti 1674. Interiit 20 Augusti 1719.

XXXI. Carolus-Gaspardus-Guillelmus *de Vintimille du Luc* archiepiscopus Aquensis, commendam adeptus est 8 Januarii 1721. Dehinc Parisiensis archiepiscopus vitam finivit 13 Martii 1746, sepulturæ traditus in choro ecclesiæ metropolitanæ Parisiensis.

XXXII. Johannes-Felix-Henricus *de Fumel* Tolosas, vicarius generalis episcopi Venetensis, nominatus est a rege commendatarius Bellæ-perticæ 25 Junii 1746. Episcopus vero Leutevensis a rege designatus est mense Martio 1750, proclamatus Romæ 27 Aprilis, consecratus 25 Maii, fidemque regi dixit 14 Augusti.

XXXIII. N. *de Montlezun* vicarius generalis episcopi Mirapicensis commendam a rege consequitur 10 Febr. 1753.

ECCLESIA MIRAPICENSIS.

MIRAPICUM vel Mirapicium urbs episcopalis sita ad fluvium Lertium in comitatu Fuxensi Hispaniam versus, sub Parlamento Tolosano, fuit olim castrum a comitibus Fuxi dependens. Simon comes Montis-fortis dum adversus hæreticos Albigenses exercitui cruce signatorum præesset, id cinxit obsidione, cepit & tradidit Guidoni *de Levis* exercitus marescallo an. 1209, cujus posteri ad hanc usque ætatem obtinuerunt, marescallorum fidei nomine vel titulo semper servato. Illud vero castrum ingenti aquarum exundatione pene deletum fuit an. 1279 festo die SS. Cyrici & Julittæ. In decursu temporis Johannes papa XXII, qui primum quatuor tantummodo episcopatus ex Tolosano resectos, Tolosanamque ecclesiam in metropolim erigere constituerat, paulo post consilium cepit alios duos instituendi, quibus casus quasi fortuitus dedit originem. Accidit enim ut, cum metropolitano ejusque suffraganeis attributum fuisset annuum vectigal, superessent decem millia librarum ex ecclesia Tolosana
Char. XII, col. 236. provenientium, carentiumque assignatione. Tunc præfatus summus pontifex cupiens, ut ipse ait in bulla data V cal. Octobris 1317, de ipsis proventibus & redditibus sic remanentibus salubriter ordinare, volensque cultum divinum & spiritualem animarum profectum augere, villas de Vauro & de Mirapisce de Tolosana diœcesi ad id accommodas & convenientes, in civitates erexit ac decrevit ut prioratus S. Hellani Vaurensis & S. Mauricii Mirapicensis, uterque ordinis S. Benedicti, ecclesiæ forent de cætero & haberentur perpetuo cathedrales, Tolosano archipræsuli subditæ, unicuique concessis quinque millibus librarum proventus, cum quodam numero parœciarum, videlicet centum & quinquaginta ecclesiæ Mirapicensi. Per alias litteras expeditas VIII calendas Martii 1318 idem papa duodecim in hac ecclesia canonicos
Char. XIII, col. 238. constituit, quorum unus esset præpositus, alius archidiaconus, alius sacrista, aliusque præcentor loca & voces in capitulo juxta hunc ordinem obtenturi; Cæteri vero canonici secundum provisionum suarum ordinem. Præterea statuit ut in eadem forent quatuor capellani hebdomadarii, viginti octo alii capellani, duo diaconi & duo subdiaconi, nec non octo clerici in inferioribus ordinibus constituti, ac octo pueri pro capituli arbitrio & voluntate mutandi.
Ch. XIV, col. 241. Abbas autem & monachi S. Victoris Massiliensis, quorum juris erat prioratus S. Mauricii Mirapicensis, eodem anno, sui monasterii damnum resarciendi gratia, consecuti sunt prioratum B. Mariæ de villa-nova Graulheti in diœcesi Rivensi. Johannes *de Levis* toparcha Mirapicensis quædam bona huic novæ cathedrali impertitus est an. 1321 die 21 Decembris. Plures sunt in diœcesi diversorum ordinum conventus, in urbe patres Minoritæ seu Cordigeri observantiæ, Trinitarii sive Mathurini, apud Fanum-Jovis Dominicani, apud Calabriam Capucini, & apud Mazerias fratres tertii ordinis S. Francisci.

Episcoporum catalogus, si leves quasdam mutationes excipias, idem est quem Sammarthani in lucem protulere beneficio Petri *de Francazal*, canonici theologi, sacristæ, vicarii generalis & officialis Mirapicensis.

ANNI CHRISTI

EPISCOPI MIRAPICENSES.

ANNI CHRISTI

I. RAIMUNDUS.

ATHO. EX abbate S. Saturnini in urbe Tolosa, ut supra diximus, primus in Mirapicensem episcopum assumitur Raimundus Athonis anno
1318. 1318 ex actis consistorialibus Vaticani. Ad-
1319. stitit an. 1319 die 8 Decembris sententiæ quam præsules Appamiarum & S. Papuli in fratrem Bernardum Delitiosi Minoritam vibrarunt. (Baluz. not. ad vit. pap. Aven. t. II, 353. 355.) Pactis matrimonialibus Bertrandi de Turre & Isabellæ *de Levis* subscripsit diebus
1320. 9 & 21 Octobris 1320. Bis recensetur ad
1321. annum 1321, nempe 2 Augusti & 21 Decembris in certis litteris, quibus ipse vocatur reverendus pater dominus Raimundus divina providentia protopræsul Mirapicensis. Inquisitoris munus exercuit Appamiis IV & III
1322. nonas Julii 1322. Eodem anno calendis Novembris a Johanne XXII papa suscepit mandatum reconciliandi Amelio abbati sancti Saturnini canonicas S. Augustini degentes in parochia de Tauro apud Tolosam. Obtinuit usque ad annum 1325, legavitque capitulo 1325.
toparchiam sancti Martini de Landa simulque quoddam prædium ejusdem territorii pro dotatione missarum, ex regestis Mirapicensibus.

II. JACOBUS.

FOURNIER. Fuse de Jacobo jam locuti sumus in episcopis Appamiensibus ubi vide. Primum extitit monachus Bolbonæ, tum abbas Fontis-frigidi, & inde in Appamiensem episcopum delectus a Johanne XXII summo pontifice, qui eum ad hanc Mirapicensem sedem traduxit 26 Januarii 1326, ex actis consistorialibus. In 1326.
collegium cardinalium ab eodem papa relatus sub titulo S. Priscæ 1327, XV cal. Januarii, 1327.
feria VI Quatuor-temporum, ei successit & ipse an. 1334, 21 Decemb. in sede apostolica,

sumto nomine Benedicti XII. Diem clausit extremum Avenione VII calend. Maii 1342, sepultusque est in cathedrali ecclesia S. Mariæ de Domnis in capella Purificationis, ubi insigne & elevatum habet sepulcrum, sed pro dignitate summi pontificis non ut par est conservatum & ornatum, retro odeum concionatoris & in pariete sequens legitur epitaphium non sculptum, sed scriptum.

Hic subsunt ossa & cineres Benedicti XII pontificis maximi, qui fuit oriundus ex oppido Savarduno diœcesis Appamiarum in comitatu Fuxensi, & appellatus frater Jacobus Fornerius monachus Cisterciensis theologiæ doctor eximius, fuit primum abbas Montis-frigidi, inde episcopus Mirapicensis, demum presbyter cardinalis tituli S. Priscæ a Johanne XXII cui immediate in pontificatu successit creatus vulgo cardinalis albus dicebatur, quem ob rei familiaris angustiam, cardinalium pene infimum, in summum pontificem ob ejus vitæ integritatem elegerunt in vigilia sancti Thomæ apostoli, in conventu fratrum Prædicatorum hujus urbis, ubi etiam calendis Januarii per Neapoleonem de Ursinis diaconum cardinalem coronationis insignia suscepit anno 1335. Vir fuit doctrina & vitæ integritate præstantissimus, virorum bonorum & doctorum valde studiosus, multa præclaraque statuit tum ad morum & præcipue cleri reformationem, & ecclesiasticam disciplinam instaurandam expectantia. Sedit in pontificatu annos septem, menses quatuor, dies sex, unica tantum habita sex cardinalium virorum præstantissimorum creatione. Decessit in Avenionensi palatio quod ipse fabricare jusserat ex tibiæ dolore VII calendas Maii 1342. Funus in præsenti ecclesia magnifice curatum est, omnibus qui aderant ob tanti pontificis necem collacrymantibus.*

* Fontis-frigidi.

III. PETRUS I.

DE PIRET.

Ordinis S. Dominici religiosus Petrus de Pireto, natus est in pago gallice dicto *Flauniac* ab urbe Cadurcensi tribus leucis dissito, prope castrum novum Raterii. Hic doctor Universitatis Parisiensis, ibidem theologiam professus est jussu capituli generalis Venetiis habito 1325. Sacri palatii magister extitit ad annum 1328. Cum cardinali Furnerio decessori familiaris esset, ab eodem papæ Johanni XXII commendatus, præfectus est ecclesiæ Mirapicensi, qua dignitate honestatus protectionis litteras a Philippo VI rege impetravit anno
1334. 1334. Memoratur in regestis capituli ad annos
1344. 1344 & 1345. Extinctus est anno 1348
1345. ex necrologio Dominicanorum Cadurcensium,
1348. cujus verba referendi hic est locus. « Decimo
» nono Augusti, anno Domini M. CCCXLVIII
» obiit R. in Christo pater, frater Petrus de
» Bireto istius conventus, oriundus de Flaunhaco,
» qui sincerissime in ordine conversatus & aptus,
» & multum sufficiens clericus in omni scientia
» liberali & divina, vero in merito fuit Parisius
» ad gradum sacræ theologiæ promotus. Et
» exinde magister sacri palatii factus, exigente
» ejus sufficientia, conversatione & religione,

A quæ ubique in orbem patentissime rutilabant, «
per dominum Johannem papam de Caturco «
assumtus est in episcopum Mirapicensem, in «
quo gradu quantum de bono in melius, ac «
de virtute in virtutem vestigia patris sui «
sanctissimi Dominici secutus processerit, paucis «
litteris scribi non potest. Hic reverendissimus «
pater hujus conventus filius, sub cujus reli- «
gione & disciplina fuit plenissime eruditus, «
nolens de ingratitudine reprehendi, tamquam «
verus filius memor beneficiorum, tam spiri- «
tualium, quam temporalium a conventu ac- «
ceptorum, multa beneficia quæ non sunt «
B oblivioni tradenda, fecit. Dedit enim indu- «
menta multum pretiosa...... & hoc quod «
amplius conventui facere potuit, fecit; nam «
conventum heredem instituit, & ultra septin- «
gentos florenos de Florentia, quos divisis «
temporibus ab eo habuerat dum vivebat, «
post ejus mortem habuit plus quam octingentos; «
& multa plura habuisset plus quam habuerit, «
sed quia tempore magnæ mortalitatis anno «
quo supra obiit, ob negligentiam exsecutorum «
in episcopatu omnia perierunt, quod non est «
culpa sua. Quare patres & fratres hujus domus «
qui nunc estis, & pro tempore in futurum «
C eritis, affectionem & beneficia tam sumptuosa «
oblivioni non tradatis; immo omnem ingra- «
titudinem radicitus postponendo in vestris «
missis & aliis vestris, tam sacerdotes quam «
alii, orationibus secretis pro tam notabili & «
benefico patre ad Dominum preces affectuosas «
& devotas effundatis, cum scriptum sit: *accepti* «
beneficii memor esto. Migratio ejus ab hoc seculo «
fuit decima nona die Augusti anno quo supra, «
cujus anima requiescat in pace. Amen. Amen. «
Amen. Et est sepultus retro chorum in capella «
sancti Thomæ in fundo capellæ in sepultura «
D episcopali quæ fuit fabricata pro ipso. «

Nunc Petri tumulus lapideus elevatus cum ejusdem effigie cernitur in sacello S. Catharinæ Senensis, cum hoc simplici epitaphio:

Hic jacet R. P. fr. de Pireto ordinis Prædicatorum conventus Cadurci filius, episcopus Mirapicensis, qui obiit anno Domini M. CCCXLVIII.

IV. JOHANNES I.

DE COJORDANO.

Patria Occitanus & Bello-podio in Mirapicensi diœcesi oriundus Johannes, a Clemente VI papa ex ecclesia Avenionensi ad
E hanc sedem translatus est an. 1348. Reperitur
in actis consistorialibus 16 Februarii 1349. 1349.
Testamenti sui codicillos confecit 9 Octobris
1361 ex tabulis Bolbonensibus. Sepultus in 1361.
æde parochiali Belli-podii, in capella sanctæ Magdalenæ.

V. ARNALDUS I.

DE VILLAR.

Munia episcopalia obibat Arnaldus de Vil-
lario anno 1362 ex regesto fundationum. 1362.
Census quos habebat in villario capitulo legasse dicitur in libro obituum die 14 Decembris. Ad Electensem ecclesiam Narbonensis suffra-

ANNI CHRISTI ganeam translatus reperitur 3 Julii 1362 in libro solutionum sub Innocentio VI. Lege tom. VI, col. 276.

DE BARRERIA. VI. PETRUS II.

Arnaldi locum Petrus, qui Leonensis episcopus ab Innocentio VI fuerat creatus, occupabat an. 1363 ex actis consistorialibus, ex ecclesia Tullensi eo anno ab Urbano V eductus.
1363.
1366. Legitur anno 1366 in veteri instrumento
1368. Bolbonæ. Misit an. 1368 in festivitate Pentecostes procuratorem ad concilium Vaurense trium provinciarum Narbonensis, Tolosanæ, & Auxitanæ. Eduensis episcopus, tum cardinalis evasit, ut jam dictum est tom. IV, col. 416.

VII. JOHANNES II.

Eamdem sedem Johannes rexit an. 1368 ex archivis Mirapicensibus.

VIII. GUILLELMUS I.

1376. Obtinebat Guillelmus an. 1376 die 5 Julii ex actis consistorialibus, de quo nulla in tabulis Mirapicensibus exstat memoria. Ita Sammarthani de isto & superiori.

DE PROINS. IX. JOHANNES III.

Decessit Johannes de Prottinis 29 Sept.
1377. an. 1377 ex codice obituariorum.

DE LA TREMOILLE. X. ARNALDUS II.

In hujus ecclesiæ regimine curam insumebat
1384. Arnaldus an. 1384. Memoratur in chartis Bol-
1388. bonæ & parthenonis Prulliani 1388. Vitam
1394. cum morte mutavit 24 Octobris 1394 juxta codicem fundationum. Quiescit ante majus altare hoc epitaphio donatus:

Hic jacet dominus Arnaldus de Tramollio episcopus Mirapicensis . . . . anno Domini M. CCCXCIIII. Requiescat anima ejus in pace. Amen.

DE MAUMONT. XI. BERTRANDUS.

Petri de S. Martiale cardinalis & archiepiscopi Tolosani nepos Bertrandus de Malomonte, Franciæ & Hispaniæ regum consiliarius, canonicus ecclesiarum Pisiensis & Burgensis in Hispania, in sedem episcopalem jam conscenderat 16 Novembris 1394 ex chartis consistorialibus curiæ Romanæ. Occurrit in
1395. tabulario Bolbonæ 16 Novemb. 1395, atque
1397. etiam an. 1397. Sodalitatis B. Mariæ Fanijovis in diœcesi Mirapicensi statuta firmavit
1398. 13 Maii 1398. Ad ecclesiam Vaurensem
1405. traducitur XIV calendas Octobris 1405 bulla Benedicti XIII. Inde ad Biterrensem anno 1408, tandemque ad Tutelensem mense Januario 1422, ut legere est, tom. II, col. 671; tom. VI, col. 355.

DU PUY. XII. GUILLELMUS II.

Primum Rivensis archidiaconus, deinde in episcopum electus Guillelmus de Podio, licentiatus in decretis, a præcitato Benedicto XIII institutus fuit Mirapicensis episcopus an. 1405. Adfuit concilio Pisano an. 1409. 1409.
Collegium sancti Nicolai dictum Mirapicense condidit in Universitate Tolosana. Molendinum publicum bellorum clade in decursu temporis eversum, at licentia Parlamenti Tolosani ab anno 1608 instauratum, suo capitulo legavit. Cathedralem ecclesiam instaurare aggressus, tres ejus fornices cum choro construxit. Ejus imago cum stemmatibus depicta visitur ad majus vitrum sacelli B. Mariæ manibus exhibens basilicam eidem Deiparæ ac S. Mauricio cathedralis ecclesiæ patrono. Rexit ad annum usque 1431. 1431.

D'ESTOUTEVILLE. XIII. GUILLELMUS III.

Hunc episcopatum commissum fuisse Guillelmo regendum diximus tom. VI, col. 455 in episcopis Nemausensibus. Si reapse rexerit, id non potuit fieri nisi per biennium, scilicet ab anno 1431 ad 1433, sola etenim est temporis intercapedo quæ ei possit assignari. Plura & opima sacerdotia possedit Guillelmus, sublimatusque fuit cardinalitia dignitate sub titulo S. Martini in Montibus.

De eo vide etiam tomos III, col. 1128 in episcopis Diniensibus; VII, col. 537 in prioribus S. Martini a Campis; XI, col. 90 in archiepiscopis Rotomagensibus.

DE AURA. XIV. JORDANUS.

Canonicus regularis cathedralis ecclesiæ Tarbensis Jordanus, a papa Eugenio IV bulla data VII cal. Augusti 1433, pontificatus 3, 1433.
in Mirapicensem sedem evectus est. Occurrit in pluribus instrumentis 1434, Mirapicensibus 1434.
scilicet & Bolbonensibus, nec non Fuxensibus 23 Junii. Adfuit an. 1436 hominio quod Gerardo Appamiensi episcopo præstitit Gasto Fuxensis comes. Ab Eugenio maximo pontifice præcitato translatus est ad Conseranensem ecclesiam XVI cal. Junii 1441, ut jam adno- 1441.
tavimus tom. I, col. 1138.

DE LEVIS. XV. EUSTACHIUS.

Sanguine dominorum *de Leran* cretus Eustachius, ad Mirapicenses infulas assumtus est 1441 litteris apostolicis Eugenii IV datis XVI cal. Junii, die & anno iisdem quibus Jordanus decessor consecutus est sedem Conseranensem. Coactus est anno 1445 die 23 1445.
Martii se sistere Parlamento, eo quod inobedientem se præstiterat primo Parlamenti ostiario certas litteras curiæ contra dominum *de Levis* exsequenti. Lapsus in dementiam habuit coadjutorem, cui commissa est cura diœcesis, & obiit 1463. 1463.

Hist. Occit. t. IV, prob. col. 46.

DE LEVIS. XVI. JOHANNES IV.

Ægritudine Eustachii coram viris a papa delegatis probata, Johannes canonicus Conseranensis & administrator perpetuus monasterii S. Jacobi Jocundensis, ecclesiam Mirapicensem

ANNI CHRISTI coadjutoris titulo regendam suscepit a summo A pontifice Pio II pridie nonas Augusti. Evasit & ipse episcopus Mirapicensis anno 1463 per decessoris excessum. Ultimo fine quievit
1467. anno 1467. Videsis tom. VI, col. 289, in abbatia Jocundensi.

XVII. Elias.

1468. Episcopatum tenuit Elias ab anno 1468
1474. ad annum usque 1474.

DU MAS.

XVIII. Gabriel.

Per obitum Eliæ successit Gabriel, thesaurarius sacræ capellæ Bituricensis & abbas beatæ B Mariæ de Petris, nominatus a Sixto IV papa
1475. v idus Aprilis, pontificatus 4, id est 1475. Dedit Apocham mille librarum pro pensione
1486. annua 25 Januarii 1486, ex chartis authenticis domini *de Gaigneres*. Ad Petrocoriensem ecclesiam transiit 15 Junii 1486, uti legere est tom. II, col. 1482.

D'ESPINAY.

XIX. Johannes V.

Die & anno iisdem quibus Gabriel factus est Petrocoriensis antistes, Johannes nobilis Armoricus filius Richardi domini *d'Espinay* ex Beatrice de Monte-albano, Mirapicensi C ecclesiæ præfectus fuit a papa Innocentio VIII, id est 15 Junii 1486. Occurrit in documentis
1491. prioratus de Cambono 1491, 1492. Inter
1492. Hugonem de Vicinis & Helenam *de Levis*
1494. arbiter eligitur 24 Octobris 1494. Cessit ea sede 1497, Nannetensem regendam capessiturus.

DE LEVIS.

XX. Philippus.

Toparcha Mirapicensis Philippus, episcopatu donatus fuit bulla Alexandri V, pontificatus 5,
1497. XI calend. Junii 1497. Crassensis monasterii
1501. possessionem accepit anno 1501. Senatusconsulto D Parlamenti Tolosani prioratum de
1504. Cambono sibi ascribi curavit 1504. Guillelmum Poncii Mirapicensis ecclesiæ præbendatum investivit vicaria perpetua S. Martini
1518. de Cotensis 27 Martii 1518. Multis iste, inquiunt Sammarthani, cathedralem auxit & adornavit muneribus: structuræ majoris ecclesiæ opus interruptum, per Guillelmum de Podio inchoatum, curavit perfici, quatuorque fornices insuper addidit, cum campanili & ecclesiæ vestibulo suis impensis exstructo, ubi stemmata gentilitia domus insculpta visuntur. E Episcopus sane generis claritudine æque illustris, ac munificentia, qui ecclesiam suam opulentissime ditavit, argentea & serica supellectili, libris officiorum divinorum, fundationibus aliisve episcopatum suum, ipsamque abbatiam Crassæ ædificiis decoravit. Mortuus est an. 1537, sicuti jam adnotavimus t. VI, coll. 966, 967 in abbatiibus Crassensibus.

BETHON DE BALFOUR.

XXI. David.

Clara gente Bethonia apud Scotos ex patre barone de Balfurno prognatus David, juvenis Parisios missus est ut studio operam daret. Postquam in re litteraria fuisset excultus, Scotiam revertitur & apud Jacobum V regem summo loco habitus, legatus mittitur in Galliam, ubi Francisco I valde acceptus, Mirapicensi episcopatu donatur nonis Decembris 1537 1537.
bulla Pauli III, pontificatus 4; sequentique 1538.
anno inter cardinales cooptatus titulo sancti Stephani in Cœlio-monte a prædicto papa, qui eum propter insignem prudentiam, ac vitæ religionisque integritatem Scotica legatione insignivit. Philippum *de Levis* dominum Temporalem civitatis Mirapicensis & Philippi episcopi patrui heredem ad restituendum castrum & toparchiam *de Mazerettes* ex dominio episcopali placito majoris consilii compulit anno 1545. Regressus in Scotiam legatione 1545.
functurus, patruo suo Jacobo *Bethon* regni cancellario & archiepiscopo sancti Andreæ defuncto successit in utramque dignitatem, imo etiam unus ex regni administris institutus est codicillis Jacobi regis toto tempore puerilis ætatis Mariæ Stuartæ regis ejusdem filiæ. Verum Araviæ comes regni administrationem solus invasit & cardinalem nostrum conjecit in carcerem. Qua de re monitus papa Marcum patriarcham Aquiliæ direxit in Scotiam ad libertatem ei procurandam. Recuperata libertate, zelo catholicæ fidei inflammatus, tamquam primas totius Scotiæ & magnus fidei inquisitor, novatores acriter insecutus est ne hæresis per totam Scotiam grassaretur, & Georgium Vuschertum Lutheranæ sectæ oratorem, a synodo præsulum hæreseos labe damnatum flammis comburi jussit. Tum heterodoxi, inter quos præcipuus existebat Nommeus *Lesle* filius comitis Rothusiæ, furore incensi de cardinali interficiendo conjurarunt, summoque mane III cal. Junii 1546 irruentes in arcem Santandreanam eum e lecto surgentem proditorie trucidarunt. Ejus cadaver ad ludibrium hæreticorum & pavorem orthodoxorum cardinalitia purpura indutum, e fenestra suspensum est. Martyr inscribitur a Dempstero in martyrologio Scotico, ejusque necem Lesleus Rossensis episcopus narrat lib. X de rebus gestis Scotorum, virum summæ prudentiæ & animi magnitudine præstantem vocans lib. IX, & ingenii gravitate illustrem Jovius cognominat, Buchananus quoque & alii Scotiæ historici, Spondanus in annalibus ac Quercetanus in stemmate genealogico familiæ de Bethuna.

XXII. Claudius.

DE LA GUICHE.

Filius Petri *de la Guiche* ex Francisca *de Chazeron* Claudius, ex Agathensi sede ad hanc accitus fuit anno 1546. Vocatur episcopus 1546.
vigilantissimus Mirapicensis anno 1548 in 1548.
epistola Gentiani Herveti, qua iste dedicat ipsi latinam interpretationem e græco Nicolai Cabasolæ de divino altaris sacrificio, quam aggressus est authore Marcello Cervino in concilio Tridentino summi pontificis legato,

ANNI CHRISTI

Plura & opima possedit sacerdotia, uti jam dictum est tom. VI, col. 698; tom. XI, col. 303. Missus ab Henrico II rege Christianissimo legatus in Lusitaniam, tum Romam apud summum pontificem, ibidem defunctus est 9 Aprilis 1553. Jacet in ecclesia sancti Ludovici hoc epitahio donatus.

Claudio episcopo Mirapicensi, gente Guichia nobili & vetusta in Sequanis nato, vita Clariss. ac de republica, cujus saluti vitam semper postposuit, optime merito, ob singularem vitæ integritatem, & spectatam diu in rebus gerendis solertiam, ad synodum Tridentinam, & Bononiam misso, ac tandem regis Galliæ ad Julium III pontificem maximum difficillimis temporibus legatione simul vitaque sanctissime functo, Regal. Sammarsalus, & Johannes de Giou *testamenti curatores, temporarium tumulum faciendum curaverunt.*

DE MONTE.

XXIII. INNOCENTIUS.

Julii III papæ nepos Innocentius cardinalis, ab eodem summo pontifice clandestino brevi huic ecclesiæ præfectus est XV calendas Octob.
1553. 1553; at Paulus IV, cui exosus erat, hunc ex ea sede tamquam indignum deturbavit, quemadmodum e collegio cardinalium expellere desiderasset.

SUAVIUS.

XXIV. JOHANNES VI.

Ortus est e pago *de Rieumes* in Novempopulania Johannes an. 1503, unde dictus est Reumanus vel Reomanus. Hic optimarum scientiarum inprimis vero pontificii ac Cæsarii juris cognitione instructus, Romæ Auditoris munus præclare gessit. Paulus IV papa qui tribunalis Rotæ præses exstiterat, sæpenumero Reomani doctrinam & morum integritatem admiratus, hunc plurimum dilexit, & ubi in summum pontificem electus est, eum in collegium cardinalium cooptare decrevit. Sed ut Reomanus tantæ dignitatis onus sustinere valeret, ejus bona fortunasque papa duxit augere. Quamobrem episcopatum Mirapicensem ipsi
1555. tradidit VIII cal. Maii 1555, tum titulo sancti Johannis ante portam Latinam purpura cardinalitia insignivit vocans eum cardinalem Mirapicensem. Cardinales Galli qui tunc Romæ versabantur regii juris ergo defendendi, promotioni ejus intercesserunt. At summus pontifex sacri collegii commodis tantummodo cupiens inservire, ultra progressus est, Christianissimusque rex, virtute Reomani cognita, delectum papæ laudavit. Attamen cardinalis noster erga regem fuit ingratus, nam in proximo conclavi partibus regis, etsi secus promiserat, semper obstitit in electione summi pontificis, testibus Ferrariæ & Guisiæ cardi-
1559. nalibus epistola scripta 27 Septembris 1559. Non multo post ab episcopatu se abdicavit in gratiam sequentis. Gravissimis religionis Christianæ negotiis sub papa Pio IV functus est, in urbe inquisitor ac signaturæ justitiæ præfectus. Calculari morbo e vivis Romæ sublatus est 1566, funeratusque in ecclesia S. Spiritus de Saxia, ubi juxta altare majus incisa hæc inscriptio:

Jesu Christo spei vitæ futuræ.

Johannes Suavius Reumanus Gallus, tituli S. Priscæ presbyter cardinalis, ob animi candorem, & eximiam jurisprudentiam duodecim viratus litibus judicandis ascitus, ac propter humanitatem & innocentiam Pauli IV beneficio in patrum senatum merito cooptatus 63 agens annum, sanctissime, ut vixerat, ita christianissime decessit die 29 Septembris an. M. DLXVI. Scipio Rebiba tit. S. Angeli cardinalis de Pisis testamenti exsecutor absolvi curavit.

XXV. PETRUS III.

DE VILLARS.

Petri ex Anna *Joubert* filius Petrus, susceptus est e sacro fonte a Petro *Palmier* Viennensi archiepiscopo Villariensi familiæ sanguine conjuncto. Litteras per septennium Parisiis edoctus, invisit eadem mente celeberrimas Italiæ academias, nactusque est præstantissimos jurisprudentiæ professores Andream Alciatum & Hugonem Buoncompagno, qui postea evasit pontifex maximus Gregorius XIII. Noster autem Petrus, aiunt Sammarthani, Patavii laurea doctoratus fuit insignitus natus ad summum 22 annos. Absoluto feliciter studiorum curriculo, per aliquot annos patris sui contubernio usus, Luteciam profectus est, & clericalem habitum vitæ sanctioris institutione induit. Cum autem pietate & ingenio polleret, brevi multis innotuit, maxime cardinali *de Tournon*, qui eum sibi addixit: & quidem Romam profecturus sub Caroli IX exordium, illum in comitatu adlegit, ejusque opera usus est, dum in conclavi creatus est pontifex Julius III. Præterea ab eodem cardinali ad varios Italiæ principes missus, inter pontificem & Henricum II pacis fœdera conciliavit, quibus bellum & turbæ de obsidione Parmensi exortæ, compositæ sunt. Eumdem rursum cardinalem ad Paulum IV delegatum comitatus est & quidem de regis mandato, ideoque ab eo vacationem impetrat a foro, nam Parisiis senator erat: hac in expeditione principes Italiæ convenit, qui se fœderi pontificem inter & regem inito admiscuerant, idcirco ipse fere solus obivit legationes, vicesque cardinalium Ferrariensis, Lotharingi & Turnonii, ad ducem Guisiæ, qui sub Ferrariensi summus erat militiæ magister, eo in exercitu, quem rex conscripserat, ut suppetias pontifici adversus imperatorem ferret, regnumque Neapolitanum obtineret. Mortuo Paulo IV eidem Turnonio sacri collegii decano miram operam contulit in conclavi, quod per quatuor menses duravit, in quo Pius IV papa renunciatus est. Interim Johannes Suavius cardinalis Reumanus Mirapicensis episcopus Petro diu reluctanti ultro suum detulit episcopatum: cum enim muneri suo senatorio totum se vellet addicere, inter primates quippe jam numerabatur, onus longe gravissimum subire, atque diœcesim

ANNI CHRISTI

tumultibus agitatam & hæreticis coinquinatam accipere detrectabat. Tandem multorum cardinalium suasu, & maxime Turnonii, qui sæpius ingerebat non ideo esse fugienda ecclesiæ munera, quod pro iis multi graves essent labores tolerandi, imo eo maxime tempore episcopatum desiderare esse bonum opus. Tum enim primum hæreticorum discordiis & civilibus armis agitari cœpit Gallia, erupitque ad castrum Ambasiæ belli incendium, quo factum ut a summo pontifice Turnonius iterum postularetur, qui secum fidum suum Villartium deduxit; & cum a rege Mirapicensis episcopus esset declaratus, Pius IV eum in consistorio proposuit, bullas
1560. quoque gratis concessit 1560, & anno sequenti
1561. die 21 Octobris episcopale munus exercuisse reperitur. Tum vero mutavit curas & studia Petrus, & a jure civili & politico ad scripturam & patrum sanctorum libros evolvendos animum traduxit; nihil magis habebat in votis, quam ut diœcesim suam sine cunctatione adiret, utpote quæ tam boni pastoris opem sollicite expectaret. Verum exortis novis tumultibus morte immatura Francisci II, cui Carolus impubes successit, proficisci nequaquam valuit, nec prius ab aula discedere, quam Turnonius cardinalis e vita migrasset; tum vero se totum diœceseos administrationi consecravit. Longe porro fructus ampliores protulisset, nisi ter aut quater delegatus ad regem, tum ut Septimaniæ, tum ut Tolosanæ provinciæ rebus publicis egregie consuleret. Interim vero aula absens Viennensis archiepiscopus destinatus est post decem vel circiter annos regiminis apud Mirapicos, Vespasiano Gribaldo juri suo cedente: transmisso ergo ad nepotem suum ex fratre Petrum *de Villars* episcopatu Mirapicensi ad sedem Viennensem accessit. Probavit utrumque rex Christianissimus, summusque pontifex ambobus gratuito bullas concessit.

DE VILLARS.

XXVI. PETRUS IV.

Lugduni in lucem editus Petrus, in humanioribus litteris Turnoni institutus fuit, theologiæ vero Luteciæ studuit in regia domo Navarrica. Celebris suæ ætatis concionator, dignus habitus est qui in sede Mirapicensi patruo ad Viennensem translato succederet. Hic atque alii plurimi præsules, nempe Petrus *de Villars* Viennensis, Antonius Canigianus Aquensis, Claudius Noviomensis, Antonius Cadurcensis, Lucas Matisconensis, Guillelmus
1586. Silvanectensis condiderunt an. 1586 reformationis articulos, quos in sua quaque diœcesi observandos statuerunt, donec concilium Tridentinum promulgaretur. Paulo post cum Petro *de Donnaud* in archiepiscopum Viennensem ab Henrico III rege designato commutavit.

Marten. Anecdot. tom. IV. col. 1191 & seqq.

DE DONNAUD.

XXVII. PETRUS V.

Nobilis viri *Bonsom de Donnaud* & Annæ *de Cornac* ejus uxoris filius Petrus, natus est in oppido sancti Eparchii *(Saint Ybars)* in comitatu Fuxensi diœcesis Rivensis prope Lesatum inter fluvios Aurigeræ & Garumnæ sito, baptisatusque est 9 Aprilis 1553. Quatuor fratres & quinque sorores sortitus, a puero in timore Dei a parentibus educatus est indole donatus bona. Dum fratres omnes castra sequuntur, anno ætatis decimo septimo ipse in vicino S. Petri cœnobio de Lezato ordinis sancti Benedicti regularem suscepit habitum 1570, ac elapso tyrocinii anno ibidem professionem emisit, Francisco comite *de Taurel* Italo abbate commendatario, cui ob virtutem & obedientiam semper charus fuit: inde post missus Tolosam ad studia tantum brevi profecit, ut totius philosophiæ theses palam propugnaverit summa cum laude; duosque per annos theologiæ illic operam navavit. At desiderio addiscendi incensus, Parisios venit cum Jacobo Gonterio Lezati monacho, ubi collegio Cluniacensi adscriptus quidquid potuit pro Dei gloria & theologia apud Sorbonam addiscenda aggressus est. Interim a fratre suo viro sagaci, qui postea legionis Picardiæ caput fuit, duci *de la Valette* commendatus, in eleemosynarium Henrici III regis assumitur. Per annos quatuor in collegio Navarræo assidue versatus, omnibus gradibus sensim & rite ascensis, tandem inter doctores cooptatur, dicatis præfato duci thesibus, & ipso rege Christianissimo præsente & approbante, a quo in Aginnensem episcopum nominatus, ante adeptam possessionem, instante comite *d'Aumale*, juri suo cessit libenter.

Non diu post ecclesia Viennensi vacante, renunciatus est archiepiscopus; sed cum se Petrus longe a suis dissitum videret, neglecta metropolitana dignitate, cum Petro *de Villars* Mirapicensi præsule de regis assensu commutavit.

Interea Romam venit & Sixti V pontificis maximi pedes osculatus quidquid voluit impetravit, idque maxime ob responsum prudens de doctrina Scoti. Romæ positus in episcopum consecratus est 27 Septemb. 1587 a cardinali 1587.
de Joyeuse in ecclesia S. Ludovici nationis Gallicanæ, assistentibus Johanne-Baptista Albano patriarcha Alexandriæ & Evangelista Palotto archiepiscopo Cusentino. Petita papæ benedictione in Galliam revertitur per Delphinatum salutaturus ducem *de la Valette* Aquassextias tunc obsidentem; a quo benigne susceptus est, ejusque mandato, vitandi periculi causa, sub tuta militum custodia ad suam properavit ecclesiam; & communicatis de more bullis, ac die Palmarum publicata indulgentia plenaria quam sibi Sixtus concesserat 15 Nov. 1587, ipso sacro die Cœnæ majoris hebdomadæ urbem suam ingressus est pontificaliter 1588 die 14 Aprilis, divinum officium ritu solenni celebravit, clerum plebemque suam manu propria communicavit, pauperum pedes lavit; sic boni pastoris officium cœpit exercere, quod prosecutus est usque ad extremum vitæ halitum.

Domum accepit vacuam & Mirapicensem sedem in reditibus expertus est tenuem, utpote quæ vix mille & trecentos ad summum redderet tritici sextarios, & argenti sex millia librarum, e quibus deducenda erant onera tam decimarum quam prædicationum singulis annis persolvenda. His nihilominus perpensis & attentis ab anno primo pontificatus sui ad ultimum instituit generalem pauperibus eleemosynam, quam maxime a die Paschatis ad natale S. Johannis-Baptistæ alternis diebus abunde quibuscumque accedentibus largiebatur, data cuique tanta panis quantitate quanta ad viginti quatuor horas pro sustentandis corporibus opus esset. Tempore famis ad mille quingentos frumenti sextarios pauperibus distribuisse repertus est; nec semel evenit ut unico solum die mille egenis vitæ necessaria suppeditaret, dispositis intra episcopalis palatii septa locis capacibus & commodis, ut membris Christi essent in æstu umbraculum, in pluvia & frigore tegumentum, & nocte refugium. Quin etiam multas puellas, quarum castitas ob inopiam periclitabatur, honesto matrimonio locavit.

Henricus Magnus Galliæ & Navarræ rex abjurata hæresi edictum promulgaverat, quo per omnes regni sui urbes hæretica labe infectas præcipiebatur ut deinceps sacrum Missæ sacrificium fieret tuto & libere. Id ubi per designatos accepit Petrus commissarios, a quibus regis nomine rogabatur ut viros mitteret ad urbem de Mazeriis suæ diœcesis tanti operis capaces & sufficientes; ipse sibi illico jugum imposuit & ad hanc civitatem properavit; sed cum a Consulibus & civibus male exceptus esset, eisdem forti animo in faciem restitit, & indicta per totam urbem processione solenni, adunato clero, convocato populo, pontificalibus ornamentis indutus incessit, missam celebravit, concionem habuit, & non solum in hac urbe, sed in aliis suæ diœcesis hæresi coinquinatis.

Quamdiu vixit nunquam a recitatione divini officii, missa celebranda & habitus sui ordinis delatione cessavit, nisi dum graviter ægrotabat. Cum autem privatim publiceve divinis insisteret horis cum nullo hominum habebat verbum, nec ad eum quis ullum tunc poterat habere accessum; frequentissime dictitabat se non contentum vivere quoadusque & officium persolvisset & missam celebrasset. Omnia boni pastoris munia implere studens omnibus se charum & amabilem facilemque in conversatione exhibuit. In dicenda autem sententia sacerdos fuit liber & prudens. Psallebat frequenter in choro, concionabatur in templis, jejunabat assidue, unica tantum contentus refectione per annos vixit plurimos, diebus solennibus pontificaliter litabat. Synodos habebat in quibus pro cleri sui reformatione statuta condebat saluberrima. Ter in vita generalem totius suæ diœcesis habuit visitationem & singulis annis specialem uniuscujusque ecclesiæ, ita ut nihil omnino ignoraret & omnibus paterne provideret. In conservanda re familiari adeo prudens fuit ut ad quatuor & quinque annos grana servaret plurima; ne, ut aiebat, dies eveniant mali & tempora nubila in quibus, egenis & pauperibus satisfacere non possim. Quibuscunque hospitibus memor regulæ sancti Benedicti domum semper habebat apertam, quibus juxta personarum conditionem abunde convenientia ministrabat. Presbyteris omnibus & clericis sub pœna excommunicationis & arbitrariæ punitionis prohibuit ne intra domos mulieres ullas admitterent, quæ non saltem sexagesimum attigissent annum, neve absque necessitate caupouas frequentarent aut comam nutrirent, aut sine talari veste in residentiæ locis incederent, quæ quo melius præstarent, ipsemet verbo docuit & exemplo, nam simplici & honesta contentus rascia incedens ubique monasticam nunquam deposuit coronam nec lacernam.

Quamplures per diœcesim fundavit ecclesias, & collabentes suis refecit sumptibus, & singulis decoravit tabellis præcipui patroni imaginem præferentibus, advocato ad hoc celebri Flandriæ pictore, quem ad sacrarum ædium ornamenta domi retinuit per tres annos fere continuos. Domum episcopalem *de Mazeretes* extra septa castri Mirapicensis sitam viginti mille libris turonensibus & amplius in numerato refecit & instauravit. Canonicos ecclesiæ suæ officio divino semper interesse detrectantes, pretextu cujusdam concordati a sancta sede non admissi, & omnibus bonis præbendarum suarum gaudere volentes compescuit & repressit, Parlamento Tolosano justam præsulis causam approbante, adjudicata media parte absentiarum thesauro ecclesiæ ad comparanda ornamenta. Basilicæ cathedrali organum ad quatuor saltem millia librarum proveniens coemit; majus altare multo augustius quam unquam fuerat miro opere decoravit, data nobili & insigni tabella beatum Mauritium repræsentante. Chorum raro aulæorum seu peristromatum circumvestivit ornatu; ac denique mortis memor cryptam humandis successorum episcoporum corporibus de novo construxit amplam & capacem, in quam nepotem suum & coadjutorem præmatura morte ereptum intulit. Persolvit etiam anno 1594 funus Bernardi *de la Valette* admiralis Franciæ sui patroni atque benefici, in conventu patrum Minimorum *de Casaus* diœcesis Lumbariensis juxta urbem Samatani, ubi est sepulcrum gentilitium dominorum *de la Valette*. Comitiis provinciæ sæpissime interfuit imo & aliquoties præfuit, atque a clero ad cœtus generales deputatus fuit Parisios ad annos 1598, 1605 & 1615, in quibus absque 1598.
humano respectu libere tulit sententiam. Obtinuit anno 1608 a generali congregatione 1605. 1608.
sanctæ Inquisitionis Romanæ specialem facultatem absolvendi omnes hæreticos, schismaticos, & aberrantes a sancta & apostolica fide Romana. Hoc munitus rescripto quamdiu vixit Chart. XV, col. 243.

ANNI CHRISTI

plurimos convertit hæreticos, inter quos non est prætermittendus unus nomine *Dauros*, hæreticæ pravitatis sectator acerrimus. Erat is genere nobilis e primis totius diœcesis Mirapicensis familiis. Cum in oppugnatione Appamiensi captus fuisset, Tolosani Parlamenti decreto tamquam reus læsæ majestatis capitis damnatus est. Ubi eum carcere detentum rescivit vigilantissimus pastor, eum invisit hortatusque est ut hæresim ejuraret; cum id diu multumque facere renuisset, tandem validis & efficacibus pii pontificis convictus rationibus, ibidem hæretica pravitate rejecta catholicæ fidei professionem emisit inter ejusdem pontificis manus, facta illi totius vitæ generali confessione; quin & ab ipso in forma ecclesiæ absolutus disjungi noluit, sed ab eo ad sustinendam mortem animatus & curru ductus ad patibulum, ubi sumto ultimo benigni pontificis pacis osculo, petita Deo, regi & justitiæ venia, pœnitens capitis obtruncatione patrati criminis
1628. pœnas luit an. 1628. Eodem anno mense Junio noster antistes una cum Carolo *de Montchal* archipræsule Tolosano, Henrico Spondano Appamiarum, aliisque episcopis adstitit Tolosæ translationi corporis S. Thomæ Aquinatis doctoris Angelici tempore capituli generalis ordinis Prædicatorum. Tandem cum jam maturus cœlo, senio pene confectus & de ecclesia sua optime meritus, vitæ integritate, eruditione, eleemosynis, fundationibus, cathedralis suæ decoratione, aliisque virtutibus clarus, cum etiam archiepiscopatus Burdegalensem & Tolosanum magna animi moderatione recusasset, toleratis forti animo per ultimos vitæ suæ octodecim menses continuis corporis languoribus, sacramentis omnibus munitus inter verba orationis expiravit die
1630. 3 Julii 1630, ætatis suæ 78, sedis 43, assumti ordinis monastici 61. Cujus corpus in cathedralem Mirapicensem delatum a Stephano Alectensi episcopo ad altare majus a latere evangelii in paratum sibi sepulcrum, collacrymantibus undique pauperibus & omnium ordinum personis.

5 Petrus *de Donnauld* superioris ex germano Dominico nepos, doctor Sorbonicus, episcopus Tripolitanus Romæ VI idus Novembris 1610 consecratur a cardinali Francisco *de la Rochefoucault*, assistentibus Julio Sanxidonio episcopo Crosseti, & Luca Stella episcopo Retimi in ecclesia monialium sanctæ Mariæ-Magdalenæ via Flaminia, patrui coadjutor & futurus successor. At vitæ integritate & doctrina clarissimus vir præmatura morte ereptus 14 Julii 1621, ætatis vero 41, primus in cryptam episcoporum a patruo constructam illatus fuit.

XXVIII. Ludovicus.

DE NOGARET.

Johannis-Ludovici *de Nogaret* ducis Espernonii, Valetæ & Candalæ, paris Franciæ, comitis Fuxensis, & Aquitaniæ proregis filius naturalis Ludovicus, abbas Insulæ diœcesis Burdegalensis, Petri *de Donnaud* senioris coadjutor designatus titulo episcopi Sebastensis anno 1628, consecratur 22 Decemb. 1629 in æde patrum Fuliensium vici S. Honorati Parisiis a Philippo *Cospean* Nannetensi, postea Lexoviensi præsule, ac post obitum decessoris defuncti an. 1630, possessionem episcopatus accepit. Generalibus cleri comitiis adstitit Parisiis an. 1650. Is una cum canonicis suis sequenti anno mense Feb. nihil non tentavit apud regem ut Mirapicensis toparchia e dominorum *de Levis* manu sublata sibi traderetur. Traductus est ad ecclesiam Carcassonensem anno 1655, ubi vide tom. VI, col. 926 & seq. 1650.

XXIX. Ludovicus-Hercules.

DE LEVIS DE VENTADOUR.

Anna duce *de Ventadour* Franciæ pari & Margarita *de Montmorency* natus parentibus, germanusque Annæ Bituricensis archiepiscopi Ludovicus-Hercules, primum exstitit Jesuita, deinde episcopus a rege designatus 17 Martii 1655, unctionem accepit 19 Decembris anni 1655.
ejusdem a fratre suo apud Vigniacum in Velocassibus, assistentibus episcopis Macloviensi & Lemovicensi. Mariam-Martham *de Bruyeres* abbatissam Rivi-nitidi benedictione donavit 6 Aprilis 1674. Fuit abbas commendatarius S. Martini in Bosco atque etiam Coronæ. Laudatur in primis de Caritate in pauperes. Pauper & ipse decessit Puteolis in diœcesi Narbonensi, cum rediret ex generalibus Septimaniæ comitiis apud Montem-pessulanum congregatis. Sepultus est in ecclesia cathedrali 6 Januarii 1679, & cor suum testamento deponi voluit ante aram collegii Claromontani Parisiis.

XXX. Petrus VI.

DE LA BROUE.

Familia non mediocri Tolosæ satus Petrus, insignis verbi Divini præco, cum in festo Purificationis coram rege concionem habuisset
an. 1679, dignus qui ad episcopatum promoveretur judicatus fuit & nominatus. Romæ 1679.
propositus est die 10 Maii, sacramque unctionem accepit 8 Septembris 1680, accepta 1680.
prius doctoratus laurea die 20 Augusti ejusdem anni, & episcopale munus agebat ad annum
1681. Operam in convertendis hæriticis non minimam impendit, ad quos sex pastorales direxit epistolas. Cathechismum ad plebis instructionem atque etiam statuta synodalia ad cleri informationem conscripsit. Collationes singulis mensibus a diœcesis suæ parochis faciendas indixit, quibus ipse præesse non dedignabatur. Canonicos ecclesiæ cathedralis quibus unicæ divini officii horæ adesse sat erat, omnibus officiis coegit interesse. Seminaria tria instituit in diœcesi, majus apud Mazerias, duo minora apud Fanum-jovis & Belli-podium. Obiit anno 1720 exeunte mense Septembri. 1681.

XXXI. Franciscus-Honoratus.

DE MANIBAN DE CASAUBON.

Filius Francisci *Lancelot de Maniban de Casaubon*

ANNI CHRISTI

Casaubon consiliarii Parlamenti Franciscus-Honoratus, B. Mariæ de Sendraco in diœcesi Alesiensi commendatarius ab anno 1712 die 15 Augusti, vicarius generalis & archidiaconus major Tolosanus institutus mense Julio 1714, renunciatus est a rege episcopus Mirapicensis
1721. 8 Januarii 1721, & sacra unctione delibutus sacramentum dixit 11 Novembris sequentis. Factus dein Burdegalensis archiepiscopus mense
1729. Octobri 1729, regi fidem juravit 11 Aprilis 1730, sed eodem anno ejusdemque mensis die 29 Burdegalæ exuit mortalitatem.

BOYER.

XXXII. JOHANNES-FRANCISCUS.

Juvenis in ordinem Theatinorum ingressus Johannes-Franciscus vota emisit Parisiis 18 Aprilis 1692. Emenso philosophiæ & theologiæ curriculo, eloquentiæ sacræ totum se dedit, præcipuaque civitatis & quidem aulæ regiæ pulpita ad annos 1722, 1726 & 1729 eximius verbi Divini præco occupavit. Inter privatas ædes juventutem excoluit magister novitiorum, scholaribusque legit philosophiam, & tandem cum summa prudentia domum administravit. Episcopus a rege designatus anno 1730 mense Januario, Romæ
1730. propositus est in consistorio 24 Julii & 11 Decembris. Unctionem accepit 6 Januarii 1731 Parisiis in ecclesia Minimorum juxta plateam regiam ab archiepiscopo Rotomagensi, Laudunensi & Tarbiensi episcopis adstantibus. Postquam hunc episcopatum aliquot annos rexisset, præceptor Delphini institutus, sese abdicavit an. 1736. Dehinc Delphinæ primus evasit eleemosynarius. Aggregatus quoque est tribus præcipuis civitatis academiis. Post mortem cardinalis *de Fleury* an. 1742 omnium Galliæ beneficiorum sub voluntate regis fuit dispensator, & ipse Corbiensem abbatiam obtinuit 23 Februarii 1743. Versaliis obiit anno 1755 & humatus est in ecclesia parœciali, quam administrant presbyteri a Missionibus.

5 N. *Quiqueran de Beaujeu* episcopus Elusanus, renunciatus a rege Mirapicensis mense Septembri 1736, ante adeptam possessionem 1736. moritur Albiæ 24 Julii 1737.

DE CHAMPFLOUR.

XXXIII. JOHANNES-BAPTISTA.

Nominatus a Christianissimo rege Johannes-Baptista anno 1737, consecrationem accepit 23 Februarii 1738. Fato functus est 6 Febr. 1768.

DE CAMBON.

XXXIV. FRANCISCUS-TRISTANUS.

Tolosæ genitus Franciscus-Tristanus anno 1716, senator Parlamenti Tolosani, vicarius generalis archiepiscopi Tolosani, præsul a rege designatus, unctus fuit 10 Julii 1768. Simul abbas Capellæ ab anno 1753.

PRÆPOSITI MIRAPICENSES

I. RAIMUNDUS I de Valle 1326.

II. Berengarius Bucii 1354.

III. Johannes I de Alzennio 1369.

IV. Johannes II de Ecclesia 1404, 1406.

V. Johannes III de Botgia sive de Vocgia in diversis instrumentis occurrit ad annos 1423, 1426, 1427.

VI. Petrus I Fabri licentiatus in decretis, præpositus ecclesiæ Mirapicensis, & ecclesiæ collegiatæ S. Affricani sacrista, adfuit anno 1453 die 3 Septembris sacramento Bernardi in episcopum Vabrensem electi, quo præsul iste promittit Consulibus pagi S. Affricani se eorum privilegia observaturum.

VII. Antonius I Combesii in utroque jure baccalaureus 1469, 1481.

VIII. Johannes IV Michaëlis in utroque jure licentiatus 1494.

IX. Johannes V Mafredus de Vicinis protonotarius apostolicus, abbas Galliaci, 1515, 1534, 1548.

X. Tristandus *de Champalayt* 1555, 1567.

XI. Antonius II *Fanget* præpositus & vicarius generalis 1583, 1586.

XII. Raimundus II *Catelan* 1602, 1618, 1623.

XIII. Petrus II *Rousset* obiit 2 Octobris 1637.

XIV. Dominicus *de Francazal* archidiaconus in præpositum eligitur 5 Octobris 1637, & moritur 4 Martii 1672.

XV. Petrus *de Rouanet* electus 14 Martii 1672 commutavit an. 1684 præposituram cum sequenti pro rectoria *de Benez* diœcesis Castrensis.

XVI. Johannes-Paulus *de Toupignon* in supremo senatu Tolosano consiliarius receptus anno 1703, ex rectore parochiæ *de Benez* præpositus an. 1684, possessionem iniit 26 Januarii.

VETERA MONASTERIA DIŒCESIS MIRAPICENSIS.

I. INTER-AMBAS-AQUAS.

Chart. III, col. 227. LUPONUS archidiaconus sive primiscerius ecclesiæ S. Stephani Tolosani monasterio S. Michaëlis de Coxano diœcesis Perpinianensis
Ch. IV, col. 229. tradidit an. 969 ecclesiam S. Mariæ de Inter-ambas-aquas, vulgo *Tremesaigues*, quam dedicari curavit Garinus abbas Coxanensis anno 973. Id donum eodem anno ab Hugone antistite laudatum fuit. Plurimi etiam episcopi simul congregati an. 1035 omnes uno animo Charta V, col. 229. unaque sententia stabilierunt & statuerunt ut

abbates & monachi S. Michaëlis Coxanensis præfatam ecclesiam libere possiderent in perpetuum, plurimisque insignibus privilegiis eam exornarunt. Accersiti e Coxano plures monachi ibidem Deo famulati sunt. Jurgiis in posterum inter Coxanenses & Bolbonenses abbates super decimis aliisque rebus litigiosis exortis, locus omnino Bolbonæ cessit anno 1209, & deinceps huic asceterio uti prædium adhæsit. Bolbonenses, prima mansione sua relicta, ob amœnitatem loci suum ibidem condiderunt monasterium an. 1652.

II. B. MARIA DE VAHALI. In parte diœcesis Tolosanæ quæ Mirapicensem nunc constituit, haud procul ab oppido de Savarduno, prope amnem Aregiam, sita erat abbatia B. Mariæ de Vahali, quam alii domum Aimerici, alii vero Garniciam nuncupant. Pro monachis instituto Benedictino addictis ab abbate Tenaliæ Santonensis diœcesis anno circiter 1120 condita fuit & a Bertrando de Bello-podio latifundiis abunde dotata 1125. Abbas autem & monachi, assentiente Tenalia, se suumque monasterium Bolbonæ subjecerunt 1196. Unde & ab hoc anno illud incoluere Cistercienses usque ad annum 1225 aut circiter, quo tempore Bolbonæ adjunctum omnino fuit, non tam ut monasterium quam uti prædium, comprobante abbatia Fontis-dulcis, quæ Tenaliæ dederat originem. Abbates qui id monasterium rexere hic subjicimus.

Ch. VI, col. 231. I. AIMERICUS anno 1125 mense Aprili dono accepit quicquid Bertrandus de Bello-podio hereditario jure habebat in terris quæ sunt a fonte Stephani Vacherii usque ad fontem Saunarium, & a Cingulo usque ad rivum qui vocatur *Astald.*

II. Guillelmus I de Garnucia donum Aimerico decessori collatum firmari fategit anno 1159. Facultatem obtinuit mense Februario 1161 ab Augerio de Calvo-monte deducendi pecora per nemus Bolbonense. Memoratur ad annos 1162, 1164, 1167. Toto jure quod Geraldus *de la Barthe* Tolosanus antistes habebat in molendino *de Taladal* donatus fuit an. 1169. Eodem anno eremum *de Feza* obtinuit a Raimundo *Forz*, nec non jus pascuorum in omnibus terris Raimundi *Guilabert.* Adhuc præerat an. 1172.

III. Petrus molendinum de Talandulio suo successori præstitum Hugonis item Tolosani antistitis munimine roborari curavit mense Augusto 1174. Dona etiam recepit a Raimundo *de Belpuech* & Hugone dicto Raucheto fratribus.

IV. Guillelmus obtinebat an. 1177. Ambas ecclesias videlicet sancti Petri *de Canenes* & S. Johannis de Fajaco consecutus est 1185 a Fulcrando Tolosano præsule, qui an. 1188, præsente Pontio S. Saturnini abbate, litem arbiter terminavit inter Guillelmum nostrum & Arnaldum Bonæ-cumbæ. Raimundus *Forz* Odoni abbati Bolbonæ concedit honorem *de Vajal*, sicuti tenent Guillelmus abbas & fratres domus Aimerici seu *de Vajal*, quemadmodum ipse Raimundus ejusque fratres Dominico Odonis decessori jam concesserant. Ch. VIII, col. 232.

III. BELLUS-LOCUS. Cum Calvinistæ in Mirapicensem urbem irruperunt, supererat ibidem parthenon ordinis Cisterciensis nuncupatus Bellus-locus, qui utrum ab origine eo loci steterit, an quo tempore fuerit fundatus, nobis prorsus incompertum. Constantia de Fuxo cum consensu Johannis *de Levis* filii sui perpetuum ibi capellanum instituit an. 1330, pastorale pedum tunc obtinente Azemara *de Lissac*, cui erant sociæ vel asseclæ istæ moniales, videlicet Veziars *de Lissac* priorissa, Margarita & Johanna *de Levis*, Ermensendis de Podiolis subpriorissa, Fabrica Matea celleraria major, Aycelina de Cantesio subcelleraria, Sclarmunda de Vesiaco, Brayda de Calvo-monte sacristana, Brunissendis *Saquere* cantorissa, Condor *de Lissac*, Gaillarda *Andiuras*, Vesiaca de Falgario, Saurimunda de Marconnio, Francisca Mattheæ, Candor *de Miglos*, & Aladais Andreæ. Susdeque eversa est hæc abbatia ab hæreticis seculo decimo sexto, ipso tempore quo Bolbona eamdem sortita est fortunam.

Duo supersunt Monasteria, scilicet unus Prioratus & una Abbatia.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Cambonum, *Camon.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Bolbona, *Bolbone.*

CAMBONUM.

CAMON. PRIORATUS S. Salvatori beatæque Virgini sacer, nomine Cambonum, quondam in diœcesi Tolosana nunc in meridionali Mirapicensis diœcesis parte positus, abbatiæ titulo jam gaudebat ad annum 922, ut constat ex dono a Teutardo & Beliarde ejus uxore sanctæ Mariæ de Cambono, atque loci abbati, totique conventui collato, anno 1 regni Rodulphi, calendis Decembris. Id monasterium Sulpitius levita, qui possederat tamquam rem suæ proprietatis, Suniario abbati S. Mariæ de Crassa subdidit an. 943, cal. Julii, regnante Ludovico an. 8, ea lege præmissa ut dum ipse vixerit teneat & possideat in servitio beatæ Mariæ virginis Crassensis: imo etiam præcipit ut post suum obitum Bernardus nepos filius Guitardi, modo regulam S. Benedicti profiteatur, & ipse obtineat; & post hunc Sulpitius Charta I, col. 221.

filius Archemanni, si ejusdem regulæ legibus se astrinxerit: si autem aliter fecerint, nullam in hunc locum obtineat potestatem uterque. Quo in casu abbati Crassensi concedit ut eligat unum præpositum, eumdemque constituit judicem omnium controversiarum, quæ in Cambonensi monasterio poterunt exoriri. Præterea jubet Sulpitius ut si quis alodes a se concessos vendere aut commutare ausus fuerit, donationis litteræ nihil firmitatis habeant. Plurimi episcopi, scilicet Aimericus Narbonensis, Rodaldus Biterrensis, Gisandus Carcassonensis, Hugo Tolosanus, Dagbertus Agatensis, Miro Albiensis istud donum authoritate sua firmantes, diras imprecantur iis qui ausu temerario præcitatas litteras infringere tentaverint. Exstat aliud instrumentum idiomate barbaro conscriptum pactionis initæ inter abbatem Crassensem & præfatum Sulpitium, qui ibidem abbatis titulo donatur. Inter Petrum episcopum Girondensem & Rogerium comitem Fuxensem ejus nepotem comperimus ex partitione facta an. circiter 1034 prædictum monasterium adhuc eo tempore nomine abbatiæ insignitum fuisse. Quinam vero fuerint abbates, si Sulpitium excipias, prorsus ignoramus. Gelasius II summus pontifex an. 1118, indict. XII ad Berengarium abbatem Crassæ protectionis bullam dirigens meminit hujus loci. Jam pridem prioratus iste simplex erat, cum Johannes papa XXII, paulo postquam instituerat episcopum apud Mirapicas, voluit ut duodecim monachi ex Crassensi monasterio accersiti vitam ibidem degerent regularem, & ad eorum sustentationem univit prioratum de Petra-ficta, prout legitur ex bulla conscripta 17 Augusti 1318.

Charta II, col. 226.

Hist. Occit. tom. II, prob. col. 189.

PRIORES.

I. STEPHANUS occurrit in documento anno 14 regni Roberti, id est an. 1010, nonis Junii cum duodecim monachis, qui omnes subscripserunt, videlicet Segoinus, Arcemagnus, Sendredus, Johannes, Segoinus, Landricus, Aribertus, Aurerius, Varinus, Raymundus, Vuitardus, Bernardus.

II. Arnaldus anno circiter 1070 Petro comiti Fuxensi mulam & decem solidos Tolosanos concessit, ea lege ut iste diversa jura dimitteret, quæ exigebat ex Cambonensi monasterio & ex villa *Calsan* ab ipso dependente.

III. Rigaldus 1076, 1078, 1093, 1104.

IV. Berengarius 1114.

V. Raimundus Pædro 1115.

VI. Bertrandus I *de Villemur* 1172, postea episcopus Tolosanus.

VII. Petrus *de Clermont* 1180, 1190.

VIII. Palassinus vel Paladuinus 1221. In quodam actu confecto an. 1227 ait se agere nomine suo & cum voluntate monachorum & confratrum suorum.

IX. Guillelmus de Corosella arbitros elegit abbatem S. Hilarii & Ugonetum militem de Fano-jovis in controversia quam habebat cum toparchis *de Lordat* & *de Mirepoix* an. 1237. Memoratur etiam ad annos 1245 & 1246.

X. Peytavinus pactionem iniit 1247, in qua nulla recurrit mentio monachorum. Adhuc reperitur an. 1252.

XI. Pontius de Villario 1272.

XII. Bertrandus II de Castello-novo monachus Crassensis 1296, 1298.

XIII. Jordanus de Rupe-forti 1316. Fratrem suum Soricinii monachum cujusdam negotii procuratorem instituit an. 1328.

XIV. Rainaldus *Foulcault* regis capellanus 1351. Strenue insecutus est Franciscum & Petrum *de Levis*, qui tres homines prioratus subjectos trucidari jusserant in pago *de Montaragon* 1352.

XV. Guillelmus *Folcrand* 1366.

XVI. Olivarius de Pompilinio vel de Damphis 1396, 1401.

XVII. Bernardus Laroqua 1420.

XVIII. Bertrandus III *de Queysses* 1470, 1481.

XIX. Auduinus de Abzaco 1482.

XX. Philippus *de Levis* Guillelmum *de la Douze* æmulum summovit senatusconsulto parlamenti Tolosani 1504.

XXI. Carolus *Hemard d'Enonville* cardinalis episcopus Matisconensis habuit litem de quibusdam decimis cum Johanne cardinale Lotharingo 1538.

XXII. Georgius I *d'Armagnac* cardinalis archiepiscopus Tolosanus 1541, 1549. Assignavit portionem congruam centum viginti librarum parocho de Cambono an. 1560.

XXIII. Jacobus I *de Villemur* cognomine magnus 1580. Nepoti suo resignavit.

XXIV. Jacobus II *de Villemur* 1600, 1603.

XXV. Jacobus-Philibertus *de Villemur* superioris nepos per cessionem prioratum adeptus fruebatur 1650 & 1712 natus annos 70.

XXVI. Georgius II *de Villemur* 1718.

XXVII. Thomas *Lavaur* 1720.

BOLBONA.

BOLBONE.

FILIA Boni-fontis de linea Morimundi Bolbona Fuxensis comitatus, quondam in Tolosana diœcesi nunc in Mirapicensi, condita ad annum circiter 1129, addicta ab initio fuit ordini S. Benedicti, & ad Cisterciensem accessit anno 1150. Plurimi tractus optimates amplissimas largitiones & possessiones ipsi tribuisse leguntur in tabulario. Ildefonsus rex Arragoniæ sub sua regia custodia atque tutela esse voluit anno 1140. Rogerius Fuxi comes concessit 1160 id totum quod habebat in nemore Bolbonensi. Dominus de Saxiaco, Isarnus de Viridi-folio atque Jordanus de Insula consimilia dona contulerunt.

Diversis monasteriis hæc abbatia dedit originem, scilicet an. 1159 parthenoni beatæ

Mariæ *de Marenx*, pro cujus fundatione Raymundus Tolosanus antistes ecclesiam & alia prædia indulsit assensu Attonis abbatis & conventus Lezatensis, quorum juris erat saltem ex parte ecclesia S. Genesii juxta quam conditus fuit parthenon, qui exinde cum matre adunatus est an. 1442. Turris-aquilaris in Græcia, si lubet credere, nec non Ovila in Hispania e Bolbona natas se esse fatentur. Monachi beatæ Mariæ de Vahali institutum Benedictinum deserentes se suumque cœnobium ordinationi & correctioni abbatum Bolbonensium subjecerunt an. 1196, proindeque monasterium utrumque in unum coaluit anno 1225, annuente abbate Fontis-dulcis, cui ab exordio Vahalis parebat. Eodem circiter tempore, anno, inquam, 1225, dominis de Lissiaco opem ferentibus, ex Bolbona prodiit parthenon de Valle-nigra, qui pariter coagmentatus est a Guidone abbate Morimundi visitatore an. 1432. Unitum etiam fuit anno 1219 monasterium sanctæ Mariæ de Inter-ambas-aquas, comprobante abbate S. Michaëlis de Coxano, cui suberat, unde & deinceps eidem asceterio uti prædium adhæsit. Calertium tandem quod ei quoque fuerat adjunctum ab ipsa divisum est an. 1460 decreto capituli generalis. Habet præterea collegium in Universitate Tolosana, quod testamento legavit Raimundus *Mascarou* pro instituendis junioribus monachis. Ad hæc adde auctos quamplurimum monasterii proventus & ecclesiam in honorem SS. Jacobi & Philippi conditam fuisse an. 1270 a Rogerio Fuxi comite, qui ibidem anno sequenti magno omnium ordinum concursu & planctu humatus est.

Manrique, annal. t. III, p. 14. Ibid. p. 25.

Silere non licet de celebri Franciæ & Arragoniæ regum cœtu, qui ex veteri instrumento monasterii sic profertur: *Anno Domini M. CCLXXII, prima die mensis Junii & in die crastina, Philippus rex Franciæ & P. frater ejus, & Jacobus rex Arragoniæ & Jacobus frater ejus cum multis ducibus & prælatis fuerant apud domum Bolbonæ tractantes pacem comitis Fuxi, & die Dominica proxima prædictus comes consilio regis Arragoniæ & Gastonis & plurium magnatorum tradidit se ipsum & terram suam & valitores suos consilio regis Arragoniæ.*

Inter viros celebres quos in sinu suo fovit hæc domus est Jacobus Furnerii, qui post diversas ecclesiæ dignitates emensas, ad summi pontificatus apicem pervenit an. 1334 nuncupatus Benedictus XII. Addendus quidem est Guillelmus Curti, juxta plerosque scriptores confutatos a Baluzio, Jacobi Furnerii nepos, qui diu abbatis munere functus, cardinalium collegio annumeratus est an. 1338.

Baluz, not ad vit. PP. Aven. tom. I, col. 816 & seq.

Solo adæquata est abbatia a novatoribus exeunte seculo XVI & monachi Tolosam in collegium Bolbonense coacti se recipere, in quo toto fere seculo id est ad annum usque 1652, quo suum refecerunt monasterium in loco amœnissimo a primævo situ tribus milliaribus distanti, quem latine vocant Inter-ambas-

A aquas & gallico idiomate *Tremesaigues*, ubi olim exstabat monasterium de quo supra egimus. Eo loci nunc superest Bolbona ad confluentem fluviorum Hircii & Aregiæ, cultissima ac pene omnium Occitaniæ monasteriorum splendidissima.

Syllabus Abbatum.

I. Dominicus in antiquis monumentis quæ contrectavimus & inspeximus primus abbas semper habetur. Unde conjicimus mendum irrepsisse ubi dictum est tom. I, col. 1115 pariagium initum Rogerium Fuxi B comitem inter & Berengarium abbatem Bolbonæ a Raimundo abbate Boni-fontis laudatum fuisse an. 1151. Diversis temporibus diversos beneficos expertus est Dominicus, nimirum Arnaldum *de Ker* & Berengariam ejus uxorem mense Octobri 1154, Raimundum Tolosæ præsulem tradentem ecclesiam de Marenxo 1159 parthenonis ordinis Cisterciensis construendi gratia, Raimundum Tolosæ comitem largientem liberum & quietum transitum per omnes terras suæ dominationis 1161, Rogerium Bernardi comitem Fuxi amplissimas possessiones conferentem ad annos 1160 & C 1163, videlicet quicquid juris habebat in nemore Bolbonensi sic etiam locum de Bono-repauso. Petrum *de Castelar* recepit in monachum 1165. Pactum iniit 1166 cum abbate Bonæ-cumbæ. Obtinuit 1168 a Bernardo de Saxiaco filio Hugonis locum integrum ubi ecclesia Bolbonensis constructa fuerat. Memoratur in acta anno 1168 inter Guillelmum abbatem Lesati & Adelaidem abbatissam *de Marenx* transactione, ex qua constat ipsum Dominicum cum Attone abbate Lesati antea composuisse. Præsente Maurino abbate Fredelacensi accepit an. 1172 a Sicfrido de Pujolis D quicquid juris iste possidebat in prædio de Bono-repauso. Quem abbatia Frigdelensis in Bolbonensi silva habebat honorem ab abbate ejusdem loci præstari sibi fategit 1176 mense Octobri. Contentionis motæ inter monasteria Grandis-silvæ & Combæ-longæ exstitit arbiter 1178. Adhuc superstes ad annos 1179 & 1180 mense Februario.

Char. VII, col. 231.

II. Odo, teste Rogerio Bernardi Fuxi comite, plura adeptus est an. 1180 mense Junio ab Atone-Arnaldo *de Castelverdus.* Dono accepit 1182 pascua a Bertrando *de Nerag.* Protectionis privilegia a duobus summis E pontificibus consecutus est, nempe a Lucio III an. 1182 & ab Urbano III ejus successore. Recensetur 1186 in donatione Raimundi de Aura. Pluries occurrit ad annum 1188. 1.° Donatus est a Fulcrando episcopo Tolosano immunitate decimarum in terris quas suis manibus colerent monachi. 2.° Judicium protulit cum eodem pontifice atque etiam cum Guillelmo *de Caute* S. Stephani præposito inter Arnaldum Combæ-longæ & Guillelmum Domus-Aymerici seu Vajalis abbates. 3.° Nactus est integram libertatem in omnibus

terris Arnaldi-Guillelmi de Artuina. 4.° Jurgium habuit cum Bernardo abbate Coxanensi super decimis de Inter-ambas-aquas. Reperitur etiam ad annos 1191 mense Novembri, 1192 mense Aprili. Monasterii bona a Cœlestino III firmari curavit anno 1193, quo suscepit donum Raimundi *Fors*. Præerat adhuc an. 1194 mense Aprili.

Ch. VIII, col. 232.

III. Dominicus II recensetur ad annum 1194. Domum B. Mariæ Vajalis a Guillelmo de Amantianis excepit an. 1195. Præerat & anno 1196.

Chart. IX, col. 232.

IV. Berengarius I an. 1198 idibus Martii die Dominica, qua ecclesia consecrata fuit, a Raimundo Rogerio comite Fuxensi insigne privilegium est adeptus. Quædam acquisivit 1199 mense Octobri a Guillelmo de Amantianis dicto Galobia, & an. 1200 ab Aimerico domino *de Montreal* & de Lauriaco. Memoratur an. 1202 & 1203 in charta Raimundi-Rogerii Carcassensis, Biterrensis & Albiensis vicecomitis libertatem ab omni consuetudine in burgo S. Vincentii Carcassonæ concedentis pro aliquo manso ibidem acquisito, teste Berengario episcopo Carcassonensi. Donum adhuc ipsi traditum est a Raimundo de Fuxo an. 1204.

V. Augerius pastorale pedum obtinebat annis 1206 mense Junio, 1207 & 1208 mensibus Maio & Octobri.

VI. Berengarius II *Valart* a Petro abbate & conventu S. Michaëlis de Coxano sub certis oneribus ecclesiam S. Mariæ de Inter-ambas-aquas cum ecclesiis, decimis, prædiis & aliis pertinentiis in perpetuum possidendam & pro libito suo disponendam recepit anno 1209. Legitur adhuc in veteri instrumento mense Maio 1212.

VII. Raimundus I Segerius cum Guillelmo abbate Crassensi transegit 1214 mense Augusto. Eodem anno consecutus est donum a Rogerio *de Montaut*. Legitur in chartis 1215, 1216, 1217, 1219, 1220 mensibus Aprili & Augusto quo eum inter & Guidonem de Campis a Bernardo Calercii abbate sopita est controversia.

VIII. Guillelmus I 1221.

IX. Robertus seu Robinus abbatiam beatæ Mariæ de Vahali cum omnibus prædiis, possessionibus, ecclesiis & pertinentiis ab abbate Boni-fontis omnino possidendam accepit 1222. Subscripsit mense Aprili 1223 chartæ Bertrandi de Penna. Dona recepit an. 1225 a Bernardo de Fuxo atque a Sicardo de Corciano, nec non anno 1226 a Raimundo *de Passapung*. Ecclesiam *de Tremesaigues* sibi collatam a Petro abbate Coxani firmari fategit an. 1227 autoritate Fulconis episcopi Tolosani in festo S. Thomæ. Cum Maurino abbate S. Antonini composuit an. 1228.

X. Petrus I adstitit an. 1229 cal. Julii conventui episcoporum & abbatum habito apud S. Johannem *de Verges* pro reconciliatione Rogerii-Bernardi comitis Fuxi cum rege Franciæ & cum sede apostolica. Transactionem iniit an. 1230 cum Guillelmo Atone abbate Fuxensi. Eodem rursus anno, III cal. Decemb. is atque Maurinus abbas Appamiensis cœnobiarchas Boni-fontis & Candelii arbitros elegerunt litis exortæ de tertia parte bonorum immobilium quæ Bolbonenses accipiebant ab iis qui suam ibidem eligebant sepulturam, quæque sibi arrogare nitebatur Appamiensis abbas. Pactus est an. 1231 mense Julio de vico Ampulliaci, & anno sequenti mense Aprili donum recepit.

XI. Poncius de Sancto-victore 1232 nonis Decembris compromisit cum Bertrando *de Belpuech*. Memoratur etiam annis 1233 & 1234 quo donum ipsi tributum est a Galardo de Boulanis.

XII. Bernardus I *d'Albars* ad professionem admisit Ayolsum 1236, VIII idus Octobris. Dominium de Ampulliaco tradidit in feudum Raimundo de Baulanis XVIII cal. Septemb. 1237. Recensetur annis 1238 & 1239 quo eum inter & Bernardum abbatem Calercii lis sopita fuit a Garino Ealnarum & Petro Benedictionis-Dei abbatibus. Chartæ subscripsit 1240 mense Julio. Possessiones a Fuxi comite monasterio indultas Rogerii-Bernardi item comitis & successoris munimine roborari curavit 1241. Invenitur in instrumento 1243. Una cum conventu renunciavit XI calendas Martii 1246 pedagio Salis. Adhuc obtinebat an. 1247.

XIII. Berengarius III 1247, V calendas Januarii inter fratres admisit Raimundum de Fuxo, qui omnes suas possessiones monasterio tradidit. Reperitur ad annum 1249 die 12 exitus Junii. Hic atque Maurinus abbas Appamiensis qui inter se habuerant non modo gravem discordiam, sed & pugnam in qua primus fuerat saucius, super prædio de Bono-Reparso, rixarum elegerunt arbitros comitem Fuxensem, abbatem Parignani & præpositum aut abbatem S. Saturnini. Legitur 1251 in charta ecclesiæ Tolosanæ. Eodem anno obtinuit a capitulo generali facultatem celebrandi anniversarium pro comitibus Fuxi Fundatoribus.

XIV. Ademarius pareagium urbis Maseriarum cum Rogerio comite Fuxi fecit coram multis prælatis 1252. Querelam habuit 1255 adversus delegatos Alfonsi comitis Tolosæ. Superstes etiam an. 1256.

XV. Guillelmus II Roberti factum cum Fuxi comite pareagium urbis Maseriarum ratum habuit V idus Januarii 1256, id est 1257. Decimas ejusdem loci pro decimis ecclesiarum S. Johannis de Creone & S. Michaëlis *de Montaut* permutavit anno sequenti. Litem terminavit an. 1259 cum Bertrando abbate S. Papuli. Rogerii comitis Fuxi apud Bolbonam an. 1263 sepulti adstitit funeri, uti constat ex hac inscriptione: « Anno Domini M. CCLXIII, VI calendas Martii in die S. Mathiæ apostoli « obiit Rogerius comes Fuxi, & vicecomes «

» Castri-boni in monasterio Bolbonæ in camera A » abbatis in præsentia ipsius & prioris & abbatum, » scilicet Berdonis, Calercii, Mansi-azilis, Lesatensis & multorum monachorum & conversorum & aliorum bonorum virorum qui testamentum optimum & confessionem integram, » emendationem & eleemosynas multas fecit. » Sepultus vero est in eodem monasterio in » basilica quam ipse construxerat sumptibus in » honorem apostolorum Philippi & Jacobi. Cujus » exsequiis fuerunt dominus archiepiscopus Auxitanus, dominus Remundus episcopus Tolosanus & Convenarum, dominus Guillelmus » Roberti abbas prædicti monasterii cum abbatibus & fratribus nominatis, multi monachi, » canonici, Minores, Prædicatores, laïci, multis » populis astantibus, flentibus, plangentibus suum pium dominum & benignum. » Occurrit Guillelmus & an. 1266, IV nonas Martii.

XVI. Olricus præerat 15 Martii 1272. Eodem anno Franciæ & Arragoniæ reges atque comitem Fuxi in Bolbonensi monasterio ad pacem tractandam accedentes hospitio excepit. Pactus est 1275 cum abbate Calercii, arbitris & judicibus a capitulo constitutis Pontio Ealnarum & Guillelmo Candelii abbatibus.

XVII. Bernardus II Saquarti sedebat 1276. C Donum suscepit 1277 a Guillelmo de Fuxo. Confirmavit anno 1278 Rogerio-Bernardo comiti Fuxensi & vicecomiti Castelli-boni quæcumque Berengarius patri Rogerii dimiserat, id est mediam partem bastidæ de Mazeriis. Reperitur etiam annis 1279 & 1280 III cal. Martii.

XVIII. Imbertus Margaritam Fuxi comitissam certiorem facit de lite sibi illata ab Egidio regis procuratore pro jurisdictione urbis de Mazeriis cujus pareagium habebat cum comite Fuxensi XIII calend. Julii 1282. In litteris quas Rogerius-Bernardus ad Imbertum misit an. 1285, eum vocat amicum suum carissimum. Partem suam sortitus est Imbertus in divisione nemoris *Delserrat* IV id. Julii 1286. Querelam habuit adversus Aculeum abbatem Lezati super ecclesia de sancto Genesio de Brogalha, quæ adjudicata est Lezatensi monasterio XII cal. Julii 1287. Id judicium confirmavit abbas uterque pridie cal. Julii 1288. Ipse & Carbonellus abbas Cumbæ-longæ compromissum fecerunt anno sequenti feria quarta ante festum S. Gregorii in manibus Gerardi *Delpech* & Johannis de Rubeo-monte castellani Appamiensis. Consecutus est portionem terræ cujusdam sitæ in loco de Fajaco X calend. Junii 1290. Hunc reperimus & ad annos 1294, 1297 & 1298.

Chart. X, col. 234.

XIX. Arnaldus I Guillelmi præfecturam obtinebat an. 1299. Rogerium-Bernardum Fuxi comitem in urbe Tarasco defunctum humo mandavit in ecclesia Bolbonensi anno 1301. Societatem precum renovavit anno 1304, XIV cal. Aprilis cum abbate Coxani. Requisitus est a rege Philippo IV Pulchro ut apud Bolbonam effunderentur preces pro remedio animæ Johannæ reginæ nuper defunctæ uxoris Philippi. Ille siquidem, annuentibus centum & sexdecim monachis tunc ibidem existentibus, instituit anniversarium celebrandum quotannis 1305. Urbem Mazeriarum ab incolis noctu vicissim custodiendam sub quadam multa decrevit X cal. Decemb. 1307. Pecuniam argenteaque vasa ab Agnete Fuxi comitissa Braidæ abbatissæ Vallis-nigræ tradita pro fundis terræ comparandis recensuit 1 Februarii 1309. Nomen dedit 1312 instrumento Petri-Arnaldi *de Castelverdun*. Cum patribus Carmelitis Appamiensibus compositionem iniit 1313. Superstes erat & anno 1314.

Chart. XI, col. 235.

B

XX. Guillelmus III Curti satus Curtia gente ex pago Mirapicensi in Tolosana diœcesi orta, institutum Cisterciense apud Bolbonam amplexatus, philosophicis ac theologicis artibus Parisiis in collegio Bernardinorum operam navavit. Accepta dein doctoratus laurea in abbatem Bolbonæ ipse assumtus est, obtinebatque an. 1316. Adstitit an. 1321 die 2 Augusti sententiæ latæ ab Inquisitoribus fidei. Cum Jacobo abbate Cumbæ-longæ memoratur an. 1322, IV & III nonas Julii. Donum accipit a Gastone comite Fuxi IV cal. Febr. 1324. Cum Guillelmo archipræsule Tolosano transigit 21 Junii super rivo de Ascaldo, cujus medietatem in monasterium deducendi facultatem adeptus est. Obtinet anno 1332 a Petro *des Essarts* cive Parisiensi apocham 475 librarum in deductionem 950 quas regi debebat pro impetrata facultate acquirendi monasterio 150 libras annui reditus. Vocatur in variis instrumentis professor in sacra pagina usque ad annum 1335 quo comparavit territorium Briarium. In locum Gerardi Nemausensis episcopi suffectus fuit anno 1337 D a papa Benedicto XII, cujus pontificis nepotem fuisse testantur plerique authores, sed nullatenus propinquum negat Baluzius. Paulo post traductus est ad ecclesiam Albiensem & in collegium cardinalium titulo quatuor Coronatorum adscriptus 18 Dec. 1338. Sub quo nomine Johannes abbas Cillercii ac desinitores capituli generalis ipsi tribuerunt anno 1339 pensionem annuam 3000 florenorum auri. De eo vide tomos I, col. 26; VI, col. 450.

Baluz. vit. ad vit. PP. Aven. tom. I, col. 816 & seq.

XXI. Durandus ex monacho Firmitatis E abbas Bolbonæ hominium recipit a Raimundo de Baulhanis pro terris quas habebat in dominio S. Gavellæ 21 Martii 1339. Declarat 22 Aprilis 1341 se mille florenos auri a Benedicto XII papa suscepisse pro duabus capellis, quas hic pontifex pro sua & Arnaldi Noelli cardinalis S. Priscæ sui propinqui salute condiderat. Non ita multo post obiisse creditur, nam eodem anno Johannes *de Marcilly* abbas Firmitatis missam quotidianam pro eo instituit.

XXII. Arnaldus II 1346. Monasterium Vallis-nigræ ex delegatione abbatis Cistercii

visitavit annis 1350, 30 Julii & 1351 Sabbato ante festum S. Jacobi. Transegit die 3 Februarii 1354 cum Johanne *de Levis* domino Mirapicensi. A

XXIII. Guillelmus IV an. 1357 die 8 Maii dedit apocham 3000 florenorum auri, quos ipsi dederat Guillelmus episcopus Tusculanus ad sustentationem trium monachorum in Universitate Parisiensi studentium.

XXIV. Raimundus an. 1364 die 6 Octob. anniversarium quotannis celebrandum decernit pro anima Guillelmi episcopi Tusculani & cardinalis quondam abbatis, qui monasterio universa sua legaverat. Occurrit etiam anno 1368. B

XXV. Petrus II Aulerii ex abbatia Calercii accitus an. 1370 memoratur ad annum 1374. Quasdam possessiones apud Dunum a Rogerio *de Levis* toparcha Mirapicensi acquisivit 1389. Cum eodem Rogerio compromissum iniit in manibus Gastonis comitis Fuxi 11 Julii 1390. Bonorum atque privilegiorum confirmationem assecutus est 22 Augusti anni sequentis a Matthæo itidem comite, quicum atque etiam cum Geralda de Noalliis vicecomitissa Castriboni genitrice Matthæi renovavit 1391 pareagium urbis Mazeriarum. Legitur & an. 1395, 26 Novembris in charta Bertrandi episcopi Mirapicensis. Doctoris laurea fuerat insignitus uti constat ex documento edito an. 1399. C

XXVI. Arnaldus III ex abbatia Boni-fontis ad hanc anno 1401 traductus fuisse legitur tom. I, col. 1117.

XXVII. Petrus III *Élie* alias de Fuxo baccalaureus ex priore electus in abbatem præerat ad annos 1404, 1415, 1426, 1427, 1431, 25 Octobris.

XXVIII. Raimundus 1434. Fulminavit 5 Octobris 1435 bullam Eugenii IV, qua ecclesia parochialis de Vallibus unitur ecclesiæ cathedrali Mirapicensi. D

XXIX. Petrus IV Erboleti 1452. Usum pontificalium ornamentorum obtinuit a Nicolao V summo pontifice IV calendas Julii 1453. Die & anno iisdem, annuente Antonio abbate Calercii, accepit bullam cujus virtute Calercium unitur monasterio Bolbonensi. Moritur an. 1459.

XXX. Antonius Solerii eximius theologiæ professor, primum abbas Calercii, suffectus in locum Petri defuncti confirmatus est 1459 a Bertrando abbate Boni-fontis. Guidonis abbatis Cistercii munus procuratoris exercebat 1462, 3 Aprilis. E

XXXI. Guillelmus V Rogerii electus fuit & confirmatus a Guillelmo abbate Boni-fontis an. 1476. Cum Antonio Fornamira transegit an. 1488. Pastorale pedum obtinebat adhuc annis 1491 die 1 Septemb. an. 1493, 7 die mensis ejusdem.

XXXII. Johannes de Fuxo abbas commendatarius reperitur 1494 ultima die Augusti, 1495 8 Julii, 1497 24 Septembris, ex chartis authenticis D. *de Gaigneres*.

XXXIII. N. cardinalis *de Ferrare* 1508.

XXXIV. Paulus *de Béarn* commendam obtinebat an. 1514. Transegit cum monachis an. 1520. Item abbas S. Savini & episcopus Lascurensis, uti diximus tom. I, col. 1298. Extremum diem obiit 1533.

XXXV. Amaneus de Fuxo clericus diœcesis Burdegalensis & protonotarius apostolicus 1535. Transactionem habitam inter Johannem de Fuxo & monachos de mensæ abbatialis divisione a conventuali pontificia authoritate roborandam curat VII idus Maii 1539. Bullam a Paulo III consequitur jus ipsi facientem, monastica veste prius assumta, novitios recipiendi, regendi reformandique monasterium XIV cal. Februarii 1543. Legitur in diversis instrumentis usque ad annum 1551, quo se abdicavit in gratiam cardinalis *d'Est* regiis litteris ad Carcassonensem ecclesiam nominatus non ut episcopus, sed uti œconomus & administrator. Factus postea Matisconensis tum Vasatensis præsul. Legesis tomos I, col. 1210; IV, col. 1098; VI, col. 921.

XXXVI. Hyppolitus I *d'Est* cardinalis *de Ferrare* diversarum Galliæ ecclesiarum præsul, plurimorumque monasteriorum abbas per cessionem Amanei de Fuxo obtinuit an. 1551, quo pactum cum Consulibus & incolis de Mazeriis super reparatione campanilis iniit 23 Augusti. Monasterium a Calvinistis solo adæquatum conspexit 1567. Ultimo fine quievit an. 1572. Vide tomos I, coll. 590, 1003; IV, coll. 185, 424; VI, col. 113 & seqq. VIII, col. 1697.

XXXVII. Aloysius *d'Est* cardinalis *de Ferrare*, superioris nepos, archipræsul Auxitanus, per patrui obitum bullas accepit datas Romæ IV nonas Decembris 1572. Curam insumsit an. 1579 die 18 Septembris apud Henricum Navarræ regem ut bona monasterii ab hæreticis usurpata restituerentur. Obtinebat & ad annos 1575, 1584. Hunc obiisse anno 1586 III calendas Januarii diximus tom. I, col. 1004.

XXXVIII. Arnaldus IV in monasterii documentis occurrit an. 1593.

XXXIX. Hyppolitus II cardinalis *de Ferrare* 1596.

XL. Franciscus *de Joyeuse* Tolosanus archiepiscopus cum sequenti permutavit 1597.

XLI. Jacobus *de Villemur de Pailhies* prior B. Mariæ Deauratæ via permutationis abbatiam est adeptus 1597, adhucque obtinebat 1635.

XLII. Jacobus-Philibertus *de Villemur de Pailhies* commenda fruebatur an. 1638.

XLIII. F. *de Villemur de Pailhies* 1664.

XLIV. Carolus *Andrault de Langeron* eques ordinis Melitensis & ballivus majori cruce signatus, præceptor Vallis-francæ in Biturigibus, a rege commendam consecutus est 8 Januarii 1721. Parisiis obiit 13 Julii 1729.

XLV. Bartholomæus *de Salignac-Fenelon*,

canonicus & archidiaconus Cameracensis, nominatur a rege exeunte anno 1729, at sequenti anno cedit capessiturus commendam sancti Martini Pontisarensis. Postea fit Appamiensis episcopus.

XLVI. N. *de Choiseul-Beaupré* commenda a rege donatus mense Junio 1730, propositus est Romæ in consistorio 2 Octobris, & anno sequenti 21 Maii.

XLVII. Georgius-Lazarus *Berger de Charency* prius episcopus Papulensis, tum A Monspeliensis, abbatiam est consecutus mense Septembri 1740. Morte subita in sua diœcesi percussus est 14 Februarii 1748 annos natus 60.

XLVIII. N. *d'Ormesson*, metropolitanæ Parisiensis ecclesiæ canonicus, nominatus est a rege mense Aprili 1748.

XLIX. N. *de Montesquiou*, vicarius generalis Lemovicensis, commenda a rege donatus fuit 28 Septembris 1777.

ECCLESIA S. PAPULI.

VETUS monasterium S. Papuli urbi nomen indidit, quæ a Tolosa cis Garumnam leucis novem distat, una a Castro-novo Arrii oppido ejusdem diœcesis & pagi Lauracensis in Volcis primario, sub archiepiscopatu & Parlamento Tolosano. Hic locus primum suscepit Christum in sanguine B. Papuli socii S. Saturnini episcopi Tolosani, & in loco martyrii postea capella ædificata fuit, quæ sic mansit per multa tempora sub baptismali cura; gradatim vero accrevit fidei professio, & tempore Pipini regis hæc basilica statum suscepit monachalem; Caroli autem Magni devotione, ut tradunt, ædificia & septa fuerunt dilatata. Et proinde in notitia monasteriorum quæ Ludovico Pio Augusto, ex decreto conventus Aquensis habiti anno 817, militiam regi, dona aut solas orationes debebant, in Tolosano memoratur monasterium sancti Papuli, quod exeunte seculo decimo abbatiæ sancti Victoris Massiliensis subditum est. Nobilis prosapia *de Roquefort* prope Soricinium jurisdictione ecclesiæ collata domum ampliavit. Primum igitur parochia fuit, inde per quadringentos annos aut circiter sub abbatiali regimine directa, per papam Johannem XXII ab ecclesia Tolosana distracta, in episcopalem sedem mutata est Avenione in consistorio publico, curia Romana ibidem residente anno 1317 VIII cal. Martii, remanente statu monachali, ut ex bulla
Chart. XI, col. 252. institutionis videre est, quam ex autographo originali desumtam ad calcem post Sammarthanos prelo subjecimus. Verumtamen monachi claustrales usus exuentes, in posterum evasere canonici seculares anno scilicet 1670, suntque numero duodecim ex quibus unus præpositus & quatuor
Ch. XII, col. 256. præbendarii. In diœcesi exstat apud Castellum-novum Arrii capitulum duodecim canonicorum, quos præcitatus papa instituit in ecclesia parœciali VIII cal. Martii, pontificatus 2. Eadem in urbe sunt etiam conventus Minorum, Carmelitarum, Capucinorum & Monialium Canonicarum ordinis S. Augustini, quin etiam collegium quod moderantur presbyteri dicti de Doctrina Christiana. Exstat præterea insignis conventus monialium ordinis S. Dominici, Prulliacensis vocatus, tempore ipsius S. Dominici a Fulcone episcopo Tolosano fundatus, & alius Urbanistarum in loco quem vulgari lingua appellant *Scasce*. In tota vero diœcesi sunt tantum parochiæ quadraginta sex, annexis non computatis.

En aliquot abbatum nomina, qui monasterium usque ad episcopatus erectionem administrarunt.

ABBATES.

I. GUILLELMUS I innotescit ex mss. curis Petri Soyeberti episcopi exarato, in quo leguntur hæc verba: *tempore abbatis Guillelmi viri inclytæ recordationis fratres hic se dedicaverunt ad statum mirabilis devotionis.*

II. Raimundus I anno 1068 interfuit concilio Tolosano & electioni abbatis Soricinensis 1071, VIII cal. Decembris. Sub Raimundi moderamine Berengarius nobilis Tolosanus, Bernardi & Hilloardis filius monachum induit in San-papulensi monasterio. Is, inquit Mabillonius, relictis omnibus, quæ in seculo habere poterat, divino cultui se mancipavit: ubi varia monasterii officia religiosissime obivit. Completis in sancta conversatione vitæ suæ diebus, ipso die sacræ cœnæ Dominicæ, cum in quodam castello, quod Lauticum vocatur, pro sui monasterii negotiis, versaretur, morbo correptus, ad monasterium defertur: ubi diu cum morbo luctatus, tandem ipsa nocte Dominicæ Ascensionis, quæ illo anno (1093) in septimum kalendas Junii incidebat, ecclesiæ sacramentis munitus, piissime decessit, miraculis ante & post obitum celebratus, adeoque pro Sancto habitus. Anselmus monachus Beccensis, alius sine dubio a S. Anselmo, rogatus ab abbate S. Papuli, libellum de vita S. Berengarii scripsit.

A III. Geraldus I.

IV. Olricus. De tribus istis abbatibus hæc leguntur in mss. Petri Soyeberti: *Inde sub venerandis abbatibus Raimundo, Geraldo & Olrico sanctam regulam continuantibus, multa ex pietate loco huic collata sunt a fidelibus & potentibus.*

V. Guillelmus II subscripsit anno 1205 donationi monasterio Crassensi a Johanne Bisethi collatæ. Idem sane est qui una cum SS. Dominico & Francisco summum pontificem adiit an. 1206, de hæreticorum Albigensium negotiis agendi gratia.

VI. Petrus de sancto Germano 1209 acquirit a Raimundo Aynardi quidquid iste
B habebat in territorio Vilcaspini. Forte idem est cum P. abbate, qui an. 1229 reperitur in veteri carta Montis-olivi.

VII. Bernardus I de Amiliano 1230 transigit cum comite de Verduneto. Jurisdictionem S. Papuli acquirit anno 1233 a Jordano de Rupe-forti, in claustro postea sepulturæ tradito, comprobante Raimundo Tolosano comite. Cum monasterio Campi-rotundi præfectus fuisset III nonas Decembris 1234 ab abbate Moissiacensi, ejus electionem confirmare noluit episcopus Gerundensis. Tunc ille iram in monachos vertens, una cum equitibus ac prædonibus ad pessumdandum monasterium

accessit. Qua de causa ab episcopo Gerondensi A excommunicatione percussus est.

VIII. Raimundus II de Althinaco adfuit acceptationi factæ abbati & conventui Montis-olivi VIII cal. Martii anno 1244. Memoratur adhuc IV non. Julii 1249 in carta Raimundi episcopi Tolosani Geraldo abbati Montis-olivi ecclesias Tolosanæ diœcesis confirmantis.

IX. Geraldus II occurrit anno 1250 in documento Bolbonensi. Ademarium de Villanova se suaque bona monasterio largientem expertus est munificum anno 1253. Varia contulit privilegia civitati S. Papuli an. 1254. Jacet in claustro hoc epitaphio donatus: *Anno Incarnationis Domini M. CCLV: Hic jacet dominus Geraldus quondam abbas istius loci qui obiit IV id. Aprilis. Orate pro anima ejus. Amen.*

X. Bertrandus consignatur anno 1259 in instrumentis Bolbonensi & Calerciensi 1265. Transactionem iniit 1269 cum Consulibus S. Papuli. Juramentum regi præstitit 1273.

XI. Bernardus II de Turre pactionis initæ inter Bertrandum episcopum Tolosanum & Consules atque indigenas Vauri testis adhibetur anno 1284. Nominatur in senatusconsulto Parlamenti Parisiensis edito an. 1290 in festo SS. Gervasii & Protasii. Delegatus a rege Berengarium de Proliano in urbis Carcassonensis judiciarium munus restituit die Martis ante Dominicam Passionis 1291. Reperitur an. 1299 in archivis Inquisitionis Carcassonæ, & etiam an. 1309. Jam ætate provectus in sancti Papuli primum præsulem assumitur.

ANNI CHRISTI

EPISCOPI S. PAPULI.

ANNI CHRISTI

DE TURRE.

I. BERNARDUS I.

NOBILI familia de Turre in Mirapicensi diœcesi editus Bernardus, multis abhinc
Ch. XIX, col. 169. annis abbas sancti Papuli, primus instituitur episcopus a Johanne XXII papa, V idus Julii,
1317. pontificatus anno I, id est 1317. Suam trahebat originem a Bernardo de Turre, quem Raymundus VII Tolosæ comes creavit militem an. 1244, a quo Bernardo emanat nobilis antiquaque gens *de la Tour-Saint-Paulet* adhuc superstes in pago Lauracensi, quæ hunc præsulem sibi vindicat tanquam ex eodem ortum genere. Bernardus vero præsul acquisivit episcopali mensæ aliquos census emphyteuticos apud Bordas, aliave territoria; ædificavit C chorum ecclesiæ & capitulum. Fatis concessit 27 Decembris 1317. sepulturæque traditus est retro majus altare sub imagine B. Annæ.

DE MONSTUEJOLS.

II. RAIMUNDUS I.

Loco vulgariter dicto *Monstuejuols* prope S. Romanum de Tarno in diœcesi Ruthenensi ex nobili claraque gente etiamnum existente traxit originem Raimundus, cui, si ex veteri documento archivii regii Ruthenensis conjecturam desumere licet, fuere fratres Raimundus dominus de Monstuejolis, & Marquesius de Monstuejuolis dominus castri & castellaniæ de Pineto. Primum fuit monachus ordinis sancti D Benedicti in monasterio Gellonensi sancti Guillelmi de Desertis in diœcesi Lodovensi sub Guillelmo abbate suo patruo. Anno vero 1310 erat prior de Londris in Magalonensi, ut docent collectanea de dissidio Bonifacii VIII & Philippi Pulchri regis. Constat etiam ipsum fuisse abbatem S. Tiberii, prioremque monasterii S. Flori apud Arvernos, & ex priore in primum ejusdem ecclesiæ episcopum assumtum fuisse, sicuti legitur in libro obligationum Vaticani. Cum quasdam opiniones Petri-Johannis Olivi perpendendi provinciam accepisset a Romano pontifice, eas esse hæreticas

B ipse pronunciavit anno 1319, quo ineunte 1319.
ad episcopatum sancti Papuli traductus est, cognovitque eodem anno XVII cal. Augusti una cum archiepiscopo Tolosano de gravissimis accusationibus adversus fratrem Bernardum Delitiosi propositis. Tutelæ S. Clari episcopi solemnitati interfuit, simulque operam navavit cum Arnaldo Tutelensi præsule statutis ipsius ecclesiæ cathedralis initio mensis Julii 1320. 1320.
Capellaniam in ecclesia sancti Guillelmi de Deserto fundavit an. 1322, indict. V, die 25 1322.
Septembris. Is anno 1326 sedis apostolicæ 1326.
legatus Bernardum Maurini Narbonensem presbyterum audivit affirmantem a Petro *Trancavel* papam dictum fuisse Antichristum. Ad cardinales evectus est titulo sancti Eusebii 18 Decembris 1327. Tum vero Armandus 1327.
de Bello-visu ordinis Prædicatorum ei dedicavit collationes quas pro diversis festivitatibus Sanctorum fecerat, & in fine epistolæ dedicatoriæ eum valde commendat de peritia divinarum litterarum & sacrorum canonum. Epistolam ab abbate & conventu S. Guillelmi de Deserto accepit, quatenus qui monasterium ab antiquo dilexerat, illud amplius protegeret in futurum, eique concedunt missam solemnem de Spiritu-Sancto per singulos annos dum ipse viveret, & solemnem de defunctis post ipsius obitum an. 1328. Unus fuit e cardinalibus 1328.
quos Johannes XXII prope moriturus ad se evocavit anno 1334 ut coram eis promeret veram sententiam suam de visione beatifica animarum a corpore separatarum. Eodem anno suum Avenione condidit testamentum, quo sepulturam eligit in monasterio S. Guillelmi, cui sicut & S. Tiberio plurima largitur dona. Hic primus fecit statuta circa statum ecclesiæ S. Papuli & beneficiatorum, atque univit prioratui majori præfatæ basilicæ prioratum de Monte-ferrando ejusdem diœcesis, qui spectabat ad plenam collationem episcopi. Dedit & cathedrali suæ crucem magnam

ANNI CHRISTI argenteam aliaque ornamenta. Humanis autem rebus exemtus est anno 1335 die 15 Octob. ex annalium Tolosanorum scriptore, & humatus in presbyterio ecclesiæ S. Guillelmi de Deserto, ubi visitur ejus sepulchrum ex vario marmore, cum iconibus marmoris albi, magno lapide nigro opertum, sed ab hæreticis turpiter fœdatum.

III. GUILLELMUS I.

DE CARDAILLAC.

Nobili prosapia de Cardaillaco in Cadurcis exortus Guillelmus, Geraldi domini *de la Capelle-Marival* secundus natu filius, germanusque Bertrandi episcopi Cadurcensis, cum ipse esset archidiaconus Anglæ ab altero fratre suo codicillorum executor institutus fuit 14 Aprilis 1328. Eodem anno 23 Februarii,
1329. id est 1329, juxta nostrum computandi morem, electus est San-Papulensis episcopus. Paulo ante mortem, quæ accidit XV calend.
1347. Martii 1347, de crimine apud regem falso
Ch. XIII, accusatus, cum pluribus familiaribus suis in
col. 259. carcerem conjectus est. Qua de re Clemens VI papa ad Tolosanum archiepiscopum epistolam scripsit anno circiter 1348. Cathedralem suam donis mirifice locupletavit, & in vita ac post mortem claruisse miraculis fidem faciunt tabularia S. Papuli, quæ illum etiam immunitatum sui episcopatus strenuum vindicem attestantur. In iis vero invenimus verba sequentia, quæ epitaphii loco apponenda curavimus:

Anno M. CCCXLVII, XV cal. Martii obiit sanctæ memoriæ reverend. pater dominus Guillelmus de Cardaillaco episcopus S. Papuli: secularis vir fuit strenuus, & nobili prosapia ortus, bene defendens jura ecclesiæ, cujus meritis Deus fecit eo vivente & intercedente miracula. Iste vir sanctus pro majori parte fecit ædificare castrum de Villaspino diœcesis S. Papuli, ad mensam episcopalem pertinens: item capellam B. Mariæ in ecclesia S. Papuli. Item dedit crucem pulchram de argento, quæ non erigitur baculo, ubi sunt multæ reliquiæ Sanctorum. Item dedit ecclesiæ imaginem B. Mariæ de argento: pro magna parte fecit ædificare turrim ubi sunt carceres episcopales. Quiescit in ecclesia S. Papuli in capella B. Mariæ in terra ante sepulchrum, pro funere suo ædificatum. Injuriose fuit ductus Tolosam ad instantiam æmulorum, sed omnes ductores Dei judicio percussi, infra quindecim dies vili morte perierunt. Obiit idem Sanctus XV cal. Martii anno 1347.

IV. BERNARDUS II.

DE SAINT-MARTIAL.

E domo S. Martialis in Lemovicensi diœcesi progenitus Bernardus, in episcopum sancti
1348. Papuli cooptatur 5 Januarii 1348, uti legitur in tabulis Vaticanis, & cum laude episcopale munus exercuit. Capellam seu obitum D. Catharinæ in cathedrali ecclesia fundavit. Ultimo fine perfunctus 9 Augusti 1361, humatur ad cornu dextrum majoris altaris.

V. PETRUS I.

DE CROS.

Oriundus de Calma-forti in diœcesi

A Lemovicensi Petrus de Crosso*, monachus Benedictinus S. Martialis in eadem diœcesi, atque decretorum doctor, successive fuit præpositus de Rossaco, cellerarius Tutelensis ecclesiæ, prior de Volta ordinis Cluniacensis, tandemque abbas Trenorchiensis monasterii ab anno 1351, unde evocatus est ad episcopatum S. Papuli anno 1361. Legitur in 1361.
documento 8 Aprilis 1369. Ornavit castrum de Villaspino, basilicæ suæ legavit libros ac capellam variæ supellectilis sacræ. Translatus est anno 1370, VI idus Junii ad ecclesiam 1370.
Bituricensem, uti dictum est tom. II, col. 83,
B indeque ad Arelatensem archiepiscopatum, prout legere est tom. I, col. 578 & seq. Obiit an. 1388, XVI cal. Decemb. humo mandatus Avenione in ecclesia S. Martialis, ubi breve ac modestum habet epitaphium, ex quo constat ipsum fuisse creatum cardinalem tituli sanctorum Nerei & Achillæi.

* Scriptor historiæ sancti Martialis hunc locum gallice vocat *Calmefort*. Baluzius vero not. ad vit. pap. Aven. tom. I, col. 1303 existimat esse locum hodie vocatum *la Chaut*, situm in parochia S. Exuperii, qui olim pertinuit ad gentem de Crosso.

VI. BERNARDUS III.

DE CASTELNAU.

Vir seculari nobilitate inclytus æque ac
C caritate commendandus Bernardus, monachus ordinis sancti Benedictini, natus est e gente Castri-novi in Agathensi diœcesi, de genere Urbani V papæ, cujus fuit agnatus. Petri ad Bituricensem ecclesiam traducti in locum est suffectus & ipse abbas Anianæ an. 1370, & obiit 7 Martii 1375. Quiescit in monasterio 1375.
S. Germani Monspeliensis ante majus altare. De eo legesis tom. VI, col. 847.

VII. PETRUS II.

DE CROS.

Præcedentis, cognominisque Petri Germanus iste Petrus, primo cathedralis ecclesiæ
D S. Papuli camerarius, dehinc Trenorchianus abbas in diœcesi Cabilonensi, ut notant cartularia capituli & cathedralis, post mortem Bernardi in sedem episcopalem sancti Papuli conscendit. Tutelare obtinuit diploma mense Decembri 1391. Defunctus anno 1412 1391.
humatus fuit ante majorem aram e latere sacelli 1412.
B. Mariæ. Post cujus mortem, sede vacante, omnia episcopatus & monasterii instrumenta & tabularia a Burgundionibus fuere dispersa ac expilata.

VIII. JOHANNES I.

DE LA ROCHE-TAILLÉE.

E Natus Johannes obscuris parentibus e loco de Rupe-scissa, duabus e Lugduno leucis, in infantia exstitit puer choralis in metropolitana Lugdunensi ecclesia, tum emenso philosophiæ curriculo, theologicis studiis mentem appulit, & utriusque juris doctor evasit celeberrimus. Factus dehinc fori ecclesiastici Rotomagensis officialis, inde in curiam Romanam evocatus est litteras apostolicas corrigendi gratia. Quod munus dum obiret, dignitate patriarchæ Constantinopolitani a summo pontifice honestatus fuit, & paulo post ecclesiæ

ANNI CHRISTI

S. Papuli præficitur, sed non absque aliqua contradictione, quemadmodum legitur in archivio Monspelliensi, cujus verba juvat hic
1413. referre: *mense Januario 1412 (1413) magister Johannes de Rupe-cisa patriarcha Constantinopolitanus, episcopus, seu perpetuus administrator ecclesiæ S. Papuli ex reservatione papæ contendebat cum abbate Lesatensi electo a capitulo favore comitis Fuxensis fautoris Petri de Luna.* Is eodem anno per bullam Johannis XXIII datam Romæ 15 Junii ad Castellæ & alia Hispaniæ regna nec non ad Armaniaci Fuxique comitatus legatus a latere mittitur ergo prosequendæ pacis ecclesiæ juxta concilium Pisanum. Litteras regias obtinuit 12 Octobris ejusdem anni ut officium suum legati libere
1415. exercere posset. Interfuit an. 1415 synodo Constantiensi, uti patet ex sessione 41. Postmodum perpetuam Gebennensis episcopatus administrationem consecutus, inde ad Parisienses infulas evehitur an. 1422, laudante Martino V litteris Romæ datis II idus Junii, pontificatus ejusdem papæ 5. Rotomagensem etiam obtinet archiepiscopatum III nonas Februarii 1423, nec non cardinalitiam dignitatem titulo S. Laurentii in Lucina IX calend. Junii 1426. Ultimo tandem Bisontinensis archipræsul renunciatur mense Octobri 1429 in consistorio pontificio, moriturque Bononiæ anno 1437. Legesis tomos VII, col. 145, XI, col. 87.

DE BURGO al. BURLE.

IX. JOHANNES II.

Patria Sebusianus, de Burgo in Bressia exortus Johannes, legum doctor, consiliarius regis, ex episcopatu Niciensi, quem adeptus fuerat an. 1409, ad ecclesiam sancti Papuli a Martino V pontifice maximo accersitus est
1418. anno 1418, ex annotationibus Baluzii ad Galliam Christianam quadripartitam, qui addit id haberi ex libro provisionum prælatorum, uti diximus tom. III, col. 1288. Utrum autem episcopus sancti Flori Johannes iste evaserit, prorsus nobis incompertum: locus siquidem inter ejusdem ecclesiæ præsules ei nequaquam assignatur. Decessit Monspelii, inquiunt Sammarthani, ibique humatus juxta cenotaphium Bernardi de Castro-novo quondam antistitis S. Papuli.

DE MONTJOIE.

X. GUILLELMUS II.

Ludovici de Monte-gaudio proregis in regno Neapolitano filius Guillelmus, origine Sabaudus, prout observant dipthyca S. Papuli, ex Virdunensi episcopatu ad Biterrensem a Martino V summo pontifice transfertur per bullam datam XVI cal. Martii, pontificatus an. 7, id est 1424, unde colligitur Sammarthanos allucinatos fuisse, ubi dixerunt Guillelmum ex ecclesia Biterrensi, dimisso episcopatu ecclesiæ S. Papuli per Johannem de Rupe-scissa, ad San-papulensem traductum fuisse anno circiter 1419. Si revera hanc sedem sit auspicatus, & inde ad Biterrensem

A fuerit reversus, prorsus nos latet quo anno id contigerit, ac siletur omnino in episcopis Biterrensibus, ubi de eo fuse, tom. VI, col. 357 & seqq. Illud tamen affirmant tabulæ capitulares S. Papuli, in quibus dicitur vir industrius, ecclesiæque vindex acerrimus.

XI. RAIMUNDUS II.

MAYROSI.

Jam jam de Raimundo bina vice diximus tom. I, in Tricastinensibus scilicet & Castrensibus episcopis, ubi ne ullum quidem verbum de ejus præsulatu in ecclesia S. Papuli prolatum est. Is oriundus de Amilhano in diœcesi Ruthe-
B nensi, ex canonico Tolosano ac decretorum doctore vocatur juxta Sammarthanos ad episcopatum S. Papuli, posteaquam sedem Tricastinensem jam obtinuerat. Ex ecclesia sancti Papuli, si revera eam rexerit, traductus est ad Castrensem, ubi a Martino V inter purpuratos patres titulo S. Praxedis annumeratus fuit IX cal. Julii 1426.

XII. PETRUS III.

SOYBERT.

Uceticensis Petrus, ex juris professore Romæ designatus antistes die 28 Januarii 1426 (1427), possessionem accepit 27 Julii ejusdem 1427.
C anni, prout ipsius testantur litteræ, ex quibus constat concilium episcoporum provinciæ apud Ch. XIV,
Castellum-novum Arrii ab eo indictum fuisse col. 261.
pro metropolitanæ curiæ abusibus corrigendis. In suo adventu ecclesiam, ædesque episcopales omnino vacuas reperit, & utramque restauravit ac decoravit; ecclesiam præsertim sacra supellectili, jocalibus diversisque donariis locupletavit. Castrum de Villaspino ac dormitorium, parochialesque ecclesias fere omnes suis reparavit impensis. Monasterii & episcopatus vetera documenta omnino disperdita summis curis & expensis exquisita in unum archivum optimo
D ordine redegit. Jurisdictionem suam & ecclesiæ suæ privilegia propugnavit acerrime. Acta sui tempore episcopatus unum in volumen conscribi curavit, uti & brevem seriem episcoporum sancti Papuli, qui ipsum præcesserant. Transegit 12 Decembris 1427 cum Consulibus de Villaspino. Sanctimonialium S. Claræ 1427.
Leziniani ecclesiam dedicavit anno 1431. Delectus est 1435 die 24 Januarii exsecutor 1435.
testamenti Jacobi Borbonii Hungariæ Siciliæque regis, & Marchiæ utriusque comitis. Statuta reformatoria condidit 1440. Pactio- 1440.
E nem iniit 1443 cum Consulibus urbis sancti 1443.
Papuli. Humatur doctus ac pius iste præsul ante majus altare.

Septem libros edidit de flagellis Dei & de cultu vineæ specialis: meminere illius anno 1505 Johannes Lambertus Semuriensis & Possevinus in Apparatu.

XIII. RAIMUNDUS III.

DE LUPO-ALTO.

In Auscienſi diœcesi ortus Raimundus, Armaniacensis comitis cancellarius, eligitur VI calendas Maii 1451 ex actis consistoria- 1451.
libus Vaticani. Inter Oliverium de Morlhone

ANNI CHRISTI 1460. & Garsiam de Merloto, utrumque in Lesatensem abbatem electum, querelæ finem imponendi provinciam accepit anno 1460. Studiosus jurium ecclesiæ capellam suam rubeam ultimæ voluntatis tabulis ei donavit. Extinctus circa annum 1465, jacet in cathedrali ante aram B. Mariæ.

DE LA PORTE.

XIV. Johannes III.

Apud Sammarthanos Johannes episcopus S. Papuli dicitur Burgundus Minorita, sacræ paginæ professor ac verbi Dei præco eximius; in annalibus autem Minorum ad an. 1262 vocatur episcopus S. Pauli. Quin etiam una ex septem canoniis sacerdotalibus in Cameracensi ecclesia perfruitus est. Ultimo fine perfunctus 1468 humatur in sua cathedrali ante majus altare. De eo Nicolaus Bertrandus in gestis Tolosanorum.

Hist. Camerac. t. I, p. 465.

DE BAR.

XV. Dionysius.

Patre Johanne toparcha *de Baugy*, Caroli VII ac Ludovici XI regum consiliario, natus apud Bituriges Dionysius, sororem habuit Carolam *de Bar* nuptam Guillelmo *de Varie* domino de Insula-Savarici, cujus ope Romæ promulgatur episcopus a Paulo II an. 1468. Fidem
1469. regi promisit die 9 Januarii 1469. Generalibus Occitaniæ comitiis adstitit eodem anno mense Maio, & idcirco accepit 150 libras turonenses, quarum dedit apocham 27 Aprilis
1470. 1470. Multa in diœcesi reparavit, translatus
1471. inde an. 1471 ad ecclesiam Tutelensem, cujus possessionem accepit anno sequenti 25 Martii.

DE BRILLAC.

XVI. Clemens.

Equestri gente cretus Clemens, Guidonem dominum de Brillaco & Martham ex clara familia de Pompadorio in Lemovicibus parentes habuit, consanguineos vero Franciscum Aquensem & Christophorum *de Brillac* Turonensem archiepiscopos. San-Papulensis ecclesiæ
1472. possessionem nactus est an. 1472, multisque in ornatum episcopii laudabiliter collatis, per permutationem cum præfato Dionysio initam VI id. Martii 1495 Tutelensis præsul evadit, remanentibus, aiunt Sammarthani, arreragiis in reparationem ecclesiarum quas permutarunt.

DE BAR.

XVII. Dionysius.

Relicta Tutelensi ecclesia, ad primam sedem
1495. suam revertitur Dionysius VI id. Martii 1495. Bis præfuit provinciæ comitiis, videlicet 17
1504. Septemb. 1504 Monspelii, 4 Januarii 1508
1508. Narbonæ. Is eleganti stylo de astrologia apologeticum librum latine conscripsit ac dedicavit Petro de Tenia medico; pro cujus scientiæ defensione profert suffragia sanctorum Patrum, Medicorum, Jurisconsultorum, Philosophorum & Poëtarum. Hoc opus mss. servatur in bibliotheca patrum Augustinianorum suburbii sancti Germani apud Parisios, cujus ecce titulus: *de Astronomicorum professorum epitome.* Extre-
1517. mum diem obiit 31 Maii 1517. Anniversarium habet in sacello regali Biturigum & in

A cathedrali cujus fuerat canonicus, Guillelmi de Cameraco archiepiscopi Bituricensis familiaris; unde utriusque insignia in capella Castri-Turleii spectantur. Sepultus est in conventu Dominicanorum Bituricensium, ubi istud legitur epitaphium:

Præsul erat sancti Papuli Dionysius illi
Nomen, & a Barro nobilitatis honos
At decus hoc majus quod cum virtutibus artes
Una omnes secum victor ab urbe tulit.
Qui si forte polos nundum tenet, altitonantem
B *Propter eum precibus sollicitate piis.*

DE BAR.

XVIII. Carolus.

Dionysii consanguineus Carolus, limina Apostolorum sepulchrumque Domini visitavit; Diœcesis suæ omnes perlustravit ecclesias. B. Berengarii monachi S. Papuli reliquias in cathedrali ecclesia asservatas retulit in novam capsam. Pallium dedit Francisco *de Bueil* Bituricensi archiepiscopo calend. Februarii 1522. 1522.
Obiit autem in Castro natali Baugiaco apud Bituriges mense Augusto circa festum sancti Bartholomæi 1538.

C

SALVIATI.

XIX. Johannes IV.

Clara gente Salviata Florentiæ progenitus Johannes, Jacobi Salviati ex Maria Medicea Leonis papæ X sorore filius, in lucem editus est 24 Martii 1490. Contingebat etiam cognatione Henricum II Galliæ regem, patruus & Cosmæ Magni primi Etruriæ ducis. Ex protonotario apostolico creatus est cardinalis tituli SS. Cosmæ & Damiani a Leone avunculo, qui eum quoque Ferrariensis ecclesiæ administratorem constituit 1520. Parmam, Placentiamque apostolicus legatus sub Clemente VII D frænavit. Firmanam rexit ecclesiam, Volaterranam, Tranensem, ut notant acta consistorialia. Apud Cæsarem pontificiam obivit legationem nec non apud varios principes & Franciscum I, cui cum esset pergratus, ejus beneficio Oloronensem ac S. Papuli episcopatus obtinuit, simulque ditissimas quasdam abbatias. Adeo opimis sacerdotiis abundavit, ut cum aliis illius temporis fortunatissimis principibus videretur posse conferri. Sub Paulo III papa episcopus Albanensis, tum Sabinensis evasit an. 1544. Demum summus pontifex E post mortem Pauli III ab universo cardinalium collegio acclamatus fuisset, nisi tanquam Gallorum regis propiorem affinem Carolus V Germaniæ imperator ab ea dignitate curasset amovendum. In monasterio de Portu-Salviato excessit e vivis V calendas Novembris 1553: corpus vero Ferrariam relatum, in cathedrali tumulatum est. Cæterum, inquit Ughellus, laudes Salviati non tacuit Sadoletus, vir doctus & eloquens, qui illum clarissimum virum appellat, omnique virtutum genere ornatissimum. Johannes Vitalis ejusdem etiam cum laude meminit, & Stephanus Joanninensis,

Ital. sacra, tom. II, col. 556.

ANNI CHRISTI

Homines doctos peramanter amplexatus est atque coluit, ut Lilium Giraldum, Baptistam Pignam, Gagiumque doctissimi illius seculi magna nomina.

SALVIATI.

XX. BERNARDUS IV.

Johannis antecessoris germanus Bernardus, eques Melitensis, prior S. Johannis Hierosolymitani in urbe Roma, ordinem Melitensem reliquit clericali militiæ nomen daturus. Parisios a Catharina Medicea accersitus, ejus fuit eleemosynarius, deinde cessione fratris effectus
1539. est episcopus S. Papuli 7 Junii 1549. Gene-
1557. ralibus regni comitiis Luteciæ interfuit 1557. Cardinalis a Pio IV creatur, præsul vero
1561. Claromontanus mense Maio 1561 abdicatione Guillelmi *du Prat*, qui sede sua cessit succensus ira, ex eo quod Claromontenses canonici ipsi in ecclesiam ingresso, sacris operandi gratia in festivitate Paschæ, barbam abradere tentassent. Eodem anno colloquio Pisciacensi adstitit per procuratorem. Sepelitur in basilica B. Mariæ super Minervam, uti dictum est tom. II, col. 298.

SALVIATI.

XXI. ANTONIUS-MARIA.

Johannis & Bernardi decessorum nepos Antonius-Maria, filius Laurentii ex Constantia *Conty* nascitur an. 1537. Adolescens, inquiunt Sammarthani, litteris apprime operam navavit & juris scientiam probitati morum conjunxit. Cum autem regi Francorum esset affinis ob stirpem Medicæorum, quæ ad Salviatos consanguinitatem referebat, deligitur episcopus sancti Papuli: at reversus a synodo Tridentina Romam, episcopatum libere cessit in manibus pontificis Pii IV ut propter subrepentes hæreses ejus gubernacula alicui viro Gallicæ consuetudinis & linguæ haud ignaro traderet. Ab eo ergo delegatur ad Carolum IX bis internuncius, & pro Gregorio XIII, cui ejus virtus & in arduis negotiis prudentia jam dudum probata erat, eodem munere defungitur; deinde ab eo purpura honestatur in promotione cardinalium 13 Decembris 1583. Sub Sixto V Bononiæ legationem obivit magna cum laude provinciæ; sub Urbano VII, Gregorio XIV, & Innocentio IX pari gratia & auctoritate valuit: a Clemente VIII signaturæ gratiæ annumeratus est, cui & summam totius ecclesiasticæ ditionis demandavit, magna ubique probitate & commendatione, xenodochium pauperum incurabilium auxit, ac magno ære templum Domino, domum ægrotis exædificavit. Ecclesiam S. Mariæ in Aquiro tituli sui ruina fatiscentem instauravit: orphanorum protector electus collegium, censu erogato, construxit: vir, inquit, Theodorus Amidenus, ut augusta ejus monumenta testantur, regii animi. Sed de eo nunc satis: ampliori elogio commendatur apud Ciaconium, Petramellarium, cæterosve qui de cardinalibus scripsere, pergunt Sammarthani. Animam reddidit 26 Aprilis 1602, Clemente VIII papa eum morientem invisente; sed ejus funus regia sane pompa prosecutus est Laurentius Salviatus marchio Juliani, laudatusque funebri sermone a Pompeio Ugonio in basilica D. Jacobi, in qua corpus ante aram majorem terræ conditum: inscriptio autem hæc prostat in marmore porphiretico: *I. P. C. Antonius-Maria Salviatus S. R. E. cardin. ædibus adjacentibus in ægrotorum curam exstruxit, in hoc quod a fundamentis exstruxit templo, sepulchrum sibi delegit. Vixit annos LXV, menses II, dies XXVII. Obiit XV cal. Aprilis M. DCII. Laurentius Salviatus Jacobi filius, marchio Juliani ex testamento heres, patris patrueli P. C. anno M. DCIV.*

DE BARDIS.

XXII. ALEXANDER.

Nobilis Florentinus Alexander, per cessionem superioris conscendit in sedem Sanpapulensem anno circiter 1564. Elisabethæ 1564.
Austriacæ Francorum reginæ uxoris Caroli IX sacro interfuit apud S. Dionysium 1571. 1571.
Ad Blesensia comitia deputatus est an. 1576. 1576.
Præfuit & ipse generalibus Occitaniæ conventibus ad annos 1579 & 1586. Una cum 1579.
marescallo de Gaudiosa cæterisque confœde- 1586.
ratis coram SS. Corpore Christi rebellionem adversus Henricum Franciæ regem apud Castellum-novum Arrii spopondit 20 Aprilis
1589. Tolosanæ provinciali synodo adfuit 1589.
an. 1590. Moritur anno sequenti in Castro- 1590.
novo Arrii suæ diœcesis, ibidem sepultus 12 1591.
Septembris in æde sancti Michaëlis. Vacavit sedes ad annum usque 1601. Inter quam intercapedinem San-Papulensis ecclesia fere solo æquata est a Neotericis, veteraque monumenta fere omnia dispersa, ita ut quidquam de ejus antiquitate dicendum vix supersit.

RAYMOND.

XXIII. JOHANNES V.

Johannis *Raymond* in parlamento Tolosano consiliarii ex Johanna *de Andie* filius Johannes Tolosas, presbyter canonicus & præcentor ecclesiæ collegiatæ S. Felicis, sacram unctionem Tolosæ accepit in metropolitana ecclesia sancti Stephani a Francisco *de Joyeuse* cardinale archiepiscopo, adstantibus Petro *de Donaud* Mirapicensi & Johanne *d'Affis* Lumbariensi episcopis, die 13 Novembris 1602, & obiit 15 Novembris 1604. Fuit vir prudens, pius & religiosus. Plurimas reparationes in ecclesiis, quæ per totam diœcesim tempore belli ruinas passæ fuerant, fieri jussit. De ejus obitu omnes diœcesani magnum fecerunt planctum. Sepultus est in antiquo episcoporum monumento, quod est a sinistra parte altaris majoris ecclesiæ S. Papuli.

DE DONADIEU.

XXIV. FRANCISCUS.

Montis-Olivi monachus Franciscus, tum abbas S. Hilarii Carcassonensis, ab Henrico IV Francorum rege nominatur episcopus anno
1608, uti diximus tom. VI, col. 1016. 1608.
Vitam finivit an. 1626, & humatus est in

ANNI CHRISTI

basilica S. Papuli, eleganti decoratus mausoleo cum sequenti epigraphe: A

Felici memoriæ

Francisci a Donadieu *regulam sancti Benedicti primo professi, in abbatem postea sancti Hilarii Carcassonensis diœcesis, indeque pridie calendas Julii anno 1608 ad episcopalem S. Papuli sedem, quam sanctissime gubernavit, assumti, & in Cœlum III nonas Aprilis anno 1626 translati, carissimus frater Franciscus* a Donadieu *Autissiodorensis nuper episcopus, & Bartholomæus* a Donadieu *Convenarum antistes nepos obsequentissimus, ille in amoris, hic in observantiæ monumentum posuerunt.* B

Hæc quidem habet necrologium Montisolivi: III nonas Aprilis obiit anno Domini M. DCXXVI reverendus in Christo pater dominus Franciscus *de Donadieu* monachus professus istius monasterii, abbas sancti Hilarii benemeritus & episcopus S. Papuli vigilantissimus.

XXV. Ludovicus.

De Claret.

In urbe Tolosa natus Ludovicus, & ejusdem oppidi Parlamenti consiliarius, ex præposito Monspeliensi, canonico metropolitanæ ecclesiæ sancti Stephani, & vicario generali cardinalis Ludovici *de la Valete* archiepiscopi Tolosani, a Ludovico XIII rege renunciatur episcopus C
1626. anno 1626. In præfata æde metropolitana Tolosæ consecratur a Bernardo Dassisio Lombariensi, adstantibus Johanne-Ludovico *Bertier* Rivensi & Johanne-Jacobo *de Fleyres* episcopo Trojano coadjutore præsulis S. Pontii Tome-
1627. riensis anno 1627. Comitiis cleri Pictavii interfuit an. 1628 & in conventibus juridicis Occitaniæ: decessit an. 1636 2 Martii.

XXVI. Bernardus V.

Despruets.

Garosio Bearniæ oppido antiqua familia ortus Bernardus, Johannis *Despruets* abbatis & generalis Præmonstratensis consanguineus, adolescens collegio canonicorum insignis ecclesiæ Santonensis aggregatus est. Ætatis suæ anno 27 celebri Vestalium cœnobio beatæ Mariæ extra muros urbis Santonensis magna cum pietatis & prudentiæ laude præesse cœpit, cujus deinde visitator perpetuus apostolico diplomate nuncupatus est. Præterea insignis ecclesiæ Lascuriensis theologus electus, tandem
1636. an. 1636 episcopus S. Papuli a Christianissimo rege nominatus, Luteciæ consecratur 9 Nov. eodemque anno 24 Decemb. adest unctioni Antonii *Godeau* Venciensis atque Grassensis episcopi. Vir fuit singulari morum probitate, doctrina non vulgari, maxime in rebus theologicis conspicuus, verbique Divini egregius
1642. præco, & quidem anno 1642 concionem ad populum habuit in solenni ecclesiæ Soricinii dedicatione. Humatur ante altare SS. Sacramenti hoc honestatus epitaphio.

Quod mortale habuit
Immortali dignus gloria
Sub hoc marmore
Reliquit
Bernardus Despruets
Episcopus sancti Papuli
Natione Bearnus
Familia clarus
Pietate religiosissimus
Doctrina eximius
Concionandi peritia celeberrimus
Moribus integerrimus
Liberalitate in pauperes munificus
Antiquæ fidei propugnator egregius
Hæreticorum acerrimus profligator
Præfuit huic ecclesiæ
Annos XIX.
Vivere desiit die XX Julii
Anno M. DCLV. 1655.
Ab ortu suo LXXII.

XXVII. Johannes VI.

De Monpezat de Carbon.

Nobili sanguine satus Johannes apud Aquitanos, parentes habuit Johannem-Antonium dominum *de Salies* & Claram de Malo-leone. Episcopus a rege designatus 5 Junii 1657, eodem anno 8 Septembris consecrationem nactus est Parisiis in ecclesia monialium Carmeli suburbii S. Jacobi a Petro *de Marca* archipræsule Tolosano, Briocensi & Cæsariensi episcopis comitantibus, fidemque regi dixit 7 Octobris sequentis. Pareagium urbis sancti Papuli, cæterorumque episcopatus sui dominiorum redemit. Translatus est ad sedem Bituricensem 28 Octobris 1664, inde per 1664.
novem menses ad Tolosanam, pro qua non habuit bullas, & mox ad Senonensem, in D
qua decessit 1686.

XXVIII. Josephus.

De Monpezat de Carbon.

Antecessoris germanus Josephus, episcopus a Christianissimo rege dicitur 28 Octobris 1664. Inunctus est Parisiis in ecclesia sanctæ Genovefæ 27 Decembris 1665 a fratre suo 1665.
Johanne Bituricensi archiepiscopo, adstantibus Lombariensi & Mirapicensi episcopis. Ad metropolitanam ecclesiam traducitur an. 1674.

XXIX. Franciscus.

De Barthelemy de Grammont de Lanta.

Doctor Sorbonicus Franciscus, Parlamenti Tolosani consiliarius, abbas commendatarius E
Calerciensis, atque Elnensis cujus ecclesiam & turrim præsertim reparavit, breve regium accepit 13 Septembris 1675, bullas vero 1675.
1677. Apud Pesenatem in solemni comitiorum Septimaniæ conventu consecratus est 1677.
mense Novembri a cardinali Petro *de Bonzi* archiepiscopo Narbonensi. Comitiis Cleri Gallicani adstitit an. 1685. Episcopale palatium 1685.
ædificavit, claustrum & ecclesiam reparavit ac decoravit, in qua unam præbendam fundavit & tres alias fundari procuravit. Colloquia de diversis doctrinæ capitibus unoquoque

ANNI CHRISTI mense a parochis habenda instituit. Obiit A ineunte anno 1716.

XXX. Gabriel-Florentius.

DE CHOISEUL-BEAUPRÉ. Regi ab eleemosynis, & abbas commendatarius Tironelli & S. Columbæ Senonensis Gabriel Florentius, renunciatur episcopus 16
1716. Maii anno 1716, & a Veterano episcopo Trecensi, comitantibus Audomarensi & Vaurensi præsulibus, inauguratur Parisiis 17 Julii
1718. 1718 in ecclesia PP. Minimorum plateæ regalis. Fidei juramentum regi præstitit 24 Julii ejusdem anni. Ad Mimatensem ecclesiam a rege translatus 17 Octobris 1723, & uno ecclesiastico beneficio contentus, utraque abbatia, quam obtinebat ab annis 1706 & 1714, se abdicavit anno 1758.

XXXI. Johannes-Carolus.

DE SEGUR. Antiqua nobilique gente e Petrocoriensi agro oriunda prognatus Parisiis Johannes-Carolus 28 Decembris 1695, sortitus est parentes Henricum-Josephum marchionem *de Segur*, ordinis S. Ludovici equitem torquatum, gubernatorem regiumque Fuxensis provinciæ senescallum, & Claudiam-Elisabetham *Binet*. Adolescens in congregationem Oratorii-Jesu ingressus, dehinc abbas Vermandi nominatus, presbyter ordinatur a Carolo *de Saint-Albin* Laudunensi episcopo, cujus exstitit major vicarius. Episcopus autem a rege
1723. designatus 17 Oct. 1723, sacram unctionem Vauri a Johanne *de Malezieu* ejusdem urbis antistite accepit 24 Augusti 1724. Regis in manibus episcopatu dimisso 26 Febr. 1735, obiit Luteciæ III cal. Octobris 1748, annum agens 53, sepultusque est ad S. Gervasium. ANNI CHRISTI 1724.

XXXII. Georgius-Lazarus.

BERGER DE CHARENCY. Nobilis Burgundus Georgius-Lazarus, vicarius generalis episcopi Meldensis, abbas commendatarius Bolbonæ, episcopus S. Papuli a rege declaratur an. 1735, eodem anno 27 Junii Romæ propositus est in consistorio, & consecratus die 25 Septembris sequentis. Transiit autem ex hac ecclesia ad Monspeliensem an. 1738; ubi subitanea morte correptus est 14 Februarii 1748 natus annos 60. B

XXXIII. Daniel-Bertrandus.

DE LANGLE. Rhedonibus in Armorica natus Daniel-Bertrandus, in locum Georgii Lazari a Christianissimo rege suffectus, Parisiis in majori sacello archiepiscopatus inauguratur 5 Aprilis 1739. Abbas itidem commendatarius Albæcoronæ ab anno 1729; extremum clausit diem mense Junio 1774.

XXXIV. Guillelmus-Josehpus.

D'ABZAC. Natus anno 1731, 21 Januarii, in castro Mayaci Petrocoriensis diœcesis, Guillelmus-Josephus, Turonensis ecclesiæ decanus, a rege renunciatus est episcopus 17 Julii 1774.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ S. PAPULI.

Dum Papulensis ecclesia regularis fuit, C superior capituli dictus est major prior; sed ex quo ad secularem statum conversa est, præpositus vocatur. Contigit hæc mutatio anno 1670. Antiquorum majorum priorum nomina ignorantur propter documentorum & archivorum expilationem. Tres tantummodo sequentes ad nostram notitiam pervenerunt, scilicet,

I. Henricus *de Bonnery* 29 Nov. 1631.

II. Hector *de Bonnery* 27 Maii 1650.

III. Antonius *de Silvecane de Saint-Laurent* major prior erat 24 Febr. 1670; præpositi vero honestatus titulo reperitur 5 Junii 1670.

IV. Pontius-Ludovicus *Borelli de Saint-Marcel*, præcedentis nepos, per ipsius resignationem factus præpositus, obtinebat 4 Aprilis 1678.

V. Jacobus *Mercier de la Grave* ex permutatione cum præcedenti præerat 14 Julii 1684.

VI. Vitalis *de Pomez* 6 Decembris 1711 per obitum superioris præpositus.

VII. Johannes-Mathias *de Barthelemy de Grammont-Lanta*, in locum præcedentis mortui suffectus, præpositi munus obibat 13 Julii 1714. Renunciatus Perpinianensis episcopus an. 1723, cessit in gratiam sequentis.

VIII. Germanus *Molinier* 1 Januarii 1724, præpositura se abdicavit.

IX. Petrus *Huleau* 1 Maii 1744, ex cessione D præcedentis.

X. Johannes-Franciscus-Cæsar *le Comte du Vernet* ad præposituram promotus mense Septembri 1759, Parisiis obiit 29 Septembris 1764.

XI. Maria-Johannes *de Cogomblis du Rivage* præposituram ut vacantem obtinuit bullis Romæ datis 7 Octobris 1764, & in possessionem adiit 31 Maii 1765. Sic Guillelmum Ludovicum *Gauzy* ab episcopo S. Papuli nominatum submovit.

In diœcesi

In diœcesi S. Papuli est celebris Prioratus monialium ordinis S. Dominici.

Prulianum, *Prouille.*

PRULIANUM.

FUNDATIO Pruliani parthenonis refertur ad annum 1206, prout testantur hæc verba ex cartario excerpta: « Anno Domini » M. CCVI beatus Dominicus, opitulante sibi » viro Dei Didaco episcopo Oxoniensi, eo » scilicet tempore quo quasi biennio in partibus » manserat Tholosanis, nec non patrocinante » viro per omnia memorando domino Fulcone » episcopo Tolosano, cujus ope & patrocinio » in hac parte præcipue in sua diœcesi opus » erat, monasterium quoddam instituit, quod » dicitur Prulianum, situm inter Fanum-jovis » & Montem-regalem, in diœcesi Tolosana, » ad susceptionem quarumdam nobilium femi- » narum, quas parentes earum ratione pauper- » tatis egestate compulsi, tradebant hæreticis, » qui in illo tempore in eisdem partibus & locis » circumvicinis plurimi habitabant, erudiendas » & nutriendas ab eis, imo revera erroribus » potius deludendas & in anima perimendas, » sicut de tempore & de causa institutionis satis » colligitur & habetur ex libello venerabilis fr. » Jordanis magistri ordinis nostri secundi, quem » fecit & intitulavit de principio ordinis Præ- » dicatorum, partim quoque probantur & ex- » trahuntur quædam ex quibusdam litteris & » chartis antiquis & privilegiis multis ejusdem » monasterii ab apostolica sede concessis. Habe- » bat enim sanctus Dominicus ad sui suorumque » sustentationem ecclesiam Fani-jovis & sancti » Martini de Limoso & quædam alia, castrum » quoque insigne quod dicitur *Cassanel* sibi a » domino Simone comite Montis-fortis col- » latum, cujus comitis erga ipsum fervebat » dilectio specialis: nondum enim ordo Prædi- » catorum fuerat institutus: quæ vero de eisdem » sibi poterant subtrahere, impendebant soro- » ribus monasterii Pruliani, cujus in principio » redditus & proventus fuerunt tenues, ædificia » vero non multa & ipsa humilia. Deus autem » incrementum dedit, beato semper Dominico » fundatore meritis & precibus adjuvante & » cooperante, quorum industria & fideli dis- » pensatione & custodia ministrorum ejus, nec » non & gratia & meritis habitantium & lau- » dantium Deum ibidem nocte ac die, ubi » usque in hodiernum diem ancillæ Christi sub » observantiis mirabilibus, sub arcto silentio, » sub clausura perpetua contra otii desidiam » propriis manibus laborantes & operantes sa- » lutem suam grata exhibent suo creatori servitia » in magno sanctitatis rigore cum conscientiarum » puritate præclaram vitam agentes salutarem » sibi, hominibus exemplarem, jocondam An- » gelis, gratam Deo, quæ cum numero & » merito creverint in immensum odorem suum » longe lateque diffundentes, multas Deo de- A votas ad imitationem sui sanctas feminas pro- « vocarunt ad similia cœnobia construenda ».

Fulconis Tolosani antistitis munificentia
præsertim enituit in hujus cœnobii institutione;
dedit siquidem ad preces Dominici Oxoniensis Chart. I, col. 247.
hicce præsul an. 1206 territorium atque eccle-
siam B. Mariæ de Pruliano ab ipsis monialibus
absque aliquo censu & servitute perpetuo possi- Charta II, col. 247.
dendam; nec desunt alia ejus liberalitatis testi-
monia ad annos 1214, 1221, 1227, 1230, Charta III, col. 247.
quæ summipontifices Honorius III, Gregorius Chart. IV, col. 248.
IX & Alexander IV autoritate sua fulserunt. Id
B quidem ratum habuit anno 1261 Raymundus Chart. V, col. 248.
Fulconis successor. Verumtamen diutina pace Chart. VI, col. 249.
haud fruitus est parthenon; insurrexit enim
Alboinus abbas sancti Hilarii Carcassonensis Ch. VII, col. 249.
ecclesiam de Pruliano sibi vindicans; unde
multæ emerserunt lites quas sedare tentavit Ch. VIII, col. 249.
Rogerius abbas S. Polycarpi sententia lata Chart. IX, col. 250.
VI calendas Aprilis 1224. Humbertus de Romanis magister seu præpositus generalis ordinis Prædicatorum ad hunc parthenonem accessit anno 1258, nonnullaque statuta condidit de ipsius ordinatione. Chartam contrectavimus datam pridie nonas Maii 1308, ex C qua constat Johannem de Turre domicellum de Lauraco, annuentibus filiis suis Rogerio & Johanne, quædam fuisse largitum monasterio in gratiam filiæ suæ Mabiliæ sanctimonialis. Ex eo loco ubi viget regularis disciplina, in diversas regni civitates prodiere monialium examina, quæ ubique suavem sparserunt odorem.

Seriem priorissarum ab institutionis anno hic exhibere nequivimus, propterea quod præter ecclesiam & ædificia, vetera monasterii documenta pene omnia flammis absumta fuere anno D 1715.

PRIORISSÆ.

I. GUILLELMA instituta est priorissa a S. Dominico.

II. Orpaia de Turre priorissæ munus exercuisse creditur an. 1294.

III. Albertina, cui Rogerius de Turre clericus & condominus castri de Monte-Auriolo pro sua, sororisque Veziatæ quondam uxoris Amelii de Campo-longo, cæterorumque
parentum suorum salute plurima contulit anno Chart. X, col. 250.
E 1307, ut post ejus mortem in monasterio institueretur presbyter, qui pro eo, ejusque parentibus missas aliaque divina celebraret. Plura alia documenta, quæ in archivio monasterii asservantur, probant munificentiam nobilis prosapiæ de Turre, quæ huic parthenoni, præter Orpaiam supra memoratam, factis nobilitatis probationibus, plures alias dedit sanctimoniales, videlicet Raymundam an. 1294, Mabiliam 1308, Germanam & Mariam 1686, nec non & abbatem nomine

Rogerium monasterio Galliacensi in diœcesi A Albiensi an. 1377. Priorissarum vero, quæ post Albertinam rexere, nomina ignoramus usque ad annum 1538.

IV. Johanna *d'Amboise* a rege nominata est anno 1538, seque abdicavit tribus post annis.

V. Magdalena *de Bourbon* simul abbatissa S. Crucis Pictaviensis ad Prullianum accessit, illudque prudenter rexit per viginti quinque annos. Defuncta est anno 1567 cum fama sanctitatis. Sepulta fuit ante cancellos chori. Ejus corpus repertum est integrum in sepulcro anno 1745.

VI. Eleonora *de Bourbon* monialis Fontebraldensis designata priorissa anno 1568, possessionem per procuratorem accepit.

VII. Johanna *de Lorraine* simul Jotrensis abbatissa renunciata fuit priorissa an. 1597. Prioratui nuncium remisit, Jotrumque se recepit.

VIII. Carola-Maria *de Levis de Vantadour* an. 1623 adepta est prioratum, quem aliquot post annis reliquit, sanctimonialibus suam eligendi priorissam facultate a rege concessa.

IX. Elisabetha *de Roquetaillade* post superioris cessionem suffragiis monialium eligitur an. 1629.

X. Delphina *du Mortié* parthenonis moderamen assumsit an. 1632.

XI. N. *du Pac de Bellegarde* ultima potita est libertate suffragiorum an. 1635.

XII. Johanna-Antonia *d'Albret* a rege instituitur priorissa 1639, accita ex monasterio B. Mariæ Santonensis ordinis S. Benedicti. Gavisa est ad annum usque 1682, quo obiit 16 Decembris.

XIII. Magdalena *d'Aubeterre* Francisci marescalli Franciæ ex Hyppolyta *Bouchard* filia regimen suscepit 17 Aprilis 1683, defuncta an. 1689.

XIV. Catharina-Angelica *d'Esparbès de* B *Lussan* neptis præcedentis obtinet an. 1690, moritur vero 20 Martii 1717.

XV. N. *de Choiseul-Beaupré* Mimatensis episcopi germana 1718.

XVI. N. *de Falcos de la Blache* monialis ordinis Cisterciensis consecuta est 1725, & cessit an. 1729.

XVII. Johanna *d'Artagnan de Montesquiou* 1729.

XVIII. Francisca *du Pac de Bellegarde* loci alumna constituta est a rege priorissa mense Novembri 1751. Optima sapientissimaque moderatrix tota incumbit in regulari disciplina tuenda nec non in ædibus quondam igne consumtis reficiendis.

ECCLESIA LOMBARIENSIS.

OPPIDUM quondam Occitaniæ, nunc autem ab anno 1469 Vasconiæ Lombarium, situm est ad Savam fluvium in Samathani ditione, octo leucis distans a Tolosa trans Garumnam. Ibi condita fuerat abbatia B. Virgini sacra, cui exordium dedere monachi sancti Tiberii, quibus locum hunc cessit Raymundus *Rafinel* dux Aquitanorum an. 793, serenissimi imperatoris Caroli Magni anno XXI. Is quippe diem extremum contuens, cernensque se validissimis sceleribus involutum, pro absolutione criminum Cesarionensi sancti Tiberii
Charta I, col. 261. monasterio cedit locum, qui appellatur *Lumbez*, situm in territorio Tolosano super rivulum Savæ, in quo est ecclesia consecrata in honore Dei genitricis Mariæ & oratorium non longe positum, in quo requiescit Christi confessor Majanus. Ad hæc eidem confert fiscum Pescarias dictum in comitatu vel episcopio Nemausensi, pariter cum ecclesia B. Mariæ. Hæc autem omnia tradit Deo & genetrici Dei Mariæ, nec non sancto Tiberio & Attilioni abbati & monasterio, quod *Cesarion* dicitur, quodque constructum est in territorio Biterrensi, suburbio Agathensi, ubi sacrata erat ecclesia in honorem protomartyris Stephani, in qua martyris Tiberii corpus requiescebat, & Attilion ibidem pater monachorum secundum regulam sancti Benedicti præerat. Ex hac donatione, inquit Mabillonius, Tiberienses nostri occasionem haud dubie sumserunt construendi monasterii Lomberiensis, quod a Benedictinis possessum fuit ad seculum usque duodecimum. His successere canonici regulares, qui S. Stephani Tolosani capitulo subditi, vitam degerunt sub abbatis moderamine ad annum 1317, quo Johannes XXII summus pontifex hanc ecclesiam episcopali sede condecoravit, constituitque archiepiscopi Tolosani fore suffraganeam. Capitulum Lombariense duodecim constat canonicis, ex quibus quatuor sunt dignitates, scilicet præpositus, archidiaconus, sacrista, præcentor. Diœcesis vero centum parochias complectitur. In urbe duo sunt conventus, puta Capucinorum & monialium Cistercensium quas Maria *de Gombaut* mulier nobilis Burdegalensis instituit an. 1642. Apud Gimundum collegium est presbyterorum de Doctrina Christiana, nec non Capucinorum & sanctimonialium S. Claræ conventus; apud Samathanum Minorum & Minimorum, apud Malum-vicinum Prædicatorum, Caseriis Minimorum, Coloniæ patrum Tertii-ordinis sancti Francisci. Exstat præterea oratorium in colle oppidi Lombariensis vicino, sancto Majano confessori sacrum, qui postquam eo loci vitam eremiticam egisset, ibidem humatus est, unde in Cognense seu Villemagnense asceterium sacra ipsius ossa delata fuerunt seculo IX, ut refert codex mss. Exiensis.

ABBATES.

I. ATO sub Roberto rege testis fundationis sancti Michaëlis reperitur in veteri cartario monasterii Lesatensis.

Charta II, col. 262. II. Arnaldus anno 1125, fer. 4, VIII cal. Aprilis, episcopo & capitulo Tolosano ecclesiam B. Mariæ *de Lumbers* cum suis pertinentiis subdidit. Sic consignatur in necrologio ecclesiæ Tolosanæ; *XII cal. Augusti Arnaldus abbas Lombariensis canonicus istius loci.*

III. Willelmus 1150 præerat tempore Raimundi Tolosani episcopi & Bernardi præpositi. Occurrit adhuc 1163 in perantiquo instrumento Gimundi.

IV. Martinus anno 1244 legitur testis hominii quod Bernardus de Morestano præstat Tolosano comiti. Laudat anno 1249 pactum inter Raimundum episcopum Tolosanum & Molinariam abbatissam Favartii.

V. Bertrandus de Miramonte canonicus sancti Stephani Tolosani regimen obtinebat 1261 mense Septemb. Arbitrali judicio litem diremit inter R. episcopum Tolosanum, Bertrandum de Insula præpositum, capitulum ecclesiæ cathedralis ex una parte; & Pontium abbatem, monachosque Grandis-silvæ ex altera, mense Octobri 1262.

A VI. Hugo *Mascaron* an. 1264 die 9 Martii mediator est pacis firmatæ inter Raimundum episcopum Tolosanum & Guillelmum de Alagnano abbatem Mansi-Garnerii. Legitur & anno 1265 in documento Tolosanæ ecclesiæ.

VII. Sicardus de Bartis 1281 Bonumhominem abbatem Fulii conciliavit Bernardo *de Seisses*. Arbiter exstitit transactionis habitæ inter Bertrandum Tolosanum præsulem & Consules urbis Vaurensis 1284. Eodem anno cum Bernardo Convenarum comite compromisit super limitibus urbis Lombariensis. Ch. III, col. 263.
De eo leguntur hæc verba in necrologio Tolo-
B sano: *IV nonas Aprilis obiit dominus Sicardus de Bartis abbas Lumberiensis & canonicus istius loci anno Incarnationis Domini 1287.*

VIII. Pilus-fortis de Rapistagno legitur an. 1295 in chartis comitatus Fuxensis, & an. 1296 in documento ecclesiæ Tolosanæ. Interfuit V nonas Martii 1307 judicio lato adversus Philippum de Tuuicio, detectionique reliquiarum S. Antonii. Occurrit etiam anno 1310. Idem sane est qui post Bernardum *Saisset* infulas Appamienses est assecutus.

IX. Arnaldus Rogerii *de Comminges* ex abbate in primum præsulem assumitur anno 1317.

LOMBARIENSES EPISCOPI.

DE COMMINGES.

I. Arnaldus-Rogerii.

Juxta recentioris historiæ Occitaniæ scriptorem, Arnaldus-Rogerii primus Lombariensis episcopus avum habuit Bernardum VII Convenarum comitem, Theresiæ comitissæ sponsum, qui senio confectus comitatum transmisit anno 1294 in Bernardum VIII primogenitum, ex quo sicut & ex Laura de Monteforti ejusdem uxore natus erat Arnaldus ille anno circiter 1289. Patruus quidem ipsi fuit alter Arnaldus-Rogerii, primum ecclesiæ Tolosanæ præpositus, dehinc ad ejusdem urbis præsulatum promotus an. 1298. Ex abbate in protopræsulem Lombariensem electus est Arnaldus noster a Johanne papa XXII, uti patet ex bulla erectionis episcopatus Avenione data v idus Julii, pontificatus 1, id est anno 1317. Super defectum ætatis & ordinum dispensatus ab eodem Johanne XXII in extravagante, nuper c. 8. de præbendis & dignitatibus, pontific. an. 4. Provinciali concilio Tolosæ celebrato interfuit an. 1319. Nominatur an. 1326 die 15 Novemb. in codicillis Comtoriæ de Saubolia. Post decem circiter annos hac in cathedra laudabiliter transactos dignus judicatur majori sede, transferturque ad Claromontanam, saltem an. 1328, ut jam diximus tom. II, col. 286.

(Margin: Ch. xix, vol. 169.)

COLONNE.

II. Jacobus I.

Electus dicitur Jacobus anno 1328 in actis consistorialibus Vaticani, & in instrumento Gimundi scripto 3 Julii ejusdem anni. Memoratur in cartophilacio capituli 1335, 1336; in litteris Beraudi militis de Faudoanis & nobilis Scoti de Sequenvilla domicelli 1341, penultima die mensis Junii, regnante Philippo Francorum rege. Is patrem habuit Stephanum nobilem Romanum, fratrem vero Johannem Columnam, cui de ejusdem Jacobi obitu doctissimus Petrarcha consolatoriam, mirisque laudibus refertam direxit epistolam in qua sic ait: « Procul a patria genitus, & sub illo gloriosissimo patris exilio perductus in lucem, primos vagitus edidit in terra longinqua, spectatæque indolis puer tenerioris vitæ annos egit. Mox ubi adolescentiæ fines attigit, incredibili quodam amore litterarum, quarum aut temere quisquam fuit appetentior, nunc per Italiam, nunc per Gallias, longe lateque peregrinatus est. Posthæc sola virtutis admiratione facillima dispensante, ante annos ad episcopatum est provectus; factus episcopus commissi muneris exactissimam curam habens, te quamprimum relicto, ad sedem propriam maturavit, nec eum tanta rerum locorumque mutatio exterruit. Inter Romanas opes ac delicias enutritus, ad Pyreneos saltus, serenissima fronte & æquissimo animo transivit, ita ut adventu ejus non tam sua, quam locorum facies mutata, nec tam ipse in Vasconiam, quam Vasconia omnis in Italiam transisse videretur; quod iter ego secum egi, & me felicem recordatio sola facit, dum memini & mansuetudinem in ea fortuna, & humilitatem in illis tot naturæ dotibus, & honestatem in ea specie corporis admirandam; domus & patriæ laboribus ac vocibus excitatus, Romam coactus est petere: septennio jam in patriam exacto; rursus ad episcopatum suum sese contulit, ubi multa cum honestate degens, & sicut antea cæterorum, sic tunc sui ipsius victor, vitam suam Deo & hominibus exemplariter commendavit. Anno ibi tandem vix peracto, juvenis admodum ab hujus vitæ tempestatibus ad quietis portum & ad fœliciora regna translatus est. (& post aliqua subdit) Roma sui civis perpetuam & immortalem famam, Lomberiensis ecclesia veneranda pontificis ossa servat; audio enim te de transferendis Romam reliquiis cogitare, quod suadere nec dissuadere propositum est, ne illum aut urbi in qua civis, aut ecclesiæ in qua canonicus sum, invidisse videar. »

(Margin: Petrar. 4, famil. epist. 6.)

Cæterum de egregio Jacobi facinore videndus Spondanus in annalibus ecclesiasticis ad annum 1328, ubi agens de turbis & contentionibus motis inter papam Johannem XXII & Ludovicum Bavarum imperatorem utitur hisce verbis: « Ad hæc vero furalia ausa cum probi quique primoresque Romanorum obstupescerent, inventus est unus qui zelo plusquam Phineesico exardescens, facinus sempiterna memoria longe dignissimum obiit, quod Villanius narrat: Jacobus nempe filius Stephani Columniensis adhuc adolescens: qui tacite Romam ingressus, quarto die post prædictam infernalem sententiam pronunciatam, nempe vigesimo secundo Aprilis, ibidem in publica platea basilicæ sancti Marcelli, magna populi frequentia, Ludovico ad sancti Petri existente, sententiam a Johanne pontifice contra eumdem Ludovicum latam, quam nemo hactenus in urbe promulgare ausus fuerat, integram perlegit: atque insuper imposturas Ludovici sententia contentas, ac præcipue de syndicatu cleri Romani contra Johannem, aperte retexit & confutavit: Johannem verum atque legitimum Romanæ & Catholicæ ecclesiæ pontificem esse demonstravit; Ludovicum autem non imperatorem sed excommunicatum; pariterque Senatores Romæ, & quinquaginta duos electos, cæterosque omnes, qui ei adhæsissent, hæreticos esse & excommunicatos asseruit: hæcque omnia non tantum se verbis, verum etiam exerto gladio cuicumque contra sentienti probaturum. Post quæ, sententiam Johannis a se perlectam foribus prædictæ basilicæ manibus suis confixit: & conscenso equo una cum

ANNI CHRISTI

» quatuor comitibus abiit Præneste ad domum » paternam, celeritate equitandi manus effugiens » armatorum, quos summa diligentia Ludovicus » ad eum comprehendendum immisit. Eumdem » vero Johannes pontifex, ubi rem audivit, ad » se Avenionem accitum, valdeque commen- » datum, episcopum creavit Lombariensem pro- » vinciæ Tolosanæ, secundum ab ejus ecclesiæ » per eumdem Johannem pontificem facta initio » pontificatus erectione; idque ante legitimam » ætatem, sola virtutis admiratione facillime » dispensante, ut ait Petrarcha, egregia post illius » præmaturum obitum scripta ad fratrem ejus » Johannem Columnam cardinalem consolatoria » epistola, qua claras ejus laudes tractat, seque » eum ad illam ecclesiam comitatum esse, & » canonicum in ea creatum demonstrat. Exs- » tantque ad eumdem ipsum Jacobum aliquot » ejusdem Petrarchæ familiares epistolæ seriis » jocis, atque eruditis leporibus conditæ: aliæque

Id. 15. Rer. senil. 1 & 4. » rursum ad alios de eodem; quibus constat, » cum ab ecclesia Lombariensi ad patriarcha- » tum Aquileiensem summo nobilium ac totius » populi consensu ac studio peteretur, juvenem » ab omni ambitione remotissimum, fidis suis » ipsique Petrarchæ jurasse, ascendisse jam altius » quam vellet, neque unquam amplius ascen- » surum: nec ita multo post tamen (subdit » Petrarcha) ad cœlestem dignitatem Christo vocante conscendit. »

III. ANTONIUS I.

Ex abbate Fontis-frigidi diœcesis Narbonensis fit episcopus Antonius anno 1341, prout constat ex documento ejusdem monasterii. Obtinebat etiam ad annos 1342, 1345. Non excessit annum 1348, quo vacabat sedes mense Septembri. De eo vide tom. VI, coll. 211, 212.

IV. BERTRANDUS.

Thesaurarius papæ Bertrandus ad episcopatum promotus est an. 1348, 17 Septemb. ex libro obligationum. In instrumento Gi-
1351. mondi legitur an. 1351. Eodem anno adstitit hominio quod Ayglina abbatissa Luminis-Dei præstitit Guillelmo-Rogerio de Bello-forti vicecomiti Turenæ.

V. ROGERIUS.

Juxta Vaticani regesta Rogerius instituitur
1353. episcopus an. 1353. Ocurrit 25 Decembris
1354. 1354, regnante Johanne rege Francorum, in charta Canhardi de Sanbolea domicelli. Testis adhibetur in charta Deodati-Rodbaldi
1355. 25 Junii 1355, sic etiam anno 1360 in
1360. schedis Lombariensibus.

VI. GUILLELMUS I.

Frater Guillelmus Lemovicensis, ordinis
Ughell. Ital. sac. t. VIII, p. 151. Prædicatorum, de quo Fontana in theatro Domin. hæc Taegii exscripsit: « circa hoc » tempus fr. Willelmus de Lemovicis provinciæ » Tolosanæ doctor Parisinus, factus est per

A dominum papam Lumbaricensis episcopus in regione Tolosantium, & paulo post ad Beneventanum translatus est anno videlicet 1360. » Nominatur Johannis decessor in actis consistorialibus.

VII. JOHANNES I.

Pro Guillelmo prædecessore Johannes recognovit sacro collegio 4 Februarii 1363. 1363.
Deest hic cum superiore in catalogis vulgatis, ex Sammarthanis.

VIII. GUILLELMUS II. DE DUROFORTI.

B Memoratur Guillelmus an. 1363. Compromisit 7 Maii 1367 cum Petro-Raimundo Convenarum comite super jurisdictione civitatis de Lumberiis. Vaurensi concilio interfuit an. 1368. Inscribitur 27 Februarii 1373 in 1368.
charta Regulensis monasterii. Humo mandatus 1373.
est XVIII cal. Maii 1375 in ecclesia cathedrali, 1375.
tumba lapidea, in capella S. Johannis.

IX. ARNALDUS I.

Episcopale munus agebat Arnaldus anno 1379 die 19 Julii. Legitur VIII cal. Julii in 1379.
bulla Clementis VII, pontificatus anno 5,
C id est 1383, committentis abbatem sancti 1383.
Saturnini Tolosani pro sedanda lite mota inter abbatem Bolbonæ & Rogerium-Bernardum *de Levis* dominum civitatis Mirapicensis, qui lite jam ceciderat sententia subdelegati a præfato Arnaldo, unde ad sedem apostolicam appellaverat, ex tabula Bolbonensi.

X. PETRUS I. PARISIUS.

Sedebat Petrus Parisius an. 1386. 1386.

XI. JOHANNES II.

Prædicatorum ordinis alumnus Johannes,
D regimen obtinebat an. 1389 die 20 Maii, 1389.
ex libris provisionum Vaticani, atque etiam anno 1390. De eo sic loquitur Johannes 1390.
Trithemius catal. illustr. vir German. p. 152: « Johannes episcopus Lombariensis ordinis fratrum Prædicatorum ex Basilea civitate Germaniæ oriundus, vir in divinis scripturis « eruditissimus, & in seculari philosophia egregie « doctus, ingenio præstans & clarus eloquio, « declamatorque sermonum celeberrimus. Edidit « nonnulla præclara opuscula, quibus nomen « suum ad posteritatis notitiam transmisit, e « quibus exstat opus insigne super sententias «
E lib. 4, sermones quoque varii, & quædam alia a « nobis incognita. Claruit circa tempora Ruperti « & Sigismundi imperatorum, anno Domini « M. CCCCX. » 1410.

XII. RAIMUNDUS. DE BRETENNES.

Pastorale pedum obtinebat Raimundus anno 1416, e capitulo ecclesiæ Aptensis accitus, 1416.
in quo præpositi munere fungebatur.

XIII. ARNALDUS II. DE MIREPOIX.

Ex præposito in episcopum electus est Arnaldus de Mirapice 17 Februarii 1417. 1417.

ANNI CHRISTI

DE FOIX.

XIV. Petrus II.

Juvenis in ordinem S. Francisci ingressus Petrus, professionem emisit in conventu Morlanensi Bearni, ubi simul cum pietate litteras tum sacras divinasque, tum humanas avide hausit, & quidem magno cum profectu, sicuti dictum est in archiepiscopis Arelatensibus, ubi de ejus claro genere egimus. Postquam eo in ordine aliquot annos transegisset, a Benedicto papa in cardinalium numerum tituli sancti Stephani in Cœlio-monte adscriptus est, natus
1425. annos 22; provisusque est episcopatu Lombariensi a Martino V, pontificatus anno 8, tanquam administrator perpetuus, per obitum Arnaldi. Diversis maximi momenti legationibus in pluribus locis perfunctus, multaque ac opima sacerdotia in vitæ suæ decursu adeptus, obiit ex epitaphio an. 1464, ætatis suæ 78. Unde colligere fas est ipsum natum fuisse an. 1386, & in sacrum collegium fuisse admissum an. 1408, quo attigerat 22 annos, non autem anno 1399, cum vix tredecim tantum haberet. Cætera quæ ad tantum virum spectant, requirenda in archiepiscopis Arelatensibus, tom. I, coll. 584 & 1103.

GARSIAS DE CHARNO.

XV. Gerardus I.

1430. Episcopatum Gerardus obtinebat an. 1430
1450. & 1450 die 10 Aprilis ex autographo illius dato Lombarii, juxta Sammarthanos fratres. In instrumento Gimondi reperimus Gerardum
1456. an. 1456, sed utrum sit iste, an qui sequitur prorsus incertum.

D'AURE.

XVI. Gerardus II.

Manaldi de Aura toparchæ de Cardaillaco in Convenensi tractu frater Gerardus, epis-
1460. copus erat an. 1460, uti constat ex documento Cameræ Computorum Montis-pessulani, cujus verba hic exscribimus: *Eodem quoque die supradicti Commissarii se transtulerunt ad locum de Serguiesano, & ibi litteras suæ commissionis & contenta in eis insinuarunt & notificaverunt domino Geraldo de Aura miseratione divina episcopo Lombariensi, fratri nobilis Manaldi de Aura & nobilis Bertrandæ* de Castelbajac *condominorum de Cardilliaco, significando quod interessent pro eorum jure, si sua videretur, qui dixerunt quod interessent &c.*

GARSIAS.

XVII. Sancius.

1466. Memoratur Sancius an. 1466 & 1467 in
1467. chartis Gimondi, nec non an. 1472.
1472.

DE VILLIERS DE LA GROSLAYE.

XVIII. Johannes III.

Gente nobili satus Johannes, monachus ordinis S. Benedicti, Lombarienses infulas jam
1473. obtinebat an. 1473, ex specimine Gimondi. Eodem circiter tempore a rege præficitur administrandis rebus temporalibus abbatiæ S. Dionysii in Francia, cujus abbas electus
1474. est 12 mensis Maii 1474, fideique sacra-
1475. mentum regi præstitit 10 Novembris 1475;

A abbatia Pessani in diœcesi Auscíensi simul fruebatur. Legatione functus est anno 1477 apud Ferdinandum Arragoniæ regem & Isabellam de Castella ejus uxorem. Germaniam petiit anno 1489 pro concilianda pace inter 1489.
Ludovicum XI & Maximilianum Romanorum regem. Favente Carolo VIII Christianissimo rege in purpuratorum collegium sub titulo S. Sabinæ adscitus est ab Alexandro VI papa XII cal. Octobris 1493. Tandem ad ipsum 1493.
summum pontificem regius orator missus, moritur celebris ille vir Romæ 6 Augusti 1499. Jacet in Vaticani sacello regum Franciæ.
B Qui de eo plura desideraverit, legat tom. VII, coll. 406 & 407.

DE VILLIERS.

XIX. Dionysius.

Nepos Johannis Dionysius, post patrui mortem ex præposito in episcopum electus est 1499.
27 Octob. 1499. Legitur etiam annis 1507 1507.
& 1510. 1510.

D'ORNESAN.

XX. Savaricus.

Ortus erat Savaricus e nobili Samblancatorum familia, vixit annis 1513 & 1528, 1513.
C ex Sammarthanis. 1528.

D'ORNESAN.

XXI. Bernardus I.

Per cessionem Savarici Bernardus Benedictionis-Dei sive Nisortii abbas, factus fuit episcopus an. 1528. Fuliensis abbatiæ possessionem adeptus est anno 1539. Legitur in 1539.
documento Cameræ Computorum Montispessulani 1546. Superstes adhuc erat annis 1546.
1551 & 1552, uti legere est tom. I, col. 1119.

OLIVIER.

XXII. Antonius II.

D Jacobi *Olivier* domini *de Leuville*, principis in senatu Parisiensi filius Antonius, Germanusque Francisci Franciæ cancellarii, Lombariensem sedem una cum Diniensi & abbatia Valassiæ in Normannia obtinebat an. 1556. 1556.
Hoc modo notatur in necrologio: *XIII cal. Martii obiit reverendissimus in Christo pater & dominus dominus Antonius bonæ memoriæ episcopus Lumbarum & optimus pastor; dimisit multa bona atque jocalia præsenti ecclesiæ*. Legesis tom. III, col. 1132; tom. XI, col. 315.

DE LANCRAU.

XXIII. Petrus III.

E Ortu Andegavensis Petrus præerat anno 1561. Celebri Johanni Barrerio monachorum 1561.
Fuliensium institutori & abbati munus benedictionis impendit Tolosæ in ecclesia beatæ Mariæ Deauratæ 7 Aprilis 1577. Synodo 1577.
Tolosanæ interfuit an. 1590. Johannem *Daffis* 1590.
præpositum S. Stephani Tolosani coadjutorem sibi adscivit anno 1598. Eodem anno 18 1598.
Octob. obiit. Exercitationes animi in Deum Avenione ediderat gallice ante episcopatum, ex Ludovico *Vive*, an. 1552.

ANNI CHRISTI

DAFFIS.

XXIV. Johannes IV.

A

Ex coadjutore Petri titulo episcopi Aurensis, & vicario generali archiepiscopi Tolosani Johannes, præfuit a die 18 Octobris 1598 ad
1614. 1 Februarii 1614, qua extinctus in domo suæ præpositurae ecclesiæ Metropolitanæ, in cujus choro cum hoc epitaphio humatur: *Johannes* Daffis *Tolosas, illustri familia Lombariensis episcopus, præpositus ecclesiæ Metropolitanæ multis in eadem ex incendio inopinato splendidus instauranda exantlatis laboribus, omnium bonorum luctu obiit calendis Februarii* M. DCXIV, *ætatis suæ anno .....*

Portio ejus in terra viventium.

DAFFIS.

XXV. Bernardus II.

Regi a consiliis & eleemosynis Bernardus, protonotarius apostolicæ sedis, abbas Casæ-Dei in diœcesi Auscienſi, consecratur Burdigalæ in basilica metropolitana S. Andreæ anno 1614, mense Junio a Francisco cardinali *de Sourdis.* De vita migravit mense Januario
1628. 1628.

DAFFIS.

XXVI. Johannes V.

E gente Dafia in utroque senatu Tolosano & Burdigalensi, primæ notæ dignitatibus conspicua ortus est Johannes, pronepos Guillelmi protopræsidis Burdigalæ, & Johannis-Stephani Duranti Tolosani senatus principis, viri spectatæ prudentiæ & integritatis, cujus elogium scripsit Scævola Sammarthanus. Is regi a consiliis Bernardo patruo successit in episcopatum an. 1628, & obiit 16 Novemb.
1655. 1655, cujus epitaphium hoc modo legitur ante majus altare:

D. O. M.

Piæ memoriæ illustrissimi episcopi domini Johannis Daffis, *qui moriens suam hanc ecclesiam heredem reliquit.*

Hic ubi saxa gemunt, lethumque in marmore pallet,
Lombariæ ecclesiæ lumen jacet ac decus ingens,
Tertius illustri Daffiorum ex sanguine præsul,
Cor pietas, doctrina caput, facundia linguam,
Ereptamque sibi flet munificentia dextram.
Quæ si, quot mystas Christo sacravit, haberet
Structores tumuli, manuum sex millia & ultra
Molirentur opus, sed curam prævenit heres.
Hanc pius & saxo nostra uno corda recondet.
Obiit 16 Novembris 1655.

Post ejus mortem sedes pluribus vacavit annis.

§ Nicolaus *le Maistre* doctor & professor Sorbonicus a Christianissimo rege Ludovico XIV, cui erat a concionibus, designatus præsul mense
1661. Martio 1661, Romæ propositus est in consistorio 4 Julii, & eodem anno 14 Octobris obiit ante consecrationem adeptam.

SEGUIER DE LA VERRIERE.

XXVII. Johannes-Jacobus.

Jacobum *Seguier* & Margaretam *Tardieu* parentes habuit Johannes-Jacobus. Ex canonico theologo ecclesiæ Parisiensis a rege renunciatus Lombariensis præsul, bullas obtinuit datas Romæ III cal. Martii 1662, inaugura- 1662.
tusque est 6 Augusti ejusdem anni in ecclesia Sorbonæ ab episcopo Meldensi, sacro in opere collaborantibus Catalaunensi & Gebennensi antistibus. Is simul abbas Lyræ & Livriaci ad Nemausensem ecclesiam anno 1671 mense 1671.
Januario traducitur, ubi vide t. VI, col. 463.

B

ROGER.

XXVIII. Cosma.

Monachus Fuliensis Cosma, egregius verbi Divini præco, per annos triginta Parisiis refulsit. Tribus Quadragesimis totidemque adventibus peroravit ante regem, a quo ad serenissimum Etruriæ ducem legatus mittitur. Cum Congregationis Fuliensium esset præpositus generalis, Lombariensis præsul a rege designatur 5 Januarii 1671, Parisiisque inauguratur in ecclesia Fuliensium anno 1672 1672.
die 30 Januarii ab archiepiscopo Parisiensi, Ambianensi & Tarbensi episcopis assistentibus.

C

Ad sedem accessit 1673, quam, recusato 1673.
pinguiori episcopatu Appamiensi, relinquere noluit. Vivere desiit 20 Decembris 1710, 1710.
natus annos 95, heredibus institutis pauperibus, seminario, & parentibus. Sepelitur in ecclesia hoc humili donatus epitaphio, quod ipse sibi paraverat: *Priez Dieu par charité pour l'ame de feu Cosme Roger, cy-devant évesque de Lombez.*

FAGON.

XXIX. Antonius III.

D

Primogenitus Antonius Guidonis Crescentis *Fagon* Ludovici XIV regis archiatri, & Mariæ *Nozereau*, doctor Facultatis Parisiensis ab anno 1696, abbas S. Mevennii diœcesis Maclovienſis, & Boheriarum Laudunensis, & Castriciarum Catalaunensis, Lombariensis episcopus nominatus 1711 ipso die Paschæ 5 Aprilis, 1711.
Romæ proclamatur & proponitur diebus 2 & 16 Martii 1714, inungiturque 22 Maii 1714.
Parisiis in sacello archiepiscopatus ab eminentissimo cardinale *de Noailles,* adstantibus episcopis Jacobo *de Matignon* veterano Condomiensi & Francisco *de Valbelle* Audomarensi. Transfertur mense Novembri 1719 ad Venetensem ecclesiam, & regi sacramentum dicit 12 Maii 1720. Deputatus a Britanniæ comitiis coram rege peroravit 3 Februarii 1722. Moritur in sua diœcesi 16 Februarii 1742 annum agens 77.

E

DE MAUPEOU.

XXX. Carolus-Guillelmus.

Comes Consistorianus, quondam agens generalis cleri Gallicani, canonicusque honorarius ecclesiæ Parisiensis Carolus-Guillelmus, episcopus Venetensis denotatus anno 1719, 1719.
ad sedem Lombariensem accersitur an. 1721, 1721.
& eodem anno 13 Julii inungitur in sacello

ANNI CHRISTI archiepiscopatus Parif. a cardinale *de Noailles*, A cooperantibus Lutevensi & Tarbensi episcopis. Assecutus est abbatiam Lesatensem 1732.
1732. Lomberiis obiit 17 Februarii 1751 annum agens septuagesimum primum, sepultusque est in ecclesia cathedrali.

RICHIER DE CERISY.

XXXI. JACOBUS II.

Vicarius generalis Rotomagensis archiepiscopi Jacobus, a Ludovico XV rege Christianissimo dictus est episcopus 4 Aprilis

ANNI CHRISTI 1751. 1751, juramentumque ipsi præstitit 28 Augusti, consecrationem jam adeptus die 22 mensis ejusdem. Simul abbas commendatarius S. Mariæ in Cavea, seu Chagiæ diœcesis Meldensis ab anno 1744, Montepessulano decessit 14 Julii 1771, annos natus 62.

DE SALIGNAC DE LA MOTTE-FENELON.

XXXII. LEO-FRANCISCUS-FERDINANDUS.

Ortus anno 1734 die 30 Maii Leo-Franciscus-Ferdinandus, consecratus fuit Versaliis in regia capella 29 Decemb. 1771.

PRÆPOSITI LOMBARIENSES.

I. GUILLELMUS Arnaldi de Guiscarolio B legitur 1340, 1353 nec non anno 1365 in transactione cum Petro Raimundi Convenarum comite.

II. Petrus de Fabrica una cum capitulo optima condidit statuta 1375.

III. Arnaldus-Pontius de Noërio 1395.

IV. Arnaldus de Mirapice licentiatus in decretis 1414; episcopus evasit 1417.

V. Matthæus de Marsilliano 1426.

VI. Arnaldus-Guillelmus de Guananerio præpositus & abbas ecclesiæ collegiatæ sancti Salvatoris de Fageto 1479. C

VII. Johannes de Corneliano in decretis licentiatus, apostolicæ sedis protonotarius 1487, 1496. Obiit 5 Maii 1499.

VIII. Dionysius de Villario nepos Johannis episcopi Lombariensis & abbatis S. Dionysii in Francia, apostolicæ sedis protonotarius & cubicularius, anno ætatis suæ 24 factus est præpositus 1499, deinde episcopus Lombariensis, retenta ex dispensatione præpositura.

IX. Firminetus de Capite-villæ abbas Combæ-longæ superstes annis 1521 & 1525.

X. Manaldus Daulinus obiit an. 1528.

XI. Bernardus *de Pressac* archidiaconus, per superioris mortem eligitur 8 Januarii 1528.

XII. Jacobus *de Montesquieux* 1556.

XIII. Vitalis *Suaven* 1598.

XIV. Bernardus *de Melez de Fondelin* 1643.

XV. Blasius *Puget* se abdicavit 1652.

XVI. Valentinus *Puget* in jure canonico baccalaureus ex cessione præcedentis factus præpositus 1652, obiit 1673.

XVII. Ludovicus *Rousseau* baccalaureus ex canonico Suessionensi præpositus postulatur 1673, 7 Januarii.

XVIII. Franciscus *d'Astug* vicarius generalis.

XIX. Ludovicus *de Rousseau* vicarius generalis.

XX. Stephanus *Ceserole* vicarius generalis moritur 6 Januarii 1705.

XXI. Johannes *Mosnier* doctor in sacra Facultate, vicarius generalis, electus 10 Januarii 1705, quo comitiis cleri Gallicani interfuit.

Unicus est Priorarus in diœcesi Lombariensi.

S. MARTINUS DE TOGETO.

PRIORATUS sancti Martini de Togeto Lombariensis diœcesis ad Gimonam fluviolum, a monasterio S. Orientii Auscicnsis dependens, olim erat abbatia ex veteri inscriptione quæ inhæret columnæ ecclesiæ D Togeti, his verbis: *Dominus Azemarius Do-fas abbas Togeti reædificavit istam ecclesiam anno 1287*. Qui quidem abbas 9 Novemb. 1267 transegit cum abbate Grandis-silvæ super decimis parœciæ de sancto Germerio & de Trotaca.

ECCLESIA VAURENSIS.

VAURUM nobilissimum & amplissimum castrum, ut habet Petrus de Vallibus, in superiori Occitania situm est in amœna planitie & solo pingui ac abundanti ad occidentalem & lævam fluminis Agoti* ripam, a civitate Tectosagum octo leucis distans versus Orientem. Monachorum normæ Benedictinæ ab ipso exordio aut sane paulo post addicitur & conditur a S. Alano seu Elano, qui a rege Sigiberto cum impetrasset locum quemdam in Gallia, qui dicitur Vaurum, ibi cœnobium ædificavit, ut fert ejus vita ab autore anonymo sed veteri scripta. Hanc, ni fallor, Vauri domum a Saracenis aliisque ducum Aquitanorum tumultibus dirutam resarcivit Ludovicus Pius, & ea ipsa est de qua Anonymus corrupto vocabulo ait: *In pago Tolosano monasterium de Vera*, legendum enim opinor de *Vora* seu *Vaura*. Non tamen recensetur in synodo Aquisgranensi an. 817 habita inter cœnobia Septimaniæ aut pagi Tolosani. LAVAUR. *L'AGOUT.

Seculo XI finiente illud monasterium abbatiæ S. Pontii Tomeriarum ac Frotardo abbati ejusque successoribus in perpetuum regendum & ordinandum dimisit Isarnus Tolosanus episcopus, ut ex ipsius litteris colligitur, *quibus de consensu fratrum suorum Bernardi, Guillelmi &, Petri Guillelmi, & nepotum Raymundi Attonis & Pontii Attonis, & Guillelmi Berengarii & aliorum, ecclesiam S. Elani in pago Tolosano sitam secus littus Agoti fluvii, cum omni jure ecclesiastico cedit abbati Tomeriensis cœnobii Frotardo ejusque successoribus in tali ratione, ut præfatam ecclesiam S. Elani olim a fidelibus constructam & nunc per negligentiam destructam restaurent, &c. Data sunt anno M. XCVIII, feria V mensis Augusti, regnante Philippo rege;* & edita in commentariis Occitaniæ Catelli, lib. II, cap. XVI, fol. 320 & seqq. Itaque paruit deinceps abbatibus sancti Pontii Tomeriarum ad seculum XIV, quo brevi apostolico Johannis papæ XXII in sedem episcopalem excrevit.

Munitum erat Vauri oppidum seculo XIII, ut leges in historia Albigensium Guillelmi de Podio Laurentii, Petri de Vallibus & aliorum, nec non in historia Occitaniæ Petri Androquii, fol. 317 & 318, lib. XI. Nunc autem licet ambitu parvum, situ tamen & habitatione lætum & amœnum quatuor aut quinque millia civium alit, quos inter multæ numerantur claræ nobilesque familiæ.

Pagus erat Vaurum diœcesis Tolosanæ in agro Lauracensi *, cum anno 1317 Johannes papa XXII, qui una eademque bulla Vaurensem & Mirapicensem episcopatus erexerat sexto calendas Octobris, primum Vauri pastorem renuntiavit septimo calendas Decembris ejusdem anni, his verbis: *Villam de Vauro in civitatem ereximus, decernentes ut ecclesia prioratus ipsius ordinis S. Benedicti ex tunc existeret cathedralis &c.* atque ab eo tempore facta est hæc civitas sedes episcopalis per distractionem Tolosani tum territorii tum fructus, ad cujus episcopum, eodem anno & eodem ordinante pontifice creatum archiepiscopum, antea pertinebat. Sed quia necesse simul erat novæ cathedralis ministerio providere, idem Johannes XXII pontificatus sui anno secundo, VIII cal. Martii Vaurense capitulum instituit & constare decrevit 12 canonicis, quorum unus sit præpositus qui primum locum & primam vocem post episcopum habeat, qui quidem episcopus, quamvis canonicus non existat, vocem tamen in capitulo sicut unus ex canonicis obtinebit. Alius vero erit diaconus (archidiaconus) alius sacrista, aliusque præcentor loca & voces in capitulo juxta hujusmodi ordinem obtenturi: cæteri vero canonici secundum ordinem provisionum suarum, loca & voces post prædictos in eadem ecclesia obtinebunt. Præfata autem præpositura, archidiaconatus & sacristia dignitates, præcentoria vero officium erunt. Insuper ordinat ut quatuor capellani hebdomadarii, & 28 alii capellani, duo vero diaconi, & duo subdiaconi, nec non octo clerici in inferioribus ordinibus constituti, omnes prædicti perpetui, ac octo pueri pro capituli arbitrio & voluntate mutandi, sint & esse debeant in ecclesia Vaurensi; cæteraque disponit ut in bulla pro capitulo Mirapicensi, quoad nempe spectat electionem faciendam alicujus, cum vacare contigerit, dignitatis vel canonicatus. Præterea bulla alia data VIII cal. Martii, pontificatus anno 2, ecclesias assignat & loca quæ novam diœcesim constituere debebant, & Vaurensis diœcesis limites figit. * LE LAURAGUAIS. Char. XII, col. 236. Char. XIII, col. 238. Chart. IX, col. 268.

In civitate quæ comitatus titulo decoratur tres aut quatuor sunt Religiosæ domus præter collegium in quo erudiendæ juventuti operam dant Patres a Doctrina Christiana cognominati: episcopus in Occitaniæ comitiis jus habet sessionis, ad eum spectat collatio archidiaconatus & sacristiæ dignitatum capituli, sicut & confirmatio præpositi qui tamen a capitulo eligendus. Tota diœcesis Archiepiscopatui & Parlamento Tolosano subest. In ea numerantur 88 parochiæ cum unica ordinis S. Benedicti & Congregationis S. Mauri Soricinii abbatia, de qua seorsim more nostro agemus post præsulum indicem quem texemus potissimum ex Catelli commentariis Occitanicis, Johannis Columbi noctibus Blanca-landanis, ecclesiarumque Vaurensis & Soriciniensis tabulariis.

ANNI CHRISTI

EPISCOPI VAURENSES.

ANNI CHRISTI

I. ROGERIUS.

D'ARMAGNAC.

ROGERIUS de Armaniaco filius Geraldi V Armaniacensis & Fidentiacensis comitis & Marthæ Bearnensis, nepos vero ex patre Amanevi archiepiscopi Auscienfis, ex archidiacono Aginnensi a Johanne papa XXII, qui Vaurensem & Mirapicensem episcopatus
1317. creaverat anno 1317 VI calendas Octobris,
renuntiatur primus Vauri episcopus VII cal. Decemb. ejusdem anni, ut patet ex his verbis: *Villam de Vauro in civitatem ereximus, decernentes ut ecclesia prioratus ipsius ordinis S. Benedicti ex tunc existeret cathedralis: ac deinde volentes eidem* B
ecclesiæ de pastore providere salubriter, in te archidiaconum Agennensem, virum utique litterarum scientia providum, nobilitate generis, vitæ ac morum honestate decorum, discretionis consilii maturitate conspicuum direximus oculos nostros. Hoc ipso anno idem pontifex Rogerio Vaurensi electo dat licentiam assumendi tutelam Johannis & Marthæ filiorum quondam Bernardi comitis Armeniaci ipsius fratris. Datum Avenione III idus Julii, pontificatus anno primo; unde tamen sequeretur ante electum, quam existeret episcopatus, nisi dicatur utrumque jam tum C
in animo habuisse & decrevisse pontificem, quod paucos solum post menses promulgavit. Ut ut sit hunc tantum electum facit an. 1319, imo & idibus Januarii 1320 Johannes Columbi in noctibus Blanca-landanis, qui etiam electi nomen dumtaxat præfert in chartis Soricinienfis monasterii V nonas Martii 1318, VI idus Novemb. 1319, & calend. Decemb. ejusdem anni. At in actis publicis civitatis
1318. Vaurensis anno 1318 episcopi titulo donatur. Ipso quidem anno VIII cal. Martii pro ordinatione capituli ecclesiæ datæ sunt a præcitato D
Chart. X, col. 274. papa Johanne litteræ. Unctus in episcopum fuit Sicardo de Brassaco tunc etiam priore Vauri. Matrimonium inter Johannem Armaniacensem comitem nepotem filium Bernardi comitis & Cæciliæ *de Rodez*, & reginam a Guta filiam Bertrandi vicecomitis Leomaniæ
1321. procuravit. Item an. 1321 die introitus mensis Maii in pactis matrimonialibus Bernardi Elvii de Lebreto cum Matha Armaniaci testis adhibetur D. Rodgerius episcopus Vaurensis ex archiv. Fuxens. & schedis Colbertinis. Anno
1322. 1322 sedebat ex chartis Soricinii. Insequenti litteris suis apud Figaredam diœcesis Lactorensis fer. 2 post festum B. Martini hyemalis E
datis, procuratorem suum tam in spiritualibus, quam in temporalibus instituit Giraldum de Gavarreto rectorem de Magunnhio Vaurensis
1324. diœcesis. Anno 1324 die 19 Maii Rogerius de Armaniaco episcopus Vaurensis testis legitur testamenti D. Bertrandi de Guto vicecomitis Leomaniæ & Altivillaris: ex archiv. Ruthen. dat plateam, ut loquitur funeralis
A canonicorum liber ad annum 1328, quæ fert 1328.
ad portam episcopii, excitando iisdem canonicis claustro. Anno 1329 sacris interdicit 1329.
Vaurenses ob causas nobis ignotas. Memoratur in Tabul. urbis Vaurensis fer. 2 post festum Nativitatis B. Mariæ Virginis anni 1331. 1331.
Ecclesiæ cathedralis majus altare consecravit anno 1332, quo etiam facultatem dedit 1332.
Johannes papa XXII præposito & capitulo Chart. XI,
Vaurensi bona sua ad libitum administrandi. col. 272.
Præposituræ Vaurensi ecclesiam beatæ Mariæ de Pesaudice univit anno 1334. Insuper 1334.
occurrit in actis publicis & in chartis Soricinienfibus annis 1331, 1334, 1336 & 1336.
1337, quo ultimo una cum suo capitulo ac 1337.
rectore de Stampis transigit cum ejusdem ecclesiæ rectore & incolis de Stampis II non. Septembris de Pastellorum decimis ex tabul. Vaurensi, cujus transactionis instrumentum continet cod. mss. Biblioth. reg. jam laudatus n.° 81. Ad ecclesiam Laudunensem transfertur 1338, ubi obiisse dicitur anno 1339, sepultus 1338.
Anisiaci. Vide tom. IX Galliæ nostræ Christianæ, col. 547. 1339.

II. ROBERTUS I.

DE FOIX.

Ex comitibus Fuxi Gastonis I vicecomitis Bearnensis &c. & Johannæ de Artesio tertio genitus Robertus, simul toparcha Donesani succedit Rogerio anno 1338, I Julii. Memoratur in chartis Soricinii an. 1341. Ecclesiam 1341.
S. Stephani de Bello-castello archidiaconatui Vaurensi univit 26 Aprilis 1345. Circa idem 1345.
tempus litteras accepit a Clemente VI pontifice, quibus monetur *nobili mulieri Eleonoræ fratris sui relictæ, comitissæ Fuxi, matri & tutrici filii sui, cujus circumspectioni & prudentiæ quondam Gasto comes Fuxi vir suus & pater comitis pueri supradicti administrationem & regimen personæ ac bonorum ipsius in suo ultimo testamento commiserat, ne inferret turbationem vel impedimentum aliquod, quominus administrationem & regimen hujusmodi gerere & exercere pacifice, prudenter & quiete valeret.* Anno 1346 facit ut Philippus 1346.
VI Francorum rex concedat canonicorum collegio facultatem emendi prædia annui ad libras quinquaginta reditus libera & soluta omni censu. Alias ab eodem rege litteras in gratiam ecclesiæ suæ impetravit 28 Februarii anno 1348. 1348.

III. ARCHAMBALDUS.

DE LAUTREC.

In veteri instrumento anni 1348 electus nominatur Archambaldus de Lautreco. Filius fuit Amalrici vicecomitis Lautricensis & Margaretæ Petracoricensis sororis cardinalis Taleyranni. Fratres habuit Sicardum *de Lautrec* episcopum primo Agathensem, deinde Biterrensem, Amalricum vicecomitem *de Lautrec*,

ANNI CHRISTI

& sorores Philippam uxorem* Johannis *de Galard* domini *de Limeus* & Eleonoram & Johannam *de Lautrec* abbatissas Villæ-muræ.
1351. Anno 1351, vel 1352 ex Johanne Columbi,
1352. die 2 mensis Octobris præcentoris officio univit ecclesiam sancti Johannis de Verdale.
1354. Exsecutor reperitur an. 1354 bullæ Innocentii papæ VI Johanni Francorum regi decimas beneficiorum omnium per duos annos concedentis. Ejus permissu & approbatione non modicum incrementum accepit urbs Vau-
1355. rensis anno 1355, quo etiam ratum habuit arbitrariorum judicum super civium Vauri & 24 castellaniæ Vauri consulatuum discidio sententiam, ex publico Vaurensium chartulario. Transfertur ad sedem Catalaunensem
1357. an. 1357, quo sedes Vaurensis vacare reperitur. Vide tom. IX Galliæ Christianæ, col. 893.

IV. Robertus II.

DE VILLEMUR.

Johannis XXII pontificis nepos Robertus de Via de Villa-muro sedebat Vaurensis epis-
1360. copus anno 1360 ex veteri instrumento Soriciniensis monasterii, in quo memoratur
1361. & 1361. Ecclesiam S. Pauli dictam a capite
* Cadajoux. Jovis *, in qua plures erant capellaniæ erexit
1363. in collegiatam an. 1363, quam erectionem confirmavit Urbanus papa V. Interfuit con-
1368. cilio Vaurensi anni 1368. Litteræ Petri archiepiscopi & primatis Narbonensis ad vicarium generalem Hugonis Biterrensis episcopi quibus hoc convocatur concilium, extant in cod. mss. Bib. reg. n.° 81. A vicecomite de Villa-muro dicitur exsecutor testamenti una cum Foro-
1382. Juliensi episcopo an. 1382. Obiit an. 1383,
1383. post cujus obitum celebrata electione per capitulum Vaurense Sicardus de Brugayrosio licentiatus in decretis a quinque canonicis electus
Chart. XII, col. 273. 11 Septemb. anni 1383 electioni suæ assensum præbuit, Bertrandus vero episcopus Foro-Juliensis unius suffragium obtinuit, itemque unius Astorgius de Galliaco prothonotarius apostolicæ sedis, quorum neuter episcopatum adeptus est, sed in eorum locum suffectus a summo pontifice

V. Ægidius.

DE BELLEMERE.

Arvernus, si fides Johanni Columbi, Ægidius de Bella-mera, ex archidiacono Andegavensi, juris utriusque doctore & litterarum contradictarum domini papæ Auditore anno 1383 a Clemente papa VII creatus Vaurensis episcopus possessionem adipiscitur 13 Nov.
1388. ejusdem anni. Anno 1388 dat collegio cano-
Chart. XIII, col. 275. nicorum ecclesiam de Frotzeno, seu Frokeno, quam ex chartis capitularibus citatis a Johanne Columbi, regebat tum Bertrandus cardinalis Ostiensis, imposito vicario; idque facit ex Clementis pontificis mandato, cum hujus collegii reditus *propter guerras*, ut loquitur, *adeo diminuti existant, quod pro sustentatione canonicorum & aliarum personarum ecclesiasticarum & servitorum dictæ ecclesiæ, qui divinis ibi vacant* A *obsequiis, & pro supportatione aliorum onerum sibi incumbentium, sufficere non possint: propter quæ divinum officium diminuitur.* Quod quidem factum refert tabularium Vaurense* in hæc verba: *Ægidius Vaurensis episcopus auditor & referendarius papæ in exsecutionem bullæ Clementis VII IX cal. Septemb. pontificatus an. 9, ecclesiam parœcialem S. Petri de Frotzeno, quam Bertrandus episcopus Ostiensis possidebat, unit mensæ capitulari Vaurensi 2 Julii 1388, indictione 11.* E Vaurensibus ad Anicienses insulas transfertur die 17 Octob. anni 1390, ut ipse 1390.
* Ibidem.
docet in 2 decret. tom. III, fol. 19, col. 2; B quare mendum esse conjicimus quod legitur ibidem tom. II, fol. 255, col. 4, de suo primo adventu in urbem Aniciensem anno 1382 die Octobris 19. Paulo post eodemque, ut videtur, anno 1390, cum revocasset Clemens VII commendam ecclesiæ Avenionensis, quæ Simoni *de Cramand* hoc pacto cedere debebat, factus est Ægidius ex Aniciensi sedis hujus episcopus, ubi plura de eo. Ex regest. Vatican. Ægidius episcopus promisit & recognovit pro Petro prædecessore Aniciensi 27 Octob. 1390. Item promisit 27 Augusti & recognovit pro Simone *de Cramand* C ibidem anno 1392. Tum prorogatur pro ecclesiis Aniciensi & Vaurensi quibus præfuit, 28 Septemb. 1391, ibid. solvitque 22 Dec. & 11 Martii 1392. Memoratur adhuc in chartis Soriciniensibus annis 1390 & 1391. His si addas dilationibus testimonium clarissimi viri domini Francisci Arcis abbatis sancti Evodii, qui in chirographo de soluta dote die 16 Decembris anni 1391 affirmat & apponi hujus episcopi nomen & instrumentum ipsum autenticum se vidisse, dicendum erit aut Ægidium sub finem dumtaxat anni 1391 D ad sedem Avenionensem vocatum fuisse, aut simul & ad illud usque tempus Aniciensem episcopatum retinuisse. Vide quæ de Itherio Ægidii in sede Aniciensi successore notamus tom. II, col. 730. Interim de Ægidio nihil pene occurrit in actis publicis tam Vaurensibus, quam Aniciensibus & Avenionensibus. Quandonam ex hac vita dicesserit plane ignoramus; sed facile revincuntur qui eum volunt humanis rebus exemptum fuisse an. 1398. Qui elogium funebre inscripsit ejus tumulo Avenione in majori B. Mariæ ecclesia dicit eum noluisse cardinalatum, quo poterat ornari: *noluit*, inquit, E *& potuit Romano cardine fungi.* Attamen Claudius *du Vergier* unus ex ejus in episcopatu Vaurensi successoribus scripsit in adversariis cardinalem fuisse. Cæterum hic præsul pro suo tempore doctissimus fuit, scripsitque decisiones Rotæ, cujus auditor & consultor fuit, in decretum & decretales, in concilia, de beneficiis & de foro competenti. De eo incerte & obscure locuti sunt plerique autores, quod eum sæpe confundant cum Ægidio Aiscelini vulgo dicto cardinali Morinensi, in quem errorem offenderunt ipsi Sammarthani fratres.

ANNI CHRISTI

VI. Guido.

DE LA ROCHE.

Ex archidiacono Turonensi electus 13
1391. Januarii anno 1391 Guido de Rupe juxta librum provisionum Prælatorum Vaticani, memoratur in chartis Soriciniensis abbatiæ
1393. 6 Decemb. 1391 & 1392, diebus 8, 18 &
Ch. XIV, col. 280. 29 mensis Aprilis. Anno 1393 die 7 Maii accepit mutuo summam trium millium ducentorum & quinquaginta Francorum auri a Johanne Carentionis Lucensi & mercatore Avenionensi, quam debebat apostolicæ cameræ diversis de causis & rationibus, ad quam mutuandam summam auctoritate usus est bullæ Clementis papæ VII datæ III nonas Maii, pontificatus anno 15. Obiit in loco *de Monte-alto* dicto in diœcesi Avenionensi, quo recreationis causa secesserat.

VII. Bernardus.

DE CHEVENON.

Bernardus de Canavone dictus a Sammarthanis de Casa-nova, & a Johanne Columbi de Canavone seu de Rhamne, Vaurensem
1395. cathedram occupabat annis 1395 & 1396.
1396. De hoc præsule jam quater locuti sumus t. II, coll. 927 & 1078, ubi quis & qualis esset ignorabamus: atque etiam tom. IX & X, coll. 757 & 1198, in quibus retractavimus emendavimusque perperam & minus accurate a nobis de eo dicta in præcedentibus. Interim mirum dictu est quam subitæ frequentesque fuerint iis temporibus sedium mutationes episcopalium, quando duo tresve simul de papatu contendebant, & undequaque fautores conquirebant qui partes suas simul tuerentur & pecuniam pellendo competitori necessariam numerarent, duos aliquando simul pastores in sua quisque, ut vocabant, obedientia uni eidemque ecclesiæ præficientes. Ex Vaurensi quippe translatus est Bernardus noster ad Aginnensem ecclesiam 28 Martii an. 1397, rege Carolo licet repugnante, ut docent notæ nostræ chronicæ; ex Aginnensi ad Santonensem 23 Julii 1398, ubi male ex uno duos effecimus; ex Santonensi transiit ad Ambianensem ecclesiam per obitum Johannis *de Boissy* huc traductus a Johanne XXIII die 20 Martii, pontificatus an. 1, Christi 1411; & tandem ad ecclesiam Bellovacensem eodem pontifice Johanne XXIII ordinante IV cal. Aprilis, pontificatus anno 3; ubi sicut & in Ambianensibus, Aginnensibus & Santonensibus vide cætera quæ ad eum spectant.

VIII. Petrus I.

DE VISSAC.

Ex gente vetusta & pernobili apud Arvernos in lucem editus est Petrus de Vissaco sancti Flori administrator, dictus quoque simpliciter Petrus S. Flori. Ipsum fuisse monachum Benedictinum docet noster D. Claudius *Estiennot*. Forte monachus erat Casæ-Dei in Arvernia, nam in necrologio hujus monasterii legitur *idibus Aprilis convivium* (in anniversario) *reverendi in Christo patris domini Petri de Vissaco*

ANNI CHRISTI

A *Dei gratia episcopi sancti Flori*. Quo præcise tempore a sancti Flori ecclesia transierit ad Vaurensem difficile est assignare. Vauri sedisse jam 2 Septemb. anno 1396 docent chartæ nostræ, quæ etiam creatum illum Vaurensem episcopum a Benedicto XIII, IV idus Julii, pontificatus sui anno 1, id est 1394, volunt, in quo manifeste errant, cum Clementi VII, Benedictus XIII successor non sit datus ante 28 Septemb. anni 1394. Forte anno 1395 aut 1396 tantum ad hanc sedem translatus fuit a Benedicto XIII, Bernardo de Canavone ad Aginnensem promoto, quo tempore,
B antequam novæ ecclesiæ possessionem adiret, eique liber ingressus per excessum Bernardi relinqueretur, S. Flori administratorem se dicebat, ut liquet ex ipsius litteris ad vicarium S. Ilpidii datis in ecclesia Vallis-Dei die 27 Maii an. 1396, ubi legitur: *Petrus miseratione divina episcopus translatus ad ecclesiam Vaurensem, administrator ecclesiæ S. Flori.* Anno 1397 1397.
(forte 1398) dedit fratribus Prædicatoribus aut
S. Flori 60 scutos Auri pro ecclesia ædifi- 1398.
canda ex charta in archivis hujus conventus asservata, in qua episcopus Vaurensis tantum dicitur in hæc verba: *Petrus de Vissaco epis-*
C *copus Vaurensis ob reverentiam Dei & B. Mariæ Virginis & beatorum Johannis-Baptistæ, Dominici & Thomæ de Aquino dedit sexaginta scutos auri boni conventui fratrum Prædicatorum S. Flori pro ædificio capitis ecclesiæ. Act. & dat. 5 April. 1397.* Non videtur tamen Petrus sedem occupasse Vaurensem ante annum 1398, ut constat ex statutis pro ecclesiæ Vaurensis reformatione factis a Chatardo Aycardi canonico & cancellario ecclesiæ Tolosanæ, cui hanc provinciam demandarat Guido cardinalis episcopus Prænestinus, ipse a Benedicto XIII papa
D huic negotio præfectus, ut docent litteræ tum pontificis tum cardinalis, & ipsa statuta relata in cod. mss. Biblioth. reg. n.° 81, ubi nullum episcopi nomen apparet. Anno 1400 presby- 1400.
teros decem qui pro defunctis preces quotidianas Deo funderent in ecclesia S. Mariæ de Lacu Podii-Laurentii instituit. Occurrit præterea in chartis Soriciniensibus an. 1403, 1403.
5 Junii, & in tabulario Vaurensi an. 1404, 1404.
ubi dicitur inhumatus 23 Januarii 1405. 1405.
Sepultum vero in monasterio Casæ-Dei ante Majus altare docuit nos D. Jacobus *Boyer* ejusdem cœnobii doctus Asceta. Post cujus obitum capitulum in tres partes scissum est,
E tribus canonicis Raymundum de Albigesio licentiatum in legibus Auditorem cameræ apostolicæ, duobus Petrum de Ponte licentiatum in decretis, decanum Castri-novi de Arrio eligentibus, & Bertrando de Malomonte unum dumtaxat suffragium obtinente, qui tamen prævaluit.

IX. Bertrandus.

DE MAUMONT.

Mirapicensis primum, tum Vaurensis, postea Biterrensis, ac demum Tutelensis episcopus, nobilis Lemovix Bertrandus de Malo-monte

ANNI CHRISTI

avunculos habuit matris suæ fratres Hugonem de S. Martiali cardinalem & Petrum archiepiscopum Tolosanum. E Mirapicensi sede ad Vaurensem transfertur a Benedicto XIII (Petro de Luna) anno 1405, XIII cal. Octob. quam tenuit ad annum usque 1408, quo per eumdem Benedictum promotus traductusque ad Biterrensem, ægre admodum, nec nisi vi cogente a canonicis recipitur in ecclesia cathedrali 24 Augusti anni præfati. Quæ memoratu digna gesserit in variis episcopatibus vide in Biterrensibus tom. VI Galliæ nostræ Christianæ, coll. 355 & 356; in Tutelensibus tom. II, coll. 671, 672; & inter Mirapicenses tom. præsenti, col. 271.

NEPOTIS *aut* NEVEU.

X. PETRUS II.

Nepotis vel *Nepos* cognominatus Petrus, licentiatus in legibus, decanus ecclesiæ collegiatæ capellæ *de Taillefer* Lemovicensis diœcesis, canonicus Narbonensis & Claromontanus, translato Bertrando de Malo-monte ad ecclesiam Biterrensem, electus est episcopus Vaurensis an. 1408 ipsa die 14 Januarii, si fides chartis nostris, & in quibusdam instru-
1409. mentis memoratur an. 1409. Ex litteris tamen Caroli VI regis Francorum datis 19 Sept. 1408 videtur quod nondum ad ecclesiam suam accesserat, siquidem nulla de eo mentione facta, Gerardus canonicus & syndicus capituli Vaurensis deputatus ab eadem ecclesia ut adesset comitiis cleri Gallicani a rege convocatis, ad quæ convenerant præsules ipsi cujusque ecclesiæ Parisios hoc ipso anno ea de re accessit, & paulo post aliis negotiis ad propria revocatus licentiam a rege petiit & impetravit remeandi. Is est Petrus Vaurensis episcopus, quem ad Bernardum comitem Armeniacensem mittit Johannes papa XXIII, qui certum eum faciat de his quæ pro pace ecclesiæ procuranda gesserit: *quem scimus*, inquit, *fortem potentemque ac devotum ipsius ecclesiæ filium pro visitando te zelo quidem paterno, venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Vaurensem, referendarium nostrum, exhibitorem præsentium providimus destinandum super præmissis ab ore nostro suscepta per extensum alloquia nobilitati tuæ latius fidei organo relaturum &c. Datum Bononiæ sexto calendas Septemb. pontificatus nostri anno primo.* Extat epistola integra tom. II Anecdotor. col. 1432.

Chart. XV, col. 281.

1410. Postea Dominico de Florentia an. 1410 ad sedem Tolosanam translato idem Johannes XXIII eum subrogavit data bulla nonis Sept. pontificatus sui anno primo, qua eum a vinculo, quo sedi Vaurensi alligabatur, absolvit, & Albiensi ecclesiæ præficit, ubi vide fusius quæ ad eum spectant tom. V, col. 30.

GIRARDI *alias* GIRAUD.

XI. PETRUS III.

Cardinalis Tusculanus, Aniciensis vulgariter nuncupatus Petrus administrator perpetuus ecclesiæ Vaurensis creatur anno 1410 a Johanne XXIII, pontificatus sui anno primo. Dictus etiam magister Petrus Geraudi sive Girardi. Vitam cum morte commutavit apud Avenionem die 9 alias 10 Septemb. anni 1415 hora prima vel circiter, ut adnotatum reliquit contubernalis ejus Petrus Charpini licentiatus in decretis & litterarum Pœnitentiariæ domini papæ scriptor, quem ipse nominavit inter exsecutores testamenti sui. De eo pluries jam egimus nempe tom. I, coll. 825 & 1329 in Avenionensibus; tom. II, col. 729 in Aniciensibus; & tom. VI, col. 558 in Leutevensibus, ubi videsis. Neutrubi quidem legitur Vaurensem aliquando administrasse ecclesiam; sed nec Baluzius qui vitæ ejus gestorumque memorabilium epitomen adumbravit in notis ad vitas paparum Avenionens. coll. 1386, 87, 88 & 89 hujusce administrationis meminit; attamen cum in schedis nostris & necrologio ecclesiæ Vaurensis notetur post Petrum Nepotis Petrus alter cardinalis Tusculanus Aniciensis vulgariter nuncupatus, quem etiam Johannes Plantavitius in chronologia Præsulum Leutevensium loquens de Petro Girardi asserit sortitum fuisse circa illud tempus ecclesiæ Vaurensis administrationem, ideo nomen ejus ex albo Præsulum Vaurensium expungere religioni habuimus.

BÉLY *aut* BELIN.

XII. JOHANNES I.

Procurante Petro cardinali supradicto, aiunt chartæ Vaurenses, quæ diem & annum silent, episcopus Vaurensis creatus est Johannes *Bély*, Belli vel Bellinus patria Lemovix, si fides Sammarthanis, decretorum doctor & Rotæ auditor, qui quidem de se ipso hæc verba habet in præfatione ad summam suam *de ordine judiciorum. In mea juventute temporibus retroactis primo fui in capella archiepiscopi Tolosani tempore B. memoriæ Petri de sancto Martiali tunc archiepiscopi, officiali tunc existente D. Johanne Corserii* (is est autor libri cui titulus decisiones capellæ Tolosanæ) *Ubi notabile & magnum consilium tunc habebatur, & deinde in Rota causarum palatii Apostolici, scilicet in curia Romana, ubi per quinquennium fui: & successive in concilio generali* (Constantiensi) *constitutus, ubi pariter fui pro natione Gallicana: deinde in palatio regis Tolosæ tunc residentis; deinde Bituris* (Biterris). Quod postremum ut intelligatur sciendum an. 1425 Tolosanum Parlamentum, quod an. 1419 (1420) Tolosæ constituerat, seu potius restituerat Carolus Delphinus Biterras fuisse translatum ad revocandos cives, quorum pars magna ex ea civitate discesserat, supremumque hunc senatum inter hæc initia uno dumtaxat principe episcopo duodecimque senatoribus æqua parte clericis & laïcis fuisse conflatum. Quas autem partes in eo egerit Johannes, præsidis an consiliarii ignoramus. At id certum ipso anno 1415 tanquam episcopum Vaurensem interfuisse concilio Constantiensi 1415.
non quidem universæ nationis Gallicanæ, ut de se ipso ait, sed nomine Tolosanæ provinciæ, uti probatur ex instrumento publico deliberationum nationis Gallicanæ in concilio

ANNI CHRISTI

Constantiensi super materia Annatarum, relato in tom. II Thesauri novi Anecdotorum ad annum 1415, col. 1543 & sequentibus: ubi pluries rogatus sententiam, totiesque dicta, quorum procuratorio nomine agebat clare exprimitur ibidem, col. 1558 his verbis: *Item dominus Johannes episcopus Vaurensis pro dominis episcopis Tutelensi & Appamiarum, & pro capitulo Agathensi & pro quatuor abbatibus & pro tota provincia Tolosana dixit, ut ipse prius dixerat, videlicet primo quod differretur, & postea tollantur dictæ vacantiæ, & provideatur papæ & cardinalibus, & plura alia dixerat, videlicet quod certi deputarentur, qui irent ad dominos cardinales, & viderent modum providendi in istis, & simul provideatur.* Unus fuit e tribus præsulibus quibus a synodo demandata fuit cura Johannem *Hus* exauctorandi eique comitem Mediolanensem archiepiscopum adjungit Æneas Sylvius in Tract. de concil. Basileensi. Addunt Sammarthani sess. 9 habita 13 Maii 1415 electum commissarium per synodum ad audiendas causas per appellationem ei devolutas, & sess. 10 ad citandum Johannem XXIII, nec non ad intimandam ei sententiam suspensionis adversus eum a concilio latam. Bullæ Martini V pontificatus anno 3 datæ executor committitur circa parochiam de Vivariis sitam prope Vaurum uniendam
1420. capitulo Vaurensi 3 Septemb. 1420: bulla & decretum Johannis ea de re quæ mutatis nominibus iisdem fere terminis efferuntur, ac
Ch. XIII, col. 275. bulla Clementis VII & decretum Ægidii episcopi in appendice relata col. 275, extant in
1421. cod. citato Biblioth. reg. n.° 81. Anno 1421 cum Dominico archiepiscopo statuta reformatoria pro ecclesia Tolosana promulgat. Me-
1423. moratur etiam annis 1423 & 1426, quo
1426. posteriori interfuit concilio apud Castellum-
1432. novum Arrii habito. Anno 1432 fructus decimales parrochiæ de Junqueriis dimittit mensæ capitulari in illius usus perpetuo convertendos, quod ratum habuit Eugenius papa IV bulla
Ch. XVI, col. 282. data kalendis Januarii an. 1432 pontificatus 2, qua abbatem S. Saturnini Tolosani committit ad prædicta confirmanda. Eodem Jacobus *Abbatis* canonicus Vaurensis pro Johanne *Bély* ejusque nomine recipit ipsique servat *ducentos scutos auri, videlicet ab una parte octo & viginti scutos antiquos auri cugni Franciæ ponderantes unciastres denarios undecim ad dictum pondus Parisiense. Item ab alia parte centum quinquaginta octo scuta nova de Tolosa, & decem alia nova scuta de Monte-pessulano, & quatuor alia nova de Tornacio. Ponderabant & ponderant in toto tres marcas, uncias quindecim & denarios septem ad dictum pondus Parisiense.* Hæc eruimus ex chartis canonicorum Vaurensis collegii, ex quibus monetarum valorem diversum, si quis est, tam illorum, quam præsentium temporum poterunt æstimare hujusmodi rerum curiosi. Ejus obitus consignatur in necrologio ecclesiæ Vaurensis ad diem 21 Septembris in hunc modum: *Obitus bonæ memoriæ reverendi in Christo*

A *patris Johannis Belli quondam episcopi Vaurensis, qui obiit anno 1433, & hac die ejus corpus fuit datum ecclesiasticæ sepulturæ in præsenti ecclesia: qui obitus fuit fundatus per capitulum.*

XIII. JOHANNES II.

BOUCHER alias DU BOUCHER aut DU BOUCHET.

Immediatus præcedentis successor Johannes Bocherius vel Bocherii apud Lemovices ortus, ex archidiacono a canonicis eligitur episcopus Vaurensis anno 1433, bullasque Eugenii IV 1433.
accepit, in quibus declarat pontifex eligendi jure jam tum excidisse canonicos. Alia ejusdem pontificis bulla data XVIII cal. Decemb. anno
B 1439 delegatur cum episcopo Biterrensi ad 1439.
commutandum ecclesiæ Carcassonensis statum regularem in secularem, quod quidem ipse solus executioni paulo post mandavit, lata ea de re sententia, quam confirmavit Eugenius IV, ut videre est, tom. VI Galliæ nostræ Christianæ, coll. 906 & sequentibus. Anno
1443 ecclesiæ suæ dedit capellam panni serici 1443.
albi, quæ Avenione constitit ducentis sexaginta mutonibus auri boni. Anno 1445 dedit 1445.
capitulo suo fructus decimales parochiæ de Junqueriis sub annuo 28 librarum redditu die 26 Octobris ex tabul. Vaurensi. Charta
C hujus dimissionis extat integra in cod. reg. citato. Præsens fuit anno 1451 publicationi 1451.
veterum atque recentium ecclesiæ Vaurensis statutorum, quorum observationem commendavit 25 Octob. ejusdem anni, & quæ videsis si libuerit, ibidem in cod. mss. reg. Biblioth. supra laudato. Supremas testamenti tabulas condidit 18 Decemb. 1451. Anno 1453 1453.
executor fuit litterarum Nicolai papæ pro archiepiscopo Narbonensi. Quot & quanta bona contulerit Cartusiæ Castrensi de Bellovisu nuncupatæ & a Raymundo *Saissè* cive
D Castrensi ditissimo anno 1359 fundatæ fuse narrat historia mss. ejusdem Cartusiæ, in qua describuntur simul lapsus ejus & pœnitentia, Ch. XVII, col. 282.
quæ videsis inter instrumenta. Ejus obitus in necrologio Vaurensi notatur 6 Septembris an. 1458 hoc modo: *Obitus bonæ memoriæ reverendi in Christo patris domini Johannis Bocherii episcopi Vaurensis qui ista die decessit 1458.*

XIV. JOHANNES III.

DE BEAU-SOLEIL.

Præcedentis nepos Johannes de Bello-sole ex præposito ecclesiæ Vaurensis electus epis-
E copus 22 Novemb. 1458 electioni de se 1458.
factæ assensum præbuit: attamen 5 Decemb. ejusdem anni sedes vacare reperitur, imo 12 Februarii & 14 Maii 1459, atque etiam 21 1459.
Maii an. 1460; unde vix creditur electionem 1460.
illam locum habuisse. De eo vide fusiora inter præpositos ecclesiæ Vaurensis.

XV. JOHANNES IV.

GENTIAN.

Ex senatore Parisiensi tum Tolosano Vaurensis Præsul factus Johannes Gentiani possessionem adipiscitur 10 Februarii 1460, id est 1461, aut ad summum 23 Octob. ejusdem 1461.

ANNI CHRISTI

anni, ut habent chartæ nostræ, hancque rexit ecclesiam ad annum usque 1469, quo obiit Tolosæ VI cal. Maii, sepultus in majori ecclesia S. Stephani, de quo necrologium ecclesiæ Tolosanæ: *VI cal. Maii obiit reverendus in Christo pater dominus Gentianus episcopus Vaurensis & est sepultus ante fontes baptismales præsentis ecclesiæ*
1469. *1469.* Anno tamen 1463 consenserat cum præposito & capitulo Vaurensi unioni ecclesiarum parochialium S. Leontii & S. Martini de Massaco mensæ capitulari ecclesiæ Vaurensis, quam perficiendam officiali Vaurensi commisit
Ch. XVIII, col. 284. Pius papa II bulla data x cal. Aug. pontific. anno 5.

VIGIER.

XVI. JOHANNES V.

Johannes Vigerii quibusdam *Vigier, Viger, du Vigier* & *Viguier* cum heredibus Johannis Gentiani litigabat in senatu Tolosano anno 1469, quo ex canonico ecclesiæ Parisiensis ad Vaurenses infulas assumtus est. Memoratur
1470. in chartis Soricinii an. 1470, & dicitur con-
1471. secratus an. 1471. Cartusiæ Castrensi litteras
1472. dedit an. 1472. Anno 1480 die 20 Januarii
1480. sedavit lites ortas inter Consules & incolas Vauri ex una parte, & capitulum canonicosque ecclesiæ Vaurensis ex altera, super tributis solvendis, & transactioni ea de re factæ præsens interfuit. Vid. cod. laudat. Bib. reg. n.° 81. Sacram episcopii ædiculam ædificavit, majorem ecclesiæ turrim construxit, multaque alia bona præstitit ecclesiæ suæ. In senatu Tolosano fuit cancellarius. Ejus obitus in necrologio Vaurensi notatur hoc modo: *Anno Domini M. CCCCXCVII, XVI mensis Martii, (alias Maii) feliciter obiit Tolosæ reverendus in Christo pater dominus Johannes Vigerii episcopus Vaurensis, qui in eadem ecclesia celebravit (fundavit) 12 solemnes obitus sigillatim secunda feria cujuslibet mensis in altari majori S. Elani celebrandos, quia ante illud ejus corpus jacet.* Verum aut irrepsit mendum in assignandis obitus ejus anno & die, aut ante mortem resignaverat episcopatum in gratiam sequentis, ut ex infra dicendis apparebit.

DE BOURBON.

XVII. HECTOR.

Filius naturalis Johannis II Borbonii ducis Hector Borbonius, frater vero Matthæi cognomine magni Borbonii nothi, nec non Caroli dynastæ *de Lavedan*, a quo marchiones *de Malause* originem ducunt, electus quidem dicitur in schedis nostris an. 1497 post obitum Johannis Vigerii præcedentis, cumque esset jam Tolosanus archiepiscopus, ut ecclesiæ Vaurensis regimen susciperet, quam etiam fertur exiguo tempore administrasse. Sed hæc minime cohærent cum ecclesiæ Tolosanæ historia, juxta quam defuncto Petro *du Lyon* archiepiscopo Tolosano mense Jan. an. 1491, plerique canonici postularunt 11 Februarii ejusdem anni Petrum de Rosergio; cæteri vero, quamquam pauciores, Hectorem elegerunt, qui etiam e Vaurensi ad Tolosanam ecclesiam
A translatus dicitur 18 Februarii ejusdem anni bulla Innocentii VIII ab qua senatum Parisiensem appellarunt Petrus & ejus electores canonici; causaque, mandante rege, ad senatum Burdigalensem perlata mense Maio 1494, cujus judicio definita fuit in gratiam Hectoris, qui tamen pacificam possessionem habuisse non videtur ante annum 1500 mense Aprili, quo alter alteri ecclesiam suam cessisse legitur in regestis Vaticani. Ex quibus manifeste sic pugnantibus istud verisimilius conjectare nobis posse videmur Hectorem Vaurensem sedem occupasse antequam ad Tolosanam perveniret,
B neque anno 1497, verum ante 1491 Vauri 1491.
sedisse, ac proinde Johannem *Vigier* aut maturius decessisse, quam notatur in necrologio, aut ante obitum cessisse episcopatu. Cæterum Hector defunctus tumulo conditur in ecclesia S. Stephani anno 1502 exeunte.

DU ROSIER.

XVIII. PETRUS IV.

Bernardi cognominis Tolosani archiepiscopi nepos Petrus de Rosergio præpositus ecclesiæ metropolitanæ S. Stephani, nec non abbas Montis-olivi & utriusque juris doctor, postquam diu de Tolosano archiepiscopatu, ad *Tom. VI, col. 1001.*
C quem anno 1491 majori suffragiorum parte vocatus fuerat, cum æmulo superiori Hectore Borbonio contendisset, causaque cecidisset, factus est in ejus locum episcopus Vaurensis circa
annum 1500, quo alter alteri ecclesiam suam 1500.
cessisse legitur in regestis Vaticani. Occurrit
quoque annis 1500 & 1508 in regestis senatus 1508.
Tolosani. Testamentum condidit die ultima
Martii 1514, quo inter alia libros legat 1514.
capitulo Tolosano, vultque sepeliri in sacello novo prope majorem portam ecclesiæ cathedralis Vaurensis in honorem S. Christophori suismet impensis & sumtibus ædificato. Ibidem
D jacet cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendus in Christo pater dominus Petrus de Rosergio episcopus Vaurensis, utriusque juris doctor, qui obiit die ultima Madii (Maii) 1514, cujus anima requiescat in pace. Amen.* Ad lævam pedi pontificii mitræque cernitur baculus præpositi cum effigie S. Stephani. Memoratur anno 1680 in decreto Caroli *le Goux de la Berchere* episcopi Vaurensis, tanquam autor statutorum quorumdam quæ ad modum formamque percipiendorum a canonicis præbendæ suæ fructuum spectabant, quæque ibidem renovantur, ut videbitur infra, ubi de Carolo.

E

DE BEAU-SOLEIL.

XIX. SIMON.

Post mortem præcedentis Petri Simon de Bello-sole in decretis licentiatus, præpositus Vaurensis, archidiaconus major in ecclesia Narbonensi & abbas Montis-olivi, ætatis suæ *Tom. VI col. 1001.*
anno 81, 6 Junii 1514 (alias 6 Martii 1515) 1515.
electus episcopus æmulum habuit Julium cardinalem Medicæum a Leone X patruo suo, consentiente, quin & rogante Francisco I rege, ad cathedram Vaurensem evectum. Simon vero a canonicis electus fuerat, atque ex arbitrorum

ANNI CHRISTI

1522. sententia tandem prævaluit. Solemni apparatu Tolosam ingredienti 15 Martii 1522 Dominica *Lætare* Johanni Aurelianensi de Partheniaco seu de Longa-villa comes adsuit Simon Vaurensis una cum Philippo *de Levis* Mirapicensi, Johanne de Pratis Montalbanensi, Bernardo Appamiensi & Laurentio *Allemanni* Gratianopolitano episcopis. Multa ecclesiæ suæ bona largitus est, chorum ecclesiæ cathedralis construxit aut reparavit, organa fecit, capellam B. Mariæ in Sole seu de Sole fundavit anno 1529, aliaque bene multa quæ in Vaurensi obituum libro enumerantur. Gravis annis episcopatum abdicavit anno 1523 aut 1525, 1523.
1525. ambas enim epochas ferunt chartæ nostræ. Obiit plenus dierum centenario proximus anno 1531, 24 Julii, aiunt schedæ nostræ, Junii autem, si fides necrologio Vaurensi, in quo de hoc præsule sic habetur: *XXIV Junii obitus reverendi in Christo patris D. Simonis de Bello-sole quondam Vaurensis episcopi fundatus per venerabilem D. Johannem de Bello-sole canonicum & archidiaconum ecclesiæ Vaurensis, nepotem & heredem dicti reverendi patris, qui ex hac luce migravit plenus dierum, centum videlicet annorum & operibus bonis, prout insignia solis demonstrant in choro, organis & capis & per totam ecclesiam.*

BUXI.

XX. PETRUS V.

Filius Antonii in senatu Tolosano consiliarii Petrus *Buxi* aut *de Buxi*, per resignationem superioris cathedram episcopalem ascendit 19 Septemb. anni 1525, aut ipso anno 1523, quo Simonem episcopatu cessisse vult Johannes Columbi. Petrum ecclesiæ Tolosanæ sancti Stephani præpositum fuisse docet Guillelmus *de Catel* in commentariis. Obiit Tolosæ die
1526. penultima Octobris an. 1526.

DE SELVE,

XXI. GEORGIUS.

Annum agens ætatis octavum & decimum Georgius de Selva fit administrator, ut loquuntur, in spiritualibus & temporalibus Vaurensis episcopatus anno Christi 1526, & ungitur in episcopum anno ætatis 26, Christi
1534. 1534. Hic vir Johannis in Parisiensi senatu protopræsidis filius magnum sibi nomen peperit pietate, sapientia, scientia, eloquentia rebusque demum gestis. A rege legatus ivit Romam, Venetias & ad Carolum imperatorem in Germaniam. Gallice reddidit Plutarchum de Romanorum aliquot Græcorumque vitis. Proprio marte scripsit etiam gallico idiomate concionem ad suos Vaurenses de Baptismo & Confirmatione & alia ejusmodi opuscula spiritualia; nempe rationem qua vir a principe in dignitate constitutus felicitatem possit & temporalem servare & parare æternam; &, quo constituenda modo sit pax inter Germanorum imperatorem & Francorum regem. Eodem anno 1534 Georgii vicarius capita quædam in lucem emisit, quæ in synodo sanciverat ad

ANNI CHRISTI

A pie sancteque administrandas res ecclesiæ. Anno 1538 Soricinii initiavit clericos sacris ordinibus. Testamentum condidit 19 Martii 1538.
an. 1541 (1542) eodemque supremum diem 1541.
obiit die 12 mensis Aprilis ex funerali Vau- 1542.
rensium canonicorum libro, & sancte quidem illum obiit, nam ferunt etiam a morte aliqua ejus interventu perpetrata fuisse, quibus ostenderetur se apud beatos in cœlis vivere. Hæc autem de eo refert Johannes Columbi: cum essem, inquit, Vauri an. 1654 memini me audire a Vaurensi præposito, caput ejus visum in multo lumine post apertum conditorium,
B in quod inserre cogitabant cadaver Claudii *du Vergier* episcopi; dentem vero ex ejus maxilla per humationem Petri *de Mareuil* etiam episcopi erutum pepulisse magno portento febrem a plurimorum hominum corporibus. Atque hæc eo fidentius dico, addit idem, quod nemo Vaurensium nescit & omnia virtutum decora per vitam tulisse & præcipua in pauperes ac egenos charitate fulsisse. Unde & ab aliis fando accepi & a Vaurensi illo præposito memorato, cum nihil frumenti in magna annonæ sterilitate, quod egentibus præterea erogaret, superesset in ejus granario,
C illud & quidem optimo suis complesse precibus. Ejus insuper cum elogio meminere Raymundus Rufus in responsione ad Molinæum pro sacro concilio Tridentino, & Antonius Verderius in bibliotheca. Petrus Bunellus vir doctus epistola scripta ad Petrum Danesium anno 1541 (1542) quo decessit Georgius, de eodem sic loquitur: « Angebar, mi Danesi, ereptum nobis antistitem, in quo veterum « patrum sanctitatem illam minime fucatam « posses dignoscere. Primum senatus Venetus, « deinde Romanus pontifex, ad extremum « Cæsar ad quos eum rex Franciscus I de rebus «
D maximis legaverat, ejus excellentem virtutem, « maximum rerum humanarum usum summamque in eis administrandi prudentiam sunt « admirati: » & epistol. ad Petrum Fabrum supplicum libellorum magistrum: « Cave enim putes, inquit, probitate, eruditione, rerum « administratione, prudentia, comitate, humanitate ullum hac nostra ætate, quem omni « virtutum laude huic præferre queas. » Sepultus est Vauri.

Sanmarthani in episcopis Vaurens.

XXII. PETRUS VI.

DE MAREUIL.

E Georgio successit in episcopatu Vaurensi Petrus *de Mareuil* aut *de Marveil* protonotarius apostolicus, Brantolmiensis apud Petragoricenses & Cellæ Trecensis abbas. Anno 1544 1544.
nescio quod sacerdotium contulisse dicitur in Vaurensium canonicorum chartis, in quibus sedisse legitur annis 1545, 1555 & 1556. 1545.
Publicis universi regni comitiis intersuisse 1555.
eum docet Tillius anno 1557 Henrico reg- 1556.
nante, & eodem anno moritur. Attamen 1557.
notatur dies ejus obitus apud Sanmarthanos, nosque ipsos in recensione abbatum Brantolmiensis cœnobii 20 (alias 2) Martii anni 1556.

Tom. II. part. II. col. 1494.

1556. Ubi etiam in basilica Brantolmiensi A
ante majus altare sepultus dicitur.

DANÉS. XXIII. PETRUS VII.

Ex primo linguæ græcæ regio professore
in Academia Parisiensi, doctore Navarræo &
Delphini Franciæ præceptore ecclesiæ Vau-
rensi præficitur Petrus Danesius Parisinus anno
1557. Francisci I regis orator missus ad
concilium Tridentinum, ut erat doctissimus
& facundia præpollens, in decus regni, regum
atque ecclesiæ Gallicanæ laudem summam
diserto sermone peroraverat coram Patribus
anno 1546, nondum episcopus, ut autor est B
Spondanus in Annalibus, cujus oratio edita
est Lovanii inter acta concilii anno 1567.
Patronum habuit & Mæcenatem cardinalem
Turnonium, cujus alumnus dicitur Galliæ
purpuratæ pag. 581, ejusque symbolum seu
emblema, quod erat manna e nubibus depluens
& ambabus manibus susceptum, cum hoc divi
Pauli lemmate, *non quæ super terram*, sibi
proprium fecerat. Ejus vitam paucis sed eleganti
elogio contraxit Scævola Sanmarthanus, ex
quo hic apposito facile noscatur qui vir fuerit
Petrus. « Nemo ex his, inquit, qui aureo
» Francisci I seculo bonis artibus in lucem revo- C
» candis operam dedere, majores utriusque lin-
» guæ facultates cumulavit, quam Petrus Dane-
» sius claro inter suos loco Lutetiæ natus & a
» summis præceptoribus Jano Lascare Guillel-
» moque Budæo non vulgariter instructus. Neque
» enim in illa doctorum penuria illustres adeo
» viri juvenibus egregiis & magna de se polli-
» centibus pium docendi officium interim præs-
» tare gravabantur. Huic autem ut eruditio
» maxima, sic vita longissima fuit. Jam tum
» enim vigebat, cum publici linguarum & scien-
» tiarum interpretes Lutetiæ primum a rege creati
» sunt, quorum in numero & ipse aliquantisper D
» fuit, pervenitque ad Henrici III tempora,
» nec ita multo post ejus e Polonia reditum
» ereptus est. Cumque totum illud tempus in
» optimis litteris intentissime collocarit, neque
» præter aliquot legationes tum liberas, tum
» regum jussu de Reipublicæ Christianæ rebus
» in Italia susceptas, ulla umquam occupatio
» institutum studiorum cursum retardarit, mirum
» est profecto nulla jam superesse tanti ingenii,
tamque diuturni laboris monumenta. » (Fertur
tamen autor libri de Ritibus ecclesiæ Catholicæ
in diurnis eruditorum ad annum 1700 pag. E
346, quem alii adscribunt Johanni-Stephano
Duranti in senatu Tolosano præsidi; ibidemque
dicitur vitam produxisse usque ad annos 82.)
« Quamquam & multa e græco transtulisse &
» præter epistolas orationesque plane latinas,
» eruditissima in Aristotelem scholia conscripsisse
» dicitur; sed, ut verisimile est, ex eorum editione
» decus & existimationem quærere non ad-
» modum laboravit vir doctrinæ fama satis no-
» bilis, atque ab ipsa Italia meliorum ingeniorum
» altrice ob spectatam in celeberrimo Tridenti
» concilio facundiam ingenti cum admiratione

ANNI CHRISTI

prædicatus. Certe ejus commendatio tanta fuit «
ut ab Henrico II potissimum eligeretur, qui «
Francisci filii Galliarum Delphini pueritiam «
regeret litterarumque præceptis informaret. «
Quo nomine honorifice in regiam accitus & «
Vaurensi episcopatu insuper honestatus est, «
eique dignitati ad supremam senectutem magno «
cum totius sacrati ordinis ornamento præfuit. «
Lutetiæ fato functum & in æde suburbana «
divi Germani, qui Pratensis appellatur, tumu- «
latum Gilbertus Genebrardus Hebraicæ linguæ «
professor more majorum in concione laudavit: «
ubi de eo hæc inter cætera, ab Henrico II «
Francisci II & Caroli ducis Lotharingi insti- «
tutioni præfectus, multis demum muneribus «
pro ecclesia, litteris, patria, regno, regibus «
quatuor, principibus compluribus honorifice «
in bello & pace perfunctus, octogenarius in «
Domino obdormivit anno 1577, die Aprilis «
23, hora a meridie tertia. »

Occurrit in tabulis canonicorum Vauren-
sium annis 1557 die 20 Junii ex protestatione
pro ecclesia de Campobone; nec non annis
1558 die 1 Januarii occasione canonicatus 1558.
collati in ecclesia collegiata dicta * de Capite- * Cadajoux.
jovis; item 1559, 1561 & 1562. Anno 1559.
1563 die Veneris 28 Januarii Petrus Danesius 1561.
episcopus Vaurensis & Philippus *du Bec* Vene- 1562.
tensis, postmodum Nannetensis & demum 1563.
Remensis antistes cuidam chartæ Eustachii
du Bellay episcopi Parisiensis de permutatione *Ex Johanne Columbi.*
quadam cum regina Catharina facienda, Tri-
denti factæ subscribunt. Anno 1572 sedisse 1572.
docent de S. Aignano sacerdotii collationis
tabulæ. Denique annis meritisque gravis se-
cessit in monasterium S. Germani a Pratis,
ubi feliciter expiravit die 23 Aprilis anni
1577 annos natus 80, ibidemque tumulatus 1577.
fuit in sacello sancti Casimiri prope cancellos
chori, nunc sanctuarii, ubi hodiedum circa
tumbam ejus legitur hoc epitaphium:

*Cy gist reverend pere en Dieu, messire Pierre
Danés, en son vivant évêque de Lavaur, institué
premier Lecteur royal ès Lettres greques par le
roi François I.er, & envoyé pour son Ambassadeur
au Concile de Trente, lequel décéda en la Maison
de céans le 23 Avril 1577.* Cui subjicitur
hæc epigraphe, *non quæ super terram.* Ita in
historia gallice scripta S. Germani a Pratis
a D. *Bouillard*, pag. 197.

XXIV. PETRUS VIII. DU FAUR.

Petrus *du Faur*, alias *Faure*, quem latine
aliqui Fabrum appellant, ex magno, ut lo-
quuntur, Tolosæ archidiacono, vicarioque
Georgii Armeniaci Tolosani archiepiscopi
electus in episcopum nunquam Vaurum adiit,
neque in Vaurensis ecclesiæ possessionem ali-
quando immissus est. Anno 1577 a rege in
antistitem postulatus summi pontificis litteras
seu bullas anno dumtaxat 1581 accepit, quibus 1581.
dicebatur episcopus. Sed cum jam annos
quinque haberet Vauri œconomum, qui res
fructusque episcopii colligeret, senio gravis

ANNI CHRISTI

1582. ante 3 mensis Septemb. diem, sed incerto anno 1581, aut 1582, vel etiam 1583, in ipso, ut ita dicam, episcopatus limine occubuit. Petro *du Faur* domino de Pibraco Tolosano præside & Gaufrida *Douce* parentibus genitus fratres quatuor habuit celeberrimos, Ludovicum in Tolosana curia consiliarium regium & Navarræum cancellarium, Arnaldum Pujolii dominum, Carolum Tolosæ in regia præsidem curia, & Guidonem illum natu minorem Parisiensem præsidem scientia, sapientia, rebusque pro regibus nostris patriaque Tridenti maxime & in Polonia gestis clarissimum.

DE BIRAGUE.

XXV. Horatius.

Salutiensis Sanmarthanis, Mediolani autem natus ex Johanne Columbi Horatius parentes habuit Hieronymum *de Birague* equitem sancti Michaëlis & Ludovicam Avoyadio secundam uxorem: ex priore etenim Margarita Tersagna orti erant Pompeius abbas sancti Vincentii Mediolanensis & Ludovicus abbas Flaviniacensis in Burgundia. Patruum habuit Renatum, qui & Franciæ cancellarius & S. R. E. cardinalis fuit, cujus & gratia Vaurensem episcopatum adeptus creditur, quem annis 1584, 1593, 1594, 1598 & 1599 tenuisse memorant Vaurenses canonicorum tabulæ. Bullas
1583. impetravit XI cal. Decembris anno 1583 a Gregorio XIII. Regi fidem juravit 5 Februarii
1584. 1584. Multus in Italia Romaque. Fertur hoc antistite vineam laudatissimi feracem vini nomine Ramusiiam (vulgus appellat *Ruine*) restitutam episcopatui; puto per barbarum & Vaurensi ecclesiæ funestum ab hæreticis tumultum ab eo ereptam ab aliis ad alios per bene longum tempus dominos transiisse. Horatius synodo provinciali Tolosanæ interfuit
1590. anno 1590, & extremam diem obiit Vauri
1601. anno 1601, die 26 Februarii.

DU VERGIER.

XXVI. Claudius.

Claudius *du Vergier* Biturix ex Tolosano senatore, Carolo *de Harlay*, qui a rege postulatus fuerat, alia omnia cogitante, demumque cedente, Parisiis consecratur episcopus Vau-
1606. rensis anno 1606 die 6 mensis Julii in abbatia S. Germani a Pratis per Leonardum *de Trappes* Auxitanum archiepiscopum, adstantibus Christophoro *de l'Estang* Carcassonensi & Johanne *Bertier* Rivensi episcopis. Eo sedente Capucini constituuntur Vauri mense
1617. Januario anno 1617. Interfuit comitiis cleri
1626. Gallicani an. 1626 Parisiis celebratis. Moritur
1636. an. 1636 die 25 Martii & sepelitur Vauri.

D'ABRA DE RACONIS.

XXVII. Carolus-Franciscus.

Parentibus nobilibus & Calvinianis in vico de Raconis diœcesis Carnotensis satus Carolus-Franciscus cognitum statim hæresis venenum evomuit, litterasque edoctus in Academia Parisiensi, ibidem per sex annos & summa cum laude philosophiam professus est. Anno

A 1616 inter socios regiæ Navarræ admissus, sequenti commentarios suos in Aristotelem publici juris fecit. Eodem duos Petri Molinæi tractatus plenissime confutavit, respondítque quatuor * ministris Carentoniensibus, contra quos scripsit etiam frater ejus pater Angelus de Raconis Capucinus. Anno 1618 laurea doctoris Theologi insignitus, paulo post in regium concionatorem & eleemosynarium assumitus, mox in scholis Navarræis theologicis institutionibus præficitur, verbi Divini simul præco in diversis ecclesiis, operaque sua theologica in lucem edidit. Cum igitur exemplo
B sermones firmaret, episcopus Vaurensis designatur anno 1637, neque tamen ante 22 Maii 1637.
1639 inauguratur Lutetiæ in sacello collegii 1639.
Navarrici a Dominico *Seguier* Meldensi antistite, præsentibus Biturigum & Turonum archiepiscopis aliisque præsulibus. Plebem suam adiit doctisque præceptis ac piis documentis aluisse fertur, sed brevioris commorationis insimulatur, imo & importati sibi, quibus nescitur factis, Vaurensium, dum ibi degeret, odii. Unde Parisios regressus, ubi funebri oratione parentavit Ludovico XIII in æde Oratorii Domini Jesu an. 1643, nusquam 1643.
C amplius in diœcesi sua visus est. Mense Martio anni 1644 theologos consuluisse fertur an 1644.
resignare posset episcopatum suum in favorem *N. Bourlon* doctoris theologi sub annua pensione duorum trientium. Denique dum opus parat adversus Jansenium & autorem libri gallice inscripti *de la fréquente Communion*, atque in domum suam de Raconis otium & tempus labori & studio impensurus secedit, ibidem moritur 16 Julii anni 1646, sepe- 1646.
liturque in ecclesia S. Blasii *de Hauleu*. Plurima scripsit per triginta annos ferme continuos. In iis totius philosophiæ cursum latino idio-
D mate, cui varia inseruit præcepta moralia ad usum concionatorum. Hæc Parisiis edita annis 1617, 1625, 1632 & 1646; Physicam & Metaphysicam in-8.° Parisiis an. 1624, 1634 & 1646. Tum gallice quæ sequuntur, prout ea tituli exhibent, scilicet *Réponse aux quatre ministres & à deux Écrits de Pierre Moulin*, Parisiis 1617, ubi quæstiones agitat autor graves & magni momenti. *Le Triomphe de la vérité* an. 1618. *La confession de foi des Ministres* duobus voluminibus annis 1620 & 1621. *Lettres spirituelles & instructives pour tendre à*
E *la perfection, avec un discours du désordre du corps & de l'esprit, & les remèdes*, Paris. 1631. *Riches & excellens parallèles entre Dieu & l'ame le prototype de son image, prêchés à Paris à Saint André-des-Arcs l'an 1622, & imprimés en 1625. Examen & jugement du livre de la fréquente Communion*, cui subjunxit tractatum *du Directeur solide & apostolique, pour opposer au Directeur visionaire de nos nouveaux Prophètes*, Parisiis 1644. *Briève anatomie du libelle anonyme intitulé, Réponse au Livre de M. l'évêque de Lavaur, 1645. La primauté & souveraineté singulière de Saint Pierre, prouvée par l'Écriture,*

* Durand, Montigny, Mestrezat, Pierre Dumoulin.

ANNI CHRISTI

les Conciles, les Pères & les Papes, in-4.° Parisf. 1645. *Traité de l'ame unie & séparée du corps. Continuation des examens de la doctrine de l'abbé de Saint-Cyran & de sa cabale*, in-4.° Parisiis 1645. &c. &c. quæ omnia recenset noster D. *Duliron* in sua bibliotheca Carnutena. Non omittendum tamen occasione hujus præsulis & ei a D. *Duliron* attributorum in sua bibliotheca, quæ quidem in duos plane diversos homines rectius caderent, quæsitum ab Anonymo in quadam epistola sub nomine Consiliarii Blesensis ad canonicum, quibus argumentis & rationibus constarent quæ in hunc episcopum Vaurensem congesserat, & quare hunc præsulem contrariis adeo coloribus depinxisset, nihilque ab eo super ea re responsum aut prolatum. Vide ibidem & eruditorum diarium ad diem Lunæ 26 Februarii 1720, pag. 139.

DE TULLES.

XXVIII. Johannes-Vincentius.

Ex nobili familia Tullorum in Provincia satus Johannes-Vincentius, abbas B. Mariæ de Longis in Neustria Bajocensis, S. Eusebii Aptensis & Blancæ-landæ Constantiensis diœceseon, in coadjutorem patrui Johannis Arausicani episcopi consecratur Romæ in basilica S. Petri, Urbano VIII pontifice, sub titulo Diocleani episcopi fer. 2 post Pascha an. 1637, & defuncto die 3 Octobris anni 1640 eidem patruo succedit. Suorum more antecessorum ac gentilium multis exantlatis laboribus pro fidei Catholicæ defensione adversus hæreticos, nec sine vitæ periculo, cum sex annos consumpsisset in episcopatus Arausicani regimine, ubi prodiit ejus elogium anno 1642, autore Francisco Villarmino, ad sedem Vaurensem translatus est 30 Octob. an. 1646; quo desinente comes a rege delectus fuit Ludovicæ-Mariæ Gonsagæ Poloniæ reginæ, dum in Sarmatiam proficisceretur. Obiit Pa-
1668. risiis 3 vel 4 Decemb. anni 1668, sepultusque est in ecclesia Fuliensium.

Post hunc designatus a rege die 16 Aprilis
1669. 1669 Ludovicus *d'Anglure de Bourlemont* Rotæ auditor in curia Romana per annos 22, cum prius recusasset episcopatum Tornacensem, recusavit & Vaurensem: tum anno 1679 mense Martio regia nominatione vocatus ad sedem Foro-juliensem & pro hac ecclesia consecratus eodem anno Romæ, sed nondum inita possessione transfertur mense Januario anni 1680 ad Carcassonensem ecclesiam, eodemque anno ad metropolim Burdigalensem, ubi obiit die 9 Novemb. an. 1697.

AMELOT.

XXIX. Michael.

Primum senator in Parlamento Parisiensi Michaël *Amelot de Gournay*, quo posteriori cognomine appellatum eum lego in quibusdam schedis, tum abbas Vadi-Alneti & S. Carilefi diœcesis Cenomanensis, canonicus etiam & archidiaconus ecclesiæ Carnotensis nominatus a rege Vaurensis episcopus bullas accepit anno
1671. 1671, inauguratusque fuit 23 Junii ejusdem

A anni ab archiepiscopo Parisiensi in æde sacra monialium Visitationis, assistentibus episcopis Cabilonensi & antiquo Constantiensi. Postea anno 1673, 16 Januarii translatus fuit ad sedem Turonensem, ubi de eo rursus dicendum nobis erit.

Post hunc a rege nominati episcopatum recusarunt Bernardus *de Ruzé* canonicus Parisiensis,

Johannes-Baptista-Michaël *Colbert* factus postea episcopus Montalbanensis,

Atque Sebastianus *de Gaymadeu* aut *de Guemadec*, qui cum acceptasset, mox vacantem
B sedem Macloviensem prætulit Vaurensi, quorum sic renitentium in locum regia nominatione suffectus est sequens:

XXX. Renatus

LE SAUVAGE.

Natus Grandi-villæ Renatus in diœcesi Constantiensi, doctor Sorbonicus, cum abbas S. Petri Belli-locensis jam esset a 12 Octob. anni 1664, ejusque abbatiæ possessionem adeptus esset procuratorio nomine die 2 Febr. an. 1665 Vaurensis episcopus renuntiatus est die 28 Aprilis an. 1673, urbemque epis- 1673.
copalem solemniter ingressus est 21 Februarii
C 1675. Ultimo testamento acto apud Montem- 1675.
pessulanum 22 Martii 1677, cujus exemplar juridice transumptum vidit noster D. Jacobus *Boyer*, universales suos instituit heredes pauperes suæ diœceseos pius præsul, legavit capellam, ut vocant, & ornamenta sua ecclesiæ cathedrali, in qua sepeliri vult absque ulla pompa funebri. Cessit etiam pauperibus ab abbatia S. Petri de Bello-loco dependentibus quidquid sibi ab ipsis debebatur. Nihil dedit consanguineis. Obiit 17 Maii an. 1677.

XXXI. Carolus.

LE GOUX DE LA BERCHERE.

D Illustrissimum hunc præsulem de hac nostra Gallia Christiana optime meritum, quippe qui illam impensius fovit & maxime tuitus est, non semel jam attigimus, tum in Aquensibus & Albiensibus, tum in Narbonensibus archiepiscopis, ubi præclaras ejus dotes & genus apud Burgundiones clarissimum simul & antiquissimum, quod & militaris & togata nobilitas commendat, inclytosque ipsius parentes celebravimus. Is ergo jam ab anno 1674 doctorali laurea in Parisiensi Facultate decoratus regi Ludovico XIV fuit ab eleemosynis, cujus deinde oculatissimi principis gratia Vaurensem
E primum adeptus est episcopatum 18 Junii
1677, inauguratusque est die 12 Aprilis anno 1677.
1678 in ecclesia S. Ludovici Jesuitarum ab 1678.
archiepiscopo Parisiensi, collaborantibus Montalbanensi & Cabilonensi episcopis. Ecclesiam suam solemni pompa ingressus est 18 Octob. 1678, quam per septem annos providentissime administravit, conditis inter alia post visitatam ecclesiam cathedralem optimis saluberrimisque statutis in 46 articulos distributis, in quibus quæ ad cultum divinum, res sacras, ædicularum ornatum, divini officii celebrationem,

Tom. I. coll. 41, 42, 340. Tom. VI. coll. 123, 124.

ANNI CHRISTI

præsentiam & percipiendorum fructuum modum spectant stricte & sancte præscribit. Anno
1685. 1685, 12 Novembris Aquisextiensis archiepiscopus designatur, & Albiensis mense Januario 1687, quam ecclesiam pro Narbonensi postea commutavit, post extinctum cardinalem Bonzium, nominatus a rege 15 Augusti anni 1703. Hanc ultimam rexit eadem, qua priores, sapientia & vigilantia usque ad annum 1719, quo diem supremum clausit die 2 Junii. Corpus ejus sepultum est in sacello S. Caroli in basilica metropolitana.

5 Spiritus *Flechier* post translatum Carolum-Franciscum ad sedem Aquisextiensem Vaurensis quidem episcopus designatur die 12 Novemb. an. 1685. Qui bullis non acceptis, nec possessione indepta promovetur ad ecclesiam Nemausensem mense Augusto 1687, ubi quæ ad eum spectant fusius vide tom VI, coll. 463, 464; ut & tom. II, coll. 1119 & 1349, in quibus de eodem mentio injicitur. Eum itaque Vaurenses inter pontifices recensendum non duximus, & ejus loco stabit sequens:

XXXII. Victor-Augustinus.

DE MAILLY.

Assumpto, ut diximus, superiori ad sedem Nemausensem priusquam pro Vaurensi diploma pontificium suscepisset nominatus est schedula regia Vaurensis episcopus Victor-Augustinus *de Mailly* S. Victoris Parisiensis canonicus regularis & prior iisdem die & anno, quibus Spiritus *Flechier* Nemausensis episcopus renun-
1687. tiatus fuit, nempe 14 Augusti anni 1687, quo nomine adfuit comitiis cleri Gallicani
1688. anno 1688 habitis. Romæ proclamatus 13
1692. Octob. anni 1692, bullisque receptis inunctus est sacro Chrismate die 16 Novemb. sequente in ecclesia abbatiali S. Victoris Parisiensis ab episcopo Vivariensi Carolo-Antonio *de la Garde de Chambonas* consecratore, Ecclesiæ suæ possessionem adeptus est 21 Januarii
1693. 1693. Frater erat Victor-Augustinus Francisci *de Mailly* Arelatensis primum, tum Remensis archipræsulis & cardinalis. Obiit apud Montempessulanum intra provinciæ comitia generalia, quibus præsens aderat die 23 Decemb. anni 1712. 1712.

XXXIII. Nicolaus.

DE MALEZIEU.

Nominatus a rege Nicolaus 22 Aprilis 1713 consecratur in ecclesia *de Chastenay* 1713. ab episcopo Suessionensi Fabio *Brulart de Sillery*, assistentibus Mimatensi & Noviomensi episcopis die 22 Octob. ejusdem anni. Adstitit comitiis generalibus cleri Gallicani 25 Octob. anni 1715 inceptis. Anno 1731, die 1 1715.
Septemb. sacrum solemne celebravit in ponti- 1731.
ficalibus apud S. Dionysium pro anniversario Ludovici XIV. Obiit in sua diœcesi die 14 Martii anni 1748 natus annos 76.

XXXIV. Johannes-Baptista-Josephus.

DE FONTANGES.

Nobilis Arvernus S. Flori Johannes-Baptista-Josephus natus anno 1718, & antea decanus 1748.
Aureliacensis ac canonicus & comes Brivatensis, Vaurensis episcopus renuntiatur mense Junio anni 1748, consecratur 12 Decemb. regique fidem dixit 24 eorumdem mensis & anni. E vivis excessit in sua diœcesi die 8 Novembris anni 1764, ætatis suæ 46.

XXXV. Johannes de Deo-Raimundus.

DE BOISGELIN DE CUCÉ.

Johannes de Deo-Raimundus in diœcesi Rhedonensi natus anno 1730 doctor & olim Sorbonæ prior, vicarius generalis archiepiscopi Rothomagensis apud Pontisaram, nominatus a rege Vaurensis episcopus & consecratus 28 Aprilis anno 1765, ad archiepiscopatum Aquensem translatus est anno 1770.

XXXVI. Johannes-Antonius.

DE CASTELLANE.

Ortus in diœcesi Tricastinensi Johannes-Antonius, Carnotensis episcopi vicarius generalis, dictus est a rege episcopus an. 1770. Abbatia Bullencuriæ fruitur ab anno 1761.

PRÆPOSITI VAURENSES.

I. Sicardus Fabri primus præpositus ex libro funerali Vaurensis ecclesiæ, in quo sic legitur: *9 Junii obitus domni Sicardi quondam primi præpositi ecclesiæ cathedralis Vaurensis.*

II. Raymundus Costa præpositus Vaurensis anno 1323.

III. Guillelmus Amici præpositus Vaurensis, canonicus Conseranensis & Ruthenensis, vicarius generalis domni episcopi, & tandem episcopus Aptensis, tum patriarcha Jerosolymitanus, de quo sic necrologium: *29 Aprilis obitus Guillelmi Amici quondam præpositi ac patriarchæ Jerosolymitani, sanctimonia insignis apud Montem-pessulanum decessit, 1.° sepultus in ecclesia Carmelitarum, deferendus postea Lemovicas in ecclesia S. Thomæ.*

IV. Pontius de Bello-forti ex canonico præpositus, licentiatus in legibus an. 1345, 1346; anno 1363 granerium capituli quod est in claustro fuit ædificatum tempore Pontii de Bello-forti qui præerat adhuc anno 1375, quo a summo pontifice lata est sententia super modo & forma distributionum inter omnes beneficiales in ecclesia Vaurensi.

V. Arnaldus Bellasocii anno 1405 in electione domni Petri de Ussaco, & 1407. Præerat jam capitulo Vaurensi an. 1394.

VI. Joannes Laberia in electione episcopi.

VII. Petrus Gardesii de quo necrologium 4 Martii præpositus an. 1420. Anno 1421 18 Februarii dedit unum pulchrum breviarium ad usum sancti Stephani, item psalterium, item librum septem psalmos cum officio

defunctorum continentem, item unam pulchram bibliam quæ constitit 61 scuta, quæ est in libraria

VIII. Armandus de Fano, vulgo *de Fa*, 1429, 1430, de quo liber funeralium; *19 Februarii obitus D. Armandi* de Fans *præpositi ecclesiæ Vaurensis.*

IX. Joannes Laymaria anno 1441 in sententia Joannis Bocherii episcopi Vaurensis de collatione præbendarum ad turnum inter canonicos. Obiit Tolosæ die 28 Aprilis anno 1450, sepultus in ecclesia *de la Dalbade*. Jam præpositus occurrit anno 1440 in instrumento Vaurensi.

X. Joannes de Bello-sole electus an. 1450, 7 Maii, ex canonico Narbonensi & sacrista, in decretis licentiatus & in legibus baccalaureus, de Brigolio Lemovicæ provinciæ oriundus, electus est in episcopum Vaurensem an. 1458, 22 Novembris. Anno 1484, die 9 Novemb. testamentum condidit in quo Simonem de Bello-sole fratrem suum canonicum Narbonensem & Vaurensem heredem fecit. Obiit eo anno 19 ejusdem mensis, sepultus in capella Purgatorii.

XI. Simon de Bello-sole in decretis licentiatus, canonicus Narbonensis & succentor, præpositus Vaurensis an. 1485, 1497. Anno 1500 dicitur etiam abbas Montis-olivi, anno 1510 major archidiaconus Narbonensis, anno 1491 die 24 Augusti fundavit officium & festum septem gaudiorum principalium beatæ Mariæ Virginis, cum solemni pulsatione campanarum, cum processione solemni in die cum cappis, die ultima Augusti in præsenti ecclesia perpetuis temporibus celebrandum & solemnisandum.

XII. Petrus Champagnaci ex archidiacono Vaurensi præpositus, de quo necrologium: *Obitus solemnis venerabilis viri domini Petri Champanhaci quondam canonici & archidiaconi ecclesiæ præsentis, qui obiit 17 Augusti anno Domini 1522, & corpus ejus fuit ecclesiasticæ sepulturæ traditum in capella S. Marthæ.*

XIII. Matthæus Falgueyraci de præpositura cum sequenti diu contendit.

XIV. Joannes Maffredus de Vicinis abbas Galliaci & decanus Montis-albani præposituram obtinuit, contendente Matthæo *Falgeyrac* Lemovicensi; testamentum condidit anno 1549, in quo sibi constituit heredem nepotem suum Franciscum *de Voysin* dominum *d'Ambres*. Obiit eodem anno 17 Julii, sepultus in ecclesia cathedrali in navi ante corpus Christi.

XV. Michaël Maurelli rector Bastidæ sancti Amantii Vallis-toreti, vicarius generalis Petri *de Marcuil* 1555.

XVI. Simon *de Sortes* Michaëli successit.

XVII. Petrus *du Mas* circa annum 1600. Obiit die octava Augusti 1605, & die sequenti sepultus ex necrologio.

XVIII. Martialis *de Panis* Lemovicensis.

XIX. Franciscus *Durand* nepos ex matre Claudii episcopi Vaurensis, huic successit

XX. Emmanuel *du Vergier* ejusdem episcopi nepos ex patre.

XXI. Antonius *d'Agues* ex archidiacono præpositus Vaurensis, cui successit

XXII. Elzear *de Chalamel* oriundus *de Montelimar*, ex canonico Arausicano archidiaconus & canonicus Vaurensis, postea præpositus præposituram fratri natu majori cessit, postea decanus *de Montelimar* cujus ecclesiæ antea sacrista fuerat.

XXIII. Joannes-Ludovicus *de Chalamel* resignavit sequenti.

XXIV. Franciscus *de Montesquiou* per resignationem Joannis-Ludovici. Obiit Vauri die 27 Maii sepultus in cathedrali an. 1693; successit

XXV. Franciscus *de Mailly* Parisiensis, frater domni Victoris-Augustini *de Mailly* episcopi Vaurensis, postea Arelatensis archiepiscopus, deinde translatus ad Remensem.

XXVI. Germanus *Branques* Vaurensis electus ab episcopo & capitulo die Mercurii 17 Augusti 1695.

Unica est Abbatia in diœcesi Vaurensi.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Soricinium, *Soreze*.

SORICINIUM.

SORICINIUM, vel ut veteres dicebant, Suricinium Tolosani pagi monasterium a Sora, vel Sorore fluviolo, cui conjungitur, nomen accepit, B. Mariæ de *Sanha*, nunc de pace dictum a nonnullis; tametsi Soricinii vocabulum, expunctis Soregio & Sorecio per errorem inductis passim retinuit. Porro Valesium quis ferat in notitia Galliarum dicentem a Soricum copia Soricinium nomen accepisse?

Situm est in ea pagi Tolosani parte quam occupat Vaurensis diœcesis, juxta castrum quod dicitur Verdunus, jam excisum, ad Cemani seu Nigri-montis radices, a quibus initium sumit amœnissima sex amplius leucarum planities, quæ tota pellucidis aquarum decursibus irrigua, dives pascuis & frugiferis arboribus consita gratissimum præbet aspectum, nec ulli forsan soli ubertate cederet, si furentium ventorum Austri in primis acrius urentis, flatus acerbos minus pateretur. Id docet vetus inscriptio prostrati muri parietinis eruta seculo proxime elapso, sic ferens:

Soricini laudes cantemus musæ callentes
Omnibus anteit ejus ager, nisi flatu venti

Rigidi australis lædantur fructus amœni.
Ibi magnus abbas præsidet religiosis.
Cemeni montes vallant ejus mœnia.
Fruges ibi formosæ, nymphæ nive candidiores.
Nomen dat urbi Soror amnis agros irrigans.
Ibi plantatur alba vitis, nigra relicta.
Urbs antiqua gaudet rege Pippino fundata.
Manet in ævum urbs lanifica felix.

Loci conditor est, aiunt, Pippinus Francorum vel Aquitanorum rex. Sed quis demum ille? Pippinum Caroli M. parentem anno 754 Soricinio natales indidisse ferunt quotquot hactenus de Soricinii origine scripserunt. Ut ita sentirent fecit vulgatum Pippini regis nomine præceptum de hujusce monasterii conditione, quod illi, nominis errore decepti, Pippino secundæ regum stirpis auctori tribuerunt, cum apertis indiciis ejus pronepoti Pippino regi Aquitanorum, seu Ludovico Pio filii mox creati regis nomen usurpanti, conveniat. Id inficiabitur nemo, qui præceptum ipsum ad veritatis & historiæ leges attentius exegerit; sic enim incipit: *In nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi Pippinus gratia Dei rex:* quæ formula, uti probatum alias auctore Ludovico Pio primum inducta, Pippino quoque filio, fuit in usu: & sane Pippinus Caroli M. parens diplomatibus suis hoc initium, *Pippinus rex Francorum vir inluster* præfigere solebat; unde tota diplomatis series Ludovici Augusti non Pippini senioris ævum sapit, uti præceptorum formulas attendenti liquido constabit. Subscriptio talis est: *Signum Pippini gloriosissimi regis. Johannes diaconus ad vicem Dagni* (vel Siagrii) *recognovit. Datum VII kal. Sept. anno Christo propitio II domni Pippini regis, indictione VII. Actum Aquisgrani palatio regio &c.* Vetus exemplum in Soricinensi chartario descriptum annum Ludoviciani imperii septimum anno Pippini regis secundo pro more præmittit, quod unum stabiliendæ, quam investigamus, epochæ, debet sufficere. Sed ut abfuisse velis hanc formulæ partem, quis nescit Pippinum Caroli M. Patrem hoc fere modo diplomata clausisse: *Signum ✠ inlustris viri domni & gloriosissimi Pippini regis. Widmarus jussus recognovit. Data anno III regni nostri.* Vel ut habet aliud libri VI de re diplomatica præceptum: *Signum ✠ gloriosissimo domino Pippino rege. Ejus jussu recognovit & subscripsit &c.* qui subscribendi modus ab alio totus differt. Præterea indictionem nec Pippinus senior, imo nec Carolus M. ante adeptum imperium in præceptis adhibuerunt. Et porro vitiosa est illa quam Soriciniani diplomatis exemplum subtexuit. Denique anno regni secundo Pippinus senior in Aquisgranensi palatio, ubi datum pro Soricinio diploma, minime versabatur VII cal. Septemb. cum ejusdem anni V cal. Aug. a Stephano papa fuerit unctus in Dionysiano prope Lutetiam monasterio, moxque summa celeritate Moriennam contenderit, uti Francorum annales aliaque documenta testantur.

Charta I, col. 263.

Sed qui fieri potuit, reponet aliquis, ut anno Ludoviciani imperii septimo, Christi 820, Pippinus Soricinium construxerit, quod ante triennium, nempe anno 817 Ludovicus Augustus in eorum recensuit cœnobiorum numero, quæ solas orationes regi pendere tenebantur? Et id quidem invicte probat, ut indictionem, sic Ludoviciani annum imperii vitiatum fuisse in exemplis quæ multa post secula posteri descripsere: cum apographum quo usus est in editione sua U. C. Stephanus Baluzius, de Ludovici imperatoris annis sileat omnino, quos tamen relicta Soricinii exempla continent. Itaque nihil impedit quominus anno 817, priusquam Ludovicus constitutum ederet de stipendiis & orationibus a monasteriis aliquot regi pendendis, de construendo id est restituendo Soricinio præceptum emiserit, quod, uti principio solebat, Pippini filii sui non ita pridem creati regis Aquitanorum, nomine voluerit inscribi: quemadmodum sequenti anno villam de Blesentia & quasdam alias cum ecclesiis in pago Ausciensi positis concessit, ut docent cellæ Medulfi tabulæ, quas infra delibabimus.

Ne quis vero mihi constructionis verbum pro restitutione usurpanti succenseat, lectorem monitum velim Carolinis non solum regibus, sed etiam ejus ævi scriptoribus regiis usu venisse ut monasteria per Carolum M. Ludovicum Pium ejusque filios meliorem in statum restituta, *condita* vel *constructa* dicant absolute: seu quod a Saracenis aliisve solo prostrata nullum pristinæ conditionis vestigium servassent; sive quod hic loquendi modus regiæ munificentiæ congruere magis videretur. Hujus rei non pauca vitæ illorum scriptores exempla subministrant. Hinc etsi Pippinum Caroli M. parentem Soricinii primarium autorem proferre non licet, quando quidem Pippinus aliis rebus occupatus, vix quidquam in Tolosanis partibus aggredi potuit; Soricinium tamen ipsi coætaneum, aut ætate superius fuisse vix dubitandi locus est; maxime cum ex domesticis schedis Saraceni illud seculo VIII diruisse referantur. Quid? quod ex charta cessionis Cellæ-Medulfi Soricinio subjectæ, dicitur Bertrandus abbas Ludovici Pii æqualis cœnobium instaurasse; quod antiquiorem ejus originem satis superque probat. Sed de his hactenus.

Virgini Dei-paræ dicata fuit ex Pippini diplomate basilica, quam multa post secula renovatam Carolus *de Montchal* Tolosanus archiepiscopus, præsentibus Bernardo *Despruets* S. Papuli & Nicolao *Pavillon* Electensi episcopis, anno 1642 sacravit.

Multas olim & venerabiles Sanctorum exuvias Soricinii fuisse servatas probat charta electionis Raymundi in abbatem anno 1071, quæ docet Frotarium seu Froterium Nemausensem episcopum venerabilem *multum Soricinensem ecclesiam dilexisse pro magnitudine sanctarum* Charta II, col. 264.

reliquiarum, quas ibi noverat religiose honorari. A Sed illas omnes Calviniani seculo mox elapso tripudiantes ovanteſque projecerunt in forum publicum, & in ſtruem compoſitas ſacrilegis flammis devoverunt. Earum elenchum deſcripſerat olim Sebaſtianus *de la Chambre* abbas Corbeienſis, dum Soricinii ægrotaret, ſed illius pariter ſchedæ exciderunt. Noſtrorum orbitatem ſolatus eſt Clemens X ſummus pontifex miſſis aliquorum ſanctorum Alexandri, Clari, Reſtituti atque Valerii reliquiis, quas Paulus *Sapora* loci prior anno 1675 benedictione munitas deauratis vaſculis incluſit.

In vulgatis ab eruditiſſimo Baluzio Pippini litteris cavetur ne cœnobium Soricinenſe *ullius alterius eccleſiæ juri præterquam Romanæ ſubjaceat ditioni:* quod unum ſupereſt primævæ immunitatis monumentum. Anno 1120 Callixtus II pontifex idem monaſterium ſub apoſtolica tuitione ſuſcepit, datis litteris, quæ felici caſu perduellium ignibus ſubductæ fuerunt. Hanc immunitatem cum circiter annum 1436 temerare conaretur Johannes Bocherius Vaurenſium antiſtes, jurium ſuorum invictum ſe defenſorem præbuit Johannes de Leyraco præſtantiſſimus abbas, eoque rem perduxit ut integra Soricinienſibus libertas ſervaretur.

Chart. VI, col. 266.

Jam olim a Carolinis & poſt mutatam rerum faciem a Sancii comitis Aſtaracenſis temporibus, * cella Medulſi apud Auxitanos nobiliſſima Soricinienſium ordinationi atque regimini credita fuerat; quæ ſubjectio ad annum 1330 perſeveravit. Aliis quoque cellis & eccleſiis præeſt Soricinienſis abbatia, quarum indicem eo loci ſubtexere vanum fortaſſe videretur.

* *Vulgo* Saramont.

Ut obſcura ſunt Soricinienſis monaſterii principia, ſi alium quam Pippinum Aquitanorum regem aut Ludovicum Pium autorem agnoſcunt, ſic incertum tempus quo primum a Saracenis vel Paganis ſolo æquatum eſt. Id ad ſeculum VIII referunt ſchedæ veteres, quibus tamen, ne quid diſſimulem, haud omnis conciliatur autoritas. At ſi funeſtas Saracenorum manus tunc evaſere Soricinienſes, in Paganos ſive Nortmannos, ſive Hungaros aut Saracenos ſæculis IX & X inciderunt, a quibus in fugam acti vel internecione deleti ſunt.

Quis poſt redintegratam ab Hugone Capeto rerum faciem monaſticis denuo regulis eos informarit haud liquet. Certe religione florebant quando Sancius Aſtaracenſium comes cellam Medulſi illis ordinandam regendamque commendavit. Timenda fuere poſt medium ſeculum XI diſciplinæ regularis diſpendia, cum poſt abbatis Petri mortem integro fere decennio vacavit ſedes. Unde vetus inſtrumentum ſic loquitur: *Soreccenſi eccleſiæ dextram adjutorii ſui porrigere dignatus eſt Deus, quæ cum patris orbata eſſet regimine, & quaſi mariti ſolatio mulier deſtituta per decem fere annos vidua permaneret; complacuit fratribus loci, monachis videlicet ejuſdem cænobii, ut fuſis ad Deum orationibus precarentur, quatenus ipſe qui verus fidelium conſolator eſt, talem illis permitteret abbatem eligere, qui eos ſecundum regularia præcepta ad viam veritatis ſciret erudire.* Frotarii antiſtitis conſilio proſpere ceſſit res, optimorumque votis reſpondit Raymundus in abbatem cooptatus anno 1071.

Nihil inde turbarum enaſcitur ad annum 1480, maxime vero ad annum 1509, quo poſt Florentii abbatis mortem duas in ſectas ſciſſi monachi, pars ſacriſtam, pars operarium abbatem dicit. Neutri favere rex & pontifex, qui Raymundum de Guercio Alectenſem epiſcopum hac dignitate Auxerunt. Ea potitus B eſt vir pius in Soricinienſium commoda, nam fatiſcentem ſenio baſilicam redintegravit, quam annis 1567 & præſertim 1573 Calviniſtæ totam Occitaniam ferro flammaque devaſtantes, ſemel & iterum Soricinio potiti, una cum abbatis ædibus, monachorum cellis & ædificiis diruerunt; chartas & documenta omnia ſacrilego diſſiparunt incendio, monachorum partem verterunt in fugam, alios gladiis confoſſos in puteum projecerunt. Sed audiendus qui præſens aderat oppidi Soricinienſis actuarius. *L'an du ſalut du monde 1573, & le 5 jour du mois de Juing, la ville de Soreze* C *fut prinſe par les gens de guerre du parti de la religion. Les preſtres & moynes qui furent trouvés furent meurdris ou chaſſés de leur convent, abbaye, & temples du tout raſés & detruits, parmi la ruine deſquels fut trouvé l'épigramme ci-tranſcrite:* Soricini laudes &c. ſuperius relata; *en laquelle prinſe ou autres précedentes ou ſubſequentes la pluſpart des habitans d'icelle furent meurdris, chaſſés & exilés, & les papiers, titres & documens, tant du public que des particuliers, brulés ou tellement égarés, qu'on les a tenus pour perdus.* Quin etiam ex baſilicæ parietinis profanum D fanum novatores excitarunt, adeoque monachorum rebus omnibus ſunt potiti, ut cum anno 1601 miſſi Dominici ſeu commiſſarii regii Catholicis loca ſacra reſtitui decreviſſent, non niſi poſt quatuor vel ſex annos palabundi monachi violatas in ſedes pedem referre, nec alibi quam in ſubterranea cavea ſacris operari, Calvinianorum metu ſunt auſi, donec tandem Ludovici XIII regis atque Richelii cardinalis pietate ſimul & auctoritate confirmati ſunt.

Itaque anno 1636 creato abbate Bartholomæo *Robin* Compendienſi monacho, ſplendidior lux Soricinienſibus affulſit. Is quippe E monaſterii poſſeſſionem nactus Congregationis S. Mauri Patres protinus advocavit, operique manum admovens aptatis tuguriolis illos anno 1638 domi excepit. Tum ſurgentis baſilicæ fronti marmoream affixit tabulam hæc verba proferentem: *Deo vero, Chriſto Salvatori, Virgini Dei-paræ, S. Benedicto, omnibus Cælitibus baſilicam ac monaſterium a Pippino rege ædificatum ac dotatum, ab hæreticis ſolo æquatum, Ludovico juſto regnante, fauſtiſſimis conſiliis eminentiſſimi cardinalis Armandi ducis* de Richelieu, *a fundamentis ædificari curavit reverendus in Chriſto pater D. Bartholomæus* Robin *doctor theologus,*

regi a consiliis & concionibus, hujus monasterii abbas anno 1639. Bene pro eo Deum precare. A

Peracta vel saltem promota novi cœnobii fabrica, pius abbas diem octavum Septemb. anno 1642 ipsius benedictioni templique consecrationi deputavit. Ad hanc itaque celebritatem convenere Carolus *de Montchal* Tolosanus archiepiscopus, Bernardus *Desprnets* San-papulensis, & Nicolaus *Pavillon* Alectensis episcopi meritis ac virtutibus insignes, una cum vicinarum ecclesiarum clero universo, dynastarumque, senatorum, magistratuum & promiscuæ plebis ingenti cœtu. Sacris dum operaretur archiantistes, basilicæ titulum beatæ B Mariæ de pace indidit. Post decantatum evangelium S. Papuli episcopus concionem ad populum habuit. Finitis mysteriis, instituta est per urbis plateas generalis supplicatio, delatumque corpus dominicum in sacrilegiorum ab hæreticis admissorum expiationem. Dictis pari modo vesperis, alteram episcopus Alectensis concionem habuit. Denique solemni benedictione festivum diem archiepiscopus coronavit.

Quæ deinceps perficiendis ædibus recuperandisque prædiis a Bartholomæi abbatis morte C deerant, hæc a nostris studiose completa, quibus cura potior venit ut infectas Calvini fæce plebes ad catholica dogmata converterent, facinorosos meliorem ad vitam sacris adhortationibus, concionibus, administratione sacramentorum reducerent, egentes sublevarent eleemosynis, eaque præstarent, quæ regularis normæ sectatoribus conveniunt. Hos sanctioris vitæ fructus Numen servet in ævum.

Abbatum Catalogus.

Soriciniensium abbatum seriem propemodum integram, sed nulla temporum D distinctam ratione profert veteris necrologii perioche circiter annum 1409 decerpta, notatis diebus quibus illorum annua commemoratio redibat, & in capitulo petendarum ergo precum recitabatur. Cum vero chartas omnes domi repertas Calvinistarum flammis periisse doleamus, singulorum gesta certis annis ordine suo definire non licet, exceptis iis quos recuperata documenta commendant.

Magnum abbatem nonnulli statuunt novelli Soriciniensium gregis caput ob *magni abbatis qui præsidet religiosis* nomen in Rythmis superius E adductis expressum. Sed quis non videat *magni* prænomen epitheti vice abbatis dignitati præmissum a rudi poëta, qui a monasterii prima conditione vel restauratione longo temporum distabat intervallo? Alidulsum alii, tum Debertum, Radulsum, Wolfardum, Dadonem, Utmandum, Ferreolum, Gerardum, Vemardum, Hugonem notatos in necrologii lacinia, quo placet ordine, primos loci antistites locant. Nobis vero singulorum nomina, vel etiam interdum nominum simulacra retulisse sufficiat.

Abbates.

I. Bertrandus seu Bertrannus anno Christi 817 aut sequenti Soricinium regebat, cum ei Ludovicus imperator villam de Blizentia cæterasque non paucas Auscienssis pagi ditiones, ex quibus cella Medulsi coaluit, elargitus est.

II. Walafridus occurrit abbas anno 4 Caroli Simplicis, quo quidem anno Walafridus, præsente Armando, seu Airardo archipræsule Garsiæ comiti & marchioni locum cellæ Medulsi *cum ecclesiis & earum pertinentiis* pretio mille solidorum cessit ad vitam. Carolum vero Simplicem potius quam Calvum, uti nonnulli fingebant, hic expressum liquet, tum ob Garsiæ comitis & marchionis, tum etiam ob Airardi sive Armandi pontificis, qui seculo X ineunte florebant, mentionem. Walafridus an idem cum Wolfardo, quem necrologium vita & abbatia cessisse pridie nonas Junii commemorat, incertum. Spatio inde ad annum 941 vacuo, non dubium quin aptandi veniant aliqui ex abbatibus una memoratis, sed fixam cuivis locare sedem non licet.

III. Datbertus. Innotescit hic abbas ex litteris Aimerici Narbonensis archiepiscopi, quibus multas S. Pontio ecclesias confert, assentientibus ecclesiæ suæ canonicis. Subscribunt provinciales episcopi, & post eos Datbertus Soricinii abbas cum aliis anno 940 mense Augusto Ludovici regis anno tertio, ubi forte legendum anno quarto. Vide tom. VI ad ecclesiam S. Pontii Tomeriarum, col. 224.

IV. Rymoldus seu Rumoldus, aliis Rodaldus aut Rodoldus prædia nonnulla cum Mirone quodam commutavit, docentibus litteris *feria 2 mense Februario, Ludovico rege* datis. Præfuit saltem annis viginti: nam ex veteri charta *facit convenientiam cum Vuranno ac filiis suis de alode de fano, pratis, decimis, sylvis & ecclesia S. Mariæ. Actum in mense Februario sub die feria sexta, regnante Lothario rege.*

V. Seniorellus professione grammaticus anno 1027 in placito Fustiniacensi cum aliis abbatibus, Aymerico Lezatensium abbati monasterium Paderiaci vulgo *Peyrissat* tribuendum decernit adversus Odonem Symorræ abbatem, qui Paderiacum sibi vindicare conabatur. Hunc inter & antecessorem alii similiter debuerunt abbates intervenire, nobis prorsus ignoti qui spatium vacuum compleant.

VI. Petrus I anno 1057 clavum abbatiæ regebat ex chartis superstes in annum 1061.

VII. Raymundus I post decennii vacationem anno 1071 salutatur abbas. Id docet vetus electionis instrumentum his ferme verbis: *Soricinensi ecclesiæ* providit Deus, *quæ* Charta II, col. 264. *cum per decem fere annos vidua permaneret,* tandem monachi *fratrem quemdam nomine Raymundum virum bonæ conversationis atque monachilis ordinis amatorem..... elegerunt. Quod cum indicassent domino Froterio venerabili Nemausorum episcopo qui...... respondit sibi multum*

multum placere, quoniam frater ille, quem sibi pastorem cupiebant, & regulariter commisso sibi gregi præesse sciret & esurientibus filiorum animabus pabulum sacræ prædicationis exhibere. Itaque *consecratus est in abbatem in civitate Tolosa, in basilica S.... Mariæ, consilio D. Alexandri papæ atque Hugonis* Blanc *Romanæ sedis cardinalis, consensu etiam & voluntate domni Durandi Tolosæ civitatis antistitis, qui.... ecclesias & possessiones quas milites & laïci, quocumque modo tenent vel acquisierunt, aut abstulerunt, ut reciperent abbas & monachi..... concessit & laudavit.* Instrumento subscribunt Froterius antistes, Raymundus abbas S. Papuli, Isarnus præpositus S. Saturnini, cum aliis. Raymundo Sancius comes ordinandum & regendum commisit locum Cellæ-Medulfi, ea ratione ut posset ibi monachos & abbatem constituere, qui Soriciniensibus subsint. Id pariter Tolosæ gestum in monasterio S. Saturnini.

VIII. Petrus II anno 1093 præerat, quo Geraldus de Rocca-forti cum Aymerico fratre reddit *integritatem decimarum quæ vocatur Glesiasticum,* (forte ecclesiasticum) *ecclesiæ sancti Saturnini de Druelia sine aliquo retentu, &c.* Factum id *Philippo rege, Guillelmo comite Tolosæ, Isarno præsulatum Tolosanum regente.* Anno 1106 Amelius Tolosanus episcopus cum aliis concessit abbati Petro ut ecclesiam B. Martini quam vocant *Tornadors* mutarent & transferrent juxta castrum Podii-Laurentii, in locum quem ostendit eis abbas & monachi. Sollicitum se præbuit Petrus in tuendis monasterii bonis. Huic Arnaldus Isarnus *alodem suum quem habebat in ecclesia* de Nogaret, *de consilio Atonis Boni-filii & Aldiardis Atonis sororis,* quam uxorem duxerat, *& volente Amelio episcopo Tolosano* concessit anno 1112. Terram quam Bernardus de Soricinio, quando monachum se fecit, monasterio tradiderat Bernardo-Hugoni ejusque filio concessit ad vitam an. 1114. Eidem Bernardus Aldebardus monachum induens *alodem de Berseo,* tenentiam &c. dimittit. Insuper Raymundus de Semalenis *in die quo Jerosolymam perrexit Petro abbati dedit unum albergum de tribus militibus cum uno serviente, quod monachus ad eum faciebat. Et similiter dedit hoc totum quod possidebat sive juste sive injuste: abbas vero & monachi dederunt ad eum L solidos melgarienses.* Anno 1119 Bernardus vicecomes cum uxore sua Cecilia & filiis suis Rogerio & Raymundo tradit abbatiam sanctæ Mariæ Soricinensis Rogerio abbati Moissiacensi instaurandam & reformandam. Denique Callixtus papa II in Petri abbatis gratiam Soricinienses sub apostolicæ sedis tutela suscepit, eorumque bona recenset & confirmat an. 1120; quo Petrus an excesserit, incertum. Nonis Februarii notatur in Kalendario.

Charta III, col. 265. — Chart. IV, col. 266. — Charta V, col. 266. — Ch. VI, col. 266.

IX. Arnaldus I *de Villaborais,* aliis de Villarambulno anno 1132 Bernardi *de la Plajola* donationem excepit, consecutus cœmeterium ecclesiæ S. Saturnini de Brulia. *Casales* aliquot addidit Pontius *Sicfre de Faijac.*

Ch. VII, col. 267.

Tomus XIII.

A Anno 1141 Innocentium II beneficum expertus est a quo bonorum & jurium ampliorem confirmationem obtinuit. Post tres annos cum Pontio de Podio-Godini concordiam iniit pro quibusdam prædiis apud *Cauce* positis. Moritur pridie kal. Octob. ex necrologio.

X. Willelmus I anno 1153 præerat, IV cal. Maii denatus.

XI. Bernardus I de S. Michaële Soriciniensibus optime consuluit ab anno saltem 1160 ad 1187. Huic anno 1160 Saura uxor Arnaldi de Podio moriens dedit condaminam ad pontem *de Lobengs.* Anno 1171 pactum B iniit cum Guillelmo de Valle-secura de loci ejusdem *honore.* Denique an. 1187 quamdam vineam Cauceæ sitam impignoravit, Raymundo comite Tolosano & Fulcranno episcopo.

XII. Willelmus II in necrologio signatur XV cal. Septembris.

XIII. Bertrandus II de Petra-lata notatur in tabulis anno 1195, quo Guillelmo *Palaysin* priori sanctarum Puellarum mansum seu casalem apud *Deulse* commendavit. Pontio *de Cocorens* quædam misit in pignus an. 1199. Sequenti Guillelmus *de Jonquieres* ei nonnulla cedit apud *Cauce.* Raymunda Adalberti de sancto C Sulpicio relicta loci ejusdem decimam & ecclesiam *quam tenebat injuste,* Bertrando restituit an. 1208, Raymundo comite Tolosano, Fulcone episcopo. Anno 1215 Bernardus de Soricio morti proximus, medietatem bonorum suorum eidem testamento legat *cum corpore suo.* Exactis tribus annis medietatem decimæ de *Drulia* comparat abbas A. Tolosano comite, Fulqueto episcopo. Superstes adhuc degebat anno 1224 Bertrandus senio satiscens: nam Walguerius de Amorto tunc temporis a Conrado Romanæ sedis legato datus est ei *in* D *temporalibus coadjutor;* an vero ipsi successerit extiteritque postmodum abbas, incertum. Certe non multo post Bertrandus supremum diem obiit, inter optimos jure numerandus.

XIV. Isarnus anno 1225 locum habet in tabulis, rursusque memoratur anno 1230, quo Begonis *de la Cauna* fidem clientelarem ob prædia *de Baure* excepit, Raymundo comite Tolosano & episcopo *Fulceto* quem superius *Fulquetum* legimus.

XV. Petrus III de Petra-lata, alias de Rupe-forti, quem nescio cur unus & idem cum successore Petro de Crosso vulgo *de Goust,* E Crassensi postmodum abbate singatur a recentioribus indicum textoribus, quippe qui toto cœlo inter se differunt: nam prior ad annum 1237 memoratur, imo testis legitur postulationis Hebsiardi de Severiaco in abbatem Castrensem x cal. Augusti anno 1236; alter vero non nisi post annum 1251 laudatur in tabulis. Petri mors in diem Julii 14 incidit.

XVI. Petrus IV de Crosso, gallice *de Goust,* superioris successor capellaniæ sancti Ludovici postea dictæ conditionem ab Alfonso comite Tolosano dotatam promovit anno 1252, & de fratrum consensu sacerdotem unum instituit, Ch. VIII, col. 267.

qui diebus singulis sacra perageret pro remedio animæ Aldefonsi filii regis Franciæ, comitis Pictaviensis & Tolosani, nec non & Provinciæ marchionis. Anno 1255 nonnullas cum Raymundo Tolosano antistite plebanas ecclesias commutavit. Anno 1260 consuetas eleemosynas plurimum auxit, & ante biennium Alexandri IV summi pontificis diplomate cautum curaverat ne monasterii clientelarium bona quovis prætextu, etiam ob hæreseos crimen ad alienas manus transferri possint. Anno circiter 1262 ad Crassensis vocatus abbatiæ regimen, ibi quam strenue se gesserit vide tom. VI, coll. 952, 953. Sed emendandum quod ibi legitur Soriciniensibus scilicet præfuisse annis amplius triginta; eique restituendum genuinum *de Crosso*, non vero *de Petra-lata*, ut perperam ibidem vocatur, nomen.

XVII. Bertrandus III de S. Genesio ab anno 1263 præfuit, VII cal. Aprilis desideratus incerto anno.

XVIII. Arnaldus II de Monte-acuto Petri de Castro-novo *(Castelnau)* fidem clientelarem accepit anno 1271. Excusat se anno 1273 quod non possit adesse concilio Biterrensi. Superstes adhuc XIV cal. Martias an. 1276, imo forte & usque in annum 1277, quo similiter excusat se quod non potuerit interesse concilio provinciali.

XIX. Bernardo II abbati Raymundus *Pens* nonnulla dedit ad accendendam in tota Quadragesima lampadem an. 1282. Moritur die 7 Maii.

5 Desideratur in tabulis Soriciniensibus Petrus-Philippus *d'Auriac*, quem ferunt rationes computorum dominii in senescallia Tolosana abbatem Soricinii convocatum annis 1312 & 1313 ab bellum Flandricum.

XX. Aymericus *de Rochefort* noscitur primum in expostulatione Philippo Pulchro Francorum regi oblata. Præfuit totis triginta annis, quorum postremo videlicet 1327 dedit 250 florenos aureos in ecclesiæ subsidium impendendos. Migrat a seculo die 14 Januarii.

XXI. Raymundus II de Solomiaco pactum iniit an. 1330 cum Soriciniensibus consulibus de temporalis justitiæ administratione, seu de mulctandis & morte plectendis noxiis. Post annos tres, eo regente, erecta est ad dignitatem abbatialem Cella-Medulfi, vulgo *Saramont*, & a Soriciniensium jugo penitus absoluta. Agente etiam Raymundo condita est & fundata in ecclesia Soriciniensi Valesiana capellania pro Philippo VI rege regiaque familia ex bonis Petri *Poitevin* hæreseos damnati. Vixit Raymundus ad annum circiter 1340, extinctus die 9 Augusti.

XXII. Jaufredus, seu Joffredus & Gothofredus in litteris quæ in camera Inquæstarum Parisiensi asservantur, dicitur *Philippi Valesii & Johannis Francorum regum fidelis consiliarius*: & ab ipsomet Johanne, qui tunc temporis, hoc est anno 1356 Caturci degebat, eodem

A nomine designatur. Jaufredi mors IV cal. Aug. notatur anno 1361.

XXIII. Philippus *Crolli* anno 1368 in Vaurensi concilio vices egit Arnaldi Auscorum metropolitani. Persanensis abbas erat, cum, Innocentii papæ VI pontificatus an. 9, hoc est 1361 Soriciniensium præfecturam adipiscitur ad annum 1380, vel, ut alii volunt, 1390.

XXIV. Johannes I eodem anno præficitur abbas, paucisque mensibus rexisse dicitur.

XXV. Hugo de *Croso* vel de *Grosso* vixit ad annum saltem 1409, quo tempore monachorum auxit stipendia. Devixit V cal. Sept.

B XXVI. Stoldus de *Passis* aut *Pazis* Avenionensis, minime Stolidus Soriciniensibus optime consuluit, erga quos liberalem se gessit. Litteris papæ Johannis XXIII Bononiæ datis VI cal. Octobris, pontificatus an. 5, creatur abbas Soricinii, quod sibi reservaverat idem pontifex. Occurrit etiam die 30 Octobris 1418 ex cod. Colbertino 1393, fol. 72 apud Baluzium. Anno 1426 cum episcopo S. Papuli pactum iniit de decimis ecclesiæ sanctæ Mariæ de Cadenaco, cujus prior erat antequam Soricinio potiretur, quam etiam

C collegio S. Felicis canonicorum uniri consensit. Quartam dominii partem oppidi Soriciniensis, quam Bertrandus de Rupe-forti invaserat, pretio 1125 scutatorum aureorum redemit, abbatiæque suæ restituendam curavit: IX cal. Januarii morte consumitur.

XXVII. Stephanus an. 1435 præfecturam gerebat.

XXVIII. Johannes II de *Leyraco* seu de *Legraco* prior & camerarius eodem anno fit abbas, eaque in dignitate confirmatur ab Eugenio IV. Cum Johanne Bocherio Vaurensium antistite pro tuenda monasterii juris-

D dictione & immunitate disceptavit, nec cessit Johanni S. Papuli episcopo nominationem parochi ecclesiæ sancti Pauleti Soriciniensibus adimere volenti. Hæc anno 1437 contigerunt.

XXIX. Gaillardus *de Undis* patria Castrensis in tabulis locum habet annis 1443 & 1449. Obiit pridie idus Novembris.

XXX. Johannes III circa annum 1450 memoratus in tabulis post annos regiminis septem Soricinienses oppidanos ad decimarum solutionem quæ hactenus penduntur, adegit: & anno 1460 molendinum de Duro-forti sub annua census conditione locavit.

E XXXI. Ludovicus *de Lebreto (d'Albret)* ex priore *de Pontons* Adurensis episcopus, tum S. R. E. cardinalis, ac demum Soriciniensis abbas paulo ante obitum, qui Romæ contigit nonis Septemb. anni 1465. In ecclesia Aræcœli tumulatur.

XXXII. Richardus *de Longueil* episcopus Constantiensis, doctus & pius S. R. E. cardinalis, Soricinium administrationis perpetuæ nomine possedit ad annum 1470 vitæ postremum.

XXXIII. Petrus V *Leonis*, Gastonis *de*

Malauze Tolosani senescalli frater, protonotarius apostolicus Soriciniensi potitur abbatia ad annum 1475, quo Tolosanam sedem adipiscitur.

XXXIV. Johannes-Jacobus *de Viridario (du Verger)* loci monachus ab anno 1475 ad 1488 præfuit.

XXXV. Berengarius *Alberti* vices præcessoris agebat, cum eo deficiente creatur abbas in biennium. Eo mortuo diffidentibus in electione monachis, vacavit sedes ad annum 1493, quo tandem sufficitur

XXXVI. Florentius *Galand* alias *Galandi*. Unus fuerat e præsidibus capituli generalis monachorum Benedictinorum provinciæ Narbonensis &c. celebrati anno 1490 in monasterio Manzi-Azilis ex regestis Caunensis cœnobii. Basilicam vetustate fatiscentem renovare aggressus est sui regiminis tempore, sed anno 1509 morte interceptus curam hanc posteris reliquit. In duas partes iterum scissa monachorum studia; dumque alii Petrum *de Solatgiis* operarium, alii Olivarium *Alberti* sacristam electum volunt, regio pontificioque diplomate munitus capessit abbatiam

XXXVII. Petrus-Raymundus *de Guercio* episcopus Alectensis. Huic incassum obstitit Petrus *de Solatgiis* non solum electus a monachis, sed etiam ab episcopo Vaurensi confirmatus & benedictionis munere donatus. Obstitit & validius a monachis similiter electus Olivarius, qui supremi consilii decreto causa cecidit, annua tamen pensione muneratus, dum Juncellensem Biterrensis agri præfecturam impetrat, eaque fruitur. Soriciniensibus tamen bene vertit quod Petrum sortiti sint abbatem, nam an. 1513 ecclesiam renovavit; sacrarium struxit a fundamentis, vestibusque pretiosis decoravit, superstes ad annum 1523. Vide t. VI in episcopis Electensibus, col. 281.

XXXVIII. Johannes IV *de Langiaco*, seu *Langeaco (de Langeac)* supplicum libellorum magister commendam obtinet ad annum 1529, forte idem qui abbas Piperaci & episcopus Lemovicensis memoratur a nobis inter Lemovicenses tom. II, coll. 538 & 539.

XXXIX. Antonius *Lascaris de Tende* Regensis primum, tum Bellovacensis & successive Lemovicensis, ac iterum Regensis episcopus, anno 1535 bonorum portionem inito solemni pacto monachis dimittit. Vixit ad annum 1546.

XL. Honoratus *d'Esparron de Villeneuve* dominus de Tortona, Regensis episcopus abbatiam obtinebat an. 1549, quo eam resignasse videtur in gratiam sequentis.

XLI. Odo seu Odetus Colinæus cardinalis Castellioneus, exinde apostata, abbatiam tenuisse fertur in tabulis domesticis immediate post præcedentem.

XLII. Odetum sequitur Carolus I cardinalis Borbonius qui anno 1565 novum de monachorum stipendiis pactum edidit, & paulo post abbatiam dimisit.

A XLIII. Item cardinali Borbonio succedit Carolus II cardinalis a Lotharingia, qui amborum instar antecessorum opimis ac eminentibus, quibus affluebat ecclesiæ dignitatibus ac proventibus, B. Mariæ Soriciniensis abbatialem titulum addere non est dedignatus circa annum 1570. Descriptam superius in præmio Calvinianorum infestationem accerbissime tulit ad annum 1574 vitæ postremum.

XLIV. Vincentius *de Garzellis* palabundo gregi præerat anno 1579, Calvinistis omnia diripientibus.

XLV. Franciscus *de Rogier* baro *de Ferrals* B bellicos inter tumultus abbatiæ proventus qua vi, qua prece cum hæreticis divisit. Ineunte sequenti seculo, nempe an. 1601 rem divinam in Soriciniensi ecclesia redintegrari jusserunt missi Dominici, a quibus etiam monachis & sacerdotibus prædia & possessiones decretæ.

XLVI. N. *Hurault de l'Hospital* dominus *de Bu* ad annum 1610 abbatia potitur. Eo manum conferente monachi reduces in subterranea specu quæ hodieque visitur, Calvinistarum metu necdum liberati, sacris operari cœperunt. Annis quatuor præfuit Huraltus.

XLVII. Guarinus Palarinus Tolosas Margaritæ C reginæ acceptus, qua satagente Soricinium an. 1610 consequitur, illudque tenet ad annum 1631.

XLVIII. Leo-Franciscus *Mitte* filius Melchioris comitis *de Miolans* marchionis *de Saint-Chaumont*, Danicis aliisque legationibus insignis Soricinio donatur, quod anno 1636 sequenti consignat.

XLIX. Bartholomæus *Robin* Compendiensis S. Cornelii monachus, doctor Sorbonicus ac regius concionator, alter Soriciniensis monasterii parens nihil habuit antiquius, quam ut pessumdatum locum Congregationi S. Mauri D subderet. Id anno 1638 contigit, postquam Novatorum fanum, quod illi medias inter ædium ruinas erexerant, solo æquavit. Huic abbatialem benedictionem contulit die 29 Januarii an. 1640 D. D. Andræas *Fremiot* antiquus Biturigum archipræsul in ecclesia abbatiali sancti Germani a Pratis, de licentia Henrici Borbonii episcopi Metensis & abbatis S. Germani a Pratis, assistentibus Matthæo *de Mesgrigny* Quinciaci & Johanne *Jouard* Precum abbatibus. Tunc monasterii basilicæque restaurationem aggressus, tanta celeritate rem E promovit, ut ecclesiam anno 1642 dedicari curaret. Denique rebus omnibus præclare gestis, postquam singulis monialibus *de Charonne*, quarum spiritualem curam agebat, sacram Eucharistiam administrasset, die 13 Aprilis anni 1656 apoplexia suffocatus est ætatis anno 60, dum concionis audiendæ causa sedile assumeret, vir sane diuturniori vita dignissimus.

L. Defuncto Bartholomæo successor nominatur a rege Franciscus *de Rebé* clericus, & ab Alexandro VII Ludovicus *Fouquet* episcopus Agathensis pietate cæterisque virtutibus

conſpicuus VI non. Octob. pontificatus an. 11, A qui prævaluit & abbatiam tenuit ad annum 1702, quo moritur die 4 Februarii.

LI. Joſephus-Emmanuel cardinalis *de la Tremoille-Noirmoutiers* abbatiam capeſſit die 14 Aprilis anno 1702, ſimul abbas Latiniaci, Altæ-cumbæ in Sabaudia, Grandis-ſilvæ, S. Amandi prope Tornacum, & S. Stephani Cadomenſis. Obiit Romæ die 10 Januarii anno 1720.

LII. Henricus *de Roſſet de Ceilhes de Rocoſel* commendam Soricinienſem quam tenebat a die 8 Januarii 1721 dimiſit, & factus eſt B menſe Januar. 1740 commendatarius Frigidimontis, ſimul abbas S. Saturnini Toloſani ab anno 1729. Obiit Pariſiis 20 Februarii 1748 annos natus 62, ſepultuſque eſt in eccleſia collegiata S. Ludovici ad Luparam.

LIII. N. *d'Agay de Mion* olim vicarius generalis epiſcopi Aurelianenſis Soricinium obtinet ab anno 1740, nominatus a rege 21 Januarii ejuſdem anni.

ROTA.

LA RODE.

IN diœceſi Vaurenſi verſatur abbatia de Rota ordinis Ciſtercienſis, quæ nihil aliud eſt quam Ardorellum, de quo dictum eſt tom. I, col. 79. Id nomen ſub quo in regione nota eſt, oritur ex eo quod, poſtquam a Calviniſtis direptum everſumque fuiſſet monaſterium, pauci monachi gladio erepti ad prædium ſuum de Rota in Vaurenſi diœceſi ſeceſſerunt, ubi novum ædificarunt cœnobium, quod nihilominus ſemper Caſtrenſi tribuitur & accenſetur diœceſi. Ardorellum non quindecim, ſed vix duabus a Caſtro diſtabat leucis. Ab obitu Ludovici *Girard* ultimi abbatis Ardorelli defuncti an. 1748, cujus mentionem egimus tomo I, ſucceſſere ſequentes:

XLIII. Ludovicus *Malo Moreau de Maupertuis*, ſimul abbas Geneſti diœceſis Nannetenſis, deceſſit anno 1754.

XLIV. Maria *d'Adviſard*, conſiliarius clericus Parlamenti Toloſani, obiit an. 1761.

XLV. Franciſcus-Saleſius-Ludovicus-Auguſtinus *Barbier de Leſcouet*, canonicus & comes eccleſiæ Lugdunenſis, chori magiſter, abbatiam conſecutus eſt anno 1761.



REMENSIS
DIOECESIS
TULLENSIS
PARS PROVIN
Tullum
Nanceyum
Scarpona
Barrum
Sarraburgum
Deodatum
Brunonis Mons
Offonis Villa
Rimellium
Benedicta Vallis
Gondouis Curtis
Monasterium Super Saltum
Mosa Fl.
Mosella Fl.
Saravus Fl.
Salia Fl.
Ornina Fl.
Signorum et Litterarum
Explicatio
Sedes Archiepiscopalis
Sedes Episcopalis
Abbatia Virorum
Abbatia Feminarum
Abbatiæ non amplius Stantes
Prioratus
O.B. Ordinis S.ti Benedicti
O.A. Ordinis S.ti Augustini
O.C. Ordinis Cisterciensis
O.P. Ordinis Præmonstratensis
O.D. Ordinis S.ti Dominici
Scala Leucarum
Leucæ majores Galliæ.
Leucæ communes Galliæ.
Leucæ communes Lotharingiæ.
Gradus Longitudinis a Meridiano Parisiensi.

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA.

PROVINCIA TREVIRENSIS,
CUJUS METROPOLIS TREVIRIS.

AUGUSTA Trevirorum Belgicæ primæ metropolis, vetuſtate, nobilitate, rerum geſtarum claritudine, ſed maxime archiepiſcopali ſede & electoratu Imperii commendanda, ad Moſellam ſita eſt, quam interluit: cum antiquiſſimis Europæ urbibus annumeratur, natura loci amœna agro fecundo gaudet; olim vero potentia, opibus, aliiſque ornamentis florentiſſima, ædificiorum, mœnium, ac monumentorum amplitudine emicuit: antiquitatem ejus nunc etiam teſtantur palatii ſpectandæ molis rudera, ad inſtar molis Babylonicæ e muris coctilibus. Celebratur a graviſſimis ſcriptoribus. Opulentiſſima enim civitas dicitur apud Melam lib. III, cap. 2. Addit etiam Belgarum clariſſimos eſſe Treviros. Originem ipſi perinde ac ceteri Belgæ a Germanis trahebant, uti comprobatur ex commentariis Julii-Cæſaris, aſſerentis pleroſque Belgas eſſe ortos a Germanis, Rhenumque antiquitus tranſductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſque, qui ea loca incolerent, expuliſſe. Hos autem de ea origine gloriari obſervat Tacitus de moribus Germanorum p. 446. *Treviri & Nervii*, inquit, *circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.* Bellica virtute inter Galliæ populos erant conſpicui, teſte Cæſare lib. II. *Treviri quorum inter Gallos virtutis opinio eſt ſingularis.* Et lib. V. *Hæc civitas longe plurimum totius Galliæ æquitatu valet, magnaſque habet copias peditum.* Zoſimus lib. III, hiſt. p. 708, ait Trevirorum civitatem omnium Tranſalpium populorum maximam. Tanta ſub Romanis Trevirorum decora, ut illis ſubfuiſſe vix fuerit pœnitendum. Et primus quidem civitatis ſplendor, ſedem præbuiſſe imperatoribus. Ammianus Marcellinus lib. XV, cap. 2, ſcribit: *Belgica prima Mediomatricos prætendit, & Treviros domicilium principum clarum.* Auſonius in Moſella appellat *V.* 369, *Auguſtos muros. V.* 467, *Urbem dominam. V.* 24, *Dignata imperio mœnia. V.* 380, *Imperii ſedem & in claris urbibus, ſolium.*

Præcipue autem Trevirim frequentarunt, aut adeo etiam incoluerunt multum minuſve alii atque alii, Conſtantius Chlorus, Maximianus Herculeus, Conſtantinus maximus, Conſtantius & Conſtans filii ejus, Magnentius & Decentius, Julianus, Valentinianus & Valens fratres, Gratianus & Valentinianus Junior, Maximus cum Victore filio, Theodoſius Magnus, Avitus & ante hos Tyranni: Poſthumus imperante Gallieno, Victorinus Aureliano, Tetrici duo pater & filius &c. Poſt necem Aureliani, exercitus eligendi alius imperatoris honorem detulit Romano ſenatui, qui, cooptato in imperatorem Tacito, hæc ſcripſit curiæ Trevirenſi: *Senatus ampliſſimus, curiæ Trevirorum: ut eſtis liberi & ſemper fuiſtis, lætari vos credimus. Creandi principis judicium ad ſenatum redit, ſimul etiam præfecturæ urbanæ appellatio univerſa decreta eſt.* Civitatem hanc juſſu Maximiani perſecutoris martyrio illuſtrarunt milites non pauci Thebeæ legionis, quos inter Thirſus, Secundus, Bonifacius &c.

In tanto ſub Romanorum imperio perſtabant honore Treviri cum, Belgico toto a Vandalis, Alanis & Suevis multum preſſo, ipſa Belgicæ primæ metropolis, Auguſta urbs Trevirorum quaternam vaſtationem paſſa eſt. Quaternam hanc vaſtationem memorant Salvianus lib. VI de Gubernat. Dei, capp. 8, 13, 15: S. Hieronymus epiſt. X ad Ageruchiam viduam: Gregorius Turonenſis hiſt. lib. II, c. 9. Horum excidiorum primum accidiſſe an. 410 inchoante, alterum eodem exeunte, tertium an. 411, poſtremum an. 415 ſolide probat Bucherius in Belgio Rom. Planum eſt ea occaſione Auguſtam urbem notabile aliquod decus amiſiſſe:

videntes namque Romani Rhenum, imperii sui limitem, defendi a se adversus Transrhenanos populos vix amplius posse, præfecturam Prætorii Galliarum, hactenus Treviris residentem, Arelatem transtulerunt an. 418 edicto Honorii & Theodosii Augustorum. Tandem sub Childerico Francorum rege alii Franci sub alius principis ductu Treviros Romanis eripuerunt. Qua de re sic gesta Francorum cap. VIII. *In illis diebus ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Rhenum, vocaveruntque eam Coloniam, multumque populum Romanorum a parte Ægidii occiderunt ibi. Ægidius vero exinde per fugam lapsus evasit. Venerunt autem Treviris civitatem super fluvium Mosellam, vastantes terras illas: ipsamque urbem succendentes ceperunt.*

Plurima etiamnum supersunt extra urbem Romani fastus monumenta, quæ inter cernitur amphiteatrum, quæ recensere hujus loci non est; præsertim quod hanc alii jam expleverint provinciam, Browerus annal. Trev. Proparasc. cap. XIV & seqq. Alexander Wilthemius in Luxemb. Romano lib. IV, Mulbaum de Antiquit. urbis & Acad. p. 190 & seqq.

Primæ Belgicæ caput extitit hæc metropolis, tum circulo sexto Imperii adscripta, & dignitate electoratus illustrior evasit: cancellariatu per regnum Arelatense donata bulla aurea Caroli IV imperatoris. Archiepiscopus cæteris Germaniæ ecclesiis præcellere dicitur antiquitate, multis opibus, dominiis comitatuum, toparchiarum ac territoriorum; inter alias urbes suæ ditionis continet Confluentiam in Rheni & Mosellæ confluente; juxta quam arx munitissima, nec non viginti aliæ non levis notæ civitates ipsi parent. Præterea jure cudendæ monetæ, tum aureæ tum argenteæ, potitur, Scabinorum præfectum creat Treviris, cujus archiepiscopus est dominus temporalis, cum omnimoda potestate vitæ necisque in subditos; qui ipsum bello juvare tenentur.

Huic metropoli Coloniensem & Moguntinam sedes subjectas fuisse asserit B. Rhenanus lib. III rerum Germanicarum; ei nunc parent tres episcopatus imperio Christianissimi regis obsequentes, Metensis, Tullensis & Virdunensis, quibus addendi novissime creati Nanceiensis & S. Deodati, a sede Tullensi distracti. In urbe quinque sunt ecclesiæ parochiales, quatuor collegiatæ: plures item conventus Religiosorum & Monialium; abbatiæ vero in civitate & diœcesi, de quibus agemus, quamplurimæ numerantur.

De hujus civitatis origine ac statu scripsit Guillelmus Kyriander Juliacensis syndicus Treverensis, ubi operis parte undecima multa de præsulibus commemorat. Antiquitatum præsertim ecclesiasticarum commentarios elucubravit Christophorus Browerus Societatis Jesu presbyter; archipræsulum quoque seriem publicavit Petrus Cratepolius Minorita. Chartas denique & documenta uniuscujusque archiepiscopi in historia diplomatica Trevirensi in lucem emisit illustrissimus & doctissimus vir D. D. Johannes-Nicolaus ab *Hontheim* episcopus Myriophitanus, suffraganeus Trevirensis: ex quibus scriptoribus aliisve notis subjectum catalogum confecimus.

ARCHIEPISCOPI TREVIRENSES.

I. S. EUCHARIUS.

TREVIRENSIBUS episcopis sanctum Eucharium præponendum esse nemo disputat; verum an ille primo mox æræ Christianæ seculo Trevirensem plantarit ecclesiam, an vero id ab eodem exeunte secundo aut inchoante tertio factum sit, non omnes consentiunt. Primam sententiam cum magno argumentorum numero tenent Browerus annal. Trevir. lib. II, & cum eo plerique Germaniæ scriptores. Alteram non minori rationum apparatu sententiam propugnant Launoius, Tillemontius, Mabillonius, Martenius, Calmetus, Honteimius &c. Hi omnes missionem sancti Eucharii ejusque sociorum Valerii & Materni, in episcopatu successorum, fideique Christianæ exordium in urbe Trevirensi ultra seculum tertium & quidem medium produci non debere existimant. Nos hanc opinionem ut probabiliorem sectantes, censemus S. Eucharium ejusque socios Valerium & Maternum non immediate ab ipso apostolo Petro, sed a sancta sede, a sede ubi viget doctrina Petri missos fuisse. Quonam autem anno præcise id contigerit, definire non præsumimus. Calmetus

A ait id evenisse anno 254. Bollandistæ vero id removent ad annum 288.

Gregorius Turonensis in vitis patrum cap. XVII, p. 1940, sancti Eucharii sic meminit: « factus est sonus de nocte magnus tanquam tonitruum validum super pontem amnis, ita « ut putaretur urbs (Treviris) ipsa absorberi. « Cumque omnis populus exterritus in lectulo « resedisset, lethiferum sibi interitum opperiens: « audita est in medio vox una cæteris clarior « dicens: & quid hic, o socii facimus! ad unam « enim portam Eucharius sacerdos observat &c. »

B Colitur inter Sanctos beatus Eucharius die 8 Decembris. Plurima huic Sancto prodigia tribuit traditio. Vix ille ejusque socii palam ad multitudinem Christum prædicare cœperant, cum pontifices & Capitolini sacerdotes invidia concitati adversus Sanctos plebis odia accenderunt, impuleruntque ut civitate submotos saxis operirent. Sed facinus tam nefarium aggredi conatos cœlestis iræ ultio mox deterruit; nam simul atque lapides humo tollere, & proni in jactum toto niti corpore cœperunt, pars subito nervorum stupore artubus obriguit. Tunc sanctus Eucharius miseratione commotus

omnem illam rebellantium multitudinem a vinculo doloris precibus absolvit, & ad priorem statum, reddita sanitate, restauravit. Huic prodigio mox successit & alterum. Albana siquidem clarissima & potens femina, orbata marito, unicum habebat filium, quem mors sustulerat. Illa sanctum Eucharium obtestatur, ut ereptam sibi prolem ad vitam reducat: quod si perficiat, non sanctissimis modo præceptis ejus prompte obtemperaturam, sed ad Christianam fidem cum universa familia sine mora se conversuram. Vir sanctus feminæ dedit precibus, ut ad ejus ædes accederet. Quo cum perventum est, sanctus Eucharius pro salute pueri Deum orat, ac sanum & incolumem filium matri reddit, quæ una cum eo cœlesti lavacro purgata, Christo nomen dedit.

II. S. Valerius.

Sanctorum Eucharii & Materni socius Valerius, secundus post S. Eucharium præsulatum gessit. Inter Sanctos honoratur 29 Januarii. In martyrologio metrico Wandelberti Prumiensis monachi sic memoratur:

Tunc & Valerio Treviri pro præsule gaudent.

III. S. Maternus.

De S. Materno Jam disseruimus in Coloniensibus & Tungrensibus episcopis, observavimusque ipsum non videri diversum a Materno Trevirensi; nec aliter sentiunt quotquot de eo Sancto nuperis hisce temporibus scripserunt authores, potissimum Antuerpienses, qui quæstionem non minus docte quam fuse volverunt tom. IV Septemb. p. 354 & seqq. Hic Sanctus in causa Donatistarum contra Cæcilianum ab imperatore Constantino judex institutus est an. 313, adversusque eosdem pronunciavit in concilio Romano, uti & anno sequenti in Arelatensi. Fatemur equidem Maternum semper Coloniensem episcopum vocari; verum non repugnat ipsum in fine seculi tertii vel initio quarti factum fuisse episcopum Trevirensem, ac postea ab ea sede in gratiam Agritii se abdicasse, ut fidem apud Ubios seu Colonienses, tum apud Eburones seu Tungros prædicaret, atque duarum illarum ecclesiarum fundamenta posuisse, quarum utraque suos post ipsum sortita fuerit episcopos.

In gestis Trevirensibus narratur quod cum S. Eucharius cum suis duobus sociis Valerio & Materno in Galliam ad prædicandum evangelium accessisset, Maternum in quodam Galliæ castello, nomine Elegia, vitam finivisse. Post cujus mortem Eucharius & Valerius dicuntur Romam adiisse S. Petrum a quo baculum acceperunt; tum ad prædictum castellum remeantes, & baculum defuncto superponentes, eum ad vitam revocarunt. Miraculum hoc non impugnamus; potuerunt enim hi viri sancti ope divina ressucitare Maternum: sed quod miraculum per baculum, quem a sancto Petro accepissent, operati sint, id sat incertum videtur. Similes historiæ in vitis plurium A Sanctorum cum eisdem fere circumstantiis referuntur. Verbi gratia, S. Memmius Catalaunensium episcopus, amisso Domitiano, Romam reversus est, & acceptam a sancto Petro vestem mortuo imposuit & suscitavit: sanctus Fronto Petrocoriorum præsul Georgium socium per admotum baculum sancti Petri, ad quem auxilium petiturus redierat, pariter suscitavit: S. Martialis Lemovicensis item per baculum S. Petri Austriclinianum ad vitam revocavit. Sane historiam hanc ab uno scriptore exornatam mutuati sunt alii & quique suo Sancto applicaverunt. Vide quæ de sancto B Materno dicta sunt tom. III, col. 621, col. 807 & seqq. Ejus festa dies agitur 14 Septembris.

Conjunctas Eucharii, Valerii & Materni vitas seculo decimo scripsit Ebherardus monachus S. Mathiæ. Hic pro primo scriptore gestorum Trevirensium atque etiam pro auctore vitarum dictorum trium episcoporum merito habetur. Qui post ipsum in gestis Trevirorum suam locarunt operam, videlicet Adelbertus, Theodericus, Golscherus, & Johannes itidem monachi & scolarchæ sancti C Mathiæ, non egerunt singuli nudos continuatores, sed unus eorum, alterve jam ante composita etiam dilatavit & ad suum sensum hinc inde immutavit. Quare, quæ hodie in omnium manibus sunt, gesta Trevirorum, non sunt originalia & primæva ab Eberhardo primum elaborata, nec consequenter fide digna, præsertim in antiquissimis rebus. Quocirca his non utimur in conficienda primorum episcoporum serie; sed successionem admittimus, qualem exhibet vetustus catalogus episcoporum Trevirensium, in bibliotheca S. Ghisleni in Hannonia servatus, qui mediorum Maternum D inter & Agritium viginti trium episcoporum non meminit, quosque antiquitas ignoravit. Præter hanc auctoritatem habemus & testimonium Calmeti, qui affirmat se legisse in bibliotheca S. Mathiæ vetustum mss. in quo expresse asseritur S. Agricium quartum esse Trevirensium episcoporum. Alium adde catalogum sat antiquum, quem illustrissimus episcopus Myriophitanus, Johannes-Nicolaus ab *Hontheim* legit in abbatia Prumiensi, in libro quem Aureum vocant, qui quoad immediatam successionem Materni & Agritii est omnino similis San-Ghislenensi. Itaque cum Calmeto E conjicere fas est nomina mediorum episcoporum Maternum inter & Agricium ex vicinarum ecclesiarum indicibus in Trevirensium episcoporum catalogum inducta fuisse, ergo illius amplificandi & ecclesiæ Trevirensis originem ad apostolorum tempora producendi. Quemadmodum autem absque ulla probatione inserta fuisse videntur, sic absque scrupulo ea adimi posse censemus. Horum tamen præsulum nomina hic subjicere duximus; scilicet,

Auspicius.	Felix.
Celsus.	Mansuetus.

ANNI CHRISTI

Clemens.	Marcus.
Moyses.	Navitus.
Martinus I.	Marcellus.
Anastasius.	Metropolus.
Andreas.	Severinus.
Rusticus.	Florentius.
Auctor.	Martinus II.
Mauritius.	Maximinus.
Fortunatus.	Valentinus.
Cassianus.	

Hic est usque ad Agricium catalogus primorum episcoporum Trevirensium juxta moderna hujus ecclesiæ monumenta; sed si tres priores, scilicet Eucharium, Valerium & Maternum excipias, aliorum episcopatus quam maxime incertus videtur.

IV. S. Agræcius.

Trevirensem ecclesiam regere cœpit Agræ-
313. cius vel Agricius anno 313, subscripsitque
Concil. Labb. t. I, p. 1430. cum Felice exorcista concilio Arelatensi anno 314. Obiit 13 Januarii 332. Ejus vitam
314. serius scriptam edidit Bollandus ad diem 13
332. Januarii, quam carpunt Bollandi successores 31 Augusti p. 668, & Tillemontius monum. eccl. tom. VI, p. 79. In ea confutanda inane videtur immorari, satis est observare sanctum Agricium nunquam extitisse Antiochenum patriarcham, neque S. Helenæ in Palestinam adeuntis precibus Trevirim à S. Silvestro papa missum fuisse anno 313; cum constet Silvestrum in sedem Romanam non conscendisse ante calendas Februarii an. 314, nec Helenam Jerosolymitanum iter aggressam fuisse ante annum 326.

V. S. Maximinus.

Pictavis genere senatorio ortus Maximinus fratrem habuit, narrante Lupo vitæ ejus scriptore, Maxentium episcopum Pictaviensem, cum quo linguarum sacrarum scientia eruditus, Maxentio ad episcopatus culmen promoto, Maximinus Treviros abiit, & sub Agricii antistitis disciplina institutus, ab eo presbyter
Tillem. mon. eccl. t. VII, p. 1243. ordinatur, subinde in ejus episcopatum unanimi cleri atque populi voce suffectus est
332. 13 Augusti 332, quem eximia laudis præstantia administravit: maxime vero præclarum orthodoxæ religionis specimen edidit, dum fidem Nicænam contra Arianos Constantii patrocinio tumentes viriliter est tutatus. Ejus præclare gesta adversus eosdem hæreticos prædicat S. Athanasius, qui a Constantino imperatore proscriptus & in exilium Trevirim amandatus, honorifice & benigne susceptus
Concil. Labb. t. II, pp. 615 & seqq. est anno 336 a Maximino, qui erga S. Paulum episcopum Constantinopolitanum e sede sua pulsum eadem benignitate usus est. Synodo
346. Coloniæ celebratæ anno 346 præfuit, ac Euphratam ejus urbis episcopum hæresis insi-
347. mulatum damnavit. Postero anno Sardicensi
A concilio adversus Arianos habito interfuit. Haud diu post suam ad ecclesiam reditum in Aquitaniam ad propinquos divertens, ibi mortalitatem explevit 12 Septembris 349. Corpus ejus ex ea regione Trevirim a beato Paulino successore revectum, collocatum fuit in loco, ubi nunc exstat celebre monasterium suburbii Trevirensis nominis sui, cujus meminit S. Augustinus, ubi & miraculis præfulsit, quemadmodum auctor est Gregorius Turon. Histor. Franc. cap. XXV, col. 28. *Maximinus*, inquit, *Trevirorum episcopus potens in omni sanctitate reperitur.* Consule etiam librum
B de gloria Confessorum, cap. XCIII, col. 975. Lupus seu Ferrariensis abbas aut Catalaunensis episcopus ejus vitam texuit an. 839. Hanc Surius edidit ad diem 29 Maii. Antiquiorem seculi VIII, eodem die Bollandiani evulgarunt, uti & ipsius miracula, quæ Sigehardus anno 963 compilavit. Certiora his lege, si lubet, apud Baronium, Annal. eccles. tom. III, ad annos 336, 346, 347. Tillemontium t. VII, p. 432 & seqq. p. 1241 & seqq. Bailletum & alios.

VI. S. Paulinus.

C Patria etiam Aquitanus Paulinus, clarissimi *Tillem. mon. eccl. t. VII, p. 1243.*
nominis episcopus, Maximini successor & discipulus electus fuit anno 349. Mirifice 349.
memoriam ejus illustrat exilium, quod sub Constantio Constantini filio pro Catholicæ fidei defensione pertulit. Cum enim in Arelatensi conciliabulo habito an. 353 sancitum fuisset ut qui S. Athanasii damnationi subscribere detrectarent, in exilium pellerentur, *S. Athan. epist. ad Solit. n. 76.* evocatus est Paulinus una cum Lucifero Sardiniæ, Eusebio Vercellensi, Dionysio Mediolanensi episcopis a Constantio imperatore, qui eis præcepit ut damnarent Athanasium & cum
D Arianis communionem inirent. Cui mandato cum obtemperare renuissent, in Phrygiam relegati sunt. Quampluribus id testantur Sulpitius Severus, Hieronymus, Socrates, Sozomenus & alii, ipseque Hilarius in fragmentis scribit his verbis: « Incipiam ab his quæ proxime gesta sunt, id est eo tempore quo « primum in Arelatensi oppido frater & com- « minister meus Paulinus, ecclesiæ Trevirorum « episcopus, eorum se perditioni, simulationique « non miscuit; & qualis fuit illa sententia ex- « ponam, a qua referens voluntatem indignus « ecclesia ab episcopis, dignus exilio a rege est «
E judicatus. » Et quidem alibi imperatorem alloquens sic fatur: « At tu Paulinum beatæ passionis virum, blandimento sollicitatum rele- « gasti; & ecclesiam sanctam Trevirorum tali « sacerdote spoliasti. Edictis fidem terruisti, « ipsum usque ad mortem demutasti exsiliis & « fatigasti; extra Christianum quoque nomen « relegasti, ne panem aut de horreo tuo sumeret, « aut de Montani Maximillæque antro profa- « natum expectaret. » In eo secessu gravissimis Arianorum pœnis exagitatus ad meliorem vitam abiit anno 358. Colitur 31 Augusti. Vitam

Vitam ex anonymo ſcriptore ſeculi circiter A decimi Antuerpienſes ediderunt tom. VI Auguſti, p. 676 & ſeqq. cui Johannes Pinius prævium adjecit commentarium, p. 668 & ſeqq.

VII. S. Bonosius.

Ad inſulas Trevirenſes evehitur Bonoſius
358. anno 358. Sancto fine quievit circa annum 373, 17 Februarii, quo dies ejus feſtus agitur. Hæc moderna in D. Paulini æde ſub ara S. Clementis, ubi ejus reconditi ſunt cineres, legitur epigraphe: *Hic ſitus eſt bonæ memoriæ Bonoſius Trevirorum archiepiſcopus, cujus ab hoc mundo tranſitus XIII kal. Mar. celebratur.*

VIII. S. Brito.

373. Electus anno circiter 373 Brito, ſedit
Labb. coll. Concil. t. II, p. 1807. Tillem. mon. eccl. tom. X, p. 248. inſequenti in concilio Valentino, nec non in Romano an. 382. Præfuiſſe dicitur ad annum uſque 386. Inter Sanctos honoratur 5 die Maii.

IX. S. Felix.

Epiſcopus ab Ithacianis in ſynodo ordinatus eſt Felix, S. Martino Treviris tum degente,
386. an. 386. Sulpitius Severus dial. 3, c. 15. p. 323, de vita S. Martini rem ſic narrat. « Poſtridie Felicis epiſcopi ordinatio parabatur, » ſanctiſſimi ſane viri, & plane digni, qui meliori » tempore ſacerdos fieret. Hujus diei commu- » nionem Martinus inivit, ſatius exiſtimans ad » horam cedere, quam his non conſulere, quorum » cervicibus gladius imminebat: verumtamen » ſumma vi epiſcopis interim nitentibus ut com- » munionem illam ſubſcriptione firmaret, extorqueri non potuit. » Quod autem ab Ithacianis ordinatus fuiſſet atque cum ipſis communicaſſet, ſexto canone concilii Taurinenſis habiti 22 Septembris 398 indictum eſt a Patribus ut qui a Felicis communione ſe ſubducere vellent, reciperentur in eccleſiam. Poſtea vero ſuæ ordinationis vitium pœnitentia reparavit; nam eodem anno, relicto epiſcopatu, in monaſterium, quod ſub invocatione beatæ Mariæ & SS. Martyrum Thebeorum ab ipſo conditum volunt, quodque nunc S. Paulini collegium eſt, ſe abdidit, ibidemque devixit circa annum 400. Ideo dignus judicatus eſt ut faſtis eccleſiæ adſcriberetur ad diem 26 Martii, quo die obiiſſe creditur. Acta ejus poſt ſeculum x ſcripta Antuerpienſes ad eumdem diem edidere; at certiora memorat Tillemontius monum. eccl. tom. VIII, p. 852 & ſeqq. Cernitur ejus tumulus in baſilica S. Paulini ad dextrum latus odei, cui hic titulus inſcribitur: *Hic requieſcit S. Felix Trevirorum archiepiſcopus, qui hanc eccleſiam ſupra ſepulchra martyrum Thebeæ legionis conſtruxit. Qui & B. Paulinum a Phrygia tranſlatum inter eoſdem martyres martyrem medium collocavit.*

X. Mauritius.

Felici deceſſori ſucceſſiſſe creditur Mauritius ad annum 398.

XI. S. Leontius.

Honoratur Leontius 19 Februarii. Quieſcit in ſancta Maria ad Martyres. In chronico Alberici ita memoratur ad annum 446: *Treviris poſt Mauritium præfuit Leguntius primo, ut dicitur, Metenſis epiſcopus.* Si revera fuerit ſimul epiſcopus Metenſis & Trevirenſis, utraque eccleſia de die obitus & loco ſepulturæ parum concordat. Trevirenſis enim vult defunctum 19 Februarii ac tumulatum in monaſterio S. Mariæ ad Martyres. Metenſis vero aſſignat ejus ſepulturam in crypta S. Clementis & diem B mortis ad 18 Februarii.

XII. S. Auctor.

Omiſſus Auctor in catalogo S. Giſleni, ad Cœlites abiiſſe creditur ad annum circiter 446. Vitam ejus apocrypham variaque tranſlationis acta ediderunt hagiographi Antuerpienſes tom. VI Auguſti, p. 39 & ſeqq. De S. Auctore hæc habet chronicon Alberici ad annum 450: *Treviris poſt ſanctum Legontium epiſcopum fuit ſanctus Auctor archiepiſcopus & ipſe Metenſis epiſcopus.* Fundamento deſtituta hæc Alberici opinio non omnino videtur, C utpote utriuſque eccleſiæ Trevirenſis ac Metenſis catalogi ſanctos Leontium ſeu Legontium & Auctorem inter præſules ad eadem circiter tempora recenſent.

XIII. S. Severus.

Lupi Tricaſſini diſcipulus Severus ſancto Germano Autiſſiodorenſi in Britanniam hæ- *Surius vit. S. Lupi 29 Julii.*
reſim Pelagianam compeſcendi gratia iterum reverſuro ſocius adjungitur anno 447. Etſi 447.
nomen ejus reticetur, volunt nonnulli eumdem eſſe atque hunc epiſcopum Gallum, qui ex D Socrate lib. VII, cap. III, p. 371 & 372, tempore Theodoſii junioris Burgundiones ad fidem Catholicam convertit. Obiiſſe dicitur an. 455. Feſtum ejus celebratur 15 Octobris. 455.

XIV. S. Cyrillus.

Cyrillus ex Geſtis Trevirorum cap. XXXVI, *cellam S. Eucharii incenſam & deſertam reparavit, monaſterium non longe a priori loco conſtituit & illuc corpora ſanctorum Eucharii & ſucceſſorum ejus tranſtulit, juxta quos & ipſe requieſcit.* Deceſſit circa annum 458. Colitur inter Beatos 458.
XIX Maii. Baſilicæ S. Eucharii refectorem fuiſſe E comprobant hi antiqui verſus:

Quam bene concordes divina potentia jungit
Membra ſacerdotum, quæ ornat locus iſte duorum.
Eucharium loquitur, Valeriumque ſimul.
Sedem victuris gaudens componere membris.
Fratribus hoc ſanctis ponens altare Cyrillus
Corporis hoſpitium ſanctus metator adornat.

XV. Jamblichus.

Diverſo modo nuncupatur Jamblichus, in catalogo S. Giſleni vocatur Jamnecius, in

Gestis Trevirorum Jamnericus, & apud alios A Jamnerius. Sedit circa annum 475. In epistola Auspicii Tullensis episcopi ad Arbogastem comitem Trevirorum sic memoratur: 475.

Bucher. Belg. Rom. p. 570.

Sanctum & primum omnibus nostrumque papam Jamblychum.

Honora, corde dilige, ut diligaris postmodum.

Miris quoque laudibus eum extollit Sidonius in epistola ad eumdem comitem Arbogastem, eum vocat *consummatissimum virum, cunctarumque virtutum conscientia & fama juxta Beatum.*

XVI. Evemerus *vel* Emerus.

B

XVII. S. Marus.

Honoratur Marus 26 Januarii. De ipsius miraculis aliqua ex mss. abbatiæ S. Maximini non admodum vetusto ediderunt Antuerpienses tom. II Januarii, p. 730 & seq. Sepulturam operis antiqui nec inelegantis habet in æde D. Paulini cum ea inscriptione: *Præsul Marus Deo dilectus multas carne vivens egit virtutes, cuncta ejus vitæ liber habet.*

XVIII. Volusianus.

Hunc locum in omnibus catalogis obtinet C Volusianus. De eo Gesta Trevirorum, cap. 36 hæc habent: *Hic privilegium dudum a B. Silvestro papa huic urbi per B. Agritium destinatum, sed, proh dolor! jam suo tempore neglectum & deletum, a pontifice Max. Romanorum renovari & roborari curavit.* Istud autem privilegium S. Silvestro attributum tamquam spurium & suppositititium rejicit scriptor historiæ diplomat. Trevir. t. I, p. 17.

XIX. S. Miletus.

Inter Cœlites honoratur Miletus 19 Sept.

XX. S. Modestus.

D

Trevirensem ecclesiam moderabatur Mo-
486. destus circa annum 486, quo obiisse dicitur. Sepultus est apud S. Eucharium. Notatur in tabulis ecclesiasticis VI cal. Martii.

XXI. Maximianus.

Apud Merssæum obiisse dicitur Maximianus anno 498.

XXII. S. Fibicius.

Fibicius idem sane est ac Felix, cujus permissu S. Goar ecclesiam in loco spectante E ad diœcesim Trevirensem construxit, Childeberto in Austria & Theodorico in Neustria regnantibus, uti testatur Wandelbertus Prumiensis monachus in vita S. Goaris, cap. 1, apud Surium ad diem 6 Julii. Porro episcopatus Fibicii aut Felicis defigendus videtur ad annum 511, quo duo isti reges regnare cœperunt. Hic juxta Cointium Maximiano in episcopatu Trevirensi, ex probatissimo sancti Maximini abbate subrogatus anno 498, ecclesiæ Dei sua conversatione minime dedecori fuit. Ejus festum agitur 5 Novembris.

XXIII. S. Rusticus.

Quanquam in catalogis Aprunculum inter & Nicetium ponatur Rusticus, hunc eo tamen ordine recensendum putat scriptor historiæ diplomaticæ Trevirensis, qui itidem adversus Browerum clare demonstrat eidem Rustico inter Nicetium & Magnericum locum assignari non posse. Sub Rustici moderamine constat ex vita S. Goaris, auctore Wandelberto, ipsum apud episcopum diversis criminationibus accusatum fuisse, atque ante eumdem accersitum ut accusationem dilueret. Is dum sisteret, allatus est infans recens natus qui ante valvas ecclesiæ expositus fuerat. Tunc S. Goarem monet Rusticus ut si constare sibi innocentiam suam & calumnias omnium omnino facescere velit, hujus infantis parentes edat. Deo prius a Goare invocato, infans ab ipso adjuratus ait patrem suum esse Rusticum episcopum & matrem suam mulierem quamdam nomine Flaviam. Qua attonitus confessione episcopus, Goarem innocentem, seque reum professus, abdicato episcopatu, secessit in monasterium B. Mariæ ad Martyres, ac ibidem acta septenni pœnitentia in Domino obiit, meruitque in Sanctorum numerum referri. Ejus festum agitur 14 Octobris.

XXIV. S. Aprunculus.

Proxime Nicetium antecessit Aprunculus seu Aponoculus ex Gregorio Turon. vit. Pat. cap. VI, col. 1171. Sancto fine perfunctus an. 527, diem festivum habuit in martyrologio 527.
ad 22 Aprilis. Conditus in divi Paulini basilica propter odei vestibulum in ipsa S. Clementis ara id habet epitaphium: *Hic jacet sanctæ recordationis Abrunculus hujus sanctæ sedis archiepiscopus. Cujus depositionis dies X kal. Maii observatur.* Posteriori ævo præcipua ejus corporis pars ad Sprinkirsbacense monasterium translata est.

XXV. S. Nicetius.

Miraculis, pietate, zeloque fidei inter alios Trevirenses episcopos conspicuus Nicetius, apud Lemovices natalibus ingenui sanguinis ortus, quem celeberrimi illius Nicetii tantopere a Sidonio Apollinari laudati, cognatione proximum fuisse aliqui conjiciunt, Apruncula in episcopatu successit an. 527. Vitam ejus ab ipso ortu usque ad pontificatus primordia ita perstringit Gregorius Turonensis in vitis Patrum, cap. 17, col. 1233. « Sanctus Nicetius episcopus ab ipso ortus sui tempore clericus « designatus est. Nam cum partu fuisset effusus, « omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium « infantium, a capillis nudum quidem cerne- « batur, in circuitu vero modicorum pilorum « ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam « clerici fuisse signatam. Exinde studiosissimis « enutritus parentibus, litterisque institutus, « abbati cuidam in monasterio commendatur, « in quo loco ita se devotum Deo exhibuit, «

ANNI CHRISTI

» ut migrante abbate succederet. Jam vero assumto abbatis officio tantum se talemque ad instructionem atque districtionem fratrum exhibuit, ut non modo agere, verum etiam nulli liceret aliquid vel loqui perverse. Venerabatur eum rex Theodoricus magno honore, eo quod sæpius vitia ejus nudaret & crimina, & castigatus emendatior redderetur, & ob hanc gratiam decedente Trevericæ urbis sacerdote eum ad episcopatum jussit accersiri. Dato autem consensu populi ac decreto regis ad ordinandum a viris summo honore præditis adducebatur. Verumtamen cum propinqui ad urbem, cadente sole, fixis tentoriis mansionem pararent, illi confestim laxatis equis, per segetes pauperum dimiserunt. Quod cernens beatus Nicetius misericordia motus ait: Expellite quantocius equos vestros a segete pauperis, alioquin removeam vos a communione mea. At illi indignantes dixerunt; quænam est hæc causa quam loqueris? adhuc enim episcopalem apicem non es adeptus, & jam excommunicationem minaris? & ille. Vere, inquit, dico vobis, quia deliberavit rex, ut me avulsum a monasterio, huic oneri consecrari juberet. Fiet, inquit, voluntas Dei, nam regis voluntas in omnibus malis, me obsistente, non adimplebitur. Tunc cursu abiens, ejecit equos a segete; & sic cum admiratione hominum illorum ad urbem deductus est. Non enim honorabat personam potentis, sed Deum tantum & in corde, & in operibus metuebat. Impositus itaque in cathedra, dum lectionum seriem auscultaret, sensit nescio quid grave super cervicem suam. Cumque bis aut ter manum clam ad tentandum injecisset, nullius rei causam invenire potuit, quæ hoc pondus inferret, divertensque caput ad dexteram & lævam, odoratus est odorem suavitatis: intellexit quoque hoc onus esse sacerdotii ipsius dignitatem. Assumto vero episcopatu tam terribilem se præbuit omnibus, si Dei mandata non observarent, ut imminere mortem proximam voce præconis testaretur. » Theodebertum Theodorici filium peccantem non semel libere arguit, Clotarium etiam regem ob scelera excommunicare non veritus, in exsilium pulsus est, unde a Sigiberto rege revocatus, sedi suæ restituitur. Qua de re ad eum directæ sunt litteræ gratulatoriæ. Diversis interfuit conciliis, [a] Arvernensi I an. 535, Tullensi 540, [b] Aurelianensi 544, [c] Arvernensi II paulo post habito, [d] Parisiensi II, 555. Miris laudibus extollitur ab abbate Floriano Romani-monasterii, qui ejus apud Theodebaldum regem patrocinium precatur. Epistolam veneratione caritateque refertam episcopus nomine Rufus ipsi scribit, mittitque artifices ex Italia accitos an. 549. Insequenti habitum est Tulli concilium jussu Theodebaldi Austrasiæ regis, occasione molestiarum quas sancto Nicetio exhibebant quidam magnates, ob incesta connubia ab eo excommunicati. Mappinius Remensis episcopus quod huic concilio non adfuerit apud eum se excusat. Quin & ipse ad imperatorem Justinianum direxit epistolam, qua eum ab hæresi revocare studet anno 563. Clodsuindam reginam Longobardorum suis hortatur litteris ut Alboinum maritum suum ad orthodoxam fidem promoveat anno 565. Obiit autem 5 Decembris 566. Dies ejus festa agitur 1 Octobris. Hoc insigni encomio laudatur a Venantio Fortunato.

535. 540. 544. 555.

[a] Harduin. collect. conc. tom. II, pag. 1183.
[b] Sirmond. Concil. Gall. t. I, p. 284.
[c] Ibid. p. 291.
[d] Harduin. tom. III, p. 336.

563. 565.

Chart. I, col. 187.
Charta II, col. 188.

Splendor, apex fidei, veneranda mente Niceti,
Totius orbis amor, pontificumque caput.
Summus apostolico præcellens pastor ovili,
Auxisti meritis, quidquid honoris habes.
Divino insistens operi, terrena relinquis,
Cui moritur Mundus, non moriture manes.
Vita brevis cunctis, sed non brevis illa beatis,
Cum bona non pereant, jure perennis erit.
Dum tibi restrictus maneas, & largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare crede Deo.
Captivus quicunque redit sua limina cernens,
Ille lares patrios, tu capis inde polos.
Hic habet exul opem, jejunans invenit escas,
Qui venit esuriens, hinc satiatus abit.
Tristibus imponis curas purgando querelas,
Et sanat cunctos una medela viros.
Pauperis hinc lacrymas desiccas, gaudia præstans.
Qui prius ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges, nunquam lupus abripit agnos,
Sunt bene securi, quos tua caula tegit.
Templa vetusta Dei renovasti in culmine prisco,
Et floret senior, te reparante, domus.
Hinc populis longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas pastor, ne lacerentur oves.

Vitam ejus contexuit Gregorius Turonensis in vitis Patrum, cap. XVII, hæc autem addit lib. de gloria Confess. cap. XCIV: « Nicetius .... episcopus, eleemosynæ, caritatis, sanctitatisque totius refulsit merito, dum in corpore commoratus est. Hic a seculo migrans, ad basilicam sancti Maximini prædecessoris sui sepultus est. Ad cujus nunc tumulum vinctorum catenæ franguntur, energiam incursionis diabolicæ patientes extrusis dæmonibus liberantur, cœcorum oculi plerumque remotis tenebris lumine infunduntur. Jam de perjuris quid dicam? Si quis enim ibi falsum juramentum proferre ausus fuerit, ilico divina ultione corrigitur; nec quisquam hæc vel loqui audet si, conscientia torquente, reum se esse cognoverit, quod ibi sacramentum præsumat exsolvere. »

XXVI. S. MAGNERICUS.

Nicetii discipulus Magnericus ei successit anno 566, quem ex nobili Tetradii prosapia editum tradunt veteres ecclesiæ fasti. Theodorum Massiliensem episcopum, quem vi captum deducebat ad Childebertum regem 566.

Greg. Turon. Hist. Fran. lib. VII, cap. II.

ANNI CHRISTI

Greg. Turon. Hist. Franc. lib. IX, c. X, p. 429.

Austrasiæ Gunchramnus Boso, benigne excepit, ipsique præbuit vestimenta quibus indigebat. Regem eumdem & ipse comitatus est adeuntem Guntramnum apud Andelaum, quo in congressu statutum est ut Guntchramnus Boso interficeretur. « Quod cum ille comperisset, inquit Gregorius Turonensis, ad mansionem » Magnerici episcopi convolavit, & clausis ostiis, » segregatis ab eo clericis ac famulis, ait: scio te, » beatissime sacerdos, magnum cum regibus » honorem habere; & nunc ad te confugio ut » evadam. Ecce percussores ad ostium: unde » manifeste scias, quod si a te non eruor, inter» fecto te egrediar foras & moriar. Manifestissime » enim noveris, quia aut mors una nos occupat, » aut par vita defensat. O sancte sacerdos, scio » enim te patrem communem cum rege esse » filio ejus, & novi quoniam quæcunque petieris » ab eo, obtinebis; nec negare omnino poterit » sanctitati tuæ quæcunque poposceris. Ideoque » aut impetra veniam, aut moriamur simul. Hæc » autem evaginato aiebat gladio. Turbatus hoc » episcopus audito, ait: & quid faciam, si hic » a te teneor? dimitte me, ut eam, & deprecer » misericordiam regis; & fortassis miserebitur » tui. Et ille: nequaquam; sed transmitte abbates » & creditos tuos, ut hæc quæ loquor exponant. » Verumtamen non hæc regi, ut erant, nun» tiata sunt: sed dixerunt quod hic ab episcopo » defensaretur. Unde factum est ut commotus » rex diceret: si episcopus exinde egredi noluerit, » pariter cum illo auctore perfidiæ pereat. Hæc » audiens episcopus, direxit nuntios ad regem. » Qui cum ista narrassent, ait rex Guntchramnus: » injicite ignem in domum, & si exire nequi» verit episcopus, pariter concrementur. Hæc » audientes clerici, effracto vi ostio, sacerdotem ejiciunt foras. » Theodbertum Childeberti regis filium e sacro fonte suscepit an. 585. Ejus obitus refertur ad annum 596. Colitur 25 Julii. Sepultus est in monasterio sancti Martini, a se ipso ad litus Mosellæ condito, cujus abbas Eberwinus scripsit vitam seculo x, quam ediderunt Antuerpienses. Insignis est locus Fortunati carmine XI, lib. III, ubi diserte de illius elogio sic cecinit:

Id. lib. VIII, c. XXXVII, p. 409.

585.
596.

Culmen honorificum, patrum pater, archisacerdos.
Pontificale decus proficiente gradu.
Quem fidei titulus meritis erexit in altum,
Ecclesiæque caput, distribuente Deo.
Discipule egregii bone Magnerice Niceti,
Nominis auspicio magne cavende tui.
Clare sacro merito tanto informante magistro,
Quem reparas operum fructificante loco.
Cujus opime sequax, sancta & vestigia servans,
Rite minister agens, ecce magister ades.
Autorisque pii successor dignus haberis,
Heredisque sui frugiparensque manet.
Crevit post obitum pater, & te crescere fecit,
Dum capit ille polum, tu capis arce locum.
A *Grex alitur pro te, vice præcessoris alumne,*
Nec sua damna dolet, dum tua lucra tenet.
Fratribus optandus, jucundus honore ministris,
Carius & populis pastor amore places.
Te panem esuriens, tectum hospes, nudus amictum,
Te fessus requiem, spem peregrinus habet.
Hæc faciens intende magis venerande sacerdos,
Ut commissa tibi dupla talenta feras.
Pro Fortunato exorans quoque dulcis amator,
Spem mihi dans veniæ, sit tibi palma pater.

XXVII. Gundericus.

B Nulla alia notitia apparet Gundericus, aliis vero Gangricus seu Gaugericus, quam quod S. Magnerico successerit. Diversus omnino videtur a S. Gaugerico Cameracensi episcopo quicum a nonnullis confusus est, nullumque cultum ipse habet in ecclesia Trevirensi, licet Saussaius in supplemento ad martyrologium suum Gallicanum die 25 Julii, p. 1152 meminerit cujusdam translationis cathedræ sancti Gaugerici; ubi, nescio qua fultus auctoritate, asserit hunc episcopum, post S. Magnerici obitum, de sede Cameracensi, tum simplici C dioecesana, ad Trevirensem principantem ecclesiam superiori jussu fuisse transcriptum.

XXVIII. S. Sebaudus.

Præter Sebaudi nomen, de eo nihil certi in tabulis ecclesiasticis. Inter divos honoratur juxta calendarium S. Simeonis 26 Novembris. In vita S. Modoaldi postponitur S. Severino. Horum vero alter uter desideratur in catalogo S. Gilleni.

XXIX. Severinus.

D Browerus in annalibus Trevirensibus una cum recentioribus duos in episcoporum Trevirensium indicem Severinos admittit, unum quinto ante Agricium loco sub Maximiano martyrium passum, quem rescindere duximus; alterum vero initio seculi VII, quem vicesima die Decembris ecclesiæ fastis receptum fuisse testatur. Hac in re Browero non diffidit episcopus Myriophitanus, at ille fatetur Severinum neque in martyrologiis, quæ typo prostant, hactenus a se visum, neque in aliquo breviario aut lectionario Trevirensi. In Gestis Trevirorum post Sebaudum legitur Severinus, ipsi E vero in vita S. Modoaldi præponitur. Ejus vita, quæ visitur in mss. collegii Societatis Jesu Trevir. inter apocryphas est amandanda.

XXX. S. Modoaldus.

Ortus ex inclyta Aquitanorum prosapia Modoaldus, sororem habuit Ittam Pipini ducis conjugem ac S. Gertrudis Nivellensis abbatissæ matrem. Dagoberti regis Austrasiæ in aula sanctam integramque cum ille vitam degeret, Trevirenses ad infulas evectus est anno 622, insequentique eidem regi fuit auctor ut 622.
monasterium Theologiense conderet. Remensi 623.

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

concilio sub Sonnatio præsule celebrato adstitit anno 625. Litteras a Desiderio Cadurcensi episcopo suscepit anno circiter 630, quibus ille gratias agit quod se in illas partes profectum paterno affectu refoverit; filiumque communem Claudium abbatem litterarum munusculorumque latorem ei obnixe commendat. Plura sanctimonialium cœnobia in urbe Trevirensi condidisse fertur: primum in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, ab horreis regalibus, quæ Dagobertus I in eam rem contulerat, Horreum dictum: aliud in suburbano palatio, ob id Palatiolum nuncupatum, cui Basilissam præfecit: alterum tandem S. Symphoriani ad litus Mosellæ, in quo sororem suam, Severam nomine, abbatissam constituit. Ejus curis educandus atque in liberalibus studiis traditus est instituendus Germanus abbas Grandivallensis futurus & martyr, ex senatorio genere in solo Trevirensi procreatus. Diploma Dagoberto regi attributum, quo hic princeps anno circiter 633 antecessorum regum donationes Modoaldo confirmat, tanquam adulterinum ac suppositium rejicit episcopus Myriophitanus. Defunctus autem Modoaldus circa annum 640, humatus est ad latus Severæ sororis in ecclesia S. Symphoriani, post cujus eversionem delatus est in basilicam S. Paulini. Festivum habet diem 12 Maii. Vitam ejus scripsit sæculo XII Stephanus abbas S. Jacobi Leodiensis, quam Surius & Antuerpienses publicarunt.

Harduin. tom. III. p. 671. 625. 630.

XXXI. S. Numerianus.

640. Ad episcopatum anno 640 pervenisse creditur Numerianus, cujus ætate Sigibertus III rex Franciæ an. 653, idibus Maii possessiones ecclesiæ Trevirensis ab improborum injuriis vindicavit. Deodato quondam Nivernensi episcopo & abbati Vallis-Galileæ circa annum 664 privilegium immunitatis indulsit inscriptum, *Dominis sanctis & summi culminis apici pontificalisque cathedræ specula præsidentibus in Christo fratribus Childulpho, Gissoaldo, Eborino episcopis comprovincialibus.* Significat autem id a se tributum fuisse privilegium Deodato, qui monasterium Vallis-Galileæ construxit, & monachos atque peregrinos sub regula beati Benedicti & S. Columbani abbatis ibidem collocavit. Præceptum Childerici Francorum regis S. Remaclo quamdam forestam confirmantis laudavit anno 666, illicque vocatur Memorianus. In sede Trevirensi Numerianum non excessisse annum 666 probatur ex actis SS. Antuerp. mensis Julii, tom III, p. 218. Memoria ejus Treviris colitur die 5 Julii. Vide etiam tom. II mensis Julii, p. 231. De illo hæc habet Browerus annal. Trev. lib. VII, p. 356. *Inde* (id est post mortem Modoaldi) *cura pontificia ad Numerianum translata, quo de nihil equidem præter epitaphii memoriam, veterum monumentis traditum reperio, ut vel hinc alluceat, haud in longum ecclesiæ curas protulisse. Eum rara & excellens virtus in Divorum ordinem, consentiente vetustate, cooptavit, memoria ei consecrata* A *v Julii. Corpus in B. Helenæ, suburbano veteri pago, quiescit, æde, quam ante quingentos annos archiepiscopus Udo D. Helenæ Augustæ dicavit. Ut igitur hic omnia simul complectar, illius incisum sepulchro monumentum ita olim habuit:*

Ch. IV, col. 291. 664. Charta V, col. 291.

Hoc recollecta in loculo sunt pignora sacra
Præsulis almifici Trevirorum Numeriani,
Qui superos adiit, dum ternas Julius ambit
Nonas, perpetuo cum Sanctis jungitur ævo.

XXXII. S. Hildulfus.

Claro Noricorum seu Boiorum genere editus B Hildulfus, a Browero ex fide Gestorum Trevirensium inter Milonem & Veomadum ponitur ad annum 758. Sed gravissimi viri in critica arte exercitatissimi, Henschenius *in Diatriba de tribus Dagobertis, lib. IV, § 5.* Mabillonius *Annal. Bened. lib. XV, n. 58.* Humbertus Belhommæus abbas Mediani monasterii *in actis SS. Antuerp. tom. III Julii, pag. 210 & seqq.* & alii, certissimis probant argumentis Hildulfum in cathedra Trevirensi proximum Numeriani successorem extitisse, locumque Basino fecisse. Electus est an. 666, 666. insequenti vero corpus S. Maximini ex crypta, 667. C ubi a B. Paulino collocatum fuerat, in proximam S. Johannis Evangelistæ ædem recens constructam, una cum sacris sanctorum Martyrum Thebeæ legionis, nec non Agræcii ac Nicetii pontificum reliquiis transtulit IV cal. Junii. Novæ hujus basilicæ auctor, atque adjuncti monasterii instaurator, ubi revocata disciplina, ad centum monachos ibidem instituisse ac dotasse perhibetur. Numeriani decessoris exemplum æmulatus, ad preces sancti Deodati in gratiam monasterii Vallis Galileæ privilegium concessit anno circiter 670, cui 670. duodecim episcopi subscripsere. Anno autem D post sexcentesimum septuagesimo primo, abdicata dignitate, in Vosagum secessit, & in Mediano monasterio, quod ibidem condiderat, diem clausit extremum an. 707. Inter Sanctos honoratur 10 Julii. Vitam ejus circa annum 964 ex antiquiori compositam Antuerpienses ediderunt tom. III Julii, p. 221 & seqq. cui binas alias recentiores addunt una cum commentario prævio Belhommæi abbatis. Sunt qui de episcopatu sancti Hildulfi dubitent, propterea quod in nonnullis catalogis omissus fuerit, at frequens est in veteribus episcoporum E indicibus omissio, præsertim cum in sede sua non obierunt. Porro Hildulfi præsulatum probant omnes ejus vitæ, quarum tres sunt: probat & privilegium, quod duodecim episcoporum auctoritate roboratum concedere non potuisset, si revera Trevirensis episcopus non fuisset.

XXXIII. S. Basinus.

Excepit in episcopatu Basinus Hildulfum an. 671 ex monasterio S. Maximini assumtus. 671. Communi omnium ordinum calculo ad Trevirensem sedem dicitur provectus eodem

ANNI CHRISTI

recurrente die, quo monachum induerat. A Hoc in munere insigni pietate & morum innocentia resulsit usque ad annum 695, quo abdicato episcopatu, ut liber ab omnibus humanarum rerum curis esset, ad S. Maximini monasterium repedavit, cujus abbas vel ante initum pontificatum, vel post cessionem exstitisse fertur. Quandiu autem suo secessui supervixerit incompertum. Verumtamen anno 698, 1 Novembris & 1 Decembris chartæ & testamento S. Irminæ Horreensis abbatissæ in gratiam monasterii Epternacensis subscripsit, atque etiam an. 704, VIII id. Maii. Sepelitur in crypta quæ latet sub vestibulo majoris altaris B ecclesiæ S. Maximini a latere dextro. Annotatum diem habet in albo Sanctorum ad 4 Martii. Ejus vitam a Nizone Mediolacensi abbate perquam vitiose scriptam publicarunt Antuerpienses tom. I Martii, p. 315.

Char. VII, col. 293. Ch. VIII, col. 294.

XXXIV. S. Leotwinus.

Basini ex sorore Gonza nepos Leotwinus, vel Luitwinus, vir in seculo opibus præpotens ac desponsatus, primum Galliæ Belgicæ dux, omnia monasteria Trevirensis urbis largissimis honoravit donariis & prædiis auxit: postea C Mediolacense cœnobium ad Saroam a fundamentis erexit, atque impense dotavit, ubi & ipse, monasticæ vitæ suscepto habitu, abbatiali munere functus est. Avunculo in solitu-
695. dinem regresso successit an. 695. Eo autem atque Basino suadentibus, Irmina Horreensis abbatissa medietatem Epternaci, itemque basilicas a se ibidem conditas sancto Willibrordo concessit calend. Novembris 698. Abbatissæ ejusdem testamentum, quo ipsa donat monasterio Epternacensi quidquid sibi ex paterna vel materna successione contigerat, ille laudavit eodem anno calendis Decemb. Trevirensem D diœcesim laudabiliter utiliterque gubernavit, sed neque Remensi neque Laudunensi cathedris unquam insedit; unde corruunt ea, quæ uno die in Remensi & Laudunensi diœcesibus, sacrorum scilicet ordinum consecrationem, gessisse perhibetur. Rhemis, quo perrexerat, ut synodo ex utraque Belgica convocatæ interesset, mortuus asseritur anno 713, 29 Septembris. Præsulem hunc sanctum venerantur Trevirenses ac Mediolacenses III cal. Octobris, cujus vitam Nizo Mediolacensis abbas hactenus ineditam scripsit. Remis Mediolacum a Milone filio atque successore de- E latus, ibidem quiescit in sacello a præcipua ecclesia separato, ubi id habet rude ac impolitum epitaphium:

Chart. VII, col. 293. Ch. VIII, col. 294.

Hic pater insignis Lutwinus fons pietatis,
Cujus in hac tumba requiescunt pignora sacra.
Quondam divitiis cum polleret copiosis,
Est factus monachus; multis post forma futurus.
Viribus hic totis frangens incendia carnis.
Archimandritæ posthæc pignus subeunte
Urbis Trevericæ gregis & sortitus ovile
Pastor agens vitam plenis virtutibus ipsam.
Tandem cum palma felix migravit ad astra.
Omnibus effectum tribuens poscentibus ipsum,
Unde preces illi profundite mente fideli,
Pestis ut assidue procul absit sospite cive.

XXXV. Milo.

Patre Lutwino & in sede episcopali decessore natus Milo, ab eo multum degener, pontificalem cathedram consequitur an. 713; 713.
in Remensem quoque sedem a Carolo Martello intruditur, teste Flodoardo lib. II, c. 12. « Carolus, inquit, ut principatum bello adeptus est, hunc virum domini Rigobertum patronum suum, qui, ut traditur, eum de lavacro sancto susceperat, episcopatu deturbavit, & cuidam Miloni, sola tonsura clerico, qui secum processerat ad bellum, dedit hoc episcopium ». Quam autem perniciosa fuerit Milonis administratio, satis indicat Hincmarus in vita sancti Remigii hisce verbis: « Caroli principis tempore, quando propter discordiam & contentionem de principatu inter eum & Ragenfridum frequentia & civilia, imo paricidalia bella, in Germanicis & Belgicis ac Gallicanis provinciis religio Christianitatis pene fuit abolita, ita ut episcopis in paucis locis residuis, episcopalia laïcis donata & per eos rebus divisa exstiterint: adeo ut Milo quidam, tonsura clericus, moribus, actu, habitu irreligiosus laïcus, episcopia Remorum ac Trevirorum usurpans insimul per quadraginta circiter annos pessumdederit. Cujus infelici tempore de ista Remensi ecclesia non solum pretiosa quæque ablata fuerunt, sed & ecclesiæ atque domus religiosorum destructæ & res ab episcopio divisæ. » Quæ omnia quamvis de sola Remensi ecclesia referat Hincmarus, non alia tamen ratione in urbe Trevirensi sub ejusdem episcopi moderamine acta fuisse facile est ad credendum. Utraque tandem ecclesia indigno suo præsule liberata est an. 753. Is enim post annos quadraginta suæ invasionis, inter venandum apri ferino dente percussus, interiit in villa, quæ dicitur Irane seu Erangium, ibidemque sepultus est. De eo jam fuse locuti sumus tom. IX, in sancto Rigoberto archiepiscopo Remensi.

Surius, t. I, p. 185.

XXXVI. S. Veomadus.

Trevirensem in sedem ex abbate sancti Maximini Veomadus Miloni successit anno 753. Regiæ auctoritatis præceptum adeptus 753.
est a Pipino Francorum rege ergo confirmandi Trevericæ ecclesiæ suas possessiones & quicquid ipsa habet & habebit citra Rhenum & Ligerim XV cal. Julii 761. Legitur 13 761.
Augusti 762 in diplomate regis ejusdem pro constructione & dotatione monasterii Prumiensis. Instrumento fundationis monasterii 762.
Laureshamensis subscripsit anno 764, decennioque post interfuit dedicationi ecclesiæ loci ejusdem. Litteras diplomati Pipini regis 764.

Chart. XI, col. 298. Char. XII, col. 299. Chesn. hist. Franc. t. III, p. 491.

consimiles a Carolo Magno ejus filio impetravit 1 Septembris 773. Alius non videtur a Viomago, quem Adrianus papa Tilpino Remensi archiepiscopo præcipit ut secum assumat investigandi gratia de ordinatione & doctrina Lulli episcopi Moguntini anno circiter 775. Regnante Carolo Magno eum inter & Asuerum abbatem Prumiensem orta est contentio de cella S. Goaris, quæ abbati tantum beneficii jure a Pipino concessa fuerat. *Missis Dominicis* commissa causa, judicatum est cellam hanc regii juris esse, ac proinde Asuero legitime traditam fuisse. Corpus S. Castoris in Cardonensi vico repertum magna cum pompa & solemnitate transtulit in ecclesiam sancti Paulini ejusdem loci Caradonensis, unde postero tempore huic ecclesiæ sancti Castoris nomen inditum. Plerique auctores qui de Trevirensibus episcopis scripserunt, Veomadi obitum consignant in annum 776, Browerus in annum 781. At certiora edocemur a codice mss. San-Maximiano Caroli Magni tempore
791. exarato, in quo mors ejus notatur an. 791. Verba ipsa mss. hic exscribere abs re non erit: *Anno DCCLXXXXI perrexit dominus Carolus cum Francis & Saxonibus, cum Baiouuariis & Alemannis, & cum cæteris populis suis in Pannoniam ultra* Omundesdorf *& cum triumphi gloria rediit, & hyemavit in* Raganesburc. *Egilramnus, Wiomadus, Sindpertus episcopi obierunt.* Colitur 8 Novembris, quo die e vita excessit. Tumulatus est in monasterio S. Maximini, reportatus ex Pannonicis finibus vel ex Bavaria, quo cum dignitate *Missi Dominici* regem secutus fuisse conjicitur.

XXXVII. Richbodus.

Mediolacensis abbas Richbodus vel Richboldus ad episcopalem dignitatem electus est anno circiter 791. Hunc Alcuini discipulum fuisse cognoscimus ex epistola XXXIV, cujus est titulus: *Ad pontificem Rigbodum Treverica civitatis, cognomento Macarium.* Hæc vero inscriptio: *Pio patri & amico carissimo Macario, monacho & pontifici.* In contextu epistolæ dolet Alcuinus eum sibi ereptum. *Quid*, inquit, *mihi divitiæ, si non habeo quem amo, si non considero quem desidero! .... Ubi est dulcissimum inter nos colloquium, ubi sacrarum litterarum studium desiderabile! ubi læta facies, quam conspicere solebam!* Deinde eum amice castigat, quod se neglecto totus sit in Virgilio: *Flaccus recessit, Virgilius accessit, & in locum magistri nidificat Maro.* Et in fine: *Utinam Evangelia quatuor, non Æneides duodecim, pectus compleant tuum, & te avehat quadriga ad Cæleste palatium.* Alcuinus epist. 40, eum vocat filium, fratrem & amicum. De Richbodo etiam Mabillonius interpretatur Alcuini epistolam IV ad Davidem seu Carolum regem, qua ad refellendum Felicis episcopi Urgellitani libellum, poscit adjutores Paulinum patriarcham, similiter Richbonum & Theudulfum episcopos, doctores & magistros. Locum inter

Chart. XV, col. 303.

viros illustres ordinis Benedictini Johannes Trithemius Richboldo tribuit, at nihil ab eo scriptum memorat. Hunc vitam clausisse anno 804, & quidem calendis Octobris tradunt annales Loiseliani, quibus suffragantur Fuldenses & Hermannus Contractus.

XXXVIII. Vaso.

Qui in abbatiale munus Mediolaci Richbodo successerat, successit & in episcopale Vaso vel Viso an. 804, cujus res gestas nequaquam 804.
produnt annales Trevirenses, nisi quod cum suis suffraganeis conventui apud Theodonis-villam interfuerit an. 805. Fatis concessit an. 809.

XXXIX. Amalharius.

Mediolacensis monachus Amalharius archiepiscopatum jam obtinebat anno 809, uti 809.
apparet ex præcepto Ludovici Pii exarato an. 834. Directus est an. 811 ab imperatore Carolo Magno in Saxoniam Transalbianam ut populos Christiana fide imbueret, ibidemque dicavit ecclesiam Hammaburgensem. 811.
Suam in diœcesim reversus anno sequenti 812.
eidem principi libellum de cæremoniis Baptismi inscripsit, circa cujus finem sic alloquitur imperatorem: *Dixistis, serenissime Imperator, velle vos scire qualiter nos & suffraganei nostri doceremus populum Dei de Baptismi sacramento.* Varias etiam scripsit epistolas magna litterarum sacrarum æque ac profanarum notitia refertas. In locum Petri Virdunensis episcopi e vivis erepti suffectum ordinavit Austrannum. Ineunte vere anni 813 a Carolo Magno Constantino- 813.
polim cum Petro Nonantulano abbate missus est propter pacem cum Michaële imperatore confirmandam. Qua legatione perfunctus in Gallias repetiit & tradidit monasterio sancti Eucharii collectaneum Eugipii abbatis, nomine proprio manu sua codici cum solemni adjuratione sic præscripto: *Amalheri episcopus civitatis Treforensis, quem adquisivi parvitate mea, trado partibus ecclesiæ S. Eucharii Treforensis successorum. Quisquis futurus sis, sive potens in sæculo, sive pauper, sive scholasticus, sive idiota, te precor per Dominum Christum, qui nos judicaturus est, ut ne auferas illum a supradicta ecclesia. Et ut firmius cognoscatur, mea manu subscripsi, & in principio & in fine libri.* Verumtamen codex iste, contra legatoris voluntatem in bibliotheca metropolitana nunc servatur. In annalibus Trevirorum a Johanne Masenio laudatis Amalarius dicitur *Cardinalis Romanus.* Id Commenti, inquit, Cointius, profectum est ex fictitiis Liudgeri Mimigardevordensis episcopi litteris de canonisatione S. Swiberti, quæ apud Surium post vitam ejusdem S. Swiberti reperiuntur. Diem ultimum absolvit an. 814, sepultusque est in æde S. Paulini. Vitam ejus edidit Constantinus Caetanus Congregationis Casinensis decanus.

(Lindenborg. Scriptor Septentrional. p. 125. edit. recent.)

(Spicil. t. III, p. 330 & seqq.)

(Sirmond. Opera varia, tom. IV. pag. 461. Venet.)

XL. Hetti.

Natalium splendore illustris Hetti vel Hetto,

ANNI CHRISTI germanus frater Warentrudis Palatiolensis ab- A
batissæ, e Mediolacensi monasterio, tunc Tre-
Mabill. Ann. Bened. tom. II, lib. XXVIII, n. 16. virensium antistitum veluti seminario, accitus
& ipse abbas, Amalhario successit anno 814.
A Ludovico serenissimo imperatore eximia
814. donatus est immunitate VI cal. Septembris
Ch. XVIII, col. 305. an. 816; scripsitque an. 817 Frothario Tul-
Ch. XIX, col. 306. lensi episcopo terribile ad se pervenisse impe-
rium domini imperatoris, ut omnibus legationi
suæ subjectis significaret quatenus se pararent
ad bellum contra Bernardum Italiæ regem,
qui rebellare tunc disponebat. Sciscitatur anno
819. 819 ab eodem episcopo utrum canonici exse-
quantur statuta, quæ pro ipsis in Aquensi B
concilio condita fuerant. Diversis tam conven-
tibus quam conciliis interfuit, Aquisgranensi
821. 819, duobus Theodonis-villæ 821 & 835,
829. duobus etiam Moguntinis 829 & 834.
Sirmond. ibid. p. 462. Anscharii primi Hammaburgensis archiepiscopi
830. consecrationi adstitit an. 830. Corpus sancti
836. Castoris asportavit an. 836 de loco, in quo
Act. SS. vit. S. Castoris, 13 Febr. requiescebat, Caradona vocato, in castrum
Confluentes, situm ubi Mosella in Rhenum
influit; posuitque in monasterio, quod ibidem
ex præcepto S. Materni ipse a fundamento
Ch. XX, col. 307. struxerat. Cum Marcuardo abbate Prumiensi
iniit permutationem, quam Lotharius impe- C
846. rator ratam habuit 1 Januarii 846. Unus est
Marten. Amplis. collect. t. IX, col. 641. ex episcopis ad quos Florus opusculum direxit
adversus Amalarium quondam Lugdunensem
chorepiscopum. Obiit autem anno 847, uti
annales Metenses habent; funeratusque est in
monasterio S. Eucharii ante altare S. Johannis-
Baptistæ.

XLI. Teutgaudus.

Alius ab Epternacensi abbate Teutgaudus,
Hetti nepos, & ut ille Mediolacensis abbas,
847. pontificatus honorem assecutus est an. 847.
Concilio apud Saponarias adfuit anno 859, D
uti & duobus conventibus Aquisgrani habitis
V idus Januarii & medio mense Februario
860, in quibus Lotharii regis a Teutberga
regina & uxore sejunctioni favit. Eodem anno
Hildradum & Amolgarium clericos Trevi-
renses, a fide sibi debita absolutos, Franconis
Tungrensis episcopi obsequio ac obedientiæ
Ch. XXII, col. 308. epistolis formatis subdidit, litterasque dedit
commendatitias ad Carolum Calvum regem
& ad episcopos omnes in gratiam Hegilonis
ad Sanctorum loca peregrinantis. Cum in
Ch. XXIII, col. 309. civilium bellorum motibus sese una cum clero E
hostibus metu devinxisset, a juramento solutus
est decretali Nicolai I summi pontificis anno
861. 861. Alteri Aquisgranensi concilio interfuit
anno 862, 8 Aprilis, in quo una cum cæteris
episcopis fecit licentiam Lothario regi dimit-
tere Theutbergam & Valdradam concubinam
in uxorem assumere. Quo audito, Nicolaus I
concilium Metis indixit, uti comprobatur ex
litteris Adventii Metensis Theudgaudum sic
compellantis: *Oportet vos, dilectissime pater, modo caute agere.* Pontifex tamen maximus
direxit legatos, qui huic synodo præessent,
ac de criminatione incestus adversus reginam inquirerent. Mandata papæ voluntati regis postponentes legati, sanxerunt quidquid in concilio Aquisgranensi actum fuerat anno 863 mense Junio. Delecti a patribus concilii Teutgaudus & Guntharius Coloniensis ut Romam acta deferrent, veluti legum canonicarum prævaricatores atque præcipui auctores scandali habiti sunt a summo pontifice; qui eodem anno concilium celebravit, in quo non synodum Metensem in æternum modo judicavit cum Ephesino latrocinio reputandam, & tanquam adulterio faventem, verum & ab omni sacerdotali officio penitus alienos Teutgaudum & Ch. XXV, col. 310.
Guntharium permanere decrevit, & omni episcopali regimine exutos consistere jussit. Illi vero quam plurimum irati Ludovicum imperatorem tunc Beneventi degentem convenere rogatum ut armata manu pontificem compelleret ad eos suas in sedes restituendos. At in eorum gratia imperator nil gessit, imo etiam ut ex Italia pellerentur assentitus est. Itaque spe sua frustratos sese cernentes, epistolas felle refertas ad episcopos Catholicos, quin & ad Photium C. P. patriarcham Schismaticum adversus papam scripsere. Cæterum exauctorationis excommunicationisque causas Nicolaus explicat in litteris ea de re missis ad Germaniæ, Bituricensisque provinciæ episcopos. Ubi autem in Gallias fuere reversi, ambo sacris interdicti longe diverse se gesserunt; unus enim, Guntharius scilicet, missarum solemnia celebrare & Chrisma conficere non metuit, cum Teutgaudus a sacro ministerio reverenter abstinuerit, teste Lothario rege, epist. ad papam Nicolaum: « Veraciter, inquit, ac sinceriter paternitas vestra noverit quod Theutgaudus simplicissimus atque innocentissimus vir vestram humiliter ferens censuram in nullo de sacro ministerio contingere præsumpsit, magis eligens dehonorationem præsentialiter in oculis hominum pati, quam per inobedientiam ab illius membris secerni, qui caput est humilium. » Annales Bertiniani sub anno 867 docent Guntharium & Teutgaudum Arsenii legati muneribus corrupti, patrocinio suffultos Romam adiisse spe obtinendæ absolutionis; verum Nicolaus tametsi a Ludovico Germaniæ rege & sub ejusdem regis imperio episcopis degentibus enixe rogatus, non eorum restitutioni modo assensum præbere voluit, sed & deprecatores litteris datis diebus 30 & 31 Octobris ejusdem anni graviter increpitavit. Attamen Adrianus Teutgaudo in monasterio S. Andreæ hospitium indulsit. Sed ut narrat Johannes diaconus, lib. IV de vita Gregorii Magni, in somnis a B. Gregorio loci conditore admonitus est ut e monasterio exiret; cum ille merum somnium esse credens haud recederet, durius ab eodem postea increpitus fuisse dicitur, quod monasterium suum diversorii instar haberet. Huic vero pontificis facultatem obtendenti sanctus Gregorius respondit ambos perperam egisse, pœnasque brevi daturos; ipsum vero Theutgaudum,

ANNI CHRISTI

Theutgaudum, ni brevi exeat, proxima hebdomade cum suis omnibus periturum. Exsurgens ille e lectulo primum suis, deinde monachis visum narravit: & cum a pontifice aliud in urbe hospitium impetrare non potuisset, ad Sabinos secedens ibidem cum suis omnibus morte multatus est anno 868. Sane ad Teutgaudi errorem multum contulit Guntharii Coloniensis temeritas & imprudentia, qui eum cum aliis ad Lotharii partes pertraxit, a quibus inter primos Teutgaudus recessit.

XLII. Bertulfus.

Carolus Calvus post obitum Lotharii regis nepotis sui Lotharingiæ regnum subiit an. 869;
869. eodemque, rogante Adventio episcopo Metensi, Bertulfum ejus propinquum, Mediolacensem abbatem, acris & vehementis ingenii ac spectatæ prudentiæ virum, ad Trevirensem cathedram evexit, ad cujus consecrationem adiere Hincmarus Laudunensis, Odo Belvacensis & Johannes Cameracensis episcopi, omnes Hincmari metropolitani monitis instructi, *ut a sacris regulis nulla aut negligentia aut præsumptione in aliquo deviarent.* Id in sui contemtum factum fuisse ratus Ludovicus Germaniæ rex, Waltonem monachum Trevirensis diœceseos Bertulfo objecit. Partes autem Bertulfi strenue tuendas suscepere Hincmarus Remensis, Remigius Lugdunensis, Arduicus Vesontionensis, Erardus Turonensis, Ado Viennensis & Egilo Senonensis archipræsules, litteris ad Ludovicum datis, quibus eum ut desistat a vexando Bertulfo, simulque a protegendo Waltone dehortantur: quippe Bertulfus citra regis ipsius contemtum, in ecclesia jam dudum vacante unanimi consensu, legitime, & regulariter ordinatus fuisset, & quia tot in eadem provincia suffraganei non erant episcopi ut metropolitanum regulariter ordinare valerent. Addunt equidem Waltonem præsumtorem esse & apostatam monachum de monasterio Trevirensis parochiæ, qui hanc ecclesiam exitialiter usurpaverat & læserat, nec unquam posset esse episcopus. Porro certum est Waltonem, quem nonnulli cum Waldone abbate S. Maximini perperam confuderunt, a Bertulfo evictum fuisse. Duziacensi synodo adversus Hincmarum Laudunensem episcopum congregatæ nec non Coloniensi Bertulfus adstitit ad annos 871 &
871. 873. Eo suadente, Ludovicus rex Germaniæ
873. 875. an. 875 bona quædam Glanderiensi monasterio
877. ablata restituit. Adsuit an. 877, imperii Ludovici Piissimi 36, apud Coloniam civitatem lectioni chartæ Alfredi Hildesemensis episcopi fundantis sanctimonialium congregationem seu abbatiam Essen vel Assendiensem. Litteras a Johanne VIII maximo pontifice accepit anno
878. 878 de adhortando rege Ludovico ut ad concilium Trecense conveniat aut legatos mittat. Eodem anno Valæ episcopo Metensi usu pallii in missarum celebratione diebus vitæ suæ tantummodo a Johanne papa permisso, id privilegium, totis quibus potuit viribus, pugnavit Bertulfus, renuitque litteras pontificis accipere; sed Hincmaro archiepiscopo Remensi interveniente, concordia metropolitanum inter & suffraganeum restituta est. Defuncto Ludovico Germaniæ rege anno 882, XIII calend. 882.
Februarii, Normanni Treviros urbem nobilissimam nonis Aprilis in Cœna Domini invaserunt, basilicas & monasteria totamque civitatem diripuerunt, flammisque exusserunt, fuga se surripiente Bertulfo, qui paulo post prælio cum ipsis congressus est, in quo Wala Metensis est interemtus. Strenuus jurium ecclesiæ defensor Bertulfus e vita migravit an. 883, 10 Februarii. Corpus ejus ecclesiæ beati Paulini illatum, ubi brevi saxo monumentum juxta sacrarium cum hac inscriptione clauditur: *Obiit Bertolfus Trevir. archiepiscopus IIII idus Febr.*

XLIII. Ratbodus.

Egregiis ad pontificium munus gerendum cum naturæ tum doctrinæ præditus adjumentis Ratbodus, uti & ejus antecessor, abbas Mediolacensis, huic subrogatus est VI idus Aprilis 883, atque Rotbertum Metensem episcopum 883.
ordinavit calendis Maii insequentis. Cum suffraganeis suis concilium habuit in ecclesia sancti Arnulfi Metensis calendis Maii 888; quo 888.
quidem anno Moguntinæ synodo præsens immunitatis privilegiis a Liudberto Moguntinensi episcopo monasteriis Novæ Corbeiæ & Herisordiensi indultis subscripsit. Regem Arnulphum adiit calendis Julii 889 humiliter supplicans quatenus abbatiam sancti Servatii confessoris, quæ vocatur Trajecta, traderet ecclesiæ metropolitanæ Trevirensi. Summi cancellarii in aula Zuenteboldi Lotharingiæ regis munere pluries decoratus occurrit ad annum 895. Idque potissimum apparet ex 895.
diplomate dato V cal. Febr. indict. XIII, cujus pauca hæc verba exscribimus: *Notum sit omnibus fidelibus ..... quod dilectissimi primates nostri Ratbodus scilicet ecclesiæ Trevirensis venerandus archiepiscopus, nostrique palatii archicancellarius, & Odoacrus insignis comes deprecati sunt nostram majestatem ut quandam silvam in pago Trevirensi in bannum mitteremus.* Monasterium de Suestra ab Arnulpho genitore suo Prumiensi abbatiæ delegatum Zuenteboldus, Radbodo rogante, regia auctoritate constrinxit hoc anno nonis Junii; privilegium quoque indulsit monachis S. Michaëlis ad Mosam XIX cal. Septembris; itemque bona quædam confirmavit Epternacensi monasterio V cal. Novembris. Verumtamen Radbodus eo anno mense Maio adstitit Triburensi concilio habito in Moguntina diœcesi de emendanda ecclesiastica disciplina, Ludelmum quoque monachum S. Maximini Trevirensis in Tullensem episcopum consecravit. Cuidam Rotgero fecit licentiam capellam de Lindiche dicandi an. 896. Cœnobii S. Maximini possessiones curavit roborandas a rege Zuenteboldo idibus Junii 897. Con- 897.
secutus est an. 898 nonis Februarii præceptum 898.

Labb. concil. tom. VIII, p. 1723.

Hardin. t. VI, Part. I, p. 139.

Ch. XXVIII, col. 313.

Spicil. t. XII, p. 215.

Schaten. Annal. Paderb. pag. 210.

ANNI CHRISTI

de immunitate Trevirensis ecclesiæ recens
honore comitatus insignitæ, abbatiamque Tra-
jectensem III idus Maii ejusdem anni regio
diplomate cathedrali suæ consigendam satagit.
Ch. XXXI, col. 315. Comitum & aliorum magnatum potestati,
Zuenteboldo rege volente, se suamque civi-
899. tatem subtraxit anno 899. Ludovici infantis
regis munificentiam est expertus XIII calend.
902. Septembris 902. Epistolam *formatam* Roberto
Ch. XXXII, col. 315. Metensi episcopo scripsit idib. Octobris ut
Giblemarum presbyterum in suam diœcesim
admitteret. Accepit & ipse Ratbodus con-
similes litteras a Dadone Virdunensi præsule
906. 5 id. Maii 906 in gratiam Adruini presbyteri.
Is atque Atho Moguntinus eodem anno,
XIV cal. Septembris Ludovicum regem Metis
versantem interpellarunt ut monachis ex cœ-
nobio S. Apri Tullensis villas & possessiones
908. in diversis locis conjacentes roboraret. Biennio
post casu inventum est corpus S. Maximini,
quod hic pontifex, triduano præmisso jejunio,
e conditorio cypressino sublatum, ac tabis
omnino expers, sed amictu pontificali indutum
reperit tam integro, ut eo ipso die conditum
Ch. XXXIV, col. 316. videretur. Tanquam bonus providusque pastor
futuræ ecclesiæ sibi commissæ utilitati consulens
ad Carolum regem accessit idibus Augusti
913. 913 ab eo efflagitaturus, ut in posterum clero
& populo Trevirensi liceret suum eligere archi-
episcopum. Munificentiam ejus senserunt om-
nes diœcesis ecclesiæ, & præ cæteris Pauliniana
basilica, itemque Martiniana, juxta quam
monasterium Normannica tempestate dirutum
instauravit. Vir iste religione excellenter culta
commendandus, decessorumque præstantis-
simis quibusque componendus, supremum diem
obiit III calendas Aprilis 915.

XLIV. RODGERUS.

Ratbodo funere functo succedit Rodgerus
915. an. 915. Summi cancellarii apud Carolum III
Simplicem munus, uti & ejus decessor, exer-
cuit, testante diplomate dato Heristallii in
gratiam Prumiensis monasterii XIV cal. Febr.
indict. IV. Cui diplomati Ratbodus notarius
vice Rutgeri archiepiscopi summique cancel-
larii subscripsit. Eodem honore in nonnullis
Ch. XXXV, col. 317. aliis documentis insignitus occurrit, præsertim
919. an. 919, quo VII idus Julii præfatum regem
Ch. XXXVI, col. 318. supplex adiit ab eo postulatum restitutionem
abbatiæ S. Servatii Trajectensis a Reginario
Chesn. t. II, p. 588. comite usurpatæ. Pactioni inter Carolum &
Henricum reges apud Bonnam castrum ad
Rhenum initæ interfuit ac subscripsit II nonas
921. Novembris 921. Præsens erat cum Henricus
924. rex anno 924 Metensem urbem obsedit &
Wilgerum diu reluctantem sibi obedire coegit.
926. Legitur an. 926 in permutatione inita inter
Giselbertum comitem & monachos S. Maxi-
mini, item & in transactione inter Carolum
Simplicem & Henricum Aucupem reges.
Concilium provinciale Treviris habuit anno
927. 927, in quo statuta pro reformatione cleri,
atque liber ecclesiasticos ritus in provincia
servandos complectens, edita fuere. Gysalberto
duci abbatiam S. Servatii Trajectensis toto
ejusdem vitæ curriculo tribuit obtinendam
anno 928. Cum quodam Alberto nonnulla 928.
permutavit bona 929. Frodoardum presby- 929.
terum Remensem magna Rotgero amicitiæ Charta XXXVIII, col. 326.
gratia studioque junctum fuisse probant libri
novem-decim carminum de triumphis Christi
& Sanctorum, quos instigante Rotgero com-
posuit, eidemque nuncupavit. In appendice
Reginonis & in chronico Saxonico Rotgerus
obiisse dicitur anno 928, sed Browerus ejus
obitum justa de causa differt in annum 930,
eumque sepultum fuisse ait in basilica sancti
Paulini cum hac inscriptione: *VI kalendas
Febr. obiit Ruotgerus Trevirensis archiepiscopus.*

XLV. ROTBERTUS.

Vir regali prosapia & in obeundis pontificiæ
dignitatis muneribus acris & vigilantis ingenii
Rotbertus, Rudolphi Burgundiæ regis ex
Bertha filia Arnolphi Bajoariæ ducis gnatus,
germanus vero Adheleidis primo Lothario
regi Italiæ, deinde magno Ottoni sociatæ,
electus fuit an. 930 & ordinatus anno sequenti: 930.
etenim in membranaceo codice monasterii
S. Maximini breves rerum gestarum notæ ad
oram laterculi Dionysii exigui a scriptore
æquali aspersæ ita habent: *DCCCCXXXI ordi-* 931.
natio Ruodperti episcopi. Is sicut & ipsius suc-
cessores plurimi archicancellarii seu archi-
capellani munere functus est, adstititque anno
932 concilio Erfordiensi, nec non alteri, 932.
præsente rege Chuonrado, apud Altheim *Harduin. Concil. t. VI, P. 1, p. 583.*
habito an. 936. Eodem Adæ nepti Rutgeri
decessoris jure precario concessit ecclesiam in *Mabill. annal Bened. tom. III, pag. 426.*
villa Theoderica, & ab ipsa accepit in villa
Bruch mansum indominicatum cum terris
indominicatis. Biennio post aut circiter cum 936.
Bertha nobilissima muliere bonorum quo- 938.
rumdam iniit permutationem. Dum inspi-
ciendæ causa diœcesis singula diligenter loca
obit, ad Mediolacense monasterium delatus
anno 941, omnibus id arctioris disciplinæ 941.
legibus solutum, & rebus ad vitam tuendam
necessariis pene spoliatum invenit. Quibus
vehementer commotus, nuntios misit ad
Indense S. Cornelii cœnobium, virum inde
postulans qui monasterium in temporaneis ac
spiritalibus instaurare valeret. Missus ad hoc
Rotwicus pristinum loco splendorem & pri-
mam religionis famam restituit. Insuper Ottoni
regi monasterium & novum abbatem com-
mendavit Ruotbertus, & antiqua loci docu-
menta a Wicelino Trevirorum vicedomino
direpta resarciri, veteresque possessiones vin-
dicari curavit. Absolutam ab Ogone abbate
sancti Maximini basilicam solemni pompa &
apparatu consecravit III idus Octobris 942. 942.
Trajectensis abbatia S. Servatii ut ecclesiæ
suæ restitueretur effecit apud Otonem regem
29 Decembris 945, quem in expeditione 945.
Gallicana anno postero comitatus est. Urbe
Remensi obsidione capta, Artaldus an. 946 946.

ANNI CHRISTI

ecclesiæ suæ redditus est curis Rotberti, qui A in Concilio Virdunensi, cui præsuit anno
947. sequenti, Artaldi restitutionem firmandam, atque excommunicationem in Hugonem ejus competitorem vibrandam sategit. Hoc quidem anno VI cal. Januarii ipsum, Trevirensemque ecclesiam a placitis, teloneis, & omnibus talliis exemit rex Otto. Tulit & alteram sententiam Rotbertus in Mosomensi concilio in gratiam
948. Artaldi Remensis 13 Januarii 948. Eodem anno cal. Junii adstitit generali placito apud Niumagam, in quo, adprobante rege, Suestrensis abbatia Prumiensi monasterio asserta est; assedit quoque concilio Trevirensi habito a B Marino sedis apostolicæ legato. Privilegiis abbatiæ S. Maximini ab ipso rege firmatis intercessit, uti patet ex litteris Agapiti II
950. datis II cal. Martii 950 in gratiam hujusce monasterii. Widoni villico bona quædam supra Lisuram pro censu quatuor sicularum vini tradidit pridie calendas Martii 952. Cum a monachis S. Maximini vexandis non desisteret, ante Ottonem regem interpellatus causa cecidit
953. XIII cal. Septemb. 953. Contentionem habuit cum Coloniensi archiepiscopo de jure coronandi Germaniæ regis. Tanta ei fuit cum Frodoardo necessitudo, ut iste libros carminum ei nun- C cuparit. Dira pestilentiæ lue tunc in Gallia Germaniaque diffusa, non sine magna virtutis fama Coloniæ in celeberrimo procerum conventu extinctus est an. 956, quo cum Gremboldo milite commutationem inierat. Cujus corpus Treviros relatum, prope ecclesiam S. Paulini in cœmeterio a decessore B. Walpurgi consecrato depositum est.

Harduin. ibid. pag. 604. Ch. XXXIX, col. 321.

XLVI. Heinricus I.

Illustri Francorum ac Suevorum prosapia genitus Heinricus, a pueritia educatus fuit in abbatia Augiensi cum S. Wolfango, postea D Ratisponensi episcopo, quicum ille intima necessitudine conjunctus est. Erat Heinrico germanus frater, Poppo nomine, Wirziburgensis episcopus, qui magistrum quemdam Stephanum ex Italia accersiverat ad erudiendam ecclesiæ suæ juventutem. Ut ad eum ambo eruditionis causa illuc se conferrent, Heinricus amicum propulit, evicitque. In hujus itaque disciplinam Henricus & Wolfangus una se tradiderunt; creveruntque sub inclyto doctore ad annum
956. usque 956, quo Henricus Ottonis regis propinquus, ejusque patrocinio consultus, ad E Trevirorum ecclesiæ fastigium ascendit. Heinrico Treviros accedenti comitem se Wolfangus multis precibus invitatus adjunxit, huncque in tota metropoli secundum a se haberi voluit archipræsul. Verum ille unico erudiendæ juventutis munere contentus, de cætero consilii maturitate multum ei profuit, atque universis virtutis ac probitatis exemplo, adeo ut non jam clericus, sed monachus haberetur. Ut vero eum sibi arctius adstringeret pontifex, quoddam ei clericorum vel monachorum cœnobium regendum committere voluit. Quod ille constanter detrectavit, vixque tandem obedientiæ necessitate compulsus consensit ut esset decanus clericorum. Sic vitam Treviris exegit Wolfangus toto episcopatus Heinrici tempore. Ruotgerus scriptor vitæ Brunonis archiepiscopi Coloniensis præclaram hanc mentionem facit de Henrico deque Willelmo Ottonis regis filio Moguntiacensi archiepiscopo: « Archiepiscopum, inquit, Trevirensem Henricum, « magni meriti & summæ probitatis virum, « qui Ruotberto magnifico præsuli, Coloniæ in « gravi pestilentia, cum & imperator ibidem « esset, defuncto successit; Wilhelmum quoque « præclaræ & gravissimæ excellentiæ archimandritam nepotem suum, Friderici Moguntini « antistitis successorem, ambos egregios, ambos « in lege Domini perfecte instructos, imperatore « alterum consanguinitate, alterum probitate, « utrumque familiaritate conjunctissimos, ipse « quoque Bruno in primis summa veneratione « colebat. Hos igitur tales, tam illustres, tam « certe sapientes & religiosos, omnibusque bonis « artibus eruditos viros, ad consilium, ne forte « ipse per se, ut sunt humana, a tramite veritatis uspiam exorbitaret, frequenter adhibuit: « hos cum ipso simul non solum in lectione, « consilio & disputatione, sed etiam acie vidimus. »

Ditmarus aliique illorum temporum auctores tradunt cruces in vestibus hominum cœlitus impressas fuisse anno 958: in cujus prodigii 958. memoriam Henricus crucem lapideam medio foro erexit cum ea inscriptione: *Ob memoriam signorum crucis quæ cœlitus super homines venerant, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLVIII, anno vero episcopatus sui secundo Henricus archiepiscopus Trevirensis me erexit.* Rogantibus sancti Maximini monachis, fines parœciæ Mariscensis constituit an. 960. In monasterio sancti 960. Martini canonicos seculares substituit monachis, qui a Theoderico ejus successore in abbatiam reducti sunt. Permutationem factam inter Wikerum abbatem sancti Maximini & Sigifridum Luxemburgensem comitem ratam habuit XV calend. Maii 963. Sub finem 963. hujus anni, exauctorato Ottone Augusto, Johannes XII maximus pontifex iniit societatem cum Berengario atque Adelberto imperii hostibus. Romani, Ottoni fide servata, eum cum exercitu intra mœnia recipiunt. Ille dum in urbe sistit, omnium Italiæ episcoporum cogit conventum. Eo in congressu cum gravissimorum criminum postulatur Johannes, jussusque ceu reus ad dicendam causam, adesse detrectat, e sede sua dimovetur & in ejus locum sufficitur Leo protoscriniarius. His comitiis interfuit Henricus ab imperatore Romam evocatus cum aliquibus Germaniæ præsulibus. Dehinc imperatorem in Hetruriam, atque inde in Longobardiam secutus, gravi pestilentia, quæ exercitum atroci strage depascebatur, oppressus est an. 964, prius a Sigefrido comite dono ad vitam accepto. Morienti fuit suprema cura eniti ut Wolfangum, cui ecclesiam

Ch. XLI, col. 322.

ANNI CHRISTI

suam absens, clerumque crediderat, in fidem A suam Otto susciperet, datis ad Treviros litteris, ne quis illi viro negotium, se mortuo, facesceret. Sepulturam autem adeptus est Parmæ: unde eum Egbertus Trevirorum antistes postea translatum, oratorio novo, quod ipse vicinum ædi primariæ sancti Andreæ apostolo dicarat, funeravit.

XLVII. Theodericus I.

Moguntinensis præpositus Theodericus, legitimis suffragiis, comprobante imperatore, ad archiepiscopatum Trevirensem evehitur
965. anno 965. Possessiones duorum fratrum, puta Megiligaldi & Reginzonis, quas ob latrocinia & maleficia Otto magnus imperator eis abstulerat, ab eodem principe perpetuo habendas consecutus est diplomate dato Noviomagi
966. pridie nonas Februarii 966, indict. XI. Romam cum petiisset oratum ad sanctorum Apostolorum limina, Johannes XIII eum Galliæ Germaniæque primatem de novo constituit; atque in conventibus & synodis obeundis legati apostolici munus perpetuum impertivit; adeoque jus in synodo pronunciandi & supra omnes episcopos post imperatorem sive regem assidendi in conciliis dedit, aliaque multa
969. ejusmodi concessit XI calend. Februarii 969. Munificentiam Ottonis II imperatoris crebro
974. expertus est ad annum 974: etenim ab ipso forestam in *Kilvalt* obtinuit VI calend. Julii; ecclesiæ suæ immunitates & privilegia ab imperatoribus Ottonis decessoribus indulta imperiali auctoritate roborari atque renovari curavit VII cal. Augusti; imo etiam cudendæ monetæ in Ivodio & Longione jus nactus est VI cal. Septembris. Non ita multo post Romam iterum reversus a Benedicto papa VII summis honoribus in publica synodo elatus est privi-
975. legio dato XV cal. Februarii 975; is siquidem sedis apostolicæ in Gallia & Germania vicarius constituitur, & Ravennati præsuli, cujus amplissimum præ cæteris in Italia decus, ut dignitate par efficitur, sic & privilegiis adæquatur. Theodoricum ad eam dignitatis amplitudinem pontifex extulisse haud contentus, cellam quatuor Coronatorum ei, pro eximia spectataque viri pietate, ejusque successoribus utendam fruendamque in perpetuum die eadem adscripsit. Per id tempus venerabundus ille præsul ad instauranda conversus monasteria, sancti Martini Trevirensis ædem redigere ad priscam disciplinæ normam, & Germanis, excluso canonicorum peregrino cœtu, colonis occupare instituit. Hunc locum olim incoluerant monachi, sed ab Henrico Theodorici decessore post Alberici abbatis obitum, immissis clericis, monasterio exacti fuerant. Verum illi, laxata subinde honestæ vitæ morumque disciplina, cœlesti voce locum deserere compulsi dicuntur. Locus sic prædæ expositus, neglecto sacrorum cultu, jam prope interitum erat; cum Theodoricus procumbentem ad ruinam denuo erigere statuit, aditoque imperatore, occupatas monasterii possessiones restitui curavit. Redintegratis rebus, monachos illuc reduxit, quibus Engelbertum abbatem religiosissimum præfecit, privilegiumque a Benedicto pontifice, dum Romæ versaretur, in eorum gratiam impetravit itidem XV cal. Februarii. Monasteria quoque tum clericorum sancti Paulini, tum monachorum S. Mariæ ad Martyres benigne necessariis opum præsidiis sustentasse dicitur; huic dato rectore Adeodato, cui selectum monachorum Benedictinæ professionis cœtum adjunxit. Omnibus tamen pontificiis virtutibus ille abunde instructus Moguntiæ finem vivendi fecit anno 975, III nonas Julii ex necrologio S. Maximini: penes eamdem civitatem funeratus in æde B. Gangolfi, quam exstruxerat ipse, prædiis, unde duodecim clerici honeste victitarent, liberaliter adjectis. Gloriosæ Virginis Deiparæ laudes edito libro ipsum celebrasse, narrationemque vitæ S. Ediltrudis scripsisse tradit Trithemius, qui uti & historia Trevirensis asserit canonicos majoris ecclesiæ Trevirensis sub ejus pontificatu regularis vitæ pertæsos conversatione factos fuisse seculares.

Ch. XLV, col. 325. — Spicil. t. XII, p. 218.

XLVIII. Egbertus.

Nobilis Hollandus Egbertus ortus avo Theodorico I illustri Bataviæ comite, auctore monasterii Egmondiani, in quo sanctimoniales collocaverat; patre altero Theodorico II itidem comite, qui monachos loco sanctimonialium illic constituit, quæ ibi ob Frisonum incursus parum tutæ erant, ibidem divino cultui jam inde a pueritia consecratus est. Ad episcopatum
vero elatus fuit an. 975, quo sigilli sui impres- 975.
sione litteras Henrici comitis in gratiam monasterii S. Maximini obsignavit. Ut primum Trevirensi ecclesiæ est impositus, nihil habuit antiquius quam ut religiosas ædes curæ suæ concreditas, in pristinum statum ac splendorem restitueret. Erat enim, ut ait Theodoricus monachus, monachorum præcipuus tutor ac nutritor, ac regularis disciplinæ specialis amator: quippe qui sub habitu episcopi humile pectus occultavit devotissimi monachi. Cum vero, inquit Mabillonius, pleraque Trevirensis diœceseos monasteria, ob temporum injurias, ad summam inopiam, adeoque ad magnum monasticæ disciplinæ deliquium devenissent, eorum ruinas sarcire & languentem religionem excitare studuit, maxime in S. Eucharii ecclesia, ubi tum ipse S. Eucharius, tum alii Trevirenses sancti archipræsules consepulti erant. Huic consilio ubi opem & auxilium spopondit Otto II imperator, mox operi manum admovet Egbertus, accersito e Gandensi S. Bavonis cœnobio Gotherio monacho, quem sancti Eucharii monasterio abbatem præfecit. Dum vero humum ponendo novæ basilicæ fundamento effodiunt operæ, inopinato impegerunt in tumulum sancti Celsi. Quo obsignato, monachis ad ejus cultum constitutis, ipse
Ingelheimium pergit an. 979 ad conventum 979.
episcoporum, facultatem ab imperatore &

patribus synodi petiturus ut sacræ beati Celsi A reliquiæ e tumulo in decentiorem locum efferre sibi liceret. Treviros antistes reversus clerum suæ diœceseos convocat, abbates simul & monachos, eisque preces & supplicationes indicit. Tum solemni pompa ad locum profectus, sacras reliquias levat e tumulo, easque in arca gestatoria repositas ad novam basilicam deferri jubet, ubi missa celebrata & concione de S. Celsi virtutibus in ea habita, ejus festum pridie nonas Januarii quotannis celebrari præcipit. Ne qua vero suspicio de sacrarum reliquiarum sanctitate suboriri posset, intra missarum solemnia, decantato offertorio, articulum B digiti sancti Celsi panniculo involutum in thuribulum ardentibus prunis plenum injecit, qui per totum canonis spatium illæsus atque ab igne intactus permansit. Missa persoluta, reliquias altari imposuit. Pari etiam veneratione sacra divi Wolfhilaici diaconi ossa Ivodium ex monte vicino transtulit. Baculum quoque S. Petri Apostolorum principis, quo beatus Maternus ad vitam mirabiliter revocatus traditur, Meti pridem a Brunone archiepiscopo Othonis magni fratre Coloniam traductum, a Werino Agrippinensi impetravit. Visitur & in æde summa pretiosum Egberti monu- C mentum, capsa nimirum eburnea, cui hæc verba inscribuntur: *Hoc sacrum reliquiarum reconditorium Egbertus archiepiscopus fieri jussit, & in eo pignora sancta servari constituit: clavum videlicet Domini, dentem S. Petri, de barba ipsius & de catena, sandalium sancti Andreæ Apostoli, aliasque Sanctorum reliquias. Quæ si quis ab hac ecclesia abstulerit, anathema sit.*

Profectus inde in Italiam Egbertus Henricum Trevirorum antistitem Parmæ sepultum Trevirim reduxit; qui, ne incomitatus rediret, magno undique studio quæsitas plurimorum Sanctorum exuvias adjunxit. Adeoque ferunt D Severum presbyterum, quem B. Gregorius laudat in suis dialogis, corporaque Martyrum Felicis & Regulæ attulisse. Quoddam prædium, nomine *Langsur*, quod ab Adelberto Lotharingiæ duce & Juditta ejus uxore emerat, tradidit monasterio S. Mathiæ anno 979, episcopatus sui 5. Anno autem 981 ipsa sancti Paulini festa die ad ædem eidem Sancto consecratam accedens, eam donationibus auxit; & inter sacra mysteria, corpore Domini in manus sumto, denunciavit anathema omnibus, qui, quicquid huic ecclesiæ præstitum fuisset, ausi forent auferre. In fine documenti hujus E primatis & cancellarii nomen accipit. Siccitate arva Trevirorum finitimasque circumquaque
983. regiones urente an. 983, supplicationes publicas tunc & in posterum tertia a Paschalibus hebdomade celebrandas instituit. Ottone II rege hoc anno Romæ defuncto, favit Henrico Bavariæ duci Ottonis III pueri tutelam habere cupienti. Adalberonem Metensem episcopum
984. ordinavit 28 Decemb. 984, regiisque litteris
985. Ottonis III subscripsit 25 Augusti an. 985.
987. Sub annum 987 monasterium Mediolacense cupiens ordinare, Hezzelem abbatem, quod moribus esset parum pudicitia compositis, destituit, & in ejus locum Liossinum natione Britannum suffecit, qui cum laudabiliter ibi rem litterariam, & monasticam cum fructu moderando restituisset, tandem secessit Epternacum. Rursus Hezzel importunitate quorumdam monachorum illatus, in pristina luxuriæ dedecora se revolvit, atque iterum est expulsus. Quo facto Egbertus monasterium opportunis sanare remediis aggressus, Hezzeli Remigium virum pietate & studiis liberalibus adprime imbutum suffecit. Negotiorum maximi momenti ætatis suæ particeps exstitisse videtur ex litteris, quas Adalbero Remensis archipræsul & Gerbertus ad eum direxerunt. Ottonem III imperatorem in Ingelheimensi palatio degentem adiit, abbatiam Trajectensem repetens. Quem cum benigne audisset Otto, loci possessionem regio diplomate confirmavit XIV cal. Maii 993. Exeunte eodem anno, 993.
cum ad festum B. Eucharii celebrandum in monasterium accessisset, re divina ibi perpetrata, nulloque cibi genere sumto, rediit in urbem, ubi statim morbo correptus ad vitam immortalem emigravit. Ejus memoria passim in ritualibus & antiquis fastorum libris ad nonum diem Decembris annotata; & proprie quidem Caradorensibus inscriptum membranis: *V idus Decembris obiit Egbertus archiepiscopus Trevirensis anno Dominicæ Incarn.* DCCCCXCIII.

Præclarum id habet elogium apud Browerum: « Fuit Egbertus vir statura corporeque procerus: oris dignitate, ut Theodoricus scribit, tam excellenti, quam qui plurimum inter omnes id ætatis Germaniæ primores. Formam antistitis mirifice commendabant insignes animi dotes; quæ cum per omnes in eo ætatis gradus, tum in sacerdotio, vel maxime exsplenduerunt. Etenim adolescens monasticæ vitæ genus secutus id ita deinde retulit, & in omni actione virtutibus expressit, nihil ut videretur in quiete illa ac solitudine meditatus aliud, quam ut in hac amplissima functione suis & meritis dignitatem sustineret & moribus ornaret episcopatum. Monasteria, & quos religio arctior consecrasset, unice fovit, clerum optimis disciplinis apprime curavit imbuendum. Ecclesiæ suæ fundos domi forisque impigre adversus sacrilegos invasores vindicavit. »

Theodoricus monachus eum cum antecessore comparans utitur his verbis: « Theodoricus archiepiscopus doctor quidem exstitit facundissimus, & industrius familiæ Domini procurator, sed quia temporis angustiis ob multiplices Reipublicæ exactiones exclusus, ob inopiam minus monasteriorum necessitatibus consuluit. At Egbertus militum ambitionem refrænare non timuit; comprovincialium tyrannidem æquus arbiter auctoritate sua repressit; & omnia quæ monasteriis erant hostili invasione subtracta, manu potestativa undique recuperavit: & monasteriorum patribus magna vigilantia consignans restituit. »

Spicil. t. XII, p. 320. Ibid. p. 321. Biblioth. Patrum, t. X, pag. 617, 618, 628.

Corpus Egberti tumulatum fuit in facello A fancti Andreæ ad dextrum latus cum hoc epitaphio:

Pontificum decus, ecclefiæ clariffima lampas,
Pax & amor populi, totius gratia cleri
*Hic jacet Egbertus * lucis regione repertus,*
Præful Trevericus fedet aulæ conditor hujus.
Rexit & ecclefiam fenos denofque per annos.
Omnes dilectum prece commendate patronum.

Egberti tempore Leo fedis apoftolicæ apocrifiarius apud Treviros chorepifcopus extitit, Willelm. Malmesb. lib. II. de gestis reg. Angl. c. 10. quem Johannes XV maximus pontifex, oborta B inter Angliæ regem Ethelredum & Richardum Normanniæ ducem controverfia, in Angliam propter pacem conciliandam tranfmifit. Confilio cum rege habito in Galliam ipfe cum legatis Angliæ regis trajecit, ac denique Rotomagi calendis Martii 991 fœdus junxit.

* Hic fit allufio ad regionem Anglorum, quafi diceres Angelorum, unde nonnulli Egbertum ortum credunt.

XLIX. Ludolfus.

Genere Saxo Ludolfus, vir veneratione morum doctrinaque muneri non impar, ex præpofito Goflarienfis ecclefiæ archiepifcopus C
994. efficitur an. 994; eodemque circiter tempore cum Ottone rege, Gifilario Magdeburgenfi antiftite, fynodo apud Gandesheimium virginum abbatiam adftitit. Cum Gerbertus Remenfis archiepifcopus a functionibus fufpenfus
995. fuiffet in concilio Mofomenfi anno 995, Harduin. collect. concil. tom. VI. P. I. p. 738. feque fubjicere reniteretur, a Liudulfo viro modeftia & probitate præftantiffimo commonitus eft, ne fuis fcandali daret occafionem æmulis, a miffarum tantummodo celebratione abftinere. Idem Ludolfus anno circiter 1000 officinas & clauftrum circa maximam ædem conftruxit, vitamque regularem clero fuo D exercendam præfcripfit.

Extabat juxta urbem Trevirenfem aquilonem verfus fancti Symphoriani puellare cœnobium, ad litus Mofellæ pofitum, fed Normanica tempeftate everfum. Ex ejus tamen fuperftite templo nonnihil proventuum redigebant monachi S. Martini, qui facra illic fubinde celebrabant. Dum vero circa annum
1004. 1004 in ipfa feftivitate fancti Symphoriani pervigilium illic haberent, contigit in proximo fluvio Mofella, folutis rudentibus, molas in fe ipfas compactas illifafque quaffari, ob idque in- E gentem concurrentis vulgi clamorem tolli. Monachi e templo profilientes fpectatum accurrunt ecquid rei effet. Forte dum hæc aguntur, Ludolfus archiepifcopus pro fefti religione templum ingreditur cum Adalberone, Sigefridi Lutzemburgenfis comitis filio, viro præpotenti, ædis Paulinianæ præpofito, qui hac officii Divini intermiffione ad probandam monachorum focordiam tam dextre ufus eft erga archiepifcopum, ut, eo affentiente, fublatum inde thefaurum in ædem S. Paulini afportaverit. Indignati ea de re monachi, fequenti luce archiepifcopum adeunt rogantes ut facram fuppellectilem reponendam curet. Sed ille variis fruftrationibus controverfiam extrahens, petitores tam diu ludificatus dicitur, donec non templum id folum Adalbero, verum omnes eo pertinentes agros atque poffeffiones, nemine vetante, occuparet. Cujus rei geftæ Ludolfum pœnituit atque de reftitutione ferio cogitare cœpit; at ob breve vitæ curriculum id exfequi non potuit. Synodo Francofurtenfi Harduin. ibid. p. 769. celebratæ ad ftabiliendam fedem epifcopalem liberalitate Henrici regis Bambergæ erectam affedit an. 1007. Obiit autem anno 1008, 1007.
confignaturque in necrologio fancti Maximini 1008.
ad diem 6 Decembris. In chronico Dithmari Merfeburgenfis epifcopi dicitur vir doctus, rarioris quoque doctrinæ titulum adfcribit illi Hermannus Contractus. Sed longe his anteit elogium Ottoni Fuldenfis monachi in prologo ad vitam S. Pyrminii, qui Ludolfo infcriptus eft, cui & commentarium illius vitæ confiderandum & examinandum fe mittere profitetur: *Quia fides*, inquit, *& veritas te compofuerunt, cæteræque virtutum catervæ tam firma tutela muniunt, ut livore careas & ab omni ventofitate immunis exiftas.*

L. Megingaudus.

Ingentes turbæ, mortuo Ludolfo, de fucceffore exortæ funt, auctore in primis Adalberone fupra memorato, Paulinianæ ædis præpofito, Theoderici Metenfis epifcopi, Henrici Luciliburgenfis comitis & Chunigundæ reginæ fratre, cui magnos fpiritus natalium fplendor & ambitio infpirabant. Audiendus ea de re auctor hiftoriæ Trevirenfium archiepifcoporum: « ea fiducia, inquit, quod foror fua Henrico Claudo imperatori nupta fuerat, epifcopatum » invafit, milites in fua facramenta jurare coegit, « palatium quod fitum eft in urbe occupavit; « pontem quoque Mofellæ turribus munivit. « Henricus autem imperator Megingaudo epif- « copatum dedit præpofito ecclefiæ Moguntiæ; « qui cum potentiæ Adelberonis refiftere pararet, « fexaginta manfos de rebus S. Materni Ravengero *de Maldeberc* & Udelberto *de Stalle* in « beneficium dedit, nec tamen prævaluit. Tunc « Henricus imperator cum exercitu Treberim « venit, & palatium obfedit a Dominica poft « Albas ufque ad calendas Septembris; qua « obfidione non folum regio in circuitu urbis « undique vaftata, fed ipfa quoque civitas quæ « jam poft vaftationem Normannicam ædibus « ornata, & aliquatenus fuerat inhabitata, in « priftinam folitudinem pene eft redacta. Non « folum denique obfeffores, fed & ipfi Palatini « obfeffi frequentibus eruptionibus ipfos obfeffores & finitima palatii populabantur. Una die « de vertice Jurani-montis multitudo boum & « ovium ad fervitium imperatoris adducta cum « præfidio militum defcendit, quod Palatini ex « arce profpicientes, eruptione fubita facta, « boves & oves, præfidio eorum fugato, ante « fe in palatium compulerunt. Quos Cæfariani «

» milites persecuti, apertis portis, simul cum illis palatium irruperunt. Nec mora, Palatini ex abdito portas clauserunt, omnesque qui irruperant, missis ex arce lapidibus, alios occiderunt, alios graviter sauciaverunt, reliquos ceperunt. Tunc Imperator ex materia domorum urbanarum machinas circa palatium usque ad arces præcepit erigi, quo facilius posset Palatinos ex ipsa machinarum æquali palatio altitudine angustare. Hæ quoque, Palatinis fortiter repugnantibus, igne immisso, vel succensæ vel dirutæ sunt. Cæsar ergo cum nequaquam proficeretur in ejus expugnatione, ad calendas Septembris profectus, pontem dejici jussit, quem custodiæ Adelberonis obtinuerant. Et Megingaudo episcopatum confirmavit, qui usque ad finem vitæ suæ in castello Confluentia episcopatum administravit, Adelberone supradicto invasore maximam episcopii familiam retinente. Tandem circa finem Megingaudi gravi infirmitate depressus omnia Megingaudo reddidit, sed palatium sibi retinuit. »

Ditmarus autem rem sic narrat in chronico sub annum 1005: « Mortuo post Pascha Trevirensis ecclesiæ archiepiscopo Luidulfo, capellanus ejusdem Athelbero frater reginæ & immaturus juvenis, plus timore regis, quam amore religionis eligitur. Rex autem ut hoc audivit, prioris non immemor in germano ejusdem Thiederico non præmeditatæ constitutionis, uxorem dilectam, cæterosque suimet familiares, de episcopatu eodem impetrando sollicitos sprevit, & Meingardo Vuilligisi archipræsulis camerario, nobili secundum carnem viro, eumdem dedit. Propter hoc subdolæ generationis furor accenditur, Pallas a Trevirensibus contra regem firmatur, ac terra hæc hactenus pacifica crebris concremationibus quatitur, & quidquid hi immites in Dominum lenem prius peccaverunt, æquali lance receperunt. Tali præsumptione rex commotus, illo cum exercitu properat, archiantistitem intronisatum ibidem consecrari, Athelberonemque excommunicari præcipiens. Obsidione etiam continua eos, qui Palas turbarant, in tantum constrinxit, ut fame & assidua impugnatione defatigati, aut interius perire, aut in potestatem regis inviti deberent exterius venire. Quod ne fieret, Henricus dux improvisa calliditate impediens, exire eos illæsos, apud regem obtinuit. Postquam vero de his rei certitudinem rex inquisivit, gravitate mentis id ferens, ultus est. Sed chronicon vetus rei exitum ita commemorat: cum rex comperisset, nempe Adelberonem hostilia moliri, suas ilico copias colligens advenit; Lotharingos sibi resistentes in palatio obsedit sedecim hebdomadas ibidem faciens. Illi vero tandem fame coacti, falso dextras dedere, regem remeare fecerunt; ipsi nihilominus in sua perfidia manentes. Altero etiam hoc modo refertur electio: Trevirenses post obitum Ludolfi archiepiscopi Adalberonem reginæ fratrem elegerant, non tam ob virtutum, quam generis & necessitudinis commendationem, nec ea ætate quam canones in episcopo requirunt. Rex autem pro suo in sacrorum disciplinam studio, quanquam uxor & affines pro fratre intercedebant, improbata electione, Megingaudum Moguntiæ ecclesiæ præpositum substituit. Tum Theodericus episcopus Metensis itidem frater reginæ atque Adalbero ipse ad vim se comparare. Trevirenses liberæ electionis favorem factioni suæ jam prætexentes, palatium, quod in ea urbe antiquissimum est, communire. Henricus ad urbem Trevirorum venit, & Megingaudum probata in synodo caussa, dirisque denunciatis Adalberoni, consecrari jubet. Previcacissimus quisque in palatium confugerat. Quod rex cum arcta obsidione premeret, Henricus Bavariæ dux, qui nondum aperte in fratrum caussam concesserat, subdole persuadet ut veniam precatos, & pollicitos imperata facere, incolumes abire fineret. Verum regresso rege, a fide data statim descistcunt. Neque Megingaudus urbe Trevirorum unquam potitus est, sed ad Confluentes se, quandiu vixit, continuit. Rex, cognito affinium dolo, anno sequenti in curia Ratisbonensi Bavariæ ducatu eum mulctavit, Bavarosque in sua verba jurare coegit. Bellum itaque atrox & diuturnum exarsit, quo omnis ferme superior Lotharingia conflagravit. »

Cæterum Megingaudus legitimus præsul tranquillitatis & otii cupidus, cum deinceps ob tyrannidem Adelberonis urbem atque palatium cum episcopii familia injuste sibi vindicantis, sedem nusquam idoneam tutamque conspiceret, ad Confluentes sese transtulit; ubi sacro magistratu cum laude perfunctus reliquum vitæ spatium in otio ac secessu transegit. Verumtamen Adelbero circa annum 1014, cum gravi morbo langueret, supe- 1014
riorum erratorum pœnitentia salubrem restituendi, quæ ecclesiæ ademerat, cogitationem suscepit, & Megingaudo antistiti, excepto palatio, reliqua omnia, quæ inique possidebat, tradi jussit. Megingaudus itaque ecclesiam, quam variis seditionum procellis æstuantem acceperat, posteaquam meliorem in statum redegit, Confluentibus excessit e vita anno 1016. Notatur 24 Decembris in necrologio S. Maximini, & in chronico Ditmari, cujus verba loco epitaphii hic exscribere juvat: *In vigilia Natalis Domini Megingaudus Trevericæ civitatis episcopus obiit in urbe sua Cophelenci dicta sedens VIII annos & VII menses; indeque corpus suum ad sedem propriam delatum, honorifice ad antecessores suos locatur.*

LI. Poppo.

Leopoldi marchionis Austriæ ex Richarda nobilissima muliere filius Poppo, & Ernesti II Sueviæ ducis, cujus tutelam gessit, patruus, litterarum virtutumque studiis apprime excultus, Bambergensis ecclesiæ præpositus, in locum Megingaudi ab Henrico II imperatore sufficitur, vesaniam compressurus Adalberonis, qui tamen

ANNI CHRISTI 1016. Popponi cessit. Hic autem sub finem anni 1016 ab Imperatore Trevirim adductus & communibus votis atque suffragiis cleri & populi in antistitem postulatus, ab Erchenbaldo Moguntiacensi archiepiscopo, quem Imperator ea causa Trevirim advocarat, ingenti cum totius
1017. populi lætitia consecratus est anno 1017 calendis Januarii. Inter episcopos, qui Popponis sacræ unctioni interfuere, numeratur Theodoricus Metensis, qui metropolitani consecrationem sibi competere incassum iteravit. Vix renunciatus fuerat pontifex Poppo, cum immunitates & privilegia ecclesiæ suæ imperiali munimine foveri curavit. Nec multo post consecrationem Romam adiens usum pallii a Benedicto VIII consecutus est bulla 8 Aprilis ejusdem anni. Suam in diœcesim reversus, variis eam prædonum populationibus laceratam, afflictamque comperit. Quibus ecclesiæ suæ vulneribus, ut ait Browerus, lib. XI Annal. ut tempestive mederetur, undique omnia instituit remedia conquirere, & viros bellicæ gloriæ laudibus in primis florentes beneficiis sibi feudisque jungere, quibus pacandæ provinciæ, tutandæque munus traderet. Horum igitur sedulitate atque impigris usus armis, prædones ubique castellis, quæ securitatis ipsi causa insederant, ejicere & cæteros novarum rerum cupidos, in fide atque officio continere. Porro cum unus Adelbertus imperata facere solus detrectat, atque ex castello S. Cruci olim dicato, quod in vicino urbis colle ad meridiem situm, episcopi curiam, servitia, atque commeatum omnem crebris excursionibus habet infesta; ad extremum Sikonis, hominis manu consilioque præstantis sollertia, contumacis inimici spiritus repressit; atque hac ferme arte debellavit. Siko qui ad id operam consiliumque Popponi detulerat, idoneo tempore ad castri fores solus ex urbe profectus, ab Adelberto tyranno sitis ergo explendæ, pro amicitiæ veteris usu, potum sibi postulat: quem cum ille non gravate per ministrum offert, ubi quantum satis hausit, nuntiari domino jubet gratias ei permagnas haberi; futurumque propediem, hoc ut restinctæ sitis beneficium, memori voluntate, atque adeo pari gratiarum merito, cernat repensum. Quibus dictis, Siko abiit, atque destinatos jam pridem animo dolos, ad fraudem Adelberti explicare cœpit. Dolia vini tricena, impositis totidem armatis, instruit; atque hæc ipsa præmunita vectibus ansisque, singula binis fortissimis viris, iisque ad hostem decipiendum plebeia veste tectis, gestanda committit; eorum item armis indidem reconditis, denique vasa, ad occultandam fraudem, stragula veste, pannoque plurimo insternit. Quibus ita comparatis, Siko quærit ad peragendum incœptum temporis opportuna: quæ ubi nactus, plenus spei bonæ, clam omnibus, urbe cum bajulis egreditur: ipse raro satellitio fores castelli pulsans, & aperiri jubens; audit solitum illud, qui vir, unde & quid petitum veniret? ad quæ nihil aliud ille, quam renun-

A ciarent adesse cum honorario vino Sikonem, quo promissam jam pridem beneficii gratiam exsolvat. Hoc nuncio Adelbertus accepto doli ignarus ostia patefecit. Tum Siko vela pannosque amovere jussis, ubi brevi oratione munus præsenti Adelberto commendavit, signum adoriundi suis dat. Qui ad primum illico tumultum e vasis prosilientes, impetu in obvios quoque facto, cuncta cædibus atque strage fœdant; ipsique ante omnes Adelberto manus inferunt. Cæsis igitur & oppressis ad hunc modum & extinctis prædonibus, munitio solo æquata, & ad vastitatem redacta est. Siko
B autem præter restituti decus otii, atque urbis ab Adelberto grassatore liberatæ, illustria a Poppone feuda beneficiaque tulit: eodemque pene tempore Skiva apud Saram fluvium, quod postea Montis-clari nomen obtinuit, Adelberti castrum, jussu Popponis eversum, atque deletum funditus est. Ubi Popponis res majorem in modum potentia ac felicitate stabiliri vidit Adalbero, multo quam ante humilior, non modo palatium ei atque occupatas ecclesiæ arces, sed castella etiam Sericum, Rutichium, Sarburgum, atque Berncastellum, uno eorum sibi titulo reservato tradidit, atque
C monasterio inde D. Paulini, cui præpositum fuisse jam adnotavimus, repetito, omni abjecta cogitatione honorum, ad salutare otium concessit. Poppo vero, cum omnes munitiones Adalberonis deditione in fidem accepisset, Berncastellum acriter aliquandiu a prædonibus defensum restitit; sed ad extremum captum, dissipatis ac dirutis propugnaculis, funditus excidit.

Cæterum toto eo tempore quo Megingaudus tenuit episcopatum, ecclesia Trevirensis factione Adalberonis insignem rerum omnium jacturam damnumque fecit. Enim vero tam
D tetram in solitudinem redactam fuisse ædem cathedralem perhibent; ut, nemine sarta tecta exigente, clerus sit coactus metu ruinæ templum deserere & cultui divino supersedere. Monasteria eodem quoque tempore ad rerum necessariarum penuriam prolapsa sunt. Quibus malis Poppo remedium ut afferret, instaurandis atque ornandis ecclesiis se tradidit impensius, atque monasteria, quæ intestina seditio exhauserat, prædiis & possessionibus locupletavit. Monachos in æde Virginis Deiparæ ad Martyres restituit, pulsis canonicis, qui, Bene-
E dictinis per vim exclusis, locum occupaverant. Imperatorem etiam Henricum II deprecatus est pontificatus sui anno primo, XVI calend. Novemb. indict. XV, ut fundationi collegiatæ ecclesiæ Prumiensis assensum præberet. Regiæ liberalitatis eximium munus, nempe Confluentiam & abbatiam in pago *Trichire* cum omnibus appenditiis & juribus ecclesiæ suæ adscribi fecit anno 1018. Eodem circiter tempore curtem *Puzenvelt* a comite Kadelone ejusque uxore Irmingarde titulo precariæ adeptus est. Versabatur in Italia Henricus II imperator anno 1022 Græcos Saracenosque Appuliam

Chart. L. col. 329. 1018.
1022.

ANNI CHRISTI

Appuliam & Campaniam infestantes debel-
laturus, cui Poppo undecim armatorum millia
per Marsorum regionem ex gente sua deduxit.
Aquisgranensi concilio adstitit anno 1023. *Harduin. collect. concil. tom. VI, P. I, p. 834.*
Porro dum curas omnes ad dioecesis suæ
cum tuendam dignitatem, tum disciplinam
retinendam converteret, mores sanctimonia-
lium Palatioli coenobii, lascivia luxuque re-
mollitos, hac occasione sanare aggressus est.
Forte uni ex illis commissuram pallii, ut inde
caligas episcopales contexeret, de more dederat.
Illa, ut antistitis in se amorem raperet, vestem
philtro imbutam reddit. Poppo ut caligas
induit, tantam illico philtri vim præter morem
expertus est, ut in nefariæ mulieris amorem
tota mente & cogitatione exardesceret. De-
miratus lascivientis carnis insolitam tyran-
nidem, facto in aliis quoque simili periculo,
turpissimi flagitii auctorem feminam esse non
dubitavit. Ventum inde ad facti cognitionem,
eoque probato, una omnium sententia fuit
expellendam ex illo coetu nequissimam incan-
tatricem, cæteras ad strictiores monachorum
leges redigendas esse. Quod cum major pars,
vitæ laxioris tenax, omnino respueret, visum
est archiepiscopo collegium illud penitus dis-
solvere, facta reliquis ad alia transeundi mo-
nasteria facultate.

Attamen Poppo, piæ peregrinationis causa,
Theodorico Metensi demandata ecclesiæ suæ
cura, cum primariis e clero Hierosolymam
perrexit, Simeone monacho Sinaïta comite,
qui ex Oriente in Gallias ab abbate suo directus
fuerat ut a Richardo Normanniæ duce non *Hugo Flavin. Bibliot. Labb. t. I, pp. 177, 180, 182.*
exiguas acciperet eleemosynas. Quibus per
sodales ad monasterium delatis, ille aliquandiu
stitit Rotomagi, ac proinde consilium cepit
Treviros adeundi, unde Popponem ad Terram
sanctam proficiscentem est comitatus. Eo in
itinere toto triennio Poppo permansit; ast in
1028. urbem ubi reversus est anno 1028 mense
Novembri, comperitque Simeonem vitæ tran-
quillioris studio secessum captare, adeoque
includi velle, optionem ei tulit sedem in ditione
Trevirorum figendi. Is locum in antiqua mole,
quam Nigram-portam vocitabant, assignari
sibi postulavit; atque die festo sancti Andreæ,
circumfusa ad spectaculum magna cum populi,
tum cleri multitudine, ab archiepiscopo in
angustum quemdam ejus molis angulum inclusus
est, ibique in assidua oratione magnaque vitæ
asperitate septem degit annos. Eodem circiter
tempore Christiana soror Popponis, ad Simeonis
exemplum, intra parietes alicubi sacros inclusa,
1031. sibi Christoque sola vixit. Anno autem 1031,
XIV cal. Novembris Poppo ædem Epterna-
censem instauratam invitatus ab Humberto
abbate consecravit, levataque S. Villibrordi
ossa in honoratiorem tumulum transtulit. Cum
vicinis conventionem iniit ratione terminorum
nemoris *Kilvald*, variaque prædia abalienata
1033. ecclesiæ suæ vindicavit circa annum 1033.
Duabus in permutationibus inter diversa mo-
1035. nasteria initis occurrit circa annum 1035.

A Duodecim mansos, totidemque mancipia a
Thiefrido advocato Trevirensi, qui Luitardim
consanguineam suam uxorem duxerat, accepit
atque duobus conjugibus cohabitare licentiam
fecit anno 1036. Eodem anno & insequenti 1036.
varia dona ab Adalberone S. Paulini præposito
collata coenobio S. Matthiæ laudavit. Synodum
habuit VI idus Junii 1037, ad quam accedentes 1037.
Adelbertus marchio Lotharingiæ ejusque uxor
Juditha coram ipso villam *Momendorff* eidem
monasterio indulserunt. In Palatiolensem par-
thenonem canonicos sanctimonialium loco ad
hunc annum immisisse dicitur. Comitatum de
B Marvelis, quem Conradus imperator Trevi-
rensi ecclesiæ præstiterat, ab Henrico III
perpetuo possidendum impetravit an. 1039 1039.
idibus Septembris. Ad Benedictum IX epis-
tolam direxit, qua eum precatur ut sibi mittat
virum prudentem, qui ei in necessitatibus suis
consilio simul & auxilio suffragetur: itemque
papam de morte Simeonis eremitæ certiorem
facit, urgetque ut ille in Sanctorum numerum
referatur. Popponis precibus annuens Bene-
dictus præsulem coadjutorem ei misit, quem
Papebrochius conjicit fuisse Gratianum archi- *Bolland. Act. SS. Jun. t. I, p. 97.*
presbyterum, virum prudentem; decernit etiam
C virum Dei Simeonem Sanctum debere nomi-
nari, diemque ejus natalem, sicut & aliorum
Sanctorum reverentissime singulis annis cele-
brari, uti patet ex pontificis litteris & ex bulla
canonisationis datis anno 1042. Ecclesiam 1042.
eodem anno in honorem ipsius S. Simeonis
ædificavit Poppo in porta, quæ Marti apud
Gentiles olim consecrata fuerat, in veteribus
scilicet ruinis antiquæ molis, quam S. Simeo,
dum in vivis esset, incoluerat; immisitque in
eam fratres sive canonicos, qui Deo ibidem
servirent, atque prædia annuosque reditus ipsis
largitus est. Insigne privilegium pro confir-
D matione bonorum ædis majoris ab Henrico III
imperatore impetravit an. 1045. Extinctus 1045.
vero 16 Junii 1047, in ecclesia, quam sancto 1047.
Simeoni ædificaverat, humatus est, posita supra
ejus pectus plumbea tabella cum hac inscrip-
tione: *Poppo Trevirorum archiepiscopus obiit
decimo sexto kal. Julii.* Æri insculptum erat
id epitaphium: *Anno Dominicæ Incarnationis
M. XLVII, Henrici secundi regis XVII, impera-
toris autem primo, XVI kal. Julii obiit hujus Treve-
ricæ sedis Deo dilectus archiepiscopus Poppo.*

Operæ pretium est hic adnotare nihil ipsi
E fuisse commune cum illo Poppone, qui Danos
ad Christianam fidem convertit. Quamvis
enim ejus sepulchrum quondam ab istis populis
fuerit frequentatum, prorsus tamen ab illo
est diversus.

LII. EBHERARDUS.

Ezelini vel Ezonis Alemanniæ comitis Pa-
latini atque Mathildis ejus conjugis, utriusque
imperiali stirpe procreati, filius Ebherardus,
ex præposito Wormatiensis ecclesiæ ab Hen-
rico III imperatore, cujus plurimum fuit in
amicitia, delectus est anno 1047, qui Popponi

ANNI CHRISTI succederet, adhibito deinde cleri populique
consensu. Possessiones atque prædia ecclesiæ
sancti Simeonis a decessore attributa asseruit
auxitque anno 1048. Romæ degens an. 1049
adstitit celebri episcoporum synodo, in qua
a Leone papa IX ecclesiæ suæ privilegia,
honoresque primatus suis decessoribus elargitos,
roborari & stabiliri fategit idibus Aprilis.
Paucis post diebus cellam quatuor Corona-
torum per novum privilegium datum XV cal.
Maii perpetuo habendam obtinuit. Eumdem
pontificem Remos accedentem eo ipso anno
comitatus est & ex consensu Remensis archi-
præsulis consecravit oratorium Sanctæ Trini-
tatis; quin & concilio in ecclesia S. Remigii
a summo pontifice habito, sedens ad ipsius
Char. LIII, col. 332. papæ sinistram, interfuit. Cum Waldramo
comite de Arlo & uxore ejus Adelheide
Ch. LIV, col. 333. conventionem fecit, & ab ipsis ditissimas con-
secutus est possessiones & prædia, novisque
1052. donis ecclesiam S. Simeonis ditavit an. 1052.
Corpus S. Valerii cum aliis quam plurimis
Sanctorum reliquiis e cœnobio S. Eucharii
eductum Henrico III imperatori tradidit im-
mittendum in Goslariense monasterium anno
1053. Laudavit eodem donum ab Anselmo
& Abba ejus conjuge canonicis S. Simeonis
1054. indultum. Præsens aderat annis 1054 & 1056,
1056. quibus Henricus III duo tulit decreta adversus
advocatos S. Maximini. Dum autem suam
inviseret diœcesim circa annum 1059, in
captivitatem a comite Luxemburgensi abductus
est. Rem eo modo narrant Gesta Trevirensium
archiepiscoporum: « Hic dum quadam vice
» diœceses circuiret, a comite Conrado *de Luze-*
» *lemburg* captus est, sacerdotalia vestimenta di-
Marten. collect. Ampliss. tom. IV, p. 172. » repta, Chrisma unctionis effusum, magnumque
» nefas a perversis hominibus patratum est. Quo
» nuntio Treberi perlato, omnia Divini mysterii
» jura celebrari intermissa sunt, donec Romanus
» papa, qui de hoc definiret, interrogaretur.
» Qui eumdem Conradum omnesque ejus com-
» plices facto generali consilio excommunicat:
» sed ejus absolutionem pœnitentis episcopo
» commisit, palliumque illi pro eo quod hostes
» conciderant misit. Interim vero episcopus a
» captivitate datis obsidibus rediit, nec multo
» post comitem suscepit, cui pro pœnitentia
» peregrinationem Jerosolymam injunxit, in qua
& obiit. » Quasdam villas S. Simeoni contulit
1061. Ebherardus anno 1061. Litteras in gratiam
1063. monasterii Prumiensis expedivit 1063. Com-
mutationem bonorum cum viro quodam,
1065. Nepulone nomine, iniit 1065; eodemque
memoratur in diplomate Henrici IV impe-
ratoris potestatem advocatorum S. Maximini
nova lege constringentis. Adeo gravi discordia
nuper discesserat a Theodorico hujusce monas-
terii abbate, ut hic ad abbatiæ defensionem
vasallorum servitia inclamare necessum ha-
buerit. Quibus turbis ansam dedisse credibile
est, quod Ebherardus sibi ab imperatore Hen-
rico IV abbatiam S. Maximini rogaverit &
obtinuerit etiam, eamque proinde invadere

A tentaverit. Verum mutato consilio, beneficiis ANNI CHRISTI
officiisque illatum detrimentum jam jam re-
sarcit. Judæos ex urbe pellere constituerat,
ni ad Christianam fidem sese converterent.
Hi indignati de Consciscenda ei nece consilium
inter se agitarunt, factaque ex cera ad archi-
episcopi similitudinem imagine, quemdam
clericum nomine Christianum corrupere pretio
ut eam undæ salutari immersam ablueret, ac
veluti infantem sacro fonte tingendum ex-
piaret. Ubi igitur dies majoris hebdomadæ
extremus illuxit, archiepiscopus pontificali
ornatus amictu ad sacros fontes prodiit. Tum
B vero Judæi præparatam jam maleficiis iconem
lychnis inserentes accenderunt; ea porro ab-
sumta dimidiata, pontificem sacro ministerio
insistentem vires omnes subito liquere. Re
divina nihilominus constanter prolata, elan-
guidus antistes abscessit in sacrarium; atque
ibi positis coram Christi in cruce pendentis
effigie genibus, fusus in preces, caputque in
archidiaconi sinum reclinans spiritum exhalavit
Sabbato ante Pascha XIV cal. Maii 1066. 1066.
Tumulum in media area ædis beati Paulini
sortitus est hoc epitaphio donatus: *Pausat hic*
Eberardus Trevirorum archiepiscopus, qui in vigilia
C *Paschæ sacris instans officiis, ex cerea imagine*
per Judæos accensa infirmatus, ad sacrarium
ductus, ibidem flexis genibus orans in sacris vestibus
exspiravit anno Domini M. LXVI, XVII * *cal.* * XIV.
Maii.

LIII. S. CONO.

Coloniensis archipræsul Anno ubi Trevi-
rensem ecclesiam per Ebherardi mortem va-
care didicit, pro amplitudine potestatis qua
apud Henricum regem valebat, Cunonem sive
Conradum consanguineum suum, ex comitibus
D de Phullinga ortum, patre Egiloliso, matre
Azecha, natione Suevum, primicerium &
præpositum ædis Coloniensis, ad archiepisco-
palem dignitatem efferri curavit anno 1066.
Quod cum in urbe renunciatum fuisset, pri-
mores cleri populique succensuere suffragiorum
jus hac in occasione sibi ereptum fuisse. Rem
sic exponit Lambertus Schafnaburgensis in
rebus gestis Germanorum: « Episcopatum,
inquit, Ebherardi per interventum Coloniensis «
archiepiscopi suscepit Cuno præpositus Colo- «
niensis. Graviter & indigne nimis tulit tam «
clerus, quam populus Trevirorum quod ipsi «
E in electionem ejus admissi consultique non «
essent; seque vicissim hortabantur ut insignem «
hanc contumeliam insigni aliquo exemplo elue- «
rent. Erat tunc temporis Major-domus ecclesiæ «
Trevirorum Diedericus comes, adolescens tam «
natura ferox quam ætate. Is die, quo episcopus «
urbem ingressurus sperabatur, cum ingentibus «
copiis ei obviam processit, atque in ipso lucis «
crepusculo, priusquam hospitio progrederetur, «
super eum irruens, paucos resistere tentantes «
occidit, cæterosque inopino terrore perculsos «
facile fudit fugavitque; opes quas amplissimas «
advexerat diripuit: ipsum episcopum captum «

ANNI CHRISTI

» traditumque in manus carnificum de rupe » altissima præcipitari & sic interfici jussit. Corpus » ejus a religiosis viris collectum atque in monasterio * Doleiensi sepultum est, ubi usque » in præsens tempus magnis, ut fertur, miraculis sæpe illustratur. » Isthæc autem in chronico Hildesheimensi leguntur verba: « S. Cuno » Trevirorum episcopus martyrisatur in deserto » loco, a scopuloso monte ter præcipitatus est » a Theodorico comite, eo quod absque electione » constitutus est, sepultus est Doleia; ibi per » illum Dominus multa signa tunc temporis fecit. » Trucidatus autem est anno 1066, 1 Junii, quo die inter Sanctos honoratur. Acta ejus & miracula scripta sunt a Theoderico monacho Tholejensi cœvo, quæ ediderunt Antuerpienses, tom. I Junii, p. 127 & seqq. De cruenta hac nece Sigefridus Moguntinensis archipræsul Alexandro II pontifici vehementer questus est. Interfector vero comes Theodoricus sui sceleris diluendi gratia Jerosolymam iter arripuit, marisque fluctibus haustus misere interiit.

*Tholejensi.

LIV. Udo.

Vir nobilissimæ stirpis Udo, Ebherardo seu Everardo Nullemburgensi comite & Ida parentibus, eximii monasterii S. Salvatoris Scafusii in Suevia conditi auctoribus, progenitus, cleri populique suffragiis electus est anno 1066, atque ex Browero consecratus
1068. anno 1068. Duas ad eum scripsit epistolas
1070. Alexander II circa annos 1070 & 1071.
1071. Per primam pontifex Udonem hortatur ut incestuosum quemdam sacerdotem in perpetua detineat pœnitentia; per alteram Theodorico Virdunensi episcopo simul inscriptam decernit ut Cosaldus presbyter, qui infirmitate pressus monachum induere voverat, a claustrali disciplina alienus degat, suaque beneficia & altaria quiete retineat. Moguntino concilio adstitit an. 1071. Per id tempus in Horreensi parthenone florebat piissima monialis, nomine Fridiburga. Hæc meridiano tempore in æde sacra cum inter precandum obdormisset, audire vocem sibi visa est jubentis ut bibliothecæ schedas aureis exaratis litteris perquireret. Scriniis itaque diligenter omnibus atque forulis excussis, venit in manus hymnus de S. Paulini laudibus olim conscriptus, quo ejus sepulturæ locus indicabatur, ubi aliorum Martyrum actus annotati essent. Re ad Udonem relata, humum fodiendi licentiam fecit, tredecimque Martyrum exuvias & paulo altius corpus S. Paulini invenit. Cum inter episcopum Virdunensem Theodoricum & monachos S. Michaëlis ad Mosam grave exortum fuisset dissidium, litteris Gre-
1074. gorii VII datis 1074 pridie nonas Maii commonitus est ut, Herimanno Metensi & Pibone Tullensi præsulibus secum assumtis, pacem inter litigantes restitueret. Prædium quoddam ecclesiæ sancti Simeonis assignavit, dedicavitque ad Juræ-montis radicem ecclesiam in honorem S. Helenæ an. 1075. Breve

Harduin. t. VI, part. I, p. 1169.

Charta LV, col. 334.

A datum anno 1076 a summo pontifice accepit, quo papa eum simulque Theodoricum Virdunensem & Herimannum Metensem episcopos hortatur ut schismati in Germania excitato nuntium remittant. *Rogamus*, inquit pontifex, *& admonemus ut quod Schismaticorum persuasione deliquistis, competenti emendatione corrigatis; ut sicut mater vestra de excessu vestro condoluit, ita de satisfactione lætetur.* Cum multis aliis præsulibus hoc anno Henrici IV Romanorum regis diploma datum in gratiam Cluniacensium laudavit de ecclesia *de Rogerespere* & de alodo in Lausanensi diœcesi, quæ eisdem vir illustris
B Lutholdus concesserat. Eodem anno XVII cal. Novemb. indict. XIII una cum Herimanno provinciam accepit inquirendi de moribus Pibonis Tullensis episcopi, quem simoniæ aliorumque criminum clericus insimularat. De motibus inter ecclesiam & imperium excitatis Gregorius VII ad illum breve direxit pridie cal. Octobris 1077. Eodem & ipse scripsit ad Bambergensem episcopum, rogans ut Spiram accederet ejus urbis episcopi consecrationi cooperaturus. Reperiuntur & aliæ binæ epistolæ, quas idem papa Gregorius anno postero ad illum jam defunctum scripsit. Cæterum
C opera antecessorum incepta perficere aggressus, S. Petri basilicam auxit; verum in comitatu regio, dum arx Turingia obsidione premitur, in Suevia vita functus est anno 1077; unde 1077.
Treviros deportatus, in eadem basilica sancti Petri sepulturam habuit: ejus mors in necrologio sancti Maximini notatur ad diem 11 Novembris. Vir fuit, ex Gestis Trevirorum, valde venerabilis, facie venustus, ore facundus, statura procerus, cujus merito humeris sustentari posset moles regiminis. Udonem cum Adone Viennensi archiepiscopo martyrologii auctore nonnulli perperam confuderunt. Alii vero
D Udonem ab Adone distinguentes, censuerunt ambos fuisse Trevirenses archiepiscopos, sed hunc ab illo cave ne dividas.

ANNI CHRISTI 1076.

Spicil. t. XII, p. 224.

LV. Egilbertus.

Claro optimatum Boiariæ genere ortus Egilbertus, priusquam ad episcopatum pervenisset, præpositi munus in ecclesia Pataviensi obibat. Quondam autem cum S. Altmannus ejusdem urbis episcopus Gregorii VII decretum promulgaret, quo hic regi Henrico investituras prohibebat, clericisque feminarum commer-
E cium interdicebat, Egilbertus arroganter in episcopum insurgens, ab ipso est excommunicatus, & ad Romanum pontificem se excusatum ire jussus. Roma redux, Udonis morte accepta, regem Henricum Treviris versantem convenit præsulatum consequendi gratia. Plures ex collegio suo clerus episcopatu dignissimos jam jam regi proposuerat ubi Egilbertus regis conspectum subiit. Mox princeps ad clerum tunc coactum conversus hæc ait: *Quoniam diu in eligendo episcopo concordare non possumus, saltem in hunc conveniamus.* Regis voluntas prævaluit, Theodorico Virdunensi episcopo

ANNI CHRISTI populique exigua parte comprobantibus; sicque A

1078. Egilbertus electus VIII id. Januarii 1078, investituram solenni more a rege accepit. Verum Hermannus Metensis & Pibo Tullensis præsules intercessere, querentes fraudem vimque in electione adhibitam. Immo clerus & sanior pars plebis, minis precibusque mixtis, eos obtestati sunt ne Egilbertum contra sacras pontificum sanctiones impositum sacrare vellent. Itaque Egilbertus sacram unctionem per plures annos percipere nequivit, licet id magnopere consectaretur, uti apparet ex epistola Theodorici Virdunensis, qui se excusat quod ipse suspensus ab ordine, ejus consecrationi B

Chart. LVI, col. 335. interesse non possit. Quia vero a Gregorio pontifice vetitum erat ne ungeretur, epistolam adversus eum conviciis refertam scripsit Egilbertus. Parte ex altera Henricus rex, a cujus partibus contra papam semper stetit hic præsul, omnia movebat ut ille initiaretur, & quidem

1083. circa annum 1083 ea de re litteras direxit ad Theodoricum Virdunensem, qui & ipse rescriptum adulatione respersum Egilberti gratia ad pontificem transmisit, in quo queritur quod Trevirensis ecclesia fere per biennium vidua fuerit. Theodoricus tamen regis cupiens obsecundare votis, Egilbertum Moguntiam secum C abduxit, atque licet solus e suffraganeis conse-

1084. crationem ei impertitus est an. 1084.

Ubi vero archiepiscopus in urbem reversus est, populum reperit sibi invisum & ab ipso quasi tyrannus haberi cœpit. Is gravibus mulctis ac sæva bonorum direptione populum punire ingressus est, adeoque multorum in se odia simultatesque provocavit, ut clerus ac populus ipsum palam sperneret, atque ullam in posterum cum illo sibi rerum divinarum societatem fore negaret. Aliquanto post tempore dies adfuit, qua sacros ordines Egilbertum conferre oportebat, nec dubitabat quin sacerdotes, quos D consecrasset, jam tum obnoxios haberet. At illi tam vafrum cum præcepissent consilium, ad initiamenta venire detrectaverunt. Verumtamen eo enixius hortante ut accederent, illi contra: quia pallium, inquiunt, nondum es adeptus, manuum impositionem a te accipere nolumus. Qua ratione victus Egilbertus cleri ordinandi munere sese abstinuit, paucisque diebus interjectis, Theodoricum scholasticum professione monachum, qui duos veneno mendaciisque infectos adversus Gregorium VII publicaverat libellos, Romam ad Clementem E antipapam pro obtinendo pallii usu legavit. Eo perfunctus munere Theodoricus, a pontifice donatus est abbatia sancti Martini super litus Mosellæ sita, cujus facultates sic decoxisse dicitur, ut rerum necessariarum copia vix monachis suppeteret. Insuper id aliis facinoribus adjecit Egilbertus, quod in Horreensi

Spicil. t. XII, p. 233 & seqq. monasterio puellarum Liutgardam veneficam neptem suam, renitentibus sanctimonialibus, abbatissam instituerit.

1085. Sub id tempus, anno videlicet 1085, pontificatus VIII, ordinationis II, ecclesiam in Tavena diplomate condecoravit, præbuitque ANNI CHRISTI ecclesiæ S. Simeonis prædium in territorio Moguntino XVI cal. Julii ejusdem anni. In- 1086. sequenti ab Henrico rege Pragam missus est *Æneas. hist. Bohem.* ut Bohemiæ ducatum regio titulo afficeret, & Uratislaum ducem una cum ejus uxore Zuatava consecraret regem. Sacellum SS. Martyrum Trevirensium in divi Paulini cœmeterio conditum dedicavit anno 1088, x cal. Octob. 1088. Henricum Limburgensem comitem facultates ecclesiæ Trevirensi quondam ab ipsius parentibus tributas, quas inter marchionatum de Araluno, quem præpotens matrona Adheleidis orbata Walramo marito ecclesiæ Trevirensi contulerat, violentia auferre parantem certamine vicit anno 1093. Factam ab Henrico 1093. comite Palatino Rheni ejusque conjuge Adheleida fundationem monasterii ad Lacum in honore B. Mariæ sanctique Nicolai hoc anno comprobavit. Varias largitiones a Poppone præposito ecclesiæ sancti Simeonis erogatas auctoritate sua firmavit V id. Julii 1097. 1097. Assignavit insequenti vel circiter anno eidem ecclesiæ diversa prædia in pago Bedensi. Attribuit etiam Willelmo comiti Luxemburgensi mansos sexcentos. Litteras de restitutione prædii *Prumisfeld* ab Henrico III imperatore facta anno 1101 Prumiensi cœnobio laudavit

Egilberti ætate memorabilis ac militaris illa Hierosolymorum expeditio sua cepit primordia, Judæisque fuit perquam exitiosa. Christiani enim ad iter proficiscentes Judæos omnes, ni Christi fidem profiterentur, delere decreverunt, & quidem plurimos occiderunt. Qui vero Trevirensem civitatem incolebant ad Egilbertum confugere, quos ille præcipuis Christianæ fidei mysteriis obiter imbutos præcipiti consilio salutari lavacro tinxit. Verum illi, metu jam procul abacto, ad Judaismum, excepto Michea sectæ capite, reversi sunt anno sequenti.

Postea quam per annos tres & viginti, menses propemodum octo pontificatum magna in egenos beneficentia ac moderationis fama gesserat Egilbertus, morte sublatus est anno 1101 nonis Septembris; incertum tamen an 1101. schismati nuncium remiserit. Sepultus est in ecclesia cathedrali sancti Petri, sedesque inde vacavit quatuor mensibus.

Trithemius qui Egilberti obitum refert ad annum 1102, ejus laudem sic prosequitur chron. Hisaugien. t. I, p. 327: *Anno M. CII mortuus est Egilbertus Trevirorum archiepiscopus, ecclesiæ suæ reparator magnificus, in pauperes pius & misericors, qui gregem sibi commissum verbo & exemplo erudiens ad observantiam mandatorum Dei, non sine opinione sanctitatis ex hac vita migravit ad Dominum. Erat siquidem doctus in lege Domini, & tam in divinis scripturis, quam in secularibus litteris haud mediocriter eruditus, & ob id non solum procuravit temporalia ut princeps, sed multo magis ut episcopus spiritualia, celebrando sacrificium Dominici corporis, ordinando, ministrando, consecrando & prædicando*

ANNI CHRISTI *verbum Dei populo sibi commisso diligentissime* A
sollicitudinem impendit.

LVI. Bruno.

DE BRITHEIM.

Comitum Brettheimiorum & Lauffensium
familia, Arnoldo & Adelheida nobilissima
muliere parentibus satus Bruno, majoris ec-
clesiæ Trevirensis, Spirensis, & S. Florentii
in Confluentia præpositus, vir ingenii sollers
atque divini juris apprime callens, in archi-
1102. episcopum cooptatur anno 1102. Superiori
siquidem anno Henricus imperator Natalem
Domini celebravit apud Moguntiam, quo eum
adeuntes cives Treverici, petierunt sibi epis- B
copum dari. Quorum postulatis rex annuens,
Brunonem ipsis gratum archipræsulem fieri
permisit ineunte Januario. Ordinationem vero
accepit Bruno idibus mensis ejusdem ab Adal-
berone Metensi episcopo, cooperantibus Jo-
hanne Spirensi & Richerio Virdunensi præsu-
libus, adstantibus quoque Ruthardo Mogun-
tinensi, Friderico Coloniensi, aliisque quam
Harduin. tom. VI. ibid. p. 1880. plurimis præsulibus atque proceribus, qui tunc
intererant conventui, cui & ipse adfuit Bruno,
qui eodem anno in epistola Sigeberti monachi
Leodiensium calamitatem deflentis memoratur.
His ita Moguntiæ peractis, ipsa die Purifica- C
tionis B. Virginis Trevirim ingressus, omnium
1104. ordinum gratulatione exceptus est. Anno autem
Amplis. collect. t. I, p. 598. ordinationis suæ tertio mense Martio Romam
adiit pallii usum a Paschali II petiturus. Sed
quoniam episcopalia, annulum videlicet &
baculum, e manu laïca suscepisset, ecclesias
dedicare, clericosque ad ordines promovere
pallio nondum condecoratus non dubitasset,
ab episcopis in concilio tunc congregatis acriter
increpitus, a sacris functionibus interdicitur.
Quod cum triduum ille animo peræquo subiisset,
episcopis tandem deprecantibus, officium ea
lege Paschalis reddidit, ut quoties in reliquum D
triennium divinis operaretur, in admissi delicti
pœnitentiam, absque dalmatica ad aram acce-
deret. Quod certe tribus ille continuis annis
magna cum humilitate præstitit. Reversus ex
Italia serio cogitavit de ecclesia in seditionum
procellis, quibus tunc Germania jactabatur,
recte sapienterque gubernanda; immo & inter
clerum populumque fovenda concordia. Circa
pontificatus ejus initium Thiofridus Epterna-
censis abbas illi nuncupavit opus inscriptum:
Flores epitaphii Sanctorum. Cum vero Hen-
ricus IV in gratiam filii invitus nuntium E
imperio remisisset, Bruno una cum aliquibus
episcopis ad summum pontificem a comitiis
1105. Germaniæ deputatus anno 1105, in itinere
Tridenti captus est ab Alberto urbis guber-
natore, qui libertatem ei non reddidit, nisi
ea conditione ut in Germaniam rediret in
pace inter utrumque principem restituenda
elaboraturus. Mortuo imperatore Henrico IV
1106. anno 1106, unanimi principum consilio ob
Quercetan. Hist. Franc. t. IV, pag. 189. Henrici V juventutem in regni procurationem
adscitus est. Regis ejusdem ipse legatus Pas-
1107. chalem II Catalaunum adiit an. 1107 causam

investiturarum disceptaturus. Eodem anno dum ANNI CHRISTI
generalem synodum celebraret, quædam fe- Ch. LXI, col. 339.
mina, Benigna nomine, ad eum accessit ex-
postulans ut ipse cellam, in qua regulares
canonicos illa locaverat, sua confirmaret aucto-
ritate. Duo diplomata Henrici V regis plurima Amplis. collect. t. I, col. 612 & seq.
monasterio S. Maximini prædia restituentis
probavit hoc anno. Breve accepit III id. No-
vembris ipsius anni a Paschale II de Leodiensi Ibid. col. 620.
episcopo ab excommunicatione absolvendo.
Sub id tempus corpus S. Modoaldi Thietmaro
Helmwardeshusano abbati in Saxonia tradidit.
Præfati regis Henrici jussu cum Friderico
Coloniensi apud summum pontificem legatione
functus est an. 1109. Hospitali domo sancti 1109.
Nicolai dedit originem apud Confluentes
an. 1110, quo vel circiter ad eum scripta est 1110.
epistola de quodam clerico, qui a triennio in
diœcesi Trevirensi regulam sancti Augustini
professus, præbendam in Leodiensi capitulo
appetebat. Exagitatos vexationibus Richardi
Virdunensis episcopi monachos S. Vitoni ad
concordiam & clericalem communionem hor-
tatur an. 1111. Henrici imperatoris confir- 1111.
mantis possessiones monasterii Lacensis diplo-
mati subscripsit an. 1112, quo Berengosum 1112.
abbatem S. Maximini curam accepit investiendi
de monasterio S. Arnulphi Metensis. Per eos
dies duos presbyteros, videlicet Fridericum
& Dominicum-Guillelmum pestiferam Beren-
garii contra Eucharistiæ sacramentum doc-
trinam clandestinis conventibus apud Ivodium
Luciliburgensis pagi castrum disseminantes re-
pressit. Duodecim abhinc annis magna cum
laude suam administrabat ecclesiam, cum in
cupiditatem & avaritiam delapsus est: cœpit
enim pretiosa templis detrahere donaria, au-
reaque & argentea vasa conflare; quin &
fundos, puta Lesuram & Macharam monasteriis
S. Paulini & Horreensi adimere. Vormatiensi
curiæ cum aliis præsulibus adfuit an. 1113, 1113.
quo subscripsit litteris Henrici V imperatoris,
in gratiam S. Maximini. In epistola Radulfo
Remensi archiepiscopo inscripta circa eumdem
annum queritur se in præsulatu Remensi in-
dignam admodum & intolerabilem injuriam
dudum passum fuisse, simulque de antiqua &
sororia inter utramque ecclesiam societate lo-
quitur. Per alteram ad eumdem missam circa
1115 precatur eum ut in Remensi concilio 1115.
protectionem indulgeat monialibus B. Mariæ
Horreensis, a quibusdam nobilibus divexatis.
Eodem aut circiter anno 1115 litteras dimis-
sorias in gratiam Balduini diaconi accepit a
Friderico archiepiscopo Coloniensi. Sub finem
ejus anni imperatorem in Italiam comitatus
est, atque post obitum Paschalis II, Gelasii
partes deserens, Mauritio Burdino adhæsit
anno 1118; quidquid vero eam ob causam 1118.
gesserit aut passus fuerit suis ipse testatur litteris.
Litteras Henrici imperatoris cœnobio sancti
Maximini concessas laudavit anno eodem.
Curis tamen & adhortationibus Cunonis Præ-
nestini legati in gratiam cum Gelasio mox

ANNI CHRISTI

1119. rediit. Concilio Remensi interfuit anno 1119, 20 Octobris, atque paulo post Callixtum II adiit Brivatum; unde eum prosecutus est Augustodunum, tum Cluniacum; ibique productis summorum pontificum privilegiis suæ ecclesiæ concessis, a cujuslibet legati potestate absolutus est, nisi a latere dirigatur. Præterea metropolitanum jus super tres civitates Metim, Tullum & Virdunum curavit constabiliri III
1120. nonas Januarii 1120. Hac cautione usus est ut cohiberet superbiam Stephani Metensis episcopi, qui, obtenta in sacris pallio utendi facultate, ecclesiæ Trevirensi se subtrahere nitebatur. Cum vero Romam papa repedasset, Brunonem de suo felici reditu certiorem fecit. Novem vini mensuras capellæ castri Arrasii Bruno concessit eodem anno. Cathedrali ecclesiæ manum tunc admovit instaurandæ, partemque occiduam opere perfectam, conquisitis undequaque Sanctorum reliquiis ibidem reconditis, solemni more consecravit
1121. anno 1121. Vibrata an. 1122 in bonorum
1122. ecclesiæ raptores excommunicatione, Willelmus Luxemburgensis comes rei conscius absolutionem ab eo precatur. Exstat Henrici imperatoris diploma datum eo anno, nonis Martii, indictione XIII, ex quo constat Brunonem fundasse consensu fratris sui Popponis monasterium ordinis sancti Benedicti in loco Odenheim diœcesis Spirensis, quod an. 1494 secularisatum, atque paulo post in civitatem Bruschsaliensem translatum, ibidem hodieque sub titulo Equestris collegiatæ floret. Jura possessionesque cœnobii Munsteriensis con-

Ampliss. collect. t. I, col. 677.

1123. firmavit 1123 nonis Octobris. Reliquum vitæ suæ in exercitiis pietatis exegit; nocturno siquidem silentio loca tumulis Sanctorum consecrata cum lacrymarum & precum effusione visitabat; asceteria quoque, aliaque religionis domicilia, quibus servi Dei, ancillæve ob Christi amorem sese incluserant, ipse cum uno plerumque comite frequenter adibat; abundeque subsidia iis subministrans, enixe se precibus eorum commendabat. Ad hæc adde ejus sumptibus basilicas SS. Matthiæ, Paulini & Florini apud Confluentes instauratas fuisse. Morbo tandem & senectute confectus morta-
1124. litatem exuit 1124, 25 Aprilis, hora diei prima. Sepultus est in cathedrali non longe ab Egilberto decessore, funera magno cleri & populi concursu prosequentibus Henrico Virdunensi & Conrado Tullensi episcopis.

DE LUTTICH.

LVII. Gaufridus.

Tribus mensibus diebus & octo effluxis, post Brunonis obitum Gaufridus in diœcesi Leodiensi alto cretus sanguine, Trevirensis ecclesiæ decanus, cleri ac populi suffragiis electus est pontifex an. 1124 ineunte Augusto. Is primum adolevit in contubernio Arnoldi consanguinei, cathedralis ecclesiæ præpositi, viri pietate insignis: atque inde ab Ebherardo antistite in cleri collegium cooptatus; mox propter eximias animi dotes ab Egilberto &

A Brunone archipræsulibus multis ecclesiasticis oneribus honestatur. Hunc recens electum Otto Chiniacensis comes adiit orans ut ecclesiam Aureæ-vallis a se recens conditam in honorem B. Virginis Mariæ consecrare vellet. Ch. LXIV, col. 344.
Gaufridus autem cum negotiis esset præpeditus, Henrico Virdunensi episcopo id curæ commisit 30 Septembris 1124. Pauco post tempore Vormatiam perrexit, & adstitit conventui, in quo coram imperatore discussa est Gebehardi Wirceburgensis episcopi intrusi causa. Litteras ab imperatore accepit an. 1125 1125.
de pace in sua diœcesi tutanda, deque rapinis, B incendiis atque violentia coercendis, quæ in regione admittere solebant vicini toparchæ. Circa annum eumdem veterem censum Cristano & Diefrido fratribus ex consilio Ludewici vicedomini perpetuo possidendum tradidit. Pontificia dignitate haud diu fruitus est; nonnulli enim clerici ejus electionem vitiosam criminari cœperunt. Qua accusatione in eum animos accendente, prælatus ob decrepitam ætatem, tantoque oneri imparem, de linquendo episcopatu cogitavit, & quidem sponte sese abdicavit an. 1127, transactis in pontificatu duobus annis, mensibus decem & C undecim diebus. Postea vero quam annum, menses quinque, dies sedecim privatus vixerat, e vita excessit an. 1128, VIII cal. Decemb. hora noctis tertia, atque a Meginero in basilica sancti Petri a latere dextro Meridiem versus humo mandatus est.

LVIII. Meginerus.

Fuit Meginerus ut natali solo, ita familiæ splendore par Gaufrido atque a pueritia in ipso Trevirensis ecclesiæ sinu educatus. Is sane episcopatu dignior fuisset, nisi se palam D & aperte decessori inimicum professus, minusque acriter ipsum esset insectatus. Utriusque ordinis videlicet cleri ac populi consensu in archiepiscopalem sedem conscendit an. 1127, 1127.
mense Junio. Suscepti pontificatus exordio, Autumnali tempore, militia Trevirensi collecta, bellum intulit Guillelmo comiti Luxemburgensi, qui ex castello Bunmageno a se recens exstructo, totam diœcesim infestabat. Munitionem hanc Meginerus primo impetu cepit, Willelmumque ad pacis conditiones accipiendas venire coegit. Eodem anno sub ejus præsulatu corpus S. Matthiæ Apostoli calendis Septembris hora diei prima inventum fuisse E produnt monumenta monasterii S. Eucharii, cui exinde inditum est nomen S. Matthiæ. Romam iter habuit in Quadragesima, atque ab Honorio non consecrationem modo, verum & usum Pallii impetravit anno 1128. In 1128.
Germaniam reversus, ut erat animi magnus, anathema vibravit in Conradum Sueviæ ducem, qui pro Germaniæ rege tunc se gerebat. Verum Meginerus qui a pauco tempore magna cleri atque populi lætitia urbem erat ingressus, omnium prope clericorum animos in se brevi concitavit ardentiori studio restituendæ in

ANNI CHRISTI

clero continentiæ. Parthenonem B. Mariæ sub Andernaci mœnibus a virginibus canonicæ disciplinæ addictis habitatum munificentia Lupoldi illustris viri instauravit & ad pristinum
1129. splendorem revocavit circa annum 1129.
Ch. LXVI, col. 345. Eodem XV cal. Julii habuit ratam monasterii Schiffenburgensis prope Marburgum dotationem. Verumtamen ille se clero invisum cernens, ad papam Honorium solatium & consilia reperiendi gratia confugere statuit. Quod iter cum aggressus fuisset, in Lombardia a Conrado rege, quem excommunicationis vinculo constrinxerat, est abreptus, atque carceri Parmæ, ob sexcentas æris alieni libras ab ipso eidem urbi debitas, mancipatus. Decem pene mensibus illic in carceris squalore exactis, & oculorum amisso usu, animam non sine martyrii opinione Deo reddidit calendis Octobris anno 1130. Parmensis episcopus eum vestibus, quas sibi ipse morituro paraverat, indutum in cathedrali ecclesia sepelivit.

LIX. Albero.

De Monstrol seu de Montreuil.

Trevirim de morte Megineri allato nuncio, populi & cleri primates ad sufficiendum ei novum antistitem VII id. Decemb. convenere, atque Brunonem superioris Brunonis nepotem, inclytæ prosapiæ virum, canonicum Trevirensis ecclesiæ, sancti Florini Confluentiæ & sancti Gereonis Coloniæ præpositum, archiepiscopum crearunt. At ille opulentioris sacerdotii spe allectus, præsulatum hunc necessariis opibus destitutum recusare non dubitavit, quin & summum pontificem Innocentium II adiit deprecatum ut suffragia a se averteret. Petitionis suæ consecutus est effectum; pontifex enim legatis ab Trevirensibus respondit ut quem vellent alium idoneum eligerent, Brunonem neque ipsos neque ullos cujusquam alterius ecclesiæ episcopum habere posse. Qua responsione in civitatem delata, nova antistiti legendo comitia indicta sunt. Cleri prima rogatio fuit ut plures digne occupandæ sedi pares designarentur. Laïci vero seorsim capto consilio, una voce Gebehardum Wirzeburgensem episcopum proclamarunt. Ubi disjuncta fuere comitia, canonici majoris ecclesiæ Matthæum Albanensem episcopum sedis apostolicæ legatum, & Stephanum Metensem adiere causam eorum arbitratui ergo committendi, dato promisso ut quemcunque ipsi episcopatu dignum pronunciassent, modo is papæ & regi probaretur, hunc concordibus suffragiis eligerent. Re ante regem agitata, designatus est Albero seu Adalbero primicerius Metensis, in Leucis veteri ac nobili familia natus, quem canonici gratum habuere. Id ubi nuntiatum fuit in urbe, Advocatus ecclesiæ Palatinus comes, simulque nobiles ac populares Godefridum majorem præpositum cathedralis ecclesiæ vel Gebehardum Wirzeburgensem archiepiscopum sibi dari petierunt. Nihilominus post multa inter clerum & populum diffidia discordiasque, in Alberonem magni nominis virum, ac prudentia usuque rerum incomparabilem, conversa sunt omnia suffragia. Verum ille pari animi magnitudine, qua nuper Magdeburgensem & Halberstadiensem episcopatus abnuerat, honores Trevirensis archiepiscopatus renuit accipere; maxime cum, ut ipse ait, nosset multitudinem in Trevirensi civitate versari contumacem, discordiis atque seditionibus ciendis in primis exercitam. Trevirensis tamen clerus ad Innocentium II pontificem litteras direxit ut honorem Alberoni delatum accipere cogeret. Cumque ille a pontifice monitus id præfracte abnueret, Innocentius ademturum omnia se ei sacerdotia comminatur, ni jussis illico pareat. Adhuc etiam recalcitravit Albero; Remosque, ubi papa concilium ad diem 19 Octobris 1131 indixerat, ad se 1131.
excusandum accessit. Tum pontifex ipsum publice in concilio pontificalibus indumentis indui ac inter præsules collocari voluit. Dimisso autem concilio, Innocentius ei secum Viennam abducto consecrationem solemni ritu impertitus est. Memoratur eodem anno in charta Wiboldi Stabulensis abbatis de rebus ab eo gestis & emendatis in curte Andernaci. Postero 1132.
anno Quadragesimæ tempore ipsi ad jura regalia a Lothario rege postulanda venienti, quia scilicet ante a pontifice se consecrari passus esset, quam ab se ex prisco more investituram retulisset, regalia se daturum rex negavit. Re tamen ad aulicum consilium delata, visum est ut Albero jurejurando profiteretur se consecrationem bona fide, nullave fraude regii juris, sed a pontifice coactum accepisse. Ad quæ cum paratum Albero se ostendisset, Lotharius sacramentum condonavit, simulque regalia sceptro leviter admoto concessit.

Quis vir ante episcopatum Albero, quodve fuerit a juventute ejus ingenium, post Baldricum ipsius Alberonis vitæ scriptorem æqualem juvat hic repræsentare: « Iste homo, inquit, novus cœpit esse miles, & mirabilibus ingenii « atque consilii sui armis esse ecclesiæ sanctæ « defensor. Litteras domini papæ, interdicti « sententiam continentes, cum nemo Metis, « timore crudelissimæ mortis, auderet afferre, « iste Albero adhuc secularis clericali se toga « induit, & peplo muliebri caput & vultum « involvit, & cappa de panno griseo se superinduit, « atque in specie peregrinæ mulieris, « tanquam thus ad altare deferens, litteras domini « papæ altari imposuit, indeque revertens « canonicos, quos in ipsa ecclesia D. Stephani « vidit, ad se concitavit, quod litteras domini « papæ in altari acciperent & reverenter legerent, « indixit. Illi autem cum jam eum cognoscere « inciperent, furere & constrepere, & sonitu « campanæ populum civitatis in eum concitare « accelerabant; ipse vero, antequam ipsum possent « comprehendere, equum quem ante fores « ecclesiæ præparaverat velocissimum ascendit, « & cursu citatissimo aufugit..... Consilii « arte insidias regis multoties evasit. Rex enim « ipse Romam eunti omnes vias obstruxerat, «

« & de morte ipsius omnibus sibi subjectis præceperat: adversarium enim & inimicum regni eum publice pronunciaverat. Ipse vero transfigurando se in diversas formas per medios hostes ibat incognitus; aliquando enim servos suis vestibus induebat, & ipse servili habitu illis ministrabat, equos procurabat, cœnam præparabat, calceamenta detrahebat, reliquias servorum comedebat: aliquando inter mendicos ibat, aliquando cum mercatoribus, ut merces ferens, atque pluribus aliis modis se transformabat, non solum vestes mutando sed etiam vultum, capillos & barbam, ne agnosceretur, colorando. Dicitur quoque quod aliquando regi & exercitui ejus formam simulans contracti & sedens in asino occurrit, & a regina quinque solidos in eleemosynam recepit, & in itinere longius comitatus processum sub specie mendici, regis sub mensa locatus, audierit plurima regem ipsum cum regina & cum aliis suis fidelibus loquentem de his, quæ contra papam machinatus erat, atque inter cætera, de insidiis contra ipsum Alberonem disrecitantem, & quæ viæ ipsi Romam tendenti essent interclusæ: quas regis insidias sic præmonitus, cum omnes evasisset, Romam perveniens, reginæ remandavit multas & magnas gratias pro accepto ab ipsa beneficio: ipsum enim se esse denunciavit, cui quinque solidos sedenti in asino dedisset. Cumque rex Romam ipsum pervenisse intellexisset, non solum per litteras, sed per mare ipsi insidias præparavit, ne rediens evadere posset, quod nec ipsum Alberonem latuit..... hæc & multa alia evasit pericula. In episcopatu Argentinensi quadam vice, dum regales insidias sibi sciret in via qua iturus erat, præparatas, nec aliorsum jam declinare posset, clypeo, lancea & vestibus militaribus se adornans, forti sedens equo, per medium eorum ferebatur festinus, requirens subito ab eis si Alberonem Metensem Diabolum transeuntem ibi vidissent, adjungens quod rex ad illum capiendum ipsum misisset, maledicebatque ei dicens: tam malas horas det illi Deus, sicut ego habui tota nocte insequendo illum. Sic mille artibus insidias regis illudere solebat. Metenses vero tempore hujus discordiæ domum ejus, quam in civitate illorum habebat, bis destruxerunt, bonis ipsius distractis. Sed ipse quoque bis compulit eos eamdem reædificare & ablata restituere &c. »

Dum in ecclesia Metensi archidiaconi munus obiret, miserando ejus statu adeo commotus fuit, ut opem ei ferre constituerit. Aggressus itaque Romanum iter summum pontificem Paschalem II convenit, qui ejus suasu jussit ut, abjecto pseudopontifice, dignus pastor eligeretur: & vero paulo post in locum Adalberonis intrusi suffectus est Theotgerus abbas S. Georgii in Hercinia silva. Transactis apud Aquisgranum Paschæ solemnibus, statuit ingressum in urbem splendide comprimis inire, cum amicis fiduciam tum adversariis timorem incutiendi gratia: enim vero Ludovicum vice-

A dominum ac civitatis præfectum necem suam ejurasse haud ignorabat. Sed ut erat cinctus ingenti hominum concursu in officio Ludovicum cæterosque conjuratos continuit, secureque ad cathedralem progressus, sacris ibi rite exsolutis, lætitiæ pompam clausit. Possessionem cum adeptus fuisset, curas omnes adhibuit ut ecclesiæ fundos alieno dominatu liberaret. Prædia siquidem, quæ decessores alienarant, præsente pecunia redemit. Comprovincialium suorum apud Theodonis-villam conventum eo anno 1132 habuit, ad quem Simon Lotharingiæ dux anathemate percussus accessit con-
B silio resarciendi damna, quæ ecclesiæ sancti Deodati intulerat; adeoque delicti sui veniam impetravit. Litteras a Johanne monacho hoc circiter anno de tribus missis in Nativitate Domini celebrandis accepit. Cum fratre suo Petro *de Monsterol* abbatiam de Bello-campo canonicis regularibus condidit circa annum 1130. Gerardum abbatem sancti Maximini Simoniæ, bonorumque dilapidationis insimulatum exauctorandi provinciam suscepit ab Innocentio pontifice anno 1134, XIII cal. 1134.
Februarii & IV idus Aprilis. Enixe rogatus est anno eodem ab Almerico diacono cardinali
C ut quos idem Gerardus ex præbendis aut beneficiis dimoverat monachos, restitui curaret. Laudavit an. 1135 donum quod Gizela 1135.
Friderici comitis uxor cum Simone filio religionis causa abbatiæ de Wadegotia obtulit. Diplomati Lotharii II imperatoris subscripsit de commutatione inita inter Henricum Bavariæ ducem & abbatem in *Madelharderstorp*. Henricum comitem Salmensem adversus abbatem & monachos Senonienses exactiones admittentem ad congruam coegit satisfactionem. Pacem & concordiam restituit inter abbates S. Apri & Calmosiaci. Præmonstra-
D tensium canonicorum introductionem in cœnobium S. Pauli Virdunensis loco Benedictinorum laudavit an. 1136, XIII cal. Februarii. 1136.
Hoc ipso anno XV calend. Decemb. probavit diploma Lotharii imperatoris datum ad preces Wibaldi abbatis Stabulensis in gratiam monasterii Walciodorensis. Pactionis initæ inter canonicos S. Simeonis Trevirensis & sancti Georgii Bambergensis super quadam decima arbiter eligitur, itemque Sprinkirsbachensem ecclesiam consecrat. Lotharium regem in Italiam hoc anno adeuntem honoris & obse-
E quii causa comitatus est cum turma sexaginta septem militum. Dum ille in Italia versaretur, sanctus Bernardus scripsit Innocentio papæ de tuenda ejus metropolitica auctoritate, præsertim adversus appellationes ad sedem Romanam. Qua ratione permotus pontifex Alberonem constituit S. sedis legatum per provincias Trevirensem, Moguntinam, Coloniensem, Salisburgensem, Bremensem & Magdeburgensem VI nonas Octobris 1137, 1137.
quo hic præsul testis occurrit in privilegio Lotharii imperatoris pro monasterio Stabulensi X cal. Octob. Queritur & ipse ad Innocentium de

ANNI CHRISTI

de pastorali munere sibi imposito, deque suffraganeis, quos non modo non habet adjutores sed adversarios, non sine ipsius culpa pontificis.

Interea, divergente anno 1137, Albero in Germaniam redeundi cepit consilium, Parmamque appulit, unde corpus Megineri refossum secum abstulit sepulturæ in urbe Trevirensi tradendum. Ast ubi delatus est ad Montem-Romarici, comperit Castellum-Arrasium a Guarnero & Johanne de Nantersburgo fratribus dolo fuisse occupatum. Quam injuriam adeo ægre tulit, ut per sacerdotalem comam juraverit non barbam se ante tonsurum, quam suum castellum recepisset & munitionem Nantersburgensem solo æquasset. Re quidem vera ab earum regionum optimatibus adjutus hyeme sequenti quod promiserat exsolvit. Eodem aut circiter tempore Egelolfus vir dives ac nobilis votis Giselæ filiæ suæ virginitatem Deo consecrare cupientis desiderans obsecundare, parthenonem ordinis S. Augustini in insula Mosellæ ab abbate Sprinkirsbacensi regendum condidit, Alberone id confirmante, litterisque suis sanciente ut istic congregatæ virgines centesimum numerum non excederent.

Mortuo sine liberis Lothario imperatore, de creando successore inter Germaniæ principes agitatum est, comitiaque eam in rem indicta sunt Moguntiam ad diem Pentecostes anno
1138. 1138. Inter contendentes in primis eminebat Henricus Boiariæ & Saxonum dux, qui spe summum honorem adeundi apud se insignia imperii retinuerat. Sed ut is propter elatiorem animum Alberoni erat exosus, pontifex plerisque Germaniæ proceribus Confluentiam invitatis ad diem 22 Febr. Conradum Sueviæ ducem in regem cooptari curavit, moxque deductum Aquisgranum, & ex consuetudine in Caroli Magni solio locatum, ipse una cum Theoduino sedis apostolicæ legato unctione sacra tinxit ac diadema ejus capiti imposuit.

Cistercienfium novem monachorum coloniam e Claravallensi cœnobio accersitam anno 1134 locaverat amœno quodam in secessu, cui nomen Winterbachium, prope Cordulam. Quoniam vero locus ad habitandum nimium erat angustus, post biennium monasterium in magis aptam sedem sedecim millibus passuum ab urbe Aquilonem versus transtulit ac Hem-
Ch. LXVIII, col. 346. merodiense claustrum vocavit, testibus ejus litteris datis anno 1138, indictione xv. Eodem anno regias litteras Conradi III imperatoris in gratiam Wibaldi Stabulensis abbatis comprobavit. Non ita multo post compulit Hezelonem militem ad restituendum quoddam prædium ecclesiæ S. Simeonis. Per Tullensem archidiaconum papæ Innocentio significavit
1139. anno 1139 ecclesias Germaniæ & Galliæ, grassante schismate, ei esse subditas, seque maxime. Probavit etiam hoc anno litteras Alberonis Leodiensis episcopi prædium quoddam Stabulensi cœnobio asserentis. Conradi regis anno eodem diplomati pro Wolkolderodensi monasterio subsignavit in expeditione Saxonica, itemque alteri pro quodam abbate Vicramno nec non etiam Argentorati, quo supplex adierat manu gestans Francorum regum præcepta, ex quibus evidenter apparebat abbatiam S. Maximini ad Trevirenses archiepiscopos olim pertinuisse, subsequentibus vero temporibus eis fuisse ablatam. Quibus victus argumentis Conradus abbatiam Alberoni omni jure proprietatis habendam, ordinandam, atque possidendam indulsit. Monachi ea de re facti certiores sua quæque omnia pretiosissima, uti aurum, argentum, sacram suppellectilem, tabulas, imagines, gemmasque ante reditum archiepiscopi ad Henricum Namurci comitem advocatum monasterii detulere, quo bellum ipsi gerere posset. Mille quingentis ille coactis militibus appropinquat urbi Trevirensi, tunc nec murorum ambitu nec portarum præsidio munitæ; hancque comes vastare potuisset, ni Fridericus comes de Vienna eum a proposito avertisset; at licet impense rogatus noluit arma ponere, quocirca nec inermis stetit Albero. Dum hæc aguntur, monachi sancti Maximini Sigerum monachum e Leodiensi diœcesi accitum, invito archipræsule, suum in abbatem eligunt, magnoque sumptu Romam mittunt ad Innocentium, qui postquam Sigerum consecrasset, privilegium ei indulsit an. 1140, 1140.
quo jura, possessiones, immunitatesque confirmantur; ea tantummodo adhibita conditione ut nulli alteri ecclesiæ quam Romanæ subderetur aut uniretur monasterium. His infensus Albero S. Bernardo familiari suo questus est, qui suis rem adeo vehementer expostulationibus improbavit, ut pontificem ad non delendum modo privilegium, verum & ad aliud a primo diversum largiendum induxerit. Diversa privilegia a Conrado II imperatore Stabulensi cœnobio indulta laudavit an. 1140. Ad id tempus referenda videtur synodus generalis ab Alberone celebrata, cui stitit Ludovicus Arnensteinius, qui genus vitæ præmonstratensium arripiendi desiderio inflammatus, suum castellum de Arnensteinio in ejusdem ordinis monasterium vertit, traditis ad dotationem amplis possessionibus & latifundiis, quæ suis Albero sancivit litteris, & ab omni onere ac servitute immunia reddidit, subinde alteram habenti synodum anno circiter 1142 canonici 1142.
Confluentini litteras Romani pontificis, Ludovicum de Isemburgo in præpositum, Alberone haud probante, a capitulo subiectum fulcientis detulere. Quas cum ille legere cœpisset, has in terram iratus disjecit, atque eamdem ob causam ad præstitutam diem Romam venire jussus est, quin & ob moras sacris muniis interdictus. Paruit tamen ac supplex pontifici factus delicti maculam absterfit, indeque tulit fructum ut canonicis Confluentinis electio non procederet, atque Sigerus abbas sancti Maximini ei obedientiæ ac fidei juramentum præstaret. Insequenti anno pepulit monachos 1143.
e monasterio S. Maximini, aliosque accersivit,

ANNI CHRISTI

Sigero nihilominus moderamen retinente. Id
ab Alberone non studio regularis disciplinæ,
sed explendæ avaritiæ actum esse tradit Tri-
themius. Conradi III Romanorum regis di-
1145. ploma datum 1145 Wormatiæ, rogante
Amedeo Lausanensi, eamdem Lausanensem
ecclesiam sub suæ defensionis patrocinio sus-
cipientis, & omnes possessiones ad prædictam
ecclesiam pertinentes confirmantis, ratum ha-
buit. Testis quidem fuit an. 1147, cum idem
Conradus Corbeiensi monasterio, tunc existente
Wiboldo abbate, tradidit in perpetuum duo
feminarum monasteria, Keminadi videlicet
atque Visbicke.

Verumtamen nec archiepiscopus nec Hen-
ricus Namurcensis comes a bello destiterant,
& acriter utrinque pugnatum est ad usque
1147. annum 1147, quo in comitiis Spirensibus,
adnitente S. Bernardo, adstanteque Conrado
rege, pax diu optata restituta est pridie nonas
Januarii, prout testatur Baldricus: « Comes,
» inquit, omnibus viribus deficiens, per regem
» Conradum in expeditionem Hierosolymitanam
» tunc iturum, apud Spiram gratiam domini
» archiepiscopi multo labore, multisque conatibus
» requisivit, & cum magna difficultate impe-
» travit, jurisjurandi religione confirmans quod
» pro hac causa contra ecclesiam Trevirensem
» de cætero arma nullatenus ferret, & quod
» Rudolphi montem nec reædificaret, nec re-
» ædificare permitteret, & quod *Manderscheit*
» nunquam per vim vel extorsionem aliquam
» repeteret; Epternacum vero & cætera castra
» sive munitiones ejus dominus archiepiscopus
» comiti reddidit, & de beneficiis, quæ in
» casamento comes plurima tenuerat ab ecclesia
» Trevirensi, archiepiscopus ea reddidit, quæ
» tempore hujus discordiæ suis non dederat fauto-
» ribus; sicque & abbatiam obtinuit, & de comite
gloriosam victoriam. » Elapsis paucis mensibus,
ad conventum generalem a Conrado rege
Francofurtum convocatum splendida classe
magnis sumptibus instructa, Matthæo Lotha-
ringiæ & Henrico Limburgi ducibus, aliisque
item comitibus octo stipatus perrexit, ac eodem
navium adparatu, quo adierat, reversus est,
maximo terrore prius incusso urbi Moguntinæ,
quam in transcursu obsidere finxit. Domum
appulsus reperit & aliam bellicam expeditionem
ineundam. Enim vero Fridericum Viennæ co-
mitem, cui custodiæ causa Castellum-Arrasium
crediderat, ob hostiles in regionem excursiones
armis ex ea munitione dejicere coactus est.

Albero autem per eumdem annum Euge-
nium III pontificem in Gallias profectum,
Parisiosque ad solemnia Paschæ prodeuntem
est comitatus, huncque invitatum in urbem
Trevirensem eximia pompa excepit, atque
cum insigni comitatu trimestri integro suis
aluit impensis. Pontifex, synodo illic habita,
in qua ei visum est de scriptis S. Hildegardis
inquirere, Remos, quo episcoporum Galliæ
& Germaniæ concilium indixerat diem
1148. 23 Martii 1148, proficisci maturavit. chi-

A episcopus licet annis & infirmitatibus oppressus
adesse non dedignatus est, primusque ab
Eugenio jussus assedit. Sub finem concilii
ecclesiæ suæ privilegia novis decretis corro-
borari petiit. Remensis antistes sedis suæ dig-
nitatem inde minui ratus, palam conquestus
est; imo etiam ejus pedissequi in clientes
Trevirensis archiepiscopi irruentes, nonnullos
plagis convulnerarunt. Haud diu moratus do-
lorem suum Albero, de injuria expostulat, ac
bellum minatur ni meritas ab sontibus pœnas
exigat. Quibus Remensis exterritus, adhibito
pacificatore episcopo Suessionensi, ad Alberonis
B hospitium adiit, congruenterque ipsi fecit satis.

Remis etiamnum Albero versabatur, cum
Hermannus Palatinus comes & ecclesiæ Tre-
virensis advocatus Othoni comiti Rineci cas-
trum Trisium ad Mosellam eripuit. Hic castrum
archiprædsuli tradidit, modo ex iniqui posses-
soris manibus extorqueret. Statim post reditum,
exercitu mox coacto, ad pugnam sese accingit
Albero; sed comes armorum sortem veritus,
ubi acies ad prælium expeditæ starent, pacem
supplex poposcit, atque castri reddendi fide
prius astricta, impetravit. Sane in gratiam
Alberonis tunc plane redierant Henricus comes
C Namurcensis & Fridericus comes Viennæ,
cum primus in fronte agminis gesserit vexillum,
& alter in feudum obtinuerit partem castri
Arrasii, unde fuerat detrusus. Exstant litteræ
Eugenii III datæ pridie calend. Julii 1150, 1150.
quibus hic pontifex mandat Alberoni quatenus
Matthæum Lotharingiæ ducem moneat ut
fortalitium, quod prope Tullum præsumserat
ædificare, quamprimum destruat. Comitibus
Seinæ & Molbachii de Bonnensi comitatu
inter se ferro dimicantibus, nobiles ad regionis
detrimentum ac perniciem adhærebant huic
D atque illi, ut quemcunque studia trahebant.
Quibus calamitatibus vehementer commotus
conventum in annum 1152 finiendæ discordiæ 1152.
Confluentiam indixit. Quo cum magna co-
mitum nobiliumque turba adfluxisset, ipsa
Epiphaniæ solemnitate inter utrumque pax ab
ipso constituta est. Defessus tot ac tantis laboribus
Albero, jamque senecta gravis, Confluentiæ
mox a comitiis febri & pleuritide conflictatus,
acceptis rite ac devote Pœnitentiæ, Extremæ-
unctionis & Eucharistiæ sacramentis, placide
animam expiravit XVIII calendas Februarii
anni ejusdem, adstantibus Richardo Sprinc-
E kirsbacensi & Bertulfo S. Matthiæ abbatibus,
quos sibi morienti opem administraturos accer-
siverat. Corpus ejus differtum odoramentis,
amictuque pontificali indutum Trevirim de-
fertur, ubi undecima die ab obitu sepulturæ
mandatur in cathedrali ecclesia juxta altare
S. Stephani Meridionali parte templi, quo
dum viveret frequens accedere solitus erat
Deo preces effusurus. Funebrem pompam
cohonestarunt Jordanus sanctæ sedis legatus,
provinciæ suffraganei, omnesque superioris
Lotharingiæ abbates. Litteris aureis ejus sepul-
chro id inscriptum est epitaphium:

Albero maxime vir, flet Roma, flet undique Trevir,
Tanto, tam miro, te moriente viro.
Trevir pastorem flet, Roma ruisse vigorem,
Dogmaque justitiæ, lumen & ecclesiæ.
Magnus eras magnis, pax parvis, meta tyrannis,
Gloria divitibus, portio pauperibus.
*Castra tyrannorum subvertens, * castra bonorum*
Plurima condideras, largus & hospes eras,
Largus & humanus. Compleverat ordine Janus
Octo decemque dies, mors tibi sit requies.

* Melius claustra.

Cor & exta in Himmerodiensi monasterio sepulta teguntur marmoreo lapide, cujus hæc est inscriptio: *Hic recondita sunt cor & exta venerabilis Adalberonis Trevirorum archiepiscopi, primi nostri fundatoris, qui obiit anno gratiæ M. CLII, XVIII kal. Februar.*

Baldricus magister scholarum Trevirensis ecclesiæ auctor æqualis in vita Alberonis ait illum in loquendo, incessu ipso atque totius corporis motu fuisse gravem & segnem usque ad fastidium eorum, quibuscum familiarius viveret; istam cunctantis naturæ moram tam solerti providentia castigasse, ut cœpta cogitataque ad optatos plerumque perduceret exitus. A communi hominum vivendi consuetudine, ut erat indole severa, se removere erat solitus. Plerumque noctes dabat gravissimis negotiis aut ad commodum publicum aut ad utilitatem ecclesiæ spectantibus. Serius epulis accumbebat, quas inter cum doctis viris gravia eruditaque habebat colloquia. Tanta in sapientum dictis copia abundabat, ut palmam in hoc genere det ei Baldricus super omnes Germaniæ episcopos. In publicis actibus summa cum magnificentia & apparatu enitere delectabatur. Munificentia ejus ac liberalitas se extendit in pauperes, ecclesias, locaque omnia sacrata. Quanquam Teutonici idiomatis non admodum gnarus, de rebus divinis conciones ad populum nihilominus frequens habebat. Mysteria sacra tractabat tanta pietate tantaque lacrymarum copia ut ea non modo credere, sed & oculis cernere videretur. Longe aliter a Baldrico de Alberone sentit Johannes *de Bayon* cap. 70.

LX. Hillinus.

DE FALEMANNIA.

Martene. Amplis. collect. t. I, col. 867 & 912. t. IV, col. 172.

Ex illustri Fallemanniorum in diœcesi Leodiensi prope Dinantium progenie oriundus Hillinus, ob virtutis eruditionisque famam, omnium ordinum concorditer votis ex decano renunciatus est archiepiscopus anno 1152, die 13 ab Alberonis obitu. De præsulatu adepto gratulatorias excepit litteras a Wibaldo Stabulensi abbate. Pontificatus initio Francofurtum prodiit adfuturus comitiis eo anno indictis regi creando, in quibus Fredericus Ahenobarbus dux Sueviæ ad regiam dignitatem evectus est III nonas Martii. Exinde ad Eugenium III Romam cum Bambergensi episcopo deputatur novi regis electionem ipsi nunciaturus. Romæ ab eodem pontifice, etsi non evidenter id constat, saltem licet conjicere consecrationem, simulque pallium ei indulta fuisse. Sane donationem castri Trisii, possessionum ecclesiæ confirmationem, & potissimum jurisdictionem in abbatiam sancti Maximini sanciri curavit, effecitque ut non archiepiscopi modo defuncti, sed cleri quoque hereditatem in posterum successor archiepiscopus adiret. Juditham Romaricensem abbatissam commonet de habita in concilio provinciali deliberatione super dissidiis eam inter & Matthæum Lotharingiæ ducem agitatis XVII cal. Septembris. Tradidit etiam comitibus Saynensibus Ebherardo & Henrico castrum de Sayna in feudum perpetuo habendum. Henricum quoque Namurcensem & Sigefridum Viennæ comites, qui per speciem tuendæ libertatis monasterii S. Maximini bellum redintegrare in animo habebant, ad arma ponenda æque lenitate ac munificentia disposuit. Eodem anno 1152 una cum pluribus aliis præsulibus breve accepit ab Eugenio III papa eos arguente quod favori principum plus æquo studeant, neganteque translationem Cicensis episcopi in Magdeburgensem sedem. Claram-vallem iter aggressus anno 1153 S. Bernardum ex gravi morbo convalescentem invisit ac induxit ut secum in Lotharingiam descenderet bello Metenses inter & vicinos toparchas oborto finem ergo imponendi. Impulsus a Frederico rege apud Eugenium III multum egit de stabiliendo Wichmanno in Magdeburgensi sede: verum pontifex, datis ad eum litteris, prohibet ne causam illam ullo modo sibi deposcat. Sub idem tempus inter canonicos sancti Castoris Confluentiæ & monachos S. Beati litem de finibus agrorum commotam sedavit anno 2 Friderici regis. A S. Hildegarde, quam suis ipse salutaverat litteris, commonitus est ut gregi sibi commisso sedulo invigilaret. Exactiones ac injurias in villis prædiisque abbatiæ S. Michaëlis ad Mosam a Rainaldo Barrensi comite admissas ab ejusdem loci monachis accepit circa annum 1154. Possessiones atque 1154.
ecclesiæ suæ privilegia ab Adriano IV curavit stabiliri mense Junio 1155. Laudavit & ipse 1155.
insequenti IV cal. Novembris fundationem 1156.
cœnobii Arnsteiniensis. Omnimodam in monasterium S. Maximini jurisdictionem a Friderico rege consecutus est diplomate dato VIII idus Januarii 1157. Episcopis provinciæ 1157.
Trevirensis præcipit summus pontifex nonis Octobris ut Hillino reverentiam exhibeant tanquam legato per totum Teuthoniæ regnum constituto. Litteras adversus Adrianum pontificem suscepit hoc anno ab imperatore Friderico, quem nec multo post Wormatiam adiit. Benedictionem Hartuigo Hirsaugiensi abbati impertitus est, itemque Mariæburgensis parthenonis ecclesiam dedicavit, eximium quoque privilegium indulsit in gratiam abbatiæ de Bello-campo ab Alberone decessore conditæ. Nassoviense castrum, traditis in commutationem duabus areis in Partenheimia &

ANNI CHRISTI

Ch. LXX col. 348.

1158. undeviginti mansis, comparavit anno 1158, viii idus Martii a Wormatiensibus canonicis, illudque in feudum ligium tribuit comitibus Lurenburgensibus calendis Aprilis. Mense eodem vi cal. Maii jus argentariæ fodinæ propter Ulmezam & alterius qualiscunque in fundis ecclesiæ Trevirensis impetravit ab imperatore Friderico, quem mox in Italiam profectum cum expedita militum manu secutus est. Ad suos vix erat reversus, cum maturandi trans Alpes itineris data est occasio: cardinales enim de summo pontifice diffidentes, elegerunt 7 Septembris 1159, pars Rolandum Senensem, nomine Alexandrum III; pars Octavianum Romanum, nomine Victorem: unde subortum est schisma, cui extinguendo Fridericus conventum episcoporum Papiam indixit ad annum 1160. His in comitiis Victor imperatoris patrocinio subnixus, legitimus pontifex est declaratus 12 Februarii. Quamvis autem Hillinus ex subscribentium indice in acta consensisse videatur, excipiendus tamen est, teste Bambergensi episcopo, epistola ad Everhardum Saltzburgensem ea de re: *Solus*, inquit, *Trevirensis de regno nostro superest in parte illa de numero archiepiscoporum, qui non consenserint.* Equidem Hillinus in itinere morbo detentus ad excusandam suam absentiam legatum miserat, qui in actis pro eo subscripsit. Toto schismatis tempore ea via usus est ut, nec amissis gratiis Friderici, communionem cum Alexandro servaverit. Castrum de Muceio Alberto Virdunensi episcopo, sub iisdem conditionibus quibus Paganus tenuerat, perpetuo obtinendum

Concil. t. X, p. 1394.

1160. concessit an. 1160. Possessiones Præmonstratensium Stivagii æque ac Spinalensium sancti-

1161. monialium sua auctoritate roboravit an. 1161. Hillinum inter & Conradum Palatinum comitem de Rheno, Trevirensis ecclesiæ advocatum, dissensionis arbiter electus est Fridericus imperator Conradi germanus, qui & civibus Trevirensibus per præceptum apud Adrianum in territorio Mediolanensi imperavit hoc anno calendis Septembris ut episcopo debitum exhiberent obsequium. Conradus etiam archiepiscopo factus concors ipsis rem commendat eamdem. Plurima diversis ecclesiis Hillinus indulsit privilegia, videlicet parthenoni Spinalensi, monasterio sanctæ Crucis Metensis,

1162. collegiatæ S. Simeonis Trevirensis an. 1162,

1163. abbatiæ Arnsteinensi 1163, cœnobio Hem-

1167. merodiensi 1167 & 1169. Extremos vitæ suæ annos castris, munitionibusque juris Trevirensis ecclesiæ instaurandis insumsit: arcem siquidem Erinbreitstiniam apud Confluentes ab archiepiscopis decessoribus jam olim habitatam, firma extructa turri & ampliatis ædificiis, insigniter ornavit. Arces Trisensem & Manderscheidtum, turribus singulis in utraque excitatis, valide communivit. Schuram castrum haud procul a Witliaco dissitum eripuit e manu Matthæi ducis Lotharingiæ. Castra etiam Bruchiam & Billicham a Theodorico & Fridelone viris nobilitate claris pretio comparavit. Summæ

A ædi divi Petri ad Orientem laxandæ, operibus jam substructis, insistebat Hillinus, inter egregios pontifices merito numerandus, cum fractus extrema ætate ac valetudine ex hac luce extractus est x cal. Novembris 1169. Quo in loco fuerit humatus ignoratur, verum habuit epitaphium ejusce modi:

Hillino memorem semper fer Trevir honorem
Patri præcipuo, pontificique tuo,
Qui denis annis prælatus & octo, tyrannis
Salva justitia restitit, arte pia
B *Qua pax succrevit, bellique procella quievit*
Dum legatus erat, schisma sed intererat:
Quod sic transivit, medio tutissimus ivit.
Hinc favor adscribi cœpit utrinque sibi.
Denas deflendas peragente Novembre kalendas,
Transiit e medio fine vir iste pio.

LXI. Arnoldus I.

Justis Hillino persolutis, ad Fridericum imperatorem tunc in Alsatia degentem de communi omnium ordinum sententia mittitur legatio, quæ cum eo agat de novo antistite C creando. Arnoldum S. Andreæ Coloniensis præpositum, virum consilio & sapientia spectatum, clarum genere, & ab omni prorsus ambitione alienum, imperatori placuit designare. Quod cum Trevirenses rescivissent, Arnoldum & ipsi una eademque voce archiepiscopum conclamarunt anno 1169. Is de 1169.
tanto onere sustinendo perterritus ad sanctam Hildegardem consanguineam suam scripsit, Deum attestans se nullo pacto hancce dignitatem aucupatum fuisse. Temperati animi non semel insigne dedit exemplum, potissimum D vero in sequentem annum. Volitabant, inquit 1170.
Browerus, per diœcesim omnibus ecclesiæ bonis infensi laverniones, infestique grassatores nobiles, qui ecclesiæ fortunas haud aliter quam spolia in bello diripiebant; cui tam late vaganti licentiæ præsul ut occurreret, litteras crebro mittebat ac nuncios, alternis rogando minandoque; quin & ad extremum præmia quoque pollicendo noxiis, si ad veteres & honestas artes sese revocarent. Si vero ab ullo ea de re culparetur, aiebat se malle universas profundere facultates, quam præbere materiam certaminum, quæ Christi pauperibus ecclesiæve E fortunis forent exitio. In Gelriam imperatorem secutus anno 1171, Bertholdum Zeringiæ 1171.
ducem obsequio sibi devinxit, traditis illi Macheræ prædio, munereque advocati Witliacensis, acceptaque pro his vicissim sponsione trecentarum quinquaginta marcarum argenti. Lotharingiæ ducem Fridericum, hostiliter in diœcesim Trevirensem ingressum, precibus ac monitionibus de bello cessando incassum adhibitis, valide repressit; eoque adduxit ut ille pro damnis illatis Sigeberti arcem seu Sirsbergum, simulque mancipii jus in castro Neverburgio Trevirensi ecclesiæ tribueret:

ANNI CHRISTI comitem quoque Nassoviensem argenti fodinam ad thermas Empizianas occupare nitentem
1172. refrænavit anno 1172. Subinde diœcesim
1173. suam lustrans an. 1173, ecclesias passim æris alieni pondere obrutas sua liberalitate ac munificentia sublevavit. Subscripsit eodem anno diplomati Friderici imperatoris dato Francofurti VI id. Julii. Hinc vero a privatis ecclesiæ ad publica transiens negotia, ad bellum Italicum, hortante imperatore, se accinxit, nullis vectigalibus provinciæ impositis, sed propriis suis opibus in sumptum erogatis, atque in viam
1174. se dedit an. 1174 mense circiter Septembri.
Ch. XXIX, col. 573. Litteras in gratiam abbatis S. Michaëlis episcopis Tullensi & Virdunensi direxit an. 1175.
1175. Laudavit eodem jus cudendæ Monetæ monasterio S. Eugendi a Friderico Cæsare concessum. Chartam & ipse in favorem monasterii
1177. S. Trudonis confecit anno 1177. Regulari
Ch. LXXI, col. 350. disciplina in abbatia B. Mariæ Munsteriensis prope Luxemburgum ex integro obliterata,
1178. ei visum est anno 1178 eam ex consensu
Harduin. Concil. t. VI, Part. II, pag. 2059. Henrici comitis Luxemburgensis monasterio sancti Vitoni Virdunensis adunare. Generali concilio Lateranensi interfuit anno 1179.
1179. Testis occurrit an. 1180 idibus Aprilis in
1180. diplomate Friderici imperatoris pro investitura partis ducatus Westphaliæ & Angariæ Philippo Coloniensi archiepiscopo tradita. Hoc quidem anno chartæ Philippi Coloniensis archiepiscopi Corbeienses cœnobitas, damni ab exercitu suo in bello Saxonico Corbeiensibus illati resarciendi causa, a telonio vini Nussiensi liberantis subscripsit. Arnulphus *de Walencurt*, dum in curia de Marceto advocati munere fungeretur, ob rem male gestam Arnoldi indignationem subierat; quare pontificis iræ mitigandæ gratia, arcis excitandæ in fundo ecclesiæ licen-
1181. tiam ab ipso poposcit anno 1181, præmissa tamen ea conditione, ut ipsa arx archiepiscopi
Ch. LXXII, col. 351. Trevirensis potestati subderetur. Prædium quoddam eodem quoque anno abbati monachisque Hemmerodiensibus seu de Claustro largitus est Arnoldus. Hillinus ejus antecessor Godino adhuc puero, Monasteriensi præposito, ex fratre nepoti, archidiaconatum S. Lubentii trans Rhenum contulerat. Arnoldus vero cum præsulatum adeptus fuisset, id sacerdotium, sibimet sumturus, Godino judicavit adimere. Id ægre ferens Godinus Romam ad pontificem ivit sublati muneris repetendi gratia; sed & hoc proposito lapsus, ad Treviros irrito consilio rediit. Interea Albertus S. Paulini præpositus huncce archidiaconatum a Romano pontifice impetravit, jussu archipræsuli præscripto archidiaconatum Alberto conferre. Cui imperio parere nec cunctatus est Arnoldus. Atque jam inde cœpere moveri disputationes ac lites, quæ mox in seditionem conversæ, cum mœrore confecerunt. Non ita multo post gravi morbo correptus Ludovicum S. Matthiæ atque Giselbertum Himmerodiensem abbates accersivit ut sibi in imminenti periculo mortis ecclesiastica auxilia subministrarent.

A Quorum consilio suo condito testamento, extremum diem obiit VIII cal. Junii 1183 ANNI CHRISTI 1183.
in festo die S. Urbani, humoque mandatus est in majori æde S. Petri ante altare SS. Trinitatis. Ob amorem in ecclesiam, & benevolentiam in subditos maxime laudatus.

Attamen post obitum Arnoldi longum ac deplorabile schisma Trevirensem ecclesiam haud parum afflixit. Pridie enim quam in tumulum ille inferretur, canonici majoris ædis, habitis de successore eligendo comitiis, plerique decreverunt ut Rodulphus de Weda præpositus pontificia dignitate insigniretur.
B Verum Folmarus archidiaconus nihil non molitus est tota nocte ut in se verterentur suffragia: & quidem luce proxima in capitulari cœtu hesternam deliberationem improbavit. Adversis hæc auribus acceperunt, qui Rodulpho studebant; atque post graves verborum altercationes id propositum est, ut res imperatoris arbitrio commissa foret. Folmaro displicuit id consilium; atque ubi discessum est, cœpit hortari multitudinem vulgi ne electioni moram interponeret. Limburgensis ducis præsentia ille innixus ac favore eligitur, moxque in archiepiscopale solium attollitur. Id ubi innotuit
C cæteris canonicis, nullo ejus respectu, novis institere suffragiis: sed cum inter se convenire nequivissent, duos contendentes Constantiam ad se venire jussit imperator, cui, re mature pensata, novam capitulo electionem permittere visum est. Quo judicio a Folmaro haud probato, Rodulphum creari antistitem sivit imperator, eique investituram dedit. Nihilominus Folmarus sedis apostolicæ auctoritate suffultus Trevirim advolat, majorem invadit ecclesiam, competitoremque armata manu ingressu prohibet. Rodulphus vero ad ecclesiam sancti Simeonis divertens magno cleri & populi
D plausu solemnem iniit possessionem. Cujus rei gravissimo ictus dolore Folmarus, Romam adiit ad pontificem, qui ea de causa nihil statuendum putat, donec utraque pars intersit. Inter hæc in Lucii pontificis locum suffectus Urbanus III, jam olim imperatori privatim infensus, Folmarum presbyterum cardinalem creavit Sabbato ante Pentecosten, dieque sequenti in archipræsulem, contra votum imperatoris, consecravit, atque apostolicæ legationis munere honestatum in Germaniam dimisit. Servili contectus indumento Folmarus per occultos tramites in Germaniam appulsus,
E apud Castrum-Mausonium synodum habuit; in qua Petrum Tullensem, Henricum Virdunensem episcopos quod synodo vel interesse vel parere recusassent, perculit anathemate, atque eadem animadversione in clerum rebellem usus esse dicitur. Quin etiam Hugonem abbatem S. Vitoni ab administratione rerum Ch. XXXII, col. 575.
temporalium suspendit circa annum 1187. Attamen imperator in comitiis apud Lutram habitis Rodulphum archipræsulem renunciari voluit. Id ubi Folmarus rescivit, Remos ad Willelmum archiepiscopum se recepit, nec

ANNI CHRISTI

ibi diu sistere licuit. Enim vero sancito imperatorem inter & Galliæ regem fœderis pacto, statutum est ut confestim e Franciæ regno Folmarus exiret. Is ad Angliæ regem confugiens, ab ipso peramplos reditus in cultum victumque apud sanctum Cosmam in territorio Turonensi impetravit. Ad ultimum tandem Clemens III rogatus ab Henrico rege, Friderici filio, ambos æmulos jure suo excidisse pronunciavit, licentiamque fecit Trevirensibus ut quem vellent eligerent episcopum. Sicque diuturnæ inter Folmarum & Rodulphum discordiæ finis impositus est.

LXII. Johannes I.

Post septenne schisma Johannes Henrici regis cancellarius una voce edictus est pontifex
1190. an. 1190. Investitura mox a rege, unctioneque sacra a Godefrido sanctæ sedis legato accepta, pallio, quod per Hermannum Himmenrodiensem abbatem Romam quæsitum miserat, a Clemente III condecoratur. Pace in diœcesi restituta, calamitates schismate importatas studuit resarcire; ecclesiasticam siquidem disciplinam pene collapsam ad pristinum reduxit splendorem, possessiones abalienatas retrahere novasque comparare nec omisit, arces atque propugnacula de integro refecit; immo & ipsam civitatem provinciæ caput, gravissimo simul exemptam advocatorum jugo, portis munivit ac mœnibus circumcinxit. Parthenonem in inferiori Prumia conditum laudavit eodem anno 1190, templumque Noviomagense consecravit XIII cal. Novembris, confirmavit etiam ecclesiæ S. Simeonis telonium apud Confluentiam. Biennio post aut circiter Wormatiam conventum imperator indixit, quo Johannes profectus hunc principem precibus evictum induxit ut, accepta in potestatem Nassovia arce, ecclesiæ Trevirensi jus monasterii Epternacensis in commutationem concederet, daretque simul archiepiscopo auctoritatem abbates ibidem constituendi, & ab eisdem fidei sacramentum accipiendi. Qua de re certior factus Godefridus abbas, adnitentibus monasterii advocatis, animum Henrici hac deflexit ut pactionem cum Johanne initam rescinderet. Imperatoris inconstantia Johannes offensus, fidem ab abbate extorquere quantocius maturavit, & in ipsum imperatorem aspera verba protulit, qui ulciscendi captus cupidine antiquavit indultas archipræsuli litteras. Henrico comite Palatino opem ferente, Johannes e carcere, in quem a Friderico Viennæ comite ignota de causa conjectus
1193. fuerat, liberatus est anno 1193. Castra de Aldenburgo & Covernæ inferioris in feudum tradidit Gerlaco de Isemburgo circa annum
1195. 1195. Dedicavit an. 1196, VII id. Decemb.
1196. altare sacrum Dei Genitrici ac divæ Helenæ in majori æde. Advocatiam urbis Trevirensis cum omnibus appenditiis tam feodatis quam infeodatis ab Henrico Palatino comite Rheni
1197. accepit 1197. Itemque ad homagium pro

A possessionibus in villa de Marceto suscepit Petrum *de Veldenz*. Andernaci cum Adolpho Coloniensi & plerisque Germaniæ principibus de eligendo imperatore habuit conventum anno 1198; jamque in Bertoldum Zeringiæ 1198.
ducem prope erant incidere suffragia, ni Philippus dux Sueviæ intercessisset. Attamen non multo post iteratis Coloniæ comitiis, Bertoldus rex est declaratus. Is ob rei familiaris exiguitatem, pecunia & Sueviæ ducatu acceptis, jure suo cessit in gratiam Philippi, laudantibus id comitiis. Verum ex altera parte Otto dux Saxoniæ salutatus est rex a Germaniæ prin-
B cipibus ex Hierosolymitano itinere redeuntibus. Hac in turbulenta regni tempestate Johannes magnam animi levitatem ac mutabilitatem ostendit, modo hujus, modo illius favens partibus. Ottoni consecrationem Aquisgrani impertitus est; Moguntiæ vero Philippo, cui suasit an. 1199 ut urbis Brunswicensis 1199.
obsidione absisteret. Relictis deinde Philippi partibus, Romam cum anno insequenti peteret, 1200.
ex itinere Cistercium deflexit, ubi ab abbate rogatus est ut pontificem induceret ad solvendum ordinem Cisterciensem a vectigali pro sacra expeditione imposito. Roma redux
C & ab Ottone defecit. At Innocentius pontifex, *Innocent. III, epist. 79 & seq.*
qui Ottonis partes tuebatur, archipræsulem plexuit anathemate. Ille vero meliorem ad frugem se recipere nec cunctatus, jam jam utriusque conciliavit sibi gratiam. Ratam habuit anno 1202 fundationem cœnobii Saynensis. 1202.
Gerlacum de Isemburgo Fridericumque Viennæ comitem rebelles repressit armis an. 1205. 1205.
Quoddam prædium Himmerodiensi cœnobio collatum litteris probavit an. 1206. Habuit 1206.
an. 1207 ordinationem presbyterorum Con- 1207.
fluentiæ. Collegiatam ecclesiam S. Castoris in eadem urbe anno sequenti VI calendas Augusti 1208.
D consecravit. Ottoni jam tum addictissimus, Hagnoæ ejus sponsalibus, itemque curiæ Herbipoli tum Augustæ Vindelicorum ab eo habitæ, adstitit an. 1209, ipsumque secutus est 1209.
in Italiam, sed mox a Romano pontifice excommunicationis vinculo innodatum deseruit an. 1210. Veteres ruinas amphitheatri 1210.
Trevirensis juxta portam albam an. 1211 1211.
indulsit Himmerodiensibus monachis. Auctoritatem suam valde imminutam in Trevirensi urbe per diploma Ottonis inter civilia bella oppidanis indultum an. 1212 non sine dolore
E conspexit. Adhuc etiam possessiones ecclesiæ *Charta LXXVII, col. 354.*
sancti Simeonis declaravit ab omni exactione comitis de Castris liberas. Hoc quidem anno XIV calendas Augusti vitam finivit, sepultusque est, uti jusserat, non pontificali amictu, sed obsoleto ac vili indumento, in capitulo Himmerodiensis monasterii; unde in ecclesiam beatæ Mariæ cœnobii ejusdem ab Theoderico successore delatus, ibidem eo moderno epitaphio honestatus quiescit: *Hic humatus jacet venerabilis dominus Johannes Trevirorum archiepiscopus, per quem deletum est maledictionis chirographum terræ hujus, qui etiam muro Trevericam circumcinxit*

* Lege M. CCXII. civitatem, obiitque anno *M. CCXIII* * *XIV cal. Augusti.*

DE WEDA. LXIII. THEODORICUS II.

Alto Wiedensium comitum sanguine cretus Theodoricus, vir in rebus tractandis apprime exercitus, ex majoris ecclesiæ archidiacono ac S. Paulini præposito, solemni acclamatione
1212. dictus est pontifex anno 1212, insequentique
Egid. Eschud. chronic. Helvetic. lib. III, p. 112. anno Friderici II litteris in gratiam monasterii *de Engelberg* subscripsit IV non. Januarii. Ipso pontificatus ingressu vicinis toparchis bellum gessit, atque a comite Nassovio captus est in prælio, in quo sane periisset, ni Albertus miles ex Confluentina stirpe sui corporis opposito prælati caput propugnasset. In libertatem a Friderico II restitutus, ejus diplomati regio
1214. pro Arelatensibus subscripsit an. 1214. Reperitur eodem nonis Septembris in litteris Friderici II Romanorum regis, statuentis ut possessiones ordinis Teutonici de bonis feudalibus imperii ampliari possint. Subsignavit etiam ejusdem Frederici diplomati, quo hic princeps Valdemaro Danorum regi omnem Nordalbingiam Romano imperio attinentem cedit & regno ejus addit. Tabulas de dote & fundatione Loci S. Mariæ dedit calendis Julii
1215. 1215. Demandata ipsi est eodem circiter anno a Romano pontifice ea provincia ut Colonienses Ottonis imperatoris partibus addictos ad obsequium Friderici reduceret. Eam in civitatem absque mora profectus, legationis suæ causam exponit, remque adeo sapienter deducit ut ipsi nec cunctando Friderico fore fideles profiteantur. Tam secundo successu lætus Fridericus, urbem ingreditur 4 Augusti, simulque Theodoricus Colonienses inter sacra missæ solemnia pœnis ecclesiasticæ detestationis eximit. Coortum hoc anno inter monachos S. Beati & sanctimoniales Insulæ-Rheni dissidium sustulit, veteraque pontificum documenta, quæ materiam litis inter utrumque monasterium fovere possent, jussit aboleri. Mense Novembri generali concilio Lateranensi Romæ interfuit. Noribergam ad generalia comitia accessit anno
1216. 1216 verno tempore, ibique cum Engilberto Coloniensi antistite fœdus & amicitiam pepigit. Aliquanto post octo millia & amplius passuum a Rheno in monte excelso castrum, cui indidit nomen Thabor, ædificavit ad propulsandas injurias Henrici Nassovii, intestino bello tum male quieti. Friderici imperatoris ecclesiasticos principes insignibus prærogativis donantis in
1220. diplomate occurrit an. 1220. Etsi domestica documenta silent, author tamen est S. Antoninus 3, p. t. 19, c. 3, §. 3. Theodoricum Italicæ expeditioni Friderici eodem anno interfuisse, posteroque in Palæstinam profectum proximo imperatoris adventu subsidiisque Christianos recreasse. Cum aliis pluribus principibus & præsulibus rescriptum ad ministeriales ecclesiæ Hildenseimensis, Conrado electo epis-
1221. copo refragantes, transmisit an. 1221. Eodem anno occurrit in litteris Henrici Romanorum

A regis genitori suo Friderico imperatori significantis se, suadentibus principibus, Conrado Hildenscimensi episcopo regalia contulisse. Parthenoni de Affolterbachio cunctas possessiones asseruit litteris anno 1222. Ad hæc circiter 1222.
tempora Ernestus cathedralis ecclesiæ canonicus, jam prope moriturus, ædes suas ac vectigalia, annuente Theodorico, reliquit ordini S. Dominici ad habitationem in urbe Trevirensi constituendam, in quam corpus sancti Theodulphi postea transferri consensit archiepiscopus. Favit etiam in decursu temporis fratrum Minorum in urbem ingressui.
B Litteras ab Honorio III excepit an. 1223, 1223.
eodemque 23 Novemb. ad petitionem Valerami ducis Limburgensis Ermengardi ejusdem uxori feodum *de Arluns* & *de Lutzelliburg* jure feodali concessit obtinendum. Subscripsit anno
1224 sententiæ Henrici Romanorum regis 1224.
in gratiam dominæ Clementiæ ducissæ Zeringiæ, filiæ Stephani comitis Burgundiæ. Capellam S. Nicolai monasterio beatæ Mariæ Luxemburgensis addixit, itidemque prohibuit ne quis in urbe Luxemburgensi scholas aperiret absque abbatis & conventus assensu cal.
Aprilis 1225. Eodem anno mense Septembri 1225.
C Wernerum *de Hunolstein* eo adduxit ut ille profiteretur se nihil juris habere in bonis ecclesiæ S. Simeonis. Accepta Engilberti Coloniensis archiepiscopi lugenda cæde, Coloniam mox profectus diem electionis indixit ad XVII cal. Decembris hujus anni, atque Henricum Bonnensis ecclesiæ præpositum tanquam eo munere dignissimum proposuit. Francofurtensibus comitiis, Moguntinoque concilio adstitit hoc anno exeunte. Ivit & ad alterum Leodii a legato apostolico coactum principio
sequentis. Inde in Italiam diversus colloquio 1226.
D ab imperatore indicto Cremonæ adfuit Quadragesimali tempore. Comparato a canonicis S. Simeonis monte *de Eremberg*, ipsis vini annuum censum remisit. Quam plurima publicavit statuta in synodo cum suffraganeis suis
habita calendis Martii 1227. Sapientia ac 1227.
maturitate consilii enituit Aquisgrani in frequentissimo procerum Germaniæ cœtu ipso *Ampliss. collect. t. II, col. 132.*
anno, quo inter Ermensendam Luxemburgi comitissam & abbatem Stabulensem gravem sedavit discordiam. Dum adhuc Aquisgrani versaretur, subsignavit IV cal. Aprilis ejusdem anni præcepto Henrici Romanorum regis statuentis ut Teutonico ordini litteræ imperiales
E quæcunque gratis & absque mercede concederentur. Dotationem etiam ecclesiæ beatæ *Chron. Alberic. ad an. 1228.*
Mariæ juxta majorem ædem a Cunone suo eleemosynario constructæ suis laudavit litteris 14 Septemb. Ab imperatore Friderico nuper anathemate percusso, criminaque diluere nitente, an. 1228 accepit epistolam. Possessiones 1228.
etiam Præmonstratensium de Sayna confirmavit. Sub id tempus in Germaniam, potissimumque in Trevirensem diœcesim imbuti pravis opinionibus sese effuderunt hæretici, pars quorumdam sacramentorum efficaciam

ANNI CHRISTI

negantes, pars episcoporum ac magistratuum A
auctoritatem despicientes. Levandæ suæ diœcesi curam Theodoricus mox insumsit, indicta synodo, qua perversas hæreticorum detexit fraudes. Inter cætera adstantibus edixit hæreticos habere episcopum nomine suo Theodoricum, itidemque papam nomine Gregorium, ut de fide interrogati responderent se credere perinde ac Theodoricum & Gregorium. Inde cum comperisset tres in urbe Trevirensi ab ipsis apertas fuisse scholas, nequaquam lenibus remediis utendum existimans, quoscunque pertinaces in flammas damnavit. Cum Henrico
1230. rege Germaniæ iniit commutationem 1230, B
xi cal. Januarii. Duobus Wormatiæ conventibus adstitit x cal. Febr. calendisque Maii
1231. 1231, quo Gerardus *de Seinceche* se hominem
1233. ligium ei professus est. Biennio post cum comes Seynensis Henricus hæresis insimulatus Moguntiam subeundi judicii causa accessisset, Theodoricus ad multitudinem conversus hæc ait: *Seynensis comes hinc pro catholico abscedit, nec cujusquam pravi dogmatis reus hoc judicio peractus est; id palam ut fieret omnibus denunciatum volui.* In comitatu Friderici imperatoris Marpurgum in Hassiam adiit, corpusque Elisabethæ filiæ Andreæ regis Hungariæ levavit C
1234. e tumulo an. 1234, v nonas Martii. Fideles litteris datis mense Decembri hortatur ut monialibus de Bona-via subsidia eleemosynasque indulgeant. Parthenonem ordinis Cisterciensis instituendum in loco dicto Fonte B. Mariæ
1235. apud *Tiffertingen* comprobavit an. 1235 mense
Ch. LXXX, col. 355. Maio. Circa eumdem annum omnium bonorum a se acquisitorum confecit enumerationem. Diploma Friderici II imperatoris in gratiam domus S. Mariæ militum Theutonicorum
1236. corum in Jerusalem laudavit 1236 mense Februario. Conrado regi Germaniæ creando
1237. suffragatus est Viennæ in Austria 1237. D
Sanctimoniales Vallis S. Mariæ eximio con-
1238. fovit privilegio idibus Julii 1238. Concilium cum suis suffraganeis habuit mense Septembri, in quo diversa patrata sunt decreta. Ad homagium excepit mense Novembri Waleramum *de Limburch* & Henricum Nassovii comitem iii nonas Decembris. Factus quietior studuit & religionis opera exercere & nobilium audaciam refrenare: arcem enim Kilburgum condidit ad ripam Gelbis, quæ adversus comitem Mailbergi diœcesim divexare nitentem munimen foret, atque ejusdem castri custodiam commisit Waleramo comiti Luxemburgi, cujus E
uxori Ermensendi concessit quicquid ipse juris
1239. habebat in oppido *Bidburch* 1239, ix cal. Augusti. Decimas loci cujusdam centum libris Trevirensibus emit a domino de Falconis-
1240. petra viii cal. Aprilis 1240. Partem proventuum ecclesiæ sancti Simeonis in quotidianas distributiones convertit xv cal. Decembris. Eodem anno cum ob ætatem ad concilium, quod Romam indixerat Gregorius IX, pergere non potuisset, misit vicarios, qui cæteris prælatis feliciores, imperatoris in itinere effu-

gerunt insidias. Senio jam ipse languens, ne ecclesiasticis muniis deesset, Henricum Osiliensem episcopum delegit suffraganeum anno 1241. Conradum regem Trevirim regali 1241.
splendore ingressum anno 1242 tempore 1242.
Quadragesimæ lectissimis honoribus excepit, eumque de seditione in urbe concitata iratum mitigavit. Regem Aquisgranum versus inde secutus, Confluentiæ in morbum incidit, naturæque tributum persolvit v cal. Aprilis ejusdem anni, summa omnium laude triginta annos functus pontificatu. Funeratus est in æde B. Helenæ ante altare S. Martini.

LXIV. Arnoldus II. D'Isenbourg.

Superioris post excessum de subrogando pontifice in clero ac nobilitate concitata est dissensio: major enim atque sanior pars Arnoldum, majoris ecclesiæ præpositum, defunctique Theodorici ex sorore nepotem, renunciavit archiepiscopum. Pars altera cooptavit Rodulphum, præpositum S. Paulini, antiqua gente de Ponte prognatum. Suos uterque parentes civitatis ac regionis primores columen habuit. Verum Arnoldus nuperæ seditionis in urbe commotæ causa displicuerat Conrado regi, qui uti & ejus pater Fridericus non Arnoldo solum privatim, sed Eppensteiniis atque Isemburgicis erat infensissimus ob Sigfridum Moguntinum archipræsulem sanguine eodem procreatum, qui tunc apostolicæ sedis dignitatem adversus regem viriliter tutabatur. Plenus igitur fiduciæ Rodulphus Confluentiam profectus ab Conrado inde & a Friderico jura regalia impetravit. Duas in factiones tunc discessit civitas ac pene tota diœcesis, Seynæ & Luxemburgi comitibus a Rodulpho, dynastis autem Eppensteinii ac Isemburgi ab Arnoldo stantibus. Cerneres undique turbas ac seditiones, intestinaque bella quæ toti provinciæ vastitatem intulerunt. Nec parsum quidem est canonicis, ædibus eorum direptioni relictis. Quin imo Theodoricus *de Hagen* archidiaconus ab ecclesia domum rediens, sacris vestibus licet indutus, a factiosis ludibrio populi trahitur per medium forum rerum venalium, palamque ad usque pontem Mosellæ captivus abducitur. Cæteri canonici similia verentes cathedralem deserunt, quæ mox cum turribus juxta pontem Mosellæ a militibus Rodulphi occupata est: palatium vero obtinebant Arnoldi clientes. Cum tandem utrinque fuisset acriter pugnatum, placuit Rodulpho jus suum Arnoldo concedere ea lege ut ad vitam Sarburgense castrum obtineret. Sed nec diu fruitus est, cum paucis post diebus hominem exuerit. Inter hæc civilia certamina Trevirici cives pro suæ libertatis munimine a Conrado rege diploma impetrarunt 14 Julii 1242. Porro Arnoldus ubi Innocentii IV electionem accepit, Henricum abbatem sancti Maximini ad eum misit oratum ut si quid vitii in promotionem irrepsisset, pro potestatis amplitudine vellet emendare. Pontifex propter Arnoldi

ANNI CHRISTI

Arnoldi prudentiam sibi fama notam, & A
amicorum potentiam contra imperatorem opportunam, ejus electionem confirmavit, palliumque gratuitum ei transmisit: atque ut ipsum arctius illigatum haberet, usufructum sacerdotiorum, quæ privatus obtinuerat, ad vitam concessit. Consecrationem vero ei impertiti sunt Sigfridus Moguntinensis, Conradus Coloniensis ac Rogerus Tullensis præsules anno
1243. 1243. Ratam ipse habuit VI cal. Decembris
1244. 1244 feodi collationem a Theodorico decessore factam. Dominicanos patres in Confluentinam urbem jam ab anno 1233 immissos, bulla Innocentii foveri sponte passus est anno B
1245. Fridericum imperatorem in Lugdunensi concilio cum pontifex maximus imperio declarasset indignum, Arnoldus una cum cæteris Germaniæ principibus Herbipoli in Romanorum regem cooptavit Henricum Langra-
1246. vium Thuringiæ 17 Maii 1246. Eodem basilicam sancti Maximini novis operibus exornatam dicavit 8 die Julii. Henrico rege Warterbergi in Thuringia diem suum ventris profluvio pie functo, ab apostolica sede in Germaniam Petrus Caputius diaconus cardinalis deducitur legatus, qui cum Arnoldo Trevirensi & Sigfrido Moguntino archipræsulibus C
apud Worinchiam regionis Agrippinensium Willelmum Hollandiæ comitem regia digni-
1247. tate exornat 29 Septemb. 1247; indeque ab ipso legato militem Coloniæ creatum, moxque a comitiis in Treviros deductum, non omnibus accurate modo prosecutus officiis est Arnoldus, sed & præcipuas illi in usum belli suas patefecit arces.

Octo ferme millia passuum supra Confluentes ad Meridiem cernitur arx Thuronia, ex qua Zorno præfectus, vir sævi ingenii, morisque truculenti crudelitatem omnis generis in subditos archiepiscopatus exercebat. Maximum D
inde dolorem sentiens Arnoldus, contractis undequaque copiis, arcem occupare constituit, atque Conradi Coloniensis archiepiscopi auxilio fretus, coegit ad redditionem. Cujus officii haud levis non immemor, dimidium castri propugnaculaque inferiora attribuit ecclesiæ Coloniensi. Perfecta ea expeditione, Arnoldus, Conradus Coloniensis, comesque Palatinus fœdus inter se pepigere 27 Septemb.
1248. 1248, interposita potissimum ea lege, ut neque Zorno neque ullus ex ejus posteris arcis illius tuendæ munus unquam capesseret. In monumentum belli prospere confecti loco vicino E
Arnoldus sacellum condidit. Exstructum quidem est hoc eodem anno ab Henrico Viennensi comite in Viennæ valle domicilium patribus de Redemtione Captivorum, ad memoriam operæ præbitæ Patri ejus Henrico, quem captum in Oriente ab infidelibus, e servitute liberaverant.

Quoniam autem Pontana gens ex turribus sitis ad pontem Mosellæ gravia Trevirensibus damna inferret, Arnoldus civitatem ea parte contrahere, turresque ab urbe muro disjungere constituit, ibidem ex adverso constructa turre atque porta, quæ invidiæ nomen sortita est. Confluentiam quoque mœnibus ac turribus circumdedit, septingentis marcis Coloniensis monetæ parta ejusdem oppidi advocatione. Abbatiam Meinfeldiæ, advocatia arctius sibi obstricta, muris firmavit; oppidum Hardinfelsium ære suo comparatum, municipiumque Stolsinfeldense muris cinxit. Billichum castrum quatuor novis turribus munivit; Arrasium etiam ad ecclesiæ possessionem reductum, nec non vetustas ædes archiepiscopales, atque oppidulum Palatioli novis instruxit operibus. Oratorium in insula Rheni nunc insigne sanctimonialium parthenone a fundamentis instauravit. Castrum Urticense a Wirico Dumano exstructum penitus evertit. Willelmum Cæsarem honoris causa Leodium prosecutus est
anno 1250, illicque calendis Maii adfuit 1250.
consecrationi majoris altaris S. Lamberti in honorem beatæ Virginis, cæremoniam agente Petro archiepiscopo Rotomagensi, sedis apostolicæ legato. Insequenti anno ab Innocentio IV 1251.
invitatus cum eodem rege Willelmo Lugdunum Quadragesimali tempore iter arripuit. Utrique cohonestando nihil officii atque humanitatis prætermisit pontifex; habitam quidem ad populum ab ipso concionem die Parasceves Arnoldus regi & nobilium cohorti Teuthonico idiomate palam reddidit. Paschalibus Lugduni peractis, totique curiæ Romanæ eximiis muneribus præbitis, discessum paravit. Eodem anno 23 Septembris Everardum de Lapide ob præstandi homagii detrectationem, obque contumeliosa dicta in multam ducentarum librarum damnatum veniam nudis pedibus a se expostulatum accedere coegit. Privilegia, Charta
quibus gaudent cætera ordinis Cisterciensis LXXXII;
monasteria, Clarifonti attribuit calend. Octo- col. 357.
bris. Collegium sanctimonialium recens a se exstructum præclaris vitæ monasticæ præceptis instruxit, utilesque sanxit leges quas, tradito
diplomate anno 1255, perpetuum observari 1255.
voluit. Canonici cum majoris ecclesiæ, tum sancti Paulini atque S. Simeonis libellum ei
obtulerunt anno 1256, Sabbato post festum 1256.
sanctæ Agathæ, ex quo liquet ipsius famam cujuslibet vituperii haud immunem fuisse. Hi namque inter criminationes non paucas Arnoldum insimulant quod ecclesias virosque ecclesiasticos non per se modo, verum & per extraneos in oppressione detineat. Capellam castri de Vienna ab altera ecclesia disjunctam voluit fore parochialem ecclesiam mense Aprili. Cum inter Germaniæ proceres magna polleret auctoritate, cæteri electores ei jus regem designandi detulere. Is itaque cum Saxoniæ duce, atque etiam cum Spirensi & Wormatiensi episcopis ad locum propter Francofurtum profectus, Alfonsum Castellæ regem Romanorum
solio ac diademate dignum judicavit an. 1257; 1257.
at in prælio victus est ab archiepiscopo Mogun- Rymer, t. I,
tinensi, debellante in favorem Ricardi prin- p. 622 &
cipis Angliæ, æmuli Alfonsi Castellæ regis. 623.

ANNI CHRISTI

Eodem aut circiter tempore Coloniensis archipræsul legati apostolici munere a Romano pontifice fuerat honestatus, idque in archiepiscopatu Trevirensi exercere intendebat. Verum Arnoldus, nunciis Romam missis, eorum studio primatis avitum honorem impetravit, addita ea clausula ut nulli alteri quam legato *a latere* subesset. Diem subiit extremum
1259. in arce Thaborina anno 1259, 5 Novemb. Inde exportatus in urbem, tumulatus est in majori ecclesia ad sinistrum latus chori, prope altare sanctæ Agnetis, e regione Theodorici avunculi.

LXV. Henricus II.

DE FISTING.

Statim ut Arnoldus lucem amisit, canonici, iique omnes, quos penes erat jus deligendi præsulis, ea de re conventum habuere. Verum cum de nihilo inter se convenire nequivissent, electionis dies in pervigilium sancti Nicolai rejectus est. Illa ergo dies ubi adfuit, pars una suffragiorum in Arnoldum *de Sleide*, altera vero in Henricum de Bolandia, ambos Trevirensis ecclesiæ archidiaconos convertitur. Inde duos inter contendentes gravis discordia,
1260. quam anno ineunte 1260 ad Alexandrum IV utrique placuit deferre. Sed interim ecclesiæ Trevirensis administrationem Laurentio sedis apostolicæ protonotario Roma misso commisit pontifex. Henricus de Bolandia, assumto secum Theodorico sancti Mathiæ abbate, suam ipse causam dicturus, Romam contendit. At Arnoldus per procuratores Romam missos jus suum defensavit. Dum hæc quæstio volvitur, Henricus *de Fisting*, Metensis decanus, ceu Walterii Argentinensis recens electi negotia acturus, accedit ad sedem apostolicam, & utrumque industrie submovet, locum ipse occupaturus. Res sic contexitur in Gestis archiepiscoporum Trevirensium: « Idem (Henricus) » decanus fraudulenter & dolose associans se » abbati S. Mathiæ & Henrico de Bolandia » archidiacono prædictis, dicens se & parentes » ejusdem abbatis affinitate esse conjunctos, archi- » diaconum vero consanguinitatis vinculo sibi » & suis esse constrictum, omnia secreta ipsorum » callide investigavit, & nihilominus partis ad- » versæ, scilicet procuratorum domini archi- » diaconi de Sleida consiliis se immiscens, » omnibus secretis partis utriusque diligenter » inquisitis & perceptis, ea cardinalibus, qui » electionem domini Henrici & archidiaconi » prædictorum impedire nitebantur, publicavit; » sicque dominus Alexander papa . . . de consilio » fratrum cardinalium, quibus dictus Henricus » decanus Metensis de secretis utriusque partis » communicaverat, cum idem decanus omnes » expensas partis utriusque, nec non omnes » obligationes alias in curia factas, quæ etiam » numerum excedebant, in se recepisset, sicut » postmodum ipsa ecclesia Trevirensis sensit & » est experta, eidem ecclesiæ Trevirensi de » persona præfati Henrici providit, & electio » domini Henrici & Ar. . . prædictorum . . . .

Marten. Amplis. collect. tom. IV, p. 257.

A cassata est & adnihilata. » Porro Henricus a pontifice creatus archipræsul anno 1260, 19 Novembris, consecratione absque pallii usu percepta, Roma revertitur, honorificeque a Trevirensibus excipitur. Interea Arnoldus *de Sleide* ratus Theodoricum abbatem S. Mathiæ in archiepiscopatus consecutione sibi obsuisse, iram & odium in eum vertit, persuasitque Henrico ut abbatem munere suo exueret. Nimis facilis prælatus alienam quam libentissime hausit invidiam; & quidem anno 2 pontificatus cum armatorum manu rediens ex expeditione militari villas atque prædia mo-
B nasterii in itinere occurrentia depopulari cœpit; nec his contentus, quasdam domos in hortis monasterii jussit cremari. Capti terrore monachi in urbem confugiunt de injuriis expostulatum cum archiepiscopo, qui omnia isthæc, se innoxio & non volente, gesta fuisse simulat. Per hosce dies etsi pallio nondum honestatus Philippum Metensem suum suffraganeum auctorare, synodumque propalam celebrare non dubitavit, nec ejus ministri a monasterii sancti Mathiæ agris & villis vim abstinebant. Suas monachi detulere querelas ad Urbanum IV, qui an. 1261 diebus 5 & 22 Novembris 1261.
C non beneficiorum modo collationem totius diœcesis ademit Henrico, verum & Wormatiensem, Spirensemque episcopos & abbatem Rodinkirchensem in Treviros misit inquisituros de conflatis in illum criminationibus, ac convictum anathemate plexuros: sed ex eorum litteris Henricum nimia mansuetudine tractatum fuisse apparet. Summus pontifex, cognitorum animadversa socordia, duos fratres Minores, Willelmum & Roricum, eo in negotio quæsitores instituit VIII id. Aprilis 1262, 1262.
præcepitque Plebano B. Mariæ Confluentinæ ut investigaret de teloneo Rheno ab archi-
D præsule imposito. Dum vero ad rem disquirendam sese pararent ambo Franciscani, mox suscitata est domestica procella; minister quippe provincialis cæterique provinciæ superiores his sub pœna carceris inhibent ne id negotium attingere audeant. Nihilominus duos e suis amandarunt ad apostolicam sedem, qui pontificis voluntatem perscrutarentur. Qua cognita, Willelmus & Roricus, novis Urbani litteris suffulti, omni jam posito metu, vadantur Henricum. Eorum in capessendo negotio accepta pontifex alacritate, ipsos ut rem ad
E felicem exitum deducant hortatur litteris datis IV cal. Aprilis & XV cal. Maii 1263. 1263.

Verumtamen Henricus abbatem S. Mathiæ velut authorem tempestatis sibi imminentis suspicans, ipsum ejusque fratrem Robertum abbatem S. Mariæ ad Martyres pessumdare constituit, atque ut rebellionem in eorum monasteriis moveat nihil non molitur. Quod cum haud prospere successisset, finxit se velle cum Theodorico pacem inire, diemque congressus in conventu Dominicanorum præstituit. Ad diem præfixam non defuit abbas; sed suam agi dignitatem cernens, Romanum

pontificem appellat; quin & ejus germanus Simon, majoris ecclesiæ præpositus, palam legit apostolicas litteras Urbani archipræsulem a sacris muniis interdictum denuntiantis. Verum ut prælatus abbatem acriter insectari non cessabat, Engilbertus prior S. Mathiæ cæterique monachi ad sedem apostolicam provocarunt; atque ea de causa Engilbertus, dum ad monasterium repeteret, a satellitibus archiepiscopi vulneribus ferme exanimatus est. Metuens abbas ne similia aut forte graviora sibi contingerent, in Lotharingiam secessit causam suam inde prosecuturus. Quod ubi Henrico compertum fuit, monachis id dedit mandatum, ut alium infra octavam Pentecostes eligerent abbatem, sin minus ipse iis institueret alterum. Ita quidem fecit, non obstante monachorum appellatione; abbatem enim S. Mathiæ creavit Guillelmum de Meseinburgo, & Egidium *de Manderscheit* abbatem S. Mariæ ad Martyres. Litteras nuper dederat Urbanus abbati Glandariensi atque cantori Trevirensis ecclesiæ adversus Henricum ergo decernendi. Harum autoritatem ille risu cœpit cavillari, quin jactitari corruptas esse & adulterinas. Quarum tamen ab ipso pontifice sinceritate comprobata, inquisitores omnem Henrico jurisdictionem ademtam, ullumque nec Willelmo nec Egidio jus esse in monasteriis S. Mathiæ & S. Mariæ ad Martyres edixere, Henricumque monuere ne ulterius progrederetur. Is sententiam in se vibratam, monitaque sibi dedita parvi pendens, Guillelmum in comitatu virorum armatorum ad S. Mathiam honorifice deduxit, ac in possessionem immisit anno 1263, in die SS. Marcelliani & Marci. Procacitatem Henrici ubi cognovit Urbanus, scabinorum civiumque Trevirensium imploravit auxilium, atque provinciæ episcopis, nec non cæteris prælatis præcepit ut Henricum ceu rite anathemate plexum spectarent & devitarent: tractatus etiam super bonis ac rebus monasterii sancti Mathiæ ab invasore confectos conficiendosve rescidit; compressit insuper temeritatem Henrici, qui promotionem Philippi Thesaurarii ad sedem Metensem probare ausus erat. Immo etiam hortatus est Arnoldum archidiaconum ut iis opem ferret, quibus sua dirigeret mandata. Interea supervenere bella inter provinciæ primores, e quibus alii partibus archiepiscopi adhærentes, alii vero in contraria studia vertentes acie dimicarunt. At interventu Lotharingiæ ducis & comitis Luxemburgensis hos inter & archipræsulem restituta est pax & concordia Sabbato ante festum S. Martini.

Nihilominus Glandariensis abbas & cantor Trevirensis in Guillelmum de Meisenburgo pseudoabbatem S. Mathiæ tulere sententiam; ac non multo post Henricus plurimum a se mutatus ei iterum atque iterum mandata mittit, quibus jubet ut confestim de monasterio abscedat; luce quidem sequenti monachis sancti Mathiæ ad se evocatis, stante cœtu frequente, dolorem se incredibilem capere ostendit cum

A ex eorum calamitate, tum variis etiam injuriis monasterio illatis, atque se omnia damna beneficiis resarturum sponte profitetur. Ea benignitate victi Cœnobitæ ad suum monasterium postridie remearunt, ex quo jam inde a Pentecoste fuerant expulsi: ac paulo post Romam ipse, censuras a suo capite prohibiturus, jussus ab Urbano in viam se dare haud cunctatur. Theodoricus abbas vicissim, accepta Henrici profectione, in Treviros rediit, moxque in manus clientium archiepiscopi lapsus est, qui ipsum una cum duobus sacellanis in carceres abripiunt, arceque Thuronia inclusum ferreis compedibus
B adstringunt. Hujus atrocis rei fama Romam perlata, Clemens IV Urbani successor Henrico ad se accersito anno 1265 imperat ut quamprimum abbatem solvat ac liberet. Ita facturum promittit, at occulta dedisse mandata suspicitur ut vinctus arctiore custodia detineatur. Jussa iterantur, nec paret Henricus. Tanta episcopi pertinacia offensus pontifex jurejurando edicit nunquam futurum ut ille suos revisat, nisi abbatem vel vivum vel mortuum Romanæ curiæ sistat. Idque in causa fuit cur Henrico, superstite Clemente, e pontificia curia discedere, munusque suum obire haud licitum
C fuerit. Hic autem archiepiscopus ad interrogata coram ipso pontifice respondere jussus anno 1267, 5 Januarii, suam agendi rationem scripto tueri enixus est: verum altero libello diversarum criminationum convictus, & inter alias quod confirmasset & consecrari mandasset Philippum *de Florenges* episcopum Metensem, suspensionis ab officio & beneficio pœnam subiit 19 Decembris ejusdem anni. Ejus in locum administrandæ diœcesi suffectus est Bertrandus de Castineto, causarum palatii pontificii auditor, qui ob metum amicorum Henrici in urbem ingredi non ausus, sedem suam fixit apud
D Ivodium. Ast Clemente e vivis exemto 1268 mense Novembri, Henricus suam in diœcesim est reversus, & apud Brunichonem fratrem haud procul Saravi fluvii fontibus substitit; tumque clanculum effecit ut Theodoricus e carcere, in quo tribus annis & sex mensibus ingemuerat, liber abiret, & in gratiam cum illo rediret. Verum abbas nunquam cum Henrico pacem ineundam censuit, nisi eam curia Romana ante probasset. Ille siquidem, accepta Gregorii X pontificis creatione, Romam adiens, illatas sibi contumelias atque omnis generis
E injurias exposuit, fategitque ut Henricus rursum anathemate illigaretur. Romam item sed lento gradu procedebat archipræsul; verebatur enim pontificem, quem sibi valde iratum haud ignorabat. Cum autem in via partim a cardinalibus, partim a clericis, quos suis præfecerat negotiis, abbatem non modo sibi non adversari, sed impensius etiam observire cognovisset, iter maturavit, Romamque advenit circa festum Assumptæ Virginis. Ambabus partibus ad pacem inclinantibus, delata est res ad arbitros, qui an. 1272 festo die S. Mathiæ eas dixere leges ut, utrinque injuriarum omni memoria

Margin: 1265. — 1268. — *Thesaur. Anecdot. tom. II, col. 552.* — *Marten. Amplis. collect. t. IV, pag. 315 & seqq.*

ANNI CHRISTI
deleta, Henricus abbati mille libras monetæ A
Trevericæ numeraret; abbas vero deinceps
archiepiscopo pareret ut domino, revereretur
ut patrem, & fidele etiam obsequium exhiberet.
Pace inter eos firmata, Henricus usum pallii
& præteritarum offensionum veniam assecutus,
suam ad sedem rediit, atque tantam cum Theo-
dorico connexuit amicitiam, quantum in eum
odium habuerat. Dum vero de curia Romana
rediret anno eodem 1272, sanctimoniales de
Angelica-porta subdidit Conrado abbati de
Seina ejusque successoribus in temporalibus
& spiritualibus regendas. Molsbergensis atque
Rischofstiniensis castrorum dominationem ac- B
cepit Henricus a toparcha *de Molsberch* & ab
Henrico de Bolandia archidiacono 23 Augusti
1273. & 11 Septembris 1273. Eodem anno 30
Septembris mille octingentis tam militibus,
quam vassallis stipatus Francofurti adfuit elec-
tioni Rodulphi regis. Mense Novembri dum
sisteret Epternaci, indulgentias quadraginta
dierum iis condonavit, qui infra octavam
Pentecostes S. Willibrordi sepulchrum visi-
tassent. Himmenrodensibus monachis, quos
graviter insectatus fuerat, protectionis litteras
1274. indulsit anno 1274. Ecclesiam collegiatam
Kilburgensem a se recens constructam beatæ C
1276. Mariæ dicavit anno 1276, quo aut circiter
collegiatam Monasteriensem in Metensi diœ-
cesi instruxisse fertur. Comparandi nominis
quam rite obeundi muneris ille studiosior
monasteria, populos, Judæosque tributis one-
ravit, quo privatas sustineret expensas, muniret
urbes, vetera castra instauraret, construeret &
altera, novasque acquireret possessiones. Plu-
ribus in documentis occurrit ad annos 1275,
1277, 1278, 1279, ex quibus apparet ipsum
nobilitati multos feudos concessisse. Quos
Henricus comes de Salmis habebat apud
Berencastellum & Montis-villam fundos, quin- D
1280. gentis libris emit an. 1280, struxitque eodem
castrum Meginense. Cum Confluentinis civi-
1281. bus anno insequente pacem iniit, arbitris
Vernero Moguntino, Sifrido Coloniensi archi-
episcopis, & Mathia Teutonici ordinis ma-
gistro. Mailbergense castrum ab Hugone milite
& Johanne armigero de Vistingia numerata
1282. pecunia comparavit an. 1282. Generalibus
Germaniæ comitiis adstans Herbipoli anno
1283. 1283 intercessit tributis, quæ rex Rodulphus
& summus pontifex nobilibus, clero, atque
populo imponere statuerant. Henricus hinc
domum reversus tam Treviris quam Con- E
fluentiæ res turbatas invenit. Treviris sane
juniores canonici primariæ ædis conjurati de-
canum, aliosque complures canonicos in cus-
todiam abduxerant. Confluentini vero, qui
aliquanto ante tempore ob rebellionem aman-
dati fuerant, in urbem redeuntes novas ibidem
ausi sunt cire seditiones. Quod ut cohiberet
Henricus, sub fortunarum ac capitis pœna
præcepit civibus ut neminem proscriptorum
deinceps in urbem admitterent. Ad fidem &
1284. homagium admisit anno 1284 Joffridum

dominum *de Aixe*. Paralysi simulque podagra ANNI CHRISTI
conflictatus anno 1285, ad sanctum Judocum 1285.
in Picardiam peregrinationem suscepit, visi-
tatisque Sancti liminibus absque spe sanitatis,
spiritum Bononiæ ad mare effudit VI calendas
Maii 1286. Corpus ejus ab Wernero archi- 1286.
diacono itineris socio in Treviros relatum,
in principe basilica sepultum est cum hoc
adulatorio epitaphio:

De Finstinga præsul fuit hic oriundus
Moribus & vita nulli fuit orbe secundus.
Nobilis Henricus Treberis tibi fidus amicus:
Cura tuis morbis, honor & pax urbis & orbis.
Rector erat magnis, devotis extitit agnus.
His pia vota dabat; tumidos tibi suppeditabat.
Ipse tibi caulas multas construxit & aulas;
Te bene dotavit, tibi fortia castra paravit.
Hunc Trevir plora, Dominum cum fletibus ora,
Quod sibi solamen præstet Christus Deus. Amen.

Hic obiit VI kalend. Maii, anno Domini M. CCLXXXVI. Cujus anima requiescat in pace.

LXVI. BOËMUNDUS I. DE WARNESBERG.

Equestri Warnesbergiorum familia cretus
Boëmundus, præpositus ac archidiaconus ec-
clesiæ Trevirensis, nec non primicerius Me-
tensis, a saniore canonicorum parte electus est
1286. Cæteri bifariam divisi sortes tulere,
hi in Ebertum cantorem, illi in Johannem *de*
Sirk, qui mox honorem sibi delatum recusavit.
Boëmundus autem & Ebertus jus suum defen-
suri Romam pontificem adiere; at inter liti-
gationem Ebertus de vita migravit. Post cujus
mortem cardinales, defuncto Honorio, Tre-
virensibus canonicis jus iterandæ electionis
permiserunt. Pars quæ Boëmundum coopta-
verat, suffragiis semel latis standum censuit:
reliqui delegere Gerardum *de Eppenstein* sancti
Lubentii archidiaconum, Moguntinæque sedis
candidatum, cujus electionem tam Moguntiæ
quam Treviris factam Nicolaus IV infirmans,
integram sibi reservavit. Boëmundus tamen
suffraganeorum votis, primariorumque homi-
num regionis studio fretus, re mature deliberata,
administrandæ Trevirensi ecclesiæ præficitur:
Gerardus quoque, qui quidem Romam pro
tutando suo jure sese contulerat, ob eximias
dotes Moguntinensem sedem est adeptus: atque
uno eodemque die a maximo pontifice ambo
in Quadragesima anno 1289 consecrati, & 1289.
subsequente Palmarum die pallio condecorati
sunt. Dum in curia Romana sisteret Boëmundus, *Bolland. t. II, April. p. 703.*
Judæi Wesaliæ oppidi Trevirensis diœcesis,
Bacharacum inter & sanctum Goarem, in
Christiani nominis odium ac ludibrium,
apprehensum quemdam puerum, Wernerum
nomine, die ipsa Parasceves columnæ capite
deorsum adstrinxerunt anno 1287, totoque
triduo diris cruciatibus adeo divexarunt, ut
spiritum emiserit XIII cal. Maii. Postero anno
Margaritæ-Reginæ viduæ Trevirensis largitate

ANNI CHRISTI

in urbem allecti suam fixere sedem patres A Carmelitæ. Cæterum anno consecrationis suæ Boëmundus ipso natali Deiparæ virginis solemni pompa Trevirim ingressus est, honoris causa deducentibus Lotharingiæ duce Friderico & Sigefrido archiepiscopo Coloniensi, quos post sacrificium, in æde metropolitana Deo palam oblatum, sumptuoso excepit epulo. Ejus vero diei lætitiam mox absterſit simultas inter curiam Romanam & capitulum exorta ea de re. Vacabant tunc in cathedrali duo luculenta sacerdotia. Summo pontifici placuit ea attribuere Petro Rudolphi regis medico atque Johanni curiæ Trevirensis officiali, B utrique plebeio genere orto, sed non minus eruditione, quam morum integritate ac religione commendando. Hi igitur ambo ubi ad suscipienda sacerdotia affuere, a Boëmundo & collegii parte in canonicorum numerum admissi sunt. Alii vero canonici, auso Romani pontificis improbato, vehementer intercessere, palamque edixere se nunquam passuros ut plebeii canonicorum numero forent adscripti; quin imo maluerunt sacris omnibus carere, quam pontificis mandato obtemperare. Adeo Trevirensis ecclesia toto pene tempore pontificatus Boëmundi interdicta substitit. Per id C tempus urbis teloneum scabinis in octennium Boëmundus elocavit sub festum S. Nicolai,
* Ditz. quo die & anno 1289 ecclesiam *de * Ditze* ab ejusdem loci comite consecutus est. Quoniam regi Rodulpho admodum fuit gratiosus, oppida Monthaborium, Berncastellum, Wittelichum, Saraburgum & Billichum regali auctoritate libera pronunciari, locumque *de Meyene* ad
1291. civitates evehi curavit IV cal. Junii 1291.
Charta LXXXVI, col. 359. Eodem anno IX & III cal. Junii Johanni de Cabilone domino de Allato confirmavit custodiam monasterii S. Eugendi Jurensis & jus monetam
Charta LXXXVII, col. 359. cudendi; imo & pedagium castri *de Joigne* D in comitatu Burgundiæ. Johannem domicellum *de Mailleberch* clientelam profitentem admisit
1292. 13 Januarii 1292. Litteras consensus Adolfo Romanorum regi dedit XVI cal. Junii ut civitatem Gollariensem vel Lubecensem pro debito apud Ludovicum comitem Palatinum Rheni & Bavariæ ducem contracto Ottoni duci Brunsvicensi genero ejus sub nexu hypothecæ obligare posset. Patres Carmelitas mense Febr. ejusdem anni permisit constabiliri apud Arlunum. Mille trecentorum equitum comitatus Francofurtum cum cæteris proceribus ad generalem conventum accessit de rege sufficiendo E in locum Rodulphi demortui, nec parum laboravit pro Adolpho Nassovio, quem omnes eo anno 20 Maii regem crearunt. Principem suis fovit opibus, atque pace ac bello consilium, columen & præsidium ei fuit. Vicissimque Boëmundum ceu patrem semper habuit Adolphus; quin & acceptorum officiorum haud immemor, castra Cochemum & Clotenum ipsi oppigneravit. Homagium Hermanni *de Saushusin* &
1293. Gaufridi comitis de Vienna accepit hicce
1294. præsul annis 1293 & 1294. Noviomagum, vicum antiquissimi nominis in Constantinianis ruinis, eo circiter tempore arce firmavit, longe etiam alia castra injurias ergo repellendi obsepsit muris, turribus ac propugnaculis; suam quoque ecclesiam iis opum auxit præsidiis, quibus ante eum vix quisquam alius. Paulo ante rex Adolphus in odium pene omnium Germaniæ principum prolapsus, competitorem habuit Albertum, & acriter pugnatum fuit utrinque. Ast Albertus de Adolpho triumphavit, ipsumque ex equo dejectum obtruncavit. Quo nuntio ad Boëmundum perlato, pergravem inde sentiens dolorem, suas nec potuit cohibere lacrymas. Deinde novo regi creando habita fuere comitia, ad quæ Boëmundus accedens, vitæ suæ periculo factæ de Alberto promotioni, superstite adhuc Adolpho, refragari non veritus est, neque prius a sententia discedere voluit, quam libera electio restituta fuisset. Hunc vero principem communibus procerum votis rursus electum non cunctatus est experiri beneficum: ab ipso siquidem castrum Cochimum perpetuo possidendum obtinuit anno 1298, VIII calend. 1298.
Septemb. Schartzenbergum castrum prædones vi occupaverant, sævisque inde populationibus diœcesim infestabant: hos ut perimeret, fœdere cum Friderico duce Lotharingiæ sancito anno 1299 mense Augusto, magno belli adparatu 1299.
militumque manu castrum circumdedit, ac propugnacula collabefecit. Cum ob infirmitatem indicto conventui a Philippo Pulchro Franciæ & Alberto Germaniæ regibus adesse non posset, Wichboldum Agrippinensium antistitem eo adeuntem obtestatus est ne cui turpi pactioni subscriberet, neve de imperii dignitate imminui quicquam sineret. In eo cœtu rex uterque acturus erat de maritando Rodulpho Alberti filio cum Blancha Galliæ regis sorore, cui in dotem Arelatense regnum Philippus erat traditurus. Has vero nuptias Boëmundus Wichboldo suasit inhibere, quia persuasum habebat nihil juris esse penes Franciæ regem in Arelatense regnum, imo potius palam esse id regnum ad Romanum imperium spectare. Utcunque tamen facere posset, connubium statutum est a duobus regibus cum propositis conditionibus. Languore æque ac ægritudine domi ille detentus pie vitam clausit 9 Decemb. 1299, magnum apud omnes imperii ordines sui desiderium relinquens. Divini cultus ut erat studiosissimus, multiplices sacras vestes, vasa etiam omnis generis aurea & argentea, itemque pretiosissima donaria ecclesiæ suæ contulit. Supremis ei datis officiis, ad Himmerodiense monasterium honorifico funere delatus est; quem ipse locum vivus plurimum dilexerat, & singulis annis Dominica Palmarum religionis ergo visitare consueverat. Conditus est in saxeo tumulo cum ea simplici inscriptione: *Hic jacet venerabilis dominus Boëmundus Trevirorum archiepiscopus qui obiit anno Domini M. CCXCIX.*

DE NASSAU.

LXVII. Dytherus.

Walrami Nassoviæ ac Weisbadæ comitis ex Adelheide de stirpe comitum Catzenellebogiorum filius, germanusque Adolphi Nassovii Romanorum regis Dytherus, alumnus ordinis S. Dominici, tametsi clerus suffragio pontificatum Henrico Virneburgio mandasset, cujus jam ima diœcesis pars in verba juraverat, Romæ a Bonifacio VIII dictus est archiepiscopus,
1300. ac in Treviros missus anno incunte 1300. Quam autem ob causam Dytherum ecclesiæ Trevirensi præfecerit Bonifacius ita refertur in Gestis Trevirensium archiepiscoporum : *Dytherum regis defuncti* (Adolphi) *germanum, causa ejus* (Alberti) *vesaniæ resistendi, in Trevirorum archiepiscopum non postulatum, nec ab aliqua parte capituli electum celeriter sublimavit. Capitulum tamen elegerat Henricum* de Virneuburch, *cui major pars subditorum ecclesiæ jam obediebat. Statim ecclesiæ suæ terras plurimas & redditus pignorali cautione & litterali obligatione, constangiis gravibus damnisque datas, impignoratasque per maxima debita contraxit, de quibus parum dicitur persolvisse; & cum in honore esset non intellexit, viriliterque contra Albertum regem restitit.* Trithemius de re eadem differens hæc ait: *Dietherus ex comitibus* Nassaw, *frater interempti regis Adolphi, ordinis, ut ferunt, Prædicatorum, non electus neque postulatus, sed quorumdam consilio & provisione Bonifacii papæ VIII in odium Alberti regis archiepiscopus Trevirensibus ordinatur & missus est, qui veniens Trevirim cum honore suscipitur, & ut verus archipræsul ab omnibus salutatur. Præfuit annis ferme octo, Alberto regi semper quidem contrarius, sed parum nocivus.* Friderico de Duna castrum Manderscheiditum sub clientelari fide attribuit anno 1300 feria secunda post octavam Epiphaniæ. Eodem eximium indulsit privilegium in gratiam hospitalis Bidburgensis die festo S. Johannis Evangelistæ. Binas iniit compo-
1301. sitiones an. 1301 festivitatibus SS. Barnabæ & Johannis-Baptistæ. Idibus Octobris anni ejusdem sancitum est ab Alberto Romanorum rege ut Sifridus vir nobilis dominus *de Eppenstein*, præter quædam servitia, nulla alia regi impenderet, ex eo quod dictus Sifridus esset castrensis & vassallus Dytheri archiepiscopi & ecclesiæ Trevirensis. Henricus comes Luxemburgensis bellum, vacante sede, Trevirensibus indixerat, qui acri animo sese defenderunt. Verum cum utrinque diu fuisset
1302. conflictatum, pax restituta est an. 1302 die 2 Aprilis. Hæc tamen civitas non diutina pacificatione fruita est; nam brevi Albertum regem inter & Dyetherum aliud emersit bellum, cujus præter positam ab imperatore ante oppidum obsidionem exitus ignoratur. Bellum id non habuit tantummodo sustinendum; proprii enim ejus subjecti ad rebellionem a Bonifacio prætore excitati eo venere ut non tributum modo antiquitus collatum in capita recusarent, sed scabinos ex urbe Trevirensi expellerent.

Marten. Ampliss. collect. t. IV, p. 376.

Chron. Hirsaug. t. II, p. 74.

A Viribus tunc impar cessit tempori, inita cum civibus transactione satis detrimentosa anno 1303 feria tertia majoris hebdomadæ. Eodem 1303.
anno 12 Decembris parœciam sancti Martini Wesaliensis in ecclesiam collegiatam erexit, septem canonicis ibidem institutis. Paulo post quingentorum equitum agmine & ingenti peditum adparatu comitatus Confluentinam urbem rebellatam obsessit, ac proinde ad deditionem coegit. Qua expeditione confecta, duas inter partes Sabbato ante festum S. Johannis-Baptistæ anno 1304 conventum est ut archi- 1304.
episcopus libere gauderet tam jurisdictione B spirituali quam seculari, ac aliis quibuscunque juribus in oppido Confluentino, secundum quod sui prædecessores sunt usi hactenus & gavisi. Novum hoc anno 2 Septembris sanxit fœdus cum Trevirensibus oppidanis. Viros quidem non paucos origine eximios clientelis sibi devinxit annis 1303, 1304, 1305. 1305.
Verumtamen Dytherus dum grave æs alienum ex superioribus bellis contractum dissolvere non potest, Trevirensis clerus nomen ejus ad Clementem V deferre & episcopatus male gesti postulare eum statuit. At is plenus fiduciæ atque maximi pontificis judicium haud refor- C midans, meditabatur iter in Gallias causam suam ipse acturus, ni mors eum sustulisset an. 1307, 23 Novembris, postea quam ille episcopatum octo ferme annos rexerat. Conditus in Dominicanorum æde, non longe a summa ara, istud habet epitaphium : *Hic jacet dominus Dietherus de Nassauvia, germanus domini Adolphi regis Romanorum, quondam archiepiscopus Trevirensis, ordinis fratrum Prædicatorum, magister in theologia, qui obiit anno M. CCCVII in crastino B. Clementis papæ & martyris.*

Charta LXXXVII, col. 360.

D

LXVIII. Balduinus.

DE LUXEMBOURG.

Originem traxit Balduinus e nobilissima gente de Luxemburgo, quæ Occidenti imperatores, Bohemiæ, Poloniæ & Hungariæ reges dedit. Patrem vero habuit Henricum III Luxemburgi comitem & matrem Beatricem *d'Avesnes*. Ejus electio in Gestis Trevirensium archiepiscoporum ita exponitur: *Anno Domini M. CCCVII die septimo mensis Decembris, capitulo Trevirensi coadunato, & ad futurum præsulem eligendum, vocatis omnibus vocandis, congregato, a majori & saniore parte capituli venerabilis dominus Baldewinus* de Lutzelinburch, *præ-* E *positus & canonicus dictæ ecclesiæ, adhuc ipso Parisiensi studio fideliter mancipato, anno nativitatis ejus XXII.* Ubi Balduini nomen in publicum enunciatum fuit, magna omnium ordinum populique exstitit gratulatio. Summus etiam pontifex Clemens VI, patefacta oblectatione, ipsum Parisiis mox profectum in Pictaviensi urbe VI id. Martii 1308, presbyterum ordinavit, & sequenti luce archiepiscopum consecravit. Salutato pontifice maximo, in Treviros Balduinus iter accelerans, insigni pompa sacro die Pentecostes urbem ingreditur,

Valbon. Hist. delphin. prob. p. 202.

Marten. Ampliss. collect. t. IV, p. 377.

ANNI CHRISTI

subditosque suos ad præstandum fidei juramentum adducere nec cunctatur. Trevirensibus autem civibus dare fidem detrectantibus, jam prope erat arma sumere, ni Valeramus ejus frater animos conciliasset pactione inter utramque partem sub his conditionibus confecta, ut consiliarii, quos Dytherus antecessor jus eligendi civibus permiserat, nequaquam constarent; insuper & assueta vectigalia archiepiscopo penderent oppidani. Francofurtum devergente anno 1309 advectus, una cum cæteris sacri imperii electoribus fratrem suum Henricum de Luxemburgo Romanorum regem creavit 27 Novembris, collationemque regalium feudorum ab ipso impetravit 16 Januarii
1309. 1309, uti & aliud diploma XVII cal. Octob. Eodem, itemque sequente plurium nobilium fidei sacramentum excepit pro quibusdam feudis. Regem Trevirim precibus suis ingressum
1310. mense Februario 1310 rogavit privilegium nundinarum perinde ac Francofurtensium a Natali B. Mariæ usque in diem S. Remigii. Quam gratiam aspernantibus oppidanis, res in irritum cessit. Concilii provincialis statuta bene multa æque ac salubria in majori ecclesia publicavit 18 mensis Aprilis. Cudendæ monetæ in civitatibus suæ ditionis privilegium fecit innovari in urbe Luxemburgensi VI cal. Julii. Ineunte autumno domum reversus curas omnes convertit ut quantum posset pecuniæ cogeret in sumptus belli Italici, quod mox suscepturus erat Henricus ejus germanus: tantumque industria perfecit & autoritate ut plaustrum extulisse ferant auro argentoque onustum; subinde Columbariam profectus regem instructissimo cum exercitu suum, aliorumque principum adventum præstolantem invenit; quem opportuno mox subsidio stipendiorum allevatum in Italiam prosecutus est. Atque adeo pro pignore Boppardiam Wesaliamque cis Rhenum oppida adeptus est
1312. 8 Novembris 1312. Insequenti dum in
1313. Germaniam recentes copias cogendi causa repedat, Henricus rex in Italia non absque veneni suspicione exstinguitur. Bernardinum de Monte-Politiano Dominicanum regi a confessionibus hujus facinoris insimulatum Balduinus & ipse regis germanus scripto defensavit. Johannem Bohemiæ & Poloniæ regem nepotem suum eo anno non semel est expertus beneficum. Benedictinis etiam monachis ademtum Montem sancti Beati Confluentiæ transcripsit canonicis, quibus postea Carthusianos substituit. Sub idem tempus gravissima pestis ac deinde & fames diœcesi vicinisque provinciis se infudit, qua & matres proprios devorasse fœtus dicuntur. Litteris Petri Mo-
1314. guntini archipræsulis invitatus 14 Maii 1314, Francofurtum adiit electioni regis adsuturus, atque cum principum electorum parte suum detulit suffragium crastina die S. Lucæ in Ludovicum Bavarum. Cæteri principes Fridericum de Austria regem edixere. At Ludovicum deduxerunt Aquisgranum Balduinus &

A Petrus Moguntinus, quos inter disceptatio fuit uter regem coronaret. Verum hic honos Moguntino archipræsuli delatus est ea lege, ut intra proximum mensem is ex testimoniis atque tabulis jus suum ab antiquitate repetitum proferret; id ni faceret, tum pro Balduino consecrasse videretur. Quod cum a Moguntino haud factum fuisset, coronandi regis prærogativa Trevirensi archiepiscopo attributa est. Balduinum autem rex Ludovicus præclare de se meritum Coloniæ eximiis favoribus cumulavit, ac decessorum principum privilegia confirmavit auxitque IV, III & pridie nonas
B Decembris ejusdem anni. Johanni Bohemiæ regi auxilium adversus subditos rebelles, Petro Moguntinensi vires item suas adjungente, tulit anno 1315; nec multo post, cum comperisset 1315.
Ludovicum Germaniæ regem, dum Eslingiæ oppido Sueviæ succurrit, ab Friderico adversario teneri velut obsessum, is cum rege nepote magna usus celeritate e periculo expedivit, indeque civitatem ingressus Bohemiæ regem suis ipse manibus creavit militem. Insignes privilegiorum tabulas, veterumque possessionum confirmationem Spiræ recens consecutus, mutuum regi Ludovico dedit quinquaginta
C octo millium & trecentum librarum: vicissimque rex Balduino Bacharacum oppidum nonnullasque arces pignus reliquit an. 1316. 1316.
Eodem anno 10 Martii suscepit in vassallum nobilem virum Ebirhardum dominum *de Bruberg*. Henricum archiepiscopum Coloniensem a Juliacensi comite, ob ejus erga regem Ludovicum addictionem, pœnas repetere nitentem repressit an. 1317. Adversus eumdem 1317.
archiepiscopum Agrippinenses cives defendit an. 1318, ejusque custodiæ post obsidionem 1318.
quatuor ferme mensium creditum est castrum Brula, ea conditione ut illud Agrippinensibus
D exscindendum subvertendumque traderet, quandocumque Agrippinensis præsul a pace descivisset. Eodem ferme tempore bellum ei gessisset & ipse, ni Petrus Moguntinus arbiter controversiam inter eos coortam sedasset, damnato Henrico ducentarum librarum ad reconcinnanda detrimenta, quæ Trevericæ diœcesi intulerat. Fractam adhuc inter eosdem Balduinus restituit pacem & anno 1319; quo 1319.
novas iterum copias, precante Ludovico rege, eduxit adversus Fridericum apud Wisbadenum Moguntinæ regionis castrametantem. Potentis
E amici copiis Fridericus auctas cernens Ludovici vires, recusata belli alea, abscessit. Ibi tum Balduinus a Cæsare obtinuit ut Boppardienses imperii hostes denuntiare posset, si obtrectare non desinerent. Apud Argentinam cum eodem rege in castris agebat, quando per obitum Petri Moguntini archipræsulis unanimi cleri consensu ad ejus ecclesiæ gubernacula vocatur anno 1320. Summus vero pontifex 1320.
de Balduino haud assentire volens, Mathiam *Buchegh* Morbachiensem cœnobitam archiepiscopum edidit. Novus antistes confestim ad Balduinum adiit, qui & ut illum Cæsar

ANNI CHRISTI

probaret, ac canonici Moguntinenses in archi-
episcopum admitterent nihil usquam præter-
misit; quin & cum eo præstituta die in urbem
introductus, arctissimam pace belloque con-
traxit societatem. Precum & suffragiorum
monasterii sancti Jacobi Leodiensis participa-
tionem sub idem tempus consecutus est. Re-
centem belli materiam eodem anno nactus,
gravissimis & assiduis incursibus Rodulphum
ducem Bavariæ, Spanheimenses, Nassoviosque
comites & Johannem Cruciniacensem afflic-
tavit, quod, publica pace violata, adversum se
conjurati variis regnum motibus implessent.
Castrum itaque Sprendlingen tum expugnavit,
atque inde populationis terrorem late per
Spanheimii comitatum circumferens Cruci-
niacum devenit. At ubi castro arietem voluit
incutere, uxor comitis Cruciniaci consanguinea
sua lacrymis perfusa parvulos manu trahens,
liberos prodit in conspectum, atque enixe pre-
catur ut horum fortunis infantium parcat. Tactus
is miseratione, mentem a justa ultione revocat,
moxque suis indicit profectionem. Non ita
pridem diœcesis partem trans Rhenum cœptis
Johannis & Reineri Westerburgi dynastarum
fide nutantem invenit. Ad quorum cohibendos
motus arcem a suo nomine Baldensteiniam
in solo vi occupato condidit: cujus arcis cum
possessio videri posset ambigua, fundum in
quo castrum id exstruxerat, numerata pecunia
comparavit, ne suis successoribus litis materiam
relinqueret. Bacharaci comitiis adstans anno
1321. 1321 feria quarta post Assumptionem beatæ
Mariæ licentiam qualiacunque imperii bona
oppignerata redimendi & possidendi a rege
impetravit. Prælio, quo Ludovici regis com-
petitor Fridericus de Austria devictus cap-
1322. tusque est, interfuit an. 1322 festo die sancti
Michaëlis. Assensus quidem est ut cœnobitæ
S. Guillelmi ob frequentes exundationes ex
insula Longanæ fluvii ad suburbanum oppidi
Limburgensis transmigrarent. Schiffenburgum
1323. abbatiam ordinis sancti Augustini an. 1323
militibus Teutonicis tradidit, cum conditione
pendendi archiepiscopo Trevirensi unoquoque
anno novem marcarum argenti vectigal. Fœ-
deris pactum cum Bohemiæ rege, Ferdinando
Lotharingiæ duce & Eduardo comite Barri
1324. sancivit 1324 Sabbato post festum S. Bartho-
lomæi adversus cives Metenses, qui mox bello
1325. fatigati pacem pepigere 3 Martii 1325. In
oppidum Meginense noviter murorum ambitu
ab se circumdatum transtulit canonicos regu-
1326. lares *de Loniche* 1 Decembris 1326. Mathiæ
Moguntino archiepiscopo Henricum Hassiæ
comitem in oppido Giesseno clausum obsidione
prementi non misit modo cohortes, verum
& ipsemet superveniens ad capiendam urbem
1327. tulit opem an. 1327. Qua expeditione peracta,
ambo præsules junctis copiis Boppardiam pro-
fecti, cives Balduino rebelles ad deditionem
& obsequium coegere. Gravis tunc erat inter
Balduinum & Lauretam viduam Simonis, uti
ferunt, Spanheimensis comitis controversia de
finibus ac possessionibus Birkenfeldiæ. Mulieris
hujus iram experiri haud cunctatus est: dum
enim Mosella ipse devehitur, catena sub aquis
delitescente subito tensa impeditus apprehen-
ditur, captivusque in ipsam arcem abducitur;
nec suam potest assequi libertatem, nisi prius
triginta florenorum millibus exsolutis, factaque
fide nullum sese in Birkenseldensi solo castrum
unquam erecturum.

Interea anno 1328 ineunte Autumno 1328.
Mathia Moguntinensi præsule e medio sublato,
Balduinus a capitulo denuo postulatur. Quem
honorem ille cum rejecisset, Johannes XXII
maximus pontifex Henricum Virneburgium,
invitis canonicis, archipræsulem renunciavit:
totoque triennio ad tribunal pontificis res
Avenione disceptata est. Per id tempus Bal-
duinus, clero atque pontifice volentibus, Mo-
guntinam ecclesiam non minori cura quam
propriam sedem administravit. Cui operi dum
incumbit, cives Moguntinenses ecclesiasticam
libertatem oppugnare, administratorisque im-
perium spernere ausi sunt. Is ad comprimendam
eorum contumaciam Altam-villam oppidum
denis circiter millibus passuum infra Mogun-
tiacum condidit munivitque; atque inde in-
festis excursionibus circumjecta loca longe
lateque cœpit populari: sicque Moguntinenses
ad obsequium redegit. Veruntamen ad felicem
exitum adducta Virneburgii causa, illum Mo-
guntiam ingredientem honorifico comitatu
prosecutus est. Eodem circiter tempore Wor-
matiensis ac Spirensis ecclesiarum administra-
tione ab utroque capitulo sibi collata cessit.
Eratque, ait Trithemius, *satis rarum quod unus
homo simul & semel esset archiepiscopus Trevirorum,
& administrator tum Moguntinæ, Vormaciensis,
& Spirensis ecclesiarum, sed fuit homo dignissimus,
qui ad regimen natura & gratia erat dispositus,
in omnibus ecclesiarum studens utilitati.* Diœcesis
suæ commodis consulens, vias quibus itur
Cochimam, Trysium, Stubam & Nevam tanto
labore tantisque impensis laxavit an. 1329, 1329.
ut equi quibus etiam vacuis ante impervium
iter erat, secure onera perveherent. Cum
plurimis cis transque Rhenum dynastis ami-
citiæ, mutuique auxilii sanxit fœdus; atque
absente Johanne rege Bohemiæ nepote Lut-
zemburgiis jus dixit an. 1330. Inter abbatem 1330.
Fuldensem & regionis indigenas sedavit tu-
multum, nonnullosque in se conjuratos com- 1331.
pescuit nobiles anno 1331. Tunc Carthu- Charta
sianorum innocentia ac vitæ integritate captus, LXXXVIII,
eis prope Trevirim & apud Confluentes in col. 361.
monasterio sancti Beati domicilia assignavit.
Noribergensibus præsens comitiis an. 1332, 1332.
23 Augusti adeptus est ab imperatore Ludo-
vico, præter jus abbatibus Prumiensi & Epter-
nacensi regalium investituram tradendi, novam
& amplissimam possessionum ecclesiæ suæ
confirmationem. Rebus tamen Moguntinensis
episcopatus immiscere se nec cessaverat, uti
comprobat epistola Johannis XXII eum
hortantis anno 1333 pridie calend. Maii ut 1333.
Henricum

ANNI CHRISTI

Henricum Virneburgium in pacifico diœcesis regimine relinquat. At Balduinus pontificiis adhortationibus non statim est morigeratus; re enim vera integram ejus ecclesiæ administrationem non dimisit citius anno 1338, quo ipsum inter & Henricum ea de re acta est compositio. Post diutinas gravesque inimicitias fœderis pactum inivit cum Radulpho Lotha-
1334. ringiæ duce 13 Novembris 1334. Archipræsuli Moguntino sociatus Fridericum Misniensem marchionem oppidum Erfortum multis bellorum injuriis lacessentem vertit in fugam, ipsamque civitatem, atroci dato prælio, gravis
1335. æris mulcta damnavit 1335. Boppardienses itemque Wesalienses cives ob internecionem quam plurimorum e gente Hebræa, obque eo-
1337. rum bonorum direptionem aspere castigavit 1337. Statuta de reformatione ac ordinatione clericorum & monachorum in lucem edidit hoc anno & insequentibus. Collegiatam ædem beatæ
1338. Mariæ apud Wesaliam ornavit an. 1338 die 8 Jan. insigni diplomate, quo ritus, leges vivendique præcepta & omnes denique censuum vectigaliumque rationes complexus est. Mense Julio sequenti is æque ac cæteri electores Rensæ in conventu congregati ad Benedictum XII epistolam scripsere, minis atque precibus poscentes ut acta Johannis XXII adversus Ludovicum imperatorem confecta rescinderet. Eodem anno, Sabbato proximo ante diem S. Mathiæ Apostoli accepit a Johanne *de Sponheim* magnam ditionum ejus partem in feudum, vicissimque ei cessit mediam partem castri *Dille* & quidquid in ipso castro habebat &c. Eduardo III Angliæ regi Franciæ regnum ceu hereditarium contra Philippum Valesium ambienti quingentorum equitum auxilio affuturum mense Septembri spopondit, undecim millium florenorum in mensem accepto stipendio. Eidem regi mutuum ipse tantum argenti credidit, ut hic princeps coronam Anglicani regni Confluentiæ pignori reliquerit, uti testantur duo documenta conscripta diebus
1339. 27 Februarii & 18 Martii anni sequentis. Ad conventum, quem imperator Ludovicus Francofurtum sub eodem tempore indixerat, prodiit ac Johannem Bohemiæ regem ipsi Ludovico conciliavit, simulque sibi & suis subditis obtinuit privilegium deducendi res quascunque suas sine telonei & pedagii exactione. Cleri moribus ad veteris continentiæ frugem revocandis domi dum insistit, avocatur a Walramo Spanheimio Cruciniaci & Johanne Silvestri Dunæ comitibus ad rebellionem de novo coortis. Allectis itaque in bellum sociis, Daunam arcem cinxit obsidione, & ad cohibendos excursus duas in vicinio arces exstruxit, quarum uni a sancto Johanne vocabulum, alteri a Martini saxo imposuit. Rodulphum Palatinum Rheni, Erenbergo castro, aliisque fundis ei traditis & ingenti pecuniæ vi annumerata, clientem sibi homagii jure adstrinxit
1340. 1340; eodemque excepit Johannem Seinæ comitem clientelam profitentem. Ecclesiam Carthusianorum, quos ipse in Trevirensi civitate instituerat, consecravit in festo S. Thomæ. Postero anno comes Johannes Silvestris castrum 1341.
Velsbergium cum firmo præsidio militum insidens, Trevirorum agros incursavit: verum Balduinus ad hostem ulciscendum adulta hyeme impiger accurrit cum milite machinisque bellicis castrum oppugnaturus. Quod ubi accipit Rodulphus dux Lotharingiæ, ad Johanni vassallo suo succurrendum se accingit; sed icti cum archiepiscopo fœderis haud immemor, venit in castra & novam adversus quoscunque hostes contrahit societatem: moxque arx vi capta diruitur a Balduino, qui aliquanto post Johannem Silvestrem gratia recipit. Rerum autem gestarum magnitudine sibi tantam famam archiepiscopus comparaverat ut potentissimi reges ejus amicitiam ambirent; id comprobatur ex documento Philippi Valesii Franciæ regis, qui eum regia sua benevolentia complectitur. Vicissimque Balduinus regi profitetur, quandiu ipse vixerit, se fore bonum, fidelem, atque confœderatum amicum 17 Septembris. Johannem Brabantiæ ducem ad præstandam fidem pro marchionatu Arlunensi citavit 24 Decembris; ast illum id facere renitentem in curia parium damnari curavit
20 Martii 1342. Pontem apud Confluentiam 1342.
Mosellæ imposuit an. 1343, uti prodit æqualis 1343.
hæc inscriptio:

Condidit hunc pontem præsul Balduinus insignem
Mille trecenteno quadrageno quoque terno.

Ad cujus operis perfectionem quadraginta dies indulgentiarum eis relaxavit, qui de facultatibus suis erogassent. Adversus Saracenos Hispaniam infestantes, hortante Clemente VI,
pecuniaria subsidia contulit. Ideoque an. 1345 1345.
eam accepit remunerationem ut ovis lactariisque cibis vesci fas esset in diœcesi Trevirensi quibusque feriis sextis extra Quadragesimam. Ludovico imperatori e solio imperiali everso
significavit 24 Maii 1346 se ejus amicitiæ & 1346.
obsequio nuntium remisisse; ac paulo post, v idus Julii Rensæ non interfuit modo electioni Caroli IV marchionis Moraviæ, filii Johannis regis Bohemiæ; verum & ut alii electores illum crearent Romanorum regem multum laboravit. Pagos atque castella plurima a Bohemiæ rege pro triginta millibus aureorum florenorum oppignerata se redditurum promisit 4 Novembris, ea lege ut æs hoc Trevericæ ecclesiæ restitueretur. Diversa a præfato rege Carolo diplomata in ecclesiæ suæ gratiam apud Bonnam consecutus est 26 ejusdem mensis. Die vero 3 Decemb. regem eumdem Treviris versantem ad fidem admisit pro marchionatu de Arluno, & pro munere supremi marescalli ecclesiæ Trevirensis. Grentzaviam arcem Balduinus vi ademerat Reinardo Westerburgio ob violatam fidem. Hic autem, præfecto astu
depulso, eam rursus occupavit anno 1347. 1347.
Quo nuntio ad Confluentinos cives delato, illi ocius arma sumunt & ad repetendam arcem

ANNI CHRISTI

proficiscuntur. At in hostium insidias lapsi, A pars in custodiam abducta est, pars crudeli nece concisa. Adeo lugendo casu Balduinus vehementer perculsus sex millia florenorum mitigandi doloris ergo Confluentinis munere dedit. Ad solatium quoque cæsorum placuit anniversarium instituere unoquoque anno in parochia beatæ Mariæ feria sexta post Pascha celebrandum; atque etiam annuam supplicationem ducendam per septem ecclesias, sacrosanctam Eucharistiam seculari & regulari clero comitante. Argenteam fusilique opere cælatam divi Petri statuam, hujus Apostolorum principis dente locupletatam, eo anno majori B contulit ecclesiæ. Extremum diem cum clausisset Ludovicus Bavarus, electorum pars Eduardum III. Angliæ regem ad capessendum Germaniæ imperium invitarat. Quod ubi Carolus IV rescivit, populorum rebellionem veritus, Moguntiam, ubi tunc comitia procerum agebat, præceps deseruit, aufugitque in Sueviam. Post cujus discessum magnates Trevirensem archiepiscopum ob ejus in gerendis rebus experientiam tutorem defensoremque Germanici regni constituerunt anno
1348. 1348. Curas idcirco Balduinus non emovit a diœcesi; Wilnarienses enim cum Westerburgio dynasta fœderatos, eorum urbe obsidione capta, in potestatem redegit, Hoësolmam quoque rebelle castrum solo æquavit. C

Dira tunc tetraque pestilentia in omnes prope regiones grassabatur, adeo ut plena forent omnia timoris & luctus. Quod flagellum ut Deus averteret, generis pœnitentiæ spectaculum majoribus nostris incognitum mundo editum est. Homines nudatis corporibus per urbes vicosque scutica sese macerantes turmatim incessere; unde Flagellantium nomen eis inditum. Clemens VI pontifex veritus ne ista D religio, ecclesiasticæ disciplinæ parum consona, abiret in superstitionem, Balduino mandata
1349. misit an. 1349 ut quos hujus ineptiæ comperisset conscios, severis suppliciis coerceret. Is frustra operam poni ratus in rudibus convertendis, negotium suis magistratibus dedit ut pro imperio atque potestate in eos animadverterent. Annorum pondere jam prægravatus, ac vitæ perpetuo curarum æstu fluctuantis pertæsus, animæ suæ serio saluti cogitavit consulere. Itaque in diœcesis administratione
1350. socio sibi comparato anno 1350 Johanne Argentoratensis ecclesiæ præposito, viro in E gerendis rebus idoneo, in Chartusiam a se institutam prope Trevirim frequentius se recipiebat, atque ibi velut unus eremitarum degebat, epulis bonarum cogitationum animam saturans. Mox vero turbata est ejus solitudo: Jacobus enim dominus Moncleri cum oppidanis Trevirensibus adversus eum fœdus coivit. Ea de re certior ille factus, per amicos effecit ut Jacobus palatium archiepiscopale adiret, ubi & aliquandiu in libera custodia habitus est. Recuperata tamen domum redeundi libertate sub specie pacis, novos excitavit motus.

Balduinus, bello ei denunciato, confestimque coacto exercitu, ad obsidendum Moncleriu m proficiscitur, & arcem obsidione cingit mense Aprili 1351. Posteaquam obsessi acriter pro- 1351.
pugnaverant, salvis corporibus & quas quisque efferre posset sarcinis, sese dedidere mense Decemb. festo die S. Thomæ. Christi Natalem ingenti cum pompa archipræsul ibidem exegit, ac prope discessurus arcem, ne qua dissensionis materia resideret, dirui ac subverti voluit. Copias inde portavit trans Rhenum: atque ibi plurimas alias arces & castra vi occupavit & delevit. Oppidum quoque Hachenbergum cepit an. 1352. Quas ad Johannem Franciæ 1352.
regem Carolus imperator transmittebat Bohemicas copias per Treviros euntes, violato gentium jure, captivas in arcem Licsshemiam abduxit Gerardus* Schoneci dominus. Eam injuriam detestatus archipræsul, mox ad arcem obsidendam cum exercitu progreditur, ac protinus ad castrum patefacto aditu, Bohemorum copias vinculis exsolvit an. 1353. Eodem 1353.
anno 5 die Novembris quietis jam majorem in modum appetens cum urbe Trevirensi sexennii pepigit inducias. Nec multo post ad comitia generalia Moguntiam profectus, ibidem Christi Natale celebravit & sacrosancta Eucharistia refecit Carolum imperatorem, a quo & ipse eximiis privilegiis auctus atque ornatus est v idus Januarii 1354. Trevirim reversus v cal. Februarii adversa tentatus est valetudine; quæ cum in dies invalesceret, omnibus noxis pœnitentia rite deletis, sacrosancto Christi Corpore communitus, animam Deo reddidit XII cal. ejusdem mensis, transactis maxima cum laude in episcopatu diebus quatuor, hebdomadis sex, quadraginta sex annis. Sepultus est in choro majoris ædis, Carolo imperatore ac plurimis principibus & nobilibus funera prosequentibus. Rudes hi versiculi fuerunt ejus epitaphium.

Hic Balduinus jacet antistes Treverinus,
Magnificus, justus, patriæ lux, mente venustus,
Lutzenburg natus: septeni denique gratus
Cæsaris Henrici germanus juris amici.
Utilis ecclesiæ pater hujus, dote Sophiæ
Quam bene respexit augens, permultaque rexit.
Sex quadraginta fere simul annis, queis sibi vere
Guerra frequens crevit graviter, qua raro quievit
Vincere prædones, & castra per obsidiones.
Anno milleno C. ter L. I. ter duodeno
Carne kalendarum fuit exutus Februarum,
Quem pie rex Christe clementer ad æthera siste.

LXIX. Boëmundus II.

DE SARBRIK.

Comitum Edendorffiorum genere ortus Boëmundus, vir & annis & sapientia gravis, ex archidiacono una omnium canonicorum voce edictus est archiepiscopus anno 1354 1354.
mense Februario vigilia sancti Mathiæ. Religionis in otio conquiescere, partisque Balduini

ANNI CHRISTI

industria commodis sane perfruitus esset, ni seditiones de integro exortæ tranquillitatem turbassent. Quas suus antecessor cum Trevirensi civitate pepigerat inducias renovavit feria tertia post Inventionem S. Crucis. Suum instituit vicarium generalem fratrem Nicolaum episcopum Achonensem 10 Septembris. Cum Coloniensi ac Moguntino archiepiscopis fœdus sancivit 23 mensis ejusdem. Theodoricum abbatem Prumiensem juvamina adversus quoscunque conferre profitentem expertus est 23
1355. Januarii 1355. Accepit a Carolo imperatore litteras datas Mutinæ 28 Augusti, quibus hic princeps eum commonet de prospero negotiorum suorum in Italia successu, ipsumque simul hortatur ut pacis & tranquillitatis promotioni invigilet. Eodem anno exeunte Noribergensibus adstitit comitiis, in quibus publi-
1356. cata est IV idus Januarii 1356 celebris hæc Caroli IV imperatoris constitutio, nuncupata bulla aurea, qua modus electionis imperatorum, nec non jura, privilegia, & uniuscujusque electoris gradus statuuntur. Sanctionis hujus autographum Boëmundus secum abstulit, & in ecclesiæ suæ tabulario reposuit. Diversa etiam regia diplomata in conventu Metis celebrato consecutus est 13 Decemb. Eadem
1357. in civitate versabatur mense Januario 1357, uti patet ex ejus assensione præstita paci generali in Lotharingiæ partibus constitutæ. (Charta LXXXIX, col. 362.)
1358. Quædam hoc anno & insequenti privilegia ab imperatore obtinuit, cui & ipse reliquias S. Palmatii in Bohemiam tradidit exportandas.
1359. Duas partes vineæ emit an. 1359 ab Henrico *Bayer.* Verumtamen nobilitas Treverica Boëmundi ingenium a belli cogitationibus alienum animadvertens, fundos & arces feudi nomine possessas, contra jus fasque ceu proprias deinceps occupare constituerat. Hos ut coerceret Boëmundus, ut erat ingravescente ætate, atque impar sustinendis bellicis laboribus, Cunonem Falkensteinium canonicum Moguntinensem, virum strenuum ac ingenii dotibus præcellentem, coadjutorem sibi adsciscere decrevit. Missis igitur ad eum nuntiis, Treviros invitat, venienti consilii sui rationes exponit, dehinc ipsum cleri collegio adnumeratum summæ potestatis non cunctatur facere consortem. Summam quam de eo conceperat spem Boëmundus non fefellit Cuno. Actutum enim collectis militiæ Trevericæ copiis, castrum Vilmarianum trans Rhenum obsidione cinctum dimidio die redegit in potestatem, cepitque Philippum Isemburgium belli præcipuum autorem, cui Boëmundus libertatis ac pacis duras leges imposuit
1362. 13 Februarii 1362. Philippus tamen haud diu quietus jura Trevirensis ecclesiæ perturbare terrasque rursus invadere ausus est. Cujus audaciam causa frangendi, Cuno in eum prodiit, ac prælio devictum denuo captivum fecit. Boëmundus quoque 13 Martii ejusdem anni scripto testatus est se nullum principem ex Austriaca domo in regem Romanorum electurum. Imo ducem Austriæ citavit ut responderet coram collegio electorali super querelis adversus eum ab imperatore delatis; litteras etiam ad eumdem ducem dedit rogans ut desisteret a divexando patriarcha Aquileiæ principe imperii 23 Martii. Cum pacem diœcesi Cuno peperisset, gratulatus sibi plurimum Boëmundus de tam prospero rerum eventu, senecta & valetudine laborans pontificatu sese abdicare serio cogitavit. Adhibito itaque in consilium primario clero, nuncios ad Innocentium VI Avenionem misit postulatum ut Cunonem ecclesiæ Trevirensi coadjutorem sufficeret. Pontifex ergo Pragensi & Argentinensi præsulibus id provinciæ imposuit ut Cunonis morum integritatem & doctrinam explorarent. Quem cum ad id gerendum munus aptum ex eorum litteris didicisset Innocentius, Boëmundo vacationem tribuens, litteras autoritatis cum pallio ad Cunonem transmisit. Eo nuncio Boëmundus mirifice recreatus, Cunonem in arce Petersecа initiari curavit, indeque in castrum Saraburgum se recepit pietatis exercitiis vacandi gratia quam plurimis rebus ad victum a Cunone acceptis. Obiit autem an. 1367 die 10 Januarii; advectusque Trevirim a Cunone magnifico funere tumulatur in sepulchro juxta odeum primariæ ædis erecto cum hac inscriptione: *Hic jacet dominus Boëmundus secundus archiepiscopus Trevirensis, qui obiit anno Domini M. CCCLXVII, die X mensis Februarii. Anima ejus requiescat in pace. Amen.*

LXX. Cuno.

DE FALKENSTEIN.

Natus est Cuno anno 1320 patre toparcha *de Falkenstein*, matre vero Johanna comitis Saranverdæ filia. Duos fratres habuit, Philippum nempe natu majorem & Johannem natu minimum, quicum Moguntiæ canonicorum principi collegio adscriptus est. Cum ad res agendas & ad militaria studia Cuno accurate animum appulisset, ab Henrico Moguntinensi archipræsule, vacillante ejus diœcesis statu, in curarum omnium atque consiliorum societatem allectus, facinora certe edidit egregia, quæ nomen ejus adeo commendarunt, ut ipsum coadjutorem Boëmundus habere voluerit. Hæc in Gestis Trevirensium archiepiscoporum eo modo referuntur: « Dominus Boëmundus magnis periculis involutus, cum « prudentia utilissima remedia cogitando quid « faciendum esset contra tot oppugnantia & « resistentia, quia senio aggravatus esset & viribus « deficientibus deficeret, & incidit sibi consilium « bonum. Recordatus qualiter honorabilis Cuno « *de Falkenstein* Moguntinam ecclesiam rexit, « protexit & defensavit, ut ipsum haberet in « coadjutorem maxime desideravit, & cum « communi consilio capituli Trevirensis ipsum « advocare disposuit, quod & fecit. Vocavit & « petivit ut Trevirim veniret, quia secum de « negotiis arduis tractare vellet. Ipsum primo « in canonicum elegit, & postmodum dominus « Cuno audiens tot & tanta perfidiæ incitamenta « (Marten. Amplis. collect. t. IV, col. 428.)

ANNI CHRISTI. » contra sanctam ecclesiam Trevirensem, animo
» motus spopondit fidelia coadjutoralia defen-
» sionis præstare, Deo juvante, juvamina, quod
» & fecit. » Cooptatus autem Cuno an. 1361
in coadjutorem, consecrationem obtinuisse
creditur an. 1362, quo quidem anno integram
diœcesis administrationem nactus fuisse vide-
tur ex pluribus documentis; quarta siquidem
parte comitatus Deziensis a Gerardo comite
donatus est 13 Junii, transactionemque iniit
30 Septembris cum Trevirensibus oppidanis.
Insequenti anno Willelmum in locum Wer-
neri abbatis S. Martini Trevirensis ob vale-
tudinem & senectam moderandæ disciplinæ
imparis suffecit; eodemque 15 Septembris
commisit Florencio *de Winelchonen* atque Rul-
mano *de Sintzig* administrationem ecclesiæ
Coloniensis, quam & ipse ab Adolpho jam
ante susceperat. Quod sic narratur in Gestis
Trevirensium archiepiscoporum: « * Ludolfus
» de Marca archiepiscopus Coloniensis cum suo
» capitulo videns se & suam diœcesim multis
» debitis & diversis gravationibus aggravatum,
» cogitavit communi consilio, qua ordinatione
» posset ecclesiam Coloniensem ab omnibus
» incommodis liberare. Cum suo capitulo com-
» muniter ad memoriam revocarunt qualiter
» honorabilis Cuno archiepiscopus Trevirensis
» ecclesiam Moguntinensem ac Trevirensem
» defensasset, gubernasset, rebus & honoribus
» ampliasset, ipsum in coadjutorem domini Lu-
» dolphi unanimiter convocaverunt. Dominus
» vero Cuno motus pietate id domino Boë-
» mundo insinuavit, & ejus consilio coadjuto-
» riam episcopatus Coloniensis cum gratiarum
» actione accepit, cui dominus Boëmundus
» congaudebat quod suum electum etiam alii
» præeligerent. Factus ergo coadjutor domini
» Coloniensis ecclesiam a debitis absolvit, ac
» potentia rexit & utiliter gubernavit. Nam
» comitatum in *Arnszberg* ecclesiæ emit; om-
» nes circumjacentes duces, comites, dominos,
» nobiles rebellantes expugnavit, raptores dam-
» navit. Civitatem Coloniensem rebellantem &
» juribus ecclesiæ injuriantem ad satisfactionem
» compulit. Cives in Andernachum contra epis-
» copum repugnantes expugnavit; judicio in
» civitate personaliter præsedit, reos capitali
» sententia damnavit. »

* *Aliis* Adolphus. *Marten. Ampliss. collect. tom. IV, p. 430.*

Porro senatus populusque Trevirensis in
suum archipræsulem insurgens, dominatum
Mosellæ fluminis ei adimere, legesque muni-
cipales contra clericorum libertatem condere
ausus est. At Cuno, cum duce Luxemburgensi
1364. sancito fœdere anno 1364, 9 Junii, vias &
aditus ad urbem terra flumineque præcludit,
atque cives seu hostiliter erumpentes, seu
temere urbem egressos comprehendi & in
custodiam abduci jubet. Cives vero ne funditus
interirent, Cunoni se subdiderunt sub ea lege
ut Carolus imperator omnium controversiarum
arbiter reciperetur. Re mature deliberata, prin-
ceps pro tribunali sedens in gratiam Cunonis
Pragæ sententiam emisit mense Decembri
ejusdem anni feria 2 proxima post Natalem ANNI CHRISTI
Domini. Veritus pontifex ne dux Lotharingiæ
Trevirensibus fœdere junctus diœcesi bellum
inferret, judicii imperialis integram exsecu-
tionem non exegit, sed nova transactione
statutum fuit 16 Junii 1365 ut civitas archi- 1365.
episcopum ejusque successores justum obtinere
imperium tam ecclesiasticarum quam civilium
rerum profiteretur, neve auderet prohibere
navigationem in Mosella. Engilberto Colo-
niensi archiepiscopo adversus Andernacenses
oppidanos opem pollicitus est 23 Aprilis
1366. Decessori suo Boëmundo ad vitam 1366.
sustentandam in annos singulos attribuit du-
cenos modios tritici, tercentenos siliginis, vini
Rhenani plaustra vicena, tricenta Mosellana,
sexque millia aureorum Florentinæ monetæ
12 Januarii 1367. Sub eumdem mensem, 1367.
die vero 22 Cunoni, qua Coloniensis ecclesiæ
administratori, secreta seu occulta jurisdictio
in ducatu Westphaliæ & Angariæ commissa
est ab Engilberto archipræsule; post cujus
mortem subsequenti anno obventam Colo- 1368.
niensem archiepiscopatum sibi a clero delatum
recusavit, reservata tantummodo hujusce ec-
clesiæ administratione, usque dum ipsa digno
pastore provideretur. Suas tamen vires tanto
oneri nequaquam sufficere animadvertens,
Agrippinensis ecclesiæ abdicato gubernaculo,
Fridericum Saraverdæ comitem, suum ex
sorore nepotem, ad Coloniensem archiepisco-
patum efferri curavit an. 1370. Administrator 1370.
itidem monasterii sancti Maximini sivit ut Ch. XCI, col. 363.
unus monachus ex parte conventus annuis
placitis interforet. Cum archiepiscopo Mogun-
tino & comite Palatino Rheni concordiam
iniit de teloniis Rheni intra decennium non
augendis 20 Martii 1370. In Moguntinum
etiam archiepiscopum electus anno 1371, 1371.
amplissimum id sacerdotium recusavit. Adol-
pho Nassovio Nemetum præsuli ad rebelles
comprimendos Spiram misit auxilia 1372. 1372.
Quo quidem anno 31 Martii sponsionem
auxilii contra ducem Juliacensem ab impera-
tore Carolo accepit. Plurima ab eodem diplo-
mata impetravit 11 Novembris 1374. Regiæ 1374.
majestatis insignia Cæsar in Venceslaum filium
transmittere ardenter exoptabat; septem itaque
electores coegit in hortis Renssianis, a quibus
Venceslaum regem Romanorum salutari fategit
calendis Maii 1376. Inde discessum est Bacha- 1376.
racum, ubi Cuno omnia ecclesiæ suæ privilegia
ac immunitates fecit roborari XI cal. Junii;
obtinuit etiam ultima die Maii ut Prumiensis
abbatia adunata foret ecclesiæ Trevirensi.
Dominium directum castri *Hammerstein* per-
petuo habendum consecutus est 8 Julii. Lum-
bardis mercatoribus 27 Decembris indulsit
privilegium. Wesaliæ & Boppardiæ civitatum
oppignerationem nactus est 31 Maii 1377. 1377.
Superiore anno fœdus sanxerat cum Johanne
Lotharingiæ duce, cujus studio & opera oppor-
tune usus est mense Julio ut Trevirensium
animos sibi infensos mitigaret. Pacificationis

ANNI CHRISTI autem hujus leges ei fuere adeo detrimentosæ, tantumque dolorem & molestiam attulere, ut urbem deinceps commorandi causa nunquam subierit. Johanni Seinæ comiti ejusque liberis
1378. in feudum tradidit 31 Martii 1378 castrum Freusbergium. Eum inter & imperatorem & plerosque Germaniæ principes statutum est
1379. 27 Februarii 1379 ut in sede Romana Urbanus VI adversus Clementem antipapam firmaretur. Arcem Schonecum sibi suisque successoribus, magna pecuniæ vi numerata,
1387. a Vinceslao imperatore acquisivit an. 1387. Amicitiam quoque ducis Lotharingiæ, quo cuncta domi pacata haberet, mutuo argento sibi conciliavit. Pace tandem & ubertate diœcesi procreata, gravis jam senio reliquum vitæ ad decessoris exemplum in otio statuit exigere, cœpitque serio cogitare cui idoneo viro committeret episcopatum. Rebus omnibus rite consideratis, Wernerum suum ex filia fratris sui Philippi nepotem cooptare placuit. Quocirca Johannem Linssium Romam misit delatum litteras ad Urbanum, qui ubi optimos Werneri mores scientiamque cognovit, eum archiepiscopum fore pronunciavit. Clerus tamen primarius, quo inscio, Wernerus fuerat promotus, Cunoni succensuit quod id, extenuato suffragiorum jure, gestum fuisset. At Cuno, monstrata boni publici causa, hunc obicem mox superavit. Haud diu post pontificatus cessionem in arce Welmichia naturæ debitum solvit 21 Maii 1388, humatusque est Confluentiæ in æde S. Castoris læva chori parte juxta aram maximam, ubi cernitur ejus sepulchrum his incisum versibus:

Præsulis eximii jacet hic corpus venerandum
Cunonis, geniti per Falkenstein decorandum
Grande genus. Superis hunc pie junge deus.
Obiit anno Domini M. CCCLXXXVIII *die* XXI *Maii.*

DE CONIGSTEIN.

LXXI. Wernerus.

Superioris ex filia Philippi fratris ejus nepos Wernerus, Trevirensis archidiaconus, præpositus S. Florini Confluentiæ, sanctique Paulini apud Treviros, per cessionem avunculi posses-
1388. sionem adeptus est ineunte anno 1388; promotionem vero ad sacrum ordinem presbyteratus atque consecrationem mense Septemb. ejusdem anni. Archiepiscopale munus vix erat ingressus, cum diversis curis est exagitatus: Philippus enim Falkensteinius nepos & pupillus Cunonis, atque Fridericus Coloniensis archipræsul in ipsius Philippi tutelæ, Agrippinensisque ecclesiæ administratione Cunonem ad proprios usus plurima convertisse asserebant, atque Vernerum ad edendas rationes adigere volebant. Verum is clarum testatumque fecit Cunonem neque Philippo, neque ecclesiæ Coloniensi fuisse ullatenus obligatum. Rupertum Nassovium Hadamariæ dominum in Molsbergi dynastiam ultra Rhenum infestis populationibus grassantem repressit, auxiliante Adolpho Nassovio, qui operam bello se archipræsuli navaturum promisit 16 Novemb. Obsidionem admotam ante castrum Wesaliæ Wernerus extraxit in integrum annum 1389. Friderico Coloniensi 1389.
archiepiscopo an. 1391 suppetias tulit adversus 1391.
comitem a Marcha. Rupertum *de Honecke* archidiaconum ad obsequium admisit ratione unius castri an. 1393. In fœderis leges coivit 1393.
an. 1394, 22 Maii cum Carolo Lotharingiæ 1394.
duce. Johannem comitem Nassovii pollicentem se nil incommodo archiepiscopi acturum, nisi prius restitutis mille & quadringentis florenis, benigne excepit 25 Januarii 1395. Fœdus 1395.
in quadriennium sancivit an. 1396, 15 Junii 1396.
cum Friderico Agrippinensi antistite. Recepit etiam 17 Augusti cives Trevirenses in suam protectionem. Mos & antiqua consuetudo vigebat in diœcesi ut archiepiscopus clericorum defunctorum hereditatem adiret. Wernerus privatæ utilitatis neglectu hanc legem, ab ipso pontifice Bonifacio IX improbatam, rescidit
6 Februarii 1398, atque pro damni compen- 1398.
satione proventus & usumfructum primi anni omnium sacerdotiorum in tota diœcesi vacantium impetravit ab eodem pontifice, cujus mandato Prumiensis abbatia ab archiepiscopali
mensa distracta est 1399. Quo quidem anno 1399.
metropolitanum capitulum petiit ut Wernero mentis impoti Fredericus Trajectensis episcopus daretur coadjutor. Statuta de scabinatu Trevirensis urbis Wernerus condidit 25 Augusti
1400. Ignavi principatus Vinceslai electores 1400.
pertæsi, eo anno in ipsius locum suffecerunt Rupertum Palatinum Rheni, quem diadematis honore insigniendum archipræsul noster cum procerum nobili comitatu Coloniam deduxit
an. 1401, qua de re plura habet documenta 1401.
Martenius Amplis. collect. tom. IV, p. 7 & seqq. ubi Wernerus sæpe memoratur. Telonii sedem, quam supra Confluentes in oppidulo Capella fixerant ejus decessores, illinc in oppidum *Engers* infra Confluentes ab avunculo Cunone præclaris operibus excultum transtulit
anno 1402, atque hinc sui nominis Werner- 1402.
secum arcem a fundamentis inchoatam exstruxit. Wernerum adhuc infirmitate fuisse depressum comperimus ex duobus documentis Ruperti imperatoris de subrogando ei successore cum capitulo agentis, præsertim ex eo quod morbus archiepiscopi magis ac magis ingravesceret. Nihilominus pactum societatis scivit 1
Aprilis 1406 cum duce Lotharingiæ. Ludovici 1406.
ducis Aurelianensis exstant litteræ datæ 22 Junii quibus ipse profitetur se Wernero fidelitatem debere ratione ducatus Luxemburgensis. Ar-
biter assumtus est 11 Maii 1407 super dotalitio 1407.
affinis suæ Elsæ *de Falkenstein*. Feudorum possessionem seu investituram a Ruperto Roma-
norum rege obtinuit an. 1408. Transactionem 1408.
iniit an. 1409 cum Coloniensi archiepiscopo. 1409.
Francofurti comitiis de eligendo imperatore
coactis adstitit an. 1410 mense Septembri, 1410.
atque in Sigismundum Hungariæ regem cum majori parte electorum suffragium tulit. Feudum

ANNI CHRISTI

Dapiferatus ecclesiæ Trevirensis Friderico de
1411. Brandeburgo attribuit 6 Aprilis 1411. Pac-
1413. tionem confecit 25 Maii 1413 cum electo-
ribus Moguntino, Coloniensi & Palatino.
1414. Adstitit anno 1414 die 8 Novembris coro-
Rymer, t. IX. nationi Sigismundi Romanorum regis Aquis-
p. 175. Ch. XCII, grani, ubi & ejusdem regis litteris subscripsit.
col. 363. Willelmum Ascalonensem episcopum vicarium
1416. suum instituit 12 Aprilis 1416 ob infirmam
valetudinem Conradi episcopi Azotensis. Pro-
1417. vinciam eamdem anno 1417, 8 Januarii
demandavit Simoni-Mathiæ de Boppardia præ-
posito ecclesiæ S. Simeonis. Dotem assignavit
17 Martii hujus anni ex subsidio monasterii
Dierstein cuidam moniali ibidem religionem
professuræ. Sponsionem indemnitatis ab impe-
ratore Sigismundo 13 Maii excepit ratione
initi cum Angliæ rege adversus Gallos fœderis.
Binas eodem anno compositiones sancivit cum
electoribus Rheni, aliisque Germaniæ princi-
pibus die 2 Augusti & Decembris. Dum vero
adversus cives Colonienses, qui denuo a Theo-
dorico archipræsule defecerant, bellum gerit,
exstinguitur in arce Burenbergia 4 Octobris
1418, post se relinquens, ut vult actorum ejus
scriptor, archiepiscopatum, quem opimum &
rebus omnibus affluentem capessiverat, egen-
tem pene & vacuum. Tumulus ei Confluentiæ
in æde sancti Castoris exadversum avunculi
Cunonis sepulchro erigitur cum ea inscriptione:
Hic requiescit D. Wernerus de Koevinstein *archi-
episcopus Trevirensis, qui obiit anno Domini
M. CCCCXVIII, quarta mensis Octobris.*

De Zingenheim.

LXXII. Otto.

Effluxis ab obitu Werneri octo diebus, una
1418. voce electus est 13 Octobris 1418 Otto
majoris ecclesiæ præpositus, clara comitum *de
Zingenheim* stirpe procreatus, qui a decessore
ad Constantiense concilium deputatus fuerat.
Vir ille magna morum innocentia ac digni-
tatum contemptione cum primitivæ ecclesiæ
episcopis sane comparandus, adeo metuendum
onus non accepit, nisi posteaquam ingentem
vim lacrymarum profuderat. Pontificatus in-
gressu Coloniam ad sedandas discordias inter
cives & archiepiscopum profectus, pacem
constituit. Domum inde reversus Judæos
depulsit ab urbe Trevirensi cæterisque locis
suæ ditionis. Honorem pallii a Martino V
pontifice consecutus, se inaugurari curavit a
Johanne *de Fleckeinstein* Wormatiensi & Jo-
hanne *de Sarepont* Virdunensi præsulibus anno
1419. 1419 ineunte. Eodem anno Dominica *Lætare*
magno principum ac procerum Germaniæ
comitatu circumdatus solemniter urbem subiit.
Auspiciis adeo secundis episcopatum aggressus,
nihil ei magis fuit cordi, quam vitæ inculpatæ
præberet exemplum. Itaque durissimam rigi-
damque cœpit agere vitam; famem frequenter
frigidæ aquæ potu & solo pane toto triduo
tolerabat, & corpusculum quotidiano premebat
cilicio. Precibus atque contemplationi ita de-
ditus fuit ut noctes sæpe totas insomnis ageret.

A Animum ab avaritiæ sordibus habuit alienis-
simum, pauperesque singulari amore prosecutus
est; & quanquam Johannem de Monte Azo-
tensem episcopum in pontificio munere ob-
eundo haberet vicarium, ipse tamen ordina-
tiones, ecclesiarum consecrationes, aliaque
muneris sui onera rite exequebatur. Arnoldum
de Kethge ad clientelæ professionem admisit
ipso anno 1419, 27 Maii. Eodemque 28
Julii cives oppidi Monthaborini ab ulteriore
exactione exoneravit, modo quotannis hi
solverent 800 florenos. Assensum præbuit
6 Maii 1420 ut filiæ Richardi *de Eltz* defectu 1420.
B masculorum in feudo succederent. Ingentem
militum turmam eo anno adversus Hussitas
hæreticos in Bohemiam deduxit, nec multo
post Uratislaviam Sigismundum imperatorem
convenit, a quo investitus & regiis mune-
ribus cultus est. Ubi diœcesi suæ redditus est,
curas fixit ut ordinem monasticum, uti statuerat
Constantiense concilium, ad priscum vivendi
ritum componeret. Hoc in opere adjutorem
sibi adlegit Johannem *Rode* Carthusianum,
quem invitum, adnuente Martino V, abbatem
S. Mathiæ in locum Herbrandi *de Gluse* suf-
fecit an. 1421. Leges a prætore & scabinis 1421.
C Trevirensibus in posterum colendas constituit
6 Junii 1422. Concilium provinciale habuit 1422.
26 Aprilis 1423, in quo eximia condidit 1423.
statuta ut corruptam cleri vitæ rationem emen-
daret, Hussitarumque contagionem a grege
suo dimoveret. Eum inter & Rheni electores
statutum fuit 22 Aprilis ejusdem anni ut,
cum propter causas aliquas ipsi convenirent,
de aliis non ageretur ante discussionem cau-
sarum hujusmodi. Castrum *Kempenich* festo
S. Michaëlis 1424 obsidione cinctum suam 1424.
in potestatem redegit, arcemque Wasserbil-
lichum mox solo æquavit. Insequente anno 1425.
D Jerosolymam adeundi desiderio captus, paucis
ad illud iter comitibus adhibitis, in viam se
dedit, cunctaque ibi summa cum veneratione
loca sancta invisit, & pretiosissima donaria
attribuit ecclesiæ S. Sepulchri. Unde domum
sospes redux medio circiter Octobri suas omnes
adhibuit curas ut leges, quas in concilio
provinciali sanciverat de reformatione cleri,
observarentur. Adorsus primum est canonicos
primariæ ædis, ex quibus plerique ab omni
emendatione prorsus alieni ei adeo succensuere,
ut vim potentium amicorum opponere atque
E hostilia adversus illum induere minitati fuerint.
Incœpto destitit ad tempus at non reliquit
archipræsul, eam ob causam accersito Henrico
Vintoniensi cardinale sedis apostolicæ legato,
qui quidem in arduum id negotium frustra
operam impendit an. 1426. Res eo venere 1426.
ut canonici, thesauris ecclesiæ & Sanctorum
reliquiis clam exportatis, isthæc omnia efferre,
ac urbem & ecclesiam deserere pararent. Quo
consilio detecto, quindecim dies omnes civi-
tatis portas obserari jussit Otto, qui omni eos
ad vitæ normam reducendi spe amissa, ad
arbitrium vivere sivit. Felicior non fuit anno

ANNI CHRISTI 1427. sequenti in disciplina regulari inducenda in monasterium sancti Maximini; tantam enim pervicaciam in abbate & plerisque monachis reperit ut infectum opus relinquere fuerit adactus. Magna suæ ecclesiæ possessiones cura conservavit: domicilium antistitum a Wernero Witelichii incohatum opere perfecit, adeoque ab illius nomine Ottensteinium hodie vocabulum retinet. Suburbium quoque Confluentiæ juxta pontem Balduini, quod vetustate neglectum conciderat, novis tectis instaurari sategit. Divini atque B. Mariæ virginis cultus ergo sovendi quasdam fundationes in æde majori confecit. Tandem transactis annis undecim, mensibus quatuor innocentissime in pontificatu, calculi morbo tentatus obiit 13 Februarii 1430 Confluentiæ; unde Trevirim reportatus, in cathedrali ante Deiparæ virginis altare sepulturam habuit eo epitaphio donatus: *Anno M. CCCCXXIX, die XIII Februarii obiit reverendissimus in Christo pater & dominus D. Otto* de Ziegenhaim *S. Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus, humilitatis exemplar, ecclesiæ reformationis zelator, justitiæ, veritatis & pacis plantator, eleemosynarum largus dator, cujus anima requiescat in pace.*

LXXIII. RABANUS.

DE HELMSTAT al. D'HELMSTAD.

Ottonis post mortem canonici in comitiis congregati 27 Februarii 1430 de eligendo successore convenire nequiverunt. Poscebat maxima pars Jacobum *de Sirk* sedis apostolicæ protonotarium, præpositum Herbipolensem & Trevirensis ecclesiæ scholasticum. Pars altera exoptabat Udalricum *de Manderscheit* Agrippinensis ecclesiæ majorem decanum. Hic præcipua gratia & auxilio magnatum & propinquorum fretus arces, munitionesque archiepiscopatus præripuit. At Jacobus jure quam armis maluit disceptare. Ambo itaque post Pascha feriis Rogationum Romam adiere Martinum summum pontificem, qui utriusque electionem irritam pronuntiavit. Jacobus papæ judicio paruit; sed Udalricus Roma redux severis blanda miscendo plurimos majoris ecclesiæ canonicos pellexit, qui eum archiepiscopum & dominum professi sunt. Itum dehinc est ad municipium Coberinum, ubi tutoris ac defensoris nomen ei delatum fuit; tertius quoque cœtus illum archipræsulem rite electum Confluentiæ renuntiavit. Nihilominus pontifex ut Udalrici prava consilia immoderatosque conatus cohiberet, Rabanum Spirensem episcopum, virum annis & prudentia
1430. gravem, archiepiscopum instituit anno 1430 exeunte. Hic dum Ratisbonam jura regalia a Sigismundo imperatore pergit adeptum, Udalricus nihil non molitur ut Trevirensem urbem vi occupet, suamque in ditionem redigat. Quod cum facere nequivisset, cœpit terra fluminibusque civium commercia prohibere, avertere merces, fortunasque ingenti civitatis damno deterere. Interea Roma allatæ sunt litteræ, quibus Eugenius pontifex III monebat ne ullus præter Rabanum Spirensem episcopum admitteretur. Summi pontificis vestigia premens & ipse Rabanus feria sexta ante Dominicam Palmarum 1432 edicta proposuit 1432.
minacia, quibus factionem Udalrici ferebat excommunicatam. Cives vero Trevirenses, qui neutram partem secuti erant, his edictis non comprehensi fuere. Inter clericos sanior ac maxima pars divinis rebus faciundis supersedit. Asseclæ autem Udalrici a sacris mysteriis abstinere neglexerunt. Per hosce dies civitas post magna ab Udalrico accepta damna legatos ad Rabanum misit rogatum suppetias ad belli vastitatisque injuriam sustinendam. Neque defuit Rabanus afflictis tum sua causa civibus, submisso Johanne ab *Oissengen* cum ducentorum viginti equitum agmine. Patres tamen concilii Basileensis, ad quos cives & canonici Trevirenses litteras questuum & doloris plenissimas miserant 18 Januarii & 11 Martii 1433, nihil neglexere ut Udalricum ad pacis conditiones adducerent. Aliquandiu acquiescere visus est, sed mox integrato bello, urbem dolo capere nititur. Verumtamen Rabanus anno 1433 mense Julio exeunte Trevirim 1433.
valido nobilium equitum robore solemni pompa ingressus est, atque sexto ex quo advenerat die abiit. In Confluentinam quoque urbem a magistratibus susceptus est anno 1434, 1434.
inconsulta plebe; quæ a factione Udalrici concitata furere cœpit. Is animadverso tumultu fugam arripuit; sed promissis ac precibus senatorum devinctus postridie in urbem rediit, ab oppidanis ad obsequium reversis fidem accepturus. Concilium etiam Basileense anno 1435 in ejus gratiam sententiam tulit, exauctoravitque Udalricum, qui mox Romam ad 1435.
summum pontificem iter aggressus, apud Turegum in Germania interiit an. 1436, quo 1436.
Rabanus 4 die Junii plurima castra oppigneravit Arnoldo *de Syrck*. Litteras commendatitias in gratiam Nicolai de Cusa suscepit anno 1438, 12 Augusti a Johanne cardinale sancti 1438.
Petri. Quoniam autem annorum pondere jam erat gravatus, coadjutorem eo anno sibi adscivit Johannem *de Hinsberg* episcopum Leodiensem, ac Spiræ degere perrexit, utramque ecclesiam ære alieno non cessans obruere. Gratia tamen Jacobi *de Syrck*, cui suffragiorum pars non exigua jam antea obvenerat, acceptis sexaginta aureorum millibus, totidemque Leodiensi episcopo coadjutori indultis, ut is quoque cederet, ab archiepiscopatu se abdicavit anno 1439: eodemque 4 Novembris vivere desiit, postquam pontificatum novem annos in magna rerum perturbatione rexisset. Funeratus Spiræ in æde maxima.

LXXIV. JACOBUS I.

DE SIRCK.

Quanquam a majori parte capituli ecclesiæ Trevirensis archipræsul post obitum Ottonis electus Jacobus, ubi exclusionis sententia a sancta sede edicta est, extemplo ac lubenti animo de episcopatu destitit, atque volente

ANNI CHRISTI pontifice Eugenio IV pensionem duorum millium florenorum auri, obtemperationis suæ præmium, assecutus est ex mensa archiepiscopali. Per cessionem antecessoris & comprobationem Romani pontificis ad summi magistratus apicem evectus, inunctionem ac-
1439. cepit 11 Septembris 1439. Nobili & antiquo genere exortus, ingenio fuit solerti & sagacissimo, memoriaque adeo incredibili præditus, ut diversis nonnunquam actuariis in diversa negotiorum tractatione absque ulla confusione dictaret. Episcopatus sui initio omnes vertit curas ut ecclesiasticum ordinem, qui urbem ob molestiam & egestatem deseruerat, accerseret ac civibus reconciliaret. Missus anno
1440. 1440 ab electorum collegio ad Fridericum Austriæ ducem nuntiatum ei promotionem ad imperium. Concilii Basileensis litteras accepit
1441. 25 Martii 1441 de Ludovico & Johanne cardinalibus ad Moguntinensia comitia admittendis. Compromissum fecit 4 Novemb. cum pluribus nobilibus viris in manibus Fri-
1442. derici comitis *de Moerse*. Postero anno duo ab imperatore Friderico privilegia impetravit diebus 17 & 27 Augusti. Statuta de Consulibus & judicio civili urbis Trevirensis condidit
1443. 2 Januarii 1443. Amedeo duci Sabaudiæ a Basileensi concilio in papam, sub nomine Felicis, cooptato cum adhæsisset, eam obtinuit remunerationem 14 Martii ut decem millia florenorum auri super decimis & exactionibus Saxoniæ perciperet. Fœdera cum Carolo VII
1444. Franciæ rege sancivit 1444 diebus 13 & 23 Februarii. Alias etiam plurimas iniit compositiones anno eodem. Excommunicationis fulmine itemque depositionis sententia cum Theodorico Coloniensi tanquam hæreticus & schismaticus percussus fuit ab Eugenio IV 9
1445. Februarii 1445. Unde plurimi diœcesis magnates, atque pars cleri majoris ecclesiæ in illum conspirandi sumserunt occasionem, quos reprimere nec cunctatus est. Comitiis Franco-
1446. furti coactis adstitit calendis Septemb. 1446, atque cum principibus imperii ac præsulibus censuit abjiciendum esse ducem Amedeum, nuncupatum Felicem, tanquam pseudopontificem, conciliumque Basileense destituendum. Quo nuncio ad patres delato, litteras nonis Decembris Jacobo dedere rogantes ut viros doctos Basileam mitteret ergo continuandæ synodi. Id peragere cum detrectasset, animum Eugenii sibi reconciliavit, pontificiaque damnatione ab ipso absolutus est nonis Februarii
1447. 1447; quin & ut exitiosum universæ ecclesiæ schisma tolleretur totum se dedit. Romam, itineris socio sibi adhibito Conrado Metensi præsule, ad jubilæum centum quadraginta
1450. equitum agmine circumdatus petiit an. 1450. Nicolai pontificis V auram pariter & gratiam assecutus, obtinuit prærogativam ante patronos nomen edendi sacerdotiis vacantibus; parochialis ecclesiæ *de Creuzenach* proventibus ob diœcesis debita perfruendi; Metensemque ecclesiam, si ipsam vacare contigerit, com-

A mendæ titulo possidendi. Insuper eam impetravit facultatem ut eligeret confessarium, qui ipsum ab omnibus casibus valeret absolvere; atque demum privilegium utendi altari portatili. Hubertum Azotensem episcopum adlegit suffraganeum 6 Febr. 1451. Eodem circiter 1451.
tempore canonicis B. Castoris Confluentiæ saluberrimas vitæ morumque præscripsit institutiones; Franciscanos etiam urbis ejusdem ad primigeniam vitæ normam reduxit. Plurimorum nobilium rebellantium repressit contumaciam, emersoque Moguntinum archipræsulem inter & comitem Palatinum bello
B finem imposuit anno 1454. Universitatis 1454.
in civitate Trevirensi erigendæ licentiam est adeptus IV nonas Februarii ejusdem anni. Circa festum Epiphaniæ an. 1455 Novam 1455.
Austriæ oppidum se contulit ad generalem conventum expeditionem adversus Turcas parandi causa, ibidemque ecclesiæ suæ privilegia ac possessiones imperiali autoritate roborari sategit. Viennam inde accedens clientelare Ch. XCIII, col. 364.
obsequium Ladislai Bohemiæ & Hungariæ regis accepit pro marchionatu de Arluno 15 Martii. Conductum ad decem annos in archiepiscopatu Trevirensi Moguntinis addixit eo-
C dem anno 16 Octob. Dum omnia molitur ut obtineat administrationem Metensis ecclesiæ, quam Conradus *Buyer* episcopus, ejusque avunculus, annis & infirmitatibus pressus dimittere statuerat, sub festum sancti Michaëlis delabitur in morbum; quo per Autumnum augescente, Palatioli prope Trevirim apoplexia correptus finem vivendi fecit 28 Maii 1456. 1456.
Qui de Jacobo dixere, eum vafro tectoque ingenio fuisse aiunt, sermone quidem familiari tam obscuro de industria usum ut nullus domesticorum assequeretur quid vellet. Raro,
D addunt illi, munera dignitatesque, nisi accepta pecunia, deferebat. Ingentes argenti summas extorsit a subditis ut propinquis erogaret. Has tamen vitæ humanæ quoquo pacto obliteravit labes: quippe sacrosancta mysteria veneranter tractabat, omnia muneris sui officia rite vigilanterque obibat. Recti ordinis studiosus in multa monasteria ac in collegiatas ecclesias disciplinam induxit. Parthenonem S. Magdalenæ Trevericæ urbis sanctimonialibus sanctæ Claræ strictioris observantiæ tradidit inhabitandum. Canonicis regularibus Confluentiam accitis habitaculum tradidit in insula Rheni
E infra urbem, quibus & ecclesiam Everardi-Clusæ ob crebra miracula jam tum illustrem commisit. Defunctus anno 1456 post Pascha, sepulturæ mandatus est in basilica B. Mariæ prope majorem ædem, ante maximum altare, posito ei monumento saxeo, cui hæc horrida atque barbara metrice inscribitur epigraphe:

Trevir Sirk Jacobus vim præsul origine passus
Sublimior tumba, subrodor en anguibus umbra.
Hostes compegi, procerum consulta redegi.
Clerum zelavi, discordes pace beavi.

Cæsar,

ANNI CHRISTI *Cæsar, apex, Galle, ficulum, rex, rem fcis, Itale Palladiis, Trebatum nequiit temerarius aufum. Germano, Pallatiolo Labafco fepulchro.*

DE BADE. LXXV. JOHANNES II.

Jacobi Badenfis marchionis ex Margarita a Lotharingia filius Johannes, canonicis a fe diffentientibus, per compromiffum electus eft
1456. 21 Junii 1456, annos maxime natus viginti duos. Erat in eo rara indoles & magna morum fuavitas, tantumque confiliis & agendi folertia valebat ut de eo non nifi magna & fumma quifque fibi promitteret. Quamprimum fublimis in altare attollitur, exultante majori faniorique parte capituli, maxime vero fed incaffum renitente Diethero *d'Ifembourg* competitore, qui Johannis famæ labem inurere enixus eft, ut pontificem a pallio bullifque ei concedendis avocaret. At Callistus III nullo Dietheri habito refpectu, non epifcopatu modo eum, uti ducem Johannem de Bavaria, filium ducis Stephani, a decano, fcholaftico aliifque duobus canonicis ab urbe abfentibus, difcordibufque cum archiepifcopo, capitulo & ipfa civitate electum circa feftum S. Johannis-Baptiftæ in æftate, patrocinioque Burgundiæ ducis fretum, feclufit; verum & Johannem Badenfem in poffeffione tutatus eft, bullis ac pallio fefto die SS. Crifpini & Crifpiniani ad eum tranfmiffis. Johannem *de Krieckenberg* ejufque filium ad clientelare obfequium ad-
1457. mifit 4. Martii 1457: eodemque 27 Maii fancito inter principes Electores fœderi nomen dedit. Specialem cum Colonienfi Electore
1458. iniit focietatem 12 Januarii 1458: quo Viennam cum delecta procerum manu profectus, antiqua ecclefiæ fuæ privilegia a Friderico imperatore firmanda augendaque fategit 5 Junii. Comitantibus finitimæ regionis lectiffimis proceribus atque clientibus, fummo appa-
1460. ratu urbem eft ingreffus anno 1460 die 10 Maii ante Dominicam *Cantate.* Sanctimoniales parthenonis fanctæ Agnetis ad difciplinam regularem reductas prioris de Everardi-Clufa gubernaculo fubdidit 1 Septembris. Pactionem
1461. confecit 22 Junii 1461 cum Gerhardo Seinenfi comite atque clientelæ adfcripfit Johannem *de Diepurch* menfe Novemb. Venditis Confluentiæ mercibus impofuit tributum 28
1462. Augufti 1462. In Saraburgenfi caftro a tribus epifcopis fuffraganeis Trevirenfi, Metenfi &
1464. Wormatienfi confecratus eft an. 1464. Fœdus
1465. icit 15 Maii 1465 cum Philippo Burgundiæ duce. Confimile pactum egit cum Philippo
Ch. XCIV, col. 364. comite *de Dietz* menfe & anno iifdem. Adminiftratores monafterii fancti Martini inftituit 3 Augufti abbates S. Maximini, S. Mathiæ & S. Mariæ ad Martyres. Ecclefiafticis fubfidiis
1466. donatus eft 6 Julii 1466 ab Hemmerodienfibus monachis. Magnam domi confervandæ paci diligentiam adhibens, clientelari feudo Gerardum Seinæ comitem fibi devinxit 31
1468. Martii 1468. In tutelam ac patrocinium fufcepit anno 1469 3 Novembris hofpitale a Nicolao cardinale de Cufa erectum. Controverfiam cum Friderico electore Palatino, qua comite Sponheimenfi, arbitro Georgio epifcopo Metenfi, diremit 16 Aprilis 1470. 1469. 1470.
Societatis pacto adjunxit fe duci Juliæ ac Montium an. 1471, 24 Aprilis. Eodem anno 1471.
25 Augufti cardinales litteris eum obteftati funt ut Xyfto IV, quem creaverant papam, fupplicationibus tota diœcefi decretis, falutarem pontificatum precaretur. Impofita laïcis tributa a clericis etiam, finente eodem pontifice litteris datis 12 Aprilis 1472, Johanni 1472.
placuit exigere. Invitatus eo anno a Carolo Burgundiæ duce ad arma fumenda contra Ludovicum XI regem Chriftianiffimum nequaquam acquievit, fed fatius ei fuit res curare proprias; enim vero quam Jacobus deceffor in urbe ftabilire cupierat Univerfitatem folide conftituit, ac ejufdem perpetuus cancellarius eft creatus. Johannis *Erpel* officialis curiæ Confluentinæ fidem accepit 19 Octobris hujus anni. Prumienfis abbatiæ cum Trevirenfi archiepifcopatu junctionem a Friderico imperatore ratam haberi fategit 24 Maii 1473. Eidem 1473.
principi Treviros ad generalia comitia eo anno properanti marchione Badenfi Chriftophoro nepote ftipatus obviam ivit, eumque in urbem excepit. Enixe rogatus a Sixto IV 22 Januarii
1474 nihil non movit ut Germaniæ principes 1474.
incitaret ad bellum Turcis inferendum. Binas compofitiones, primam cum Trevirenfibus oppidanis, alteram cum archiepifcopo Moguntino iniit 1476 diebus 19 Martii & 23 1476.
Septembris. Monafterio S. Mathiæ 20 Martii
1477 adunavit parthenonem S. Germani. 1477.
Maximilianum Friderici imperatoris filium comitatus eft calend. Augufti ejufdem anni Gandavum adeuntem Mariæ Burgundæ nuptum. Reverfus domum graviffimo reperit urbem bello conflictatam a comite Manderfcheidtio, quem an. 1478 primum ad inducias, tum ad 1478.
pacis conditiones adduxit. Poftero anno 5 1479.
Julii fœderis tractatu fibi obftrinxit Henricum Haffiæ Landgravium; itemque eum inter & cives Trevirenfes de mutuo adverfus quamcunque vim auxilio convenit 22 Julii 1480. 1480.
Plurimas epifcopatus arces partemque comitatus Limpurgenfis oppigneratas numerata pecunia eo anno redemit. Per hos quoque dies in Erenbreitfteinia arce prope Confluentes opus magnificentia ftructuræ memorabile inchoavit, via per duriffimam rupem ferro patefacta, aquam deducendi gratia ad ufus domefticos, variofque bellorum cafus, uti comprobat hæc infcriptio: *Anno a Nativitate Jefu-Chrifti M. CCCCLXXXI, octava die menfis Martii, Johannes ex illuftribus Jacobo marchione Badenfi & Margareta Lotharingiæ duciffa natus, Trevirorum archiepifcopus digniffimus, inter cætera plurima a fe hic, & in cæteris ecclefiæ Trevirenfis caftris, domibufque eximie completa ædificia, hoc in loco fontem aquæ vivæ, qua antehac hoc caftrum caruit, exquirere cœpit. Poft igitur*

ANNI CHRISTI

labores & sumptus immensos, scissis petris, anno
M. CCCCLXXXIII die decima mensis Decembris
aqua viva abunde exsiliens inventa, demumque
anno M. CCCCLXXXIII in fine Septembris totum,
& fontis, & suprapositæ turris opus consummatum
est anno pontificatus memorati archiepiscopi XXIX.
Est autem fontis profunditas pedum ducentorum
octuaginta. Recensentur & aliæ arces non pau-
cæ, quas novis operibus instruxit firmavitque.
Palatia quoque, quæ in Trevirorum & Con-
fluentinorum civitatibus exstant, atque domi-
cilium Francofurti, quod publicis imperii
conventibus habitare solent archiepiscopi,
magnificentiam ejus sensere. Thaborinam ar-
cem necessariis quidem operibus exornavit,
ac puteum immensa altitudine intra fossarum
munitiones eduxit. Desertas præterea salu-
brium aquarum thermas apud S. Bertricum
magna reparavit industria ac impendio. Eccle-
siasticam disciplinam formare aggressus, multa
atque præclara decreta publice proposuit, fac-
tamque clericis a Wernero testandi potestatem
1482. laudavit anno 1482. Præpositum ecclesiæ
1483. Wezlariensis instituit 3 Maii 1483 Ambro-
sium *Perotscher.* Confluentinos cives, quibus-
cum anno superiori pactum confecerat, ad
petendam flexis genibus veniam coegit 18
Novembris ejus anni. Undetrigesima mensis
Octobris nuntium a Mathia Hungariæ rege
acceperat de insigni victoria a Gerebio Croaciæ
præfecto de Turcis reportata. Fœdera cum
1484. Bertholdo Moguntino electore 5 Julii 1484,
atque cum Renato duce Lotharingiæ feriit
1485. 11 Novembris 1485. Francofurti adstitit 16
1486. Februarii 1486 electioni Maximiliani in
regem Romanorum, quem uti & patrem ejus
Fridericum imperatorem Aquisgranum hono-
1487. rifico comitatu prosecutus est. Insequenti No-
ribergæ procerum Germaniæ conventui dum
adesset, Raimundo Peraudio & Gratiano de
Villa-nova Carmelitis nuntiis apostolicis ad
principum gratiam favoremque colligendum
præsidio fuit; atque ut Noribergæ, ita quidem
& Spiræ in procerum consessum inde eos
induxit. Eum inter & toparchas *de Vinneberg*
turbatam pacem ob castra Schonecum & Bilstei-
nium Bavariæ dux & Wirtembergensis comes
1488. arbitri restituerunt an. 1488; quo & ipse suæ
defensionis capita publicavit. Eodem 17 Maii
cum Hermanno Coloniensi, sic etiam cum
Palatinis Rheni Veldentiæ comitibus 6 Augusti
contraxit amicitiam. Friderico Cæsari in Flan-
drenses populos, qui Maximilianum Roma-
norum regem dare in custodiam ausi fuerant,
quingentos pedites, equites vero centenos
1489. quinquagenos contulit an. 1489, militaribus
sedecim additis curribus. In Suevici fœderis
leges coivit 29 Septembris hujus anni. Admi-
nistrationem abbatiæ Monasteriensis Luxem-
1490. burgi commisit 2 Septembris 1490 Johanni
episcopo Azotensi suffraganeo suo. Hoc eodem
anno 15 Novembris cum quatuor electoribus
Rheni rem constituit nummariam, transegitque
1492. 3 Januarii 1492 cum eisdem de Rhenano

A commercio. Jacobum pronepotem filium Chris-
tophori marchionis Badensis, præclaræ indolis
juvenem, suum instituit coadjutorem 21 Ja-
nuarii 1493. Quæ res pristinam ei benevo- 1493.
lentiam imminuit & gratiam apud nonnullos
cathedralis ecclesiæ funditus exstinxit. Funeri
Friderici Cæsaris hoc anno defuncti cohones-
tando Reinardum comitem Westerburgium &
Johannem Loerium officialem curiæ Trevi-
rensis legatos misit. Munus vicecancellarii
in Universitate Trevirensi impertitus est 31
Augusti 1494 Rudolfo præposito S. Simeonis, 1494.
& S. Crucis extra muros oppidi Moguntinensis.
B Wormatiam adulto jam vere anno 1495 ad 1495.
generalia, quæ ibidem indixerat Maximilianus
imperator, comitia accedens, structuram mo-
nasterii ordinis S. Crucis sub regula sancti
Augustini supra montem S. Helenæ in diœcesi
Trevirensi auctoritate imperiali fulciri curavit.
Egregium quoque diploma in ecclesiæ suæ
gratiam impetravit; imo etiam ab imperatore
id assecutus est primum ut suo dominio subditi
forent cives Treverici, dehinc ut abbati sancti
Maximini investituram ipse præberet. Sub
finem hujus anni ut religionem ab omni labe
puram servaret, synodum pro clericorum
C monachorumque moribus castigandis indixit,
adeoque sanctimoniales parthenonis Horreen-
sis, quæ veterem S. Benedicti deseruerant,
ad primigeniam reduxit institutionem 18
Novembris. Ottoni abbati sancti Maximini
regalium & temporalium 9 Decembris dedit
investituram. Dum autem ordinandæ diœcesi
curam omnem vigilantissimus præsul insumit,
Boppardienses oppidani quibusdam privilegiis
a Maximiliano confirmatis suffulti, nobilibus
regionis concitantibus, in rebellionem abiere.
Quos cum neque blanditiis, neque minis
aut etiam pœnis ecclesiasticis flectere potest,
D copiis celeriter & magna tormentorum vi
undique contractis, stipantibusque Palatino
Rheni, Langravio Hassiæ & marchione Ba-
densi, ad Boppardiæ obsidium proficiscitur
anno 1497. Rebelles ad defendendam civi- 1497.
tatem mox animis deficientes post duodecim
dies obsidionis sese dedere. Hos ad pactionis
conditiones accedentes non a contumeliis mi-
litum modo, maleficioque prohibuit, sed ne
verbo quidem inclementiore compellavit. Uni-
versitati Trevirensi canonicatum ecclesiæ sancti
Florini Confluentiæ attribuit 22 Aprilis 1499. 1499.
E Eodem anno & subsequentibus odium invi-
diamque canonicorum majoris ecclesiæ subiit.
Hi namque perquam indignati quod Jacobum
Badensem coadjutorem cooptasset, atque inde
præsulatus obtinendi spe deturbatos sese cer-
nentes, pravæ administrationis Johannem
insimularunt, & Jacobum in antistitem se
nunquam admissuros jurejurando affirmarunt.
Cæterum bullæ Jacobi in curia Romana ex-
peditæ fuerunt, cum ipse ejusque patruus
Johannes eas exsolvendi causa mutuati sint
30 Junii 1500 viginti millia florenorum. 1500.
Inter hæc dissidia Johannes annos 70 aut

circiter natus summum diem Confluentiæ A in castro Ehrenbreitsteinia clausit 1503, 9 Febr. mane intra horam quintam & sextam, quadraginta septem annis, mensibus octo & totidem diebus in episcopatu transactis. Corpus ejus Confluentia Trevirim asportatum parte occidua majoris ædis reconditum est in cenotaphio, quod ipse sibi vivus paraverat, nulla inscriptione apposita, etsi laude dignissimus. Is pietatem magno ardore complexus est: Deiparam virginem præcipuo coluit honore, Præsentationemque ejus inter festos dies consecravit. Unaquaque feria sexta sub meridiem tria campanæ signa dari, & universos positis B humi genibus, in honorem Christi vulnerum Deo supplicare edictis sancivit. Artium liberalium & doctorum hominum exstitit studiosus. Ecclesiæ vectigalia publico bono & præsertim afflictæ diœcesi levandæ insumsit.

DE BADE.

LXXVI. JACOBUS II.

Justis funeribus Johanni persolutis, plerique canonici majoris ecclesiæ omnes Alexandri VI pontificis minas aspernantes de submovendo Jacobo coadjutore, deque tutando comitiorum jure animum obfirmant. Quapropter die 3 Martii 1503 conventum habuerunt, in quo C dies electionis præstituta est ad Dominicam primam Quadragesimæ. Hæc dies ubi illuxit, Everardus Hoenfelszius decanus Jacobo acriter infensus, aliique non pauci Georgium Rheni Palatinum & Moguntinensis ecclesiæ præpositum postularunt antistitem. Fridericus autem ex Bavariæ ducibus, archidiaconus S. Castoris in Cardonna votis plurimorum innixus, partes Jacobi strenue defensavit. Utriusque factionis super reconciliatione crebris conventibus habitis, ipse Maximilianus imperator suam interposuit auctoritatem, litteris ad Romanum D pontificem datis, quibus causam Jacobi commendat, & hortatur ut Georgius a capessendo archipræsulatu prohibeatur. Georgius tamen sponte cessit, atque ita Jacobi confirmatio obtinuit & evicit. Juventutem suam optimarum artium disciplinis Jacobus exercuit Bononiæ in Italia sub Philippo Beroaldo, cujus curis atque institutionibus parentes eum duosque ipsius germanos crediderant. Beroaldum ipsum de Jacobo loquentem audire non erit supervacaneum. « Tu vero, inquit, clarissime Jacobe, in amplissimis fortunarum bonis » positus, imperatorio stemmate præfulgens, inter E » opes principales indulgenter enutritus, juvenis, » immo adolescens adhuc studia litterarum sitienter » amplexaris, doctos foves, dasque jugiter » operam ut natalium tuorum splendor magis » magisque illustretur. Venisti non pridem una » cum duobus clarissimis fratribus ad gymnasium » hoc nostrum ut ingenium ingenuis disciplinis » excoleres, ordinemque scholasticorum, immo » ipsum, ut verius loquar, gymnasium exornares: » nam cum cæteri ferme scholastici ex gymnasio » litterario ornamenta quærere soleant, tu ipse » gymnasio maxime es ornamento, honestamentoque. Degis hic nitide & magnificenter, « famulatu copioso, comitatu decentissimo, cultu « splendidissimo, monstrabilis adeo ut nullus « annos dehinc plurimos fuerit in ordine scholasticorum te uno magnificentior, illustriorque. « Agis prorsus principem, maximique principis « filium, nihil prorsus degeneras a claritudine « natalium. Tibi pater est illustrissimus marchio « Badensis Christophorus Augustiss. Rom. imp. « Friderici III ex sorore nepos, qui animi « magnitudine, virtutisque præstantia cæteris « totius Germaniæ principibus antecellit: sine « quo nihil memorabile per hosce annos ab « inclytissimo Maximiliano gestum est, cui ducatus « bellici primæ partes consensu Germanorum « deferuntur, apud quos fortissimi principis « nomen meritissimo assecutus est. » Ab eodem Beroaldo carmine de laudibus Germaniæ his celebratur versibus.

Tres nuper quoque regulos Badenses
Lautos, magnificos, probos dedisti.
Inter quos Jacobus enitescit
Lingua, dexteritate, comitate,
Cultu, munditiis, nitore, victu
Clarus, munificus, potens disertus:
Splendorque & columen scholasticorum:
At Germania præpotens alumnos
Ad nos consimiles subinde mitte.

Romam deinceps commorandi gratia accedens Jacobus, perhumaniter primum ab Innocentio VIII, dein ab Alexandro VI habitus est; ibique duos de antiquitatibus Romanis libros conscripsisse proditur. His igitur ac similibus studiis incumbentem, jamque sapientia ac doctrina maturum Johannes ad moderanda una secum ecclesiæ Trevirensis gubernacula accersivit. Francofurtensibus comitiis exeunte Octobri anno 1503 interfuit, eodemque 11 1503.
Novembris cum electoribus Moguntiæ, Coloniæ, & Palatino comite de securitate ac commercio Rheni iniit compositionem. In- 1504.
sequenti anno cum jus æstimandi, cudendique monetam in urbe Trevirensi vellet sibi vindicare, senatum populumque adeo repugnantem reperit, ut licet privilegiis innixus jus suum deserere fuerit adactus. Mercatum unaquaque hebdomada in urbe Cochemensi habendum instituit 10 Martii 1505; quo 1505.
2 Aprilis juramentum capitulo præstitit congruenter bullis Julii II datis anno superiori nonis Augusti. Temporalium rerum investituram a Maximiliano Cæsare Agenoæ consecutus est v idus Aprilis. Litteras etiam gratia Philippi comitis Virnebergæ ab ipso Imperatore suscepit. Conradum alumnum ordinis S. Dominici, sacræ theologiæ lectorem, suum creavit capellanum ac familiarem domesticum 12 Decembris. Lites atque discordias cum Trevericis civibus, agente capitulo metropolitanæ ecclesiæ, terminavit 9 Junii 1506. 1506.
Johannem *Hoeburg de Waldenberg* instituit

ANNI CHRISTI ministerialem ecclesiæ Trevirensis 16 ejusdem
mensis: die vero vicesima abbatibus S. Mariæ
ad Martyres & de Mediolacu, nec non præposito S. Simeonis curam commisit aperiendi
tumulum S. Vendalini. Fœdus sancivit 30
1507. Aprilis 1507 cum Johanne Palatino Rheni
& Christophoro Badensi marchione. Examen
Leprosorum tonsoribus urbis credidit 23 Maii
1508. 1508. Eodem anno 2 Julii accepit apocham
solutionis vectigalium imperialium; unam &
1509. ipse dedit 16 Octobris 1509, qua se percepisse 800 florenos honorarii profitetur. Populum Wormatiensem atque clerum, quos
inter erat dissensio, ad concordiam eo anno
reduxit. Meginense municipium, Cochimam,
aliaque castra pecunia vindicavit; & oneribus,
1510. quibus innexa pridem, exsolvit an. 1510.
Cum enim ab Imperatore missus Coloniam controversiæ inter cives senatumque arbiter futurus se contulisset, in gravem incidit morbum, & occubuit anno 1511, 27 Aprilis, quadragesimum vix ætatis annum ingressus, sapienter magnificeque episcopatu administrato annos octo, mensem unum, & dies viginti & unum. Johannes Mejerus de Jacobi obitu sic fatur: *Jam erat*, inquit, *excellentissimus princeps, & archiepiscopus venerandus in opere, ut res proprias augmentaret, impignorata redimeret: cum ecce omnium rerum acerbissima mors, præter spem & opinionem, inque totius provinciæ dispendium, cum aliquot diebus apud Coloniam Agrippinam laborasset, & novem annis ecclesiæ Trevirensi præfuisset, eum e vivis abstulit.* Corpus ejus Colonia deportatum in Confluentes, ibidem in ecclesia S. Florini humo mandatum est cum hac metrica inscriptione:

Virginis a partu dum lustra trecenta duobus
Addita fluxissent, ageret sub sidere Tauri
Et jam Phœbus equos cæli regione fugaces,
Subduxere virum properantia fata Jacobum
Illustrem Badensis humi, quem clara regentum
Stemmata nobilium dederant, nec non Trevirensis
Sacra diœcesis totum vulgata per orbem.
Cujus & octonos dignus prælatus in annos
Sceptra manu tenuit, & pacis amator & æqui
Hinc abiens quinto Maias subit astra kalendas
Corregnaturus spero sine fine tonanti.

Richardus archiepiscopus integritatis ac virtutum defuncti memori monumentum hoc posteritati posuit.

LXXVII. RICHARDUS.

DE GREIFFENCLAU DE VOLRATZ. 1511.

Communibus canonicorum ædis primariæ suffragiis anno 1511 die 14 Maii duabus circiter horis ante meridiem Richardus ex cantore electus est archipræsul. Is honestissima & perantiqua familia apud Rheni oram ditionis Ringaviæ ortus, eas habuit dotes ut amplissimi sacerdotii curas posset egregie adimplere. Pontificatus initio Robertum Virneburgium Prumiensem abbatem bellum parantem ob quædam
A jura, quæ in diœcesis finibus sibi competere contendebat, non vi sed mansuetudine exarmavit. Postero anno Maximilianum impera- 1512.
torem comitiorum causa Treviros cum magno comitatu principum magnatumque Germaniæ accedentem excepit, ejusque precibus togam Christi inconsutilem palam ad populi venerationem exhibuit. Consecrationem eo anno consecutus est, prout testantur hæc verba ad marginem codicis Mejeri addita: « Confirmatus a Leone P. M. anno 1512, bullæ confirmationis, pallii, juramenti ac consecrationis apportatæ sunt Trevirim 19 Aprilis.
B Consecratus Treviris an. 1512 in die Pentecostes 30 Maii in majori ecclesia Trevirensi ab Uriele archiepiscopo Moguntino, astantibus sibi in pontificalibus Wilhelmo Argentinensi & Reinhardo Wormatiensi episcopis; præsentibus Philippo Coloniensi archiepiscopo, Ludovico comite Palatino principibus electoribus, Friderico duce Bavariæ, Georgio episcopo Bambergensi, & aliis quampluribus prælatis, comitibus, nobilibus, & militaribus. In die Udalrici 4 Julii in majori ecclesia Trevirensi D. Richardus primam suam celebravit missam; D. Jo. *de Moderspach* gestabat
C crucem, & D. Gerlacus *de Isemburg* ensem. »

Æstate vero hujus anni ob immensam hominum undique confluentium frequentiam Trevirensis civitas contagiosa lue infecta est; Unde factum ut Maximilianus Treviris Coloniam comitia transferret, quo Richardus Cæsarem prosecutus, ab ipso regalibus est condecoratus 12 Augusti feria quinta post festum S. Laurentii. Decretum tulit 10 Maii de usu oblationum sacelli B. Mariæ *de Burich*. Inter equites & cives Boppardienses laudavit compositionem 6 Octobris. Fœdus icit cum urbe Trevirensi 28 Decembris, ea lege ut
D successorum juri nihil derogaretur. Specialem iniit conventionem cum Henrico *de Schwartzenberg* ratione servitiorum ab ipso præstandorum 16 Junii 1513. Indulgentias a Leone X 1513.
impetravit VII cal. Februarii 1514 iis qui 1514.
sacram Christi tunicam & alias reliquias venirent veneratum. Bullam & alteram simul obtinuit pro confirmatione bonorum ecclesiæ suæ. Landgravium Hassiæ fœdere sibi devinxit 3 Augusti. Litteras Romæ datas 3 Novembris accepit ut Imperatorem enixim hortaretur ad concordiam cum Christianis principibus ineundam, atque ad vires omnes copiasque
E vertendas in Selimum Turcarum imperatorem nomini Christiano hostem infensissimum. Assecutus est XIV calend. Januarii veniam bona parthenonis de Castro-Mariæ adunandi mensæ archiepiscopali. Pacis compositionem cum Antonio duce Lotharingiæ ad decem annos contraxit 16 Januarii 1515. Philippo Burg- 1515.
gravio in *Reinek* indulsit die 20 mensis ejusdem ut defectu masculorum feminæ in feodo succederent. Comitia generalia provinciæ habuit 28 Novemb. Diploma pontificium adeptus est 28 Decemb. de transferendis

ANNI CHRISTI

sanctimonialibus Castri-Mariæ ad monasterium
sancti Nicolai. Mandatum de munienda ripa
1516. Mosellæ dedit 3 Aprilis 1516. Fodinas metalli
prope Wesaliam superiorem elocavit 3 Julii.
Imperatori Maximiliano, quem iterum Tre-
1517. viris excepit 5 Januarii 1517, tunicam Christi
seorsim exhibuit die Epiphaniæ; ejusdemque
precibus tumulum Popponis archiepiscopi
quiescentis in ecclesia sancti Simeonis, quia
præsul iste Austriaca gente prognatus cense-
batur, aperiri jussit. Corpus repertum est
incorruptum, indutumque vestimentis tam
integris & illæsis, ut dalmaticæ, puræ togæ,
casulæque & sandaliorum internosci discernique
expresse figura colorque possent. Augustam ad
1518. conventum generalem tetendit 1518, ineunte
æstate; die vero 25 Julii hujus anni Judæos
sub certis conditionibus admisit in urbem
Confluentinam, declaravitque 15 Februarii
1519. 1519 qualiter ædes scabinorum gauderent
jure asyli in *Monthabaur.* Eodem anno 31
Julii Johannem Enenium episcopum Azo-
tensem suffraganeum morte sublatum amisit;
cui substituit Nicolaum *Schinen,* qui gravissimi
hujus muneris functionem sustinuit sub quinque
archiepiscopis.

Post mortem Maximiliani I imperatoris
anno 1519 pridie idus Januarii fato functi,
habita fuere comitia de eligendo imperii
moderatore primum Wesaliæ, deinde Franco-
furti; ubi cum inter electores magna consi-
liorum ac sententiarum varietate disceptatum
fuisset, Carolus archidux Austriæ, rex Hispa-
niarum, salutatus est imperator 18 Junii præter
spem Francisci I Galliæ regis, in cujus gratiam
Richardus eximiam ad electores incassum ha-
buit orationem. Ducentis comitatus equitibus
1520. Aquisgranum accessit 21 Octobris 1520
coronationi novi Imperatoris adfuturus. Mer-
curinum de Gottinaria instituit 21 Novembris
vicecancellarium per Galliam & Arelatense
regnum. Controversiam de cancellarii munere
in Gallico regno inter se ac Moguntinum archi-
præsulem exortam ad Imperatorem detulit
1521. dirimendam anno 1521. Progressus quidem
eo anno ad dictam Wormatiæ indictam ad
diem sextam Januarii, ibi ne quidquam præter-
misit ut Martinum Lutherum compelleret ad
detestandos errores. Molestissimo domum re-
versus bello divexatus est a Francisco Sickingio
Lutheranæ factionis homine, qui, ingenti
exercitu contracto, repente se in Trevericam
diœcesim infudit, ferro igneque in itinere
omnia devastans, quin & ipsam Trevirim
1522. audens obsidione cingere 8 Septemb. 1522.
At Richardus qui cum numerosa nobilitate
ac septingentis delectis militibus in oppido
sese incluserat, evocatis ad suum auxilium
Ludovico comite Palatino & Philippo Hassiæ
Landgravio, non coegit modo Franciscum ad
solvendam obsidionem 14 ejusdem mensis,
sed & anno insequenti Treverica diœcesi atque
propriis possessionibus & vita quidem ipsa
eum dejecit. Qua de re gratulatorio brevi

A accepit a Clemente VII magna benevolentiæ
& existimationis specimina. Magnum sane
damnum abbatiæ S. Maximini intulerat, nam
anno 1523 die 20 Augusti a Carolo V 1523.
Cæsare id mandatum accepit ut non modo
monasterium instauraret, sed & sexcentos
florenos vi exactos abbati Vincentio resti-
tueret. Noribergensi cœtui publicis calamita-
tibus providendi gratia cum adstitisset anno
1524, is atque electores Moguntinus & Pala- 1524.
tinus sub festum S. Jacobi apostoli Wesaliam
accessere ad deliberandum quo pacto a Luthe-
rana factione incolumes se præstarent. Familiari
B hoc in congressu ab Heterodoxis octuaginta
proposita sunt capita ad cleri autoritatem im-
minuendam vel prorsus delendam tendentia.
Principes, auditis & acceptis seditiosorum
postulatis, omnia in conventum proximum
rejecerunt, atque ita re infecta inde disces-
serunt. Attamen Richardus uti in periculo
Palatinum comitem & Hassiæ Landgravium
ad præbendum subsidium repererat expeditos,
ita etiam in rebellione subditorum suppetias
non exiguas eis tulit an. 1525. Apud Eslingam 1525.
dum conventui principum coacto pro Ger-
maniæ tumultibus pacandis assidet an. 1526, 1526.
C Trevirorum civitas oppidorum Coloniæ &
Moguntiæ exemplum æmulata, sena postula-
torum capita contumeliæ summæque impru-
dentiæ plena ei obtrusit. Ad quæ nullum
Richardus cum dedisset responsum, cives præ
oculis habentes ærumnas calamitatesque di-
versis urbibus ob petita adeo inconsiderata
obventas, scripto asseruere se in posterum nihil
simile postulaturos. Theodoricum a Lapide
& Michaëlem Studæum Ratisbonam ad co-
mitia direxit 1527. Hassiæ Landgravium 1527.
parantem bellum adversum principes eccle-
siasticos, conjurationis in ipsius caput per
D Paccium Lutheri asseclam falso insimulatos,
detecta fraude, ad pacem revocavit an. 1528. 1528.
Augustæ indicto conventui per se ipsum adesse
non valens, Johannem *de Metzenhausen* ma-
joris ecclesiæ præpositum in episcopatu futurum
successorem, atque Theodoricum a Lapide,
viros spectata virtute illuc destinavit an. 1530. 1530.
Quo in conventu primum in lucem edita est
ea fidei formula apud Lutheranos adeo famosa,
quæ abhinc ea ætate Confessionis Augustanæ
nomen obtinuit. Publica Imperatoris voce
scriptoque isthæc confessio damnata est: cui
E certe damnationi Richardus cum plerisque
principibus electoribus est suffragatus. Inter-
fuit an. 1531 Coloniæ electioni Ferdinandi 1531.
Romanorum regis 5 Januarii, Aquisgrani vero
coronationi ejusdem 11 ipsius mensis. Domum
dum ipse rediret vires suas debilitari sentiens,
in arcem Witelichiam inferri voluit. Morbo
jam fuerat tentatus ab eo tempore, quo
principes Augustanam habuere concionem,
ipseque se venenum in potione aquæ frigidæ
hausisse suspicabatur. Acuto dolore conflic-
tatus excessit hoc anno 13 mensis Martii,
natus annos 63, exactis in pontificatu unde-

Zyllef. defens. abb. S. Max. p. 108.

ANNI CHRISTI

viginti, mensibus 10, diebus 13. Corpus ejus Trevirim relatum, ante aram S. Cruci atque B. virgini Luciæ dicatam in cathedrali ecclesia funeratum est, tectumque lapide ea inscriptione insculpto: *Richardus ex familia* Grifinclae a Volratz *archiepiscopus Trevirensis vita functus XIII Martii quiescit. M. DXXXI.*

Laudum suarum præconem egregium habuit Bartholomæum Latomum, oppido Araluno Treverici juris oriundum, qui præclara ejus facinora carmine cecinit, perelegantique declamatione ipsius celebravit exsequias, in qua vitam moresque pontificis sane commemorat, uti judicare fas est ex his dictis: « Principio quidem, inquit, Carolum imperatorem Richardum ipsum præ cæteris magnis & clarissimis viris, tanta existimatione semper judicioque complexum, ut sæpe nominaverit inter præstantissimos principes: & in consultandis negotiis imperii, cum hic aliquando per valetudinem adesse non posset, præsentiam ejus desiderasse, testatus sit. Eandem opinionem famamque virtutis & sapientiæ haud minori autoritate apud avum hujus D. Maximilianum Cæsarem obtinuit. Illud porro, quod rarius est omnino, nec nisi magnis & egregiis viris Dei parentis singulari quodam favore tribuitur, Richardo nostro concessum ille merito gloriatur: ut qui cum præesset in amplissimi principatus munere, & quietam hanc pietatis religionisque curam, & illam turbulentam civilium negotiorum administrationem pari fastigio consecutus sit. In qua utraque re, qui excellerent, etsi tum invenirentur pauci, Richardum tamen singulari quadam felicitate utriusque temporis tantam adeptum fuisse laudem, ut si divinæ rei cultum spectares, cum religiosissimis, sin externarum rerum industriam, cum prudentissimis merito diceres comparandum. Jam vero quæ animi ejus præstantia, quæ fides in depellendis suorum periculis, quæ consilii gravitas & constantia. Horum, inquam, omnium ab iis, quæ a nobis antea litteris mandata sunt, exempla non obscura sumere licebit. Sedem, quam exhaustam pene ære alieno, & implicitam gravissimis oppignorationibus acceperat, non modo administrasse liberaliter & munifice, sed depressam ingenti onere pensionum, magnis & exquisitis rationibus, labore, parcimonia, frugalitate, rerum administrandarum scientia, & quadam dexteritate ad pristinas pene reduxisse facultates. Jam in victu magna temperantia, caritate in suos fuit singulari; atque rara etiam in omnes adeo facilitate, ut perbenigne se daret omnibus adire & alloqui cupientibus. Nihil unquam quod ad victum liberalem, ad copiam rei familiaris, ad cultum ministeriorum, ad principalis nominis splendorem & dignitatem pertineret, desiderare passus est: ac ne quidquam etiam maligne præberi in usus honestos ac necessarios, nihil sordide, atque illiberaliter dispensari sustinuit. Sed neque lenocinia ulla ipsius aula habuit: nihil nugarum in familia usquam apparuit, nihil parum necessarii atque inepti sumptus: sed ut ad frugalitatem cuncta instituta erant, ita ad honestum & liberalem usum satis comparata. Quibus sane rebus effecit ut posteaquam bella periculosissimæ contentionis aliquot gessisset, cum opera ingentia alia locasset, perfecisset alia: cum instrumentum bellicum locupletasset egregio apparatu, tributo conferendo, mittendo milite, ipse militando, ac sedando tumultus Germaniæ, tum alia onera imperii sustinuisset, conventus frequentes, electionem imperatoris, regis coronationem magno sumptu concelebrasset; præter hæc omnia discedens ex hac vita rem tam integram, ac minime pœnitendam posteris relinqueret, ut in multos post annos beneficii ejus gratia superfuerit merito. »

ANNI CHRISTI

Id quoque elogium ejus monumento inscripsit ipse Latomus:

Aspice Richardi monumentum præsulis hospes,
Hic gelida cujus membra quiete cubant
Quem merito Trevir sublatum flevit, & alto
Vindicis ingemuit pectore facta sui.
Ille sed insanos motus, terrasque relinquens
Induit æthereas, quas tenet, auctus opes.
Lustra novem, totidemque biennia duxit: at illi
Tredecimo clausit Martius orbe diem.

LXXVIII. JOHANNES III.

DE METZENHAUSEN.

Insigni nobilique Metzenhausiorum familia natus Johannes, major præpositus ecclesiæ Trevirensis, unanimi canonicorum consensu in archiepiscopali solio 27 Martii 1531 collocatur. 1531. Episcopale munus exorsus est a justis magnificisque funeribus Richardo decessori persolvendis. Cum ob itinerum pericula, obque tumultus, qui tunc in Germania vigebant, oratores Romam destinare non posset, summus pontifex Clemens VII per breve Romæ datum 26 Maii sex menses illi præstituit, quo promotionis suæ confirmationem a sede Romana consequeretur, cum venia tamen per se ipsum regendi temporalia atque per catholicum antistitem spiritualia exercendi. Bullis vero & pallio honestatus 17 Novembris, a Nicolao Azotensi, Tullensi atque Virdunensi suffraganeis, ad quos sicut & ad Metensem episcopum invitationis direxerat litteras, sacra unctione delibutus est 26 Maii 1532. 1532. Boppardiæ regalibus jam ante fuerat donatus ab Imperatore mense Febr. Eodem anno mense Aprili decretum tulerat de Romanis litteris non exsequendis, quin prius ab archipræsule probatæ fuissent. Privilegiorum Universitatis renovationem extensionemque a sede Romana consecutus est 8 Octobris. Fœderis pactionem cum archipræsule Moguntino, episcopo Wirtzburgensi, comite Palatino, Landgravio Hassiæ coivit 8 Novembris. Societatis etiam vinculo Antonium Lotharingiæ ducem sibi astrinxit 30 mensis ejusdem. Johannem ab *Enschringen* principatus Trevirensis creavit cancellarium 1 Maii 1533. 1533. Edictum generale promulgavit 12 Junii de modo judicata

ANNI CHRISTI exsequendi. Per duo Romani pontificis diplomata expedita die 3 Jul. assecutus est potestatem
quælibet beneficia conferendi in mensibus apostolicis atque committendi causas appellationis
in secunda instantia, modo valorem 300 ducatorum auri illæ non excederent. Archidiaconatum de Longwiono vacantem Matthæo *de*
1534. *Schonek* regendum commisit 27 Julii 1534.
Duobus post diebus Marienstadiense monasterium ordinis Cisterciensis suam suscepit in
protectionem. Assensus est 31 Octobris ut
Imperator in nonnullis civitatibus imperii institueret tributorum coactores. Pontificio brevi
dato 30 Decembris incitatus, studium sacrarum litterarum in Universitate Trevirensi refovere
statuit. Insignes itaque accersivit philosophiæ ac theologiæ professores, puta Justinum Goblerum & Ambrosium Pelargum, religiosum
ordinis S. Dominici, virum doctrina conspicuum. Hic ubi Trevirim accessit, ad Erasmum
familiarem suum scripsit epistolam, qua archiepiscopum miris extollit laudibus. « Certe,
» inquit, Trevirorum princeps favet rectioribus
» studiis; totusque in hoc est ut Trevericum
» studium commode instauret. Quod cum sua
» sponte ac nemine incitante faciat, quid facturum putas, ubi tu currentem, quod aiunt,
» exstimulaveris? .... Vir est liberali facie,
» proceritate plane heroica, comis & alacris,
» ingenio acri, moribus placidis ac mansuetioribus. Diceres alterum esse Salomonem, tam
» est pacificus. Nam qua est animi invicta magnitudine, non facile pro re nata animum dejicit.
» Vix consequi queam, quam modis omnibus
» (quæ illius est prudentia) reipublicæ commodis provideat: quamque mirifice Spartam,
» quod dicitur, quam nactus, exornet. Nam
» ditionem, quæ illi Dei voluntate obtigit,
» splendidiorem semper reddit & locupletiorem.
» Arces superiorum incuria neglectas reficit, ac
structuris magnifice exornat. » Francisco comiti
Waldeci Monasteriensi episcopo opitulatus est
eo circiter tempore contra Anabaptistas, qui
spreta autoritate legitima, eo venerant audaciæ
ut Johannem Leidanum ex plebeia fece regem
instituissent. Ad eum delata est querimonia
super decreto a Confluentino officiali contra
jus Trevirensis ecclesiæ prolato. Concordiam
inter canonicos & cives Prumienses initam
super ecclesia parochiali Prumiensis oppidi lau-
1535. davit 3 Augusti 1535. Confectam quoque
inter monasteria S. Maximini, S. Mathiæ &
S. Mariæ ac inter Trevirenses oppidanos com-
1538. positionem 1538 die 5 Januarii comprobavit.
Novam eodem 27 Octobris fœderis compositionem cum archipræsule Moguntino, electore
Palatino & Landgravio Hassiæ sancivit. Agenoæ conventui indicto an. 1540 dum delectus
arbiter adsoret pro sedandis Catholicos inter
& Lutheranos dissidiis, præ flagrantissima ejus
anni æstate in morbum ardentem prolapsus,
moxque ad arcem Darnsteiniam a suis deportatus, brevi post ecclesiæ munitus sacramentis,
animam exhalavit 22 Julii. Corpus ejus Tre-

A virim advectum, sepulturæ traditum est ante
aram S. Helenæ, ubi hæc legitur inscriptio:
Egregio principi domino Joanni a Metzenhausen
*archiepiscopo Trevirensi, cujus virtute & industria
ecclesia Trevirensis per novem annos & quatuor
menses feliciter administrata est, successor Johannes
Ludovicus ab* Hagen *opt. princeps virtutis caussa
posuit: periit in conventu Hagenoensi in quatuor
viros componendæ religionis designatus, cum annus
ferventissimus incidisset, æger relatus est in arcem*
Daenstein *ubi extinctus est 22 Julii: inde perlatus ad suos hoc loco sepultus est anno* M. D. XL.

B

LXXIX. Johannes-Ludovicus. DE HAGEN.

Claris natalibus vir Johannes-Ludovicus,
jam ante præpositus, omnium animorum unanimitate creatus est archiepiscopus 1540, 1540.
v idus Augusti, septemdecim diebus ab antecessoris obitu. Promotionem suam Moguntino
& Palatino electoribus nec non episcopo Wirzburgensi & Landgravio Hassiæ significavit,
ictumque cum eis a decessore fœdus innovavit
2 Septemb. Is nec sacri presbyteratus ordinem
nec consecrationis munus unquam accepit.
Suos inter consiliarios mox accensuit Bartholomæum Latomum nuper ex Academia Pari-
C siensi reversum, ubi ad edocendam eloquentiam incumbens novem ille exegerat annos.
Cum aut distentus negotiis aut valetudine
gravatus præsul noster eo anno ad Wormatiensia comitia contendere nequivisset, oratorem misit Lotomum, qui adversus Lutheranos
catholicæ fidei eximium se præbuit defensorem.
Insequenti quoque anno mense Januario legatos 1541.
ad Ratisbonensem diœtam misit ergo consulendi de ecclesiæ dogmatibus & bello contra
Turcas gerendo. Publicas supplicationes indixit
26 Martii propter exstinctionem dissidiorum
religionis. Super nonnullis rebus controversis
D composuit 14 Septembris cum abbate Prumiensi. Ob terræ infecunditatem obque Turcicas infestationes publicas adhuc preces præscripsit 19 Februarii 1542. Edictum generale 1542.
de emendandis cleri moribus tulit 20 Martii.
Cuidam diœcesis parocho prohibuit 22 Maii
ne pecorum majorem numerum aleret, quam
qui provincialibus permittitur statutis. Archiepiscopalis aulæ præfectum renunciavit 1 Julii
Petrum *de Dhaun*. Electori Palatino adjunctus
transactionem cum dynastis *de Sickingen* confecit 25 Julii. Eidem comiti Palatino cavit
E 25 Augusti jus apertionis in castro *de Tanstein.*
Suos omnes subditos, qui in Francorum regis
exercitibus militarent, patria edicto proscripsit
27 Octobris. Cum Hermanno electore Coloniensi in fœdera coivit 12 Maii 1543; quo 1543.
quidem anno Carolum imperatorem in urbem
Confluentinam accepit. Ineunte anno 1544 1544.
ad Spirensia processit comitia, plaustris sarcinas
suas ergo deferendi exactis a monasteriis.
Mansionem in æde archiepiscopali juxta ecclesiam sancti Florini Confluentiæ Bartholomæo
Latomo indulsit 17 Aprilis. Plurimas pactiones
3 Martii & 11 Maii hoc anno & insequentibus

ANNI CHRISTI

iniit cum toparchis *de Sikingen.* Transegit etiam cum dominis *de Daen* super castro *de Daenstein.* Decreto prohibuit 5 Julii ne quis subditorum sub hostium imperii vexillis decertaret. Trevirensem Sigilliferum vetuit 17 ejusdem mensis tertiam partem subsidiorum a Cardonensibus canonicis exigere. Quosdam e suis subjectis a rectore & conservatore Universitatis Coloniensis excommunicatione constrictos ad cautelam absolvit 15 Octobris
1545. 1545. Eodem anno Lutherani concilio Tridentino, quod toties omnibus comitiis uno ore depoposcerant, interesse detrectarunt; quin & asseruerunt se nec illud probare nec legitimum posse censere; neque proinde in Turcicum bellum quicquam collaturos, ni amplius sibi de religione, atque ex Spirensi decreto pax caveretur. Verum Johannes-Ludovicus, cæterique Catholici plane decreverunt religionis causam concilii patribus permittendam.
1546. Habitus quidem est & anno postero Wesaliæ in finibus Trevirorum conventus Oratorum electorum Treverici, Moguntini, Coloniensis & Palatini. Orator vero Palatini omni contentione apud alios enixus est ut Hermanni Coloniensis archiepiscopi, qui a fide Catholica ad Lutheri opiniones se verterat, patrocinium susciperent, ac sententiæ Cæsaris in Hermannum latæ intercederent. Illi autem admodum in fide firmi, quam uterque egregia hactenus constantia defenderat, Hermanni causam abjecere. Lento tandem ac diuturno confectus morbo noster antistes, postea quam ecclesiam difficillimis temporibus ingenti prudentia septem annis minus quatuor mensibus & septemdecim diebus administraverat, diem supremum obiit Confluentiæ in arce Ehrenbreitsteinia 23 Martii an. 1547, ætatis suæ 55. Unde Trevirim subvectus, in ecclesia cathedrali funeratus est a latere dextero juxta altare S. Mariæ Ægyptiacæ. Memoriæ ejus saxum cum effigie collocavit successor his verbis exaratum: *Johanni-Ludovico ab* Hagen *archiepiscopo Trevirensi principi electori, qui per septem annos in magna rerum Germanicarum perturbatione per hæreticos Lutheranos excitata ecclesiæ Trevirensi feliciter præfuit. Johannes ex comitibus ab* Isenbourg *successor posuit.*

D'ISEMBOURG.

LXXX. Johannes IV.

Nobilissimo Isemburgiorum genere procreatus Johannes, parentes habuit Gerlacum comitem, matrem vero Anastasiam Zarwerdensem, quorum cura ab ineunte ætate optimis institutus disciplinis, quas & ipse in omni vita plurimum dilexit, legitima capituli electione ex archidiacono in archipræsulem assumtus est 20 Aprilis 1547. Verum nec presbyter nec episcopus unquam ordinatus est, uti tradunt Gesta Trevir. mss. Cum insigni comitum, nobilium, præstantiumque doctrina virorum agmine ad generalia comitia progressus Augustam, ibidem cum Carolo Cæsare fœderis
1548. societatem iniit 1 Junii 1548. Digitum unum

A manus dextræ corporis S. Wernheri martyris attribuit 30 mensis ejusdem Johanni *Cluppin* decano ecclesiæ B. Magdalenæ Bisuntinensis. Mense sequenti Johanni Cellensi abbati sancti Maximini, cujus ab anno 1541 ipse erat coadjutor, funera persolvit, ejusque tumulo apposuit epitaphium. Provincialem habuit synodum pro reformatione cleri exeunte hoc anno, alteramque indixit ad sequentem annum 1549.
in feriam secundam post Dominicam, qua cantatur *Misericordias Domini;* saluberrimis in utraque tam pro morum correctione quam pro divinorum officiorum celebratione præscriptis
B institutionibus. Edictum de Moneta vulgavit 1550, 26 Martii. Ad conventum iterum 1550.
accedens Augustam 25 Junii, de intermissis concilii Tridentini actionibus revocandis in commune consuluit. Comitem Salmensem suum creavit ministerialem 28 Octobris. Decretum de commercio emisit an. 1551, 30 Aprilis. 1551.
Georgio decano sancti Castoris Confluentiæ commisit 5 Maii curam subsidia ecclesiastica per inferiorem archidiœcesim colligendi. Cum Sebastiano Moguntino archipræsule Tridentum profectus, inter concilii patres eo anno calendis Septembris assedit. Mox autem accepto nuntio
C fœderis icti inter Henricum Galliæ regem ac plurimos Germaniæ principes in Imperatoris exitium, rebus suis prospiciendi gratia, Tridentum licet adversa valetudine tentatus deseruit 14 Martii 1552. At obsistere nequivit 1552.
quominus Albertus marchio Brandeburgicus exercitum suum in Trevirense oppidum inferret; unde nec discessit hic princeps, quin prius monasteria ædesque canonicorum partim diruisset aut succendisset. Pactionem inter Burgravium Grimburgensem & curatores liberorum Gaspari *de Hagen* initam laudavit 7 Decembris 1553. Assensum præbuit ut 1553.
D Judæi Rabinum in civitate haberent: Judæis vero exteris negotiatoribus vectigal imposuit 1 Februarii 1555. Negotiorum mole & 1555.
infirmitate gravatus, eo anno coadjutorem sibi adlegit Johannem de Petra; sed magnitudine morbi superante, cum novem annos bimestri minus Trevirensem ecclesiam rexisset, in arce Monthaborina trans Rhenum extinctus est 1556, XII calendas Martii. Conditus apud 1556.
Confluentes in ecclesia S. Florini decoratur hoc epitaphio: *Reverendissimo in Christo patri & domino D. Joanni ex generosa familia dominorum ab* Isenbourg *&* Grensauw, *qui ad hujus*
E *sanctæ Trevirensis ecclesiæ gubernacula unanimi capituli consensu adhibitus, cum ecclesiam remque publicam inter gravissimos imperii motus, insigni pietate & animi constantia administrasset, multisque pro Christi gloria & ecclesiæ suæ salute laboribus susceptis, & itineribus confectis, in concilio Tridentino in adversam valetudinem incidisset, & paucis post annis patientissime tolerato morbo, ex hac vita in æternam requiem decessisset, Johannes archiepiscopus successor ex nobili stirpe* Von Der Leyen, *pietatis & virtutis cultor, defuncto principi posuit. Electus fuit in archiepiscopum anno Domini*

ANNI CHRISTI

Domini M. DXLVII, mense Aprili die XX. Obiit anno M. DLVI, mense Februario die XVIII in arce Montaburensi, suæ ætatis XLIX.

DE PETRA *sive* DE LEYEN.

LXXXI. Johannes V.

Antiqua claraque prosapia a *Leyen* satus Johannes, quem ex canonico totius capituli inductu persuasuque suum assumserat coadjutorem antecessor, uno consensu renuntiatur pontifex 25 Aprilis 1556. In coævis monumentis dicitur vir prudens, callidus, ad res magnas gerendas idoneus, corporis statura insignis, animo intrepidus. Litteras de abrogatione parthenonis S. Barbaræ ordinis sancti Dominici protulit eodem anno 21 Maii, Margaritæ loci priorissæ annua pensione attributa. Metalli fodinas ditionis suæ elocavit 16 Octobris; nonnulla quoque tributa atque vectigalia in quinquennium cessit abbatiæ sancti Pantaleonis Coloniensis 2 Decemb. Pactionem de teloniis inter Rhenanos electores ictam
1557. vulgavit 22 Aprilis 1557. Ad hæc circiter tempora in sublevandam diœcesim gravi annona conflictatam curas suas contulit, uti testantur funebris ejus laudationis hæc verba: *Cum aliquando anni steriles incidissent, atque intempestatis, aut pluviæ inopia, aut aquarum eruptione difficilis esset annonæ proventus, atque adeo infinita hominum multitudo propter famis atrocitatem de vita periclitaretur, tantam calamitatem misertus Johannes, rei frumentariæ jacturam facere maluit, quam incredibilem miseriam vulgi sustinere. Itaque innumerabiles frumenti modios per suam provinciam distraxit, lautioribus quidem tolerabili pretio, tenuioribus vilissimo, miserrimis sine ullo. Ac nomina deinde prius appellari noluit, quam anni fertiliores penuriam abundantia compensassent.* Gregorium *de Virnebourg* canonicum Meinfeldiæ in locum Nicolai *Schinen* Azotensis episcopi suffraganei superiore anno defuncti suffecit hoc anno 11
1558. Augusti. Adstitit an. 1558 mense Februario Francofurtensibus comitiis, in quibus electores abdicationem Caroli V laudantes, Ferdinandum I ejus fratrem imperium summa cum potestate moderari jusserunt. Quartam partem comitatus Deciensis & medietatem Hadamariæ a Philippo Hassiæ Landgravio ad Willelmum *de Nassau Dillembourg* transferri probavit 7 Aprilis. Dum anno sequenti in Augustano conventu fortiter pugnat adversus ecclesiasticorum bonorum invasores, Gaspar Olevianus Trevericus, novitatibus Calvini imbutus, ex oppido Genevensi Treviros reversus est, ac
1559. impetrata 26 Junii 1559 a senatu juventutem in bonis artibus instituendi facultate, suas in juveniles animos opiniones insinuare cœpit; immo in die festo S. Laurentii in frequenti omnium ordinum, ætatum & sexus utriusque concione in Eucharistiæ sacramentum, cultum Sanctorum, aliasque Catholicæ religionis cæremonias ausus est debacchari. Adeo civitas in contrarias factiones divisa est, parsque civium studio doctrinæ Oleviani accensa rebellavit in archiepiscopum, qui nihil non tentavit ut mali radicem secaret. Verum ille cernens quod nulla res succederet, urbem fame sitique ad officium reducendi suscipit consilium. Itaque Mosella infra supraque clauso, navigia cum ipsis mercibus intercipit, agrosque circumjacentes interclusis itineribus habet infestos. Mox in ordinem urbe redacta, seditionis autores, novæque sectæ principes in carcerem includi mandat, atque in eos ad intercessionem principum protestantium non nisi proscriptione animadvertit, gratia resipiscentibus clementer indulta. De urbis commercio atque ratione exteris mercatoribus justitiam administrandi
mandatum anno 1560, 30 Martii Prætori 1560.
direxit. Judicialem curiam ad rectiorem formam revocavit 1561, 12 Martii. Seynensem 1561.
abbatem eodem anno vetuit monasterii bona abalienare. Primarii oppidi motus jam prope excepit Confluentinæ urbis rebellio; cives namque imperium archiepiscopi exuere cupientes, libertatem vectigaliumque immunitatem causa adipiscendi, eum suis arcere mœnibus & ingressu prohibere ausi sunt. Fingente vero Johanne se urbem obsidere velle, ingens in indigenarum animos incessit timor, qui brevi ad deditionem eos adegit. Ubi liber ad oppidum patuit aditus, nihil gravius statutum est quam sontes vel multa coercere vel exulatum ire cogere. Politicas ordinationes de eadem urbe administranda præscripsit 11 Aprilis
1562. A Ferdinando Cæsare duo privilegia 1562.
in Francofurtensi conventu assecutus est 23 Novembris; itemque gratiarum actionem ab ipso Imperatore accepit 6 Decembris de habitatione ei concessa in æde archiepiscopali Francofurtana. Patribus Societatis Jesu, quos biennio ante Trevirim accersiverat, parthenonem S. Barbaræ, omnesque loci possessiones atque reditus hoc anno attribuit, comprobante Pio IV pontifice. Commissa ei est ab eodem
papa 16 Aprilis 1564 facultas deputandi sacer- 1564.
dotes, qui communionem sub utraque specie laïcis administrarent. Cæterum novis atque gravibus inter ipsum & oppidanos Trevirenses
an. 1565 de suprema potestate dissensionibus 1565.
exortis, jus suum utraque pars utcunque potuit tueri enixa est. Causa vero ad Cæsareum tribunal delata non nisi magno partium damno, & diutino post tempore exitum habuit. Generali cœtui Augustæ habito verno tempore
interfuit anno 1566. Lenta tandem ac diu- 1566.
turna tabe consumtus, Confluentiæ animam Creatori reddidit 9 Februarii 1567 die Dominica, nec sacerdotium nec sacerdotii plenitudinem nusquam adeptus. In ecclesia S. Florini parte chori dextra sepelitur exornatus ea epigraphe: *Reverendissimo ac domino D. Joanni electo & confirmato in archiepiscopum Trevirensem, sancti Romani imperii electori, &c. qui cum annis X, menses X archiepiscopatui prudenter præfuisset, Confluentiæ in pace quievit *X Februarii anno * M. DLXVIII. Successor honoris causa posuit.*

* IX. * M. DLXVII.

ANNI CHRISTI

Exstat & id aliud scriptum versibus ejus honori epitaphium:

Hic ego Germanus cujus spatiata per urbes
Fama iit, exigua sum tumulatus humo.
Terra tegit, quod terra dedit, sed spiritus altas
Jam cœli partes liberioris habet.
Quid mortem, casusque meos defletis amici!
Non dubitur multis sic potuisse mori.
Petra dedit nomen: quid petra fortius! æque
Sic animus fortis, sic quoque pectus erat.
Hæc satis: ast de me tibi cætera forte loquetur
Posteritas, lethi nos vetat alta quies.

DE ELTZ.

LXXXII. JACOBUS III.

Trevirensis ecclesiæ decanus Jacobus, illustri cretus familia, ab omnibus canonicis, qui jam pridem ob alienatas civium discordia mentes ab urbe discesserant, Vitliaci cooptatus est 7
1567. Aprilis 1567. Princeps, ut legitur in Gestis Trevir. mss. mansuetus, humilis & pius; dignus qui pacatioribus temporibus & populo magis morigero præesset. Is primus omnium propalam fidem Catholicam ex Tridentini concilii formula voluit profiteri. Abbati Lacensi demandavit provinciam visitandi monasterium Toleyense 19 Maii. Gregis sibi crediti studiosissimus Neomagum misit 23 Junii Divini verbi præcones, qui colonos immunes ab hæresi servarent. Emmericum *de Eltz* 21 Septembris inter cives equestres in *Dievelich* voluit recenseri. Christophoro *Moskopf* decano S. Castoris in Cardona celebrandæ synodi in archidiaconatu Cardonensi negotium dedit
1568. 26 Martii 1568. Diuturnæ tamen Trevirensium rebellionis pertæsus, posteaquam ut eos flecteret ad obsequium frustra omnia molitus erat, urbem eo anno obsidere decrevit. Cum ad defensionem aliquanto tempore acriter oppidani propugnassent, jamque intra mœnia circumclusos sese cernerent, de periculo sibi imminente cœperunt serio cogitare, & iteratis supplicationibus id assecuti sunt ut Jacobus arma poneret, atque etiam ut controversia Imperatoris arbitrio dirimenda commissa foret. Consecrationem in æde majori ab episcopis Spirensi, Leodiensi, & Trevirensi suffraganeo
1569. nactus est 1569, 17 Aprilis Dominica *Quasimodo*, nec multo post in horum episcoporum, abbatum, & totius ferme diœcesis sacerdotum conventu promulgavit nonnulla decreta concilii Tridentini. Perutiles quoque Reipublicæ eo anno publicavit sanctiones. Provincialis & duo custodes ordinis Minorum, de conventu suo Trevirensi in Jacobi manibus facta cessione
1570. 31 Januarii 1570, ab ipso collegium, quondam vero parthenonem divi Germani in eadem urbe situm ad perpetuo possidendum habitandumque consecuti sunt 31 Martii. Ille vero in Franciscanorum ædibus patribus Societatis Jesu collegium contulit 19 Aprilis. Spirensibus dum adforet comitiis mense Julio, provinciam accepit a Cæsare Elisabetham ejus filiam Carolo

A IX Galliarum regi nupturam in Franciam deducendi; quem rex abeuntem amplissimis muneribus prosecutus est. Ad suos reversus insequens biennium in religionis & pacis operibus excolendis insumsit, palamque vetuit 22 Novembris 1572 neminem in civem 1572.
Confluentinum admitti, qui Catholicam fidem non profiteretur. Mathiæ abbati S. Maximini temporalium bonorum investituram indulsit, fidemque ab ipso accepit 12 Decembris. Ex urbe denuo tumultuante clerum excivit 22 mensis ejusdem. Insequentibus annis ad unitatem divinis in rebus ac cæremoniis obser-
B vandam libros rituales & martyrologium edidit in lucem. Prumiensis abbatiæ statum actis visitationis consignatum præstari curavit 1 Febr. 1574 sedis apostolicæ legato. Monasterio 1574.
Arnsteinensi, vacante sede abbatiali, protectionis litteras attribuit 15 Martii. Mandatum dedit 18 Maii ut nautæ Trevirim transeuntes prætori quoddam jus solverent. Ecclesiastici fori Trevirensis officialem creavit 1 Julii Christophorum Hompheum. Convocatis omnibus ditionis suæ ordinibus, provincialia comitia Confluentiæ habuit 16 Februarii 1575 de tributis imperandis ad dissolvendum 1575.
C æs alienum a decessoribus contractum. Prumiensis abbatiæ unionem cum archiepiscopatu Trevirensi a Maximiliano II imperatore ratam haberi fategit 28 Novembris. Universitatem eo anno contra cœpta Trevirensis senatus viriliter est tutatus. Scita de reformatione supremæ curiæ Confluentinæ, nec non ecclesiastici fori cum Trevirensis tum Confluentini publicavit diebus 1 & 20 Aprilis 1576. 1576.
Ratisbonæ conventui dum anno eodem adesset, cerneretque Lutheranos nihil non movere ut religionis libertatem obtinerent, hæc ait: *Ante optare sibi cutem toto corpore, per caput etiam*
D *avulsam detrahi, quam liberam cuique religionem probare, aut catholicam pati fidem ulla labe maculari.* Gravissimo adhuc exagitatus est bello a subditis suis anno 1577, quo diversorum 1577.
locorum incolas ecclesiastico tribunali Confluentino subjecit 25 Octobris. Suum legavit cancellarium 20 Decembris ad Imperatorem ad accipiendam regalium investituram. Bartholomæum Bodeghemium curiæ Trevirensis officialem instituit 8 Februarii 1578. Profes- 1578.
sionem fidei Gebhardi Coloniensis archiepiscopi accepit 24 Aprilis congruenter sanctioni concilii Tridentini. Pontificium munus
E summa laude, Gregorio Wirneburgio suffraganeo 30 Junii hujus anni defuncto, usque dum vixit, solus ipse gessit. Impetratis 1 Sept. 1579 litteris a Gregorio XIII de abbatia 1579.
Prumiensi perpetuo Trevirensi episcopatui adnectenda, illam ad arctiorem reduxit disciplinam. Eodem anno evocatus & ipse a Cæsare mense Maio, Coloniam perrexit comitiis adfuturus. Cooptationem Caroli cardinalis principis Vademontani ad Tullensem episcopatum probavit 28 Martii 1580. Colle- 1580.
gium Societatis Jesu in Confluentina urbe

ANNI CHRISTI capto consilio constituendi, 4 Maii hujus anni A
diploma pontificium assecutus est, quo sibi
fas esset parthenonem Cisterciensis ordinis in
urbe positum ad hunc usum convertere, atque
moniales ibidem degentes deducere in insulam
Rheni ad habitandum aliud monasterium monachorum
seu canonicorum regularium sancti
Augustini. His rite dispositis, patri Costero
provinciali dedit mandatum ut quamprimum
aliquot e societate mitteret Confluentiam.
Verumtamem imperator Rodulphus II, juribus
archiepiscopi civiumque Trevirensium matura
deliberatione discussis, eo anno pro tribunali
sedens Pragæ in Bohemia celebri judicio statuit B
ut Treverica civitas cum mero & mixto imperio
penes antistitem in posterum maneret.
Aliquanto post honorifico comitatu urbem
Jacobus ingressus, statum melioribus temperavit
legibus, eaque beneficentia erga oppidanos
usus est ut, quamvis multoties indignos
sese præbuissent, eximia privilegia eis impertitus
fuerit. Exactis in pontificatu 14 annis,
mensibus 2, uno minus die, in magna rerum
perturbatione, Treviris interiit anno 1581
pridie nonas Junii, ætatis suæ 71. In primaria
æde ante altare SS. Trinitatis parte chori
sinistra lapide tegitur, qui hanc habet epigra- C
pham: *Anno Domini M. D. LXXXI, die IIII
Junii obiit reverendissimus in Christo pater ac
dominus D. Jacobus ab* Eltz *sanctæ Trevirensis
ecclesiæ archiepiscopus & princeps elector ac administrator
Prumiensis, cujus anima requiescat in
pace.* Ejus tumulum hoc elogio exornavit
successor: *Reverendissimo archiepiscopo Trevirensi
& illustrissimo principi electori Jacobo ab* Eltz
*Deo & hominibus dilecto, ut qui gloriæ divinæ
religionis Catholicæ & reformationis zelum habuerit,
non dominans, sed forma factus gregis,
cujus virtutes non angusta hæc tabella, sed fama
publica & cælum habet. Posuit tanti principis* D
amantissimus successor Johannes a Schonenburch.
*Vixit annis LXXI. Rexit an. XIV. Obiit anno
M. D. LXXXI, IV Junii.*

DE SCHOENENBURG. LXXXIII. JOHANNES VI.

Quinquaginta tres annos natus Johannes,
1581. pridie calendas Augusti anno 1581 omnium
gratulatione subrogatur. Quot & quantis ille
animi idoneis ad sacri ministerii munia rite
obeunda dotibus exornatus fuerit ita exponunt
Gesta Trevir. mss. « Hic Johannes ex antiqua
» & nobili familia *de Schonenberg* in *Hartelstein*,
» non procul a Prumia, oriundus; virtutibus, E
» modestia, pietate, discretione & mansuetudine
» amabilis; præpositus majoris ecclesiæ existens,
» primus locum tenens, sive Stadthalter urbis
» post sententiam Rudolphinam, qui civium
» animos conciliare & in partes suas trahere,
» suoque archiepiscopo fideliores facere novit.
» Princeps fuit corpore gracili & infirmior
» viribus; animo, sapientia & prudentia sublimis,
» nec ideo elatus. Presbyterum privatum in
» habitu, tonsura, & continua versione breviarii
» aut rosarii repræsentavit inter amplissimos
honores, adeo ut dictus sit in diœta imperiali « ANNI CHRISTI
anno 1582 comparuisse instar parochi. Prin- «
cipes seculares, aliique imperii status, qui tunc «
fervente hæresi Lutherana a catholicis & «
ecclesiasticis plurimum diffidebant, hujus mo- «
destia, habitu, pietate, moribus & conversa- «
tione moti dixisse feruntur: si ecclesiastici «
principes alii similes huic essent, possemus «
eorum consiliis acquiescere. » Romam ad pontificem
misit Hugonem *Cratz de Scharpfenstein*
& Hugonem-Augustinum *de Schonenberg* suum
ex fratre nepotem bullas palliumque postulatum.
Quibus acceptis, presbyter est ordinatus
in sacello patrum Societatis Jesu. Pontificium
breve a Gregorio XIII excepit 1 Julii, quo
ecclesiasticas immunitates in ducatu Luxemburgensi
tutaretur. Fratri Johanni Hayo Franciscano
omnes conventus ordinis utriusque
sexus per totam diœcesim visitandi fecit potestatem
6 Februarii 1582. Eodem anno 1582.
17 Julii Augustam generalibus comitiis adstandi
gratia profectus, ibidem consecratus est
pridie idus Augusti a Ludovico Madrutio
cardinale, Johanne-Francisco Bonhomio Vercellensi
& Francisco Spureno episcopis, sedis
apostolicæ legatis; regalia vero a Rodulpho
Cæsare obtinuit 20 mensis ejusdem. Insigne
privilegium collegio Confluentino Societatis
Jesu attribuit eo anno 12 Novemb. Abbatem
S. Maximini 5 Januarii 1583 instituit visita- 1583.
torem nobilis parthenonis de Horreo. Judæorum
in gratiam 20 Junii prodidit litteras,
inhibuitque 11 Julii ne Bartholomæus *de
Franckenstein* adversus nobilem parthenonem
de Altenbourg viis facti procederet. Calendarium
Gregorii XIII in diœcesim suam induxit
4 Septembris. Responsum dedit 22 Decemb.
de mulctis, quas provinciale concilium Luxemburgense
in pios usus convertendas exoptabat.
Sacramentum Ernesti de Bavaria suffecti in
locum Gebhardi ob hæresim ex episcopatu
Coloniensi deturbati, accepit Leodii anno
1584, eumdemque Augusto Saxoniæ duci 1584.
Moguntiæ conciliavit. Aquisgranensem quoque
civitatem discordiis religionis agitatam, volente
imperatore, pacavit. Pacis & amicitiæ fœdus
coivit 18 Martii 1585 cum Carolo duce Lo- 1585.
tharingiæ. Exeunte vere inconsutilem Christi
tunicam frequentissimo populo venerandam
exhibuit 6, 7, 8 diebus Maii. Eodem tempore
Spurium adolescentem ex Palatina prosapia,
qui sacram hostiam in ecclesia Dominicanorum
excutere erat ausus, primo flammis, sed ab
hæresi conversum obtruncationi capitis damnavit.
Edictum promulgavit 12 Aprilis 1586 1586.
de hominibus propriis in Trevirense territorium
haud admittendis. Ad præsentationem
Imperatoris contulit 3 Nov. altare SS. Petri,
Georgii, &c. Ludovico Hilleshemio. Civiles
causas in appellationis casu ex ecclesiastico foro
Confluentino ad parlamentum Aulicum deferendas
sancivit 14 Aprilis 1587. Cognitores 1587.
ad monasterium Rommerstorffiense misit anno
1588, qui inquirerent de controversiis inter 1588.

ANNI CHRISTI 1589. abbatem & monachos exortis. Statuit anno A 1589, 16 Augusti quo pacto mulctæ synodales ordinarentur. Decretum tulit 18 Octobris de Judæorum expulsione ex Trevirensi diœcesi. Donatus quoque fuit eo anno a Sixto V pontifice in triennium potestate tribuendi sacerdotia quotquot in cathedralibus Saxoniæ ecclesiis vacarent. Abbati S. Mathiæ 7 Julii
1590. 1590 dedit licentiam patibulum erigendi intra fines jurisdictionis monasterii. Pactionem cum Wolfgango archiepiscopo Moguntinensi confecit 5 Septembris. Mandatum produxit 18 ejusdem mensis de exigendis collectis imperialibus & provincialibus a quibusdam B locis. Ordinationem præstituit 17 Novemb.
1591. 1591 ad leprosorum diœcesis levamentum. Ad hæc circiter tempora cum per plures annos gravis annonæ penuria Germaniæ provincias ussisset, causam istius calamitatis sagis & maleficis attribuere visum est. Quamplurimi itaque sceleris hujus accusati comprehensi fuere & in carceres conjecti. Quo autem pacto in eos animadverteretur Johanni placuit scito statuere 19 Decembris. Multos insontes hac in occasione periisse clare demonstrant Gesta Trevir. mss. Rem sic proferunt: « Quia vulgo creditum » est multorum annorum continuatam sterili- C » tatem a strigibus & maleficis diabolica invidia » causari, tota patria in extinctionem malefi- » corum insurrexit. Hunc motum juvabant multi » officiati, ex hujusmodi cineribus aurum & » divitias sperantes. Unde tota diœcesi in oppidis » & villis per tribunalia currebant selecti accu- » satores, inquisitores, apparitores, scabini, ju- » dices, lictores, qui homines utriusque sexus » trahebant in causam & quæstiones, ac magno » numero exurebant. Vix aliquis eorum, qui » accusati sunt, supplicium evasit. Nec parcitum » fuit magistratibus in urbe Trevirensi; nam D » prætor cum duobus consulibus, senatoribus » aliquot & scabinis incinerati sunt. Canonici » diversorum collegiorum, parochi, decani rurales » in eadem fuere damnatione. Tandem eo usque » in hoc furore processum ut vix inventus fuerit, » qui non aliqua hujus sceleris macula notaretur. » Interim notarii, actuarii & caupones dites- » cebant. Carnifex generoso equo, instar aulici » nobilis, ferebatur, auro argentoque vestitus; » uxor ejus vestium luxu certabat cum nobilio- » ribus. Supplicio affectorum liberi exulabant, » bona publicabantur, deficiebat arator & vini- » tor: hinc sterilitas. Vix putatur sævior pestis E » aut atrocior hostis peragrasse Trevirensium » fines, quam hic immodicæ inquisitionis & » persecutionis modus. Plurima apparebant argu- » menta non omnes fuisse noxios. Durabat hæc » persecutio complures annos, & nonnulli qui » justitiæ præerant, gloriabantur in pluralitate » palorum, ad quorum singulos singula humana » corpora vulcano tradita. Tandem cum hæc » sententia assiduo vulcano non exhauriretur, » depauperarentur autem subditi, leges inquisitio- » nibus & inquisitoribus eorumque quæstui & » sumptibus latæ & exercitæ sunt, subitoque sicut

in bello, deficiente pecuniæ nervo, cessavit « impetus inquirentium. »

Impositum vino tributum Johannes delevit anno 1592, 2 Octob. die vero 5 Judæorum 1592. facultates publicæ direptioni permisit. Publicas supplicationes indixit 27 Novembris 1593 1593. ob Turcarum excursiones avertendas. Metallurgicas promulgavit leges anno 1594. Eo- 1594. demque Ratisbonæ generali conventui adstitit mense Maio. Responsum de visitationibus archiepiscopalibus, quas provinciale consilium Luxemburgense in ducatu postulabat fieri consuetas, protulit 17 Septembris 1595. Spec- 1595. tantia ad ecclesiasticum & seculare forum Trevirense publicavit statuta 4 Aprilis 1596. 1596. Legem de Judæis & eorum mercatura prodidit 18 Novembris 1597. Præscriptum edidit 7 1597. Januarii 1598 de notariorum examine, de 1598. sententiarum a judicibus latarum exsecutione, deque vitandis sumptibus conviviorum in scabinorum receptione. Quoniam autem non Hollandi modo sed & Hispani latrocinia rapinasque in inferiori parte diœcesis exercebant, de publica securitate, itemque modo eam conservandi edictum promulgavit 9 Martii hujus anni. Signum jurisdictionis erigendi Gerardo *d'Ensehringen* fecit potestatem 24 Octob. Lenta denique ac diuturna infirmitate confectus ultimum diem clausit calendis Maii 1599. Ejus elogium, quale habetur in Gestis Trevir. mss. hic subjicimus: « Fuit ecclesiarum & ecclesiasticorum amator ac fautor; hos mensæ « suæ adhibebat, quotquot pro negotiis aliquibus « in aula præstolabantur, indecorum existimans « eos ad publica diversoria diverti. Ecclesias « plerasque sacra suppellectili exornavit, aut « largitionibus ditavit, sic ut raræ reperiantur, « in quibus suæ munificentiæ & pietatis monu- « menta non supersint. Clericos monere solebat « potentiorum familiaritates, & quam maxime « contractus fugere & pecunias haud facile cre- « dere. Cum ecclesiasticis & humilibus libenter « conversabatur, magnatum consortia, legationes « & visitationes fugiebat. Ideo separatus ab aula « cum paucis *in Grimburg*, *Montabaur*, Wittliaco, « Prumia, S. Wendalino & cæteris hujusmodi « longe dissitis domibus habitabat, quieti & « valetudini studens, ut plurimum herniæ, calculi « & rupturæ passionibus tortus. Habuit fratres « tres ecclesiasticos, unum episcopum Worma- « tiensem, alterum præpositum Moguntinum, « & tertium archidiaconum Trevirensem; unum « insuper secularem dominum *de Hartelstein*, « qui omnes morte eum prævenerunt, & here- « ditatibus suis opulentum fecerunt. Emit do- « mum *Zur-gold-reben*, & illuc bona ista here- « ditaria collocavit, primus qui bona familiæ « & privata ab archiepiscopalibus separavit & « seorsim administravit...... Viros doctos « amavit, gratus propterea pontificibus, a quibus « indultum habuit conferendi beneficia West- « phaliæ & Saxoniæ.... sibi ipsi monumentum « sumptuosissimum ad altare S. Sebastiani in « ecclesia majori constituit, inque eodem altari «

ANNI CHRISTI

» quotidianam missam fundavit.... Tandem » plenus dierum & bonarum cogitationum... » sacramentis rite munitus inter manus ministrorum lugentium, quibus ipse subsidens valedixit, Deo spiritum reddidit Confluentiæ die 1 » Maii 1599. Inde Trevirim adverso flumine » delatus, in monumento suo supradicto, quod » mole, marmore alabastro ex opere statuario » excellit, tumulatus est. Sub finem vitæ, cum » continuis morbis torqueretur, cogitavit Carolum cardinalem a Lotharingia & canonicum » Trevirensem in coadjutorem assumere, sed » capitulum restitit, & eidem Lotharium, postea » successorem, in consiliarium & solatium ordinavit.» Hoc autem epitaphio tumulum ejus successor exornavit: *Johanni a* Schonenberg *archiepiscopo Trev. electori, fidei, pacis & publicæ rei studiosissimo principi, sacrarum ædium cultori & auctori maximo. Collegii Societatis Jesu in Confluentibus fundatori. Evocato a mortalibus ad immortales cal. Maii* M. DXCIX, *regiminis 18, ætatis 74. Hoc monumentum notæ virtutis jam pene perfectum ponebat Lotharius antecessori successor.*

DE METTERNICH.

LXXXIV. Lotharius.

Alto genere in ducatu Juliæ prognatus Lotharius, Johannis de Petra unius ex antecessoribus suis ex matre nepos, electionem habet sic textam in Gestis Trevir. mss. « Die
1599. » 7 Junii an. 1599 canonici majoris ecclesiæ » in loco capitulari solito Lotharium a *Metternich* » ex scholastico archiepiscopum crearunt, qui » vicarias vices sui prædecessoris magna populi » & cleri satisfactione aliquoties gesserat. Sereni » mores, humanitas, benevolentia, linguarum » Latinæ, Germanicæ, Gallicæ, Italicæ, Belgicæ » notitia sedem in hoc principe fixerunt. Non » tamen caruit hæc electio difficultate propter » quemdam Philippum-Jacobum *Husman* a » *Namedey* archidiaconum, virum singularis ingenii, & raro cum cæteris collegis sentientem. » Vicit tamen Lotharius, quem ipse archidiaconus *Husman* electum de ambone & » primo archiepiscopum dixit, sive sorte sive » votis ad hæc lectus & deputatus. Missis deinde » Romam Georgio ab *Helffenstein* SS. theologiæ » doctore, decano sancti Simeonis, designato » suffraganeo; Johanne-Guillelmo *Husman* a » *Namedey* majoris ecclesiæ canonico & Augustino *Zand*, quibus adjungebatur Johannes » *Linden* ad S. Simeonem inter juniores canonicus, a Clemente papa VIII confirmationem » & pallium obtinuit, & ipse Georgius suffraganeus episcopalem benedictionem. » Presbyter est ordinatus Lotharius a Coriolano Aufferensi episcopo sedis apostolicæ nuntio in sacello novitiatus Societatis Jesu in platea
1600. Tetradii sexto post electionem die. Insequenti autem anno 30 Julii ab eodem præsule, cooperantibus Stephano Moguntinensi suffraganeo & Georgio *de Helffenstein* episcopo Azotensi, Trevirensi suffraganeo, Confluentiæ in æde sancti Florini nactus est consecrationem.

ANNI CHRISTI

A Regalibus a Rodulpho Cæsare de more acceptis, subditos ad præstandum fidei juramentum admisit; comitia provinciæ hoc anno mense Martio Confluentiæ coegit ergo suæ patriæque utilitati consulendi; subindeque ad Limburgense territorium profectus, disciplinam in clero labefactatam restituit. Henrici comitis Seinæ absque prole defuncti possessiones jure caducæ hereditatis ut supremus dominus sibi devolutas esse contendit anno 1601. Suam 1601.
diœcesim ab Hispanorum militum populatione, numerata pecunia, 15 Aprilis 1602, subduxit. 1602.
Judæum quemdam 20 mensis ejusdem citavit
B ad synagogam Francofurtanam. Eximia munificentiæ specimina eodem anno patribus Jesuitis exhibuit, quatuor millibus florenis ex proprio ærario collatis ad amplificationem ædium novitiatus. Pretium seu valorem nummorum præstituit 9 Januarii 1603. Mercibus 1603.
ex Hollandia in usum aulæ certo numero annuatim procurandis 17 Decembris hujus anni deputavit institorem. Sub idem tempus cum Ehrenbreitsteinianam arcem novis operibus circumdare atque munire fuisset aggressus, accidit ut, deductis jam propemodum ad perfectionem laboribus, ipsa Omnium sanctorum
C nocte corruerit. Quam reficere nec cunctatus, de ejus custodia emisit decretum 26 Augusti 1605. Cum Johanne Schwichardo Moguntino & Ernesto Bavaro Coloniensi præsulibus 1605.
Confluentiæ cœtum habuit an. 1606 causa 1606.
providendi calamitatibus, quas Germaniæ minitabantur Protestantes. Unde subortum est illud famosum fœdus, vulgo dictum *Liga*, in quod supremi principes ortodoxi coïere an. 1609 eo consilio ut Protestantium auda- 1609.
ciam coercerent. Copias itaque Lotharius per totam diœcesim jussit contrahi 19 Septemb. ejusdem anni. Præcipiente Rodulpho impe-
D ratore, Coloniam ivit an. 1610 futurus arbiter 1610.
inter principes de hereditate Willelmi Juliæ ducis anno superiore defuncti disceptantes. Eodem anno 2 Septembris Gallorum atque Belgarum fœderata arma metuens, ab Alberto Austriæ duce flagitavit auxilium. Repetundarum crimine convictos mulcta nec non suppliciis affecit, legesque ad auri famem exactorum coercendam præscripsit 8 Febr.
1611. Mathiæ imperatoris electioni Franco- 1611.
furti interfuit 13 Junii 1612; quo quidem 1612.
anno Beurichii in ecclesia B. Mariæ fratres
E Minores de Observantia instituit. De potatibus atque decimis sanctiones vulgavit 28 Martii & 3 Augusti ejusdem anni. Postero Ratisbonam 1613.
adiit ad conventum, quem ibidem ad rectius imperii res instituendas Cæsar indixerat. Totum se convertit an. 1614 ad pacis ac reli- 1614.
gionis opera; majorem enim ædem picturis variisque excoluit ornamentis, antecessoris sepulchrale monumentum perfecit, suumque erexit magis decorando templo, quam suo nomini excolendo. Patres Capucinos quam humanissime admisit an. 1615 in Trevirensem 1615.
civitatem. Scitum edixit 15 Septembris hujus

ANNI CHRISTI

anni de Judæorum commercio supra Mosellam; aliquibus post annis in eorumdem gratiam dedit & alterum. Septemviros ecclesiasticos, Moguntinum scilicet & Coloniensem archi-
1616. præsules adhuc Confluentiæ coegit an. 1616 differendi causa cum ipsis de imperii necessitatibus, deque principe Austriaco in Romanorum regem eligendo, qui Protestantium conatus posset refrenare. Telonium Confluentinum transtulit 23 Junii in *Hammerstein.* Latas ab officiali Confluentino sententias mo-
1617. dum exsequendi præscripsit 14 Junii 1617. Promovendorum studiorum gratia, concessa Universitati a Romanis pontificibus privilegia atque beneficia diplomate confirmavit 3 Ja-
1619. nuarii 1619. Eodem anno mense Augusto nihil non molitus est ut honos imperii Ferdinando II deferretur. Dum hisce temporibus paci restituendæ in Germania dat operam, dynastis Trevericæ ditionis præcipit ut provinciam ab hostium vi incolumem præstent; auxiliumque Alberti archiducis Austriæ inclamat, si forte acciderit ut adversus urbem Trevirensem aut castrum Ehrenbreitsteinianum bellum moveatur. Ætate jam provectus, laboribusque confectus suum ex fratre nepotem Carolum *de Metternich* archidiaconum administrationis socium sibi adjunxit. Transactio-
1620. nem iniit 30 Julii 1620 cum Henrico Lotharingiæ duce super exercitio communis dominii in Marceto & Sargawia. Cuivis plaustro vini venundato florenum imposuit 19 Martii
1621. 1621, novamque ordinationem telonariam promulgavit 13 Septembris. Bellis dum exa-
1622. gitaretur an. 1622, assentitus est 14 Martii ut ordo equestris ad publicam securitatem fovendam suis expensis centuriam aleret. Genti baronum *de Metternich* cujuslibet oneris immunitatem in urbe Confluentina impertivit 10 Octobris; decreto vetuit 15 Septembris ne quis in civilibus causis ad nuntium apostolicum appellaret. Scitum de re monetaria vulgavit 2 Decembris. Quod in gratiam Universitatis a Gregorio XV assecutus fuerat privilegium suis & ipse comprobavit litteris 23 Augusti 1623. Eodem anno mense sequenti extinctus est. Ejus mors in Gestis Trevirorum mss. sic consignatur: « Tandem archiepiscopus multiplici labore & gravi ætate pressus, viribus omnibus deficere cœpit, & 7 Septembris anni 1623 ecclesiæ sacramentis rite munitus, pie obiit: princeps optimus & talis, qualem ecclesia Trevirensis hoc tempore desiderare potuit. Sepultus est in sua metropolitana die 23 Septembris, juxta altare Omnium sanctorum, ubi clavus Domini populo exhiberi consuevit: quod vivens magnifice reparari, & sibi sepulchrum juxta illud parari curaverat. Ætatis suæ anno LXXV. » Tumulus ejus hoc epitaphio decoratur:

Sta, lege, bene precare viator.
Hic jacet ex nobili stemmate nobilior princeps
Lotharius ex patre Metternich matre de Petra.
Is ætatis 75, regiminis 4. & 20. anno,
A terreno principatu ad cœlestem, ut spes est, transiit.
Fide erga Deum, ecclesiam, & imperium Rom. semper integra.
Prudentia, humanitate, clementia, pacis studio,
Pietate in Deum filiali, in subditos paterna,
Dignis principe virtutibus,
Posteris reliquit exemplum, Trevericæ infulæ decus,
Gloriam immortalem sibi, & gaudium suis.
Fave, lector, applaude, sequere.

LXXXV. Philippus-Christophorus. DE SOTTERN.

« Cum ecclesia Trevirensis, inquiunt Gesta Trevirorum mss. ab obitu Lotharii octodecim diebus vacasset, legitima electione die 25 Septembris (1623) ad hoc indicta, unanimi 1623.
capitularium consensu in loco capitulari, paucis diebus ante e Nemetum mansione per nonnullos capitulares huc accersitus, magna expectatione electus & renuntiatus est archiepiscopus Trevirensis Philippus-Christophorus a *Soetern,* familia nobili & antiqua Trevirensis provinciæ: vir statura magna, corpore gracili, ore subtristi & minaci, vultu macro, oculis introrsum recedentibus, & vehementi obtutu scintillantibus, supercilio prominente, naso non adeo magno, rubra barba, capillitio tenui, nigro, canitie admixta, sincipite calvo, ætatis circiter 55 annorum. Valetudine hactenus semper usus est prospera, vix autem unquam medicorum opera, quanquam in victu non admodum exquisitus. A teneris annis ad studia litterarum totus conversus, ingenium optimo liberalium artium studiorumque delectu graviter instruxit. Omnium disciplinarum, linguarum item Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ cognitioni a primis annis vitæ integritatem adjunxit, & animum ad ecclesiasticæ vitæ institutum præ se tulit. Unde etiam aliquot metropolitanarum cathedralium & equestrium ecclesiarum illustria sacerdotia tenebat. Ob singularem œconomiam, qua credebatur pollere, anno 1610 episcopo Spirensi in spem successionis adpositus coadjutor, episcopi honores anno insequenti integros adiit..... Spiræ sanctioris tribunalis judex, pro Cæsare strenue justitiam administravit.... in archiepiscopum electus facile regalia a Cæsare & pallium a papa obtinuit, statimque animum ad magnificas structuras adjecit, vir magni consilii & animi. » Pontificatus ejus initio monachi S. Maximini in locum Petri abbatis sui defuncti Agritium suffecere. Quam electionem irritam, contraque canones factam summo pontifici declarare visum est. Guillelmus-Husmannus a *Namedy* ædis metropolitanæ præpositus, qui pallium archiepiscopo postulatum Romam adierat, abbatiam in commendam sibi conferri obtinuit. Huic autem dignitati retinendæ se imparem fore cum animadvertisset, in Philippum-Christophorum eam prælaturam litteris pontificiis Urbani VIII deferri curavit pridie

ANNI CHRISTI
1624. nonas Februarii 1624. Quo fretus diplomate A
archiepiscopus, abbatis jura possessionesque
monasterii occupavit. Interea Maximiniani
monachi suas detulere querelas ad Imperatorem,
qui Agritii defensionem suscepit, ac
archipræsulem ad abdicationem adegit 10 No-
1625. vembris anno 1625. Verum ex Senatusconsulto
curiæ supremæ Trevirensis statutum
est anno 1633, 19 Decembris ut Philippus-Christophorus
in possessione commendæ permaneret.
In comitiis habitis anno 1625 in
urbe Trevirensi tributorum exactione animos
subditorum offendit, appellationesque eorum
ad Imperatorem sua calliditate fecit irritas. B
1626. Postero anno Swickardum electorem Moguntinum,
virum spectabilem, luxere pene omnes
Germaniæ quotquot erant Catholici principes,
præterquam Trevericus archipræsul, qui illum
quasi actionum suarum censorem existimabat;
enim vero non ignorabat, ubi sua electio per
legatum capituli Swickardo nuntiata est, ipsum
legato hæc respondisse: *Periculosum vobis totique
imperio virum cooptatis. Facilius enim pilos vulpes
quam mores permutabit.* Cum episcopalem sedem
Charta c, col. 368. apud Nanceium instituere tentaret dux Lotharingiæ;
huic consilio obstitit Philippus, scriptis
ea de re litteris ad episcopum & clerum Tul- C
1627. lensem 26 Aprilis 1627. Tria ædificiorum
opera brevi tempore absoluta magnificas inter
1628. epulas novis titulis insignivit an. 1628. Arcem
Trevirensem a Lothario cœptam & quatuor
absolutam a se alis, in honorem Apostoli Petri-burgum;
arcem sub rupe Ehrenbreitsteinia
Philippivallem; uti & Udenheimense castrum
Philippiburgum suo ex nomine dici voluit.
1629. Convocatis iterum mense Januario 1629
Trevirim comitiis, inde nec discessum est
absque gravibus simultatibus. Sane civitatem
ille obsedisset, ni imperator ab oppidanis exoratus
eo in negotio commissarios instituisset D
Moguntinum & Bavarum electores. Eleonoram
imperatricem Ferdinandi sponsam Ratisbonæ
1630. coronavit an. 1630. Antecessoris sui nepotes
Carolum & Emmericum *de Metternich* majoris
ecclesiæ canonicos, quibus repetundarum imputabat
criminationem, excommunicavit ac
1631. proscripsit anno 1631. Cum Christianissimo
rege Ludovico XIII eodem anno 21 Decemb.
ictam fœderis pactionem comprobavit 9 April.
1632. 1632. Hæc ubi ad Gustavi Sueciæ regis
cognitionem venere, atrocia etiam quæque,
nisi pariter ad easdem fœderis leges admitteretur,
comminatus est. Unde, mox inito fœ- E
dere, una cum Gallis ad occupandum Confluentiæ
pontem est receptus. Quod ægre
ferentes præpositus & capitulum majoris ecclesiæ,
regimen archiepiscopatus a Romano
pontifice sibi deferri petiere. Attamen elector
nihil non movebat ut Hispani milites ex urbe
Trevirensi pellerentur; verum cives eo præsidio
freti Gallis se dedere detrectabant. Itaque
comes Estræus Franciæ marescallus exercitum
vimque urbi admovit, prostratisque ad centum
passus mœnibus, oppidanos ad pacis conditiones

tiones venire coegit. Statim ut in urbem ANNI CHRISTI
introducti fuere Galli, archiepiscopus adversus
nonnullos senatores, quos habuerat adversarios
dum militare præsidium Hispanicum civitatem
occuparet, damnationis sententias protulit 4
Januarii 1633. Consimiles etiam emisit 21 1633.
Februarii in quosdam cives Confluentinos.
Patrem Ottonem *Senheim* Dominicanum suum
oratorem apud Galliæ regem post obitum
Georgii ab *Helffenstein* suffraganeum titulo
episcopi Azotensis designavit anno eodem.
Gallica protectione fretus, universali per speciem
immunitionis tributorum eo anno habito
cœtu, plurimum ea auxit. Coloniensem urbem
in Galliæ regis partes trahere frustra tentavit
14 Augusti. In canonicos deinde capitulares
Cæsari imperioque fideles varia molitus est ut
illos vel suarum faceret partium vel proventibus
spoliaret. Ut id accepit nuntius apostolicus,
impetum electoris voluit cohibere, missis ad
eum litteris per latorem, qui in vitæ periculum
incurrit, falso accusatus quod venenum in
litteris ad principem interimendum attulisset.
Syndicum etiam cleri Johannem *Linden*, qui
itidem a capitulo ad nuntium apostolicum
missus fuerat, carceri inclusit, in quo multis
ærumnis per quadriennium degit afflictus.
Archiepiscopus tamen, spretis apostolici legati
monitionibus, ecclesiasticas subiit censuras
1634, quo pro viribus enixus est ut Arman- 1634.
dum cardinalem *de Richelieu* regni Franciæ
administrum Spirensis ac Trevirensis ecclesiarum
coadjutorem sibi adscisceret. Insequenti 1635.
anno 26 Martii subdole intercepta ab Hispano
milite civitate Trevirensi, interceptus & ipse
est, libertateque orbus in Belgium a comite
Embdano deductus, tanto majori dolore suo,
quanto e subditis pauciores dolere cerneret.
Cum autem anno 1636 suæ liberationis spem 1636.
conspiceret incertam, paci Pragensi sese accessurum
recepit, & postquam libertati restitutus
foret, acturum ut Galli Confluentiam arcemque
Ehrenbreitsteinianam linquerent; nec multo
post pacificationem per archidiœcesim Trevirensem
curavit promulgari. Qua publicatione
facta, e Belgio in Germaniam septus Hispanorum
comitatu adductus est Ratisbonensibus
comitiis adstandi prætextu. Verum Imperator,
cui electoris ingenium apprime notum erat,
veritus ne ille intercederet electioni Ferdinandi
filii sui, quem Romanorum regem creari cupiebat,
hunc Lintzium ablegavit: unde postero 1637.
anno Viennam traductus apostolici nuntii
custodiæ committitur. Indignatus is tanto se
tempore captivum detineri, eamque moram
Husmanno præposito Trevirensi atque Metternichiis
majoris ecclesiæ canonicis imputans,
excommunicationis ex ipsa captivitate Viennensi
in eos intorsit fulmina, simulque a Cæsare
male informato appellavit ad imperii comitia
nec non ad Romanum pontificem an. 1640, 1640.
18 Julii. Suam demum libertatem, Gallis
maximoque pontifice urgentibus, a Cæsare
recepit an. 1645, ea lege ut Philippiburgum 1645.

ANNI CHRISTI

a Gallis recuperaret, offensasque cum capitulo A
& ministris aboleret, insisteretque paci Pragensi. His utrinque constitutis, in magno procerum nobiliumque consessu ab imperatore Ferdinando III regalibus est donatus 25 April. ejusdem anni, mandatumque rex Franciæ Ludovicus XIV dedit gubernatori Philippiburgi ut electorem, si per loca Francici dominatus ille transiret, eodem honore quo regem ipsum excoleret. Hispanis ultro ab urbe discedentibus, ab Henrico de Turre, vicecomite Turenæ, fortissimo Christianissimi regis exercituum tribuno, comitantibus Francicæ militiæ proceribus, Trevirim suum in palatium post- B
liminio reductus est. Mox ad ingenium moresque reversus pristinos urbem tribus novis propugnaculis non cœpit modo munire, verum & quosdam capitulares canonicos, monachosque S. Maximini modis omnibus exagitare. Fœdus cum Franciæ rege Ludovico feriit 19 Julii
1646. 1646. Episcopo Azotensi Ottoni *Senheim* suffraganeo suo, repugnante capitulo, canonicatum in æde majori attribuit 7 Septembris
1647. 1647. Philippum-Ludovicum baronem *de Reiffenberg* aut Hugonem Eberhardum comitem Cratzium sibi senescenti coadjutorem
1649. cooptare statuerat an. 1649; ast insequenti C
1650. anno 4 die Junii plenam canonicis capitularibus potestatem coadjutoris, quem ipsi vellent, eligendi fecit, atque præter ejus exspectationem Carolus-Gasparus a Petra majori suffragiorum numero proclamatus est 11 Julii. Hanc electionem ut circumduceret nihil prætermisit archipræsul, sed neque clamores neque molimina ejus impediere quominus Romæ publi-
1651. cata foret an. 1651, 19 Januarii. Eodem anno capitulum Trevirense in Noribergensi conventu interceptam electoris exhibuit epistolam, ex qua constabat ipsum adlaborasse ut Trevirensem archiepiscopatum ab imperio avelleret, D
& Galliæ regi subderet. Quapropter capitulum omni contentione instabat ut, seclusa omni cura, ad ejus depositionem procederetur. At renuit legatus Moguntinus, ea potissimum causa quod jus deponendi electoris non ad comitia statuum, sed ad solum electorale collegium pertineret. De vita migravit Philippus-Christophorus anno 1652 die 7 Februarii, an. ætatis 87, electoratus 29, Spirensis vero episcopatus 42. Corpus ejus depositum est in æde metropolitana ante aram S. Luciæ, cor Spiram translatum, & intestina in Capucino- E
rum sacello recondita. En ejus epitaphium:

Viator sta & contemplare jacentem.
Hic situs sum,
Philippus-Christophorus ex familia Soteren
Archiepiscopus, elector, archicancellarius, episcopus,
Administrator, præpositus, commendator, judex &c.
Sed tot titulos brevis clausit tumulus,
Ultima mortalium rerum meta.
Hæc specta & mundi vanitatem vivus plange,
Ne mortuus egeas lacrymis.

Ego morti subjectus sum, postquam præfuissem
Spirensibus episcopus annis XLII.
Trevirensibus annis XXVIII, mensibus IV, diebus XIII.
Quam religiose, fortiter, prudenter, juste!
Quid litaverim Deo! imperio! mitris! posteritati! mihi!
Expende fastorum, fœderum, actorum, rationum indices,
Conspice fana & profana palatia, turres, aggeres, rudera
Et dic: satis est; quiescat anima & cineres.
Sat multa fecit, & passus est.
Habeat quietem moriendo,
Quam vivendo habere non potuit.

LXXXVI. Carolus-Gasparus. DE PETRA *sive* DE LEYEN.

Haud pridem ab antecessoris obitu, die
scilicet 12 Martii 1652 inauguratus est 1652.
Carolus-Gasparus, jam ante coadjutor, Prumiensis abbatiæ administrator perpetuus, præpositus Weissenburgensis & Odenhemensis. Ipsa die in exterorum principum & Trevericæ nobilitatis splendido comitatu a metropolitanæ ædis præposito Emmerico, ac decano Damiano a *Metternich*, cæterisque capitularibus, postquam assuetum præstitisset juramentum, pluviali indutus, & ardentem cereum manu gestans, e capitulo ad summam aram processit; cui dum insideret, chorus hymnum Ambrosianum præcinuit. Inde ad sedem archiepiscopalem, atque demum ad palatium deductus est, ubi ab urbis magistratibus salutatus, oblatas urbis claves recepit, quas mox restituit. Quibus præmissis, suas omnes in subditorum commoda convertit curas. Re quidem vera anno eodem emisit edictum de reficiendis ædificandisque domibus in civitate. Generalia provinciæ habuit comitia 25 Junii; transactionem iniit 22 Julii cum comitissis Seinensibus ratione dominii *de Freisburg;* diversa monasterii sancti Maximini privilegia autoritati suæ noxia imperiali decreto aboleri fategit 25 Octob. Sanctionem ejusdem decreti consecutus est 4 Junii
1653. Mosellæ ripam munitionibus jussit 1653.
firmari 15 Aprilis 1654. Eodem anno 8 Junii 1654.
generalem celebravit conventum, mandataque direxit ad officiales Trevirensem & Confluentinum nec non ad regionis satrapas in causis justitiæ. Ad pactionem una cum DD. *de Soëtern* accessit 14 Octob. In fœderis leges coivit 15 Decemb. cum electore Moguntino, episcopo Monasteriensi & comite Palatino-Neoburgico. Certam pecuniæ summam a Luxemburgensi clero ratione pallii numerandam exegit 20 Decembris. Civilia bona licet a clericis vel aliis immunitates habentibus possessa subjecit
tributis 24 Aprilis 1655. Placito vetuit 20 1655
Novembris ne immobilia clero aut nobilibus absque principis consensu cederent. Per alterum
præcepit an. 1656, 24 Martii ut abalienata 1656.
bona e possessione virorum manus mortuæ educerentur.

ANNI CHRISTI

educerentur. Congressioni habitæ Carlichii A
prope Confluentiam de eligendo capite im-
1657. perii interfuit anno 1657, ac ei visum est ut,
electore Bavaro imperiale diadema abnuente,
imperii honos Leopoldo archiduci deferretur;
1658. quocirca anno postero huic principi suffragatus
est. Brandeburgico electori auxilium adversus
Suecos petenti, imo & novi fœderis Franco-
furtani a nonnullis imperii statibus cum coronis
Galliæ & Suecicæ contracti rescissionem postu-
lanti, diversas eo anno scripsit litteras. Quæs-
tionem jam ab anno 1657 agitatam super jure
metropolitico in episcopatibus Metensi, Tul-
lensi & Virdunensi exercendo, amica societate B
cum Franciæ rege sancita, ad felicem exitum
1661. deduci procuravit 12 Octob. 1661. Trans-
actionem de jurisdictione in quibusdam locis
1662. iniit 28 Augusti 1662 cum capitulo ecclesiæ
collegiatæ S. Florini. Produxit edictum anno
1665. 1665, 1 Augusti de more obeundi jurisdic-
tionem ecclesiasticam in comitatu Virnebur-
1667. gensi. Assensit an. 1667, 6 Martii constitutioni
collegii in urbe Trevirensi pro clericis nobi-
libus. Perpetuam unionem in spiritualibus &
temporalibus cum archiepiscopo Moguntino
1670. stabilivit 20 Februarii 1670. Pactionem cum
Johanne-Georgio duce Saxo-Weimariensi C
confecit anno eodem 28 Decembris. Coadju-
1672. torem allegit 7 Januarii 1672 Johannem-
Hugonem ab *Orsbeck* suum ex sorore nepotem.
Seminarium sancti Lamberti ad informandos
duodecim juniores clericos instituit 16 Julii
1673. 1673. Litteras eodem 27 Augusti & 10
Octobris ad Cæsarem itemque ad comitia
Ratisbonensia direxit ergo postulandi opem
adversus Gallos, qui hostiliter in Trevericam
regionem irruperant. Ignobilia quædam prædia
1675. nobilitavit anno 1675 in gratiam Johannis-
Jacobi d'*Eltz*. Ob insignem victoriam de Gallis
ad Pontem-Saræ 11 Augusti hujus anni repor- D
tatam, annuam sanxit supplicationem in festo
Nativitatis Dei-paræ virginis. Diem obiit
supremum 1 Junii 1676. Cujus exsequias
funebri elogio 2 Julii in æde metropolitana
honestavit pater Adamus *Pinel* Societatis Jesu.

D'ORSBEK.

LXXXVII. JOHANNES-HUGO.

Illustri Orsbecciorum & dominorum *de Vernich* Juliacensis ditionis familia, generis
paterni, matre vero de Petra, electoris Caroli-
Gaspari sorore, 13 Januarii an. 1634 genitus
Johannes-Hugo, ex metropolitanæ Trevirensis
capitulari canonico & archidiacono S. Agathæ E
in Longviono electus in coadjutorem Trevi-
rensem 7 Januarii 1672, in episcopum Spi-
rensem 16 Julii 1675, mox a decessoris
avunculi obitu Trevirensis ecclesiæ subiit regi-
1676. men 1676. Provincialia comitia eodem anno
2 Septembris coegit. Carthusiæ Trevirensis
privilegia confirmavit 20 Novemb. Acceptis
a Leopoldo Cæsare regalibus 20 Februarii
1677. 1677, omnia documenta ac diplomata ab
imperatoribus regibusque concessa imperiali
autoritate die & anno iisdem fulciri sategit.
Suam in protectionem suscepit castrum Ehren-
burgense 30 Julii. Donatus est & aliis litteris
a Leopoldo imperatore die 3 Novembris uti
& anno sequenti 8 ejusdem mensis. Pactionem 1678.
cum equestri ordine inierat 22 Septembris
proxime elapsi. Militaria instituta copiis præ-
scripsit 8 Januarii 1680. Conventionem 1680.
confecit 18 Januarii 1681 super dominio in 1681.
Vallendar. Cum monasterio Lacensi transegit
16 Februarii 1682 de jurisdictione in certo 1682.
loco. Comitiis generalibus questus est anno
1684 de damnis adversus civitatem Trevi- 1684.
rensem ab exercitu Gallico admissis. Epterna-
censis abbatis Willibrordi fidem accepit anno
1685, 16 Octob. Generali edicto communia 1685.
bona abalienari vetuit an. 1688. Eodem anno 1688.
18 Novembris tria vini plaustra comiti *de la
Lippe* singulis annis exsolvenda attribuit in
remunerationem urbis Confluentinæ viriliter
adversus Gallos ab ipso defensæ. Augustam
Vindelicorum profectus anno 1689, adstitit 1689.
24 Januarii electioni Josephi Romanorum
regis. Pœnas clericis de concubinatu suspectis
decrevit 29 Aprilis 1690. Imperatorem ob- 1690.
testatus est litteris 4 Augusti 1692 ne nonus 1692.
elector in collegium admitteretur. Epistolam
ad summum pontificem direxit 7 Junii 1699 1699.
in gratiam capituli Wormatiensis. Cum Anna
Angliæ regina itemque cum ordinibus fœde-
ratis Belgii in societatem coivit 8 Maii 1702. 1702.
Protulit edictum 25 Julii 1707 de inter- 1707.
dicendo commercio intra quoddam ab urbe
Trevirensi spatium. Tempus omnibus debi-
toribus archidiœceseos addidit 15 Junii 1709. 1709.
Mortalitatem exuit 6 Januarii 1711. Fune-
brem ejus laudem dixit Gasparus-Adamus *Betz*
consiliarius ecclesiasticus & prædicator aulicus
16 Martii 1711 in ecclesia majore B. M. V.
Confluentiæ.

LXXXVIII. CAROLUS.

DE LORRAINE.

Carolus-Josephus-Ignatius-Antonius-Jo-
hannes-Heliottus filius Caroli V ducis Lotha-
ringiæ & Barri ex Eleonora-Maria Austriaca,
sorore Leopoldi imperatoris, primum Michaëli
Poloniæ regi nupta, natus est Viennæ 24
Novembris 1680. Confluentiæ in collegiata
ecclesia sancti Castoris, ubi capitulum majoris
ædis propter metropolim a Gallis occupatam
residebat, coadjutor electus est anno 1710, 1710.
24 Septembris, habenasque regiminis accepit
6 Januarii 1711. Fuit etiam episcopus Osna- 1711.
brugensis, major prior Castellæ, primas Nanceii,
& abbas commendatarius Insulæ in Barrisio.
Pecuniariam opem a statibus patriæ poposcit
13 Novembris 1711, itineris sumptibus
victusque expensis subveniendi causa in diœta
electionis & coronationis imperatoris Caroli
VI. Rubentibus pustulis Viennæ sublatus est
4 Decembris 1715; cui funerales exsequias
in æde metropolitana Trevirensi exsolvit suc-
cessor 15 Februarii 1717, laudationem mor- 1715.
tui adstantibus declamante præfato Gasparo-
Adamo *Betz*.

ANNI CHRISTI

DE NEUBOURG.

LXXXIX. Franciscus-Ludovicus.

Franciscus-Ludovicus Philippi-Guillelmi principis electoris Palatini filius, Magdalenæ-Thereſiæ-Auguſtæ Leopoldi imperatoris ſponſæ, & Mariæ-Annæ Hiſpaniarum reginæ frater, natus eſt 24 Julii 1664. Is Wormatienſis ac Uratiſlavienſis antiſtes, nec non præpoſitus Elvacenſis, magnus ordinis Teutonici magiſter, atque Moguntinus coadjutor, in generali canonicorum cœtu, nullo contradicente, in archi-
1716. præſulem cooptatus fuit 20 Februarii 1716. Ubi ad eum electionis nuntius eſt delatus, acquieſcere noluit quin Clemens XI pontifex prius gratam habuiſſet, feciſſetque ei gratiam una cum coadjutoria Moguntina cathedrales ecclesias Wormatienſem, Uratiſlavienſem, & omnia quæ poſſidebat ſacerdotia retinendi. Metropolitano capitulo denominationem ſubjectorum permiſit ad primas preces archi-
1717. epiſcopales 14 Auguſti 1717. Poſt conflagrationem eccleſiæ eo anno obventam, non tecta ſolum reſtituit, ſed & univerſam baſilicam multo ſplendidiorem reddidit, crucis forma in fornicem inducta. Præviam omnium archidiœceſis Trevirenſis judiciorum ordinationem
1719. ſancivit 1 Januar. 1719. Decretum & alterum tulit eodem 15 Aprilis. Privilegium a Carolo
1721. imperatore conſecutus eſt 30 Septemb. 1721.
1722. Quamdam an. 1722, 21 Maii prærogativam attribuit conſilio electorali aulico Trevirenſi. Binis ſacerdotibus Societatis Jeſu licentiam
1724. fecit an. 1724, 27 Aprilis verbum Divinum per omnes diœceſis parochias diſſeminandi. Adverſus comitem Neowedanum de Catholicæ religionis exercitio 23 Septemb. ejuſdem anni memoriale direxit ad Imperatorem. Lothario Franciſco electore Moguntino diem ultimum functo, Trevirenſem eccleſiam abdicans Franciſcus-Ludovicus anno 1729 initio menſis Januarii, ad ſedem Moguntinam tranſiit.

DE SCHÖNBORN.

XC. Franciscus-Georgius.

Franciſcus-Georgius ex comitibus *de Schönborn*, *Pucheim*, *Wolffsthal*, metropolitanarum eccleſiarum Trevirenſis præpoſitus, Colonienſis ſcholaſticus, cathedralium Spirenſis decanus, Monaſterienſis canonicus, S. Mauritii Auguſtæ Vindelicorum præpoſitus, regii Hiſpanici ordinis ſancti Jacobi eques, Cæſareæ majeſtatis camerarius & conſiliarius aulicus, nec non eminentiſſimi electoris Moguntini conſiliarius intimus, canonicorum capitularium unanimibus votis in deceſſoris locum ſuffectus eſt 2 Maii
1729, & poſt adeptam electionis ſuæ confirmationem, a fratre ſuo Friderico-Carolo epiſcopo Bambergenſi & Wirceburgenſi die 28 Octobris Bambergæ preſbyter ordinatus, ac biduo poſt archiepiſcopus conſecratus. Plurima publicavit edicta inſequentibus annis, ſolennique apparatu in Francofurtanam civitatem eſt ingreſſus 2 Octobris 1745 coronationi Franciſci imperatoris adſtandi gratia. 1745.
Obiit 18 Januarii 1756 natus annos 73 & ſex menſes.

DE WALDERDORFF DE MOLLSBURG.

XCI. Johannes-Philippus.

Johannes-Philippus procreatus 26 Maii anno 1701, comprobantibus canonicis archipræſul evaſit 1756, itemque epiſcopus Wormatienſis 1756.
20 Julii 1763; apoplexia correptus obiit Confluentiæ 11 Januarii 1768, natus annos 67.

DE SAXE.

XCII. Clemens-Venceslaus.

Frederici-Auguſti Poloniæ regis, ac Saxoniæ electoris, ex Maria-Joſepha Auſtriaca regina filius princeps Clemens-Venceſlaus, natus eſt 28 Septembris 1739. Jam epiſcopus Friſengenſis, Ratiſbonenſis & coadjutor epiſcopi Auguſtani, cum in archiepiſcopum & electorem Trevirenſem a majori capitulo cooptatus fuit 10 menſis Februarii 1768, & a ſummo 1768.
pontifice in conſiſtorio propoſitus 14 Martii anni ejuſdem.

PRÆPOSITI TREVIRENSES.

I. Rambertus I ſubſcribit anno 1052, indictione v, chartæ Eberhardi archiepiſcopi in gratiam eccleſiæ S. Simeonis.

II. Burchardus præpoſitus ad regem Rutenorum regia perfunctus eſt legatione, de qua agunt Sigebertus Gemblacenſis, Lambertus Schafnaburgenſis & Maſcovius ad annos 1073 & 1075. Burchardi affinitatem cum Wewoldo Ruſſorum rege explicat Gebhardus in genealogia marchionum Aquilonalium, p. 58.

III. Arnoldus I laudat an. 1075, indict. XIII donationem ab Udone archipræſule eccleſiæ S. Simeonis indultam. Occurrit anno 1085, XVI calend. Julii, in litteris Engilberti archiepiſcopi, itemque anno 1097, V id. Julii.

IV. Bruno reperitur circa annum 1098 in inſtrumento Engilberti varia prædia in pago Bedenſi tribuentis eccleſiæ S. Simeonis. Evaſit archiepiſcopus anno 1102.

V. Rambertus II anno 1107 teſtis legitur in inſtrumento fundationis abbatiæ Springirſbacenſis.

VI. Godefridus ſubſcribit an. 1123 nonis Octobris litteris Brunonis archiepiſcopi confirmantis poſſeſſiones cœnobii Munſterienſis de Luxemburgo. Poſt Megineri archipræſulis obitum nonnullorum ſortitus eſt vota, ut illi ſuccederet. Memoratur in pluribus litteris & documentis Alberonis archiepiſcopi, videlicet anno 1132 in abſolutione data Simoni duci Lotharingiæ; anno 1135 in fundatione monaſterii de Wadegotia; 1136 XIII cal. Febr. in litteris de introductione Præmonſtratenſium in abbatiam S. Pauli Virdunenſis; in compo-

sitione eodem anno inita inter canonicos sancti Simeonis & S. Georgii Bambergæ; in instrumento fundationis claustri Hemmenrodensis & in charta in gratiam ecclesiæ S. Simeonis anno 1138; in transactione confecta inter Adalberonem archiepiscopum & Henricum comitem Namurcensem pridie nonas Januarii 1146. Testis adstitit 16 Augusti 1152, cum Matthæus dux Lotharingiæ sanctimonialibus Romaricensibus ablata restituit, itemque cum comites Saynenses Ebherardus & Henricus eodem anno castrum suum Saynense ecclesiæ Trevirensi contulere. Subscripsit IV cal. Novembris 1156 fundationi monasterii Arnsteinensis ordinis Præmonstratensis. Occurrit VIII idus Januarii 1157, indict. V in diplomate Friderici imperatoris; eodemque in confirmatione fundationis de Bello-campo. Insequenti, VII idus Martii, laudavit permutationem factam inter canonicos Wormatienses & Hillinum archipræsulem Trevirensem. Recurrit adhuc calendis Aprilis ejusdem anni in litteris ipsius Hillini tradentis castrum Nassouwe in feudum ligium comitibus Lurenburgensibus. Subsignavit tandem chartæ hujusce præsulis anno 1162.

VII. Rodulfus de Weda duabus in litteris Hillini archiepiscopi pro monasterio Hemmenrodensi legitur an. 1167 & 1169. Testis reperitur 1177 in privilegio quod Arnoldus archipræsul indulsit cœnobio S. Trudonis; subscripsit anno 1178 instrumento unionis monasterii sanctæ Mariæ Luxemburgensis ad abbatiam sancti Vitoni Virdunensis. Signum adscripsit 1181 duobus aliis Arnoldi documentis, itemque anno 1182 compositioni inter canonicos S. Simeonis & cives Confluentinos. In archiepiscopum a majori capituli parte electus an. 1183, æmulum habuit Folmarum archidiaconum: sed utrumque post diuturnum schisma jure suo excidisse edixit Clemens III summus pontifex. Superstes adhuc an. 1197, 6 Aprilis, ex diplomate Henrici comitis Palatini Rheni nuntium remittentis advocatiæ ecclesiæ & urbis Trevirensis.

VIII. Conradus I notatur circa annum 1198 in pactione inita inter Johannem archiepiscopum & Folmarum *de Castelle*. Occurrit anno 1201 in litteris fundationis abbatiæ Seynensis. Permutationem inter collegiatam S. Simeonis & conventum S. Mariæ in *Romersdoff* confectam habuit ratam anno 1209. Johannis archiepiscopi tradentis ruinas amphitheatri Trevirensis monachis Hemmenrodensibus litteras comprobavit an. 1211. Insequenti aut circiter anno testis aderat, ubi bona ecclesiæ S. Simeonis declarata fuere immunia ab exactionibus comitis de Castris. Subscripsit an. 1216 chartæ Theodorici archipræsulis in gratiam collegiatæ S. Simeonis.

IX. Arnoldus II *d'Isembourg* legitur in confirmatione bonorum & jurium monasterii Seynensis confecta ab archiepiscopo Theodorico anno 1228. Post Arnoldi avunculi

A archipræsulis pontificatum & ipse non absque difficultate consecutus est anno 1242.

X. Richardus *de Welr* innotescit ex instrumento Irmengardis Luxemburgensis comitissæ, quo ipsa tradit bona quædam in dotem monasterii Clarisontis.

XI. Simon frater Theodorici S. Mathiæ & Roberti S. Mariæ ad Martyres abbatum, intererat cum monachi S. Mathiæ ab Henrico archiepiscopo exagitati, ad sedem apostolicam appellarunt. Quin etiam legit palam litteras Urbani papæ IV ipsum archiepiscopum suspensum denuntiantis. Memoratur an. 1267,
B fer. 4 ante Ramos Palmarum in compositione pacis inter Trevericos cives & dynastas *de Hunolstein*.

XII. Theodoricus an. 1273 fer. 2 post Nativitatem B. Virginis consignatur in litteris Henrici de Bolandia Trevirensis archidiaconi.

XIII. Boemundus *de Warnerberg* in archiepiscopum electus an. 1286, ante præsulatum præpositi & archidiaconi in ecclesia Trevirensi, nec non primicerii in Metensi munera obiit.

XIV. Balduinus *de Luxembourg* ex præposito electus in archiepiscopum 7 Dec. 1307
C ad archiepiscopale solium extollitur anno ætatis suæ 22, ut jam dictum est col. 452.

XV. Joffridus an. 1321, 17 Novembris, sigillum suum apposuit instrumento Johannis *de S.rck* in favorem Trevericæ civitatis.

XVI. Johannes *de Zollner* occurrit in donatione Jacobi domini *de Monclair* Balduino archiepiscopo collata 18 Aprilis 1346.

XVII. Conradus II *de Speygelberg* obtinebat 3 Decembris 1368, prout constat ex documento Cunonis archiepiscopi.

XVIII. Arnoldus III *de Bewart* vel *Beuwart*
D collaudavit 6 Febr. 1398 facultatem testandi a Wernhero archipræsule clericis Trevericæ diœcesis concessam.

XIX. Otto *de Ziegenhayn* ex præposito in archiepiscopum est promotus 13 Octobris 1418, ut dictum est col. 467.

XX. Fridericus de Corvia vel Crovia, seu de Cronia, cum sociatus comitibus *de Virneburg* aliisque magnatibus Ulricum *de Manderscheit*, majoris ecclesiæ Coloniensis decanum, in Trevirensem archiepiscopum cooptasset, eam ob causam in Eugenii IV pontificis odium incurrit, adeo ut pontifex
E an. 1432, Febr. die 23, mandatum dederit quo Fredericus præpositura depelleretur.

XXI. Philippus *de Sirck* an. 1455 die 15 Martii præsens aderat, cum Jabobus archiepiscopus marchionatum de Arluno tradidit in feudum Ladislao duci Luxemburgensi. In comitiis habitis 21 Junii 1456 de creando archipræsule intercessit electioni Dyteri *d'Isembourg*, quem pars capituli exoptabat. Plura habuit & ipse suffragia.

XXII. Bernardus *de Solms* occurrit ad annos 1497, 1498, 1500.

XXIII. Ebherardus *de Hoenfels* juramentum Jacobi archiepiscopi suscepit 2 Aprilis 1505.

XXIV. Johannes *de Metzenhauzen* ex præposito creatus archiepiscopus 27 Martii 1531.

XXV. Johannes-Ludovicus *de Hagen* ex præposito in archiepiscopum est electus anno 1540.

XXVI. Johannes *de Schönberg* vel *Schoenenburg* anno 1562, *quem*, ut legitur in Gestis Trevir. mss. *Universitas Treverica sæpius rectorem legerat: quod munus etiam cum archiepiscopalis & electoralis dignitatis apice, usque ad annum expletum gessit.* Memoratur 19 Aprilis in instrumento fundationis Trevirensis Societatis Jesuitarum. Senatu Trevirensi ad tempus deleto an. 1580, penes ipsum, volente Jacobo archipræsule & electore, rerum summa fuit. Eodem anno 13 Junii in statutis pro reformatione ejusdem senatus consignatur. Insequenti anno ad dignitatem archiepiscopalem & electoralem ipse est elatus.

XXVII. Hugo *Cratz de Scharpsenstein*, qui Romam adierat pallium pro Johanne archiepiscopo postulatum, primum fuit decanus, deinde præpositus, ex Gestis Trevir. mss.

XXVIII. Philippus-Christophorus *de Sottern*, qui præpositi munere fungebatur anno A 1599, ad archiepiscopi & electoris dignitatem est elatus anno 1623.

XXIX. Johannes-Guillelmus *Husman a Namedy* anno 1624 missus Romam pallium Philippo-Christophoro archiepiscopo & electori a Romano pontifice petiturus, contra jus Agritii abbatis prælaturam sancti Maximini primum sibi nactus est; verum cum se imparem ad illius defensionem dignitatis animadverteret, eam archiepiscopo a Romano pontifice impetravit. Una cum capitulo adversatus est 7 Novembris 1633 archiepiscopo canonicos ad domicilium in urbe Trevirensi figendum adigere volenti. Interfuit anno 1650, 11 Julii B electioni Caroli-Gaspari in coadjutorem cooptati. Adhuc memoratur 23 Augusti ejusdem anni.

XXX. Damianus-Emericus *d'Orsbeck* 1682.

XXXI. Carolus-Gasparus *de Kesselstat* obtinebat an. 1689. Promotioni Francisci-Ludovici comitis Palatini in archiepiscopum & electorem Trevirensem interfuit 20 Febr. 1716.

XXXII. Franciscus-Georgius comes *de Schönborn*, ex præposito in electorem & archiepiscopum assumptus 2 Maii 1729.

XXXIII. Josephus-Franciscus *de Kesselstat* 1745.

DECANI TREVIRENSES.

I. S. Wolfangus Henrici archiepiscopi familiaris ac condiscipulus, obedientiæ necessitate compulsus, vix consensit ut esset decanus circa annum 960.

II. Godefridus occurrit 7 Octob. 1123 in confirmatione bonorum abbatiæ Munsteriensis Luxemburgi. Insequenti anno archiepiscopus evasit.

III. Folmarus an. 1130 unus fuit e canonicis, qui ad Innocentium II litteras direxerunt de electione Alberonis archiepiscopi, in cujus locum comes Palatinus advocatus ecclesiæ Trevirensis, itemque nobiles atque populus sufficere volebant Geberhardum Virzeburgensem. Episcoporum conventui Theodonis-villæ interfuit anno 1132. Subscripsit anno 1134 chartæ fundationis abbatiæ de Vadegotia. Metensi concilio adstitit 1135. Insequenti memoratur in instrumento de introductione Præmonstratensium in abbatiam S. Pauli Virdunensis; nec non etiam in compositione confecta inter canonicos S. Simeonis & S. Georgii Bambergensis. Subscripsit anno 1138 fundationi monasterii Himmenrodensis, itemque litteris in gratiam collegiatæ ecclesiæ S. Simeonis.

IV. Hillinus legitur anno 1145 in charta Alberonis archiepiscopi pro cœnobio Senoniensi. Ex decano creatus est archipræsul anno 1152.

V. Rudolphus notatur in charta de funda- C tione monasterii Arnsteinensis 29 Octobris 1156. Subscripsit anno 1157, 6 Januarii diplomati Friderici I imperatoris Hillino archiepiscopo confirmantis abbatiam S. Maximini. Transactioni inter Hillinum archiepiscopum & canonicos Wormatiensis ecclesiæ nomen adscripsit 9 Martii 1158. Eodem anno calend. Aprilis testis occurrit in documento præcitati archipræsulis. Anno vero 1160 donationem Alberto episcopo Virdunensi collatam probavit. Memoratur anno 1161 in privilegio concesso Rembaldo Stivagiensi abbati: quin & anno 1162 in alio attributo ecclesiæ sancti Simeonis.

VI. Johannes innotescit an. 1167 ex charta Hillini archiepiscopi varia prædia Hemmen- D rodensibus monachis concedentis. Reperitur 1177 in instrumento Arnoldi archipræsulis pro monasterio S. Trudonis. Monasterium sanctæ Mariæ de Luxemburgo uniri abbatiæ S. Vitoni Virdunensis sua subscriptione probavit an. 1178. Legitur & anno 1181 in duabus litteris Arnoldi archiepiscopi. Pactioni inter canonicos S. Simeonis & cives Confluentinos initæ subscripsit an. 1182.

VII. Willelmus memoratur anno 1193, IV cal. Maii in diplomate Henrici VI imperatoris in gratiam monasterii Sprinckersbacensis. Testis aderat ubi Henricus comes Palatinus Rheni advocatiam ecclesiæ & civitatis Trevirensis cessit in manibus Johannis

archiepiscopi an. 1197. Ratam habuit anno 1209 commutationem initam inter collegiatam S. Simeonis & abbatiam *de Romersdorff.* Reperitur etiam an. 1212 in documento. A

VIII. Robertus an. 1269 die 8 Octobris innotescit ex compositione peracta inter Gerlacum *d'Isembourg* & capitulum S. Simeonis. Nomen suum an. 1273, 11 Septemb. apposuit chartæ Henrici de Bolandia archidiaconi.

IX. Nicolaus anno 1367, 12 Januarii assensum præbuit ut Boemundus II post cessionem archiepiscopatus, quandiu viveret, quasdam haberet possessiones.

X. Gerlacus dominus *de Lympurg* obtinebat anno 1379. Occurrit anno 1398 in litteris Werneri archiepiscopi de concessa clericis Trevirensibus facultate testandi. B

XI. Fridericus *de Blanckenheim* legitur in litteris, quas capitulum ad Bonifacium IX direxit an. 1399, ut Vernero archiepiscopo mentis impoti daretur coadjutor.

XII. Tilmannus de Indagine una cum quibusdam canonicis an. 1433, 11 Martii concilii Basileensis imploravit auxilium adversus exactiones Ulrici *de Manderscheit* a nonnullis in archiepiscopum electi. C

XIII. Edmundus *de Mailberch* 21 Julii 1456 in comitiis de eligendo archipræsule habitis, electionem Dyteri *d'Isembourg* comprobare detrectavit, ipseque suffragia sortitus est.

XIV. Eberhardus *de Hoenfels* occurrit in pactione fœderis sancita inter Hermannum Coloniensem & Johannem Treverensem archiepiscopos anno 1488, 17 Maii. Dominica 1 Quadragesimæ anno 1503 Jacobo Johannis coadjutori infensus, nihil non molitus est ut in ipsius locum sufficeret Georgium Palatinum. D

XV. Philippus *de Krichingen* occurrit 2 Aprilis 1505 in juramento præstito ecclesiæ Trevirensi ab archiepiscopo Jacobo. Transactionis inter eumdem Jacobum & civitatem Trevirensem arbiter exstitit 9 Junii 1506. Adhuc reperitur an. 1511, 17 Maii in charta capituli.

XVI. Franciscus *de Crichingen* confirmatus est ab archiepiscopo Johanne a *Mezenhausen* 14 Januarii 1535.

XVII. Jacobus ab *Eltz* in archiepiscopum eligitur an. 1567 die 7 Aprilis.

XVIII. Bartholomæus a Petra confirmatur 14 Aprilis 1567 a Jacobo ab *Eltz* archiepiscopo.

XIX. Hugo *Cratz de Scharffenstein,* primum canonicus, deinde decanus, tandem vero præpositus majoris ecclesiæ, ex Gestis Trevir. mss. memoratur 1599 in libro cancellariæ Trevirensis sub Lothario archiepiscopo.

XX. Johannes-Willelmus *de Metzenhausen* 9 Januarii 1631. Eodem anno ob ausa contra plurimos canonicos a capitulo culpatur. Legitur an. 1633, 7 Novemb. in tabulis capituli.

XXI. Damianus-Henricus *de Metternich* consignatur an. 1647 in litteris ad Philippum-Christophorum archipræsulem directis. Interfuit 11 Julii 1650 comitiis cleri, in quibus est electus coadjutor Carolus-Gasparus a Petra.

XXII. Hugo-Fridericus ab *Eltz* confirmatur a Carolo-Gasparo archiepiscopo & electore 8 Aprilis 1656.

XXIII. Johannes-Ludovicus-Wilhelmus ab *Eltz* confirmatus 27 Septembris 1658 ab archiepiscopo Carolo-Gasparo.

XXIV. Johannes-Philippus Liber baro *de Waldeldorff* confirmatus ab eminentissimo electore Johanne-Hugone ab *Orsbeck* 20 Martii 1679.

XXV. Damianus-Ernestus a *Warberg* confirmatus ab eminentissimo electore Johanne-Hugone ab *Orsbeck* 3 Novembris 1689.

XXVI. Johannes-Wilhelmus-Antonius ab *Eltz* a præfato electore confirmatus 22 Augusti 1703.

XXVII. Carolus-Josephus-Lotharius *Scheuck* a *Schmidburg* confirmatus ab electore Carolo a Lotharingia 25 Aprilis 1715. Interfuit an. 1716, 20 Febr. promotioni Francisci-Ludovici comitis Palatini in archiepiscopum Trevirensem.

XXVIII. Carolus-Gasparus *de Quad* confirmatus ab electore Francisco-Ludovico *de Neubourg* 19 Aprilis 1725.

XXIX. Johannes-Philippus Liber baro *de Walderdorff* confirmatus ab electore Francisco-Georgio *de Schonborn* 10 Aprilis 1742. Memoratur adhuc an. 1745.

XXX. Franciscus-Carolus-Ludovicus Liber baro *Boos de Waldeck* & *Montfort* confirmatus est ab electore Francisco-Georgio comite *de Schonborn* 3 Februarii 1755.

DE VETERIBUS ECCLESIÆ TREVIRENSIS MONASTERIIS.

Cougnon. I. CASEGONGINDINUS vel Caseguidinus. Sigebertus III rex in ducatu Luxemburgensi ad fluvium * Sesmarum, Chiniacum inter & Bullonium, id exstruxit monasterium circa annum 644, cui præfecit Remaclum, Aquitanum genere & S. Eligii discipulum, testibus Notkero & Harigero ejus vitæ scriptoribus. Fuit is e Solemniacensi Lemovicensis diœcesis monasterio evocatus Casæconguidinum. De hoc loco ait Harigerus author seculi E decimi, cap. 52: « Extat usque nunc locus orationis ejus (Remacli) opere in rupe excisus, « unde multa proveniunt infirmitatibus bene- « ficia, ubi & se ipsum aliquandiu victimam litavit ». Cum vero hoc in loco nimia hominum frequentia quietem monachorum & arctiorem disciplinam turbaret, Remaclus, Harigero teste, alium & secretiorem locum condendo ibi monasterio a Sigeberto rege petiit & obtinuit, Malmundarium, nempe in

* Somoy.

Ch. III. col. 190.

diœcesi Coloniensi situm. Hodie Casegongindinus prioratus est abbatiæ Aureæ-vallis subditus. A

Palat. II. Palatiolum. Parthenonem hunc in suburbano palatio, ob id Palatiolum dictum condidisse, atque ibidem Basilissam præfecisse memoratur S. Modoaldus Trevirensis antistes. Palatiolum, inquit Mabillonius, locus amœnus, ab urbe Trevirorum passuum circiter tria millia in Septentrionem, villa erat ad Mosellam, ad Pipinum principem pertinens, priusquam illic cœnobium ædificaretur. Hunc locum ab ipso Pipino comparavit Adela, filia Dagoberti B Austrasiorum regis eo nomine secundi, ejus qui post Sigiberti patris mortem a Grimoaldo in Hiberniam relegatus, postea in patrium thronum restitutus est. Loco ita comparato, monasterium virginum olim a S. Modoaldo conditum instaurasse creditur Adela, tunc forte orbata viro, ex quo filium Albericum genuit. Huic soror fuit Irmina virgo & abbatissa Horreensis parthenonis ad muros Trevirenses: cujus exemplo seculo nuncium remisit, & in suum palatiolum se recepit, eidemque annos fere triginta quinque præfuisse dicitur. Addulam vocat Liudgerus episcopus in actis C S. Gregorii rectoris ecclesiæ Trajectensis ad Rhenum, ubi scribit Bonifacium, dum ad Hassos & Toringos iter ageret prædicationis causa, pervenisse ad Palatiolum monasterium virginum prope Treviris civitatem in ripa fluminis Mosellæ, cui tunc præerat abbatissa, nomine Addula, religiosa valde & timens Deum. Alia non videtur ab Adolana abbatissa, cui Elfleda, itidem abbatissa cujusdam Anglicani cœnobii, aliam abbatissam etiam Anglicanam, Romam adeuntem commendat. Hæc anno 690 calendis Aprilis, Theodorici regis regni 12, testamentum condidit, quo donationes Palatiolo quondam factas confirmat, D ubi se Dagoberti quondam regis filiam dicit, nempe Dagoberti II filii Sigeberti, quem Grimoaldus in Hiberniam pepulerat in exsilium. Ipsa vero Adela adhuc superstes anno 722 pervenit ad annum usque 735 aut circiter, quo humanis rebus excessit. Post seculum nonum præfuit Warentrudis abbatissa, Hetti Trevirorum antistitis soror, amita vero Thietgaudi ejus successoris atque Grimaldi archicapellani; qui ambo amitæ suæ epitaphium inscribi fecerunt. Non constat quo tempore vixerit Hruothildis ejusdem loci abbatissa, quæ E sub sacro velo canonica vixisse dicitur, sed in vita vere fuisse monacha, cujus tale est epitaphium:

Bonifac. epist. 51.

Ch. VI, col. 293.

Sponsa Redemtoris jacet hic tumulata Ruothildis
Sursum glorifica tripudians anima.
Dum viguit mundo, nituit castissima virgo,
Abbatissa chori candida virginei,
Mansit sub sacro speciosa canonica velo;
Sed tamen in vita vera fuit monacha.
Ipsa kalendis septenis defuncta Decembris,
Ad sponsum rediit, quem pia promeruit.

Ex quibus intelligitur Palatiolenses virgines jam inde ad canonicarum mores deflexisse. Has ad primævum institutum revocare nixus est ante medium seculum undecimum Poppo Trevirensis archipræsul. Is forte dederat uni ex illis commissuram pallii, ut inde caligas episcopales contexeret: illa ut antistitis in se amorem raperet, vestem philtro imbutam reddit. Statim ut Poppo caligas induit, tantam philtri vim expertus est, ut in nefariæ mulieris amorem tota mente & cogitatione exardesceret. Omnium tunc sententia fuit expellendam ex illo cœtu nequissimam incantatricem; cæteras ad pullam vestem (nam candidas canonicarum more tum gestasse dicuntur) & ad strictiores monacharum leges redigendas esse. Quod cum major pars, vitæ laxioris tenax, omnino respueret, visum est archiepiscopo collegium illud penitus dissolvere, facta reliquis ad alia transeundi monasteria facultate: ex quibus nonnullæ in proximum Horreense monasterium, quod integra per id tempus disciplina vigebat, migraverint. Poppo vero ex itinere Jerosolymitano redux virginibus Palatioli in varia loca dispersis canonicos substituit anno 1037, quorum in præsens usque collegium Virgini Dei genitrici sacrum perstat.

Sanctus-Symphorianus. Præter III. Horreensem & Palatiolensem parthenones, tertium in ripa Mosellæ amnis, juxta urbem Trevirensem, versus Aquilonem, Modoaldus præsul exstruxit, ac divi Symphoriani martyris nomini vovit ac dicavit, cui sororem suam Severam præstanti religione feminam præposuit; quæ ut Sigebertus refert, fraternæ virtutis haud degener, excellentibus istic christianæ perfectionis exemplis effulsit sub annum 660. Normanni autem Trevirense oppidum nonis Aprilis anno 882 in cœna Domini occuparunt, basilicas & monasteria diripuerunt ac combusserunt. Verum ante Paganorum adventum sanctimoniales S. Symphoriani ad tumulum sancti Modoaldi, qui in earum basilica sepultus erat, confugiunt orantque ut se Deus ex imminenti periculo ejusdem sancti Pontificis meritis, & ex hac vita eximat. Harum votis Deus obsecundans, omnes uno die ex hoc seculo eripuisse dicitur. Ex ejus tamen monasterii Normannica tempestate eversi superstite templo nonnihil proventuum redigebant monachi sancti Martini, qui sacra illic subinde celebrabant. Dum vero ipso die festo B. Symphoriani circa annum 1004 pervigilium illic haberent, ingentem concurrentis vulgi clamorem audierunt. Hoc excitati monachi, e templo mox prosilientes spectatum accurrunt ecquid rei esset. Forte dum abessent Ludolfus archiepiscopus templum ingreditur cum Adalderone S. Paulini præposito, qui hac officii divini intermissione ad probandam monachorum socordiam tam dextre

usus est erga archiepiscopum, ut, eo permittente, sublatum inde thesaurum in ædem S. Paulini asportaverit. Rei indignitate commoti monachi, postera die querelas apud archiepiscopum deponunt. At ille variis cunctationibus controversia extracta, petitores tam diu ludificatus dicitur, donec non solum templum Adalbero, sed & omnes eo pertinentes agros, nemine vetante, occuparet.

IV. Altripia. Id monasterium memoratur in litteris Ludovici Germaniæ regis datis VII id. Martii 868 in gratiam abbatiæ Prumiensis. Nunc vicus est in sinistra Rheni ripa super Manheimium. De eo monasterio ita loquitur Cæsarius ex abbate Prumiensi monachus ordinis Cisterciensis: *Apud* Altrippe *juxta fluvium Rheni prope* Necroge, *de quo videlicet* Altrippe *sæpius mentio fit in isto libro, erat antiquis temporibus cella fratrum nostrorum religiosorum, & erat ipsa ecclesia in honore S. Medardi consecrata.*

V. Mons S. Beati prope Confluentiam. Sita est ea ecclesia in conspectu Confluentinæ urbis, in clivo montis ad Meridiem, cis Rhenum orientale latus alluentem. Olim a sanctis Martyribus appellata, deinde nuncupationem sumpsit a corpore sancti Beati circa annum 1017 sub Poppone archiepiscopo e monasterio beatæ Mariæ ad Martyres eo translati. Hanc vero ecclesiam Confluentinus olim ad S. Castorem clerus occupavit, a quo deinde ad Benedictinos, cum ambitu montis fundisque ac possessionibus usque ad arcem capellæ excurrentibus, Hillini archiepiscopi auctoritate translata est, ut testatum manet antistitis hujus diplomate de anno 1153, cui præter abbates subscripsere plurimi nobiles regionis. Adjectum nomen prælati eodem tempore regentis, *Reingerus abbas de Monte sancti Beati.* Cui reperitur accessisse alter nominatus *Warnerus abbas* ad annum 1238. Ecclesia subinde major exstructa dedicataque ætate Theodorici archiepiscopi ab Henrico Osiliensi episcopo, qui anno 1241, XVII cal. Septembris templum hoc novum in honorem B. Mariæ virginis & SS. Confessorum Servatii ac Beati sacravit. Cum autem lapsu temporis regularis disciplina penitus collapsa fuisset, conatus primum est Boemundus I archiepiscopus vergenti in pejus licentiæ occurrere, Walramo abbate B. Mariæ ad Martyres ad formandos in melius religiosorum mores destinato; sed desperato labore ad suos reversus est abbas, & Balduini archipræsulis auctoritate effectum ut expulsis monachis duodecim canonici substituerentur; quibus demum surrogavit Carthusianos monachos 18 Augusti 1331.

Charta LXXXVIII, col. 361.

VI. Rutela. Monasterii hujus fundamenta Theodonis-villam inter & Trevirim perhibent Effeciam Caroli Magni sororem ad fastigium perduxisse, sanctimonialibusque instituti Benedictini cum amplis possessionibus inhabitandum dedisse, quibus in posterum successere ejusdem ordinis monachi. Sed raro cultore, fessa tum

RÉTHEL.

A disciplina ad annum 1431, omnia cessere Carthusianis, qui Treviris istuc novi primum coloni deducti auspiciis Lotharingiæ domus. At Effeciam ibi in oratorio sancti Stephani sepultam, ædemque a Leone III B. Xysto papæ dicatam constans & temporum serie propagata traditio. Sub annum 892 exeunte Autumno Megingaudus magnæ florentisque nobilitatis comes, neposque regis Odonis per insidias interfectus ibidem fuit. Sanctus Bernardus dum Trevirim tenderet, eo loci missam celebravit, paralyticamque mulierem sanavit. Quatuor tantum, qui huic monasterio præfuerint, abbates noti; B scilicet Folmarus qui Friderici I imperatoris diplomati subscripsit VIII idus Januarii 1157, Gaudefridus superstes 1130, Richardus 1212, & Petrus 1407.

VII. S. Germanus. De eo parthenone ita scribit Enenius in epitome Gest. Trev. fol. 60 verso: Oratorium S. Germani Autissiodorensis episcopi (cum quo S. Severus Trevirensis archiepiscopus profectus est ad Britanniam ad comprimendam renascentem hæresim Pelagianorum) situm est juxta portam mediam, quæ sancti Mathiæ porta dicitur, fundatum C per Henricum ejus nominis secundum archiepiscopum & competenter provisum; qui episcopus Nonnas ad S. Germanum extra civitatem, in loco qui ad Canem vulgo dicitur, hic investivit & eis vivendi normam contradidit. Sed Sathana agente & omne opus bonum impediente, successu temporis ardor religionis observantiaque cœpit pedetentim deficere, & Nonna una post aliam ex majori parte obire suum diem; tandem superstites ad alia loca declinare, vacavitque locus aliquandiu a divinis laudibus & missis. Quod cernens & ægre ferens D. Johannes II archiepiscopus D Trevirensis, illum locum abbati S. Mathiæ cum omnibus pertinentiis assignavit an. 1476, ut ille missas & alia Deo ordinaret. Effluxerant aliquot anni & erat in aula D. Johannis archiepiscopi jam dicti cancellarius quidam, genere & scientia ingenuus, dominus Ludolphus utriusque juris doctor, qui pensitans commodum posse evenire patriæ universæ, si gymnasium illo statueretur ad erudiendos pueros scientia moribusque, appulit animum, consilium, & opus ut id fieret. Denique summa diligentia elaboravit apud prædictum Johannem archiepiscopum & reverendum E D. Anthonium abbatem conventumque sancti Mathiæ, quo annuerent huic rei fructuosissimæ felicissimæque, exauditusque est pro sua reverentia. Mutatur hinc cœnobium in collegium. Instituti illic religiosi viri, quos vulgo aureos sacerdotes appellitant, nimirum ob exactam communem obedientiariam laudabilemque vitam; qui cum sint seculares (nulli enim regulæ subjecti) decentissimum gerunt habitum, religiosæ conversationi aptissimum, quos malitiosi nonnulli insectando Cuculligeros nominant. Insuper memoratus archiantistes Johannes dedit

illis una cum cœnobio proventus & reditus, licet exigui sint, ut sequentia onera portent, laudem divinam accumulent, perpetuo ludum literarium teneant. Hanc commendatissimam traditionem & institutionem ratam habuit D. Jacobus *de Baden* memoriæ venerandæ archipræsul. Id autem collegium eo loci tantummodo substitit usque in annum 1570, quo fratres Minores 31 Januarii, conventus sui facta cessione, ædes sancti Germani perpetuo possidendas obtinuere 31 Martii a Jacobo *de Eltz* archiepiscopo, qui in ipso Minorum conventu instituit collegium, quod patribus Societatis Jesu traditum est 30 Aprilis anni ejusdem.

VIII. SCHONAUGIA. Hildelinus præcipuus autor, primusque abbas Schonaugiensis monasterii virorum, aliud item virginibus eodem nomine ad teli inde jactum constituit, quod postero tempore a Suecis eversum ac prorsus deletum fuit. In eo olim floruit B. Elisabeth abbatissa revelationum, ac prophetiæ, nec non linguarum dono admirabilis. Hæc ab anno ætatis 23 cœpit visionibus & exstasibus illustrari an. 1152. Extant ejus revelationum libri 4, & epistolarum unus, typis excusi Coloniæ anno 1628. Soror fuit Egberti abbatis Schonaugiensis, qui ejus consilio vitam monasticam amplexus est, & de ejus vita & obitu scripsit. Mortalem vitam cum immortali pia virgo mutavit XIV cal. Julii 1165, triginta sex annos nata. Sepulta est in divi Florini Schonaugiensi monachorum templo, cui Egbertus ejus frater abbas tunc præsidebat.

IX. VIRIDIS-AUGIA. Haud procul a Schonaugia erat hic parthenon, scilicet e regione limitis, quo Romani a Nava flumine & Bingio castello Germaniæ primæ stativa locaverant.

X. DIERSTEINENSE monasterium. Cœnobium istud olim monialium situm erat infra Limburgum ad Loganam amnem supra montem. In spiritalibus abbati S. Mathiæ parebat.

XI. VALSDORFIUM. situs erat hic parthenon in comitatu Itstenio, itemque sub directione abbatis S. Mathiæ stabat.

XII. SANCTUS-MONTANUS. Una & quidem dimidia a Juviniaco leuca exstitit olim habitatio canonicorum regularium, quos sanctimoniales Juviniacenses in ecclesia sancti Montani constituerant. Urbanus II pontifex bulla data in monasterio S. Egidii XIV cal. Augusti 1096 præcepit ut isti canonici rem divinam in parthenone Juviniacensi peragerent. Verum hic locus a duobus tantummodo eremitis nunc colitur.

Ch. LIX, col. 338.

XIII. SCHIFFENBURGUM. Locus hic non procul a Marburgo Hassiæ a Clementia comitissa, consensu filii sui Willelmi comitis & Irmendis filiæ, conditus atque dotatus fuit, uti comprobatur ex litteris Megineri archiepiscopi datis XV cal. Julii 1129. Primi indigenæ fuerunt canonici regulares S. Augustini; verum cum regularis disciplinæ nervum admodum laxassent, Balduinus archiepiscopus, his anno 1234 ejectis, ordinis Teutonici viros, quorum duodecim sacris ordinibus initiatos, ibidem morari voluit, quorum collegium Marpurgensi Teutonicorum domui subjecit.

Ch. LXVI, col. 345.

XIV. MARIÆ-BURGUS. Hic parthenon quondam puellarum nobilium ordinis sancti Augustini, auctoritate pontificia unitus est mensæ archiepiscopali.

XV. IN valle Martyrum in Eifliæ limine fundatum fuerat an. 1145, Eugenio III sedente, cœnobium canonissis regularibus, ut testantur litteræ ab eo pontifice Richardo abbati Springirsbacensi datæ.

XVI. MARIESTADUM. Everardus Arbergi castri Burgravius ejusque uxor Adheleidis *de Molsberg*, omni prolis suscipiendæ spe sublata, maximas opes suas B. Dei Genitrici dicare statuerunt. Quocirca Theodoricum archiepiscopum Trevirensium adeunt, rogantes auxilium in proposito quod de construendo monasterio Cisterciensis ordinis conceperant. Hic ipsorum precamina benigne suscipiens, in parœciam Kirbergensem ultra Rhenum duodecim monachos, sub directione Hermanni antea abbatis Hemmenrodensis ex Heisterbacensis vallis sancti Petri monasterio eductos, immisit ergo cœnobium ædificandi sub patrocinio B. Mariæ virginis; hosque juvit consedere in loco, qui veteris claustri postea cognomentum tulit. Everardi & Adhelaidis fundatorum opes monasterio suis adstruit litteris Theodoricus archipræsul anno 1215. Quoniam autem ea sedes præcipuis ad victum necessariis carebat subsidiis, inspirante Deipara virgine, secessere monachi anno 1227 in amœnam solitudinem comitatus Seynensis diœcesis Coloniensis, haud procul ab urbe Hachemburgo, illicque consensu Henrici Seynensis comitis atque permissu Theodorici archiepiscopi sibi struxere cœnobium, cui Johannes elector & archipræsul Trevirensis protectionis litteras exhibuit anno 1534.

XVII. NAMEDIUM. Prope & infra Andernacum erat olim cœnobium virginum ordinis Cisterciensis, cujus fundatores nobiles ab *Husman de Namedy* ab aliis dicuntur, ab aliis vero milites *de Somersberg* prope Reinbachium asseruntur. Res omnino incerta, sicut & illud, quibus de causis perierit. Nunc tantummodo templum superest.

XVIII. AFFHOLDERBACHIUM. Monasterium puellarum ordini Cisterciensi addictarum in tractu Loganæ hodie non subsistit. Amplas a diversis donatoribus huic loco traditas possessiones Theodoricus archiepiscopus confirmavit an. 1222.

XIX. WULFFERSBERG. Uno tantum quadante separatus hic parthenon ab abbatia Romersdorffii, a qua dependet, fundatorem aut ordinatorem veneratur Theodoricum Romersdorffii abbatem, qui virginibus cellam instruxit & sub

sub accitis ex parthenone Rodensi sanctimonialibus constituit informandas. Utriusque monasterii bona communia fuere usque ad annum 1172, quo Engelbertus abbas æqua divisione prædia partitus est. Cum per œconomorum incuriam virginum portio adeo imminuta fuisset, ut vix exiguus sanctimonialium numerus sustentari posset, Johannes *de Limbach* abbas Romersdorffii residuos proventus suo adnexuit monasterio anno 1521. Hactenus nihil omnino superest, præter mediam ecclesiæ proram ad sacrificium dominicis & festis offerendum satis idoneam.

XX. Dorlar. Non longe a municipio *Giezen*, ad Lanum fluvium fundatus fuit parthenon Dorlacensis an. 1220 a comitibus Nassoviis *Sarbrucken*, ibique virgines ex Altemberga evocatas collocavit Bruno abbas Romersdorffii, quibus præfuere istæ magistræ, sic in obituario recensitæ:

I. Gysela VII cal. Februarii.

II. Lysa VIII cal. Aprilis.

III. Sophia VII cal. Maii.

IV. Irmengardis kal. Junii.

V. Hilla nonis Decembris.

VI. Margareta 25 Decembris.

VII. Gertrudis, sub cujus regimine parthenon, annuentibus patribus concilii Basileensis, unitus est an. 1436 abbatiæ Romersdorffiensi.

XXI. Thronense nobilium sanctimonialium monasterium ordinis Præmonstratensis, in Cattimelibocensium nemoroso loco situm, licet olim ratione Werheimensis, sub qua situm erat, ad diœcesim Moguntinam spectasset, hodie tamen locus una cum parochia Trevirensi archiepiscopo, qua ordinario, paret in sacris catholicis; territorium vero commune est Trevirensi Nassovicæque ditioni. Lutheri disciplina in has partes se insinuante, virgines libertate & nuptiarum illecebris captæ, Lutheranismo initiatæ sunt, Gerlaco *Urant* scriba velificante. Loco itaque a monialibus deserto, bona monastica dominis temporalibus cessêrunt; archiepiscopo Trevirensi illam, quæ electoratui obtigit, partem in utilitatem archiepiscopalis seminarii Treviris vertente.

Beselich. Trans Loganam amnem & in parœcia *Dickirchen* Godefridus sacerdos sanctimonialibus ordinis Præmonstratensis parthenonem condidit circa annum 1153, quem Eustachio abbati Arnstenii subdidit. Subsequenti tempore id monasterium a comitibus Nassovii hæresim profitentibus direptus est. Postea vero ad Catholicæ ecclesiæ gremium reversi comites, sanctimoniales eo loci restituere, quæ illic per sexennium tantummodo degerunt, iterum in possessione turbatæ per eosdem comites, qui fundos erigendo Hademariæ collegio Jesuitarum addixerunt. XXII.

Sancta-Barbara. Hic parthenon a quodam Friderico cantore ecclesiæ metropolitanæ sub regula S. Dominici fundatus prope & extra muros civitatis Trevirensis, extinctus fuit anno 1556 auctoritate Johannis a Petra archiepiscopi, qui eum cum omnibus possessionibus tradidit an. 1562 patribus Societatis Jesu. XXIII.

In valle Ehrenbreitsteiniana quondam erat virginum cœnobium, in quod Johannes Badensis archiepiscopus Augustinianæ familiæ alumnos an. 1496 introduxit, sanctimonialibus in insulam Rheni inferiorem deportatis & Valenderiæ conventiculo insertis. Id monasterium incoluisse fertur ipse Lutherus, cujus postea sodales ad ejus exemplum a Catholica religione defecerunt. XXIV.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

Sanctus-Maximinus, *Saint-Maximin.*
Sanctus-Mathias, *Saint-Mathias.*
Sanctus-Martinus, *Saint-Martin.*
Theolegium, *Tholey.*
Sancta-Maria ad Martyres, *Notre-Dame-des-Martyrs.*
Mediolacus, *Medeloc.*
Epternacum, *Epternac.*
Prumia, *Prum.*
B. Maria Munsteriensis, seu Luxemburgensis, *Munster*, seu *Notre-Dame-de-Luxembourg.*
Lacus, *le Lac.*
Schonaugia, *Schonau.*

Feminarum.

Horreum, *Orreen.*
Juviniacum, *Juvigny.*
Boppardia, *Bopparden.*
Inferior Prumia, *Prum.*

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

Springirsbacum, *Sprinkirsbach.*
Everdi-Clusa, *Eberarts-Clausen.*
Cusa.

Feminarum.

Andernacum, vulgo *S. Thomas,*
Stuba, seu Insula sancti Nicolai.
Fraulautren.
Sancta-Agnes.
Sanctus-Medardus.

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Aurea-vallis, *Orval.*
Hemmenrodium, *Hemmenrode.*

Feminarum.

Bona-via, *Bonne-voye.*
Vallis-Rosarum, *Rosendal.*
Sanctus-Thomas.
Sancta-Catharina.
Clarus-fons, *Claire-fontaine.*
Sancta-Anna Trevirensis.
B. Maria Differdingensis, *Tieferding.*
Machera.
Lhera.
Omnes-sancti.
Vallersheimium.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Virorum.

Romersdorffium, *Romersdorf.*
Wadegotia, *Wadegassen.*
Arnsteinium, *Arnenstein.*
Sayna, *Seine.*

Feminarum.

Mariæ-Rhode.
Altemberga, *Altemberg.*
Angelica-porta, *Engelport.*

ORDINIS S. DOMINICI.

Feminarum.

Marienthal, seu Vallis B. Mariæ.

ORDINIS S. CLARÆ.

Sanctus-Spiritus.
Sancta-Clara Epternacensis.
S. Clara Trevirensis.
Bisilichium.

SANCTUS-MAXIMINUS.

SAINT-MAXIMIN.

BASILICAM sancti Maximini extra urbis Trevericæ nigram vel Martiam portam in ipso campo Martio, a primis Christianæ religionis apud Treviros seculis a Constantino magno conditam, divoque Johanni Evangelistæ prius dicatam vulgo creditur. Subinde primo mutato nomine, sancti Maximini appellationem accepit a tumulo ejusdem pontificis, quem ex Lupo abbate Ferrariensi insignis confessor Paulinus in ecclesia B. Johannis Evangelistæ magnificæ sepulturæ tradidit: at nunquam dicta est cella sancti Hilarii, teste Zyllesio, qui negat ullam istius denominationis memoriam in documentis & tabulis ejus ecclesiæ reperiri. Ibidem monachos ab ipso Constantino ad preces Helenæ Augustæ constitutos fuisse asserit spurium diploma Dagoberto regi adscriptum ac Johannem primum loco abbatem præfuisse. Sane ante seculum quintum monachos apud Treviros extitisse constat ex narratione Pontitiani apud sanctum Augustinum, ubi in quadam casa extra muros urbis habitasse memorantur quidam servi Dei, quibus duo Pontitiani socii, reperto istic codice, in quo scripta erat vita S. Antonii, eoque lecto, sese adjungi flagitarunt. Verum, inquit Mabillonius, ad illustrandam hujus nobi-

Aug. Conf. lib. VIII, c. 6.

A lissimi cœnobii antiquitatem nulla nobis idonea suppetunt argumenta, neque in actis sancti Maximini per Lupum abbatem neque in veteri historia Trevirensi. Tantum Lupus meminit cujusdam Gosberti ipsius ecclesiæ custodis, per quem cæcus quidam ad sepulchri penetralia intromissus est, nempe ut ex Gregorio Turonensi intelligitur, ad tertium ostium, per quod ad cryptam, ubi sancti pontificis loculus erat, ingressus patebat. S. Hidulfus id monasterium instauravit anno circiter 667, revocataque ibi disciplina, monachos ad centum instituisse ac dotasse perhibetur. Addit B Lupus donum Caroli Magni, qui cœnobium S. Maximini prædiis auxit ob sanitatem ad ejus tumulum recuperatam. Erkanfrida mulier Deo sacrata ecclesiam *de Marisch* & quædam prædia concessit an. 853. Restitutam ibidem disciplinam pene collapsam, monachosque irregulariter viventes expulsos fuisse Frodoardus testatur ad annum 934, quo aut circiter tempore cum ecclesia turbine cecidisset, clementia & munificentia Henrici I regis reparata fuisse dicitur.

Greg. Tur. de Gl. Conf. c. 94.

Amplis. collect. t. I, col. 130.

Imperatori ac sancto Romano imperio immediate subjectum esse id monasterium clare C demonstratur ex luculentis imperatorum, regum, summorumque pontificum litteris ac diplomatibus, relatis a Zyllesio in defensione abbatiæ imperialis S. Maximini. Enimvero Dagobertus, cujus tamen diploma ut spurium habetur, præcipit ut hoc cœnobium nulli alteri personæ nisi suæ successorumque regum potestati subdatur. Gregorius II, qui sedem Romanam tempore Caroli Martelli obtinebat, bulla decernit ut sub regum mundiburdio maneat. Pipinus Austrasiæ & Francorum rex jubet sub regum mundiburdio in secula manere. D Carolus Magnus parentis vestigiis insistens, statuit ut præfatum monasterium maneat sub suo ac imperatorum mundiburdio, idque tanta cum libertate & independentia, ut ne ipsi quidem reges ejus successores potestatem ullam in eo exercere vel exsequi sine abbatis voluntate aut requisitione possint. Ludovicus Pius eadem, quæ pater ejus Carolus, concessit. Lotharius Austrasiæ rex eandem jurisdictionem, libertatem, & immediatum sub imperatoribus statum agnovit ac decrevit.

Jam pridem jura S. Maximini inconcussa stabant, cum Rotbertus archiepiscopus præ- E fatam abbatiam olim ad ecclesiam suam pertinuisse eique subjectam fuisse contendit. Igitur apud Ottonem magnum nihil prætermisit ut sibi monasterium adjudicaretur. Causa examinata & probe cognita, ab Imperatore judicatum est nulli unquam ecclesiæ vel sedi subjectum fuisse, sed semper sub regia potestate mansisse, ac proinde sub ipsius Ottonis ac successorum Germaniæ regum potestate perpetuo permansurum. Sententiam hanc bullis & diplomatibus non modo confirmarunt summi pontifices Agapitus II, Johannes XIII, Leo IX, Innocentius II & alii; verum etiam multi

imperatores, Ottonis successores, scilicet Otto II, Otto III, Henricus II, Conradus Salicus, Henricus III, Henricus IV, Henricus V. Post tamen ducentos pene annos Albero Trevirensis archiepiscopus querelam ab Ottone magno decisam suscitavit & a Conrado III imperatore rescriptum, itemque bullam, agente S. Bernardo Clarevallensi, ab Innocentio II contra abbatiam S. Maximini obtinuit. Verum hæc statum suum juraque pristina conservavit succedentium imperatorum decretis, nimirum Friderici Ænobarbi, Conradi IV, Rodolphi I, Caroli IV, Venceslai, Friderici IV, Maximiliani I, Caroli V, Ferdinandi I, Maximiliani II, Rodolphi II, Mathiæ, Ferdinandi II.

Ch. XLII, col. 323. Eximiis honoribus gaudent monasterii abbates: Augustarum enim fuit archicapellani ex concessione Ottonis magni. Quæ dignitas ab Henrico IV & Ferdinando II confirmata fuit. Sacri etiam imperii sunt principes, ut liquet ex litteris Caroli V imperatoris ad Ferdinandum S. R. I. vicarium datis Vallisoleti 1523. Id non latuit Johannem Ennenium, qui, sciente Richardo electore Trevirensi, scripsit monasterium habere abbatem principem. Certe toto fere imperio etiamnum princeps imperialis inscribitur, licet ille ob modestiam domi titulum illum dissimulet. Fatentur & ipsi Trevirenses archiepiscopi, Johannes *de Baden* & Richardus *d'Isembourg*, abbates sancti Maximini merum & mixtum imperium ac exercitium temporalis jurisdictionis ab imperio habere & exercere. Quemadmodum id monasterium solis Imperatoribus in temporalibus rebus immediate subest, ita quidem absque ullo medio in spiritalibus tantummodo paret summis pontificibus, ut ex multis eorum patet litteris.

Ex eo cœnobio, in quo celebris fuit academia, multi prodiere viri tum sanctitate tum doctrina insignes. Quos inter recensentur S. Adelbertus Russorum apostolus, Magdeburgensis primus antistes; Anno Wormatiensis & Otwinus Hildensheimensis episcopi; imo & abbates non pauci ad alia monasteria vel instituenda vel in melius restituenda vocati: ut Sandradus ad Gladbacense, Hartevicus ad Tegernsense, & Ramvoldus ad Ratisponense sancti Emmerammi &c. De his qui scholæ monasterii præfuere ita habet Trithemius chronic. Hirsaug. t. I, p. 78: *Magister scholarum fuit Herdengus, qui & Adelbertus monachus, eruditione scripturarum insignis & vitæ merito sanctissimus, qui postea Magdeburgensis ecclesiæ primus archiepiscopus fuit ordinatus.* Adelberto successit in magisterio Marinus anno 999 defunctus, de quo idem Trithemius, p. 143: *Vir*, ait, *in omni genere scientiarum doctissimus, qui monasticæ scholæ in eodem loco plurimis annis præfuit, & multos monachorum ad perfectam scripturarum notitiam introduxit.* Sic prosequitur Trithemius: *Post hunc Rathbodo monachus, scholæ magister præfectus, patria Mosellanus, magnum eruditionis suæ palam experimentum dedit.... Non solum ad scientiam discipulorum intellectum illuminare studuit, sed magis affectum ad Dei amorem inflammare curavit.*

Abbatum autem seriem eo modo contexuimus: primos tamen ponimus eodem ordine quo Gasparus Bruschius & Bucelinus.

ABBATUM NUMERUS.

I. JOHANNES in adscripto regi Dagoberto diplomate primus abbas institutus fuisse dicitur jam ab imperatoris Constantini temporibus.

II. Felicius seu Fibicius mortuus circa annum 342.

III. Odiloratus sive Odilardus vel Utilardus defunctus anno 352.

IV. Tranquillus, cujus tempore Bruschius ait humatum fuisse in hoc cœnobio sanctum Maximinum Trevirorum episcopum, a quo mox cœnobium cognominatum est, quod prius S. Johannis titulo notum erat.

V. S. Emerentianus denatus circa an. 363.

VI. Maurilius seu Maurelianus extinctus circa 383.

VII. Honestus excessit circa 387.

VIII. Remigius circa annum 406.

IX. Fibicius II seu Wibicius Maximiano in episcopatu Trevirensi ex probatissimo sancti Maximini abbate subrogatus est an. 498. Coint. Annal. franc. t. I, p. 201.

X. Volmarus sive Volmerus, a quo regulam S. Benedicti in monasterium inductam fuisse volunt; mortuus est an. 542.

XI. Rudingus superstes an. 562, instauravit ecclesiam S. Maximini.

XII. Gundilandus circa annum 600.

XIII. Memilianus, sub cujus regimine monachorum numerus ad centenarium accrevisse dicitur. Huic abbati inscribitur 4 Aprilis 633 attributum Dagoberto regi in gratiam monasterii sancti Maximini diploma, quod ut falsum & suppostitium habet Mabillonius de re diplom. lib. III, c. 1, n. 2.

XIV. Berwardus, aliis Gerwardus & Bernhardus circa annum 670.

XV. Herinnus seu Herawinus vel Herinimus aut etiam Helvinus.

XVI. S. Basinus ex monasterio S. Maximini assumtus, Trevirensis evasit episcopus anno 671: postea vero abdicata dignitate an. 695, in idem monasterium iterum secessit, ubi abbatis munus gessisse dicitur ab aliis ante pontificatum, ab aliis vero post abdicationem. Quandiu vero sanctus antistes post secessum supervixerit, incompertum. Nihilominus tamen occurrit 1 Novembris 698, & an. 704 die 3 Maii in duabus chartis S. Irminæ Horreensis abbatissæ quasdam possessiones indulgentis in manibus S. Willibrordi Epternacensi monasterio. Privilegium consecutus est a Gregorio II papa. Char. VII, col. 293. Ch. VIII, col. 294.

XVII. S. Weomadus ex abbate Trevirensis archiepiscopus creatus fuit an. 753.

XVIII. Utilradus sive Votilradus a Pipino

rege protectionis & tuitionis litteras obtinuit anno regni 14, id est 766.

XIX. Heberardus defunctus circa an. 770.

XX. Werinolfus a Carolo Magno, regni an. 4, assecutus est regium præceptum, quod tanquam spurium rejicit D. Johannes-Nicolaus ab *Hontein* episcopus Myriophitanus, qui Werinolfi moderamen removet ad annum 781. Eum autem vitam produxisse usque ad annum 806 volunt nonnulli.

XXI. Teitboldus circa 812.

XXII. Reinfredus circa annum 814.

¶ In quibusdam catalogis desunt Gullandus, Hildebertus, Varnerius, Humboldus, quibus sedes assignare facile non est.

XXIII. Helysachar, primus Ludovici Pii cancellarius, in abbatibus S. Richarii & Gemetici t. X, col. 1245; t. XI, col. 954 laudatus, S. Maximini monasterium item obtinebat; & quidem ab ipso Ludovico Pio privilegium de monasterio ab omni dominatione liberando, deque eligendi abbatis libertate adeptus est anno circiter 814. Occurrit III non. Febr. 815 in diplomate regis ejusdem in gratiam monasterii Prumiensis. Alias etiam regias litteras in gratiam sancti Maximini impetravit IV non. Aprilis an. 822. Obitum ejus Mabillonius refert ad annum circiter 837.

Ch. XVII, col. 305.

XXIV. Folcardus Helisacharis successor, cujus cernitur opus vas ære fusum cum ipsius imagine, a Lothario imperatore consecutus est anno 845 confirmationem quarumdam donationum a Malfrido indultarum. Obiit anno circiter 851.

XXV. Hattaboldus mortuus circa annum 853.

XXVI. Waldo omnino diversus est a Waltone monacho de monasterio Trevirensis parochiæ, qui Bertulfo archiepiscopo a Carolo Germaniæ rege creato æmulus per Ludovicum regem datus fuit an. 870 in archiepiscopali sede Trevirensi; quem deinde, cum ad preces episcoporum Galliæ Bertholfum in sede firmaret Ludovicus, ab hoc quasi in solatium amissæ dignitatis, abbatiæ sancti Maximini præfectum fuisse volunt. Quæ eo minus vera sunt, quod clare pateat Waldonem jam ante fuisse S. Maximini abbatem quam a Carolo Bertholphus Trevirensi cathedræ præficeretur. Id quidem constat ex diplomate quod, rogante Waldone abbate, Lotharius rex indulsit sancto Maximino an. 868, XVII cal. Maii. Eodem anno decessit III cal. Septembris. Ille sane est Waldo monachus, cujus rogatu Lupus Ferrariensis librum de vita S. Maximini scripsit.

XXVII. Willicherius a Ludovico Germaniæ rege præfectus est capellæ regiæ Francofurtensi XV cal. Decemb. 880. Adhuc etiam superstes an. 882.

Ch. XXIX, col. 313.

XXVIII. Erkembertus creatur abbas anno 885, quo ab imperatore Carolo Crasso monasterium in protectionem susceptum est, liberaque eligendi abbatis facultas concessa. Privilegia quædam favore Hattonis archi- A episcopi Moguntini assecutus est ab Arnulfo rege. Hoc abbate defuncto circa annum 891 usurpata est abbatia a secularibus, quorum hæc sunt nomina:

XXIX. Megingaudus 887, excessit anno 892.

XXX. Gerardus.

XXXI. Malfridus an. 897: quo anno, inquit Bucelinus, uterque tam Gerardus quam Malfridus commendam invadentes ejecti sunt: verum anno 900 invaserunt iterum, & proscripti fuere.

XXXII. Conradus comes a Ludovico B rege abbatiam S. Maximini impetravit, teste Eckardo Rer. Franc. lib. XXXII, n. 103, cujus hæc sunt verba: Post fata Zuenteboldi regis Conradus & Gebheardus illustres comites, Rudolfi Virceburgensis episcopi fratres, abbatias S. Maximini atque horreum Trevirenses, illam virorum, hanc virginum, in beneficium a Ludovico rege acceperant. Ii nunc de ecclesia Trevirensi solliciti a regia clementia petierunt (an. 902, XIII cal. Octobris) ut Trevericæ civitatis monetam, telonium, censuales, tributum, atque medenam agrorum cum fiscalibus omnibus, quæ tempore Weomadi ejusdem C urbis archiepiscopi de episcopatu abstracta, & in comitatum conversa fuerant, eidem archiepiscopo restitueret.

XXXIII. Ebherardus item in commendam obtinebat abbatiam, & innotescit ex pactione confecta an. 909 inter Roricum & monachos sancti Maximini.

XXXIV. Reginarius comes commenda quoque fruebatur an. 911, uti videtur Wilthemio in Annal. S. Max. ad hunc annum. Eam vero a Carolo Simplice rege consecutus fuerat abbatiam, & idem forte est abbas qui D an. 912 ab ipso rege monasterii possessiones confirmari curavit.

Ch. XXXIII, col. 316.

XXXV. Giselbertus comes & dux Lothariensis regni una cum cæteris S. Maximini monachis a Bernacro donationes accipit anno 926. Permutationem cum viris nobilibus Nortpaldo, Francone, & Humberto iniit eodem anno III cal. Januarii. Wilthemius in Annalibus mss. S. Maximini ad annum 927 ait Giselbertum abbatem commendatarium res S. Maximini in propriam utilitatem vertisse. Constat etiam ex Sigehardo lib. de miraculis sancti Maximini Giselbertum per hosce dies prædiis rebusque Maximinianorum male temperasse, satellitibusque suis ea dilargitum fuisse; E de quibus injuriis frustra apud regem querebantur Maximiniani, hoc unum efficientes, quod Giselberti vindictam magis accenderent.

XXXVI. Ogo I, cujus vita mss. hæc habet: Exinde (circa annum 934) Ogo ipsi monasterio præfectus est, non quidem abbatis, sed præpositi nomine, quod per ea tempora abbatia a principibus laïcis magno monasterii damno & rerum ecclesiasticarum injuria, indulgentia Augustorum occuparetur. Verum cum Giselbertus dux Lothariensis regni abbatis nomine

monasterium obtinuisset, moxque divinitus castigatus se arbitrio & potestati Ogonis præpositi submisisset, promisissetque; ubi per mortem uxoris liceret, se monasticam vitam in sancto Maximino professurum, nolletque porro abbatiam habere, dignitas monachis restituta est, & Ogo ab Henrico Aucupe abbas nominatus est, qui extemplo aggressus instaurare normam monasticam, profanorum abbatum & principum indulgentia prostratam, pulsis discolis, & disciplina veteri renovata, pristino splendori monasterium reddere conatus est. Instauratis animis, ædificiorum reparationi incubuit & basilicam nupero turbine convulsam a fundamentis iterum exædificatam magna solemnitate anno DCCCCXLIII dedicavit & corpora sanctorum Agritii, Maximini, Nicetii, Basini, Weomadi in cryptam, quæ sub altari summo visitur, decenter translata, magnificis tumulis condidit. Continuator vero Reginonis sic fatur ad annum 934: Ecclesia S. Maximini turbine cecidit, sed clementia regis monachis reparata. Ogo ante præpositus, abbas ejusdem loci eligitur, & monachi non regulariter viventes expelluntur. Hic ab Ottone magno imperatore anno 940, III non. Junii privilegium immunitatis & protectionis nactus est. Memoratur an. 943 in litteris Gozilini militis donum tribuentis cœnobio S. Maximini. Habetur & album monachorum S. Maximini qui sub Ogonis moderamine degebant anno 945. Eodem anno cum duodecim annis laudabiliter præfuisset, ad Leodiensem ecclesiam ab ipso imperatore Ottone elatus est, eamque administravit simul & abbatiam Laubiensem annis duobus & mensibus circiter sex, sepultus ad S. Maximinum cum hoc epitaphio.

Obsecro te, frater, titulum qui conspicis istum,
Quo memor esse mei corde velis humili.
Ogo vocatus eram, dum carnis mole premebar,
Cœnobio huic dictus a puero monachus.
Nunc cinis & pulvis, miseræ contagia vitæ
Valde perhorescens dic precor ex animo.
Facturæ, Deus alme, tuæ clemens miserere,
Ogoni requiem dans pie perpetuam.

XXXVII. Willerus Ogonis in locum suffectus est anno 945. Decessoris sui vestigia sequens, novam addidit basilicæ structuram, tresque excitatas aras in superiore crypta pridie sancti Lucæ dedicari jussit. Eo moderante Rotbertus archiepiscopus quibusdam suggestionibus deceptus, inductus est ut crederet monasterium olim ad ecclesiam suam pertinuisse. Imperatorem itaque Otonem magnum adiens, illud sibi adjudicandum petiit. Auditus vero est abbas, causaque examinata & cognita, prolatisque coram Cæsare & proceribus tabulis & decretis præcedentium regum, statutum fuit an. 953 cœnobium nulli unquam ecclesiæ vel sedi subjectum fuisse, sed semper sub regia potestate mansisse, ac proinde sub ipsius Ottonis

A ac successorum Germaniæ regum potestate perpetuo permansurum. Quin & Agapitus II papa, ad quem Willerus Asolphum & Guntharium legatos miserat, bulla sancivit ut monasterium sub regia tantum potestate permaneret, neque ulli alteri personæ unquam subjaceret. Præfatum Otonem imperatorem Willerus conveniens, ipsius fratrum Brunonis & Henrici interventione litteras in monasterii sui gratiam est assecutus an. 956. Biennio post mortuus, hac duplici decoratus fuit epigraphe: Charta XL, col. 321.

Hac est Vuillerus fossa pius abba sepultus,
B *Quem bonus a puero nutrivit episcopus Ogo,*
Et successorem sibi dignificavit Herilem:
Qui bona quæque studens, fuit omni dogmate prudens,
Et sibi subjectis præbens documenta salutis
Fit miserando pater, sed condiscendo minister:
Nonis Octobris persolvit debita mortis.

Quisquis ad hunc tumulum succedes forte videndum
Conditione mea, quæ tua sint, memora.
Floridus & juvenis lætabar in indole carnis,
Sed caro dum vivit, mors inopina subit.
C *En cinis immundus jaceo modo, verme vorandus,*
Consumtus tabo: heu malefacta gemo.
Unde Christum suppellex deposco benignum
Ut mihi Vuillero det veniam misero.

XXXVIII. Wickerus seu Willikerus successerat Willero ab anno 957, ut constat ex chronico Saxonico. Ipse ejusque successores abbates S. Maximini ab Ottone I imperatore instituti sunt Augustarum capellani an. 962. Ch. XLII, col. 323. Prædium *Dalheim* eodem anno a Thiedone accepit. Permutationem fecit an. 963, XV cal. Ch. XLIII, col. 324.
D Maii cum Sigfrido comite, cui castellum Luciliburgum cessit; donatusque ab ipso est villa, quæ dicitur Viulna in pago Arduennæ. Monasterii privilegia ab Ottone II firmari curavit XII cal. Augusti ejusdem anni. Eodem die Otto rex, rogante Wickero, celebre miraculum in monasterio sancti Maximini patratum posteris commendavit suis litteris; judiciumque tulit inter monachos & advocatum S. Maximini super juribus in vico *Swegerbach*. Firmata denique est ad preces Wicqueri capella regia Theodonis-villæ monasterio S. Maximini VIII id. Januarii 966. Eodem anno supremum
E vitæ diem explevit, haud mediocris relicta pietatis & virtutis opinione. Inter cætera suæ pietatis opera ex possessionibus D. Maximini monasterium apud Tavanam, viginti eo cœnobitis deductis, suscitavit; quod, verso jam olim priscæ disciplinæ statu, in præposituram abiit.

XXXIX. Asolphus seu Adolphus pro monasterii liberalitate ad sedem apostolicam profectus, vita excessit an. 967.

XL. Thietfridus bullam est assecutus a Johanne XIII de juribus ac privilegiis monasterii. Jus advocatum constituendi & destituendi

ſimul & alias immunitates anno 970 obtinuit ab Ottone I Cæſare. Ablatas ſuo monaſterio nonnullas poſſeſſiones reſtituendas curavit VI cal. Septembris 973 ab Ottone II, a quo inſequenti anno eximium immunitatis privilegium conceſſum eſt. Commutationem cum Wichfrido archidiacono Trevirenſi iniit anno 975. Donationem etiam ab Udone & Giſla conjugibus accepit an. 978. Obiit XVII cal. Auguſti 983.

XLI. Ogo II an. 987, VI id. Januarii a Johanne XV pontifice maximo bullam de monaſterii juribus conſervandis deque libera abbatem eligendi poteſtate impetravit. Eodem anno vel inſequenti exceſſit.

Ch. XLVI. col. 327.

XLII. Wolmarus inſigni privilegio ab Ottone III donatus eſt anno 990, XVI cal. Julii. Quorumdam bonorum reſtitutionem, quam ſui anteceſſores Thietfridus & Ogo rogaverant, ab eodem Ottone conſequitur IV calend. Junii 992. Maximinianis monachis a Sigefrido Luciliburgenſi comite traditum eſt an. 993 unum manſum in comitatu Ardennenſi, adſtante Wolmaro abbate, qui Berthæ viri illuſtris Volmari comitis relictæ nonnulla tradidit, viciſſimque ab ipſa prædium accepit anno 996. Annum ejus obitus ſilent faſti domeſtici, diem autem ſic exprimunt: *XVIII kalend. Septembris obiit Folemarus noſtræ cong. monachus.*

XLIII. Otfradus, ſeu Oſtradus, vel Ofderius, anno circiter 1000 id juris ab Ottone III obtinuit ut mercatum cum moneta & theloneo haberet in villa dicta *Billich.* Immunitates atque privilegia monaſterii ab Henrico II imperatore innovari ſategit V id. Aprilis 1005. Vitæ ejus diem ultimum ita edunt faſti Maximiniani: *XVI kalend. Julii obiit Oſtradus abbas noſtræ congregationis.*

Ch. XLIX. col. 329.

XLIV. Vinrichus vel Winnerichus Otfrado ſucceſſit, inauguratus non. Martiis. Memoratur XV calend. Novembris 1017 in diplomate Henrici II imperatoris collegiatæ eccleſiæ Prumienſis fundationem fulcientis.

XLV. Haricho Salegunſtadenſi concilio interfuit anno 1022 aut poſtero. Jam ſenio confectus Henrico II imperatori IV id. Decembris 1023 donum indulſit, modo ipſe ſuique ſucceſſores abbates ab omni militari expeditione forent immunes. Paulo poſt religionis voto Jeroſolymam profectus, in itinere apud Myram Liciæ metropolim deceſſiſſe & in æde ſancti Nicolai humatus fuiſſe traditur anno 1023.

XLVI. S. Poppo, jam Stabulenſis & aliorum monaſteriorum abbas, Harichoni defuncto ab Imperatore datus eſt ſucceſſor. Confirmationem jurium, poſſeſſionum & libertatum monaſterii a Conrado II Cæſare conſecutus eſt III id. Januarii 1026. Per admirandum humilitatis exemplum anno 1029 ſedem epiſcopalem Argentinæ vacuam, ab eodem Imperatore ſibi oblatam recuſavit, clerico ſe procreatum ſimulans, ideoque ſibi per eccleſiaſticas ſanctiones aditum ad ejuſmodi dignitatem habuit intercluſum. Ad quæ dicta, princeps ſummæ Popponis modeſtiæ ceſſit, nec multo poſt univerſas regii juris per Germaniam abbatias ejus induſtriæ vigiliæque credidit, juſque ipſi vel eas per ſe adminiſtrandi, vel idoneos ſubſtituendi viros tradidit. Et vero Poppo abbates non minus religione, quam monaſticæ diſciplinæ peritia inſignes variis quoquoverſus monaſteriis præfecit. Quin etiam Boſentdorffium ſeu Boſonis-villam in finibus Lotharingiæ peramœno ſeceſſu, juxta Niddam rivum monaſterium ædificavit, & aggregatis in vitæ communionem cœnobitis, Cunonem abbatem eis præfecit. Vocatur adhuc abbas S. Maximini in litteris protectionis & tuitionis Henrici III imperatoris 1044, & in tabulis ejus monaſterii editis circa annum 1047, in quibus refertur ordinatio facta pro colonis San-Maximinianis in Bilaco de modo cenſus pendendi obſequiaque præſtandi. Obiit in Marchianenſi monaſterio VIII cal. Februarii 1048. De eo jam diximus tom. III, col. 380 & 395. Conditor habetur inſignis coronæ pendentis ſupra dominam Adam Caroli Magni ſororem in medio choro eccleſiæ S. Maximini ſub niveo marmore cum ea inſcriptione: *Ada ancilla Chriſti, ſoror Caroli Magni.* Hæc dono dedit monaſterio librum quatuor evangeliorum puriſſimo auro ſcriptum, cui hi verſus inſcribuntur:

Hic liber eſt vitæ paradiſi, quattuor amnes,
Clara ſalutiferi pandens miracula Chriſti,
Quæ pius ob noſtram voluit feciſſe ſalutem.
Quem devota Deo juſſit perſcribere mater
Ada ancilla Dei, pulchriſque ornare metallis:
Pro qua, quiſquis legas verſus, orare memento.

XLVII. Johannes Popponis nepos, dum ſanctus ille vir adminiſtrationem generalem in diverſis monaſteriis haberet, cœnobiorum Lintburgenſis & S. Maximini peculiaris abbas ab eodem inſtitutus fuiſſe videtur: & certe reperitur anno 1035 in commutatione confecta inter abbatias San-Maximinianam & Malmundarienſem, nec non in altera acta cum monaſterio Stabulenſi. Hoc eodem anno deceſſit V id. Julii, tumulatus in eccleſia, ubi eam habet epigraphem:

Fundite corda preces, putret hic pius abba Johannes,
Heu gravis illa dies te pater hinc rapiens!
Eccleſiæ paucis huic poſtquam præfuit annis,
Pſichis judicium Soma ſubit tumulum.
Idibus in quinis dum fervet Julius arvis,
Tranſlatus medio redditur in Domino.
Hunc pie Pantocrator vitæ non mortis amator,
Poſcentum votis cœtibus adde tuis.

XLVIII. Bernardus, ſuperſtite etiamnum S. Poppone electus, biennio poſt fatis conceſſit, ex Bucelino.

XLIX. Theodericus, nobiliſſimi viri Theoderici filius, ab ipſo S. Poppone jam maturus annis in præfectura deſignatus ſucceſſor, ad Imperatorem ire juſſus eſt an. 1048 ut regimen ab eo acciperet. Immunitates bonaque monaſterii a Leone IX pontifice firmari ſategit XVII cal. Febr. 1051. Henricus III imperator circa annum 1054, deprecante Theoderico, advocatorum ſancti Maximini inſolentiam coercuit. Idem Imperator Trevirim accedens aliud diploma ad abbatis ejuſdem preces indulſit prid. calend. julii 1056. Eodem anno Theoderico ejuſque futuris ſucceſſoribus conceſſit jus & poteſtatem mercatum habendi monetamque conſtituendi in quadam villa ad monaſterium ſpectante. Anno 1065 ſenſit benevolentiam hic abbas Henrici IV imperatoris deceſſorum ſuorum privilegia comprobantis, & advocatorum ſancti Maximini officium & poteſtatem novis legibus conſtringentis, ac demum decreto ſancientis an. 1066 ut Theodericus ejuſque ſucceſſores Auguſtarum capellani forent. Ad id tempus adeo gravem habuit ſimultatem cum Eblierardo archiepiſcopo, ut ad abbatiæ defenſionem vaſſallorum ſervitia inclamare neceſſum habuerit. Feudum dictum *Prichine*, quem ægre Imperatoris juſſu cuidam Anſelmo quondam ceſſerat, iterum Guntranno Anſelmi filio ſub quibuſdam conditionibus ceſſit circa annum 1084. Poſt hæc tempora nihil amplius in actis S. Maximini de Theoderico, qui tandem, neſcio quo fato, abbatia S. Maximini privatus, ad Stabulenſes, quibus inſimul dignitate præfuerat, commigrans, ibi diem obiit & habuit id epitaphium :

Quem tegit iſte lapis, fuit abbas Theodoricus,
Expulſum Treviris, quem Stabulaus retinet.
Nobilitas mentis, ſeptenis artibus aucta,
Non fuit inferior nobilitate patrum.
Simplicior, quam tempus ei ſuadebat & ordo,
Excidit officio ſimplicitate ſua.
Sed tribulatorum ſpes, portus & umbra Remaclus,
Colligit hoſpitio, poſt tumuli titulo.
Prima Novembris eum carnis de carcere ſolvit,
Hic tegitur corpus, ſpiritus aſtra petit.

L. Henricus I reſtitutionem prædii dicti *Gunthershuſun* ab Henrico IV imperatore obtinuit III non. Octobris 1085. Prælaturam ab eo infelicius geſtam probant domeſtica documenta, quibus conſtat multum ab eo ejuſque deceſſore ſuppellectilem multoſque fundos fuiſſe oppigneratos.

LI. Henricus II junior, cujus obitum faſti ſic referunt : *Id. Decemb. obiit Henricus junior abbas presb. & mon. noſtræ congregationis.* In antiquo peryſtilio conditum volunt ſub lapide his verſibus inciſo :

Hic pater Henricus vitæ melioris amicus
Pauſat, quam meruit, hanc ubi deſeruit,

A *Idus dùm menſem faciunt tranſire Decembrem,*
Ambivit requiem, quam Deus huic det, amen.

LII. Folcmarus anno 1101, VII cal. Aprilis, duas curtes abalienatas imperiali auctoritate monaſterio ſuo reſtitui ſategit. Compoſitioni inter monachos S. Maximini & Stabulenſes interfuit Folcmarus, utriuſque loci abbas, anno 1102. Obiit XVII cal. Decemb. 1105.

LIII. Berengoſus an. 1107 Henricum V imperatorem Moguntiam adiit, quorumdam uſurpatorum bonorum reſtitutionem efflagitaturus, petitioniſque effectum conſecutus eſt B VI & VII nonas Maii. Eodem anno VIII cal. Junii alias regias litteras ab ipſomet principe in monaſterii gratiam obtinuit. Juribus quoque advocatorum S. Maximini ab eodem limites poni ſategit V id. Auguſti 1112, quo hic Imperator Brunoni archiepiſcopo Trevirenſi dedit id mandatum, ut ipſum Berengoſum de abbatia ſancti Arnulphi Metenſis inveſtiret. Nonnullas adhuc abalienatas poſſeſſiones recuperavit VIII id. Aprilis 1113. Immunitates omniaque jura & privilegia monaſterii imperiali auctoritate roborari ſategit calend. Julii 1116. Anſelmum *de Moleſberg* militem ejuſque C feudum de Brechina monaſterio ereptos recepit ex Imperatoris munificentia III non. Januarii 1118. Cauſam obtinuit III non. Maii 1125 contra Godefridum comitem Palatinum, qui bona quædam ſancti Maximini militibus ſuis tradere non erat veritus. Varios Berengoſus ſatis eleganter ſcripſit commentarios; nempe de laude & inventione ſanctæ Crucis libros tres. De myſterio ligni Dominici, & de luce viſibili & inviſibili librum ſingularem. Orationes in natalem Martyrum duas. In natalem Confeſſorum totidem. In dedicationem templi unam. Quæ omnia edidit Chriſtophorus Car-D thuſianus Trevirenſis & poſt illum alii. Deceſſit autem Berengoſus an. 1125, cujus mors ſic refertur in faſtis Maximinianis: *VII cal. Oct. obiit Berengozus ſac. & abbs. nrc. congregationis monachus, & S. Liutgeri.*

LIV. Gerardus memoratur 24 Aprilis 1131 in diplomate Lotharii II pro monaſterio Epternacenſi. Apud ſummum pontificem Innocentium II accuſatus a pluribus monachis de prava adminiſtratione, Romam an. 1133, III cal. Ch. LXVII, col. 346. Novembris ad cauſam dicendam evocatus, non ſiſtere modo detrectavit, ſed & in objurgatores ſuos conſurgens, eos præbendis & officiis ſpo-E liavit. Quapropter pontifex XIII cal. Febr. 1134 per litteras ad Alberonem archiepiſcopum ſcriptas Gerardum ab abbatiæ regimine ſubmovendum judicat; imo & ei præcipit ut id negotium canonico fine decidat. De Gerardo ita Novellanius in chronico S. Maximini: « Præfuit circa annum Domini 1135 tempore Innocentii II papæ, ſimoniacus & dilapidator ſubſtantiæ monaſterii noſtri fuit & peſſime rexit, & omnia pretioſa vel vendidit vel impignoravit. Quare fratres ejus eum accuſabant apud Innocentium PP. II, & a papa

» citatus non comparuit. Insuper & fratres, qui » eum accusaverunt, variis calamitatibus & injuriis affecit, quod papa percipiens, eum ab » abbatia removit, cujus exsecutorem Trevirensem episcopum mandavit, videlicet Adelberonem. » Ad eundem annum 1135 legitur Gerardus in litteris Conradi comitis Luxemburgensis advocati sua ecclesiæque S. Maximini jura definientis. Subscripsit XIII cal. Februarii 1136 chartæ Adalberonis archiepiscopi de introductione Præmonstratensium in abbatiam sancti Pauli Virdunensis. Adstitit anno 1138 calend. Aprilis die Parasceves in monasterio Montis S. Disibodi apertioni sepulcri ipsius sancti Disibodi. Quoniam vero papa Gerardi causam distulerat in tempus expeditionis imperatoris Lotharii in Italia, abbatia non pulsus est nisi aliquo post tempore, rebusque humanis brevi excessit, juxta Spanheimense chronicon.

Post expulsionem Gerardi Albero archipræsul sibi suisque successoribus proprietas abbatiæ S. Maximini a Conrado III rege cavit ut attribueretur. Quod ubi cognovere monachi sua quæque omnia pretiosissima, uti aurum, argentum, gemmasque ad Henricum Namurci comitem, monasterii advocatum, detulere, quo bellum Alberoni gerere posset.

LV. Sigerus in abbatem cooptatus fuit anno 1140, ut refert Baldricus in vita Alberonis: « Eo igitur, inquit, tempore cum vacaret » ecclesia S. Maximini pastore, monachi abbatem » (Sigerum) monachum quemdam de ecclesia » Leodiensi, fratrem quorumdam qui consiliarii » erant comitis Namurcensis . . . . quem Roma » magnis sumptibus ducentes contra voluntatem » archiepiscopi a D. papa Innocentio fecerunt benedici in abbatem. » Sigerus Roma retulit privilegium rescindens omnem jurisdictionem ecclesiæ Trevirensi attributam super abbatia S. Maximini. Innocentius vero binis sancti Bernardi litteris mox mutatus monasterium Alberoni ejusque successoribus subdidit XIII cal. Januarii 1140. Rectioris normæ coloni, pulsis veteribus indigenis, in monasterium an. 1143 inducti sunt ab ipso Adalberone, qui regimen Sigerum manere consensit, idque obedientiæ & fidei ab ipso exegit juramentum: « Ego Seyherus abbas S. Maximini promitto » obedientiam Trevirensi ecclesiæ, & tibi Alberoni Dei gratia Trevirensium archiepiscopo, » & tuis successoribus Catholicis in perpetuum, salvo proposito ordinis mei. » Interfuit XVII cal. Septembris 1152 concilio provinciali Trevirensi, adhibeturque testis actæ inter ducem Lotharingiæ & Romaricensem ecclesiam compositionis. Occurrit in instrumento fundationis monasterii Arnsteinensis IV cal. Novembris 1156. Insequenti anno VIII id. Januarii subscripsit diplomati Friderici I imperatoris monasterium Maximinianum Hillino archiepiscopo confirmantis, atque etiam litteris Hillini pro monasterio de Bello campo. Testis legitur VII id. Martii 1158 in commutatione facta inter archiepiscopum Trevirensem & canonicos Wormatienses, adhuc etiam cal. Aprilis in donatione Hillini in gratiam comitum Lurenburgensium. Laudavit an. 1160 compositionem initam inter eumdem archipræsulem & Albertum episcopum Metensem. Duabus chartis, uni Hillini pro abbatia Stivagiensi, & alteri Conradi comitis Palatini pro ecclesia Trevirensi subsignavit anno 1161. Reperitur & anno 1162 in documento ecclesiæ S. Simeonis. Decessit circa annum 1165.

(Ch. LXX, col. 348.)

LVI. Arnoldus, in Sigeri locum suffectus, recurrit ad annum 1169. In Novellanii chronico scribitur sub ipsius regimine Arnoldum archiepiscopum se abbatem & provisorem ecclesiæ S. Maximini nominasse. Obiit autem hic abbas XI cal. Decemb.

LVII. Conradus memoratur anno 1177 in litteris Arnoldi archiepiscopi in gratiam monasterii S. Trudonis, unde assumtus fuisse dicitur. Subscripsit 1178 instrumento unionis monasterii sanctæ Mariæ de Luxemburgo ad abbatiam S. Vitoni Virdunensis. Omnia bona & possessiones a Friderico I imperatore roborari curavit an. 1182, quo interfuit pactioni factæ inter canonicos S. Simeonis & cives Confluentinos, itemque alteri inter Johannem archiepiscopum & nobilem virum Folmarum comitem *de Castelle*. Reperitur & anno 1197 in diplomate Henrici comitis Palatini advocatiam ecclesiæ Trevirensis archiepiscopo dimittentis.

LVIII. Anshelmus præerat tempore Johannis archiepiscopi annis 1210 & 1211. Descivit e vita IV cal. Decemb.

LIX. Bartholomæus occurrit 1227 & 1229. Pietatis & amicitiæ fœdus cum capitulo majoris ecclesiæ fecit. Scribi curavit librum, quem aureum appellavit, in quo omnia privilegia monasterii distincte describi jussit. (Charta LXVIII, col. 355.)

LX. Henricus III Bruchius, fundator & conditor xenodochii sanctæ Elisabethæ quod monasterio vicinum est, fundos quosdam in banno villæ *de Mersch* sub annuo censu tradidit an. 1231 mense Martio Theodorico dapifero comitissæ Luxemburgensis. Abbati & conventui Bosonis-villæ pretio triginta librarum Trevirensium anno 1234 vendidit omnes possessiones quas habebat in villa *Huningen*. Laudavit anno 1235 quamdam cessionem fundorum factam præcitato Theodorico dapifero. Memoratur an. 1237, quo monasterium incendio absumtum est, quod præclare reparavit. Litteras a Conrado IV Romanorum rege de confirmatione bonorum & jurium monasterii adeptus est an. 1242. Romam ab Arnoldo archipræsule ad Innocentium IV directus fuit an. 1243, ut inde ei pallium reportaret. Ecclesiam suam consecrari fategit anno 1245 a Conrado archiepiscopo Coloniensi, adstantibus etiam Arnaldo Treverico & Sifrido Moguntino. Obiit anno 1257 & sepultus est cum eo epitaphio:

Abba vir insignis, velut aurum quod probat ignis,
Emeritus

Emeritus meritis, clarus titulis, homo mitis
Henricus lecto putret hoc in pulvere secto,
Quem Deus evexit hinc dum Februarius exit:
Flebile præsentes præsens epigramma legentes
Implorent Christum superis coadunet ut istum.
Exanimes artus putris angelus excipit ortus
Anno milleno Domini decies duodeno,
Bis quinquageno, septeno, ter quoque deno.

LXI. Henricus IV de Duna, Friderici II imperatoris nepos, sigillum suum appendit anno 1263 initæ compositioni Henricum archiepiscopum inter & Conradum ac Emychonem comites silvestres. Eodem anno die festo SS. Marcelliani & Marci præsens erat cum Henricus archiepiscopus in locum Theodorici abbatis S. Mathiæ intrusit Willelmum de Meseinburgo. Ille forsitan est abbas, cui Rudolfus I imperator an. 1273 insigne privilegium de jurium ac bonorum monasterii confirmatione indulsit, ac vetuit ne quis advocatus advocatiam aut alia ad monasterium pertinentia alienare valeret absque abbatis consensu; & tandem anno 1276 id Henrico Luxemburgensi comiti mandatum dedit, ut abbatem & conventum in juribus & libertatibus ab Imperatoribus indultis tueretur ac protegeret.

Marten. Ampliss. collect. t. 1, p. 1376.

LXII. Antonius I decessit sub annum 1284, XVIII cal. Januarii.

LXIII. Gaudefridus ab *Hohenveltz* Henrico subrogatus, interiit an. 1303, ut constat ex hoc epitaphio: *Anno Domini M. CCCIII in die Valerii episcopi obiit abbas Gotfridus. Anima ejus requiescat in pace. Heu! vir multorum mortem subiit meritorum.*

LXIV. Theodoricus liber baro *de Brunshorn*, longævus fatigatus senio sponte abdicavit 1352; septem tamen annis superstes, vitam finivit 1358 die depositionis sancti Maximini. En epitaphium ejus: *Hic jacet Theodoricus* de Brunshorn *abbas hujus monasterii, cujus anima requiescat in pace, amen. Qui obiit anno Domini M. CCCLVIII, in die depositionis S. Maximini.*

LXV. Otto I *de Genepe*, Guillelmi archiepiscopi Coloniensis germanus, a præpositura Werdenensis monasterii auctoritate Clementis VI circa annum 1352 translatus ad abbatiam S. Maximini, quam quindecim annis afflixisse magis & helluationibus exhausisse scribitur quam sublevasse. Quod procul dubio causa fuit administrationis Cunoni archiepiscopo creditæ. Ottonis ætate, anno siquidem 1354, dum Carolus IV imperator Treviris versaretur, non solum defensionis & protectionis litteras, sed & privilegiorum ab antecessoribus suis attributorum confirmationem est impertitus VIII, VII & VI cal. Martii. Camerarii officium auctoritate & consensu Cunonis archiepiscopi delevit hic abbas 1 Octobris 1366. Diem clausit extremum an. 1367, ac sepultus est in facello sancti Marci in crypta *Bredney* territorii Werdenensis.

5 Cuno *de Falkenstein*, archiepiscopus Trevirensis aliquandiu monasterium administravit, utpote qui anno 1367 sivit ut unus monachus ex parte conventus annuis interforet placitis

Ch. XCI, col. 363.

LXVI. Roricus ab *Eppelborn*, vir magnæ vitæ & morum integritate clarus, regere cœpit anno 1367. Sacrum sancti Maximini caput a corpore sejunctum argentea capsa inclusit circa annum 1377, quo quidem anno in charta reperitur. Eo moderante, plurima eximia diplomata in monasterii gratiam ab imperatore Wenceslao concessa sunt anno 1384. Ubi Cunoni archiepiscopo placuit dimittere episcopatum in Werneri gratiam, Urbanus VI maximus pontifex an. 1388 Roricum adlegit ut cognosceret utrum Wernerus satis vel a virtute præsidii vel opis ab industria haberet ad tantam dignitatem sustinendam. A Friderico comite Sarwerdæ Luxemburgensi gubernatore accepit tuitionis litteras in omni casu, etiamsi dissensio ac discordia inter ditiones Luxemburgensem & Trevirensem exoriretur. Cum præfuisset annis 44, de vita migravit die 21 maii 1411. Illud habet epitaphium: *Hic jacet Roricus* de Ippelborn *abbas hujus monasterii. Ejus anima requiescat in pace, amen. Qui obiit anno Domini M. CCCCXI, XXIII mensis Maii.*

LXVII. Lambertus *de Saffenhausen* post Rorici obitum, dum duo electi, puta Henricus comes de Seina & Henricus *Muill* de Novocastro, de abbatia contenderent, iterata electione ex monasterio B. Mariæ ad Martyres postulatus est, & cum æmulis litigavit donec, Martino V pontifice electo, ipsi loco cederent. In ea discordia, quæ diu substitit, exinanitæ & exhaustæ sunt monasterii facultates, extinctaque & oppressa regularis disciplina. Privilegium insigne ab imperatore Friderico IV est assecutus an. 1442 die 6 mensis Augusti. Extremum vitæ diem clausit anno 1449. Hoc epitaphio honestatus: *Anno Domini M. CCCCXLIX, XII die mensis Februarii obiit reverendus in Christo pater ac dominus D. Lambertus* de Saffenhusen *abbas hujus ecclesiæ, cujus anima requiescat in pace. Amen.* Ejus vero æmuli Henrici *Muil* de Novo-castro tale est epitaphium: *Anno Domini M. CCCCXVIIII, XVIII die mensis Februarii obiit honorabilis in Christo pater, D. Henricus* Muil *de Novo-castro, abbas hujus monasterii S. Maximini, cujus anima requiescat in pace.*

LXVIII. Johannes *Worst*, simul abbas S. Mathiæ & S. Maximini, traductus fuit ad abbatiam sancti Pantaleonis Coloniensis, ubi excessit 4 Junii 1452.

LXIX. Antonius II de Tribulis, postulatus e monasterio S. Mathiæ, domesticarum rerum optimus administer, abbatiam sancti Martini facultatibus pene exhaustam administrandi curam accepit a Johanne archiepiscopo anno 1465 die Inventionis S. Stephani. Defensionis litteras a Carolo Audace, Burgundiæ & Luxemburgi duce, impetravit an. 1473. Obiit anno 1482, sepultus cum ea inscriptione:

Ch. XCIV, col. 364.

Anno M. CCCCLXXXII ultima Julii obiit Antonius abbas, qui 30 annis huic loco religiose præfuit, ejusque plura impignorata redemit.

Habet & illud alterum epitaphium:

Hic locus eximii tenet artus & optimi viri
Hujus cœnobii præsulis Antonii.
Stemmatis ingenui Botriacheuturicis orti,
Ordinis ante boni, militiæque Hrodi.
Insuper almifici factus filius Benedicti,
Eucharianæ domus regulis est alitus.
Post huc translatus, quia fratribus his bene gratus,
Simplex, rectus homo, providus isti domo.
Contigit hunc emori pridie . . . Augusti.
Ut quoque dignus erat, hoc tumulo pausitat.
Anno millesimo Domini centeno quaterno
Octuaginta duo subdas huic numero.

LXX. Theodoricus *de Selem* ex cellerario abbas electus 1 Augusti 1482, decessit anno sequenti die 10 Augusti. Ejus est hoc epitaphium: *Hic jacet reverendus in Christo pater & dominus D. Theodoricus abbas hujus monasterii, qui fuit electus anno M. CCCCLXXXII, 1 die mensis Augusti; obiit vero X die mensis ejusdem, anni sequentis. Cujus anima requiescat in pace. Amen,*

LXXI. Otto II ab *Elten*, in locum Theodorici defuncti suffectus, diploma a Maximiliano I Romanorum rege & Luxemburgensi duce adeptus est anno 1487; ab eodem principe ad imperialem dignitatem promoto mandatum accepit anno 1495 ut ab archiepiscopo Trevirensi vice Imperatoris investituras susciperet, quibus revera a Johanne Badensi archipræsule donatus est eodem anno die 9 Decembris. E vivis sublatus est anno 1502, cum per 19 annos præfuisset. Decoratus hoc epitaphio: *Anno M. DII, ultimo die mensis Aprilis obiit reverendus in Christo pater & dominus D. Otto* de Elten, *abbas hujus monasterii, cujus anima requiescat in pace, amen.*

LXXII. Thomas ab *Huesden*, Brabantinus, Johanni archiepiscopo gratissimus, ab eodem imperatoris Maximiliani nomine & authoritate regalia, temporalia & feuda quæcunque a sacro imperio dependentia recepit an. 1502, 21 Novembris. Reperitur etiam annis 1508 & 1512. Societatem iniit 1513 cum Mathia abbate sancti Naboris. Monasterii rebus rite administratis, religiosissime mortuus est anno 1514 die Martis post Visitationem B. Mariæ, ut constat ex ejus epitaphio: *Hic jacet conditus reverendus in Christo pater & dominus D. Thomas, abbas hujus monasterii, qui plerasque pensiones redemit. Obiit anno Domini M. DXIV, IV die mensis Julii, cujus anima requiescat in pace. Amen.*

LXXIII. Vincentius dictus *de Cochem*, ab oppidulo ad Mosellam patria, investituram nactus est an. 1514 a Richardo archipræsule. Monasterii jura & privilegia a Carolo V imperatore innovari ac confirmari fategit 21 Maii 1521. Consecutus quidem est defensionis litteras a Philippo marchione Badensi & gubernatore Luxemburgensi. Memoratur anno 1523 in epistola Caroli V Cæsaris ad Richardum archiepiscopum, qua ille princeps queritur quod Richardus non solum eversione templorum, altarium, sacellorum, turrium monasterii S. Maximini locum hunc læserit; verum & ab abbate & conventu contra eorum libertatem sexcentos exegerit florenos; eique præcipit ut damnum resarciat, exactam pecuniam restituat, & monasterium contristare & gravare desistat. Eumdem abbatem Vincentium, quem idem Imperator imperii principem nuncupat, serenissimo principi Ferdinando, imperii vicario, per alias litteras in urbe Vallisoletana datas commendat. Extant & aliæ hujus Imperatoris litteræ de restaurando eo monasterio ad ipsum Vincentium aliasque personas hoc ipso anno 1523 directæ. Dum monasterii instaurationi feliciter incumberet Vincentius, de vita migravit anno 1525, humatusque est prope S. Athanasii cryptam, ubi decoratur hoc epitaphio: Charta XCVIII. col. 367.

Conditur hic abbas Vincentius, invida postquam
Cessarunt summo lædere fata die.
Incensam hanc Divum sedem clarosque Penates
Vidit & hostili tecta furore rapi.
Cætera sat fælix, nisi reddere lapsa parantem
Præscisset dura Parca citata manu.
Nunc meliora tenet cælesti sede potitus
Et quem speramus contigit ante locum.

LXXIV. Johannes I de Cellis, ex oppido cognomini ad Mosellam, Vincentium in regimine monasterii excepit an. 1525. Insequenti investitura donatus est a Richardo archipræsule. Johannem Isemburgium ecclesiarum cathedralium Trevirensis, Coloniensis & Argentoratensis capitularem canonicum & archidiaconum, postea vero futurum Trevirensem archiepiscopum, difficillimis Germaniæ temporibus coadjutorem pro servandis monasterii juribus ac prærogativis assumsit anno 1541 die 21 Novembris. Johanni defuncto id epitaphium a successore positum est: *Johanni a Cellis abbati reparatori hujus monasterii, qui per annos viginti tres monachorum gregi sibi commisso feliciter præfuit, atque illius commodis, quieti & fortunis vigilantissime prospexit; Johannes ex comitibus* de Isemburg *archiepiscopus Trevirensis & prius coadjutor, deinde commendatarius & successor posuit. Vixit annis 74. Obiit anno 1548 undecima Julii.*

LXXV. Johannes II *d'Isembourg*, Trevirensis archiepiscopus, jam coadjutor ab anno 1541, commendam accepit an. 1548. Etiamsi foret archipræsul voluit & ipse investituram accipere, solitumque præstare juramentum an. 1549. Fatis concessit an. 1556 mense Februario.

LXXVI. Petrus Reckius in abbatem anno 1556 creatus, bullam a Pio IV pontifice

anno 1564, VII cal. Octobris datam de A accipienda benedictione a quocunque vellet Catholico antistite accepit, benedictusque est insequenti anno die 10 Junii, in ipso Pentecostes festo, a Gregorio Azotensi episcopo Trevirensis archiepiscopi suffraganeo, præsentibus abbatibus Henrico sancti Mathiæ prope Trevirim, Petro Lysio beatæ Mariæ Luxemburgensis, Roperto Tholegii & Lautwino Medii-lacus; quod compertum habemus ex protestationibus factis contra innovationem attentatam in actu benedictionis. In Petri gratiam commendatitias litteras Margarita Parmensis & Belgii gubernatrix scripsit anno B 1566 ad Maximilianum II imperatorem, qui & ipse die 16 Maii anni ejusdem ad hujus abbatis preces, jura & immunitates monasterii confirmavit. Exactis in moderamine 12 annis Petrus extinctus est an. 1568. Hac epigraphe donatus: *Epitaphium R. D. Petri abbatis qui XXVII annos, quibus partim in procuratione rerum difficillimarum officii cellerariæ, partim in abbatialis dignitatis gubernatione, huic nobilissimo & imperiali monasterio S. Maximini laudabiliter præfuit. Corpus hoc sacro loco misericordis Dei extremum expectans tribunal reconditur; & vixit annis XLVIII.*

LXXVII. Mathias *de Sarburg* an. 1570 die 19 Aprilis subscripsit instrumento fundationis collegii Societatis Jesu in urbe Trevirensi. De ejus electione bullas ad Imperatorem, itemque ad monachos S. Maximini nec non ad vassallos & subditos monasterii summus pontifex Pius V direxit, ipsamque electionem probavit hoc anno 1570, XII cal. Decemb. eamque abbati fecit licentiam ut a quocunque episcopo Catholico munus benedictionis reciperet. Hic, præstito fidelitatis, subjectionis & obedientiæ juramento debito & consueto, D regiis nomine & auctoritate a Jacobo ab *Eltz* archiepiscopo de regalibus, temporalibus & feudis suis investitus est 12 Decemb. 1572. Vita excessit 15 Decembris 1581, ut docet ipsiusepitaphium: *Anno Domini M. DLXXXI, XV Decembris, obiit reverendus in Christo pater & dominus D. Mathias a Sara-castro, hujus imperialis monasterii abbas, qui annis fere XIV gregi sibi commisso fideliter præfuit, cujus anima requiescat in pace, amen.*

LXXVIII. Reinerus *Biwer* eximias protectionis litteras consecutus est a Rudolpho E imperatore 9 Julii 1583, quo parthenonis Horreensis a Johanne archiepiscopo institutus est visitator. Præfuit an. 1598, die 29 Octob. electioni Nicolai *Poltre* abbatis S. Naboris. Munificentiam quoque Alberti Belgii principis ejusque uxoris Isabellæ-Claræ-Eugeniæ ab Hispania sensit 11 Martii 1604. Is jam ætate æque ac morbis fractus, gravato sumptuosa ecclesiæ fabrica monasterio, ne temporalia regularisque disciplina pessumdarentur, Nicolaum Honteimium in coadjutorem assumsit an. 1609. Abbatis munere functus est triginta & amplius annis ex diplomate Mathiæ imperatoris, ac decessit an. 1614.

LXXIX. Nicolaus *Hontheim*, ex coadjutore factus abbas, legitur 30 Decembris 1617 in duobus instrumentis. Hic sacram Eucharistiam in supplicatione dum deferret, catharro sternitur moxque extinguitur an. 1621.

LXXX. Petrus *Freudenberg*, communi suffragiorum judicio in locum Nicolai suffectus, vir fuit raræ virtutis, cujus laudes sepulchralis epigraphe hisce complectitur verbis: « Hospes adsta & lege; saxo hoc tegitur admodum « reverendus dominus D. Petrus *Freudenberg* « S. Maximini abbas electus an. M. DCXXI, 10 « Junii. Vita integer, moribus candidus, reli- « gione S. Benedicti germanus filius, pedo bis « repudiato victor sui; vigilantia pastor diligens. « Obiit anno M. DCXXIII, Octobris 21, reli- « giose & sancte. Tu animæ bene precare & abi. »

LXXXI. Johannes-Agritius a *Reckingen*, post obitum Petri mox electus, præsentibus Petro Roberti abbate Epternacensi & Ernesto a Rupe præposito Fuldensi, tanquam testibus; a quibus deinde de vita & moribus electi, nec non legitima electionis forma processus seu instructio formata, nuncioque apostolico C Francisco Montorio 4 Novemb. 1623 transmissa est, ut ea deinde ab ipso ad sedem apostolicam pro impetranda confirmatione destinaretur. At nuncio bullam Gregorii XIV obtendente, res in moras abiit, eaque cunctatione effectum est ut Guillelmus a *Namedy* ædis metropolitanæ præpositus, Romam ad pallium archiepiscopale pro Philippo Christophoro impetrandum missus, spatium nactus sit, sibi primum hanc prælaturam commendæ nomine, ac deinde cum se imparem ad illius defensionem dignitatis animadverteret, archiepiscopo suo adversus Agritium a Romano pontifice impetrandi. Verum cum Ferdinandus imperator defensionis titulo Agritium tueretur, archiepiscopus desperatione causæ adversus tam validum patrocinium prælaturam in manus pontificis, a quo eam acceperat, resignavit. Apparet tamen ex sententia supremæ curiæ Trevirensis lata 19 Decembris 1633 actum renunciationis archiepiscopi locum non habuisse; quin etiam additur archiepiscopum in jure, titulo, & possessione commendæ sancti Maximini permansisse, & Agritium pro abbate hactenus se falso gessisse. Equidem quandiu vixit Philippus-Christophorus jure suo nunquam fruitus est Agritius; at post ejus mortem, quæ accidit an. 1652, Innocentius X Agritii electionem confirmavit. E vivis ereptus est hic abbas 11 Augusti 1655, ætatis anno 76.

LXXXII. Maximinus a *Gulich*, in coadjutorem assumtus 1654, abbas confirmatur 1655. Memoratur annis 1673 & 1674: quo tempore monasterium pene dirutum eversumque fuit, ipseque excidit an. 1679.

LXXXIII. Alexander *Henn* pastorali pedo honestatus fuit anno 1680. Litterarum non minus quam fabricæ sui monasterii restaurator,

non solum historiam belli Gallici annorum 1673, 1674 & 1675 Treviris infestissimi, & cum eodem urbis expugnationem atque basilicarum SS. Maximini & Paulini eversionem tribus distinctis operibus suo ipse stylo prosecutus est; sed & antiquissimum simul ac instructissimum sui monasterii archivium optimo ordine disposuit, insuperque notabiliora documenta omnia in magnam librorum copialium, fide notariorum roboratorum, seriem summa commoditate atque utilitate redegit. Defunctus anno 1698, magno sui relicto desiderio.

LXXXIV. Nicetius Andreæ, creatus abbas 30 Maii 1698, occurrit duobus in documentis ad annos 1714, 23 Novembris; & 1715, 8 Octobris. De monasterio optime meritus excessit an. 1719.

LXXXV. Nicolaus Paccius ex *Meyen*, in abbatem cooptatus 1719, transactioni subscripsit 2 Julii 1729. Novum exstruxit hortum cum fontibus, quos & induxit in monasterium, musicam introduxit, multa solvit debita & obiit 1731.

LXXXVI. Martinus *Bewer* ex *Mongoye*, electus anno 1731, licet bellicosis præfuerit temporibus, tamen villam in *Emmel* ædificavit, binas campanas majores fundi curavit, exsolvit debita, plenusque meritis obiit an. 1738.

LXXXVII. Willibrordus I *Scheffer*, natus Luxemburgi anno 1700, monachum induit anno 1720, & in abbatem eligitur 1738. Vivere desiit 1762, 29 Octobris.

LXXXVIII. Willibrordus II *Witman*, electus an. 1762 die 11 Novembris, Romæ propositus est in consistorio 23 Martii anni sequentis.

5 In necrologio Tholegiensi notatur ad diem 28 Martii *Hermannus abbas sancti Maximini jubilarius.*

S. MATHIAS.

Exstitit extra muros Trevirenses a primis temporibus basilica S. Eucharii ex primis Trevirorum apostolis, quam beatus Cyrillus ejusdem urbis antistes medio seculo quinto incensam & desertam reparavit; monasteriumque non longe a priore loco constituit, & illuc corpora sanctorum Eucharii, successorumque ejus transtulit, juxta quos & ipse requievit, uti constat ex his antiquis versibus.

Quam bene concordes Divina potentia jungit
Membra sacerdotum, quæ ornat locus iste duorum.
Eucharium loquitur Valeriumque simul.
Sedem victuris gaudens componere membris
Fratribus hoc sanctis ponens altare Cyrillus
Corporis hospitium sanctus metator adornat.

Cum vero pleraque diœceseos monasteria in temporum decursu ad summam inopiam magnumque monasticæ disciplinæ deliquium devenissent, Egbertus, qui ad sedem Trevirensem elatus fuit anno 975, nihil habuit

A antiquius quam ut eorum ruinas sarciret & languentem religionem excitaret, maxime in S. Eucharii ecclesia. Operi manum admovere nec cunctatur, Gotheriumque monachum, e Gandensi sancti Bavonis cœnobio accersitum, loci abbatem instituit. Dum autem humum ponendo novæ basilicæ fundamento effodiunt operæ, inopinato impegerunt in tumulum S. Celsi. Quo obsignato, monachis ad ejus cultum constitutis, Egbertus Ingelheimium pergit anno 879 ad conventum episcoporum facultatem ab Ottone II imperatore & patribus synodi petiturus ut sacræ B. Celsi reliquiæ
B e tumulo in decentiorem locum efferre sibi liceret. Treviros reversus sacras reliquias levavit e tumulo, easque in arca gestatoria repositas ad novam basilicam deferri jussit: ubi missa celebrata, & concione de sancti Celsi virtutibus habita, ejus festum quotannis pridie nonas Januarii celebrari præcepit. Sub Ebherardi pontificatu medio circiter seculo undecimo corpora SS. Eucharii & Valerii, primorum apud Treviros evangelii præconum, ad id tempus incerto loco abdita, detecta fuerunt: eodemque in monasterio an. 1127 calendis Septembris hora diei prima inventum
C traditur corpus S. Mathiæ apostoli, quod, tradente ad preces D. Helenæ B. Sylvestro papa, Trevirim Roma quondam asportasse dicitur sanctus Agritius. Quocirca mutato sancti Eucharii vocabulo, S. Mathiæ nomen monasterio inditum. In ejus cœnobii ambitu exstant quatuor ecclesiæ, quarum maxima olim consecrata est ab Eugenio III, in qua monachi divinam rem agunt. Subtus chorum cernuntur tumuli primorum episcoporum Trevirensium ibidem in summa venerandaque crypta sepultorum: secunda ecclesia sacra est S. Materno, tertia patronos habet SS. Quirinum & Quin-
D tinum, quarta tandem dedicatur beatæ Dei Genitrici, in eaque religiosi humo mandantur. Quondam floruit ibidem celebris schola, quæ diversis temporibus monachos protulit doctrina claros, quos inter Florbertum, Ebherardum, Diethelmum, Adelbertum, Theodoricum, & Theodorum, omnes vicissim ejus scholæ moderatores. Ex ea celebri & antiqua abbatia prodiit ea reformatio, quæ Bursfeldensi congregationi originem dedit. Magna undequaque hominum multitudo tempore Pentecostes ad hunc locum accedit divi apostoli Matthiæ
E patrocinium implorandi gratia. Primorum abbatum nomina interciderunt; eorum vero nomina, qui ab Egberti temporibus ad hæc nostra usque præfuere, hic subjungimus.

Abbatum Elenchus.

I. Gotherius, natione Hollandus, vir optimi testimonii, e Gandavensi monasterio ab Egberto archiepiscopo cœnobii S. Mathiæ instauratore accersitus, instituitur abbas anno 975. Laudatur in priori libro de inventione ac miraculis B. Celsi, cujus corpus, ipso Gotherio superstite, coram clero ac effusa

populi multitudine Egbertus solemniter de terra elevavit. Abiit e vivis anno 987.

II. Gunderadus, si idem non sit ac Gotherius, reliquias S. Celsi, cum unum ab inventione mensem super majus altare quievissent, in navim detulit & super altare sanctæ Crucis, quod in aditu propitiatorii erat, collocavit. Vir *beatæ recordationis* dictus in lib. II de inventione ac miraculis S. Celsi.

III. Engelbertus, patria Mosellanus, vir doctissimus ac innocentissimus, quem Guillelmus Eysengreinius numerat inter scriptores ecclesiasticos, fuit musices arte apprime excultus, philosophus atque poëta clarissimus: quippe qui vitam & passiones duodecim Apostolorum heroïco carmine doctissimis absolverit. Præfuit, *ex Mesenich*, ad annum usque 1005, & sepultus est sub arcu turris cujusdam fortissimæ, ad plagam septentrionalem ecclesiæ quondam constitutæ, in qua ipse sacellum sibi cum altari construxerat in honorem S. Helenæ, hoc epitaphio honestatus:

Hoc recubat busto, semper memorabilis abbas
Engelbertus, ovans spiritus astra colit,
Mensis Martii obiit bis senis ipse calendis,
Construxit templum, quod retinet tumulum.

IV. Richardus, sub cujus disciplina floruerunt famosi duo scriptores ecclesiastici, Theodorus videlicet & Theodoricus, ambo sacerdotes & monachi, quorum hic præter sermones doctissimos de Sanctis, de inventione etiam & miraculis S. Celsi duo volumina ei inscripsit in hunc modum: *excellentissimo Christi operario, patrique permagnifico Richardo, suus ille servorum ultimus Theodoricus, quo inter monachos nihil habetur vilius, monastici tamen haud immemor propositi, omni apologiæ dimota ambage, veræ obedientiæ obsequelam.* Decessit autem Richardus anno 1024.

V. Bertulphus adeo in divinarum rerum contemplatione absorptus erat, ut nullum ei tempus jucundum videretur, quod non cum Deo expenderet. Varia ab Adalberone præposito S. Paulini accepit anno 1036. Plurimas etiam ab eodem villas anno insequenti, nec non alteram dictam *Mamendorf* ab Adalberto marchione Lotharingiæ & Juditha ejus uxore 10 Junii consecutus est. Mortalitatem explevit anno 1050.

Chart. LI, col. 330.

Chart. LII, col. 331.

VI. Reginardus Eberhardum archipræsulem expertus est beneficum an. 1059. Transactis multa cum laude ac felicitate in regimine duodecim annis, obiit in Domino an. 1062.

VII. Robertus, qui cum annis sedisset totidem, quot prædecessor, ad eandem quoque transiit felicitatem an. 1074.

VIII. Bernardus, vir modestiæ & virtutum studiosus, testis fuit mœstus incendii monasterium vorantis an. 1091, defunctus VIII cal. Martii 1097.

IX. Evervinus vel Ebervinus cœnobium collabentemque disciplinam instaurasse dicitur; extinctus 1110 post 13 regiminis annos.

X. Eberhardus *de Kamberg* opera ab antecessore suo inchoata, ecclesiam videlicet & monasterium, Brunonis archipræsulis ope perfecit. Eo moderante corpus S. Mathiæ apostoli anno 1127 repertum est cum ea inscriptione: ✠ *Corpus sci. Mathie. Helena. dante. ab Agricio. Treviri. translatum. anno Dnice Incarnacionis CCC. LXVIII.* Defunctum anno 1129 Eberhardum commeminit domesticus index; verum Bucelinus ad annum 1136 pervenisse existimat.

XI. Bertulphus seu Bertholdus legitur anno 1136, XIII cal. Februarii, in litteris Alberonis archiepiscopi de introductione canonicorum Præmonstratensium in ecclesiam sancti Pauli Virdunensis. Ecclesiam recens a se absolutam ab Eugenio III in comitatu 18 cardinalium consecrari curavit anno 1148. Subscripsit anno 1151 pactioni initæ inter monachos Vallium Ornesii & S. Michaëlis Virdunensis, nec non anno 1152 alteri confectæ inter Matthæum Lotharingiæ ducem & Juditham Romaricensem abbatissam. Reperitur IV cal. Novemb. anno 1156 in charta fundationis monasterii Arnsteinensis. Occurrit & anno 1157, VIII id. Januar. in diplomate Friderici imperatoris. Aliis etiam duabus litteris subsignavit VII id. Martii & calendis Aprilis anni subsequentis. Ipsi adhuc superstiti Hillinus archipræsul professus est se nullum jus habere in quibusdam prædiis an. 1159, quo & ipse Bertulphus in litteris ejusdem præsulis pro Tullensi S. Leonis monasterio legitur. Cum autem 27 annis præfuisse scribatur, inde colligere est saltem annum 1162 attigisse. Ejus ætate illustravit ingenii doctrinæque præstantia monasterium Lambertus de Legia monachus undecunque doctissimus.

Ch. LXX, col. 348.

XII. Gerwicus anno 1162 notatur in litteris Hillini archiepiscopi spectantibus ad ecclesiam S. Simeonis. Reperitur & an. 1163 in controversia decimæ Salicæ, vel dominicalis Crussiensis ecclesiæ. Lacensi monasterio præsto fuit cum Gaufrido S. Martini & Reinboldo S. Mariæ ad Martyres abbatibus.

XIII. Ludovicus circa annum 1169 ad S. Hildegardem epistolam direxit, rogans eam ut de munere sibi commisso rescriberet. Ipsaque vicissim dedit responsum, docens eum quomodo suos erga subditos se gerere debeat. Hillino archiepiscopo juravit obedientiam. Abbatis Epternacensis & S. Eucharii titulum accipit anno 1178 in litteris Arnoldi archipræsulis de unione monasterii sanctæ Mariæ Luxemburgensis ad abbatiam sancti Vitoni. Epternacensem præfecturam jam ab anno 1173 consecutus fuerat, hanc vero dimisit an. 1181, reversusque est ad monasterium S. Mathiæ, prius tamen cum capituli consensu instituto abbate Epternacensi Gaufrido. Eodem anno memoratur in duobus alteris Arnoldi docu-

Ch. LXXI, col. 350.

mentis. Comprobavit anno 1182 compositionem inter canonicos S. Simeonis & cives Confluentinos. Cum Gilberto abbate Hemmenrodensi ab Arnoldo archipræsule accersitus, huic pontifici brevi morituro adstitit anno 1183. S. Blasii martyris corpori servando feretrum jussit aptari. Conditam ab ipso juxta monasterium domum hospitalem volunt. Virginum quoque Montis sanctæ Mariæ prope Boppardiam contubernalium, sub eo a sancti Mathiæ cœnobitis institutarum, leges comprobavit. Cessit e vita festa die S. Silvestri papæ circa annum 1191.

XIV. Gaufridus, jam Epternacensis abbas, ad regimen monasterii S. Mathiæ a Johanne archiepiscopo vocatus fuit anno 1191. Guiberti Gemblacensis abbatis precibus devinctus, ei suffragiorum participationem indulsit. Instrumento Henrici comitis Palatini in gratiam Johannis archiepiscopi subsignavit an. 1197. Reperitur in documento an. 1201. Testis occurrit anno 1209 in permutatione inter abbatem Romersdorfensem & collegiatam sancti Simeonis. In synodo generali Johannis archiepiscopi diplomati ecclesiæ Cardonensi concesso subscripsit an. 1210, quo diem obiisse testantur documenta Epternaci, videlicet IV id. Martii.

Ch. LXXIV, col. 353. Ch. LXXV, col. 354.

XV. Siboldus vel Siboto monasterium haud diu administravit, defunctus anno 1211 in vigilia Epiphaniæ.

XVI. Jacobus, nobilissima ducum Lotharingiæ prosapia satus, ejus monasterii regimini præfectus est anno 1211, quod & utiliter administravit per quadraginta sex annos. Hic itemque Richardus Ruthenensis abbas anno 1212 Warino S. Clementis abbati patronatum ecclesiæ S. Petri in Arenis asseruerunt. Dum præesset, parthenoni Montis S. Mariæ juxta Boppardiam S. Mathiæ subdito, Nennengensis ecclesia cum vectigali ac divite censu tradita est; exstructum quoque ab eo in B. Eucharii cœmeterio Deiparæ matris sacellum & ab Arnoldo archiepiscopo consecratum, ubi & ipse sub nigro marmore quiescit. Reperitur x cal. Julii in litteris Theodorici archiepiscopi pro Bosonis-villa. Cum in eo monasterio hospitalitatis florere studium cerneret idem Theodoricus archipræsul, Jacobo abbati ac monachis Monnendorfiensis ecclesiæ procurationem mandavit an. 1228, eaque re annuam sui vita functi memoriam promereri voluit. Extinctus est Jacobus anno circiter 1257, III nonas Julii; cujus tempore præluxit Otto prior, qui quadraginta amplius annis cœnobii disciplinam sanctissime moderatus est.

XVII. Theodoricus alto sanguine Lotharingico natus, vir animi celsitudine & incomparabili fortitudinis laude commendandus, sub annum 1257 magistratum iniit. Fratres habuit Robertum abbatem S. Mariæ ad Martyres & Simonem majoris ædis præpositum. Gravissimæ diuturnæque ei cum Henrico Vinstingio archipræsule fuerunt simultates, quas fuse recensuimus in ejus pontificis historia, ubi vide. Res enim eo venere ut archiepiscopus in locum Theodorici sufficeret Guillelmum *de Meysenbourg* S. Maximini monachum, qui ad suum monasterium, ibi pœnitentiam agendi causa, remeare coactus est. Verumtamen Theodoricus, qui jussu Henrici in carcere detentus fuerat, post tres annos sexque menses liberatus, Romam petiit, ubi archipræsuli reconciliatus est an. 1272. Dum autem ad suum repedaret monasterium, incidit in latrones, e quorum manibus salvus evasit; sed nec ita fuit de Stephano ejus capellano, qui lancea graviter est vulneratus. Abbatem hunc tam diuturnis insectationibus probatum vita functum legimus anno 1287.

XVIII. Alexander præfuit annis 19, mensibus 4, diebus 29, decessitque anno 1306, VII cal. Junii. Sub ejus moderamine floruit Golscherus monachus, diversorum operum scriptor eximius.

XIX. Fridericus administrando monasterio incubuit annis 11, mensibus 10, ex Mesenich.

XX. Eberhardus *de Warnersbergh* an. 1318 abbas fuit designatus. Hic ecclesiam variis operibus ornavit, fecit sedilia chori, fudit campanam majorem, quam vulgo Benedictum vocabant; condidit aram Omnium sanctorum, coram qua & sepultus est, ad lævam altaris, transactis in regimine annis 4, mensibus 9 & diebus 24, ex Mesenich & Browero.

XXI. Fridericus *de Heinsenberg*, sub quo constructum dotatumque est altare S. Elisabethæ in ecclesia S. Materni a nobili viro Henrico *Schenck*, conditum quoque anno 1331 monasterium Carthusianis in fundo S. Mathiæ a Balduino archiepiscopo. Migravit e vita XVI cal. Septembris 1344.

XXII. Henricus *de Rodenmacheren*, completis regiminis annis septem, vivere desiit ipsa die Conversionis S. Pauli, sepultus in sacello S. Benedicti prope januam.

XXIII. Walterus de Menga vel *Megingen* regere cœpit an. 1351, atque per sexennium obtinuit. Reddita anima Creatori V calend. Septembris, sepulturæ traditus est ad sinistrum latus altaris Omnium sanctorum.

XXIV. Johannes *de Waldersingen* pastorali pedo honestatus anno 1357, usus est per novem annos, mortalitatemque exuit XVII cal. Octobris 1366.

XXV. Gaufridus vel Joffridus comes *de Leyningen* abbas evasit an. 1366. Reliquias pene omnes auro argentoque vestivit, publicamque earum ostensionem solemnem primus huic monasterio introduxit, potestate sibi concessa a Bonifacio IX, a quo & usum pontificalium ornamentorum impetravit. Cum per annos 44 monasterium utiliter administrasset, de vita cessit an. 1410 festo die S. Valerii episcopi, sepultusque est ad latus sinistrum altaris S. Helenæ.

XXVI. Eberhardus *de Hoheneck* electus an. 1410, præfuit annis sex. Supremam diem

functus die S. Cæciliæ 1416, sepulturam A habuit ante altare S. Helenæ ad caput Gaufridi abbatis.

XXVII. Herbrandus de Gulsa abbas creatur anno 1416, tribusque duntaxat præest annis. Is enim renovandæ disciplinæ metu, cessit ab abbatiali munere, & ad divi Maximini cœnobium transiens, ibi prioris officio contentus, ævum transegit, sepulturam nactus in ambitu ecclesiæ juxta gradus, versus introitum chori.

XXVIII. Johannes *de Rode* Trevir honestis parentibus Johanne & Catharina natus, vir sacrarum litterarum studiosissimus & doc- B tissimus, juris item canonici peritissimus, moribus & conversatione devotus, primus ac præcipuus congregationis Bursfeldensis per totam Germaniam author, & utriusque sexus monasteriorum per totam Rhenensem provinciam celeberrimus reformator. Studuit Heidelbergæ, ubi sacræ theologiæ baccalaureus & pontificiorum canonum licentiatus effectus, tandem Metensis ecclesiæ canonicus & sancti Simeonis apud Trevirim decanus, curiæque Trevericæ officialis designatus fuit. Seculi vero pertæsus mundum reliquit, Deoque in Carthusia extra Trevirim sese devovit, unde post C aliquot annos ab archiepiscopo jussu & autoritate Martini V extractus, abbatiæ S. Mathiæ præfectus est an. 1419, biennioque post introductus. Præfuit ab eo tempore 18 annis feliciter & utilissime. Scripsit librum unum de reformatione monachorum, de qualitate item abbatis librum unum, ac in Genesim opus imperfectum & alia quamplurima. Spiritum Deo reddidit cal. Decemb. 1439 in oppido Monthaborino, unde revectus sepulturæ traditur ante aram S. Stephani protomartyris cum eo epitaphio:

Hic jacet in tumba vas ordinis alta columna D
Abbas donatus Johannes Rode vocatus.
Collectis membris primo succumbo Decembris
Tricesimo nono C *quater* M *quoque solo.*

XXIX. Johannes *Worst*, utriusque monasterii S. Mathiæ & S. Maximini abbas factus est ad recusationem Johannis *de Hagen*, qui pauperculum Bursfeldense noluit relinquere monasterium. Coloniam ad cœnobium sancti Pantaleonis translatus est; quod cum aliquanto tempore rexisset, e vita migravit an. 1452.

XXX. Henricus *Wolff de Spanheim* accitus E est ex monasterio S. Mariæ ad Martyres, & utrumque monasterium per quadriennium rexit; verum abbatia S. Mathiæ contentus, ab altera cessit. Consumptis annis octo in administratione decessit an. 1451, VIII id. Aprilis, humatus prope aram sancti Stephani cum hoc rudi epitaphio:

Anno milleno C *quater*, L *quoque primo*
De Spanheim *natus Henricus* Wolff *vocitatus*
Hic conservatus, & vermibus esca paratus
Abbas Mariæ translatus eratque Mathiæ.

XXXI. Johannes *Tonner, latine* Donnerius sive Tonerius, oppido *de Aldewassar* juxta inferius Trajectum oriundus, ex Hemmenrodensis Cistercii ordinis cœnobita curis Jacobi *de Sirck* archiepiscopi abbas electus fuit anno 1451. Recepta emendataque est sub eo anno 1459 Bursfeldensis observantiæ & unionis, vivendique ex S. Benedicti instituto disciplina, cujus author Johannes *de Rhode* exstiterat. Dono dedit anno 1464 domum Dotis ad S. Medardum in vicinia S. Mathiæ ad habitandam a sex tantum monialibus ibidem Deo servituris; quibus tamen postea facta est licentia triginta duas excipiendi. Cum abbatibus sancti Maximini & S. Mariæ ad Martyres a Johanne archipræsule suscepit administrationem monasterii S. Martini an. 1465. Universitatis nuper institutæ conservator constitutus est anno 1472. Parthenonem S. Germani monialibus pene vacuum, facultatibusque exhaustum a Johanne archiepiscopo accepit 20 Martii 1476. Coloniæ die sua functus anno 1484, ipsa S. Bernardo sacra, in monasterio S. Martini Coloniensis medio choro juxta Adamum abbatem sepulturæ traditus est.

Ch. XCIV, col. 364.

XXXII. Antonius *Leuven* Ultrajectinus electus anno 1484 festo die S. Bartholomæi, id habet elogium in annalibus Trevirensibus: *Moderabatur disciplinam tum istic Antonius* Leuven, *Ultrajecto Hollandiæ oriundus, magna non solum vir eruditione & vitæ monasticæ innocentia, sed quem ad summæ virtutis honorem, & meritorum in suos præstantiam decessoribus pene cunctis antecelluisse posteri prædicant. Cœnobitas in disciplinam ordinemque cooptavit adolescentes magnis naturæ & ingenii adjumentis ex Belgio, omnes exacto philosophiæ curriculo magistros. Cæterum inter ædificia, quæ ipse ad usum cultus divini molitus est, splendore præstant: templi penetralia, atque infra hæc crypta sacris martyrum & episcoporum recipiendis ossibus. Lacunaria egregii sunt operis, quibus e mediis imminent inauratæ & imaginum locis intermissis visu pulcherrimæ rosæ, nihil ut simile spectes prope tota diœcesi.* Conditor quidem est bibliothecæ, itemque insignis & eleganter ac sumptuosæ fabrefactæ vereque admirandi operis tabulæ, quæ est triplex in ara sancti Mathiæ. Suum præbuit assensum ut monasterium S. Germani suo subditum in gymnasium converteretur. Benedictioni Matthæi abbatis Gemblacensis in ipso S. Mathiæ monasterio factæ an. 1511, 19 Octob. die dominica adstitit. Cum laudabiliter & utilissime præfuisset annis 35 & mensibus sex, obiit an. 1519, X cal. April. humoque mandatus est ante aram S. Antonii a se constructam.

XXXIII. Eberhardus de Campis, vir doctus & moribus præditus, qui & plurima scripsit, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam cum summa laude ac gloria transmisit, abbas efficitur an. 1519 ipso die Annuntiationis B. Virginis, confirmatus III id. April. & benedictus XVIII cal. Maii. Mortuus anno

1526 ipsa die suæ electionis sepelitur ad aram A S. Agathæ.

XXXIV. Petrus de Olivia 10 Aprilis surrogatus, munusque consecrationis 17 adeptus, ædes abbatiales & alia plurima construxit, multaque ab antecessoribus amissa recuperavit. Exactis in regimine septem annis & tribus mensibus, interiit an. 1533 calendis Junii, apud decessorem conditus.

XXXV. Johannes *de Witlich*, vir doctissimus, abbatiali munere honestatus fuit 11 Junii 1533 in festo S. Barnabæ; illudque exercuit per quatuor annos & undecim hebdomadas, raptus flore ætatis 20 Augusti 1537. B

XXXVI. Lambertus *de Falckembourg* vir summæ humilitatis ac modestiæ, monasterio præfuit quinque annis minus viginti & uno diebus, peste ex hac vita sublatus una cum septem fratribus claustri officialibus an. 1542 penultima die Julii.

XXXVII. Henricus a Confluentia electus est an. 1542 mense Septembri. Cum Andræa fratre suo in ordinem uno & eodem anno ingressus; uno etiam eodemque anno ambo fratres duabus abbatiis, hic S. Mathiæ, ille Eberbachiensi ordinis Cisterciensis in Rheingavia, præfecti sunt. Eo autem gubernante C anno 1552 Brandeburgicus marchio Lutherano furore actus, in res monasterii æque sacras ac profanas debacchatus est. Quod damnum posteaquam resarciverat Henricus, morte sublatus est an. 1566, exactis in regimine 24 annis octoque mensibus. Sepultus est in sacello S. Benedicti cum hoc epitaphio:

Cum senior obruerer, canos jam ductus ad annos,
Me Pater e curis eximit Omnipotens.
Invicta longos toleravi mente labores,
Difficili fungens præsidis officio:
Sed scio, non falles nostram spem, Christe redemptor: D
Fœnore centuplici qui bene facta refers.

XXXVIII. Petrus *de Niderveis* ædes abbatiales juxta dormitorium sibi struxit, multa collapsa erexit, tumbamque S. Mathiæ vestivit auro. Fracto demum crure moritur an. 1573, XII cal. Maii, postquam sedisset annis septem. Quiescit in sacello B. Mariæ.

XXXIX. Johannes a *Plutzet* pedum pastorale accepit 28 Aprilis 1573. Legitur 30 Maii 1577 in edictione electorali. Haud sine sanctitatis opinione excessit anno 1599, 17 E Maii, postquam monasterium rexisset 26, diebus 27; conditus in choro S. Johannis-Baptistæ.

XL. Johannes a *Keill* supplici libello id postulavit an. 1602 a Lothario archiepiscopo, nimirum ut pœna mortis in triennalem relegationem, cum onere serviendi adversus Turcas, commutaretur. Præfuit annis 13, mensibus 4, diebus 6, defunctus an. 1612.

XLI. Gandolphus ab *Alderborn* IV nonas Octobris eligitur anno 1612. Adstitit 23 Augusti 1621 benedictioni Desiderii *Gerard* abbatis S. Petri Montis. Correptus vero dysenteriæ morbo spiritum emisit an. 1630 die ultima Februarii.

XLII. Nicolaus *de Trinckelin* anno 1634, 27 Martii & 8 Maii reperitur in duobus documentis. Migravit e vita anno 1649 in festo S. Scholasticæ, ætatis suæ 55.

XLIII. Martinus *Feiden d'Edigere* subscripsit anno 1649, 3 Augusti, unioni inter capitulum majoris ecclesiæ & status Trevirenses de non agnoscendo archiepiscopo nisi legitime electo. Interfuit annis 1652 & 1654 comitiis provincialibus.

XLIV. Cyrillus *Korch* electus est an. 1700.

XLV. Nicolaus *Manheim* cleri superioris deputatus subscripsit transactioni confectæ inter ordinem equestrem ad tractum Mosellæ & status patriæ Trevirensis 1729.

SANCTUS-MARTINUS.

TREVIRENSIS antistes S. Magnericus erga patrocinium S. Martini maxime devotus, nonnullas in episcopio suo ecclesias in ejus honorem exstruxit, ex quibus præcipuam constat esse S. Martini monasterium, in quo ipse S. Magnericus quiescit, situm in & extra muros Trevirenses, hoc est, ut aiunt Antuerpienses, ad ipsos urbis Trevericæ muros, infra saxeum pontem in dextra Mosellæ fluminis prope molendinum civitatis. Cum enim sanctus Martinus Trevirim venisset, mortuum suscitasset & Tetradii senatoris nobilissimi servum maligno spiritu correptum a Dæmonio liberasset, credidit & ipse in Christum, sacroque baptismatis lavacro a sancto Martino regeneratus, utpote pro præstito sibi beneficio gratus, S. Martino domum seu mansionem suam dedit hac lege, ut vir Dei ex ipsa oratorium & domum precationum S. Cruci dicatam faceret: unde adhuc hodie vocatur *ecclesia S. Crucis* ad S. Martinum. Postea vero hanc ipsam precationum domum vetustate vel communi urbis excidio plane collapsam liberali sumtu restauravit S. Magnericus anno 587, ibique monasterium B. Martini honori loco prorsus amœno condidit, adductis e disciplina S. Benedicti viris religione præstantibus, quibus & opulenta subsidia de proprio patrimonio ad tolerandam vitam benigne præbuit, & Esingerum seu Isengerum, vel Ingerum abbatem præfecit. Quandiu autem Isengerus abbatis munere functus sit plane ignoratur: hoc unum dolenter refertur domum hanc patrimonio S. Magnerici dotatam crebris Barbarorum irruptionibus totaliter desolatam, devastatione Normannica cum ipsa civitate succensam fuisse anno 882: quam religiosissimus Trevirorum antistes Ratbodus in pristinum statum reparavit, eique anno 888 præfecit Reginonem abbatem, virum ob spectatam vitæ probitatem commendandum. Ratbodo vita functo an. 918 successit Rutgerus, qui alio ductus spiritu monasterii proventus

proventus assignavit fratri suo Berwaldo seu Bertvaldo laïco an. 921. Sub Henrici archiepiscopi pontificatu qui rexit ab anno 956 ad annum 964, expulsis monachis, introducti sunt canonici seculares. Illi vero laxata subinde honestæ vitæ morumque disciplina, studioque Deum intentius orandi & rite in ecclesia psallendi posthabito, cœlesti voce locum deserere compulsi dicuntur. Quippe die sancti Martini translationi sacra, IV nonas Julii, sub auroram oscitanter de more psallentibus, vir ornatu pontificali & canitie venerandus in medio stare visus est, emittens hanc vocem: *Exite ignavi, exite; monachus Martinus fuit, non canonicus.* Ea voce quasi tonitru perculsi diffugiunt omnes, nec quisquam eorum diu supervixit. Ita locus prædæ expositus, neglecto sacrorum cultu, jam prope interitum erat, cum Theodoricus archipræsul procumbentem ad ruinam erigere statuit, aditoque imperatore, occupatas monasterii possessiones restitui curavit. Redintegratis rebus, monachos istuc reduxit, quibus Engelbertum abbatem religiosissimum præfecit, & impetrato a Benedicto VII pontifice privilegio 18 Januarii 975 firmam bonorum possessionem & liberam abbatis electionem indulsit. Forsan ejus loci monachis idem archipræsul S. Symphoriani monasterium sanctimonialium, Normannica tempestate quondam eversum, tradiderat: verum anno circiter 1104, ipso die festo S. Symphoriani, dum pervigilium in templo haberent, maximus fragor auditur. Illi mox spectatum accurrunt ecquid rei esset. Forte dum abessent, Adalbero præpositus S. Paulini ecclesiam ingressus est, atque sinente Ludolfo archipræsule, non thesaurum modo, sed & templum omnesque eo pertinentes agros invasit. Id monasterium Bursfeldensi congregationi adjunctum ab anno 1499, hos abbates est sortitum.

Ch. XLV, col. 315.

NOMENCLATURA ABBATUM.

I. INGERUS seu Isengerus a S. Magnerico præfectus est; post quem, inquit Bucelinus, nulla certa series abbatum habetur, intercepta Nordmannorum crudelitate & Treverorum vastitate, donec a Rathbodone archiepiscopo monasterium restitueretur.

II. Regino anno 888, vir ob spectatam vitæ probitatem & ab excelso ad res asperas & difficiles toleranter & humane ferendas animo summe commendabilis: quo mortuo iterum intercisa fuit abbatum linea & divisa monasterii bona inter laïcos. Hiccine est Regino abbas Prumiensis, quem Richarius loco dejecit? Aliis id discutiendum relinquo.

III. Berwaldus nomine tenus verius abbas quam sacro munere, qui Rutgerii archiepiscopi frater. beneficiario jure fundos monasterii occupavit.

IV. Salacho an. 936. Corpus S. Magnerici, eo moderante, translatum fuit an. 941 retro altare B. M. V. in crypta. Insequenti anno adstitit Rutgero archiepiscopo sancti Maximini basilicam consecranti.

V. Albericus Henrici I archipræsulis ætate abbatis munus exercuit, rebusque temporalibus monasterium auxit. Naturæ debitum solvisse legitur anno 956. Eo defuncto, monachi ab eodem Henrico archipræsule agris multati pelluntur, atque in eorum locum immittuntur clerici seculares.

VI. Engelbertus, vir religiosissimus, sub Theodorico archiepiscopo, qui, pulsis secularibus clericis, quantum monasterio, & ad fortunarum securitatem præsidii, & ad religionis nitorem ornamenti contulerit dignissimus hic archipræsul, cumulatissime liquet ex præcitato diplomate Benedicti papæ VII in gratiam ejusdem loci concesso 975. Excessit autem Engilbertus circa annum 995. Ch. XLV, col. 315.

VII. Eberwinus, vir tempestate sua celebris, S. Martini non autem Tholeyensis abbas, uti demonstrat reverendissimus & illustrissimus dominus ab *Hontheim* episcopus Myriophitanus & suffraganeus Trevirensis in sua historia diplomatica, tom. III, p. 973, Selgenstadii ad Mœnum amnem habitæ synodo interfuit anno circiter 1022. Richardum S. Vitoni Virdunensis abbatem, Jerosolymam ad sacra loca visenda proficiscentem est comitatus sub finem anni 1026. Sacris locis religiose peragratis, ambo abbates Antiochiam reversi sunt, ac Symeonem monachum Sinaïtam, quem amicitia per eam urbem transeuntes sibi devinxerant, itineris comitem in Gallias redeundo Belgradum urbem secum perduxere. Verum ab urbis præfecto Symeon transitu prohibitus, & pari utrinque mœrore a latere comitum avulsus, vix Rotomagum pervenire potuit, quo jussus ab abbate suo pergebat, pecuniæ summam a Richardo duce Normanniæ accepturus. Illuc tamen cum adventasset, Richardi ducis morte accepta, consilium proficiscendi in Treviros atque antiquos itineris socios revisendi cepit, vitæque cursum in arcta solitudine explevit anno 1035 cal. Junii. Ejus mortem Eberwinus testis oculatus ita describit: *Clericus* (Gozilo) *in feria quinta illum visitat: famulus Dei nullum responsum dat; seque in lectum recolligit. In die octava, dum revisit illum, valde diluculo in extremis reperit, mihique notum facit. Concitus cucurri infirmus toto corpore, & maxime debilis pedum invaletudine, quasi sanus ascendi sine dolore.* Narrat deinde ut morienti adfuerit. Numquid, ut ait præfatus episcopus Myriophitanus, si Theologii fuisset abbas, potuisset uno die moneri & æger pedibus Treviros usque excurrere? Librum de ejusdem S. Symeonis vita scripsit jussu Popponis archiepiscopi, cui ipsum nuncupavit. Scriptis etiam res a divo Magnerico gestas est complexus, quas actis suis inseruere Hagiographi Antuerpienses ad diem 25 Julii, opus stylo simillimum actis S. Symeonis, in quo ita de se loquitur num. 60: *Sicque locum* (monasterium S. Martini) *apostolica præceptione munitum, cum*

per aliquod tempus prædictus vir (Engilbertus) *gubernasset, ab hac luce feliciter decessit: post quem eandem cellam, annuente episcopo, cum fratrum electione nos qui hæc scribimus, hic & indigni regendam suscepimus, & usque nunc prout possumus, in vinea Domini laboramus.* Vitam hanc ante ab Eberwino compositam fuisse, quam abbatiali munere fungeretur, constat ex bulla Benedicti VII data an. 975, in qua vita Magnerici allegatur; sed quid vetat quin clausulam illam, qua se sancti Martini abbatem profitetur, serius ipse addiderit?

VIII. Sigefridus, cujus tempore ab Adalberone præposito S. Paulini multa cœnobium detrimenta pertulit.

IX. Remigius, abbatis Mediolacensis cognominis ex sorore nepos, vir doctissimus, assumtus ex monasterio sancti Maximini, *pro mercede laborum*, inquit Flodoardus, *congregationi S. Martini est prælatus. Quem locum frequentia discipulorum & spiritualis palæstræ exercitio adornatum, quacunque quæsitis ditavit opibus.* Obiit nonis Januarii.

X. Ernestus post Remigium pedo honestatus est, qui apud Mediolacenses adolevit quidem, a Maximinianis tamen inter digniores admissus, transmissusque demum ad sanctum Martinum cæteros istic moderari cœpit, majori pietatis quam eruditionis encomio, anno circiter 1060. Obitus ejus notatur 17 Martii.

XI. Hugo vixisse traditur circa annum Domini 1084.

XII. Sigebertus vel Sigeberinus monasterium ex ruinarum & incendii squalore eripuit, cui etiam archipræsul Egilbertus, juxta diploma in archivio servatum, post restaurationem ecclesiæ contulit in dotem altaris in medio cryptæ consecrati jusum & susum Mosellæ a fonte S. Irminæ usque ad S. Symphorianum cum molendinorum stationibus. Mortuus 30 Januarii 1096.

XIII. Theodoricus I monachus ac scholasticus, ab alio Theodorico S. Mathiæ monacho itemque scholastico diversus, ex præcitato diplomate excepit Sigeberinum, majusque altare ecclesiæ S. Martini ab Egilberto curavit consecrari, in cujus dotem contraditi sunt tres mansi in Palatiolo an. 1097. Missus fuerat ab eodem archipræsule Egilberto ad Clementem pseudopontificem pallium, quod Gregorius VII denegaverat, postulatum. Hic duobus effusis in lucem maledicentiæ plenis libellis, Gregorii acta pontificis virulento calamo insectatus, Clementinæ factionis se vindicem tulerat, ob idque Egilberto fidem industriamque suam probaverat. Romam advectus facile, id quod petebat, impetravit a Clemente; domumque reversus, ob præclaram præsuli navatam operam, S. Martini abbatia, defuncto Sigeberto abbate, donatur; cujus facultates quoad præfuit, sic decoxisse dicitur, ut rerum necessariarum copia vix monachis suppeteret.

XIV. Otto subscripsit XIII cal. Febr. 1136 litteris Alberonis archiepiscopi de introductione Præmonstratensium in abbatiam sancti Pauli Virdunensis.

XV. Rainaldus memoratur an. 1138 in instrumento fundationis claustri Hemmenrodensis. Ch. LXVIII, col. 346.

XVI. Godefridus I ab Hillino archiepiscopo stagnum prope monasterium, alias a Meinhero donatum, adeptus, occurrit IV cal. Novemb. 1156 in documento fundationis monasterii Arnsteinensis; sic etiam VIII id. Januarii 1157 in diplomate Friderici I imperatoris, abbatiam Maximinianam Hillino archiepiscopo subdentis. Consignatur VII id. Martii & calend. Aprilis anni insequentis in duobus compositionis actis antistitis ejusdem. Testis quoque fuit telonei apud Confluentiam traditi collegiatæ ecclesiæ sancti Symeonis anno 1162. Ultimum clausit diem an. 1163. Ch. LXX, col. 348.

XVII. Reginerus, juxta monasterii documenta immediatus Gaufridi successor, electus est an. 1163. E monasterio sancti Maximini postulatus dicitur. Illud habet epitaphium:

Francigenæ stirpis vir magnæ nobilitatis
Abba Reginerius hic putret egregius.
Cunctorum festo Sanctorum carne solutus
Optamus votis ut societur eis.

XVIII. Oliverius impetravit anno 1168 ab Hillino archipræsule confirmationem diplomatum Ottonis II imperatoris, Theodorici I archiepiscopi & Egilberti item archiepiscopi de dotatione altaris in medio cryptæ summique altaris. Consecutus est eodem anno ab ipso pontifice Mosellæ decursum a fonte sanctæ Irminæ ad sanctum Symphorianum nec non jus abbatis eligendi. Subscripsit anno 1175 litteris Arnoldi archiepiscopi ecclesiam sancti Dionysii Juviniaco tribuentis. Obtinuit & ab eo pro curte Grachensi immunitatem a præstatione decimarum anno 1177. Legitur tandem in ipsius archipræsulis charta de unienda abbatia S. Mariæ Luxemburgensis monasterio S. Vitoni Virdunensis an. 1178; quo & ipse vivere desiit.

XIX. Cono seu Chuno, cujus mors notatur in obituario S. Maximini VII id. Martii.

XX. Godefridus II una cum prædecessore suo tres tantummodo annos in abbatiali dignitate exegit.

XXI. Reinerus anno 1181 ab Arnaldo archiepiscopo immunitatem a decimis in curte Grachensi stabiliendam curavit. Testis fuit 1182 compositionis inter canonicos sancti Simeonis & cives Confluentinos ab ipso Arnoldo sancitæ. Adhuc præerat an. 1190, ut patet ex confecta pactione inter Johannem archipræsulem & Folmarum comitem *de Castelle*. Simul fuit abbas Bosonis villæ.

XXII. Guillelmus I præsens aderat quando Henricus comes Palatinus advocatiæ ecclesiæ civitatisque Trevirensis nuncium remisit 6 Aprilis 1197. Mortalitatem exuit an. 1216.

XXIII. Richardus, vir sapientia, pietate

ac doctrina celebratissimus, optime moderatus est, curtemque in *Graich* a capitulo metropolitanæ ecclesiæ a decimis liberam declarari satagit anno 1216. Impetravit anno 1218 a Theodorico II archipræsule incorporationem ecclesiæ in *Irsch* a sancto Magnerico traditæ. Plenus meritis cessit e vita an. 1230 ac in ecclesia honorifico mausolæo sepultus fuit, cui hoc epitaphium incisum legitur:

Quid quæso laus, quid probitas, quid forma, quid artes
Prosunt! incertas subeunt hæc omnia metas,
Clara stirpe satus, pietatis nectare plenus,
Moribus imbutus, animo vultuque serenus.
Elogio doctus, inopum pia cura probatus
Abbas Richardus hoc busto pausat humatus.
Pro quo devotus lector roget, ut prece matris
Hunc Deus eripiat Sathanæ de faucibus atris.

XXIV. Balduinus superstes anno 1238, de frugalitatis & regularis observantiæ studio multum laudatur.

XXV. Theodoricus II memoratur anno 1244. Hic una cum Garlisio priore commissarius apostolicus ecclesiam *de Honingen* adjudicavit collegiatæ S. Simeonis 1246 mense Novembri, feria quinta post octavam sancti Martini.

XXVI. Johannes I pastorali pedo honestatus 1249, item in suffraganeum ab Henrico a *Vistingen* archiepiscopo adscitus est an. 1286. Quod testatum facit monasterii codex mss. eo modo: *Johannes primus hoc nomine clavum apprehendit monasterii, qui Henrico a* Vinstingen *Trevirensi archiepiscopo in munere pontificali suffragatus est.* Obiit anno 1297 postquam annis septem & quadraginta monasterium rexisset.

XXVII. Thomas in ecclesia auratam posuit tabulam, in qua notabilis dominicæ crucis sanguine Christi respersa portio visitur.

XXVIII. Hugo I, œconomus fidelis, præfuit an. 1302.

XXIX. Johannes II de Lesura societatem cum parthenone monialium ad sanctam Catharinam instituit anno 1305. Cum ædilibus Trevirensibus transegit 20 Januarii 1322 de fossato & ponte juxta portam sancti Martini. Memoratus adhuc anno 1325, obiit circa annum 1338.

XXX. Johannes III de Moylio brevis regiminis periodum intra annum conclusit.

XXXI. Wernherus *Zandt* a *Merle*, postquam biennio præfuisset, valetudinis causa, etsi reclamantibus monachis, in gratiam nepotis cessit fatisque concessit an. 1366.

XXXII. Guillelmus II ex Zandiorum *de Merle* familia, lite apud pontificem Romanum agitata, & Cunonis archiepiscopi authoritate interposita, non prius stabilem adipisci dignitatem potuit, quam defuncto Wernero ejus patruo monachorum suffragia patrui arbitrium confirmassent: qui deinde 22 annis præfectus vitam 1389 feria 4 post festum S. Jacobi apostoli absolvit.

XXXIII. Hugo II ab *Ellentz* felici rei familiaris provisione monasterio bene consuluisse annis 27 traditur. In vigilia S. Dionysii immortalibus sociatus anno 1416.

XXXIV. Johannes IV *de Schwartzemberg*, equestri familia ortus, qui postquam annis 11 gubernacula tenuisset, illa in festo Inventionis S. Crucis per obitum deposuit an. 1427.

XXXV. Herbrandus biennio circiter onere abbatiali perfunctus, ubi imparem se sensit, abdicans, in monasterio S. Maximini quæsito secessit, ibi quoque prioris officium exercuit.

XXXVI. Henricus de Gemunda, quondam S. Mathiæ monachus, præfuit ad usque annum 1432.

XXXVII. Willelmus III *de Helmstatt* a Petro *de Hubingen* Epternacensi abbate, dum ipse viveret, dono obtinuerat ut hæc abbatia sibi conferretur. Ea vero ordinatio caruit effectu: nam Winandus in locum Petri suffectus est. Unde litigium emersit; quod in synodo Basileensi in gratiam Winandi diffinitum est anno 1439, attributis tamen Willelmo 80 florenis annuis. Nihilominus præfecturam sancti Martini adeptus est.

XXXVIII. Mathias Rudigerus, Imperatori a consiliis, præerat an. 1441. Sub ipsius moderamine ære alieno adeo gravatum fuit monasterium, ut in integram ruinam delapsum fuisset, ni Johannes archiepiscopus malo obviasset. *Quapropter*, ait hic pontifex, *ut his medelam adhibere possemus, venerabilis, religiosus, maxime devotus, nobis dilectus Mathias abbas monasterii ejusdem sua libera ac spontanea voluntate omne regimen & administrationem in spiritualibus & temporalibus ad nostrum optatum, abbatiali tamen titulo sibi reservato cessit, liberèque ad manus nostras resignando renunciavit.* Inter hæc a Johanne archipræsule instituti sunt monasterii curatores abbates S. Maximini, S. Mathiæ & S. Mariæ ad Martyres 3 Augusti 1465. Mathias vero, qui retento abbatis titulo, ad cœnobium S. Mathiæ secesserat, defunctus est pridie cal. Novembris 1482.

Ch. XCIV, col. 364.

XXXIX. Johannes V *Blanckard* Arveilerus ex abbatia sancti Mathiæ per administratores accersitus, prioris ibidem munere perfuncturus, mortuo Mathia, abbas electus est an. 1482. Societatem cum monasterio S. Mathiæ instituit XI cal. Martii 1492, non secus ac eam quæ jam vigebat inter monasteria sancti Maximini, sancti Mathiæ ad Martyres & sancti Martini. Impetravit anno 1497 ab Alexandro VI incorporationem ecclesiæ in *Ganderen* cum suppressione tituli vicariatus perpetui. Sub Johanne monasterium S. Martini transiit ad leges congregationis Bursfeldensis anno, quo ille ad superos, 1499.

Ch. XCVI, col. 365.

XL. Conradus *de Ratingen* electus in abbatem & ab archiepiscopo confirmatus 1499, dormitorium monasterii de novo construxit an. 1506, aliaque multa ac necessaria

reparavit ædificia. Obtinuit quoque facultatem a Jacobo archiepiscopo elevandi corpus sancti Magnerici; quod honorificentissime peregit an. 1506. Interfuit an. 1511 die 19 Octob. in monasterio S. Mathiæ benedictioni Matthæi abbatis Gemblacensis. Denique universe re bene ac sapienter gesta, ad immortales migravit an. 1523.

XLI. Nicolaus Reillius eligitur & confirmatur abbas anno 1523. In monasterii felici administratione sedecim exegit annos, defunctus cal. Octobris 1539.

XLII. Rupertus seu Robertus de Epternaco oriundus, fit & confirmatur abbas an. 1539. Hic doctrina, facundia, reique musicæ peritia ac morum comitate spectabilis & non minus utilium in re familiari provisor sedulus, quam religiosi instituti amator, e vivis abiit 1562. Duobus hisce versibus de se ipse sic lusit;

Has ædes vigili dum cura atque arte reformo,
Rupertus numerum jam claudo ex ordine patrum.

XLIII. Gregorius a *Virneburg* ex canonico monasterii Meinfeldiæ anno 1557 die 11 Augusti ab archiepiscopo Johanne a Petra suffraganeus deputatus, Azotensis episcopi titulo a Paulo IV pontifice donatus, Benedictinum amplectitur institutum in monasterio sancti Martini, quod, obtenta in scriptis ab archiepiscopo licentia, solenniter professus est; dein unanimi monachorum voto eligitur in abbatem 28 Octobris 1562, eodemque anno ab archiepiscopo confirmatur. Jacobi archiepiscopi litteris de fundatione collegii Trevirensis Societatis Jesu subscripsit 19 Aprilis 1570. Johanni Bertelio abbati beatæ Mariæ Luxemburgensis benedictionem est impertitus 6 Augusti 1576. Denique exactis quindecim annis in hujus cœnobii administratione, ad superos transiit 30 Junii 1577.

XLIV. Johannes VI de Valle Malmundariensis ex priore monasterii, vivente Gregorio episcopo Azotensi & abbate, eligitur die 4 Junii in coadjutorem & futurum abbatem, confirmaturque abbas ab archiepiscopo 18 Julii ejusdem anni post mortem Gregorii decessoris. Munus gessit annis 27 non vulgari consilii ac prudentiæ laude præditus, industriæ quoque, œconomiæ atque hospitalitatis studio commendatus, donec cœnobiarchæ rite functus officio, ex hac vita sublatus est 6 Julii 1604.

XLV. Servatius Marinus septemdecim annorum præfectura apud suos sub titulo prioris functus, virtutis deinde ac doctrinæ prærogativa suffragiorum gratiam promeritus est anno 1604, 15 Julii, ac eodem confirmatus. Postquam vero totidem annis non modo disciplina, sed & magno temporalium rerum incremento summa cum laude huic monasterio præfuisset, huic dignitati morte avulsus est 1621.

XLVI. Franciscus Holzerus, virtute nobilior quam genere, ad abbatialem evectus dignitatem 1621, quanta prudentia ac sollicitudine munus injunctum fuerit exsecutus, præter plurima alia bene gesta abunde testatur insignis illa ac spectabilis ab imis fundamentis versus Mosellam ab ipso summa dexteritate erecta ac perfecta structura. Subscripsit 27 Martii item & 8 Maii 1634 duobus documentis. Capituli metropolitani statuumque Trevirensium pactionem de non agnoscendo archiepiscopo nisi legitime electo comprobavit 3 Augusti 1649. Legitur & insequenti anno 23 Augusti in alio instrumento. Dierum tandem & meritorum plenus, regiminis anno 31 tactus apoplexia fatis concessit 1652, anno ætatis suæ 64.

XLVII. Martinus *Merung* fratrum calculis delectus abbas, & confirmatus 1652, renovat confraternitatem cum imperiali abbatia sancti Maximini 1660. Administrata feliciter 16 annis abbatia, moritur 17 Aprilis 1668.

XLVIII. Albertus Balthasari ex priore in abbatem creatus, jam sexagenarius, 1668 die 7 mensis Junii, per reverendissimum suffraganeum Johannem *Holler*, eminentissimo principe electore sua hanc inaugurationem præsentia honorante, insignibus abbatialibus donatus est, & quatuor tantum annis in regimine laudabiliter completis, ex hac luce abiit 8 Junii 1672, quo societatem renovarat cum abbatia imperiali Epternacensi.

XLIX. Nicolaus *Lifer*, novitiorum magistri ac cantoris officio per aliquot annos non sine laude functus, fratrum suffragiis 27 Junii 1672 huic regendo præfectus est monasterio & ab archiepiscopo confirmatus. Stabilivit confraternitatem cum monasterio B. Mariæ ad Martyres 1673. Provincialibus comitiis adstitit 2 Septembris 1676. Vix tamen octo annis cum singulari tamen rem familiarem augendi atque decorem domus Dei amplificandi sollicitudine consumptis, humana reliquit 2 Junii 1680.

L. Mathias *Irsch* post abbatem Nicolaum fratrum votis electus & confirmatus 1680. Societatem sanxit cum parthenone nobilium virginum S. Irminæ 1682; sed vix expleto regiminis sui septennio, calculi doloribus exhaustus, vita functus est anno 1687, ætatis suæ 53.

LI. Jacobus de Belva electus & confirmatus an. 1687: verum cum minus idoneus inventus & de prodiga administratione convictus esset, per sententiam abbatiali regimini cedere compulsus est, & obiit anno 1705.

LII. Benedictus *Henn*, ex *Bullingen* in ducatu Luxemburgensi, postquam per 10 annos prioris munere functus, exauthorato prædecessore suo, fratrum suffragiis electus abbas anno 1701 & eodem confirmatus est. Hic monasterium ære alieno oppressum levavit, bona oppignerata reluit, melioravit & auxit, ecclesiam abbatialem tum eximia reparatione tum pretiosis paramentis ac picturis decoravit, ac universa re sapienter administrata restauratoris nomen meruit; celebrato tam conversionis

quam ſacerdotii jubilæo, tranſactiſque in regimine 46 annis, plenus meritis in Domino obdormivit 11 Januarii 1747, natus annos 86.

LIII. Paulus *le Jeune*, oriundus ex ducatu Belgico Limburgenſi, in univerſitate Trevirenſi juris utriuſque doctor, per plures annos ſacræ theologiæ profeſſor, per 4 annos prior, capitulariter eligitur abbas 30 Januarii 1747 & confirmatur per commiſſarium archiepiſcopalem dominum *de Nalbach* ſuffraganeum Trevirenſem 10 Februarii ejuſdem anni.

THOLEY.

THEOLEGIUM.

SUB annum 623, Dagoberto Francorum & Auſtraſiorum rege expenſas præbente, Modoaldi Treverici præſulis ſuaſu in honorem ſancti Mauricii fundatum fuit Theologienſe monaſterium, aliis dictum Dologienſe vel Tabuleienſe. Situm eſt ad Saravum fluvium in finibus diœceſis Trevirenſis & Lotharingiæ, haud procul ab oppido S. Wandelini. Doleiam ſeu Tabuleium, inquit Broverus, placet appellaſſe veteres, ceu ſectis inſtar tabularum & in quadrum aptis lapidibus ejus prima ſtructura ſurrexiſſet; nos vero, pergit ille, Theologium, quod frequens ibi de divinis rebus commentatio, tum inſignis etiam olim ſacris addiſcendis litteris erecta ſchola, nuncupatum didicimus. Re quidem vera olim fuit inſignis ac celebris academia, in qua vigebant ſacræ litteræ, unde multi illuſtres viri prodiere, quos inter non pauci Virdunenſes epiſcopi.

Hæc abbatia quondam ad Virdunenſem eccleſiam pertinuit; quapropter ne mireris ſi bene multos Virdunenſes epiſcopos inter abbates repereris. Catalogum autem abbatum ſecundum ordinem ſucceſſionis deducere, in plurimis non ſolum difficile, ſed & plane impoſſibile eſt, in primis enim multorum anni obitus in mortuariis non annotantur; inſtrumenta quoque electionum aut injuria temporis, aut vulcani deperdita & conſumpta ſunt: conducit quoque ad confundendum in catalogo ordinem diverſitas authorum in conſcribendis abbatum ſyllabis, quorum alii hunc, alii alium deducunt ſucceſſionis ordinem. Præ omnibus tamen placet enumeratio abbatum hujus monaſterii a RR. P. Maximino *Motté* abbate meritiſſimo ad nos tranſmiſſa, ſed nec erroribus omnino expurgata. Ad electionem abbatis ſereniſſimus ac eminentiſſimus princeps archiepiſcopus Trevirenſis deputat Commiſſarium qui ipſi ſcrutinio, cum alio a præſide congregationis Burſfeldenſis nominato præeſt & intereſt. Electus a celſitudine ſua electorali, qua archiepiſcopo, ſemper confirmatur & benedicitur: quod jus confirmationis & electionis eſt annexum ipſi electioni, & neutrum ſeparabile.

SERIES ABBATUM.

I. S. Wendalinus, Scottus, & quidem ſtirpe, ut tradunt, regali, ſpretis ſeculi honoribus, in Galliam tranſmeavit. Illic factus ſubulcus, poſt opilio, tum eremita, poſtquam apud Trevirenſes aliquandiu delituit, adſcitus eſt ad regendum Theolegienſe monaſterium. Obiiſſe dicitur circa annum 650, ante & poſt mortem miraculis hucuſque clarus; colitur 21 Octobris. Locus ejus ſepulturæ originem dedit oppidulo ejus nominis prope monaſterium.

II. S. Paulus nobilis Belga ex eremita montis Gebennæ primum monachus, dehinc Tholegienſis abbas. Ejus primordia ſic a Trithemio & Waſburgio referuntur: Paulus ſuper montem Gebennam, in oppoſito civitatis Trevericæ trans pontem Moſellæ fluminis vitam duxit heremiticam. Deinde veniens ad memoratum Dologienſe cœnobium monachus factus eſt. Iſtuc cum divertiſſet, tantum honoris ob eximias virtutes brevi aſſecutus fuiſſe perhibetur, ut excepto nomine paſtoris, vice magiſtri ab omnibus coleretur. Hinc ejus curæ commendati, qui eo ſe conferebant, tirones; cœperuntque ad eum ex longinquis terræ partibus, audita ejus famæ opinione, multi confluere, non ſolum mediocrium hominum, ſed & nobilium ac præpotentium filii. Ex hiſce verbis, *excepto nomine paſtoris* nonnulli autumant Paulum non exſtitiſſe abbatem, ſed nihil aliud inde colligunt quam Paulum ſcholæ litterarum præpoſitum fuiſſe, qui Grimonem cæteroſque adoleſcentes ſcripturas doceret. Hunc S. Germani Pariſiorum epiſcopi fratrem fuiſſe vitæ ejuſdem Pauli ſcriptor, qui poſt decimum ſeculum vixit, opinatus eſt; imo & Bercarius preſbyter in hiſtoria epiſcoporum Virdunenſium: ſed perperam, reclamante ſcilicet temporum ratione, cum longe ante ſanctus Germanus e vivis exceſſerit. Ad Virdunenſem epiſcopatum invitus raptus, diem ſuum obiit anno circiter 648, 8 Februarii.

III. S. * Rodingus ſeu Chraudingus genere Scottus, in Galliam aliquanto poſt Columbanum tempore acceſſit. Acceptus in Tabuleienſe ſeu Theolegienſe monaſterium ita ſe geſſit ut abbatiali honore dignus ſit habitus. Verum Chroduino fratris aut ſororis filio in ſuum locum ſubſtituto, ipſe in Argonæ ſaltum, Paulo Virdunenſi antiſtite obiter ſalutato, ſe recepit in locum Waſlogium, ubi monaſterium condidit, quod poſteri mutato nomine Bellumlocum, ob pulcherrimum ſitum loci, nuncuparunt. Obiit circa annum 680.

* Vulgo S. Rouin.

IV. Chroduinus Rodingi nepos poſt ipſius receſſum abbas & ipſe evaſit, quem & in Argonæ ſaltum poſtmodum eſt ſecutus.

V. S. Grimo, dictus etiam Adalgiſus, quem Dagoberti conſanguineum & fundi Theolegienſis dominum exſtitiſſe perhibent, cœleſtis patriæ amore hujus ſeculi gloriam pro nihilo ducens, ſeſe Pauli doctrinæ ac diſciplinæ imbuendum ſubjecit; tantumque brevi profecit in litteris ſacris, ut magiſtro non reputaretur inferior, dignuſque habitus eſt qui & ad Levitici ordinis gradum & ad ipſius monaſterii regimen aſſumeretur. Is dum abbatis munus

obiret, de miserando Virdunensis ecclesiæ statu ab ipsomet Paulo certior factus, Frasnidum villam in victum clericorum Virdunensium largitus est, & cum eo ad regem profectus possessiones & pecunias ab ipso impetravit. Sub ipsius moderamine Gisoaldus ejus loci monachus ad infulas Virdunenses evectus est.

VI. Gerebertus abbas, tum episcopus Virdunensis, invicto animo tyrannidi Ebroini ecclesias immensis vectigalibus exhaurientis imperterrite restitit. Vixit anno 689.

VII. Armonius Pipino Heristallio sanguine conjunctus, post Gereberti mortem factus & ipse est episcopus Virdunensis, habuitque successorem in episcopatu Aggrebardum, cui immediate successerunt Bertalamius & Abbo monachi Theolegienses.

VIII. Leo.

IX. Chietmericus.

X. Chranderigus.

XI. Frodonius.

XII. Herbertus.

XIII. Annodo.

XIV. Fidenardus.

XV. Anno.

XVI. Buermerus, cujus tempore sanctus Pirminius, recusato Meldensi vel Metensi episcopatu, Theolegii diu vixisse memoratur. Vixit anno 727.

XVII. Theodefridus.

XVIII. Guilliharius.

XIX. Rogobertus, aliis Dagobertus.

XX. Figehardus.

XXI. Eberinus.

XXII. Ermenandus.

XXIII. Stephanus.

XXIV. Hildinus de Allemannia fit episcopus Virdunensis anno 822, vir bonus & sanctus, ac multum in imperio spectatus. Eo moderante Carolus rex Virdunensi ecclesiæ abbatiam ademit. Quanta Hildinus inde mala pro recuperatione sustinuerit, testis est ipsius Hildini scripta lamentatio, Spicil. tom. XII, p. 276. Actis in episcopatu 24 annis, obiit an. 846.

XXV. Adelelmus, cui ademtam episcopo Hildino abbatiam Carolus Calvus rex tradidit, Spicil. tom. XII, p. 276.

XXVI. Hatto episcopus Virdunensis, vir infatigabilis, cujus intentio unica & labor nimius in hoc extitit, ut ecclesia Virdunensis exaltaretur, & pace frueretur; quod & effecit. Defunctus 870, post 23 annos episcopatus.

XXVII. Berhardus episcopus Virdunensis inchoatam a prædecessore Virdunensem basilicam perfecit, exornavitque; canonicos reformavit, pueros per se & alios cum omni charitate in divinis libris instruxit. Theologiæ defunctus pridie kal. Januarii anno 880, in ejusdem loci ecclesia sepultus fuit.

XXVIII. Dado sive Bado, aliis etiam Frido episcopus Virdunensis mortuus an. 923.

XXIX. Bernuinus episcopus Virdunensis fatis concessit an. 939.

XXX. Berengarius, Ottonis I imperatoris consanguineus, nobilis Saxo, Virdunensis episcopus suam plurimum auxit cathedralem, vitæque cursum consummavit an. 959.

XXXI. Bernardus.

XXXII. Adolo.

XXXIII. Rupertus I.

XXXIV. Elicherius.

XXXV. Elironius.

XXXVI. Gerhardus.

XXXVII. Ebervinus eruditissimo ac illustrissimo episcopo Miryophitano longe diversus videtur ab Ebervino abbate sancti Martini Trevirensis. Adstitit an. 1023 Seligenstadiensi concilio.

XXXVIII. Wilhelmus I simul fuit abbas Theolegii & S. Michaëlis in diœcesi Virdunensi, defunctus 10 Martii.

XXXIX. Berhardus obiit 7 Maii.

XL. Crodowinus abbas & episcopus occubuit 9 Maii.

XLI. Beumundus cessit e vita 24 Maii.

XLII. Bernowinus.

XLIII. Folradus obiit 7 Decembris.

XLIV. Conradus.

XLV. Aberherdus vel Eberhardus.

XLVI. Abbo, quo sedente corpus beati Cunonis Trevirorum designati archipræsulis & martyris huc translatum fuit & humatum an. 1066.

XLVII. Arnoldus mortuus 30 Martii.

XLVIII. Ehernominius, al. Hieronymus.

XLIX. Bertolfus.

L. Hildericus obiit 7 Januarii.

LI. Bertholdus 15 Junii.

LII. Rudolphus superstes anno 1136, 20 Januarii, uti patet ex litteris Alberonis archiepiscopi de introductione ordinis Præmonstratensis in abbatiam S. Pauli Virdunensis.

LIII. Theodoricus Alberoni obedientiam promisit an. 1136.

LIV. Gregorius occurrit 6 Januarii 1157 in diplomate Friderici imperatoris confirmantis abbatiam S. Maximini Hillino archipræsuli.

LV. Viricus vivere desiit 13 Maii.

LVI. Thomas I 26 Martii.

LVII. Henricus I eductus e S. Maximini monasterio e vivis abiit 28 Januarii.

LVIII. Henricus II 6 Maii.

LIX. Gerardus vocatus fuit an. 1171 ad componendam litem exortam inter monasteria S. Salvatoris & de Alta-silva.

LX. Hugo, toto monasterio penitus ædificato, excessit 29 Aprilis.

LXI. Wilhelmus II episcopus Virdunensis mortem oppetiit 11 Martii.

LXII. Henricus III de Indagine seu ab *Hagen* superstes an. 1238.

LXIII. Folmarus diem clausit extremum 23 Decembris.

LXIV. Emicho de Superiori-lapide, seu ab *Oberstein* 27 Januarii.

LXV. Betzelinus *de Sotteren* 27 Martii.

LXVI. Guillelmus III ex monacho sancti

Michaëlis factus abbas Theolegii, jam præerat anno 1280, 24 Augusti, quo die monachi Virdunensi capitulo libellum obtulerunt bonorum suorum possessionem obtinendi gratia. Ipse vero an. 1282 a Theoderico de Indagine allodium in *Hunzimbach* in feudum accepit, & cum Petro abbate S. Michaëlis transegit anno 1285.

LXVII. Reinoldus e vita migravit 21 April.

LXVIII. Heymundus 24 Martii.

LXIX. Philippus de Indagine vel ab *Hagen* superstes 1346, devixit calendis Maii.

LXX. Reinoldus *de Sotteren.*

LXXI. Thomas II *de Sotteren* vir magnæ religionis & sapientiæ, conventui 57 abbatum jussu Martini V summi pontificis an. 1422 Treviris coacto præsedit, reformationem incœpit, vitamque finivit 1442, 15 Febr.

LXXII. Johannes *de Ellenbach* reformationem a decessore incœptam prosecutus, cum Bursfeldensibus sese accommodavit, fato functus 21 Octobris.

LXXIII. Nicolaus *de Lewenstein* moritur 1474, 18 Januarii.

LXXIV. Gasparus *de Dalem* præerat anno 1480. Occubuit 20 Septembris.

LXXV. Damianus *de Lonmersweyler*, vir perenni laude & memoria dignus, per pietate præstantes, & ex aliis monasteriis postulatos viros disciplinam monasticam insigniter restauravit. Ad meliorem vitam transiit III id. Januarii 1488.

LXXVI. Gerardus *de Hasselt* ex monasterio Lacensi eductus, & Damiano antecessori in opus reformationis submissus, primo cellerarius, dein abbas maximam campanam fundi curavit. Spiritum Treviris exhalavit festo die S. Bartholomæi, cujus corpus Theolegium relatum, humatum fuit ad introitum chori.

LXXVII. Judocus de Colonia, Agrippinæ vitam reliquit, sepultus in monasterio sancti Pantaleonis 1520, XIII cal. Novembris.

LXXVIII. Thilmannus de Embrica obiit an. 1526 pridie cal. Januarii.

LXXIX. Balthasar de Trajecto inferiori mortuus an. 1531 pridie nonas Octobris.

LXXX. Gerhardus de Gouda defunctus an. 1540, XIII cal. Januarii.

LXXXI. Rupertus a *Wick*, vir humanitate & hospitalitate clarus, adstitit anno 1565 benedictioni Petri abbatis sancti Maximini Trevirensis. E vivis abiit an. 1571.

LXXXII. Lucas ab *Asfelt* ex vita discessit 1581.

LXXXIII. Antonius, Trevirensis, toto regimine suo multas persecutiones & calamitates perpessus, vita demigravit 3 Novembris 1617.

LXXXIV. Martinus *Nennich*, jam ab anno 1616 in coadjutorem apostolica authoritate assumtus, exstinguitur 16 Junii 1638.

LXXXV. Maurus Grossius *de Rossel* Æmiliano Wiltzio coadjutori suo defuncto anno

A 1671 supervixit, vitamque ipse reliquit 1688, 25 Martii.

LXXXVI. Mauritius *Gralinger* in Congregationis Bursfeldensis con-præsidem electus anno 1700, morte sublatus fuit 2 Junii 1717.

LXXXVII. Gasparus *de Roussel*, decoris domus Dei studiosissimus, ecclesiam altaribus atque pavimento mire exornavit, amplum & dormitorium exstruxit, ac postquam insigni humilitatis charitatisque exemplo omnibus profuisset, obitu perculsus est 9 Maii 1730.

LXXXVIII. Theobertus *de Hame* ex oppido sancti Wendalini factus abbas 18 Junii

B 1730, pie in Domino obdormivit 1 Maii 1759, ab omnibus vere dilectus, & pater pauperum vocatus.

LXXXIX. Maximinus *Motté* ex civitate Luxemburgensi, per vota unanimia in abbatem 30 Julii electus, 25 Augusti confirmatus, & 11 Novembris 1759 benedictus. Abbatum hunc indicem quam humanissime æque ac officiosissime ad nos transmisit an. 1765.

XC. N. *de Salabert* vicarius generalis episcopi Lactorensis a rege Ludovico XV commenda donatus est Compendii 23 Augusti 1769.

C

S. MARIA AD MARTYRES.

NOTRE-DAME DES MARTYRS.

LEOTWINI pontificis ætate, & forte favore ac patrocinio, surrexit in Treverica urbe celeberrimum monasterium S. Mariæ ad Martyres, eo in loco ubi erectum olim capitolium seu palatium præfectorum palatio Galliarum, ipsorumque imperatorum, quando eos in Gallias venire contingebat: ubi etiam martyrium passi sunt plurimi martyres, a quibus locus appellationem accepit, dictus etiam beatæ Mariæ ad Monachos. Hunc locum in monasticæ congregationis domicilium, virtutisque ac litterarum scholam convertisse itidem di-

D citur S. Willibrordus Trajectensis ecclesiæ episcopus auxilio Pippini principis anno circiter 698. Longe ante Leotwini pontificis ætatem jam illic forsan exstiterat domicilium clericorum, utpote legitur in Gestis Trevirorum sanctum Rusticum episcopum post lapsum in carnis peccatum secessisse in hunc locum, ut suam defleret culpam, veniamque a Deo impetrare mereretur. Adservatur etiamnum ibidem altare portatile, quod sanctus Willibrordus circumferre solitus erat, cum Bataviam ac Frisiam evangelium prædicans peragraret. Se-

E lectum monachorum Benedictinæ professionis cœtum in eo monasterio, quod funditus deleverant Normanni, Theodoricus archipræsul instituisse & necessariis censuum præsidiis benigne sustentasse traditur, quibus Adeodatum præfecit anno 975. Suffectos autem in locum Benedictinorum, per vim exclusorum, canonicos, qui eam ecclesiam usurpaverant, expulit Poppo archiepiscopus, resque pristinum in statum restituit anno 1017. Addictum modo est id cœnobium congregationi Bursfeldensi, possidetque, præter magnam reliquiarum vim, plurima alia sacra pignora, partem scilicet albæ

vestis, qua Salvator ab Herode illusus fuit; vestem etiam Dei genitricis Mariæ, nec non & crucis Dominicæ satis magnam portionem.

Abbatum Series.

I. Adeodatus præfectus est anno 975 a Theodorico archipræsule.

II. Hildeboldus.

III. Warnerus.

IV. Rupertus.

V. Uraldus.

VI. Everwinus.

VII. Adalbertus.

VIII. Petrus I.

IX. Udo.

X. Hageno.

XI. Hermannus I.

XII. Berno.

XIII. Folcuinus.

XIV. Petrus II; utrumne Folcuinus an Petrus adfuerit anno 1107, quando Bruno archipræsul corpus S. Modoaldi Thietmaro abbati Helmwordeshusensi in Saxonia tradidit, prorsus incompertum: verum dubitare nefas est, quin Petrus subscripserit litteris Brunonis archiepiscopi de introductione Præmonstratensium in abbatiam sancti Pauli Virdunensis XIII cal. Augusti 1136.

Ch. LXX, col. 348. XV. Ludovicus consignatur in instrumento fundationis monasterii Arnsteinensis IV cal. Novembris 1156. Biennio post, VIII idus Januarii, Friderici imperatoris abbatiam san-Maximinianam Hillino archiepiscopo subjicientis in diplomate legitur. Occurrit & anno 1158, VII id. Martii, nec non & calendis Aprilis in duabus chartis Hillini. Commutationem Trevirensem inter & Virdunensem præsules initam laudavit an. 1160.

XVI. Reimboldus, assumtus ex cœnobio S. Maximini, testis reperitur in charta Hillini archiepiscopi in gratiam ecclesiæ S. Simeonis an. 1162. Occurrit in litteris archiepiscopi Arnoldi pro Aurea-valle 1175. Ratam habuit an. 1178 unionem abbatiæ S. Mariæ Luxemburgensis ad monasterium S. Vitoni Virdunensis. Pactioni inter canonicos S. Simeonis & cives Confluentinos interfuit an. 1182. (Ch. LXXI, col. 350.)

XVII. Hermannus II ad quem exstat sanctæ Hildegardis epistola, & illius vicissim responsalis.

XVIII. Theodoricus I præsens aderat anno 1197 die 6 Aprilis, cum Henricus comes Palatinus in gratiam Johannis archiepiscopi ab advocatia ecclesiæ & civitatis Trevirensis se abdicavit. Memoratur etiam anno incerto in transactione scita inter præfatum archipræsulem & Folmarum comitem *de Castelle*. Vitæ perfectioris studio sponte dignitatem exuit, ac ordini Cisterciensi in monasterio Hemmenrodensi sese devovit, ubi abbatis munere menses aliquot functus fuisse creditur.

XIX. Richardus illustri genere *de Manderscheit* exortus, antecessoris exemplum æmulatus, eodem se recepit, illicque functionem abbatialem obivit ex Heesio.

XX. Theodoricus II, idem esse videtur cum Theodorico II abbate Himmenrodensi superstite annis 1257 & 1263, quem Heesius ait quondam fuisse abbatem beatæ Mariæ ad Martyres.

XXI. Robertus frater Theodorici abbatis S. Mathiæ domum Aureæ-valli vendidit anno 1261. Is Henrico archiepiscopo perquam exosus in ejus pontificis odium & ipse incurrit; quin & uti Theodoricus frater e monasterio suo pulsus, ita quidem in ejus locum intrusus est Egidius *de Manderscheidt* loci monachus. Commissarii vero apostolici, exauctoratis duobus pseudoabbatibus, legitimos abbates Robertum in monasterio sanctæ Mariæ ad Martyres, & Theodoricum in cœnobio sancti Mathiæ restituerunt anno 1263.

XXII. Hermannus III.

XXIII. Egidius, e S. Martini monasterio postulatus, a nonnullis Hermanno præponitur.

XXIV. Petrus III.

XXV. Jacobus.

XXVI. Walramus præerat anno 1313. A Balduino archiepiscopo destinatus est ad formandos in melius mores monachorum sancti Beati prope Confluentiam, sed desperato labore ad suos reversus obiit an. 1324.

XXVII. Petrus IV transactis in regimine quatuor annis occubuit an. 1328.

XXVIII. Gerardus præfuit annis 42, ac defecit an. 1370.

XXIX. Theodoricus III *de Lesendorff* transactionem iniit an. 1382 cum Johanne Aureæ-vallis abbate. Ipse pastorale pedum per unum & viginti annos consecutus, moritur 1391.

XXX. Tilmannus *de Linche*.

XXXI. Mathias Stumphius, sub quo reformatio introducta fuit, vitæ finem imposuit an. 1428.

XXXII. Reinerius abbas S. Mariæ extra muros Trevirenses una cum Henrico Ornbacensi abbate visitavit monasterium Epternacense anno 1443.

XXXIII. Henricus Wolffius *de Spanheim* Bursfeldensem reformationem fulsit. Accitus quoque est ad gubernandum monasterium S. Mathiæ, & utramque per quadriennium retinuit abbatiam; verum una sancti Mathiæ contentus, hanc B. Mariæ sequenti transcripsit an. 1447, & vitam finivit, ut jam diximus in abbatibus S. Mathiæ, an. 1451.

XXXIV. Henricus *de Blench* superioris cessione factus abbas anno 1447, una cum Antonio S. Maximini & Johanne S. Mathiæ abbatibus institutus fuit administrator monasterii S. Martini 3 Augusti 1465. Extremum diem clausit an. 1477. (Ch. XCIV, col. 364.)

XXXV. Johannes I de Breda abbatis munere functus quindecim annis, excessit an. 1492.

XXXVI. Johannes II de Treviri sedit per sedecim

sedecim annos & aliquot menses, desiitque vivere anno 1509.

XXXVII. Gaspar de Breda electus penultima Octobris 1509, e medio tollitur 1527.

XXXVIII. Johannes III de Cellis oppidulo Treverico natus, in abbatem cooptatur anno 1526, moriturque anno 1544.

XXXIX. Petrus V Alffius excessit 29 Januarii 1548.

XL. Johannes IV *Cober* præficitur anno 1548 festa die S. Agathæ. Obiit 4 Martii.

XLI. Petrus VI Carwelius ex Lucensi monasterio postulatus, vir religiosissimus, decessit anno 1581.

XLII. Lucas *Seill* ab anno 1581 ad 1586.

XLIII. Petrus VII Berncastellanus ab anno 1586 ad 1595.

XLIV. Jacobus Gultzius ab anno 1595 ad 1607.

XLV. Judocus Milvius Berncastellanus Petri cognatus, adstitit solemni benedictioni Desiderii *Gerard* abbatis S. Petri-montis 23 Augusti 1621. Præfuit ab anno 1607 ad 1624.

XLVI. Johannes V *Lack* laudatissimus abbas ab anno 1624 ad 1632.

XLVII. Egidius *Wahl* electus an. 1632, in duobus documentis reperitur 27 Martii & 8 Maii 1634, quo fatis concessit, post duos regiminis annos.

XLVIII. Petrus VIII *Mertert* factus abbas an. 1634, obiit 9 Augusti 1636.

XLIX. Johannes VI *Kalther* creatus abbas an. 1636 laudavit unionem inter canonicos majoris ædis ac status Trevirenses de archipræsule non agnoscendo, nisi legitime electo anno 1649. Legitur etiam annis 1650 & 1654 in alteris documentis. Excessit e vivis anno 1678.

L. Mathias *Scholer* ab anno 1678 ad 1704.

LI. Petrus *Queistor* ab anno 1704 ad 1711.

LII. Jacobus *Horst* electus an. 1711, subscripsit an. 1714, 23 Novemb. conventioni inter status seculares & ecclesiasticos de norma contributionum provincialium. Adstitit 8 Octobris 1715 comitiis provincialibus. Moritur anno 1730.

LIII. Benedictus *Scholer* ab anno 1730 ad 1756.

LIV. Henricus *Cremes* ab anno 1756 ad annum 1761.

LV. Thomas Valentini in abbatem cooptatur anno 1761.

Metloc seu Mithlac.

MEDIOLACUS.

Distans quatuor milliaribus ab urbe Trevirensi, ad Saroam seu Saravum fluvium, sex passuum millibus supra Saraburgum arcem munitissimam, positus est Mediolacus. Insigne hoc cœnobium, Trevirensium pontificum olim quoddam veluti seminarium, a fundamentis sub invocatione S. Dionysii in suo fundo, mortua conjuge, erexit atque impense dotavit Leotwinus Galliæ Belgicæ dux, qui in eodem professus monachum, inde postea ad episcopalem Trevirorum cathedram extractus est anno 695, atque in eumdem locum post mortem revectus, honorificæ sepulturæ traditus est. Seculo autem decimo perquam deformata jam erat hujus monasterii species, imminuta religio, accisæ facultates, tum crebris bellorum motibus, tum Wicelini Trevirorum vicedomini infestatione. Hic, cum frequenti locum illum direptione, adducta eo prædabunda militum manu, exhausisset; tum etiam, ne unquam monachis hanc injuriam persequendi facultas superesset, omnes donationum veteres chartas minuatim conscinderat. Hinc cœpit labare ac deficere sensim religio ex inopia rei familiaris. Utrumque sarcire pro virili tentavit Ruotbertus Trevirensis antistes, atque ut a spiritualibus inciperet, misit ad Indense sancti Cornelii monasterium prope Aquisgranum, virum inde postulans, qui Mediolacensibus monachis præesse, & collapsam disciplinam restituere valeret. Ruotwicus vir probata virtute missus est, qui mox a Ruotberto consecratus abbas, asceterii administrationem excepit. Insuper Ottoni regi monasterium & novum abbatem commendavit Ruotbertus, & veteres loci possessiones vindicari curavit, quibus novas de suo rex adjecit, amplissimo dato privilegio, quo veterum jactura repararetur. His præsidiis munitus Rotwicus, totum se convertit ad reformandum monasterii statum & ad instauranda ædificia. Imo quidem, ut doctrinæ etiam fructus Mediolaci non deessent, duos ex suis ad Gerbertum, postea Remorum antistitem, eruditionis causa misit, qui deinde ad suos reversi, litteras probe excoluerunt. Hæc vero abbatia Bursfeldensi congregationi consociatur.

Tabula Abbatum.

I. S. Leotwinus monasterii fundator & abbas, ad Trevirenses infulas pervenit anno 695, ut supra diximus col. 387.

II. Adelbertus Andernacensis, coævus sancti Leotwini, & ejus vitæ scriptor, post ipsum abbas fertur extitisse.

III. Weomadus, quem diximus ex abbate sancti Maximini archipræsulem Trevirensem creatum fuisse anno 753, accensetur etiam abbatibus Mediolacensibus in actis S. Leotwini.

IV. Oricus circa annum 759 præfuit, ex instrumento minime probando Lamberti ducis, qui ejus loci fratribus donum indulsisse traditur.

V. Richbodus, qui ad infulas Trevirenses evectus fuit an. circiter 791, ante pontificatum Mediolacensis abbas fuisse perhibetur; ad quem Alcuinus direxit epistolam circa annum 777. Chart. xvi, col. 303.

VI. Waso, uti Richbodo in abbatiali munere successerat, ita successit in pontificali anno 804.

VII. Hetti ex abbate promotus est ad pontificatus honores in ecclesia Trevirensi anno 814.

VIII. Theutgaudus Hetti nepos, & ut ille Mediolacensis abbas, effectus fuit archipræsul anno 847, quem Nicolaus I summus pontifex præsulatu exuit, propterea quod unus e præcipuis autoribus divortii Lotharium regem inter & Theutbergam reginam fuisset.

IX. Bertulfus, Adventii Metensis episcopi propinquus, a Carolo Calvo rege ex abbate Mediolacensi in locum Theutgaudi archiepiscopi de sede deturbati, sufficitur an. 869.

X. Ratbodus, uti ejus antecessores abbas, per electionem cleri & plebis archipræsul evasit VII id. Aprilis an. 883.

XI. Eckenbertus ex præposito loci; quod munus sub Ratbodo gesserat, abbatis munus obivit sub annum 900.

XII. Rotwicus ex Indensi monasterio accitus, a Ruotberto archipræsule ejus loci institutus fuit abbas an. 941. Ottoni regi ab eodem prælato commendatus amplissimum impetravit privilegium; pristinum splendorem & primam religionis famam restituit; instauravit ædificia, in his præclaram sancti Petri aram, quam Ruotbertus consecravit; atque ut doctrina in monasterio vigeret, duos ex suis Remos ad Gerbertum Auriliacensem monachum in litteris informandos misit, qui deinde litteras Mediolaci probe excoluerunt. Præfuit annis triginta tribus, & monasticum rigorem atque observantiam egregie promovit.

XIII. Geribertus, vestigiis antecessoris inhærens, sex præfuit annis.

XIV. Nizo I vel Nithardus Mediolacense monasterium regebat an. 978. Ad eum duæ exstant Gerberti scholastici epistolæ. In prima, numero sexagesima nona, agitur de quodam monacho, quem Nithardus urgentissime repetebat, tædio monasterii eum nolle redire asserens. Quod negat Gerbertus, qui eum forte studiorum causa apud se retinebat. In altera, quæ est septuagesima tertia, ait quod ejus præsentia interdum non perfruatur, turbulentæ reipublicæ imputandum; rogatque ut ad se maturet iter. Vir fuit præstanti ingenio & eruditione insignis, languentesque artes mirifice excitavit. In veteri calendario collegii Claromontensis apud Parisios ejus obitus notatur XIV calend. Novembris. Sub eo floruit Remigius hujus monasterii pietate ac scientia asceta celebris.

XV. Hezzel ob vitam dissolutam, pravosque mores abbatiali dignitate ab Egberto archiepiscopo motus fuit sub annum 987.

XVI. Lioffinus natione Britannus Hezzeli substitutus est; verum ubi cum fructu monasterium fuit moderatus, ad extremum criminationibus monachorum eversus, Epternacum exul abire cogitur, ibique privatus superstes honori suo diem obiit.

XVII. Hezzel monachorum quorumdam importunitate rursum illatus, in pristina luxuriæ dedecora cœpit se revolvere, atque pravis abbatiam exemplis inficere: itaque majori ignominia mox notatus, iterum pellitur.

A XVIII. Remigius I vir pietate & studiis liberalibus adprime imbutus, Hezzeli ab Egberto antistite sufficitur. Is ad excolenda suorum ingenia publicas aperuit scholas, quæ tanta clericorum undique istuc etiam ex Gallia adeuntium multitudine frequentari cœperunt, ut complures inde abbates, nonnulli etiam episcopi prodierint. Plures ad eum nec dum abbatem exstant Gerberti epistolæ. In catalogo virorum illustrium a Trithemio eo modo laudatur: *Remigius monachus & abbas S. Luthvini Mediolacensis, vir in divinis scripturis studiosissimus & valde eruditus, atque in secularibus litteris* B *nobiliter doctus, ingenio subtilis, eloquio disertus, vita & conversatione devotus, philosophus, poëta, & musicus omnium suo tempore longe præclarissimus.* Addit Trithemius in chronico Hirsaugiensi, tom. I, p. 122 eum multa scripsisse præclara opuscula, *e quibus*, ait, *numerantur subjecta: in quinque libros Moysi. In quatuor evangelia Christi. In omnes epistolas Pauli. Regulas fecit de visione Abaci. In Priscianum grammaticum commentarios edidit. Super Donatum quoque majorem & minorem. Jubente Trevirorum archiepiscopo Ekberto cantum de sanctis Euchario, Valerio & Materno dulci & regulari modula-* C *tione composuit. Sermones quoque multos & cantus in diversorum honore Sanctorum elegantissimos fecit. Litanias & cantilenas, quæ in Rogationibus frequentantur, ipse composuit.* Nepotem habuit cognominem qui, Poppone in Trevirensi cathedra sedente, apud Mediolacum inter alios viros doctos floruit. Ita de eo Flodoardus: *E quibus Remigius, prioris Remigii sororis filius, dulcore ejus sapientiæ repletus, Promensium, Metensium, Trevirensium doctissimus scholarum fuit, quo etiam semen doctrinæ ejus in cordibus discipulorum latius longiusque uberrime fructificavit. Dehinc pro mercede laborum con-* D *gregationi S. Martini est prælatus. Quem locum frequentia discipulorum & spiritualis palæstræ exercitio adornatum, quacunque quæsitis ditavit opibus.*

XIX. Hildricus, vir egregiæ pietatis & mansuetudinis, improbos tamen æmulos nactus, & aliquandiu exsulare coactus donec, agnita innocentia, restitueretur.

XX. Berardus seu Bernardus.

XXI. Richardus sepultura donatus in capella S. Benedicti.

XXII. Johannes I largitus est terram *de* E *Bems*, quiescit ibid.

XXIII. Folmarus, ibid.

XXIV. Folcodus dedit terram de Lorma; jacet ibid.

XXV. Gerardus mortuus XIV calendas Maii, ibid.

XXVI. Renardus, ibid.

XXVII. Adalbertus sub turre humatus.

XXVIII. Ansfridus, } ibid.
XXIX. Udo, }

XXX. Remigius II in sacello S. Pauli sepultus.

XXXI. Opertus humatur in claustro.

XXXII. Libo sub Brunone archiepiscopo præfecturam obtinuit. Ejus ætate Theodoricus I Mosellanorum dux quadriennium vitæ ultimum in Dei cultu exegisse dicitur. A

XXXIII. Stephanus reperitur in documento anno 1142.

XXXIV. Adelhelmus seu Adselinus legitur VIII id. Januarii 1157 in diplomate Friderici I imperatoris in gratiam Hillini archiepiscopi. Bucelinus in monasteriorum Germaniæ nomenclatura ait Adelhelmum ex monacho Hirsaugiensi factum fuisse abbatem Amninebergensem, dein pro egregia vitæ dignitate Mediolacensem. B

XXXV. Nicodemus vivebat an. 1174.

XXXVI. Ansfridus reperitur in documento an. 1178.

XXXVII. Udo decessit an. 1195.

XXXVIII. Siboldus de Lacu occurrit in conventione inita inter Johannem archiepiscopum & Folmarum comitem *de Castelle*. Obiit circa annum 1212.

XXXIX. Johannes II 1222.

XL. Albertus 1224.

XLI. Albertinus.

XLII. Theodoricus Glanderiensi cœnobio vendidit alodium *de Coutures* an. 1255. C

XLIII. Robertus superstes usque ad annum 1263.

XLIV. Valterius 1275.

XLV. Everardus postulatus e monasterio S. Maximini, sepultus est an. 1291 in capella S. Pauli.

XLVI. Petrus I 1295.

XLVII. Arnoldus I 1310.

XLVIII. Conradus 1316 contendit cum toparchis *de Melcourt* pro præsentatione ecclesiæ loci ejusdem positi in diœcesi Metensi. Præerat adhuc an. 1324.

XLIX. Odulfus 1328, 1330. D

L. Theodoricus 1333, 1346, defunctus 1349.

LI. Johannes III *de Berberg* 1374.

LII. Johannes IV *de Prelich* 1384.

LIII. Bertrandus *d'Esch* 1398.

LIV. Petrus II *de Bonsdorf* 1436, exstinctus 1439.

LV. Willelmus *de Helmstat* 1439, moritur an. 1466.

LVI. Arnoldus II *de Cliby* seu *de Kilewaldt* Bursfeldensem amplexatus reformationem, devixit an. 1479. E

LVII. Tilmanus, ex monacho Prumiensi creatus abbas, corpus S. Leotwini transtulit an. 1494. Adornato variis structuris monasterio, de vita cessit XI cal. Octob. 1504.

LVIII. Ecbertus e vivis abiit 1518.

LIX. Franciscus *Undensprech* 1525, moritur nonis Maii 1537.

LX. Johannes V *Lorsheim* 1547. Libello supplici Lotharingiæ ducem rogavit an. 1553 immunitatem cujusdam tributi.

LXI. Jacobus *d'Alten-Eberstein* notatur in necrologio XVIII cal. Maii.

LXII. Johannes VI *Lutvin* præerat anno 1563. Petri abbatis S. Maximini benedictioni interfuit 1565. Fato functus 1571.

LXIII. Johannes VII *Greimrod* 1573, e vivis abiit 1580.

LXIV. Gerardus *Cierk* eligitur an. 1580, post unum præfecturæ mensem defunctus.

LXV. Bartholomæus *d'Ort* excessit anno 1584, uti patet ex litteris prioris & conventus datis 26 Februarii, quibus a serenissimo Lotharingiæ duce postulant licentiam alium eligendi abbatem.

LXVI. Michaël Trevir 1599.

LXVII. Nicolaus *de Sarbourg* fatis concessit mense Januario 1616.

LXVIII. Johannes VIII *Treverou* electus, obtinet a duce Lotharingiæ 19 Febr. 1616 facultatem ineundi possessionem, quia media pars abbatiæ ab eo principe, altera vero ab electore Trevirensi pendebat.

LXIX. Johannes IX Latomus 1625, 1627.

LXX. Mathias *Beuriger* 1628, 1629, 1633.

LXXI. Johannes X *Limburg* 1638.

LXXII. Jacobus *Berg* 1647.

LXXIII. Philippus *Schuab* defunctus 7, Martii 1656.

LXXIV. Salentinus *Mehnn* eligitur 21 Martii 1656, mortuus vero 6 Augusti 1671.

LXXV. Johannes *Breith* factus abbas 15 Augusti 1671, vivere desinit 16 Martii 1678.

LXXVI. Mathias *Josse* in abbatem cooptatur 28 Martii 1678, & moritur 27 Octob. 1690.

LXXVII. Ferdinandus *de Koeler* electus 27 Januarii 1691.

LXXVIII. N. *le Jeune* abbas regularis creatus anno 1762.

Hi duo absque chronologia reperiuntur:

Martinus Masius obiit 20 Junii, ex necrologio Tholeiensi.

Henricus.

EPTERNACUM.

EPTERNAC.

HAUD procul, quatuor scilicet horis ab Augusta Trevirorum, ad flumen Suram S. Willibrordus insigne monasterium cœpit ædificare anno 698 in villa quondam regia pagi Bedensis, quæ ad ducatum Luxemburgensem nunc pertinet, vocabulo Esternacum seu Asternacum, quem locum recentiores Epternacum vocant. Locum hunc condendo monasterio partim concessit Irmina, Dagoberti II, ut creditur, filia, quæ tunc Horreensi ad muros Trevirenses cœnobio virginum præerat. Ipsa enim suis in litteris Treviri datis cal. Novembris ait se, inspirante misericordia Christi, consilio virorum apostolicorum domni Basini & Leotwini episcoporum Trevirensium, consensu etiam sororum suarum Christo servientium, exstruxisse basilicas in nomine sanctæ Trinitatis, & in honore B. Virginis Mariæ, cæterorumve Sanctorum in villa sua propria, Char. VII, col. 293.

quæ vocatur Epternacus, sita super fluvio Sura, simulque monasteriolum ibidem ad excipiendos monachos peregrinos, & pauperes alendos: ad quod faciendum se inductam dicit ob ipsius Willibrordi sanctitatem, ac dilectionem in suum monasterium. Id cœnobium primus rexit Willibrordus, uti discimus ex ejusdem Irminæ testamento exarato cal. Decembris, quo quidquid habebat in Epternaco, asserit eidem monasterio, cui tunc dominus & pater suus in Christo Willibrordus episcopus rector & gubernator præerat. Villam quidem nomine Montem in pago Tulpiaco tradidit calendis Julii anno 699. Quo autem pacto Irminæ benevolentiam meritus sit S. Willibrordus, profert Alcuinus in libro de vita ejus sancti viri, ubi scribit, sævissima grassante in Horreensi monasterio peste, multas ex ancillis Dei exstinctas, alias longo infirmitatis dolore correptas, cæteras nimio terrore turbatas fuisse: missam proinde ab Irmina ad Willibrordum legationem ut ad se veniret. Qui ubi eo accessit, missa pro infirmis celebrata, aqua benedicta locum respersit, eamque ægrotantibus potandam præbuit. Quo facto, ita convaluere omnes ut pestis in illo monasterio restincta sit. Non ita multo post, videlicet anno 704 eadem Irmina VIII id. Maii dono dedit quidquid possidebat in villa *Stancheim*. Nonnullas etiam donationes S. Willibrordus accepit eodem anno, ac aliquibus post annis ab Hedeno duce Thuringiæ nec non ab Ængilbaldo. Medietatem quoque alteram Epternaci consecutus est III id. Maii 706 a Pippino Heristallensi Austrasiæ duce, palatii præfecto, qui ipsa die Epternacensis cœnobii confirmationem, liberamque abbatis eligendi, cum B. Willibrordus ex hac luce migrasset, fratribus potestatem indulsit: immo & aliquibus annis elapsis locum Swestrensem tradidit ad ædificandum monasterium, quod postea in nobilium canonicarum collegium fuit conversum. Plurimarum adhuc personarum munificentiam sensit S. Willibrordus, Bertilendis scilicet illustris feminæ ac monialis IV calend. Augusti 710; cujusdam Ansbaldi monachi quædam prædia largientis VIII cal. Novemb. Ægelberti diversa bona tribuentis cal. Martii 712; Arnulphi ducis omnes suas possessiones in villa Bollana concedentis anno 716; tandemque Rochingi & Bebelinæ ejus conjugis, qui ecclesiam intra castrum Antuerpiæ super fluvium *Scaldim* constructum largiti sunt 20 Octobris 726. Eodem anno ipse sanctus vir Willibrordus testamento res suas omnes legavit monasterio Epternacensi, cui etiam tum ipse præerat, & ubi corpus suum post obitum requiescere statuerat; hoc est quidquid ipsi donaverant ingenui Franci, in primis domnus Pipinus, ejusque conjux Plectrudis, nec non Carolus Pipini filius; quidquid etiam prædictus Rochingus S. Willibrordo indulserat, in his ecclesiam illam Antuerpiensem; quidquid denique alii, quos singillatim commemorat, ei dederant, in quibus ecclesiæ non paucæ recensentur. Benefactoribus celebris ejus monasterii merito accensendi sunt Franciæ reges, in primis Pipinus Brevis, a quo concessa fuit ecclesia de Crovia III non. Maii 752, itemque Carolus Magnus Pipini filius, qui traditas a Carlomanno germano suo possessiones confirmavit circa annum 794.

Ch. VIII, col. 294. — Chart. X, col. 296. — Ch. XVI, col. 304.

Porro cum monachi per centum ac quinquaginta ferme annos illic degissent, inducti sunt canonici seculares anno circiter 859. Id factum dicitur instinctu quorumdam liberiorum monachorum, qui carnis voluptatibus indulgere volentes, titulis inter se disceptare cœperunt, & extra claustrum in villis, quæ suis titulis assignatæ erant, diversari, relictis monasticis institutis. Favit monachorum licentiæ Adelardus abbas & comes, opem præbente quodam Carlomanno invasore, cujus pravitate locus sic fuerat destructus, ut monachi inde expulsi, & canonici sint intromissi. Hujus igitur comitis conniventia monachi demum cucullas abjecerunt, atque in eo statu permanserunt ad usque tempora Sigfridi comitis, qui a Trevirensi S. Maximini abbate per commutationem Lucilburgum adeptus, primus ejus loci comes dictus est. Ejus hortatu Otto I imperator anno 971 monasticam disciplinam in monasterio innovari voluit, monachisque eo loci a se restitutis præfecit venerabilem virum Ravangerum, quem cum quadraginta fratrum examine accivit ex cœnobio sancti Maximini Trevirensis. A qua tempestate inibi religio tantopere floruit, ut schola S. Benedicti ab omnibus diceretur, essetque. Cujus scholæ magister fuit Marquardus in omni scripturarum scientia doctissimus; cui anno 952 vita functo successit Heribertus; post quem eo munere functus est Rudgerus, qui successorem habuit Adhelarium quemdam monachum & postmodum abbatem, virum in omni varietate scripturarum doctissimum. Privilegia ab imperatoribus, regibus, summisque pontificibus indulta reperies in abbatum serie, quam ex Bertelio loci abbate, aliisque documentis confecimus.

Ch. XLIV, col. 325.

Abbatum Elenchus.

I. S. Willibrordus cognomento Clemens, natione Hibernus, altero anno quam Romæ à Sergio papa ordinatus fuerat episcopus Trajectinus, anno inquam 698, insigne monasterium ædificare cœpit, vocabulo Epternacum. Cum ipso anno in Horreensi sanctæ Irminæ monasterio pestis sævissima grassaretur, multæque ex ancillis Dei morerentur, aliæ gravissime decumberent, invitatus ab Irmina Treviros venit Willibrordus, & missa pro infirmis celebrata, ut Alcuinus in ipsius vita refert, aqua benedicta locum aspersit, eamque ægrotantibus potandam præbuit; quo facto, ita convaluere omnes ut pestis in illo monasterio penitus restincta sit, nullaque deinceps illarum virginum ex ea perierit. Irmina gratam

Chart. VII, col. 293. exinde se illi exhibere volens, medietatem Epternaci, itemque basilicas a se ibidem constructas tradidit calend. Novembris. Quin & eidem monasterio, ubi sanctus Willibrordus Ch. VIII, col. 294. episcopus rector & gubernator esse videtur, testamento suo calendis Decembris condito, assignat quidquid sibi ex paterna vel materna successione contingebat; itemque villam Montem sitam in pago Tulpiaco ipsa impertitur Chart. X, col. 296. cal. Julii subsequentis anni. Suum & ipse S. Willibrordus testamentum favore monasterii condidit anno 726; verum octogenario major obiit circa annum 740 aut 741 in Epternacensi monasterio, cujus regimen sibi retinuerat, ibidemque in monumento marmoreo sepultus est.

II. Albertus sanctitatis opinione clarissimus, discipulus sancti Willibrordi, in ejus locum suffectus est, ac excessit anno 777. Ab Alcuino celebratur.

III. Berneradus seu Beornredus Albertum excepit. Creatus vero Senonensis archipræsul Ch. XVI, col. 304. anno 792 ex chronicis Senonensibus, obtinuit a Carolo Magno confirmationem donationis monasterio indultæ a Carolomanno. Ipsi vitam S. Willibrordi loci fundatoris, cujus e stirpe descendebat uterque, ejusque jussu conscriptam nuncupavit Alcuinus. Berneradus a S. Willibrordo tertius abbas ab anno 777 ad annum 798 monasterium rexisse dicitur in brevi chronico mss. Epternacensi a Theodorico circa annum 1190 exarato. Defunctus Adonem Ampliss. collect. t. IV, col. 505. abbatem reliquit sibi successorem, uti legitur in brevi chronico Epternacensi apud Martenium. De eo legesis tom. XII, col. 15.

IV. Ado, summa cum laude cœnobii rebus administratis, fatis concessisse dicitur an. 817. Bucelinus tamen eum anno 818 superstitem adhuc fuisse asserit.

§ Carolus Magnus id monasterium per annum unum obtinuisse dicitur.

V. Sigoaldus episcopus Spoletanus, Lothario imperatori familiaris, & ob medicinæ peritiam carus, obtinuit abbatiam qua potitus est usque ad annum 827 quo obiit.

VI. Theodgaudus, ab archiepiscopo Trevirensi plane diversus, quinque præfuit annis, & obiit anno 832.

VII. Hetti archiepiscopus Trevirensis eam abbatiam obtinuit usque ad annum 838, quo eam longe ante obitum dimisit.

VIII. Hieronymus claruit an. 848.

IX. Adelardus I comes & abbas, exosam monachorum vitam habens, favit introductioni canonicorum. Fuit itidem Stabulensis abbas, forte non alius ab Adalardo Hirmentrudis reginæ Caroli Calvi uxoris propinquo, cujus meminere Annales Bertiniani. Ejus mors a Fiseno notatur ad annum 867. Forte cesserat ante obitum, nam

X. Hatto episcopus & abbas præerat anno 864.

XI. Reginherus comes & abbas cum septem A præfuisset annis, vitæ tributum exsolvit anno 871.

XII. Carolomannus Caroli Calvi imperatoris filius, a pueritia Deo ecclesiastica tonsura a patre consecratus, tumque ad diaconatus ordinem sublimatus, plurimis monasteriis ad victum a genitore donatur; verum ob defectionem a patre omnibus demum abbatiis privatur anno ejus seculi septuagesimo; & post biennium diaconatu oculisque orbatur. Hinc ad Ludovicum Germaniæ regem patruum suum confugit, calamitatum suarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ejus sortem miseratus Ludovicus, Epternacum S. Willibrordi B monasterium ei ad subsidium vitæ præsentis concessit, ubi mortuus anno 877, honorifica illic sepultura donatus est.

XIII. Adelardus II comes & abbas, tredecim annis in possessione exactis, decessit an. 890.

XIV. Ruobertus comes & abbas Adelardo successit, ac per tres annos fruitus est.

XV. Ratbodus Trevirorum archipræsul, cujus precibus Zuenteboldus rex V calend. Novemb. anno 895 monasterii possessiones confirmavit.

C XVI. Reinerus I comes & abbas de patrimonio suo dedit monasterio villas *Bergen*, *Rodenmach*, *Vaderlo* & *Tremethen* cum ecclesiis & cæteris appendicibus.

§ Berengaudus occurrit an. 935; verum præpositi munus tantummodo exercuisse creditur.

XVII. Giselbertus Reineri filius aquis Rheni submersus est anno 939.

XVIII. Herimannus comes Lotharingiæ sedem abbatialem post Gisilberti obitum adeptus excessit anno 957.

XIX. Sigifridus etiam Lotharingiæ dux D vel comes Hermannum in administratione monasterii excepit. Ejus hortatu Otto I imperator monachicæ vitæ religionem innovare aggressus est in monasterio, quod pravitate cujusdam Carlomanni invasoris sic fuerat destructum, ut monachi inde expulsi & canonici intromissi essent. Sigifridus autem ab abbatia se abdicavit.

§ Godowinus præpositus cum Herino præfuit huic cœnobio sub ducibus Heremanno & Sifrido.

XX. Ravangerus, vir venerabilis, in Sigifridi locum ab Ottone I suffectus anno 971, E novam quadraginta monachorum coloniam secum ex S. Maximino Epternacum transduxit. Idem abbas cudendæ monetæ potestatem accepit III nonas Aprilis 992 ab Ottone III. Ch. XLVII, col. 327. Tradidit eodem molendinum hospitali domui a comite Sigifrido conditæ. Donationes, nec non quorumdam bonorum confirmationem assecutus est a præfato Imperatore prid. idus Ch. XLVIII, col. 328. Octobris 997. Defunctus an. 1007 XIX cal. Septembris, sepelitur cum eo epitaphio:

Hac recubant fossa Rannigeri patris ossa
Et fiunt hominis lege soluta cinis.

Hunc Otto primus transmisit Cæsar opimus
Sifredi monitis, egregii comitis.
Misit & hunc talem, qui vitam cœnobialem,
Hic reparare pio sufficeret studio.
Nam locus iste bonis hoc tempore relligionis
Factus erat vacuus, rebus & exiguus.
Dumque vir industris tribus annis sex quoque lustris
Præfuit, eximiam reddidit ecclesiam.
Septembris flendis nonis, denisque calendis
Clauserat ipse diem, nunc habeat requiem.

XXI. Uroldus, non minus scientia quam religione clarus, principio imposito sibi munere rite perfunctus est; & quidem monasterium anno ab ipsius regimine decimo, id est anno 1016 cal. Septembris flammis absumtum, de novo construere cœpit, novæque basilicæ, qualis etiam nunc cernitur fundamenta jecit. Calicem aureum, tabulamque auream atque alia multa dono dedit: verum a se multum degener, vitam scandalo plenam ducere, & ab omni opere bono cessare non eruBuit; quin & admonitus in dies pejora adjunxit. Itaque propter incontinentiam autoritate episcopali dignitate privatus an. 1028, Wirtzemburgum in Alsatiæ monasterium secessit, ibique anno exauctorationis sexto morte vitam commutavit. Unde a successore revectus, in ecclesia ante altare S. Stephani humatur hac epigraphe honestatus:

Continet hic arctus locus Uroldi patris artus,
Cujus in ecclesia sunt monumenta pia.
Flamma vorax sedes templi comsumsit & ædes
Anno cum decimo præfuit a minimo.
Quas juxta damnis undenis fecerat annis,
Quod reparata pie pars fuit ecclesiæ.
Deinde loco cedens, annis quoque quinque recedens,
Se voluit soli credere Leucopoli.
Quo migrans membris septena luce Novembris
Sub claro titulo conditus est tumulo.
Ordine post justo translatus ab hospite busto,
Hac tumba propriæ clauditur ecclesiæ.

XXII. Humbertus vir vita & moribus insignis, monachus S. Maximini Trevirensis, a S. Poppone archimandrita institutus abbas an. 1028, ecclesiæ ab antecessore suo inchoatæ manum admovit, incœptam absolvit, & absolutam a Poppone archiepiscopo Trevirensi an. 1031 consecrari, corpusque S. Willibrordi in decentiorem locum transferri fategit XIV cal. Novembris. Curtem Epternacum perpetuo possidendam assecutus est ab Henrico comite Luxemburgensi an. 1041. Cæterum collapsam disciplinam restituit, ac decessit anno 1051 V id. Augusti, sepultus post aram Omnium sanctorum.

XXIII. Regimbertus vir magna prudentia
A & discretione præditus eligitur cal. Decemb. 1051. Privilegium ab Henrico III imperatore XVII cal. Junii 1056 impetravit. Is ut erat contemplationi in primis deditus, viso cœlitus admonitus est ut anniversariam venerationis reliquiarum Epternacensis ecclesiæ memoriam institueret. Anno itaque 1059, habito cum senioribus ejus loci consilio, decrevit ut in posterum hoc festum XIII calend. Decembris celebraretur. Ipsum etiam an. 1060 jus mitræ & infularum a summo pontifice adeptum perhibent; jus quoque plurium ecclesiarum Bataviæ a Willelmo Ultrajectensi præsule recu-
B peravit. Quin & domestici victus portiones adauxit, ut indigentiæ querelas plerumque adjunctas tolleret. Gerardi Lotharingiæ ducis munificentiam expertus est III id. Aprilis 1067; ab ipso siquidem accepit allodium in villa Heinga. Adjutore tandem in successorem admisso, opportune monasterio vivens consuluit, ac obiit III id. Novembris 1081. Sepultus est ab Egilberto Trevirorum archiepiscopo in tumulo, quem vivus sibi adornarat.

XXIV. Theofridus jam ab anno 1078 coadjutor, factus post mortem decessoris abbas, æmulum habuit sustinendum: quapropter,
C privatis negotiis postpositis, Romam tetendit, atque pontificiis litteris in possessione abbatiæ firmatus fuit an. 1083, XIII cal. Decembris. Prædia quædam acquisivit, quæ monachorum usibus delegavit. Legitur an. 1095 in diplomate Henrici comitis jura advocatorum monasterii constituentis. De Gerardo viro nobili benemeritus villam, vocabulo *Geichlingen*, ab ipso accepit an. 1096. Epistolam ad Henricum imperatorem IV scripsit circa annum 1101. Charta LX, col. 339.
Is ut eruditione pro tempore non vulgari, eximiaque pietate erat præditus, vitam sancti
D Willibrordi triginta sex capitulis distinctam exaravit. Composuit & alios quatuor libros, quos *flores epitaphii Sanctorum* inscribi voluit, hosque nuncupavit Brunoni archiepiscopo Trevirensi, apud quem in tanta fuit existimatione, ut archipræsul ille conscientiæ suæ curam ei commendaverit. In fine libri quarti meminit festi sacrarum reliquiarum in Epternacensi monasterio a decessore instituti. Fidelis dignissimus cœnobii administrator, in senectute bona ex hac vita ad beatiorem migravit anno 1110, III non. Aprilis.

XXV. Gerardus I, quem vetera documenta ut virum segnem, morosum & idiotam re-
E præsentant, subrogatus est IV cal. Maii 1110: verum jussu Henrici V imperatoris & Brunonis archiepiscopi propter multimoda damna monasterio illata exauctoratur anno 1122, III id. Decembris. Quam confusionem ferre non valens, devixit vicesimo die post exauctorationem.

XXVI. Godefridus I *de Hosteden*, vir strenuus & gnavus, qui ob industriam & virtutem singularem patriæ dictus est pater, in Gerardi locum mox sufficitur. Anno vero ejus regiminis 17, cedente Alberone abbate

Prumienſi, contigit ut monachi Prumienſes eum in abbatem elegerint. Cumque illic annis tredecim præfuiſſet, ab Arnoldo Colonienſi præſule ſpoliatur, Epternacumque reverti cogitur, ubi tribus adhuc annis ſuperſtes, & ingraveſcentis morbi igne excoctus deceſſit anno 1155, VIII cal. Junii. Humo mandatur ante altare Omnium ſanctorum hoc epitaphio decoratus.

Quod caro ſit vermis, quod homo ſit pulvis inermis,
Approbat illud homo, verme ſcatens in humo.
Hunc pater ad morem Godfridus, carnis honorem
Qui fugit ut fumus, mutat & hic fit humus.
Provida mens, habilis complexio, ſanguis herilis
Huic dederant aditum culminis ad meritum.
Sed geminos Phœbus cum ſcanderet octo diebus,
Carnis deliquio tranſiit e medio.
Annis ter denis, & quattuor haud modo plenis
Abbatis titulo functus & huic tumulo.
Aſt homo qui cineris ſors, hic dum vivus haberis
Ad cineres hominis vota fer ipſe cinis.

XXVII. Gerardus II Godefridum excepit in Epternacenſi præfectura. Memoratur VIII id. Januarii 1157 in litteris Friderici I imperatoris confirmantis abbatiam S. Maximini Hillino archiepiſcopo Trevirenſi. Cum octodecim annis præfuiſſet, ipſo die B. Virginis Aſſumtæ coram monachis, quos ille convocarat, pedum paſtorale ſuper altare reponens, a ſua dignitate ſe abdicavit, facta eis, quem vellent, eligendi licentia. Diem ſupremum obiit anno 1176.

XXVIII. Ludovicus I abbas S. Mathiæ Trevirenſis, Epternacenſium monachorum calculis electus anno 1173. De conſenſu monachorum jus patronatus eccleſiæ parochialis *de Alphen* contulit canonicis Tongerloënſibus ordinis Præmonſtratenſis, & cum eis ſocietatem precum iniit anno 1175. Obtinuit uſque in annum 1181, quo in præſentia Friderici I imperatoris ceſſit a prælatura, abbatia S. Mathiæ contentus.

XXIX. Godefridus II, Ludovici deceſſoris ſacellanus, conſentiente capitulo ſubrogatur an. 1181. In rebus domeſticis & regularibus adminiſtrandis cum prudentiſſimus eſſet, ſic pontificalem dignitatem annis 28 tuitus eſt, ut non ſolum induſtria & labore vectigal adauxerit, ſed & ex proprio patrimonio monaſterium cohoneſtaverit. Huic Theodoricus monachus clarus eruditione, anno ejus regiminis decimo, librum in membranis, qui & modo ab illis aureum nomen retinet, ſcripſit, dedicavitque. Johannes Trevirenſis antiſtes in Vormatienſi conventu habito anno circiter 1192 Henricum VI imperatorem enixe rogavit ut, accepta in poteſtatem Naſſovica arce, eccleſiæ Trevirenſi jus monaſterii Epternacenſis in commutationem concederet, daretque ſimul archiepiſcopo auctoritatem abbates ibidem conſtituendi, & ab eiſdem fidei ſacramentum

A accipiendi. Quod ubi comperit Gaufridus, animum Henrici huc deflexit, ut pactionem recens cum Johanne initam reſcinderet. Re quidem vera Henricus Gaufrido antiquum jus atque tutelam novis litteris confirmavit, decretumque Johanni indultum vigoris omnis ac roboris expers eſſe voluit. Vocatus quoque fuerat anno 1191 a præfato Johanne archiepiſcopo ad regimen monaſterii S. Mathiæ, & utrique præfuit uſque ad annum 1210, quo vivere deſiit.

XXX. Bartholomæus præficitur an. 1210, fatiſque concedit an. 1231.

B XXXI. Reinerus II a Theodorico archiepiſcopo confirmatus & inauguratus, regere cœpit an. 1231, ac extremum clauſit diem anno 1242.

XXXII. Arnoldus I, vir venerabilis, æternaque memoria dignus, huic monaſterio præfectus an. 1242, & ab Arnoldo archiepiſcopo confirmatus, illud ſapientiſſime rexit ac ampliavit. Sub ejus moderamine Innocentius IV, ſummus pontifex IV nonas Januarii 1247 indulgentias conceſſit his, qui in feſto Pentecoſtes ſacras reliquias ibidem aſſervatas veneratum accederent. Perdurat etiamnum Pente-
C coſtalis illa devotio, habetque ſingulare aliquid in ſaltatoriis ſupplicationibus quæ feria tertia Pentecoſtes ibidem celebrantur, quas lege ſi lubet in hiſtoria Luxemburgenſi, tom. II, p. 177. Is cum annorum 27 ſpatio gregem ſibi commiſſum ſumma cum laude curaſſet, ordinationibus quaſi teſtamento factis, in Domino requievit XVI cal. Januarii 1269.

XXXIII. Henricus I natione Gallus, qui cum abbatiale munus unico tantum anno exercuiſſet, vita ceſſit V. id. Octob. 1270.

XXXIV. Richardus permultas ordinationes in utilitatem & commodum monachorum
D teſtamento Arnoldi haud diſſimiles ſanxit. Expletis in bona adminiſtratione 26 annis, e vivis ſublatus eſt III non. Januarii 1296.

XXXV. Ludovicus II monachis in calceamentorum & cucullarum ſubſidium aliquot annuos florenos aſſignavit. Mortalitatem exuit XVII cal. Septembris 1298.

XXXVI. Henricus II *de Schoneck*, Ludovico mortuo, abbatiali dignitate honeſtatur. Primus ab Alberto imperatore monaſterium cum oppido in feudum accepit XIII calend. Octobris 1298. Magnæ fuit liberalitatis &
E honeſtatis; ideoque omnibus dilectus, in pace quievit III cal. Octobris 1324.

XXXVII. Arnoldus II in abbatem electus, & a Balduino archiepiſcopo confirmatus, ab imperatore Ludovico regalia Coloniæ ſuſcepit an. 1324. Is utiliſſimus fideliſſimuſque cœnobii rector & illuſtrator, virque omnibus præclaris virtutibus inſignis, migravit e vita X cal. Junii 1329.

XXXVIII. Theodoricus *de Are*, genere nobilis, biduo poſt mortem Arnoldi abbatiæ præficitur, ſed non ita mox confirmatur, impeditus nimirum per quatuor menſes a

Balduino archiepiscopo, quem comitissa *de Spanheim* in castro suo *Starckemberg* captivum tenebat, a quo tandem soluto ejus electio comprobata est. Monasterii rebus rite dispositis, is ob ætatem senio confectam, monachis licet invitis & reclamantibus, spontanee dignitatem exuit XVI cal. Martii 1340.

XXXIX. Johannes I *de Wynningen*, superioris ex sorore nepos, ex eleemosynario unanimi monachorum consensu in abbatem cooptatus anno 1340, vigilanter administravit usque ad annum 1353, quo vivere desiit 7 Octobris.

XL. Johannes II *de Neuville* majori suffragiorum parte electus, & ab Innocentio VI pontifice confirmatus, æmulum habuisse dicitur Henricum *de Arle* ab aliquibus sublectum, & morte sublatum an. 1357. Mortuus & ipse an. 1362, sepultura in ecclesia donatur.

XLI. Willelmus *de Kerpen* Francofordiæ a Carolo IV imperatore regalia accepit, ibidemque solito sese astrinxit juramento anno 1362. Ut verum ac optimum pastorem decet, ipse se gessit, & decessit an. 1372.

XLII. Hertwinus comes *de Waldeck* moritur anno 1375.

XLIII. Philippus, Arnoldi comitis *de Hombourg* filius, ante impetratam confirmationem excessit anno 1377.

XLIV. Robertus cum Roberto præposito, decano, cæterisque canonicis ecclesiæ Trevirensis habuit dissidium, cui finem imponere nequivit, mortuus anno 1379.

XLV. Wiricus *de Achtenbach*, confirmatus anno 1 pontificatus Urbani VI, regalibus est donatus a Vinceslao Romanorum rege anno 1379. Diem clausit extremum 31 Maii 1400.

XLVI. Petrus I *de Gymnich*, Wirici nepos, electionis suæ confirmationem, simulque mandatum ad subditos, vassallos & ministeriales Epternaci, ut solitam consuetamque fidem ipsi præstarent, a Bonifacio IX, ejus pontificatus anno 2 consecutus est. Regalia etiam recepit a Vincellao Romanorum rege 20 Septembris 1400. Archiepiscopo Trevirensi subsidia solvit an. 1411, vitæque terminum explevit anno 1414.

XLVII. Nicolaus *de Gymnich* regalia Confluentiæ ab imperatore Sigismundo 19 Augusti 1414 accepit. Monasterii commodorum, utilitatisque ac disciplinæ regularis studiosissimus mortem oppetiit 1434.

XLVIII. Petrus II *de Hubingen* morte proximus abbatiam transcripsit abbati sancti Martini Trevirensis. Naturæ debitum solvit anno 1437.

XLIX. Winandus *de Gluvel* anno 1418 monasticam vitam ibidem est amplexatus; ad baculum vero pastoralem accipiendum ab omnibus suis sodalibus invitus cogitur 14 Januarii 1437: habuit vero competitorem Willelmum *de Helmstat* abbatem S. Martini Trevirensis, cujus in favorem cesserat Petrus *de Hubingen*. Re ad synodum Basileensem

A delata, Willelmus in expensas damnatus causa cecidit, moxque Winandus ex synodi decreto in conventu fratrum Minorum Basileæ benedictionis munus percepit anno 1439. Ut autem Willelmum pacatiorem redderet, pensionem octoginta florenorum ei attribuit. Pene totam urbem Epternacensem flamma voraci absumtam maximo cum dolore conspexit anno 1444. Plenus bonis operibus, peneque laboribus consumtus, animam Creatori reddidit an. 1465, cujus corpus ante sacristiæ vestibulum tumulo depositum est.

L. Colinus *Plick de Orviek* per cessionem
B fratris sui germani, in quem electio ceciderat, unanimi monachorum consensu ad abbatialem dignitatem evectus fuit anno 1466 die 9 Februarii, benedictionemque recepit in monasterio canonicorum regularium in oppido Lovaniensi anno 2 pontificatus Pauli II. Cum laude gubernavit, viamque universæ carnis ingressus est anno 1476, fer. 6 post festum S. Margaretæ.

LI. Franciscus *Plick* jam pridem oblatos honores mira animi altitudine aversatus repudiarat. Verum germano fratre abbate præde-
C cessore suo Colino, cui dictos honores detulerat, rebus humanis sublato, unanimi fratrum voto abbas eligitur, eorumque precibus victus ægre assensum præbens, paulo post coactus fuit eidem electioni renunciare, & conventus in ejus locum eligere Jacobum *de Fay* jam dudum S. Vincentii Metensis & B. Mariæ Luxemburgensis abbatem commendatarium, cujus insatiabili ambitioni Franciscus frustra reluctatus tandem succubuit, aut verius pacem iniit quibusdam conditionibus relatis in littera cardinalis Mediolanensis.

LII. Jacobus *de Fay* de Novo-castro, illustri
D ac nobilissima familia oriundus, militiæ sancti Benedicti in monasterio S. Eugendi Lugdunensis diœcesis nomen dedit 1 Januarii 1473, ac cito post commenda S. Vincentii Metensis donatur, abbasque S. Mariæ Luxemburgensis evadit. His cœnobiis necdum contentus, Epternacensem quoque abbatiam inhiavit, atque Francisci electioni sese totis viribus opposuit. Causa Romam delata dirimenda committitur cardinali Mediolanensi, cui visum est ut Franciscus juri suo renunciaret, pro expensis vero factis centum florenos aureos ipse acciperet, atque toto vitæ suæ tempore haberet pensionem
E sexaginta florenorum. Jacobus vero in possessione firmatus est & præfuit usque ad annum 1489, 14 Augusti, quo e vita sublatus, funeratur in sinistra chori Epternacensis cum tali epitaphio:

Hic jacet illustris heros Jacobus reverendus,
Deque novo castro fuit ortus, & is simul hujus
Abbas Vincentinus in Epternach *quoque* Lutzbourg.
Hic anno Domini c bis septemque noveno
Ac octo decies, decimoque puto quarto

Sextilis

Sextilis mensis moritur pater, hicque superna
Pacificus requiescat in alti sydere cæli.

LIII. Burchardus *Poissevynn*, ortus oppidulo de Novo-castro, habitum religionis susceperat anno 1455. Is monasterii decanus ac custos, lite pendente in Romana curia inter Franciscum & Jacobum, constitutus est administrator generalis omnium causarum & rerum ab archiepiscopo Trevirensi. Mortuo vero Jacobo, unanimi fratrum electione creatus est abbas 1490. Monasterium ære alieno gravatum exoneravit, imo & accitis ex abbatia S. Maximini monachis, regularem disciplinam pene obliteratam restituit anno sui regiminis sexto. Mortuus autem anno 1506, humatus est ante fores sacristiæ.

LIV. Robertus *de Montreal*, vir sanctitate & religione meritisque eximius, nec non & nobilibus parentibus Carolo *de Montreal* & Maria *de Malberg* prognatus, anno 1506, sacerdotii sui 2, abbas eligitur & a Julio II pontifice confirmatur. Societatem iniit 22 Novembris 1514 cum Mathia abbate sancti Naboris. Superba in monasterio ædificia suis insigniis condecorata multo labore æreque magno excitavit; atque dum resarciendis aliis ædibus totus incumberet, repentino intestinorum dolore correptus, e vivis sublatus est 3 Maii 1539, & juxta antecessoris sui sepulchrum reconditus. Hic dum vixit, regum atque principum sibi benevolentiam conciliavit, & præsertim imperatoris Maximiliani, qui ætate Roberti in Epternacensi monasterio aliquot exegit dies, ac pro sua religione in reliquias S. Sebastiani dono dedit cereum 354 librarum, qui etiamnum cernitur.

LV. Mathias *de Lutzeradt* legitimis monachorum suffragiis abbatis munere honestatur. Verum Willibrordus quidam, loci monachus, cernens Mathiæ confirmationem procrastinari, eamque dignitatem in se transmitti quam maxime concupiscens, electioni intercessit, sed incassum; nam præter Willibrordi expectationem, autoritate ac favore inclytæ principis Mariæ sororis Caroli V imperatoris, gubernatricis Belgii, Gaufridus, de quo mox dicturi sumus, in Mathiæ locum suffectus est.

LVI. Gaufridus de Aspero-monte, natione Gallus, imperialibus litteris munitus, Epternacum magno stipatus famulatu veniens, monasteriique ingressu prohibitus, in publicum diversorium se recepit, atque ibi quindecim dies commoratus est, expectans occasionem in cœnobium irruendi. Hæc brevi data est; quodam enim tempore antelucano dum pecora ad pascua emitterentur, illico famuli Gaufridi portam occupantes, totam domum magno terrore concusserunt. Quo strepitu Mathias ipse conterritus per fenestram fugam arripuit & apud quemdam familiarem suum aliquandiu delituit. Cum autem Mathias res in pejora tendere adverteret, Trevirim prius ac deinde

A in monasterii vicum se recepit, ubi non multo post peste tactus moritur anno 1543.

LVII. Jacobus ab *Alteinbreistein* unanimi monachorum voluntate juribus Mathiæ successit, similemque Mathiæ sortem est expertus, & ut ille sua spe delapsus est. Cum interim Mediolacense monasterium pastore orbaretur, monachi ejus loci Jacobum sibi in abbatem cooptarunt. Quod ubi Gaufribus rescivit, ineundæ pacis gratia Jacobum ad se invitat, summa pecuniaria sibi reconciliatum placatumque dimisit, qui non multo post de vivorum albo deletus est. Gaufridus vero in Leodiensi
B civitate benedictionem percepit. Is demum gravi tentatus infirmitate sese recepit ad arcem *Bollendorff* benigniorem aërem capturus; ubi dum in dies debilior fieret, ad Mersensem præposituram se vehi curavit, atque ibi an. 1562 in Pentecostes nocte animam Deo reddidit, exactis 24 annis in administratione.

LVIII. Antonius Hoveus Egmundensis abbas, spontaneo dato consensu ut facultates ejus monasterii in dotem episcopatuum in Belgio recens institutorum assignarentur, Epternacensi cœnobio præfectus fuit per mortem
C Gaudefridi. Vir excellentis ingenii & doctrinæ singularis duo opuscula elucubratus est, quorum unum inscriptum est: *De arte amandi Christum.* Mortuus 6 Septembris 1568, regiminis sui 6, sepelitur juxta chori murum e sacrarii regione, epitaphio hoc a se, dum ipse viveret, composito honestatus:

Hic jacet excelsi præceptor amoris Hovæus,
Expectatque sui judicis ora Dei.
Urna ferat flores, vernent atque omnia circum,
Corpus humi cubitet, mens colat alta polos.

LIX. Martinus Masius ex quodam Bra-
D bantiæ pago *Meerbeck* oriundus, Antonio post decem mensium vacationem sufficitur. Hic annos viginti natus Affligiense cœnobium ingressus, ordinem Benedictinum ibidem est professus. Mersensem præposituram administrabat, cum Rurimundanus episcopus satis exigua dote gaudens, eam usibus suis applicari obtinuit. Unde semotus Martinus pro mercede Epternacensem abbatiam accepit, cum ipsa decem mensibus jam vacasset. Ex hac vita migravit 20 Junii 1585, ætatis suæ an. 65, ipsa die SS. Corporis Christi. Is dum in vivis esset eo modo suum conscripsit testamentum:

E *Frater Martinus Masius* Meerbece *natus anno D. 1520.*
Affligenii reformatus an. D. 1540.
Presbyter consecratus an. D. 1545.
Luxemburgum destinatus 1550.
Inde revocatus an. D. 1557.
In priorem ordinatus an. D. 1558.
Cellerarius, Eleemosynariusque factus an. D. 1563.
Præpositus Mersensis denominatus anno D. 1565.

Abbas Epternacensis nominatus an. D. 1569.
Ibidem prælatus confirmatus an. D. 1573.
Mortis fine consummatus an. D. 1585.

Hoc autem præclaro ejus vitam strictim continente epitaphio honestatus fuit.

Heu quid mortalis, quid in his mortalibus oris
Quæris! adest tacito mors inopina pede.
Masius est testis, quondam venerabilis abbas,
Vir cui vita decus, gloria Christus erat,
Vir pietatis honos, fidei patronus avitæ,
Exemplum cleri, religionis amor.
Quam bonus auxilio, quam præstans rebus agendis,
Dic Affligenium, vir venerandus erat.
Hoc duce justitiæ viguit decus, hoc duce virtus.
Maxima te tenuit sana vetusque fides.
Quæ fuerit pietas, fidei quis fervor avitæ
Mersica juxta Mosam præpositura docet.
Hæc eademque domus testis, cui præfuit annis
Vir sex atque decem sedulitate pari.
Pacis amans, æqui cupidus, studiosus honesti,
Dux Benedictini, pastor & umbra gregis.
Ergo sex decies annis & quinque peractis,
Clauditur inferius coutumulatus humo.
Qui subis in sacri quo circa limina templi,
Dicere non sit onus, molliter ossa cubent.

Ter quater ac octo volvebat Junius orbes,
Martino cœli janua celsa patet.
Postea Johannes successor præsulis hujus
Hæc locat, ergo patri gratus alumnus age.

LX. Johannes *Gladt*, Luxemburgensis, a Catholico rege anno 1586 creatus abbas, excessit anno 1594, & ad pedes decessoris humatus est cum hoc epitaphio: *Siste viator, mausolæum istud quondam Winandi a* Glewel *hujus loci abbatis fuit, dum charam animam anno 1465 Deo Optimo Maximo reddidisset, inde jussu Johannis* Gladt *Luxemburgensis in dignitate successoris, haud tamen immediate & socii pellor tumulo, dum ille spiritum anno 1594, 8 Martii exhalasset: ossa tamen mea reposita fuere, sicque corpus meum corpori suo sociatum, diem Domini novissimum præstolamur: nostri, quæso, sis memor in precibus & ante obitum dic ex corde: De profundis, &c.*

LXI. Johannes *Bertels* ex abbatia Luxemburgensi a rege Catholico Philippo II Epternacum traducitur an. 1595. Confirmationis litteras a Clemente VIII pontifice, nec non regalia a Lothario Trevirensium archiepiscopo nomine & vice Imperatoris accepit. Quot & quanta ab Hollandis passus fuerit testatur in historia Luxemburgensi a se ipso contexta: Accidit, inquit ille, mihi primo meæ in hoc munus promotionis anno deplorandum quoddam & valde funestum infortunium, quo videlicet Hollandi milites intempesta nocte

A in oppidum & monasterium Epternacense irruentes, omnibus prædatis, me personaliter Noviomagum in captivitatem abductum, & per quinque menses satis inhumaniter tractatum, vix tandem sedecim millia imperialium dalerorum pro me & toto monasterii corpore, itemque florenorum Brabanticorum ratione impensarum summa mulctatum, corpore valde debilitatum, dimitterent; cui nihilominus insequenti tempore insidias de novo parare conantur. Is obiit 19 Julii 1607. Plurima scripsit opera, 1.° historiam Luxemburgensem, 2.° librum de Diis Deorumque sacrificiis, 3.°
B dialogos 27 in regulam S. Benedicti, 4.° catalogum & seriem abbatum Epternacensium.

LXII. Petrus *Richardot*, professus in abbatia S. Vedasti Atrebatensis, nobili cretus sanguine, sed pietate ac scientia scripturarum nobilior, Epternacensem abbatiam an. 1607 suscepit administrandam, cui plurimum profuit. Adstitit an. 1623 electioni Agritii *Reckingen* abbatis S. Maximini Trevirensis. Magnum penes suos relinquens desiderium, decessit vir comis, miræque sanctitatis, ac morum suavitatis 24 Februarii 1628.

C LXIII. Petrus *Fisch* ex *Rosport* in abbatem cooptatus an. 1628, summa sapientia rexit per triginta annos, monachorum numerum auxit ultra duplum, studium maxime promovit, meritisque plenus naturæ debitum solvit idib. Martii 1657.

LXIV. Richardus-Paschasius *de Beure* ex priore factus abbas 1657, suos singulari amore prosecutus est, vir raræ humilitatis. Quamvis infirmæ valetudinis, disciplinæ tamen regularis zelator accuratissimus, vitam hanc in meliorem commutavit an. 1667.

LXV. Philippus *de la Neuforge*, Luxem-
D burgensis, vir rari ingenii ac meriti, Gallicis armis regionem hanc vastantibus, ita se gessit ut Gallorum animos sibi conciliarit, nec Hispanorum favorem amiserit. Munere consiliarii in senatu Luxemburgico honestatus, integerrimum judicem sese ostendit, mortuus anno 1684.

LXVI. Villibrordus *Hotton* Luxemburgensis, a Johanne-Hugone archiepiscopo Trevirensi auctoritate & nomine Imperatoris regalia accepit, juramentumque fidei præstitit 16 Octobris 1685. A Brandeburgensibus in captivitatem ductus varia monasterii bona
E oppigneravit, mortuusque est an. 1693.

LXVII. Benedictus *Zender* ex *Croeff* unanimi voto capituli electus fuit, Christianissimo rege probante. Hic statuum deputatus negotia patriæ ita egit, ut non minus pater patriæ quam monasterii haberetur. E vita abiit an. 1717.

LXVIII. Mathias *Hartz* in abbatem assumtus 1717, confirmationem obtinuit a Clemente XI 3 Novemb. 1719. Structuram monasterii vetustate collabentem e fundamentis excitavit, dumque huic operi ac rite

adimplendo oneri vacaret, e vivis sublatus est anno 1728.

LXIX. Gregorius *Schouppe* ex *Croeff*, ex cellerario ad abbatialem dignitatem promotus 1728, confirmatur a Benedicto XIII 1729. Opus ab antecessore incœptum cum eleganti ordine ac decore perfecit. Dilectus a suis ut amantissimus pater, dum levamen infirmitatibus suis quæreret apud Aquisgranum, ibidem mortem reperit an. 1751, illicque sepultura donatus est.

LXX. Michaël *Hormann* ex *Ettelbruck*, omnium votis electus fuit anno 1751.

PRUM vel PRUIM.

PRUMIA.

DECEM circiter leucis ab urbe Trevirensi, Septentrionem versus, in saltu Arduennæ & in Eiffliæ tractu, ad Promeam vel Prumiam amnem, Ausonio poëtæ cognitum, monasterii cognominis anno 720, 13 Junii prima jecere fundamenta Bertrada vidua ejusque filius Chaче Chart. IX, col. 295. ribertus seu Heribertus Laudunensis comes, Pipini regis socer. Absolvendo huic operi a Char. XII, col. 299. pluribus annis incœpto Pipinus ipse, ejusque uxor Bertrada regina, prælibati Heriberti filia, ultimam admovere manum, maximumque addidere splendorem, prout testatum faciunt litteræ Pipini datæ 13 Augusti 762. In his enim rex ait se, conjugemque suam Bertradam amore Salvatoris & S. Dei genitricis Mariæ, atque apostolorum Petri & Pauli, ac sancti Johannis-Baptistæ, nec non sanctorum martyrum Stephani, Dionysii & Mauricii, atque confessorum Martini, Vedasti, ac Germani, monasterium in fundo proprio ædificasse infra terminos Bidensis pagi atque Arduennæ, ubi rivulus *Bardenbach* influit in Prumiam: cujus in monasterii ecclesia de sandaliis Christi Domini, nec non de sanctæ ipsius genitricis Mariæ, aliorumque Sanctorum reliquiis posuisse, ibidemque monachos collocasse, qui sub sanctæ conversationis norma ac præcedentium patrum debeant exerceri, & sub sancta regula quiete vivere, beatorum patrum vitam sectaturi. Proinde sibi cogitandum esse, quo pacto sacerdotes atque monachi ibidem futuri necessaria vitæ subsidia & tranquillitatem habituri sint, ut simul conjuncti Deo Omnipotenti die noctuque laudes referre valeant. Idcirco se una cum Bertrada regina eidem sanctissimo loco rem proprietatis suæ donare, sitam in pago Chorosvilla, quæ dicitur *Rumersheim*, tam illam portionem, quæ de genitore suo Carolo sibi provenerat, quam portionem ipsius Bertradæ, quam genitor ejus Heribertus ei in dotem reliquit. Ad hæc præter alia prædia conferre cellas tres, unam sancti Medardi in vico Altrepio ad Rhenum; alteram S. Petri apud Casleacum; tertiam S. Mariæ in pago Lomensi ad Mosam. Cæterum se sub suam tutelam suscipere ejus loci congregationem monachorum, & abbatem, nomine Assuerum: quo mortuo eis liceat successorem eligere de congregatione domni Romani &

A Wolfranni episcoporum, quos in hoc cœnobio congregavit. Ex quibus dictis Pipini absque ausu temerario licet conjicere coloniam Prumiensium monachorum eductam fuisse ex monasterio S. Crucis seu S. Faronis Meldensis, quæ congregatio dicitur domni Romani & domni Wulframni episcoporum, qui unus post alterum Meldensi ecclesiæ præfuerunt, quo tempore regularis disciplina in illo monasterio apprime florebat. Aliis etiam litteris Pipinus monasterium ejusque possessiones suam in regiam protectionem suscepit III non. Augusti 763. Egidius vir illustris ac forte comes B Andegavensis XVI cal. Martii 764 plurima prædia largitus est, vestemque monasticam Chart. XII, col. 301. ibidem induit. Carlomannus quoque rex justitiam loci *de Bernutfeld* ad Prumiam perpetuo pertinere decrevit mense Maio 770. Inter Franciæ reges Carolus Magnus eximia munificentiæ suæ præbuit specimina: is enim Chart. XIV, col. 302. an. 775 mense Novembri immunitates non exiguas, itemque privilegia indulsit, variasque possessiones tradidit anno 790 & 797; quin & ad hæc annis 806 & 807 addidit Valemarisvillam, aliaque plurima in pago Andegavensi. Eodem rege regnante, orta est Weomadum C Trevirorum pontificem inter & Assuerum abbatem contentio de cella S. Goaris, quam rex Pipinus Prumiensi abbati regendam commiserat: hanc siquidem cellam archiepiscopus ad jus ecclesiæ suæ asserebat pertinere. Causa Missis Dominicis commissa, judicatum est cellam regii juris esse; ac proinde Assuero abbati jussu regis legitime traditam fuisse. Instante nihilominus archiepiscopo, Carolus Magnus conventu generali ad Lippiam Saxoniæ fontem habito, sub sacramento Ratberti, tunc ejusdem monasterii advocati ac duodecim testium pronuntiavit eam possessionem non D ecclesiæ Trevirorum, sed regio tantum dominio competere. Quo facto, idem rex cum suorum consensu cellam monasterio Prumiæ regio diplomate tradidit, quod in archivis monasterii suo tempore Wandelbertus ejus loci monachus & diaconus in libello de S. Goaris miraculis asservatum fuisse memorat. Isthæc vero cella cum ejus dominio in potestate & jure Prumiensium amplius non est, sed nunc est ecclesia secularis. Ad hæc circiter tempora Pipinus Caroli Magni filius spurius, regni cupidine illectus, adversus patrem facta rebellione, E attonsus est & in monasterium Prumiense inclusus. Prælibatorum autem regum exemplum æmulati sunt principes subsequentes; in primis Ludovicus Pius III nonas Febr. 815 immunitatis atque protectionis insigne privilegium exhibuit; silvam monasterio vi ereptam restituit VI id. Novembris 817; nemoris alterius partem III cal. Febr. 820 adscripsit cellæ S. Goaris; quin & ipse una cum Lothario solio imperiali sociato tuitionis aliud præceptum est impertitus circa annum 830; nec non & in pago Wormacensi res suæ proprietatis contulit anno 835. Lotharius etiam imperator

diversis temporibus quamplurimis donariis A atque privilegiis Prumiæ erogatis, non defunctus tantum in monasterio quiescere voluit, sed vivus ob peccatum paternæ persecutionis imperio renuntians, vitam est amplexatus monasticam anno 855; eodemque in religionis professione animam creatori reddidit III cal. Octobris; ibidem ante aram, quam Omnium sanctorum nomini consecrari jusserat, humatus. Pleraque privilegia, jura, bonaque a regibus, imperatoribusque concessa in abbatum contextura reperies. Verum hic insignem eam non licet reticere prærogativam, qua Lotharius imperator, & Zuenteboldus rex Lotharingiæ B cudendæ monetæ secerunt licentiam. Plura etiam prædia ab ipso rege Zuenteboldo anno 898 concessa sunt in villa *Tontoudorp*. Sub eumdem annum 898 Normanni, flumine Mosa trajecto, Prumiam dilapidarunt, monachosque, qui non aufugerant, alios occiderunt, aliosve in captivitatem abduxerunt. Inter præcipua Germaniæ monasteria numeratur Prumia; immo abbas princeps imperii erat ante annum 1579, quo summo pontifici Gregorio XIII mensam abbatialem archiepiscopatui Trevirensi annectere placuit. Quanto in honore studia fuerint, quotve floruerint ibidem viri C scientia ac eruditione eximii, comperies ex ejus loci moderatorum nomenclatura, quam accipe.

Ch. XXI, col. 307.

Ch. XXX, col. 314.

Ampliss. collect. t. I, col. 245.

ABBATUM INDEX.

Chart. IX, col. 295. I. ANGLOALDUS primus rexit id monasterium, uti constat ex instrumento Bertæ & Chariberti fundatorum dato anno 720.

II. Assuerus, ut creditur, Gallus; atque, uti Prumiæ inquilini, ex sanctæ Crucis seu sancti Faronis Meldensis monasterio accitus, occurrit an. 762, 13 Augusti in diplomate Pipini regis. Immunitatem ab ipso rege monasterio obtinuit 3 Augusti 763. Egidii viri D illustris, qui apud Prumiam monachum induit, munificentiam expertus est 14 Februarii 764. Attiniacensi concilio præsens anno 765 celeberrimam sancti Goaris cellam est assecutus. Sigefrido quædam prædia tradidit ad vitam VIII id. Septemb. 771. Privilegio donatus est mense Novembri 775 a Carolo Magno. Dedit & ipse monasterio villam Cociacum sitam in pago Andegavo 18 Augusti 776. Aliarum villarum in pago Wabrinsi precariam possessionem cuidam Wicberto attribuit 26 Maii 786. Legitur anno 790 in diplomate E Caroli Magni quædam prædia proprietatis suæ cœnobio largientis. Alias item villas Lauriacum scilicet & Catiacum in Andegavensi pago 17 Febr. 797 assecutus est ab ipso rege, qui contentionem de cella S. Goaris, olim a Pipino tradita, Weomadum Trevirensem archiepiscopum inter & Assuerum exortam in abbatis gratiam diremit. Memoratur adhuc an. 804, die 8 Aprilis in donatione ab Harvico collata. Post annos regiminis quadraginta quinque Prumiensem abbatiam cum cella S. Goaris sequenti transcripsit, ex Mabillonio.

Ch. XII, col. 299.

Marten. Ampliss. collect. t. I, col. 35.

Ch. XXIV, col. 302.

III. Tancradus de quo hæc habet *Knauff* defens. abbat. Prum. p. 43: abbas Tancradus ex principibus de Parma, magnarum virtutum operator, & cultus divini zelator, inter cætera regiminis sui præclara gesta tres constituit religiosorum cellas, unam in pago seu territorio Spirensi sancti Medardi; alteram S. Petri in *Kesseling;* tertiam in *Reving* supra Mosam, quæ monasterio Prumiensi incorporatæ, & earum religiosis subjectæ essent. Magnus hic abbas Carolo Magno & Ludovico Pio in primis charus fuit, cujus consilio & industria in negotiis arduis utebatur. Præfuit & profuit annis 24. Plurima consecutus est 20 Januarii 806 atque 28 Aprilis 807 a Carolo Magno. Insequenti anno dum in sancti Goaris cella versaretur, ex loco superiori prospexit navem, qua Maximinus abbas S. Gereonis Coloniensis in Rheno vehebatur, jam prope aquis submergendam. Adfuit statim periclitantibus Tancradus, suis e vestigio in auxilium missis. Monasterii possessiones atque privilegia a Ludovico Pio roborari curavit 3 Februarii 815. Legitur 3 Januarii 820 in diplomate Imperatoris ejusdem tradentis silvam cellæ sancti Goaris, per quem multa miracula eo tempore patrata fuisse narrat Wandalbertus. Præceptum immunitatis a Ludovico & Lothario imperatoribus nanciscitur 26 Januarii 826. Andagini seu S. Huberti factus quidem abbas anno 828, supremum diem absolvit an. 829, III id. Febr. ex chronico abbatis Reginonis. Ejus elogium habetur apud Fisenum 13 Februarii.

IV. Marcwardus, vir prudens & sacræ religioni deditus, affinis fuit Lupi Ferrariensis abbatis, & magna necessitudine ei devinctus: cœtuique Ferrariensi sub Aldrico abbate fuerat adscriptus, uti prodit Lupi epistola 55 ad ipsum Marcwardum, cujus jam abbatis Prumiensis atque Andaginensis intercessionem apud Imperatorem flagitat: *quoniam*, inquit, *de loco nostro sitis, a quo vos corpore duntaxat ecclesiastica utilitas abduxerit.* Utrumque monasterium Prumiense & Andaginense regere cœpit an. 829. Commutationem cum Liudaldo fecit VII id. Januarii 831, comprobante Ludovico Pio, quem eo anno pedis dolore laborantem honorifice in cella sancti Goaris excepit. Villam dictam Malbodi-Sperarium a Baterico traditam regia autoritate monasterio curavit firmari XIII cal. Augusti 834. Præfatus Imperator an. 835, VIII cal. Junii res suæ proprietatis in pago Wormacensi ei concessit. Binas iniit eodem anno VIII id. Februarii & IV id. Septembris permutationes. Ab Andaginensi abbatia ipso anno se abdicavit, ac monasterium Eifsliæ sub idem tempus exstruxit in agro Juliacensi. Lotharium imperatorem ad confirmanda monasterii privilegia induxit 17 Februarii 841. Insequenti II id. Novembris donum monasterio indultum ab eodem laudari sategit, qui & anno 844, VIII cal. Julii ad ipsius abbatis preces exemtionem ab omnibus teloneis impertitus est.

Biblioth. Patrum, t. IX, pag. 844, epist. 55.

Marten. Ampliss. collect. t. I, col. 85.

Rogatus quidem a Marcwardo Carolus Calvus rex pridie id. Augusti 845 bona monasterii sub sua protectione suscepit. Factam eum inter & Hetti archipræsulem commutationem probavit Lotharius cal. Januarii 846, prædiaque pro luminaribus ecclesiæ largitus est VIII id. Decembris ejusdem anni; tandem rogante Marcwardo donationem monasterio erogatam confirmavit XIII cal. Julii 851. Romam hic abbas petierat circa annum 844, unde retulit reliquias SS. Chrysanthi & Dariæ, quas ad Monasterium-novum transtulit. In cujusdam monachi Ferrariensis gratiam, qui, deposito monastico habitu, in seculo degebat, & Lothario imperatori erat ab epistolis, Lupo abbati direxit litteras de eo monacho in monasterium admittendo, eique veniam delicti impetravit. Sub Marcwardi moderamine floruit Wandelbertus monachus, magister scholæ cœnobii Prumiensis, vir in divinis scripturis & secularibus litteris eruditus, qui vitam S. Goaris a se contextam Marcwardo nuncupavit; scripsit quoque martyrologium metricum. Floruerunt etiam Gerungus, quondam summus regii palatii ostiarius, Nithardus, Ansbaldus, & Egil, omnes eruditione commendandi. Obiit autem Marcwardus an. 853 ex Bartholomæo Fiseno, qui eum Sanctum vocat, absque idoneo, ut videtur, fundamento, quem beatæ memoriæ virum cum Lupo dicere satis fuerit. De illo mentionem egimus in Andaginensibus abbatibus, tom. III, col. 967.

Ch. xx, col. 307.

V. Egil Marcwardo antecessori & Lupo Ferrariensi perquam familiaris fuisse videtur ex pluribus ejus epistolis, in quibus illum, ut communem filium, passim salutat. Unde suspicatur Mabillonius eum primo in Ferrariensi monasterio religiosæ vitæ nomen dedisse cum Marcwardo, dein a Marcwardo a Prumiensibus postulato abbate Prumiam pertractum. Eumdem valetudinis causa cum aliis Ferrarias a Marcwardo missum, tanquam ad solum nativum, ut *dilectissimum filium* excepit Lupus, teste ejus epistola 70. Ad ipsius preces Lotharius imperator quædam Prumiensibus indulsit prædia in villa Wallemaris V cal. Martii 853. Exstat & aliud præceptum hujus Imperatoris in gratiam Prumiæ expeditum VI id. Julii 854, in quo Egilem suum vocat familiarem. Sub ejusdem abbatis regimine eodemque anno alterum addidit donum hic princeps, & insequenti XIII cal. Septembris, dimisso jam imperio monasticam vitam ergo profitendi, corpus suum post mortem in monasterio humari jussit. A Lothario rege præfati Imperatoris filio, cujus a Theutberga regina uxore probavit divortium, omnium privilegiorum confirmationem consecutus est Egil III id. Febr. 856. Superiori anno præfecturam Andaginensis cœnobii assecutus fuisse dicitur, quam cum Prumiensi anno 860 sua sponte dimisit, ac in Flaviniacense monasterium se recepit, ubi deinceps abbas est electus, & tandem Senonensis archiepiscopus. Licet autem cessisset, auctoritate, qua apud Carolum Calvum regem valebat, usus est ut privilegium obtineret anno 864. De eo videsis tomos III, col. 967; IV, col. 457; XII, col. 24.

Ch. xxi, col. 307.

Ch. xxvi, col. 310.

VI. S. Ansbaldus, de quo jam egimus tom. III, col. 968 in abbatibus Andagini seu S. Huberti, Egili successit anno 860; vir, inquit Regino, in omni sanctitate & bonitate conspicuus. Eodem anno a Salomone Armoricæ duce monasterii possessiones sitas in Britannia confirmari curavit nonis Octobris. Mercatum & jus cudendæ monetæ in Romarivilla a Lothario rege Lotharingiæ obtinuit V cal. Augusti 861. Cum Bettone Gorziensi abbate commutationem iniit an. 864; itemque alteram cum Faraberto XII cal. Junii, laudante Lothario. Villantiam quondam a Richardo traditam regis ejusdem auctoritate nonis Martii 865 fecit adunari monasterio. Cujusdam mulieris, Hiedildis nomine, donationes firmari regio munimine sategit XVI cal. Febr. 866, eidemque anno insequente XIII cal. Januarii plurima & ipse largitus est. Ecclesia de Neccravia rebusque ad eam pertinentibus VII id. Martii 868 a Ludovico rege Germaniæ fuit donatus. Hererici viri illustris limina Apostolorum mox adituri plurima dona hoc anno excepit, quorum confirmationem regiam nactus est prid. id. April. 870. Jus piscandi in Rheno XV cal. Martii 871 consecutus est a Ludovico rege Germaniæ, qui ecclesiam S. Salvatoris Aquis sitam, duasque alias Ansbaldo concessit XVI cal. Novembris ejusdem anni. Eximiæ immunitatis diplomate donatur IX cal. Aprilis 878 a Ludovico Balbo Franciæ rege. Duo Caroli Crassi imperatoris privilegia, unum ad farciendum detrimentum acceptum a Normannis, qui hac tempestate incenderant monasterium; nec non & alterum, præsertim quoad liberam abbatis electionem, obtinuit XI cal. Junii 882 & 884. Migravit in cœlum anno 886 IV id. Julii, quo die festum ejus celebratur.

Ch. xxiv, col. 309.

VII. Farabertus Ansbaldum excepit anno 886, VIII id. Augusti. Immunitates ac privilegia monasterii ab Arnulpho Germaniæ rege firmari sategit III id. Junii an. 888. Præerat adhuc an. 891 mense Februario, quo Normanni in monasterium iterum irruentes, omnia diripuerunt, residuosque monachos vel occiderunt vel captivos abduxerunt. Exstant litteræ datæ hoc anno præfati regis Arnulfi in gratiam monasterii. Farabertus tamen Barbarorum accessu cum plerisque suorum fuga saluti consuluerat. Post hanc cladem seu tædio malorum præsentium, seu vitæ pacatioris desiderio magistratu se abdicavit cum Arnulfi regis permissu. Nullibi nisi apud Fisenum dicitur abbas S. Huberti Andaginensis. Leodiensem episcopum evasisse diximus t. III, col. 839.

VIII. Regino in Faraberti locum suffectus, vir doctus & ecclesiasticis rebus maxime eruditus, ut ejus libri duo de disciplinis ecclesiasticis probant, quos jussu Ratbodi Trevirensis

antistitis ex conciliis ac decretis summorum A pontificum jam abbas composuit. In historicis etiam rebus versatus fuit, teste ejus chronico, quod duobus etiam libris contextum Adalberoni episcopo inscriptis ab Incarnatione Christi usque in annum 908 perduxit. Sua tamen dignitate haud pacifice perfruitus est. *Per idem tempus,* inquit ipse, *Farabertus abbas Prumiensis cœnobii curam pastoralem sua sponte per concessum regis* (Arnulphi) *deposuit, & ego quamvis indignus, secundum regularem auctoritatem per electionem fratrum in regimine successi: in quo tamen non diutius immoratus, æmulis agentibus, Richarium fratrem Gerhardi & Matfridi invi-* B *diosum mei negotii successorem sustinui.* Litteras regis Arnulphi de munimine privilegiorum monasterii datas anno 891 cal. Octobris ad tempus præfecturæ Reginonis refert Honteimius. Hanc vero abbatiam usque in annum 899 moderatum se fuisse Regino ipse testatur, quo tempore locum sequenti relinquere coactus est. Andaginensibus etiam abbatibus a Fiseno accensetur, uti diximus tom. III, col. 968. Extitisse quoque abbas S. Martini Trevirensis creditur, ubi diem clausit extremum an. 915.

IX. Richarius habuit fratres Gerardum & Matfridum comites, quorum magna tum apud C Arnulphum regem autoritas. Hi ut Reginonem abbatem loco dejicerent, Arnulphum ea de re conveniunt, qui se vinci facile passus, abbatiam Reginoni an. 899 adimit & Richario confert. Rem in chronico suo narrat ipse Regino, ubi Richarium invidiosum sui negotii successorem vocat: sed præ modestia sententiam mutasse videtur, *ne forte injuriis,* inquit ille, *provocatus, ultra quam Christiana patientia permittit, persecutionis suæ causas exagerasse videretur.* Suestrense monasterium, quod Arnulphus, ejusque filius Zuenteboldus reges Prumiæ jam D tradiderant, Richarius obtinuit & a Carolo Simplice an. 916. Regis ejusdem autoritate omnium regum privilegia indulta monasterio roborari curavit XIII cal. Septembris 920. Fuit itidem abbas Laubiensis, Stabulensis, Andaginensis, & episcopus Leodiensis circa annum 920, uti videre est tom. III, coll. 82, 837, 942, 969.

Charta XXXVII, col. 318.

X. Ruotfridus Richarii successor post unum regiminis annum, abdicato abbatis munere, locum sequenti fecit, mortuus an. 946.

XI. Farabertus II per cessionem superioris factus abbas, ad Leodienses infulas evehitur E circa annum 947. Videsis tom. III, col. 839.

XII. Ingramnus, quem ducis Limburgensis filium faciunt, & ecclesiam sibi creditam præclarissime rexisse, sanctæque conversationis exempla reliquisse memorant, Pharabertum excepit. Possessionem Suestrensis abbatiæ consecutus est 1 Junii 948 ab Ottone magno imperatore. Vita excessit an. 976.

XIII. Eberhardus comes de Salmis multa laudabiliter gessit, multasque sodalitates instituit, quibus maximi principes nomen dedere. Obiit an. 986, magno sui relicto desiderio.

XIV. Kildericus claris e Frisia natalibus, vir religiosissimus, decessit 993.

XV. Stephanus, vetustissima familia *de Saffenburg* exortus, animam exspiravit anno 1001.

XVI. Udo, Namurensium comitum cretus sanguine, reperitur anno 1003 in inventario sacræ supellectilis monasterii. Eodem anno vita cessit, cum duobus tantummodo annis præfuisset.

XVII. Immo, Spanheimensis comes, transactis in administratione sex aut circiter annis, vitam exuit anno 1009.

XVIII. Uroldus, antiquo stemmate de Duna exortus, collegium canonicorum juxta monasterii septa cum basilica B. Mariæ sacra condidit, ditavitque corpore sancti Nazarii. Exstant tabulæ Henrici II imperatoris datæ Francofurti an. 1017, XVI cal. Novembris, quibus eam eximiam abbatis munificentiam comprobat. Fatis concessit Uroldus an. 1018, humatusque est in ecclesia canonicorum a se constructa, ubi & annua memoria recolitur. Voraci flamma absumtum monasterium reparavit.

XIX. Hildradus ex comitibus Burgundiæ, ob vitæ integritatem Henrico II imperatori charus prædium *Butenhart* ab ipso obtinuit an. 1020. Vitam finivit 1026.

XX. Robertus I de Aræ castro adstitit an. 1049 concilio Remensi sub Leone IX. Reperitur in litteris Henrici III imperatoris adversus advocatos monasterii S. Maximini pridie cal. Julii 1056. Insigne privilegium assecutus est nonis Decembris anni ejusdem ab Henrico IV Romanorum rege. Ejus precibus Everhardus archiepiscopus plurium ecclesiarum decimas confirmavit cal. Novembris 1063. Cum utilissime monasterium 42 annis administrasset, e vivis abiit an. 1068.

XXI. Nizo ex marchionibus Juliacensibus, vir valde religiosus & zelosus, bonorum operum plenus, moritur an. 1077. Hi versus ejus jussu pedo hodiedum Prumiæ asservato inscripti visuntur:

Attrahe, pelle, fove, qui sis, non immemor ipse:
Sic prodesse tibi poterit, quod diceris esse.

XXII. Wolframnus de Bettinga, vir magnæ eruditionis & sanctæ conversationis, prædium *Prumisfeld* ab Henrico *de Limbourg* usurpatum, imperiali autoritate monasterio restitui curavit an. 1101, III non. Augusti. Insequenti etiam anno adversus Bertoldum advocatum monasterii regias protectionis litteras consecutus est. Excessit an. 1103. Bis memoratur in historia Andaginensis monasterii edita apud Martenium, Ampliss. collect. tom. IV, coll. 969, 994.

XXIII. Poppo de Bello-monte præfuit 16 annis, desiitque vivere anno 1119, post tam hujus monasterii, quam Stabulensis neglectam rem familiarem.

XXIV. Liutfridus de Hassia subscripsit

24 Aprilis 1131 litteris Lotharii II imperatoris pro monasterio Epternacensi.

XXV. Albero vel Adalbero *de Monsterol*, primicerius Metensis, dein archiepiscopus Trevirensis, post Liutfridum hanc abbatiam obtinuisse dicitur, quam sane ante mortem dimisit, nam

XXVI. Godefridus *de Hosteden*, vita & scientia spectabilis, memoratur an. 1138 in
Ch. LXVIII, col. 347. litteris ejusdem Alberonis archiepiscopi de fundatione claustri Hemmenrodensis. Reperitur & anno 1146 in diplomate Conradi III imperatoris pro monasterio Walciodorensi. Exactus autem e monasterio ab Arnoldo B Coloniensi præsule, reversus est Epternacum, cujus itidem erat abbas, illicque occubuit VIII cal. Junii 1155.

XXVII. Rotherus *de Malberg* an. 1157 die 6 Januarii legitur in diplomate Friderici I imperatoris abbatiam S. Maximini Hillino archiepiscopo attribuentis. Occurrit & in alio ejusdem principis an. 1158. Sub eo floruit doctissimus Berno dein Augiæ divitis abbas.

XXVIII. Robertus ex illustrissima comitum Clivensium stirpe, virtute non minus illustris quam genere, migravit ex hac vita an. 1174.

XXIX. Gregorius de Geldria, prælatus C præclaræ opinionis & meriti, testis adhibetur an. 1179 in litteris Folmari comitis Castellensis pro Bello-prato. Mortalibus valedixit anno 1184.

XXX. Gerardus Viandensis comes, pietatis propugnator acerrimus, & morum sanctimonia insignis. Ipsum nobilis mulier, nomine Sophia propinquitate ei conjuncta, una cum quibusdam nobilibus puellis, quæ sicut & illa Deo sese mancipandi consilium ceperant, convenit ex-
Ch. LXXIII, col. 352. postulans ut locum quieti atque ejus vitæ generi idoneum concederet. Gerardus earum propositum demiratus, ipsis tradidit an. 1190 D locum juxta capellam cujusdam curiæ, quæ inferior Prumia nuncupatur, eoque corpora SS. Gordiani & Epimachi transtulit. Johannes Trevirensis archiepiscopus ad preces Gerardi novum id institutum collaudavit anno eodem. Advocationem oppidi sancti Goaris comitum Hoynsteniorum & Catzenellebogensium domui tradidit. Henricum Limburgensem ducem monasterii veterem clientem, quo magis fidum haberet, magno ab se coempto Ambeleno prædio affecit, munitionemque Kentenam ad rivum Arlavam præstitit Henrico Seinæ comiti. E Testis reperitur 1197 in litteris Henrici comitis Palatini advocatiam ecclesiæ & civitatis Trevericæ dimittentis. Obiit relictis certissimæ sanctitatis vestigiis an. 1212, notatus XIII cal. Maii in necrologio S. Clementis Metensis. Andaginense etiam monasterium rexisse dicitur tom. III, col. 973.

XXXI. Cæsarius illustri prosapia *de Milendunc* natus, per quadriennium rexit abbatiam : quo transacto, curam & dignitatem abbatialem exuens, perfectioris vitæ studio, reformationem Cisterciensem est amplexatus in cœnobio S. Petri Heisterbacensis in diœcesi Coloniensi. Factus inde prior Villariensis decessit VII cal. Martii.

XXXII. Chuno *de Harren* Cæsario datus successor, tantummodo tribus præfuit annis, vita orbatus an. 1220.

XXXIII. Fridericus de Petra, simul Stabulensis abbas, vir insignis & strenuus, a Cæsario antecessore, tunc vero Cisterciensi monacho epistolam accepit anno 1222. De vita exiit anno 1244, XVI cal. Decembris, *al.* 1245, uti notatur tom. III, col. 948.

XXXIV. Gaufridus comes a *Danckenheim*, *vir sanctæ vitæ*, al. dictus de Novo-castro, præerat anno 1257. Arenhemii in Geldria amplam & elegantem ecclesiam ædificavit, in quam corpus S. Eusebii martyris translatum est. A vita discessit anno 1274.

XXXV. Walterus *de Blanckenheim*, aliis e comitibus Flandriæ, mortuus anno 1288, aliis anno 1312.

XXXVI. Henricus de Sconeco quadraginta tribus annis monasterio præfuit, mortuus anno 1342, aliis aliter.

XXXVII. Dietherus ex Catzenellebogensium vetusta prosapia exortus, circa annum 1348 cum hostili incursione, aliaque multiplici clade rem abbatiæ suæ prope perditam cerneret, abbatiam, jura, vassallos, castra atque munitiones in Balduini archiepiscopi ejusque successorum potestatem sponte permisit XIV Junii. Vitæ finem implevit anno 1350.

XXXVIII. Johannes *de Merll*, cognomento *Zandt*, mortalitatem exuit 26 Novembris 1354.

XXXIX. Theodoricus a *Kerpen*, postulatus e monasterio S. Pantaleonis, vir directione providus, omni litteratura & scientia insignis, in spiritualibus & temporalibus circumspectus, virtute indutus ex alto, anno 1355, 23 Januarii adversus quoscunque, paucis exceptis, Boemundo archipræsuli Treverico suppetias pollicitus est. Bona monasterii duas in partes divisit anno 1361, unam abbati, alteram monachis attributam. Sub ea tempestate a familia Euphalizia bellis adeo exagitatum est monasterium, ut Theodoricus victoribus cedere, & in Eifaliam ad Monasterium oppidum suum commigrare, atque eo rerum fortunarumque sedem transferre demum coactus fuerit. Theodoricus cum monachis ibi fixum stabileque domicilium, hoste interea monasterium occupante, habuit toto tempore pontificatus archiepiscopi Cunonis, cui anno 1376 ab imperatore Carolo IV, cum summi pontificis venia, facta est potestas abbatiam ecclesiæ Trevericæ adunandi: verum hæc unio, totis viribus intercedente Theodorico, caruit effectu. Cuno tamen archipræsul instaurando monasterio operam dedit; Vernerus quidem Cunonis successor ecclesiam refecit, reformationem induxit, pacem cum hoste pepigit, & arcem, qua ab hoste tuta foret abbatia, construxit.

XL. Fridericus *de Schleiden*, vir charitate, humilitate, patientia & religione insignis, multos pro ecclesia sibi commissa adversus æmulos labores sustinuisse dicitur. Præerat an. 1399, quo Bonifacius IX rescidit unionem abbatiæ mensæ archiepiscopali. Diem suum obiit anno 1427.

XLI. Henricus ab *Arrhem* desiit vivere anno 1476.

XLII. Johannes ab *Esch* Johannis Schoneci dynastæ variis incursationibus & populationum malis divexatus, ad Renatum Lotharingiæ ducem auxilium petiturus adiit circa annum 1445. Quod cum Renatus concessisset, abbas in Effliam copias immittens, tantum injecit terrorem Schoneco, ut ille se continuo, quæ imperaret abbas, facturum reciperet.

XLIII. Robertus comes a *Virneburg* nihil non effecit ut abbatia ab archiepiscopatu sejuncta foret; quin & anno 1511 Richardo recens in archiepiscopum electo bellum inferre meditabatur, ni archiepiscopus moderatione & consilio singulari potius quam armis eum mitigasset. Mortem occubuit anno 1513.

XLIV. Gregorius ab *Hombourg*, juris utriusque licentiatus, suffragiorum parte abbas fuit designatus; verum hic anidmadvertens periculum monasterii, jus suum Wilhelmo cessit & dignitatem, & post sex hebdomadas etiam ex hac vita migravit.

XLV. Guillelmus comes *de Manderscheidt*, itemque Stabulensis abbas, juris utriusque licentiatus, fuit discretione præcipuus, tam divinis quam humanis litteris eruditissimus, pietatis religionisque sectator singularis, omnibus naturæ donis cumulatus, unde & a Maximiliano imperatore consiliarius renunciatus, atque apud omnes principes gratiosus. Utrumque monasterium juxta constitutiones Bursfeldenses reformavit. Transactionem inter capitulum ecclesiæ collegiatæ Prumiensis & oppidanos ratam habuit anno 1534. Composuit & ipse 14 Septembris 1541 super quibusdam cum Johanne archiepiscopo. Extinctus anno 1546, tumulatur in ecclesia Stabulensi, uti notatur tom. III, col. 950.

XLVI. Christophorus *de Manderscheidt*, superioris nepos, sedecim annos natus coadjutor in utraque abbatia Prumiensi scilicet & Stabulensi effectus est circa annum 1540. Quanquam plurimum a Bucelino laudibus extollatur, constat tamen ex juridica inquisitione jussu Jacobi archiepiscopi perpetrata, atque Gasparo Groppero sedis apostolicæ nuncio exhibita anno 1574 die 1 Februarii, ipsum haud probe monasterium rexisse. Obiit anno 1576, 28 Augusti, uti jam dictum fuit, tom. III, col. 951. Post cujus obitum Gregorius XIII pontifex abbatiam mensæ archiepiscopali bulla data 1 Septembris 1579 perpetuo sanxit adnecti, eodemque anno Jacobi archipræsulis, tanquam perpetui administratoris, cura & ope regularis disciplina, quæ penitus, Christophoro abbate, deleta fuerat, instaurata est.

B. MARIA MUNSTERIENSIS *seu* LUXEMBURGENSIS.

MUNSTER.

HAUD longe a muris Luxemburgensis oppidi, in jugo montis, inter ruinas castri veteris Luxemburgensis & castri Mansfeldici, exstitit olim cœnobium sub titulo sancti Petri exstructum, at temporis processu S. Mariæ patrocinio ac nomine consecratum, quod ob excellentiam super cætera ejus tractus cœnobia vulgo *Munster* appellatur. Istud a Conrado Luxemburgensi comite, assentiente Ch. LVII, Clementia ejus uxore, comprobantibusque col. 335. filiis atque filiabus eorum, conditum fuisse constat ex litteris datis pridie nonas Julii. Ch. LXIII, Cœptum a patre perfecit opus Guillelmus col. 341. comes, uti ipse testatur diplomate dato anno 1122. Id quidem patet ex documento Brunonis archiepiscopi possessiones huic ecclesiæ attributas confirmantis anno 1123 nonis Octobris. Henricus comes Namurcensis & Luxemburgensis anno 1166 ecclesiam sancti Nicolai largitus est. Arnoldus item archi- Ch. LXXI, episcopus id monasterium abbatiæ S. Vitoni col. 350. Virdunensis subdidit anno 1178. In decursu temporis bellis inter Carolum V imperatorem & Franciscum I Galliæ regem sævientibus, hoc monasterium a Cæsarianis ipsis, ne a Gallis militibus interciperetur, incendio absumtum est, locusque monachis intra urbem concessus, ubi novum cœnobium ædificarunt, cujus conspectum Stengelius cum brevi monasterii historia exhibuit in secunda parte monasterologii sui.

ABBATES.

I. FOLMARUS quo ex monasterio accitus fuerit, non liquet; sed probabilius videtur eum ex Virdunensi sancti Vitoni cum primis colonis adductum fuisse, eo quod Rudolpho, ejusdem monasterii abbati, filio suo, primum novæ hujus plantationis curam demandaverit Conradus fundator, cujus corpus ibidem tumulatum fuit cum ea epigraphe: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, quiescit hic comes Conradus. Hic cum inter seculi principes fama probitatis esset celeberrimus, sepulchrum vitæ principis adiit amore divino succensus, indeque rediens, divina vocante clementia, obiit peregrinus, sepultus in terra decenter, non sua: indeque anno dormitionis suæ secundo sublatus, anno quarto, ipso die annuæ migrationis suæ de seculo, hic fuit repositus, præsente conjuge sua Clementia, per manus filiorum suorum Adelberonis primicerii Metensis, Henrici comitis, Conradique comitis, præsente Rodolpho abbate, filio comitis, quem ipse provisorem & ordinatorem hujus loci statuerat. Facta sunt hæc regnante permissu Dei Henrico tyranno damnato, ac piæ memoriæ Gregorio pontifice Romano. Obiit autem VI idus Augusti, anno*

Ch. LXIII, col. 341. *anno Dominicæ Incarnationis 1086.* Legitur autem Folmarus anno 1122, primusque vocatur abbas in diplomate Guillelmi comitis filii Conradi, fundationem monasterii collaudantis. Ab Honorio II pontifice possessionum confirmationem assecutus est pridie idus Aprilis 1128. Id privilegium inscribitur Folmaro abbati monasterii SS. Trinitatis de Luxemburgo. Cum ipse per annorum multorum circulum fideliter & magna cum laude præfuisset, vitam hanc mortalem cum immortali commutavit, cujus funus tam monachi, quam comes cum aulicorum sequela prosecuti fuere. Sub eo vixit sanctissimus Heremita Schetzelo, cujus corpus in monasterio asservatur.

Bertel. hist. Luxemb. p. 126.

II. Godefridus ab Hillino Trevirensi archipræsule consecratus anno 1154, ipsi fidem juravit. A Sigefrido *de Preich* ejusque consanguineis in jus vocatus ante Henricum comitem Luxemburgensem ergo restituendi prædia a majoribus Sigefridi concessa, obtinuit causam an. 1175. Exactis in regimine triginta circiter annis, extremum diem clausit, & juxta antecessorem suum tumulo reconditus est.

III. Evervinus vel Wernerus anno 1182 privilegium ab Henrico comite consequitur. In necrologio S. Maximini sic notatur: *VIII nonas Aprilis Wernerus presbyter & monachus nostræ congregationis abbas Lucemburgensis.*

IV. Nicolaus quædam a capitulo B. Mariæ-Magdalenæ Virdunensis acquisivit in pago *Egel*, & obiit circa annum 1209.

V. Gerardus an. 1210 quamdam ecclesiam cum jure patronatus, ut & alia jura & bona prope Lymburgum ab Henrico comite, sic etiam diversas res a comite Walramo Henrici filio anno 1215, nec non & anno 1216 ab Innocentio III confirmationem adeptus, in fata concessit anno 1222.

VI. Arnoldus, vir strenuus in propugnandis ecclesiæ suæ juribus, a comite Luxemburgensi privilegia, possessiones & jura monasterii confirmari curavit anno 1225. Eodem anno cal. Aprilis id juris consecutus est a Theodorico archipræsule, ut solis Munsteriensibus in urbe Luxemburgensi scholas aperire liceret.

VII. Thomas *de Koerich*, nobili gente hodie extincta satus, litteras Anselmi *de Villonru* sigillo suo obsignavit an. 1254, societatemque cum monachis sancti Maximini iniit 1259. Acri febre sublatus, juxta prædecessores suos humo mandatur.

VIII. Simon a *Berwart*, ex antiqua & nobili familia oriundus, cujus rogatu Henricus Luxemburgi comes ejusque conjux Margarita xenodochium S. Johannis-Baptistæ condidisse dicuntur post annum 1292. Postquam in tempus a Deo præstitutum monasterio præfuisset, diem clausit extremum.

IX. Johannes *de Wesalle* anno 1332 die 2 Januarii recenset quasdam litteras Eduardi comitis Barrensis datas 1324, de quibus a se visis publicum edidit testimonium.

X. Philippus *de Puttlingen* præerat an. 1334.

XI. Johannes *de Maelbergh*, cum utiliter munus suum explevisset, e vivis abiit.

XII. Simon *de Hondelingen* jam naturæ debitum solverat anno 1360, uti constat ex documento anni ejusdem, in quo dicitur venerabilis & religiosus vir dominus Simon *de Hondelingen*, quondam abbas S. Mariæ Luxemburgi. Sepultus est propter aram sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.

XIII. Mathias, Epternaco oriundus, sub Cunone archiepiscopo titulo episcopi Syronensis munia suffraganei obivit. Primus pro se & suis in Monasteriensi asceterio successoribus mitræ & reliquorum pontificalium ornamentorum usum impetravit ab Urbano V anno 1365, XIV cal. Julii. Quiescit in anteriori parte ecclesiæ. Ch. XC, col. 362.

XIV. Johannes a *Welsperch* silvam Burelianam a dominis Meisenburgi, sibi sanguine junctis, emit. Ultimo fine perfunctus, in navi ecclesiæ ante gradus chori tumulatur.

XV. Tilmannus ab *Eydell*, vir nobili progenie exortus, omnique virtutum genere decorus, propter doctrinam & vitæ bonum regimen archiepiscopi Trevirorum suffraganeus factus est anno 1398; quam ob causam administrationem abbatiæ coadjutori demandavit. Ipse Treviris in domo, pro Munsteriensibus excitata, explens ætatem, apud Carthusianos sepulturam habuit cum hac epigraphe: *Anno M. CCCCX, 26 Junii obiit Treviris reverendus dominus Tilmannus ab* Eydell *abbas Munsteriensis apud Luxemburgum & suffraganeus Trevirensis, hic sepultus quiescit. Cujus anima requiescat in sancta pace.*

XVI. Egidius a *Fischbach*, prius coadjutor, ad abbatialem sedem elatus fuit anno 1410. Insigne sacellum sancti Martini in cœmeterio construxit. Theodoricum & Johannem Schinfelzianos, viros genere nobiles latrociniis assuefactos, in carcerem trusit, quos nec in libertatem restituere voluit, quin prius jurejurando fidem obstrinxissent se ab omni prædatione abstenturos.

XVII. Johannes a *Wesel* Ægidium excepisse dicitur, dignitatemque obtinebat anno 1437. De eo ferunt quod lepra infectus, relicta suorum convictione, ad molas Kriselbornenses secesserit, ibique diem clauserit extremum.

XVIII. Suggerus a *Bourscheidt*, vir religione & sanguine clarus, monasterii ædificia, quæ per obsidionem ruinam magnam perpessa fuerant, instauravit, capellamque in sanctæ Annæ honorem construxit, in qua corpus suum post mortem inhumandum præcepit. Superstes anno 1469.

XIX. Jacobus *de Fey* de Novo-castro id monasterium simul & abbatias S. Vincentii Metensis & Epternacensem obtinebat. Is Bernaudum ab *Orley* æmulum evicit. Quandiu Claudius de Novo-castro, aurei velleris eques, gubernator ducatus Luxemburgensis, ejusque patruus, cujus favore hæc sacerdotia consecutus

erat, fuit in vivis, vir fuit utcunque frugi; A verum hoc e vivis sublato, in omnem voluptatem, carnis lasciviam, tantamque prodigalitatem processit, ut trium istorum monasteriorum totam pene substantiam dilapidaret. Tredecim vel amplius annos exhausta monasterii substantia obiit anno 1489.

XX. Guillelmus ab Hecka, patria Leodiensis, Caroli Burgundiæ ducis theologus, cujus favore & gratia æmulum pervicit Johannem Endoviensem, episcopum Azotensem & priorem Clusanum, cui Johannes Badensis archiepiscopus Trevirensis cœnobii administrationem post obitum Jacobi commiserat anno B 1490, 2 Septembris. Cætera vero monasteria Guillelmus in partibus Ultramontanis visitandi ac reformandi provinciam a summo pontifice, dum ipse jus suum ergo tutandi Romæ versaretur, sibi conferri curavit. Huic muneri alii abbates intercessere, & ad conventum Mechliniensem totius Belgii ipsum evocarunt; ubi dum ultro citroque causa ventilaretur, Guillelmus naturæ debitum exsolvit an. 1508.

XXI. Johannes *Helmont*, Brabantinus, ex oppido Silvæ-ducensi ortus, sanctiorem disciplinam Bursfeldensem introduxit in monasterium an. 1510. Jacobi Badensis & Richardi C archiepiscoporum sub titulo episcopi Syronensis suffraganeus obiit anno 1517.

XXII. Nicolaus oppido Biedburgensi natus, per quinquennium magna cum laude gubernavit, mortuus anno 1522.

XXIII. Johannes Harderius seu Harttardus, Trevir, post conflagrationem monasterii in bello Gallico obventam anno 1542, ab imperatore Carolo V impetravit xenodochium S. Johannis-Baptistæ ad perpetuam monachorum habitationem. Obiit anno 1548, sepultus in ecclesia S. Johannis ante gradus presbyterii sub lapide abbatis imaginem ha- D bente, & inciso ea epigraphe: *Positum est hoc monumentum anno 1548, 3 die Martii more Trevirensi reverendo in Christo patri ac domino Johanni* Harder *monasterii B. Virginis extra Luxemburgum abbati.*

XXIV. Nicolaus a *Biedtburgh*, superioris nepos, unico tantum anno abbatiali dignitate perfruitus est.

XXV. Cornelius *Wampach* Bruxellensis ex Affighemiensi monacho Munsteriensis abbas creatus fuit. Cum vix quatuor a suscepto regimine annos explevisset, in morbum incidit E Bruxellæ, ibidemque vitam finivit.

XXVI. Guillelmus *d'Orley*, monachus sancti Bertini Audomarensis, primum abbas sancti Sylvini de Alchiaco, indeque a Francis turbatus, tum Gorziensi monasterio præfectus, ac exinde iterum per Francos excedere compulsus, per obitum Cornelii abbatiam Munsteriensem obtinuit jam sexagenarius & valetudinarius. Hujus promotio cum priori & cellerario non admodum arrideret, ad Affighemium unde fuerant educti, regressi fuere: sicque solus degit in monasterio per sexennium, quo evoluto in fata concessit 3 die Octobris, & intra Franciscanorum ecclesiam in paterno monumento sepulturam accepit.

XXVII. Petrus *Coelen*, *al.* Lysius, Lysia territorii Leodici juxta Visetum viculo oriundus, ex monacho Stabulensi, itemque priore Epternacensi, a Catholica regia majestate abbas creatur anno 1560, & a Johanne de Petra archiepiscopo & electore confirmatur. Possessionem nactus fuit ineunte mense Octobri 1561. Petri abbatis S. Maximini Trevirensis benedictioni interfuit anno 1565. Plures ad professionem monachos admisit, suique monasterii res optime gessit. Leodii defunctus, ibidem humo mandatur honestatus hoc epitaphio: *Memoriæ reverendi in Christo patris domini Petri* Coelen *a Lysia, abbatis ac domini Munsteriensis prope Luxemburgum. Hic dum annis duodecim suis feliciter præfuisset, anno 1573 ad Bruxellanam aulam ob prægnantia monasterii sui negotia proficiscitur. Inde rediens Leodium venit, ubi levi cholica decubuit, quæ a medicis forte neglecta lethalis evasit. Excessit e vivis trigesima Decembris anni ejusdem, ætatis suæ 57. Fuit vir magni animi, sermone promptissimus, & eloquentissimus, natura callidissimus. Sepultus est Leodii in ecclesia parochiali S. Johannis a dextro latere summi altaris. Requiescat in pace.*

XXVIII. Johannes *Bertels*, cujus verba hic exscribere placet: Ego, inquit, Johannes *Bertels* Brabantinus a Lovanio patre *Bertels*, matre Maria *Bollaerts* natus, hujus qualisqualis opusculi (historiæ Luxemburgensis) compilator, ætatis meæ anno 17, completis philosophiæ & artium liberalium in præclaræ Lovaniensis academiæ gymnasio *Lily* studiis, nec non in publica artium schola magisterii laurea suscepta, a prælibato R. D. Petro Lysio ad monasterium Munsteriense abductus, & in monachum susceptus, postquam cellerarii munus ad annos aliquot obiissem, & ipse R. D. abbas in fata concessisset, omnium confratrum concordi electione, & Catholicæ regiæ majestatis Philippi II magni Hispaniarum regis, nec non Belgicarum provinciarum principis denominatione in abbatem Munsteriensem fui assumtus, & præhabita reverendissimi, illustrissimique archiepiscopi Trevirensis principis electoris confirmatione, per manus reverendissimi domini Gregorii episcopi Azotensis, & ad divum Martinum abbatis, suffraganei Trevirensis munus benedictionis percepi die sexta Augusti 1576. Sic hactenus de se Bertelius, qui ad Epternacensem abbatiam a præfato rege traductus fuit an. 1595, ubi vide col. 587.

XXIX. Benedictus Humblinius a Marchia, monachorum electione & regia denominatione, superiorisque spontanea cessione, abbas creatus est anno 1595. Obiit anno 1602, ut patet ex ejus epitaphio: *Hac in tumba cubat R. in Christo pater & D. D. Benedictus Hamblinus a Marchia olim prior, anno 1595 hujus monasterii abbas factus, Deo placere & saluti studens, hoc sacellum ære parentum fundavit. Hinc*

animam pie Deo reddidit anno M. DCII *die* V *mensis Junii.*

XXX. Petrus Roberti, sacræ Theologiæ licentiatus, 24 Augusti 1632 duo altaria in ecclesia consecrari curavit a Georgio suffraganeo Trevirensi. Johanni Bohemiæ regi in ecclesia sepulto tumulum marmore numidico confici & hac honorifica inscriptione decorari curavit:

Johannes rex Bohemiæ, comes Luxemburgi,
Henrici VII imperatoris filius,
Caroli IV imperatoris pater,
Venceslai & Sigismundi imperatorum avus,
Princeps animo maximus,
Sed uno corporis vitio infelix, quod cæcus
In Britannos auxilia pro rege affine ducens
Prælio Bressiaco cecidit,
Acie disrupta rebusque desperatis in victores irruit,
Et cum non videret hostem feriit,
Non pugnando tantum sed occumbendo fortis,
M. CCCXLVI, III cal. Septembris.
Tantum heroem jacere sine epitaphio
Magnus Belgarum princeps non passus Albertus,
Liberalitate & munificentia sua monumentum hoc fieri voluit,
Et iniquæ sortis, sed invictæ virtutis memoriam æternitate commendavit.

Petrus autem defunctus anno 1637 sepulturæ mandatus est juxta Johannis regis monumentum cum hoc epitaphio: *Anno Domini M. DCXXXVII, XIV Octobris obiit admodum reverendus D. D. Petrus Roberti abbas & dominus hujus monasterii sacræ theologiæ licentiatus post expletos annos LXXI, professionis LII, regiminis vero XXXIV ejusdem cœnobii restaurator hic sepultus. Requiescat in pace. Amen.*

XXXI. Henricus *Suynen*, dum prioris munus obiret, Fuldam missus, disciplinam regularem pene collapsam restituit ibidem. Deinde Munsteriensibus redditus, abbas electus fuit, a Philippo Hispaniarum rege confirmatus, & ab episcopo Azotensi benedictus anno 1638. Transactis in regimine 26 annis decessit.

XXXII. Gerardus *Poncin* obiit an. 1668.

XXXIII. Nicolaus Habenius per 28 annos præfuit.

XXXIV. Willibrordus Cuno defunctus anno 1701.

XXXV. Theodorus *Scholet* rexit ab anno 1703 ad 1705.

XXXVI. Romanus *Edinger* obiit an. 1717.

XXXVII. Gabriel *Rutan* ex subpriore abbas evasit.

XXXVIII. Benedictus *Forting*.

LACUS.

LE LAC.

UNO ab Antonnaco seu Andrenaco, tribus a Confluentia milliaribus Eifliam versus situm est id monasterium ad Lacum aquis in pellucidis piscium copiam nutrientem, longum 8694, latum 7890, profundum 213 pedibus: profundior creditur aliquibus in locis. Monasterium hoc in honorem beatæ Mariæ virginis sanctique Nicolai, collaudante Egilberto archiepiscopo Trevirensi, construere cœperunt anno 1093 Henricus comes Palatinus ejusque conjux Adelahis. Cum vero Henricus morte præventus non ex integro absolvisset, id ipsum privigno suo Sigefrido comiti Brabantiæ, quem in Palatinatus comitatu testamento instituerat hæredem ac successorem, commendavit; jussitque ut opus quantocius perficeret. At ille promissi tardus exsecutor, Jerosolymitanæ expeditioni prius nomen dedit: verum in mari periclitatus, factoque voto liberatus, ubi primum domum revertit, monasterium a vitrico incœptum pœnitentia ductus perfecit anno 1112, quin & bona ab eodem Henrico collata confirmavit ac de suo erogavit. Voluit & Lacense cœnobium cum suis omnibus appendiciis sub cura Affligemiensis abbatis ejusque successorum ita constitutum esse, ut utrique monasterio unicus præesset abbas. Id quidem dedit mandatum, ut defuncto abbate aliquot fratres idonei e Lacu mitterentur Affligemium electionis successoris participes futuri, ac in proprium pastorem suscepturi. Quod continuatum fuit ad annum usque 1138, quo Lacus peculiares suos habere cœpit abbates, qui fuere viginti ante reformationem Bursfeldianam anno 1470 in festo S. Bernardi apostolica autoritate introductam. Bona atque possessiones, collaudantibus Brunone Trevirensi, Friderico Coloniensi, & Adelberto Moguntino archiepiscopis, diplomate firmavit Henricus IV imperator anno 1112. Primorum viginti abbatum seriem a Bucelino contextam absque fere ulla mutatione subjicimus.

Ch. LVIII, col. 336.

Ch. LXII, col. 340.

ABBATES.

I. GISELBERTUS, ubi Lacenses peculiares suos abbates habere cœperunt, primus institutus fuit abbas circa annum 1138. Ipse eruditione præstans & vitæ sanctitate, præfuit annis 14, & decessit VIII id. Augusti 1152, eximio decoratus epitaphio.

II. Fulbertus, antecessori suo per omnia simillimus, auxit bibliothecam, ipse non minus quam decessor sacris & prophanis litteris egregie institutus, uterque relictis ingenii aliquot monimentis commendatus. Præfuit annis 25, & vita excessit anno 1177.

III. Conradus, vir prudens cultusque divini amans, præsedit septemdecim annis, ac devixit anno 1194.

IV. Mauritius sex tantum annis præfuit, ultimumque clausit diem anno 1194.

V. Albertus ab insigni sapientia, virtutum cultu, devotione & solertia laudatus, occurrit circa annum 1199 in litteris Johannis archiepiscopi Trevirensis. Moderatus annis 19, mortalitatemque exuit anno 1217.

VI. Humbertus die 6 Januarii 1219 transegit cum Bernardo *de Thoire* abbate Jurensi.

VII. Gregorius libertatem ecclesiæ suæ

viriliter tutatus est, & obiit anno 1235, cum septem annis abbatem egisset. A

VIII. Theodoricus multa adversa passus, post duodecim annos sponte resignans, ad Minorum ordinem se contulit Andernacum.

IX. Henricus baro seu comes Wirneburgius, illustri admodum stirpe editus, præfuit anno 1248.

X. Anselmus exstinguitur anno 1252.

XI. Waltherus, eodem quo creatus est abbas anno sese honore abdicavit.

XII. Theodoricus *de Lemene*, magni nominis ut & meriti præsul, rem familiarem mira industria promovit & auxit. Ipse, exactis in regimine 42 annis, sponte cessit an. 1295, & occubuit an. 1307. B

XIII. Chuno, vir probus, eruditus & sapiens, monasterium annis 33 summa cum laude rexit, satisque concessit anno 1328.

XIV. Johannes I *Vinckel*, nobili familia *de Nickendich* exortus, præfuit quatuor annos, ac sponte cessit anno 1332.

XV. Johannes II de Colonia pastorale pedum obtinuit quatuor annos, vivereque desiit 1335.

XVI. Wigandus I *de Pannaw*, vir nobilis, ex priore abbas, præfuit viginti quinque annis. Cessit e vita 1360. C

XVII. Willelmus I *de Bodendorff*, cum viginti annis moderatus fuisset, vitam finivit anno 1380.

XVIII. Wigandus II *de Pannaw*, expletis in administratione 22 annis, moritur anno 1402.

XIX. Villelmus II *de Leudesdorff* rexit per 40 annos.

XX. Rudolphus *de Lemene* electus anno 1442 præfuit annis 17 non integris.

XXI. Johannes III *Reuber* ad abbatialem dignitatem evectus fuit anno 1458. Ob reformationem Bursfeldensem introductam, graves persecutiones constanti animo passus, ultimum diem clausit pridie id. Januarii 1469. D

XXII. Johannes IV *Fuel* Palatinus ex vico *Didesheim* diœcesis Spirensis, professus ad SS. Martyres prope Trevirim, eligitur anno 1470 ab octo monachis ex cœnobio sancti Martini Coloniæ ad Lacum pro introducenda reformatione missis, vir piissimus, in divinis scripturis eruditus, & regularis observantiæ zelator eximius, animo infracto calamitates maximas pro reformatione perpessus, meritis clarus obiit 1491, regiminis 21. E

XXIII. Simon natus nobili prosapia de Petra, patre Georgio de Petra, matre Eva *Maucheimerin de Schæneck*, ex monasterio Hornbacensi in diœcesi Metensi postulatus abbas, maxime pietate in pauperes celebris, fama sanctitatis cum suo antecessore clarus, teste Bucelino, obiit 1512, 8 Aprilis, annos natus 42, ac in ecclesia Lacensi in progenitorum suorum sepulchrum illatus est.

XXIV. Thomas de Weda pietate & regulari observantia insignis, senio & temporum iniquitate, ob rusticorum in Germania seditionem, exhaustus, se abdicavit 1529. At anno vix exacto rebus humanis exemptus est 1530, regiminis 29.

XXV. Petrus *de Remagen*, vir integerrimæ vitæ, religionis studio & doctrinæ laude præcellens, a Trevirorum archiepiscopo Johanne comite *de Isenburg* in consiliarium, & in congregationis Bursfeldianæ præsidem electus, perpetuam sui tum bibliothecæ ornatu, cum pretiosa ecclesiæ supellectili reliquit memoriam. Belli Brandeburgici multa religiosorum domicilia evertentis calamitate extinctus est 1553, regim. 24.

XXVI. Johannes-Augustinus Machusius de Confluentia apprime litteratus, fuit unus e compromissariis qui anno 1561, die 4 Decembris elegerunt Tobiam *Schraudt* in abbatem S. Jacobi Majoris prope Moguntiacum. Plura ædificia tam intra quam extra monasterium exstruxit, auxitque religiosæ observantiæ splendorem. Abbatis munere laudabiliter perfunctus, cessit e vita 1568, regim. 15.

XXVII. Johannes V *Bure de Cochem*, vir miræ abstinentiæ, qui multas inter belli Belgici calamitates strenuus monasterii libertatis tutor, celeri morte extinctus est 1597, ætatis 72, regimin. 29.

XXVIII. Johannes VI Arræus a *Kettig*, paupere ex tugurio, post pecora educatus, studia aliquandiu prosecutus, ad Lacum ob suam, uti videbatur, vilitatem culinæ servitio deputatus, tandem inter fratres admissus, accrescente in eo humilitatis præcipue & doctrinæ merito in abbatem electus 1597. Præses dein unionis Bursfeldensis factus, egregiam sui nominis famam relinquens obiit dierum plenus & meritorum 1613, regim. 16.

XXIX. Johannes VII Schweizerus altera a decessoris obitu die, cujus fuit coadjutor, proclamatus est abbas. Patria is erat Moguntinus ex vico Walpingen, orator eximius; a rebus domi forisque optime gestis, maxime a pace ducem Lotharingiæ inter & duo congregationis Bursfeldianæ monasteria, Tholeiense & Mediolacense, adjuvante clarissimo D. Hontheimio J. U. D. Nanceii quæsita celebris. Inde reduces, Honthemius ex contracta de itinere infirmitate obiit; Schweizerus diu ad S. Martinum Treviris decubuit, tandem in suo monasterio piissime decessit 1618, regim. 5.

XXX. Gasparus *Bolen*, vir religiosissimus, cujus præclaræ dotes spem magnam faciebant, quam tamen præmatura mors abscidit 1619, regim. mense 10.

XXXI. Henricus Longenus in itinere ob motas lites Romam suscepto vitæ metam attigit 1624, ut creditur, regimin. 5.

XXXII. Christianus *Schæffgen* ad SS. Martyres professus, vir miræ prudentiæ, archiepiscopi electoris Trevirensis consiliarius, summa laude præfuit. Moritur 1638, regim. 14.

XXXIII. Johannes VIII *Luckenbach* ab

Andernaco, optimus abbas, ac in propugnandis abbatiæ juribus indefessus, post exstructa plura ædificia, æternum ipse habitaculum, abdicata jam ante abbatia, ingressus est 1662, regiminis 25.

XXXIV. Placidus *Kessenich* de Colonia a promoto cultu divino, proximique salutis zelo commendatissimus, abbatiam multis a se auctam commodis, oneribusque debitorum levatam, resignavit biennio antequam ipse totius congregationis Bursfeldensis senior abiret ad coronam senectutis suæ & meritorum 1698, regim. 36. Moderaminis ejus tempore mortui sunt eminentissimi archiepiscopi & electores ex illustrissima gente de Petra D. Carolus-Gasparus Trevirensis 1676, & D. Damianus Hartardus Moguntinus 1678, quorum corda in ecclesia Lacensi ad utrumque latus altare majus inter & chorum reconduntur. Huc usque Lacensis abbatia Romani imperii immedietatem prætenderat integramque conservaverat; verum pactione Johannem Hugonem electorem inter & Placidum inita 1682, monasterio inflictum est vulnus.

XXXV. Johannes *Dens* de Colonia, Placidi coadjutor, benedictus fuit anno 1699. Sollicitudinem ejus pro decore & augmento monasterii testantur domus Dei organo altaribusque adornata, nec non plura intra monasterium ædificia. Subita morte die Paschæ abreptus 1711, regiminis 14.

XXXVI. Michaël *Godhart* patria Luxemburgicus, quem serenissimus archiepiscopus & elector Trevirensis Franciscus-Ludovicus Palatinus singulari benignitate complexus est, duobus documentis 23 Novembris 1714 & 8 Octobris 1715 subscripsit, satisque concessit Confluentiæ anno 1718, regiminis 8.

XXXVII. Clemens *Aach* de Majonia, vir eximiæ pietatis, multis monasterio possessionibus comparatis, vitam pie terminavit 1732, regiminis 13.

XXXVIII. Benedictus *Van Enn*.... de Colonia, pietate & mansuetudine insignis, de monasterio bene meritus, præposituram Evernacensem ad Mosellam egregiis instruxit ædificiis. In comitiis Confluentiæ, ad quæ jam infirmus accesserat, excessit anno 1752, 12 Novembris, regiminis 24.

XXXIX. Franciscus *Steinman de Lohnstein* obiit & ipse Confluentiæ anno 1756, 11 Februarii, regiminis mense tertio.

XL. Henricus *Artz* ab Andernaco electus fuit 26 Februarii 1756, vir litterarum litteratorumque amantissimus. Ecclesiam S. Nicolai intra septa monasterii funditus instauravit; alia etiam ædificia utillima a fundamentis aggressus est.

SCHONAUGIA.

SCHONAU.

LURENBURGENSIUM comitum in prædio, trans Rhenum, sedecim contra Bingam millibus passuum, Einrichæ tractu, ab Hilduwino seu Hildelino locuplete viro inchoatum fuit Schonaugiense monasterium anno 1124, a Ruperto Lurenburgensi comite postea perfectum, atque B. Florino, cujus sacris insignitum cineribus, dicatum est. Hildelinus autem, qui eo loci monachum induerat, fuit primus abbas, & ad teli jactum, aliud item virginibus eodem nomine domicilium constituit: in quo sanctimonia & cœlestibus revelationibus postea claruit virgo Elisabetha de Schonaugia. Johannes I archiepiscopus monachis ejus loci duas ecclesias, Liepornensem & Waltradensem, ad vitæ subsidium tradidit an. 1211. Reformatio vero Bursfeldensis in id asceterium inducta est anno 1437.

ABBATUM INDICULUS.

I. HILDELINUS, monasterii auctor, primus abbatis munus obivit, Ruperti Lurenburgensis comitis ad petitionem pastor institutus anno 1127. Aliud item virginibus monasterium cognomine constituit. Instrumento fundationis monasterii Arnsteinensis subscripsit IV cal. Novembris 1156. Ch. LXX, col. 148.

II. Egbertus ex Bonnensi canonico, sororis suæ Elisabethæ abbatissæ Schonaugiensis parthenonis adhortationibus, factus est primum monachus & postea abbas. Hic eruditione ac doctrina commendandus, præter plurima opera tredecim publicavit sermones adversus Catharos seu Valdenses; quin imo cum tribus eorum antesignanis Arnoldo, Marsilio & Theodorico Coloniæ congressus, eos disceptatione palam fregit & constrinxit: alium etiam hæreticum Berengarii sectatorem apud Confluentiam disputatione non solum convicit, sed & ab errore ad veritatis professionem revocavit. Mortalitatem exuit anno 1189.

III. Emico obiit anno 1207.

IV. Baldemarus excessit 1232.

V. Rutgerus præfuit 21 annis, vivereque desiit 1253.

VI. Conradus viginti quinque annos regimine functus, mortem oppetiit 1278.

VII. Fridericus administrationi incubuit 43 annos, defunctus anno 1321.

VIII. Gerardus præsedit annis 26.

IX. Johannes I abbatis munere 28 annis perfunctus, moritur anno 1375.

X. Willelmus e vivis abiit 1386.

XI. Henricus post præfecturam 17 annorum exstinguitur 1403.

XII. Franco occubuit 1418.

XIII. Johannes II abbatem egit annis 5, defunctus anno 1423.

XIV. Chuno præfuit ad annum usque 1436; sese autem abdicavit cum introduceretur reformatio.

XV. Johannes III *Specht*, vir pius ac devotus, monasterium strenue reformavit, mortuus anno 1458.

XVI. Jacobus I *Denzerodt* postulatus ex asceterio S. Jacobi Moguntini, eodem quo electus anno exstinguitur.

XVII. Adrianus ex eodem sancti Jacobi

monasterio postulatus, vir doctus, qui quod in studiis impediretur, cessit anno 1465, ac decessit anno 1472.

XVIII. Jacobus II ab *Homburg* brevi post obiit.

XIX. Petrus necdum confirmatus vitam finivit.

XX. Melchior electus anno 1468, monasterii rem utilissime administravit. Celeber relictis ingenii monimentis, ultimum clausit diem anno 1492.

XXI. Johannes IV *Schweln*, ex priore optimus abbas, fato fungitur 14 Decembris 1510, & ipse ob eruditionem & relicta ingenii monumenta commendatus.

XXII. Florentius propter pravam temporalium administrationem & disciplinæ regularis lapsionem exauctoratus.

XXIII. Johannes V *Gerstein* ex fratrum consensu per prælatos in abbatem elatus, senex resignat anno 1545.

XXIV. Gerardus de Colonia, postulatus e Lacensi monasterio, ex hac mortali vita ad meliorem transiit anno 1555.

XXV. Johannes VI a *Limpurg* seu *Limperger*, vir devotissimus, e Gronowiensi cœnobio, cujus ipse ultimus exstitit abbas, postulatus, qua compromissarius & scrutator adstitit cum aliis abbatibus anno 1561, die 4 Decemb. electioni Tobiæ *Schraudt* abbatis sancti Jacobi Majoris prope Moguntiacum. Quievit in Domino anno 1563, in festo sanctorum *Abdon* & *Sennen*.

XXVI. Johannes VII *Holwein* sedit annis 12, vitaque excessit 7 Martii 1575.

XXVII. Johannes VIII de Boppardia, una omnium voce cooptatus in abbatem, post 28 regiminis annos de vita, magno sui relicto desiderio, cessit benemeritus 7 Febr. 1603.

XXVIII. Jacobus III Lorichius post decenne moderamen mortuus est in festo S. Bernardi anno 1613.

XXIX. Laurentius Knopfæus, per sedecim annos præfectura functus, mortem oppetiit 16 Maii 1629.

XXX. Judocus *Mehl*, qui dum antecessoris sui honori sepulcralem lapidem curat, propior consistens, miserrime ejus casu collisus, vitæ terminum attigit 15 Martii 1630.

XXXI. Gaspar *Schwan* concordibus suffragiis in abbatem sublectus fuit Judoci successor.

HORREUM.

ORREEN.

DAGOBERTI I Austrasiæ regis ætate sanctæ Dei Genitricis nomini in urbe Trevirensi basilicam posuisse fertur sanctus Modoaldus præsul in regalibus Horreis, quæ eam in rem rex idem contulerat; unde locus dictus fuit Horreum. Aggregatis ibidem a S. Modoaldo in vitæ communionem virginibus præfecta fuisse creditur Modesta: & certe abbatissam agebat circa annum 659, quo S. Gertrudis Nivellensis ad superos evocata

A est, ut vita ipsius S. Gertrudis ab anonymo coætaneo conscripta prodit. Id vero monasterium Irmina Dagoberti II regis, forsan ex regina Machtilde filia, insignibus bonis ditavit. Hæc nobili & egregiæ indolis Hermanno comiti desponsa, in dotem multas possessiones in Tirasio seu * Teoracia, aliisque locis accepisse traditur: at sponso ipsa die nuptiarum immatura morte prærepto, non alium a Christo sponsum deinceps voluisse, atque annuente patre quidquid ex hereditate paterna contingere poterat, ædificandis Sanctorum locis contulisse. In primis vero ejus munificentia effulsit in exs-
B truendo vel potius instaurando monasterio B. Mariæ apud Treviros in suburbano loco, qui Horreum dicitur: quem locum fundis, prædiis & amplissimis reditibus ditavit, coacto ibidem numeroso cœtu sanctimonialium, quarum abbatissa facta est. Exstat diploma Dagoberti mendis refertum, quo rex conjugis sui rogatu monasterio in honorem sanctæ Dei Genitricis ab Irmina filia sua constructo, plurimas villas proprietatis suæ concessisse dicitur regni sui anno quinto. Singulare beneficium huic parthenoni a B. Willibrordo collatum fuisse tradit Alcuinus in libro de vita ejus,
C ubi scribit sævissima peste in illo monasterio grassante multas ex ancillis Dei extinctas, alias longo infirmitatis dolore correptas, cæteras nimio terrore turbatas fuisse: missam proinde ad Willibrordum ab Irmina legationem ut ad se veniret. Qui ubi eo accessit, missa pro infirmis celebrata, aqua benedicta locum respersit, eamque ægrotantibus potandam præbuit. Quo facto, ita convaluere omnes, ut pestis in illo monasterio penitus restincta sit. Ad annum 1155, die 14 Martii epistolam ab Adriano papa IV accepere, ne quis eas sub reclusione vivere impediret. Verumtamen
D lapsu temporis sanctimoniales Horreenses divi Benedicti institutum deserentes, ad propositum S. Augustini se converterunt, atque id vivendi genus adservarunt usque in annum 1495, quo monasterium a senis spectata morum integritate virginibus, e Boppardiensi parthenone accersitis, pristino statui suo restitutum est, quin & ipsius loci quæ ad eam diem appellari solita erat magistra, abbatissa creata & consecrata fuit. Johannes VI archiepiscopus id monasterium ordinationi abbatis sancti Maximini subdidit anno 1583, die 5 Januarii. Permultæ
E nomine tenus parthenonis hujus cognoscuntur abbatissæ, quarum seriem absque chronologia hic exhibere cogit necessitas.

* la Tiérache.

ABBATISSÆ.

I. S. Modesta, ex authore vitæ S. Gertrudis, præerat cœnobio sanctæ Dei genitricis Mariæ ipso tempore, quo hæc Sancta e corpore migravit, id est circa annum 659. Dum enim ante altare B. Mariæ ad orationem prosterneretur, B. Gertrudis ipsa hora obitus sui ei apparuit. Cum autem crastinus advenisset dies, Modesta interrogavit Chlodulfum episcopum

de S. Gertrudis habitu & specie; ex eoque ipsam esse intellexit, quæ sibi apparuerat. Ad superos evolavit 6 die Octobris.

II. S. Irmina, Dagoberti II filia, & Adelæ Palatioli conditricis soror, non ædificasse sed instaurasse monasterium Horreense creditur; quem locum fundis, prædiis & non exiguis reditibus ditavit, ut in præfudio jam adnotavimus. Hæc amisso comite Hermanno marito ipsa nuptiarum die, virginitatem suam in Horreensi monasterio Christo devovit, atque ibidem coacti sanctimonialium numerosi examinis facta fuit abbatissa. Sancto Willibrordo medietatem Epternaci, itemque basilicas a se ibidem ædificatas concessit cal. Novembris anno 698. Suum condidit testamentum cal. Decembris ejusdem anni, quo basilicæ Epternacensi tribuit quidquid sibi ex paterna vel materna successione contingebat. Constat insuper ex alio documento ipsam anno 699 cal. Julii sancto Willibrordo tribuisse Villammontem sitam in pago Tulpiaco. Præter hæc indulsit ei quidquid possidebat in villa *Stancheim* anno 704, VIII id. Maii. Ex hac mortali vita ad immortalem transiit anno 710, & colitur 24 Decembris. Levatum ejus sacrum corpus post multos annos de sepulcro, integrum repertum est, atque ab omni corruptionis labe immunissimum. Vitam ejus Theofridus Epternacensis seculo undecimo composuit.

Ch. VII, col. 293. Ch. VIII, col. 294.

III. S. Anastasia D. Irminæ successit ex Browero, qui ipsam inter & S. Willibrordum vinearum commutationem memorat. Ea, teste Trithemio, fuit sanctissimæ conversationis, multisque clara effulsit virtutibus, cujus die 9 Septembris festiva memoria celebratur.

Brower. Annal. Trev. t. I, p. 36.

IV. S. Julia celebri sanctitatis fama enituit, & miraculorum gloria illustris sub annum 730 Trevirensem urbem mire exornavit. Ejus festiva dies agitur 16 Septembris.

Menol. Bened. pag. 646.

V. S. Helia claruit anno 750, defuncta 20 Junii.

VI. S. Basilissa, cujus dies obitus ab aliis notatur 5 Decembris, ab aliis vero 20 Maii.

VII. S. Lucia.

VIII. S. Rothildis.

IX. S. Severa.

X. Deda vel Beda.

XI. Jela seu Hida.

XII. Beda II moderamen obtinebat anno 986, regni Ottonis III 16, & imperii 4.

XIII. Maria. Post eam sequentes non vocatæ sunt abbatissæ, sed magistræ.

XIV. Imiza I dicta *summæ strenuitatis ancilla Dei*.

Spicil. t. XII, pag. 233.

XV. Luitgarda Egilberti archiepiscopi neptis, de qua spicilegium hæc habet: *In monasterio puellarum Horrei, defuncta Imiza matre cœnobii, renitentibus omnibus ibi Deo famulantibus, quamdam neptem suam præposuit* (Egilbertus) *fratris sui filiam, nomine Luitgardam... arte magam, veneficam, incantatricem, blasphemam... itaque cum fuisset intronisata, cœpit de bonis ecclesiæ... diabolicum usum exercere, & ut verum fatear,* A *licet impudenter loquar, alia concubitoribus suis distribuere, alia vendere, postremo ut breviter concludam, paucis ecclesiæ derelictis, omnia in usus suos convertere.*

XVI. Helowisa.

XVII. Hadewidis I.

XVIII. Imiza II.

XIX. Hadewidis II.

XX. Helwigis.

XXI. Gertrudis.

XXII. Hadelwidis, magistra, forsan eadem cum Elveza, quæ in vivis erat anno 1116, tempore Brunonis archiepiscopi, quo diversorum optimatum prædæ expositum est monasterium. B

XXIII. Walderadis.

XXIV. Margareta I.

XXV. Adelheidis I, magistra.

XXVI. Pia.

XXVII. Geysa.

XXVIII. Clementia comitissa *d'Hohemberg*, uxor Crafteni comitis *de Spanhen* an. 1149.

XXIX. Hedawigis.

XXX. Leutschwindis vel Leukebendis, magistra.

C

XXXI. Irmentrudis I.

XXXII. Offimia vel Euphemia, magistra.

XXXIII. Dideradis seu Videradis.

XXXIV. Luitgardis.

XXXV. Adelheidis II, magistra.

XXXVI. Irmentrudis II.

XXXVII. Margareta II, magistra.

XXXVIII. Sæva seu Sena.

XXXIX. Richarda.

XL. Sophia I, magistra.

XLI. Adelheidis III.

XLII. Randolpha.

XLIII. Haulvela, magistra 1330.

XLIV. Agnes, magistra vivebat an. 1336.

D

XLV. Sophia II.

XLVI. Adelheidis IV.

XLVII. Elisabeth *de Heilsels*, magistra, superstes anno 1376.

XLVIII. Irmengardis I *de Gimnich*, magistra, obiit anno 1402.

XLIX. Irmengardis II *de Kerpen*, magistra, præfuit 30 annis, & obiit anno 1432.

L. Irmengardis III *de Kerpen*, & ipsa magistra, præfuit quatuor annis, & excessit anno 1436.

LI. Catharina *Rem* comitissa, magistra valde devota, rexit annis 38, ac decessit anno 1474. E

LII. Johanna I *de Grafin*.

LIII. Johanna II *de Bettenstein* seu *de Bassompierre*, cum annos unum & viginti magistræ munus adimplevisset, veterem sancti Benedicti disciplinam revocare statuit. Qua re apud se diligentius deliberata, senas e Boppardiensi B. Mariæ parthenone sanctimoniales accersivit, quæ id operis exsequerentur. Ipsa vero creata fuit abbatissa & abs Johanne Azotensi episcopo consecrata. In cujus rei memoriam affixa est novo odeo recens constructo

hæc inscriptio: *Anno Christi M. CCCCXCV, die XVII Novembris sub dignissimo Trevirorum archipræsule Johanne, & Johanna* de Betstein *abbatissa præsens monasterium reductum, reformatumque est ad regulam S. Benedicti. Johanna vero maximis clara meritis beatissimo fine quievit anno 1509, die 13 Aprilis.*

LIV. Anna ab *Helmestadt*, vetustissima stirpe Rhenana exorta, clathrato monasterio, fatis concessit 1517, die 7 Septembris.

LV. Francisca *de Waldeck* ultimum diem clausit anno 1558, die 18 Junii.

LVI. Margareta ab *Escheringen* occubuit anno 1580, mense Novembri.

LVII. Ottilia vel Othildis *de Felbunech* seu *Welbruck* vivere desiit anno 1607, 26 Febr.

LVIII. Agnes *Zandt* a *Merle* mortem oppetiit 1636, mense Junio.

LIX. Anna-Amelia ab *Hattstein* vivendi finem fecit 1656, 7 Aprilis.

LX. Regina-Elisabeth *Mohi de Waldt* Annæ-Ameliæ defunctæ successit, mortua & ipsa 7 Octobris 1665.

LXI. Johanna-Margarita *d'Enschringen* extincta 24 Decemb. 1666.

LXII. Irmina *de Piesport* animam exhalavit 7 Novembris 1677.

LXIII. Anna-Christina *Cob de Medingen* moritur 26 Januarii 1718.

LXIV. Maria-Anna *de Beeck* eligitur 24 Martii 1718.

JUVINIACUM.

JOVIGNY.

RICHILDIS regina in pago Vabrensi haud procul Satanaco oppido parthenonem Juviniacensem condidit, dicavitque anno 874 sub titulo sanctæ Scholasticæ virginis, cujus corpus istuc hoc anno translatum fuisse produnt veteres ejus monasterii membranæ. Celebris ejus loci condendi hæc fuit occasio: Cum aliquando rex Carolus Calvus cum Richilde regina conjuge Quadragesimali tempore in monasterio S. Dionysii versaretur, forte contigit lectionem fieri dialogorum sancti Gregorii papæ, in quibus de sancta Scholastica, divi patriarchæ Benedicti sorore, agitur. Hac lectione accensa fuit Richildis ad ædificandum in ejus honorem cœnobium in villa Juviniaco, quæ ipsi ex parentum hereditate obtigerat; & ad petendas ejusdem sanctæ Virginis reliquias, quas apud Cenomannos asservari cognovit. Ea de causa Goeslinum venerabilem abbatem forte Glannafoliensem, fratremque ejus Godefridum, in quorum tutela Cenomannica civitas posita erat, adiisse dicitur. Cum illi reliquias tradere abnuissent, accidit ut Carolo Andecavos pergente, Richildis apud Cenomannos remaneret. Hæc Rotbertum episcopum obnixe rogavit, sibi ut pignora sanctæ Scholasticæ virginis largiretur, ne in Paganorum manus devenirent, tutiori in loco ab se reponenda. Majorem eorum partem reginæ concessit episcopus, Scotto custode ægre mandatum exsequente. Reliquiæ sacræ, agente regina, solemni pompa Juviniacum delatæ, ubi hactenus ostenduntur. Hæc autor anonymus ex ore ipsius Richildis, aliorumque ejus familiarium se accepisse dicit. Ab eo tempore Juviniacum dictum est S. Scholasticæ monasterium, quod circa annum 1081 a Mathilde marchionissa Virdunensi ecclesiæ traditum, Henricus III imperator an. 1086 asseruit Theodorico episcopo Virdunensi, qui & ipse *Galburgim* ejus loci instituit abbatissam: verum Bonifacius marchio & Beatrix ejus uxor parthenonem hunc Romanæ ecclesiæ obtulerunt, ut liquet ex bulla Urbani II. Summus enim hic pontifex anno 1096 dedit privilegium, quo suam in protectionem Juviniacum suscipit, sanctimonialibus abbatissam libere eligendi jus tribuit, canonicis regularibus S. Montani divina eis administrandi curam committit, tandemque ab ordinarii jurisdictione ipsas eximit, addita ea conditione, ut ad indicium perceptæ a Romana ecclesia libertatis, Virdunensis monetæ sex argenteos quotannis Lateranensi palatio persolvant. Hanc etiam Nicolaus III indulsit prærogativam, ut ejus loci sanctimoniales paternam hereditatem adirent. Ex vetustis autem monasterii documentis sequentes abbatissas eruimus.

Ch. XXVII, col. 311. Ch. XV, col. 563. Ch. LIX, col. 338. Charta LXXXIV, col. 338.

ABBATISSARUM ELENCHUS.

I. BERTENDIS a Richilde regina ex Parisiensi sanctæ Auræ parthenone educta, prima huic monasterio præficitur, si qua sit traditioni monialium fides.

II. Galburgis virgo reclusa prope monasterium S. Agerici, a Theoderico Virdunensi episcopo creata fuit abbatissa circa annum 1086. Huic cum reliquiæ SS. Benedicti & Scholasticæ revelatæ fuissent, Theodericum rogavit ut accederet Juviniacum, eas detecturus ostensurusque populo. Ipsa vero dentem cum articulo digiti S. Benedicti atque maxillam sanctæ Scholasticæ munere dedit monasterio S. Huberti. Obtinuit anno 1096, XIV cal. Augusti ab Urbano II pontifice apostolicæ protectionis privilegium. Superstes fuit usque ad annum 1106, post cujus obitum abbatia octodecim vacavit. Ejus obitus in necrologio S. Agerici Virdunensis ita notatur: *VIII idus Martii Walburgis abbatissa sanctæ Scholasticæ, quæ quondam exstitit inclusa S. Agerici:* quo ex loco a Theoderico episcopo Virdunensi promota fuerat.

Ch. LIX, col. 338.

III. Hadwidis I octodecim annis ab obitu Galburgis elapsis electa fuit abbatissa anno scilicet vel circiter 1124; & anno 1128 litem habuit cum abbate sancti Michaëlis ad Mosam super ecclesia de Spiregio. Memoratur adhuc anno 1139 in diplomate Innocentii II pro eodem monasterio sancti Michaëlis ad Mosam.

Baluz. Miscell. t. IV, pag. 455.

IV. Gerberga reperitur an. 1174 in litteris Rodulfi ecclesiæ Trevirensis majoris præpositi & Johannis decani de dono ecclesiarum sancti Dionysii & S. Mariæ de Monte; quod donum anno

anno 1175 ratum habuit Arnoldus archiepiscopus.

V. N. *de Chigni*, soror Ludovici comitis *de Chigni*, a Folmaro Trevirensi archiepiscopo benedicta fuisse dicitur anno 1187, dum ille in monasterio Mosomensi provinciale concilium celebraret.

VI. Hadwidis II occurrit in charta Alberti episcopi Virdunensis anno 1206.

VII. Margarita I 1259, 1265.

VIII. Ida 1286.

IX. Agnes *de Montquentin* notatur in variis actis 1299, 1308, 1312, 1315, 1327.

X. Helvidis 1347.

XI. Margarita II *de Basaille* transegit anno 1350 cum Nicolao abbate Aureæ-vallis super patronatu de Grandi-falleyo. Prædia quædam acquisivit an. 1362. Superstes etiam 1370.

XII. Egidia I *de Chapes* 1390, 1396.

XIII. Johanna I *de Pin* 1396.

XIV. Johanna II *de Nantuelz* 1398.

XV. Egidia II *de Chapes* 1402.

XVI. Margarita III *de Laval* 1406, 1430.

XVII. Halvis *de Sempigney* 1447.

XVIII. Maria *de Ville* 1482.

XIX. Alix *de Dommartin* in charta occurrit 3 Septemb. 1499, nec non & an. 1500.

XX. Renata *de Blandry* 1520.

XXI. Anna I *d'Aspremont* 1522, se abdicavit 1531 & obiit 18 Julii 1532. Ejus cor habetur in ecclesia S. Mauri Virdunensis cum hac inscriptione: *En ce lieu gist le cœur de reverende dame Anne d'Aspremont, jadis abbesse de Juvigny, de laquelle le corps repose en l'église dudit lieu, & trespassa le 18 de Juillet 1532. Priez Dieu pour elle.*

XXII. Catharina I *de Failly* electa 9 Julii 1531, memoratur & annis 1544, 1546.

XXIII. Francisca *de Failly* 1571. Cessit post annos præfecturæ 43.

XXIV. Anna II *de Failly* ex moniali ordinis S. Dominici abbatissa facta est.

XXV. Nicolaa *de Lenoncourt*, Ludovici domini *de Gandrecourt* & *de Serres*, cambellani Lotharingiæ ducis, ex Catharina *de Harancourt* filia, possessionem accepit an. 1588, desiitque vivere anno 1594.

XXVI. Catharina II *de Lenoncourt*, Johanne domino *de Serres*, Villæ-francæ gubernatore, in obsidione Satanacensis urbis anno 1591, 7 Decembris occiso, atque Barbara *du Puy du Fou* parentibus genita, Nicolæ amitæ successit. Obiit anno 1608, 14 April. annum agens 39, post regiminis annos 14.

XXVII. Scholastica-Gabrielis *de Livron* filia tertia Everardi baronis *de Bourbonne*, domini *de Vauvillars*, regii ordinis equitis, & Gabrielidis *de Bassompierre*, Catharinam suam propinquam excepit annos nata 23, bullasque obtinuit a Paulo V an. 1068, qui ea de re litteras dedit ad Carolum III Lotharingiæ ducem VII idus Maii. Ipsa vero benedictionis munus accepit a Guillelmo *Simonin* archiepiscopo Corinthiensi electo abbate sancti

Ch. XCIX, col. 367.

A Vincentii Bisuntinensis 27 Augusti ejusdem anni. Memoratur anno 1628, 24 Decemb. in instrumento publico. Strictioris observantiæ, clausuræque perpetuæ solemne votum emisit inter manus Laurentii *de la Roche* abbatis Aureæ-vallis anno 1629. Optimis legibus constitutis reformavit monasterium, ædificia reparavit, piis monialibus replevit. Adscita coadjutrice, cum sanctitatis opinione obdormivit in Domino 9 Junii 1662. Sepulta est in choro sequenti decorata epigraphe: *Icy gist madame Scholastique-Gabrielle de Livron abbesse, réparatrice & réformatrice de cette abbaye, elle*
B *fut illustre par sa naissance, admirable par la grandeur de son cœur, incomparable par la force de son esprit, éclatante par ses vertus. Elle bâtit cette maison, elle la réforma, elle l'établit dans l'heureux état où elle est. Elle fut soixante-deux ans religieuse, cinquante-quatre ans abbesse, soixante & dix-sept ans en vie, qu'elle quitta neuvième de Juin 1662. Elle vivra éternellement dans la pompe de ses ouvrages, la mémoire de sa sainteté, la reconnoissance de ses filles, la possession de la gloire.*

XXVIII. Catharina-Maria *de Livron*, superioris neptis & coadjutrix ab anno 1649
C 24 Octobris, Carolo marchione *de Bourbonne* regiorum ordinum equite, prætore Campaniæ generali, & Anna *d'Anglure de Savigni* parentibus orta, renunciata est abbatissa 22 Julii 1662. Inventarium chartarum monasterii regiæ Metarum Cameræ exhibuit 20 Aprilis anno 1680. Duas partes redemit in dominio *de Besonvaux*, itemque duas partes in dominio Juvigniaci. Monasterium summa laude cum rexisset, exstincta est 24 Februarii 1705, ætatis suæ 72, religiosæ professionis 56, atque regiminis 43.

XXIX. Ludovica-Gabrielis *de Livron*,
D superioris neptis, filia Caroli marchionis *de Bourbonne*, tum post uxoris obitum Ambroniaci abbatis, & Claudiæ *de Salnove*, rege laudante, unanimi sanctimonialium consensu electa est 24 Februarii 1705, eodemque 17 Octobris possessionem iniit. Ultimum clausit diem anno 1711, 17 Januarii.

XXX. Alexia-Magdalena *de Vassinhac-Imecourt* omnium sororum votis postulatur 18 Martii 1711, annos tantummodo 25 nata. Bullas Romæ datas III nonas Maii obtinuit, benedictaque est 30 Augusti a Johanne-Mathia ab *Eyss* episcopo Rosmensi. Impetrata a
E rege licentia procedendi ad electionem coadjutricis, soror ejus Victoria-Ludovica *de Vassinhac* promota est 26 Octobris 1772, præsentibus D. Johanne-Nicolao *de Honteim* Miriophitano episcopo suffraganeo Trevirensi, & domino *de Calonne* Trium-episcopatuum diœceta commissariis. Decessit vero hæc abbatissa 17 Julii 1777, annos nata 91; vota emiserat 14 Septembris 1703.

XXXI. Ludovica-Victoria *de Vassinhac-Imecourt* soror & coadjutrix præcedentis, ei successit anno 1777.

BOPPARDEN.

BOPPARDIA.

IN oppido Boppardiensi ad honorem beatæ Mariæ Dei genitricis ab equestri familia Beyerorum *de Bopparden* cœptum ac conditum fuisse legitur monasterium ad usum cultumque sanctimonialium Benedictinæ professionis. Eximio Gregorii VII pontificis privilegio insignitum est, subjectumque sancti Eucharii seu S. Mathiæ Trevirensi cœnobio temporibus Henrici IV imperatoris. Parthenonem hunc collapsum Fridericus II instaurari curavit, possessionibus liberaliter auxit, inque suam tuitionem recepit an. 1220, circa quod tempus Arnoldus Trevirensis archiepiscopus Nenningensem ecclesiam indulsit. Reformatio vero introducta est, clausuraque admissa anno 1437, a quo tantum tempore abbatissarum seriem subjicere fas est, veterum antistitum nominibus oblivione deletis.

ABBATISSÆ.

I. ISENGARDIS *de Greyffenclawin de Volratz*, immortalis memoriæ, Richardi archiepiscopi & electoris amita, gubernium suscepit anno 1432, monasterium juxta leges congregationis Bursfeldensis reformavit 19 Maii 1437, rigidiusque institutum suo exemplo fovit 32 annis, & tandem cum ex integro 37 annis præfuisset, in Domino obdormivit anno 1469. Ejus elogium sic describitur in anniversariis: *Anno Domini 1469, Decembris undecima die transiit ex hac vita Isengardis* Greiffenclae, *hujus cœnobii magistra, quæ Dei cura hoc monasterium ad sanctæ vitæ reduxit laboriosissime terminos.*

II. Christina *de Greiffenclawin de Volratz*, Isengardis consanguinea & eodem spiritu inflammata, quindecim moderata est annis, & obiit anno 1484.

III. Margareta Rheni comitissa ex rigidiori disciplina hunc percepit fructum, ut quadraginta octo nobilissimas ac perillustres sub regulæ jugo subditas sanctimoniales habuerit. Abbatiali munere 32 annis perfuncta, decessit 1516.

IV. Cæcilia ab *Ingelheim*, tribus tantummodo præfuit annis, sancte defuncta 1520.

V. Apollonia a *Dalburg*, Johannis Dalburgii Vangionum episcopi ingenio & doctrina celeberrimi ex fratre neptis, paulo supra triennium præfuit, mortua anno 1524.

VI. Maria comitissa *de Sonnenberg*, exactis in regimine 24 annis, decessit 1547.

VII. Barbara comitissa *de Leinengen*, Emychonis comitis & Agnetis comitissæ Eppensteinensis filia, electa anno 1547 cal. Maii, moritur anno 1577 postridie S. Mathiæ.

VIII. Johanna, comitissa Palatina Rheni, Bavariæ ducissa, Johannis Spanheimensis filia, vix quatuor annis præfuerat, cum ipso Purificationis festo an. 1581 morte sublata est.

IX. Catharina *Wulffein* cum paulum supra decem hebdomadas regimine functa fuisset, excessit anno 1581.

X. Amilia *Zandtin de Merll*, Mosellana, ex coadjutrice abbatissa, integritatis vitæque innocentis laudibus præstans, excessit e vivis anno 1624.

XI. Maria-Margarita *Zandtin de Merll*, post 31 regiminis annos mortalem hanc vitam reliquit anno 1655.

XII. Eva *de Greiffenclawin de Volratz*, eximiis virtutibus ornata, Rhenana nobilitate exorta, superiorem defunctam excepit.

Exstat parthenon ordinis sancti Benedicti B. Mariæ-Magdalenæ sacer in insula superiori prope Confluentiam, de quo nihil præter nomen novimus.

INFERIOR PRUMIA.

NIDER-PRUIM.

INFERIORIS Prumiæ hæc est origo: Sophia erat & primaria nobilitate & magnis virtutum ornamentis femina: illa propinquum suum Gerardum Prumiæ abbatem cum instituti sui puellis anno 1190 accedens rogavit, ut locum, ubi ipsa posset Deo quiete & devotissime servire, monstraret; authorque fieret quo, sociatis in eam vitæ communionem virginibus, hujus instituti ab se inchoati fructum aliquando caperet. Gerardus raram feminæ virtutem in abjiciendis seculi rebus admiratus, locum juxta capellam cujusdam curiæ, quæ inferior Prumia nuncupatur, atque eamdem capellam cum appenditiis in perpetuum donavit, diversasque possessiones non exiguas addidit. Comitissa etiam *de Morlebach* germana Gerardi Adelais permulta bona tradidit. Omnia hæc a Johanne archiepiscopo Trevirensi eodem anno confirmata atque probata fuere. Ch. LXXIII, col. 352.

ABBATISSA.

SOPHIA Gerardi Prumiensis abbatis consanguinea, ab ipso locum Prumiæ inferioris perpetuo inhabitandum obtinuit anno 1190. Cæterarum abbatissarum nomina ignoramus.

SPRINGIRSBACUM.

SPRINKIRSBACH.

BENIGNA, femina dives & orbata Rudgero marito, vitæ solitariæ & quietioris amore capta, saltu quem ætas sua Contelium vocabat, in Thermuntio, privatis opibus & expensis cellam constituit: ad quam incolendam clericos S. Augustini disciplinam sequentes invitavit, quorum consilio & præcepto reliquum suæ vitæ duceret, & admissa corrigeret. Cum autem Bruno archiepiscopus ad ejus cellæ consecrationem accessisset, hæc eam subdidit majori ecclesiæ S. Petri Treviris; atque ut Sigefridus comes Palatinus loci advocatus institueretur, ipsa obnixe rogavit. Facta vero est cœnobitis abbates sui libere eligendi potestas. Hæc ita Treviris acta anno Dominicæ Incarnationis M. CVII, indict. XV. Willelmus comes Palatinus Rheni aliam ejusdem nemoris Contelii partem, itemque plurima prædia contulit anno 1136. Eodem anno VIII id. Augusti Albero Ch. LXI, col. 339.

archiepiscopus ecclesiam in nomine SS. Trinitatis & in honorem beatæ Dei Genitricis dedicavit.

Perpauci Abbates.

I. RICHARDUS, Benignæ fundatricis filius, vir virtute ac religione insignis, confirmata demum & stabilita in Springirsbacensi monasterio B. Augustini disciplina, primus abbatis honorem tulit. Brunonis archiepiscopi litteris subscripsit anno 1120. Reperitur anno 1138 in instrumento fundationis claustri Hemmenrodensis. Præceptum de confirmatione bonorum monasterii sui impetravit 1 Augusti 1144 a Conrado III Romanorum rege. Adfuit anno 1152 provinciali concilio Trevirensi, in quo Matthæus dux Lotharingiæ concordiam cum Romaricensi ecclesia iniit. Eodem anno Alberoni archiepiscopo morienti una cum Bertulfo abbati sancti Mathiæ adstitit mense Januar. Consuluit circa annum 1154 sanctam Hildegardem an pastoralem curam retinere aut abjicere deberet. Id vero responsum ab ipsa accepit, ut strenue onus sibi a Deo impositum portaret. Arnsteinensis monasterii fundationem laudavit anno 1156. Friderici I imperatoris confirmantis abbatiam S. Maximini Hillino archiepiscopo in diplomate reperitur anno 1157. Memoratur in duabus litteris Hillini archiepiscopi anno 1158, nec non in altera ejusdem anno 1162.

Ch. LXVIII, col. 346.

Ch. LXX, col. 348.

II. Godefridus testis fuit an. 1178 unionis abbatiæ S. Mariæ Luxemburgensis ad abbatiam S. Vitoni Virdunensis.

III. Absalon vir vitæ morumque honestate venerandus, & sapientiæ tam humanæ, quam divinæ peritia clarus, e monasterio S. Victoris Parisiensis accitus fuit ut id monasterium regeret. Statim ut institutus est abbas, operam dedit ut disciplinam a prisca sensim integritate lapsam instauraret. Honestas plerasque consuetudines, quas apud S. Victorem condidicerat, in primis carnium abstinentiam, tam in cœnobium Springirsbacense, quam in virginum collegia monasterio subjecta introduxit. Unum & quinquaginta scripsit sermones pro præcipuis anni festivitatibus, opus sane eruditum, doctrina quoque reconditiore non carens. Monasterii possessiones ab Henrico VI imperatore firmari fategit anno 1193.

EVERARDI-CLUSA.

Eberharts-Clausen.

TRIBUS lapidibus a Treviri versus Hunnorum terga vel præsidia posita Everardi-clusa, ex eleemosynis utriusque sexus hominum certatim undequaque ad B. Dei Genitricem ex omnibus provinciis concursantium, hoc modo emersisse legitur. Erat anno 1440 laboriosus quidam, rusticæque & vitæ & artis vir omnino simplex, Everhardus nomine, ex pago *Esch* oriundus, agricola, vinitor & sector straminum in usum & pastum jumentorum: virginitatis ac pudicitiæ summus amator, qui ob devotionem quam a puero conceperat

A maximam erga Matrem Domini, stipitem quemdam in loco isto tunc temporis deserto terræ infixit, & in eo superius excavato imaginem Matris dolorosæ, in gremio extinctum habentis filium, collocavit. Is postea ab ipsa gloriosa Virgine admonitus, ædiculam eidem ædificavit, & sublato stipite, illam ipsam imaginem adhuc eo loci præsentem, suoque pretio Treviri prius emptam, in priori muro ædiculæ reposuit. Ubi cum miracula plurima fierent, & oblationes innumeræ quotidie accederent hominum religionis ergo eo catervatim venientium, mox his oblationibus B adjutus Eberhardus majus sacellum ædificavit, quod Jacobus *de Sirck* archiepiscopus die Annuntiationis B. Mariæ 1449 solenniter dedicavit. Ebherardo autem e vivis sublato an. 1451, canonici regulares congregationis Windesimensis, consentientibus approbantibusque Guillelmo & Gaufrido *d'Esch* fundi dominis, in eam ecclesiam introducti fuere anno 1456 ab ipso archipræsule Jacobo, qui inquilinos accersivit e domicilio, quod eidem congregationi in insula Rheni infra Confluentiam jam concesserat. Qui locus nunc occupatur a monialibus ordinis Cisterciensis, ex C quo earum monasterium de Lhera, situm etiam in insula urbis Confluentinæ, traditum est patribus Jesuitis ut foret gymnasium. Verumtamen præfati canonici præclari, quod hodie visitur, monasterii fundamenta jecere, opem præbente præfato nobili viro Godefrido *d'Esch*, novamque basilicam a se constructam consecrari curarunt an. 1502. Nomina plurimorum, qui id monasterium moderati sunt, accipe.

Priores.

I. HERMANNUS *de Ruden* ex insula Rheni D infra Confluentiam, quæ quondam erat ordinis monasterium nunc vero Cisterciensis ordinis, evocatus anno 1456 in die sanctæ Catharinæ confirmatur ab archiepiscopo Johanne marchione Badensi, a quo provinciam regendi parthenonem sanctæ Agnetis Treviris accepit anno 1460. Defunctus anno 1474 sepulturam habuit in eodem S. Agnetis parthenone.

II. Adamus de Petra ex procuratore Insulæ in Clusanum priorem electus 1474, vix unum tantummodo annum præfuit.

E III. Bertholdus de Monte-Martis, vir sanctus, item ex procuratore Insulæ in priorem cooptatus est. Erexit muros novi chori ad summum, & monasterium totum muro communivit. Quinque præfuit annis.

IV. Johannes Endovianus, Brabantinus, chorum absolvit & tabula pulcherrima ex Brabantia allata decoravit, fonte monasterium illustravit, hospitum ædes & pistrinum construxit. Cum quinque præfuisset annis in episcopum Azotensem & suffraganeum Trevirensis archiepiscopi consecratus fuit. Administrationem monasterii B. Mariæ Luxemburgensis a

Johanne Badensi archiepiscopo acceperat anno 1490, verum jure suo cedere coactus est. A

V. Gerhardus de Lippia electus est anno 1485. Postquam monasterium variis exornasset ædificiis, obiit XIV cal. Aprilis 1528. Primus in ecclesia sepulturam habuit. Vocatus multoties ab archiepiscopo ad suffraganeatus officium, id honoris semper recusavit.

VI. Mathias Keimptensis, vir magnæ probitatis & religionis, prioris munere honestatus fuit anno 1528; verum ob afflictam corporis valetudinem eo sese exuit an. 1542, & obiit anno 1544.

VII. Nicolaus Kaldenseelsius ex procuratore B factus prior anno 1542 circa festum sancti Michaëlis, adhuc obtinebat anno 1550.

VIII. Johannes *Gotthardt* præerat an. 1650, die 23 Augusti.

CUSA.

Clarissimus ac celeberrimus vir Nicolaus de Cusa, sic dictus a nativo pago cognomini, e regione urbis Berncastellanæ ad Mosellam, obscuro loco, patre Johanne *Chrypff* nauta, matre Catharina *Romers* anno 1401 nascitur. Postquam fundamenta studiorum Daventriæ in provincia Trans-insulana posuisset, C & Patavii in doctorem juris promotus esset, successive administrator parochiæ S. Vendalini, decanus S. Florini Confluentiæ, præpositus Meinfeldiæ, archidiaconus Leodiensis & protonotarius apostolicus evasit. Patribus concilii Basileensis libros de concordantia catholica, reparationemque calendarii obtulit. Variis legationibus jussu Eugenii IV Constantinopoli, in Germania & Gallia feliciter perfunctus, a Martino V cardinalitia dignitate titulo sancti Petri ad vincula decoratur anno 1448, Brixiensisque episcopus ordinatur anno 1450. Amplissimum pauperibus in loco nativo Cusa D nosocomium, nec non decoram ecclesiam S. Nicolao sacram construxit, & largis cumulavit opibus anno 1458, visitatoresque loci perpetuos instituit priores Carthusianorum Montis S. Beati & canonicorum regularium in Insula, ambos prope Confluentiam. Defunctus Tuderti in Umbria die 11 Augusti 1464, devectus fuit Romam in ecclesia sancti Petri ad vincula humandus; cor vero ejus depositum in ecclesia hospitalis de Cusa, cui bibliothecam suam cum instrumentis mathematicis legaverat. Quamplurimorum ingenii fœtuum est autor, sicque commendatur a E Sixto Senensi bibliothecæ lib. IV: *Vir in omni litterarum genere admirandus, mathematicus, philosophus & theologus, supra quam cuiquam credibile sit, eruditissimus, cui docta quædam tam in verbis, quam scientiis amica fuit obscuritas.* Ejus vitam Treviris scripsit ac edidit Gasparus *Harzheim* Soc. J. anno 1730, Xenodochii de Cusa fundationem Johannes Badensis archiepiscopus suis firmavit litteris anno 1469. Loci rectores occurrunt

Petrus *Muhllen* Maringius, & Nicolaus Weitemius ad annum 1650.

ANDERNACUM
vulgo
S. THOMAS.

Sub Andernaci mœnibus jam decimo abhinc seculo conditus cernitur nobilium virginum partheno, quem Meginerus archiepiscopus Lupoldi illustris viri opibus & munificentia ex ingenti penuria & extrema solitudine ad pristinum nitorem cultumque revocavit sub annum 1129, allectis in eam rem per Richardum Springirsbacensem abbatem virginibus canonicas leges sectantibus: indeque templo calendis Augusti B. Dei Genitrici dicato, ipsum Richardum abbatem præposuit, qui Tenwidem sororem suam virginibus magistram, & Isibertum testata innocentia virum omnibus cœnobiarcham præfecit. Cujus figura ipso templi vestibulo ad pedes imaginis beatæ Mariæ provoluta emittit hæc verba:

Aspice me gratis, rogo te, flos virginitatis.

Tenwidis filia Benignæ fundatricis monasterii Springirsbacensis, germanaque Richardi abbatis, ab ipso instituta fuit magistra seu abbatissa. B. Hildegardem de more Bingensium sanctimonialium consuluit, cur eæ, cum sub S. Benedicti disciplina viverent, festis diebus candidatæ prodirent & coronas vertici necterent. S. Hildegardis, aperta ejus amictus significatione, docet necessarium esse feminas latere & aliis morem gerere, & aliena nec scrutari nec sectari curiosius.

STUBA
seu
INSULA S. NICOLAI.

Egelolfus, vir prædives & locuples, in insula Mosellæ proprietatis suæ ecclesiam in honorem S. Nicolai, itemque parthenonem, ubi Gisela filia sua Deo sese consecraret, constituit anno 1138. Inde Alberoni archiepiscopo omnia inchoata litteris hoc anno datis confirmare & Richardo Springirsbacensi abbati parthenonem regendi curam deferre placuit: at ut istic sociatæ virgines centesimum numerum haud excederent, decreto suo sancivit.

FRAULAUTREN.

Parthenon *de Fraulautren* ordinis sancti Augustini juxta Saraludovicum, quondam fuit sub magistræ imperio, nunc vero abbatissæ subditus, cujus nomen tantum novimus.

S. AGNES.

Sanctimonialium collegium recens a se Treviris exstructum, atque sancto Gervasio dicatum, Arnoldus archiepiscopus an. 1255 præclaris vitæ monasticæ præceptis instruxit, quæ perpetuum voluit observari. Præcipit in primis ut inter se omnia haberent indivisa, & ne qua possidere quidquam se

dicere auderet, vinculoque charitatis arctissimo sese adstringerent; extra septa monasterii minus quam ternæ nunquam prodirent, munuscula a quoquam accipere nefas haberent; denique ad nutum magistræ sese obediendi studio paratissimas exhiberent. Lapsu vero temporis hic parthenon ob neglectam veterem disciplinam de statu suo dejectus, cessit denique puellis canonicis ordinis S. Augustini, quas Johannes II archiepiscopus an. 1460, 1 Septembris induxit, & prioris de Everhardi-clusa regimini subdidit. Hanc vero ordinationem ratam habuit Sixtus IV VII cal. Junii anno 1474. Sub id tempus monasterium, mutato nomine, D. Agnetis cognomentum sumpsit; atque moderatrices quondam magistræ nuncupatæ, post reformationem priorissæ dictæ sunt, quarum nonnullas juvat hic exhibere.

PRIORISSÆ.

I. AGNES I *de Moelenheim* ex parthenio Vallis-Angelorum Bonnensi evocata fuit 1460.

II. Agnes II Palatina ex Bavariæ ducibus vitam finivit 1509.

III. Elisabetha *Waldecker* fato functa est 1504 vel 1514.

IV. Ursula ab *Esch* obiit anno 1527.

V. Eva de Novo-castro decessit an. 1534.

VI. Helena Palatina Bojorum e stirpe ducum vivere desiit 1555.

VII. Anna ab *Homburg* circa annum 1576 defuncta est.

VIII. Maria ab *Eltz*, Jacobi archiepiscopi neptis, ob senium a regimine lubens se abdicavit anno 1579.

IX. Barbara *de Biesport* de vita migravit anno 1648.

X. Catharina Ottilia Wimplinga Barbaram excepit, ac post quadriennium cessit in gratiam sequentis.

XI. Anna-Catharina *de Nassau* dimisit quoque præfecturam post sexennium.

XII. Maria-Johanna ab *Emmerich* per superioris cessionem regimen est adepta.

S. MEDARDUS.

JOHANNES Tonerius seu Donnerius abbas S. Mathiæ, vir a pietate ac magnificentia laudatissimus, domum Dotis ad S. Medardum in vicinia monasterii S. Mathiæ Elysæ & Agneti de Bacharaco, filiabus Evaldi civis quondam Coloniensis, ibidem sub regula & habitu S. Augustini degere cupientibus, dono dedit anno 1464, ea conditione ut sanctimoniales tantum sex forent. Qui numerus ex concessione & licentia postea extensus est ad triginta duas.

Mesenich. Siphon mystici, p. 112.

AUREA-VALLIS.

ORVAL.

TRIUM-FONTIUM filia Aurea-vallis in diœcesi Trevirensi & ducatu Luxemburgensi, tribus ab Yvodio leucis, fundatur ab Arnoldo comite Chiniaci in gratiam quorumdam monachorum ordinis S. Benedicti,

A qui, annuente suo abbate, e Calabria egressi, evangelii prædicandi causa, fines Galliæ cum peragrassent, venerunt in partes extremas saltus Arduennensis & comitatum Chiniacensem anno 1070, & inventa valle inter tres rupes sita, in eadem sedem figere statuerunt, eamque a præfato comite impetrarunt: quorum vota comes habens pergrata, eisdem insuper concessit ut in suo nemore omnia ad ædificia construenda exscinderent ligna necessaria. Illi confestim oratorium in honorem B. Mariæ virginis propriis manibus construxerunt, cui casulas pauperrimas adjunxerunt B cum horto exiguo. Ibidem anachoretarum more degentes, a Mathilde ducissa Lotharingiæ, vidua Godefridi cognomento Gibbosi ducis, an. 1080 devote visitati sunt & ingenti pecuniæ summa donati ad ecclesiam & monasterium ædificandum, quod idem comes munifice dotavit & possessionibus auxit. Interim dum monachi strenue incumbunt operi, a suo abbate revocantur in Calabriam, & incœptum ædificium deserunt: quod comes Arnoldus ægre tulit, ac deinde obiit anno circiter 1110, relicto filio Otthone comitatus zelique paterni herede, qui, ne fundatio a patre facta monas- C terii, maneret inutilis & irrita, eum locum presbyteris secularibus, præsente & annuente Brunone Trevirensi archiepiscopo, concessit, ea conditione ut regulariter viverent sub præposito, qui primus constitutus est vir egregius cum scientia, tum virtutibus, nomine Fulbertus, qui incunctanter operi basilicæ incœpto manum adhibuit, & ad finem usque perduxit, amplis ipsius Otthonis piorumque aliorum virorum adjutus largitionibus, cujus ecclesiæ dedicationem Henricus Virdunensis episcopus, rogante Godefrido Trevirensi archipræsule, solemniter celebravit in honorem D B. Mariæ virginis & beatorum Petri & Pauli apostolorum anno 1124, præsentibus Otthone comite & Adelaide ipsius conjuge, Friderico utriusque filio Remensis ecclesiæ præposito, nec non Alberto altero eorumdem filio ac futuro successore, & aliis viris nobilibus non paucis.

Ch. LXV, col. 344.

Post obitum Fulberti præpositi Aureæ-vallis, qui contigit circa annum 1125, canonici disciplina regulari sub Herberto Fulberti successore neglecta, in pravitatem morum cito lapsi sunt. Quod cum ægre ferret Albertus E comes, patris & avi suorum pietatis heres, egit apud Alberonem Virdunensem episcopum, patruum suum, ut ejus opera monachos Cisterciensis ordinis, quorum fama & odor sanctitatis vitæ longe lateque tunc temporis divulgabantur, Aureæ-valli posset obtinere; quod Albero Remis, quo sanctus Bernardus Claræ-vallis abbas cum pluribus prælatis ad concilium ab Innocentio II papa ibidem convocatum anno 1131 convenerat, a sancto abbate facile impetravit. Verum cum Claravallis pro paucitate monachorum, multis inde emissis ad alias monasteriorum fundationes

coloniis, petitioni episcopi Virdunensis, votisque comitis Chiniaci non posset satisfacere, commisit Guidoni abbati Trium-fontium Catalaunensis diœcesis sanctus abbas opus istud implendum. Hoc in monasterio etiamnum viget strictissima observantia, quam seculo proxime elapso suscitavit Carolus *de Benzeradt* religiosissimus abbas, ut videbitur infra.

Abbates.

I. Constantinus cantor monasterii Trium-fontium, antea S. Bernardi in Clara-valle discipulus, cum septem aliis monachis abbas missus a Guidone abbate suo in Auream-vallem advenit 9 Martii 1131. Cujus adventum cum accepisset comes Albertus, accessit cum Agnete uxore sua ac pluribus nobilibus, ipsisque præsentibus donationem ejus monasterii ordini Cisterciensi indultam laudavit suis litteris, multaque alia addidit. Subscripsit documento fundationis monasterii Hemmenrodensis anno 1138. Bullam in monasterii sui gratiam ab Innocentio II consecutus est an. 1141. Testis legitur Constantinus in carta Alberonis archiepiscopi pro monasterio S. Petri de Monte anno 1140. Obiit 8 Decembris 1145.

Ch. LXVIII, col. 347. Ch. LXIX, col. 347.

II. Theodoricus I de Vitriaco Constantinum excepit. Ab Alberone Trevirensi archiepiscopo consecutus est confirmationem decimarum quas Ludovicus abbas sanctæ Mariæ supra Mosellam Aureæ-valli dederat. Decessit 9 Sept. 1153.

III. Theodoricus II de Virduno occurrit an. 1153 in instrumento Hillini archiepiscopi. Sodalitatem iniit anno 1162 cum abbate Bellæ-vallis. Dicitur quondam abbas in carta Guidonis episcopi Catalaunensis de dono Harduini militis de Possessa indulto monasterio Trium-fontium an. 1169. Unde colligere est ipsum ante mortem abjecisse præfecturam.

IV. Adamus I de Longviono, cui Ludovicus comes *de Chiney* an. 1173, Henricus Remensis archiepiscopus 1174, & Arnoldus Trevirensis an. 1175 bonorum & possessionum confirmationem indulsere. Mortis tributum pependit 16 Januarii 1177.

V. Stephanus de Luxemburgo protectionis bullam ab Alexandro III nactus est an. 1179. Testis adhibetur an. 1180 in litteris Petri abbatis Clarevallensis super discordia inter Cheminonem & Tres-fontes. Cum abbate S. Huberti transegit anno 1181. Superstes adhuc an. 1190, uti constat ex documento tabularii Aureæ-vallis.

VI. Remigius de Longviono reperitur annis 1192 & 1194. Testis legitur in litteris restitutionis factæ monasterio in Argona ab Ansello de Garlanda domino de Possessa & Sophia comitissa *de Chiney* ejus uxore an. 1197. Is viduam religiosam, nomine Yvettam, clausuræ perpetuæ addixit in cellula, quam paraverat patri suo, qui, impleto peregrinationis ad S. Jacobum de Compostella voto, redux, & mutato consilio, habitum conversionis induit

Bolland. Act. SS. 13 Jan. capp. 14 & 15.

in Villariensi monasterio Brabantiæ, ubi sancte vixit & obiit.

VII. Gerardus de Rupe-forti præerat anno 1201, quo Sophia Chiniaci comitissa dedit illi patronatum ecclesiæ *de Giversy*.

VIII. Johannes I *d'Etalle* memoratur in authentico Aureæ-vallis 1203, quem annum certe non excessit.

IX. Galterus de Vertono ex tabulario monasterii præfecturam obtinebat an. 1203. Ejus precibus Johannes archiepiscopus ecclesiam *de Giversy* adunavit cœnobio an. 1205. Ultimum diem clausit 31 Martii 1209.

X. Petrus Leodiensis avunculus Stephani *de Esclarrun* castellani *de Hirceon*, legitur 1225 in veteri instrumento Trium-fontium.

XI. Henricus I de Satanaco filius B. Yvettæ de Huyo, cujus vita apud Bolland. 13 Januarii legitur. Is Petro successit & præerat an. 1225; cessit vero circa annum 1228: quod astruere videtur vita B. Yvettæ cap. 47. Vix enim abbati sepulchrum (matris) invisere licuit, cum ecce subito per nuntium revocatus a patre abbate, ultro postulavit absolvi & obtinuit. Id etiam constat ex instrumentis duobus anni 1230, quibus testis dicitur hoc modo: *præsentibus Henrico monacho quondam abbate & multis aliis monachis.* Corrigendus est igitur Bollandus in notis ad caput 47 B. Yvettæ, in quibus Henricum de Satanaco distinguit ab Henrico filio ejus sanctæ viduæ, duosque ejusdem nominis abbates vult successive fuisse.

XII. Johannes II de Novo-castro monasterii possessiones Johannis archiepiscopi autoritate fulciri curavit an. 1232. Cujus obitus a quibusdam notatur 10 Martii 1237: verumtamen ex authentico constat adhuc ipsum in vivis egisse eodem anno mense Julio, nec non & anno 1238. Imo ipse est forte quem novissime defunctum tradunt acta capituli generalis anni 1242.

XIII. Johannes III de Firmitate occurrit annis 1243 & 1244. Etsi dicitur mortuus 15 Martii 1245, constat tamen ex documento monasterii ipsum præfuisse usque in diem 30 Junii 1252, quo vivere desiit. Sub ejus præfectura Egidius loci monachus suam scripsit historiam Leodiensium episcoporum, quam complevit an. 1251.

XIV. Henricus II Bullionensis obiit 1 Januarii 1259.

XV. Johannes IV Namurcensis, cujus obitus notatur mense Augusto 1263; at incertum est quo anno decesserit, nam

XVI. Guido de Chiniaco jam præerat an. 1260, ut patet ex instrumento confecto ipsomet anno, & ex altero insequentis anni. Sigillum apposuit 1263 litteris Lamberti militis pro S. Arnulfo. Obiisse dicitur an. 1267 die 30 Septembris, sed perperam; enimvero occurrit & anno 1269.

XVII. Adamus II reperitur mense Maio 1272 in documento monasterii, in quo agitur de limitibus nemoris Burensis. Adhuc erat

superstes an. 1280 mense Augusto, ut constat ex ipsius litteris, quibus Theobaldo comiti Barrensi omnia debita, damnaque monasterio illata remittit.

XVIII. Balduinus I memoratur an. 1280.

XIX. Nicolaus I de Lupisonte pluribus in chartis legitur ab anno 1292 ad 1299, quo cum abbate Gorziensi de jure patronatus super ecclesia parochiali S. Leodegarii transegit. Eodem anno 5 Octobris defunctus fuisse traditur.

XX. Nicolaus II Trevirensis excessit 24 Martii 1311.

XXI. Johannes V de Huyo ex Aureæ-vallis abbate Trium-fontium factus abbas, dein Delmetensis episcopus, diem clausit extremum anno 1317 ex antiquis necrologiis. Humatur in ecclesia Aureæ-vallis in tumulo eleganter condito in modum pyramidis intra murum sanctuarii septentrionalem cum hoc epitaphio: *Hic jacet dominus frater Johannes de Hoïo, Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Delmetensis, istius monasterii & postea Trium-fontium abbas, obiit anno Domini M. CC...* Cætera epitaphii verba obliterantur.

XXII. Jacobus I de Mosomo e vivis ereptus est 24 Februarii 1325.

XXIII. Johannes VI de Chiniaco memoratur 25 Maii 1325, & 1 ejusdem mensis insequentis anni in duobus monasterii instrumentis.

XXIV. Robertus de Preneio obtinebat an. 1337. Domum acquisivit 1340; excessit vero 18 Februarii 1342.

XXV. Nicolaus III cum Margareta Juviniacensi abbatissa super jure patronatus ecclesiæ de Grandi-falleyo pactionem iniit an. 1350. Moderabatur adhuc 16 Novemb. 1362.

XXVI. Theodoricus III *d'Ansart* occurrit 1374. Transegit cum communitate *de Tremblоy* 9 Decembris 1376, quo naturæ jura persolvisse creditur.

XXVII. Johannes VII Metensis pactus est an. 1382 cum monasterio beatæ Mariæ ad Martyres.

XXVIII. Jacobus II *de Barenzy* legitur 22 Martii 1385 in documento monasterii atque etiam an. 1390. Jacet in capitulo sub tumba ea inscriptione insculpta, *Hic jacet domnus Jacobus de Barenseïo hujus ecclesiæ abbas 24, qui obiit anno Domini M. CCC.* Error est in epitaphio; exstant enim in archivio octo instrumenta ab anno 1400 usque ad annum 1413 Jacobo abbate confecta. At quonam anno obierit, incertum.

XXIX. Nicolaus IV *d'Arlon* an. 1417 ab imperatore Sigismundo litteras protectionis Luxemburgi datas consecutus est. Mortem oppetiit 25 Septembris 1423.

XXX. Johannes VIII *de Proüy* diversis in monumentis occurrit 1425, 1438, & 1440 15 Maii & 14 Julii.

XXXI. Nicolaus V *de Bayonville* sæpe recurrit in tabulis monasterii ab anno 1444 usque ad 15 Octobris 1453, quo die vivendi finem fecit, ut patet ex instrumento electionis ipsius successoris.

XXXII. Johannes IX *de Rossignol* electus fuit 18 Octobris 1453. Memoratur in chartis monasterii usque ad 1475 die 22 Augusti. Obitus ipsius notatur 25 Martii, sed annus ignoratur.

XXXIII. Godefridus I *d'Aremberg*, de quo jam locuti tom. III in abbatibus Vallis sancti Lamberti, impetravit a sede apostolica sibi suisque successoribus usum mitræ & ornamentorum pontificalium. Ea propter in capitulo repræsentatur vestitus insigniis pontificalibus cum hoc epitaphio: *Hic jacet venerabilis vir frater Godefridus* d'Aremberg *hujus ecclesiæ abbas, qui primus infulam impetravit, & obiit 25 Maii anno Domini M. CCCCLXXXIV.*

XXXIV. Nicolaus VI *de Villers* memoratur an. 1498. In eodem tumulo cum suo decessore visitur infulis indutus. Diem extremum clausit 3 Decembris 1504.

XXXV. Balduinus II *de Presseux* præerat an. 1505. Naturæ debitum solvit 13 Febr. 1530.

XXXVI. Godefridus II *de Presseux* jam erat coadjutor an. 1527, in abbatem vero cooptatus est 14 Februarii 1530. Cessit e vita calendis Maii 1540. Sub ejus moderamine ecclesia instaurata fuit, ac iterum dedicata cum septem altaribus a Nicolao Trevirensi coadjutore an. 1533.

XXXVII. Mathias *de Malmedy* quædam acquisivit 1548. Devixisse dicitur 22 Martii 1555. Vel ejus mors male notatur, vel ante mortem cesserat, nam

XXXVIII. Lambertus I *de Waignée* benedictus est an. 1554 Leodii a Gregorio Silvio Leodiensi suffraganeo. E vivis abiit 25 Martii 1563.

XXXIX. Dominicus *Robin de Stenay* 29 Junii possessionem accepit, cujus vita exemplaris merito divo Bernardo comparari poterat, ut loquitur *Henriquès* in menologio. Adhuc in vivis agebat 4 Januarii 1571 ex documento archivi. Error est igitur in epitaphio ejus tumbæ insculpto, ubi dicitur obiisse 3 Martii 1570. En illud epitaphium ei ejusque antecessori commune: *Piæ & laudabili memoriæ prædecessorum suorum hujus ecclesiæ abbatum 37 & 38 domini Lamberti* de Wagnée, *& domini Dominici de Stanaco, quorum prior quatuor annis præfuit, & obiit VI kal. Aprilis an. M. DLXIII. Posterior annis septem, & obiit III kal. Aprilis an. M. DLXX. R. D. Bernardus* de Montgaillard *ejusdem ecclesiæ abbas poni curavit anno M. DCXVII.*

Post Dominici mortem sedes abbatialis vacavit 7 annis, eo quod Philippus II Hispaniarum rex sollicitaret apud sedem apostolicam episcopalem ecclesiam in Luxemburgensi ducatu erigendam, cui mensæ abbatialis Aureæ-vallis reditus addicerentur: at consilio regis

Catholici in irritum misso intercessionibus A Trevirensis & Leodiensis præsulum,

XL. Lambertus II *de Villers* electus est anno 1578, cujus obitus contigit 2 Decemb. 1588.

XLI. Lambertus III *de Hasimbourg* renuntiatus coadjutor an. 1586, ab abbate Clarevallensi confirmatur an. 1587, moriturque 8 Augusti 1596.

XLII. Remaclus *de Cersai de S. Hubert* a rege Catholico nominatus 7 Decemb. 1596, confirmatur a Clarevallensi abbate 9 Februar. 1597. Vitam reliquit 5 Januarii 1605. Habet id epitaphium commune cum duobus B prædecessoribus suis: *Hic jacent RR. in Christo PP. ac D. D. dom. Lambertus de Villario; dom. Lambertus* de Hansimbourg; *dom. Remaclus* Cersay *hujus ecclesiæ abbates* XXXIX, XL *&* XLI. *Qui tempore admodum calamitoso eam prudenter & strenue rexerunt: primus annis* XII, *& obiit* IV *non. Decemb. an.* M. DLXXXVIII: *secundus annis* VIII, *& obiit* V *cal. Septembris anno* M. DXCVI: *tertius annis* VIII, *& obiit non. Januarii anno* M. DCV. *Quibus prædecessoribus suis benemeritis R. D. Bernardus* de Montgaillard *abbas posuit an.* M. DCXVIII.

XLIII. Bernardus *de Montgaillard*, origine Vasco, nobili loco natus, ætatis suæ anno decimo quinto Fuliensium ordinem ingressus, Johannem *de la Barriere* ejus ordinis institutorem habuit magistrum: at Clementis VIII papæ jussu e novitiatu egressus, tanta valuit concionandi facultate, ut annos natus duos dumtaxat supra viginti assumtus fuerit in ecclesiasten Henrici III Francorum regis; deinde in Belgium profectus, coram Alberto archiduce & Clara-Eugenia Flandriæ principibus, quorum erat primus ecclesiastes & consiliarius, & a quibus donatus est abbatia Nizellensi, D functus est concionatoris officio. Triennio post translatus ad abbatiam Aureæ-vallis, in possessionem immissus fuit 30 Julii 1605. Suorum animos paterna sua benignitate, morumque facilitate ac integritate sibi conciliavit; disciplinam regularem restituit, & sapientissimis statutis firmavit. Denique obdormivit in Domino 8 Junii 1628, dato ante obitum singularis humilitatis exemplo: doctissimas quippe ac piissimas, quas habuerat, scriptas conciones, æterna dignas memoria ipse incendio damnavit omnes, non sine maximo desiderio ac mœrore omnium, quibus erant notæ. Sepultus fuit in E ecclesia, ubi successor ejus mausolæum ex marmore jussit construi e regione ipsius sepulchri. Cernitur ejus statua in modum orantis, duas sub pedibus habens mitras, & hoc epitaphio aureis litteris insculpto decorata:

D. O. M.

Bernardus de Montgaillard *H. S. E.*
Magnum ordinis & sæculi sui decus,
Nobili apud Vascones Pertinorum familia ortus
In sacrum Fuliensium ordinem adscriptus,
Et mox in Cistercienfium translatus,
Toto virtutis nisu ad Deum surrexit.
Pontificibus Innocentio nono, Clementi VIII acceptus,
Regi Henrico III & principibus Alberto & Isabellæ
A concionibus.
Italiam & Galliam adolescens, vir Belgicam
Aureo ore in admirationem sui traxit.
Infulis Pamiensi & Andegavensi oblatis & neglectis,
Tres Nizellis annos, tres & viginti Aureæ-valli
Quo affectu, eo fructu, verus pater præfuit.
Quid tandem!
Pietatis, doctrinæ, facundiæ in terris jubar extinctum est,
Ut in Cælo fulgeret
Post annos exactos LXV, *mens.* VI, *dies* XV.
Bernardo Aureæ-vallis abbati
Frater Laurentius de la Roche *successor*
Hoc pietatis epitaphio parentabat.

XLIV. Laurentius *de la Roche* a decem circiter annis coadjutoris functus officio, statim post Bernardi obitum possessionem iniit anno C 1628 die 9 Junii, & ab abbate Clarevallensi benedictione donatus fuit 18 ejusdem mensis, simulque creatus est vicarius generalis ordinis in provinciis Luxemburgensi, Virdunensi, Trevirensi; quo munere duo ejus proximi antecessores laudabiliter functi fuerant. Insequenti anno habitum reformationis dedit Gabrieli *de Livron* abbatissæ sanctæ Scholasticæ Juviniacensis, & ipsi imposuit nomen Scholasticæ, recepto ab ipsa solemni voto perpetuæ clausuræ. Incenso dilapidatoque monasterio ab exercitu Gallico an. 1637 mense Augusto, Montem-medium se recepit, ibidemque extremum diem obiit 6 Decembris 1638. Ejus corpus in monasterium relatum est & juxta tumulum sui decessoris sepultum.

XLV. Henricus *Mengen*, ex Epternacensi oppido oriundus, a rege Catholico nominatus est abbas 17 Maii 1639, possessionem adeptus 17 Septembris, ab abbate Claræ-vallis confirmatus 15 Octob. tandemque a suffraganeo Trevirensi consecratus 22 Novemb. Domum pene deletam instaurare studuit, strictiorem observantiam præparavit novitios admittendo, dispersos monachos congregando. Facta in sequentis gratiam cessione 10 Martii 1668, eodem anno vivere desiit 6 Junii.

XLVI. Carolus *de Bentzeradt* Epternacensis patria, nobili sanguine natus, ipso die translationis S. Benedicti in Aurea-valle 11 Julii 1635, ætatis suæ vicesimo, monachum induit. Vix professionem emiserat, cum captus desiderio primigeniam observantiam suscitandi, antiquis statutis & ordinis usibus sese imbuit. Hæc dum attentius animo revolveret, ob sapientiam & modestiam ab abbate Henrico antecessore hospitibus recipiendis præfectus fuit. Quod munus novem aut decem annos cum

cum præclare gessisset, favente rege Catholico, A annuentibusque monachis, in coadjutorem cooptatur 30 Januarii 1666. Biennio post, Henrico ab omni autoritate cedente, possessionem iniit 15 Martii, benedictusque est Treviris 8 Aprilis. Statim ille cœpit serio cogitare quo pacto reformationis opus diu meditatum exsequeretur. Paulatim in hunc finem rebus dispositis & animis suorum præparatis, strictiorem observantiam inchoavit die sacro Paschæ 1674. Quot in sacro hoc opere labores exantlandos, qualesve ærumnas devorandas habuerit, vix credas: verumtamen constans semper & perseverans, omnem in B Deo spem collocavit. In divinis officiis organa suppressit an. 1683. Opus manuum more antiquorum monachorum in campis & nemoribus extra septa monasterii instituit an. 1688. Quin & voluit ut fratres morientes in cinere expirarent. Duodecim monachos an. 1694 sub superiore in quamdam misit solitudinem, ubi Sigebertus rex Casegongindinum monasterium olim condiderat. Jucundissimum hunc locum elegit ad emittendos infirmos, quibus aëris mutatio necessaria foret. Aliud monachorum duodecim examen in Germaniam misit an. 1701 ad constituendum monasterium C in insula Rheni, nomine Luricensi. Ex quo tamen loco ob imminens submersionis periculum postea discesserunt ut migrarent in tutiorem locum sibi a serenissimo principe electore Palatino liberaliter concessum haud procul a Dusseldorpio, ubi ea domus titulo abbatiæ nunc gaudet. Reformationem cum suo exemplo & verbo per annos 33 fovisset, sacro tandem die Pentecostes 12 Junii 1707 obdormivit in Domino, postquam suo successori, quem prius ab aliquot annis, ætate ingravescente, coadjutorem sibi dari petierat, opus reformationis conservandum etiam atque D etiam commendasset. Postridie mortis post vesperas sepultus est in communi cœmeterio, sicut ipse adhuc vivens jusserat, absque ulla distinctione, cum cruce lignea, secundum usum monasterii: cui cruci hoc epitaphium a se compositum voluit cælari: *Hic jacet frater Carolus* de Benzeradt, *licet indignus Aureævallis olim vocatus abbas 45, qui frequentioribus cleri, populique ac devoti monachorum cœtus precibus se commendatum cupiens, hic inter fratres sibi sepulturam elegit. Obiit 12 Junii 1707, ætatis 73, professionis 52. Requiescat in pace.* Visum est postea ejus successori marmoreum E tumulum apponi sepulchro inscriptione incisum.

XLVII. Stephanus *Henrion* ex coadjutore factus abbas, monasterii possessionem & regimen post obitum Caroli accepit an. 1707. Antecessoris vestigiis insistens, institutam reformationem cum zelo prosecutus est, & obiit anno 1729, hoc epitaphio honestatus: *In perennem memoriam pii patris Stephani* Henrion *a Mechlinia hujus ecclesiæ abbatis XLVI, qui primævam ordinis Cisterciensis disciplinam a prædecessore suo restauratam ac multo labore a se conservatam nepotibus transmisit. Obiit VII id. Junii an. M. DCCXXIX, ætatis LXXII, professionis LII, dignitatis abbatialis XXII, sepultus in cœmeterio. Monumentum hoc in capitulo posuerunt filii mærentes anno Domini M. DCCXXXI.*

XLVIII. Johannes-Matthæus *Mommerts* Stephanum excepit.

HEMMENRODIUM.

HEMMENRODE.

TREVIRENSIS archiantistes Albero necessitudine sancto Bernardo Clarevallensi abbati devinctus, discipulorum ejus agmen in diœcesi sua habere voluit. Sui igitur consilii rationibus D. Bernardo expositis, venerandus abbas pio præsulis desiderio nihil abnuendum arbitratus, e Clarevallensi cœnobio novem monachos transmisit an. 1134 mense Augusto; quos ille benigne acceptos locavit amœno quodam in secessu, cui nomen Winterbachium; quem locum jam ab anno superiori VII id. Martii aptum inhabitationi reddere cœperat, ut comprobatur ex his tribus antiquis versibus in veteri codice monasterii consignatis:

Anno millesimo, centeno, ter quoque deno
Claustrum fundatur, si ter dein adjiciatur.
Claustrum vocatur, quod Hemmenrodt *nominatur.*

Primorum indigenarum nomina, quæ posteritas celebravit, referre par est. Ipsi fuerunt Randulphus seu Ranulphus & Helias: hic prioris, ille abbatis munere functus, qui sub directione sua hosce habebant monachos; nimirum Pontium, Johannem, Olyverium, Walterum, Durstinum, Salomonem, & Davidem in quem Deus eximia admirandæ sanctitatis ornamenta mox congessit. Verumtamen propter loci angustiam & incommodum Albero cœnobium, exorantibus monachis, in proximam vallem *Kylewaldt* super fluenta Salmanæ, in confiniis ducatus Luxemburgici, solo tamen & territorio Trevirensi, Aquilonem versus, post biennium transtulit, ac pro desiderio S. Bernardi vocavit *Claustrum*, plurimaque monasterio simul erogavit, uti fidem faciunt ipsius litteræ datæ an. 1138. Plurimi ex Alberonis successoribus, Germaniæ imperatores, regionis optimates, summique pontifices privilegia & insignia dona contulere. Originem suam ex eo monasterio trahunt cœnobium diœcesis Coloniensis, nempe Heisterbachium, ex quo prodiit locus sanctæ Mariæ, nec non & Castellio diœcesis Virdunensis. Huic etiam cœnobio subsunt plurima sanctimonialium monasteria, de quibus mox agemus. In contexendo abbatum indice Heesium historiæ monasterii scriptorem secuti sumus.

Ch. LXVIII, col. 346.

ABBATUM INDICULUS.

I. RANDULPHUS seu Ranulphus una cum Helia priore & septem aliis monachis a sancto Bernardo e Clarevallensi monasterio ad Alberonem archiepiscopum transmissus est

anno 1134. Subscripsit diplomati ejusdem archiepiscopi de introductione Præmonstratensium in cœnobium S. Pauli Virdunensis anno 1136 mense Februario. Biennio post occurrit in ejusdem archipræsulis litteris de fundatione Claustri. Jura privilegiaque monasterii auctoritate Innocentii II fulciri curavit an. 1140. Eumdem assecutus est favorem ab Eugenio III an. 1152. Ipso quidem anno Treviris provinciali concilio assedit, subscripsitque actæ inter ducem Lotharingiæ & Romaricensem ecclesiam compositioni. Monachorum suorum coloniam ad Alberonem Virdunensem episcopum emisit ad fundandum monasterium Castellionis. Duabus Hillini archiepiscopi transactionibus subsignavit anno 1158. Reperitur in præcepto hujus pontificis anno 1162. Quamdam immunitatem atque varia prædia adeptus est an. 1167, vitamque eodem absolvit.

II. Gisilbertus nemoris cujusdam partem vulgo *Lutgen* ab Hillino archiepiscopo monasterio adstrui fategit 1169. Litteris unionis monasterii beatæ Mariæ Luxemburgensis ad abbatiam sancti Vitoni Virdunensis subscripsit 1178. Prædium dictum *Langscheid* ab omni jure advocatiæ liberum accepit an. 1181 ab Arnoldo archiepiscopo. Privilegium ab Alexandro III jam an. 1177 erat adeptus, donatus est & altero an. 1184 a Lucio III. Munificentiam Henrici comitis Lutzellenburgensis aliorumque regionis optimatum expertus, in senectute bona obiit circa annum 1189, posteaquam Hermannum monachum ad fundationem monasterii Heisterbachiensis emiserat. Adstiterat etiam Arnoldo archiepiscopo in extremis vitæ momentis.

III. Eustachius etsi brevi tempore rexit, nihilominus capitulo generali Cisterciensi interfuit, visitavitque monasterium Heisterbachii.

IV. Hermannus I, vir nobili sanguine natus, ex canonico Bonnensi monachus Claustri factus est, dehinc ad prioris munus delectus. Monachorum ad fundationem Heisterbachii emissorum a Gisilberto abbate constitutus & ipse fuit abbas an. 1188. Claustrum inde revocatus, ibidem abbatis officium acturus, Romam anno 1190 a Johanne Trevirensi archiepiscopo mittitur, pallium ei impetraturus, suique monasterii privilegiorum confirmationem simul obtinet a Clemente III pontifice. Cum Hermanni tempore, nimirum an. 1197, fames oppido valida Germaniam pervasisset, is sublevandis pauperibus non modo facultates monasterii verum & partem concessi legati a Gerardo præposito S. Simeonis jam prope morituro insumsit. Veteribus amphitheatri Trevirensis ruinis donatus est anno 1211 a Johanne archiepiscopo, quem anno insequenti in monasterii sui capitulo sepelivit. Ampliandæ religionis zelo trans Rhenum ad constructionem Loci S. Mariæ abbas migravit anno 1215; in qua functione expletis octo annis, plenus dierum meritisque dives spiritum Creatori reddidit. Priusquam ad Locum sanctæ Mariæ proficisceretur, datus ei fuerat successor

(Tom. III, col. 792. — Ibid. col. 794.)

V. Theodoricus I de quo nihil exstat præter nudum nomen. Aliquibus tantum præfuit mensibus. Idem forte est ac Theodoricus, qui quondam abbas S. Mariæ ad Martyres, perfectioris vitæ studio ordini Cisterciensi in monasterio Hemmenrodensi sese devovit.

VI. Justatius multas cum comitibus *d'Isenburgh*, capitulo S. Simeonis, & communitatibus habuit simultates, quas omnino industrie sedavit. Concessas a sede apostolica immunitates ab Honorio III sanciri impetravit an. 1219. In litteris Conradi episcopi Spirensis & imperialis aulæ Cancellarii datis an. 1220 dicitur quondam abbas *de Hemmenrode*. Sub id tempus in monasterio claruere viri majorum prosapia aut doctrinæ fama insignes.

(Heefsat Manip. Hemmenrod. p. 30.)

VII. Henricus I de Andernaco.

VIII. Conradus I.

IX. Hermannus II quondam decanus sanctorum Apostolorum in Colonia, vir fuit litteratus æque ac discretus. Hic a Christiano Bonnensi decano ad prandium invitatus, simpliciter apposita comedebat fercula, cum monachus ejus socius forte curiosior inventam laridi particulam illi ostendit. Qua visa statim ferculum a se amovit, graviter vero monachum, postquam in viam iissent, increpavit quod in mensa aliena in cibi delectum curiosius inquisisset.

X. Henricus II quondam miles, itemque abbas S. Trudonis.

XI. Johannes I de Colonia, quondam abbas Loci S. Mariæ.

XII. Henricus III: quo sedente, Theodoricus archiepiscopus in ecclesia Hemmenrodensi consecravit altare in honorem sancti Mathiæ, triumque primorum Trevirensium præsulum Eucharii, Valerii & Materni; quin & donationes antecessorum ratas esse jussit, & alodium quoddam apud *Kestene* impertitus est.

(Id. p. 33.)

XIII. Conradus II an. 1245 mense Martio a Simone comite *de Spanheim* & Margarita ejus uxore emit quidquid habebant in Urceto & *Ractich*.

XIV. Alardus moderabatur circa annos 1255, 1256, & ultra triennium non præfuit; nam

XV. Theodoricus II, quondam abbas beatæ Mariæ ad Martyres, vir in rebus agendis strenuus, reperitur an. 1257, quo multa bona comparavit. Quas habebant possessiones in curtibus & villis *de Redell* abbas & monachi S. Trudonis, ab eisdem acquisivit an. 1263.

XVI. Paynus Theodorici defuncti in locum suffectus fuit, abbatisque munus obibat anno 1270. Plurimas possessiones a Payno milite *de Getz* accepit an. 1173 in crastino sancti Bartholomæi. Ipse ejusque monachi multas injurias & quidem exsilium passi sunt ab Henrico de Finstinga archiepiscopo, qui facti mox pœnitens, protectionis litteras eis indulsit anno 1274 die festo S. Lucæ Evangelistæ.

XVII. Nicolaus I dictus quondam abbas in Victoria.

XVIII. Johannes II, cujus memoria exstat in locatione domus Epternacensis, in qua capellam eidem domui contiguam cum indumentis & ornamentis religiose conservari jubet.

XIX. Richardus, nobili familia *de Manderscheidt* ortus, de quo familiæ ejusdem archivum memorat abbatem fuisse monasterii S. Mariæ ad Martyres, ubi exortis quibusdam simultatibus, ad Hemmenrodense monasterium se recepit.

XX. Johannes III de Colonia.

XXI. Hermannus III item natus illustri stirpe comitum Manderscheidtiorum, a majore fratre Willelmo milite ad Terram-sanctam profecto præ aliis fratribus monachus heres institutus fuit, nisi quingentas missas comperto ejus obitu in Hemmenrode legi curarent, quæ res monasterio exitiali pene damno fuit, fratribus eum e monasterio per fas nefasque repetentibus, nec prius discordia sedata, quam ipse Hermannus abbas effectus, & alius quoque frater Willelmus a peregrinatione reversus, paternæ hereditati ipse successit.

XXII. Johannes IV de Treviri 1307.

XXIII. Henricus IV filius comitis Lutzenburgensis.

XXIV. Theodoricus III, quondam Bruchii dominus, præerat an. 1317.

XXV. Henricus V filius comitis de *Virnenburg*.

XXVI. Johannes V quondam dominus *de Malberg* 1327.

XXVII. Henricus VI olim dominus *de Kandech.*

XXVIII. Nicolaus II natus *de Lutzenburg*, vir miræ religionis & durissimæ vitæ, obiit festo Annunciationis B. Mariæ. A quibusdam annumeratur abbatibus, sed nec in antiquis catalogis nec in sepulcralibus abbatum inscriptionibus memoratur.

XXIX. Balduinus *de Witlich* memoratur an. 1337.

XXX. Henricus VII, Coloniensis, præerat an. 1338. Dominos Malburgi longo tempore monasterio offensos reconciliavit, ut patet ex litteris datis 1347. Memoratur usque ad annum 1350.

XXXI. Walterus *de Witlich* Coloniæ defunctus 1366.

XXXII. Mathias I *de Sirch* monachus Paravallensis.

XXXIII. Tilmannus *de Witlich*, probis moribus & pietate insignis, sepultus est anno 1394 ante altare S. Davidis.

XXXIV. Gobelinus *de Reinbach* moritur an. 1415.

XXXV. Petrus I de Andernaco defunctus an. 1423, humatur in monasterio Heisterbachiensi.

XXXVI. Arnoldus Urdingenus extremum clausit diem 1451.

XXXVII. Johannes VI de sancto Vito, Confluentiæ mortuus, in parthenone de Lhera, quem dein obtinuere Jesuitæ, sepultus.

XXXVIII. Petrus II *de Witlich*, priscæ severitatis & virtutis æmulator, sed senio morbisque fractus, a Philippo Clarevallensi abbate, qui regularem facturus inspectionem accesserat, abbatiali munere se liberari obtinuit an. 1458 ac insequenti decessit, conditusque est in introitu capituli cum hac epigraphe:

M. C quaterno X septem sed minus anno
Roditur hoc busto Petrus qui schemate justo
Zelator fratrum rexit hoc provide Claustrum.

XXXIX. Johannes VII de sancto Vito, juris utriusque peritus, & Johanni archiepiscopo charus ac familiaris, obiit an. 1498.

XL. Jacobus ab *Hillesheim*, vir spectatæ prudentiæ & optimi consilii, in cœnobium S. Catharinæ, ubi collocati fuerant monachi, sanctimoniales revocavit anno 1508. Fatis concessit Confluentiæ in curte *Rosre*, haud sine veneni suspicione circa annum 1510. Cujus mortem cum archiepiscopus Jacobus accepisset, de eo tanquam amicissimo hæc dixisse ferunt: *Nunc quoque mihi fatum præ foribus agnosco.* Re quidem vera Jacobus Coloniæ anno sequenti diem supremum obiit.

XLI. Willelmus ab *Hillesheim*, superioris consanguineus, a Leone X pontificalibus ornamentis utendi licentiam sibi suisque successoribus consecutus est an. 1519, regiminis sui nono. Hujus ætate Richardus a *Greiffenclaw* archiepiscopus ac princeps elector monasterium adeo gravavit, ut ad victum sacris altaribus calices octo & totidem patenas detrahere & venundare necessum fuerit. Occubuit in senectute bona an. 1542, postquam rexisset per annos 36, ædificiis non paucis instauratis. Ch. XCVII, col. 366.

XLII. Mathias II ab *Edger*, vir simplex, provida rei œconomicæ administratione copiam reduxit. Defunctus an. 1558, sepulturæ traditus est in exedra capitulari.

XLIII. Johannes VIII a *Bridell*, vir summis laudibus dignus, litterarum scientiæque cupidissimus, electus fuit an. 1558, 28 Octob. Visitator utriusque sexus monasteriorum in diœcesi Moguntinensi & Trevirensi immediate Claræ-valli subjectorum institutus fuit an. 1563. Vicarium generalem in electoratibus principum ecclesiasticorum item & in principatibus Cliviæ & Geldriæ nec non in adjacentibus provinciis eum constituit capitulum generale. Heisterbachiensi monasterio in solutiorem disciplinam delapso præfecit abbatem Johannem de sancto Vito monachum Hemmenrodii an. 1566. Quinquagenarius obiit 25 Julii 1571, honorifica hac donatus epigraphe:

Johannes patriis Bridelius ortus ab oris,
Hic sua fraternis ossibus ossa locat
Prudens convictus cui tot devinxit amicos,
Et musis celebres & pietate graves.

Qui quoties verbis pronas arrexerit aures,
Est mirata istum tota corona virum.
Is fuit oris honos, & torrens impete fertur,
Manavit linguæ gratia tanta suæ.
Nec pietate minor sacris devotus & aris,
Factorem cæli, dum tulit ante preces.
Consiliisque bonis habitus certissimus auctor,
In dubiis causis sæpe rogatus opem est.
Ore gravis, rectique tenax, servansque decori,
Ingeniis cultis dux & amicus erat.
Quapropter charus magnatibus exstitit istis,
Qui gaudent proavis annumerare Jovem.
Quas ego virtutes memori dum pectore verso,
Ut sit in Ætherea portio sede precor.

XLIV. Gregorius a Cellis, dictus Uranius, quod eruditos plurimum excoleret, ad monasterium suum Colonia accivit Mathiam Agricium sacerdotem, laureatum poëtam, græcis latinisque litteris optime eruditum, & multis lucubrationibus clarum, qui plures monachos in artibus sacris erudivit. In ordinem admisit Johannem Irrenium ætate ac eloquentia florenti juvenem, quo Nicolaus *Boucherat* Cistercii abbas secretario in diversis Europæ partibus usus est. Cum decennio præfuisset, Jacobo archiepiscopo dilectus, in curte Septifontana excessit 13 Februarii 1581. Cujus corpus in monasterium relatum, humo mandatum fuit cum hoc epitaphio:

Ergone nulla quies lacrymis, dolor exque dolore
Nascitur! ad luctum quem tulit atra dies.
Te luxere nurus, matres, puerique virique,
Te luxere ævo jam graviore senes.
Nec meritis fletus, major fuit indice causa,
Non dolor accepto vulnere major erat.
Is tibi candor erat, bonitas ea, tantaque virtus,
Qui patris instar eras, fratris & instar eras.
Sed quia vita subest fato, cunctisque negatum
Vivere perpetuum, dum fugit ista dies.
Quo sine dulce nihil, Christus tibi sidera reddat,
Reddere qui potis est, quæ prius auctor habet.
Nos etiam flores lectos ex rore comante,
Spargemus bustis postera turba tuis.
Qui luctum minuant, qui sint solatia fletus,
Dum nobis vitæ spem melioris alunt.
Si quid præterea victurum est carminis hujus,
Idem te sera laude manebit honos.

XLV. Johannes IX, dictus *Roder*, a sancto Vito, rite per quindecim annos temporaneis monasterii rebus administratis, electus fuit abbas 7 Martii 1581. Vir doctus & lectionis perquam studiosus, bibliothecam præstantissimis quibusque authoribus locupletavit. In partibus Germaniæ visitator ac vicarius generalis ab Edmundo a Cruce abbate Cisterciensi creatus fuit anno 1593. Cum monasterium

A sibi commissum inter varios bellorum tumultus varie & misere jactatum quindecim annis prudenter & provide gubernasset, obiit Antenaci 30 Octob. 1596. Cujus funus ab amplissimo senatu Antenacensi ad Rhenum usque deductum, inde adverso Rheno ad Insulam inferiorem in ecclesia monialium Cisterciensium sepulturæ locum obtinuit, eoque epitaphio honestatus est:

Orbis ter centum steterat, ter sex quoque lustra,
Sexque annos, postquam mors atra victa fuit.
Dum sub id Andernaci Roder *sua fata Johannes,*
B *Abbas heu! nostræ spesque salusque domus.*
Est locus, undarum confluxu nomina ducens:
Quod manet Rhenus, parte Mosella fluat.
Non procul in Rheno claustrum hinc distare videtur
Virgineum, tanti quod tenet ossa viri.
Ter quinque Hemrodium fœlici numine rexit
Annis, Cæligerûm sacra statuta colens.
At tu qui transis, dic, quæso, viator amice,
Da requiem famulo, Christe benigne, tuo.

C XLVI. Ambrosius *Schneidt*, Cochemius, an. 1596 ex confessario monialium Pontis-Leonini prope Trevirim electus 26 Novemb. qui præter eximiam morum suavitatem ac modestiam, qua omnium in se trahebat animos, etiam calligraphia plurimum excelluit, & instructione sua aliis singulariter profuit; quos inter Arnoldinus a *Clarstein* e pago *Lutzerath* ortus, ipsi Ambrosio a servitiis domesticis olim constitutus, ab eoque fideliter instructus, qui per submissam Vienna Austriæ crucem eximiæ pulchritudinis & eximie elaboratam contestatus est se omnem fortunam suam abbati Ambrosio D debere, hac inscriptione pedi crucis insculpta: *Reverendo in Christo patri ac domino Mathiæ Nisæo ac R. P. Petro Reineri Trevirensi seniori & reddituario confessario olim suo, totique V. conventui celeberrimi monasterii Himmenrodensis, Mathias Arnoldinus a* Clarstein, Broderz, Audassitz, &c. *sacræ Cæsareæ majest. consiliarius imperialis aulicus ac primarius sanctioris consilii ejusdem secretarius, fidissimi institutoris sui RR. patris D. Ambrosii* Schneidt *Cochemii, abbatis, beneficiorum ibidem acceptorum memor Vienna Austriæ præmisit anno salutis 1629.* Hanc crucem ab ipsomet Arnoldino in comitiis E Ratisbonensibus acceptam Johannes Anethanus consiliarius archiepiscopalis invexit monasterio. Obiit Ambrosius 29 Decemb. 1612, sepultus in capitulo.

XLVII. Mathias III Nisæus *de Reil* eligitur 12 Martii 1613, vir naturæ & gratiæ variis dotibus exornatus. Provida rei œconomicæ administratione in multis profuit monasterio; studium theologicum promovit, suoque paterno affectu fovit. Post regimen 18 annis, sub gravissimis licet temporibus, fortiter & laudabiliter gestum, calculo & podagra pro-

batus, pie obdormivit in Domino 24 Maii A 1631. Sepulturæ traditus in capitulo.

XLVIII. Mathias IV Glabus *de Lyser*, in abbatem cooptatus 12 Junii 1631, vir præcipuis animi ac ingenii dotibus insignitus & in suscepta negotiorum mole laboriosus, qui ferreo isto tempore & periculosa admodum rerum vicissitudine Hemmenrodio dispositione divina datus videbatur, ut omnia prudenter secundum Deum & hominem moderaretur. Johannem-Nicolaum & Johannem-Adamum Arensburgenses abbates ob Suecorum sævitiam exsules cum quibusdam monachis religionis hospitio suscepit. Sub ejus auspiciis B prodiit an. 1641 in lucem manipulus Hemmenrodensis studio & labore Nicolai Heezii monachi. Infirmitatibus tandem invalescentibus ad diu desideratos & sæpius exoptatos Rachelis amplexus transiturus abbatialem dignitatem resignavit 14 Septembris 1647. Excessit e vivis in curte Septifontana 15 mensis Februarii 1648. Unde ejus corpus revectum, in capitulo conditum est.

XLIX. Fridericus *Brandt*, Kylburgensis, ex monasterii priore resignantis loco electus 19 Septembris 1647 religiosa modestia, C magno candore & profunda humilitate præditus, ideoque omnibus ipsi etiam archiepiscopo Philippo-Christophoro ejusque successori Carolo-Gasparo gratus & dilectus, digne & laudabiliter præfuit. Illatis monasterio damnis & expoliationibus tam ab amico quam hostili milite conflictatus, apoplexia correptus est, vitamque sacramentis præmunitus terminavit inter lacrymas & gemitus fratrum an. 1654.

L. Johannes X *Post de Wampach*, creatus abbas 20 Julii 1654, vir præcipuis animi dotibus ornatus, divinarum pariter & huma- D narum litterarum perquam studiosus, facultatibus exhausto per continua bella monasterio summe erat necessarius, illudque, juvante Deo, ære alieno successive liberavit. Regularem disciplinam temporum injuria nonnihil labefactatam cum propriæ vitæ exemplo, tum frequentibus exhortationibus tam in proprio quam in aliis virorum & mulierum sibi subjectis monasteriis redintegravit. Incœptam a Mathia Glabo novi monasterii primam partem perfecit, & alteram subinde ac demum tertiam perystilii partem adjecit. Post exantlatos multos labores, lento & diuturno languore consumtus, E piissime obiit. Ejus memoriæ organum novo & raro opere factum, novo itidem postico ecclesiæ impositum, dedicatum fuit. Habet id epitaphium:

D. O. M.

Piæ memoriæ R. D. D. Johannis Post *a* Wampach *Claustri B. M. V. in* Himmerodt *S. Cister. ord. abbatis XLIX qui per annos XXX & menses V monasterio sibi commisso dignissime præfuit, atque illius commodis, restaurationi & fortunis vigilantissime prospexit, ac tandem die III Januarii M. DCLXXXV, ætatis suæ LXXIV. piissime obiit. Posuit prædecessori successor F. R. A. an. 1695.*

LI. Robertus *Bootz* subprior ex vicina majori Letica electus 30 Januarii 1685. Vir eximiæ in Deum pietatis solitus sub finem vitæ in dies statutis horis certa quædam altaria scipione suffultus in ecclesia invisere, ardentissimasque ibidem preces fundere, qui sua virtute, prudentia & rerum agendarum dexteritate ad varios honorum gradus sibi aditum patefecit. Vicarius generalis ordinis ad tractum Rheni & inferiorem Germaniam renunciatus & rectoris magnifici munere in academia Trevirensi functus. Cultus divini promovendi & regularis disciplinæ cum reparandæ tum conservandæ fuit studiosissimus, gravissima negotia tam a statibus patriæ apud eminentissimos principes electores Trevirenses, quam ab ordine sibi imposita & in Germania & in Belgio feliciter confecit. Tanti viri recensendis beneficiis in Hemmenrodium collatis vix liber, mole sua non contemnendus, sufficeret. Plenus dierum & bonorum operum acquievit 20 Maii 1730. Quiescit in capitulo.

LII. Ferdinandus *Pesgen*, Confluentinus, ab eloquentia, suavitate morum ac discretione, quibus sodalium suorum animos sibi devinxerat, commendandus, electus 6 Junii, postquam 12 annos prioris officium laudabiliter gessisset, obiit Confluentiæ 29 Septembris 1731; sepultus in inferiori Insula, vir longiori vita dignus.

LIII. Leopoldus *Camp* ex *Rohr* prope Confluentiam, sacræ theologiæ professor, vir gravis & raræ prudentiæ, electus 6 Novemb. 1731, erga omnes adventantes pro cujuscunque statu & conditione admodum hospitalis fuit. Disciplinæ regulari magis ac magis firmandæ, exercitia spiritualia octiduana annuatim a quolibet suorum peragenda invexit; studiis & scientiis, quas ipse a teneris sedulo excoluerat, promovendis, dilatandisque nullis parcens sumtibus. Ecclesiam, prout hodiedum cernitur, ab imis fundamentis erexit. Capitulo generali Cistercii celebrato qua definitor interfuit an. 1738. Mortuus 25 Augusti 1750, humatus est in capitulo, æterna dignus memoria.

LIV. Anselmus *Raskoph* ex eadem villa, qua antecessor suus Robertus *Bootz*, quem proavunculum habuit, ortus, electus 25 Octob. 1750, vir vere mitis & humilis corde; munere cellerarii difficillimis temporibus 20 annis strenue functus, quem inter & prædecessorem suum erat cor unum & anima una. Fatis concessit 16 Decembris 1751, sepultus in capitulo.

LV. Robertus *Hentges* ex *Driesch*, sacræ theologiæ professor, munere abbatiali honestatus est 25 Januarii 1752.

VALLIS-ROSARUM.

QUATUOR circiter passuum millibus a Mosella subter Clottenam in loco abstruso posita Vallis-Rosarum, fundatorem habuit Theodoricum de Wesalia circa annum 1169, etiamsi alii ejus monasterii originem tribuunt comitibus *de Virnenburg:* ex qua familia non paucæ illic abbatissæ claruerunt, quarum tamen nomina, si Walburgim exceperis, ad ætatem nostram non pervenerunt. Summus pontifex Benedictus XI id monasterium jurisdictioni ac visitationi abbatum Hemmenrodensium subjecit an. 1304. Exstat in ecclesia altare sancti Georgii martyris fundatum a Wernero milite *de Dreis* cum consensu Idæ uxoris suæ & filii sui Conradi canonici Cardonensis 1322.

Hesfus Manip. Himmenrod. p. 23.

Aliquot Abbatissæ.

I. CATHARINA I.
II. Irmengardis *de Schoenenberg.*
III. Lucia.
IV. Sophia *Demodis.*
V. Elisabetha I.
VI. Catharina II *de Scharffenstein.*
VII. Gertrudis de Lapide mortua 1493.
VIII. Catharina III de Mertlaco electa 15 Maii 1493.
IX. Eva *de Metternich.*
X. Walburgis *de Virnenburg* in abbatissam cooptata 28 Aprilis 1545, animam exhalavit 1579.
XI. Ursula *de Zandt* eligitur 25 Martii 1579.
XII. Elisabetha II *Cassel* de Colonia.
XIII. Catharina IV *Esch* obiit 1626.
XIV. Catharina V *Kelter* moritur 1672.
XV. Anna-Maria *Kées* fit abbatissa 11 Septembris 1672, vivereque desiit 1690.
XVI. Anna-Gertrudis *Molitor* præficitur 9 Januarii 1690, & moritur an. 1724.
XVII. Elisabetha III *Ehlen* abbatiali dignitate decorata 3 Januarii 1725, excessit 1733.
XVIII. Maria-Catharina *Molitor* Annæ-Gertrudis neptis successit 21 Octob. 1733.

S. THOMAS.

HAUD amplius milliari ab claustro Hemmenrodensi, infra Kilburgum, ad Gelbim amnem, conditum ac dotatum fuit monasterium nobilium virginum ordinis Cisterciensis sub patrocinio S. Thomæ Cantuariensis anno 1171 a milite quodam Ludovico *de Deudesfeldt*, cujus filiæ fuerunt duæ primæ abbatissæ. Nobilis Agnes domina de Castello *Malhbergh* possessiones munificentissime auxit, quas Rudulphus ejus nepos in posterum voluit sanctimonialibus abripere: verum Theodoricus archiepiscopus earum defensionem suscipiens, Rudulfum repressit. Arnoldus I archipræsul an. 1185 consecravit sacellum in honorem sancti Thomæ Cantuariensis; ecclesiam vero Theodoricus II an. 1222. Istud monasterium A flammis absumtum, iterum e cineribus denuo resuscitatum est.

Abbatissæ.

DUÆ primæ abbatissæ quæ hunc rexere parthenonem, filiæ fuerunt viri nobilis Ludovici *de Deudesfeldt* fundatoris. Harum nomina ignorantur.
III. Mechildis *de Deunsberg,*
IV. Ida.
V. Margareta I de Duna.
VI. Elisabetha I abbatissæ munus agebat anno 1226, ex Cæsario, lib. II vitæ sancti B Engilberti.
VII. Lucia.
VIII. Cunegundis de Duna.
IX. Mechtildis I *de Manderscheidt* defuncta 1350.
X. Elisabetha II *de Manderscheidt.*
XI. Lutgardis *de Brandenburg.*
XII. Margarita II *de Junckel* obiit 1391.
XIII. Bela I *de Brandscheidt* mortua 1417.
XIV. Catharina.
XV. Elisabetha III *de Schoenek* fatis concessit 1410.
XVI. Margareta III *de Brandscheidt* excessit C 1417.
XVII. Anna I vita orbata 1434.
XVIII. Bela II *de Lissengen.*
XIX. Margareta IV *de Vinnenburg.*
XX. Margareta V *de Lahnstein.*
XXI. Elisabetha IV ab *Enschringen* vivere desiit 1494.
XXII. Mechtildis II ab *Enschringen* electa 1494, defuncta 1527.
XXIII. Maria I *Laudolph de Bittburg* mortem oppetiit 1528.
XXIV. Christina *de Vinneburg* e vivis abiit D 1543.
XXV. Maria II *Foucker* ultimum vitæ diem clausit 1557.
XXVI. Anna II *de Lonzen,* dicta *Roben,* electa est 28 Octobris 1557, vitamque consummavit 24 Martii 1591.
XXVII. Maria III ab *Eltz* electa 3 Aprilis 1591, mortua 13 Junii 1593.
XXVIII. Margareta VI *de Benserath* exstincta 1611.
XXIX. Anna III *de Lonzen,* dicta *Roben,* ab anno 1611 ad 1636.
XXX. Anna-Catharina I *de Kesselstadt* non E minus virtute quam ætate provecta cum laude præerat 1641; defuncta 2 Junii 1642.
XXXI. Anna-Catharina II ab *Enschlingen* ab anno 1642 die 5 Junii ad 1664, quo excessit 5 Aprilis.
XXXII. Johanna *de Metternich* in coadjutricem assumta 1 Octobris 1663, confirmatur abbatissa an. 1665.
XXXIII. Barbara-Antonetta de Duna eligitur 16 Octob. 1690, & moritur 25 Maii 1718.
XXXIV. Anna-Apollonia *Mohr de Waldt*

electa 14 Julii 1718, exstinguitur 6 Martii 1744.

XXXV. Maria-Theresia *de Meuthen* in abbatissam cooptatur 17 Aprilis 1744.

S. CATHARINA.

FUNDATUM anno 1208 monasterium S. Catharinæ supra montem Lintzii ad Rhenum juxta Andernacum a nobili viro Gerhardo *de Rennenburg* & Benedicta ejus uxore testatur charta Mathildis olim comitissæ Seynensis, in cujus ditione tunc temporis situm erat. Nobiles virgines Deo piissime illic famulatæ sunt usque ad annum 1454, quo, parthenone aut temporum injuria aut conflagratione ad summam pauperiem redacto, abbatissa comitesque ejus moniales alio (aliqui scribunt in *Namedy* prope Antenacum) translatæ fuerunt, inductis earum in locum monachis & conversis Hemmenrodensibus, qui provida rei domesticæ administratione monasterium ad meliorem statum reduxerunt. Quam mutationem Johannes abbas Cisterciensis & capitulum generale anno 1456 non ratam modo habuerunt, sed & priori monasterii ejusque successoribus eam indulsere prærogativam Guido itidem Cistercii abbas & capitulum generale ut tanquam abbates haberentur anno 1460. Eo tamen honore non diu fruiti sunt; anno quippe 1508 Jacobus ab *Hillesheim* abbas Himmenrodensis moniales restituit, & abbatissam Gertrudem datis mutuo pecuniis adjuvit, cooperantibus comitibus *de Rennenburg* & *de Nassau.* Posteris temporibus, anno scilicet 1631 in festo SS. Simonis & Judæ a Suecis conflagratum fuit id parthenium, imagine B. Virginis in ecclesia collocata cum sacris reliquiis mirabiliter conservatis, supremoque cohortis præfecto, in crucifixum ad fores ecclesiæ temere explodente glandem, oculorum lumine privato. Id monasterium iterum a cinere consurrexit. Nomina abbatissarum quæ ab anno 1208 præfuerunt temporum injuriis vel deflagratione ad posteros non pervenerunt; quinque tamen comitissas ex fundatoris stemmate in eo loco Deo piissime serviviſſe certa monumenta tradunt: ab anno autem 1508 ad hæc usque tempora rexerunt sequentes

Ch. LXXVI, col. 354.

ABBATISSÆ.

I. GERTRUDIS *de Bernkott*, amotis monachis, instituta est abbatissa a Jacobo ab *Hillesheim* Himmenrodensi abbate anno 1508.

II. Anna *de Blanckeradt.*

III. Maria I *Holtzsattel.*

IV. Catharina *ae Blanckardt*, sub cujus regimine, deficientibus nobilibus, virgines honesto loco natæ ad habitum & professionem admissæ sunt, ex quibus eligitur

V. Clara *Ediger.*

VI. Magdalena *Fladin* monasterium a Sueco milite in cineres redactum an. 1636 reficere cœpit, ast morte præventa opus perficere nequivit.

VII. Veronica *Knodtin* electa 1636 ipso sanctæ Catharinæ festo, opus a præcedente inchoatum absolvit.

VIII. Maria II *Kuntzerin* obiit 1698.

IX. Maria III *Cluth* eligitur 19 Julii 1698.

X. Johanna-Catharina *Gamens* electa 17 Maii.

XI. Maria-Josepha *Thoma.*

BONA-VIA.

BONNE-VOIE.

QUARTA a Luxemburgo leucæ parte, occasum versus, secus viam quæ ducit Theodonis-villam, cernitur parthenon ordinis Cisterciensis, cujus alii originem referunt ad finem seculi duodecimi, alii vero ad annum 1200, Guidone II abbate generali totius ordinis existente. Litteras dedit anno 1234 mense Decembri Theodoricus archipræsul Trevirensis ergo fideles adhortandi ut ad ædificiorum constructionem eleemosynas largirentur. Præcipui benefactores, si non fundatores, fuere comites Luxemburgi. Et vero comitissa Ermensendis contra reclamationem Ulrici ministri sui usuram casæ, horti & viridarii monasterio adjudicavit anno 1238, suoque testamento sexaginta solidos legavit anno 1246. Henricus Ermensendis filius venditam a liberis Egidii militis *de Bettinge* hereditatem sitam apud villam *Schefflingen* probavit an. 1244. Factam etiam ab Hugone *de Bous* medietatis decimæ *de Ketthenem* venditionem idem Henricus ejusque frater Gerardus confirmarunt an. 1245. De munificentia coluntur Rodenmacræ domini ob plurimas ab illis indultas possessiones respectu aliquarum eorum filiarum, quæ in eo monasterio Deo se consecrarunt: videlicet Freisendis cujus pater Hugo quædam largitus est anno 1248; Juliana & Elisabetha filiæ Ægidii a quo concessæ fuerunt decimæ & parochia *d'Itzigh.* Nihilominus tamen eumdem Ægidium inter & abbatissam & conventum exortam de traditis rebus ab Hugone controversiam sedavit anno 1277 Henricus Luxemburgensis comes. Multas autem monasterium sustinuit persecutionum procellas, adeo ut præter alia incommoda, tertio usque funditus illud exuri contigerit. Verum istis infaustis casibus fuit utcunque reparatum studio & opera abbatissarum, sed præsertim Catharinæ *de Kerschen*, quæ præter regularem disciplinam, æris alieni & tectorum detrimenta instauravit.

Bertholet hist. Luxemburg. tom. IV, prob. p. 59.

ABBATISSARUM SERIES.

I. MELCHIDIS præerat ad annos 1244 & 1272.

II. Jutta I seu Juditha 1281.

III. Agnes I *de Diquestorfs*, soror Ægidii *de Rodemachren.* 1309.

IV. Jutta II *de Gymnich* 1328.

V. Catharina I *de Pittingen* 1335.

VI. Urizendis 1342.
VII. Gertrudis I *de Wintringen* 1353.
VIII. Ida I *de Bruchen* 1360.
IX. Catharina II *de Puthelingen* 1365.
X. Ida II *de Mulenbach* 1370.
XI. Gertrudis II *Dunckevelt* 1388.
XII. Gertrudis III *de Wekringen* 1398.
XIII. Christina *de Straßen* 1429.
XIV. Agnes II *de Bubingen* 1437, 1438.
XV. Margarita I *de Doumeldange* 1443.
XVI. Anna I *de Bettingen* 1452.
XVII. Anna II *d'Eumeringen* seu *Omeringen* 1470.

XVIII. Margarita II *de Frenne* abdicavit an. 1509, & in ipsius locum suffecta est

XIX. Anna III *Brandscheidt* adhuc superstes an. 1533.

XX. Francisca *d'Useldange* 1539.

XXI. Irmengardis *de Fremont*, cujus tempore conflagratum fuit monasterium anno 1542; ipsa post incendium in familiam suam se recepit. Cui in monasterium redire nolenti substituta est an. 1571

XXII. Catharina III *de Kerschen*, quæ disciplinam regularem & ædificia reparavit, solvitque æs alienum. Præerat adhuc anno 1585, ac decessit an. 1593.

XXIII. Clara *Boullard* ab Edmundo de Cruce, Cistercii abbate totiusque ordinis generali, in monasterio Aureæ-vallis benedictionis munus accepit an. 1593.

XXIV. Eva *de Stein* exauctorata est anno 1626, quod sine abbatis Cistercii licentia novitiam ad professionem admisisset, ac reformationem accipere detrectasset. Jussu prædicti abbatis se recepit Arlunum, aliæque octo sanctimoniales amandatæ sunt in monasterium Differdengense & ad Clarum-fontem.

XXV. Anna IV *de Wassenbourg* Evæ successit; admissis ad votorum emissionem sex novitiis, decessit an. 1639.

XXVI. Agnes III *de la Neuveforge* electa an. 1640, occubuit an. 1693.

XXVII. Maria-Agnes *de Pirombeuf* in abbatissam electa anno 1694, e vivis abiit an. 1700.

XXVIII. Maria-Johanna *Donlinger* fatis functa est an. 1707.

XXIX. Maria-Francisca *de Chardelle* vivere desiit an. 1735.

XXX. Scholastica *Bourguin* successit.

CLARUS-FONS.

CLAIRE-FONTAINE.

UNA leuca ab Arlunensi oppido, quatuor vero a Luxemburgo, ab Ermensenda Luxemburgensi comitissa an. 1216 conditus est parthenon de Claro-fonte ad habitaculum sanctimonialium ordinis Cisterciensis, quibus Arnoldus archiepiscopus, deprecante Margarita comitissa, Ermensendæ nuru, eadem privilegia & exemptiones, quibus gaudent cætera monasteria Cisterciensis ordinis attribuit anno 1251 cal. Octobris. Henricus comes Luxemburgi rebus plurimis id monasterium, quod vocat *Bardenberch*, auxit eodem anno, mense Nov. die festo S. Martini. Idem comes & Margarita ejus uxor anno 1253 factas ab Ermensenda fundatrice donationes collaudarunt. Plurima alia munificentiæ specimina ab ipso comite & comitissa præstita sunt ad annos 1254, 1256, 1257, 1260. Medietatem silvæ suæ *de Helvanges* concessit anno 1254 Cunigondis filia domini Thomæ militis *de Schockwilre*, relicta Hugonis de Mirva. Imo etiam Alexander IV pontifex maximus omnes firmavit possessiones, parthenonemque in suam suscepit protectionem an. 1256. Hic locus inter silvarum opaca positus, ad vitam cœnobiticam extra mundanos tumultus degendam valde est accommodus, cui præsidere solet a monialibus electa, ut plurimum ex nobili stemmate progenita. Cernuntur in ecclesia aliquot perantiqua illustrium personarum, ac præcipue principum Luxemburgensium sepulchra, scilicet Ermensendæ fundatricis, nec non Henrici comitis & Margaritæ comitissæ conjugum.

Charta LXXXII, col. 357.

Berthol. hist. Luxemb. tom. V, prob. col. 56.

ABBATISSÆ.

I. HELVIS seu Helena, filia Ludovici III comitis Ciniensis, prima rexit id monasterium, superstesque erat anno 1220. Ipsi successit

II. Johanna I *de Luxembourg*.

III. Hauwis occurrit an. 1257 in litteris commutationis factæ cum Henrico Luxemburgensi comite.

IV. Margarita I *de Luxembourg* superstes an. 1270 suo monasterio nonnulla commoda curavit.

V. Catharina I *de Luxembourg*.
VI. Mathildis.
VII. Ida.
VIII. Gisela.

IX. Anna *de Clemancy* degebat annis 1400, 1408.

X. Maria *de Semel* præerat an. 1419, qua ætate priorissæ munus obibat Margarita de Septem-fontibus.

XI. Johanna II *de Clemancy* 1429.
XII. Elisabeth I *d'Autel* obiit an. 1453.
XIII. Eva.

XIV. Catharina II *de Wolckrange*, post cujus mortem Himmenrodienses monachi abbatiam occuparunt per quinquaginta circiter annos, quam tamen propter contagionem deseruerunt. Quapropter instituta est abbatissa

XV. Catharina III *de Beretzheim*, Bonæviæ sanctimonialis, quæ adhuc in vivis erat anno 1530.

XVI. Elisabeth II *de Wiltz de Rottert* 1572.

XVII. Elisabeth III *de la Rochette* coadjutricem habuit Margaritam *Felbruchs* defunctam 5 Decembris 1592. Ipsa vero decessit 5 Januarii 1598.

XVIII. Margarita II *de Gorcy* præerat tempore Bertelii abbatis Epternacensis defuncti 19 Julii 1607, ad quem epistolam de præsenti statu

Bertelius. hist. Luxemb. p. 152.

statu parthenonis direxerat. Vixit illa usque A in annum 1644.

XIX. Margarita III *de Pouilly* mortua 8 Decembris 1671.

XX. Antonia-Lucia *de Pouilly* excessit 9 Julii 1696.

XXI. Margarita-Josepha *de la Fontaine*, monasterium ut hodie cernitur construxit. De vita cessit 29 Maii 1734, magnum sui relinquens desiderium.

XXII. Maria-Rosa *de Jodenville* successit anno 1734.

S. ANNA TREVIRENSIS, B
olim
PONS-LEONIS.

Æquali ferme interstitio ab urbe Trevirica & monasterio S. Mathiæ erat sub invocatione sanctæ Helenæ parthenium Cisterciensis ordinis ad fluviolum Oleachium, quem vulgus Leuvichium hodie vocat. Antiquitus hic locus primo Pons-Olei tum Pons-Leonis dictus est. De monasterii ejus antiquitate & origine nihil certi dici potest præter quam quod Theodoricus archiepiscopus anno 1231 decimas in *Talfang* contulerit, spiri- C talemque sanctimonialium, quas quinquaginta olim fuisse ait Bruschius, curam abbati Hemmenrodensi crediderit Gregorius IX anno 1233. Benefactoribus merito accensendi Nicolaus IV papa, Boemundus Trevirensis ac Gerardus Moguntinus archipræsules, qui privilegia & dona indulsere anno 1289. His quoque addendus Ortolphus Schulerus, Trevirensium scabinorum magister, qui vastatum quondam monasterium instauravit. Defunctus vero nonis Martii 1322 eo loci sepultura donatur, & pro secundario loci fundatore habetur. In decursu temporis a Gallico exercitu parthenon eversus, in ipsam urbem ad sanctam Annam in foro equorum translatus fuit anno 1674.

Ch. Lxxix, col. 355.

ABBATISSÆ.

I. Gertrudis I.

II. Agnes a *Dann*.

III. Elisabetha I a *Danneen*.

IV. Catharina I *de Aufflein*.

V. Elisabetha II a *Kemich*.

VI. Catharina II a *Keimpf*.

VII. Maria I a *Bingen*.

VIII. Elisabetha III a *Keimpf*.

IX. Catharina III *de Auffleim* Treverica.

X. Margareta I a *Threis* chorum & refectorium ædificavit anno 1474, de parthenone bene merita.

XI. Hildegardis a Steziis præfuit quinque annis, collapsum & ad pauperiem redactum restituens monasterium.

XII. Catharina IV Treverica.

XIII. Catharina V *de Auffleim*.

XIV. Maria II a *Bingen*.

XV. Anna I.

XVI. Catharina VI *de Auffleim*.

XVII. Anna II, Treverica, patre scabino & consule *Schlieshoff* dicto nata, præfuit ut optima gubernatrix annis 37. Obiit an. 1542.

XVIII. Margareta II nobilis & magnifica domina a *Zuveysel*, egregia sui monasterii illustratrix, præerat an. 1551.

XIX. Apollonia *de Nassau*.

XX. Maria III.

XXI. Barbara *Schwartzenbach*.

XXII. Lucia.

XXIII. Elisabetha IV *Delzen*.

XXIV. Anna III *Platz*.

XXV. Anna-Magdalena Philippi.

XXVI. Gertrudis II *Drossen*.

XXVII. Anna-Helena *Holland* mortua 22 Martii 1697.

XXVIII. Johanna *Reineri* electa 22 Aprilis 1697, pie defuncta 1717.

XXIX. Maria-Catharina *Saurs* electa 18 Febr. 1717, moritur 1748.

XXX. Maria-Rosa *de Hourd* electa 11 Julii 1748, fatis concessit 10 Septemb. 1752.

XXXI. Maria-Anna-Aloysia *de Gesner* eligitur 18 Septemb. 1752.

B. MARIA DIFFERDENGENSIS.

TIFFERDANGE.

Alexander de * Cœlobrio, annuente Theoderico Trevirensi archiepiscopo, in loco dicto *Fons beatæ Mariæ*, sito apud *Tiffertingen* villam, secundo milliari ab urbe Luxemburgensi, construxit ecclesiam in honorem B. Mariæ virginis, ibique novellam sanctimonialium ordinis Cisterciensis plantationem collocavit anno 1235, adhibitis ad earum victum & cultum sat amplis proventibus & possessionibus, in fundationis instrumento enumeratis. Per testamentum suum D eodem anno conditum abbatissæ & conventui quingentas libras Luxemburgenses de proventibus bonorum suorum legavit, quarum ducentæ libræ de dote Hadewidis uxoris suæ tribuuntur pro remedio animæ uxoris ejusdem. Præter hæc parthenoni huic contulit jus patronatus in ecclesias *de Kar* & de Cœlobrio anno 1237 calendis Aprilis & VI calendas Novembris. Omnium bonorum ac possessionum bulla confirmatoria tributa est anno 1247 ab Innocentio IV. Protectionis litteras indulsit Henricus comes Luxemburgensis anno 1263 mense Novembri. E

* Soleuvre.

Ch. Lxxxi, col. 356.

Bertholet, hist. Luxemb. t. IV, prob. p. 62.

Id. p. 69.

Id. p. 57.

Id. tom. V, p. 31.

ABBATISSÆ.

I. Gertrudis, Alexandri *de Soleuvre* fundatoris ex Hadewide conjuge filia unica, in eo loco Deo se mancipavit, abbatissæque munus obibat anno 1248.

II. Mathildis præerat anno 1299.

III. Agnes I *de Wallers* 1306.

IV. Alix 1320, 1326.

V. Maria 1339.

VI. Loreta de Metis defuncta an. 1368, VII id. Maii juxta necrologium Villariense.

VII. Genetta seu Johanna *de Bereldange*, mortua 1391. A
VIII. Agnes II *de Rémich* memorata anno 1414.
IX. Margarita I *de Puttlange* 1454.
X. Margarita II *de Frisbach* 1464.
XI. Agnes III *de Kersen* extincta an. 1477.
XII. Johanna I *de Mousse* 1490.
XIII. Catharina *de Messich* 1528.
XIV. Barbara *de Housse* 1534.
XV. Ormanga *d'Auville* 1535.
XVI. Claudia I *de Housse* obiit 1577.
XVII. Margarita III *de Housse* 1612.
XVIII. Johanna II *de la Ruelle* decessit anno 1623.
XIX. Claudia II *de Cuminelle* fatis concessit anno 1646.
XX. Regina *de la Foutaine* 1670.
XXI. Maria-Catharina *de Manderscheidt* anno 1701.
XXII. Maria-Johanna *de la Fontaine* 1719.
XXIII. Francisca *de Gourcy* nominata ab imperatore Carolo VI 19 Januarii 1720, confirmata est 10 Februarii ejusdem anni.

5 In necrologio Villariensi Loveta & Iveta abbatissæ Tifferdengenses consignantur XIV cal. Februarii. C

MACHERA.

AD lævam Mosellæ ripam infra Bernecastellum nobilem parthenonem de Machera in honorem S. Cornelii papæ Adolphus præpositus collegiatæ ecclesiæ sancti Paulini condidisse dicitur anno 1238 idib. Junii. Parthenon hic Cisterciensi ordini addictus paret monasterio Himmenrodensi, cujus abbas ex commissione apostolica novam ecclesiam a Maria-Ursula *de Metternich* constructam consecravit. Illic asservantur caput S. Cornelii, D reliquiæ SS. Valentini & Everhardi; ad quas epileptici non sine magno solatio confugiunt.

ABBATISSÆ.

I. ALEIDIS I.
II. Juliana.
III. Ponceta.
IV. Himmegardis seu Irmengardis.
V. Eltza *de Metryne*.
VI. Lysa.
VII. Irmengardis *de Wittlich*.
VIII. Barbara.
IX. Catharina I de Treviris. E
X. Aleidis II de Petra.
XI. Margareta I *de Dahlberg*.
XII. Gertrudis.
XIII. Margareta II *de Wittlich*.
XIV. Margareta III *de Lyser*.
XV. Christina ab *Esch* electa 1478.
XVI. Anna *de Dillengen*.
XVII. Catharina II *de Lyser* mortua 1555.
XVIII. Maria *de Metternich*.
XIX. Ottilia *de Arh*.
XX. Catharina III *Morh de Waldt*.
XXI. Regina-Catharina *Braun de Schmidtburg*.
XXII. Regina Ottilia de Rupe.
XXIII. Maria-Catharina *Mohr de Waldt*.
XXIV. Maria-Ursula *de Metternich* electa 1680, defuncta 1727.
XXV. Maria-Theresia-Antonetta *de Holb* electa 4 Februarii 1727.

LHERA.

CONDITUM fuisse monasterium de Lhera in insula intus & in medio fere oppidi B Confluentiæ a Wilhelmo milite *de Helffenstein* circa annum 1242 testantur antiqua monumenta. Jacobus ab *Eltz* archiepiscopus Trevirensis, capto consilio collegium Jesuitarum instituendi in urbe Confluentina, ad eum usum parthenonem Lheranum convertere decrevit, assensumque Gregorii XIII impetravit anno 1580. *Diplomat. Trevir. t. III, p. 101.* Sanctimoniales tamen e suo Lherano parthenone ad aliud monasterium monachorum seu canonicorum regularium S. Augustini, in inferiori insula Rheni situm extra Confluentiam, fratribus pene destitutum, translatæ sunt. Habetur epistola præfati archipræsulis data 25 Septembris 1580 ad patrem Franciscum Costerum de emittendis aliquot Jesuitis ad ineundam possessionem ejus parthenonis tunc sanctimonialibus evacuati. *Ibid. p. 145.* Subest id monasterium ab anno 1265 abbati Himmenrodensi. In eo asservatur pileus S. Bernardi, cujus impositio epilepticis valde salubris esse dicitur.

ABBATISSÆ.

I. BENIGNA, Wilhelmi militis *de Helffenstein* fundatoris filia, prima fuit abbatissa.
II. Adelheydis *de Wetterstein*.
III. Sophia *de Mertloch*.
IV. Schwanildis de Lapide.
V. Paulina.
VI. Hedwigis.
VII. Elisabetha I.
VIII. Agnes.
IX. Schwinildis.
X. Elsa I *de Monthabaur*.
XI. Maria I *de Lahnstein*.
XII. N. *de Schilling*.
XIII. Elsa II *de Lahnstein*.
XIV. Elisabetha II *de Lahnstein*.
XV. Catharina I *de Clecburg* mortua 1489.
XVI. Adelaydis *de Frigin*.
XVII. Helena *Basels*.
XVIII. Gutta *Bohlen de Mertloch* obiit in antiqua Lhera. De translatione sui monasterii dolore percita, gratiam moriendi ante eventum a Deo enixe petiit & obtinuit 22 Septemb. 1580. Ibidem tumulatur in ecclesia cum hoc epitaphio: *Guttæ* de Mertloch *hujus monasterii abbatissæ, quæ tempore translati hujus conventus Cisterciensis in insulam infra Confluentiam animam Creatori suo reddidit, & hic sepulta conquiescit.* *Anna* Meser de Horchem *ei in dignitate &*

officio succedens posuit. Obiit 22 Septembris A *anno M. DLXXX.*

XIX. Anna I *Meser de Horchem* electa in inferiori insula, canonicorum regularium quondam domicilio, quo moniales auctoritate apostolica a Jacobo ab *Eltz* electore Trevirensi translatæ fuerunt anno 1580, succedentibus in earumdem locum ad antiquam Lheram patribus Societatis Jesu.

XX. Maria II *Torncy.*

XXI. Anna II *Dorchom.*

XXII. Catharina II *Gereon* moritur 1658.

XXIII. Maria III ab *Uffling* electa 21 B Martii 1658, diem ultimum clausit 1669.

XXIV. Anna-Renata ab *Uffling*, præcedentis germana, ei succedit 1669, & moritur 23 Februarii 1703.

XXV. Maria-Catharina *Seyherin* creata fuit abbatissa 1703, & obiit 1716.

XXVI. Catharina-Scholastica *Doetschin* munere abbatiali honestata 5 Martii 1716, fatis concessit 1725.

XXVII. Maria-Bernarda *Paccius* electa 12 Januarii 1725, excessit 1741.

XXVIII. Anna-Margaretha *Gamen* præficitur anno 1741. C

OMNES-SANCTI.

MONASTERIUM Omnium-sanctorum intra muros Vesalienses, sanctimonialibus ædificatum, suos veneratur fundatores toparchas e nobilissima familia Schonenbergiorum, quorum ibi sepulturæ cernuntur. Primis conditionis temporibus instituto Benedictino paruisse volunt; verum anno 1259 ordini Cisterciensi coadunatum est. Grassante per Germaniam hæresi vix conservari potuit, D maxima bonorum parte in Acatholicorum potestatem redacta. Verumtamen ut totali illius ruinæ obviam iretur, Nicolaus *Boucherat* abbas Cistercii monasteria ex præscripto concilii Tridentini lustrans, parthenonem hunc annuente Trevirensi archiepiscopo curæ ac sollicitudini abbatum Himmenrodensium demandavit. Præter varias rerum ac temporum vicissitudines quas id monasterium subiit, illud insuper advertendum quod anno 1447 una cum archivio deflagrarit. Idcirco pontifex maximus largitus est indulgentias iis qui operam qualemcunque navarent ac subsidia impenderent. Mirum igitur non est si epocha fundationis ac abbatissarum successio ignorentur. E

PAUCÆ ABBATISSÆ.

I. CATHARINA *Thielen* occubuit anno 1700.

II. Maria *Rappelecta* 9 Martii 1700, moritur 1719.

III. Maria-Elisabetha *Matthæi* cooptata fuit 6 Martii 1719, & acquievit an. 1749.

IV. Maria-Justina *Croeschel* successit anno 1749.

WALLERSHEIMIUM.

PROPE & infra Confluentiam ad Rheni ripam in villa Wallersheimio quondam fuit reclusorium Beguinarum in communi viventium, quas Johannes Badensis archiepiscopus & elector Trevirensis anno 1469 die 12 Februarii abbatis Himmenrodensis sollicitudini subjecit. Illæ ad instantiam Roberti abbatis Himmenrodensis, qua patris immediati, habitum velatarum una cum ritibus & obligationibus a capitulo generali obtinuerunt anno 1686, novamque ecclesiam suam a præcitato abbate Roberto, auctoritate apostolica honestato, solemniter consecrari curarunt anno 1704. Hic parthenon abbatissas non habuit ante annum 1755. Nomina earum quæ præfuerunt pauca novimus.

Ch. XCVI col. 365.

I. ALEYDIS vixit circa 1469, ex Annal. Himmenrod. mss.

II. Catharina *Kelterhausen* decessit 1693.

III. Anna *Hasselenteuffel* præfecturam adepta 1693 22 Januarii, e vivis abiit 1720.

IV. Maria-Catharina *Heustadt* successit 13 Martii 1720, fato functa est 1743.

V. Anna-Barbara *Daubachs* ab anno 1743 ad annum 1755, quo extincta est.

VI. Maria-Benedicta *Goertz* electa est anno 1755 prima hujus parthenonis abbatissa.

ROMERSDORFFIUM.

AD tertium lapidem infra Confluentiam ad dexteram Rheni ripam, juxta oppidum *Engers* exstat Romersdorffium, olim Benedictinorum, qui plures ante annos inde sponte discesserant, abbatia, in quam Albero archiepiscopus Trevirensis emisit anno 1135 canonicos Præmonstratenses, ex Floreffiæ in finibus Namurcensium monasterio eductos: ex quo etiam loco quatuor primi Romersdorfii abbates desumti fuere. Romersdofii nomen a Romanis ibi antiquitus castrametantibus subortum volunt. Eximias protectionis tuitionisque litteras benigne indulsit Romanus pontifex Alexander III anno 1172. Huic olim monasterio plures suberant virginum asceteria, videlicet parthenon *de Wulfferßberg* extinctus an. 1521, parthenon *d'Aldenberg* adhuc hodie florentissimus, Parthenon de Retiis a comitibus *de Konigstein* deletus, itemque Parthenon *de Dorlar* in Hassia a nobili quodam *de Buseck* absorptus.

Annal. Præmonst. t. II, prob. p. 441.

ABBATES.

I. THEODORICUS novam hanc plantationem ex Floreffiensi cœnobio secum emigratam studiosissime excoluit, collapsas ædes opitulante benefico patrono Alberone instauravit. Parthenonem virginum *de Wulfferßberg* constituit in finibus diœcesis Coloniensis a Romersdorffio uno tantum quadrante separatum. Cum decem præfuisset annos, etsi reluctantibus fratrum votis, abbatis exuit dignitatem anno 1145.

II. Macarius ex Floreffia & ille emissus, fidei sacramentum Hillino archiepiscopo spopondit circa annum 1154.

III. Henricus I traductus etiam ex Floreffia, subscripsit anno 1156, 29 Octobris instrumento fundationis abbatiæ Arnsteinensis.

IV. Rudolfus item ex Floreffia accersitus, post duos regiminis annos ad suos reversus est an. 1162.

V. Engelbertus de monasterii gremio electus anno 1172, possessiones & reditus promiscuos Romersdorfii & vicini parthenonis *de Wulfersberg* separavit. Sub ejus præfecturæ tempus conditum fuit nobile monasterium virginum *d'Altemberg*, ad quod sanctimoniales ex *Wulffersberg* extractas deduxit circa annum 1178. Bullam pro confirmatione bonorum & privilegiorum monasterii 22 Aprilis 1179 assecutus est ab Alexandro III. Insequenti anno abbatiam abdicavit. Post secessum ejus uno circiter anno vacavit sedes abbatialis ob ortum inter canonicos dissidium de eligendo novo prælato.

Annal. Præmonst. t. II, prob. p. 441.

VI. Helias, sicut & aliis dignitate, inquit *Waghennart* p. 177, lib. de viris illustribus, sic & virtute ac religiosa observantia anteivit. Obiit IX cal. Aprilis 1201.

VII. Reinerus anno 1202 memoratur in litteris fundationis abbatiæ Saynensis. Ecclesiam consecrari procuravit a Johanne archiepiscopo & Brunwardo Zwerinensi præsule XIV cal. Decembris 1210. Præter suarum possessionum confirmationem, libertatem etiam Telonii in Rheno & Mœno ab Ottone IV imperatore consecutus est 2 Maii 1210. Innocentius III, cognitis hujus viri meritis, una cum abbate de Villario prædicatorem & cruce signatorum protectorem eum destinat an. 1216; cui officio sedulo incumbens, eodem anno III idus Septembris undis Rheni submergitur cum Godefrido cœnobiarcha & Theodorico converso, itineris & laboris comitibus.

Dipl. Trev. t. I, p. 642.

VIII. Bruno a *Braunsberg*, equestri nobilitate satus, plurima bona acquisivit, varia erexit ædificia, bibliothecamque exquisitis libris ditavit. Ipsum itemque abbatem Hemmenrodensem prædicatores belli contra infideles fœderatos renunciavit Honorius III an. 1220. Eodem anno parthenium *de Dorlar* Brunonis regimini se subdidit, laudantibus Ludovico Hassiæ & Thuringiæ Landgravio ejusque uxore Elisabetha, quibus charus fuit & familiaris. Horum vota excepit de dicanda Deo prole, cujus tunc gravida erat Elisabetha. Parentum suorum exsolvit vota S. Gertrudis, in ordinem Præmonstratensem postmodum ingressa. Theodorici archiepiscopi litteris in gratiam monasterii Saynensis subscripsit Bruno anno 1228, defensoresque cœnobii sui anno postero a Gregorio IX Moguntinum, Trevirensem & Coloniensem archiepiscopos creari curavit, obiitque an. 1236.

Ibid. p. 703.

IX. Henricus II impetravit anno 1248 ab Innocentio IV privilegium adeundi hereditatem religiosorum monasterii. Comparatis ab abbate Lacensi 163 jugeribus terræ mœnibus cœnobii contiguis. Descivit e vita an. 1255.

X. Gerardus cum Theodorico Lacensi abbate anno 1255 iniit transactionem, quæ a Richardo Curiosolitæ duce, tunc imperium moderante, confirmata fuit an. 1269.

XI. Embrico an. 1267 a Clemente IV confirmari sategit privilegia: illudque novum & iniquum impetravit, ut antecessorum suorum debita non solveret, nisi creditores probarent conversam ad utilitatem ecclesiæ pecuniam.

XII. Everhardus I documentorum fide nequaquam innixus Embriconi datur successor.

XIII. Johannes I de Lovanio, de quo scribit *Vaghenart*, quod ob probitatis & sanctitatis meritum ad diversarum ecclesiarum regimen fuerit assumtus. Quod & ejus epitaphium testatum facit hoc modo:

Floreffiensis pastor fuit atque Scenensis,
Et Steinfeldensis, Rompstorf *ac Venagiensis.*
Anno milleno septem sex septuageno
Ac duceenteno, juncto numero sibi deno,
Augusto mense, mortis truncatur ab ense.

XIV. Theodoricus.

XV. Henricus III moritur an. 1282.

XVI. Ricwinus.

XVII. Weldelinus defunctus an. 1293.

XVIII. Enulphus vitam finivit an. 1302.

XIX. Philippus decessit an. 1306.

XX. Ludovicus.

XXI. Conradus e medio sublatus 1311.

XXII. Crasso *de Bedendorff* maximam suo tempore passim prædicando famam adeptus est & excessit an. 1330.

XXIII. Roricus I ex priore parthenonis *de Wulffersberg* in abbatem electus, Balduino archiepiscopo fratrem Conradum *Wiriler* ad protosacellani aulici obeunda munera dedit. De vita migravit an. 1332.

XXIV. Arnoldus ab abbatis dignitate se abdicavit, ut prioris munus in Altenbergensi parthenone ageret.

XXV. Hugo.

XXVI. Henricus IV præerat an. 1346.

XXVII. Henricus V *de Limbourg* a Gerlaco *d'Isembourg* ob illata bellicis motibus damna monasterio patronatum tertiamque partem decimarum ecclesiæ *de Heimbach* assecutus est anno 1350, comprobante Balduino archiepiscopo. Diem clausit ultimum an. 1361.

XXVIII. Egidius vivere desiit an. 1362.

XXIX. Waldthelmus *de Leudesdorff* ob pravam administrationem a Petro abbate Floreffiæ exauctoratus.

XXX. Henricus VI *Vois* ex Sayna, defunctus 1394.

XXXI. Winoardus præerat an. 1398.

XXXII. Conradus I obiit anno 1400: post cujus mortem aliquandiu vacavit sedes abbatialis, & interim Everhardus præpositus moderatus est.

XXXIII. Johannes II *de Wetzelar* de vita cessit 1408.

XXXIV. Johannes III *de Rubenach* 1419.

XXXV. Conradus II *de Heimbach* 1426.

XXXVI. Johannes IV 1429.

XXXVII. Eberardus II 1430.

XXXVIII. Roricus II 1432.

XXXIX. Eberardus III *Vondessu* 1436.

XL. Hubertus, episcopus Azotensis, Johannis Badensis archiepiscopi suffraganeus & officialis, decretorum doctor, munia ab ordine & ecclesia sibi credita laudabiliter gessit. Tractatum elegantem in libros decretalium scripsit, abiitque e vivis anno 1483.

XLI. Gilbertus *Keller de Heimbach* mitram cæteraque pontificalia ab antecessore suo velut hereditate parta sibi suisque successoribus imposuit, obiitque anno 1516.

XLII. Johannes V *Mant de Limbagh* parthenonis *de Wulfersberg* emortui reditus suo monasterio adnexuit an. 1521. Mortuus & ipse an. 1524.

XLIII. Thomas *de Divelich* diploma protectionis impetravit a Carolo V imperatore, cui apertis viribus intercessere vicini toparchæ, supremam jurisdictionem super diversis locis eripere cupientes. Quos ut cohiberet, in gratiam Johannis-Ludovici ab *Hagen* archiepiscopi Thomas sub modificationibus jurisdictionem cessit. Hujus etiam ætate Dorlacensis parthenon in Hassia a neotericis direptus extinctusque fuit. Extinguitur & ipse 27 Novembris 1552.

XLIV. Adamus *de Mullenarck* 1559.

XLV. Servatius-Gerardus Jacobo Trevirensi archiepiscopo a sanctioribus consiliis, cujus tempore comes *de Konigstein* acatholicus in asceterium *de Rethirs* violenter ingressus, moniales pepulit & reditus invasit. Moritur autem Servatius an. 1576.

XLVI. Johannes-Urbanus, ex priore Mariæ-Rhode electus abbas mense Februar. 1576, viriliter obstitit comitibus Saynensibus hæreticis, sicque monasterium ab imminenti desolatione servavit. Dignitati valedixit anno 1595.

XLVII. Johannes VI *de Limbourg*, cui Lotharius archiepiscopus ejusque successoribus subjecit parthenium in *Camp* sive Clusam prope Boppardiam, ubi sorores Augustinianæ tertiæ quasi regulæ degunt. Privilegia monasterii a Ferdinando II Cæsare innovari sategit sepulturamque Salentino comiti Isemburgio amico suo in ecclesia tribuit an. 1610. Ipse vero haud parvum damnum a Suecico milite perpessus senex occubuit 29 Aprilis 1634.

XLVIII. Johannes VII *Bielen* ex priore Aldenbergensi in abbatem surrogatus 2 Maii 1634, toto regiminis sui tempore exercitum Suecicum sibi & monasterio infestum expertus, de vita migravit 29 Julii 1638.

XLIX. Gasparus *Schildt*, vir doctus, ex abbate Seynensi factus Romersdorffiensis 10 Augusti 1638, pace nonnihil patriæ restituta, monasterium instauravit, atque Coloniæ in domo paterna decessit 16 Maii 1645.

L. Nicolaus Simonis ex *Kausshenem* e vivis abiit an. 1654.

LI. Petrus *Diederichs*, prior Aldenbergensis, in abbatem cooptatus 2 Januarii, cedere cogitur an. 1657.

LII. Gerardus ab *Entzen*, ex coadjutore Arnsteinensi Seynæ creatur abbas, unde traducitur Romersdorffium an. 1657. Diœcesis Trevirensis visitationem auctoritate archiepiscopi obiit, tonsuramque principi Philippo-Carolo *de Nassau* Hadamariensi contulit. Provinciæ Westphaliæ institutus visitator generalis monasteria reformavit & parthenium inferioris Ilbenstadii, cooperante Anna-Maria *de Calenberg*, ressuscitavit; ast ille decessit an. 1679.

LIII. Carolus *Wirtz*, collectis rebus ad monasterii reædificationem necessariis, opus imperfectum reliquit, apoplexia præfocatus 1705, 10 Decembris.

LIV. Johannes VIII *Wirtz*, superioris nepos, abbatiales ædes dormitoriique partem ædificavit, aquas in hortos & officinas deduxit.

WADEGOTIA.

Wadegassen.

Comitis Saræ-pontis Friderici Gisela vidua ad Saræ fluvii ripas, una a Saræ-Ludovici arce hora, in loco palustri, silvis consito, Simonis filii sui consensu omne patrimonium, quod habebant in *Wadegassen*, beato Petro tradidit, neque advocatia neque juris potentia sibi vel cuique heredum suorum reservata. Ea vero donatio concessa fuit hac lege, ut ibidem ecclesia in honorem B. Dei Genitricis constitueretur, in qua fratres sub regula beati Augustini militarent. Pium id propositum Albero archipræsul suo roboravit diplomate; immo quidem parochialem Wadegotiæ ecclesiam ad quietam & securam cœnobii libertatem contulit abbati perpetuo commendandam an. 1135; bienniöque post ecclesiam monasterii consecravit. Possessiones atque prædia nec non jura ac libertates ejus monasterii litteris suis sanxere summi pontifices Eugenius III an. 1152, Alexander III 1179, Cœlestinus III 1197. Suis item litteris Carolus V imperator regia antecessorum suorum præcepta constabilivit an. 1521. In temporis decursu fundatorum soboles in hæresim lapsa, bona avorum pietate Deo dicata, ingenti monasterii damno ut eriperet nihil non est molita; & sane in integram ruinam abiisset, ni raptores ad restitutionem fuissent coacti. Protectionis etiam litteræ a Carolo VI imperatore concessæ sunt anno 1727.

Annal. Præmonstr. t. II, prob. p. 619. *Ibid. p. 620 & seqq.* *Ibid. p. 625.* *Ibid. p. 626.*

Abbatum Enumeratio.

I. Walframus ab Hugone abbate Præmonstrati institutus & ipse est abbas catervæ fratrum, quos ille Vadegotiam emisit. Obedientiam Alberoni archiepiscopo promisit ex chartario Trevirensi. Confirmationem bonorum assecutus est 27 Maii 1152 ab

Ibid. p. 20.

Eugenio III pontifice. Subscripsit 29 Octob. 1156 litteris fundationis monasterii Arnsteinensis. Eo quoque anno donatus fuit præpositura * Merzetana ab Hilino archiepiscopo, quæ etiamnum unum cum Wadegotia capitulum componit. De eo hæc habet vetustus mss. codex, in quo annus ejus obitus sic consignatur: *Wulframus plenus dierum, morum integritate, bonorum operum vitæque sanctitate celebris, laborum pro domo Dei servus fidelis recepturus mercedem, moritur anno 1158.*

* Mertzig.

II. Fegerinus peregrinis ac infirmis hospitalem domum construxit. Sic memoratur in mss. codice: *Fegerinus cum decem annis præfuisset, fideliter & religiose gubernasset, ac sancte vixisset, obiit in domino 1168.*

III. Godefridus cum Gregorio abbate Prumiensi subscripsit 1179 chartæ Folmari comitis in gratiam Belli-prati. Eodem anno ab Alexandro III, itemque an. 1197 a Cœlestino III pontificibus eximia privilegia adeptus est, ac mortem oppetiit an. 1207.

* Annal. Præmonst. t. II, prob. p. 622 & 623.

IV. Peregrinus mortuus est an. 1219.

V. Reinerus hoc encomio in mss. codice honestatur: *Reinerus abbas tum morum integritate cum regularis vitæ exemplo, omnibus fuit sæcularibus & ecclesiasticis vitæ norma, animas illorum traxit ita, ut Vadegotia fuerit locupletata multis donationibus. Pic obiit anno 1260.*

VI. Henricus decessit an. 1269.

VII. Nicolaus 1289.

VIII. Isembardus eo modo in mss. codice laudatur: *Isenbardus VIII abbas modo suo affabili multa bona obvenerunt Vadegotiæ. Extitit disciplinæ promotor, fratrum suorum amator, charitatis plantator. Obiit anno 1301.*

IX. Matthæus vitam finivit 1319.

X. Radulfus cellæ Argentinensis venditionem laudat anno 1325.

XI. Johannes I 1328.

XII. Rudolphus 1339.

XIII. Wirricus 1353.

XIV. Reinoldus 1358.

XV. Gerlacus *de Randeck* memoratur an. 1360 in diplomate Moguntiæ dato ab imperatore Carolo IV, quo confirmantur litteræ conventus & senatus in *Keyserfluten* diœcesis Trevirensis, per quas hospitali ejusdem loci varia bona & jura conceduntur. Adhuc occurrit anno 1387.

XVI. Philippus I *de Flambrun* ab Gerardo Salinæ-vallis abbate per præpositum generalem præside deputato renunciatur abbas ob suboriam inter electores discordiam. Constitutus fuit visitator a Johanne abbate Præmonstrati an. 1386, satisque concessit an. 1395.

XVII. Lambertus *de Forweiller*, restituta inter electores tranquillitate, pacifice fuit electus, desiitque vivere an. 1404.

XVIII. Philippus II electus an. 1427, ab episcopo Azotensi suffraganeo Trevirensi benedictus fuit, investituramque ab ipso accepit.

XIX. Johannes II de Lutra 1430.

XX. Philippus III de Lutra 1453.

A XXI. Antonius *Jost*, Sarbrucensium comitum innixus favore, haud legitime Philippo successit: verum commissarii ad petitionem electorum submissi defectus supplendo electionem confirmavere. Hic obiit anno 1476 die ultima Aprilis, ex litteris Huberti abbatis Præmonstrati datis de successoris electione.

XXII. Johannes III *Freitzviller* etsi, inconsulto Huberto Præmonstrati abbate, in præsulem cooptatus, ejus tamen electio confirmatur litteris datis 10 Maii 1476. Occubuit anno 1478.

XXIII. Paulus *Frontz* excessit an. 1510.

B XXIV. Johannes IV *Tholey* a Carolo V renovationem privilegiorum impetravit anno 1521. Abiit e vivis 1524.

Ibid. p. 625.

XXV. Kilianus *Heylman* vel *Krilman* diem supremum obiit anno 1539, ex litteris electionis Leonardi qui sequitur.

XXVI. Leonardus *Pfaltz* ex priore claustrali factus abbas 1539, a Nicolao *Tullet* abbatis Præmonstrati procuratore confirmatur 14 Febr. anni ejusdem. Mortuus an. 1551.

XXVII. Seiffridus *Holtzgen* eligitur 17 Martii 1551, eodemque anno ab abbate Præmonstrati confirmatur. Multa passus ab C hæreticis, de vita exiit 1571.

XXVIII. Adamus *de Werbel* suo totiusque conventus nomine litteras ad serenissimum Lotharingiæ ducem direxit an. 1571. Vitæ finem implevit 1579.

XXIX. Claudius *Biesten* anno 1581 die 27 Martii cum toto conventu intercedit Carolo *de Horning* doctori in legibus, qui pro coadjutore se gerebat. Ipse tamen in epistola ad ducem Lotharingiæ, qua veniam petit ob sumtam possessionem citra licentiam serenissimi principis, pollicitus erat 23 Decemb. 1579 a se assumendum esse in coadjutorem eundem D Carolum *Horning*. Reperitur adhuc an. 1607.

XXX. Johannes V Berensis, a Servatio *de Lairuelz* & vicario generali confirmatus, benedicitur Treviris & cadit an. 1634.

XXXI. Johannes VI Lucensis 1636.

XXXII. Philippus IV *Gretsch* memoratur anno 1653. Ob Suecorum bella vix habuit unde vitam sustentaret: quam ob causam sodales ejus in diversa monasteria se receperunt, ipse vero mortem occubuit anno 1667.

XXXIII. Johannes VII Adami, primus pontificalium usum adeptus, ex vita discessit E anno 1677.

XXXIV. Petrus *Max* defunctus an. 1705.

XXXV. Hermannus *Mertz* monasterio antiquum splendorem reddidit, sacræ Eucharistiæ publicum cultum ab uno seculo per Nassoviæ-Sarbrikensis comites interruptum solenni & triumphali processione restituit anno 1714, fratres sacrarum litterarum lectione excultos ad opus evangelicum hæreticorumque conversionem idoneos effecit, bona oppignerata non modo redemit, verum & novas possessiones acquisivit. Decretum etiam a Carolo VI imperatore adeptus est an. 1727,

adversus Fridericum-Ludovicum comitem Nassoviæ-Sarbrikensis. A

ARNSTEINIUM.

LUDOVICUS comes Arnsteiniensis, Præmonstratensis ordinis consuetudine captus, castrum suum Arnsteinium in Enrichæ tractu ad Loganam amnem, uno supra Confluentiam milliari, in montis excelsi vertice, qui latino idiomate *lapis aquilæ* dicitur, immutavit in monasterium anno 1139, consecravitque in honorem B. Mariæ virginis & sancti Nicolai confessoris. Hic comes, traditis possessionibus in manus Godefridi abbatis, e Gratia-Dei, B monasterio agri Magdeburgensis, cum duodecim canonicis totidemque conversis educti, cum Marquardo sacellano, Suikero dapifero & quinque illustri loco natis militibus habitum Præmonstratensem assumsit. Conjux vero ejus Guda *de Bonneburch* comitissa, mariti pietatem æmulata, domicilium sibi in lævo montis constitui, in eoque includi voluit; ubi allectis in societatem primariis ejus loci virginibus, vitam asceticam & ab omnibus mundi illecebris aversam exegit, atque post mortem, quæ accidit XVI cal. Septembris, ante altare beati Nicolai in sanctuario basilicæ sepulta est. Quæ- C cunque vero Ludovicus comes prædia donaque monasterio contulit, hæc Albero archiepiscopus litteris suis in generali synodo hoc eodem tempore sancivit. Id quoque ratum habuere Innocentius II an. 1146, Conradus III rex Romanorum eodem anno, nec non Hillinus item archipræsul 1156 & 1163.

ABBATUM SERIES.

I. GODEFRIDUS, quondam Magdeburgensis ecclesiæ scholasticus, vir gratiæ & singularis meriti, præses coloniæ duodecim canonicorum totidemque conversorum, e monasterio Gratiæ-Dei emissorum, in generali D synodo ab Alberone archiepiscopo ordinatus est an. 1139. Monasterii fundationem itemque possessiones a fundatoribus collatas sategit confirmari ab Innocentio II 30 Septembris anno 1142. Præmonstratum iter aggressus, capitulo generali adfuturus, morbo correptus est Wadegotiæ, ac ibidem obiit 12 Octob. an. 1151. Ejus mortem sic refert author vitæ beati comitis Ludovici fundatoris, scriptor æqualis: « Eo tempore vivæ memoriæ pater Godefridus » anno duodecimo, quo supra Domini familiam E » fuerat ordinatus, ingravescente carnis molestia, » quarto idus Octob. in itinere Præmonstratensi » feliciter obiit, sepultusque apud *Vadegotzin*, » cujus ossa postmodum in ecclesiam suam *Arnstein* » honorifice delata, ante altare beatorum Petri » & Pauli apostolorum debito cum honore sunt posita. » Ejus epitaphium sic se habet:

Aspice flos ubi sit, flos quem Saxonia misit,
Non homo, sed sydus, pater hic pausat Godefridus,
Quem tuba nectarea, vitæ claustralis idæa
Annis bis senis, templi præfecit habenis.

II. Eustachius, vir virtutis & gratiæ singularis, ab Hillino archiepiscopo Trevirensi obtinuit an. 1156 novam fundationis & possessionum confirmationem, donumque Hartardi *de Marenbergh* & Ermengardis ejus conjugis ab ipso sanciri curavit an. 1163. In ecclesiam *Besetich* a Godefrido sacerdote sibi traditam sanctimoniales induxit. Ejus mors in vita B. Ludovici fundatoris sic enarratur: « Hoc tempore (forte an. 1180) felicis memoriæ Eustachius abbas » cum XXIX annis in castris Domini strenue » militasset, solutus carnis ergastulo, Deo tradidit » animam. » Notatur in necrologio Marchasii-Radulfi V cal. Martii.

III. Richolfus, ex vita ejusdem B. Ludovici, Eustachio successit, huncque B. Ludovicum fundatorem VIII calend. Novembris 1185 defunctum sepelivit ante altare B. Nicolai in die commemorationis omnium fidelium. Vitam & ipse mortalem exuit 25 Febr. 1196.

IV. Herbordus jus patronatus obtinuit an. 1196 in ecclesia *de Bubenheim*, adeptus quoque est an. 1197 a Johanne archiepiscopo confirmationem ecclesiarum & bonorum monasterii. Amplissima etiam silva hoc ultimo anno donatus fuit a Cunegunde Nassovii comitissa.

V. Heidenricus præerat an. 1208; exauctoratus vero juridice anno 1211.

VI. Anselmus abdicavit anno 1217.

VII. Theodoricus magno labore & impensis libros ad pensum divini officii comparavit anno 1228. Querelas adversus prædiorum invasores & privilegiorum osores detulit ad Gregorium IX, qui injuriarum vindices constituit anno 1230 archiepiscopos Trevirensem & Moguntinum eorumque suffraganeos. Ecclesiam a Mechtilde Saynæ comitissæ accepit anno 1250. Quam donationem laudavere Arnoldus archiepiscopus an. 1264, & Alexander papa IV anno 1266. Morte sublatus fuit Theodoricus anno 1255.

VIII. Ortwinus cessit anno 1259.

IX. Arnoldus I 1272.

X. Hermannus I resignavit anno 1276.

XI. Johannes I decessit anno 1283.

XII. Hermannus II 1291.

XIII. Wirricus 1297.

XIV. Roricus 1301.

XV. Henricus I 1303.

XVI. Gerardus I 1307.

XVII. Theodoricus abdicavit 1315.

XVIII. Robertus cessit 1323.

XIX. Willelmus *de Staffel*, superstes anno 1367, ecclesiam restauravit, populos, peste grassante, eleemosynis sustentavit, primusque ignobiles ad votorum emissionem admisit.

XX. Gerardus II *Burschet* 1368.

XXI. Henricus II *de Milen* 1380.

XXII. Arnoldus II *de Crummenan* ob pravam administrationem exauctoratus fuit an. 1397.

XXIII. Petrus I *Print* cessit anno 1399.

XXIV. Johannes II *de Ulbach* 1420.

XXV. Orlebus a *Lacheim* 1446.

XXVI. Daniel *Rabenold de Denburg* pro recuperandis possessionibus illegitime distractis decanos B. Mariæ & S. Victoris Moguntiæ judices obtinuit anno 1452 a Nicolao V summo pontifice. Extremum vero diem clausit anno 1458.

XXVII. Meffridus 1473.

XXVIII. Fridericus *Ruffman* 1478.

XXIX. Folbertus *de Heeze* 1479.

XXX. Petrus II *de Selbach Lohe* 1489.

XXXI. Adamus Montheburanus, nobilium abbatum, qui monasterium huc usque ignobilibus exclusis rexerant, fuit ultimus an. 1527.

XXXII. Johannes III Bechetius 1531.

XXXIII. Laurentius *Bach* 1545.

XXXIV. Henricus III *Monsch*, Johanni archiepiscopo a sanctioribus consiliis 1556. Bibliothecam multis instruxit voluminibus.

XXXV. Henricus IV *Schupf* 1574.

XXXVI. Emmericus *de Nassau*, cognomento Diabolus abbas, 1592.

XXXVII. Petrus II Mariomagus a vicinis comitibus Lutherana hæresi infectis ingens damnum in bonis monasterii passus fuit. Dolore percitus occubuit anno 1604.

XXXVIII. Johannes IV *Hoen* B. Mariæ & defunctorum officia pristino more in choro recitanda statuit. Ejus tempore pestis plurimos sustulit canonicos & alios compulit ad fugam. Obiit & ipse anno 1620.

XXXIX. Johannes V *Bingel* apud Ferdinandum II imperatorem multum laboravit ut abbatia Monasteriensis, membrum Arnsteiniensis cœnobii, a Friderico III comite Palatino usurpata restitueretur. Dum autem huic operi fervidus incumberet, morte exarmatus est anno 1631.

XL. Willelmus *Eschenaw* suum vidit monasterium a Sueco milite sacra supellectile spoliatum, seque in captivitatem abductum. Ereptam sibi præposituram *Beselich* adversus Nassovios comites & patres Jesuitas Hadamarienses vindicavit. Verum litem haud decisam post se reliquit, morte præoccupatus anno 1663.

XLI. Antonius *Schlinckman* abbatiam bellis variisque casibus afflictam & ære alieno gravatam resignavit anno 1697.

XLII. Petrus III *Adenhoven* 1702.

XLIII. Johannes VI *Schwenc* electus 6 Februarii 1702, usum mitræ a Carolo *de Lorraine* electore Trevirensi impetravit anno 1711. Quatuor ecclesiæ turres reparavit, sexque villas struxit a fundamentis. Degebat adhuc anno 1725.

SAYNA.

SEINE.

SAYNÆ comites Henricus & Everhardus germani, Henrici comitis filii, haud procul a Confluentia, qua Rhenus feracissimis agris sinistrorsum prætenditur, magnificum intra montium juga nemorososque vertices, prope castrum suum Saynense Præmonstratensibus cœnobium construxerunt, cui idem cum castro & præterlabente rivo nomen indidere. Eam fundationem Guido cardinalis Prænestinus, legatus sedis apostolicæ, confirmavit an. 1202. *Annal. Præmonst. t. II. prob. p. 475.* Quem imitatus Johannes archiepiscopus diplomate hoc anno eamdem donationem ratam *Ibid. p. 476.* habuit, primis loci indigenis e Steinfeldia evocatis. Sequenti anno monasterium brachio sancti Simonis apostoli nobilitarunt pii fundatores. Quin & anno 1206 Innocentius III *Ibid. p. 477.* pontifex tuitionis litteras indulsit. Præterea Johannes archiepiscopus anno 1228, rogante Henrico de Sayna, omnia monasterio sanctæ *Ibid. p. 480.* Mariæ de Sayna a quibuscunque fidelibus oblata suis roboravit litteris.

ABBATES.

I. HERMANNUS cum duodecim fratribus e Steinfeldia Saynam eductus, sub præpositi titulo præfuit usque ad annum 1206, quo ab Innocentio III non confirmationem modo rerum & jurium monasterii, sed & abbatis nuncupationem accepit. Ejus sepulcrali lapidi inscripta fuit anno 1220 hæc epigraphe: *Saynensis primus hic Hermannus jacet abbas.*

II. Gerardus I ex priore factus abbas, societatem precum iniit cum monasterio sancti Cornelii prope Aquisgranum. Mortuus est anno 1225.

III. Ludolphus I sedebat an. 1225, obiitque circa annum 1232.

IV. Henricus I duobus præfuit monasteriis, uti constat ex tabulis Saynensibus, in quibus leguntur hæc verba: *Commemoratio Henrici quondam abbatis in Ungaria & in Sayna.*

V. Ludolphus II 1238.

VI. Ludgerus præerat an. 1248 monasterio Saynæ, unde Clarholtum translatus conjicitur ex his necrologii verbis: *Commemoratio domini Ludgeri abbatis in Clarholto, quondam ecclesiæ nostræ.*

VII. Goswinus canonicus Steinfeldensis & prior Marensis, Saynæ abbas eligitur an. 1255; unde Steinfeldiam traductus est anno 1258, illicque decessit anno 1272.

VIII. Johannes I cessit anno 1268.

IX. Johannes II de Lovanio pluribus præfuit monasteriis, ut testatum facit ejus epitaphium relatum in indice abbatum Romersdorfii.

X. Conradus, cujus gubernio Henricus Trevirensis archiepiscopus anno 1272 Angelicam portam commisit. Ab abbatiali munere postea se abdicavit.

XI. Drudo 2 Decemb. 1279 cum Henrico archiepiscopo permutationem iniit. Deinde Hambornam, testantibus obituariis Saynensi & Steinfeldensi, traductus est.

XII. Manegolus.

XIII. Lingerus.

XIV. Hermannus.

XV. Vetzelinus.

XVI. Arnoldus.

XVII. Bartholomæus.

XVIII. Henricus I 1331.

XIX. Amandus cessit anno 1359.

XX.

XX. Herbordus 1384.

XXI. Henricus II *Fore* 1403.

XXII. Johannes III circa annum 1415.

XXIII. Godefridus.

XXIV. Johannes IV, instante archiepiscopo & ex mandato capituli generalis, Arnsteinense & Romersdorffiense monasteria strictiorem ad regularum observantiam reduxit anno 1445. Abiit e vivis 1464.

XXV. Gerardus II de Nova ecclesia vivere desiit 16 Julii 1465.

XXVI. Johannes V de Berka ex priore in abbatem a commissariis apostolicis eligitur 28 Julii. Post utilem administrationem decessit 3 Aprilis 1500.

XXVII. Levinus de Gauda cessit an. 1518.

XXVIII. Adamus *de Hedesdorff* a præfectura se abdicavit anno 1522.

XXIX. Johannes VI *Hellen de Bedendoff* regimen dimisit anno 1546.

XXX. Henricus III *Kricker* ex priore Angelicæ-portæ creatus abbas, plura opera mmss. reliquit, quæ sequioribus multum profuere prælatis. Ejus ætate Lutherana hæresis surculos suos usque Saynæ viciniam protendit, & de erroris istius propagine plura in diario scripsit ad annum 1562. Fatis concessit 25 Maii 1563.

XXXI. Judocus *Brander* Lutheranam hæresim Saynæ prævalentem ægre conspexit. Ut ornamenta ecclesiæ, pretiosissimum abbatiale pedum, viginti quatuor calices, exquisitissimamque auri & argenti supellectilem, tuta ab hæreticis servaret, in arce comitis Saynensis deposuit, qui & ipse errore infectus, omnia hæc ad utilitatem suam vertit. Præterea bona partim direpta, partim oppignerata fuere; ecclesia parochialis Lutheranis ministris cessit. Tot & tantarum calamitatum per 13 annos testis, mœrore confectus occubuit 5 Januarii 1577.

XXXII. Simon *Hausman* majora passus fuit ab hæreticis; nam conventualem ecclesiam atque etiam reditus monasterii cum ipsis dividere coactus est. Tot malis per 16 annos afflictus interiit anno 1592.

XXXIII. Henricus *Kray* debitis aliquo modo sese extricandi gratia vendidit bona pro quatuordecim millibus florenorum; nihilominus ab hæreticis semper divexatus obiit anno 1599, adhuc relicto undecim millia florenorum debito.

XXXIV. Laurentius *Goer*, canonicus Steinfeldensis & prior Dunvaldensis, in abbatem assumtus, post toleratas ab hæreticis multimodas persecutiones Confluentiæ moritur anno 1607.

XXXV. Gerardus III *Knoir* suis antecessoribus extitit felicior; enimvero Seynensi comite Henrico absque prole defuncto, comitatus obtigit Lothario archiepiscopo, qui hæresim penitus inde exstirpavit. Gerardus autem præfectura sese exuit anno 1629, & postea factus

A pastor *in Aldenar*, peste sublatus est anno 1636 pestiferis serviendo.

XXXVI. Vernerus *Wiesen* Steinfeldensis canonicus, juvenis vir magnæ spei, peste infectus occubuit 10 Decembris 1635.

XXXVII. Gasparus *Schildt*, ex præside seminarii Coloniensis abbas renunciatus, traducitur ad abbatiam Romersdorffieusem anno 1645. Post cujus translationem

XXXVIII. Johannes VII *Hagen*, canonicus Steinfeldensis, abbatiæ præficitur 1653. Adstitit comitiis generalibus electoratus anno 1654. Apoplexia vero percussus Romersdorfii
B moritur anno 1655.

XXXIX. Gerardus IV ab *Entzen* Romersdorffium translatus fuit anno 1657.

XL. Adolphus I *Gulich*, canonicus Steinfeldensis, multos novitios ad professionem admisit. Subscripsit anno 1675 litteris cœtus provincialis Trevirensis. Adamum *Schmitz* seminarii Coloniensis præsidem anno 1682 cooptavit in coadjutorem, qui in Hungariam missus, ut monasteria ordinis iniquis possessoribus eriperet, illic ab hæreticis occisus est. Post pleraque ædificia reparata, atque post visitatoris munus aliquot annis rite expletum,
C mortuus est anno 1698, postquam 40 annis præfuisset.

XLI. Engelbertus *Colendal*, provinciæ visitator, conventioni initæ inter ecclesiasticos & seculares status de norma constitutionum assentitus est anno 1714. Insequenti anno adfuit cœtui provinciali. Totus incumbebat instaurandis ædificiis & ad regularem disciplinam fratribus informandis, cum morte sublatus fuit 20 Septemb. 1719, ætatis suæ 52 & regiminis 22.

XLII. Adolphus II *Damen* ex priore Angelicæ-portæ in abbatem assumtus fuit 3
D Octobris 1719.

XLIII. Josephus *Kappenstein* deputatus cleri inferioris, quamdam transactionem comprobavit 2 Julii 1729.

MARIÆ-RHODE.

Tribus supra Confluentiam horis, secus Mosellam, & retro pagum *Diewelich*, parthenonem Mariæ-Rhode construxere barones *de Schoneck* anno 1131, Alberone Trevirensem ecclesiam administrante. Quod testatum faciunt eorum insignia ecclesiæ ab origine insculpta. Floreffiensi monasterio quon-
E dam subditum fuit id cœnobium, verum a pluribus seculis Romersdorffiensis abbatis curæ subjicitur. Semper constans fuit atque etiamnum perseverat mos alias non admittendi virgines, quam ex nobili genere exortas, quibus præfuere sequentes

MAGISTRÆ.

I. Agnes I *de Schoneck* memoratur III nonas Julii in obituario.

II. Anna *Zantin Von-Dem Ham* X calend. Augusti.

III. Elisabeth I *Wilne* obiit 1390.
IV. Mechtildis a *Lebenstain* 1392.
V. Agnes II XV cal. Martii.
VI. Ida I IV cal. Junii.
VII. Christina IX cal. Martii.
VIII. Jutta *de Munster* 1437.
IX. Gutta 1457.
X. Catharina *de Hobelsberg* 1497.
XI. Agnes II *Kuttenmaul Von-Der Ecuna* 1509.
XII. Margareta I *Duing* 1534.
XIII. Agnes III *Brederin Von Honstein* 1542.
XIV. Margareta II *Von Dinsternach* 1548.
XV. Gisela *Von Dinsternach* 1564.
XVI. Ida II *Brederin Von Honstein* 1566.
XVII. Irmengardis a *Langenbach* 1588.
XVIII. Martha *Von Sceutgenauldt Wersehpfenning* 1613.
XIX. Elisabeth II *de Hedesdorff* 1618.
XX. Maria-Jacobe I ab *Eltz* 1673.
XXI. Maria-Jacobe II ab *Eltz* in *Rubenach* electa anno 1683, cui successit
XXII. Maria-Ursula *de Helding-Haussen.*

ALTENBERG.

ALTENBERGA.

Juxta civitatem Vezlariam, ad Lhonæ fluvii litus, assurgit mons, *Altenberg* dictus, in quo Godefridus quidam sacerdos ecclesiam sancto Nicolao sacram ædificavit; sibique tuguriolum construxit, sedem suam illic figendi gratia. Ast paulo post Engelberto abbati Romersdorffiensi hunc locum a sanctimonialibus ordinis Præmonstratensis inhabitandum tradidit anno 1178. Donum laudavit Arnoldus archipræsul, approbavit & Alexander III papa anno 1180; plurimi etiam imperatores protectionis litteras diversis temporibus indulsere. Johannes VII archiepiscopus Bartholomæo *de Franckenstein* inhibuit 11 Julii 1583 ne adversus monasterium viis facti procederet. Nobilium vero sanctimonialium examen ex Wlfersbergensi parthenone eductum est. Quæ vero id rexerint monasterium, hæ sunt

Annal. Præmonstr. t. I, prob. col. 92 & seqq.

Diplom. Trev. t. III, p. 151.

MAGISTRÆ.

I. Laodamia.
II. Christina I, filia nobilis equitis *de Biel*, obiit 22 Aprilis 1248.
III. S. Gertrudis I, Ludovici Hassiæ ac Thuringiæ Landgravii & S. Elisabethæ uxoris ejus filia, a matre religioni Præmonstratensi vix bimula consecrata fuit. Hæc virgo devota, in Christinæ magistræ contubernio per omnigenæ pietatis exercitia decurso viginti annorum spatio, ipsi Christinæ morienti magistra sufficitur. Quo munere rite functa per annos undequinquaginta, adductis florentissimum in statum monasterii rebus, non sine sanctitatis opinione die sacro B. Hippolyti obdormivit in Domino an. 1297, sepulturam aræ majori proximam adepta.
IV. Catharina I, comitissa Nassovii, moritur anno 1324.
V. Gertrudis II, comitissa Nassovii, 1359.
VI. Anna I, comitissa de Salmis, x Martii 1385.
VII. Catharina II, comitissa Nassovii.
VIII. Lysa, comitissa.
IX. Hadwigis, comitissa.
X. Mayna, comitissa *de Limburg.*
XI. Willeburgis, comitissa.
XII. Jutta, comitissa.
XIII. Anna II, comitissa *de Reneck.*
XIV. Anna III, comitissa *de Solms.*
XV. Imagina, comitissa.
XVI. Elcka, comitissa *de Zeigenheim.*
XVII. Catharina III, comitissa *de Solms.*

Istæ undecim seriatim absque chronologicis notis in schedis consignantur.

XVIII. Agnes I, comitissa *de Braunfels*, soror comitis Ottonis, obiit 21 Maii 1490.
XIX. Agnes II, comitissa *de Braunfels*, a fratre suo Bernardo ad fidem catholicam ejurandam sollicitata, non solum restitit; sed & sororum suarum constantiam sustinuit. Occubuit anno 1531.
XX. Anna IV *de Dudelsheim* 1552.
XXI. Maria I *de Rolshausem* suum parthenium ab hæresi tutum servavit 1539.
XXII. Maria II *Schenekin de Seweinsberg* 1580.
XXIII. Dorothea *de Dudelsheim*, fidei juriumque monasterii indefessa zelatrix, 1602.
XXIV. Elisabeth *de Scheid de Weschpfenning* 1626.
XXV. Anna-Elisabeth *Ridefelin de Billenheim* 1635.
XXVI. Christina II *de Bayerin*, suum monasterium ab hæreticis militibus octies exspoliatum, quin & domum refugii Vezalariæ igni traditam conspexit annis 1643 & 1644.
XXVII. Catharina IV *de Ders* 1655.
XXVIII. Martha-Magdalena *de Hoppen*, iterum a Suecis devastatum parthenonem vidit anno 1684.
XXIX. Anna-Margareta *Forsthneisten de Gelhausen*, instauratis ædificiis, restitutaque regulari disciplina, ætate gravis moritur 26 Julii 1721. Huic successit
XXX. Catharina-Margareta *de Calenberg.*

ANGELICA-PORTA.

ENGEL-PORT.

Situs est hic parthenon Cochemium inter & Treisium, in valle duobus rivis irrigua, nobilium virginum hodiedum florens hospitium. Huic cœnobio originem dedit Emelricus miles *de Munrean.* Is namque contulit monasterio in *Cumerle* quidquid proprii habuit super aquam, videlicet curiam & locum qui dicitur Angelica-porta, ut conventus ibidem construeretur, nonnullæque immissæ sunt sorores ad locum inhabitandum; sed cum non proficerent, ad propria redierunt. Vir autem nobilis Philippus dominus *de Wietenbergh*, qui in proprio fundo in Ardenna ecclesiam erexerat, & tres filias suas ibidem locaverat, comparavit

Charta LXXXIII, col. 358.

locum de Angelica-porta, filiasque suas cum aliis puellis illuc transtulit, ordinato ibidem conventu anno 1262. Illic legibus S. Dominici obstrictæ degerunt usque in annum 1272. Quoniam autem Prædicatorum ordo eas recipere noluit, ad institutum Præmonstratense sese converterunt, professionemque in manibus Corvini abbatis Steinfeldensis emiserunt in festo S. Augustini. Henricus vero Trevirensis archiepiscopus eas subdidit Conrado Saynensi abbati, ejusque successoribus, donationesque parthenoni traditas laudavit anno 1275. Nonnullarum, quæ eum rexere parthenonem, priorissarum vel magistrarum ea sunt nomina.

Annal. Præmonstr. tom. I, prob. p. 102.

I. Lysa *de Frymberck* sic memoratur in necrologiis: *Anno Domini 1406 commemoratio venerabilis ac religiosæ dominæ Lysæ* de Frymberck *priorissæ sanctimonialium in Angelica-porta:* martyrologium conscribi procuravit, librumque animarum.

II. Margareta *Kratz de Scharffenstein* sub titulo magistræ regebat anno 1450.

III. Agnes *de Loppenstein* 1562.

IV. Margarita *Bossen de Waldeck* 1595.

V. Catharina *de Wildburg* 1628.

VI. Elisabeth *de Mezenhausen* 1641.

VII. Regina-Elisabeth *de Mezenhausen* 1666.

VIII. Anna-Eleonora--Margarita *Von Der Leyen Zu Nickenig* 1698.

IX. Anna-Catharina-Gertrudis *Von Wenz Ernider Lahnstein* 1699.

X. Carola-Margareta *de Piesport* 1719.

XI. Isabella-Emerentiana *de Gulpen* 1720.

MARIENTHAL.

VALLIS S. MARIÆ
seu
MARIENTHAL.

HENRICUS abbas S. Maximini Trevirensis an. 1231 Theodorico *de Mersch*, comitissæ Luxemburgensis dapifero, quamdam partem nemoris in banno villæ *de Mersch* siti, aliosque terræ fundos sub annuo censu tradidit, consensitque anno 1235 rei alterius permutationi. Fundatus fuit in ipso loco a præfato Theodorico, ex consensu Elisæ uxoris ejus, parthenon Vallis S. Mariæ, vulgo *Marienthal*, ordinis S. Dominici, tribus a Luxemburgo distans leucis. Loci hujus devotis sanctimonialibus plures regionis nobiles partem suam juris patronatus ecclesiæ *de Rockingen* S. Aldegondis perpetuo possidendam largiti sunt an. 1235. Collatam a Theodorico dapifero ecclesiæ sanctimonialium Vallis sanctæ Mariæ donationem probavit anno 1237 Ermensendis comitissa Luxemburgensis, in cujus præsentia Daniel *de Anschbrouch* & Gerardus frater ejus in præfata Theodorici fundatoris donatione quidquid juris habebant, in perpetuam eleemosynam concesserunt anno eodem. Theodericus II Trevirensis archipræsul idibus Julii 1238 adeptas adipiscendasve possessiones firmavit ac

Bertholet. hist. Luxemb. tom. V, prob. p. 9. Ibid. p. 10.

Ibid. p. 11.

Diplomat. Trevir. t. I, p. 718 & seqq.

A monasterium in suam suscepit protectionem. Eodem anno Adeleydis domina *de Berge* omnem decimam, quam ratione alodii sui *de Rennenbruch* possidebat, perpetuo possidendam largita est. Arnulphus de Machera filiam habuit Gertrudem, quæ velum suscepit in monasterio Vallis S. Mariæ. Qua occasione nonnulla bona sita apud Macheram & Reldingen concessa sunt ab ipso Arnulpho; post cujus obitum frater ejus Petrus legato reclamavit. In hujus controversiæ arbitrum electus Henricus Trajectensis episcopus, partes ad amicabilem compositionem adduxit anno 1268, postridie B Annunciationis beatæ Mariæ. Dedicata fuit ecclesia a Boemundo archiepiscopo Trevirensi an. 1296, ut constat ex hac inscriptione: *VIII id. Januar. dedicatio totius ecclesiæ & consecratio altaris majoris in ecclesia, & altaris in choro, quæ facta est a venerabili D. Boemundo Trevirorum archiepiscopo an. Dom. M. CCXCVI. Et translata est festivitas a prædicto archiepiscopo in octavam Paschæ. Huic domino promisimus per patentes litteras nostris sigillis sigillatas, quod post mortem ejus in omni suo anniversario memoriam ejus semper faciemus solemniter in vigiliis & missis.*

Bertholet. ibid. p. 13.

Ibid. p. 60.

C

PRIORISSÆ.

PRIMA ignoratur.

II. Yolendis, filia Henrici Viennæ comitis ex Margarita *de Courtenay*, Balduini II Constantinopolitani imperatoris neptis, nata est anno 1231. Hæc inspiratione divina atque etiam exhortatione Walterii Meisenburgii, celebris Dominicani, ad seculi contemptum adducta, spretis claris nuptiis a parentibus paratis, inopinato clamque se medio virginum cœtui miscens, habitum religionis sumpsit, votaque publice Deo nuncupavit. Quod ubi attonita mater accipit, nulla claustri reverentia filiam D e monasterio detrahit, abductamque secum Viennam arcta custodia cohibet. Cum per triennium expugnandæ piæ hujus virginis constantiæ omnes frustra adhibitæ fuissent machinæ, parentes eam ad optatum domicilium redire passi sunt; ubi perfectæ vitæ & miræ sanctitatis effulsit exemplis. In priorissam decem annis post ingressum in religionem electa, universam existimationem ac venerationem sibi conciliavit. Equidem Blancha regina virtutum ejus miratrix, comes atque comitissa Luxemburgi, quin & alii multi E optimates plurima ei exhibuere benevolentiæ testimonia. Philippus III Audax Francorum rex argenteam statuam angeli, pedem unum alti, manu tenentis spinam Dominicæ coronæ, in crystallo inclusam, munere dedit. Fama sanctitatis puellarum Vallis S. Mariæ sparsa est in longinquas provincias. Venit itaque in mentem Johannæ Flandriæ comitissæ ut construeret Insulis monasterium ejusdem ordinis. Ad quod dirigendum Yolendis Guillelmam *d'Antoing* sanctimonialem magis virtutibus quam natalium splendore præstantem destinavit. Ad perpetuam vicariam ecclesiæ *d'Elcingen*

Jacobum presbyterum archidiacono Trevirensi præsentavit anno 1263. Invisa est a fratre suo Henrico episcopo Trajectensi, qui exortam inter sanctimoniales & Petrum de Machera gravem controversiam de quibusdam possessionibus compescuit anno 1268. Comitissa Margarita filiæ suæ exemplo allecta, in eo monasterio, quod olim horruerat, Deo se mancipavit, ultimumque diem clausit XVI cal. Aug. 1270. Cui pia filia Yolendis modestum in ecclesia sepulcrum erexit. Triginta libras monetæ Trevirensis accepit ab Eufemia vidua Tolemani civis Luxemburgensis; cui viduæ ejusque filiæ cognomini tribuit ad vitam quatuor maldra frumenti & totidem siliginis anno 1271. Transactionem iniit anno 1276 cum Theodorico *de Korpene* milite de decima & terragio. Id epitaphium inscribitur: *Hic jacet piæ memoriæ soror Yolandis, priorissa ejus loci, illustris viri Henrici comitis & Margaretæ comitissæ Viannensis filia. Cujus hæc mater prædicta soror fuit Baldewini imperatoris Constantinopolitani. Sub ea autem ordo sanctissime vixit, incrementum acceperunt religio & res ordinis. Obiit prioratus sui an. XXV, ætatis vero suæ circiter L, anno domini M. CCLXXXIII, XVI kal. Januarii.*

III. Catharina I *de Berbourg* anno 1285 testatur litteris suis traditum fuisse a Simone de Arluno & Himena ejus uxore omne alodium quod habebant in *Bassendorff.*

IV. Pontia *de Meysenbourg* mortua anno 1289.

V. Adelais I *de Septfontaines* de collatione parochiæ *de Sterpenich* statuit, satisque concessit anno 1317.

VI. Margarita I *de Luxembourg,* Henrici VII imperatoris soror, occubuit anno 1336.

VII. Ida *de Mersch* defuncta anno 1341.

VIII. Felicitas *d'Apremont* 1361.

IX. Johanna I *de Limpach* 1366.

X. Sara *de Hollenfeltz* exactis in regimine quindecim annis moritur anno 1382.

XI. Elisabeth *de Heldingen* 1384.

XII. Adelais II *de Saffenheim* 1388.

XIII. Helena *d'Autel* 1391.

XIV. Margarita II *de Saffenheim* interiit anno 1398.

XV. Mathildis *de Roussy* 1411.

XVI. Catharina II *de la Rochette* præerat anno 1417.

XVII. Margarita III *de Steinville* tribus tantum annis rexit.

XVIII. Adelais III *d'Autel* obiit an. 1458.

XIX. Maria I *de la Rochette* 1466.

XX. Johanna II *de Milbourg* seu *Mailberg* 1470.

XXI. Anna *de Rollingen* seu *Raville* defuncta anno 1503.

XXII. Juda *de Barbanson* 1531.

XXIII. Juliana *de Barbanson* 1570.

XXIV. Catharina III *de Rolthausen* 23 annis præfuit.

XXV. Apollonia *d'Euschringen* decubuit anno 1596.

XXVI. Catharina IV *de Lontzen*, dicta *Roben*, 1598.

XXVII. Francisca *de Schawenbourg* 1611.

XXVIII. Margarita IV *de Rollingen*, post cujus mortem obventam anno 1619, priorissæ munus evasit triennale, non tamen sublata prorogationis facultate.

XXIX. Juliana-Elisabeth *de Deuth* quatuor annos præfuit.

XXX. Barbara *de Housse* sexdecim.

XXXI. Salome *de Schawenbourg* tres.

XXXII. Esther-Fausta *de Stronberg* tres & dimidium.

XXXIII. Nicolaa *d'Allamont* tres annos.

XXXIV. Magdalena comitissa *de Kurtz* quatuor.

XXXV. Catharina V *de Hautoy* quatuordecim.

XXXVI. Maria-Maximiliana, comitissa *de Fugger*, decem & octo.

XXXVII. Maria-Regina-Elisabeth comitissa *de Daun*, viginti duo.

XXXVIII. Maria-Barbara *de Willecholle* tres tantum.

XXXIX. Maria-Ludovica *de Laittre* tres.

XL. Maria-Catharina *de Manteville* ab anno 1709 usque ad 1740. Collabentem ruina parthenonem refecit.

XLI. Maria II *de Coudenhoff de Fraiture* Mariæ-Catharinæ præcedenti successit.

SANCTUS-SPIRITUS.

SAINT-ESPRIT.

AD ostium civitatis Luxemburgensis in prærupta rupe ab Ermensenda comitissa anno 1234 conditum est in honorem Sancti-Spiritus monasterium puellarum, quæ dictæ fuerunt filiæ Pœnitentes B. Mariæ-Magdalenæ. Aliquibus post annis regulam S. Claræ observare cupientes virgines illæ, accitam e monasterio S. Claræ Metensis sanctimonialem, sibi abbatissam præfecerunt; bullasque datas XII cal. Julii 1264 ab Adriano IV, ut ordini S. Claræ adjungerentur, impetrarunt. Medietatem decimarum feodi *Kettenhoven* nuncupati acquisierunt anno 1242, ex consensu Ermensendis comitissæ, quæ eas ab homagio solvit, ipsisque licentiam fecit anno 1243 molendini cujusdam medietatem ab Anselmo *de Ham* emendi. Eodem anno id monasterium sensit munificentiam Henrici comitis Ermensendis filii, qui factam a Sifrido sacerdote vineæ venditionem laudavit anno 1251. Sex maldra siliginis concessa sunt anno 1258 a domina Huitha *de Kunchi*, illic sepulturam suam eligente. Venceslaus Romanorum ac Bohemorum rex jus lignationis in nemore suo de Andevania prope Luxemburgum impertitus est an. 1384, die 22 Novembris. Capta a Ludovico XIV Francorum rege Luxemburgensi civitate anno 1684, parthenon translatus est ad locum dictum *Pfaffenthal*, primaque parthenonis sedes ædificandis militum ædibus destinata.

Bertholet, hist. Luxemb. tom. V, prob. p. 58.

ABBATISSÆ.

I. N. sanctimonialis S. Claræ Metensis, in abbatissam monasterii Sancti-Spiritus electa est, ut patet ex bulla summi pontificis Adriani IV, de qua modo diximus. Abbatissam hanc regimen orsam suisse an. 1247, finemque vivendi fecisse anno 1269 volunt.

II. Euphemia *de Linster* obiit an. 1285.

III. Clara *de Linster* præerat circa annum 1297.

IV. Elisabeth I *de Wenchin* decessit anno 1304.

V. Nitta *de Cunchin* moderabatur circa annum 1311.

VI. Hadvigis *de Schonberg* circa 1321.

VII. Catharina I mortua est anno 1336.

VIII. Cunigondis *d'Aspelt* anno circiter 1352.

IX. Maria septem siliginis maldra a domino *de Limpach* & Sophia ejus uxore emit anno 1357.

X. Anna I defuncta 1364.

XI. Mathildis *d'Esch* circa annum 1373.

XII. Sophia ad annum 1388.

XIII. Catharina II *de Wesel* 1389.

XIV. Elisabeth II *de Wesel* 1416.

XV. Beatrix *de Wesel* 1430.

XVI. Elisabeth III *de Wesel* 1463.

XVII. Elisabeth IV *de Bourscheidt*, soror Suggeri abbatis Munsteriensis, mortua anno 1472.

XVIII. Susanna *de Luxembourg* se abdicavit anno 1481.

XIX. Margarita *de Cerdoff* superstes anno 1486.

XX. Susanna *de Luxembourg*, resumto moderamine, excessit anno 1491.

XXI. Agnes *de la Rochette* post exactos regiminis 33 annos occubuit anno 1523.

XXII. Elisabeth V *d'Orley* occurrit anno 1527, fato functa est anno 1536.

XXIII. Anna II *de Rotgin* seu *d'Engelsdorff*, Juliacensis, electa anno 1536 in festo sancti Martini, adhuc superstes anno 1576.

XXIV. Johanna *de Heumont* moderabatur anno 1583.

XXV. Francisca *Deval* anno 1610.

XXVI. Anna III *de Maësbourg* 1620.

XXVII. Anna IV *de Burthé* 1632.

XXVIII. Anna V *de Stolpert* 1657.

XXIX. Claudia-Francisca *de Neunheim* sponte cessit anno 1670.

XXX. Anna-Regina *Mariau* ad usque annum 1677.

XXXI. Maria-Magdalena *de Herbemont* usque in annum 1711.

XXXII. Maria-Carola *Desossez* 1717.

XXXIII. Maria-Salome I *d'Arimont* ad usque annum 1720.

XXXIV. Maria-Anna I *de Burthé* 1723.

XXXV. Maria-Salome II *d'Arimont* 1733.

XXXVI. Maria-Anna II *de Burthé* 1738.

XXXVII. Maria-Augustina *de Lanser*.

A

S. CLARA EPTERNACENSIS.

PRÆTER celebre S. Willibrordi monasterium est in Epternacensi oppido parthenium ordinis S. Francisci, quod in honorem B. Mariæ & S. Johannis-Baptistæ pro abbatissa & triginta duabus sororibus construere statuerat Johannes Bohemiæ rex & Luxemburgi comes. Id compertum habemus ex litteris Clementis VI summi pontificis Anconæ datis IV cal. Maii 1346. Opus quod morte præventus imperfectum reliquerat Johannes, absolvit Carolus IV Romanorum rex, Johannis
B filius, ut constat ex eximio diplomate, quo princeps præter insignia privilegia, in dotem res quamplurimas tribuit an. 1348. Johannis & Caroli regum nepotum suorum piam voluntatem Balduinus Trevirensis archiepiscopus eodem anno autoritate sua firmavit. Huic parthenoni concessa sunt alia privilegia & immunitates ab ipso rege Carolo IV ad annos 1349 & 1357. Perperam monasterii tribuitur origo opulento civi Trevirensi, nomine Petro *Zarazyn*, a quo copiose dotatum, & reditibus pene exhaustum a Juliana ejus conjuge sic attestatur abbas Bertelius: quo, inquit ille,
C Petrus in has sanctimoniales benignior, liberaliorque erat, eo amplius bene de eis merendi Julianæ studio repugnabat. Quin etiam his non contenta nequam mulier Sicarium quemdam, qui marito suo necem inferret, dato pretio subornavit. Adeo detestandum facinus vix patratum est, cum ad monasterium festina accedit, & ejusmodi sermonibus sanctimoniales ipsa affatur: filiæ meæ, scitis omnes quo zelo, quaque maritus mecum devotione hoc unum monasterium non sine magnis sumptibus ædificari curaverit, proque posse nostro insimul dotaverimus. Nunc ergo, ne forsan aliqui post-
D hac ex familia nostra post mortem nostram negotium vobis facessant, rogat maritus egoque similiter quatenus litteras, quas a nobis recepistis, ad tempus remittatis, donec archiepiscopi authoritate confirmentur: litteras atque documenta omnia simplici animo virgines committunt. Illa igitur voto potita suo Trevirim citissime reversa, veritaque ne mortis mariti sui conscia haberetur, pecuniam resque pretiosissimas secum sumpsit, fugamque clam arripuit. Quo pacto ancillæ Dei una die piissimum fundatorem atque possessiones suas amisere.

Bertholet, hist. Luxemb. t. VI, prob. col. 70.

Ibid. col. 73.

E

ABBATISSARUM ORDO.

I. HILDEGARDIS I Petri *Zarazyn* & Julianæ, de quibus in præloquio diximus, mortem oppetiit anno 1350.

II. Johanna I a *Bech*, cujus tempore monasterium in cineres redactum fuit. Quem casum tanto dolore tulit, ut morbo superata, e vita migraverit.

III. Elisabetha I ex oppido Montis-Thabor oriunda, monasterium flammis absumptum instauravit.

IV. Elisabetha II *d'Orley*, cui successit

V. Catharina *d'Orley*: illa fatis concessit anno 1486.

VI. Agnes *d'Eltz* novem annos laudabiliter rexit, desiitque vivere anno 1495.

VII. Philippa *de Brandebourg*, rebus domesticis prudenter administratis quatuordecim annos, vivendi finem fecit anno 1509.

VIII. Francisca a *Clerf* cum 24 annos præfuisset, ultimum clausit diem anno 1533.

IX. Margarita I *de Nassau* regimen per undecim annos obtinuit, sed senio confecta dignitatem exuit 1544.

X. Hildegardis II *de Mylburgh* viam universæ carnis ingressa est anno 1561.

XI. Johanna II *de Bentzradt* regimen obtinuit usque ad annum 1598, quo defuncta est.

XII. Margarita II *de Manderscheidt* ab Alberto principe designata, adhuc præerat anno 1606.

BISILICHIUM.

HAUD longe a Confluentibus exstat monasterium Bisilichium, varia rerum vicissitudine ac personarum recessu & accessu A memorabile. Principio Templarios milites sedem istic volunt habuisse, his deinde successisse Teutonicos: quibus etiam submotis, locum cepere canonici, ac denique virgines Deo sacratæ monasterium sortitæ sunt & etiamnum incolunt, sancti Francisci institutionibus obstrictæ; quibus Jacobus *de Sirck* archiepiscopus circa annum 1440 Elisabetham Wiesliam matrem dedit.

S. CLARA TREVIRENSIS.

DESERTUM, ac feminis disciplinaque B orbum parthenonem S. Mariæ-Magdalenæ sacrum, pœnitentibus mulieribus quondam in Treverica urbe institutum, Jacobus *de Sirck* archiepiscopus advocatis virginibus D. Claræ severius institutum sectantibus inhabitandum tradidit medio circiter seculo decimo quinto; quarum pudicitiam & salutem observantium Franciscanorum fidei ac tutelæ commendavit. Harum, ut Broweri verbis utar, ad nostram memoriam constans pietas, spectataque religio cum insigni paupertatis, aliorumque monasticæ vitæ laborum tolerantia viget.

Brower. Annal. Trev. tom. II, pag. 290.

ECCLESIA METENSIS.

DIVODURUM Mediomatricorum vel Mediomatricum antiquitus appellata fuit urbs Metensis notaque sub eo nomine vetustis scriptoribus Cæsari, Tacito, Plinio, Straboni, Ptolemæo & Antonino : quos inter Tacitus de cæde ibidem patrata a milite Vitelliano mentionem faciens, hæc habet Hist. lib. X, cap. 63 : *Divoduri (Mediomatricorum id oppidum est) quamquam omni comitate exceptos, subitus pavor exterruit. . . . cæsa tamen ad quatuor millia hominum.* Quo saltem indicatur ea jam tum ætate amplam & valde populosam fuisse. Mettis dicta in notitiis Provinciarum, cujus populi & incolæ Mediomatrices; Metensis urbs Gregorio Turon. ad Mosellam fluvium in Lotharingia; *quam potentissimam in regno Lotharii clarere ait Luitprandus, famosam & inclytam Aymoinus,* lib. III, cap. 2, adeoque inter urbes Galliæ Celticæ haud mediocri semper habitam loco, sub Trevirensi metropoli, hodie Metæ. In ea sedem fixerunt primi Austrasiorum reges, fuitque postea una ex primariis quatuor Germanici imperii urbibus in circulo V, modo Imperatoribus subdita, aliquando episcopis, aut comitibus & gubernatoribus, tandemque suis ipsius sub legibus vivens, post creatos tredecim magistratus, qui jus uncuique redderent. At ab anno 1552 in potestatem Francorum pristinorum dominorum reducta ab Henrico II rege, fidelis regi remansit usque in hanc diem, invito Carolo V imperatore contra quem obsessorem eam fortissime tutatus est Franciscus a Lotharingia dux Guisiæ. Hæc autem vulgo dives cognominatur, una de primis Galliarum urbibus in vita S. Trudonis, cujus descriptionem a Petro Divæo in Itinerario factam juvat hic subjicere. « Metensis urbs in ampla sita est planitie, quam Mosella in varios divisus alveos irrigat, & pars quidem ejus muros ad lævam lambit, pars & eosdem subit, ut civium usibus inserviat, « atque sic divisim fluit ad inferiorem usque eorum ambitum, ubi recepto Sella altero fluvio, « qui dextram urbis partem alluit, in unum denuo alveum colligitur. Sed situ in primis ipsius « urbis delectabamur. Cum enim agrum late circumjacentem planum habeat, ejus tamen area « paulum prominet, ut in eo veterum rationem in condendis urbibus agnoscas. Ad summum « quippe templum multis gradibus ascenditur; juxta quod forum rerum venalium altiorem « totius areæ partem occupat, & ab eo undique versus muros paulatim descenditur, prærupto « tantum una parte clivo, ubi vias duas lapidibus stratas sic dispositas videas, ut altera per « alterius domorum culmina excurrat. Templum majus D. Stephani nomen tenet qui civitatis « est patronus; pulcherrimum vero opus, si quod aliud toto hoc itinere vidimus, & sua mole « spectabile, quodque raro accidit, omni ex parte consummatum. Dicebatur in eo fuisse Crucifixi « ligneam imaginem totam laminis aureis super inductam. Vidimus labrum porphireticum rubei « coloris, magnæ capacitatis, pedes decem longitudine excedens, in quo lustrales aquas adservant. « Sunt & alia in hac eadem urbe sumptuosa templa, & multa erant in ejus suburbiis, inter « quæ D. Arnulfi basilica, imperatoris Ludovici Pii Augusti, Caroli filii, & filiarum aliquot « Pippini regis sepultura celebris. Omnia hæc absumpsit belli rabies, ita ut suburbii ne vestigium « quidem nunc superfit, neque ultra muros quidquam præter campestria videas. » Est ibidem arx munitissima totius regionis Metensis propugnaculum ; urbsque ipsa pluribus operibus exaggerata firmo semper præsidio defenditur. Suprema curia a rege Ludovico XIII instituta (Parlamentum vocant) aliisque pluribus Tribunalibus tam superioribus quam inferioribus insignitur, atque etiam Academia regia Scientiarum & Artium.

Quod spectat ad res ecclesiasticas, episcopus qui & princeps sacri Romani imperii pluribus nobilissimis toparchiis & vasallis gaudet, fruiturque dominio temporali in urbe, nec tamen in cleri Gallicani comitiis locum habet. Præter cathedrale capitulum cujus primaria dignitas Primicerius dicitur, sunt & in urbe tres aliæ ecclesiæ collegiatæ, S. Salvatoris, S. Theobaldi & S. Petri Majoris. Alienum non videtur obiter hic observare ad honorem & decorem insignis ecclesiæ Metensis Christianissimum regem Ludovicum XVI speciali gratia & favore, litteris patentibus Versaliis datis mense Maio 1777, relatisque eodem anno in acta Parlamenti Metensis, capitulum nobilitate donasse, atque canonicis honorificæ ac pectoralis crucis gestandæ licentiam fecisse. Cujus beneficii illi memores pro regis incolumitate & regni ejus gloria ac prosperitate solemnem missam quotannis celebrandam in perpetuum instituerunt. Dividitur diœcesis in quatuor archidiaconatus ac 21 archipresbyteratus, & 623 parochias complectitur, ex quibus 15 in urbe, in qua etiam plures abbatiæ de quibus seorsim more nostro dicemus. Præterea in urbe & diœcesi plures extant religiosæ utriusque sexus & diversorum ordinum familiæ. Episcoporum vita & gesta ex variis chronicis & scriptoribus eruuntur, quorum longe antiquior Paulus Warnefridus diaconus librum de Metensibus præsulibus ad Angelramnum episcopum inscripsit. Antistitum quoque horum historiam gallice ac prolixe scripsit Martinus *Meurisse* ex Franciscano episcopus Madaurensis ac ejusdem ecclesiæ Metensis suffraganeus. Tandem historiam novam Metensem nuper adornarunt duo e nostris sodalibus Congregationis S. Vitoni alumni & Academiæ Metensis socii, cujus tomum primum qui Metis prodiit anno

METÆ.

1769 vidimus ad regnum uſque Caroli Simplicis ſub 917 & 918 pertingentem; cæteri, ſi qui ſunt, nos latent. Ex iis omnibus & ex Sanmarthanis ordinem epiſcoporum in modum qui ſequitur contexuimus.

EPISCOPI METENSES.

I. S. Clemens.

SI tam vulgatos quam ineditos epiſcoporum Metenſium indices, priorum ſaltem & antiquiorum totidem verbis auctorum deſcribere propoſitum nobis foret, profecto commentitiam & vanam hujus eccleſiæ hiſtoriam exhiberemus: tot enim mendis & erroribus ſcatent notæ chronicæ unicuique præſuli aſſignatæ a variis ſcriptoribus, qui nihil antiquius habuiſſe videntur, quam ut eccleſiæ hujus antiquitatem & originem apoſtolicam prædicarent, tam turpiter a ratione temporum aberraverunt, ut fabulam potius quam hiſtoriam narrare cenſendus ſit, qui eorum indiſtincte veſtigia ſequi voluerit. At quemadmodum non omnia quæ tradiderunt exiſtimamus promiſcue admittenda, ſic nec omnia judicamus ex æquo reſpuenda. Fieri quidem potuit ut qui primus omnium, quem ſciamus, texuit catalogum & ſcripſit vitas primorum epiſcoporum Metenſium Paulus Warnefridus Aquileienſis diaconus in diebus, annis & rebus geſtis quibuſdam adſcribendis erraverit; at eum nomina ipſa heroum ſuorum finxiſſe, antiquam traditionem penitus ignoraſſe aut neglexiſſe, ac demum e proprio fundo, nullis iter monſtrantibus monumentis, præſulum ſeriem depromſiſſe, quæ ſub ejus nomine circumfertur, nemo ſibi perſuaſerit, qui noverit ſcriptorem hunc in comitatu Caroli Magni diu commoratum in Auſtraſia, cui Imperatori acceptiſſimus fuit ob ingenii, probitatis & pietatis famam, hiſtoriam ſuam elucubraſſe in conſpectu Angelramni tunc temporis Metenſis epiſcopi & forte ejuſdem rogatu, cui etiam opus ſuum nuncupavit. Igitur æqua lance ponderanda ſunt veterum chronologorum ſcripta ut ex iis, ſi fieri poteſt, veritas eliciatur. Fatemur quidem, ſtare non poſſe quod narrant de S. Clemente a ſancto Petro apoſtolo miſſo circa annum Chriſti 47 ut Metenſibus fidem Chriſtianam evangeliſaret; at non ideo ſtatim expungendos arbitramur ex albo Metenſium præſulum tum ſanctum Clementem qui ſeriem orditur, tum eos qui primi poſt eum Metis ſediſſe memorantur. Damus enim, quod in confeſſo eſt apud omnes, ante Angelramnum, cui librum ſuum dicat Paulus diaconus, nil niſi obſcurum & tenebroſum occurrere; ſed ſi attendatur a S. Clemente ad Victorem qui Agrippinenſi concilio interfuit anno 346 tres tantum epiſcopos intermedios, & a Victore ad Heſperum qui ſubſcripſit ſynodo Arvernenſi anno 535 tredecim numerari intra ſpatium 189 annorum, tunc credibile fiet S. Clementem A eccleſiam Metenſem fundaſſe & rexiſſe circa finem tertii aut initium quarti ſeculi. His præmiſſis vitam S. Clementis a Paulo diacono conſcriptam, at temporum ac perſonarum erroribus ex conjectura purgatam liceat nobis in hunc modum referre.

Clemens origine Romanus auctoritate ſanctæ ſedis apoſtolicæ epiſcopus inauguratus ad Mediomatricos miſſus eſt circa annum 260 ut eis verbum Dei annuntiaret. Qui Galliam peragravit cum ſociis & cooperatoribus Celeſte ſeu Cœleſtio preſbytero & Felice diacono. Cumque tunc temporis bella flagrarent apud Mediomatrices, ſeceſſit vir ſanctus cum ſociis B ſuis in locum ſolitarium *Gorzias* appellatum, ubi exiguum oratorium in honorem S. Petri condiderunt. Aliquanto poſt urbis præfectus, diſponente Deo, a cervo quem venabatur ductus eſt ad eum ſilvæ locum, in quo vir Dei latens orationi, jejunio, aliiſque piis exercitationibus vacabat. Quem aſpiciens princeps interrogavit cur ad vitæ genus tam dirum & aſperum excoleret; cui reſpondit Clemens in votis ſibi eſſe Mediomatricis animarum ſalutem procurare, ideoque aſſiduis precibus ſe & ſodales ſuos divinam implorare miſericordiam ut eis propitiaretur. Quibus auditis, præfectus intus commotus tribus Chriſti apoſtolis facilem C acceſſum dedit in civitatem, ubi prodigiis & ſignis ſacras conciones adjungentes multos e plebe ad Chriſti fidem adduxerunt, ipſumque adeo Olrium urbis præfectum, reſuſcitata per preces S. Clementis ejus filia defuncta, quem ſecuti ſunt inanium Deorum cultores plurimi, qui & in Chriſtum crediderunt, & ſacro baptiſmatis fonte tincti ſunt. Itaque creſcente in dies Chriſtianorum multitudine, cœpit S. pontifex ædes aliquas ſacras conſtruere, in quas poſſet eos congregare, ac virtutum, pietatis & religionis præceptis imbuere. Harum unam in Monte-jovis ſacravit in honorem S. Crucis; & alteram extra muros civitatis in eo loco ubi antea extiterat amphiteatrum ſub nomine D S. Petri ad arenas. Fertur etiam urbem ab immani dracone liberaſſe, « qui anhelitu fœdiſſimo ita aërem corrumpebat, ut ſua infeſtatione portam ipſam & fere tertiam partem civitatis vacuam habitatoribus redderet. Unde ipſa porta ab ipſo ſerpente nomen accipiens, adhuc porta Serpentina appellatur. » Quæ forte per allegoriam dicta de errore falſorum numinum per eum devicto intelligenda ſunt. Perſeverare tamen videtur hujus opinionis traditio in urbe Metenſi, ubi exhibetur populo ſpectrum factitium quod vocant *Groulli*, quæ vox germanica idem ſonat ac ſævum & crudele.

Paulus diaconus, Chron. Senonienſe, lib. II, c. 3; Spicil. tom. III, p. 302.

Martinus

Martinus *Meurisse* ex Paulo Warnefrido citat oratorium S. Johannis-Baptistæ in quo sepeliri voluit S. Clemens post 23 aut 25 annos in annuntiando evangelio transactos. Obiit ex antiqua traditione Metensis ecclesiæ nono cal. Novembris, anno vero, si conjicere licet, circiter 284. Sacrum ejus corpus in eodem loco mansit usque ad annum 1090, quo e terra levatum die 2 Maii, fideliumque venerationi expositum fuit ab episcopo Herimanno, qui eodem tempore ecclesiam construxit in ejus honorem, ubi sacrum pignus deposuit, & etiamnum exstat sub titulo abbatiali. Observat Tillemontius ante Paulum diaconum nihil reperiri de S. Clemente Metensi episcopo; ab Adone, Usuardo aliisque noni seculi scriptoribus omissum in martyrologiis, nec hodie mentionem ejus occurrere in Romano veteri vel recentiore, aut in litaniis ecclesiæ Metensis. Sed quid officit S. Clementi Adonis, Usuardi, aliorumque silentium, quibus aut ignoratus forte fuit Paulus diaconus, aut desuerunt commentarii unde primum Metensem episcopum a pluribus aliis cognominibus discernerent viris sanctis? Ut ut sit temere suspectus illis diceretur fuisse Paulus, quippe qui nimiam diligentiam non semper adhibuerunt ipsi, ut eorum scripta legenti patebit. Denique memoratur S. Clemens in pervetusto pontificali ecclesiæ Metensis annorum 800, teste D. *Calmet* hist. Lothar. tom. I, p. 18.

Martyrol. ecclesiæ Met. Chronicon. Alberici ad an. 1090.

II. S. Celestis.

« Beato Clemente ad cœlestia migrante » S. Celestis seu Cœlestius illi successit in officio » episcopali, ut ferunt veteres omnes catalogi. » Sedit annos XV, obiit II idus Octobris & » sepultus est ante fores cryptæ S. Clementis; » sed post curricula temporum a Drogone archi- » episcopo Metense translatus est in Elisaciam » apud Mauri-monasterium, ubi condigne ve- » neratur, ubi & de illo tale refertur insigne. » Pignora ejus cum pro necessitate communi » quodam tempore deferrentur cum reliquiis » S. Auctoris, dicitur S. Auctor qui quasi famo- » sior præferebatur restitisse, donec sanctus præ- » cederet Celestis. Cætera ejus gesta quamvis » credantur magna, tamen nihil eorum ad nos transmiserunt scripta priorum. » Colitur ejus memoria mense Octobri.

Chronic. episc. Met. Spicil. tom. VI, p. 644. Mss. cod. Cartusiæ Belnensis.

III. S. Felix.

IV. S. Patiens.

De utroque hoc præsule sicut & de duobus prioribus incredibilia narrant chronicon episcoporum Metensium, codex mss. Cartusiæ Belnensis, Meurissius in sua historia ecclesiæ Metensis, aliique chronographi. Felicem aiunt « præfuisse Metensibus annis 42 sub apostolico » Evaristo & Alexandro, obiisse IX cal. Martii » anno Adriani XI, Xisto papante Romæ hujus » nominis I; ac tandem sepultum juxta sanctum » Celestem, sed longo post tempore translatum » in Saxoniam ab imperatore Henrico Babenbergense. » De sancto autem Patiente hæc habent: « Felici successit S. Patiens, quartus Metensis episcopus. Hic fuit genere Græcus, » (Latinam potius credas, si nominis etymologiam » spectes) Evangelistæ Johannis discipulus . . hic » ecclesiam S. Johannis Evangelistæ ad australem » plagam ipsius urbis construxit, marmoreis subnixam columnis, quæ post combusta est ab » Hunnis. In hac ecclesia & dentem ipsius sui » magistri posuit cum duodecim reliquiis Apostolorum, ubi & ipse postmodum requievit » sepultus. Hic sedit in episcopatu annos XIV, » &c. » Secernantur a fabulosis credibilia & apparebit unicuique prudenti rerum æstimatori Metis vicissim sedisse ambos præsules sanctum Felicem & sanctum Patientem, huncque extra muros civitatis fundasse ecclesiam in honorem S. Johannis Evangelistæ. Extat in abbatia sancti Arnulfi vetus codex in quo perpensis utriusque ecclesiæ juribus ac prærogativis sancti videlicet Arnulfi & sancti Vincentii seculo decimo constructi; priori præstantia dignitatis tribuitur, utpote 700 annorum antiquitate præ alia commendabili. Quarto igitur floruit S. Patiens, quem ferunt ecclesiam in honorem S. Johannis Evangelistæ ædificasse, quæ postea S. Arnulfo nuncupata fuit. Præterea si sanctus Victor qui sequitur, immediate S. Patientem supplevit, ut volunt indices omnes, cum ex concilio Agrippinensi anni 346 cui interfuit Victor certam habeamus ejus episcopatus epocham, eadem conducere potest ætati sancti Patientis assignandæ. Cæterum prorsus ignota nobis ejus gesta pontificatus & vitæ spatium. Ejus reliquiæ an. 1193 detectæ in veteri S. Arnulphi ecclesia ibidem sepultum fuisse indicant. Eas in theca argentea inclusit imperator Conradus, in qua hodiedum quiescunt ad latus majoris altaris collocatæ.

V. S. Victor I.

Novæ exsurgunt spinæ cum de inquirenda S. Victoris I ætate aut definiendis ejus gestis agitur. De eo sic mss. codex Cartusiæ Belnensis: « S. Patienti successit Victor Metensibus præsul V qui sedit per annos IX. Obiit X cal. Octob. » sub eodem Pio papa anno Antonini Pii prin- » cipis X, & sepultus est in ecclesia beati Cle- » mentis. » Idem iisdemque verbis de eo narrat chronicon episcop. Met. cujus autoritatis & fidei sit utrumque monumentum ex antedictis jam liquet. Verum aliud nobis suppetit majoris ponderis testimonium, ex quo sessionis ejus & tempus & locus elici possunt acta nempe synodi Agrippinensis anno 346 adversus Euphratem coactæ nomen ejus præferunt, « annuentibus, inquiunt, Martino Moguntino & Victore Mediomatricorum episcopis. » Scio Martinum *Meurisse*, ut opinionem suam de S. Clemente primo ecclesiæ seculo Metensium apostolo tueatur, substitutum Autori 13° Metensium episcopo Victorem confidenter scribere; quod æque adversatur historiæ &

Spicil. t. VI, p. 645.

Concil. Gal. Sirmond. t. I, p. 11.

Hist. Met. p. 33.

chronologiæ. Testem profert S. Gregorium Turonensem apud quem non lego sanctum Servatium Metas venisse ut Autorem seu etiam Victorem de proxima Attilæ in urbem suam incursione & de imminenti ovibus suis periculo certiorem faceret, siquidem ante Autorem & Attilam vixit centum & amplius annis Servatius Tungrorum episcopus; verum ex conciliorum a Binio, Sirmundo, Harduino cæterisque collectionibus adornatis comperio SS. Servatium Tungrorum & Victorem Metensium episcopos inter patres synodi Agrippinensis primæ sedisse, ibique tulisse suffragium adversus Euphratem Arianum. Nec me latet suspecta esse quibusdam eruditis synodi hujus acta, eo quod idem Euphrates quem ab episcopatû Coloniensi dejectum volunt ob blasphemiam Arianam, anno sequenti numeretur inter patres concilii Sardicensis, a quibus etiam legatus ad imperatorem Constantium missus, ut ab eo S. Athanasii, aliorumque Catholicorum præsulum sedibus suis ab Arianis pulsorum restitutionem exoraret; verum hæc quantumvis captiosa & plausibilia exsufflat ipsemet Blondellus Calvinianus, fateturque nihil inter se pugnare sibi videri episcopum e loco dejectum ob errorem aliquem a se impie defensum, qui eumdem paulo post tam celebriter ejuraverit, ut concilii generalis patres ad gratiam & pacem sibi reddendam coegerit. Et sane nonne in eodem concilio laudat sanctus Athanasius Asterium, qui cum aliquando Eusebianorum partes secutus fuisset, ad Sardicenses & orthodoxos patres melius consultus regressus benigneque exceptus fuit? Optandum quidem foret quoddam in historia monumentum Euphratæ retractationis fidem faciens; at quot alia temporum illorum facta suis nudata circumstanciis ad nostram venere notitiam, quæ tamen pro indubitatis tenemus ob consequentia maxime & quædam adjuncta cum quibus necessario colligantur? Præterea nullam suppositionis notam præ se ferunt acta synodi Agrippinensis, dies adnotatur, cunctaque decernuntur ad normam in antiquis canonibus præscriptam. Hujus meminere veteres scriptores Lupus Ferrariensis in vita S. Severini episcopi Coloniensis, & anonymus autor vitæ S. Servatii Tungrensis ante elapsum seculum octavum conscriptæ. Huic patrocinantur doctissimi de Marca, Pithæus, Launoius, Aurelius, Corringius aliique, & nuperrime Plessæus noster in sua historia Meldensi, ac D. *Roucel* in Virdunensi hanc synodum calculo suo comprobarunt. Denique si domno *Cellier* non probantur hujus synodi acta, cum tamen agnoscat eosdem præsules Gallicanos, excepto sancto Sanctino Virdunensi, qui Agrippinense concilium celebrarunt, Sardicensi anno 347 interfuisse, hinc deducitur circa hæc tempora Metensi ecclesiæ S. Victorem præsedisse.

VI. S. VICTOR II.

« Post hunc alius Victor assecutus est cathedram episcopalem VI sedens in ea 3 annis. « Obiit IX calend. Octobris, prædicti principis « Antonini Pii XIII anno, sub prædicto papa « Pio. Horum duorum sicut de translatione sic « & de actuum relatione siletur, nisi quod in « ecclesia B. Clementis similiter sepulti sunt. » Ita mss. cod. Cartus. Beln. chronicon episcoporum Metensium, spicil. tom. VI, p. 645 & alii passim catalogi, unde mirum & a Sammarthanis & ab recenti ritualium ecclesiæ Metensis librorum editore unicum appellari Metensium præsulem Victorem, cum duo sint cognomines & continui. Huic forte omissioni locum dedit temporis brevitas, quo episcopatum tenuit Victor secundus, huncque unum & eumdem cum decessore effecit. Attamen duorum ab antiquo memoriam semper coluit ecclesia B. Clementis in qua sepulti sunt.

VII. S. SIMEON.

« Simeon septimus est episcopus consecratus, qui præfuit Metensibus 30 annis. Obiit XIV « cal. Martii Marco-Antonino-Vero imperante « cum filiis suis Aurelio & Lucio 12 eorum « principatus anno, sub Eleutherio papa. Similiter « & ipse sepelitur in ecclesia S. Clementis, sed « postea transfertur ad monasterium * Senonense. » Ita habet cod. Beln. cujus errores in computandis annis & assignandis epochis nemo non videt. Sic etiam, mutatis quibusdam in editione Acheriana chronici episc. Met. spicil. tom. VI, pag. 645 legitur. De translatione ejus reliquiarum in monasterium Senoniense per Angelramnum episcopum Metensem anno 770 facta suo loco dicemus.

VIII. SAMBATIUS.

« Sambatius præfuit octavus præsul in Metensi ecclesia qui sedit in episcopatu 18 annis. « Obiit XVIII cal. Octobris sub Victore papa, « imperante Severo principe ultimo imperii ejus « anno. » Ita cod. Beln. at paulo diverse Acherius in suo episc. Met. chronico, quem videsis.

IX. RUFUS.

« Rufus nonus Metis fuit episcopus qui 29 annis sedit in episcopatu. Obiit VII idus No- « vembris sub Calixto, imperante Maximino « 3 ejus imperii anno, sepultusque est in ecclesia « S. Clementis, & postea translatus in ecclesia « * *Otreneym* » diœcesis Vormatiensis ubi recolitur ejus memoria die 7 Octobris. Huic perperam Meurissius tribuit epistolam ad Nicetium Trevirensem archiepiscopum titulo forte deceptus quem præfert in collectione Quesnii, « domino semper suo & apostolico domno & papæ Nicetio Rufus episcopus. » Tollit enim omnem ambiguitatem D. *Bouquet* observans non Divodurensem sed Octodurensem in Vallesia episcopum fuisse Rufum illum cujus est epistola ad Nicetium. Quare distinguendi sunt cognomines illi ambo episcopi, maxime cum ex Gregorio Turonensi sub Theodorico I Austrasiorum rege floruerit

*Otrenheim.

Collect. hist. t. I, p. 863.

Nicetius Trevirensis, & ex Meurissio episcopatum simul cum vita dimiserit Rufus Metensis circa annum 229. Quod quidem posterius a vero quantumvis aberret, hinc saltem sequitur nullo modo conciliari posse Rufi Metensis episcopatum cum Nicetii Trevirensis temporibus.

X. ADELPHUS.

« Adelphus X fuit Mettis episcopus qui sedit x & VII annis; obiit IV cal. Septembris sub Anthero papa, Gallo & Volusiano imperantibus, secundo anno regni eorum. Hic etiam sepultus est in ecclesia S. Clementis. Hic etiam translatus est ad Novillare. » Hæc de Adelpho cod. Beln. & chronic. episcop. Met. in quo tamen recensentur alii Imperatores aliique pontifices Romani, uti passim assolet. Id unum ad verisimilitudinem de Adelpho videtur propius accedere, vixisse nempe eum sub finem quarti seculi temporibus S. Petri Chrysologi Ravennatis archiepiscopi, cujus est sermo 136 ipsi inscriptus. Vide acta Wimphylingii apud Bollandianos relata t. VI, pag. 507, ubi tamen negant coæquales fuisse ambos illos præsules aut sermonem Petri ad Adelphum Metensem spectare; quanquam non male cohæreat cum illa opinione annus 457, ad quem obitum S. Petri Chrysologi refert Adrianus *Baillet*, cujus autoritas, si non præponderet, saltem æquipollere debet. Maximus tamen in re præsenti nodus est, quem utinam aliquis expedire possit. Nempe Firmino qui Adelphum excipit tribuuntur anni 45 regiminis & Leguntio Firmini successori 34, huncque immediate supplet S. Autor, cujus temporibus Gallias invasit Attila. Istum & præsulum & annorum ipsis competentium ordinem post chronicon episcoporum Metensium, codicem Belnensem aliosque chronographos sequitur ipsemet doctissimus D. *Calmet*. At quanto satius illis fuisset imitari Paulum diaconum bona fide fatentem se ignorare & acta primorum episcoporum Metensium & tempus quo vixerunt, sic enim loquitur: « Successit Adelphio Firminus, deinde Legontius, de quorum aliquid vita præter nomina nihil ad nos reduxit relatio prisca. »

Vit. SS. t. I, p. 32.

Hist. Lothar. t. I, p. 22.

Paulus Warnefr. biblioth. patr. t. I, p. 330.

XI. FIRMINUS.

Scribit Wasburgius Firminum Romæ degisse quo tempore Theodoricus Othogothorum rex Arianus in Italia dominabatur, ubi Catholici omnes quibuscunque poterat diris modis ad partes Arianas trahere nisus, plurimos graves summosque viros in diversas regiones fugere compulit, ex quibus Firminus Metas venit, inque locum Adelphi demortui suffragantibus clero & plebe suffectus fuit. Quibus autoribus aut testibus ista proferat prorsus silet. Firminum quidam existimarunt adfuisse concilio Agathensi an. 505 aut 506, quanquam hujus Firmini, qui tanquam simplex presbyter a suo episcopo deputatus, actis synodi subscribit, sedes episcopalis nullibi appelletur. Metensem vult Saussayus præfuisse 8 annis, Ginius 28; neuter opinionis suæ rationem reddit. Rem in ambiguo relinquunt Bollandiani, quibus sat est nodos indicare inextricabiles, qui ex sententia eruditi D. *Calmet*, seu potius ex autore chronici episcoporum Metensium & codicis Belnensis exscriptore oriuntur, apud quem « Firminus Mettensium undecimus episcopus sedit annis 45, obiit XV cal. Septembris sub Gaio papa, imperantibus Diocletiano, principatus eorum XV. » Quid de eodem narret alter vid. tom. VI spicil. pag. 646.

Bolland. act. SS. tom. III, Julii, p. 354.

XII. LEGUNCIUS *al.* LEGONTIUS.

De Legontio & antecessoribus ejus Metensibus episcopis hæc habet chronicon Alberici ad annum 446. « Treviris post Mauritium præfuit Legontius primo ut dicitur Metensis episcopus. Usque ad istum Legontium isti Metensium fuerunt episcopi per ordinem, sanctus Clemens, Celestis, Felix, Patiens, Victor primus, Victor secundus, Symeon, Abacius (Sambatius), Rubertus (Rufus), Adelfus, Firminus, Legontius duodecimus. » Quæ quidem & temporum & ordinum ratio melius concordat cum historia & chronologia quam quæ narrantur in chronico episcoporum Metensium & in codice Belnensi, ubi hæc de Legontio referuntur: « Legontius XII Metensium episcopus annis 34 præfuit, obiitque XII cal. Martii, præsidente Romanis Marco papa, imperante Constantino Christi amicissimo anno ultimo regni ejus, & in ecclesia beati Clementis tumulatur. »

XIII. AUCTOR.

Ex eodem Alberici chronico ad annum 450 Legontio successit Auctor in utraque Metensi & Trevirensi ut constat ex sequentibus: « Treviris post S. Legontium episcopum fuit sanctus Auctor archiepiscopus & ipse Metensis episcopus. » Hæc si non omni ex parte accurata sunt propterea quod ambo illi præsules dicuntur ex Metensi ad sedem Trevirensem transiisse, qui forte solummodo, vacante hac sede, pastoralem curam & sollicitudinem diviserunt Trevirenses æque ac Metenses, nihilominus ad verisimilitudinem multo propius accedunt, quam quæ leguntur in chronico episcop. Met. in codice mss. Beln. apud Meurissium & alios chronographos. Quid de Auctore habeat codex mss. Beln. more nostro hic subjicimus: « Auctor tertius decimus Metensium episcopus sedit annis 29. Hic beatus Auctor eadem tempestate, quando non solum Gallia, sed etiam pene Occidens universus Barbarorum sævitiam est perpessus, ad ecclesiæ gubernacula est ascitus. Obiit IV idus Augusti sub Felice papa, imperantibus Valentiniano & Valente anno principatus eorum 3. Hic sepultus est in ecclesia beati Clementis. » Editio Acheriana tom. VI, spicil. p. 648 annos episcopatus ei tribuit 49,

aitque eum obiisse sub Siricio papa, imperantibus Gratiano & Valentiniano; plura alia sibi repugnantia ibidem ei tribuuntur, « nempe sub » eodem tempore fuisse cum Martino Turonensi » & Maximino Trevirensi, cum quibus apud » Coloniam urbem damnavit Euphratam hæreticum » (quod ad Victorem I pertinere suo loco monstravimus) & ecclesiam Metensem rexisse quando « Attila rex Hunnorum sumpto » Domini gladio ad resecandam Gallorum lasciviæ abundantiam.... habenas suæ crudelitatis in omnem Galliam relaxat. »

XIV. Explecius.

Explecius, qui Paulo diacono Æplitius, Alberico Eplecius, & Sammarthanis Æpletius, ab auctore catalogi versibus descripti vocatur Epletus, a quo etiam defunctus dicitur III cal. Aug. nempe die 30 Julii, & sepultus est uti plures ex antecessoribus in crypta S. Clementis. Explecium primi Sanctorum numero adscribunt Ferrarius & Saussaius in suis martyrologiis. De eo hæc habet codex Belnensis: « Ephetius » XIV Metensium episcopus sedit in episcopatu » sexdecim annis. Obiit sub Siricio papa, reg» nante Gratiano & Valentiniano anno 6 » regni eorum. Hic etiam sepultus apud sanctum Clementem. »

XV. Urbicius.

« Urbicius XV successit in Mettensium » pontificatu. Hic primus omnium ipsius urbis » archiepiscopus nominatus. Præfuit vero qua» draginta novem annis (editio Acheriana annos » episcopatus 29 ei tantum tribuit). Obiit II cal. » Aprilis sub Celestino papa, imperante Theo» dosio minore regni ejus octavo. Hic sepultus est in ecclesia S. Maximini ultra Salliam. » Ita codex Belnensis, cui quæ sit habenda fides jam supra monuimus. Cæterum jure inter Sanctos numerat Urbicium martyrologium ecclesiæ Metensis, qui talis ab omnibus chronographis habetur, & cujus memoria colitur die 20 Martii; at perperam ei tribuitur dignitas archiepiscopalis, cum nusquam hoc titulo decorata fuerit ecclesia Metensis; & antiquitus in Gallia Belgica duæ tantum recenseantur ecclesiæ metropolitanæ Trevirensis & Remensis.

XVI. Bonolius.

« Bonolius XVI Mettensium episcopus » sedit annos tres, obiit VIII idus Octobris sub Cœlestino papa. » Nihil de eo præter nomen scitur; *al.* dictus Bonolus.

XVII. Terentius.

« Terentius XVII Mettensium episcopus » qui sedit in episcopatu annis 20, obiit IV cal. » Novembris sub Leone papa, regnantibus Marciano & Valentiniano 5 anno regni eorum. » Ejus vita fabulis referta pluribus post illius obitum seculis scripta servatur in mss. codice Metensis ecclesiæ, de qua nihil certi possumus eruere. In martyrologio Metensi hæc de eo:

A *IV kal. Novemb. Metis depositio sancti Terentii episcopi & confessoris: & XVII kal. Junii Metis translatio corporis beati Terentii.* ANNI CHRISTI

XVIII. Consolinus.

« Consolinus octavus decimus in sacerdotali officio sedit annos in Mettensi civitate decem « & octo; obiit II cal. Augusti sub Leone papa, « imperante etiam Leone judice anno regni « ejus 4. » Ejus nomen varie varii legunt mss. codices, apud quos dicitur Gunselinus, Gosselinus, Gosolinus, Consolonus, Cosolonus, Gunzolinus & Ansalinus. Diu hæserunt Bol-
B landiani an eum in Sanctorum numerum referrent, quem titulum tandem ei tribuerunt veteris martyrologii abbatiæ S. Petri Metensis autoritate confisi, in quo sic habetur ad diem 31 Julii: *Mettis natale sancti Gunzolini episcopi & confessoris.*

XIX. S. Romanus.

In vivis superstes erat Romanus, ex Cointio, anno 486, quo Clodoveus bellum contra 486. Siagrium gerebat. Hic anno 489, quo Pro- *Annal. eccl. Franc. t. I, p. 116.* binus & Eusebius consulatum inierunt, obiit idibus Aprilis, cum diœcesim administrasset 489.
C annis sex & triginta. In martyrologio Metensi recolitur ejus memoria die 13 Aprilis his verbis: *Idibus Aprilis Metis depositio sancti Romani episcopi & confessoris.*

XX. S. Phronimius.

Male a quibusdam cum Firmino supra memorato confusus Phronimius, Romano successit, actisque in episcopatu octo annis decessit anno 497, VI cal. Augusti; sepultus est 497. in ecclesia sancti Clementis. In martyrologio Metensi hæc de eo habentur: *VI kal. Aug. Metis depositio sancti Phronimii episcopi &*
D *confessoris.* Et apud Molanum ad eamdem diem: *Metis sancti Fronimii episcopi & confessoris.*

XXI. S. Grammatius.

Distinguendus est Grammatius ab alio cognomine, Vindonissæ episcopo, qui anno 535 concilio Claromontensi interfuit. Enim vero Grammatius Metensis, Phronimii successor, mortem oppetiit anno 512, VII cal. Maii, 512. pontificatus sui decimo quinto. De eo hæc habet martyrologium Metense ad diem 25 Aprilis: *VII cal. Maii Metis depositio sancti*
E *Gramatii episcopi.*

XXII. Agatimber.

Obiit Agatimber anno 525, IV idus Maii, 525. cum annos duodecim & menses sex in episcopatu exegisset.

XXIII. Hesperius.

Excepit Agatimbrum anno 525 Hesperius, Sperius, vel Sperus, Theoderici regis 14, ex Cointio. Adfuit concilio Claromontensi in Arvernia habito anno 535, Theodeberti I 535.

ANNI CHRISTI

Austrasiorum regis 2, cui subscripsit in hæc verba: *Hesperius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Metensis consensi & subscripsi.* Is & alii patres concilii ad eumdem regem Theodebertum litteras synodales direxerunt, quibus eum rogant ut, qui in ejus regno bona possident, pacifice perfruantur. Deprecantur etiam ut vetet ne quis, sive episcopus, presbyter, clericus inferior, vel laïcus opibus suis in alterius regis dominio positis exuatur, dummodo solitum solvatur vectigal. Cum Theodorico rege, Nicetio Trevirensi & Lupo Suessionensi episcopis corpus B. Theodorici abbatis ad tumulum detulit. Exactis septemdecim annis in episcopatu occubuit x calend.
542. Septembris 542, quo die notatur in supplemento martyrologii Gallicani. Corpus ejus humatum est in ecclesia S. Clementis, dehinc in communem cum Victore I & Victore II capsam repositum anno 1142.

XXIV. S. Villicus.

Cum episcopatus sex vacasset mensibus, electus est in pontificem Villicus, qui eximiam famam & existimationem sibi comparavit, ut legitur ex epistola Mapinii episcopi Remensis, a quo ita laudatur: « Quod si, inquit, te » conditor redemptorque noster usque ad sexa- « genarium numerum annorum, ut exoramus, » provexerit, eris cunctis præcipuus & reliquis » sacerdotibus anteponendus; ut cuncti, qui vitæ » tuæ instructione proficiunt, se doleant te deesse & se post vivere ingemiscant. » Miris etiam laudibus extollitur a Dynamio, qui forsan in exsilium pulsus, illum rogat ut a rege obtineat celerem reditum. Ipsius quoque virtutes Venantius Fortunatus exercitæ in se hospitalitatis memor hoc modo carmine cecinit:

Quesn. hist. Franc. t. I, pag. 860. *Ibid. p. 861.* *Fortunat. lib. III, carm. 14.*

Gurgite cæruleo pelagus Musella relaxat,
Et movet ingentes molliter amnis aquas.
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lavat herbarum leviter unda comas.
Hinc dextra de parte fuit, qua Salia fertur,
Flumine sed fructus pauperiore trahit.
Hic ubi perspicuis Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet & ipse perit.
Hoc Metis fundata loco, speciosa coruscans,
Piscibus obsessum gaudet utrumque latus.
Delitiosus ager ridet, vernantibus arvis,
Hinc sata culta vides, cernis & inde rosas.
Perspicis umbroso vestitos palmite colles,
Certatur varia fertilitate locus.
Urbs munita nimis, quam cingit murus & amnis,
Pontificis meritis stas valitura magis.
Villicus æthereis, qui sic bene militat armis,
Stratus humi genibus te levat ille suis.
Unde humilis te projicis alme sacerdos,
Orando hinc patriæ ducis ad astra caput.
Fletibus assiduis acquiris gaudia plebi,
Pastoris lacrymis lætificantur oves.
Ictibus invalidis quamvis minitetur iniquus,
Tu quibus es murus, vulnera nulla timent.
Et licet incluso lupus insidietur ovili,
Te custode gregis, nil tibi prædo nocet.
Oblectas populos vultu sine nube sereno,
Cunctorumque animos gratia blanda fovet.
Si poscat novus hospes opem, tu porrigis escas,
Invenit & proprios ad tua tecta lares.
Dum satias querulum, magis obliviscitur illas,
Quas habet in patriis finibus exsul opes.
Qui sua damna refert, gemitus subducis ab ore,
Gaudia restituens tristia cuncta fugas.
Protegis hinc nudos, illinc tu pascis egentes,
Nil tibi reddit inops, reddit amore Deus.
Horrea præmittis, melius tua condita servans,
Quas sic diffundis dat paradisus opes.
Culmina templorum renovasti, Villice cultor,
Cum veniet Dominus, stat labor ecce tuus.
Commissum video non suffodisse talentum,
Sed magis optatum multiplicatur opus.
Longius extentos peragras tam digna per annos,
Et maneat semper nomen, opime, tuum.

Metensem ecclesiam Villicus rexit 25 annis & duobus mensibus, scilicet a mense Februario 543 ad diem 17 Aprilis 568. In martyrologio 543.
Metensi sic adnotatus: *XV cal. Maii Metis* 568.
depositio sanctorum confessorum pariterque pontificum Villici & Arnoaldi.

XXV. S. Petrus.

Successor Villici Petrus, ille sane est ad quem Gogus epistolam direxit sic inscriptam: « Domino vere sancto ac beatissimo domino & patri Petro papæ, Gogus. » Plurimam significat necessitudinem ac venerationem præsuli « in quo, inquit, apostoli Petri nomen radiat renovatum, quem decorat speculando Dei « gratia, pastoris probitas ac dispensationis hu- « manitas. » Simul etiam plures ecclesiæ Metensis claros viros salutat. Sic memoratus S. Petrus in martyrologio cathedralis ecclesiæ: *V calend. Octob. Metis depositio S. Petri episcopi Metensis.* Eodem die colitur in ecclesia S. Clementis, ubi conditus est anno 578 post decem episcopatus annos. 578.

Quesn. ibid. pag. 863.

XXVI. Aigulfus.

Patre ex nobili Senatorum familia ortum Aigulfum, ut inquit Paulus diaconus, lubenti animo concedimus; sed ex Chlodovæi regis Francorum filia procreatum, ut ipse Paulus & chronicon episcoporum astruunt, opinio est nulla probatione fulta. Juxta mss. factis commentitiis abunde refertum, Madaurensi episcopo communicatum a magistro scabino Metensi, nomine *Praillon*, Ansbertus quinque fratres duasque sorores habuit. Primus fuit Deotarius, qui fundavit episcopatum Arisidii, cujus consecratus est præsul, ubi vitam absolvit:

Meuriss. hist. Met. p. 85.

ANNI CHRISTI

secundus nomine Firminus fuit præsul Uceticensis in prima Narbonensi prope Arisidium: tertius vocatus Aigulfus, ad insulas Metenses evectus, locum Arisidii ecclesiæ S. Stephani tradidit; cujus loci Deotarium germanum suum inauguravit episcopum: quartus dictus Gamardus filium habuit Godinum patrem sanctæ Segolenæ & sancti Goerici, postea futuri Metensis episcopi: quintus tandem Regnifredus, pater Nummoli, qui Lumbardos ex Gallia pepulit: duæ sorores nuncupatæ Goda & Maria, virgines manserunt. Hi omnes dicuntur habuisse genitores Tonantium Ferreolum & Deutheriam quamdam seu Industriam, quam Chlodovæi I Francorum regis natam volunt genealogi quidam, fabularum magis quam veritatis amatores. Frater natu major, inquiunt, est ille famosus Ansbertus, per quem regum nostrorum secundæ ac tertiæ stirpis originem cum prima connexam & a præfectis prætorio Galliarum, imo a Romanis imperatoribus derivatam asserunt. Sed missis rebus nimis incertis ad certiora veniamus.

Promotus fuit ad sedem episcopalem Aigulfus anno 578, cujus ætate Metis habitum
590. est anno 590 concilium, in quo Ægidius Remensis episcopus, læsæ majestatis reus, depositus fuit & in exsilium missus; simul etiam Chrodieldis & Basina, sanctimoniales sanctæ Crucis Pictaviensis, venia petita, ecclesiæ reconciliatæ sunt. Legitur nomen Aigulfi in inscriptione epistolæ, quam sanctus Gregorius magnus anno 601 ad plures Galliarum episcopos direxit in gratiam evangelii præconum, quos ad S. Augustinum majoris Britanniæ apostolum adjutores dimiserat. Sunt & aliæ ejusdem pontificis epistolæ ad hæc circiter tempora scriptæ. Prima Sanctus imperat Virgilio Arelatensi, in ecclesiis dominationis Childeberti regis vicario suo, quem pallio donaverat, ut intercedat simoniæ & ordinationi neophitorum. Altera præcipit omnibus Austrasiæ præsulibus ut Virgilio obsequium exhibeant. Cum autem 20 annos sedisset Aigulfus, Sanctus a Madaurensi episcopo appellatus, diem clausit extremum x cal. Decemb.
598. 598.

Quam maxime incertum est an Aigulfus ecclesiæ Metensi episcopatum Arisidii, qui revera in prima Narbonensi substitit per unum circiter seculum, tradiderit. Ne unum quidem hujusce donationis recurrit vestigium: sed multo magis incertum, ne dicam falsum, utrum Deotarium consecraverit episcopum Arisidii, quippe quod & ipse ad episcopatum non pervenerit, nisi post Deotarii mortem.

XXVII. S. Arnoaldus.

599. Episcopatum an. 599 mense Martio adeptus est Arnoaldus, quem Paulus diaconus nepotem præcessoris Aigulfi vocat. Omnes, inquit Cointius, Arnoaldum, qui pater fuit S. Arnulphi, nepotem agnoscunt Aigulfi ex Ansberto fratre. Unde factum est ut multi crediderint Ar-
A noaldum patrem S. Arnulfi, postquam ab Oda uxore recessisset, e Glanderiensi monasterio, quod dotaverat, evocatum fuisse, qui patruo suo Aigulfo succederet; Sed Arnoaldum Metensem episcopum ab Arnoaldo patre sancti Arnulfi alium fuisse multa persuadent. Nullus ex antiquis autoribus, qui B. Arnulfi stemma pertexuere, patrem ejus episcopum Metensem asseruit: alii ducem, alii virum illustrem appellarunt. Arnoaldus Metensis episcopus in æde sui nominis prope Saripontem humatus fuit; Arnoaldus pater S. Arnulfi habuit sepulturam in monasterio Glanderiensi. Uterque inter
B Sanctos honoratur: Metensis episcopus colitur die 17 Aprilis: dux die 18 Decembris. Ex quibus sequitur Arnoaldum episcopum Metensem esse plane diversum ab Arnoaldo patre sancti Arnulfi. Porro Arnoaldus episcopus a Theodeberto II rege accepit prædium *Merkenghen*, situm ad Saram, ubi clericis monasterium exinde ex ejus nomine vocatum condidit sub jurisdictione ecclesiæ Metensis. Id testatum manet ex litteris Adventii episcopi, qui anno 857 præ manibus habens archetypum donationis adiit Lotharium Austrasiæ regem expostulaturus de quodam Rolone,
C a quo prædium fuerat usurpatum. Post annos octo & mensem unum præsulatus obiit Arnoaldus an. 607. Quiescit in æde sui nominis prope Saripontem. Colitur xv. calend. Maii ipso die obitus.

XXVIII. S. Pappolus.

Difficultas non levis est de Arnoaldi successore, alii Pappolum sufficiunt, alii Arnulfum, rursum alii Pappolum volunt sedisse triennio, alii annis viginti septem. Pithæus in evulgato indice Pappolum prætermisit, licet nomen ejus legatur in indice Pauli diaconi, in catalogo
D metrico depromto ex antiquo pontificali cathedralis, in chronico edito tom. VI spicilegii, in duobus mss. tam S. Arnulfi quam sancti Symphoriani, in omnibus vetustis chronicis Metensibus, nec non etiam in martyrologiis Metensi & Gallicano. Quin etiam auctor vitæ sancti Chlodulphi tricesimi secundi episcopi expresse enuntiat clerum & populum Metensem precibus a Theodeberto II rege, qui interfectus est anno 612, petiisse ut Pappolo defuncto subrogaretur Arnulfus. Ex quibus manifeste apparet Pappolum revera ecclesiæ
E Metensi præfuisse, non viginti septem annis, ut nonnulli volunt, sed tantum triennio & sex vel septem circiter mensibus; id est ab anno 607, quo mortuus est ejus decessor Arnoaldus 17 Aprilis, ad usque annum 610, quo obiit & ipse die 21 Novembris. Insigni hoc elogio donatur Pappolus in martyrologio Gallicano: « Is Arnoaldum in ordine sequens meritis sic æquavit, ut pari splendore, pari « vigilantia, nec minori sapientia populo suo « prælucens, sedem hanc collustrarit. » Ad orientalem urbis plagam in honorem sanctorum Innocentium construxit monasterium, deinceps

dictum de S. Symphoriano, ex quo Adalbero II sub finem 10 seculi post cœnobii refectionem reliquias hujus sancti Martyris reposuisset. Sepulturæ in eodem loco traditus est Pappolus, cujus nomen claret in vetere martyrologio Metensi & in Gallicano XI cal. Decemb.

XXIX. S. Arnulfus.

Fabricata antiquitus genealogia, pro connectenda prima Franciæ regum stirpe cum secunda, plures innixi voluerunt S. Arnulfum a Clotario I rege oriundum ex ejus quadam filia Blithilde nomine, quæ nupsit Ansberto patri Arnoaldi, ex quo natum esse sanctum Arnulfum astruunt. Ut res est perquam incerta, dixisse satis erit hunc Sanctum auctorem esse secundæ stirpis Franciæ regum ex filio suo Ansigisilo seu Anchiso, qui uxorem duxit Beggam filiam Pipini I, regii palatii Austrasiæ Majoris, ex quo prodiit Pipinus junior, genitor Caroli Tuditis seu Martelli, patris Pipini a Francis in regem cooptati. Nomen patris S. Arnulfi non legitur in antiquissimo vitæ ejus scriptore; sed vocatur Bogisus in vita S. Odæ uxoris suæ. In diplomate Ludovici Pii edito anno 835, ac relato anno 1421 in charta imperatoris Sigismundi nuncupatur Bodagislus. Opinantur nonnulli Arnoaldum Bogisum, quem Gregorius Turonensis ait fuisse unum e ducibus Childeberti II regis Austrasiæ, patrem ejus exstitisse.

Parentibus nobilissimis & opulentissimis, Francis genere, natus dicitur Arnulfus in villa Layo, sita in comitatu Calvomontissæ prope Nanceium, ubi nunc est prioratus conventualis ab abbatia S. Arnulfi dependens. Cum litteris ac pietate admodum imbutus fuisset, Gundulfo Subregulo, palatii regii rectori, traditus est informandus in bonis moribus & exercitiis origini suæ consentaneis. Magnam tam in arte militari quam in omnimodis rebus peritiam consecutus, sex villas in totidem provinciis, prius sex œconomis commissas, solus curam administrandi a rege accepit. Subinde suadentibus propinquis & amicis, uxorem duxit Dodam nobilem puellam, ex qua duos suscepit filios, Chlodulfum & Ansigisilum seu Anchisum, quorum prior postea fuit episcopus Metensis; posterior Ansegisilus Beggam in matrimonio habuit, Pipini senioris, Majoris domus in Austrasia filiam, ex qua Pipinum juniorem avum Pipini, qui salutatus est rex a Francis, procreavit. Religionis ergo Lirinense monasterium Arnulfus, una cum Romarico amico suo quamplurimum visitare exoptasset, sed obstaculis iter est impeditum. Forte dum impositum Mosellæ pontem trajiceret ac prospiceret aquarum rapiditatem & altitudinem, narrat Paulus diaconus ab imperatore Carolo Magno audivisse Sanctum culparum suarum numerum cum aquarum copia comparantem intus dixisse se a Deo omnium veniam delictorum impetrasse crediturum, quando annulum, quem confestim projecit

A in fluvium, recuperasset. Dicunt annulum, cum Sanctus ad episcopatum pervenisset, repertum fuisse in extis piscis, qui ad ejus cœnam parabatur; nam ex quo episcopus evasit, abstinuit ab esu carnium. Servatur etiamnum in ecclesia cathedrali unus annulus, quem canonici solemniter ad monasterium S. Arnulfi deferunt quotannis die ejus festo.

Si fides est Mabillonio, sanctus Arnulfus Metensem episcopatum non tenuit ante annum 614; sed eum in errorem prolabi potuisse suspicamur: nam autores antiquissimi vitarum SS. Goerici & Chlodulfi, quos secutus est
B Cointius, sanctum Arnulfum creatum fuisse episcopum regnante Theodeberto II, qui obiit anno 612, asseverant. « Eo tempore, inquit autor vitæ sancti Goerici, regnabat in Gallia « Theodebertus, in Metensi urbe præsidebat « beatus Arnulfus. » Verba scriptoris vitæ sancti Chlodulphi hæc sunt: « Actum est defuncto Pappolo Metensium pontifice hunc beatum « Arnulfum summa instantia a clero & plebe « postulari, & tanta vis in hostulando erat, ut « Theodebertus rex, licet haberet hunc inter « amicos amicissimum, & inter consecretales « secretissimum; esset etiam palatii rector, & «
C audiendorum reddendorumque consiliorum « primus auditor & sapientissimus redditor; vicit « tamen nobilissimæ plebis, ut ita dicam, admirabilis improbitas & inverecunda in rogando « constantia; & beatus Arnulfus eruditissimus « laïcus & sanctissimus major domus derepente « clericus factus cathedræ pontificali votis omnium populorum felicissime ad regendum est « elevatus. » Ducibus his duobus pervetustis autoribus, sancti Arnulfi ordinationem cum Cointio figere non dubitamus ad annum 611, post mortem Pappuli, quam anno 610 die 17 Novembris contigisse diximus. Ubi ad
D episcopales infulas est elatus, Doda ejus uxor, sumto velamine, apud Trevirenses in monasterium usque ad diem mortis sese retrusit. Ille vero non nisi profusa lacrymarum vi & allegatis excusationibus pontificatum accepit. Jam tum a Deo cumulatus est tot gratiis, ut omnibus effulserit virtutibus, præsertim caritate in egenos, qui undique ad eum concurrebant, ut penuriæ suæ levamentum invenirent. Pene thesauros omnes, ut in ejus vita legitur, in pauperum usus aliquando erogarat: supererat tantum discus argenteus librarum duarum & *Mabill. act. SS. Ord. S. Bened. sæc. II, pag. 153.*
E septuaginta, quem Hugo inter proceres primus, datis alimoniis & iis quæ pauperibus erant necessaria, sibi comparavit; cum autem post Hugonis mortem idem discus ad Clotarium regem allatus fuisset, hic comperto quod ab Arnulfo episcopo pauperum alendorum causa venundatus fuisset, eum adjunctis centum aureis celeriter ad sanctum pontificem Metim referri jussit. Aliam hanc in pauperes voluntatis ejus exhibet probationem Paulus diaconus. Cum duos haberet filios, Chlodulfum & Anchisum, ab utroque consensum petiit eorum facultates omnes ad usus pauperum dispertiendi.

ANNI CHRISTI

Chlodulfus natu major renuit, annuit minor, quem pater benedicens, longe ampliora quondam habiturum prædixit. Quantam in alios benignitatem & humanitatem, tantam in se ipsum exercuit austeritatem. Enimvero tres persæpe jejunus exegit dies: plerumque hordeaceo pane & aqua vescebatur, corpus suum jugiter cilicio macerabat. Jam pridem solitariæ vitæ desiderio captus, sæpe in villa Dodimaca quæ est apud Vosagum, interdum Calciaci non longe ab urbe in cellulam retrusus cœlum diurnis nocturnisque precibus pulsabat; sed veritus ne per illud tempus plebs quam alendam susceperat, æternæ vitæ pabula minus acciperet, cœpit Clotarium rogare per litteras, ut alium pontificem eligi curaret, qui verbo prædicationis seminando magis esset idoneus. Tantæ virtutis & humilitatis exemplum rex admiratus, inter illa sic illi rescripsit: « quod scribis domine & pater, ut tuo loco alium eligamus episcopum, id quidem nos nulla ratione facere ausi sumus. » Non precibus sancti præsulis modo rex non acquievit, verum etiam maximi momenti munus ei credidit, ut ex ejus vitæ autore discimus: « Arnulfum episcopum, inquit, Chlotarius tanta fide & amore dilexit, ut cum prolem suam Dagobertum in principatus culmine sublimasset, eidem regnum ad gubernandum & filium ad erudiendum tradiderit. » Fredegarius idem testatur hisce verbis: « Ab initio quo regnare cœperat (Dagobertus) consilio primitus beatissimi Arnulfi Metensis urbis pontificis, & Pippini Majoris domus usus tanta prosperitate regale regimen in Auster regebat, ut a cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet. » Quandiu juvenis princeps ex præceptis sancti Arnulfi se gessit, rex habitus est consummatissimus. Consilio ejus atque Pipini, teste Fredegario, Chrodoaldum virum superbum ac divitiis per latrocinia auctum morte multavit. Jussus a patre Chlotario ex Austrasia Clippiacum, regium palatium prope Parisios, accessit anno 625 ut Gomatrudem germanam Sichildis reginæ novercæ suæ uxorem duceret. Triduo post nuptiarum celebrationem gravissima inter utrumque regem emersit controversia. Dagobertus domaniorum a patre distractorum e regno Austrasiæ restitutionem poscebat: postulata filii Chlotarius respuere. Statutum tamen est ab utroque rege, ut ab episcopis & optimatibus componeretur dissidium. Commissa fuit hæc provincia sancto Arnulfo aliisque pluribus, qui decreverunt ut quidquid ad regnum Austrasiæ spectaverat, præterquam quod situm erat citra Ligerim vel Provinciæ partes, Dagobertus possideret.

625. Ad eumdem annum 625 sanctus Arnulfus synodo Remensi sub Sonnatio ejusdem urbis episcopo celebratæ interfuit, primus a Flodoardo inter præsules, etiamsi plures metropolitanos, positus. Sub ejus pontificatu, anno scilicet 620 aut circiter, a duce Eleutherio conditum fuisse volunt monasterium puellare

A sancti Petri, ubi instituta est prima abbatissa S. Valdrada.

Verumtamen ut Sanctus magno in solitudinem secedendi desiderio flagrabat, suum exsecutus est consilium anno 626. Itaque primo ad Chlotarium regem, sine cujus consilio nulla res majoris momenti gerebatur, litteras scripsit, significans se a Deo monitum episcopatu, quo esset indignus, cedere ac in eremum secedere statuisse; orare ut sibi successorem dari sineret, qui episcopali oneri ferendo magis idoneus esset. Chlotarius non nisi ægre, sed tamen annuit. Deinde idem

B flagitavit Arnulfus a Dagoberto, qui ut erat juvenili ardore ferocior, minis Arnulfum a proposito deterrere conatus est. Quo pacto res acta sit ita narratur: « Cum insuperabili desiderio vir beatus ad eremum aspiraret, rex Dagobertus ut erat prudens, suspicatus se eum minis absterriturum, ne illius consiliis & solatiis destitueretur, ait ad eum: charissimi filii tui ob admissum facinus caput amputabo, si nobiscum nolis permanere. At vir sanctus ei respondit: filii mei vita in manu Dei est, tu vero compos vitæ non eris, si insontium vitam perdere volueris. Tum iratus rex ensem manu

C corripit. At beatus episcopus regis morituri iram parvipendens constanter ait: quid facis miserrime? ita ne mala pro bonis vis reddere? en habes me paratum. Exerce arma tua in sanguinem meum, quantum collibitum est animo tuo. Ego pro illius mandatis mori non dubito, qui & vitam mihi dedit & pro me mortuus est. Tum vero unus e proceribus dixit: Noli bone rex contra ipsum impium agere; an non vides sanctum virum obeundi martyrii cupidum esse? cur non pertimescis Christi servum injuria afficere? his verbis, jubente Deo, regis ira non nihil repressa est.

D Interea regina adest, & ambo agnoscentes culpam suam, simul ad pedes sancti præsulis corruunt cum lacrymis ut ipsorum misereatur, aiuntque ad illum: abi domine ad eremum pro arbitratu tuo, tantummodo te placitum habeamus, quem injuria affecimus. » Ubi egressus est e regia, reperit ante valvas innumeram multitudinem egenorum, viduarum & orphanorum, gemitus edentium quod non pastore tantum, sed patre essent mox orbati. Hoc tristi spectaculo motus sanctus pontifex, præter solatium & vitæ præcepta spem dedit

E futurum ut haberent præsulem, qui necessitatibus eorum provideret. Extorta igitur discedendi facultate, pius antistes, Goerico cognomento Abbone sibi substituto, cum omnia sua in egenos erogasset, urbem Metensem reliquit, & duce Romarico amico quondam suo, qui his auditis ad ipsum accesserat, in solitudinem Habendensis monasterii secessit post quindecim præsulatus annos. Illic aliquandiu conversatus, petiit in eremum, cui vocabulum est Horenbergum, ibidem cum aliquot monachis inter feras sanctissime vixit, identidem admittens leprosos, quibus cum eximia humilitate ministrare

ministrare solitus erat, ita ut vilia quæque, etiam coquinæ, officia vir tantus non abhorreret. Germanum adolescentem Trevirensem, septemdecim annos natum, a Modoaldo Trevirorum episcopo institutum, seculi delicias & illecebras vitare nitentem, in eremum admisit, futurum postea Grandivallensem abbatem & martyrem. Cum extremus instaret vitæ dies, mox præsto adest cum monachis suis Romaricus, ultimos sanctissimi pontificis spiritus excepturus. Tum vir sanctus ad eum: « Jam, inquit, instat dies, quo supremo judici sistendus sum. Quid vero acturus miser, qui nihil boni in hoc seculo gessi, immo criminibus undique vallatus coartor? Ora itaque pro me, bone vir & Deo dilecte, ut scelerum veniam merear. » Eo animam agente, lector pro more sacro-sanctum Christi evangelium inter psallentium & legentium cantus & gemitus personat. Dein Romaricus exstincti corpus ea qua par erat dignitate & veneratione in monasterio Habendensi humandum curavit. Adhuc elapsus non erat abhinc die mortis annus, cum Goericus in episcopali sede successor, assumtis secum duobus episcopis, Paulo Virdunensi & Theodefrido Tullensi, cum suo clero ad Habendense monasterium seu Sanctum-montem pergit, sacra membra e tumulo cum congrua reverentia effert, in urbem transfert, & in suburbana sanctorum Apostolorum basilica deponit, quæ postmodum ab ejus nomine dicta est. Diem mortis S. Arnulfi adsignant Beda, Ado, martyrologium Romanum ad XV cal. Augusti. Omnino vero præferenda sententia sinceri Usuardi & Vuandalberti, qui Arnulfi obitum XVII cal. Septemb. consignant, cum dies XV cal. Augusti sit ejus dies translationis. Sententiam hanc probat vitæ sancti Arnulfi auctor, dum anni fere jam acto tempore a morte factam ait translationem. Nam si Arnulfi obitus in XV cal. Augusti, translatio vero in XVII cal. Septembris inciderat, non anno fere exacto, sed præterlapso facta translatio diceretur. De anno non minor difficultas. Attamen Sigibertus Gemblacensis annum 640 adsignat, quem sequi statuimus, dum certior non occurrit.

Qui plura desideraverit, legat vitam Sancti editam apud Mabillonium act. SS. ord. Bened. sec. II, pag. 150 & seqq.

Loco epitaphii hos versiculos poëtæ Saxonis lib. V, Annal. Caroli Magni ad Arnulfum imperatorem ei adscripserunt Sammarthani:

Unum commemorem tanto de germine patrem
Quem Sanctum Christi prædicat ecclesia:
Scilicet Arnulfum, Francorum qui fuit olim
Princeps, ac præsul post satis egregius.
Ductus amore Dei qui spreverat omnia mundi
Quæ mulcent oculos, quæque trahit animos.
Malens divinas mundi quam tradere leges,
Esse Dei famulus quam populi dominus.
Nunc ovat in cœlis præbens miracula terris,
Sublimis meriti signa decora sui.
Indeque nostrorum totam seriem dominorum,
Stirpem nempe suam protegit atque fovet.
Præ cunctis igitur tibi cura nepotibus una
Quæsumus Arnulfus sit tuus homonymus.

XXX. S. Goericus.

Aquitanus natione Goericus, *al.* dictus Abbo, propinquus fuit S. Arnulfi. Id constat ex ejus vita apud Surium & Vincentium Bellovacensem edita, sed quo gradu prorsus incompertum. Si nonnullis fides est, habuit patrem Gamardum germanum Ansberti, quem avum S. Arnulfi fuisse volunt, innixi genealogia, quam doctissimi critici falsam habent. Clarissima gente satus Goericus, primum arma secutus est, & magnanimitate ita emicuit, ut dignitatem comitis, tum ducis, atque præfecturam maximæ partis Aquitaniæ meruerit. Multis eximiisque virtutibus, uti justitiæ studio, charitati, æquitati ac fidei eam adjunxit pietatem, ut quantacunque forent negotia, quotidie media nocte surgere & preces Deo effundere septies per diem ad exemplum prophetæ non omitteret. Jugali vinculo obstrictus est, duasque filias Preciam & Victorinam habuisse dicitur, quæ virginitatem servarunt, patrisque æmulatæ sunt virtutes. Eodem tempore quo præsulatum Arnulfus suscepit, Goericus ejus agnatus Metas se contulit, ut quem prius amiserat usum oculorum, ad limina beati Stephani reciperet. « Sanctus Goericus, inquit autor ejus vitæ, primo quidem miles egregius de Aquitania, corpore non voto seculi actibus serviens, cum apud Deum & homines in magna honestate floreret, licet quæ pacis sunt sectaretur, quandocunque tamen paganorum infestatio perurgebat, primus aciei militari se opponens, barbaricam rabiem Dei fretus auxilio potentissime devincebat, & spolia amplissima reportabat. Denique subito oculorum & visus amissione percellitur; virtute tamen patientiæ undique munitus Deo gratias agens dicebat, sicut Domino placuit ita factum est. Eo tempore regnabat in Gallia Theodebertus, in Metensi urbe præsidebat pontifex beatus Arnulfus. Tunc sancto viro Goerico in silentio noctis quiescenti angelus Domini affuit dicens: serve Dei excelsi, venit tempus quo mœror tuus in gaudium transferatur, quo etiam lux amissa tibi restituatur. Ergo Metensem civitatem aggredere & limina beati Stephani devote ingredere, Deoque preces ibi funde, & recipies illico visum & totius corporis sospitatem. Arnulfus autem tibi charus amicus & propinquus ibi pontifex residet, cui Spiritus Sanctus te illico affuturum præmonstrabit. Expergefactus ergo vir sanctus milites convocavit, & de Aquitania ad præfatam urbem iter arripuit, cui appropinquanti S. Arnulfus adfuit & facta oratione dataque benedictione eum in domum induxit. Qui obtentu sancti

Surius, 19 Sept.

Stephani visum & totius corporis sanitatem recepit plenissimam. » Duas filias suas itineris voluit esse comites, ut constat ex hoc vitæ ejus mss. fragmento: « Regnante gloriosissimo rege Theodeberto, beatus Arnulfus in Dei rebus spectatissimus residebat in Metensi urbe, carne & sanguine sancto Goerico propinquus, ad hunc Goericus juxta visionem monitoriam se transtulit, & adduxit secum duarum filiarum Deo consecratarum expectatissima gaudia, Preciam videlicet & Victorinam. » Recuperato visu pietatis suæ monumentum reliquit, ædem in honorem S. Petri construxit, quæ etiamnum stat prope cathedralem, & in veteribus documentis vocatur *Major-domus sancti Petri*, ut distinguatur ab antiquiore quæ *Minor-domus sancti Petri* nuncupatur. Secedente in solitudinem S. Arnulfo, Goericus a clero & populo cooptatus successit anno 626, cujus electionem sic commendat autor vitæ: « Fœlix beatissima mater ecclesia Metensis, dum orbata patre sanctissimo, non minoris sanctitatis, sed ejusdem meriti, ejusdemque pietatis meruit pastorem recipere, dum sanctus sancto, justus justo succedit. » Abstinentiam ejus ita describit idem autor: « Vix nisi Dominica die aut Sanctorum natalitiis sol vidit eum comedisse. Quoniam ante episcopatum corpus districtissimis jejuniis attriverat, enarrare fas non est, quam dura jejunia cumulabat, quot etiam dies incibatus usque in diem alterum pertransibat, quantum biduanas & triduanas alacri vultu & mente abstinentias celebrabat. » Tanta devotione sacra mysteria frequentissime peragebat, ut in lacrymas effunderet. Totum tempus vel erudiendæ plebi suæ, vel orationi charitatisve actibus exercendis insumebat. Discum sancti Arnulfi & alterum septuaginta duarum librarum pondere gravem a se confectum in ecclesiæ thesauro reposuit, majori altari ad ornamentum festis solemnibus imponendos cum ingenti cruce, cui figura Christi aurea affixa erat. Magnam aliorum vasorum argenteorum & ornamentorum copiam ecclesiæ tradidit. Ex quatuor vitis S. Goerici, prima edita apud Surium, secunda apud Vincentium Bellovacensem, tertia in vetusto lectionario mss. Sancti-montis, quarta tandem in mss. abbatiæ S. Maximini; una tantum, videlicet illa S. Maximini, mentionem facit filiarum sancti Goerici. Nulla vero sanctum præsulem agnoscit conditorem monasterii Spinalensis, cujus fundationem in gratiam Preciæ & Victorinæ filiarum ipsi tribuit Madaurensis episcopus. Quin imo legitur in eodem sancti Maximini mss. monasterium post multos annos constructum fuisse a Theoderico I, qui illic ejus reliquias recondidit.

Dum sanctus Arnulfus in solitudine degeret, eum identidem Goericus invisebat & ad vitam necessaria subministrabat. Post cujus mortem sacrum corpus, quod per annum pene integrum in Sancto-monte requieverat, episcopis Virdunensi & Tullensi comitatus in urbem

A transtulit sub annum 641. Necessitudine cum Desiderio episcopo Cadurcensi junctus, litteras ab eo accepit, vicissimque rescripsit ad eum, commonens a rege Dagoberto Metensibus ecclesiis ad luminare collatum fuisse pagum Rovolli. Subscripsit in ejusdem regis diplomate de confirmatione bonorum & privilegiorum Trevirensis ecclesiæ, quod refertur ad annum 633. Cum sanctissime Metensem ecclesiam septemdecim annos rexisset, stratus in cinere & cilicio animam Deo reddidit anno 643 die 17 Septembris, quo die colitur. Sepultus fuit in ecclesia S. Symphoriani, ubi etiamnum B ejus caput in capsa argentea asservatur, reliquo corpore in posterum ad Spinalense monasterium translato.

Collect. hist. Franc. p. 38.

Ibid. p. 46.

XXXI. S. Godo.

Immediate in Metensium episcoporum indicibus post S. Goericum ponitur Godo, cujus patria, origo & actus ignorantur. Antecessorum suorum vestigia sane secutus est, utpote Metensis ecclesia eum inter Cœlites veneratur. Memoratur ad annum circiter 648 in diplomate Sigiberti de fundatione monasterii Casegongindinensis, cujus verba transcribere juvat: C *Ideoque sub devotione animæ nostræ, cum consilio magnificorum apostolicorum Cuniberti, Godonis vel illustrium virorum.... in terra nostra silva Arduense in loco qui dicitur Casægonguidinus... cænobium volumus construere.* Decem annos duosque menses episcopatus ei tribuunt indices; verum autor vitæ sancti Chlodulfi vult sedisse tantummodo octo annos. Quapropter obitum ejus ad annum 650 reponere visum nobis est. Humatus fuit in ecclesia sancti Symphoriani, ubi etiamnum servantur ejus reliquiæ. Sic memoratur in martyrologio cathedralis: *VIII* D *idus Maii Metis sanctorum confessorum pariterque pontificum Godonis atque Glodulphi.*

XXXII. S. Clodulfus.

Filius S. Arnulfi ex Doda Clodulfus, & Anchisi seu Ansegisili, secundæ stirpis Franciæ regum progenitoris, frater natu major, extitit. « Venerabilis indolis puer, inquit autor ejus vitæ, ut par erat & ut nobilium filiis fieri solet, scholis traditur & liberalibus litteris docendus exhibetur, proficiebatque ætate, nec minus vero spiritualis doctrinæ affluentia. » Adolescens paulo nimiam divitiarum affec- E tionem demonstravit, ubi sanctus Arnulfus pater ab illo & Anchiso ejus fratre consensum eorum facultates pauperibus distribuendi petens, assentiri detrectavit, præter sententiam Anchisi, qui patris sui gratum habuit propositum. Volunt nonnulli ipsum ante episcopatum nuptiis alligatum progeniem habuisse. Juxta quosdam uxorem duxit Mariam filiam Clotarii regis, juxta alios Almabertham filiam Carolimanni Brabantiæ ducis, ex qua habuit Martinum ducem Mosellanæ, Adalgesilum Tolosæ comitem, Agnoraldum Calvomontissæ comitem, Basinum episcopum Trevirensem, quos

præter Pipinum, Gonzam, Arnoldum, Itam & Gertrudem. Verum hæc meræ sunt fabulæ. Jugali vinculo constrictus fuerit Clodulfus, id satis probabile est, utpote qui in seculo & aula diu vixit. Sat quidem universe creditur ipsi fuisse filium, Martinum nomine, qui una cum Pipino Heristallensi bellum gessit Ebroino Majori-domus regis Theoderici, a quo per dolum interemptus est anno 680. De matrimonio sancti Clodulfi altum servat silentium autor ejus vitæ. Ne unum quidem habet verbum de pluribus vitæ ejus aliis circumstantiis, quæ ei a quibusdam tribuuntur: illum verbi gratia in monasterium sancti Maximini Trevirensis, ejusque uxorem in monasterium S. Mariæ urbis ejusdem secessisse, ad patris Arnulfi exemplum in eremum petiisse, tum ad Metensem, postea ad Trevirensem sedem elatum fuisse. Ut vero inter episcopos Trevirenses collocari non potest, nisi post mortem Leutwini defuncti an. 713, inde sequeretur, 1.° eum pervenisse ad centum annos & ultra, cum S. Arnulfus a Doda uxore sejunctus fuerit ut regeret ecclesiam Metensem anno 611: 2.° præfuisse ecclesiæ Metensi sexaginta & amplius annos; quod penitus contrarium est omnibus monumentis, quæ ei tantummodo assignant quadraginta annos episcopatus. Ad hæc adde nequaquam in indicibus Trevirensium episcoporum referri nomen Clodulfi.

Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. II, p. 468.

Quod vero legitur in vita S. Gertrudis, scilicet S. Modestam post revelationem mortis sanctæ Gertrudis sciscitatam fuisse a Clodulfo episcopo Trevirensi cujusnam formæ hæc sancta fuisset, Henschenius censet intelligendum de Clodulfo Metensis civitatis, non vero Trevirensis. Sane quidem nominis vicinitas in causa fuit, cur attributum fuerit Clodulfo quod competebat Hidulfo, eodem circiter tempore superstiti, qui revera e monasterio S. Maximini eductus in sedem Trevirensem, se recepit in solitudinem Vosagi, ubi condidit monasterium Mediani-monasterii. Prorsus absimilia sunt quæ de Clodulfo leguntur. Vitam laïcam ante episcopatum ducebat, uti patet ex his vitæ scriptoris verbis: « animumque & mentem in laïcali proposito sic informabat, quatinus dum postmodum Dei providentia aliis præesse cogeretur, ipse sibi prius præesse & doctus doctrinæ officium quo subditorum mentibus erat infusurus, assidue operationis studio instructus & attritus semper doceret exemplo, quos instruere compelleretur sermone. » Inter domesticos aulæ regiæ nominatur anno 648 a rege Sigiberto in litteris de fundatione Stabulensis & Malmundariensis monasteriorum.

Marten. Ampliss. coll. t. II, col. 7.

Desiderius Cadurcensis episcopus epistolam sic inscriptam direxit: « Domino inlustri & a nobis peculiarius suscipiendo domino & in Christo filio Clodulfo Desiderius peccator; » eumque hortatur ut patris monitus & acta recordetur. Commissa sibi munera tanta integritate complevit Clodulfus, ut episcopatu dignus omnibus visus fuerit. « Dum beatus Godo præsul,

Collect. histor. Franc. t. IV, p. 39.

A inquit scriptor ejus vitæ, ex hujus mortalitatis incolatu transisset, & Deo omnibusque Sanctis felicissime conjunctus fuisset, plebs & clerus cœpit quærere precibus & vocibus patrem atque pastorem: rogabantque regiam dignitatem quod beatum Clodulfum nobilitate & sanctitate insignem sibi dare dignaretur antistitem. Nam multos ex genere ipsius generositate in tota Francia primos sanctitatis ac virtutum & miraculorum gloria celeberrimos, per multos annorum recursus huic sanctæ civitati præfuisse & profuisse commemorabantur, & laudibus dignissimis quibus viribus B poterant ad æthera usque efferebant. Regia vero majestas videns populi fidem ac devotionem, perpendens etiam virum ad hoc satis ingenuum; accersitum ut curam regendarum animarum suscipiat commonet; & utilitati fratrum commoda administrare non denegaret, ex parte Dei & sua autoritate imperat. Ille reniti cupiens, sed omnino non prævalens, baculum & officium pastoris suscipit & votis populorum pontifex factus cathedræ sacerdotali supersedere compellitur....... Ordinatus pontifex, non immemor commissi officii, cœpit circuire datum episcopatum, ut quæ C corrigenda erant corrigeret, & quæ confirmanda erant confirmaret, bona patrociniis & dignis favoribus attolleret, mala justa censura resecaret: sicque Deo & Christo ejus annuente in brevi apicem perfectionis obtinuit, ut omnium bonorum felicissimo applausu justus atque perfectus omnino diceretur & esset. » Quo anno episcopatum adeptus fuerit, non omnes consentiunt. Cointius & Mabillonius ordinationem ejus locant ad annum 656: scriptores vero recentioris historiæ Metensis ad annum 650, quo contendunt Trudonem fama Clodulfi allectum Metas accessisse. D Erant Trudonis parentes non minus nobiles quam locupletes, maxime in Hasbania, qui pagus est inter Leodium & Lovanium. Verum ille ab ineunte ætate generis splendorem atque opes pro Christo despiciens, sic inter secularem pompam ac tumultum in sanctæ religionis cultu se exercebat, ut exterius laïcus, interius monachus appareret. Cum sacris litteris operam dare magnopere cuperet, angelico monitu convenit beatum Remaclum Tungrensem episcopum, quo hortante, ad Clodulfum Metensem episcopum profectus est, eique se suaque omnia, E aut potius sancto Stephano donavit, eo pacto ut ea in urbe sacris litteris erudiretur. Cum hoc in studio non mediocriter profecisset, a Clodulfo tonsus & per singulos ecclesiasticos gradus ad sacerdotalem dignitatem promotus est, ac demum in Hasbaniam missus, ut res jam non suas, sed beati Stephani procuraret. Redux in patriam cœnobium Sarchiniense in diœcesi Tungrensi ad Cisendriam fluvium ædificavit, & Metensi S. Stephani ecclesiæ attribuit, consentiente Remaclo Tungrensi episcopo, ac Metensium antistitum tutelæ ac potestati commisit sub annum 662, in quorum

ditione monasterium mansit usque ad annum A
1231. Idem ante Trudonem gesserant anno 656 Videricus comes & Bertha ejus uxor, neptis S. Arnulfi de monasterio Hasteriensi, ab ipsis in Namurcensi comitatu constructo.

Attamen Clodulfus magis ac magis episcopalibus muniis rite obeundis incumbebat indefessus. Dum Metensem regeret ecclesiam, Trevirensi præerat Numerianus a quo Deodatus episcopus & abbas Vallis-Galileæ privilegium immunitatis obtinuit, inscriptum « Dominis sanctis & summi culminis apice, » pontificalisque cathedræ specula præsidenti-
» bus in Christo patribus Chlidulfo, Gisloaldo B
& Eborino episcopis comprovincialibus. » Charissimi piissimique patris sui Arnulfi ab autore anonymo exarari curavit vitam, quam Umno quidam postea auxit. Post quadraginta annos & viginti dies pontificatus anno 690 die 8 Junii Clodulfus migravit ad Deum, centenario major, si creditur tribus ejus vitæ manuscriptis abbatiæ S. Arnulfi, cujus primum tribuit ei centum, secundum centum & tres, tertium tandem centum ac duodecim annos. Sepultus est in basilica S. Arnulfi, ubi, ut ait autor ejus vitæ, « per dies triginta animam C
» spiritumque ejus missarum solemniis, orationibus continuis, vigiliis & psalmodiis continuis fidelissimus populus Deo Omnipotenti commendare studuit. » In martyrologio cathedralis memoratur VI idus Junii, quo die obiisse creditur. Ibidem etiam recurrit cum decessore suo Godone VIII idus Maii.

Annal. Bened. t. I, p. 696.

Act. SS. Ord. S. Bened. sæcul. II, p. 157.

Refossum corpus ejus die 6 Septemb. 959, translatum est cum licentia Adalberonis episcopi ab Udalrico, dein archiepiscopo Remensi, in prioratum Layensem 11 Decemb. ejusdem anni, ubi etiamnum religiose servatur in theca
argentea inaurata, quam Richerius abbas sancti D
Arnulfi & administrator Layii fabricari curarunt anno 1215.

5 Landricus vel Metensis aut Meldensis, seu alicujus regionis nominis haud absimilis fuit episcopus. Metensem fuisse docet Bollandus nixus quatuor mss. codicibus vitæ S. Landrici, ubi legitur: *Sic virtutum gradatim acceleravit iter scandere ut in cathedra Metensis pontificii dignaretur eum Dominus sublimare.* Martyrologium Bruxellense S. Gudilæ de eo habet: *XV cal. Aprilis Mettis S. Landrici Metensis episcopi & confessoris, qui filius fuit Vincentii & Waldetrudis,* E
ac B. Gudilæ patronæ nostræ consanguineus. In tertio quoque codice Balderici, quem vidit Colvenerius, additur ad marginem *al. Metensis.* At quominus Metensibus episcopis accenseatur plurima obstant. Omittitur a Paulo diacono; in catalogo Metensium episcoporum desideratur; nulla ejus hac in ecclesia fit memoria: denique toto tempore quo Metensem volunt episcopum Landricum, occupabat Clodulfus, qui post annorum amplius 40 præfecturam decessit anno 690.

XXXIII. S. Abbo.

Sedit Abbo annos decem, mensem unum & dies viginti sex, ut codex S. Symphoriani Metensis a Marco-Antonio *Dominicy* in Ansberti familia rediviva publicatus testatur. Compertum habemus ex charta Herimanni episcopi data an. 1090 ab illo sancto præsule ecclesiam S. Johannis-Baptistæ dependentem ab abbatia S. Felicis, hodie S. Clementis, in parœciam erectam fuisse. Cum strenue gubernasset, ex hac vita migravit juxta Cointium anno 707. Recentioris vero historiæ Metensis scriptores ejus obitum notant anno 700, 15 Aprilis, quo die sic celebratur in martyrologio cathedralis: *XVII kal. Maii Metis sancti Abbonis episcopi.*

XXXIV. Aptatus.

Præsul dignus præclaris ecclesiæ seculis Aptatus, sollicite annos septem duosque menses episcopalia munia exsecutus, cessit e vita anno 707, die 21 Januarii. Sepulturæ traditus in monasterio S. Symphoriani, ubi pretiosæ ejus exuviæ servantur.

XXXV. Felix.

Post episcopatus novem menses extremum diem clausit Felix, notatus sic in codice sancti Symphoriani: *Felix episc. sedit menses 9, obiit XI cal. Januarii.* Humo mandatus in ecclesia S. Symphoriani, ubi ejus ossa recondita sunt in arcula lignea cum ossibus Adalberonis II.

XXXVI. S. Sigibaldus.

« Sigebaldus, inquit Paulus diaconus, generosis ortus natalibus, religioso cœtui antistes « effectus est, vir per omnia utilitatibus ecclesiæ « deditus, sacrorum quoque culminum solertissimus restitutor. » Si pluribus creditur, originem duxit a Franciæ regibus: verum acta S. Segolenæ ab autore æquali scripta & a Mabillonio publicata, alio genere procreatum fuisse tradunt. Juxta hæc acta, Segolena filia Chramsici, viri natalibus clari in Aquitania, in urbe Albia sub finem septimi seculi nata, fratrem habuit episcopum, Sigibaldum nomine, quem Mabillonius & scriptores historiæ Occitaniæ eumdem cum Sigibaldo Metensi præsule opinantur. Hæc pia mulier post matrimonii decem annos orbata Gislulfo marito, viro genere ac divitiis præstante, secessit in cœnobium, quod pater Chramsicus in ejus gratiam construxit in loco amœnissimo ab Albia aliquot leucis dissito, qui Troclaris dicebatur. Cum in morbum illa incidisset, venit ad eam germanus ejus Sigibaldus episcopus, a quo jam extremum fere spiritum agens, Dominici corporis & sanguinis Viaticum accepit. Extat in urbe Metensi ecclesia parœcialis ejus nominis. Sigibaldus ex Cointio ad Metenses infulas promotus non est ante annum 716: in quo sane fallitur doctissimus Annalista. Enimvero cernuntur in archivio S. Michaëlis ad

Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. III, part. II, pag. 542 & seqq.

Annal. Bened. t. I, p. 607.

Hist. Occit. t. I, p. 573.

ANNI CHRISTI

Mosam litteræ commutationis anno 14 Childeberti III regis factæ inter Wlfoaldum comitem fundatorem cœnobii S. Michaëlis & Sigibaudum episcopum Metensem, qui Wlfoaldo comiti locellum Marsupiam concesserat in vicem Vinciaci siti ad Mosellam. Unde constat Sigibaldum jam episcopum extitisse anno 708; qui annus convenit cum anno 14 Childeberti III. Sacris in litteris versatissimus, toto animo gregi suo erudiendo exemplis æque ac verbis incubuit. Delinquentes indulgenter corripiebat, constantesque in virtutibus ad perseverantiam benigne exstimulabat. Nunquam domo excessit, nec habens quo egenorum miseriam sublevaret. Licet acutissimis podagræ doloribus sæpe divexatus, non minus sedulo episcopali munere fungebatur. Non cleri tantum & populi amorem ac venerationem sibi conciliavit, sed & virorum præstantissimorum benevolentiam & existimationem captavit, ita ut Pipinus Heristallensis, Sigibaldo inconsulto, nihil moliretur. Familiarem fuisse sancto Bonifacio Moguntino aiunt centuriatores Magdeburgenses, quibus visa est epistola, qua Sigibaldus Bonifacio indicat nomen ejus missarum catalogo adscripsisse. De salute animarum sollicitus, duo monasteria condidisse perhibetur a Paulo diacono, quorum unum Hilariacum seu Novacella; alterum Nova-villa nuncupatum; primum in Metensi diœcesi, secundum in Argentoratensi. Prioris auctor primus sanctus Fridolinus abbas, qui illud in honorem sancti Hilarii, unde Hilariacum dictum, consecravit anno 509. Ejus veluti conditor habitus est Sigibaldus, qui illud a fundamentis anno 734 instaurasse memoratur. Nova-villa seu Novumvillare monasterium, ab eodem conditum est in gratiam S. Pirminii, cui illud regendum commisit. Madaurensis episcopus perperam ei tribuit fundationem monasterii * Claustriaci, cujus nullum quidem recurrit vestigium ante annum 1200. Venerandus hic præsul cum triginta tres annos & quinque menses sacrum ministerium vigilantissime exercuisset, in monasterio S. Naboris vitam absolvit. Ubi sensit ultimam mortis horam instare, fratres ad se evocatos hortatus est ad regularis disciplinæ & antiquarum traditionum observantiam; tum

741. animam Deo reddidit 26 Octobris 741. Sepultus est in basilica monasterii, dein translatus in suburbanum Metensis civitatis monasterium S. Symphoriani. Sacræ ejus reliquiæ in marmoreo feretro repertæ anno 1107, reconditæ sunt in thecam argenteam majori altari suppositam. Legitur ejus vita in codice mss. S. Symphoriani, cujus verba hæc loco epitaphii exhibemus: « Quis adeo deditus & implicitus est terrenis voluptatibus, cui non sordeant seculares deliciæ, cum audiat hunc (Sigibaldum) ingenuis ortum natalibus, opibus affluentem, pontificali honore præditum & sublimatum inter regias epulas non servire gulæ, sed studere commerciis parcimoniæ & nichili pendere vanam ingenuitatem carnis sine animi nobilitate. »

* Claustral.

XXXVII. S. Chrodegangus.

Passim dictus Chrodegangus, Grodegandus, Grodegangus, Ghrodogangus, Grodogandus, Chrodogandus, Krodegangus, Chrodegrangus, Chrotgangus, Ruotgangus, Rutgangus, Ruggandus, Rugrandus, Rodigangus, Rodgangus, Rotgangus, Rudigangus, Rutigandus, Drectegangus & Sirigangus. Is natus est circa annum 712 in Hasbania, regiuncula in episcopatu Leodiensi, parentibus genere præstantissimis, Sigrammo & Landrada, quam nonnulli filiam Caroli Martelli perperam crediderunt. Postquam in ipsius Caroli palatio educatus fuisset, referendarii munere honestatus est, tum ad Metenses infulas elatus 1 Octobris 742. 742.

« Fuit autem, inquit Paulus diaconus, omnino clarissimus, omnique nobilitate coruscus, forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quam etiam latino sermone imbutus, servorum Dei nutritor, orphanorum viduarumque non solum altor, sed & clementissimus tutor. » Ut in monachos remque monasticam optime affectus est, ob id ab eodem Paulo *servorum Dei nutritor* appellatus. Duo siquidem monasteria exstruxit in parochia Metensi: unum in pago Mosellensi in honorem B. Petri apostoli, quod magnis opibus ditavit, ubi monachos *sub regula S. patris Benedicti* in una caritate conjunxit. De hoc priori S. Petri monasterio nulla superest memoria, nisi si hoc ipsum est monasterium Hilariacum, alio nomine Novacella dictum, ubi Chrodegangus S. Naboris martyris, qui postmodum nomen loco dedit, reliquias reposuit. Huic tamen monasterio unquam inditum nomen sancti Petri nullum prodit monumentum. Plures itaque sibi persuaserunt præcitatum sancti Petri monasterium idem esse cum monasterio, quod sanctus Chrodegangus canonicis suis prope majorem ædem construxit, cujus ecclesia sub nomine sancti Petri veteris nota, ad usque ætatem nostram exstitit. Alterum monasterium quod condidit, Gorzia est, sita ad amnem cognominem, haud procul a Mosella, in pago Scarponensi, sanctis Petro & Stephano primitus sacra: cui a translatione reliquiarum sancti Gorgonii martyris tertius patronus accessit. Fundationis archetypum disperiit; sed legitur in chartulario Gorziensi sat vitiosum exemplar, cui inscribitur annus 745. Quæ 745.
sane chronologia non convenit cum anno sexto Childerici III regis, qui incidit in annum 749: 749.
ad quam epocham pene omnes referendam fundationem consentiunt. Consecrationem ecclesiæ Alcuinus epigrammate centesimo septuagesimo sexto celebrat factam ab ipso Chrodegango, qui in synodo Compendiensi habita anno 757 eximium pro eodem monasterio privilegium emisit.

Verum ut monachorum, sic & singularem curam gessit canonicorum, quibus regulam

ANNI CHRISTI

majori ex parte ex regula sancti Benedicti desumptam præscripsit, quam posteri plurimum commendarunt. « Hic, inquit Paulus diaconus, clerum adunavit, & ad instar cœnobii juxta claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in ecclesia militare deberent, quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent. » Idem sic confirmat chronographus Laureshamensis; « clerum quoque suæ diœcesis fervore jam tunc, ut & nunc, omnimodis exorbitantem, instar cœnobiorum adunans, regularia eis præcepta, qualiter in ecclesia militare deberent, vitæque necessaria sufficienter instituit. » Ob cujus regulæ faciliorem observantiam, vastissimas ædes juxta cathedralem ecclesiam condidit, scilicet dormitorium, refectorium, claustrum aliaque loca regularia ad communem vitam necessaria.

Inter hæc ruptum est fœdus quod cum Stephano papa pepigerat Aistulfus rex Longobardorum. In his angustiis pontifex unum sibi perfugium & auxilium apud regem Pipinum superesse intelligens, confestim fidum hominem direxit cum litteris, quarum tenor erat, cupere se cum eo de præsenti ecclesiæ statu colloquium habere; sed ne Aistulfi excipiatur insidiis, magnopere orare ut legatos ad se mitteret, quorum præsidio tutus ad Alpes posset pervenire. Acceptis litteris, Pipinus
753. anno 753 ad eum misit legatos Rodigangum episcopum Metensem & Autcharium ducem, qui pontificem in Franciam deducerent. Ubi in Franciam advectus est pontifex, Chrodegango sanctissimo viro episcopo pallium tribuit & archiepiscopum ordinavit, inquit Anastasius in vita Stephani. Dum Romanus hic pontifex in Francia substitit, in diversas ecclesias introductus est cantus ecclesiæ Romanæ, potissimum in Metensem ecclesiam a Chrodegango, uti legitur apud Paulum diaconum, cujus hæc sunt verba: « ipsumque clerum abundanter lege divina Romanaque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ ecclesiæ servare præcepit. » Tanta in Chrodegango fuit peritia, ut in maximi momenti ac difficillimis rebus evocatus sit consulendus: equidem volunt adstitisse anno 753 congregato Pipini regis jussu Vermeriensi episcoporum & optimatum conventui, in quo conditi sunt unus & viginti canones partim contra incesta ma-
754. trimonia; Carisiacensi habito anno 754, 14 Aprilis de ope in Italiam adversus regem Longobardorum ferenda; apud S. Dionysium eodem anno 28 Julii, ubi Pipinus ejusque uxor Bertrada, atque filii eorum Carolus & Carolomannus regiam unctionem a papa Stephano acceperunt; Vernoliensi celebrato anno
755. 755, 11 Julii; Metensi quem Balusius vult
756. habitum fuisse an. 756, Labbæus vero 753, in quo plura statuta sunt scita de moribus &
757. disciplina ecclesiastica; Compendiensi an. 757, a quo ille Gorziensis monasterii fundationem

Valafrid. c. 25.

A non tantum firmari curavit, verum & opibus ac latifundiis plurimis auxit; Attiniacensi tandem an. 765 pro causa religionis & animarum salute congregato.

Laureshamensis monasterii in Insula diœcesis Moguntinæ, *Aldermunster* postmodum apellata, autores fuerunt anno 763 Cancor illustris 763.
Rhenensis pagi comes, & religiosa mater ejus Willifwinda, olim conjux Ruperti comitis. Horum consanguineus erat Chrodegangus episcopus, cui instituendum ac informandum commiserunt novum monasterium, quod nullius, ne quidem episcopi, juri ac dominio subjectum
B esse voluerunt. Basilica ab eodem pontifice primitus in honorem S. Petri apostoli consecrata, quæ postea sancti Nazarii ob advectas illuc ejusdem martyris reliquias dicta est. Litterarum fundationis summa hæc est: Willifwinda Deo sacrata & filius ejus Cancor comes sacrosanctæ ecclesiæ sancti Petri a se constructæ in loco nuncupato *Lauresham*, in pago Rhenensi, super fluvium *Wisgoz*, ubi jam tum præerat venerabilis Ruodgangus archiepiscopus & abbas, donant villam suam pagi Wormatiensis cum appendicibus suis: ita ut ab hac die jam dictus domnus Ruodgangus vel sui monachi,
C qui in eodem monasterio jam habitabant, eorumque successores hæc omnia teneant atque possideant, cum libera quidvis ex eis faciendi facultate. Verum cum propter episcopales & palatinas sollicitudines Chrodegangus huic muneri sufficere non posset, sui loco præfecit Gundelandum germanum suum prudentem admodum & sanctæ conversationis virum. Primorum ejus loci monachorum colonia deducta e monasterio Gorziensi, quod Chrodegangus ante annos quindecim exstruxerat.

Roma in Franciam advecta sunt an. 765 765.
D corpora sanctorum martyrum Gorgonii, Naboris & Nazarii. Cujus translationis autor Chrodegangus, reliquias sancti Gorgonii in Gorziensi monasterio ab se condito; sancti Naboris in Hilariaco; & sancti Nazarii in Laureshamensi reponendas curavit. Hanc translationem Chrodegangum per se ipsum exsecutum fuisse volunt nonnulli, & alii per deputatos. Quorum sententiæ illud favet, quod cum Attiniacensi conventui, paulo post Pascha hujus anni habito interfuerit, hanc translationem eodem anno ipse procurare vix potuit. Multa hac occasione refert anonymus
E Gorziensis, autor historiæ hujus translationis. Narrat reliquias S. Gorgonii, cum ad sancti Mauritii monasterium pervenissent, ab Agaunensibus monachis furtim e loculo sublatas fuisse; sed postea, re comperta, jussu Pipini regis, missis Virdunensi ac Tullensi episcopis cum duce provinciæ, Chrodegango restitutas, qui eas tandem Gorziæ deposuerit.

Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. III. par. II. p. 207.

Attamen tot inter curas ac negotia cathedralem ecclesiam non neglexit; quin imo eam eximiis instruxit operibus, ut probatur ex his Pauli diaconi verbis: « Hic, inquit, fabricare jussit una cum adjutorio Pipini regis * rebum

* Dis.

ANNI CHRISTI

" sancti Stephani protomartyris, & altare ipsius atque cancellos, presbyterium arcusque per gyrum. Similiter & in ecclesia beati Petri majore presbyterium fieri jussit. Construxit etiam ambonem auro argentoque decoratum, & arcus per gyrum throni ante ipsum altare ædificavit. » De suo etiam erogavit instaurandæ Virdunensi ecclesiæ cathedrali incendio conflagratæ. Singulari studio affectus fuit in sancti Trudonis monasterium, juris ecclesiæ Metensis, in quo a puero educatum fuisse quidam existimant. Per se ipsum illud administravit, abbatisque titulum retinuit quandiu vixit. Actis in episcopatu viginti tribus annis, quinque mensibus & totidem diebus, obiit
766. an. 766, 6 Martii, quo die in martyrologiis celebratur. Sepultus est, ut jusserat, in monasterio Gorziensi, unde pars reliquiarum postmodum delata fuit in abbatiam S. Symphoriani. Juxta ejus epitaphium Theodulfo Aurelianensi episcopo attributum, plus honoris pallio detulit quam accepit. Summe laudatus de regula, quam suis præscripsit canonicis. Exhibetur tanquam lumen ac gloria sui seculi, erudiens exemplis æque ac verbis, viduas, orphanos inopesque sublevans, magnatibus dilectus, & in maxima veneratione apud populos.

XXXVIII. Angelramnus.

Sanguine illustri satus Angelramnus seu Ingelramnus, quem Chrodegangi antecessoris fratre natum fuisse diximus t. VII, col. 224, educatus est a pueritia in monasterio Gorziensi sub Nargaudo, puerorum magistro. Dein migravit in cœnobium Cellæ-novæ, hodie dictum de S. Nabore, ubi aliquandiu vitam monasticam professus est. Cum Metensis episcopatus duos annos, menses sex & undeviginti dies vacasset, in præsulem est ordinatus 25 Sept. an. 768, archiepiscopi titulo ut antecessor honestatus, atque etiam archicapellani Caroli Magni regis honore decoratus. Obtinuit ab ipso rege, si jam ante episcopatum non habuerat, abbatiam Senoniensem, eamque ecclesiæ suæ ditioni subjecit, moleste ferentibus monachis quod eorum monasterium ex regali episcopale evasisset. Ille vero ut monachorum amicitiam sibi reconciliaret, tribuit eis corpus sancti Simeonis episcopi Metensis, quod illi irati suam in ecclesiam interdiu admittere recusarunt. Negotiis tamen nimium distractus, Nargaudo Gorziensi monacho suo institutori
Ch. VI, col. 375. abbatiam transcripsit. Varengesi-villam aliaque dona monachis Gorziensibus tradidit anno
770. 770, Carlomanni regis primo, cum hac conditione ut pro se suisque successoribus episcopis Metensibus nec non etiam pro regibus Carolo atque Carlomanno & pro stabilitate regni Francorum, Domini misericordiam attentius exorarent. Cum Lullo Moguntino, Weomado Trevirensi archiepiscopis aliisque præsulibus Laureshamensis ecclesiæ fecit dedicationem
774. anno 774, kal. Septembris, præsente Carolo Magno rege, qui invitatus a Gundelando

A abbate cum Hildegarde regina & Pipino filio eo accesserat. Compertum habemus ex testamento Fulradi abbatis S. Dionysii in Francia, condito anno 778, Angilramnum quasdam cum illo fecisse commutationes de rebus sitis in loco de Salona diœcesis Metensis. Quæ pacta in synodo Patris-Brunnæ anno Caroli nono inita cum prædicto Angelramno episcopo, Vilhario Senonensi archiepiscopo & cum Fulrado abbate, ab ipso principe Carolo confirmata sunt anno insequenti, ejus regni decimo. Hoc compromisso inter eos convenit ut neque Angelramnus, neque successores ejus,
B nec archidiaconus in ipso cœnobio Salonensi facultatem ullam haberent, nisi si abbas petierit, ordinationes faciendi, chrismate consignandi & tabulas altaris benedicendi. Præter abbatiam Senoniensem cœnobium S. Trudonis rexisse creditur; id quodammodo probat ejus nomen insertum indici abbatum, ab autore chronici monasterii ejusdem vulgato. Abbatiæ sancti Naboris studiosissimus, litteras dedit an. 787 ad reprimendam vexationem Volmari comitis & advocati ecclesiæ Metensis in homines monasterii, tam in exactionibus, quam in rapinis per subadvocatos & ministros suos:
C unde cœnobium illud ad tantam devenerat inopiam atque miseriam, ut vix possent reperiri fratres, qui Deo & S. Nabori servire vellent. Cui vexationi ut obviaretur, Angelramnus Walonem abbatem ac fratres induxit ad quasdam villas ex præbenda sua comiti tradendas; sicque nullam deinceps a comite molestiam paterentur. Haud contentus monasterio copiam ac pacem curasse, plurimum auxit possessiones & privilegia, perficiendisque a S. Sigibaldo cœptis ædificiis operam navavit. Et quidem cum morte interceptus est, sancti Naboris tumulum decorabat, quem a diacono Metensis
D ecclesiæ absolutum fuisse docet Alcuinus epigrammate 64. Capitulo suo præposituram de Milleriaco concessit, impetravitque a Carolo magno diploma datum Carisiaci anno 776, 776.
quo non tantum ecclesia cathedralis, verum Chart. IX,
& cæteræ diœcesis Metensis ecclesiæ atque col. 378.
monasteria a seculari jurisdictione forent immunia, interdicta regiis & imperialibus administris nihil contra personas & bona ecclesiastica moliendi facultate.

Ob singulare studium & existimationem, qua eum prosecutus est rex, ad archicapellani dignitatem promotus fuit, simulque ab Adriano
E Romano pontifice accepit curam apud regem apocrisiarii seu nuncii apostolici munus exercendi. Forsan hæc munia, quibus prohibitus est ne in sua diœcesi resideret, occasionem dederunt episcopis Galliæ eum violationis canonum insimulandi. Quam accusationem ut dilueret, collectionem canonum conscripsit, quam Adriano pontifici tradidit 19 Septemb. 785. Hoc in opere aggreditur probare non esse licitum temere episcopos accusare, nec eorum famam fauciare. Indicat qua cautione, quave prudentia rei episcopi judicari debeant,

ANNI CHRISTI

qua quidem caritate ac circonspectione eorum vitia contegenda sint. Omnes pene hi canones maxima ex parte eruti ex falsis decretalibus, numero octogeni, spectant ad modum procedendi in causis ecclesiasticis, quorum Angelramnus ab aliquibus viris eruditis autor habetur; censent alii depromtos fuisse ex collectione falsarum decretalium Isidori Mercatoris.

Cantus Gregorianus sive Romanus, quem in Metensem ecclesiam Chrodegangus introducere tentaverat, longe alienus erat a perfectione: verum sub Angilramni episcopatu ad magis regularem perductus est modulationem a cantoribus Romanis, quos ab Adriano papa impetratos rex Carolus Magnus secum in Franciam abduxit an. 787, e quibus unum Metas, alterum Suessionem misit, qui modum cantandi docerent. Ad Angelramni preces Paulus diaconus, cognomento Warnefridi, Longobardus genere, postea monachus Casinensis, ob eruditionem regi Carolo Magno dilectus, episcoporum Metensium historiam contexuit, & ea honorifica clausit apostrophe: « Hic jam, pater sanctissime Angilramne, » narrationis serie vestram beatitudinem locus » expectat: sed ego meæ tenuitatis non immemor, adtemptare minus idonee non audeo, » quæ de vestiæ vitæ cursu laudabili majori stilo promenda sunt. » Diaconus alter ecclesiæ Metensis, nomine Donatus, ei vitam S. Trudonis, præposita operi epistola, dedicavit. Autor æqualis qui episcoporum Metensium vitæ epitomen carmine scripsit, ita de Angelramno loquitur:

Monach. Engolism. apud Quesnium, t. II. hist. Franc. p. 75.

787.

Jam nunc tricenus pastorque octavus herili
Auxilio fultus traxit ad pia pascua vitæ
Angelramnus oves: quo tempore maximus armis
Rex Carolus sensu, formaque, animoque decorus
Italiæ accepit Christi de munere sceptrum,
Quos simul excelsi, Stephano poscente beato,
Protegat atque regat fælices dextra per ævum.

Mortuus est Angelramnus post 23 annos episcopatus anno 791, dum Carolum regem in expeditione militari contra Hunnos tunc cœpta comitaretur, in loco a diversis scriptoribus varie vocato *Afnaghum - Chunisberg, Afnabrug-Cumeberg, Commeberg.* Unde corpus ejus in monasterium de Nova-cella seu sancti Naboris advectum, illic sepultum est. De die obitus non consentiunt antiqua manuscripta; sed majori parti ac martyrologio cathedralis, quod ipsius mortem consignat ad VI calendas Novembris, stare satius est. Vacavit sedes viginti septem annos tresque menses ex codice sancti Symphoriani. Verumtamen Madaurensis episcopus, qui interpontificium post Angelramni obitum non admittit, hujus episcopatum ad annos usque quinquaginta, ejusque vitam ad annum usque 818 prorogat. Quam sane opinionem evertit Alcuinus, ipse jam ab anno 804 mortuus, epigrammate 164, quo testatur Angelramnum obiisse dum sancti Naboris tumulum exornaret. Colitur inter Sanctos in monasterio S. Naboris, ubi ejus sepulcrum lapideum repertum est anno 1609, die 5 Augusti.

791.

XXXIX. GUNDULFUS.

Vacanti abhinc viginti septem annis ac tribus mensibus ecclesiæ Metensi præpositus fuit mense Januario anno 819 Gundulfus, *conversatione ac fide venerandus.* Adstitit anno 821 concilio Theodonis-villæ, habito mense Octobri, Paschalis I pontificatus anno quinto, & imperii Ludovici Pii octavo. Ex hac vita migravit VII id. Septembris, probabiliter anno 825, utpote catalogi constanter ei tribuunt sex annos & plures menses episcopatus.

Claruit sub ejus pontificatu vir natalium splendore ac pietate illustris, nomine Aldricus, qui cum licentia Caroli Magni ex aula recedens, Metas se contulit ut in clerum admitteretur. Aliquanto post diaconus a Gundulfo & presbyter a Drogone Gundulfi successore ordinatus est. Cum apprime cantum Romanum & grammaticen calleret, scholas Metenses regendi curam, tum munera præcentoris & primicerii suscepit. Ob meritum ad regiam revocatus, Imperatori fuit a confessionibus. Non ita multo post in Cenomanensem episcopum postulatus fuit anno 832.

XL. DROGO.

Imperatoris Caroli Magni ex Regina nomine non re, sed legitima conjuge, non concubina, filius Drogo, natus est an. 807, juxta Cointium. Ipsum ejusque germanos Hugonem & Theodericum adhuc in tenera ætate Ludovicus Pius rex & frater a patre sibi commendatos participes mensæ effecit, & in palatio una secum nutriri præcepit. Cum autem vereretur ne paternarum ditionum partem aliquando repeterent, eos invitos tonderi jussit ac misit in clericorum monasteria in liberalibus disciplinis erudiendos. Verumtamen in conventu Attiniacensi habito anno 822 mense Augusto hos in animum recepit, benigneque & honorifice tractavit. In clericali statu quem invitus & quasi ad ignominiam Drogo susceperat, sponte perseveravit. Sub initium mensis Julii 826, cum apud Ingelheimium conventus adhuc agebatur, Metenses qui episcopo carebant, Drogonem Imperatoris fratrem, vicesimum ætatis annum jam ingressum, episcopum sibi dari postularunt impetraruntque. Rem sic narrat Astronomus, qui vitam Ludovici conscripsit. « Gundulfo porro Metensi episcopo eodem tempore defuncto, clerus omnis populusque ejusdem ecclesiæ, veluti uno spiritu animati, Drogonem Imperatoris fratrem, sub canonico habitu nobilissime viventem, sibi poscunt dari sacerdotem, mirumque in modum tam Imperatoris quam procerum ejus, sed & totius populi consensu, quasi quodam coagulo in unum conjuravit,

Nithard. lib. I.

Thegan. cap. 24.

826.

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI » conjuravit, ut omnes id velle, nullus nolle » reperiretur. Ideo Imperator cum summo gaudio » petitioni ecclesiæ annuit; eisque quem petebant pontificem dedit. » Verum hic autor refert ad annum 823 in conventu Francofurtensi, quod referre debuisset ad annum 826 in conventu Ingelheimiensi.

Paulo post promotionem duas a Frothario episcopo Tullensi Drogo accepit epistolas. In prima queritur Frotharius quod quidam monachi Senonienses absque suo permissu extra diœcesim profecti fuerint, obtentu quarumdam querelarum, quas ad Imperatorem aliosve referebant. Rogat ut si ad eum venerint, ordo canonicus servetur, nec sibi jus canonicum & reverentia auferatur. In altera significat se magno teneri desiderio illum visendi, & cum eo de rebus ministerio congruentibus conferendi. Quod sperat futurum cum pro denunciata militia Hesperiam proficisci cœperint, aut cum peracto militari certamine ad conventum generalem confluxerint. Mauri-monasterium in Alsatia cum chartis ac vetustis
828. documentis incendio conflagratum an. 828 instaurandi provincia a Ludovico imperatore fratre suo Drogo donatus est, sanctorumque Cœlestis & Auctoris antistitum Metensium corpora eodem intulit. Anscharium in primum Hamaburgi consecravit archiepiscopum anno
830. 830 in præsentia Ebonis Remensis, Hetti Trevirensis, & Otgarii archiepiscoporum, utpote pallio honestatus, & archiepiscopi dignitate decoratus, nec non etiam apostolicæ sedis apocrisarius. Eo quidem anno sacras reliquias S. Glodessindis e tumulo sublevavit, ut prodit scriptor hujusce translationis, quam factam fuisse testatur anno octavo episcopatus Drogonis; at initia episcopatus ejus integro prævertit triennio. Inter hæc Ludovici Imperatoris filii, facta rebellione, Juditham ejus uxorem ad accipiendum velum in monasterio S. Radegundis Pictaviensis coegerant. Unde a marito post consopitam seditionem revocata est hoc anno 830, missis obviam ei principe Carolo & Drogone, qui illam deduxerunt Aquisgranum, ubi ex impositis criminationibus exemta est. Mox inter Imperatorem & filios ejus recruduere divisiones, & utrinque ad bellum est comparatum. Verum Imperator a suis desertus, dimissis a se Drogone cæterisque fidelibus amicis, qui in Bajoariam secesserunt, se suamque uxorem Juditham & Carolum filium ditioni filiorum tradidit. Patrem suum atroces filii, nec non plurimi factiosi episcopi in Compendiensi conciliabulo congregati anno
833. 833 regno detrudere & apud Suessionem in monasterio sancti Medardi carceri mancipare ausi sunt, amandata Tortonam in Lombardia Juditha imperatrice, & in monasterium Prumiense relegato principe Carolo. Tantum facinus perhorruere populi; quin etiam Ludovicus Bajoariæ & Pipinus Aquitaniæ reges delicto dolentes, patrem suum in solium reponere
834. statuerunt, remque ad felicem exitum an. 834 perduxerunt, quam maxime instigante ac cooperante Drogone episcopo, qui sub id tempus ab ipso fratre suo Ludovico creatus fuit archicapellanus, ut jam diximus tom. VII, col. 225. Quidquid contra Imperatorem actum fuerat apud Compendium, rescissum fuit in conventu, eodem anno a præsulibus in monasterio S. Dionysii celebrato, cœtusque Compendiensis ad æternum opprobrium damnatus. Habitum quidem est anno 835 in festo 835.
Purificationis apud Theodonis-villam concilium, cui Drogo dictus archiepiscopus & Hetti Trevirensis archipræsul præfuerunt. Comprobata cœtus San-Dionysiani deliberatione, Metas ducitur Ludovicus, ac solemniter in cathedrali ecclesia proclamatur Imperator Dominica post Purificationem, simulque restitutionis acta Drogo palam legit; tum seditiosorum dux Ebbo Remensis archiepiscopus, requirente Imperatore, a concilio episcopatu judicatus indignus.

Litteris Hilduini abbatis sancti Dionysii de bonorum partitione jam Drogo subscripserat anno 833. Diploniati etiam Ludovici imperatoris, quo Cenomanensi ecclesiæ restitutum est monasterium Aninsolense sancti Carilefi subsignavit an. 837 his verbis: *Drogo archiepiscopus & senior capellanus.* Florus diaconus 837.
Lugdunensis in opusculo contra Amalarium vulgato his utitur vocibus: *Drogoni sacri consilii magistro & pontifici illustrissimo.* Maximi momenti plerumque rebus in aula licet occupatus, nihilominus ministerii sui res non omisit. Litterarum studium non in urbe tantum, verum & in omnibus diœcesis suæ monasteriis excitavit ac fovit. Angelomus monachus Luxoviensis cœnobii, cujus abbas erat Drogo, commentationes in libros Regum, fratrum rogatu conscripsit. Quo comperto, Drogo Angelomo imperavit ut cœptum opus quantocius ad calcem perduceret. Tantæ auctoritati ille non valuit resistere, non solum quia Drogo filius erat præstantissimi Caroli Cæsaris, adeoque frater mitissimi Ludovici principis; verum etiam quia erat præclarus pontifex & abbas egregius ipsius auctoris. Eumdem laborem aggressus est in Cantica Canticorum, præmissa ad Lotharium Augustum præfatione, cui opus nuncupavit. Elucubrationem hanc cum Lotharius Augustus peroptasset, Angelomus id injussu magnifici domini & abbatis sui Drogonis, ipsius Lotharii patrui, suscipi abs se nefas esse dicit, ne regularem excedere videretur disciplinam. Lotharii voluntate comperta, Drogo non modo non renuit, sed ut Angelomus id operis protinus subiret mandavit. Publicatus est a Rabano-Mauro liber de jurisdictione corepiscoporum, cujus gratam habuit nuncupationem. Cantus Romanus ejus industria in ecclesia Metensi ad tantam perductus est perfectionem, ut in totam Franciam sit propagatus, dictusque Cantus Metensis. Monasterium S. Trudonis regebat, ut constat ex donatione eidem loco collata ab Hotberto

Margin notes: Meuriss. hist. Met. p. 203. — Id. p. 204. — Act. SS. Ord. S. Bened. sæcul. IV. t. I. pag. 439. — Mabill. Diplom. p. 521. — Mir. donat. Belgic. lib. II. c. 10.

ANNI CHRISTI

xiii cal. Augusti, anno 24 regnante Ludovico A serenissimo & orthodoxo imperatore; docetque
838. chronicon S. Trudonis ad annum 838 ipsum monasterium ab eo reformatum, facultatibusque auctum fuisse.

Cum in morbum incidisset frater ejus imperator Ludovicus, in quamdam Rheni insulam, Ingelheimiensi palatio proximam, delatus, brevi se moriturum intellexit, & quotidiana peccatorum confessione expiatus, non alio cibo per quadraginta dies, quam Christi Domini corpore usus est. Assiduus ei aderat præter cæteros Drogo ejus frater: qui veritus ne quid rancoris in Ludovicum regem toties rebellem animo B gereret, ipsum hac de re pertentat. Hic vero tantisper deliberabundus, collectis viribus, quanta & qualia ille contra ipsum egisset, commemoravit. Venia tamen concessa, præcepit ut vigiliæ nocturnæ coram se recitarentur, tum ut ligno sanctæ Crucis pectus suum muniretur. Quod signum ille propria manu fronti & pectori sæpissime imprimi curabat. Dominica die missam ab ipso Drogone celebrari, sibique communionem sacram præberi voluit. Morti proximus, se a fratre suo cæterisque sacerdotibus benedici petiit, tum erectis sursum oculis e vita migravit xii calendas Julii anno C
840. 840. Corpus ejus in urbem Mediomatricum, uti vivens petierat, deportatum ac conditum in sancti Arnulfi basilica, funusque Drogo prosecutus est.

Audita Gregorii IV pontificis Romani morte, Lotharius imperator præcipitem successoris ejus Sergii II ordinationem causatus est atque eam ob causam filium suum Ludovicum Romam cum Drogone direxit, acturos ne deinceps, decedente papa, quisquam illic præter sui jussionem, missorumque suorum præsentiam ordinaretur antistes. Qui Romam D venientes honorifice suscepti sunt. Peracto hoc negotio, Ludovicum pontifex Romanus unctione in regem consecratum cingulo decoravit: Drogonem vero episcopum sui vicarium Galliarum Germaniarumque partibus designavit, ut ab Annalista Bertiniano narratur. Qua de re ipse Sergius ad episcopos Transalpinos epistolam direxit. Nova vero hæc legati apostolici dignitas commovit in eum invidiam præsulum Franciæ, qui causam ad Vernoliensem synodum detulerunt, unde remissa est ad conventum generalem Galliæ Germaniæque antistitum proxime celebrandum. Ubi Drogo ex E Italia reversus fuit, apud * Judicium prope Theodonis-villam habita est synodus, præsentibus regibus Lothario, Ludovico & Carolo,
844. cui ille præfuit anno 844, non collati vicariatus jure, sed trium regum, quibus propinquus erat, consensu. Insignem benevolentiæ suæ notam monasterio Novi-villaris in Alsatia
846. exhibuit anno 846 per concessionem corporis
848. S. Adelphi episcopi Metensis. Biennio post successit Halduino in regimine monasterii Gorziensis, cujus auxit splendorem. Singulari studio prosecutus est monasterium S. Arnulfi, quod quatenus abbas administravit. Ecclesiam augeri & attolli, claustrumque & loca ædificari curaverat regularia, ea mente clericis monachos substituendi: sed morte vetitus est propositum suum perficere. De vita migravit hic vir natalium splendore ac meritis clarissimus v idus Novembris anno 855. Mortis ejus genus ita 855. describit Adso abbas Dervensis. Hic Luxovii, cujus rector erat, interdum ob loci amœnitatem commorari solitus, inter piscandum in Lignone amne, quæ oblectatio eo tempore etiam regibus familiaris erat, dum piscem immanem insequitur, in aquas lapsus, subito præfocatur. Ejus corpus inde in urbem Mediomatricum delatum, in sancti Arnulfi basilica una cum Ludovico Augusto ipsius fratre, aliisque regiæ stirpis personis humatum est. Poëma octoginta quinque versibus in ejus honorem condidit Valafridus Strabo. Hoc epitaphio decoratus:

Conditur hoc busto præsul Drogo marmore sculpto,
Spiritus in requie lætus ovat Abrahæ.
Filius hic Magni Caroli fuit imperatoris.
Vir pius & prudens, vir probitate cluens
Aulæ regalis moderator, pastor ovilis,
Metis & ecclesiæ vere pater patriæ.
Hic præsul, præses, dominus, primasque cis Alpes
Ejus judicio paca fuit regio.
Iste Glodesindis solemniter ossa levavit
Condigneque loco condidit eximio.

XLI. Adventius.

Nobili genere apud Metas natus Adventius, educatus fuit in ædibus Adalberonis antecessoris, qui ut legitur ex epistola Caroli Calvi regis ad Nicolaum papam, « Adventium nutrivit & domestica familiaritate habuit, & ipse Adventius nobis fidelis extitit. » Ante episcopatum sancti Arnulfi abbas fuisse creditur. Consecrationem accepit a Theutgaudo archiepiscopo Trevirensi, adstantibus Arnulfo Tullensi & Hattone Virdunensi episcopis anno 855. Narrat ipse in epistola ad eumdem papam Nicolaum electionem suam canonicam fuisse. In excubiis, inquit, templi beati Stephani protomartyris occupatus, novissime in regno domini Lotharii senioris mei expetitus a clero & electus a plebe, pastoralis officii curam, Deus novit, & non ultra ambiens, sed canonice invitatus, excepi. Jam ætate provectus erat, cum ad espicopales insulas est promotus, utpote qui in eadem epistola, ad præcitatum papam directa anno 864, dicit se senectute esse gravidum, podagricisque afflictatum doloribus, quibus limina Apostolorum visitare vetatur. Precariam ab abbate Gorziensi factam confirmavit anno 858. Priusquam Lotharius 858. imperator moreretur, regni sui provincias filiis diviserat. Imperium cum Italia Ludovico obtigit, Lothario regnum Austrasiæ, Burgundia & Provincia Carolo. Mox inter eos oborta est dissensio: Ludovicus imperator cum Ludovico

Marginal notes: Meuriss. Hist. Met. p. 190. — * Just. — Bibl. PP. Lugdun. pp. 229 & 230.

ANNI CHRISTI

Germaniæ rege & Lotharius cum Carolo A Calvo fœdus sanxerunt, sibique per biennium utrinque sævissimum gesserunt bellum. Qui Caroli & Lotharii regum a partibus stabant episcopi, in concilio Metis celebrato mense
859. Maio 859 tres archiepiscopos & episcopos, quos inter Adventium, ad Germaniæ regem ab illis excommunicatum, deputarunt; qui ei ut ad pacis accederet conditiones imperarent. Eodem anno Adventius interfuit concilio apud Saponarias, præsentibus Carolo Calvo
860. & Lothario regibus. Insequenti anno adfuit synodo Confluentinæ coactæ pro stabilienda pace inter reges Ludovicum Germaniæ, Carolum Calvum & tres eorum nepotes Ludovicum, Lotharium & Carolum. Subscripsit etiam 22 Octobris ejusdem anni concilio Tusciensi. Rectum ordinem restituit in monasterio S. Arnulfi, tunc a clericis inhabitato, statutaque præscripsit observanda. Huc usque splendidam sibi comparaverat famam, quæ nimia in regem Lotharium obsequentia inquinata est. Uxorem duxerat ille princeps Theutbergam filiam comitis Bosonis, quæ ei mox tam exosa fuit, ut illam repudiare, & Valdradam pellicem conjugem sibi copulari constituerit, quæsito colore ex falso incestus crimine Thietbergæ, quasi hæc flagitium olim ab Hucberto fratre passa fuisset. Nec desuere episcopi, qui regiæ libidini & insanis amoribus assentarentur. Qua de re plura habita sunt Aquisgrani concilia. In primo jussu regis coacto an. 860, 9 Januarii, cui adfuere Gontarius Coloniensis, Theutgaudus Trevirensis antistites, Adventius Metensis & Franco Tungrensis, statutum fuit ut Lotharius ab omni commercio cum Theutberga abstineret. In altero celebrato 4 Januarii
861. anni insequentis Theutberga ad pœnam publicam damnata, & in monasterium amandata est. Tandem in tertio congregato 28 Aprilis
862. 862, cui Hincmarus Remensis adesse renuit, licet ab Adventio enixe rogatus, episcopi, denunciato matrimonio regis invalido, licentiam ei alterius uxoris ducendæ fecerunt. Conquesta tamen est regina Theutberga de episcoporum sententia apud summum pontificem Nicolaum I, qui consilium cepit convocandæ Metis synodi, ad quam legatos de re cognoscenda mitteret.

Interea Adventius jam tum se in prava causa implicitum suspiciens, litteris monet Theutgaudum archiepiscopum Trevirensem de futura celebratione concilii Metensis, ro-
Meuriss. hist. Met. p. 238. gatque ut regem Lotharium non avertat a proposito parendi episcoporum sententiæ; quin & illi suadet modo caute agere, ne aliqua vana spe a via Dei & evangelicis atque apostolicis documentis devietur. Alia ejus est epistola ad Hattonem episcopum Virdunensem, qua ait se ea de re mortali angustia vallatum & nimio
Id. p. 262. tædio affectum. Porro congregatum fuit con-
863. cilium Metense anno 863 mense Junio, ad quod Nicolaus pontifex suos direxit legatos, qui regis muneribus corrupti Theutbergæ repudium probarunt. Legatorum prævaricationem ubi papa rescivit, quidquid actum fuerat rescidit in synodo Romæ habita anno eodem, & episcopis qui adstiterant concilio Metensi, minitatus est excommunicationem, si Gunthario Coloniensi & Theutgaudo Trevirensi archiepiscopis, præcipuis hujusce odiosi moliminis autoribus adhærerent. Adventius quatenus vir prudens ac religiosus, extemplo pontificis judicio paruit, veniamque humilibus
Id. p. 244. litteris petiit. Maturo hoc obsequio itemque commendatione Caroli Calvi regis rediit in
Id. p. 247. gratiam & communionem summi pontificis, B cui aliis litteris maximas grates persolvit.
Id. p. 252. Postquam Arsenius legatus, cujus ope & cura Theutberga Lothario regi conciliata est, in Franciam missus fuisset, Adventius adhuc
Id. p. 254. litteras Nicolao scripsit, se excusandi gratia de illata a pontifice vituperatione. Addit se nihil prætermisisse, ut regem ab errationibus revocaret. In altera epistola ad eumdem pontificem, plurimas laudes tribuit; de infirmitatibus & ætate sua disserit; quanta fuerit consternatio urbis Metensis, quæ ab infidelibus
Id. p. 257. & paganis fuerat circumdata, describit. Tum loquitur de Lothario rege, cujus virtute hostes C profligati sunt. Affirmat hunc principem nullum ad Valdradam accessum habuisse a discessu Arsenii; sed tractare Theutbergam velut uxorem ac reginam. Ad Ludovicum Germaniæ
867. regem deputatus est anno 867, rogaturus ut regni ejus episcopi adforent concilio Trecensi indicto ad diem 25 Octobris. Reversus est secum deferens mandata ad reges Ludovicum Germaniæ & Carolum Calvum Franciæ, ne Ludovicum imperatorem & Lotharium Austrasiæ regem suos nepotes inquietarent. Epistolam a papa Carolo Calvo inscriptam tradidit
868. 24 Maii 868.

D Defuncto sine liberis rege Lothario, Carolus Calvus anno 869 in Austrasiæ regnum irrumpens, Metas accessit 5 Septembris; ubi indicta sunt comitia generalia ad diem 9 ejusdem mensis. Adventius ad astantes habuit orationem, ac persuasit ut Carolum in regem acciperent. Remensis etiam archiepiscopus Hincmarus principis laudes prosecutus, nec ab Adventio dissensit. Salutatus itaque est rex ab omnibus Carolus & consecratus ab ipso Hincmaro, Adventio, pluribusque aliis præsulibus. Princeps ut affectionis suæ erga Adventium exhiberet testimonium, Bertulfum ejus nepotem E Mediolacensem abbatem, archiepiscopum Trevirensem renunciavit. Rerum omnium, quæ ad sancti Trudonis abbatiam pertinebant, facta
870. est descriptio an. 870 per Adventii deputatos, Fredelonem & Herigaudum, contestantes istud monasterium Metensi sancti Stephani ecclesiæ a sancto Trudone ejus autore ab origine subjectum fuisse. In illa descriptione recensentur ea quæ in thesauro habebantur. Dum interesset
871. concilio Dusiacensi anno 871, censuit exauctorandum Hincmarum Laudunensem episcopum, propterea quod plures clericos sine

ANNI CHRISTI

causa excommunicasset, quos quidem anathemate solvere detrectaverat, licet a metropolitano ter admonitus. Litterarum habuit commercium cum Hincmaro Remensi, qui ad ejus nec non Arnulfi Trecensis preces epistolam de modo episcopi ordinandi scripsit. Plures alias de diversis rebus ab eodem accepit epistolas. Sub invocatione sanctissimæ Trinitatis parvum monasterium in Blisacensi pago, dictum Novum-monasterium, condidisse dicitur, quod Robertus unus ex ejus successoribus absolvit. Litteram formatam, alterumque scriptum de libertate tradita homini conditionis servilis ad ordines promovendo, a Baluzio vulgata edidit. Aliquando quidem cum lepore sese exercuit in poëtica; & vero suum ipse epitaphium viginti quatuor versibus elegiacis composuit, in quo ait se in juvenili ætate carmina sat jucunda scripsisse, genere esse Francum, patrem habuisse nomine Saxonem, electum fuisse episcopum cum plausu populi, quem concionibus suis erudire curaverat. Ecclesiæ cathedrali munere dedit tholum argenteum quatuor columnis fulsultum, sub quo caput S. Stephani in publicis supplicationibus vehitur. Hujus tholi stylobatæ inscripsit compositos a se hos octo versus:

Flodoard. hist. Remens. lib. III, c. 21. Id. c. 23.

Ut scelerum noxas redimam tibi, conditor orbis,
Offero templi hujus humilis Adventius arcem.
Irradiat Trinitatis honor splendifluus aram;
Redde medullata in templo holocausta sacerdos.
Ast quin purus amor dedit hanc in honore superno,
Hostia pura Deo, sindupla talenta reportans;
Hæc danti in terris bona reddas præmia cæli.
Compuncti cordis lacrymas hinc suscipe clemens.

Insignem etiam, pietatis suæ monumentum, indulsit crucem etiamnum existentem. De mortis ejus anno non omnes consentiunt. Sed quæ magis certa videtur opinio, est illa quæ
875. eum e vivis sublatum fuisse astruit an. 875, die 31 Augusti. Quod sane probatur ex duobus diplomatibus Ludovici Germaniæ regis, in quibus memoratur Adventius ut recens defunctus. Vocatur in regis ejusdem litteris ipsius anni episcopus sancti Arnulfi, quia forte cum episcopatu administrationem hujus abbatiæ retinuit. Advectum est Metas ejus corpus ex villa Salto, ubi excesserat, ac sepultum in sacello S. Galli, post cujus demolitionem in cryptam ecclesiæ cathedralis illatum.

XLII. Wala.

Bliderico comite & Irmengarda ejus uxore genitus Wala seu Walo, in episcopale solium
876. evehitur an. 876, die 21 Martii, festo sancti Benedicti, donatusque sacra unctione 8 Aprilis insequentis. Tunc gratiam Hincmari Remensis cœpit aucupari, litteris eum rogans qualiter in regendo grege suo se gereret. Pallii a
878. Johanne VIII papa honorem adeptus anno
879. 878, induere in festo Paschæ anni sequentis

Id. lib. III, c. 23.

A non dubitavit. Qua Bertolfus Trevirensis archiepiscopus re accepta, ut erat sui juris impiger exactor, litteris advocatum ad se Treviros, causam dicere & rationem facti reddere, Walonem compulit. Priusquam Walo responsum daret, privilegium pontificium exhibet, tum ait se primum non esse, qui eum honorem usurpasset; sed habere exemplum: decessores namque suos antistites præclaros viros scilicet, eum ritum servasse, fuisseque autorem primum Urbicum, cujus deinde vestigia Chrodegandus, Angilramnus & Drogo secuti sint. His Bertolfus minime placatus, canonem
B profert quo suffraganeus quidquam vel in ecclesiam introducere novi moris, vel instituere absque metropolitani sui consilio & autoritate prohibetur, simulque officii illum admonens, pallii usum omnem omnino, ni jus autoritatemque metropolitani sui obnunciantis agnosceret, interdicit: unde inter utrumque gravissima exorta est discordia. Quod ubi Hincmarus Remorum archiepiscopus cognovit, litteras ad Walonem dedit, prudentiæ ac sani consilii plenas, quibus illum & ad Bertolfi obsequium reduxit, & in pristina cum metropolitano gratia posuit.

C Sub id tempus juvenis, nomine Alpertus, quamdam Walatam in connubium poposcerat. Ut ille cognovit eam a presbytero corruptam fuisse, nuptias conficere detrectavit. Cum a Walone episcopo, affinitate Walatæ juncto, ad conjungendum matrimonium coerceretur, Johannem VIII summum pontificem adiit, & ab ipso epistolam hanc ad Walonem obtinuit: « Reverendissimo & sanctissimo Waleno venerabili episcopo Metensi. Præsentium portitor « litterarum, Alpertus nomine, lacrymabiliter « coram nobis veniens, questus est desponsam « suam, nomine Walatam, adhuc in parentum «
D domo manentem, adulterino concubitu a pres- « bytero quodam prægnantem repertam. Quæ « confessa de crimine, libenter abs se vult dis- « sociare: sed tua fraternitas pro quadam paren- « telæ affinitate, coactu eum cogit eamdem « sumere in conjugium, contra regulas patrum « atque institutionem. Quapropter si ita est, « requisitis super his legum & canonum institutis, « quid de talibus præcipiant promulgate absque « personarum acceptione.» Villam vocatam Fao in pago Bedensi Walo curavit donari monasterio Gorziensi a Ludovico rege regnante in
E Orientali Francia an. 878, indict. XI. Monasterio S. Martini, ubi parentes ejus Bliderieus & Irmengardis suam elegerant sepulturam, suam testificatus est munificentiam: tradidit enim decimas de Tarnayo pro ecclesia instauranda, addidit & alias res paternæ hæreditatis anno 880. Duas eodem anno in gratiam monasterii Gorziensis iniit commutationes, primam cum Ansegiso Senonensi archiepiscopo, alteram cum Bovone abbate Gorziæ. Anathematis vinculo constrixit anno 881 comites Gerardum, Stephanum & Matfridum ob damna diversis cœnobiis illata, debitaque ob advocatiam

ANNI CHRISTI 878. 880. 881.

ANNI CHRISTI

jura præfixit, atque res usurpatas restituere A
coegit. Normanni, incensa urbe Trevirensi, infesta signa Metas converterunt. His obviam cum copiis ad Remicham in littore Mosellæ processit Walo seu Wala episcopus, Bertulfo Trevirorum antistite & Adelhardo comite sibi adjunctis. Itur in manus: at Normanni victores Walam inter alios cæderunt 12 Aprilis
882. 882. Corpus post cladem Metas relatum, & in basilica S. Salvatoris, quam ipse in sepulcrum sibi pridem a fundamentis exstruxerat, sepultum est. Sic memoratus in necrologio cathedralis: *IV idus Aprilis fuit interfectus bonæ memoriæ dominus Walo Metensis episcopus a paganis.* B

XLIII. Robertus I.

Robertus qui & Ruodpertus, vel Rupertus, nobili Alamannorum genere ortus, germanus Vidonis, comitis titulo decorati in diplomate Arnulfi Cæsaris pro monasterio Mauri-monasterii, regulæ sancti Benedicti se devinxit in cœnobio S. Galli. Illic litteras est edoctus a Notkero scholarum magistro, cui plures inscripsit epistolas, in quibus sibi gratulatur de monastica professione; munuscula institutoribus suis petit a parentibus; Purkardum abbatem tunc absentem de revelatione domestici C furti certiorem facit. Ob eximias dotes ad infulas episcopales promotus, a Ratbodo metropolitano in cathedrali ecclesia Metensi sancti Stephani consecrationem accepit 22 Aprilis
883. 883. Ad id vel circiter tempus hymni quatuor in honorem S. Stephani a præcitato Notkero ad illum missi sunt. Libellum quemdam Stephanus Leodiensis episcopus fecit ex plurimis divinorum librorum flosculis decerptis, in quo singularum in anno festivitatum opuscula cum collectis & versibus utili commento congessit, ipsumque Roberto legendum transmisit ad comprobandum. Pallii ab apostolica sede ei D sicut & aliis ex ejus antecessoribus plurimis
884. delatus est honos. Facultatem an. 884, indict. II indulsit Lodoino abbati Gorziensi permutationem faciendi cum Verdingo S. Stephani presbytero. Clericis S. Arnulfi, qui imperatorem Carolum Crassum convenerant, rogantes confirmationem bonorum & restitutionem ablatorum, litteras principis ejusdem jussu con-
886. cessit circa annum 886, quo licentiam fecit construendi oratorii in Bodonis-curte. Interfuit
888. anno 888 concilio Moguntiacensi. Eodem una cum Ratbodo Trevirensi alteri concilio provinciali, in monasterio sancti Arnulfi 1 Maii E
889. celebrato, præfuit. Insequenti factam Gorziæ confirmavit donationem. Sciscitatus a Stephano papa V num quemdam Flavium, cui Normanni digitum lævæ manus amputaverant, ad ordines posset promovere, in Flavii gratiam a pontifice
891. accepit responsum circa annum 891. Eodem anno ab Arnulfo rege ad preces Deotmari Saltzburgensis archiepiscopi archicapellani monasterium S. Salvatoris ad lacum Chiminascum positum, quod vulgari vocabulo Owa tunc dicebatur, olim a superioribus regibus traditum

Goldast. rerum Alamann. t. II, p. 63.

Labb. concil. t. IX, pag. 473.

ANNI CHRISTI

ecclesiæ Metensi, abstractum est, cujus loco abbatia Luxovii ipsi ecclesiæ a rege Arnulfo assignata fuit. Ad id tempus mœnia urbis ob Normannorum irruptionem ab illo instaurata fuisse prodit Madaurensis episcopus. Triburiensi concilio prope Moguntiam adstitit anno 895 cum episcopis comprovincialibus, Da- 895.
done Virdunensi & Ludelmo Tullensi, cujus consecrationi a Ratbodo Trevirensi factæ paulo ante interfuerat. Litteris commendavit ipsi Ludelmo Heldradum clericum, quem ejus propinqui vexabant ob traditas Metensi ecclesiæ possessiones. Accepit & ipse formatas litteras a Ratbodo Trevirensi anno 906, 15 906.
Octob. de admittendo in diœcesim Metensem presbytero, nomine Gislemaro. Electus est in abbatem a Gorziensibus monachis an. 910, 910.
quo memoratur in dono Richildis reginæ in gratiam eorumdem. Abbatiam sancti Servatii quæ dicitur *Maestrich* a præcitato imperatore Arnulpho acquisivit, nec non a Ludovico imperatore castella plurima. Corpus S. Severi in monasterium S. Martini transtulit, ex mss. Trevirensi. Actis in episcopatu 32 annis, 8 mensibus, & 11 diebus, fatis concessit IV non. Januarii 916. In capella sancti Galli humo 916.
mandatus, unde in cryptam cathedralis postea delatus fuit.

XLIV. Wigericus.

Diversimode nuncupatus Wigericus, Witgericus, Witgerus, Bietgerus, & Widricus, natione Germanus & professione Hirsaugiensis monachus, ex abbate sancti Georgii in silva nigra ordinatus est episcopus anno 917. 917.
Eruditionis suæ quædam exhibuisse monumenta traditur. Tractatum scripsit de arte musices, in quo agit de ejus inventione, deque modis geometricis. Alberto Gorziensi abbati facultatem tribuit commutationem faciendi anno 922, Caroli regis 11. Cum inter turbas, quibus tunc agitata fuit Lotharingia, a partibus Caroli Simplicis constanter staret, a rege Henrico aucupe, Rogerio Trevirensi archiepiscopo & comite Gisleberto in episcopali urbe obsessus est, ac post expugnationem victori parere coactus an. 923. Eodem anno 923.
Rodulphi Franciæ regis imperio se subjecit ea conditione ut castrum de Saverna in Alsatia e ditione Henrici regis vi & armis ereptum sibi restitueretur. Quod, ubi in possessionem est immissus, disjecit ne Alemanni in recuperationis casu uterentur ad Metensem diœcesim infestandam. Sic laudatus a Trithemio: *Diegerus monachus Hirsaugiensis cœnobii in confinibus Suevorum, Spirensis diœcesis, deinde abbas sancti Georgii in nigra silva, & postremo episcopus ibidem, vir moribus & scientia venerandus, ingenii sui clarissima monimenta reliquit.* Peste sublatus in episcopali urbe 19 Februarii anno 927, 927.
humatus fuit in Cluniacensi monasterio.

XLV. Benno.

Genere Suevus Benno vel Benedictus, ex

ANNI CHRISTI

ordinariis Strasburgensibus, ut habet Reginonis continuator, id est ex canonicis, ad eremeticam vitam apud Turegum vastam solitudinem se contulit, ibique diu solitariam vitam duxit eodem in loco, id est in monte Eccelio. Si Guillimanno fides, vicinum montem, qui ab eo nomen retinuit *Bennaw*, ad pascua, cæsis arboribus, redegit, locumque frequentiorem reddidit & ad tolerandam vitam longe commodiorem. Dein ab abbatissa Sanctionensi insulam laci Tigurini, Eccelio monti objectam, & ad secessum peridoneam (*Ausnaw* vulgus appellat) beneficiaria conditione impetravit. Ad hæc Adalbero Basileensis episcopus, Bennonis propinquus, cum ad eum visitandum venisset, vicum quemdam infra Basileam in Sequanis, a majoribus suis acceptum, augendis & alendis ejus sociis eidem concessit. Sic ejus fama longe lateque dispersa pervenit ad aures Heinrici regis, qui zelo pio eum Wigerico episcopo substituit, nulla ratione habita electionis Metensium, qui forte alium Heinrico ingratum sublegerant. Legitur charta in qua
Ch. XVI, col. 385. *Benedictus sanctæ Metensis ecclesiæ præsul humilis* testamentum facit, quo illustris femina, Rothildis nomine, res quasdam proprietatis suæ apud Racheringas in pago Salnensi, ecclesiæ sancti Arnulfi seu sancti Stephani tradiderit. Necdum in episcopatu secundum annum exegerat, cum ab oppidanis Metensibus oculis ac virilibus orbatus est. Causam tam atrocis facinoris variæ autorum veterum sententiæ faciunt incertam. Alii id ejus zelo, alii simulatæ sanctitati tribuunt. Verisimile est hominem Metensibus ingratum, quippe qui invitis contra eorum electionem ab Henrico rege impositus fuerat, facile in eorum offensam ob zelum incurrisse, ob idque tam male exceptum fuisse. Sacrilegii tam immanis causa Duisburgi synodus est convocata, in qua communione privati sunt tanti criminis autores, quos rex Henricus capitali pœna multavit. Benno tantam passus injuriam ab episcopatu se abdicat,
Chron. Einsidl. ad an. 927. & ad Heremum beatæ Mariæ sive ad suum Einsildense in Helvetia cœnobium revertitur, insigni vitæ sanctitate etiam cœcus Germaniam illuminans, ibique sepultus est ante sacellum beatæ Mariæ Virginis. Huic quædam abbatia in vitæ subsidium data est; sed quænam sit hæc abbatia, non dicit Frodoardus, ex quo discimus illum omnia patienter tolerasse, & ob relictum magnæ patientiæ exemplum cognominatum fuisse Benedictum. Quod tamen cognomen jam episcopus sibi ipse tribuit in charta superius memorata. Decessit 3 Augusti 940, omissus in quibusdam catalogis, propterea quod ante obitum cesserat. De illo jam locuti sumus, tom. V, col. 1010 & 1011.

XLVI. ADALBERO I.

929. Suffectus est anno 929 in Bennonis locum Adalbero, vir natalium splendore clarissimus, Friderici I comitis Barrensis frater ac propinquus Hugonis, Hevæ comitissæ fundatricis

A prioratus de Layo sponsi, quem ipsa in litteris sanguine S. Arnulfi & Franciæ regum procreatum testatur. *Compater* vocatur in diplomate Ottonis regis. Silvester papa II de Friderico Adalberonis fratre loquens, ipsum ducibus regia stirpe editis genitum ait. In vita S. Guiberti primi abbatis Gemblacensis leguntur hæc verba: « Adalbero primus hujus nominis Metensis episcopus, qui nobilium « Christianissimus, & Christianorum nobilissimus, erat quippe frater Friderici ducis. » Sic laudatur in vita B. Johannis Gorziensis: « Adalbero præter spem omnium, cum esset
B regii quidem paterna simul ac materna stirpe, « longe retro usque ab hominum memoria sanguinis, sed ob rei familiaris inopiam, qua « secundis matris nuptiis laborabat, censu aliquanto tenuior, consensu omnium, publicisque « ecclesiæ legitimisque suffragiis, in sacræ Metensis ecclesiæ cathedræ pontificium Domino « promovente sustollitur. »

Inter hæc emersit discordia inter Ottonem Germaniæ regem & Ludovicum regem Franciæ de Lotharingiæ regno. Adalbero, susceptis Ludovici partibus, ab Ottone obsessus coactusque est obsequium præstare, & exinde
C cum eo conjunctissime vixit. Perquam de grege suo sollicitus, Gorziense monasterium ad meliorem anno 930 revocavit frugem. 930.
Occurrit an. 935 in carta ejusdem cœnobii 935.
de dono Bernacheri. Raimberto abbati Senoniensi asseruit res a prædecessoribus suis traditas. Ch. VIII, col. 453.
Monachos in suburbana sancti Arnulfi basilica instituit canonicorum loco, quos licentius viventes ad strictiorem vitæ normam compellere non potuerat. Hujus rei causa Ottonem regem adiit facultatem petitum monachos illic substituendi in locum canonicorum. Ch. XVII, col. 386.
D Otto regia potestate sanxit an. 941, ut con- 941.
gregata inibi Domino famulantium honesta conversatione, deinceps monachica ibi perpetualiter vita ducatur. Litteras eadem de re dedit & ipse Adalbero anno insequenti, plurimasque donationes & privilegia indulsit. Ch. XVIII, col. 386. 942.
Hoc etiam anno adstitit dedicationi ecclesiæ S. Maximini Trevirensis. Ch. XIX, col. 387.
Non minus puellarum quam virorum moribus reformandis intentus, monasterium S. Glodesindis rebus spiritualibus ac temporalibus pene destitutum, ab imminente interitu vindicare & in pristinum splendorem restituere cogitavit. Regulæ
E S. Benedicti, ut fuit olim inibi, observationem restitui curavit, ejusque loci sanctimonialibus neptem suam Himiltrudem præfecit. Dehinc necessaria quæque vitæ subsidia eis suppeditavit: imo etiam Hasteriensem abbatiam, quam a Vigerico comite genitore suo ibidem humato acceperat, concessit. Possessiones quas viri potentes tyrannica violentia invaserant, restitui fategit, ut patet ex instrumento dato an. 945: 945.
& donec fabrica basilicæ absolveretur, reliquias S. Glodesindis in proximam quamdam domum intulit conservandas. Metensi ecclesiæ tunc subjectum erat sancti Trudonis in Hasbania

ANNI CHRISTI monasterium, quod cum ad incitas, ut pleraque alia, redactum esset, ejus curam ac regimen Adalbero episcopus in se suscepit, ut relatum a Meurissio fragmentum historicum nos docet.
944. Et vero anno 944 Adalbero, qui ob favorem, quem monachis exhibebat, monachorum pater est appellatus, gravi compatiens desolati gregis necessitati, ut abundantius proficienti illi in monasticis prodesset, & temporalia bona, quæ per illos XLV annos desolati hujus loci per tyrannidem nobilium & magnatum injuste possidebantur, reparare posset; divinitus inspiratus, onus prælaturæ hujus monasterii assumens, abbas efficitur. Et quia dudum Reinero suo prædecessori, sinistre informatus, alienus extiterat, pro qua causa sanctus Trudo etiam ipsum corripuerat; ideo ferventius ad omnem istius monasterii promotionem intentus, hereditates disperditas pro parte restitutas accepit, & non habitas ex proborum largitione, quos informaverat, augmentavit. Ille etiam de suo quædam adjecit, & structuram monasterii cum gravibus expensis in altum produxit, & firmo tecto exsectis lapidibus nobiliter coopertam consummavit. Absolutis majori ex parte ædificiis Adalbero, annuente Tungrensi episcopo diœcesano, hoc monasterium solemniter consecravit anno prælationis suæ in hac abbatia tertio. Testatur Stepelinus monachus in libro primo de miraculis sancti Trudonis Reinerum abbatem, posteaquam aliquandiu a monasterio abfuisset, revocatum fuisse ab Adalberone, qui ei diu negatam gratiam indulsit, atque in posterum favorabilem ac propitium fore pollicitus est. Adfuit pluribus conciliis, scilicet
947. Virdunensi anno 947, Mosomensi & Ingel-
948. heimiensi anno 948. Sequenti anno una cum
949. Fulberto Cameracensi episcopo, Conrado duce Lotharingiæ, Hugone Nigro Hugonem Magnum cum Ludovico rege reconciliavit. Dum Romæ versaretur anno 951 dono accepit ab Ottone Cæsare castrum Saræpontis, cujus privilegium asservatur in actis cancellariæ Vicensis. Tunc in Belgica secunda florebat Cadroe Walciodori abbas, cujus sanctitatis fama cum ad aures Adalberonis pervenisset, eam in urbem ab eo accitus est, agentibus Agenoldo Gorziensi & Ansteo S. Arnulfi abbatibus, quibus hanc commiserat curam. Duo illi abbates ei præsulis voluntatem exponunt, rogantque ut secum in urbe manere ne gravaretur. Precibus igitur supplicantium evictus consentit, & locum jam ad nihilum redactum suscepit commendatum. Illic erat basilica sancti Felicis, postea S. Clementis dicta, primorum urbis antistitum sepultura & reliquiis insignis: cui adjunctum erat S. Clementis monasterium. Moniales etiam cœnobii S. Petri, cum regulare institutum, quod ab origine acceperant, fere abjecissent, ad normam regulæ S. Benedicti revocare, ac reformare curavit Adalbero. Qua
960. de re præceptum impetravit an. 960, in quo rex Otto ait Adalberonem compatrem suum, egregium sanctæ Metensis ecclesiæ præsulem, una cum germano suo Friderico duce regiam serenitatem adiisse super quodam ditionis suæ monasterio infra muros jam dictæ civitatis in honorem principis Apostolorum constructo, ab antiquis Majoris-monasterii nomine nuncupato, atque supplicasse ut regii præcepti autoritate sanctimonialibus jam dicti monasterii secundum sancti patris Benedicti instituta sub regula vel abbatissa liceret militare. Hoc etiam anno ab Ottone illum declaratum fuisse supremum Metensis urbis toparcham aiunt. Huic chronicon suum dicavit Regino abbas Prumiensis. Annus 964 supremus fuit Adalbe- 964.
ronis, qui postquam ecclesiam suam annis fere triginta sex rexisset, perceptis sacramentis, VII calendas Martii ad Dominum migravit in monasterio S. Trudonis, cujus abbatiam viginti tenuerat annis. Ejus corpus post solemnes exsequias in latere exterioris parietis ipsius monasterii ad lævam, versus claustri ambitum, primo sepultum, dein Gorziam, quam instauraverat, ac demum ad sancti Arnulfi basilicam translatum est. Vir opinatissimæ sanctitatis, sanctæque religionis indefessus ubique reformator appellatur in veteri codice S. Arnulfi, ubi celebris est hactenus ac pretiosa ejus memoria.

XLVII. Theodericus I.

Mortuo Adalberone, Bruno Coloniensis tantisper Metensem rexit ecclesiam, unde baculum S. Petri ad Coloniensem ecclesiam transferri curavit. Exeunte tamen anno 964 Theodericus seu Diedericus canonicus Alberstadiensis & præpositus Vormatiensis proclamatus est episcopus ab imperatore Ottone I, cui sanguinis vinculo obstrictus erat, item & Brunoni archipræsuli Coloniensi ex genere materno, nec non imperatori Conrado I & comiti Eberhardo ex genere paterno. Scriptor fere æqualis de illo hæc tradit: « Theodericus vir imperatorii generis, ingenii singularis, « ad episcopatus cathedram communi omnium « acclamatione accessit. » Litteris operam dedit in monasterio S. Galli sub celebri Keroldo magistro. Fertur dixisse, ubi cognovit ex antiqua traditione primas nominum episcoporum Metensium litteras, metallis magis minusve pretiosis, pro uniuscujusque meritis, scriptas, tanta bona facturum ut sua argento scripta, auro annotaretur. Sacrum diem Pentecostes exegit an. 965 Aquisgrani in comitatu 965.
Ottonis imperatoris & Brunonis archiepiscopi Coloniensis, qui paulo post in morbum lapsus, Remos voluit deportari, ubi de vita cessit, testamentum suum relinquens in manibus Theoderici Metensis & Vicfridi Virdunensis episcoporum, qui ejus funera curarunt. Adstitit etiam hoc anno episcoporum conventui Coloniæ habito, in quo firmata est fundatio ecclesiæ collegiatæ sancti Martini Leodiensis. Circa id tempus villam Vigiacum & alia quædam restituit monasterio sancti Arnulfi. Ecclesiam monasterii de Verga-villa nuper

Vita S. Cadroæ sec. V, Bened. pag. 498.

Ch. XXIII, col. 392.

ANNI CHRISTI
966. fundati in honorem B. Virginis ac sanctorum
Apostolorum dedicavit anno 966. Impera-
torem consobrinum secutus in Italiam, illic
per triennium versatus est. Hac occasione
usus, multas hinc inde reliquias collegit &
970. transferri curavit an. 970 in sancti Vincentii
monasterium, quod ipse in illius urbis insula
ante biennium exstruxerat, & præclaris ædi-
ficiis exornaverat. Recepto in eodem sancti
Vincentii cœnobio S. Luciæ corpore, orato-
rium ibidem in ejus honorem, statim ædificare
972. cœpit, dedicavitque VIII id. Augusti an. 972,
cooperantibus sibi comprovincialibus episcopis,
Gerardo Tullensi & Wigfrido Virdunensi.
In pago Calvomontensi locum quemdam inter
Mosellam & montem vicinum, qui vernacule
Spinal vocatur, divino famulatui aptum repe-
riens, monasterium illic construxit ac reliquias
S. Goerici episcopi Metensis transtulit. Suæ
Meuriss. p. 326. etiam munificentiæ testimonia exhibuit mo-
nasteriis sancti Arnulfi & sancti Petri Metensis.
Fautor fuit ac tutor parthenonis de Monte
S. Romarici, quo nomine subscripsit cuidam
chartæ Gislæ tunc temporis abbatissæ. Cum
multis aliis tam episcopis quam abbatibus ab
Ottone II curam accepit restituendæ regularis
disciplinæ in monasterio S. Galli. Factus est
976. an. 976 arbiter una cum Hildeboldo Wor-
matiensi episcopo motæ super navigatione &
usu amnis Hursillæ controversiæ inter Werin-
herium Fuldensem & Gozbertum Hersfel-
densem abbates. Jura regalia in urbem Me-
tensem, interventu Theophaniæ imperatricis,
977. ab ipso principe accepit anno 977. Adstitit
980. anno 980 Ingelheimiensi conventui, in quo
statutum est ut monasteria Stabulense & Mal-
mundariense coadunata remanerent. Dum rex
Otto adversus Græcos & Saracenos in Calabria
præliaretur an. 982, Theodericus & Theo-
phania Augusta pugnæ eventum Rossanæ
præstolabantur, ubi resciverunt exercitum
imperialem profligatum fuisse, ipsumque Im-
peratorem natatu salutem quæsivisse. Cui opem
ferre Theodericus mox properavit. Habita
983. sunt anno 983 Veronæ comitia in quibus
Otto II successorem suum renunciavit Otto-
nem III, adstantibus imperii magnatibus,
præsertim Theoderico, qui apud principem
gratia plurimum valebat, sanctioribusque ei
erat a consiliis. Eodem anno Imperatoris
ejusdem Romæ defuncti 7 Decembris fune-
ribus interfuit. Perquam promotioni Adalbe-
ronis in Virdunensem episcopum nuper electi
contrarius, gravem habuit controversiam cum
Carolo a Francia inferioris Lotharingiæ duce,
Quesn. t. II, histor. Franc. pp. 795, 796. partibus Adalberonis addicto, ad quem epis-
tolam scripsit acerrimam: vicissimque Ger-
bertus Caroli nomine atrocissimas Theoderico
litteras rescripsit, ut constat ex epistolis Ger-
Ibid. pp. 797. 803, epist. XXXIII & LIX. berti, cujus duæ aliæ sunt epistolæ ad Theo-
dericum, quem vocat Diedericum. Nuncupatur
Theodericus *d'Hamelant* in litteris Ricuini
Tullensis episcopi pro monasterio Spinalensi.
Hillinus Trevirensis in confirmatione bonorum

A ejusdem loci eum nominat Theodericum de
Hamolo: cognominatur etiam Sixtus. De vita
migravit die 7 Septemb. an. 984, sepultusque 984.
est in monasterio sancti Vincentii quod condi-
derat. Cum post trecentos annos tumulus ejus
reseratus fuisset, reperta sunt ejus ornamenta
pontificalia integra, ejusque ossa recondita
fuerunt in capsam ligneam, quæ in choro
exponitur die ejus anniversarii, pro cujus
celebratione eadem ornamenta in usum adhi-
bentur.

XLVIII. Adalbero II.

B Parentibus Friderico I duce Lotharingiæ
Mosellanæ & Beatrice Hugonis Capeti ger-
mana, Ottonis I Cæsaris nepte, genitus Adal-
bero, Junior dictus, scholaribus disciplinis
apud Gurgitenses seu Gorzienses monachos
institutus est. Cum Theodericus episcopus
decessisset, ejus episcopatum Virdunensi, ad
quem proxime nominatus fuerat, prætulit.
Quapropter, procurante matre Beatrice, fa-
vente Adelheide Augusta, in ejus locum
subrogatus XVII cal. Novembris 984. Bene-
dictio dilata est usque ad festum sanctorum
Innocentium, id est ad V kal. Januarii. Quo
C die convenere vicinarum civitatum præsules
Trevirim, cui Ecbertus archiepiscopus præerat,
& unanimi consensu ac plausu Adalberonem
episcopum consecravere. Mox ille totum se
ad informandum gregem composuit, affabilis
cunctis, maxime pauperibus, ita ut a superbis
quasi nimis dejectus notaretur. Erat etiam
monachorum utpote apud quos educatus fuerat,
amator serventissimus, eorumque cœtu &
colloquiis in primis delectabatur: adeo ut nihil
præter monachos curare a laïcis infamaretur.
Hoc studio adductus, sancti Symphoriani
D suburbanum monasterium, quod nihil nisi
rudera & ruinas prætendebat nobiliter instau-
ravit & servorum Dei, qui institutis sancti
Benedicti bene parere docti ad perfectum
noverant, collegio exornavit. Id comprobatur *Ch. XXIV, col. 393.*
ex litteris Ottonis III imperatoris datis VIII cal.
Febr. 992, qui rogante Adalberone episcopo 992.
& interventu Adeleidis aviæ suæ, abbatiam
S. Symphoriani, tunc extra muros civitatis
sitam, jam dudum destructam, sed ab ipso
Adalberone instauratam, cum suis appendicibus
autoritatis suæ præcepto confirmavit, ea con-
ditione ut abbas primus, Fingenius nomine,
E Hiberniensis natione, quem prædictus epis-
copus ibi constituit, ejusque successores mo-
nachos Hibernienses illic recipiant, quandiu
tales habere potuerint, & si tales defuerint,
cujusvis nationis monachos admittant. Quatuor
mansos in villa dicta Villare monasterio sancti *Ch. XXV, col. 393.*
Arnulphi attribuit. Xenodochium etiam pau-
perum in urbe instituit, ubi ancillas Dei ad
laudes perpetuo Creatori persolvendas libera-
liter dotavit. Quin imo Adalbero sancti Petri
puellare monasterium in eadem urbe restituisse
dicitur, & proximum cœnobium S. Mariæ
ad instituendas novitias ædificasse. Ad hæc
ille

ANNI CHRISTI ille in Blisacensis pagi loco, quem Adventius Metensis antistes in honorem sanctæ Trinitatis adornare cœperat, & corpore sancti Terentii ejusdem sedis episcopi insignierat, omnino perfecit & in eo feminas Deo dicatas cum congrua dote collocavit. Constructum fuerat in quodam loco Calvomontensis pagi, *Spinal* rusticorum lingua vocato, a Theoderico ejus decessore monasterium in honorem S. Goerici Metensis itidem episcopi, cujus reliquias eo transtulerat. Illic Adalbero primum servos Dei seu clericos, qui locum incolerent, dein ancillas Christi sub regulari vita & sub institutione S. Benedicti bene edoctas coadunavit. Illuc undique accurrere cœperunt multi infirmi recuperandæ sanitatis gratia intercessione sancti Goerici, quibus Adalbero, qui tunc in vicino castro residebat, insignis suæ benignitatis eximia specimina exhibuit, eos ad mensam suam admittens, lavans pedes eorum, & curans vulnera. Non contentus vetera instaurasse novaque exstruxisse monasteria, plura alia reformare cogitavit. Accersivit itaque Guillelmum abbatem S. Benigni Divionensis, cui commisit curam restituendæ regularis observantiæ in cœnobiis sancti Arnulfi, Gorziæ & S. Clementis. Monachis S. Arnulfi attribuit in pago Scarponensi quatuor mansos cum appenditiis, ecclesiamque inibi sitam in honorem S. Martini dicatam. Quamvis natura foret mansuetus, strenuitatis tamen argumenta, prout occasio dabatur, exhibebat. Re quidem

Meuriss. p. 340.

1002. vera anno 1002 dum concilio adesset, vehementer invectus est in nuptias, gradu consanguinitatis sacris canonibus vetito celebratas; nec dubitavit designare tanquam reum ducem Conradum tunc præsentem. Arma etiam, ut subditos suos a vexatione liberaret, nonnunquam sumsit, oppressorumque castra & arces excidit. Ad privatæ ejus vitæ exercitia quod attinet, missas & sacramenta divina nunquam sine cilicio, nunquam sine lacrymis celebravit. Vigilias Natalis Domini, sancti Paschæ & Pentecostes, nec non omnium Apostolorum absque ullo cibo transigere; Quadragesimæ dies semper cum monachis, dum in patria versaretur, præcipue apud Gorzienses, straminea lana seu interula lanea indutus, peragere consueverat: quia locus iste & sacræ religionis districtione insignis, situque amœnissimus gratissimum secessum exhibebat. Religionis causa Romanum iter bis est aggressus. Diœcesanorum omnium animos ita sibi devinxerat, ut etiam Judæi patrem haberent. Plusquam mille presbyteros, multosque alios ministros sub suo pontificatu ordinavit: nullum causa natalium ratus esse rejiciendum, quia apud Deum omnes sunt æquales. Pro diversis monasteriis abbates quadraginta consecravit. Forte dux Theodericus ejus frater, qui tunc Lotharingiam Mosellanam administrabat, res quasdam S. Arnulfi monasterio abstulerat, quas ejus loci cœnobitæ ab eo repetebant. Ad finiendam litem dies medio

A mense Maio ab eo ægre tandem est indicta. Adfuit condicta die Adalbero pontifex, qui tum ejus diei æstu vehementi, quantum nemo ab omni retro mortalium memoria expertus erat, tum litis importunitate fatigatus, Numeniacum impransus media nocte pervenit. Tum cibo refectus, ubi paululum somni cepisset, ad laudes Deo persolvendas surrexit. Vix eas absolverat, cum paralysi repente ita correptus est, ut neque manus pedesve, neque linguam movere posset. Ad tam insperatum nuncium fit undique concursus, non modo secularium & clericorum, sed etiam monachorum, immo B & sanctimonialium & eremitarum, qui tanti patris casum inconsolabiliter lugebant. Eo etiam accurrit dux Theodericus ejus frater cum primariis aliis viris. Numeniaco in urbem deportatus, primo sancti Stephani principem ecclesiam adire voluit, ubi sibi commissum gregem Deo commendavit; inde ad domum episcopalem delatus, quidquid residui ex facultatibus ipsi supererat, ecclesiis, servis Dei, egenisque distribui curavit. Quin etiam beato Martino Turonis, sancto Dionysio Parisius, sancto Remigio Remis, sanctæ Mariæ Virduni, sancto Petro Coloniæ, multisque aliis per C Franciam superiorem inferioremque Sanctis xenia misit, quo eos sibi in cœlo patronos conciliaret. Tandem post aliquot dies ad eorum consortium migravit sub finem anni 1005, 1005. scilicet XIX cal. Januarii, prima hora feriæ sextæ. Ejus corpus lotum ex more & pontificalibus vestibus & ipsis pretiosis indutum, toto ejus diei tempore & sabbato insequenti in ecclesia S. Stephani servatum, indeque devectum in monasterium S. Symphoriani ab eo restauratum, ibidem cum aliis antecessoribus suis humatum est feria secunda ante altare S. Symphoriani, justa ei persolvente D Bertholdo Leucorum venerabili pontifice, qui ab eo educatus fuerat.

Adalberonis gesta scripsit auctor gravis & æqualis, abbas scilicet ejusdem monasterii S. Symphoriani tertius, Constantinus nomine, ut conjicitur, qui se ab illo benedictum fuisse testatur. Edita sunt apud Labbæum, tom I, biblioth. Nov. p. 670 & seqq.

XLIX. Theodericus II.

DE LUXEMBOURG.

Episcopatum volunt Adalberonem ante mortem nepoti suo Adalberoni, Theoderici E ducis Mosellanæ fratris sui filio, resignasse. Hanc ecclesiam, favente Henrico rege, dux Theodericus administrandam commisit propinquo suo Theoderico, Cunegundis reginæ fratri, dum ipsius filius Adalbero, cui episcopatum asserere volebat, adhuc puer adolesceret. Tanta cleri populique comprobatione Theodericus munus sibi creditum obivit, ut precibus victus, accepta consecratione, episcopatum retinuerit. Is habuit parentes Sigefridum I comitem Luxemburgensem & Hadwidem, ac germanos Henricum ducem Bavariæ & comitem Arduennæ, Adalberonem

ANNI CHRISTI

præpositum S. Paulini Trevirensis, Megingaudi archipræsulis æmulum, & Fridericum comitem Luxemburgensem. Tunc visum est imperatori Henrico II ecclesiam Bambergensem in cathedralem erigere, eique adnectere prædia, in quibus statuta erat dos reginæ Cunegundis. Unde Theodericus reginæ frater una cum fratre suo Henrico Bavariæ duce adversus regem Henricum rebellandi sumsit occasionem, simulque puerum Adalberonem urbe exclusit. Qua de re Lotharingiæ dux Theodericus pater Adalberonis conquestus est apud regem, qui ad obsidendam urbem accessit, opitulantibus Slavis, a quibus ecclesia una, forte S. Martini, vastatur. Aliunde episcopus ad validam defensionem se accinxit, oppigneratis multis ecclesiæ suæ prædiis, opis sibi curandæ gratia: quin & ipsum Theodericum ducem bello cepit. Dum in rebellione perseveraret, Henricus rex apud Bambergam con-
1012. ventum habuit anno 1012, in quo questus est de calumniis sibi a Theoderico apud summum pontificem impositis. Eodem anno post festum S. Martini synodus coacta est Confluentiæ, in qua Theoderici aliorumque rebellium causa est agitata: ad quam illi suæ causæ diffisi legatos de pace miserunt. Interdictum nihilominus est Theoderico ut sacra sacrificia ante purgationem celebraret. Verumtamen, interveniente Heriberto Coloniensi præsule, paulo post in gratiam cum Imperatore, tum Aquisgrani comitia celebrante, rediit, & in tranquilla Metensis episcopatus possessione mansit, quia inter has turbas puer Adalbero decesserat. Cum perdiu perductum fuisset bellum, facta tandem pace, Theodericus permagnificam ecclesiam cathedralem etiamnum superstitem, aliam ex omnibus totius regni vastissimam ac pulcherrimam, ædificare constituit, partimque ad usque fastigium erexit & concamerari curavit. Verum successorum ejus incuria absoluta non est nisi anno 1490. Huic basilicæ præclara largitus est donaria, & inter pretiosissimas reliquias, brachium S. Stephani a Bysantica civitate adeptum. Magnam quoque tradidit crucem auream gemmis instructam, ingentemque coronam in medio choro suspensam. Brunonem episcopum Tullensem, futurum postea summum pontificem, consanguineum
1026. suum in possessionem deduxit anno 1026. Eodem Trevirensis diœcesis a Poppone archiepiscopo, Jerosolymam mox profecturo, administrationem, quam jam subierat anno 1022, suscepit. Albertus monachus Metensis historiam de rebus temporis sui, ab Ekardo in collectione scriptorum medii ævi publicatam, ei nuncupavit. Conditum est, dum ille Metensem regeret ecclesiam, in insula Mosellæ, prope monasterium S. Vincentii, Benedictinarum cœnobium, cujus nulla supersunt vestigia. Reliquias S. Luciæ e monasterio sancti Vincentii erutas Henrico imperatori largitus est anno 1031 in cœnobium Limpurgense transferendas. Divillariensibus comitiis, in

A quibus concordiam inierunt imperator Conradus & Henricus rex Franciæ adstitit anno 1032. Ecclesiam monasterii Bozonis villæ, 1032.
quod Juditha uxor Adalberti comitis Alsatiæ condidit, dum ejus maritus Jerosolymis versaretur, consecravit anno 1033. Halinardo 1033.
archiepiscopo Lugdunensi investituras ab Imperatore petenti obtinuit ut propter scrupulum fidei sacramentum non præstaret anno 1046. 1046.
Decessit 29 Aprilis 1047, sepulturam nactus 1047.
in choro cathedralis, ubi quondam eximium cernebatur mausoleum, quod subversum fuit anno 1581, dum extolleretur augereturque B chorus. Reperta est in ejus sepulchro lamina plumbea cum hac inscriptione: *II kal Maii obiit Theodericus junior ecclesiæ Metensis episcopus*

L. ADALBERO III.

DE LUXEMBOURG.

Filius Friderici comitis Luxemburgensis, ac frater Henrici ducis Bavariæ, Friderici ducis inferioris Lotharingiæ, & Gisleberti comitis Salmensis, atque Theoderici episcopi antecessoris nepos Adalbero, sacris studuit litteris sub Bertholdo episcopo Tullensi. Socium in studiis habuit Brunonem consobrinum, postea ad infulas Tullenses, tum ad summi pon-C tificatus apicem elatum, erga quem utcunque didascali munus obivit, quatenus magis ætate & doctrina provectus. Præsul a capitulo Metensi electus, probatusque ab imperatore Henrico III, sacram unctionem accepit an. 1047. Insequenti adstitit comitiis Wormatiensibus, 1048.
in quibus Bruno Tullensis sub Leonis IX nomine ad sanctam sedem Romanam est promotus. Postero anno Remis versabatur in 1049.
comitatu ipsiusmet pontificis ecclesiam sancti Remigii consecrantis, ipseque dedicavit capellam sancti Stephani, atque concilio ibidem celebrato interfuit. Tullum cum papa reversus, D indeque Metas, illum rogavit ut possessiones S. Arnulfi firmaret, cujus ecclesiam ad Warini *Meurisse, hist. Met. p. 354.*
abbatis preces modo dedicaverat. Secutus quidem est eum Romam adeuntem, ubi an. 1050 1050.
adstitit concilio, quod Gerardum Tullensem in Sanctorum numerum retulit. Adfuit eodem anno translationi SS. Eucharii & Valerii. Fuit ex chronico Metensi sanctitate ac religione venerabilis, pacis amator & cœnobiorum reparator. Præceptum immunitatis ecclesiæ suæ Ch. XXVII, col. 396.
cathedrali ab imperatore Henrico III consecutus est an. 1052, obtinuitque ab eodem 1052.
ut canonici electionem facerent primicerii, Ch. XXVIII, col. 398.
E decani, cantoris &c. an. 1056. In honorem 1056.
S. Salvatoris condidit monasterium inhabitandum a canonicis, qui sub iisdem regulis, Ch. XXIX, col. 399.
quibus canonici cathedralis ecclesiæ, degerent, & cum illis intimam haberent societatem. Cœnobii sancti Symphoriani constituit abbatem Ch. XXX, col. 399.
Richerum, cui largitus est ecclesiam beati Johannis de Equiniaco, ea lege ut illam reædificaret, monachosque inibi ad Deo serviendum congregaret. Confirmavit an. 1059 1059.
monachis S. Trudonis jus quoddam in Cervisiam, a Theoderico decessore concessum. Ch. XXXI, col. 400.

ANNI CHRISTI Udonem fratris sui Frederici in advocatia monasterii S. Trudonis successorem, ultra limites advocatiæ jura extendere molientem,
1065. repressit anno 1065. Donatus quidem est eodem anno ab imperatore Henrico IV Sarbrucensi comitatu. Valoni abbati S. Arnulfi
1070. privilegium concessit anno 1070. Mortuus
1072. an. 1072 die 12 Novembris, humatus est in ecclesia S. Salvatoris. Quæ cum subversa fuisset anno 1571, ejus ossa reperta sunt in sepulchro involuta casula bombycina adhuc integra, qua utitur celebrans die ejus anniversarii.

LI. Herimannus.

Claris natalibus in Saxonia satus Herimannus, discipulus Hannonis archiepiscopi Coloniensis, Leodiensis præpositus, unanimi cleri ac populi consensu præfectus & in epis-
1073. copum consecratus fuit anno 1073. Gravi dolore perculsus investituras ab Imperatore accepisse, mox a summo pontifice veniam petiit. Non multo post Gerslengensi conventui de sedandis Germaniæ turbis habito, una cum pluribus prælatis & optimatibus interfuit. Walonem abbatem S. Arnulfi, quem Manasses Remensis archiepiscopus itidem monasterio S. Remigii præfecerat, Metas redeuntem ad Gregorii VII papæ commendationem benigne
Ch. XXXII, col. 401. excepit, & in ejus gratiam restituit nundinas in solemnitate dedicationis in perpetuum habendas. Dein vero locus ei non defuit expostulandi & quidem amare de Walone, ut infra dicemus. Romam cum Theoderico
1074. sancti Huberti abbate profectus anno 1074, Paschalia festa Pisis egit; unde iter pergens, Romam accessit, ac precibus effusis ad sanctorum Apostolorum tumulos, papam Gregorium VII invisit; a quo non sibi tantum caritatis testimonia, verum & episcopis Leodiensi ac Bambergensi Theodvino & Herimanno, sacros canones violasse insimulatis, benignitatis insignia obtinuit. Sub annum 1076 funestum ac diuturnum schisma exortum est, autore in primis Henrico IV Germaniæ rege, qui nefariis actibus regnum infestabat. Huic sæpius benigne nequicquam admonito Gregorius VII denuo per legatos sub finem anni præcedentis edixit, ut secunda Quadragesimæ hebdomade ad concilium Romæ indictum de criminibus, quorum argueretur, causam dicturus adesset. Quod si facere neglexisset, se a communione ecclesiæ sejunctum iri pro certo haberet. Hoc nuntio rex supra modum offensus, legatos a conspectu suo repulit, & Wormatiæ conventum in Septuagesimam indixit, in quo Gregorius pontificatu depulsus est, contra plurium episcoporum sententiam, & nominatim Hermanni, palam profitentis vetitum esse legibus canonicis episcopum absentem condemnare: sed tamen majori numero concedere oportuit. Persuasus papa multos episcopos non nisi vi & metu assensisse, Udoni Trevirensi, Theoderico

A Virdunensi atque Herimanno litteras emisit, illos adhortans ut sanctæ sedi fidem servarent, culpamque congrua satisfactione diluerent. Equidem in errato Herimannus non diu perseveravit, absolutionem a Jarentone abbate sancti Benigni Divionensis in vigilia Natalis Domini ejusdem anni 1076 consecutus. 1076.
Eodem anno mense Augusto ab eodem pontifice litteras accepit, quibus papa ait omnes, qui cum rege communicarent, censuras subiisse, ipsumque excommunicandi jus habuisse. Insequenti anno ejusdem pontificis jussu sedavit litem motam inter episcopum Leodiensem
B & Vulpadum abbatem S. Laurentii, qui suo monasterio causa indicta pulsus fuerat. Attamen Herimannus ob singulare erga sanctam sedem studium, offensionem Imperatoris subiit, & in Moguntino conventu renuntiatus est hostis Imperii. Persecutionis ergo vitandæ Virdunensem episcopum Theodericum adiit, a quo, commendatus a papa, quam humanissime acceptus est. Dehinc oppigneratis quibusdam ecclesiæ suæ prædiis, Leodium refugit, ubi monasterii S. Trudonis sumptibus victitavit. Eidem monasterio, utpote directam habens jurisdictionem, Henrico episcopo Leodiensi
C comitatus, Lanzonem abbatem S. Vincentii Metensis præfecit an. 1083. Quam ob rem in chronico S. Trudonis monasterii proventus ad usum suum convertisse & abbatiæ privilegia violasse arguitur. Præter Cæsaris vexationes, pene continuis exagitatus est bellis a Theoderico duce Lotharingiæ, qui castra Spinalii & Danubrii, pluresque ecclesias ac monasteria diripuit. Inter hæc habitum est Romæ concilium generale an. 1080 nonis 1080.
Martii, in quo Imperatori Germaniam bello armisque miscere pergenti, & in pertinacia
D persistenti, anathema dixit papa Gregorius, & Rodulfum in regia dignitate substitutum confirmavit, professus se invitum nec nisi post tentata incassum alia remedia, ad hæc extrema descendisse. Ea re amplius efferatus Henricus, coacto apud Brixinam Noricorum urbem triginta factiosorum episcoporum conventu, legitimum papam abjuravit, eique Guibertum, Ravennæ archiepiscopum, antipapam sub nomine Clementis opposuit. Porro Herimannus a partibus papæ constabat. Qua re exacerbatus Imperator eum sede sua dejecit, ac Walonem jam prælibatum, S. Arnulfi abbatem, in ejus locum intrusit. Sedem occupabat Walo adhuc
E anno 1085 ac sequenti. At videns se nihil 1085.
proficere, tumque usurpatæ sedis pœnitentia ductus, ad Herimannum accessit, perpetrati facinoris veniam petiit, & piaculi causa in Gorziense monasterium secessit, factus ibidem custos puerorum. Demum tantæ modestiæ & pœnitentiæ exemplo compulsus ad commiserationem Herimannus, eum in priorem restituit honorem. Non multo post idem præsul iterum sede sua pulsus est, & Bruno quidam, filius Alberti Comitis Calvensis, monachus sancti Trudonis, in eam intrusus.

ANNI CHRISTI

Cujus insolentiam Metenses non ferentes, intra puellare S. Petri monasterium, gladiis lanceisque confossum interemerunt. Herimannus vero in Italiam per hosce dies profectus, a schismaticis pro vindice Romanæ sedis acerrimo agnoscitur, in Tusciam captivus abductus, diuturno carcere maceratur: unde nec reversus
1088. est citius anno 1088, pallii honore ac munere legati seu vicarii apostolici a papa decoratus. Metas redux inter quælibet pericula, honorificentissime & amantissime a grege suo accipitur. Ubi primum in urbem rediit, cuidam vitæ innocentis adolescenti, Hugoni nomine, revelatum est Herimannum ut adiret, eumque de transferendo sancti Clementis corpore admoneret & de instanti ejus obitu, qui tertio post translationem subsequendus esset. Visum ad sancti Felicis abbatem, ubi S. Clemens quiescebat, retulit adolescens, cœlitus commonitus & ipse, ut vitæ genus mutaret, & monachus fieret. Unum episcopo aperuit abbas, alterum, quod ejus obitum spectabat, reticuit. Non statim visis fidem habuit Herimannus, sed tandem morbo correptus, rem exsecutus
1090. est anno 1090, VI nonas Maii, quantumvis infirmus. Hujus translationis historiam fusius retulit Hugo Flaviniacensis abbas in suo chronico, atque ex eo tempore sancti Felicis monasterium nomine S. Clementis insignitum est. Extat hac de re diploma ipsius Herimanni, omnia distincte referentis, scilicet multis multorum visionibus & revelationibus sibi innotuisse, ut a loco, quo a bonæ memoriæ Deoderico episcopo, quondam ad sedem propriam illum transferre conanti, sed Dei virtute prohibente non valenti, repositus fuerat, sancti antistitis corpus levaretur: at se visis incredulum rem distulisse; sed tandem cœlitus castigatum exsecutum fuisse. Itaque VI non. Maii cum multa clericorum, monachorum, ac fidelium frequentia, corpus sanctissimum, scrinio aureo & argenteo decenter composuisse, & ad cathedralem sancti Stephani ecclesiam transtulisse, ubi nocte insequente quieverit; indeque ad locum basilicas dictum, unde pridie assumtum fuerat, id est ad S. Felicis monasterium, retulisse, cui multa contulit ad stipendium monachorum, qui ad S. Clementis Deo ministraturi essent. Hic vero dies, quo translatio facta est, ut solemnius observaretur, nundinas ibidem per octo dies instituit Herimannus: ubi si seculares, ut tum mos erat, cursu equorum sese exercitare voluissent, victori dimidium præmii, residuum sancti Clementis ecclesiæ assignari jubet. Constat ex ejus litteris, in monasterio S. Clementis servatis, abbati Huganoni traditam fuisse ab ipso ecclesiam S. Petri ad Arenas pene desertam, in qua pastoralia munia fratres exercerent. Tertio post translationem S. Clementis die, jam gravi morbo correptus, vocatis ad se clericis & familiaribus benedictionem impertitus, crucisque signo munitus, invocatis SS. Trinitate, B. Dei Genitrice & omnibus Sanctis, piissime decessit (4 Maii 1090) prout adolescenti Hugoni revelatum fuerat. Funus ejus curavit Hugano abbas, eumque in ecclesia S. Petri ad Arenas sepulturæ mandavit. Reperta est in ejus sepulchro anno 1712 die 13 Octobris lamina plumbea hanc inscriptionem referens: *Obiit in Domino Herimannus Metensis episcopus, legatus apostolicæ sedis, a Gregorio VII honore mitræ & pallii decoratus, anno Domini M. XC.*

Meuriss. p. 378.

ANNI CHRISTI 1090.

LII. BURCHARDUS.

Cleri populique suffragiis Herimanno nuper defuncto subrogatus fuit Burchardus, Trevirensis ecclesiæ præpositus, cujus electionem probavit Urbanus II. Traditur etiam in chronico Alberici Hermanno successisse. Verum ille forsitan vel morte, vel alio casu prohibitus, possessionem nancisci nequivit.

Amplis. Collect. veter. script. tom. I, p. 519.

LIII. POPPO.

Burchardo successit Poppo, archidiaconus ecclesiæ Trevirensis, Henrici comitis Palatini frater, tam Schismaticorum factioni contrarius, quam partibus Catholicorum addictus. Quam ob causam competitorem expertus est Adelberonem seu Adelbertum, quem licet Imperatoris autoritate suffultum seclusere cives Metenses. Itaque Poppo in episcopatus possessione permansit. Verum opus erat archiepiscopo, qui eum consecraret; nam Egilbertus provinciæ metropolitanus schisma sectabatur. Curam hanc in se recepit Jarentonis abbatis S. Benigni Divionensis precibus victus Hugo archiepiscopus Lugdunensis, sedis apostolicæ legatus. Ille siquidem inter pericula, pluribus comitatus prælatis, Metas accessit ac Popponem unxit in episcopum prima Quadragesimæ hebdomada. Hæc narrat in chronico Hugo abbas Flaviniaci autor æqualis ad annum 1093. Scriptor historiæ mss. S. Huberti paulo minus antiquus idem refert de Burchardo. Unde nonnulli censuerunt Burchardum & Popponem eamdem esse personam. Aliunde Bertholdus continuator chronici Hermanni Contracti vult ut quem elegissent Metenses episcopum, consecraverit Gebehardus Constantiensis legatus apostolicus, 27 Martii medio Quadragesimæ, uti jam dictum est tom. V, col. 910. Ut ut est, verisimile videtur historicos Metenses ex inaugurationis cunctatione conclusisse episcopatum Metensem pastoribus orbatum fuisse per plures annos, licet Burchardus immediate Herimanno successerit. Sed dum deesset consecratio, sedes vacua censebatur, licet plures personæ de eo episcopatu contenderent: videlicet Burchardus, Poppo, Bruno, Adelbero, & forte Nicodemus memoratus in charta Bosonis-villæ, vel etiam alter designatus per litteram O. ad quem litteras papa direxit. Attamen Poppo anno 1093 ecclesiam *de Thiecourt*, quam Gerardus *de Thiecourt* & filius ejus Arnulfus tradiderant, confirmavit monasterio Cluniacensi. Testimoniales litteras indulsit anno 1094 Richero Virdunensi 1094.

Biblioth. Labb. tom. I, p. 249.

Amplis. Collect. t. I, p. 780.

ANNI CHRISTI

episcopo, ut consecrationem ab archiepiscopo A Lugdunensi acciperet, eumque adeuntem in possessionem comitatus est. Eodem anno visitavit Spinalense cœnobium, ut institutam jam pridem ab Adalberone observantiam restitueret. Popponis episcopi annus 5 componitur cum anno Incarnationis 1094 in charta Brunonis Trevirensis archiepiscopi, ecclesiam S. Petri in Arenis monasterio S. Clementis confirmantis. Unde colligere est episcopatum Popponis incœpisse anno 1090. Cum Spinalense monasterium ille visitavit, tunc temporis ibidem degebat, ut legitur, sanctimonialis Cæcilia nomine, quæ apud eum de disciplinæ B regularis prolapsione expostulavit, tumque prædixit quondam futurum ut, quod nunc cernitur, sorores, ejurata S. Benedicti regula, ad mores prorsus seculares se converterent. Concilio Claromontano interfuit Poppo anno
1095. 1095, quo mediator extitit inter Varnerum abbatem Gorziæ & Vezelonem advocatum super potestate Amellæ. Nominatur etiam
1097. an. 1097 cum Hildeberto Trevirensi archiepiscopo ac Widone S. Arnulfi abbate. Antonium Layii priorem in locum Bercheri Senoniensis abbatis mortui sufficiendum curavit
1098. anno 1098. Ut vero semper extitit exosus C Imperatori, omnia Metensis ecclesiæ bona sita in Hasbania sub suam manum princeps tradidit, & in feodum concessit comiti Arnulfo *de Los*.
1103. Obiit autem hic præsul anno 1103.

LIV. Adalbero IV.

Adalbero seu Albertus, apertus schismatis sectator, ab imperatore Henrico IV, cui plurimum fuit dilectus, episcopatum consecutus anno circiter 1090, æmulum reperit superandum Popponem, a quo & ipse superatus est. Enimvero Metenses sedis apostolicæ partibus prorsus addicti, Popponem cooptarunt D episcopum &, ut ait chronicon Metense, Adalberonem non sine multo labore ac periculo suarum rerum excommunicatum deposuerunt. « Huic certamini, addit idem chronicon, velut signifer imperterritus, & in omni » conflictu intrepidus domnus Adalbero primicerius, post Trevirensium archiepiscopus gloriosus, de gradu in gradum promotus, ab ipsa, ut ita dicam, pueritia pro fide catholica in castris ecclesiæ militavit, donec ex schismate trophæum pacis invexit ecclesiæ. »

Constat ex certissimis probationibus Adalberonem episcopali munere functum fuisse E ab obitu Popponis ad usque promotionem Theotgeri; sed quis ille fuerit, scire opus est. Plerique censent eumdem esse cum Adalberone, qui in sedem Metensem ab Imperatore intrusus, ab oppidanis repulsam passus est. Primum fuit, ut sentiunt nonnulli, archidiaconus Metensis ac primicerius Tullensis. Adversus papam adhæsit in schismate imperatori Henrico IV, a quo investituras accepit. Dehinc facta cum Urbano II reconciliatione & ejurato schismate obtinuit absolutionem, ac demum sub Paschali II ad schisma rediit. Quamvis Poppo prævaluisse videatur, nihilominus Adalbero pro episcopo Metensi se gerere non destitit. Et vero episcopus ab ipso Urbano II, cujus pontificatus annum 1099 non excessit, habitus est, ut legitur in decreto Gratiani, ubi referuntur hujus pontificis litteræ ad Albertum sive Adalberonem Metensem, qui eum consuluerat de ordinatione cujusdam presbyteri, cujus parentes, illo inscio, tradiderant pecuniam pro ejus ad sacerdotium promotione. Præterea Adalbero Brunonem Trevirensem archiepiscopum, cooperantibus Johanne Spirensi & Richero Virdunensi, adstantibus Burchardo Moguntinensi & Friderico Coloniensi, consecravit 13 Januarii 1102, uno scilicet ante Popponis obitum. Tunc temporis quidam Herimannus a puero in monasterio S. Trudonis educatus, homo sine litteris, sed multæ audaciæ, magnas illic movit turbas. Is, mortuo Lupone abbate, nunc apud Otbertum Leodicensem episcopum ejusque familiares, nunc apud Popponem Metensem, a quo abbatia in temporalibus pendebat, nihil non tentavit, quo abbatiam sibi assereret; idque tandem, prævalente pecunia, reclamantibus necquicquam monachis, a Poppone extorsit, moxque pulsus est. Suffectus in ejus locum Theodericus, decessit VII cal. Maii 1107. Post cujus mortem cum 1107. suis asseclis novas denuo turbas & persecutiones excitavit Herimannus. Imo etiam per vim in abbatiam introductus est, repugnantibus monachis, quos ille modis omnibus vexavit, in tantum ut nihil omnino haberent, quo reficerentur. Missus interea nuncius Rodulfus, qui de tantis malis relationem ad Adalberonem Metensem, tunc Virduni in comitatu Imperatoris versantem perferret. Episcopus Rodulfo audientiam distulit, dum ad urbem Mediomatricem rediisset. Ubi reversus est, duas Rodulfo dedit epistolas, unam ad Herimannum pseudoabbatem ambigui sensus, alteram ad fratres Trudonianos, quos bono animo esse jussit, pollicitus se, iis invitis, Herimannum in abbatiam non inducturum: cæterum se brevi ad eos profecturum, ut quid e re ipsorum esset statueret. Redditæ a Rodulfo litteræ non minus Herimanno, qui sensum suarum non capiebat, quam fratribus placuerunt. Interim Leodiensis episcopus monasterium & forenses ecclesias interdicto supponit, dum Herimannus in abbatia moraretur. Acta sunt hæc mense Maio. Julio insequenti Leodium, inde ad sanctum Trudonem venit Adalbero, cujus consiliarios & familiares pecunia & amplioribus promissis corrumpunt Herimanni fautores. Hi pro Herimanno allegant ei a Poppone Metensi episcopo datam fuisse abbatiam: at fratres reponunt id non canonice, sed simoniace factum, resistentibus fratribus, quos ille flagellis cædi jusserit; hominem per vim intrusum, bona monasterii profligasse, denique eum necdum monachum esse, quippe qui ad nullum

ANNI CHRISTI ecclesiæ titulum adhuc professionem fecisset, nec benedictionem monachi suscepisset, adeoque abbatis benedictionem percipere non posse. Neque fratrum constantiam emollire potuit Adalbero. Attamen Trudoniani Imperatorem adierunt Leodium, de Herimanni ejusque fautorum vexationibus querentes. Adfuit cum suis Herimannus. Die ad eorum audientiam indicta in capitulo S. Lamberti, causa coram Imperatore utrinque ventilata est. Cum nihil sani afferret Herimannus, ei autor fuit Imperator, ut ex adstantibus quosdam seorsim consuleret. Hi suaserunt ut in medio omnium se graviter peccasse & errasse fateretur, & toto corpore humi prostratus, absolutionem peteret, promitteretque se posthac nunquam talia commissurum. Fecit ille quod ei suggestum erat, absolutusque est ac jussus abire. His actis, Imperator Aquisgranum petiit, & cum eo inter alios Adalbero, a quo tandem fratres eligendi abbatis facultatem extorsere. Promotus itaque est Rodulfus prior, quem Adalbero
1109. confirmavit 29 Januarii 1109. Antonio Senoniensi abbati de injuriis monasterio ab Herimanno comite advocato illatis expostu-
1111. lanti jus fecit an. 1111. Citavit ad audientiam comitem, qui reatum agnovit, seque anathema incurrisse confessus est, & ab episcopo & abbate absolutionem accepit. Eodem anno 1 Octob.
1113. sic etiam an. 1113 die 6 Aprilis subscripsit diplomatibus imperatoris Henrici V. Cum eodem Imperatore anno postero versabatur Argentorati, sententiamque arbitralem tulit
1115. anno 1115 inter Lotharingiæ ducem & abbatissam Romarici-montis. Repulsam tandem
1117. passus fuisse dicitur circa annum 1117.

LV. Theotgerus.

Fuerat in seculo nobilis genere Theotgerus, Folcmari comitis Metensis frater, quem adhuc adolescentem Gerungus Marbacensis canonicus regularis ad Willelmum abbatem Hirsaugiensem sub percipiendæ ab eo pœnitentiæ specie olim destinaverat. Factus monachus tam apprime humanas divinasque litteras didicit, ut cum altero monacho æque docto, Herinone nomine, in toto tam novo quam veteri testamento, quæcunque scriptorum vitio depravata erant, corrigendi curam ab abbate suo susceperit. Ad sacerdotium promotus, eo munere tanta reverentia fungebatur, ut cum stolam collo imponeret, præ nimio timore pene deficeret. Ab abbate suo Guillelmo monasterii S. Georgii in Hercinia silva abbas & ipse creatus & a Gebhardo Constantiensi præsule ordinatus anno 1090, construendo templo & claustro manum admovit. Sacras vigilias anticipare solitus, vix quidquam somni corpori suo indulgebat, tam rigidus in se ipsum, ut etiam fratres durissimis plerumque oneribus prægravaret. Sed tandem equo lapsus, cum infirmitatem incurrisset, aliis compati & misereri didicit. Multa passus ab accolis, eos demum patientia & mansuetudine ita flexit,

A ut plerique ejus disciplinæ in monasterio se subdiderint. Non solum autem virorum, sed etiam mulierum curam gessit piissimus abbas, adeo ut septingentæ utriusque sexus personæ sese ejus magisterio commiserint; quorum in gratiam varia monasteria instituit. Pluribus abhinc annis erat in miserando statu Metensis ecclesia. Tunc vir erat magnæ religionis, Alberius nomine seu Albero, qui archidiaconi officio fungebatur, postmodum Trevirensis archipræsul, & apostolicæ sedis legatus. Hic religiosorum virorum consilio & litteris animatus Metensi ecclesiæ laboranti opem ferre
B constituit, Romamque profectus Paschali II papæ miserandum ejus ecclesiæ statum exposuit. His commotus pontifex, cardinalium consilio a latere suo Cunonem Prænestinum episcopum cardinalem in Galliam misit, eidemque præcepit ut, convocatis in unum catholicis episcopis, satageret quo pacto illius ecclesiæ status componeretur, & abjecto pseudepiscopo, dignus ei pastor præficeretur. Cuno, Remis coacta episcoporum synodo, inde Alberium ad Metenses cum epistolis misit, præcipiens ut in locum illius, qui juridica sententia tam a pontifice, quam a se depositus fuerat, alium
C subrogari curaret. Verum Metensibus in eligendo episcopo non modica fuit difficultas: tum quia secundum canonum scita extra fines episcopatus electionem fieri non licebat: tum quia intra ejus fines, ob metum contrariæ partis, ipsa electio tuto fieri minime poterat. Sed tandem conventum est in quemdam locum maxime desertum, qui in extremis fere episcopatus partibus situs erat: ubi Alberius Cunonis litteras, quas Remis attulerat, reseravit, quæ autoritate & præcepto papæ, atque rogatu Guidonis Viennensis archiepiscopi, faciendam
D electionem præscribebant. Cum in varias abirent sententias eligentium vota, Alberius Theotgerum sancti Georgii in Hercinia silva religiosissimum abbatem suggessit: cujus suffragio assensere omnes; sed rem secreto ac dextere gerendam censuere, ne aut violentia regis ac principum, ipsiusve invasoris, cassa fieret electio; aut electus ipse fugam arriperet. Itaque unanimis omnium sententia fuit, mittendos ad eum legatos cum litteris, abbatem scilicet sancti Clementis ac priorem Maurimonasterii, qui electum ad Cunonis cardinalis præsentiam adducerent. Tunc Theotgerus in
E monasterio virginum curæ suæ commisso versabatur, ubi legatos quam humanissime excepit; moxque eorum jussis obsequens, ad cellam, cui Hugonis curia vocabulum, eos comitatus est. Illic electione sua a quodam fratre patefacta, se nunquam ei assensurum, nec ulterius profecturum constanter asseruit; unumque e suis fidissimum, Erbonem nomine, qui se apud legatum excusaret, cum litteris direxit, quibus significabat, se non modo tantæ dignitati meritis imparem, sed etiam natalium infamia denotatum, utpote cujus parentes & longa avorum serie majores omnes, vel sacerdotes, vel filii

fuerint sacerdotum. Ubi Erbo venit ad Metenses electores, & recusandi episcopatus causas eis exposuit; illi nihilominus in sententia persistunt, inquientes; si quid vitii esset in Theotgeri origine, id ab eo jam purgatum esse, quippe qui tot annis in monasterio religiosissime conversatus esset. Proinde Erbonem rogant ut ad Theotgerum revertatur. At ille abbatis sui constrictus imperio abnuit, seque ad legatum ire velle asseruit. Cum itaque a cœpto desistere nollet, datus ei a Metensibus comes Alberius, totius negotii præcipuus actor; amboque perveniunt ad Compendium castellum nominatissimum, ubi tum legatus morabatur; cui Erbo abbatis sui excusatorias litteras obtulit & rationes exposuit, quas Alberius refellit. Theotgeri litteris minime flexus legatus, severe litteris præcepit ut delatum episcopatus onus subiret. Cum vero nec sic cardinalis legati monitis & jussis obsequeretur Theotgerus, alias ad eum litteras misit per Antonium Senoniensis monasterii abbatem, quibus eum ad suscipiendum episcopatum sub pœnarum ecclesiasticarum interminatione compellebat; ejusque fratribus sub iisdem pœnis præcipiebat ut assensum præberent. Verum alia denuo recusandi episcopatus occasio nata est ex ægritudine corporis, quæ illum detinebat. Sed tamen impedire non potuit, quominus cardinalis litteræ in conventu fratrum legerentur. Quibus lectis, omnes ejus electionem consenserunt. Sub annum 1118 diebus Rogationum Cuno cardinalis conventum episcoporum Coloniæ habuit. Illuc se contulit Alberius seu Albero primicerius, electi sui, quem eo venturum audierat, adventum præstolaturus. Ubi illic adfuit Erbo, qui abbatem suum excusatum venerat, in concilio invenit Conradum Juvaviensem archiepiscopum, ab Imperatore nuper actum in exsilium; ab eoque obtinuit ut abbatis sui causam apud patres in se susciperet. Verum cum Metensis ecclesiæ electio in concilio ventilari cœpit, tanta vi orationis eam asseruit primicerius, ut nec Alardus nec archiepiscopus Cunonis cardinalis animum flectere valuerint; adeoque primicerii clamor invaluit, ut Theotgeri electio unanimi patrum sententia firmata fuerit. Tum demum cardinalis signatas Erboni litteras dedit, quas ille fratri illiterato consignavit, ad Theotgerum perferendas, quibus nomine conventus ei præcipiebatur, ut ne diutius delatam sibi electionem frustraret. Acceptis litteris, Theotgerus tantæ demum autoritati cedere coactus fuit, moxque ad legati præsentiam, ut ei injunctum erat, se sistere maturavit, qui tunc apud Confluentiam cum Friderico Coloniensi archipræsule aliisque episcopis diversabatur. Illic magno cum honore acceptus est vir Dei, in primis a legato, qui eum amplexus, sciscitatus est quot annis abbatis gessisset officium. Triginta, inquit ille, annos. Ad quod legatus subridens conversus ad circumstantes: tanto, ait, maturior erit ad episcopatum, qui tot annis abbas fuerit. Cum deinde singuli ad sua se reciperent, legatus Coloniam rediit secum ducens Theotgerum; qui inde ad proximum Tuitiense monasterium, tum ad Gladbacense divertit, ubi aliquandiu gravi morbo detentus est. Dein, ubi convaluisset, Coloniam reversus, una cum legato ad castrum *Wulckenburg* profectus est, tum ad S. Viti seu Corbeiæ-novæ monasterium, ubi episcopus consecratus est. Erat tum dies octava festi apostolorum Petri & Pauli, quæ pridie nonas Julii celebratur. Theotgeri consecrationi deputata est Dominica dies, quæ hoc anno in diem sequentem incidebat. Ipsa die cardinalis legatus Theotgerum, ætate gravem, moribus maturum, apprime litteris eruditum, sustentantibus hinc inde duobus archiepiscopis, Conrado Juvaviensi, totius Bavariæ metropolitano & Adegoto Magdeburgico, metropolitano Saxoniæ, solemniter ordinavit. Sic ille ordinatus, primo in eodem monasterio quamdam in honorem S. Georgii basilicam consecravit: ut quem in abbatia peculiarem patronum habuerat, eidem quoque episcopatus sui primitias dicaret. Ibidem etiam cryptam & altare beati Andreæ apostoli consecravit. Illinc non multo post discessit novus præsul ad suam ecclesiam profecturus: & ad locum diœcesis Tullensis, cui *Dieulouward* vocabulum est, prædicto primicerio deducente, pervenit. Ibi eum honoris causa convenerunt abbates, clerici, aliique, qui sanioris sententiæ erant; at qui a pseudepiscopi & Cæsaris partibus stabant, contestati sunt se neutiquam passuros, ut in urbem ingrederetur; eo insolentiæ progressi, ut communi decreto statuerint quod, si quis eum agnosceret episcopum, rebus proscriptis extra civitatem fieret. Unde consilium fuit ut, omnibus qui ejus obsequio erant dimissis, ad cellulam suam reverteretur, dum seditio illa defervesceret. In itinere ad Marbacense canonicorum regularium in Alsatia cœnobium divertit: ubi a regularibus canonicis honorificentissime receptus est. In hoc conventu forte aderat venerabilis senex Gerungus, qui eum adolescentem ad venerabilem Willelmum Hirsaugiensem abbatem pœnitentiæ specie direxerat. Inde, actis hospitibus suis gratiarum actionibus, ad S. Georgii monasterium, effusis in ejus occursum cum solemni pompa fratribus revertit: ubi dum moraretur, quasdam ecclesias, in fundo monasterii sitas, permittente Constantiensi episcopo, dedicavit. Porro hæc omnia hoc ipso anno 1118 contigisse illud argu- 1118.
mento est, quod post ejus ordinationem Gelasius papa, qui sub finem mensis Januarii anno sequente decessit, litteris scriptis Metenses hortatus est, ut eum honorifice, ut par erat, exciperent.

Interim Metensis ecclesia, legitime destituta pastore, in magno discrimine versabatur, cum seditiosi cives, etsi Gelasii papæ litteris commoniti, Theotgerum episcopum canonice electum & ordinatum, ad id tempus recipere

detrectassent. Sed tandem Brunonis Trevirensis archiepiscopi, qui hactenus ejus electioni, utpote se inconsulto factæ, restiterat, litteris utcunque flexi clerus & populus, electum ut ad urbem veniat, iteratis nuntiis invitant. Ille vix tandem acquiescens, e suo monasterio, quo se receperat, Quadragesimæ tempore ad iter se accingit, & Rheno transmisso, assumto secum Mauri-monasterii abbate ad urbem Mediomatricum tendit. Accedenti occurrunt abbates, primicerius & quotquot erant sanioris consilii clerici & cives, & de ejus adventu gratulantur. Neque tamen in urbem venire, necdum conciliatis multorum animis, tutum esse ratus primicerius ad locum, cui Cappentia vocabulum est, divertendum censuit, ubi episcopus cum quibusdam abbatibus Dominicam Palmarum celebravit. Instante feria quinta, quam Cœnam Domini & diem Indulgentiæ appellamus, quo die Chrisma confici episcopalis ordo poscebat, ubi id fieri liceret, episcopus hærebat, cum in urbe id fieri tumultuantis populi seditio prohiberet. Tandem consilium fuit ut in Gorziensi cœnobio Chrisma consecraretur. De ejus adventu certior factus abbas ad diei celebritatem omnia providit. Pridie advenienti episcopo ejus loci homines cum gladiis & fustibus obviam concurrunt tamquam ad latronem. Quin etiam nonnulli monachorum, qui vel ejus censuram reformidabant, vel a partibus pseudepiscopi stabant, ad persequendum episcopum vulgus concitarunt. Vix itaque portam monasterii attigerat vir Dei, cum plebs e latebris furibunda erumpit, & sublatis ejus equis, illius etiam comites invadit: adeo ut primicerius ipse e manibus persequentium vix fuga elabi potuerit. Interea ingressus basilicam pius præsul, & quid foris ageretur ignorans, orationi instabat, cunctisque mortem minitantibus, vitæ autorem invocabat. Tum vero a quodam monacho subdole admonitus vitæ suæ ut consuleret, quippe non esse in sua potestate plebis furentis prohibere insaniam; pontificalibus indutus ornamentis e templo egredi maturavit, turbæ furenti se ipsum objiciens, dominica voce ecquem quærerent sciscitatus. Cerneres universos, qui eum insectabantur, ita primo ejus conspectu perterritos, ut extremæ dementiæ se ipsi arguerent, qui in christum Domini manus extendere ausi fuissent.

Turbis itaque utcunque mitigatis, statuit præsul ad urbem proficisci. Hoc comperto, Acelinus abbas S. Clementis, eum ut ad se declinaret invitavit, & perhumaniter excepit. Id ubi civibus innotuit, multi furibundi & pleni insania in virum Dei evomunt mille convicia, nec eum tantum urbe propellere, sed etiam extinguere minantur. Hic nihilominus assumto secum sancti Clementis abbate, sacerdotalibus, ut apud Gorziam, indutus vestibus, procedit obviam inimicis, qui vix manibus temperarunt. Interim urbis præfectus advenit & cujus gratia accedat sciscitatur.

A Ille ad hoc se venisse respondit, ut creditum sibi populum pastorali sollicitudine visitaret: cæterum non recte facturos Metenses, si ab jure suo episcopum prohiberent. His verbis præfecto aliisque paululum mansuefactis, nudatis pedibus civitatem ingredi parat. At præfectus obtestatur ne se furenti multitudini committat, sed potius in quamdam episcopatus possessionem divertat, dum Imperator & archiepiscopus hac de re statuissent. Cujus ille consilio acquiescens, ad S. Clementis monasterium rediit, ibique Cœnæ Dominicæ diem celebravit. Illinc digressus ipso die Parasceves B Theotgerus, ad Augustam-Trevirorum contendit, allocuturus Brunonem archiepiscopum, qui tum Coloniæ versabatur, ad sacram solemnitatem a Friderico archipræsule invitatus. Illuc mox properat vir Dei, cujus adventus Trevirensi gravis, Coloniensi gratus admodum fuit, cujus interventu vix post biduum, id est feria quinta (nam feria tertia Coloniam advenerat) ad Trevirensis colloquium admissus est. Ille porro intimavit, se ejus causam cum episcopis Tullensi & Virdunensi, simulque cum Metensibus ad festum S. Jacobi tractaturum. Has vero inducias cum ipso compo- C suerant Theotgeri æmuli Arnulfus custos Metensis ecclesiæ & coadjutor ejus primicerius, qui præterita hebdomada ab archiepiscopo chrisma acceperant. Has inducias, etsi ipsi admodum graves, servavit Theotgerus, quousque Coloniensis archiepiscopus, Brunone jam Treviros reverso, missis ad eum litteris, Theotgero etiam ignoranti missarum solemnia celebrandi facultatem impetravit. Ille autem in Coloniensis archiepiscopi contubernio multis diebus commoratus, rogatu ejus plurimum populum in civitate sacro chrismate linivit & quasdam ecclesias dedicavit. Verum beati D Johannis-Baptistæ Natalitio instante, Coloniensis antistes ad curiam in Insula-Rheni constitutam, scilicet apud Triburias, juxta edictum Imperatoris profectus, venerabilem episcopum secum duxit, ubi Trevirensis cum eo in gratiam rediit. Hic desinit magno sane tanti viri famæ & rei historicæ detrimento mutilus Theotgeri vitæ codex, sine quo nihil fere certi de beato illo præsule haberemus. Ejus compendium refertur a Trithemio in chronico Hirsaugiensi.

Post varios itus ac reditus, variasque procellas, tandem in pace quievit Theotgerus E episcopus, cui ecclesiam suam adire nunquam concessum est. Ejus obitum ad annum 1120 consignant Dodechinus & Chronographus Saxonicus ineditus, a quibus Dieggerus appellatur. Chronographi Saxonici hæc verba sunt: « Bonæ memoriæ Dieggerus, primum abbas S. Georgii, indeque per legatum apostolicum Metensi ecclesiæ ordinatus, post multas « ab imperatoris fidelibus inlatas sibi injurias, « requievit in Domino, in eadem ecclesia, cui « præerat, sepultus; vir adprime litteratus, & « in sancta conversatione usque ad ultimam « ætatem

ANNI CHRISTI

ætatem constantissimus. » Dubitare tamen licet an sepultus sit in Metensi ecclesia, quam adire ipsi viventi non licuit per seditiosos cives, qui Imperatori & pseudoepiscopo ab eo intruso assentabantur. Trithemius qui acta ejus integra legisse videtur, in chronico Hirsaugiensi scribit Theotgerum concilio Remensi anni superioris interfuisse, in quo ejus electio & ordinatio a summo pontifice, aliisque patribus confirmata sit; & soluto concilio, Callixtum papam eum secum duxisse Autissiodorum, ubi Pascha cum suis cardinalibus pontifex celebraverit, deindeque Cluniacum usque perduxisse; & post discessum pontificis Theotgerum ibidem per quatuor menses remansisse, tempus omne in contemplatione divinorum & oratione consumendo; & quarto demum mense febre correptum, Dominicis sacramentis acceptis III cal. Maias ad Christum migrasse, & in ecclesia S. Petri sepultum fuisse ad plagam septentrionalem juxta parietem templi, ad cujus sepulcrum multa deinceps miracula facta sint. Nihil tamen de eo legitur in bibliotheca Cluniacensi. Verum hæc aliaque videtur accepisse Trithemius ab autore anonymo, qui ejus vitam duobus libris scripsit jussu Erbonis abbatis ejus discipuli, quam initio & fine mutilam a Papebrochio ex codice Villingensi accepimus. Fallitur Trithemius cum Theotgeri obitum refert ad annum præcedentem. Mirum est de eo nullam fieri mentionem in veteri chronico Metensi, quod in ejus tempore desinit; nec in ejus appendice priori, quæ incipit a Stephano episcopo, qui hoc anno canonice electus & a Callisto papa consecratus, amplius biennio a Cæsarianis urbis aditu exclusus est. Cæterum beatus Theotgerus vir fuit miræ patientiæ ac mansuetudinis, & prorsus ambitionis expers, ut patet ex iis, quæ fecit ad refutandam Metensium electionem. Mentionem de eo jam egimus tom. V, col. 1001 in abbatibus S. Georgii in Nigra-silva.

DE BAR.

LVI. STEPHANUS.

Theodorici I Barri, Montis-belicardi, Muncionis & Ferreti comitis, ex Hermintrude Burgunda, Callisti II papæ sorore, filius Stephanus, quinque fratres habuit, puta Theodoricum II Montis-belicardi & Barri, Ludovicum Moncionis, Rainaldum post Theodorici secessum Barri, Fredericum Ferreti, Guillelmum Montis-Belicardi comites. Is Viennæ commoratus fuerat apud Guidonem archiepiscopum avunculum suum, donec ab eodem in summum pontificem sub nomine Callisti II cooptato, ad Metenses infulas eveheretur.

1120. Metensis itaque præsul creatus anno 1120, Romæ ab eodem summo pontifice consecratus est, & tam pallii dignitate, quam cardinalis titulo honoratus. Id testatur chronicon Metense, quod, omissis duorum ejus prædecessorum immediatorum Adalberonis & Theotgeri nominibus, de illo sic fatur: « Domno Popponi » tam Burgundionum, quam Lotharingorum

A excellenti genere clarus, sed virtute & animi nobilitate clarior domnus Stephanus, anno Domini MCXX, videlicet anno Callisti papæ secundo successit. Hic Callisti ex sorore nepos, cum regaliam nondum ab Henrico V qui tunc temporis arcem tenebat imperii, recepisset, schismate inter regnum & sacerdotium adhuc durante, in urbe Romana ab eodem pontifice summo consecratus est, & tam pallii dignitate, quam cardinalis titulo honoratus. Hic a civitate Metensi biennio & eo amplius, quia memorati principis gratiam necdum habebat, exclusus, primos ordines in loco qui sancti Quintini B mons dicitur, celebravit; & omnes curtes episcopatus a tyrannis, solo Rumiliaco excepto, occupatas, fratris sui comitis Barrensis, aliorumque cognatorum & amicorum suorum fretus auxilio, celeritate mira occupavit. Idem in ipsa promotionis suæ recentia castrum Terli, quod viatoribus per illas transeuntibus partes valde erat perniciosum, castrumque ducis apud Vicum; & munitionem inter Vicum & Marsallum in loco palustri sitam; simulque castrum comitis *de Hoemborc*, quod Masallo adhærens, toti villæ onerosum damnosumque exstiterat, in manu valida destruxit & complanavit. Pro- C cessu temporis gratia imperiali sibi conciliata, de virtute in virtutem sine intermissione conscendens, castrum quod Ramberti-villare dicitur, firmavit; castrumque nobile *Lucelborc*, quod ad ipsum jure hereditario descendebat, beato contulit Stephano: & castrum *Hoëmborc* jure ab ipso feodali descendens, post decessum comitis Hugonis a duce Lotharingiæ occupatum, domini Friderici patris auxilio sibi & posteris suis adquisivit, libere omni ævo tenendum: adquisivit etiam sibi & suæ perpetuo ecclesiæ castrum *Viviers* & partem ducis *de Mirabel*, & Falconis-montem; rebelliones D Danubrii & Asperi-montis, turrim quæ Moronis dicitur, a duce occupatam, virtute recepit potenti; & multo post tempore castrum superius propter insolentiam, & immoderatos excessus advocati, juvante ipsum duce Matthæo, obsidione clausit & cepit. Et tunc dux in recompensationem servitii hujus, jure feodi ab eo advocatiam recepit Spinalensem. Et ipse dux versa vice, alodium quod apud vicum habebat, B. Stephano Metensi contulit libere & quiete, & omni ævo tenendum. Idem pontifex venerandus castrum, quod Petra- E pertusata dicitur, cum anno integro & eo amplius, tribus munitionibus, quarum usque hodie vestigia apparent, in circuitu firmatis obsidione clausisset, tandem compulit ad deditionem. Cum per castrum *Deulewart* graves ei injuriæ illatæ sæpius fuissent, tandem expugnavit illud, & in favillam cineremque redegit. Nihilominus etiam turrim apud *Thiecurt* firmatam; & castrum in loco qui Walterimons dicitur situm, quæ episcopatum graviter infestabant, diruit ac subvertit. Nec est inter eximia gesta ejus reticendum, quod ipso tempore quodam duce ei * verram inferente,

« * la guerre.

ANNI CHRISTI

» castrum ipsius *Prigney* magnanimiter obsedit,
» illudque muris jam perforatis indubitanter
» cepisset, nisi victoriam jam paratam, jamque
» imminentem, impediisset frater suus comes
» Barrensis. Cujus gesta inclyta & annalibus digna
» enumerare & litteris explicare si vellem, ante
quidem membrana deficeret quam materia. »

Attamen Stephanus ab avunculo cardinalis
honores simulque pallium adeptus, eo vertere
cogitationes atque consilia jam cœperat, ut
metropolitanum pallii honore cæterisque præ-
rogativis æquaret: adeo ut cum Treviros eum
Bruno metropolitanus ad obsequium & obe-
dientiam de more jurandum accerseret, man-
data ejus contemneret, & suos quoque deces-
sores fuisse olim archiepiscopos palam jactitaret.
Quam ob causam Bruno adiit papam Callistum
& productis ecclesiæ suæ privilegiis, ea litteris
Cluniaci datis III nonas Januarii 1120 con-
firmari impetravit. Sic tandem Stephanus
Brunoni reconciliatus est, ut pallii gestamen
ad vitam modo retineret, incolumi privilegio
metropolitani.

Roma quo Stephanus suum comitatus fuerat
1122. avunculum Metas profectus anno 1122 ad
ineundam possessionem, non tam cito in urbem
admissus fuit; nam oppidani, qui inter turbas,
quibus agitata sunt imperium & sacerdotium,
non Imperatoris partes modo susceperant,
verum & supremam autoritatem in urbe,
omnesque episcopatus possessiones usurpave-
rant, eo venerunt audaciæ, ut pastori suo
occurrenti portas urbis occluderent. Sedata
demum eo anno hac famosa contentione de
investituris, quæ inter imperatores & summos
pontifices diu exstiterat, restituta quidem est
interventu Reginaldi Barrensis comitis alio-
rumque virorum proborum pax inter epis-
copum & cives Metenses, quos inter & clerum
abs se divisos concordiam mox ille conciliavit.
Eumdem comitem iratum Adalberoni epis-
copo Virdunensi, qui turrim in urbe ab illo
ædificatam subverterat, placavit reconcilia-
vitque. Qua de re gratulatoriam accepit epis-
tolam a sancto Bernardo, qui illum vocitat
strenuum Metensis ecclesiæ ministrum. Ali-
quanto post cum Adalberone metropolitano
Epist. habuit dissidium, quod improbavit sanctus
S. Bern. 29. abbas, qui mox mitigatus in ejus gratiam
177. 178. Guidoni cancellario Eugenii III aliam scripsit
epistolam. Moguntino conventui, in quo Lo-
tharius salutatus est imperator, adstitit die 30
Augusti 1125. Cujus principis autoritate,
fratrisque sui Theobaldi auxilio suffultus, su-
premi principis honores in urbe Metensi recu-
peravit, oppidanosque ad id adegit ut, quid-
quid de episcopali dominio fuisset ablatum,
restituerent. Castra etiam & arces plurimas,
vel ab episcopatu pendentes, vel detrimentosas,
aut armis e diversorum toparcharum manibus
eripuit, aut evertit, flammisque tradidit.
1125. Eodem anno 1125 interfuit concordiæ initæ
inter Mainardum comitem & Sugerium sancti
Dionysii abbatem de quodam prædio. Fir-
mavit possessiones monasterii Glandariensis seu
de Longa-villa & advocatorum jura præro-
gativasque præscripsit. Scito professus est anno
1125 Antonium Senoniensem abbatem esse
immunem servitii, quod ab illo exigere vo-
luerat. Locum juxta castrum Danobrium illi
tradidit an. 1127, ut illic ædificaret ecclesiam 1127.
in honorem S. Stephani & claustrum, aliaque
ædificia servorum Dei quieti necessaria; dedi-
cavitque eodem ecclesiam monasterii sancti
Johannis monialium ordinis sancti Benedicti
prope Tabernas. Insequenti anno assensus est 1128.
ut ecclesia *de Lorching* collata a Bencelino
de Trucliften, in ipsius abbatis Antonii ejusque
monasterii possessione maneret. Capellam beatæ
Mariæ Rotundæ in spiritali & temporali atte-
nuatam & ad meliorem statum revocatam sex
canonicis deserviendam tradidit, quibus ad
vitam necessaria assignavit an. 1130. Adstitit 1130.
anno 1132 cum Alberone metropolitano 1132.
aliisque suffraganeis conventui Theodonis- Thesaur.
villæ, in quo Simon dux Lotharingiæ ecclesiæ Anecdot. tom. IV.
S. Deodati pravas remisit consuetudines, & col. 136
idcirco ab excommunicatione est absolutus. & 137.
Freistrofiensis monasterii conditi a Wirico *de
Walcourt* ejusque uxore Adeleida fundationem
probavit circa annum eumdem. Alberto abbati
S. Benedicti in Wavria licentiam acquirendi
quidquid viderit monasterio esse necessarium
indulsit, ac terram quamdam a Thecelino *de
Vinville* traditam confirmavit anno 1134. 1134.
Litteras de bonorum omnium ejusdem mo-
nasterii confirmatione dedit anno 1138.
Superiori anno traditam a Friderico comite
Asmantiæ fratre suo Udalrico abbati sancti
Michaëlis ecclesiam B. Mariæ sub Asmantia
comprobaverat. Omnes Folmari comitis Me-
tensis donationes cœnobio Belli-prati tributas
autoritate sua roboravit an. 1135. Probavit 1135.
donum ecclesiæ S. Mariæ a fratre suo Fride-
rico collatum Udalrico abbati S. Michaëlis
anno 1137. Alberico abbati sancti Naboris 1137.
largitus est anno 1140 ecclesiam parœcialem 1140.
& decimas ejusdem loci, subscripsitque eodem
diplomati Conradi II imperatoris in gratiam
Wibaldi abbatis Stabulensis. Isembardo sancti
Vincentii abbati hoc anno possessiones omnes
confirmavit, permisitque monachos in ecclesia
S. Germani constituere. Insequenti subscripsit 1141.
litteris Adalberonis archiepiscopi Trevirensis
in gratiam ejusdem. Tandem ut uno verbo
dicam, vix reperias in tota diœcesi unam
ecclesiam, unumque monasterium, cui muni-
ficentiæ suæ specimina non exhibuerit. Nec
prætermittenda sunt monasteria sancti Arnulfi,
S. Symphoriani, Gorziæ, Vergavillæ, sancti
Trudonis, S. Petri-montis, sanctæ Crucis de
Buris, Justi-montis, atque collegiata sancti
Salvatoris. Religionis actibus gerendis inde-
fessus, cruce se signavit an. 1146, aggressusque 1146.
est insequenti in comitatu Ludovici VII
Franciæ regis iter Jerosolymitanum, interea Gall. Tyr.
Adalberone Trevirensi archiepiscopo diœcesim l. 17. c. 1.
procurante. Cum Reginaldo Barri comite fratre

ANNI CHRISTI 1149. suo ex partibus transmarinis ad ecclesiam suam
reversus anno 1149, paulo post condidit anno
sequenti vel circiter Alteriacense cœnobium
in honorem S. Mariæ pro canonicis regula-
Ampliss. coll. t. II, p. 451 & seqq. ribus. Plures extant epistolæ a Wibaldo Sta-
bulensi abbate ad eum de contentionibus inter
Hasterienses & Valciodorenses monachos scri-
ptæ, nec non plures illius tam ad Wibaldum
quam ad Theodericum abbatem Walciodo-
rensem. Actam compositionem inter ecclesiam
S. Michaëlis & comitem de Salmis pro quadam
1152. cella apud Asmingiam sita laudavit an. 1152;
quo dum adesset Trevirensi concilio, initam
probavit pacem inter Matthæum Lotharingiæ
ducem & Romaricensem ecclesiam. Eodem
Ibid. col. 521. anno adversus monachos Hasterienses, qui
duos in Valciodoro volebant abbates, epistolam
ab Henrico Leodiensi episcopo suscepit, ne
tam grave scandalum foveret in hoc monasterio
proprietatis ecclesiæ Metensis. Epistolam &
Ibid. col. 566. ipse Wibaldo abbati direxit, rogans ut illatum
sibi & universæ ecclesiæ dedecus emendari
per regem curaret. Dum Colmariensibus co-
1156. mitiis adforet anno 1156, nihil non molitus
est ut imperatorem Fridericum Ænobarbum,
jam Adriano IV pontifici iratum, ad concor-
Ibid. col. 750. diam disponeret. Constat ex epistola CLXXV
Alexandri III papæ ad Henricum archiepis-
copum Remensem in schisma aliquandiu pro-
lapsum fuisse Stephanum; sed mox resipiscen-
tem ab excommunicationis vinculo solutum.
Prima ejus nominis littera designatur per O.
Quod sane est error amanuensium. Litteras
1161. dedit an. 1161 de sedanda discordia mota
inter Præmonstratenses cœnobiorum S. Crucis
de Buris & Justi-montis. Sub annum 1163
quidam clerici adeuntes abbatissam S. Glodes-
sindis, petierunt ab illa ecclesiam S. Theobaldi
sitam in fundo ejus monasterii ergo constituendi
canonicorum collegii. Petitionis effectum in-
dulsit abbatissa Agnes, ac Stephanus episcopus
eodem anno probavit. Gravis ætate in morbum
delapsus induit se veste ordinis Cisterciensis,
1163. pieque obiit in Domino anno 1163, 29
Decembris. Sepultus est in choro cathedralis
ecclesiæ a latere dextro, cujus tumulus cum
reseratus fuisset an. 1521, reperta sunt cum
ejus ossibus tres magnæ acus gemmis ornatæ
pro aptando pallio, pedum pastorale ligneum
parte superiori ebore instructum, cruxque
plumbea collo ejus imposita, cui inscripta
erant hæc verba: *Quarto calendas Januarii
obiit Stephanus piæ memoriæ, sanctæ Metensis
ecclesiæ episcopus, anno ab Incarnatione mille-
simo centesimo sexagesimo tertio.*

DE BAR.

LVII. THEODERICUS III.

Reginaldi I Barri & Moncionis comitis ex
Gilla Vaudemontana natus Theodericus, sub
patrui sui Stephani prædecessoris pontificatu
institutus fuit in litteris a Caraldo diacono
Metensium scholarum magistro. Primum archi-
diaconi tum primicerii munus obivit; dein
Friderici imperatoris gratia ad præsulatus ho-

A norem provectus anno 1164. Ut vero tunc ANNI CHRISTI 1164.
temporis imperatorem inter & summum pon-
tificem recruduerant iræ & dissensiones, placuit
Theoderico, ne in principis offensionem in-
curreret, utque cum sancta sede communionem
servaret, a neutrius partis episcopo consecra-
tionem accipere; ne quidem ad presbyteratus
ordinem se promoveri curavit, diaconi ordine
contentus. Nunquam itaque titulum episcopi,
sed electi Metensis sibi arrogavit. Non multo
post cardinales antipapæ Octaviani sub nomine
Victoris IV, cujus partes viriliter tuebatur
Imperator, Metas accesserunt ad exigendam
B pseudopontifici fidem & obedientiam. Ubi
Theodericus, qui ea de re ab Octaviano
acceperat litteras, comperit clerum ac populum
jamjam petitum exhibituros sacramentum,
cum dedecore cardinales urbe ejecit. Quam-
plurimas donationes factas monachis Belli-prati
confirmavit paulo post electionem. Asseruit
Folmaro abbati Glanderiensi donum Roberti
de Roldinga an. 1165. Eidem abbati anno 1165.
1170 tribuit ecclesiam *de Bruluncourt*. Sub 1170.
id tempus ad abbatiam S. Trudonis perrexit,
ut res suas temporales componeret. Exortam
monachos inter & loci præpositum contro-
C versiam de domo ab illo in atrio ecclesiæ
B. Mariæ ædificata sedavit, possessionemque
suam ab ea monasterii limitibus voluit secer-
nendam. Metas redux cum bona, quæ in illa
regione possidebat, nil pene sibi prodesse ob
mandatorum detractionem cerneret, ea Fri-
derico imperatori pro ducentis marcis argenti
oppigneravit anno 1171. Petro Gorziensi 1171.
abbati dedit ecclesiam S. Stephani Gorziensis,
hancque donationem probavit hoc anno Ar-
noldus Trevirensis. Molendinum largitus est
monasterio S. Petri-montis, duasque parœciales
ecclesias ab Arardo collegiatæ S. Theobaldi
D tributas confirmavit. Præbendas ecclesiæ sancti
Salvatoris a Gerardo legato apostolico ad
vicesimum numerum anno 1154 redactas
probavit. Forte commota est in urbe seditio,
cujus autores cum comprehendisset magistratus,
eum plebs effera non modo interfecit, sed &
episcopales ædes circumdedit; unde vix elapsus
præsul, urbem interdicto subjecit. Damnatis
ad mortem nocentioribus, bona eorum insumta
sunt erigendo altari in ecclesia B. Mariæ de
Campis, ubi magistratus quem occiderant
quiescebat. Fatis concessit Theodericus 8 Au-
E gusti 1171, humatus in choro cathedralis ad
lævam partem. Unde ejus corpus erutum anno
1521, repositum fuit ante altare sub majori
corona. Reperta est in ejus tumulo crux
plumbea, cui inscripta erant hæc verba:
« Sexto idus Augusti obiit Deodericus Metensis
electus & levita. » Sic memoratur in gestis
episcoporum Metensium: « Huic (Stephano)
anno Dom. MCLIV successit dominus Theo- «
dericus, fratris sui comitis Barrensis filius, vere «
ei tam moribus quam sanguine propinquus. «
Illi sollicitudo summa & cura specialis hæc «
fuit, ut sub ipso metu justitiæ tam prædonum «

ANNI CHRISTI

» quam latronum coerceretur audacia, tutaque esset inter improbos innocentia; & ubi malitia dominari consueverat, refrænaretur malignandi facultas. Hic paci & tranquillitati ecclesiarum, omniumque sibi creditorum commoditatibus ea providit diligentia, ut eum miles, clerus & populus vererentur ut dominum & ut patrem diligerent. Hic malis & nocumentis quæ per castrum *Habundanges,* si alius quis homo potens adeptus illud fuisset, episcopatui quotidie possent inferri, provide & solerter occurrens, sibi ac suis ipsum acquisivit successoribus, domumque ibi ædificavit egregiam. Adquisivit nihilominus sibi & posteris suis *Wersmnesperc* & Radonis-villam. Castrum *Conflans* de firmo reddidit firmius, ipsumque palatio nobili decoravit. Idem cardinalibus Octaviani Hæresiarchæ civitatem Metensem cum nuntio Imperatoris satis pompose ingressis, & clerum universum ad sacramentum obedientiæ idolo suo præstandum cogere volentibus, viriliter in facie restitit, ipsosque infecto propter quod venerant negotio, cum pudore & confusione omnimoda fecit recedere. Ex quo ejus facto quamplures imperii civitates æmulandæ virtutis, eosque similiter contemnendi, & exemplum sumpserunt & audaciam. Sedit annis IX & VIII mensibus sub pontifice summo Alexandro III, imperante Friderico; & propter pericula quæ ex schismate adhuc durante imminebant, ad sacerdotii gradum, & consecrationem pontificalem conscendere veritus, electus tantum & levita, tertio idus Augusti, inter tot illius magni schismatis turbines & procellas scuto armatus fidei, catholicus decessit. Cujus sarcophagum a domini Stephani prædecessoris sui & patrui sepultura chori tantum dividit introitus, ut quos amor & sanguis in vita conjunxerat, modica & in morte separaret locorum distantia. »

LVIII. FRIDERICUS.

DE PLUTOSE.

Unanimi clericorum electione & tam militum quam civium plausibus Theodericum excepit nobilis vir Fridericus de Plujosa, perpetua dignus memoria, genitus in prædio cognomini Clientelis, & ditione nobili prope Vicheriacum, aliud prædium ab episcopatu Tullensi dependens. Quamvis senio & insanabili ægritudine confractus, eam comitatem ac liberalitatem, quam habuerat ab incunabulis, servavit omnino integram. Adeo virili animo ecclesiæ sibi commissæ rebus providit, ut illa nullam imminutionem, nullumque prorsus detrimentum senserit. Sicut & antecessor suus consecrationem non adeptus, ultra diaconatus ordinem non præteriit. Comitatum Saræpontis Metensi ecclesiæ traditum a Friderici imperatoris decessoribus, fategit firmandum ab eodem principe 2 Septembris 1171. Administrationem ecclesiæ de Guardia abbati
1172. Salinæ-vallis tradidit anno 1172. Comparavit dominium vocatum *Ennery,* largitusque est
1173. an. 1173 sanctimonialibus monasterii sancti

A Petri ecclesiam parœcialem S. Viti. Eodem anno parvum condidit ac dotavit hospitium excipiendis peregrinis uno die destinatum. Sub id tempus quædam prædia ad triginta annos sub annuo quinquaginta librarum argenti censu oppigneravit. Ob studium erga summum pontificem Alexandrum III, lapsus in offensionem Imperatoris, Metis abscessit, Romamque se recepit. Cæsar episcopatum, illo absente, contulit Theoderico a Lotharingia nepoti suo ex Bertha sorore, Matthæi Lotharingiæ ducis uxore. Conciliato tamen apostolicæ sedi Imperatore, concilium generale
B celebravit Laterani anno 1179 Alexander, 1179.
ac Fridericum, qui concilio aderat, in sedem Metensem restituit. Hic in diœcesim reversus, decessit 27 Septembris ejusdem anni, conditusque est in sacello S. Galli, cathedralis ecclesiæ contiguo. Eversa seculo decimo sexto hac capella, ossa ejus in cryptam cathedralis delata fuerunt.

LIX. THEODERICUS IV.

DE LORRAINE.

Major S. Deodati præpositus Theodericus, filius Matthæi Lotharingiæ ducis ex Bertha, sorore Friderici Ænobarbi imperatoris, ab
C avunculo anno 1173 suffectus est in locum antecessoris sui Friderici, quem Romam Imperatoris iracundia quæsitum præsidium migrare coegerat. Vixdum possessionem inierat, cum Matthæus pater ejus majori ecclesiæ sancti Stephani castrum *Syerck*, quod alodii jure tenebat, impertitus est. Spinalensem etiam advocatiam sibi a Stephano episcopo collatam in manibus filii cessit. Theodericus & ipse turrim in medio castri *Luzbourg* sitam, quam tunc temporis tenebat comes de Salverna, sibi suisque successoribus, ipso comite capto,
D recuperavit. Alteriacensi cœnobio possessiones a Stephano prædecessore suo collatas asseruit; quin etiam tres sessas salis ad idem monasterium spectantes apud vicum ab omni reditu & exactione reddidit liberas anno 1176. Eodem litteras dedit de annectenda parœciali ecclesia S. Viti monasterio puellari S. Petri. Adhibetur etiam testis in charta Berthæ ducissæ Lotharingiæ & Simonis filii ejus tradentium sancto Petro Castiniensi decem vineæ jugera. Quin & eorumdem resarcientium damnum a Matthæo duce monasterio S. Mansueti illatum litteras laudavit. Nonnulla in gratiam capituli
E S. Deodati rescripta accepit anno 1178 ab Alexandro III summo pontifice, tantummodo præpositi S. Deodati, non vero episcopi vel electi Metensis titulo honestatus. In concilio Lateranensi ab Alexandro papa exauctoratus est anno 1179, nequaquam, ut nonnulli scripserunt, quoniam episcopatum contra canones sacris ordinibus necdum initiatus susceperat, sed potius quia, legitimo pastore adhuc superstite, sedem episcopalem invaserat. Haud multo post occubuit, humatusque est in ecclesia monasterii Clari-loci prope Nanceium, a Matthæo patre suo conditi.

Thesaur. Anecdot. t. I, col. 584.

LX. Bertrannus.

Genere clarus ac vitæ morumque honestate commendandus, tam divinæ quam humanæ legis maxime peritus, patriam sortitus est Saxoniam. Sensit & ipse, ut legitur in chronico Metensi, cum Bremensis esset electus, Alexandri III severitatem, ejus quoque electione sub causæ hujus pretextu ab illo rescissa, quia ante promotionem ad ordines electus fuerat. Quod magis in odium Friderici imperatoris, cui ipse charus admodum & familiaris fuit, quam amore justitiæ factum publice fama prædicabat. Elatus igitur Bertrannus ad Me-
1180. tenses infulas circa initium anni 1180, cum cleri aliorumque prudentum ac religiosorum simulque militum & civium consilio de urbis ordinatione tulit decretum. Ratus itaque futurum ut magister scabinus autoritate sua, si perpetua foret, posset abuti, jussit ut annum
Charta XL, col. 407. non excederet. Verum ne tumultus ex electione suboriretur, voluit tantummodo sex personæ, scilicet primicerius cathedralis & abbates Gorziæ, S. Vincentii, S. Arnulfi, S. Clementis & S. Symphoriani suffragandi jure gauderent. Insuper addita est ea conditio, ut electus coram episcopo sisteret, fidem & homagium juraturus. Datum fuit id scitum XII cal. Aprilis anno 1179, electionis simul & consecrationis Bertranni 1. Quod sane intelligendum de anno 1180; quippe quod Pascha, a quo tunc incipiebat annus, non nisi in diem 20 Aprilis incidit. Quin imo Bertrannus, quem Bremenses archiepiscopum cooptaverant, adhuc anno 1179 mense Martio Romæ versabatur, suam tuiturus electionem, quam nihilominus irritam summus pontifex denuntiavit. Alteram hic præsul prodidit sanctionem de consignanda quarumlibet pactionum memoria publicis actis, quæ in unaquaque urbis parœcia servarentur. Quosdam quidem creavit magistratus, quos Tredecim vocant, ceu populi tribunos, ac magistri scabini consiliarios, a quibus id inter cætera exegit sacramentum, ut incolumitati episcopi, ejus honoris, bonorumque & jurisdictionis conservationi invigilarent. Omnes pene vineas ab antecessore suo abalienatas recepit, mensæque episcopali adnexuit. Prædium quoque Archansiacum comiti *de Dasbourg* oppigneratum imperiali sententia redemit septingentis libris. Castrum *Bascurt* sibi suisque successoribus acquisivit. Cujusdam Valerani castrum non procul a Sarburgo, suæ diœcesi exitiosum, funditus evertit. Fundamenta castri jecit apud Vicum, quod vix perfecerat, cum Theobaldus comes Barri in oppidum cum copiis irrumpens, illud diripuit, diruitque, ac centum oppidanos, disjecto castro, captivos abduxit. Civitatem hanc postea Bertrannus instauravit, reædificavitque castrum, quod Conradus suus successor perfecit, pluribusque munivit turribus. Ille vero de comite querelas detulit ad summum pontificem, qui Theobaldum censuris constrinxit, donec epis-
A copo indemnitatem solvisset. Statuit bullam Alexandri III pro Salina-valle ab omnibus esse observandam an. 1180, quo bullæ aureæ Friderici Ænobarbi de ducatibus Westphaliæ & Angariæ subscripsit. Guillelmo abbati sancti Vincentii bona monasterii confirmavit 1181. 1181.
Rogerio abbati Trium-fontium anno 1182 1182.
confirmavit donum septem sedium Salinarum a Letardo Metensi cive factum. Dum politicis simul & spiritalibus diœcesis rebus totus incumberet, divino permissu non leves subiit ærumnas ea occasione: tunc Folmarus & Rodulphus æmuli de archiepiscopatu Trevi-
B rensi litigabant. Folmarus, quem pontifex Urbanus III tuebatur, apostolici legati munere honestatus, anno 1186 Metim accessit & honorifice acceptus est a Bertranno, qui ea de re culpatus fuit in concilio ab imperatore Friderico apud Lutram congregato. Sed ille, quod Folmaro Metim adventanti solennes honores detulisset, sacramento se purgasse scribitur, ceu ignorasset Folmaro cum Imperatore ex pontificatus dissensione susceptas inimicitias. Inter hæc Folmarus concilium etiam suffraganeis totique clero apud castrum Mousonium in Quadragesimam indicit. Cui
C cum Bertrannus adfuisset, Imperator plus æquo ultionis libidini indulgens, Vernerum de Bolandia ad urbem Mediomatricum mittit cum potestate, eidemque ut honore Bertrannum submoveat, mandata dat. Quod haud segniter ille non diligentius, quam avarius perfecit: quippe omnes episcopi facultates in fiscum Imperatoris coegit, raptuque sacrilego universos Metensis ecclesiæ thesauros fœda direptione compilavit. Quapropter Bertrannus omni spe reque destitutus, ad Philippum Coloniensem, quocum gravissime tum Imperator diffidebat, auxilii causa venit, atque is præsulem
D extorrem cum omni humanitate complexus, sacerdotium ei in ecclesia divi Gereonis, ex quo collegio prodierat, quod satis esset tolerandæ vitæ, procuravit, exsuli tutela pariter ac fide hospitaliter impertita. Bertrandus tamen, exactis in exsilio duobus annis, Imperatori conciliatus, ad suam rediit ecclesiam, ædesque suas necessariis ad vitam rebus reperit penitus exhaustas. Pronus in obsequium, munificentiæ suæ argumenta omnibus pene ecclesiis sibi subditis exhibere non cessavit, tam ex bonorum & antiquorum privilegiorum con-
E firmationibus, quam novorum concessionibus. Monasterio Bozonis-villæ tributum a Leone IX papa privilegium de connubiis hominum cœnobio subditorum probavit circa annum 1184, 1184.
quo testis occurrit in diplomate Friderici imperatoris in gratiam Lantelmi abbatis Casæ-Dei.
Assensus est an. 1185 ut puellare monasterium 1185.
S. Petri parœciali ecclesia S. Viti frueretur.
Donationes bene multas an. 1186 contulit 1186.
abbatiæ Alteriacensi. Indultas fratribus Salinævallis ab Herimanno *de Marsal* res omnes
firmavit an. 1192. Subscripsit an. 1193, VIII 1192.
idus Aprilis diplomati Henrici VI imperatoris. 1193.

ANNI CHRISTI

1194. Largitus est anno 1194 cœnobio S. Crucis
ecclesiam S. Baldelii, prius a Ludovico comite
de Sarverden in feudum possessam. Baculum
peregrini quindecim clericis ac triginta duobus
civibus iter Jerosolymitanum mox aggressuris
ab bellum contra Saracenos solemniter post
missæ celebrationem tradidit, duodecimque
1195. milites ense præcinxit anno 1195. Decimam
1196. quamdam hereditatibus imposuit anno 1196
destinatam ecclesiæ S. Theobaldi, ægrotantibus xenodochii sancti Lazari, civitatisque
mœnium refectioni. Litteris eo anno datis
testatur burgenses de Vico ob securitatem
villam suam muris cinxisse. Canonicorum seu
religiosorum S. Trinitatis in urbem introduc-
1198. tionem laudavit an. 1198. Insequenti anno
1199. non sine gravi dolore animadvertit quamplurimos urbis habitatores utriusque sexus, translatis in vernaculam linguam certis bibliorum libris, horum lectioni clandestinis cœtibus ea pertinacia indulgere, ut non juberi a legitimis pastoribus vellent, sed a commercio quoque refugerent eorum, qui his se conventiculis & scripturarum collationibus subducerent. Cum omnia incassum molitus fuisset ut illos ab erratione revocaret; quin & injurias contumeliasque hac de re perpessus, summum pontificem imploravit. Prolixam itaque ad Metenses Innocentius III dedit epistolam, qua vernaculum bibliorum usum & occultos utriusque sexus congressus, & præposteram hanc docendi functionem a laïcis temere usurpatam reprehendit, benignæ monitionis oleum animis illorum instillans, ut si parere recusarent, vinum ecclesiasticæ severitatis haud sibi defuturum scirent. Valdensium sectæ hæc prælludia extitisse sat liquet. Ad annum 1201 Bertrannus litteras dedit de reducendis præbendis S. Salvatoris ad viginti, eidemque collegiatæ
1203. tribuit ecclesiam *d'Epange*. Biennio post consimiles edidit litteras de figendis præbendis sancti Theobaldi ad sexdecim, simulque jus quoddam accipiendum ex lana, filo, aliisque mercibus indulsit. Motam inter Richardum abbatem sancti Symphoriani & Henricum de
1207. Porta-saliæ controversiam diremit an. 1207, laudavitque eodem ab ipso Henrico donum S. Symphoriano concessum. Eodem etiam abbati Bozonis-villæ Garcilio tribuit ecclesiam S. Remigii de Waldricha. Francofurtensibus comitiis, ubi Otto ab omnibus imperii ordinibus agnitus est imperator, interfuit anno
1208. 1208, festo sancti Martini. Mense sequenti sanctiones a se editas de urbis moderamine ab eodem Imperatore confirmari sategit Coloniæ. Bertranno abbati & conventui sancti Naboris ecclesiam parœcialem ejus loci per-
1210. petuo possidendam concessit an. 1210. Concessam abbatiæ Senoniensi immunitatem a Stephano episcopo, ratam habuit hoc anno. Patronatum ecclesiæ *de Freistrof* item & decimas, cæterasque possessiones confirmavit
1211. anno 1211 Garsirio abbati Bozonis-villæ. Eodem anno jussu Innocentii III papæ,

Innocent. III, lib. II, epist. 141.

A laudante Bertranno episcopo, prædicatum fuit in urbe Metensi bellum adversus Valdenses, cui nomen dedere Theobaldus comes Barri, filius ejus Henricus, multique alii toparchæ ac milites. Transactis in episcopatu triginta duobus annis & aliquot mensibus, excessit
Bertrannus 6 Aprilis 1212, conditusque est 1212.
in capella B. Mariæ Tertianæ, ubi legitur id epitaphium parieti affixum.

Hic jacet imperii sensus, pius incola veri.
Hic fons irriguus, hic flos est gloria cleri
Præsul Bertrandus, quem planget longior ætas,
B *Mense sub Aprili dedit in certamine Metas.*
Annis ter denis & binis civica jura
Jugibus in pœnis rexit sub perpete cura.
Anno milleno ducenteno duodeno
Lux sibi festa legit Aprilis quo prius egit,
Non quærit laudes hominum, precibusque juvari;
Supplicat ut valeat justorum sede locari.
Te coluit Christi Genitrix cum martyre primo,
Hunc sociare tibi digneris in agmine summo.

LXI. CONRADUS.

DE SCHARPHENNECK.

Natione Germanus Conradus, nobilissimo
C baronum cognominis familiæ satus sanguine, gratia & favore Friderici II imperatoris, jam Spirensis præsul & imperialis aulæ cancellarius, Post Bertranni obitum ad Metensem sedem extollitur, excluso Guillelmo *de Joinville*, cui non pauci canonici sua promiserant suffragia. Sic memoratur in chronico Metensi: « Post dominum Bertrannum felicis memoriæ sublimatus est in episcopum Metensem dominus Conradus, vir quidem strenuus, ex Theutonicorum progenie ortum ducens, clarus sanguine, sed nobilior moribus & virtute, & inter principes imperii venustate personali &
D corporis elegantia decoratus. Hic etiam Spirensis episcopus & imperialis aulæ cancellarius, negotia imperii tamquam prudens & fidelis dispensator, animi discretione fidelitatem ipsius comitante, adeo procuravit, quod in talento sibi credito pigre non dormiens, sed sollicite vigilans, Domino suo plenam de eo potuit reddere rationem, in requiem Domini sui cum gaudio ingressurus, ipse equidem decorem domus Domini locum ejus habitationis diligens, Metensem ecclesiam exquisitis ornamentis decoravit. In villa de Vico, quod tunc firmata munimine aliquo minime claudebatur,
E castrum nobile murorum & turrium altitudine firmavit. Et licet ad negotia imperii sibi commissa pro maxima parte temporis traheretur, nec posset in Metensi diœcesi, nisi raro & modice suam præsentiam exhibere, tamen in ejus absentia, fama probitatis, providentiæ & virtutis ejus militante, terram episcopatus Metensis contra fortes & nobiles & potentes viriliter protexit & defendit tamquam præsens, & rebellium violentiam cum armis, tum prudentia sagaciter refrænavit. »
Albericus de illo hæc habet: « Bertrannus

ANNI CHRISTI » Metensis episcopus an. XXXIII sui pontificatus
» moritur : cui successor factus est Conradus
» Spirensis episcopus, Imperatoris cancellarius,
» qui quandiu vixit, utrumque episcopatum
» tenuit, uterque tamen illi vix suffecit ad
indiscretas impensas. » Primo episcopatus anno
dum Confluentiæ adforet conventui habito
de excommunicatione a papa in Ottonem
imperatorem vibrata, colloquium apud Rigniacum in territorio Vallis-coloris caute disposuit inter Fridericum Ottonis æmulum & Ludovicum Philippi Augusti regis filium; ad quod cum accessissent duo principes, fœderis pactum conflarunt anno 1212 festo die sancti Martini. Ad principum oblectamen Conradus Metensis & Reginaldus Virdunensis præsules, qui tunc aderant, ludicras per homines suos comites pugnas dari fategerunt. Ipso quidem anno 1212 nonis Augusti statuit ad preces Warini abbatis S. Vincentii ne ulli feminæ in monasterio S. Vincentii præbenda, nisi monasterio servienti, concederetur. Quatenus aulæ imperialis cancellarius recognovit insigne privilegium Michaëli Arelatensi archiepiscopo ejusque ecclesiæ a Friderico II imperatore eodem anno tributum. Patronatum ecclesiæ parœcialis sancti Martini in curtis adeptus a Theobaldo duce Lotharingiæ ac comite Me-
1213. tensi, illum transcripsit an. 1213 xenodochio S. Nicolai de Novoburgo. Cum ipso Theobaldo icit fœdus, judiciumque latum a Theoderico archipræsule Trevirensi & præfato Theobaldo in forenses mercatores quoddam teloneum solvere renuentes, propterea quod domos in urbe Metensi haberent, confirmavit (Char. XLI, col. 409.)
1214. an. 1214. Eodem anno subscripsit diplomati Friderici II imperatoris; duas etiam ecclesias a Stephano episcopo traditas asseruit monasterio S. Petri-Montis. Privilegium quidem ab Innocentio III impetravit constringendi censuris hos omnes qui diœcesanos Metenses gravarent: vetitum quoque est ab ipso summo pontifice ne archiepiscopus Trevirensis suspensionis aut excommunicationis sententiam in episcopum Metensem vel in ejus castra interdictum, inconsulto papa, ferret, donec Germaniæ turbæ sedarentur. Duas largitus est ecclesias cum omnibus appenditiis monasterio (Innocent. III, lib. XV, ep. 187.)
1215. S. Symphoriani, unam anno 1215, alteram 1221, ejusdemque loci abbatem creavit primitivum parochum Clemeriaci anno 1223. Privilegia monasterii S. Arnulfi laudavit anno
1216. 1216, quo pia mulier dicta Odilia *de Belgrée* ipsius consensu jecit fundamenta conventus fratrum Minorum ordinis S. Francisci, qui absolutus non est ante annum 1236, quo ibidem celebratum fuit capitulum. Adstitit
1218. an. 1218 concordiæ initæ inter Theobaldum ducem Lotharingiæ & Theobaldum comitem Campaniæ. Ablatam ab antecessore suo Bertranno ecclesiam capitulo S. Salvatoris red-
1219. didit, aliamque cathedrali Virdunensi con-
1220. cessit an. 1219. Litteris sanxit an. 1220, ut quoddam tributum thesaurario annexum (Ch. XLII, col. 409.)
cæteris canonicis distribueretur. Concessit eodem, pontificatus sui 8, ecclesiam *de Helymere* monasterio Glanderiensi. Ipso quidem anno decessit Theobaldus dux Lotharingiæ, ac comes Metensis, cujus morte extinctus fuit comitis titulus. Quod simul & frequens absentia episcopi ædilibus civibusque dedit ansam protendendæ & augendæ potestatis suæ in urbe: unde diuturna emersere bella ac divisiones. Obsidione cinctam fuisse urbem anno 1221 a comitibus Campaniæ & Luxemburgi, 1221.
qui turpiter discesserunt, prodit breve sancti Vincentii Metensis chronicon. Eodem anno ecclesiam de Ernandi-villa contulit abbatiæ Gorziensi, fecitque licentiam fratribus Prædicatoribus 22 Aprilis conventum construendi, eosque eleemosynis & donis cumulavit, ac primarium ecclesiæ lapidem posuit an. 1222; 1222. (Ch. XLIII, col. 409.)
quo quidem anno 29 Septembris conditam a Clementia Novi-monasterii abbatissa collegiatam ecclesiam S. Leodegarii de Marsallo, nec non hospitalem domum ab abbate Glanderiensi fundatam comprobavit. Statutum prodidit an. 1223 de dotibus, quibus præditi forent aspirantes ad S. Theobaldi canonicatus. Tametsi ambitionis & avaritiæ a Nauclero accusatus, propterea quod duos simul servasset episcopatus, sat assidue & studiose diœcesim administravit. Fatis functus an. 1224, pontificatus 13, sepulturæ traditus est in choro Spirensis ecclesiæ.

LXII. JOHANNES. D'APREMONT.

Antiqua gente in Lotharingia ortus Johannes, filius Gaufridi I, baronis de Aspero-monte, domini *de Dun*, ex Isabella de Dampetra, germanusque Goberti III, comitum de Aspero-monte, cæterarumve domus stirpium progenitoris, ex cathedra Virdunensi ad Metensem pervenit anno 1224. De illo 1224.
sic fatur chronicon Metense: « Huic (Conrado) successit frater domini Asperi-montis dominus «
Johannes, quem clari sanguinis generositas «
decorabat exterius, & morum gravitas interius «
illustrabat. Qui cum esset in flore juventutis «
suæ constitutus, citra annos, qui in electionibus episcoporum requiruntur, immaculata «
ejus vita defectum ætatis in eo plenius supplente, cleri concordia & lætitia populi pariter «
accedente, assumptus est in episcopum Virdunensem: ubi de die in diem, de bono in «
bonum proficiens, sic continuavit, & auxit «
suæ famam bonitatis, quod ex merito suæ «
bonitatis atque actionis, in Metensem episcopum unanimiter est translatus. » Probata est ab Honorio papa III ejus electio, ipseque, ubi subiit urbem, recreatus Johannis Jerosolymorum regis præsentia. Ab ineunte episcopatu gravissimum ei bellum obtigit sustinendum hac occasione: Gertrudis, filia unica comitis *de Dasbourg* mortui an. 1214, id obtinuerat ab episcopo Conrado, ut ipsa suusque maritus Theobaldus dux Lotharingiæ feodo, quod ab ecclesia Metensi tenuerat comes, perfruerentur,

ANNI CHRISTI

posita tamen ea conditione, ut si sine heredibus ex illa prognatis mori contingeret, ipsum feodum penes ecclesiam remaneret. Post mortem conjugis sui Theobaldi, Gertrudis duxit Simonem comitem *de Linange*, ac sine liberis
1225. decessit anno 1225. Tunc Johannes jus suum recuperare nixus est. At comes *de Linange* socialibus copiis adjutus, castra ab eodem feodo dependentia, spreta omni conditione, invasit, suæque ditioni in perpetuum subdere intendit. Vim vi objecit episcopus; sed postquam diu & acriter utrinque pugnatum fuisset, amicorum ope statutum fuit anno 1227, ut comes *de Linange*, ducta uxore præsulis nepte, ejusque successores potirentur comitatu *de Dasbourg*, cum conditione episcopis Metensibus homagium præstandi. Comitatum Metensem, castraque quatuor ab illo pendentia, videlicet *Sarbourg*, *Albain*, *Turquestein & Arestein*, comparavit, & sic ecclesiæ suæ duplicavit proventus. Vineas etiam modici pretii pro luculenta Marsalli advocatia commutavit. Ad id tempus ab omni clero reclamatum est contra tributum, vernacule dictum *Tonneurs*, omnibus ecclesiis imperatum a civibus pro instaurandis urbis munitionibus. Id ausum civium fuit quasi præludium dissidiorum ac bellorum, quibus diu flagravit diœcesis. Henricum Barri comitem pro feudo Johannes ad homagium admisit an. 1225. Litteras dedit
1226. an. 1226 de donis a se collatis monasterio
Ch. xxxvi, col. 577. de Prato, quod, dum esset Virdunensis episcopus, juxta urbem in honorem S. Nicolai condiderat. Saræpontis comitatum Loretæ filiæ primogenitæ nobilis viri Simonis de Saræ-
1227. ponte in feudum tradidit an. 1227. Eodem anno quidquid in oppido S. Trudonis possidebat, cum Hugone Leodiensi episcopo pro pago de Maderiis prope Mussipontum & duobus marcharum argenti millibus sibi, ac quingentis Metensi capitulo traditis commutavit. Quod cum comiti Barrensi Maderiarum advocato displicuisset, hic acquisitas res ab episcopo Metensi in fiscum coegit, ac per annum saltem integrum retinuit. Proborum tamen virorum interventu restituta est inter
1231. utrumque pax & concordia. Sub annum 1231 Matthæus *le Gaillard*, major scabinus magna in episcopum accensus ira, oppidanos ad rebellandum incitavit. Et vero illi villam ad eum spectantem dictam *Chatel* prope Metim combusserunt, & unum ex clericis ejus opprobriis affectum excæcarunt. Mox episcopus cives censuris vincire & urbem interdicto subjicere; quin & ipse ad castrum in monte sancti Germani incolumitatis gratia refugere. Erat in urbe generosa familia de Porta-Saliæ, prorsus præsuli addicta, quam cum seditiosi facultatibus exhaustam ejecissent, in castrum suum sancti Germani ille admisit. Inter hæc episcopus rebellium impetus, qui ad propugnandum castrum accesserant, ergo propellendi, ducis Lotharingiæ, comitisque Barri auxilium est precatus, quod nec illi multum profuit: nam hi duo principes pretio capti, Metensibus ad obsidendum castrum S. Germani se adjunxere. Viriliter hostium impetum ille sustinuit, imo quidem in eruptione captivos comprehendit Theodericum comitem *de Linange* aliosque plurimos. Cum vero suis indubitaret viribus, fratrem suum in Franciam misit opem quæsitum, in Germaniam & ipse profectus, a comitibus *d'Arenstein* & *d'Hasbourg* flagitaturus auxilium. Brevi cum subsidiariis militibus reversus, ad hostes accessit, quibus pugnam sane commisisset, nisi Rogerius Virdunensis episcopus in pacificationem se interposuisset. Adeo prospere egit hic præsul apud utramque partem, ut pax composita sit anno 1234. Eodem anno redux in urbem, 1234.
majorem scabinum creavit Petrum *Châtel*. Insequenti comitatum Sarbrucensem, feudum dependentem ab episcopatu, divisit inter nepotem suum Gaufridum & Mathildem ac Johannam *de Sarbruche*. Curam eidem Gaufrido, quem suis præfecerat copiis, demandavit armis insequendi dominum *de Gerolsec*, ob irruptionem in turrim de Lutzelburgo. Adversarium vicit ac cepit Gaufridus, cui præsul patruus ejus concessit in remunerationem advocatiam *de Boulinstrof* & locorum finitimorum. Accepit homagium anno 1238 ab 1238.
Elisabetha comitissa *de Castres*. Trevirensi synodo interfuit eodem anno. Pastorali cura sedulo perfunctus, ipso anno diem extremum clausit IV idus Decembris, sepultusque est in choro cathedralis sub tumba marmorea cum hac epigraphe: *Thesaur. Anecdot. t. IV. col. 183.*

Hujus enim fuerat, quod habent hæc tempora raro,
Mitis vita, manus munda, pudica caro.

LXIII. JACOBUS. DE LORRAINE.

Friderici II Lotharingiæ ducis ex Agnete Barrensi filius Jacobus, Theobaldi I & Matthæi II ducum frater, ex primicerio Metensi, archidiacono Trevirensi, ac canonico & archidiacono Tullensi, cum universo plausu anno 1239 mense Januario episcopatum subiit, 1239.
vir sane virtutibus quibuslibet cumulatus. Consecrationem in ecclesia Metensi a Theoderico Trevirensi, comitantibus Rogerio Tullensi & Rodulfo Virdunensi præsulibus, adstantibusque quam plurimis principibus ac nobilibus, accepit ultima Dominica Quadragesimæ. Quæ & quanta ad ornamentum & tuitionem diœcesis aggressus sit opera, perquam difficile dictu. Villas, castra & castella ruina collabentia instauravit, novaque construxit. Prope vetus oppidum Homburgense castrum insigne in vertice montis immensis sumptibus ædificavit. Eximias etiam possessiones & nobilia prædia suæ acquisivit ecclesiæ, quorum enumeratio fit in chronico Metensi. Laudavit an. 1244 1244.
mense Martio donum Simonis militis *de Ravoy* *Thesaur. Anecdot. t. I. col. 1024.*
tributum fratribus Vallis-Omnium-sanctorum. Postquam Fridericus II Imperator in concilio Lugdunensi

ANNI CHRISTI

Lugdunensi dignitate exutus & anathemate
ab Innocentio IV percussus esset, Germaniæ
prælati, quos inter Jacobus, in comitiis Her-
1245. bipoli habitis anno 1245 imperatorem salu-
tarunt Henricum Thuringiæ Lantgravium;
cui mortuo biennio post successit Guillelmus
Hollandiæ comes. Nihilominus oppidani Me-
tenses a Friderici partibus stetere, dum Jacobus
eorum præsul Guillelmo pareret. Enimvero
regalia Ultrajecti ab illo accepit, omnesque
ecclesiæ suæ possessiones ratas haberi fategit,
quin & se ipsum supremum urbis & pagi
Metensis ab Imperatore dominum ac prin-
cipem curavit renunciari. Joffridum dominum
de Aspero-monte & Lauretam conjugem
comitissam *de Sarrebruche* in possessionem
1247. hujus comitatus immisit anno 1247. Capitulo
Ch. XLIV, col. 410. S. Salvatoris dedit an. 1249 quamdam por-
1249. tionem decimæ. Adsuit an. 1250 cal. Maii
1250. consecrationi majoris altaris ecclesiæ Leodiensis
in honorem B. Mariæ & S. Lamberti factæ
a Petro archiepiscopo Rotomagensi. Pactum
1251. desensionis & offensionis icit anno 1251 cum
Catharina *de Limbourg* ducissa Lotharingiæ,
Theobaldo II Barri comite, & Egidio Tullensi
episcopo. Inquisivit anno eodem de damnis
monasteriis & ecclesiis a fratre suo duce Mat-
1254. thæo illatis. Mediator fuit anno 1254 inter
priorem Novi-villaris & rectorem de Mazeriis.
Prope castrum de Homburgo a se ædificatum
collegiatam pro sexdecim canonicis ipso anno
Ch. XLV, col. 410. condidit in honorem B. Mariæ & S. Stephani
Ch. XLVI, col. 411. protomartyris. Struxit & alteram an. 1256
in oppido de Sarburgo, postquam illud ope-
ribus munitionibusque sepsisset. Vult ut ejus
ecclesiæ canonici tam in habitu ecclesiastico,
quam divino officio secundum constitutiones
& consuetudines collegiatæ sancti Theobaldi
Metensis perpetuis temporibus Domino devote
studeant famulari. Autor etiam habetur capi-
tularis ecclesiæ S. Stephani de Vico, pro cujus
fundatione quasdam decimas dedisse traditur.
Plurimas alias pias fundationes tam in urbe,
quam in diœcesi fieri sivit. Conditum a fratre
suo Matthæo duce Lotharingiæ prioratum
S. Mariæ de Nemore laudavit, largitus &
ipse decem nemoris jugera & medimnum salis
ex salinis Marsalli accipiendum. Structum qui-
dem est, eo probante, an. 1243 ab Elisabetha
comitissa *de Blicastel* in gratiam cœnobitarum
ordinis S. Guillelmi monasterium vocatum
Graffenthal. Duo etiam viri nobiles Cuno &
Barnecho germani an. 1252 prioratum sancti
Leonardi construxere in monte nuncupato
Vinstingen, ac tradiderunt monasterio sancti
Michaëlis, a duobus ejusdem loci monachis
deserviendum. Civis Metensis nomine Falco
prope Pontem-Thiefredi sanctimonialibus
sanctæ Claræ ædificavit monasterium, quod
propter loci incommodum aliorsum est trans-
latum. Sedem etiam in urbe Metensi sub ejus
pontificatu patres Augustiniani & Carmelitæ
fixisse dicuntur. Monasteria Belli-prati &
Salinæ-vallis donis auxit, eximiisque ædificiis

A decoravit. Ne una quidem pene est in tota
diœcesi ecclesia, quæ aliquod benignitatis ejus
pignus non habeat; & inter cæteras collegiata
S. Salvatoris, cui anno 1249 jus patronatus
ecclesiæ *de Huesange*, aliaque dona ad præben-
darum incrementum contulit. Controversiam
de sua hereditate, cujus usumfructum ad vitam
reliquerat fratribus suis Theoderico & Matthæo
ducibus, habuit cum Ferrico III nepote,
quocum tamen, procurante Egidio Tullensi,
compositionem iniit anno 1259. Testamento 1259.
suo condito 14 Septembris 1260 diversa 1260.
legata ecclesiæ suæ tribuit, jubetque ut in ea
B consecretur capella in honorem beatæ Mariæ
& S. Stephani, in qua semper lampas ardeat.
Tradit etiam suis successoribus episcopis quod
sibi in pluribus locis ex paterna hereditate
obtigerat, sub lege omnia debita solvendi.
Plenus meritis ac bonis operibus, cum sedisset
annos 22, obiit 24 Octobris 1260; sepultus 1260.
in cathedralis capella S. Nicolai, ubi altare
in honorem S. Catharinæ struxerat. Ejus funera
celebravit Robertus Virdunensis episcopus,
cohonestaruntque multi prælati & magnates.
In superbo mausolæo in ejus honorem erecto,
quod exinde deletum est, repertum fuit ejus
C corpus an. 1521 die 9 Decembris, indutum
pretiosis ornamentis, quæ in ecclesiæ sacrario
reposita sunt.

LXIV. PHILIPPUS.

DE FLORENGES.

Sanguine ducum Lotharingiæ ortus Phi-
lippus, filius Philippi I dynastæ *de Florenges*,
Simone I duce avo progeniti, ex præposito
S. Deodati & thesaurario Metensi a parte
canonicorum in episcopum est cooptatus anno
1261 post mediam Quadragesimam. Pars
altera Theobaldum *de Porcellets* canonicum,
virum quidem ditissimum & corpore per-
D obesum sublegit. Aliquandiu contenderunt duo
æmuli de episcopatu coram archiepiscopo Tre-
virensi metropolitano, qui Theobaldum adegit
ad cedendum in gratiam Philippi. Cum ille
promissis, quæ, ubi electus est, Theobaldo
comiti Barrensi dederat, non staret, ejus elec-
tionem irritam facere comes aggressus est.
Hic siquidem clam profectus Romam, quosdam
Metenses canonicos incitavit, ut episcopum
de simonia insimularent. Singulari studio ac-
ceptus fuit ab Urbano IV familiarissimo suo,
qui facti cognitorem commisit archiepiscopum
E Remensem, ac simul litteris prohibuit omnibus
diœcesis monasteriis, ne Philippum haberent
episcopum, nec illi ullam opem subministra-
rent. Aliunde Ferricus dux Lotharingiæ eum
vexabat ob magnas expensas, quas ejus causa
fecisse asserebat. Acerbis undique curis Phi-
lippus distractus, summi pontificis jussu Romam
adiit, ut simoniæ criminationem elueret; ve-
rum nequicquam iter illi profuit. Abutentes
ejus absentia nonnulli optimates ac tyranni,
irruperunt in terras episcopatus, ac plurimas
arces & castra invaserunt. Quorum audaciam
ut coerceret, mox ut redux fuit Philippus,

magistratuum & civium consilio tam per se, quam fœderatorum ope insignem collegit exercitum, hostesque suos, licet Walteri Argentoratensis episcopi auxilio suffultos, adegit ad resarcienda damna & ablata restituenda. Dum sibi dulces pacis fructus polliceretur, subito Ferricus III dux Lotharingiæ suus consobrinus, a quo modo auxilium adeptus erat, veritus ne comes Barri, quatenus custos episcopatus, sibi bellum inferret ob castra duo quæ detinebat, in diœcesim & ipse irruit omnia incendens ac devastans. Singula hæc pene deprompta sunt ex chronico Richerii monachi Senoniensis, qui & ipse de Philippo audiendus est. « Canonici Metenses, inquit, convenientes ut episcopum eligerent, non sunt concordati, licet sæpius convenirent ad eligendum, quia comes Barrensis, ut ferebatur, eorum impediebat electionem. Pars vero una elegit quemdam Philippum qui dicebatur *de Florhenges*, qui & cognatus ducis Lotharingiæ erat & præpositus sancti Deodati, & Thesaurarius Metensis. Altera autem pars elegit quemdam canonicum suum Theobaldum nomine de Porcellis divitem nimis, sed gravem corpore. Cum igitur comes Barrensis electioni Philippi Metensis resistere non valeret, mirabilem nocendi viam adinvenit. Et quia Urbanus papa de novo sedem apostolicam occupaverat, cui idem comes plurimum confidebat, eo quod idem papa episcopus fuisset Virdunensis, quo tempore idem episcopus compater dicti comitis effectus est, idem comes latenter iter arripiens Romam profectus est, quem ipse papa libenter excepit. Sed quia idem comes noluit publice episcopo Metensi objicere, per quosdam canonicos Metenses ipsum episcopum de vitio simoniæ aggressus est; & super hoc archiepiscopum Remensem inquisitorem a papa obtinuit. Et sicut nihil profecisset, ad propria rediit &c. Episcopus vero Philippus videns sibi episcopatus & honoris sui periculum imminere, præsertim quia dux Fredericus Lotharingiæ junior ipsum episcopum super magnis expensis, quas pro ipso se fecisse asserebat, valde infestaret, inito consilio totius episcopatus custodiam comiti Barrensi contulit &c. » Eximium Condæi castrum, quod regio jussu superiori seculo eversum est, construi satagit. Coactus abdicavit inter manus summi pontificis circa annum 1264, retentis ad victum præbenda una, locupletissima thesauraria & banno Rumiliaci. Abdicationi supervixit triginta tres annos, defunctus 20 Dec. 1297, ac sepultus cum pontificalibus ornamentis in capella S. Nicolai juxta Jacobum antecessorem, habens collo suspensam crucem plumbeam præferentem hanc inscriptionem: *Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo obiit dominus Philippus Metensis episcopus & thesaurarius magnæ ecclesiæ, decimo tertio calendas Januarii, dictus* de Florehanges. Prope ejus tumulum affixum fuit id epitaphium:

A *Dulcis honestatis, totius fons pietatis*
Hic fuit: atque satis sublimis nobilitatis.
Vivens absque dolo, nunquam dixit dare nolo;
Sed dare cuncta volo, nolens pro me mea solo.
Philippi nomen gessit, qui præsulis omen
Fortiter augebat, pro tempore quando regebat,
Amplificans sedem, constructam reddidit ædem.
Castrum destruxit Liechtemberg, *postea struxit*
Condé, *cum multis, si verum dicere vultis,*
Pluraque fecisset, si sedem plus tenuisset.
Semper donavit, nullis quæcunque negavit,
B *Nunquam cessavit, verum omni tempore pavit.*
Ergo Jesu Christe, quoniam bonus extitit iste,
Huic pius assiste, cum justis hunc cito siste.
Anno milleno, tercento ter minus uno,
Functus terreno latet hic sub paupere humo.

LXV. Guillelmus.

DE TRAINEL.

Suffectus est in Philippi locum ab Urbano IV Guillelmus natione Romanus, quem chronicon Senoniense propinquum vel etiam nepotem Thiebaldi comitis Barri fuisse testatur. Metis jam aderat sub initium anni 1264, quippe 1264.
C qui litteras in gratiam ecclesiæ S. Salvatoris dederit, ac per fœderis pactionem eidem comiti Barrensi auxilium contra omnes, Imperatore Metensibusque oppidanis exceptis, se laturum professus sit. Aliquibus post mensibus fundum emit sub annuo censu decem librarum ad constituendas Medii-vici salinas. Graviter iratus quod comes Barrensis contra fidem conventorum Henricum comitem Luxemburgi in prælio captum, retento toto redemptionis pretio liberum reddidisset, in ejus ditionem cum militibus irruit, plurimosque depopulatus est pagos. Comes invicem ultionis
D causa, cum Frederico III duce Lotharingiæ fœderatus, irrupit in dominia episcopatus. Hunc simulque Lotharingiæ ducem prope Domnum-Aprum ac Spinalium Guillelmus profligavit. Quapropter, litigantibus mox belli pertæsis, confecta pax est sub finem anni 1267, 1267.
procurante Theobaldo comite Campaniæ, quem arbitrum omnium suarum querelarum Guillelmus elegerat die Mercurii ante Magdalenam. Sancti Symphoriani monasterio ad infirmorum levamen ecclesiam attribuit anno 1268. Si plerisque scriptoribus fides, dum 1268.
in quadam domo cum pluribus propinquis ac
E familiaribus versaretur, extemplo supervenit dux Lotharingiæ Fridericus, qui domum stantesque in ea pene omnes cremavit. Ex quo periculo vix evadens Guillelmus, aliquanto post comprehensus fuit ac carceri mancipatus apud Asmantiam, ubi latuit per annum integrum. Officialis Metensis, comperto captivitatis episcopi loco, interdictum in Lotharingiam a Clemente papa IV ferri curavit. Incusso igitur in ducis animum metu, in libertatem restitutus est Guillelmus, qui hostem vi & armis lacessivit, quamplurimos milites interfecit, &

Richer. l. III. Spicil. l. 5. cap. ult.

ANNI CHRISTI

ipsum quidem comprehendere prope fuit, ni
maturè dux fugisset. Propter illatum sibi a
Friderico odium, Romam se recepisse traditur.
Non omnibus arridet hæc narratio, præsertim
patri Benedicto Capucino, historiæ mss. Me-
tensis autori, qui eam ut meram fabulam
habet. De loco ubi decessit Guillelmus non
consentiunt chronica; alia produnt eum Romæ
1269. obiisse anno 1269, vacante sede Romana
per mortem Clementis IV. Alterum docet
ipsum, dum Romam migraret, Catalauni
defunctum fuisse, ubi in Dominicanorum
ecclesia jacet. Propria verba operæ pretium
est referre: « Huic (Philippo) successit Guil-
» lelmus *de Trainel*, missus a sede apostolica,
» qui ob insolentiam ejus, conquerentibus de eo
» abbatibus civitatis Metensis domino papæ, ab
» officio & beneficio suspenditur & excommu-
» nicatur. Cumque Romam iter dirigeret, versus
» Clarum-montem in Argonna spoliatus a comite
» Barrensi, seu mandato ejus, nimio dolore
» afflictus, Cathalaunum ductus ibidem moritur
» anno Domini M. CCLXIX, vacante sede apos-
tolica. »

LXVI. Laurentius.

Inter turbas, quæ in ecclesia Trevirensi
sub annum 1259 post Arnoldi archiepiscopi
decessum emerserunt inter Arnoldum *de Sleide*
& Henricum de Bollandia, electos a duabus
diversis capituli factionibus, Laurentius proto-
notarius apostolicæ sedis Roma directus est
a summo pontifice ut archiepiscopatum ad-
ministraret. Ipse vero in episcopatu Metensi
1270. Guillelmo successit an. 1270 electus a capitulo,
non autem a summo pontifice renunciatus,
quippe quod sedes Romana vacaret. Eodem
anno comiti Barrensi scripto data fide con-
flatum a suis decessoribus æs alienum exsol-
vendi, promissum implere non potuit. Comes
itaque vi & armis usus est ut debitum exigeret:
nec veritus latas in se censuras, occupavit
castrum Condæi, nec non castrum & oppidum
Spinalii. Quin etiam dux Lotharingiæ Fer-
ricus III Barrensi comiti consociatus, episco-
palem exercitum profligavit, ipsumque Lau-
rentium simul & Conradum Argentoratensem
comprehendit. Statutum fuit ab utroque prin-
cipe ut Argentoratensis præsul in ducis po-
testate maneret, Metensis vero penes esset
comitem Barrensem. Verumtamen comes &
episcopus jussu Gregorii X ad concilium
Lugdunense accedentes, interveniente ipso
summo pontifice, eam iniere pactionem anno
1274. 1274, ut comes oppidum Spinalii & castrum
de Condæo restitueret, modo viginti millia
librarum Metensium ab episcopo exsolve-
rentur. Pacem etiam eodem anno cum duce
Ferrico pepigit. De Laurentio ita loquitur
chronicon Metense: « Post hunc Guillelmum
» Laurentius papæ notarius in episcopum eligitur,
» qui habuit guerram cum duce Lotharingiæ &
» comite Barrensi, & obsiderunt castrum Spi-
» nalense anno 1272 & congregato exercitu

A multo circa Marsallum apud *Attignei*, duce «
subito superveniente cepit dictum episcopum «
& captivum retinuit multo tempore, anno & «
dimidio. Tandem concilio apud Lugdunum «
1273 restituitur Dom. episcopus a Theobaldo «
comite Barrensi, & pace inter eos reformata «
coram domino papa, & iterum bellum oritur «
inter episcopum & ducem 1276. » Porro
Laurentius a duce Ferrico graviter alienatus,
bellum ei iterum indixit anno 1276, &
utrinque pugnatum est ad usque annum 1278,
quo Gobertus de Aspero-monte a partibus
dictus arbiter concordiam restituit festo sancti
B Bartholomæi. Præsulis hujus multa reperiuntur
instrumenta in actis cancellariæ Vicensis; pri-
mum est anni 1270 pro fide clientelari comitis
Bipontini, alterum 1275 pro feodis de Castris 1275.
& de Putelangiis, tertium Henrici comitis
Bipontini, aliud 1277 Friderici comitis de 1277.
Linangiis, quintum ejusdem anni de investi-
tura comitis Sarbrucensis. Bellis & ærumnis
pene continuis exagitatus Laurentius, in Italiam
profectus est, ubi decubuit anno 1279. 1279.

LXVII. Johannes II.

DE FLANDRE.

Guidonis Flandriæ comitis ex Mathilde
C domina de Bethuna filius Johannes, germa-
nusque Roberti comitis Flandriæ, ac Guillelmi
item comitis, prius Teneræmundæ domini,
nec non Philippi comitis *de Triette* in Sicilia,
in jure canonico licentiatus, præpositus sancti
Donatiani Brugensis & sancti Petri Insulensis,
ac canonicus Metensis, episcopus a Nicolao III
dictus est bullis Viterbii datis 2 Januarii 1280. 1280.
Solenniter in urbem ingressus mense Aprili,
octo post diebus Vicum & Sarburgum se
contulit, oppidanorum fidem accepturus, quo-
rum privilegia a decessoribus indulta confir-
mavit. Adeptus quidem est ab imperatore
D Rodulfo investituram mense Maio 1281. 1281.
Eodem anno fidem obstrinxit Henrico comiti
Barrensi trecentas libras exsolvendi pro redem-
ptione militum, in bello adversus Laurentium
a Theobaldo patre ejus captorum, modo cons-
taret ut legitime fuissent comprehensi. Capi-
tulum generale ordinis S. Dominici hoc ipso
anno, cum venia Johannis episcopi, monasterii
piarum quarumdam virginum pluribus abhinc
annis in urbe conditi, conjunctionem cum
eodem ordine in præcedente altero capitulo
jam factam probavit. Quanquam Metenses
E oppidani tunc totam pene autoritatem in urbe
usurpassent, in magna tamen inter se discordia
degebant, nec illis erat commune, nisi in
imminentibus urbi repellendis periculis. Ha-
rum vero dissensionum nec diu Johannes testis
fuit: nam vix per biennium Metensem rexerat
ecclesiam, cum Martinus papa IV ei contulit
Leodiensem episcopatum, nullo habito juris
Buchardi *d'Avesne* & Guillelmi *d'Auvergne*,
utriusque a capitulo separatim electi, cujus
ecclesiæ possessionem accepit in vigilia Om-
nium-sanctorum anno 1282, ut legere est
tom. III, coll. 890, 891.

ANNI CHRISTI

LXVIII. BUCHARDUS.

D'AVESNES.

Johanne Hannoniæ & Hollandiæ comite,
ac Margarita seu Aleyde ab Hollandia ejus
conjuge genitus Buchardus, Cameracensis
canonicus & archidiaconus Leodiensis, cum
frustra de Leodiensi episcopatu cum Guillelmo
d'Auvergne disceptasset, ad sedem Metensem
1282. promotus est anno 1282, in comitatu Conradi
Tullensis & Henrici Virdunensis præsulum
1283. solemniter in ecclesiam ingressus anno 1283.
1284. Compositionem iniit anno 1284 cum Friderico
III duce Lotharingiæ pro sedandis
omnibus controversiis exortis sub episcopatu
Laurentii. Præsulis hujus, qui ecclesiæ proventus
impendebat comparandis in Italia possessionibus,
exemplum non æmulatus Buchardus,
suum alienavit patrimonium, ut
ecclesiæ suæ acquireret comitatum de Castris,
quem paulo post duci Lotharingiæ sub pacto
redimendi vendidit. Comitatum hunc emendi,
quem ardenter ambierat, occasionem amisisse
nec contentus dux Barrensis, contumeliose
dixit de prælato. Ille ulciscendi causa jam
quoddam castrum ditionis comitis obsidione
cinxerat, longiusque processisset, ni Robertus
dux Burgundiæ & Johannes *d'Avesnes* Hannoniæ
comes pacem inter eos restituissent.
Gravissimum bellum contra ducem Lotharingiæ
ei mox obtigit sustinendum ob præcitatum
comitatum de Castris, quem recuperare
voluit. Dux, cui id non arridebat, bellum
indixit, ac fœderatus cum comite Barrensi
copias duxit ad S. Naborem, unde dum
captivos prædamque secum reduceret, Buchardus
subito irrumpens eum profligavit,
cæsisque quamplurimis militibus, inter captivos
comprehendit comitem de Linangiis, quem
feodis ab ecclesia Metensi pendentibus sententia
privavit. Victoriam adeptus, accessit ad
oppugnandum castrum de Preneyo, nec obsidionem
intermisit, quamvis Lotharingiæ ducis
astutia jussus ab imperatore Rodulfo ut quam
celerrime Moguntiam migraret investituras
accepturus. Cum itaque continuationi obsidionis
providisset, cum firmo præsidio adiit
Imperatorem, a quo benigno vultu acceptus
est. Ordinatis rebus ac salutato Cæsare, ad
obsidium repedavit, ducemque Lotharingiæ
ad pacis conditiones accedere coegit anno
1288. 1288. Adegit etiam comitem Barrensem ad
ineundam pacis compositionem. Recrudescere
tamen hostilitates anno insequenti inter ducem
& episcopum, qui plures optimates cum duce
fœderatos comprehendit, quos non nisi pactione
confecta anno 1290 sub plurimorum
virorum proborum cautione dimisit. Ad id
tempus Johanni Hannoniæ comiti fratri suo
bellum gerenti Valentiniarum oppido duxit
auxilium. Virtutes ejus bellicosæ in tanta
commendatione fuerunt apud Metenses, ut
statutum sit deferre ejus vexilla in processione
feriæ tertiæ Rogationum. Si Meurissio fides,
interfuit anno 1286 concilio Metis celebrato
A a Johanne episcopo Tusculano, sedis apostolicæ
legato. Multa extant in chartario documenta
de plurimis fidelitatum sacramentis, quæ
ipsi exhibuere feudatarii episcopatus, quos inter
Henricus comes Luxemburgi 1285, Henricus
toparcha *de Blanmont* 1290 & nonnulli alii.
Arbitralem sententiam tulit anno 1288 inter *Thesaur. Anecdot. t. I, col. 1251.*
Willelmum episcopum Cameracensem & Johannem
Hannoniæ comitem. Ecclesiæ suæ
comparavit anno 1289 terras *Makren* & 1289.
Leutviller. Monasterio Salinæ-vallis confirmavit
jus patronatus beneficii pastoralis de Bruno
1290 mense Decembri; item & donationem 1290.
B pastoratus *de Moncourt* 1291 vigilia Ascensionis. 1291.
Adstitit anno 1292 solemni exaltationi 1292.
Willelmi fratris sui Cameracensis episcopi.
Eodem subscripsit pactioni fœderis inter præfatum *Ibid.*
Johannem Hannoniæ comitem & alios
optimates initæ. Ecclesiam dictam *Tettinghem*
tradidit anno 1293 monasterio S. Naboris, 1293.
cujus numerum monachorum fixit ad viginti
quatuor. Monasterii S. Vincentii egestatem
sublevare cupiens, tradidit eodem anno ecclesiam
S. Martini ante Marsallum. Confirmavit
adhuc anno 1295 mense Martio Salinæ-valli 1295.
jus patronatus ecclesiæ Tarquinopolis. Philippo
C Pulcro Franciæ regi hominium præstitit anno
1296. Tunc Metensis ecclesia gravi ære alieno 1296.
laborabat; quocirca Buchardus & canonici
communi consensu petierunt, obtinueruntque
a summo pontifice unionem monasterii Gorziensis.
Verum Bonifacius VIII, auditis abbatis
& monachorum rationibus, revocavit unionem
bulla data 8 Augusti, pontificatus anno 3.
Decessit autem Buchardus anno 1296, 29
Novembris, vigilia S. Andreæ: conditus sub
tumba marmorea in ingressu chori ad pedes
Johannis de Aspero-monte. Reperta est anno
1521 in ejus tumulo crux plumbea hanc
D inscriptionem præferens: *Anno Domini millesimo
ducentesimo nonagesimo sexto in vigilia
sancti Andreæ apostoli obiit dominus Bochardus
Metensis episcopus, frater domini Johannis
comitis de Hanonia, tertio calendas Decembris.*

LXIX. GERARDUS.

DE RELANGE.

Aliquandiu caruit episcopo Metensis ecclesia
ob exortam inter canonicos divisionem, ex
quibus alii delegerunt Theobaldum de Barro
canonicum, futurum postea Leodiensem episcopum;
alii vero Ferricum a Lotharingia,
E Ferrici III ducis filium, Aurelianensem antistitem,
postularunt. Duo æmuli appellarunt
summum pontificem Bonifacium VIII, cui
nec electionem Theobaldi, nec Aurelianensis
episcopi postulationem visum est admittere.
Theobaldo, cujus in gratiam Eduardus I rex
Angliæ scripserat, a jure suo sponte cedente,
Bonifacius bullis renunciavit episcopum Gerardum, *Ch. XLVII, col. 412.*
archidiaconum Brabantiæ in ecclesia
Cameracensi VIII calendas Maii, pontificatus
anno 3, id est anno 1297. Ille eodem anno 1297.
feria quinta post festum Omnium-sanctorum
condidit statuta synodalia, aliaque in crastino

ANNI CHRISTI 1278. Nativitatis B. Mariæ 1298 de absolutione infirmorum excommunicatione constrictorum. Apud Medium-vicum & Marsallum omnes acquisivit salinas. Prædium amœnum sibi suisque familiaribus excipiendis inter Vicum & Medium-vicum construxisse dicitur. Ad eum scriptæ sunt an. 1298 litteræ de recipiendis regalibus ab Alberto rege, quem anno insequenti apud Metas honorifice exceptum comitatus est adeuntem ad colloquium Vallis-coloris. Mandatum regium ab eodem obtinuit de amandando quodam nobili viro Lieberto *de Hinguesangues*, turmæ prædonum regionem vastantium duce. Glandariensi monasterio adnexuit an. 1299 ecclesiam *de Orons*, deditque eodem litteras de celebranda festivitate martyris S. Magni in ipso monasterio die Dominica proxima post festum Assumptionis S. Mariæ.

1299.

1300. Admisit anno 1300 ad præstandum fidei juramentum Ancellum *de Ribaupierre*, qui hominem ligium fatetur se evasisse pro acceptis ab episcopo quingentis libris parvorum turonensium. Litteris fundationis collegiatæ Danubrii sigillum suum ad petitionem Henrici *de Blammont* & Cunigundis ejus uxoris conditorum apposuit an. 1301 mense Decembri.

1301.

1302. Devixit apud Saunesium 30 Junii 1302; unde Metas revectus, in cathedralis capella sancti Nicolai ad latus Philippi *de Floranges* sepulturæ traditus est.

DE BAR.

LXX. REGINALDUS.

Theobaldi II comitis Barri & Johannæ *de Tocy* dominæ *de Puysaye* secundæ uxoris soboles Reginaldus, Henrici III comitis Barrensis, Theobaldi Leodiensis episcopi, Erardi ac Petri de Barro germanus, humaniores litteras & ecclesiasticam disciplinam didicit in monasterio sancti Arnulfi, sub magisterio Noni ejus loci cœnobitæ. Exactis ibidem quatuor annis, admissus est inter canonicos cathedralis, tunc temporis vitam communem agentes. Mox meritum ejus evexit illum ad primicerii dignitatem, dehinc anno 1302 ex totius capituli consensu ad episcopalem cathedram. Electionem probavit Diętherus Trevirensis archiepiscopus, qui & inaugurationem, assistentibus Tullensi & Virdunensi præsulibus, celebravit. Theobaldus ipso die jucundi ingressus, sistens ante majus altare, pretiosissima ornamenta, quibus erat indutus, ecclesiæ dono dedit. Statim ut possessionem est adeptus, præcipuas episcopatus ditiones lustravit autoritatis suæ ergo solidandæ. In plerisque locis nova indulsit privilegia, antiqua firmavit, deque publicarum rerum administratione tulit decreta. Rogatus ab Henrico III comite Barri, mox in Cyprum ad debellandos Saracenos profecturo, comitatus administrationem, curamque nepotis sui Eduardi, absente fratre suo, recepit. Dum sedulo diœcesi & comitatui regendis invigilaret, grave dissidium eum inter & Metenses oppidanos exortum est ea occasione: magistratus urbis ditissimam cujusdam clerici, nuper intestato defuncti, hereditatem arripuere. Quod ægre passus Reginaldus, urbe excessit cum jurejurando se non nisi in amplissimo comitatu reversurum. Et vero, comparatis copiis, jam obsidendæ appropinquabat urbi, ubi in occursu ad certamen paratos reperit Metenses. Commissa tamen non est pugna, quia oppidani eventum reformidantes, episcopi jura se non amplius attentaturos fidem obstrinxere. At ille, ne sacramentum falleret, in urbem redire noluit ante Dominicam Palmarum, quo die fit solemnis processio, quam innumera plebe comitatus præcessit. Tunc Clementi V ecclesiis decimam imponere visum est, cujus colligendæ curam demandavit Theobaldo II duci Lotharingiæ. Præsul offensus quod ex ecclesiis sibi subditis dux exigeret id tributum, ei bellum indixit, vocatisque in auxilium Eduardo comite Barri nepote, ac comite de Salmis, oppidum *Fruart* circumsedit: sed infaustum hæc expeditio habuit exitum, ut constat ex his chronici Metensis verbis: « Reginaldus de Barro, primicerius in ecclesia Metensi, in episcopum concorditer est electus anno 1302. Etiam iste Reginaldus pro facto fratris sui comitis de Barro tunc defuncti cum magna potentia obsedit apud *Fruart* ducem Lotharingiæ, ubi & cum duce bellavit, sed exercitus suus succubuit, & præfatus filius fratris sui captus fuit cum multis nobilibus. Unde pro liberatione captivorum obligavit fortalitia episcopatus *Constans* & *Condé* dicto filio fratris sui pro 77 millibus librarum turonensium, alteri vero fratri suo domino Petro de Barro ædificavit castra *Pierreforte* & *Levangarte*. » Jam jamque movendis a duce Lotharingiæ, cæterisque vicinis optimatibus continuis dissensionibus obnoxius, Franciæ regum aliorumque principum fœdera aucupatus est, in primis Philippi Pulcri, qui idcirco Theobaldo Leodiensi episcopo ejus fratri tradidit prædium de Gondricuria. Sat gravem controversiam cum capitulo habuit de suis juribus brevi sopitam. Historicus Metensis adnotat Reginaldum fuisse primum, qui in illa compositione cum capitulo confecta, hac usus fuerit formula: *Reginaldus Dei gratia & sedis apostolicæ episcopus*, tacitis in omnibus antecessorum episcoporum litteris hisce vocibus: *sedis apostolicæ*. Primus etiam episcoporum gentilitiis tesseris in sigillo pontificali usus est. Decimas de Luvigneio ad infirmorum sublevamen concessit anno 1306 monasterio sancti Symphoriani. 1306.

Reperiuntur in cartario cancellariæ de Vico plura acta fidelitatis ei præstitæ a diversis feudatariis ad annos 1306, 1311, 1315, a 1311.

Frederico comite de Linangiis & altero, atque 1315.

etiam anno 1316. Ad ecclesiæ suæ privilegiorum tuitionem inferendi belli Lotharingiæ duci consilium in mente volvebat, ubi veneno repente periit anno 1316 in monasterio 1316.

S. Vincentii Metensis; sepulcro conditus ad ingressum chori cathedralis a sinistra. Repertum fuit ejus corpus pretiosissimis ornamentis

ANNI CHRISTI

indutum anno 1521, ac deportatum sub A majori corona.

DAUPHIN.

LXXI. Henricus.

Sortita non est episcopum Metensis ecclesia statim post Reginaldi decessum: nam capitulum duas in partes divisum, alii Philippum *de Bayone* archidiaconum Sarburgi, comitis Barrensis Eduardi columine suffultum; alii Petrum *de Sierk*, Johannis episcopi Tullensis fratrem, Marsalli archidiaconum, præsidio Frederici IV Lotharingiæ ducis subnixum delegerunt. Avenionem uterque causam suam coram Johanne XXII dicturus migravit. At pontifex, neutrius B habito respectu, episcopatum contulit anno
1318. 1318 Henrico fratri Johannis Delphini Viennensis. Hic parentes habuit Humbertum de Turre Delphinum Viennensem & Annam Delphinam, ac germanum præfatum Joannem, ex quo principes hujus cognominis orti sunt. Possessionem accepit anno 1319, etiamsi in animo haberet non residere, clericalemque vitam fastidiret. Qua de causa adeptus est a papa licentiam ab ordinibus sacris suscipiendis abstinendi. Primo episcopatus anno Ferrico Lotharingiæ prædi suo erga Henricum *de Fenestrange* adstrinxit fidem detrimentum sarciendi, si forte aliquod eveniret. Cum eodem C
1320. duce anno 1320, 23 Junii, societatem coivit de præstanda sibi mutua ope contra omnes & singulos hostes, exceptis nihilominus Francorum rege & Imperatore. Aliam quidem iniit pactionem cum Henrico *de Blammont*, a quo paucis post annis homagium accepit pro ejus castro de Castellione ad Vesozam.
1324. Sub annum 1324 Bohemiæ rex Johannes & Balduinus archiepiscopus Trevirensis urbem Metensem ad obsequium Ludovici de Bavaria, æmuli Friderici ab Austria, adigere decreverunt. Civitas igitur admonita ut morem Cæsari D gereret, superbum & arrogantiæ plenum responsum dedit. Archiepiscopus & rex Bohemiæ indignabundi, illectis in belli societatem Friderico Lotharingiæ duce & Eduardo Barrensi comite, quos veteres urbis offensæ stimulabant, Metim versus copias eduxerunt. Aliunde Henricus Delphinus præsul graviter offensus, quod oppidani episcopalia jura usurpassent, ad ejusdem fœderis leges accessit. Dum acriter confligaretur, Metenses quid fœderatos principes inter & Delphinum actum fuisset prorsus ignari, litteras scriptas 18 Decembris 1324 direxerunt in Delphinatum, quo tunc ille se E receperat, eum rogantes quatenus gubernatorem, defensorem, ac supremum dominum ut quam citissime auxilium præberet; ad hæc etiam obligata fide episcopalibus juribus ab illis usurpatis, recensque lato in clerum injusto decreto desistendi, ac debitum obsequium præstandi. Oppidanorum libellus caruit effectu, propterea quod Henricus, qui adversus eos icto fœderi subscripserat, aliis detineretur curis in Delphinatu, cujus administratio ob pupillarem nepotis sui ætatem ei obtigerat; & quod jam forte in summi pontificis manibus episcopatum abdicasset. Interim acri a fœderatis premebantur bello Metenses: sed cum urbs esset & natura loci & frequentia civium validior, quam quæ cito caperetur, ad incendia villarum tectorumque ruinas ira belli vertit. Passim ergo villis & ædificiis agrisque crematis, plebe etiam intra mœnia ciente tumultus, coacti tandem fuere ingenti sponsa pecuniæ summa pacem concordiamque mercari.

Attamen Henricus sub specie æris alieni conflati a Reginaldo decessore dissolvendi, Hamburgum & Rembervillare Lotharingiæ duci, nec non oppidum de Vico comiti Barri oppigneravit, & plusquam ducenta librarum turonensium millia ab illis adeptus, ad proprium convertit usum, asportatis secum in Delphinatum hac summa, & quindecim millibus librarum a civibus ad urbis defensionem acceptis. Cum præfato Barri comite, qui ob negatum sibi tributum mœnia Vici subverterat, & aratro supposuerat, jurgium habuit, quod Hugo S. Vincentii & Jacobus S. Symphoriani abbates diremerunt, ea tamen conditione ut damnum a comite resarciretur. Plura in cartario cancellariæ Vici recurrunt documenta fidelitatis ei juratæ a feudatariis episcopatus, inter quos numeratus Johannes rex Bohemiæ. Abbatiam Pontis-frigidi in urbe condere Johanni *Louviat* & Pontiæ fundatoribus permisit anno 1322. Perfruitus ecclesia Metensi sub titulo electi & confirmati episcopi Metensis sex annis, abdicavit anno 1324, dum in Delphinatu, 1324.
quem pro nepote suo pupillo regebat, versaretur. Adhuc superstes ad annos 1325, 1326, & 1328, litteras dedit, in quibus omittitur titulus electi & confirmati Metensis.

LXXII. Ludovicus.

DE POICTIERS.

Pictaviensium comitum genere ortus Ludovicus, filius Aimari III Valentiniensis & Diensis comitis ex Polya seu Hippolyta a Burgundia, si famæ fides, tractandis armis quam gerendæ sacrorum curæ aptior fuit. Ineunte anno 1325 per antecessoris abdica- 1325.
tionem a Johanne XXII magno totius urbis Lingonensis gaudio ex cathedra Lingonensi ad Metensem transfertur. Marsallum accessit, donec ad jucundum ingressum omnia parata forent: tum solemniter urbem vigilia Purificationis B. Mariæ consulto subiit, ut magistratuum tredecim vocatorum electioni interesset. Tria castra duci Lotharingiæ & comiti Barri ab Henrico decessore oppignerata recuperavit, disjectisque Vici mœnibus erigendis magnas fecit impensas. Pacis compositioni inter archiepiscopum Trevirensem, regem Bohemiæ, ducem Lotharingiæ, comitem Barri ac Metenses oppidanos rogatus subscripsit hoc ipso anno 1325, quo ad fidem clientelarem ipsum Bohemiæ regem admisit. Gerendarum rerum curæ pertæsus, secessit in terram suam Montis-Ademari in Delphinatu, ubi, postquam castrum *de Pignerons* exstruxisset, vivendi

ANNI CHRISTI 1327. finem fecit anno 1327. De eo vide tom IV, col 618.

DE MONTEIL.

LXXIII. Ademarus.

Superioris ex matre nepos Ademarus,
Hugonis de Montilio filius, & Lamberti frater,
ex decano Tullensi & archidiacono Remensi
renunciatus est episcopus a summo pontifice
Johanne XXII anno 1327. Hic in urbem,
uti gesserat ejus avunculus, ingressus est ipso
die Purificationis beatæ Mariæ, ut tredecim
electioni præsideret, fideique sacramentum
ab illis acciperet. Eodem die pio accensus
desiderio superbum cathedralis ecclesiæ ædificium
perficiendi, communem unicuique
diœcesis ecclesiæ inscripsit epistolam, ad pecuniariam
subministrandam opem hortativam.
Vir qua bellicosus & jurium ecclesiæ defensor
acerrimus, ditionis suæ dominia invisere cogitavit.
Dum apud S. Naborem versaretur,
ex improviso a militum caterva, cui præerat
toparcha *de Rodmach*, circumventus est. Ille,
nec demisso animo, in eos erumpens, alios
profligat, cædit alios, & nonaginta nobiles
inter quos nobilem virum *d'Aigremont* comprehendit.
Contractis a decessoribus suis Laurentio
& Reginaldo obligationibus comiti
1328. Barrensi spopondit an. 1328 se satisfacturum,
eique castrum & castellaniam Confluentii oppigneravit.
Ad comitis ejusdem preces fundatam
in castro Brieii collegiatam S. Georgii
probavit anno 1331. Pravus in ecclesia collegiata
S. Theobaldi Metensis tunc vigebat usus:
canonici censuris devincti, licet absentes,
dummodo inter divina officia starent in claustro,
quotidianas distributiones sibi vindicabant
1330. & quidem fruebantur. Quem usum an. 1330
Ch. XLVIII, col. 413. abrogavit Ademarus, ac prohibuit ne ullus
canonicus anathemate percussus quidquam
perciperet, si prius legitimum judicem non
appellasset. Interea Metenses oppidani cleri
privilegia semper aversantes, de solvendis
decimis tulerunt decretum, statueruntque ut
laïci nullam præter jusjurandum debiti probationem
coram judicibus exhiberent, intorsis
multæ & exsilii minis in clericos, qui amplius
exigere vellent. Consensit Ademarus anno
1335. 1335 ut Johannes *de Sarbruche* castellum de
Commerceio in regis Franciæ manibus traderet,
fœderisque pactum fecit & ipse cum eodem
1337. principe an. 1337 mense Februario. Veniam
oppidanis Vici, qui ab illo defecerant, condonavit
& in gratiam recepit litteris datis
1344. an. 1344. Crebris longinquisque bellis modo
faustis, modo infaustis exagitatus fuit a Radulfo
Lotharingiæ duce, quæ eodem anno ad Johannis
Bohemiæ regis arbitrium composuit.
Haud multo post eidem duci quidquid juris
habebat in castrum vocatum *Durkestein*, in
perpetuum concessit possidendum. Clientelare
juramentum a Maria de Blesis, uxore Radulfi
ducis in Creciacensi prælio interfecti anno
1346, ducissa ac moderatrice Lotharingiæ,
accepit anno 1347 in Alteriacensi monasterio

A pro feudis ab episcopatu pendentibus. Verum
ubi eam ad præstandum homagium pro castro
vernacule dicto *Château-Salin* adigere voluit,
inde exorta est disceptatio gravissima, quæ
in apertum bellum abiit. Ducissa tamen,
accepta clade, pacem ab Ademaro poposcit
& obtinuit; quin etiam episcopo castrum
dissensionis causam vendidit ea conditione ut,
donec ille necessariam ad integram solutionem
pecuniam collegisset, pro pignore aliud castrum
traderet. Ubi consignata est pecunia, castrum
pretio comparatum noluit reddere, & alterum
a fundamentis destrui jussit. Delusus fuisse
B præsul indignatus, non tantum castrum Salinense,
sed & longe alia plurima ducatus
Lotharingiæ propugnacula a copiis suis funditus
deleri sategit. Ad novas pacis conditiones
accedere statuere partes, quibus nec diu stetit
ducissa. Illa enim coactos undique milites, qui
episcopalia dominia vastarent, ipsamque urbem
Metim obsiderent, deduxit in episcopatum.
Aliunde Metenses, abscessis hostibus, continuo
irrumpentes in Lotharingiam, accedentesque
usque Nanceium, suburbia cremarunt, ac
cædem & vastitatem ediderunt in agris, insignemque
reportarunt prope Mussipontum
C victoriam. Extincta tandem fuere omnia belli
semina anno 1351, agente ac procurante
Johanne Francorum rege Christianissimo. Ubi
inter ipsum regem & Eduardum regem Angliæ
pax composita fuisset, quindecim millia militum
agmen in Barrensem ducatum & in
Lotharingiam irruit. Mox Ademarus a Roberto
Barri duce rogatus, cum mille & sexcentorum
hominum turma ad ejus auxilium advolat.
Cum vero Metim reverteretur, milites ejus
a copiis Roberti multati ac spoliati fuerunt.
Is hac de re duci frustra conquestus, castrum
Confluentii obsedit, cepitque, depopulationemque
D agris ejus intulit. Restituta tamen est
inter eos concordia ea conditione, ut ex 77
millibus librarum turonensium, pro quibus
oppignerata quondam fuerant a Reginaldo
episcopo castra Confluentii & Condæi, viginti
millia pro redimendis iisdem castris
tantummodo solveret Ademarus. Tot bellorum
impensis ut subveniret, quam plurimas argenti
summas ei fuit opus mutuari. Plures itaque
possessiones pro pignore tradidit, videlicet
comitatum Castrensem, oppida Novi-villaris,
Longi-campi, Sareburgi & *Durquestain*. Carolum
E IV in Romanorum regem electum, at
nondum diademate redimitum, qua Bohemiæ
regem Metis magno honore excepit anno
ineunte 1354, itemque quatenus Imperatorem
longe majori pompa exeunte anno
1356; illicque in solemni principum conventu
bulla aurea publicata est. Ab eodem Imperatore
adhuc in urbe versante calendis Januarii
1357 consecutus est diploma de redigendis
ad obsequium habitatoribus Sareburgi, qui
imperio & tuitioni Bulgardi & Ulrici dominorum
de Vinstinga se submiserant. Litteras
jam ab illo adeptus erat Theodonis-villæ datas Ch. XLIX, col. 414.

ANNI CHRISTI

an. 1346 de confirmandis juribus, privilegiis
ac possessionibus ecclesiæ Metensis. Præter-
mittenda non est scripta ad eum & Johannem
Argentoratensem ab Innocentio VI papa epis-
tola de coitionibus contra sedem apostolicam,
ad quas dissolvendas hortatur eos anno circiter
1359. Quamplurimos feudatarios ex chartis
cancellariæ Vicensis ad clientelarem fidem
admisit, nempe Henricum *de Blammont* 1331;
Rollonem *de Felinx* & alios 1335; Johannem
de Aspero-monte & Johannem abbatem
Mauri-monasterii 1340; dominos *de Hen-*
zenberg 1341; Johannem de Joinvilla 1344;
1345. liberos Isembergi *de Heiss* 1345; Gaufridum
1346. de Aspero-monte 1346; quosdam alios 1347;
1347. Henricum *de Faucogneux*, Emichonem *de*
1348. *Burtzheim* & Verricum *de Brouille* 1348;
1349. Johannem *Bacal* ædilem Vici 1349; Wer-
1350. nerum *de Ber heim* 1350, quo quidem anno
Johanni *de Liechtenberg* præposito Argento-
ratensi, ejusque fratri Simoni Novum-villare
oppigneraſſe legitur; Conradum *de Vuiler*
1356. 1356; Olricum de Fenestrangiis, Henricum
de Guermangiis & Johannem dominum *de*
1359. *la Haut-Rebalpierre* 1359; Johannem de
1360. Aspero-monte dominum Confluentii 1360.
Hic ab ineunte episcopatu ecclesiæ cathedrali,
quæ jam pridem imperfecta manserat, absol-
vendæ serio cogitavit. Diversis etiam ecclesiis,
præsertim monasteriis S. Arnulfi, S. Vincentii,
S. Symphoriani & S. Petri eximias largitus
est immunitates, ea lege ut unumquodque belli
tempore quadrijuge plaustrum suppeditaret.
Cœnobio S. Naboris, inter cujus benefactores
præcipuos numeratus, concessit ecclesias parœ-
ciales *Bunga & Bidelstroff* anno 1332. Tria
fundavit anniversaria, quæ ab Innocentio VI
curavit confirmari. Sacellum SS. Sacramenti,
seu episcoporum condidit, instituitque quatuor
capellanos, qui illi deservirent. Post tot bella
totque labores novum vitæ suæ addidit splen-
dorem ex acta ipsius curis anno 1361 inter
Vinceslaum Bohemiæ regem vicinosque opti-
mates & toparchas fœderis pactione, qua pax
in tota regione solidata fuit. Exactis triginta
tribus annis & aliquot mensibus in episcopatu
1361. occubuit 12 Maii 1361, sepultus in capella
episcoporum cathedralis, quam condiderat,
ubi visitur etiam nunc ejus mausolæum &
hoc breve epitaphium: *Hic jacet venerandus
dominus Ademarius episcopus Metensis, qui obiit
anno M. CCCLXI, die XII Maii, cujus anima
requiescat in pace.*

LXXIV. Johannes.

DE VIENNE.

Illustri & antiqua gente Burgunda, cele-
bribus viris clarisque præsulibus secunda,
genitus Johannes, ex archiepiscopali sede
Vesontionensi ab Innocentio VI ad Metensem
traductus, urbem subiit ac possessionem accepit
mense Septembri 1361. Forma fuit eleganti,
placido ingenio & ad æquitatem propenso.
Prorsus ab armorum strepitu alienus, aliam
militarem non aggressus est expeditionem,

A quam diœcesim a prædonibus liberare. Cum
Theobaldo domino *de Blammont*, qui sub
Ademaro episcopo, atque etiam, vacante sede,
vices gubernatoris in episcopatu gesserat, ra-
tiones contulit, ac professus est decem millia
florenorum ei esse debita anno 1362. Dum 1362.
Vici versaretur, Magistratus Tredecim nun-
cupati, in episcopales ædes hostiliter ingressi,
fractis carceris foribus, fontem eduxerunt anno
1364. Qua de causa Johannes eodem anno 1364.
synodum generalem habuit, cui archidiaconi
simul & urbis curiones, qui de Tredecim
partibus erant, interesse detrectarunt. Alios
B itaque interdicto subjecit, aliosve censuris
constrinxit. Cum vero omnia, totius ergo
restinguendæ discordiæ, incassum esset peri-
clitatus, patruum suum cardinalem de Cluniaco
commendationem apud summum pontificem
rogavit; epistolam & ipse ad eum direxit
Metensibus sat injuriam: utpote qui illos vocat
homines sine fide, sine lege; ne quidem clero
parcit. Horum tamen defendendam duxit fa-
mam imperator Carolus IV, qui tunc Avenione
versabatur: fatus siquidem se nullibi reperisse
clerum divinis rebus obeundis attentiorem, nec
populum obsequentiorem, ac divino timore
C magis affectum. Porro Johannes ex epistola
summo pontifici inscripta nihil aliud sibi pro-
posuerat, quam ut ad alteram transferretur
ecclesiam. Equidem ad Basileensem sedem
proxime vacantem traductus fuit an. 1365. 1365.
Fatis concessit 13 Octobris 1382, Porentruti
sepultus.

LXXV. Theodericus.

DE BOPPART.

Satus vetusta & nobili familia de Boppardo,
Rhenensis tractus, Theodericus, Henrici Bayeri
baronis ex Lira *de Lasserie* filius, in litteris
Leodii educatus fuit. Primum in ecclesiis Wor-
D maciensi, Trevirensi sacerdotiis, nec non in
Moguntinensi cantoris dignitate est honestatus.
Ob venustatem & corporis elegantiam, cæte-
rasque animi dotes, ceu gerendis in rebus
industriam, linguarum peritiam & eruditionem,
Caroli IV imperatoris gratiam & fiduciam
aucupatus, ardua & secretiora imperii negotia
tractavit. Comparata sibi Innocentii VI summi
pontificis benevolentia, ab ipso datus est co-
adjutor Salamanno Wormaciensi episcopo, cui
mortuo successit, consecrationem a sedis apos-
tolicæ legato Coloniæ nactus. Omnibus sese
obtulit impavidus periculis, ut ecclesiæ suæ
E jura defenderet, alienatasque a decessore pos-
sessiones recuperaret. Imperatoris favore in
locum Johannis ad Basileensem ecclesiam tra-
ducti suffectus, possessionem accepit 1365,
postridie festi Omnium-sanctorum. Metensium
animos ut sibi conciliaret, intentas in illos
ab antecessore actiones perimendas annuit;
sed se in spe deceptum fuisse animadvertere
nec cunctatus est. Carolum imperatorem cum
militaribus turmis adeuntem in Italiam ad
reprimendos Barnabæ Mediolanensis conatus
est comitatus anno 1367, & cum maxima 1367.
laude

ANNI CHRISTI laude apud summos pontifices Urbanum V A
& Gregorium XI, aliosve principes obivit
legationes. Clam in oppidum Marsalli intro-
ductis militibus, Lotharingos, qui illud dolo
ceperant, facta magna cæde, expelli curavit
1369. anno 1369. Brabantiæ ducis in vinculis a
Juliacensi duce detenti libertatem obtinuit
1372. anno 1372. Petrum de Barro oppidanosque
Metenses jam pridem inter se discordes con-
ciliavit anno 1373. Pacis etiam autor fuit
initæ inter ducem Lotharingiæ & eosdem,
necnon inter ipsum principem & Trevirensem
archiepiscopum. Turmam Britonum & Laver-
nionum ad vastandas terras episcopatus paratam B
tam industrie tamque comiter tractavit, ut
illa, nec admisso damno, præsulis laudes præ-
dicans discesserit an. 1375. Interea Tredecim,
civesque Metenses clero molestias inferre non
cessabant. Quorum violentiam ut cohiberet
Chart. I, col. 415. Theodericus, illos anathemate plexuit, ur-
1373. bemque interdicto subjecit 20 Junii 1373,
nec censuras solvit nisi anno 1376, posita hac
conditione ut clerici ac religiosi exsules in
urbem revocarentur. Eodem anno ab Impe-
ratore missus, Gregorium X adiit, confirma-
tionem electionis Venceslai in Romanorum
regem petiturus. Sareburgum obsidione cinxit C
ut cogeret incolas ad solvendas certas obli-
gationes. Ecclesias monasterii S. Vincentii,
Franciscanorum, ac Cœlestinorum, quos in
urbe instituerat anno 1370 Bertrandus *le
Hungre*, vir eximiæ pietatis, consecravit.
1376. Magna etiam solemnitate hoc anno 1376
sacros celebravit ordines Sabbato ante Domi-
nicam Passionis. Dominica sequenti, facta in
monasterio S. Arnulfi Palmarum benedictione,
in cathedralem caput S. Stephani, quo nuper
ab imperatore Carolo donatus fuerat, in magna
populi supplicantis frequentia intulit. Anno
insequenti cum in majori S. Stephani ecclesia D
& in collegiata S. Salvatoris actum visitationis
vellet exercere, pertinacem repugnantiam ex-
pertus est a canonicis, quibus eam ob rem
religiosi & sanctimoniales in publicis suppliciis
non modo se adjungere detrectarunt, verum
& illis ecclesiarum suarum portas occluserunt.
1378. Anno 1378 sacrum cardinalium collegium,
duas in partes divisum, in sedem Romanam
duos evexit pontifices, Urbanum VI & Cle-
mentem VII. Metas a Clemente directus
cardinalis de Acrifolio, conventum cleri-
corum & laïcorum in ædibus episcopalibus E
habuit anno 1379, ultima die Junii, in quo
exhibitum est Clementi obsequium. Statuta
capitulo idem cardinalis præscripsit, nume-
rumque canonicatuum ac præbendarum jussu
papæ ad ipsius capituli preces imminuit. Cle-
mentis partes secuti sunt episcopi Metensis,
Tullensis, & Virdunensis totusque eorum clerus.
Solus repertus est Bertrandus, alumnus ordinis
sancti Dominici, episcopus Thefelicensis in
Armenia, Metensis suffraganeus, vir eximiæ
sanctitatis, qui obsistere ausus sit. Hic Con-
fluentiam ad Cunonem *de Falkenstein* archi-

episcopum Trevirensem, Urbani VI partibus ANNI CHRISTI
addictissimum, se recepit; unde non nisi anno
1380, die 2 Maii, in legatorum regis Roma-
norum comitatu reversus est. Eodem anno
Theodericus monachis prioratus S. Christo-
phori prope oppidum Vici, quem funditus
subverterat, ne duces Lotharingiæ & Barri,
flagrante bello, ædificiis ad oppugnandum
idem oppidum uterentur, tribuit in ipsa civitate
ædes quondam conditas pro sanctimonialibus
ordinis S. Francisci. Ditionis suæ terras ut
tutaretur adversus hostes, innumera aggressus
est opera. Apud Nomeneium construxit cas-
trum, quasi totius Lotharingiæ speculam: apud
Vicum instruxit castrum turribus, fossatisque
cinxit. Castrum Rembervillarense crematum,
Sarburgense jam pridem deletum & Hambur-
gense instauravit, novisque auxit ædificiis.
Medium-vicum circumdedit mœnibus; cas-
trum etiam de Gardia a decessoribus oppigne-
ratum redemit, aliaque plura vel recuperavit
vel acquisivit. In gratiam Carmelitarum fun-
davit ac struxit conventum Baccarati. Ad
tantos obeundos labores nec sufficientibus
proventibus, pecuniam mutuari, pluraque
dominia pignerari opus ei fuit: imo quidem
majori ædili ac Tredecim ad tempus jus
cudendæ monetæ obligavit. Servantur in can-
cellaria Vici quamplurima acta fidei cliente-
laris, quam illi præstiterunt feudatarii epis-
copatus, videlicet Theobaldus *de Schonemberg*
1369, Liebaldus *de Ruppes* 1371, Henricus
de Guermangiis 1373, alii quamplurimi 1376,
Venceslaus rex Bohemiæ, & Margarita *de
Blammont* 1377, Petrus de Barro, Johannes
& Radulfus de Guermangiis 1378, abbas
Mauri-monasterii 1379, Henricus comes *de* 1379.
Lutzelstein 1380, quo quidem anno die Martis 1380.
ante festum S. Thomæ inter ipsum Theode-
ricum episcopum & Jacobum *de Liechtemberg*
facta est compositio. Philippus comes Nassovii
fidem etiam præstitit 1383. Proventus suos
Theodericus impendit construendis ædificiis,
defendendo gregi suo, procurandæ paci patriæ,
sontibus puniendis, spargendisque eleemosynis.
Postquam episcopalia Metis rite ac laudabiliter
obiisset munia per 18 annos, decubuit anno
1383. Sepultus in capella Ademari ad lævam 1383.
cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendus in
Christo pater ac dominus Theodericus de Bo-
pardia episcopus Metensis, qui obiit anno Domini
millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, decimo
quinto calendas Februarii, cujus anima requiescat
in pace.* De eo vide tom. V, col. 682.

LXXVI. B. PETRUS.

DE LUXEMBOURG.

Natus est Petrus 20 Julii 1369 in castro
Linei diœcesis Tullensis & ducatus Barrensis
Guidone comite S. Pauli & Mathilde Castil-
lonæa parentibus. Fratres habuit Valeranum
Franciæ Conestabilem, Johannem dominum
de Beaurevoir, & Andræam futurum Came-
racensem episcopum; sorores vero Margaritam,
Mariam & Johannam. Matri suæ admodum

ANNI CHRISTI carus, ab ipsa lactatus est, eamque fatis ereptam perdidit tres tantummodo natus annos. Fuit ei ceu mater domina Johanna comitissa *d'Orgieres* amita, quæ sedulo institutioni ejus invigilavit. Fama est illum jam a sexenni ætate pepetuæ continentiæ votum emisisse, ac sorori suæ Johannæ duodecimum annum agenti virginitatem Deo vovere persuasisse. Quod & illa revera gessit Avenione in monasterio tertii ordinis S. Francisci. Parisios missus Petrus ut sacris litteris operam navaret, miros quoad decennem ætatem fecit progressus, adeptusque est canonicatum in Parisiensi ecclesia. Novem menses, intermissis studiis, obses Calesii mansit, donec Valeranus frater ejus natu major redux ex Anglia anno 1380, ubi detentus fuerat captivus, redemptionis suæ pretium collegisset. Archidiaconi Drocensis munere donatus in Carnotensi ecclesia anno ætatis duodecimo, illud fratri suo Andreæ transcripsit. Tandem ad Metenses infulas ineunte anno 1383 a Clemente VII, Urbani VI competitore evehitur, necdum decimum quintum annum adeptus. Tantum onus cum tremore suspiciens, gregis sui curam suscipere maturavit, ingressusque est Metas mense Martio in comitatu Valerani fratris, comitis S. Pauli, vectus asello, nudisque pedibus, ad exemplum Salvatoris, qui sic Jerosolymam ingredi voluerat. Vix possessionem acceperat, cum rite æque ac religiose obeundo muneri suo totum se dedit. Diœcesis cum Bertrando suffraganeo visitationem aggressus, sapientia se gessit ætati superiore. Proventus suos tres in partes divisit, primam destinatam instaurandis ac decorandis ecclesiis, secundam alendis sublevandisque pauperibus, orphanis & viduis, tertiam suis
1384. propriis necessitatibus. Ad annum 1384 Vencesslaus Romanorum & Bohemiæ rex Luxemburgum est advectus, quem quatuor ex urbis Metensis primoribus deputati honoris ac sedandarum quarumdam dissensionum gratia convenere. Non multo post hic princeps Metas accessit fidei juramentum ab oppidanis accepturus, quos ad præstitam Clementi VII fidem ejurandam, & ad suscipiendas Urbani VI partes compulit. Illi in proposito steterunt inconcussi, nec a rege præsentatum Thiellemannum *Bousse* in Petri episcopi locum sufficere voluerunt. Ineunte anno 1385 visum est ipsis designare commissarios, qui Tredecim eligerent, sub eo prætextu quod Petrus ante ætatem a sacris canonibus præstitutam ad episcopatum promotus, nec magistratus urbis creare, nec ab illis jusjurandum accipere posset. Valeranus comes S. Pauli, Petri germanus, episcopalis autoritatis ergo defendendæ, cum militibus urbi appropinquavit, civibusque denunciavit, ut nuper institutos Tredecim exauctorarent. Quod cum facere detrectassent, depopulationem agris intulit. Inter hæc Clemens VII de juvenis prælati insigni pietate certior factus, illum in sacrum collegium cardinalium sub titulo sancti Georgii ad velum

A aureum adscripsit anno 1385. Is ad ipsius pontificis invitationem, Avenionem se conferre constituit, acceptis a Christianissimo rege ad itineris impensas duobus millibus librarum 24 Aprilis 1386. Dum ille abesset, comes Valeranus ejus frater oppidanos assiduo bello exagitabat, nec pacem nisi durissimis hisce conditionibus voluit concedere: nimirum factas sine præsulis consensu electiones irritas habendi, non alias quam ejus jussu celebrandi, pro uniuscujusque captivi redemtione viginti florenos solvendi, deputatos Avenionem ad cardinalem veniam rogaturos mittendi, & tandem
B quatuor millia florenorum ad belli sumptus ipsi Valerano numerandi. Verumtamen pius cardinalis in curia pontificia non aliter se exercebat, quam in excolendis præstantissimis virtutibus, præsertim insigni modestia, summa humilitate, singulari in pauperes studio ac caritate, tantisque austeritatibus, ut summus pontifex temperandas duxerit. Delapsus in morbum, Villam-novam prope Avenionem majoris quietis gratia est deportatus, suumque condidit testamentum penultima die Junii 1387. Suam elegit sepulturam in cœmeterio pauperum S. Michaëlis Avenionensis, sine
C alia honoris nota, quam arcu lapideo, super sepulcrum paucis impensis erigendo. Assignatis ecclesiæ Metensi pro anniversario centum florenis, unicuique religiosorum mendicantium conventui decem, institutisque heredibus Johanne, Andrea & Johanna germanis, sancte devixit Villæ-novæ die 2 Julii 1387, annum agens 18, duodeviginti diebus minus, humatusque est, ut jusserat, in cœmeterio sancti Michaëlis: quo in loco Christianissimus rex Carolus VI condidit monasterium Cœlestinorum, procurante Clemente papa, qui & ipse ibidem est sepultus. Primum ecclesiæ
D lapidem, a cardinale Petro Fuxensi ordinis Franciscani benedictum, imposuere nomine Caroli VI regis duces Aurelianensis, Bituricensis & Burgundus. Sancti præsulis canonisationem idem rex sollicitavit apud præcitatum papam Clementem, qui designavit commissarios de ejus vita ac miraculis inquisituros, nec tamen tulit decisionem. Tantummodo licitum est post ejus mortem ædiculam ad ipsius tumulum construere, ad quam populus libere accederet, ejus intercessionem apud Deum imploraturus. Tametsi sanctus cardinalis quamplurima patrasset miracula, beati-
E ficationis ejus decretum non nisi anno 1527, 4 Aprilis, vulgatum fuit: sed canonisatio necdum sortita est effectum, forsitan quod hic beatus secutus fuerit partes Clementis VII, qui tunc temporis de summo pontificatu cum Urbano VI contendebat. An bene, an male in ea occasione se gesserit, solius est ecclesiæ hanc quæstionem solvere. Quædam scripsit opuscula, in primis prosam devotissimam sub forma litaniarum in honorem plurium Sanctorum; libellum Johannæ sorori suæ inscriptum de relinquendis seculi vanitatibus; quam

(Right margin: ANNI CHRISTI 1385. — 1386. — 1387.)

ANNI CHRISTI

plurimas etiam epiſtolas, quarum extat ſat ampla collectio. Corpus ejus a Franciſco cardinale Claromontano pontificis legato, permiſſu Clementis VII Medicæi papæ elevatum fuit, Petro Bardo Cœleſtinorum Franciæ provinciali præſente. Vide epiſtolam ducis Burgundiæ ad patres concilii Baſileenſis ſcriptam, Gazetum, Locrium in Hiſtor. Belgica eccleſiaſtica, Molanum Natal. ſanctor. Belgic. Miræum in faſtis Belg. Sanderum de cardinalibus, Additiones Victorelli & Ughelli ad Ciaconium, qui miraculis clarum vocat. Cæterum inter virtutes Petri, duæ præſertim emicuerunt, caritas in pauperes, quorum bonis eccleſiæ commendatis ſe vivere dictitabat, & caſtitas. Hos Andreæ Quercetani verſiculos juvat hic adſcribere:

Hoc colitur templo, legitur ſimul aurea virtus,
Clara Luxemburgi ſoboles, nitidiſſima merces
Orbis, & unus honos mortali corpore cœlum
Transfertur meritis Petrus, inter numina numen,
Annis mille denis ſepelitur, ſicque trecentis
His ſeptem jungens octoginta ſuper addes,
Et quinta Juli pollens virtutibus altis,
Aſſiduo populo veneratur quolibet anno.

LXXVII. Radulfus.

DE COUCY.

Romanorum rex Vinceſlaus, qui an. 1384 Metenſes jam incitaverat, ut præcedentis loco epiſcopum aſſumerent Thiellemannum *Bouſſe*, ſuas in ejuſdem gratiam nec felicioribus auſpiciis inſtigationes poſt cardinalis exceſſum renovavit an. 1387: enimvero Radulfus, præſidio ſuffultus, ut volunt, inclytæ familiæ Lotharingicæ, quam contingebat, in epiſcopale ſolium eſt evectus. Si quid duos inter contendentes actum fuerit, non liquet; ſed certum eſt Thiellemannum epiſcopi Metenſis titulum adhuc ſibi adſcripſiſſe annis 1393 & 1403. Porro Radulfus qui pio cardinali de Luxemburgo ſucceſſit ex actis conſiſtorialibus deſinente anno 1387, filius fuit Radulfi de Couciaco, toparcha de Monte-mirabili, & Johannæ Haricurianæ. Hic ante epiſcopatum Remenſis & Catalaunenſis canonicus, poſſeſſionem apprehendit in Epiphania Domini
1388. 1388, adſtantibus domino Couciaci, comitibus Blamontis, Salmenſi, Œnipontano, aliiſque plurimis proceribus. Cum nihil magis cordi haberet, quam epiſcopalia dominia recuperare, caſtrum & oppidum Homburgi, quod ſub pontificatu Theoderici *de Boppart* ab ejus parentibus invaſum fuerat, armis captum ditoni ſuæ ſubdidit acta compoſitione 18 Decembris ejuſdem anni 1388. Illis tamen quamdam repetentibus indemnitatem con-
1389. ceſſit inſequenti anno duo millia librarum.
1390. Nominatur anno 1390 calendis Maii cum Jacobo *de Vergy* in cartulario Camplitenſi, ubi ducem Lotharingiæ vocat cariſſimum & bene amatum conſanguineum. Eodem anno oppidanos Sarburgi ob rebellionem multavit

A tribus millibus librarum auri. Aliquibus poſt annis ut eos in officio contineret, medietatem civitatis Carolo II duci Lotharingiæ pigneravit pro viginti millibus librarum. Cum eodem duce & Frederico Argentoratenſi epiſcopo fœderis pactionem icit adverſus Henricum Bayerium de Boppardo 1391 exeunte 1391.
Decembri. Pacem hoc anno inter urbem Metenſem & comitem Valeranum de Luxemburgo conciliavit. Munificentiæ ſuæ inſignia anno 1393 exhibuit monaſterio S. Naboris. 1393.
Præfato duci Lotharingiæ, cui jam medietatem urbis ac caſtellaniæ Rembervillaris, totiuſque
B banni Spinalenſis pro quadam ſumma obligaverat, partem alterius medietatis oppigneravit anno 1395. Pagum vernacule dictum 1395.
Ars ob indigenarum rebellionem, frumento vinoque ablatis, ſuccendit anno 1400. Diſ- 1400.
ſenſiones & bella, quæ cum Henrico comite Blamontis habuerat, diremit anno 1402. 1402.
Metenſem urbem ut ſalvam & incolumem a plurimis vicinis optimatibus, a quibus indictum fuerat bellum, præſtaret, pactionem defenſionis cum duce Lotharingiæ iniit ad annum 1405, ex qua nulla penitus percepta 1405.
eſt utilitas. Seditioſa ſiquidem factio, vulgo
C nuncupata *la Jacquerie*, in urbe hoc anno commota, eam pene ad exitium præcipitavit. Plebs concitata in magiſtratus & primores, alios in carcerem truſit, alios fugavit, quin & unum capite damnavit. Autoritas penes hanc effrænam multitudinem manſit abhinc die 25 Junii 1405 uſque ad diem Aſcenſionis anni ſequentis: per quem annum illa ad certamen provocata a toparchis vicinis 24 Novembris ipſius anni 1405, armorum aleam quamvis ſine ducibus auſa eſt periclitari, moxque temeritatis ſuæ ſenſit effectus: nam una pars occiſa eſt, altera comprehenſa. At-
D tamen magiſtratus in urbem reverſi ſunt, ac juſſerunt aquis ſubmergendos triginta ſex nocentiores. Compertum habemus ex litteris Ludovici Aurelianenſis ducis, Franciæ regni inter morbum Caroli VI regis adminiſtri, quoſdam oppidanos Metenſes ob damna quæ urbi ſupervenerant ex bellis, ejuſdem urbis dominium ſub certis conditionibus ipſi duci Aurelianenſi ſimulque duci Barrenſi obtuliſſe. Acceptæ ſunt conditiones 9 Februarii 1407, 1407.
ſed effectum non ſortitæ. Eodem anno inter Radulfum epiſcopum, Carolum ducem Lotha-
E ringiæ & Robertum Barri ducem confecta eſt pactio de eripiendo Friderico comiti *de Moers* comitatu Sarverdenſi, feudo ab eccleſia Metenſi dependente, quod ille poſt Henrici comitis obitum invaſerat. Qua expeditione abſoluta, comes pro comitatus parte pretio comparata adactus eſt clientelare juramentum præſtare. Unionis fœdus pactus eſt Radulfus anno 1411 cum Carolo duce Lotharingiæ, 1411.
Roberto duce Barri, Eduardo marchione Muſſiponti, majori ædile, Tredecim, ac communia Metenſi. Cum continuorum bellorum rerumque aliarum gerendarum ſumptibus vix

ANNI CHRISTI sufficerent proventus, non tantum amplas fecit mutuationes, sed & magnam dominiorum partem quamplurimis viris obligavit. Et vero medietatem urbis & castri Homburgi, oppidi S. Naboris, civitatem Nomeneii, tertiam partem castri & castellaniæ Friburgi, quartam partem castri & castellaniæ Luceburgi pigneravit duci
1413. Lotharingiæ. Eumdem principem an. 1413 sibi socium adjunxit in plurium aliorum dominiorum medietate. Hoc quidem anno cum Johanne de Novo-castro domino de Monte-acuto pepigit pacem, confirmavitque electionem Wirici abbatis Bozonis-villæ. Juxta cancellariæ Vicensis acta ad fidei clientelaris præstationem admisit Robertum ducem Barri 1390; Amedeum *de Sarbruche* 1400; Henricum de Fenestrangiis 1401, 1404; Johannem de Crehengiis 1402, 1408; Ludovicum *de Lichtemberg* 1404, 1405; Philippum *de Beffroimont* 1405; Philippum comitem Nassovii 1413. Dum ille Constantiensi concilio adforet, ad Noviomensem sedem a Johanne papa XXIII trans-
1415. latus est ineunte anno 1415, ubi diem clausit extremum die 17 Martii 1424, uti dictum est tom. IX, col. 1020.

LXXVIII. CONRADUS.

BAYER DE BOPPART. Egregio genere de Boppardo ad Rhenum ortus Conradus, parentes habuit Conradum dominum *de Château-Brehain* & Mariam *de Paroye*. Constantiensi concilio intererat, ubi promotus est ad Metenses infulas anno 1315; eodemque anno Petrum *Bayer* fratrem suum pincernam & Johannem nepotem majorem armigerum creavit. Facto solemni in-
1416. gressu anno 1416 Dominica ante festum S. Johannis-Baptistæ, maximis honoribus acceptus est, vir sane tam animi quam corporis dotibus commendabilis. Raimundi Gorziensis abbatis electionem eodem anno probavit. Quietem ac tranquillitatem ut in arvis constabiliret, cœpit ab insequendis acriter prædonibus, quorum multos suspendere jussit, duobus eorum latibulis interceptis. Ad eumdem annum 1416 cum Margarita *de Cherisy* abbatissa sancti Petri, cujus faverat electioni, dissidium habuit, propterea quod illa tantummodo abbatialem benedictionem, non vero confirmationem ab eo accipere contenderet. Quas in eam vibravit censuras officialis Metensis, ad cujus tribunal est citata, Lotharingiæ ducis rogatu mox solvit Conradus. Concilii Constantiensis decretum ut patraret, Treviris accersivit Johannem *Rode* abbatem S. Mathiæ ad reformanda monasteria ordinis sancti Benedicti in urbe Metensi. Ad meliorem frugem se recipere haud abnuere monachi; verum reformationi suæ operam & ipsi soli dare voluerunt, hac de re impetrata a Martino V pontifice bulla. Externos hostes in moderatione continendi, grassatoribusque metum incutiendi gratia, cum principibus vicinis fœderis icit pactiones, scilicet anno
1418. 1418 cum Ludovico cardinale duce Barri,
1421. cum Guillelmo Argentoratensi episcopo 1421,

A atque cum Carolo II duce Lotharingiæ anno 1422. Cum abalienata dominia recipere & æs alienum dissolvere flagrantissime cuperet, bullam a Martino V assecutus est anno 1424 1424.
de exigendis a clero duodecim millibus florenorum, quos nonnulli solvere detrectarunt. Eodem anno una cum Argentoratensi episcopo filium Renati ab Andegavia ex Isabella a Lotharingia uxore genitum e sacro fonte suscepit. Ad annum 1427 gravissimum exortum 1427.
est de levissima causa bellum inter Lotharingiæ ducem ac Metenses oppidanos: abbas siquidem sancti Martini prope Metas, ultra Mosellam
B paucos fructus horti sui in urbanam domum transmisit. Ducis exactores, sub cujus ditione monasterium & pagus S. Martini versabatur, quoddam repetiere vectigal. Ædiles urbis id privilegiis & immunitatibus suis contrarium esse rati, prohibuere ne quicquam solveretur. Unde innumeræ calamitates, quæ monasterii totiusque pagi S. Martini excidium ac ruinam genuerunt, & omni regioni infandum importarunt damnum. Agente tamen Conrado ac precante, pactæ sunt induciæ, quibus successit pax 1 Januarii 1430. Paulo ante cum Jacobo *de Sierck* nepote suo in Trevi-
C rensem archiepiscopum nuper electo Romam profectus, ipsius causam defendendi gratia, res nec prospere processit; nam & Jacobi & Udalrici *de Manderscheit* ejus æmuli a Martino V est improbata electio. Vix Metas est reversus sub finem Julii 1430, cum adiit 1430.
ducem Lotharingiæ, apud eum expostulaturus de violatione conditionum pacis. Anno in- 1431.
sequenti, defuncto duce, integram compositionis exsecutionem a Margarita ducissa ejus vidua consecutus est. Jam pridem episcopale jugum ægre ferebant indigenæ Spinalenses, & quidem e suis quatuor elegerant, qui urbem
D administrarent. Hos anathemate percussit Conradus, armisque coegit ad obtemperationem: sed rebellio mox recruduit ob tributum urbi impositum; quin & ipse cum famulatu pulsus est, ac paulo post summa in id oppidum auctoritate exutus. Auxiliares copias ad Renatum ab Andegavia de ducatu Lotharingiæ cum Antonio Vademontano comite dimicantem deduxit anno 1431. In Prælio commisso 2 Julii una cum Renato comprehensus ac Divionem abductus, suam recuperavit libertatem 4 Septembris, numerata magna pecuniæ
E summa. Dum Renatus Divione detineretur, ducissam Isabellam ejus uxorem non juvit tantum auxiliis, verum & anno 1432 Lug- 1432.
dunum de curanda conjugis libertate ipsam est comitatus. Alterum iter cum duce ipso Bruxellas suscepit anno 1436 de redemtionis pretio cum Burgundiæ duce acturus. Fœderis pactioni Metis inter plurimos principes & magnates anno 1433 initæ voluit adscribi. 1433.
Eodem anno numeratis quindecim millibus florenorum abalienata quamplurima ecclesiæ dominia tam a duce Lotharingiæ quam ab aliis optimatibus redemit. Castra Vici &

ANNI CHRISTI

Baccarati magnis ædificiis eximiisque auxit A
operibus. Conventum insignem Franciscanorum de Observantia construxit apud Vicum. Cœptas a Theoderico decessore & consanguineo in oppido Baccarati Carmelitarum ædes perfecit, & ecclesiam erexit a fundamentis. Splendidum ædificavit castrum Medii, ob magnificentiam vicinis toparchis invisum. Censibus & usuris exoneravit omnes ecclesiæ salinas. Tot ac tantas utilitates & commoda curavit ecclesiæ, ut merito non instaurator modo, sed & alter fundator possit haberi. Abbate S. Mathiæ Trevirensis comitatus, in exsecutionem decreti concilii Basileensis monasteria B
Benedictinorum invisit festo Conceptionis ejusdem anni 1433. Præsens & ipse eidem
1434. concilio 1434 vigilia S. Marci, una cum nonnullis aliis prælatis ortam de sessionum ordine controversiam dirimendi curam suscepit. Episcoporum Germaniæ Moguntinum archipræsulem, ut personaliter ad concilium accederet, rogantium epistolam obsignavit anno
1436. 1436 die 10 Januarii. Quam utillime Renato duci Lotharingiæ Commerceium obsidenti, pœnas a Roberto toparcha de vexationibus continuis causa repetendi, servivit hoc anno, mense Septembri. Opportunam Barrensibus C
præbuit opem, auxiliante quidem Ludovico de Haraucuria episcopo Virdunensi, adversus turmam militum totam Lotharingiam sub ductu nothi de Borbonio grassantium anno
1437. 1437. Actas hoc anno in urbe Metensi Ludicras & equestres exercitationes, piaque Dominicæ Passionis atque Martyrii S. Catharinæ spectacula cernere non est dedignatus: sed parum abfuit quin scena evaderet tragica, nam parochus S. Victoris, qui Christi in cruce pendentis personam agebat, neci prope fuit occumbere. Imperavit hoc anno diœcesanis parochis ne omnes, ut a majori archi- D
diacono convocati fuerant, sed duo tantum cum archipresbytero ad synodum convenirent. Nihilominus latam ab archidiacono excommunicationis subiere sententiam absentes, nec improbante Basileensi concilio, cujus mandato de solvendis censuris opus fuit. Tantam peritiam industriamve prælatus ille in maximis rebus gerendis habuit, ut dux Renatus nihil melius duxerit agendum, quam, dum in Italia jura sua in regnum Neapolis vindicaturus versaretur, Lotharingiæ administrationem ei committere. Renati desideriis apprime res- E
pondit; quippe qui novos Antonii Vademontani comitis conatus in Lotharingiam infregerit. Necessariis sumptibus ergo subveniendi, non adactus est modo mutuari, sed & de suo profundere. Creditoribus ut satisfaceret, levissimum provinciæ vectigal imposuit. Male informatus Renatus & ab assentatoribus deceptus, de comprehendendo episcopo dedit mandatum. Et quidem Conradus, dum Asmantiæ de rebus ducatus cum principis ministris acturus versaretur, ex improviso media nocte in somnis captus ac

ANNI CHRISTI

fere nudus, licet acre frigus esset, strigoso impositus equo, cum opprobriis ductus est in castrum Condæi, ac conjectus in turpem custodiam, ubi fumo præfocari periculum subiit. Dignissimus hic prælatus, qui longe diversam meruisset mercedem, actis in mœrore decem hebdomadibus, libertatem non recuperavit, nisi data debitæ sibi & creditoribus pecuniæ apocha, simul & obligata fide potestati ducis Renati oppida Nomeneii, Rembervillaris, Baccarati, Gardiæ, Condæi, omnesque recens receptas salinas tradendi. Quamvis de his injuriis non vindicasse dicatur, certum nihilominus est ipsum Lotharingis bellum gessisse annis 1439 & 1440, pacemque pepigisse 1439.
anno 1441; quo solutionis ergo summarum 1440.
sibi debitarum, accepit a ducissa Isabella viginti novem millia florenorum. Eodem anno ab Eugenio IV suse scriptum est clero
magistratibusque Metensibus, ut Basileense Chart. LI, col. 416.
concilium ac Felicis antipapæ partes ejurarent. Præfatæ Isabellæ ducissæ & Neapolis reginæ
arbitrio anno sequenti, laudante Frederico 1441.
toparcha de Blanmonte adversario, Conradus dirimendam commisit controversiam, duoque millia florenorum auri puri mutuo illi donavit ad Miræcurtis urbem a comite Vademontis ablatam recuperandam. Copias hoc anno ad castrum de Anceyo duxit, ut obesset quominus illud in potestatem turbæ errabundorum militum veniret. Sacellum episcoporum a consanguineo suo cœptum hoc etiam anno absolvit, ingentemque vim argenti canonicis sancti Theobaldi largitus est ea conditione, ut in perpetuum unaquaque die illic divinum cele-
brarent officium. Anno 1444, 12 Januarii 1444.
impii ac sacrilegi ecclesiasticis vestibus induti, per urbem incesserunt gestantes cruces, quorum unus episcopi personam fingens, vultum nigro colore pictum, vestesque luto ac sordibus respersas habebat. Nurembergam profectus est Conradus 15 Maii insequentis, indictis ab Imperatore comitiis adfuturus. Hoc etiam anno Metenses prævertendi causa consilia Renati ducis, qui Carolo VII Franciæ regi se adjunxerat ad urbem Metim in ditionem suam redigendam, quatuor suburbia cremarunt; tum ut penitus per copiarum discessum periculo se expedirent, regi præbuere ducenta millia nummorum aureorum, ac centum millia florenorum commodata duci condonarunt. Circa id tempus præsul noster ipsum Renatum Neapolitanum regem in Aquitaniam convenit, factaque cum illo reconciliatione, auxiliares copias adeptus est pro debellando toparcha *de Thuilieres*, cujus castrum incendit funditusque subvertit. Romam in comitatu nepotis sui Jacobi *de Sierk* archiepiscopi Trevirensis ivit
ad Jubilæum an. 1450. Sorores Pœnitentes 1450.
S. Magdalenæ locavit anno 1452 in vetusto 1452.
cœmeterio prope Cœlestinos, tradito earum conventu canonicis S. Theobaldi, quorum
ecclesia & ædes nuper subversæ fuerant. Nihil Chart. LII,
non movit ut villam & bannum de Spinalio, col. 424.

ANNI CHRISTI

quo fuerat exutus, recuperaret; quin etiam anno 1453 duobus suis nepotibus hujus rei tractandæ fecit potestatem. Innumera servantur in cancellaria Vici fidei clientelaris diversis temporibus ei præstitæ acta, quæ longius esset hic referre. Quantumvis ecclesiæ suæ rebus conservandis attentus fuerit, nihilosecius plurima oppigneravit dominia. Cum tamen ille se cerneret ætate gravem ac negotiorum pondere fatigatum, ex consensu & consilio capituli atque magnatum & nobilium illustrem
Char. LIII, col. 425. principem dominum Georgium marchionem Badensem, Coloniensem canonicum, in generalem coadjutorem in spiritalibus & tempo-
1457. ralibus assumpsit anno 1457, 5 mensis Octob.
1458. indict. v. Insequenti anno ob singulare studium in Conradum, Johannes Badensis Trevirensis archipræsul, ejusque fratres Carolus marchio Badensis, Marcus & Georgius ipsi Conrado polliciti sunt se opem præbituros in recipiendis dominiis abalienatis. Lapsus in morbum mense Martio 1459, ex oppido Vicensi se deportari jussit Metas ad Altam-petram apud nepotem suum Johannem *Bayer* majorem archidiaconum. Res suas omnes testamento legavit coadjutori, famulis suis, ecclesiæ ac pauperibus. Ultima vitæ suæ momenta exegit in continuis pœnitentiæ exercitiis; voluit, dum ægresceret, duos fratres Minores coram adesse præsentes; jussit etiam cuilibet ingredi cupienti ostium patere. Supremum diem meritissimus præsul
1459. obiit 20 Aprilis 1459; humatus in medio capellæ episcoporum. Suffraganeum habuit Johannem *Franqueloy* de Vico, Minoritam, episcopum Caurensem Romæ sacratum anno 1400, Metis defunctum 26 Martii 1452, ac sepultum in ecclesia Franciscanorum. Conradi ætate, anno scilicet 1429 in urbe stabiliti sunt a Johanne-Georgio *Baude* fratres Minores de Observantia, unde dicti sunt fratres Baudi. Duo ex illis, puta Johannes *Lyonnet* & quidam Guillelmus pias orationes in plateis publicis ad populum habuerunt. Unus ex auditoribus propositione fratris Guillelmi offensus, cum illum arguere ausus fuisset, vitæ periculum subiit. Qua de causa iste frater Guillelmus urbe pulsus est, & in temporis decursu fratres ejus sub delatione abbatis Freistorfii.

DE BADE.

LXXIX. GEORGIUS.

Creatus ab antecessore Conrado coadjutor Georgius anno 1457, ætatis suæ 24, necdum sacros ordines adeptus, licentiam a summo pontifice sub administratoris titulo ad usque vicesimum ætatis septimum fruendi obtinuit; quem cum attigisset, frueretur ut episcopus, nec aliis ei opus esset provisionibus. Eodem anno 28 Octobris inter Conradum & Georgii familiam acta est compositio complectens has conditiones, ut Georgius quamprimum Parisios idioma gallicum edocendus mitteretur, ubi per biennium cum degisset, tertiam omnium episcopatus proventuum partem acciperet;

A quin & si forte in Gallia moreretur, Marcus ejus frater, Coloniensis canonicus, illi succederet. Crastina die ab illa compositione, capitulum cathedralis non præbuit modo consensum, verum etiam fidem obstrinxit ad aliam electionem non procedendi si, necdum coadjutoris a summo pontifice probata electione, Conradi mors accideret. Insequenti anno Renatus rex Siciliæ ejusque filius Johannes Calabriæ dux affecti lætitia de Conradi erga Georgium propinquum eorum voluntate, scripto consenserunt terrarum ac dominiorum ab ipso Conrado ejusque antecessoribus sibi
B oppigneratorum restitutioni, miseruntque Romam Colardum de Lenoncuria atque Ferricum *de Savigny*, qui Georgii bullarum expeditioni instarent. Is filius fuit Jacobi marchionis Badensis & Catharinæ a Lotharingia, præstantissimis virtutibus ornatus. Anno 1458 mense Junio præ manibus coadjutoriæ bullas habens, in capitulo coram decano & canonicis stitit, ac jurejurando affirmavit se arces & castra restituturum, si post Conradi mortem alium eligere episcopum illis placeret. Tunc non prævidebat, ubi jam possessionem subiisset, nunquam in cujuscunque mentem venturum
C de episcopatu cum eo contendere. Nihilominus defuncto Conrado, tredecim canonici, quos inter Johannes *Bayer*, major archidiaconus & instigator, a patruo postpositus fuisse offensus, Olricum *de Blamont* canonicum, virum sane natalibus ac meritis egregium delegerunt. Summo pontifici Pio II, quem Mantuam Olricus mox adiit, clandestinam, nullam ac temerariam electionem denuntiare, censurisque electores subjicere visum est. Interim Georgius, dum Parisiis studiis totus incumberet, temporalium rerum fratribus suis Marco & Carolo,
D spiritalium vero decano & archidiaconis Marsalli & Sareburgi commisit administrationem. Jam possessionem per fratrem suum Marcum procuratorem quatuor post Conradi obitum mensibus acceperat: ipse vero jucundum ac solemnem ingressum fecit 27 Julii 1461. 1461.
Egressus e monasterio S. Arnulfi, ubi hospitio fuerat acceptus, urbem subiit in comitatu germanorum suorum Caroli marchionis Badensis, Johannis archiepiscopi Trevirensis, & Marci canonici Coloniensis, deducentibus honoris causa septingentis nobilibus viris. Superbo insidebat equo pluviali indutus pre-
E tiosissimo, cui uncinorum loco quatuor grandes adamantes erant fixi. Quam maximis plausibus & honoribus in urbem est admissus, donatusque quatuor bovibus, vervecibus sexaginta, magnis quatuor vini doliis, & a capitulo cratera argentea inaurata ponderis sex marcharum. Ille invicem ecclesiæ tradidit superbum id pluviale memoratum, auream Christi crucifixi figuram cruci pretiosissimis quatuor carbunculis instructæ affixam, copiosissimas etiam pauperibus distribuit eleemosynas. Aliquibus post mensibus opportunam dedit operam extinguendo inter Metenses & Barrensis ducatus

ANNI CHRISTI

indigenas bello. Insequenti anno in schismate A
Moguntinensis ecclesiæ partes suscepit Diétheri
d'Isembourg adversus Adolphum de Nassovio,
cui Pius II patrocinabatur. Sed Georgius
ejusque fœderati, Carolus marchio Badensis
& Udalricus Wirtembergensis, qui simul copias junxerant, in pugna a Friderico comite
Palatino capti sunt, nec sine magno pretio
Ch. LIV, col. 427. redemti. Tunc sub anathematis pœna Metensibus a summo pontifice auxilium Diethero
vetitum est impendere. Mandato pontificis
paruit episcopus, restiterunt oppidani, virosque
ecclesiasticos ad partes suas trahere voluerunt.
Inter clericos soli canonici cathedralis, juncti B
aliquibus e capitulis S. Salvatoris & S. Theobaldi, in debita apostolicæ sedi fide perstitere,
& eam ob rem duram a magistratibus passi
sunt persecutionem, a quibus atrocissimum
in eos latum fuit scitum. Canonici incolumi-
Ch. LV, col. 428. tatis gratia 15 Julii 1462 post sacrificium
1462. Missæ urbe excesserunt numero 24, ecclesiasticis induti vestibus, præcedente cruce, ac
Mussipontum se contulerunt, quotidianas illic
in ecclesia S. Antonii laudes Deo persolventes.
Epistolas ad omnes Europæ potentissimos principes direxere, rogantes tutelam contra suos
persecutores. Pius II ac post illum Paulus II C
Chart. LVI, col. 429. pontifices anathema in urbem vibrarunt. Grata
& officiosa dedere responsa imperator Fride-
Ch. LVIII, col. 430. ricus III, rex Christianissimus Ludovicus XI,
Ch. LIX, col. 432. Philippus dux Burgundiæ. Verum a Johanne
duce Lotharingiæ & Calabriæ Mussiponto
1463. pulsi, Vicum refugerunt anno 1463, 8
Novemb. Inter hæc Georgius suam omnem
ponere industriam in restituenda concordia;
sed & ipse anno 1465 acriter de re temporali
a civibus est exagitatus. Suas tamen nec remisit
curas, ac felici solertia pacificationem reduxit
acta compositione in monasterio S. Arnulfi
1466. ultima die Januarii 1466. Porro canonici D
ob exortas quasdam difficultates in urbem
1467. non nisi die 2 Maii 1467 ab episcopo deducti
redierunt. Crastina die Dominica dum Georgius divinis rebus interesset in cathedrali,
primores urbis ad eum accesserunt rogantes
absolutionem pro oppidanis, & abbates sancti
Arnulfi, S. Clementis & S. Martini pro clero.
Interea, fame, peste, fulmine & tempestate
urbs est afflictata. Pestis adeo sæva fuit, ut
inter quatuor menses quatuor hominum millia
sublati sint. Grando, ut rumor est, singulari
divinæ ultionis effectu, soli urbi intulit detrimentum. Nec ordines contulerunt, nec sacrum E
confecerunt oleum in urbe, ut moris erat,
Georgius ejusque suffraganeus Isembardus; imo
potius Nomeneii & Vici, ubi episcopalis curia
residebat. Annuum vectigal centum florenorum
& viginti quinque modiorum salis super salinis
Marsalli & Vici, a decessore suo Conrado
contractum, abbati Salinæ-vallis fidem solvendi
1468. dedit an. 1468, modo Salina, quam ab abbate
emerat ipse Conradus, communibus instauraretur impensis. Eodem anno bulla Pauli II data
15 Novembris vetitus fuit ne jurisdictionem

ANNI CHRISTI

exerceret in monachos & moniales S. Arnulfi,
S. Vincentii, S. Clementis, S. Symphoriani,
S. Glodesindis & S. Mariæ. Quam maximo
Spinalium recuperandi accensus desiderio,
Romam ivit anno 1469 mandatum a papa 1469.
petiturus, de Johanne duce Lotharingiæ ad
restitutionem cogendo. Nihil etiam apud Imperatorem non molitus est insequenti anno,
ut suum compleret votum; sed obitus ducis
Johannis intulit impedimentum. Fridericum
III imperatorem Metas anno 1473, 18 Sep- 1473.
tembris, ingredientem multis coluit honoribus.
Obviam ei processit veram crucem deferens, Charta LX,
omni clero pretiosis ornamentis induto stipatus; col. 433.
illumque, postquam Metensis ecclesiæ confirmasset privilegia, indicta apud Treviros
comitia habiturum est secutus. Eodem anno
cum Carolo Burgundiæ duce pactionem icit
de oppido Sareburgi, cujus incolæ anno præcedenti Nicolai ducis Calabriæ ditioni se subjecerant sub conditione æs alienum exsolvendi.
Per aliam hoc anno confectam eidem Burgundiæ duci permittit transitum copiarum per
omnes terras episcopatus, consentitque ut ille
redimat a duce Lotharingiæ Nomeneium,
Baccaratum, Hamburgum, sanctum Naborem,
aliosque locos, dummodo præbeat opem recipiendis oppido & castro Spinalii. Fundatam
in ecclesia parœciali de Fenestrangiis a Beatrice
d'Oigeville, Nicolao comite *de Moers* & Ferdinando *de Nuremberg*, Beatricis consanguineis,
collegiatam probavit anno 1475. Sedulas im- 1475.
pendit curas, crebraque aggressus est itinera
pro conciliandis nuptiis inter Mariam Burgundam & Maximilianum Austriæ archiducem.
Favore & gratia Friderici Cæsaris, tanti beneficii & aliorum memoris, designatus fuit ad
Ultrajectensem episcopatum, quo tamen non
est fruitus, morte interceptus ante bullarum
expeditionem. In peculiari codice inscribi jussit
omnes, quos ad fidem & homagium admisit.
Quantacunque usus fuerit œconomia, Nihilo-
secius oppidum Molini, aliasque res diversas
oppigneravit. Ædibus S. Symphoriani erectis
in territorio sancti Hilarii primarium posuit
lapidem 10 Maii 1481: tum ejusdem abbatiæ 1481.
cæterarumve tam virorum quam mulierum,
& omnium parœciarum urbis peregit visitationem ac statuta præscripsit. Quamvis frequenter externis magni momenti rebus abstractus, episcopalia munia nec prætermisit.
Tam recte, tam religiose ministerio functus
est, ut eum omnes sanctum haberent ac venerarentur, nec cuiquam dubium esset, quin
post mortem Sanctorum albo adscriberetur.
Fundatum fuit in urbe an. 1482, illo probante, 1482.
a Nicolaa *Geoffroy* pia muliere cœnobium
sanctimonialium *de Ave Maria*, ordinis sanctæ
Claræ, ac reformationis beatæ Colettæ. Post
viginti quinque regiminis annos Mediani occubuit 11 Octobris 1484, consecrationem 1484.
episcopalem nunquam assecutus. Corpus ejus
e monasterio sancti Arnulfi, quo asportatum
fuerat, illatum in cathedralem magno hominum

ANNI CHRISTI

concursu, ab Isembardo suffraganeo reconciliatum est in ipsius basilicæ choro.

DE LORRAINE.

LXXX. Henricus.

Filius Antonii comitis de Vaudemonte ex Maria Harcuriana Henricus, a puero ecclesiasticæ disciplinæ destinatus, jam tum duos habuit canonicatus, unum in ecclesia Tullensi, alterum in Metensi. Dum Parisiis litteris operam navaret, a capitulo Metensi annuam duodecim librarum pensionem e præbenda sua percipiendam obtinuit, donec studia absolvisset. Per translationem Davidis a Burgundia, Philippi Boni ducis filii naturalis, ad ecclesiam Ultrajectensem, ad Tarvanenses seu Morinenses infulas est promotus an. 1447, ac postulatus in Metensem episcopum 15 Octobris 1484. Priusquam a capitulo admitteretur sat graves expertus est difficultates tam a canonicis, quam ab oppidanis, utpote qui plurimum exoptarent Ulricum *de Blammont,* quondam a quibusdam canonicis jam electum, generisque Lotharingici principes reformidarent. Sed enim Renatus II Lotharingiæ dux, missis in urbem senescallo Barri ac ballivis Nanceii & Alemanniæ, protinusque collectis militibus, clerum ac populum coegit, ut in Henricum vota deferrent. Romam itaque transmissa est capituli postulatio, quatuorque canonici ad Henricum deputati, qui consensum simul atque
1485. jusjurandum acciperent. Asperrimas an. 1485 ad Innocentium VI detulit querelas de Tredecim magistratibus, qui contra juramentum ecclesiasticarum causarum cognitionem officiali detraxerant, ac sibimetipsis attribuerant. Res in pristinum usum revocandi; quin & ipsos magistratus, si parere detrectarent, censuris ecclesiasticis constringendi, Tullensi & Virdunensi officialibus a pontifice demandata est provincia. Plurimas possessiones urbi oppigneratas redemisse laudatur; at aliarum quondam a Johanne duce Lotharingiæ invasarum oblivionem finxisse vituperatus. Vicarii generales, illo sinente, observanda monachis ac sanctimonialibus præscripserunt an. 1499 statuta, de quibus ad apostolicam sedem est provocatum 9 Octobris. Jacobus *d'Amange* major archidiaconus, generalisque vicarius jam ab
1486. anno 1486 perficiendæ & decorandæ cathedrali ecclesiæ immensos sumptus impenderat; totum capitulum ad ejus exemplum, unusquisque pro facultatibus suis, operibus de suo conferre constituit 9 Augusti 1503. Episcopus numerandos singulis annis & quidem ab anno 1500 quingentos auri florenos est elargitus. Jam ætate gravis coadjutorem suum designavit Raimundum *Perraud,* cardinalem S. Mariænovæ, episcopum Santonensem, Viterbiensem, Novariensem, nec non Gurcensem. Quod ubi compertum fuit Renato II Lotharingiæ duci, nihil non tentavit ut Henricum induceret ad assumendum in coadjutorem filium suum principem Johannem, puerum tunc tres quatuorve annos natum; & vero propositum sibi finem obtinuit, promissis in compensationem cardinali abbatia S. Mansueti, majori decanatu & coadjutoria Tullensi, quibus tamen ille nequicquam fruitus est. Suum præbuit consensum Metense capitulum 3 Novemb. 1500, bullasque anno sequenti concessit summus pontifex, has continentes clausulas, scilicet ut Johannes episcopatus administrationem capesseret, ubi viginti septem annos attigisset, nec episcopus haberetur, ni viginti septem annos natus. Vult idem pontifex ut Henricus toto vitæ suæ cursu retineat administrationem cum facultate regressus, si acciderit ut ante illum Johannes moriatur. Si vero Henricus, Johanne viginti sex annos necdum adepto, occubuerit, jubetur ut administratio penes sit capitulum, quod tres in partes dividat proventus, primam destinatam redimendis bonis alienatis debitisque exsolvendis, secundam continuandis chori operibus, tertiam tandem principi Johanni educando. Cessit etiam in gratiam Antonii *de Croy* Tarvanensem episcopatum.
Testamentum condidit 16 Augusti 1495, 1495.
confirmatum 1496, & iterum probatum 18 1496.
Augusti 1503, quo largitus est ecclesiæ sancti 1503.
Laurentii de Joinvilla duo millia librarum pro missa quotidiana & anniversario, sex quoque millia nummorum aureorum pro mausolæo ædificando, ecclesiæ Tarvanensi duo millia librarum, decano & capitulo Metensi centum libras annui proventus, præter mille & quingentas libras pro anniversario, nec non mille florenos aureos pro comparandis ornamentis. Renatum regem Siciliæ ac Lotharingiæ ducem, nepotem suum, ejusque filium Antonium, quem e sacro fonte susceperat, suos instituit heredes. Post mansuetum regimen viginti & unius annorum, nec urbem unquam ingressus,
fato functus est 20 Octobris 1505 Joinvillæ, 1505.
ubi manere consueverat; ibidem in collegiata S. Laurentii conditus cum hoc epitaphio:

Nobile Phidiaca celatum hoc arte sepulcrum
Contegit Henrici condita membra solo
Qui Morinis præsul fuit & Metensibus olim,
Stirpe, opibus, fama, relligione micans.
Nobilitas clarum genus huic longa paternum,
Liligero ex sceptro matris origo fuit.
Omnia contempsit vulgo quæ magna putantur,
Numinis obsequiis deditus atherei.
Sobrius ipse suis dapibus refovebat egenos,
Cui pietate parem vix tulit ulla dies.
Testis egenorum pasta, vestitaque turba,
Et faciunt templis dona tributa fidem.
Heu miseri querulos terris nunc edite fletus,
Sæpe pater vobis jure vocatus obit.
Heu, heu! mors nostri tantum decus abstulit avi
Post sex atque decem lustra peracta sevi.
Annus erat supra quingentos, milleque quintus
Progenies ex quo cælica nata fuit.

Præstabatque

ANNI CHRISTI

Præstabatque suas Tithoni scorpius ædes,
Bis decima Octobris nempe erat orta dies,
Et sacra sydereo fundamus vota tonanti,
Donet ei solio semper adesse suo.

DE LORRAINE.

LXXXI. Johannes.

Intercepto fatis Henrico, capitulum juxta bullarum coadjutoriæ mentem, præstito in manibus Nicopoleos episcopi, suffraganei Metensis, juramento, administrationem suscepit, usque dum Johannes tunc tantummodo septem & medium annos natus, vicesimum ætatis annum attigisset. Tertia itaque proventuum episcopatus pars absolvendis choro & sacello sancti Nicolai, nec non conficiendis chori sedilibus est impensa, operibus sane quæ ne unum quidem seculum sine eo auxilio perfecisset. Interea extincta etiam est ditissima thesaurarii dignitas, ne extraneis, uti jam contigerat, manibus obveniret, communi mensæ attributis proventibus. Verum ut ad Johannem redeamus, hic Barri natus est 9 Aprilis 1498 ex Renato II duce Lotharingiæ & Philippa de Gueldria, quæ, seculi spretis honoribus & illecebris, Christo Mussiponti in monasterio S. Claræ se consecravit 15 Decembris 1519. In coadjutorem ab incunabulis ab Henrico decessore assumtus anno 1500, postulatus quidem est in episcopum
1517. Tullensem a capitulo an. 1517, & insequenti a Leone X cardinalium collegio sub titulo S. Onuphrii adscriptus, simul atque legati per totam Lotharingiam, Barrensem ducatum, tresque episcopatus munere honestatus, donatusque Tarvanensi episcopatu. Alias quam plurimas est assecutus sedes episcopales, Narbonensem anno 1520, Diensem & Valenti-
1521. nensem 1521, Virdunensem 1523, Lucio-
1523. nensem 1524, Remensem 1533, Albiensem
1524. 1536, Lugdunensem 1537, Aginnensem 1541, Nannetensem 1542. Quin etiam possedit abbatias Gorziæ, Fiscanni, Cluniaci, S. Audoeni, S. Mansueti, Majoris-monasterii. Quæ sane beneficia vix suffecere obeundis summis creberrimisque negotiationibus a Franciæ rege Francisco I commissis, sustinendis natalium & dignitatis honoribus, tribuendisque mercedibus viris doctis, quos & ipse litteratissimus singulari studio prosecutus est. Oppida Rambervillaris, Mediani & Baccarati, annuente capitulo, Antonio Lotharingiæ duci germano mox Romam profecturus, oppigneravit anno 1521 ad itineris impensas pro viginti quatuor millibus nummorum. Cum Metim venisset
1525. an. 1525, eam urbem factionibus Lutheranorum reperit commotam. Jam plures hæretici suas sparserant opiniones, in primis Johannes *Châtelain*, quem judices Vici flammis vivum tradiderunt anno eodem, 12 Januarii. Comitatum Sarverdensem, feudum masculinum juris
1527. ecclesiæ Metensis an. 1527 ad fidem & homagium fratri suo duci Antonio tradidit. Majorem vitæ suæ partem in curia Romana exegit, Christianissimi regis, cui fuit acceptissimus, gerendis negotiis distentus. Nepotem suum principem Nicolaum natum an. 1524 adlegit coadjutorem an. 1529, cui in nuptias con- 1529.
volanti substituit an. 1548 Carolum a Lotharingia Remensem archiepiscopum. Deputatus est an. 1536 ad Carolum V imperatorem a 1536.
rege Francisco I, paci inter eos consummandæ extremam manum appositurus. Pluries in Germaniam missus fuit, ut adforet comitiis de religionis rebus celebratis. Roma rediens in Galliam, apoplexia correptus Nivernis 10 Maii 1550 occubuit. Corpus ejus in Lotharingiam reportatum, conditum est Nanceii in ecclesia Franciscanorum.

DE LORRAINE.

LXXXII. Nicolaus.

Princeps Nicolaus, Antonii Lotharingiæ ducis ex Renata Borbonia filius genitus anno 1524, a patruo suo Johanne in coadjutorem est admissus anno 1529; addita tamen ea conditione ut cardinalis fructus, administrationem ac regressum reservaret, si morte principes Nicolaus præveniretur. Cum annum vicesimum attigisset, episcopi Metensis sibi titulum adscribere cœpit. Abbatiam S. Vitoni anno 1543 obtinuit in commendam, consecutus 1543.
quidem est 1544 ab ipso cardinale resigna- 1544.
tionem episcopatus Virdunensis. In litteris servatis in cartario cathedralis, quibus quoddam capitulo cedit terrenum, vocat se episcopum, vicarium perpetuum & irrevocabilem cardinalis Johannis, administratoris perpetui Metensis episcopatus. Confirmavit anno 1545, 1545.
27 Junii privilegia & possessiones Alteriacensis monasterii. Mediam partem dominii de Remerevilla oppigneravit anno 1546, quo 1546.
eximium cathedralis ædificium ad perfectionem deductum, a Johanne *Huot* Basilitano episcopo suffraganeo ingenti pompa & solemnitate consecratum fuit. Ratus princeps Nicolaus ad ecclesiasticam vitam a Deo se non vocatum, suis sese exuit beneficiis. Johanni cardinali patruo suo Metensem & Tullensem episcopatus, quos ille sibi servaverat via regressus, condonavit, simul ac S. Vitoni abbatiam principi Carolo Remensi archiepiscopo transcripsit an. 1548. Tum insequenti anno 1548.
dictus comes Vaudemontis & dux Mercorii, uxorem duxit Margaritam *d'Egmond.*

DE LORRAINE.

LXXXIII. Carolus I.

Cedente principe Nicolao, cardinalis Johannes a Lotharingia jure regressus iterum episcopatus in possessionem venit anno 1548, eodemque coadjutorem postulavit Carolum cardinalem Guisium, Claudii Guisiæ ducis & Antoniæ Borboniæ filium, Remensem archiepiscopum, cujus bullæ capitulo denunciatæ sunt 11 Aprilis. Frequentes illæ mutationes in causa fuere, cur non distingueretur quisnam verus esset episcopus. Et vero Carolus V imperator hac de re litteris inquisivit 19 Aprilis hujus anni ab urbis magistratibus, qui

ANNI CHRISTI 1550. responsum dedere Johannem cardinalem sancti Onuphrii in possessione versari. Anno 1550 mortuo Johanni patruo suo Carolus successit tam in episcopatu Metensi, cujus possessionem accepit 21 Junii, quam in abbatiis Cluniaci, Fiscanni & Majoris-monasterii, quibus adjunxit abbatiam Monasterii-novi; tumque cardinalis
1551. Lotharingi sibi nomen ascivit. Postero anno sequentis in gratiam se abdicavit, reservatis ad vitam proventibus, temporalium rerum administratione, & legati apostolici munere in Lotharingia & tribus episcopatibus. Pluribus stirpis suæ principibus diversa episcopatus dominia oppigneravit. Sub ejus administratione urbs Metensis in Christianissimorum regum ditionem est restituta. Quandiu vixit nihil pene nisi ejus jussu in diœcesi actum est. Obiit Avenione VII calend. Januarii 1574, sepultusque est in cathedrali ecclesia Remensi. De eo vide tom. IX, col. 148 & seqq.

LXXXIV. ROBERTUS II.

DE LENONCOURT.

Nobili genere in Lotharingia satus Robertus, doctrina, vitæ etiam, ut aiunt, sanctitate conspicuus, parentibus natus Theoderico *de Lenoncourt*, Vignorii toparcha, & Johanna *de Ville*, plurima sacerdotia, eoque pinguissima possedit, scilicet archiepiscopatus Ebredunensem, Arelatensem, Tolosanum; episcopatus Catalaunensem, Metensem & Autissiodorensem; abbatias Barbelli, S. Remigii Remensis, Trenorchii, Belli-loci Virdunensis, Belliprati Bellovacensis; prioratus Caritatis ad Ligerim, sancti Porciani Claromontensis. Ad Christianissimi regis Francisci I petitionem in sacrum cardinalium collegium a Paulo III admissus est 20 Decembris 1538. Metensem episcopatum obtinuit anno 1551 per resignationem Caroli cardinalis Lotharingi, qui temporalem administrationem, proventus, jusque regressus ad vitam suam reservavit. In urbem ingressus est cardinalis Lenoncurtus 8 Julii ejusdem anni in comitatu Philippi Lenoncurti Catalaunensis episcopi nepotis, ac Tussani *d'Hocedy* Tullensis; bullisque capitulo exhibitis, possessionem capessivit, adstantibus quamplurimis prælatis, toparchis & magnatibus. Is atque cardinalis Lotharingus, annuente capitulo, eodem anno principi Nicolao comiti Vaudemontis in feudum tradiderunt oppidum & castrum Nomeneii. Cum omni pontificali pompa, cæremonia hac abhinc octoginta sex annis nec oppidanis visa, hoc quidem anno sacra peregit in ecclesia cathedrali. Omnes Metensis ecclesiæ clientes ad generalia convocavit comitia, quæ Vici celebrata sunt anno
1552. 1552, 8 Januarii. Eodem anno mense Aprili Annæus Montmorencius equitum magister urbem in Christianissimi regis Henrici II redegit potestatem, adjuvante cardinale, ac civibus ne se tantis viribus opponerent persuadente. Quin & ipse rex in urbem ingressus 18 Aprilis, magnis quibus par erat honoribus acceptus est. Cum nec lubenti animo Carolus V imperator hanc urbem in Francorum regis ditionem redactam fuisse pateretur, eam armis occupare constituit. Sed licet ejus exercitus centum esset millium armatorum, suum non potuit exsequi consilium, soluta obsidione sub finem hujus anni, deperditaque magna sarcinæ militaris parte. Verum ne hostibus ullum esset perfugium, ante obsidionem subversa sunt suburbia, omnesque suburbanæ ecclesiæ, tam parœciales, quam abbatiales, antiqua ac veneranda religionis monumenta. Mox ut subdita est urbs, regis nomine consilium habuit cardinalis Lenoncurtus, populosque ad fidei juramentum admisit. Oppigneratum civibus a suis decessoribus cudendæ monetæ jus redemit 7 Octobris 1553, fabricandamque Vici voluit cum hac inscriptione: *In labore quies.* Tanta in regendi ratione usus est mansuetudine, benignitate & prudentia, ut vulgo Bonus Robertus diceretur. Sparso mortis ejus falso rumore usque Romam, ubi tunc versabatur cardinalis Lotharingus, is juris regressus virtute episcopatum recepit, ac transcripsit Francisco Belcario, iisdem conditionibus quibus Roberto cesserat. Quod ubi compertum habuit cardinalis Lenoncurtus, qui ob infirmitates obeundis episcopalibus muniis se sentiebat imparem, sponte abdicavit an. 1553. Fatis concessit an. 1561, 2 Februarii, sepultusque est in suo prioratu de Caritate; ejus ossa vel cremarunt vel in Ligerim projecerunt Calvinistæ. Ab æqualibus scriptoribus laudibus extollitur, ædesque episcopales traditur instaurasse ac decorasse. Vide tom. XII, col. 336.

Ch. LXI, col. 434. 1553.

LXXXV. FRANCISCUS.

DE BEAUCAIRE DE PEGUILLON.

Franciscus in Boiis familia nobili natus 15 Aprilis 1514, dominus *de la Cresse* & *de Chomieres*, Baro S. Desiderati, patruum habuit præstantissimum scriptorem, quem vocat Anlezium; eximiam & ipse ex animi fetibus sibi comparavit famam. Romæ versabatur cum cardinale Lotharingo, quem in omnibus itineribus comitari consueverat, ubi Lenoncurtum obiisse falso nunciatum est; in cujus locum se suffectum fuisse ipse sic testatur: Nos Lenoncurto quinquennio exacto, successimus propter varia negotia, tum propter infestam valetudinem, qua aliquot dies pro mortuo habitus est. Mense Novembri (anno 1555) addit ille, Paulus III me pontificatu 1555.
Metensi, cedente Lotharingo cardinale, donavit; ac cum illi gratias agerem, me mei officii admonendo, & commissum populum commendando, facunda in primis & satis prolixa oratione respondit, ut tam expeditam in homine sene, & in multis negotiis versato eloquentiam admirarer. Ad Metenses infulas iisdem conditionibus quibus Lenoncurtus elatus, is atque cardinalis Lotharingus catholicam religionem ergo conservandi, hæresimque extirpandi, civitatem, homines, vassallos, subjectos, jurisdictiones, jus monetæ, dignitates, privilegia, prærogativas, & quaslibet res ac

Ch. LXII, col. 435.

ANNI CHRISTI 1556. jura intra & extra, Christianissimo regi Henrico II in perpetuum concesserunt anno sequenti, idque probarunt eodem anno tam
Ch. LXIII, col. 436. canonici cathedralis, quam omnes magistratus.
Ch LXIV, col. 437. Synodum parochorum celebravit anno 1560,
1560. in qua contra hæreticos, qui jam civitatem & diœcesim plurimum infecerant, vehementer invectus est; pastoresque hortatus est, ut oves curis eorum creditas ab erroribus incolumes præstarent. Cardinalis Lotharingi comes interfuit concilio Tridentino, & coram patribus habuit orationem de victoria Drocensi anno
1562. 1562. Eodem motam de pluribus dominiis controversiam, arbitro ipso cardinale Carolo Lotharingo, cum Lotharingiæ duce composuit. Cum Neoterici concessis non starent modo, verum & ad ampliora contenderent, totius cleri cœtum coegit, in quo plurima querelarum capita condita fuere, quæ & ipse regi in Barrensi civitate tunc versanti exposuit
1564. an. 1564. Sacris operatus est eodem anno in cathedrali die festo Omnium sanctorum, de quorum veneratione disertam post meridiem ad populum dixit concionem. Die 22 Decembris insequentis, canonicis cathedralis in capitulo adstantibus, disertissime de morum correctione locutus est, & ad eorum preces indulsit, ut ob inopiam quam intulerant turbæ religionis, sex primæ vacantes præbendæ rescinderentur. Scriptæ sunt anno insequenti a
Ch. LXV. col. 438. rege Carolo IX litteræ ad dominum *d'Auzances* urbis præfectum ut satisfieret capitulo
1566. de quibusdam expostulationibus. Anno 1566 enixe ab illis est rogatus episcopus ut juxta decreta concilii Tridentini, cui ipse adsuerat, in urbe resideret, oves suas a rapacibus lupis tuiturus. Ille vero causari nullum in civitate domicilium sibi a cardinale traditum fuisse; cæterum se non improbaturum, si ea de re cardinalis admoneretur. Capitulum itaque deputatos ad cardinalem misit, qui exponerent quam opus esset episcopo, qui in urbe moraretur, eo præsertim tempore, quo Protestantes nihil non moliebantur, ut urbem & arcem occuparent, omnesque catholicos extermina-
1567. rent. Et quidem heterodoxi anno 1567 sub finem Octobris in clericos tantam commovere seditionem, ut hi fugam capere fuerint adacti. Inter has turbas a neotericis tam in civitate quam in diœcesi conflatas, Franciscus episcopus, pacis ac tranquillitatis amator, episcopatum Ludovico cardinali Guisio, annuente
1568. cardinale Lotharingo, transcripsit an. 1568; factusque per ipsius cardinalis Guisii resignationem abbas S. Germani Autissiodorensis, Rigniaci, S. Sigiranni & Branæ, in patriam suam secessit, ubi vitam in pietatis & studiorum exercitiis egit. Scripsit librum de infantibus in utero mortuis, & carmina varia, quæ recensentur prima parte collectionis Delitiarum poëtarum Gallorum illustrium; Commentarios adversus Calvinianorum dogma; Rerum Gallicarum commentarios, opus posthumum Lugduni editum, ex cujus libro 30 extremo annos 78 vixisse colligitur, cui inscriptus hic titulus, *Rerum Gallicarum commentarii ab anno Christi M. CCCCLXI ad annum M. DLXXX.* Decessit 14 Februarii 1591, annos natus 78, sepultusque est Audæ in Borbonio. Neptem habuit ex fratre Mariam Belcariam, reginæ Scotorum acceptissimam, quæ matrimonium ipsius promovit cum Sebastiano Luxemburgensi principe Martigii, ex antiqua & perillustri familia Luxemburgensi.

LXXXVI. Ludovicus. DE LORRAINE.

Claudii Guisiæ ducis & Antoniæ Borboniæ filius Ludovicus, germanus Caroli cardinalis, Trecensis episcopus creatus anno 1545, ad ecclesiam Albiensem traductus an. 1550, ad cardinalitiam dignitatem promovetur & ipse XI cal. Januarii 1553, dictus cardinalis Guisius. Præfectus quidem est an. 1560 metropolitanæ ecclesiæ Senonensi, quam in gratiam Francisci *de Pellevé* cessit an. 1562. Metensem episcopatum per cessionem Francisci consecutus est an. 1568, volente & consentiente cardinale Lotharingo ejus fratre, jusque regressus & temporalium rerum administrationem reservante. Possessionem per Nicolaum Psalmæum Virdunensem episcopum prehendit 5 Octobris ejusdem anni. Carolum IX Christianissimum regem in urbem ingredientem 23 Februarii anni insequentis cardinalis Lo- 1569.
tharingus Ludovici frater & administrator ex- Ch. LXVI, col. 438.
cepit, tamque industrie ac consulte se gessit, Ch. LXVII, col. 439.
ut princeps edictum tulerit de prohibendo in civitate alio religionis præterquam catholicæ exercitio. Cui tamen edicto aliquanto post quamdam eidem regi visum est afferre mitigationem licet integram ipsius edicti execu- Ch. LXVIII, col. 440.
tionem litteris ad canonicos cathedralis & urbis magistratus scriptis mense Octobri sustinere spopondisset. Verum post nefandam cædem S. Bartholomæi tam in urbe quam in tota diœcesi Protestantium interdicta est religio, seduloque vetuerunt gubernatores a curia missi, ne mandata regia perfringerentur. Suam necdum ecclesiam inviserat cardinalis Guisius, Metas itaque accessit anno 1571, 1571.
dieque 12 Aprilis ab omni clero solemniter deductus est in cathedralem, tum in capitulum, ubi privilegia ecclesiæ tuendi fidem obstrinxit, ac pauperibus quingentas distribuit libras. Eodem omnes salinas episcopatus, consentiente cardinali administratore, pro quadraginta quinque millibus librarum Barrensium & quadringentis modiis salis duci Lotharingiæ in feudum concessit, id probantibus majoris ecclesiæ canonicis 22 Octobris. Aliquanto post superbam capellam de crystallo, auro & argento instructam, duoque ditissima tapetia cathedrali a fratre suo administratore munere data obtulit. Sacris in basilica operatus anno 1573, feria quinta Majoris hebdomadæ, nonnullis suis clientibus nobilitatis indulsit litteras; bullamque de erigendis in feudum dominiis Homburgi & sancti Naboris in gratiam Henrici Guisii

ANNI CHRISTI

nepotis sui exhibuit canonicis cathedralis, quorum intercessionis nec ullam habuit rationem. Verumtamen prava in multorum animos irrepebant dogmata. Quibus malis occurrendi gratia, cardinali Lotharingo administratori visum est instituere Mussiponti Universitatem. Et quidem ea de re bullæ a Gregorio papa XIII
1572. concessæ sunt anno 1572. Universitatis hujus regimen commissum fuit patribus Jesuitis, qui in præceptoria sancti Antonii stabiliti, docu-
1574. mentum inchoarunt an. 1574 cum magno splendore ex doctissimis professoribus, quales fuere patres Maldonatus, Salmero, Sirmondus & alii. Eodem anno cardinali Carolo administratori mortuo parentatum est in ecclesia
1575. Metensi 15 Januarii insequentis anni, quo cardinalis Guisius, loco Francisci Guisii archiepiscopi Remensis, sacrum presbyteratus ordinem necdum adepti, regem Henricum III contra reclamationem Caroli *de Roucy* Suessionensis episcopi in ecclesia Remensi inauguravit XVII cal. Martii. Doctorem Antonium *Fournier* primicerium, Parisiis sub titulo episcopi Basi-
1576. litani consecratum 13 Maii 1576, adscivit sibi suffraganeum. Castellaniam vernacule dictam *Habondange* ballivo episcopatus oppigneravit
1577. an. 1577, annuentibus canonicis cathedralis, qui simul collaudarunt dominia Homburgi & S. Naboris in feudum erigenda. De abbatiis quas in commendam ille possedit diximus in archiepiscopis Senonensibus tom. XII, col. 94
1578. ubi vide. Parisiis mortuus 29 Martii 1578, annos 76 natus, in ecclesia monasterii sancti Victoris, cujus fuit abbas, ad lævam majoris altaris est humatus.

DE LORRAINE.

LXXXVII. Carolus II.

Nanceii Carolo III Lotharingiæ & Barri duce ex Claudia a Francia, Henrici II regis filia, genitus Carolus 1 Julii 1567, necdum septimum ætatis adeptus annum, a Gregorio XIII an. 1573 bullis est donatus de accessu ad Metensem episcopatum, ubi cardinales Lotharingus & Guisius de vita decessissent. Is natura præclaris ingenii & corporis dotibus exornatus, eximiam sibi paravit existimationem. Studiis Mussiponti, tum Parisiis operam dedit, provisusque est canonicatibus in ecclesiis Trevirensi, Moguntinensi, Coloniensi & Argentoratensi. Mortuo Ludovico cardinale Guisio, in possessionem adiit 18 Julii 1578, undecim tantummodo natus annos, episcopatus ob ipsius pueritiam Nicolao *Bousmard* Virdunensi præsuli, & ad capituli postulationem Johanni *Anetz* præcentori cathedralis, commissa administratione. Abbatias S. Victoris Parisiensis, Gorziæ, S. Michaëlis Virdunensis, & Belli-prati Tullensis possedit in commendam. Bullas a Sixto V de rebus temporalibus epis-
1585. copatus per se gerendis an. 1585 assecutus, eodem anno jucundum in urbem fecit ingressum. Seminarium in gratiam duodecim scholarium diœcesis Metensis, jam ab antecessore suo Carolo cardinale inchoatum Mussiponti erexit ac ditavit. Galerum cardinalitium a præcitato summo pontifice transmissum de manibus Nicolai *Bousmard* episcopi Virdunensis, ad hoc a papa delegati, suscepit 15
Februarii 1589 in ecclesia collegiata sancti 1589.
Georgii Nanceiensis, simulque bullas de ecclesia in spiritalibus gerenda, quas capitulo denun-
tiavit 17 Martii sequentis. Romam an. 1591 1591.
se contulit, cardinalis pileum accepturus, honestatusque est legati apostolici munere per totam Lotharingiam, litteras etiam obtinuit a pontifice de monasteriorum ordinum sancti Benedicti & S. Augustini reformatione, cui
sedulam impendit curam. Cooptatus an. 1592, 1592.
9 Junii a canonicis catholicis capituli Argentoratensis in episcopum, Johannem-Georgium Brandeburgicum æmulum, a canonicis protestantibus electum, post acre bellum evicit, uti videre est in Argentoratensibus episcopis
tom. V, col. 818. Eodem anno 23 Maii Ch. LXIX, col. 440.
Protestantes, quibus rex Henricus III an. 1585 die 23 Augusti omne religionis & cujuslibet muneris exercitium in urbe Metensi interdixerat, ab Henrico IV litteris regiis libertatem cultui suo indulgendi & muneribus persun-
gendi facultatem impetrarunt, rursus & alias Ch. LXX, col. 441.
de re eadem 12 Martii 1597 consimiles 1597.
obtinuere litteras. Qua usi sunt gratia ad usque 1685, annum abrogationis Nannetensis edicti.
Sub annum 1603 maximis in urbem acceptus 1603.
est honoribus idem rex Henricus magnus, cujus benignitatem ac tutelam senserunt oppidani contra præsidiarios præfectos, a quibus male fuerant habiti. Porro cardinalis infirma valetudine præpeditus, regendæ ecclesiæ doctissimis ac prudentibus viris Antonio *Fournier* suffraganeo ac primicerio, Nicolao *Viardin* theologo primatialis Nanceiensis vice-legato aliisque commiserat provinciam. Capucinorum & Minimorum in urbem introductioni favit, donisque eos affecit. Puellarem etiam conventum de Refugio conditum a Viardino vice-legato comprobavit. Quamplurimis aliis piis fundationibus de suis facultatibus contulit. Superba largitus est peripetasmata ecclesiæ suæ cathedrali. Ad Clementis VIII pontificis mandatum majoris ecclesiæ capitulum visitare
aggressus an. 1605. ob intercessionis causas 1605.
incœpto coactus est desistere. Eodem anno 16 Novembris ejus jussu in episcopalibus ædibus habita est synodus, cujus statuta canonici cathedralis publicare vetuerunt, propterea quod, illis inconsultis, condita fuissent. Querentibus iisdem canonicis quod, se etiam inconsultis, episcopales ministri res sat magni
momenti gessissent, eam anno 1607 con- 1607.
firmavit prærogativam, ut illi præsulis forent primi consiliarii. Duodecim abhinc vel circiter annis acutissimos patiebatur in artubus dolores, quos vulgaris credulitas veneficio tribuebat. Quantacunque a medicis adhibita sint remedia, nullum est expertus allevamentum, ne quidem a religiosis S. Ambrosii Mediolano emissis, qui in eum exorcismos proferrent.

ANNI CHRISTI

Paulo tamen quievere dolores, sed paralysi A
semper correptus fuit. Nanceii occubuit 24 Novemb. 1607, sepultus in primitiali ecclesia, cujus fuit primus primas, ac præcipuus fundator & benefactor.

D'ESCARS DE GIVRY.

LXXXVIII. ANNAS.

Natalium splendore illustri, ac præpotente episcopo, qui strenue & viriliter ecclesiæ jura possessionesque tutaretur, opus esse rati Metenses canonici, mox ut cardinalis Lotharingus e vivis exemptus est, inter se convenere ut Henricum Borbonium, Henrici magni Christianissimi regis filium naturalem, sex tantum- B
Ch. LXXI, col. 442. modo natum annos, postularent. Delegatos itaque miserunt ad ipsum regem, qui litteris grates capitulo persolvit 4 Decembris 1607. In junioris principis gratiam invicem rex & Metense capitulum scripsere summo pontifici, qui, nullo sollicitationum habito respectu, tantummodo juveni principi Henrico bullas ad episcopatum accessus & decem millia ducatorum pensionis indulsit, commissa spiritalium ac temporalium rerum administratione cardinali *de Givry*. Quamobrem anno 1608, 23
Ch. LXXIV, col. 443. Maii, a capitulo, procurante Henrico IV rege, Annas in episcopum est postulatus, & utriusque C
bullæ datæ mense Octobri anni ejusdem. Fuit ille filius Jacobi *de Peruse d'Escars* & Franciscæ de Longo-vico, sororis Claudii cardinalis *de Givry*, episcopi Lingonensis, ac germanus Caroli *d'Escars* Pictaviensis, tum Lingonensis episcopi, Parisiis natus 29 Martii 1546. Vix octavum ætatis annum adeptus erat, cum monachum induit in monasterio S. Benigni Divionensis, cujus postea abbas evasit, tum Pulteriarum, Molismi; & tandem Lexoviensis episcopus, per procuratorem iniit possessionem 28 Januarii 1585, uti dictum D
est tom. XI, col. 804. Creatus fuerat, dum Romæ degeret, cardinalis sub titulo sanctæ Susannæ anno 1596, inscio rege, cujus in offensam incurrit. Versabatur adhuc in eadem
1608. urbe an. 1608, ubi a capitulo Metensi in episcopum est postulatus. Eodem anno exeunte
1609. Parisios reversus est, & insequenti, mense Junio, Metas iter intendens, jucundum fecit ingressum 16 ipsius mensis. Postridie solemniter ab omni clero in cathedralem deductus, assuetum præstitit juramentum de omnibus juribus & privilegiis defendendis. Die sequenti, festo Sacratissimi Corporis Christi, E
cum pontificali pompa sacra celebravit. Ipso quidem anno 21 Novembris omnibus monas-
Ch. LXXV, col. 444. teriorum superioribus utriusque sexus jussit, ut intra quindecim dies omnia fundationum & privilegiorum instrumenta ei vel ejus secretario exhiberent. Post acceptam a vassallis fidem clientelarem, in synodo generali habita 21
1610. Aprilis 1610 eximia condidit statuta; consilium ecclesiasticum de spiritalibus regendis rebus instituit, in quo constitutum est ut Judæi semel hebdomada concioni in parœciali ecclesia S. Pauli adstarent, vetitumque ne Protestantes in ecclesiis cœmeteriisve Catholicorum sepelirentur. Breviarii Romani usum eodem anno 1610 introduxit in diœcesim. 1610.
Andreæ *Valladier* vicario generali utiliter servivit pro obtinenda abbatia S. Arnulfi. Inter turbas quibus agitata est hæc regni pars post mortem Henrici Magni regis secessit in castrum de Vico, ubi ædificari jussit capellam, in qua sacros conferret ordines. Actis ibidem in piis exercitationibus viginti aut circiter mensibus, animam Deo reddidit 19 Aprilis 1612. 1612.
Corpus ejus Metas revectum, in ecclesia cathedrali retro majus altare in capella sancti Maximini sepultum est, mortui laudes prosequente Andrea *Valladier* abbate S. Arnulfi. Erecto in ejus honorem ex marmore mausolæo inscribitur hoc epitaphium: *Piis manibus æternæ memoriæ, plorabili busto antistitis desideratissimi omni ævo retro dolendi Annæ* d'Escars *tit. S. Susannæ S. R. E. presbyteri cardinalis* de Givry *nuncupati, qui paterna indole, clara familia* d'Escars: *materna prosapia primæ Longoviorum nobilitatis egregia principum Aurelianensium consanguinitate, infælicissimo sæculo feliciter ecclesiæ datus, Parisiis editus, Divione in antiquissimo D. Benigni cænobio S. Benedicti disciplina institutus professusque, indidem abbas, tum Lexoviorum antistes electus, tota Gallia præclarus, Romæ perquam illustris, Metis amabilis, ubique stupenda lenitate, spectabili senio, rara pietate, innata gravitate mirabilis ac venerandus, regi percarus, pontifici maximo jucundissimus, omnibus æternum lamentabilis; ecclesiæ Metensis pontificatu simul & castissima vita perfunctus, vitam immortali gloria deproperatam oppetiit XIII cal. Maias an. ætatis LXVIII, sæculi vero Christiani supra millenum sexcentesimum duodecimo.*

DE BOURBON.

LXXXIX. HENRICUS.

Natus anno 1601 mense Octobri Henricus, marchio Vernolii, comes Balgenciaci, Silvanecti & Compendii, Henrici IV Christianissimi regis & Catharinæ-Henricæ *de Balsac* filius naturalis, ex virtute bullarum accessus, a summo pontifice Clemente VIII concessarum an. 1608, in prædecentis locum suffectus est an. 1612. Postulatus fuerat, ut supra diximus, qui cardinali Lotharingo succederet. Quod comprobatur ex epistolis Henrici Magni regis ad Metense capitulum, & ejusdem capituli ad ipsum regem. Ob teneram principis ætatem papa postulationem admittere noluit; verum bullas de accessu ad episcopatum indulsit, ubi contingeret ut cardinalis de Givriaco vel abdicaret vel moreretur. Et vero Henricus nec alias adeptus bullas, mortuum cardinalem excepit anno 1612. Castellaniam de Habundangia oppigneratam redemit anno 1619. 1619.
Litteris a Paulo V maximo pontifice est donatus de episcopatu administrando 1621, ac 1621.
suffraganeum assumpsit in spiritualibus Nicolaum *Coëffeteau*, Dardaniæ episcopum, postea Massiliensem præsulem. Quo etiam in munere

Ch. LXXI, col. 442. Ch. LXXII, col. 442. Ch. LXXIII, col. 443.

ANNI CHRISTI

successit Stephanus *Puget* Dardaniæ item præsul & Massiliæ, necnon Martinus *Meurisse*, ordinis Minorum theologus, Madaurensis episcopus,
1634. qui anno 1634 historiam Metensium episcoporum eidem principi Henrico præsuli dedicavit. Eadem suffraganei munia obivit Petrus *Bedacier* doctor theologus ordinis S. Benedicti, prior Gassicuriæ, consecratus titulo Augustensis antistitis Lutetiæ 18 Julii 1649 in abbatia S. Germani a Pratis a Victore *Bouthillier* archiepiscopo Turonensi, assistentibus Ægidio *Boutault* Ebroicensi & Claudio *Auvry* Constantiensi episcopis. Jam pridem ortodoxi cives Metenses cupiebant, ut collegium patribus Societatis Jesu regendum committeretur, & quidem cardinales Lotharingus & Guisius nihil non tentaverant, ut rem ad prosperum exitum deducerent; sed heterodoxorum factio moram & impedimentum afferre nec cessabat. Nihilominus princeps Henricus de ipsorum patrum introductione litteras patentes a rege Ludovico XIII obtinuit mense Martio 1622, epistolamque provinciali Societatis de eadem re scripsit die 8 Aprilis insequentis, nec non alteram episcopo Dardaniæ de immittenda in possessionem collegii societate Jesuitarum. Suprema Parlamenti curia in urbe ab ipso rege instituta fuit an. 1633. Sub Henrici præsulatu omnia pene urbis ac diœcesis monasteria ad pristinam disciplinam sunt revocata, videlicet S. Arnulfi, S. Clementis, S. Naboris, Longævillæ, Vergavillæ, S. Petri-montis, Salinævallis &c. Præterea stabilitæ moniales Carmelitæ, Visitationis & Congregationis S. Mariæ Metis; Capucini apud Vicum, Theodonis-villam, Sareburgum & Bitschium; Minimi apud Nomenium, Bassinum & Dieuzam; Dominicanæ apud Vicum; sorores S. Claræ apud Theodonis-villam; filiæ Congregationis apud Nomenium, Dieuzam & Bouchenonium, ibidemque collegium Societatis Jesu; Patres Congregationis S. Vitoni in ecclesia S. Barbaræ prope Metas; moniales Benedictinæ sub titulo sancti Antonii de Padua apud Montiniacum; Carmelitæ discalceati apud Metas; religiosæ S. Francisci seu D. Elisabethæ ab Hungaria; denique moniales Ursulanæ. Post mortem cardinalis Richelii a monachis sancti Arnulfi postulatus est abbas Henricus an. 1642; at biennio post de jure suo destitit. Fuit etiam abbas commendatarius S. Germani Parisiensis, Fiscanni, Vallium-Sernaii, Ursi-campi, sancti Taurini Ebroicensis, Boni-portus, Tironii, Valassiæ. Pietate sororis Alaidis *Clerginet*, quæ non tantum ad fidem catholicam quam multos egenos revocare satagebat, sed & illis ad vitam necessaria suppeditabat, commotus hic princeps, illi permisit domicilium in urbe constituere die 4 Maii 1645. Sacris ordinibus haud initiatus, episcopatum abdicavit anno 1652, cæteraque beneficia an. 1669, 12 Octobris, & uxorem duxit anno 1678, 29 Octobris Carolam *Seguier* viduam Maximiliani-Francisci *de Béthune* ducis Solliacensis. Regiorum

A ordinum eques torquatus, dux & par Franciæ, obiit in castro Vernolii 28 Martii 1682. Jacet in ecclesia Carmelitarum Pontisaræ, cor vero depositum in ecclesia S. Germani a Pratis apud Parisios.

XC. JULIUS.

MAZARIN.

Per abdicationem Henrici Borbonii postulatus a capitulo Julius cardinalis Mazarini, regni Franciæ administer, tametsi regio nominationis brevi suffultus, bullas a sede apostolica non potuit obtinere; sed virtute decreti Christianissimi regis possessionem est adeptus 29
B Novembris 1653. Natus anno 1602 in Abbrusia 14 Julii, ad Ludovici regis XIII petitionem ab Urbano VIII in ordinem cardinalium adscriptus fuit 16 Septembris 1641; abbas commendatarius S. Arnulfi, S. Vincentii, S. Clementis Metis, S. Dionysii in Francia, Corbeiæ, Cluniaci, S. Victoris Massiliensis, S. Medardi Suessionensis, S. Martini Laudunensis, S. Taurini Ebroicensis, S. Michaëlis in Eremo, Moissiaci, S. Luciani Bellovacensis. Cum perseveranter papa bullas concedere recusaret, de jure suo destitit cardinalis anno 1658. Occubuit 9 Martii 1661 in castro
C de Vincennis prope Parisios, annos 59 & menses 4 natus.

XCI. FRANCISCUS-EGON.

DE FURSTEMBERG.

Cedente cardinale Mazarini, postulatus est a capitulo 11 Decembris 1658 Franciscus-Egon, qui quidem cum non posset bullas adipisci, se abdicavit 17 Septembris 1663. Eodem anno 19 Januarii Argentoratensis episcopus electus fuerat, ut legere est tom. V, col. 820.

XCII. GUILLELMUS-EGON.

DE FURSTEMBERG.

D Post præcedentis cessionem, a capitulo Metensi ad fulcimen juris electionis episcopus postulatus est Guillelmus-Egon frater ejus 23 Septembris 1663, cui pariter summus pontifex bullas denegavit. Jus suum pro aliquibus abbatiis sequenti transcripsit; in sedem Argentinensem evectus est an. 1682. Vide tom. V. col. 820.

XCIII. GEORGIUS.

D'AUBUSSON DE LA FEUILLADE.

Georgius Ebredunensis archiepiscopus ab anno 1648, cujus præclara fit mentio tom. III, col. 1098, primus a Christianissimo rege
E Ludovico XIV virtute indulti, quod Clemens IX anno 1668 die 23 Martii eidem regi ejusque successoribus pro conferendis tribus episcopatibus & beneficiis ab eis pendentibus concessit, nominatus est eodem anno, & insequenti, 4 Septembris possessionen prehendit, conservato archiepiscopi titulo. Obtinuit in commendam abbatias S. Petri Solemniacensis, S. Lupi Trecensis, S. Johannis Laudunensis & S. Remigii Remensis. Piis fundationibus in primis commendandus, nosocomium in urbe instituit, quod fratribus Caritatis regendum commisit, cujus ædificia omnia

propriis construxit sumptibus, fundatis in eodem viginti infirmorum lectis. Hospitali puerorum inventorum largitus est quinquaginta librarum millia, variamque suppellectilem. Plures bursas in Mussipontano clericorum pauperum seminario fundavit. Conciones per Adventum in ecclesia S. Simplicii, & per Quadragesimam in ecclesia S. Martini instituit, assignatis de suo concionatoribus reditibus. Archiepiscoporum & episcoporum Franciæ decanus decubuit 12 Maii 1697. Jacet in cathedrali hoc donatus epitahio. *D. O. M. & æternæ memoriæ illustrissimi dñi dñi Georgii* d'Aubusson de la Feuillade, *ecclesiæ Metensis episcopi, sacræ facultatis theologiæ doctoris & decani, regiorum ordinum commendatoris & comitis consistoriani, &c. cujus laudum minima pars fuit nobilitas supra octingentos annos repetita. Legatus ad Venetos & Hispanos missus, summa in tractandis rebus animi solertia & blanda sermonis suavitate exterorum admirationem simul & amorem sibi conciliavit. Postquam ecclesias Vapincensem primo, mox Ebredunensem sapienter rexit, per annos XX Metis præsul datus est. Totus caro gregi sese devovens, omnia pastorali vigilantia administravit, orbatis ovibus fideles dedit pastores, esurientibus large præbuit evangelicæ doctrinæ pabulum. Amplissimarum opum fidelis dispensator eas in miseros & egentes effudit pie prodigus: sancti Georgii ædem a fundamentis erexit, S. Nicolai dilapsam reparavit ut pauperum utilitati pariter & egestati consuleret. Spoliatis altaribus sua vasa & suum decus restituit. Ab eodem Metis & Mussiponte constituta seminaria ubi adolescentes a: is destinati doctrina & pietate informarentur. Pastoribus senio & labore confectis de suo constituti annui reditus. Hæc & alia bene multa publica sunt, sed plura latent quæ Pater cælestis videt in abscondito & reddit. Obiit plenus dierum & operum anno ætatis suæ 84 currentis sæculi M. DCXCVIII, die Maii XII.*

Cor ipsius depositum in ecclesia S. Georgii, quam fundaverat, ubi legitur hæc inscriptio: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quod ad perennem Dei optimi maximi gloriam, quod ad publicam urbis & totius diœceseos Metensis utilitatem, quod ad æternam fundatoris munificentissimi felicitatem susceptum perfectumque sit, illustrissimus ac reverendissimus dominus dominus Georgius *d'Aubusson de la Feuillade* archiepiscopus Ebredunensis, Metensis episcopus, comes consistorianus, regiorum ordinum commendator &c. ægrotis pauperibus urbis Metensis ac diœceseos incolis hoc caritatis hospitium sub nomine S. Georgii sui patroni a fundamentis erexit, dotavit, amplificavit, positis tot lectulis, quorum ad pensionem annuam constituit, quantum singulis abunde sufficiat: accersitis divi Johannis Dei religiosis a Caritate vulgo nuncupatis futuris hospitii administris, quibus & commodum domicilium construxit & paravit patrimonium, adjectis denique tum domorum vicinarum emptione facta, tum hortorum adjacentium aliorumque ejusmodi omnibus ad subsidia ægrotorum necessariis, quæ omnia propriis & solis confecta pecuniis partim expensis, partim tuto utiliterque collocatis voluit esse pauperum in perpetuum, perraro eximiæ pietatis & caritatis pristinæ exemplo anno partæ salutis M. DCXCIV.

XCIV. Henricus-Carolus.

DU CAMBOUT DE COISLIN.

Armandi ducis *de Coislin* & paris Franciæ ex Magdalena *du Halgouet* filius Henricus-Carolus, Petri cardinalis *de Coislin* episcopi Aurelianensis nepos, genitus 13 Septembris 1664, S. Georgii de Balcheri-villa abbas ab anno 1684, a rege nominatus fuit episcopus 26 Maii 1697, & consecratus Parisiis a patruo 22 Decembris in monasterio Fuliensium vici S. Honorati, assistentibus Carcassonensi & Virdunensi præsulibus, fidemque regi dixit 24 mensis ejusdem, ac possessionem accepit 17 Februarii 1698. Designatus anno 1682 a rege ut in munere primi eleemosynarii cardinali patruo succederet, post ipsius cardinalis promotionem ad majoris eleemosynarii Franciæ dignitatem, functiones gerere cœpit anno 1700, 12 Septembris. Commendator ordinis S. Spiritus creatur 1 Martii 1701. Interfuit an. 1704, die 5 Junii Parisiis exsequiis cardinalis *de Furstemberg* episcopi Argentoratensis & abbatis sancti Germani a Pratis. Unus e quadraginta viris Academiæ Francicæ electus est 25 Novembris 1710. Inter duces ac pares Franciæ per mortem fratris sui admissus mense Martio 1711. Monasterio sancti Germani a Pratis, quam ex D. *Seguier* cancellario partim emerat, partim hereditario jure acceperat, legavit bibliothecam. Diem clausit extremum IV cal. Decembris 1732, annos natus 69.

XCV. Claudius.

DE ROUVROT DE SAINT-SIMON.

Consecratus in episcopum Noviomensem 15 Junii 1732 Claudius, inde ad Metensem ecclesiam traductus est an. 1733, ut dictum est tom. IX, col. 1031; & tom. XI, col. 201 & 981. Vivere desiit an. 1761.

XCVI. Ludovicus-Josephus.

DE MONTMORENCY DE LAVAL.

Natus an. 1724 Ludovicus-Josephus sanctæ Crucis Burdegalensis abbas ab anno 1743, a Ludovico XV Christianissimo rege dictus Aurelianensis episcopus anno 1753, sacram accepit unctionem 10 Februarii 1754; dein ad Condomiensem sedem translatus 1757, tum an. 1761 ad infulas Metenses promotus. Fruitur etiam abbatia S. Arnulfi, qua a rege donatus est 6 Aprilis 1775.

ECCLESIÆ METENSIS VARIÆ DIGNITATES.

IN ecclesia Metensi sunt quinque dignitates, A primicerius, decanus, præcentor, cancellarius & thesaurarius. Personatus quatuor, archidiaconus Metensis seu major, archidiaconus de Marsallo, archidiaconus de Vico, & archidiaconus de Sarburgo. Officia olim quatuor, nempe circator, scholasticus, custos, & eleemosynarius. Supersunt tantum tres a suppressione circatoris. Præbendæ ante annum 1384 sexaginta, nunc vero tantum quadraginta, quarum 38 a canonicis totidem possidentur; duarum aliarum quæ supersunt, una decanatui unita anno 1380, altera duobus B stipendariis seu semi-præbendatis affecta est.

Primiceriatus prima capituli dignitas per concordatum Germanicum summo pontifici reservata, nunc ad Christianissimi regis nominationem virtute indultorum Alexandri papæ VII & Clementis IX pertinet. Sedet primicerius in chori dextra parte. Ipsius incumbit officio, absente episcopo, præcipuis festis celebrare, & post missam ministros altaris honesto prandio excipere. In spiritalibus & temporalibus quæ ad capitularem mensam non spectant capitulo præest, vota colligit ac decreta pro- C nunciat. In absentia episcopi clerum convocat & ipsi præsidet.

PRIMICERII.

Charta II, col. 370.

I. HUGO Drogonis Burgundiæ & Campaniæ ducis ex Adeltrude filius & Arnulphi ducis germanus anno 715 una cum fratre suo monasterio sancti Arnulphi tradidit villam Vigiacum. De eo hæc habet chronicon Fontanellense cap. VIII: *Hic etiam præsulatum ecclesiæ Parisiacæ simulque Bajocassinæ cum Rotomagensi tenuit factione patrui sui Caroli principis, extra decreta tamen canonum, cœnobia* D *vero nobiliora Fontanellam & Gemeticum.* Jam de illo pluries locuti sumus, præsertim tom. VII, col. 28.

II. S. Aldricus vir insigni pietate & sanctitate conspicuus ex primicerio Cenomanensis episcopus an. 831.

III. Gumbertus seu Gubertus legitur anno 884 in carta commutationis inter Lodoinum Gorziensem abbatem & Verdingum presbyterum. Concilio Metensi sub Arnulfo rege an. 888 libellum supplicem adversus Judæos obtulit. E

IV. Blidulfus primicerius seculo 9 degebat.

V. Angilramnus, primo Tullensis, dein Metensis ecclesiæ primicerius ob præclaras quibus pollebat virtutes, ut securius saluti provideret, circa annum 932 Gorziam secessit cœnobiticam vitam acturus, moles auri & argenti totiusque suppellectilis secum trahens cum multis prædiis quæ monasterio testamento donavit. Cum illic magna austeritate vixisset, in Domino quievit postridie festi S. Gorgonii martyris, patroni monasterii, ubi de eo plura narrantur.

VI. Stephanus I subscripsit anno 938 chartæ Adalberonis episcopi in gratiam monasterii Senoniensis. Ch. VIII, col. 455.

VII. Everinus subscripsit an. 940 & 941 duobus chartis Adalberonis I episcopi in gratiam monasterii S. Arnulfi. Adhuc memoratur in ejusdem præsulis carta, plura ad constructionem hospitii in monasterio sancti Arnulfi concedentis an. 952. Ch. XIX, col. 389.

VIII. Stephanus II laudatus in litteris Adalberonis I de advocatis abbatiæ Senoniensis seculo decimo.

IX. Paulinus, vir summæ eruditionis, ab Adelmanno Bressiæ episcopo accepit provinciam scribendi ab Berengarium, ut eum ab erroribus revocaret. Superstes an. 1045 & 1049, quo ad illum a Leone papa IX directa est bulla. Notatus in necrologio S. Clementis II idus Maii.

X. Golebaldus evasit patriarcha Aquileiensis an. 1050. Ch. XXXI, col. 400.

XI. Albertus testis doni villæ Equiniaci, quam sancti Symphoriani cœnobio concessit Adalbero episcopus an. 1056; legitur & anno 1057 in privilegio ejusdem pro S. Clemente.

XII. Adalbero I filius Conradi I comitis Luxemburgensis subscripsit transactioni de advocatia cœnobii sancti Trudonis, auctoritate Adalberonis Metensis episcopi an. 1065 factæ, indict. III, regnante Henrico Romanorum imperatore. Subscripsit etiam circa annum 1075 chartæ Herimanni in gratiam Walonis abbatis S. Arnulfi. Recurrit etiam circa annum 1090. Reperitur anno 1094 kal. Octob. in donatione Popponis episcopi facta monasterio S. Vincentii. Ch. XXXII, col. 401.

XIII. Adalbero II *de Monsterol* præerat an. 1105. Eo agente ac sollicitante, Adalbero pseudoepiscopus exauctoratus est, & in ejus locum substitutus Theotgerus anno 1117. Legitur in litteris Stephani episcopi pro monasterio S. Arnulfi an. 1126. Ad Trevirensem archiepiscopatum promotus an. 1132. Ch. XXXIII, col. 402.

XIV. Adalbero III ex archidiacono primicerius, in Leodiensem episcopum electus est an. 1136, uti legere est tom. III, col. 870 & seq.

XV. Theodericus filius Reginaldi comitis Barrensis, nepos que Stephani episcopi, occurrit an. 1138 & 1139 in charta Stephani pro S. Nabore; adhuc etiam 1141. Subscripsit anno 1151 factæ monasterio Vergavillæ donationi, & transactioni inter S. Crucis & Justi-montis abbates. Testis adest in tabulis fundationis collegiatæ S. Theobaldi an. 1163. Stephano patruo in episcopali sede successit an. 1164. Charta XXXVIII, col. 406. Ch. XXXIX, col. 407.

XVI. Folmarus reperitur in litteris Folmari comitis Castellensis pro Bello-prato an. 1165.

XVII.

XVII. Hugo anno 1173 testis donationis a Frederico episcopo factæ ecclesiæ S. Viti. Memoratur in bulla Alexandri papæ III anno 1178. Recensetur an. 1179 inter prælatos, quibus Bertrannus episcopus tribuit jus eligendi scabinum Metensem. Litteras ejusdem præsulis confirmantis ecclesiam S. Viti abbatissæ sancti Petri probavit an. 1183. Subscripsit an. 1186 instrumento fundationis S. Eucharii de Liberduno. Tradidit an. 1193 pastoratum *de Lezey* monasterio Salinæ-vallis. Occurrit an. 1194 in litteris Odonis episcopi Tullensis. Superstes adhuc 1197.

Charta XL, col. 407.

XVIII. Gerardus I *de Lorraine*, Gerardi II comitis Vademontani & Adelaidis de Joinvilla filius, primum canonicus, thesaurarius, & archidiaconus Tullensis, deinde primicerius Metensis, tandem episcopus Tullensis 1218, eodem anno decessit.

XIX. Erso una cum Theoderico decano & toto capitulo ecclesiam monasterio Glanderiensi a Conrado episcopo traditam confirmavit anno 1220.

XX. Jacobus *de Lorraine*, filius Friderici II Lotharingiæ ducis, una cum Petro decano donum ecclesiæ de Arnovilla factum a Conrado episcopo monasterio Gorziensi confirmavit an. 1221. Legitur an. 1226 in charta Belli Prati. Dignitate præpositi in ecclesia Leodiensi ab Ottone diacono cardinali legato apostolico provisus fuit. Subscripsit anno 1236 litteris Matthæi ducis Lotharingiæ fratris sui pro monasterio Romaricensi. Ad infulas Metenses elatus an. 1239.

XXI. Philippus *de Savoye*, Thomæ a Sabaudia & Beatricis de Gebenna filius, obtinebat an. 1239. Deinde factus Valentinus episcopus, tum Lugdunensis archipræsul: quæ duo sacerdotia ejuravit, ut Aleidem Burgundiæ comitissam uxorem duceret. Sine liberis moritur hydrops an. 1285, Altæ-combæ sepultus. De illo fuse dictum est tom. IV, col. 144 & seqq.

XXII. Henricus *de Gerolsec* fruebatur anno 1280.

XXIII. Boemundus *de Warnesberg* in archiepiscopum Trevirensem electus an. 1286, ante præsulatum erat præpositus & archidiaconus ecclesiæ Trevirensis, ac primicerius ecclesiæ Metensis.

XXIV. Reginaldus *de Bar*, Theobaldi II Barri & Montionis comitis filius, electus episcopus Metensis an. 1302.

XXV. Bertrandus primicerius vocatur in documento anni 1338.

XXVI. Johannes *de Heu* ex primicerio Metensi & archidiacono Tullensi factus episcopus Tullensis 1367, obiit an. 1372, sepultus in ecclesia Metensi. Ejus ossa reperta 14 Augusti 1487, in capella S. Mariæ Tertianæ reponuntur.

XXVII. Gerardus II *de Hully* an. 1381.

XXVIII. Henricus *de Lenoncourt* 1400 & 1407.

XXIX. Conradus *Bayer de Boppart*, renunciatus a Johanne papa XXIII Metensis episcopus an. 1415 in concilio Constantiensi.

XXX. Guillelmus *Huin* ex urbe Stagno honestis parentibus ortus, juris utriusque peritus, primum Virdunensis archidiaconus, deinde primicerius Metensis, missus ad concilium Basileense, a Felice antipapa cardinalis creatus 1440. Extincto schismate 1449 in concilio Lugdunensi a Nicolao V eadem dignitate insignitus est. Obiit 1456, humatus in Stagni parœciali ecclesia, quam eleganter reparatam in collegium canonicorum erigere meditabatur.

XXXI. Johannes *de Lamballe*, primum archidiaconus Tullensis, tum primicerius, protonotarius apostolicus, prior B. Mariæ de Novo-castro, solitum præstitit juramentum in manu decani 1467. Johannis Calabriæ ducis jussu a capitulo Tullensi subrogatus est Antonio de Novo-castro episcopo Tullensi, qui ducem, electores, omnesque fautores, ipsumque electum anathemate plexuit. Memoratus an. 1468 in charta S. Mansueti, cujus fuit abbas seu administrator perpetuus. Obiit an. 1491.

XXXII. Philippus princeps Palatinus virtute reservationis litterarum apostolicarum per procuratores possessionem adeptus 27 Aprilis 1491, contradicente Johanne cardinale Andegavensi, qui virtute similium litterarum apostolicarum reservationis in possessionem primiceriatus se induci postulavit 26 Junii 1491: verum ejus petitionem non admisit capitulum.

XXXIII. Johannes Brielli utriusque juris doctor, apostolicæ sedis protonotarius, primum canonicus deinde archidiaconus, virtute litterarum executoralium duarum sententiarum ultro & de consensu partium adversus præfatum Philippum principem Palatinum primicerius a capitulo recipitur & in possessionem inductus 8 Augusti 1496: obiit Tulli penultima Julii 1505.

XXXIV. Raimundus cardinalis Gurcensis vigore litterarum apostolicarum reservationis & etiam acceptationis & provisionis possessionem per procuratorem adeptus est 6 Augusti 1505, eodemque abdicavit.

XXXV. Nicolaus Tussani canonicus & eleemosynarius, virtute provisionum sedis apostolicæ in possessionem immissus 22 Novembris 1505. Romæ decessit 5 Augusti 1520.

XXXVI. Petrus de Acolytis presbyter cardinalis Anconensis, virtute quarumdam litterarum regressus de die 28 Septembris 1520 in possessionem induci postulavit; quod ei a capitulo denegatum 13 Octobris ejusdem anni. Postea canonicus creatus ad effectum missus est in possessionem 4 Junii 1522 virtute regressus ad dictum primiceriatum per litteras summorum pontificum Julii II & Leonis X.

XXXVII. Benedictus de Baldeneto clericus

Florentinus provisiones primiceriatus adeptus, possessionem incassum adipisci nixus est anno 1526, jusque suum cessit sequenti nonis Maii 1528.

XXXVIII. Nicolaus Richardi Luppomontanus scriptor apostolicus per procuratorem possessionem adeptus est 18 Julii 1528. Memoratur in archivio episcopatus 1557. Vivere desiit 1573.

XXXIX. Richardus *d'Ognon* cancellarius, præcedentis nepos & coadjutor anno 1548 factus, primiceriatus possessionem iniit mense Junio 1573, defunctus insequenti mense Septembri.

XL. Antonius *Fournier* canonicus regularis S. Dionysii Remensis, sacræ theologiæ doctor, in canonicum Metensem virtute provisionis sibi a vicelegato factæ receptus 22 Decembris 1574. Deinde primiceriatus possessionem per obitum præcedentis adeptus est 8 Junii 1575, postmodum episcopus Basilitanus & suffraganeus Metensis creatur, vir strenuus & hæreticorum malleus. Ad meliorem vitam transiit 25 Novembris 1610, sepultus in ecclesia Capucinorum.

XLI. Antonius *de Roucelz* presbyter & nobilis Metensis, dominus *de Vagny*, factus coadjutor præcedentis, primiceriatus possessionem iniit 27 Novembris 1610. Defunctus 5 Februarii 1613, in capella beatæ Mariæ Tertianæ quiescit.

XLII. Nicolaus *Lombard* clericus Virdunensis, subdatarius papæ, vacantem per obitum præcedentis primiceriatum occupavit vigore litterarum apostolicarum juxta concordata 13 Aprilis 1613, satisque concessit an. 1630.

XLIII. Carolus *d'Anglure*, abbas S. Naboris, virtute provisionum apostolicarum receptus 19 Januarii 1630, occubuit an. 1646.

XLIV. Claudius *Bruillard de Coursant*, regi a consiliis, S. Symphoriani abbas, possessionem adeptus est 14 Novemb. 1646. Cessit e vita 4 Septemb. 1671, sepultus in capella beatæ Mariæ Tertianæ.

XLV. Johannes *du Moulin*, presbyter Tullensis, sacræ facultatis Parisiensis doctor, receptus 10 Martii 1672 vigore litterarum apostolicarum Romæ expeditarum 9 calend. Decembris 1671 super nominatione Christianissimi regis.

XLVI. Petrus *Thevenin*, sacræ facultatis Parisiensis doctor, parœcialis ecclesiæ Montismartyrum rector, possessionem accepit 6 Maii 1711, mortuus 4 Aprilis 1720.

XLVII. Antonius *de la Vergne* Arvernus, a rege renunciatus mense Augusto 1720, diem clausit extremum 9 Decemb. 1748.

XLVIII. Ludovicus *le Begue de Majainville* natus Nanceii 7 Februarii 1713, doctor Sorbonicus, primum canonicus, archidiaconus & vicarius generalis Catalaunensis, & abbas commendatarius Nuceriarum, dictus est a rege primicerius & canonicus an. 1749.

Widericus sine chronologicis notis ita memoratur in necrologio S. Clementis: *VI cal. Sept. dom. Widericus primicerius & sacerdos S. Stephani qui dedit nobis vineas in Longavilla & huic loco tumulatus ante aram B. Mariæ.*

DECANI.

ELIGITUR decanus a capitulo, sedet a sinistra parte chori, mensamque a capitulari distinctam habet. Omnium & singulorum clericorum ecclesiæ inservientium cura illi incumbit animarum. In omnibus capitularibus comitiis ad mensam capitularem spectantibus, quorum convocandorum jure fruitur, præsidet. Primam & completorium singulis diebus cantare tenetur, & sic personaliter residere, sacramenta in extremis episcopo ministrare, & in ejusdem inhumatione & exsequiis solemnibus sacras sacere cæremonias & missam celebrare. In absentia episcopi die quinta majoris hebdomadæ sacra facit, & sacratissimum Christi corpus omnibus ejusdem ecclesiæ dignitatibus, canonicis, clericis, aliisque officialibus impertitur. Sabbatis ante Pascha & Pentecosten benedictionem fontium peragere debet.

I. MERDUINUS decanus atque Humbaldus primicerius anno 856 subscribunt instrumento de precaria quadam pro Gorziensi monasterio.

II. Gibuinus legitur in litteris Adalberonis I pro monasterio Senoniensi an. 938. Ch. VIII, col. 453.

III. Enalous presbyter & decanus an. 938 in charta Adalberonis episcopi. Subscripsit litteris ejusdem an. 952 de restauratione hospitalitatis in monasterio S. Arnulfi.

IV. Gibelinus subsignavit an. 979 duabus litteris Theoderici episcopi, uni in gratiam monasterii S. Petri Metensis, alteri in gratiam Senoniarum.

V. Blidulfus notus ex charta Adalberonis III pro S. Symphoriano an. 1056. Non confundendus cum primicerio cognomini superstite seculo nono. Ch. XXX, col. 400.

VI. Richerus I ex archidiacono decanus Metensis, ab Henrico IV imperatore nominatur episcopus Virdunensis anno 1088, defunctus an. 1107.

VII. Gerardus I testis occurrit an. 1111 in rescripto Adalberonis IV pro Senoniis.

VIII. Richerus II an. 1126, 1127, 1130, 1137, in privilegio Stephani episcopi pro S. Vincentio 1140, nec non an. 1141. Ch. XXXIV, col. 403. Ch. XXXV, col. 404.

IX. Stephanus decanus & archidiaconus.

X. Philippus in charta Gorziensi sub Stephano episcopo an. 1152, quo concilio Trevirensi præsens subscripsit initæ inter Matthæum Lotharingiæ ducem & Romaricensem ecclesiam compositioni.

XI. Simon notatus an. 1161 in charta Stephani pro monasterio S. Crucis, & altera ejusdem an. 1163 de fundatione collegiatæ S. Theobaldi; occurrit etiam ad annos 1165 & 1170.

XII. Gerardus II legitur in privilegio, quod abbati sancti Vincentii Bertrannus episcopus

concessit anno 1181. Sigillum apposuit litteris ejusdem præsulis in favorem monasterii sancti Petri Metensis de parœcia S. Viti, nec non aliis de constitutione notariorum an. 1197.

XIII. Albertus una cum Hugone primicerio Salinæ-valli dat pastoratum *de Lezey* an. 1193. Testis occurrit in donatione capellæ S. Bodielli a Bertranno episcopo facta an. 1194 monasterio S. Crucis.

XIV. Theodericus 1201 in Gerardi archidiaconi litteris de ecclesia S. Victoris sancto Arnulfo præstita. Adhuc repertus ad annos 1215 & 1220.

B XV. Petrus I una cum Jacobo primicerio laudavit donum Conradi episcopi factum monasterio Gorziensi an. 1221. Probavit etiam an. 1227 commutationem initam inter episcopos Metensem & Leodiensem.

XVI. Jacobus I *de Bar* memoratur an. 1256 in tabulis venditionis lignorum.

XVII. Henricus I *de Finstingen* vel *Fisting* 1259, quo successit Arnoldo archiepiscopo Trevirensi, defunctus an. 1286. De eo vide col. 443 & seqq.

XVIII. Simon transigit anno 1270 cum abbate S. Vincentii.

C XIX. Nicolaus *d'Outremont* auxit proventus capellanorum cathedralis an. 1355.

XX. Gerardus III *d'Anet* canonicus & decanus obtinuit bullas unionis canonicatus mox vacaturi dignitati canonicatus cum omnibus fructibus a Clemente VII 1 Septemb. 1380 ad vitam. Die vero 3 Maii an. 1384 a capitulo legatus missus est Avenionem ad Clementem VII, ut obtineret reductionem 60 præbendarum ad numerum 40, quam quidem Guillelmus cardinalis tituli S. Stephani in Cœlio-monte legatus apostolicus in Germania concessit, confirmavitque summus pontifiex xv cal. Augusti an. 1284. Unus fuit e judicibus delegatis ad componendam litem inter canonicos sancti Petri de Imaginibus & parœciam S. Gorgonii an. 1386. Obtinebat adhuc ad annum 1397.

D XXI. Johannes I *Dalnoy* 1404.

XXII. Desiderius I *Piersoni* memoratus an. 1404, occubuit 1410.

XXIII. Johannes II *de Walterre* 1420 in charta Gorziensi.

E XXIV. Johannes III *Nicolas* ex oppido Homburgensi diœcesis Metensis, decretorum doctor, canonicus & decanus die 1 Septemb. 1436 concordiam iniit cum capitulo super præbenda decanatui unita, statutumque est ut ille & ejus successores decani haberent perpetuo omnes ejusdem præbendæ fructus cum obligatione residendi. Subscripsit 15 Martii 1452 donationi ecclesiæ & monasterii B. Magdalenæ sororum pœnitentium factæ canonicis sancti Theobaldi. Fundavit anno sequenti missam quotidianam ad altare Præsentationis. Organa propriis sumptibus fabricari curavit, mortuusque est mense Aprili 1460.

XXV. Otto *Savini*, cognomento Bonus,

A admissus in decanum an. 1460, 10 Novemb. ac defunctus 1469.

XXVI. Hugo I *Mathié* ex oppido de Marvilla diœcesis Trevirensis, primum canonicus, deinde cantor, tum in decanum cooptatus 1470 festo S. Bartholomæi, obiit 18 Septemb. 1494, sepultus in capella S. Nicolai.

Johannes *Chardalli* canonicus & cantor via scrutinii electus est 22 mensis Septemb. an. 1494; sed surditatem causatus, in ipsius locum suffectus est Johannes Natalis circator, qui pariter quibusdam causis allatis accipere renuit.

XXVII. Hugo II *des Hazards*, humili loco natus, scientia, virtute & ingenio præditus, juris utriusque doctor, præpositus Nanceii & canonicus Tullensis, a capitulo in decanum est electus 24 Septembris 1494. Tullensis episcopus evasit anno 1506, ac decanatum sequenti resignavit an. 1514.

XXVIII. Olricus *des Hazards*, per præcedentis patrui sui cessionem primum factus canonicus 17 Januarii 1509, demum decanus 4 Novembris 1514, obiit 17 Junii 1527.

XXIX. Franciscus *Baudoche*, nobilis Metensis, abbas S. Symphoriani, Leodii litteris operam dabat cum postulatus est decanus 1 Julii 1527, receptusque est 18 Julii 1528; cessit an. 1538 in gratiam sequentis.

XXX. Johannes IV *Baudoche*, superioris germanus, subdiaconus & abbas S. Symphoriani, possessionem canonicatus & decanatus adeptus est 23 Decembris 1538. Ante ejus receptionem inter alia agitatum est in capitulo utrum ille, qua subdiaconus, locum eminentiorem in choro & capitulo teneret. Statutum fuit ut sederet in inferioribus stallis ad sinistram chori partem more subdiaconorum, donec diaconatus ordinem suscepisset; in capitulo vero ex nunc vocem haberet, sederetque in loco decani vota collecturus, & decreta tanquam præses vulgaret. Obiit 1 Junii 1543.

XXXI. Desiderius II *Piersoni* electus 13 Junii 1543, resignavit ante adeptam possessionem.

XXXII. Christophorus-Henricus *de Pont*, canonicus ab anno 1508, 15 Junii, & studiosissimus circator ab annis 30, possessionem iniit 28 Octobris 1543. Fato functus est 3 Novembris 1544, humatus in capella beatæ Mariæ Tertianæ, ubi legitur ejus epitaphium.

XXXIII. Desiderius II *Piersoni* iterum electus 10 Novembris 1544, & admissus 23 Januarii 1545, dono dedit casulam unam, duas tunicas & quatuor cappas bombycinas albi coloris. Vivere desiit 9 Octob. 1549.

XXXIV. Desiderius III *Losey* canonicus 19 Januarii 1530, electus decanus 12 Octob. 1549, nactus est possessionem 21 Maii 1550, defunctus 26 Julii 1552.

XXXV. Johannes V *Bruneval* in canonicum admissus 27 Julii 1552, electus decanus 1 Augusti ejusdem anni, possessionem accepit 19 Martii 1553. Metensis episcopi vicarius

generalis confirmavit an. 1571 electionem Johannis de Confluentio abbatis S. Naboris. Mortuus 24 Januarii 1587, ætatis 72, sepulturæ traditus in capella B. Mariæ Tertianæ cum epitaphio.

XXXVI. Johannes VI *Anetz* ex urbe Stanno diœcesis Virdunensis oriundus, doctor Sorbonicus, e concilio Tridentino rediens anno 1565, canonicus & præcentor creatus est, & sub pueritia Caroli a Lotharingia episcopatus administrationem suscepit 18 Julii 1578 auctoritate capituli; dehinc electus decanus 12 Februarii 1587, possessionem iniit 4 Julii 1588. Obiit 23 Februarii 1598, ætatis suæ anno circiter 80.

XXXVII. Jacobus II *Foës*, Metensis clericus, canonicatum obtinuit 21 Augusti 1573, evasit major scholasticus 22 Martii 1586, decanus 17 Martii 1598, possessionem adeptus 6 Novembris. Jubilæus est declaratus 8 Augusti 1623, quippe qui ecclesiæ annos 50 inservierat. Decessit 14 Octobris 1627 cum fama viri admodum probi; sepultus in capella B. Mariæ Loretanæ, ab ejus familia decorata, ubi se humari jusserat. Dilectus fuit Henrico IV & Ludovico XIII regibus, pontificibus Metensibus coævis charus & in honore habitus, quorum vicariam curam sedulo exercuit, disciplinam ecclesiasticam in diœcesi labefactatam restituit, & inter fratres suos auxit: pretiosissimis ornamentis plurimisque bonis immobilibus ecclesiam adhuc vivens ditavit.

XXXVIII. Henricus I *de Haraucourt de Chamblay*, canonicus an. 1611, archidiaconus Metensis 18 Julii 1618, cancellarius 15 Novemb. 1623, decanus 16 Octob. 1628, decubuit 25 Julii 1662. Cujus corpus quiescit in capella beatæ Mariæ Tertianæ sub tumba marmorea.

XXXIX. Johannes VI *Royer* clericus Tullensis, canonicus 15 Julii 1615, major archidiaconus 17 Julii 1632, præcentor 5 Septembris 1654, decanus tandem electus 16 Augusti 1662, possessionem adeptus est 9 Decembris, ac decessit 17 Augusti 1664, humatus in capella B. Mariæ Tertianæ.

XL. Jacobus-Benignus *Bossuet*, Divionæus, doctor theologus Parisiensis, regis eleemosynarius & ordinarius prædicator, canonicatum obtinuit 27 Junii 1641, archidiaconus major factus 27 Septembris 1654, electus decanus 17 Septembris 1664, & in possessionem immissus 22 Augusti 1665. Renunciatur a Christianissimo rege Condomiensis episcopus an. 1668, dein serenissimi Delphini præceptor creatus an. 1670, tum ad infulas Meldenses promotus 2 Maii 1681. Defunctus Parisiis 12 Aprilis 1704, humatus fuit in cathedrali Meldensi.

XLI. Carolus *Colombet*, presbyter Parisinus, utriusque juris licentiatus, consiliarius Parlamenti Metensis, canonicus & cancellarius ecclesiæ Metensis, in decanum assumtus 7

A Novembris 1669, sequentis in gratiam cessit an. 1679.

XLII. Petrus II *Langlois*, presbyter Parisinus, in utroque jure licentiatus, supremæ curiæ Metensis senator, per resignationem præcedentis accepit possessionem 28 Junii 1679. Abdicavit & ipse an. 1701, reversusque est Parisios, ubi occubuit 2 Novemb. 1704.

XLIII. Ludovicus *de Rochereau*, clericus Catalaunensis, Metensis senatus consiliarius, utriusque juris licentiatus, canonicus ecclesiæ Metensis, per decessoris cessionem prehendit

B possessionem 16 Januarii 1702. Anhelator & hydropicus interiit 1715, natus 70 annos & 5 menses. Legitur ejus epitaphium in capella B. Mariæ Tertianæ, ubi quiescit.

XLIV. Henricus II *de Marnay de la Bastie*, canonicus & cancellarius, in decanum delectus 27 Martii 1715, possessionem non nisi 21 Januarii 1720 adeptus est, ob difficultates tam ab episcopo, quam a nonnullis canonicis objectas. E vita ereptus 14 Decemb. 1737.

XLV. Carolus-Nicolaus *de Chamisot de la Mothe*, natus 2 Decemb. 1697 in diœcesi Catalaunensi parentibus Johanne-Roberto *de*

C *Chamisot* & Emilia *de Cherisy* ejus uxore, baccalaureus facultatis theologiæ Parisiensis, in utroque jure licentiatus facultatis Remensis, designatus a rege canonicus an. 1731, & in decanum electus 8 Febr. 1738, possessionem capessivit 13 Junii ejusdem anni. Omnium virorum proborum dolore e vivis ereptus an. 1759, humatus fuit in capella B. Mariæ Tertianæ, ubi legitur ejus epitaphium.

XLVI. Deodatus *Chaumont de Mareil*, natus 20 Octobris 1708, doctor theologus facultatis Parisiensis, nominatus a rege cano-

D nicus 1740, major præpositus S. Deodati, vicarius generalis & archidiaconus, & tandem decanus anno 1759, ad episcopatum Sedunensem est elatus an. 1765.

SERIES Episcoporum suffraganeorum ecclesiæ Metensis.

I. FRATER Daniel suffraganeus Metensis ex permissu Ademari Metensis episcopi Glanderiensem ecclesiam sanguinis effusione pollutam reconciliavit anno 1332.

II. Bertrandus I ordinis prædicatorum, epis-

E copus Thessaliæ, ut Meurissio placet; at in veteri mss. quem ipse conscribi fecit, appellatus episcopus Teselicensis, Theoderici *de Boppart* episcopi Metensis suffraganeus 1366, capellam a Bertrando *le Hongre* cive Metensi fundatam consecravit. Sepultus est 28 Januarii 1377 in ecclesia fratrum Prædicatorum, ubi nunc perstat abbatia S. Arnulfi.

III. Bertrandus II ordinis Prædicatorum, eruditus vir, episcopus Teselicensis seu Thessaliæ, ab oppidanis Metensibus, propterea quod Urbani VI adversus Clementem VII partes tueretur, pulsus est an. 1379; sequenti anno

cum duobus Urbani nunciis reversus, iterum expellitur.

IV. Johannes I *Franqueloy* Vico natus, ordinis fratrum Minorum, Romæ consecratur Cauræ episcopus a Bonifacio IX anno 1400. Conradi *Bayer de Boppart* episcopi suffraganeus, plura consecravit altaria in S. Arnulfi & Cœlestinorum ecclesiis. Decessit 26 Martii 1452, sepultus ante majus altare fratrum Minorum.

V. Isambertus ordinis fratrum Prædicatorum episcopus Chrysopolis Georgii Badensis episcopi suffraganeus, pontificalia munia exercuit ab anno 1462 ad 1467 Vici aut Nomenei. Præsulis ejusdem curavit exsequias 13 Octob. 1484.

VI. Simon *de Rubo* episcopus Panadiensis, Georgii episcopi suffraganeus, defunctus anno 1482, 26 Novembris, & in abbatia sancti Vincentii tumulatus.

VII. Desiderius *Noël* canonicus & circator, doctor theologus, & suffraganeus, omnibus beneficiis ac dignitatibus ejuratis, vitam religiosam vovit in ordine S. Francisci, obiitque apud Capellam ad nemora an. 1483, 11 April. Ejus epitaphium refert episcopus Madaurensis.

VIII. Conradus I *Heyden*, ordinis Carmelitarum, episcopus Nicopoleos, Maximilianum I imperatorem ad cathedralem accedentem excepit anno 1490. Missam pontificalem ritu solemni pro Carolo VIII rege Christianissimo celebravit an. 1498. Sub Henrico a Lotharingia & Johanne cardinale a Lotharingia suffraganei functiones exercuit. Eo nomine juramentum Valentini de Castelleto abbatis S. Vincentii excepit an. 1529. Diem clausit extremum 10 Aprilis 1532.

IX. Conradus II *Payen*, ordinis Carmelitarum, episcopus Basilitanus, suffraganeus Metensis, mortuus an. 1529 Dominica Palmarum, ut constat ex ejus epitaphio, quod legitur in ecclesia patrum Carmelitarum.

X. Cugninus de Roseriis, patria Tullensis, Basilitanus episcopus, suffraganeus admissus 6 Augusti 1533.

XI. Johannes II *Huot*, episcopus Basilitanus, Cugnini successor 24 Maii 1546, cathedralem ecclesiam omnibus numeris tandem absolutam benedixit. Defunctus 10 Decembris 1560, sepulturam habuit in ecclesia S. Vincentii cum hoc epitaphio: *Cy-devant soubs la première tombe gist révérend père en Dieu Jehan Huot jadis évêque Basilitain, suffragant de Metz, qui décéda le x jour du mois de Décembre 1560, priez Dieu pour lui.*

XII. Antonius *Fournier*, S. Dionysii Remensis canonicus regularis, primicerius Metensis, Parisiis consecratus episcopus Basilitanus 13 Maii 1575, deinde vicarius generalis & suffraganeus Metensis sub cardinale Guisio effectus 20 Junii 1576. Idem munus sub Carolo a Lotharingia, Anna cardinale *de Givry* & Henrico Borbonio episcopis Metensibus exercuit. Vir potens opere & sermone, qui fidem catholicam adversus hæreticos difficillimis temporibus strenue defendit. Ad Christianissimos reges a clero Metensi pluries est deputatus. Capucinos in civitate, comparata propriis sumptibus domo, instituit an. 1602. Cathedrali ecclesiæ multiplicem sacram dedit supellectilem. Fato functus 25 Novembris 1610, Capucinorum in ecclesia sepulturæ mandatus fuit.

XIII. Nicolaus *Coëffeteau*, ordinis Prædicatorum, in Cenomanensi diœcesi apud * Castrum ad Lædum natus, vir eloquentiæ non vulgaris, sacris concionibus & libris editis in primis insignis, Dardaniæ episcopus atque suffraganeus Metensis sub Henrico Borbonio an. 1621. Non multo post ad Lombariensem, Santonensem, deinde ad Massiliensem episcopatus nominatus, moritur Parisiis 21 Aprilis 1623, ætatis suæ an. 49. De eo vide tom. I, col. 669.

* Château-du-Loir.

XIV. Stephanus *Puget*, Dardaniæ episcopus, in suffraganei munere præcedenti successit, iisdemque muniis in Remensi ecclesia functus est. A rege Ludovico XIV Massiliensis episcopus an. 1643 designatus, obiit an. 1668, uti dictum est tom. I, col. 674.

XV. Martinus *Meurisse*, ordinis Minorum alumnus, vir eruditissimus, sacræ facultatis Parisiensis doctor, episcopus Madaurensis & suffraganeus sub Henrico Borbonio, historiam episcoporum Metensium & alia adversus hæreticos scripta edidit. Moniales Benedictinas apud Montigniacum prope civitatem Metensem fundavit. Decessit 22 Augusti 1644, sepultusque est in capella episcoporum cum hoc epitaphio:

Sta viator & paucis accipe quo sapientiæ lumine orbata, quo religionis columine destituta, quo virtutum ornamento nudata & exemplo privata fuerit ecclesia die 22 Augusti anno Domini 1644, dum e vivis excessit reverendissimus pater frater Martinus Meurisse *natione Gallus, patria Picardus, solo Royanus, natalibus parvus, professione Minor, mentis acumine & eximiis dotibus plane magnus, magisterio doctor & professor Parisiensis, ministerio suffraganeus ac vicarius Metensis, titulo Madaurensis episcopus, vir inclytus, vir vere religiosus observantia, ecclesiastes zelo, omni eruditione doctor, professor perspicuitate, pontifex sollicitudine, Franciscanus ablatas opes vidit ut contemneret, episcopus excepit ut pie effunderet. Ex Minoribus assumtus & in solio pontificiæ dignitatis sexdecim annis constitutus, stabat ut columna, eminebat ut culmen, effulgebat ut lumen, hæresim profligabat ut fulmen. Hujus ecclesiæ præsulum continentem ordinem ab apostolorum ævo in lucem edidit. Altero volumine aperuit quo tempore, quave arte hæresis irrepsit. Corpus ejus infatigabilis animi labore & doloribus acutissimis confectum vicino mandatum est tumulo. Ut anima in pace quiescat, ora viator & vale.*

XVI. Petrus *Bedacier*, monachus Benedictinus Majoris-monasterii prope Turones

prior, factus episcopus Augustanus & suffraganeus Metensis anno 1645.

SANCTUS-SALVATOR.

Ecclesiæ collegiatæ S. Salvatoris origo merito tribuitur pietati Adalberonis III episcopi Metensis, qui circa annum 1070 sub vitæ finem in loco, qui hodie dicitur Platea S. Jacobi, in honorem S. Salvatoris erexit monasterium inhabitandum a canonicis, qui sub iisdem regulis, quibus canonici cathedralis S. Stephani, degerent & cum ipsa cathedrali intimam haberent societatem. Quod testatum facit charta fundationis in archivio asservata, ubi hic præsul sic loquitur: *Monasterium ædificavi in honorem S. Salvatoris, & canonicos qui Deo inibi sub regula canonica perpetuis temporibus militarent attitulavi.* Quoad associationem inter capitula S. Stephani & S. Salvatoris his utitur verbis: *Devotione etiam summa instituens & sub observatione obedientiæ vobis vestrisque successoribus præcipiens ut vester conventus tam sancti Stephani quam sancti Salvatoris sit unius ejusdemque regulæ & libertatis.* Stephanus de Barro, unus ex Adalberonis successoribus, in pluribus chartis tributis ecclesiæ S. Salvatoris, hunc præsulem astruit fundatorem. Et quidem ad annum 1137 hæc ait: *Novimus enim quod venerabilis frater noster episcopus Adalbero felicis memoriæ ..... camdem ecclesiam construxit.* Adhuc etiam ad annum 1140: *Eapropter ecclesiam S. Salvatoris ob memoriam venerabilis prædecessoris nostri felicis memoriæ Adalberonis episcopi, qui eam non solum cum ingenti devotione ædificavit, verum etiam ibidem in pace quiescit.* Tandem ad annum 1144 easdem ferme addit voces: *Et quoniam ecclesiam vestram ob memoriam prædecessoris nostri felicis memoriæ Adalberonis qui eam satis devote construxit, diligimus.* Nulla itaque adhibenda videtur fides cuidam libello in lucem edito an. 1741, cui titulus est: *Dissertatio de sensu chartæ Adalberonis,* cujus author & cum eo Meurissius aliique nonnulli censuerunt collegiatam S. Salvatoris fundatam fuisse a Wala episcopo Metensi, a Normannis in prælio occiso an. 882. Potuit tamen fieri ut in eodem loco ecclesiam seu capellam Wala construxerit, in qua sepultus fuerit; id sat probabile est ex eo quod ejus exuviæ in capsa etiamnum ibidem retineantur: sed idcirco tollendus non est honos fundatoris Adalberoni, qui ait expresse monasterium a se ædificatum fuisse, quem & ipsa collegiata suum semper coluit fundatorem, cujus ossa cum veneratione in theca conservat, & pro cujus animæ solatio solenne quotannis fit anniversarium 13 Novembris, in quo sacerdos ejus casula indutus sacris operatur. Verum ne ulla quidem de Wala fit mentio, cui sane si conditor esset, quidam delati fuissent honores.

Quoniam vero Adalbero obiit, dum conderet monasterium, necdum elargitus sufficientes opes tam ad victum canonicorum, quam ad ædificiorum conservationem, Stephanus A de Barro episcopus ecclesiam S. Jacobi sitam in atrio ecclesiæ S. Salvatoris cum omnibus appendiitiis, nec non ecclesiam sanctæ Mariæ extra muros urbis tradidit in perpetuum anno 1137. Litteras apostolicas, in quibus revocatur bulla Gregorii VII, indulsit an. 1096 Urbanus II de confirmatione monasterii ejusque bonorum ad preces canonicorum, quos sic alloquitur: *Sancimus ut tam vos quam successores vestri sub canonicæ disciplinæ jugo perpetuis temporibus militetis.* Quibus verbis hæc altera subjungit: *Statuimus ut nullus vobis in præpositum constituatur, nisi quem fratres omnes com-* B *muni consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem regulariter providerint eligendum.* Quot a principio ad ecclesiæ servitium instituti fuerint canonici non liquet, sed constat ex decreto Gerardi apostolici legati ipsos ad vicesimum numerum ob redituum tenuitatem reductos fuisse an. 1154. Quod probatum fuit ab Alexandro III bulla data an. 1159, atque etiam a Theoderico III & Bertrando Metensibus episcopis. Cum adhuc hic numerus vix sustentari posset, in conventu capitulari statutum est an. 1345, 21 Augusti ut pars proventuum præpositurae in alias capi- C tuli præbendas dispertiretur. Res in eo statu stetere ad usque annum 1565, quo placuit Francisco *de Beauquerre* episcopo ob imminutionem redituum capituli numerum præbendarum ad duodecim reducere, non computatis præpositi & decani dignitatibus. Paulo post jussu regis funditus eversa est ecclesia, ut in obsidionis casu hostes ea non uterentur ad oppugnandam arcem. Dejecta quidem est ecclesia S. Jacobi an. 1574. Tunc canonici se receperunt in sacellum claustri ad faciendam rem divinam, ubi etiamnum cultum numini a quatuor cantoribus, duobus scilicet presby- D teris & duobus laïcis, ac quatuor chori pueris adjuti exhibent.

Ch. xxxiv, col. 403. Ch. xxxv, col. 403.

PRÆPOSITI.

I. Gerardus præpositi titulo honestatus recurrit an. 1093 in documento.

II. Adalbero circa annum 1115 pœnitentia motus quod suos fratres canonicos molestasset, ipsis satisfecit, ut constat ex hisce litteris: « Quapropter ego infelix peccator nomine Adalbero ecclesiæ sancti Salvatoris præpositus « indignus quæ pravorum hominum suggestione « E de præbendis præfatæ ecclesiæ fratrum usurpaveram, saniori usus consilio, timens etiam « periculum animæ meæ guerpivi & dimisi: « prædicti autem fratres aliquod feodum præpositurae volentes statuere, dederunt michi & « concesserunt quamdam curtem quæ vocatur « *Weez* & servitum unum, & XL & VIII mensuras avenæ apud *Senrei*, & V solidos apud « Novingos, & apud Castellum V, & de omnibus « justitiis tertiam partem. Ne igitur aliquis successorum meorum hoc violare præsumeret, « & ne iterum manum in fratrum præbendam « mitteret, huic facto testes adhibui...... «

» Actum est hoc in præsentia domini Adalberonis Metensis episcopi. »

III. Albero Leodiensis episcopus præpositus erat anno 1127, quo tradidisse dicitur prædium vocatum *Hengnecurt*. Idem forsan est cum Adalberone supra memorato.

IV. Richerius I occurrit ad annum 1142. Dum Trevirensi concilio interforet an. 1152, subscripsit initæ compositioni inter ducem Lotharingiæ & ecclesiam Romaricensem. Reperitur etiam an. 1154, quo Gerardus apostolicæ sedis legatus numerum canonicorum ad
Charta xxxviii, col. 406. viginti reduxit. Subscripsit an. 1161 litteris Stephani episcopi pro monasterio S. Crucis.

V. Hugo primicerius cathedralis sancti Stephani & præpositus sancti Salvatoris anno 1196 testis legitur in transactione inita inter capitulum & abbates Cistercii & Morimundi de molendino *de Senrei* vel *Xanrei*. Adhuc memoratur in cartulario his verbis: *H. Dei gratia Metensis primicerius & præpositus sancti Salvatoris.*

VI. E. reperitur in cartulario ad annos 1214 & 1215.

VII. Bertrandus an. 1230 convenit cum capitulo, intervenientibus Jacobo episcopo & canonicis cathedralis, ut in posterum nihil aliud perciperet ex prædiis *de Senrei* & *de Hengnecurt*, quam tertiam redituum partem; aliæ vero duæ partes ad capitulum spectarent. Reperitur in chartis ad annos 1232, 1236. Ex documento jussu Jacobi episcopi confecto an. 1239 mense Februario confessus est se nihil juris habere in electionibus, quamvis adesse licitum esset. Sic memoratur in necrologio: *18 cal Maii obiit dominus N.* Bertran *præpositus S. Salvatoris, qui dedit nobis 20 solidos præsentibus.*

VIII. Theobaldus de Portu-Salliæ legitur in chartis annorum 1247, 1248. In altero documento edito an. 1261 sic notatur: Theobaldus præpositus, R. decanus totumque capitulum ecclesiæ S. Salvatoris Metensis.... hinc est quod nos & Lodovicus *Barons* ecclesiæ nostræ scholasticus, & quicunque fuerit deinceps ecclesiæ nostræ scholasticus in beatæ Catharinæ & S. Nicholai festivitatibus viginti solidos Metenses nobis de proventibus ipsius scholasticæ solvet annuatim expendendos, prout inferius continetur, scilicet in quolibet festo prædicto canonicis in matutinis personaliter existentibus quinque solidos Metenses pro luminari in corona, vel alias si coronam abesse contigerit in duobus festis prædictis octo solidos Metenses, & si ecclesia a divinis cessaretur, canonici præsentes in ecclesia dictos quinque solidos in quolibet festo prædicto haberent, & dicti octo solidi ad sanctam Mariam in festo S. Catharinæ & S. Nicholai in capella ipsius in claustro ponentur pro luminari... Datum & actum in capitulo super hoc assignato an. Domini 1261. De eo hæc habet necrologium: *III nonas Maii obiit Theobaldus cantor Metensis & præpositus*
A *S. Salvatoris, in cujus anniversario habemus 25 solidos præsentibus dividendos.*

IX. Jacobus I de Portu-Salliæ ita consignatur in necrologio: *V cal. Septembris obiit Jacobus de Portu-Salliæ sacerdos cancellarius & circator Metensis ac præpositus S. Salvatoris, qui dedit nobis 25 solidos præsentibus dividendos.*

X. Desiderius I Malazerii memoratur in litteris sine chronologica nota.

XI. Jacobus II *Fessals* in necrologio sic memoratur: *Obiit magister Jacobus* Fessals *præpositus S. Salvatoris, qui dedit nobis 10 solidos præsentibus.*

B XII. Johannes I *Roucel* legitur an. 1329 in litteris de partitione vinearum a capitulo pendentium inter canonicos facta.

XIII. Nicolaus I *Briim* titulo præpositi sancti Salvatoris honestatus occurrit an. 1360 in archivio S. Thobaldi.

XIV. Johannes II *Noisé* de quo ita loquitur necrologium: *XII kal. Februarii obiit dominus* Noisé *præpositus S. Salvatoris Metensis pro quo habemus 20 solidos præsentibus in bursa communi quotidiana.*

XV. Johannes III *de Rugecourt* in eodem necrologio sic notatus: *V kal. Februarii obiit*
C *dominus Johannes* de Rugecourt *custos sancti Stephani Metensis & præpositus S. Salvatoris Metensis, qui dedit nobis 30 solidos Metenses præsentibus dividendos.*

XVI. Johannes IV *de Liber* ibidem: *V kal. Septembris obiit dominus Johannes* de Liber *præpositus S. Salvatoris, qui dedit nobis 4 libras cum dimidia præsentibus.*

XVII. Joffridus *Cuer-de-fer* de quo hæc leguntur: *IX cal. Martii.... missa Annunciationis beatæ Mariæ pro domino Joffrido* Cuer-de-fer *præposito & concanonico nostro,*
D *& post ejus obitum fiet anniversarium pro quo habemus 10 solidos præsentibus.*

XVIII. Desiderius II Langardi innotescit ex actis anni 1522 possessionem præpositurae ab eo adeptam testantibus.

XIX. Petrus I Carreti obtinebat an. 1534 ex cartulario, in quo legitur actum capitulare ejusdem anni, ex quo apparet canonicos tunc fuisse tantummodo septemdecim.

XX. Quirinus Simonis possessionem accepit an. 1552.

XXI. Petrus II *Jobart* possessionem etiam capessivit an. 1553.

E XXII. Jacobus III Gerardi iniit quoque possessionem anno 1554, & adhuc præerat an. 1572 ex chartulario.

XXIII. Sulpicius *Jacob* canonicus cathedralis & præpositus S. Salvatoris nactus est possessionem an. 1576, obiitque an. 1599, ut constat ex necrologio, in quo leguntur hæc verba: *In missa pro magistro Sulpicio* Jacob *præposito hujus ecclesiæ & canonico cathedralis, cuilibet dominorum præsentium viginti solidos & duobus vicariis conjunctim viginti solidos Metenses, qui dedit ecclesiæ tria millia Francorum & domum cum horto in pago* de Chalelle.

Obiit autem decimo octavo kal. Octobris anno 1599.

XXIV. Richerius II Urbani obtinebat anno 1600. Citatur in libello quem Stephanus *Michelet* decanus S. Salvatoris vulgavit anno 1695 contra Stephanum *Monsenot* præpositum ejusdem ecclesiæ.

XXV. Dominicus *Husson* possessionem consecutus est anno 1618, occurrit etiam anno 1643.

XXVI. Petrus III *Corcol* possessionem apprehendit an. 1643.

XXVII. Ludovicus *Roslin* in possessionem immissus an. 1644.

XXVIII. Alexander *Crespin* deductus in possessionem 18 Augusti 1645; diem extremum clausit an. 1692.

XXIX. Johannes-Dominicus *Crespin* in præcedentis locum suffectus an. 1692.

XXX. Stephanus *Monsenot*, vicarius generalis episcopi Metensis, consiliarius curiæ præsidialis, successit circa annum 1693. Gravem cum Stephano *Michelet* decano habuit simultatem de jure præsidendi in capitulo an. 1695.

XXXI. Johannes-Petrus *de Long-pré de la Milletière* obtinuit an. 1698.

XXXII. Nicolaus II *Legros* successit anno 1719.

XXXIII. Ludovicus-Franciscus *de Guosse de Valcourt*, abbas commendatarius B. Mariæ de Fontanella, creatus præpositus an. 1739, obtinebat adhuc an. 1767.

Decanorum Series.

I. BENEDICTUS ita memoratur in antiquo necrologio S. Salvatoris: *Obiit Benedictus sacerdos & primus decanus noster qui dedit nobis 5 solidos præsentibus dividendos.*

II. Petrus I olim decanus, ibidem. *Circumcisio Domini nostri Jesu-Christi. . . . obiit dominus Petrus quondam decanus qui dedit nobis 12 solidos dividendos præsentibus & accipiendos apud* Sanrey.

III. Stephanus I, ibid. *15.° kal. Septembris obiit Stephanus canonicus & sacerdos, & tertius decanus sancti Salvatoris qui dedit nobis domum ante portam pro anniversario suo, de qua habemus in die obitus sui 5 solidos præsentibus.*

IV. Jacobus I, ibid. *4.° idus Aprilis obiit dominus Jacobus decanus qui dedit nobis præsentibus viginti solidos Metenses.*

V. Nicolaus I, ibid. *Idibus Aprilis Nicolaus decanus S. Salvatoris qui dedit nobis 30 solidos præsentibus dividendos.*

VI. Johannes I quondam decanus, ibid. *Obiit dominus Johannes sacerdos & quondam decanus noster qui dedit nobis VII solidos præsentibus dividendos & accipiendos apud sanctum Julianum super grangia quam tenet Clemens, & dedit presbytero capellano deservienti in nostra capella sancti Nicholai in claustro 40 solidos super domum suam sitam* au Remport.

VII. Jacobus II *Colardi de Badrecuria.* De eo hæc habet necrologium S. Salvatoris:

A « 4.° kal. Martii obiit dominus Jacobus *Colardi de Badrecuria* quondam decanus noster qui dedit nobis 25 solidos annui census pro anniversario suo. » Idem repetitur ad 5.um idus Junii; & ad 15.um kal. Novembris notatur annus quo diem supremum obiit his verbis: « 15.° kal. Novembris anno Domini 1229 obiit dominus Jacobus *Colardi de Badrecuria* quondam decanus noster, qui dedit nobis 25 solidos præsentibus annui census apud *Rosericulle* & *Lessey* pro anniversario suo. » ubi error est in mensium assignatione quem haud facile emendes.

B VIII. Theobaldus I dictus *Chanevière*, ibid. *2.° idus Julii obiit Theobaldus dictus* Chanevière *decanus S. Salvatoris qui dedit nobis 50 solidos præsentibus.*

IX. Rogerius *de Vandierre* decanus erat S. Salvatoris an. 1261 & eodem tempore quo Theobaldus de Portu-Salliæ præposituram regebat ejusdem ecclesiæ, ut indicant litteræ initiales cujusque ad calcem cujusdam instrumenti anni ejusdem appositæ hoc modo: *Th. præpositus, R. decanus anno Domini 1261.* Obiit autem anno 1272, ut fert necrologium S. Salvatoris: *4.° kal. Octobris anno Domini*

C *1272 in vigilia B. Michaëlis archangeli obiit bonæ memoriæ Rogerus de Vanderiis sacerdos & decanus S. Salvatoris Metensis, qui dedit nobis 10 solidos pro anniversario suo præsentibus dividendos & accipiendos apud Hernavillam, super hereditatem suam quam tenent Rohardus presbyter & Hugo nepotes ejusdem Rogeri decani.*

X. Gerardus I *Jannardi*, ibid. *8.° idus Aug. Hodie celebratur officium Transfigurationis Domini fundatum per magistrum Gerardum* Jannardi *hujus ecclesiæ decanum.*

XI. Johannes II *Becelin*, ibidem de eo:

D *3.° kal. Aprilis obiit Becelinus pater domini Johannis decani S. Salvatoris, & soror ejus Elizabeth pro quibus habemus annuatim pro anniversariis eorum tres solidos præsentibus accipiendos apud* Sanrey *super terram filiæ quondam. . . . .*

XII. Simon *d'Ameleycourt* occurrit ex cartulario sancti Salvatoris ad annum 1314. De eo sic necrologium: *5.° idus Novembris obiit dominus Simon* de Ameleycourt *decanus noster qui dedit nobis 20 solidos præsentibus dividendos.*

XIII. Thiellequinus. De eo sic necrolo-

E gium: *5.° nonas Maii. . . . Hodie habemus 10 solidos in missa pro D. Thiellequino decano nostræ ecclesiæ. Orate pro eo.*

XIV. Nicolaus II *Othin*, ibid. *3.° nonas Februarii obiit dominus Nicholaus* Othin *quondam decanus qui dedit pro anniversario suo canonicis præsentibus 40 solidos; item capellanis & clericis 10 solidos præsentibus dividendos.*

XV. Petrus II *Ravaldi*, ibid. *16.° kal. Junii . . . . bonæ memoriæ Petrus* Ravaldi *quondam decanus hujus ecclesiæ, sed tempore sui obitus Metensis canonicus obiit morte subitanea, cujus bona*

bona fuerunt trifarie divisa, scilicet parentibus, majori & huic ecclesiæ, pro quo capitulum hujus ecclesiæ ordinavit suum fieri anniversarium.

XVI. Johannes III *Abrieti*. De eo sic necrologium sancti Salvatoris: *Officium beati Hilarii episcopi pro domino Johanne* Abrieti *decano nostro, pro quo habemus 20 solidos præsentibus videlicet in quatuor horis dividendos.* Ejus obitus ibidem varie notatur *1 Februarii* & *1 Maii. Obiit dominus Johannes* Abrieti *decanus S. Salvatoris qui dedit nobis 25 solidos præsentibus.*

XVII. Gerardus II *Ranardi* decanus & canonicus sancti Salvatoris, de quo hæc habet necrologium: *Missa de Conceptione B. Mariæ Virginis pro domino Gerardo* Ranardi *decano & concanonico nostro, & post ejus obitum fiet anniversarium pro quo habemus 10 solidos præsentibus dividendos de statuto ejusdem.*

XVIII. Terricus *de Bunga*, dictus etiam *Dorou*, fundavit officium solemne in honorem apostolorum Petri & Pauli, deditque ecclesiæ sancti Salvatoris eorum simulacra argentea & deaurata, legavitque 60 solidos præsentibus dividendos, ut colligitur ex necrologio cujus hæc sunt verba: *3.° kal. Julii .... hic habemus servitium beatorum Petri & Pauli pro domino Therrico* Dorou *decano & concanonico nostro, qui dedit nobis prædictos duos apostolos argenteos & deauratos, & pro quo domini præsentes & continuam moram facientes habent 60 solidos in quatuor horis, videlicet .....* Ibidem memoratur hic decanus in hæc verba: *1 Junii obiit dominus Terricus* de Bunga, *dictus* Dorou. *quondam decanus noster, qui dedit nobis 5 solidos præsentibus annui census pro anniversario suo.*

XIX. Desiderius I *Poincignon* cujus obitum sic notat necrologium: *3.° nonas Decembris obiit dominus Desiderius* Poincignon *quondam decanus noster qui dedit nobis 40 solidos annui census pro anniversario suo præsentibus dividendos.*

XX. Johannes IV *Collignon* instituit missam de S. Johanne-Baptista, prout in Nativitate ejusdem celebratur, sed quæ post ejus obitum in anniversarium converteretur. Sic enim de eo ibidem: *2.° kal. Julii missa de beato Johanne-Baptista sicut in Nativitate ejus pro domino Johanne* Collignon *decano, & post ejus obitum fiet ejus anniversarium, pro quo habemus 10 solidos.* Et post pauca: *6.° idus Maii obiit dominus Johannes* Collignon *decanus S. Salvatoris qui dedit nobis præsentibus 20 solidos.*

XXI. Richardus *Henriquel*, ibidem de eo sic habetur: *2.° idus Maii obiit dominus Richardus* Henriquel *decanus qui dedit nobis 10 solidos census præsentibus.*

XXII. Theobaldus II *Mineti* decanatus possessionem arripuit anno 1522, adhuc superstes 1534 ex veteri cartulario S. Salvatoris numero A. folio 9.

XXIII. Claudius *Baucelin* decanus erat S. Salvatoris annis 1556 & 1572 ex veteri

A cartulario citato. De eo sic necrologium laudatum: *D. Claudius* Bancelin *hujus ecclesiæ decanus & canonicus .... dedit pro celebrando S. Vincentii officio in qualibet quatuor horarum 15 solidos annui census præsentibus distribuendos, & capellanis 5 solidos pro integro officio.* Et post pauca: *2.° nonas Junii D. Claudius* Bancelin *decanus & canonicus ecclesiæ S. Salvatoris ad officium B. Claudii & B. Bricii quotannis celebrandum donavit sex libras Metenses annui census distribuendas canonicis præsentibus, videlicet in qualibet quatuor horarum utriusque festi quindecim solidos: item capellanis quinque*
B *solidos in utroque festo. Idem ad cantandum* Gaude Maria & Inviolata *post primas vesperas septem festorum B. Mariæ donavit octo libras annui census ad distribuendos canonicis præsentibus senos denarios & capellanis totidem, nec non ad accendendos in sacello cereos & campanam pulsandam.* Denique vigilias & missam fundavit pro anniversario suo celebrando, ut patet ex his verbis: *15.° kal. Junii vigiliæ & missa pro domino Claudio* Bancelin *decano & canonico S. Salvatoris qui dedit cuilibet dominorum præsentium sex solidos & cuilibet capellanorum & matriculario & pulsatori duodecim*
C *denarios.*

XXIV. Johannes V *Willelmi* decanus anno 1578 fundavit missam de S. Johanne-Baptista. De quo necrologium: *7.° kal. Julii missa de S. Johanne-Baptista pro domino Johanne* Willelmi *decano & canonico hujus ecclesiæ, qui dedit cuilibet dominorum præsentium 12 denarios. capellanis conjunctim 5 solidos.*

XXV. Superiorem excepit anno 1581 Annibal *Willelmi* ipsius forte consanguineus.

XXVI. Carolus *Regnault* occurrit annis 1586 & 1591. De eo sic loquitur necrologium: *Dominus Carolus* Regnault *decanus*
D *& canonicus hujus ecclesiæ summa devotione affectus erga augustissimum illud Eucharistiæ sacramentum instituit in hac eadem ecclesia decantari singulis annis hora septima serotina die festo Sanctissimi Sacramenti, & die Dominica sequenti, nec non die octavarum completorium & preces sicut fieri solet in ecclesia cathedrali, quod ut perpetuo observetur donavit ducentas libras Metenses anno 1591 ..... nonis Februarii missa de Purificatione beatæ Mariæ Virginis pro domino Carolo* Regnault *decano & canonico. Cuilibet dominorum præsentium unum solidum & capellanis conjunctim quinque*
E *solidos ..... 18 kal. Januarii vigiliæ & missa pro domino Carolo* Regnault *decano & canonico. Cuilibet dominorum præsentium quatuor solidos, & cuilibet capellanorum duos solidos.*

XXVII. Antonius *Rousselet* fertur possessionem suscepisse anno 1589, forte per cessionem præcedentis.

XXVIII. Abraham *Simon* huic successit an. 1591, cui substitutus paulo post fuit

XXIX. Michaël *Humbert* an. 1592.

XXX. Desiderius II *Hallot* Michaëli subrogatus est an. 1606, de quo sic necrologium:

3.° idus Novembris obiit venerabilis D. Desiderius Hallot *hujus ecclesiæ canonicus & decanus, qui trecentas libras dedit pro suo anniversario, & post executam ultimam suam voluntatem, quod superfuit ex bonis suis huic eidem ecclesiæ testamento reliquit.*

XXXI. Gabriel *Virion* decanus anno 1632 fato functus est an. 1659. Juxta necrologium: *4.° kal. Januarii 1659 obiit venerabilis dominus Gabriel* Virion *hujus ecclesiæ canonicus & decanus qui fabricæ centum nummos legavit. Anima ejus requiescat in pace.* Videtur 3 annis ante obitum cessisse.

XXXII. Stephanus II *Michelet* baccalaureus in theologia, consiliarius & eleemosynarius regis, itemque canonicus S. Salvatoris, decanus electus fuit anno 1656. Litigavit an. 1695 cum Stephano *Monsenot* præposito ejusdem ecclesiæ de præsidentia in capitulo & de jure convocandi idem capitulum.

XXXIII. Claudius *Raleст* decanatum gessit ab anno 1708 usque ad 1750.

XXXIV. Petrus III *de Ganne* decanus ejusdem ecclesiæ ab anno 1750.

DE VETERIBUS ECCLESIÆ METENSIS MONASTERIIS.

I. Merkinguen.

ARNOALDUS episcopus Metensis accepit a Theodeberto II rege prædium *Merkinguen* situm ad fluvium Saram, ubi condidit clericis abbatiam, exinde ex ejus nomine vocatam. Id constat ex litteris Adventii episcopi, qui anno 857 secum deferens donationis archetypum, questus est apud Lotharium Austrasiæ regem de quodam Rolone, qui locum usurpaverat. Quæ secularibus canonicis obtigerat abbatia, a Lutheranis deleta est.

II. S. Martinus.

DUODECIM monasteriorum piissimus rex Austrasiorum Sigibertus author fuit, teste Sigeberto monacho Gemblacensi in libro de ejus vita; tametsi quatuor dumtaxat comperta sunt, nempe Casæ-Congidunense, Stabulense, Malmundarium, atque cœnobium sancti Martini in regiæ urbis suburbio Metensi, ubi corpus suum humari jussit. Abbatia sancti Martini a Campis vocabatur, postea translata ad radices montis sancti Quintini. Si hæc sancti Martini basilica ad quam S. Romaricus persequentes fugiens & in urbem Mediomatricum se recipiens adiit, eadem est cum suburbana ad Mosellam sancti Martini basilica, in qua Sigibertus Austrasiorum rex sanctus, Dagoberti majoris filius, postea sepultus fuit, auctorem non habet illa Sigibertum, sed ad summum instauratorem & amplificatorem; cum hoc Romarici factum, ab æquali relatum vitæ scriptore, ante natum Sigibertum contigerit. Cæterum basilicæ vocabulum, quo usus est auctor ille, satis innuit jam tum eidem basilicæ adjunctum fuisse monasterium; cujus primordia si quis Sigiberto tribuere malit, esto. Abbatia hæc funditus eversa an. 1552, dum Carolus V imperator urbis Metensis obsidionem pararet, adjuncta fuit prioratui beatæ Mariæ Nanceii, ac demum unita an. 1602 Nanceianæ primatiali basilicæ, in quam translatæ sunt S. Sigiberti regis reliquiæ.

ABBATES.

Capitul. t. II, p. 1565.

I. SIGELAUS præerat anno 841, tempore Lotharii imperatoris, ut docent versus præmissi codici evangeliorum quem idem Lotharius eidem abbatiæ obtulit, cum eo ut ejus frater conscriptus esset, seu particeps suffragiorum & bonorum operum ejusdem monasterii.

II. Reginarius anno 865.

III. Salecho 942.

IV. Berardus 948. Idem forte cum Gerardo qui recurrit ad annum 950. Adhuc memoratus ad annos 952, 953, 963.

V. Nantherus commutationem iniit anno 1035 cum Poppone abbate Stabulensi. Hist. Lothar. tom. I. prob. p. 414.

VI. Richerius simul abbas S. Martini & S. Symphoriani, testis occurrit anno 1135 in actu pacificationis factæ inter Henricum comitem Salmensem & Antonium abbatem Senoniensem. Præerat adhuc anno 1135, notatus in necrologio S. Clementis III nonas Augusti.

VII. Lethaldus subscripsit an. 1152 litteris Stephani Metensis cellam Asmingiæ Manegaldo S. Michaëlis abbati confirmantis. Corpus sancti Sigiberti regis incorruptum repertum, convocatis abbatibus & clero, in capsa argentea condidit an. 1170.

VIII. Oliverius in charta Gorziæ an. 1171.

IX. Albericus 1184.

X. Simon 1217, 1222. Obiit 20 Decemb.

XI. Willelmus 1237.

XII. Nicolaus I *de Vernier* 1282. Obiit 13 Junii, ex necrologio S. Vincentii Metensis.

XIII. Andreas I *d'Aboncourt* 1334, 1341.

XIV. Guillelmus *de Frasley* 1373.

XV. Johannes I *de Lunas* anno 1374: decessit an. 1377. In inquisitione facta eodem anno, die 5 Maii ad requisitionem Johannis *Poirson* prioris claustralis ædiles Metenses testantur Johannem *de Lunas* ejusque duos successores immediatos a duce Lotharingiæ investituram accepisse.

XVI. Andreas II seu Androïnus ab anno 1398 usque ad annum 1426, quo cessit 13 Octobris in manibus Caroli II ducis Lotharingiæ in gratiam sequentis.

XVII. Nicolaus II *Chaillot* ex consensu fratrum per superioris cessionem abbas consecutus 1426, bullasque confirmationis adeptus 22 Augusti 1432, duci Lotharingiæ fidem juravit. Eodem anno Perrinus *d'Haussonville* Loci monachus nihil non movit, ut Nicolaum

deturbaret, proventus & bona monasterii in regiam manum tradidit; sed censuris ecclesiasticis & quidem excommunicatione desistere coactus est. Subortum est gravissimum bellum ex imprudentia Nicolai, qui fructus ex hortis monasterii in suas urbis ædes asportavit. Quod ubi compertum fuit officialibus ducis Lotharingiæ, sub cujus ditione erat pagus S. Martini, jura voluerunt exigere. Quod privilegiis suis contrarium esse rati ædiles Metenses, nihil solvere prohibuerunt. Sensim levis hæc contentio concitavit bellum, quod excidium ac ruinam pagi & abbatiæ S. Martini edidit. Corpus S. Sigiberti ea occasione ex monasterio S. Martini Nanceium in prioratum B. Mariæ jussu Caroli II ducis Lotharingiæ translatum fuit.

XVIII. Jacobus *Chapelle* electus an. 1439.

XIX. Johannes II *Haranges* creatus abbas 1447, præerat an. 1472.

XX. Inguerranus *d'Apremont* 1501, 1506.

XXI. Petrus *du Chatelet* episcopus Tullensis & abbas commendatarius, monasterium sancti Martini, quod funditus cum aliis cœnobiis & ecclesiis eversum fuit anno 1552, dum ad obsidendam urbem Carolus V imperator accederet, prioratui S. Mariæ Nanceianæ uniri fategit. Hæc unio confirmata fuit bullis anno 1564. Verumtamen abbatia & prioratus adunata sunt ecclesiæ primatiali an. 1602. Suppressus abbatialis titulus an. 1603, ædesque prioratus traditæ an. 1618 P. P. Oratorii, qui parœciam B. Mariæ regunt. Petrus decessit anno 1580.

XXII. Arnulfus *Lyon* obtinebat annis 1581, 1595.

Hos præter occurrunt plures abbates sine chronologicis notis.

VIII Julii Sigifridus.
XXV Augusti Ferricus.
II cal. Julii Miborinus.
VI cal. Januarii Petrus.
III Augusti Henricus.
III Decembris Alardus.

III. S. Pierre. ILLUSTRIS Meurissius episcopus Madaurensis de origine monasterii S. Petri hæc ex archivis excerpsit: « Temporibus Theoderici » & Theodeberti Galliæ regum & Childeberti » regis filiorum, B. Vualdrada famula Christi » devotissima in Dei cultu ac divina religione » clarissima emicuit. Quæ carnis nobilitate splendidissima, utpote prædictorum regum affinitati » connexa, divitiis & opibus inclyta, mundo » renuntians monachicam vitam elegit. Cum » itaque in hoc sanctitatis proposito famula » Christi excrescens proficeret, dominus Eleutherius Francorum dux gloriosus S. Vualdradæ » sanguine proximus, forte tunc monasterium » Deo & S. Petro infra muros Mediomatricum » propriis ex divitiis ædificans, ex prædiis superantibus numerum ditissime ampliavit puellarum religiosissimarum, quibus primum præfecit S. Vualdradam abbatissam. Hæc vero

A ut divine humaneque subditis prodesse simul » ac præesse valeret, prædia sua quæ ex patrum » successione multa susceperat, Deo & S. Petro » tradidit, tamque firme ac stabiliter id facere » curavit, ut inconvulsum per cuncta futurorum » tempora permaneret. Egit hoc anno secundo » Theoderici Francorum regis, testamento ab » eodem rege & cunctis suis principibus, Galliarum pontificibus optime firmato, & ita » firmato decreto, ut si quis heredum aut parentum S. Vualdradæ ductus cupiditate data » Deo auferre tentaverit, legali decreto sua » perdat, & quod aggredietur nullo modo im- » B plere valeat. » Anno 870 quando Ludovicus Germaniæ & Carolus Francorum reges diviserunt inter se monasteria & abbatias regni Lotharii, hæc attributa est portioni Ludovici.

Metensis concilii habiti anno 888 nono canone actum fuit de duabus sanctimonialibus sancti Petri, quæ propter suum facinus de monasterio ejectæ fuerant. Jussit sancta synodus ut velamina illis redderentur & intra monasterium in ergastulo positæ, parvo pane & aqua brevi, cum abundantia divini verbi usque ad satisfactionem fruerentur. Sub initium seculi decimi vigebat regularis obser- C vantia: enimvero inter sanctimoniales erat quædam moribus & sanctimonia insignis, in tenera licet ætate, nomine Geisa, quam amita ejus Friburga remotam a cæteris vitam ducere edocuerat. Hujus & aliarum monialium exemplo & colloquiis animatus Johannes, futurus postea celebris Gorziæ abbas, seculum relinquere constituit. Sensim collapsa est disciplina; monachæ regulare institutum, quod ab origine acceperant, fere abjecerunt. Illas ad normam regulæ sancti Benedicti revocare Albero I episcopus Metensis curavit. Qua de re ab Ottone I rege obtinuit diploma datum D Coloniæ III nonas Junii an. 960. Præcipit rex litteris ut dicti loci, ab antiquis Majorismonasterii nomine nuncupati, abbatissa quæ hoc monasterium tunc moderabatur, domna videlicet Hadwidis, cum omnibus sibi subjectis in monacharum ordine permanere cogantur. Quod ut exsequi possent, possessiones monasterii eis confirmat, cum libera abbatissæ electione, quam ab initio habuerant. Consimile præceptum ob dilectæ conjugis suæ Theophaniæ amorem, Theoderici episcopi & Friderici ducis interventu impertitus est Otto II an. 977, v idus Maii. Promotus ad E episcopatum an. 984 Albero II id monasterium restituisse dicitur, & ad instituendas novitias proximum S. Mariæ ædificasse cœnobium, non amplius subjectum S. Petro, a quo olim pendebat. Utrumque monasterium quondam in loco, ubi arx cernitur, ædificatum, aliorsum est translatum & inhabitatum a virginibus nobili genere satis, quæ excussis legibus monasticis, institutum canonicum capessiverant, quantacunque identidem adhibita fuissent curæ & conatus illis ad primam institutionem revocandis. Proventus hujus monasterii in'o-

Ch. XXII; col. 391.

mando nobili S. Ludovici capitulo insumti sunt.

Abbatissæ.

I. S. Vualdrada de qua modo diximus, in monasterio quod suis possessionibus dotavit, colitur III nonas Maii, quo die notatur in martyrologiis Benedictino & Gallicano.

II. Euphemia quorumdam prædiorum commutationem cum Fulrado abbate S. Dionysii in Francia iniit anno 782.

III. Hawidis an. 960 legitur in præcepto Ottonis regis de reformatione monasterii. *Cadroë* S. Clementis abbas matrem Helvidem abbatissam S. Petri commendat discipulis suis, quippe cui in sexu illo nunquam similem invenisset.

IV. Beatrix an. 1185 subscripsit litteris Bertranni episcopi in gratiam monasterii sui.

V. Margarita *de Cherisy* al. *de Selin* ad Conradi episcopi commendationem electa anno 1416, se Nanceium contulit fidei sacramentum Carolo II Lotharingiæ duci præstitura. Id ab ipso duce mandatum accepit, ut, excepta abbatiali benedictione, confirmationem ab episcopo non adipisceretur. Citata itaque est coram officiali Metensi, & sub recusatione vadimonium obeundi excommunicationis vinculo constricta. Appellavit ad Metropolitanum, a quo latum non est judicium; nam paulo post ad ducis preces censuras solvit episcopus.

VI. Catharina *de Priney* die 24 Octobris 1471 accepit investituram a duce Lotharingiæ, tenens librum & calicem dextra, baculum pastoralem sinistra.

VII. Yolandis *de Liancourt* obiit an. 1517.

VIII. Johanna I *de Haussonville* an. 1517 eligitur ex litteris sanctimonialium ad ducem Lotharingiæ datis 3 Januarii, quibus hic princeps rogatur ut electionem hanc ratam habeat, & confirmationem obtineat a Johanne cardinale a Lothatingia episcopo Metensi.

IX. Anna *de Haussonville* annis 1546 & 1547, ex domesticis instrumentis. Libello supplici cleri Metensis Christianissimo regi contra Protestantes oblato subscripsit 8 Aprilis 1564.

X. Johanna II *de Marcossey* anno 1588 mense Martio apud Nanceium consuetum præstitit homagium.

XI. Francisca *de Haraucourt* præerat anno 1654.

IV. Hornebacum seu Gamundiæ. *Hornebach.*

PLURIUM monasteriorum in diversis provinciis author S. Pirminius, duo in Austrasia construxit, videlicet Hornbacense & Novumvillare. Fundum & impensas Hornbacensi anno circiter 727 contulit Werinherus, illustri Francorum cretus progenie, qui Pirminii sanctitatis famam odoratus, eumdem rogavit ut ad se venire ne gravaretur. Tum ei dedit optionem quem vellet locum in possessionibus suis eligendi, exstruendo monasterio aptiorem. Viro sancto arrisit præ cæteris locus, in confinio diœceseon Trevirensis & Metensis, ob duorum confluxum rivulorum Gamundium sive Gamundiæ, aliis *Hornbach* appellatus: cujus amœnitate & opportunitate sic captus est Pirminius, ut requiem sibi perpetuam illic statuerit. Expurgato a sordidis venatorum usibus loco, monasterium insigne condidit cum æde sacra in honorem & memoriam beatissimæ Virginis Mariæ. Monasterium tamen sancti Petri titulo insignitum erat, positumque ad Saravi & Blesæ confluentes, haud procul ab oppido & arce Biponte. Sancti Pirminii ad prædicationem illuc confluebat utriusque sexus infinita multitudo, cui sanctæ Confirmationis sacramentum in remotis a monasterio tabernaculis conferebat. Abbatiali dignitati adnexum erat munus archidiaconi, quod episcopus Metensis abbati recens electo simul atque confirmationem impertiebatur. In bellicosis tumultibus a Novatoribus in Germania excitatis monasterium adeo deletum desertumque fuit, ut feris liber esset ingressus & egressus. Hactenus possessionibus fruitur dux Bipontis, penes quem sunt chartæ & diplomata regum, imperatorum & benefactorum. Quocirca qui sancto Pirminio in regimine monasterii successere pene omnes ignorantur.

Pauci abbates.

I. SANCTUS Pirminius, cujus parentes & patria prorsus latent, episcopalia munia exercuit in loco Austrasiæ nuncupato *Meltis;* unde nonnulli nominis similitudine decepti, censuerunt alii ipsum fuisse Metensem episcopum, alii vero Meldensem: sed in utriusque ecclesiæ indicibus nulla ejus mentio recurrit, imo quidem locus *Meltis* in vita S. Pirminii tantummodo castellum vocatur, idemque esse videtur cum pago *Metleshem* sito ad radices montis, in quo conditum fuit monasterium Hornbacense. Dum S. Pirminius, quatenus episcopus nulli sedi adstrictus, divinum verbum hinc & inde disseminaret, operam navabat instaurandis veteribus monasteriis, novisque construendis, quorum plurima eum fundatorem colunt; inter cætera Hornbacense, ubi requiem sibi perpetuam constituit. Vocatur chorepiscopus ab Hermanno Contracto; verum in diplomate Theoderici regis dato anno 727 in gratiam monasterii, & in litteris Wigeri Argentoratensis episcopi editis anno sequenti, nec non etiam in epigrammate 101 Rabani Mauri præsul appellatur. Cum sanctissimam vitam egisset, mortis horam instare sentiens, Viaticum sibi administrari curavit, tum habita ad fratres pia exhortatione, animam Deo reddidit anno 758, III nonas Novemb. Sacrum ejus corpus religiosissime servatum est ad usque destructionem monasterii, ex quo delatum fuisse aiunt Oenipontum in ecclesiam patrum Societatis Jesu. Vitam S. Pirminii a Warmanno monacho Augiensi scriptam habes in actis SS. ordinis S. Bened. sæc. III, part. 2. Sub homiliæ forma tractatum stylo aspero ab ipso scriptum, sed quoad dogma & doctrinam pretiosissimum edidit Mabillonius. *Analect. t. IV, p. 65.*

II. Jacob S. Pirminii successor ac Tullensis episcopus, subscripsit anno 765 concilio Attiniacensi hoc modo: *Jacob episcopus de monasterio Gamundias.* Dum Roma rediret, accessit Divionem in monasterium S. Benigni, adductus fama miraculorum S. Martyris, ubi decessit anno circiter 767.

III. Amalarius idem esse videtur cum Symphosio Amalario, qui a Ludovico Pio imperatore curam suscepit scribendi regulam pro canonicis. Presbyter fuit & quidem vocatur abbas & chorepiscopus in quibusdam vetustis codicibus. Habitabat in Metensi diœcesi & forsan in Hornbacensi monasterio, cujus abbatem fuisse *Amalhart* Augiense necrologium testatur. Libros quatuor de divinis seu ecclesiasticis officiis & alterum de ordine psalmorum seu antiphonarii scripsit. Sub annum 827 ad Gregorium papam IV a Ludovico missus est, ut ipse perhibet in prologo ad Antiphonarium.

IV. Wirundus haud dubie Amalarii successor laudatur in necrologiis Augiensi & sancti Galli.

Char. XLI, col. 580.

V. Hugo societatem suffragiorum & precum cum Walterio abbate S. Michaëlis ad Mosam iniit anno 1274.

VI. Henricus Hornebacensis abbas una cum Reinerio abbate S. Mariæ extra muros Trevirenses visitavit monasterium Epternacense anno 1443.

V.
Neumontier.

NOVUM-MONASTERIUM ordinis sancti Benedicti prope pagum vulgo dictum *Otveiller*, sub invocatione SS. Trinitatis, ab Adventio episcopo Metensi cœptum fuit, ac perfectum & dotatum ab Adalberone II. Nihil hodie superest præter rudera, ex quibus judicare licet valde spatiosum fuisse. Clementia hujus parthenonis abbatissa collegiatam ecclesiam Marsallensem fundavit 8 Septembris 1222.

VI.
S. Maria.
Notre-Dame.

QUO tempore Adalbero II, qui Metensis episcopus evasit anno 984, monasterium puellare S. Petri in urbe restituisse dicitur, eodem etiam proximum cœnobium sanctæ Mariæ ad instituendas novitias fertur ædificasse; tametsi nulla ejus rei mentio in ejus actis occurrat. Exstant adhuc in Metensi arce vetera & semiruta ædificia hujus parthenonis, cujus sanctimoniales, quæ postmodum evaserunt canonicæ, in domum seu hospitium equitum Melitensium S. Johanni dicatum in parœcia S. Victoris, translatæ sunt, non amplius subjectæ sancti Petri monasterio in urbem itidem translato, a quo olim pendebant. Præter litteras Matthæi ducis Lotharingiæ, qui ætate Stephani episcopi & Judithæ abbatissæ largitus est quasdam possessiones, vetera non exstant diplomata. Iisdem fruebantur privilegiis, eademque statuta observabant atque dominæ canonicæ S. Petri, ex quibus prodierant. Cultum est in ecclesia corpus S. Serenæ, quod Theodericus episcopus ex Italia reportavit anno 970 in monasterium S. Vincentii Metensis: unde illud Adalbero ad S. Mariam procul dubio detulit. Hæc abbatia hodie non existit, insumtis informando nobili S. Ludovici capitulo facultatibus.

ABBATISSÆ.

I. JUDITH occurrit anno 1151 in diplomate Matthæi ducis Lotharingiæ donum monasterio largientis.

II. Agnes I legitur in litteris Bertranni episcopi pro monasterio S. Petri an. 1185.

III. Aleidis *de Magni* 1290 a Burchardo episcopo Metensi confirmata.

IV. Agnes II *Quelcol* 1340.

V. Johanna I *Groignat* 1369.

VI. Johanna II *Quelcol* 1406.

VII. Mathildis *Faulquenel* 1418.

VIII. Isabellis *de Juvigny* 1450.

IX. Johanna III *de Juvigny* 1468.

X. Hugetta *d'Ivoire* 1504.

XI. Francisca *Chevresson* 1527.

XII. Claudia I *de Haraucourt* 1531.

XIII. Blanca *de Haussonville* ex coadjutrice abbatissa renunciatur 1550: decessit 1584.

XIV. Philippa I *de Marchaumont* 1584 resignavit Claudiæ *de Marchaumont* 1591; sed illa morte sublata, ei successit electione sanctimonialium.

XV. Catharina *d'Amoncourt* anno 1592, quæ coadjutricem sibi delegit sequentem anno 1611.

XVI. Claudia II *de Haraucourt*, ex nobili stirpe Lotharingica, possessionem adiit anno 1626 per obitum Catharinæ 5 Januarii. Decessit vero Nanceii 15 Novemb. 1635.

XVII. Philippa II *de Munhem* electa 1635 & bullis confirmata.

VII.

TEMPORE Theoderici II episcopi Metensis in insula Mosellæ prope monasterium sancti Vincentii Metis conditum est Benedictinarum virginum cœnobium circa annum 1005, cujus nulla fere supersunt vestigia. Enimvero funditus eversum fuit an. 1560, translatis sanctimonialibus ad abbatiam S. Petri, cui bona & omnes possessiones tributa sunt.

VIII.
Vertzvillare.
Vertzviller seu *Varsevillier.*

AD amnem Blissam æquali distantia ab urbibus Homburgensi & Bipontina a comite Vernerio structum est an. 1195 Vertzevillaris monasterium, sub ditione abbatiæ Villaris-Betnach ordinis Cisterciensis. Monasterium ejusque possessiones invaserunt duces Bipontini, ac proinde ecclesia & loca regularia corruerunt.

IX.
Pons-Thiefredi vel Pons-frigidus.
Pont-Thiffroy.

AUCTORES abbatiæ Pontis-frigidi in urbe Metensi ad annum 1322 fuerunt Johannes *Louviat* & ejus uxor nomine Pontia, indigenæ Metenses. Illos a sancta sede confirmationem requirentes Johannes XXII remisit ad Henricum Delphinum episcopum Metensem, ut suæ petitionis effectum assequerentur. Hæc abbatia filia Villaris-Betnach, quondam ad portam Pontis-frigidi sita, eversa est an. 1565 urbem munimentis sepiendi causa. Sedem fixere monachi in domo spectanti ad monasterium Justi-montis regis sumptibus empta prope ecclesiam S. Georgii, in qua statum fuit

transactione cum parochianis eodem anno 29 A Septembris inita ut divinis rebus operarentur. Adeo tenues evaserant proventus, ut monasterium pro duodecim monachis quondam dotatum, ne unum quidem monachum cum abbate alere posset. Quapropter, post obitum Francisci *Petit* ultimi abbatis defuncti anno 1740, Ludovico XV regi placuit hanc abbatiam accommodare ad parthenonem de Claravalle, olim in urbe Metensi a S. Bernardo fundatum.

ABBATES.

I. ALBERTUS eductus e Villari, rexit ab B anno 1323 ad 1347.

II. Philippus *de Chaillier* seu *Chayllis* 1347.

III. Gilbertus 1350, præfuisse dicitur 21 annis.

IV. Olricus per 28 annos abbas, occurrit anno 1395.

V. Johannes I *de la Marche* post regiminis annos septem resignavit.

VI. Petrus I *de Saux*, monachus Claravallensis, superstes anno 1402, abbatis munus gessit 13 annis, & ecclesiam ædificari curavit.

VII. Simon I *Baret de Montigny-le-Roi*, C monachus Morimundi, post sex regiminis annos, mortuus 26 Aprilis 1468.

VIII. Simon II *de Vaucouleur*, monachus Morimundi, resignavit sub pensione decem librarum, ac supervixit quinque sequentibus abbatibus.

IX. Petrus II *de Saint-Michel* rexit per biennium.

X. Conradus *de Damblin* præfuit tribus vel quatuor mensibus, Morimundi defunctus 1509.

XI. Johannes II *de Blenaincourt* præcedentis fuit æmulus.

XII. Bernardus *Viard* honestatus abbatis D munere per 8 annos.

XIII. Johannes III *le Picard* pauco tempore administravit.

XIV. Stephanus *de Villemore*, theologiæ doctor & prior Cistercii, hymnos in honorem SS. Eligii & Medardi composuit. In sequentis gratiam cessit.

XV. Johannes IV *Cerardin* ob pravam administrationem exauctoratus post quinque vel sex annos.

XVI. Nicolaus I *Royer* optime rexit 13 annis, defunctus anno 1550.

XVII. Michaël *Bertrand*, decem annis E tribusque mensibus elapsis, obiit an. 1520.

XVIII. Nicolaus II *Didier*, possessionem capessivit anno 1520, exactisque 29 annis, occubuit 1549.

XIX. Marculfus *Forcey* post annos duodecim moritur 1562.

XX. Manginus *Rambaut*, professus sancti Benedicti in Vavria 1562.

XXI. Nicolaus III *Valtier de Rupigny*.

XXII. Andreas vel Androinus *de Hensy* abbas creatus an. 1601, ex monacho Cistercii, ubi monasticam vestem acceperat 12 annos natus.

XXIII. Edmundus *Lancelot Tiraqueau*, monachus Cistercii, doctor theologus, obtinuit anno 1615. Quatenus in scientiis versatissimus, vicarii generalis in diœcesi munia gessit. Sua eximia administratione suo monasterio commoda curavit. Fuit abbas Pontis-frigidi simul & Villaris anno 1634.

XXIV. Johannes V *de Bretagne* in abbatem electus, monasticum habitum induit an. 1634, ordinem presbyteratus accepit mense Septembri sequenti, vitaque cessit 9 Octobris 1669.

XXV. Antonius *Paget* monachus a rege nominatus an. 1669, vivere desiit 2 Novemb. 1687.

XXVI. Franciscus *Petit* professus Cistercii a rege renunciatus 24 Decemb. 1687. Quo defuncto anno 1640, bona monasterii attributa sunt a Christianissimo rege Ludovico XV sanctimonialibus de Clara-valle in urbe Metensi institutis.

X.
Claustriacum.
Crossial.

HAUD procul a via, qua Metis Argentoratum tenditur, Parvam-petram inter & Saliburgum, situm erat Claustriacum, parthenon ordinis Cisterciensis, cujus nullum prorsus exstat vestigium ante seculum duodecimum. Originem ejus S. Sigibaldo Metensi episcopo tribuit Meurissius; at verisimilius est id monasterium conditum fuisse a Folmaro Metensi comite: utpote qui illud subdiderit Theogero fratri suo, abbati S. Georgii in silva Hercinia, qui postea ad Metenses infulas evectus est. Equidem a duodecimo seculo abbatissæ Claustriaci abbati S. Georgii paruerunt usque ad decimum quintum, quo Lutherani dotando Heildelbergensi collegio deleti ab illis monasterii proventus adscripserunt. Præerat anno 1487 Gertrudis *d'Usenhein.*

XI.
Clara-vallis.
Clairvaux.

METIS dum versaretur sanctus Bernardus, invisit domum in qua degebant filiæ dictæ *Scottæ*, quarum vita vituperationis non erat expers. Sanctus abbas in eam domum impetratam a Stephano episcopo introduxit moniales sui ordinis, ac voluit monasterium donari nomine Claræ-vallis. Ea de re expeditæ sunt litteræ anno 1133 mense Martio. Sub regimine priorissarum diu degerunt virgines, quæ ut in parthenonem admitterentur, nobilitatis tenebantur exhibere probationes. Longe dispares a monialibus ordinis sui, vestes licet albas sic etiam calanticas more feminarum secularium gestabant, ac per urbem ad arbitrium vagabantur. Exstiterunt priorissæ quarum nomina ignoramus usque ad annum 1631. His successerunt abbatissæ, prout constat ex bullis Urbani VIII datis 15 Februarii ejusdem anni. Attributa fuerant anno 1740 bona abbatiæ de Ponte-frigido huic cœnobio, quod & ipsum rescissum est anno 1757, præstitis annuis pensionibus, scilicet abbatissæ sexcentis

supra mille, & unicuique moniali octingentis libris.

ABBATISSÆ.

I. CHRISTINA *de Montarby* creata abbatissa anno 1631, possessionem accepit 1632. Obiit 20 Decembris 1697.

II. N. *de Rollet* fatis concessit 1698.

III. Ludovica-Christina *de Beauparc des Pailliets* obtinuit anno 1698, ac decessit 4 Decembris 1738, post regiminis annos 40.

IV. Francisca-Ludovica-Josepha-Antonia-Theresia *de Chavigny* promota fuit an. 1738. Sub ejus regimine abrogatum est monasterium B an. 1757.

XII. Marienflos. MATTHÆUS II dux Lotharingiæ ejusque uxor Catharina de Limburgo dotarunt & struxerunt anno 1242 prope *Sierk* monialibus ordinis Cisterciensis cœnobium, quod vocarunt *Marienflos*. Locum & ædes Valkerenga abbatissa cessit anno 1414 Carolo II duci pro instituendis illic monachis Carthusianis. Ipsa vero cum sororibus suis secessit Johannis abbatis Cistercii consensu ad monasterium Freistrosii, cui bona & latifundia præcitati C parthenonis adnexa sunt. In eo loco diu non stetere Carthusiani, ad Rutelensem abbatiam translati. Verum erecta est ibidem a Renato duce ecclesia collegiata.

XIII. Sancta Crux de Buris. MONASTERIUM S. Crucis in allodio de Buris & in suburbio Metensi, locum tradente Alberto Metensium advocato, sancto Eligio sacrum ædificavit Zacharias. Hic cum fratribus suis primo incoluerat locum dictum, Grangia Dominarum, quem sororibus ordinis sui Præmonstratensis reliquit inhabitandum. Verum illæ exundationibus Mosellæ frequenter ob- D noxiæ, perfugium efflagitarunt a Zacharia, qui ultro Burense monasterium eis concessit, & cum suo capitulo se recepit Justum-montem. In eo loco aliquandiu stetere fratres adunati, donec ad instantiam fundatorum & quidem plurimorum fratrum ad primam habitationem redire necesse fuit. Ea de re agetur in historia monasterii Justi-montis, ubi cernetur partem aliam fratrum apud Justum-montem stetisse, migrasse partem alteram ad pristinam mansionem de Buris, divisaque inter utrumque A monasterium bona, suo quodque patrimonio dotatum, & a proprio administratum abbate. Titulo S. Crucis insignita est abbatia, quæ pridem S. Eligii præferebat nomen, ex quo nobilis Flander Jerosolymis redux partem non modicam S. Crucis munere dedit. Franciscus a Lotharingia dux Guisiæ a Christianissimo rege Henrico II Metas ablegatus, ut Caroli V imperatoris exercitum arceret a mœnibus, abbatiam S. Crucis aliasque ædes suburbanas, ne forent hostium effugia, solo æquari jussit anno 1552. Secesserunt canonici in urbem ad suum sancti Eligii hospitium. Deleta est abbatia, cujus possessiones instituto nuper Jesuitarum collegio asseruit Henricus IV anno 1590, suisque rescriptis roboravit Gregorius XIV anno 1591.

ALIQUOT ABBATES.

I. ZACHARIAS de quo vide quæ diximus in abbatibus Justi-montis.

II. Leherus vide ibid.

III. Stephanus insimul abbatias de Buris & Justi-montis aliquandiu rexit.

IV. Hugo I ab Alexandro III & Lucio III bullas confirmationis obtinuit ad annos 1181, 1182.

V. Ulricus.

VI. Radulphus.

VII. Gerardus I ex abbate sanctæ Crucis postulatus abbas Salinæ-vallis anno 1292.

VIII. Rogerus.

IX. Gerardus II *de Vigeti* superstes an. 1515.

X. Hugo II *la Chaisse*, Gallicanæ dominationis impatiens, partium Cæsaris fuit sectator studiosissimus, ad perduellionem populum provocans. Possessionem ante annum 1555 accepit.

XI. Michaël *Randel* abbas sancti Eligii anno 1564 subscripsit libello supplici cleri Metensis regi inscripto adversus Protestantes.

XII. Petrus *Jodin* 1587. Liberatus fuit a Ludovico *Coquerel* abbate Justi-montis e carcere in quem conjectus fuerat jussu regis Franciæ ob proditionis suspicionem.

XIII. Johannes *Chesneau* ab ordine Præmonstratensi nominatus fuit abbas, qui incassum insudavit in cohibenda monasterii extinctione.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ, si collegium sancti Ludovici Canonicorum regularium iis annumeres, omnino viginti.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Sanctus Nabor, *Saint-Avold.*
Longa-villa, *Longeville, Glandières, Saint-Martin-aux-Chesnes.*
Sanctus Symphorianus, *Saint-Symphorien.*
Sanctus Clemens, *Saint-Clément.*
E Gorzia, *Gorze.*
Sanctus Arnulfus, *Saint-Arnou.*
Sanctus Vincentius, *Saint-Vincent.*
Bozonis-villa, *Bouzonville.*

Feminarum.

Sancta Glodessindis, *Sainte-Glossinde.*
Vergavilla, *Vergaville.*

S. Ludovicus, capitulum nobile canonicarum.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Sancti Petri Mons, *Saint-Pierre-mont.*
Collegium sancti Ludovici.

Feminarum.

Sancta Magdalena, *la Magdeleine.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Sanctus Benedictus in Vavria, *Saint-Benoît-en-Voivre.*
Villare-Betnach, *Villers-Betnach.*
Freistrofium, *Freistrof.*
Sturcelburne, *Stulzbron.*

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Justus-mons, *Justemont.*
Salina-vallis, *Salival.*

SAINT-AVOLD.

SANCTUS-NABOR.

BEATUS Fridolinus, natione Scotto-Hibernus, in Galliam sub regno Chlodovæi I appulsus, postquam diu in Pictavensi sancti Hilarii monasterio habitasset, in Austrasiam profectus est, & potestate a rege accepta, monasterium ad amnem Rosellam in honorem sancti Hilarii construxit anno circiter 509, quod idcirco Hilariacum seu Helera, & quidem Nova-cella dictum fuit. Fundationem sancto Sigisbaldo Metensi episcopo Paulus diaconus tribuit, sed non nisi veluti conditor haberi potest, utpote qui monasterium a fundamentis instauraverit anno 714. Illic sepultus est, dein translatus in suburbanum Metensis civitatis cœnobium sancti Symphoriani. Volunt ab ipso sub invocatione sancti Pauli erectam fuisse basilicam, unde aliquanto tempore inditum nomen sancti Pauli, donec S. Chrodegangus Roma sanctorum Martyrum corpora reportans, sacras reliquias sancti Naboris reposuisset circa annum 765 in eo cœnobio, quod abhinc sancti Naboris nomen accepit. Sævam & ita gravem vexationem tam in populationibus quam in rapinis a Volmero comite & advocato Metensis ecclesiæ in homines cœnobii ex litteris Engelrami episcopi illic sepulti legitur exercitam fuisse, ut ob inopiam vix possent reperiri fratres, qui Deo & sancto Nabori servire vellent. Cui vexationi ut obviaretur, Walo abbas ac fratres, consulente Engilramo, quasdam villas ex præbenda sua comiti tradiderunt an. 791 die 15 mensis Junii. Plurimas donationes huic monasterio contulerunt diversis temporibus Metenses episcopi: quos inter Burchardus anno 1293 tradidit ecclesiam *de Tettinghem*, monachorumque numerum ad viginti quatuor fixit: Ademarus etiam anno 1332 duas parœciales ecclesias *Bunga* & *Bidelstrof* largitus est. Ex eo monasterio suam traxit originem adhærens civitas S. Naboris, vulgo *Saint-Avold.* Primus inter prælatos in comitiis generalibus episcopatus quondam sedebat abbas, dignitate primi baronis episcopatus

A honestatus. Plurima abbatum nomina perierunt primique occurrunt sine chronologia.

ABBATES.

I. ADELARDUS.

II. Amandus I.

III. Rabigardus.

IV. Vasco vel Walo anno 791 ex consilio Engelrami episcopi Volmero comiti Metensi quasdam villas sui monasterii tradidit, ut se suosque fratres tutos ab ejus vexationibus præstaret.

V. Aldricus.

B VI. Constantinus in necrologio notatur 15 Octobris.

VII. Helpradus.

VIII. Theopertus.

IX. Villericus.

X. Vadolphus.

XI. Tempertus.

XII. Adelmodus.

XIII. Rudolphus.

XIV. Albertus.

XV. Fridericus I.

XVI. Daniel.

C XVII. Everardus defunctus 13 Martii ex necrologio.

XVIII. Guerdinus mortuus 14 Julii.

XIX. Richio in charta Longæ-villæ anno 1121.

XX. Albericus, cujus tempore Stephanus episcopus Metensis ecclesiam parœcialem sancti Naboris monasterio adnexuit anno 1140. Subscripsit anno 1150 litteris Henrici archiepiscopi Moguntini de fundatione prioratus Offembacensis.

XXI. Johannes I anno 1165 in documento Longæ-villæ.

D XXII. Tydevinus quem charta Theoderici electi Metensis testatur commutationem fecisse cum abbate S. Vincentii.

XXIII. Godefridus 1175.

XXIV. Reinerius fundavit suum anniversarium: legitur in codice fundationum hæc clausula: *Missa pro defunctis solemnior debet die illa celebrari; fratres & sorores missæ interesse, & pro anima abbatis orare.* Unde conjicere licet monasterium duplex fuisse.

XXV. Bertramnus unionem parœcialis ecclesiæ S. Naboris confirmari fategit anno 1210 a Bertranno episcopo. Superstes adhuc E anno 1220.

XXVI. Folmarus I ejusque fratres capitulo Homburgensi cesserunt ecclesiam anno 1252. In litteris recurrit anno 1257.

XXVII. Nicolaus I saltem ab anno 1262 ad 1283.

XXVIII. Fridericus II an. 1290, consulente Metensi episcopo, decretum tulit postridie Trinitatis de alendis solummodo 24 monachis. Degebat adhuc anno 1305.

XXIX. Folmarus II 1309.

XXX. Johannes II anno 1313 in festo S. Margaritæ, annuente Reginaldo episcopo, hospitale

hospitale fundavit in civitate sancti Naboris. Reperitur etiam anno sequenti.

XXXI. Folmarus III ob optimam administrationem alter fundator haberi potest. Præerat anno 1330. Annuit anno 1349 ut prioratus a Johanne Sarbrucensi comite fundatus perpetuo adnecteretur monasterio. Memoratur adhuc anno 1357.

XXXII. Thillemannus ab anno 1363 ad 1373.

XXXIII. Conzemanus ad annos 1383, 1393.

XXXIV. Carolus apprime regebat adhuc anno 1403.

XXXV. Colinus idem forte cum Nicolao, qui sequitur, occurrit anno 1411 in litteris Germanico idiomate scriptis.

XXXVI. Nicolaus II in documentis reperitur ad annos 1413, 1423.

XXXVII. Diedericus vel Theodericus 1427. Collationem capellæ hospitalis sancti Naboris a Conrado episcopo sibi firmari curavit an. 1440. Carthularium exscribi jussit anno circiter 1434. Cessit tandem in manibus Conradi episcopi.

XXXVIII. Ulricus *de Vintrange* electus a capitulo, annos tantummodo 18 natus, vacationem ætatis obtinuit a Pio II an. 1458.

XXXIX. Adamus *de Roupeldange* factus abbas 1483, plurimum fuit intentus servandis bonis & juribus monasterii, quod rexit 30 annos.

XL. Mathias instaurator & reformator abbatiæ, sodalitatem renovavit cum monasterio S. Maximini Trevirensis. Cessit e vita anno 1518.

XLI. Nicolaus III *de Sainte-Aldegonde* in documento recurrit an. 1521. Cum 14 annos præfuisset, obiit anno 1532 ex epitaphio.

XLII. Henricus I *d'Utrecht*, facta cessione inter manus Pauli III papæ, decessit 17 Martii 1545.

XLIII. Valentinus *du Châtelet*, jam abbas S. Vincentii Metensis, abbatia sancti Naboris provisus fuit an. 1545 a Paulo III pontifice. Occubuit 4 Maii 1549.

XLIV. Amandus II *de Liege*, cujus electio confirmata fuit ab episcopo Metensi 13 Maii 1549.

XLV. Johannes III *de Saint-Avold* per præcedentis cessionem abbas suffragiis fratrum creatus 2 Octobris 1551, confirmatus fuit a Roberto cardinali *de Lenoncourt* 16 ejusdem mensis.

XLVI. Johannes IV *de Coblentz*, prior claustralis, in præcedentis locum suffectus est. Ejus electio confirmata 21 Novemb. 1571. Benedictionem Treviris adeptus 27 Aprilis 1572, obiit ineunte anno 1578.

XLVII. Johannes V *de Treves*, cujus electio laudata est 5 Augusti 1578, benedictus est Metis 6 Augusti 1579.

XLVIII. Nicolaus IV *Peltre* allectus per abdicationem decessoris 29 Octobris 1598

A & confirmatus 10 Novembris, Metis benedictionem accepit 13 Aprilis 1599.

XLIX. Marcellus *Hann*, al. *de Treves*, Nicolao recens defuncto substitutus fuit 11 Maii 1606. Monasterium congregationi sancti Vitoni univit.

L. Pulchronius *Lavignon* Marcello abdicanti subrogatus 16 Septembris 1624, non modo ab episcopo Metensi 18 ejusdem mensis, sed & ab archiepiscopo Trevirensi 10 Decemb. confirmatus est. Æmulum habuit Carolum *d'Anglure*, qui pro abbatia Belli-campi permutavit in gratiam ducis Nicolai-Francisci B cardinalis. Hic cum clero valedixisset, a rege Christianissimo renunciatus est abbas princeps *de Conty*, & post eum uxoratum cardinalis Mazarini. Nihilominus Pulchronius gavisus est usque ad mortem, quæ accidit an. 1660 mense Februario.

LI. Henricus II *Henezon* canonice electus 21 Februarii 1660, confirmatus est 5 Martii insequentis. Per cessionem cardinalis Picolomini adeptus abbatiam S. Michaëlis ad Mosam, cessit & ipse in manibus Alexandri VII pontificis abbatiam S. Naboris in gratiam sequentis.

LII. Matthæus *Galliot* bullas consecutus C anno 1666, possessionem iniit 18 Februarii 1667, fruitusque est usque ad annum 1709, quo decessit 8 Januarii, vir sanctitate morum & singulari studio in pauperes vere commendandus.

LIII. Andræas *Royer*, coadjutor institutus jam ab anno 1701 mense Julio, in possessionem adiit 7 Septembris, ac benedictionem obtinuit 8 Maii 1702. Cum domum totam instaurasset, sacrarium pretiosa instruxisset supellectile, eximiamque & ditissimam collegisset bibliothecam, subita morte sublatus est 6 Septembris 1723, 78 annos natus.

D LIV. Sebastianus *Mourot* in coadjutorem assumptus ab anno 1719 bullis Clementis XI, possessionem adeptus est 19 Januarii 1720. Treviris benedictionem accepit 23 Augusti 1722.

LV. N. *de la Galaisiere* creatur abbas commendatarius anno 1762.

LONGA-VILLA.

LONGEVILLE seu GLANDERES. vel S. MARTIN-AUX-CHESNES.

Cœnobii Glanderiensis erecti circa annum 587 non longe ab Hilariaco vico in monte Longæ-villæ, unde monasterio nomen E hæsit, conditores fuisse dicuntur beati Dignus & Undo; benefactor vero Bodagislus, vocatus etiam Arnoaldus Ansberti quondam ducis filius & S. Arnulphi Metensis episcopi pater, ut legitur in diplomate sub nomine Ludovici Pii dato anno 836, & recognito a Sigismundo Romanorum rege: quo in diplomate ecclesia Glanderiensis in honore S. Dei genitricis Mariæ & sanctorum confessorum Martini, Digni, Bodagisli atque Undonis consecrata dicitur; spoliata vero a regibus, qui ante Carolum Magnum reges extiterunt. Ad Ludovicum Germaniæ regem apud urbem Mediq-

matricum versantem accessere fratres ex cœ- A
nobio S. Martini nec non & beati Undonis confessoris Christi, rogantes ut ad supplendam ipsorum inopiam, res quasdam eidem cœnobio ablatas eis restitueret. Horum postulatis rex acquiescens, villam *Greinstat* in pago Wormatiensi eis restituit diplomate dato cal. Decemb. anno XXXVIII regni in Orientali Francia. Quasdam etiam res proprietatis suæ in pago Salnensi tradidit comes Odacer circa annum 991. Sepulti sunt in monasterio fundatores, sic memorati in martyrologio S. Naboris: *XV cal. Januarii in Glandariensi monasterio natale sanctorum Confessorum Digni, Bodagisli,* B
& Undonis, qui sub mundano dignitatis habitu conspicui Christi milites, in ejus servitute devoti & magnis vitæ virtutibus clari, omnique sanctitate pollentes, in pace quieverunt. Hactenus Glanderiense monasterium perstat sub congregatione S. Vitoni ab anno 1606.

Annal. Bened. t. III, p. 679.

SERIES ABBATUM.

I. THIEMARUS anno 991 munificentiam Odacri comitis expertus est.

II. Heimo superstes anno 1066 tempore Adalberonis III Metensis episcopi.

III. Richiso obtinuit a Stephano Metensi C
episcopo privilegium de confirmatione bonorum monasterii an. 1121. Adhuc reperitur anno 1142.

IV. Ludovicus legitur in litteris Hillini archiepiscopi Trevirensis.

V. Folmarus 1163 & 1165, quo donum Roberti de Roldinga a Theoderico episcopo firmari curavit. Ecclesiam *de Bruloncourt* ab eodem accepit anno 1170. Occurrit etiam ad annos 1175, 1184.

VI. Galterus reperitur anno 1210; largitus est capitulo Metensi ecclesiam de Criencuria, comprobante Conrado episcopo anno 1219. D
Domum hospitalem fundavit, quam Conradus episcopus confirmavit anno 1222. Memoratus adhuc anno 1242.

VII. Pontius 1255. Tradidit ob tenuitatem præbendarum ecclesiæ Homburgensis ecclesiam de Bosperna anno 1257.

VIII. Johannes I anno 1263 nominatus fuit commissarius in controversia mota inter Henricum archiepiscopum Trevirensem & Theodoricum abbatem S. Mathiæ. Abbatem hunc e monasterio ab archiepiscopo pulsum reduxit in possessionem.

IX. Godefridus occurrit ad annos 1271, E
1277, 1280, 1289.

X. Valterius *de Menga* 1296, 1309, 1327.

XI. Theodoricus *de Menga* 1328, 1342.

XII. Nicolaus I *de Priney* 1343, 1347. Postea abbas Gorziæ.

XIII. Isembertus *de Menga* 1352.

XIV. Rainaldus *de Befort* 1376.

XV. N. 1392, 1393.

XVI. Johannes II *Guemaune* 1399, 1413. 1414.

XVII. Conradus *de Castel* electionis suæ confirmationem adeptus a Johanne XXIII præerat anno 1416.

XVIII. Mathias obtinebat anno 1420, mortuus anno 1424.

XIX. Petrus I *de la Mothe* obiit 1457.

XX. Albertus ab anno 1457 usque ad 1479, quo resignavit in gratiam sequentis.

XXI. Philippus *d'Halem* factus abbas 1479, adhuc obtinebat an. 1510.

XXII. Gaspardus Johannis camerarius electus est una voce 8 Octobris 1518. Adhuc superstes anno 1529.

XXIII. Nicolaus II *Prevôt* Tulli obiit 1546.

XXIV. Sebastianus *Tarvenu* natus tantummodo decem & novem annos duobus post mortem decessoris diebus electus fuit abbas 1546. Sub ejus regimine anno 1552 die sancti Remigii cremata fuit abbatia a copiis Alberti marchionis Brandeburgensis. Mortuus est mense Januario 1557.

XXV. Johannes III *Sebric* creatus abbas 1557, confirmationem electionis obtinuit 26 Junii 1560. Ut vitaret crebras hostilitates degebat apud sanctum Naborem. Devixit 15 Februarii 1564.

XXVI. Nicolaus III *Pierrat* electus 16 Februarii 1564, occubuit 6 Januarii 1572.

XXVII. Johannes IV *Claudot* creatus abbas ipso die obitus sui decessoris, decessit & ipse anno 1582.

XXVIII. Claudius *Eliphi* promotus anno 1582, pessimus fuit œconomus, depravatosque mores habuit. Idcirco in carcere inclusus est in cœnobio Mediani-monasterii, ubi vivere desiit anno 1611.

XXIX. Franciscus *Thierry* clericus secularis in coadjutorem assumptus fuit anno 1603 ea lege ut regulam sancti Benedicti amplexaretur. Et vero professionem emisit 3 Novembris 1605. Reformationem induxit in monasterium anno 1606. Defunctus est extra monasterium, quo relatum cor ejus depositum fuit ante majus altare 1651.

XXX. Stephanus *de Heunin de Sainte-Catherine*, factus fuit coadjutor anno 1628, adhuc non emissa professione. Servitio Caroli IV ducis Lotharingiæ addictus, periit anno 1654 in naufragio, dum peteret Toletum, ubi princeps in carcere detinebatur.

XXXI. Deodatus *Clément*, monachus congregationis sancti Vitoni, electus 9 Februarii 1655, iniit possessionem 10 Aprilis 1656. Cum in gratiam domni Gabrielis *Maillet*, insciis fratribus, cessisset; vicissim illi elegerunt Martinum *Henry*. Querelas detulit Deodatus ad papam, cujus autoritate servatus fuit in possessione, & aliquanto post se abdicavit.

XXXII. Joachimus *Vivin*, visitator congregationis S. Vitoni, in abbatem a conventu cooptatus 6 septembris 1666, dignitatem deposuit anno sequenti 11 Maii.

XXXIII. Anselmus *de Vautronbois*, prior Brolii prope Commercium, a fratribus electus

18 Maii 1667, possessionem apprehendit 20 Junii ejusdem anni. Fatis concessit 6 Aprilis 1684, dum erigendæ novæ ecclesiæ operam daret.

XXXIV. Hilarion *de Bar* in coadjutorem adscitus 16 Maii 1682, abbatia se exuit mense Augusto 1710, & obiit 4 Aprilis 1715.

XXXV. Claudius *de Bar*, superioris nepos, in ejus locum suffectus fuit per electionem 2 Augusti 1710. Clausit diem extremum 9 Augusti 1718. Facta jam cessione mense Julio præcedenti.

XXXVI. Petrus II *Vassimont* a fratribus in abbatem cooptatus 4 Augusti 1718, æmulum passus est Hyacinthum *de Tournielle* majorem decanum ecclesiæ primatialis Nanceii, & post longas litigationes transactum fuit anno 1726.

XXXVII. N. *de Boufiers* a rege renunciatus abbas 1762.

Hos præter sine chronologia occurrunt

Gregorius IV nonas Augusti.

Richerus idibus Augusti.

ABBATIA S. SYMPHORIANI METENSIS.

FUNDATOREM agnoscit hoc monasterium S. Pappolum Metensem episcopum circa annum 608, quo id exstruxisse dicitur in honorem SS. Innocentium & ex rebus suis propriis dotasse, nempe fundo inter cæteros nuncupato *Pappoli-villa* vernacule *Plappeville*, cujus mentionem facit Stephanus Barrensis episcopus Metensis in charta anni 1130, quique ab eo tempore ad præsentem usque diem monasterii ditionum & dominiorum pars est. De S. Pappolo hæc habet martyrologium Gallicanum ad diem 21 Novembris Metis sancti Pappoli episcopi & confessoris: « Is Arnoaldum in ordine sequens meritis sic æquavit, ut pari splendore, pari vigilantia, nec minori sapientia populo suo prælucens sedem hanc collustraverit: honoris autem Cœlitum augendi & sanctæ religionis provehendæ studiosus, ad urbis suæ mœnia monasterium ascetarum ordinis S. Benedicti sub patrocinio beati Symphoriani martyris, cui speciali devotione affectus erat, fundavit. » Ubi labitur scriptor, cum ex traditione & universis monasterii monumentis constet in honorem sanctorum Innocentium primo constructam hanc ecclesiam, nec nisi sub finem decimi seculi S. Symphoriani nomen habuisse, cum eam reparavit in eaque S. Martyris reliquias collocavit Adalbero II Metensis episcopus. Multas clades pluresque casus passa est hæc domus quæ funditus a Normannis diruta est Metas obsidentibus anno 882. Cum enim extra mœnia civitatis sita esset, nil mirum si barbarorum furorem primum experta est. Hinc illa chartarum monimentorumque penuria sine quibus nihil certi de ea proferre possumus. Hoc unum ex residuis documentis & traditione

A liquet Adalberonem I Metensem episcopum cogitasse de reparando monasterio cui præfecerat S. Cadroë, sancti Clementis itidem abbatem, circa annum 948; verum, re infecta, ab Adalberone II qui anno 984 ecclesiæ Metensis regimen suscepit, resumptum opus & ad finem perductum, quod innotescit ex diplomate Othonis III regis anno 992 dato, in quo hæc inter cætera leguntur: « Quapropter omnium fidelium nostrorum...... quomodo Adalbero Metensis ecclesiæ venerabilis episcopus ad nos venit dicens quod abbatiam quamdam foras muros Metis civitatis B sitam, jam longo tempore destructam pro Dei amore & sancti Symphoriani martyris noviter cœpit rædificare, humiliter deprecans nostram excellentiam ut eamdem abbatiam cum suis pertinentiis nostræ authoritatis præceptione confirmemus. Nos vero..... præ petitione illius benignum assensum præbentes eidem abbatiæ sancti Symphoriani omnia loca a regibus, vel imperatoribus, vel ab aliis religiosis personis antea unquam tradita, vel quæ jam ipse dilectus Adalbero episcopus illuc moderno tempore adauxit & adhuc addere desiderat, aliorumque Dei fidelium bona C voluntas adjungere studuerit, regia denuo nostra munificentia donamus atque confirmamus, ea videlicet ratione, ut abbas primus nomine Fingenius Hyberniensis natione quem ipse prælibatus episcopus tunc temporis ibi constituit, suique successores Hybernienses monachos habeant quandiu sic esse poterit, & si defuerint ibi monachi de Hybernia, de quibuscunque nationibus semper ibi monachi habeantur &c..... » Ubi hoc notatu dignum monachis Hyberniensibus quantum fieri posset, attributam fuisse hanc abbatiam, in qua plures episcopi Metenses sepeliri voluerunt, scilicet D S. Pappolus cœnobii fundator, S. Goëricus, S. Godo, Aptatus, Felix II, S. Sigibaldus, Adalbero II & plures alii, præter reliquias SS. Clementis, Felicis I, Patientis, Chrodegandi & Agatimbri quæ ibi asservantur & debito honore coluntur. Seriem abbatum cæteraque ad historiam hujus abbatiæ spectantia post Sanmarthanos suppeditavit nobis domnus Johannes *François* eruditus Benedictinus e Congregatione S. Vitoni, regalis scientiarum & artium Academiæ Metensis membrum, & ejusdem urbis historiæ cujus tomus I in-4°. E prodiit Metis anno 1759, autor simul cum domno Nicolao *Tabouillot* ejusdem Congregationis & Academiæ socio.

Ch. XXIV, col. 393.

ABBATUM CATALOGUS.

I. S. Cadroë. Qui & quales fuerint sancti Symphoriani rectores ab ipso fundationis exordio ad annum 948 penitus ignoratur; nisi quod legitur in vita beati Johannis Gorziensis abbatis ab eo consultum fuisse anno 923 *Randichum quemdam presbyterum tituli S. Symphoriani* de secessu quem moliebatur in Italiam. Quis fuerit Randichus iste, monachus

Annal. Bened. t. III, p. 378.

an abbas vel clericus secularis incertum. Ut ut sit cum ecclesiam sanctorum Innocentium & ædes monasterii destructas reparare sibi proposuisset Adalbero I Metensis episcopus, ut jam diximus, huic domui præfecit anno 948 S. Cadroë vel Kadroë jam S. Clementis abbatem, de quo vide in abbatibus sancti Clementis.

II. Fingenius patria Hibernus abbas sancti Clementis post S. Kadroë anno 978 electus regimen etiam abbatiæ sancti Symphoriani suscepit, ab Adalberone II Metensi episcopo ab anno 984 qui sanctorum Innocentium abbatiam reparaverat, creatus abbas & memoratus in charta Othonis III, qua confirmat ad preces episcopi Adalberonis omnia bona monasterii, statuitque ut in ea domo nulli suscipiantur monachi, quantum fieri poterit, nisi ex Hibernia orti. Porro Fingenius præter abbatias sancti Clementis & S. Symphoriani rexit quoque abbatiam sancti Vitoni Virdunensis. Ejus vitam in historia Theoderici Metensis episcopi scripserat autor anonymus, teste Hugone Flaviniacensi, quæ periit nec amplius extat. Obiit Fingenius circa annum 1002 Sancti titulo donatus in vita Adalberonis II. De eo necrologium sancti Clementis hæc habet: *VIII.° idus Octobris Fingenius bonæ memoriæ abbas & rector hujus loci qui jacet ante aram S. Johannis in sinistra parte.* Cætera vide in abbatibus sancti Clementis.

Annal. Bened. t. IV, p. 74.

III. Siriandus e monasterio Gorziensi eductus in locum Fingenii defuncti suffectus est & abbas sancti Symphoriani ordinatus ab Adalberone II teste autore vitæ illius præsulis, a quo etiam sanctus & venerabilis pater appellatur. Abbas quoque sancti Felicis seu sancti Clementis dicitur in charta quadam cartularii Gorziensis anni 1007. Cæterum non diu rexisse videtur, successorem enim habuit ante obitum Adalberonis exeunte anno 1005 defuncti, qui sequitur.

Ibid. p. 169.

IV. Constantinus vir fuit gravis & eruditus, ut indicio est, si quidem ejus sit liber de vita Adalberonis eo nomine secundi, quem ab eo scriptum fuisse ex eo colligimus quod abbates recensens ab Adalberone secundo ordinatos, ait duos in quibusdam cœnobiis, tresve ab eo promotos fuisse: « Ut est indicio, inquit, hic sacer locus, cui Deo auctore, licet indignissimi, præsidemus, dum præcedentibus duobus sanctis & venerabilibus patribus, Fingenio ex Hybernia, & domno Siriando ex Gorziæ ferulis ad regendum adducto, nos qui hæc scribimus, benedictione hujus beati pontificis, tertio loco regimini succedere compulsi sumus.» Quanti eum fecerit Theodoricus II Metensis episcopus testatur charta ab eodem concessa monasterio sancti Symphoriani ad ejus preces, in qua de eo honorificentissime loquitur. Obiisse fertur Constantinus, ut in vulgatis indicibus legitur, anno 1044, sed erroneus videtur iste computus. Constat enim Richerium Constantini successorem ab Adalberone III fuisse abbatem institutum ex charta hujus præsulis anni 1056, qua sancto Symphoriano restituit prioratum Equiniacensem. Porro ad episcopatum Metensem promotus non fuit Adalbero iste ante annum 1046, unde melius hoc ipso anno Constantinum excessisse credere par est.

V. Richerus seu Richerius de quo supra, quem virum laudabilis vitæ appellat Adalbero & religiosum abbatem ecclesiæ beati martyris Symphoriani, Deo disponente, a se constitutum, ab eodem præsule expetiit & impetravit *ecclesiam beati Johannis in villa, cui vocabulum Equiniacum* (Angny) *sitam, olim quidem dirutam & Dei servitio destitutam, ut sibi eam reædificare, & Dei servitium ibidem innovare, monachosque inibi ad serviendum Deo liceret congregare.* Quo precise anno decesserit incertum, at memoratur in necrologio sancti Symphoriani ad diem 17 Aprilis in hæc verba: *Commemoratio veneraudi viri Richerii hujus monasterii abbatis.*

Ch. XXX, col. 399.

VI. Durandus. Iisdem tenebris tegitur annus quo Durandus præesse cœpit, quibus obitus Richerii decessoris. Constat tamen ipsum rexisse sancti Symphoriani abbatiam an. 1080, quo memoratur in carta Herimanni episcopi, & perseverasse usque ad annum 1090 quo subscriptus legitur in carta ejusdem episcopi data hoc ipso anno in gratiam monasterii sancti Clementis. In tabulis sancti Symphoriani extinctus dicitur die 7 Novembris.

VII. Garcyrus seu Garcirius I innotescit ex carta anni 1104.

VIII. Herbertus post obitum Garcyri electus monasterium sancti Symphoriani regebat ipso anno 1130, quod innotescit ex carta Stephani Barrensis Metensis episcopi ejusdem anni quæ multa prædia pluresque ecclesias S. Symphoriano confirmat idem præsul in gratiam Herberti abbatis quem vocat venerabilem virum, & successorum ejus abbatum ac monachorum ejusdem monasterii. Memoratur etiam in duobus instrumentis annorum 1150 & 1158. In hoc postremo transigunt inter se abbates sancti Symphoriani & sancti Benedicti de quibusdam terris inter Manilium & sanctum Michaëlem sitis, consentientibus & probantibus Hillino Trevirensi archiepiscopo & Stephano Metensi episcopo. Huic cartæ præter alios subscribit Isambaldus Gorziensis abbas.

IX. Henricus anno 1165 præerat. Ipsius obitus in necrologio S. Symphoriani notatur 12 Septembris tacito anno.

X. Daniel I occurrit primum anno 1173 quo subscribit cartæ Friderici episcopi concedentis parochiam sancti Viti monialibus sancti Petri. Graves habuit contentiones cum nobili Nicolao *de Leutre* ob decimas parochiæ *d'Arcy* a Nicolao usurpatas. Coram Petro *de Brixey* Tullensi episcopo causa hæc delata fuit a Daniele, qui quidem præsul sententiam tulit de restituendis decimis abbatiæ S. Symphoriani sub pœna anathematis; sed frustra, nam

iterum ad Eudonem Petri successorem provocavit Daniel, qui priorem sententiam confirmans injunxit parochis *d'Amance* & *de Leutre* ut vitarent Nicolaum ejusque fautores tanquam excommunicatos, vetuitque ne divina mysteria celebrarent in eorum præsentia donec omnia restituissent. Tandem lis hæc non fuit terminata nisi sub Richardo Danielis successore, ut videbitur infra. Huic una cum quinque aliis, nempe primicerio Metensi, Gorziensi, sancti Vincentii, sancti Arnulphi & sancti Clementis abbatibus concessit Bertramnus Metensis episcopus jus eligendi magistrum scabinum quotannis in festo sancti Benedicti duodecimo kalendas Aprilis, carta ea de re data anno 1179 quam videsis in instrumentis. Hac prærogativa usi sunt abbates S. Symphoriani usque ad Desiderium *le Roy* qui anno 1557 huic renuntiavit ut suo loco dicetur. Obiit Daniel juxta necrologium die 2 Febr.

Charta XL, col. 408.

XI. Richardus jam anno 1194 præerat, ut indicat pactio eodem anno facta ipsum inter & abbatem sancti Arnulphi, Bertrando episcopo intercedente, de quibusdam terræ portionibus inter utramque abbatiam sitis. Superest in archivis monasterii singulare instrumentum quo ipse & ejus conventus præbendam monachalem dant cuidam Guisseburgæ, ea lege ut S. Symphoriano se devoveret sub titulo Conversæ. Non rara sunt iis temporibus ejusmodi exempla feminarum conversarum cuidam monasterio addictarum, & vicissim virorum parthenonibus. Dictum est supra quantum & quam vane laboraverit Daniel pro recuperandis decimis *d'Arcy;* rem repetiit Richardus coram Matthæo a Lotharingia tunc episcopo Tullensi, a quo confirmari curavit excommunicationis sententiam jam ante latam adversus decimarum istarum retentores, & nominatim contra Ægidium de Amancia, qui eas tunc possidebat & reddere coactus fuit anno 1204 eo modo quem referunt litteræ ea de re in archivis monasterii asservatæ. Anno 1206 diremit Bertrandus episcopus aliam controversiam Richardum inter & Henricum de Porta Salliæ ortam ob advocatiam *Olrei* seu *Osercy;* & sequenti confirmavit donationem factam abbatiæ S. Symphoriani ab eodem Henrico de omnibus quæ possidebat in Amingniaco. Quo præcise anno decesserit Richardus ignoratur, notatur tantum dies ejus obitus ad 3 Februarii.

XII. Garcyrus II præsidebat monasterio 1214. Quo ad ipsum diriguntur tres chartæ eodem anno datæ, prima Conradi Metensis episcopi qua ecclesiam sancti Stephani *d'Arcy* ipsi & capitulo sancti Symphoriani concedit, quæ jam erat sub monasterii patrocinio; altera Theodorici Trevirensis archiepiscopi qua eamdem donationem confirmat; tertia tandem qua Elso archidiaconus Metensis huic concessioni assentitur. In charta Conradi hoc notandum, quod inter alia vicario a monachis constituto in parochiæ administrationem denarios tribuat ex visitationibus, baptismatibus & confessionibus provenientes & panum ad altare oblatorum medietatem, quod veteris ecclesiæ disciplinæ in diœcesi Metensi tunc servatæ indicium est. Hanc donationem confirmavit Honorius III pontifex bulla data v idus Februarii anno 1217, pontificatus secundo. Eodem, cum ad summam egestatem redactum foret monasterium ita ut infirmorum nulla cura posset haberi, statuerunt abbas & monachi decimam partem earum omnium quæ perciperentur ex redditibus & eleemosynis in eorum usum & medicamenta insumendam. Non diu superstes huic ordinationi fuit Garcyrus, cujus mors in necrologio notatur ad diem Aprilis undecimum.

XIII. Daniel II anno 1218 Garcyrum excepit. Crucem assumpsit & profectus est in Terram-sanctam ad sacrum bellum. Ea de re dimisit ipsi ejusque cœnobio Conradus tunc Metensis episcopus vicesimam bonorum partem per tres annos imperatam ad hujus belli sumptus suppeditandos. Inter cæteros Metenses cruce insignitos occurrit quidam Poincius eques qui antequam ad sacrum bellum proficisceretur quædam dona fecit Danieli & ejus monasterio coram altari sancti Symphoriani, præsente Warino abbate S. Vincentii & Petro majore archidiacono ecclesiæ Metensis. Iis temporibus monachi sancti Symphoriani aut patrimonii portionem retinebant aut hereditario jure gaudebant, nam eorum unus Henricus nomine hoc ipso anno nonis Aprilis fratribus suis legavit mensam lanioniam sitam in foro ubi panni venales, ut ea fruerentur post ejus obitum, quo adveniente vult ut ad singulas missas in majori sancti Symphoriani altari celebratas accendantur duo cerei ex eodem proventu, & si quid, anno elapso residuum fuerit, in infirmorum curam impendatur. Præter ecclesiam *d'Arcy* datam sancto Symphoriano a Conrado præsule anno 1214, donavit etiam idem episcopus eidem monasterio ecclesias *de Marly* anno 1221 & *de Clemery* 1223, quam donationem approbandam curavit a suo capitulo. Similiter eamdem ratam habuit Theodericus Trevirensis archiepiscopus an. 1223, & confirmavit Honorius III papa an. 1224. Danieli omnes istæ chartæ inscriptæ sunt, cujus nomen post annum 1229 amplius non occurrit; de eo mentio est in necrologio ad diem primam Januarii.

XIV. Danieli successit Wuillelmus I, qui monasterium regebat anno 1248. Nihil aliud de eo referunt tabulæ monasterii, nisi eum obiisse die prima Januarii.

XV. Gerardus sancti Symphoriani abbas erat anno 1256, & eodem assumptus est ad regimen monasterii sancti Vincentii.

XVI. Poincius I Gerardo jam suffectus erat anno 1260, & sequenti 1261 ad eum direxit Urbanus papa IV bullam datam v idus Martii, qua confirmat jura, privilegia, immunitates & alia bona a regibus & principibus abbatiæ

sancti Symphoriani concessa, ut iis omnibus pacifice & quiete uteretur sicut hactenus habuerat. Post annum 1263 altum de Poincio silentium, cujus mors notatur in necrologio die 7 Februarii.

XVII. Nicolaus regebat anno 1273. Ipsi Johannes papa XXI bullam concessit datam Viterbii x kal. Maii an. 1276, in qua abbas & conventus sancti Symphoriani Metensis sub patrocinio sanctæ sedis suscipiuntur, interdictumque est omnibus personis tam ecclesiasticis quam secularibus bona monasterii qualiacumque vel occupare vel detinere. Obiit hic abbas 10 Martii.

XVIII. Garcirus III innotescit ex pluribus actis annorum 1282 & 1303. Sub ejus moderamine inita est mutua precum & suffragiorum societas inter monachos sancti Symphoriani Metensis & sancti Mansueti Tullensis ad exorandam divinam misericordiam pro defunctis utriusque monasterii. Præter officium defunctorum solemni ritu celebrandum tenebantur singuli sacerdotes missam privatam facere, diaconi & subdiaconi quinquaginta Psalmos & Novitii septem Pœnitentiales recitare, & insuper obsonii portio defuncto reservata pauperibus per 30 dies post ejus excessum erogari debebat. Acquisivit Garcirus sancto Symphoriano toparchiam *de Raucourt*. Impetravit anno 1283 a Martino papa IV bullam confirmationis omnium bonorum, jurium, privilegiorum & immunitatum a summis pontificibus, regibus & principibus suo monasterio antea concessorum, *datum v nonas Martii pontificatus nostri anno III*. Cum Burchardo Metensi episcopo controversiam habuit de toparchia *de Raucourt* quæ paulo post amice composita est. Quatuor post annis, nempe anno 1296 decretum tulit Burchardus de unienda parochia *de Pouilly* ecclesiæ Marliacensi jam tum sancti Symphoriani monasterio subjectæ. Anno 1303 sententiam pronuntiavit adversus Henricum *de Chérisy* clientem suum. Notatur ejus obitus in necrologio ad diem 11 Julii. Ejus diebus sicut & sub præcedente abbate Daniele II monachi & moniales familiæ Benedictinæ apud Metenses jus habebant hereditandi & testandi, quod eis ablatum est senatus & civitatis consulto anno 1304.

XIX. Jacobus I in locum Garcyri suffectus præerat anno 1306. A Reginaldo Barrensi episcopo, vocatur vir honestus & religiosus in carta anni 1309. Item Ludovico Pictaviensi Metensi similiter episcopo carus fuit qui ejus causa multa fecit in gratiam abbatiæ sancti Symphoriani. Plurima suo monasterio acquisivit inter quæ ab Eduardo comite Barri advocatiam *de Cléméry* ac quorumdam vicinorum pagorum pretio mille turonensium parvorum comparavit. Abbatissæ sanctæ Claræ Metensis concessit ut decimas quidem penderet S. Symphoriano de omnibus terris & hereditatibus quas pretio dato suo conventui adderet, nihil vero solveret de iis omnibus quæ

A in eleemosynam reciperet. Ultimo memoratur in tabulis monasterii ad annum 1326, ejusque obitus notatur in necrologio ad diem 11 Martii.

XX. Alexander annis 1328, 1330 & 1331 regebat abbatiam sancti Symphoriani. Mors ejus die 10 Aprilis refertur.

XXI. Simon I annis 1333 & 1335 quo vineas censuales locat in *Augny*, & pariter anno 1337 duas domos Metis sitas sub perpetuo censu oppignerat. Adhuc superstes anno 1340. Ejus obitum notat necrologium ad diem Julii 12.

B XXII. Garcyrus IV ex camerario monasterii factus abbas regebat annis 1343, 1344 die 5 Aprilis, & 1345 quo memoratur in celebri convento inter Ademarium Metensem episcopum & abbates abbatissasque sancti Arnulphi, S. Clementis, S. Symphoriani, sancti Vincentii, sancti Martini, sanctæ Glossindis, S. Petri & sanctæ Mariæ ordinis Benedictini transacto occasione turbarum quarumdam in his monasteriis ab episcopi officialibus excitatarum. Vivere desiit 13 Septemb. an. 1347.

XXIII. Garcyro successit Simon II cujus nomen legitur in tabulis ab anno 1348 usque C in annum 1365. Toparchas de Cherisiaco pro majore justitia hujus loci ad recognitionem adegit, uti fecerat anno 1303 Garcyrus III adversus Henricum de Cherisiaco. Obiit 12 Julii anno 1366 & opulentam hereditatem reliquit quam ad domus utilitatem successori & monasterio jure ac merito legaverat. Inter cætera divitem supellectilem auream & argenteam gemmisque pretiosis ornatam Mariæ Blesensis sponsæ Radulfi Lotharingiæ ducis in pugna Creciacensi anno 1346 cæsi, grandi pecuniæ summa mutuo data comparaverat, at D horum omnium partem maximam sibi arrogavit curia Romana Avenione sedens ut infra videbitur.

XXIV. Arnulfus dictus *Pontiaize*, quo nomine etiam occurrit magister scabinus Metensis, sedem abbatialem tenuit ipso anno 1366. Postulatus fuerat abbas ante Simonem, ut patet ex compromisso inter eum ac religiosos, ubi cognominatur quondam abbas sancti Symphoriani; attamen Simoni successit post ejus obitum. Summam a Simone relictam destinaverat monasterio muris cingendo, & rusticanorum prædiorum damnis bello illatis E reparandis, ut colligere est ex conventione inter ipsum & religiosos facta die 25 Augusti anno 1366. Verum pro pessimo temporum illorum more cum Urbanus V Avenione sedens pro cameræ apostolicæ subsidio decretum tulisset de universa supellectile atque hereditate Simonis sibi reservanda, Johannes electus Tullensis episcopus, nuncius apostolicus & pontificiæ pecuniæ in his partibus exactor, indixit abbati & conventui S. Symphoriani sexcentos quadraginta florenos aureos pro abbatis bullis & quatuor millia florenorum pro reservatione pontificis. Quæ omnia pro

pace restauranda ad assem pendere coacti sunt; & insuper de consensu & voluntate nuncii apostolici ex illa hereditate civitati Metensi oppignerata sunt sex millia florenorum. Extat Arnulfi epistola data 24 Septembris 1366, qua liberat testamenti Simonis curatores ab omni onere & ratione reddenda ob vasa pretiosa, gemmas, monilia &c. Mariæ Blesensis Lotharingiæ principis de quibus supra. Notatur in necrologio dies obitus Arnulfi 10 Augusti.

XXV. Simon II cognominatus *Culcol* seu *Culecol*, ex camerario sancti Symphoriani abbas electus anno 1372 rexit usque in annum 1410. Nepos erat Simonis II. Vir fuit in tractandis rebus solertia, sagacitate & industria pollens: nam anno 1387 grave dissidium inter cives Metenses & comitem Valerannum de S. Paulo sedavit ortum ob male habitum a civibus comitis fratrem B. Petrum de Luxemburgo episcopum Metensem. Ipsi quoque tribuitur quod a partibus Clementis VII tempore famosi schismatis Avenione sedentis potius quam Urbani VI steterint Metenses, ob quæ litteras gratiosas a Guillelmo cardinali Clementis VII legato accepit datas v kal. Julii anni 1382, quibus ipsum, conventum suum & omnia bona ac jura monasterii tam temporalia quam spiritualia sub apostolicæ sedis protectione ac defensione suscipit, vultque omnia illæsa & illibata permanere; quas litteras promulgavit officialis Metensis & in violatores anathema contorsit.

XXVI. Johannes I *Fessaulx* vel *Fessant* anno 1410 abbatiæ præerat. Aliqua quoque passus est a papæ ministris ob sui decessoris hereditatem quam adire in pontificis emolumentum intendebat Theodericus *de la Pierre* canonicus Trevirensis, papæ camerarius & ejus collector in Tribus episcopatibus. Verum Johannes ipsum pontificem appellavit exponens omnia esse communia inter abbatem & monachos, tantaque constantia Theoderici molitionibus obstitit, ut quamvis ecclesiasticas censuras graviores minaretur adversus abbatem & conventum nihil prorsus extorquere potuerit. Duravit hæc contentio usque in annum 1412 quo mandavit Antonius *le Challans* presbyter cardinalis tituli S. Ceciliæ Theoderico ne quovis modo ulterius ea de re molestaret abbatem & monachos sancti Symphoriani, absolvens eos ab omnibus censuris in quas incurrere potuissent. Datum 21 Aprilis 1412, pontificatus Johannis papæ XXII secundo. Attamen qui tam strenue jura monasterii defenderat Johannes adversus bonorum ejus invasores ad impetrandas bullas & papæ confirmationem unum cum dimidio supra 450 florenos solvere coactus fuit ad taxationem *de camera*. Ex ea ratione pecuniam unde extricandi illa ætate usitata ad ditandam curiam Romanam, maximum importabatur abbatiis & abbatibus incommodum ob frequentes mutationes & alienationes quibus uti necesse erat ad satisfaciendum. Cui malo ut mederetur aliquatenus abbas Johannes petiit & impetravit a Martino V bullam datam idibus Januarii an. 1417, primo pontificatus ejusdem, qua majoris ecclesiæ S. Stephani præcentori mandat ut distractas & alienatas sancti Symphoriani possessiones perquirat & monasterio denuo adjungat, & alteram eodem anno IV idus Martii datam qua privilegia, jura, immunitates & universas possessiones abbatiæ S. Symphoriani confirmat idem pontifex.

Quamquam ab anno 1303 monachis Metensibus facultas hereditatis capessendæ, ut supra dictum est, adempta fuerit, perseverabat tamen apud eos usus præbendis more canonicorum & officiis, ut vocant, claustralibus pro rata portione fruendi. Hinc obibant quidam ære alieno obruti, quidam peculio salvo relicto. Ut obviarent his incommodis San-Symphoriani monachi e quorum numero tunc erant Henricus *Haiche* & Ferricus *d'Abocourt* post Johannem successive abbates statuerunt unanimiter hujusmodi exuvias in solvendis demortui debitis impendendas; tum ex residuo, si quod sit, duas partes fieri, quarum altera in abbatis jus & arbitrium cedat, altera in commodum infirmorum monasterii: modo hæc medietas non sit duarum librarum Metensium aut duorum solidorum censualium, aut etiam majoris summæ; tunc enim ex ea celebrari debet quotannis anniversarium pro defuncto & æqua fieri distributio inter præsentes. Actum die 13 Septemb. anni 1418 coram Warino imperiali notario. Porro æstimari potest duorum ejusmodi solidorum valor ex instrumento anni 1421 die 3 Februarii in tabulis monasterii asservato quo Henricus *Haiche* abbas sancti Symphoriani agrum dat uno die arabilem sub obligatione duodecim denariorum censualium, cum facultate eumdem redimendi pro 30 solidis Metensibus. Notatur dies obitus abbatis Johannis 25 Aprilis anni 1419.

XXVII. Henricus *Haiche* loci monachus, paulo post Johannis obitum in abbatem electus est. Generalis officium gerebat in monasterio cujus munus erat ministrare fratribus cultellos, forficulas & cætera ad communes vitæ usus necessaria. Præter hunc erant in monasterio eleemosynarius, custos, camerarius, pitancerius, vestiarius, infirmarius & thesaurarius, qui omnes sui officii fructus percipiebant, in quo obeundo constituebantur ab abbate. Nihil de Henrico fertur notatu dignum, nisi quod decessorum more unum cum triente supra quadringentos quinquaginta florenos pro bullarum impetratione dare coactus est ad cameræ æstimationem, quod ut perficeret versuram fecit. Sed & ipsum censuris irretitum quod tempore præstituto quamdam aliam summam, videlicet quoddam tributum a cardinalium collegio irrogatum dissolvere neglexerat, docet nos apocha ipsi data 16 Martii anno 1420 a Francisco presbytero cardinali sanctæ Crucis

in Jerusalem. Obiit Henricus 12 Septembris anno 1425.

XXVIII. Ferricus *d'Abocourt* duobus post Henrici mortem diebus, nempe 14 Septemb. 1425, in locum ejus a fratribus suffectus est. Germanum habuit cognominem Ferricum militem qui testamento suo dato 18 Decemb. anni 1426 sancto Symphoriano legavit censum perpetuum quinque solidorum Metensium in suis prædiis percipiendorum. Ejus temporibus abrogata sunt a concilio Basileensi, sessione 23 Sabbato 25 Martii an. 1436 habita, omnia illa tributa sub variis nominibus nota, nempe gratiæ expectativæ, mandata, & aliæ beneficiorum reservationes quibus jam dudum vexabantur & Christianus orbis & maxime diœcesis Metensis. Non tamen hoc laudabile exemplum imitatus est Ferricus qui more hactenus inusitato in suo monasterio testamentum condidit de sui tamen capituli consensu quo diversa legavit personis secularibus. At hæc mira non videbuntur, si attendatur ad illa tempora, tunc enim collapsa penitus erat disciplina regularis maxime in monasteriis civitatis Metensis, in quibus & vestitum & cæteros usus proprios & communes penitus immutaverant monachi, adeo ut laxiorem vivendi rationem ad laicorum modum tenerent omnino. Id ipsis exprobrant duo decreta anno 1332 a civili magistratu & Ademaro episcopo ex compacto lata, quibus ipsis præscribitur ut ad meliorem frugem se recipiant. Vivere desiit Ferricus abbas 24 Maii anno 1439.

XXIX. Pointius II *de Champel* ex nobili prosapia Gornayorum seu de Gornaio, *Gronais* vel *Gournay*, inter primores civitatis insignium & cognominatus *de Champel* propter toparchiam ejusce nominis, in hunc modum electus est a fratribus ex professo S. Clementis. Die 15 Junii ejusdem anni 1439 indicta a priore monasterii ad electionem faciendam convenerunt professi octo numero inter quos erat Johannes Anthonii prior Augniacensis. Post sacrum de S. Spiritu celebratum in quo omnes cœlesti dape refecti, sacramentum dixerunt coram abbatibus S. Arnulphi & S. Clementis aliisque viris spectabilibus, ut præscribitur a synodo Basileensi in hanc formam: « Ego juro » & promitto Omnipotenti Deo & S. Symphoriano sub cujus vocabulo dedicata est præsens » ecclesia, eum eligere quem credam in futurum » ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus utiliorem, nec illi vocem dare quem verisimiliter » scivero promissione aut datione alicujus rei » temporalis, seu prece per se aut alium interposita, aut aliis qualitercumque modis directe vel indirecte pro se electionem procurare. » Quibus sic actis ad electionem proceditur in capitulo, ubi suffragiorum partitio, quorum quinque licet tulerit domnus Matthæus *de Hampont*, alter vero duo, electio tamen locum non habuit, cunctis in altero scrutinio adunatis in gratiam Poincii *de Champel*, qui sic

A electus & promulgatus inauguratus est a Johanne *de Vic* episcopo Caurensi suffraganeo Metensi, præsentibus Conrado Metensi episcopo, cum majori decano & pluribus canonicis ecclesiæ cathedralis, & Simone *de Cherisy* S. Arnulphi, ac Nicolao *Grosnay* S. Vincentii abbatibus. Primas curas posuit in procuranda testamenti decessoris sui abrogatione quod de jure irritum & nullum haberi debebat, attamen dicta utrinque causa latum judicium anno 1443 a Johanne *Rennon* magistro scabino Metensi quo 150 florenis in diversas personas erogandis, & altero legato Johanni *d'Abocourt* B militi solvendo, uti testamento cautum fuerat, multatur. Anno sequenti 1444 penitus subversa est abbatia S. Symphoriani quæ extra civitatis muros, ut dictum est, constructa erat, simulque diruta insignis basilica una cum vico adjacente & ecclesia parochiali S. Goërico dicata. Cœpta est hæc demolitio ipso die 29 Septemb. sacro S. Goërico uno e præcipuis monasterii patronis ex magistratuum & omnium civitatis ordinum decreto & consulto, ut omne suffugium præcluderetur Ludovico Franciæ Delphino Caroli regis VII filio & Renato Andegavensi Siciliæ regi obsidionem C urbi minitantibus, quibus facile erat in hæc ædificia tanquam in receptaculum & arcem se recipere. Nec obstitit imo libenter assensit huic eversioni Poincius abbas pro patriæ salute. At statim de reparando damno cogitavit, idque tam strenue tantoque studio effecit, ut non minus excellentis abbatis quam optimi civis meritam laudem adeptus sit. Itaque in urbem ingressus cum suis fratribus habitavit domum magnam dictam aream Morimundi & revera hujus abbatiæ ordinis Cisterciensis in urbe Metensi refugium, quam primo commodatam, propriam postea pretio numerato D sibi fecerunt abbas & monachi S. Symphoriani. Nec desistebat Poincius a consilio monasterii denuo ædificandi; quod ut perficeret jam anno 1449, ut supra dictum est, magnam domum Morimundi pretio comparaverat. Eodem anno 8 Augusti oppidani consules, magistratus & omnes ordines civitatis Metensis abbati & monachis aream cesserunt pone magnam domum sitam, quamvis in ea duo forent pistrina civium usui destinata. Denique die 10 Decembris ejusdem anni permutavit Poincius patronatum S. Liborii quod de jure monasterii sui erat cum patronatu ecclesiæ E parochialis S. Hilarii vulgo exigui dicti, ad abbatiam sancti Martini extra muros civitatis pertinente, ut in locum hujus parochiæ in qua jam rem divinam persolvebant abbas & monachi S. Symphoriani novam abbatialem basilicam posset construere. Plura alia sequentibus annis in hunc finem acquisivit idem abbas, domos, hortos &c. inter quæ legitur emisse fundum quemdam a Thoma *de Saint-Mange* monasterii cellerario die 20 Decemb. anno 1454: unde sequeretur his adhuc temporibus res aliquas possedisse monachos,

quas poterant dicere suas. Eodem anno cum magnam pecuniæ summam a clero Metensi exigeret papa ad suppeditandos belli sumptus adversus Turcas, contestatus Poincius sibi & suo monasterio ultra modum irrogatam taxationem pensurum se negavit, ut notatur in tabulis monasterii ad diem 13 Octob. ejusdem anni 1457. Nec ideo minus acceptus pontifici Pio II breve ab eo impetravit duobus post annis, nempe 1459, quo mandatur abbati Aureæ-vallis & priori S. Dagoberti Stenæensis ut in moniales Joviniaci inquirant, quæ quamdam frumenti portionem sancto Symphoriano debitam sibi arrogaverant. Sic bonorum & jurium monasterii sui acerrimus defensor, simulque totus in apparandis necessariis ad reparanda ædificia, quibus tamen primam manum imponere non potuit: supremum diem obiit die 23 Octobris anni 1468 omnibus desiderabilis, tumulatusque in choro ecclesiæ S. Hilarii vulgo exigui, in qua sacris operabantur sancti Symphoriani monachi.

XXX. Post mortem Poincii electus est canonice in abbatem Thirrionus *Barret* loci monachus qui etiam ab ordinario fuit admissus; sed a curia Romana rejectus, a qua bullas impetrare non potuit.

XXXI. Johannes II *Joffroy* cardinalis & episcopus Albiensis a papa provisus primus commendam obtinuit, quam per quatuor annos administravit per Simonem *de Boisson* episcopum Pannadensem & Metensem suffraganeum quem suum vicarium generalem nominaverat.

XXXII. Post defunctum Johannem aut post ipsius abdicationem regimen abbatiæ adipiscitur Julianus cardinalis *de la Rovere* legatus in Francia, Sixti IV nepos, & ipse ad summum pontificatum postea evectus sub nomine Julii II. Is plura alia in Tribus-episcopatibus opima beneficia possedit, & abbatiarum Gorziensis ac S. Symphoriani una cum prioratu S. Nicolai de portu administratorem vicariumque suum generalem creavit Hugonem *Mathié* majorem decanum ecclesiæ Metensis chirographo dato die 5 Januarii anno 1475. Anno sequenti pactione inita & annua pensitatione prius sibi retenta abbatiam sancti Symphoriani resignavit in gratiam sequentis.

XXXIII. Jacobus *de Frouille* S. Clementis monachus & prior S. Andreæ extra muros, cardinali Juliano in ejus favorem resignante, a Sixto IV provisus est de abbatia sancti Symphoriani in consistorio anno 1476. Post excessum enim Poncii extra curiam defuncti, pontif. max. spreto concordati Germanici instrumento & electionis Barreti jure, cardinali Johanni Albiensi præfato commendam sancti Symphoriani concesserat quam tenuit 4 annis; exinde vero abbatiam eodem modo obtinuerat cardinalis Julianus, ut diximus; quæ tandem Jacobo cessit, qui pontificio diplomate munitus possessionem adire cogitabat, cui statim intercedit Thirrionus Barretus,

A canonice electus a fratribus anno 1468, uti diximus, & huc usque silere coactus, quia licet per ordinarium admissus confirmatione caruerat in Curia Romana. Itaque litem in Jacobum intendunt Thirrionus & alii monachi S. Symphoriani, negant se consensuros pactis initis inter Julianum cardinalem & Jacobum, huncque custodiæ mancipatum abbatiæ titulo renunciare compellit Thirrionus coram Alexandro nuncio apostolico. Interim commendam monasterii resumit cardinalis Julianus denuo conferente Sixto IV, quam illico transfert in Thirrionum hac vice confirmatum a
B papa. Itaque cum se crederet jam Thirrionus ab omni interpellatione liberum & jugum sibi a curia Romana impositum vellet excutere, annuam pensitationem solvere detrectans, simul & alias expensas tam pro se quam pro Jacobo ad bullarum impetrationem apud Romanos mensarios factas, ad eorum & Jacobi postulationem anathemate percutitur die 12 Junii an. 1478 a Simone archiepiscopo Patracensi papæ referendario, omnique monasterii regimine privatur, quod Jacobo restituitur, qui tandem post multas alias disceptationes cœnobii commendæ nuntium remisit in favorem
C Johannis *Notarii* anno 1404, annua pensitatione sibi reservata. Quamvis autem monasterio multa & quidem gravissima damna intulerit Jacobus, quædam ejus prædicantur benefacta, nempe quod ante abdicationem novæ basilicæ & monasterii fundamenta jecerit anno 1481, Georgio *de Baden* episcopo Metensi primum lapidem ponente. Hæc porro cœpta sunt ædificia cura & impensis civis cujusdam Metensis qui testamento suo anno 1480 condito sepulturam suam ordinaverat in choro sancti Symphoriani prope tumulum abbatis Poincii, & omnia bona sua ac magnam
D pecuniæ summam legaverat pro structura claustri, dormitorii, murorum septi, & ad usus fabricæ novæ ecclesiæ quam construi volebat ad exemplar ecclesiæ PP. Cœlestinorum. In necrologio monasterii notatur obitus Jacobi *de Frouille* die 21 Novemb. & Thirrioni *Barret* 22 ejusdem mensis, sed tacito anno.

XXXIV. Johannes III *Notarii*, alias *Henzelin*, aut *Stevenin* cognominatus, monachus & prior S. Symphoriani ac B. Germani, cedente Jacobo donatus est bullis apostolicis anno 1484. Nullus inter cæteros abbates optimi regiminis majora specimina edidit,
E seu in tutandis privilegiis juribusque domus suæ constantiam, & in retrahendis monasterii bonis aut a decessoribus alienatis aut ab alienis usurpatis sagacitatem, seu in adornando cœnobio cæterisque ædibus regularibus, & in extruenda splendida basilica non sine summis impensis sollicitudinem ejus inspicere velis. Quinque simul in ejus gratiam bullas dedit summus pontifex Sixtus IV, primam ad episcopum Metensem directam, qua illi commendat novum abbatem; alteram ad ipsos sancti Symphoriani monachos, ut abbati suo

obedientiam præstent; tertiam ad vassallos monasterii, ut abbati & domino suo sint subditi; quartam & quintam ad ipsum Johannem quibus ei multa privilegia concedit, licentiam dat plura simul beneficia possidendi, absolvitque eum a censuris si quas ob id meruisset. Præter abbatiam S. Symphoriani & prioratum S. Germani donatus est etiam prioratu de Layaco a S. Arnulpho Metensi & præfectura montis sancti Georgii in diœcesi Vormatiensi a Gorzia pendentibus, quibus beneficiis & eorum proventibus cœnobium suum egregie illustravit. Existimationem sibi non tantum fratrum & concivium suorum, sed etiam extraneorum conciliavit. Antonio & Renato II ducibus Lotharingiæ valde acceptus, huic etiam a sanctioribus consiliis fuit, ejusque opera & fida solertia in negotiis tractandis apud curiam Romanam dux usus est anno 1490. Romæ degens plures sibi comparavit amicos, inter quos Gabriel de Fana postmodum cardinalis Urbinensis 50 ducatos nummos quos annuatim recipiebat ex præfectura Montis S. Georgii ipsi remisit, & Johannes de Nicolinis Atheniensis archiepiscopus eum procuratorem nominavit pro adipiscendo episcopatu Virdunensi ex permutatione cum Guillelmo Haraucurio pro sede Vintimiliensi ditionis Genuensium. Præter 5 bullas supra memoratas quas a Sixto IV obtinuerat, aliam ab Alexandro VI an. 1496 impetravit in gratiam sui monasterii, duas a Julio II annis 1509 & 1513 in quarum prima condendi testamenti facultas ei conceditur, in altera culpatur Leonardus officialis Metensis qui quosdam monachos prioratus de Layaco ad suum tribunal citaverat, nulla, immunitatis ab ordinario, qua gaudebant, ratione habita. Denique Leo X anno 1515, bulla data XIII cal. Octobris ipsi confirmat usum mitræ & privilegium aliorum ornamentorum pontificalium, cum facultate dandi tonsuram & 4 minores subditis suis tam regularibus quam secularibus, quomodo antecessores sui habuerant. Testamento de licentia papæ & de fratrum suorum assensu confecto, ordinaverat constructionem sacelli in loco veteris basilicæ S. Symphoriani extra urbem olim destructæ, pro celebratione divini officii ibidem per octavas festi ejusdem Sancti quotannis peragendi: aliaque haud pauca ad basilicæ suæ decorem & Dei cultum spectantia pie disposuerat; quæ omnia effectu caruerunt, contradicente successore testamenti curatoribus qui officii sui munus exsequi volebant. Postquam igitur ad utilitatem & decorem monasterii sui omnia contulisset quæ poterat, de omnibus optime promeritus ad meliorem vitam transfertur die ultima Decembris anni 1522, non vero 1529, ut quidam volunt.

XXXV. Franciscus *Baudoche* ex honorata gente cognomine in Mediomatricibus ortus, Johanni successit titulo commendæ, dubium an electione capitulari, vel ex clausula apos-

A tolicæ reservationis. Canonicus ecclesiæ cathedralis anno 1526, decanus electus est anno 1528. Cum antecessoris sui Johannis testamenti curatoribus litigavit de legatis exsequendis, nec nisi paucorum ac tenuiorum exsecutionem permisit; mandaverat enim Johannes constructionem turris alterius in ecclesia nova quæ supra jam structam 40 pedes emineret, necessariam esse negavit. Item capellæ in eo loco ubi extabat vetus ecclesia destructa extra muros civitatis ut ibi quotannis, diebus festis & in octavis S. Symphoriani officium solemne persolveretur, nunquam assensuros

B magistrum scabinum & Tredecim prætexuit; uni igitur consensit fundationi capellæ seu altaris nostræ dominæ de Misericordia pro qua legaverat Johannes mille libras Metenses, in quinquaginta annui & perpetui census convertendas & duobus capellanis distribuendas qui singulis diebus sacrum facere tenerentur in dicta capella; quam etiam anno 1536 penitus abolevit duobus ablegatis capellanis. Postquam igitur totam sic aut saltem pinguiorem prædecessoris partem hereditatis absumpsisset, quamvis ad eam nullum jus penitus haberet, utpote commendatarius, decanatu

C ecclesiæ cathedralis & abbatia simul, ut videtur cessit anno 1538 in gratiam sequentis. Quibus anno & die obierit ignoratur.

XXXVI. Johannes IV *Baudoche* Francisci germanus frater in ejus locum successit itidem commendatarius, bullasque accepit a Paulo III anno 1539, virtute quarum possessionem nactus est eodem anno. Fratris exemplum secutus decimas *d'Arrez* & pagorum adjacentiam oppigneravit pro impendio centum viginti nummorum quos illi utendos tradiderat Petrus *du Chatelet.* Prædia monasterii in Vosago sita eidem Petro per 25 annos

D possidenda elocavit anno 1542; obiitque prima Junii an. 1543.

XXXVII. Defuncto Johanne *Baudoche* & ab ejus obitu elapsis quinque diebus, monachi sancti Symphoriani convenerunt in capitulum & abbatem canonice elegerunt Desiderium *le Roi* loci monachum, professum & custodem abbatiæ, quam electionem illico, nempe ipsa die 6 Junii publicaverunt, metuentes ne novus ad eos commendatarius Roma adveniret; & sane bullas impetraverat a pontifice Nicolaus Venerius episcopus Balnerensis & papæ datarius, quibus abbatia sancti Sym-

E phoriani ipsi committebatur; at videns electionem ante factam fuisse, ipsis in gratiam electi renuntiavit. Itaque agnitus Desiderius & a papa confirmatus benedictionis munus accepit die ultima Januarii 1544 a Nicolao Azotensi episcopo, Trevirensi suffraganeo, præsentibus S. Mathiæ & S. Martini Trevirensibus itidem abbatibus. Multa egit in commodum & utilitatem monasterii. Extant ejus litteræ patentes secunda Maii an. 1549 datæ, quibus facultatem dat priori & cuidam monacho S. Symphoriani Treviros commeandi,

ut ibi intersint synodo provinciali, eaque proponant tam suo quam totius conventus nomine quæ viderint expedire ad commodum monasterii. Anno eodem 22 Septemb. appellavit ad metropolitanum Trevirensem tam suo quam abbatum S. Vincentii, sanctæ Crucis & abbatissæ sancti Petri nomine, ob certa gravamina ipsis a Johanne cardinali Lotharingio & episcopo Metensi illata, dictumque cardinalem & principem Carolum comitem de Valdemontio causam dicere coram archiepiscopo coegit. Tutelare diploma in gratiam monasterii sui accepit a Carolo V imperatore datum Bruxellis anno 1549 die 14 Junii, & alterum a duce Guisiæ 4 Septemb. an. 1552. Extat in archivis S. Symphoriani instrumentum quo abbas & monachi simul congregati jus quo gaudebant eligendi & nominandi majorem scabinum Metensem regi cedunt, *pour d'icelui droit*, ut ibidem legitur, *jouir par Sadite Majesté & ses successeurs Rois de France, tant & si longuement que Sadite Majesté & sesdits successeurs tiendront soubs leurs mains & protection ladite cité de Metz* &c.... quod acceptum ratumque habuerunt nomine regis ad hoc expressim deputati DD. *de Scepeaux de la Vieville* Metensis gubernator & Franciscus *de l'Aubespine* juris dicundi & exercendi in eadem urbe præses. Actum die 23 Febr. an. 1557, sub his conditionibus, quod nempe rex monasterium & universa ad illud spectantia regia protectione tueretur, salvaque remanerent jura, privilegia & immunitates quibus antea fruebatur. Attamen vix erat tota domus confecta, cum arcis regiæ fundamentis jaciendis dirui cœpit anno 1559. Quod abbatem Desiderium jam ætate gravem tanto mœrore affecit, ut ipsa die 6 Junii ejusdem anni 1559 supremum diem obierit. Ejus corpus sepulturæ traditum in ecclesia S. Symphoriani, inde transfertur anno 1563 in collegiatam sancti Salvatoris, ubi jacet ad latus dextrum altaris beatæ Virgini dicati, cum hac inscriptione: *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet. Johannis undecimo* & alia, *apud te propitiatio est.* Quibus subjungitur illud epitaphium: *Dum in jaciendis arcis regiæ fundamentis S. Symphoriani templum funditus everteretur, viri perpetuo venerandi domni Desiderii cognomento regis, novissimi abbatis cadaver ante paucos annos sarcophago honeste conditum, officiosa cura atque spontaneis sumptibus carissimi nepotis D. Johannis Willelmi in hac æde sacra canonici effossum hic ponitur anno 1563. Obiit 6 Junii 1559.*

XXXVIII. Monachi sancti Symphoriani abbatis sui jacturam & monasterii eversionem dolentes cogitaverunt de novo abbate eligendo, qui ad exemplum Pointii *de Champel* damna illata & ingruentia resarciret, itaque oculos conjecerunt in Johannem-Baptistam *Praillon* Michaëlis fratrem tunc majoris scabini Metensis, eumque postulaverunt 10 Julii anni 1559, ea lege ut habitum ordinis sumeret & regulam monasterii observaret. Bullas Pii IV pontificis idem præscribentes VIII idus Januarii an. 1560 datas accepit, pro quibus solvit ducatos nummos 982. Solemnia religionis vota nuncupavit die 21 Martii divo Benedicto sacra anni 1562 in hæc verba: « Ego frater Baptista *Praillon* promitto stabilitatem meam « & conversionem morum meorum, & obedien- « tiam secundum regulam S. Benedicti, juxta « instituta & constitutiones hujus monasterii. » Benedictionis munus ipsi impertivit Nicolaus *Pseaume* episcopus Virdunensis die 1 Aprilis anno 1571 post præstitum papæ fidei sacramentum.

Baccalaureus in legibus Johannes-Baptista, solers in negotiis tractandis & linguarum peritus varias legationes obiit tam apud Helvetios quam apud diversos alios principes, in quibus præclare se gessit; at res & emolumenta monasterii penitus neglexit, simulque & vitæ instituto & officii muneribus & expectationi monachorum qui eum elegerant defuit: nam ædes novas & habitationem monachis congruentem nedum cogitaret exstruere, majores campanas veteris ecclesiæ divendidit, & decimas *Nomny* & *des Francs-bancs* cum simplici prædiolo commutavit in gratiam principis Mercoris Nicolai de Valdemontio, quod maximum detrimentum monasterio attulit. Interim monachi sedes suas deserere coacti ob eversionem ædificiorum in hospitium vulgo dictum *des Baudoches* se receperant, translatis prius Sanctorum reliquiis & universa sacra supellectile in sacellum Morimundi sibi ad hoc a Cisterciensibus concessum, quo pariter everso, ea transtulerunt in oratorium dicti hospitii, & tandem anno 1565 dirutis omnibus ædibus, monachis S. Symphoriani oblatus est ad habitandum a regiis præfectis Jacobo de *Montbrun* & Antonio *de Senneton* conventus quem hodie incolunt religiosi dicti *Recollecti*, unde pulsi fuerant anno 1554 Franciscani; imo & imperatum ipsis fuit ut locum illum occuparent; at dictam domum *des Baudoches* in qua stat etiamnum monasterium prætulerunt, quam sibi tam ex propria quam ex pecunia a rege data in compensationem & indemnitatem comparaverunt. Oratorium istius domus cum esset angustius ut ibi decenter divinum officium perageretur, auxit aliquantulum abbas Johannes-Baptista, & anno 1579 die 13 Maii a rege Henrico III litteras impetravit quibus rex monasterium & universas res ad illud pertinentes in sui tutelam suscipit & a quovis tributo immune declarat. Id unum fecit abbas in gratiam sui monasterii. Coadjutorem sibi destinaverat fratris filium cognominem at morte præventum; itaque Guillelmum *Hellot* in ejus locum assumpsit, cui etiam abbatiæ possessionem de consensu regis transcripsit anno 1588, reservata sibi ad victum quingentorum ducatorum aureorum annua summa, qua diu non est usus, siquidem vivere desiit die 21 Augusti anni 1590. De illo jam locuti sumus

in abbatibus Burgi-medii Blesensis, tom. VIII, col. 1396.

XXXIX. Guillelmus *Hellot* presbyter & canonicus ecclesiæ collegiatæ de Vico, licet bullis pontificiis Sixti V instructus ægre admodum admissus fuit: Jacobus enim *Praillon* major seu magister scabinus Metensis volens ex compacto cum quibusdam monachis filium suum Johannem-Baptistam puerum duodecim annos natum intrudere, universas monasterii possessiones in pago Metensi sitas occupaverat, nihilque Guillelmo reliquerat præter dominia extra posita. Itaque appellavit pontificem & Romæ citati sunt Jacobus ac filius causam dicturi die 3 Julii an. 1596. At eodem anno die 13 Augusti rem illam definiendam commisit Clemens VIII arbitrio Andreæ Cordula Rotæ auditoris, quæ morte inopinata pueri Johannis-Baptistæ *Praillon* peste extincti terminata fuit. Cum autem timendum esset ne monachi novum abbatem eligerent, ad quod eos incitabat Jacobus *Praillon* in gratiam alterius filii sui nomine Philippi quem defuncto subrogare intendebat, transegit cum illis Guillelmus de annua summa 400 nummorum aureorum ipsis pensitanda; quod ratum Romæ fuit habitum anno 1597. Hoc modo pacificam abbatiæ possessionem adipiscitur Guillelmus, juramentum de monasterii bonis & juribus tuendis præstat die 18 Septembris an. 1597, habitum ordinis suscipit, regulam S. Benedicti profitetur & in omnibus optimum abbatem egit. Compromissum fecit ultima die Augusti an. 1600 cum suis monachis de rata portione vini aliorumque emolumentorum singulis distribuenda. Anno 1602 litteras obtinuit ab Henrico IV rege quibus abbatia sancti Symphoriani eximitur a monacho vulgariter dicto Laico, eo quod reges non habeat fundatores. Anno 1603 coadjutorem sibi adscivit Carolum *Hellot* fratris filium, quod confirmavit rex Henricus IV diplomate dato Metis 18 Martii ejusdem anni, ubi tunc erat. Bullas etiam pontificias Pauli V an. 1606 in eam rem impetravit pro quibus solvit 2400 libras Metenses; & diem extremum Nomniaci vulgo *(Nomny)* ubi ortum acceperat, clausit die 13 Februarii an. 1607, ibique sepultus fuit. Ædis sacræ ædificationem in animo habuerat optimus abbas, & ad id magnam pecuniæ copiam seposuerat quæ post ejus obitum penitus dissipata fuit. Hoc tamen administrationi ejus debetur quod ære alieno onustum monasterium liberaverit & annua pensionis obligatione Philippo *Praillon* debita exsolverit, data ipsi in compensationem summa 400 aureorum.

XL. Electus fuit a monachis in abbatem Carolus *Hellot* ipsa die qua obierat patruus 13 Febr. an. 1607 ut ipsius jus firmaretur, nondum enim bullas acceperat licet datas Romæ die 20 Januarii ejusdem anni, quibus priori mandabatur regimen monasterii tam in temporalibus quam in spiritualibus, quia 18 tantummodo annos novus abbas attigerat.

A Approbavit hanc electionem Henricus Magnus litteris humanissimis ad religiosos S. Symphoriani scriptis Parisiis 29 Martii an. 1607, ex quibus tamen videtur rex designasse in monasterii administratorem quemdam nomine Bernardum *Maire* hominem duplicem & astutum, qui fingendo se rescripti regii latorem quo juveni cuidam nobili indigenæ conferebatur abbatia, ita terruit abbatem Carolum, ut consenserit cum eo de quadam pecuniæ summa quotannis danda dicto promoto; at cum ventum est ad transactionem proprium nomen suum, alio tacito, inseruit versipellis ille B Bernardus, sicque in ejus commodum cessit pecuniaria pensio. His peractis Carolus optime moratus, ad humanitatem & virtutem quasi natura propensus, litterarumque cupidissimus Treviros regressus est, ut ibi quod inchoaverat studiorum curriculum emetiretur, ac anno 1611 die 18 Julii magister artium renuntiatus fuit. His absolutis Romam profectus est anno 1613 tum ut pietati satisfaceret, tum ut sacros ordines susciperet ac benedictionis munus impetraret. Ibi bulla quam vocant *extra tempora* data XV cal. Martii an. 1613 donatus a Paulo V, quatuor minores ordines Romæ C 13 Aprilis anni sequentis 1614 cæterosque majores paulo post recepit, ac 25 Maii ejusdem anni in ædibus sacris S. Johannis Lateranensis a Cæsare Fideli episcopo Salonensi & sanctæ sedis legato abbas consecratus fuit. Reversus in suum monasterium de pristina in eo renovanda disciplina serio cogitavit, cujus ipse exemplum dedit caste & integre vivens, ac rei divinæ valde assiduus. Ea de causa monasterium suum unire congregationi S. Vitoni volebat, quomodo de cæteris in urbe Metensi sitis jam actum fuerat, sed tunc contrariis quorumdam consiliis præpeditus, D opus illud, quod maxime cordi habebat, non potuit consummare nisi 19 mensis Augusti anni 1634, postulantibus ipsismet antiquis monasterii sui monachis, libello ea de re ipsi oblato 20 Julii ejusdem anni. Voti compos erat Carolus ob restitutam in suo monasterio disciplinam regularem; sed non diu superstes fuit apoplexia extinctus 27 Septembris anni sequentis 1635, magnum sui desiderium apud monachos tam veteris quam novæ disciplinæ relinquens atque apud hos maxime quos gratia & beneficiis cumulaverat, unde & ipsi in grati & memoris animi significationem hoc epi- E taphium in marmore inscripserunt:

Tumulus testis. Geneseos 31, 48.

Venerabili ac prænobili D. Carolo Hellot *hujus monasterii, post patruum Guillelmum* Hellot, *abbati meritissimo, patres congregationis sancti Vitoni ab eo in hoc monasterium accersiti & admissi, in sepulchri titulum, hunc ei lapidem erigebant anno quo obiit 1635 die 27 Septembris, eumque tumulum testem, ceu acervum testimonii, observantiæ & gratitudinis nominabant.*

Usus est amico ad gratiam, inimico ad patientiam,

Cunctis ad benevolentiam, quibus poterat ad beneficentiam.

Hoc monumentum tibi lector tuæ sortis sit monimentum.

XLI. Annis tribus ante obitum Caroli, scilicet 27 Julii an. 1632, requirente regio procuratore, interdicta fuerat monachis a Michaële *Charpentier* justitiæ in Tribus-episcopatibus supremo præside novi abbatis electio quo casu vacaret abbatia, donec eligendi facultatem & regia mandata suscepissent. Verum dux *de la Valette* ineunte anno 1635 ipsis eligendum proposuit fratrem suum Ludovicum cardinalem, cui cum libenter aquievissent consensu in scriptis dato 3 Februarii ejusdem anni, & renovato coram notario 15 Maii, litteras gratiosas ab utroque acceperunt datas 16 ejusdem mensis, in quarum altera sic eos affatur cardinalis:

Messieurs les Prieur & Religieux, ayant vu par l'acte que vous avez tous signé le troisième de ce mois, ce qui est de vos bonnes intentions envers moi, en m'élisant pour tenir la place de votre Abbé après le décès de celui qui l'est à présent: j'ai cru que je ne devois pas différer davantage à vous en remercier & à vous assurer que vous ne pouviez pas faire choix de personne qui eût plus de disposition à vous aimer & à vous chérir, ni qui apportât plus de soin & d'affection au bien & à la conservation des droits de votre Abbaye. J'accepte vos bonnes volontés à ces conditions, & j'essaierai de vous faire paroître le ressentiment qui m'en demeure en toutes les occasions où je pourrai quelque chose pour votre service en général & à chacun de vous en particulier, comme étant,

Messieurs les Prieur & Religieux, votre plus affectionné à vous servir. Signé le Cardinal de la Valette.

Defuncto Carolo, ut supra diximus, 27 Septembris anni 1635, monachi S. Symphoriani revera postulaverunt seu elegerunt abbatem Ludovicum cardinalem *de la Valette* ipsa die prima Octobris sequentis, qui bullis acceptis, per procuratorem Firminum *Caussin* parochum *de Saulny* possessionem iniit die 21 Septemb. an. 1636. Quoad vixit Ludovicus cardinalis promissis stetit, monachos benevolentia & beneficiis fovit & in partienda defuncti abbatis hereditate petitionibus eorum libenter assensit, ut videre est ex sequenti epistola urbanitatis plena ad eos ex Mussiponto die 10 Octobris an. 1635 directa.

Messieurs les Religieux, j'ai vu par la lettre que vous m'avez écrite, ce qui est de vos prétentions touchant la succession de feu Monsieur l'Abbé de S. Symphorien, sur quoi je vous dirai que je desire nullement vous priver des droits qui ont de coutume de vous appartenir, que mon intention est de vous faire observer exactement les promesses qui vous ont été faites de ma part, ainsi que j'ai chargé le sieur Fabert de vous le faire plus particulièrement entendre. Je lui ai au surplus donné pouvoir de faire en cela tout ce qu'il trouvera juste & raisonnable, & m'en remettant à lui, je vous assurerai seulement que par-tout où je vous pourrai donner des marques de mon affection, je vous témoignerai toujours que je suis,

Messieurs les Religieux,

ainsi signé votre bien affectionné
Cardinal de la Valette.

A Pont-à-Mousson, le 10 Octobre 1635.

Hos humanitatis sensus erga monachos sancti Symphoriani servavit Ludovicus cardinalis usque ad finem vitæ, qui tamen effectu pene caruere ob repentinum ejus obitum Parisiis 28 Septemb. 1639 post quatuor regiminis annos, simul abbas S. Vincentii & S. Clementis.

XLII. Die 8 Octob. an. 1639 audita Metis morte cardinalis *de la Valette*, injunctum fuit monachis a D. *Rigaud* rei judiciariæ & ærariæ apud Metenses præfecto, ne ad ullam abbatis electionem seu postulationem procederent, donec mandata regia ea de re suscepissent: & 27 ejusdem mensis Metis adfuit Claudius *Bruillart de Coursant* cum regiis litteris Ludovici XIII quibus priori & monachis mandabat rex ut eum postularent & abbatem eligerent: quas cum 29 ejusdem mensis exhibuisset priori & monachis simul congregatis coram episcopo Madaurensi Metensi suffraganeo & DD. *de Roque-Seine* ac *Rigaud* supradicto ad hoc a rege delegatis, dictum Claudium postulaverunt, qui tamen sic electus contra jus & fas non fuit admissus a Romano pontifice. Itaque cum videret procrastinari bullarum expeditionem ex senatusconsulto sanctioris consistorii possessionem sumpsit 28 Aprilis 1640. Cum autem defectu bullarum nullum ei competeret jurisdictionis exercitium in spiritualibus, vicarium generalem qui ejus vices suppleret instituit priorem monasterii domnum Petrum *du Loyr* 13 Maii 1640. Tandem impetratis bullis ab Urbano VIII datis III cal. Maii anni 1645, sub ea clausula quod Claudio qui succederet necessario deberet assumi ex regularium gremio, iterum possessionem iniit 25 Julii ejusdem anni post præstitum de more juramentum. Claudius *Bruillart* aut *Bruillard de Coursant* de quo hic agitur vota solemnia religionis emiserat in ordine Cluniacensi, a quibus postmodum absolutus, factus est archidiaconus de Deserto in diœcesi Redonensi, paulo post creatus primicerius, canonicus & vicarius generalis solus & irrevocabilis tam in temporalibus quam spiritualibus ecclesiæ Metensis. Doctor erat in utroque jure & consiliarius regius. Multa scita fecit, ut vicarius generalis, ad utilitatem incolarum diœcesis Metensis spectantia, & obiit die 4 Septemb. an. 1669 sepultus in ecclesia cathedrali.

XLIII. Cautum erat bullis pontificiis, ut

ſupra obſervavimus, ne ulterius locum haberet commenda. Itaque monachi ſimul congregati 10 Septembris anni 1669, ſervatis legibus in jure præſcriptis, abbatem elegerunt domnum Vincentium *Lavergne* monaſterii priorem, ſed fruſtra. Nam rex commendatarium nominavit Maximilianum-Henricum *de Gravel* clericum Moguntinenſem qui abbatiam tenuit uſque ad diem 25 Aprilis anni 1742, quo obiit, inhumatus ante majus altare. Hujus temporibus ædes ſacræ quales hodie extant monachorum impenſis exſtructæ & reparatæ, ab illuſtriſſimo D. *de Coaſlin* epiſcopo die 3 Aprilis 1720 conſecrantur, qui primum lapidem poſuerat anno 1715.

XLIV. Sub finem anni 1742 brevi regio factus eſt abbas S. Symphoriani Thomas *de Joyeuſe de Grand-pré*, ſub quo, anno 1759 monachi clathris ferreis chorum ſepſerunt, quinque Sanctorum ſtatuas in ſanctuario poſuerunt & duo ſacella ſeu altaria in navi conſtruxerunt, nullam ad hæc operam impendente abbate. Quartam mutationem experti ſunt monachi S. Symphoriani anno 1768, tranſlati cum univerſa ſupellectile tam ſacra quam profana in collegium Metenſe ubi pueris erudiendis & litteris docendis gratuitam dant operam. Notandum tamen in hac pactione penes cives remanſiſſe proprietatem collegii, & monaſterii penes Benedictinos, qui, cum libuerit, ad veteres ſedes remeare poſſunt.

XLV. Camillus-Ludovicus-Apollinaris *de Polignac*, vicarius generalis Autiſſiodorenſis, fit abbas menſe Martio 1775; tum dictus a rege Meldenſis epiſcopus 28 Februarii 1779, fidem juravit 17 Auguſti ſequentis.

ABBATIA S. CLEMENTIS METENSIS.

SANCTI Clementis in urbe Metenſi monaſterium nobile ac pervetuſtum profeſſionis Benedictinæ, olim extra muros dimidio milliario ſitum erat ibique ſubſtitit uſque ad obſidium urbis anno 1552 a Carolo V imperatore fruſtra tentatum, quo in civitatem transfertur & in eo loco reædificatur ubi etiamnum extat. Quæ autem primitus fuerit occaſio conſtruendæ abbatiæ, hanc diptycha memorant: traditio eſt S. Clementem Metenſium antiſtitem primum & Apoſtolum, oratorium ibi ſub invocatione Apoſtolorum principis exſtruxiſſe, quod lapſu temporis adeo celebre evaſit, ut ibi primorum pontificum ejuſdem cathedræ mauſoleum fuerit; & Urbicium Metenſem epiſcopum auguſtiorem baſilicam ibidem erexiſſe ſub patrocinio S. Felicis preſbyteri eccleſiæ Nolanæ & martyris, quo fit ut in veteribus documentis abbatiæ nomen multiplex fuerit; nam & monaſterium Baſilicarum, ſeu ad Baſilicas, ab oratorio ſancti Clementis, eccleſia S. Johannis-Baptiſtæ ibidem olim ab eodem S. Clemente condita, & templo S. Felicis ſuperſtructo appellabatur, nonnunquam S. Felicis & S. Clementis, abſolute autem nunc S. Clementis inſcribitur. Qui

A autem primi ea in eccleſia deſervierint monachi an canonici ſeculares aut regulares, incertum, quamvis in charta Herimanni epiſcopi Metenſis data anno 1090 expreſſe notetur monachos ibi fuiſſe ſub epiſcopatu Abbonis anno 690 & quidem a pluribus annis. Quidquid ſit Adalbero primus Metenſis epiſcopus & rerum geſtarum claritudine inſignis monaſterium S. Clementis volens inſtaurare & in meliorem ſtatum adducere, baſilica, clauſtro cæteriſque locis regularibus vetuſtate aut alio modo conſumptis, ad ampliorem ſtructuram immutatis & adornatis novæ congregationis
B cœnobitas in hunc locum introduxit, quibus præfecit abbatem beatum Cadroë, quem e Walciodorenſi monaſterio ad Moſam poſito Dionantum inter ac Philippopolim, quod tunc adminiſtrabat, ſanctitatis ejus fama permotus acciverat. Idque factum anno 946 aut juxta Mabillonium 949. Abbatum hujus cœnobii catalogum texuerunt Sanmarthani ex cartis & membranis domni Gothefridi *d'Armen* loci monachi qui S. Clementis hiſtoriam ſcripſerat quam manuſcriptam reliquit, & quam ipſis libenter communicavit domnus Petrus *des Crochers* prior S. Arnulfi Metenſis, cui pariter
C ſe debere fatentur univerſa quæ ad eccleſiam Metenſem ſpectant. Eorum igitur veſtigiis inſiſtentes, ſimulque novis ſchedis inſtructi quas ad nos benigne tranſmiſit eruditus domnus Johannes *François* Metenſis hiſtoriographus hanc ſeriem damus ut ſequitur.

ABBATUM ELENCHUS.

I. CADROË ſeu Kadroetus nobilis Scotus, primus in vetuſtis monumentis reperitur abbas. Hic ab eodem Adalberone ex Luxovienſi cella evocatus ob pietatem S. Clementis
D abbatiæ præponitur abbas; ejus vita habetur in legenda quæ docet floruiſſe apud Luxovium una cum Otberto & Maximino ſociis ad annum 929. Rem tamen aliter narrat Mabillonius ad annum 944, Annalium lib. LXIII, pag. 471 & 472, vultque eum e Walciodorenſi monaſterio cui præerat accitum ut ſancto Clementi præficeretur, ſimulque totam ejus vitæ ſeriem texit quem videſis loco citato. Porro fuit Adalberoni impenſe carus & in functionibus epiſcopalibus cum ipſo aſſiduus, zelo autem religionis ac diſciplinæ monaſticæ obſervantia nulli ſecundus. Eccleſiam ſancti
E Andreæ ſuis cum juribus dono accepit, ut habet originale anno 953, ejuſque conſilio moniales S. Petri Metenſis ſtrictiorem normam amplectuntur; ab imperatoribus quoque multis condecoratur libertatibus ac privilegiis, ac demum beato fine quievit in Domino anno 978 poſt 32 annos moderaminis, ætatis 78 aut 79, ſimul abbas S. Symphoriani, cujus tranſitus titulo ſanctitatis commendatur in priſco martyrologio ad diem 6 Martii.

II. Fingenius patria Hibernus poſt Kadroem abbatiam obtinuit, ſimulque cœnobiorum S. Felicis, ſeu S. Clementis, S. Symphoriani

in suburbio, & S. Vitoni Virdunensis administrator fuit, virum religiosum & magnæ apud principes autoritatis fuisse argumento est tot clarorum monasteriorum præfectura ipsi concredita, qua laudabiliter usus est. Factus enim abbas S. Clementis ab Adalberone qui eum jam sancto Symphoriano post restaurationem præfecerat, ultimo postulatus est in abbatem S. Vitoni Virdunensis in quo cœnobio beatum Richardum magni nominis virum habitu monastico induit, vitam omnino pie ac religiose transegit in suo sacerdotio, multaque viriliter pro gregis sui salute peregit, ac sanctitatis opinione clarus obiit in abbatia S. Clementis die 15 Octobris an. 1002, ut testantur vulgati indices ejusdem monasterii.

III. Haymo 32 annis præfuisse fertur atque ita monasterium rexisse ut invictissimi defensoris jurium ac privilegiorum abbatiæ titulum meruerit. Ultimum diem clausit XIII cal. Feb. an. 1036.

IV. Widelo. Sub ejus præfectura floruerunt in monasterio litteræ & scientiæ quibus ipse apprime instructus erat. Post annos circiter 20 regiminis defunctus est VIII cal. Februarii an. 1057.

V. Hagano cœnobii amplissimus instaurator præfecturam diu tenuit, namque jurium & immunitatum monasterii acerrimus defensor, adversus proceres qui advocatorum sancti Clementis prærogativa proventus abbatiæ invaserant, strenue stetit, quos sibi vindicavit. Sub ejus moderamine celebratur famosa illa revelatio corporis S. Clementis ab Herimanno Metensi præsule, quemadmodum exhibet diploma cui subscribit Hagano cum Henrico Gorziensi, Lanzone S. Vincentii & Durando sancti Symphoriani abbatibus anno 1090, indictione XIII, qua quidem in solemnitate multis donatur libertatibus & privilegiis hoc monasterium. Notatur ejus obitus in martyrologio ad diem 26 Aprilis an. 1098.

VI. Ancelinus ex religioso professo & priore claustrali Haganoni defuncto suffectus est omnium votis, vir summis ornatus virtutibus, disciplinæ regularis observator diligens, qui per eas dotes gradum sibi ad abbatiales infulas fecerat. Extat in armario S. Clementis bulla Paschalis II pontificatus ejus VIII an. 1107 qua S. Clementis bona & immunitates confirmat, ipsique in primis Ancelino abbati dat in mandatis, ut bona oppignerata ad usus monachorum mensæ abbatiali restituenda curet. Decessit magna sanctitatis opinione inter suos alumnos clarus 6 Novemb. an. 1121.

VII. Adelo sive Odilo subscriptus legitur cartæ Herimanni, cum adhuc esset simplex monachus. Huic Callistus papa II anno 1123 apostolicum rescriptum indulsit, quo speciatim sub sedis apostolicæ patrocinio cœnobium S. Clementis recipit suis cum juribus, bonis & ecclesiis. Naturæ debitum solvit IV cal. Februarii anni 1128 suavissimam & benedictionibus plenam de se relinquens memoriam.

A

VIII. Humbertus de quo meminit Stephanus Barrensis Metarum episcopus cui valde carus erat in carta qua confirmat an. 1130 dona decessorum suorum facta monasterio & præsertim quæ Callistus pontifex jam largitus fuerat. Vir summæ eruditionis & animi robore præditus monasterium auxit, ipsiusque intuitu hic præsul plurimis etiam donis locupletavit. E vivis excessit Humbertus die 1 Decembris anno 1138.

IX. Simon I cognominatus pater pauperum præfuit laudabiliter difficillimis temporibus. Fautor fuit partium Innocentii II a quo impetravit anno 1139 omnium bonorum & privilegiorum S. Clementis confirmationem: ubi præsertim ordinat pontifex abbatem non admittendum nisi qui regulam Benedictinam profiteatur; monacho autem deserviendæ parochiæ S. Petri ad Arenas præposito exemptionem ab archidiaconis impertitur. Ipsius mentionem faciunt tabulæ ab ipso confectæ annis 1147 & 1148, ejusque obitus adscribitur in necrologio ad diem 20 Octob. anni 1148 aut 1149.

B

X. Johannes I inter abbates S. Clementis prior donatus est privilegio eligendi majorem scabinum civitatis Metensis una cum primicerio ecclesiæ cathedralis & abbatibus Gorziensi, S. Vincentii, S. Symphoriani & sancti Arnulphi, ut memoratur in diplomate dato anno 1179 a Bertramno Metensi episcopo. Hujus transitus in fastis refertur ad diem 10 Martii anni 1184. Charta XL, col. 408.

C

XI. Sigibertus aut Sigebertus jurium ecclesiæ suæ acerrimus defensor rebus humanis post sex regiminis annos exemptus est 3 Aprilis an. 1190.

XII. Gerardus ex monacho S. Clementis ætate jam provectus ad monasterii regimen vocatus præfuit 4 circiter annis & e vivis excessit 18 Novemb. 1194.

D

XIII. Warinus doctrina & moribus conspicuus, cujus mentio fit in pluribus documentis acquisitionum, & in actis quibus anno 1194 duas ecclesias S. Clementi tradit Bertrandus episcopus, quam cessionem confirmat papa Cœlestinus III. Diem clausit, ut conjicitur, 25 Januarii 1218.

XIV. Heribertus post septem-decim annos regiminis obiit 13 Augusti an. 1235.

XV. Anselmus Heriberto immediate successit & vivere desiit 23 Januarii an. 1247 ærumnis confectus & curis quas frustra cumulaverat, ut monachos sui monasterii jam olim sub regimine Warini abbatis a regulari norma devios ad meliorem frugem revocaret.

E

XVI. Wolfranus subscriptus legitur in actis an. 1250. Transiit a seculo 6 Martii anno 1262.

XVII. Constantinus prosapia nobilis, sed regularis disciplinæ parum studiosus denascitur 15 Junii 1270.

XVIII. Benedictus ejus successor nec officii

sui observantior eripitur e vivis 13 Octob. 1281.

XIX. Rodulphus in veteribus instrumentis celebratur, quod monasterium suum muris & munitionibus cinxerit. Vivere desiit 26 Septembris 1295.

XX. Guingulphus vel Guido præfuit annis circiter 24. In litteris & aliis rebus tractandis versatissimus, postulatus ab abbate Cisterciensi & a sede apostolica deputatus est ut titulo protectoris & conservatoris hujus ordinis frueretur. Hoc insigni privilegio condecorati sunt per plura secula abbates S. Clementis, ut patet ex actis quibus delegantur judices apostolicæ sedis, in primis autem ex bulla Clementis V, qua hujusce monasterii archimandritis una cum sanctæ Genovefæ Parisiensis & sancti Pauli Bisonticensis abbatibus, ea munia obeunda delegat. Mortuus est Guido 16 Augusti 1319.

XXI. Guillelmus annis 40 monasterium rexit. Anno 1345 cum Ademaro Metensi episcopo transegit de prædiis abbatiæ sancti Clementis, quæ libera ac cujusvis census aut episcopalis jurisdictionis expertia recognovit episcopus. Disciplinæ regularis revocationem frustra tentavit, ut omnia in commune conferrentur, quod cum perficere non potuisset, mensam abbatialem a conventuali sejunxit, & quosdam proventus religiosis attribuit, defunctus 1 Januarii 1359.

XXII. Andreas spiritum exhalavit 18 Martii 1376 monasterii œconomiæ exteriori unice intentus,

XXIII. Johannes II *Ancel* decessit 7 Junii 1390.

XXIV. Theobaldus *Louve* post annos 31 regiminis obiit 10 Martii an. 1421, nec quidquam fere memoria dignum peregit.

XXV. Jacobus *Travaux* ex priore seu presbytero S. Petri de Arenis abbas efficitur moriturque 1 Februarii 1443.

XXVI. Johannes III *Noixe* ex doctore in decretis & monacho S. Clementis Jacobo suffectus est, cujus commemoratio habetur in necrologio antiquo ad diem 15 Septembris an. 1461 quo emigravit.

XXVII. Paulus I *Hennequin* variis controversiis disceptavit cum oppidanis magistratibus fatoque functus est 6 Maii 1464.

XXVIII. Paulus II *de Foligny* domum suam male ordinatis prædiorum & dominiorum oppignerationibus attrivit, sublatus e vivis 6 Januarii 1468.

XXIX. Desiderius *Foulet*, ex monasterio S. Symphoriani Metensis accitus est & in abbatem S. Clementis cooptatus a conventu. Is cum Philippo cardinali tituli SS. Petri & Marcellini cui abbatiam cesserat de pensione transegit, quo nomine pontificis bulla anno 1476 inscribitur ad decanum ecclesiæ cathedralis Metensis. Fuit etiam abbas S. Arnulfi ac decessit 17 Julii an. 1480.

XXX. Claudius *d'Ogeviller* duci Barrensi a consiliis, confessionibus & eleemosynis de

A abbatia provisus in commendam seu ex indulto an. 1481, impetrat a Sixto IV rescriptum apostolicum quo anathemati subjiciuntur qui bona & possessiones sancti Clementis injuste occupabant, ni confestim restituant. Ab eodem constituitur judex & conservator ordinis Cisterciensis in decreto pontificio ad decanum & archidiaconum S. Stephani Moguntinensis directo pro quodam monasterio monialium ejusdem ordinis. Extat quoque ipsius placitum anni 1502 decano sancti Paulini Trevirensis transmissum in quadam controversia inter moniales Clari-fontis & capitulum ecclesiæ

B collegiatæ sancti Florini. Adversus Metenses episcopos pro jurisdictione sui monasterii acriter quoque contendit, & impetravit bullas a Sixto papa IV quibus abbatiam S. Clementis sedi apostolicæ immediate subditam esse declarat pontifex, & episcopis jus visitationis interdicit. Fatis ereptus est Claudius die 30 Januarii 1506.

XXXI. Petrus *Nutz* e familia S. Clementis post obitum Claudii canonice fuerat electus in abbatem a conventu die 6 Februarii 1506, sed continuo competitorem habuit Gabrielem cardinalem tit. S. Agathæ & S. Praxedis qui

C autoritate Julii II pontif. abbatia in commendam provisus est eodem tempore, nulla electionis canonicæ habita ratione. Sic igitur Petro evicto, & adepta possessione sequenti resignavit cardinalis ille post annos tres, ut conjicitur ex bulla ejusdem pontificis Julii II data ea de re die 28 Aprilis 1509. Unde in quibusdam catalogis omittitur Petrus & ejus loco ponitur Gabriel.

XXXII. Michaël *le Boux* presbyter Venetus præcedentis cardinalis resignatarius & negotiorum procurator. Extat in scriniis abbatiæ bulla, de qua supra, Julii II papæ qua cœno-

D bium confert Michaëli domestico suo in gratitudinem ministerii quod fideliter ipsi a viginti annis exhibuerat. Impetravit quoque canonicatum ecclesiæ cathedralis cujus possessionem adipiscitur 28 Aprilis an. 1512, ac mortuus est 5 Novemb. an. 1517. Post ejus obitum monachi S. Clementis vi privilegiorum concordati Germanici delegere in ejus locum Theodorum abbatem S. Antonii Viennensis die 21 Maii an. 1518, qui confirmatione caruit.

XXXIII. Jannotus *de Pandolphe* Floren-

E tinus Trecensis in regno Neapolitano episcopus Theodori de quo supra electionem irritam fecit, prolatis bullis Leonis papæ X quibus monachis præcipit ut eum in pastorem admitterent; his vero renuentibus altero diplomate ad archiepiscopum Lugdunensem misso sub pœna anathematis ejus nominatio confirmatur.

XXXIV. Georgius *de Haussonville* ex antiqua & prænobili apud Lotharingos prosapia. Jam abbas Mediani-monasterii commendam S. Clementis obtinet an. 1520. Abbatiam summopere labefactatam in meliorem

statum

statum restituere molitus est, qui etiam tam A generis claritudine quam virtute inclytus ecclesiam suam feliciter administravit, ut de illo produnt cartularia monasterii in hæc verba: *Obiit venerabilis, amantissimus & pius pater Georgius* de Haussonville *abbas hujus loci qui redemit multo pretio bona oppignerata, campanile erexit cum campanis & alia multa pie fieri curavit.* In hoc tamen magis laudandus fuisset, si observantiam regularem propemodum desolatam ad pristinum decus revocasset. Fuit autem vicarius generalis episcopatus Metensis ac vitam finivit 15 Februarii an. 1534.

XXXV. Robertus cardinalis *de Lenoncourt* B episcopus Catalaunensis & abbas S. Remigii Remensis commendam sancti Clementis post obitum Georgii superioris obtinet, quam abdicat postea in gratiam sequentis.

XXXVI. Remigius *Bousset* sub onere pensionis provisus est rescripto anni 1540, pontificatus Pauli III, 6.° & præfuit usque ad diem 1 Julii an. 1546, quo obiit. Unde iterum cardinalis *de Lenoncourt* jure regressus quem sibi reservaverat abbatiam capessit quam tenet usque ad annum 1551, quo in favorem sequentis resignat.

XXXVII. Theodericus *du Chastelet* ex C vetusta & illustri familia de Castelleto in Lotharingia, Herardi toparchæ *de Vauvillars* ex Nicolaa Lenoncuria filius, apostolicus protonotarius & prior *de Relanges* in avunculi cardinalis Roberti locum succedit. Hujus temporibus nempe anno 1552 dirutum est monasterium propter obsidium quod urbi parabat imperator Carolus V, & monachi apud hospitale S. Nicolai in urbe domicilium instituere, servatis ab excidio sacrarum reliquiarum & cæteræ supellectilis sacrariis, quam cladem magistratus civitatis intuens titulum abbatiæ incassum abrogare tentavit, ejusque redditus D nosocomio Metensi adscribere. Interim Theodericus qui apud castrum gentilitium *de Vauvillars* larem fixerat, cœnobium solo æquatum conspiciens, ne illius exstruendi cura ipsi tanquam titulari demandaretur, in manibus Pii V abdicavit.

XXXVIII. Johannes IV *Gerardin* ex familia S. Clementis & ex priore claustrali, cedente Theoderico, hanc præfecturam suffragiis religiosorum assecutus & bulla Pii V data 2 Martii anno 1566 confirmatus, eamdem abbatiam per aliquot annos pacifice E administravit, ac tandem ei restaurandæ animos applicuit, impetrata prius abbatia *Puellarum* dicta, ubi feminæ ordinis Benedictini vivebant, quæ suis cum possessionibus abbatiæ monialium S. Petri aggregantur; sed ea item solo æquata, aliud domicilium coemit dictum olim hospitium Monocerotis in vico vulgariter vocato *de Pontifroy*, ubi aliquot post annis templum quod hodie spectatur, claustrum aliaque ædificia plurima construxit de novo, & spoliatas ac distractas monasterii res & possessiones studiosus inquisitor recuperare & ad pristinum decus revocare sategit, adeo ut sedulo labore ac diligentia abbatiæ sancti Clementis præcipuus instaurator, seu potius alter fundator dici meruerit. Ereptum e vivis 20 Augusti an. 1593 testatur epitaphium ejus tumulo incisum ad sinistrum latus majoris aræ in hæc verba: *Hic jacet Johannes Gerardinus hujus monasterii abbas vigilantissimus, postquam hanc sacram ædem & cœnobium non modo ædificavit, verum multis postea ædificiis suo ære emptis auctum & restitutum cum summa laude & pietate 28 annis rexit, tandem diuturno morbo confectus hic sepultus est anno 1593, 20 Augusti.*

XXXIX. Franciscus I *de Villers* nobili gente inter Metenses satus, fit coadjutor Johannis an. 1591 sub pacto assumendi habitum & profitendi regulam S. Benedicti, ac mortuo decessore possessionem iniit, ejurante Ludovico *Gillet* sancti Clementis monacho coadjutoris munus de quo provisus fuerat ab anno 1582. Franciscus privilegia pontificalia mitræ & baculi pastoralis olim a Julio II & aliis pontificibus indulta, per Clementem VIII sibi & successoribus renovanda curavit & impetravit. Anno 1609, 23 Februarii designatur ab Anna *d'Escars* cardinali Givriaco, ut ejus nomine possessionem episcopatus Metensis adipisceretur. Morte sublatus est summo religiosorum mœrore qui ob præclaras ejus dotes multa sibi de ejus prudenti moderamine pollicebantur. Johannes-Baptista *de Villers* dominus *de Sauluy* & major scabinus Metensis ad latus dextrum majoris altaris inscriptionem sepulchralem erexit, in choro autem hæc leguntur tumuli verba: *Hic jacet quondam venerabilis dominus D. Franciscus* de Villers *hujus cœnobii abbas meritissimus, juris canonici doctor, nec non Christianissimi Galliarum regis eleemosynarius, qui triginta quinque annos natus obiit octavo calendas Julii M. DCXIII.*

XL. Ludovicus I *Gillet* prior claustralis sancti Clementis & antea coadjutor Johannis *Gerardin*, in locum Francisci suffectus iterum per canonicam electionem anno 1614 titulum abbatiæ sub debito pensionis dimisit in gratiam sequentis, exemptus e vivis 22 Feb. 1616 humatur retro majus altare.

XLI. Ludovicus II *de Nogaret* cardinalis *de la Valette* ex resignatione superioris possessionem adiit 3 Junii anno 1614. Sub ejus regimine, ipsoque assensum præbente, reformatio inducitur apud S. Clementem an. 1630 ipso die festo S. Johannis-Baptistæ a patribus congregationis S. Vitoni Virdunensis, Andrea Valladerio S. Arnulfi cœnobiarcha ipso die introductionis perorante. Abbatiam tenuit 25 annis & obiit 28 Septembris anni 1639. Cætera quæ ad eum pertinent vide in archiepiscopis Tolosanis & inter abbates S. Vincentii & S. Symphoriani.

XLII. Henricus *de Bourbon* episcopus & princeps Metensis, marchio Vernolii, unanimi scrutinio monachorum deligitur abbas die 4

Novemb. an. 1639 & possessionem iniit 26 Aprilis an. 1640. Domnum Bonaventuram *Cheverlier* priorem claustralem vicarium generalem suum instituit anno 1647 tam in spiritualibus quam in temporalibus ut omnia administraret quæ ad sancti Clementis abbatiam spectabant. Postea vero regimini & episcopatui renuntiavit 3 Augusti an. 1652 in gratiam sequentis.

XLIII. Julius I cardinalis Mazarinæus episcopus & princeps Metensis, abbas sancti Clementis cessione Henrici postulatur a religiosis die 13 Septembris an. 1652, ac per Henricum *de Haraucourt de Chambley* decanum S. Stephani, & Johannem Rogerium majorem archidiacoum hujus cœnobii possessionem sumpsit die 21 Augusti an. 1653. Excessit 9 Martii 1661 annos natus 59, post cujus obitum monachi simul adunati in capitulo postularunt in abbatem die 13 mensis Martii ejusdem anni serenissimum principem Carolum-Parisius Aurelianensem de Longavilla comitem a sancto Paulo & jam abbatem S. Remigii Remensis, cujus postulatio effectu caruit, nominato a rege alio abbate, ut sequitur.

XLIV. Franciscus II *de Clermont d'Amboise*, comes *de Resnel* clericus diœcesis Lingonensis diplomate regio creatus abbas S. Clementis an. 1662, possessionem arripit 21 Augusti 1665.

XLV. Julius II *de Boulogne* subita morte præventus anno 1681.

XLVI. Nicolaus *Bessier* nominatus anno 1690, optime affectus erga monachos sancti Clementis obiit anno 1716. De illo jam dictum est tom. II, col. 1433 in abbatibus Brolii Herbaldi.

XLVII. Renatus *de Sesmaisons* primum Jesuita, dehinc eques Melitensis, tandem ad sacros ordines promotus, impetravit abbatiam B. Mariæ majoris, prioratum S. Stephani *de Pardaillan*, & abbatiam S. Clementis anno 1727, cui nihil aliud reliquit nisi varia litium instrumenta quæ hodiedum asservantur in archivis monasterii. Designatus Suessionensis episcopus an. 1731 non accepit, sed eodem anno, mense Junio donatus est abbatia Hamensi. Mortuus IX cal. Junii 1742. Lege tom. IX, col. 1125.

XLVIII. Claudius-Franciscus *de Bese de la Richardie* presbyter licentiatus in jure canonico, ecclesiæ Metensis canonicus & vicarius generalis a rege nominatus anno 1742, in possessionem ingreditur 1 Februarii 1743, & obiit 26 Julii 1767.

XLIX. Johannes V *du Chilleau* presbyter diœcesis Santonensis, reginæ eleemosynarius, canonicus ecclesiæ cathedralis & vicarius generalis episcopi Metensis, adepta regia nominatione 1 Novembris anni 1767, possessionem assumit 12 Januarii an. 1768.

GORZIA.

GORZE.

Quanquam vitiosæ fuit pleræque notæ chronologicæ chartæ fundationis monasterii Gorziensis, quatenus sub prima Franciæ regum prosapia inusitatæ, & ab infideli librario intercalatæ, una tamen veritati consentanea videtur, ea scilicet quæ fundationem refert ad annum sextum regni Childerici III regis, hoc est ad annum 749, in quem incidit annus sextus ipsius regis. Hujus monasterii author fuit sanctus Chrodegangus Metensis episcopus, qui illud ad amnem cognominem haud procul a Mosella in pago Scarponensi construxit in honorem sanctorum Petri & Stephani: cui a translatione reliquiarum sancti Gorgonii martyris tertius patronus accessit. Dedicata est ecclesia ab ipso sancto Chrodegango circa annum 753 mense Julio, ut constat ex hoc dysticho Alcuini:

Ista domus Domino Christo Sanctisque dicata est
Ardentis Julii quinis & idibus olim.
Hanc pius archipater, Metensis gloria plebis
Rotgandus præsul magno sacravit honore.

Indultum est in Compendiensi concilio celebrato an. 757 pro monasterii confirmatione privilegium, quod edidit ipse Chrodegangus, secutus exempla priscorum patrum, id est antecessorum suorum episcoporum, quos construendis monasteriis Deo placuisse persuasum habebat. Quapropter cum permissu Pippini regis ac consensu fratrum suorum canonicorum atque spiritualium ac Deum timentium laïcorum fidelium S. Stephani, ait se monasterium in loco, qui dicitur Gorzia, in pago Scarponensi ædificasse in honorem beatissimorum apostolorum Petri & Pauli, nec non & sancti Stephani, cæterorumque Sanctorum; ipsumque fundasse ac dotasse ex rebus ac possessionibus, quæ sibi legibus obvenerant, ea scilicet conditione, ut illic monachi secundum ordinem & regulam sancti patris nostri Benedicti abbatis perpetuis temporibus vivant, nihil penitus proprium habentes, sed omnia communia. Hoc vero monasterium vult esse sub mundeburde ac defensione sancti Stephani ecclesiæ Metensis patroni titularis; & cum abbas e seculo migraverit, ejus loco alium institui, quem tota illa monachorum congregatio unanimi consensu elegerit, regulis monasticis ac vitæ optime instructum. Quod si talis in illo monasterio inveniri non possit, a Metensi pontifice cum monachorum consensu ex alio monasterio eligendum. Denique si aliquando idem pontifex illud accedat, expensis non gravet monasterium: ut monachi, qui solitarii nuncupantur, quieti ac securi sub sancta regula viventes, plenius valeant attentiusque Domini misericordiam deprecari. Privilegii litteris subscribunt synodi Compendiensis episcopi minimum viginti præter Chrodegangum. Integrum legitur id privilegium

tum in conciliis Labbeanis, tum in Cointianis A annalibus Francorum, datum in Compendio palatio publice, anno sexto Pippini regis, x calendas Julii. Duas alias insignes litteras vel eximia privilegia huic monasterio piissimus ille fundator concessit ad annos 763, 765. Defunctus sanctus præsul Chrodegangus pridie nonas Martii 766, sepultus fuit in monasterio Gorziensi, ex quo ad Laureshamense cœnobium, quod ille dum viveret, informandum a fundatoribus acceperat, primorum monachorum colonia deducta est, ducibus Reginfredo & Ulvino, qui alios quatuordecim fratres maturæ ætatis eo secum adduxisse tra- B duntur.

Chart. IV, col. 371.

Charta V, col. 372.

Quantæcunque fuerint facultates, quibus id monasterium sanctus Chrodegangus cumulaverit, imperatores, reges, magnates & prælati innumeras possessiones impertiti sunt. Inter principes numerandi Pippinus, qui plurimas res indulsit ad annum 752; Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Otto I, Otto II, Fridericus, Rodulphus, Richildis regina. Quibus plurimos præsules in primis Adventium, Poponem, Engilramnum & Adalberonem I adjungere operæ pretium est. Quin etiam summi pontifices, singulari studio affecti, quam multa C insignia privilegia & immunitates tribuerunt. Mox monasterium fuit unum e ditissimis ac celeberrimis non tantum Austrasiæ, sed & totius orbis Christiani. Præter dominium Gorziæ, quod complectitur 28 pagos, quibus etiamnum abbatia in alta justitia cum insigni titulo principatus fruitur, habebat & alteras magnas possessiones in pluribus provinciis, nempe in Alsatia, in tractu Vormatiensi & in diœcesi Metensi. Cuilibet episcopo aut archidiacono jurisdictionem tam in oppidum Gorziæ quam in abbatiam & capellam castralem exercere nefas erat. Quamplurima D momonasteria seu prioratus non levis momenti suberant, puta prioratus Varengisi-villæ, Amantiæ, Aspero-montii; Amellæ, Stenaii & plures alii.

Ch. III, col. 371.

Verum ut neminem lateat splendor monasterii Gorziensis, libet observare quondam abbates juribus regalibus fruitos fuisse, nomine suo bellum indixisse & pacem gessisse, fœdera cum principibus ac optimatibus conflagrasse, penes ipsos fuisse jus monetam cudendi. Cum aliis abbatibus Metensibus communis fuit abbatibus Gorziæ prærogativa eligendi majorem E ædilem urbis Metensis, ubi ipsis erant sumptuosæ ædes, nuncupatæ *Curia deaurata*, quas cardinalis a Lotharingia concessit anno 1561 patribus Trinitariis. Longe solidior prodiit gloria ex religione, ex regularum observantia & ex sacrarum litterarum cultura. Enimvero ex Gorziensi monasterio undequaque educti sunt abbates & monachi ad refovendam & restituendam in aliis cœnobiis regularem disciplinam. Eodem loci schola fuit celebris ad educandam juventutem & informandam. Fuit & seminarium ex quo diversis temporibus acciti sunt præsules, qui sedes episcopales Trevirensem, Remensem, Metensem, Tullensem, Virdunensem & alias regerent. Imo quidem plures viri sanctitate, eloquentia & doctrina celebres enituere.

Jam pridem regularis observantia intepuerat in eo monasterio antea religione florentissimo. Sed insignis est annus 933 secessu venerabilis Agenoldi seu Einoldi, Johannis & sociorum in cœnobium, quod Adalbero Metensis episcopus ipsis incolendum, & in melius reformandum concessit. Hic locus antea religione florentissimus, jam longo situ pene in solitudinem redactus erat & præter paucos sola veste monachos, qui illic reliqui degebant, quibus diurnæ stipis modica portio inferebatur, cætera, ornatu omni submoto, fœda locum facies insuscabat. Possessionum quidquid exterius fuerat, Adelbertus comes, vir genere quidem clarus, at ingenio ferox & violentus tenebat ex beneficio episcopi cui militabat. Is conjugem habebat sororem illustris cujusdam viri Lantberti, quicum dissidia quædam habebat. Hic est Lantbertus qui episcopi animum inclinavit ad retinendos Gorziæ viros illos sanctos, qui in Italiæ solitudines secedere constituerant. Itaque Lantbertus, pertentato episcopi animo, Bernacrum diaconum, qui eorum propositi conscius erat, compellit ut piissimi illi viri Gorziensem solitudinem Italicæ præferant. Monasterium igitur ingressi sunt hoc anno 933 Einoldus atque Johannes, Salecho ex clericis sancti Martini Metensis citra Mosellam, Randincus presbyter tituli sancti Symphoriani ejusdem urbis, Bernacer diaconus mox laudatus; cumque his adolescentuli duo, Teuthingus minister domni Einoldi, & Teutherus Randinci nepos. Hi omnes Gorziam introgressi, in veste clericali aliquandiu illic manserunt, donec scilicet eo veniret episcopus: a quo eligendi more monastico abbatis facultate petita & accepta, cum institutione vitæ regularis habitum quoque commutarunt. Electus unanimi consensu Einoldus, ipse primus omnium episcopo regularem conversationem ex instituto beati Benedicti professus, & cruci Dominicæ dedicandus, cucullo induitur. Pauci, qui ex vetusta conversatione illic supererant monachi, exemplo novorum in communionem vitæ & ipsi assensi sunt. His peractis, Johanni rerum exteriorum, in quibus exercitatus erat, & cellarii cura imponitur: Bernacer vestiarium sive cameram fratrum procurabat. Eisdem etiam sanctissimis viris adjuncti sunt & alii, qui olim eis familiares fuerunt, Andreas scilicet Britto atque Humbertus, qui ambo Einoldo & Johanni non imparis sanctitatis incitamenta, & quidem quasi stimuli ad virtutes fuere. Hi, ut fama vulgante eos Gorziam se recepisse, & plurimos undique ad eos divinæ servitutis amore certatim confluere intellexerunt; ipsi quoque, nullo retardati obice, istuc animo atque intentione pari, saltem secundi convolarunt; & monasticam institutionem professi, quibus olim

prævii duces ac magistri fuerant, jam eorum ducatui & magisterio subjici nec abnuerunt, nec erubuerunt. Et cum Andrea quidem germanus ipsius Maginfredus, postea alii quidam ejusdem gentis, scilicet Brittonicæ sunt subsecuti: Cum Humberto vero bonæ indolis adolescens, nomine Milo, ejus minister, etiam susceptus est, non minimo postmodum usui futurus.

Jam vero sanctæ hujus societatis fragrans odor circumquaque resperfus, non solum eos, qui jam divino mancipati erant obsequio, istuc attraxit: verum alii quoque qui eatenus quodam veterno frigidi torpuisse videbantur, horum exemplis concitati, ad eorum consortium ardentissime festinabant. In his primas tenuit patruus venerabilis antistitis Adalberonis, nomine Fridericus, qui in Andaginensi sancti Huberti in Arduenna monasterio, ubi regularis vitæ, ut alibi passim, ardor intepuerat, a puero educatus, atque adeo laxiorum monachorum exemplis conformatus, episcopo jam grandævus adhærebat, non inutilis asfecla, utpote cujus monitis & consiliis juveniles Adalberonis impetus & actus regebantur. Tandem vero hanc servorum Dei religionem secum retractans, posthabitis vitæ commodioris illecebris, ocius eis accessit. Nec multo post ob præclaras animi dotes post abbatem præpositus instituitur, Johanne ipsi in coadjutorem adjuncto, ac demum Richarii Leodicensis episcopi rogatu proprio sancti Hucberti monasterio præfectus abbas, pristinum eidem loco religionis splendorem restituit. Alter post Fridericum Gorziam accessit Odilo, vir natalibus clarus, Virdunensis ecclesiæ primus ab episcopo curam gerens, qui cunctis illis mordacibus curis ac seculi facultatibus rejectis, sanctæ paupertati cum illis Dei servis se totum devovit, eam terrenis opibus longe pretiosorem ducens. Is vero, jam adulto monasticæ conversationis robore, a Stabulensibus exoptatus, ibidemque promotus abbas, quæ illic prava forte reperit, ad rectitudinis lineam correxit. Eodem ferme tempore venit & Angilramnus, vir nobilitate & opibus præcellens, primo Tullensis, deinde sanctæ Metensis ecclesiæ primicerius. Hic Gorziam accedens, moles plurimi auri atque argenti cæteræque supellectilis secum trahens, instar primitivæ illius apostolicæ turbæ, in usus pauperum Christi redigendas contulit cum multis prædiis, quæ monasterio perpetuo donavit. Ob reverentiam personæ & liberalitatem mollius cœpit tractari & amplius honorari. Sed mox pro his quæ monasterio tribuerat, paulo supra alios tumidius se extulit, adeo ut increpationum impatiens, monitis & adhortationibus acquiescere nollet. Forte accidit ut pro quadam insolita culpa acrius ab Einoldo abbate argueretur. Mox ira accensus claustrum egreditur, in seculum reversurus. Insecuti fratres eum in porticu exteriori subsistentem aggrediuntur, & genibus ejus advoluti, divini Numinis obtestatione ne id

A faciat obsecrant. Ille aliquandiu resistere; verum pœnitentia tactus, pedibus abbatis prostratus cadit, rogans ut puniat reum & rebellem, ne superbo & vecordi parcat. Einoldus pietatis plenus, aliique cum eo fratres Angilramnum prostratum solo erigunt & alacriter in monasterium reducunt. Ab eo die tanta in ejus moribus conversio facta est, ut alter vir esse crederetur. Et vero reliquum vitæ suæ in maxima austeritate & miro fervore exegit usque ad obitum qui contigit 9 Septembris, postridie festi beati Gorgonii martyris. Tot & tantis viris, qui principio reformatæ apud Gorzienses

B disciplinæ una floruerunt, quatuor alii annumerantur, scilicet Ansteus, postea apud sanctum Arnulfum abbas; Blidulfus sanctæ Metensis ecclesiæ archidiaconus, vel primicerius, vir cum nobilitate generis, tum rerum copia quam maxime insignis, sed litterarum scientia cæteris præcellens. Post aliquot annos majori calore virtutis accensus, in Vosagensem solitudinem divinæ contemplationis studio se recepit cum altero socio, Gundelacho nomine, qui ex Fuldensi monasterio primum Treviros ad sanctum Maximinum, dein Gorziam ad venerabilem Einoldum commigraverat; ibidemque

C perstiterat donec ejusdem Einoldi jussu una cum prædicto Blidulfo ad restituendam in S. Maximino regularem disciplinam Ogoni abbati socius datus est. Ogone mortuo, ambo Gorziam reversi, mox ad Vosagi remotiora loca simul secesserunt: ubi Blidulfo mortuo Gundelachus superstes, locellum ipsum usque ad finem vitæ incoluit, doctrinaque & vitæ puritate clarus, ibidem in Domino quievit. Nec omittendus est Isaacus Virdunensis canonicus, qui in vita canonica pie conversatus, & jam canitie ipsa reverendus, biennio post Blidulfum Gorziæ admissus est: ubi cum mira

D simplicitate & innocentia sine querela aliquandiu conversatus, beato fine quievit, audita cœlitus voce, quæ ter Isaacum inclamabat, audiente domno Einoldo, qui proinde superstes erat. His Wibertus Gemblacensis monasterii auctor, & Rambertus Senoniensis abbas accensendi sunt.

Jam ad renascentis disciplinæ famam undique concurrebant tot in dies novi candidati, ut iis alendis annona non suppeteret: tum quia pleræque monasterii possessiones ante in beneficium datæ, necdum restitutæ erant: tum

E quia Adalbero Metensis episcopus, qui renascenti familiæ subsidia principio contulerat, jam palatinis distractus & occupatus negotiis, postea Gorziensium curam abjecisse videbatur. His compertis, Ogo abbas, qui reficiendo sancti Maximini monasterio ac restituendæ ibidem disciplinæ sedulam navabat operam, connitente Gisleberto duce, Gorzienses ut ad se commigrent benigne invitat, inventuros novas ædes, cordatos fratres, annonam, omnia denique necessaria. Ad hæc fluctuantibus & jam inclinatis multorum animis occurrit Einoldus abbas, bene cœpta tam leviter deserere turpe

esse objiciens: excitandos ad pietatem animos, exercendam accuratius disciplinam; flectendum precibus Deum, cui facile sit episcopi animum sibi denuo propitium reddere. His monitis excitati omnes, novos ad observantiam animos resumunt & in novam strictioris observantiæ æmulationem certatim conspirant, quasi tunc primum conversionis initia arripuissent. Interim res quædam accidit, quæ abalienandi Adalberonis animi nova occasio esse poterat, sed contrarium omnino sortita eventum. Forte quidam ex hominibus monasterii episcopo admodum utilis erat, & rebus ejus procurandis adhibitus. Vocatur ab episcopo in urbem Johannes, cui rerum exteriorum cura commissa erat; & blande ab eo petit episcopus hunc hominem sibi relaxari. Ille Davidicam de ovicula pauperis fabulam ingerit petenti. Responso exacerbatur Adalbero, cujus e conspectu mox Johannes se proripit. Ingressus ad episcopum Fridericus ejus patruus, S. Hucberti monachus, ex vultu dejecto ejus animum & motum conjiciens, causam inquirit. Hic se ab insano illo Johanne spretum queritur. Ad hæc Fridericus: brevi, inquit, duce & præposito carebis, nisi monasterii rebus provideris; nam rebus destituti necessariis, ad sanctum Maximinum invitantur. Mox revocato Johanne, petit episcopus sibi ut hominem illum saltem ad quadraginta dies concedat. Etiam ad annum, si placet, inquit Johannes. Sic lenitus est episcopi animus: cui non multo post quiescenti cujusdam terribilis personæ species apparuit, minaci vultu increpantis, cur tam cito a bene cœptis defecisset. Expergefactus mox jubet accersiri Einoldum abbatem, qui tum forte Metis aderat. Advenienti ait episcopus se postridie Gorziam profecturum. Crastina profectus, cum jam monasterio propinquare cœpisset, in loco, qui dicebatur ad Crucem, equo desiliens, excalceatus ad monasterium pedibus incedit. Exceptus, ut par erat, convocatis post orationem fratribus, ad eorum vestigia supplex prosternitur, neglectum deprecatur, spem de se meliorem in posterum haberi jubet. Tum villam quamdam monasterii, Warengisi-villam vocabulo, quam germanus ipsius Gozilinus in beneficium retinebat, restituit. Illic longe ante id tempus erecta fuerat cella insignis, ex qua pendet proxima villa Portus, solo flumine Morta intermedio, sancti Nicolai oppido & cultu postmodum illustrata.

Attamen seculo decimo sexto Warricus de Damno-Martino abbas, tum episcopus Virdunensis struxerat ædes abbatiales velut arcem munitissimam, quam vicissim invasere Protestantes Germaniæ, satellites quidem amici & inimici, nec non prædones, qui non tantum abbatiam diripuerunt, sed funditus everterunt, adeo ut præter ecclesiam nihil superesset. Tunc visum est principibus Lotharingiæ secularisationem abbatiæ a summo pontifice postulare, tam pro fundatione domus Jesuitarum Mussipontii, quam pro dotatione ecclesiæ primatialis

A Nanceii. Equidem bullæ subreptitiæ anno 1572 ea de re impetratæ sunt, quarum virtute Carolus a Lotharingia, dictus magnus cardinalis, unam bonorum partem mensæ conventualis primatiali, & aliam collegio Jesuitarum attribuit. Alter Carolus a Lotharingia se gessit sicut & antecessor suus, Benedictinosque expulit, suffectis in eorum locum canonicis. Parsum quidem non est ipsi ecclesiæ, quæ cum reliquis ædificiis prorsus deleta fuit a Carolo *de Remoncourt* abbate, ducis Lotharingiæ notho, qui una cum patre suo obtinuit a Gregorio XV anno 1621, 16 Septembris breve

B pontificium, quo mensa abbatialis adnecteretur mensæ Primatus Nanceii. Verumtamen ex sancita compositione Cæsarem inter & Christianissimum regem, transmissa Galliarum regi suprema in tres episcopatus potestate, statutum fuit anno 1661 inter ipsum regem & ducem Lotharingiæ ut abbatiæ Gorziensis collatio, nullo cujuslibet unionis habito respectu, ad regem spectaret; mensa vero abbatialis Insulæ Barrensis primatiali ecclesiæ applicaretur.

CATALOGUS ABBATUM.

I. RODIGANDUS anno 757 subscripsit privilegio, quod concessum fuit in Compendiensi

C synodo pro confirmatione monasterii.

II. Gundelardus innotescit ex donatione facta monasterio anno 759.

III. Droctegangus, alter a Droctegango Gemeticensi abbate, quem ad Stephanum papam cum Chrodigango Metensi episcopo legatum miserat an. 753 Pipinus rex, obiit an. 769.

IV. Theutmarus seu Theotmarus regiminis sui initio ab Angelramno, Metensi antistite Ch. VI, col. 375. prædium Calvomontensis, Warengisi-villam Chart. VII, col. 376. vocabulo, sancti Nicolai percelebri fano adjacentem, multaque alia prædia accepit anno Ch. VIII, col. 377.

D primo Carolomanni regis (769). Cæteras possessiones monasterio tributas confirmari curavit a Carolo-Magno anno 771. Occurrit adhuc anno 775.

V. Optarius rexit ab anno 775 ad 796, quo obiisse dicitur. Legitur nomen ejus in Augiensi necrologio.

VI. Magulfus vocatur episcopus & abbas Gorziensis in donatione facta anno 802 a Laudrada muliere Deo consecrata; nec non Chart. XI, col. 381. in diplomate Ludovici Pii anno 815, privilegium monasterio concedentis.

E VII. Halduinus donum obtinuit an. 822 & adhuc præerat an. 835. De eo loquitur Adventius episcopus Metensis in litteris datis an. 863.

VIII. Drogo episcopus Metensis munia abbatis agebat an. 848; præpositum sub se habuit nomine Haltwinum, mortuusque est anno 855.

IX. Bivinus, comes secularis, a Lothario juniori donatus abbatia, fruebatur anno 857 ex documento, Laudovino præpositi munus exercente. Pulsus est anno 863 ab Adventio episcopo, nixo tam autoritate concilii Metensis,

quam Lotharii regis, propterea quod monasterium expilasset.

X. Betto ab Adventio præsule in Bivini locum suffectus, commutationem fecit anno 864. Idem esse videtur cum Bettone quem eodem anno Carolus Calvus imperator ad Nicolaum papam direxit cum litteris in gratiam Adventii episcopi. De Bettone cum laude loquitur rex: *Petimus*, inquit, *ut Bettonem religiosum monachum & litterarum scientia, bonique ingenii capacitate, Dei gratia & sedulo studio imbutum, benigne & familiariter recipiatis.* In rescripto tamen Nicolai legitur litteras per Theodoricum religiosum presbyterum redditas fuisse, non vero per Bettonem, qui forsan in itinere obierat.

XI. Bovo cum Vala episcopo iniit commutationem anno 880, eodemque alteri ab ipso Vala & Ansegiso Senonensi archiepiscopo factæ subscripsit.

XII. Lodovinus I, laudante Roberto episcopo, cum Verdingo canonico S. Stephani Metensis transegit anno 884.

XIII. Vigaudus commutationem fecit cum quodam Bernardo anno 885.

XIV. Folcherus arbiter fuit an. 886 inter duos litigantes, patrem & filium.

XV. Herigaldus occurrit ab anno 886 ad 890.

XVI. Lodowinus II memoratur ad annos 890 & 895.

XVII. Rodolphus notus ex litteris anni 899.

XVIII. Robertus episcopus Metensis præerat anno 910 ex instrumento donationis Richildis reginæ. Assumtus fuerat in abbatem, ut a Normannis illata monasterio damna resarciret: quod exsequi non valuit.

XIX. Wigericus seu Videricus, Roberti in episcopatu & abbatia successor, obtinebat circa annum 917.

XX. Einoldus seu Agenoldus Tullensis ecclesiæ primum fuerat archidiaconus. Hic omnibus suis facultatibus in egenos effusis, in cellulam claustro clericorum adhærentem sese recluserat, unde præterquam in majori ecclesia missas celebrandi aut nocturnarum precum causa non egrediebatur, necessaria ad victum ministrantibus Gauzelino venerabili episcopo, vel aliis religiosis personis. Forte Humbertus e cellula qua se jam dudum Virduni recluserat, ad eum accessit, hortans ut simul in solitarium locum se reciperent, multo liberius quam in urbium frequentia Deo servituri. Mox consilio probato ambo, Mosella fluvio transmisso, in specum quemdam vicini saltus sese abdunt. Verum adventantium frequentia interturbati, ad suam quisque cellulam remearunt. Non multo post accitus ab Einoldo Johannes de Vinderia, ambo de relinquendo penitus seculo consilium agitant. Ea de re consulti sunt Salecho clericus sancti Martini, Radincus presbyter & Bernacer diaconus, quicum Johannes Romam perrexerat. Omnibus in idem propositum consentientibus, cum nullus in Gallia locus opportunus occurreret, visum est Italiam adire, ubi loca quædam circa Beneventanas partes valde remota, rebusque omnibus ad vitam necessariis referta Johannes se vidisse dixit, in quibus labore manuum suarum, exemplo antiquorum patrum, vitam sustentare possent. Cum profectionem secreto disponerent, arcanum a Bernacro diacono accipit Adalbero episcopus Metensis, qui illis ad se vocatis persuadet ut in Gorziam monasterium non procul ab urbe Metensi, verum a tumultu longe remotum, se recipiant. Hi omnes & cum illis duo adolescentuli, Theuterus Radinci nepos & Theutingus Einoldi minister, Gorziam introgressi sunt donec eo veniret episcopus, a quo petita & accepta eligendi abbatis facultate, unanimi consensu electus est Einoldus, qui primus omnium episcopo regularem vitam ex instituto beati Benedicti professus est. Cæteri vero in manibus abbatis vota emiserunt. Pauci qui supererant monachi novorum exempla æmulati sunt. Einoldus Rambertum monachum Senoniensem, futurum postea ejusdem loci abbatem, benigne apud Gorziam accepit, & cum ipso missus ab Adalberone Metensi episcopo reformationi ejusdem Senoniensis cœnobii operam dedit. Andream monachum ad preces Agapiti papæ Romam direxit, qui monasterium sancti Pauli regulari institutione informaret. Ante annos quinque coloniam monachorum sub Heriberto abbate in Metense cœnobium sancti Arnulfi miserat. Adstitit anno 942 dedicationi ecclesiæ S. Maximini Trevirensis. Transactionem iniit cum laïco Harduino nomine, anno 30 regni Othonis imperatoris, id est circa annum 968, quo satis concessisse dicitur.

XXI. B. Johannes nuncupatus de Vinderia ex natali solo, villa olim regia in finibus diœceseon Metensis & Tullensis, dictus etiam de Gorzia, natus est honestis parentibus fortunæ non mediocris. Litteris operam dedit in Metensibus scholis, tum in monasterio sancti Michaëlis ad Mosam sub Hildeboldo doctissimo professore, Remigii celeberrimi ea ætate magistri discipulo. Post patris ætate jam provecti mortem, matre utpote juniore in alteras nuptias se conjiciente, adhuc adolescens fratrum reique domesticæ curator factus, fortunas familiæ mirabiliter auxit. Riquini comitis aliquot annos in domo diversatus, ipsius comitis gratia Vinderiæ ecclesiam regendam accepit, nec multo post ad preces nobilis viri Warnerii deservivit ecclesiæ S. Laurentii de Fontaneto prope Tullum. Unde ei fuit occasio cognoscendi Bernerum diaconum Tullensem sanctitate & doctrina clarum, sub cujus magisterio studia repetiit. Tunc in monasterio S. Petri Metensis erat sanctimonialis pietate insignis, Geisa nomine, cujus exemplo Johannes inductus, vitam perfectiorem ducere constituit, & cum ipsa cæterisque Christi ancillis, ut in proposito se obfirmaret, historiam veteris ac novi testamenti sanctorumque patrum institu-

Act. SS. ord. S. Ben. sæc. V.

tiones perlegit. Seculi contemptu sensim captus, de solitudine eligenda cogitat, duosque canonicos in urbe Metensi sanctam vitam agentes, Rotlandum scilicet & Varimbertum, visitat & eorum exemplis adeo movetur, ut cellulam prope ecclesiam sancti Salvatoris, in qua perpetuo clauderetur, adorsus sit. Sed propter urbis tumultum, consilio mutato, Virdunum adiit Humbertum reclusum, sanctimonia & doctrina insignem, quicum aliquot diebus habitis colloquiis, peccaminum suorum ei fecit confessionem. Cum audivisset de quodam alio solitario, Lantberto nomine, in Argonensi silva commorante, eum invisit, moxque reliquit propter singulare vivendi genus. Talis enim fuit bonus solitarius, nec studio nec educatione excultus, nullisque adstrictus regulis. Modium farinæ in unum panem redigebat, qui mensem aut duos ei suppeteret, cujus cum securi frustum ad placandam famem effringebat. Legumina & olera in lebete cocta sufficiebant usque dum omnia manducasset. Nihil de corpore vel etiam naturalibus tegendis curabat. Subito mentis impulsu ex eremo se proripiens, villas & civitates peragrabat, tum repente sua cellula se recondebat. Sacrificium missæ modo nocte, modo die, tum mane tum vespere offerebat, nec in sumendis cibis majorem servabat ordinem. Nihilominus Johannes cellulam sibi jam construxerat, ut Lantberti æmularetur austeritatem. Sed suasu Humberti supra memorati & Andreæ alterius sancti viri, a quibus invisus est, ab illo solitario discessit & Romam Apostolorum tumulos visitaturus iter cum Bernacro diacono suscepit. Unde postquam devotionis gratia Montem-Cassinum & Montem-Garganum, nec non Dei famulos inhabitantes in monasterio sancti Salvatoris ad radices Vesuvii visisset, in Lotharingiam reversus est. Domi consistere statuerat, quia locus desideriis suis aptus nusquam occurrebat: verum non multo post accitus ab Einoldo Johannes, ambo item & Salecho clericus, Radincus presbyter, Bernacer diaconus, Romani itineris comes, quos consuluerant, consilium capiunt se recipiendi in Italiam circa Beneventum, ubi manuum suarum labore vitam sustentarent. Hæc etsi tractabantur secreto, in notitiam venerunt Adalberonis episcopi, qui persuadet ut a proposito desistant, recedantque in Gorziense monasterium. Electus fuit abbas Einoldus, cura vero rerum exteriorum & cellarii imponitur Johanni, qui quidquid in seculo facultatum habebat, monasterio contulit ea conditione ut dum viveret, in usus monasterii impenderentur: ipso vero mortuo ab heredibus non repeti possent, nisi prius argenti libras triginta monasterio persolverent. Superstes ei erat mater secundo viro vidua, quæ cum aliquibus ex sua familia Gorziam ad Johannem filium recurrit; ibique ex stipe monasterii extra septa cum suis alita, vestes monachorum reficiebat, ibique sancto fine quievit.

A Verumtamen Johannis vita quasi cæterorum speculum fuit. Nullus eo humilior, nullus obedientior; nullis enim injuriis aut contumeliis adduci potuit ut verbum ullum impatientiæ aut rancoris regereret. Hunc Fridericus præpositus, ut erat animo præfervido, persæpe gravibus verborum contumeliis, etiam publice & coram secularibus lacessebat. Mox Johannes ad terram se prosternens, perpetuum tenebat silentium, ex quo ille fiebat commotior. Postea Fridericus motu subsidente placidior, pedibus ipsius Johannis advolutus: occidisti me, aiebat: patientia, inquam, tua me occidit. Cui Jo-
B hannes: immo vero animositas vestra vos occidit. Nec plura: lites illico cessabant. Duas quadragesimas, unam ab idibus Septembris ad Natale Domini, alteram ab octavis Epiphaniæ ad Pascha peragebat. In his Dominica, tertia & quinta feria communem fratribus refectionem sumens, reliquos quatuor abstinebat dies, pane tantum & aqua contentus. Post nocturnas vigilias somnum vitabat ut orationi & patrum lectioni vacaret. Nihil tamen de rerum exteriorum cura sibi commissa remittebat. Interea Boso comes, Richardi Burgundiæ principis filius, dum partem ali-
C quam regni Lothariensis vindicare conatur, quasdam Gorziensis monasterii possessiones usurpat. Ad has reposcendas missus ab Einoldo abbate Johannes adit comitem, rogatque ut res occupatas restituat. Ille ira commotus id se facturum constanter negat & Johannem a se submoveri jubet. Johannes insistit; verum comes commotior, minas intentat & supplicia, & jam fere eum arripi jusserat, cum ejus conjux rogavit ut si postulata negaret, saltem illæsum abire sineret. Ita dimissus etiam viatico & viæ duce a comitissa accepto, discessit, ac tandem Gorziam non sine magnis periculis incolumis
D pervenit. Vix domum reversus erat, cum nuntius Bosonis comitis Gorziam advenit, rogans ut quantocius Johannes mittatur ad comitem, qui morbo gravissimo pene desperatus lecto decumbit. Protinus Johannes abbatis jussu celer progreditur. Dum coram venisset: quando, inquit comes, hinc digressus es, non tam prope finem vitæ mihi adesse cogitabam: habeto jam prædia, quæ repetebas; tantum eorum patronum ac defensorem me habete. De cætero quidquid vobis ex eis deperierit, ego auro probato repensabo. His actis, ubi Johannes
E e conspectu abiisset, comes resolutus in somnum, quo jam plures dies ac noctes caruerat, ab hora nona usque ad subsequentis diei horam fere tertiam non evigilavit. Sed tandem experrectus, Johannem advocat, eumque salutis suæ recuperatorem testatus, cum multo honore a se emittit.

Inter hæc legati ab Abderramano rege Arabum in Hispania missi sunt ad Ottonem I imperatorem cum literis quædam in Christum impia continentibus. Virum interritum, qui Arabum regis impietatem coarguere non formidet, legatum in Hispaniam Otto an. 957

mittere constituit; nec ullus aptior invenitur quam Johannes monachus Gorziensis, qui se ultro ad tantum discrimen haud cunctabundus obtulit, uno contentus socio, Garamno diacono & monacho. Cum Cordubam urbem regiam advenissent, domus quædam a palatio duobus fere millibus distans ipsis assignata est, ubi regali luxu excepti, per aliquot dies coacti sunt remorari. Percontati quando ad audientiam regis admitterentur, reponsum acceperunt forte futurum ut coram rege non sisterent ante novem annos, quia legati Abderramani ad regem Ottonem triennio fuerant detenti. Ut Johanni terror incuteretur, ministri regii aiebant ipsum capitis subire periculum, quod contra leges regionis litteras ad regem attulisset. Id ab eo exigebatur ut illas supprimeret. Quarum abrogationi assentire noluit, tametsi rex ipsum & quidem totius Hispaniæ Christianos exterminare minitaretur. Nil aliud ab eo impetrari potuit, quam ut aliquis ad Imperatorem deputaretur, voluntatem ejus nosciturus. Itaque mittitur Recemundus Hispanus episcopus, qui ab Ottone obtinet ut, suppressis prioribus litteris, aliæ mitiores Johanni deferantur, Saracenorum regi cum donis tradendæ, cum eo ut pacem & amicitiam cum Ottone sanciat, & infestationem latrunculorum Saracenorum compescat; quo facto, Johannes reditum maturet. Ubi in Hispaniam redux fuisset Recemundus episcopus, deductus est post tres expectationis annos Johannes ad regis audientiam, peditibus equitibusque hinc & inde stantibus. Regem reperit more Saracenorum in solio sedentem, cruribus uno alteri impositis; & postquam illum salutasset, manumque ejus interne præ maximi honoris signo osculatus fuisset, jubente rege in sede parata consedit. Tum longum ac propitium cum illo habuit colloquium. Aliquot post diebus accersitus est ab ipso rege, ut de persona, dotibus & potestate Imperatoris cum eo conferret. Porro Johannes ad suum monasterium reversus, superstitem invenit Einoldum abbatem, cui mortuo anno 968 suffectus est. Ipsum etiam anno 973 occubuisse autumat Mabillonius, cum quadragesimus in sancto proposito vitæ monasticæ ei annus esset: quod tempus ab anno 933 repetendum esse constat ex ejus vita. Cujus mortem Pœnos ingemuisse leones & montes, feras, silvas vulgasse scribit S. Cadroæ vitæ scriptor, qui eum columnam in templo Dei appellare non dubitavit. Hic vir sanctissimus, inquit Johannes abbas sancti Arnulfi author ejus vitæ, initio sanctæ Quadragesimæ, prima ipsa die, post horam vespertinæ refectionis, sane (ut sibi moris erat) parcissimæ, id est panis tantum & aquæ, acutissima febre corripitur, quam post quintam exinde diem exitus est subsecutus.

XXII. Odolbertus cum Isaaco Virdunensi canonico adhuc juvenis in monasterium admissus est. Johannis successor factus legitur in instrumentis ad annum 977.

A XXIII. Ermenfridus recurrit anno 983, XVI cal. Septembris in cartulario.

XXIV. Immo circa annum 984 benedictus fuit a Theoderico I episcopo, ut in actis Adalberonis II legitur. Milonem episcopum Mindensem honorifice in suo monasterio accepit, eique partem sancti Gorgonii martyris reliquiarum in Saxoniam asportandam concessit. Milo vicissim ad Immonem transmisit librum de passione S. Gorgonii, quæ apud Gorzienses desiderabatur. Multum prædicat Immonem scriptor vitæ Adalberonis II Metensis episcopi. Gorziam hic autor *felicem* dicit, *non minus*
B *ex eo qui in præsentiarum præest, & sanctissime dulcissimeque prodest, quam ex his, qui jam beati ad cœlestia transmigrarunt, quorum vita inclyta & gloriosa proprios libros expetunt, & gesta vere memoranda otium satis longum ad scribendum requirunt. De hujus viri multum venerandi gestis honestissimis, ad augendum nostræ materiæ decus, plurima inserenda judicaremus: sed quia ad votum utilitatemque patriæ adhuc Dei gratia superest; adulationis nota aduri timentes, alii tempori vel personæ id reponamus. Hic certe dominus & multum venerabilis Immo, post decessum patris Odelberti, a domino Theo-*
C *dorico sacro pontifice Gurgitensibus pastor & abbas constitutus, ex omnibus primoribus domus sancti Stephani, abbatibus & abbatissis, quos domnus Adalbero præesse invenit, solus hunc eumdem sanctum antistitem supervixit, & interim, quo multum gaudemus supervivit.* Ita gravis ille auctor, tertius abbas S. Symphoriani Metensis, qui a Constantino alius non videtur. Hæc præstruenda visa sunt iis, quæ de Immone scribit Hermannus hoc anno, quo Werinharius Augiæ abbas decessit. Quo defuncto fratres Heinricum monachum elegerunt. *Sed rex*
D *Heinricus ejus insolentiam, quamvis ab eo pecunias accepisset, detestatus, fratribusque apud se accusatis, infestus, Immonem quemdam Gorziensem abbatem, qui & Prumiam ipso tempore tenebat, virum austerum, ipsis invitis præposuit. Unde nonnullis ex ipsis sponte locum illum relinquentibus, quibusdam etiam ab eo jejuniis, verberibus, exsilioque graviter afflictis, nobile monasterium in magnis viris, librisque & ecclesiæ thesauris, grave, peccatis exigentibus, pertulit detrimentum, sicuti R·* (Rudolportus) *monachus, nobilis, doctus & facetus, matris meæ patruus, prosa, rythmo, metroque flebiliter deplangit.*

E XXV. Willelmus I, Divionensis abbas, ex epistola Warini abbatis S. Arnulfi Metensis ad Johannem Fiscannensem abbatem Gorziense monasterium regendum accepit. Benedictum monachum cum multis aliis admisisse perhibetur, atque Sigifridum clericum Metensem, litteris excultum, qui post ipsum Willelmum eidem monasterio præfectus fuit. Analect. t. I, p. 229.

XXVI. Sigefridus præerat anno 1032. Adstitit anno 1049 Remensi synodo a Leone IX habitæ. Bullam de confirmatione bonorum assecutus est ab eo summo pontifice an. 1051. Ipso moderante confecta est ejus jussu & nomine

nomine a monacho Azone conventio, quæ dati S. Gorgonio prædii, nomine *Mouzon*, cum omnibus appendiciis, a nobili milite Erfone, filio Adelardi & Officiæ, usum fructuarium concedit eidem Officiæ, præterea que per singulos annos duas libras pro vestimentis, propterea quod ipsa, postquam supradictus Erso in prælio occubuit, & corpus ejus a loco, ubi inhoneste positum erat, per fratres Gorzienses servatum & ad monasterium cum magno periculo relatum, in cœmeterio officiosissime sepultum est, conventionem a filio suo ante factam gratantissime renovasset, laudasset, pactumque ab eo censum solvendi confirmasset. Occurrit anno 1055 in litteris Theodorici episcopi. Sic notatur in vetusto necrologio S. Clementis: *11 Junii obiit Sigefridus piæ memoriæ, abbas S. Gorgonii.*

XXVII. Henricus cognomento Bonus, commutationem fecit anno 1055. Subscripsit anno 1057 mense Julio judicio Udonis episcopi Tullensis. Monachos ad ecclesiam B. Mariæ de Aspero-monte, a Goberto comite constructam anno 1060 direxit. Ecclesiam quoque S. Dagoberti de Sathanaco, quam huc usque canonici possederant, administrandam accepit a Godefrido Barbato duce & marchione anno 1069. Plurimas construxit ecclesias in locis a monasterio suo dependentibus, septem scilicet, quas inter numeratur ecclesia duodecim Apostolorum Gorziæ, ab Herimanno præsule Metensi dicata an. 1077. Effossis ruderibus monasterii, in tumuli loculo repertum est id epitaphium: *Anno ab Incarnatione Domini 1093, indictione prima, obiit dominus Henricus piæ memoriæ abbas & sacerdos istius loci; decessit autem calendis Maii.* Ossa vero e terra levata, in æde S. Stephani Gorziæ recondita sunt ad parietem e regione altaris.

XXVIII. Warnerus Popponem episcopum Metensem causæ judicem elegit anno 1095, & ab ipso pontifice altare sanctæ Crucis & martyris S. Gorgonii consecrari curavit anno 1099. Ecclesiam S. Mariæ sub Aspero-monte dedicari curavit a Richardo cardinali, Albanensis ecclesiæ episcopo, summi pontificis legato. Id privilegium vel immunitatem a papa Paschali II obtinuit, ut nec laïca nec ecclesiastica persona, ne quidem diœcesanus episcopus vel archidiaconus jurisdictionem in monasterio vel in pago Gorziensi exercere valeret. Confirmationem prioratus S. Dagoberti de Sathanaco ab eodem pontifice nactus est an. 1108. Superstes adhuc an. 1109.

XXIX. Tetuinus seu Theodeguinus ex priore Mauri-monasterii Gorziæ abbas creatus, duas ecclesias monasterio suo ab Henrico Virdunensi episcopo asseri curavit annis 1126 & 1127. Ad ejus preces omnium cœnobii possessionum confirmatio, nec non cujuslibet jurisdictionis immunitas quoad spirituale & temporale concessa est anno 1130 ab Innocentio II, qui & alteram indulsit an. 1132. Fuit postea cardinalis episcopus S. Rufinæ. *Annal. Bened. t. VI. p. 3.*

XXX. Vigericus innotescit ex actis annorum 1133, 1137, 1141. In possessione cujusdam ecclesiæ confirmatus fuit an. 1143 a Stephano episcopo Metensi, licet eamdem ecclesiam suam esse vellet abbas sancti Symphoriani.

XXXI. Willelmus anno 1152 adstitit pactioni initæ ab Hillino Trevirensi archiepiscopo inter Matthæum Lotharingiæ ducem & Juditham Romaricensem abbatissam.

XXXII. Isemboldus adstitit anno 1152 concilio provinciali Trevirensi & subscripsit compositioni pacis initæ inter ducem Lotharingiæ & ecclesiam Romaricensem. Legitur etiam anno 1154. Circa id tempus munificentiæ Stephani Metensis episcopi plura expertus est testimonia. *Ch. XXXVI, col. 403.* Bullas ab Adriano IV obtinuit, inter quas unam anno 1156, non tantum pro privilegiorum & immunitatum confirmatione, verum etiam pro extensione. *Charta XXXVII, col. 404.* Litteras etiam anno 1157 ab Hillino archiepiscopo Trevirensi consecutus est pro confirmatione prioratus de Sathanaco. Undecim salis caldaria, quæ Stephanus Metensis episcopus in fundo monasterii Gorziensis sine licentia constituerat, ipso episcopo consentiente recuperavit anno 1158. Eodem anno pactioni inter Herbertum abbatem S. Symphoriani & abbatem sancti Benedicti subscripsit. Partem fundi, in quo condita est abbatia B. Mariæ de Nemore, concessit Præmonstratensibus, cum conditione solvendi singulis annis in festo S. Gorgonii duodecim denarios. Suum instituit anniversarium anno 1159. Vocatur abbas piæ memoriæ in antiquo necrologio S. Clementis, ubi ejus mors notatur calendis Octobris.

XXXIII. Albertus subscripsit anno 1161 chartæ Stephani episcopi pro abbatia sanctæ Crucis, cujus præsulis defuncti anno 1163 die 29 Decembris anniversarium instituit. Circa eumdem annum legitur in donatione facta monasterio de Castellione. *Ch. XXXI, col. 574.* Adhuc occurrit ad annos 1164 & 1168. Notatur in antiquo necrologio S. Clementis ad diem octavam Julii.

XXXIV. Petrus I ante annum 1171 pastoris, qui capellæ de Aspero-monte deserviret, eligendi jus a Goberto de Aspero-monte concessum, a Richardo Virdunensi electo sibi firmari procuravit. Abbatis munus agebat tempore Theodorici III episcopi Metensis, mortui die 8 Augusti 1171, qui præsul in gratiam Petri non tantum in monasterium, sed & in ecclesiam S. Stephani de Gorzia omni jurisdictione destitit, sibi suoque archidiacono tantummodo reservatis in excommunicatos justitiæ juribus. Quod confirmatum fuit hoc ipso anno 1171 ab Arnoldo archiepiscopo Trevirensi. Sigefridi Wormatiensis episcopi patrocinio fretus, decimarum quarumdam restitutionem obtinuit anno 1173.

Eodem subscripsit litteris Friderici episcopi A
Metensis. Adeptus est etiam anno insequenti recuperationem juris cujusdam de duobus vini carris. Donationem anno 1175 indulsit monasterio de Bella-valle, ac terram S. Gorgonii Gervasio abbati Monasterii in Argona. Testis fuit anno 1176 quando Petrus *de Brixey* episcopus Tullensis ratam habuit fundationem Clari-loci. Subsignavit pluribus instrumentis Bertrandi episcopi Metensis, scilicet an. 1179 de creatione magistri scabini Metensis, anno 1180 litteris in gratiam S. Martini Metensis, anno 1183 chartæ pro confirmanda monasterio S. Petri ecclesia sancti Viti, anno 1190 B
statuto pro mensulariis, anno 1194 unioni ecclesiæ S. Privati ad abbatiam S. Clementis, demum anno 1199 confirmationi bonorum ecclesiæ collegiatæ S. Theobaldi. Privilegium etiam a Lucio papa obtinuerat, nec non a Bertranno Metensi. Occurrit etiam ad annum 1200. Suum muris ac propugnaculis vallavit monasterium.

XXXV. Ratramnus sic memoratur in vetusto necrologio sancti Clementis: *VII idus Septembris obiit Ratrannus abbas S. Gorgonii.*

XXXVI. Godefridus ita consignatur in necrologio: *XIV Septembris obiit Godefridus* C
ex monacho sancti Vincentii Metensis abbas Gorziensis.

XXXVII. Valterius præerat an. 1220.

XXXVIII. Olivarius ad annos circiter 1220 & 1225, defunctus 14 Maii ex necrologio S. Vincentii.

XXXIX. Brunaldus obtinuit circa annum 1230.

XL. Simon Memoratur anno 1243. Litteris datis 25 Januarii anno 1264 testatur quemdam Walrinum fuisse confessum se esse hominem ligium comitis Barrensis Theobaldi. Occurrit etiam ad annos 1268 mense D
Augusto & 1270.

XLI. Johannes I 1272, 1276, 1280.

XLII. Johannes II *de Briey* ab anno 1280 ad 1294.

XLIII. Petrus II *de Boiffremont* reperitur ad annos 1298, 1299, 1301.

XLIV. Vauterius *Diveux* 1304 & 1306.

XLV. Adam 1303, 1314, 1319, 1321.

XLVI. Theobaldus I 1323. Fidem clientelarem accepit anno 1324 a Johanne comite Salmensi pro feudo *de Mauvaige.* Sigillum suum apposuit an. 1325 sabbato post festum sancti Bartholomæi litteris Nancei scriptis a E
Johanne presbytero notario jurato, quibus Julianus *de Manonville* profitetur quid debeat Friderico Lotharingiæ duci feodali jure. Subsignavit die Veneris post festum S. Mathiæ 1339 litteris N. *de Valleroy* cedentis omnia sua jura in quædam molendina comiti Barrensi.

XLVII. Antherius.

XLVIII. Johannes III *Dalphin* 1348.

XLIX. Nicolaus I *de Prisney* 1352, 1356. Prius fuerat abbas Longæ-villæ.

L. Hugo *de Fenestranges* 1360, 1375.

LI. Nicolaus II *de la Petitepierre* 1377, 1379. Defunctus anno 1380, ex chronico sancti Theobaldi.

LII. Johannes IV *de Heis* vel *de Heu* ad annos 1382, 1384, 1385.

LIII. Thetonius seu Letonius 1388.

LIV. Ferricus *de Lenoncourt* 1388, 1390, 1402.

LV. Jacobus I *de Visse* al. *de Lavalle* 1413.

LVI. Raimundus, cujus electio confirmata fuit 20 Junii 1416 a Conrado episcopo.

LVII. Theobaldus II anno 1421. Adstitit capitulo generali ordinis habito anno 1422 jussu Martini V summi pontificis in monasterio sancti Maximini Trevirensis. Obtinebat adhuc anno 1429.

LVIII. Balduinus *de Fleville* 1431. Scripsit litteras cum episcopis Virdunensi & Tullensi die ultima Octobris an. 1434. Conventui generali abbatum ordinis S. Benedicti pro ordinis reformatione, Basileæ habito, interfuit anno 1436, electusque est visitator. Eo nomine fuit unus e præsidibus capituli generalis habiti in monasterio S. Maximini an. 1440.

LIX. Gerardus *de Lude* simul prior Varingisi-villæ innotescit anno 1444 ex litteris Renati regis Siciliæ datis 24 Octobris.

LX. Jacobus II *Visse* de Girbertvillari electus anno 1445 æmulum passus est Gerardum *de Lude*, ut constat ex tomo VII spicilegii, p. 290. Legitur anno 1453 in cartulario Asperi-montis ejus jussu descripto.

LXI. Julianus cardinalis S. Petri ad vincula, nepos Sixti papæ IV, in gratiam sequentis resignavit.

LXII. Varricus *de Dommartin*, monachus S. Apri, prior Varengisi-villæ, Castineti & Domnæ-Mariæ, abbas Gorziæ per præcedentis cessionem circa annum 1490, & episcopus Virdunensis, omnia pene hæc beneficia fraude & dolo invasit. Magnificas ædes abbatiales inchoavit, quas necdum absolutas reliquit, mortuus 7 Julii 1508 Gorziæ, ubi sepulturæ traditus est. De eo fusius agemus in episcopis Virdunensibus.

LXIII. Johannes V *de Lorraine*, Renati ducis & Philippæ a Gueldria filius, cardinalis S. Onuphrii, quam plurimis episcopatibus & abbatiis onustus, occurrit in litteris ad annos 1520 & 1533. Obiit Nivernis 19 Maii 1550, apud Franciscanos Nanceii humatus.

LXIV. Tussanus *de Hocedey,* episcopus Tullensis, se gessit pro abbate Gorziæ, qua tamen nunquam fruitus est.

LXV. Guillelmus comes *de Furstemberg*, abbatia a rege donatus 1542, illam in arcem convertit, erroribusque Lutheri oppidulum Gorziæ inficere enixus est ope Ministri *Farel*, quem & ipse hæresi infectus accersivit.

LXVI. Carolus I *de Lorraine*, filius Claudii Guisiæ ducis, & Antoniæ *de Bourbon*, nepos Johannis supra memorati, archiepiscopus Remensis, Francisco I Franciæ regi quam

plurimum dilectus, abbatiam adeptus est anno 1551. Bullas de monasterii secularisatione obtinuit, quæ propter monachorum intercessionem promulgatæ non sunt ante annum 1580. Nihilominus bona mensæ conventualis discerpsit, una parte tributa primatiali Nanceii, & altera collegio Societatis Jesu Mussipontii. Avenione decessit 23 Decembris 1574.

LXVII. Carolus II *de Lorraine*, filius Caroli III ducis Lotharingiæ & Claudiæ a Francia, filiæ Henrici II regis, episcopus Metensis & cardinalis, abbatiam consecutus est anno 1574. Proventus mensæ conventualis, claustralium officiorum & prioratuum tam patribus Societatis Jesu, quam canonicis recens Gorziæ institutis attribuit, pulsis Benedictinis antiquis habitatoribus. Defunctus Nanceii 24 Novembris 1607, sepulturam habuit in Primatiali, cujus fuit primas, præcipuus fundator ac benefactor.

LXVIII. Carolus III *de Lorraine*, vulgo dictus *de Remoncourt*, filius nothus Caroli III ducis, prorsus delevit anno 1609 vestigia monasterii, quod ipso superstite unitum fuit primatiali Nanceii. Quæ unio cum effectum sortiri non deberet, præterquam post abbatis obitum, postea constitutum fuit a Ludovico XIV rege & Carolo IV duce Lotharingiæ ut loco Gorziensis abbatiæ, proventus mensæ abbatialis Insulæ Barrensis Primatiali cederent. Carolus adhuc obtinebat ad annos 1620 & 1621.

LXIX. Nicolaus *de Lorraine*, filius tertius nothus Henrici ducis, cognomine Boni, successit Carolo, superstesque adhuc erat anno 1636.

LXX. Carolus IV *de Lorraine*, Nicolai ducis filius, post patrem dux & ipse, quinque tantummodo natus annos, abbatia fruitus est ad usque mortem fratris sui Ferdinandi, quo tempore clero valedixit arma secuturus. Dum possideret abbatiam, Benedictini an. 1649 in eam redire enixi sunt, sed sine prospero successu propter principum Lotharingiæ auctoritatem.

LXXI. Franciscus-Egon *de Furstemberg*, episcopus Metensis, abbatiam nactus est anno 1650, quam postea abdicavit. Dum frueretur abbatia, inter Ludovicum XIV Franciæ regem & Carolum IV Lotharingiæ ducem constitutum est anno 1661 ut Gorzia maneret sub ditione regum Franciæ, ac mensa abbatialis Insulæ Barrensis primatiali Nanceii adnecteretur.

LXXII. Philippus-Eberhardus *de Laveistein*, abbas princeps Morbacensis, & Lurensis, obiit 19 Januarii 1720.

LXXIII. Armandus-Julius *de Rohan*, archiepiscopus & dux Remensis, a rege nominatus abbas anno 1720, decessit 28 Augusti 1762. A quo tempore abbatia fuit in œconomatu usque ad annum 1771, quo

LXXIV. N. *Giraud*, nuncius apostolicus apud regem Ludovicum XV, ab ipso donatus fuit abbatia anno 1771, eodemque a summo pontifice Clemente XIV creatus cardinalis.

S. ARNULFUS.

Saint-Arnou.

CELEBERRIMUM ac vetustissimum sancti Arnulfi monasterium in urbe Metensi, olim canonicorum, postea vero monachorum ordinis S. Benedicti, antiquitus extra civitatis mœnia versus meridiem constructum erat, cujus ecclesiam jure merito augustam & inter alias regni pernobilem basilicam liceat appellare, quæ videlicet dignitatum titulis, præcellentia & vetustate emineat. Dicturi autem de antiquitatibus S. Arnulfi, priusquam abbatum elenchum proferamus, cum multa suppetant monumenta, operæ pretium videtur hisce primis seculis de cœnobii institutione edisserere; & quidem si fides habenda antiquo chronographo chartularii S. Arnulfi: « Hæc est, ait, mater ecclesia quam B. Patiens fecit « fabricari super omnes totius provinciæ; & « infra: ecclesia sanctorum Apostolorum quæ « modo sancti Arnulfi dicitur, in ea nonnulli « pontifices resederunt. » Barbaris vero in Gallias erumpentibus, populatione Hunnorum sub Attila rege variis cladibus templum afficitur, tum etiam in aliis expeditionibus bellicis sub Chlodovæo & liberis, ferro ac flammis vastatum est fere hoc sanctuarium, quod pastorali episcoporum sollicitudine a ruina vindicatum est; ipsisque post hæc se recipientibus ad oratorium S. Stephani in urbe, quod cathedra pontificia celeberrimum evasit; exinde hæc basilica Apostolorum fuit ædes collegiata sub tutela episcoporum, & inter utramque ecclesiam extitit tam intima societas ut clerici utriusque basilicæ fratres censerentur, ad usque circiter annum æræ Christianæ 600, quo Benedictinorum regula, ut probabile est, ibi instituitur. Tum sanctus Columbanus monasticæ religionis in Galliis restaurator a Theodeberto rege perhumaniter excipitur Metis, & per id tempus abbatia monialium sanctæ Glodessindis, divi Petri, ipsaque S. Martini juxta urbem a Sigeberto rege exædificatæ sunt sub eadem regula Benedictina, quæ tum integritate vitæ conspicuis viris clarebat. Hinc fit ut in chartis imperatorum Caroli Calvi & Arnulfi, ac Roberti Metensium antistitis, canonici de monasterio S. Arnulfi nuncupentur & a Ludovico rege Germaniæ fratres ex cœnobio sanctorum Apostolorum, nec non & beatissimi confessoris Christi Arnulfi atavi sui. In illa basilica multorum imperatorum, regum ac principum, insigniumque personarum monumenta extabant antequam, veteri monasterio destructo, seculi decimi sexti anno quinquagesimo secundo Benedictini in eam, quam nunc possident, Prædicatorum ecclesiam translati essent. In ea priori basilica sanctimoniales parthenonis S. Glodessindis primitus sepeliri mos erat; & quidem ipsa sancta Virgo ibidem humata est. Postquam vero sacrum ejus corpus illic per viginti quinque annos jacuisset, in

basilicam S. Dei Genitricis recens constructam delatum fuit. Arnulfus dux memor juris sepulturæ, quod Luitbertus abbas ei concesserat in monasterio, plurimas donationes largitus est anno 706. Hildegarda regina, uxor Caroli Magni, apud Theodonis-villam defuncta in vigilia Ascensionis Domini 783 ibidem humo mandatur. Hac occasione Carolus rex ipso Ascensionis die monasterio S. Arnulfi diplomate donavit villam Camnettum pro remedio animæ ipsius conjugis suæ: tum ut die noctuque luminaria ad ejus sepulcrum ardeant: tum ut illic alantur, qui pro ejus anima missas quotidie faciant, psalmosque & preces jugiter persolvant. Hildegardi ex Carolo filia æquivoca erat, quæ nondum bimula matrem morientem brevi subsecuta est, ac prope eam sepulta una cum Adelaide eorumdem filia. Ibidem etiam humatæ sunt duæ Pippini regis filiæ, Rothaidis & Adelaidis, omnes ob memoriam beati Arnulfi ibidem consepulti, ex quo genus duxerunt. Harum omnium epitaphia jussu gloriosi regis Caroli Paulus Warnefridi conscripsit. In sacrario S. Arnulfi hactenus asservatur sacerdotalis casula ex serico albo, aquilis resperfa aureis, quam a Carolo Magno concessam tradunt, forte in gratiam Hildegardis conjugis ibidem sepultæ, cujus pecten in capsula eburnea illic habetur. Corpus Ludovici Pii in eamdem Mediomatricum urbem post mortem, uti vivens præceperat, deportatum, in extramurana S. Arnulfi basilica, ubi & mater ejus Hildegardis quiescebat, Drogone episcopo ejus fratre funus curante, humo conditum est, postmodum translatum cum mausolæo intra muros, ubi nunc sancti Arnulfi basilica cum monasterio visitur. Hoc est ejus epitaphium:

Chart. I, col. 369.

Chart. X, col. 380.

A

B

C

Imperii fulmen, Francorum nobile culmen
Excitus a seculo conditur hoc tumulo
Rex Hludovicus pietatis tantus amicus,
Quod pius a populo dicitur & titulo.
Hildegard *soboles, Karoli magni pia proles,*
In pacis Metas colligit hunc pietas.
Rumelicum villam quicquidque refertur ad illam,
Arnulfi sancti contulit huicque loco.
Stirps a quo procerum regumque vel imperatorum,
Quo cum muneribus sistitur iste locus.

D

Illic etiam sepultus est & ipse Drogo, aquis inter piscandum præfocatus in Lignone amne, dum Luxovii in Burgundia, cujus rector erat, versaretur. In ea ecclesia tunc degebant canonici, qui Carolum imperatorem eo tempore convenerunt, rogantes ut quæ ad victum & substantiam eorum pertinebant imperiali præcepto vel possessa confirmarentur vel ablata restituerentur juxta privilegium Ludovici Germaniæ regis ipsius Caroli parentis. Horum preces Cæsar libenter excepit, eisque litteras hac de re per Ruotbertum Metensem episcopum scribi jussit, quæ authenticæ in archivo S. Arnulfi absque chronologicis notis leguntur. Quemdam fiscum suum Rumeliacum nomine Lotharius imperator concessit an. 855. Locum eumdem sibi ablatum fratres sancti Arnulfi petierunt an. 875 a Ludovico Germaniæ rege restitui. Cum multa mala Galliam, maxime Belgicam, infestarent; his ut præsens aliquod remedium afferrent episcopi, indictum fuit concilium Metas calendis Maii 888, quod Ratbodus archipræsul Trevirensis, ejusque suffraganei Rotbertus Metensis, Arnoldus Tullensis & Dado Virdunensis celebrarunt in monasterio S. Arnulfi. Villam dictam *Ares* rex Arnulfus largitus est an. 892. Illustris femina Rothildis ejusque filii res quasdam proprietatis suæ, laudante & acceptante Bennone Metensi episcopo, ecclesiæ S. Arnulfi tradiderunt circa annum 928. Verumtamen Adalbero I Metensium præsul, de suo grege perquam sollicitus, monachos in basilica sancti Arnulfi instituit canonicorum loco, quos licentius viventes ad meliorem frugem compellere non potuerat. Hujus rei causa Ottonem regem adiit, facultatem petiturus monachos illic substituendi in locum canonicorum, qui posthabita canonicæ regulæ conversatione, laïco more vivebant & post creberrimas admonitiones incorrigibiles esse pergebant. Reclamantibus nequicquam canonicis, sanxit Otto regia potestate ut, congregata inibi Domino famulantium honesta conversatione, deinceps monachica ibi perpetualiter vita ducatur. Data IV idus Januarii anno Incarnationis Domini 941. Litteras & ipse dedit Adalbero, in quibus ait se cum suis suffraganeis diu tentavisse, ut S. Arnulfi clericorum, qui acephalorum canonicorum more vivebant, mores & vitam emendarent. Sed cum incorrigibiles expertus esset, statuisse ut eos inde expelleret, nisi monasticæ se vitæ subderent. Quod cum illi facere prorsus abnuissent, se consultu suorum clericorum, scilicet abbatum utriusque ordinis atque fidelium laïcorum, eidem loco præfecisse, Arbertum nomine, cujus institutionibus novi tirones illuc advenientes in ordine monastico erudirentur. Id factum anno insequenti cum consensu ducis paulo superius laudati. Quin etiam multa bona opulentasque possessiones Adalbero indulsit anno decimo tertio episcopatus sui. Porro annus 964 fuit supremus Adalberonis de ordine monastico bene meriti, qui primo in monasterio S. Trudonis sepultus, dein Gorziam ac demum ad sancti Arnulfi basilicam translatus est.

Char. XII, col. 382.

Chart. XIV, col. 383.

Ch. XV, col. 384.

Ch. XVI, col. 385.

Ch. XVII, col. 386.

Ch. XVIII, col. 386.

Ch. XIX, col. 387.

E

Nanceium inter & Pontem-Montionis positum est Laïum villa pagi Calvimontensis, S. Arnulfi ortu insignis, quam in dotem Evæ conjugi suæ dederat Hugo comes. Hæc orbata viro, duos ex eo filios habebat, Arnulfum comitem natu majorem & Odelricum quem in clericatus ordine instituendum curavit. Bonis

omnibus carus & acceptus erat Arnulfus comes, viduarum & pupillorum defensor, sed malis & raptoribus infestus, a quibus in primo juventutis flore impie occisus est. Et quoniam ex genere S. Arnulfi ex linea paterna ducebat originem, visum est ejus genitrici, ut in basilica S. Arnulfi sepulturæ mandaretur. Quamobrem Ch. XXI, vol. 390. Eva comitissa cum filio suo Odalrico Laïum villam S. Arnulfi monasterio contulit an. 950. Quam donationem Odalricus qui tum vixdum adultus erat, post novem annos una cum matre sua confirmavit anno 959. Mater atque filius in hoc monasterio sepeliri voluerunt. Eodem anno corpus S. Chlodulfi episcopi translatum est e monasterio S. Arnulfi in ipsam Laii cellam, missis inde monachis, qui locum illum incolerent & divina officia celebrarent. Rodulfus illustris juvenis cœnobio, in quo sepeliri cupiebat, ubi & pater ejus Matfridus, atque avus Rodulfus cum aliis sui generis requiescebant, contulit alodum suum in villa vocabulo *Til*, situm in pago Salnensi cum ecclesia sanctæ Mariæ an. 952. Regimbaldus, vir non infimæ nobilitatis, corporali detentus infirmitate, cum liberos, quibus patrimonia relinqueret, non haberet, Deo Sanctisque multa offerre decrevit. Quia vero corpus pii genitoris sui nec non & unici filii cæterorumque propinquorum suorum corpora in basilica S. Arnulfi sepulta erant, ubi & ipse humari volebat, ejusdem loci monasterio alodum quemdam suæ proprietatis, vocabulo Mauri-villam in comitatu Salnensi, contulit anno 958 dilectissimæ conjugis suæ consultu, simul & amicorum suorum illustrium virorum, qui & fidejussores ejus donationis extiterunt, eo tamen pacto, ut ejus conjux usumfructum, dum viveret, perciperet sub annuo censu decem solidorum, quos in festivitate S. Arnulfi ad ejus altare persolveret. Incolæ villæ ejusdem Mauri-villæ anno 967 Johannem venerabilem abbatem S. Arnulfi convenerunt, rogantes ut ipsos ingenuos redderet & certas servitutis leges, quibus obnoxii tenerentur, sibi præscriberet, ut definite scirent quid a se deinceps exigi, quid ipsi præstare deberent. Consultis hac de re fratribus, autore etiam viro clarissimo Theodeberto Palatii comite, ipsiusque monasterii advocato, decrevit idem abbas ut more aliorum eidem monasterio subditorum ingenui in posterum censerentur. Quatuor mansi cum appenditiis Ch. XXIV, col. 393. & ecclesia S. Martini in pago Scarponensi in villa, Villare dicta, ab Adalberone II episcopo collati fuerunt circa annum 994. Cum fama religionis spectabilis viri Willelmi abbatis Divionensis circumquaque diffunderetur, Adalbero junior Metensis episcopus abbatiam S. Arnulfi ei commisit sub annum 998. Ibidem Willelmus abbatem constituit Benedictum, qui multis annis hunc locum optime rexit. Summus pontifex Leo IX an. 1049 rogatu Warini abbatis basilicam consecravit, eidemque optimum pallium ab apostolica sede allatum concessit, quod ipsum esse tradunt,

A quod Geila regina, conjux Stephani Hungarorum regis, Johanni papæ dono dedit. Tunc etiam Warinus ab ipso pontifice privilegium obtinuit, quo consimilem prærogativam principi altari basilicæ S. Arnulfi ac Remigiano concedit, ut scilicet præter episcopos & abbates, ac septem ejusdem cœnobii sacerdotes, ac tres canonicos de domo S. Stephani, primicerium, decanum & chorepiscopum primum, ad ipsum altare nullus unquam missas celebrare præsumat. Ad hæc Warino abbati ejusque successoribus in præcipuis festivitatibus sandaliorum & dalmaticæ usus conceditur: monasterii possessiones B confirmantur; & abbatia S. Felicis, in qua S. Clementis, primi ejusdem urbis episcopi, corpus quiescit, S. Arnulfi monasterio subjicitur, ea lege ut nullus ibi ulterius pastoralem virgam portare præsumat. Hæc subjectio S. Clementis non diu tenuit, nam locus iste proprios abbates habuit.

Cum Carolus V imperator anno 1552 se accingeret ad obsidendam urbem Metensem, septem suburbia cum omnibus ecclesiis a duce Guisio, Christianissimi regis exercitus præfecto, subversa sunt, ne hostibus ad verberandam urbem usui forent. Hæc clades communis fuit C monasterio sancti Arnulfi, unde in ecclesiam Dominicanorum sacræ exuviæ, nec non imperatorum, regum, principum & optimatum illic sepulta corpora religiosissimo & splendido apparatu delata sunt. Soluta urbis obsidione, monachi sancti Arnulfi sedem suam fixere in conventu Dominicanorum, cujus possessionem regis jussu acceperunt anno 1553. Conditus autem fuerat hic conventus a Renerio Tigniano majore scabino Metensi, prima ecclesiæ fundamenta jacente anno 1222 Conrado episcopo. Hanc etiam Johannes Tusculanus præsul, legatus apostolicus, inauguravit. Instaurandæ D ecclesiæ ruina collabenti novi incolæ tunc impenderunt operam, deletisque ædibus vetustis spatiosiores & ampliores erexerunt, & in terreno ubi ab origine structum fuerat monasterium, conseverunt vineas, quas rex Ludovicus XV an. 1728 ad civitatis & arcis augendas munitiones evelli jussit, elargitus in compensationem 19540 libras & octo solidos, quibus tres villæ circum vicum S. Rufinæ ad monasterii commodum comparatæ fuerunt. Lapsa prorsus regulari disciplina, Andreas *Valladier* abbas ex licentia Pauli V summi pontificis a quo breve accepit 15 Decembris E 1618, introduxit comprobante Christianissimo rege Ludovico XIII duodecim reformatos congregationis S. Vitoni monachos, qui in possessionem inducti sunt a D. Nicolao *Coeffetau* Dardaniæ episcopo, suffraganeo episcopi Metensis, regis commissario, 11 Novemb. 1619. Majus altare Romano more positum, cui innititur tabernaculum de jaspide, erectum fuit an. 1670. Constat quatuor columnis de jaspide altitudinis sexdecim pedum, coronam deauratam circuitus quadraginta trium pedum, figuris Angelorum ornatam, suffulcientibus.

Septum quidem est anno 1673 sanctuarium A clathro centum columnellarum ejusdem marmoris insertarum tabulis nigri marmoris. De sancti Arnulfi antiquitatibus sacris & chartariis consulendus episcopi Madaurensis suffraganei Metensis liber episcoporum, quo res gestas prosequitur. Publici quoque juris fecit Andreas *Valladier* hujus loci abbas promptuarium antiquitatum & titulorum ejusdem abbatiæ peculiari libello, cui præfixus est titulus, augustæ basilicæ S. Arnulfi. Catalogum vero abbatum hujus amplissimi cœnobii, quorum subscripta habentur nomina, ex tabulis & perantiquis documentis accurate & erudite digestum Sam- B marthanis communicavit D. Petrus *Descrochets* dignissimus prior sancti Arnulfi. Quorumdam tamen abbatum, qui ante inductam an. 941 ab Adalberone episcopo reformationem, huic præfuerunt ecclesiæ, nomina præponere libuit.

Abbates.

I. Arnegisilus præerat anno 640, memoratus in libello de vita sancti Arnulfi, quem anonymus ejus loci monachus texuit, & Chlodulfo Metensi antistiti, filio ejusdem S. Arnulfi, nuncupavit.

II. Romulfus occurrit ad annum 692, quo C dux Pipinus ejusque uxor Plectrudis, nuper conciliati, villam Nogareti in pago Vabrensi donarunt x calendas Martii, anno regni Theoderici regis duodecimo.

III. Leutbertus seu Luitbertus an. 706 ab Arnulfo duce, Drogonis filio, plurimas res accepit, propterea quod jus sepulturæ in monasterio post mortem ipsi duci indulserat. (Charta I, col. 369.) Anno etiam 715 VIII cal. Julii, Dagoberti regis anno quinto, expertus est munificentiam Hugonis sacerdotis, filii Drogonis Campaniæ ducis, qui villam juris sui nuncupatam Vidiacum, sitam in pago Metensi, quam Drogo D pater ipsius, Pipini avi sui munere habuerat, (Charta II, col. 370.) tradidit basilicæ sanctorum Apostolorum clericis vel pauperibus alimoniam ibidem accipientibus, aut lectoribus inibi deservientibus, pro remedio animæ genitoris sui, quem in illa basilica, Leutberto abbate annuente, sepeliri curaverat. Adeptus quidem est an. 717 die 8 Junii a Chilperico III rege diploma, quo hic princeps villam pagi Mosllensis, Martem vocabulo, confert basilicæ domni Arnulfi vel sanctorum Apostolorum, sub oppidum Metensis civitatis, ubi venerabilis vir Leutbertus abbas E una cum norma plurima clericorum deserviebat. Unde Cointius concludit clericos eo loci tum extitisse, non monachos: verum Mabillonio probabilius videtur id de monachis intelligendum, quos clericorum nomine olim frequentissime designatos fuisse sexcentis exemplis constat.

IV. Drogo episcopus hac abbatia fruebatur anno 840.

V. Regimarus memoratur anno 865 in Adventii Metensis episcopi epistola ad Nicolaum papam, cui hic præsul gratias agit pro venia sibi indulta ob probatum Lotharii a Theutberga divortium, eique munus quoddam in grati animi monumentum mittit per Regimarum quem laudat his verbis: « Denique nostræ parvitatis legatum vestræ dignationi « dirigimus, religiosum videlicet presbyterum « & monasterii nostri abbatem, Regimarum « nomine, quem ut benigne suscipere dignemini « humiliter petimus, & parvulam benedictionem « S. Stephani Metensis ecclesiæ, quam nimio « vestro amore succensi dirigimus, ea affectione « suscipiatis, qua mittitur. » Hunc abbatem Mabillonius S. Arnulfo assignat, in cujus necrologio sic notatur IV cal. Julii: *Reimarus abbas*, qui a Regimaro alius esse non videtur.

VI. Carolomannus, filius Caroli Calvi, anno 869, V idus Septembris ab ipso rege patre suo Metis versante obtinuit ut sancto (Ch. XIII, col. 363.) Arnulfo tribueret quamdam S. Hilarii capellam in Jussiaca villa pagi Mosllensis.

VII. Adventius episcopus Metensis defunctus an. 875, monasterio præfuisse traditur.

VIII. Chuonradus 927.

Post reformationem inductam cœnobium rexere Abbates qui sequuntur:

I. Arbertus seu Heribertus, monachus Gorziensis, post expulsionem canonicorum creatus est abbas sancti Arnulfi anno 941 ab Adalberone episcopo Metensi, cui cum licentia imperatoris Otonis, qui ea de re eodem anno (Ch. XVII, col. 386.) 10 Februarii dedit litteras, in locum canonicorum irregulariter degentium monachos e cœnobio Gorziensi eductos sufficere visum est. Litteras & ipse dedit Adalbero an. 942, quibus testatur se, postquam frustra vitam & mores canonicorum corrigere tentasset, ex (Ch. XVIII, col. 386.) consultu abbatum utriusque ordinis statuisse præficere ibi abbatem, Arbertum nomine, cujus institutionibus erudirentur novi tyrones. Id testatur ipse Arbertus in quibusdam litteris, quas de sua institutione & de canonicorum (Anecdot. tom. III, col. 1199.) S. Arnulfi querimoniis scripsit. Interfuit anno 942 cum pluribus aliis abbatibus dedicationi ecclesiæ sancti Maximini Trevirensis. Obiit postquam præfuisset quatuor minimum annos, forsan anno 944; ejus depositionis dies in necrologio notatur XIV calend. Septembris. Vocatur in vita Johannis abbatis Gorziensis, *vir egregius*.

II. Ansteus, monachus Gorziensis, Arberto non ante annum 944 aut insequentem successit. In Gorziensi monasterio decanus erat, in omnibus onera strenue sustentans Einoldi abbatis consanguinei sui, omnique sanctæ conversationis exemplo forma gregi Dominico factus, ut pene per ipsum, post abbatem omnia disponi viderentur. Mox ut abbas sancti Arnulfi renunciatus est, ibi brevi ejus industria claruit: nam ut architecturæ peritissimus erat, habitacula monastico congrua ordini pulcherrimo schemate construxit, & quem omnino incultum & needum bene informatum invenerat locum,

numeris omnibus absolutum reddidit. Sic autem interioribus rebus intentus erat, ut curam non negligeret exteriorum, quæ misere ubique locorum delapsæ erant. Ruris quidquid monasterio subjacebat, ita in vineis, pratis, silvisque excoluit, ut cum angustissimam rem familiarem, & vix exiguo monachorum numero sufficientem invenisset, post annum exactum, qui sterilitate & pestilentia gravis erat, in omnem copiam rerum necessariarum, Domino benedicente, superefluxerit. Dein, cunctis fratrum habitationibus intra quadriennium expletis, monasterium tunc suburbanum, muro in modum castri circumdare animum intendit. Quod B opus, Adalberone pontifice suppetias conferente, intra quatuor menses pene ad summam esset perductum, nisi infausta regni dissensio, quæ inter Ottonem regem ac filium ejus Liutulfum, generumque Conradum usque ad Hungrorum eruptionem desæviit, illud impedisset, quod proxima tamen æstate completum est. Sic vero his exterioribus curis applicabat animum, ut de his, quæ vel ad vitæ, vel conversationis puritatem, vel ad pastoralis solertiæ vigilantiam pertinebant, nihil omnino prætermitteret; ita ut quotidie solitum pensum orationum, psalmorum ac lectionum sanctarum C expleret. Omnibus Dominicis & festivitatibus Sanctorum celebrioribus missas publice celebrabat, insuper unaquaque feria quarta privatim in quibus quantum gemitibus & lacrymis se ipsum conficeret, ne referri quidem potest. Ut paucis concludam, in visceribus caritatis & simplicitate cordis ac mansuetudine animi, in condescensione infirmorum, recreatione miserorum, & omnibus omnino misericordiæ actibus non alter eo præstantior fuisse dicitur.
Ch. xx, col. 389. Quidquid antea possidebant canonici, confirmari curavit ab Othone rege anno 949. D Donationem Rodulfi illustris juvenis concedentis alodium suum in villa vocabulo *Til*, situm in pago Salnensi, cum ecclesia S. Mariæ, ad mensam monachorum Deo & S. Arnulfo famulantium, suscepit an. 952, v idus Julii. Aliud etiam alodum, Mauri-villam vocabulo, in comitatu Salnensi, a Regimbaldo viro nobili an. 958 adeptus est. Cum per annos sexdecim præfuisset, vitæ piissimæ cursum absolvit pridie Nativitatis beatissimæ Virginis, id est VII idus Septembris an. 960. Sepultus in aquilonari parte basilicæ, Adalberone episcopo funus curante.

E III. Johannes I Ansteo successit, vir doctrina & pietate præditus eximia, cujus doctrinam probant scripta ab eo edita de gestis S. Glodessindis & S. Johannis Gorziensis abbatis, in quibus ejus pietas & eloquentia pro tempore haud vulgaris elucet. Perperam scriptor libri de gestis abbatum sancti Arnulfi anonymus pleraque Johannis Gorziensis facta ei tribuit. Sed certius id videtur, quod refert idem auctor, nimirum temporibus Ottonis I imperatoris fuisse comitem palatii, Teutbertum nomine, qui cum masculina prole careret,

A orationis causa ad basilicam S. Arnulfi accesserit, vota facturus ad masculum cœlitus obtinendum. Huic autem ad altare precibus instanti Johannem abbatem, qui ejus voti minime conscius erat, prædixisse fore ut brevi compos esset; nuncupandumque infantem Benedictum, Deo sanctoque Arnulfo offerendum, atque ibidem nutriendum. Et quidem rem ita contigisse, & infantem, ubi primum editus fuisset in lucem, Johanni abbati delatum, ut cathecumenus efficeretur. Dein fonte salutari ablutum, pallio purpureo involutum a patre in ecclesiam illatum, atque altari superpositum fuisse, Deoque B ac sancto Arnulfo oblatum. Quæ omnia ubi mater rescivit, ægre tulisse, quod & Benedicti nomen solis monachis convenire diceret; & generi suo infamiam inuri crederet, si ex ipsa natus puer talis professionis habitum gereret. Verum eam a marito correptam resipuisse, factumque voto & suffragio suo comprobasse. Theodericum episcopum Metensem rogavit circa annum 965 ut villam Vigiacum a secularibus usurpatam monasterio restitueret. De donatione Mauri-villæ a Regimbaldo perillustri viro tempore Anstei abbatis sancto Arnulfo collata superius diximus. Ejus villæ incolæ C Johannem convenerunt an. 967 rogantes ut ipsos ingenuos redderet, & certas servitutis leges, quibus monasterio obnoxii tenerentur, ibi præscriberet, ut definite scirent, quid a se deinceps exigi, quid ipsi præstare deberent. Consultis hac de re fratribus, auctore etiam præcitato viro clarissimo Theodeberto palatii comite, ipsiusque monasterii advocato, decrevit idem abbas, ut more aliorum eidem monasterio subditorum ingenui hac lege in posterum censerentur, ut ex singulis mansis uncia argenti penderetur; unusquisque vero D mansus anzingam integram faceret, id est terram arabilem, perticas decem pedum habentem, quatuor in transverso, quadraginta in longo, ut habet lex Bajuvariorum. Ad hæc ut singuli mansi faciant in *(a)* corrogata dies duos; ad utramque sationem in prato dies duos, noctes quoque septem; in *(b)* carropera ex quocunque servitio indicitur, carra duo & quædam alia.

Ch. xxiii, col. 392.

(a) Corvée.
(b) Charroi.

Anonymus qui libellum de abbatibus sancti Arnulfi scripsit, duos distinguit Johannes, unum post alterum abbates; & priorem quidem cum B. Johanne Gorziensi abbate confundit; E posteriori vero prædictam tribuit emancipationem. Verum unus & idem videtur Johannes abbas ejus loci tertius, qui Ansteo successit; idemque mox dictæ manumissionis auctor, vir ut illis temporibus doctrina & eloquentia clarissimus & gravis auctor, qui librum de gestis S. Johannis abbatis Gorziensis, & alium de vita S. Glodessindis, aliaque nonnulla composuit. Hic sui monasterii famam jam ubique celebrem, studio litterarum adeo nobilitasse & prolatasse dicitur, ut non solum ex proximis civitatibus, verum etiam ex Saxoniæ atque Bajoariæ partibus undecunque ad ejus

magisterium confluerent: ex quibus nonnulli & vitæ merito & sapientiæ excellentia postmodum ad episcopatus apicem & ad regenda monasteria assumti sint. Johanni abbati Gorziensi morienti cum pluribus aliis abbatibus adfuit circa annum 973, & obiisse dicitur circa annum 977.

IV. Johannes II, si aliquibus fides est, obtinuit ab anno circiter 977 ad usque circiter annum 994.

V. Benedictus, primum clericus Metensis, generosis ortus natalibus, videtur idem esse Benedictus Teutberti & Ermentrudis filius, quem Johannes senior, abbas sancti Arnulfi precibus a Deo obtinuit. Is fama religionis eximii viri Willelmi abbatis Divionensis excitatus, ad eum accessit, ejusque disciplinæ se mancipavit, tantumque sub eo progressum fecit, ut brevi perfectionem vitæ monasticæ attigerit. Ejus relatu Adalbero junior Metensis episcopus cum Willelmi abbatis eximiam conversationem didicisset, S. Arnulfi abbatiam ei commisit. Willelmus vero Benedictum ibidem constituit abbatem, qui multis annis hunc locum optime rexit: ubi ordinatus est abbas casulam auro exornatam atque alia dedit ornamenta, quæ Willelmus monasterio Fructuariensi, ab se recens incœpto concessit: vita ibidem functus Benedictus anno 1024, multis virtutibus claruisse traditur, in necrologio IV nonas Augusti notatus.

VI. Willelmus Divionensis abbas, qui postquam ab Adalberone episcopo Metensi abbatiam S. Arnulfi ordinandam suscepisset, Benedictum abbatem constituit, post ipsius mortem superstes eam abbatiam multis annis rexisse dicitur. Extremum clausit diem anno 1031.

VII. Odo abbas ab ipso Willelmo institutus est an. 1031, ac decessit an. 1046.

VIII. Warinus a Leone IX papa precibus impetravit an. 1049, ut hic summus pontifex, nuper Mediomatricum advectus, S. Arnulfi basilicam consecraret; & ab ipso optimum pallium, ab apostolica sede allatum accepit, quod ipsum esse tradunt, quod Geila regina, conjux Stephani Hungarorum regis, Johanni papæ dono dedit. Tunc etiam Warinus ab eodem papa privilegium obtinuit, quo consimilem prærogativam principi altari basilicæ S. Arnulfi ac Remigiano concedit, ut scilicet (Ch. XXVI, col. 394.) præter episcopos & abbates ac septem ejusdem cœnobii sacerdotes, ac tres præcipuos sancti Stephani canonicos, ad ipsum altare unquam missas celebrare præsumat. Concessus etiam fuit Warino ejusque successoribus usus sandaliorum & dalmaticæ in præcipuis festivitatibus, confirmatæque monasterii possessiones, & abbatia S. Felicis monasterio S. Arnulfi subjecta. Ad id tempus inter ipsum Warinum & Johannem Fiscannensem gravis exorta est dissensio occasione Benedicti monachi olim Fiscannensis, sed ad S. Arnulfum translati, quem (Analect. t. I, p. 224.) Johannes abbas acribus litteris repetebat. Cum

A ad primas non satisfecisset Warinus, alteras acriores Johannes scripsit, quibus a communicatione se recessurum dicebat, nisi quantocius Benedictum restitueret. Ad has posteriores litteras, quas Wimandus monachus attulerat, modestius sed nervose rescripsit Warinus suum esse jam monachum Benedictum, non Johannis abbatis, sed sanctæ memoriæ domni abbatis Willelmi conversum, nutritum & professum, quem ipse, ex quo Gorziense monasterium regendum accepisset, ad eumdem locum cum multis aliis, quorum nonnulli, jam vita defuncti, ibidem humati quiescebant, ut suum B venire ac inibi manere præceperat. Eumdem vero Benedictum ibidem mansisse; & post aliquot annos, ex consensu Sigifridi & Odonis tunc priorum, post abbatum, & jussu Willelmi abbatis, ad monasterium S. Arnulfi translatum fuisse, ipsique Warino sua sponte obedientiam, ut monachum abbati promisisse. Mirum esse jam repeti Benedictum, quem non repetierat Johannes, cum Warinus ad S. Michaëlem orationis causa proficiscens, ac Fiscannum divertens, ab eodem Johanne humanissime exceptus est. Hujus porro discordiæ incentorem esse Bernardum ejusdem Benedicti fraC trem, qui e S. Arnulfi monasterio fuga elapsus, & Fiscanni acceptus, Benedictum secum habere velit. Annuere se ut monachus redeat ad locum suum, sed is qui male, non is qui obedienter in loco, ubi jussus est, stetit. Cæterum a Johanne abbate Benedictum non posse excommunicari, qui ejus non sit, sed sancti Arnulfi monachus. In fine Johannem rogat ut mitiorem in se habeat animum, & gratiam ipsi restituat. Cessit e vita an. 1050 laudatus in necrologio XIII cal. Septembris.

IX. Valo Warini in locum suffectus circa D annum 1050, idem sane est cum Willelmo, de quo sat fuse egimus in abbatibus sancti Remigii Remensis, tom. IX, col. 229. Hic cum licentia Gregorii VII summi pontificis a Manasse archiepiscopo Remensi abbatiam S. Remigii simul accepit. Cum comperisset (Analect. t. I, p. 147.) id monasterium sibi commissum non fuisse, nisi ut ipse Manasses ejusdem loci possessiones facilius invaderet, viriliter intercessit. Archiepiscopi in odium lapsus, ad S. Arnulfum, abdicato monasterii Remigiani regimine anno 1074, reversus est, epistola summi pontificis Gregorii VII commendatus Herimanno MeE tensi, qui eum singulari studio prosecutus est, & cum Pibone episcopo Tullensi sopivit anno (Ch. XXXI, col. 401.) 1073 exortam inter ipsum Valonem & abbatissam Buxeriensem litem de Ponte, quem abbatissa construxerat super fluvium *Murth*. Precibus ipsius abbatis & religiosissimæ virginis Hodiernæ in monasterio sancti Arnulfi reclusæ, ab eodem Herimanno id concessum (Ch. XXXII, col. 401.) fuit circa annum 1075, ut singulis annis in solemnitate dedicationis perpetuo forum haberetur. Commutationem laudatam ab Henrico IV imperatore & probatam a præsulibus Coloniensi & Metensi iniit an. 1084 cum ecclesia sancti

sancti Chuniberti Coloniensis. Omnium officiorum ab Herimanno acceptorum ejusque benevolentiæ immemor abbas Valo, sedem episcopalem Metensem, ex qua schismatis tempore ab Imperatore pulsus est Herimannus an. 1085, occupare præsumpsit, consecratusque est a Theoderico episcopo Virdunensi, qui eam ob rem prioratum in parochia suæ diœcesis juxta Aulegiam stabilire concessit & donationes pias confirmavit, ob nimiam, inquit, charitatem vel benevolentiam inæstimabilem dilectissimi nobis abbatis Vualonis de sancto Arnulfo & ob frequentia illius servitia ecclesiis nostris impensa. Postea vero videns Valo se nihil proficere, tumque usurpatæ sedis pœnitentia ductus, ad Herimannum accessit, perpetrati facinoris veniam in conspectu procerum cleri petiit & piaculi causa in Gorziense monasterium secessit, factus ibidem custos puerorum. Demum tantæ modestiæ & pœnitentiæ exemplo compulsus ad commiserationem Herimannus, ut ille rediret in monasterium sancti Arnulfi sivit. Prioratum in castro Chiniaci ab Arnulfo ejusdem loci comite dotatum, B. Valburgi sacrum, pro monachorum ibi instituenda cella, annuentibus Othone ac Ludovico liberis & Adheleide nuru ejus, consecutus est anno 1097, in decursu temporis patribus Societatis Jesu collegii Luxemburgensis attributum. Occubuit circa annum 1099. In necrologio notatus XI cal. Martii, cujus jussu Ambrosius monachus Hieronymi commentarios in prophetas minores manu descripsit, ut testantur versus ejus codici præmissi in bibliotheca S. Arnulfi.

X. Odo Walonem excepit & occurrit in actis ad annum 1100, forsitan serius pontificatu Adelberonis, ut conjecturam facit bulla chartophylacii S. Arnulfi, quæ prodit eumdem episcopum ad monasterium advenisse, ubi fratres regularem disciplinam temporum calamitate & penuria parumper excidisse cum renuntiassent, eosdem quibusdam possessionibus & villis sublevavit, data insuper sancti Martini basilica. Adhuc præerat Odo anno 1115, cum ad preces Berengosi Henricus IV imperator diplomate omnes factas monasterio donationes confirmavit; defunctus an. 1123. In veteri necrologio notatur 7 Februarii.

XI. Antonius anno 1123 bullam adeptus est a Callixto II, qua hic pontifex in ejus gratiam bona a Walone absque assensu episcopi & fratrum quondam distracta, vel in feudum tradita, mensæ divi Arnulfi restituenda demandat. Occubuisse dicitur circa annum 1125.

XII. Bertrandus legitur in carta donationis Stephani de Barro episcopi Metensis trecentorum jugerum terræ, quæ adjacebant silvæ de Rumiliaco an. 1126, ubi monachus sancti Arnulfi capellam Deiparæ virgini construxerat. Ch. XXXII, col. 402. Interfuit an. 1128 examini litis inter Lanzonem abbatem S. Michaëlis ad Mosam & Hadvidem abbatissam Juviniaci. Ecclesias dependentes a prioratu de Layo ejusque privilegia & libertates ab Henrico Tullensi episcopo roborari sategit an. 1130. Exortam inter se & Humbertum abbatem S. Clementis controversiam terminavit an. 1133, arbitrante Stephano episcopo, cujus decreto subscripserunt plures canonici cathedralis & abbates plurimi, videlicet Tetuinus Gorziæ, Landulfus S. Vincentii, Herbertus S. Symphoriani, Richerius S. Martini, & Rodulfus S. Petri de Monte. Legitur anno 1135 in litteris Alberonis episcopi Virdunensis de restitutione pacis inter Senoniensem abbatem Antonium & Henricum comitem Salmensem monasterii advocatum. Decessit anno 1143.

XIII. Gerardus obtinebat anno 1144. Mortuus circa annum 1153, die 10 Novemb.

XIV. Hugo 1154; diem extremum clausit 28 Octobris circa annum 1159.

XV. Simon abbatis munere fungebatur anno 1160. Thecam ubi reconditum est corpus S. Arnulfi fabricari curavit an. 1167. Prioratum de Aulegia a Walone abbate, assentiente Theoderico Virdunensi episcopo, ex cujus diœcesi est, eleemosynis piorum quorumdam dotatum, divendidit sub clientelari debito census annui decem solidorum in festivitate S. Patientis. Mortem oppetiit circa annum 1179, die 3 Februarii.

XVI. Burchardus occurrit ad annum 1179, quo Bertrandus episcopus majorem scabinum juridicum instituit. Sub ejus administratione Conradi imperatoris jussu & ope confecta est capsa divi Patientis, ut constat ex hac inscriptione: *Corpus beati Patientis Metensis episcopi in loculo isto a domino Burchardo abbate, ope & expensis Conradi imperialis, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo tertio conditum est.* Una cum Petro Gorziensi & Daniele S. Symphoriani abbatibus legitur in codicillis Leudonis monachi S. Arnulfi pro fundatione anniversarii. Vivere desiit anno 1204.

XVII. Petrus I fruitus est ab anno 1204 usque ad 1207.

XVIII. Richerius *de Bar*, Barrensium comitum nobilissimo genere ortus, regere cœpit anno 1207, ac reperitur ad annum 1212. Divi Clodulfi ossa apud prioratum de Layo, ubi deposita fuerant an. 949, Udalrico Evæ comitissæ filio deprecante pretioso ferculo inclusit, Rainerio administratore hujus ecclesiæ sacrum pignus populis ostentante 1215. Corpus etiam S. Redemptii e basilica S. Mansueti *de Cheminot*, ubi humatum fuerat, ad abbatiam sancti Arnulfi, una cum Theobaldo priore transtulit. Defunctus circa annum 1230.

XIX. Theobaldus societatem precum pepigit an. 1230 cum Jacobo abbate S. Petri Catalaunensis. Dum ædificia chori ecclesiæ ampliaret an. 1239, effossa sunt in ruderibus murorum viginti duo sepulcra, verisimiliter principum vel comitum, olim in mausolæo hujus ædis recondita, quæ decenti cenotaphio in medio chori collocavit, sicuti testatur

augusta basilica versibus gallicis. Decessit 12 Septembris anno circiter 1253.

XX. Jacobus in actis reperitur ad annum 1252. Toparchiam *de Morville* emit anno 1270 a Perrino milite, ut legitur in schedis venditionis, quam Philippus Metensis præsul ratam habuit anno 1261. Ejus mors accidit ad annum circiter 1287.

XXI. Guillelmus anno 1287 occurrit in tabulis, quibus Petrus nobilis eques recognovit coram Burchardo Metensi præsule avunculum Theodericum Morvillæ dynastam acquisivisse abbati & conventui S. Arnulfi jus decimæ apud Condatum ad Mosellam, & basilicam ejusdem loci donasse. Defunctus XI cal. Januarii circa annum 1304. Sepulturam habuit in capella sanctorum Apostolorum ad meridiem, cui adscripta in tabulario hæc epigraphe:

Funere cum tristi sacram defertur ad ædem
Defunctus vita, monachorum rector & abba
Willelmus, sparsi notus per climata mundi,
Hac pater Arnulfus requiescit corpore sanctus
Regia Metensis prope mœnia deseris urbis,
Qua sibi parte tenet spirantes auster odores,
Ecclesiæ specimen referens, ubi digne cacumen
Aris bis senam sacrat domus alta catervam,
Cum petit undenas Janus de more calendas,
Sole sub occiduo vel cedit vesper olympo,
Post triduum Domini spectantur gaudia nati,
Hic quoque perlecto verborum callicinato,
Vestrorum fratrum Christi sub lege piorum
Plangere didicimus nos lamentabile funus.

XXII. Nonnus Albertus, Reginaldi de Barro episcopi Metensis didascalus, recensetur in tabulis an. 1304. Fato functus an. 1310, notatur in obituario 13 Maii.

XXIII. Petrus II bullam a Clemente V in synodo Viennensi adeptus est an. 1311 pro electionum jure firmando. Ainardum administratorem de Layo amovit an. 1324, quod prioratum debitis oppignerasset, & insuper quæ coram Henrico Delphino episcopo sacramento juraverat, exequi detrectaret.

XXIV. Aubertus *Gouthiers* al. *Garlhier* in tabula memoratus an. 1325, quædam statuta pro monachis defunctis vel ægrotis ordinavit. Cessit e vita 18 Decembris an. 1327.

XXV. Bertrandus seu Bernardus ab anno 1327 ad 1330.

XXVI. Alexander permutavit an. 1330 toparchiam *de Fleury* in libero alodio pro aliquibus fundis & possessionibus abbatiæ sancti Petri-Montis 1339, probante Ademaro Metensi episcopo, utpote quæ erat pernobilis dynastia antiquitus ab Arnulfo duce Drogonis filio erogata. Occubuit circa annum 1345, die 15 Aprilis.

XXVII. Berardus seu Bernardus an. 1345 immunitatem jurisdictionis pontificiæ obtinuit pro omnibus bonis & vassallis abbatiæ ab

A Ademaro episcopo, cujus apographum refertur in Augusta basilica. Præbendis monachalibus anno 1348 certas leges præfixit, & alteram dictam subrogationis contulit septem monachis, qui deserviendo majori altari præpositi, cardinales nuncuparentur. Is etiam omne dominium in saltu Vosagensi cœnobio concessit, ac denique fato ereptus est 1 Septembris circa annum 1354.

XXVIII. Rainaldus *de Ruesse*, nobili familia procreatus, cujus majores in claustro monasterii ante migrationem tumulati fuerant, abbas evasit anno 1354. Ab imperatore Carolo IV confir-
B mationem privilegiorum monasterii sui datam Aquisgrani obtinuit an. 1357, nominatusque est ab ipso principe eodem anno capellanus. Testis fuit an. 1370 donationis, quam Bertrandus *le Hongre* civis Metensis contulit patribus Cœlestinis, tribuens illis capellam a se ædificatam in urbe ut deservirent, suamque sedem illic figerent. Cum capitulis & monasteriis urbisque magistratibus pro talliis ac subsidiis intentavit litem, quæ compromisso amice composita est anno 1372. Immunitatem ab Ademaro episcopo tributam Berardo suo antecessori curavit confirmandam a Guillelmo
C cardinali, legato a latere in archiepiscopatu Trevirensi, Clementis VII pontificis anno primo. Aliquandiu vexatus est a Radulfo *de Coucy* episcopo Metensi, abbatiæ D. Arnulfi commenda a Clemente VII donato, qui postea 1393 bullis suis nuncium remisit, permotus quorumdam, ait, consilio & non mediocri jactura divini cultus, quem commendis hujusmodi probe noverat labefactari. Sub Rainaldi moderamine monasterium ære alieno decem millium florenorum obstrictum fuit, cui persolvendo Guillelmus cardinalis præcitatus licentiam dedit abbati mensæ suæ unionis jure
D per viginti annos attribuere proventus prioratuum de Layo & de Chiniaco. Vivere desiit 15 Novembris 1398.

XXIX. Johannes III *Noron*, ad moderamen vocatus an. 1398, occubuit 11 Nov. 1410. Reperiuntur in actis publicis majores scabini civitatis Metensis cognomines, scilicet Nicolaus 1368, Arnulfus 1380, & Wiriatus 1398.

XXX. Johannes IV *Roillenat* abbas creatus an. 1410, a Johanne XXIII papa sibi suisque successoribus in favorem nobilitatis & insignis famæ monasterii pontificalium insignium, mitræ, annuli, cæterorumque ornamentorum
E privilegium adeptus est. Mortuus an. 1416.

XXXI. Nicolaus Cassanus ex priore de Layo abbas factus an. 1416, interfuit cum Conrado *Bayer de Boppart* Metensi episcopo concilio Constantiensi, & interiit 1419.

XXXII. Simon *de Cherisy* nobili & vetusta de Cherisiaco, ex qua etiam Nivelo de Cherisiaco episcopus Suessionensis, genitus eligitur abbas 1419 die 20 Aprilis. Jurium & bonorum monasterii sui accerrimus defensor, sententiam a Rota Romana obtinuit adversus Petrum de Tornaco civem Metensem, qui

coactus est restitutioni bonorum, redituum & decimarum monasterii, quæ ipsi decessorum abbatum incuria, fiduciario pignori obligata erant. Postea cum monachis suis disceptans, uti disciplinæ religiosæ ac morum parumper sectator, ab ipsis coram synodi Basileensis patribus incusatur, quæ eam ob rem potissimum delegatos destinavit, ut cœnobium ad meliorem normam statutis conditis renovaretur. Aliquanto tempore ante ejus obitum præpositi & canonici collegiatæ S. Odæ stabilitæ in burgo *d'Amanie*, diœcesis Leodiensis epistolam ad eum scripsere 4 Julii 1446, in qua fuse de beatæ Odæ S. Arnulfi matris in hoc episcopatu amplis fundationibus differitur. Diem clausit ultimum circa annum 1448.

XXXIII. Erardus *du Val*, materno stemmate oriundus ex familia *de Gourcy*, religiosus professus S. Vitoni Virdunensis, de licentia abbatis sui Stephani in monasterium S. Arnulfi a Simone de Cherisiaco admissus est, cui post emeritam prioratus de Chiniaco præfecturam in abbatiæ administrationem successit. Jurisdictionis pontificiæ immunitatem obtinuit a Nicolao V papa 1448, Pauli III rescripto confirmatam anno 1538. Ab ipso pontifice Nicolao prioratum de Layo adnecti curavit mensæ conventuali, quem tamen Guillelmus cardinalis S. Sabinæ in commendam adeptus est, cui renunciare noluit nisi sub onere pensionis annuæ 150 florenorum litteris apostolicis anno 1452. Mox Liebaudus *de Ville* monachus & administrator de Layo, qui consanguineis in curia ducis Lotharingiæ prævpotens erat, nequicquam contradicente abbate in prioratum se intrusit. Quo fatis functo 1465, cum hereditatis jure bona mobilia exposcerent ipsius gentiles, scabinus Metensis ad marchionem de Ponte ducis Lotharingiæ & Calabriæ præfectum generalem in gratiam Erardi scripsit, ad reprimendam vim Catharinæ *de Deüilly* Liebaudi matris & Collignioni de villa equitis germani sui. Verum Erardus longe majores ærumnas sustinuit, abbatia a summo pontifice privatus, pendente interdicto urbis Metensis cum canonicis, quanquam basilica S. Arnulfi bullis pontificum ab his anathematibus libera esset. Et vero a summo pontifice renunciatus fuit abbas Liebaudus, post cujus obitum Paulus II commendam contulit Alano *de Coëtivy* cardinali Avenionensi, qui bullarum virtute possessionem accepit, & proventibus aliquanto tempore potitus est. Interim pacificato inter & magistratum dissidio, remotisque censuris ecclesiasticis, Erardus cum eodem Alano ut omni jure se abdicaret anno 1467 sub pacto pensionis convenit, ipsiusque cardinalis patrocinio in curia Romana multis in magni momenti negotiis posthæc usus est, videlicet pro unione prioratus de Layo abbatiæ S. Arnulfi, qui post obitum Liebaudi in commendam transierat. Intercessit etiam ut ejus authoritate abrogaretur unio alterius præpositura *de Cherlinguen* prope Coloniam, a Zuendeboldo rege quondam S. Arnulfo traditæ, quæ agente cardinali de Cusa adjuncta fuerat dominio Carthusiæ *de Rethelle* diœcesis Trevirensis an. 1455; eam ob rem Erardus rescripto Callisti III pontificis impetrato 1456 ad episcopos & officiales Virdunenses ac Tullenses pro dirimenda contentione, compromissarum partium decreto statutum est ut Carthusia 50 florenos quotannis persolveret, de quibus actis prolixius in chartophylacio abbatiæ agitur. Postulavit quoque ut cum aliis Metensibus monasteriis liberum ei esset non interesse capitulis & conventibus abbatum provinciæ Coloniensis, qui virtute quorumdam articulorum regularitatis & constitutionum Benedicti XIII, Innocentii III, Honorii III, Bonifacii VIII ac Clementis VI pontificis ad eas congregationes citabant. Vivere desiit circa annum 1470.

XXXIV. Philippus *de Levis* cardinalis tituli SS. Petri & Marcelli, & archiepiscopus Arelatensis, ex Sixti IV referendario evasit commendatarius, cum etiam Julianus cardinalis S. Petri ad vincula, pontificis nepos, de abbatiis Gorziensi, S. Symphoriani, sancti Michaëlis, S. Vitoni & S. Pauli provisus in Galliis munera legationis obiret. Memoratur in actis electionis prioris S. Arnulfi, cujus nomine adfuit Petrus *la Dure* Catalaunensis canonicus & cardinalis vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus anno 1474. Resignavit circa annum 1474.

XXXV. Desiderius I *Fouillet*, monachus S. Symphoriani, abbas S. Clementis ab anno 1468, per cessionem Philippi cardinalis evasit abbas S. Arnulfi an. 1474, & utraque abbatia fruitus est usque ad obitum, qui contigit anno 1480.

XXXVI. Bartholomæus *de Lucey* genere nobilis, prior de Flavigneio, cui diu præfuit ejus familia, itemque prior sancti Nicolai de Portu, suffragia aliquot habuit in electione prioris S. Arnulfi, ac paulo post in abbatialem sedem elatus est an. 1480. Obiit an. 1514, plerumque hoc gentilitio lemmate usus: *fraus inimica luci.*

XXXVII. Dominicus *Maviaire* abbas designatus an. 1514 a monachis sancti Arnulfi, autoritate Leonis X provisus est, quanquam abbatia commendæ titulo collata fuisset Julio cardinali tit. S. Mariæ, quam postea cessit in manibus pontificis, quoniam Bartholomæus de Luceio extra curiam Romanam decesserat. Paucis mensibus antequam moreretur, suadente Michaële *de Gournay* nobili Lotharingo, abdicavit in gratiam Josephi *de Gournay* filii. Nihilominus in locum Dominici defuncti 12. Julii 1528 monachi in capitulo congregati suffecerunt eum qui sequitur.

XXXVIII. Petrus III *Michel* ex priore in abbatem electus 15 Julii 1528, plures sustinuit æmulos, scilicet Josephum *de Gournay*, Laurentium Puccium episcopum cardinalem Prænestinum, & Johannem cardinalem Lo-

tharingum. Ex his Josephus vix decennium egressus ordinem Benedictinum profiteri detrectavit, idcirco pensione annua ducentarum librarum donatus est; cardinalis quoque alteram centum aureorum in curia Romana impetravit, qua nusquam potitus est; etenim Petrus *Michel* abbas, Caroli V imperatoris, Ferdinandi Hungariæ regis, nec non archiepiscopi Trevirensis patrocinio subnixus, pensione liberatus est. Tandem cardinalis Lotharingus post aliquot Rotæ Romanæ formulas commendæ renunciavit, ac transactionem iniit penultima Aprilis 1531, qua creata pensio 300 florenorum ad vitam, ea deinceps post obitum cederet in gratiam Georgii *de Haussonville* abbatis Mediani-monasterii & S. Clementis. Dissidiis ergo pacatis, Petrus bullas a Clemente VII obtinuit, restaurandoque monasterio confestim incumbens, construxit eleganter ac reparavit fornices navis basilicæ, duo refectoria condidit in loco antiquitus nuncupato palatium Caroli Magni, & sacrarium vestibus sacris ex auro liberaliter locupletavit, cui & decessor nova quædam ornamenta ex ære suo adjecit. Una cum aliis Metarum abbatibus & abbatissis controversiam habuit adversus cardinalem Lotharingum episcopatus administratorem de jurisdictione visitationis, correctionis, cæterorumque jurium pontificalium; sed tribus sententiis Rotæ Romanæ damnatus est, ac tandem Petrus *Michel* spiritum reddidit ultimo Martii 1545.

XXXIX. Benedictus *Juville* die Sabbathi majoris hebdomadæ 4 Aprilis 1545 electus, a Paulo III pontifice provisus est 2 Maii sub onere pensionum Johannis cardinalis a Lotharingia & Josephi *de Gournay* canonici. Cæterum cum esset pacificus possessor, petulantiæ cujusdam monachi eo prosiliit audacia, ut in conventu capitulari abbatem suum injuriose afficere præsumpserit: quapropter reus & pœnas detrectans e claustro in Lotharingiam aufugit, dum interim dicteriis & sceleribus suppositiis eum adeo male insimulavit, ut a sancti Michaëlis judicibus ad forum seculare provocatus abbas, cum non comparuisset, proventus cœnobii in Lotharingia fisco addicti fuerint; quamobrem ad imperatorem Carolum V se contulit Benedictus, qui Augusta-Vindelicorum in ejus gratiam scripsit an. 1551 ad Christinam matrem ducis Caroli impuberis & ad Nicolaum principem *de Vaudemont* ipsius pariter tutorem ut inspecta Benedicti supplicatione, a nequam monachi artibus & vexatione liberaretur. Continuo ab hisce domesticis molestiis liberatus, graviori casu perculsus fuit, dum monasterium sancti Arnulfi & ecclesiam dirutam conspexit anno 1552, mense Septembri, adventante Caroli Cæsaris exercitu, & diligentia Guisiæ ducis summæ rei bellicæ præpositi: cum enim suburbia non modo ejus jussu destructa essent, ac templa deturbata, ne obsessis incommodarent, inter alia B. Arnulfi « regale delubrum quod spatiosius esset, ut his verbis memorat Thuanus historiar. lib. XI, & tam altum ut ejus fornices disponendis ad urbem verberandam machinis usui esse possent, etiam antequam hostis appropinquaret, solo æquatum est; id severe pro rei necessitate actum, sed severitatem mitigavit religiosa facti in specie parum humani expiatio. Nam multa vitæ sanctimonia clarorum virorum corpora illo venerandæ antiquitatis templo sepulta, multa insuper regum monumenta quæ inibi erant, Guisius (XI Septemb.) cum reliquis primoribus magna pompa ipse ante alios funale gestans, nudo capite, sacerdotum urbanorum choro accinente in urbem transtulit; interque alia Hildegardis Caroli Magni uxoris & Ludovici Pii matris, Ludovici ipsius ac duarum sororum Hildegardis matri cognominis & Aleidis, Drogonis item Ludovici fratris Mediomatricum episcopi, Vitronis Lotharingiæ ducis & beatæ Glossinæ patris, Beatricis Hervei Metensium ducis conjugis, & Amalardi denique Trevirorum episcopi, qui sigilli magister sub Carolo Magno fuit, post mortem in divorum numerum relatus. Quorum omnium ossa capsis inclusa religiose in Dominicanorum æde condita sunt. » Hæc quippe post translationem deinceps divi Arnulfi basilica fuit appellata, visiturque a dextra parte majoris aræ sepulcrum Ludovici Pii ex candido marmore, cum statua ornatissime elaborata; ex altera vero cæterorum principum, prælatorum & nobilium communis jacet tumulus, qui in veteri mausolæo primum humati, postea in hanc sepulturam traducti sunt quæ & his versiculis celebrari meruit.

In tumulos regum & principum.

Conradus tumulo hoc geminique teguntur Othones,
Quorum olim aucta hæc est munere sacra domus.
Rex Zuendeboldus quibus est & Adelbero præsul,
Conjuge cumque sua junctus & Hugo comes.
Quaque Caumontis princeps & natus uterque:
Hic quoque & Arnulphi, & Rambalis ossa cubant.
Olderiique pii Remorum antistitis, Evæ
Atque Beatricis corpora juncta jacent.
Collegiique abbas hujus Warinus & idem
Principibus datus est, nobilibusque locus.
Quarum animæ in cœlis æterna pace fruuntur,
Relliquiæ fragiles hac tumulantur humo.

Eversa igitur abbatia sancti Arnulfi, monachi jussu Christianissimi regis Henrici II in Dominicanorum monasterium urbis se receperunt, tunc sex viris religiosis constans, quorum tres in suam Flandriæ provinciam repedarunt, secum asportantes mobilia, resque pretiosissimas tam ecclesiæ, quam monasterii, denunciato prius abbati oppositionis actu: alii vero

tres Dominicani Benedictino ordini se addixere. Ubi solutum est a Carolo Cæsare urbis obsidium, abbas & conventus post acceptam possessionem ecclesiam ruina collabentem instaurarunt, ac deletis vetustis ædibus spatiosius cœnobium condiderunt, & in terreno sui monasterii conseverunt vineas, quæ evulsæ sunt anno 1728 ad civitatis & arcis augendas munitiones. Novam hanc cellam primus incolere cœpit abbas Benedictus, eamque conventualibus ædificiis ac ornamentis præclare insignivit, ut notat epitaphium ad latus majoris aræ tumbæ inscriptum:

Clauditur hac crypta postquam sua fila peregit
Immitis Lachesis cœnobiarcha pius,
Qui primus mytram atque pedum sacram intulit ædem
Hanc, divi Arnulphi quæ modo nomen habet.
Instauravit eam, donis decoravit & auxit,
Post sedecim lustra reddidit ossa solo.
Qui Benedictus erat dum viveret ipse, precamur
Nunc Benedictus sit nomine, reque simul.

Obiit VI idus Julii 1566.

XL. Desiderius II *Toussaint* abbas deligitur 15 Julii 1566, competitore domino *d'Ausances* ex illustri genere dynastarum de Montebernlpho apud Engolismenses, qui filium ad eam ecclesiam promovendum curavit, ac violenta exactione proventibus monasterii ablatis, ut tandem regiæ nominationis schedulæ Caroli IX renunciaret, gravi ære cum eo pacisci coactus est Desiderius. Insuper Pii V gratia, ex ordine Dominicanorum assumpti ad sedem B. Petri, Prædicatores eidem abbati multa intentarunt, ne bullis frueretur, adeo ut soluta 1400 ducatorum pensitatione apostolicæ cameræ, diplomate provisionis ipsius deperdito, manserit undecim annis absque confirmatione; & ni Henricus III auctoritate intercessisset, vix unquam eas impetrasset; epistolam igitur scribens 13 Decembris 1576 ad Gregorium XIII pontificem curavit per oratorem suum, ut novæ bullæ subscriberentur, amotis Dominicanorum impedimentis, quas cum grates regio favore obtinuisset, per abbates B. Vincentii & S. Symphoriani in possessionem inducitur 1 Januarii 1578: sicque intronisatus domum suam debitis oppigneratam reliquit, quæ successorum administrationem non mediocriter intricatis negotiis implicuere. Interim prioratum de Layo e commendatariorum regimine ad regularem statum reducere adnisus est, nec non alterum de Chiniaco patribus Societatis Jesu Luxemburgi donatum; sed cum de his duobus S. Arnulfi beneficiis ad dominium pristinum revocandis frustra Desiderius laborasset, ut reliquum vitæ placidissime exigeret, jam senex coadjutorem in tuendis abbatiæ juribus præpotentem allegit Carolum *de Senneton*, qui jurando in regulam S. Benedicti, bona abalienata sua auctoritate recuperaret.

A Posthæc vero 7 Martii 1589 eodem se abdicante in favorem fratris cognominis, divi Arnulfi monachi secundis pactis hic admissus est, interim dum anno 1595, 21 Julii Desiderius animam exhalavit.

XLI. Carolus *de Senneton*, Philippi domini *de la Verriere* urbis ac provinciæ Metensis regii gubernatoris ex Maria *Clausse* filius, superiorisque Caroli frater minor natu, bullis Clementis papæ de coadjutoria S. Arnulfi cum futura successione provisus est 1594, quarum præsidio & facultate domini *de Sobole* Metarum præfecti, in possessionem immissus
B est ab officiali Metensi, & abbate sancti Symphoriani 1595, 19 Augusti. Confestim delegatam cognitionem archiepiscopo Trevirensi de restitutione cœnobii Chiniacensis exequi molitus, Henrici IV regis auctoritatem interposuit, litteris datis ad Sillerium oratorem ad summum pontificem, pro lite coram Rotæ Romanæ auditoribus evocanda, tum ad legatum Bruxellis agentem, qua de re etiam Arnaldi cardinalis Ossati Franciæ vice-protectoris scripta est epistola 6 Januarii 1600: sed post tot controversias contentio interminata remansit, summo abbatis mœrore, qui privatim postea
C jurium sancti Arnulfi erga gentiles plane se præbuit fidissimum vindicem, nam adversus patrem & fratrem mota controversia eos interpellavit pro restituendis toparchiis *de Morville* & *Baudrecourt*, quas pignori obligatas sententia majoris scabini & tredecim virorum, ipsoque regio diplomate ad dominium abbatiæ revocavit. Exinde vero mensarum monasticarum divisio admittitur sub ejus moderamine, Clementis VIII brevi apostolico confirmata. Superiori anno ædificandi studiosus turrim campanariam condiderat, quam æreis decem cymbalis monasterium instruxit; contigitque
D ut dum ex optimæ indolis & felici admodum administrata gubernatione plura sperarent religiosi, fato interceptus fuerit anno 1611, sepulturæ mandatus in choro sub ea epigraphe:

D. O. M. V. Q. M.

Reverendo in Christo patri domino domino Carolo a Senneton, *hujus regalis abbatiæ quondam abbati, sacræ theologiæ & juris utriusque doctori, morte immatura prærepto, prior & conventus merenti mærentes posuere. Præfuit annis 16, obiit 28 Junii, anno Domini*
E *M. DCXI. Memores humanæ fragilitatis orate pro eo:*

Mente bonus, pietate nitens Sennetonius hic est
Carolus augustæ cœnobiarcha domus.
Post partam triplicem studiis atque arte coronam,
Rem sibi commissam dum reparare parat,
Invida mors rapuit, heu terra abripit, eruat illum
Cœnobioque Deus lucidiore locet.

XLII. Andreas *Valladier*, exactis in Societate Jesu pluribus annis, scriptis ac concionum laude satis conspicuus, canonicus Metensis &

vicarius generalis ab Anna *d'Escars* cardinali *de Givry* episcopo Metensi institutus est. Abbas vero postulatur ipso die obitus Caroli decessoris 28 Junii a monachis S. Arnulfi capitulariter congregatis, cum de substituendo monasterii alumno inter se invicem disceptarent; hac tamen conditione gubernaculum abbatiæ consecutus est, ut assumpta veste institutum Benedictinum profiteretur. Quamobrem ea postulatione privati consilii regis decreto roborata 14 Septembris sequentis, & revocato aliunde œconomatu ac brevi regiæ majestatis, quo donatus fuerat antecessoris germanus, nihilominus in dataria Romana Andreas quadriennii spatio turbatus est a Francisco cardinali de Rupefulcaudi, qui Metis bullas provisionis exhibens duo millia librarum pensione titulum postulato pacificum dimisit, ac demum juris sui gratia & auctoritate cardinalium Givriaci, Burghesii & Politiani confirmationem obtinuit anno 1614; possessionem nactus 6 Maii, assistentibus prorege Metensi, præside Selva, sanctique Vincentii & Clementis abbatibus, excepto prius ut conventum fuerat habitu Benedictino e manu prioris, ac emissa solemni professione. Præfuit is laudabiliter abbatiæ, quam ædificiis egregiis, ecclesiamque ipsam illustravit, uti & sacrarium insignibus ac exquisiti pretii ornamentis decoravit, immo ampliora daturus, ni vehementi contestatione cum majori scabino & tredecim justitiariis Metensibus, ut vocant, propter immunitates ac privilegia monasterii coactus fuisset solum vertere, ut ingruentem procellam quæ bonorum dilapidatione in eum sæviit, aliquatenus componeret, prolixius ipsemet hoc expressit in Augusta sua basilica; turbatus igitur & rejectus proripuit se in Lotharingiam, interimque mensæ abbatialis annui redditus exsolvendis debitis, ac substructioni trium magnæ molis pilarum, pro fulcienda ecclesia quæ ruinam minabatur, impensi sunt; adde quod actu capitulari monachorum 1 Octob. 1618 devoluti nomine abbas designatur Sebastianus *Floret* eleemosynarius S. Arnulfi. Hoc molimine graviter perculsus Valladerius, cum jam ab anno 1617 Nanceium velut tranquillum portum se recepisset, ad malevolorum conatus reprimendos, 18 Augusti ejusdem anni Nicolaum-Franciscum comitis Vaudemontii filium successorem in abbatia bullis per accessum sibi delegit, ratus ejus patrocinio rebellantes monachos ut compesceret, ac in suo monasterio regulæ Benedictinæ observantiam per patres Congregationis S. Vitoni Virdunensis instauraret. Litteris ergo Pauli V pontificis 22 Septembris 1618, itemque diplomate Ludovici XIII die 6 Februarii 1619, cujus exequendi cura demandata est Nicolao *Coeffeteau* Dardaniæ episcopo, suffraganeo Metensi & administratori generali in spiritualibus & temporalibus, religiosos S. Vitoni in possessionem monasterii B. Arnulfi induxit die S. Martini XI Novembris 1619, summo plane cœnobii

A commodo, feliciterque inter tot animi perturbationes id confecit Valladerius, cum profecto superioribus seculis incassum eamdem reformationem tentassent episcopi Metenses, Henricus Delphinus, Adhemarus, Conradus *Bayer*, Georgius *de Baden*, Henricus & Johannes cardinales a Lotharingia. Obiit tandem 13 Augusti anno 1638.

XLIII. Nicolaus-Franciscus *de Lorraine* Francisco comite *de Vaudemont* ex Christina *de Salms* natus 1609, per accessum de abbatia S. Arnulfi provisus est consentiente Valladerio bullis Pauli V an. 1618, 13 Septemb. postea
B diaconus cardinalis pronuntiatur ab Urbano VIII papa in consistorio 30 Augusti 1627: sed reditibus nunquam potitus est, cujus erat reservatarius Valladerius. Abdicata purpura anno 1634 nupsit Claudiæ Lotharingiæ consobrinæ, sorori natu minori Nicolaæ ducissæ Caroli ducis fratris conjugis. Eo sedente Francisco Vaudemontio patri pro exsolvendis Valladerii debitis, & commodata pecunia dum ærumnarum pertæsus Nanceii larem constituisset, bona territorii Vosagensis e mensa conventuali distracta præposito Espinalii oppignerantur, magno monasterii & religiosorum
C damno.

XLIV. Armandus *du Plessis*, cardinalis & dux Richelius, postulatur in abbatem 27 Februarii anno 1634 connubio principis Nicolai-Francisci; possessionem iniit per procuratorem 1 Martii 1635. Verum cum ea exceptione, ut solum post Valladerii obitum, temporali regimine frueretur. Sublatus e vivis anno 1642.

XLV. Henricus *de Bourbon*, episcopus Metensis sacri Romani imperii princeps electus 12 Decembris 1642, & regia schedula Ludovici XIII fratris nominatus, cum Romæ
D bullarum expeditio procrastinaretur, magni consilii senatusconsulto 27 Junii 1643 ut liceret possessionem assequi, ultima Julii ejusdem anni per officialem Metensem eam adipiscitur. Sed continuo dux Atriæ abbatia S. Arnulfi donatus ab Urbano VIII papa 3 Martii 1634 sacerdotii desertione facta per matrimonium principis Nicolai-Francisci, Roma Parisios advenit cum diplomate pontificio bullarum, & enixa postulatione Urbani secretioris regis consilii votis obsecundando, Henricus 24 Martii 1644 in manibus religiosorum S. Arnulfi ne ipsorum juribus damno
E esset, titulo se abdicavit 24 Martii an. 1644, a quibus postmodum eligitur abbas hujus monasterii prior claustralis 6 Maii ejusdem anni, qui tametsi senatusconsulto Parlamenti Metensis in possessionem admissus fuisset, effectu caruit hæc nominatio, ut in sequenti exponemus.

XLVI. Scipio *de Diacette-d'Aquavive-d'Arragon* dux *d'Atrye*, Ludovici Diaceti reginæ Catharinæ Mediceæ matris domus archiœconomi, comitis de Castrovillano, & Annæ Aquæ-vivæ Arragoniæ filius, provisus

est 3 Martii 1633 stylo curiæ Romanæ, A per conjugium principis Lotharingiæ, vacante cœnobio divi Arnulfi; nam quemadmodum jure Germanico abbatiæ spectant ad omnimodam collationem pontificis per obitum cardinalium, sic legitime, ut videtur, per hoc connubium commendam obtinuit; sed cum decennio a provisione bullas Scipio exhibuerit, erat ex jure monasterii defuncto Richelio cardinali novis suffragiis abbatem designare; is vero post cessionem Henrici Borbonii abbatiæ regimini admotus est, ac certam redituum portionem ex legato in resarciendis templi & abbatiæ ædificiis ordinavit, fato ereptus ultima B Februarii 1648. Antequam vero sacris nomen dedisset, nupserat Genovefæ Doniæ Attichiæ, ex cujus matrimonio ortus est Josephus comes de Castro-villano, qui Urbano VIII pontifice anno 1643 in pugna *de Montjovin* adversus ducem Parmæ pro ecclesia generose occubuit.

XLVII. Julius Mazarini cardinalis in abbatem a capitulo postulatus 20 April. 1648, Ludovici XIV nominatione possessionem apprehendit per procuratorem 10 Octobris, sub cujus moderamine ædificia regularia duarum ædium substructione monachorum studio restaurantur. Abdicata abbatia anno 1658, C mortuus est 9 Martii 1661.

XLVIII. Guillelmus-Egon *de Furstenberg* a monachis postulatus anno 1658, cessit anno 1676. De eo in Argentoratensibus episcopis egimus tom. V, col. 820.

XLIX. Johannes V *Morel*, germanus Francisci-Philippi abbatis Molismi, commendatariorum primus abbas a rege renunciatus est anno 1676, ac decessit anno 1719.

L. Benignus *Chasot*, primus præses Parlamenti Metensis, jam prior sanctæ Catharinæ Parisiensis, a rege nominatus abbas an. 1720, occubuit an. 1728. De eo vide tom. VII, D col. 862 & seq.

LI. Franciscus *Sanguin de Livry*, de quo diximus tom. VII, col. 846, in abbatibus Livriaci, haud diu potitus est, nam decessit Parisiis 15 Februarii 1729.

LII. Henricus-Xaverius *de Belsunce de Castelmoron* in episcopum Massiliensem consecratus 30 Martii 1710, obtinuit abbatiam anno 1729, mortuusque est an. 1755.

LIII. Franciscus-Joachimus *de Pierre-Bernis* cardinalis & archiepiscopus Albiensis mense Junio 1755 donatus est a rege commenda E S. Arnulfi, quam dimisit pro abbatia Triumfontium, ad quam nominatus fuit an. 1758 mense Martio. De eo vide tom. XII, col. 413.

LIV. Leopoldus-Carolus *de Choiseul* abbatiam adeptus est anno 1758. Eodem anno 29 Octobris consecratus fuit episcopus Ebroicensis, insequenti traductus ad sedem metropolitanam Albiensem, unde ad Cameracensem ecclesiam transiit an. 1764, ac decessit Molini in agro Borbonio 11 Septemb. 1774 annos natus 50.

LV. Ludovicus-Josephus *de Laval-Montmorency* episcopus Metensis a rege renunciatus abbas 6 Aprilis 1775.

SANCTUS-VINCENTIUS.

DIETERICUS seu Theodericus Metensis episcopus auctor est monasterii sancti Vincentii Metensis, cujus ecclesiæ fundamenta anno 968 in insula tunc extra urbem jacta fuisse vetus ejus loci chronicon prodit. Operis hujus occasionem ex eo natam tradit Sigebertus, quod cum Theodericus initio sui episcopatus animadvertisset in catalogo Metensium episcoporum primas quorumdam nominum litteras, alias auro, alias argento, alias viliori metallo pro meritorum qualitate esse annotatas; vidissetque etiam litteram sui nominis argento prænotatam: dixisse fertur se in episcopatu tanta bona facturum ut ipsa nominis sui littera merito deberet auro annotari. Cujus bonæ intentionis, addit Sigebertus, initium ostenditur in cœnobio sancti martyris & levitæ Vincentii, fundato in ipsius urbis insula, quod modo ejus muris inclusum est, egregium sane Theoderici pietatis monumentum. Hunc vero locum, in quem induxit monachos accitos ex cœnobiis Gorziensi & S. Arnulfi, non modo patrimonii sui prædiis ditavit, præclarisque ædificiis exornavit, verum etiam sacris reliquiis undequaque collectis illustrare curavit. Equidem biennio post profectus in Italiam cum Ottone imperatore consobrino suo, ubi cum eo per triennium versatus est, multas hinc inde reliquias collegit, in novum cœnobium transferendas: videlicet sacras exuvias sancti Elpidii confessoris, sancti Eutichii & S. Maronis martyrum, S. Feliciani, sancti Asclepiodoti martyris, S. Serenæ virginis ac S. Gregorii martyris Spoletini. Partem etiam non modicam catenæ S. Petri atque portiones quasdam craticulæ sancti Laurentii promeruit ex dono Johannis papæ XIII, qui abbati S. Vincentii privilegium utendi dalmatica & sandaliis indulsit. Pignora quoque sanctarum Dignæ & Emeritæ cum sandalio S. Stephani diversorumque Sanctorum reliquiis ab eodem papa accepit. Præterea Berraus diaconus, ab ipso in Hispaniam missus, beati Vincentii martyris corpus & non modicam portionem sanguinis S. Stephani protomartyris secum reportavit. Quin & ipse Theodericus ab abbate quodam de monasterio B. Mariæ de Farfara, qui apud Imperatorem cupiebat habere intercessorem, sanctos martyres Protum & Hyacinthum adeptus est. Insuper Leontium & Carpophorum martyres itidem obtinuit. Verum præcipua fuit memorabilis virginis & martyris Luciæ Syracusanæ corporis acquisitio, accepto in monasterium hujus sanctæ Virginis corpore, Theodericus oratorium ibidem in ejus honorem statim exstruere cœpit, in quo tantum thesaurum reponeret, dedicavitque VIII idus Augusti, anno nono episcopatus sui, Christi vero 972, præsentibus & cooperantibus sibi comprovincialibus episcopis, Gerardo

Tullensi & Wigfrido Virdunensi, qui olim in aula Imperatoris familiari contubernio sibi adhæserant, inquit Sigebertus, qui vitam sanctæ Luciæ virginis & martyris rythmice composuit. Defuncti anno 984 Theoderici corpus illic conditur cum epitaphio, quod ejus memoriæ elucubravit Sigebertus Gemblacensis, celebris chronographus, qui in S. Vincentio pluribus annis noviciorum regimini fuerat præpositus. Post trecentos circiter annos, corpore Theoderici e sepulcro eruto aliorsum transferendo, integra reperta est ejus casula, qua etiamnum quotannis 7 Septembris utitur celebrans in die ejus anniversarii. Ad monasterii illustrationem a Johanne papa XIII concessa est hæc prærogativa ut abbas solemnibus festis in missa uteretur dalmatica & sandaliis, facta quidem est ea licentia a Leone IX papa an. 1051, ut abbates monasterii S. Vincentii primum post Metensem episcopum obtinerent locum, & dum ille abesset, sacris operarentur in ecclesia cathedrali, pontificalibus ornamentis induti. In festivitatibus sancti Vincentii & S. Luciæ uniuscujusque anni capitulum ecclesiæ cathedralis ad faciendum missæ sacrificium accedit ad monasterium. Ignis a malefico quodam injectus fuit an. 1705 nocte diei 28 ad 29 Augusti monasterio huic, cujus pars flammis absumta est. Insequenti nocte accidit eadem calamitas, quæ in cineres redegit bibliothecam, infirmorum ædes, majoremque turrim, cujus quatuor majores campanæ fusæ sunt: adeo ut ex toto monasterio nihil præter antiquum dormitorium superfuerit. Nec damnum mox resarciri potuit, quia jussu regio per hortum apertus est vicus, vulgo dictus *Fouquet*, ex nomine D. D. marescalli *de Belle-isle*, provinciæ gubernatoris, cui ex utraque parte magnis sumptibus ædificia addere opus fuit. De antiquitatibus abbatiæ loquitur Madaurensis episcopus lib. III. Abbatum vero catalogum quem texuit domnus Petrus *Descrochets*, prior S. Arnulfi Metensis, prelo a Sammarthanis jam subjectum, cum paucis mutationibus & additionibus exhibemus.

Abbates.

I. Adelmundus fuit primus abbas ex Mabillonio, cujus verba hic referre juvat: recentiores, inquit, suspicantur esse Walerannum; mihi verisimilius videtur præcessisse Adelmodum, qui unus fuit ex quinque vicinorum monasteriorum abbatibus, qui anno 974 Johanni Gorziensi morienti post annos abhinc quinque adfuerunt, scilicet patres reverentissimi Kadrohë, Berhardus, Hudo, Adelmodus & Johannes, vitæ Johannis Gorziensis scriptor, tunc S. Arnulphi abbas.

Annal. Bened. t. III, p. 524.

II. Odelardus notus ex mutatione inita cum Tydevino abbate sancti Naboris sub finem episcopatus Theoderici fundatoris mortui anno 984.

III. Valeranus, cujus obitus notatur 9 Januarii, sine ulla chronologica nota.

IV. Vimicius 31 Martii.

V. Bertaldus 7 Octobris.

VI. Vitalis 10 Novembris.

VII. B. Richardus, abbas sancti Vitoni, monasterium sancti Vincentii aliquandiu rexit circa annum 1008.

VIII. Poppo, Stabulensis abbas, huic etiam præfuit cœnobio, & innotescit ex litteris datis an. 1026, quibus cessit quasdam terras Hermanno; mortuus 25 Januarii 1048.

IX. Heribertus a Poppone abbas institutus, obtinebat an. 1048. In necrologio ad diem 12 Septembris ita consignatus: *Dom. Heriberti abbatis hujus loci & Folcuini ejus successoris.*

X. Folcuinus a pueritia cum Marcelino fratre sub Olberti disciplina educatus, ad Stabulense monasterium ad regendas puerorum scholas ab abbate Poppone primum accersitus, dein ad regimen abbatiæ S. Vincentii promotus est circa annum 1048. Adelberonis episcopi favore obtinuit a Leone papa IX an. 1051 bullam confirmationis bonorum & privilegiorum a Theoderico episcopo fundatore collatorum, cum facultate ipsi ejusque successoribus indulta officia divina in cathedrali pontificaliter celebrandi.

XI. Lanzo in schismate Clementis III antipapæ contra Gregorium VII, cujus partibus semper addictus fuit, jussu Henrici IV regis urbe Metensi cum Herimanno episcopo pulsus est an. 1078. Verum abbatiam S. Trudonis, diœcesis Leodiensis, ab ecclesia Metensi pendentem, accepit anno 1083 ab episcopis Leodiensi & Metensi. Cujus rei impatientes plerique monachi discesserunt. Interim Lanzo totus fuit in bene gerendo monasterio, quod flammis absumtum est anno 1085. Mox a Luipone, loci monacho, qui ab imperatore abbatiam petierat, deturbatur, & in turrim monasterii refugit: unde ab Henrico episcopo Leodiensi eductus ac missus in abbatiam sancti Laurentii. Insequenti anno Gerardo, quem Leodiensis episcopus monasterio præfecerat, sese obtulit, & male acceptus est, tanquam calamitatum cœnobii auctor. Nihilominus a Brunone pseudoepiscopo Metensi circa annum 1086 invitatus ut in abbatiam sancti Vincentii reverteretur, non acquievit; sed Jerosolymitanum iter suscipere constituit. Unde redux, abbatiæ S. Vincentii regimen recepit circa annum 1089, & postero subscripsit litteris Hermanni episcopi in gratiam cœnobii sancti Clementis. Reliquias S. Luciæ pretiosa theca, præsente Poppone episcopo Metensi, a quo consecutus est burgum S. Juliani, inclusit anno 1093. Adstitit anno 1095 concilio Claromontensi sub Urbano II, a quo consecutus est an. 1096 bonorum & privilegiorum confirmationem & licentiam missarum solemnia, absente episcopo, in cathedrali Metensi cum dalmatica & sandaliis celebrandi. Forsan monasterio suo iterum pulsus, degebat anno 1098 in cœnobio sancti Michaëlis ad Mosam, Ornato abbate, cui bona quædam a Richerio

Ch. xix, col. 566. a Richerio Virdunensi nec non insequenti anno jus cudendæ monetæ Udalrico abbati conferri curavit. Defunctus circa annum 1103, 2 Decembris. Vide quæ de eo dicta sunt tom. III, col. 956.

XII. Eppo recurrit anno 1112 in tabulis Lotharingiæ.

XIII. Arnulphus, dictus etiam Ranulfus in chronico S. Vincentii edito apud Labbæum nova biblioth. p. 346, decessit an. 1116, 8 Septembris.

XIV. Landulfus legitur in carta Ricuini Tullensis episcopi an. 1126, qua in synodo diœcesana ipsi confirmantur omnia bona & privilegia prioratus de Chaligneio, a sua abbatia pendentis. Subscripsit an. 1133 compositioni litis exortæ inter Bertrandum abbatem S. Arnulfi & Humbertum S. Clementis. Ex chronico mss. fatis concessit 1135, 4 Augusti.

XV. Isembardus ex monasterio S. Huberti in saltu Arduennæ, ad regimen S. Vincentii vocatus, bullam ab Innocentio II obtinuit an. 1139, qua prohibetur abbatis nominatio absque conventus suffragiis. Litteras etiam Stephani de Barro episcopi Metensis pro confirmatione bonorum S. Germani, confirmatas ab Adalberone archiepiscopo Trevirensi annis 1140 & 1141, consecutus est. Obiit anno 1146, 19 Martii.

XVI. Robertus testis occurrit anno 1150 in charta Henrici Moguntini archiepiscopi fundationem cellæ *Offembach* comprobantis. Litteris Stephani de Barro episcopi pro abbatia S. Crucis, postea dicta S. Eligii, subsignavit an. 1161. Defunctus 3 Aprilis 1165.

XVII. Guillelmus I subscripsit an. 1170 in charta donationis Theoderici electi Metensis factæ Folmaro abbati Glanderiensi.

XVIII. Rainfredus in tabula Friderici episcopi Metensis annotatus occurrit an. 1173. Cessit e vita anno 1176, die 7 Aprilis, ex obituario.

XIX. Willelmus jura monasterii ab Alexandro III probari fategit an. 1177. Occurrit ad annos 1179 & 1181 in litteris Bertrandi episcopi, cujus privilegium in gratiam abbatiæ S. Petri laudavit an. 1183. Ab Odone archidiacono donatus fuit ecclesia S. Germani de Castello & ecclesia sanctæ Mariæ de Anceyo. Annuentibus archiepiscopo Trevirensi & episcopo Metensi, in ecclesia S. Germani, propter miracula, quæ in ea fiebant, monachos locavit; quod ab Alexandro III probari curavit. Desiit vivere anno 1183 vel insequenti.

XX. Franco an. 1184 concordiam iniit cum Vualone abbate Cari-loci pro Chaliniaco. Memoratus in necrologio ad diem 20 Martii.

XXI. Carolus I, cujus meminit carta Bertrandi episcopi pro institutione proborum hominum civitatis Metensis an. 1197.

XXII. Drogo abbas electus anno 1200, quemdam Garsirum ob damna monasterio illata censuris ecclesiasticis constrictum a Bertrando episcopo absolvi curavit anno 1206. Transegit VI cal. Octob. 1209 cum P. abbate de Caherio. Sic notatus in necrologio ad diem 24 Junii: *Obiit Drogo piæ recordationis quondam abbas & monachus, sacerdos hujus loci, qui statuit nobis pitanciam.*

XXIII. Warinus præerat an. 1210. Acquisivit anno 1218 a Godefrido *de Blagiville* insigne alodium apud *Masieres* pretio 130 librarum monetæ Metensis. Nactus est anno 1221 a Conrado episcopo Metensi ecclesiam S. Mauricii de Jovilla, annuentibus primicerio & decano. Ab eodem episcopo, intuitu amoris quem erga S. Vincentii monasterium decessores habuere Metenses episcopi, quorum abbas major est capellanus, eorumque vice in cathedrali basilica diebus festivioribus celebrare potest, obtinuit ecclesiam sancti Martini de Wilrisia 1223. Castrum *Staples* exstruxisse dicitur; sed majorem splendorem sibi comparavit ex nova basilica quæ nunc spectatur, post cathedralem totius regionis longe pulcherrima, quam ædificare cœpit an. 1248. Fatis concessit anno 1251, 4 Octobris ex necrologio. Sepultus in sanctuario ad dextram majoris altaris, ubi effigies tumbæ insculpta est, ecclesiam manu exhibens.

XXIV. Nicolaus I quædam suo monasterio acquisivit, bullamque ab Innocentio IV adeptus est, & obiit 16 Februarii 1256.

XXV. Gerardus ex abbate S. Symphoriani ad hujus monasterii regimen vocatus est, strenuus abbatiæ possessionum defensor an. 1256. Litteras pontificias impetravit an. 1260 ab Alexandro IV. Libellum supplicem Urbano IV præsentavit, petens ab onere pastorali absolvi: cujus monachis pergrati preces non admisit summus pontifex, scripta ad eum bulla XVI cal. Junii, pontificatus anno 2. Donatus quidem est privilegio a Clemente IV an. 1266, ac migravit e vita 15 Septembris 1271.

XXVI. Petrus I ab anno 1271 ad 1278, quo eodem ipsius abbatis quædam extant documenta: notatur in necrologio ad diem 14 Octobris.

XXVII. Rainerius creatus abbas 1278, duo privilegia a Nicolao III pontifice de privilegiorum monasterii confirmatione adeptus est. In documentis occurrit ad annos 1281 & 1285. Vivere desiit 29 Decemb. 1298.

XXVIII. Balduinus *d'Espinal* mortuus circa annum 1316, & in necrologio sic notatus ad diem 27 Junii: *Domni Balduini de Spinalo abbatis hujus loci, qui dedit nobis in perpetuum decimam S. Balderici in augmentum pitantiæ, nec non 50 solidos Metenses pro anniversario suo.*

XXIX. Hugo præerat ad annos 1316 & 1333. Diem clausit extremum 12 Febr.

XXX. Petrus II *de Baudoche* nobili & antiqua gente satus, abbatiale pedum obtinebat anno 1356. Occubuit 1370 die Epiphaniæ, ut patet ex ejus epigraphe affixa muro ad sinistram partem navis ecclesiæ, in qua sit mentio Simonis *de Baudoche* monachi

apud sanctum Vincentium, ejus consanguinei, mortui anno 1343.

XXXI. Henricus I *de Vienne* memoratur ad annum 1370.

XXXII. Rainaldus *de Beaumont* 1376, cujus tempore dedicata est basilica monasterii a Theoderico *de Boppart* Metensi episcopo. Obiit, ut conjectura est, anno 1377.

XXXIII. Goffridus Francisci bullam a Clemente VII antipapa an. 10 pontificatus de accipiendo benedictionis munere, a quocumque voluerit episcopo, assecutus est, itemque facultatem adnectendi præposituram mensæ abbatiali. Bonorum cœnobii pervasores anathemate plectendos pontificis ejusdem bulla curavit. Unde liquet Metenses obedientiæ Clementis paruisse, Guillelmo *d'Aigrefeuille* cardinali & ipsius legato in his partibus degente.

XXXIV. Nicolaus II *Chaigne* commutationem fecit an. 1402 cum Simone *Eulacoul* abbate S. Symphoriani. Hujus sunt documenta ad annos 1408 & 1410. Lepra correptus interiit 1415, in obituario notatus 23 Octob.

XXXV. Nicolaus III *de Gournay*, nobili familia apud Metenses genitus, bonus abbas acclamatus, cujus memoria in benedictione est, ob varia pietatis ac munificentiæ specimina, quibus monasterium instruxit. Occurrit in documento an. 1435. Abiit e vivis 24 Maii 1452, tumulatusque est in sanctuario ad latus majoris altaris, in ima parte pilæ prope aram beatæ Mariæ, ubi legitur ejus epitaphium insculptum laminæ æneæ, e regione abbatis Warini decessoris sui: patet ex ejus epitaphio ipsum ornata architectura claustri testudinem concamerasse, majorem turrim ecclesiæ excitasse, aliaque ædificia in meliorem statum erexisse, domum summo ære obstrictam ab importuno onere liberasse; laudatur etiam ab eleemosynis in egenos. Ante mortem limina Apostolorum ac sacra loca apud Hierusalem inviserat.

XXXVI. Guillelmus II *Huyn*, ex oppidulo Stamnensi, tribus leucis a Virduno ortus, archidiaconus etiam Saræ-pontis in ecclesia Metensi, nec non Ripariæ in Virdunensi. Delegatus fuit ad synodum Basileensem, quo Ostiensis cardinalis patrocinio universalis concilii procurator seu promotor adlectus est; quibus muneribus ad purpuram sibi viam aperuit, factus cardinalis S. Sabinæ. Abbas S. Vincentii a Nicolao V papa institutus est XV cal. Martii 1453, tametsi monachi cooptassent Jacobum *Copel*, cujus electio declarata fuit irrita. Occurrit in tabulis an. 1455, quo Romæ decessit, humatus in ecclesia S. Sabinæ.

XXXVII. Jacobus I *Coppel* occurrit ad annos 1456 & 1457.

XXXVIII. Johannes I *de Virier* 1458, cura abdicata mortuus recensetur 1480; prior tum Chalignei & abbatiæ gubernator.

XXXIX. Nicolaus IV *François*, cui Pius II pontifex an. 1462 facultatem celebrandi cum mitra, annulo, chirotecis & baculo pastorali, benedictionemque populo etiam in ecclesia cathedrali largiendi ac calices benedicendi tribuit facultatem. Excessit 11 Julii ante annum 1480.

XL. Petrus III Roarius, ordinis Minorum, sacræ theologiæ magister, factus postea cardinalis tituli S. Sabinæ, abbatiam in commendam obtinuit, & per Hugonem *Mathie* licentiatum in legibus, decanum Metensem, possessionem adepturus, juravit monasterii immunitates se servaturum circa annum 1471.

XLI. Ludovicus I de Agnellis, Protonotarius apostolicus, patrimonii sancti Petri in Tuscia gubernator, abbas commendatarius, per procuratorem adeptus est 5 Junii 1474. Obtinebat an. 1480, quo ipsi directa fuit bulla Sixti papæ IV, atque etiam anno 1482, 26 Novembris Simon de Rubo episcopus Panadæ suffraganeus Metensis in ecclesia monasterii sepultus fuit.

XLII. Jacobus II *de Fay* de Novo-castro simul fruitus est abbatiis S. Vincentii, Epternaci & S. Mariæ Luxemburgensis; occurrit ad annum 1486, obiitque an. 1489, 14 Augusti, & humatus est cum epitaphio in ecclesia Epternacensi, ut supra diximus.

XLIII. Baltasar *du Chastelet* jam sexagenarius, in abbatem a monachis cooptatus anno 1528, coadjutorem sibi adscivit Valentinum nepotem nobili genere procreatum, monachum expresse professum ætatis 17 annorum, cui bullæ a Clemente VII indultæ sunt XIV cal. Octob. ejusdem anni 1528. Insequenti anno 7 Martii fatis concessit Baltasar.

XLIV. Valentinus *du Chastelet* ex coadjutore in abbatem benedictus fuit a Conrado suffraganeo Johannis cardinalis Lotharingi episcopi Metensis. Juramentum fidei a bullis coadjutoriæ præscriptum præstitit 3 Junii 1529. Provisus est etiam anno 1545 a Paulo III papa abbatia S. Naboris. Vivere desiit 4 Maii 1549.

XLV. Claudius-Jacobus de Leocuria ex priore claustrali electus abbas, confirmatus est a Paulo papa III 1549, III cal. Junii; & ab imperatore Carolo V ex rescripto Bruxellis dato 5 Junii ejusdem anni, imperii 29, probatus. Ætate provectus mortem oppetiit 4 Octobris 1582, sepulturamque habuit ad altare Deiparæ Virginis. Ipso sedente in eadem basilica, in medio navis, humatus fuit Johannes *Huot* episcopus Basilitanus & suffraganeus Metensis.

XLVI. Franciscus *Philippe*, superioris nepos, canonicus & officialis Metensis, in decretis licentiatus, coadjutor renunciatur ab anno 1568, emissisque votis benedictionis munus accipit a Nicolao *Pseaulme* episcopo Virdunensi 1571, & avunculo suo mortuo succedit. Parisiis degebat, ubi de Senonensis archiepiscopatus cessione paciscebatur, cum e vivis sublatus fuit 17 Martii 1587, ac sepultus est in ecclesia Mathurinorum.

XLVII. Franciscus-Raimundus *de Lupiat*,

filius domini *de Moncassin*, Metensis gubernatoris, in tenera adhuc ætate constitutus, a monachis eligitur 24 Martii 1587; sed per biennium postulatas bullas a sede apostolica impetrare nequivit. Non multo post defunctus.

XLVIII. Carolus II *de Lorraine*, cardinalis S. Agathæ, episcopus Metensis, abbatiam a sede apostolica obtinuit anno 1588. Verum a capitulo electus est anno 1591 Johannes *Humbert*, qui bullas per intercessionem cardinalis non potuit obtinere. Cumque nihilominus possessionem esset adeptus, anathemate percussus fuit. In ejus tamen gratiam cessit cardinalis anno 1595.

XLIX. Johannes II *Humbert* ex priore claustrali per superioris cessionem abbas evasit 1596, bullasque obtinuit a Clemente VIII 1696, x calend. Aprilis. Ex ipsius Johannis mortui 12 Januarii 1600 constat eum ante electionem fuisse priorem *d'Offembach* in Palatinatu, qui pendebat a monasterio S. Vincentii priusquam a Novatoribus fuisset occupatus.

L. Johannes III *Saulnier* in monasterium admissus 1551, prior factus 1596, in abbatem adlectus est 23 Martii 1600, bullasque kalendis Octobris a Clemente VIII obtinuit. Sedilibus chori & odeo basilicam exornavit. Possessionem episcopatus adeptus est 23 Februarii 1609 pro eminentissimo cardinali Annato *d'Escars de Givry*. In gratiam Ludovici *de la Valette* resignavit in manu papæ calendis Decembris 1610 cum reservatione tituli, quo fruitus est ad annum 1618, quo interiit 28 Martii, ut legitur in obituario. Jacet ad gradus altaris B. Mariæ.

LI. Ludovicus II *de Nogaret de la Valette*, cardinalis & archiepiscopus Tolosanus, serenissimi Delphini primus eleemosynarius, abbas sancti Victoris Massiliensis, Grandis-silvæ & aliorum beneficiorum, quæ recensuimus col. 60, in coadjutorem postulatus jam ab anno 1607; per cessionem superioris abbatiam adeptus est 1610 calendis Decembris, accepit possessionem anno insequenti. Verum non potitus est proventibus abbatiæ ante mortem Johannis *Saulnier*. Occubuit & ipse anno 1639 in Italia, remisso ecclesiasticæ militiæ nuncio.

LII. Henricus II *de Bourbon*, episcopus Metensis, electus anno 1639, possessionem adeptus est anno sequenti, & postero reformationem S. Vitoni introduxit. Cessit anno 1652 in gratiam sequentis.

LIII. Julius *Mazarini*, cardinalis & episcopus Metensis, cedente Henrico, a monachis postulatus, abbas renunciatur anno 1652. Mortuus an. 1661.

LIV. Claudius *Baudeau de Parabel* adeptus est an. 1661.

LV. Petrus IV *de Bellievre*, simul abbas Joyaci & prior Longæ-villæ, subita morte Parisiis obiit 26 Januarii 1683. De illo jam locuti in abbatibus Joyaci, tom. XII, col. 227.

LVI. N. *Ancelin*, filius nutricis Christianissimi regis, canonicus ecclesiæ Parisiensis, abbatiam consecutus est an. 1683.

LVII. Henricus III *d'Anglure*, comes *de Bourlemont*, obtinebat an. 1709.

LVIII. Philippus-Antonius, baro *Delz Damher de Spire* 1732.

LIX. N. *de Bourbon*, filius naturalis Ludovici XV regis, a Ludovico XVI rege Christianissimo abbas est nominatus anno 1775. Facta cessione hujus abbatiæ, Signiacensem obtinuit 28 Septembris 1777.

BOSONIS-VILLA.

BOUZONVILLE.

Posita Buozonis-villa in Alsatiæ & Lotharingiæ confinio, in parte Theutonica diœcesis Metensis ad Nitam * fluvium, qui paulo inferius in Saravum devolvitur, condita fuit anno 1033. Id compertum est ex insigni diplomate edito tom. I, histor. Lothar. longe ampliori & correctiori quam quod apud Sammarthanos tom. IV legitur. Alsatiæ comes Adalbertus, filius Eberhardi comitis, ac pater Gerardi itidem Alsatiæ comitis, a quo ortum trahit nobilissima Lotharingiæ domus, religionis causa Jerosolymam profectus, domesticæ rei curam Judithæ conjugi reliquit. Hæc pia mulier, communicato haud dubie consilio cum marito, antequam discederet, condere monasterium constituit. Advectus Jerosolymam maritus, a patriarcha partem non modicam S. Crucis obtinuit, in cujus honorem novum cœnobium dedicandum erat. Absolutis ædificiis, comes ex itinere redux, Theodericum II Metensem episcopum ad dedicandam basilicam invitavit. Quod actum fuit magna cum pompa anno Domini 1033, indict. 1, prid. cal. Februarii. Consecratum est oratorium in honorem S. Crucis ac S. Mariæ, sanctique Petri & aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ illic repositæ sunt. Amplissimis comes monasterium dotavit latifundiis: sed post annum dedicatæ ecclesiæ decessisse & in monasterio sepultus fuisse traditur, sicut & uxor ejus Juditha. Successit ei Gerardus comes & marchio, qui una cum uxore sua Gisila se valde munificum exhibuit, & Leonem papam IX invitavit ad invisendum monasterium, cui pontifex multa dona & privilegia indulsit. Post mortem vero ambo conjuges ibidem humati sunt, succedentibus sibi filiis, Odelrico videlicet comite & Gerardo duce, qui caput est Lothariensium ducum. Iis mortuis dominium Buosonis-villæ suscepit Theodericus puer parvulus, Gerardi ducis filius, qui in curia Adelberonis Metensis episcopi educatus, ejus rogatu Buosonis-villæ cœnobium pro castro Comartiaco commutavit, retenta sibi suisque posteris ejus loci advocatia. Hæc omnia narrat præcitatum diploma, ex quo cognoscitur monasterium variis tribulationibus affectum fuisse, ejusque defensores evasisse raptores & invasores. Illos Theodericus comes, Theoderici majoris ducis filius, repressit ac vetuit advocatis

* la Nied.

Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 543.

& eorum ministerialibus ne ullam exactionem aut violentiam adversus monachos Buosonis-villæ exercerent. Prohibuit etiam circa annum 1184 Bertrannus episcopus ne advocati homines abbatiæ cogerent ad ducendas uxores ancillas suas. Fortuito cremata fuit hæc abbatia 19 Maii 1682, quam monachi congregationis S. Vitoni, qui eam ab anno 1612 possident, sat eleganter refecerunt.

Abbates.

Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 543. I. Cuono a Gerardo comite præpositus fuit monachis circa 1033. Ejus consilio a comite invitatus est Leo IX papa ut inviseret monasterium, quod donis & privilegiis ditavit.

Ibid. II. Rainerus constitutus est abbas a Popone Metensi episcopo creato an. 1093. Sub ejus regimine gravissimas calamitates & vexationes subiit monasterium.

III. Raimarus 1106, 1111. | IV. Richardus 1115. | V. Rainardus 1115, 1123. } Hi tres abbates forte iidem sunt cum Rainero supra memorato.

VI. Ascelinus subscripsit an. 1130 litteris Stephani Metensis de fundatione Freistorfii.

VII. Walterus reperitur ad annum 1150. *Marten. Ampliss. collect. t. II, pp. 1022, 1023.* Non absimilis videtur ab W. qui ad sanctam Hildegardem scripsit suum monasterium in opprobrium inimicorum malignitate lapsum esse.

VIII. Galterus bullam ab Alexandro III accepit anno 1179. Nonnunquam dictus Gatterius & Garsilius.

IX. Reinerus Buosonis-villæ & S. Martini Trevirensis simul abbas ad annos 1181, 1184.

X. Garzerius 1207. Patronatum ecclesiæ *de Freistrof* confirmari curavit anno 1211. Adhuc occurrit 1217.

XI. Bartholomæus 1232, 34, 37, 38.

XII. Johannes I 1296, 1299, 1310, 1314.

XIII. Garsirius 1315, 1316.

XIV. Johannes II *Divoie* al. *de Bozeme* electus an. 1316, adhuc præerat an. 1339.

XV. Guntzo superstes ad annos 1342, 1345; monasterium flammis absumtum instauravit.

XVI. Gorezo, si non est idem cum præcedenti, occurrit an. 1360.

XVII. Theodoricus, notus ex antiquis regestis, conventui bona tribuit. Quo tempore vixerit, ignoratur.

XVIII. Gerardus *d'Esch* 1403, 1410, defunctus an. 1413.

XIX. Virichus *Ristz de Virkirchen* in locum præcedentis suffectus 20 Julii 1413, a Radulfo episcopo obtinuit licentiam benedictionis accipiendæ a quocunque episcopo. Adhuc superstes anno 1449.

XX. Arnulphus *Wisse de Gerbeviller* electus an. 1451, homagium præstitit Johanni duci 14 Junii 1457. Occubuit an. 1481.

XXI. Nicolaus I Rasoris al. *de Dalhem* in abbatem cooptatus 1481, eodem juravit fidem duci Lotharingiæ.

XXII. Johannes III *de Valdersinghem* al. *de Vaudrevange* adlectus an. 1485, decessit an. 1497.

XXIII. Ferricus *Colin de Dieuze* promotus fuit 24 Augusti 1497 per electionem quam rescidit dux Renatus; sed iterum electus est.

XXIV. Claudius I *de Germini* 1505, decubuit anno 1532, quo dux Antonius monachorum numerum voluit esse duodenarium.

XXV. Philippus *de Haraucourt* eligitur anno 1532.

XXVI. Henricus I *de Haraucourt* promotus 1533.

XXVII. Desiderius *de Haraucourt* 1546. Ejus ætate monasterium ab exercitu Caroli V Cæsaris solo æquatum est an. 1552.

XXVIII. Franciscus I *de Thouvenin* coadjutor factus 1561, abbas evasit 1566, vitaque cessit 1589.

XXIX. Johannes IV *Cellier*, alumnus ordinis Cisterciensis, & Belli-prati monachus, præstitit homagium 1589, mortuusque est 16 Januarii 1614.

XXX. Henricus II *de Lorraine* electus an. 1616, in commendam obtinuit abbatiam, fatis vero concessit 1627.

XXXI. Carolus-Franciscus *de Lorraine* cardinalis fruitus est ab anno 1627 ad 1634.

XXXII. Nicolaus II *Voilot* ab anno 1634 ad 1642.

XXXIII. Nicolaus III *Parfait* nominatus 1642, defunctus 1690.

XXXIV. N. *Tuffet* a rege designatus 1699, gavisus est usque ad 1698.

XXXV. Franciscus II *le Begue* 1698, per biennium gavisus est.

XXXVI. Franciscus III *de Lorraine* ab anno 1699 ad annum 1706, quo permutavit.

XXXVII. Alexius *de Nassau* adeptus est anno 1706.

XXXVIII. Claudius II *Sommier* major præpositus S. Deodati nominatus an. 1725.

XXXIX. N. *de Lambertye* abbas, renunciatus 1767.

SANCTA-GLODESSINDIS.

Sainte-Glossinde.

In ambitu Metensis urbis sita abbatia sanctæ Glodessindis, primum inchoata legitur munificentia & auxiliis Wintrionis, ipsius sanctæ Glodessindis parentis, qui ecclesiam ac monasterium in proprio fundo construxit circa annum 604, quod opimis reditibus ac possessionibus dotavit pro monialibus alendis, quæ Domino se consecrarent. In principio sortitum est id monasterium nomen S. Petri, & S. Sulpitii episcopi Bituricensis, tum S. Glodessindis, quod solum huc usque retinet. Subditum est a diutissimo tempore cœnobio SS. Apostolorum, nunc dicto de sancto Arnulpho, ubi olim sanctimoniales habuere sepulturam, priusquam prope earum parthenonem foret cimi-

terium; quin & ab ipsius monasterii fratribus cœlesti alimonia pascebantur. Ad res temporales quod attinet, regiæ tutelæ suberant. Propter usurpatas exhaustasque a laïcis facultates insigne diploma parthenoni ad Theudfridi præpositi sanctæ Glodessindis preces ut restituerentur Ludovicus Germaniæ rex concessit an. 875 die 25 Novemb. Decrescente tamen pristino fervore, res eo venere, ut nec ullum vitæ Benedictinæ superesset vestigium tempore Adalberonis episcopi Metensis, ut patet ex chronico Walciodorensi, cujus hæc verba exscribere præstat: *Ergo jam eo tempore a monastica ad laxiorem canonicarum vitam defecerant sanctimoniales istæ, quibus Adalbero Hasteriam villam pagi Leodicensis adsignavit, ubi quædam monachæ sub regimine decanæ aliquandiu vixere.* Visum itaque est huic prælato anno 945 meliorem normam suscitare, restitutisque possessionibus ablatis a laïcis, ditissimam & ipse villam Hasteriam impertitus est; imo ad regularis disciplinæ columen virginem virtute præstantem, Himiltrudem nomine, consanguineam suam constituit abbatissam. Ex litteris Theoderici itidem episcopi ad Vodam abbatissam constat ipsum confirmasse omnia bona, villas, mansos, sexaginta decimarum territoria cum collatione parochiarum 19 & omni jure banni extra & apud Metas, de quibus, inquit, dotata fuerat basilica sanctæ Glodessindis. Assensus quidem est hic præsul circa annum 969, ut villa de Hasteria, in qua quædam moniales aliquandiu vixerant, Walciodorensi monasterio cederet, in cujus compensationem alteras attribuit possessiones, quas firmarunt imperator Otto I & episcopi.

Suam monasterio S. Glodessindis originem debet capitulum sancti Theobaldi, quod in territorio ad sanctimoniales spectante conditum est a quibusdam clericis, ea conditione ut quotannis die festo S. Glodessindis duodecim persolverent denarios, nec præpositum eligerent nisi ex consensu abbatissæ, quæ ei investituram traderet. Quod ratum habuere Stephanus Metensis episcopus 10 Aprilis 1163, summusque pontifex Victor IV, XVI cal. Novembris ejusdem anni. Hujus tamen servitutis pertæsi canonici, illam prorsus excusserunt anno 1673. Fuerunt ab omni ævo & etiamnum extant quatuor clerici seu canonici in ecclesia S. Glodessindis ad obeundas ecclesiasticas functiones, quorum senior præpositi nomen olim accipiebat. Theudfridi præpositi mentionem facit Ludovicus Germaniæ rex ad annum 875. In secunda translatione reliquiarum S. Glodessindis facta anno 830 memoratur Fulgubertus clericus ipsius monasterii. Post multas diversis factas temporibus tentationes, ut id monasterium in collegium canonicarum mutaretur, stabilita tandem est observantia Benedictinæ regulæ, qualiter excolitur in Calensi monasterio. Abbatissarum vero catalogum Sammarthanis a D. Petro A *Descrochets* priore sancti Arnulphi suggestum cum pluribus additionibus exhibemus.

Series Abbatissarum.

I. Sancta Glodessindis clarissima virgo procreata est, Chilperici regis Francorum tempore, patre illustrissimo Wintrione duce Campaniæ, Brunechildis reginæ instigationibus interfecto anno 598, & Godila matre natalium splendore non dispari. Quanquam Deo se consecrandi desiderio capta, a parentibus juveni cuidam nobili viro, Oboleno nomine, destinata est sponsa. Verum ipso die B quo celebrandæ erant nuptiæ, ipsaque uxore ad mariti palatium cum magna procerum cœtu jam deducta, jussu regis comprehenditur Obolenus, de diversis sceleribus accusatus. Mox in arcta custodia retrusus est, unde non exivit, nisi ut capite plecteretur. Alteri connubio filiam suam Wintrio jungere voluit, ipsamque Trevirim ad Rothildam sororem suam sanctitate claram secum adducere constituit, ut amitæ suæ suasu patris voluntati puella obtemperaret. Pia virgo, quæ Deo se voverat, Metas confugiens, ingressa est basilicam sancti Stephani, ubi mansit sex continuis diebus nec C potu, nec cibo restaurata. Dum parentes ejus ex hoc asylo eam abstrahendi occasionem aucuparentur, sacro velamine divinitus amicta est. Cessatis itaque ex parte parentum contradictionibus, venerabilem amitam suam Rothildam, magnæ probitatis fama celebrem, convenit, ut religionis exercitia aliquandiu coleret. Non multo post Metim reversa, coacto virginum agmine, in loco proprietatis suæ monasterium familiæ suæ auxilio condidit. Quod cum sanctissime rexisset sex annos, quievit in Domino VIII cal. Augusti circa annum 610, ætatis suæ 30. Sepulta est in D ecclesia SS. apostolorum Petri & Pauli, hodie dicta de S. Arnulpho; nam dum illa viveret, jusserat ut in ea basilica sorores suæ sepelirentur. Post viginti quinque vel circiter annos corpus ejus, quod repertum est integrum, ex ea basilica in ecclesiam B. Mariæ, quæ prope monasterium extra urbem ex ipsius facta sanctimoniali revelatione fuit condita, translatum est. Unde a Drogone episcopo Metensi delatum in majorem monasterii ecclesiam anno 830. Tandem Adalbero itidem episcopus anno 951 sacrum corpus levavit e loco, ubi a Drogone depositum fuerat.

E Quas S. Glodessindis asceterium habuerit moderatrices per ducentos quinquaginta & amplius annos prorsus nobis incompertum.

II. Theutberga regina, Lotharii junioris Lotharingiæ regis sponsa, marito suo, Valdradæ amore succenso, quam maxime exosa, monasterium S. Glodessindis ab eo assecuta est circa annum 867. Post ipsius regis mortem, quæ Placentiæ in Italia accidit anno 869, dum ille Roma in regnum suum uxorem Theutbergam dimittendi & Waldradæ nubendi desiderio flagrans reverteretur, ipsa

Theutberga, quæ conjugis sui regis persequebatur vestigia, ipsi justa solvit: dehinc in Franciam repetens, se recepit in monasterium S. Glodessindis, cui jam per sponsum regem interventu Adventii Metensis episcopi largitiones curaverat. Id monasterium moderatam fuisse Theutbergam reginam testantur hæc verba translationis sanctæ Glodessindis: *Ipsa Theutberga regina loci ipsius regimen tenebat, quæ etiam ibi quiescit.*

Act. SS. ord. S. Bened. sac IV, part. I, pag. 443.

III. Himiltrudis, virgo præstans meritis, neptis Adalberonis episcopi, ab ipso constituta abbatissa, in documentis reperitur an. 945. Regularem disciplinam, abrogata laxiori canonicarum vita, ad quam defecerant sanctimoniales, resovit, loca etiam regularia in ruinam collapsa refecit, ecclesiam plurimum auxit & instauravit. Hac itaque occasione facta est anno 951 tertia translatio corporis S. Glodessindis ab Adalberone, præsentibus plurimis abbatibus cum magno populi concursu.

IV. Voda I memoratur in litteris Theoderici I Metensis episcopi, confirmantis anno circiter 972 omnia bona, villas, mansos, sexaginta decimarum territoria, cum collatione parochiarum 19, & omni jure banni extra & apud Metas. Aliis in documentis occurrit annis 975 & 977.

V. Hirmintrudis notatur anno 1012 in instrumento permutationis cum Benedicto abbate S. Arnulfi.

VI. Agnes I de qua loquitur Sigebertus Gemblacensis in carmine in honorem trium abbatiarum S. Glodessindis, sancti Petri & S. Mariæ.

VII. Odierna præerat an. 1085 ex indice manuscripto. Ipsa & sanctimoniales de terris & nemoribus suis contulerunt ad dotationem prioratus Asperi-montis, ex chartulario Gorziæ.

VIII. Vota ex præcitato indice abbatissæ munus obibat anno 1111.

IX. Agnes II occurrit in diversis actis anno 1120. Duodecim personas familiæ suæ utriusque sexus Deo & B. Mariæ ad servitium monasterii sui tradidit VIII cal. Augusti anno 1132 festo die sanctæ Glodessindis. Bullam confirmationis bonorum & jurium adepta est 25 April. 1139 ab Innocentio II. Locum militibus templi ad inhabitandum concessit circa annum 1132. Aliquibus Metensis ecclesiæ clericis ecclesiam sancti Theobaldi tribuit ea conditione ut præpositus, quem elegissent, investituram ab abbatissa sanctæ Glodessindis acciperet. Quod confirmatum fuit a Stephano Metensi episcopo 10 Aprilis 1163, & a Victore papa IV, XVI cal. Novembris ejusdem anni.

X. Margarita I anno 1170.

XI. Havidis annis 1180 & 1186, quo decimæ Fontis-frigidi a sanctimonialibus concessæ sunt Præmonstratensibus Habonis-montis cum conditione singulis annis solvendi ecclesiæ A S. Glodessindis in die festo dimidiam marcham argenti.

XII. Voda II memoratur ad annos 1200, 1212, & 1237 ex diversis documentis.

XIII. Nicolaa 1240, 1250, & 1260 quo Ferricus dux Lotharingiæ suas possessiones loci dicti *Ville-les-Moivrons* monasterio largitus est.

XIV. Alix 1262 & 1270.

XV. Mathiata præerat 1272 & 1279, quo privilegia & immunitates monasterii a Nicolao III probata sunt. Memoratur adhuc annis 1283, 1285.

B XVI. Alexia I *de Condé* electa per superioris cessionem 1292 vigilia sancti Thomæ, sibi suisque sororibus totius urbis venerationem & existimationem conciliavit.

XVII. Cecilia *Marchand* in abbatissam cooptata 5 Martii 1312, abdicavit 1 Aprilis 1328. Laurentius *de Nancy* anno 1316 præpositus S. Glodessindis monasterio bibliam librosque suos codicillis legavit, prohibuitque ne venderentur aut pignori darentur.

XVIII. Margarita II *Jacques* præficitur anno 1328.

C XIX. Gertrudis *d'Oxey* al. *d'Oyey* successit anno 1331. Litem habuit cum domino Johanne *Burtale* de reliquis S. Fiacrii, quas illa in ecclesia sua volebat retinere. Ipsas tamen restituere coacta est sententia lata an. 1335 die Martis ante festum S. Johannis-Baptistæ. Terras sitas apud Agincuriam fratri Girardo *d'Ars* converso locavit anno 1334 decem libris Metensibus per annum. Electionem præpositi S. Theobaldi confirmavit an. 1346.

XX. Laureta de Atrio *de Laitre* electa est 2 Septembris 1348. Plurimas domus sitas in urbe dedit ad censum.

D XXI. Margarita III *Boileau*, ad abbatialem dignitatem promota an. 1367, in dignitate sua confirmata est ab episcopo Virdunensi papæ commissario.

XXII. Margarita IV *de Fau* al. *Fayt* successit 18 Augusti 1390. Transegit cum suis sanctimonialibus an. 1392 de admissione nepotissarum seu nobilium puellarum. Severitatem in suas sorores adhibuisse videtur, nam plures ex illis monasterium reliquerunt, nec reversæ sunt nisi post ipsius mortem.

XXIII. Alexia II *d'Echt* al. *d'Ex*, suffragiis capituli instituta 19 Novembris 1406.

E XXIV. Margarita V *Bournieu* seu *Bourniere* electa fuit 26 Novembris 1414. Medietatem dominii dicti *Ville-les-Moivrons* ex consensu capituli largita est anno 1422 duci Lotharingiæ.

XXV. Isabellis I *de Randac* sufficitur 11 Martii 1427. Bonorum monasterii, quorum partem aliquot præcedentes abbatissæ abalienaverant, conservationi sedule invigilavit. Pactionem cum sanctimonialibus conflavit de admittendis ad novitiatum puellis nobilibus. Statutum est ut ab abbatissa duæ, aliæ vero a sanctimonialibus pro ordine antiquitatis

designarentur. Præposito S. Theobaldi tradidit investituram anno 1438. Rogata est a duce Lotharingiæ an. 1464, ut concederet licentiam tributum imponendi incolis pagi *Leir* ad publicos sumptus. Thecam argenteam in qua caput S. Glodessindis asservatur fabricari curavit.

XXVI. Catharina I *de Roullon* occurrit anno 1466 in instrumento.

XXVII. Isabellis II *d'Echt,* Isabellis *de Randac* consanguinea, electa 1472.

XXVIII. Peretta *Papperel* in sedem abbatialem evecta est 19 Martii 1478. Licentiam carnibus utendi, reservatis tamen quibusdam B jejuniis & regularibus abstinentiis vicissim ab unaquaque sanctimoniali observandis, simul etiam mobilia & immobilia ad novitiarum dotem accipiendi obtinuit 20 Aprilis 1480 a Burcardo *Stoer* archidiacono Tullensi, nuntio apostolico in aliquibus superioris Germaniæ partibus. Georgius Badensis episcopus Metensis id monasterium cæteraque ordinis ejusdem utriusque sexus in sua urbe reformare aggressus est anno 1481. Verum facta a superioribus ad summum pontificem appellatione, episcopus a cœpto destitit anno sequenti. Ad Perettæ preces Jacobus de Ivodio suffra- C ganeus 25 Februarii 1487 post missæ celebrationem os brachii sanctæ Glodessindis, transferendum ad prioratum de Narceio a monasterio dependentem, affirmavit.

XXIX. Alexia II *de Dommartin,* Warrici Virdunensis episcopi, Gorziæ & sancti Vitoni abbatis, nec non duarum abbatissarum in Lotharingia soror, in abbatissam cooptata est 14 Julii 1505, eodemque anno 5 Septemb. electa fuit Juvigniaci abbatissa, & utraque abbatia fruendi veniam impetravit a Julio II summo pontifice.

XXX. Salomea *du Chastelet* ex pernobili D ac vetusta gente de Castelleto apud Lotharingos ab Alexia in coadjutricem assumta anno 1520, successit 12 Aprilis ejusdem anni.

XXXI. Magdalena *du Chastelet* creata fuit coadjutrix virtute bullarum Pauli III papæ anno 1540, & in sedem abbatialem conscendit an. 1549. Invitata est litteris Lotharingiæ ducis anno 1572 ad delegandum aliquem generalibus provinciæ comitiis adfuturum. Adscivit sibi coadjutricem Catharinam *du Chastelet,* cui supervixit. Alteram adlegit coadjutricem Franciscam *du Chastelet* E anno 1577.

XXXII. Francisca I *du Chastelet* Johannis domini *de Thons,* toparchæ *de Vauviller,* &c. ex Renata *de Choiseul* secunda conjuge, facta coadjutrix diplomate Gregorii XIII 1577, in abbatialem sedem invecta est an. 1584.

XXXIII. Guillelmetta *de Chauvirey* bullas a Clemente VII obtinuit anno 1596. Coadjutricem sibi adscivit eam quæ sequitur anno 1600. Hactenus sanctimoniales cibum communiter sumpserant; sed hujus abbatissæ licentia seorsim degere cœperunt anno 1602. Quod

A vivendi genus ære alieno ita gravavit monasterium, ut vendere, oppignerare & ad censum dare multas possessiones necessum fuerit.

XXXIV. Francisca II *de Foix de Candale,* Henrici Fuxensis Candalæ comitis, principis Boiorum, ex Maria de Montemorenciaco filia, soror Margaretæ Fuxensis comitissæ Candalæ, ducissæ Espernonii, coadjutrix facta est an. 1600: verum non admissa professione, sequentis in gratiam cessit, ac decessit Parisiis mense Septembri 1649.

XXXV. Ludovica I *de la Valette,* sanctimonialis B. Mariæ Xantonensis in coadjutricem cooptata anno 1602, renunciata fuit abbatissa bullis Pauli papæ V an. 1606, ac tribus post annis ætatis veniam accepit, ut regeret abbatiam tam in spiritali quam in temporali administratione. Ad strictiorem disciplinam sorores suas reducere non cogitavit; sed voluit ut in monasterio rectus ordo vigeret. Suam tamen attentionem nimium extendit, nam prælaturæ suæ initio enixa est interdicere usum publicis supplicationibus adstandi, quibus sanctimoniales jam pridem interesse consueverant. Illæ nihilominus sine abbatissæ respectu nec venia die festo S. Marci 25 Aprilis 1607 omnes e monasterio exierunt ut adsorent generali supplicio. Cujus rei abbatissa instrumentum conscribi jussit: at ultra non progressa est. Pactionem inierat anno præcedenti, qua frueretur omnibus abbatiæ proventibus, unicuique sorori concessa centum & quinquaginta librarum pensione cum distributionibus quotidianis panis & vini. Cum capituli consensu bullas a Paulo V obtinuit 5 Julii 1616, ut testamento de rebus suis mobilibus statueret. Alias impetravit litteras ab ipso summo pontifice anno sequenti ergo ortum suum legitimum declarandi. Ostium monasterii antiquitus situm ex adverso portæ Scarponensis transtulit in locum ubi nunc existit. In episcopum Madaurensem, suffraganeum episcopi Metensis, scitum adversus monasterium parantem, litem intendere minitata est an. 1635. Sub finem vitæ plurimum doluit abrogasse ratione exigui sororum numeri jejunia & abstinentias a nuncio apostolico anno 1480 reservata. Obiit 23 Decembris 1647, de monasterio, cujus bona auxit ac meliora fecit, bene merita.

XXXVI. Francisca III *de Lenoncourt* ipso die obitus præcedentis abbatissæ 13 Decemb. 1647 a sororibus suis in capitulo congregatis delecta est, tum a summo pontifice Innocentio X confirmata possessionem accepit 25 Januarii 1648. Verum a sequenti abbatissa deturbata fuit anno 1654.

XXXVII. Ludovica II *de Foix de Candale,* Gastonis Fuxensis ex claro genere comitum Candalæ, domini *de Ville-franche,* & Margaretæ *de Flamarens* filia, monialis B. Mariæ Xantonensis, ubi vota emiserat 2 Julii 1636, brevi regio Ludovici XIV renunciata post obitum Ludovicæ *de la Valette* 1647, Fran-

cifsæ electioni intercessit. Lis itaque emersit quam sanctius consilium diremit anno 1654 in gratiam Ludovicæ, quæ 30 Martii ejusdem anni possessionem capessivit. Primum visa est regularis disciplinæ studio incensa, cœpitque aliis exemplo esse, ac cum duabus monialibus, quas e Xantonensi monasterio secum abduxerat, fidem obstrinxit clausuram se in monasterium. Verum jugi, quod sibi imposuerat, mox impatiens, illud allevare nixa est. Qua de re supplicem libellum D. Petro *Bedacier* suffraganeo Metensi obtulit, qui contrariam desideriis ejus tulit sententiam 1 Julii 1660. Intervenit procurator generalis congregationis S. Vitoni, ut in monasterium, quatenus a cœnobio sancti Arnulphi Metensis subditum, introduceretur reformatio. Delata itaque res est ad summum pontificem Alexandrum VII, qui brevi dato 2 Augusti 1663 commissarios instituit dominos Johannem *Royer* decanum & Jacobum-Benignum *Bossuet* majorem archidiaconum, qui factis inquisitionibus judicium tulerunt 1 Augusti 1664, quo statutum est ut abbatissa in claustro regulariter degeret; ac monasterium juxta regulam sancti Benedicti reformaretur; sed visa antiquarum sanctimonialium significatione, quæ se nominabant canonicas, non aliter degendi, quam secundum quod per suam professionem juraverant, quatuor sanctimoniales ex aliquo parthenone reformato ordinis S. Benedicti jussum etiam est ut educerentur, quæ priorissæ, cellerariæ & magistræ novitiarum munera obirent. Cautum quidem est ne abbatissa quoquomodo priorissam in muneris sui exercitio turbaret. Antiquæ vero sanctimoniales, quæ canonissarum more jam pridem degebant, autoritati Nicolaæ *de Choiseul* omnium antiquissimæ subditæ sunt, sub legibus suis victuræ, reservatis abbatissæ honoribus, prærogativis & quibuslibet juribus. Commissariorum sententiæ, nec non alteri dictæ 13 Martii ejusdem anni, e claustro exire vetanti, duæ ex sanctimonialibus frustra intercesserunt; nam anno 1665 die 14 Julii judicii exsecutionem imperavit majus consilium.

Verumtamen abbatissa, quæ non minus quam sanctimoniales oderat reformationem, anno 1669, 27 Octobris, actu se subjecit jurisdictioni episcopi Metensis, sine suarum, ut aiebat, sororum detrimento. Verum hæc exceptio non vetuit quin abbatia ab omni vetustate exemta, & apostolicæ sedi subjecta sub cœnobii S. Arnulphi directione, in episcopalem jurisdictionem postea decideret. Porro multo abhinc tempore res monasterii erant incompositæ, abbatissa degebat sine regulis, sine œconomia, omnia nec exceptis ecclesiæ & sacristiæ ornamentis dissipabat, perpetuis sanctimoniales exagitabat litigiis, ædificia omnia ruebant. Quibus malis ut mederetur, Parlamentum Metense decretum tulit 1 Augusti 1678. Sed nec elapsi erant sex menses, cum episcopus Metensis anno 1679, 17 Januarii id capitulo S. Glodessindis denunciavit ut

A reformationem acciperet, cognitaque parendi dedignatione, illud interdicto subjecit. Tandem Ludovicus XIV dato jussu ut abbatissa, disciplinæ regularis redintegrationi semper obnoxia, in monasterium Ursulanarum de Lignio cum pensione trium millia librarum se conferret, brevi regio expedito 26 Maii 1680 coadjutricem renunciavit Mariam *Texier de Hautefeuille* sanctimonialem Calensem, cui facta est potestas reformationem monasterii Calensis introducendi. Mox illa commissum sibi opus ut rite adimpleret nihil prætermisit, animosque antiquarum sanctimonialium tunc B tantummodo trium numero sibi ita conciliavit, ut & ipsæ velum accipere non dedignatæ sint. Quin etiam ad novitiatum admissæ sunt plures juvenes alumnæ nobiles. Sed heu sacrarum legum observatio, pax, & ubertas vix reviviscere videbantur, cum extemplo digna moderatrix sub finem anni e vivis exempta est. Ludovica diu adhuc supervixit, nec enim obiit nisi anno 1701 in exilii sui loco, ubi cernitur ejus mausolæum.

XXXVIII. Catharina II *Texier de Hautefeuille*, soror Mariæ, de qua modo diximus, & ut illa Calensis monialis, a rege adscita est C coadjutrix Ludovicæ *de Foix* abbatissæ, extra monasterium regio jussu detentæ. Sub ipsius Catharinæ moderamine viguit regularis disciplina, divina res cum majestate & splendore celebrata fuit: quin imo canonici numero quatuor, ad sacramenta monialibus administranda in ecclesia sanctæ Glodessindis pridem instituti, ab episcopo Metensi assiduiores esse coacti sunt. Coadjutricis curis a Parlamento Metensi latum fuit decretum 24 Martii 1692 adversus canonicos ecclesiæ cathedralis, qui contra morem missam solemnem die festo S. Glodessindis in ecclesia monasterii cele- D brare detrectabant. Hactenus res prospere in monasterio processerant, sed anno 1700 rerum facies longe immutata est. Enimvero Catharina statuta quædam a se condita, votis & usui contraria, introducere & ad executionem per vim adigere voluit, quæ sanctimoniales admittere renuerunt. Unde tam gravis discordia coorta est, ut nullo habito authoritatis respectu filiæ matrem suam virgis cædere ausæ sint. Rebellionis apud regem accusatæ, quindecim ex illis in exilium seorsum pulsæ sunt. Tunc coadjutrix arbitratu suo E informandis monialibus totam se dedit: verum ingentem experiri mœrorem non cunctata est, nam ex illis una aufugit cum famulo, ex quo peperit. Exulibus tamen omnibus reversis, pax & rectus ordo in monasterio restituta sunt, facultatesque sensim ita accreverunt, ut Catharina, quæ per superioris mortem evaserat abbatissa, ædificium continens capitulum, refectorium & culinam construere valuerit anno 1717. Augendæ monasterii fortunæ intenta, fundos terræ incultos exarari curavit an. 1719, quo ætate nimis provecta, coadjutricem postulavit eam quæ sequitur. Ipsa ejusque capitulum jurisdictionem

jurisdictionem episcopalem subierunt anno 1718. Occubuit anno 1720, coadjutricis functa munere ab anno 1681 ad 1701, quo abbatissæ titulum consecuta est per præcedentis obitum.

XXXIX. Margarita-Vincentia *de Hotman*, sanctimonialis Calensis, ex coadjutrice evasit abbatissa, ac decessit anno 1723.

XL. Margarita-Eleonor *de Hotman*, soror præcedentis, sicut & illa monialis Calensis ipsam excepit. Reformationem quam studiosissime fovit.

XLI. N. *de Choiseul-Beaupré* ad abbatialem sedem evecta est anno 1761.

VERGA-VILLE.

VERGA-VILLA.

SIGERICUS comes una cum uxore sua Betta de salute sua cogitans, cœnobium Benedictinarum virginum construxit, cui tradidit plurima latifundia suæ proprietatis in comitatu Saraburgensi, quem tunc possidebat comes Odacher. Sanctimonialibus permittit jus constituendi villicum, scabinum, cæterosque ministeriales: tuitionem vero seu advocatiam sibi suoque filio Theoderico ejusque successoribus reservat. Litteræ de fundatione datæ sunt anno 966, episcopatus Theoderici primo. Dedicata est ecclesia in honorem beatæ Virginis & sanctorum Apostolorum. Verum ex quo advectum fuit corpus sancti Eustasii discipuli S. Columbani, interdum abbatia vocata est de ejus nomine. Quo tempore hic Sanctus Vergavillam translatus fuerit, prorsus incompertum. Verumtamen jam ab ineunte seculo decimo tertio extabat domus hospitalis ejus nomini sacra, ad quam deducebantur energumeni & amentes sanitatis recuperandæ gratia. Bullam protectionis abbatissæ & conventui Victor III papa indulsit anno 1087. Fridericus I imperator monasterii custodiam Stephano de Barro episcopo concessit, nundinasque instituit. Fridericus III anno 1473 privilegia & immunitates confirmavit ac jus emporii unaquaque hebdomada exhibuit. Fundatores Sigericus & præsertim Betta ejus uxor in monasterio singulari veneratione coluntur.

ABBATISSÆ.

I. ÆMILIA.
II. Cunigunda.
III. Petressa.
IV. Anna *de Schemberg*.
V. Margarita *de Haraugue*.
VI. Harica.
VII. Agnes *de Hadeviff*.
VIII. Adelheidis.
IX. Mathildis.
X. Richentza.
XI. Edellendis.
XII. Heling.
XIII. Hadwigis.
XIV. Amelia.
XV. Odilia.
XVI. Isabellis
XVII. Margarita *Volsleguein*.

Omnes illæ sine chronologia occurrunt.

XVIII. Ida præerat anno 1280.

XIX. Ildegardis diversas pactiones cum Ademaro episcopo iniit annis 1330, 1339.

A XX. Clara *de Fenetrange* 1364.

XXI. Susanna *de Creange* defuncta 1380.

XXII. Isabellis *de Barbert* 1407.

XXIII. Odilia *de Haldenbach* 1437.

XXIV. Catharina I *de Buchets* 1462.

XXV. Margarita I *de Volanstereigen* 1464.

XXVI. Anna I *de Neuviller* 1469.

XXVII. Anna II *de Vintringen* sorores suas, instigante Georgio Badensi episcopo, ad strictiorem disciplinam revocavit 1470. Viriliter repressit 1488 conatus visitatorum congregationis Bursfeldensis, qui suam reformationem in monasterium introducere aggressi erant.
B Sedem apostolicam appellavit, causas appellationis deducens ex eo quod monasterium abhinc centum vel amplius annis subditum fuisset episcopis Metensibus, penes quos erat jus abusus corrigendi. Extremum diem clausit anno 1501.

XXVIII. Antonia *de Gomberval* dedit quoque operam recto ordini restituendo. Accepit ab Antonio comite Salmensi ecclesiam vici de Vergavilla, quam monasterio curavit adnecti bullis Leonis X anno 1516. Obiit anno 1519.

XXIX. Elisabetha *de Quintehausen* 1521.

C XXX. Catharina II *de Dilling* mortua 1541.

XXXI. Margarita II *de Creange* electa 1541, occubuit 1577.

XXXII. Margarita III *de Crikingren* defuncta etiam anno 1577.

XXXIII. Petronilla *de Lucy* superstes anno 1589, decessit anno 1593.

XXXIV. Claudia I *de l'Huillieres* promota anno 1600, mortua 1609.

XXXV. Claudia II *de Ligniville* cessit in gratiam sequentis.

XXXVI. Deodata *de Ligniville*, evocata
D e monasterio S. Mariæ Metensis, cujus erat alumna, possessionem accepit anno 1622, vel 1632. Tantummodo nata annos 32 instituit reformationem, quæ etiamnum cum ædificatione viget. Vivere desiit 10 Decemb. 1669.

XXXVII. Anna-Maria *de Livron* in coadjutricem assumpta 7 Junii 1668 bullis Clementis IX, e vivis abiit 24 Febr. 1693.

XXXVIII. Margarita-Angelica *de Cauchon de l'Hery* præfecta fuit anno 1693, vitamque finivit 28 Januarii 1716.

XXXIX. Johanna-Ursula *de Custine* electa 29 Martii 1716, possessionem accepit 10
E Septembris sequentis.

XL. Maria-Johanna *Chaumont*, monialis sanctæ Mariæ a Conceptione ad confluentem Sequanæ & Matronæ, nominata est coadjutrix abbatissæ Vergavillæ mense Martio 1730.

XLI. N. *de Mussey* creata abbatissa 1762.

SANCTUS-LUDOVICUS.

EX duabus abbatiis quondam ordinis sancti Benedicti, sed in temporis decursu in canonicarum capitula immutatis, jam pridem in urbe Metensi existentibus, una S. Petro, altera

B. virgini Mariæ sacra, quarum in veteribus monasteriis mentionem egimus, prodiit nobile capitulum S. Ludovici in gratiam dominarum natalium splendore illustrium, ex munificentia ac beneficentia Christianissimi regis Ludovici XV an. 1760, qui utriusque monasterii sancti Petri & B. Mariæ jura & omnes possessiones huic nobili capitulo, laudante papa, adnexuit.

N. *de Choiseul-Stainville* prima abbatissæ dignitatem capituli nobilis S. Ludovici consecuta est anno 1760.

S. PIERRE-MONT.

SANCTI PETRI-MONS.

SECULO labente undecimo, Herimanni episcopi Metensis tempore, Lubricus cathedralis ecclesiæ canonicus & cancellarius, natalibus, doctrina & pietate clarus, multa ex parte Henrici IV imperatoris passus est incommoda. Sic enim de eo effatur Metensium episcoporum historiographus: « Tempore » quo jus imperii Henricus IV rex tenuit in » urbe Metensi, quidam clericus, Lubricus no- » mine, extitit inter suos coævos & coætaneos » valde habilis. Is ex majoribus capitibus Me- » tensium ecclesiarum unus fuit, qui quidem » e primoribus duxit originem. Propter ecclesiam » Catholicam contra ejusdem ecclesiæ inimicos » fidei constantia animatus, viriliter dimicavit, » & ab inimicis veritatis plura incommoda » pertulit. Rex enim prædictus pro eadem re » in carcerem trudi, atque quamdam ejus mag- nificam domum destrui jussit. » Tantis agitatus tempestatibus Lubricus, tranquillioris & perfectioris vitæ desiderio accensus, Vancelino collegiatæ S. Salvatoris canonico conceptum desiderium communicavit; & ambo non solum approbante sed & stimulante Herimanno episcopo, se recepere ante annum 1090 in locum, tunc *Standalmont* nuncupatum, intra fines comitatus Briacensis, in confinibus Metensis diœcesis, qui locus postea dictus fuit S. Petri-montis, a situ ecclesiæ S. Petro dicatæ. Illic monasterium sancti Petri-montis a Mathilde, Bonifacii Lotharingiæ ducis filia, anno circiter 1090 est fundatum. Quam multis dominiis, juribus, feudis & allodiis liberis, tum præfata Mathildis, tum alii principes ac dynastæ locupletarunt. Summi etiam pontifices concesserunt plura privilegia & immunitates; in primis Urbanus II, qui ecclesiam S. Petri-montis ab omni potestate liberam, solique Romanæ ecclesiæ subjectam, & ab ea immediate pendentem esse voluit. Alexander III indulsit etiam privilegium 6 Martii 1177. Consecrata autem fuit basilica a Matthæo Albanensi episcopo & Alberone Trevirensi archiepiscopo, sedis apostolicæ legato, in honorem principis Apostolorum anno 1133, pridie nonas Maii. Dependebant olim ab eo monasterio duæ aliæ abbatiæ, quarum prima vocatur *Freistrof*, nunc ordinis Cisterciensis, in episcopatu Metensi; altera dicta Bullencuria, ejusdem ordinis, in Trecensi diœcesi. Censum

Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 504.

Ibid. p. 506.

A annuum abbatiæ S. Petri-montis persolvebant monachi Cistercienses Trium-fontium.

Hujus ecclesiæ abbati jus patronatus seu nominationis competit in plures parœcias diœceseon Trevirensis, Metensis & Virdunensis, ad quas regendas mittebantur ad tempus canonici, juxta usum horum temporum. Exstinctus fuit abbatialis titulus anno 1753, proventusque mensæ abbatialis attributi canoniæ Metensi S. Ludovici ejusdem ordinis.

ABBATUM SERIES.

LUBRICUS, cancellarius Metensis ecclesiæ, B monasterii fuit fundator, sed abbatis titulum nunquam tulit.

I. Vancelinus seu Guacelinus, canonicus S. Salvatoris Metensis, familiaris & socius Lubrici, primus fuit abbas, idque munus explebat anno 1107. Ex hac vita migravit 28 Maii 1113.

II. Rodulphus viginti abhinc annis abbatis munus obibat anno 1133, ut legitur in litteris Alberonis Virdunensis episcopi de fundatione monasterii Bellæ-vallis, ordinis Præmonstrat. Et vero in diversis documentis recurrit ad annos 1126, 1127, 1128, 1129. Provin- C ciam regendi monasterium *Freistroff* accepit anno 1130 a Stephano episcopo Metensi. Tandem anno 1133 abbatis munere per viginti annos apud S. Petrum functus, ab Alberone episcopo Virdunensi demandata ei est cura construendi monasterii de Bella-valle Remensis diœcesis, in quam incertum est utrum Præmonstratensium institutum induxerit. Eum quadriennio post vel cessisse, vel obiisse diximus tom. IX, col. 322. Mortem ejus contigisse 16 Julii 1140 legimus.

III. Constantinus anno 1141 dedit litteras de cella Bullencuriæ diœcesis Trecensis sub- D dita monasterio S. Petri-montis in abbatiam erigenda. Decessit 4 Novembris circa annum 1152.

IV. Adelbertus *de Louppy* legitur in litteris Stephani episcopi Metensis de fundatione monasterii *Freistroff*.

V. Philippus I ex ordine Præmonstratensi ab Eugenio III evocatus, ut id monasterium regeret, nigram vestem in albam commutavit, quam canonici hujus abbatiæ gesserunt usque in annum 1603. Fatis concessit 3 Junii 1157.

VI. Henricus I superstes circa annum 1159 vel 1160, moritur 6 Octobris 1168.

E VII. Gualterus defunctus 16 Febr. 1177.

VIII. Richardus mortuus 22 Aprilis.

IX. Becelinus humatus in monasterio sancti Clementis Metensis 1 Februarii circa annum 1180.

X. Johannes I circa 1180 vel 1181, occubuit 1 Junii circa 1183.

XI. Valterus præerat anno 1190.

XII. Petrus I occurrit circa annum 1196 vel 1197; excessit 15 Augusti.

XIII. Albertus 1214, 28 Februarii.

XIV. Nicolaus I anno 1218.

XV. Petrus II 15 Augusti 1228.

XVI. Nicolaus II 1270.

XVII. Varnerus 1273, 1276; mortuus anno 1283.

XVIII. Jacobus 1284, 1290, 1293; vivere desiit 27 Octob. circa annum 1298.

XIX. Philippus II 1299, 1302, occubuit 1305.

XX. Remigius 1313, 1316, 1319, decessit circa annum 1333.

XXI. Johannes II *de Briey* memoratus ad annos 1334, 1347, 1353, obiit 25 Junii 1364.

XXII. Habeletus *de Sorbey* 1365, defunctus 10 Novembris 1370.

XXIII. Johannes III *de Sancey* a papa renunciatus anno 1371, adhuc superstes anno 1381.

XXIV. Nicolaus III *de Saucy* moritur anno 1393.

XXV. Valtrinus I *de Pontoise* præerat anno 1393, mortuus anno 1402, ex tumuli ejus inscriptione.

XXVI. Valtrinus II *de Briey* occurrit anno 1421, fato functus 12 Augusti 1428.

XXVII. Alexander *de Marcey* obiit 13 Novembris 1452.

XXVIII. Gerardus *de Bettainviller* electus circa annum 1452, cessit e vita 1483.

XXIX. Nicolaus IV *de Briey* per præcedentis cessionem abbas factus est an. 1482, decessitque anno 1530 27 Martii.

XXX. Dominicus *de Viller* seu *Matoy* ex præcedentis cessione abbas 1517, hunc qui sequitur sibi adscivit coadjutorem an. 1539, mortuusque est anno 1543.

XXXI. Ludovicus-Robertus *d'Arancey* ab anno 1543 ad 1560, quo decessit 17 Nov.

XXXII. Nicolaus-Franciscus *de Trieux* electus anno 1560, æmulum sustinuit Galezium *Regard*, vi reservationis provisum, quem Carolus dux Lotharingiæ, a papa Pio IV hujus rei judex constitutus, rejecit an. 1563, admisso ipsius competitore mortuo an. 1574.

XXXIII. Johannes-Deodatus *de Sancy*, in abbatem cooptatus 1574, mortuus 1 Junii anni sequentis.

XXXIV. Johannes IV Marius, primus visitator generalis per Lotharingiam, vita functus est 18 Augusti 1597.

XXXV. Johannes V *Domam* creatus abbas 1594, utendi pontificalibus ornamentis licentiam a papa obtinuit anno 1607; ipso quidem anno ex ejusdem pontificis consensu quam olim abbas Philippus in albam commutaverat vestem, in nigram convertit; mortuusque est 28 Januarii 1621.

XXXVI. Desiderius *Gerard* electus 21 Februarii 1621, passus est æmulum qui sequitur; decessit vero 1627.

XXXVII. Johannes VI *de Porcellets de Maillane*, Tullensis episcopus, bullas adeptus est, fruitusque est abbatia usque in annum 1623, quo vivere desiit.

A XXXVIII. Henricus II *de Lorraine*, Henrici ducis filius naturalis, in coadjutorem assumptus a Johanne *de Maillane*, possessionem accepit reformationemque introduxit anno 1625; insequenti vivendi finem fecit 12 vel 13 Novembris.

XXXIX. Nicolaus-Franciscus *de Lorraine*, episcopus Tullensis, postulatus in abbatem anno 1626, clerum abdicavit anno 1634 uxorem ducturus.

XL. Guido *l'Emulier* electus anno 1634, Carolum *de Bourlemont* competitorem a papa nominatum evicit, & obiit 21 Maii 1642
B congregationis Salvatoris nostri præpositus generalis.

XLI. Egidius *Droüin* electus fuit an. 1642; verum Carolus *d'Anglure*, abbas commendatarius Belli-campi & episcopus Adurensis, nihil non molitus est ut a rege Christianissimo nominatus, abbatiam occuparet. Post longam litium seriem negotium deposuit anno 1672; & ex altera parte Egidius abbatiam in manibus præpositi generalis abdicavit, ut de ea statueret, prout sibi videretur. Obiit autem Egidius mense Martio 1675. Construxit historiam mss. gestorum memorabilium, quæ acciderunt
C in Europa, Lotharingia & in congregatione sua toto vitæ suæ tempore.

XLII. Achillæus-Franciscus *Massu* creatus abbas anno 1674, benedictus fuit & accepit possessionem an. 1701. Electus est præpositus generalis anno 1692, decessitque 4 Octob. 1707.

XLIII. Stephanus-Joseph *de Rosieres* in abbatem cooptatus an. 1707, de hac ecclesia bene meritus moritur 26 Novemb. 1727.

XLIV. Hyacinthus *Pillerel* præfuit usque ad annum 1753. Non modo ejus consensu, sed & ejus instantia tunc facta est tituli abbatiæ
D suppressio, redituumque mensæ abbatialis unio Metensi canoniæ S. Ludovici.

CANONIA S. LUDOVICI.

AMPLIFICATIS admodum Metarum vallis, indefesso domini *de Belle-isle* regiorum castrorum & urbis Metensis præfecti labore, sicque extento civitatis ambitu, nova intra arcis duplicis coronæ mœnia urbs nata est, novaque parœcia pastore donanda. S. Petrimontis regulares canonici, postulato solo ad construendum sibi hospitium, contra belli furores asylum, regendæ parochiæ veniam,
E oblatis e gremio suo ministris, pariter expetierunt. Piis eorum votis annuens rex Christianissimus Ludovicus XV, ingens spatium per patentes litteras anno 1736 datas concessit, in quo propriis sumptibus ecclesiam & canonicam domum, cui parœcia perpetuo maneret unita, construerent. Stipulationem omnibus vestitam formulis, inspiciente & probante DD. *de Saint-Simon* tunc episcopo Metensi, exsecutioni mandarunt præfati canonici, & inchoatum anno 1737 ædificium, maturato per tres annos opere, eo perduxerunt,

ut in basilica sub titulo S. Simonis consecrata, primum sacrum fuerit celebratum die Ascensionis Domini anno 1740. Hi vero canonici regulares quod ex clericalibus muniis superesset otium, in rei publicæ commodum consumere parati, puerorum institutioni se consecrarunt, successu tam fausto, ut ex variis partibus catervatim affluenti juventuti numero insufficientes essent. Multiplicandæ igitur canoniæ pro multiplicatis discipulis, viam aperuerunt nemini onerosam. Itaque præcognita patris Hyacinthi *Pillerel*, abbatis S. Petri-montis, in boni publici augmentum & congregationis suæ decus proclivitate, ut extincto abbatiali titulo, proventus Metensi canoniæ in perpetuum annecterentur, ab utroque rege Ludovico XV Galliarum & Stanislao Poloniæ Lotharingiæ duce suppliciter expostularunt & obtinuerunt injuncto onere duodecim nobiles juvenes mentis & corporis alimonia pascendi designatos. Regiæ permissioni accesserunt bullæ pontificiæ anno 1753, quæ, facta titularis pura & simplici resignatione, abbatiæ sancti Petri-montis titulum penitus exstingunt, & jura omnia prædictæ abbatiæ annexa, in canoniam Metensem transferunt. Nunc vero litteris patentibus anni 1760 in regium sancti Ludovici collegium erecta hæc canonia, cujuscumque generis scientias excolit & alacri studio incumbit formandæ in pietate, moribus & doctrina copiosæ juvenum multitudini, clerum, Martem & togam illustraturæ.

S. MAGDALENA.

NULLUM superest documentum quo tempus fundationis parthenonis S. Magdalenæ, in Metensi urbe existentis, decerni possit. Constat tamen ex actis publicis, temporis invidiæ ereptis, jam ab ineunte seculo decimo quarto censum in diversis urbis domibus illi debitum fuisse. Primæ hujus monasterii incolæ fuerunt filiæ pœnitentes quæ mansionem suam in loco, ubi nunc stat collegiata S. Theobaldi, constituerant. Id testatum manet ex litteris Nicolai V papæ, qui anno 1452 collegiatam S. Theobaldi inter belli procellas eversam transtulit ad ecclesiam S. Magdalenæ: sorores vero Pœnitentes jussit traducendas ad vetus cœmeterium prope Cœlestinos, ubi sacellum erat S. Elisabethæ sacrum, cui inditum fuit nomen S. Magdalenæ. Hodie non sunt filiæ pœnitentes, sed puræ virgines canonicæ ordinis S. Augustini, quæ reguntur ab abbatissa a Christianissimo rege designata.

ABBATISSÆ.

I. LUDOVICA *de Garde* prima nominata fuit abbatissa-priorissa 1615.

II. Martha *Ribbon*, monasterii alumna, a Ludovico XIV renunciata anno 1675.

III. Jacoba *de Lameth de Bussy* præfuit aliquot menses per annum 1683.

IV. Maria-Magdalena *de Bussy*, præcedentis neptis, obtinuit anno 1683.

V. Maria-Francisca *de Pons* anno 1751.

FREISTROFIUM.

FREISTROFF.

IN honorem B. Mariæ virginis & sancti Gengulphi martyris Virricus *de Valcourt* ejusque uxor Adelais, collaudantibus filiis eorum Arnulfo & Theoderico ac quinque filiabus, condiderunt anno 1130 ad fluvium * Nitam monasterium Freistorfii in gratiam monachorum ordinis Cisterciensis. Quod eodem anno confirmavit Stephanus episcopus Metensis, qui inspectionem in monasterium & abbatem contulit Radulfo abbati canonicorum regularium S. Petri-montis, sine cujus consensu abbas Freistrofii eligi non posset, & electus parem illi deferret venerationem, quam abbates ordinis Cisterciensis patri & capiti totius ordinis deferunt. Bullis etiam Drogoni primo abbati directis hæc rata habuit Innocentius III anno 1137. Monachis jam anno 1147 pulsis jussu Matthæi I ducis Lotharingiæ successerunt moniales, quibus haud multo post successisse videntur monachi, ac paulo post moniales. Valkeringa abbatissa monasterii vulgo dicti *Marienflos* se cum suis sororibus ad Freistrofium contulit an. 1414, cum monialibus illic conversantibus degendi gratia, postquam domicilium suum a Carthusianis inhabitandum Carolo II Lotharingiæ duci cessisset. Attamen monachi revocati sunt in id monasterium circa annum 1470, quod etiamnum incolunt.

* la Niede.

I. DROGO primus abbas anno 1128, bullam ab Innocentio III impetravit anno 1137.

II. Rodulphus, abbas sancti Petri-montis, institutus est anno 1130 ut in id monasterium inspectionem haberet.

III. Balduinus seu Baldo abbas erat annis 1179 & 1184.

IV. Maria abbatissa occurrit ad annum 1291.

V. Valkeringa abbatissa parthenonis *de Marienflos* cum suis sororibus ad hunc locum accessit anno 1414, ut ibidem inhabitaret.

VI. Jacobus memoratus anno 1481, idem forte est cum Jacobo *Dombrin*, qui recurrit ad annum 1503.

VII. Johannes abdicavit in gratiam principis Caroli a Lotharingia, qui Nicolao *Ogier* succedere debebat.

VIII. Stephanus *de Senones* anno 1521.

IX. Claudius *Genneval* 1625, 1626.

X. N. frater abbatis Morimundi plures annos fruitus est.

XI. N. *de Cleli* in nepotis sui monachi Cisterciensis gratiam abdicavit.

XII. N. *Sevin* abbas regularis renunciatus a rege 1767.

XIII. N. *de Turrique* item abbas regularis 1779.

S. Benoît en Voivre.

S. BENEDICTUS IN VEPRIA.

Occupatam fuisse a principio a Benedictinis abbatiam S. Benedicti in Vepria censent nonnulli. His successisse anno 1132 videntur Cistercienses educti ex monasterio de Crista, qui illam nunc possident. Sita est in nemore quondam dicto *Richismanil* in finibus episcopatus Virdunensis inter Hatonis-castrum & pagum gallice dictum *Thiaucourt*. Fundatorem agnoscit Aynardum filium Hugonis comitis *de Richismanil*, qui fundum ad construendum cœnobium liberaliter contulit. Facto ea de re publico instrumento, Stephanus episcopus Metensis anno 1138 possessiones omnes, in primis alodium *de Richismanil* ab uxore comitis Gairardi vel Ayrardi traditum laudavit. Gobertus princeps & custos de Aspero-monte dedit litteras, quibus confirmat & corroborat testimonio sigilli sui quidquid Rainaldus pater Virrici, & ipse, emptione vel voto ab anno Incarnationis Dominicæ 1129 usque ad annum 1183 contulerunt cœnobio sancti Benedicti in Wavria.

Abbates.

I. Albertus anno 1134 privilegium obtinuit a Stephano episcopo Metensi, qui illi ejusque successoribus permittit acquirere quicquid infra terminos diœcesis cœnobio necessarium esse viderint. Occurrit etiam an. 1138 in litteris ejusdem de confirmatione bonorum omnium monasterii.

II. Joscelinus 1145.

III. Lambaldus I 1158.

IV. Scuninus 1158 tempore Stephani episcopi.

V. Lambaldus II 1174, 1182.

VI. Gennus 1182, 1196.

VII. Bruno defunctus 4 Decembris.

VIII. Stephanus 1246, 1251.

IX. Varnerus 1255.

X. Ferricus 1269, 1274, 1285.

XI. Ludovicus 1285.

XII. Johannes I 1285.

XIII. Petrus I 1292, 1296.

XIV. Gemino ex charta S. Michaëlis.

XV. Petrus II 1312, 1333.

XVI. Henricus 1338.

XVII. Habertus *d'Asperge* 1356, 1357.

XVIII. Milo 1363, 1367.

XIX. Johannes II 1372.

XX. Johannes III *de la Chaussée* 1381, 1394.

XXI. Viricus 1397.

XXII. Johannes IV *d'Abiéville* 1409, 1433.

XXIII. Johannes V Goretti al. Colubrium 1434, 1438.

XXIV. Johannes VI *de Couronne* 1440, 1452.

XXV. N. *Adam de Saint-Mihell* 1494, 1495.

A XXVI. Johannes VII *de la Chaussée* 1509, 1518.

XXVII. Johannes VIII *de Keures* vel *de Fievre* 1524, 1528.

XXVIII. Petrus III *Fedolat d'Alvet* 1558.

XXIX. Johannes IX *d'Alvet* 1558.

XXX. F. *Maldonne* 1575, 1582.

XXXI. Franciscus *de Seraucourt* 1584, in abbatem Morimundi electus est 13 Decembris 1590.

XXXII. Claudius *de Gumont* 1624, 1666.

XXXIII. Antonius *de Vautrombois* 1666, 1674.

B XXXIV. Michaël *Guitton* 1674.

XXXV. Petrus IV *Cuvier* 1685, 1692.

XXXVI. Renatus *Josse* 1692, 1709.

XXXVII. Johannes X *de la Ruelle* præfectus anno 1709.

XXXVIII. N. *Colnets.*

XXXIX. N. *Alliot* regularis abbas præerat annis 1779 & 1780.

VILLERIUM IN BETNACH.

Villers-Betnac.

Alium non colit fundatorem Villerium seu Villarium quam Henricum primum abbatem, qui in seculo vir præpotens, comi- C tum Carinthiæ genere satus, spretis mundi deliciis, monachum apud Morimundum induit. Missus ille ab abbate suo id monasterium, quatuor leucis ab urbe Metensi, & a Theodonis-villa duabus & semi dissitum, erigere cœpit anno 1132, cal. Januarii. Ad Trecensem episcopatum promotus, non curas modo, verum & suas instruendis regularibus locis insumsit facultates. Cernebantur olim duæ ecclesiæ, alia exigua, depressa & obscura, in qua divinus solvitur cultus; altera vero alta, spatiosa, eximiæ & amussitatæ architec- D turæ, quæ necdum absoluta, ob neglectum ruina collapsa est. Luculentis auctum ab imperatoribus regibusve & magnatibus prædiis opibusque, hæc in bellorum procellis partim amisit cœnobium, cui instaurando nuperis hisce temporibus multum insudavit abbas regularis domnus *le Fevre*.

Abbates.

I. Henricus I comitum Carinthiorum genere editus, monachus Morimundi, monasterii jecit fundamenta an. 1132, cal. Januarii. Trecensis episcopus evasit circa annum 1145, E uti dictum est tom. XII, col. 500.

II. Sigibaldus anno 1150.

III. Gotescalcus 1160.

IV. Rogerus 1175.

V. Albertus legitur anno 1194 in litteris Bertranni in gratiam monasterii S. Crucis.

VI. Conradus I ab anno 1212 ad 1222.

VII. Petrus I ab anno 1222 ad 1263.

VIII. Ferricus ab anno 1263 ad 1278.

IX. Christianus ab anno 1278 ad 1288.

X. Simon ab anno 1288 ad 1294.

XI. Johannes I *de la Marche* ab anno 1294 ad 1303.

XII. Hugo ab anno 1303 ad 1307.

XIII. Henricus II ab anno 1307 ad 1310.

XIV. Otho ab anno 1310 ad 1313.

XV. Theodericus I ex Nanceio ab anno 1313 ad 1320.

XVI. Petrus II de Marchia ab anno 1320 ad 1328, quo mortuus ac sepultus in capitulo.

XVII. Thomas I ex Luxemburgo ab anno 1330 ad 1333.

XVIII. Johannes II ab an. 1333 ad 1338.

XIX. Henricus III ab an. 1338 ad 1346. Postea episcopus Tridentinus, & imperialis aulæ cancellarius.

XX. Guido I ab anno 1346 ad 1348.

XXI. Johannes III ab an. 1348 ad 1353.

XXII. Guido II ab an. 1353 ad 1358.

XXIII. Nicolaus I ex S. Nabore ab anno 1358 ad 1386.

XXIV. Theodericus II *Niveltz* ab anno 1387 ad 1389.

XXV. Adam I superstes an. 1389.

XXVI. Theodoricus Metensis uno tantum præfuit anno 1390.

XXVII. Adam. II. ab an. 1393 ad 1396.

XXVIII. Thomas II ab an. 1396 ad 1397.

XXIX. Adamus *Appel* ab anno 1400 ad 1414.

XXX. Johannes IV *Detzelbevillers* seu *Gerbevillers* ab anno 1414 ad 1430.

XXXI. Nicolaus II *de Valdrevange* ab anno 1431 ad 1439.

XXXII. Johannes V *de Lindennenges* ab anno 1444 ad 1450.

XXXIII. Petrus III *de Luxembourg* ab anno 1451 ad 1467.

XXXIV. Johannes VI ex *Siercque* ab anno 1468 ad 1490 vel 1492.

XXXV. Conradus II ex *Villers-la-Montagne* uno tantum sedit anno.

XXXVI. Vincentius ex *Villers-la-Montagne* ab anno 1492 ad 1496.

XXXVII. Conradus III ex *Villers-la-Montagne* ab anno 1496 ad 1505.

XXXVIII. Thomas III ex *Luxembourg* ab anno 1505 ad 1526.

XXXIX. Petrus IV *de Bailleuf* ab anno 1526 ad 1537.

XL. Cuny ex *Rosieres* ab anno 1538 ad 1541.

XLI. Alexander *de Cicigron* ab anno 1541 ad 1554.

XLII. Petrus V *de Monts* ab anno 1554 ad 1560.

XLIII. Johannes VII *Damermont* ab anno 1560 ad 1570.

XLIV. Mathias I *Metzinguer* ab anno 1570 ad 1579, quo cessit.

XLV. Mathias II *Durrus* ab anno 1591 ad 1615, quo cessit.

XLVI. Carolus I princeps a Lotharingia 1616 ad 1622.

XLVII. Franciscus a Lotharingia, postea Tullensis episcopus, tandem cardinalis 1623. Cessit anno 1633.

A XLVIII. Edmundus-Lancelotus *Tiraqueau* ab anno 1634 ad 1642.

XLIX. Johannes VIII *de Bretagne* 1643 ad 1668.

L. Carolus II *de Bretagne* 1670 ad 1682.

LI. Johannes IX *Vireau* ab anno 1683 ad 1693, quo electus est in abbatem monasterii de Novo-castro.

LII. Natalis *le Fevre*, sacræ facultatis Parisiensis doctor theologus, electus in abbatem 31 Maii 1694. Reficiendo monasterio & restituendæ regulari disciplinæ totum se dedit. Obiit 25 Junii 1737.

B LIII. Comes *de Zaluski* nominatus anno 1737.

LIV. Princeps Camillus *de Rohan* a rege commenda donatus, nunc fruitur an. 1779.

STURCELBURNE.

STULZBRON.

Inter septem montes, in silva dicta *Vasgaër*, est vallis sanctæ Mariæ, duabus distans leucis a pago vernacule *Bitch*, ubi Simon I dux Lotharingiæ anno 1135 in honorem Deiparæ virginis erexit monasterium, in quod monachos ordinis Cisterciensis e Firmitate eductos immisit. Eo in loco quem in vita C plurimum dilexerat, post mortem humari voluit: & vero quondam cernebatur in claustro ad ingressum ecclesiæ sub fornice a latere dextro tumulus ejus, cui inscriptum erat epitaphium, ex quo constabat ipsum fuisse fundatorem & obiisse anno 1139 die 19 Aprilis ante Pascha. Matthæus filius ejus, annuente Bertha uxore sua, idibus Januarii 1143 prædium *Volflingen* concessit. Confirmationis litteras, in quibus Ortlibius tunc temporis abbas & præcipui benefactores memorantur, Stephanus episcopus Metensis indulsit anno 1155. Fridericus dynasta *de Bitch* avi Simonis D & Matthæi patris sui munificentiam habuit ratam anno 1196. Traditas a progenitoribus suis quascunque possessiones Fridericus III dux præcepto dato anno 1295 laudavit. Simon II dux sub vitæ finem in eo monasterio Deo se mancipasse & in monasticæ vitæ exercitiis cursum consummasse traditur, sepultus ad introitum ecclesiæ. Suam quidem sepulturam Matthæus II, ac plures alii Lotharingiæ domus principes ibidem elegerunt. Dirutum tempore belli, in regione anno 1633 coorti, cœnobium instauravit D. D. *de Mahuet* abbas E commendatarius.

Aliquot Abbates.

I. Ortlibius occurrit anno 1151, & in litteris Stephani episcopi monasterii fundationem probantis anno 1155.

II. Theodericus 1200.

III. J. anno 1291, nec non in diplomate Friderici III ducis in gratiam monasterii 1295.

IV. E. 1295.

V. Hugo 1296.

VI. Alexander 1339.

VII. Volfangus 1583.

VIII. Dominicus *Mermeni* 1597.
IX Conradus 1611.
X. Johannes Conradus 1621.
XI. N. *Mahuet* defunctus an. 17..
XII. N. *de Couvange* a rege Stanislao duce Lotharingiæ nominatus.
XIII. N. *de Contrisson* 1779.

JUSTE-MONT.

JUSTUS-MONS.

IN loco nuncupato Grangia-dominarum, ad situs Mosellæ haud procul a Metis congregatio erat solitariorum, dicentium se de ordine S. Eligii Noviomensis episcopi, quibus plurima prædia, enumerata in bulla Lucii III anno 1181, concessa fuerant. Crescente fama S. Norberti, ejus institutum amplexari cupierunt, accerseruntque Præmonstratenses canonicos circa annum 1132 ex Bellavalle in Argona, qui non diu illic substiterunt. Facta enim cessione loci sanctimonialibus ordinis ejusdem, sedem suam fixere in allodio de Buris prope Metas ab Alberto advocato Metensi & muliere Ida ejusque liberis collato. Tunc erat abbas Zacharias, cui Euphemia domina de Vaudronis-villa ex consilio & consensu fratris sui Ursionis Virdunensis episcopi jam ab anno 1124 Justum-montem dederat, ut in eodem monte ecclesiam ad honorem Dei & ejusdem genitricis Mariæ construeret. Equidem hic abbas simul struxit ædes in loco de Buris & in Justo-monte inhabitandas a canonicis ordinis sui. Inter hæc sanctimoniales Grangiæ-dominarum ob exundationes Mosellæ monasterium suum deserere coactæ, convenerunt Zachariam abbatem, qui locum de Buris eis cessit, & ipse cum fratribus suis secessit ad Justum-montem. Pluribus fratribus, qui in monasterio de Buris vota emiserant, id displicuit. Inde rixæ & disputationes, quæ eo devenerunt, ut construere monasterium in loco de Buris opus fuerit. Pars itaque religiosorum reversa est ad locum de Buris, & altera apud Justum-montem remansit, facta inter eos bonorum ac redituum partitione. Statutum quidem est ut utrumque monasterium suum peculiarem haberet abbatem. Stephanus Metensis episcopus, utrique cœnobio abbate designato, hanc ordinationem a capitulo generali ordinis probatam auctoritate suâ suffulsit anno 1161. Juxta utrumque cœnobium domicilia habuere sanctimoniales ordinis. Sita est abbatia Justimontis in Brieii comitatu, duabus a Theodonis-villa, quatuor ab urbe Metensi horis, grato a meridie conspectu metas prospectans.

Annal. Præmonstr. tom. I, prob. col. 728.

Charta XXXVIII, col. 405.

ABBATES.

I. ZACHARIAS, vir magnæ charitatis, anno 1124 ab Euphemia domina de Vaudronis-villa Justum-montem consecutus est, ut in honorem Dei & beatæ Virginis ecclesiam construeret. Dimisso sanctimonialibus ordinis primo domicilio, abhinc Grangia-dominarum nuncupato, cum fratribus suis commigravit ad locum de Buris, traditum ab Alberto advocato Metensi & domina Ida ejusque filiis, ubi aliquot annos substitit. Aliquanto post sanctimoniales ob exundationes Mosellæ mansionem suam relinquentes convenerunt Zachariam, qui eis cessit locum de Buris. Ipse vero ad Justum-montem se cum suis recepit, extremumque diem clausit anno 1136.

II. Leherus in locum Zachariæ suffectus, tam civium Metensium qui bona monasterio de Buris contulerant, tam fratrum, qui illic Deo se voverant, querelis de transmigratione ad Justum-montem exagitatus fuit. Cœpit itaque ædificare monasterium in loco de Buris, quo reverteretur cum fratribus, sed priusquam ædes perfecisset, ultimum clausit diem, notatus in necrologio 9 Septembris.

III. Stephanus I absolvit cœpta a decessore ædificia tam in loco de Buris quam apud Justum-montem. Tunc recruduerunt querimoniæ fratrum, quorum alii apud Justum-montem, alii apud Buris degere cupiebant. Statutum est coram pluribus abbatibus hac de re convocatis, ut pars fratrum ad monasterium S. Crucis de Buris commigraret, & altera maneret in monasterio Justi-montis. Stephanus, abdicata Justi-montis abbatia, cum turma fratrum ad primum domicilium priore titulo contentus repetiit, eique substitutus est alter abbas, ac divisa sunt inter utrumque monasterium bona & possessiones.

IV. Clemens a fratribus Justi-montis electus, ac partitione facta non contentus, Præmonstratum adiit, petens ut plurimæ res a Stephano possessæ sibi tribuerentur. Ea de re congregatus est abbatum cœtus, coram quibus Clemens & Stephanus steterunt. Statutum fuit ut Clemens abbatiale munus cederet & Stephanus utriusque monasterii abbas esset, ac fratres e monasterio de Buris reverterentur. Illi obtemperare detrectarunt, resque dilata fuit usque ad capitulum generale, quod coram uniuscujusque monasterii deputatis ratam habuit bonorum divisionem. Turbata tamen fuit pax a canonicis Justi-montis, querentibus res non debitas detineri a fratribus de Buris. In abbatum conventu lata fuit excommunicatio in eos, qui ferendo judicio non starent. Inter hæc Clemens dignitati nuncium remisit.

V. Georgius Renerio priori Præmonstrati in abbatem Justi-montis electo & accipere renuenti substitutus est adhuc diaconus. Ordinationem ac benedictionem recepit a Stephano episcopo Metensi apud Buris, sed honoris brevi pertæsus, abdicavit.

VI. Stephanus II abbas de Buris, ad abbatiam Justi-montis postulatur, filiam & matrem una curaturus anno 1152. Insequenti a Johanne abbate S. Huberti in Arduenna curiam *de Hamerviller* nactus est, ad quam postea examen sanctimonialium de Buris inhabitandam adiit. Inter utriusque monasterii fratres scissam pacem restituit, facta æqua bonorum partitione, laudata a Stephano Metensi episcopo

anno 1161. Prælaturam Justi-montis desernerat ante mortem quæ contigit 27 Julii post annum 1172. A

VII. Vivianus I cum Stephano decessore occurrit anno 1172 in diplomate Friderici imperatoris donum abbati Salinæ-vallis collatum laudantis.

VIII. Rainaldus possessiones ab Alexandro III confirmari fategit anno 1181. Pactus est anno sequenti cum Johanne abbate Gorziensi. Ad ejus ætatem referenda videtur dedicatio ecclesiæ, quæ in honorem B. virginis Mariæ, S. Johannis-Baptistæ & S. Johannis Evangelistæ facta est a Bernone Magnopolitano B episcopo anno 1174.

IX. Vivianus II a Roberto domino *de Florenges* molendinum *d'Emetange* accepit anno 1193. Ad præbendam sororum *de Hameviller* adeptus est molendinum *de Godestal* a Virrico *de Valcourt*, ea conditione ut abbas Justi-montis provideret sacerdotem ad ministerium capellæ Castrensis. Hanc donationem laudavit Virricus filius anno 1224.

X. Lodoicus donatus fuit anno 1217 molendino *de Fremecourt* a Leudone *de Novroy*. Theodoricum abbatem S. Huberti rescindere volentem donationem a decessore suo Elberto C factam repressit anno 1224. Mortuus 18 Augusti.

XI. Godefridus jus patronatus parœciæ *de Fontois* obtinuit a Virrico *de Valcourt* anno 1228, idque ab episcopo Metensi firmari curavit anno 1229. Triginta solidos annuatim percipiendos in dominio *de Rodanges* ad conservationem lampadis perpetuæ a Thomasia ducissa Lotharingiæ consecutus est an. 1238. Quod a Matthæo secundo Lotharingiæ duce, Tomasiæ filio laudatum & auctum fuit anno 1239.

XII. Henricus beneficos expertus est Matthæum II ducem Lotharingiæ & Theobaldum D comitem Barri, a quo tradita est monasterio domus *de Francheprey* 1243.

XIII. Gerardus I anno 1260, cujus ætate Albertus *de Florenges* habitum religionis assumpsit, & spurium quem de ancilla filium habuerat, astrinxit in censum libertatis, ut annuatim dimidium sexterium olei nucei penderet fratribus Justi-montis in capite jejunii ad eorum refectionem. Mors ejus notata ad diem 9 Novembris.

XIV. Jacobus I anno 1268 mense Julio tres restituit servos abbatiæ Theobaldo II E comiti Barrensi in indemnitatem Rosselini, comitis ejusdem servi, ab abbatiæ servis interempti.

XV. Hugo I anno 1286 recepit pratum a Rainaldo *Cleupe;* censum 20 solidorum vendidit anno 1291.

XVI. Matthæus I cum domino Rainaldo *de Rodemach* convenit, ut per vices alternas nominatio & præsentatio ad parœciam *de Richemont* ad abbatem & Rodmacenses dominos spectaret anno 1297.

XVII. Simon de Aharis successive abbas Justi-montis, Calvi-montis, Branæ & Cuissiaci anno 1328.

XVIII. Hugo II *de Lubey* defunctus 10 Aprilis 1354.

XIX. Adam.

XX. Willelmus *de Bruyez* an. 1367.

XXI. Johannes I *de Moyeuvre* pactus est 26 Junii 1380 cum abbate S. Huberti.

XXII. Hugo III vineam emit an. 1381. Eodem obtinuit ut sententia excommunicationis in invasorem bonorum abbatiæ ferretur.

XXIII. Matthæus II *Millart* regebat anno 1397.

XXIV. Vivianus III cum abbatissa sanctæ Glodessindis orationum societatem iniit anno 1417.

XXV. Gerardus II *d'Alnou*, procurante decano S. Salvatoris Metensis, res alienatas recuperavit. Se abdicavit a prælatura.

XXVI. Theodericus *de Semecourt* per resignationem præcedentis, a capitulo probatam, abbas evasit; sed paulo post occubuit.

XXVII. Gerardus III *d'Alnou* fatis functus 16 Januarii 1442.

XXVIII. Nicolaus I *de Ham*, canonicus Præmonstrati, theologiæ baccalaureus, Metis a Conrado *Bayer* episcopo benedictus est 1 Septembris 1443. Jus patronatus ecclesiæ *de Richemont* obtinuit totum a Gerardo *de Rodemach* anno 1448, probante Nicolao V summo pontifice. Nicolaum monasterii bona recuperare nitentem intempestiva mors sustulit 12 Januarii 1450.

XXIX. Johannes II *de Fontoys* mutuam precum cum Nicolao *d'Herboville* abbate Cuissiaci societatem iniit anno 1451. Isabellam *de Vamdeck* abbatissam S. Glodessindis prætendentem decimas in territorio *de Hameviller* Nicolai decani Metensis & aliorum sententia repressit anno 1457. Eodem anno pastorale pedum posuit.

XXX. Johannes III *Leocart* ex priore in abbatem electus cessit 28 Maii 1459.

XXXI. Johannes IV *de la Serre* post pene annum regiminis in manibus Simonis de Perona abbatis Præmonstrati resignavit.

XXXII. Johannes V *de Richemont* per cessionem superioris abbas creatus, primo electionis anno occubuit 1460.

XXXIII. Jacobus II *d'Arnoul* donum adeptus est anno 1462.

XXXIV. Johannes VI *de Guenange* 1479. Mortuus 11 Junii 1480.

XXXV. Jacobus III *de Rombas* 15 Martii 1489 defunctus.

XXXVI. Johannes VII *de Hayange* obiit anno 1521.

XXXVII. Johannes VIII *de Hamecourt*, præside abbate S. Mariæ ad nemus, electus abbas, cessit anno 1541.

XXXVIII. Ludovicus I *Cocquerel* Virduni a Psalmæo benedictus, litem sibi intentatam de jure patronatus capellæ *de Fontoys* Mechliniæ reportavit.

reportavit anno 1589. Petrum *Jodin* abbatem S. Crucis regis Galliæ jussu carceri mancipatum ob proditionis suspicionem liberavit ac benigne accepit apud Justum-montem. Devixit 28 Aprilis 1589.

XXXIX. Nicolaus II *Hermant* testis fuit oculatus calamitatum monasterio suo illatarum ab hæreticis, qui polluerunt sacra, ædificia prostraverunt & chartophylacium ex parte cremarunt. Obtinuit a Carolo III duce ut descriptiones chartarum ac diplomatum originalibus æquivalerent. Magnos sed cassos conatus adhibuit ut abbatiam S. Crucis ordini ereptam recuperaret. Prælaturam ætate gravis, B instigante Servatio *Layruelz* abbate S. Mariæ, resignavit anno 1609.

XL. Claudius I *Gilbin* canonicus S. Mariæ & Servatii reformatoris alumnus, strictiorem disciplinam quam suxerat, suo inseruit ab ingressu cœnobio. Et vero vicarius generalis renunciatus anno 1620 se suosque solenni sacramento reformationi devovit 7 Aprilis. Pii operis pœnitens, anno vix elapso, ad laxiorem disciplinam revertitur suosque revocat. Si Deo datæ defuit fidei, defuit & promisso facto ecclesiæ: nam prædia ac dominia vendidit dissipavitque. Rexit 27 annis C & obiit Theodonis-villæ 27 Septemb. 1636.

XLI. Claudius II *Morizet* sub reformatione educatus, theologiæ doctor, procurator syndicus in curia Romana, ob pietatis & doctrinæ famam elatus est ad dignitatem abbatialem. Possessionem adiit anno 1639 per procuratorem. Redux in patriam, post aliquos pacifici regiminis annos abdicavit in gratiam sequentis anno 1651.

XLII. Hilarion *Rampant* quarto administrationis suæ anno traducitur ad Stivagiensem abbatiam anno 1656.

XLIII. Servatius *Renaud* ex priore sanctæ D Mariæ Mussipontanæ factus abbas & visitator congregationis reformatæ a capitulo generali anno 1685 institutus, vitam exuit 6 Februarii 1695.

XLIV. Hieronymus *Bertinet* ex priore in abbatem cooptatus 26 Maii 1695, benedictionem ab archiepiscopo Dubliniensi percepit 24 Augusti. Domum a fundamentis renovatam absolvit. Ipse vero decubuit 23 Aprilis 1721, ætatis suæ 66.

XLV. Franciscus *Gaillard* ex priore domus S. Sacramenti Parisiensis electus fuit abbas E 6 Junii 1721. Mortuus 8 Junii 1727.

XLVI. Jacobus-Petrus *Jussy* per plures annos pastor & administrator Blanzeii, regularium ultimus, vivere desiit 28 Januarii 1750.

XLVII. Ludovicus II princeps *de Salm*, abbas a rege nominatus paulo post superioris obitum.

XLVIII. Carolus-Rogerius *de Beaufremont de Listenois* renunciatus anno 1751.

XLIX. N. *de Lezay de Marnezia* comes Lugdunensis & vicarius generalis ejusdem A diœcesis, a rege nominatus anno 1769; verum traductus est ad abbatiam Aceii 3 Octobris 1779.

L. N. *de Majainville* primicerius & vicarius generalis Metensis, a rege Ludovico XVI designatus est abbas 3 Octobris 1779.

SALINA-VALLIS

SALIVAL.

UNO ab oppidis Vici & Marsalli lapide, & a Medio-vico quadrante, quasi in centro posita Salina-vallis, fundatricem colit Mathildem comitissam *de Hombourg*, Salmæorum comitum cretam sanguine. Disciplinam novo monasterio indidit abbas Justimontis, suorumque fratrum coloniam ad votum Mathildis deduxit anno ad minus 1157. Antequam monasterii fundamenta locarentur, ibidem visebatur capella sancto Fiacrio sacra, in qua sacerdos divinis operari consueverat, ad incolarum Burnonis-montis levamen. Subterraneam hanc capellam frequenti populorum concursu celebrem transtulit ad ecclesiæ navem hoc moderno tempore abbas Remigius. Ne quid a fundatoribus suis desiderarent canonici Præmonstratenses, suas optimi principes Salmenses illis exuvias moriendo ad perennis benevolentiæ testimonium consignarunt.

CATALOGUS ABBATUM.

I. HUGO diploma consecutus est an. 1160 a Friderico I imperatore. Occurrit etiam ad annos 1161 & 1169 in chartis Henrici & Petri Tullensium episcoporum. *Annal. Præmonstr. t. II, prob. col. 454.*

II. Tescelinus administrationem ecclesiæ de Guardia obtinuit an. 1172 a Friderico electo Metensi episcopo. Notatur ejus obitus die 21 Augusti. *Ibid. pag. 457.*

III. Heuzelinus privilegio donatus an. 1180 ab Alexandro III papa. Obiit 9 Octobris. *Ibid. pag. 454.*

IV. Cono ad cujus preces Urbanus III litteras protectionis indulsit anno 1186. Abbatem Altæ-silvæ cum colligatoribus conciliavit an. 1187. Occurrit etiam an. 1189: defunctus die 16 Julii. *Ibid. pag. 460.*

V. Jacobus præerat anno 1192; diploma protectionis ab Henrico IV imperatore nanciscitur 1195. Obiit 28 Septemb. 1196.

VI. Adam quædam bona usurpata recuperavit, litemque a decessore suo motam cum Philippo de Gillivillari principe Lotharingiæ feliciter conclusit anno 1197.

VII. Henricus mortuus 20 Januarii 1206.

VIII. Andreas I pacem iniit cum abbate Senoniensi 1212, transegit etiam cum abbate Altæ-silvæ 1217.

IX. Thomas 1220, feliciter præfuisse legitur.

X. Gosselon canonicus S. Pauli Virdunensis.

XI. Isambardus.

XII. Drogo anno 1255.

XIII. Valterus 1263.

XIV. Ferricus anno 1279 attribuit conventui quidquid infra decem solidos ex

oblationibus obtingeret ad augmentum pitantiæ fratrum.

XV. Forion sibi suisque villicis per villam *de Damjeux* transeuntibus liberum commeatum ab Henrico comite Salmensi obtinuit anno 1286.

XVI. Otto præerat anno 1293.

XVII. Gerardus I ex abbate sanctæ Crucis Metensis traductus ad Salinam-vallem, quam debitorum gravi pondere exoneravit. Dierum & bonorum operum plenus obiit 3 Februarii 1301; in medio chori sepultus.

XVIII. Johannes I.

XIX. Simon I *Poince* ecclesiam a Theodorico Trevirorum archiepiscopo consecrari curavit XII cal. Maii 1316. Decubuit 17 Augusti 1317.

XX. Gerardus II.

XXI. Simon II *de Morspech*, illustri genere satus, post laudabilem administrationem extinctus XIV cal. Septemb. 1325, humatus fuit infra gradus sanctuarii cum epitaphio.

XXII. Balduinus ex Tarquinipolis pastore abbas evadit.

XXIII. Johannes II ex coadjutore abbas factus moritur anno 1355.

XXIV. Andræas II.

XXV. Gerardus III.

XXVI. Drouvinus 10 Julii 1373.

XXVII. Johannes III de Lunevilla abbatia se abdicavit, officio magni pitantiarii contentus; defunctus 22 Februarii 1391.

XXVIII. Gerardus IV *de Chambrey.*

XXIX. Nicolaus I *de Haynau*, canonicus S. Mariæ in Nemore, obiit 6 Februarii.

XXX. Johannes IV de Vico munere abbatiali se exuit 1397; fato functus 1409.

XXXI. Nicolaus II *Gerardin* 1 Septembris 1406.

XXXII. Hermannus.

XXXIII. Stephanus 3 Octobris 1409.

XXXIV. Gerardus V 6 Novemb. 1419.

XXXV. Salmon.

XXXVI. Willelmus *Minel* pluribus ante mortem annis abdicavit, obiitque 13 Octob. 1434.

XXXVII. Nicolaus III *Burlay* cessit anno 1435.

XXXVIII. Dominicus *Dremant* 3 Februarii 1454.

XXXIX. Johannes V *Salmon* 2 Septemb. 1483.

XL. Simon II de Morvilla 3 Aprilis 1484.

XLI. Nicolaus IV *Henry* 15 Aprilis 1496.

XLII. Johannes VI *Daniel* ex Stagni abbatia evocatus an. 1496, utrumque monasterium rexit usque ad annum 1502, quo decessit.

XLIII. Gerardus VI *du Fraine* occurrit 5 Februarii 1506.

XLIV. Marianus *Hanneman* meritis & virtute clarus, ab Antonio duce Lotharingiæ admissus est ad sanctius consilium. Abdicata dignitate, privatam per quatuor annos vitam egit, animamque reddidit 14 Januarii 1539.

A XLV. Nicolaus V *Aubertin* juravit anno 1535 die 22 Februarii de servandis juribus & privilegiis monasterii. Metis benedictionem recepit; constitutusque vicarius generalis Lotharingiæ, procurandæ reformationi & ipse reformatus totus incubuit. Creatus fuit a cardinali Johanne a Lotharingia Metensi episcopo consiliarius 1539, & a serenissimo duce Antonio similem accepit honorem 1544. Possessiones abalienatas recuperavit. Coadjutorem sibi adsciverat Johannem *Aubertin* fatis ereptum ante Nicolai mortem, quæ accidit 29 Septembris 1553. Sepultus ad ostium chori inter
B abbatis & prioris sedilia cum epitaphio.

XLVI. Austianus *Marien*, exactis viginti circiter annis in bene administrando monasterio, occubuit 4 Martii 1573. Jacet in capella S. Livarii honestatus epitaphio.

XLVII. Matthæus I *Pierson*, generalis vicarius Lotharingiæ & Germaniæ, totum se impendit propagandæ reformationi. Incensas villas abbatiæ a militibus instauravit, eversamque ex caducitate restituit domum. Adscito sibi coadjutore Matthæo *Bonherbe* nepote, decessit 4 Decembris 1599, ad sanctuarii gradus positus cum epigraphe.

C XLVIII. Matthæus II *Bonherbe* per simplicitatem bona oppigneravit, debita contraxit; verum mali sui regiminis pertæsus exuit abbatiam 1608, defunctusque est 4 Decembris 1610.

XLIX. Johannes VII *de Gomberyaux* ex canonico Vallis-secretæ abbas, æs alienum solvit, & in monasterium reformationem, quam non professus est, introduxit an. 1614. Abbatialem & conventualem mensas voluit esse divisas. Monialibus Dominicanis Vici idoneum ædificando monasterio fundum concessit 1621. Itaque anniversarium illæ ei
D tanquam fundatori quotannis pendunt. Mortuus 28 Julii 1666 a parte sinistra chori recumbit.

L. Franciscus I *de Villequoy*, Caroli-vici & Medio-vici gubernatoris filius, abbatiam per resignationem obtinuit. Sed bullas, utpote qui secularis esset, impetrare non potuit, donec professionem emisisset. Obiit 28 Septembris 1668.

LI. Hyacinthus *Vaillant* prior Cuissiaci & doctor theologiæ, vix biennio completo vitam exuit 28 Maii 1670, humatus in choro.

LII. Antonius *Collart* canonice electus
E possessionem iniit 19 Augusti 1670. Dormitorium aliasque ædes cœnobii construxit. Diem clausit extremum 28 Januarii 1681.

LIII. Remigius *Josnet* electus fuit 15 Martii 1681. Inchoatas non modo absolvit ædes, sed hortos æque utiles ac gratos instruxit. Pretiosa sacrarium ditavit supellectile, prædiaque & bona instauravit. Vicarius generalis iterum electus suam congregationem prudenter gubernavit. Improvisa morte sublatus 2 Januarii 1720.

LIV. Franciscus II *le Lorrain* theologiæ

doctor, eximius verbi divini præco, prior S. Pauli Virdunensis, tum congregationis suæ vicarius generalis, fratrum suffragiis in abbatem cooptatus est 1 Februarii 1720. Ecclesiam insigni frontispicio decoravit anno 1731, decessitque anno 1738.

LV. Petrus *Gillet* post præcedentis obitum a rege nominatus fuit.

LVI. N. *Quentin* abbas regularis a rege renunciatus 31 Augusti 1777.

TULLENSIS ECCLESIA.

LEUCI, quorum urbs caput Tullum, Julii-Cæsaris ætate vastam occupabant regionem, eamdem vel circiter quam complectitur etiamnum jurisdictio episcopalis. Mediomatrices ad Septentrionem, Lingonas ad Meridiem, Durocortum vel Remos ad Occidentem, montes Vosagi & Alsatiam ad Orientem habebant. Tullum in insigni situ ad Mosellam positum, a principio sat exiguum, multum accrevit, estque sedes episcopalis sub metropoli Trevirensi, a qua 30 leucis distat. Tacitus ait lib. I, cap. 64, Fabium Valentem de clade Galbæ & imperio Othonis nuntium in civitate Leucorum accepisse. Cæsar lib. I, cap. 41, de Tullo silet, sed spondet Sequanos, *Leucos*, Lingonas frumentum Romano exercitui subministraturos. Ex Plinio lib. IV, cap. 17, Leuci liberi fuerunt. Apud Lucanum Pharsal. lib. IV, ℣. 424, id legitur: *Optimus excusso Rhenus Leucusque Lacerto.* Antiquissima quæ Tulli mentionem faciant monumenta, sunt itinerarium Antonini, Ptolomæus, & notitiæ imperii Occidentis. Leucorum apostolus fuit S. Mansuetus, qui e sede apostolica in Belgicam missus non creditur citius quam circa medium seculum quartum æræ Christianæ. Origine Scotum fuisse scribit Adso auctor ejus vitæ; & in ea persuasione quam multi Scoti ad ejus tumulum confluebant. Equidem S. Gerardi tempore Tulli inerat cœtus monachorum ejusdem nationis. Fidem Christianam in regione Leucorum disseminatam non fuisse ante medium seculum IV adhuc conjicitur ex eo, quod hic populus martyres non habuerit, nisi abhinc anno 360 vel 361, id est, ab apostasia imperatoris Juliani. Et vero ad eam ætatem refertur passio SS. martyrum Eucharii, Eliphii & Libariæ, antiquissimorum Christianæ religionis testium, quos Tullensis ecclesia revereatur. Eximiæ structuræ cathedralis ecclesia patronum habet sanctum Stephanum protomartyrem. Episcopus comes est civitatis & princeps imperii, omnibusque supremæ hujus dignitatis juribus fruitus est, donec Tullum in ditionem Franciæ regum redierit. Quam vastissimæ præerat diœcesi; verum Ludovicus XV Franciæ rex anno 1774 operæ pretium esse duos in ducatu Lotharingiæ episcopatus, unum in urbe Nanceyensi, alium in urbe S. Deodati constituere censuit. Propositum avi sui comprobavit Ludovicus XVI die 12 mensis Martii 1775; summusque pontifex Pius VI erectionis bullam dedit XIII cal. Decemb. 1777, pontificatus sui anno 3. Unde diœcesis maximam passa est imminutionem, quippe quod duorum episcopatuum territoria ex solo Tullensi episcopatu distracta fuerint. Sed in compensationem unita est in perpetuum episcopatui mensa abbatialis S. Mansueti Tullensis; addita hac clausula, ut capitulum omnibus proventibus & juribus prædictæ mensæ annum integrum frueretur, utcunque vacaret sedes episcopalis. Quando præsul Tullensis pontificaliter celebrat, utitur superhumerali, ratione dignitatis decanatus quem gerit; quia decanus aliorum provinciæ episcoporum existit; nec ullus alter episcopus est in tota ecclesia, nisi unus in Græcia, qui hoc ornatu decoretur. Superhumerale vocatur id ornamentum, quia super humeros ponitur post casulam; stola est larga, fimbriata, circuiens humeros desuper, cum duobus manipulis dimissis ante & retro, & circa scapulas ex utraque parte in modum scuti rotundi, lapidibus pretiosis cooperti. In consecrationibus & confirmationibus episcoporum provinciæ archiepiscopi Trevirensis vices gerere consueverat Tullensis. Capitulum cathedralis quinque dignitatibus constat, nempe decano, majori archidiacono, cantore, thesaurario & theologo, atque etiam triginta septem canonicis, quibus Christianissimus rex Ludovicus XVI litteris regiis datis 18 Augusti 1776 honoris causa pectoralem crucem gestare permisit. Hanc honoris notam ab episcopo in sacello episcopali acceperunt 20 Februarii 1777. Die & anno iisdem solemnis missa in cathedrali, sacris operante episcopo, pro optimi regis incolumitate celebrata est, copiosæque eleemosynæ pauperibus distributæ. Statutum quidem est ut in tanti beneficii memoriam, perpetuo solenne sacrificium missæ quotannis feria quinta primæ hebdomadis Quadragesimæ Deo pro rege offerretur. Aliud est in urbe capitulum S. Gengulphi constans præposito, decano, & septemdecim canonicis. Ecclesiæ parœciales sunt quatuor, scilicet S. Johannes-Baptista in claustro cathedralis, S. Amandus in Burgo cognomini, B. Maria sive S. Anianus, & S. Genovefa. Dominicani & Franciscani patres uniquique habent conventum. Ædes S. Spiritus seculo 13 conditæ, cessere jussu Ludovici XIII regis presbyteris a Missionibus, qui seminarii, xenodochii & parœciæ S. Amandi curam gerunt. Quatuor extant sanctimonialium conventus; duæ capellæ, alia in honorem S. Johannis-Baptistæ, altera S. Vedasto sacra. Stat

etiam abbatia S. Leonis in urbem translata anno 1410. Duo sunt suburbia, videlicet S. Apri & S. Mansueti, quibus duæ abbatiæ ordinis S. Benedicti sua dederunt nomina. In suburbio S. Mansueti conventus est Capucinorum, a Johanne *de Porcellets* episcopo conditus.

EPISCOPI TULLENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Mansuetus.

Dum Leuci ecclesiæ suæ primordia ad S. Petri apostolorum principis ætatem referunt, & ab eo sanctum Mansuetum ad se missum fuisse aiunt, plus suo erga hunc Sanctum affectui & antiquitatis studio, quam veritatis amori merito videntur indulgere. Illa enim ipsa documenta, quibus eorum opinio suffulcitur, utcunque tenebris obvoluta sint, satis aperte indicant sanctum Mansuetum non prius quam seculo IV floruisse. Si sedulo indagatur vetustas traditionis, quæ ipsum sancto Petro apostolo contemporaneum statuit, nullum litterarum monumentum, in quo illud asseritur, vetustius invenitur Sancti vita, ab Adsone Dervensi abbate ad Gerardi Tullensis episcopi preces post medium seculum X conscripta, & ob fabulas, quibus referta est, fide haud digna. Qui quæstionem de S. Mansueti in regionem Leucorum missione egerunt, præsertim Antuerpienses tom. I Septembris eam non ultra seculum IV & quidem medium producendam esse sentiunt. Ad hæc adde quod, quantumvis fabulosa sit Adsonis historia, multo tamen difficilius componi possit cum seculo primo & duobus sequentibus, quam cum quarto. Si creditur id, quod in officiis propriis ecclesiæ S. Petri Romarici-montis in Lotharingia anno 1657 editis, & breviario Tullensi an. 1684 vulgato legitur, scilicet sanctum Mansuetum, primum Leucorum episcopum & apostolum, vineam sibi commissam 40 annis excoluisse,
335. ejus missio ad annum 335 figenda est, quo Constantinus magnus adhuc imperabat. Verum cum tam longa episcopatus duratio aliunde non confirmetur, Sancti adventus in terram Leucorum, episcopatusque ejus initium ad filiorum Constantini tempora differri potest. Opusculum abbatis Adsonis de vita S. Mansueti in duos libros dividitur. In primo multum ineptiarum, sed ne vix solidi quidquam invenitur. In secundo referuntur hujus Sancti miracula, sub sanctis Gauzelino & Gerardo præsulibus patrata. Integrum habes istud opusculum editum apud Bollandistas tom. I Septemb. Sat verisimile videtur ecclesiam sancto Petro apostolo consecratam, quæ in septentrionali Tulli suburbio olim visebatur, a sancto Mansueto fuisse constructam, ubi & ipse post mortem conditus fuisse traditur. Natalis ejus dies in martyrologiis notatur ad III nonas Septembris, quo die in diœcesi Tullensi ejus memoria recolitur. Ipsum autem defunctum fuisse circa annum
375. 375 suspicantur Antuerpienses. Idem esse creditur cum S. Mansueto quem Trevirenses episcoporum suorum indici inseruerunt.

II. S. Amon.

Leucorum secundus fuit episcopus S. Amon, de quo plurima in vetustis monumentis, ab ecclesia Tullensi & monasterio S. Mansueti servatis, narrantur. Quæ cum certiora non sint vita sancti Mansueti, ab Adsone abbate scripta, hæc tantummodo pauca, quæ verisimiliora videntur, exponere duximus, nempe S. Amonem fuisse S. Mansueti discipulum, & post pastoralis muneris acceptionem in solitudinem se recepisse, ut divinarum rerum meditationi attentius vacaret. Id adstrunt verba hæc ex ejus actis eruta: « Beatissimus Amon, suæ sedis civitate relicta, perrexit ad « eremi loca secreta, ut sic facilius seculi vanitatem declinaret, divinorumque meditationi « liberius vacaret; ac pro grege sibi commisso « Dominum ibidem quietius exoraret. In silvis « enim & locis nemorosis Sanctesii territorii, sive « Sanctesis * provinciæ, diebus quamplurimis « legitur habitasse, & quantum sibi licuit, ibidem « eremiticam vitam duxisse; unde & locus ille « suæ mansionis eremiticæ, usque hodie dicitur « silva, sive nemus Amonis. » Hic locus, in quo sanctus ille præsul oratorium in honorem B. virginis Mariæ, paucasque cellulas clericis suis condidisse traditur, etiamnum celebris est frequentia populorum illuc religionis voto concurrentium. Ibidem puteus exstat, quem ipsius mandato effossum fuisse aiunt, cujus aquæ febres dispellere dicuntur. Sepultus fuit sanctus Amon in suburbana S. Petri ecclesia juxta sanctum Mansuetum antecessorem suum; unde Hermannus seculo undecimo ossa ejus in cathedralem transtulit. Publico in Tullensi diœcesi cultu honoratur 23 die Octob. Ipsum sedisse in annum 400 Bollandiani conjiciunt.

* le Saintois.

III. S. Alcha.

Cum verbis & exemplis instituendo gregi suo sollicite invigilasset S. Alcha, mortalem exuit vitam, æterna perfruiturus. Sepulturæ traditus est in ecclesia sancti Petri, quæ in posterum S. Mansueti nomen accepit. Sedere potuit usque ad annum 423, ex Bollandistis. 423.

IV. S. Celsinus.

Humatus quoque est S. Celsinus in ecclesia suburbana sancti Mansueti, pontificali munere eximie perfunctus forsan ad annum 445. 445.

V. S. Auspicius.

Eloquentia, scientia, fide, operibus & omni meritorum genere celebris S. Auspicius, apud viros sui temporis clarissimos existimationem promeritus est, præsertim apud Sidonium

ANNI CHRISTI

Apollinarem, a quo nondum episcopo in epistola ad Arbogastum Trevirorum comitem egregiis laudibus extollitur. Rogatus a comite Sidonius ut sacram scripturam exponat, Lupum Trecensem & Auspicium Tullensem, sacerdotes ætate grandævos, fide claros, omniumque meritorum sublimium dote potiores, quos consulere possit, indicat. Alia est ad Auspicium Sidonii epistola, qua suam in eum venerationem testatur, magnum ipsum videndi desiderium significat, nobilemque personam ei commendat, rogans ut, quantum per justitiam licuerit, illi serviat. Habetur & ipsius Auspicii poëma ad eumdem comitem Arbogastum, ex famoso Arbogasto, magni Theodosii coætaneo, oriundum, Arigii prænobilis viri filium, quem in urbe Tullensi nuper viderat. Hunc cum seniore Arbogasto ex fortitudine & militari virtute confert, sed ex Christiana religione, quam primus ignoraverat, præfert. Inter alias institutiones, suadet ut episcopum Trevirensem honore prosequatur. « Sanctum, inquit, & » primum omnibus nostrumque papam honora, corde dilige, ut diligaris postmodum. » De hoc sancto præsule hæc habent centuriatores Magdeburgenses: *Fuit Auspicius ecclesiæ Tullensis episcopus in Gallia, vir insigniter doctus & pius, ut apparet ex ejus epistola, quam metricis numeris scripsit ad Arbogastem Trevirorum comitem, quem ab avaritia & cupiditate dehortatur.* Ipsum obiisse circa annum 478 ait Sollerius. Humo mandatus est in cœmeterio S. Mansueti, ubi corpus ejus repertum fuit sub Pibone episcopo. Inter Sanctos colitur 28 Julii.

Sidon. Apollinar. lib. IV, epist. 17. — *Id. lib. VII, epist. 10.* — *Hist. Tull. p. 218 & seqq.* — *Circa 478.*

VI. S. URSUS.

De Urso præter nomen & memoriam virtutum, quæ ei meruere ut Sanctorum albo adscriberetur, nihil pene scitur, nisi quod S. Auspicio successerit. In cœmeterio sancti Mansueti tumulatus est, unde seculo decimo erutus fuit, in decentiorem locum reponendus; dehinc anno 1026 in ecclesiam S. Mansueti translatus. Episcopatus ejus duratio ultra seculi quinti finem extendi non potest. Tullenses ejus festum celebrant die 1 Martii. Sub ejus pontificatu Vedastus, Aquitanus genere, in diœcesim se contulit. Illic cum aliquandiu in solitudine delituisset, in clerum a B. Urso admissus est, & ab eodem Chlodovæum Francorum regem, in urbem Tullensem post Tolbiacensem pugnam advectum, religionem Christianam edocendi curam accepit.

VII. S. APER.

Nobilibus ac christianis parentibus in Trecensis diœcesis vico, qui * Tranquillus dicitur, natus S. Aper, ob virtutum famam a clero populoque Tullensi, reluctans licet, potius ad episcopatum raptus est quam electus circa annum 500. Magna in eo & quidem ante episcopatum refulsit in egenos miseratio, exutis sæpe vestibus suis ad pauperes induendos. Forte dum in urbe Cabilono ad Ararim versaretur, a quodam Hadriano judice, plane diverso ab Adriano imperatore, gratiam pro tribus reis in carcere vinctis petiit: sed repulsam passus, a Deo impetravit ut claustra carceris dissilirent, & vincula, quibus rei constricti erant, rumperentur. Redux ex eo itinere juvenem a Dæmone obsessum liberasse traditur. In suburbio Tullensis civitatis fundamenta jecit ecclesiæ, quæ diu sanctum Mauricium ejusque socios martyres patronos sortita, sancti Apri nomine insignita fuit. Cum septem annis hanc sedem tenuisset, occubuit ineunte sexto seculo anno circiter 507, sepultusque est in ipsa ecclesia quam construere cœperat. Celebratur ejus festum XVII calendas Octobris, ipso die obitus. Longe diversus videtur hic Sanctus ab Apro illo, ad quem S. Paulinus direxit epistolas, tam ratione temporis, quam ratione circumstantiarum, quæ alii conveniunt, & alteri repugnant. Huic S. Præsuli soror fuit, Apronia nomine, quæ cum in urbe Tullensi apud fratrem suum aliquandiu sancte conversata fuisset, Trecas reversa est, ubi cum magna sanctitatis fama obiit. Cujus reliquias pretio comparatas sanctus Gerardus distribuit cathedrali suæ & monasterio S. Apri, ubi etiamnum in pretiosissimis thecis asservantur. Vitam & miracula S. Apri edidit Calmetus tom. I, hist. Lothar. prob. col. 107 & seqq.

* *Trancol.* — *Circa 500.* — *Circa 507.*

VIII. S. ALBAUDUS.

Tullensis ecclesiæ presbyter Albaudus seu Albinus, S. Aprum, cui familiaris fuit, excepit in episcopatu circa annum 508. Cœptam ab eo ecclesiam absolvit, sanctoque Mauritio ejusque sociis martyribus nuncupavit. Illic fideles viros, apostolorum exemplo victuros aggregasse, ac privilegium in hujusce monasterii gratiam a summis pontificibus obtinuisse traditur. Humatus est in ecclesia sancti Apri: unde corpus ejus seculo decimo a Gauzelino episcopo levatum, pars reposita est in theca S. Apri, pars altera in sacrario monasterii. Festivitas ejus celebratur calendis Martii, quo die populo vinum benedictum, quod vocabant *vinagium S. Albaudi*, quondam tribuebatur ad levamen infirmorum. Cernitur etiamnum prope claustrum canonicorum domus ad episcopum spectans, quæ *curia Albaudi* dicitur.

Circa 508.

IX. TRISORICUS.

In episcopale solium elatus Trisoricus circa annum 525, fuit in existimatione apud Theodoricum I Austrasiæ regem, qui propter belli sumptus in Celtica suscepti an. 532 tributum regni sui urbibus imposuerat. Venerabundus præsul civitatem suam cernens jam bellorum impensis exhaustam, diaconum nomine Julianum, qui Tullensium civium exponeret regi miseriam, deputavit. Condonatum est a rege urbi tributum ad Trisorici preces, qui apud S. Aprum sepulturæ traditus fuit.

Circa 525. — *532.*

X. Dulcitius.

Præter nomen & inter cæteros præsules ordinem, nihil de Dulcitio tradidit antiquitas.

XI. Alodius.

549. Concilio Aurelianensi quinto anno 549 subsignavit his verbis: *Alodius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Tullensis subscripsi.* In quibusdam editionibus dicitur Valerius, sed in
550. emendatioribus Alodius vocatur. Insequenti anno sub ipsius episcopatu Theodebaldi regis jussu Tulli indictum concilium de molestiis, quas S. Nicetio Trevirensi exhibebant magnates, ob incesta conjugia ab eo excommunicati. Concilii hujus fit mentio in epistola Mapinii Remensis episcopi ad S. Nicetium, & in chronico Lingonensi, ubi Tetricus Lingonensis episcopus præcitato concilio interfuisse dicitur.

XII. Premon.

Successor Alodii Premon, uti plerique antecessores sui, in cœmeterio sancti Mansueti defossus est.

XIII. Autmundus.

Pontificali dignitate priusquam honestatus fuisset Autmundus, Tullensis ecclesiæ scholas rexisse, clericorumque vel monachorum, qui tunc in abbatia sancti Apri degebant, curam accepisse traditur. Monasterium illud magnopere auxit, & in sancti Apri veneratione *nonnulla scripta ac responsoria ad posterorum recordationem* exarasse dicitur. Illic tanto solitariæ vitæ studio captus est, ut cum ad episcopatum elatus fuisset, in solitudinem, ubi sinebant otia, diverteret. Cujus sanctitate allecti quamplurimi discipuli ad eum se contulerunt; quos inter numerantur admirandæ vitæ viri Piencius & Agentius, nec non sancta Columba, quos parœcialis ecclesia Medii-vici, in qua consepulti sunt, suos colit patronos, quosque martyrii coronam adeptos fuisse contendit. Sed præterquam quod tempore Autmundi non fuerit persecutio, historia episcoporum Tullensium ait hos sanctos in pace quievisse.

XIV. Endulus.

Tulli natus Endulus, seu Endulanus, aut Entulanus, vel Eutulanus, regibus Austrasiæ dilectus, plurimas ecclesiæ suæ acquisivit possessiones, scilicet ecclesiam sancti Maximini, villam Videliacum, aliam villam eodem nomine dictam, Buchuliacum quoque, nec non abbatiam S. Piencii & alium locum qui dicitur Arduno, sive Ticiliacum & Brueriacum ex munificentia famulæ Dei Prætoriæ. Hæc omnia itemque villam Luciacum ab Endulano comparatam Theodebertus II Austrasiæ rex
602. diplomate confirmavit anno 602 vel 603,
603. regni sui 8.

XV. Theodefridus.

Theodefridus seu Teufridus ecclesiæ suæ
A plurimum auxit res, a gloriosissimo rege Dagoberto I inter cæteras donationes adeptus villam *Blandeneau* cum suis adjacentibus villis, item fiscum Noviante in pago Bedensi super fluviolum Vidum, cum palatio regio & ecclesiis ibidem constructis, fiscum quoque Viskerium cum regio palatio. Ad quorum confirmationem, ut apparet ex diplomate Caroli Magni exarato anno 804, ab ipso rege Dagoberto indultum est regium bannum, quatuor leucis longum & latum, ab omni tributo liberum, cum omni jurisdictione, facto hoc comitibus jussu, ne officiales episcopi in jure dicundo
B turbarent, nec castrum vel arcem super hunc fundum ædificarent. Cum Paulo Virdunensi Theodefridus aderat anno 641, ubi Goericus 641.
Metensis cum suo clero ad montem sanctum pergens, ex eo loco in suburbanam sanctorum Apostolorum basilicam corpus S. Arnulphi transtulit. Unus fuit ex episcopis, quos rex Sigibertus circa annum 648 de condendis Amplis. collect. t. II, col. 7.
Malmundariensi & Stabulensi monasteriis consuluit. Inter plurima dona accepit ab eodem rege Sigiberto villam Longum-campum in Tricino. Theudefridum obiisse anno 653 ait 653.
Cointius, eumdemque esse cum Austrasio,
C qui inter hujus ætatis conspicuos sanctitate præsules reperitur in vita S. Desiderii Cadurcensis episcopi, arbitratur Calmetus tom. I, hist. Lothar. p. 420.

XVI. Eborinus.

Unus est ex comprovincialibus episcopis Eborinus, quibus Numerianus Trevirensis Circa
circa annum 664 inscripsit privilegium, sancto 664.
Deodato Nivernensi episcopo, conditori & abbati monasterii Vallis-Galileæ concessum.

XVII. S. Leudinus.

D Leudinus, alio nomine dictus Bodo, & eam ob causam duas in diversas personas diu divisus, in pago Mosa sic nuncupato a fonte cognominis fluvii, ortus est parentibus Godoino & Sartrude origine claris, quos mss. Tullense vocat Bertoldum & Bertildem. Tres his fuerunt pueri, scilicet Leudinus-Bodo, Fulculphus-Bodo & Salaberga, quibus sanctus Eustasius Luxoviensis abbas ex Germania rediens, benedictionem suam est impertitus. Connubio junctus fuit Leudinus Odiliæ gente nobili procreatæ, ex qua filiam suscepit Thiet-
E bergam. Adhortationibus S. Walberti abbatis Luxoviensis & exemplo Salabergæ, quæ Deo se consecraverat, duo conjuges tacti, seculum deserere statuerunt. Equidem illi in duobus monasteriis, Lauduni ab ipsa Salaberga exstructis, monasticam disciplinam professi sunt. Circa
Haud multo post, nempe anno circiter 667 667.
Leudinus-Bodo Tulli-Leucorum episcopatum adeptus, puellare monasterium in quodam prædio suo ædificavit, Bodonis monasterium ab auctore appellatum; cui Thietbergam filiam suam præfecit abbatissam. S. Stephano Tullensis ecclesiæ patrono collatum fuisse ab eo

ANNI CHRISTI

locum Stivaium seu Stivagium, ubi monasterium in honorem B. Petri apostoli construxisse super fluvium *Murt*, & duodecim canonicos aggregasse dicitur, sat pauco fundamento astruit scriptor actorum episcoporum Tullensium. Tradidit certe eidem ecclesiæ Tullensi monasterium Offonis-villæ a se conditum, jure paterno sibi ad servitium Dei concessum; situm in pago Pertensi, juxta fluviolum Spanciam, diœcesis Tullensis non vero Vesontionensis, ut vult Mabillonius. Largitus quidem est in pago Oderuensi ecclesias & villas, quæ vocantur Nasius & Nasitus, de suæ proprietatis
669. rebus. Subscripsit anno 669 privilegio sancti Hidulfi Trevirensis episcopi indulto sancto Deodato auctori monasterii Vallis-Galileæ, ac paulo post acceptam episcopalem dignitatem naturæ debitum solvit. Conditus in cœmeterio S. Mansueti, inde translatus est in monasterium sancti Johannis Laudunensis, ubi sicut & in Tullensi diœcesi ejus festum celebratur 11 Septembris.

XVIII. Adeodatus.

Ille sane est Adeodatus, qui a Dagoberto II Austrasiæ rege datus est comes S. Wilfrido Eboracensi, de episcopali munere depulso, Romam adeunti causam suam coram summo
679. pontifice acturo. Ea de re habita est an. 679 mense Octobri synodus episcoporum, in qua
680. restitutus fuit Wilfridus. Insequenti anno Adeodatus cum Felice Arelatensi episcopo & Taurino Telonensis ecclesiæ diacono Romam delegatus a Franciæ præsulibus, interfuit concilio, quod Agatho papa celebravit 27 Martii. Quo in concilio confirmata est fides ortodoxa, Monothelitarum hæresis damnata, & legatio Constantinopolim ad synodum œcumenicam decreta. Litteris ejus synodi ad imperatores Constantinum, Heraclium, & Tiberium directis subscriptio Adeodati subjicitur his verbis : « Adeodatus humilis episcopus sanctæ ecclesiæ » Leucorum legatus venerabilis synodi per Gal» liarum provincias constitutæ, in hanc sug» gestionem, quam pro apostolica nostra fide unanimiter construximus, similiter subscripsi. » Eo absente, habitus est conventus episcoporum Marlaci diœcesis Tullensis, in quo sanctus Leodegarius Eduensis & Chramlinus Ebredunensis sedibus suis dejecti sunt.

XIX. Ermentheus.

Propter mota civilia bella tam inter Dagobertum II Austrasiæ & Theodoricum III Burgundiæ reges, quam inter Martinum ejusque fratrem Pipinum, Ansegisi filios, & Ebroinum palatii regii Majorem, quæ diœcesim Tullensem vastarunt, clerumque in fugam egerunt, aliquot vacavit menses sedes episcopalis. Veruntamen Ermentheus ab Adeodato presbyter ordinatus, in episcopum cooptatus est. Hic ad Gondulfi-villam palatium regium adiit Theodoricum regem, rogans restitutionem prædii Ociacavillæ, injuste ab Hildranno comite detenti. Petitionis suæ obtinuit effectum. Sepultus est in monasterio S. Apri.

XX. Magnaldus.

Ecclesiæ suæ cathedrali Magnaldus indulsit Gereonis-curtem in pago Sungentensi & Corniacam-villam in pago Vabrincensi. Mortuus sub Childeberto III rege, tumulatus est in cœmeterio S. Apri: unde corpus ejus postea erutum, transfertur in ecclesiam, ad sinistrum latus, juxta altare S. Symphoriani martyris.

XXI. Dodo.

Plurimis ecclesiam suam auxit possessionibus Dodo sub nominibus nunc ignotis, dedicavitque ecclesiam Domni-Martini ante civitatem Tullensem. Excessit seculo VIII ineunte, *Circa*
anno circiter 705. 705.

XXII. Garibaldus.

Testis reperitur Garibaldus seu Gairebaldus in diplomate Pipini Austrasiæ ducis in gratiam monasterii Epternacensis III idus Maii, anno duodecimo regni Childeberti gloriosissimi
regis, id est anno 706. Genitorem habuisse 706.
traditur Wlfoaldum comitem, cujus litteris de fundatione monasterii sancti Michaëlis ad
Mosam subscripsit anno 709. Plurima pro- 709.
prietatis suæ prædia indulsit ecclesiæ Tullensi, nempe Franculfi-villam, Arugiam & Ribodivillam. Dedit insuper fratribus suis ad convictum communem auri solidos 15, iterum auri solidos 12. Adeptus quidem est a Childeberto III rege ad instigationem Ermenchildis reginæ ejus uxoris abbatiunculam S. Petri in nemore Dervensi & dominia de Magniaca-villa, Boneriaco & Capedonia. Donationes & ipse ecclesiis S. Stephani de Luciaco & sancti Laurentii de Truciaco impertitus est. Controversiam de limitibus territorii de Liberduno habuit cum Arnulfo duce, quam Amalricus, a rege designatus arbiter, in gratiam Tullensis ecclesiæ composuit. Decessit Garibaldus regnante Theodorico IV circa annum 735. In errorem una cum autore historiæ episcoporum Tullensium prolapsi sumus t. XII, col. 627, ubi diximus a Garibaldo locum in Vosago sancto Deodato Nivernensi episcopo concessum fuisse ad inhabitandum, cum hunc locum S. Deodatus jam incoleret an. 669.

§ Hilduardus in Belgica inter Sanctos honoratus, auctor monasterii de Gerardi-monte in Mechliniensi diœcesi, quem Tullensem episcopum fuisse diximus tom. V, col. 43, nec in vetustis catalogis, nec in antiquis breviariis Tullensis ecclesiæ recensetur ante seculum decimum sextum. Imo quidem esse videtur cum Hildoardo Cameracensi episcopo, cujus obitus notatur ad diem 4 Julii anno 816. Sancti Hilduardi reliquiæ in urbe Teneramunda cum veneratione servantur in ecclesia collegiata B. Mariæ.

ANNI CHRISTI

XXIII. Godo.

Infaustis temporibus episcopalia munia obivit Godo viginti circiter annis; Tullensis enim civitas cremata, chartæque & documenta ecclesiæ exusta sunt. Quibus in angustiis Godo Pipinum regem adiit, & ab ipso urbi immunitatem, & ecclesiæ diploma chartas omnes flammis absumtas renovans assecutus est. Adhuc
753. erat superstes anno 753, cum Madalveus Virdunensis episcopus est electus. Defunctus
755. anno 755, sepulturam habuit in prædio proprietatis suæ, quod dicitur Castellum, ubi sepulcrum ejus quondam cernebatur.

XXIV. S. Jacob.

Godonis in locum suffectus Jacob circa
756. annum 756, Compendiensi concilio, in quo duodeviginti canones de matrimonio conditi
757. sunt, interfuit ac subscripsit anno 757. Invitatus a Pipino rege cum multis aliis præsulibus accessit ad dedicationem ecclesiæ monasterii
761. Gorziensis anno 761, donatusque est ab ipso rege cœnobio S. Deodati, uti constat ex charta donationis, sæpe citata in regum imperatorumque diplomatibus. Fuerat ante episcopatum abbas monasterii Hornbacensis seu Gamundiensis, ut legitur ex actis conventus
765. Attiniacensis, quibus anno 765 sic subscripsit: *Jacob episcopus de monasterio Gamundias;* more scilicet plurium aliorum episcoporum e monasterio evocatorum, qui huic synodo interfuerunt. Ex qua subscriptione nonnulli male concluserunt ipsum ab episcopatu cessisse, ut in solitudinem se reciperet. Jacob sane est episcopus ille Tullensis, qui cum episcopo Virdunensi & duce provinciæ a Pipino rege missus est, ut repeteret reliquias SS. Gorgonii, Naboris & Nazarii ab Agaunensibus monachis e loculo sublatas. Dum ex urbe Roma, quo aggressus erat iter, rediret, Divionem ad tumulum B. Benigni martyris accessit, adductus fama miraculorum, quæ meritis ejus divinitus patrabantur: ubi morte interceptus, juxta beati martyris tumulum sepultura donatus est. Author vitæ S. Hydulfi Trevirensis, Medianimonasterii conditoris, manuscriptum etiam S. Mansueti, atque etiam Petrus Damiani in opusculo de abdicatione episcopatus, narrant S. Hydulfum a Jacobo petiisse locum ad habitationem aptum in Vosago: sed error est, nam S. Hydulfus multo ante in Vosagum se
Circa receperat, mortuusque erat jam anno 707.
767. Jacob vero excessit anno circiter 767, & inter Sanctos in Tullensi diœcesi colitur 23 Junii. Soror illi fuit, Liliosa nomine, quæ prædium quoddam suum, id est Brittiniacam-curtem, in confinio Tullensis & Lingonensis diœcesum situm, sancto Benigno donavit pro fratris sui sepultura, ubi cella in honorem S. Benigni a Divionensibus monachis erecta est. Cella est etiamnum eidem monasterio subjecta, & * S. Benigni nomen hactenus retinens.

* S. Blin.

XXV. Borno.

In episcopatu Borno excepit Jacob ex mss. S. Mansueti; Cointius vero vult ut Jacob successorem habuerit Godonem, qui ex auctore historiæ Tullensis immediate Jacob præcessit. Conjicit etiam Cointius, nulla tamen exhibita probatione, Possessorem in veteribus Tullensis ecclesiæ monumentis omissum, sed memoratum anno 775 in tribus epistolis Adriani papæ ad Carolum Magnum, Tullensem fuisse episcopum. 775. Nihilominus hac de re Borno valde laudatur: is siquidem miseratus civium Tullensium inopiam, urbis incendio fortunis destitutorum, ab episcopis Metensi & Virdunensi ingentem vim argenti pro resarciendo damno mutuatus est, quam Pipinus rex, præsulis liberalitatem admiratus, ex ærario regio solvi jussit. Offonis-villæ abbatiam a Carolo Magno sibi restitui curavit, villamque Mosseyum dictam, quam S. Gerardus dein cessit monasterio S. Mansueti, ab ipsomet rege consecutus est. (Charta II, col. 436.) Regem eumdem anno 788 adiit una cum Angelramno Metensi, & ab hoc principe, factam cum præcitato Angelramno commutationem, probari curavit. 788. Obiisse fertur anno 794 post rite expletum plurimis annis episcopale munus. 794.

XXVI. Wannicus.

Treviris a Richbodo metropolitano Caroli Magni jussu consecratus est Wannicus, mendose dictus Unanimicus, adstantibus Petro Virdunensi & Gondulpho Metensi episcopis. Christiani monasterium a Carolo Magno rege accepit, nactus quidem ab ipso est litteras de restitutione prædiorum Vidi & Wiskerii, quæ quidam optimates Tullensi ecclesiæ abstulerant. Wiskerium restituerunt invasores, at Vidum retinuerunt. Qua de re querelas Wannicus detulit ad Imperatorem, qui non petitionis modo effectum indulsit, sed & usurpatores pepulit in exilium anno 805. Ad id tempus Valefridus comes in pago Sungintensi construxit in suo prædio monasteriolum in honorem S. Martini, quod Wannicus dedicavit, & villam Abonis-curtem in augmentum dedit. Quod monasterium comes Valefridus ad ipsius præsulis preces S. Stephano postea concessit. Cum Adalmato chorepiscopo archiepiscopi Trevirensis Amalario metropolitæ opitulatus est Wannicus anno 813 in auguratione Austranni Virdunensis episcopi. 813. Paulo post in Orientem profectus est Amalarius, eoque jam iter aggresso, Wannicus VI calend. Januarii extremum diem clausit, sepultusque est in monasterio S. Apri.

XXVII. Frotharius.

Trevirensis ecclesiæ a Flodoardo dictus presbyter Frotharius, prius fuit abbas S. Apri, quam ad Tullensem promoveretur ecclesiam; ipseque testatur quod in Gorziensi monasterio educatus fuerit, & de Gorziensibus monachis loquens

loquens ait: *Quia inter eos me constat adolevisse.* A
Ubi Wannico datus est successor Frotharius, lis de ejus ordinatione emersit, quia tunc in provincia Trevirensi seu Belgica prima numerus episcoporum ad consecrationem episcopi requisitus deerat, Amalario metropolita Constantinopolim tunc profecto, sedibusque Metensi ac Tullensi vacantibus: soli supererant Adalmatus & Austrannus, ille chorepiscopus Trevirensis, hic episcopus Virdunensis nuperrime ordinatus. Vulfarius, quia provinciæ Remensis seu Belgicæ secundæ metropolitanus erat, jus ordinationis in hoc casu sibi devolutum dixit, consecravitque Frotharium XI cal. B
Aprilis 813, ut in antiquo martyrologio legitur. Unde Flodoardo metropolim Remensem Trevirensi hac sola causa præponere libuit. Magna in existimatione Frotharius fuit apud Ludovicum Pium imperatorem, a quo provinciam accepit opera quædam palatiis Aquensi & Gundulfi-villæ addendi. Verum cum episcopali munere his curis abduceretur, Hilduinum archicapellanum Imperatoris per litteras rogavit, ut a se hoc onus submoveret. Addit etiam se suæ cathedralis ecclesiæ instaurationi operam dare; quibus tamen operibus vacare non potuit, tum propter hiemem, cum propter C
operarios sementibus distentos; nec omittit calamitatem nuper obventam hac occasione: unus ex episcopalibus domesticis indignatus quod œconomi munere non fuisset honestatus, succensis maligne horreis, episcopum & capitulum ad extremam redegit egestatem. Pergit Frotharius, quod si Imperator illi curas committere non desierit, episcopatui nuncium remittere cogatur. Ad id tempus Hismundus abbas Mediani-monasterii monachorum portionem usurpavit, promittens se eis omnia necessaria administraturum; sed ille fidem fefellit. Qua de re monachi conquesti sunt apud D
Frotharium Tullensem episcopum, dicentes se, rebus necessariis deficientibus, regulariter vivere non posse. Venit ille & rem ita haberi cognovit. Ipso agente, pollicitus est abbas se omnino emendaturum quidquid ab ipso negligenter actum fuerat. Promissis ejus fidem habere noluerunt & portionem sibi assignatam reddi postularunt. Quod abbas se facturum negavit injussu Imperatoris, quem adeundi facultatem sibi dari unanimiter monachi Frotharium rogarunt, affirmantes malle se de monasterio expelli, & ostiatim mendicando vivere, quam falsis promissionibus eludi, & E
sub falso monachorum nomine irregulariter vivere. Facultatem hanc Frotharius eis indulsit, idque Imperatori significavit litteris, ac monachos aliis litteris Hilduino abbati & archicapellano commendavit. Questus quidem est Drogoni Metensi episcopo quod, se inconsulto, Senonienses monachi quidam cum venia abbatis Erlefredi e Tullensi diœcesi exire præsumpsissent. Theodorico Senoniensi & Reginardo Mediani-monasterii abbatibus aliam inscribit epistolam, in qua agit de luporum infestatione, qui tunc temporis illas plagas devastabant, hominesque jam superiori anno peste affectos devorabant, deque murium pernicie, qui vineas ac segetes tum depascebantur. Quapropter hos abbates monet Frotharius ut præcipiant omnes presbyteros, in illis locis commanentes, ad sua monasteria pariter convenire, & per triduum jejuniis & litaniis insistere, cilicio & sacco obvolvi, cinere conspergi & communi supplicatione Domini clementiam obnixe deprecari, ut ejus exuberans misericordia non secundum merita eos dijudicet, sed ad pœnitentiam recurrentes misericorditer suscipere dignetur. Comperimus ex epistola Hetti metropolitæ scripta an. 817 817.
Frotharium in Italiam ad bellum contra Bernardum regem imperatori Ludovico rebellare disponentem ivisse. Scribit & ipse nobilissimo viro Gerungo rogans excusationem a servitio militari in Hispania. At petitionis suæ effectum consecutus fuisse non videtur, cum Drogoni Metensi significet se vel in Hispania, vel in palatio regio cum visendi voluptate perfruiturum esse. Monasterii S. Apri, cujus abbas fuerat ante episcopatum, maxime studiosus Ch. III,
fuit. Illud enim bonis ac facultatibus exhaustum, col. 447.
disciplinaque regulari destitutum, tum ex bellorum tempestatibus, cum ex abbatum incuria, ad pristinum splendorem revocare statuit, & cum licentia Ludovici Pii imperatoris alienatas res restitui curavit. Reliquias S. Apri misit ad abbates Hugonem & Wicardum, a quo accepta gratiarum actione, petiit ut Aquisgranum tria plaustra vini de Bonna sibi mitteret. Suam quoque cathedralem ecclesiam mirifice decoravit, ut patet ex epistola ad Aglemarum abbatem, a quo petit ut sibi mittat ad decorandos parietes colores diversos, videlicet auri pigmentum, folium indicum, minium, lazur, prusinum, & vivum argentum. Alii abbati maximas rependit gratias quod sibi fidelem virum & sacris artificiis idoneum direxerit, quem peracto opere remittere promittit. Singula hæc excerpsimus ex ipsius Frotharii litteris editis tom. II histor. Franc. Quesn. p. 712 & seqq. Translationem reliquiarum S. Amonis episcopi peregit circa annum 820. Duobus 820.
adstitit conciliis Theodonis-villæ, primo habito anno 821, & alteri celebrato anno 835, 821.
ubi Ebbo Remensis, qui Ludovicum Pium 835.
imperio exuerat, depositus est. Ab Aldrico in Senonensem archiepiscopum an. 829 electo litteras accepit ad præsidium precum ipsius & amicorum implorandum. Unus etiam fuit e præsulibus, qui in synodo Engilhenheimensi habita anno 840 restitutionem ejusdem Eb- 840.
bonis probarunt. Ad preces monachorum sancti Chart. IV,
Apri controversiam inter eos & ecclesiam sancti col. 450.
Johannis exortam de limitibus parœcialis ecclesiæ S. Maximini sopivit idibus Octobris 838. Tunc temporis chorepiscopus erat in ecclesia Tullensi Berardus, cui anno 845 a Lothario 845.
imperatore concessa fuit ecclesia S. Amantii. Charta V,
Frotharius comparata sibi omnium existima- col. 451.

ANNI CHRISTI

tione, decessit anno 846, 1 Maii, humique mandatus est in cœmeterio sancti Apri intus claustrum, ad ingressum monasterii, unde ejus ossa in posterum translata sunt retro altare S. Crucis.

XXVIII. Arnulfus.

Aurelianis natus Arnulfus, patrem est sortitus nomine Arnaldum, qui sub Ludovico Pio eximiis muneribus est honestatus, quæ probe complevit, potissimum in Tullensi tractu, ubi cum Frothario episcopo amicitiam injunxit. Mater ei fuit Flammola pietate insignis. Frothario e vivis exempto, Arnulfus a clero electus est an. 847 ex assensu Lotharii imperatoris, cui meritum ejus non erat ignotum. Forsan hic præsul non diu Imperatori acceptus est, nam paucis post annis ille princeps monasteria S. Apri, S. Germani, & S. Martini Tullensi ecclesiæ abstulit, laïcisque tradidit. Distractionem hanc ægre passus episcopus, Prumiam iter aggressus est, quo Imperator se receperat, monasticam vitam induturus, eumque tam enixe rogavit, ut princeps testamento jusserit
855. an. 855 præfata monasteria Tullensi ecclesiæ restituenda. Ultima tamen Cæsaris voluntas
858. caruit effectu usque in annum 858, quo Lotharius rex ejus filius hac mente, ut Arnulfus divortium ejus a Thietberga regina probaret, abbatias reddidit. Et quidem in conciliis Aquisgranensi & Metensi divortium episcopus laudavit. Quod cum Nicolaus I pontifex improbasset, excommunicationemque præsulibus, qui istis adfuerant conciliis, minatus fuisset, Arnulfum delicti pœnituit, veniamque a papa petiit; quin etiam, si fides mss. S. Mansueti Lotharium ipsum a communione sejunxit. Ea de re rex iratus, Tullensi ecclesiæ præter abbatias S. Apri, S. Germani & S. Martini, abstulit etiam Bodonis-monasterium & alias possessiones: quæ tamen omnia mox restituta fuisse constat ex diplomate Ludovici Balbi imperatoris. Duobus adstitit conciliis apud Saponarias
859. diœcesis Tullensis habitis 859 & 862, Tus-
860. ciacensi 860, itemque duobus Aquisgranen-
862. sibus 860 & 862, atque etiam Metensi 863,
863. in quibus episcopi suum tradiderunt ministerium, favendo divortio Lotharii. Verum ille admissam, ut modo diximus, culpam emendare nec cunctatus est. Una cum Atone Virdunensi episcopo Carolum Calvum Metas
869. secutus anno 869, coronationi ejus, factæque ipsum inter & Ludovicum Germaniæ regem
870. regni Lotharingiæ partitioni interfuit an. 870. Is simul & Adventius Metensis pluribus aliis præsulibus stipati, in Trevirensem archipræsulem eodem anno consecrarunt Bertulfum, & cum eo Attiniacensi concilio adfuerunt.
871. Insequenti anno cum propter senectam vel morbum Duziacensi concilio adstare non posset, deputatum misit, qui sic subscripsit: « Ego » Leudericus vice Patris mei Arnulphi Tullensis episcopi subscripsi. » Eodem anno die 17 Novembris e vivis ereptus, in crypta subterranea ecclesiæ S. Apri, prope hujus Sancti corpus, penes sacellum S. Aniani & SS. Cornelii & Cypriani, conditus est, dein retro altare principis Apostolorum traductus.

Mabill. Diplom. lib. VI, pag. 548.

XXIX. Arnaldus.

Antecessoris nepos Arnaldus, a puero litteris in Tullensibus scholis imbutus, ex custode ecclesiæ in præsulem a clero cooptatur anno 872. Infirmitate tunc gravatus Bertulfus Tre- 872.
virensis metropolita, ordinationi ejus cooperari nequivit. Ea propter Hincmarum Remensem precatus est, ut unum e suffraganeis Remensis ecclesiæ, numerum episcoporum a sacris canonibus præfixum adimplendi gratia mitteret. Villibertus episcopus Catalaunensis ab Hincmaro deputatus, in diœcesim Metensem ex præcepto Caroli Calvi regis accessit, & cum Adventio Metensi & Berardo Virdunensi præsulibus Arnaldum inauguravit an. 873, Caroli 873.
regis in Lotharingia regnantis anno 3. Hoc eodem anno v id. Septembris in placito generali apud Gundulfi villam habito, cum prælatis & magnatibus Lotharingici regni, præsentibus Ingelberga, atque Formoso & Haderico sedis apostolicæ legatis, Arnaldus Carolo regi fidei juramentum præstitit: ipsum forsan regem, qui Romam adiit an. 875, ubi a Johanne VIII 875.
pontifice imperiali corona insignitus est 25 Decembris, comitatus erat Arnaldus; nam an. 876 mense Februario Ticinensi concilio, 876.
Imperatoris ejusdem jussu coacto, adsuit & subscripsit. Eodem anno mensibus Junio & Julio Pontigonensi concilio, in quo firmatæ sunt concilii Ticinensis dispositiones, adstitit, privilegiumque monasterio Caroli-loci indultum laudavit. Trecensi quoque synodo, ubi Ludovicus Balbus a Johanne papa VIII in regem est inunctus, interfuit anno 878. Die 878.
9 Decembris ejusdem anni monasteriorum SS. Apri, Germani & Martini, jam a Lothario imperatore, ejusque filio Lothario rege, nec non a Carolo Calvo patre suo concessorum, restitutionem ab ipsomet Ludovico ecclesiæ suæ cathedrali obtinuit. Assecutus quidem ab ipso est confirmationem privilegiorum a regibus tributorum & quasdam possessiones in Oscado, Waldini-villa, aliisque locis. Ratbodi Trevirensis archiepiscopi electioni, nec non Roberti Metensis episcopi ordinationi an. 883 883.
adstitit. Diploma de confirmatione bonorum & privilegiorum abbatiæ S. Apri circa annum 884 impetravit a Carolo Crasso rege. Concilio 884.
in monasterio S. Arnulphi Metensis celebrato 1 Maii 888 una cum comprovincialibus episcopis, Ratbodo metropolita præside, præsens fuit. Ad id tempus comites Gerardus & Stephanus fratres, atque etiam Matfridus invaserunt abbatiam S. Apri, castrumque & arces in vicinia urbis Tullensis, fundos ecclesiæ ergo usurpandi, struxere. Hac de re questus est episcopus apud Arnulphum regem, qui citatis Vormatiam comitibus jussit ut in damni compensationem episcopo penderent septingentas

Quesn. Hist. Franc. t. II, p. 455.

Concil. t. IX, pp. 279 & 282.

Ibid. p. 281, & seq.

Ibid. p. 307.

Mabill. Diplom. lib. VI, pag. 548.

Id. p. 652.

Concil. t. IX, p. 412.

Ch. VI, col. 451.

ANNI CHRISTI

libras argenti, quin & litteris sancivit ne infra quatuor leucas ab urbe Tullensi ulla castellaris munitio, excepta arce Liberduni, maneret ædificata. Remos tamen contra Arnulphi regis
893. voluntatem profectus Arnaldus anno 893, ut Caroli Simplicis regis adsoret coronationi, in ejus odium incurrit. Omnia siquidem ejus bona fisco addicta fuerunt, imo & ipse regis mandato deductus est Moguntiam, & tanquam regiæ majestatis reus Engelheimensi carceri mancipatus, donec exsilio aut morti damnaretur. Ast intercessione Salomonis Constantiensis & Hattonis Virdunensis præsulum non modo veniam impetravit a rege, verum & restitutionem abbatiarum SS. Apri & Germani; quin etiam tutelam & protectionem ipsius regis adversus comitem Stephanum & fratrem ejus Gerardum, qui super possessiones Tullensis ecclesiæ nimiam malitiam exercuerant, & fere totam terram rapinis & incendiis ad extremum deduxerant. Libertati suæ nec diu
894. superstes, devixit 5 Decemb. 894. Humatus est in monasterio S. Apri prope Arnulphum avunculum, unde ejus ossa in posterum juxta altare principis Apostolorum translata sunt.

XXX. Ludelmus.

Ex monacho S. Maximini Trevirensis in episcopum electus Ludelmus, seu Lugdelmus
895. anno 895, a Ratbodo metropolitano ejusque suffraganeis Roberto Metensi & Dodone Virdunensi eodem anno consecratus est, ex chronico Reginonis. Ipsum in concilio Triburiensi paulo post sedisse asserit Trithemius. Magnæ sagacitatis vir dictus in Tullensium episcoporum actis, multum laborasse in templi atque etiam urbis restauratione, sub finem vitæ ejus decessoris prorsus Normannorum incendio conflagratæ, perhibetur. Hoc in opere adjutorem expertus est Arnulphum regem, qui in
898. diplomate dato anno 898 laudat Tullenses de cura in defendendis regni confiniis, deque zelo in resarcienda cathedrali ecclesia, pro cujus instauratione pretiosissimam supellectilem igni ereptam impertiti fuerant. Idem rex oratorium S. Johannis-Baptistæ, cui flammæ pepercerant, propriis impensis instauravit: quin etiam ecclesiam Gundulfi-villæ cum viginti mansis in pago Liwensi tribuit Ludelmo; qui quidem adeptus est a rege Zuenteboldo silvam ecclesiæ S. Stephani sitam in villa eadem: itemque a Ludovico rege monetam civitatis & teloneum cum immunitate comitatus, & tandem ab Everalmo regio medico mansos quatuor in Iliciaco. Multum & ipse contulit ad decus & honestatem clericorum, nobiliumque laïcorum, & ad ecclesiæ patrimonium augendum. Comparavit etiam abbatiolam sancti Pientii, quam Prætoria Dei fidelissima famula olim dederat; villam quoque Videliacum, quam mensæ canonicorum attribuit, ea conditione ut post excessum regum Arnulphi & Zuenteboldi, singulis annis memoriam eorum agerent in vigiliis & orationibus; insuper & ad altare, ubi corpus ejus humatum foret, hebdomadarius sancti Stephani missam pro ipsius absolutione quotidie celebraret. Actum III idus Augusti, Incarnationis Domini anno 898, ordinationis ejus anno 4. Eodem anno a Zuendeboldo rege privilegium in gratiam monachorum S. Apri obtinuit. Ecclesiæ suæ utilitatibus semper intentus, Ludovicum regem Argentoratum adiit anno 900, plura nova 900.
petitionum capita rogans, quæ omnino consecutus est, præsertim jus fruendi abbatiis sanctorum confessorum Apri & Germani; hoc tamen excepto, quod comes Boso non turbaretur in possessione monasteriorum Bodonis-monasterii & Offonis-villæ, quæ ille ob servitia a rege acceperat. Plura alia in libro de gestis episcoporum Tullensium refert author anonymus de Ludelmo, *cujus sanctitatem*, inquit, *& opera felicia si per omnia scriberemus, magnum libri textum efficeremus.* Non ea omnino fuit sententia alterius cujusdam anonymi de Ludelmo, quem licet seculari nobilitate præclarum, & in temporalibus utilem fuisse dicat; at minus spiritualibus devote intentum extitisse asserit; congregationibus monachorum ac canonicorum, non ut patronum, sed ut rigidum rectorem præfuisse, & pro libitu eorum bona usurpasse, & dispertiisse, ob idque anno undecimo sui regiminis gravi brachii dolore percussum fuisse, ex quo brevi postea confectus sit. Ludovicum Germaniæ regem Tulli versantem præceptum tuitionis & confirmationis in ecclesiæ suæ gratiam rogavit & impetravit XI calendas Septembris 906, anno Ludovici regni 7. Mortuus forte anno 907, III idus Septembris, prout in eisdem Tullensium episcoporum actis legitur, humatus fuit non in ecclesia S. Apri, sicut ejus antecessores, ubi tamen jam pridem sepulcrum suum delegerat; sed in ecclesia cathedrali ante altare sancti Martini. Membraneus codex monasterii S. Petri Catalaunensis refert brachii dolorem Ludelmo accidisse ex eo quod sancti Apri bona abstulisset, idque revelatum fuisse Girveo venerabili sacerdoti ecclesiæ parochialis beati Maximini in suburbio Tullensi positæ, ac Bernefrido primicerio, a quo de restitutione rerum ablatarum admonitus, se quidem id facturum pollicitus sit: at ægritudinis molestiæ intentum, atque alia curantem, promissione haud expleta, e vivis excessisse. Cernitur id epitaphium parieti Albæ Virginis adhærens.

Lugdelimus crypta jacet hic juxta sua scripta,
Archimandrita vivit, vita redimita.
Villiaci villam confratribus tradidit illam.
Dat pro quiete psallere de requie.
Ehia fideli sibi dulce favente. Maria.

XXXI. Drogo.

Post Ludelmi excessum, de eligendo episcopo emersere dissensiones, & quidem ea de re cives atque nobiles inter se dimicarunt,

Annal. Ben. t. III, p. 293.

ANNI CHRISTI

adeo ut inde sanguis effusus fuerit, incendiaque & aliæ calamitates emanaverint. Clerus tam funesta divisione graviter permotus, episcopum cooptavit Drogonem, nobilissimis ortum natalibus, & Caroli Simplicis Franciæ regis consanguineum circa annum 907. Hic episcopatus possessionem vix potuit adipisci, impeditus a regni primoribus, qui verebantur ne Drogo Caroli regis partes contra Ludovicum III Germaniæ regem susciperet. Quin & ipse Ludovicus nobilibus se adjungens, totis viribus ei adversatus est. Verum ille, suas in partes tractis & civibus, & comite Gerardo, clam in urbem ab eo deductus est. Drogonem episcopatu deturbare facile non esse cernentes optimates, in gratiam cum eo redire statuerunt, ejusque electionem ipso regi Ludovico probare visum est. Dehinc episcopus omnium animos prudentia sua sibi conciliavit. Sub ejus pontificatu Hungari in Lotharingiam irruentes, pleraque monasteria diripuerunt. Barbarorum sævitiam veriti monachi sancti Apri, corpus patroni sui tulerunt in ecclesiam S. Johannis-Baptistæ intramuranam. Id sacrum corpus Drogo ecclesiæ suæ vindicare tentavit. Ast ejus consilium præverterunt duo S. Apri cœnobitæ, qui furtim sacrum loculum cum adjutorio duorum clericorum per porticum subductum, in præparatam specum, cæteris nescientibus, intulere.

Circa 910. Ad annum circiter 910 reliquias sanctorum Romarici, Amati & Adelphi transtulit e sacro monte in novum parthenonem, quem ipsorum Hungarorum metu Romaricenses virgines cum oppido & propugnaculis in planitie condiderant.

912. Sub initium anni 912 Bodonis-monasterium, ecclesiæ suæ nuper abstractum, a Carolo simplice rege recuperavit ex præcepto Ludovici regis, ex cujus munificentia Tullensis ecclesia in bonorum omnium possessione firmata est ea conditione, ut post obitum pro ipsius regis animæ remedio fieret anniversarium. *Calmet. Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 334.* De Bodonis-monasterii restitutione exstat præceptum Caroli regis, in quo Drogo eidem regi detulisse dicitur non pauca chartarum monumenta, in quibus continebatur Bodonem quondam episcopum condidisse prædictum monasterinm, illudque Tullensi ecclesiæ subjecisse: postea vero Arnulfum episcopum propter insuperabilem rectitudinis normam, quam tenuit erga Lotharium regem, contra Valdradæ scilicet adulterinam copulam, hoc monasterio, aliisque rebus ab ipso rege spoliatum fuisse, nec illud recuperare potuisse, sed neque Arnaldum & Ludelmum ejus successores, qui sæpe reclamaverant. *Bened. Hist. Tullen. prob. p. 17.* Unde Carolus justam Drogonis postulationem esse videns, tum pro ejus erga regem fidelitate, tum pro consanguinitate ipsius, prædictum monasterium Tullensi ecclesiæ restituit, eo pacto ut dies, quo ipse regni adeptus est solium, in refectione fratrum canonicorum, pariterque monachorum, scilicet v calendas Februarii honorifice celebretur; qui dies post suum ex hac vita discessum in anniversarium commu-

A taretur. In synodo habita anno 916, litteris datis nonis Novemb. decimam ecclesiæ sancti Martini in Mannoni-curte monasterio sancti Apri, instante Segedeo abbate, restitui jussit. (ANNI CHRISTI 916. *Annal. Bened. t. III, p. 697.*) De proprio suo largitus est ecclesiæ suæ ad stipem canonicorum villam & ecclesiam Domni-Martini; tradidit & abbatiolam dicatam in honore S. Martini super fluvium Mosam, in qua præter bonas consuetudines, quæ tunc ibi vigebant, præcepit ut uniuscujusque hebdomadis Sabbato ad vesperum fieret pedum lavatio. Comparavit etiam a Sigiberto milite in Bertrici-curte mansum unum

B cum ecclesia & medietatem ecclesiæ Domni-Apri, tertiamque partem ecclesiæ S. Hilarii in Vermense, nec non molendinum seu farinariam cum piscatione. Adeptus quidem est a Carolo rege silvam regiam, quæ dicitur *Ermundias*. Decessit, teste Frodoardo, anno 922, v cal. Februarii post septemdecim episcopatus annos. 922. Emendanda sunt igitur Tullensium episcoporum acta, quæ septem tantum annos ei tribuunt. Sepulturæ traditus in cathedrali ante altare S. Petri, unde eductus est in sacellum Albæ Virginis, ubi legitur id epitaphium:

C
Præsulis hac fossa tumulantur & ossa
Drogonis, qui jus sedis ampliat hujus,
Dommartini villam dedit igne camini,
Privet mortiferi illum de prece cleri.

XXXII. S. Gauzlinus.

Sagax & providus, pontifexque nobilissimus Gauzlinus, « vir, ut produnt acta Tullensium episcoporum, summe catholicus atque monasticæ religionis cultor devotissimus, qui Francorum nobili sanguine ortus, in palatio inter regni proceres est altus; atque mox futurus

D pontifex super multos sui generis coætaneos enituit geminæ scientiæ dono: omnium ergo votis pontificali infula sublimatus, xvi cal. Aprilis (922) est Christo favente ordinatus, dulcedineque suæ prosapiæ, benivolentia clementissimi cordis, serenitateque adeo jocondi vultus, & lenitate sermonis sedule superabat, totus in vigiliis, in eleemosynis intentus. » Episcopatus initio Henrico I aucupi regi, cui Carolus Simplex Lotharingiæ regnum cesserat, parere detrectavit, nec dedit ei fidem, nisi post sustentam urbis suæ obsidionem. Paulo tamen post hujus principis sensit munificentiam, nactus

E siquidem ab ipso anno 928 pro se suisque successoribus urbem & comitatum Tullensem cum regalibus juribus perpetuo possidendum, cujus contulit administrationem comitisque titulum homini fido, Eberardo scilicet, regis propinquo, cui ab ipso rege eodem anno biennioque post ob amorem venerabilis præsulis Gauzlini duo indulta sunt privilegia. 928. *Bened. Histor. Tull. prob. p. 18.* Ut magno in rem monasticam Gauzlinus studio affectus fuit, suburbanum S. Apri monasterium a pristino instituto defecisse dolens, fama excitus florentissimæ apud Floriacum monasticæ

disciplinæ, eo se contulit, inspectaque propius religione totius observantiæ, ritum ac seriem inde retulit; ac viris religiosis undequaque collectis, in cœnobio S. Apri regularem disciplinam restituit, præfecto ibidem Archemboldo abbate. Qua de re litteras dedit v idus
936. Octobris an. 936, quas vide si lubet tom. III, Annal. Bened. p. 705 & seqq. Pluribus post
Chart. IX, col. 453. annis cernens monachorum gregem ita crescere in dies, ut eis substantia monasterii non sufficeret, adjunxit præbendæ monachorum ecclesiam in villa Columbario sitam, ab eodem cœnobio abstractam, XI cal. Januarii, ordi-
Chart. XI, col. 455. nationis suæ anno 18. Aliquibus post annis, comprobante sancto præsule Gauzlino, conditus fuit prioratus Baini-villæ, a præfato S. Apri monasterio dependens. Res omnes huic monasterio collatæ, diplomate Othonis I
948. regis firmatæ sunt III nonas Augusti 948. Eodem anno itemque præcedenti conciliis Mosomensi, Virdunensi & Ingelheimensi adfuit in causa Hugonis & Artaldi, de Remensi episcopatu litigantium. Monasterium Dervense, quondam Garibaldo episcopo a Childeberto III rege traditum, nactus a Ludovico Ultramarino, ad strictiorem normam reduxit, in Benzonis abbatis locum suffecto Alberico, immissisque cum eo fratribus ex monasterio sancti Apri. Adeptus quidem est abbatiam Mediani-monasterii ea lege, ut Fridericus dux, dum viveret, advocatiam retineret. Obtinuit etiam monasteria Offonis-villæ & Pauliniacense, commutavitque cum Archado episcopo Lingonensi abbatiam de Varennis pro villis Bozonis-montis & Usarcii. Cum Andelacensi abbatissa litem habuit de abbatia Bodonis-monasterii, quam ipsa ut ad se spectantem reclamabat. At ille cum duodecim ingenuis hominibus contra abbatissam id monasterium ab ecclesia sua pendere probavit. Quam maximas vastissimasque possessiones & latifundia Gauzlini respectu Tullensi ecclesiæ in ipsius vita legimus fuisse tradita a Rotgero comite, Eva comitissa, Henrico I & Ottone I regibus. Basilicam sancti Mansueti collabentem instaurare, eodemque loci monasticum ordinem restituere cœpit, commissa hujus ecclesiæ cura Archembaldo abbati S. Apri, qui illic præpositum pluresque monachos constituit, quos ob stipendiorum defectum, propriis monasterii sui sumptibus alebat. Buxeriense parthenium in devexitate
Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 340 & seqq. montis, ubi exstabat antiqua basilica in honorem Dei genitricis Mariæ dicata, quæ ab Hardrado ipsius Gauzlini fratre in dumis & vepribus inter venandum est reperta, condidit anno 935, tradiditque ad habitandum quibusdam sanctimonialibus sub moderamine Rothildis abbatissæ, attributis ad earum victum necessariis rebus. Non satis ei fuit id monasterium struxisse, nisi ei etiam permanentem
Chart. XII, col. 456. statum curaret. Quapropter anno 960 pridie nonas Junii adiit Otonem I regem, a quo non tantum parthenii sed & bonorum ei collatorum confirmationem, immo & novas donationes assecutus est. Adsonem monachum doctrina conspicuum, de quo egimus tom. IX in Dervensibus abbatibus, col. 913, e Luxoviensi cœnobio eductum, præfecit scholæ sancti Apri, ut ille non juvenes tantum monachos, sed & clericos in sacris litteris informaret. Ad annum 954 Hungari ad rebellionem a 954.
Conrado Lotharingiæ duce, Ottonis imperatoris genero, incitati, in Lotharingiam prorumpentes, Tullensem urbem ceperunt & ita diripuerunt, ut vix tres vel quatuor canonici ob victus difficultatem superessent in majori ecclesia, divinæ rei operandi gratia. In his angustiis Gauzlinus, undique ope quæsita, multos optimates beneficos expertus est, in primis Ottonem imperatorem, cujus impensis resarcitæ sunt ædes episcopales. Subscripsit litteris famuli Dei Arnulfi de fundatione prioratus de Baini-villa anno 957. Pastorali cura cum indefesso labore ac zelo perfunctus, meritis plenus excessit VII idus Septemb. 962, 962.
quadragesimo sui episcopatus anno, per quatuor ultimos vitæ annos gravissimo morbo cruciatus. Corpus ejus a clero & populo in Buxeriense monasterium delatum fuit inhumandum, ubi etiamnum corpus & caput in pretiosissimis thecis asservantur. Servatur & in cathedrali ecclesia maxilla ejus honorificentissime recondita. Sparsis de eo post mortem injuriis rumoribus, aiunt S. Gerardo ejus successori revelatum fuisse ipsum meritis & gloria coæquari B. martyri Apollinari. In Buxeriensi ecclesia visuntur calix, patena & velum, quibus usus est in ipsius ecclesiæ dedicatione.

XXXIII. S. Gerardus.

Nobilibus parentibus, scilicet patre Nigranno & Imma matre Coloniæ procreatus Gerardus, ab ipsis liberalibus imbuendus disciplinis a puero in ecclesia S. Petri traditus est. Dum illic sacris litteris incumberet, parentes suos perdidit, Imma matre fulmine necata. Pœnam hanc matri ex peccatis suis accidisse ratus, duram exegit pœnitentiam. Ad singulos sacrorum ordinum gradus promotus, cellerarii munus obeundum accepit. Quod officium cum melius quam poterat adimpleret, in levem culpam lapsus, ne claustro discederet aliquandiu jussus est, & culpam in gravis pœnitentiæ exercitiis sic expiavit. Inter hæc, Tullensi sede orbata pastore suo, clerus populusque ad Brunonem archiepiscopum Agrippinensem, Ottonis I imperatoris germanum, & in tota Germania finitimisque partibus vicarium, deputatos direxerunt episcopum postulandi gratia. Bruno ex testimonio decani S. Petri cognitis Gerardi virtutibus, ipsum licet invitum ad episcopatum evehi consensit. Deductus itaque Trevirim Gerardus inaugurationem accepit 29 Martii 963, moxque Tullum acclamantibus populis accessit. Episcopali dignitate sublimatus, non destitit ab austeritate vitæ: orationi enim assidue vacabat, tredecim horarum cursus cum integro psalterio quotidie 963.

ANNI CHRISTI

persolvebat. Sacrarum scripturarum tam ardenter inserviebat studio, ut nec etiam nocturno tempore sibi ante lectum unquam interrumperetur lectio. Sanctorum vitas modicis fecerat inscribi libellis, quos omni ex parte sui stratus ita aperte locaverat, ut nocturno in sopore sese vertente, ipsi cum eo libri verterentur, persuasum siquidem habens se a Dæmonis tentationibus per actus Sanctorum incolumem se præstiturum. Mos hic ei erat, ut post vespertinam orationem ante cubitum clam a se excommunicatos absolveret, ne eorum quemquam subita mors tolleret. Verbi divini egregius præco, populos sibi commissos spiritali cibo pascebat, diebusque solemnibus per vicinas ecclesias sacros oratores ad idem peragendum opus dirigebat: & certe nullus pontifex in tota Belgica tot tamque perfectos sanctæ prædicationis ministros habuit. Domus Dei decorandæ studio accensus, basilicam cathedralem S. Stephani a fundamentis refecit, eamque picturis ac variis ornamentis decoravit, quin & in ea reposuit acceptam a Theodorico Metensi scilicis sancti Stephani partem. Ad introitum quoque urbis versus meridiem ecclesiam condidit in honorem beati martyris Gengulphi, cujus ab episcopo Lingonensi impetraverat reliquias, ibique adjunxit parthenium, unde tamen virginibus propter innocentiæ periculum emissis clericos substituit, quibus nonnulla prædia largitus est. S. Eliphii unius e primis diœcesis martyribus egit translationem, corpusque beatæ virginis Aproniæ sororis S. Apri, a Trecensibus pretio comparatum, in monasterio S. Apri deposuit. Sacras detexit S. Apri exuvias, quæ per sexaginta ferme annos latuerant, magnoque populorum concursu transtulit. In monasterium huic Sancto consecratum studiosus, adeptus est ab Imperatore diploma de confirmandis tum a se, tum a Gauzlino antecessore factis donationibus. Multo tamen propensior fuit in cœnobium S. Mansueti, cujus merito conditor habetur. Cum enim Tullum episcopalibus muniis perfuncturus accessit, ad hujus Sancti ecclesiam deductus est, ubi Deo fusis precibus, votum eam reædificandi emisit, ac fideliter in posterum complevit. Quamplurimis hanc ecclesiam cumulavit donis, regularem disciplinam illic rite observari curavit, eidemque loco, cujus fundatio ipsius cura ab Imperatore firmata est, abbatem præfecit Adamum. Propter fundos aliquot S. Mansueto primum a se traditos, tum ablatos febre correptus, restituere festinavit. Lapsus & alterum in morbum ad hujus Sancti tumulum se deferri jusserat recuperandæ sanitatis gratia; at prohibitus est ne, ut reformidabatur, illic monachus fieret. Coloniæ habito episcoporum conventui, in quo confirmata est fundatio collegiatæ ecclesiæ sancti Martini Leodiensis, interfuit anno 965. Ottonem I imperatorem adiens IV nonas Junii ejusdem anni, nactus ab ipso est confirmationem bonorum monasterii S. Apri, nec non

Chart. XIV, col. 459.

965. *Hist. Lothar. tom. I, prob. p. 372 & seqq.*

A parthenii Buxeriensis, cui anno 968 contulit ipse plures ecclesias, aliasque donationes. Testis quoque fuit eodem donationis factæ a Gerberga matre Lotharii regis monasterio sancti Remigii Remensis. Eodem anno mense Octobri litteris sancivit ut capitulo ecclesiæ cathedralis abbatia S. Martini ad Mosam, quondam a Drogone tradita, restitueretur; simulque jussit pedes abluendi morem uniuscujusque hebdomadis Sabbato in monasterio eodem observandum. Pauperibus & ipse quotidie pedes abluebat, & si quando pauperum numerus non erat completus, comes Ancelinus frater ejus, vir summæ devotionis, cui temporalium rerum crediderat curam, locum pauperis occupabat, spe veniam peccatorum obtinendi. B

968. *Hist. Lothar. tom. I, prob. p. 381.* *Ibid. pag. 380.*

Divina revelatione sanctus hic præsul admonitus, ecclesiam condidit anno 971 in honorem S. Michaëlis in vertice montis Barri, ad cujus radices stat urbs Tullensis, eamque quampluribus donis auctam subjecit Fariberto abbati S. Mansueti, ea lege ut ibidem ad ejus ecclesiæ servitium maneret monachus, qui de præbenda monasterii aleretur ac vestiretur. Eodem anno adiit Ottonem imperatorem rogans C ut ecclesiæ Tullensis privilegia ab imperatoribus & regibus jam confirmata roboraret. Aliquibus post annis. Berengero monacho, ejusdem ecclesiæ rectori, impertitus est ecclesiam Ingolini-curtis in comitatu Barrensi. Constructum in Barrensi castello oratorium a quodam nobilissimo milite, nomine *Hezeb*, in quo postea ab eodem milite reconditæ sunt reliquiæ S. Maximi confessoris S. Martini discipuli, ex Turonensibus partibus delatæ, consecravit B. Dei Genitrici & protomartyri Stephano. Spinalensem quoque ecclesiam a Theoderico episcopo Metensi erectam dedicavit, collapsamque Domni-Martini restauravit D ecclesiam. S. Martino, quem peculiari cultu prosequebatur, quemque sibi proposuerat exemplar, aram erexit in majori basilica, ubi cœtum Græcorum ac Scottorum congregasse, propriisque stipendiis aluisse dicitur, qui Deo supplices laudes more patrio persolverent. Peregrinis & egenis hospitalem ædem juxta portam Plateam fundavit in honorem S. Catharinæ, traditis in dotem episcopalium proventuum decimis.

971. *Ibid. pag. 383 & seq.* Ch. XIII, col. 457. *Ibid. pag. 393.* *Ibid. pag. 399.* *Ibid. pag. 567.*

Quas omnes ecclesiis diœcesis suæ fecerit & obtinuerit donationes, enumerare facile non est. Adeptus siquidem est inter plurima dona anno 974 ab Ottone II imperatore, interventu genitricis ejus Adalbardis, ut tam ipse, quam sui successores episcopi quiete possiderent abbatias S. Apri, S. Mansueti SS. Germani & Martini, Mediani-monasterii, Bodonis-monasterii, S. Pientii, * Pauliniaci, S. Petri in saltu Dervensi, S. Gengulphi, S. Leodegarii de Offonis-villa, Buxeriarum, S. Genovefæ, nec non etiam comitatum urbis Tullensis, quem Gauzlinus ab ipsius principis genitore obtinuerat. Consecutus quidem ab eo est E

974. *Bened. Histor. Tull. prob. p. 19.*

* Forte Polenguaci in diœcesi Lingonensi.

ANNI CHRISTI

eodem anno ratione proprietatis ecclesiæ Tullensis abbatiam S. Deodati, de Galilæa dictam. Omnia tamen hæc monasteria haud pacifice possedit; nam ab Heriberto juveni & Stephano filio ejus comite de Vitreio usurpatum fuit Dervense; Pauliniacense vero a Brunone episcopo Lingonensi invasum. Hanc gregi suo impetravit gratiam, ut quem judicaret dignissimum, in præsulem eligeret. Quæ episcopo præbere consueverant canonici, priusquam possessionem inirent, condonavit munera, hosque constituit heredes, largitusque est ipsis ecclesiam de Tranculfi-villa, sub lege anniversarium ejus celebrandi. Ædes eorum effecit liberas, cum hac conditione ut a laïcis non occuparentur. Ad hæc addit, ut jus haberent eligendi primicerium, decanum, cantorem, bibliothecarium, & thesaurarium, atque de bonis suis testamento aliove modo statuerent.

Romam adeundi ad visitanda Apostolorum
982. limina desiderio captus, iter suscepit an. 982. Quia vero Lotharingia tunc gravi annona conflictabatur, prius magnam frumenti copiam, quo dum abesset, sublevarentur pauperes, congessit; tum paratis ad iter rebus omnibus, sociisque duodecim tam clericis quam monachis sibi adscitis, peregrinationem præeunte crucis vexillo pedibus aggressus est, psalmos in via recitans, amplasque occurrentibus egenis distribuens eleemosynas. Papiæ reperit sanctum Mayolum abbatem Cluniacensem, & beatum Adelbertum, futurum postea Pragensem episcopum & martyrem, quibuscum sancta habuit colloquia. Dein iter pergens Romam, in eam urbem cum magno honore acceptus est. In basilicæ S. Petri atrio, ubi paulo ante sepultus fuerat Otto II imperator, quem beneficum multoties expertus erat, pro eo Deum precatus est. Dehinc ad Apostolorum tumulos ferventibus effusis precibus, missam celebravit ad altare S. Petronillæ. Sacrificium illud offerre ad altare B. Petri ardebat, in spe delictorum suorum veniam a Deo facilius impetrandi: sed id assequi non potuit, reservato summo pontifici & cardinalibus hoc honore. Ad propria dum remearet, trecentos ferme diœcesanos suos, quos victus inedia a nativo solo expulerat, in Longobardia repertos, necessariis ad victum subministratis rebus, secum in patriam reduxit, mediaque quadragesima, exsultante plaudenteque clero ac populo, Tullum advenit. Miseriam ovium suarum, quas dira fames tunc afflictabat, graviter dolens, abunde stipem egenis dispertiri non cessavit ad usque nativitatem S. Johannis-Baptistæ. Paulo post per urbem diffusa peste, sanctus prælatus triduanum indixit jejunium, publicasque supplicationes: sed pestilentia tam increvit, ut ipso die, quo episcopus totusque populus procedebant ad basilicam S. Mansueti, sedecim homines procubuerint. Hic populum ne a precibus desisteret hortatus, cum multitudine plebis ad ecclesiam sancti Apri congressus est, ubi dum precibus gemitibusque ut Deus suam averteret iram exoraretur, tres adhuc mortui corruerunt. At ex illa die contagio, ordinante Deo, penitus restincta est. Ruotberto abbati S. Mansueti ejusque fratribus dedit ecclesiam Andeliaci Ch. xv, col. 460.
anno 986. Ecclesiam SS. Lupi & Remigii 986.
in comitatu Barrensi largitus est ecclesiæ sancti Michaëlis in monte Barro anno 988, ordi- 988.
nationis suæ 25.

Quanquam diœcesanos suos studio, caritate & mansuetudine prosequeretur, non omnes tamen sibi devincire potuit. Enimvero regionis hujus duo viri potentes, Odelricus & Richardus, qui in plebem sævissima exercebant, huic sancto præsuli, ex eo quod ab illo plexi fuissent anathemate, non odium modo, sed & mortem decernunt. Quadam igitur die cum ad Mannonis-curtem Gerardus devenisset, mox in ædibus, ubi pernoctare statuerat, ab Odelrico oppugnatur, sed a suis viriliter defenditur. Odelricus armis sibi aditum non patere cernens, domui vicinæque ecclesiæ ignem injicit, ac plurimos sancti pontificis familiares interimit. Hanc inter stragem prælatum, humi ante altare prostratum, Odelrici satellites violenter ex ecclesia trahunt, ipsique mortem minantur, si excommunicatos non absolvat. Ille veritus ne sua morte eorum aggravarentur crimina, hos anathemate solvit ea conditione, ut quidquid deliquerant, digna corrigerent pœnitentia. Quoniam autem in pravitate perseverarunt, iterum excommunicationis vinculo non tantum a S. Gerardo, verum & a cunctis Gallicanis episcopis, & quidem a summo pontifice obstricti fuerunt.

Verumtamen sanctus hic antistes, matutinis expletis, dum ante altare S. Blasii martyris die quadam psalmos caneret, caput quasi lancea sensit subito percussum. Mox ad lectulum delatus, clero ac populo convocatis mortem suam proximam esse indicat. Quos, inquit Vidricus author ejus vitæ, sancta sua commonitione confirmans in divinæ legis observatione, & reconciliatus sancti olei perunctione, nec non cunctos præsentes & absentes absolvens episcopali benedictione, divini sumpsit sacramenti viaticum, summaque cordis ac vultus cum lætitia efflavit ad astra spiritum. Id contigit die 22 Aprilis 994, ætatis ejus 59, 994.
episcopatus 31, cum tribus hebdomadibus totidemque diebus. Ipsius mors revelata est Filcuino monacho S. Arnulfi Metensi & sancto Mayolo abbati Cluniacensi, qui animam ejus Deo a fratribus suis commendari jussit. Sepultus est S. Gerardus in medio chori cathedralis, ubi deinceps Fridericus *de Void* canonicus magnificum æneum erexit mausolæum. Hunc miraculis clarum in Sanctorum numerum retulit Leo IX papa in concilio Romæ habito an. 1050, ejusque festum jussit celebrandum 24 Aprilis. Tullum eodem anno Roma advectus idem summus pontifex, sacrum corpus pene integrum e tumulo erutum publicæ venerationi exposuit 22 Octobris. Vitam S. Gerardi, ejusque miracula fuse descripsit

A Vidricus abbas S. Apri, quem legesis tom. I, Hist. Lothar. prob. p. 134 & seqq.

XXXIV. Stephanus.

In Lotharingia nobili Patriensium stirpe editus Stephanus, ex antiqua propagine de Linerivilla ortum duxit, ut legitur in actis episcoporum Tullensium. Id quidem probatur ex litteris Folmari comitis de Linerivilla in gratiam Senoniensis monasterii, in quibus Stephanus comitis patruus dicitur. Hic ex clerico vel etiam Metensi primicerio ad episcopales infulas elatus an. 994 juxta Alberici chronicon, in Mediolacensi monasterio ordi- B natus fuit VIII cal. Julii a Ludolfo Trevirensi archiepiscopo. Altaria B. Mariæ & S. Hydulfi consecravit in cœnobio Mediani-monasterii, cui pretiosissimum, teste Johanne de Bayone, largitus est donarium; nec exiguam adhibuit curam, ut in ecclesia S. Deodati instituerentur canonici. In charta Petri de Brixeio episcopi quasdam patrimonii sui terras ecclesiæ Tullensi codicillis indulsisse traditur. Dum vero suam lustraret diœcesim, in Bodonis-monasterio morbo correptus, paucis post diebus
995. excessit anno 995, IV id. Martii, ut legitur in actis Tullensium episcoporum. Unde de- C latus ad Medianum-monasterium, illic humatus est, ut jusserat, juxta altare beati Petri, in sepulcro beatorum Johannis & Benigni. Seculo XIII detectus fuit ejus tumulus, ubi reperta est ad ejus pectus crux plumbea his verbis incisa: *Stephanus bonæ memoriæ Tullensis episcopus.*

XXXV. Robertus.

Mediolacensis monachus Robertus, cujus opera Hezzelem abbatem ob pravos mores abbatiali dignitate ab Egberto archipræsule Trevirensi dejectum fuisse aiunt, clero Tul- D lensi propositus est a Ludolfo Egberti successore, in Stephani locum sufficiendus. Benigne a clero acceptus est; sed utrum possessionem inierit, an consecrationem adeptus sit incompertum. Quia vero ipso promotionis suæ anno e vita cessit, aliquibus eum ex indice episcoporum expungere visum est. Attamen episcopatus ejus eruitur probatio ex carta Bertoldi successoris ejus, qua hic prælatus profitetur anno 1012 se monachis ordinis S. Benedicti abbatiam sancti Salvatoris tradidisse, ut pium antecessoris sui Roberti consilium exsequeretur. Ipsum in Mediolacensi monasterio mortuum E ac sepultum fuisse conjicitur.

XXXVI. Bertoldus.

Claris apud Germanos natalibus genitus Bertoldus, a Brunone II Metensi episcopo, cui mortuo factus episcopus justa persolvit, educatus est. Designatus autem ab Ottone III imperatore, communibus cleri ac populi Tullensis suffragiis admittitur, & a Ludolfo metropolitano inungitur 3 Octobris 995. Pietatis ac religionis sancti Gerardi dignus æmulator, cœptis ab eo ædibus absolutis, clericos cathedralis ecclesiæ, quos ille regulari disciplinæ astringere cupierat, ad vitam communem allexit Bertoldus, reformationis exemplum præbente Heriberto primicerio, qui relicta propria domo, strictiori normæ in claustro se subjecit. Moguntinensibus comitiis, in quibus Henricus II salutatus est rex Germaniæ, interfuit anno 1002 die 6 Junii, & impetravit ab eo 1002.
jus piscandi in Mosa fluvio a Segintensi comitatu usque ad Sortiacum, quidquid etiam hic princeps habebat in Caulei-villa, nec non restitutionem villæ dictæ *Berchem* in Alsatia, & tandem decimam fodinarum in Vosago. Adstitit anno 1003 erectioni Bambergensis 1003.
episcopatus. Habitus est anno 1005 conventus 1005.
in Dodonis curte de componenda lite inter Bertoldum & Brunonem Lingonensem occasione abbatiæ Pauliniacensis. Illic Bertoldus ab eodem Brunone pontifice ac Willelmo Burgundionum comite, interveniente Divionensis cœnobii abbate Willelmo, interpellatus oratorio sancti Benigni Bersiniacæ-curtis duo altaria concessit, Algisi scilicet villæ & Bersiniacæ-curtis: hac conditione, ut idem locus Bersiniacæ-curtis a domno Jacob, Tullensi quondam episcopo, Divionensibus monachis olim traditus, monastica religione insigniretur. Virtutum insignia in Guillelmi Divionensis abbatis factis & moribus resplendentia admiratus, eum obnixe rogavit, ut abbatiam sancti Apri secundum sancti Benigni institutionem emendaret. Sub ejus episcopatu Angligena quædam mulier, Godelindis nomine, quæ matris suæ cæde se cruentaverat, anno 1009 1009.
accessit ad sanctum Mansuetum, apud quem absolvi meruit, duobus ferri ligaminibus, quibus erat constricta, discussis. Cœnobium S. Salvatoris in saltu Vosago, haud procul a *Richer. chron. Senon. lib. II, c. 16.*
Mediano-monasterio exstruxit, dotavitque ad stipendium viginti monachorum, & ecclesiasticis instruxit ornamentis. Puellare quoque Bodonis-monasterium, itemque S. Deodati cœnobium reædificavit anno 1010. Instau- 1010.
ravit etiam ecclesias S. Johannis-Baptistæ ad fontes, S. Vedasti & S. Genovefæ. Quosdam toparchas, qui S. Gerardum molestiis affecerant, insectari non desiit; quin & eorum castra evertere, totamque illorum propaginem exstinguere voluisset. Beatricem ducissam Lotharingiæ, quæ tumulum S. Deodati muliebri curiositate aperiri jusserat, ecclesiasticis subjecit censuris. Theoderico Lotharingiæ duci, Beatricis filio, plures villas, quas pro castro Barri ejus pater Fredericus S. Gerardo cesserat, indulsit: vicissimque accepit ab eo in commutationem villas Askein, Alradi-curtem & Monoldi-villam. Quamplurimas cathedrali suæ an. 1019 comparavit possessiones, quas inter, *Ch. XVII, col. 461.*
ecclesiam de Sortiaco, ecclesiam dictam Castellum, alodum nuncupatum *Badonviller*, ecclesiam & feudum de Pauniaco, & quidquid Odelricus in villis de Wasleio, de Orcadis aliisque locis possidebat. Feudum dictum

Berkeim

ANNI CHRISTI *Berkeim* abstulit Almanno Mediani-monasterii abbati, qui illud ab Henrico imperatore ingenti sumptu redemerat: unde abbas tantum concepit dolorem ut paulo post de vita decesserit. Valvis miræ pulchritudinis majorem exornavit sancti Stephani basilicam, summum altare aureis operibus, vasisque pretiosissimis gemmis instructis decoravit. Post regiminis annos 22 obiit VIII
1019. calendas Septembris 1019, toti patriæ inconsolabilem luctum relinquens. Conditus est in medio ecclesiæ, unde revectus postea in tertium tumulum sacelli B. Magdalenæ.

XXXVII. Herimannus.

Coloniæ nobili genere procreatus Herimannus, Coloniensis canonicus, ad commendationem Henrici imperatoris in præsulem a Tullensi capitulo cooptatur anno 1019. Is a puero educatus, litterarumque studiis apprime fuerat informatus in monasterio S. Gereonis, ex actis Tullensium episcoporum, in quibus XIII calendas Januarii unctione pontificali sacratus fuisse dicitur. Feudum ecclesiæ suæ a comitibus Ricuino, Ludovico & Theodorico usurpatum armis recuperavit. Castrum
* Rorty. * *Rodortein* ab antecessore inchoatum absolvit, castellumque Domni-Martini ædificavit a fundamentis. Ita exosos sancti Apri monachos habuisse fertur, ut etiam honestissimum fratrem, Vidricum nomine baculo percusserit. Verumtamen studii ejus in monachos non desunt probationes: singulis enim suæ diœceseos abbatiis argenteas coronas, variaque ornamenta
Perard. p. 174 & seq. contulit. Id etiam constat ex epistolis, quas scripsit ad asserendam donationem ecclesiæ Algisi-villæ monachis cellæ Bersiniacæ-curtis, cœnobio S. Benigni Divionensis subjectæ, a Bertoldo decessore factam; contra quam reclamabant Odelricus archidiaconus & Walterius decanus Tullensis, nec non abbas sancti Urbani & Stephanus Novi-castelli dominus. In epistola B. abbati S. Urbani inscripta utitur his verbis: « Justum & dignum judicamus » ut religiosis viris reverentiam exhibeamus, » & non facile in injuriam eorum, quando » delinquunt, prosiliamus. Unde quod in vobis » laudabile est adprobamus; quod vero emendandum, ut corrigatis ammonentes obsecramus. » Quid ergo sibi vult illa vestra prohibitio, qua » vestros homines prohibuistis ne decimationem » solverent in parochia, cui subjacent, secundum » rationem christianitatis? maxime cum istud » faciatis contra viros vestri ordinis & religionis. Prædecessor meus Bertoldus episcopus » altare Algisi-villæ contulit Bertiniacensis cellæ » fratribus, & nos effecti exsecutores benevolentiæ id ipsum confirmamus, & ipsam obedientiam & constitutionem presbyteri quemcunque elegerint, superaddimus. Idcirco ferre » non possumus, ut contra jus a vobis molestentur, aut tortitudinem patiantur. Quod si » amplius contigerit, illi tales fraudatores decimationum & aliarum rerum ab ecclesia eliminabuntur, & pariter cum domino suo anathe-

A mate plectentur. » Eadem comminatur Stephano Novi-castelli domino, qui atrium ecclesiæ invaserat & monachorum substantiam tollere volebat. At ubi a Stephano monachis S. Benigni satisfactum est, tradidit illi investituram castri *Rodorteim*. Portus-suavis, cœnobii sanctimonialium ordinis S. Benedicti, jecit fundamenta. Transtulit corpus S. Amonis e monasterio sancti Mansueti in cathedralem ecclesiam, quam diversis decoravit ornamentis, magnam quoque contulit auri copiam; de quo disposuerat fieri miri decoris calicem. Quanquam nullas ei acquisierit possessiones,
B ut illa detrimentum pateretur non sivit, nec quisquam ex ejus antecessoribus eam tranquillius est moderatus, integra cum circumvicinis adversariis servata pace. Conradi imperatoris, quem Henricus suum designaverat successorem, electioni primum intercessit; sed mox ad obsequium reversus, in gratiam cum eo rediit. Coloniam profectus, ibidem mortalitatem exuit calendis Aprilis 1026, tumulatusque est in monasterio sancti Gereonis, ubi sacras litteras quondam fuerat edoctus.

XXXVIII. Bruno. D'Asbourg.

C Pater Brunonis Hugo, consobrinus erat Conradi imperatoris, cognomento Salici, mater ejus Heilewidis, seu Helvidis, nobilitate non impar, pietate haud dissimiles, qui amplissimum patrimonium condendis monasteriis, egenisque sublevandis impenderunt, exemplo majorum suorum. Hi ex prædiis suis tria instituerunt cœnobia, scilicet Hillæ in honorem sancti Martini prope Sareburgum pro sanctimonialibus; aliud virorum sub titulo sancti Cyriaci martyris apud Altorfium; alterum quoque puellarum sub titulo sanctæ Crucis, puta Woffenheimium in Alsatia prope Engesheimium
D castrum suum, cujus in gratiam ipse Bruno, ad summi pontificatus apicem elatus, bullam indulsit. Fratri vel sorori Brunonis tribuitur fundatio prioratus sancti Quirini in Alsatia, quem Johannes de Bayone a Ludovico, Brunonis avo materno, vult fuisse conditum. Quam maxime nobili huic familiæ debet Lutrense cœnobium diœcesis Vesontionensis, ut legitur in vita ipsius Brunonis sub nomine Leonis IX papæ scripta a Viperto, qui sic loquitur: *Pater Brunonis natione Teutonicus, imperatoris Conradi consobrinus; quorum patres & avi, abjecta omni superbia generis,*
E *monasticum habitum tota cordis contritione sumpserunt, laudabilique per omnia fine decesserunt... quin etiam Lutrense cœnobium patrimoniis suis ampliarunt.*

Ortus est Bruno in castello Alsatiæ, quod dicitur *Engenesheim*, toto corpore crucis signis insignito, XI calend. Julii an. 1002. Cum quintum attigisset annum, Bertoldo Tullensi episcopo educandus & litteris informandus a pia genitrice Helvide, quæ eum ipsa lactaverat, traditus est. Qua in schola duos habuit collegas propinquos suos, natu majores, Adalberones

nuncupatos: quorum alter, Theodorici ducis filius immaturo fato functus est: alter Hezelonis ducis germanus, magister nepotuli sui Brunonis extitit. Cum uterque in humanioribus litteris & philosophia claruissent, jurisprudentiæ studio sese addixerunt. Quadam autem nocte dum Bruno in castro Engesheimensi apud parentes suos, quos inviserat, in cubili soporaretur, venenosa rana conquievit super vultum ejus, venenumque in sanguinem infudit. Malum ita accrevit, ut jam nulla sanitatis spes remaneret. Forte dum nocte Bruno vigilaret, conspicere credidit S. Benedictum, crucem manu gestantem, qua hic Sanctus venenum dissipavit. Monasticen in suburbano S. Apri monasterio ex eo tempore creditur amplexus fuisse. Equidem morti proximus hæc de se dixisse traditur: *Cellam, quam monachus incolui, in spatiosissima palatia jam dudum vidi conversam.* Vipertus in ipsius vita alludens ad caput 7 regulæ S. Benedicti, hæc ait: *Non immemor sui prioris propositi quo malebat jugiter omni humilitate, vilitate & extremitate contentus Christo famulari.* Accedit quod idem Bruno in charta de instauratione monasterii S. Apri, *in quo*, inquit, *ante episcopatum nostram societatem collocavi, in episcopatu autem positus, quibus potui ampliavi.* Bertoldo e vivis exempto, Tulli stitit apud Herimannum ejus successorem, idem quod ejus antecessori exhibens obsequium, curamque adhibuit ut vita communis & canonica in claustro S. Stephani instituta, vigeret. Exinde missus in aulam a parentibus, Conradi imperatoris promeruit gratiam, quem in Italiam adeuntem ad subjiciendum Mediolanum, quod rebellaverat, comitatus est, secum ducens copias, quas Tullensis ecclesia Imperatori in bellicis expeditionibus suppeditare tenebatur. Hanc provinciam ab Herimanno episcopo infirmitatibus gravato rogatus accepit, riteque complevit.

Inter hæc mortuus est Herimannus anno 1026 calendis Aprilis, & in ejus locum suffectus est absens Bruno a clero & populo, qui litteris ad Conradum regem in Italia versantem, & ad Brunonem ipsum, qui in comitatu ejus erat, missis per Notbertum monachum atque Liethardum canonicum, Brunonem sibi episcopum dari vehementer expetierunt, virum apprime nobilem ac strenuum, qui Tullenses a frequentibus vicinorum insultibus protegere valeret. Petitioni eorum primum restitit Conradus, quippe qui eum ad ampliores honores destinabat. At Bruno censu inopem ecclesiam locupletiori præferens, electioni assensit & regem ipsum ad Tullensium vota inclinavit, effecitque ut non ab Romano pontifice, ut rex exoptabat, sed a metropolitano suo consecraretur. Mox itaque ex Italia non sine insidiantium periculo Insubrium in patriam reversus, Tullum accessit, ubi die Dominicæ Ascensionis summo omnium gaudio susceptus, a consobrino suo Theoderico Metensi præsule in sede pontificali collocatur.

A Jam vero cum a Poppone Trevirensi metro- ANNI CHRISTI
politano ordinandus esset, ab eoque exigeretur
ut nihil absque ejus consilio in episcopatu
ageret, acquiescere noluit; ob idque dilata
ipsius consecratio est in sequentem annum,
quo reversus ex Italia Conradus, utrumque
Wormatiam accersivit, atque ordinandum ad
id solum adstrinxit, ut in ecclesiasticis negotiis,
majoris scilicet momenti, metropolitani consilio
uteretur. Hoc pacto Bruno v idus Septemb.
cum summa omnium gratulatione ordinatur.
Post consecrationem studium suum mox convertit
ad propagandam religionem monasticam,
B quæ in omnibus diœcesis suæ, præterquam
S. Apri, monasteriis valde intepuerat, maxime
in sancti Mansueti & in Mediano-monasterio,
ubi locorum abbates, posthabito animarum
sibi commissarum studio, in solo exteriorum
dominatu se constitutos putabant. Hos in ipso
suæ electionis exordio loco movit, & venerabili
Widrico, qui præpositi munus apud
S. Aprum gerebat, utrumque monasterium
commisit. Illum etiam monasterio sancti Apri
præfecit abbatem ad preces Willelmi Divionensis
abbatis, cœnobii ejusdem reformatoris,
cujus sancta fama cis mare per cunctos fines
C orbis tunc memorabilis erat, atque pro labentis
monasterii refectione eidem Widrico triginta
librarum subsidium liberaliter impendit. Privilegium
in hujus monasterii gratiam ab imperatore
Conrado assecutus est anno 1033. 1033.
Ecclesias de Solini-monte & Wolferci-curte
in plenaria synodo habita III id. Octobris
1036 indulsit ad præfati Widrici preces mo- 1036.
nachis S. Benigni Divionensis. Eodem anno
tradidit S. Mansueto ecclesiam de Gossanicurte
& altare Bertiliaci, quæ reliquerat Stephanus
canonicus, cum ad Cluniacenses monachatum
suscepturus abiit. Sequenti anno 1037.
D Dodoni abbati S. Mansueti præbuit ecclesiam Ch. XIX, col. 463.
Paterniaci villæ super Mosam fluvium. Præterea
in Portus-suavis parthenone, quem
Herimannus antecessor inchoaverat, ædificia
perfecit, ibique devotam sanctimonialium
constituit congregationem, quibus nobilis
generis vitæque laudabilis abbatissam præposuit,
Berzennam nomine: cujus assidua
sollicitudine divini fervor servitii ibidem maxime
crevisse traditur. Circa id tempus judi- Ch. XX,
cium tulit in gratiam Raingardis viduæ. col. 465.
Eximiæ staturæ tantam comitatem & prudentiam
jungebat, ut omnium venerationem
E & existimationem sibi colligeret. Summopere
laudatur ex ingenti in pauperes munificentia,
atque etiam ex pietate ac fide, quæ tam viva
fuit, ut nunquam sacrificium offerret, quin
prius lacrymarum copiam effudisset. Musices
arte peritus, laudes plurimorum Sanctorum,
ab Humberto cardinale metrice compositas,
modulatione exornavit. Propter industriam in
tractandis rebus, a Conrado imperatore ad
Robertum Franciæ regem missus est legatus,
& inter eos firmam solidamque constituit
pacem. Odonem Campaniæ comitem, qui

ad obsidendam urbem Tullensem accesserat, A
repulit ac coegit ad solvendam obsidionem,
opem ferente Conrado rege, penes quem
mansit regnum Austrasiæ, a Rodulfo III
Burgundiæ Transjuranæ antea possessum, quod
Campaniæ comes invadere nitebatur. Non
ita multo post in lethalem morbum Bruno
incidisse traditur, ex quo S. Blasii meritis,
ad cujus altare deferri voluit, subito ita convaluit,
ut qui alieno portatus auxilio fuerat,
inde propriis viribus alacris domum redierit.
Eodem circiter tempore piam matrem Helvidem
sancte defunctam perdidit. Hæc morti
proxima, adstante Regelwide Vossenheimii B
abbatissa, maritum suum enixe rogavit ut
ipsam absque ulla pompa sepeliri curaret, &
quidquid ornamenti ad ipsius sepulturam expendere
forte vellet, in usus pauperum erogare
non gravaretur. Mos hic Brunoni fuit, ut
unoquoque anno Apostolorum limina visitaret:
forte dum in comitatu quingentûm
hominum hanc ageret peregrinationem, omnis
turba pestilentia correpta est, quam sanctus
præsul ex vino, in quod sacras immerserat
reliquias, sanavit. Cœnobii cujusdam, quod
Galterus de Daguliaco ex consensu conjugis
suæ Adilæ in juris sui prædio condidit, ratam C
1043. habuit fundationem an. 1043. Hoenburgense
monasterium in honorem B. Mariæ dedicasse
1045. dicitur ad annum 1045.

Jam vero Tullensem episcopatum Bruno
viginti duobus abhinc annis obtinebat, cum
una voce prælatorum & optimatum in Wormatiensi
conventu, ab Henrico III imperatore
celebrato, in summum pontificem, mortuo
Damaso II, electus est: cui electioni nequaquam
acquiescere voluit, nisi clerus ac populus Romanus
eam probasset. Facta est igitur hæc
1048. electio an. 1048 paulo ante festum Natalis
Domini, quod ille in sua Tullensi ecclesia D
celebravit. Dehinc assumto peregrini habitu,
tertio post festum die Romam in plurimorum
prælatorum comitatu contendit. Romæ probata
ejus electione Dominica prima Quadragesimæ,
1049. pridie idus Februarii 1049, apostolicæ cathedræ
impositus est, Leo dictus ejus nominis
IX. In pontificatu nomen ac titulum episcopi
Tullensis primis duobus annis retinuit. Eodem
anno in Galliam iter aggressus, concilium
Ticini habuit infra octavam Pentecostes, post
quod in Saxoniam convenit Imperatorem.
Unde ambo Coloniam profecti, illic festum
SS. apostolorum Petri & Pauli celebrarunt. E
Suam vero dilectam Tullensem ecclesiam
invisere Leo non est cunctatus, ubi solemnitatem
Exaltationis S. Crucis exegit. Tum
ad Hermanni S. Remigii Remensis abbatis
preces Remos accedens 29 Septemb. in festo
sancti Michaëlis, translationem egit corporis
S. Remigii, ecclesiam dedicavit, & concilium
inchoavit 3 die Octobris. Romam redux,
1050. in synodo habita anno 1050 mense Maio
Annal. Bened. t. IV, p. 738. Gerardum Tullensem episcopum in Sanctorum
numerum retulit, festumque ejus jussit celebrari
VIII cal. Maii: imo & corpus ipsius Tullum
denuo reversus e terra levavit mense Octobri
anni ejusdem. Insequenti vero, dum Romæ 1051.
versaretur, episcopatum Tullensem, quem huc
usque retinuerat, Udoni primicerio tradidit,
bullamque pro bonorum ac privilegiorum
confirmatione indulsit. In Germaniam constituendæ
pacis gratia inter Henricum imperatorem
& Andræam Hungariæ regem regressus
an. 1052, Andræam omni compositioni 1052.
obsistentem ecclesiasticis subjecit censuris. Priusquam
e Germania discederet, ab Imperatore
validum obtinuit exercitum ad debellandos
Normannos. Unde cum hisce copiis Alpes
trajiciens, per dies Quadragesimæ an. 1053 1053.
Romam pervenit. Castris utrinque in Appuliam
promotis, VIII cal. Julii fortiter ab utraque
parte pugnatum fuit; sed Normanni fuere
victores. Leo ex prælio in castellum se recepit,
moxque acriter obsessus est & captus. Normannis
tamen reddita, quam ademerat, sacrorum
communione, IX cal. Augusti incolumis
ab Hunfrido Normannorum duce Beneventum
deductus, ibi aliquantum temporis detentus
est usque ad Paschale tempus anni insequentis, 1054.
quo Romam adire permissus, feliciter diem
clausit XIII cal. Maii, miraculis ante & post
obitum editis clarus. Obiit quinquagenarius,
sexto pontificatus anno: sepultus ad altare
S. Gregorii in basilica Vaticana. Libros de
rebus ab eo gestis duos scripsit Wibertus
Tullensis archidiaconus ejus familiaris, quos
Bollandiani ediderunt tom. II Aprilis ad diem
19 ejusdem mensis.

XXXIX. Udo.

Riquino & Mathilde nobilibus parentibus
in Ripuariorum regione natus Udo, a puero
traditus est a parentibus Brunoni episcopo
erudiendus, qui eum Valtero cancellario &
decano Tullensis ecclesiæ educandum commisit.
Cum decem attigisset annos, inter
cathedralis ecclesiæ canonicos adscriptus est,
ut cito clericali vitæ assuefieret. Primum Pitagoricæ
philosophiæ, tum divinis litteris, dein
jurisprudentiæ operam dedit. Per obitum
Gibuini filii comitis Tullensis factus est primicerius
a Brunone, a quo quidem ad summi
pontificis dignitatem elato creatus fuit cancellarius
& bibliothecarius Romanæ ecclesiæ;
quo nomine ipsum Brunonem, Leonem IX
nuncupatum, in omnibus itineribus est comitatus:
tum ab ipso pontifice, qui huc usque
Tullensem retinuerat episcopatum, ad eam
ecclesiam promotus anno 1051, facta tamen 1051.
a papa capitulo eligendi licentia, impetratoque
Imperatoris consensu. Treviris ab Eberardo
metropolitano, Adalberone Metensi & Theodorico
Virdunensi cooperantibus, consecrationem
accepit 17 Aprilis 1052. Episcopatus
initio populis sibi creditis pacem curare cupiens,
castrum Vallis-coloris prædonum latibulum,
a Brunone jam frustra obsessum,
post trimestrem obsidionem cepit, cremavit,

funditusque evertit. Tullensem comitatum
itemque advocatiam monasterii Bliderici-villæ
comiti Friderico, qui ob inobedientiam Gertrudis uxoris suæ, filiæ comitis Rainardi,
comitatu & advocatia a Leone IX fuerat
1052. exutus, restituit XVII calend. Octob. 1052,
retentis sibi tamen omnibus advocatiæ fundis.
Pluribus post annis, ut fuit ecclesiæ suæ jurium
defensor acerrimus, Arnulfum comitem, qui
episcopatus subditos vexaverat, dignitate movit.
Facta patri contumelia graviter offensus Albericus, mox coacta prædatorum turma, noctu
subrepsit in urbem, eam occupandi causa.
Verum ab oppidanis illico dignotus, ruit in
aquas, natatuque salutem quæsivit. Hunc Udo
a sacrorum communione semotum, opibusque
spoliatum amandavit; nec eum restituere voluit,
licet a Ludovico comite Barri enixe rogatus,
nisi ea conditione ut Albericus satisfaceret,
fideique prædem exhiberet: quin & litteris
Udo jus & auctoritatem comitum statuit. Per
1054. alias litteras datas an. 1054 jussit ut amplius
Ch. XXIII, col. 469. non essent advocati monasterii S. Mansueti.
Varengisi-villæ incolas, qui propterea quod
juris abbatiæ Gorziensis essent, episcopo Tullensi parere detrectabant, ad obedientiam
1057. adegit anno 1057. Prioratum sancti Aniani
prope Tullum, dependentem a monasterio
Indensi, consecutus est a Werrico abbate, cui
in cessionis gratiam plurimas res patrimonii sui
tradidit. Quæ compositio cum ab Henrico IV
1059. imperatore probata fuisset anno 1059, prioratus in abbatiam ab Udone sub titulo sancti
Salvatoris conversus est, immissique sunt in
eam monachi ordinis S. Benedicti, qui tamen
inde excesserunt ante Udonis obitum; sicque
ad primum statum ecclesia illa rediit. Basilicam
sancti Gengulphi martyris, a beato Gerardo
episcopo olim exstructam, sed tunc incendio
consumtam, adeoque divinis officiis omnino
destitutam, in pristinum statum restituit anno
1065. 1065, adnexo eidem basilicæ majori archidiaconatu, multisque prædiis ad stipendia canonicorum attributis. Omnia hæc eodem anno
ab imperatore Henrico IV rata haberi curavit.
Acquisitam quidem ab Hamone comite ecclesiam de Calmisiaco delegavit ad stipem cano-
1069. nicorum. Scripto tradidit anno 1069, quo
pacto comes Tullensis se gerere deberet. Interfuit eodem anno concilio Moguntino, ubi
viriliter obstitisse dicitur divortio, quod Imperator cum Bertha uxore sua facere statuerat.
Dum ex concilio rediret, diversatus est in
dominio suo *de Bercheim* in Alsatia, ubi in
morbum lapsus, mortem oppetiit pridie idus
Julii anni ejusdem 1069, episcopatus sui 18.
Corpus ejus Tullum revectum, in ecclesia
cathedrali ante altare S. Blasii tumulatum fuit.
Unde in ecclesiam S. Gengulphi illatum est
ad preces canonicorum, qui acceptorum ab eo
beneficiorum memores, ad latus dexterum
majoris altaris ei mausolæum struxerunt. In
singulari commendatione habuit castitatem
Udo, virtutis hujus exemplar sibi proponens

A sanctum Johannem Evangelistam.

XL. Pibo.

Natione Saxonicus Pibo vel Poppo, parentes
genere claros habuit, patrem scilicet Theotmarum & matrem Duguercam al. Udicam.
Sub Annone magistro, qui postea Coloniensis
factus fuit archiepiscopus, sex integros annos
litteris studuit. Primum fuit canonicus in ecclesia Alberstadiensi, tum in Moguntinensi.
Dehinc ab imperatore Henrico IV eleemosynarii & cancellarii munere honestatus, cum
eodem principe anno 1070 Tullum accessit, 1070.
B ipso tempore quo de præsulis electione agebatur. Pibonis germanus Bernardus comes nihil
non movit apud Cæsarem ut ad episcopalem
dignitatem frater suus promoveretur. Equidem
canonici, principis cognita voluntate, unanimi
voto Pibonem in episcopum elegerunt. Probavit electionem Trevirensis archiepiscopus,
rogatusque ab Imperatore Metis electum consecravit, assistentibus Metensi & Virdunensi
præsulibus, qui novum episcopum usque Tullum comitati, pontificali sedi imposuerunt.
Linguæ Tullensium inscius Pibo, valde ingemuit quod populum sibi creditum patria lingua
C erudire non posset: verum etsi jam sexagenarius, tantam Francicæ linguæ exhibuit operam, ut uno minus anno plebem suam capax
fuerit edocere. Adalberoni abbati S. Benigni
Divionensis factas a decessoribus suis donationes hoc ipso anno 1070 confirmavit.
Epistolam circa annum 1072 ab Alexandro II 1072.
papa accepit, qua pontifex queritur quod ille
ecclesiam sancti Mauricii, sitam in loco, qui
dicitur Villa, super Blesam, eadem libertate
vellet destruere, qua domnus Leo papa Dervensibus concesserat, ut inibi habitantes monachi absque ulla emptione altare S. Mauricii
D perpetuo possiderent, excepto quod capellanus,
cui cura villæ contigisset, censum persolveret.
Plurimas res eodem anno monasterio sancti
Apri Pibo indulsit, videlicet altare de Bladenaco super Mosellam, & altare de Fanis ultra
Mosam juxta Barrum castrum; confirmavit
etiam omnia, quæ eidem loco ab antecessoribus
suis aliisve donatoribus tradita fuerant. Vetuit
insuper in synodo ne ullus toparcha vassallos
monasterii ad capienda arma cogeret absque
consensu abbatis, quem solum, vel monachum
ab eo designatum, penes jus esset illos ad
E militiam deducendi. Inter Widonem ejusdem
cœnobii sancti Apri abbatem & Odelricum
militem exortam de portione prædii Bainivillæ controversiam compescuit V id. Octob.
1074. Ad ipsius Widonis abbatis preces anno
1079 & insequenti res omnes tam a Bruchardo, quam a Gauzlino & Brunone sancto
Apro traditas laudavit. Una cum Herimanno
episcopo Metensi, cujus inaugurationi adstitit
anno 1073, testis & arbiter fuit III cal. Maii 1073.
hujusce anni factæ compositionis inter Walonem abbatem S. Arnulfi Metensis & Buxeriensem abbatissam, cui licitum fuit construere

ANNI CHRISTI

Ch. XXVI, col. 472.

pontem super fluvium *Murth*, ea conditione ut annuatim ipsa abbati censum duodecim denariorum persolveret. Dedit quidem Pibo litteras in gratiam ecclesiæ sancti Deodati.
1074. Designatus est anno 1074 cum Udone Trevirensi archiepiscopo & Hermanno Metensi præsule a Gregorio VII pontifice, ut Theodoricum Virdunensem, qui monachos sancti Michaëlis anathemate percusserat, ex eo quod generali adesse detrectassent supplicationi, ad solvendam excommunicationem incitaret. Privilegium monasterio S. Michaëlis ad Mosam
1076. indulsit an. 1076, quo gravissima ei intenta est actio: clericus enim quidam, Tullensis B ecclesiæ custos, querelam ad papam detulit, quod episcopus non ei tantùm ecclesiam ab officio custodis dependentem denegasset, sed & ipsum a functionibus suspendisset. Præter hæc aiebat se episcopo respondisse nullam ei deberi obedientiam, ex eo quod simoniæ reus esset: illum siquidem custos insimulabat archidiaconatus, ecclesiarum consecrationes, ipsasque ecclesias vendidisse; publice cum concubina, quam laïcorum more sibi copulaverat sacramento, & ex qua filium susceperat, degere; quin & episcopatum pretio comparasse. C Ad hæc addebat clericus se aliosque canonicos audivisse Pibonem crimina hæc fatentem ac dicentem velle pœnitentiam agere. Ira fervidus Pibo, graviter clerico succensuit & urbe discessit. Quo absente, milites in claustrum introeuntes, minas intendêre clerico, qui vitæ suæ & honori veritus, clam urbe egressus est. Antistes, accepta custodis fuga, omnes ejus facultates exhausit ac diripuit, eumque ad extremam adegit egestatem. Huic itaque visum est summum pontificem appellare, qui ea de re ad Udonem Trevirensem ejusque suffraganeos Theodoricum Virdunensem & Herimannum Metensem duas direxit epistolas D episcopum ergo commonendi, ut debitam clerico exhiberet justitiam. « Deinde, inquit » pontifex, convocatis Tullensibus clericis per » veram eos obedientiam, imo sub criminatione » anathematis constringite, ut quidquid de in- » troitu & vita episcopi sciunt, & vos undique » explorata veritate, quid nobis inde credendum » sit, in synodo vel ante synodum, quam in » prima hebdomada Quadragesimæ celebraturi » sumus, per litteras vestras notificare nullatenus » prætermittite. Quod si episcopus, ut optamus, » innocens de tot ac tantis criminibus apparuerit, » quod clericus temere peccavit, quoniam ad E » nostram venit audientiam, qualiter juste cor- » rigatur, Deo aspirante procurabimus. Si vero » episcopus ea, quæ sibi intenduntur, veraciter » removere non poterit, nullo modo ferendum » est nobis vel vobis, ut locum pastoris lupus obtineat. » Interea Pibo Schismaticorum partes suscepit, ac paulo post comitiis ab Henrico IV imperatore Vormatiæ habitis præsens, cum multis aliis præsulibus sub falsorum criminum specie Hildebrandum summum pontificem non esse judicare ausus est. Plures ex episcopis,

A qui adfuerunt conventui, quos inter Udo Trevirensis, Theodoricus Virdunensis & Herimannus Metensis in adeo gravem culpam cecidisse ingemuerunt. Quod ubi Gregorio papæ notum fuit, litteris eos admonuit, ut quod Schismaticorum pervasione deliquerant, competenti emendatione corrigerent, « ut sicut, inquit pontifex, mater vestra de excessu vestro « condoluit, ita de satisfactione lætetur. » Dedit & eisdem præsulibus mandatum Pibonem admonendi, ut ea quæ illi injuncta sunt, deinceps facere non omittat: « Decuerat enim, addit hic pontifex, ut de objectis sibi debuisset « respondere magis, quam contra auctoritatem « principis Apostolorum ad defensionem iniqui- « tatum suarum arma corripere, atque regem « sollicitare, id contra nos præsumere, quod « nunquam licuit, neque Deo annuente licebit « in aliquem clericum fieri. Qui si verba ex- « hortationis nostræ contempserit, auctoritate « beati Petri eum a communione corporis & « sanguinis Domini nostri Jesu-Christi separatum « esse sibi notificetis. » Porro schisma ejuravit Pibo circa annum 1078, & in gratiam cum 1078. papa rediit. Insequenti adstitit cum comprovincialibus episcopis electioni Egilberti Trevirensis, cui haud canonica via, sed regia auctoritate electo manus imponere recusavit. Ad id tempus imposita sibi a clerico Virdunensi crimina diluere constituit. Qua de re exstat epistola Gregorii VII ad Herimannum Metensem, in qua ait pontifex quod cum Pibo propter imperii turbas sex episcopos, qui innocentiam ejus testificarentur, cogere non potuisset, ei munia episcopalia obire permittat, prius tamen probata coram quatuor episcopis innocentia. Si eum, pergit ille, inculpabilem indubitanter esse cognoveris, fraternam manum auxilii præbere non differas.

Verumtamen, qua nescio inconstantia, ad Schismaticorum partes Pibo reversus, ad coactum Imperatoris jussu Ultrajectinum conciliabulum, ubi Gregorium VII statutum fuit anathemate plectere, accessit anno 1080, & 1080. quidem ipse ab Imperatore id exsequendi curam accepit. Ille vero timore perterritus, nocte cum Theodorico Virdunensi clam se proripuit, ne tam scelerati facinoris esset particeps. Post hoc conventiculum, Romam pontificem adiisse dicitur, a quo sibi non absolutionem modo, sed & potestatem schismaticos absolvendi præsules, qui ad ecclesiæ reverterentur gremium, assecutus est. Imperatoris in offensam prolapsus anno 1084, ex eo quod Moguntiam non convenisset ad consecrationem Egilberti Trevirensis, ad tempus iræ cedendum duxit. Consilium itaque cepit Jerosolymam religionis causa adeundi. Priusquam vero proficisceretur, Sophia comitissa cœptam a Theodorico duce Lotharingiæ avo suo, & a se absolutam capellam sub Almantia consecrari desideravit. Intercessit Hodierna S. Glodesendis in urbe Metensi abbatissa, hac inducta ratione quod hæc capella in territorio Domni-Martini

ANNI CHRISTI

de jure capituli sui constructa esset: sed tandem eo pacto assensit, ut certum censum comitissa S. Glodesendi persolveret. Tum capellam hanc, in honorem S. Mariæ a Pibone dedicatam, Sophia sancto Michaëli ad Mosam in manu Sigifridi abbatis tradidit. Libertatem ejus capellæ concessit Pibo episcopus, qui ait hoc pactum firmatum fuisse illo anno, quo Jerusalem ipse iturus erat, scilicet anno ab Incar-
1085. natione Domini M. LXXXV, indictione VIII. Peregrinationem Jerosolymitanam aggressus est cum Conrado Luciliburgensi, & in itinere voto se obligavit, si in patriam salvus & incolumis rediret, monasticam vitam se professurum. Quod reipsa redux præstitit in Divionensi sancti Benigni cœnobio, cui primo sui pontificatus anno altaria duo ab Udone concessa litteris suis confirmaverat. Facta vero professione, a diœcesanis suis desideratus, jussu pontificis Victoris III ecclesiæ suæ curam resumere coactus est, cui veræ crucis portionem, a Constantinopolitano Imperatore dono acceptam, auro gemmisque ornatam dedit. Cel-
Ch. XVI, col. 564. lulam monachorum apud Barrum a Sophia comitissa conditam & subjectam monasterio S. Michaëlis diœcesis Virdunensis probavit
1088. anno 1088. Suum præbuit assensum anno
1091. 1091 ut Lutulfus decanus monasterium in honorem S. Leonis ædificaret; laudavitque omnes eidem loco factas donationes. Eodem anno turrim jussit ædificari in cathedrali ecclesia, in qua duas suspendit campanas, triaque erexit altaria. Magnam quidem hanc coronam, chorum inter & altare suspensam, in cujus circuitu accenduntur cerei, ecclesiæ suæ dono dedit. Ad hæc adde quadraginta modios vini nec non ecclesiam quamdam, quæ largitus est ea lege, ut quotannis fieret ejus anniversarium. Ecclesiam S. Chlodulfi apud Laium dedicavit
1092. anno 1092, ac paulo post Beatricem, quondam uxorem Bertholdi ducis, defunctam VII cal. Novembris hujus anni, in urbe Tullensi sepelivit. Egilberto metropolitano schismate inquinato ille, ejusque comprovinciales episcopi,
1093. significarunt anno 1093 se amplius ei non obtemperaturos. Ad eam ætatem referendum
Ch. XXIX, col. 476. videtur responsum Urbani II papæ ad plurimas a Pibone propositas quæstiones. Dedit litteras
1094. anno 1094 de fundatione prioratus S. Theobaldi de Amerevilla. Richerum Virdunensem nuper ab Hugone Lugdunensi ordinatum in episcopalem civitatem redeuntem honorifice
1095. accepit anno 1095. Claromontano concilio, in quo Saracenis ad terræ sanctæ recuperationem indictum est bellum, interfuit hoc ipso anno; quin & ipse crucem sumpsisset, nisi ætate infirmitatibusque fuisset præpeditus. Quamplurimarum ecclesiarum in diœcesi sua fecit consecrationes, pluriumque abbatiarum & prioratuum fundationes probavit. Largitus est
1096. an. 1096 altare situm in Commarceio beatæ Mariæ Molismensi cum conditione sex denarios census solvendi. Ursus quidam ortu Beneventanus, post varias peregrinationes in

ANNI CHRISTI

A Lotharingiam accessit, substititque prope Novum-castrum in monte Sionna, ubi oratorium construxit in honorem sancti Jacobi apostoli, cujus reliquias, quas secum attulerat, ibidem reposuit. Id oratorium a Pibone consecratum fuit; dein cella oratorio adjuncta est, quam Pibo ad Ursi preces S. Mansueti monasterio contulit, ut in ea collocarentur monachi, quibus altare S. Germani de Sionna concessit, litterisque datis 1097, IV cal. Martii statuit 1097.
ut omnes montem illum inhabitaturi, ad Ch. XXX, col. 477.
cellam illam convenirent pro baptismo & sepultura, cæterisque animæ & corporis sub-
B sidiis. Consecravit anno 1101, V id. Octob. 1101.
ecclesiam de Portu. Rogante Theomaro abbate Ch. XXXII, col. 481.
S. Mansueti, ratum habuit donum Drogonis dapiferi & Evæ uxoris ejus, in ecclesia sancti Mansueti sepultorum, anno 1102, indict. X. 1102.
Ad ejusdem abbatis preces firmavit omnes S. Mansueti possessiones an. 1103, indict. XI. 1103.
Subscripsit anno 1105 litteris de fundatione 1105.
cellæ apud castrum Vallis-coloris, in fundo a Josfrido nobilissimo principe Molismensi cœnobio attributo. Richardum Albanensem episcopum & apostolicæ sedis legatum honorifice accepit anno 1107, ipsumque precatus 1107.
C est ut consecraret recens instauratam sancti Mansueti ecclesiam, itemque absolutam a Sehero abbate Calmosiacensem, cujus in gratiam quam plurima jam ab ipso acta fuisse testatur Calmosiacense chronicon. Eodem anno decessit mense Novembri ex necrologio sancti Mansueti XI calendas Decembris, ex necrologio S. Vitoni & S. Benigni Divionensis IX calendas, & ex necrologio cathedralis VIII calendas, cum Tullensi ecclesiæ præfuisset annis 38. Sepultus in ecclesia Tullensi, in sacello S. Mariæ Magdalenæ: unde pluribus post annis eruta ejus ossa, cum ossibus Regi-
D naldi de Sylvanecto episcopi humata sunt prope minorem portam, qua ex cathedrali in claustrum descenditur.

XLI. Riquinus. DE COMMERCY.

Dynastam de Commerceio, dictum etiam Riquinum, & Leucardam gente Asperi-montis prognatam Riquinus habuit parentes, a quibus sex tantum annos natus, Udoni episcopo oblatus fuit in litteris informandus. Biennio post ab eodem præsule inter canonicos est admissus. Vixdum viginti duos attigerat annos, cum primicerius ecclesiæ cathedralis & præpositus
E S. Gengulphi ac major archidiaconus effectus est. Vacante episcopali sede per obitum Pibonis anno 1107, canonici duas in partes divisi, elegerunt alii, juniores scilicet, Conradum Scwarsemburgium, Henrici V imperatoris eleemosynarium; alii vero Riquinum de Commerceio, qui mox utriusque partis, item & oppidanorum, suffragia sibi conciliavit. Uterque tamen electus pro episcopo se gessit; unde in ecclesia Tullensi gravissimum ac longinquum emersit schisma. Conradus Imperatoris authoritate suffultus, manuum impo-

ANNI CHRISTI fitionem decennio post accepit ab Henrico A
Virdunensi episcopo, de quo Riquinus, a metropolitano consecratus, apud sedem apostolicam, cui tunc erat obstrictus, expostulavit. Verumtamen pro Romano pontifice non semper stetit Riquinus; nam a principio episcopatus, ad annum circiter 1108 vel 1109 Virdunum Imperatorem adiens, cum eo amicitiam pepigit, ejusque partibus palam susceptis, maximam plebis suæ partem exemplo suo in schisma traxit. Spiræ versabatur anno 1112 cum pluribus aliis præsulibus & optimatibus, cum ipse imperator Henricus dedit litteras de statuendis juribus advocatorum monasterii B
sancti Maximini Trevirensis. Convocato de rebus ecclesiæ & imperii Argentinæ conventui interfuit anno 1114, consecutusque est monetam cudendi & nobiles Tullensis comitatus ad arbitrium cogendi privilegium. Cunonem Prænestinum, legatum apostolicum Tullum accedentem non modo noluit accipere, sed ut eum excipiendi omnis tolleretur occasio, ab urbe se removit. Attamen in se rediens, duos e canonicis suis ad Callistum II direxit obedientiam pollicituros: quin & ipse Cluniacum pontificem adiit, a quo præter multa benignitatis testimonia censurarum veniam C
consecutus, ab ipso invitatus est ad concilium Remis indictum ad diem 20 Octobris 1119, cui adesse nec omisit. Constat ex ipsius Callisti pontificis epistola ad Tullense capitulum Riquinum petiisse facultatem raptores excommunicandi. Quam ille se concessurum promittit, si primicerius, archidiaconi & abbates primo in unum conveniant, hac de re consulturi. Vormatiensibus comitiis Riquinus adstitit anno 1122, in quibus famosa hæc & diuturna de investituris inter summos pontifices & imperatores composita est discordia. Duas a sancto Bernardo epistolas accepit. Prima est responsio D
ad unam, quam ipse ad sanctum abbatem de insigni peccatore scripserat, rogans ut illi salutifera monita præstaret. Altera est excusatio sancti abbatis, quod in Claram-vallem quemdam Willelmum, forsan monachum diœcesis Tullensis admisisset. Huc usque de publicis rebus, quibus magnam partem habuit Riquinus, diximus; nunc de privatis actibus agere cura
1110. nobis incumbit. Is si quidem dedit an. 1110 ad preces Garini abbatis S. Apri litteras de confirmatione bonorum ejus monasterii, in quibus Renaudus nuncupatur. Scripsit Pontio Cluniacensi abbati Bertricum Mediani-monasterii abbatem conquestum fuisse in synodo, E
quod Cluniacenses Frondonis-villam usurpassent. Quod litigium ipse in Cluniacensium
1111. gratiam sedavit anno 1111, ordinationis suæ 4. Eodem anno una cum aliis episcopis intercessit privilegio per imperatorem Henricum concesso Antonio Senoniensi abbati. Theomaro abbati monasterii S. Mansueti, ubi parentes ejusque frater consepulti sunt, feudum situm apud *Monz*
1113. confirmavit anno 1113, ordinationis suæ 6.
Ch. xxxiii, col. 482. In ejusdem abbatis gratiam dedit alias litteras ad annos 1112, 1118, 1122, 1123. Subscripsit anno 1114 chartæ Imperatoris pro Stivagio. Altare Casteniaci concessit an. 1116 monachis S. Apri. Stephano primicerio sub finem anni 1119 e vivis erepto, dignitatem ejus mensæ capitulari adnexuit. Reperitur anno 1120 in litteris pro monasterio S. Michaëlis. De reditibus ecclesiæ *de Moiruncourt* disposuit inter fratres ejusdem loci & vicarium XVII cal. Julii 1121. Prioratu sancti Theobaldi, cujus ecclesiam consecravit, investivit Lanzonem abbatem S. Michaëlis anno 1122, quo cellam Bertiniacæ curtis Henrico abbati Divionensi concessit. Dynastiæ de Commerceio partem a patre suo Tullensi ecclesiæ traditam probavit, fategitque ut a summo pontifice probaretur. Id quoque ecclesiæ suæ a papa privilegium obtinuit, ut illa, sede vacante vel episcopo absente, potestatem haberet anathemate constringendi invasores bonorum ecclesiæ. Obiit anno 1126 idibus Februarii, conditusque est in cathedrali ad introitum capellæ S. Mariæ Magdalenæ, cujus parieti hi duo versus inscripti sunt:

ANNI CHRISTI Ch. xxxiv, col. 483. Ch. xxxv, col. 484. Ch. xxxvi, col. 485. Charta xxxvii, col. 486. 1114. 1116. 1119. 1120. 1121. Ch. xxxvi, col. 485. 1122. 1126.

Hic jacet antistes Riquinus, Christe sibi stes,
Mitis & hunc cælis glorificare velis.

Olim ad ejus tumulum alteri hi versus legebantur:

Moribus ornatus, clara propagine natus,
Riquinus decus ecclesiæ jacet hic tumulatus.
Præterit & titubat quidquid sub sole videtur:
Sola boni præstat gratia, nec moritur
Nomen, honor, probitas, species, genus alta facultas
Nil modo subsidii, dantque Riquine tibi.
Ergo fidem, meritumque tuum Deus ipse retractet,
Et tibi det veniam, detque bonam requiem.
Si meritis minor es, eaque super omnia dives,
Gratia defectum suppleat oro tuum.

De Conrado Riquini æmulo nihil scimus, nisi quod anno 1124 Brunonis archiepiscopi Trevirensis cum Henrico Virdunensi antistite exsequias prosecutus fuerit, & coram Prænestino episcopo & Henrico imperatore adstiterit cœtui Vormatiensi, in quo discussa fuit Gebehardi Wirceburgensis episcopi intrusi causa.

XLII. HENRICUS. DE LORRAINE.

Theodorici Lotharingiæ ducis & Gertrudis Flandriæ comitissæ conjugum filius Henricus, germanos habuit ducem Simonem de Nanceio & Theodoricum, qui postea fuit Flandriæ comes. Litteris dedit operam sub Hunaldo archidiacono, Tullensium scholarum rectore. Ante episcopatum fuit canonicus, archidiaconus & cantor Tullensis ecclesiæ, canonicus & præpositus ecclesiæ sancti Deodati, archidiaconus Metensis, decanus Virdunensis, & archidiaconus Lingonensis. Episcopus vero creatus

ANNI CHRISTI
est anno 1126 die 20 Martii. De illo hæc
habet chronicum Alberici: « Apud Tullum
» post episcopum Riquinum fuit episcopus
» Henricus frater ducis Simonis de Nanceio
» & illius Theodorici, qui postea fuit comes
Flandrensis. » Gerardus cardinalis Cameracensis & episcopus Virdunensis directi sunt
ad papam confirmationem postulatum, duoque
canonici a capitulo missi, ivere nunciatum
imperatori Lothario II. Princeps hic, qui
sororem suam Adelaidem Simoni duci Lotharingiæ, Henrici germano, dederat uxorem,
electionem probavit, factaque est Metis mense
Julio consecratio ab apostolicæ sedis legato,
adstantibus duce & ducissa Lotharingiæ, Theodorico Flandriæ comite, multisque aliis provinciæ magnatibus. Eodem anno cum Stephano
Metensi, Henrico Virdunensi & pluribus abbatibus concilio provinciali Tulli habito a Petro
cardinali, sedis apostolicæ legato, adsuit. Spiram
cum duce Simone 10 Septembris a Lothario
imperatore invitatus perrexit Henricus, ut
indictis de pace in imperio restituenda comitiis
adforet. Haud multo post Romam cum Meginero Trevirensi profectus, limina Apostolorum
1128. visitandi voto, illic subscripsit an. 1128 initæ
compositioni inter Lanzonem abbatem sancti
Michaëlis & Hadwidem abbatissam Juviniaci.
Ad eumdem annum Widoni Trium-fontium
abbati largitus est locum, qui dicitur capella ad
Gundrenen vadum. Hoc etiam anno Hugoni
abbati S. Urbani confirmavit factas a decessoribus suis donationes. Litteras ab Honorio II
papa, inscriptas quidem Meginero Trevirensi
sub id tempus accepit, ut de vita moribusque
Henrici Virdunensis episcopi, de simonia
aliisque criminibus accusati inquireret. Adstitit
1129. anno insequenti concilio Catalaunensi, ubi
idem antistes Virdunensis, suadente D. Bernardo, sponte sese exuit dignitate. Romam
1130. iterum Henricus migravit anno 1130 ea occasione: erat in Tullensi diœcesi vir potens ac nobilis, nomine Theodoricus *d'Imbercourt,* Barri
castellanus, qui clero infensissimus hostis, archidiaconum duosque canonicos comprehensos
in carcerem conjecit, spretisque ecclesiasticis
censuris, varias invasit ecclesiæ possessiones.
Quem ut Henricus reprimeret, eum apertis
armis constituit insequi, pluresque parvas reportavit victorias. Imminens sibi reformidans
Theodoricus periculum, ab excommunicationis sententia ad sedem apostolicam appellavit. Pontifex, vocato ad suum tribunal
episcopo, discussaque mature causa, excommunicationis sententiam probavit & per totam Trevirensem provinciam voluit divulgari.
Legimus optimatem hunc citatum fuisse in
duobus synodis provincialibus ab Alberone
Trevirensi convocatis ad annos 1141 &
1147, ut Tullensi ecclesiæ satisfaceret. Romæ
adhuc Henricus versabatur, cum Innocentius II
factione antipapæ Petri de Leone urbe discedere coactus est, quem & ipse usque Pisas
est comitatus. Salutato papa, iter intendit in
A diœcesim suam, quam bello, quod Fridericus
Tullensis comes capitulo indixerat, exagitatam
reperit. Pacem restituere cogitabat; sed quia
S. Bernardus, contra quem secretam conceperat invidiam, se negotio huic immiscuerat,
id consilium reliquit. Pugnatum itaque est
adhuc quatuor annis, post quorum elapsionem
Innocentii II pontificis cura inter episcopum
ac capitulum & comitem sancita est concordia,
Alberone Trevirensi ejusque suffraganeis, nec
non Simone Lotharingiæ duce & Adelaide
ducissa præsentibus. Bertranni abbatis sancti
Arnulfi Metensis precatu Henricus prioratui
B Layensi omnes ecclesias aliasque possessiones
sitas in diœcesi Tullensi confirmavit VII idus
Octob. 1130. Insequenti capellam S. Nicolai 1130.
de Novo-castello Rainaldo abbati S. Mansueti 1131.
asseruit. Diplomati Lotharii imperatoris eodem Ch. XLIII. col. 492.
anno VIII cal. Maii jus quoddam Epternacensi
monasterio in flumen Sura concedentis subscripsit. Litteras assecutus est anno 1132 ab 1132.
Innocentio II de possidendo feudo *Bercheim,*
quod Milo abbas Mediani-monasterii reclamabat. Adstitit eodem apud Theodonis-villam
conventui de reformanda pace, ubi a Simone
duce Lotharingiæ, fratre suo, exactis ab ecclesia
C sancti Deodati pravis consuetudinibus renunciatum fuit, ipsique ab Alberone Trevirensi
censurarum absolutio tributa. Litteras dedit
anno 1134 de cella Bellæ-vallis fundata a 1134.
Gerardo Vadani-montis comite, & Mediano- Ch. XLV. col. 494.
monasterio subdita. Ad id tempus cum capitulo
S. Gengulphi gravem habuit contentionem.
Jam pridem ab Udone episcopo adjunctus fuerat archidiaconatus præposituræ S. Gengulphi:
verum ut ob promotionem Alberonis ad archiepiscopatum Trevirensem tunc agebatur de
electione præpositi, Henricus id jus sibi competere causatus est, ex eo quod ab antecessoribus suis archidiaconum eligendi jure spoliari
D non potuisset: quin etiam imperator Lotharius
auctoritatem suam in Henrici gratiam interposuit apud Innocentium II. Nihilo tamen
minus Albero Trevirensis & S. Bernardus
capituli sancti Gengulphi defensionem susceperunt: & quidem sanctus abbas epistolis suis
tam efficaciter egit apud papam & imperatorem, ut causa pro capitulo judicata fuerit.
Memoratur anno 1135 in litteris ejusdem 1135.
Alberonis de concordia inita inter ecclesiam
S. Apri & Calmosiacensem. Eodem anno
confirmavit bona Belli-prati, litterasque dedit
E non illo tantum, sed & annis 1136, 1147,
1150, 1153 in gratiam capituli S. Deodati.
Occurrit an. 1136 in charta præcitati Albe- 1136.
ronis de introductione Præmonstratensium in
monasterium S. Pauli Virdunensis. Factam
a se cum Friderico Tullensi comite composi- Ch. XLVII. col. 497.
tionem ab Innocentio II firmari fategit. Donum
Simonis Lotharingorum ducis & Adeleidis
uxoris ejus alodium suum *de Moncey* monasterio sancti Mansueti præstantium laudavit.
Richardo abbati B. Mariæ de Nemore indulsit
anno 1138 privilegium. Eodem subscripsit 1138.
diplomati

ANNI CHRISTI diplomati Lotharii II imperatoris Stabulensis
monasterii immunitates & possessiones con-
firmantis. Bene in præfatum sancti Mansueti
cœnobium affectus, possessionem allodiorum
d'Aingeré & *de Molsey*, a S. Gerardo concef-
1140. sorum probavit anno 1140. Monasteria Fla-
bonis-montis & Vallium recens condita,
factamque a canonicis S. Leonis Herberto
Regiæ-vallis abbati donationem firmavit; imo
etiam locorum Regiæ-vallis & Jovillaris
eidem Herberto abbati tributorum ratum ha-
1141. buit donum anno 1141. Fundos terræ sitos
apud Tanconvillam cum abbate & fratribus
S. Mariæ apud sanctum Salvatorem pro annuo
1145. censu & quodam prato commutavit an. 1145.
1146. Jerosolymitanum iter suscepit anno 1146 in
comitatu Ludovici VII regis ad expeditionem
adversus Saracenos. Dum abesset, consecrata
1147. est ecclesia Tullensis ab Eugenio III an. 1147,
Chart. LII, col. 501. quo & ipse prioratum S. Donati Rainaldo
abbati sancti Mansueti disponendum permisit.
Char. LIII, col. 504. Largitus quidem est eidem monasterio altare
de domna Basula. Fundatum a duce Matthæo
1149. Stanchiæ monasterium laudavit anno 1149.
Cum eodem duce nepote suo discordiam
habuit de castro quodam, quod dux haud
procul ab urbe Tullensi ædificare præsumpserat.
Hæc vero dissensio Trevirensi & Metensi præ-
sulibus a summo pontifice Eugenio sedanda
1150. commissa est circa annum 1150. Possessiones
Ch. LVII, col. 507. & jura cellæ, quam monasterium sancti Apri
habebat apud *Gundricourt* Hugoni abbati; nec
non alodia Rabonis-villæ, Roholenvillæ Jo-
1151. hanni S. Mansueti abbati assignavit an. 1151,
quo initæ inter abbates Morimundi & Boni-
fageti testis fuit compositionis. Omnem supel-
lectilem suam in annonæ sterilitate hoc anno
vendidit ut egenos sublevaret. Structam ab
Adelaïde fratris sui Simonis vidua abbatiam
Fontis-dulcis in diœcesi Lingonensi confir-
1152. masse traditur anno 1152, quo dum Treviris
concilio provinciali adsforet, factam inter
Matthæum ducem Lotharingiæ & Romari-
censem ecclesiam laudavit compositionem.
Subsignavit eodem litteris quibus Eberhardus
& Henricus comites Saynenses castrum suum
cum omnibus appenditiis ecclesiæ Trevirensi
donant. Nicolao Trium-fontium abbati con-
firmavit dona Hugonis de Bugnosa & aliorum,
exortumque de decimis inter canonicos sancti
Deodati & abbatem de Bungardo dissidium
1153. placavit anno 1153. Gerardo abbati Altæ-
silvæ decimas quarumdam terrarum, quas
proprio labore colebant monachi dimisit sub
1154. annuo censu duorum solidorum anno 1154.
Ad hunc annum litteras ab Adriano IV
accepit, quibus hic pontifex scribit se non
admisisse electionem primicerii, ac declarat
reditus in usum canonicorum esse conver-
tendos, donec primicerius rationabiliter ordi-
netur. Colmariensibus comitiis interfuit, unde
Fridericum Ænobarbum imperatorem Tre-
virim secutus est, ejusque solenni in eam
1156. urbem ingressui adstitit anno 1156. Ipsum

A Imperatorem Wormatiam est comitatus, ubi
de bello in Italia gerendo consilium fuit. In
schisma prolapsus, adsuit anno 1160 Papiensi
conventiculo, in quo, comprobata Octaviani
electione, Alexandro III anathema dictum est.
Biennio post cum nepote suo Matthæo Veson-
tionem ad comitia se contulit, in quibus
agitata est quæstio Alexanderne III an Octa-
vianus legitimus esset pontifex. Verumtamen
ad Alexandri partes brevi se convertit, nepo-
temque suum reduxit ad ipsius pontificis obe-
dientiam. Belli-prati atque Miræ-vallis ratas Ch. LXI, col. 512.
habuit fundationes 1157, quo largitus est 1157.
B monasterio S. Leonis altare de Nova-villa.
Eodem anno subsignavit litteris Imperatoris
confirmantis abbatiam S. Maximini Hillino
archipræsuli. Una cum episcopis comprovin-
cialibus ab Adriano IV mandatum accepit
parendi Hillino, tanquam constituto per totum
Teuthoniæ regnum legato. Munificum fuisse
Henricum erga monasterium Belli-campi tes-
tantur ejusdem Hillini litteræ. Res omnes
collatas ecclesiæ de Vallibus, cujus construc-
tioni assensus est, an. 1159 firmas esse jussit. 1159.
Anno 1161 Johanni abbati sancti Mansueti 1161.
confirmavit alodium apud Rineium, eccle-
C siamque sancti Juliani concessit monasterio
Flabonis-montis, cui anno insequenti imper- 1162.
titus est decimas ejusdem loci. Legitur eodem
anno in litteris Hillini Trevirensis, confir-
mantis jura & privilegia quæ ipse Rembaldo
abbati Stivagiensi concesserat. In aliis præsulis
ejusdem datis 1162 privilegium indulsisse Ch. LXIII, col. 516.
dicitur parthenoni Spinalensi. Assensu & vo-
luntate Theoderici nepotis sui anno 1163 1163.
Johanni abbati S. Mansueti donavit litteras
de libertate parochiæ S. Mansueti; approbavit
etiam factas a canonicis sancti Leonis Petro
abbati Janduriæ donationes; omnes quoque
D Belli-prati & Miræ-vallis possessiones anno
sequenti, nec non anno 1165 bona Rengis- 1164.
vallis. Cathedrali suæ ecclesiæ S. Vedasti & 1165.
S. Genovefæ, itemque molendinum supra
Mosellam, pariter & cœnobio sancti Vitoni
Virdunensis decimas Flaviniaci & Novi-
villaris elargitus est. Ecclesiam B. Mariæ in
nemore cum summo altari construxisse dicitur
in actis episcoporum Tullensium.

Obiter observare fas sit præsulem hunc
munus suum rite adimplevisse, honoris ecclesiæ
suæ fuisse studiosissimum, magnamque in
E gerendis rebus habuisse peritiam. Pravam ta-
men de illo conceperat opinionem sanctus
Bernardus Claravallensis ex querelis Albe-
ronis archiepiscopi Trevirensis: at credibile est
aut se ipsum correxisse, aut sanctum abbatem
male commonefactum fuisse. Excessit autem
Henricus VIII idus Junii 1165, humoque
mandatus est ante altare S. Blasii; unde corpus
ejus revectum est in tertium tumulum sacelli
B. Magdalenæ.

XLIII. PETRUS. DE BRIXEY.

Filius Petri de Brixeio & Mathildis de

ANNI CHRISTI

Rinello Petrus, antiqua & nobili gente satus, A jam ab anno 1152 canonicus Tullensis, & archidiaconus anno 1156, ad episcopalem sedem elatus est an. 1165. Altare *de Moltage* duasque partes omnium decimarum ejusdem
1166. loci confirmavit Gorziensi monasterio 1166, indict. 14, epacta 17, concurrente 5, ex cartulario B. Mariæ de Aspero-monte. Eodem anno, VIII calend. Augusti, indict. 14 testis reperitur in dono Friderici imperatoris, facto Odoni Burgundiæ comiti, nec non in ejusdem principis diplomate, quo Viennensis archiepiscopus princeps & archicancellarius consilii regni Burgundiæ constituitur. Monasterii de B
1168. Escuraio bona anno 1168 auctoritate sua constabilivit. Rainardo Jendorii abbati con-
1170. cessit ecclesiam *de Cambresson* anno 1170, ordinationis suæ quinto. Motam inter monasteria S. Salvatoris & Altæ-silvæ controversiam sedavit, tributasque cœnobio Trium-fontium
1171. donationes confirmavit 1171. Altaria *de Morionviller* & *de Tempol* Mirevallensi abbatiæ largitus est, resque monasterii Flabonis-
1172. montis & prioratus Novi-castri probavit 1172. Petro abbati S. Remigii Remensis decimas de Frunvilla asseruit adversus Milonem militem de Frunvilla ejusque fratres Galterium C ac Wiardum; Sessam quoque unam apud Medianum-vicum, a Roberto de Vico ecclesiæ
1173. Morimundi traditam, comprobavit an. 1173. Pacem & concordiam inter priorem Novi-castri & Petrum vicarium restituit; possessiones etiam Novi-castri Theodorico abbati sancti
1174. Mansueti firmavit 1174, XII cal. Aprilis, anno ordinationis suæ 14. Collatum eodem Tribus-fontibus donum ratum habuit. Litteras dedit anno 1176 de grangia dicta *Forest* dependente a monasterio Clari-loci, confir-
Ch. LXIV, col. 517. mavitque fundationem & possessiones monasterii Altæ-silvæ. Ad hunc circiter annum D Liberdunensem arcem solo æquatam reficiendi cepit consilium; cui obstiterunt episcopus Virdunensis & Simon dux Lotharingiæ: verum agente Simone de Commerceio, Petri propinquo, uterque suum præbuit assensum: primus ea lege ut episcopus hanc in munitionem prædones aut proscriptos diœcesis Virdunensis non admitteret; alter vero, puta dux Simon una cum genitrice sua Bertha humanissime ei scripsit se ob collata in ducem Matthæum officia arcis refectioni adversaturum non esse. Sub id tempus bellis exagitatum fuit capitulum E ecclesiæ Tullensis ea occasione: Matthæus, Simonis ducis frater, duxit uxorem Beatricem *de Fontenoy*, ex qua Tullensem accepit comitatum. Quædam ille antiqua decessorum comitum jura reclamare, & ea de re canonicos vexare cœpit. Hi ad defensionem suam copias direxerunt adversus Matthæum, qui, fratre suo Simone in auxilium vocato, canonicorum irritos effecit conatus. Temporalia arma canonici nil sibi prodesse cernentes, spiritalibus uti constituerunt; & vero in Matthæum ad pulsationem campanarum intorsum fuit anathema. Pax tamen cura & ope Petri episcopi restituta est, præsentibus duce Simone, Henrico comite Barri, aliisque patriæ magnatibus. Litteras in gratiam Morimundi dedit anno
1177. Fundum ecclesiæ de Condeio concessit 1177.
anno 1178 monasterio S. Michaëlis pro suo 1178.
anniversario. Eodem anno adeptus est a Frederico Ænobarbo privilegium cudendi monetam in castro Liberdunensi; obtinuit etiam ab illo, ut feudum S. Deodati, quod Egoloni familiari suo princeps habendum indulserat, Tullensi ecclesiæ restitueret. Ecclesiæ Rengericuriæ largitus est anno 1183 quidquid ad 1183.
presbyteratum ecclesiæ Lunerivillæ pertinet. Rodulphum abbatem S. Johannis Laudunensis & Regnaudum Molismensem super nonnullis ecclesiis disceptantes conciliavit anno 1184, 1184.
III idus Novembris. Ad preces Viardi de Rinello canonicos tredecim in castro Rinelli instituit anno 1185, præmissa hac conditione 1185.
ut, salvo episcopali jure, prædictus Viardus ejusque successores canonicos nominarent, qui, prius data episcopo fide, obsequium etiam præstarent ecclesiæ sancti Mansueti. Tredecim quoque præbendas a Simone *de Sarbruch* domino de Commerceio in ecclesia B. Dei Genitricis & S. Nicolai in castello de Commerceio institutas probavit anno 1186, quo 1186.
& ipse canonicos in Liberdunensi castro ins- Ch. LXVI, col. 521.
tituit ad honorandas gloriosi martyris sancti Eucharii ibidem quiescentis reliquias. Verum deletum est id capitulum, reditusque tributi seminario Tullensi, Henrico *Thiard de Bissy* episcopo. Varias donationes factas cellæ Casteniaci confirmat, & monasterio Jendorii concedit ecclesiam *de Combles* an. 1187. Testis 1187.
eodem fuit initæ ab Henrico VI Cæsare inter canonicos Tullenses & Matthæum comitem compositionis super hominibus de Aquosa. Synodo suffraganeis totique clero apud castrum Mousonium anno 1186 in Quadragesimam a Folmaro Trevirensi archiepiscopo indictæ cum interesse recusasset, anathemate cum Henrico Virdunensi, qui itidem absuerat, perculsus fuit. Sequenti anno reputans secum diligentius sacro se interdicto notatum, atque ob id ab obeundis divinis officiis impeditum, sedem apostolicam, quam appellaverat, accedere maturavit: quo in itinere ex nunciis famaque cognovit Urbanum III, XIV cal. Nov. Ferrariæ vita discessisse. Quamobrem accelerans ut exequiis interesset, nuntios de adventu suo in Italiam præmittit. Inter hæc cardinales, suffragiis initis, Albertum Urbani cancellarium, vitæ innocentia spectatum, pontificem creant & nomine Gregorii VIII salutant. Hic de Tullensis episcopi adventu certior factus, eum consecrationi suæ voluit interesse. Quæ res cum adstantium oculos perstringeret, cardinales mox obnunciant Petrum illum Tullensem a metropolitano damnatum & religionibus impeditum, haud recte prius ad mysticam eam consecrationem admitti, quam de reconciliatione & pace reddita constet. Ad quæ

ANNI CHRISTI

pontifex nullius criminis ante compertum, A neque manifesto ullo judicio convictum, a metropolitano sacris arceri non potuisse, neque vero demptis huic vinculis opus esse, quem nullius unquam religionis astrinxisset. Quod cum cæteri cardinalium probassent, Petrum osculo pacis exceptum, lubentes sacratissimæ functioni misceri adstareque passi sunt. Petrus in patriam redux canonicis sancti Gengulphi, Friderico fratre & Galterio nepote annuentibus, de patrimonio suo concessit terram de Minori-villa; cathedrali suæ tradidit parochiam de Vicheriaco, feudum de Crepeio, ecclesiam *de Neves* & decimas *de Saulx*. Episcopis B Tullensibus futuris successoribus munere dedit partem suam in toparchia de Brixeio, quam postea successores ejus integram acquisierunt. Terram sanctam invisendi captus desiderio,
1189. cruce se signavit anno 1189. aggressusque est iter in comitatu Goberti de Aspero-monte, Simonis comitis de Salmis, Caroli & Regineri de Monsterolio. Diœcesis administrationi ante profectionem providit, vicariis generalibus designatis Friderico nepote suo & Richardo S. Apri abbate. Dum ille abesset, condita fuit ab Agnete Barrensi comitissa ejusque filio Theobaldo Montionis comite ecclesia collegiata C in castro de Ligneio an. 1191. Jerosolymis
1192. mortuus an. 1192, ibidem est sepultus.

Bened. Hist. Tull. prob. p. 97.

XLIV. Odo.

DE VAUDEMONT.

Hugone I Vadani-montis comite & Agelina de Burgundia ejus uxore progenitus Odo, Gerardi II comitis germanus, in ecclesia Tullensi sub Henrico a Lotharingia educatus est. Primum archidiaconi tum thesaurarii munera obivit; episcopalem vero dignitatem est assecutus an. 1192. Sub pontificatus ejus initium de primicerii dignitate emersere difficultates. Theodoricus a Lotharingia, Matthæi I ducis D filius, ad eam dignitatem, quæ licet a Riquino episcopo capitulari mensæ adunata, se promoveri curaverat. Post Theodorici obitum archidiaconus Tullensis, nomine Simon, sub falsa allegatione bullas ut ipse succederet a papa impetravit. Canonici facta possessionis acceptioni intercessione sanctam sedem appellarunt. At Simon suffultus potentis familiæ suæ auctoritate possessionem iniit. In adversandum impares canonici, ad summum pontificem confugerunt, qui hujus causæ judices instituit Catalaunensem & Lingonensem episcopos, E abbates Altæ-silvæ, Belli-prati & Claræ-vallis, qui in gratiam Simonis sententiam tulerunt. Ex quo judicio facta est ad summum pontificem appellatio, qui re sedulo perpensa, secundum capituli vota pronunciavit. Sexaginta canonicis centumque clericis vel vicariis capitulum tunc constabat. Alendis tot hominibus non sufficere cernens Odo proventus, ut canonicorum numerus ad quinquagenarium redigeretur obtinuit a Cœlestino III, posita hac conditione ut suppressarum decem præbendarum reditus tam in canonicos quam in vicarios refunderentur. Statuit etiam Odo ut unusquisque e tribus scholarum institutoribus unius canonici præbendam sortiretur; qui vero humanitatis studia docerent, vicariorum præbendas essent habituri. Romam peregrinationem aggressus est: quo anno nobis incompertum; sed certo scimus, dum ille abesset, Gerardum ejus nepotem, thesaurarium & archidiaconum, ab archiepiscopo Trevirensi vicarium generalem diœcesis institutum fuisse. Alterum in Cluniacense monasterium iter suscepit, monachorum illic degentium sanctam conversationem virtutesque suscipiendi & æmulandi gratia. Plurimas res ecclesiæ suæ tradidisse dicitur in actis episcoporum Tullensium. In synodo celebrata VIII idus Maii 1192, ad archidiaconorum & abbatum preces publicavit statuta de insequendis raptoribus, hæreticis & monachis apostatis. Ratas habuit eo anno item & 1196 indultas Flabonis-montis monasterio donationes. Subscripsit 1194 litteris in gratiam 1194.
S. Michaëlis. Ipso quidem anno pacem conciliavit inter Simonem ducem Lotharingiæ & ecclesiam Romaricensem. Ecclesiam *d'Euville* ab Herberto, Radulfi de Aspero-monte filio, conditam sacravit anno 1195. Eodem anno 1195.
Simoni *de Parois*, mox Jerosolymam profecturo, crucem exhibuit, ipsiusque in peregrinatione defuncti testamentum, quod ab illo acceperat, est executus. Mire-vallensi cœnobio tradidit anno 1196 altare *de Midrevault*. 1196.
Interfuit eodem una cum nepote suo comitiis ab Henrico VI Cæsare Spiram indictis, ubi & ipse a legato apostolico crucem ad iter in terram sanctam suscipiendum accepit. Insequenti 1197.
anno ad Imperatorem querelam de Theobaldo I Barri comite, ut ecclesiæ Tullensis vexatore, detulit; largitusque est canonicis S. Leonis prioratum *de Nas* & Leprosorum domum sitam in parochia de Petra-ficta. Confirmavit etiam VIII calendas Junii ejusdem anni Hugoni abbati Cluniacensi ecclesiam *de Mosterol*. Adhuc etiam de exorta inter Simonem ducem Lotharingiæ & Romaricensem ecclesiam controversia litteras expedivit. Jerosolymam hoc anno vel insequenti profectus, uti voverat, in itinere decessit VI calendas Decembris, juxta necrologium S. Mansueti. Corpus ejus in urbem relatum, in medio navis cathedralis humo mandatum est, dein in tumulum Hugonis II Vadani-montis comitis nepotis sui, in ipsa ecclesia sepulti, translatum.

Ch. LXVIII, col. 524.

Bened. Hist. Tull. prob. p. 98.

XLV. Matthæus.

DE LORRAINE.

Filius Friderici dynastæ *de Bitche* ex Ludomilla de Polonia uxore, germanusque Friderici II Lotharingiæ ducis Matthæus seu Maherus, sex tantum annos natus præbendam in capitulo Tullensi & alteram in ecclesia S. Deodati habuit. Archidiaconus Tullensis & major præpositus S. Deodati evasit anno 1188, tum episcopus anno 1198: conse- 1198.
crationem vero non accepit ante finem anni 1200, quo episcopatus sui annos in litteris 1200.

ANNI CHRISTI

Hist. Lothar. tom. II, instr. p. 412. Ch. LXIX, col. 525.

incipit enumerare. Dedit eo anno ad confirmationem privilegiorum ecclesiæ Tullensis chartam in qua sanctæ Leuchorum sedis electus dicitur. Per id tempus donationem a Matthæo Tullensi comite cathedrali ecclesiæ traditam laudavit. Hoc eodem anno 1200, Matthæo præsule, condita fuit ecclesia sanctæ Crucis Mussipontanæ a Theobaldo comite Barri, quæ in collegiatam erecta fuit a Renato I Lotharingiæ & Barri duce decimo quinto seculo. Prioratui de Layo, ab abbatia sancti Arnulphi Metensis pendenti, ecclesiam parœcialem sancti
1203. Christophori de Layo adnexuit anno 1203, pontificatus sui anno 3. Testis occurrit anno
1204. 1204 in charta Warini abbatis S. Clementis Metensis. Sub formosa & affabili corporis specie, magna quæ mox apparuerunt habuit in animo vitia. Et certe in episcopale solium vix conscenderat, cum dissolutam vitam agere & ecclesiæ bona dissipare cœpit. Qua de re in jus a capitulo vocatus est; dein Romam delata fuit causa ad Innocentium III, qui sententiam depositionis tulit adversus Matthæum. Audiendus est hac de re Richerius monachus Senoniensis, author fere æqualis, qui detestandi hujus præsulis vitam ac mortem ita describit: « In illis diebus, inquit Richerius, erat vir » Maherus nomine, imperiali & ducum prosapia » procreatus, vir satis in principio sui modestus, » elegantis formæ, & beneplacens, ecclesiæ » S. Deodati præpositus. Episcopo igitur Tullensi » defuncto, idem vir Maherus episcopatus Tullensis cathedram suscepit.... Interea a canonicis suis Tullensibus ad judicium vocatur, de » episcopatus dilapidatione arguitur, nec tamen » causa per judices valet terminari. Ad papam, » qui tum Innocentius III erat, appellatur. Archi- » diaconus quidam Fridericus nomine, cum aliis » papæ se præsentat. Episcopus vero iter arripiens » venit Sutrium ad XXX prope Romam milliaria. » Adversarii instant quia dies appellationis transierat. Papa differt quia parcere volebat, asse- » rebat enim eum se scire venientem. Episcopus » vero de salute sua desperans, retrogrado se » committens itineri, ad partes istas infœlix » reversus est. Adversarii vero ejus papam ur- » gentes, cum papa eum audisset repatriasse, » contra eum licet invitus tulit sententiam. Episcopus vero sciens contra se datam esse senten- » tiam, bannum Bodonis-monasterii duci Lo- » tharingiæ Frederico fratri suo titulo pignoris » se obligare simulavit..... Amoto igitur ab » amministratione Tullensi, Regnaldus successit, » filius pincernæ regis Franciæ, qui dicebatur » *de Saulize*, nobilis vir beneque morigeratus. » Maherus quoque ad præposituram suam ad » S. Deodatum est reversus.... Ædificavit » domum inter duo monasteria de lapidibus » turris sancti Deodati quæ lapsa erat. Habebat » filiam juvenem & satis formosam, quam de » quadam sanctimoniali Spinalensi genuerat; » ipsam in domo, in mensa, & ut dicebatur, » in lecto assidue habebat: de qua etiam filios » dicitur procreasse. Cumque Fridericus dux

A frater ejus audisset fratrem suum talem ducere « vitam, venit ad eum & dixit ei: quare ita « impudenter se ipsum & totam suam progeniem « ita cum filia sua dehonestaret. At ille dixit « non esse filiam suam. Dux respondit: numquid « matrem cognovistis? & tam enormiter cum « matre & filia vultis rem habere? Ille vero « confusus nihil respondit. Dux vero iratus « accepit eam & misit eam in compedibus in « castro *Berneslim* in Alsatia.... Maherus vero « præpositus sancti Deodati antea anno Domini « M. CCIII, tempore Simonis ducis patrui sui « castrum erexerat in quadam rupe penes mon- «
B tem, qui Clarus-mons dicitur, in valle sancti « Deodati, pro quo tota vallis illa fere destructa « & male tractata fuerat. Sed non diu duravit, « quia consilio Friderici postea ducis Lotha- « ringiæ, & etiam Patris ipsorum Friderici *de* « *Vites* *, & aliorum prudentium virorum dis- « ruptum fuit: & ita pace ordinata quisque « reversus est ad propria. Præpositus vero Ma- « herus, quia dux Simon tempore guerræ do- « mum, de qua supra diximus, funditus ever- « terat.... certum non habebat receptaculum, « per montes & nemora cum canibus venato- « ribus quotidie discurrebat & præcipue in Claro- «
C monte.... Habetur in summitate illius montis « ecclesia in nomine beatæ Mariæ-Magdalenæ « constructa cum suis officinulis, solitariis apta. « Ibi idem præpositus Maherus conversabatur « plurimum. «

* Bitche.

Contigit igitur non multo tempore post « Renaldum episcopum Tullensem, de quo « superius, ad partes istas causa visitationis « devenisse. In festo quippe sancti Paschæ ad « monasterium sancti Salvatoris in Vosago ad « festum ibi celebrandum pervenit. Cumque « illa die ibidem festum peregisset, ad claustrum « Senoniense devenit.... eadem quippe nocte «
D sequente.... quidam speculatores missi ad- « venerunt.... ut episcopo insidiarentur. Hi « ea nocte, qua episcopus apud Senonias per- « noctavit, in camera abbatis comederunt, & « mane sine licentia recesserunt. Episcopus vero « Tullensis Renaldus sequenti feria secunda, « missa cantata, facto prandio cum suis, ad « Medianum-monasterium pervenit, & ibi « modicum demoratus, per Stivagium per- « transiens, ad claustrum Alteriacense properabat; « ibi enim ipsa nocte pernoctare volebat. « Cumque quamdam villulam, quæ Burguncia « dicitur, pertransisset, venit ad quemdam locum «
E arctum, ubi ex una parte viæ mons cum « nemore denso habetur; ita ut vix quispiam « per montem illum eques transire valeat: ex « altera vero parte viæ, palus profunda cernitur « cum arboribus. Idem præpositus cum suis « frutices & cæteras arbores in ipso loco ex « utraque parte viæ obruerat ad spatium occu- « pandum, ne quis extra viam eques vel pedes « transire valeret: via enim tam arcta est, ut « vix currus per eam duci possit. Circa illam « quippe viam idem præpositus sancti Deodati « insidias paraverat. Cumque episcopus Renaldus «

» ad locum illum cum suis pervenisset, illi de » insidiis salierunt; abbatem S. Mansueti Stephanum, virum honestum, de equo projecerunt, qui etiam dispoliaverunt eum, & plagis » impositis in via dimisso, similiter alios spoliaverunt; & quibusdam vulneratis venerunt » ad episcopum, ipsum etiam despoliaverunt & » inhoneste tractaverunt eum. Tandem unus » eorum, Johannes nomine,.... arrepto quidem » cultello, quem penes se habebat, episcopum » ter in tribus locis cultro perfodit, in pectore, » & bis a tergo & mortuum secus viam dimisit. » Ita eum & omnes, quotquot de comitatu » suo habere potuerunt, spoliaverunt, & ipsum » nudum, quod nefas est dictu, in palude juxta » viam & mortuum reliquerunt. Et ita perpetrato » illo nefario facto recedentes, domino suo » præposito in equo balistam in manu tenenti » obviaverunt. Qui inquirens quid fecerant, » duxerunt eum ad locum ubi episcopus mortuus » & nudus jacebat: qui cum illuc devenisset, » aliquandiu episcopum intuitus est, ut videret » si quoquomodo adhuc in ipso vitalis calor » haberetur. Videns ergo quod non moveretur, » versis retro habenis, cum suis satellitibus abiit » in montana...... Maherus perpetrato tali » scelere, non se loco credens, abiit ad castrum » quod *Bilestein* in Alburiis appellatur, quod » est domini *de Horborg*. Ibi enim habebat » milites, qui ei familiares erant, cum quibus » ad tempus habitavit. Detulit enim quicquid » episcopo abstulerat, saumarios, scrinia in » quibus episcopalia, oleum sacrum, chrisma » & sandalia ferebantur, & in eodem castro » reposuit..... Sequenti igitur Pentecoste idem » Maherus audiens quod nepos suus Theobaldus » dux Lotharingiæ apud S. Deodatum solemnitatem ipsam cum magno militum comitatu » celebrare decrevisset, advenit non tamen in » palam, non enim se illis credebat: audierat » enim quod parentes dicti episcopi Renaldi » dicebant ipsum episcopum de consensu ducis » fore interemptum; unde dux valde dolebat. » Et propter hoc Maherus præpositus ante nepotem suum venire non audebat. Et quia alias » in valle nullum securum habebat reclinatorium, » ad Clarum-montem, ubi & esse solebat, ascendit; ibique qualecunque festum cum paucis » celebravit. Paucos dico, quia pro ejus infortunio jam eum omnes aspernabantur: eadem » quippe die Pentecostes clanculo ad sanctum » Deodatum veniens, quibusdam fidelibus suis » apparens, ab eis inquisivit utrum se cognato » suo duci Lotharingiæ præsentare ad veniam » petendam auderet: audivit quod non, & quia » ei, ut dictum est, mors episcopi ab amicis » suis improperabatur, ipse dux animam ejus » quæreret. Ille vero hæc audiens, inde recedens » ascendit in montem ubi commorari solitus » erat. Dux vero Theobaldus solemnitate Pentecostes apud S. Deodatum peracta, feria tertia » Pentecostes inde discedens, assumpto secum » quodam nobili Simone milite *de Junville*, » equos ascenderunt & per Bellum-montem ad villam *Norpateglize* dictam venire volentes, « in quodam ibi fluente rivulo venientes, & « ecce præpositus Maherus apparuit eis, veniens « obviam eis. Quem cum dux Theobaldus « vidisset, ira accensus dixit illi militi qui cum « eo equitabat: si me, inquit, diligis, persode » istum lancea quam tenes. Absit, ait, a me « quod unquam talem ac tantum virum interficiam. Quo audito dux, accepta lancea de « manu militis, præpositum petiit. Ille vero cum « videret cognatum suum ad se iratum venire, « flexo genu misericordiam deprecabatur. Dux « vero nihil horum animo concipiens, demissa « lancea ipsum præpositum suum patruum per « pectus transverberatum interfecit (idibus Maii « 1217), quo facto inde recessit. Quidam vero « supervenientes ipsum in rivulo jacentem repererunt mortuum, & eum inde tollentes, ad « S. Deodatum detulerunt. Et quia talem meruit « habere exitum, nec ei sepulturæ humanitas « fuit judicata; sed ad locum quem vivens frequentaverat delatus, scilicet Clarum-montem, « sub tecto ecclesiæ beatæ Mariæ-Magdalenæ « exterius in quodam vase ligneo appensus « aliquanto tempore permansit. Tandem ut « fertur, in quadam fossa, ubi feræ silvarum « præcipitatæ capi solebant, ipse præpositus « præcipitatus, lignis & lapidibus tectus, talem « meruit sepulturam. Et ita episcopus, quem « interfecerat ad locum suæ conversationis, id « est, ad Tullensem ecclesiam delatus, honorifice est sepultus. Interfector vero ejusdem « episcopi ad eum quem incoluerat locum, ut « supra dictum est, deportatus, etiam catholica « caruit sepultura. » Hæc vero in Alberici chronico leguntur: *Apud Tullum depositus Matthæus nec nominandus episcopus, rerum ecclesiæ dilapidator comprobatus, & substitutus est Renaldus comitis Barri consanguineus, frater Guidonis buticularii Silvanectensis.*

ANNI CHRISTI

XLVI. REGINALDUS.

DE SENLIS.

Reginaldus qui Matthæo substitutus est, filius erat Guidonis III *de Senlis*, domini Chantiliaci, majoris Franciæ buticularii, & Margaritæ de Claro-monte. Pronepos fuit Reginaldi II Barri comitis ex matre Margarita de Claro-monte, filia Clementiæ de Barro uxoris Reginaldi comitis Clari-montis in Belvacensi pago. Non statim post Matthæi exauctorationem est electus, nam sedes episcopalis tribus vacavit annis, quos inter a Galterio abbate S. Urbani administrata est diœcesis. Interea Fridericus II dux Lotharingiæ, frater Matthæi, suam interponebat auctoritatem apud summum pontificem ad supersedendum electioni unius præsulis. Sperabat enim Matthæum vivendi genus mutaturum esse, proindeque meriturum ut in sedem suam restitueretur. Verum cum omnis emendationis spes sublata fuisset, Tullense capitulum, cognitis Franciæ regis, comitisque Barri votis, Reginaldum cooptavit episcopum anno 1210. 1210.
Summus pontifex, probata electione, Trevi-

ANNI CHRISTI

rensi archiepiscopo jussit ut, nullo intercessionis A
Matthæi habito respectu, Rainaldo manus
imponeret. Equidem Reginaldus plurimas res
ac possessiones monasterii S. Apri ad Garini
abbatis preces confirmavit eodem anno, recur-
1211. ritque an. 1211 mense Martio in instrumento.
1212. Insequenti perrexit in Occitaniam se adjuncturus ad exercitum cruce signatorum contra
hæreticos Albigenses. Friderico II duce Lotha-
1213. ringiæ anno 1213 mense Octobri e vivis
exempto, inter filios ejus Theobaldum &
Matthæum de paterna hæreditate orta est
dissensio, quam Reginaldus arbiter eo modo
compescuit: is namque statuit ut Theobaldus B
dux Matthæo fratri suo traderet Castrum-novum cum munitionibus *Chatenoy* & *Fouart*,
ea lege ut Matthæus ab omni fœdere contra
ducem germanum se abstineret. Collatas Flabonis-monti donationes, largitatemque Garneri
militis in gratiam cœnobii Trium-fontium
probavit anno eodem. Friderico V comiti
Tullensi cum fratre suo Rainardo ad iter
1214. Transmarinum se accingenti solvit an. 1214
ducentas quinquaginta libras, quibus oppigneratus est episcopo Tullensis comitatus. Contra
quosdam prædones, qui patriam populabantur
fœdus sanxerat cum comite Barri, ideoque C
præsidiis castella sua Bouvronium & Liberdunum muniverat. Theobaldus Lotharingiæ
dux ratus episcopum & comitem velle sibi
bellum indicere, arcem Bouvroniam mox
oppugnavit, captamque subvertit. Festinanter
Tullo egressus Reginaldus, Barrum aufugit,
quamplurimum de duce conquerens. Interveniente tamen Metensi episcopo, composi-
1215. tionem partes inierunt anno 1215, hac conditione ut pro belli sumptibus & dirutæ arcis
indemnitate viginti marchas argenti dux
expenderet. Patronatum parœciæ de Danivilla Miræ-valli asseruit eodem anno. Adju- D
1216. dicavit eidem monasterio VI id. Julii 1216
parœciam de Frebecuria & capellam *de Bourlemont*, renitente tamen abbate sancti Mansueti. Medietatem Pugneti ab Odone de Sor-
Bened. Hist. Tull. prob. p. 100. ceio cantore & archidiacono ecclesiæ traditam
laudavit anno eodem. Diœcesis suæ visita-
1217. tionem aggressus est anno 1217, festumque
Paschæ exegit in monasterio S. Salvatoris in
Vosago; visitavit postea Senonias, tum Medianum-monasterium ac Stivagium, unde dum
ad claustrum Alteriacense properaret, pervenit
ad viam non montibus & paludibus modo
coarctatam, verum & arboribus fruticibusque E
noviter succisis impeditam. Vix in has fauces
se intruserat, cum Sicariorum turma ex insidiis,
ubi a Matthæo antecessore ejus posita fuerat,
subito irruens tribus pugionis ictibus eum
interemit. Omnes ejus mortis circumstantias
a Richerio monacho Senoniensi enarratas retulimus supra, ubi de Matthæo ejus decessore
egimus. Haud omittenda verba hæc ex chronico Alberici deprompta: *In diœcesi Tullensi
contigit hoc anno* (1217 die 10 Aprilis)
grande malum, quod episcopus Tullensis Renaldus
*a prædecessore suo episcopo Matthæo interficitur
IV idus Aprilis; & antequam finiretur mensis,
idem Matthæus occisus est a nepote suo Theobaldo, ne de manu ejus requireretur sanguis
episcopi Reinaldi. Qui Matthæus positus est in
scrinio, & elevatus in nemore in trunco arboris
excelsæ.* Reginaldus ut sanctus martyr scriptus
est in catalogo generali Ferrarii, in supplemento Saussaii, itemque apud Bollandistas in
actis Sanctorum mensis Aprilis. Corpus ejus
Tullum relatum, in ecclesia cathedrali tumulatum est. Dein ossium ejus pars in lignea
arcula cum Pibonis ossibus fuit recondita.

XLVII. GERARDUS.

DE VAUDEMONT.

Parentibus Gerardo II Vadani-montis
comite & Adalaide de Joinvilla procreatus
Gerardus, Hugonis II germanus, Odoni patruo Tullensi episcopo educandus a genitore
traditus est. Primo fuit canonicus, thesaurarius
& archidiaconus ecclesiæ Tullensis, itemque
Metensis primicerius. Jam observavimus eum,
dum episcopus Odo patruus ejus Romam
migraret, ab archiepiscopo Trevirensi factum
fuisse diœcesis vicarium generalem. Ipse etiam
in episcopum est electus anno 1218, nec 1218.
tamen omnia sortitus suffragia. Plures siquidem
canonici adlegerunt Johannem *de Bourlemont*,
Tullensium scholarum rectorem, Virdunensemque archidiaconum, cujus electionem in
Romana curia viriliter se tuituros esse professi
sunt. Verum Honorius III pontifex, diligenter
re disquisita, Johannem ut desisteret induxit,
eique thesaurarii munus in obsequii mercedem
contulit. Itaque Gerardus Henrico II Barri
comiti litteras direxit, adhortans eum ne
perficeret castrum, quod ex ruderibus antiqui
palatii de Saponariis in monte dicto *Foug*
prope Tullum ædificare cœperat: tum exponit
quot & quanta inde commercium pateretur
incommoda. Demum minatur quod si comes
a cœpto non destiterit, imperatori regique
scripturum, quin & illum anathemate plexurum. At impedire non potuit quominus absolveretur castrum, quod re quidem vera
extitit ad usque seculum decimum septimum,
quo regis Ludovici XIII jussu dirutum fuit.
Jus quoddam in omne frumentum, quod in
urbe venundatur, ecclesiæ suæ cathedrali concessit. Adhuc superstes anno 1219, ut patet 1219.
ex charta Belli-prati, in qua dicitur *electus
Tullensis*. Roma eodem anno rediens a papa
confirmatus, sed non consecratus, decessit.
Perperam in quibusdam catalogis vocatus
Gerardus *de Pulligny*.

XLVIII. ODO.

DE SORCY.

Cantor ecclesiæ Tullensis Odo, patrem
sortitus est Hugonem dominum Sorceii ad
Mosam, pagi æquali a Tullo & S. Michaële
distantia; matrem vero Bartholomæam, quam
Goberti de Aspero-monte filiam dicunt. De
Odone sic loquitur chronicon Alberici ad
annum 1218: *Gerardus Metensis primicerius,*

ANNI CHRISTI

frater comitis de Vadani-monte, in episcopum A
Tullensem electus moritur, cantor Odo in epis-
copum promovetur. Consecrationem nondum
adeptus erat anno 1219, ut constat ex ejus
litteris, quibus *electus Tullensis* dictus suum
præbet assensum, ut Petrus *de Vouxey* & Pontia
uxor ejus canonicis S. Gengulphi fundum
tradant ad augendam ipsorum ecclesiam. Eo-
dem tamen anno mense Martio, qua episcopus
Tullensis accepit a nobili viro Thoma de
Bello-ramo juramentum de portione, quam
præfatus Thomas habebat apud Commerceium,
heredibus suis non dividenda, sed uni heredum
relinquenda. Subscripsit etiam mense Maio B
diplomati Theobaldi I Lotharingiæ ducis in
gratiam Romarici-montis. Confirmavit anno
1220. 1220 monasterio Cheminonis donum Bal-
duini militis de Barro. Olrico priori S. Jacobi
curam animarum parochianorum de monte
1223. S. Jacobi commisit an. 1223. Bellum habuit
sustinendum adversus comitem Barri, a quo
plurimi vici cremati sunt. Clarigatione usus
est Odo, sed imparem ad resistendum se
sentiens, in auxilium vocavit Matthæum II
Lotharingiæ ducem, nec non etiam episcopum
Metensem. His se Romanorum rex adjunxit,
mandatumque comiti dedit ne amplius epis- C
copum vexaret. Auctoritate & potentia Ludo-
vici VIII Franciæ regis suffultus comes, ab
hostilibus non cessavit. Questus itaque est
rursus Odo apud regem Romanorum, qui
comitem ejusque conscios edicto proscripsit
1224. anno 1224. Restituta tamen est eodem anno
episcopum inter & comitem pax & concordia
coram Henrico VII Romanorum rege, tunc
Tulli versante, a quo proscriptionis revocatum
Ch. LXX, col. 525. fuit decretum. Litteris suis jussit mense Sep-
tembri ejusdem anni ut cella *de Mervaville*,
sita in fundo Senoniensis monasterii, perfi-
ceretur & ab ipso monasterio possideretur. D
Medietatem terræ de Sanxeio sibi suisque
successoribus a præcitato comite Barri Henrico
1225. obtinuit an. 1225. Jacobo abbati S. Agerici
confirmavit anno eodem donationem ecclesiæ
1226. de Signellis. Interfuit anno 1226 concilio
Moguntino, in quo confirmata fuit a Conrado
sedis apostolicæ legato inita inter capitulum
Tullense & Barri comitem compositio de
tradenda comiti custodia Vodiensis castri.
Provinciam accepit hoc anno a summo pon-
tifice inquirendi an Radulfus canonice electus
fuisset Virdunensis episcopus. Admissa est ex
Odonis expositione promotio Radulfi a pon- E
tifice, qui non electionem modo Henrici
æmuli rejecit, sed & Odoni præcepit ut
adhærentes Henrico excommunicaret. Suis
quidem copiis Odo juvit Radulfum ad eri-
piendum ex adversariorum potestate Vir-
dunum. Defensionis aggressionisque fœdus icit
1228. anno 1228 cum Matthæo duce Lotharingiæ
contra Anselmum Malovicinum, qui Cam-
paniæ comitis viribus subnixus, partem do-
minii *de Tondres*, quod an. 1222 vendiderat
capitulo, invadere cupiebat. Anniversarium
pro salute animarum patris sui Hugonis &
Milonis unici fratris sui ab Helvide, prædicti
Milonis uxore, in monasterio B. Mariæ de
Nemore fundatum probavit hoc anno, quo
quidem ab ipso laudata fuit donatio decimæ
de Domno-Germano, facta cœnobio S. Apri
a Carolo de Gundrevilla. Sancitam quidem
inter Albertum S. Mansueti & Johannem
S. Leonis abbates pactionem obsignavit. Hic
annus 1228 ultimus fuit Odonis, cui tradita
fuit sepultura in ecclesia cathedrali, in primo
tumulo a latere dextro.

XLIX. GARINUS.

Suffectus est unanimi canonicorum consensu
anno 1228 in Odonis locum Garinus, senex
venerabilis 70 annos natus. Primum fuerat
celerarius, tum prior, demum abbas monasterii
S. Apri, quod ingenti cum prudentia viginti
octo annis erat moderatus. Adeo gravi susti-
nendo oneri ob senium & infirmitates imparem
se esse ratus, inaugurationem accipere nolebat;
sed tamen utcunque reluctans, consecratus fuit
a Theodorico metropolitano, cooperantibus
Johanne de Aspero-monte Metensi & Rodulfo
Virdunensi episcopis. Non ita multo post ad
dilectam suam solitudinem redeundi captus
desiderio, canonicos exoravit ut suam haberent
ratam abdicationem. Illi annuerunt, sed ab eo
exegerunt ut ante cessionem censuris subjiceret
toparchas Vallis-coloris, qui pagum *Ourches*
de Tullensis ecclesiæ dominio diripuerant.
Sententiam tulit Garinus, nec reos voluit
absolvere nisi ea conditione, ut quinquaginta
libras semel, & duodecim denarios singulis
annis festo Inventionis S. Stephani ecclesiæ
penderent. Mox ille secessit in monasterium
S. Apri, ubi mortuus est 11 Maii 1230. 1230.
Marmoreo in sarcophago retrusus, sepulturæ
mandatus fuit retro altare B. Virginis Mariæ
ad claustri ingressum. Ita memoratur in necro-
logio S. Apri: *V idus Maii depositio Garini
episcopi Tullensis, hujus cœnobii abbatis, qui
primus fundavit ac dotavit eleemosynariam hujus
cœnobii, cujus corpus humatum est retro chorum
in sacello B. Mariæ, in introitu claustri in
monumento marmoreo; quod corpus an. 1582,
cum fundamenta dirutæ ecclesiæ visitarentur ad
eamdem reædificandam, inventum est in sepulcro
integrum, licet ab anno 1230 ibidem requiescat.*

L. ROGERUS. DE MARCEY.

Simul ut Garinus se abdicavit, nihil non
molitus est Matthæus II Lotharingiæ dux, ut
Jacobus frater suus, canonicus Tullensis &
primicerius Metensis, crearetur episcopus. Parte
ex altera Henricus Luxemburgensis comes apud
capitulum potenter agebat in gratiam Roberti
de Vienna consanguinei sui: at Rogeri meritum
prævaluit. Is primicerius Virdunensis, filius
erat viri nobilis Petri *d'Ostenge*, dynastæ de
Marceio in Barrensi ducatu, nepos que Alberti
Virdunensis episcopi. Consecratus non est, nisi
anno 1231, decem & octo circiter mensibus 1231.

ANNI CHRISTI post cessionem antecessoris. Eodem anno a A
canonicis S. Deodati exoratus, supplex adiit
Matthæum II ducem Lotharingiæ, cum eo
collocuturus de labe quadam ab ejus officialibus
capituli juribus illata. Benigne a principe ac-
ceptus, arbiter & ipse fuit institutus contro-
versiæ, quæ transactione mox sopita est. Pacis
quoque extitit auctor inter episcopum & Me-
tenses oppidanos. Moguntiam a papa missus est,
ut litem sedaret exortam inter archiepiscopum
& canonicos. Illi siquidem suum insimulabant
archipræsulem de retentione bonorum mensæ
capitularis. Rogerius, causa mature expensa,
archiepiscopum in restitutionem damnavit. B
Quas sanctimoniales sanctæ Hoildis decimas
acquisierant in pago *de Belrain*, probavit anno
1233. 1233. Litteras concessit anno 1236 de con-
1236. firmatione bonorum, quæ Fridericus dominus
Vallis-coloris largitus erat prioratui Omnium-
sanctorum Vallis de Passeio; ratum etiam habuit
donum Balduini militis de Juncherio tributum
monasterio Trium-fontium. Præsens aderat
1237. anno 1237, cum Guillelmus, quem monas-
terio S. Mansueti pluribus ante annis præ-
fecerat, in abbatem S. Vitoni electus est.
Eodem circiter tempore Rogeri persuasu mo-
nachi S. Apri Vidricum Senoniensem abbatem C
in prælatum suum cooptarunt. Jerosolymi-
tanum iter suscipere quamplurimum exoptasset,
sed infirmitatibus præpeditus, peregrinationem
exequi non potuit. Decanus vero pluresque
canonici & oppidani accepta cruce mare tra-
jecerunt. Provinciali concilio Trevirensi adstitit
1238. anno 1238, quo totam terram & castellaniam
de Dei-custodia a Radulfo Virdunensi epis-
copo pro ducentis libris in pignus accepit.
Munitionibus urbem suam cingendi eo anno
ab imperatore Friderico II adeptus licentiam,
novum confecit ambitum, in quo burgus
sancti Amandi nec non parœciæ S. Petri & D
S. Aniani clausa fuerunt. Litteras dedit anno
1239. 1239, quibus pollicetur se observaturum quid-
quid ex ejus consilio dispofuerint octo viri,
a scabinorum magistro & civibus electi. Fri-
derico *de Chambley* quædam in feodum eodem
anno contulit. Dominicanis patribus Tullum
1240. a se accitis anno circiter 1240, primo sedem
in burgo S. Amandi assignavit; tum in urbis
partem, quæ dicitur Castrum, eos transtulit.
1242. Treviris versabatur anno 1242, quo canonici
hujusce metropolis duas in partes divisi, in
archipræsulem alii Arnoldum, alii vero Ro-
dulphum elegerunt. Rogerus incassum omnia E
molitus, ut Rodulphum ad desistendum indu-
ceret, suam in diœcesim repedavit. Girardo
de Villanis militi de Fontaneto in feodum &
homagium tradidit tertiam partem census de
1243. Fontaneto & tertiam partem de Villanis 1243
mense Martio. Natam inter capitulum Tullense
& Galcherum dominum de Commerceio dis-
1244. sensionem sopivit an. 1244, mense Septemb.
Radulfi Virdunensis episcopi funera prosecutus
1245. est anno 1245. Plures terras eodem anno a
Waltero *de Rancy* in pignus mille ducentarum
librarum accepit. Factas diversis monasteriis ANNI CHRISTI
donationes confirmavit, scilicet an. 1247 res 1247.
quasdam traditas a Simone milite *d'Agr..llon*
infirmario S. Apri; an. 1248 indulta Mira- 1248.
valli nonnulla; nec non etiam anno 1249 1249.
donum a Joffrido milite domino *de Ronsard*
collatum cœnobio Trium-fontium. Extant
litteræ Matthæi ducis Lotharingiæ, quibus
hic princeps profitetur se episcopo Tullensi
vendidisse comitatum Tullensem eodem pretio,
quo ipse comparaverat. Sancita a Rogero lege
anno 1243 de pannorum confecturis oppidani
Tullenses haud contenti rebellarunt, imo qui-
dem cum Metensibus an. 1250 fœdus icere
ausi fuere. Ipse vero, facta cum Catharina
Lotharingiæ ducissa & comitibus Barrensi &
Luxemburgensi armorum consociatione, Tul-
lum obsidione cinxit, & ad deditionem adegit
1251, vigilia Pentecostes, hora tertia pome-
ridiana. Veniam in urbem ingressus oppidanis
concessit his conditionibus, ut facto cum Me-
tensibus fœderi nuncium remitterent, epis-
copum suum ut dominum colerent ac vene-
rarentur, & Guillelmum Hollandiæ comitem
haberent in Romanorum regem. Cum sex
menses gravi morbo conflictatus fuisset, excessit
anno 1252 die 1 Januarii, annum agens 70, 1252.
in castro Liberdunensi. Corpus ejus Tullum
deportatum, tumulatum fuit ante altare sanc-
torum Mansueti & Gerardi. Elogium Rogeri
legitur in necrologio his verbis: *Rogerus vir
nobilis & magnus, de Marceio oriundus, strenuus
& audax in retinendo jura sui episcopatus, qui
huic ecclesiæ dedit de suis acquisitis furnum &
stupas sub muro ad portam carnalem pro anni-
versario suo faciendo annuatim, fenestras vitreas
coloribus depictas variis in cancellario hujus
ecclesiæ sitas fieri jussit ex suis sumptibus. Kalendas
Januarii apud Liberdunum castrum moriens sepe-
litur in hac ecclesia in dextro latere chori ante
altare beatorum Mansueti & Gerardi an. 1252.*

Tumulo ejus inscribitur hoc epitaphium.

Gloria pontificum præsul Rogerus, amicum
Christo magnificum se præbuit atque pudicum,
Justum, consultum, præsigni stemmate fultum.
Laude Dei multum jacet ista sede sepultus.
Cleri tutamen fuit, ecclesiæ relevamen.
Huic det solamen Spiritus almus, amen.
Anno millesimo quinquagesimo secundo
Atque ducentesimo fossus est hic humo.

LI. EGIDIUS. DE SORCY.

Odonis de Sorceio episcopi, quem puer
in pietate sacrisque litteris habuit institutorem,
nepos Egidius seu Gilo, præbenda quindecim
tantummodo natus annos in ecclesia Tullensi
fruitus est. Virdunensis postea evasit archidia-
conus, atque capituli Tullensis decanus. Hoc
nomine Romam a canonicis rogatus adiit, peti-
turus confirmationem regalium jurium quon-
dam ab Imperatoribus concessorum super capituli
præposituris. Reducem illum ad episcopalem
sedem

ANNI CHRISTI sedem tunc vacantem evexerunt ineunte anno
1253. 1253 canonici omnes, si duos exceperis, qui
Simoni *de Pont* archidiacono de Portu sua
detulere suffragia. Moram & impedimentum
Simon attulit Egidii consecrationi; verum
a summo pontifice & archiepiscopo Trevirensi
submota ejus intercessione, ordinationem
Egidius accepit a legato apostolico ineunte
1255. anno 1255, post electionem circiter secundo.
Tullenses oppidani, vacante sede, episcopalem
authoritatem excutere, urbemque suam in
Rempublicam erigere cupientes, in rebellionem
coiverant, & creatis a Rogero magistratibus
detrectaverant obsequium. De defectionis
authoribus facta inquisitione, hos Egidius
ablegavit. Paulo post cum ei opus esset
in aulam migrare, Catharinæ Lotharingiæ
ducissæ, Ferrici III tutrici, urbis credidit administrationem;
moxque Imperatorem adiens,
investituram nomenque principis imperii ab
eo accepit 21 Decembris 1253. Reversus
in urbem, majorem scabinum decemque officiales,
qui ejus nomine jus dicerent, instituit;
& ut seditiosos contineret in obsequio,
ædificavit arcem. Unde magna conflata est
seditio: cives enim ira accensi, cum Metensium
auxilio arcem obsident atque subvertunt,
ædes episcopi diripiunt, ejusque famulos
carceri mancipant. Inter hæc Egidius effrenatæ
plebis furorem ut vitaret, Nanceium aufugit;
sed redire non est cunctatus: is namque adjunctis
sibi sociis Ferrico III Lotharingiæ duce,
& comite Barri, ad obsidendam urbem accessit,
ac sub potestatem suam redegit, imposita
oppidanis arcem reædificandi conditione.
Ecclesiam monasterii S. Hodildis dedicavit
& ad professionis renovationem admisit sanctimoniales
anno 1255, quo gravi discordiæ de
prioratu S. Benigni inter Barri comitem &
abbatem S. Benigni Divionensis motæ finis
ab ipso est impositus. Diœcesis magnates id
privilegium ab Innocentio IV obtinuerant,
ut ab episcopis ecclesiasticis non possent illigari
censuris. Possessiones itaque ecclesiæ hominesque
sibi subditos exagitare cœperunt. Querelas
de his excessibus Egidius detulit ad
Alexandrum IV, qui litteris suis datis calendis
Septemb. ejus anni 1255 indultum nobilibus
1257. privilegium abrogavit. In auxilium an. 1257
vocavit Lotharingiæ ducem contra prædones
quosdam, qui ab ipso duce ante castrum de
Brixeio, quod oppugnabant, profligati fuere.
Antiquus hic mos erat, ut oppidani inter
uniuscujusque anni mensem Aprilem episcopi
familiam alerent. Integrum jus illud & usuras
exigere constituit Egidius. Qua de re plebs
irata, rebellionem sane fecisset, nisi Theobaldus
Barri comes, Jacobus Metensis episcopus
& Philippus *de Florenges*, major præpositus
S. Deodati, intervenissent. Facti igitur
hujus causæ judices, statuerunt ut unoquoque
anno sexdecim libras monetæ Tullensis oppidani
episcopo solverent; vicissimque ipso ordinationis
vel ingressus die episcopus populo

A præberet quadraginta modios vini, octingentas
panis libras, & elixum bovem. Occurrit in
duobus documentis ad annum 1259. Prædia
quædam permutavit anno 1260 cum Radulfo 1260.
de Chousses milite. Prolatam in urbem civesque
Tullenses a Simone *de Chamblé* canonico ob
initas cum duce Lotharingiæ conventiones
probavit excommunicationem anno 1261. 1261.
Tullensem comitatum ab ipso Lotharingiæ Ch. LXXIII, col. 528.
duce Ferrico pretio comparatum episcopatui Ch. LXXIV, col. 528.
adnexuit in perpetuum hoc eodem anno; atque
juramento ille & capitulum sese obstrinxerunt Ch. LXXV, col. 529.
præfatum comitatum nunquam abalienaturos.
B Grates de hoc eventu Deo persolvendi gratia,
fundavit anno eodem apud Brixeium in honorem
S. Nicolai capitulum præposito, decano,
cantore, tredecim canonicis & quatuordecim
vicariis constans, cujus proventus seminario
Tullensi adnexuit Henricus *de Bissy* episcopus.
Franciscanorum patrum, quos in urbem admiserat,
ecclesiam consecravit anno 1262, 1262.
plurimique fecit primum eorum ministrum
Johannem de Romanis. Ratum quidem habuit
privilegium Innocentii IV de decimarum immunitate
Præmonstratensi ordini concessa. Discordiam
cum abbate S. Mansueti de via majori
C suburbii habuit anno 1266 die Martis post 1266.
Assumptionem B. Mariæ. Eodem anno indulgentias Ch. LXXVI, col. 529.
tribuit iis, qui visitarent ecclesiam sanctæ
Hoildis in festivitate Sanctorum ejusdem ecclesiæ.
Suum dedit assensum ut Gaufridus de
Joinvilla & ejus uxor Mathildis *de Lacy* collegiatam
ecclesiam, decano & decem canonicis
consistentem, apud Vallem-colorem construerent.
Quin etiam eidem ecclesiæ capellam
castri Vallis-coloris conditam anno 1234 a
Beatrice de Joinvilla, aliasque duas capellas
univit. Salmensem comitem ecclesiasticis censuris
subjecit, ex eo quod abbatem & monachos
D Senonienses in carcerem trusisset. Acquisitam
a se magnam pelliPariam tradidit ecclesiæ suæ,
cui largitus etiam est ecclesias de Sauxuriis &
de Nova-villa subtus Castinetum, nec non
ex testamento suo mille libras. Diem clausit
extremum 1271 mense Septembri, & cum 1271.
Odone patruo in eodem tumulo sepultus fuit
in sacello B. Mariæ.

LII. CONRADUS. DE TUBINGE.

Egidio dare successorem ubi oportuit, Lotharingiæ
dux Ferricus III & Theobaldus II
Barri comes omnia separatim in capitulo moverunt,
E ut episcopo sibi accepto Tullensis
ecclesia provideretur. Ferricus Johanni a Lotharingia
de Fontaneto, Tullensi decano &
S. Deodati præposito patrocinabatur; Theobaldus
vero suam in tutelam acceperat Galterium
de Beaufremont. Uterque princeps suum
ergo tutandi candidatum milites prope Tullum
dimisit. Aliunde canonici significarunt, quod
si copiæ quatuor saltem leucis ab urbe non
discederent, cessaretur ab electione. Discessis
igitur militibus, in episcopum a majori parte
electus fuit Johannes a Lotharingia, Matthæi

comitis Tulli filius; tria tantum vel quatuor
suffragia in Galterium versa sunt. Nihilominus
tamen Galterii propinqui & amici, qui plu-
rimum in Barrensi tractu valebant, per vim
illum in temporalium rerum possessionem im-
mittere aggressi sunt, & quidem arces de
Liberduno, Brixeio & Maceriis expugnarunt.
Hos Ferricus cum copiis insecutus profligavit,
arcesque suam in potestatem redegit. Interea
Trevirensis archiepiscopus Henricus, ut hosti-
litatibus finem imponeret, accurrit, suasitque
partibus ut papæ judicio starent. Romam itaque
Johannes a Lotharingia perrexit; Galterius vero
direxit procuratorem. Dum ante pontificem
causa ageretur, Galterius se certo succubiturum
esse persuasus, cessionis actum ad competitorem
suum misit. Impetrandis bullis tunc Johannes
totus incubuit; sed eodem tempore decessit
Romæ, ubi sepultus est. Post cujus mortem
capitulum duas in partes divisum, alii elegerunt
Johannem *de Paroye* camorem, ducis Lotha-
ringiæ præsidio suffultum; alii vero Rogerium
de Marceio, archidiaconum de Portu, Bar-
rensi comiti acceptum. Illos summus pontifex
Nicolaus III, ad cujus tribunal rivalis utriusque
Charta LXXVII. col. 529. delata fuerat causa, ad abdicandum incitavit, &
episcopum renunciavit Conradum cognomine
Probum, S. Francisci ordinis alumnum, anno
1278. 1278 bulla data IV nonas Octob. pontificatus
anno 2: in qua bulla idem pontifex mentionem
tantummodo facit de duobus a capitulo electis,
nempe de Johanne de Fontaneto canonico,
qui obiit in curia Romana, & de Rogerio
archidiacono de Portu, qui libere resignavit.

Conradus Probus mediocri loco Tubingæ
diœcesis Wirtembergensis in Germania natus,
ab archiepiscopo Moguntino ob peritiam in
clerum admissus est. Hic invisendæ Italiæ
cupidus, relicta Moguntia, Senas adiit, ubi
doctoris laurea fuit insignitus. Seculi vero
pertæsus, Franciscanæ familiæ nomen dedit.
Cum plurimis officiis seu muneribus, puta
magistri novitiorum, theologiæ lectoris &
ministri provincialis rite functus fuisset, a
Nicolao III pontifice curam accepit diversa
tractandi negotia apud principes, potissimum
apud Rodulphum imperatorem circa annum
1278, quo redux e legatione Tullensi ecclesiæ
præficitur. Consecratus a metropolitano, in-
ductusque anno 1280 in possessionem a
Virdunensi episcopo, cum Lotharingiæ duce
Ferrico III, & Theobaldo II Barri comite
antiquas fœderis pactiones innovare, novasque
icire cogitavit. Adhibita hac cautione, Col-
mariam adiit imperatorem Rodulphum inve-
stituram postulatum. Domum reversus majori
scabino cæterisque magistratibus id dedit man-
datum, ut seditiosi cives qui, vacante sede,
chartophilacium diripuerant, episcopales ever-
terant ædes, nonnullosque carceri mancipa-
verant canonicos, pœnis afficerentur. Illi epis-
copi sui jussum aspernantes, plebem incitant
ad rebellium, bellum indicunt, Virdunensesque
& Metenses in auxilium invocant. Conradus
A ex altera parte se comparat ad bellum, canonicis
suadet ut Vallem-colorem secedant, interdicto
subjicit urbem, ædes suas cingit munitionibus,
mœniumque partem disjici jubet, ut in omni
casu vel auxilium intromittere, vel fugam
capere possit. Ultima hac via uti & in Liber-
dunense castrum se recipere ei visum est.
Altissima turris, eo absente, prope episcopales
ædes construitur, canonicorumque domus di-
ripiuntur ac subvertuntur ab oppidanis. Cum
ille ad resistendum adversariis imparem se
cerneret, potissimum ex quo dux Lotharingiæ
& Barri comes suas revocaverant copias, con-
B silium in Germaniam migrandi cœpit, auxi-
lium a principibus & episcopis petiturus: sed
præter mille & ducentas libras ab episcopo
Basileensi commodatas nihil obtinuit. Tantum
etiam egit apud episcopum Virdunensem &
ejusdem ecclesiæ primicerium, ut unusquisque
quadraginta milites concesserit. Dum vero
nocte isti milites clam in urbem subreperent,
pene omnes a civibus occisi sunt, turmæque
dux primicerius in crure vulneratus & captus
20 Septembris 1284. Animum tamen Con- 1284.
radus non despondit: adeptus enim ab Argen-
toratensi & Metensi episcopis trecentos milites,
C quos copiis aliis junxit, cives adegit ad pos-
cendam pacem, quæ ea lege concessa est, ut
magistratus & oppidani a canonicis postularent
veniam, seditiosioresque traderent. Hugoni
abbati Morimundi eodem anno jus fecit eccle-
sias & villas construendi in possessionibus
diœcesis Tullensis. Arbiter tamen canonicos
inter & cives Tullenses factus, sententiam
protulit mense Maio 1285 die festo SS. Tri- 1285.
nitatis. Statuit siquidem ut quæ episcopo &
canonicis sublata fuissent, restituerentur die
SS. Jacobi & Christophori: qui valvas con-
fregissent ecclesiæ, cathedralis thesaurum ra-
D puissent, & in carcerem canonicos trusissent,
ad S. Jacobum in Gallæcia susciperent peregri-
nationem; nec propius quam duabus leucis sub
perpetui exilii pœna & bonorum multatione
urbem possent accedere, usquedum eos episcopo
revocare placeret. Præterea jussit ut basilica,
in qua inclusi fuerant canonici, everteretur.
Quin etiam præcepit ut ipsa die, qua canonici
in urbem repedarent, oppidani omnes ad usque
S. Georgium nudis pedibus, capitibus detectis,
obviam eis irent, veniam junctis manibus
genibusque flexis precantes; fidemque darent
se non amplius erga Tullensem ecclesiam
E vim exercituros. Mense Novemb. anni ejusdem
cum ipsis iniit transactionem, qua illi spondent
se quotannis mense Aprili ad impensam epis-
copalis mensæ quadraginta libras soluturos
esse. Henrici episcopi chartam editam anno
1161 in gratiam Stivagii jam probaverat
anno 1284. Ferrici Lotharingiæ ducis in
custodiam ac tutelam se ipsum, homines suos,
omniaque episcopatus bona anno 1286 con- 1286.
tulit ad triennium, imposita unicuique familiæ *Hist. Lothar. t. II, prob. col. 524.*
lege duodecim solidos Turonenses duci quot-
annis solvendi. Insequenti anno 18 Martii 1287.

ANNI CHRISTI

habitum est Herbipoli concilium, in quo
legatus Johannes episcopus Tusculanus nomine
papæ decimas bonorum ecclesiasticorum, &
nomine Imperatoris decimas laïcorum petiit.
Conradus concilio præsens petitioni legati totis
viribus obstitit, quin & ut adstantibus palam
faceret intercessionem suam, in baptisterium
insiluisse dicitur. Si nonnullis fides est, a legato
ea de causa in concilio excommunicatus &
exauctoratus est Conradus. De excommuni-
catione dubitandi locus non est; id constat
ex probationibus: sed ita non est de exauctora-
tione; quippe qui anno 1287 monitorium
vulgavit adversus Henricum Barri comitem,
ob sublatos aliquot vini modios. Vicissim comes
in Tullensem accedens ecclesiam 1 Januarii
1288. 1288, coram canonicis scripto significavit a
se non haberi superiorem episcopum, qui ana-
themate fuisset percussus. Responsum autem est
ipsa die publicis tabulis a Conrado irritas esse
legati censuras, qua a viro nec idoneo latas,
& consequenter validum esse in comitem vi-
bratum anathema. Ecclesiam monasterii de
Ilna ad Bertholdi abbatis preces dedicavit
1289. anno 1289. Memoratur anno 1291 mense
1291. Novembri in documento, nec non etiam anno
1294. 1294 Rinaugiensem ecclesiam & majus altare
in honorem S. Michaëlis consecravit calendis
Julii. Recognovit ac sigillo suo munivit anno
1295. 1295 litteras, quibus Ferricus dux Lotharingiæ
satisfacit pro gravaminibus illatis Romaricensi
monasterio. Extra dubium est Conradum ab
episcopatu se abdicasse: id quidem asserit auctor
vitarum episcoporum Tullensium, attribuitque
religionis & conscientiæ rationibus. Ex eodem
scriptore Nicolaus IV, quicum Conradus in
ordine Minorum fuerat enutritus, cessionem
ejus per triennium renuit admittere; sed tandem
accepta est a Bonifacio VIII, qui pro sua in
Conradum existimatione ducentas ex proven-
tibus episcopatus libras ei, dum viveret, in-
dulsit. Conradus episcopali munere exoneratus,
mox Romam profectus est; at dum reverteretur,
in itinere obiit VI nonas Maii, forte an. 1296.
Humatus est Constantiæ in ecclesia Fratrum
Minorum, quo corpus amici ejus deporta-
verant. Fuit, inquit vitæ ejus auctor, mitissimus
hominum, corpore decorus, & jurium ecclesiæ
defensor acerrimus. Cathedralis ecclesiæ fa-
bricam perficere cupiens, statuit una cum
capitulo vacantium ecclesiarum reservandos
per triennium proventus, sufficienti ministris
ad victum attributa portione. Sic fornices
chori & collateralium, quæ etiamnum cer-
nuntur, absolutæ fuerunt. Fundator habetur
monasterii S. Claræ Basileensis, cujus ecclesiam
dedicavit. Chorum etiam Franciscanorum Tul-
lensium impensis suis fategit ædificari.

DE SIERK.

LIII. JOHANNES.

Nobili & antiqua gente, quæ nomen suum
trahebat ab oppidulo cognomini ad Mosellam
inter Treviros & Theodonis-villam posito,
exortus est Johannes. Archidiaconi in Tre-
virensi ecclesia munus dum obiret, aliquot
habuit suffragia ad succedendum in archiepis-
copatu Henrico *de Fisling* demortuo. Verum
ut omnis contentionis ansa tolleretur, jure suo
destitit, & in Ultrajectinam sedem est elatus
anno 1288. Ex hac ecclesia, quam sapien-
tissime rexit octo annis, a Bonifacio VIII
summo pontifice ad Tullensem traducitur anno
1296, quo Simoninum *Cujet* civem Tul- 1296.
lensem monetæ custodem & magistrum cons- Ch. LXXIX,
tituit die Jovis post Nativitatem Domini. col. 532.
Landavium anno sequenti profectus, investi- 1297.
turam ab Adolpho rege accepit pridie calendas
Julii. Licentiam hoc eodem anno mense
Augusto fecit Tullensibus oppidanis vectigal
exigendi quotiescunque opus esset, cum suo
tamen consensu & ea conditione ut vecti-
galis redderent rationem, utcunque require-
rentur. Scripto professus est ab ineunte epis-
copatu nullum penes Tullensem præsulem jus
esse ad canonicatus cathedralis nominandi,
nec capitulum commendationes ejus observare
teneri. Cum Norimbergensibus comitiis, in
quibus coronata fuit uxor Alberti Romanorum
regis, adstitisset anno 1298, missus est una 1298.
cum Oetingensi comite a Germaniæ princi-
pibus ad Bonifacium VIII, ipsum rogaturus
ut Alberto nuper electo confirmaret impe-
rium: at duo deputati injucundum Alberto
responsum a pontifice acceperunt. Graviter
dolet in litteris datis anno 1299 mense Julio 1299.
die Veneris post festum SS. Petri & Pauli
de Tullensibus oppidanis, potissimum quod
propria auctoritate urbi imponant tributa,
claves urbis episcopales in ædes sub vesperum
referre detrectent, divinumque servitium Pal-
marum die interrupissent. Factum itaque est
eum inter & capitulum fœdus, ut mutue sibi
succurrerent; moxque in oppidanos ab ipso
præsule anathema vibratum; quos tamen de-
licti pœnitentes absolvit, irrogata quadrin-
gentarum marcharum argenti multa; ac paulo
post cum ipsis icit compositionem, qua civitatis
recognitus est dominus. Proni ad rebellium
cives, turbare nec cunctati sunt, & vero
decanum de Portu in custodiam abduxere.
Novas itaque subiere censuras, quas jam assueti
despicere cœperunt. Tam frequentibus turbis
fatigatus Johannes, se recipere constituit,
episcopatusque proventus ad quatuor annos
conduxit nepoti suo Philippo *de Sierk* cantori.
Romam ad jubilæum profectus est an. 1300, 1300.
quo in sua synodo a priore & monachis
S. Melanii de Vendopera excommunicatus
fuit, ex eo quod & ipsi injuste censuris ab
illo constricti fuissent. Privilegium enim aie-
bant monachis ordinis Cluniacensis a Cœles-
tino III fuisse concessum excommunicandi
eos, a quibus injuste fuissent excommunicati.
Ab Henrico de Albo-monte & Cunegunda
ejus uxore, fundatoribus ecclesiæ collegiatæ *Hist. Lothar.*
S. Georgii de Danubrio, curam accepit anno *tom II, prob. col. 552 & seqq.*
1301 mense Decembri statuendi de divini 1301.
officii celebratione, de canonicorum conver-

ANNI CHRISTI

fatione, deque eorum habitu; fimulque rogatus
eft ut eamdem ecclefiam auctoritate fua fulciret.
Commentarium in decretales fcripfiffe traditur
Johannes, quem fummo pontifici, forfan Bonifacio VIII obtulit. Extremum vero diem claufit
1305. anno 1305 Burdegala redeundo, quo ad invifendum Clementem V pontificem fe contulerat.

DE PERNES.

LIV. Guido.

Monachus Ciftercienfis ordinis ab anno
ætatis 15 Guido, ex nobili apud Sequanos
genere, Romam miffus doctoris laurea infig-
Ital. Sacra, t. VII, p. 67. nitus eft. Poftea donatur a papa abbatia Belli-
loci in Argona; qua dimiffa, rediit in Italiam,
ubi dicitur factus epifcopus Venufinus circa
annum 1302, tum Acheruntinæ ecclefiæ administrator anno 1303. Unus fuit e tribus
probis viris, curiæ Romanæ officialibus, qui
cardinalium juffu ad Clementem V electionis
fuæ decretum detulerunt, ut eorumdem cardinalium litteræ ab Odorico Raynaldo editæ
docent. Ad cathedram Tullenfem a Clemente V
tranflatus eft an. 1305; occubuit vero ineunte
1306. anno 1306, dum pergeret ad poffeffionem
hujus ecclefiæ perfonaliter accipiendam.

DE GRANSON.

LV. Otho.

Ubi Guidonis mors Clementi V pontifici
innotuit, ne fieret electio ab eo vetitum eft
brevi, quod mox revocavit. Itaque capitulum
elegit Othonem fcholafticum Tullenfem, Bifuntinum archidiaconum, & Virdunenfem
canonicum. Is antiquiffima apud Sequanos
propagine editus, patruos habuit Gerardum
& Henricum *de Granfon* Virdunenfes epifcopos. Eduardi I Angliæ regis aliquandiu
fectatus aulam, legatus ab ipfo eft ad Philippum
Pulchrum Franciæ regem, ut inter hos principes fœderis pactionem percuteret. Relicta
vero feculari militia & clericali fufcepta, Tullenfi præficitur ecclefiæ & ungitur an. 1306.
Pacis inter Theobaldum II Lotharingiæ ducem
& Henricum comitem Vadani-montis fequefter
fuit anno eodem. Per id tempus oppidani
Metenfium ac Virdunenfium ope fuffulti, epifcopum & canonicos armis adorfi funt, quin
& eos adegerunt ad fe recipiendos in pagum
Domni-Martini ultra Mofellam. Verum illis
mox fuit pigendi locus: enim vero Otho ab
optimatibus profapiæ fuæ, nec non a Theobaldo duce auxilia nactus, cives eorumque
fœderatos duobus in congreffibus profligavit,
redactofque ad obfequium centum libris multavit, impofita hac conditione, ut antiquæ
pactiones epifcopos inter & cives fancitæ fuum
fortirentur effectum. Cum hic præful fpem
non effe habendæ pacis cum tam inquiete
hominum genere prævideret, epifcopatum
dimittere conftituit, traductufque eft magno
Tullenfis capituli dolore ad Bafileenfem fedem
a fummo pontifice.

DE COLONNE.

LVI. Odo.

Nobilis Romanus Odo, in locum Othonis

A a papa fuffectus, obtinebat anno 1307, nec 1307.
Tullum ad accipiendam poffeffionem unquam
acceffit. Per vicarios generales rexit ecclefiam,
quorum unus in tabulis S. Deodati appellatur
Octavianus *de Tibur*, alter dictus Guido,
canonicus Tullenfis, memoratur in archivio
confilii civilis bafilicæ. Utrum Odo fe abdicaverit ab epifcopatu, vel e vivis exceffcrit
nobis incompertum; fed certum eft jam non
fuiffe epifcopum an. 1309. Longe diverfus eft
hic Odo ab altero Odone feu Ottone ejufdem
profapiæ, qui ad fummi pontificatus culmen
fub nomine Martini V pervenit an. 1417.

B

D'ARZILIÈRES.

LVII. Johannes.

Illuftri in Campania gente fatus Johannes,
filius Guillelmi militis, baronis *d'Arzilières*,
& Agnetis *de Plancy*, archidiaconus de Portu
& canonicus Catalaunenfis, a capitulo promotus menfe Septembri 1309, æmulum paffus 1309.
eft Johannem de Mollianis fcholafticum, qui
licet a Clemente V nominatus, ipfius tamen
pontificis judicio competitori locum cedere
coactus eft, & in amiffæ litis folamen decani
dignitatem in eadem ecclefia obtinuit. Porro
Johannes de Arzileriis unctionem non accepit,
C nifi anno ineunte 1312. Ipfum in epifcopum 1312.
Argentoratenfem a canonicis electoribus quatuor in partes divifis defideratum fuiffe ait
pater Benedictus Capucinus in hiftoria Tullenfi, pag. 473. Verum ille aliique electi
Johanni Eiftetenfi epifcopo, quem papa præfecit, locum cedere coacti funt. Adftitit circa
annum 1313 provinciali concilio Trevirenfi, 1313.
cujus ftatuta publicavit & ipfe in Tullenfi
ecclefia. Balduini Trevirenfis archiepifcopi litteris rogatus, ut ad Italici belli fumptus decimæ
Henrico VII imperatori a Tullenfi clero concederentur, id a fe fieri non poffe abfque
D fummi pontificis licentia refpondit. Eduardo
Barrenfi comiti excommunicationem minitatus
eft, ni factum a militibus fuis in Liberdunenfi
caftellania damnum refarciret. Rejecta a comite
propofitione, Rainaldus patruus ejus Metenfis
epifcopus in damni compenfationem quingentas libras exfolvit. Cum Johannes metueret
ne Lotharingos inter & Barrenfes bellum renovaretur, Ludovico a Francia, qui poftea fuit
Ludovicus X, fcripfit rogans ut inter illos
concordiam reftitueret. Et vero fancita eft
compofitio 20 Maii 1314. Theobaldum II 1314.
E Lotharingiæ ducem, cui Henricus VII imperator contulerat advocatiam feu præfecturam
civitatis Tullenfis, annuo centum librarum
congiario induxit, ut advocati munia non
obiret. Fourquardum abbatem S. Leonis ad *Ch. LXXX, col. 533.*
fidei juramentum admifit 12 menfis Augufti
1315. Quia vero divifiones in urbe non 1315.
ceffabant modo, fed & recrudefcebant, Avenionem fe recepit ad Clementem V, a quo
& ipfius quidem fucceffore Johanne XXII,
agendis magni momenti negotiis præpofitus
eft. Illic dum verfaretur, ratam habuit fundationem capituli S. Petri Barrenfis an. 1318. 1318.

ANNI CHRISTI

Plura, ut diximus, tom. V, col. 806, ad Argentoratensem cathedram habuerat suffragia anno 1306. Occubuit ac sepultus est Avenione anno 1320, ætatis suæ 68.

DE GENEVE.

LVIII. Amedeus.

Amedei II cognomento Vetuli, Genevæ comitis, ex Anna Cabilonensi filius Amedeus,
1321. bullis acceptis an. 1321, possessionem adeptus est mense Octobri ejusdem anni, præstititque juramentum ad Tullensis ecclesiæ valvas in manibus Henrici *de Herminy* decani. Unc-
1322. tionem nondum acceperat anno 1322 die 5 Decembris ex ejus charta pro capitulo sancti Deodati, in qua electus dicitur, ac profitetur quod eadem ecclesia S. Deodati, ab omni ordinaria jurisdictione penitus exemta, soli Romano pontifici sit subjecta. Unctus sane fuit insequenti anno; quippe qui in ejus anni monumentis episcopum se dicit. Hoc quidem anno, rogante Eduardo Barri comite, Johannem Bohemiæ regem litteris precatus est, ut ille Henrico Eduardi filio natam suam traderet in matrimonium. Gravissimo etiam bello exagitatos eumdem comitem Eduardum & Ferricum IV Lotharingiæ ducem adduxit ad pacem & concordiam. Principes eosdem & Bohemiæ regem impulit ut, impositis Metensibus oppidanis conditionibus, urbis obsidionem solverent. Acribus & ipse est agitatus ærumnis: nobiles siquidem quinquaginta fœderati, indicto Tullensibus civibus bello, hostilitatis actus exercere, campos devastare, pagos bene multos cremare cœperunt. Extinguendis his calamitatibus curas suas vicinis principibus duci Lotharingiæ, Barrique comiti & aliis placuit adhibere; sed offensi fœderati quod ab oppidanis profligati fuissent, ad nullam pacis conditionem noluerunt accedere; aliam tamen passi cladem acquieverunt. Parte ex altera dux Lotharingiæ Ferricus exigebat ut promissæ a Johanne de Arzileriis episcopo centum annui proventus libræ Theobaldo II patri suo, qua urbis advocato seu gubernatori, exsolverentur. Ad hæc Amedeus initam Johannem episcopum inter & Theobaldum ducem nullam esse compositionem, penesque se solum esse jus gubernatorem instituendi respondebat. Nihilominus tamen subnixus civium favore dux, stipatusque 40 armatis viris urbem subit, gubernatorem se haberi jubet, assuetum in cathedrali ecclesia coram magistratibus præstat juramentum, fidemque fœderis pacto obstringit oppidanis contra eorum hostes auxilium præbere, non modo contra Franciæ regem, sed & adversus episcopum, modo illi quotannis centum librarum vectigal expendant. Amedeus vero ducem eique adhærentes percutere censuris, cathedralem interdicere, suasque deferre querelas ad Philippum VI Valesium regem Franciæ, Tullensis ecclesiæ auspicem. Protinus Calvi-montis ballivo a rege datur id mandatum, ut quantocius in episcopatus terras irrumpat, ac captivos secum abducat. Quod ubi Lotharingiæ duci notum est regi se excusavit. Sic terminata est hæc discordia ad annum
1328. 1328. Constitutum anno 1325 ab Henrico comite Vadani-montis & Isabella a Lotharingia ejus uxore canonicorum decem collegium in Vadani-montis castro sua fulsit auctoritate Amedeus. Destinatis fundationi unius capellæ in ecclesia sancti Gengulphi trecentis libris, quas mutuatus erat ab exsecutoribus codicillorum Theodorici *de Barisey*, ad populorum suorum sublevamen usus est, reservata sibi fundationis capellæ cura. Coactis Lotharingiæ comitiis de designando tutore Radulfi, filii Ferrici IV ducis, deque eligendis administris ducatus toto pupillaris ætatis ejus tempore, interfuit an. 1329. Largitus est eodem 1329.
anno militibus Templi de Libdo quosdam fundos terræ. Morbo correptus in castro de Brixeio, ibidem decessit mense Aprili 1330. 1330.
Corpus ejus in cathedralem reportatum, juxta sacellum S. Georgii funeratum est, ut vivens jusserat.

LIX. Thomas.

DE BOURLEMONT.

Editus est Thomas antiquissima & præ cæteris nobili gente pagi Bassiniaci Francici, quæ per Johannam *de Bourlemont*, unicam Henrici *de Bourlemont* filiam, matrimonio conjunctam cum Johanne Solhadino *d'Anglure*, adhuc superstes est in toparchis *d'Anglure de Bourlemont*. Missus a patre suo Petro Thomas ad aulam Theobaldi Lotharingiæ ducis, aliquandiu apud principem filium ejus natu majorem educatus est. Clerum subire cum arderet, ad Johannem de Arzileriis Tullensem episcopum, relicta ducis aula, se recepit, a quo archidiaconatum, dehinc a Clemente V pontifice Virdunensem decanatum adeptus est. Electus in episcopum 20 Maii 1330, sacram 1330.
accepit unctionem 22 Julii sequentis, confirmavitque jura cathedralis ecclesiæ an. 1331. 1331.
Mox scitum fecit de judicibus a se creandis, deque majori ædile ab oppidanis instituendo, cujus electionem vel admitteret vel rejiceret: simul etiam prohibuit ne ulla cum extraneis absque suo consensu fœderis pactio a civitate fieret. Longam inde subsecuturam pacem locus erat sperandi, sed præclara hæc spes cito evanuit: longe enim difficiliores quam unquam fuerant res evasere. Ad id tempus canonici urbem interdicto, & oppidanos, ex eo quod carceri duos cathedralis clericos mancipassent, censuris constringi fategerunt. Quamplurimum cives irati arma sumpserunt, canonicosque urbe pepulerunt. At summus pontifex ad capituli preces commissarios delegavit, a quibus huic dissidio impositus est finis. Non ita multo post seditiosi cives ut episcopale jugum prorsus excuterent, nongentos in urbem introduxere milites. Hebdomadas tres hæc militia exegit in urbe, in canonicorum denuo pulsorum domibus, & ipsorum impensis degens; & priusquam illa discederet, pretiosiora abripuit, & quæ non potuit auferre vendidit, ædesque

ANNI CHRISTI

Gerardi *de Lenoncourt* decani, ac Jordani de Colonna majoris archidiaconi cremavit; quin & omnes viri ecclesiastici urbe expulsi sunt. Populum adeo seditiosum Thomas ut refrænaret, cum Radulfo Lotharingiæ duce defensionis & aggressionis fœdus icit mense Augusto 1342, die Jovis ante festum S. Laurentii, assensusque est ut hic princeps ab oppidanis Tulli gubernator haberetur. Attamen canonici in urbem reversi sunt anno 1343, nec a civibus novas experiri injurias cunctati sunt. Enimvero ipso Ascensionis die, dum supplicationi publicæ adforent, dilapidata fuit una ex eorum domibus, & altera eversa & in stabulum conversa. Interea canonici in auxilium vocant domicellum de Commerceio, qui Tullensi populo jam iratus, cogit quingentos milites & octoginta equitum armatorum turmam; clamque accedens, urbem noctu ingreditur ac direptioni tradit: quin imo præscriptas a se leges, capitulo utiles, ratas a majori ædile haberi jubet. Vix domicellus abierat, cum oppidani acceptam ab ædile pactionem diffitentes, accensique furore vetant ne quicquam ad victum canonicis venundetur, eosque adhuc vertunt in fugam. Capitulo tamen vim vi repellere visum est: juniores itaque canonici, coactis militibus, ad mœnia urbis accedunt, civesque provocant ad pugnam. Utrinque dimicatur, ac duo canonici in certamine capti, abducuntur in custodiam. Quod ubi rescivit Clemens VI pontifex, jussit ut canonici omnes qui decertassent, darent pœnas ac præbendarum suarum proventibus spoliarentur. Inter procellosa hæc tempora Tullensem moderabatur ecclesiam Thomas, qui & ipse plurimas subiit procellas. Et quidem in terras Lotharingici ducatus ingressus, ut insequeretur Erardum *de Telot* & Poncium *d'Eraignes*, vassallos suos rebelles, qui Maceriarum castrum incenderant, milites ejus hinc & inde palari, plurcsque pagos populari cœperunt. Hac re offensa Isabellis ducissa, Radulfi ducis ætate minoris mater, damni reparationem poposcit. Designati sunt igitur ab utraque parte commissarii, qui Thomam in duo millia librarum condemnarunt anno 1331. Similem adhuc summam, quam dum negotiis ducatus daret operam in pueritia Radulfi ducis, accepisse dicebatur, solvere jussus est. Fidem & homagium Willelmi *de Gondrecour* militis pro terris dictis *Vannes* & *Giboneix* accepit anno 1335. Terram & præposituram Vallis-coloris a Philippo VI Valesio rege delegatus, regiis possessionibus
1337. adjunxit 4 Octobris 1337. Laudavit anno
1339. 1339 die solemnitatis Corporis Christi fundationem ac dotationem collegiatæ ecclesiæ S. Georgii Nanceiensis, a Radulfo Lotharingiæ duce eodem anno conditæ. Suum etiam dedit assensum 2 Decembris ejusdem anni, ut novæ huic collegiatæ adunaretur capitulum Einivillæ. Sub diversis criminationibus jussu Philippi Valesii regis comprehensus est ac conjectus in carcerem apud Calvum-montem a ballivo

A Calvi-montis accusatore, nec libertatem recuperare valuit, nisi data mille & ducentarum librarum sponsione, quas licet justificatus retrahere nequivit. Nihilominus tamen ut ab oppidanorum seditionibus tutum se præstaret, ipsum regem Philippum in urbis cæterarumque episcopatus possessionum partitionem vocavit. Unde duci Lotharingiæ & comiti Barri non defuit invidia, nec oppidanis ac canonicis timor & metus. Qua de re querela defertur ad summum pontificem, qui initam inter regem & episcopum compositionem jubet esse irritam. Jam pridem episcopi Tullenses in urbe aliisque
B dominii sui locis cudendæ monetæ jure fruebantur. Thomas quaslibet, exceptis tamen monetis Franciæ & Lotharingiæ ducatus, monetario suo licentiam fabricandi fecit. Acriter ab Ademaro Metensi episcopo objurgatus est, quod monetam Metensi similem excudi passus esset, ipsique mox Thomas fecit excusationes, & ab Ademaro absolutoriæ tabulæ monetario indultæ sunt anno 1353. In fœderis leges cum Metensi & Virdunensi præsulibus, qui quidem exagitabantur a subditis suis, coivit circa annum 1346, curasque suas omnes delendæ pactioni, quam cum Yolendi Barri
C comitissa inierant Tullenses cives, adhibuit: sed cum ob nimiam auctoritatem esset formidolosus, qua gubernator Lotharingiæ sub Johanne I duce pupillo, a pacto suo oppidani desistere noluerunt. Centum nummos Bertholdo episcopo Argentoratensi ad sustinendum bellum contra Ludovicum Bavariæ ducem misisse traditur in chronico mss. Argentoratensi. Perrinum de sancto Elisio, profitentem se in feodum tenere medietatem terræ sancti Elisii, ad homagium admisit mense Junio
1346. Usitatum in cathedrali morem choro non adstandi vindemiarum tempore, abhinc 1346.
D die 22 Septembris ad 1 Novembris, abolevit anno eodem. Luxuriam in vestibus interdixit clericis, designans colores quibus uterentur, & splendidos proscribens. Castrum Maceriarum, turrim etiam ad introitum castri de Liberduno construxit. Hospitalem quoque domum condidit in majori via a Tullo ad Castrum-novum in loco dicto Cavea de Bariseio. Canonicis unum ex eorum gremio, a civibus in scelere deprehensum, tradidit pœnis afficiendum. Quia vero bellis & litibus plerumque agitatus fuerat, ære alieno pressus
E decubuit mense Aprili 1353. Conditus est 1353.
in capella Assumptionis B. Mariæ, quam ipse construxerat ac dotaverat, cujus tamen fundatio nec laudata nec probata est ab ejus successoribus.

Bened. Hist. Tullen. prob. p. 102.

LX. BERTRANDUS.

DE LA TOUR

Ex abbate seculari collegiatæ ecclesiæ sancti Genesii Claromontensis ad sedem Tullensem a summo pontifice Innocentio VI elatus est Bertrandus anno 1353, ætatis suæ 26. Filius fuit Bertrandi IV domini de Turre, & Isabellæ *de Levis*, ut ipse testatur in charta data anno

ANNI CHRISTI

1355, qua omnia sua bona legat suis progenitoribus. Fratres habuit Bernardum episcopum Lingonensem & Johannem abbatem Floriacensem, creatum cardinalem a Gregorio XI anno 1371. Temporalium investituram per
1354. litteras Metis datas 23 Martii 1354 accepit a Carolo IV imperatore. Mutuæ defensionis contra prædones, provinciæ populatores, fœdus conflavit eodem anno cum Brochardo *de Fenetrange* gubernatore Lotharingiæ, qui suam in tutelam episcopatus & capituli terras, in Lotharingiæ finibus positas, suscepit. Motas quasdam inter capitulum & cives cum Imperatore Tulli tunc versante composuit difficul-
1356. tates anno 1356. Diplomati principis ejusdem privilegia civitati Mussipontanæ concedentis subscripsit XII cal. Januarii anni ipsius. Renovata quidem est eo anno a Maria Blesensi ducissa Lotharingiæ, ducatus moderatrice, controversia toties agitata de advocatia seu gubernatione urbis Tullensis, quam ipsa ad Johannem I ducem, filium suum & pupillum, spectare contendebat: indictum est ab ea bellum oppidanis, qui suas in partes ducem Barri traxere. Propensior vero in Lotharingos Bertrandus, interdicto Barrensem tractum subjecit, ut ducem Barri ad removendas copias suas adigeret. De deponendis armis Barri dux assensus est, dummodo dux Lotharingiæ promissa suis antecessoribus pensione contentus, advocatiam non amplius vendicaret. Pax itaque composita est, solutumque interdictum ea conditione, ut quingenti floreni aurei episcopo numerarentur. Bertrandus tamen solidam ut pacem sibi suisque curaret, se suasque possessiones, & episcopatus subditos custodiæ Lotha-
1357. ringiæ ducis Johannis commisit anno 1357, attributo duci denariorum duodecim censu, ab unaquaque familia exsolvendo. Etiamsi multis jactatus procellis, de ecclesiastica disciplina vigilantissimus præsul statuta publicavit
1359. die 24 Octobris 1359, quorum authenticum in archivio ecclesiæ Tullensis asservatur. Fuerunt eo anno magni terræ motus & fames, ex quibus subsecuta est gravis pestilentia, quæ quartam populi diœcesis partem sustulit. Translatus vero est Bertrandus ab Innocentio VI
1361. 8 Decembris 1361 ad Aniciensem ecclesiam, ubi obiit 14 Maii 1381. Vide tom. II, col. 727 & seq.

LXI. PETRUS.

DE BARRIERE.

Ruthenis spectatissimis parentibus ortus Petrus, litteris operam dedit Tolosæ & Burdigalæ, ubi doctoris in jure & theologia lauream adeptus est. Palam & ipse Parisiis sacras docuit litteras, decem & octo tantummodo natus annos. Ob doctrinam ab Innocentio VI provisus Leonensi episcopatu in Hispania, inde translatus est ab ipso pontifice ad Tullensem, quem per vicarios generales moderatus est
1363. ab anno 1361 usque ad 1363, nunquam invisa, ut creditur, ea ecclesia, ex qua ad Mirapicensem sedem ab Urbano VI traductus

A fuit. Quandiu ultimam hanc rexerit ecclesiam, prorsus me fugit; sed certo scitur ipsum ad Augustodunenses infulas evectum fuisse anno 1377. Avenione decessit idibus Junii 1383. Sat fuse jam de eo locuti sumus tom. IV, col. 416; & in episcopis Mirapicensibus, col. 271.

LXII. JOHANNES.

DE HEU.

Oriunda Leodio propagine satus Johannes, Theobaldo de Hoio & Adelaide *de la Cour* conjugibus Metis genitus, primum Metensis & Remensis canonicus, ac Tullensis archi-
B diaconus, tandem decanus & primicerius Metensis, ecclesiæ Tullensi ab Urbano V præfectus est, cujus possessionem accepit 14 Septembris 1363: ejus vero consecratio ob canonicorum intercessionem, ægre ferentium electionis jure privari, dilata fuit usque in annum 1367, 1367.
diœcesim interea procurantibus Mathia de Villa-nova suffraganeo, Christopoleos episcopo, Humberto *de Soye* canonico Vesontionensi, & Johanne *de Chatenoy* officiali Tullensi. Episcopatus ejus initia admodum calamitatibus obnoxia fuerunt, prædonibus siquidem, ad quos accesserunt milites quidam Angli,
C ditiones ecclesiæ vicinorumque principum & toparcharum ferro flammaque vastantibus. Nec minora intulere damna ex Francia & Lotharingia accersitæ ad eos expellendos copiæ. Inter hæc Johannes æque ac capitulum expostularunt apud summum pontificem de bonorum ecclesiæ invasoribus, quos palam excommunicandi potestatem bulla impetrarunt. Sub medium Quadragesimæ anni 1368 oppidani 1368.
antea illatorum capitulo damnorum absolutorias tabulas, nec non debitorum apocham exigere conati sunt. Quod cum canonici detrectassent, sævis tractationibus domos suas
D deserere & in ecclesiam ut in asylum confugere coacti fuere. Illis protinus ad deditionem adactis propositas a seditiosis conditiones accipere necessum fuit: sed quod fecerant vi ac necessitate, mox retractarunt, civesque coram papa in jus vocarunt. Gregorius XI id negotium commisit abbati S. Leonis, tradita ei cives excommunicandi potestate. Cum jam abbas prope esset obtemperare, comprehensus ac conjectus est in carcerem. Hanc ob causam Johannes episcopus magistratus dejecit muneribus, qui apud imperatorem Carolum IV, conquesti sunt. Princeps qui Johannem non
E exosum modo, sed ut intrusum & falsum habebat episcopum, penes eum non fuisse magistratus creare vel destituere, litteris edixit. Restituta tamen est pax aliquibus post annis, pactioque episcopum inter & cives inita 20 Julii 1371. Centum ecclesiasticorum virorum 1371.
divinis rebus in cathedrali ecclesia operantium ingenti cum lætitia turmam sub finem vitæ conspexit. Miris extollitur laudibus ab auctore vitarum episcoporum Tullensium, qui ait multas ab ejus antecessoribus alienatas possessiones, recuperatas fuisse. Primo, addit ille,

ANNI CHRISTI

castrum de Briceyo per Vautrinum de Aquilina occupatum redemit. Molendina & columbarium de Liberduno cum majori parte Vennæ, quæ disrupta & subversa funditus existebant, nec non multa ædificia, quæ corruerant, reædificavit. Gravissimum æs alienum duodecim millia florenorum & amplius dissolvit. Non debita modo non contraxit, sed & possessiones atque reditus suæ acquisivit ecclesiæ; imo etiam quadringentos florenos & insigne donarium largitus est. Quamplurima quoque bona Metensi ecclesiæ contulit ad divini cultus augmentum. Pretiosissimas res itemque mille florenos erogavit diversis ecclesiis ac capellaniis & pauperibus. Extremum, susceptis devotissime sacramentis, clausit diem Metis 19 Augusti 1372. Humatus fuit in cathedrali ecclesia urbis ejusdem in sacello collaterali sinistro ante altare B. Mariæ Teuthonicæ, ubi legitur id epitaphium vernaculo idiomate: *Dessous la marche de cet autel gît révéreud père en Dieu, seigneur Jean de Heu, par la grâce de Dieu, évêque de Toul. & princier de céans, qui mourut l'an M. CCCLXXII le XIX d'Août. Priez Dieu pour lui.*

DE NEUF-CHÂTEL.

LXIII. JOHANNES.

Theobaldi V baronis de Novo-castro ex Johanna Cabilonensi filius Johannes, sacro a parentibus destinatus ministerio, presbyteratus ordine Vesontione honestatur. Quindecim tantum annos natus, fit Augustodunensis canonicus, tum provisus prioratibus S. Petri Abbavillæi & beatæ Mariæ Barri-ducis. Cooptatus quidem est in Vesontionensem archiepiscopum, sed effectum sortita non est ejus electio. Ad Nivernensem vero ecclesiam elatus an. 1371, ut diximus tom. XII, col. 650, ex ea sede ad Tullensem traductus, possessionem accepit
1373. 4 Maii 1373, quo cum Tullensibus oppidanis quasdam iniit pactiones. Temporalium inves-
1377. lituras anno 1377 obtinuit ab Imperatore, cujus in litteris imperii princeps vocatur. Lotharingiæ ducis Johannis exactores, qui tributum Lotharingis a duce impositum ad subditos Tullensis ditionis extendere nitebantur, strenue repressit; accepta tamen satisfactione ab eodem principe, ille & capitulum quingentos florenos ei munere dederunt. Compositionem, qua in ducis ejusdem Tullenses, haud impetrata licentia, clientelam se contulerant, probante capitulo rescidit, ac ducem ipsum rogavit ut cum subditis Tullensis ditionis absque episcopi & capituli venia societatis fœdus non sanciret. Creatus a Clemente VII consanguineo suo cardinalis titulo SS. quatuor Coronatorum 23 Octob. 1383, ab episcopatu
1384. se abdicavit anno 1384.

DE FLORANO.

LXIV. SAVINUS.

Nobilis Eporediensis Savinus, præsul a Clemente VII renunciatus, possessionem adiit in festo S. Matthæi anno 1384, præsentibus Johanne Lotharingiæ & Roberto Barri ducibus.

A Traductus autem est anno insequenti ad Maurianensem ecclesiam. Ducentos florenos tradidisse dicitur in necrologio Tullensi.

DE NEUF-CHÂTEL.

LXV. JOHANNES.

Administrationem ecclesiæ Tullensis iterum a Clemente VII consecutus Johannes, possessionem accepit 29 Maii 1385; at pauco tempore vel etiam minime Tulli substitit, diœcesim interea moderante Francisco Sidonensi episcopo, suffraganeo & vicario generali. Ob studium quo Johannes ejusque capitulum Clementem VII pseudopontificem prosequebantur, multa passi sunt tum a Tullensibus, B addictis Urbani VI partibus; tum a Vinceslao imperatore eidem Urbano patrocinante. Equidem oppidani obsequium præstare, dominumque temporalem habere Johannem detrectarunt. Quin imo ab Imperatore canonicis jussum est, ut disrupta cum Clemente, & cum Johanne, quem hic princeps intrusum episcopum & pseudocardinalem habebat, communione, alterum a partibus Urbani legitimi pontificis stantem episcopum in ipsius Johannis locum sufficerent. Spreto a canonicis hoc mandato, cardinali tunc Avenione versanti & C capitulo bellum indixit Imperator, quod revera a civibus mox cœptum est. Illi namque episcopales diripuerunt & a fundamentis subverterunt ædes, canonicosque male acceptos ad capessendam fugam adegerunt. Querelas ad summum pontificem ut deferret Fredericus *de Morhanges*, abbas S. Leonis, a capitulo deputatus, nihil præter bullam obtinuit, qua Clemens canonicos ad patientiam hortatur. Attamen sancita est capitulum inter & cives pax, cui nec adscriptus est Johannes, qui & ipse nihilominus cum eisdem oppidanis pactum confecit his conditionibus, ut Tullensis urbs D Clementi VII parere non teneretur, civesque Johannem episcopum agnoscerent dominum suum, penesque ipsum essent domini jura ac privilegia. Natam inter ecclesiam Parisiensem & capitulum S. Benedicti discordiam sedandi provincia anno 1389 a Clemente VII est 1389.
donatus. Renunciatus & ipse est Ostiensis episcopus sub finem anni 1392 ab eodem ponti- 1392.
fice, cui defuncto an. 1394 die 16 Septemb. 1394.
successit Benedictus XIII electus a cardinalibus, e quorum numero fuit Johannes. Quatenus Ostiensis episcopus pontificem consecravit & ut legitimum papam salutavit. Aliquanto post E schismatis pertæsus, relictis Benedicti partibus, in cardinalium conventu palam professus est, ut toti ecclesiæ pax redderetur, opus esse Benedictum ad abdicandum pontificatum cogere. Quidquid ea occasione egerit sic narrat anonymus ad annum 1398: « Cardinalis de 1398.
Novo-castro, qui in Villa-nova fuerat per « cardinales in Avenione capitaneus ordinatus, « & jam Avenionem intraverat, & in palatio « episcopali morabatur, equitavit per civitatem « publice super equum, indutus de rubeo sine « rocheto & pallio, accinctus gladio cum baculo «

in

ANNI CHRISTI. » in manu, & habitu satis inhonesto, concitans » populum ad rebellionem..... Die vero sancti » Michaëlis, quæ fuit die Dominica, prædictus » cardinalis de Novo-castro cum bombardis » palatium apostolicum fortiter infestavit & fecit » per Bussicaldum & alios infestari; & quidam » lapilli excussi ex lapide bombardæ missi ex » palatio parvo, ubi cardinalis morabatur, papam » percusserunt. Biduo post, id est die Martis, » prima Octobris, prædictus cardinalis (pergit » idem anonymus) divino ut creditur judicio » glandulis & carbunculis percussus, factusque » insensibilis die Veneris, quæ fuit sexta a die » S. Michaëlis, vitam, utinam solam corporalem! perdidit. » Labem nomini ejus aspergere nixi sunt fautores Benedicti XIII, ex eo quod ab isto antipapa defecisset: alii vero magnis illum extulerunt laudibus, patrataque ab eo post mortem fuisse miracula contenderunt. Humari voluit in choro ecclesiæ Cartusianorum Villæ-novæ prope Avenionem, utpote admodum studiosus hujus ordinis, cujus vestem habitumque sub purpurea toga semper gessit. Quiescit in tumulo, super quem cernitur ejus effigies, hoc donatus epitaphio: *Hic jacet reverendissimus in Christo pater bonæ memoriæ dominus Johannes miseratione divina episcopus Ostiensis, S. R. E. cardinalis de Novo-castro nuncupatus, qui obiit*
1398. *Avenione anno Domini M. CCCXCVIII, die 4 Octobris.*

Legitur in regestis Vaticani Fridericum patria Mulhusanum eremitam Augustinianum, de quo jam diximus tom. V, col. 554, creatum fuisse Tullensem episcopum a Bonifacio IX in Francisci ab Urbano VI exauctorati locum, propter adhæsionem quam præstabat Roberto, olim basilicæ duodecim Apostolorum presbytero cardinali, tunc antipapæ sub nomine Clementis VII, X cal. Febr. 1391, pontificatus 2.

LXV. PHILIPPUS.

DE VILLE-SUR-ILLON.

Cretus Philippus illustri & antiquo genere, quod sanguine cum augustissima gente Lotharingica conjunctum erat, Johannem & Humbertam *de Parois* sortitus est parentes. Dum Aurelianis studiis navaret operam, Carolus II Lotharingiæ dux nihil non moliebatur apud canonicos ut & illum quidem canonicum in episcopum cooptarent. Aliunde Vinceslaus imperator capitulo vetuit ne quem nisi sibi acceptum promoveret, addito hoc jussu ut electus munia episcopalia non obiret, nisi prius investituras adeptus. Capituli responso Cæsar haud contentus, bullam a Bonifacio IX obtinuit de episcopatus percipiendis proventibus, dum sedes vacaret, propterea quod cardinalis de Novo-castro, nec accepta investitura, pluribus potitus fuisset annis. Capitulum vicissim a Benedicto XIII, cujus sectabatur partes, obtinuit litteras prorsus a bulla Bonifacii diversas; immo & ab ipso Benedicto denunciatum fuit jus episcopatum Tullensem conferendi ei competere, ex eo quod Johannes

A de Novo-castro cardinalis & episcopus Avenione fato functus fuisset. Interea dux Carolus ut desiderium suum expleret nil prætermittebat; nec tamen aliud a capitulo impetravit, præter quam quod Philippus vicarii generalis munere donaretur. Quam dispositionem ratam habuit Benedictus XIII, cui visum est res temporales episcopatus administrandi Philippo viginti tantum annos nato gratiam indulgere. Electus tandem est Philippus unanimi canonicorum voce 26 Martii 1399, emissaque electionis 1399.
acta ad cardinalem Ferdinandum de Tarascone, papæ vicarii, cujus opera expeditæ fuerunt B bullæ. Porro Philippus, qui etiamnum degebat Aurelianis, mox Tullum profectus, possessionem iniit præsentibus Lotharingiæ duce & Friderico comite Vadani-montis. Dein Aurelianos studiorum causa reversus, inde se contulit Perpinianum ad Benedictum XIII, a quo dispensationem ad suscipiendum sacri presbyteratus ordinem adeptus, sacram & ab ipso accepit unctionem in ecclesia sancti Antonii. Solemniter Tullum ingressus est, assuetumque præstitit juramentum 24 Martii 1404. Eodem 1404.
ac sequentibus licet a capitulo supplicibus libellis enixe rogatus in Tullensi urbe consistere, C votis eorum acquiescere detrectavit. Ad hunc annum electionem Henrici *d'Hodelincourt* in coadjutorem abbatis sancti Mansueti probavit. Quam antecessor ejus cardinalis Johannes de Novo-castro clandestinam bullam de adunandis mensæ episcopali sex archidiaconatibus obtinuerat, ad effectum perducere tentavit. Contra episcopi consilia se obfirmat capitulum, statuitque in cœtu generali, 1.° ut ne quisquam nisi ejurata bulla in posterum promovendus sit; 2.° ut si Philippus in ejus bullæ exsecutione institerit, sedulo cogatur observare quidquid in promotionis suæ bullis præscribitur; 3.° tandem D ut omnes chartæ, diplomata, aliaque monumenta penes capitulum maneant, usque dum Philippus tricesimum ætatis annum attigerit. De qua deliberatione certior factus præsul, scripto testatur se nunquam hac bulla usurum esse; at mox de sententia decedens, exsecutionem ejus insequitur & obtinet a Benedicto XIII anno 1405. Unde emersere lites & 1405.
jurgia, ex quibus tantum concepit mœrorem, ut ad ipsius pontificis curiam se recipere constituerit, collata Christopoleos episcopo suffraganeo diœcesis cura. Bullam & ipse ab ipso papa consecutus est de conferendis quatuor E præbendis Tullensis ecclesiæ quatuor viris nobilibus. Jussus ab imperatore Ruperto ut investituras adeptum adiret, viarum pericula difficultatesque causatus est. Sacramentum itaque præstitit in manibus Lotharingiæ ducis, ad hoc a Cæsare nominati. Graves ac diutinas de juribus suis passus dissensiones ab oppidanis, famosam hanc cum eis iniit transactionem etiamnum existentem, quam recens instituti magistratus ipso creationis die quotannis suo & civium nomine observare promittunt. Ejus tempore diœcesis, totaque Lotharingia bellis

ANNI CHRISTI

exagitata est, simulque pene totus orbis armis flagravit occasione contendentium ad summum pontificatum. Philippus vero decessit an. 1409 Perpiniani, ubi in curia Benedicti XIII conversabatur, illicque sepultus est in ecclesia S. Antonii.

DE VILLE-SUR-ILLON.

LXVI. Henricus.

Præcedentis germanus Henricus, filiorum Johannis patris sui natu minimus, puer a sorore sua Philippa natu majori, Romaricimontis decana, eximiæ pietatis puella, sollicite educatus fuit. Ad scholas missus mirificos in studiis effecit progressus, potissimum in jure canonico. Admodum juvenis canonicus & thesaurarius Tullensis ecclesiæ, tum Virdunensis scholasticus evasit. Cameræ etiam apostolicæ clericus erat, cum Tullensi ecclesia provisus est a Benedicto XIII. Ætatis obtenta vacatione, Perpiniani 20 Martii 1409 accepit ordinationem, cui summus pontifex cum omni curia sua interfuit: Tullum vero cum pompa invectus est eodem anno mense Maio ineunte. Acceptorum a Carolo II Lotharingiæ duce propinquo suo immemor officiorum, jura quædam, quæ sub custodiæ & præsidii specie princeps ab ecclesia Tullensi reposcebat, non solvere modo detrectavit, verum & opem de suffulciendis antiquis pactionibus a Francorum rege petiturum minatus est: & vero cum ipso rege tutelæ fœdus renovavit. Iram suam dux ad tempus dissimulare, contentus in præsens quingentas libras ab urbe debitas exigere, quæ ab episcopo liberaliter numeratæ fuerunt. Aliquanto post dux oppidanos quosdam lucro captavit, ut eorum ope urbem invaderet. Fraude mox detecta, rei in perpetuum exilium damnati, rebusque suis frustrati sunt. Canonici vero ab episcopo suo dissentientes, ducem rogarunt ut Vodiense castrum præsidio muniret, ne illud a Francis occuparetur: castrum etiam de Vicheriaco ad ipsorum preces in tutelam suam comes Vadani-montis accepit. Veruntamen cardinalis Pictaviensis, concilii Pisani præses, de exortis episcopum inter & ducem controversiis admonitus, eos a cardinali de Barro conciliari fategit. Equidem ex eo tempore conjunctissime vixerunt, unaque Benedicti XIII obedientiam ejurarunt, missis hac de re anno 1409 ad concilium Pisanum per procuratores suos litteris. Subortorum inter Trevirensem archiepiscopum & ducem Barri dissidiorum electus judex Henricus, utrumque fœdere, cujus fuere sponsores dux Lotharingiæ

1411. & comes Vadani-montis, sociavit an. 1411. Eodem Saliburgi ab imperatore Sigismundo accepit investituram, honoremque principis imperii. Insignem quoque simul adeptus est hanc prærogativam, ut urbs Tullensis ad omnia imperii comitia legatos seu procuratores mitteret. Exercitui Caroli ducis Lotharingiæ suas junxit copias ad ulciscendam injuriam in diœcesi sua factam episcopis Carcassonensi & Ebroicensi, oratoribus Galliarum regis ad Constan-

A tiense concilium pergentibus, quos Carolus *de Deuilly*, toparcha de Removilla, & Henricus de Turre, prædonum duces, spoliaverant & captivos in castrum de Removilla abduxerant. Expugnatum itaque & incensum est castrum, legati in libertatem asserti, prædones laqueo suspensi, cæteræque domus, quas in Lotharingiæ & Barri ducatibus possidebat toparcha de Removilla, crematæ. Tum vero Henricus generale interdictum, quod ad omnem extenderat diœcesim 10 Julii 1414, solvit. Eodem 1414.
anno a Johanne papa XXIII consecutus est facultatem citandi & monendi quascunque
B personas molestantes, detinentes & occupantes bona ecclesiæ, ecclesiasticarumque personarum civitatis & diœcesis, contra illas procedendi per excommunicationis & interdicti sententias, invocato ad hoc, si opus fuerit, secularis brachii auxilio, litteris datis apud S. Antonium extra muros Florentinos pridie nonas Octobris. Perrexit anno 1415 ad Constantiense con- 1415.
cilium, ubi concionas habuit orationes, obtinuitque a Martino V contra Tullenses oppidanos & ecclesiasticarum immunitatum violatores sententiam, quam effectum suum anno
1418 voluit sortiri. Ipse vicissim in eo concilio 1418.
C condemnatus fuit in quinque millia florenorum erga Theobaldum Bisuntinum archiepiscopum ex hereditate cardinalis Johannis de Novocastro. Non multo post nobilem virum, nomine Colardum *de Foug*, qui ex eo quod presbyterum Tullensem carceri mancipasset, subierat censuras, & ideo arma ceperat, in pugna profligavit ac interemit. Mathildem quoque Colardi uxorem, ac Miletum ejus filium, quibus mortem ipsius ulciscendi gratia bellum persequi visum est, exuit possessionibus, eorumque castra diruit a fundamentis. Recognovit 10 Aprilis 1422 ecclesiam collegiatam 1422.
D S. Georgii Nanceiani immediate sedi apostolicæ subjacere. Magistrum Ymentum de Tapeio, in legibus licentiatum, ad provinciale concilium Trevirense procuratorem misit
an. 1423. Licentiam fecit an. 1427 civitati 1423.
gravi debitorum onere conflictatæ per septem 1427.
annos decem millia francorum exigendi. Carolum Lotharingiæ ducem bellum urbi minitantem, propterea quod in eam cives admisissent Johannem *d'Ardennes* ipsius hostem, mitigavit hoc eodem anno. Principis
hujus mense Januario 1431 defuncti cele- 1431.
E bravit exsequias Nanceii, ejusque successorem ac generum Renatum Andegavensem, Siciliæ regem, Isabellæ primogenitæ maritum, suis juvit consiliis, captumque liberare e custodia, in qua Divione detinebatur, quantum valuit, enixus est. Varia siquidem est aggressus itinera Divionem, Insulas, Lugdunum de agendo cum duce Burgundiæ libertatis principis captivi pretio. Dum ex una parte pro marito curam gereret, & ex altera consiliis uxorem instrueret, duos principes filios eorum alebat in episcopalibus ædibus suis, usque dum illi obsides traditi sunt duci Burgundiæ. Sub id

ANNI CHRISTI

tempus Genevam cardinalem Ostiensem adiit, A petiitque ab eo initæ inter Martinum V & Gallicanam gentem sanctionis exemplar. Adeptus quidem est bullam de non admittendo in Tullense capitulum canonico, quin prius quatuor nobilitatis gradus probasset, nisi foret doctor vel bacalaureus in theologia vel jure. Collegiatam ecclesiam de Hossonis-villa anno 1435 a Johanne de Hossonis-villa Lotharingiæ senescallo, & Ermensona *d'Antil* ejus uxore sub invocatione D. Claudii conditam probavit

1436. anno 1436. Eodem anno 12 Martii cessit e vivis in castro Liberdunensi. Corpus ejus depositum fuit in collegiata pagi ejusdem, dein B in abbatia S. Mansueti, unde deportatum est in cathedralem 18 Martii, ubi visitur ejus tumulus prope majus altare, ad latus evangelii, incisus hac inscriptione: « Henricus de Villa-» Sorillon, venerabilis antistitis Philippi de Villa-» Sorillon frater germanus, immediatus ejus » successor, 62 hujus sedis episcopus, qui gloria » suorum splendorum natalium præeminebat, pii » pastoris sequens vestigia in opus sollicitudinis » divina provisione donatus, tam vitæ quam » actionis exemplum subditis extitit, & speculum » sanctitatis modestia sua quibuscunque gerenda » disposuit & in omni negotio temperatus. Rei C » familiaris gubernationis discreto moderamine » curam gerens; episcopatum namque, quem » pecuniarum summis quamplurimis aliisque » multis oneribus & debitis obligatum adinvenit, » sua circumspectione liberavit. Fortalitiaque de » Brixeio nec non de Blenodio & de Mazeriis » vetustate fere delapsa, propugnaculis inexpugnabilibus fortificavit. Domum episcopalem » demolitam cæterasque dilabentium ædificiorum » ruinas episcopatus reparavit. Idem pater devo-» tione succensus partem sacri clavi Domini » nostri Jesu-Christi, quam beatissimus Gerardus » hujus sedis episcopus tempore suo aureo vase D » recondi fecerat, hic pius pastor in formam » qua nunc cernitur, varia argenti & auri cæla-» tura decorari suis sumptibus procuravit. Me-» diam partem decimarum cum jure patronatus » parochialis ecclesiæ de Hurusiis in augmentum » obituum ejus ecclesiæ de suo proprio acquisivit. » Pluraque bona in sacris vestibus, libris, orna-» mentis & jocalibus huic ecclesiæ sponsæ suæ » ad decorem & honorem largitus est. Missas » binas quotidianas & perpetuas, unam videlicet » ad altare beati Petri hujus, & aliam ad majus » altare S. Gengulphi ecclesiarum celebrandas E » pro sua & suorum prædecessorum salute magnis » fundavit redditibus & dotavit. Considerato » volumini humano mutabilitatis excursu lar-» gistuæ dispensationis beneficio potitus ecclesiis » per urbem & diœcesim constitutis quamplu-» ribus redditibus .... dispensavit, » aliorumque bonorum suorum tertiam huic » sedi, & aliam tertiam partem Christi paupe-» ribus suæ ultimæ voluntatis elogio elargiri » præcepit, ut sic bonorum Christi fidelis dis-» pensator talenta sibi commissa suo Domino » cum lucro reportaret. Tandem fatalis vitæ » terminus, postquam hanc sedem 28 annis » ipse pastor feliciter tenuerat, sustulit de medio; » & universæ carnis est iter ingressus in Liberduno duodecimo mensis Martii, anno ab » Incarnatione Domini M. CCCCXXXVI: cujus » corpus in hac est ecclesia sepultum juxta altare » magnum dextro cornu inter capellam S. Petri, » & feretrum S. Aproniæ in monumento, quod » variis sculpturis & mirificis imaginum cælaturis » excisis lapidibus fecit aptari, cujus anima » requiescat in pace. Amen. »

LXVII. LUDOVICUS.

D'HARAUCOUR.

Justis Henrico mortuo persolutis, habitus est de eligendo successore conventus, in quo duas in partes divisa fuere suffragia. Ad aliam itaque diem dilata est electio: sed nec in secundo quam in primo cœtu major fuit concordia; nihil enim statutum est præterquam quod Henricus de Valle-colore Christopoleos episcopus, & Fridericus *de Maldemaire* officialis Tullensis & decanus sancti Gengulphi constituti fuerint vicarii generales, qui diœcesim vacante sede administrarent. Scientia ac probitate insignes hi duo viri, totius capituli vota conciliarunt nobili viro Friderico *de Clisentaines*, majori archidiacono ac præposito S. Deodati. Quod cum summus pontifex, qui collationem ejus ecclesiæ sibi servaverat, improbasset, capitulum postulavit Ludovicum de Haraucuria, cui ob quasdam molestias summa Virdunensem sedem relinquendi inerat cupido. Admissa fuit a papa capituli postulatio 1 Junii 1437. Itaque Ludovicus, abdicato 1437. Virdunensi episcopatu, Tullensis ecclesiæ possessionem adeptus est 15 Septembris anni ejusdem. Statuta condidit an. 1441 de cano- 1441. nicorum regularium diœcesis reformatione. De cætero paucas ministerii sui functiones obivit, collata Henrico de Valle-colore suffraganeo ecclesiæ cura, dum ille politicis negotiis in aula Lotharingica operam daret. Diruta bellis ædificia, ecclesias, ædes episcopales, castraque de Liverduno & Brixeio instaurare cogitavit cœpitque. Jura etiam & reditus, quæ in castro & terra de Brixeio vir nobilis Philibertus de Brixeio in feudum possidebat, sumptibus suis acquisita, mensæ episcopali in perpetuum adnexuit. Lotharingiæ ducatum, cujus administrationem una cum Conrado *Bayer* Metensi episcopo & Erardo de Castelleto acceperat a Renato Siciliæ rege, in Italiam ad subigendum in potestatem suam regnum Neapolitanum adeunte, præclare moderatus est: imo quidem comitem Vadanimontis, qui cum exercitu ad invadendum ducatum accesserat, Caroli VII regis auxilio fretus viriliter repulit. Quapropter a Renato rege sanctioris consilii creatus est præses. Temporalibus rebus Nanceii dum totus incumberet, Tullense capitulum litteris eum admonuit non a Deo institutum fuisse episcopum, ut profanum adimpleret ministerium, sed ut curas ac labores suos commissæ sibi ecclesiæ insumeret.

ANNI CHRISTI

Hoc consilio ille usus est; sed Tullum vix A reversus, cum ab oppidanis cœpit exagitari: & vero in publica supplicatione injuriis ac contumeliis est oneratus. Parem delicto pœnam ut sumeret, in urbem & suburbia vibravit interdictum. Ira accensi cives in ædem episcopalem irrumpunt, equile subvertunt, magnasque præsuli, ni solverit interdictum, minas intentant. Qua procacitate offensus Ludovicus, facta, ex summi pontificis consensu, cum Guillelmo *Fillâtre* permutatione, ad primam
1449. sedem suam Virdunensem repedavit an. 1449, ut in episcopis Virdunensibus dicemus.

FILLÂTRE.

LXVIII. GUILLELMUS.

Exosus non modo civibus, sed & canonicis Virdunensibus Guillelmus, quam libentissime oblatam sibi ex ecclesia Virdunensi ad Tullensem migrandi occasionem arripuit. Confecta igitur cum Ludovico de Haraucuria permutatione an. 1449, in possessionem adiit, solemnemque fecit ingressum anno eodem. Tam efficaciter egit apud capitulum cathedralis, ut ex præcepto Basileensis concilii erudiendæ plebi, docendisque junioribus canonicis institutus fuerit Johannes *d'Allompt*, doctor theologus facultatis Parisiensis, a quo C rite adimpletum fuit id munus. Rigidas etiam civium mentes ut domaret nihil non tentavit; sed populum natura ad detractionem & rebellium reperit proclivem, qui ærarii tribuno, ipso quidem præsente prælato, mortem minitari ausus est. Guillelmus cito urbe excessit, secessitque in Liverdunense castrum, abducta secum officialitatis curia. Dum abesset, confractæ sunt carcerum januæ, reique libertati redditi. Ille vicissim destituit magistratus, cives plexuit anathemate, quin etiam urbem & suburbia interdicto subjecit. Præterea civem Liverdunensem, majorem ædilem a se creatum, D misit Tullum juris ergo dicundi, qui vixdum ingressus in urbem, carceri mancipatus est; nec libertatem recuperavit, nisi ea conditione, ut episcopum nunquam haberet dominum temporalem. Episcopalis auctoritatis jugum tunc oppidani prorsus excutere voluerunt; statuerunt siquidem in generali conventu ut episcopus ejusque officiales semper urbis prohiberentur ingressu. Unde gravissimum jurgium, quod ad Imperatoris curiam delatum fuit, ubi utraque pars suos habuit defensores, scilicet episcopus ducem Burgundiæ, cives vero Renatum regem Siciliæ, ejusque filium Johannem E Calabriæ ducem. Nihilominus tamen Imperator in Guillelmi episcopi gratiam sententiam tulit, damnatis ad poscendam ab eo veniam civibus. Quod revera ab illis per deputatos in imperiali aula præstitum est, adstantibus episcopo Sennensi, Alberto Magdeburgensi marchione, aliisque nobilibus viris. Guillelmus eos suis pressit amplexibus, censuris absolvit, & interdictum rescidit. Verumtamen in hoc pacificationis statu res non steterunt: discordia enim multo magis accrevit. Inter hos tumultus,

ANNI CHRISTI

quibus Cæsari nullomodo se immiscere visum est, Guillelmus Bruxellas se recepit, indeque Tullensibus direxit litteras, testans se eis, modo resipiscant, ignoscere esse paratum; ac paulo post sat reverens & honestum, sed vagum accepit responsum. Romam tamen defertur causa, ubi dum volvitur, Guillelmus interdictis & censuris Tullenses insectatur. Illi vero tam valide apud regem Franciæ & ducem Lotharingiæ patronos suos egerunt, ut omnibus provinciæ parochis interdictum publicare vetitum fuerit. Guillelmum oderat Renatus Siciliæ rex ac Lotharingiæ dux propter studium B ejus in ducem Burgundiæ, & Antonium comitem Vadani-montis, cujus causam de successione ad ducatum Lotharingiæ contra ipsum regem Renatum in Basileensi concilio defenderat. Quamobrem totam pene Lotharingiam, Barrensemque tractum princeps in episcopum concitavit. Principum adeo potentium præsidio suffultos Tullenses cives cum cerneret Guillelmus, Romam petiit jus suum expositurus. Interdictum solvere jussus est a pontifice, qui quidem litteris præcepit civibus ut cum prælato suo in concordiam redirent, veniamque ab eo precarentur. Quod cum utrinque præstitum fuisset, Guillelmus in urbem rediens, restinguendis divisionum causis operam dedit. Temporalium investituras, bonorumque confirmationem accepit a Friderico III imperatore anno 1451, a quo quidem probata 1451.
est sancita episcopum inter & oppidanos pactio. Nomen ac titulum comitis Tullensis ei simul facta fuit licentia sumendi. Ecclesiam Rengisvallis sanguinis effusione contaminatam reconciliaverat anno 1450: oratorium vero patrum Franciscanorum de Miracuria dedicavit anno 1452. Insequenti anno legitur in docu- 1452.
mento de prioratu B. Mariæ de Aspero-monte, ubi vocatur Guillelmus *de Renny*. Bullas de adjungendo mensæ episcopali prioratu de Casteneto consecutus est, quibus intercessit Renatus rex Siciliæ. In abbatem S. Apri, qui episcopali auctoritati contraiverat, protulit sententiam anno 1457. Molestiarum omnium quas passus 1455.
erat & etiamnum patiebatur pertæsus, de sede mutanda cogitare cœpit. Precatus itaque est per amicos suos Tornacensem episcopum ut ecclesiam suam pro Tullensi permutaret, ac petitionis suæ assecutus est effectum an. 1460. 1460.
Pius II pontifex maximus, quondam dictus Æneas Sylvius, amicus ejus, ut ex ipsius constat litteris, ratam babuit permutationem. Munere dedit ecclesiæ Tullensi Guillelmus duo pulpita cuprea, quæ etiamnum in choro cernuntur, nec non etiam aulæa & ecclesiastica ornamenta: addidit & octingentos florenos ad suum anniversarium. Obiit Gandavi 22 Augusti 1473; unde in monasterium sancti Bertini, cujus fuit abbas, deportatus est, ubi quiescit. Summe laudatur in Johannis Iperii continuato S. Bertini chronico apud Martenium ampliss. collect. tom. VI, col. 626 & seqq. De eo jam diximus tom. III, coll. 233

ANNI CHRISTI

& seqq. item & 505. Mentionem ejus adhuc agemus in Virdunensibus episcopis, ubi vide.

CHEVROT

LXIX. JOHANNES.

Facta cum Guillelmo permutatione, e Tornacensi ecclesia ad Tullensem traducitur anno 1460 Johannes, quem capitulum electionis jus servandi gratia postulavit: at Pius II papa permutationem bullis probavit, nec ullum quidem postulationis capituli habuit respectum. Vixdum elapsis ab admissa a pontifice cessione sex hebdomadis, cum Johannes Insulis occubuit 22 Septembris ejusdem anni 1460. Morti proximus Tullensem ecclesiam agnovit sponsam suam, cui testamento suo ingentem pecuniam legavit. Vide tom. III, coll. 232 & 233.

DE NEUF-CHÂTEL.

LXX. ANTONIUS.

Theobaldo Burgundiæ marescallo, velleris aurei equite torquato, & Anna *de Château-villain* parentibus genitus Antonius, ex genere Johannis de Novo-castro cardinalis quondam episcopi, canonicus Bisuntinensis & abbas Luxovii, licet duodennis ab una capituli parte eligitur, Friderico *de Clisentaines*, alterius Friderici cognominis supra memorati nepote, ab alia parte electo. Summus vero pontifex, nequaquam canonicorum electionis habita ratione, Antonium proprio motu renunciavit episcopum, ingratiis Johannis Calabriæ ducis, cui Renatus rex pater Lotharingiæ ducatum cesserat. De Antonii promotione Guillelmus *Fillatre*, antecessor ejus, capitulo gratulatus est epistola data 9 Martii 1461. Juvenis hic episcopus, bullis acceptis 15 Januarii 1461, suum constituit procuratorem Fridericum *de Clisentaines* ad ineundam possessionem. Priusquam in urbem ipse ingrederetur, Calabriæ ducem adiit salutatum, a quo nihilominus præter teneros complexus, insignia benevolentiæ indicia accepit. Dehinc urbem solenniter subiens, accessit in ecclesiam, bullasque porrexit canonicis, a quibus cathedræ episcopali, facto juramento, impositus est. Propter teneram ejus ætatem temporalis administratio credita fuit capitulo, institutusque suffraganeus Johannes *d'Ivoy* Christopoleos episcopus. Ad annum 1466 Ludovicus XI Franciæ rex, facta Spinalensibus civibus juramenti fidei gratia, oppidum eorum concessit Theobaldo de Novo-castro, Antonii præsulis genitori. Hac de re apud regem questi sunt cives, quibus ille princeps supremum dominum, quem exoptarent, fecit licentiam eligendi: optarunt itaque Johannem Calabriæ ducem. Unde duos inter contendentes graves emersere divisiones, quibus ut partem non haberet episcopum suum enixe rogarunt Tullenses canonici. Capituli precibus surdus Antonius in arces suas Liverduni, Brixeii & Mazeriarum Burgundos admisit milites, qui magnam in Lotharingia exercuere populationem. Quod ubi rescivit Calabriæ dux, qui tunc jura sua in Arragoniæ

Bened. Histor. Tull. p. 549.

1461.

1466.

A regnum persequendi gratia in Catalaunia versabatur, litteris suis canonicos Tullenses iterum atque iterum ursit ut in Antonii locum alium eligerent episcopum, ex eo quod prælatus hic nullas bullis præscriptas conditiones explevisset. Capitulo tamen cunctari & episcopum ea de re commonefacere visum est. Quam admonitionem cum ille sprevisset, in locum ejus canonici suffecerunt Johannem *de Lambale*, primicerium Metensem, præpositum S. Georgii Nanceiensis, majorem Tullensem archidiaconum & abbatem S. Mansueti. Verum in habito Luxovii conventu, cui Burgundiæ dux B interfuit, statutum est ut Antonius episcopus Calabriæ ducem ejusque consilium anathemate plecteret. Sententiam hanc papa confirmavit, extenditque ad canonicos, abbates, decanos rurales, aliosque ecclesiasticos viros, electionis participes vel etiam approbatores, eisdemque censuris constrinxit Johannem *de Lambale*. Censuras & interdicta nil prodesse, imo etiam a plerisque contemni cernens curia Romana, Onuphrium Tricaricensem episcopum pro componendis rebus direxit. Mitigandis animis ille non levia expertus est impedimenta, quibus partim occasionem dedit facta ab Henrico, C Antonii episcopi germano, cum ter mille viris in Lotharingiam hisce diebus irruptio. Interea Johannes dux Calabriæ fatis concessit Barcinone 13 Decembris 1470; & jam tum 1470. cogitatum est de ineunda cum Antonio concordia: verum dux Nicolaus, filius & successor Johannis ducis Calabriæ, cum capitulo de insequenda intenta Antonio lite pactionem icit. Finem ergo imponendi huic discordiæ, Renatus rex summo pontifici, simulque sacro collegio cardinalium scripsit an. 1471, rogans 1471. ut Antonium ad Morinensem cathedram & Henricum a Lotharingia e Morinensi sede D ad Tullensem transferret. Nihilominus tamen conceptum in hunc præsulem odium sensim deflagravit; nec multo post, exoptantibus seditionemque minitantibus Tullensibus oppidanis, exoratus est a capituli deputatis, ut quam citissime in urbem reverteretur. Sancita itaque est Luxovii pactio, præsentibus ducis Lotharingiæ legatis, cui duæ partes subscripsere 22 Decembris 1472. Laudata quidem est 1472. hæc compositio a duce Nicolao mense Januario 1473, quicum fœderis pactionem percusserat 13 Decemb. anni præcedentis. Simul ut Antonius in urbem est reversus, repetiit a capitulo E episcopalis mensæ proventus, quibus per duodecim annos caruerat. Sex igitur millia florenorum a duce Nicolao ei numerata sunt ea lege, ut nihil amplius exigeret. Flagrante tamen bello inter Renatum II ducem Lotharingiæ & Carolum ducem Burgundiæ, neutram partem ut amplecteretur, uti fidem obstrinxerat, secessit in suam abbatiam Luxoviensem. Redux in urbem Alphonsum Portugalliæ regem, adeuntem Burgundiæ ducem, omni quo potuit honore accepit 15 Novembris 1476. Porro 1476. jugis constabat capitulum inter & oppidanos

ANNI CHRISTI

Charta LXXXIV. col. 536.

Charta LXXXV. col. 537.

ANNI CHRISTI

discordia; & certe tres canonici a seditiosis quibusdam occisi sunt. Magistratus ac primores crimine se expediere; rei vero capitali pœna
1485. sunt multati, actaque est 11 Julii 1485 pacis compositio, quam Antonius ratam habuit anno
1487. 1487. Concessis a papa duci Renato litteris de exigenda decima a clero provinciæ Lotharingiæ Triumque episcopatuum cum ipse intercessisset, in hujus principis odium incurrit, & ob multas quas ab illo passus est molestias
1495. Parisios se recepit, ubi defunctus est an. 1495. Jacet in prioratu S. Crucis de Bretoneria hoc donatus epitaphio: *Antonius de Castro-novo, episcopus Tullensis, vir religiosissimus procul patrio sepulcro se quoque mortuum inter religiosos esse*
* 1495. *voluit, & hic sepultus est anno Domini* * *1494 die ultima mensis Februarii.*

DE BLAMONT.

LXXI. Olricus.

Sortitus est Olricus seu Odalricus parentes Theobaldum comitem *de Blamont* & Margaritam a Lotharingia, filiam Ferrici Vadanimontis comitis. Fuit ante episcopatum canonicus Tullensis, S. Deodati, atque Metensis, cujus ecclesiæ discordium nonnullorum canonicorum calculis postulatus est episcopus anno 1457, ubi Conrado *Bayer* Metensi præsuli Georgium Badensem coadjutorem sibi adsciscere placuit. Equidem an. 1459, cum occubuisset Conradus, jus suum persequi enixus est: verum a summo pontifice plexus censuris, jure suo mox destitit; & sic absolutionem, protonotarii munus, ac commendam S. Mansueti promeritus est obtinere. Quam quidem habuit de episcopatu Virdunensi litem cum Guillelmo de Haraucuria, Romæ perdidit; sed in compensationem eadem in ecclesia thesaurarii munus assecutus est anno 1458. Tandem a Tullensi capitulo, aucupante suffragia duce Lotharingiæ Renato II, ad hanc sedem promovetur anno 1495. Alexandro VI pontifici, qui Tullensem ecclesiam alteri destinaverat, displicuit hæc electio, quam non irritam modo declaravit, verum & Johannem *de Marade* camerarium suum renunciavit episcopum. Aliunde dux Renatus in gratiam Olrici consanguinei suam & Imperatoris authoritatem interposuit. Unde diversas in partes scissa est urbs & tota diœcesis; nec aliter schismati finis imponi potuit, quam episcopalem dignitatem ac reditus duos inter contendentes dividendo. Quod revera factum fuit authoritate summi pontificis, qui consensit ut uterque consecraretur, suosque vicarios generales haberet. Cum vero senior esset Olricus, populisque magis acceptus, præcipuam habuit authoritatem, & sub ejus nomine rectissime a Nicolao *le Saue* vicario generali diœcesis fuit administrata. Competitori suo superstes, totam in se collegit auctoritatem & temporalium rerum possessionem. Secretam hanc fœderis cum duce
1498. Renato 20 Maii 1498 iniit pactionem, ut in belli casu ei suppeditaret quingentos milites & quatuor florenorum millia, assentireturque

A ut hic princeps sibi suisque successoribus Tullensis urbis gubernationem ab Imperatore obtineret. Amplissimi patrimonii per obitum Ludovici nepotis sui factus heres, heredem & ipse die 3 Octobris 1499 ducem eumdem Renatum instituit. Propter nimiam corporis obesitatem episcopalibus muniis obeundis impar, raro Tullum accessit, manere solitus in loco dicto *Mandre aux quatre Tours*, ubi mortuus est 4 Maii 1506. Humatur in ecclesia collegiata Danubrii, a latere dextro majoris altaris cum hoc epitaphio ducis Lotharingiæ jussu inscripto: *Reverendo patri domno Olrico de Albo-monte,* B *cui maternum genus ex inclyta Lotharingiæ ducum familia fuit, nec minus naturæ fortunæque muneribus, specie scilicet, doctrina, peculio, omnique virtutum genere claro, & sede hac pastore destituta, ab ejus canonicis una omni voce in antistitem electo. Moxque post varias fluctuationes, quas innocue & forti pectore toleravit, a sede apostolica confirmato, & tandem sponsa sua, cui ac sancte præfuit, æque, juste & prudenter profuit, decoris ecclesiasticis ornamentis, & quingentorum florenorum summa ad obitus sui memoriam donata. Insignique sancti Mansueti cœnobio magnifice reparato, multisque* C *aliis sacellis ab eo constructis & dotatis, vita functo non sine incredibili luctu pauperum, quos Dei vir misericordia plenus ab ineunte ætate ad extremum usque diem aluit. Renatus II rex Siciliæ nepos & heres, affini optime merenti ponendum curavit. Sedit annos duodecim, mensem unum, dies viginti quinque. Obiit autem octogenarius luce quarta Maii anni salutis millesimi quingentesimi sexti, sepultus in ecclesia de Danubrio, quam vivens exstrui manufecerat.*

DES HAZARDS.

LXXII. Hugo.

Quæ post mortem suam obvenire potuissent, D difficultates ut Olricus præveniret, coadjutorem a capitulo petiit. Electus itaque est cardinalis Raimundus *de Baraille*, quem dux Lotharingiæ Renatus II coadjutoria Metensi exuerat, ut principem Johannem filium suum investiret. Cardinalem habebat exosum Renatus, clanculumque agebat apud summum pontificem ne bullas indulgeret. Concessæ tamen fuerunt a papa, & ipsius Renati artificiis a capitulo Tullensi rejectæ. Canonicos ad rejiciendas bullas haud contentus princeps induxisse, hos etiam eo adduxit, ut alium a se designatum coadjutorem eligerent. Re quidem vera Hugo *des Hazards*, E abbas S. Mansueti & præpositus S. Georgii Nanceiani, Renato duci acceptissimus, una voce cooptatus est. Interea fatis concessit Olricus episcopus, post cujus obitum cardinalis Raimundus Angelum de Rimini secretarium suum Tullum misit ad accipiendam possessionem. Hic Renati jussu comprehensus & custodiæ mancipatus est hoc prætextu, quod pontificium breve falsum & subreptitium in Lotharingia vulgasset. Forte tunc accidit ut moreretur cardinalis Raimundus, & sic defierunt dissensiones. Electus igitur iterum jussu

ANNI CHRISTI 1499. 1506.

ANNI CHRISTI summi pontificis Hugo, bullas obtinuit 8 Augusti 1506, eodemque anno canonicos cathedralis aliosque presbyteros in ea considentes a jure jucundi adventus immunes esse litteris suis significavit. Solenni vero & magnifico apparatu urbem ingressus est 12 Septemb.
1507. 1507, in comitatu principis Antonii filii Renati, qui & ipse sua honestasset cærimoniam præsentia, ni morbo fuisset correptus. Advocatias d'*Autreville* & d'*Harmonville* pretio redemtas ecclesiæ suæ condonavit. Comitabatur
1509. penultima Januarii 1509 Antonium ducem Lotharingiæ profitentem cum jurejurando in Tullensi ecclesia, extensis super canonem missæ manibus, se urbem & oppidanos in eorum immunitatibus, honoribus, prærogativis ac singulis & omnibus juribus conservaturum, tutelamque contra eorum hostes concessurum.
1515. Synodalia statuta anno 1515 publicavit, reformationemque induxit in conventus Franciscanorum Tulli & Novi-castri. Ipso quidem anno dedicatum ei est a Symphoriano Champierio chronicon Austrasiæ, Lotharingiæ, Siciliæ, & Barri-ducatus. Suum condidit
1517. testamentum 6 Junii 1517, cujus exsecutorem instituit Christophorum *Collet*, Christopoleos episcopum ac suffraganeum. Quidquid vero de eo episcopo dicendum sit, complectitur ejus epitaphium, quod legitur in ecclesia sancti Medardi, ab ipso magnifico opere constructa apud Blenodium, oppidulum tribus leucis a Tullo, versus meridiem, natale ejus solum, ubi cum progenitoribus suis quiescit. Inscriptio continet hæc verba: « Hugo vetusta ac honesta
» gente Hazarda Blenodii ortus, ab ineunte ætate
» inibi primis litterarum elementis initiatus, inde
» Metis, Tulli ac Divione optimis grammaticis
» rudimentis imbutus, Senas perrexit septennio
» parentum impensis, juris utriusque lecturæ
» operam dedit. Qui post laudabiles ejus lucu-
» brationes, doctorali insignitus laurea, Romam
» se contulit, advocatique officio fungens, ab
» illustrissimo Siculorum rege Renato II Lotha-
» ringiæ ac Barri duce accersitus, in divi Georgii
» Nanceiani præpositus eligitur. Hunc enim
» divinis humanisque dotibus clarum, deque
« republica benemeritum præfatus rex præsidem
« Lotharingiæ instituit ac sui caput consilii desig-
« navit, cujus singulari prudentia ac industria
« erga principes & plerisque legationibus usus
» est. Vacante autem Metensis basilicæ decanatu,
» canonici eumdem sibi decanum unanimiter
» elegerunt. Subinde Olrico de Albo-monte
» Tullensi episcopo vita functo, una eumdemque
» voce, tanquam divino quodam afflatu, licet
» absentem in pastorem suum elegerunt, quem
» papa Julius II confirmavit, cœnobiumque divi
» Mansueti etiam tunc vacans eidem perpetuo
» commendavit. Quibus sedibus aque pie pru-
» denter, & juste præfuit; quasque majoribus
» anni feriis, licet ordinis Reipublicæ negotiis
» intentus, sua laudabili decorari præsentia, raro
» deserere visus est. Quocirca dux illustrissimus
» Antonius, memorati regis Renati filius &
heres, post fatum genitoris ipsum antistitem «
non minori benevolentia complexum, innu- «
meris propemodum honoribus affecit. Itaque «
magnifico hoc divi Medardi templo, arce & «
palatio funditus eversis, a fundamentis restau- «
ravit & lacerata B. Mansueti æde per medium «
ferme reparata, pluribusque constructis, refectis «
atque dotatis sacellis, nec non plerisque in «
locis pontibus renovatis, item fontibus & «
vivariis ad usum populi & reliquorum ani- «
mantium e pedibus montium per loca sub- «
terranea in urbes & vicos provectis, suum «
obitum in majore ac divi Gengulphi basilicis, «
in hoc etiam B. Medardi templo quotannis «
solemniter instituit celebrari. Denique XIIII die «
mensis Octobris 1517, suæ vero ætatis 63, «
episcopatus autem XI anno, non absque ingenti «
omnium luctu vita excessit. Sepultus est in «
solemni hominum pompa in hoc sanctissimi «
Medardi sacro, quod natalis memor soli vivens «
felici successu construi curaverat. Orate pro eo. «
Nasci, laborare, mori. »

Leguntur in cathedrali ecclesia hi versus:

In gremio sponsæ cor præsulis usque quiescit,
Mens teneat cælum, te duce, summe Deus.
Hugonis retinet Blano dum corpus & ossa,
Cor cum visceribus contegit iste locus.

Olrico *des Hazards* fratri suo, canonico Tullensi, & utriusque juris doctori Hugo tumulum erexerat in cathedrali ecclesia, cui cor suum post mortem apponi voluit, ut in gremio sponsæ suæ quiesceret.

LXXIII. JOHANNES. DE LORRAINE.

Renati II Lotharingiæ ducis ex Philippa de Gueldria filius quintus Johannes, jam episcopus Metensis, satagente Antonio duce fratre suo, ad Tullenses insulas elatus fuit a capitulo 19 Octobris 1517. Cardinalis sub titulo S. Onuphrii a Leone X die 28 Maii 1518 creatus, quam plurimas habuit alias epis- 1518.
copales sedes, scilicet Albiensem, Lugdunensem, Narbonensem, Remensem, Aginnensem, Lucionensem, Nannetensem, Tarvanensem, Valentinensem, & Virdunensem; nec non abbatias Gorziæ, Fiscanni, Cluniaci, Majorismonasterii &c. Maxima fuit in gratia apud regem Franciscum I, in cujus favorem nihil non molitus est ut ad imperiale solium extolleretur. Regis ejusdem negotia in curia Romana dum gereret, Tullensem ecclesiam sequenti transcripsit, reservatis sibi tam jure regressus in casu mortis, quam proventibus omnibus & beneficiorum collatione.

LXXIV. HECTOR. DE ROCHEFORT-D'AILLY.

Gente nobili d'*Ailly de Rochefort* in Arvernis genitus Hector, litteris operam dedit Parisiis, ubi præbendam in cathedrali a Parisiensi episcopo consecutus est. Creatus Baionensis præsul, ad Venetos ab Aloisia a Sabaudia, Francisci I regis matre, missus fuit orator. Redux e lega-

ANNI CHRISTI tione, veniam ad diœcesim suam revertendi adeptus, illic boni pastoris famam mansuetudine ac religione sibi comparavit. Factiosorum tamen quorumdam fatigatus pervicacia, Romam se recepit, seque abdicavit episcopatu in pontificis manibus. Nec otiosus ille diu remansit, nam cardinalis Johannes a Lotharingia, negotiorum Franciæ in curia Romana administer, cognito ejus merito, spiritalem Tullensis ecclesiæ cessit ipsi administrationem. Cardinalis abdicationem probavit Leo X, episcopumque proclamavit Hectorem, cujus nomine magna cum pompa possessionem accepit Balthasar *du Chastellet*, S. Vincentii Metensis & S. Apri
1524. Tullensis abbas, 12 Augusti 1524. Urbem
1525. & ipse Roma reversus, subiit anno 1525 ineunte mense Maio. Cleri sui conventum Nanceii celebravit, plurimaque a se condita & vulgata statuta sategit ut a summo pontifice probarentur. Ob magnam in rebus peritiam ab Antonio duce Lotharingiæ institutus cancellarius, hoc munus rite adimplevit. Principis ejusdem jussu legationes obivit apud Carolum V imperatorem & Clementem VIII summum pontificem. Magnificum in cathedrali sua sacellum erexit in honorem sanctæ Ursulæ & undecim millia Virginum, quarum duo capita ab Hermanno Coloniensi archiepiscopo accepta munere dedit. Eidem sacello quatuor librarum millia contulit pro celebranda quotidie missa. Pauperibus bonorum suorum tertiam partem, aliam domesticis suis, & alteram pro piorum legatorum exsecutione testamento suo indulsit.
1530. Electus est anno 1530 a pluribus canonicis nobilis ecclesiæ collegiatæ S. Juliani Brivatensis in præpositum. Unde eum inter & Johannem de Langiaco Abrincensem episcopum pariter electum emersit contentio, quæ sopita est voluntaria Hectoris cessione. Violenta correptus febre, Nanceii decessit
1532. 1 Martii 1532, 65 annum ætatis agens, episcopatus 9. Humatur in capella S. Ursulæ, ubi habet tumulum & exaratum gallico idiomate epitaphium.

PELEGRIN.

LXXV. ANTONIUS.

Cardinalis Johannes a Lotharingia, qui sibi jus regressus servaverat, hujusce ecclesiæ administrationem resumpsit post Hectoris obitum,
1535. solemnemque fecit ingressum anno 1535. Per vicarios generales moderatus est usque in annum 1537, quo resignavit 8 Januarii Antonio *Pelegrin*, sub iisdem conditionibus, quibus Hectori resignaverat, ut fidem faciunt tabulæ cancellariæ Romanæ, in quibus leguntur hæc verba: *Romæ die Lunæ, octavo Januarii*
1537. *1537 fuit consistorium secretum, in quo felicis recordationis Paulus papa admisit cessionem a reverendissimo domino cardinale de Lotharingia factam ecclesiæ Tullensis, & ipsi ecclesiæ providit de persona domini Antonii Pelegrini clerici Avenionensis cum reservatione fructuum, & regressu pro reverendissimo eodem, & etiam retentionem omnium & singulorum pro proviso cum clausulis opportunis.* Eodem anno 28 Julii facta ei est licentia accipiendi minores, subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum, & consecrationem episcopalem. Urbem Antonius solenniter ingressus est, assuetumque præstitit juramentum 6 Decembris ejusdem anni 1537. Traditas a duce Lotharingiæ Antonio sancti Stephani protomartyris reliquias e monasterio S. Mansueti in cathedralem ecclesiam ingenti pompa, præsente duce, adstantibusque diversis urbis ordinibus, detulit 28 Aprilis 1540. Mos tunc 1540.
erat canonicis Tullensibus, ut præter præbendas suas plures haberent parœcias, quarum fruebantur reditibus, commissa vili pretio mercenariis presbyteris administratione. Pravam hanc consuetudinem Antonius abolere enixus est, statuta etiam de clericorum norma vitæ publicavit. Expertus vero repugnantiam, se recepit in Provinciam, ubi mortuus est exeunte anno 1542. 1542.

LXXVI. TUSSANUS.

DE HOCEDEY.

Valencianis in Hannonia nobili stirpe natus Tussanus, Lovanii studiorum emensus curriculum, Romam facturus fortunæ periculum petiit. Apud cardinalem Johannem a Lotharingia, cui fuit a secretis & commentariis, sibi curavit aditum. Magni momenti res in Hispania & Germania gessit, directus ab ipso cardinali, ejusque fratre duce Antonio, a quo libellorum supplicum magister est creatus. Subinde cum clericali militiæ se devovisset, adeptus est abbatias S. Vitoni Virdunensis & Hunocurti, fuitque prior Caroli-loci & sanctæ Catharinæ apud Parisios per cardinalis patrocinium; commendam etiam Trium-fontium obtinuisse dicitur, licet in nullis catalogis repertus, nec non etiam commendam Gorziæ, qua nusquam fruitus est. Pelegrino e vivis exempto, Tullensem episcopatum ab ipso cardinale Johanne, qui administrationem tertio resumpserat, consecutus est iisdem conditionibus quibus antecessores sui Hector & Pelegrinus. Proclamatus a Paulo papa III die 9 Februarii 1543, per Claudium *Penicier* 1543.
abbatem S. Apri, procuratorem suum, possessionem iniit 3 Junii anni ejusdem. Acolythatum cæterosque ordines suscipiendi veniam est adeptus 30 Januarii 1544, & in urbem 1544.
ingressus est 4 Junii ipsius anni, nulla pene pompa cinctus, Tullensibus eum aspernantibus, propterea quod cardinalis fuisset a secretis. Eo quidem anno litteris Caroli V imperatoris est admonitus statutum fuisse a comitiis Spirensibus, ut quatenus imperii princeps quamdam pecuniæ summam ad belli sumptus solveret. Cum primarium obtineret locum in ducis Lotharingiæ consilio, non modo non in diœcesi residebat; verum & parœciarum rectoribus, modo certum episcopali cameræ tributum unoquoque mense persolverent, non residendi facultatem indulgebat. Treviris provinciali concilio interfuit anno 1549, ad cujus insti- 1549.
gationem annatam solvit apostolicæ cameræ,

mutuatus

ANNI CHRISTI

mutuatus ad hoc sex millia librarum a Tullensibus canonicis, quibus castrum Mazeriarum
1550. pigneravit. Insequenti anno liberam fructuum episcopatus possessionem nactus est per Johannis cardinalis obitum, qui die 10 Maii
1554. accidit. Legitur anno 1554 in instrumento monasterii S. Vitoni Virdunensis, cujus fuit
1561. abbas. Supplicationem indixit anno 1561 ad concilii Tridentini felicem successum. Eodem anno die 6 Martii regaliæ jus in urbem Tullensem & totum episcopatum Carolo III duci Lotharingiæ concessit, confirmavitque 13
1562. Martii 1562. Quod ubi canonicis cathedralis compertum est, Tussanum litteris suis ad eam pactionem abrogandam hortantur, & quidem auctoritate Maximiliani imperatoris rescindi curant. Ad litis hujus impensas capitulo tradidit episcopus quatuor millia & quingentas libras, quibus constructum fuit odeum cathedralis ecclesiæ. Insulæ-Barrensis abbatem inauguravit
1563. 23 Aprilis 1563; eodemque illustrissimi principis Guisii exsequias Tulli celebrari procuravit. Sub Tussani episcopatu Tullensis urbs a Francorum rege occupata fuit, & ad ipsius præsulis preces ab ipso rege hæreticis decreto vetitum
1565. est eamdem urbem incolere an. 1565. Nanceii eodem anno 30 Julii mortuus, Tullum reportatus est, ac sepultus in sacello S. Ursulæ cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendus in Christo pater & dominus Tussanus Hocedus e Valencianis Hannoniæ oppido, olim illustrissimi & reverendissimi Johannis cardinalis a Lotharingia secretarius, postmodum episcopus & comes Tullensis, cujus impensis in hac ecclesia insigni constructum est odeum, mortuus Nanceii 30 Julii anno Domini 1565.* De illo jam actum est tom. III, col. 114; tom. VIII, col. 861.

LXXVII. PETRUS.

DU CHÂTELET.

Filius Jacobi *du Châtellet*, domini de Sorceio ac ballivi S. Michaëlis, & Franciscæ *de Beauvau* Petrus, ex inclyto Lotharingorum stemmate, a teneris annis ecclesiæ destinatus, Metensis ecclesiæ fuit canonicus, ac S. Martini & S. Clementis urbis ejusdem abbas. Fuit etiam apostolicæ sedis protonotarius, ducis Antonii consiliarius, atque post Tussani episcopi mortem sanctioris consilii Lotharingiæ præses & caput. Ad Caroli ducis preces in coadjutorem ab ipso Tussano assumptus fuerat, sed pontifex bullas indulgere detrectavit. Ubi tamen Tullensis episcopus est defunctus, canonici de eligendo præsule habuere conventum, & dum in capitulo deliberarent, regius Metensis urbis præfectus regis nomine electioni supersedere jussit. Facta nihilominus ad precatum Claudiæ a Francia Lotharingiæ ducissæ eligendi libertate, in episcopum cooptatus est Petrus mense Novembri 1565. Treviros acceptis bullis adiit ut ungeretur. Negotiis Lotharingiæ ducatus assiduo Nanceii distentus, diœcesis curam suffraganeo suo, vicariisque generalibus demandavit. Paulo post promotionem ejus heterodoxi, optimatum novis opinionibus imbutorum subnixi patrocinio, obtinuerunt a rege licentiam in urbem redeundi & liberum religionis suæ exercitium; & sic communia eis simul cum catholicis fuere cœmeteria. Usi sunt hac libertate usque ad annum 1569, quo Carolus IX rex Tullum 1569.
accedens, suum abrogavit edictum. Porro Petrus, traditis pro suo anniversario mille nummis aureis, Nanceii cessit e vita 25 Januarii 1580, ætatis suæ anno 64. Jacet 1580.
in majori ecclesia Tullensi, in capella Hectoris *d'Ailly*, ubi cum ipso & Tussano *d'Hocedy* expectat resurrectionem decoratus epitaphio, quod nihil de eo docet, quod a nobis non fuerit expressum.

LXXVIII. CAROLUS.

DE LORRAINE.

Electus seu potius a capitulo in episcopum postulatus est Carolus, jam ab anno 1578 IX cal. Martii purpura honestatus, & idcirco dictus cardinalis Vadani-montis, Nicolai comitis Vadani-montis ex Anna a Sabaudia filius, instantibus Henrico III Franciæ rege, sororis suæ Ludovicæ marito, nec non etiam Philippo-Emmanuele a Lotharingia duce Mercurii fratre suo. Proclamatus a pontifice Gregorio XIII in consistorio 9 Martii 1580, bullas & accipiendæ consecrationis veniam adeptus est, tametsi viginti & unum tantummodo natus annos, confirmatusque fuit 28 eorumdem mensis & anni a Jacobo *d'Eltz* Trevirensi archiepiscopo. Regio S. Spiritus ordini ab Henrico III rege leviro suo adscriptus fuit anno 1583. Eodem publicas supplica- 1583.
tiones, jubente summo pontifice, indixit in diœcesi pro obtinenda ecclesiæ pace, supplicantiumque agmen deduxit ad ecclesiam sancti Nicolai, sex a Tullo leucis, largas in via pauperibus distribuens eleemosynas. Muniis episcopalibus obeundis plane deditus, diœcesis suæ sedulo visitabat ecclesias, crebras habebat conciones, ad resarciendam ecclesiasticam disciplinam condidit statuta, segreges & hæreticos arcebat ab ecclesia, tumque virtutum omnium præbebat exempla, ita ut non immerito alter Carolus Borromæus, quicum junxerat amicitiam, dictus sit. Mortuo Nicolao *Bousmard* Virdunensi episcopo 10 Aprilis 1584, in 1584.
præsulem a capitulo postulatus est, bullasque adepturus Romam petiit. Inter hæc Tullensem episcopatum Henricus III rex ac Ludovica regina uxor, annuentibus canonicis, pro Antonio principe, Caroli germano, a papa petierunt. At summus pontifex ob nimiam juventutem Antonii, duodecimum annum solummodo tunc agentis, ejus ecclesiæ curam Carolo cardinali prorogare maluit. Tullensem diœcesim venerandus hic præsul adhuc lustravit anno 1587, & in urbem, quam sæva populabatur lues, ut creditas sibi sublevaret oves, celeriter accurrit. Si plura servaverit beneficia, duos nempe episcopatus, & abbatias Mediani-monasterii ac Miræ-vallis, proventibus usus non est, nisi ad charitatis officia, utilitatem

ANNI CHRISTI

ecclesiæ, & egenorum sublevamen. Parisiis Tullum reversus, febre e medio sublatus est
1587. 29 Octobris 1587, feria sexta, ut legitur in ejus epitaphio, quod ipsi posuit Philippus-Emmanuel Lotharingus dux Mercurii in ecclesia Minorum Nanceii, ubi jacet. Ipsius ac Lotharingorum principum munificentia, plurimi Capucinorum conventus in ducatibus Lotharingiæ & Barri conditi sunt, ut notat scriptor historiæ Tullensis pater Benedictus, qui ex eadem erat familia. Adhuc de cardinale Carolo agemus in Virdunensibus episcopis.

DE LA VALLÉE.

LXXIX. Christophorus.

Canonici Tullenses in capitulo erant congregati ad eligendum episcopum, cum Lotharingiæ dux virum nobilem deputavit, qui nomine suo eos rogaret, ut suffragia sua Christophoro *de la Vallée*, juventutis principis Errici, præcedentis germani, moderatori deferrent. Tunc eis electionem differre & deputatos ad deferendas excusationes ad ducem mittere visum est; sed nihilominus in episcopum cooptarunt Theodericum *Thiriet* seu *Thiriot*, cantorem & officialem, nec non abbatem S. Leonis, qui, mox ut vitæ morumque suorum facta est inquisitio, Romam bullas petitum migravit. Summus vero pontifex Sixtus V, nullo Theoderici electionis habito respectu, Christophorum a rege & regina Francorum atque etiam a Carolo duce sibi commendatum renunciavit episcopum, bullasque ei impertitus
1588. est XI cal. Septembris 1588, imposita hac conditione, ut principi Errico a Lotharingia pensionem mille ducatorum auri, & trecentorum similium collegio Remensi Anglorum ad decennium tantum exsolveret. Parisiis unctus
1589. fuit 19 Februarii 1589 in ecclesia collegii S. Bernardi ab Ademaro *Hennequin*, Redonensi præsule, adstantibus Nicolao *de Villars* Aginnensi & Antonio *Fournier* suffraganeo Metensi episcopis, solennemque fecit ingressum 27 Novembris 1589. Insequenti stabiliti sunt Nanceii, eo annuente, Minimi patres a familia nobili de Bassompetra. Parentes ille habuit Christophorum *de la Vallée* & Petronillam *Richier de Valdaincourt*. Primum fuit parochus ecclesiæ *de Paroy*, cujus dominium ei ex paterna hereditate obtigerat. Creatus est a papa Caladiæ abbas, & a duce Lotharingiæ magister requestarum, pensionemque quingentarum librarum a Ludovica Franciæ regina, Errici principis discipuli sui sorore, accepit. Ad Tullensem elatus cathedram, Johanni & Jacobo *de la Vallée* fratribus suis homagium Franciæ regi præstandi suo nomine demandavit provinciam, denegato Rodolpho imperatori hoc servitio. Romam petiit defensurus causam, quam cum canonicis habebat, a quibus ordines ad majus altare conferre, & capitulum subire prohibitus fuerat. Apostolicum breve a Clemente VIII obtinuit adversus canonicos, cui illi intercessere: verum agentibus duce Lotharingiæ ejusque filio car-

A dinali a Lotharingia, provinciæ legato, restituta est concordia. Spiritali administratione episcopatus Virdunensis sub titulo suffraganei donatus est a summo pontifice anno 1593 in 1593.
pueritia principis Errici a Lotharingia episcopi designati. Privilegium ab imperatore Rodolpho II die 12 Decembris 1594 obtinuit de 1594.
statuendis causis, a quibus ad curiam imperialem non fieret appellatio. Sententiam Rotæ, quæ a Clemente VIII firmata est, obtinuit adversus Franciscum *de Rosieres* majorem archidiaconum, qui jurisdictionem episcopalem affectabat. Breviarium reformavit an. 1595. 1595.
B Dum ille episcopali munere fungeretur, Henricus IV Franciæ rex capitulo scripsit, ne assentiretur erectioni episcopatus, quem Nanceii Lotharingiæ dux erigere cupiebat. Idem rex anno 1603 die 7 Aprilis in Tullensem 1603.
urbem quam maximis honoribus acceptus est. Attamen Christophorus obiit Liverduni 27 Aprilis 1607. Quiescit in capella episcoporum, 1607.
in mausolæo cui inscribitur id epitaphium:

D. O. M.

Memoriæque reverendi viri D. Christophori a Valle episcopi ac comitis Tullensis.

C *Mortalia magis magisque, ut noris, lector, hic situs est Christophorus a Valle, comes atque episcopus Tullensis, quem a genere nobilem duæ cælestes virgines, scientia & virtus, pontificiis infulis admoverunt, eodem illi in pontificio munere assistis, quem rebus humanis præmature mors eripuit, sperare nos jubent cælo maturam mortalitatem exuisse. Obiit IV calendas Maii, anno Domini 1607, ætatis vero suæ anno LIII. Tu, lector, bonas dic preces, atque illud saltem tibi vita functo alius quod dicat, huic dicito. Requiescat in pace.*

DE PORCELETS DE MAILLANE.

LXXX. Johannes.

D Quamvis a capitulo Philippus-Emmanuel *de Ligneville* electus fuisset, nihilominus Johannes ad commendationem Henrici IV Franciæ regis & Caroli III Lotharingiæ ducis a summo pontifice renunciatus est episcopus. Is oriunda gente nobili ex Provincia cretus 24 Augusti 1582, parentes habuit Andream *de Porcelets de Maillane*, Barrensis ducatus senescallum, & Estheram Asperomontiam. Romam, quo jam perrexerat sacris in litteris se exercitурus, cum revertisset, a Clemente VIII creatus est camerarius; illudque munus adimplevit
E sub pontificibus Leone XI & Paulo V, a quo prælatus domesticus & referendarius designatus fuit. Ipsius pontificis jussu Londinum migravit anno 1606, liberum catholicæ religionis exercitium in Anglia a Jacobo I rege petiturus. Præsul vero proclamatus est 26 Novembris 1608, & consecratus 27 Decembris sequentis 1608.
a cardinale Bellarmino familiari suo, quicum semper epistolarum habuit commercium. Nec Philippus-Emmanuel *de Ligneville* æmulus ejus, qui Romam se contulerat jus suum persecuturus, vetare nequivit, quidquid agere vel

ANNI CHRISTI

causari posset, quin ille bullas adipisceretur. Accessit ad accipiendam ejus nomine possessionem 7 Julii 1609 N. *Midot* vicarius generalis, quem capitulum prope fuit dimittere, nisi id fide sua spopondisset, ut quædam clausulæ bullarum, juribus capituli contrariæ, abrogarentur. Prohibitus & ipse Johannes suas exercere functiones ante datam regi fidem, apud Bellaqueum in Henrici IV regis verba juravit; moxque Tullum profectus, solennem
1609. fecit ingressum mense Octob. 1609, sacrisque operatus est in ecclesia cathedrali in festivitate Omnium-sanctorum. Forte dum suam lustraret diœcesim, accessit in parœciam S. Eliphii, cujus capsam ad visitandas S. Martyris reliquias aperuit. Rustici parochiani rati episcopum sacras exuvias tollere velle, capsam ex manibus ejus eripiunt, omnesque presbyteros, episcopi comites, pellunt ecclesia. Præsul perterritus in suggestum aufugit, agrestemque hunc populum sedare nititur. At non modo asperæ cultu gentis aures præsulis verbis non patuere, sed & ipse mortis effugium vix assecutus est. Morum depravationem supinamque ignorantiam induxerant bella & hæresis. Viros itaque diversorum ordinum religiosos ad erudiendam plebem direxit in diœcesim, collapsamque in monasteriis disciplinam ut instauraret nihil prætermisit. Et quidem in monasterium sancti Mansueti, cujus fuit abbas & refector, refor-
1610. mationem introduxit anno 1610 in vigilia Pentecostes, idemque præstitit in abbatia sancti
1611. Apri die 30 Augusti anni insequentis. Patribus Jesuitis Nanceii collegium, nec non Capucinis Tulli in suburbio S. Mansueti conventum erexit. Fratrum Minorum Nanceii consecravit
1613. ecclesiam anno 1613. Sub ejus moderamine in eadem urbe Nanceiana stabilitæ sunt sancti-
1616. moniales Ursulanæ 1616 ex munificentia Antonii Lenoncurii primatis. Reformationem Augustiniensium Barri ducatus laudavit secundum Bituricense institutum. Consensit etiam
1619. mense Octobri 1619 Carmelitarum & monialium Visitationis conventus ædificari. Cernuntur etiamnum pretiosissima ornamenta quibus ditavit cathedralem. Munificentiæ suæ specimina dedit abbatiis S. Naboris & S. Petri-Montis, quas habuit in commendam. Synodalia statuta edidit in lucem 18 Maii 1618, jussitque theologum in capitulo institui, qui juniores doceret canonicos. Unam tantummodo per annum constituit haberi synodum
1620. anno 1620. Provinciam a papa Gregorio XV monasteria canonicorum regularium visitandi & reformandi accepit anno 1621. Litteras
1621. dedit & ipse anno 1623 die 2 Februarii,
1623. quibus R. patri Forerio novitios instituendi curam committit. Pagum *de Porcelets* a nomine familiæ suæ excitavit in fundo monasterii sancti Naboris. Litterarum & eruditorum quam studiosissimus, scientiam ac religionem in diœcesi suscitare non desiit. Nanceii in ædibus *de Maillane* vivendi finem fecit 14 Septembris
1624. 1624, ætatis an. 44, episcopatus 16. Sepultus

Charta LXXXVIII, col. 540.
Charta LXXXIX, col. 541.

in ecclesia collegii patrum Jesuitarum ab eo constructi cum hoc epitaphio:

D. O. M.

Ad perpetuam rei memoriam.

Johanni des Porcelets de Maillane *episcopo Tullensi, S. R. J. principi, hujus collegii fundatori, præsuli pio, vigilanti, benefico. Hoc monumentum posuere illustrissimi pronepotes, Gasto Joan. Bapt. comes* de Tornielle, *marchio* de Gerbeviller, *Henric. comes* de Tornielle, *Carolus-Franciscus* de la Baume, *comes* de Saint-Amour, *princeps* de Cantecroix. *Obiit Nancei die XIV Septembris anno M. DCXXIV. Vixit annos XLIV, dies XXI.*

LXXXI. NICOLAUS-FRANCISCUS. DE LORRAINE.

Filius Francisci comitis Vadani-montis & Christinæ Salmensis natu tertius Nicolaus-Franciscus, post fratrem suum, qui postea Lotharingiæ dux evasit sub nomine Caroli IV, a Johanne *de Porcelets* antecessore suo in coadjutorem fuit assumptus. In Mussipontana universitate educatus a patribus Societatis Jesu, theses Urbano VIII papæ dedicavit, a quo breve congratulationis accepit. Inita 11 Septembris 1625 per procuratorem possessione, 1625.
urbem & ipse splendide subiit 7 Novembris sequentis. Cardinalium collegio adscriptus & temporanea episcopatus administratione donatus est ab ipso papa Urbano anno 1627, 1627.
commissis episcopo Sithiensi suffraganeo spiritalibus muniis. Per id tempus Carolus IV dux, frater ejus, factas jam ab avo Carolo III & Henrico patruo ac socero de erigendo in urbe Nanceiensi episcopatu sollicitationes renovavit. Cur id fieret non obstitit cardinalis: verum a Tullensi capitulo impedita est executio. Cum constitutum fuisset a rege Metis Parlamentum, id obtinuit a sanctiori consilio 12 Februarii 1634, ut altam, mediam & 1634.
infimam justitiam in terris episcopatus retineret. Eodem anno purpuram ac beneficia exuit, uxorem ducturus Claudiam Lotharingam consobrinam suam.

LXXXII. CAROLUS-CHRISTIANUS. DE GOURNAY.

Reginaldum de Gornaio comitem *de Marchevilie* & Aloisiam Asperomontiam Carolus-Christianus habuit parentes, fratrem vero Henricum, Christianissimi regis Ludovici XIII in Turcarum imperatoris aula oratorem. Canonicatum in Virdunensi ecclesia decimum tertium annum agens obtinuit, & ubi ad presbyteratus ordinem est promotus majorem archidiaconatum. Cum summi pontificis venia consecratus Sithiensis episcopus, suffraganeus fuit cardinalis Nicolai-Francisci decessoris sui. Adeptus quidem est præposituram Hazelacensem in Alsatia & abbatiam Clari-loci. Statim ut regi cognitum fuit cardinalis matrimonium, ad preces Nicolaæ Lotharingiæ ducissæ ac Vincentii de Paula, presbyterorum a missionibus institutoris, princeps hic litteris

ANNI CHRISTI

suis 1 Martii 1634 episcopum renunciavit Carolum-Christianum, quem etiam capitulum Tullense pro servando electionis jure cum regis licentia in præsulem cooptavit. Summo pontifici displicuit hæc canonicorum electio: quapropter rex, qui in capituli respectum litteris suis destiterat, ipsum brevi regio iterum designavit episcopum, jussitque ut in possessionem immitteretur. Præ stomacho papa per duos annos noluit indulgere bullas, quas tamen concessit anno 1636 mense Octobri. Possessionem itaque Carolus-Christianus adeptus est 14 Februarii anni insequentis. Duos obtinuerat anno 1635 a D. Vincentio Missionum presbyteros ad regendum seminarium, quod instruere meditabatur, eisque sedem attribuit in ædibus S. Spiritus. Nanceii decessit 14 Sep-
1637. tembris 1637, unde Tullum revectus est ac sepultus in sacello episcoporum in ecclesia cathedrali, ubi legitur id epitaphium mausolæo insculptum:

D. O. M.

Admodum illustris memoriæ ac reverendissimi D. Caroli-Christiani Gournæi episcopi & comitis Tullensis, quem Gournæa & Castellenata nobilissimis familiis ortum pietas insignis, divinique humanique juris scientia, morum facilitas, beneficia in omnes, ac maxime pontificiæ vices, in hac diœcesi per decem annos singulari laude gestæ, ad hanc sedem evexere, illumque die XIV Februarii anni M. DCXXXVII ingressa, mox dies XIV Septembris proxime sequentis, annum ætatis 52 agentem, plurima in diœcesis suæ bonum meditantem, magno omnium bonorum dolore rebus exemit humanis. Exuvias corporis sui hic juxta cineres Petri a Castelleto episcopi Tullensis proavunculi sui, beatæ immortalitati aliquando reddendas condi voluit, diuturniore pontificatu dignissimus.

LXXXIII. PAULUS.

DE FIESQUE.

In superioris demortui locum suffectus est 10 Octobris 1637 Henricus *Arnauld*, decanus Tullensis & abbas S. Nicolai Andegavensis, per capituli electionem, quæ primum regi improbata, sed paulo post probata fuisse videtur: quippe qui regio brevi episcopum renunciavit Henricum. Summus vero pontifex Urbanus VIII, nec habita regis observantia, bullas concedere recusavit. Sedes igitur vacavit abhinc die 14 Septembris 1637 ad usque
1641. mensem Aprilem 1641, quo rex Henrico substituit Paulum *de Fiesque*, Genuensis Reipublicæ legatum, Parisiis tunc versantem. Vituperata est altera hæc nominatio a pontifice, qui, ut omnis contentionis tolleretur ansa, præsulem regi proposuit D. *de Loyac* nobilem Aquitanum, cameræ apostolicæ clericum. Stetit rex pro Paulo, quem a Metensi Parlamento, Tulli tunc sedente, in temporalium rerum possessionem deduci jussit. Bullas ille consecutus ab Innocentio X, Urbani successore, consecrationem in ecclesia metropolitana Genuensi
1645. accepit anno 1645 a cardinali Durazzo archi-

A episcopo, assistentibus Francisco Durazzo, cardinalis nepote, Brugnatensi præsule, & Felice Crorca episcopo Aquensi. Filius fuit Paulus Nicolai Flisci e Patricia gente Fliscorum apud Genuenses, Hugonis Reipublicæ senatoris frater, nepósque Lucæ Albingaunensis episcopi. Nunquam Tullensem invisit ecclesiam, defunctus paulo post consecrationem, dum ex Venetensi legatione rediret.

LXXXIV. JACOBUS.

LEBRET.

Nobili natus sanguine Parisiis Jacobus, litteris ibidem dedit operam, dein Senas in
B italiam migravit. Subinde factus est canonicus ecclesiæ Tullensis, tum auditor Rotæ, clericus cameræ apostolicæ, prælatus referendarius, major pœnitentiarius & abbreviator de *parco majori* in cancellaria Romana. Creatus etiam ab Innocentio X Tullensis episcopus, inconsulto Christianissimo rege, Romæ in ecclesia Gallorum S. Ludovici inunctus fuit mense Maio 1645. Qua de re a regis oratore acriter increpitus est, moxque in morbum delapsus, Romæ interiit eodem anno 15 Junii, uno post ordinationem mense.

C

LXXXV. ANDREAS.

DU SAUSSAY.

Pluribus annis pastore orbata fuit Tullensis ecclesia, quos inter reparationibus destinati sunt mensæ episcopalis proventus. Placuit tamen regi anno 1649 ad eam sedem evehere Andream *du Saussay*, cui Innocentius X bullas noluit indulgere, nisi rex breve suum abrogaret. Res in eo statu remanserunt ad usque mortem Innocentii, quæ accidit 7 Januarii 1655. Ipso namque anno Alexandro VII, Innocentii successori, per indultum ad tres Lotharingiæ episcopatus nominandi jus regi concedere visum est. Confirmatus itaque est
D Andreas in consistorio 11 Octob. anni ejusdem, bullisque donatus 17 Novembris sequentis. Facta quidem est ei licentia consecrationem percipiendi, quam revera ab episcopis Meldensi, Carnotensi & Adurensi accepit 16 Julii 1656, urbemque solenniter est ingressus 9 1656.
Junii 1657. Diœcesim in miserando statu 1657.
reperit: bellum enim famesque desolaverant regionem, populi carebant pastoribus, & qui supererant, in ignorantiam turpiaque vitia lapsi fuerant. Quibus calamitatibus ut mederet, diœcesim cœpit lustrare, & impetrata a summo pontifice ordines omni tempore conferendi
E licentia, quamplurimos instituit ministros, etsi quosdam minus peritos ad sacros promovit ordines; malebat siquidem non satis versatos in doctrina operarios habere, quam prorsus indigere. Parisiis natus Andreas, fuit doctor theologiæ e societate Navarræa, apostolicæ sedis protonotarius, regi a concionibus & eleemosynis, parochus SS. Lupi & Ægidii, officialisque & vicarius generalis archiepiscopatus Parisiensis. Plura in lucem ab eo edita sunt opera; scilicet Panopliæ clericalis, sacerdotalis & episcopalis, *3 vol in-fol.* De episcopali

ANNI CHRISTI Monogamia, *in-4.°* De Mysticis Galliæ scriptoribus, *in-4.°* Martyrologium Gallicanum. De gloria S. Andreæ, deque gloria S. Remigii. Opus de apostolatu S. Dionysii Areopagitæ. Continuatio libri cardinalis Bellarmini de scriptoribus ecclesiasticis, *in-4.°* Opusculum de sancto Clavo in ecclesia Tullensi asservato. Fuit hic prælatus, benignus, liberalis, facili aditu, popularis, sine fastu; sed jurium ecclesiæ episcopalisque dignitatis defensor acerrimus. Fundationem Pareti confirmavit 27 Augusti
1662. 1662. In ædibus S. Spiritus, quas anno 1657 concesserat presbyteris a missionibus, semi-
1673. narium instituit 27 Martii 1673. Tulli defunctus 9 Septembris 1675, annum agens 80, humatur in capella episcoporum prope altare.

DE FIEUX. LXXXVI. JACOBUS.

Origine Lemovix Jacobus, filius Claudii regi a secretis, Parisiis natus ibidem studia multo cum successu peregit. Clericali militiæ a tenera ætate destinatus, doctor fuit e domo Navarræa, abbas Bellosannæ in diœcesi Rotomagensi, nec non Belli-loci in Lingonensi. Cum concionandi arte polleret, a rege designatus est Tullensis coadjutor paulo ante mortem Andreæ antecessoris. Consecrationem natus 56 annos accepit Parisiis ab archiepiscopo, assistentibus Encolismensi & Petracoricensi episcopis, in ecclesia sanctimonialium pretiosi
1677. Sanguinis 1677 die 17 Januarii, fidemque regi dixit 22 mensis ejusdem. Possessionem per procuratorem adeptus 9 Februarii sequentis, solenniter & ipse subiit urbem 18 Augusti. Prorsus, eo moderante, immutata est diœcesis facies; enimvero informati sunt docti ministri, qui ad episcopi exemplum excitandæ in populis religioni ac pietati se totos addixerunt. Superatis innumeris difficultatibus & oppositionibus seminarium ille condidit, ex quo prodiere permulti eximii pastores. Carolum *de Bretagne* majorem archidiaconum, qui sibi vindicabat jurisdictionem episcopalem, strenue repressit. Naturali eloquentiæ puros jungebat mores, qui summam sanctis, quas exhibebat, veritatibus vim addebant. Synodalia statuta atque etiam
1678. opus de usura vulgavit annis 1678 & 1679.
1679. Titulum comitis Tullensis, a procuratore generali Parlamenti Metensis controversum, adversus hunc magistratum viriliter tuitus est. Episcopalibus fractus laboribus, Parisiis, quo ad sublevandas infirmitates suas perrexerat,
1687. decubuit 15 Januarii 1687, annum agens 66, constitutis testamento seminario & pauperibus heredibus suis. Jacet in ecclesia Dominicanorum suburbii Parisiensis S. Germani.

DE THIARD DE BISSY. LXXXVII. HENRICUS.

Nominatus a rege Henricus mense Aprili 1687, ob dissensiones inter Christianissimum regem & summum pontificem bullas adipisci
1692. non potuit ante annum 1692, quo proclamatus atque propositus est Romæ 3 Februarii & 10 Martii; inunctusque est Parisiis ab Harduino

A *Fortin de la Hoguette*, Senonensi archipræsule 24 Augusti. Per procuratorem adeptus possessionem 30 ejusdem mensis, urbem & ipse ingressus est 30 Octobris sequentis. Burdegalensis vero renunciatus archipræsul 25 Decembris 1697, renuit accipere; designatusque 1697.
est, qui ei in Tullensi episcopatu succederet, Antonius *Girard*, antea præceptor comitis Tolosæ & abbas Pontilevii, cujus nominatio per Henrici recusationem caruit effectu. Quam sedem cum non obtinuisset, renunciatus fuit Boloniensis episcopus 8 Decembris 1698: 1698.
verum ante adeptas bullas traductus est ad B Pictaviensem ecclesiam, ut videre est tom. II, col. 1210 & 1211. Verumtamen Henricus Narbonensem etiam sedem sibi a rege oblatam recusavit. Gravissimas de ecclesiastica jurisdictione cum Lotharinga aula contentiones habuit. Proventus ecclesiarum collegiatarum Liberduni & S. Nicolai de Brixeio adnexuit seminario Tullensi. Ad Meldensem est translatus ecclesiam, ut legere est tom. VIII, col. 1661 & seqq. ubi de eo fuse egimus.

LXXXVIII. FRANCISCUS. BLOUET DE CAMILLY.

Gente nobili ex inferiori Normannia oriunda C Franciscus Rotomagi natus est 22 Maii 1664. Quondam prior itemque doctor Sorbonæ, nec non abbas Vallis-Richerii & S. Petri supra Divam, factus est vicarius generalis episcopi Argentoratensis anno 1694, & episcopus Tullensis 11 Maii 1704, eam recusante sedem 1704.
Carolo-Daniele-Gabriele *de Kailus*, postea ad Autissiodorensem ecclesiam evecto. Consecratus in Argentoratensi ecclesia ab Armando-Gastone cardinale *de Rohan* episcopo 22 Novembris 1705, solennem fecit ingressum 13 1705.
Decembris sequentis. Posteaquam vigilantissime hanc rexerat ecclesiam, a duce Aure- D lianensi, Francici regni moderatore, ad archiepiscopatum Turonensem traductus est 10 Januarii 1721, ubi decessit anno 1723 mense Octobri. De eo jam diximus in abbatibus Vallis-Richerii & S. Petri supra Divam tom. XI, col. 452 & 735.

LXXXIX. SCIPIO-HIERONYMUS. BEGON.

Sorbonæ doctor & abbas S. Geremari ab anno 1713 mense Junio, ex decano Rupellensi & vicario generali episcopi Bellovacensis designatus Tullensis præsul 8 Januarii 1721, Romæ admittitur in consistorio 15 Martii E 1723, ac Parisiis inauguratur 25 Aprilis in ecclesia Minimorum plateæ regalis ab archiepiscopo Viennensi, cooperantibus Bellovacensi & Silvanectensi episcopis; fidemque regi dixit 2 Maii ejusdem anni 1723. Abbatiam Vallium consecutus a rege est anno 1728 exeunte, factusque major præpositus sancti Deodati, possessionem accepit 25 Junii 1743. Occubuit in diœcesi sua 28 Decemb. 1753, natus annos 77.

XC. CLAUDIUS. DROUAS DE BOUSSEY.

Vicarius generalis archiepiscopi Senonensis

Claudius, commenda Maurigniaci donatus 27 Maii 1749, dictusque a rege episcopus 17 Februarii 1754, Parisiis in archiepiscopali sacello a Parisiensi archiepiscopo, assistentibus Metensi & Cabilonensi præsulibus, inunctus fuit 12 Maii anni ejusdem, fideique juramentum regi præstitit, ac vivendi finem fecit anno 1773.

DES MICHELS DE CHAMPORCIN.

XCI. STEPHANUS-FRANCISCUS-XAVERIUS.

Stephanus-Franciscus-Xaverius, consecratus episcopus Senecensis 17 Junii 1771, ad Tullensem episcopatum a rege translatus est anno 1773. Insequenti anno Ludovicus XV Christianissimus rex duos episcopatus in ducatu Lotharingiæ, alium scilicet in urbe Nanceyensi, alium vero in urbe S. Deodati consilium cepit instituendi; & quidem duabus cathedralibus erigendis præsules designavit dominum Ludovicum-Hectorem-Honoratum-Maximum *de Sabran* & dominum Bartholomæum-Ludovicum-Martinum *de Chaumont de la Galaisière*. Quod imperfectum Ludovicus XV morte præventus 10 Maii 1774 reliquerat opus, Ludovico XVI religiosissimo regi placuit absolvere. Enimvero designatis præsulibus brevi regio dato 10 Martii 1775 eam commisit curam, ut rei consummationi invigilarent. Cum vero agebatur de distrahendis novis episcopatibus ex Tullensi, illustrissimus episcopus Tullensis auctoritate capituli cathedralis suæ munitus, cum duobus designatis episcopis transegit 17 Augusti 1776 de dividenda in tres partes Tullensi diœcesi, deque tribuendis unicuique episcopo juribus ac prærogativis. Præter plurima eximia privilegia, hunc sibi suisque successoribus servavit honorem, ut essent perpetuo consiliarii Parlamenti seu Curiæ supremæ Nanceyensis: munus vero cancellarii perpetui universitatis Nanceyensis abdicavit in gratiam episcopi Nanceyensis, qui vicissim assensus est, ut majus seminarium Tullense prædictæ universitati aggregaretur.

PRIMICERII TULLENSES.

I. ANSTHEUS,
II. Herbertus,
III. Guido,
IV. Gerardus.

} Quo tempore vixerint hi quatuor primi primicerii, memorati in necrologio ecclesiæ cathedralis, facile non est assignare.

V. Leutmondus subscripsit anno circiter 838 chartæ Frotarii episcopi pro restauratione S. Apri, atque etiam alteri anni ejusdem de terminis ecclesiæ S. Maximini traditæ eidem monasterio S. Apri.

VI. Adalbertus recensetur in litteris Arnulfi episcopi anno 860 pro capitulo Tullensi.

VII. Bernefridus legitur in testamento Ludelmi episcopi anno 898.

VIII. Rolandus anno 916 in litteris Sigedei abbatis S. Apri. Drogoni episcopo cessit anno 917 quædam patrimonii sui, quæ ab eodem præsule tradita sunt cœnobio S. Martini prope Sorciacum.

IX. Angelrannus simul fuit primicerius Metensis & Tullensis, ex Mabillonio.

X. Wifardus testis occurrit in charta, qua Gauzlinus episcopus anno 927 Odelricum ducem creat advocatum Liverduni.

XI. Gerardus reperitur in veteri documento de capella Masiriaci, quod habetur tom. IV Miscell. Baluzii, p. 423, ubi continetur judicium Gauzlini episcopi Tullensis & Adalberonis Metensis.

XII. Emoldus *al.* Agenoldus abbas Gorziensis post restaurationem anno 933, fuerat primicerius Tullensis, ex Mabillonio.

XIII. Hardicus testis fundationis Buxeriæ, cujus author Gauzlinus episcopus an. 936.

XIV. Berhardus recensetur in litteris sancti Gauzlini, monachis S. Apri ecclesiam sitam in Columbario villa tradentis.

XV. Evorinus anno circiter 943, ex litteris de destructione capellæ cujusdam.

XVI. Gisardus memoratur in litteris cujusdam Arnulfi de fundatione prioratus Bainivillæ 957.

XVII. Grimaldus in litteris sancti Gerardi anno 971.

XVIII. Goderanus memoratur in charta ipsius S. Gerardi anno 982 pro confirmatione bonorum S. Mansueti; item & in altera pro ecclesia Medii-vici, ubi in iram S. Gerardi pro culpis aliquibus incurrisse traditur.

XIX. Robertus subscripsit annis 986 & 988 litteris S. Gerardi pro S. Mansueto, alteris etiam ipsius præsulis 992. Adhuc etiam memoratur in diplomate Bertholdi episcopi pro S. Benigno Divionensi.

XX. Rothardus, quem Bertholdus episcopus militibus suis ad Imperatorem missis sæpe præfecit, ut idem Bertholdus testatur ad annum 1014.

XXI. Herbertus I anno 1019 innotescit ex subscriptione subjecta litteris ipsius Bertoldi præsulis.

XXII. Gibuinus frater comitis Tullensis Rainardi, legitur anno 1034 in charta Brunonis episcopi pro S. Apro, nec non in altera ejusdem anno 1036. Hujus etiam meminit Wipertus in vita ipsius præsulis, facti papæ sub nomine Leonis IX.

XXIII. Udo I legitur in charta Brunonis episcopi in gratiam Dodonis abbatis S. Mansueti anno 1037.

XXIV. Herbertus II occurrit ad annum circiter 1040 in litteris Brunonis episcopi pro Raingardi vidua. Idem forte est cum illo Erberto primicerio, qui vitam amplexus est monasticam in abbatia S. Apri, cujus meminit

charta Brunonis episcopi, postea Leonis IX, A relata in diplomatica Mabillonii, p. 583. Memoratur in necrologio XII cal. Martii.

XXV. Udo II consignatur in bulla Leonis IX anno 1051, nec non in alia pro canonisatione S. Gerardi. Simul erat cancellarius & bibliothecarius apostolicæ sedis, uti legitur in fine privilegii pro S. Mansueto, dati per ipsius manus an. 1050. Insequenti evasit episcopus.

XXVI. Albero legitur an. 1052 in litteris Udonis episcopi de advocatia Bliderici-villæ. Occurrit etiam anno 1054 in aliis ejusdem. Subscripsit alteri chartæ Udonis pro instauratione ecclesiæ S. Gengulphi anno 1065. Brachium S. Blasii capitulo tradidisse dicitur. B

XXVII. Mabillo innotescit ex chartulario S. Gengulphi.

XXVIII. Theodericus occurrit ad annum 1072.

XXIX. Hugo jam præerat anno 1072, IV id. Octobris, ut constat ex litteris Pibonis episcopi in gratiam monasterii S. Apri. Memoratur anno 1073 in facta inter Walonem abbatem S. Arnulfi & abbatissam Buxeriensem compositione. Subscripsit litteris Pibonis de cella Asmantia an. 1076, indict. XIV, atque etiam anno 1085; item & chartæ, quam hic episcopus indulsit Sehero abbati S. Leonis 1091; alii quidem pro S. Mansueto 1094; adhuc etiam alteri pro fundatione cellæ sancti Jacobi anno 1097.

XXX. Riquinus memoratur in instrumento Pibonis episcopi de fundatione prioratus de Leronis-villa, nec non in altero præsulis ejusdem Theomaro S. Mansueti abbati omnia bona confirmantis anno 1103, indict. XI. Ad sedem episcopalem elatus anno 1107.

XXXI. Stephanus recensetur ad annos 1111, 1113, 1116, 1118. Legitur & in bulla Callixti II anno 1119, nec non annis 1123 & 1126 in litteris Ricuini episcopi Tullensis. Post mortem ejus, primicerii dignitas extincta est & capitulo unita a Riquino episcopo. Verumtamen sub pontificatu Odonis de Vadano-monte Theodoricus a Lotharingia, filius Matthæi I ducis, ad eam dignitatem se promoveri curavit; Simon etiam Tullensis archidiaconus post Theodorici obitum provisiones assecutus est a sede apostolica. Qua de re instituti fuere judices, qui in Simonis gratiam tulere sententiam. At summus pontifex, ad quem a capitulo appellatum est, judicium longe diversum protulit: jussit enim ut ea dignitas restincta maneret. Officium itaque decani ex eo tempore prima fuit capituli dignitas.

DECANI TULLENSES.

I. Everardus memoratur in necrologio. C

II. Paulinus, } ibid.
III. Ademarus. }

IV. Arnulfus decani munus agebat tempore S. Gauzlini.

V. Amelardus seu Amelarius occurrit anno 971 in charta S. Gerardi.

VI. Erimfridus seu Arenfridus in litteris S. Gerardi pro monasterio S. Mansueti 986. Adhuc superstes anno 988.

VII. Adson decanus tempore S. Gerardi.

VIII. Humbertus laudat litteras Brunonis episcopi pro S. Mansueto anno 1037.

IX. Fridericus 1044 in privilegio pro Duleio.

X. Galtherus I ex chartis Udonis episcopi ad annos 1052, 1057 & 1072, IV id. Octob. indict. X in litteris Pibonis episcopi. D

XI. Dodo occurrit anno 1076 in charta Pibonis episcopi de ecclesia beatæ Mariæ de Asmantia.

XII. Thedericus an. 1088 in carta Pibonis episcopi.

Ch. XXVII, col. 472. XIII. Lutulphus fundator abbatiæ S. Leonis an. 1091. Subscripsit tabulis Pibonis episcopi 1094 pro monasterio S. Mansueti & pro fundatione cellæ S. Jacobi sub abbatis sancti Mansueti potestate an. 1097. Sic consignatur in necrologio S. Leonis: *Cal. Martii Lutulfus piæ memoriæ levita & canonicus hujus loci, qui cum decanus esset majoris ecclesiæ, cœnobium hoc a fundamentis construxit fratribus, opibus ornatum variis multimode decoravit, itinera multa & longa, pericula plura pro hujus exaltatione loci sustinuit.*

XIV. Hunaldus ita notatur in necrologio S. Leonis: *VII id. Octobris Hunaldus decanus majoris ecclesiæ familiaris noster qui fecit nobis plura bona.*

XV. Bernefridus notus ex litteris Riquini episcopi, confirmantis S. Mansueto ecclesiam S. Florentini.

XVI. Berengarius memoratus anno 1111 in litteris Ricuini in gratiam monasterii Cluniacensis, & in bulla Callixti II an. 1119, ad quem a capitulo missus est, item & anno 1123 in litteris Ricuini episcopi; reperitur in necrologio S. Leonis VI id. Febr.

XVII. Petrus I nepos Riquini episcopi, cujus mandato adiit imperatorem Henricum V. Occurrit anno 1126, subscripsitque litteris Henrici episcopi pro cella de Novo-castro anno 1131.

XVIII. Stephanus I ab Innocentio II privilegium obtinuit de confirmatione omnium jurium & possessionum capituli anno 1140. Ita notatur in necrologio S. Leonis: *XV cal. Maii Stephanus decanus & archidiaconus sancti Stephani, frater noster qui dedit nobis unum pratum apud Longam-aquam.*

XIX. Odelricus una cum canonicis tradit abbatiæ Rengis-vallis ad dotem quidquid

capitulum possidebat apud Corniacevillam VII cal. Julii 1152.

Ch. LVIII, col. 509. XX. Hugo I Albus decanus Tullensis legitur anno 1152 in pacis compositione facta in concilio Trevirensi inter ducem Lotharingiæ & ecclesiam Romaricensem.

XXI. Haymo 1160 in charta Henrici episcopi, adhuc etiam 1163 idibus Octobris testis est in litteris ejusdem Henrici altare de Melchia Insulæ-Barrensi concedentis. Cononi abbati sanctæ Mariæ de Nemore confirmavit transcensum capellæ de Blanzeia. Peregrinationem ad loca sancta suscepit. Notatur in necrologio S. Clementis III idus Junii.

XXII. Fredericus I *de Brixei*, Petri episcopi germanus, reperitur anno 1180. Subscripsit litteris fratris sui pro monasterio sancti Leonis, nec non aliis pro fundatione collegiatæ beatæ Mariæ de Rinello anno 1185. Consensit etiam an. 1187 factæ ab ipso Petro præsule eidem monasterio S. Leonis donationi, laudavitque chartam in gratiam monasterii S. Apri. Memoratur adhuc an. 1189. Ad sanctam terram fratrem suum secutus, prælati hujus in itinere defuncti testamentum inde retulit.

XXIII. Fredericus II *de Brixei* præcedentis ac Petri episcopi nepos, a patruo suo, mox ad iter Jerosolymitanum profecturo, diœcesis administrationem accepit. Memoratur in litteris Matthæi episcopi an. 1200.

XXIV. Theodericus una cum Theoderico abbate S. Leonis arbiter fuit anno 1216 compositionis initæ inter Stephanum sancti Mansueti & Robertum Miræ-vallis abbates.

XXV. Petrus II *de Brixei*, superioris frater, prius major archidiaconus, occurrit an. 1224. Monasterio S. Mansueti molendinum super fluvium Mosellæ donavit an. 1226. Superstes adhuc an. 1227.

XXVI. Fredericus III *de Romont*, frater Reginaldi *de Romont* & Adelinæ Spinalis abbatissæ, 1234.

XXVII. P. decanus confirmat personatus ecclesiarum *de Chateneys*, *de Germeys* &c. concessos ab O. quondam Tullensi episcopo mense Maio 1236. Memoratur etiam anno 1241. Donum Goberti militis de S. Amantio, cujus fuit avunculus, indultum priori & fratribus de Valle Omnium-sanctorum laudavit an. 1245.

XXVIII. Gerardus I *de Parois*, illustri sanguine in Lotharingia natus, obtinebat anno 1249.

XXIX. Egidius *de Sorcy* ex decano in episcopum electus 1253.

XXX. Johannes I a Lotharingia dictus de Fontaneto, exortus comitibus Tulli, simul fuit decanus S. Stephani & præpositus ecclesiæ S. Deodati. Electus in episcopum ab una canonicorum parte, defunctus est in curia Romana circa annum 1278, dum jus suum persequeretur. Charta LXXVII, col. 529.

XXXI. Jacobus I cum archidiacono & A cantore anno 1278, die Lunæ ante Ascensionem, mense Maio, dedit litteras de emancipatione Theobaldi primogeniti Frederici ducis Lotharingiæ. Sequenti die mensis & anni eorumdem cum præfatis archidiacono & cantore testatus est nobilem feminam Isabellam *de Rumigny*, uxorem Theobaldi præcitati, professam fuisse nihil ratione dotis sibi competere apud Longum-vicum. Memoratur adhuc an. 1279 die Lunæ post Cineres.

XXXII. Stephanus II de Aspero-monte, filius Gosberti, an. 1280.

B XXXIII. Jacobus II *de Clermont* confirmavit donationem ecclesiæ de Euffincuria abbati S. Mansueti a Conrado episcopo concessam pro hospitalitate 1290. Memoratur in instrumento an. 1291. Nominatur anno 1296 in statutis de moneta Tullensi.

XXXIV. Johannes II de Molanis scholasticus, designatus fuerat episcopus a Clemente V; verum ab ea dignitate cedere coactus, evasit decanus. Erat Avenione anno 1313 in comitatu Johannis *d'Arzilieres* episcopi, quicum de episcopatu contenderat.

XXXV. Guillelmus *Coste* decanus Tul- C lensis & capellanus Johannis XXII pontificis, ab ipso patrimonii B. Petri in Tuscia rector institutus est Avenione IV non. Augusti, pontificatus an. 2. (1318).

XXXVI. Henricus I *de Germiny* juramentum Amedei episcopi accepit an. 1321.

XXXVII. Ademarus *de Monteil*, qui in episcopum Metensem electus est an. 1327, decanus Tullensis fuisse dicitur.

XXXVIII. Ferricus *de Void* exortam litem inter præpositum S. Deodati & Dominicum abbatem Stivagii una cum pluribus ecclesiasticis viris dirimendi curam a Rodulpho Lotha- D ringiæ duce accepit an. 1334.

XXXIX. Hugo II simul præpositus sancti Deodati, decessit 1337 in Jerosolymitana peregrinatione.

XL. Gerardus II *de la Moulay*, prius scholasticus, superstes an. 1339.

XLI. Henricus II *de Poligny*, nobili genere satus in comitatu Vadani-montis, legitur in instrumento fœderis initi inter Bertrandum episcopum Tullensem & ducem Barrensem, quod ratum habuit præfatus præsul Sabbato sancto an. 1356. Ad ejus aliorumque virorum E prudentium arbitrium multa relinquuntur decernenda.

XLII. Gerardus III de Lenoncuria, cujus item & Jordani de Colonna majoris archidiaconi ædes in seditione crematæ sunt tempore Thomæ *de Bourlemont* episcopi.

XLIII. Theodorus seu Theodericus de Liencuria consiliarius & magister requestarum hospitii regis 1357 & 1367.

XLIV. Galterus II *de Lenoncour* 1383.

XLV. Johannes III *de Guignecour* 1384.

XLVI. Johannes IV episcopus Tusculanus 1386.

XLVII.

XLVII. Egidius Christopoleos episcopus, suffraganeus, 1392. A

XLVIII. Johannes V *Graveluche* episcopus Forlieri 1397.

XLIX. Johannes VI *d'Ivois*, episcopus Christopolis & suffraganeus Tullensis, 1400.

L. Nicolaus *Duri*, Carolo VI Regi Christianissimo ab eleemosynis 1409.

LI. Petrus III cardinalis tit. S. Chrysogoni 1414.

LII. Johannes VII Nicolai an. 1431.

LIII. Petrus IV *le Poignetier* Tullensis 1439. B

LIV. Johannes VIII de Pilonnio decanus, vicarius in spiritualibus Ludovici de Haraucuria episcopi, præsentat an. 1439 ad ecclesiam Angelicæ-villæ.

LV. Cardinalis S. Sabinæ 1442.

LVI. Eberardus *d'Haraucour* ex nobilissimo genere præerat an. 1463.

LVII. Johannes IX *de Pilon*, idem forte qui supra 1465.

LVIII. Johannes X Roberti 1484.

LIX. Theodoricus *de Darney* 1490.

LX. Raymundus *de Baraille* cardinalis *de Gurcy* 1502. C

LXI. Ludovicus *de Dommartin* 1504.

LXII. Warricus *de Savigny* electus anno 1509.

LXIII. Johannes XI *de Fresneau*, Francisci I regis Franciæ eleemosynarius, possessionem accepit 1527.

LXIV. Jacobus II *Antoine*, Sorbonæ doctor, per resignationem provisus an. 1530.

LXV. Claudius *Hordal du Lys* prioratum de Bliderici-villa permutavit cum præcedenti an. 1557.

LXVI. Stephanus III *Hordal du Lys*, nepos & coadjutor Claudii, fit decanus an. 1569.

LXVII. Noë-Stephanus *Hordal du Lys*, superioris nepos & coadjutor, succedit anno 1615. Adhuc superstes an. 1634.

LXVIII. Henricus II *Arnauld*, abbas sancti Nicolai Andegavensis, eligitur anno 1636. Insequenti in episcopum cooptatus, bullas a papa consequi non valet. Ad ecclesiam Andegavensem promovetur.

LXIX. Johannes XII *Midot*, major archidiaconus, officialis, vicarius generalis, senator Parlamenti Metensis, eligitur decanus & submovet æmulum N. *de Loyac*. Moritur vero 23 Januarii 1653.

LXX. Jacobus III *de Bretagne*, filius Claudii *de Bretagne* protopræsidis Parlamenti Metensis, & Margaritæ *des Barres*, a capitulo electus prævaluit Silvano *Gaudon* a summo pontifice designato, cui majorem resignavit archidiaconatum. Obiit an. 1664, ætatis suæ 35. Ecclesiæ legavit 3000 libras.

LXXI. Silvanus *Gaudon* Theologiæ doctor & concionator celebris, electus mense Januario 1665. Eodem anno 3 Octobris subscripsit litteris de inita possessione prioratus S. Martini a Campis per Julium-Paulum *de Lionne*.

LXXII. Petrus V *Gauthier* ex permutatione cum antecessore suo facta decanatum est adeptus, obtinebatque an. 1707.

LXXIII. Claudius-Franciscus *Pagel de Ventoux* cum aliis pluribus canonicis a capitulo deputatus provinciam demandavit illustrissimo episcopo Tullensi, generatim statuendi de erectione episcopatuum Nanceyensis & S. Deodati an. 1776 die 3 Maii.

VETERA MONASTERIA.

I. Habend. HABENDENSE seu *Habundense* monasterium sic dictum a castro Habendi vel Habundi, quod Romaricus Loci dominus ad annum 620 in cœnobium duplex, virorum scilicet ac virginum, ex suasu & consilio sancti Amati convertit, situm erat in Vosago haud procul a Mosella in arduo monte, unde Mons Romarici, Mons Sanctus, vulgo *Remiremont* a posteris dictus est. Ibi Amato abbate floruit collegium duplex usque ad tempora Hunnorum, qui ineunte seculo decimo cœnobium solo æquarunt. Restitutum vero a Ludovico III imperatore in radice montis trans Mosellæ fluvium, accrevit in oppidum, quod vernacule appellatur *Remiremont*. Nunc est celeberrimum canonissarum nobilium secularium collegium. Nihilominus tamen in decursu temporum septem oratoria in sacro monte exstructa sunt, quorum unum sanctis Amato & Romarico in sepulcri loco positum est: ubi titulus est prioratus, quem canonici regulares ordinis sancti Augustini diu tenuerunt, ac tandem an. 1623 cesserunt Benedictinis Congregationis sancti Vitoni, qui sacro monti primævum religionis splendorem restituerunt. In Habendensi duplici monasterio cœnobitis a principio præfuere sequentes abbates:

I. Sanctus Amatus, nobilibus natus parentibus, ex Romana oriundus stirpe in suburbio Gratianopolitanæ civitatis puer præclaræ indolis exortus est, patre scilicet Heliodoro, a quo in Agaunensi monasterio adhuc juvenis Deo oblatus fuit. Cum illic triginta annos in vitæ monasticæ disciplinis exegisset, perfectioris vitæ cupidus, in antrum excelsi montis vicini secessit, ac duræ & asperæ vitæ laboribus se dedit. In ea solitudine invisus est a S. Eustasio abbate Luxoviensi, quicum petiit Luxovium; unde in Austrasiam ad Divinum verbum disseminandum missus, aliquot diebus diversatus est apud nobilem virum Romaricum, qui ejus suasu, relictis mundi illecebris, Deo se devovit in Luxoviensi monasterio. Elapso aliquanto tempore, Amatus & Romaricus Luxovio egressi cum Eustasii abbatis licentia, Habendense duplex monasterium, monachorum

A ſcilicet & virginum, condidere in villa, quam ad bonum opus Romaricus reſervaverat. Amatus virorum curam ſuſcepit; Mactefledis vero virginibus præfecta eſt. In horrida rupis ſpelunca ſanctus abbas pane & aqua contentus, hebdomadas agebat, unde Dominicis diebus ad exponendas ſacras ſcripturas fratribus & ſororibus egrediebatur. Morti proximus, jacens in cinere & cilicio, peccata ſua palam confeſſus eſt, & animam Deo reddidit circa annum 627 idibus Septembris. Sepultus fuit, ut juſſerat, ad introitum eccleſiæ S. Mariæ. Ejus tamen corpus uno poſt anno in eccleſiam deportatum, illic ſubſtitit uſque ad initium B ſeculi X, quo Drogo Tullenſis epiſcopus ipſius & ſanctorum Romarici atque Adelphii reliquias tranſtulit ad locum ubi nunc exſtat abbatia Romarici-montis. Vitam S. Amati ſcripſit anonymus, editam ſeculo II, act. ſanct. ord. S. Bened. p. 129 & ſeqq.

II. Sanctus Romaricus, Romulfo & Romulinde nobilibus & præpotentibus parentibus exortus, jam in laïco habitu religioſam vitam agebat, cum S. Amatus in Auſtraſiam accedens, eum hortatus eſt ut detonſo capite, rebuſque ſuis pauperibus erogatis, Deo ſe conſecraret. Mox Luxovium petiit, ubi tantæ humilitatis C & pœnitentiæ jugo ſeſe ſubmiſit, ut quidquid humilius eſſet agendum, & ipſe faceret. Unam tantummodo ſibi reſervaverat villam ſeu caſtrum Habendi, ubi duplex monaſterium a S. Amato adjutus exſtruxit, cui idem S. Amatus præpoſitus eſt. Poſt cujus mortem ipſe gubernandam ſanctam congregationem ſuſcepit, ſuumque familiarem S. Arnulfum futurum Metenſem epiſcopum illuc allexit. Romam dicitur petiiſſe & inſigne immunitatis privilegium a Johanne papa IV ad commendationem Chlodovæi II regis obtinuiſſe, ut D monaſterium apoſtolicæ ſedi ſubditum eſſet. Cum ex aula regia, quo perrexerat, reverſus fuiſſet, levi febre correptus eſt & ſublatus VI id. Decembris an. 653. Sepulturæ traditus juxta ſocium & amicum ſuum S. Amatum. Vitam ejus editam habes ſec. II, Act. ſanct. ord. S. Bened. p. 416 & ſeqq.

III. Sanctus Adelphius, filiolus S. Amati, B. Romarico ſucceſſit, munuſque ſuum eadem prudentia & manſuetudine qua anteceſſores ſui complevit. Aliquanto tempore ante mortem cum vagaretur per deſertum Sacri-montis, gravi dolore ſubito tentatus, preſbyterum acE cerſivit, cui peccata ſua confeſſus eſt. Luxovium deſideravit portari ut eamdem faceret confeſſionem pro obtinenda peccatorum ſuorum remiſſione. Illuc mox deductus eſt, extremumque diem clauſit die 11 Septembris 670. Corpus ejus ad Sacrum-montem relatum fuit a Garichramno ejus ſucceſſore, & honorifice acceptum a ſancta Tecta abbatiſſa, cæteriſque ſanctimonialibus quæ obviam iverant. Sacrum pignus illæ uſque in eccleſiam monaſterii ſui comitatæ ſunt, in qua decentiſſime reconditum eſt. Act. ſanct. ord. S. Bened. ſec. II, p. 602.

IV. Garichramnus ſuffectus eſt in locum S. Adelphii, cujus corpus ex cœnobio Luxovienſi ad Romarici-montem revexit, ut ex ejuſdem S. Adelphii vita conſtat.

II. Saint-Martin.

Sanctus-Martinus. Poſitum erat monaſterium ſancti Martini, unum ex Tullenſis diœceſis antiquiſſimis, in comitatu Bedenſe juxta caſtrum de Sorſiaco, ad Moſam, ſemperque ab epiſcopis Tullenſibus pependerat. Et certe Arnaldus Tullenſis epiſcopus anno 878 adiit Ludovicum Balbum regem, & ab eo obtinuit ut abbatiæ S. Apri, S. Germani, ac S. Martini perpetuo eccleſiæ S. Stephani ſubjectæ permanerent. S. Gerardus epiſcopus anno 968 menſe Octobri juſſit ut id monaſterium, quondam eccleſiæ cathedrali traditum, reſtitueretur. Plures in eo monaſterio laudabiles ſervatæ fuerant conſuetudines, quibus S. Gerardus addidit præceptum abluendi pedes Sabbato uniuſcujuſque hebdomadis. Nihil ex eo monaſterio ſupereſt, præter eccleſiam parœcialem Domni-Martini prope Sorſiacum, ſatis eximiam & magnam.

Mabill. Diplom. p. 548.
Calmet. Hiſt. Lothar. tom. I. prob. p. 380.

III. Saint-Germain.

Sanctus-Germanus. Situm id cœnobium in vico ſancti Germani, una diſtans leuca ab urbe Tullenſi, dudum deſtructum & abolitum, ſubſiſtebat ſeculo nono & pendebat in temporalibus & ſpiritualibus ab epiſcopo Tullenſi. Id conſtat ex litteris Ludovici Balbi regis, Arnoldo epiſcopo conceſſis anno 878, nec non ex præcepto Arnoldi regis, hanc abbatiam atque monaſterium S. Apri eidem Arnoldo reſtituentis.

Mabil. Ibid.
Hiſt. Lothar. Ibid. col. 323 & ſeq.

IV. Bon-moutier.

Bodonis-monaſterium. A Leudino-Bodone epiſcopo Tullenſi in Voſago exſtructus ac dotatus fuit hic parthenon circa annum 670 pro ſanctimonialibus, quibus Thietbergam filiam ſuam præfecit. Exſtant litteræ Caroli Simplicis regis datæ anno 912, quibus hic princeps ad Drogonis Leucorum epiſcopi preces jubet ut Tullenſis eccleſia hanc perpetuo poſſideat abbatiam. Monialibus vero ſubſtituti ſunt ſeculo undecimo monachi, qui tamen illic diu non ſubſtiterunt. Et vero a multis jam ſeculis, hujus monaſterii vix ſupereſt veſtigium in valle, quæ adhuc dicitur *le Val-bon-moutier.*

Hiſt. Lothar. tom. I. prob. col. 334.

V. Offonville.

Offonis-villa. Prorſus diverſa eſt hæc abbatia ab alia cognomini, quæ exſtabat in diœceſi Veſontionenſi. Fundatorem habuit Bodonem epiſcopum Tullenſem, qui eam in proprio fundo condidit ſuper fluvium * Spanciam in comitatu Portenſi, & eccleſiæ ſuæ tradidit. Conſecrata eſt aliquanto poſt fundationem in honorem S. Leodegarii martyris. Recenſetur in partitione facta inter filios Ludovici Pii: ſimul enim junguntur abbatiæ Offonis-villæ, Mediani-monaſterii, Bodonis-monaſterii & Stivagii, quatenus vicinæ & in Voſago poſitæ. Cernitur etiamnum prope urbeculam de Bodonis-villari, in tractu Portenſi, ad fluvium Spanciam, pagus vulgo dictus *Fonviller*, qui nomen ſuum trahere videtur ab Offonis-villa.

* la Plaine.

VI. Saint-Pient. *Sanctus-Pientius.* Fuit olim abbatia, a Prætoria pia muliere tempore Endulani episcopi Tullensi ecclesiæ concessa, postea vero conversa in prioratum, quem S. Gerardus abbatiæ S. Mansueti tradidit. Nunc est simplex ecclesia parœcialis Medii-vici, extra urbem posita, suppresso priorali titulo.

VII. Sainte-Geneviève. *Sancta-Genovefa.* Fundationis hujus abbatiæ author & tempus ignorantur; sed condita est in ambitu castri Tullensis. Apparet ex litteris Zuendeboldi regis, Lugdelmo episcopo inscriptis, hanc fuisse crematam, & eos qui inserviebant fuisse dispersos.

VIII. Saint-Gengou. *Sanctus-Gengulphus.* Olim ad portam civitatis Tullensis, nunc in ipsa civitate situm monasterium S. Gengulphi, fundatum fuit seculo X a S. Gerardo Tullensi episcopo pro monialibus S. Benedicti, quibus aliquanto post clericos substituit.

IX. Bleurville. *Bliderici-villa.* In honorem SS. Bertharii & Athaleni apud Bliderici-villam in comitatu Santensi a Rainardo comite Tullensi pro sanctimonialibus constructa & dotata est abbatia sub episcopatu Brunonis episcopi, qui factus summus pontifex omnia ab eodem Rainardo comite & aliis quibuscunque fidelibus concessa & concedenda confirmavit an. 1050, VIII id. Decembris. Nunc prioratus est, pendens primo a monasterio sancti Mansueti, postea vero a monasterio S. Nicolai de Portu. (Calmet, Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 427.)

X. Saint-Sauveur. *Sanctus-Salvator.* In suburbio Tullensi erat prioratus S. Aniani dependens a monasterio Indensi, quem circa annum 1056 Udo episcopus a Werrico abbate consecutus, in abbatiam convertit sub titulo S. Salvatoris, in quam immissi sunt monachi ordinis S. Benedicti, qui tamen inde excesserunt ante Udonis obitum. (Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 463 & seqq.)

XI. Montier-sur-Sault. *Monasterium-super-Saltum* fuit quondam abbatia ordinis S. Benedicti, in parœcialem ecclesiam nunc redacta.

XII. Rup-aux-Nonnains. *Monasterium Rivi-ad-Nonnas,* situm non longe a fluvio Mosa & Brixeio, olim sanctimonialium ordinis S. Benedicti, fundatum est ante annum 1136. Monialibus pulsis, datum est monachis S. Benigni Divionensis, a quibus etiamnum pendet sub titulo prioratus.

XIII. *Masirot* dicitur fuisse monasterium virginum non procul a monasterio Domni-Apri.

XIV. Benoite-Vaux. *Benedicta-vallis.* Fuit parthenon ordinis Cisterciensis in diœcesi Tullensi, fundatus seculo XIII juxta Rinellum a dominis de Rinello, quem capitulum generale habitum anno 1397 adjunxit monasterio Clarevallensi. (Marten. Anecdot. tom. IV, col. 1536.)

Agnes abbatissa ejus loci transegit anno 1343 cum Theobaldo abbate S. Urbani.

XV. Droite-Val. *Recta-vallis.* Ordinis Cisterciensis sanctimonialium olim erat abbatia, nunc prioratus pendens ab abbate Cisterciensi, distans semi hora a vico Attiniaco.

XVI. la Consolation. *Beata Maria de Consolatione.* Parthenonis hujus origo debetur Catharinæ a Lotharingia, Romarici-montis abbatissæ, quæ in oppido Romarici-montis illum ædificare quamplurimum exoptasset. Verum ob quasdam rationes conditum fuit monasterium in urbe nova Nanceiensi, suadente Henrico II Lotharingiæ duce, Catharinæ germano, qui ea de re litteras dedit patentes 26 Junii 1624, & ad dotem duo millia Francorum Barrensium in ducatu Barrensi assignavit. Litteris suis jubet dux ut ejus loci sanctimoniales absque ulla mitigatione regulam S. Benedicti sequantur. Omnia hæc rata habuit pontifex Urbanus VIII, parthenonem titulo abbatiæ decoravit, abbatissamque præfecit præfatam Catharinam bulla data 16 Aprilis 1625. Cum autem ipsa princeps Catharina comperisset strictissimam in monasterio Firmitatis-Milonis vigere observantiam, ex eo loco accivit monachum Cisterciensem, nomine Julianum *Vernier,* priorem, cujus consilio Benedictinam congregationem ad exemplar ejusdem monasterii formare constituit. Equidem duo virorum construere cœpit monasteria, aliud in urbe Nanceiensi sub invocatione S. Romarici prope parthenonem de Consolatione, alterum apud Pontem-sancti-Vincentii in honorem S. Bernardi, quibus illa ejusque frater dux Henricus mille & quingentas libras annui reditus impenderunt. Roma directæ sunt bullæ, expeditæ mense Aprili 1631, quibus Urbanus VIII congregationem erigi permittit sub nomine strictioris observantiæ regulæ S. Benedicti in monasterio Consolationis: cum vero illa congregatio, quæ ullam nolebat admittere mitigationem, in uno puellarum monasterio existere non posset, præfata duo virorum cœnobia adjungi sinit pontifex, ex quibus assumendus est superior generalis, cui monachi & moniales totius congregationis in omnibus parere tenentur. (Ch. XCI, col. 543.) Plures itaque monachi ad votorum emissionem admissi sunt anno 1632 & insequentibus. Emergentibus tamen bello & pestilentia, quin & superveniente principis Catharinæ obitu anno 1648, restincta est hæc congregatio, dispersique sunt hinc & inde monachi, & parthenon de Consolatione adjunctus fuit congregationi Adorationis perpetuæ SS. Sacramenti.

Ex quo diœcesis Tullensis in tres divisa est, sunt tantummodo decem & octo Abbatiæ, unusque Prioratus conventualis.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

S. Aper, *Saint-Evre.*
S. Mansuetus, *Saint-Mansuy.*
Castinetum, *Châtenoy.*

Feminarum.

Portus-suavis, *Poussay,* al. *Porsas* seu *Porsay,* nunc dominarum secular. nobilium capitulum.

Ordinis S. Augustini.

S. Leo, *Saint-Léon.*
Alteriacum, *Autrey.*

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Valles in Ornesio, *Vaux-en-Ornois.*
Escuraium, *Escurey.*
Insula-Barrensis, *l'Isle-en-Barrois.*

Feminarum.

Stanchia, *l'Étanche.*
Sancta-Hoildis, *Sainte-Hould.*

Ordinis Præmonstratensis.

Regia-vallis, *Riéval.*
Flabonis-mons, *Flabémont.*
Janduriæ, *Jandures.*
Jovillare, *Jovillers.*
Bonifagetum, *Bonfay.*
Rengis-vallis, *Rengeval.*
Mira-vallis, *Mureau.*

SANCTUS-APER.

S. Eyre.

Antiquissimum ac celeberrimum sancti Apri monasterium suam trahit originem ab ipso S. Apro, qui in episcopalis suæ civitatis suburbio ecclesiam cœpit construere, quam Albaudus ejus successor perfecit ac consecravit in honorem sancti Mauricii. Hac in ecclesia, quæ mox de S. Apro dicta est, ab eodem Albaudo congregati sunt viri fideles, qui illic ad exemplar primorum Christianorum in communi degerent. Autmundum episcopum hunc locum in cura habuisse liquet ex his verbis : « Is memoriam Christi confessoris » Apri sollicita devotione excoluit, cujus & cœnobium in divina religione augmentavit. » Comes Odoardus, favente Carolo Martello, id monasterium usurpavit ac potitus est, quamvis magnopere quereretur Godo episcopus, ut patet ex diplomate Caroli Calvi, dato primo regni sui in Lotharingia anno. Primum abbatis munus Frotharius adimplevit, & cum ad episcopatum pervenisset, patronus fuit, ut ipse testatur litteris datis circa annum 836. « Inter » cætera, inquit, sollicitudinis meæ studia, oc» currit animo quod in cellula suburbii nostri, » quæ meritis & sepultura beati Apri effulget, » monachos quondam regularibus disciplinis » effloruisse viderim; sed hujusmodi exercitia, » ob inertiam quorumdam rectorum & dimi» nutionem rerum temporalium paulatim defi» ciendo, pristinæ probitatis amiserint ritum. » Quam religionem supernæ retributionis intuitu, » meis inibi cupiens recuperare diebus, præsentiæ » domni nostri Ludovici Cæsaris Augusti rem » retuli, & cum ejus authoritate atque consilio » prædictum locum ad pristinos usus revocavi, » monachos illic sacræ religionis constituens, » qui negotiis spiritalibus vacarent, & pro uti» litate regni ejus, totiusque ecclesiæ statu, » divinam incessanter clementiam exorarent. »

Mabill. Diplom. p. 524.

A Verum ne eamdem regularem disciplinam ob inopiam terrenarum rerum, ut olim tepescere ac deficere contingeret, easdem villas ac possessiones, quæ monachorum quondam usibus deservierant, in eorum usus restituit, id est vicum S. Apri, cum manso S. Maximini, & sorte ejus, quod ante fores monasterii consistit, ubi parœcialis est ecclesia sub titulo S. Maximini. Ad hujus parochiæ finiendos limites, de quibus tunc controversia erat inter monachos & S. Johannis ecclesiam, alias edidit litteras in plenaria synodo idibus Octobris anno 838. Ludovicum Balbum Arnaldus B præsul adiens ab ipso id assecutus est, ut abbatiæ S. Apri, S. Germani atque S. Martini ecclesiæ cathedrali S. Stephani, unde sunt, perpetuo permanerent subjectæ atque unitæ forent. In regio hoc præcepto dato v idibus Decembris, indict. x, anno secundo unctionis Ludovici legitur abbatiam hanc aliquandiu Tullensi ecclesiæ subtractam fuisse ab imperatore Lothario, & postea ab ipso restitutam. Diplomate dato XI cal. Julii circa annum 884 imperator Carolus Crassus, rogante Arnoldo episcopo, præcepta regum ac privilegia pontificum, nec non collata monasterio dona C probavit; statuens insuper ut eidem monasterio abbas semper præficiatur, qui ab episcopo ipsius civitatis aut ex eadem congregatione, aut si ibi dignus inveniri nequiverit, ex alia qualibet electus, moribus & doctrina clarescat: ut secundum regulam S. Benedicti & præesse & prodesse fratribus utiliter possit. Facultas etiam, intervenientibus Ludelmo episcopo & Reghinario comite, piscandi in fluvio Mosellæ uniuscujusque hebdomadis duos dies a Zuenteboldo rege collata est v cal. Januarii 898. Interpellatus ab Hattone Moguntino & Ratbodo Trevirensi præsulibus Ludovicus rex D villas & possessiones in diversis locis conjacentes præceptis superiorum regum, præcipue piissimi regis & genitoris sui Arnulfi confirmatas novo diplomate roboravit XIV calendas Septembris 906. Monasticam in rem non minori studio quam antecessores sui affectus Gauzlinus episcopus, monasterium a pristino instituto defecisse dolens, excitusque fama florentissimæ apud Floriacum monasticæ disciplinæ, eo se contulit. Inspecta propius loci religione, totius observantiæ ritum ac seriem inde retulit; moxque viris religiosis undequaque collectis in cœnobio S. Apri regularem E disciplinam restituendam curavit, præfecto ibidem Archembaldo abbate. In litteris ea de re datis v id. Octobris 935 ait se prædictam cellulam ad normam recti tramitis totis viribus studuisse revocare, præposito ei Archembaldo, boni propositi efficacissimo viro, cui fratres relicto omnimodis proprio arbitrio, secundum regulam S. Benedicti in cunctis obedirent, & spiritalibus cum eo negotiis vacarent pro utilitate regni, totiusque ecclesiæ statu. Et ne eamdem regularem observantiam ob inopiam terrenarum rerum posthac tepescere contingat.

Chart. IV, col. 450.

Mabill. Diplom. p. 545.

Ibid. pag. 552.

Mabill. Annal. Bened. t. III, p. 705.

se eis confirmare vicum S. Apri cum omni A sua integritate, aliaque permulta, quæ in eisdem litteris enumerantur: cum eo ut pro his fratres quotannis in festivitate S. Stephani duodecim panes, quas libras vocant, cum totidem sextariis vini sibi persolvant, & in missa Purificationis sanctæ Mariæ duos cereos pondere librarum quinque; nec non tempore militiæ regalis angariam convenientem. Ad hæc ut eidem cœnobio præficiatur abbas cum suo consensu & electione monachorum. Cum ille cerneret ita gregem monachorum crescere in dies, ut eis substantia monasterii non sufficeret, communi fidelium suorum, tam cleri- B corum quam laïcorum consensu adjunxit præbendæ monachorum ecclesiam in villa Columbario sitam, ab eodem cœnobio abstractam, quam Wido quidam & frater ejus Nizo in beneficium habuerant, XI cal. Januarii, ordinationis suæ 19, hoc est anno 941. Factam a Gauzlino non reformationem modo, verum & attributas monasterio possessiones præcepto laudavit Otto rex, qui & ipse alias protectionis litteras indulsit anno 965. Probante eodem pontifice Gauzlino vir nomine Arnulfus quoddam monasterium in prædiis suis construxit in pago Sigintise, præcipiens ut idem C locus subjectus foret monasterio S. Apri & abbati ipsius loci. Prioratus est Baini-villæ conditus anno 957, cujus bonis, suppresso titulo, monachi S. Apri nunc perfruuntur. Eodem anno a rege Lothario ecclesiæ Tullensi restituta fuit cella sancti Apri. Quia vero in Virdunensi civitate tunc nulla monachorum congregatio erat, quidam Virdunenses canonici Tullum accedentes, apud S. Aprum clericalem habitu monastico commutavere.

Chart. IX, col. 453.

Calmet, Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 352. Ibid. p. 374 & seqq.

Char. XI, col. 455.

Ad annum circiter 1030 monasterium vetustate lapsundum, semel & bis olim crematum, instaurari cœpit, curante in primis D Brunone episcopo, qui eximium in ipsius loci gratiam a Conrado imperatore consecutus est privilegium anno 1033, nec non ipse insigne hac de re monumentum dedit anno 1034. Locum hunc omni religione destitutum ad pristinam disciplinam Bertoldus episcopus, Brunonis decessor, revocaverat per domnum abbatem Willelmum S. Benigni Divionensis, quem vix evictum precibus idem præsul Bertoldus adduxerat a Burgundiæ partibus, eidemque loco regulariter præfecerat. Sed quia vita monastica, inquit Bruno, dum noscitur, videtur quasi contraria, cum vice mutata E viderent & audirent de ordine monachorum inusitata, & interdiceretur quibusdam curiosis fratrum familiaritas, quæ passim cunctis communis & facilis extiterat; his & aliis occasionibus cœpit oriri querimonia contra locum, & cum diffamatione vituperationis scandalum, ut quidam sapiens ait: *omnis subitatio rerum non fit sine quodam fluctu animorum.* Unde factum est ut a vicinis murmurantibus & detrahentibus, blasphemantibus & accusantibus, locus adversitatem diu sustineret, quam

Mabill. Diplom. p. 582.

a quibusdam excitabat non tam malitia, quam minus peccans ignorantia. At non multo post cœperunt, qui olim aversati fuerant, locum venerari, & boni ejus odoris famam degustare. Unde contigit ut plures eorum quærentes societatem adipiscerentur, plerique etiam monachi efficerentur: sicque crescente fidelium devotione, cœpit sæpe dictus locus donantium largitate sublevari, & ex eorum subsidiis a fundamentis instaurari monasterium: qua in re tanta extitit fidelium pietas, ut cives & suburbani saxa ingentia & lapides ad id operis conveherent, veteresque parietinas propriis manibus emundarent, ac cervicibus asportarent. Præcipuorum nomina, qui suppetias ad novam fabricam contulerunt, in his Brunonis litteris recensentur, scilicet imperator Chuonradus, Gissa imperatrix, aliique optimates, episcopi & abbates. Exstant & aliæ Brunonis litteræ datæ anno 1044 de cella Daguliaci, quam Galterus de Daguliaco assensu conjugis suæ Adilæ construxit, ac monasterio S. Apri subjectam esse voluit. Ipsum autem Brunonem ante episcopatum monachum S. Apri fuisse innuere videtur, quod aliis in litteris legitur, ubi hæc ait: *In quo* (loco) *ante episcopatum nostram societatem collocavi, in episcopatu autem positus, quibus potui ampliavi.*

Pibo itidem episcopus monasterium cum invisisset, quædam ad victum fratrum, ut eorum preces amplius sibi conciliaret, decessorum suorum exemplo augere cupiens, duo eis altaria concessit, scilicet altare de Bladenaco super Mosellam, cujus jam mediam partem habebant, & altare ecclesiæ de Fanis ultra Mosam juxta Barrum castrum, ea videlicet lege, qua cætera ejusdem abbatiæ altaria antiquitus tenuerant, id est, ut decedentibus vicariis, quibus tantummodo curam animarum, ait Pibo, committimus, ipsi eadem altaria redimere non compellantur, sed solummodo, ut dictum est, succiduos vicarios exhibeant, qui de manu nostra curam animarum suscipiant. Ad hæc addit alia dona idem piissimus præsul, & antecessorum suorum donationes confirmat, obsecratque successores suos ut hanc ipsius donationem ratam habeant, sicuti propria ipsorum decreta observari vellent. Hac de re in plenaria synodo dedit litteras IV idus Octobris 1072. Biennio post V id. Octobris Odelricum militem, qui portionem prædii Baini-villæ, quam ad subsidium fratrum inibi Deo servientium contulerat, invadere nitebatur, ad absistendum incœpto induxit. Factas etiam donationes ab antecessoribus suis Gauzlino & Brunone ad Widonis abbatis preces confirmavit anno 1080.

Instaurata fuerat ab Hadewide Lotharingiæ ducissa cella S. Petri in castro * Castaneti, * Chatenoy. & Roberti Molismensis abbatis ejusque successorum curis commissa. Processu temporis orta est hac de cella Molismenses inter & S. Apri monachos, ad quos olim pertinuerat. Hæc controversia coram Paschali II pontifice cum

ventilata esset, jure suo pacis amore cessere Molismenses, & in compensationem ab abbate & monachis S. Apri prædium dictum *Ixei* obtinuerunt anno 1115. Sequenti anno Riquinus episcopus cœnobio S. Apri concessit altare ejusdem loci. Matthæus I Lotharingiæ dux ultimam patris voluntatem exsequendi gratia restituit prædium vulgo dictum *Gerbecourt*, castralemque capellam de Castineto, & piscandi facultatem apud Godonis-villam est elargitus, jura etiam advocatorum fixit ad annum 1150. Consimiles litteras indulsit Ferricus dux anno 1211, nec non etiam immunitatem portorii in toto Lotharingiæ ducatu. Insignes quidem protectionis litteras anno 1218 Fridericus II imperator tribuit.

Ch. LIV, col. 505.

Pulcherrima ac vastissima quondam erat ecclesia, quam subversam fuisse volunt circa annum 1552, tempore scilicet quo obsidione cincta est ab imperatore Carolo V urbs Metensis. Metuebatur enim ne cum captæ fuissent Metæ, hostes hac uterentur ecclesia ad Tullum oppugnandum. Ipsam nec tanta tamen magnificentia instaurarunt abbates Jacobus & Ludovicus *de Tavagny* patruus & nepos, per quem in monasterium admissi sunt patres congregationis S. Vitoni anno 1611.

Catalogus Abbatum.

I. Apollinaris superstes anno 579, abbas S. Benigni Divionensis, simul Agaunensis & S. Apri Tullensis monasteriorum abbas fuisse traditur in chronico S. Benigni.

Spicil. t. I, p. 370.

II. S. Tranquillus seu Tranquillinus ad oram catalogi mss. abbatum S. Benigni Divionensis dicitur fuisse etiam abbas S. Apri. Sed utrum hi duo primi monasterium S. Apri rexerint sat dubium videtur.

III. Frotharius, monachus Gorziensis, tum abbas S. Apri, tandem episcopus Tullensis, strictiorem disciplinam restituit in monasterio.

Ch. III, col. 447.

IV. Stephanus I superstes an. 841.

V. Leoradus corepiscopus proprietatem abbatiæ S. Mauricii seu S. Apri a Lothario imperatore consecutus est an. 845.

VI. Fulbertus mansos tres conjacentes infra & extra civitatem Leuchorum a Carolo Imperatore accepit XVI cal. Martii an. 884.

VII. Stephanus II ab Arnulpho rege bonorum quorumdam confirmationem adeptus est an. 890. Paucis post annis idem rex Arnaldo episcopo restituit abbatias SS. Apri & Germani 893.

VIII. Sigedeus narrat in litteris datis anno 916 ad se venisse nobilem feminam, nomine Archilindem, adducentem secum unicum filium suum Framinicum, ut ille sub religione S. Benedicti cum aliis monachis Deo militaret. Eodem anno nonis Novembris a Drogone episcopo in plena synodo obtinuit restitutionem decimæ ecclesiæ S. Martini de Mannoni-curte.

Chart. VII, col. 452.

Annal. Bened. t. III, prob. col. 697.

IX. Archembaldus seu Erchemboldus anno 936 cum elogio memoratur in litteris Gauzlini episcopi de reformatione monasterii, cui ut

A boni propositi efficacissimus vir ab eodem præsule præpositus fuit. Quorumdam prædiorum commutationem fecit an. 942 cum Eva comitissa & Odelrico abbate ejus filio. Is XVII cal. Novemb. an. 8, regnante Ottone rege, in pleno concilio, in monasterio sancti Apri habito de villa *Masels* sita in comitatu Pertensi præstariam fecit nobili viro Aderauldo. Apud Treviros III id. Octobris adstitit dedicationi basilicæ S. Maximini. Buxeriensem parthenonem ex Archembaldi consilio Gauzlinus construxit, sanctimonialibusque inhabitandum tradidit. De reparatione monasterii S. Mansueti B audiendus Adso in libro de miraculis sancti Mansueti: « Gauzlinus episcopus, inquit ille, locum sancti Mansueti lapsantem considerans, adscito sibi ex loco S. Apri domno Erchembaldo patre venerabili, quem ipse illic abbatem ante constituerat, locum hunc in religionis ordinem committit reparandum. Qui vir venerabilis, ut erat religiosissimus, sub præpositorum manu monachorum aliquos delegavit, & quia illic stipendia eo tempore deerant, propriis sui monasterii sumptibus alendos instituerat. Ecclesiam S. Mansueti cœpit ædificare, sed morte præventus opus perficere non C potuit. »

X. Humbertus idem est cum Humberto, de quo fuse agitur in vita S. Johannis abbatis Gorziensis, sec. V, Act. SS. ord. S. Ben. p. 382 & seq. Hic parentibus ruralibus ortus, cum ruri in paterna domo versaretur, quidam ejus noti & affines eo diverterunt. Illi cubitum euntes, lanceolas, quas de more gestabant, fœni acervo proximo, verso sursum ferro, apponunt. Forte Humbertus adolescens, conscenso acervo, ibidem rei nescius obdormierat ad multam noctem: cum somno excitus egredi voluit, per acervum sensim se demittens, in D erectas cuspides incidit, ita ut interula veste ferro terebrata, per hastile usque ad terram decurreret, sed Deo servante, salvus & incolumis. Quo conspecto periculo, præsentem circa se Dei custodiam considerans, in reliquum vitæ ei tota virtute servire constituit. Nec multo post, licet patre plurimum reluctante, rebus cunctis posthabitis, Romam proficiscitur: indeque reversus cellulam reclusoriam Virduni sibi componit: ubi diurnæ abstinentiæ, cæterisque bonorum operum studiis totus deditus, lectione quoque assidua brevi E non modicum scientiæ thesaurum sibi comparavit, adeo ut, spiritu tantum magistro, cum rudis antea esset, sapientibus repente non dispar, certe superior in multis extiterit. Plurimæ ejusdem urbis feminæ ejus adhortationibus accensæ sunt, quarum altera postmodum mater plurimarum ancillarum Christi facta est in Buxeriensi monasterio, quod a Gauzlino episcopo constructum est. In ea itaque cellula multos agens annos, gratia domnum Einoldum & domnum Johannem visendi ei innotuit. Mox certæ ut sedis ipsorum famam percepit, cum eis & ipse habitaturus accurrit. In qua

societate de reliquo, pio admodum labore est conversatus, donec causa religionis exinde monasterio beati Apri Tullo translatus est, ubi & in cura gregis dominici beato fine quievit. Legitur anno 957 in charta famuli Dei Arnulfi de fundatione prioratus de Baini-villa. Distinguendus vero est ab Humberto S. Vitoni abbate, qui e monasterio S. Apri eductus, apud sanctum Vitonum decessit.

XI. Robertus subscripsit anno 968 litteris S. Gerardi in gratiam parthenonis Buxeriensis. Occurrit etiam an. 974, quo Odrada nobilis femina loco S. Apri, ubi fidelis monachorum turma Deo famulatur, res proprietatis suæ in comitatu Bedensi, in villa quæ dicitur Exartis, donavit. Adhuc superstes an. 976.

XII. Gozelinus an. 979 occurrit in charta sancti Gerardi. In diplomate Conradi Salici imperatoris de confirmatione bonorum sancti Apri edito anno 1033, princeps hic asserit monasterio quidquid in Vallerias abbas Goslinus contulerat.

XIII. Ruotbertus testis occurrit in donatione S. Gerardi facta an. 986 monasterio sancti Mansueti.

XIV. Willelmus S. Benigni Divionensis abbas, Bertoldi episcopi precibus victus, ab eodem pontifice præfectus est monasteriis sancti Apri, Medianensi & S. Mansueti, ut illa ad strictiorem disciplinam revocaret, uti jam fecerat in pluribus aliis monasteriis. In Fiscannensi cœnobio mortuus est anno 1031. Vide tom. IV, col. 675 & seqq.

Mabill. Diplom. p. 582.

XV. Widricus I institutus est prior sancti Apri a Guillelmo Divionensi abbate, qui cum sufficere non posset regendis tot monasteriis, quorum cura illi undique committebatur, Mediani-monasterii, S. Apri & S. Mansueti abbatem eum constituit. Monasterium S. Apri reædificavit & integrum renovavit. Possessionum confirmationem a Brunone episcopo consecutus est anno 1034, quo Harduinus sacerdos & monachus jussu ejus Brunonis ejusdem litteris subscripsit. Reperitur etiam anno 1036. En ipsius epitaphium:

Hac tegitur tumba monachorum lucida gemma,
Exemplum vitæ, maxima lux patriæ,
Abbas officio Widricus germine claro,
Eximius mundo, egregius Domino.
Dum revehit cursus per senas Martius idus,
Tale decus terris livida mors rapuit.
Nos petimus vidui misera sub sorte relicti,
Sit dignus regno vivere Christe tuo.

XVI. Herbertus testis occurrit anno 1036 in charta Brunonis episcopi pro S. Mansueto.

XVII. Widricus II, cujus tempore, scilicet anno 1044, Galterus de Daguliaco ex consensu suæ conjugis in antiquo sui juris prædio cœnobium quoddam monastico ordini aptum construxit ac monasterio S. Apri contulit, ut fidem faciunt litteræ Brunonis episcopi. Vitam S. Gerardi Widricus hic scripsit ac Brunoni nuncupavit. Historiam quoque translationis & miraculorum hujus Sancti ad Udonis primicerii, futuri postea episcopi, preces contexuit. Idem forte est cum præcitato Widrico, qui vestigia Guillelmi Divionensis tam proxime secutus est, ut alter Guillelmus haberetur. Obiisse dicitur post annum 1051, traditusque est sepulturæ in capitulo cum epitaphio.

XVIII. Fulcradus superstes anno 1057, chartæ Udonis episcopi contra indigenas Varengevillæ subscripsit.

XIX. Widricus III occurrit an. 1061 in charta donationis nobilis matronæ, nomine Holdierdis, quæ una cum unico filio suo Odelrico cœnobio S. Apri in manu Widrici ejusdem loci abbatis largitur sub certis conditionibus quidquid a progenitoribus hereditario jure possidebat in Badini villa. Memoratur etiam anno 1065 in litteris Udonis episcopi de restauratione ecclesiæ sancti Gengulfi. Non absimilis videtur a Widone, qui facultatem accepit restituendi vennam piscatoriam in Mosella apud Valencortem ab Udone episcopo an. 1069, pontificatus anno 17, præsentibus Grimbaldo S. Mansueti abbate & Odelrico cardinali archidiacono. Sub ipsius moderamine conditus est ab Hadewide Lotharingiæ ducissa prioratus de Casteneio circa annum 1070. Eodem subscripsit litteris Pibonis episcopi in gratiam Adalberonis abbatis S. Benigni Divionensis. Memoratur an. 1071 in charta Frederici Tullensis comitis confirmantis S. Apro villam de Oscada. Plurium possessionum confirmationem a Pibone assecutus est anno 1072. Exorta eum inter & Odelricum discordia de prædio Baini-villæ ab ipso episcopo sopita fuit v id. Octobris 1074. Res omnes tam a Bruchardo quam a Gauzlino & Brunone episcopis monasterio indultas laudari curavit an. 1079, & insequenti a præcitato episcopo Pibone. Postero anno altaria de Roseriis, de Vultumno, de Mocereolis, &c. ab ipso adeptus est. In chronico Johannis de Bayone sic memoratur ad annum 1083: *His etenim diebus Wido abbas S. Apri magnæ litterarum, scientiæ, ac simplicitatis vir, diebus Pentecostes mortis januam attigit.*

Ch. xxv, col. 471.

XX. Albericus an. 1073, ex instrumento monasterii S. Michaëlis ad Mosam.

XXI. Richardus I an. 1076 legitur in litteris Pibonis episcopi jubentis ut, qui ecclesiæ beatæ Mariæ de Asmantia deservirent, & parochiani loci ejusdem a subjectione Domni-Martini remoti essent, ne aliqua contentio vel controversia in posterum oriretur.

XXII. Evrardus I occurrit anno 1083. Subscripsit judicio Pibonis episcopi inter Sophiam comitissam & Hodiernam abbatissam S. Glodesendis pro capella sub Asmantia anno 1085. Legitur etiam an. 1086.

XXIII. Widricus IV, dictus etiam Guiricus, recensetur an. 1097 in instrumento Pibonis episcopi de fundatione prioratus sancti Jacobi in villa Syonna. Occurrit an. 1102 in litteris

Theoderici comitis donantis ecclesiam sanctæ Mariæ de Hasmangiæ-villa monasterio sancti Michaëlis; itemque anno insequenti in litteris Pibonis episcopi. Sancti Mansueti translationi interfuit anno 1104. Subsignavit an. 1111 documento Ricuini episcopi cellam Frodonis-villæ Pontio Cluniacensi abbati asserentis. Cum Guidone Molismensi abbate iniit an. 1115 compositionem de cella Castenetensi, quam Paschalis II papa Beneventi ratam habuit. Eodem anno Riquini episcopi protectionem expertus est adversus Alani homines, qui rebellaverant, litterisque præsulis ejusdem subscripsit an. 1116.

XXIV. Petrus I legitur an. 1116 cum Riquino episcopo & Germano abbate sancti Mansueti in charta Molismi. Litteras a præfato Riquino episcopo de cella Gondricuriæ adeptus est. Tuitionis bullam impetravit an. 1119 a Calixto II. Eodem anno decimas Waldonis-curtis, invito abbate Luxoviensi, sibi a Riquino episcopo asseri curavit, præsentibus & subscribentibus Stephano primicerio & Thietmaro abbate. Testis adhibetur in sententia lata a Riquino episcopo occasione litis exortæ inter monachos S. Michaëlis ad Mosam & sanctimoniales S. Johannis Laudunensis an. 1123. Occurrit adhuc an. 1124. *Annal. Bened. t. VI, pag. 647.*

XXV. Durandus I præerat an. 1126, ut constat ex litteris Riquini episcopi quibus subscripsit. Adstitit an. 1127 concilio Tullensi, in quo a Petro cardinali assignata fuit Cluniacensibus cella Frodonis-villæ. Memoratur anno 1128 in charta Henrici episcopi pro monasterio Trium-fontium. Occurrit etiam an. 1130, itemque 1131 in litteris Henrici episcopi pro S. Mansueto.

XXVI. Conradus legitur in notitia fundationis & dedicationis monasterii Bongartii per Gebeardum Argentinensem episcopum anno 1133.

XXVII. Evrardus II subscripsit an. 1136 præcepto Simonis Lotharingiæ ducis pro sancto Mansueto, atque etiam litteris Henrici episcopi Tullensis, concedentis eidem monasterio donum ab eodem duce ejusque uxore Adelaïde concessum.

XXVIII. Durandus II testis an. 1136 in litteris Henrici episcopi in gratiam monasterii S. Mansueti. Eodem circiter anno cum Rorico Calmosiacensi abbate coram Alberone Trevirensi archiepiscopo arbitro transegit. Decimas *de Messons* ab eodem Alberone confirmari fategit an. 1137. Recensetur an. 1140 in chartis Henrici pro S. Vitono & pro Herberto Regiæ-vallis abbate. Ad eumdem annum referenda videtur compositio inter abbatem sancti Apri & abbatem Luxovii a S. Bernardo Clarevallensi inita de ecclesia Gladonis-curtis. Occurrit adhuc an. 1143 in veteri documento monasterii S. Leonis. Memoratur & an. 1146. *Ch. XLIX, col. 499.*

XXIX. Hugo I legitur an. 1146 in litteris Simonis *de Paroye* feudum oppignerantis ecclesiæ S. Deodati. Subsignavit chartæ Henrici episcopi pro prioratu S. Donati anno 1147. Subscripsit an. 1149 sententiæ Adalberonis Trevirensis archiepiscopi, quam pro dominio Commerceii tulit in gratiam Tullensis ecclesiæ. Cum Rorico abbate Calmosiaci composuit, arbitro Trevirensi archiepiscopo Alberone, super decimis quas idem Roricus solvere detrectabat, circa annum 1150. Eodem anno litteras obtinuit a Matthæo duce Lotharingiæ de extensione jurium advocatorum. Chartam de juribus quæ haberent monachi in cella *de Gondricourt*, ab Henrico episcopo adeptus est an. 1151. Testis adhibetur an. 1157 in litteris Henrici episcopi pro S. Leone, 1163 pro Johanne abbate S. Mansueti, & in charta Jendorii, adhuc etiam 1164 pro S. Leone. Reperitur annis 1171, 1174, 1176 in charta Berthæ ducissæ pro S. Mansueto, atque tandem anno 1178. *Ch. LIV, col. 505.* *Ch. LVII, col. 507.*

XXX. Richardus II obtinuit anno 1179 a Petro episcopo confirmationem decimarum & oblationum ecclesiæ S. Maximini. Legitur in litteris ejusdem præsulis pro S. Leone & S. Michaële annis 1185, pro S. Vitono 1186, pro collegiata Liberdunensi 1188, pro cella Daguliaci 1189, quo vicarius generalis ab eodem prælato Petro, Jerosolymitanum iter mox aggressuro, dictus fuit. Occurrit & in alteris documentis annis 1190, 1193.

XXXI. Garinus seu Warinus, vel Warnerius, protectionis bullam adeptus est a Cœlestino III an. 1195. Memoratur an. 1197 in documento Odonis episcopi pro S. Leone. Composuit an. 1200 cum monachis de Crista. Subscripsit chartæ Matthæi episcopi Metensis pro sancto Arnulpho an. 1203. Possessionum monasterii confirmationem nactus est anno 1206 ab Innocentio III. Similes etiam confirmationes a Johanne Trevirensi archiepiscopo & a Reginaldo antistite impetravit an. 1210. Reperitur an. 1211 mense Junio in diplomate Ferrici Lotharingiæ ducis de jure advocatorum S. Apri; insignem etiam immunitatem ac privilegium anno & mense iisdem ab ipso duce nactus est. Legitur & an. 1212 in tabulis, nec non an. 1215 in donatione decimarum *de Choloy*. Privilegium est assecutus an. 1218 a Friderico imperatore. Aliis in actis occurrit ad annos 1219, 1221, 1226 & 1227 quo fundavit prioratum S. Georgii. Factus postea Tullensis episcopus, ut supra dictum est.

XXXII. Goffridus pedum pastorale obtinebat an. 1229. Fratribus Vallis-Scholarium immunitatem inserviendi culinæ & furno monasterii S. Apri fecit 1230. Cum D. sancti Symphoriani abbate iniit societatem 1231. Intelligentia & experientia destitutus, obiit circa annum 1237 vel 1238, in miserando statu monasterium relinquens. *Spicil. t. III.*

XXXIII. Widricus V ex abbate Senoniensi a monachis S. Apri, authore Rogerio episcopo, in pastorem postulatus est an. 1239. Ubi ad S. Aprum se contulit, ex Senoniensi cœnobio locisque pendentibus quæcunque potuit

potuit secum asportavit: sciebat enim monasterium sancti Apri ad indigentiam redactum, bona & prædia atque ornamenta ecclesiastica, omnemque sacram supellectilem abalienata. Verum prudenti administratione res recuperavit alienatas, ac monasterio pristinum splendorem restituit. Societatem precum iniit anno 1142 cum monasterio Senoniensi. Ad fratrum sustentationem portionem decimæ de Boverennis, tributam a nobili domina Ida de Mervilla, sorore quondam domini *de Choiseul* adsignavit an. 1246. Defunctus anno circiter 1259, humatur in ecclesia ad dexterum latus. Idem forte est, qui in nonnullis documentis vocatur Viardus.

XXXIV. Petrus II præerat anno 1260. Advocatiam loci dicti *Velley-le-sec*, & alia loca ab Hugone *de Gondreville* acquisivit an. 1261. Memoratur adhuc annis 1262 & 1263.

XXXV. Gualterius occurrit anno 1267. Cum abbate sancti Mansueti super decimis vinearum sitarum in montibus Barri transegit an. 1274. In documento reperitur an. 1279. Abdicavit se ab abbatia, ut constat ex charta prioratus de Layo confecta an. 1288, in qua leguntur hæc verba: *Je Vatier, qui ja fus abbé de Saint-Epvre, demeurant à Champenoux.*

XXXVI. Hugo II in diversis documentis singulis fere annis occurrit ab anno 1280 ad annum 1289.

XXXVII. Radulfus, officialis Tullensis, legitur an. 1290 mense Novembri in litteris Bertrandi *de Daneuvre*. Transactionem iniit an. 1291 cum Jacobo de Vadimonte milite. Coram Conrado episcopo placitavit 1293 adversus Simonem comitem *de Sarbruche* dominum de Commerciaco super villa *de Valroy*. Capellam B. Mariæ de Castineto fundavit an. 1294. Superstes an. 1297.

XXXVIII. Hugo III a Conrado episcopo quosdam obtinuit reditus apud Saponarias ad fratrum sustentationem an. 1298. Memoratur etiam an. 1300.

XXXIX. Gerardus an. 1303 & 1307 in litteris authenticis datis die Lunæ post Pascha. Convenit an. 1308 cum Alberto *de Voullans* de eligendis judicibus, ad quorum arbitrium finiatur disceptatio de cujusdam bosci possessione.

XL. Guillelmus I sedebat annis 1314, 1315. Sigillum suum apposuit litteris hominii redditi Eduardo comiti Barrensi an. 1317. Captus est an. 1319 ab Alberto *de Tellon* milite ejusque consciis, qui crudeliter ei cæderunt nasum, manum & pedem, paucisque post diebus decessit.

XLI. Petrus III electus an. 1320, strenue Guillelmi antecessoris sui interfectorem coram Ferrico duce, S. Apri advocato, judicio persecutus est. Cum aliquanto litigatum fuisset, statutum est ut interemtor fundaret ac dotaret capellam in monasterio S. Apri, quæ ab abbate conferretur. Obiit an. 1323.

A XLII. Hugo IV Romam directus fuit ab Amedeo *de Geneve* episcopo an. 1325.

XLIII. Guillelmus I *de Roziers* electus an. 1328, statuta condidit an. 1329, excessitque e vita anno 1359, sepultus in navi ecclesiæ.

XLIV. Walterius I seu Waltrinus *de Faviers*, utroque enim modo legitur in variis instrumentis. Distinguendus itaque non est alter ab altero, cum unus & idem sit abbas. Transegit an. 1359 cum priore & monachis de bonis quæ ad mensam abbatialem pertinere debebant. Sigillum suum apposuit 15 Julii 1373 litteris B de erectione Mussi-pontii in civitatem. Dedit an. 1375 præposito monasterii domum sitam in ipso ingressu cœnobii, quæ ad infirmariam spectabat, eo quod collapsam fere instaurasset. Oppidanis Tullensibus apocham 50 florenorum parvorum auri dedit an. 1377. Legitur anno 1383 in documento sancti Michaëlis. Pactionem sancivit an. 1396 cum Johanne *de Launoy* & Adelarda ejus uxore. Litteras edidit de prioratu de Daguliaco, tractatumque iniit cum Johanne cardinali de Novo-castro anno 1401, quo monasterium ab oppidanis crematum fuit, ex eo quod monachi contra C urbem arma sumsissent, dum illa a Lotharingiæ duce obsideretur.

XLV. Hermannus *d'Orgeviller* occurrit 1403 & 1405. Subscripsit an. 1406, 3 Aug. cum Philippo *de Ville* episcopo chartæ unionis inter scabinos & alios magistratus Communiæ civitatis Tullensis. Præfuit electioni fratris Reginaldi de Gondravilla in præpositum monasterii, eamque confirmavit anno 1408, 17 Septembris. Adfuit annis 1414 & 1415 concilio Constantiensi, ubi a patribus consultus est de reformandis monachis. Tullum reversus cœtum habuit an. 1420 in ecclesia cathedrali, D Henrico *de Ville* episcopo præside, statutaque, adstantibus abbatibus, a se condita proposuit. Ex quo tempore in monasteriis totius provinciæ Trevirensis disciplina regularis vigere cœpit. In quibusdam instrumentis reperitur annis 1422 & 1426. Sepultus fuit an. 1433 in navi ecclesiæ.

XLVI. Walterius II seu Waltrinus *de Chastenois*, monasterii præpositus, zelo religionis & scientia præditus, per obitum Hermanni ab Eugenio IV abbas instituitur an. 1433. Præsentavit 11 Septembris 1439 ad ecclesiam parœcialem Angelicæ-villæ. Eodem capsam E S. Apri fabricari curavit. Adfuit an. 1441 translationi reliquiarum sanctorum episcoporum Tullensium in monasterio S. Mansueti. Plurimas possessiones fategit firmari a Ludovico *d'Haraucour* episcopo anno 1448 die 12 Januarii, & cum Guillelmo *Fillatre* ejus successore disceptavit de limitibus suburbii. In gratiam Nicolai *de Valfracour* prioris de Daguliaco, qui in Pauli II papæ manibus prioratum abdicaverat, abbatiam cessit an. 1468, reservata pensione sexaginta librarum. Mortuus 31 Januarii 1469 sepulturam habuit ante

januam chori cum hoc epitaphio: *Cy gist frère Waultrain de Chastenois qui fut abbé de ceans l'espace de 36 ans, qui trepassa l'an de grace M. CCCCLXIX le darrien jour du mois de Janvier. Dieu ly face paix. Amen.* A

XLVII. Nicolaus *de Valfracour* per Walterii resignationem bullas Romæ datas obtinuit XVI cal. Januarii 1468. Johanni *Lambelin* ad vitam tam ipsius quam filiorum ejus ad censum dedit hortum aliumque fundum anno 1477. Colligitur ex quodam instrumento benedictum illum non fuisse ante annum 1478. Scabinorum juramentum excepit anno 1474. Sub ipsius regimine unitus est partim mensæ abbatiali, partim conventuali prioratus de Daguliaco. Hanc unionem ad commodum proprium & tantum ad vitam obtinuerat, ut liquet ex instrumento possessionis ab ipso acceptæ an. 1469. Illum summus pontifex commendavit Johanni Lotharingiæ duci anno 1479. Sequentis in gratiam se abdicavit anno 1489, ac decessit an. 1495, die 20 Aprilis. B

XLVIII. Guillelmus II *Gaultier* per præcedentis cessionem bullas obtinuit III id. Dec. 1489. Renati ducis Lotharingiæ & regis Siciliæ procurator instituitur mense Februario 1494 ad negotia quædam cum Henrico a Lotharingia, episcopo Metensi, regis patruo, tractanda, quæ perfecit an. 1495, quo cum capitulo S. Gengulphi transegit. Memoratur etiam ad annos 1500, 1502, 1504, 1505, 1509. C

XLIX. Balthasar *du Chastellet*, simul abbas S. Vincentii Metensis, prioratum de Bainvilla mensæ conventuali uniri curavit an. 1512. Occurrit & annis 1520, 1521. Quatenus procurator Hectoris *d'Ailly* episcopi, pro eo possessionem accepit 12 Augusti 1524. Præerat adhuc annis 1525, 1527, 1528.

L. Franciscus *de Stainville* an. 1527 reliquiarum S. Apri translationem fieri procuravit; sed incertum an id egerit quatenus abbas: is siquidem præpositi munus exercebat cum obiit an. 1537. D

LI. Johannes *de Lorraine*, cardinalis & episcopus Tullensis, electionem Francisci *de Stainville*, ad prioris gradum promoti, qua abbas ratam habuit an. 1533. Sivit an. 1535 ut a monachis processio SS. reliquiarum per urbem fieret. Sequenti transcripsit abbatiam.

LII. Claudius *Penicier* per superioris cessionem abbas, præerat anno 1535. Statuta quædam condidit an. 1536 de modo recipiendi novitios ad conversionem. Assignavit anno 1543 viginti libras pensionis annuæ Roberto Archangeli. Coadjutorem adscivit sibi Jacobum *Baudoir* 1547. E

LIII. Jacobus I *Baudoir* bullas ad coadjutoriam obtinuit an. 1547. Occurrit an. 1551. Ille ejusque successor sepulti sunt in ecclesia Bainvillæ.

LIV. Adrianus *Baudoir*, præcedentis nepos, pastorale pedum obtinebat annis 1557 & 1558, 7 Junii.

LV. Jacobus II *de Tavagny*, primum thesaurarius, deinde per obitum Adriani electus 15 Martii 1559, possessionem iniit 12 Augusti insequentis. Præclara confecit statuta 17 Maii 1567, quorum plura spectant ad admissionem puerorum in monasterium, quos nisi nobiles admittere non licebat, vetitumque eis erat vota emittere ante annum ætatis 17. Eodem anno 10 Junii testis fuit sacramenti episcopo Tullensi præstiti a Francisco *Thouvenin* abbate Bosonis-villæ. Nepotem suum Ludovicum *de Tavagny* assumsit in coadjutorem an. 1587. Visitator ordinis S. Benedicti in terris legationis cardinalis a Lotharingia constitutus fuerat anno 1595, multosque ex ejus zelo & religione nasci turos fructus sperabatur: verum migravit e vita 1596, 4 Martii. Sepultus in ecclesia, quam restauravit, cum hoc epitaphio: *D. O. M. Virginique Mariæ. Reverendo D. Jacobo* de Tavagny *hujus cœnobii meritissimo abbati, cænobitarum suorum patri amantissimo. Muneris sui cura, suorum studio, charitate in pauperes, beneficentia in omnes, laudatissimo præsuli hujus templi, hæreticorum furore subversi, restaurationis inceptori liberalissimo, expleta mortalitate anno Christi M. DXCV, II non. Martii, ætatis 68, regiminis 38. Eaque ad basim hujus columnæ deposita, meritam immortalitatem expectanti mærens posuit patruo bene merito reverendissimus D. Ludovicus* de Tavagny *episcopus Christopolitanus, ejus in eodem monasterio successor.*

LVI. Ludovicus *de Tavagny*, Jacobi nepos & coadjutor ab anno 1587, benedictionis munus accepit ab episcopo Tullensi 25 Martii 1596. Pactionem cum vicario perpetuo ecclesiæ *de Mousson* hoc ipso anno sancivit. Reformatos congregationis S. Vitoni monachos admisit 1611, quo anno factus fuit episcopus Christopolitanus. Cœptam a patruo ecclesiam absolvit ac consecravit anno 1613. Eodem anno vicit in judicio dominum *de Bassompierre* apud Nanceianum prætorium. Lateritiam officinam dedit ad censum an. 1614. Adjuncto sibi coadjutore nepote suo Marco-Francisco *de Cicon*, cui bullæ a Gregorio XV concessæ fuerunt anno 1621, diem clausit extremum anno 1643, 7 Augusti, sepultusque est in ecclesia cum hac epigraphe: *Hic sita sunt ossa illustrissimi a longa nobilium avorum serie clarissimi præsulis Ludovici* de Tavagny *episcopi Christopolitani & hujus monasterii abbatis vigilantissimi, qui postquam has ædes bellorum calamitatibus dirutas & ab avunculo designatas sed vix exaratas magnifice restituit. Torpentem & pene extinctam monast. disciplinam excitavit: morumque integritate & inculpatæ vitæ insignis. Innocentia omnibus charus, nemini ingratus. In pauperes indulgentissimus ævum transegit æternitati maturus. Sed omnium votis citius ereptus inter suorum lacrymas non recuperabili pietatis jactura tandem denascitur V. A. LXXXIIII. M. III, reparatæ salutis A. M. DCXLIII. Marcus-Franciscus* de Cicon *ex sorore nepos*

& hujus monasterii abbas commendatarius ingenti dolore confectus monumentum hoc, quod pientissimus avunculus sibi vivens fecerat, inscribi curavit.

LVII. Marcus-Franciscus *de Cicon de Richecour*, clericus Vesontionensis, superioris nepos & coadjutor, abbatiam tenuit in commendam, possessionemque adeptus est 10 Septembris 1643. Submovit æmulum Hubertum *Rollet*, a monachis electum 15 Septembris 1643, & in possessionem immissum 20 Junii 1644. Defunctus an. 1663, jacet in ecclesia hoc epitaphio donatus : *Cy gist reverend pere en Dieu & noble seigneur Marc-Francois* de Cicon *abbé de ceans, lequel ayant vescu 57 ans, & tenu le siege de cette abbaye 20 ans, mourut le 4 de Fevrier 1663.*

LVIII. Nicolaus-Franciscus, dux Lotharingiæ, bullas accepit ab Alexandro VII datas VI idus Martii 1663, nactusque est possessionem 23 Maii.

LIX. Hilario *de Bar*, monachus, a capitulo canonice electus 7 Februarii 1663, aliquandiu potitus est, cedente & electionem ejus probante duce Nicolao-Francisco.

LX. Carolus *de Castellan*, simul abbas Silvæ-majoris, designatus fuit an. 1663 vel 1664. Parisiis obiit 28 Novembris 1676, ut diximus tom. II, col. 877.

LXI. Claudius-Franciscus *du Chastenet de Puisegur*, nominatus a rege 1677, adhuc sedebat 1707.

LXII. Armandus cardinalis *de Rohan-Ventadour*, coadjutor tum episcopus Argentoratensis, renunciatus est a rege abbas an. 1736, ac decessit an. 1756.

LXIII. Ludovicus-Constantinus princeps *de Rohan*, cardinalis & Argentoratensis episcopus inunctus anno 1757 die 6 Martii, commendator ordinis S. Spiritus, abbas Lyræ itemque sancti Apri 13 Septembris 1749, Parisiis occidit 11 Martii 1779, ætatis suæ anno 82.

SANCTUS-MANSUETUS.

SAINT-MANSUY.

QUONDAM fuit in loco, ubi exstat abbatia sancti Mansueti oratorium, ab eo primo Leucorum apostolo in honorem principis Apostolorum conditum, quod postea dictum fuit de S. Mansueto, ob frequentiam miraculorum, quæ ad ejus tumulum Deus est operatus. Ad hujus sancti præsulis sepulchrum S. Martinum Turonensem Treviros adeuntem Deo preces fudisse dicunt. S. Gauslinus Tullensis basilicam hanc cœpit instaurare, ut testatur Adso abbas Dervensis in libro de miraculis S. Mansueti: Gauslinus episcopus, inquit, locum sancti Mansueti lapsantem considerans, adscito sibi ex loco S. Apri domno Herchemboldo patre venerabili, quem ipse illic abbatem ante constituerat, locum hunc in religionis ordinem committit reparandum. Qui vir venerabilis, ut erat religiosissimus, sub præpositorum manu monachorum aliquos delegavit, & quia illic stipendia eo tempore deerant, propriis sui monasterii sumtibus alendos instituerat. Ubi S. Gerardus Tullum accessit, ut episcopatus possessionem acciperet, in ecclesiam sancti Mansueti Deo preces effundendi gratia deductus est, simulque votum coram omni clero emisit eam prorsus exstruendi. Et vero non votum modo complevit, sed & locum in abbatiam erexit, tributis ad dotationem quam amplissimis donis ac possessionibus. Hac de re habentur litteræ Ottonis I imperatoris Coloniæ datæ anno 965, in quibus Gerardus, venerabilis Tullensis ecclesiæ præsul, imperiali clementiæ suggessisse dicitur quemdam locum in suburbio ejusdem suæ civitatis ab antiquo quidem fundatum, sed præcedentium injuria temporum rebus destitutum, religione depravatum, ædificiis corruentibus omnino collapsum esse. Qui locus in honorem S. Petri consecratus & corporibus S. Mansueti primi ejusdem civitatis episcopi, simulque beati Ammonis prædictæ urbis itidem antistitis decoratus, a bonæ memoriæ Gauzlino antecessore suo reparari cœptus fuerat, sed opere imperfecto relictus: hunc vero se ex integro restaurare velle, rebusque ac reditibus augere; ideoque abbatem, nomine Adam, regularibus disciplinis eruditum, cum consilio Brunonis archiepiscopi ac principum regni, fratribus ibidem consistentibus præfecisse; & tam ex his, quæ quondam eidem loco subjectæ fuerant, quam ex aliis episcopii sui rebus, cum suorum fidelium consensu dotasse. Quæ omnia Otto magnus cum suo, tum filii sui æquivoci nomine, ratum gratumque habet. Gravi febre a S. Mansueto ratus B. Gerardus se correptum fuisse, duas villas, Angeriacum & Molzeiacum, quondam a se traditas & jam inde ablatas monasterio restituit anno 974. Litteras de confirmatione tam institutionis a se factæ, quam & omnium concessionum indulsit anno 982. In sacrario cernitur ejus annulus & calix, qui est cupis deaurata & depressa. Visitur & ejus alba, septem pedes longa, ex qua ipsum magna statura fuisse conjicitur. Odelricus de Novo-villari frequentibus morbis identidem vexatus, domum sancti Mansueti frequentare consueverat, eique crebro subvenit ejusdem Sancti miseratio. Hinc tanta in eumdem locum accrevit ejus benevolentia, ut se & conjugem suam ibidem sepeliri decreverit. Duos itaque mansos & quædam alia prædia largitus est an. 1034, comprobante Brunone episcopo, qui factam a nobili viro Rainardo donationem ratam habuit. Ipse quidem Bruno Dodoni, quem ejus loci præfecerat abbatem, contulit ecclesiam Paterniaci-villæ super Mosam fluvium anno 1037. Factus & ipse summus pontifex sub nomine Leonis IX, eidem abbati privilegium indulsit de confirmatione omnium possessionum anno 1050. Udo Brunonis successor advocatos monasterii magis obfuisse quam præfuisse considerans abolevit, & in protectionem ac tutelam illud suscepit. Pibo

Chart. XIV, col. 459.

Ch. XIX, col. 463.

Ch. XXI, col. 466.

Ch. XXIII, col. 469.

Ch. XXIX, col. 476. iidem episcopus plures indulsit litteras, scilicet anno 1094 de fundatione prioratus sancti Ch. XXX, col. 477. Theobaldi de Amervilla; nec non anno 1097 conditam ab Urso Beneventano eremita prope Novum-castrum cellam S. Jacobi contulit: ecclesiam quoque S. Amandi urbis Tullensis tradidisse dicitur. Ratam quidem habuit fun- Ch. XXXI, col. 479. dationem de Leronis-villa anno 1101. His præsulibus merito adjungendus Riquinus: is Ch. XXXIII, col. 482. siquidem prælatus an. 1112 ecclesiam sancti Florentini in parochia villæ domni Germani a S. Gerardo constructam confirmavit. Monas- Ch. XXXIV, col. 483. terii res omnes auctoritate sua roboravit anno Ch. XXXV, col. 484. 1118, ecclesiam B. Dodonis martyris a viro illustri Widrico traditam laudavit an. 1122, Ch. XXXVI, col. 485. vetuitque anno 1123 ne Molismensis abbas monachos in ecclesiam S. Nicolai immitteret, collocatis ibidem monachis S. Mansueti. Id Ch. XLIII, col. 492. Riquini propositum Henricus ejus successor comprobavit an. 1131. Feudum de Monceio a Simone duce Lotharingiæ & Adelaide ejus uxore concessum asseruit monasterio an. 1136. Char. LIII, col. 504. Priusquam vero Jerosolymitanum iter aggrederetur, altare de Domna-Basula impertitus est; & in instauratione prioratus S. Donati, Chart. LII, col. 501. cujus initia referuntur, tributas donationes Ch. LXIII, col. 516. laudavit an. 1147. Litteras etiam de libertate parœciæ S. Mansueti dedit an. 1163.

Primi Tullenses episcopi in ecclesia sancti Mansueti sepulti sunt: enimvero paulo ante Pibonis obitum detecta sunt tria feretra, quorum duo continebant ossa scilicet Ammonis, S. Mansueti successoris immediati, Alchæ, Celsini, Auspicii & Ursi, cum eorum sandaliis, aliisque pontificalibus indumentis: in tertio reperta tria capita & ossa trium corporum, sub quibus capitibus nummus æreus inventus fuit & numisma L. Veri. Ex quibus indiciis quibusdam visum est hæc esse corpora regis & reginæ, eorumque filii, qui S. Mansueti interventu ex undis divinitus erepti sunt. Hæc porro feretra posita in veteri cancello monasterii, ubi crypta erat opere cæmentarii in modum arcus triumphalis curvata & rotunda, in qua tria hæc feretra detecta sunt an. 1107 a Theomaro abbate, cum novo operi insisteret: ad quod dedicandum Richardum Albanensem episcopum invitavit. Detectæ quidem fuerunt reliquiæ sanctorum apostolorum Petri & Pauli, de quibus Gregorius VII multis ante annis Tullenses qui SS. Apostolorum limina visitatum Romam adierant, hæc allocutus fuisse dicitur: « Fœlix urbs Leucha, » gloriosi confessoris Christi & apostolici præ- » sulis Mansueti corpore decorata, sed vigilantia » ipsius, sanctorum apostolorum Petri & Pauli » reliquiis gloriosius insignita: sicut enim veri- » dicis historiographorum probatur sententiis, » & prout Romanæ bibliothecæ monstratur » thomachartis, post Romam quæ triumphali » sanctorum Apostolorum passim refulget cruore » martyrii, ita Tullensis civitas apostolici fre- » quentatur visitatione præsidii, ut nusquam alias » in toto orbe tanta portio earumdem reliquiarum valeat reperiri; nec summopere laborandum » est ut eorum sepulchrum peregrinando longius » requiratis, quos propius & frequentius reli- » quiis adesse spiritualiter confidatis. »

Insignem basilicam S. Mansueti incendio & incuria a longinquis temporibus collapsam impensis magnis reparari & nova structura, ædificari curavit Ludovicus de Haraucuria episcopus Tullensis. Sed hæc diu non substitit, nam gubernator urbis, nomine *Montarlot*, veritus ne Carolus V imperator Tullum obsidione cingeret, eam simulque ædificiorum maximam partem combussit an. 1552. Ædificia instauravit, collapsamque disciplinam restituit Johannes *de Maillane* episcopus & abbas, qui anno 1610 in vigilia Pentecostes reformationem congregationis S. Vitoni induxit. Ecclesiam quidem ædificasset, nisi morte fuisset præventus. Conversum itaque est in ecclesiam refectorium, ubi Deo laudes nunc persolvuntur. Titulus abbatialis extinctus est, mensaque abbatialis unita episcopatui Tullensi in compensationem duorum episcopatuum Nanceiensis & S. Deodati ab illo distractorum. Qua de re breve regium dedit rex Ludovicus XVI anno 1776 die 11 Augusti; qui quidem rex jussit ut extinctis titulis prioratuum S. Laurentii de Rinello & S. Jacobi ad Montem, primus archidiaconis Tullensibus tribueretur, & religiosi S. Mansueti altero gauderent.

Series Abbatum.

I. Adam, a sancto Gerardo episcopo creatus abbas, memoratur in privilegio Ottonis imperatoris de fundatione monasterii anno 965, ubi dicitur regularibus disciplinis eruditus, vir boni testimonii, moribus, verbis, & actibus præfulgens. Consimili laude extollitur an. 986 in litteris S. Gerardi.

§ Subjicitur Adamo a quibusdam Adso Dervensis abbas.

II. Faribertus 971 recensetur in charta S. Gerardi de fundatione ecclesiæ S. Michaëlis de Monte-Barro, cujus administratio ei commissa fuit ab eodem sancto præsule. Notatur in chronologiis vetusto & novo 14 Septemb.

III. Adalbertus florebat an. 982, moribus laudabilis, rector pugil monastici ordinis; apud nos, inquit S. Gerardus, obtinuit locum magnæ familiaritatis. Verba hæc excerpta sunt ex litteris S. Gerardi, ecclesiam Medii-vici S. Mansueto largientis. Mediani-monasterii simul & S. Mansueti abbas. De eo ita necrologium ad diem 16 Octobris: *Commemoratio venerandæ recordationis Alberti, quondam abbatis quarti hujus monasterii, cui S. Gerardus contulit ecclesiam SS. Agentii & Pientii de Medio-vico.*

IV. Ruodbertus, regnante Othone, accepit a S. Gerardo ecclesiam Andeliaci an. 986. Ch. XV, col. 460.

V. Guillelmus I, abbas S. Benigni Divionensis, simul præfuit monasteriis S. Mansueti, S. Apri & Mediano-monasterio.

VI. Widricus I ex priore S. Apri factus

abbas ejusdem cœnobii, sancti Mansueti & Mediani-monasterii, laudem habet apud Wibertum archidiaconum in vita S. Leonis papæ IX, vivebatque anno 1030.

VII. Hunaldus dono Dei abbas S. Mansueti, primi sanctæ Tullensis ecclesiæ episcopi, 1034 excepit testamentum Odelrici de Novo-villari, sepulturam apud S. Mansuetum eligentis *anno gloriosissimi Chuonradi regnantis X, Imperatoris VIII. Domno siquidem Brunone episcopo pastoralitatem sanctæ Tullensis ecclesiæ sobrie feliciter regente, VIII introitus sui anno, ordinationis vero VII.* Reginaldum seculum fugientem monastico schemate induit, variis donis ab eo acceptis, probante in primis Brunone episcopo. Annum 1036 non excessit.

VIII. Dodo sedebat anno 1036, quo Bruno decimas Barri-montis a comite Tullensi Rainaldo ablatas restitui monasterio curavit. Idem Bruno episcopus interventu dilectissimi Dodonis monasterio S. Mansueti 1037 donat Paterniaci villam, aliasque donationes confirmat. (Ch. XIX, col. 463.) Eidem Dodoni 1050 idem Bruno factus papa, dictusque Leo IX pontificatus sui anno secundo, Tullensis episcopatus anno vicesimo sexto bullam protectionis concessit. (Ch. XXI, col. 466.) Dodoni etiam abbati Udo episcopus 1054 varias restituit ecclesias; (Ch. XXII, col. 469.) denique Dodo turris fabricam a fundamentis ad tectum usque protraxit. Vivere desiit 20 Aprilis.

IX. Grimbaldus memoratur an. 1065 in litteris Udonis episcopi de instauratione ecclesiæ S. Gengulphi. Donationem an. 1069 ab eodem præsule excepit. Subscripsit anno 1072 instrumento Pibonis episcopi pro monasterio S. Apri. Ecclesiam ædificiis externis, internisque ornamentis decoravit. Altare sanctorum Apostolorum tabula argentea, auro, gemmisque ornata insignivit. Cœptam a decessore perfecit turrim, in cujus summitate crucem deauratam cum aquila desuper posuit. Defunctus 20 Junii ex necrologio S. Vincentii Metensis.

X. Albericus monachos in ecclesiam sancti Pientii de Medio-vico immisit. Legitur in litteris Pibonis episcopi de ecclesia B. Mariæ de Asmantia an. 1076. Sigillo suo munivit litteras Sophiæ comitissæ quamdam capellam largientis S. Michaëli ad Mosam in manibus Sigifridi ejusdem loci abbatis an. 1085. Sic memoratur in historia reliquiarum S. Petri in monasterio S. Mansueti asservatarum: « Facto » de medio Grimbaldo, successit Albricus, homo » nulli secundus, scientia & sermone disertus, » qui frequentiam multitudinis convenientis ad » sancti solemnia confessoris (Mansueti) infra » monasterii septa recipi non posse condoluit: » unde & inspiratione divina ecclesiam a sanctuario & supra ampliare devovit. Cœpto igitur » operi operator indefessus insistens muri ambitum usque ad curvaturam arcuum per circuitum » extulit, & humana præreptus sorte in crypta » eadem ad memoriam fundationis obtinuit

A sepulturam. » Non ita pridem inventum est in eisdem cryptis ejus epitaphium:

Grex humilis ploret, plangat miserabilis oret,
Nam patris excidium fit gregis excidium.
Abbas Albericus sapiens, pius atque pudicus,
Hanc fabricam statuit, causa caputque fecit.
Heu ruit octonas Maio referente calendas,
Nunc cinis est & humus, sit sibi vita Deus.

XI. Theotmarus præfuisse reperitur anno 1079, sedente Pibone episcopo, a quo anno 1090 monasterii sui cryptas procuravit con-
B secrari. Memoratur an. 1094 in charta fundationis prioratus S. Theobaldi de Amerivilla, (Ch. XXIX, col. 476.) & anno 1097 in instrumento fundationis prioratus S. Jacobi in Monte-Syon, (Ch. XXX, col. 477.) cujus ecclesiam hoc anno dedicavit Pibo episcopus, providensque monachorum inibi habitantium altare S. Germani de Sionia eidem concessit, subscribentibus Thiotmaro sancti Mansueti & Widrico S. Apri abbatibus, Hugone primicerio, Luitulfo decano. Anno 1101 Framerus vir nobilis Jerosolymitanum iter aggressurus (Ch. XXXI, col. 479.) Theotmaro abbati medietatem ecclesiæ de Leronis-villa concessit, subscribentibus Pibone
C episcopo, Widrico S. Apri abbate, & Rainaldo comite. Adstitit an. eodem synodo Tullensi, in qua Riquinus episcopus Cluniacensi monasterio adjudicavit cellam Frondonis-villæ. Reliquias sancti Apri novam recondidit in capsam an. 1104. Primorum sancti Mansueti successorum episcoporum corpora detexit anno 1107. Eumdem Riquinus præsul an. 1112 (Ch. XXXIII, col. 482.) dilectum filium suum appellat, virum honestate morum, vitæque religione merito venerandum. Subscripsit an. 1116 chartæ fundationis & concessionis prioratus de Casteneto factæ Widrico abbati S. Apri ab Hadvide conjuge
D Gerardi de Alsatia. Præsens fuit an. 1117 cum Barri comes juri investituram abbati sancti Michaëlis ad Mosam tradendi nuncium remisit. Variis in chartis adhuc occurrit ad annos 1118, (Ch. XXXIV, col. 483.) 1122, 1123, 1124. (Ch. XXXV, col. 484.) Rogatus ab indigenis Domnæ-Basulæ ut acciperet curam ecclesiæ sancti Donati, ad eorum preces huic ecclesiæ adnexuit bona, quæ monasterium S. Mansueti (Charta XXXVII, col. 486.) in loco de Domna-Basula habebat. Hæc tamen ecclesia prioratus titulo insignita, abbatiæ sancti Mansueti concessa est circa annum 1147. Eximium habet elogium editum tom. II histor. Lothar. prob. col. 278, ubi historiam reli-
E quiarum SS. apostolorum Petri & Pauli in monasterio S. Mansueti asservatarum lege si lubet. Notatur in necrologio S. Leonis II cal. Februarii.

XII. Theobaldus vixit circa annum 1126. Brevis de eo fit commemoratio: *Successit Theotmaro vir venerabilis Theobaldus, cujus temporibus se protectorem esse Tullensis urbis & ecclesiæ crebris beatus Mansuetus miraculis dignatus est propalare.* Fatis concessit 20 Octob.

XIII. Rainaldus memoratur 1126 in carta Henrici Tullensis episcopi, monasterio alodium

de Montes, adjacens Novo-castro, a Simone Lotharingiæ duce & Adeleide ipsius conjuge partu proxima, eorumque filiis Matthæo & Balduino datum, confirmantis. Eodem anno societatem iniit cum Bernardo Reomaensi abbate. Adfuit 1127 Tullensi concilio provinciali, in quo sopita fuit lis inter monachos Cluniaci & Mediani-monasterii de cella Frodonis-villæ. Ecclesiam *de Neves* an. 1130 accepit ab Henrico episcopo, cujus litteris an. 1131 subscripsit de monachis S. Mansueti in capellam S. Nicolai ad Deo serviendum introducendis. (Ch. XLIII, col. 492.) Molendinum de Bureio monasterio suo ab eodem præsule asseri curavit an. 1136. Occurrit eodem in litteris Henrici episcopi indultum monasterio sancti Mansueti a Simone duce Lotharingiæ donum confirmantis. Duobus post annis, nempe an. 1138, Rainaldo rogante, Innocentius II ratam habuit latam a cardinalibus in Durandum S. Apri abbatem sententiam super ecclesia S. Amantii. Denique anno 1147 supradictus præsul Henricus, iter Jerosolymitanum arrepturus, altare de Domna-Basula Rainaudo abbati concessit, factasque monasterio donationes omnes confirmavit. (Ch. LII, col. 501. Ch. LIII, col. 504.) Legitur anno 1147 in charta de fundatione prioratus S. Donati, atque etiam an. 1148. Testis fuit circa annum 1150 compositionis initæ inter abbates sancti Apri & Calmosiaci. Dies vero obitus ejus notatur 21 Novembris.

XIV. Johannes I 1150 protectionis bullam ab Eugenio papa III impetravit. Eidem anno 1151 Henricus Leucorum antistes quædam prædia a Guarino Rabonis-villæ milite concessa confirmat, eodemque expedit litteras in gratiam sancti Apri, quibus Johannes abbas subscripsit. Cum Simone Rengis-vallis abbate permutationem, probante eodem præsule, iniit anno 1155. Confirmationem alodii apud Rinerum ab ipso præsule an. 1155 consecutus est, itemque anno 1163 litteras de libertate parœciæ S. Mansueti ex voluntate & assensu Theoderici archidiaconi, nepotis ipsiusmet episcopi, datas & subscriptas ab Hugone sancti Apri, ab ipso Johanne S. Mansueti, Sigefrido S. Leonis abbatibus, & ab Haymone decano & archidiacono. (Ch. LXIII, col. 516.) Memoratur adhuc an. 1164 in litteris ejusdem præsulis Henrici pro sancto Leone.

XV. Theodericus anno 1169 subsignavit litteris Petri episcopi pro Rengis-vallis monasterio, & 1172 litteris ejusdem episcopi pro Novo-castro, in quibus appositum est etiam signum Hugonis S. Apri & Walterii S. Leonis abbatum. Recensetur annis 1173 & 1176 in charta Berthæ Lotharingiæ comitissæ & Simonis ipsius filii de restitutione injuste ablatorum monasterio sancti Mansueti a Matthæo duce. Denique an. 1179 subscribit litteris Petri episcopi monasterio sancti Apri confirmantis prioratum de Casteneto. Immo etiam anno 1185 quasdam donationes monasterio S. Leonis fecisse reperitur, Richardo

A S. Apri & Stephano S. Leonis abbatibus. Legitur etiam anno 1188 in litteris Petri episcopi pro fundatione ecclesiæ collegiatæ Liberdunensis.

XVI. Albertus 1188 subscribit veteri instrumento pro monasterio S. Apri. Memoratur annis 1196 & 1197 duabus in cartis Odonis episcopi. Cum Johanne sancti Leonis abbate transegit 1198. Mortuus 15 Aprilis.

XVII. Widricus II. Plures ejus nominis abbates occurrunt in necrologio, quorum dies obitus assignantur 11 Februarii, 16 Martii, mense Junio. Hos inter memoratur Wido

B defunctus 11 Novembris.

XVIII. Nicolaus I.

XIX. Simarius.

XX. Stephanus pactus est anno 1211 cum Agnete de Novo-castro, & cum Galterio S. Urbani abbate an. 1214. Litem composuit cum Roberto Miræ-vallis abbate 1216, arbitris Theoderico Virdunensis ecclesiæ decano & Theoderico S. Leonis abbate. Superstes adhuc erat anno 1220. Notatur ejus obitus ad diem 30 Decembris.

XXI. Galterius 1226 a canonicis ecclesiæ Tullensis donatur molendino Dominicæ-Insulæ.

C Ratam habuit an. 1231 transactionem factam a Stephano prædecessore suo cum Arnaldo parocho de Fabrecurte. In necrologio consignatur 20 Maii.

XXII. Willelmus ex priore Flavigniaci factus abbas, renovat an. 1234 cum Guidone abbate Reomensi societatem olim initam inter Renaudum S. Mansueti & Bernardum Reomensem abbates. Præerat adhuc an. 1237, quo vel sequenti Virdunensem sancti Vitoni abbatiam obtinuit, ubi obiit an. 1259.

XXIII. Werricus, tam Haberto quam Sammarthanis & Marloto dictus Fredericus

D de Sorbeto, fuit primum præpositus seu prior Celsiæ, deinde abbas S. Mansueti. Eo nomine præsentavit an. 1241 ad ecclesiam parœcialem de Moroncurte. Gilonem Tullensem episcopum ut capellanum de Salleio inter ejusdem loci canonicos annumeraret, rogavit anno 1256. Transegit anno 1257 cum Johanne Miræ-vallis abbate. Migravit ad abbatiam Mosomensem, quam regebat an. 1260. Dies ejus obitus notatur IV idus Aprilis. Vide tom. IX, col. 263.

XXIV. Otto acquisivit an. 1260 domum apud Novum-castrum. Partem mediam rerum

E omnium, quas Johannes dominus de Joinvilla possidebat apud Germeium, Brotereium, Bresencurtem, &c. ab ipso accepit an. 1264 sub certis conditionibus. Insequenti anno una cum eodem Johanne de Joinvilla S. Crucis villam construxit. Præsentavit an. 1266 ad ecclesiam parœcialem de Germeio. Quosdam proventus assignavit an. 1268 vestiario fratrum. Cum Joffrido *de Bourlemont* an. 1273 contendebat de nemore, quod morti proximus Joffredus pœnitens sancto Mansueto dimisit. Mortuus 10 Julii.

XXV. Gerardus permutationem fecit anno 1283 cum Johanne Joinvillæ & Rinelli domino & Campaniæ senescallo. Donum ecclesiæ de Euffincuria & de Monsterolio a Conrado episcopo concessum, firmari curavit a Joffrido de Venderiis archidiacono de Rinello an. 1286. Memoratur in permutatione ad annum 1291. Societatem iniit 1304 cum Garciro S. Symphoriani Metensis abbate. Vivebat etiamnum an. 1313. Notatur ejus obitus 1 Augusti.

XXVI. Odo recensetur ad annum 1314. Cum canonicis S. Gengulphi transegit anno 1315 de quibusdam decimis. Contentionem cum decano & canonicis Tullensis ecclesiæ habuit an. 1319. Decimas Montis ad vestiarii supplementum accepit a Johanne episcopo an. 1320. Defunctus 7 Februarii.

XXVII. Walterius ex priore factus abbas, sedebat an. 1322. Cum Petro Barri domino de Petra-forti commutationem fecit an. 1323. Reperitur etiam variis in actis ad annos 1326, 1328, 1329. Excessit 5 Martii.

XXVIII. Haymo sedebat anno 1330. Fundationem anniversarii cujusdam Dionysiæ admisit an. 1338. De quibusdam excessibus ad sedem apostolicam accusatus anno 1343, objecta ipsi crimina diluunt abbates Metenses S. Arnulfi, S. Clementis, S. Symphoriani & S. Martini, scripta ad Guillelmum *de Monteclin* cardinalem epistola. S. Mansueti caput theca argentea & pretiosa inclusit anno 1353. Pervenit ad annum usque 1360. Funere functus est 29 Novembris.

Charta LXXXI, col. 533.

XXIX. Johannes II *de Gondrecourt* variis in instrumentis occurrit annis 1364, 1367, 1369, 1371, 1374. Plures ejus nominis in necrologio memorantur: obierunt alius 20 Januarii, alius 7 Martii, alius vero 27 Martii.

XXX. Robertus *de Rinel* præerat annis 1375, 1377, 1380, 1382. Ejus tempore ecclesia totumque monasterium sancti Mansueti conflagrarunt. In necrologio duo occurrunt Roberti, unus defunctus 3 Augusti, alius 5 Octobris.

XXXI. Guillelmus II *de Naidant* anno 1383 quædam prædia thesaurariæ assignat. Cum rectore S. Spiritus transigit 1394. Alias quasdam pactiones iniit cum canonicis cathedralis atque etiam cum monachis S. Mansueti. Nonagenarius coadjutorem sibi adscivit Henricum priorem de Rinello 1404. Sic consignatur in necrologio ad diem 1 Novembris: *Obiit Guillelmus* de Naidant *31 abbas, qui anno 1399 ordinavit præbendas fratrum.*

XXXII. Henricus de Hadelincuria ex priore de Rinello factus abbas, reperitur anno 1406. Transactionem cum monachis iniit, pluraque circa disciplinam statuit 1422. Præerat adhuc an. 1427. Decessit 5 Maii, ex necrologio.

XXXIII. Dominicus *de Nancy*, dictus *la Barbe*, sedebat 1428. Eo præsente & cum aliis abbatibus assistente, Henricus de Valle-A coloris episcopus Christopolitanus, vicarius in pontificalibus Ludovici de Haraucuria Tullensis episcopi, aperuit anno 1441 feretrum primorum sanctorum episcoporum Tullensium, illudque apertum supra majus altare ecclesiæ monasterii S. Mansueti reposuit, solemnemque missam celebravit. Retenta sibi pensione resignavit Dominicus anno 1447. Mortuus 10 Decembris.

XXXIV. Johannes-Theodericus *de Liverdun*, licentiatus in legibus, per præcedentis cessionem bullas a Nicolao V accepit 1447; retinuitque prioratum Novi-castri, quem antea B possidebat. Superstes erat adhuc 1458. Cessit e vita 17 Januarii.

XXXV. Johannes-Waltrinus seu Walterius *de Liverdun*, ex priore claustrali creatus abbas sedebat 1461, 1464, 1465, 1471, 1479. Vivendi finem fecit 10 Maii.

XXXVI. Johannes III *de Lambale*, sedis apostolicæ protonotarius, primicerius Metensis, archidiaconus Tullensis, præpositus Nanceiensis sancti Georgii, a capitulo Tullensi in locum Antonii *de Neuf-châtel* episcopi suffectus, at non admissus, administrator perpetuus sancti Mansueti occurrit annis 1479, 1482.

C XXXVII. Olricus *de Blamont*, protonotarius sedis apostolicæ, cum monachis transegit an. 1484. Factus an. 1496 episcopus Tullensis, abbatiam cum episcopatu retinuit ad annum usque 1506, quo obiit 3 Maii in castro Domni-Apri, in collegiata loci ejusdem ecclesia sepultus.

XXXVIII. Hugo *des Hazards*, in utroque jure peritissimus, in sacris ordinibus constitutus, maturus & discretus, apud reges, principes, duces & magnates multipliciter commendatus, a monachis communi omnium voto eligitur an. 1506. Moxque episcopus Tullensis factus, D præfuit ad annum 1517.

XXXIX. Theodorus *de Saint-Chaumont*, abbas generalis sancti Antonii Viennensis, a monachis postulatus 15 Martii 1517, occurrit usque ad annum 1529.

XL. Johannes IV a Lotharingia, cardinalis, antea episcopus Tullensis, resignavit in sequentis gratiam an. 1533.

XLI. Sebastianus *Prevôt* per cessionem præcedentis bullas impetravit a Clemente papa VII anno 1533. Bullas Antonii Pelegrini, cui præfatus cardinalis Johannes a Lotharingia Tullensem episcopatum transcripserat, capitulo E cathedralis præsentavit 25 Julii 1537. Prioratum S. Michaëlis contulit an. 1542.

XLII. Johannes V cardinalis a Lotharingia abbatiam recuperavit an. 1542, transegitque cum monachis 1548. Resignavit in gratiam sequentis, reservatis sibi abbatiæ proventibus, quandiu ille Parisiis studiis operam navaret.

XLIII. Nicolaus II Usus-maris per cessionem Johannis cardinalis abbatiam obtinebat anno 1550, eamque non parum dilapidavit, quin & excommunicationis vinculo fuit obstrictus a Christophoro Tullensi episcopo an. 1594.

Interim Nicolaus *Lombard* clericus abbatiam A a summo pontifice in commendam obtinuit, nec parum negotii Nicolao Usus-maris facessivit. Sed tandem pro bono pacis juri suo renunciavit, retenta sibi pensione, quam Paulus papa V 1605 ei confirmavit. Decessit vero Usus-maris anno 1607.

XLIV. Johannes VI *de Porcellets de Maillane*, protonotarius sedis apostolicæ, factus coadjutor an. 1603, post mortem Usus-maris abbas, & episcopus Tullensis, disciplinam in monasterio restauravit, illudque reformatæ S. Vitoni congregationi univit anno 1611. Obiit vero anno 1624.

XLV. Nicolaus-Franciscus *de Lorraine*, episcopus Tullensis a monachis postulatus anno 1625. Abdicavit se ab omnibus beneficiis anno 1633.

XLVI. Armandus princeps *de Conti* anno 1635. Abbatiam adhuc anno 1650 tenebat, eamque, reservata sibi pensione 2000 librarum, cessit.

XLVII. Julius cardinalis Mazarinus, bullis haud obtentis, adeptus est possessionem anno 1654, contradicentibus monachis. Obiit 9 Martii 1661.

XLVIII. Andræas *Rouger*, a monachis electus 18 Aprilis 1661, & ab ordinario confirmatus 29 ejusdem mensis, possessionem adeptus est virtute decreti serenissimi Lotharingiæ ducis. Obiit 13 Octobris 1662.

XLIX. Innocentius *la Vefve* electus 10 Januarii 1663, confirmatusque 10 Februarii insequentis; mortuus vero anno 1666.

L. Rupertus *Caillier* defuncto Innocentio monachorum votis subrogatur anno 1666. Resignavit sequentis in gratiam an. 1679.

LI. Franciscus *Castellan* per præcedentis resignationem bullas impetravit 20 Aprilis 1679. Defunctus anno 1691.

LII. Philippus *de Vendôme*, magnus Franciæ prior, a rege Christianissimo nominatus 1661, bullas nequaquam est adeptus. Nihilominus virtute cujusdam tractatus inter regem Franciæ & serenissimum Lotharingiæ ducem initi 1664, fructibus terrarum in Francia sitarum potitus est, concessis electis abbatibus bonis in Lotharingia sitis. Quod observatum fuit usque ad annum 1670, quo, Lotharingiæ duce devicto & expulso, abbas a rege designatus reditus omnes occupavit. Quæ omnia possedit beneficia, recensuimus tom. VII, col. 1379.

LIII. Johannes-Franciscus *Boyer*, Mirapicensis episcopus, a rege dictus est abbas 27 Junii 1736. Versaliis obiit an. 1755. De eo vide in episcopis Mirapicensibus, col. 283.

LIV. Henricus-Constantius *de Lort de Serignan-de-Valras*, Matisconensis episcopus, abbatiam obtinuit an. 1743, facta cessione abbatiæ de Pratello, uti adnotavimus tom. XI, col. 842. Excessit e vivis anno 1763.

LV. N. *Bertin* consecutus est abbatiam anno 1763.

CASTINETUM. CHATENOY.

HADVIDIS de Namurco, Gerardo Alsatiæ & Lotharingiæ duce marito suo orbata, ecclesiam S. Petri & sanctæ Mariæ, in castro Castaneti suam, multis auxit prædiis, eamque domno Rotberto Molismensi abbati ejusque successoribus commisit circa annum 1070. Post Hadvidis mortem dux Theodoricus ejus filius Castenetensem ecclesiam amplificare volens, favente Pibone Tullensium pontifice, in cujus parochia hic locus situs erat, a Rotberto abbate tot monachos obtinuit, quot necessarii B erant ad regularem ordinem observandum, ex quibus unus esset abbas, qui baculum pastoralem sumeret ex altare S. Petri, ac benedic- Ch. XXIV, col. 470. tionem a Tullensi episcopo acciperet, & Molismensis abbatis correctioni foret obnoxius: quo mortuo, e Castinetensium monachorum gremio successor, siquidem inter eos reperiri posset idoneus; sin minus e claustro Molismensi assumeretur. Cella hæc ab Hadvide condita fuerat & primum donata monachis S. Apri, qui eam neglexerant. Ipsis tamen eam repetere visum est, & quidem in eorum gratiam Theodoricus dux litteras direxit ad C pontificem Paschalem II, qui anno 1115, IX cal. Junii coram Guidone Molismensi & Guirico S. Apri abbatibus id tulit judicium, ut cella monasterio sancti Apri redderetur: Molismenses vero monachi ne sumptuum dispendia paterentur, prædium dictum *Ixei* ab omni onere liberum haberent. Ratam habuit papæ sententiam Riquinus episcopus, traditasque Castinetensi cellæ possessiones laudavit anno 1116. Congregationi S. Vitoni subest hic prioratus abhinc anno circiter 1636.

PRIORUM SERIES.

D I. JOHANNES I quamdam bonorum portionem acquisivit a toparchis de Marnaio.

II. Hugo a dominis de Varennis comparavit quidquid possidebant apud *Raymont*.

III. Varnerus circa annum 1216.

IV. Johannes II *de Montreuil* 1353.

V. Johannes III *de Theuilliers* 1354.

VI. Valterius *de Baixey* 1381.

VII. Vaultrinus *de Cerieres* 1388.

VIII. Johannes IV *de Mircour* 1403.

IX. Reginaldus *de Gondreville* 1426.

X. Theodoricus *de Lignéville* 1465.

XI. Varricus de Domno-Martino, abbas E Gorziæ & episcopus Virdunensis, 1490.

XII. Dominicus *Scribont*, protonotarius apostolicus, primus commendatarius 1509.

XIII. Ludovicus *de Seraucourt*, abbas sancti Vitoni, Panadiensis episcopus, anno 1525, humatus ad gradus sanctuarii cum multis aliis prioribus.

XIV. Gerardus *Gerbillon*, archidiaconus Virdunensis, 1534.

XV. Nicolaus I *de Vencey*, protonotarius apostolicus, & episcopus in partibus infidelium, 1550.

XVI.

XVI. Jacobus I *Baudoir*, abbas S. Apri, 1553.

Nicolaus *de Vencey* ex jure regressus iterum assecutus prioratum, obtinebat an. 1570.

XVII. Post præcedentis mortem de prioratu emersere contentiones. Enimvero Nicolaus *Tyboiel* monachus sancti Apri a Jacobo *de Tavagny* abbate ejusdem monasterii S. Apri provisus est. Ex altera parte Nicolaus *Mathieu* nominatus fuit ab episcopo Virdunensi, vices gerente cardinalis a Lotharingia, apostolicæ sedis legati, quem post diutinam litigationem evicit Nicolaus *de Vencey* nepos & coadjutor præcedentis.

XVIII. Nicolaus II *Grislot*, nepos Nicolai *de Vencey*, per resignationem possedit prioratum usque in annum 1613, quem ob pravam administrationem exuere coactus est.

XIX. N. *Mauleon de la Bastide*, officialis Tullensis, per cessionem Nicolai promotus ad prioratum an. 1613, monachos congregationis S. Vitoni introduxit an. 1636, excessitque e vivis an. 1637. Eo defuncto, fuerunt pene continenter tres priores usque in annum 1675.

XX. Domnus Rupertus *Callier* provisus fuit ab abbate S. Apri 1638.

XXI. Julius *Mazarin* cardinalis obtinuit in Curia Romana eodem anno.

XXII. N. *de la Forge*, sanctioris consilii causidicus, ex regio jure a rege designatus eodem tempore.

XXIII. N. *la Fleur*, reginæ phrygio, prioratum adeptus est in Curia Romana 1664.

XXIV. Michaël *Blondel* per regium jus renunciatus est 1665. Hi omnes diversi priores inter se plures annos litigarunt: quod in causa fuit cur plurima beneficii deperdita fuerint bona.

XXV. Franciscus *Platel* per obitum N. *de la Fleur* prioratum a papa consecutus est.

XXVI. Jacobus II *Sudregrand*, monachus S. Germani a Pratis, a Carolo *de Castellan* abbate S. Apri itidem nominatus est an. 1663 post mortem N. *de la Fleur*; cessitque in gratiam Matthæi *Galliot*, qui fuit postea abbas S. Naboris. Eodem anno a duce Nicolao-Francisco a Lotharingia, abbate S. Apri, prior creatus fuit domnus Carolus *Rolin*, qui prioratu non fruitus est.

XXVII. Franciscus *de Nay*, Francisci *Platel* nepos & coadjutor, coadjutorem & ipse sibi adscivit eum qui sequitur.

XXVIII. N. *de Leoncour* ex coadjutore prior evasit, mortuusque est 3 Decemb. 1744.

XXIX. N. *de Mury* ab abbate sancti Apri nominatus, submoto æmulo a rege Stanislao designato, possessionem adeptus est 31 Octob. 1747.

XXX. N. *Duverhin* episcopus Arratensis 1779.

PORTUS-SUAVIS.

POUSSAY al. PORSAS f. PORSAT.

PROPE Mirecurtium in superiori Lotharingia positus Portus-suavis, cœnobium virginum, ab Hermanno Tullensi inchoatus fuit. Ipsius morte imperfectum opus absolvit Bruno ejus successor, & locum in venerationem gloriosæ Virginis genitricis Mariæ ac sanctæ virginis Mennæ, ibidem corpore quiescentis, consecravit, præfecitque nobilis generis vitæque laudabilis abbatissam, Berrenam nomine. Elatus ad pontificatus culmen sub nomine Leonis IX, rogante ipsa Berenna abbatissa, cunctas possessiones ratas habuit, ut patet ex bulla data calendis Octobris 1051, qua decernit ut præficiatur abbatissa, quæ secundum regulam S. Benedicti præesse & prodesse queat. (Ch. XXIII, col. 467.) Tribus abhinc seculis vel amplius in eam abbatiam non admittuntur nisi puellæ nobiles, quæ sexdecim e linea tam paterna, quam materna, nobilitatis gradus probare tenentur. Nunc sunt canonissæ seculares, prorsus ab observantia Benedictinæ regulæ dissitæ, nullisque religionis votis astrictæ. Constat id nobile capitulum abbatissa, decana, & quindecim canonissis, quibus quatuor canonici seu capellani spiritualia administrant. Servatur in hujus ecclesiæ sacrario amiculum sericum violacei coloris & calix aureus, quibus sanctus papa Leo IX usus fuisse dicitur. Paucarum moderatricum nomina ob documentorum penuriam nota sunt.

ABBATISSÆ.

I. BERRENA anno 1050 obtinuit bullam a Leone IX de facultatibus monasterii sui confirmandis. (Ch. XXIII, col. 467.) Inscribitur nomen ejus calici aureo, quem in sacristia servatum modo diximus.

II. Beatrix litteras quidem adepta est VI idus Octobris 1185 a Lucio III papa pro possessionibus asserendis.

III. Bertha legitur an. 1206 in charta Matthæi comitis Tullensis & advocati monasterii.

IV. Auda anno 1251 mense Februario agnoscit se suumque conventum obligari ad fidem clientelarem erga Theobaldum Barrensem comitem.

V. Johanna I al. Sybilla occurrit an. 1308 in tabulis Aureæ-vallis. Eodem anno cum sanctimonialibus concordatum fecit festo die SS. Martyrum Processi & Martiniani.

VI. Johanna II *de Beaufremont* præerat anno 1341: occurrit etiam in documento 1344 die Mercurii post Dominicam *Lætare*.

VII. Johanna III *de Mandre* decessit anno 1400. Jacet ad dextrum latus majoris altaris cum hoc epitaphio: *Cy gist dame Jeannette de Mandres, jadis abbesse de ceans, qui trepassa l'an de grace MCD, le V jour du mois d'Avril.*

VIII. Isabellis *de Mircourt* an. 1413 die Martis post Conversionem S. Pauli pactionem fecit cum capitulo suo de partitione bonorum. In partitionis actu occurrunt Margarita *de Roncourt*, Agnes *de Harouels*, Margarita *de*

Gironcourt, Yolandis *de Jonville*, & N. *de* A *Gevegnon*, omnes dominæ capitulares. Quieſcit Iſabellis in ſanctuario.

IX. Maria *de Germiny* in medio ſanctuario ſepulta eſt; mortis ejus annum tegunt gradus altaris.

X. Yolandis *de Germiny* electa an. 1455, ſequentis in gratiam ceſſit VIII id. Septemb. 1525, retentis tamen cum papæ licentia proventibus & ædibus abbatialibus. Obiit 24 Auguſti 1527.

XI. Claudia I *de Ligniville*, Claudio domino *de Ligniville*, Voſagi ballivo & Margarita *Wiſſe de Gerbeviller* parentibus genita, B vivere deſiit 6 Martii 1529.

XII. Philippa *de Ligniville*, filia Johannis domini *de Tartonville* & Johannæ *d'Oiſelet*, ſuum condidit teſtamentum anno 1538 die 20 Septembris, fatiſque conceſſit 24 menſis ejuſdem.

XIII. Anna *de Barbay*, Guyoti *de Barbay* & Annæ *de Freſnelle* filia, electa fuit 24 Septembris 1538 a Johanna *de Germiny*, Anna *de Hannapierre*, Claudia *d'Anglure*, Franciſca *du Chaſtellet*, canoniſſis. Cum capitulo procuratorem inſtituit Nicolaum *Mongeot* C 21 Maii 1562. Sequentem ſibi adſcivit coadjutricem, ac devixit 19 Decemb. 1576.

XIV. Claudia II *d'Anglure* recognita fuit abbatiſſa die 19 Decembris 1576 ab hiſce dominis canoniſſis: Anna *de Hunolſtein*, Catharina *de Savigny*, Magdalena *de Seraucourt*, Franciſca *du Chaſtellet*, Jaquelina *du Pleſſis*, Maria *de Barbay*, Eliſabetha *de Choiſeul*, Catharina *de Neraucourt*, Juditha *d'Apremont*, Renata *d'Anglure*. Porro Claudia an. 1578 inſtitutum Benedictinum revocare conſtituit, intenditque litem in ſanctiori conſilio Caroli III Lotharingiæ ducis, dehinc coram D cardinali Vademontano epiſcopo Tullenſi. Statuta quædam hic cardinalis condidit de diſciplina, de recto ordine, deque decentia officii divini. Nihilominus lato judicio 28 Auguſti 1582 juſſit ut res in eodem ſtatu remanerent, uſque dum ſummus pontifex aliter ſtatuiſſet. Delata eſt res ad ſanctam ſedem, ſed nunquam judicata. Dum enim lis penderet, abbatiſſa defuncta eſt 9 Julii 1586. Coadjutricem ſibi adſciverat Edmundam *d'Amoncourt* decanam capituli Spinalenſis, cujus bullas canoniſſæ contenderunt eſſe ſubreptitias, & idcirco ad electionem proceſſerunt. E

XV. Franciſca *du Chatelet* a capitulo electa, confirmata fuit a cardinali Vademontano, atque Caroli III ducis auctoritate fulta: ſed pacifice non poſſedit, nam ab Edmunda provocata eſt coram ſummo pontifice, ac deceſſit in curſu litigii 27 Septembris 1586, duobus & ſemi menſibus poſt electionem.

XVI. Edmunda *d'Amoncourt* pacifice poſt æmulæ mortem gaviſa eſt, & in coadjutricem aſſumpſit Catharinam *de Damas*. Præbendam fundavit 20 Auguſti 1625. Suum eodem anno confecit teſtamentum 6 Novembris, & inſequenti die fatis conceſſit.

XVII. Catharina *de Damas* mortua eſt menſe Octobri 1638.

XVIII. Anna-Petronilla *de Damas* a Ludovica *de Chauvirey*, Franciſca-Chriſtina *de Seraucourt de Romain*, Gabrielide *de Seraucourt*, Franciſca *d'Eaubonne*, in abbatiſſam cooptata 29 menſis Octobris 1638, bullas aſſecuta eſt XIII cal. Septembris 1648, accepitque benedictionem an. 1679. Extremum clauſit diem 12 Martii 1690. Aſſumpſerat in coadjutricem an. 1665 Mariam-Claram *de Luxembourg*, principem *de Tingry*, cui defunctæ an. 1686 die 8 Martii ſupervixit.

XIX. Angelica-Cunegundis *de Montmorency*, filia Caroli-Henrici *de Clermont-Tonnerre*, & Margaritæ-Carolæ *de Luxembourg*, poſt ſuperioris obitum electa, ceſſit ab abbatia, & nupſit 7 Octobris 1694 Ludovico-Henrico *de Bourbon-Soiſſons*, filio notho Ludovici comitis Sueſſionenſis, principi Caſtri-novi.

XX. Maria-Eliſabeth *de Gramont*, nata 27 Decembris 1667, filia erat Philiberti comitis *de Gramont*, vicecomitis *d'Aſter*, regiorum ordinum equitis torquati, Benearnenſis provinciæ præfecti, Rupellæ & Alnetenſis tractus gubernatoris, & Eliſabethæ *d'Hamilton d'Albercorne* regia Stuartorum propagine exortæ, ex Maria Stuarta, filia Jacobi II Scotiæ regis, nupta Jacobo *d'Hamilton*, comiti *d'Arran*. Electa eſt 6 Januarii 1695 a capitulo, tunc duodecim canoniſſis conſtante; nempe Eliſabetha *de Chauvirey* decana, Thereſia *de Chauvirey*, Thereſia *de Ficquelmont*, Catharina *des Fours*, Claudia *Jouffroy de Nouillac*, Henrica *de Mauleon*, Thereſia *Jouffroy*, Suſanna *de Chauvirey*, Catharina *de Fuſſey-Meneſſaire*, Maria-Antonia *de Roſieres*, Ignatia-Bonaventura *de Roſieres-Sorau*, Ludovica *de Mauleon*. Bullas aſſecuta 9 Novemb. ejuſdem anni, poſſeſſionem accepit 22 Februarii 1696. Eccleſiam inſtauravit ac decoravit, ædes abbatiales ſtruxit a fundamentis, donationeſque capitulo pro ornanda eccleſia indulſit hæc abbatiſſa, pietate & animi magnitudine laudabilis.

5 Maria-Ludovica-Clara-Antonia *d'Albert*, filia Leonis *d'Albert* ducis *de Luxembourg*, ſanctimonialis ſancti Johannis in Boſco, fuit coadjutrix Portus ſuavis; ſed vota ejus a ſummo pontifice declarata ſunt irrita. Ipſa vero deinceps in aula degit ſub nomine principiſſæ *de Tingry*, ac deceſſit anno 1706.

XXI. Anna-Claudia *de Jouffroy de Nouillard*, facta abbatiſſa anno 1714.

XXII. Helena *de Cuſtine* ex coadjutrice abbatiſſa evaſit.

XXIII. N. comitiſſa *de Baſſompierre* abbatiſſa ab anno 1763 præſentata fuit regi & reginæ 20 Novemb. 1774.

Hæ duæ abſque chronologia reperiuntur.

XVII cal. Febr. Margarita *de Germiny*.
II nonas Septemb. Ada abbatiſſa.

CONGREGATIO CANONICORUM REGULARIUM SALVATORIS NOSTRI.

PRIUSQUAM de monasteriis ordinis sancti Augustini loqui aggrediamur, operæ pretium est pauca dicere de congregatione sancti Salvatoris, cui monasteria hæc subdita sunt. Congregationis hujus origo debetur paterno studio summi pontificis Gregorii XV, ut patet
Charta LXXXVIII, col. 540. ex litteris apostolicis datis 10 Julii 1621, quibus ipse pontifex Johannem *de Porcellets* episcopum Tullensem delegat ad visitanda canonicorum regularium monasteria in ducatibus Lotharingiæ & Barri posita, traditque ei potestatem illa reformandi, & statuta, quæ judicaverit necessaria, præscribendi. Dum visitationi episcopus incumberet, sex diversorum monasteriorum canonici regulares, religionis zelo accensi, sese obtulerunt, ut in regulari & exacta secundum primum ordinis spiritum observantia viverent. Quorum laudabile propositum obsecundare cupiens præsul, qui plenam habebat fiduciam in zelo, pietate, doctrina,
Charta LXXXIX, col. 541. religiosa conversatione & experientia venerabilis viri Petri *Fourier*, canonici professi Calmosiacensis, & ecclesiæ parœcialis de Mataincuria in Tullensi diœcesi rectoris, eum præfatorum sex religiosorum & aliorum, qui se eis posthac adjungere vellent, curæ, institutioni ac probationi commisit 2 Februarii 1623. Sex illi tyrones pietatis ac religionis exercitiis aliquandiu probati sunt in monasterio sanctæ Mariæ majoris de Mussiponto ordinis Præmonstratensis, ubi reformationis habitum acceperunt. Professionem vero emiserunt 25 Martii 1624 festo die Annunciationis beatæ Mariæ. Mox pater Forerius, cui reformationis opus ab episcopo Tullensi commendatum fuerat, monasteria ordinis S. Augustini cœpit lustrare, comiter ubique exhortans ad accipiendam strictiorem regulæ observantiam. Equidem plura monasteria susceperunt reformationem, scilicet abbatiæ sancti Remigii de Lunevilla anno 1624, S. Petri-Montis in diœcesi Metensi, S. Salvatoris in Vosago in Tullensi, S. Nicolai de Prato in Virdunensi an. 1625, atque Belli-campi 1626. Nascentis
Ch. XC, col. 542. congregationis initia probavit & confirmavit summus pontifex Urbanus VIII brevi dato 29 Novembris anni ejusdem. Biennio post duo e congregatione canonici Romam a R. P. Forerio missi, tres inde retulerunt bullas, primam de reformationis probatione, secundam de privilegiorum & immunitatum concessione, tertiam tandem de præposito generali, qui congregationem regeret juxta constitutiones & statuta in capitulo generali conficienda, facta tamen potestate ea mutandi, abrogandi, aliaque excudendi, dummodo substantia regulæ nullam pateretur læsionem. Sic regitur congregatio a præposito generali: ipsum solum penes est omnis authoritas, quam nullus sive abbas sive prior exercere potest, nisi ab eo capite con-
A feratur. Illi soli obedientiam promittunt, qui in congregatione vota Deo nuncupant. Canonicos omnes, inconsultis abbatibus aliisve superioribus, pro voluntate sua in congregationis monasteria potest dirigere ad totum tempus, quod judicat expedire. Duos habet assistentes & procuratorem generalem, quorum consilia sequi non tenetur.

PRÆPOSITI GENERALES.

I. NICOLAUS I *Guinet* electus est 15 Januarii 1629, & ad possessionem admisit R. P. Forerium. Primus hic generalis, omnium virtutum
B exemplar, dum personam peste correptam audiret peccata confitentem, eumdem contraxit morbum, ac decessit Mussiponti in natali solo an. 1632, natus annos 29.

II. Petrus *Fourier*, Mirecuriæ in diœcesi Tullensi natus 30 Novembris 1565, sortitus est parentes Dominicum *Fourier* & Mariam-Annam *Naquart*, a quibus, ut in grammatices studio potuit informari, Mussipontum missus est, ubi magna ingenii indicia & egregia virtutum exempla sodalibus suis exhibuit. Philosophiæ cum operam dedisset, regularem vitam professus est in monasterio Calmosia-
C censi. Absolutis in Mussipontana universitate theologiæ studiis, susceptisque sacris ordinibus, provisus est cura parœcialis ecclesiæ de Mattaincuria, quam tanto religionis studio rexit, ut radicitus vitia extirpata fuerint. Summam præbuit attentionem erudiendæ plebi sibi creditæ, infirmisque & indigentibus sublevandis. Pueros puellulasque in eadem schola doceri cum graviter doleret, de emendando hoc abusu serio cogitavit. Quadam igitur nocte anno 1598 dum contemplationi vacaret, venit ei in mentem ut educandis puellulis sanctimoniales institueret. Ad id tempus juvenis puella,
D Alexia *le Clerc* nomine, pii pastoris sui adhortationibus incitata, castitatem servare constituit, mox que ejus exemplum alia secuta est, & brevi quinque numero fuerunt. Quarum cum ille perseverantiam expertus fuisset, ipsas in abbatiam Portus-suavis piis exercitationibus probandas misit. Quinque virgines istic in excolendis virtutibus transactis aliquot mensibus, seorsum ad venerandum pastorem suum scripserunt velle se devovere Deo in nova sanctimonialium congregatione, quæ gratuitæ puellularum educationi destinaretur. Hac de re consultus D. D. Christophorus Tullensis præsul,
E oblatum sibi supplicem libellum admittere non dedignatus est. Fultus igitur episcopali authoritate, suas in Christo filias pater Forerius coegit in domum, quæ brevi non potuit continere virgines omnes novum institutum amplecti cupientes. Verum ut in ordinem facilior esset aditus, aliud condidit monasterium in urbe S. Michaëlis, diœcesis Virdunensis, in ædibus traditis a dominabus Portus-suavis. Quam multa instituti hujus in multis urbibus per totas fere Gallias hodie extant monasteria, nuncupata *Congregatio B. Mariæ*.

Literas probationis & confirmationis ad R. P. Forerii preces eminentissimus cardinalis a Lotharingia, sedis apostolicæ legatus, est impertitus 18 Decembris 1603. Summus etiam pontifex Paulus V id ratum habuit bullis datis 20 Decembris 1614.

Verumtamen primitivum fervorem in canonicorum regularium ordinem revocare constituerat Gregorius XV. Litteras itaque scripsit ad dominum *de Porcellets* Tullensem episcopum, mandans ei ut in Lotharingiæ & Barri ducatibus omnia ordinis ejus monasteria, quatenus sedis apostolicæ legatus, visitaret, tradensque potestatem bonas & laudabiles institutiones, præsertim divinum cultum, ecclesiasticamque disciplinam & regularem observantiam restituendi. Dum episcopus commisso sibi munere fungeretur, ecce plures religiosi viri ordinis ejusdem, scilicet Perpetuus *Maret*, Claudius *Marc*, Nicolaus *Dombrot*, Nicolaus *Manjeau*, Clemens *Philippe*, & Nicolaus *Noel*, strictiorem regulæ observantiam professuros sese obtulerunt; quos ille in regulari disciplina informandos commisit patri Forerio, cui quidem reformationis curam simul credidit. Perficiendo huic operi totus incumbebat sanctus ille vir in monasterio sancti Remigii, cum a Lotharingiæ duce & ab episcopo Tullensi anno 1625 missus fuit Badonis-villare, ut oppidanos, qui pene omnes in hæresim Calvini lapsi erant, converteret. Tanta usus est caritate ac mansuetudine, ut intra sex menses hos ad fidem catholicam reduxerit.

Post tot exantlatos labores ad præpositi generalis munus evectus 20 Augusti 1632, confovendæ reformationi, stabiliendæque sanctimonialium suarum congregationi, curas omnes adhibuit usque in annum 1636, quo Græum Burgundiæ civitatem se recepit, ut se suosque tutos præstaret a militum turmis, quæ tunc Lotharingiam depopulabantur. Quatuor abhinc annis in ea civitate degebat, cum correptus est febri, quæ eum virtutibus & meritis clarum, postquam cum summæ pietatis ac religionis indiciis sacramenta percepisset, sustulit 9 die Decembris 1640, natum annos 76. Juvat hic obiter adnotare cardinalem Berullium, Oratorii Jesu institutorem, sæpe dixisse patrem Forerium quarumlibet virtutum exemplar fuisse. Sancti hujus viri corpus in Lotharingiam relatum, magna cum veneratione servatur in ecclesia de Mattaincuria.

III. Guido *Lemulier*, Sinemuri in Burgundia natus, abbas S. Petri-montis, præpositus generalis creatus 14 Aprilis 1641, diem clausit extremum 21 Maii 1642, ætatis suæ an. 46.

IV. Johannes I *Terrel*, in urbe Nanceio ortus, Lotharingiæ ducis in aula degebat, cum vitam religiosam amplexus est. Ob præclaras ingenii dotes, illum sibi laborum suorum socium adjunxit pater Forerius, ipsique moriens reformationem, simulque sanctimonialium institutum commendavit. Ille vero in præpositum generalem cooptatus fuit 12 Julii 1642. Plures tam abbatias, quam alias ædes congregationi univit, scilicet anno 1645 collegium S. Benigni in civitate & ducatu Augustensi; in eodem ducatu præposituram S. Ægidii in pago dicto vulgo *Verretz;* anno 1645 ædes B. Mariæ de Pace in oppido S. Michaëlis; domum missionis pagi vulgariter nuncupati *Toly* in Vosago; anno 1653 abbatiam Calmosiacensem; tandem anno 1654 Alteriacensem. Barri decessit 21 Aprilis 1667, annos natus 72, dum apud sanctimoniales visitationem ageret.

V. Johannes II *Étienne*, loco vocato *Canteheu* prope Lunevillam exortus, moderaminis habenas accepit 7 Julii 1667. Circa mediam ætatem suam se contulerat in Alpes in Augustensi ducatu, ubi per tres annos consequentes, temporibus Adventus & Quadragesimæ conciones ad populos habuit, præposituræ sancti Ægidii cura onustus. Ut a R. P. Forerio educatus fuerat, virtutes ejus æmulari studuit & vero præfulsit humilitate profunda, magna vitæ austeritate & insigni modestia. Mussiponti cum sanctitatis fama obiit 2 Februarii 1685, annum agens 78. Adjunxerat congregationi anno præcedenti seminarium Domni-Martini.

VI. Philippus *Georges*, e Marvilla oriundus, ad præposituram generalem pervenit 26 Julii 1685. Negotium beatificationis R. P. Forerii aggressus est. Parœciam S. Ludovici Argentinensis congregationi adscripsit anno 1688. Regularis disciplinæ studiosissimus, fato functus est Mussiponti 5 Decembris 1691, ætatis suæ anno 88.

VII. Achilleus-Franciscus *Massu*, in Albimontis oppido natus, duodecim annos philosophiam ac theologiam professus est, famamque haud exiguam sibi comparavit sacris concionibus. Factus abbas S. Petri-montis an. 1674, mensæ suæ proventus decorandæ ecclesiæ, reficiendisque regularibus ædificiis insumsit. Ad præpositi generalis dignitatem evectus 11 Martii 1692, regularis observantiæ studium verbis & exemplis excitavit. Virdunense seminarium ordini suo adnexuit. Mussiponti dum celebraretur capitulum generale, mortuus est 4 Octobris 1704.

VIII. Johannes III *le Gagneur*, in pago *Rouvrois* ad Mosam prope sanctum Michaëlem genitus, abbas Calmosiaci, præpositus generalis evasit 24 Novembris 1707, ac vivere desiit 26 Augusti 1714.

IX. Nicolaus II *Verlet*, præpositus generalis & abbas Calmosiaci, obiit 26 Aprilis 1726.

X. Franciscus *Huguin*, abbas S. Remigii, electus est in præpositum anno 1726, & ad abbatiam Calmosiaci traductus, ubi defunctus est 17 Januarii 1738.

XI. Dominicus *Bexon*, abbas S. Remigii, factus fuit præpositus generalis anno 1738. Translatus ad abbatiam sancti Salvatoris de Domno-Apro an. 1746, obtinuit tum a papa tum a regibus Ludovico XV & Stanislao Lotharingiæ duce, ut hæc abbatia esset in

posterum primaria congregationis domus, & sedes præpositi generalis. Mortem oppetiit 10 Augusti 1753.

XII. Hyacinthus *Pillerel* ex abbatia sancti Petri-montis, cujus titulum restingui, reditusque domui canonicæ Metensi attribui curavit, ad abbatiam S. Salvatoris de Domno-Apro traductus, præpositi generalis munus exercere cœpit anno 1753.

XIII. Joseph I *le Roi*, abbas S. Salvatoris de Domno-Apro, præpositus generalis, Metis obiit die sexta mensis Septembris 1772.

XIV. Joseph II *de Saintignon* electus est in canonia Mussiponti 25 Novemb. 1772, præsente D. *de la Gallaisiere* diœceta Lotharingiæ.

Saint-Leon.

SANCTUS-LEO.

Tullensis ecclesiæ decanus Lutulfus, sub Brunonis episcopi pontificatu in claustro ejusdem ecclesiæ educatus, in honorem sancti hujus pontificis, ad sedem apostolicam sub Leonis IX nomine evecti, ac paulo post mortem cultu publico honestati, nec non in honorem S. Nicolai, condidit ecclesiam extra muros Tullenses versus Septentrionem anno 1091. Hæc de se ipso in charta fundationis loquitur: « Ego Lutulfus humilis clericus, ecclesiæ Tullensis & claustri decanus, licet nulla rerum possessione subnixus, magnum concepi consilium. Sed cum spem metumque inter dubius essem, voluntatem meam comiti Hugoni de Vadano-monte, filio comitis Henrici, cui notissimus eram, exposui. Nobilis ille vir mihi respondit sese suscepti laboris futurum cooperatorem, si in honorem beati Leonis papæ cœnobium dedicarem, & circa illud xenodochium pauperum ædificarem. Ego igitur Lutulfus & comes Pibonem episcopum Tullensem, piæ memoriæ virum, adivimus, qui probato consilio spopondit se plurimum ad id opus auxilium suppeditaturum, tametsi grande opus, turrim scilicet ante oratorium S. Stephani erigere aggressus esset. » Porro ecclesia & cœnobio constructis, Lutulfus pios voluit habere clericos, quibus hic locus ad inhabitandum committeretur. Viros itaque quosdam pietate insignes, qui in monte *Rumberg* degebant, multis precibus rogavit ut apostolicam vitam, quam in monte ducebant, ad monasterium sancti Leonis commigrarent, ducturi sub regula S. Augustini. Equidem Seherus cum nonnullis fratribus accedens, in loci possessionem immissus est, & in abbatem ab illis promotus. Huic indulta fuit benedictio a Pibone episcopo, qui accepta ab eo secundum regulam B. Augustini professione, omnium tam clericorum, quam laïcorum, quicunque de procelloso seculi tumultu confluerent, curam ei commendavit. Fundum etiam prope monasterium, in quo ecclesia & xenodochium construi possent, contulit Lutulfo, qui & ipse multas non solum ab Hugone comite, verum & a diversis donatoribus acceptas largitiones monasterio impertitus est. Pluribus pro felice

Ch. xxvii, col. 471.

A successu monasterii itineribus & quidem usque in Lombardiam, ubi ab Urbano II privilegium obtinuit, persunctus, regularem & ipse suscepit habitum eodem loci, ac decessit. Laudabile Lutulfi decani inceptum comprobavit capitulum cathedralis ecclesiæ.

Ch. xxviii col. 475.

Insignita fuit S. Leonis ecclesia non tantum quamplurimis Sanctorum reliquiis, verum & multorum attributione prioratuum, quibus tanquam membris sibi unitis præest. Quos inter numerantur Larzicuria, S. Hilarius, Vandelvilla, Nasium, Boulincuria, & Rupella. Habet & alias non paucas parochiales ecclesias B a se pendentes. Capitula cathedralis & collegiatæ S. Gengulfi inter & ecclesiam S. Leonis antiqua & tam intima societas est, ut canonici uniuscujusque ecclesiæ sub eadem cruce in processionibus incedant, tanquam unum & idem corpus componentes. Cum bellum inter Carolum II Lotharingiæ ducem & cives Tullenses exortum fuisset, hi veriti ne monasterium S. Leonis urbi foret exitiosum, illud funditus everterunt & intra mœnia civitatis reædificarunt anno 1404 in ecclesia S. Aniani, quæ a canonicis S. Gengulfi, quorum illa juris erat, transactione fuit concessa. Reformatio in C id monasterium inducta est anno 1627.

Abbatum Series.

I. Seherus, Spinalio ortus, in locum quemdam, cui nomen Castellum est, Romaricimonti contiguum, quondam sanctissimorum confessorum Amati & Romarici præsentia insignitum, ubi venerabilis sacerdos, nomine Antenor, religiosam tunc ducebat vitam, cum quibusdam sociis secessit, seculi rebus abjectis, ut vitam communem sub sancti hujus sacerdotis moderamine ageret. Post Antenoris mortem Sehero animarum cura commissa est, simulque D statutum fuit secundum B. Augustini instituta sub canonico habitu vitam dirigere. Ad id tempus, anno scilicet 1091 vir venerabilis Lutulfus, decanus Tullensis ecclesiæ, qui ecclesiam & monasterium extra Tulli muros condiderat, Seherum adiit humiliter postulans ut ipsam ecclesiam fovendam ac gubernandam susciperet. Lutulfi petitionem benigne accipiens Seherus, assumptis secum quibusdam fratribus, Tullum se contulit ad monasterium S. Leonis, cujus abbas ab ipsis fratribus electus est, & a Pibone episcopo consecratus anno 1094. Rebus illic rite dispositis & ordinatis, ad E primam sedem reversus est, & utriusque loci curam gerere perrexit, fratres de loco ad locum vicissim transmittens. Hæc de se ipse testatur in chronico Calmotiacensi, cujus est author. Sic autem memoratur in necrologio S. Leonis ad VIII id. Maii: « Hunc venerabilem virum Spinali natum e monte *Rumberch*, vitam a tumultu hominum remotam cum aliquibus agentem Luctulphus, decanus insignis ecclesiæ Tullensis, advocavit ut primus dignitatem abbatialem omnemque curam administrandi monasterii a se jam tum a fundamentis extructi,

» extra muros Tullenses, in honorem S. Leonis » papæ IX, prius episcopi Tullensis, susciperet » anno 1091, ubi ipse Seherus jam sacerdos » cum aliquot accersitis e suis fratribus canoni- » corum S. Augustini regulam professus est, & » aliquot post annis primus etiam Calmosiacensis » abbas institutus est, ubi plenus dierum & » meritorum mortuus & sepultus est anno » 1128. Notandum tamen quod ipse Seherus » in monte *Romberch* cum fratribus vitam apos- » tolicam ducebat, quem Pibo episcopus Tul- » lensis concordi fratrum voto electum in ab- » batem promovit, & ad titulum S. Leonis » sanctique Nicolai ordinatum consecravit, ac- » cepta ab eo secundum B. Augustini regulam professione anno 1094 ». Subscripsit eodem anno chartæ Pibonis episcopi pro fundatione prioratus S. Theobaldi, nec non alteri ejusdem episcopi pro confirmatione bonorum de Castineto an. 1116. Litteras protectionis anno 1120 impetravit a Calixto II. Mentionem de eo adhuc agemus in Calmosiacensibus abbatibus, ubi vide.

II. Seibaldus recensetur anno 1133 in carta Gaufridi Catalaunensis episcopi pro fratribus de Gonhardi saltu. Ille ejusque canonici quasdam possessiones, quas juxta castrum Barri possidebant, Heriberto abbati Regiæ-vallis tradiderunt sub trecensu annuo decem solidorum Tullensis monetæ, Henrico episcopo comprobante anno 1140. Privilegium ab Eugenio III adeptus est an. 1148. Subscripsit an. 1151 litteris Henrici episcopi in gratiam monasterii S. Apri. Altare de Nova-villa & alia ab eodem Henrico episcopo accepit, testibus Hugone S. Apri, Johanne S. Mansueti, Hugone sancti Salvatoris in Vosago, Guerrico *de Blerevil* abbatibus anno 1157. Hujus ætate floruit in cœnobio Hugo Metellus, eruditus canonicus regularis, celebris philosophus & scriptor, qui multas scripsit epistolas. Tres edidit Mabillonius ad S. Bernardum scriptas, quæ inter Bernardinas in novissima editione sunt 429, 430, & 431, quæ sub nomine Sicbaudi abbatis est scripta.

III. Sigefridus occurrit anno 1159 in litteris Matthæi ducis Lotharingiæ de fundatione monasterii Clari-loci. Subscripsit anno 1163 instrumento Henrici episcopi pro monasteriis S. Mansueti & Jendorii. Memoratur anno 1164 in carta præsulis ejusdem dona a decessoribus suis Pibone & Riquino monasterio facta confirmantis, præsentibus Hugone S. Apri & Johanne S. Mansueti abbatibus. Testis occurrit an. 1166 in tabulis monasterii Gorziensis. Recensetur & anno 1169 in litteris Henrici comitis Trecensis comprobantis res omnes ab Hugone comite, patruo Theobaldi comitis patris sui traditas. Quasdam etiam excepit donationes a Johanne S. Mansueti abbate.

IV. Walterius, a Petro episcopo benedictus, sedebat annis 1172, 1174.

V. Stephanus occurrit an. 1179. Privilegium a Lucio III consecutus est anno 1182, quo fategit firmari a Petro episcopo quidquid antecessores ejus episcopi monasterio contulerant. Subsignavit an. 1188 litteris præsulis ejusdem de fundatione collegiatæ Liberdunensis, aliis etiam ejusdem ecclesiam de Riqueleio capellæ S. Nicolai de Rupe concedentis.

VI. Johannes I legitur anno 1188 in charta Petri episcopi confirmantis bona prioratus de Duguliaco. Occurrit etiam an. 1189; donum accepit an. 1196 ab Odone episcopo, qui ipsum inter & Albertum abbatem S. Mansueti pactionem probavit an. 1197. Memoratur & anno 1198.

VII. Clemens ecclesia de Manili a Matthæo episcopo donatus fuit an. 1204. Notatur in necrologio XIV cal. Aprilis.

VIII. Hervinus reperitur anno 1214 in charta Henrici comitis Barrensis. In necrologio dicitur octavus abbas.

IX. Theodericus anno 1218 a Gerardo Tullensi electo, paupertati cœnobii S. Leonis compatiente, excepit ecclesias de Folcheriis & *de Brischon*. Terram de Borlaincurte custodiæ Gaufridi de Tulleio tradidit an. 1221. Adeptus est an. 1226 ab Odone episcopo ecclesiam de Franvilla. Superstes etiamnum annis 1227, 1228.

X. Guillelmus I transegit anno 1232 cum capitulo Virdunensi; fecit mutationem anno 1239 cum præposito Vadani-montis. De eo sic necrologium: *XII cal. Decembris obiit Guillelmus dignæ memoriæ abbas hujus loci. Dedit nobis quinque solidos fortium.*

XI. Johannes II anno 1249 mense Junio postulavit a rege ut confirmaret donum quod fecerat Garnero canonico de Vitriaco. Recensetur variis in actis ad annos 1250, 1253, 1255.

XII. Radulfus notatur in necrologio XIII cal. Julii.

XIII. Johannes III 1291.

XIV. Ludovicus *de Mailly* sedebat anno 1298. Cum Gerardo sancti Mansueti abbate transegit an. 1300.

XV. Johannes IV *de Mesnil* al. de Maneta, solo nomine cognitus.

XVI. Fourkaudus de Severia an. 1315 die 12 Augusti fidem juravit episcopo Tullensi. Subscripsit cum Guillelmo S. Apri & Odone S. Mansueti abbatibus litteris hominii redditi Eduardo comiti Barrensi anno 1317. Inter Anschierum abbatem sancti Michaëlis & Laurentium canonicum curatum arbiter fuit anno 1332. Quædam pro victu & vestitu fratrum condidit anno 1358 statuta. Ch. LXXX, col. 533.

XVII. Maherus cum Bertrando episcopo Tullensi transegit an. 1359, ex tabulis S. Apri.

XVIII. Ferricus *de Morhanges* litteris suis datis an. 1370 post festum sancti Dionysii omnes priores & parochos, a monasterio dependentes, convocavit ad crastinum diem sancti Lucæ evangelistæ ad consulendum de Charta LXXXII, col. 534.

instaurando monasterio. De eo hæc scripto consignantur: « Cum bellis, quibus per decennium tota hæc regio conflagrabatur, nondum anno 1370 esset finis impositus, eamque ob rem non mediocre detrimentum ecclesiasticorum rebus & fortunis pateretur, reverendus domnus Ferricus *de Morhenge* abbas cœnobii S. Leonis mandatum procuratorium a canonicorum ecclesiæ primariæ hujus civitatis collegio, universoque Tullensis diœceseos clero, ad Urbanum V pontificem maximum Avenione sedentem accepit: cujus procurationis exsequendæ gratia, cum in viam se dedisset, per insidias exceperunt incautum publici grassatores, nec prius e vinculis, quibus diu constitutus est, eum exemerunt, quam sexcentorum florenorum numeratæ pecuniæ luitionem persolvisset: quod contigit an. 1372. » Publicis actis de erectione Mussiponti in civitatem subscripsit 15 Julii 1373. Ex hac luce migravit anno 1375.

XIX. Petrus I de Duno electus an. 1375, monasterium ab oppidanis hostium metu dirutum, quod huc usque extra muros exstiterat, transtulit in urbem ad S. Anianum an. 1404. Sigillum suum apposuit 3 Augusti 1406 chartæ unionis & pacificationis inter ædiles & alios magistratus communiæ Tullensis. Sic notatur in necrologio: *XVII cal. Novembris Petrus de Duno abbas monasterii S. Leonis extra muros Tullenses. Hic abbas nobili genere oriundus circa vigesimum nonum vel trigesimum promotionis suæ annum ad abbatialem dignitatem transegit cum decem viris consulibus & civibus hujus loci de translatione monasterii nostri intra mœnia Tullensis civitatis; quod & factum est anno 1404.* Obiit 1418, eique successit Gerardus *Marcot*, dictus de Sixeio.

XX. Gerardus *Marcot de Sicey* ex priore de Vandlevilla abbas factus, antiqua pro monasterii reformatione statuta renovavit 19 Octobris 1418. Ex hac vita abiit III cal. Martii 1439, eodem conditus sepulcro ac decessor.

XXI. Dominicus *Cacal, sive Cancarul*, prior claustralis, omnium canonicorum suffragiis creatus fuit abbas 10 Martii 1439. Adstitit anno 1441 translationi reliquiarum sanctorum episcoporum Tullensium in monasterio sancti Mansueti. Extremum vitæ diem clausit 12 Aprilis 1449 die Sabbati.

XXII. Johannes V *Henrion de Port*, patria Tullensis, ex claustrali priore unanimi fratrum consensu in abbatem cooptatur 21 mensis Aprilis 1439. Cujus electionem ratam habuit Johannes de Pilonno decanus Tullensis & vicarius generalis episcopi. Deputatus fuit anno 1452 a nuncio sedis apostolicæ ad reconciliandam S. Gengulfi ecclesiam. Quædam ad censum dedit 5 Januarii 1456. Fato functus anno 1458.

XXIII. Johannes VI Brauletti ex priore *de Nas* creatus abbas, memoratur an. 1468. Quædam acquisivit anno insequenti.

A XXIV. Philippus *Goupil*, Normannus, possessionem accepit 17 Januarii 1480. Eodem anno præsentavit ad rectoriam de Bello-ramo. Debitum naturæ persolvit pridie nonas Maii 1503, natus annos 96. Monasterium instauravit, ut constat ex duobus his versibus ejus jussu supra valvas inscriptis:

Par un Normand bien accointé
Est ce logis bien appointé.

XXV. Thouvenotus Desiderii, prior *de Naix*, ex coadjutore abbas an. 1503, decessit an. 1516. De eo sic habet necrologium:
B *VI id. Augusti R. in Christo pater D. Thouvenotus Desiderii, hujus cœnobii abbas meritissimus, vita functus est an. 1516, die 8 mensis Augusti.*

XXVI. Johannes VII *Perrin de Cresilles*, electus 20 mensis Augusti, possessionem accepit 28 ejusdem mensis 1516. Sic memoratur in necrologio: *12 Julii an. 1527 obiit D. Johannes* Perrin de Cresille, *canonicus, prior, & abbas electus hujus monasterii... Is præcipuum ecclesiæ nostræ altare eleganti opere marmoreo elaboratum erigi curavit: multas vestes textu serico splendidas ad sacra ornatiore cultu peragenda suis sumptibus comparavit. Missa*
C *de SS. Sacramento qualibet feria quinta ritu celebriori canendam annuis redditibus attributis instituit. Sed quia in multo ære alieno erat, decreto supremi senatus Metensis hæc institutio inanis prorsus & nulla pronunciata fuit, sicque sacrificium cessavit: quod tamen ei viro prudenti & pio verti vitio non debet: ad illud enim dissolvendum satis superque suisset magnifica supellex, qua abunde erat instructus; sed eo mortuo, partim direpta, partim teterrime vendita est. Ejus etiam studio divinum officium in nostro templo ritu Romano cantari cœpit anno 1514. Vir tanti zeli pro domo Dei sepultus est ad*
D *evangelii cornu majoris altaris, sub tumulo quem ipse sibi præparaverat.*

XXVII. Petrus II Godarii ex priore Bulincurtis abbas, benedictionis munus accepit 22 Junii 1532. Adscito sibi coadjutore decessit, sicque notatur in necrologio: *Anno Domini 1543, 13 Martii obiit reverendus pater Petrus Godarii, quondam abbas hujus monasterii, qui huic ecclesiæ pro suo anniversario legavit viginti francos annuatim recipiendos.*

XXVIII. Johannes VIII *Forget*, primum coadjutor, dein abbas, vivere desiit an. 1549.
E Primus fuit commendatarius.

XXIX. Nicolaus I *de Vencey*, major archidiaconus & episcopus Balnei-regis in Italia, æmulum habuit Johannem *Nicolas* a fratribus electum, quem Carolus V imperator suam in protectionem suscepit anno 1550. Fruitus tamen est ad usque annum 1564, quo cessit e vivis.

XXX. Nicolaus II *de Vencey*, præcedentis nepos & coadjutor, obiit 18 Junii 1569.

XXXI. Desiderius *Colliny*, canonicus Tullensis, adversarium passus est Christophorum *Husson*, S. Hilarii priorem, a fratribus electum,

confirmatum & benedictum; sed tamen prævaluit. Reliquias ex Romano SS. Vincentii & Anastasii monasterio accepit an. 1571.

XXXII. Theodoricus *Thyriet*, cantor & canonicus Tullensis, vicarius generalis & officialis episcopi, per resignationem præcedentis abbatiam adeptus est, tenuitque ad annum 1599, quo occubuit 19 Junii. In episcopum Tullensem electus fuerat an. 1588; verum ejus electio admissa non est. Plura ad decorem divini officii contulit, & pro anniversario suo, quod celebratur v id. Novemb. summam mille francorum largitus est.

XXXIII. Perrinus de Perrinis, canonicus Tullensis, Clementis VIII subdatarius, ab ipso summo pontifice providetur an. 1599, frustra reluctancte Alberico *Nicolas* priore claustrali, quem elegerat capitulum. Eodem anno defunctus.

XXXIV. Seraphinus, cardinalis, episcopus Redonensis, patriarcha Alexandrinus, cessit in sequentis gratiam an. 1608, mortuusque est an. 1609.

XXXV. Vincentius *Rasaille*, natione Italus, patria Bononiensis, sequenti resignavit anno 1613.

XXXVI. Franciscus Pozzobonelli defunctus Genuæ 1623.

XXXVII. Dionysius-Simon *de Marquemont*, archiepiscopus Lugdunensis & cardinalis, nominatus a rege abbas, transegit 12 Augusti 1624 cum Johanne *Perrin de Cresilles* priore claustrali quem fratres elegerant. Decessit vero anno 1626.

XXXVIII. Guillelmus II *de Barclai*, natione Anglus, bullas ab Urbano VIII, cujus fuit camerarius, accepit. Nihilominus a fratribus iterum est electus Johannes *Perrin* & confirmatus ab episcopo Tullensi; sed paulo post occubuit, & in ipsius locum a capitulo suffectus fuit Philippus *le Jalot*, Tullensis, in jure canonico licentiatus, vicarius generalis & prior claustralis monasterii. Hic canonicos congregationis Salvatoris nostri vocavit & introduxit anno 1627. Cum diu de abbatia litigasset, accepta 300 librarum pensione, jure suo cessit in gratiam Guillelmi *de Barclai*, obiitque an. 1657, sepultura ante majus altare donatus. Guillelmus cessit & ipse sequenti circa annum 1656, retenta 50 ducatorum pensione, satisque concessit anno 1673.

XXXIX. Gabriel *Bailly de la Berchère*, canonicus Metensis, per superioris resignationem factus abbas, tenuit per 53 annos, mortuusque est 15 Januarii 1709, ut constat ex ejus epitaphio, quod in ecclesia Metensi sic legitur: *D. O. M. Ad dexteram sepulchri illustrissimi Georgii Badensis, hujus ecclesiæ episcopi, jacet inclytus ac venerabilis vir D. D. Gabriel* Bailly, *almæ facultatis Parisiensis doctor theologus Sorbonicus, hujus ecclesiæ canonicus, dein archidiaconus major, tandem præcentor, nec non S. Leonis Tullensis abbas. Hic in officiis divinis fuit assiduus, in negotiis capituli vigilantissimus. In pauperes vero vivens & moriens misericors, ad xenodochium sororum de Bono-auxilio lectum pro egenis morbo affectis fundavit, & sacellum in eo propriis sumptibus construi curavit. Tandem longa infirmitate detentus, infirmos hospitalis generalis S. Nicolai suorum bonorum scripsit heredes, ut æternam consequeretur hereditatem. Obiit 15 Januarii, anno Domini 1709, ætatis vero 81; vale lector, & ut ignoscat illi Deus deprecare.*

XL. Anna-Ludovicus-Franciscus *de la Beaume de Suze*, ex nobilissimo apud Delphinates genere, Lugdunensis comes & canonicus, a rege nominatus 5 Aprilis 1709, adeptus est possessionem mense Aprili 1711.

XLI. N. *de Castellane* a rege renunciatus fuit abbas 12 Aprilis 1738.

XLII. N. *de Damas*, vicarius generalis episcopi Nivernensis, nominatus est a rege 4 mensis Aprilis 1773.

ALTERIACUM. AUTREY.

Una a Rembervillari hora ad meridiem, in honorem B. Dei genitricis Mariæ, a Stephano de Barro Metensi episcopo in canonicorum regularium gratiam, anno circiter 1150 conditum fuit Alteriacum. Stephani successores Theodoricus III & Bertrannus non omnes modo donationes a fundatore erogatas confirmarunt, sed & novas cum variis privilegiis addiderunt. Privilegia hæc Lucius III anno 1182, nec non Innocentius III 1209, aliique plures summi pontifices, quin & concilium Constantiense 20 Martii 1410 comprobarunt. Eleganti monasterii basilica splendet architectura, fenestrisque mirablili arte pictis. Mysteria vitæ mortisque Christi ad vivum expressa cernuntur. Visitur & ad fenestras sacelli S. Huberti historia hujus Sancti eximie depicta, cujus articulus manus, a fundatore traditus, in monasterio reverenter asservatur. Sacrum id pignus magna illuc confluentium devotione colitur propter frequentes & miraculosas a morbis curationes, illis maxime contingere solitas, qui rabidorum animalium morsura læsi, aut mente capti fuerint. Post annum 1500 hujus ecclesiæ canonici ergo defendendæ authenticitatis exiguæ reliquiarum S. Huberti partis strenue & efficaciter decertarunt adversus Benedictinos insignis abbatiæ sancti Huberti Arduennensis. Lis vero finita est amicabili compositione, salva prius sacri pignoris certitudine, & facta ab ipsis Arduennensibus recognitione an. 1513. Aroasiæ congregationi suberat olim Alteriacum, ejusque ritibus ac moribus vixit, donec congregationi Salvatoris nostri se subdidit, anno scilicet 1654. Unita est hæc abbatia anno 1777 episcopatui sancti Deodati.

Ch. LXVII, col. 522.

ABBATES.

I. Anselmus anno 1185 testis est in litteris Folmari comitis Castellensis pro Belloprato, nec non annis 1172 & 1175 in aliis Petri

Petri Tullensis episcopi in monasterii ejusdem gratiam. Subscribit an. 1176 litteris Simonis ducis Lotharingiæ. Memoratur etiam ad annos 1177 & 1178.

II. Milo protectionis bullam a Lucio III consecutus est an. 1182. Memoratur adhuc an. 1183, moriturque an. 1186.

Ch. LXVII, col. 522. III. Widricus confirmationis ac concessionis multarum donationum litteras obtinuit anno 1187 a Bertranno episcopo Metensi.

IV. Ancelinus 1188; fato functus est anno 1208.

V. Rodolphus an. 1209 donatus est a papa privilegio pro possessionum & immunitatum omnium confirmatione. Successores ejus incogniti ad annum usque 1290.

VI. Dominicus superstes an. 1294, decessit an. 1295.

VII. Johannes I *Gerson* 1299.

VIII. Gerardus 1303, 1307, 1315.

IX. Matthæus an. 1347 monasterii privilegia ab Ademaro Metensi episcopo firmari fategit. Mortuus circa annum 1360.

X. Nicolaus I 1381.

XI. Richardus 1383, ex chartis Senoniensibus.

XII. Jacobus devixit an. 1389.

XIII. Johannes II *de Pontretin* moritur an. 1417.

XIV. Johannes III *Gemel* 1439, 1447, 1452.

XV. Desiderius *Chailly* obiit 1469.

XVI. Johannes IV *du Chatel* coadjutor electus ab abbate Stivagii per delegationem abbatis Aroasiæ, confirmatur 19 Octobris 1468, regitque abbatiam ad usque mortem, quæ contigit an. 1481.

XVII. Johannes V *Renaud* superstes 1483, fatis concessit circa annum 1489.

XVIII. Nicolaus II a Castro 1507.

XIX. Nicolaus III *Mercier* præerat anno 1513.

XX. Claudius I *Stevency* ecclesiam reædificare cœpit an. 1537, decessit vero an. 1548.

XXI. Thomas *Pierrel* ab anno 1548 ad 1554.

XXII. Johannes VI *Châtelain* 1555, 1570. Sequentis in gratiam abdicavit anno 1577. Adhuc superstes an. 1583.

XXIII. Claudius II *Chevalier* cessit & ipse anno 1593.

XXIV. Nicolaus IV *Laurent*, cognomento *Malotte*, 1595. Albam vestem, probante Clemente papa VIII, in nigram commutavit 1608. Nepoti suo, quem sibi adsciverat coadjutorem anno 1631, abbatiam transcripsit anno 1634.

XXV. Nicolaus V *Serauville*, præcedentis nepos, monasterium congregationi S. Salvatoris univit anno 1654. Cessit in gratiam sequentis an. 1660.

XXVI. Carolus *Midot*, canonicus Tullensis, per præcedentis cessionem abbatiam in commendam adeptus est, ædificiorum restaurationem, aliaque mira spondens. Excessit e vivis 20 Augusti 1699.

XXVII. Josephus-Sulpicius *Pastoret*, abbas regularis, Augusta-Prætoria oriundus, occubuit 1 Aprilis 1721.

XXVIII. Claudius-Franciscus *du Val*, canonicus regularis, coadjutor electus & confirmatus an. 1720, obiit 22 Julii 1740.

XXIX. Benedictus *Hurault*, canonicus regularis, ex coadjutore factus abbas, præmatura morte sublatus est 12 Aprilis 1748. Ab hoc tempore in commendam lapsa est abbatia.

XXX. N. *de Rome* a rege commenda donatur an. 1752.

XXXI. Bartholomæus-Ludovicus-Martinus *de Chaumont de la Galaisière* abbas dictus a rege an. 1775: itemque episcopus sancti Deodati anno 1777.

Aliæ sunt tam in Tullensi quam in Nanceyensi & S. Deodati diœcesibus canonicorum regularium congregationis Salvatoris nostri mansiones, nec abbatialibus nec prioratibus titulis insignitæ, de quibus voluminis hujus prolixitas loqui non finit.

VALLES IN ORNESIO.

VAUX-EN-ORNOIS.

FILIA Morimundi & Escuraii mater abbatia Vallium in Ornesio, ordinis Cisterciensis, sita in archidiaconatu de Ligniaco, dotatur anno 1132 a Gaudefrido barone de Joinvilla, quem ipsa suum agnoscit authorem. Ratam habuit eam fundationem anno 1140 Henricus episcopus Tullensis, qui ab Ebalo de Monte-forti, Campaniæ comitis nepote, quingentos nummos aureos ad ædificiorum constructionem Balduino abbati concessos fuisse tradit. Funditus eversa expilataque est hæc abbatia a Calvinianæ hæresis sectatoribus anno 1575. Pauca itaque supersunt documenta, ex quibus exactam abbatum seriem eruere licuerit.

ABBATES.

I. BALDUINUS quingentos nummos aureos ad monasterii constructionem ab Ebalo de Monte-forti nepote comitis Campaniæ accepit anno 1140.

II. Richardus pluribus in monumentis occurrit annis 1151, & 1152, quo subscripsit litteris Hillini archiepiscopi Trevirensis, pacem & concordiam inter Matthæum ducem Lotharingiæ & Romaricensem ecclesiam restituentis.

III. Theobaldus legitur anno 1168 in charta Insulæ-Barrensis. Arbiter electus est inter fratres Belli-prati & Flabonis-montis an. 1174. Testis fuit an. 1183 conventionis & societatis inter monasteria Stivagii & Belli-prati. Eodem anno occurrit in tabulis Cheminonis. Subscripsit an. 1185 litteris Petri episcopi Tullensis pro Bello-prato. Cum eodem Petro episcopo delegatus fuit judex a Sede apostolica in controversia inter Cheminonem & Vallem-secretam.

IV. Orricus transegit an. 1258 cum abbate S. Michaëlis. A

V. Vincentius anno 1278 mense Aprili litteras direxit ad Gosbertum dominum de Aspero-monte.

VI. Henricus memoratur anno 1283 in charta S. Mansueti.

VII. Dominicus anno 1341 die Dominica post festum sancti Lucæ sigillo suo munivit litteras Gerardi de Longa-villa, quibus ille quædam cedit Henrico comiti Barrensi.

VIII. Jacobus composuit an. 1428 cum abbate S. Michaëlis.

IX. Franciscus I *Mengeot* an. 1575, quo direptum ac dirutum est ab hæreticis monasterium, quamdam silvæ partem tradidit in emphiteosim Carolo duci Lotharingiæ, qui decem millia librarum solvit, & concessit annuatim duos salis modios. B

X. Franciscus II *de la Barre*, archidiaconus Andegavensis.

XI. Antonius *de Thelis*, dominus *de Valorge*, præpositus Athanacensis, obtinuit abbatiam 14 Augusti 1684, quam dimisit anno 1695, ut fieret abbas Insulæ-Barbaræ.

XII. N. *de Stoupes*, filius tribuni Helveticæ legionis, præpositæ regis custodiæ, nominatus 8 Septembris 1695, moritur an. 1709. C

XIII. Josephus *de Bourdon* abbas Stabulensis, defunctus 1753, die 16 Septembris.

XIV. N. *de Sailly*, cantor sacræ capellæ Parisiensis, decessit anno 1769.

XV. N. *de Gaston* subpræceptor regiæ stirpis Franciæ puerorum, a rege renunciatus fuit abbas 25 Decembris 1769.

ESCUREY.

ESCURAIUM.

GAUFRIDUS III, Joinvillæ dominus, laude & assensu Gaufridi filii sui abbatiam de Escureio in honorem beatæ Virginis Mariæ construxit ac dotavit in Barrensi ducatu. D

Ch. XLIV, col. 494.

Hæc filia est Vallium in Ornesio, situmque habet inter pagos *Morley* & *Montier-sur-Saulz*, ad confinia Campaniæ & Barri ducatus. Si ita est, ut Gaufridus III sit fundator, certe illa existebat ante annum 1144, quippe quod ejusdem Gaufridi epitaphium, in Clarevallensi ecclesia conservatum, mortem ejus assignat ad annum 1132, prout constat ex ultimis his epitaphii verbis: *Icis Josfroi trepassa de ce ciecle en l'an de grace mil cens vins & douze en mois d'Aoust.* In ea epigraphe sat prolixa recensentur omnes ecclesiæ ab eo conditæ, quarum prima est abbatia de Escureio. E Si istud revera Gaufridus condiderit monasterium, ut testatur epitaphium, sane in fundationis litteras error irrepsit in subscriptionibus, ubi legendum est: *Sigillum Gaufridi Cathalaunensis episcopi*, non vero *Guidonis*, qui ad episcopatum promotus non fuit ante annum 1142.

ABBATES.

I. PETRUS I nominatur in charta anni 1155, *Venerabilis.*

II. Simon I 1155.

III. Vinnericus 1168.

IV. Morandus I 1172.

V. Herbertus I 1175.

VI. Theodericus I 1185. Prædium quoddam accepit anno 1188 a Simone domino de Commerceio.

VII. Robertus testis fuit donationis factæ Regiæ-valli a præcitato comite de Commerceio.

VIII. Morandus II 1197.

IX. Herbertus II 1197, 1202, 1203.

X. Dominicus 1207.

XI. Theodericus II 1215.

XII. Garnerius 1240.

XIII. Lambertus I 1247.

XIV. Ulricus 1256.

XV. Lambertus II 1263 in charta Lingonensis ecclesiæ.

XVI. Vivianus vel Vimanus 1263, 1265.

XVII. Gauterius 1268.

XVIII. Johannes I 1305 in tabulis sancti Urbani.

XIX. Martinus 1313 die Lunæ post festum SS. Jacobi apostoli & Christophori martyris rogatus suum apposuit sigillum litteris quibus Albericus *de Fouchier* eques facit homagium Eduardo Comiti Barrensi de quibusdam fundis acquisitis.

XX. Simon II ab anno 1420 ad 1455.

XXI. Simon III mortuus an. 1485.

XXII. Petrus II *de la Morelle* circa 1510.

XXIII. Desiderius *Ferri* vel *Feny* 1517. Sequentis in gratiam abdicavit.

XXIV. Claudius I *de Nicey*, abbas Cari-loci, Matisconensis diœcesis, fit etiam abbas Escuraii bulla Adriani papæ V data XVII cal. Maii 1522, pontificatus anno primo.

XXV. Claudius II *de Nicey* electus anno 1530. Occurrit etiam an. 1544.

XXVI. Stephanus I *de Nicey* electus anno 1544. Memoratus in litteris authenticis 31 Augusti 1555.

XXVII. Ambrosius *Cruyer* 1582, 1583.

XXVIII. Simon IV *Michel* electus 1586, 1587.

XXIX. Stephanus II *de Nicey* 1590.

XXX. Carolus *de la Morre* coadjutor factus bullis datis 15 Maii 1614, possessionem adeptus est 4 Junii 1615.

XXXI. N. *de Nangy* 1615, 1616.

XXXII. N. *de Brichanteau* commendatarius 1616, 1619.

XXXIII. Petrus III *Vincenot* electus 1639 & confirmatus ab abbate Morimundi 6 ejusdem mensis.

XXXIV. Ludovicus *du Mancel.*

XXXV. Franciscus *du Mancel.*

XXXVI. Johannes II *Arcel* uti duo præcedentes obtinuit abbatiam in commendam 13 Novembris 1687.

XXXVII. N. *Berdot* abbas regularis nominatus est an. 1716; decessit 10 Decembris 1740.

XXXVIII. Johannes III *Henrion* item abbas regularis nominatus est a rege Stanislao 4 Januarii 1741, factus etiam vicarius generalis provinciæ Lotharingiæ 17 Octob. 1746.

XXXIX. N. *Suchet* prior Caritatis in diœcesi Vesontionensi a rege dictus abbas ineunte Januario 1771.

XL. N. *de Moyria*, procurator & vicarius generalis ordinis Cisterciensis, a rege designatus abbas 15 Augusti 1772.

INSULA BARRENSIS.

L'Isle-en-Barrois.

Ulricus de Insula, vir admodum clarus ac nobilis, una cum uxore sua Mathilde per Alberonis Virdunensis episcopi manum tradidit Eustachio abbati canonicorum regularium de monasterio in Argona locum de Englicurte, quinque leucis a monasterio dissitum. Illic novam ecclesiam Eustachius inchoavit anno circiter 1144; missisque octo canonicis, quos inter Johannes in abbatem assumptus, plurimis domum suam auxit donationibus, quæ tum ob originem tum loci ratione dicta fuit monasterium ad Agram seu Airam. Ut vero hujus ecclesiæ utilitati melius consuleretur, novus hic abbas, promovente præfato Alberone cujus sunt litteræ ad Eustachium Monasteriensem abbatem, confirmationem donationum a Lucio II pontifice maximo obtinuit. Deinde circa annum 1150 translatis canonicis regularibus, monachi Cistercienses ex monasterio sancti Benedicti in Vepria de Linea Morimundi, diœcesis Metensis, ad reformandum monasterium accedentes, illud ordini Cisterciensi adjunxerunt. Tunc nobilis vir Wiardus, cognomine Foatia, alodium de Vaudonis-curia liberum & absolutum ab omnibus consuetudinibus tradidit. Aliquanto post Rainerus de Aspero-monte ejusque uxor Helvidis, probante Alberto episcopo Virdunensi, prædium de Englicurte, quondam ab Ulrico collatum Eustachio Monasteriensi abbati, Hugoni Cisterciensis ordinis abbati præbuerunt pro grangia ædificanda, si eveniret ut in alium locum abbatia transferretur. Et vero ad locum, ubi nunc existit, translata est duabus a primo loco leucis, & quatuor ab urbe Barrensi versus Septentrionem. Quod ut solidum & firmum esset, Henricus episcopus Tullensis, Valterus archidiaconus & Drogo parochus de Condeis monachis de Insula concessere locum de Melchia cum altari, decimis, cæterisque appendicibus. Donationem hanc ratam habuit Odo cantor & Tullensis archidiaconus, Valteri nepos. Fundata fuit nova ecclesia anno 1162 & dedicata anno 1202. Vocabulum de Insula id monasterium sortitur a cognomine primi fundatoris. Ex inita pacis inter Ludovicum XIV regem & Carolum IV Lotharingiæ ducem compositione statutum fuit ultima Februarii 1661 ut mensa abbatialis Insulæ loco mensæ abbatialis Gorziensis primatiali ecclesiæ Nanceyensi adnecteretur. Abrogatus est cum regis venia titulus abbatialis anno 1777, insumtaque bona atque reditus mensæ abbatialis dotationi Nanceyensis recens erecti episcopatus.

(Ch. XXII, col. 569. — Ch. XXIII, col. 576. — Chart. LV, col. 506. — Ch. LVI, col. 506.)

CATALOGUS ABBATUM.

I. Johannes I accepit altare *de Vaudoncourt* a Bosone episcopo Catalaunensi anno 1154, pontificatus ejus anno secundo.

II. Hugo donum altaris *de Vaudoncourt* a præcitato Bosone firmari curavit. Circa annum 1162 coram Alberto Virdunensi episcopo alodio Anglicurtis, ab Ulrico & Mathilde Eustachio Monasteriensi abbati tradito, iterum est donatus a Rainerio de Aspero-monte pro grangia ædificanda, quocunque transferretur abbatia. Protectionis bullam ab Alexandro III obtinuit an. 1168. Occurrit adhuc an. 1170 in litteris Guidonis III episcopi Catalaunensis pro monasterio in Argona.

III. Gunterus circa annum 1175 subscripsit litteris Henrici comitis de Monsione abbatiam Belli-loci in suam tutelam suscipientis. Ab Elisabetha abbatissa S. Mauri consecutus est quidquid ipsa habebat apud Hattum-Mainil cum nemore *de Euraumon*. Haud multo post a Guidone Catalaunensi præsule obtinuit ejusdem loci altare. Possessiones monasterii a Lucio III fulciri sategit an. 1182. Stivagienses inter & Belli-pratenses monachos initæ societatis testis fuit anno 1183. Recensetur anno 1190 in carta Roberti Virdunensis episcopi.

IV. Arnulfus 1197, nec non an. 1198 in diplomate Theobaldi comitis Barrensis. Superstes adhuc an. 1201.

V. Joffridus acquirit an. 1202 ab Henrico, Altæ-silvæ abbate grangiam apud *Aracost*.

VI. Johannes II 1226.

VII. Gerardus ab abbate & capitulo sancti Pauli Virdunensis agros quosdam in censum accepit anno 1234.

VIII. Galo 1235.

IX. Petrus 1250.

X. Nicolaus I anno 1263 mense Junio recognoscit litteris suis abbatiam Insulæ-Barrensis esse sub custodia Theobaldi comitis Barrensis. Occurrit etiam anno 1267. (*Hist. Lothar. tom. II, prob. col. 490.*)

XI. Johannes III de Scamnis 1267. Hic una cum Ferrico abbate S. Benedicti litteras dedit de venditione quadam facta Theobaldo Barri comiti an. 1285 die Jovis post Pascha. Sepultus in capitulo.

XII. Philippus 1291, 1292, 1293, 1298, 1305. Refectorium ædificavit, mortuusque est an. 1309, ac sepulturam habuit in capitulo.

XIII. Johannes IV *de Mucey* 1314, 1316, 1320.

XIV. Nicolaus II 1321, 1322. Sigillum suum apposuit litteris, quibus Johannes de Nova-villa fidem & subjectionem clientelarem profitetur comiti Barrensi 1323 die Veneris

post octavam SS. apostolorum Petri & Pauli. A Adhuc præerat anno 1327.

XV. Jacobus litteris fidei clientelaris Johannis *d'Antrecourt* exhibitæ Eduardo comiti Barri sigillum suum addidit an. 1333 mense Aprili die Martis post festum S. Georgii.

XVI. Johannes V *de Revigny* 1339, 1348, societatem iniit anno 1350 cum Willelmo Castriciæ abbate.

XVII. Stephanus, abdicata abbatia, tumulatus fuit in capitulo an. 1354.

XVIII. Joffridus chartas & diplomata coram officiali Tullensi recognosci fategit an. 1353.

XIX. Johannes VI *de Scames* seu *de Xames* B 1362. Sub ejus sigillo Johanninus *de Vauvecourt* 7 Septembris 1364 litteras dedit, quibus profitetur domum suam esse sub clientela ducis Barrensis. Sepultus in claustro ad ingressum ecclesiæ.

XX. Andræas *de Fresne* 1367, 1371, 1384. Dedit ad censum die 1 Aprilis 1391 agrum Nicolao vinitori ad serendas vites. Occurrit adhuc anno 1392.

XXI. Theobaldus 1392, 1402, 1411. Subscripsit 24 Septembris 1415 litteris Hussonis *de Fains* recognoscentis bona uxoris suæ subdita esse clientelæ ducis Barrensis. Reperitur C & anno 1416. Jacet in capitulo.

XXII. Michaël *de Villette* 1441, 1446, 1453. Insequenti arbiter fuit cum Johanne abbate Alti-fontis pactionis initæ prid. cal. Julii inter Lanconem Monasterii in Argona & Warinum Trium-fontium abbates. Deputatus est cum quibusdam aliis abbatibus a capitulo generali ad dirimendam litem inter monasteria Trium-fontium & Cheminonis.

XXIII. Nicolaus III *de Marat* 1471. Cessit octogenarius 1495, & desiit vivere 1501. Humatus in capitulo.

XXIV. Jenninus *Morel* per præcedentis D cessionem fit abbas 1495. Illud habet epitaphium in capitulo: *Hic jacet frater Jenninus* Morel *abbas hujus monasterii, qui obiit anno ab Incarnatione millesimo quingentesimo septimo, vicesima die mensis Novembris.*

XXV. Sebastianus *Boban* electus, & a Jacobo Cisterciensi abbate confirmatus 1 Maii 1508. Decessit anno 1513.

XXVI. Dominicus *Xambouret* seu *Pambouret* electus anno 1513, obiit an. 1519, sepulturæ in capitulo traditus.

XXVII. Nicolaus IV *Musnier* per obitum Dominici factus est abbas 17 Julii 1519, E præsidente electioni Johanne de Calcia abbate S. Benedicti in Vepria. Benedictionis munus a Christophoro Christopolitano episcopo, vicario in pontificalibus Johannis a Lotharingia, cardinalis electi episcopi Metensis, accepit 1 Augusti ejusdem anni, dein confirmatur ab Haymone abbate Morimundi 7 Septembris insequentis. Cessit in gratiam sequentis nepotis sui 1532, defunctusque est anno 1537.

XXVIII. Johannes VII *Musnier* per præcedentis resignationem a Clemente VII abbas instituitur bullis datis VII cal. Octobris 1532. Mortuus 6 Martii 1558, sepulturam cum patruo habuit ante majus altare. Magnam turrim ad introitum ecclesiæ patruus & nepos construi jusserunt.

XXIX. Lupentius *l'Écossois* electus coram Johanne de Aulneis abbate S. Benedicti in Vepria, & Bernardo *de la Ferté* coadjutore Caladiæ 1558, confirmatur a Johanne abbate Cisterciensi 25 Junii 1559. Mortuus anno 1562, jacet in capitulo.

XXX. Desiderius I *Crabouillet*, doctor sacræ facultatis Parisiensis, ad abbatiale munus promotus fuit mense Aprili 1562 per electionem cui præfuit Johannes de Alneis abbas sancti Benedicti. Oculatus fuit testis incendii, quo Calvini sectatores penitus monasterium deleverunt anno 1567 in vigilia Nativitatis Domini. Violenter & ipse ductus in castrum dictum *Dieulewart*, ibi crudelissime ab hæreticis occisus est anno 1568. Corpus ejus ad monasterium reportatum, jacet in capitulo cum hac honorifica inscriptione:

Nescia fallendi pietas extruxit avorum
Gratum opus, æterno splendida templa Deo,
At fumo quæ fœda nigra simulacra, viator,
Et prostrata solo marmora sacra vides,
Ortus disjecit nuper truculenta nepotum,
Cum rapuit miseros cæcus in arma furor,
Dura quidem clades, verum crudelia longe
Fata Crabouilleti sunt graviora patris,
Cujus cana fides, pietas, candorque pudicus
Ornarant variis pectora docta modis.
O sortem miserandam hominum tunc optime pastor,
Tunc, inquam, extremis anchora tuta malis,
Dum Doulouorum cingunt te mœnia castri
Immeritus sævo militis ense cadis.
Plura referre vetant lacrymæ; vox faucibus hæret.
Parce, hospes, siccis si legis ista genis,
Da mecum cineri lacrymas, nam sydera mane
Celsa colunt homini debita regna polo.
Obiit an. salutis humanæ 1568.

XXXI. Johannes VIII *Jallans* electus anno 1568, majores & minores campanas conflari curavit anno 1574. Cessit e vita 1578, depositus in capitulo.

XXXII. Desiderius II *de Florainville* 1579, quiescit in capitulo tumulatus 1582.

XXXIII. Nicolaus V *Michel* cessit anno 1594. Defunctus 1606, sepulturæ mandatus est in sacello sanctorum Petri & Pauli cum hoc epitaphio: *Siste viator, piisque manibus reverendissimi Nicolai* de Michel *bene precare, qui a pueritia quæ sunt Domini cogitans, jugum Domini in hac domo subiit, ubi cum pie sancteque vixisset cœnobita, tandem in cœnobiarcham inauguratus, domum hanc strenue sagacique vigilantia rexit annis XIV, satisque concessit anno post partum virgineum M. DCVI, III id. Junii,*

Memoriæ ejus grati animi mnemosynum hoc reverendus Desiderius de Reims, *ejus sororis filius & successor mæstus posuit.*

XXXIV. Desiderius III *de Reims*, filius Desiderii *de Reims* a consiliis & rationibus Barri ex Ludovica *de Michel*, per præcedentis cessionem anno 1594 factus abbas, obiit anno 1625, sepultus in eodem sacello quo avunculus cum hoc epitaphio:

Post famam sedes, post sedem fama superstes,
Servat honos nomen, servat & ossa decus.
Hac Desiderius de Reims *antistes in æde*
Sydereos fontes hauriet hîcque jacet
Et veluti purum pietas laudabilis omen
Edidit, haud aliter purus adhæret humo.

XXXV. Antonius *de Seve Saint-Julien*, Isabellæ Moncelli abbatissæ germanus, abbatiam a Christianissimo rege Ludovico XIII primus in commendam adeptus, obiit 1662.

XXXVI. Nicolaus-Franciscus *de Lorraine*, mortuus anno 1670.

XXXVII. Mathurinus *Savary*, episcopus Sagiensis, simul abbas Caherii & Insulæ, obiit 16 Augusti 1698. De eo actum est tom. XI, col. 707, ubi vide.

XXXVIII. Carolus *de Lorraine*, archiepiscopus & elector Trevirensis, & Osnaburgensis episcopus, sublatus e vivis 14 Decemb. 1715.

XXXIX. Franciscus-Vincentius-Marcus *de Beauvau de Craon*, a duce Lotharingiæ nominatus abbas 1722.

XL. Ludovicus-Apollinaris *de la Tour-du-Pin de Montauban* a rege nominatur anno 1769, tum designatur episcopus Nanceyensis anno 1777, quo titulus abbatialis extinctus est, proventusque destinati ad dotandum Nanceyensem episcopatum.

STANCHIA.

L'ÉTANCHE.

CUM Adheleidis, quondam Lotharingiæ ducissa, votum Deo vovisset, habitumque religionis in monasterio *de Tart* prope Divionem induisset, petiit a Matthæo I Lotharingiæ duce filio suo ut sibi locus daretur, in quo orationis ædificaretur domus. Hic laudabili matris suæ petitioni annuens, tradidit illi locum, qui dicitur Vallis-ducis, & ex consensu ac laude uxoris suæ Bertæ ad dotationem novi hujus monasterii plurimas possessiones, fundos & alodia largitus est per diploma datum anno 1148 nonis Decembris. Henricus Tullensis episcopus tam fundationem monasterii, quam donationes vel a duce Matthæo vel ab aliis benefactoribus indultas litteris suis confirmavit IV idus Augusti 1149. Situs hic parthenon inter Novum-castrum & Castellum, a quibus parum distat, Stanchia dictus est ob stagna quibus circumdatur.

Calmet, Hist. Lothar. t. II, prob. col. 332. *Id. col. 333.*

SERIES ABBATISSARUM.

I. MABILIA occurrit in litteris Henrici episcopi fundationem ac dotationem monasterii confirmantis anno 1149. Fatis functa est anno 1178.

II. Agnes I 1223.
III. Adelina 1253.
IV. Amelina *de Fignois* 1285.
V. Felicia 1295.
VI. Clementia 1318.
VII. Margarita I *de Donvart* 1327.
VIII. Anna I *de Bettancourt* 1333.
IX. Agnes II *de Moncel* 1337.
X. Johanna I *de Nancy* 1357.
XI. Johanna II *de Monse* seu *de May* 1357.
XII. Petronilla I *de Bulgnéville* 1367.
XIII. Catharina *de Beaufremont* 1370.
XIV. Beatrix I *du Châtelet* 1422.
XV. Agnes III *de Harouel* 1436.
XVI. Jacoba *de Gombervaux* 1449.
XVII. Beatrix II *du Châtelet* 1528.
XVIII. Mathildis *de Sorcy* 1533.
XIX. Margarita II *Desarmoises* 1548.
XX. Claudia I *Desarmoises* 1556.
XXI. Francisca *Desarmoises* 1579.
XXII. Claudia II *de Jussey* 1596, 1609.
XXIII. Antonia *de Vigneule* 1621.
XXIV. Margarita III *Lallemand* 1636.
XXV. Petronilla *de Vallerot* 1665. Inventarium chartarum monasterii exhibuit 23 Septembris 1680 regiæ apud Metas cameræ.
XXVI. Anna *de Tavagny* 1700.
XXVII. Gabrielis *de Pointe* 1725.
XXVIII. N. *de Gondrecourt* 1779.

SANCTA-HOILDIS.

SAINTE-HOULDI.

HENRICO II Barrensi comiti ejusque uxori Philippæ parthenii S. Hoildis originem tribuunt verba hæc ex monasterii manuscripto excerpta: « Anno de Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo « quinto, die Omnium-sanctorum, consecrata « est ecclesia S. Hoildis a reverendo patre domno « Gillone Tullensi episcopo, & majus altare « consecratum in honore beatissimæ Virginis « Mariæ & sanctorum Johannis-Baptistæ & « Johannis Evangelistæ, & in eo reliquiæ sunt « positæ prædictorum Sanctorum, præsente pio « principe Theobaldo comite Barro-ducis, qui « fuit filius Henrici, qui in transmarinis partibus « calore fidei accensus pro Christo mortuus est. « Fuit uxor ejus Philippa, qui cum magna « devotione monasterium sanctæ Hoildis construxerunt. « Ipso die moniales Domino fuerunt « consecratæ. Quod factum est temporibus quintæ « abbatissæ, nomine Elisabeth, audientibus ibi « confessiones Johanne & Pontio monachis Claravallensibus. » Sita hæc abbatia, filia Claræ-vallis, duabus ab urbe Barro-ducis leucis ad occasum, fundata fuit circa annum 1229. Omnes ejus possessiones confirmatæ fuerunt anno 1236 insigni privilegio summi pontificis Gregorii IX. Eodem anno tradita est a Rogerio episcopo Tullensi ecclesia parœcialis S. Hoildis ad sublevandam monasterii paupertatem, annuente archidiacono patrono ipsius ecclesiæ. Gilo episcopus Tullensis a quodam Johanne

Calmet, Hist. Lothar. t. II, prob. col. 449 & seqq.

monacho Clarevallensi ex Flandria tria corpora Sanctorum de legione Thebæorum, & unum corpus de numero undecim millia Virginum allata fuisse ex parte Margaritæ Flandriæ comitissæ litteris datis anno 1266 testatur, conceditque quadraginta indulgentiarum dies his qui in festivitatibus ecclesiæ S. Hoildis ad sanctarum reliquiarum venerationem accesserint.

Ch. LXXVI, col. 529.

ABBATISSÆ.

I. MARGARITA I superstes anno 1139, cum sanctitatis fama decessit 12 Octobris 1240. Caput ejus cum veneratione servatur in monasterio. Hæc brachium S. Hoildis, quod tradiderant fundatores Henricus comes & Philippa uxor ejus, argenteo vase incluserat. Tres ei successerunt abbatissæ quorum nomina ignorantur.

V. Elisabeth abbatissæ munus obibat anno 1255, ipso dedicationis ecclesiæ tempore ex manuscripto monasterii, ubi dicitur quinta abbatissa. Obiit 22 Aprilis 1262.

VI. Amelina *de Nouffard* 1276. Fatis concessit 4 Julii.

VII. Helvis 1280.

VIII. Joyetta 1285.

IX. Christiana I 1303, 1317.

X. Agnes *de Fresne* 1324.

XI. Isabella *d'Estaing* 1326; defuncta 14 Martii.

XII. Alix *de Rance* 1358, 1372.

XIII. Alexandis seu Ellisendis *de Longeville* 1376; mortua ultimo die Febr. 1397.

XIV. Johanna I *de Stainville* 1441.

XV. Jacoba *de Tholon* 1463, 1464, 1465, 1468.

XVI. Maria *de la Tour* 1479, 1480.

XVII. Margarita II *Guillermet* Mussipontana electa 1480. Occurrit etiam annis 1483, 1486. Bullam obtinuit ab Alexandro VI adversus monasterii deprædatores an. 1496.

XVIII. Christiana II 1497.

XIX. Fausiola *de Thiaucourt* 1507. Litteras dedit 25 Maii 1511 in testimonium 25 librarum ceræ acceptæ ab Antonio duce Lotharingiæ. Memoratur adhuc annis 1523, 1528.

XX. Margarita III *de Lisle*, facta monialis 1526, electa abbatissa 1535, benedicta 1542, mortua 1549.

XXI. Catharina *d'Igny*, soror ex secundis nuptiis Philippi *des Sales* domini *de Gombervaux*, & Johannis domini *de Couffey*, electa 1550, cessit e vita 5 Maii 1567.

XXII. Johanna II *de Beauvau*, Renati *de Beauvau* & Claudiæ *de Bandoche* filia, electa 1569, occubuit 17 Octobris 1584.

XXIII. Antonia *de Beauvau*, præcedentis soror, electa 18 Octobris, mortua est 11 Junii 1590.

XXIV. Johanna III *de Florainville*, filia gubernatoris Barri, duarum præcedentium propinqua, bullas obtinuit per obitum Antoniæ 1596, nata annos 23. Confirmata fuit ab abbate Clarevallensi 30 Julii ejusdem anni, A & benedicta 5 Februarii 1604. Ultimum clausit diem 8 Septembris 1625. Paulo ante mortem sanctimoniales minis coegit ad eligendam neptem suam Catharinam *de Florainville*, novem tantummodo annos natam, cujus electionem abbas Morimundi fecit irritam.

XXV. Margarita IV *de Savigny de Leymont*, filia Warrici *de Savigny* ex Antonia *de Florainville*, neptis præcedentis, electa 14 Septemb. 1625, benedicta 5 Octobris ab abbate Morimundi, possessionem accepit 10 eorumdem mensis & anni. Vitam finivit 22 Augusti 1657. annum agens 75. Quiescit in ecclesia cum B hoc epitaphio: *Cy gist noble & vertueuse dame madame Marguerite de Sevigny, abbesse de céans, qui gouverna cette maison l'espace de 32 ans, avec beaucoup de constance, pendant les malheurs & embarras des guerres du pays. Elle trépassa le 22 Août 1657, âgée de 75 ans.*

XXVI. Maria-Francisca *de Nettancourt de Haussonville de Vaubecourt*, Nicolai *de Nettancourt*, regiorum exercituum præfecti, ex Carola *le Vergeur de Saint-Souplet* filia, sanctimonialis S. Petri Remensis, præcedentis neptis & coadjutrix, obtinuit bullas 24 Octobris 1654, possessionem accepit 23 Augusti 1657. C Mortua an. 1688 die 23 Septembris, sepulta est in choro cum hoc epitaphio: *Icy repose très-illustre & très-vertueuse dame madame Marie-Françoise de Nettancourt de Haussonville de Vaubecourt, abbesse de ce monastère; elle en prit le gouvernement en 1657. Ses premiers soins furent d'y mettre la cloture & de rétablir les ruines des guerres précédentes, de manière qu'on la peut nommer à juste titre la réparatrice de cette abbaye, qui lui doit une grande partie de ses bâtimens & ornemens du chœur. Dans une longue maladie qui a fini ses jours, elle a conservé dans un corps abattu un esprit toujours* D *agissant. Elle est décédée le 23 Septembre 1688, en la 56.^e année de son âge.*

XXVII. Catharina-Angelica *de Nettancourt*, superioris germana, ex secundo patris connubio cum Clara *Guillaume*, ex priorissa ad abbatissæ munus a rege evecta, bullas adepta est XVII cal. Febr. 1689. Fatis concessit 21 Febr. 1694, sepulturamque habuit in choro prope sororem suam cum hac inscriptione: *Icy repose pieuse & très-vertueuse dame madame Catherine-Angélique de Nettancourt de Haussonville de Vaubecourt, abbesse de ce lieu, recommandable par son humilité, mortification, &* E *son zèle pour la régularité, laquelle décéda après cinq ans & quatre mois de gouvernement, le 35.^e de son âge.*

XXVIII. Margarita V *d'Alençon*, Barroducis oriunda, a rege nominata 1694, vivere desiit 29 Julii 1705.

XXIX. Anna-Maria *Coquet*, Parisina, cum licentia Leopoldi ducis electa est abbatissa a sanctimonialibus 12 Augusti 1705, præsente Petro *Bouchu* abbate Clarevallensi, monasterii patre immediato; decessit vero 29 Septembris 1715.

XXX. Maria-Therefia *Bonjour* ex celleraria in abbatiffam fuffragiis monialium affumpta eft 19 Octobris 1715, coram abbate Claræ-vallis & uno commiffario ducis Lotharingiæ.

XXXI. N. *du Prat* fruebatur anno 1779.

RIÉVAL.

REGIA-VALLIS.

VODIUM inter & Commerceium in ducatu Barrenfi pofitam fecus viam regiam, multorum monafteriorum matrem Regiam-vallem, a Rainaldo I Barri comite ejufque uxore Gifela de Vadano-monte fundatam fuiffe anno 1141, laudante Stephano Metenfi epifcopo, comitis fratre diverforumque prædiorum largitore, narrant domeftici fcriptores. Verum Stivagienfis abbas exordia hujufce monafterii citius locari autumat, cenfetque illud ut minimum jam ftetiffe ab anno 1124: enim vero Seibaldus abbas S. Leonis Tullenfis circa vel etiam ante annum 1140 Herberto abbati fub cenfu decem folidorum Janduriam & Graveriam cum Vacincurte ad monafterii conftructionem jam transfcripferat. Quam quidem donationem litteris ipfo anno 1140 munivit Henricus Tullenfis epifcopus, qui & infequenti locum Rengis-vallis aliafque poffeffiones conceffas pacifice & quiete haberi juffit. Eodem anno Innocentius II fummus pontifex authoritate fua bona omnia firmavit. Confimilia etiam privilegia tribuerunt fucceffores ejus Alexander III, Lucius III & Clemens III, quæ vulgavit abbas Stivagii tom. II, Annal. prob. coll. 406 & feqq. Pluribus monafteriis originem dedit hæc abbatia, fcilicet in Lotharingia S. Mariæ de Nemore, Jovillari & Rengis-valli; in Hungaria abbatiis fancti Stephani diœcefis Varadienfis, fanctæ Crucis Wacienfis, Grabæ Strigonienfis.

INDEX ABBATUM.

I. HERBERTUS, nobilis Lotharingus, fancti Norberti difcipulus, primus fuit abbas, monafteriumque conftruxit, pluribus ad fratrum fuftentationem acceptis non tantum a Rainaldo I comite Barrenfi fundatore, fed & a vicinis toparchis Theodorico & Odone de Sorceio, nec non etiam a Godefrido Joinvillæ dynafta prædiis. Alterum prædium, quod Bernaicuria vocatur, in feodo Commercienfi accepit ab ipfo comite Rainaldo, cujus donum ab ejus fratre Stephano Metenfi epifcopo confirmatum fuit. Locum Rengis-vallis a Petro de Briffeio & a Lucharde Umplona & ab Hadwide de Afpero-monte recepit, firmarique ab Henrico epifcopo Tullenfi fategit anno 1141, quo auctoritate Innocentii II fummi pontificis, pariter & Eugenii III an. 1148 omnes cœnobii poffeffiones ad ipfius Herberti preces fuffultæ fuerunt.

II. Raimundus inchoatum ab anteceffore fuo diftantem uno ab abbatia lapide parthenonem, muliebris fexus perfonis ad religionem accedentibus deftinatum, abfolvit. Huic A parthenoni molendinum & pratum tradidit Hadwidis de Sorceio nobilis matrona, facta ibidem fanctimonialis. Gervafius abbas Belliloci jus qualecunque alodii, quod habebat in territorio Janduriæ, Raimundo acceptante, ceffit Jandurienfibus.

III. Drogo anno 1161 confirmationem omnium bonorum ab Henrico epifcopo affecutus eft. Adftitit an. 1169 comitiis Tulli indictis, in quibus Stivagienfis abbatiæ jura epifcopali autoritate firmata funt. Subfcripfit anno 1170 litteris Petri epifcopi pro Jendorio. Teftis occurrit in litteris acquifitionum facB tarum a Willelmo Miræ-vallis abbate anno 1172. Mors ejus notatur in obituario 22 Novembris.

IV. Galterus feu Valterus I prædia quædam a decimarum præftatione exemit anno 1173. Religionis ftudio accenfus, crucem affumpfit ac in Hungariam fe contulit, Chriftianos ad recuperanda fancta loca hortaturus. Tantam in ea regione fibi comparavit exiftimationem, ut populi aliquos ex ejus fodalibus habere voluerint, qui monafterium Grabenfe excitarunt. Alodium de Sanzeio accepit an. 1178, C a Vidrico *de Bleneau*. Eodem anno arbiter fuit inter Simonem canonicum S. Deodati & fratres Belli-prati. Bullam obtinuit anno 1179 ab Alexandro III. Licet ad moderandum S. Martini Laudunenfis monafterium poftulatus an. 1180, nihilominus Regiam-vallem regere perrexit; & vero in ejus gratiam privilegium infigne impetravit an. 1181 a papa Lucio III. Legitur in tabulis focietatis initæ Ciftercienfes Belli-prati inter & Præmonftratenfes Stivagii an. 1183. Paternitatis jus in abbatias Rengis-vallis & Jovillaris, a Philippo Præmonftrati abbate demptum, monafterio fuo adfcribi D curavit bulla Clementis III data anno 1188. Relicta abbatia S. Martini ad dilectam fuam Regiam-vallem repetiit: unde raptus eft anno 1192 ut Præmonftrato, totius ordinis capiti, præficeretur. Falfo incufatus a Pagio in bibliotheca Præmonftratenfi, quod fub ejus moderamine regularis difciplina difperierit. Dum Lotharingiæ monafteria luftraret, in fua dilecta Regiæ-vallis folitudine de vita ceffit VIII id. Septembris 1294, fepultufque eft cum epitaphio ante facellum S. Chriftophori.

V. Gerardus in variis documentis ab anno 1194 ad 1219 memoratus, deceffit 17 April. E ex obituario Jovillaris.

VI. Laurentius cum *Benjamin* abbate de Moncellis delegatur anno 1220 a Conrado Præmonftratenfi, futurus judex ineundæ pactionis inter abbatem Janduriæ & Adam *de Bauzieres*.

VII. Valterus II duos vini modios a Friderico Vallis-coloris comite annuatim percipiendos in ejus reditibus accepit an. 1225.

VIII. Guillelmus quinque vini modiis annuis pro pitancia fratrum donatus eft a Theodorico Commercii paftore anno 1260. Paftoratum

de Rivo obtentum a Gilone episcopo fecit regularem anno 1266.

IX. Manasses Gerardum abbatem sancti Mansueti & pastorem *de Naives* reclamantes decimas fundorum Regiæ-vallis, in eadem villa sitorum, episcopali sententia compescuit anno 1285, quo Simon IV Commerceii dynasta pro anniversario Mathildis comitissæ Saræ-pontis in monasterio sepultæ centum solidos attribuit.

X. Aubertus centum solidos præfatæ fundationi addixit ad victum fratrum an. 1321. Insequenti sese abdicavit ad accipiendam curam parœcialis ecclesiæ de Nova-villa ad Rivum.

XI. Hugo Johanni comiti Saræ-pontis & Commerceii domicello stagnum Novæ-villæ & centum solidos pro anniversario Mathildis datos cessit pro tribus avenæ modiis percipiendis ex decima Novæ-villæ anno 1325. Ex necrologio postulatus videtur ad Jovillaris abbatiam; hæc enim de eo leguntur ad diem 14 Julii: *Commemoratio Hugonis abbatis Jovillaris & quondam abbatis hujus loci.*

XII. Henricus institutus exsecutor testamenti Viardi militis Vallis-coloris an. 1332, ipsi mortuo funebres fecit exsequias in Regia-valle. Notatur in obituario Jovillaris 2 Junii.

XIII. Adamus diu & quidem ad annum 1375 præfuisse legitur.

XIV. Raynerus anno 1380 parentavit Johanni Saræ-pontano comiti, Franciæ buticulario, qui testamento legaverat decem francos aureos, quos Gisela ejus vidua impendit anno 1387.

XV. Johannes I *de Vacon*, seu *de Bacon* ut legitur in obituario Jovillaris, obiit 7 Maii.

XVI. Johannes II *Perrin* per commutationem adeptus est a Roberto Saræ-pontis comite reditus omnes clibanorum Novæ-villæ 1447. Delegatus est una cum decano Lignei & cantore S. Deodati judex contra detentores bonorum ecclesiæ Tullensis a Nicolao V papa anno 1450.

XVII. Desiderius de Vallibus multa monasterio fecit bona, satisque concessit 6 Februarii 1481.

XVIII. Dominicus *de Sonsault* domum refugii a Roberto Saræpontano obtinuit in civitate Commerciensi anno 1488, cessitque e vivis 1510.

XIX. Guarinus seu Varinus *Thibault* notatus in necrologio Jovillaris 2 Augusti.

XX. Ægidius *de Mazières* monasterii chartas & diplomata in unum volumen collegit an. 1514 & occubuit 15 Octob. 1521.

XXI. Bartholomæus *Chevresson* defunctus 15 Octobris 1534.

XXII. Stephanus *de Metz* mortuus 1 Maii 1544.

XXIII. Valtrinus *Mauclot* benedictione donatus 7 Septembris 1544, mortem oppetiit 1595.

XXIV. Humbertus *la Ratte* electus, & a Francisco *de Longpré* Præmonstrati abbate confirmatus, possessionem accepit 30 Decemb. 1595 sub placito domicelli de Commerceio. Hic mox mutato consilio Humbertum qua precibus, qua minis urgere cœpit ad filio suo spurio resignandum. Renitentem vero trusit in carcerem, nec liberum evadere sivit, quin prius abdicationem fecisset.

XXV. Jacobus *de la Roche-Guyon*, nothus domicelli de Commerceio, cum per aliquot annos fruitus fuisset, beneficium sequenti transcripsit.

XXVI. Franciscus *Riquely* an. 1669 cessit & ipse in sequentis gratiam.

XXVII. Simon *Parisot*, archidiaconus Lingonensis, resignavit etiam anno 1699.

XXVIII. Carolus *le Manier*, canonicus & officialis Lingonensis, an. 1721 delegit sibi coadjutorem Claudium-Hyacinthum *Collart*, canonicum reformatæ congregationis, monasterii Nanceiani superiorem.

XXIX. Hyacinthus *Collart*, per obitum præcedentis defuncti an. 1725 sub medium Octobris adiit in possessionem.

XXX. N. *Cordier* a rege dictus abbas 1767.

XXXI. N. *Desmoulins* abbas regularis 1779.

Præter hos abbates plures alii referuntur in necrologio Jendorii absque notis chronologicis, scilicet:

Cesfridus 23 Junii.
Lambertus XVI cal. Augusti.
Valterinus XII cal. Augusti.
Dominicus VIII id. Augusti.
Gerardus pridie id. Augusti.
Lambertus XVII cal. Octobris.
Simon nonis Septembris.
Gerardus 19 Decembris.

S. MARIA-MUSSIPONTANA
QUONDAM
S. MARIA-DE-NEMORE.*

S. MARIE-MAJEURE, olim S. MARIE-AUX-BOIS

Dum sanctus Norbertus sub annum 1126 Roma in Galliam repeteret, in castro de Princio benigne acceptus est a Simone Lotharingiæ duce, qui sancti hujus viri virtutes admiratus, monasterium ædificare constituit, in quo discipulorum ejus colonia plantaretur. Ad id opus destinata fuit vallis montibus fontibusque circumdata, inter Mussipontium & Metas, ad occasum fluvii Mosellæ subtus idem castrum Princii. Fundum, qui pendebat ab abbatia S. Petri Metensis, concessit Juditha abbatissa, censumque sibi debitum relaxavit abbatissa S. Glodesendis. Simonis patris sui dispositionem probavit ac laudavit Matthæus I dux Lotharingiæ an. 1138. Novellam plantationem ratam habuerunt Henricus episcopus Tullensis, nec non Lucius III summus pontifex bulla data III cal. Februarii 1181, ut patet ex annalibus ordinis tom. II, prob. coll. 113 & seqq. Ex antiqua sede in partem urbis Mussipontanæ, quæ ad Metensem episcopum spectat, translatum est id monasterium, in quod

* Hanc abbatiam in diœcesi Metensi posuisse satius esset.

quod Tullenses episcopi jurisdictionem sibi reservatam fuisse astruunt.

Index Abbatum.

I. Richardus I, Lotharingus natione, sub Radulphi magisterio disciplinis & litteris Lauduni imbutus fuit. Institutum Præmonstratense sub B. Norberto amplexatus, ab ipso constitutus est dux coloniæ precibus Simonis Lotharingiæ ducis ad novum B. Mariæ de Nemore monasterium emissæ. Fundum, in quo ædificata fuit abbatia, sub censu duodecim nummorum quotannis solvendorum adeptus est a Juditha abbatissa S. Petri Metensis. Acquisitas acquirendasve res confirmari obtinuit a Matthæo I duce Lotharingiæ anno 1138. Consimiles etiam litteras ab Henrico Tullensi episcopo impetravit. Transactis in regimine 30 annis, pretiosissima morte decubuit.

II. Cono bonorum confirmationem tum ab Henrico episcopo, tum a capitulo Tullensi obtinuit an. 1162. Simile privilegium assecutus est a Petro successore Henrici an. 1167. Transcensum capellæ de Blanzeis ab Haymone decano Tullensi probandum curavit. Ad hæc tempora Matthæus I dux Lotharingiæ capellam de Prisneio, arce consueta principum sede, tradidit. Unde abbates S. Mariæ capellani ducales dicti sunt.

III. Richardus II an. 1168 legitur in charta Agnetis abbatissæ S. Glodessendis Metensis.

IV. Simon I ex priore Præmonstrati factus abbas S. Mariæ, humatus est in sacello sancti Stephani cum epitaphio. Memoratur in necrologio 9 Decembris.

V. Arnulphus testis occurrit in litteris quibus Petrus Tullensis episcopus confirmat acquisitionem alodii de Janneio factam an. 1174 ab Ascelino Bonifageti abbate.

VI. Garnerus bullam in confirmationem bonorum adeptus est an. 1181. Discordiæ inter Stivagienses & Belli-pratenses placandæ operam dedit, & initæ inter hæc duo monasteria confraternitati in capitulo probatæ anno 1183 subscripsit. Testis occurrit in litteris Simonis ducis Lotharingiæ pro Gorziensi cœnobio anno 1185. Notatur in necrologio IV cal. Septembris.

VII. Petrus I duas assecutus est bullas a Clemente III annis 1187 & 1188, quo quemdam donationis contractum sigillo suo roboravit. Mortuus IV id. Martii, ut legitur ex ejus tumba, cui inscripti sunt quatuor hi versus.

Cespite Petrus in hoc dormit, veritatis alumnus.
Præfuit huic domui tam re, quam nomine domnus.
Idus est Martis exutus corpore quarto.
Quem dolet iste locus positus mæroris in arcto.

VIII. Erladus nonnullas res sitas apud Prineium & Confluentes litteris Bertrandi episcopi Metensis probari curavit an. 1193. Notatur in necrologio 1 Aprilis.

IX. Herbertus præerat an. 1198. In obituario sic recurrit ad diem 28 Octobris: *Commemoratio domini Herberti abbatis hujus loci, Joscelini patris sui canonici nostri, & Elisabeth uxoris ejus conversæ nostræ congregationis.*

X. Hugo memoratus in necrologio Rengisvallis jacet infra antiquos ecclesiæ cancellos sub tumba ad dexteram ingredientis posita, cui ejus figura, læva pedum tenens manu, insculpta cernitur.

XI. Hugbertus qui & Hubertus, in antiquo capitulo sepultus.

XII. Joseph cujus tempore censum duodecim denariorum emtum fuisse a monasterio astruit cartularium antiquum. Sequuntur hæc verba in necrologio ad 20 diem Decembris: *Commemoratio Desiderii & Bertrandicis patris ac matris domini Joseph abbatis hujus loci.*

XIII. Drogo hæc habet in necrologio: *13 Februarii commemoratio domini Drogonis abbatis hujus ecclesiæ.*

XIV. Ægidius 18 Aprilis.

XV. Fulco 28 Januarii.

XVI. Hatto XVII cal. Aprilis.

XVII. Robertus 20 Augusti; idem forte est cum R. qui anno 1211 occurrit in archivio S. Vitoni.

XVIII. Gerardus I an. 1248 fundum emit apud *Berlancort* sub censu 22 solidorum a priore de Montione. Reperitur in veteri documento anno 1253. Sepulturam habet in navi ecclesiæ infra veteres cancellos.

XIX. Rembaldus I ab abbate Septemfontium locum Flini acquisivit anno 1261. In necrologiis tam monasterii quam Rengisvallis memoratus 31 Martii.

XX. Gerardus II pactionem cum Warico equite domino *de Boncourt* iniit an. 1264.

XXI. Rembaldus II anno 1268 transegit cum domino *de Bremont* equite *de Chancy.*

XXII. Simon II quamdam vendidit vineam in loco *de Mauvage* an. 1272.

XXIII. Valterus occurrit in charta an. 1275 ante Dominicam Palmarum. Notatur in necrologio 22 Junii.

XXIV. Dominicus I de Venderiis plurimas res sitas in villa *de Blanzei* consecutus est anno 1280 a Ferrico duce Lotharingiæ, qui quidem & alias addidit, mox ad Jerosolymitanum iter profecturus. Ipse autem Dominicus ejusque conventus litteris suis datis an. 1282 postridie festi S. Vincentii mense Januario profitentur omnia, quæ acquisierunt aut acquisituri sunt, esse in custodia domini de Aspero-monte. Recensetur in necrologio ad diem 11 Novemb. ubi vocatur etiam Desiderius.

XXV. Theodoricus I an. 1283 a Warino *Bouffas* Buxeriensi de consensu Alizetæ uxoris ejus vineas subtus *Blanzey* aliaque multa accepit, idque donum & alia a Ferrico II firmari satagit anno 1286.

XXVI. Nicolaus I sub cujus sigillo dantur quædam litteræ Alexandri *de Villers* ejusque

uxoris Aleidis de venditione cujusdam feodi Theobaldo Barri comiti facta an. 1290, die Jovis post Octavam Trinitatis.

XXVII. Theodoricus II 1294, 1295, 1297 die Veneris ante festum Nativitatis Christi.

XXVIII. Johannes I sedebat an. 1300.

XXIX. Nicolaus II *de Preny* decessit anno 1326 in festo S. Ceciliæ, sepultus ad gradus capellæ S. Bartholomæi.

XXX. Johannes II reperitur ad annos 1329, 1330, 1331, 1332. Sigillum suum apposuit anno 1333 litteris Johannis *de Morey* militis, profitentis se esse hominem ligium comitis Barrensis. Testis fuit an. 1346 mense Novembri die Lunæ post festum S. Martini hominii redditi Gaufrido domino de Aspero-monte. Ad annum usque 1346 præfuit ex documentis.

XXXI. Nicolaus III *de Preny* tres solidos annui censûs a Jacquemino & Idetta uxore ejus comparavit anno 1360.

XXXII. Johannes III *d'Onville* a dominis *de Vilers* vocatur cognatus, & ab ipsis testamentorum exsecutor constituitur. Ejus tumba a milite Sueco confracta inscriptionem hanc exhibebat: *Cy gist très-reverende personne freire Jean d'Onville, qui fut abbé de ceans, qui mourut l'an de grace notre Signour, le Lundi devant la S.... J. M. CCCLXII.*

XXXIII. Jacobus *de Bouillonville* adstitit erectioni Mussi-pontii in civitatem an. 1373. Discordiam amicabili compositione sopivit anno sequente.

XXXIV. Johannes IV *Genin*, filius Johannis *Genin de Preny*, gubernatoris arcis Prineii, ex Catharina uxore, abbatia se abdicavit.

XXXV. Petrus II *Genin*, per cessionem fratris natu majoris factus abbas, occurrit anno 1420, nec non 4 Octobris & 20 Decembris 1424. Ambo fratres quadraginta sex annis, scilicet ab anno 1382 ad 1426 abbatiam obtinuerunt.

XXXVI. Johannes V *Griffon* præerat annis 1427, 1446. Testis occurrit in litteris datis de occupata toparchia de Sampigneio, nomine Renati Siciliæ regis, Lotharingiæ & Barri ducis, post mortem Guillelmi de Haraucuria episcopi Virdunensis 1457, die 26 Januarii. Magnæ pietatis & fortitudinis vir decessit anno 1462 ex annalibus. In alio, quem præ oculis habemus, catalogo, præfuit usque ad annum 1468.

XXXVII. Johannes VI *de Dieulouart* nemus Bellaterræ usurpatum recuperavit. Cum per septem vel circiter annos præfuisset, resignavit anno 1479.

XXXVIII. Johannes VII de Mameyo post præcedentis cessionem a capitulo electus, & ab abbate Præmonstratensi, Branæ tunc agente, confirmatus 17 Aprilis, abbatiam & ipse dimisit catharro tactus anno 1498. Dignitati suæ superstes devixit anno 1503; in navi

A ecclesiæ humatus. Fraternitatem cum canonicis S. Crucis contraxerat anno 1497.

XXXIX. Petrus III *de Preny* in abbatem cooptatus fuit 17 Junii 1498, mortuusque est an. 1505, die 8 Martii.

XL. Dominicus II *Thuilier*, dictus etiam de Layo a loco suæ originis, ex coadjutore abbas concordi voce constitutus est, coram Desiderio *de Jouy* Rengis-vallis & Georgio *de Venne* Stagni abbatibus, 15 Martii 1505. Visitator provinciæ Lotharingiæ a capitulis generalibus est institutus annis 1517, 1527, 1529, 1532. Occubuit anno 1534.

B XLI. Nicolaus IV *Thuilier*, coadjutor creatus anno 1528, mox ab abbate Præmonstratensi confirmatus est, & ad vicarii generalis munus promotus. Adscitum ab Antonio duce ad sanctiora consilia, suum quoque consiliarium habere voluit Renata Borbonia ejus uxor, dato ad hoc diplomate 18 Septemb. 1538, in quo abbas etiam Rengis-vallis inscribitur. Serenissimam Siciliæ reginam Philippam Geldrensem, Renati II conjugem, in Mussipontano S. Claræ monasterio a viduitate professam consiliis & spiritualibus adjuvit auxiliis. Fato functus est 28 Septemb. 1558.

C XLII. Dominicus III *Thuilier*, præcedentis germanus & coadjutor ab anno 1549, abbatiam in spiritalibus & temporalibus rite administravit. Provinciæ Lotharingiæ per aliquot annos vicarius generalis, defunctus est 11 Novembris 1565, & in capella S. Bartholomæi humatus.

XLIII. Desiderius *Malkusson* postridie mortis abbatis Dominici a capitulo una voce electus est, Francisco *Bottée* vicario generali comprobante. Competitorem Johannem *Bohan*, canonicum sancti Pauli Virdunensis, submovit gratia summi pontificis & Caroli III ducis

D Lotharingiæ, qui electum litteris suis papæ commendavit. Roma reversus Desiderius, institutus est vicarius generalis 8 Octobris 1668. Viam universæ carnis ingressus est 28 Decemb. 1594.

XLIV. Daniel *Picart* in abbatem fuit cooptatus 29 Decembris 1594, electionem confirmante Matthæo *Pierson* Salinæ-vallis abbate, vicario generali. Ex illo prodiere reformationis exordia: mox enim eradicandæ proprietati, divinisque officiis devote celebrandis omne suum adhibuit studium. Unde subortæ sunt ærumnæ; quin & mortis peri-

E culum subiit ex veneno a discordibus fratribus accepto. Reliquum itaque vitæ in continuis doloribus & cruciatibus transegit. Assumpto in coadjutorem & in boni operis cooperatorem Servatio *de Layruelz*, excessit 20 Maii 1600.

XLV. Servatius *de Layruelz* vota emisit anno 1580, festo Annunciationis B. Mariæ in monasterio S. Pauli Virdunensis. Philosophiæ studuit una cum Desiderio *de la Cour* & Petro *Fourier* celebribus reformatoribus in collegio Societatis Jesu Mussipontano. Absoluta philosophia, theologiam Parisiis in Sorbona

aggressus est, ubi doctoris gradum promeruit. Ordinis sui visitator factus & reformator, accessit ad monasterium B. Mariæ de Nemore, assumtusque est ob merita aliasque præclaras dotes in coadjutorem a Daniele *Picart* abbate, bullis hac de re datis idibus Augusti 1599. Resovendæ strictioris observantiæ accensus studio, reformationem tam in suo monasterio, quam in cæteris Germaniæ, Bohemiæ, Sueviæ, Austriæ, Belgii & Galliæ instituit. Quapropter a reformata congregatione uti potens & quasi sanctus habetur & colitur. De ea reformatione exstat breve summi pontificis Pauli V, qui jubet ut monasterium S. Mariæ Majoris Mussipontanæ caput sit reformatæ congregationis. Abbatiam ex prima sede Mussipontum Servatius transtulit, templo regularibusque ædificiis e solo suscitatis. Mitræ & pontificalium usum sibi suisque successoribus a sancta sede obtinuit. Pie obiit in Nemorensi monasterio 18 Octobris 1631, quo totus conventus se receperat ob grassantem Mussiponti pestem. Unde ad Mussipontanam ecclesiam ab eo conditam illatus est, & sepultus in medio sanctuarii, apposito contra parietem a latere epistolæ marmoreo lapide; cui insculpta sunt encomia, a viro clarissimo ac doctissimo Midotio ejus amicissimo, diœceseos Tullensis vicario generali, texta.

XLVI. Petrus IV *Desbans*, Bellæ-vallis professus, reformationem in monasterio sanctæ Mariæ Mussipontanæ amplexatus est sub Layruelio; cujus coadjutor factus fuit 24 Octobris 1606. Theologiæ lauream adeptus, & meritorum splendore famosus, in abbatem Præmonstrati a saniori & majori capitulantium parte electus est 21 Decembris 1635, quo die cardinalis Richelius, qui abbatiæ inhiabat, a factiosis ad sedem abbatialem promotus quidem est. Obiit vero Petrus Cuissiaci XVII cal. Maii 1649, dum esset illius monasterii abbas regularis, sepultusque est in sanctuario prope gradus, a latere epistolæ. De eo jam egimus tom. IX, col. 680.

XLVII. Petrus V *Thienville*, theologiæ doctor & vicarius generalis, per cessionem præcedentis ad Cuissiacensem abbatiam traducti, a fratribus in abbatem evectus est 29 Maii 1643, electionem probante papa, ex eo quod vacaret sedes abbatialis Præmonstratensis. Vir pius & ab omni dignitate alienus, se abdicavit ut orationi totum se daret. Plenus meritis decessit cum sanctitatis fama in monasterio S. Pauli Virdunensis anno 1663, ubi jacet in medio sanctuarii. Cor ejus Mussipontum delatum, reconditum est in pariete ecclesiæ a latere evangelii.

XLVIII. Nicolaus V *Guinet*, doctor theologiæ, postquam prioris claustralis officio in duobus monasteriis, Longo-vado & Bella-valle, functus fuisset, antecessore ejus ultro cedente, unanimi voce in ipsius locum suffectus est 9 Augusti 1653. Multas elucubrationes in defensionem reformationis contexuit ac vulgavit. Historiam Philippæ Geldrensis, Siciliæ reginæ, commentariis illustravit & probationibus. Abbatum monasterii sui publici juris fecit elenchum. Ultimum clausit diem 26 Januarii 1695, publico funebri encomio celebratus & hoc epitaphio honestatus: *Cineres tegit hic lapis R. P. ac domini Nicolai* Guinet *quem habuere civem & doctorem Mussipontum, abbatem per annos XLI hocce cœnobium, Norbertina congregatio vicarium generalem sexies. Experti sunt inopes patrem, infirmi solatium, cives consiliarium, sanæ doctrinæ magistrum universitas, abbatia reparatorem, congregatio columen, omnes christianæ generositatis exemplum, dignus qui semper viveret. Mortalitatem exuit die 26 Januarii anno 1695, ætatis 74. Requiescat in pace.*

XLIX. Alexander *Guillaume*, theologiæ doctor, ex priore factus abbas 10 Martii 1695, benedictionem ab Henrico *de Bissy* episcopo Tullensi accepit 27 Junii ejusdem anni. Crudelis podagræ doloribus vexatus, libenter abdicavit 4 Junii 1710, & occubuit 10 Aprilis 1711, ætatis suæ anno 57. Funebre ejus elogium ad populum habuit R. P. Franciscus *le Lorrain*, prior S. Pauli Virdunensis 19 Junii anni ejusdem.

L. Josephus *Malcastel* ad abbatialem gradum evectus 6 Junii 1710, mense sequenti inauguratus est ab episcopo Tullensi; decessit vero 26 Septembris 1717.

LI. Nicolaus VI *Felix* a capitulo in abbatem est electus 20 Octob. 1717, defunctus 1754.

LII. N. *Breton* abbas regularis a rege nominatus, annis 1762, 1779, 1780, 1781.

FLABONIS-MONS.

FLABEMONT.

FUNDATUM fuit monasterium Flabonismontis anno 1132 a Widone de Acrimonte, comprobantibus Hugone comite Vadani-montis & Adelina de Burgundia ejus uxore, a quibus ipse Wido locum in feodum tenebat. Posita hæc abbatia, filia Bellæ-vallis in Argona, mater & ipsa Bonifageti & Stivagii, duabus ab oppido Marchia, totidemque a thermis Borbonæ leucis, lepidissimum in agro feracissimo situm habet. Quieti ac paci novorum indigenarum providendi gratia, Henricus Tullensis episcopus anno 1140 sancivit ut tam illis quam eorum posteris res indultæ, perpetuo firmæ & inconvulsæ remanerent. Largitus quidem est an. 1161 quidquid juris habebat in ecclesia S. Juliani, infra cujus terminos est abbatia: dedit insuper anno sequenti ejusdem ecclesiæ decimas. Pluribus summis pontificibus, scilicet Eugenio III, Clementi III, & Honorio III privilegia huic monasterio concedere, bonaque confirmare placuit. Plures etiam alii Tullenses pontifices, nempe Petrus de Brixeio, Odo de Vadano-monte, Reginaldus *de Senlis*, Thomas *de Bourlemont* beneficentiæ suæ eximia specimina exhibuerunt. Horum cæterorumque benefactorum chartas & privilegia

publici juris fecit abbas Stivagii, Annal. t. I, prob. col. DXLVI & seqq.

ABBATUM INDEX.

I. STEPHANUS eductæ e Bella-valle coloniæ a Philippo abbate datus est dux & pater. Hic ab Henrico Tullensi episcopo res monasterii ratas haberi satagit an. 1140. Obtinuit an. 1148 ab Eugenio III collatarum possessionum approbationem. Parœcialem ecclesiam S. Juliani, in qua sita est abbatia, an. 1161 consecutus est a præfato Henrico præsule, qui postero anno decimas ejusdem ecclesiæ, a Petro milite sancti Juliani traditas, ex intuitu duarum ipsius proneptum, quæ apud Flabonis-montem religionis susceperant habitum, episcopali auctoritate fulsit. Ab ipso enim monasterii exordio in vicino parthenone Deo se consecrarunt tot virgines, ut ædes ampliare necessum fuerit. Olricum dominum *de Deuilly* benefactorem in monasterio sepelivit anno 1166. Cum abbate & conventu Luxoviensi fraternitatis pactionem iniit, societatem etiam orationum cum parthenone Romarici-montis sancivit. Coram Gerardo comite Vadani-montis sopivit an. 1172 controversiam cum domino Hugone de banno dicto *Begneval* exortam. Eodem anno a Petro episcopo donum præfati comitis Gerardi firmari obtinuit. De Tontigniacensi prædio cum abbate Belli-prati habuit litem, quæ per arbitros abbates sedata est anno 1174. Prædia banni *Xersel* partim pretio comparata, partim ex liberalitate Theodorici de S. Eliphio accepta, episcopali autoritate monasterio adnecti curavit anno 1179. Raynerum dominum Bourbonnæ ad thermas ad præstandum hominium pro villa Fraxini per sententiam Theodorici Bisuntini archiepiscopi & Petri Tullensis præsulis adegit anno 1180, quo virtutibus & meritis onustus, animam Deo reddidit. Notatur V nonas Julii in necrologio Stivagii.

II. Hugo I parthenonem transtulit, auxitque ædificiis continendæ virginum multitudini ad conversionem confluentium capacibus. Plura ab Hugone II comite Vadani-montis accepta beneficia fulciri curavit litteris Petri episcopi anno 1183, quo in arbitrum assumtus inter cœnobia Stivagii & Belli-prati. Bullam a Clemente III bonorum confirmatoriam impetravit anno 1188. Eodem anno memoratur in litteris Petri episcopi bona prioratus de Daguliaco confirmantis. Quædam emit prædia eodem anno a Radulpho milite *de Lunevy* & Gosvino *de Fauconcourt*, quæ Petri episcopi authoritate firmata sunt. Immunitate ab omni pedagio in omnibus terris Guiardi *de Risnel* est donatus. Parochias S. Juliani & *Crainvillier* accepit anno 1196 ab Odone episcopo, approbante Friderico decano & archidiacono de Vitello. Annum 1201 non excessisse creditur.

III. Galterus memoratur anno 1204. Usum in duobus nemoribus consecutus est ab Orrico de Acri-monte anno 1211. Munificentiæ

A specimina Tirrici militis *de Dombrot*, tradentis medietatem tractus ecclesiæ *de Sirocourt*, nec non Friderici Tullensis comitis ligna ad comburendum in quadam silva largientis expertus est anno 1212. Legitur in charta Rainaldi Tullensis episcopi plures monasterio indultas donationes probantis anno 1213.

IV. Albertus anno 1214 donationem suscepit a Guidone Juncivillæ domino. A Gileta uxore Widrici domini de Duilleio, quæ religionis habitum in senecta acceperat in parthenone Flabonis-montis, totum ejus alodium *de Ozainvilliers* adeptus est an. 1219. Quædam
B etiam terræ jugera ab Hersendi domina *de Tillul* obtinuerat anno præcedenti.

V. Cono Honorii III bullam anno 1224 assecutus fuisse traditur. Henricum II Barri comitem ejusque heredes in societatem alodii sui *de Fraisne* vocavit anno 1236. Notatur calendis Februarii in obituario Albæ-curiæ.

VI. Nicolaus I litteris suis datis mense Aprili 1238 confitetur se suosque successores teneri exhibere quasdam litteras Mathæi ducis Lotharingiæ, ubicumque comiti Barri visum fuerit.

VII. Johannes I innotescit ex litteris authen-
C ticis datis anno 1255 in vigilia S. Mathæi.

VIII. Hugo II testis fuit anno 1259, quo Aubertus *Boulée* Theobaldum II Barri comitem sibi toparchiæ cujusdam consortem adscivit. Johanni de Brieyo militi quædam sibi debita a Theobaldo comite Barrensi vendidit mense Septembri 1260.

IX. Nicolaus II occurrit in litteris datis anno 1273, quibus Johannes *de Châtillon* Theobaldo comiti Barrensi vendit quidquid proventuum & jurium habet in villis Domni-Basoli & Bleurvillæ. Eodem anno Marchiam missus ut exploraret damna, quæ passi fuerant
D cives a Reginaldo principe Barrensi, in Theobaldum comitem & fratrem rebelli, rationem reddidit comiti, qui læsis civibus per biennium argenti & frumenti vectigalia relaxavit. Præsens aderat anno 1278 mense Decembri, cum Johanne *de Parney* præcitatum comitem Theobaldum in societatem toparchiæ *de Raucourt* assumpsit.

X. Johannes II commutationem fecit anno 1289 cum Theobaldo Barri comite, & cum ipsius consensu pactum iniit cum Gerardo *Boulée* domino *de Serocourt*. Eodem anno
E homines suos *de Fraisne* & *d'Einville* eidem comiti subjecit sub conditione cujusdam annui reditus. Cum Johanne abbate sancti Vincentii Bisuntini decimas *de Fraisne* partitus est anno 1293. Atrium ecclesiæ erexit a fundamentis.

XI. Gerardus anno 1303 fratrum pitantias auxit, laudantibus Guillelmo Præmonstrati & Johanne Bellæ-vallis abbatibus. Donatus est anno 1305 a Johanne & Simonino dominis *de Ville* 40 solidis Tullensibus annuatim percipiendis ex talliis *de Vroville*. Eduardi I comitis Barri nomine Hemonium *de Charie* admisit ad hominium anno 1312. Bona quædam

commutavit anno 1315 cum Huardo *de* A *Beaufremont*. Dedit litteras anno 1318 die Mercurii ante Purificationem, quibus fatetur præcitatum comitem Barri ab omnibus debitis erga se absolutum. Transegit an. 1320 die Dominica ante Annuntiationem cum Bencelino Mediani-monasterii abbate. Ipsum apud Lotharingiæ & Barri duces gratia valuisse testantur varia beneficia ab eis accepta. Vitam produxit usque in annum 1324. Sepultus est extra chori cancellos cum epitaphio.

XII. Richardus I *de Maleraut*, Henrico & Eduardo Barri comitibus a sanctioribus consiliis, anno 1330 obtinuit facultatem a Thoma B *de Bourlemont* episcopo Tullensi præsentandi ad ecclesias de Mandris-ad-duas-turres & de Ozainvillari. Quamdam domum in castellania Castelli ad Mosellam ad censum dedit an. 1331 mense Maio Henrico Vadani-montis comiti & Isabellæ a Lotharingia ejus uxori, ad utriusque vitæ tempus. Curtem Domni-valerii prædiis aliis auctam morticinii jure donari curavit litteris Eduardi comitis anno 1335. Theodoricum Stivagii abbatem a se confirmatum abbatissæ Andelacensi investiendum præsentavit anno 1337. Eodem anno die Mercurii post festum S. Vincentii testatur a se C visas fuisse quasdam litteras Galcheri comitis Registestensis datas anno 1252. Facultatem torcular construendi in villa *de Frain* adeptus est ab Henrico Barri comite anno 1339. Legitur adhuc anno 1342 in documento, claustrique ei debetur ædificatio.

XIII. Johannes III *de Chatenoy* domum in urbe Tullensi pro alia cum Johanne *de Vaucouleurs* priore Dominicanorum mutavit anno 1345. Johannem & Galterum *de Ville* adegit anno 1346 ad solvendos, quos annuatim debebant, 40 solidos Tullenses.

XIV. Richardus II anno 1346 in sanctius D consilium admissus est a Radulpho Lotharingiæ duce; occurrit etiam anno 1356.

XV. Richardus III *de Fouchecourt* 1374 silvas *de Boësne* limitibus disterminavit. Cum Carolo *de Florémont* quædam commutavit prædia anno 1378.

XVI. Richardus IV compositionem iniit an. 1392 cum Pontio *de Tilleul*.

XVII. Godefridus de Marchia exortam de decimis & finibus Martigniaci, Fraxini, & Serocuriæ litem cum monasterio sancti Apri terminavit anno 1399.

XVIII. Simon *de Malzeroy* quasdam villicis E decimas locavit 22 Aprilis 1409. Occurrit in diversis actis 1413, 1415, 1416. Decimarum tertiam partem *de Contrexeville* a Catharina vidua Varini *de Florémont* suscepit. Abbatem Stivagii jus paternitatis excutere molientem ad obedientiam coegit 1419. Ad annum 1435 pervenisse in catalogis & scrinio Rengis-vallis perhibetur.

XIX. Johannes IV *de Marey* nobili dominorum *de Linoncourt* genere ortus, ab abbatia Rengis-vallis ad Flabonis-montem translatus fuit anno 1435. Gerardum *d'Essey* Stivagii abbatem obsequium detrectantem subjecit an. 1450, quo diem obiit supremum.

XX. Desiderius *de Grand* abbas Bonifageti, cum deputatus fuisset ut electioni abbatis Flabonis-montis adesset, in abbatem & ipse assumptus est anno 1450. Canonicos rebelles auctoritate toparchæ de Deuilliaco suffultos cum precibus flectere non posset, hos principis potentia domuit. Abbatem Miræ-vallis paternitatem Boni-fageti ambientem evicit censura capituli generalis 1461, cessitque e vita 5 Augusti 1466.

XXI. Johannes V *de Serocourt* Johannem *de Dom-Vallier* admisit ad homagium anno 1468.

XXII. Johannes VI *Baretti* anno 1473 contulit ecclesiam *de Merainville*, mortuusque est 28 Decembris 1478.

XXIII. Antonius *Miquel* al. *Miquetti* electus, præside Desiderio de Portu Miræ-vallis abbate, confirmatus est 10 Maii 1479 ab abbate Præmonstratensi Humberto. Sibi suisque successoribus pontificalium usum a summo pontifice Alexandro VI obtinuit anno 1500. Deputatus est pro clero ad consuetudines Bassiniaci pagi approbandas & scripto mandandas, ex mandato regis Siciliæ dato Barri penultima Januarii an. 1506. Altare B. Annæ, columnis cinctum æneis, sacrumque sodalitium erexit; chorum etiam elegantibus ornavit subselliis. Johannis *Feal* Stivagii abbatis electioni præfuit anno 1515. Adscito sibi coadjutore, obiit anno 1527, humatus in sanctuario cum hoc epitaphio: *Cy gist R. P. en Dieu, bon pasteur, frère Antoine Miquel, natif de Montureux-sur-Saone, jadis abbé de ceans, qui trespassa le 27 Avril 1527. Priez Dieu pour son ame.*

XXIV. Johannes VII *Pasel*, præcedentis coadjutor, cessit ac cum conventu sequentem postulavit.

XXV. Anna *du Chastelet*, cui potentis ejus familiæ vel minis vel precibus vel etiam muneribus victus Johannes *Pasel* transcripsit abbatiam, adeptus est a Paulo III bullas Romæ datas x calendas Octobris 1539. Simul in commendam habuit abbatias Clari-loci, & Belli-loci in diœcesi Lingonensi, utramque Cistercensis ordinis. Stivagiense visitavit monasterium, præfuitque per procuratorem electioni abbatis cœnobii ejusdem anno 1554. Religiosos studio prosecutus est & laute aluit. Magnæ molis campanam S. Annæ dicatam curavit conflari. Relicta clericali militia, uxorem duxit, heredemque beneficiorum suum instituit nepotem.

XXVI. Renatus *du Chastellet* jam commendatarius Clari-loci nec non Belli-loci Lingonensis, per præcedentis cessionem abbas, bullas impetravit a Gregorio XIV idibus Decembris 1596. Verum post mortem fratris sui primogeniti nuptiis alligatus, proventus

abbatiæ noluit amittere; hanc igitur retinuit sub abbate confidentiario qui sequitur.

XXVII. Jacobus *Jourdeul* confidentiarius abbas evasit 25 Maii 1598 per superioris abdicationem, possessionisque adeundæ licentiam obtinuit a duce Lotharingiæ 22 Februarii 1599, nec non etiam bullas 25 Januarii 1600. Subitanea morte sublatus est die Cinerum 1610.

XXVIII. Franciscus *Brunesseaux*, ordinis S. Benedicti alumnus, abbas Rengis-vallis, Carolum a Lotharingia comitis Vadani-montis filium, & Renatum *du Chastellet* de fructibus abbatiæ litigantes submovit, attributa utrique modica pensione, & ex tam æmulorum assensu quam fratrum electione in possessionem immissus est anno 1612. Ecclesiam ornatibus, domum ædificiis instruxit, induxitque reformationem 29 Octobris 1634. Armorum strepitu exterritus, e Rengis-valle, quo se receperat, fugit in oppidum Commerceii, in quo comprehensus est ab hostibus. Vix pretio a vinculis redemtus, & longa captivitate fessus, interiit 21 Septembris 1637.

XXIX. Philippus *de Landres*, avita nobilitate exortus, ab abbate & fratribus coadjutor postulatus anno 1620, bullas obtinuit XVI cal. Martii. Dum parentes prope Metas honoris causa inviseret, in arcem civitatis a militibus deductus est captivus, ubi detentus fuit ad mortem usque antecessoris. Hinc per astutiam ereptus, possessionem abbatiæ accepit 12 Januarii 1638. Marte Lotharingiæ & Barri ducatus tunc devastante, direptum est monasterium. Unde dolore percitus abbas, finem vivendi fecit 12 Januarii 1644; ejusque tumulo inscripta est hæc epigraphe: *Hic jacet reverendus pater ac dominus Philippus* de Landres, *abbas regularis hujus monasterii. Obiit 12 Januarii M. DCXLIV.*

XXX. Sebastianus *Collignon* inter bellorum tumultus canonice electus anno 1644, mense Februario, ipso electionis die possessionem accepit. Seniores vero, qui non amplexati fuerant reformationem, numero quinque abbatem proclamarunt Erardum *du Chastelet*. Parte ex altera nominatus est a Christianissimo rege Laurentius *Brisacier* decanus S. Salvatoris Blesensis. Hic cum bullas impetrare nequivisset, libellum supplicem pontifici exhibuit, significans Flabonis-montis abbatiam adeo ruinis esse detritam, ut a regulari abbate reparari non posset, sed tantum a viro potenti & divite, qualem se esse jactitabat. Tunc annuit pontifex bullis indultis III id. Maii 1644, apposita hac clausula: *de quo consistorialiter disponi non consuevit, & cum onere revertendi ad pristinam tituli rationem.* Magno æstu certatum est eventu dubio, donec præmatura mors sustulit Stephanum *Collignon.*

XXXI. Laurentius *Brisacier* post competitoris obitum abbatia pacifice potitus est per aliquot annos, eamque nepoti suo transcripsit. Fuerat ille præceptor Ludovici XIV, Missionum

A externarum seminarii superior, decanus sancti Salvatoris Blesensis; extremumque diem clausit 15 Februarii 1690, annos natus 80.

XXXII. Jacobus-Carolus *Brisacier*, a consiliis, eleemosynis & concionibus Mariæ-Theresiæ Austriacæ reginæ, itemque superior seminarii externarum Missionum, cessit & ipse in gratiam nepotis sui, & in præfato seminario Parisiis obiit annum agens 95.

XXXIII. Nicolaus *Brisacier*, doctor Sorbonicus ac vicarius generalis episcopi Tullensis, per præcedentis cessionem factus abbas, bullas adeptus est datas Romæ XII calendas Februarii

B 1707, & sub beneplacito Lotharingiæ ducis possessionem eodem anno accepit. Cum ille timeret ne obreptionis & subreptionis convinceretur, promisit se nunquam sub quacunque causa abbatiam transmissurum ad seculares clericos; imo etiam consensit sibi dari coadjutorem regularem. Electus itaque est Carolus-Ludovicus *Hugo* anno 1708. Sed quoniam in coadjutorem Stivagii postea cooptatus est, in ejus locum suffectus fuit Carolus *Crolot*, cui anno 1728 die 4 Augusti sub pensione quatuor millia librarum resignavit Nicolaus *Brisacier*, tunc decanus Uceticensis. Ludovicæ-

C Carolæ *de Châtillon* abbatissæ S. Lupi diœcesis Aurelianensis 15 Februarii 1711 defunctæ laudes in funebri oratione prosecutus est intra missarum solemnia die 1 Junii.

XXXIV. Carolus *Crolot*, reformatæ congregationis procurator generalis, per spontaneam præcedentis cessionem abbas evasit 4 Augusti 1728, ac decessit mense Julio 1740. Per cujus obitum Nicolaus *Brisacier* nominatus a Poloniæ rege possessionem resumpsit.

XXXV. N. *le Begue* commenda donatus, annis 1767, 1779, 1781.

D

JANDURIÆ.

JANDURES.

REGIÆ-VALLIS filia Jendorium seu Janduriæ, duabus a Barroduco horis, ad fluvium Salicem, exordium cœpit a donatione quarumdam possessionum, quas Seibaldus abbas & canonici S. Leonis Tullensis Herberto Regiæ-vallis abbati sub annuo censu concesserunt anno 1140. Censum hunc designati ad excolendas illas possessiones persolvere debebant. Paucis post annis cum Gerardus Barri castellanus alodium, quod infra terminos Jendorii possidebat, Præmonstratensibus Regiæ-

E vallis contulisset, abbatia eodem in loco erecta est, cujus ipse Gerardus fundator haberi meruit, tametsi præcipui benefactores, vel etiam fundatores sint monachi Belli-loci in Argona, qui una cum abbate suo Gervasio per manum Alberti Virdunensis episcopi locum Jandoriæ fratribus ibidem Deo servientibus concesserunt. Probata est monasterii Janduriarum fundatio & dotatio ab Henrico episcopo Tullensi, qui non tantum varia altaria concessit, sed & donatorum beneficentiam laudavit anno 1163. Summus etiam pontifex Eugenius III litteras de acquisitarum acquirendarumve possessionum

confirmatione & decimarum exemtione litteras dedit anno 1147. Consimilia indulsere privilegia Alexander III anno 1180, & Honorius III anno 1211, quæ sicut & omnium beneficorum chartas in lucem edidit annalista, tom. I, prob. col. 651.

ABBATUM INDEX.

I. THEOBALDUS privilegium impetravit anno 1147 ab Eugenio III summo pontifice.

II. Herbertus præerat circa annum 1154, tempore Rainaldi comitis Barri & Moncionis, a quo emancipationem allodii Janduriensis accepisse fertur.

III. Petrus I diversa altaria obtinuit, omnesque monasterii possessiones ab Henrico Tullensi episcopo ratas haberi fategit an. 1163.

IV. Beda memoratus anno 1164, desinit anno 1169.

V. Rainardus ecclesia *de Contrisson* a Petro episcopo donatus est anno 1170.

VI. Fridericus litem composuit an. 1174 cum canonicis Larzicuriæ. Indultum ab Herzenda *de Tremont* per Henricum Barri comitem anno 1177 fecit confirmari donum. Pacis fuit mediator anno 1183 inter monasteria Stivagii & Belli-prati. Testis occurrit anno 1187 in veteri charta Trium-fontium. Notatur in necrologio XVI cal. Junii.

VII. Ponsardus decimas *de Vroil* obtinuit ab Ulrico castellano Barri anno 1189.

VIII. Albertus subscripsit litteris Agnetis Barrensis comitissæ, ejusque filii Theobaldi comitis Montionis de fundatione collegiatæ ecclesiæ de Ligneio anno 1191.

IX. Petrus II protectionis bullam adeptus est anno 1200 ab Innocentio III.

X. Gerardus I anno 1213 laude & assensu fratrum suorum sub certis conditionibus banni & nemoris *de Cumbles* custodiam commisit Theobaldo comiti Barri & Luxemburgi. Gravem habuit simultatem cum abbatibus Triumfontium & Cheminonis, cujus occasione Gervasius abbas Præmonstrati anno 1218 rogavit capitulum generale Cisterciense, ut cum illo mitius ageretur.

XI. Willelmus notatur in necrologio 18 Junii.

XII. Walterus memoratur etiam in necrologio 18 Junii.

XIII. Alardus an. 1229 in litteris Henrici Barri comitis, quem in societatem proventus nemorum vocavit anno 1237, testibus Theobaldo rege Navarræ & Petro *Mauclerc* Britanniæ duce.

XIV. Laurentius 1239 & 1245 in vetustis Trium-fontium instrumentis.

XV. Nicolaus I an. 1266 mense Augusto initam inter Theobaldum Barri comitem & Gaufridum de Nova-villa commutationem sigillo suo laudavit.

XVI. Drogo 1266 & 1267, testis etiam reperitur in charta Cheminonis 1268. Ablegatus est anno 1270 a Theobaldo II Barri

A comite versus Guidonem Flandriæ comitem, fœderis pactionem illi exhibiturus inter eos initam 1263. Adhuc recensetur anno 1170 in privilegio Trium-fontium.

XVII. Albricus in obituario notatur 19 Augusti.

XVIII. Henricus I memoratus in necrologio 1 Decembris.

XIX. Gerardus II 1283: sigillum suum apposuit die Lunæ post festum sancti Nicolai 1284 pactioni factæ inter Theobaldum Barri comitem & Milonem *de Void*. Commutationem fecit anno 1285 mense Augusto cum
B Wiardo presbytero. Occurrit etiam ad annos 1310, 1312, 1316. Accersitus fuerat ex monasterio Regiæ-vallis, ubi professionem emiserat. Jacet in capella sancti Christophori cum hoc epitaphio: *Cy gist Messire Gerard de.... qui fut abbé de ceans trente-sept ans, & trespassa en l'an 1320 le 1 jour de Décembre.*

XX. Johannes I *de Bar* societatem iniit anno 1320 cum canonicis de Moncellis. Suum addidit sigillum anno 1333 litteris Johannis de Nova-villa militis, clientelam profitentis Eduardo comiti Barrensi. Idem præstiterat anno superiore pro Johanne *de Forge*,
C præstititque anno 1335 pro Warino *de Boucourt*. Sextam decimarum partem *de Contrisson* tradidit. Mortuus 17 Augusti 1337.

XXI. Nicolaus II *de Couvonge* notatur in necrologio 8 Februarii.

XXII. Johannes II *de Sauderu* consignatus 13 Aprilis in necrologio, ubi vineam tradidisse dicitur.

XXIII. Johannes III *de la Mothe* 1374. Testis fuit hominii a Richardo *des Armoises* præstiti duci Barrensi 27 Junii 1380. Legitur an. 1382 die Martis post festum S. Andreæ.

XXIV. Johannes IV *de Magneville*, pastor
D *de Contrisson*, in abbatem electus an. 1383.

XXV. Gerardus III anno 1400 die 12 Augusti, 1402, & 1417 die 18 Septembris subscripsit litteris de hominiis duci Barrensi præstitis.

XXVI. Guillelmus *de Tremont* reperitur in documento anno 1433. Adhuc etiam die 1 Maii 1434 & 1435 in actis fidei exhibitæ duci Barrensi.

XXVII. Desiderius I *de Ronnes* vassallum ducis Barrensis clientelam ei profitentem comitatur 5 Novembris 1439. Vitro sanctuarii hæc verba de illo leguntur: *L'an de grace Notre*
E *Seigneur 1443 fut ce chantel refait par frere Didier de Ronne abbé de ceans & par le Couvent, priez pour eux que Dieu leur fasse pardon.*

XXVIII. Franciscus I *Martin* annis 1479 & 1481 quædam acquisivit in pago *de Contrisson;* defunctus anno 1486.

XXIX. Franciscus II *de Contrisson* pedo pastorali honestatus est anno 1486. In manibus & præsentia ejus Renatus II dux Lotharingiæ & Barri an. 1495 die 16 Novembris protestatus est adversus censuras a curia Romana latas in causa cujusdam Johannis *de Marades* Hispani,

qui vi bullarum pontificiarum sedem Tullensem aucupabatur contra Olricum *de Blammont* a capitulo electum. Multa acquisivit an. 1497. Ecclesiæ auxit navem, sacristiamque construxit in qua sepultus est anno 1503; unde post eversionem exuviæ ejus in chorum deportatæ sunt.

XXX. Andreas *de Contrisson*, Francisci nepos, eleganti structura ædificavit capellam S. Christophori, ubi funeratus est an. 1532 cum hac inscriptione: *Ci gist reverend frere Andreu de Contrisson, jadis abbé de ceans par l'espace de XXIX ans, lequel a fait construire cette chapelle de Saint Christophe, & trespassa le X Novembre M. DXXXII. Priez Dieu pour lui.*

XXXI. Henricus II *la Londre*, præcedentis nepos, monasterium nec non capitulum insigni architectura exstruxit. Jacet in sanctuario honestatus hoc epitaphio: *Cy gist reverend pere en Dieu, frere Henry la Londre de Ville-sur-Seaux, abbé de ceans, l'espace de huit ans, lequel a fait faire le couvent & chapitre de ce présent lieu, & trespassa le 8 Febvrier M. DXL.*

XXXII. Jacobus *Havot* ex pastore *de Vassincourt* abbas institutus est a vicario generali ordinis 16 Februarii 1540, discordantibus in electione fratribus. Sexto a promotione sua anno ordinatus est Tyberiadis episcopus, ut constat ex mss. missali Insulæ in Rigultio, in quo hæc leguntur: *Emptus sum aureo a fratre Jacobo* Havotz de Chansenet *religioso & abbate Janduriensi, qui factus est abbas an. 1540 & episcopus Tyberiadis anno 1546.* Fuit etiam Remensis suffraganeus post annum 14 regiminis. Abbatiam commutavit cum priore Sarmasiensi. Quanquam cenotaphium sibi struxisset in ecclesia S. Christophori, humatus tamen est in prioratu Sarmasiæ hoc epitaphio decoratus: *Hic jacet nobili genere natus Jacobus* Havot *episcopus Tyberiadensis, suffraganeus illustrissimi principis cardinalis a Lotharingia in suo episcopatu Remensi, abbas B. Mariæ de Janduriis, nec non prioratus B. Mariæ de Sarmasia, qui quinquagesimum suæ ætatis attingens annum obiit ultima Februarii anno 1551.*

XXXIII. Franciscus III *le Coq*, ordinis S. Benedicti monachus, post cum præcedenti abbate permutationem factam, Præmonstratensem regulam professus est an. 1550. Pactum associationis comitis Barrensis ad nemora, quod Alardus abbas olim inierat, monasterio servile nimis & durum, in aliud commodius eorumdem nemorum partitionis commutavit, quo duci Barrensi prædictorum nemorum tertia pars obtigit; cætera vero remanserunt in monasterii pleno & libero dominio, cui dux in compensationem de suo cessit partem decimæ *de Ressons.* Circariarum Normanniæ & Burgundiæ institutus est visitator a capitulis generalibus annis 1558, 1559. Quatriduo ante obitum, qui contigit 19 Julii 1567, in gratiam electionis celebrandæ cessit, conditusque est in sanctuario cum hac inscriptione: *Cy gist* A *noble & scientifique personne reverend pere, frere François le Coq, natif de Paris, docteur ez droits, jadis abbé de ceans par l'espace de 17 ans, lequel mourut le XIX de Juillet M. DLXVII. Priez Dieu pour lui.*

XXXIV. Desiderius II *Cousin* ex pastore *de Comble* electus est abbas, præsente & resignante Jacobo prædecessore, 16 Julii 1567. Subscripsit 4 Augusti 1574 litteris Alexandri *de Longeville* equitis, clientelam Lotharingiæ & Barri duci profitentis. Sacellum sanctorum Petri & Johannis construxit. Sequenti sponte resignavit, excessitque Parisiis 17 Junii 1588.

B XXXV. Renatus *Masset*, professus Janduriarum, post mortem Martini *Bourlier*, Desiderii coadjutoris, per ejusdem cessionem abbatiam adeptus est. Fratribus quædam ad vestitum assignavit anno 1589. Dignitate sua a sequente exutus, decessit 1 Martii 1605, in navi ecclesiæ sepultus.

XXXVI. Claudius I *de Saint-Baussant*, monachus S. Apri Tullensis, bullis Romæ datis 12 Septembris 1591 Renato abbatiam eripuit. Abbatialem mensam a conventuali divisit anno 1595. En ejus epitaphium: *Cy gist reverend pere en Dieu, Claude de Saint-Baussant,* C *aumonier du Roy, abbé de ceans treize ans, il trespassa le 19 Juillet 1606.*

XXXVII. Claudius II *Arragon* electus 21 Julii 1606, æmulum habuit Nicolaum *Barnet*, Jovillaris abbatem, decreto Parlamenti Parisiensis ab omni prætenso jure dejectum 23 Decembris ejusdem anni. Probata est ejus electio a Francisco *de Longpré* Præmonstrati abbate ultima die Junii, possessionemque accepit 4 Augusti anni ejusdem. Coadjutorem instituit Alexandrum *de Longeville*, Paulo V bullas impertiente x calend. Januarii 1613. Omnino cessit anno 1617 die 19 Aprilis, D seque recepit in parœciam *de Contrisson.* Decessit 12 Martii 1633 & inhumatus est in capella B. Mariæ.

XXXVIII. Alexander *de Longeville* possessionem accepit 19 Aprilis 1617. Eo moderante habitum est in abbatia provinciale capitulum. Nepoti suo abbatiam transcripsit cum conditione habitum ordinis assumendi, retinuitque pensionem centum nummorum aureorum & mediam abbatis ædium partem, ex bulla Urbani VIII data 1628. Habet id epitaphium: *Cy gist reverend pere en Dieu, frere* E *Alexandre de Longeville abbé de ceans, qui après avoir versé saintement l'espace de treize ans en cette dignité, décéda le 21 Septembre M. DCXXXVIII. Priez Dieu pour lui.*

XXXIX. Nicolaus III *Voillot*, secularis clericus, nullo conditionis a patruo impositæ habito respectu, abbatiam obtinuit in commendam bullis Romæ datis 9 Decemb. 1628, hac tamen apposita clausula, ut eo defuncto libera maneret fratribus electio. Interim Nicolaus *de Conti de Grammont* breve regium obtinet anno 1629, cujus virtute proventus omnes absorbuit. Post hujus obitum 24 Martii

1648

1648 obventum, Elpidius Benedeti: atque etiam, hoc cedente, propter repulsam quam Romæ passus est, Petrus *Chanlaire* canonicus Vitriacensis virtute regiæ nominationis 1652 factæ abbatiam ambivit. At similem passus repulsam, ultro abdicavit. Vixit autem Nicolaus *Voillot* abbas canonice provisus ad annum 1671, quo serenissimi Lotharingiæ ducis in Romana curia orator, ibidem excessit 25 Maii, sicque ad summi pontificis dispositionem abbatia devenit.

XL. Franciscus IV *Buirette*, in curia Romana procurator generalis Præmonstratensis ordinis, ipso die obitus Nicolai *Voillot* a summo pontifice institutus abbas, per se ipsum possessionem adeptus est 21 Januarii 1675, in provinciam Roma redux. Attamen Christianissimus rex Zachariam *Morel* abbatem commendatarium designavit 25 Martii 1674, & iterum 4 Martii 1675, qui cum bullas adipisci nequivisset, ex decreto magni Consilii proventibus fruitus est. Eo vero cedente 23 Martii 1683, Franciscus-Philippus *Morel* itidem a rege designatus parem cum fratre recusationem in curia Romana expertus est. Quapropter anno 1689, probante rege, caducum titulum pro canonicatu Metropoleos Parisiensis cum Isaac *de Charost* permutavit, qui licet bullas haud consecutus, nihilominus possessionem iniit 7 Martii 1690.

XLI. Franciscus V *Spierre*, superior monasterii SS. Sacramenti Parisiensis, abbatiam ut vacantem & ab intruso detentam obtinuit a summo pontifice, ac possessionem adeptus est 1699 die 1 Octobris. Litem tunc intendit Isaaco *de Charost*, quæ finem sortita non est ante annum 1718, quo commendatarium mors sustulit 20 Decembris. Pacifice cœpit potiri Franciscus, suumque titulum canonica electione roboravit. Immatura morte e vivis ereptus 4 Januarii 1723.

XLII. Nicolaus IV *François*, prior sancti Josephi Nanceiani, præsidente Carolo-Ludovico *Hugo* abbate Stivagii, per electionem in abbatem est institutus 1 Februarii 1723. Monasterium a fundamentis reædificavit. Asceticos tractatus digessit, qui latine sic reddi possunt: 1.° *Recta novitii conversatio tempore sui novitiatus.* 2.° *Recta religiosi professi conversatio a sua professione ad vitæ exitum.* 3.° *Annotationes ad postulationem de capitulo congregationis celebrando singulo tantum triennio typis mandavit Barro-duci anno 1733.*

XLIII. N. *Alliot* commendatarius annis 1774, 1775.

JOVILLARE.

JOVILERS.

HERBERTO Regiæ-vallis abbati curiam Jovillaris a Gaufrido Joinvillæ dynasta ejusque uxore Felicitate & Roberto germano collatam fuisse astruunt litteræ Henrici episcopi Tullensis datæ anno 1141, quibus non tantum illam, sed & omnes alias Regiæ-vallis indultas asserit possessiones. Quanquam hæc donatio facta fuerit anno 1131 vel 1132, qui fuit Gaufridi vitæ supremus, non inde sequitur eo vivente abbatiam Jovillaris fuisse erectam, sed ex fundi donatione fundatoris postmodum accessisse honorem erga abbatiam ibidem ædificatam ad summum anno 1142. Et vero Henricus episcopus anno 1141 de Jovillari non ut abbatia sed simplici curia loquitur. Prominentis monticuli in apice tribus a Barroduco, totidem fere a Ligniaco horis locatum fuit monasterium, suo quidem situ & aëris serenitate gratissimum, at aquarum penuria sat incommodum. Transmissi sunt incolæ primi e Regia-valle, Raymundo novæ coloniæ parente. Beneficorum chartas, summorum etiam pontificum & episcoporum Tullensium privilegia vide, si lubet, tom. I Annal. Præmonstrat. prob. col. DCCX.

ABBATES.

I. RAYMUNDUS educto e Regia-valle canonicorum Præmonstratensium examini præfectus est anno 1142. Testis occurrit anno 1170 in charta Petri Tullensis episcopi pro Janduriis. Emit a Martino abbate S. Urbani quidquid ejus monasterium possidebat in loco Clarifontis, venditionisque hujus confirmationem a Guidone episcopo Catalaunensi nactus est anno 1172. Litteris præsulis ejusdem in Janduriarum gratiam subscripsit an. 1179. Bullam omnes donationes & acquisitiones atque privilegia confirmantem impetravit anno 1178 ab Alexandro III; adeptus est & alteram consimilem anno 1181 a Lucio III. Notatus in Janduriensi necrologio v cal. Octobris.

II. Jacobus I anno 1184 monasterium proventibus ex comparatione fundorum auxit. De eo mentio fit in necrologio die 5 Martii.

III. Cono testis reperitur an. 1191 in charta fundationis ecclesiæ collegiatæ de Ligneio.

IV. Gerardus I 12 Junii 1204 subscripsit litteris, quibus Felicitas sponsa Rayneri domini *d'Aigremont* & *de Novillars* pasturam in banno *de Brusley* pro omni genere animalium concedit monasterio Regiæ-vallis.

V. Petrus I anno 1211 omnia quæ apud Vellanas & Nanceium bona possidebat, cum consensu abbatis Regiæ-vallis cuidam clerico Barrensi ad vitam locavit. Ejus, ut creditur, ætate Gaufridus Joinvillæ dynasta quatuor præbendas ecclesiæ collegialis de Monte-oculi & parœcialem loci ecclesiam monasterio concessit anno 1213. Occubuit 8 Aprilis.

VI. Joffridus seu Gaufridus, idem forte cum G. qui memoratur anno 1220 in charta Insulæ-Barrensis.

VII. Laurentius subscribit anno 1224 veteri instrumento Trium-fontium.

VIII. Stephanus I e Regia-valle assumtus, decessit 1 Novembris.

IX. Stephanus II mortuus 8 Septembris.

X. Henricus de Luceio ex priore factus abbas, obiit 13 Decembris.

XI. Jacobus II an. 1278, mense Februario,

litteras dedit in testimonium confirmationis factæ a quodam Henrico jurium militum Templi in quadam silva. Aliæ sunt ejusdem abbatis litteræ datæ eodem anno die Jovis ante Nativitatem B. Mariæ.

XII. Galterus præerat anno 1284, ex chartis monasterii S. Michaëlis.

XIII. Andreas legitur anno 1286 in documento sancti Petri-montis. Eodem anno die Sabbati ante festum S. Magdalenæ dedit litteras de compositione facta cum Theobaldo comite Barrensi. Bona quædam cum commendatore *de Ruelz* commutavit anno 1294. Fecit & alias permutationes anno 1304, scilicet cum domino Satanæ-villæ & cum monasterio Trium-fontium. Superstitem adhuc fuisse anno 1306 testantur ipsius litteræ datæ mense Junio. Notatur in necrologio 14 Maii hoc elogio donatus: *Commemoratio piæ memoriæ fratris Andreæ abbatis hujus loci, qui templum nostrum & omnia loca vetusta renovavit & assignavit conventui nostro decem libras terræ, & quinque quaterniones bladi pro vineis, & debet Pitantiarius die anniversarii sui decem solidos pro pitantia conventui distribuendos.*

XIV. Johannes I *de la Mache* an. 1313 mense Julio sigillo suo munivit litteras Alberici *de Fourchier* militis, profitentis se esse clientelarem Eduardi comitis Barrensis ob plurima recens acquisita. Adhuc occurrit 1332 die Jovis post festum S. Catharinæ in litteris Johannis de Longa-villa fidem obligantis domino suo Eduardo comiti Barrensi. De eo sic habet necrologium ad diem 12 Augusti: *Commemoratio fratris Johannis dicti* de la Mache, *hujus ecclesiæ abbatis, qui dedit conventui nostro decem modios bladi in arragiis de Dumo, & unum modium molaturæ in molendino nostro de Dumo, pro quo tenemur unum annuale servitium facere.*

XV. Hugo I *de Trouville* anno 1332 mense Januario die festo sancti Vincentii apposuit sigillum suum prædiorum recensioni, quam Herardus de Longa-villa dedit Barrensi comiti. Occurrit nuncupatus Hugo *de Trouville* in similibus litteris ejusdem anni atque etiam annorum 1334, 1335, 1349. Pastorale pedum adhuc obtinebat an. 1360. Quamdam fecerat cessionem anno 1350 conventui, ex consensu Henrici Regiæ-vallis; cessionis hujus fit mentio in necrologio 2 Aprilis, die obitus ejus: *Commemoratio piæ memoriæ domini Hugonis de Tronvilla, abbatis hujus loci, qui ordinavit alienavitque conventui nostro pro pitantia quidquid habemus in grossa & minuta decima de Septem-villa, & ei debemus pro remedio animæ suæ annuale in perpetuum.*

XVI. Hugo II de Luceio ex abbatia Regiæ-vallis matris ad Jovillarensem filiam translatus est.

XVII. Johannes II Vautherini ex pago de Menullo ad Salicem amnem, decessit 22 Martii.

XVIII. Henricus anno 1378 electioni Philiberti *de Beaufremont* Miræ-vallis abbatis interfuit cum Huberto de Roca, Septem-fontium abbate.

XIX. Martinus *de Chamouillay* memoratur anno 1389, 17 Octobris. Litteris Johannis de Longa-villa subscripsit 14 Maii. Suum etiam sigillum apposuit 10 Julii 1401 litteris Guidonis de Septem-villa, quibus fatetur suum castrum esse prædium beneficiarium ducis Barrensis. Ita commendatus in necrologio ad diem 7 Aprilis: *Commemoratio fratris Martini de Chamouleyo, abbatis hujus loci, qui solvit pro ecclesia nostra centum libras aureas, & multa bona fecit ecclesiæ nostræ, pro quo debemus annale perpetuum.*

XX. Hatto de Tenolia consignatus in necrologio 24 Julii.

XXI. Stephanus III occurrit ad annos 1406, 1412, 1416. Mortuus 1 Novembris.

XXII. Gerardus II *Vignon* legitur in documentis ab anno 1458 ad 1487; defunctus 17 Novembris.

XXIII. Bernardus Pontis domum in oppido Satanæ-villæ comparavit anno 1503. Obiisse dicitur anno 1512, sane post cessionem, nam

XXIV. Petrus II *Charpentier*, ex natali solo passim dictus de Joinvilla, die 10 Martii 1510 sigillum suum addidit litteris Thevenini *de la Grande-maison*, hominium præstantis reginæ Siciliæ, Barri ducissæ. Occurrit etiam 10 mensis & anni eorumdem in litteris Humberti *de Stainville.* Claustri a se erecti parietibus nomen & gentilitium stemma inscribi jussit; capellam etiam S. Ursulæ instauravit. Abdicata prælatura retinuit pensionem duodecim ducatorum, quæ confirmata fuit anno 1529 a capitulo generali.

XXV. Johannes III *Niguet* canonicos sancti Maximi Barroducæi prata Bazincuriæ sibi vindicantes senatusconsulto repressit anno 1528. Visitator monasteriorum Lotharingiæ institutus an. 1543. Legitur anno insequenti in quibusdam monumentis. Dignitatem exuit 7 Decembris 1558, & eodem anno 15 ejusdem mensis dierum plenus & operum vitam reliquit. Hac laude honestatus in necrologio: *Commemoratio piæ memoriæ fratris Johannis* Niguet *abbatis hujus loci, qui apud principes & alios omnes homines maximæ autoritatis habebatur; tandem dies suos feliciter religioseque finivit anno 1558. Requiescat in gloria Dei Patris. Amen.*

XXVI. Johannes IV *Baudin* electus 7 Decembris 1558, decem terræ jugera emit in villa Saponariarum sub conditione ex parte conventus, dum ipse Johannes viveret, missam de sancto Huberto, & post ipsius mortem, missam de defunctis celebrandi. Dispositionem hanc a capitulo generali curavit approbari. Hoc decoratur elogio in necrologio ad diem 7 Maii: *Commemoratio fratris Johannis* Baudin *abbatis hujus loci, qui auctoritate & rei domesticæ frugalitate, & in omnibus admirabilis fuit. Tandem Maii 7 obiit an. 1579.*

XXVII. Petrus-Johannes *Mathy*, Saponiarum pastor, interventu dynastæ de Septem-

villa, cui decimas, quas in eodem oppido possidebat monasterium, cedere spoponderat, hac simoniaca arte invasit abbatiam, nec datam fidem fefellit. Quam maximum mœrorem passus est ab heterodoxis, qui monasterium expoliarunt, & navim ecclesiæ, aliaque ædificia cremarunt. Generalibus comitiis ducatus Barrensis interfuit annis 1583, 1584, 1592, quo decessit 21 Aprilis.

XXVIII. Nicolaus I *Barnet*, nobili prosapia natus, in abbatem assumtus 1592, inauguratus est die 30 Maii 1593 Liberduni ab episcopo Tullensi. Illata a Calvinistis damna tam monasterio, quam possessionibus ejus restauravit. Ecclesiam utcunque divinis aptavit officiis, costamque S. Rufinæ a Carolo *Hellot*, sancti Symphoriani Metensis abbate, impetratam pretiosa theca recondidit. De Janduriensi abbatia cum Claudio *Aragon* habuit litem, quam amisit 23 Decembris 1606. Ordinis sui monasteriorum in Lotharingia & Burgundia visitator institutus anno 1622, regularem disciplinam confovit. Insigni hoc elogio recolitur in necrologio ad diem 15 Januarii: *Commemoratio domini Nicolai* Barnet *abbatis hujus loci, qui per multa bona, etiam sui patrimonii, ad hujus monasterii reparationem, cui maxime laudabiliterque ac bonorum conservationi intentus erat, usque ad mortem contulit. Diebus meritisque plenus obiit 15 Januarii 1624.*

XXIX. Nicolaus II *Baudin* possessionem accepit 1625; sub annua pensione in sequentis favorem sponte cessit anno 1627.

XXX. Ægidius *de Ville-longue*, Remensis clericus, per præcedentis abdicationem ad abbatiam promotus, fatis concessit 1640.

§ Franciscus *Fouquet*, Bayonensis episcopus, a Christianissimo rege designatus abbas, bullas a summo pontifice nequaquam adeptus, a jure suo destitit. Inter hæc canonici Reginaldum *Bourguignon* monasterii priorem elegerunt. Quia vero defectus in electionem irrepserat, ipsa declarata est irrita. Quapropter

XXXI. Franciscus *de Riguet*, Jovillaris canonicus, juvenis magnæ spei & inclytæ nobilitatis, ad nonnullorum fratrum petitionem ab Urbano VIII renunciatus est abbas, obtentisque bullis possessionem adiit 11 Maii 1643. Emissæ ab annis septemdecim professionis pœnitens, per judiciale decretum libertatem recuperavit anno 1659. Regularem abbatiam a votorum relaxatione retinere non posse suspicatus, illam resignavit Carolo Leopoldo principi, cujus moderator fuerat institutus. Propter principis reverentiam resignationi annuerunt electores; sed vix assenserant, cum Carolus ob mortem Ferdinandi fratris natu majoris seculari militiæ adscriptus, jus suum cessit Johanni *du Han de Martigny*, nobili clerico Trevirensi, qui præ fratrum intercessione bullas adipisci nequivit. Mortuus est Franciscus *de Riguet*, præpositus S. Deodati, anno 1701.

XXXII. Carolus *de Fresnoy* electus 10 Septembris 1663, & ab abbate Præmonstrati 12 Januarii 1664 confirmatus, obtinuit usque in annum 1670, quo amissa spe reformationis in monasterium inducendæ, post factam cum sequenti permutationem secessit in abbatiam Bucilii, diœcesis Laudunensis.

XXXIII. Edmundus *Sauvage*, abbas Bucilii & reformatæ congregationis vicarius generalis, ex permutatione ad Jovillarenses infulas promotus, reformationem in monasterium introduxit, nullam expertus difficultatem, qui moribus, eloquio & exemplo religionem suadebat. Dierum plenus & operum de vita migravit 22 Maii 1688, ætatis suæ anno 80. In sanctuario jacet insigni epitaphio honestatus, quod edidit in annalibus abbas Stivagii.

XXXIV. Johannes V *Ancel*, clericus Lingonensis, a Christianissimo rege, Barrensem ducatum occupante, abbatiam obtinuit, bullas vero idibus Februarii 1690. Primus a fundatione commendatarius obiit anno 1715, reditibus per viginti septem annos fruitus.

XXXV. Claudius *Collin*, præside Carolo-Ludovico *Hugo* Stivagii abbatis coadjutore, electus est 10 Decembris 1715. Ædificia pene omnia instauravit a fundamentis.

XXXVI. N. *Goy* abbas a rege nominatus est anno 1767.

BONIFAGETUM.

BONFAY. al. BONFAIL.

NOMEN Bonifageti ab umbrantibus fagis sortitum est monasterium, duabus a Mircuria leucis dissitum. Secus fluvioli Madonis oras in Vosagi latibulis in canonicorum Præmonstratensium gratiam structum est anno circiter 1145 a Willelmo *de Bernole*, domino de Archis, largas ad promovendum opus Valentia, fratris ejus uxore, opes subministrante. Filia est hæc abbatia Flabonis-montis, cujus abbas Stephanus ad fundatorum preces induxit inquilinos, quibus Guntherum Valentiæ fratrem præfecit. Rata hæc habuit Matthæus I Lotharingiæ dux, litterasque dedit de confirmatione alodii *du Faxal* monasterio attributi. Summorum etiam pontificum nec defuit assensus; enimvero Eugenius III anno 1147 monasterium in suam suscepit tutelam, traditasque res firmas esse jussit. Consimilia indulta sunt privilegia non solum a Victore IV antipapa anno 1163, verum & a Lucio III anno 1181, atque etiam a Gregorio IX anno 1236. Beneficorum chartas vulgavit abbas Stivagii annalista, quos inter numerantur præter Matthæum I plures alii Lotharingiæ duces, scilicet Ferricus II, Matthæus II & Carolus III. *Annal. Præmonstr. tom. I, prob. col. 307 & seqq.*

ABBATES.

I. GUNTHERUS tuitionis litteras a Matthæo I Lotharingiæ duce obtinuit anno circiter 1145. *Ibid.* Bulla quidem a Lucio III adeptus est an. 1147. *Ibid. pag. 309.* Dictus *vir venerabilis vitæ & religione præclarus* decessisse perhibetur circa annum 1155.

II. Ascelinus Tullum anno 1163 adiit antipapam Victorem illic commorantem, a quo *Ibid.*

monasterii possessiones firmari curavit. Plurimas res ab ipso vel pretio comparatas vel dono acceptas refert Annalista, qui mortem ejus adnotat ad annum 1180. Verumtamen

III. Gardricus subscripsit circa annum 1175 litteris Bertæ Lotharingiæ ducissæ confirmantis cœnobio Belli-campi decimas de Bremoncuria.

IV. Viardus anno 1181 monasterii facultates stabiliri satégit litteris Lucii papæ III. Mortuus est an. circiter 1230, ex annalista.

V. Cono discordiam cum Beatrice sponsa Martini *d'Ecle* terminavit anno 1231, arbitro Matthæo II duce Lotharingiæ.

VI. Nicolaus I de Villa, claro genere oriundus, præerat anno 1236, quo indulta fuit bulla a Gregorio IX.

VII. Herbertus anno 1268 a Guidone & Johanne dominis de *Bazolimont* impetravit confirmationem possessionum, quas antecessores eorum in eleemosynam contulerant. Idem forte est cum Humberto, qui anno 1276 requisitus a Ferrico *de Fontenois* sigillum litteris ejus apposuit.

VIII. Aubertus electus arbiter inter Johannem & Ferricum de Durneio paternam hereditatem divisit an. 1277. Mortuus anno 1287.

IX. Simon canonicus Miræ-vallis & pastor *de Morionville*, feria quarta post Dominicam Quadrag. simæ 1287 electus est abbas. Proprietatem decursus amnis Madonis a molendino dicto *Hucheloup* usque ad pontem *de Ferrey* obtinuit a Ferrico II duce Lotharingiæ anno 1292. Nemus *Vionchenois* partim a Willelmo *de Belrup* milite, partim a Guidone *de Roboy* equite comparavit annis 1299 & 1303. Adversus incolas villæ *de Morancourt* electionem majoris sibi vindicantes sententiam obtinuit anno 1324. Nonagenarius occubuit anno 1332. Forte cesserat ante mortem, nam

X. Jacobus anno 1326 mense Januario, festo die S. Hilarii, subscripsit litteris, quibus Odo *de Charmes* renunciat juri redimendorum bonorum, quæ duci Lotharingiæ vendiderat.

XI. Gerardus I in abbatem assumptus die Veneris post Conversionem sancti Pauli anno 1332, a Johanne XXII bullam obtinuit adversus monasterii bonorum invasores. Ipso annuente, Margarita Theobaldi II ducis Lotharingiæ filia, 22 francos assignavit pro anniversario suo anno 1341.

XII. Theobaldus dedit anno 1344 die Martis post Pascha chyrographum de visis a se litteris Matthæi ducis Lotharingiæ datis 1247, Dominica post festum Omnium-sanctorum, in quibus de commutatione agitur.

XIII. Ludovicus ab anno 1360 ad 1378, ex variis actibus.

XIV. Petrus *des Rochers* occurrit an. 1382.

XV. Olricus *de Neufchâtel* sedebat anno 1390.

XVI. Dominicus *de Velotte* defunctus 1439.

XVII. Desiderius *de Grand*, canonicus

A Miræ-vallis, electus fuit 18 Martii 1439. Ejus ætate pene dirutum fuit bellorum clade monasterium, coactique sunt in aliis regionibus asylum canonici quærere, nec sexennio integro locum repetere licuit. Pace tamen reddita, pius abbas suum coegit gregem, ecclesiam aliaque ædificia reparare studuit. Deputatus anno 1450 ab abbate Miræ-vallis vicario generali circariæ Lotharingiæ ut præesset electioni abbatis Flabonis-montis, electus & ipse fuit via Sancti-Spiritus.

XVIII. Guillelmus *de Remoncourt*, præside Desiderio antecessore, in ejus locum suffectus B est anno 1450. Regionis magnates beneficos expertus, obiit anno 1456.

XIX. Nicolaus II *Magnien* veterem cum Basoli-montis incolis per interpositos mediatores sedavit controversiam an. 1457. Testis adhibetur in litteris Iolandis *de Haraucour*, quædam fratri suo cedentis 16 Novembris 1468. Mortuus an. 1480, jacet in ecclesia.

XX. Gerardus II *Raulin* vivere desiit anno 1490 exeunte.

XXI. Johannes I de Cortesiis, juris utriusque & theologiæ doctor, exactis in regimine 8 annis, extinctus est 1498.

C XXII. Johannes II *Morizot*, ex canonico Miræ-vallis abbas, miserandum abbatiæ statum Alexandro papæ VI exposuit, qui pecuniarum loco magnam vim indulgentiarum opem ferentibus profudit an. 1501. Fato functus 2 Martii 1506.

XXIII. Nicolaus III *de Royer* collapsa ædificia excitavit, exutamque ecclesiam sacra supellectile decoravit. Cum Gerardo *d'Haraucour* vindicante sibi silvam Tarpæ litem habuit, quam Gasparus de Haussonis-villa & Antonius *de Ville* arbitri diremerunt. Horum judicio steterunt partes, & apographis munierunt anno D 1520. Monasterio septemdecim annis bene administrato, occubuit anno 1523.

XXIV. Nicolaus IV *de Breux* de vita cessit anno 1526.

XXV. Theodoricus *Deschaux* electus 8 Decembris 1526, emit anno 1529 a priore de Bliderici-villa quidquid habebat in decimis Monstreoli-sicci. Fratri Antonio *Barbier* immorigero Claudium *Garset* substituit in pastoratu Bazoli-montis, excessitque anno eodem.

XXVI. Stephanus *de Marthoy* concordatum cum canonicis, qui tunc erant quatuor, pro E victu & vestitu eorum fecit anno 1550. Pessumdatis monasterii rebus, morte sublatus anno 1562.

XXVII. Nicolaus V *Precheur* sane monasterii omnes reparasset jacturas, nisi Hector *de Ligniville*, abbas S. Salvatoris Lutevensis, ex pontificia concessione cum eo divisisset proventus. Contra hanc pensionem frustra insurrexit; reliquum vero substantiæ piis dedicavit usibus, clausitque diem extremum 4 Decembris 1577, in medio chori honorifice sepultus.

XXVIII. Johannes III *Gentilhomme*,

antecessoris ex sorore nepos, adscivit sibi coadjutorem Georgium *de Mitry* anno 1581, & obiit 1589.

XXIX. Georgius *de Mitry*, stemmate & virtute conspicuus, utriusque juris & theologiæ doctor, coadjutorem sibi pariter adlegit Christophorum qui sequitur. Consanguineos suos toparchas Falconis-curiæ dum inviseret, morbo correptus, e vivis abiit 1617 die 7 Decemb. ibidem in parochiali ecclesia humatus.

XXX. Christophorus *de Mitry*, Henrico & Carolo IV Lotharingiæ ducibus a sanctioribus consiliis, apostolicæ sedis protonotarius, monasterii mœnia refecit, porticum ecclesiæ struxit a fundamentis, possessiones abalienatas recuperavit ex parte, reformationem induxit 1635. Decubuit octogenarius 21 Julii 1653 in villa sancti Valerii, ubi jacet ante majus altare ejusdem loci ecclesiæ.

XXXI. Damascenus *Perin* electus 30 Julii 1653, actis in regimine sine fructu quatuordecim annis, abdicavit mortuusque est in monasterio S. Mariæ Mussi-ponti 8 Decemb. 1698.

XXXII. Godefridus *Mouron* ex priore S. Pauli Virdunensis, præside Nicolao *Guinet* abbate S. Mariæ Mussipontanæ, in præcedentis locum suffectus est 26 Februarii 1667, vir admodum religione & pietate spectabilis. Vitam pretiosa morte conclusit 29 Junii 1698, in sanctuario cum epitaphio sepultus.

XXXIII. Arnulphus *Simon*, Cuissiaci prior, præside Johanne *Charton* abbate Rengis-vallis, præfectus est 26 Julii 1698. Vicarii generalis munere bis rite functus, excessit die 4 Aprilis 1721, ætatis suæ 68.

XXXIV. Felix *Malcuit* in abbatem assumptus 21 Maii 1721, possessionem iniit 8 Julii sequentis. Domum a fundamentis ædificare cœperat, sed dum monasteria visitaret, Cuissiaci vitam absolvit 25 Julii 1726.

XXXV. Antonius *Varnier* in abbatialem sedem est elatus 12 Septembris 1726.

XXXVI. N. *de Tournet* obtinuit an. 1767.

RENGIS-VALLIS.

RENGÉVAL.

AD radicem montium & in medio stagnorum, duabus a Commerceio & Tullo-Leucorum tribus leucis, in solitudine sita Rengis-vallis, fundatores colit Tullense capitulum & Hadvidem de Aspero-monte, ut constat tum ex charta capituli, tum ex præcepto Goberti de Aspero-monte & Theodorici toparchæ *de Romunt* fratrum, Hadwidis matris suæ comprobantium munificentiam, utroque præcepto dato anno 1152. Evocati sunt primi incolæ ex vicina Regiæ-vallis abbatia. Unde paternitatis jus Regiæ-valli acquisitum, quod Clemens III summus pontifex illæsum servari sanxit anno 1188.

ABBATES.

I. SIMON I de Brixeio, acciti e Regia-valle canonicorum examinis dux, frater Petri de Brixeio Tullensis episcopi, ab Odelrico decano A & capitulo Tullensi locum Corniacevillæ confinio, in quo fundata est abbatia, aliasque possessiones accepit an. 1152, sub conditione ecclesiæ Tullensi cereum vel candelam annuatim offerendi in Assumptione B. Mariæ. Eodem anno eleemosynam collatam per nobilem feminam Hadvidem ab ejus filiis Goberto de Aspero-monte & Theodorico *de Romunt* probari fategit. Consecutus est anno 1153 a Vidone de Jonvilla locum Martini-fontis, ubi prædicta Hadvidis parthenonem condidit; ac Deo sub regula Norbertina se consecravit. Admisit & ipse Simon ad solemnem professionem Theodoricum *de Romunt* B Hadvidis filium, ejusque nepotem Guidonem de Aspero-monte. Partem feodi de Trundelia ab Isembardo abbate Gorziensi, & Varini-quercetum a Johanne sancti Mansueti abbate consecutus est. Domum Liberduni, prædia, & S. Martini capellam cum adjacente cœmeterio a Petro episcopo fratre suo obtinuit anno 1169. Eodem anno XI cal. Octob. decessit.

II. Johannes I, cui Stephania Commercei, filia Rainaldi comitis Barrensis, anno 1170 indulsit morticinii tabulas pro horto Alneti a patre suo tradito.

C III. Simon II subscripsit litteris Petri episcopi Tullensis pro Boni-fageto an. 1174. Memoratur in documentis annis 1175 & 1179. Protectionis bullam impetravit anno 1181 ab Alexandro III. Donationem Goberti de Aspero-monte ad ejus preces laudavit Bertrandus Metensis episcopus anno 1184.

IV. Petrus I a summis pontificibus Urbano III & Clemente III privilegia obtinuit annis 1186 & 1187. Adhuc legitur testis in veteri charta Miræ-vallis anno 1196.

V. Hugo, accepto ab Odone cantore & archidiacono Tullensi patronatu ecclesiæ de D Euvilla, donatus fuit & pascuis in eadem parochia a Gaufrido de Aspero-monte anno 1199. Recrudescentem de juribus sepulturæ querimoniam Liberdunensis parochi sedavit opera Odonis archidiaconi.

VI. Humbertus accepit domum refugii a Tullensibus oppidanis intra civitatis ambitum an. 1212, decimas quoque villæ de Pargneio, nec non terram de Martini-valle a Petro toparcha Burlemontis 1214. Quibus donis addita est anno 1218 tota curia S. Vedasti, cujus pars ex liberalitate Hugonis & Haymonis E archidiaconorum jam a Rengis-valle tenebatur.

VII. Willelmus Martini-fontis locum ab omni decimationis jure liberavit an. 1220.

VIII. Guarinus præerat anno 1226.

IX. Adamus 1230, cujus memoria fit in necrologio 31 Maii.

X. Alexander, absque ulla temporis nota sicut & abbates quatuor sequentes, consignatus in necrologio pridie idus Martii.

XI. Johannes II ex canonico Jendorii abbas, mortuus 12 Aprilis.

XII. Elias 15 Junii.

XIII. Johannes III 15 Julii.

XIV. Ancelinus 27 Octobris.

XV. Lietardus regimen exorsus ab anno 1260, transactionem cum Gausrido & Ferrico *de Bouch*, Theobaldo Barri comite arbitro, iniit anno 1265. Milonis filii Isabellæ *de Corneville*, a quo tertiam partem decimarum minutarum obtinuit, institutus est testamenti exsecutor anno 1271. Memoratur in necrologio 30 Aprilis.

XVI. Lambertus I an. 1280 Gaufridum de Aspero-monte beneficum expertus est. Postero anno in documento reperitur. Controversiam cum colonis Corniace-villæ terminavit anno 1282. Sententiam a Conrado Tullensi episcopo de sepulturæ juribus obtinuit contra pastorem Liberduni 1290. Occurrit adhuc anno insequenti.

XVII. Walterus electus anno 1291. Robertum dynastam Commerceii & fratrem ejus Theobaldum inter canonicos admisit anno 1296. Notatus in necrologio 18 Martii.

XVIII. Petrus II hospitium Tullense alienavit anno 1307.

XIX. Nicolaus I moderabatur an. 1309.

XX. Lambertus II 1312.

XXI. Philippus legitur in actis an. 1321. Cum Goberto de Aspero-monte pactionem iniit 12 Martii 1322. Tributus est Rengisvalli annuus frumenti modius in villa *de Bouch* a Petro domino *de Chambley*, qui suam in monasterio designavit sepulturam an. 1328.

XXII. Petrus III variis in instrumentis occurrit annis 1333, 1336, 1337.

XXIII. Hermannus *de Preny* 1350, 1354, 1357, 1364, 1367, 1368.

XXIV. Johannes IV *de Preny* 1372, 1375. Transegit an. 1378 die 4 Julii cum Roberto abbate S. Mansueti. Stagnum Gerardi-Sarti a Johanne *de Mare* milite sub onere anniversariæ missæ accepit anno 1379.

XXV. Rogerius cum capitulo Liberdunensi de juribus sepulturæ parochianorum transegit anno 1380. Testatus est 14 Febr. visas a se litteras quasdam Roberti ducis Barrensis. Jacet in ecclesia cum hoc epitaphio: *Cy gist frere Rogier qui fut abbé de ceans, qui trepassa l'an de grace notre Seigneur mil trois cent quatre-vingt & unze.*

XXVI. Guido *d'Aspremont* electus in abbatem anno 1392, sponte cessit anno 1398 in gratiam sequentis.

XXVII. Simon III *d'Amance* duobus tantum annis tenuit abbatiam, defunctus XIV cal. Junii 1400.

§ Guido *d'Aspremont* iterum ad regimen invite assumtus, decessorum debita solvit anno 1420. Inter bellorum & armorum fragores avertit savore Renati I Siciliæ regis e monasterio suo calamitates anno 1426: decessit vero 2 Septembris 1428.

XXVIII. Johannes V *de Marcy* seu *Maroy* ad abbatiam Flabonis-montis traductus anno 1435, ut in ejusdem monasterii abbatibus diximus supra.

XXIX. Poncius *de Fremereville* resignavit sequenti, approbante Eugenio IV, an. 1441, regiminis sui 5, ut S. Juliani pastoratum adiret.

XXX. Albricus *de Jouy* 1441, 1443.

XXXI. Junius monasterium suum militis furori obnoxium conspexit, dum inter Renatum Siciliæ regem & Antonium bella flagrarent, vixque ecclesiæ parcitum est. Ipsum obiisse anno 1443 ait abbas Stivagii; verum ex commentariis, quæ præ oculis habemus, vitam produxit usque ad annum 1449.

XXXII. Desiderius I *de Courcelles*, canonicus Boni-fageti, in abbatem promotus, ut prostratam domum ex ruinis excitaret, in vicinas diœceses cum episcoporum licentia canonicos suos sacrum sancti Matthæi caput deferentes misit ad colligendas populorum eleemosynas. Instaurandis ædificiis jam insudabat, cum nova clades monasterio a colonis *de Bouch* illata est. Hi siquidem furore accensi quod octoginta porci, quos in monasterii nemora ad pascuum immiserant, abacti fuissent, in abbatiam irruunt, disjectisque ostiis sacra polluunt ac furantur. Sane pœnas capite illi expendissent, nisi apud Lotharingiæ ducem Desiderius intercessisset. Fatis concessit VIII id. Martii 1477.

XXXIII. Johannes VI *Adnet*, Regiæ-vallis religiosus, Renato II duci a consiliis, partem summæ justitiæ in villa *de Bouch* a Johanna *de Soudey*, domina *de Florenge* acquisivit an. 1487: modium salis quotannis solvendum recepit a præfato Renato II anno 1491. Optimus ac sedulus domesticæ rei administrator mortuus anno 1499, in sanctuario sepultus est cum epitaphio.

XXXIV. Desiderius II *de Jouy* migravit a seculo 11 Aprilis 1510; humatus cum epitaphio in sanctuario.

XXXV. Johannes VII *Clément* reperitur in litteris datis 25 Novembris 1521. Extinctum pridem cantum missæ de B. Maria instauravit, legato in eam rem annuo proventu 52 francorum. Defunctus 17 Septembris 1537, sub ambone a se condito cum inscriptione humo mandatus fuit. Laudatur hoc modo in necrologio: *Commemoratio memorandi viri Johannis Clementis de Mainello ad Orgniam, abbatis hujus loci, qui in ampliandis hujus cœnobii reditibus, & libris chori scribendis ac ædificiis construendis multos sumptus exposuit, qui tandem universæ carnis debitum solvit an. Domini 1537, cujus anima ædes possideat æthereas.*

XXXVI. Nicolaus II *Thuillier*, religiosus S. Mariæ de Nemore, post quinque regiminis annos, ad Nemorense monasterium abbas revertitur, mortuusque est 28 Septemb. 1558.

XXXVII. Jacobus *le Grand*, Renato II duci a sanctioribus consiliis, vivendi finem fecit 21 Septembris 1548.

§ Nicolaus *Thuillier* rursus ad capitulantium vota administrandam suscepit abbatiam, servata simul Nemorensi; defunctus ut jam diximus, 28 Septembris 1558.

XXXVIII. Petrus IV *de Thuily*, domini *de Thuily*, cambellani sereniſſimi ducis, & gubernatoris arcis Homburgicæ filius, teſtis fuit 10 Junii 1567 fidei præſtitæ epiſcopo Tullenſi a Franciſco *Thouvenin* abbate Boſonis-villæ. Actis in regimine decem annis, extinctus eſt 25 Septembris 1568; jacet in ſanctuario.

XXXIX. Nicolaus III *Vivenet*, parochus de Octovilla, pluribus monaſterio acquiſitis, occubuit 24 Maii 1582.

XL. Johannes VIII *Mairecolas* dignitati infirmitate gravatus ceſſit.

XLI. Stephanus *Aubry*, ſenio confectus in coadjutorem aſſumpſit Philippum *Maillet* Benedictinum S. Michaëlis, qui jus ſuum priori S. Manſueti Tullenſis incaſſum tranſtulit. Obiit vero Stephanus pridie idus Maii 1604.

XLII. Franciſcus *Brueneſſeaux*, abjecta ſeculari militia, monachum induit in monaſterio S. Michaëlis, ubi prior a cardinale Lotharingiæ inſtitutus eſt. Poſtmodum a canonicis Rengis-vallis abbas poſtulatus, ſimul etiam ad Flabonis-montis abbatiam a ſummo pontifice promotus fuit, vir ingenii ad ardua quæque nati, rerumque politicarum induſtrie tractandarum peritiſſimus, ſubmotis Carolo a Lotharingia & Renato *du Chaſtelet* de fructibus abbatiæ litigantibus, modicaque attributa utrique penſione. Reformationem in utrumque monaſterium induxit. Commerceii interiit 21 Decembris 1637, unde Rengis-vallem reportatus, ſepulturam habuit in ſacello B. Mariæ-Magdalenæ.

XLIII. Thomas *Brueneſſeaux*, præcedentis nepos, doctor theologus, reformationem, in quantum potuit, fovit, deceſſitque 4 Junii 1647.

XLIV. Bonaventura *Meſſin*, cum magiſtri novitiorum & prioris in diverſis reformationis monaſteriis obiiſſet, poſt Thomæ deceſſum unanimi fratrum conſenſu electus fuit 1647. Eccleſiam frequenti militum depopulatione nudatam ſacris inſtruxit ornamentis. Præfuit an. 1656 electioni abbatis Juſti-montis. Tulli defunctus 18 Septembris 1669, reportatur in monaſterium tumulandus cum epitaphio.

XLV. Bernardinus *Rouſſel* coadjutor factus ab anno 1667, poſſeſſionem iniit 19 Septemb. 1669. Eccleſiam decoravit, bibliothecam auxit, ædificia conſtruxit. Vitam, mores & viri ſpeciem exponit ſunebris ejus littera, quam vide ſi lubet tom. II, annal. Præmonſtr. col. 646. Ceſſit e vivis 12 Aprilis 1692, ætatis ſuæ 68.

XLVI. Johannes IX *Charton*, ſacræ theologiæ doctor, ex priore Cuiſſiaci in abbatem poſtulatus eſt anno 1692. Villam ſeu pagum pomariis adjacentem ædificavit & incolis inſtruxit. Unde locus hic ex ejus nomine dictus eſt *Chartonville*. Poſt regiminis annos 32 vivendi finem fecit XI calend. Maii 1724, ætatis ſuæ 78.

XLVII. Nicolaus IV *Habert*, præſide Hyacintho *Collart*, Regiæ-vallis coadjutore electus eſt 1 Julii 1724. Elegantiſſimæ artis templum ædificare aggreſſus eſt, ſacrarium ditavit ornamentis, hortum atque pomarium cinxit mœnibus.

XLVIII. N. *Moreau* a rege nominatus anno 1767.

MIRA-VALLIS. MUREAU.

IN Calvimontenſi ballivatu ad fines ducatuum Lotharingiæ & Barri, duabus a Novo-caſtro horis ad orientem, inter medias hinc & inde prominentium montium fauces, conditum eſt monaſterium Miræ-vallis an. 1157 a quibuſdam religioſis viris monaſterii Septem-fontium, ſolitariæ ſeverioriſque vitæ cupidis. Olivarius de Novo-caſtro & Viardus *de Rebeville* ex uxorum ſuarum conſenſu locum ad habitationem, proprietatis jure tribuerunt. Horum aliorumque benefactorum dona authoritate ſua firmavit anno 1157 Henricus epiſcopus Tullenſis, qui adhuc etiam anno 1164 alias litteris ſuis collatas fulſit poſſeſſiones. Plurimorum aliorum Tullenſium præſulum chartas, ac ſummorum pontificum privilegia & favores, nec non largitorum omnium dona publici juris fecit abbas Stivagii Annal. tom. II, prob. coll. 162 & ſeqq.

ABBATUM SERIES.

I. GUILLELMUS I quamplurimos verbis & exemplis traxit ad pœnitentiam diſcipulos, quibus vaſtiſſimas ſtruxit ædes, quarum etiamnum rudera cernuntur. Ampliſſimas etiam poſſeſſiones vel acquiſivit vel accepit, ipſaſque ab Henrico epiſcopo Tullenſi probari ſategit annis 1157 & 1164. Subſcripſerat litteris præſulis ejuſdem pro Flabonis-monte 1162. Petrum de Brixeio itidem epiſcopum non modo res monaſterii confirmantem expertus eſt anno 1168, ſed & ipſum in comitatu Bartholomæi epiſcopi Bellovacenſis hoſpitio accepit, donatuſque ab eo fuit eccleſia *de Morionvillers* anno 1172, cui addita eſt eccleſia de Brixeio anno 1181. Fundos quos habebat in Metenſi diœceſi a Stephano epiſcopo probandos curaverat anno 1159. Arbiter cum aliis abbatibus fuit exortæ litis inter abbatem Belli-prati & Flabonis-montis an. 1174. Si fides annaliſtæ, regimen ſuum non protraxit ultra annum 1164: verumtamen commentarios præ oculis habemus, qui eum diutius vixiſſe aſtruunt, ac teſtificantur diplomata, quibus Alexander III & Lucius III ſummi pontifices monaſterii res firmarunt, eximiaſque immunitates tribuerunt annis 1180 & 1182, huic Willelmo, non vero ejus ſucceſſori cognomini indulta fuiſſe. Ob nominis ſimilitudinem eum a ſucceſſore diſtinguere facile non eſt, ejuſque mortis annus vix aſſignari poteſt.

II. Willelmus II anteceſſoris ſui virtutum æmulator, provide rexit monaſterium. Præſens anno 1183 capitulo generali, confectæ inter monaſteria Stivagii & Belli-prati confœderationi ſubſcripſit. Obtinuit anno 1208 ab

Innocentio III mandatum archiepiscopo Trevirensi ejusque suffraganeis inscriptum de excommunicandis usurpatoribus vel injustis detentoribus bonorum monasterii, si restituere recusarent. Devixit circa annum 1212.

III. Robertus compositionem iniit anno 1215 cum Tullensi capitulo. Reperitur anno 1216 in litteris Rainaldi episcopi Tullensis comprobantis factam eum inter & Stephanum abbatem S. Mansueti a Theodorico officiali pactionem super jure patronatus de Frebecuria & capellæ *de Bourlemont.* Collatos a Gilleberto *Espotas* & Hilmaro *de Bourlemont* pastoratus ejusdem Reginaldi episcopi auctoritate fulciri curavit. Obtinuit anno 1217 a Theobaldo I Lotharingiæ duce capellam in honorem S. Pancratii juxta *Hunandimaville* nuper erectam. Ad ejus petitionem Henricus II dux Barri an. 1219 ratam habuit donationem grangiæ, quæ Domus-Dei postmodum nomen sortita est. Penes nos est index mss. abbatum qui Roberti mortem assignat ad annum 1216, in quo quidem ab abbate Stivagii omissi subjiciuntur duo sequentes abbates: scilicet

IV. Hugo I domum cujusdam prædii confirmari fecit ab Henrico Barri comite anno 1219, mortuusque est anno insequenti.

V. Hermannus, pluribus litigiis feliciter compositis, obiit anno 1239.

VI. Johannes beneficos expertus est annis 1246 & 1255 Theobaldum Barri comitem, & anno 1250 Theobaldum Navarræ regem, Campaniæ & Briegii comitem. Transegit anno 1257 cum Warrico abbate sancti Mansueti. Societatem precum cum Gerardo abbate sancti Pauli contraxit anno 1257, mortuusque est anno 1259.

VII. Jacobus plures cum capitulo de Brixeio difficultates habuit & composuit. Nonnulla bona firmari fategit ab Urbano IV, quæ quidem ad ipsius preces litteris Campaniæ comitis ab humano commercio exemta sunt an. 1278. Diploma a Ferrico duce Lotharingiæ anno 1280 adeptus est de confirmatione quarumdam possessionum. Indulgentias unius anni & quadraginta dierum consecutus est eodem anno a Nicolao III iis qui peccata confessi visitarent ecclesiam Miræ-vallis festis Dedicationis, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis. Obiit anno 1286.

VIII. Maceus, dictus etiam Marcellinus, reperitur ad annos 1298, 1301, 1303. Obtinuit a Philippo Pulchro rege & Johanna ejus uxore Navarræ regina, comitissa Campaniæ, litteras de nonnullarum possessionum confirmatione. Ad ipsum regem querelas detulit anno 1305 adversus Petrum dominum *de Bourlemont*, qui multatus fuit pœna pecuniaria. Beneficum etiam expertus est Ludovicum X regem annis 1311 & 1312. Defunctus anno 1315, sic in obituario celebratur 7 Maii: *P. Marcellinus abbas hujus loci in vinea Domini, Christo auxiliante, laboravit ut quietam sociis & successoribus suis præpararet*

A *vitam, brevi tempore propositum sibi finem assecutus, ad meliora migravit.*

IX. Gerardus I *de Roche* rescriptum Benedicti XII papæ, abbati S. Mansueti inscriptum, impetravit anno 1334 contra detentores & invasores bonorum ecclesiæ Miræ-vallis. Tutelare diploma a Philippo VI rege Christianissimo consecutus est anno 1340, ut, dum continuaretur bellum, contributiones non exsolveret; suum item monasterium custodia castri Vallis-coloris ab ipso principe liberari curavit anno 1346, quo apud eumdem regem conquestus est de Radulfo duce Lotharingiæ,
B qui nullo regii diplomatis habito respectu monasterio intulerat damnum. Consensit dux solvere mille libras pro resarciendo damno; verum Maria de Blesis post mortem ducis mariti sui obligationem ejus exsequi detrectavit: nihilominus tamen summam & usuram, jubente Johanne rege, solvit anno 1351. Gerardus autem cum sanctitatis fama mortuus anno 1357, sepultus est ad ingressum chori sub lapide sepulcrali, quem transeuntes propter venerationem pedibus premere non audebant.

X. Reginaldus duobus circiter præfuit annis, ac decessit anno 1359.

C XI. Nicolaus I, sub cujus moderamine collapsa est regularis disciplina, vitam finivit anno 1373.

XII. Petrus I *de Muzo* cruenta morte sublatus est anno 1378, ex eo quod rectum ordinem in monasterio restituere niteretur.

XIII. Philibertus *de Beaufremont*, illustri sanguine ortus, ab abbate Septem-fontium aliisque abbatibus institutus fuit abbas 19 Febr. 1378, ex eo quod capitulum ob parricidii crimen electionis jure excidisset. Non modo protectionis litteras a rege Carolo VI obtinuit, verum etiam licentiam monasterium sepiendi
D munitionibus, ut ab hostibus se suosque tutos præstaret. Restituta inter fratres pace, concordia & religione, fatis concessit an. 1397.

XIV. Hugo II *de Germey* reperitur an. 1420 in documento. Cum monasterium sapienter moderatus & viriliter tuitus fuisset, cessit e vita anno circiter 1437, notatus in necrologio ad primum diem Augusti.

XV. Gerardus II *Huel* multa monasterio suo comparavit bona. Abbatiam Boni-fageti sub obtentu prætensæ paternitatis visitavit anno 1454 in despectum Desiderii *de Grand* abbatis Flabonis-montis, a quo ad capitulum
E generale vocatus litem amisit. Occurrit in archivis episcopi Metensis anno 1470. Sponte sese exuit administratione anno 1475.

XVI. Desiderius-Galterus de Portu ex pastore Savigniaci in abbatem a capitulo electus, præside Johanne *Panche* Septem-fontium abbate, a quo præsentatus fuit episcopo Tullensi ad percipiendam benedictionem, fato functus est 1 Septembris 1490.

XVII. Claudius I *Haucourt* litteras a summo pontifice Innocentio VIII inscriptas officialibus Metensi, Tullensi & Virdunensi contra invasores

invasores bonorum monasterii sui obtinuit. Obiit VIII cal. Junii 1524, facta a decennio prævia cessione.

XVIII. Nicolaus II *Morizot*, præsente & præside Jacobo *Brisson* Septem-fontium abbate, electus anno 1224, occubuit XVII cal. April. 1528.

XIX. Claudius II *d'Anglure*, filius Saladini comitis *de Bourlemont*, fundavit capellam in castro *de Bourlemont*, quæ vicissim ab abbate Miræ-vallis & a comite præsentaretur. Delegatus fuit anno 1540 a capitulo generali ad cardinalem Pisanum, eum precandi gratia ut sub pensione cederet ab abbatia Præmonstrati in sui ipsius Claudii favorem, quem totus ordo singulari honore prosequebatur. Eodem anno hic abbas regularium ultimus, misere interfectus est die 4 Aprilis.

XX. Thomas, presbyter secularis, larvatus abbas, sub quo laïci potentes proventibus fruebantur.

XXI. Christophorus *de Choiseul*, primus commendatariorum, plurima vendidit & oppigneravit prædia abbatiæ, inter quæ sancti Pancratii curtem.

XXII. Claudius III *de Beaujeu* successit circa annum 1560. Antecessorem suum prava administratione superavit, dein dimissa abbatia uxorem duxit.

XXIII. Philippus *de Choiseul*, superioris nepos, licet presbyteratus ordine initiatus, non se gessit melius decessoribus suis: plura siquidem, extorso religiosorum per famem consensu, abalienavit bona. Redactum itaque est ad tantam egestatem monasterium, ut religiosi alii ad victum necessaria a parentibus suis quærere, alii artes exercere coacti sint. Obiit anno 1582.

XXIV. Carolus I a Lotharingia, dictus cardinalis Vadani-montis, Tullensis ac Virdunensis episcopus, spiritalibus ac temporalibus rebus restitutis, ex hac vita migravit an. 1587.

XXV. Erricus a Lotharingia, episcopus Virdunensis & abbas Mediani-monasterii, Belli-loci, Cheminonis & Miræ-vallis, proventuum portionem religiosis assignatam confirmari curavit a Parlamento anno 1605 & a summo pontifice 1607. Mortuus est anno 1610, resignatis omnibus nepoti suo beneficiis.

XXVI. Carolus II a Lotharingia, successor omnium beneficiorum ducis Errici patrui sui, auctore Servatio *Layruelz* abbate B. Mariæ Mussipontanæ, reformationem in monasterium induxit 13 Augusti 1621. Eodem anno suis beneficiis in Francisci fratris sui gratiam nuncium remisit, ut in Societate-Jesu Deo se consecraret.

XXVII. Franciscus *de Lorraine*, præcedentis frater & omnium ejus beneficiorum successor, præstitis in omni occasione paterni amoris indiciis, vivere desiit anno 1660.

XXVIII. Petrus II *de Gagnieres*, decanus ecclesiæ collegiatæ S. Verani loci gallice dicti *Jargeau* in diœcesi Aurelianensi, permutavit anno 1666 cum sequenti pro prioratu beatæ Mariæ de Julliaco in diœcesi Senonensi.

XXIX. Ægidius *Brunet* consiliarius clericus Parlamenti Parisiensis, omnes pene pastoratus a secularibus possessos regularibus contulit. Fatis concessit mense Novembri 1709.

XXX. Carolus-Claudius *de l'Aigle*, major archidiaconus, canonicus, officialis & vicarius generalis Tullensis, patria Barroducæus, nobili gente Sanctonibus oriunda genitus, doctrina & pietate clarus, a rege designatus fuit abbas 24 Decemb. 1709.

XXXI. N. *de Foyal de Donnery*, doctor theologus, 10 Aprilis 1733 donatus est a rege abbatia per præcedentis obitum.

XXXII. N. *de Condillac* commendam a rege adeptus est anno 1765.

ECCLESIA VIRDUNENSIS.

QUANQUAM antiqua Virdunensis urbis monumenta perpauca contineant, conjicere tamen licet oppidum fuisse haud levis momenti, quando Romani eam suo adjecerunt imperio, si ita sit, veluti prodit Wasburgius, ut in ea urbe belli instrumenta & cibaria congesserint ad usum exercituum, quos in Galliæ Belgicæ confinia deduxerant. In itinerario Antonini *Virodunum*, in tabulis Peutengerianis *Vironum*, & apud Ethicum *Verodunum* vocatur. Dictam quidem fuisse antiquitus *Clabiam* seu *Claboam* & urbem *Clavorum* patriæ scriptores volunt. Si Laurentio Leodiensi fides, sic appellata est a gentilibus primis indigenis, qui in commercio & fabrica clavorum excellebant, quique mœnibus urbis clavos intexuerant. At verisimilius est per voces *Clavii* seu *Clabii* intellectos fuisse populos ejus regionis, quorum Virodunum fuit urbs caput. Situm est ad Mosam in Belgica prima in Lotharingiæ finibus, duodecim millibus passuum a Meti in occidentem hibernum, & a Tullo septem in eorum distat. Sexto seculo ea civitas, quam Hunni, Attila rege, quondam pene everterant, arctis limitibus erat circumscripta, teste Venantio Fortunato lib. III, carm. 27 ad S. Agericum, duobus hisce versibus:

Urbs Vereduna brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.

Accrevit tamen ejus ambitus commerciumque sub regibus Francorum, in quorum ditionem

ruente Romano imperio, ipsa devenit. Populos regionis ejus priusquam evangelii lumen ipsis illuxisset, sic depingit Hugo Flaviniacensis: *Gens ipsius urbis*, inquit, *effera, cultui Dæmonum dedita, totius veritatis ignara.* Ubi vero Christiana fide apostoli sui S. Sanctini ejusque successorum curis imbuta est, tanto cum studio servavit, ut succiduis seculis *urbs pia* nominari meruerit. Amplissimis ditata est possessionibus ecclesia Virdunensis a regibus Austrasiæ Childeberto & Dagoberto SS. præsulum Agerici & Pauli precibus. Extincto autem Austrasiæ regno, Virdunum fuit in circulo quinto Germanici imperii, peculiaresque suos habuit comites, quibus regalia Germaniæ imperatores, ut aliis imperii principibus tribuebant. Horum comitum unus, nomine Fredericus, anno 997 comitatum Haimoni episcopo ejusque successoribus perpetuo habendum, firmante Ottone III imperatore, transcripsit: a quo tempore Virdunenses episcopi fuerunt comites Virduni & principes Imperii. Comitatus administrationem commisere vicecomitibus, qui omnem sibi auctoritatem ergo asciscendi, bellis episcopos undecimo & duodecimo seculis exagitarunt. Magistratus etiam episcopalis auctoritatis impatientes, nihil prætermiserunt ut eam eluderent. Et quidem ea de re sæpe sæpius discordiæ, imo civilia bella mota sunt, quæ penitus non nisi seculo decimo sexto sedata fuerunt, quo Virdunensis urbs rursus in potestatem Franciæ regum redacta est. Templum majus ab æde suburbana SS. Petri & Pauli in urbem a S. Pulchronio translatum, ac Virgini Deiparæ nascenti sacrum juxta antiquissimam hujus ecclesiæ traditionem, quæ prima inter Galliarum ecclesias Nativitatis B. Mariæ festivitatem celebrasse gloriatur, structura tectisque magnificis ac quatuor turribus majoribus in quatuor angulis eminet. In eo dignitatem primariam, ex quo officium Primicerii capitulo adunatum est, gerit decanus, qui a rege designatur. Alias tenent tres archidiaconi, cantor, cancellarius, & scholasticus. Si episcopus & dignitates numerantur, capitulum habet 43 canonicos & 45 capellanias. In urbe sunt duæ collegiatæ, scilicet S. Magdalenæ & S. Crucis. Extra civitatem erant olim collegiatæ Attonis-castri & Asperi-montis, quas Leopoldus Lotharingiæ dux & Hippolytus Virdunensis episcopus unanimi consensu in civitatem S. Michaëlis ut utraque una & eadem foret in posterum collegiata, transtulerunt anno 1707. Extant quoque quatuor canonici in castro *de Trognon*. Sunt in tota diœcesi 190 parochiæ in quatuor archidiaconatibus & novem decanatibus ruralibus, non numeratis succursalibus aut annexis 75. In urbe præter novem parœciales ecclesias, plures sunt conventus utriusque sexus, puta Dominicanorum, Augustinianorum, Minimorum, Capucinorum & Recollectorum, sanctimonialium S. Claræ, Congregationis & Carmelitanarum; duo item xenodochia, hospitale generale S. Catharinæ & hospitale S. Hyppolyti. De abbatiis post memoriam episcoporum agemus.

EPISCOPI VIRDUNENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. SANCTINUS.

Diversæ opiniones de tempore missionis S. Sanctini diversos ei tribuendi titulos locum dederunt: nonnulli quippe ex auctoribus, qui contenderunt in Gallias a sancto Clemente papa esse missum, e septuaginta duobus discipulis Domini unum aiunt: alii vero cernentes hanc sententiam stare non posse cum chronologia, volunt discipulum extitisse S. Dionysii primi Parisiensis episcopi, longe à sancto Dionysio Areopagita diversi, quem doctissimi critici tantummodo sub finem tertii seculi degisse credunt. Titulum hunc vetera omnia Virdunensis ecclesiæ monumenta sancto Sanctino unanimiter tribuunt. Christiana fides ejus sudoribus curisque in finitimis provinciis Galliarum, præsertim in Belsia & Briegio ita accrevit, ut S. Dionysius ob insignes virtutes ipsum Meldensem instituerit episcopum. Illic cum Divinum verbum disseminasset solidassetque, in Belgicam & usque Virdunum cum socio Antonino accessit. Graviter afflictatus de abominandis sacrificiis, quæ Dæmonibus populi ejus urbis offerebant, hos ut ad veri Numinis cultum converteret, nihil non moliebatur. Quanquam ex Hugone Flaviniacensi multa sit perpessus ab Ethnicis, injurias scilicet

A & vulnera, preces effundere, operamque suam eorum conversioni navare nequaquam intermisit. Virdunensem ecclesiam beatus ille discipulus S. Dionysii Parisiensis fundavit circa annum 332, eamque rexit per viginti & unum annos. Deputatos misit ad concilium Coloniense habitum anno 346 pro depositione Euphratæ ejus urbis episcopi, & subscripsit his verbis: *Sanctinus episcopus Articlavorum.* Commentitia vitæ ejus acta narrant ipsum aliquibus post annis, rescita sævitia, quam in Christianos Meldensis præfectus adhibebat, mox Meldas profectum fuisse, eumque adiisse crudelitatem exprobratum. Tyrannus ipsum B gladio interfecisset, adeo erat iratus: at eum in carcerem trudere satius duxit, recusatis rebus magis ad vitam necessariis. Dum ille Meldis in custodia detineretur, Virdunenses christianos de proxima morte commonuit, addito hortatu ut cum excessisset, in episcopalem sedem Maurum ipsius discipulum extollerent. Gravis tandem ætate, apostolicorum laborum longinquitate defessus, carcerisque extenuatus incommodis, sanctissima morte in Domino obdormivit circa annum 353. Corpus ejus Meldis humatum est, ut creditur, in ecclesia collegiata, quæ etiamnum dicitur de sancto Sanctino, unde devectum fuit tempore Nor-

Circa 332.

346.

mannicarum incursionum in cathedralem ecclesiam, ubi asservatum est usque ad annum 1032, quo mercatores Virdunenses Meldas transeuntes, promissa dataque custodi sacrarum reliquiarum mercede, id sacri pignoris ab eo presbytero obtinuerunt, secumque Virdunum detulerunt in ecclesiam S. Vitoni; illicque veneranda ejus ossa in pretiosa capsa conduntur, ejusque memoria solenni ritu in diœcesi recolitur v nonas Octobris. Jam de S. Sanctino egimus tom. VIII, col. 1597 in episcopis Meldensibus, observavimusque ejus acta pro meris fabulis ab eruditis viris haberi.

II. S. Maurus.

Tribus post sancti Sanctini mortem annis successit S. Maurus, eamque moderatus est ecclesiam viginti octo annis, cursu vitæ con-
383. summato circa annum 383, die decima Novembris, quo festivitas ejus celebratur. Sepultus est in oratorio S. Johannis a se condito, ubi etiamnum existit abbatia sanctimonialium dicta de S. Mauro.

III. S. Salvinus.

Sexennio ab obitu S. Mauri in episcopalem sedem evectus fuit S. Salvinus & obtinuit 31 annis. Defunctus anno circiter 420, sepulturam habuit in oratorio S. Johannis-Baptistæ, ubi visitur ejus sepulcrum prope tumulum sancti Mauri. Cultu publico honoratur in diœcesi 6 Septembris.

IV. S. Arator.

Virdunensibus ex chronicis S. Salvinum excepit in episcopatu sanctus Arator, seditque 33 annis. Conditus est in eodem loco, quo duo sui antecessores. Ejus festum fit 5 Septemb.

V. S. Pulchronius.

S. Pulchronius Trecis in Belgica natus nobilibus parentibus, qui in urbe Virdunensi aut in confinio consistere consueverant, adhuc juvenis orphanus remansit. Hugo Flaviniacensis in chronico traditum fuisse dicit sancti Lupi Trecensis episcopi propinqui sui disciplinæ, condiscipulos in ejus monasterio habuisse Severum postea Treverorum episcopum, Albinum Catalaunensem, Æmilianum, Aventinum Trecensem aliosque multos insignes sanctitate viros. Addit eum communi voto & laude cleri ac populi Virdunensis electum sedisse, quando in Gallias, Attila duce, effusi sunt Hunni, id est circa annum 453. Sedem episcopalem ab æde suburbana sanctorum Petri & Pauli in urbem transtulit, ecclesiamque cathedralem B. Mariæ Virgini nascenti sacram, juxta antiquissimam traditionem, in loco paternæ domus construxit, cui sua quæcunque
470. bona largitus est. Mortuum volunt an. 470, expletis in episcopatu sedecim annis, die ultima Aprilis ex Hugone Flaviniacensi, cujus verba hic referre juvat: « Beatus Pulchronius, inquit » ille, Urbis-clavorum episcopus cursu vitæ » consummato decessit pridie calendas Maii & » migravit ad Dominum. Corpus ejus in ecclesia » S. Amantii in honore dicata sepultum est, » licet a multis astipuletur timore hostium se- » pultum eum juxta viam publicam, quia in » ipsis bellorum tumultibus raptus sit ne videret » exterminium civitatis & populi, & postea » rarescentibus bellis super eum ædificata sit » ecclesia a viris timoratis, unde postea evolutis » aliquot annis nutu divino levatum sit sacratissimum corpus ejus & in ecclesia S. Petri, » ut sanctum decuit, honorifice reconditum. » Colitur ejus memoria 17 Februarii.

VI. S. Possessor.

Eximia stirpe Virduni procreatus sanctus Possessor, ante episcopatum duxerat uxorem, post cujus obitum omnes suas facultates tradidit ecclesiæ Virdunensi, quæ ipsum in clerum admisit. Pulchronio datus successor, pontificale munus adeo digne gessit, ut cultu publico honorari meruerit. Posteaquam sexdecim annis rexerat, sancto fine quievit anno 486, die 486.
1 Decembris juxta Hugonem Flaviniacensem, conditusque est in ecclesia SS. Apostolorum, cujus corpus effossum in capsam intulit Hatto episcopus seculo nono.

VII. S. Firminus.

Propinquitate cum S. Lupo & antecessore Pulchronio conjunctus, Tullensis oppidi indigena, jam ætate provectus, Possessoris in locum suffectus fuit Firminus, vir sanctitatis fama perquam celebris. In gravi annonæ penuria omnem curam adhibuit ne quid incommodi experirentur diœcesani. Ejus ætate, scilicet anno 502, antiqua Virdunensis ecclesiæ monu- 502.
menta produnt ob Virdunensium civium defectionem Chlodovæum regem Francorum urbem obsessurum advenisse. Qua de re, pariter & de morte S. Firmini, quæ ipsa nocte, qua circumsessa est urbs, accidit, territi oppidani, quid agerent incerti fuere. Verumtamen omnes in eam sententiam coierunt, ut sanctum virum Euspicium presbyterum ad regem placandum mitterent. Cujus precibus rex victus, veniam urbi condonavit. Corpus vero sancti Firmini, soluta obsidione, conditum fuit in ecclesia SS. Apostolorum. Ibi requievit usque ad annum circiter 950, quo Berengarius episcopus illud e terra erutum venerationi publicæ exposuit, & in prioratum Flaviniacensem ad Mosellam Humberto abbati sancti Vitoni transferendum permisit.

VIII. S. Vitonus.

Rebellionis facta oppidanis venia, in urbem ingressus rex Chlodovæus Euspicium, cujus in gratiam urbi pepercerat, episcopum voluit creari. Quod cum sanctus ille vir ob senectam recusasset, populus una voce Videnum seu Vitonum Euspicii nepotem episcopum institui poposcit. Populi precibus benigne acceptis, rex Vitonum ordinari assensus est; Euspicium

ANNI CHRISTI

vero & Maximinum alterum nepotem, Vitoni germanum, ad Aurelianensem urbem secum abduxit, ubi in cœnobio Miciacensi, quod ipse rex condidit, monasticam vitam ambo amplexati sunt. Vitonus autem tanto studio munia obivit episcopalia, tantaque Deus per eum in vita & post ipsius mortem operatus est miracula, ut in Sanctorum numerum referri meritus sit. Cum sedisset annos viginti septem,
529. migravit in cœlum anno 529, juxta antiquum monasterii S. Vitoni necrologium, in quo ejus electio refertur ad annum 502. Humatus fuit in ecclesia SS. Petri & Pauli, juxta quam cœtum clericorum instituisse dicitur. Huic basilicæ jam pridem inditum est nomen sancti Vitoni ob frequentiam miraculorum ejus intercessione patratorum, & ob multitudinem populorum ad eam undequaque concurrentium. Colitur a Virodunensibus v id. Novembris. Per immanem anguem, quem ab eo interemptum fama est, intelligendum videtur de reliquiis idololatriæ, quas forte penitus extirpavit.

IX. S. Desideratus.

Ex nobili genere Alemannorum in Thuringia procreatus Desideratus, sancto Vitono successit. Hic, ducta ante episcopatum uxore, filium habuerat nomine Siagrium. Multas in præsulatu a Theodorico rege passus est injurias fraudulentis artibus Sirivaldi, quem post ipsius Theodorici mortem Siagrius, patris Desiderati ærumnas ulciscendi gratia, interfecit. Porro Desideratus, non omnium modo bonorum jacturam, verum & exsilium diu perpessus, in Virdunensem civitatem est regressus, quam ad extremam egestatem redactam reperit. Cui sublevandæ cum ob inopiam impar esset, a Theodeberto rege, Theodorici filio, opem petivit. Ejus precibus rex annuens, septem aureorum millia elargitus est, quæ venerandus prælatus populo suo est dispertitus. Aliquanto post cum pecuniam mutuo acceptam regi reddere vellet, Theodebertus renuit acceptare, satis sese felicem ratus quod populo misero succurrisset. Subscripsit S. Desideratus concilio
535. Arvernensi anno 535 & Aurelianensi anno
549. 549. Exactis viginti quinque annis in pontificatu, occubuit anno 554 ex vetustis episcoporum indicibus & antiquis monasterii sancti Vitoni necrologiis. In æde majori S. Mariæ sepulturæ traditus est, ex Wasburgio.

X. S. Agericus.

Harvilla pago quatuor a Virduno leucis oriundus S. Agericus, cujus nativitatem ante triennium ab Angelo prædictam ait Hugo Flaviniacensis, in lucem editus est circa annum 521. Quem dum rusticana mater in agris gigneret, desuper infantulum aquila volitare visa est. Hoc prodigio obstupefactus rex Theodoricus, qui tunc in vicinia venabatur, ad locum rem cognoscendi gratia mox accessit. Omnia a parentibus rex percontatus, voluit puerum e sacro fonte suscipere, vocavitque Agericum, propterea quod in agris genitus fuisset. Regis beneficiis parentes ejus cumulatissime affecti, prope muros Virdunenses domum emerunt, ubi etiamnum cernitur abbatia S. Agerici. Tricesimum annum cum attigisset Agericus, a Desiderato attonsus est in clericum, & per triennium in ecclesia SS. Petri & Pauli cum reliquis clericis eruditione plurimum profecit. E vivis exempto Desiderato, subrogatus in episcopalem cathedram anno 554, domum 554.
ubi degeret, elegit prope primariam ecclesiam beatissimæ Virginis, ibique oratorium erexit, in quo reliquias S. Martini Turonensis olim episcopi collocavit. Principum Apostolorum ædem, in qua educatus fuerat, frequenter adibat, & clericorum illic viventium curam sollicite gerebat. Præter oratorium S. Martini quod in urbe ædificavit, alterum olim prope muros civitatis a S. Mauro, secundo Virdunensium antistite, in sancti Johannis-Baptistæ honorem erectum ac pene dirutum non restauravit modo vel auxit in memoriam sancti Medardi, sed etiam sanctorum prædecessorum Mauri, Salvini & Aratoris, qui secundo, tertio & quarto loco in episcopatu sederant, corporibus ibi repertis, exornavit. Deinceps hæc ædes promiscue sancti Johannis dicta est & sancti Medardi, donec sancti Mauri nomen sub Heymone pontifice obtinere cœpit.

Childeberto Austrasiorum regi, quem de sacro lavacro susceperat, acceptissimus fuit S. Agericus, qui præter plurimas & amplissimas, quas enumerat Bertarius, possessiones ab ipso rege acceptas, nil unquam ab eo postulavit, quod non consequeretur. Erat tunc vir haud exiguæ auctoritatis, nomine Guntchramnus Boso, qui cum in regis Childeberti atque Brunechildis ejus matris odium incurrisset, patrocinium sancti Agerici Virdunum flagitaturus accessit. Mox prælatus ad regem properans veniam ei impetravit: verum Guntchramnus rex Burgundiæ aliquanto post, assentiente Childeberto nepote, ipsum ad mortem damnavit. Sub id tempus duo viri potentes, Ursio & Berthefredus, in Childebertum & Brunechildem conspirarunt. Quorum conjuratione comperta, ad castrum Vabrense cito uterque procedentes in ecclesia S. Martini sese incluserunt. Hos Childebertus cum copiis protinus secutus, ecclesiam circumcingi, quin & cremari, ni sese dederent, jussit. Inter hæc Ursio ex ecclesia stricto acinace egressus, post factam multorum stragem, ipse opprimitur. Berthefredus vero Virdunum aufugit ad sanctum Agericum, qui eum in hostium manus tradere recusavit. Milites extemplo in tectum oratorii, in quo delitescebat, insilientes, facta apertura, illum lignis & tegulis mactarunt. Ea morte itemque violatione sacri loci, in quo orare solitus erat, valde contristatum præsulem non officiosis tantum verbis, sed & eximiis muneribus rex consolari tentavit: at ejus dolorem nil potuit mitigare. Et quidem sanctus hic præsul pueris Berthefredi, quos apud se retinuerat,

ANNI CHRISTI

lacrymantibus oculis sæpius hæc aiebat: *In meo vos odio orphani relicti estis.* Conjurationis rex Childebertus conscios in urbe Virdunensi judicari volebat; sed ab Agerico exoratus, concilium eam ob causam Virduni indictum, propter urbis egestatem & inopiam, Metis celebrari jussit & indixit ad mensem Novem-
590. brem 590. Insequenti anno languore æque
591. ac mœrore confectus S. Agericus ad meliorem vitam transiit 1 Decembris, quo die in diœcesi colitur. Humatus fuit in ecclesia S. Martini, quam ipse in paternis ædibus exstruxerat; ejusque sacræ reliquiæ ibidem magna cum veneratione asservantur. Illius doctrinam & eximias virtutes cecinit Venantius Fortunatus lib. III, cap. 29 & 30. Plurima etiam miracula ab ipso, dum viveret, patrata memorant Gregorius Turonensis & Bertarius.

XI. Charimeres.

Mox ut S. Agericus vivendi finem fecit, Buccioaldus quidam, a nonnullis irrisione dictus *Buccus-validus*, Virdunensis urbis abbas, vir superbus, ad Childeberti regis aulam citius accurrit episcopatum postulaturus; & quidem Brunechildis reginæ gratia & favore, quam sibi conciliaverat, designatus est præsul. Quod ubi cognitum fuit Virdunensibus oppidanis, suum regi significarunt dolorem, qui repudiato Buccioaldo, Charimerem suum referendarium, quem valde exoptabant, episcopum ordinari consensit. Hic etsi gerendis seculi rebus assuefactus, muniis tamen ecclesiasticis rite functus est. Quas sanctus Gregorius papa majores litanias Romæ instituerat, ipse in Virdunensi ecclesia instituisse perhibetur. Eum
611. decessisse dicunt anno 611 aut 612. Sepultus vero est in cathedrali ecclesia, ex Wasburgio.

XII. Hermenfredus.

Patria Austrasius Hermenfredus, natus claris parentibus in castro haud procul Argentina, educatus fuit in aula cum principibus Theodberto & Theodorico filiis Childeberti Austrasiæ regis. Ubi inter duos fratres divisum fuit Childeberti regnum, Theodoricum, cui Burgundia obtigerat, secutus est Hermenfredus, ipsique fuit comes anno 600 in acie commissa in Senonensi pago adversus Clotarium Suessionum regem. Aimoinus ait inter pugnam Angelum constitisse minaci vultu, strictoque ac cruento gladio. Hoc prodigio, si Wasburgio fides est, adeo territus fuit Hermenfredus, qui Theodorici regis lateri proximus adhærebat, ut relicta statim seculari militia, Luxovium ad S. Columbanum perrexerit. Illic per aliquot annos monasticam vitam cum peregisset, a Virodunensibus, assentiente Theodeberto rege, in defuncti Charimeris locum suffectus fuit. Hunc, veluti sanctum Columbanum magistrum suum, offensionem reginæ Brunechildis subiisse scribit Wasburgius, qui ipsius reginæ malignitate Virdunensem ecclesiam prorsus fortunis ac proventibus eversam fuisse testatur. Posteaquam eam ecclesiam ad summum novem aut decem annos Hermenfredus sancte rexerat, decessit e vita an. 621, ex Wasburgio. Sanctum eum 621.
appellant Ferrarius in generali catalogo Sanctorum, & Saussaius in supplemento martyrologii. Mortuum VI id. Decembris dicunt Ghinius, Robertus, Saussaius.

XIII. Godo.

Remensi concilio sub Sonnatio præsule interfuit Godo anno 625, ex Flodoardo. Concil. Labb. t. V, p. 1689. 625.

XIV. S. Paulus.

De initiis S. Pauli supra egimus in abbatibus Tholegiensibus, ubi vide, col. 562. Is sacris litteris piisque exercitationibus in monasterio totus incumbebat, cum Dagobertus Austrasiæ rex a clero & populo Virdunensi enixe rogatus, ipsum per vim raptari & in episcopum, etsi totis viribus renitentem, consecrari jussit. Tunc Virdunensis ecclesia sic rebus destituta erat, ut non sufficeret alendis clericis, qui in ea vel missarum solemnia, vel consueta divinæ laudis officia persolverent: sed suo quisque ordine forenses presbyteri singulis diebus ejus rei gratia eo accedebant, & recitatis cursum cum missa consuetis psalmis, mercedula accepta, mox ad propria revertebantur. Paulus hunc ecclesiæ statum miseratus, dolorem suum aperit discipulo suo Grimoni abbati Theolegiensi, qui ecclesiæ & episcopo compassus, Frasnidum villam in clericorum victum largitus est, & cum Paulo ad Dagobertum profectus, possessiones & pecunias ab eodem istuc impetravit. Necessitudine conjunctus fuit Paulus cum plurimis sanctis Galliæ præsulibus, præsertim cum S. Desiderio Cadurcensi, qui ad dedicationem Quesn. tom. I, p. 879.
ecclesiæ recens a se constructæ eum per litteras invitat. Duas item epistolas Paulus ad Desiderium scripsit. In prima narrat quid fecerit in gratiam illustris feminæ Bobilanæ sibi a Desiderio commendatæ, ipsique gratias agit Ibid. pag. 885.
de cadis decem vini Falerni ab eo munere acceptis. In altera eum commonet regem Vir- Ibid.
dunum transiisse, Nativitatem Domini Remis celebraturum, nuntiatque Chainoaldum (forte Laudunensem episcopum) cujus mors refertur ad annum circiter 640, fatis concessisse. Hoc eodem anno sanctum Rodingum, qui, abdicata dignitate abbatiali monasterii Theolegiensis, Virdunum accesserat, benigne excepit, ac per biennium secum retinuit. Adstitit anno 641 641.
translationi corporis S. Arnulphi Metensis ex Monte-sancto in suburbanam SS. Apostolorum basilicam. Sub initium anni 648, VI id. Febr. 648.
condignam sanctissima vita mortem oppetiit, sepultusque est in suburbana sancti Saturnini ecclesia a se condita, quæ seculo decimo Benedictinis monachis assignata est, S. Pauli nomine ac reliquiis illustrata, excepto capite, quod Theolegienses monachi principatu Caroli Magni obtinuerunt. Scriptor vitæ S. Pauli, atque Bertarius in historia episcoporum Virdunensium opinati sunt ipsum fratrem fuisse

ANNI CHRISTI S. Germani Parisiorum episcopi; sed contra omnem verisimilitudinem, nam S. Germanus longe ante e vivis excesserat.

XV. GISLOALDUS.

In Pauli locum subrogatus est Gisloaldus, Theologiensis & ipse monachus, qui, quod antecessor meditatus fuerat, adimplevit, æde S. Saturnini clericis attributa. Recensetur anno 648 inter episcopos & optimates, quos rex Sigibertus consuluit de fundandis duobus monasteriis, Malmundariensi scilicet & Stabulensi, in Arduenna. Unus est ex episcopis, quibus Numerianus Trevirensis præsul inscripsit privilegium concessum monasterio, quod sanctus Deodatus in Vosago condiderat. Obiit anno

Notger vit. S. Remacli. Charta v, col. 291.

665. 665, magnum sui desiderium relinquens, exactis in pontificatu 17 annis.

XVI. GEREBERTUS.

Nepos Gisloaldi Gerebertus, ex abbate Theologiensi, unanimi cleri ac populi consensu in episcopum cooptatus fuit anno 665, ex Wasburgio, qui ipsius obitum refert ad

689. annum 689, præsulatus expletis 24 annis.

XVII. ARMONIUS.

Post Gereberti excessum plures, ut vult Wasburgius, propositi sunt qui ad episcopales infulas eveherentur, nempe Anglebertus archidiaconus, Vandregisilus monachus & abbas Fontanellæ in Neustria Virduni natus, & Armonius Theologiensis abbas, qui favore Pipini Heristallii aliis duobus præpositus est. Bona quædam ecclesiæ suæ cum eodem Pipino ejusque conjuge Plectrude XIII cal. Februarii

Wasburg. fol. 110.

701. 701, Childeberti III regis anno 7, commutavit; ipsis enim cessit Pararicum, cujus loco Commenarias accepit. Is haud diu superstes, vitam finivit, cum 12 annos sedisset.

XVIII. AGREBERTUS.

Una populi atque cleri voce electus est Agrebertus Armonii ex matre nepos, & Pipini Heristallii affinis, Virdunensis archidiaconus. Idem esse videtur ac Anglebertus, qui in episcopum pluribus ante annis postulatus fuerat.

709. Confirmavit an. 709 fundationem monasterii S. Michaëlis, quod comes Wolfoaldus ejusque uxor Adalsinda in diœcesi Virdunensi ad Mosam condiderunt an. 15 Childeberti III regis. In instrumento fundationis vocatur Aggrebardus. Mortuus est anno circiter 710.

XIX. BERTALAMIUS.

Natus in territorio Virdunensi nobilibus parentibus Bertalamius, monasticam vitam professus est in Theologiensi monasterio, unde eductus fuit in episcopalem cathedram evehendus. Amitam habuit Hechiam, uxorem præpotentis viri Mactigisili, quibus suam debuit & dignitatem, & ecclesiæ suæ fortunam: nam, teste Bertario, plures ab ipsis ditissimas accepit possessiones. Ecclesiam in honorem

A S. Michaëlis exstruxit anno 711 in monte civitati Virdunensi proximo. In gravem morbum lapsus, extinctus est anno 715. ANNI CHRISTI 711. 715.

XX. ABBO,

Juvenis monachum induerat Abbo in monasterio Theologiensi. Bertalamium, qui postea monasticen excoluit in eodem loco, deinde ad episcopalem dignitatem promotus est, sodalem regularibus instituit disciplinis, episcopum consilio juvit, ægrotantem invisit ex abbatis licentia, dignusque, qui in episcopatum succederet, habitus est a clero & populo, licet

B ætate jam provectus. Duos cum præfuisset incompletos annos, ultimum diem clausit anno 716. 716.

XXI. PEPO.

Pepo antea monachus Theologiensis, favente Carolo Martello, cujus præceptor extiterat, Abboni subrogatur. Ipse, quod Caroli partibus per ista tempora faverit, laudatur a Wasburgio, qui affirmat eum Carolo fuisse adeo dilectum, ut ab illo comes seu gubernator Virdunensis urbis institutus sit. Præter plurimas possessiones, quas ab hoc principe consecutus est, non-

C nullorum etiam bonorum inter bella deperditorum restitutionem obtinuit. Ad hæc adde quod fategerit ut * Calmontem-villam, quam ipse emerat, Carolus suis laudaret litteris. Sexennio episcopatus expleto, vivere desiit anno 722 aut circiter.

* Clermont-en-Argonne.

XXII. VOLCHISUS.

Volchisus qui & Melchisus, vir doctrina insignis, jamque natu gravis, Caroli Martelli filios Carolomannum & Pipinum erudiebat, quando per obitum Peponis episcopali dignitate sublimatus est. Hugo Flaviniacensis & Was-

D burgius docent ipsi a Carolo Martello commissam fuisse provinciam deducendi Pipinum ejus filium ad Liuthprandum Longobardorum regem ut, usu tunc in ecclesia recepto, ejus capillum primus adtonderet, ac pater illi spiritualis existeret. Quæ si vera sint, Volchisi mors notari nequit ad annum 729, ut vult Wasburgius; sed differri debet saltem in annum circiter 733: quo tempore Pipinus a patre Carolo Martello missus est ad Liuthprandum, ut satis aperte declarat Regino lib. I.

XXIII. AGRONIUS.

E Excepit Volchisum Agronius, cui Wasburgius tres episcopatus annos assignat, & addit ipsum per absentiam Caroli, quem militares expeditiones procul Virduno vocarant, ab Anselino comite, qui nihil non est molitus ut præsulatum invaderet, dira passum esse, & obiisse anno 632, pontificatus 3; quo certe anno necdum sedere potuit, si verum sit ut Volchisus ejus antecessor comitatus fuerit Pipinum in Longobardiam ad regem Liuthprandum. Fatis concessisse traditur Agronius pontificatus anno 3. Post cujus mortem

ANNI CHRISTI Wasburgius triennalem interjicit sedis episcopalis vacationem, quia clerus totis viribus obstitit, ne Anselinus comes, qui inter hæc incredibiles admisit excessus, episcopatum assequeretur. Longius interpontificium fuisse docet Hugo Flaviniacensis, quicum Cointius ad Pipini regis tempora deducendum censet.

XXIV. S. Madalveus.

Virduni natus est Madalveus, seu Madelveus, vel Magdalveus, aut Madalfeus, anno 711 christianis & inclytis parentibus, qui eum magna cum cura educandum fategerunt. Ipse cum successu studiorum emensus curriculum, ad presbyteratus ordinem promotus fuit, tum abbas S. Vitoni institutus, ac tandem anno 753, Stephano tum papa & Pipino rege, evasit episcopus, simulque abbatiæ moderamen cum episcopatu retinuit. Erat tunc in miserando statu Virdunensis civitas ob comitis Anselini vexationes: templa enim erant polluta, sanctuaria exusta, officia divina neglecta, bona ecclesiastica dissipata & direpta, clerici ab Anselino fuerant vel necati vel fugati; pauci, qui remanserant, in segnitiem & teporem delapsi. Madalveus res in meliorem statum ut restitueret, clericos dispersos coegit, quibus, ut ecclesiastici muneris officia studiosius exsequerentur, non modo de suo plurima impertitus est, verum & ipsis prædia & latifundia a Pipino rege impetravit. Magnæ etiam ei curæ fuit ecclesia sancti Vitoni, cui vasa pretiosa opesque largitus est, ob prædecessorum suorum ibidem quiescentium memoriam. Res quoque, quas in Aquitania Virdunensis ecclesia possidebat, videlicet abbatiam sancti Amantii in Rotena urbe, fiscum etiam regium Maderniacum, & alium Puniacum nomine haud neglexit, crebris susceptis eam in regionem itineribus, quo sanctorum suorum antecessorum acta secum deferebat. Apud Attiniacum villam conventui synodali pro causa religionis &
765. animarum salute habito interfuit 765, quo aut circiter anno a Pipino rege Agaunum directus est cum Tullensi episcopo & duce provinciæ ut reliquias SS. Gorgonii, Naboris & Nazarii, ab Agaunensibus monachis e loculo sublatas, repeteret. Domum reversus, Jerosolymam adire statuit, Dominicum sepulchrum invisendi gratia: at dum ad iter necessaria pararentur, major ecclesia flammis absumta est. Facta mox cum artificibus ipsam instaurandi conventione, iter est aggressus, Romamque gressus suos direxit, ubi ab Adriano papa benigne acceptus, sanctorum Apostolorum tumulum visitavit. Inde diversus est ad montem Garganum suæ pietati in Archangelum Michaëlem ergo satisfaciendi. Salutato tandem Ephesi sancti Johannis Evangelistæ tumulo, Jerosolymam pervenit, & loca quæ Christus, dum in terris degeret, sua sanctificarat præsentia, ardenti fide ingentique lætitia perlustravit. Honorifice a patriarcha Jerosolymitano exceptus est, multasque ab eo accepit Sanctorum reliquias, nec non calicem crystallinum mirifice cælatum. Cum in patriam repedasset, suam ecclesiam prorsus refectam reperit ac dedicavit, repositis in ea reliquiis, quas secum Jerosolymis asportaverat. Unum tamen ex duobus dentibus B. Magdalenæ, secum ablatis, libet excipere, quem cum capillis ejusdem Sanctæ deposuit in sacello sub ejus invocatione a se condito, juxta quod coegit mulieres, quæ ad Magdalenæ pœnitentis exemplum degerent. Lapsus in morbum in pago de Nova-villa sui patrimonii, quam suæ tradidit ecclesiæ, cæteris possessionibus superiori anno monasterio sancti Vitoni attributis, episcopalibus muniis rite perfunctus, animam Deo reddidit v id. Octobris an. 776. 776.
Sepultus est cum plurimis suis antecessoribus in monasterio S. Vitoni. Qui plura desideraverit, legat chronicon Virdunense, biblioth. Labb. t. I, p. 104 & seq. atque Wasburgium p. 130 & seqq.

XXV. Amalbertus.

Post Madalvei obitum secutum est interpontificium duodecim annorum, puta ad annum usque 788, inter quod *quidam servus Dei*, ut ait Hugo Flaviniacensis, *Amalbertus nomine, juxta morem temporis illius factus chorepiscopus, regebat ipsam ecclesiam, & in quodam oratorio sub honore omnium Apostolorum quasi solitariam vitam ducebat. Et tunc perdidit ipsa ecclesia quædam quæ sibi collata aliquando possederat, & hoc tempore Caroli magni.*

XXVI. Petrus.

Italus natione Petrus, episcopatum tanquam proditionis suæ mercedem promeritus est anno
776. Quia vero proditores semper suspecti 776.
sunt, in urbem admissus non est ante annum
788; intra quam temporis intercapedinem 788.
episcopatum rexit Amalbertus. Quo autem casu ad Virdunenses infulas promotus sit, operæ pretium est referre. Carolus Magnus anno 776 cum exercitu in Italiam perrexit Tharavisam obsessurus. Petrus qui tunc in civitate versabatur, eam tradidit regi, a quo pro prœmio donatus fuit episcopatu Virdunensi, cujus adire possessionem non ausus est ante duodecim annos. Elapso tamen hoc temporis spatio, cum regis licentia Virdunum accessit: verum non absque luctu potitus est; nam primo plura pertulit damna, dehinc insimulatus est ut conscius conspirationis, quam Pipinus Caroli Magni filius in patrem orsus erat. Rex Petro episcopo perquam iratus, mœnia turresque civitatis evertit, atque ex lapidibus ædificavit capellam palatii Aquisgranensis. Porro Petri causa in concilio Francofordiensi celebrato
anno 794 ventilata est & canone nono sic 794.
discussa. « Definitum est etiam ab eodem domno nostro rege, sive a sancta synodo ut Petrus episcopus contestans coram Deo & Angelis ejus juraret cum duobus aut tribus, sicut sacrationem suscepit, aut certe cum suo archiepiscopo, quod ille in mortem regis sive

ANNI CHRISTI

» in regnum ejus non conciliasset, nec ei infidelis » fuisset; qui episcopus dum, cum quibus juraret, » non invenisset, elegit sibi ipse ut suus homo » ad Dei judicium iret, & ille testaretur absque » reliquiis & absque sanctis evangeliis, solummodo coram Deo, quod ille innocens exinde » esset, & secundum ejus innocentiam Deus » adjuvaret illum suum hominem, qui ad illud » judicium exiturus erat, & exivit tamen ejus » homo ad judicium Dei, neque per regis ordi» nationem, neque per sanctæ synodi censuram, » sed spontanea voluntate. Qui etiam a Domino » liberatus idoneus (innocens) exivit. Clementia » tamen regis nostri præfato episcopo gratiam » suam contulit, & pristinis honoribus eum » ditavit, nec passus est eum sine honore, quem » prospexit de composito crimine nihil male meruisse. » Sensus canonis est Petrum neminem reperisse, qui vellet ipsum, tactis evangeliis aut reliquiis, sacramento simul jurantem purgare, sed dedisse dimicatorem, qui absque hujusmodi sacramento aleam duelli subiret ad testandam, Deo judice, ipsius innocentiam: quo victore, velut insons in Caroli gratiam receptus est, eo usque videlicet ut gradu suo non moveretur, neque morte plecteretur, ut cæteri qui de Carolo ejusque filiis contrucidandis consilia cum Pipino ejusdem filio notho communicaverant. Mortuus est Petrus cum eam administrasset ecclesiam 25 annos, id est ab anno 778 usque ad 813; in ecclesia sancti Vitoni sepultura donatus.

XXVII. Austrannus.

Suffectus in locum Petri defuncti Austrannus
813. anno 813, de vita decessit anno 818. De eo hæc habet Bertarius: *Post mortem vero illius* (Petri) *elegerunt sibi episcopum de Regis palatio Austrannum, cantorem ipsius, virum strenuum, cujus industria Bracenses negotiatores isti ecclesiæ redacti sunt: superfuit quinque annis.* Hugo Flaviniacensis scribit electum anno 815, mortuum anno 819: sed pro annis 815 & 819, reponendi videntur anni 813 & 818. Et certe quod infra de Herilando Austranni successore ait ipsum suscepisse episcopatum Virdunensem, quo tempore Carolus in societatem imperii Ludovicum adscivit, id est anno 813 mense Septembri, de Austranno non de Herilando intelligendum est. Humatus fuit Austrannus in basilica S. Vitoni cum antecessoribus suis.

XXVIII. Herilandus.

818. Sedere cœpit Herilandus anno 818, & præfuit quatuor annos ex Cointio, defunctus anno 822. Bertarius de Herilando ita scribit: *Herilandus suscepit istum locum, vir multum simplex & ultra modum infirmus, cujus etiam tempore multa mala perpessa est ista ecclesia. Post viginti quatuor annos sui episcopatus obiit Aquis, & est sepultus juxta Austrannum in basilica S. Vitoni.* Bertarii verba de verbo ad verbum pene transcripsit Hugo Flaviniacensis; *Herilandus*, inquit, *suscepit episcopatum vir multum simplex & ultra modum infirmus; & hic expletis in episcopatu annis septem obiit Aquis, & relatus inde, sepultus est juxta Austrannum in basilica sancti Vitoni.* Apud hos autores, expunctis annis episcopatus seu septem, seu viginti quatuor, reponendos esse annos quatuor vult Cointius, contenditque in editionem Bertarii mendum irrepsisse, atque loco *post viginti quatuor annos* legendum *post quatuor annos.*

XXIX. Hildinus.

DE ALLEMANNIA,

Quo pacto ad episcopatum pervenerit Hildinus vel Hildi, sic exponit Bertarius: *Defuncto autem isto* (Herilando) *abiit pars cleri & plebis ad Ludovicum imperatorem & petierunt sibi dari Hildinum de Alemannia, virum bonum & sanctum, qui construxit multas ecclesias in isto episcopatu & multa bona operatus est. Post bellum in Fontanido actum a Lothario imperatore, magno habitus est odio in ista civitate, octavis Epiphaniæ cum magna tristitia & dolore obiit in Christo, vir plenus omni bonitate & caritate. Fuit autem in episcopatu per viginti quatuor annos.* Eadem leguntur apud Hugonem Flaviniacensem, adjectis annis quibus cœpit desiitque 827 & 851, sed male; cœpit enim an. 822 822.
& desiit anno 846. Adstitit Moguntinensi concilio an. 829. Privilegio quod Aldricus 829.
Senonensis archiepiscopus monasterio sancti Remigii attribuit in concilio Senonensi, subscripsit an. 833, in quo nominatur Alduinus. 833.
Synodo apud Theodonis-villam coactæ pro depositione Ebbonis Remensis archiepiscopi interfuit an. 835. Ludovico Pio semper fidus 835.
fuit inter filiorum ejus perduellionem: & quidem bis ab eo Imperatore, nempe annis 835 & 836 missus est cum aliis optimatibus 836.
ad Lotharium Ludovici filium de restituenda inter eos pace & concordia. Apud Carisiacum ejusdem Ludovici præcepto pro monasterio sancti Carilephi subsignavit anno 837. Post 837.
mortem Ludovici Pii Carolo Calvo adhæsit, & eam ob causam incurrit in odium Lotharii, a quo rege ultionis gratia Virdunensi ecclesiæ ademtam fuisse abbatiam Theologiensem, traditamque Adelelmo asserit Wasburgius. Qua de re ad summum pontificem supervacaneas Hildinus detulit querelas. Obiit idibus Januarii 846, transactis in episcopatu 24 annis, sepultus in ecclesia S. Vitoni.

XXX. Atto.

Substituitur Hildino e vivis erepto Atto vel Hatto monachus S. Germani Autissiodorensis anno 846. Mota tamen est quæstio in 846.
concilio apud Saponarias habito anno 859 859.
de ipso Attone, quod *oblatione regulari* in monasterio sancti Germani Autissiodorensium Deo oblatus, contra regulas ecclesiasticas inde discessisset, & minus canonice ad ordinem episcopalem pervenisset. De eo tamen nihil statutum: sed tantum eidem data est facultas veniendi

ANNI CHRISTI

veniendi ad aliam synodum, in qua ejus causa A
examinaretur. Scripsit cum aliis patribus synodicam epistolam ad Wenilonem Senonensem
archiepiscopum. Nihil de eo legitur in sequenti
synodo Tullensi. Verum cum episcopatum
viginti tres annos obtinuerit, ipsius ordinationem fuisse probatam intelligitur. Pluribus
interfuit conciliis, Aquisgranensi, Confluentino,
860. Tussiacensi anno 860; alteri Aquisgranensi
862. 862; itemque Metensi, in quo cum scandalo
probatum est divortium Lotharii regis cum
863. Thietberga, anno 863. Carolum Calvum
Virdunum transeuntem honorifice suscepit,
Metasque adeuntem in Lotharingiæ regem B
869. coronandum comitatus est an. 869. Laudatur
a Bertario tum ob restitutam in sua ecclesia
pacem, tum ob recuperata bona amissa, tum
ob inchoatam cathedralis ecclesiæ fabricam,
quam magna ex parte promovit. Laudatur
etiam ob beneficentiam, quam in pauperes
suæ diœcesis exercuit tempore famis. Ad ejus
ætatem refertur depopulatio, quam Normanni
monasterio S. Vitoni intulere: succenderunt
enim ecclesiam, sacerdotes atque clericos in
ea rei divinæ mancipatos occiderunt. Hujus
restaurationem aggressus est Atto; at opus imperfectum reliquit. Quasdam reliquias sanc- C
torum Mauri, Salvini & Aratoris in abbatiam
Theologiensem transtulit; brachium vero sancti
Mauri deposuit sub altare ecclesiæ quam ædificaverat in castro ab ipsius nomine dicto
Hatonis-castrum. Excessit e vivis calendis
Januarii 870, sepulturæ traditus in basilica
S. Vitoni juxta antecessorem, quicum habet
commune epitaphium.

XXXI. Berhardus.

Unanimi cleri ac populi consensu in episcopum assumptus est Berhardus nobilis Austrasius, cujus virtutes ac meritum toti diœcesi D
haud erant ignota. Jam erat ætate gravis; at
eo honore dignissimus, teste Hincmaro Remensi, qui mox ut Berhardi cognovit electionem, Adventium Metensem litteris instigavit ut ejus ordinationem maturaret. Duziacensi concilio, ubi exauctoratus est Hincmarus
871. Laudunensis, adstitit anno 871, nec non
873. Coloniensi an. 873 pro morum reformatione,
875. atque Ticinensi 875. Interfuit etiam an. 876
876. Pontigonensi, in quo promotio Caroli Calvi
ad imperium confirmata fuit; ibidemque subscripsit privilegio concesso abbatiæ Cari-loci.
877. Coloniæ præsens aderat anno 877, cum palam E
lecta fuit charta Alfredi Hildesemensis episcopi,
fundantis sanctimonialium congregationem seu
abbatiam Essen vel Assendiensem. Structuram
ecclesiæ suæ cathedralis perfecit, atque plurimis
ditavit donariis, nempe eximiis campanis,
pontificalibus & ecclesiasticis ornamentis, libro
evangeliorum auro gemmisque instructo, duobus thuribulis, alio aureo, altero argenteo,
pretiosa etiam capsa ergo reliquias includendi.
Canonicis vero itemque presbyteris rure degentibus præclaram statuit vivendi normam.

Pueros quidem inter quos Bertarius se ipse
fuisse testatur, in humanis & divinis scripturis
per se & per alios summa caritate informavit.
Basilicam quoque S. Vitoni Normannorum
populatione dirutam, & ab Attone decessore *Spicil. t. XII. p. 277.*
partim instauratam absolvit, positis in ea canonicis octo, quibus necessaria ad victum est
elargitus. Obiit in monasterio Theologiensi,
ubi ejus corpus conditum est pridie calendas
Jan. 880, exactis in pontificatu decem annis. 880.

XXXII. Dado.

Nepos discipulusque Berhardi Dado, dictus
in vita Johannis Gorziæ abbatis, cui fuit
familiaris, vir *summi ingenii & famosissimæ
sanctitatis*, abbas & ipse S. Vitoni, episcopali
dignitate insignitus est Ludovici Germaniæ
regis favore anno 881. Cujus electionem 881.
Bertolfus Trevirensis archipræsul, etsi litteris
Johannis papæ VIII rogatus, ut probaret non
potuit adduci. Verumtamen Dado absque ejus
consensu ordinatus fuit, summaque prudentia
diu administravit tum abbatiam sancti Vitoni,
quam retinuerat, tum Virdunensem ecclesiam,
cui amplissimas comparavit possessiones. Cum
Ratbodo archiepiscopo Trevirensi & aliis episcopis comprovincialibus adstitit conciliis Moguntino & Metensi anno 888. Tradit Was- 888.
burgius ab ipso conditum fuisse poëma elegiacis
versibus, lapsu temporis deletum, suo atque
decessorum suorum tempore de illatis Virdunensi ecclesiæ calamitatibus, & præsertim in
irruptione a Normannis in Lotharingiam facta
anno 889; qua crematæ sunt civitates Tul- 889.
lensis & Virdunensis, plurimi etiam presbyteri
ac clerici tam majoris ædis quam S. Vitoni
trucidati. Idem esse videtur cum D. Virdunensi
episcopo, cui Remigius monachus Autissiodorensis epistolam scripsit circa annum 890. *Martene Ampliss. collect. t. I, col. 230.*
Alia quidem est ad eum epistola Salomonis
episcopi Constantiensis. Attonis & Berhardi
antecessorum epitomen vitæ composuit anno
893, in qua collata ab illis ecclesiæ bona, & 893.
abbatiam Montis-falconis, de qua locuti sumus *Charta I, col. 551.*
tomo IX, col. 177, ex dono Arnulphi regis
perpetuo habendam recenset. Partitionem bonorum Virdunensis ecclesiæ inter se & capitulum fecit parendi gratia canoni decimo tertio
concilii Triburensis cui adfuerat anno 895. 895.
Ratbodo Trevirensi direxit epistolam, postulans
ut Arduinum presbyterum ecclesiæ Virdunensis
in parochiam seu diœcesim Trevirensem ad- 906.
mitteret, anno 906, v id. Maii. Diplomati
Caroli Simplicis abbatiam Suestrensem Prumiensi monasterio adjudicantis subscripsit anno
916, 19 Januarii. Ob studium in Germaniæ 916.
reges fuit exosus eidem regi Carolo atque
Bosoni Guntranno, qui Zuenteboldi regis
cædem ei imputabat. Nec multo post idem
Boso, contractis copiis, terras episcopatus
vastare cœpit, stragem ubique deferens. Tutum
ab hostibus Dado ut se præstaret, milites
Virdunum accivit: sed obstare nequivit quominus cathedralis maximaque pars oppidi

ANNI CHRISTI

insidiose exureretur ad annum 917. Quo incendio absumta fuere Virdunensis ecclesiæ
917. monumenta, libri & memoriæ episcoporum. Ne autem hæc penitus oblivioni traderentur, brevem historiam episcoporum contexuit Bertarius presbyter Virdunensis, quam Dadoni nuncupavitan. 36 episcopatus. Cum Uncrimno monacho S. Michaëlis ad Mosam quamdam permutationem de duobus pratis in Rofredicurte sitis iniit ad castellum sub die VIII cal. Decembris, anno 8 regnante Carolo rege in
919. regno Lotharii, id est anno 919. Gauzelini Tullensis episcopi consecrationi adstitisse di-
922. citur anno 922: præsens quoque fuit circa idem tempus electioni Libonis episcopi Lausanensis, ex charta ubi vocatur Tatto. Vivere desiit an. 923 ex Hugone Flaviniacensi & Flodoardo, humatusque est in basilica S. Vitoni.

XXXIII. Hugo I.

Episcopatu donatus est Hugo a rege Radulfo, & a Remensi archiepiscopo Seulfo consecratus
923. an. 923 ex chronico Flodoardi hæc aientis: *Dado Virdunensium episcopus obiit, & episcopatus ejus Hugoni ab Radulfo rege conceditur, quique presbyter Remis ab Seulfo archiepiscopo consecratur.* Pulsus vero anno 925, interiit subsequenti.

XXXIV. Bernuinus.

Henricus I, dictus Auceps, Germaniæ rex, Virdunensi urbe suam in ditionem redacta anno
925. 925, Hugonem episcopatu dimovit, cujus in locum suffecit Bernuinum Dadonis nepotem, comitis Adelberti germanum, virum acerrimæ mentis, præstantem natalibus, populo æque ac clero gratum, qui eodem anno consecrationem accepit. Vix possessionem adeptus erat, cum Hungari in Lotharingiam irrumpentes, totam devastarunt diœcesim, vicis subjecerunt ignem, ruris habitatores vel interemerunt vel captivos secum abduxerunt: quin & in urbem ædesque episcopales ex improviso ingressi, opes diripuerunt, omniaque documenta & privilegia ecclesiarum combusserunt. Post hanc cladem Evenardo præposito, Bertario decano, Leutfredo & Odiloni archidiaconis, & Sarovardo cancellario demandata fuit cura redituum & censuum capituli codicem cum solerti indagatione conficiendi. Provinciali concilio
927. anno 927 Bernuinus Treviris interfuit. Plurima, ut aiunt, subsidia, a Gisilberto duce Lotharingiæ, familiari suo, obtinuit, quibus detrimenta, quæ sua civitas & omnes pene diœcesis ecclesiæ passæ fuerant, resarciret, necessariaque suis diœcesanis ad victum sup-
939. peditaret. Mortuus anno 939, infossus est in ecclesia sancti Vitoni prope Berhardum & Dadonem.

XXXV. Berengarius.

Ottonis I Germaniæ regis consanguineus Berengarius, nobilis Saxo, clero ac populo plaudentibus, episcopatum obtinuit, ab Artaldo Remensi archiepiscopo consecratus an. 940. 940.
Hic ex Hugone Flaviniacensi: « Duxit apostolicam factis & nomine vitam. Erat enim « corpore castus, mente devotus, affabilis alloquio, clarus consilio, prudentia præditus, « temperantia discretus, interna fortitudine firmus, censura justitiæ stabilis, longanimitate assiduus, patientia robustus, humilitate mansuetus, erga delinquentes per compassionem socius, per zelum rectitudinis erectus, apparebat in verbis ejus inconcussa mentis constantia, resplendebant in actibus & moribus ejus virtutum insignia, Christum totis viribus diligens, & caritatis internæ visceribus affluens, pro pauperibus semper erat sollicitus, & quia sicut Martha Christo temporalia subministrare nequibat, in egenis illum quotidie reficiebat. Sermo ejus sale conditus quo pondere brevis & rarus, eo prudentiæ suavitate habebatur pretiosus. Diligebat sincero & unanimi dilectionis affectu inter alia membra Christi domnum Fulbertum Cameracensem episcopum, cum quo juge sibi semper fuit studium veritatis adversarios toto nisu impugnare. » Inter propinquos suos Othonem regem ejusque germanum Henricum, qui rebellaverat, curas suas omnes adhibuit ut restitueret concordiam
anno 941. Eodem anno quamdam habuit 941.
controversiam cum canonicis Montis-falconis, qui præ molestia Remos se receperunt, corpus S. Baldrici secum deferentes. Virdunensi & Engilenheimensi conciliis de Hugone & Artaldo ad Remensem archiepiscopatum contendentibus interfuit annis 947 & 948. Maxime 947.
dolebat ecclesiæ suæ clericos, qui monasticam 948.
vitam appetebant, ad externa monasteria commigrare, propterea quod nullum in Virdunensi urbe inveniretur: communicato itaque cum clero & proceribus consilio, constituit ut in ecclesia sanctorum Petri & Pauli apostolorum, ubi S. Vitonus cum aliis ejusdem sedis sanctis præsulibus requiescit, monachorum cœtum institueret clericorum loco, qui illic tunc degebant. Expulsis igitur clericis, monachos illuc anno 952 introduxit, quibus ex rebus 952.
tum propriis, tum ecclesiæ majoris, annuos proventus assignavit, præfecto eisdem venerabili Humberto abbate, quem ex Tullensi S. Apri monasterio accersivit. Quam institutionem eodem anno ab Othone imperatore fategit firmari. Bullam quoque pro ejusdem rei confirmatione accepit a Johanne XII anno 956, quam Hugo Flaviniacensis male revocat ad annum 971. Corpus sancti Firmini olim Virdunensis episcopi, quod per Eugeniam 956.
piissimam feminam in ecclesia sancti Vitoni revelatum est, rogatu Humberti abbatis sub annum 959 permisit transferri in villam pagi Tullensis Flaviniacum, haud procul Nanceio, ubi cella est abbatiæ sancti Vitoni subjecta. Pluribus annis postea quam in monasterio S. Vitoni monachos instituerat, monasticum habitum ibidem & ipse suscepit. Recessus ejus causam Hugo Flaviniacensis refert ex eo quod

Hist. eccl. & civit. Virdun. instr. p. 2.

Chart 111, col. 553.

Labb. Biblioth. Nova. t. I, p. 135 & 136.

Bernerium præpositum ecclesiæ Virdunensis, qui officium B. Mariæ humi prostratus noctu recitabat, sibi non assurgentem, pede percussisset, ob idque pes ejus ardere & claudicare cœpisset. Cujus facti pœnitentia ductus, in conventu ecclesiæ culpam agnovit & paucis interpositis diebus, monasterium petiit, ubi humili indutus habitu serviebat pauperibus, pauper & ipse spiritu. Curam tamen episcopatus haud deseruisse dicitur, exigente amore cleri & populi, qui eum impense pro sua sanctimonia venerabantur. Verumtamen Hugo non satis sibi constare videtur, cum ait Berengarium & rejecta prælationis sarcina monachum factum fuisse; & tamen episcopii curam retinuisse. Unde suboritur dubium an Vicfridus, qui successit, Berengario vivente, ordinatus sit, ut vult idem Hugo. At continuator historiæ episcoporum Virdunensium asserit Vicfridum creatum fuisse episcopum post excessum Berengarii. Mortalem vitam exuit XI id Augusti
959. anno 959, cujus corpus in abbatia S. Vitoni sepultum est ad ingressum claustri, ubi sub abbate Richardo incorruptum repertum fuit cum casula & sandaliis, quibus in sepulcro indutum fuerat, quæ ab ipso corpore avulsa ait se vidisse continuator historiæ episcoporum. Donationes ab illo collatæ monasterio sancti Vitoni referuntur in necrologio.

XXXVI. Wicfridus.

Successit Berengario Wicfridus ex continuatore historiæ episcoporum, cujus verba juvat hic exscribere: *Post cujus* (Berengarii) *excessum extitit dominus Wicfridus episcopus de Bauvariorum partibus, vir Teutonicus.* Occurrit anno 959, pontificatus anno I in carta Hildegundis comitissæ 12 canonicos in ecclesia
Ch. IV, col. 554. sancti Petri in pago & comitatu Virdunensi instituentis. Ordinatus est in loco diœcesis
962. Meldensis ad Matronam posito anno 962, & aliquibus post mensibus Odolrici Remensis archiepiscopi Remis interfuit consecrationi cum Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi & Hadulfo Noviomensi episcopis. Piissimi sui antecessoris ad exemplum in suburbio Virdunensi cœnobium ædificavit, & coacta monachorum turma, corpus S. Pauli Virdunensis episcopi, quod in suburbana S. Saturnini ecclesia conditum fuerat, e tumulo levatum, feretro argenteo recondidit, victumque fratribus, qui Domino in eodem loco deservirent, ex reditibus episcopii providit. Eædem fere sunt voces Hugonis Flaviniacensis. Continuator vero historiæ episcoporum addit Wicfrido id consilii venisse in mentem ex lectione rerum ab antecessoribus suis gestarum, in quibus reperit Paulum episcopum præcipue eam ecclesiam rebus collatis exaltasse, & ex inope divitem fecisse. Cumque ex tumulo ejus oleum, cujus tactu multi infirmi sanabantur, deflueret, & ab incolis diceretur ejus sepulcrum plorare, eo quod incultum ac neglectum esset; hanc sancti Saturnini ecclesiam in honorem tanti præsulis amplificare decrevit, idque, favente Deo, feliciter perfecit, & rogatu civium, quod etiam in votis habuerat, monachos cum divite vectigalium censu illic collocavit, qui die noctuque Deo servirent, & in honorem sancti Pauli apostoli majus altare consecravit. Ea de re duas dedit chartas in annalibus ordinis Præmonstratensis editas tom. II, prob. p. 319 & seqq. Othonem imperatorem Compendium euntem secutus est an. 965, comitibus Theo- 965.
dorico Metensi & Brunone archiepiscopo Coloniensi, qui 11 Octobris ejus anni Remis occubuit. Cujus exsequiis Wicfridus & Theodoricus Coloniæ præsentes, ipsius testamentum inter funera legerunt. Eodem anno Coloniæ conventui episcoporum interfuit. Comperimus Chart. V, col. 554.
ex duobus instrumentis, alio confecto tempore Chart. VI, col. 556.
Adelmari abbatis S. Vitoni, altero inscripto Adelardo itidem abbati anno 967, plurimas 967.
a Wicfrido huic monasterio donationes fuisse collatas. Eodem anno Ravennatensi concilio subscripsit de institutione unius archiepiscopi in urbe Magdeburgensi. Cum S. Gerardo episcopo Tullensi adstitit an. 972 dedicationi 972.
ecclesiæ S. Vincentii Metensis. Forte dum versaretur in villa, quæ dicitur Vandersalis, a comite Sigiberto, militibus stipato, cui erat exosus, repente per noctem est oppugnatus. In comitatu Wicfridi erat Richerus ejus nepos, qui interfectus fuit; ille vero captivus detinetur. Quod ubi resciverunt episcopi, Sigibertum anathemate plexuerunt, damnaruntque in summam vim argenti, qua Wicfridus, exemtus in libertatem, usus est pro conficienda tabula aurea ante majus altare S. Mariæ, nec non & pro ingenti corona aliisque ornamentis majori ecclesiæ adhibendis. Ad eum scriptas Spicil. t. XII, p. 349.
a quodam abbate de Monte-falconis volunt duas epistolas, primam de Hungris, eorumque origine, alteram cur ecclesiæ non dedicentur in memoriam Sanctorum veteris testamenti. Ille, exactis in episcopatu haud paucis annis, in pace quievit pridie calendas Septembris an. 983, & in ecclesia monasterii, quod ipse 983.
in honorem S. Pauli construxerat, sepulturam habuit ad dextrum latus majoris altaris.

XXXVII. Hugo II.

Designatus est episcopus post obitum Wicfridi ab Othone III imperatore anno 984 984.
Hugo quidam clericus, qui cum reperisset episcopatum rebus maxime necessariis penitus exhaustum, sponte nuncium remisit ac recessit. Ejus ecclesiæ egestas orta erat ex eo quod Lotharius Francorum rex an. 984 post mortem Wicfridi ad obsidendum Virdunum accessisset. Quod cum sibi subjicere nequivisset, circumjecta urbi loca depopulatus est. Arma tamen sumsere Virdunenses ad defensionem suam, & in hostes eruptionem fecere: at profligati sunt, & quamplurimi, inter quos Godefridus Virdunensis comes, capti, pro quorum libertate Gobertus quidam miles potentissimus claves civitatis Lothario regi detulit.

ANNI CHRISTI

XXXVIII. Adalbero I.

Friderici I ducis Lotharingiæ Mosellanæ ex Beatrice, Hugonis Capeti germana, atque Otonis I imperatoris nepte, filius Adalbero, non nisi ad breve tempus, Hugoni successit: etenim mortuo Theodorico Metensi episcopo VII id. Septembris, in ejus locum, procurante matre Beatrice, faventeque Adheleide Augusta, subrogatus est XVII cal. Novemb. anni ejusdem, Virdunensibusque pedum pastorale reddidit.

XXXIX. Adalbero II.

Natalium splendore illustris Adalbero, patrem habuit Godefridum Virdunensium comitem, quem Lotharius Francorum rex in expugnatione urbis Virdunensis captivum fecit 984, & in vinculis retinuit ad annum usque 986. Mater ei fuit Mathildis comitissa, Saxoniæ comitibus exorta. Germanos vero fratres sortitus est Fridericum comitem Virdunensem, Herimannum comitem nobilissimum, Godefridum & Gozelonem duces, atque patruum Adalberonem archiepiscopum Remensem. Dum autem Godefridus ejus genitor detineretur in custodia, clerus & populus Virdunensis post translationem prælibati Adalberonis ad ecclesiam Metensem, filium ejus Adalberonem, Remensis ecclesiæ clericum, in episcopum cooptarunt an. 984. Rex vero Lotharius indignatus fuit quod Virdunenses, eo inconsulto, filium Godefridi hostis sui in sedem episcopalem extulissent. Haud minus etiam ægre passus est quod Adalbero Remensis nepotem suum Adalberonem non ordinasset modo, verum & ad Othonem III imperatorem misisset, ut electionis confirmationem Gerberti epist. 54 & 57. assequeretur. Inter hæc rex episcoporum habuit conventum ea mente, ut excommunicationis vinculo constringeretur Virdunensis episcopus. Quod cum episcopi facere negassent, rex Idem. ep. 52. infensus Adalberonem Remensem in carcerem trudi jussit, mortemque ipsi minatus est. Vir- Id. ep. 80. dunensibus quidem oppidanis inhibuit ne ipsius nepotem velut episcopum suum in civitatem admitterent. Illi regis minationibus exterriti, Adalberonem urbis aditu prohibuerunt. Verum Adalbero eos conviciis proscidit, uti patet ex epistola octogesima Gerberti, cujus manu usus est. Verumtamen rex Lotharius semper erat Id. ep. 60. infensus Adalberoni, ejusque patri comiti Godefrido, cui libertatem obtulit, ea lege ut ille filium suum episcopatu deturbaret; at sane mitior postmodum factus, consensit ut Adalbero perstaret in episcopali munere. Et certe Id. ep. 53. ei præcepit ut ambitum monasterii S. Pauli, structum velut arcem munitissimam, penitus avelleret. Sub idem tempus Gerbertus ad ipsum Adalberonem ejusque fratrem Hermannum Id. ep. 47. epistolam direxit, qua eos hortatur ut Othoni Cæsari quam promiserant fidem servent, nec quidlibet eorum, quæ Godefridus ipsorum pater iis reliquerat, Francis concedant, illecti Id. ep. 43. & in secunda aut vana spe Godefridi liberationis, aut terrore

A sui cruciatus. Plures aliæ sunt ad eum Gerberti epistolæ. *classe, epist. 19 & 53.*

Porro Adalbero consecrationis munus accepit an. 985 (986) die 3 Januarii, eodemque 986. anno in comitatu nonnullorum canonicorum ob infirmam valetudinem Salernum perrexit, malis suis remedia quæsitum. Cum autem a medicis sanari non posset, Virdunum remeare statuit: sed, increscente morbo in itinere, plurima suis est elargitus, abbatiam S. Germani de Monte-falconis Rodulfo nepoti suo transcripsit, & obiit in Italia XIV calendas Maii 988. Cujus corpus a fratre suo Friderico 988. B comite relatum Virdunum, in choro majoris ecclesiæ conditum fuit.

XL. Heymo.

Nobilis Bavarus Heymo, Notgeri Leodiensis episcopi discipulus, magna pollebat auctoritate apud Henricum Bavariæ ducem, factum postea Imperatorem, cujus favore Virdunensem episcopatum ab Othone III Cæsare anno 988 assecutus fuisse traditur. Ubi primum in sedem est elatus, omnes adhibuit curas edocendo gregi suo, sarciendisque calamitatibus, quas diœcesi tam in C spiritalibus quam temporaneis rebus præterita bella attulerant. Cathedralem ecclesiam non amplificavit modo & ornavit, verum & amplissimis locupletavit possessionibus, quas inter numerantur Superiacum & Jupelia, prœmium sui obsequii & officiorum ab Henrico II imperatore indultum. In suburbio Virdunensi ecclesia erat sanctis Johanni-Baptistæ & Johanni Evangelistæ sacra, in qua SS. episcopi Maurus, Salvinus & Arator humati fuere, nunc unius S. Mauri nomine insignita. Hanc divinorum officiorum expertem dolens Heymo instaurandam aggressus est, illicque sanctimoniales D instituit, quibus præfecit Adelbergam abbatissam. Proximam vero ecclesiam sanctæ Crucis, quam Amicus præpositus majoris ædis condiderat, duodecim canonicis tribuit ea lege, ut sanctimonialibus servirent. Exstat etiamnum in pago Scarponensi monasterium S. Laurentii prope oppidum, cui vocabulum Deus-Louvart, quod Heymo præsul ecclesiæ Virdunensis, ad quam hoc castrum seu oppidum pertinet, a fundamentis pro clericis exstruxit in loco Gellani-montis. Sed quia hoc monasterium positum erat super proprietatem potestatis sancti E Germani de Monte-falconis, Heymo alium locum in permutationem concessit primicerio Dudoni, qui collegiatæ Montis-falconis ecclesiæ abbas erat, statuitque ut clerici ejus monasterii episcopo Virdunensi ut domino subjecti forent, episcopo vero Tullensi ut proprio pastori; Dudoni autem primicerio nonam decimarum persolverent. Quondam in urbe Virdunensi cernebatur sacellum S. Magdalenæ, cui nomen vetus monasterium, feminis pœnitentibus a S. Magdalveo conditum, quod Hermenfredus archidiaconus, suadente Heymone, instauravit, positis in eo 24 canonicis cum uno decano

ANNI CHRISTI

& præpoſito, quibus neceſſaria ad victum eſt A impertitus. In magna fuit gratia Heymo apud Fridericum comitem Virdunenſem, qui comitatum cum maxima juſtitiæ & modeſtiæ laude aliquandiu adminiſtraſſet, eum contulit eccleſiæ Virdunenſi, iſque Jeroſolymam voti cauſa profectus eſt. Unde redux monachum induit in monaſterio S. Vitoni ſub diſciplina Fingenii abbatis. Monaſticen una cum Friderico profeſſus eſt in eodem monaſterio Richardus præpoſitus eccleſiæ Remenſis, qui non multo poſt in abbatem eſt electus. Hic in Heymonis, cæteroquin optimi epiſcopi, offenſionem cecidit ea occaſione. Placuit tum Heymoni ſancti B Vitoni monaſterium includere intra muros civitatis, quos tunc ædificabat. Cujus propoſito totis viribus renuit Richardus; ſed cum nec ſic a propoſito recederet epiſcopus, piiſſimus abbas interpoſuit auctoritatem Imperatoris, qui miſſa legatione epiſcopum ab incœpto prohibuit. Hac de re irato Heymone, Richardus ut ad tempus iræ locum daret, in ſolitarium locum ſeceſſit, ubi cum per annos quinque degiſſet, Heymo eum obſecravit ut ad monaſterium reverteretur, ipſumque ab eo tempore ſtudio ſemper proſecutus eſt; & quidem ſingulas ejus cœnobii poſſeſſiones ab Henrico impe- C ratore Noviomagi ratas haberi ſategit; quin & ipſe eidem loco, quem ſemper dilexit, plurimas præbuit donationes, reſque abalienatas reſtitui procuravit. Pluribus interfuit conciliis, Moſomenſi, quod vulgari idiomate oratione
995. inchoavit, anno 995, Moguntinenſi 1002,
1002. Francofurtenſi 1007, alteri Moguntinenſi
1007. 1012, Confluentino anno eodem. Ivodii
1012. comitiis ad quæ imperator Henricus & Robertus rex Francorum convenerunt, adſtitit
1023. anno 1023. Plurimos virtute ac pietate præſtantes viros, quos inter Hermenfredum, quem Virdunenſis eccleſiæ creavit archidiaconum, D ſibi devinxit, ac in diœceſim ſuam allexit. Quadam die cum Henricum imperatorem, quem pluries acceperat in urbem, comitaretur in monaſterium S. Vitoni, ex ipſius verbis intellexit id in mente habere ut mundum dereret, monaſticam illic vitam acturus. Quod ut Heymoni compertum fuit, Richardo abbati ſeorſum ſuaſit ut Imperatorem in monaſterium non admitteret, ne malis gravaretur imperium. Triginta ſex annis in epiſcopatu feliciter tranſactis, interiit juxta vetuſtum necrologium S. Vitoni XI cal. Maii 1024; humatuſque eſt in monaſterio S. Mauri, quod condiderat. E Cum ejus ſepulcrum reſeratum eſſet an. 1612, 13 Aprilis, epiſcopo Virdunenſi præſente, oſſa ipſius integra reperta ſunt cum caſula pontificali, calice & patena argentea, annulo aureo & lamina plumbea, cui inſcripta erant hæc verba: *Heymo hujus ſedis epiſcopus, reparator & innovator hujus loci XI calendas Maii facto fine vivendi hic tumulatus requieſcit.*

XLI. RAIMBERTUS.

Etſi mediocri loco natus, ſed honoris Dei
& eccleſiæ ſtudioſiſſimus Raimbertus, una cleri
& populi voce in epiſcopum cooptatus eſt anno
1024. Neceſſitudine fuit conjunctus cum 1024.
Richardo abbate ſancti Vitoni, qui recuſato epiſcopatu, familiarem ſuum eligendum propoſuit. Cujus gratiæ Raimbertus haud immemor, Richardi conſiliis in rebus magni momenti uſus eſt. Eccleſiæ ſuæ bona licet non auxerit, ſaltem illa magna cum cura ſervavit, conjunctiſſimeque cum eccleſiaſticis viris vixit. Privilegia atque bona tradita eccleſiæ ſanctæ Magdalenæ diplomate Conradi II imperatoris curavit firmari 1025, VIII idus Julii, 1025.
indictione VIII. Memoratur 11 Januarii 1026 1026.
in litteris ejuſdem Imperatoris in gratiam monaſterii S. Maximini. Confirmavit & ipſe anno eodem, poſtulante Ebalo Remenſi præſule, donationes rerum quarumdam diœceſis Remenſis, quas comitiſſa Dada, uxor Manaſſæ comitis, ſancto Vitono indulſerat per manus militum Wœmbaudi, & Walteri fratris Richardi abbatis. Adſtitit anno 1027 concilio 1027.
Francofurtenſi, in quo parthenon Gandersheimenſis attributus eſt Ariboni Hildensheimenſi epiſcopo. Commutationem inter anteceſſorem ſuum Heymonem & Dudonem primicerium Virdunenſis eccleſiæ de monaſterio S. Laurentii de * Dei-cuſtodia initam laudavit anno *Dieu-Louvart.
1028. Sub eumdem annum, mortuo Her- 1028.
manno Virdunenſis comitatus adminiſtratore, id munus Raimbertus attribuit Ludovico filio Othonis comitis Chiſnei, illudque ab Imperatore probari ſategit. Quod ægre paſſus eſt Gozelo Hermanni frater, qui germano ſuo ſuccedere ſummopere ardebat, hoſtiliter Virdunum eſt ingreſſus, Ludovicum de Chiſneio interfecit, epiſcopales ædes cremavit, terraſque juris eccleſiæ Virdunenſis populatus eſt. Fun- Chart. VII, col. 557.
dationi prioratus de Amelia ſub ditione monaſterii Gorzienſis de ſuo contulit an. 1032, 1032.
illucque monachos ab abbate Sigefrido emiſſos introduxit. Triburienſi adfuit concilio 1035. 1035.
Anno 1036 Aveſgaudum Cenomanenſem 1036.
epiſcopum Jeroſolymis redeuntem, Virduni defunctum, in cathedrali ſepelivit. Alteri ſynodo Trevirenſi 1037 interfuit. Ad hunc 1037.
quidem annum quoddam oratorium antiquitus in honorem S. Andreæ conſtructum, poſtea ſeculo ſexto a S. Agerico antiſtite S. Martino conſecratum, dein ſeculo decimo a Wicfrido epiſcopo converſum in cellam abbatiæ ſancti Pauli, in monaſterium erexit, eique præfecit abbatem Baldricum, quem cum octo monachis accerſivit e monaſterio S. Maximini Trevirenſis. Necdum abſolutum erat monaſterium, cum Raimbertus, ſuſcepto Jeroſolymitano itinere, Belgradæ in Hungaria de vita ceſſit anno
1038 juxta necrologium S. Clementis Me- 1038.
tenſis 29 Aprilis, pontificatus ſui anno 14. Cujus corpus a Bernero & Bernardo clericis itineriſque ſociis, relatum Virdunum, in eodem S. Agerici monaſterio ab ipſo condito honorifice ſepultum eſt cum hoc brevi epitaphio:

Continet hæc cineres Remberti præſulis urna.

XLII. Richardus I.

Hildradi al. Hecelini comitis filius Richardus,
Raimberto successit anno 1039. Hæc de eo in
Virdunensi chronico leguntur: *Henricus* (III)
vero post mortem Ramberti, primo sui regni anno
1039. (1039) *viro Dei Richardo* (abbati S. Vitoni)
episcopium Virdunense concessit, sed vir meritis-
simus hoc renuit, & Richardum suum in baptis-
mate filiolum, Hildradi comitis filium inthronisari
fecit. Hic sane a puero institutus fuerat in
monasterio sancti Vitoni; quippe qui eidem
monasterio alodum suum de Baronis-curte,
& quod habebat ad Domnam-Mariam, con-
cesserit *pro amore nutritoris sui Richardi abbatis*
eximii, quem præcipue dilexit. Suam autem
cathedralem ditissimis auxit donariis, collatis
siquidem duabus crucibus aureis pretiosis lapi-
dibus distinctis, candelabris sex argenteis,
atque thuribulo aureo, quod munere acceperat
ab imperatore Henrico, qui & ipse in Richardi
gratiam eidem ecclesiæ eximia munera largitus
est. Confirmavit etiam alodium de Vosophia
clericis majoris ædis a Yarmundo decano tra-
ditum, ea lege ut Annunciationem B. Mariæ
solenniter celebrarent. Diplomati Henrici Cæ-
saris pro Nivialensi parthenone subscripsit anno
1040. 1040. Eodem anno interfuit dedicationi
Stabulensis ecclesiæ & inventioni corporis
S. Remacli patroni loci ejusdem. Res etiam
Chart. IX, omnes monasterii S. Agerici, a Raimberto
col. 558. decessore conditi, imperiali autoritate fulciri
1041. curavit an. 1041, idibus Februarii. Ad annum
1042 refert chronicon Virdunense luem in
urbe Virdunensi usque adeo desævisse, ut
civitas illa fere in solitudinem redigeretur.
Quod malum ut averteretur, placuit Richardo
episcopo sancti Vitoni implorare auxilium;
ideoque sacrum ejus corpus e feretro exposuit,
& solemni processione detulit, contradicente
Richardo abbate. Cum id nihilominus exse-
cutus fuisset, præfatus abbas ei prædixit fore
ut quintum abhinc annum non videret; quo-
niam vero & ipse abbas Richardus demum
assenserat, ante quintum pariter annum e vita
excederet. Quod utique probavit eventus.
1046. Anno autem 1046 Richardus suasit Henrico
imperatori ut Halinardo, in archiepiscopum
Lugdunensem electo, juramenti fidei, quod
recusabat præstare, gratiam faceret. Dedicavit
hoc anno altare S. Mariæ in crypta ecclesiæ
Stabulensis cœnobii. Eodem anno Richardus
abbas S. Vitoni in gravem morbum lapsus est.
Quod ut cognovit Richardus episcopus, quem
e sacro fonte susceperat, instituerat que abbas,
ad eum accessit, nec inde usque ad ejus obitum
recessit, ab illo noctu & interdiu non passus
avelli. Instante obitu eum oleo sancto inunxit,
cœlesti viatico refecit, atque morienti oculos
clausit. In ejus exsequiis missam celebravit,
habuitque concionem de vitæ instabilitate.
Ipse vero hunc annum non excessit, uti præ-
dixerat sanctus abbas Richardus; fatis enim
concessit VII idus Novembris 1046. Contra
A parentum voluntatem, qui in ecclesia S. Vitoni
juxta corpus viri Dei Richardi mandaverant
humari, in cathedrali ecclesia sepultus est a latere
sinistro chori, unde a suo successore Theodo-
rico delatus fuit in mediam ejusdem basilicæ
partem. Eximiis laudibus eum extollit conti-
nuator historiæ episcoporum Virdunensium.

XLIII. Theodericus.

Theodericus cognomento Magnus, natione
Theutonicus, Vizelonis comitis filius, præ-
positus ecclesiæ Basileensis, episcopatu donatus
est ab imperatore Henrico III, cujus erat
B sacellanus, anno 1046, & insequenti post 1047.
consecrationem in possessionem deductus fuit
a Theodorico episcopo Basileensi. Haud multo
post infesta passus est a Godefrido Mosella-
norum duce. Admodum enim iratus Gode-
fridus quod Theodericus episcopus principatum
comitatus ei non recognovisset, is atque Bal-
duinus Flandrorum comes anno 1047, Theo-
dorici pontificatus anno 2, in urbem Virdu-
nensem irruperunt, & multimoda strage suc-
cenderunt. Illæsas tamen ab igne Godefridus
servare volebat ecclesias, sed vetare nequivit
quominus flamma majorem ædem B. Mariæ
C penitus absumeret. Unde evenit ut multi cives
multique clerici urbem deseruerint; quin &
viginti quatuor canonici præ inopia in Hun-
gariam fugerint, ex qua regione nunquam
reversi sunt. Cujus facti tantopere mox Gode-
fridum pœnituit, ut se flagellis verberandum
publice exposuerit, at nihilominus comitatum
ad mortem usque retinuit, plurimasque sub-
ministravit opes damno resarciendo. Verum
enim vero Theoderico præsuli nihil cordi
magis erat quam ut cito suam instauraret
ecclesiam; & quidem ad id opus perficiendum
quinquaginta libris argenti a Wasone episcopo
D Leodiensi est donatus, variaque subsidia accepit
tum ab Ermenfrido archidiacono, tum ab
urbis advocato, tum etiam a Friderico comite
Tullensi. Remos profectus anno 1049, illic 1049.
adstitit concilio a Leone IX habito, eumdemque
pontificem a se invitatum Virdunum deduxit
ac splendide excepit, ecclesiæque cathedrali,
cujus cremata fuerant omnia documenta, di-
ploma datum VII cal. Novemb. ejusdem anni
consecutus est, in quo pontifex miserabilem
statum urbis Virdunensis describit. Dum Vir-
duni resideret, Ermenfredi archidiaconi rogatu
ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ dedicavit,
E bullamque ad Theoderici preces concessit ad
confirmandum quidquid hic episcopus ejusque
successores S. Vitono contulerant; ejusdem Chart. X, col. 559.
etiam præsulis consensu indultas parthenoni
S. Mauri donationes munimine roboravit.

Verumtamen Theodericus plurimas adhuc
calamitates perpessus est: nam cum negasset
viginti libras, quas ab ejus antecessoribus
extorquebat Fridericus comes de Crispeio,
urbs iterum ab ipso comite incensa fuit. Item
& Ato dynasta de Duno-castro, dum Theo-
dericus expugnaret præsidium de Rourovico

ANNI CHRISTI

ex ecclesia Virdunensi usurpatum, tertium
urbem conflagravit. Utrumque vero episcopus
mox coegit ad accipiendas pacis conditiones.
Repressit etiam Manassem comitem de Castro-
* Reid. Retexto * ecclesiæ bonorum invasorem, captis
ejus castris de sancta Menichilde, atque de
Saptiminio quod funditus evertit. Odonem
quoque nobilem virum, ejusque fratres evicit;
eorum siquidem castrum de Claromonte occu-
pavit, munitionemque ante ipsum struxit. Post
mortem Godefridi Gibbosi nihil non molitus
est ut Godefrido Bullionensi ejus ex sorore
nepoti Virdunensem comitatum adimeret,
quemadmodum Imperator cum ducatu Mosel-
lanorum jam exuerat. Verum cum utrinque
acriter atque pari successu pugnatum fuisset,
pax inter eos restituta fuit ea conditione, ut
Godefridus comitatu potiretur.

Plurimas Theodericus aggressus est pere-
grinationes, Jerosolymam semel, multoties
vero Romam, & ubique munificentiæ ac
liberalitatis suæ specimina reliquit. Gervasium
Remensem archiepiscopum, qui eum invisendi
gratia Virdunum accesserat, vicissim Remos
adiit salutatum, missamque celebravit in mo-
nasterio S. Remigii, cui capellam suam magni
pretii tradidit. Domui redditus, majori ecclesiæ
B. Mariæ possessiones haud exiguas, nec non
abbatiam Juviniacensem, quam a Mathilde
comitissa acceperat, & cui præfecit Galburgim
abbatissam, est elargitus. Ne monasteria quidem
oblitus est; enim vero omnia quæ a præde-
cessoribus suis sancto Vitono fuerant collata,
itemque bannum montis, in quo situm est
cœnobium, sua episcopali autoritate firmavit.
Cum autem animadvertisset illic religionem
sub Grimoldo abbate deperiisse, eum amovit,
& Rodulfum S. Agerici monachum religione,
scientia & moribus insignem substituit. Multa
quoque contulit monachis S. Agerici atque
monialibus sancti Mauri, in quorum gratiam
diploma jam assecutus fuerat a Leone IX anno
1051. 1049. Confirmavit anno 1051 monasterio
S. Michaëlis ad Mosam altare Domni-Remigii,
& capellam ad crucem, quæ Richardus suus
antecessor eidem ecclesiæ præstiterat. Privi-
Chart. XIII, legium eodem anno a præcitato Leone papa
col. 561. obtinuit pro monasterio S. Agerici. Dein vero,
circa anno circiter 1074 ipsum inter & idem sancti
1074. Michaëlis monasterium exorta est gravis si-
multas, cujus causa fuit quod episcopus exigeret,
ut illius loci monachi cum litaniis ad majorem
seu episcopalem ecclesiam singulis annis omnes
simul procederent. Quod cum illi, utpote
insolitum, recusarent, divinum apud eos offi
cium episcopus interdixit. Interpellatus hac de
re Gregorius VII papa, cujus ad Theodericum
sicut & ad Udonem archiepiscopum de schis-
maticis vitandis extat breve datum 1076,
litteris eum commonuit ut locum interdicto
absolveret. Illo autem non acquiescente, Udoni
archiepiscopo Trevirensi mandavit pontifex,
ut si prædicto loco communionem sacro-sancti
& divini ministerii episcopus restituere negle-
xerit, ipsum ad reddendam pertinaciæ suæ
rationem citet ad sedem apostolicam. At veri-
simile est Theodericum monachis conciliatum
fuisse, cum post annos quinque, circa annum
1078, ipsis altare Troniaci concesserit. Epis- 1078.
tolam contra ipsum Gregorium VII ad status
imperii scripsit anno eodem; sed biennio post
ab ipso summo pontifice mandatum accepit,
ut Arnulphum comitem Chisneiensem, qui
Henricum Leodiensem episcopum Romam
adeuntem interceperat omnibusque spoliaverat,
ad satisfactionem invitaret, sin aliter eum ana-
themate plecteret. In concilio Romano habito
anno 1080 cum excommunicatus fuisset 1080.
Henricus IV Germaniæ rex, statuit habere
conventum Ultrajecti, & Gregorium VII
papam anathemate plectere. Huic conciliabulo
Theodericus interfuit, ex quo tamen clam se
proripuit, ne tam scelerati facinoris esset par-
ticeps. Adeo gravi pœna affectus fuit quod
schismaticis aliquandiu adhæsisset, ut ob id
paratam sibi Virdunum reverenti clericorum
suorum processionem interdixerit, excommu-
nicatum se ratus, quod cum factiosis ad horam
communicasset, bene secum actum existimans,
quod cum Willelmo Trajectensi, qui solus
pontificem diris devovere ausus erat, misere
non periisset. Quamobrem, misso ad Grego-
rium VII Rodulfo S. Vitoni abbate, cum se
omnino pro illa communione excommuni-
catum affirmaret, & ob id sibi officium inter-
dixisset, in manu ejusdem Rodulfi stolam
reddidit & annulum, absolutione ejus Heri-
manno Metensi episcopo reservata. Non ita
quidem multo post eumdem Herimannum
sanctæ sedi addictissimum, & ob id Impera-
tori exosum, omni quo potuit studio, & quidem
velut ipsum summum pontificem in domum
suam excepit, uti ipse testatur in litteris Gre-
gorio VII inscriptis anno 1083, quibus eum
rogat ut Engilberti archiepiscopi Trevirensis
promotioni absque simonia factæ assensum
præbeat.

Nihilominus haud diu cum summo pontifice
in concordia stetit Theodericus, sed ad vo-
mitum reversus, denuo ad schismaticorum
societatem rediit, & gravioribus deinceps vin-
culis & peccatis se implicavit, ita ut omnem
religionis speciem exuisse videretur. Enim-
vero Vennericum Vercellensem episcopum
concitavit, ut sub ipsius nomine de discordia
regni & sacerdotii ad Gregorium VII scriberet,
specie dolentis ei suggerens omnia, quæ contra
leges civiles & ecclesiasticas eum fecisse &
dixisse rumor vulgabat. Scripsit & ipse per-
injuriosam summo pontifici epistolam, quæ Marten.
tamen nonnulla ad ipsius laudem, vel ipso Thesaur.
auctore invito fatente, continet aliunde ignota. Anecdot. t. I, p. 214.
Aliam longe magis contumeliosam & atro-
cioribus calumniis plenam ad universos prælatos
& nobiles direxit epistolam relatam a Goldasto
constitutionum imperialium tom. I, p. 236.
Necessitudine cum Henrico IV imperatore
tunc erat conjunctus, ut constat ex ipsius

ANNI CHRISTI

principis epistola, in qua Theoderico significat se die sancti Benedicti Romam intravisse, & incredibili modo, non sine miraculo, cum decem tantum homines secum haberet, a Romanis ultro receptum fuisse: adeo ut tota Roma ipsius esset, excepto castello, in quo reclusus habitabat Hildebrandus, domo scilicet Crescentii. Porro Hildebrandum legali omnium cardinalium ac totius populi Romani judicio abjectum esse & electum papam Clementem in sede apostolica sublimatum, seque consensu omnium Romanorum in die sanctæ Paschæ consecratum fuisse Imperatorem. In fine eum urget Imperator ut quam citissime archiepiscopum Trevirensem Engilbertum consecret, quem revera licet solus e suffraganeis Theodericus Moguntiæ ordinare non dubitavit. Ofus quidem est Walonem abbatem S. Arnulfi in locum Herimanni episcopi Metensis, imperatori Henrico exosi, ordinare.

Marten. Ampliss. collect. t. IV, col. 177.

Interim Rodulfus abbas S. Vitoni cum suis monachis Gregorio VII summo pontifici fidem servabat. Hinc soluta est vetus illa necessitudo, quæ inter Virdunenses episcopos & monachos S. Vitoni semper intercesserat, adeo ut episcopus abbatem & monachos, plurimis affectos injuriis, suo loco exturbaverit. Illi in Burgundiam confugerunt ad Jarentonem S. Benigni venerabilem abbatem, a quo tanquam angeli Dei accepti, per septennium, quo episcopus supervixit, ibidem perstitere. Ad hæc tempora Fulcradus abbas S. Pauli vacuam sancti Vitoni abbatiam invadit, Theoderici autoritate fultus, direptis inde nonnullis ornamentis & prædiis. Tunc etiam eumdem Fulcradum cum Richero decano idem episcopus misit ad sigillandum altare sancti Michaelis ad Mosam, propterea quod ejus loci monachi a Virdunensi episcopatu ad Tullensem transire vellent, & ad Virdunensis episcopi audientiam, quia Gregorium VII legitimum pontificem ejuraverat, accedere nollent. Duos episcopi deputatos familia monasterii comprehendit, vinctosque apud Barrum custodiæ mancipavit. Quocirca iratus Theodericus, ejusdem loci villam & ecclesiam ab exercitu suo jussit cremari. Si erga monachos S. Agerici similiter se gesserit, non est quod asseramus; at certum est quod huic monasterio multa prædia, in his villam Balereis, quam receperat
1082. a duce Godefrido, contulerit anno 1082, VI idus Septembris. Manifestum quidem est quod aliquot post annis duo monachi sancti Agerici, qui Affligemium in Brabantiam se receperant, multa convicia tam de ipso quam de Imperatore a nequam delatore sparsisse incusati, persecutionem passi fuerint. Episcopus enim calumniis nimium credulus, Gerardo Cameracensi episcopo mox scripsit, ut duos illos monachos de suo episcopatu quantocius expelleret. Gerardus tum ob metum Imperatoris, tum propter Theodericum, quem sciebat plurimum posse apud Imperatorem, duobus monachis mandavit ut discederent, nec ulterius
Ch. XV, col. 563. in sua diœcesi remanerent. Ab imperatore

A accepit anno 1086 abbatiæ Juviniaci confirmationem, & prædia omnia, quæ fuerant comitissæ Mathildis, antequam rea fuisset majestatis imperialis, præfecitque Galburgem Juviniacensi parthenoni. Fundata est an. 1088 1088.
apud Barrum cella monachorum ea conditione, Ch. XVI,
ut Theodericus tota vita sua pastoris privilegium col. 564.
retineret. Jam jam senio & annis gravis Theodericus in morbum incidit. Quod ubi cognitum fuit Rodulfo abbati S. Vitoni, qui tunc in monasterio Divionensi S. Benigni degebat, duos ex suis monachis, Gerardum quondam archidiaconum & Gerbertum postea Belli-loci B abbatem misit, qui eum ad pœnitentiam hortarentur. Hos ut ille lecto suo assistentes conspexit, nutibus quibus potuit, nam loquelam amiserat, mox salutavit, & reconciliari petiit, eisque offensas ejus in sedem apostolicam per capitula proponentibus, ipse ad singula supplicibus ac demissis oculis, tunsione pectoris culpam fateri, & veniam petere videbatur. At ubi culpam de monachis ab eo expulsis proposuerunt, tum vero duobus pugnis crebrius pectus tundens, altius ingemuit: ita ut omnes qui aderant, in lacrymas profunderent. Hinc ab illis duobus monachis absolutus, quod postea C ab Hugone Lugdunensi præsule in synodo approbatum est, post paululum expiravit IV cal. Maii 1088, vir in multis laudabilis, nisi schismatis macula ultimos vitæ suæ annos dehonestasset. In ecclesia S. Magdalenæ, ubi suam elegerat sepulturam, humo mandatus fuit.

(ANNI CHRISTI 1086.)

XLIV. Richerus.

Metensis ecclesiæ decanus Richerus, Theoderico e vivis exemto substitutus fuit anno
1088, & imperatorem Henricum IV continuo 1088.
adiit, pastoralem baculum ab eo accepturus. Cui fide obstricta, datisque obsidibus germanis D suis Alberto *de Brié*, Beselino & Johanne de Theodonis-villa, Imperatoris servitio addictis, Virdunum repedavit. Quia vero censuras ecclesiasticas subierat communicando cum Imperatore excommunicato, nullum potuit reperire episcopum, qui ei consecrationem vellet impertiri; ideoque septem annis episcopalis benedictionis expers fuit. Pulsos ab antecessore suo monachos S. Vitoni, referente Hugone Flaviniacensi monacho teste oculato, revocavit anno
1092 e monasterio S. Benigni Divionensis, 1092.
duce Rodulfo abbate, cujus suasu Lugdunum ad Hugonem archiepiscopum se contulit, qui E eum, ejurato schismate, purgataque simonia, Sabbato ante Pascha presbyterum, ipsoque die festo Paschæ episcopum ordinavit anno
1095. Exinde Virdunum reversus, a Poppone 1095.
Metensi & Pibone Tullensi coepiscopis suis, agente Rodulfo abbate, item & a tota civitate honorifice susceptus est. Id factum ipso anno, quo apud Clarum-montem concilium celebravit Urbanus II, cui Richerus dona per legatos transmisit. Præcipua ejus cura fuit, ut vicinos magnates, ad bellum ecclesiæ Virdunensi inferendum semper expeditos, sibi conciliaret.

ANNI CHRISTI

conciliaret. Unus tamen, puta Henricus de Grandi-prato, nec paci nec induciis acquiescere voluit; at pigere haud cunctatus est, nam quadam die vastatis terris episcopatus, dum præda onustus discederet, incidit in insidias, ex quibus vix potuit emergere, cæsis namque sex vicenis ejus commilitonibus. Majoris quidem ecclesiæ canonici Dudonem Clari-montis dynastam, qui populatus erat ecclesiæ bona, comprehenderunt dum in urbe hospitaretur, & in carcerem truserunt. Qua de re indignabundi primates & barones, exegerunt ut canonici pro mulcta per unum stadium librum scholarem ante Dudonem deferrent.

Verum enim vero Henricus imperator, ex eo quod Richerus, ipso abjurato, ad apostolicam sedem se convertisset, indignatus obsides ab eo repetiit, quorum unum, Johannem nomine, in vincula conjecit. Mox alii obsides convenerunt episcopum, ut obsidatus jugo ipsos liberaret. Ille quadam necessitate constrictus curiam adiit, Cæsari fecit satis, cum eo communicavit, ac de cætero fidem ei juravit. Id ubi accepit Paschalis pontifex, Richerum interdixit divinis, suspensumque ad triennium habuit. Inter hæc monachi S. Vitoni ab ejus communione abstinuerunt. Quod ille adeo patienter tulit, ut quibusdam ad invidiam eum provocantibus, hoc responsum dederit: *Sinite servos Dei, sinite; meliores enim sunt me.* Attamen Laurentium abbatem S. Vitoni & Vidonem archidiaconum legatos misit pro se communionem & gratiam apostolicæ sedis expetituros. Ille vero, mandante papa, iterum Hugonem Lugdunensem convenit absolutionem suscipiendi gratia, nec Virdunum ingredi voluit, quin prius absolvisset canonicos & monachos, qui cum eo communicaverant, dum ipse communione privaretur.

Porro dux Godefridus de Bullionio, qui postea in regem Jerosolymorum coronari meruit, ad terram sanctam iter parabat: at prius, pace cum Richero composita, alodia Mosacum & Stanacum ecclesiæ Virdunensi in perpetuum
1096. possidenda tradidit anno 1096. Richerus vicissim ei in sumptus expeditionis sacræ contulit magnam vim auri & argenti. Sed cum Mathildis vidua ducis Godefridi Gibbosi hæc alodia jure hæreditario reclamaret, iterum præsul eadem ab ipsa multo pretio comparavit, missisque legatis ad Paschalem II Gerberto abbate Belli-loci & Azelino cantore, eam donationem roborari curavit. Comitatum etiam Virdunensem, de quo toties discordia processerat, ab eodem duce Godefrido receptum, præbuit ejus fratri Balduino, qui mox Jerosolymam germanum secutus, cessit & ipse comitatum. Richerus vero donis & obsequiis Theoderici comitis Barrensis allectus, comitatum ei detulit.

1099. Aliquanto post, anno scilicet 1099, Rodulfus abbas S. Vitoni de vita cessit. Cujus funeribus expletis, Richerus monachos in capitulum convocatos ad dignum successorem eligendum hortatus est, atque ut liberam haberent eligendi facultatem, exivit e capitulo. At non multo post in conventum revocatus Laurentio priori electo, quem Rodulfus, dum viveret, suum designaverat successorem, pastorale pedum tradidit. Eodem anno VIII idus Martii ipsi monasterio indulsit bannum Marculfi-curtis & omnia quæ possidebat apud Pauli-curtem. Monachis S. Agerici possessiones ablatas restitui curavit, novasque indulsit. Munificum etiam in alia monasteria se exhibuit, maxime in monasterium sancti Michaëlis ad Mosam: confirmavit enim Sigefrido ejus loci abbati altaria duo, a Theoderico antecessore præstita, unum scilicet S. Cyrici in ipso sancti Michaëlis burgo, & alterum in villa Troniaco. Capellam quoque S. Petri in suburbio Virdunensi, quam Ludovicus comes abstraxerat, ac militibus in beneficium dederat, reddendam fategit Udalrico Sigefridi successori, cujus precatu jus fabricandæ monetæ eo anno 1099 huic monasterio concessit. Ch. XIX, col. 566.

Tandem Richerus anno 1107 Vosagum ad Valdentiam alodium ecclesiæ profectus, gravem morbum in itinere contraxit, moxque se Trevirim navigio vehendum jussit. Cui periclitanti Bruno archiepiscopus viaticum est impertitus, inunxit morientem, mortuoque supremo honore reddito, amictu pontificis indutum Guidoni ejus archidiacono ad propriam sedem Virdunensem deportandum credidit. Corpus ejus a Richardo episcopo Albanensi, papæ legato, in monasterio S. Vitoni, ut ipse vivens jusserat, funeratum est ante altare S. Laurentii, ubi adhuc legitur id epitaphium ab ipso, ut vult Wasburgius, exaratum.

Præsulis indigni, Jesu, miserere Richeri,
Quem reprobum meritum vergit ad interitum.
Nempe levi cura neglexi publica jura,
Invigilans legi, segniter atque gregi.
Per te spero tamen veniam, scelerumque levamen.
Qui legis hoc carmen, dic quæso, lector amen.

Notatur in necrologio S. Vitoni VIII idus Martii.

XLV. Richardus II.

DE GRAND-PRÉ.

Factus per obitum Henrici & Balduini fratrum, in expeditione sacra adversus Turcas interfectorum, Grandis-prati comes Richardus, Hermanni filius, ex archidiacono in episcopum anno 1107 a clero electus est, recusato prius archiepiscopatu Remensi, ad quem, mortuo Manasse, fuerat postulatus. Exinde Metas profectus, de manu Henrici regis annulum & baculum pastoralem suscepit. Hunc vero Brunonis Trevirensis archiepiscopi in comitatu redeuntem magno cum honore acceperunt oppidani. Quem mox Henricus V Germaniæ rex subsecutus, itidem in urbem populorum plausibus exceptus est, tertiaque post adventum die, precante Richardo, oppugnavit castrum Clari-montis, ex quo Guido vel Dudo dynasta 1107.

terras episcopatus divexabat. Interea Paschalis II pontifex anno 1107 Trecis habuit concilium, in quo dum de Schismaticis ageret, fertur hæc dixisse de episcopo Virdunensi: *Richardum Virdunensem, qui se tradidit regiæ curiæ, & nos tradimus eum Sathanæ;* dehinc illum archiepiscopo Trevirensi aliisque præsulibus excommunicatum denuntiavit; atque jam exinde monachi S. Vitoni ab omni communione cum ipso ejusque clero abstinuerunt. Ille conscientiæ stimulis graviter exagitatus, clericis suis dato eo consilio ut absolutionem a metropolitano impetrarent, Romam profectus est an. 1108, Quadragesimali tempore. Quo cum pervenisset, absolutionem papam rogavit; sed nulla satisfactione data, ligatus ut erat, Virdunum est reversus. Litteris Laurentio abbati S. Vitoni Paschalis mox mandavit, ut & Richardum & omnes ei adhærentes excommunicatos haberet. Paruit abbas, nec ab illa die cum episcopo clerove Virdunensi ei fuit communio. Unde cathedralem inter & monasterium S. Vitoni tanta emersit discordia, ut cum canonici ad sanctum Vitonum accederent stationem facturi, monachi supplicationibus eorum interesse detrectarent; quin & post discessum omnia quæ canonici contigerant, lustrali aqua expiarent.

Attamen Guido archidiaconus Richardum episcopum Romam comitatus fuerat, eumque in Franciam redeuntem sequebatur, cum periculoso morbo Bononiæ correptus est. In extremis positus Viaticum poposcit, quod nec potuit obtinere, quin prius fidem dedisset se nunquam cum Richardo ejusque fautoribus communicaturum, nisi a papa fuissent absoluti. Re quidem vera in Galliam redux stetit promissis, vitato omni cum præsule commercio. Cui Richardus graviter infensus bona abstulit ac dissipavit, eumque ubicunque reperiretur comprehendi jussit. At archidiaconus saluti suæ consulendi gratia, Paschalem II Romam adiit, a quo bene acceptus, duas inde secum retulit litteras, quas inter matutinas horas altari superposuit, emissis alta voce hisce vocibus: *Si quis catholicus est, ecce litteras Domini Apostolici accipiat, legat & obediat.* Extemplo canonici tumultuose irruunt in eum, apprehensumque per capillos ex altari pugnis atque calcibus in medium chori trahunt. Imo etiam ex ecclesia S. Magdalenæ, in quam tanquam in asylum aufugerat, violenter extractus, deducitur ad Richardum episcopum, cujus jussu in carcerem conjectus fuit in castro de Grandi-prato, ex quo non ante liberatus est, quam osculum in signum communionis Richardo & clero dedisset. Ut libertati redditus fuit, Richardum Albanensem archiepiscopum legatum apostolicum adiit absolutionem expostulaturus. Quo accepto, Richardus præsul id illi mandatum dedit, ut quamprimum Virdunum reverteretur. Ille, spreto præsulis imperato, archidiaconatu suo est exutus, Romamque perrexit, ubi post obitum Richardi legati Albanensi archiepiscopatu decoratus fuit; sed ob mortem, ut

A volunt, nequaquam consecratione donatus.

Sub annum 1111 Paschalis pontifex in captivitate ab Imperatore detentus, consensit ut ille episcopos & abbates libere electos annulo & baculo absque simonia investiret, atque prælati sic investiti consecrari possent. Id privilegium episcopis, qui investituras ab Imperatore susceperant, pergratum fuit, in primis Richardo Virdunensi, qui statim illud monachis sancti Vitoni exhibuit, additis hisce verbis: *En quo tribulationes vestræ, quo exsilia, quæ per annos fere triginta passi estis, ceciderunt; en hæc omnia in cœnum devoluta sunt.* Quibus

ANNI CHRISTI 1111.

B auditis, monachi ingemuere quod Romanæ fidei propugnaculum cessisset, nec quisquam eorum mutire ausus est. Attamen Richardus Albanensis & Guido archiepiscopus Viennensis aliæque columnæ ecclesiæ Transalpinæ contra hanc Cæsaris iniquitatem erecti conclamaverunt, & ad tuendam ecclesiæ libertatem sese mutuo adhortati sunt. Cum sic utrinque adversæ partes in varia studia scinderentur, Richardo & clero Virdunensi regias partes plus æquo defensante, tota tempestas in abbatem Laurentium ejusque fratres incubuit, qui soli inter eos Romanæ ecclesiæ adhærebant &

C adversæ parti communicare detrectabant. Adfuit tunc S. Vitoni festivitas, V id. Novemb. celebrari solita, quam inter ad primas vesperas & missam clerus Virdunensis convenire consuevit. Huic ne communicarent monachi, vespertini officii horam anticipaverunt: quibus adhuc cantantibus, supervenere canonici, qui clausum chori ostium sibi aperiri vociferantes jubent, & ingressi unum e conversis atrociter verberant. Dehinc Richardus ira inflammatus divinum Laurentio abbati interdixit officium, in crimen ei imputans quod Imperatori, sibique esset rebellis, insuper & eorum communionem

D sperneret; adeoque dignus esset ut temporalia omnia, quæ ab Imperatore & ab episcopis Virdunensibus tenebat, amitteret. Quin etiam, discessis e monasterio Laurentio ac plerisque monachis, abbatem instituit Hugonem Flaviniacensem, abbatia sua pulsum, qui ab eo pastoralem virgam accipere præsumsit.

Aliis tamen negotiis distentus erat Richardus: habitatores enim Castri-Desluardi civem Metensem ceperunt; quem dum vinctum tenerent, indignabundi Metenses oppidani castrum obsederunt ac diruerunt. At Richardus illud instauravit, simulque Rainaldum Virduni ac

E Barri comitem, quod ad auxilium non accurrisset, in jus vocavit, eique sistere renitenti comitatum abjudicavit, & tradidit Guillelmo Luxemburgensi comiti, oppigneratis quidem ei Mosaco & Stanaco pro ducentis libris. Porro Rainaldus nihil ut comitatum retineret prætermittere. Sed Richardus episcopus & Guillelmus comes, junctis viribus, præter plurima castella ei ademerunt vicum sancti Michaëlis, castrumque succenderunt. Invocatus item ad auxilium a Richardo Imperator, Rainaldum in castro Barrensi obsessit cepitque; at instigantibus

ANNI CHRISTI

Diplom. Trevir. t. I. p. 495.

nobilibus viris, eum custodia solvit, exacto tantum fidei juramento. Legitur VI id. Augusti in charta Henrici V imperatoris pro monasterio S. Maximini Trevirensis. Abhinc fere septem annis Richardus Virdunensis electus, consecrationis erat expers, cum omnia sibi contraria videns, Romanam ecclesiam infensam, Cæsarem infidum: quippe qui in auxilium evocatus, Rainaldum Barri comitem captum, novaque in se molientem relaxasset; animo tandem constituit ut ab omnibus curis se expediret. Ejus rei causa Laurentium abbatem S. Vitoni, a se pulsum e monasterio, invitavit ut ad reconciliandum sibi Romanum pontificem Romam proficisceretur. Illi vero id renuenti, quippe qui ab eo spoliatus, sumptus ad hanc legationem non haberet, itineris necessaria repromisit Richardus, sed ad iter parato denegavit. Vicissim & ipse a Laurentio, ut pro se apud apostolicum responderet, invitatus, peregrinationem ad loca sacra vovit, atque Hugoni Trecensium comiti, tunc Jerosolymam moventi, cum ingenti pompa se adjunxit. Italiam ingressus, Tiburiam, ubi papa tunc versabatur, se contulit, veniam ab eo petiturus. Ubi in præsentiam venit, cunctis ejus sociis more peregrinorum ad papæ audientiam admissis, ipse solus in medio lutulentæ plateæ, spectante per fenestras palatii pontifice, prostratus in terram corruit, ejulando sæpius ut sui misereretur. Flexus ad commiserationem pontifex, ait se ejus gratia Romam quantocius reversurum, & consilio cardinalium misericordiam ei impensurum. At ille: cedo, inquit, baculum pontificii mei, tantum hic absolve me, nec Romam ire compellas, ne peregrinationis meæ socios deserere cogar. Abnuente pontifice, dolens ille discessit itineris socios prosecuturus; sed languore, quo jam tenebatur, ingravescente, lectica vehi cœpit. Progredienti occurrit Richardus Albanensis: quem ut sibi succurreret obsecravit, ne absque absolutione moreretur. Exspectare tantisper jubet Albanensis, dum a pontifice reconciliationis gratiam reportet. Tum Romam pergit, venit veniam deferens, sed Richardum jam mortuum & sepultum invenit. Equidem apud Casinum montem
1114. decessit anno 1114, septimo ex quo ad Virdunensem episcopatum electus fuerat. Post cujus obitum episcopatus annis tribus ac dimidio vacavit, inter cujus temporis spatium administravit quidam vir, nomine Mazo, qui vocatur episcopus in documento monasterii S. Maximini Trevirensis. Mortuo Richardo, Laurentius abbas ad suum S. Vitoni monasterium reversus est; clerus Virdunensis a metropolitano se absolvendum curavit; itidem Guillelmus Luxemburgensis comes, inita pace cum Rainaldo Barrensi, comitatum Virdunensem restituit. Quod cum displicuisset Virdunensibus oppidanis, ambo comites copias ad expugnandam urbem coegerunt. Virdunenses autem conterriti postulant & obtinent inducias; at dum copiæ se reciperent, in eas

A irruerunt, multisque militibus occisis, graviter vulnerarunt Rainaldum comitem, qui postmodum suam explevit vindictam.

ANNI CHRISTI

XLVI. Henricus I.

Henricus ex archidiacono Wintoniensi in Anglia, favente imperatrice Mathilde, Angliæ regis Henrici I filia, quam Henrico V imperatori nupturam in Germaniam deduxerat, Virdunensis episcopus ab eodem Imperatore creatus fuit an. 1117. Ubi primum designatus est præsul, Virdunensium animos allicere cogitavit, & idcirco ad eos misit viros aliquot 1117.
B munera deferentes, quos ipse mox secutus, honorifice in urbem excipitur. Quoniam vero ad episcopatum ab Imperatore censuris tunc irretito promotus fuerat, totus clerus ab ejus communione descivit, in primis Laurentius abbas S. Vitoni cæterique monachi, nec non Bruno Trevirensis archiepiscopus, itemque Guido Viennensis, apostolicæ sedis legatus, a quo excommunicationis vinculo fuit constrictus. Post tamen annum, quam Henricus in eo miserando statu perstiterat, suadente Laurentio venerabili abbate, Romam absolutionem petiturus profectus est; verum in itinere
C ab Imperatoris militibus comprehenditur. Quorum ex manibus evadendi data occasione, Mediolanum aufugit, & a Johanne Cremensi cardinale sedis apostolicæ legato non censurarum modo solutionem, sed & consecrationem impetravit. Imperator, his acceptis, Virdunensibus mandavit ut eum, cum reversus fuisset, sibi traderent. At ille redux, cum obseratas urbis portas reperisset, infensissimosque sibi oppidanos animadvertisset, Hadonis-castrum secessit, urbi bellum inde minitans. Unde clerus populusque Virdunensis tam vehementer in eum concitatus fuit, ut illum apud legatos
D apostolicos & ipsum quidem summum pontificem simoniæ insimulaverit. Id crimen diluit Henricus in concilio Remensi, ubi plurimorum cardinalium patrocinio suffultus, in episcopatus possessione a Callisto II confirmatus est anno 1119. At nullus redeuntem suscipere voluit, 1119.
si Laurentium abbatem exceperis, cui licet papæ litteris obsecrato satis fuit levia quædam studii indicia demonstrasse. Attamen Henricus admodum urbi iratus, Rainaldum de Barro, quem cives comitem repudiabant, adiit, fœdusque cum ipso sancivit. Illi cito contractis
E militibus, urbi appropinquant, prælium committunt, cæsisque quamplurimis oppidanis, in urbem penetrant, ignemque subjiciunt, quo cum maxima oppidi parte incensæ sunt ecclesiæ sancti Salvatoris, S. Petri atque S. Agerici. Postera vero die Rainaldus possessionem comitatus accepit, & Henricus in episcopali cathedra sedit, clericis loco cantus lætitiæ tristia hæc verba Jeremiæ proferentibus: *Sustinuimus pacem & non venit, Domine, quæsivimus bona & ecce turbatio.* Dein Henricus inter populorum gemitus & lacrymas sacris operatus est. Sequenti luce Virdunenses haud

Rainaldo confisi, in ædem majorem S. Mariæ tanquam in asylum aufugiunt; sed confestim obsessi captique, rebus suis omnibus exspoliantur.

Verumtamen imperator Henricus V, ejurato schismate, calamitatibus ejus urbis quam maxime afflictatus, sustulit comitatum Rainaldo de Barro, cujus in locum suffecit Henricum comitem de Grandi-prato, qui clam cum oppidanis habito consilio, Virdunum cum equitum turma mane introducitur. Armorum strepitu expergefactus præsul, fugam, ut suæ consuleret saluti, seminudus arripuit, atque flumine Mosa transnatato, cucurrit ad comitem Barri, qui ut urbem reciperet nihil non est molitus. Verum pax aliquanto post composita fuit hisce conditionibus: 1.° ut Virdunensis comitatus penes Rainaldum maneret; 2.° cives universali venia donarentur; 3.° demum comes Grandis-prati pro belli sumptibus haberet bona eorum, quos bello ceperat. Monasterio S. Michaëlis amore
1121. Lanzonis abbatis tradidit Henricus an. 1121 altare S. Petri apud vetus monasterium, cum duabus capellis ei subjectis, & altare sancti Laurentii de Fraxino, ea conditione ut secundum abbatis voluntatem & ex consilio fratrum sacerdoti electo cura pastoralis per manus episcopi committeretur; qui sacerdos, exceptis legitimis xeniis nihil exigeret. Ad
1123. annum 1123 cœnobium de Bello-fageto duabus a Leodio leucis conditum est a Roberto ordinis S. Augustini alumno, cui Henricus episcopus Virdunensis aream præbuit in agro suo Jupiliensi, ea lege ut quicunque cœnobio præficeretur, Virdunum veniret, per manum episcopi in capitulo de temporalibus inves-
1124. tiendus. Non multo post, puta anno 1124, hic præsul a Godefrido archiepiscopo Trevirensi rogatus, altare SS. Jacobi & Philippi consecravit in sacello D. Banti, dedicavitque ecclesiam Aureæ-vallis pridie cal. Octobris. Exinde Rainaldo comiti tribuit Dunum-castrum & quatuor villas episcopatus, itemque Petro *de Mirevelt* quidquid in duabus alteris villis habebat, exceptis tamen quatuor familiis, Virdunensis ecclesiæ servitio obstrictis: Gor-
1126. ziensi monasterio anno 1126 bona Ameliæ confirmavit. Circa idem tempus carissimo suo Lanzoni sancti Michaëlis abbati subjectionem capellæ Alieri ecclesiæ S. Cyrici, quæ sancti Michaëlis oppidi parœcialis est, confirmavit. Concilio provinciali Tulli a Petro cardinale, sedis apostolicæ legato, celebrato, adstitit
1127. anno 1127.

Henricus curarum suarum finem attigisse ratus, in omni, ut aiunt, voluptatum genere volutari cœpit. Odia itaque recrudescunt; clerici enim missis Romam legatis, eum apud Honorium II incontinentiæ, simoniæ, dilapidationisque rerum ecclesiæ accusant. Imo Laurentius abbas sancti Vitoni Lothario Cæsari apostolicisque legatis queritur, quod quædam ecclesiæ suæ prædia tempore discordiæ inter regnum & sacerdotium ab ejus antecessoribus

A sublata non restituerit. Honorius missis litteris illum evocat, mandatque ut abbati restituat ablata, suspendens eum interim a divino officio. Is suspensus remansit, at mandatum haud complevit. Jussa iterat pontifex. Quod veritus Henricus, properat Romam, cardinalesque muneribus sibi conciliat. Ubi ante papam in jus stetit, capitula criminalia in eum proferunt accusatores. Ille convicia in accusatores regerit: sicque actio in contumeliosa verba desinit. Ad hæc Honorius Laurentium abbatem, qui & ipse præsens aderat, perconatur: tu pater, quid dicis de criminibus episcopo illatis? &
B ille: domine, ego non vidi, sed populus clamat. Cum ergo nihil certi luceret, pontifex causam discutiendam Matthæo Albanensi episcopo legato suo commisit. Matthæus Henricum & accusatores ejus Catalaunum ad sui præsentiam evocavit, quo Remensem archiepiscopum, multosque alios episcopos & abbates, nec non sapientes ac religiosos viros ad suffragia illius causæ convenire curavit. Henricus suæ causæ diffisus, convenit Bernardum, sanctæ memoriæ abbatem Clarevallensem, cujus consiliis, inquit Laurentius de Leodio, regna & ecclesiæ Gal-
C liarum hodieque innituntur. Ille monet gravissimum esse invitis violenter præesse; ideoque, si se audiat, priusquam ignominiosa in eum accusatio ad publicam tantorum virorum audientiam veniat, solus omnibus cedat, episcopatum dimittat, ne publicam ignominiam incurrat. Assensit ille Bernardo, baculum reddidit, & episcopatui abrenuntiavit an. 1129, 1129.
tertio decimo ex quo eum de manu Cæsaris acceperat. Sed ne tristior abiret, Bernardus a majoribus concilii Catalaunensis collectam decem marcarum exegit, quibus & vadimonia ejus redemit.

Confundendus non est hic Henricus cum
D alio Henrico episcopo Vintoniensi, filio Stephani blesarum comitis, & germano Stephani Anglorum regis, qui puer a parentibus in Cluniacensi monasterio Deo consecratus fuerat.

XLVII. Ursio.

Clerus Virdunensis a patribus concilii Catalaunensis commonefactus vacationis episcopatus per abdicationem Henrici, ob vitanda quæ ipsius tempore contigerant mala, virum eximiæ religionis, suadente concilio, in episcopum elegit, Ursionem nomine, S. Dionysii apud Remos ordinis S. Augustini abbatem. Verum
E ille cum propter nimiam animi mansuetudinem obeundo oneri sibi credito esset impar, pontificaliumque & secularium judiciorum imperitus, tyrannis despectui esse cœpit. Ut in urbem est ingressus, mansionem suam in monasterio sancti Vitoni constituit, secretam, ut consueverat, illic vitam acturus. Aliquanto post cum ad curiam Lotharii regis ergo confirmationem obtinendi profectus fuisset, Rainaldus Barri comes, dominii urbis admodum cupidus, Virdunum magna militum, latomorum, fossorum, diversique generis artificum caterva

ftipatus invafit, ac in loco urbi imminenti, ubi tunc erat pomerium ædis epifcopalis, fuccifis arboribus, munitiffimam turrim conftruxit; unde quamlibet fævitiam per milites fuos in oppidanos cœpit exercere. Equidem canonicorum domos evertit, hofque rebus fuis fpoliatos fugavit, populum etiam nec mutire audentem oppreffit. Immo & Urfionem ex regia curia redeuntem infidiofe comprehendere enixus eft; at propofito fuo deceptus, cepit tantummodo clericos aliofque ejus itineris focios: epifcopus enim in fugam converfus, Remos fe contulit, unde nec reverfus eft, ne malorum, quæ avertere haud poterat, teftis foret.

Inter eas calamitates Virdunenfis ecclefia clericis orbata, penitufque deferta, caruit officio, fed claruit miraculis, quæ interceffione beatæ Mariæ Deus operatus eft. Hæc a Guillelmo decano fcripto mandata funt, & hactenus in ecclefia Virdunenfi die 20 Octob. quotannis celebratur feftum, cui nomen *veneratio miraculorum fanctæ Mariæ Virginis.*

Nihilominus tamen Urfio necdum ordinatus, & epifcopalis muneris, cui nequaquam idoneum fe fentiebat, pertæfus, ad comitia gene-
1131. ralia perrexit Leodium anno 1131, atque illic adftantibus & comprobantibus Lothario II imperatore & Innocentio II papa, dignitatem epifcopaliaque ornamenta poft biennium exuit. Reliquum vitæ Remis in monafterio fuo cum privatus exegiffet, aliquibus poft annis exceffit, & humatus eft in ecclefia anno 1149, cum hac brevi epigraphe: *Urfio abbas nofter.*

DE CHINY.

XLVIII. ALBERO III.

Lotharius imperator poft ceffionem Urfionis, primoribus tam ecclefiæ quam civitatis Virdunenfis, qui Leodienfi conventui tunc aderant, mandatum dedit ut quem in toto conventu cognofcerent digniorem, in præfulem cooptarent. Illi, verfato aliquandiu confilio, Alberonem Virdunenfem archidiaconum, filium Arnulfi comitis de Chifneio ex Adela Rociacenfi elegerunt anno 1131. Acceptus fuit omnibus hic delectus, in primis Imperatori, qui illico temporalia electo conceffit. Virdunum, imperante fummo pontifice, confeftim Albero profectus, ab oppidanis cum quibuflibet lætitiæ indiciis excipitur. Exinde Parifios confenfu cleri Virdunenfis & potiffimum Laurentii fancti Vitoni abbatis munitus, uti mandatum acceperat, ad Innocentium II papam acceffit, a quo Sabbato fancto prefbyter, & facro die Pafchæ præful eft ordinatus. Domum dum repedaret, nec infalutato papa, octo comites, peregrinorum habitu induti, fefe in itinere ei adjunxerunt. Hos inter erat Henricus dux Bavariæ, Imperatoris gener, qui loca fanctitate famofa vifendi, morefque principum ac populorum cognofcendi cupidine captus, fic per regna peragrabat. Hic uni e familiaribus epifcopi notus, fecreto fefe patefecit Alberoni, qui eum ejufque focios Virduni benigne acceptos,

A comitatus eft ufque Trevirim, atque ducem incolumem ejus focero Imperatori lætiffimo & gratias agenti præfentavit. Apud Theodonisvillam conventui epifcoporum comprovincialium interfuit anno 1132, in quo Simon dux 1232.
Lotharingiæ, remiffis ecclefiæ fancti Deodati quibufdam juribus & pravis confuetudinibus, ab Alberone archipræfule Trevirenfi excommunicatione folutus eft. Subfcripfit litteris Alberonis Leodienfis epifcopi de prædio *Turnines* reftituto Wibaldo abbati Stabulenfi an. 1139. 1139.

Porro milites, quibus comes Rainaldus arcem nuper in urbe conftructam tuendi curam com-
B miferat, latrocinia non folum in oppidanos & extraneos mercatores, verum etiam in peregrinos, ad ecclefiam B. Mariæ ob frequentiam miraculorum undequaque confluentes, exercere haud ceffabant. His exceffibus Albero valde afflictatus comitem adiit, & ad ejus pedes provolutus enixe rogavit ut arcem aut everteret, aut militum violentiam cohiberet. Rainaldus furdus fuit ejus precibus, nec ad ullam pacis conditionem potuit adduci. Quem cum flectere non valeret, aftutia ufus eft ut arcem in poteftatem fuam redigeret. Unus igitur e præfidiariis militibus, Alberonis promiffis allectus,
C fodales fuos ad lufum extra arcem invitat; atque dum illi oblectamento toti incumbunt, in eam fubrepit, fores obferat, indicatumque fignum profert. Statim ut Albero fignum afpexit, cum civibus armatis in hoftem facit impetum, eoque devicto, arcem occupat ipfa die Pentecoftes. Poftridie comes, hoc nuntio accepto, ante Virdunum advolat, & ad certamen provocat oppidanos, quos ut epifcopus a furore comitis tutos fervaret, in urbe continuit; nec multo poft infeftantium continuis excurfionibus regionem & oppidum hoftium turmam circumvenit apud caftrum Rofetum, cui ignem
D intulit, fecum abductis hoftibus cum Helia eorum duce, quos in carcerem conjecit. Rainaldus ultionis gratia in auxilium invocat Simonem Mofellanorum ducem, multofque comites & barones, qui ut procul ædem beatæ Virginis Mariæ confpexere, formidine perculfi difcefferunt. Is adverfa fortuna fractus, preces follicitationefque adhibuit fuam ut recuperaret arcem: at Albero fe præbuit inexorabilem, profeffufque eft fe potius mortem vel exfilium pafturum, quam ut in urbem adeo immaniffimum hoftem admitteret. Arcem itaque fub-
E verti juffit, moxque civitatem mœnibus cœpit cingere. Aliquanto poft in morbum lapfus comes, primum inducias, tum pacem eft precatus, quæ ei, agente fratre fuo Stephano epifcopo Metenfi, conceffa fuit ea lege, ut præter quædam feuda & aliquod argenti pondus, nihil amplius ab urbe Virdunenfi repeteret. Ad id tempus Albero quofdam etiam laverniones in Amblivio caftello obfedit, hofque captos vinctofque, arce diruta, in urbem deduxit.

Albero, compofito profpere bello, epifcopalibus muniis rite obeundis totum fe dedit;

ANNI CHRISTI

omnes enim ſuas vertit curas ad diœceſim bene ordinandam. Regularis diſciplina tunc erat penitus collapſa in monaſterio ſancti Pauli, divinum officium pene deletum, monachorum mores diſſoluti, temporalia bona vel exhauſta vel abalienata. Rectum ordinem ut in eo cœnobio reſoveret Albero, nihil prætermiſit: at poſt vanos irritoſque conatus, adhibitis frequentibus monitis & adhortationibus, in locum monachorum ſuffecit Præmonſtratenſes anno 1125. Quam diſpoſitionem Lotharius imperator & Albero metropolitanus ratam habuere anno 1136. Ea de re ad Matthæum, ſedis apoſtolicæ legatum, Petrus venerabilis epiſtolam ſcripſit, querens quod id cœnobium extraneis adſcriptum fuiſſet. Ipſi etiam monachi S. Pauli querelas detulerunt ad papam Innocentium II, qui ſane rem ad novum judicium revocaſſet, niſi a S. Bernardo fuiſſet diſſuaſus. Litteras & ipſe Albero ad ſummum pontificem direxit, actæ mutationis in eo monaſterio cauſas exponens. Rationibus tam epiſcopi quam D. Bernardi devictus pontifex, non modo quæ facta fuerant, confirmavit, ſed vetuit ne quis deinceps Præmonſtratenſes auderet perturbare. Hos in abbatiam ſancti Pauli immiſiſſe haud contentus Albero, ipſis quidem terræ fundos, ut tria ſui ordinis monaſteria conderent, impertitus eſt. Quorum duo, puta Bella-vallis in ſaltu Duellii, & Piſcina ſeu vulgo Stanchia ſecus Hadonis caſtrum, a Philippo abbate conſtructa ſunt; tertium ab Herberto eremita juxta Arcus-villam in valle Geneſii. Ciſtercienſis etiam ordinis ſtudioſiſſimum fuiſſe comperimus ex ipſius litteris, quibus ad monachorum tam apud Caladiam, quam in nemore Maginienſi a ſe vel ab anteceſſore ſuo Henrico conſtitutorum, ſuſtentationem opes indulget, & quidquid eis fuerat traditum confirmat. Euſtachio cœnobii Monaſterienſis in Argona conditori ceſſit feudum in Argonenſi nemore, ergo exſtruendi Caſtricienſem abbatiam canonicorum regularium. Ipſius quoque aſſenſu milites Templi ſtabiliti ſunt prope Hatonis caſtrum. Suas item curas extendit ad cathedralem eccleſiam: enim vero preſbyterium cum duabus turribus & ingenti ædificio exſtruxit, inſumtis ad id opus non peregrinorum modo oblationibus, ſed & propriis facultatibus. Publicæ utilitati multo magis quam ſuæ intentus, monetam Virdunenſem ob adulterationem & commercii præjudicium prohibuit, legemque ſanxit de admittenda moneta Catalaunenſi. 1139. Præſens aderat anno 1139 cum Albero Leodienſis epiſcopus litteras in gratiam Wibaldi Stabulenſis abbatis impertitus eſt.

Petr. venerab. L. III, p. 531.

Epiſt. S. Bern. 178.

Spicil. t. XII, p. 320.

Ch. XXI, col. 568.

Vix ſeptem pax duraverat annos, cum Albero item bello exagitatus eſt; namque Rainerius de Balneio ſub ſpecie tuendi poſſeſſiones epiſcopatus, caſtrum apud Balneium condidit, quo poſtea uſus eſt, adjuncto ſibi adjutore Henrico comite de Grandi-prato, ut depopulationem agris inferret. Ea de re ab Alberone nec non a Rainaldo Barri comite in jus vocatus Henricus comes, ut tam pro ſe quam pro homine ſuo Rainerio reſponderet, non ſiſtere modo noluit, ſed cito citius contractis militibus uſque Virdunum incurſiones cœpit facere, omnia igne ferroque devaſtans. Comitis ut Albero coerceret violentiam, præſidium poſuit apud Bettini curtem, caſtrum Balneium cinxit obſidione, leviaque certamina conſeruit. Immo potius Hugo, Rainaldi Barrenſis comitis filius, cum ducentis fere militibus in terras comitis de Grandi-prato ingreſſus, hoſtes oppreſſit, & ex illis octoginta cepit. Perpauci, quibus patuit effugium, ivere comiti nunciatum, qui ſe, tametſi infirmitate laborantem, in tutiorem locum efferri juſſit. Is ubi convaluit, Virdunum accedens, pacem eſt aſſecutus anno circiter 1142 ea lege, ut 1142. caſtrum Balneium epiſcopo traderet, a quo prorſus dirutum eſt. Eodem circiter tempore Ulricus de Inſula & Mathildis e us uxor Euſtachio Monaſterienſi abbati per Alberonis manus locum de Englicurte ad conſtruendam canonicorum regularium abbatiam conceſſerunt, ut conſtat ex ejuſdem præſulis epiſtola, fundationis confirmationem a Lucio II poſtulantis. Inſequenti anno Albero Jeroſolymam 1143. adeundi deſiderio captus, crucem, inſcientibus diœceſanis, ſumpſit. Quod ut illis notum fuit, vereri cœperunt ne per ipſum reddita libertas, iterum ſibi a Tyrannis, eo abſente, auferretur. Aſt metu ſuo liberari nec cunctati ſunt: nam Albero Romam progreſſus, a Cœleſtino II id mandatum accepit ut, intermiſſo itinere Jeroſolymitano, ad gregem ſuum rediret. Inter brevem ejus abſentiam plures toparchæ auſi ſunt agris vaſtitatem inferre, in primis Albertus de ſancta Manechilde, quem redux Albero captivum aliquandiu in urbe retinuit; itemque Robertus de Confluentia, qui poſt diverſas clades pacem petere coactus eſt. Celebratis Leodii a Conrado III imperatore comitiis adſuit anno 1146. Inſequenti dum Trevirenſi 1146. concilio ab Eugenio papa III celebrato inter- 1147. eſſet, mira, quæ de S. Hildegarde fama vulgabat, explorandi ſuſcepit curam. Poſt habitum ab ipſo ſummo pontifice Remenſe concilium anno 1148, cui adſtiterat & ipſe, illum, 1148. omnibus quibus potuit honoribus, Virdunum deductum accepit, eccleſiamque cathedralem, cui multis abhinc annis operam dabat, ab ipſo ſummo pontifice dedicari ſategit.

Ch. XXII, col. 569.

Rainaldus Barri comes jam prope moriturus, dominia ſua filiis diſpertitus eſt. Hugoni natu majori cum comitatu Barrenſi induſit adminiſtrationem comitatus Virdunenſis, annuente Alberone, qui poſt obitum Hugonis viriliter obſtitit ne Rainaldus ejus frater natu minor in Virdunenſem comitatum ſuccederet. Verebatur enim ne ille, patris ad exemplum, poteſtate ſua contra urbem & epiſcopatum abuteretur. Quocirca comitatus adminiſtrationem tantum ad annum quatuor e præcipuis civibus commiſit, accepto ab eis fidei ſacramento. Mandatum accepit anno 1150 a ſummo pontifice ut 1150.

ANNI CHRISTI

Amplis. coll. t. VII, p. 71. præfatum comitem Rainaldum moneret, ne
infestationibus monasterium S. Michaëlis ad
Mosam gravaret. Hugoni Trium-fontium
abbati terram de Martini-monte confirmavit
1151. an. 1151. Funeribus Alberonis archiepiscopi
1152. Trevirensis anno 1152 interfuit, ac in eadem
civitate subscripsit concilio, in quo Matthæus
dux Lotharingiæ, agente Hillino archipræsule
Trevirensi, iniit compositionem cum Romaricensibus
sanctimonialibus. Eodem anno testis
fuit donationis factæ ecclesiæ Trevirensi a
comitibus Saynensibus Heberardo & Henrico.
Ch. XXVII, col. 572. Duas & ipse dedit litteras in gratiam monas-
1153. terii de Castellione annis 1153 & 1156,
quo ab episcopatu se abdicavit, ac in monasterium
S. Pauli, quod tradiderat Præmonstratensibus,
secessit, sub disciplina regulari reliquum
vitæ exacturus. Hæc testatur continuator
historiæ Laurentii Leodiensis.

XLIX. Albertus I.

DE MARCEY.

Virdunensis ecclesiæ primicerius Albertus,
vir summi ingenii multæque eruditionis, qui
propter insignem prudentiam apud Lotharium
& Conradum Imperatores magnæ fuit existimationis,
per spontaneam Alberonis cessionem
1156. episcopus evasit anno 1156. Hic e vestigio
Ch. XXVIII, col. 573. a Friderico Ænobarbo Cæsare investituram est
precatus; sed confirmationem ab Adriano IV,
licet a Conone abbate S. Vitoni familiari suo
impense rogatus, postulare non ausus est, ne
Imperatori tunc infenso pontifici displiceret.
Attamen in comitiis episcoporum & optimatum
Germaniæ & Lotharingiæ, quæ de restituenda
imperium inter & sacerdotium concordia mense
Augusto ejus anni Colmariæ habita sunt, id
ab Imperatore obtinuit ut electionem suam
summo pontifici probandam deferret. Assecutus
quidem est XVI calend. Septembris eximium
diploma de confirmatione tam comitatus Virdunensis,
quam cæterarum ecclesiæ possessionum.
Treviris subscripsit VIII id. Januarii
1157. 1157 litteris ejusdem Imperatoris, Hillino
archiepiscopo tradentis abbatiam S. Maximini.
Eodem anno nonis Octobris una cum provinciæ
præsulibus & presbyteris jussus est ab
Adriano papa ut Hillino archiepiscopo, tanquam
apostolicæ sedis per totum Teutoniæ
regnum legato, obtemperaret. Testis etiam
reperitur in instrumento fundationis monasterii
de Bello-campo. Castrum de Muceio sub certis
conditionibus ab archipræsule Hillino obtinuit
1160. anno 1160. Donum de Merchia ab Alberto
Bellilocensi abbate Insulano monasterio con-
1162. cessum firmavit anno 1162. Plures accepit
epistolas a S. Hildegarde, cujus revelationes
examinandi simul cum episcopo Alberone anno
1147 a concilio Trevirensi provinciam susceperat.
Fractus tandem ætate æque ac viribus,
episcopali munere rectissime impleto, in Clarevallense
monasterium se recipere constituit.
Præparatis itaque ad iter rebus necessariis,
salutatoque populo, in viam se dat. Verum
ante portam monasterii S. Vitoni vix advenerat,
cum curriculum, cui insidebat, ita effractum
est, ut ulterius progredi non licuerit. Quo casu
commotus, censuit id a Deo factum fuisse, ut
suam institueret mansionem in cœnobio sancti
Vitoni. Equidem in id monasterium ingressus,
religionis habitum suscepit ac vota emisit. Ille,
vitæ reliquo in sacris lectionibus, orationibus,
piisque exercitiis consumto, vitam finivit 14
Aprilis 1162, ac in eodem monasterio ante 1162.
altare sancti Laurentii sepultus est. Ejus mors
in necrologio sancti Vitoni ita consignatur:
*XVIII cal. Maii Albertus episcopus & monachus
hujus loci.*

L. Richardus III.

DE CRISSE.

Toparcharum de Grandi-prato nobili propagine
satus Richardus, Laudunensis archidiaconus,
cognomine *infans* & *ecclesiasticus* ob
mansuetudinem, modestiam, & ob propensionem
ad ecclesiasticas functiones, unanimiter
in præsulem a Virdunensi clero post iteratas
tumultuosasque deliberationes electus est anno
1163. Delatam sibi dignitatem cœpit recusare, 1163.
sed nihilominus accepit, stans in ea sententia
ut consecrationem haud susciperet, quin schisma,
quo ecclesia tunc exagitabatur, penitus restinctum
fuisset: etenim nolebat sejungere se
ab Alexandri III communione, nec displicere
Friderico imperatori, partium antipapæ Victoris
acerrimo defensori. Episcopatum tamen quam
sapientissime moderatus est, præstante consilia
Conone abbate S. Vitoni, quem fiducia &
studio prosequebatur. Laudibus extollitur in
epist. 149 Alexandri papæ III ad Henricum
Remensem archiepiscopum. Electus vocatur
eodem anno 1163 in donatione monasterio
sancti Michaëlis concessa, nec non in chartis
duabus, quibus abbati & fratribus de Castellione Ch. XXX, col. 574.
locum qui vocatur Castellio concedit, & con-
firmat quidquid juris super hunc locum a multis Ch. XXXI, col. 574.
viris nobilibus abbati fratribusque supradictis
collatum fuerat. Sacellum Asperomontii Petro
Gorziensi abbati tradidit ea lege, ut presbyter
Virdunensi episcopo præsentaretur. Verum cum
cerneret papam Alexandrum inter & Cæsarem
dissidia magis ac magis accrescere, omnemque
penitus sublatam esse pacis speciem, ne testis
esset tantæ calamitatis, Jerosolymam migrare
statuit. Re quidem vera cum comite Sacri-Cæsaris
& Odone ducis Burgundiæ nepote
iter aggressus est, & in ea regione necdum
consecratus de vita decessit anno 1171.

LI. Arnulfus.

DE CHINY.

Filius Alberti comitis & Agnetis sororis
Rainaldi Barri comitis Arnulfus, ex Virdunensi
ecclesiæ thesaurario, uno cleri consensu, populique
plausu proclamatur episcopus anno
1172. Hic in tractandis negotiis erat exerci- 1172.
tatissimus, omni doctrinæ genere & eloquentia
admodum præditus, ita etiam optimis moribus
prudentiaque & ingenio prædicandus. Ad
annum 1173 Agnes Barri comitissa, defuncto 1173.
conjuge Rainaldo II, id Arnulfo denunciavit,

ANNI CHRISTI

ut quem antea Virdunensem comitatum possederant Barri comites, quamprimum ejus filio Henrico pupillo restitueret. Malorum ille haud inscius, quæ Virdunensi ecclesiæ Barri comites intulerant, comitissæ postulatum explosit. Agnes perquam irata, milites immisit in terras episcopatus, qui omne genus crudelitatis & populationis exercuere. Verum Arnulfus copias, quas objiceret, nec habens, comitissam ejusque filium anathemate plexuit. Inde increverunt odia & discordiæ, quæ tandem anno 1179 consopita sunt. Enimvero Henricus comes eo anno, ut expiaret peccamina, captus desiderio Jerosolymam adeundi, una cum matre Agnete Virdunum accessit, enixe rogans Arnulfum excommunicationis absolutionem. Qua accepta, Agnes & Henricus ob illatum detrimentum, præsente episcopo, quadraginta solidos ex Barrensi comitatu annuatim sumendos in perpetuum ecclesiæ Virdunensi tradiderunt 15 Junii. Gonterio abbati Insulano factam a Ro-
1175. berto de Soliolo donationem anno 1175 laudavit Arnulfus. Exortam inter monasteria S. Pauli & S. Agerici controversiam sopivit
1176. 1176. Eodem ille & Petrus Tullensis ab
Ch. xxix, col. 573. Arnoldo Trevirensi epistolam acceperunt in
1177. gratiam abbatis sancti Michaëlis. Insequenti donavit Præmonstratensibus S. Pauli ecclesias de Carniaco & de Calvo-monte. Apud Henricum comitem *de Monçon* effecit, ut ille in protectionem suam monasterium Belli-loci susciperet. Petrum *de Briey* in locum Richeri abbatis S. Vitoni a regimine cedentis anno
1179. 1179 suffectum a monachis renuit admittere, ex eo quod hic natus esset in comitatu Barrensi. Sane cum eodem Petro, in solium episcopale Tullense elato, fecit pactionem de restauranda arce Liverdunensi, ea tamen conditione ut Grassatoribus aut proscriptis Virdunensibus in illam haud pateret ingressus. Is æque ac episcopus Tullensis ab Arnoldo archipræsule Trevirensi jussus est, ut bonorum monasterii S. Michaëlis raptores ad restitutionem adigeret, obstinatos vero ecclesiasticis censuris vinciret.

Inter hæc quidam Albertus nomine *Pichot*, vir nequissimus, dynasta de sancta Manechilde, Virdunensem & Catalaunensem episcopatus cœpit infestare, bona diripere, villas deprædari, sparsas in agris domos conflagrare. Cujus feritatem ut Arnulfus compesceret, castrum de sancta Manechilde obsidere constituit. Sancito itaque cum episcopo Catalaunensi & Simone Lotharingiæ duce fœdere, junctisque viribus, ipsi castrum circumsederunt. Verum post plurimas aggressiones emissa e propugnaculis sagitta vulneratus interiit an. 1181 14 Aug. necdum, ut volunt, consecrationem adeptus. Cujus corpus Virdunum relatum, in medio navis cathedralis sepultum fuit cum mausolæo, cui substituta est anno 1500 tumba marmorea sculpta hac inscriptione: *Quisquis es, sta & lacryma, ossa dum cernis Arnulphi Virodunensium præsulis vigilantissimi rubentia mœsto tegi lapide; hic enim apud sanctam Manechildem gregis dominici sceleratum hostem Albertum* Pichot, *forti prosequens obsidione, adversa e propugnaculis sagitta percussus, infelici præmaturoque funere cecidit anno millesimo centesimo octogesimo primo, 14 Augusti,*

Pugili bene merenti fratres posuere.

LII. Henricus.

DE CASTRES.

Folmari comitis de Castris ex Clementia, Folmari Metensis comitis nata, filius Henricus, Metensis itemque Leodiensis archidiaconus, vir fuit usu rerum litterisque pro tempore admodum eruditus. Is inter turbas, quæ ea ætate regnum & ecclesiam diviserunt, palam addictus schismati, pseudopontificum partes sectatus est, ac omnibus quibus potuit artibus, reconciliationi Friderici Cæsaris cum Alexandro III papa moram & impedimentum attulit; quin & totis viribus connixus est anno 1177 ut, quam jam prope Venetiis erant composituri, pacem dimoveret. Ea propter exsecrationi cum schismaticis nominatim est traditus. Verum id non vetuit quin clerus
Virdunensis Cæsaris impulsu anno 1181 1181.
Henricum in præsulem cooptaret. Diplomati
ejusdem Imperatoris Veronæ dato an. 1184 1184.
in gratiam Lugdunensis ecclesiæ subscripsit. Institutam inter Virdunense capitulum & abbatiam sancti Michaëlis sodalitatem firmavit
an. 1185, ordinationis suæ 3. Cum recusasset 1185.
adstare synodo, quam Folmarus Trevirensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, suffraganeis totique clero apud castrum Mousonium an. 1186 in Quadragesiman indixerat, non anathemate tantum est perculsus, verum & dignitate dejectus, quemadmodum Romæ damnatus fuerat a Lucio III pontifice. Si Wasburgio fides est, cuidam concilio Remensi se stitit Henricus, in quo, mature discussa causa ejus, ad abdicandum episcopatum, quem censuris illigatus invaserat, est damnatus. Vibratum quidem est interdictum in eos, qui ipsius defensionem susciperent aut obsequium præstarent. Cui sententiæ Virdunenses clerici, qui aderant concilio, paruerunt. Attamen Folmarus Trevirensis archipræsul & Bertrannus Metensis Henrico suaserunt ut judicio concilii acquiesceret, data fide, ut si ultro ab episcopatu ante promulgationem sententiæ cederet, ille censuris solveretur, & in archidiaconatum aliaque sacerdotia, quæ in ecclesia Leodiensi possidebat ante electionem, restitueretur. Quod consilium Henricus secutus est, moxque Leodium secessit. Adhuc in vivis erat an. 1196, uti constat ex litteris, quas Celestinus III ad eum direxit an. pontificatus 6. Ætate gravis occubuit & sepultus est in ecclesia S. Lamberti ante altare S. Stephani.

LIII. Albertus II.

DE HIRGIS

Genitores habuit Albertus Theobaldum de Marleriis & sororem Arnulfi *de Chiny* episcopi, cujus curis cum liberaliter educatione fuisset institutus, thesaurarii munere per ipsius cessionem honestatus

ANNI CHRISTI

honestatus est. Sortitus autem est germanum Ludovicum abbatem S. Vitoni. Post vero abdicationem Henrici a majori saniorique capituli parte an. 1186 in episcopum fuit assumtus;
1189. pars autem altera sua detulit suffragia Roberto canonico, gente Grandis-prati procreato. Unde subortum est funestum schisma, ex quo maxima in Virdunensi diœcesi emersit perturbatio. Albertus tamen, absente Friderico Cæsare, nuper Jerosolymam ad expeditionem adversus Turcas profecto, sententiam ab Henrico Romanorum rege, Friderici filio, anno 1189 obtinuit, per quam licitum ei fuit ut, præstito fidei sacramento, temporalium rerum in possessionem adiret. At penes eum non fuit infensos sibi animos mitigare; etenim quamdiu vixit, factionibus non desiit exagitari. Inter ejus audacissimos hostes, in primis erant tres eximiæ ac nobiles civitatis familiæ, quæ, spreto regis Henrici judicio, Roberti partes adversus Albertum suscepere. Et quidem rebellio eo usque devenit ut illum episcopum habere detrectarent, nec judiciorum ministris, quos ipse instituerat, parere vellent. Quin etiam juncti populo factiosi, gentisque de Grandi-prato auctoritate subnixi, rectores atque judices sibi creare haud veriti sunt. Interim Albertus, relicta civitate, in castrum de Carniaco ad Mosam secessit, indeque circumjecta urbi loca copias depopulatum immisit, adeo ut rura cultoribus indigerent, omneque commercium penitus fuerit intermissum. Aliunde rebelles, promissa mercede, duos ad partes suas traxere toparchas, Cononem *de Raulam* & Alanum *de Creux*, qui mox capto episcopum comprehendendi consilio, ante Carniacum quod obsidio cingere volebant, & ipsi profligati fuere. Quibus fugatis, Albertus urbem cœpit acrius urgere; nec multo post, clanculum nocte discessis perduellibus, introrsum inductus fuit a plebe pressa fame, cujus fidem iterum exegit. Hostes vero, perdita omni spe recuperandæ urbis, episcopum atroci facinore e medio tollere statuerunt. Quod ut facilius exsequerentur, finxere se velle de pace cum illo agere. Locus igitur ad id designatus est, cui Albertus non defuit ad diem præstitutam. Dum illic pacificationis rationes utrinque volverentur, confestim a sicario lancea graviter percussus a tergo, concidit mortuus anno 1208, die 25 aut 26 Julii. Corpus ejus in urbem revectum, in veteri choro cathedralis, quem mosaici operis pavimento instruxerat, conditum fuit. Cernitur etiamnum ejus effigies pontificalibus indumentis exornata, circa quam leguntur hi quatuor versus:

Ecce pater populi, patriæ decus, anchora cleri,
Ecclesiæ lampas, vitæ speculum, schola veri,
Pro patria cecidit, supremum passus agonem,
Luce minus nona te, Phœbe, tenente leonem.

LIV. Robertus I.

DE GRANDPRE.

Admodum juvenis & illitteratus Robertus, octo diebus post cædem Alberti, ex primicerio episcopus evasit, consentientibus omnibus pene canonicis, a Theoderico de Marceyo decano instigatis. Illis enim ventum erat in spem, quod Robertus tam gentis suæ, quam qua apud Othonem IV Cæsarem (in cujus curia fuerat educatus) auctoritate valebat, exortas antecessoris sui ætate dissensiones tolleret, atque viriliter ecclesiæ Virdunensis jura tutaretur. Hæc tamen electio omnibus haud accepta fuit, præsertim Herberto de Ivodio Remensi decano atque canonico Virdunensi, cui Theodoricus decanus, ejuratis Roberti partibus, sese adjunxit: illi namque intercesserunt electioni, ex eo quod contra ecclesiasticas regulas facta fuisset, Roberto enim nec requisitam canonibus ætatem, nec necessariam episcopo doctrinam habente. Plerisque tamen electoribus pro Roberto stantibus, Herbertus & Theodoricus ad sedem apostolicam appellarunt, ut ubi daretur locus, intercessionis causas exponerent.

Interea rebelles, qui sub Alberti pontificatu ex urbe excesserant, in patriam reversi, novas cœperunt movere turbas, magistratibusque ab episcopo recens institutis parere detrectarunt; quin & ipse eo adactus fuit ut urbem desereret, ne tamen amota voluntate, utcunque posset, jura sua tueri. Enimvero, subitariis collectis militibus, Virdunum obsidione cinxit ac in ditionem suam redegit. Mox ut oppidanos ad obsequium compulerat, clero impositum vectigal scito rescidit an. 1208. Subscripsit 1208.
an. 1210 chartis monasterii Insulæ-Barrensis, laudavitque an. 1213 donum Garini *Riddech* de S. Andræa, religionis habitum in eo monasterio mox induturi. Privilegium, quod Virdunensi clero ipse indulserat, a Friderico II confirmari curavit an. 1215, quo cœnobio de Bello-fageto silvam dono dedit. Romam eodem anno profectus, ut causam suam adversus Herbertum canonicum & Theodoricum decanum accusatores coram summo pontifice defenderet, litem perdidit an. 1216. Jussus enim est ut intra sex menses episcopatum capitulo dimitteret. Verum, mensibus sex necdum elapsis, Robertus Virduni obiit, & funeratus est in æde majori.

LV. Johannes I.

D'APREMONT.

Parentibus Gaufrido barone Asperomontii & Elisabetha de Dampetra genitus Johannes, ex insigni provinciæ Lotharingiæ prosapia, Metensis itemque Virdunensis canonicus, in episcopum cooptatur anno 1217. Sic illum celebrant gesta episcoporum Metensium: *Qui cum esset in flore juventutis suæ constitutus, citra annos, qui in electionibus episcoporum requiruntur, immaculata ejus vita defectum ætatis in eo plenius supplente, cleri concordia & lætitia populi pariter accedente assumtus est in episcopum Virdunensem.* In continuatione Laurentii de Leodio dicitur *gloria dignus & honore.* Diversarum ecclesiarum decimas largitus est canonicis majoris ecclesiæ. Episcopales proventus

Spicil. t. XII, p. 244.

ANNI CHRISTI

ampliavit, pretio comparatis universis juribus, quæ Jacobus dominus *de Coms* habebat apud Hatonis-castrum & Sampigneium. Luxemburgense castrum anno 1220 acceptum loci domino biennio post reddidit. Fratribus Prædicatoribus, in urbem a se accitis, ecclesiam parœcialem S. Johannis Evangelistæ ædesque concessit anno 1222. De suo etiam contulit eodem anno, opem præbente Simone *de la Porte* ditissimo cive, instruendo conventui fratribus Minoribus. Ipso quidem anno monasterium S. Nicolai de Prato, cujus ab anno 1219 jecerat fundamenta, perfecit, eductis inquilinis ex S. Victore Parisiensi, ad quorum sustentationem tam ipse quam canonici ecclesiarum cathedralis & collegiatæ dona quædam indulserunt. In Metensem cathedram episcopalem ob eximias virtutes elatus an. 1224, a Virdunensi capitulo rogavit, ut consanguineum suum Radulfum de Torota institueret successorem.

DE TOROTE.

LVI. Radulfus.

Johanne de Torota & Odeta de Dampetra nobilibus parentibus satus Radulfus, ecclesiæ Laudunensis canonicus & præcentor, Roberti Lingonensis tum Leodiensis frater, ipse per cessionem Johannis propinqui sui, ad sedem Metensem traducti, Virdunensem episcopatum consecutus est, adprobante saniori capituli parte. Altera vero pars episcopum cooptarunt Henricum *de Malapete*, præpositum Montis-falconis & archidiaconum Argonæ. Causa ad Honorium III pontificem delata ac per biennium aut circiter agitata, confirmata est electio Radulfi, dataque est Odoni Tullensi episcopo rei cognitori potestas excommunicandi hos omnes, qui Henrici partes susciperent. Ubi prolatum fuit id judicium, Radulfus Odonis episcopi copiis roboratus, Virdunum adversariis sustulit. Mox ut in possessionem est ingressus, canonicorum animos sibi conciliandi gratia, litteras anno 1226 ab Honorio petiit de abrogatione muneris Thesaurarii, cujus proventus canonicis rei divinæ adstantibus dividerentur. Quam dispositionem eodem anno mense Aprili in crastino Palmarum curarunt a papa jussi abbates S. Pauli, S. Vitoni, atque sancti Agerici. Confirmavit etiam hoc anno constitutionem monasterii S. Nicolai Pratensis, laudavitque initam inter abbates SS. Vitoni & Pauli atque canonicos cathedralis transactionem; quin & vivendi normam personarum utriusque sexus servitio xenodochii S. Nicolai devotarum comprobavit. Quamdam venditionem Goberti domini Asperomontii factam monasterio sancti Vitoni ratam habuit

Charta XXXVII, col. 578.

1227. an. 1227; eodemque Dominica ante Ascensionem professus est se spopondisse pro Johanne episcopo Metensi propinquo suo. In quibus actis tantummodo dicitur electus.

Sub id tempus Virdunenses oppidani, facta rebellione armisque sumtis, magistratibus, quos instituerat episcopus, obsequium detrectarunt, contraque ecclesiastica privilegia clericis imposuere tributa. Radulfus ut sartum-tectum se conservaret a defectorum violentia, in castrum de Carniaco se recepit. Unde invocatis in auxilium copiis amicorum ac propinquorum, Johannis episcopi Metensis & Goberti baronis Asperomontii, accessit obsidione Virdunum ergo cingendi. Undecim diebus cum illic stetisset exercitus, ne ullum quidem doloris indicium exhibentibus oppidanis, Radulfus veritus ne milites, si vi caperetur urbs, stragem facerent, obsidium solvere duxit, fameque urbem ad deditionem constituit adigere. Hostes itaque ut commeatibus intercluderet, militibus singulos ad urbem aditus munivit. Aliquanto post ad summas angustias adducti cives, ad episcopum fidem pollicentes accessere: sed datæ fidei haud diu perstiterunt. Enimvero quosdam e suis, inscio Radulfo, Aquisgranum ad Henricum Romanorum regem miserunt postulatum privilegium, quo dominatus episcoporum forent expertes: & vero petitionis suæ effectum sunt assecuti. Quod ubi rescivit episcopus, regem Wormatiam adiit rogans, ut subreptitium quod obtinuerant oppidani diploma circumduceret. Precibus ejus rex annuens, non litteras modo rescidit, sed & eximium indulsit privilegium de confirmatione qualiumcunque jurium episcopalium 26 Aprilis 1227. Radulfus ut in urbem est reversus, regium præceptum denuntiavit civibus, extraneisque voluit committere comitatus administrationem. Illi hac de re irati, novas turbas excivere, quas ergo comprimendi Trevirensis archiepiscopus Virdunum missus fuit ab Henrico rege, qui sub gravibus pœnis bonorumque jactura civibus interdixit usum diplomatis nuper indulti. Jurgia tamen & discordiæ postmodum recruduerunt; quibus ut finem imponeret Radulfus, vir vere pacificus, pactionem cum oppidanis iniit, facta siquidem ipsis cessione vicecomitatus pro duobus millibus librarum fortium, cum hac tamen clausula, ut ille ejusque successores præsenti pecunia redimere possent. Quasdam etiam de mutuis jurisdictionibus cum capitulo habuit controversias, quas sopiverunt arbitri an. 1229 mense Junio. Hominium accepit anno 1235 a comite Guerlando 1235.
pro castro de Valdentia. Provinciali concilio Trevirensi an. 1238 mense Septembri festa 1238.
die sancti Matthæi, Theodorico archiepiscopo præside, interfuit. Montevodemari in Campania præsens aderat 13 Maii 1239 cum 1239.
Manichæi seu Bulgari centum octoginta tres coram Navarræ rege, baronibus multisque prælatis ob errores incensi fuerunt. Pactiones iniit anno 1240 cum Theobaldo Barrensi 1240.
comite, qui episcopi Virdunensis hominem ligium se professus est. Subscripsit an. 1243 1243.
pactis, quæ inter se fecerunt Jacobus Metensis episcopus & Robertus dominus *d'Aix*. Eo quidem anno patronatum ecclesiæ S. Salvatoris monasterio S. Agerici restituit. Post tandem unum supra viginti annos quam episcopatum

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

sapientissime moderatus fuerat, extremum diem A clausit anno 1245 die 21 Aprilis, ac in vetusto choro cathedralis sub nigro lapide juxta Albertum II episcopum tumulatus est. Cujus funera prosecuti sunt Robertus Leodiensis ejus frater & Rogerus Tullensis episcopi, itemque abbates S. Vitoni, S. Agerici & Belliloci. Robertus vero Leodiensis Radulfi frater ex successione defuncti sacellum fundavit, in quo capellanus inter vigilias nocturnas quotidianam missam celebraret pro remedio animarum Radulfi germani & Johannis *d'Apremont* quondam Metensis præsulis propinqui. Hoc autem epitaphio decoratus fuit Radulfus: B *Anno Domini M. CCXLV, XI calendas Maii obiit Radulfus de Thorota, felicis memoriæ Virdunensis episcopus.*

E TRAIGNEL.

LVII. Guido I.

Nobili gente de Triangulo in Campania cretus Guido, Virdunensis canonicus, dum adsoret generali concilio Lugdunensi, ad quod decessoris sui mandato prodierat, pro meritis ad episcopale munus a capitulo sublimatus fuit
1245. anno 1245. Is ab Innocentio IV confirmatus, cum pontificis ejusdem venia Virdunum iter intendit. Verum apud castrum Hatonis, ubi C constiterat donec omnia ad solemnem ingressum parata forent, valida febre correptus, post paucos dies excessit e vita, magnum sui desiderium apud omnes relinquens. Delatum in urbem corpus ejus, honorifice sepultum est in majori ecclesia.

DE MELLO.

LVIII. Guido II.

Claro genere in Burgundia prognatus Guido, filius Guillelmi toparchæ S. Prisci, decanus Autissiodorensis ecclesiæ, si scriptori vitarum episcoporum Autissiodorensium fides sit, per canonicam electionem ad regimen ecclesiæ D Virdunensis vocatus est; si Wasburgio credere libet, in concilio generali Lugdunensi, ad quod deputatus fuerat ab Autissiodorensi capitulo, præsul ab ipso summo pontifice Innocentio IV renunciatus fuit an. 1245. Paulo post Virdunum iter aggressus, possessionem, nullo reclamante, capessivit; sed mox animadvertens episcopalem jurisdictionem a civibus sensim imminui, vicecomitatum ex eorum manibus eripere cogitavit. Primum uti multa mansuetudine ei visum est: accitis enim in ædes episcopales magistratibus atque primoribus cleri ac populi blando sermone aperuit id sibi E in animo esse ut in possessionem comitatus rediret; insuper addidit se restituturum esse duo millia librarum, quæ suo antecessori Radulfo tradiderant. Quas conditiones cum sprevissent, hos excommunicatione plexuit, ac protinus ex civitate cum clero egressus est; moxque corrasis militibus ad obsidendam urbem est reversus. Oppidani vero se acri animo defendere, innumeraque intulere damna ecclesiis ac monasteriis. Turrim enim S. Pauli extra muros everterunt, idemque fecissent de duabus turribus S. Vitoni, ni Guillelmus abbas fidem dedisset se duo librarum millia persoluturum, in hoc casu quod urbs ex ea parte detrimentum periclitata fuisset. Septa tamen monasterii diruerunt, lapidibusque usi sunt resarciendis civitatis mœnibus. Parte ex altera Guido nec turibus nec externis ædificiis parcere, quin & majus suburbium usque ad S. Amandum conflagrare. Cum tamen in moras obsidium produci cerneret, omnes ad urbem aditus occludere, eamque ad deditionem fame cogere maluit, quam totum exercitum certo mortis periculo exponere. Alienigenis itaque dimissis militibus, reliquas copias in tres partes divisas diversis in locis, puta apud Carniacum, Deiam & Ventrovillam locavit: unde illæ quidlibet genus annonæ urbi intercluserunt. Hostes vero numero tredecim millium pugnatorum ex urbe erumpentes anno 1246 feria secunda post 1246. festum S. Bartholomæi, ad episcopales copias e propugnaculis expellendas incessere. Quod ubi Guidoni notum fuit, in insidiis posuit milites suos, qui in cives inordinatos irruentes, centum ex illis vel amplius occiderunt, aliosque fere trecentos captivos fecerunt. Consternati hac clade oppidani, has pacis accepere conditiones, ut pro captorum libertate luerent decem millia librarum, de qualicunque jurisdictione super urbem desisterent, ædiles ceterosque magistratus a se creatos exauctorarent, atque tandem vicecomitatui, condonatis episcopo duobus librarum millibus, nuntium remitterent. Pacta hæc omnes jurarunt anno 1246 in vigilia S. Andreæ. Quibus peractis, Guido decreto Innocentii IV ad Autissiodorensem ecclesiam, cujus decanatum servaverat, traductus fuit mense Februario circa Purificationem B. Mariæ an. 1247, uti jam dictum est tom. XII, col. 305.

D'AIX.

LIX. Johannes II.

Inclyta stirpe de Asse Virdunensis pagi, familiis Hollandiæ & Asperomontii affinitate devincta, ortus Johannes, Radulfi de Torota Virdunensis & Roberti Leodiensis episcoporum nepos, Guidone decessore, cui in bellis adversus cives opem tulerat, instigante, enixeque clero Virdunensi rogante, ex canonico & primicerio creatus est episcopus anno 1247 ab Innocentio IV pontifice. Præsulatum vix ille subierat, cum oppidani, quibus nequaquam erat acceptus, novas cœperunt movere turbas & amaras emittere querelas de damnis, quæ postremo passi fuerant bello, deque exitiosa pacis compositione cum Guidone ejus antecessore sancita. Diuturnioris discordiæ Johannes pertæsus, pacem quoquomodo revocare constituit. Alteram siquidem, agentibus arbitris, pactionem cum civibus iniit an. 1247 feria 5 ante primam Dominicam Quadragesimæ, qua ad Radulfi præsulis exemplar ipsis vicecomitatum fructusque & emolumenta ex eo proventura pro duobus librarum millibus cessit ea lege, ut in publicum usum impenderentur,

Ejus tamen precatu jus principem ædilium A instituendi decano majoris ecclesiæ & abbatibus S. Vitoni atque S. Pauli a Radulfo concessum, ab Imperatore abrogatum fuit. Nonnulla etiam hoc anno canonicis ecclesiæ cathedralis condidit statuta, quæ Lugduni a summo pontifice confirmata sunt 27 Junii. Quiddam quoque ab abbate S. Pauli Theobaldo Barrensi comiti fecit licentiam comparandi. Ad annum
1248. 1248 quindecim libras capitulo indulsit, puta quinque distribuendas die sui anniversarii, & decem alias in anniversariis Johannis *d'Apremont* Metensis & Radulfi de Torota Virdunensis episcoporum. In hoc documento, ita B quidem & anno 1252 in transactione inter Jacobum Metensem episcopum & Robertum *d'Aix* se tantummodo dicit electum. Decubuit hoc anno 1252, reconditusque est in veteri choro cathedralis. Cujus obitus in necrologio S. Vitoni consignatur ad diem 10 Augusti.

LX. Jacobus I.

DE TROYES *ab* PANTALEON.

In episcopatu Johannem excepit Jacobus. Hic Trecis in humili tugurio in parœcia monasterii sanctimonialium B. Mariæ satus patre sutore, dicto Pantaleone, Puer primis litterarum imbutus est elementis in scholis C capituli Trecensis: exinde Parisios ad studia profectus, lauream doctoris promeruit. Prima ejus in sacro ministerio munia hæc fuere, ut parœcialem ecclesiam in natali solo regeret. Quo munere cum aliquandiu rite perfunctus fuisset, ob eximias virtutes in ecclesia Laudunensi ab episcopo archidiaconatu fuit honestatus: eoque nomine bis aut ter Romam tetendit ejus ecclesiæ jura tutaturus. Factus postmodum Leodiensis archidiaconus, ad Lugdunense concilium a capitulo suo delegatus se contulit anno 1245. Tantam ibi gratiam atque fiduciam D apud Innocentium IV sibi peperit, ut legationes ergo obeundi in Poloniam & Germa-
1248. niam ab eo pontifice missus fuerit annis 1248 & 1251. Insequenti pontifex ipsum ecclesiæ Virdunensi orbatæ pastore præfecit, nec sivit, quandiu vixit, ut is, cujus utebatur consiliis in gerendis ecclesiæ rebus, a se discederet.
1254. Verum anno 1254 post obitum papæ Innocentii Jacobus Virdunum accessit ut acciperet possessionem. Qua accepta, vicecomitatum a Johanne decessore suo civibus oppigneratum ut recuperaret omnia molitus est. Cum utrinque disceptata fuisset res, sublecti sunt arbitri, qui E causa mature examinata, sanxere eo anno in vigilia sancti Johannis-Baptistæ ut, postquam civibus repensa fuissent duo librarum millia, Johanni numerata, episcopo ejusque successoribus omnino cederet vicecomitatus. Hanc vero summam Jacobus exsolvere nequivit: ei tantummodo fuit tempus recipiendi molendina quædam subtus ædes episcopales oppidanis etiam oppignerata. Nonnullas quoque decimas tradidit majori ecclesiæ pro fundatione missæ de Sancto-Spiritu quotannis celebrandæ feria secunda ante festum sancti Johannis-Baptistæ, quæ post suam mortem in missam de defunctis mutaretur.

Inter hæc Jacobus ab Alexandro IV pontifice, qui ejus doctrinam & experientiam apprime noverat, Jerosolymitanus patriarcha creatus fuit bulla data 7 Decembris 1255. Cum in Palæstina aliquot annis resedisset, in Italiam quæsitum opem a papa reversus est: verum petitionis suæ effectum dum expectaret, Alexander IV Viterbii excessit. Cujus in locum cardinales an. 1261, 29 Augusti suffecerunt Jacobum, qui dictus est Urbanus IV. Ad pontificatus apicem evectus, Virdunensi ecclesiæ inter alia privilegia concessit indulgentias per annum unum & quadraginta dies his, qui ipsam ecclesiam in festivitatibus Assumptionis & Nativitatis B. Mariæ visitassent. Perusiæ occubuit 2 Octob. 1264, ibidemque sepultus est in cathedrali ecclesia. Lege si lubet quæ de illo post Marlotum retulimus tom. IX, col. 138 & seqq.

LXI. Robertus II.

DE MILAN.

Natione Lombardus, a patrio solo dictus Mediolanensis Robertus, per superioris cessionem, curante papa Alexandro IV, ad Virdunenses infulas est elatus an. 1255, propereque 1255.
ad accipiendam possessionem accessit, plures secum abducens clericos, quos ejus ecclesiæ canonicos creari plurimum exoptabat. Enimvero non tantum a capitulo rogavit ut hos Virdunensi ecclesiæ consociaret, sed & in eorum gratiam pro canonicatibus vacaturis commendatitias literas Romano pontifici scriberet. At decanus & canonici decreto atque jurejurando tunc statuerunt, ut in cujusvis gratiam apud quemcunque nec autoritatem nec sollicitationes suas unquam interponerent. Quamvis repulsam hanc Robertus a canonicis passus fuisset, nihilominus tamen curam habuit, ut cum ipsis æque ac omnibus pacem atque concordiam servaret. Is namque jura omnia muneris primicerii auctoritate sua capitulo firmavit. Pluries ob mansuetum & pacificum animum arbiter est electus in componendis litibus, potissimum anno 1257, quo inter 1257.
Theobaldum & heredes Valdrici de Montefalconis exortam diremit simultatem. Oppidanorum animos adeo sibi devinxit, ut publica edictione episcopus & dominus urbis sit renuntiatus. Sua etiam mansuetudine ac venustate hos sibi tam arcte allexit, ut nunquam ab obstricta ei fide desciverint. Splendidus ac magnificus fuit tam in mensa quam in ædificiis, quæ in dominiis episcopatus construi jussit. Canonicos & exemplo & munificentia incitavit ad præbendam summam divinis rebus assiduitatem. Statuto vetuit an. 1264, com- 1264.
probantibus primicerio & archidiaconis, ne officiales aut notarii tabulas abalienationis bonorum ecclesiasticorum conficerent. Plures cum vicinis toparchis ei fuerunt controversiæ, in primis cum dynastis *d'Apremont, de Commercy, de Bourlemont*, quas omnes ad felicem exitum

deduxit. Leodiensi ecclesiæ terram Jupeliæ A
1266. cessit anno 1266 sub censu perpetuo centum
marcharum argenti unoquoque anno in die
Purificationis Virdunensi episcopo solvendarum:
sancitum quidem est ut cum Virdunensis
episcopus Leodii consisteret, distributionum
capituli foret particeps. Imo & his diebus
inter utramque ecclesiam instituta est suffragiorum
& precum societas. Curas suas interposuit
ut Urbanus pontifex IV ad episcopatum
Metensem extolleret Guillelmum *de Trainel.*
Prædium *de Virton* a Ludovico comite Chi-
1269. niaci an. circiter 1269 comparavit. Trecentis
libris medietatem nemoris *de Freval* emit anno B
1270 a Ferrico *du Châtelet.* Post quatuordecim
annos quam in episcopatu pacifice exegisset,
librasque triginta pro suo anniversario tradidisset,
a vita descivit 7 Septembris 1271.
Jacet in sacello S. Martini a latere dextro.

LXII. Ulricus.

SARNAY.

Morum candore æque ac natalium splendore
commendandus Ulricus, archidiaconus majoris
ecclesiæ & præpositus capituli S. Magdalenæ,
unanimi cleri voto totiusque populi plausu
1271. præsul edictus fuit anno 1271 festo die sanctorum
Simonis & Judæ. Post cujus promo- C
tionem Gaufridus primicerius, Thomas decanus
totumque capitulum litteris suis datis an. 1272
postridie festi SS. Petri & Pauli Gregorium X
Charta XL, col. 579. rogarunt, ut cuipiam episcopo Ulricum in
presbyterum tum in episcopum ordinandi curam
committeret, quoniam ob senium, æstivum
fervorem, armorumque fragorem metropolitanum
convenire non poterat, versante tunc
in tota provincia uno tantum episcopo, cui
1272. episcopale munus obire fas esset. Subsequenti
anno inter Leodiensem & Virdunensem ecclesias
ea pactio facta est, ut loco centum marcharum
argenti, quas Leodienses canonici D
Virdunensibus pro terra Jupeliæ debebant,
triginta tantummodo solverent. Ulricus vero
jussit ut sua ejus summæ pars, quandiu foret
superstes, destinaretur fundationi missæ de
S. Spiritu, quæ post suam mortem in missam
de defunctis converteretur. Sacros ordines
Sabbato Quatuor-temporum Quadragesimæ
73. festo die S. Mathiæ an. 1273 administrare
constituerat: at mane ubi ventum est in ejus
cubiculum, repertus fuit mortuus. Sepulturam
nactus est a latere sinistro sacelli S. Martini,
cui isti versus inscribuntur:

Vir magnæ laudis & purus crimine fraudis,
Hic jacet Ulricus, humilis, pius atque pudicus,
Votis accitus est cleri, mitra redimitus,
Et præsul factus, dum vigilavit in actus
Et Regem Cœli dilexit mente fideli,
Tunc pater insignis meritis, & nomine dignus
Transiit ecclesiæ sublatus nocte Mathiæ,
Anno milleno bis centeno duodeno
Sex vicibus primo, tumuli requievit in imo.

LXIII. Gerardus.

DE GRANDSON.

Post Ulrici obitum, si Virdunensis ecclesiæ
tabulis sit fides, episcopalis sedes tribus vacavit
annis: at istud interpontificium non adeo diutinum
fuisse probatur ex epistola Gregorii X
Mediolani data, qua hic pontifex an. 1275 1275.
electo Virdunensi jussit, ut Eduardo Angliæ
regi & aliis ad belli sacri apparatus decimas
distribueret. Hic electus, cujus nomen in
epistola reticetur, sane erat Gerardus de Grandisono,
nobili stirpe *de Granson* in Sequanis
procreatus, qui comitis Chisnciensis avunculi
sui favore & gratia a capitulo ex primicerio
episcopus creatus fuit. Transactionem de molendino
d'Aix iniit cum canonicis ecclesiæ
S. Magdalenæ. Plurium dynastarum fidem
clientelarem excepit an. 1277. Inter Rodulfum 1277.
abbatem S. Vitoni & Dominicum præpositum
Rodulfi competitorem magnam sustulit controversiam.
Litteras ab Eduardo I Angliæ rege
de proposito inter ejus filiam & natum regis
Romanorum matrimonio accepit an. 1278
die 8 Novembris. Habetur & alia ejusdem
regis ad eum epistola de re altera. Monasterii
Castellionis splendidiorem ecclesiam instruere
constituerat, sed morte præventus id opus
imperfectum reliquit, commendavitque germano
ac decessori suo Henrico: is namque
excessit eo anno 1278. Cujus corpus in illud
monasterium devectum fuit ac sepultum a latere
dextro chori, ubi id habet epitaphium:

Hic jacet D. Gerardus de Grandson *61 episcopus Virdunensis, qui obiit anno Domini 1278.*

LXIV. Henricus III.

DE GRANDSON.

Superioris germanus Henricus, natus ut
ille familia & urbecula de Grandisono ad
lacum Novi-castri in Helvetia, in Burgundiæ
finibus, fratrem suum in episcopatu excepit
anno 1278 a capitulo nominatus. Cœpta in 1278.
monasterio de Castellione ab Gerardo ædificia,
pluresque ab eo moriente imperatas donationes
est exsecutus. Conradum Tullensem episcopum
adeuntem in possessionem comitatus est anno
1280. Annui vectigalis a capitulo Leodiensi 1280.
debiti Virdunensi ecclesiæ exsolutionem probavit
anno 1286. Majori basilicæ testamento 1286.
suo pro anniversarii institutione tradidit medietatem
unius molendini. Cum prudenter ac
quiete octo annis episcopatum moderatus fuisset,
E abiit e vivis eo anno 1286. Ante mortem
jusserat ut in monasterium Castellionis efferretur
corpus suum, ubi in choro ecclesiæ a
parte sinistra majoris altaris inhumatum fuit,
inscriptis tumulo his versibus:

Hic pater Henrice de Grandisono requiescens,
Cunctis vivifice declaras, carne putrescens,
Spernere terrena mundi bona, sic & amœna,
Nam cito mundana fugiunt, quasi visio vana,
Præsul eras dives, nunc de putredine vives.
Non ita quis fortis, quin solvat debita mortis.

ANNI CHRISTI

DE RUVIGNY.

LXV. Jacobus.

A loco patriæ Revigniaco in Barrensi pago sic dictus Jacobus, ab Italis vocatus de Ravenna, inter jurisperitos ejus seculi celeberrimus, jus canonicum magno cum plausu Ravennæ docuit; unde sortitus est nomen Jacobi de Ravenna. Huic Bartholus id tribuit testimonium, quod ille tam recte sensum legum accepisset, ut & ipsis legibus videretur animatus. Quamplurima docta lucidaque super hac materie vulgavit opera, enumerata a Trithemio, qui eum distinguit a Jacobo de Arena, licet utrique eadem attribuat opera. B Jacobus ex auditore Rotæ Romanæ post aliquot annorum interpontificium Virdunensi ecclesiæ præfectus est a Nicolao IV papa, cui episcopum instituendi provinciam capitulum detulerat, propterea quod oppidani, summam potestatem capti desiderio usurpandi, canonicos adigere vellent ad eligendum episcopum parum auctoritatis studiosum. Reate in Italia versabatur
1289. 31 Augusti 1289, quo Nicolaus IV pontifex commissarios instituit, qui ordinem Cluniacensem reformarent; in qua bulla dicitur electus. Possessionem cum Rodolfi imperatoris venia
1290. consecutus anno 1290, ab ipso investituris C anno eodem donatus est. Eo quidem anno VI id. Octobris id litteris summi pontificis impetravit, ut cum clero Gallicano pro regni necessitatibus imponerentur decimæ, ecclesia Virdunensis foret immunis. Confirmavit etiam capitulo cessum ab abbatissa & sanctimonialibus S. Mauri jus nominandi ad parœcialem ecclesiam *d'Aubreville*. Ab eo quoque consecratum fuit altare ecclesiæ *d'Avocourt*. Colettæ atque Franciscæ ejus filiæ, ambabus viduis, itemque Agathæ & Margaritæ *Graimler* filia-
1292. bus Martelli civis Virdunensis anno 1292 fecit licentiam oratorium aliasque cellulas con- D dendi in Virdunensi suburbio, ubi a seculo sejunctæ degere possent. Ad quas ordini Fratrum Minorum consociatas, in regularibus disciplinis informandas, tres sanctimoniales Urbanistæ Metis anno postero eductæ sunt. Hominium a Johanne Barrensi comite nec non a Folmaro Theologiensi abbate suscepit
1294. an. 1294. Subscripsit an. 1296 mense Junio litteris, quibus Alexander de Dampetra Henrici comitis Barri vassallum se profitetur. Multas tamen sustinendas habuit ærumnas ab oppidanis, natura ad rebellionem proclivibus, quos ob facultatum exiguitatem nec coercere vale- E bat. In his angustiis interpellavit Bonifacium papam VIII, cujus mandato rebellionis duces censuris & interdicto constrinxit. Unde gravissima emersit litigatio, pro cujus defensione Jacobus Romam profectus, in itinere contracto
1296. morbo, Florentiæ mortuus est an. 1296.

DE RICHERICURT.

LXVI. Johannes III.

Patre comite de Richericurte atque matre sata nobili gente de Aspero-monte (quod nomen præ suo diligebat) Johannes exortus, A canonicus Virdunensis, qui quidem habebat dignitatem in Leodiensi capitulo, ubi consistere consueverat, episcopus Virdunensis capituli suffragiis est renuntiatus. Cujus electionem Bonifacius pontifex, tametsi a Virdunensi clero rogatus, probare renuit per annum pene integrum, quem inter litteris Johanni electo totique capitulo Virdunensi inscriptis anno 1297, 1297.
18 Septemb. postridie festi S. Lamberti, innovata est inter utramque ecclesiam Virdunensem & Leodiensem antiqua societas; addita hac conditione ut cum canonicus unius ex his ecclesiis Virdunum sive Leodium adiret, quotidianam tribus diebus haberet distributionem. Ubi tamen Johannis præclaræ dotes, doctrina, bonaque fama papæ innotuerunt, ipsius promotionem ratam habuit, regalibusque ab imperatore Adolfo donatum in urbem cum maximis lætitiæ indiciis cives acceperunt. Ille vero prudentia & mansuetudine omnium animos adeo sibi devinxit, ut quandiu fuit superstes, discordiæ atque dissensiones intermissæ fuerint. Eodem anno prædium *de Moirey* ab æde majori comparatum laudavit. Inscriptas sibi ac episcopo Tullensi litteras ab Adolfo Cæsare an. 1298, V id. Aprilis accepit de ope ferenda 1298.
Henrico Barri comiti adversus Philippum Pulchrum Franciæ regem. Hoc etiam anno monachis de Castellione donum indulsit. Gravissimam litem cum primicerio & aliquibus archidiaconis composuit anno 1300, quo 1300.
Guillelmus ejus frater, præpositus S. Magdalenæ, fato functus est. Subditis suis, quos extera bella, fames, ingensque Mosæ exundatio valde hisce temporibus afflictarunt, auxiliares beneficasque manus porrexit. Duobus subscripsit documentis an. 1302: in uno testatur 1302.
Erardum de Barro professum se esse hominem ligium fratris sui comitis Barri; in altero præbet assensum ut post mortem suam Gaufridus de Aspero-monte redeat in possessionem bonorum, quæ ab ipso emerat. Eodem anno domum quondam dictam vulgo *de Sacz*, ad milites Templi spectantem, tradidit monachis Castellionis, ut in eam bellorum tempore se reciperent. Eodem anno pro suo obitu annuo vectigale super molendinis *de Tilly* majori ecclesiæ tributo, interiit die ultima Martii, magnum sui desiderium apud omnes relinquens. In capella S. Petri de Claustro prope Guillelmum fratrem suum archidiaconum & præpositum ecclesiæ S. Magdalenæ, quiescit his versibus honestatus:

Inclyta progenies Asper-mons qua decoratur,
Ut sub nube dies, hic præsul Jo. tumulatur.
Per famam gratus suscepit pontificatus
A papa sedem, modicam qui nunc habet ædem.
Exemplar morum fuit, & tutela bonorum
Et pacis cultor, odii vitiique sepultor,
Hic acquisivit, bene solvit, vivere scivit,
Cum magnis magnus, cum parvis mitis ut agnus.
Annis M. C. ter cum binis arduus æther.

ANNI CHRISTI

Hunc sublimavit & Sanctis associavit.
Ultima lux Martis suscepit in ædibus arctis
Membra Joannis, ubi jungitur & sibi frater.

DE BLAMONT.

LXVII. Thomas.

Filius Henrici comitis *de Blamont* & Johannæ de Barro ejus conjugis Thomas, Virdunensis primicerius, ante annum 1303 non
1303. est electus ex carthulariis S. Vitoni & sancti Agerici, in quibus sedes episcopalis adhuc eo anno vacasse legitur. Regalia ab Alberto Cæsare eo anno consecutus est. Cum Philippo Pulchro
1304. rege an. 1304 die 6 Februarii iniit pactionem, qua sancitum est ut rex & episcopus in bellis sibi invicem auxilium afferrent. Cathedrali ecclesiæ tradidit reditus silvarum, molendinorum & stagnorum *de Lemme* ea lege, ut quotannis tertia pars in die anniversarii sui canonicis dispertiretur. Fatis concessit in pervigilio sancti Johannis-Baptistæ anno 1305 senectute confectus. Sepulturæ traditus in sacello S. Martini a parte dextra, sub tumba in qua figura ejus cernitur insculpta.

DE NEUVILLE.

LXVIII. Nicolaus.

Prosapia toparcharum de Nova-villa super Ornam in Barrensi pago satus Nicolaus, ex canonico ad episcopalem dignitatem sodalium suorum calculis elatus est, vir magnæ pietatis; at quietis & tranquillitatis nimium amans. Equidem oppidani magna ejus facilitate & mansuetudine abutentes, tributa clericis absque ullo regiorum privilegiorum respectu imposuerunt. Quorum audaciam ut reprimeret, adversus eos interdicto censurisque incassum usus est. Investituram ab Alberto imperatore
1305. accepit an. 1305. Sub id tempus anno scilicet
1306. 1306 canonicis ecclesiæ S. Magdalenæ munus Thesaurarii capitulari mensæ adnectere placuit. Cui quidem unioni Nicolaus episcopus suam præstitit adprobationem. Compositionem iniit an. 1310 cum monachis S. Pauli. Eodem anno eremitis S. Augustini fecit licentiam monasterium exstruendi in urbe, prope ecclesiam militum Templi, quam per horum exstinctionem mox obtinuerunt. Ad hunc quoque annum, inscientibus canonicis, eam scivit cum oppidanis pactionem, ut tertiam magistratuum partem crearent, ædilesque instituerent. Illi hoc obtinuisse haud contenti, procuratores ad Philippum Pulchrum Franciæ regem miserunt; quorum precibus victus rex, cui promissum est annuum vectigal, annuit ut in urbe constitueretur privilegiorum civium regius defensor
1310. 8 Decembris 1310. Mox ut hæc oppidanis fuere concessa, vias omnes adhibuerunt ut episcopi autoritatem plane everterent. Verum
1311. ille defensionis gratia fœdus icit 3 Junii 1311 cum Petro de Barro domino de Petra-forti, qui, accepta pro mercede baronia de Musseio, promissam opem præbere noluit. Multa quoque passus est Nicolaus a canonicis cathedralis a quibus, ut facta cum oppidanis compositio patuit, tot ac tantis vituperiis affectus est, ut

A undequaque molestatus episcopatum abdicare statuerit. Re quidem vera anno 1312 cessit in gratiam Henrici de Aspero-monte.

D'APREMONT.

LXIX. Henricus IV.

Superioris cessione anno 1312 episcopus 1312.
evasit Henricus, filius Gausridi domini *d'Apremont* ex Elisabetha *de Kievrain*, Henrico VII imperatori sanguine conjunctus, ut investiturarum litteræ fidem faciunt. Promotionem ejus primum improbare visum est Clementi V. pontifici; at ubi Henricus ipsi notus fuit, bullas tribuere non hæsit. Ille mox Virdunum
B accedens ad accipiendam possessionem, diverse a canonicis & oppidanis est acceptus. Hi enim tam ipsius quam potentis ejus familiæ auctoritatem reformidantes, eum suspiciebant tanquam virum ad comprimenda eorum cœpta paratissimum: canonici vero illum habuerunt ut strenuum defensorem, qui clerum ab oppressione civium liberaturus esset. Enimvero Henricus oppidanis olim oppigneratam a Johanne *d'Aix* episcopo vicecomitatus administrationem judicavit adimere: quin & per exactas a magistratibus litteras in possessionem immissus fuit an. 1314 die 20 Maii. Verumtamen mense 1314.
C Julio insequenti ei libuit pro duobus librarum millibus denuo oppignerare, his conditionibus ut singulis annis in festo S. Johannis-Baptistæ magistratum, cui committeretur administratio comitatus, confirmaret, fideique sacramentum ab ipso acciperet. Statutum quidem est ut confecta a Nicolao *de Neuville* compositio nullius foret effectus. Quod tamen male fuit observatum, ut dicendi erit occasio. Porro Henricus eo anno 1314 monasterii Castellionis privilegia comprobavit. Ad clientelarem fidem admisit anno 1315 Eduardum Barri 1315.
comitem; eodemque anno mense Maio cum
D illo transactionem iniit. Insequenti anno fru- 1316.
gibus terræ aquarum copia penitus deletis, abunde cibaria egentibus elargitus est; & sic placavit oppidanos jam rebellatos, qui ut fames depulsa fuit, novas concivere turbas. Rogatus a Goberto fratre suo constitutioni collegii canonicorum in castro de Aspero-monte assensus est an. 1317. Eum inter & comitem 1317.
Barri pacis compositio facta fuit an. 1318, 1318.
arbitris Galthero *de Chastillion* Franciæ constabulario & Milone *de Nouviers*. Ab eodem *Hist eccl. & civil. Virdun. prob. p. 20.*
comite Barri homagium pro quibusdam feudis
E accepit, atque cum ipso de altero feudo transegit an. 1322, quo facta magistratibus urbi 1322.
tributum imponendi licentia, illud ad clericos contra voluntatem ejus extenderunt. Parœcialem ecclesiam Hatonis-castri in collegiatam sub invocatione S. Mauri Virdunensis episcopi erexit an. 1328, positis in ea viginti canonicis. Sub id tempus Parisios profectus, dedicationi ecclesiæ S. Ludovici de Pissiaco interfuit 12 Februarii 1330, præsente Philippo Valesio rege, a quo id assecutus est anno sequenti, ut Virdunensis ecclesia itemque civitas sub tutela & custodia Franciæ regum perpetuo remaneret.

ANNI CHRISTI

Hisce litteris in urbe vulgatis, adjunctoque A vexillis civitatis scuto Franciæ, a capitulo majoris ædis episcopus est admonitus valde timendum esse ne Imperator irasceretur ex eo, quod ecclesia Virdunensis Francorum regi subdita fuisset. Ad quæ Henricus responsum dedit se id justis de causis fecisse, quas & ipsis, modo
1333. vellent, aperiret. Anno 1333 dum suam diœcesim lustraret, reliquias S. Luciæ apud Sampigneium inspexit. Cujus visitationis occasione gravem cum Taleranno cardinali & Virdunensi
1334. primicerio habuit simultatem, quæ an. 1334 in commodum cardinalis composita est. Edictione denuntiavit an. 1334 comitatum Val- B dentiæ juris esse ecclesiæ Virdunensis. Eodem anno in urbe motus ingens factus est de morte mulieris a clerico percussæ. Cives enim clericum hunc ab ecclesiastico foro leviori pœna multatum fuisse contendentes, adversus episcopum & clerum arma ceperunt, quin & pulsis judicibus ab episcopo constitutis, alios instituere ausi sunt. Henricus pacis conditiones obtulit: quibus rejectis, primum spiritalibus armis, excommunicatione scilicet & interdicto, usus est; dehinc contractis militibus, accessit ad obsidendam urbem, quæ non modo adacta est ad deditionem, sed ad tradendos seditionis C auctores, quibus honorabilis emenda inflicta fuit, addita hac jussione, ut quod clericis magistratibusque intulerant, damnum resarci-
1337. rent. Henricum comitem Barri anno 1337 admisit ad homagium pro quibusdam feudis, pactionemque cum eodem ad subditorum suorum utilitatem confecit in festo Omnium-
1340. sanctorum 1340; quo anno ad Philippum Franciæ regem deduxit copias, Tornacum ergo defendendi contra Eduardum III regem Anglorum obsessorem. Adhuc etiam eo anno multa passus fuit ab oppidanis. Illi etenim, D allectis in partes suas magistratibus episcopalibus, alios sibi crearunt, quibuscum præsulem convenere nunciatum ab omni prorsus temporali auctoritate decedisse; statimque clero gravia imposita sunt tributa; quæ si quis solvere recusaret, percutiebatur domusque fores effringebantur. Hæc ubi maximo pontifici Benedicto XII cognita fuerunt, totam urbem anathemate perculit; vetitumque est tam seculari quam regulari clero qualescunque ecclesiasticas functiones exercere, ne ullum quidem sacramentum administrare. Interea loci Henricus præsul, qui ex urbe excesserat, neces- E sarios ad obsidionem disponebat apparatus: jamque milites urbi appropinquabant, cum duo mediatores, Erardus *de Bozolle* abbas S. Vitoni, & toparcha de Rupe in Arduenna, advenere nunciatum oppidanos ad accipiendam quamlibet pacis conditionem esse paratos. Facta
1346. siquidem est 26 Novemb. 1346 compositio, qua cives professi sunt temporaneam jurisdictionem ad episcopum spectare, eique jus esse instituere magistratus urbis. Pluribus a nepote suo Gaufrido acceptis possessionibus suam locupletavit ecclesiam, uti produnt ejus litteræ

ANNI CHRISTI

datæ an. 1348. Eodem Johannis Bohemiæ regis & comitis Luxemburgensis homagium 1348. excepit.

Quanquam crebris seditionibus exagitatus sit, munus suum rite adimplere enixus est. Plures atque pias fecit fundationes; multiplicia dedit ornamenta, nec non ditissimas recondendis Sanctorum reliquiis thecas; multas diversis temporibus comparavit possessiones; sacellum SS. Petri & Pauli in majori æde constituit dotavitque; capellam clericorum in honorem SS. Sacramenti condidit in episcopali palatio. Cum episcopatum, tota qua potuit prudentia, 37 annos administrasset, longævus a seculo migravit 5 Januarii 1349, & defossus 1349. est, ut jusserat, in capella SS. Petri & Pauli, tradita testamento suo successori bonorum una medietate, & altera capitulo.

Post cujus excessum subrogatus fuit a capitulo Henricus *de Germiny* canonicus & archidiaconus, eximia atque potenti gente in Lotharingia procreatus. Enimvero canonicis id erat in mente ut virum ad caput suum haberent, qui oppidanos refrænaret, ecclesiasticamque libertatem & auctoritatem adversus eos tutaretur. Henricus igitur ut promotus est, temporalia a Cæsare poscere maturavit, veritus ne papa alium substitueret. Verum Imperator ejus preces exaudire renuit, usque dum summus pontifex electionem probasset. Inter hæc Clemens VI de morte Henrici *d'Apremont* certior factus, in solium episcopale evexit sequentem.

LXX. Otho. DE POITIERS.

Opportune mortem Henrici Asperomontii ab Ademaro præsule Metensi ac propinquo cum accepisset Otho, qui tunc Avenione in curia papæ versabatur, Clementem VI pontificem rogavit ut, amoto Henrico *de Germiny* a canonicis electo, sibi conferret episcopatum, consecutusque est suæ petitionis effectum. Hic Valentinensibus comitibus prognatus, Aimarum IV & Sybillam de Baucio parentes est sortitus, fratres vero Guillelmum Lingonensem & Henricum Trecensem episcopos. Erat & ipse abbas S. Petri Catalaunensis, papæ Clementis in aula auditoris Rotæ munus gerens, & toparcha Montis-meyrani. Virdunum capessiturus possessionem advenit an. 1350. Verum 1350. animadvertere nec cunctatus est canonicos, itemque regionis magnates ægre pati quod, spreto electionis jure, extranei ad ejus ecclesiæ dignitates sublimarentur. Quapropter ex eo tempore episcopatu sese exuere constituit, atque an. 1351 sub annua pensione mille & trecen- 1351. torum florenorum cessit in gratiam sequentis, ac proinde Avenionem secessit ad summum pontificem, ubi adhuc an. 1353, 7 Julii superstitem fuisse produnt litteræ sui successoris. Abbas fuit sancti Petri Catalaunensis & prior Caritatis ad Ligerim, ut observatum est t. IX, col. 930; & t. XII, col. 409.

LXXI. Hugo.

ANNI CHRISTI

DE BAR.

LXXI. Hugo.

Petri dynastæ Petræ-fortis, Barri familia procreati, ex Margarita de Vienna filius Hugo, per antecessoris cessionem factus præsul, pos-
1352. sessionem nactus est an. 1352, & insequenti
1353. id Othoni decessori concessit, ut loco pensionis haberet ad vitam usumfructum baroniæ de Puisaya in diœcesi Autissiodorensi. Clerus omnis ob potentiam familiæ Hugonis ab illo expectabat futurum esse immunitatum atque privilegiorum ecclesiæ ultorem adversus cives, usurpandæ autoritati jugiter intentos. Equidem jam ab episcopatus initio, hos sub ditionem ut subigeret, invocatos in auxilium milites Yolendis comitissæ Barri & Venceslai ducis Luxemburgensis ante urbem deduxit. Rati cives ad sustinendam obsidionem nimium se esse infirmos, ad secretum colloquium admitti petierunt, in quo præsuli suasum est, ut omnis divisionum & bellorum tolleretur occasio, necesse esse ut civilis auctoritas secularibus magistratibus cederet. Is ob negotiorum imperitiam privilegiis ab imperatoribus ecclesiæ suæ concessis renuntiavit, facta siquidem oppidanis licentia magistratus instituendi, & unicuique tradita potestate suum ad quemcunque deferendi suffragium. Hac via ad magistratum a multitudine provecti sunt viri e fece plebis, rudes, judiciorumque prorsus expertes. Unde vitiorum scaturivit labes, facinora atque scelera remanserunt inulta. Quibus excessibus vehementer commoti primores nobilesque civitatis, a plebe municipalibus ab officiis exclusi, expostularunt apud episcopum, quem nimiæ suæ facilitatis jam valde pigebat. Horum querelis graviter affectus Hugo, Metas imperatorem Carolum IV adiit, a quo diploma consecutus
1357. est anno 1357 non tantum de renovatione præceptorum ab Othone III & Friderico II imperatoribus concessorum, verum etiam de abrogatione nuper initæ cum Virdunensi populo compositionis. Res igitur eo modo ad pristinum statum revocatæ sunt, restitutaque est inter partes concordia. Vix domesticis turbis liberatus est Hugo, cum aliæ intervenere calamitates: enimvero Yolendis de Flandria, Roberti Barri comitis curatrix & mater, copiis suis præcepit ut in episcopatus terras vastitatem inferrent; quin etiam ea de re ad se delegatos duos majoris ecclesiæ canonicos comprehendi &, ut rumor tunc vulgatus est, in fossa mergi jussit: moxque belli subsecuta est denuntiatio, cujus eventus Virdunensi ecclesiæ quam maxime fuit exitiosus, licet Hugo ad strenuam defensionem sese comparasset. Attamen curis & opera Beatricis de Borbonio, viduæ Johannis Bohemiæ regis, conditionibus sat duris pacem
1359. pepigit 22 Augusti 1359. Restituta in diœcesi tranquillitate, contractum bellorum occasione æs alienum exsolvere cogitavit. Quod ut eo facilius exsequeretur, absque pene comitatu Jerosolymitanam peregrinationem aggressus est
1361. anno 1361 tam pietatis quam parcimoniæ causa; verum in deserto ultra Babylonem decessit eo anno, dum ad montem Sinaï pergeret, traditis testamento condito 13 Augusti hujus anni rebus suis omnibus Henrico de Barro fratri suo.

ANNI CHRISTI

DE BOURBON.

LXXII. Johannes IV.

Beatricis de Borbonio Bohemiæ reginæ, qua, ut docet Wasburgius, consanguineæ, precatu & instigatione, Johannes dominus *de Montperoux* ex Æduensis ecclesiæ decano, Virdunensi capituli votis præfectus fuit anno 1362, quinque mensibus post Hugonis obi- 1362.
tum; ac paulo post, eadem satagente regina, confirmationem ab Innocentio VI obtinuit. Propter gravissimum æs alienum, quo demersus erat episcopatus, sub pontificatus initium pene omnia, quæ super aquas Mosæ tam Virduni quam in aliis pluribus locis habebat, assentientibus canonicis, piscariæ jura vendidit Raimbaldo *de Chaté* civi Virdunensi, data fide ut proventura ex hac abalienatione pecunia poneretur dissolvendis magis urgentibus debitis. Duo etiam prædia pro septem florenorum millibus oppigneravit Henrico de Barro domino de Petra-forti. Debitorem ejus an. 1363, 1363.
19 Julii Robertus dux Barri se esse professus est ob dominia Hatonis-castri & Amblonvillæ. Quadam die cum ante fores castri Gaufridi *d'Apremont* transiret Johannes, duas ejus filias Margaritam & Guillelmam comprehendit ac in custodia detinuit, usque dum Gaufridus debitum solvisset. Ratas habuit anno 1368 tres fundationes, quas confecit Yolendis de Flandria pro expiatione facinoris erga duos Virdunenses canonicos, ab ipsa aquis enectos. Sub vitæ finem episcopum hunc inter & capitulum, primicerium, aliosque archidiaconos grave fuit dissidium ea occasione: erat tunc in monasterio sancti Vitoni abbas nomine Gerardus *de Vaudenay*, qui haud contentus majorem bonorum partem obligurivisse, ut haberet quo suas saturaret voluptates, vasa etiam aurea & argentea sacrumque supellectilem pigneravit. Ad hæc adde quod officium nocturnum penitus intermissum fuisset. Offensi ea luxurie veterani monachi, clamores emiserunt in abbatem, qui illos beneficiis claustralibus spoliatos pepulit e monasterio. Mox monachi suas deferre ad episcopum querelas, ad quas nullus habitus est respectus. Verum officialis primicerii plures in abbatem, postulantibus monachis, sententias protulit. Qua de re Johannes episcopus Alberico primicerio quam maxime iratus, ipsum absque admonitione neque formula censuris submisit, sententiasque edictas contra abbatem denuntiavit irritas, atque primicerium omni jurisdictione exuere est aggressus, dato namque mandato parochis & presbyteris sub excommunicationis pœna ad tribunalia tam primicerii quam aliorum archidiaconorum non confugere. Subsecuta vero est Alberici atque collegarum provocatio ad curiam metropolitanam Trevirensem; unde

ANNI CHRISTI

prodiit judicium contra episcopum, qui & ipse sedem apostolicam appellavit. Convenientibus tamen inter se partibus, concordia lubenti
1370. pactione restituta est 12 Maii. 1370. Paulo post cum Petro de Barro pacis compositionem inierat 27 Aprilis. Expletis tandem octo annis, factaque pro anniversario donatione, descivit e vita anno 1371. Ejus insignia gentilitia eadem erant ac antiquorum Borboniorum, campus videlicet conchis & leone seminatus.

Hist. Lothar. t. II. prob. col. 652.

LXXIII. Johannes V.

De Dampierre.

Sanguine toparcharum sancti Desiderii in Catalaunensi diœcesi satus Johannes, Gaufridi de Dampetra domini sancti Desiderii filius, in archivis episcopatus aliquoties dictus Johannes de Rocha, rogante Theodorico *de Boppart* episcopo Metensi, & in aula pontificia Avenione Caroli IV Cæsaris oratore, præsul
1371. edictus est a Gregorio XI anno 1371, biennioque post in ejusdem Theodorici comitatu possessionem accepit; qua tamen occasione difficultates haud exiguas ab oppidanis expertus est propter jusjurandum de privilegiorum civitatis conservatione. Professus enim est se non juraturum, sin minus oppidani sacramento simul affirmarent se prærogativas & jura episcopalia servaturos. Id namque non clam Johanne erat oppidanos abuti statuisse litteris Henrici Aspero-montii antecessoris, quibus jam abusi fuerant ut totam in urbe auctoritatem usurparent, ædilesque & magistratus, inconsulto episcopo, crearent. Hac de re ad diem 24
1373. Novembris 1373 indicta sunt in episcopalibus ædibus comitia, in quibus præsul significavit se esse paratissimum initam inter Hugonem de Barro & oppidanos exsequi pactionem; at de cætero electorum utrinque arbitrorum judicio staturum. Dein duodecim articulorum, quos in schedula habebat præ manibus, poposcit executionem. Ad quæ tres comitiis præsentes magistratus (cæteri enim renuerant sistere) responderunt se præ numeri paucitate pro absentibus spondere non posse, sed tamen propositas res collegis suis indicaturos esse, ac postea deliberationis rationem reddituros.
1374. Postero anno Hugoni parocho de Reauvilla Virdunum adire jussit, ut ab instituendis magistratibus fidem ejus nomine susciperet, tradita etiam potestate conjunctim cum oppidanis arbitros designandi, qui omnes dirimerent controversias. Non ita multo post rem maximi momenti in aula Franciæ tractavit circa cessionem quorumdam castrorum in gratiam Caroli V regis ex parte Yolendis de Flandria, quæ regio mandato in majori turre Senonensi inclusa fuerat. Transactionem cum canonicis egit de prædecessorum suorum anniversariis, data fide solvendi moneta capituli. Ob proventuum tenuitatem Roberto duci Barrensi castrum de Charniaco pignerare fuit adactus. Ad Dolensem ecclesiam ipsum translatum fuisse
1375. a Gregorio XI papa aiunt circa annum 1375, quo ad diem 11 Maii indictus est canonicorum

A cœtus de sufficiendo in ejus locum episcopo. Obitus Johannis ita consignatur in necrologio abbatiæ sancti Vitoni: *IV nonas Maii obiit D. Johannes de sancto Desiderio episcopus Virdunensis.*

LXXIV. Guido III.

De Roye.

Natus est Guido parentibus Matthæo II domino Roiæ, Franciæ balistarum præfecto, & Johanna *de Cherisi* Mureti domina. Hic ante episcopatum Noviomensis fuit canonicus, decanus sancti Quintini Veromanduensis, & Avenione in aula pontificia Rotæ auditor.
B Tametsi Virdunensis capituli de eligendo episcopo indicta fuissent comitia, ideo non cooptatus fuit a canonicis, sed a Gregorio XI summo pontifice designatus. Licet ecclesiam suam nunquam inviserit, suis tamen curis coluit; etenim conflatum ab antecessoribus æs alienum partim dissolvit, atque castrum de Charniaco numeratis duobus librarum millibus liberavit e manibus Roberti ducis Barri, ex documento anni 1376. Eumdem ducem litteris rogavit 1376.
ut dominium de Sampigneio restitueret; at acquiescere noluit Robertus, quin prius a se numerata quinque florenorum millia fuissent
C exsoluta. Gregorium XI pontificem exeuntem Avenione, sanctamque sedem Romam reportantem secutus est Guido eo anno 1376, illicque remansit usque ad annum 1378, quo 1378.
e vivis hic papa ereptus est. Post cujus mortem, electis in summos pontifices Bartholomæo Bariensi archiepiscopo & Roberto Gebennensi præsule, partibus Roberti nomine Clementis VII adhæsit; atque cum eo Avenionem reversus, consecrationem ab ipso consecutus est. Dum vero abesset Guido, calamitosis infestationibus fuit exagitata diœcesis Virdunensis. Enimvero Petrus de Barro dominus de Petra-forti erra-
D bundis militibus, Anglis scilicet & Britonibus, stipatus, castra de Charniaco & de Sampigneio inopinate invasit. Qua expeditione facta, traditi sunt ei mille floreni sub fide, quam ille dederat, capituli subditos moderate tractandi: sed vix pecuniam acceperat, cum majores cœpit exercere crudelitates, ut ampliores summas extorqueret. Guidoni episcopo visum est censuris vincire Petrum, de quibus ille nequaquam curavit. Verumtamen hujusce tyranni vexationes ergo compescendi, coactæ sunt a capitulo copiæ, a quibus Petrus in arce Charniacensi, ubi se incluserat, obsessus est. Is acri
E animo sese defendit; sed deficiente penu, arci subjecit ignem, ac in castrum de Sampigneio se recepit. Inter hæc Nicolaus de Parva-petra Gorziæ abbas a capitulo, cui tulerat opem, exoratus, litteras ad Guidonem episcopum direxit, precans ut Virdunensem episcopatum sibi transcriberet: idemque enixis & iteratis precibus a summo pontifice petiere canonici Virdunenses. Quod Guido præsul lubenti animo fecisset, & quidem papa probasset, nisi Nicolaus Gorziensem abbatiam perinde ac episcopatum retinere voluisset. Nihilominus Guido non

ANNI CHRISTI

multo post abdicavit; tum succedentibus invicem beneficiis, evasit episcopus Castrensis, Dolensis, archiepiscopus Turonensis, Senonensis, ac demum Remensis, ubi vide si lubet tom. IX, col. 132. A

DE COUSANCE.

LXXV. Leobaldus.

Nobilis Burgundio Leobaldus ex Luxoviensi monacho & priore Clari-montis, Philippi audacis Burgundiæ ducis patrocinio, cui ob diversas negotiationes rite expletas fuit charus, a majori capituli parte electus, Guidoni cedenti
1379. successit anno 1379, confirmatusque est a Clemente VII. Æmulum habuit Rolinum de Rodemachia canonicum, Vinceslai imperatoris consanguineum, qui licet Urbani VI bullis suffultus, repulsam tamen passus est. At ille animum ideo haud demisit; nam Imperatorem illico adiens, secum inde retulit imperiales litteras datas 28 Septemb. 1379, quibus erat vetitum Virdunensibus canonicis electioni ejus intercedere; sin minus, acatholici in toto imperio haberentur. Cui mandato parere cum capitulum detrectasset, Rolinus cum duobus fratribus suis aliisque propinquis consociatus, ecclesiæ arva depopulatus est. Facta tamen fuit compositio his conditionibus, ut præter annuam pensionem, suæ etiam præbendæ fructus Rolinus quotannis haberet; sexcentæque libræ supra mille pro belli sumptibus exsolverentur. His quoque turbis se immiscuit Beatrix de Borbonio, quæ irata de facta Rolino contumelia, in terras capituli milites stragem undique facturos emisit. Inter hæc Leobaldus, submoto æmulo, oppidanorum armis adjutus,
1382. uti inter illos ex inita anno 1382 pactione comprobatur, castrum de Charniaco iterum a Petro dynasta de Petra-forti invasum eripuit,
1383. insequentique anno, rogantibus ipsis, castri ejusdem eversioni consensit. Jussit & litteris hoc anno 10 Septembris ut, quod a Roberto duce Barrensi castrum & nobile prædium de Sampigneio acceperat, post mortem suam ei restitueretur. Porro Clementi VII pontifici ad Virdunensium canonicorum preces capitulari mensæ primiceriam adnectere placuit anno 1385. Unde mox emersit de jurisdictione dissidium, quod ad episcopi atque capituli comprobationem terminatum fuit. Verumtamen canonici haud statim unione primiceriæ fruiti sunt: nam post Daulrici ultimi primicerii mortem, quæ anno 1387 accidit, canonicus alter dictus *de Boulay* ab Urbano VI ad eam dignitatem se promoveri curavit: at ubi possessionem accipere oportuit, innumeras a canonicis expertus fuit difficultates. Hic injuriam sibi fieri ratus, iræ ultionisque ministros quæsivit. Equidem germanus ejus toparcha *de Boulay*, atque Johannes dominus *de Viry* consobrinus in possessiones capituli cum militibus irruperunt, vastitatem ubique deferentes; nec intermissa fuit strages, donec a canonicis ingens argenti summa in primiceriæ compensationem promoto canonico numerata fuisset.

Interea Leobaldus ut a se removeret Johannæ de Borbonio Bohemiæ reginæ cæterorumque vexationes, fœderis pactum icit cum Carolo VI Franciæ rege 30 Septembris 1389, compro- 1389.
bante Clemente VII bulla Avenione data. Qua de re offensus imperator Vinceslaus, agente regina Beatrice, decreto temporaneam jurisdictionem & jura regalia episcopis ab Imperatoribus concessa delevit, initasque episcopos inter & oppidanos compositiones omnes antiquavit. Aliquibus post annis, id est 1395, 1395.
Leobaldus a se aversos cives devinciendi gratia, cum ipsis convenit de abroganda eum inter & Franciæ regem facta compositione, modo vellent ejus jurisdictioni se subjicere, & abrogationi imperialis decreti operam navare. Re quidem vera anno insequenti 28 Julii fœderis pactum rex jussit esse irritum. Univit autem hic præsul anno 1396 monasterio S. Agerici 1396.
prioratum S. Magdalenæ quondam puellarum ordinis S. Augustini positum in insula Virdunensi. Plurimas donationes accepit ab Yolendi *de Cassel* & Roberto ejus filio Barrensi comite, viro pietate insigni, cujus arbitratui episcopus atque canonici diffidentes steterunt an. 1399. 1399.
Admisit anno 1400 ad homagium Jacobum 1400.
d'Ornes. Postero anno habitæ synodi apud 1401.
Hatonis-castrum statuta vulgavit, quibus presbyteri prohibentur virides & rubras vestes habere; & parochi parere mandatis officialis primiceriæ, cujus factam toti capitulo unionem confirmare detrectavit. Abalienatos ab antecessoribus suis ecclesiæ fundos parcitate redemit. Transactis 25 annis episcopatus magna cum prudentia, excessit e vivis 10 Maii 1403. 1403.
Cujus memoriam sic servavit vetustum ecclesiæ Virdunensis necrologium: *Leobaldus de Cousancia natione Burgundus multa bona fecit redimendo terram ecclesiæ,* Humatus vero est in ecclesia cathedrali ante altare B. Virginis secus odeum, ubi cernitur ejus epitaphium paululum erasum.

DE SARREBRUCHE, *seu* DE SAREPONT.

LXXVI. Johannes VI.

Satus inclyta progenie Johannes, fuit filius Johannis *de Sarrebruche* domini *de Commercy* & *de Venisy* ex Elisabetha *de Joinville.* Clericali militiæ a pueritia nomen dedit; tum factus Virdunensis & Catalaunensis canonicus, Aimerico fratri suo natu minori, defunctis parentibus, paterna bona transcripsit. Præsul vero, instigantibus Carolo VI Franciæ rege & Ludovico Aurelianensi duce, dictus est 2 Junii 1404, 1404.
confirmatusque est bullis Benedicti XIII datis 22 Julii Massiliæ, ordinationem die sancto Matthæo sacra Remis in ecclesia S. Dionysii a Guidone de Roya Remensi archiepiscopo, Catalaunensi & Sagiensi episcopis adstantibus, accepit. Solennem fecit ingressum 14 Decemb. comitantibus Johanne filio ducis Barrensis aliisque plurimis principibus ac dynastis, in quorum comitatu erant multi viri armati, quos cives suæ libertati verentes, in urbem ingressu prohibuissent, ni securitas ab episcopo

ANNI CHRISTI

fuisset inspirata. Continuo post a Roberto duce Barrensi ad vitam obtinuit usuram terræ de Sampigneio ea lege, ut Eduardum ducis filium aliquibus feudis ab ecclesia Virdunensi distractis investiret. Licet Caroli VI regis præsidio innixus, de jurisdictione exagitatus fuit ab oppi-
1409. danis, quibuscum tamen anno 1409 facta ab arbitris est compositio. Eodem anno deputatos misit ad concilium Pisanum. Auxiliares copias adversus Carolum I Lotharingiæ ducem direxit ad propinquos suos, qui ante Nanceium profligati fuere; quin & Aimericus frater ejus in certamine captus: pro cujus libertate recuperanda, bona quædam ecclesiæ Reginaldo *Paxel* scholastico divendidit. Paulo mox erumpentibus in terras episcopatus ducis Lotharingiæ copiis, ingentem pecuniæ summam pendere coactus est. Multas adhuc perpessus fuit calamitates a vicinis toparchis, vastitatem ubique deferentibus, & immensa tributa exigentibus. Captis tamen quamplurimis nobilibus eam
1411. præscripsit conditionem anno 1411 ut, dum esset superstes, contra eum arma non sumerent. Eodem urbem & castellaniam Desluardi duci Barrensi oppigneravit. Subsequentibus annis alias expertus est doloris causas; prædones enim in Lotharingiam irrumpentes undique, tantam Virdunensi diœcesi intulere desolationem, ut plerique canonici ad tutiora loca fugere fuerint adacti. Tot ac tantis calamitatibus, itemque pessimo ecclesiæ suæ rerum statu percitus Johannes, cæteroquin vir capax, & eximiis animi dotibus exornatus, episcopatu cedere constituit. Et certe cum Ludovico de Barro Catalaunensi episcopo permutavit anno 1420 mense Januario, Martino V probante, uti jam dictum est tom. IX, col. 894. Ottonis *de Zingenheim* Trevirensis archipræsulis sacro ineunte anno 1419 interfuerat. Ordini Cisterciensi voluit consociari, ut precum bonorumque operum foret particeps. Synodalia etiam statuta, in archivio episcopatus servata confecit. Cernitur etiamnum in bibliotheca S. Vitoni pontificale, quo uti solitus erat, continens ab eo scriptam epitomem veterum episcoporum Virdunensium, cui titulus est: *Excerptum episcoporum domini Johannis de Saraponte.*

DE BAR.

LXXVII. Ludovicus I.

Clero a teneris annis destinatus Ludovicus, filius Roberti Barrensis ducis, ex Maria a Francia Johannis regis filia, episcopatibus fuit onustus: obtinuit enim Lingonensem, Catalaunensem, Portuensem, Pictaviensem, ac Virdunensem, nec non cardinalitiam dignitatem a Benedicto XIII anno 1397. Quanquam sex fratrum quartus natu, ipsis invicem absque sobole mortuis, ad Barri ducatum pervenit an. 1415, ad cujus successionem an. 1419 die 13 Augusti vocavit Renatum *d'Anjou* pronepotem, quem insequenti anno, pro utriusque ducatus, Barri scilicet & Lotharingiæ, copulatione, connubio junxit cum Isabella filia & herede Caroli I

A Lotharingiæ ducis. Hic ad Virdunensem sedem, facta cum Johanne permutatione, ex Catalaunensi translatus fuit anno 1420, atque Romæ 1420.
in consistorio a Martino V proclamatus. Statim ut possessionem acceperat, dispersos canonicos collegit, fecitque retrahendo usurpata a vicinis dynastis prædia ac possessiones ecclesiæ ut se sustentare possent. Nihilominus tamen erga quosdam invasores severitate uti necessum fuit, præsertim erga Gilquinum *de Rodemach* ejusque conscios, quibus publica admonitione excommunicationem minitatus est anno 1421. Cum 1421.
urbis protectoris munus exercere non valeret,
B composuit anno 1423 cum oppidanis, qui 1423.
ejus in locum suffecerunt Renatum ducem Andegavensem 16 Septembris anni sequentis. 1424.
A Martino V, cui peritia ejus gerendis rebus nota erat, missus est legatus in Franciam, ut inter Carolum VII & Henricum VI, pro Franciæ rege falso se gerentem, pactionem conficeret. Sane ad id tempus promotus fuit ad alium quemdam episcopatum. Unde nec leves eum inter & capitulum difficultates emersere: canonici enim contenderunt spiritalem administrationem proventusque episcopatus sibi competere; & quidem in possessionem ingressi
C sunt, suaque in totam diœcesim direxere mandata. Quin & ab ipsis in præsulem electus est Guillelmus *de Montjoye*, quem papa Martinus V anno 1424, XVI calendas Maii, pontificatus 7, ad sedem Biterrensem bullis transtulit, ubi de illo fuse locuti sumus t. VI, col. 357 & seqq. Verum Ludovicus e Francia reversus, non facta tantum a capitulo improbavit, sed & fructuum rationem exegit. Cum Guillelmo *Huin* archidiacono a cathedralis ecclesiæ canonicis delegato pactus est anno
1426. Eodem legitur in instrumento mulierem 1426.
quamdam dictam *Heilesson*, se suosque liberos *Hist. eccl. & civil. Virdun. instr. prob. p. 31.*
D Ludovico cardinali & administratori perpetuo Virdunensis episcopatus dedisse. Captum a copiis suis, militiæ Virdunensi adjunctis, castrum de Campo-neuvilla everti jussit anno
1428, propterea quod iste locus esset receptus 1428.
prædonum, qui finitima loca infestabant. Fidem quoque dedit Virdunensibus oppidanis se nec pacem nec inducias facturum, illis pactioni haud adscriptis. Duci Bedfordiæ administratori regni Franciæ pro Henrico VI Angliæ rege litteras scripsit querens de latrociniis & vastationibus, quæ præsidiarii milites in Virdunensi diœcesi exercebant. Comiter & urbane a duce
E rescriptum fuit 24 Junii 1429. Eximia de 1429.
disciplina & morum correctione statuta synodalia publicavit. In ecclesia Virdunensi sacra B. Mariæ Virgini, cujus intercessione obtinuisse rebatur libertatem Eduardi fratris sui Barri ducis, Parisiis a laniis in carcerem conjecti, missam ante ejus imaginem quotannis celebrandam necdum episcopus instituerat 18 Septemb. 1417. Eidem basilicæ sacras quidem vestes insigniaque aulæa Christum crucis supplicium subeuntem exhibentia tradidit. Facto tandem testamento, in oppido Varenarum juxta

ANNI CHRISTI

quod ex hoſpitio S. Gengulfi ad S. Johannis-Baptiſtæ ædes acciverat Fratres minores, de vita migravit anno 1430, 23 Junii vigilia S. Johannis-Baptiſtæ. Unde relatum corpus ejus in majorem ædem, in ſacello S. Martini & B. Eliſabethæ monumento fuit incluſum, cui inſcribuntur iſti verſus:

Hic ſitus eſt fulgens Ludovicus laude perenni,
Quem Barri genuit gens generoſa ducum.
Filia regis erat genitrix, de culmine ſummo
Francorum, & cunctæ nobilitatis apex.
Hunc decus & mores quondam celebrare ſolebant;
Dum Portuenſi cardine dignus erat:
Egregius pariter præſentis paſtor ovilis,
Ac Virduuenſis pontificalis honos.
Ambiguis certa præponens, tuta timendis,
Sprevit opes orbis, relligione fruens.
At quia non moritur virtus, quid Parca tuliſti!
Clara per æternos ſtat ſibi fama dies.
Mille quatuor centum ter denos junxerat annos,
Delius & Junii tempora menſis erant.
Nunc matris precibus æternæ dona quietis
Illi pro meritis det Deus Omnipotens.

LXXVIII. LUDOVICUS II.

DE HARAUCOURT.

Familia inclytæ genti Lotharingicæ affinitate devincta cretus Ludovicus, gnatus Johannis de Haraucuria ex Iſabella *de Lenoncourt*, Caroli I Lotharingiæ ducis in pueritia ducatus adminiſtratoris, atque majoris ballivi ſancti Michaëlis, Guillelmi *Chancy* Virdunenſis eccleſiæ officialis, Romam a capitulo deputati, curis a Martino V renunciatus eſt epiſcopus
1430. 2 Augusti 1430. Poſſeſſionem vero nactus
1431. 1431, 27 Maii, aſſuetum præſtitit juramentum coram Gaufrido *de Nicey* abbate S. Michaëlis & aliis plurimis nobilibus viris. Cum ſtatim bullas haud aſſecutus fuiſſet, canonici ſpiritalem ac temporaneam qualemcunque autoritatem ſibi virtute primiceriæ capitulo copulatæ arrogarunt, uſque dum Ludovicus bullas accepiſſet. Unde emanarunt rixæ & diviſiones, quæ longe amplius accreverunt ea occaſione: erat in urbe Virdunenſi pulchra mulier epiſcopo nequaquam exoſa, quam Guillelmus *Huin* archidiaconus identidem inviſere conſueverat. Quod ægre ferens præſul, pediſſequis ſuis dedit mandatum ut archidiaconum mulctarent: & vero quadam die eum ex eccleſia egredientem armis oppugnarunt. At ille ex eorum manibus feliciter elapſus, in cryptas ſe abſtruſit. Iſti autem furibundi in domum ejus irruentes, fores feneſtraſque fregerunt, eamdemque ſævitiam exercuerunt in ædibus alterius canonici. Paucis poſt diebus a domeſticis epiſcopi canonicus alter humi ſtratus fuit & ſanguinis effuſione ante fores cathedralis eccleſiæ vulneratus. Mox intermiſſa ſunt divina, appellatúſque eſt epiſcopus de reconcilianda eccleſia. Quod ille facere renuit, prætexens

A vulnera extra eccleſiam inflicta fuiſſe. Nihilominus tamen pro ſcandali ceſſatione reconciliationis ejus curam Henrico *de Vaucouleur*, Tullenſis epiſcopi ſuffraganeo, detulit. Non ita multo poſt ultionis gratia de juriſdictione capituli movit controverſiam, acceptorumque inter epiſcopatus vacationis tempus proventuum rationem repetiit. Capitulum ex altera parte epiſcopo diverſas poſtulatorum ſpecies objiciebat. Hinc graves diſcordiæ quæ mox bella genuerunt. Enimvero clientes epiſcopatus vicinis toparchis conjuncti, in terras capituli cum copiis eruperunt, omnes vicos vaſtantes,
B eccleſias domoſque diruentes, greges & armenta abripientes. Quin & ipſe præſul militibus ſtipatus, ad quamdam arcem oppugnandam acceſſit; ſed repulſam bis paſſus receptum imperavit. Exeunte tamen anno 1431 ab Iſabella Lotharingiæ duciſſa, dum Renatus maritus ejus in cuſtodia detineretur, in aulam vocatus, ſimulatam cum capitulo pepigit pacem, & utrinque deſignati fuerunt arbitri, qui inſequenti 1432.
anno menſe Martio de agitatis ſingulis quæſtionibus ſententiam protulere. Hoc quidem anno ſub excommunicationis pœna juſſus ut adſoret Baſileenſi concilio, res maximi
C momenti, quas in aula Lotharingiæ gerebat, cauſatus eſt, atque adſtandi concilio curam demandavit Guillelmo *Chancy* officiali. Ad id tempus ab Henrico Chriſtopoleos epiſcopo, vicario generali, plures parœciæ a primiceria dependentes viſitatæ ſunt. Qua de re a capitulo appellatum eſt ad Baſileenſe concilium; verum Ludovicus calliditate ſua vetuit ne judicium hac de cauſa, nec de illatis contra ſe querelis pronunciaretur. Is una cum epiſcopis Metenſi & Tullenſi 23 Februarii 1434 ab imperatore 1434.
Sigiſmundo provinciam accepit inquirendi, num Virdunenſes oppidani jure fruerentur
D Sabbato uniuſcujuſque hebdomadis in eccleſia S. Crucis judiciarium tribunal habendi. Eodem anno 31 Octobris pacis compoſitioni inter ducem Lotharingiæ & Robertum *de Sarrebruche* ſubſcripſit. Pacis & ipſe pactum anno 1435 1435.
confecit cum Hugone *d'Autel*, ſibique uterque mutua promiſerunt auxilia. Fidem & homagium pro pluribus caſtris accepit 29 Novemb.
1436 a Renato Lotharingiæ & Barri duce, 1436.
cujus juſſu adiit ſummum pontificem Eugenium IV, oratoris munere functurus. Inſequenti anno eidem pontifici placuit Ludovicum ad eccleſiam Tullenſem transferre, ut omnes ex-
E ortæ eum inter & capitulum controverſiæ penitus extinguerentur.

LXXIX. GUILLELMUS I.

FILLASTRE.

Stephani *Fillaſtre* Cenomaniæ Gubernatoris filius Guillelmus, nepoſque Guillelmi cardinalis & Aquenſis archiepiſcopi, vir eximiis dotibus præditus, canonici juris doctor, quem ſpuriis natalibus genitum volunt Waſburgius & codex 198 archivi regii Pariſienſis, cap. 221, primum fuit monachus S. Petri Catalaunenſis, tum prior Sermaſii, dein abbas S. Theodorici

ANNI CHRISTI

prope Remos, ut jam dictum est tom. IX, A
col. 193. Duas apud Eugenium IV pontificem legationes & unam apud Basileense concilium a Philippo Burgundiæ duce missus obiit, creatusque ab ipso est cancellarius ordinis velleris aurei. Præsul vero Virdunensis, rogante eodem principe, per superioris translationem ad Tullensem ecclesiam bullis Eugenii IV designatus
1437. fuit anno 1437, possessionemque suscepit 1 Novembris anni ejusdem. Episcopatus initio a se aversos reperit omnium pene canonicorum animos ob studium in Burgundiæ ducem, partium comitis Vaudemontii fautorem adversus Renatum ducem Andegavensem, tunc B
in ducatus Lotharingiæ possessione existentem. Prudentia tamen atque simulatione uti visum ei est, plane confidens pravam de se conceptam opinionem mansuetudine ac affabilitate discussurum; sed de sua spe mox decidit: quamvis enim jam ab ineunte præsulatu ingentes insumsisset summas retrahendis abalienatis possessionibus, nihilominus hostes habuit canonicos, a quibus perpetuis litigiis atque controversiis non cessavit exagitari. Hic cupidine ultionis incensus, milites emisit in terras capituli undequaque vastationem & direptionem illaturos. Haud multo post generale tributum C
toti diœcesi imposuit de farcienda depopulatione, quam patraverat turma prædonum. Cui dispositioni non defuit intercessio ex parte canonicorum. Ille vicissim hostilitates in arvis capituli fieri jussit. Interea canonici opem petiere ab administratoribus ducatus Lotharingiæ, qui episcopo in eorum gratiam epistolas scripserunt, quarum ne ulla quidem ratio habita est. Quapropter capitulo visum est tres e suis deputare ad concilium Basileense, ubi Guillelmus per defectum damnatus fuit. Quia vero censuras concilii subire metuebat episcopus, Basileam & ipse profectus est, atque D
cum canonicis deputatis icit compositionem,
1439. quæ a concilio probata fuit 23 Maii 1439.
1442. Subscripsit 4 Februarii 1442 conventioni nuptiarum inter comitem Niverni Burgundiæ ducis filium & Margaritam Renati Lotharingiæ ducis gnatam ineundarum, quæ tamen absque
1445. effectu remansere. Sub annum 1445 quidam vinitor, nomine Martinus *Crochet*, auctor satyræ incusantis magistratus justitiam venundare, egenos opprimere, ditibus usuram permittere, ex ecclesia cathedrali, in quam aufugerat, vi sanguinisque effusione abstractus E
est. Divina mox in ecclesia intermissa fuerunt.
1446. Cujus rei factus arbiter Guillelmus an. 1446, 5 Martii damnavit magistratus de vinitore custodia liberando, de solvendis capitulo quatuor millibus florenorum, & egenis tribus aliis millibus nec non & omnibus litis impensis. Magistratus quidem & ipse passus est adver-
1448. sarios, qui eum anno 1448, dum urbe excederet, ejusque comites intra duas pontis portas inclusos detinere ausi sunt. Ex quo momento
1449. cedere constituit: & vero anno 1449, adprobante summo pontifice, permutavit cum Ludovico de Haraucuria episcopo Tullensi. Unde ad Tornacensem sedem translatus fuit, ut adnotavimus tom. III, col. 233. Ecclesiæ Virdunensi egregia indulsit ornamenta, missamque quotidianam ad altare beatæ Mariæ perpetuo celebrari testamento suo jussit.

LXXX. Ludovicus III.

DE HARAUCOURT.

Ludovicus quem eam ecclesiam deseruisse valde pigebat, post iteratas apud Guillelmum sollicitationes atque preces, præsul Virdunensis ex permutatione denuo lætus evasit an. 1449. Is pristino vivendi more mutato, longe sapientius quam primo se gessit: totam enim vertit attentionem suam fovendæ cum capitulo atque magistratibus paci & concordiæ. Monachis de Castellione an. 1451 indulsit litteras, 1451.
singula regum pontificumque privilegia referentes. Inter gravem pestilentiam, qua demessi sunt an. 1452 plus quam ter mille homines 1452.
in urbe, miseris qualibet auxilia spiritalia ac temporalia abunde diffudit, afflictos visitationibus ac solatiis recreare nec dedignatus. Conradum Metensem episcopum & Johannem Nicolaum ecclesiæ ejusdem decanum an. 1455 1455.
elegit arbitros controversiæ inter se & Renatum Lotharingiæ ducem exstinguendæ. Castrum *de Vimbé*, qualiter hodie cernitur, exstruxit. Turrim etiam præsidiariam in ingressu civitatis Fraxinensis ædificare cœperat, quam propter mortem perficere nequivit. Enimvero anno 1456, 4 Octobris fatis concessit, Apud omnes magnum sui desiderium relinquens. In chronico S. Vitoni laudes optimi præsulis promeritus est. Obitus ejus in necrologio sic consignatur: *IV non. Octobris anno Domini M. CCCCLVI obiit Ludovicus de Haraucuria episcopus Virdunensis.* Depositus fuit in medio navis penes superbum mausolæum, cui suam ipse effigiem incidi curaverat. Id vero monumentum capitulo placuit an. 1623 ad extremum collateralis ad occasum ante capellam S. Stephani deferre.

LXXXI. Guillelmus II.

DE HARAUCOURT.

Gerardo de Haraucuria, Ludovici supra memorati nepote, Barrensis pagi senescallo, cretus Guillelmus, ex archidiacono & præposito Montis-falconis a majori parte capituli in episcopum assumtus fuit 14 Octob. 1456. 1456.
Sortitus enim est quadraginta septem suffragia contra duo in gratiam Olrici *de Blammont* canonici, necdum sacris ordinibus initiati, qui in posterum Tullensis fuit pontifex. Uterque jus suum Romæ in camera apostolica viriliter est tutatus; at Guillelmus causa evicit, nequaquam ex electionis jure, sed ex apostolicæ sedis nominatione, quam papa vindicabat, uti nominatim in bullis fuit enuntiatum. Possessionem adeptus est anno 1457, 10 Augusti in festo S. Laurentii. Fuit ille formæ ac speciei elegantis, ambitionis haud expers, multæ audaciæ, magnis ausis promtus, eximiæ elocutionis, ingenii subtilis, publicæ rei gerendæ peritus, magnæque dissimulationis capax. Quas

ANNI CHRISTI

ob dotes, cum bonas tum pravas, aliquibus A
seculi ejus principibus gratus fuit, speciatim
Johanni Calabriæ duci, quem tanquam con-
siliarius in Neapolitani regni expeditionem
est comitatus. Castellionensi monasterio collatas
ab antecessoribus suis donationes confirmavit
1457. anno 1457. Insequenti memoratur in actis
1458. deletionis nuptiarum inter Eduardum Walliæ
principem & Mariam a Scotia propositarum.
Abbatibus S. Vitoni, S. Pauli & S. Agerici
magistratus in urbe instituendi provinciam
1460. dedit an. 1460. Cum Renato Barrensi duce
1461. diversas fecit compositiones anno 1461. Hos
1463. inter convenit anno 1463 de dispertiendis B
aperiendarum fodinarum proventibus. Ad id
tempus cum cardinali de Balua, magna gratia
& auctoritate apud Christianissimum regem
pollente, quicum puer litteris fuerat informatus,
amicitiam renovavit, ejusque opera usus est, ut
& ipse favorem in aula assequeretur. Equidem
bene acceptus est a rege Ludovico XI, cui
apprime servivit in pace, quæ cum fœderatis
principibus & magnatibus composita fuit anno
1465. 1465. Factus postea Caroli Normanniæ ducis,
germani Ludovici regis, cancellarius, ab illo
missus est ad Cameracensem congressionem
8 Aprilis 1467, ut apparet ex apocha 796 C
librarum cum octo solidis & undecim denariis
pro emendis pannis ad obeundam decentius
legationem. Fuit etiam regius consiliarius, &
eo nomine ob eximia officia donatus est
1468. pensione duodecim millia librarum an. 1468.
Aliquanto post adversam cum cardinali de
Balua subiit fortunam: convictus enim uterque
ex interceptis litteris proditionis, discordiamque
fovisse inter Ludovicum XI & Carolum a Fran-
cia ipsius fratrem, ambo conjecti sunt in custo-
diam. Captus siquidem est Guillelmus apud
Hatonis-castrum; unde Parisios ad regium pro-
pugnaculum eductus, in cavea ferrea, cujus D
fuerat inventor, primus fuit inclusus. Illic per
quindecim aut circiter annos retentus, juri
civili & canonico operam dedit, & utriusque
juris evasit quam maxime peritus. Inter hæc
sparsus rumor est Guillelmum in ergastulo
obiisse; cumque ei in ecclesia Virdunensi
parentatum fuisset, ad summum pontificem a
capitulo deputati sunt duo canonici episcopum
postulaturi: at ubi Romam appulsi sunt, acce-
perunt Guillelmum sospitem esse. Verum-
tamen rex Ludovicus XI a cardinali Juliano,
sedis apostolicæ legato, exoratus, assentitus
est ut Guillelmus e carcere detruderetur ea E
conditione, ut permutaret cum Johanne de
Nicolinis episcopo Vintimilii in principatu
Reipublicæ Genuensis. Nec fratres ejus An-
dræas & Petrus, adhibitis apud regem quam-
plurimis sollicitationibus, quin conditio hæc
sortiretur effectum, vetare potuerunt. Facta
1482. itaque est permutatio anno 1482, fidemque
cum juramento dedit Guillelmus Lotharingiam
deserere, suam in urbe Vintimilii mansionem
ergo figendi. Bullis igitur regiisque litteris
munitus Johannes de Nicolinis, possessionem

per procuratorem accepit 23 Januarii 1483. ANNI CHRISTI 1483.
Suos uterque habuit in urbe fautores; at partes
Guillelmi fratribus ejus ac propinquis innixæ
prævaluerunt. Enimvero Guillelmus, qui, ut
abdicare oportuit, de violentia & coactu con-
testatus erat, accepta Ludovici XI regis morte,
quamprimum ex Italia, quo in Renati II
Lotharingiæ ducis comitatu petierat, rediit ac
Johannem de Nicolinis ad resignandum epis-
copatum coegit, collata ei trecentorum duca-
torum aureorum pensione, factaque facultate
jus regressus aut sibi servandi aut ad alium
transferendi. Mox ut in episcopatum est resti-
tutus, temporaneam jurisdictionem suam, quam
dum in custodia detineretur, invaserant oppi-
dani, recuperare curavit. Breviarium ad usum
diœcesis anno 1486 edidit nec non missale 1486.
pluribus post annis. Nonnulla etiam statuta
publicavit anno 1490. Prædii cujusdam in 1490.
regis manum traditi restitutionem an. 1492 1492.
a Parlamento Parisiensi poposcit. Decreta præ-
scripsit an. 1493 duobus pagis prope Vir- 1493.
dunum. Pactionem cum Virdunensibus oppi-
danis 1 Aprilis 1498 iniit. Quia vero pen- 1498.
sionem Johanni de Nicolinis indulserat invitus,
ægre quidem solvebat; at Johannes adversus
eum nonnunquam censuris usus est, ac post-
modum de cedendo jure regressus cum Warrico
de Domno-Martino Gorziensi abbate tractavit.
Qua de re Guillelmus certior factus, cogitavit
& ipse serio de resignando episcopatu in gra-
tiam Francisci *de Dinteville*, de quo audierat:
verum a Renato II duce Lotharingiæ vetitus,
id consilium exsequi non potuit; nam ad eum
absque venia Gerardi de Altovillari, sub cujus
tutela erat, nulli licitum fuit accedere. Haud
multo post in morbum lapsus, senex obiit
20 Februarii 1500 apud Hatonis-castrum,
eoque loci sub mausolæo, quod etiamnum
cernitur in templo sancti Mauri, cujus loci
auxerat canonicatus, humatus est.

LXXXII. WARRICUS. DE DOMMARTIN.

Nobilis Lotharingus Warricus, toparcharum
de Domno-Martino familia natus, admodum
juvenis monachum induit in monasterio sancti
Apri Tullensis, tum Parisios missus sacris litteris
informandus, nimis seculi vanitatibus se dedit.
Enimvero beneficia habendi mox cupiditate
captus, viis omnibus & quidem illicitis ut
raperet usus est. Cœpit enim, quibus potuit
artibus, invadere ditissimos prioratus D. Nicolai
de Varengisivilla, de Castineto & de Domna-
Maria diœcesis Tullensis. Huic fuere familiares
duo viri perversi, ambo beneficiorum nego-
tiatores, puta Reginaldus quidam natione
Vasco, atque Martinus *Pinguet* Andegavensis,
abbas sancti Martini prope Metas, qui ipsius
cupiditati apprime subservierunt. Talibus sociis
adjunctus, brevi suam auxit fortunam. Re
quidem vera, machinante Martino *Pinguet*,
Juliano cardinali sedis apostolicæ legato extorsit
abbatiam Gorziensem, jusque regressus ad epis-
copatum Virdunensem, resignato prioratu de

Varengisivilla, Johanni de Nicolinis Ventimilii episcopo eripuit. Itaque statim ut exstinctus est Guillelmus de Haraucuria, accedens Warricus ad Virdunense capitulum, bullas summi pontificis commendatitiasque litteras Renati II Lotharingiæ ducis canonicis exhibuit, & sic
1500. in præsulem est admissus anno 1500, 22 Febr. solenniter in urbem ingressus 26 Septembris sequentis. Quoniam autem sordido fœnori pene perpetuo fuit intentus, consecrationem accipere neglexit. Indultas Castellionensi mo-
1501. nasterio confirmavit donationes anno 1501. Eodem 16 Januarii cum duce Lotharingiæ fecit permutationem, quæ ad dirimendas plurimas lites viam aperuit. Fidem & homagium
1502. præstitit 1 Maii 1502 Maximiliano imperatori. Aliquanto post quem Johanni de Nicolinis prioratum de Varengisivilla transcripserat, lite concitata, abstulit, tributamque pensionem modico rependit ære. Sub idem tempus monasterium S. Vitoni regebat abbas nomine Gerardus *de Seraucourt*, vir nequaquam vitiorum expers, quem grave litigium facultatibus penitus exhauserat. Hunc Warricus, moliente Martino *Pinguet*, ad assumendum se in coadjutorem instigavit, data fide pecuniam subministrandi, eumque vicarium generalem diœcesis instituendi. Quo promisso deceptus abbas, episcopi postulatum probavit. Accersitus itaque est quidam libellio, insignis falsarius, qui tabulis mandavit non in coadjutorem Warricum assumtum fuisse, sed Gerardum in ejus gratiam abdicasse. Hac fraude Warricus submovit Gerardum, cui in damni compensationem dimisit prioratum de Castineto. Familiam suam latifundiis ditavit, nobilibusque matrimoniis illustravit. Tribus e suis sororibus curavit abbatias Romarici-montis, Spinalii & Juviniaci. Commenda etiam monasterii S. Nicolai Virdunensis fratrem suum Ludovicum decanum Tullensem fategit donari, submoto Garnerio canonico regulari, legitime electo abbate. Duci Lotharingiæ terram vel prædium de Sampigniaco perpetuo habendam concessit
1503. anno 1503, modo ut omni vita proventibus gauderet. Capitulo majoris ecclesiæ & archidiaconis adimere voluit jus cognoscendi in prima instantia de ecclesiasticis rebus in locis, ubi jurisdictione tanquam episcopali fruebantur. Mox a canonicis ad summum pontificem provocatum est. Quod veritus præsul, litem arbitrorum judicio committi permisit, a quibus
1506. prolata fuit sententia Gorziæ anno 1506.
Sacra antiq. monum. t. II, p. 473. Conditorum tam a se quam ab antecessoribus suis statutorum synodalium compactionem vul-
1507. gavit an. 1507, 25 Augusti. Fidelibus etiam vulgari idiomate inscripsit mandatum continens quasdam institutiones. Non ita multo post in offensionem Renati II Lotharingiæ ducis incurrit ex eo, quod Richardum *Voiltre* celebrem mensularium, Renato dilectum, in carcerem ob causam sat levem trusisset. Omnia molitus est ut in gratiam cum duce rediret, nec potuit: scripsit epistolas quæ rejectæ sunt; pluries aulæ se obtulit, & repulsus est. Tantum inde concepit dolorem, ut in gravem morbum delapsus sit. De cujus valetudine certior factus dux, non ei modo veniam indulsit, verum & suos direxit medicos; at jam non tempus; insanabilis enim erat morbus. Et vero Warricus inter lacrymas & gemitus plurimorum adstantium propinquorum decubuit 7 Julii 1508 in monasterio Gorziensi, ubi magnificas ædes abbatiales susceperat, illicque sepultura donatus est.

LXXXIII. Ludovicus IV. DE LORRAINE.

Renati II Lotharingiæ & Barri ducis ex Philippa Gueldriæ quartus filius, duodecim tantummodo natus annos, rogante Ludovico XII rege ejus patrino, unanimiter a capitulo dictus fuit episcopus anno 1508. Nihilominus 1508.
tamen Julius II papa, qui sibi jus nominandi vindicabat, huic ecclesiæ præfecit Gabrielem de Phano cardinalem de Urbino, qui paulo mox, retenta mille nummorum pensione, principi Ludovico jus suum cessit. Pontifex vero, considerata Ludovici tenera ætate, episcopatus administrationem credidit Nicolao Goberti, Virdunensi canonico, quem episcopum Panadiensem jussit ordinari, donec princeps Ludovicus 18 annos attigisset, collata Nicolao ducentorum ducatuum pensione, item & abbatia sancti Vitoni. Donatus quidem est Ludovicus anno 1512 abbatia S. Michaëlis 1512.
in eadem diœcesi. Ecclesiastici ordinis pertæsus, episcopatum Johanni fratri suo & abbatiam Renato de Maria transcripsit an. 1522, nec a rege Francisco I, qui Lucionensem offerebat episcopatum, ad perseverantiam potuit adduci. Ille igitur, sumto nomine comitis Vaudemontii, armis se dedicavit, atque peste sublatus est in obsidio Neapolis anno 1528. Conditus in cathedrali ejusdem urbis, vel, ut aiunt, in parthenone S. Claræ. Cor ejus a domesticis revectum in Lotharingiam, in ecclesia Clarissarum Mussiponti depositum est, & quiescit juxta Philippam de Gueldria matrem, quæ in eo parthenone, despicata mundi honores, humilis monialis cum sanctitatis fama obiit. Ludovicum vero volunt maxime piguisse, quod primæ suæ vocationi defuisset.

LXXXIV. Johannes VII. DE LORRAINE.

Superioris germanus Johannes per cessionem episcopatum nactus, possessionem capessivit anno 1523. Vix septem attigerat annos, cum 1523.
Metensi præsulatu jam provisus est; Tullensem quoque obtinuit anno 1517, & insequenti a Leone X pontifice cardinalis sub titulo sancti Onufrii creatus. Licentiam ab ipso summo pontifice ejusque successoribus Clemente VII & Paulo III plura beneficia habendi consecutus, multa & pinguissima a rege Francisco I, cui valde fuit dilectus, obtinuit, nimirum archiepiscopatus Narbonensem, Lugdunensem, Remensem; itemque episcopatus Valentinensem, Lucionensem, Tarvanensem, Albiensem; nec non & abbatias Gorziæ, Fiscanni, Cluniaci & Majoris-

ANNI CHRISTI

& Majoris-monasterii. Legati munere jussu A
apostolicæ sedis in tribus episcopatibus Lotharingiæ functus est. Dominium Hatonis-castri Antonio fratri suo Lotharingiæ duci oppigne-
1530. ravit anno 1530. Per procuratorem homagium
1531. præstitit anno 1531 Carolo V imperatori. Eodem anno quasdam decimas attribuit sacello S. Martini in ecclesia cathedrali. Jussus a præfato Carolo imperatore misit deputatum ad
1532. conventum Spirensem an. 1532, quo ipsius mandato impositum est subditis episcopatus tributum præter magistratuum voluntatem, quos tamen non ad obsequium modo redegit, verum & ad desistendum de omni jure super B
temporanea jurisdictione ad episcopum atti-
1536. nente. Litteras datas 12 Julii 1536 a Francisco I rege accepit, ut medius foret inter bellorum tumultus. Citatus iterum a Cæsare
1540. an. 1540 ad jurandam fidem, parere detrectavit. Quia vero liberum ei istud non fuit ut in episcopatu consisteret, suffraganeo usus est Nicolao Goberti episcopo Panadiensi, quem
1543. mors sustulit nonis Septembris 1543. Cessit autem Johannes an. 1544 in gratiam principis Nicolai nepotis, cui jam Metensem episcopatum & abbatiam Gorziensem resignaverat. Mortuus 1550, quiescit Nanceii in ecclesia fratrum C
Minorum. Testamento suo pauperibus orphanis trium episcopatuum triginta millia librarum indulserat. De eo pluries jam diximus, videlicet tom. I, col. 38; tom. IV, col. 182; tom. VI, col. 112; tom. IX, col. 147.

DE LORRAINE.

LXXXV. Nicolaus II.

Antonio Lotharingiæ duce & Renata de Borbonio parentibus procreatus Nicolaus, adhuc juvenis clero adscriptus, per resignationem Johannis patrui primum obtinuit Metensem episcopatum & abbatiam Gorziensem, dein abbatiam S. Vitoni anno 1543 per obitum D
Nicolai Goberti, demum Virdunensem eccle-
1544. siam anno 1544. Carolo duci Lotharingiæ
1546. nepoti suo, cujus erat tutor, cessit an. 1546 castrum & dominium Hatonis-castri cum omnibus appendicibus ea lege, ut centum viginti millia librarum duci debita, abolita remanerent. Attamen princeps Nicolaus ad ecclesiasticum ordinem a Deo nequaquam fuisse se vocatum ratus, beneficiis suis omnibus, ne conscientiæ stimulis amplius exagitaretur, nuntium remittere constituit. Equidem Virdunensem & Metensem episcopatus patruo suo Johanni cardinali restituit, qui & ipse denuo E
possessionem adeptus an. 1548, Virdunensem episcopatum eodem anno transtulit Nicolao *Pseaume* abbati S. Pauli, reservatis tamen jure regressus & fructibus Carolo a Lotharingia cardinali & archiepiscopo Remensi, cui a principe Nicolao transcripta quidem est abbatia S. Vitoni. Hic autem beneficiis exutus, titulos comitis Vaudemontii & ducis Mercorii sumpsit, & paulo post convolavit ad nuptias.

PSEAUME.

LXXXVI. Nicolaus III.

Calvo-monte ad Erram in Barrensi ducatu dioecesis Virdunensis natus est Nicolaus anno 1518 parentibus Petro Psalmæo & Desideria *Morel* tenuis fortunæ, sed probatæ virtutis heredibus, qui filium adhuc puerum germano fratri Francisco Psalmæo, S. Pauli Virdunensis abbati, educandum submiserunt. Ille cum nepotis ingenium litteris ediscendis idoneum cerneret, eum ad Universitates Parisiensem, Aurelianensem & Pictaviensem dimisit; suamque exinde reverso abbatiam resignavit an. 1538. Biennio post in Præmonstratensem ordinem Nicolaus ingressus, ex commendatario abbate regularis evasit, eodemque anno in presbyterum ordinatus, abbatialem benedictionem suscepit. Lutetiam mox repetiit ut extremam theologicis studiis manum apponeret; ibique magnam ex thesibus mirifice propugnatis famam sibi comparavit, lauream que doctoris canonici juris promeritus est. Propter bonam existimationem a canonicis Præmonstrati in abbatem generalem totius ordinis cooptatus, bullas nequivit obtinere a summo pontifice, qui eam abbatiam cardinali Pisano contulerat; nec profuit capitulo generali Lauduni habito Nicolaum ea de re ad Franciscum I regem misisse. Functus quidem est munere procuratoris generalis in curia Romana. Ad propria redux ex pura ac libera cessione Johannis a Lotharingia cardinalis ad Virdunensis dioeceseos sollicitudinem & prælaturam evocatur an. 1548, accepta ab ipso 1548.
dignitatem suam ergo sustinendi honesta pensione, quæ per commutationem postmodum exstincta est. Proventus quippe abbatiæ sancti Pauli in indemnitatem cessit Carolo a Lotharingia Remensi archiepiscopo, dicto cardinali de Guisia, cui Johannes cardinalis jus regressus atque fructus episcopatus concesserat. Vicissim Carolus cardinalis episcopalis mensæ reditus omnes nec non jurisdictionem in religiosos S. Pauli cum jure regressus in temporalia, mortis interveniente casu, Nicolao impertitus est. Præsulem suum festivis laudibus civitas pastoribus suis diu orbata suscepit ingredientem 12 Julii ejusdem anni. Ad filium in sublimitate positum humilis mater Desideria gratulabunda advolavit, & ne vestitu rustico nati obscuraret dignitatem, bombycina veste induta accessit. Hanc frigide velut alienam, sibique penitus ignotam admisit Nicolaus. Indignanti nonnihil atque se matrem affirmanti subjecit habere se matrem rusticanam & pannosam, ac proinde persuaderi sibi non posse eam parentem esse, quæ & mundo muliebri niteret, & vestibus sericis uteretur. Atque ita matrem a se dimisit, quæ subinde cum paganico vestimento induta rediisset, exclamavit eam demum suam esse matrem, & magna cum honoris & pietatis significatione excepit. Eodem anno 26 Augusti a suffraganeo Remensi, assistentibus Virdunensi & Tullensi episcopis, consecrationem nactus est, jam jam Bruxellas profectus ab imperatore Carolo V investituram adepturus. Insequenti 1549.
anno huic principi humiliter exposuit se ob redituum tenuitatem vectigalia imperio solvere

ANNI CHRISTI

non posse; migravit anno eodem ad provinciale A
concilium Trevirense. Litteris archiepiscopi
Trevirensis ad Tridentinam synodum petere
jussus, duabus sessionibus habitis 1 Septemb.
1551. & 11 Octob. 1551 subscripsit. Henricum II
Galliæ regem in Virdunensem urbem ingres-
sum, quanto potuit honore, excepit 12 Junii
1552. 1552. Ad id tempus Carolus V imperator
cum centum millibus virorum urbem Metas
oppugnatum accessit. Ea de re territi Virdu-
nenses, munitiones urbis suæ instaurare statue-
runt. Quorum animos ut episcopus ad opera
incenderet, dossuariam & ipse primus sportam
tulit: at dolore perculsus est ubi cognovit id B
in regio consilio statutum fuisse, ut ecclesia
aliæque structuræ monasterii S. Pauli penitus
everterentur. Hanc tamen abbatiam in urbem
a se translatam, suis expensis a fundamentis
exædificavit. Suas etiam opes, parcimonia
congestas, deputavit semirutis Dominicanorum
ædibus instaurandis, itemque fundando Mini-
morum conventui. Magnam adhibuit vigi-
lantiam servando ab hæresi gregi suo. Synodum
1554. coegit anno 1554, in qua disciplinæ eccle-
siasticæ vigorem strinxit, librumque pro veri-
tate sacrificii missæ vulgavit adversus Calvi-
nistas, sub hoc titulo: *Exposition de la Messe.* C
Ob scientiarum accretionem in animo habuit
1558. Universitatem in urbe instituere an. 1558,
jamque professores designaverat, ut apparet
1562. ex documento anni 1562. Opportune admo-
nitus turmam hostium hæreticorum, cui præ-
erat princeps Condæus, clam urbem invadendi
gratia procedere, adeo justa cautione usus est,
ut cum muros scalis nocte inter secundam &
tertiam diem Septembris 1562 ascendere
tentassent, in fugam acti fuerint, magno capti
1563. terrore. Publicavit anno 1563 librum sic in-
scriptum: *Préservatif contre les changemens de*
religion. D

Ad redintegratam Tridentinam synodum
Psalmæus una cum cardinali a Lotharingia rur-
sum profectus, Tridentinum advenit 13 Nov.
1562, & concinnato opere diligenter per-
scripsit quidquid in congregationibus tractatum
est. Maximam curam & operam contulit ad
sacræ ejus synodi decisiones ac deliberationes.
Post concilii solutionem domum reversus,
canones qui antea sparsim & absque ullo ordine
diversis temporibus propositi fuerant, con-
venienti methodo digessit, opusque prelo typo-
1564. graphico subjectum anno 1564 cardinali a E
1568. Lotharingia nuncupavit. Anno 1568 prin-
cipem Casimirum Palatinum copias Virduni
mœnibus admoventem suis flexit precibus,
eoque adduxit ut urbis obsidione absisteret,
copiasque educeret e comitatu Virdunensi.
Hoc quidem tempore inter oves suas tametsi
sævienti pestilentia conflictatas ut pastor bonus
stetit, ipsis necessariam opem laturus. Decretum
1569. tulit an. 1569 de permittendo in Virdunensi
comitatu usu salis in Lotharingia fabricati.
Eodem anno Metensem diœcesim cum plenaria
potestate emendandi, corrigendi & statuendi
quidquid ad spiritale & temporale judicaret
conducere, lustravit exoratus a cardinali a Lo-
tharingia, cujus sollicitatione pluribus post
annis reformandis diversis parthenonibus intra
ipsius legationis fines curam insumsit. Patribus
Jesuitis, quos singulari studio prosequebatur,
collegium exstruxit an. 1570 in domo hos- 1570.
pitali S. Nicolai patroni sui, ad cujus exemplum,
festo ipsius recurrente, tres puellas a se dotatas
solitus erat singulo anno honesto collocare
matrimonio. Hoc circiter tempore molestiam
est expertus ex eo quod passus fuisset epis-
copum Valentinensem mandato regis in Polo-
niam adeuntem, tanquam hæresis suspectum,
in carcerem duci. Qua de causa ejus secretarius
custodiæ mancipatus fuit donec episcopus Va-
lentinensis e Polonia rediisset. Sub Nicolai
moderamine proventus abbatiæ sancti Vitoni
propter abalienatas episcopatus ditissimas pos-
sessiones episcopali mensæ adunati fuere, com-
probante Gregorio XIII summo pontifice anno
1572. Opus gallice a se in lucem editum 1572.
anno 1573, cui titulus *Portrait de l'Église*, 1573.
Parisios amicissimo suo cardinali a Lotharingia
nuncupatum transmisit. Postero anno cardinalis 1574.
ejusdem obitum maximo cum dolore accepit,
nec ejus funeri Remis celebrato, tametsi a
cardinali de Guisia invitatus, adesse potuit:
continuo enim infirmitate correptus est, quæ
ad usque mortem duravit, longeque accrevit
ex vexationibus ducissæ Bullionensis, a qua
apud Henricum III regem tanquam perturbator
est insimulatus. Apud Calvum-montem, natale
solum, in sacello parœcialis ecclesiæ a se
condito parentes suos Petrum *Pseaume* &
Desideriam *Morel*, quos nobilitaverat dux
Lotharingiæ humari curavit. Sepulturam &
ipse mortuus 10 Augusti 1575, plenus bonis
operibus & meritis, habuit in capella vene-
rabilis sacramenti cathedralis ecclesiæ a se
dotata, sub marmoreo saxo, cui inscripta fuere
hæc ipsius verba. *Nicolaus Psalmæus e Calvo-*
monte ad fluvium Erram, humilibus quidem sed
piis parentibus, prius S. Pauli ad Virduni mœnia
abbas, postea ad episcopatum Virdunensem vo-
catus, sancte & religiose de futura resurrectione
cogitans, sepulchrum hoc, cum adhuc in vivis
ageret, sibi exstruendum curavit anno 1572.
Post ejus mortem hæc addita fuere: *In eo vero*
mortui corpus clerus populusque Virdunensis mæs-
tissimi posuere anno Domini M. DLXXV, die X
mensis Augusti.

Postea vero sepulchrum istud ad navis ec-
clesiæ partem extremam translatum fuit, ubi
nunc legitur hæc altera inscriptio: *Hic jacent*
ossa domini Nicolai Psalmæi Virdunensis episcopi:
O bone Jesu miserere mei secundum magnam
misericordiam tuam. Anno M. DLXXV.

Cor suum, quod testamento legaverat Pa-
tribus Jesuitis, ad infimum principis aræ gra-
dum cum ea epigraphe humari voluit: *Nicolaus*
Psalmæus amicus vester dormit, orate pro eo.
Obiit die X mensis Augusti anni M. DLXXV,
ætatis suæ LVII.

ANNI CHRISTI

BOUSMARD.

LXXXVII. Nicolaus IV.

Postridie mortis Psalmæi, corpus civitatis ad capitulum emisit deputatos ergo rogandi canonicos episcopum strenuum & fovendæ tranquillitatis publicæ peritum. Capitulum invicem quam maxime studiosum juris electionis, omnibus Germaniæ ecclesiis per concordata Germanica servati, ne suffragiorum libertas principum sollicitationibus coactaretur, electionem maturare statuit, indictusque est ea de re conventus generalis ad 16 Augusti ejus anni 1575. Maxima votorum pars sortito obtigit Simoni *Cumin* canonico; alteram vero seorsum habuerunt Nicolaus Marius decanus, Nicolaus *Bousmard* & Johannes *de Rembervilliers.* Verum Carolus III Lotharingiæ dux, qui plurimum in Francica & Romana aulis auctoritate valebat, in Nicolaum *Bousmard* se vertit, eique bullas a Gregorio XIII consecutus est anno 1576 mense Januario. Inde
1576. graves tam ex parte Imperatoris quam capituli emersere difficultates, quæ tamen consopitæ fuerunt 17 Octobris insequentis anni cessione Simonis. Porro Nicolaus parentes est sortitus Johannem *Bousmard* & Ludovicam *de la Malmaison*. Ubi episcopali dignitate fuit sublimatus, erat archidiaconus Argonæ, decanus ecclesiæ collegiatæ S. Magdalenæ, & major præpositus Montis-falconis, inauguratusque est in præsulem 1576, 15 mensis Julii die Dominica. Conventui Patrum Minimorum, ab antecessore suo in urbem accitorum primum posuit lapidem eodem anno 4 Octob. Insequentibus annis eorum ecclesiam sub titulo S. Francisci de Paula dedicavit, ipsorumque fundationem ratam habuit. Confectas a decessoribus suis cum duce Lotharingiæ pactiones firmavit anno
1580. 1580; transegit & ipse cum eodem duce die 7 Januarii. Delegatus a summo pontifice Gregorio XIII pileum cardinalitium principi Carolo a Lotharingia imposuit in ecclesia S. Georgii Nanceiensis. Quas jam protulerat
1581. synodales constitutiones, alterâ editâ an. 1581
1582. laudavit. Ab imperatore Rodolpho an. 1582, 22 Septembris investituris est donatus. Ob ætatem haud competentem principis Caroli a Lotharingia ad usque mortem Metensem administravit diœcesim. Commisso sibi munere rectissime perfunctus, morbo correptus fuit
1584. an. 1584 Quadragesimæ tempore, dieque 6 Aprilis suum condidit testamentum, quo divisa ejus bona in tres partes, prima legatur Patribus Minimis, altera xenodochio S. Catharinæ, & tertia heredibus. Præter hæc tria millia librarum cathedrali ecclesiæ, mille & quingentas ecclesiæ S. Magdalenæ, aliaque dona diversis largitus est ecclesiis. Eodem anno 10 Aprilis decubuit 72 annos natus, sepultura donatus in ecclesia Minimorum ante majus altare, unde ejus ossa translata fuerunt 16 Maii 1716 in novam ecclesiam. Ornatum fuit ejus sepulcrum hoc epitaphio:

Deo Opt. Max. Reverendissimi in Christo
A *patris episcopi Virdunensis Nicolai Bousmardi omni elegantia & doctrina exculti, antiquitatis in primis & veteris memoriæ periti, multis & magnis virtutibus ornati, atque iis artibus primum ad amplissima sacerdotia, & ecclesiasticos honores, dein post multos labores & legationes pro Reipublicæ libertate, ecclesiæque dignitate fideliter susceptas & gestas, ad cujus civitatis episcopatum & principatum bonorum omnium applausu evecti, vita denique multis curis & vigiliis exercita functi, memoriæ; Nicolaus Bousmardus archidiaconus de Argona; Joannes Bousmardus serenissimi Lotharingiæ & Barri*
B *ducis in suprema Sanmieli curia consiliarius fratris filii, hac in æde sacra, quam & vivens patruus unice dilexit, pieque coluit, & moriendo bonorum suorum triennio donavit, atque adeo sepulturæ locum elegit, tabulam hanc Dominicæ cœnæ historiam referentem e lapide candido, & vario marmore sculpi & erigi curarunt, vixit annos LXXII, obiit X Aprilis M. DLXXXIV.*

LXXXVIII. Carolus I.

DE LORRAINE.

Principis Nicolai ad Virdunensem sedem elati anno 1544, sed postmodum per abdicationem connubialibus vinculis astricti sub
C nomine comitis Vadani-montis, filius Carolus ex Anna *al.* Johanna a Sabaudia secunda uxore, genitus fuit 2 Aprilis 1559. Is in Remensi academia transacto sub disciplina Nicolai Bocherii sexennio, ad Mussipontanam sacris litteris operam daturus emissus, illic anno ætatis suæ 19 publicas theologiæ theses Gregorio XIII summo pontifici dicatas optime tuitus est, cardinalisque ab ipso creatus IX cal. Martii 1578 ad preces Henrici III Franciæ regis, sororis suæ Ludovicæ reginæ sponsi; fruitus quidem est abbatiis Mediani-monasterii & Miræ-vallis. In Tullensem episcopum electus
D fuit anno 1580, & a præfato rege ordini S. Spiritus adscriptus 1583. Dehinc cooptatus in Virdunensem episcopum post mortem Nicolai *Bousmard*, cujus nepos, dictus ut ille Nicolaus *Bousmard*, archidiaconus Argonæ, tametsi a Carolo III Lotharingiæ duce summo pontifici commendatus, repulsam tulit tanquam de novis erroribus suspectus. Desiit itaque dux pro Nicolao deprecari, episcopatumque cardinali Vademontano postulavit, qui a capitulo electus an. 1584, mox Romam adiit, bullisque impetratis, possessionem per procuratorem accepit 4 Martii 1585. Duobus Capucinorum, 1585.
E uni in urbe & alteri in diœcesi, conventibus dedit originem. Parisiis, quo perrexerat, Tullum redux, febre interiit 29 Octobris an. 1587, ætatis vicesimum octavum agens. Cujus corpus Nanceium delatum, sepulturæ traditum est in æde Patrum Franciscanorum cum epigraphe.

LXXXIX. Nicolaus V.

BOUCHER.

Patre agricola natus est Nicolaus sub initium mensis Novemb. 1528 Cernaci in Dormisio, quod est oppidum juxta parvum amnem Dormiam, in diœcesi Remensi. Parisios ad litterarum

ANNI CHRISTI

ſtudia ſe contulit, quibus alendis pater miniſtrabat, quod ex uſu rei domeſticæ minuatim ſubſtraxiſſet. Magiſter artium factus, reverſus eſt Remos non multo poſt inſtitutam a Carolo cardinali a Lotharingia univerſitatem, ubi philoſophiam per novem annos ſumma totius civitatis gratulatione docuit. Univerſitatis rectorem & quidem ordine ſeptimum creatum fuiſſe fidem faciunt acta ejuſdem univerſitatis contra Guillelmum Marlotium Remenſis hiſtoriæ ſcriptorem, qui in ſerie rectorum Nicolaum Vaucherium loco Bocherii collocavit. Cum philoſophiam prælegiſſet, animum ad ſacræ theologiæ ſtudia placuit appellere. Quibus cardinalis a Lotharingia mire delectatus, ſacerdotem ſub annum 36 ætatis, deinde metropolitanæ eccleſiæ canonicum creavit, poſthabito viro nobili, ut teſtantur litteræ proviſionis datæ apud Janvillam 17 menſis Aprilis 1565. Mox laurea doctorali inter theologos inſignitum deſtinavit regendo, quod an. 1567 inſtituit futurorum eccleſiæ miniſtrorum ſeminario. Tum duobus ſuis nepotibus, quos ſacris altaribus devoviſſet, præceptorem præfecit, nempe Ludovico a Guiſia poſtea cardinali & archiepiſcopo Remenſi, & Carolo cardinali Vademontano epiſcopo Virdunenſi, quibus duobus principibus tertius acceſſit, puta Carolus a Lotharingia, poſtea cardinalis & epiſcopus Metenſis. Canonicatum ſuum eccleſiæ Remenſis an. 1581 exuit, qui ſtatim collatus eſt Nicolao *Millet* ſuo ex ſorore nepoti, utique nato Cernaci in Dormiſio: ipſe autem canonicus Virdunenſis creatus.

Demum poſt annos triginta, quibus ſummæ illum curæ, ſummæ in docendo ærumnæ exercuerunt, mortuo cardinali Vademontano
1587. epiſcopo Virdunenſi 29 Octobris 1587, Carolus dux Lotharingiæ, nulla prenſatione, nullo ambitu adductus, ſed memor officiorum, quæ filio Carolo epiſcopo Metenſi & cardinali præceptor impenderat, & tum etiam impendebat, quamprimum ſupplicat pontifici Sixto V, ſcribitque eodem tempore Henrico III Galliæ regi, cujus accedente commendatione factum eſt ut multiplicatis interceſſoribus, ſupplicatio quod rogaſſet obtinuerit, & epiſcopatus Virdunenſis, vacans diſcipuli morte, præceptori abſenti, nihil de pedo, de inſulis nihil cogitanti, quin etiam fortaſſis, quemadmodum ipſe feſtive dicebat, dormienti delatus ſit. Scripſerat quoque dux Lotharingiæ ad canonicos, ut ipſi Bocherium in epiſcopum poſtularent; ſed nec petitionis ejus rationem habuerunt. Inter hæc Johannes *de Rembervilliers* nobilis Barro-ducæus, canonicus Virdunenſis, ſodalibus ſuis canonicis, quos ſæva paſſim diſperſerat peſtilentia, in capitulum coactis, dataque fide in electionis jure ſuſtinendi capitulum, in ſe pene omnia collegit ſuffragia, moxque promotioni Bocherii in curia Romana interceſſit innixus concordatis Germanicis, quibus jus electionis conſervatur eccleſiis. Ea de re a pontifice quinque cardinalium inſtituta congregatio 24 Martii

A 1588 epiſcopatum Virdunenſem conferendi ſanctæ ſedi jus attribuit. Apoſtolicum itaque breve directum fuit ad Bocherium, quo ineundæ poſſeſſionis & eccleſiæ Virdunenſis neceſſariis de rebus providendi facultas conceditur, donec conficiantur bullæ, quas eodem brevi jubetur ab apoſtolica camera infra ſemeſtre impetrare. Virdunum igitur IV nonas Maii 1588 acceſſit. Venienti occurrunt honoratiores cleri & civitatis gratulabundi; immiſſuſque eſt in poſſeſſionem pridie nonas Maii. Extemplo ad Imperatorem Pragam cum litteris ducis Lotharingiæ & Johannis archiepiſcopi
B Trevirenſis nuncium dimiſit inveſtituram ergo impetrandi, quæ ob interceſſionem Rembervillerii denegata eſt. Quin & imperator Rodulphus mandata dirigit ad capitulum & magiſtratus, quibus prohibentur quemquam vel jam nominatum vel in poſterum nominandum admittere in epiſcopum, priuſquam ab Imperatore regalium inveſtituram acceperit. Bullæ tamen apoſtolicæ Bocherio redduntur pridie nonas Novembris: quibus acceptis Pariſios ad conſecrationem accipiendam proficiſcitur, Virdunumque reverſus epiſcopalia munia orſus eſt die 6 Decembris, iiſque ſingulari cura
C functus eſt. Verum nimis curiæ Romanæ principibuſque Lotharingiæ ſtirpis addictus, fœderatorum partes ſuſcepit contra Henricum III regem, a quo conſcientiæ libertas in regno conceſſa fuerat. Ad id tempus pronunciari juſſit, ne quis in comitatu Virdunenſi natus cujuſcunque principis militiæ nomen daret, atque in generali comitatus cœtu exegit juſjurandum de ſervanda Catholica religione 7 Februarii 1589. Hæreſum etiam diſſeminatores civitate propulit, novaſque opiniones ſcriptis & doctis concionibus nec non gravitate morum propugnavit. Pontificatus initio Nico-
D laum *Millet* nepotem ſuum Remis Virdunum arceſſerat, ſuumque canonicatum, dein archidiaconatum de Riparia contulerat. Unde Rembervillerio nova datur occaſio litigia movendi ſub ſpecie vacationis beneficiorum: ſed Bocherium alia manent certamina; Rembervillerius enim Imperatoris & Hiſpaniarum regis gratia ſuffultus, vehementius ſub pontificatu Clementis VIII in Rota inſtitit, ut ſibi de Germanicis concordatis liceat adverſus Bocherium novam actionem intendere, & obtinet. Dies igitur obeundi judicii Bocherio indicitur, quod
E per impluvium & poſticum furtim illapſus in Virdunenſem eccleſiam irrepſerit. Hic cum Romam adire non poſſet, apologeticum latino idiomate, idque eleganter ſcribit, quod Romam & in Germaniam ad Imperatorem tranſmittendum prodit in lucem Virduni 1592. In hoc opere duas in partes diviſo, eum proprie intruſum ait parte prima, qui virtuti meritiſque ſuis diffiſus, malis artibus & dolis, favore & gratia, largitionibus, pollicitis, denique contra jus & æquum magiſtratum aliquem, dignitatemve & honoris locum ſibi quæſivit. Cujus deſcriptionis partes exponit tam a ſe alienas,

ANNI CHRISTI 1588.
1589.
1592.

quam Rembervillerio convenientes, tam a se removendas, quam in eum, qui illas objicit, conferendas; propptereaque illum inique Bocherium in ecclesiam Virdunensem intrusum criminari, qui se ut in eam intrudat, maria & montes ipsum acheronta moveat & conturbet. Posteriori parte dicit de jure pontificio, proponitque ex annalium monimentis ecclesiam Virdunensem non recepisse concordata Germanica, proindeque non gaudere facultate eligendorum episcoporum: Virdunum quidem urbem imperialem, sed non continuo de regno, natione & gente Germaniæ: a Wasburgio historiæ Virdunensis scriptore Virdunum sicut Remos, Suessionem, Laudunum & Catalaunum inter Galliæ Belgicæ civitates recenseri. Hæc & plura prosequitur, ut se apud omnes & præsertim apud judices Rotæ crimine obreptionis & intrusi liberet, suamque ab omni vindicet injuria vacationem. Satius tamen fuisset non adhibuisse invectiones adversus Henricum III Franciæ regem de duce & cardinali a Guisia in cœtu Blesensi occisis, quos martyres nuncupat. Porro Rembervillerius, qui simul monachos sancti Vitoni, ut alteram intenderent litem episcopo de conjunctione mensæ abbatialis cum episcopatu suscitaverat, ubi primum intellexit sibi perpetuum a Clemente VIII indicendum silentium, gravis ære alieno, a sponsoribus & creditoribus profugus, furtim Roma in Germaniam elabitur apud Imperatorem de summo pontifice questurus. Bocherius invicem mense Octobri 1592 Cæsaream majestatem litteris rogavit ut se excusatum haberet, quod si ab ea regalia non accepisset, nec ad ipsam urbana officia præstitum accessisset, civilibus bellis fuisset vetitus.

Attamen Bocherius ab omni mentis perturbatione vacuus & liber, episcopalibus muniis rite obeundis totum se dedit. Non erubescit, eo prædicante, evangelium; nam quod sermone docet, opere complet; Christi bonus odor in omni loco. In aulis principum, quo subinde ex mediis academiarum spatiis evocatus fuerat, semper philosophi Christiani simplicitate vixerat; eumdem vivendi morem episcopus & comes Virdunensis retinet, paucis extrinsecus dignitati concessis. In sublimi constitutus loco, qui erat ad fastum proclivis, non exaltatur cor ejus, sed coram Deo prosternitur & abjicitur. Nihilominus tamen de pulvere & humili loco pauper suscitatus, non ita se abjicit ut fit neglectui, sed providet ipse, honorificando ministerium suum, ut sibi pro Christo legatione fungenti debitus honor, debita obedientia exhibeatur. Parentes humiles & pauperes non ditat; verum desertos a se minime patitur. Tandem bonorum operum magis plenus quam dierum, obiit Virduni 19 Aprilis 1593 postridie Paschæ. Suum condiderat testamentum 7 Januarii anni ejusdem, quo jussit ut corpus suum in ecclesia cathedrali humaretur cum ea inscriptione: *Episcopi locus primus ad implendum officium, cathedra.* Cui parentes

A sui addiderunt aliud epitaphium.

ANNI CHRISTI

Inter opera quæ edidit Bocherius, præter apologiam de qua diximus, alteram scripsit apologiam adversus Audomari *Talon* explicationem in primum Aristotelis ethicum librum, Remis editam 1562, itemque orationem funebrem Caroli cardinalis a Lotharingia & Francisci Guisiæ ducis, Parisiis prelo subjectam anno 1577 sub hoc titulo: *Caroli Lotharingi cardinalis & Francisci ducis Guisiæ litteræ & arma.*

XC. Erricus.

DE LORRAINE.

B Inter Nicolai Vademontani comitis & Catharinæ Lotharingæ Aumaliæ ejus uxoris tertiæ pueros minimus Erricus, natus est 14 Maii 1576, dictus vulgo dux Erricus, quem parentes ejus a tenera ætate ecclesiæ destinarunt. In litteris informandus, a parentibus traditus est Christophoro *de la Vallée* abbati Caladiæ & parocho *de Parois*, quem pro curarum mercede Tullensi episcopatu donari curavit dux Lotharingiæ, ea fiducia ut duci Errico, ubi convenientem attigisset ætatem, transcriberet præsulatum. Verum ut Virdunensis ecclesia pastore suo orbata fuit, summus C pontifex per breve apostolicum jurisdictionem temporalem duci Errico, & spiritalem Christophoro Tullensi episcopo cum suffraganei titulo tribuit 9 Junii 1593. Canonici vero, qui 1593. iterum Rembervillerium elegerant, interpellata Imperatoris auctoritate, ab ipso magistratibus id mandatum impetrarunt, ut nullum admitterent episcopum, quin prius investituram accepisset. Dum in imperiali aula utrinque volveretur quæstio, bullas & ætatis dispensationem ad accipiendos sacros ordines princeps Erricus consecutus est, possessionemque iniit 24 Augusti 21 annos natus. Summo pontifici D litteras anno 1596 scripsit, rogans vel contra Catholicæ religionis hostes pugnandi, vel ad infideles reges legationem obeundi licentiam, affirmatque se esse paratissimum pro bono religionis sanguinem suum profundere. Inter hæc Rembervillerius Romæ vitam finivit 16 Januarii 1599, post cujus mortem in tribunali de Rota judicatum fuit provinciam Trium episcopatuum a Germania prorsus esse diversam, & ideo in Germanicis concordatis haud comprehensam. Porro Erricus consecratus est anno 1602, atque ita omni cogitatione curaque in E administrationem suæ diœcesis incubuit, ut pater patriæ vocari meritus sit. Munia enim episcopalia cœpit a lustratione parœciarum diœcesis, ubique morum perversitatem emendans, atque de suo necessitatibus cleri & populi subministrans. Dehinc statuta synodalia vulgavit de exstirpandis abusionibus, deque restituenda ecclesiastica disciplina. In obeundis muneris sui functionibus usus est consiliis episcopi Tullensis quondam præceptoris sui, atque Desiderii *de la Cour* prioris S. Vitoni, quem vicissim potentia & auctoritate sua suffulsit in introducenda reformatione in monasteria

ANNI CHRISTI

ordinis S. Benedicti, & præsertim in Medianum-monasterium, cujus sicut & aliorum, nempe Miræ-vallis, Cheminonis, Belli-loci & Mauri-montis fuit abbas. Fidei juramentum 24 Septembris anno 1601 præstare coactus fuerat Henrico IV Franciæ regi, quem cum maximis honoribus in urbem Virdunensem
1603. accepit 9 Martii 1603. Bona monasterii Miræ-vallis, cujus erat abbas, inter se & Præmonstra-
1605. tenses dividit 7 Septemb. 1605. Hujus ætate subducta est ab ipso rege Germanico imperio hæc civitas, regiumque tribunal in ea institutum, cui fortiter obstitit Erricus: jurisdictionem enim episcopalem, quantum potuit, tutari enixus est. Parisios siquidem adiit regem, dein Romam summum pontificem Paulum V, a quo breve ad Henricum IV de cameræ regiæ abrogatione obtinuit. At funesta morte regis Henrici vetitus est laborum suorum fructus colligere. Post tamen regis excessum, nonnulla adhuc expertus est apud Ludovicum XIII, nec meliorem habuit successum. Graviter ille commotus ex eo quod ecclesiæ suæ jura adversus regiam auctoritatem tueri non posset, secessionem facere cogitavit. Et revera in nepotis
1610. sui Caroli gratiam cessit an. 1610, mortuusque est Nanceii 27 Aprilis 1623. Sub ipsius regimine duo parthenones monialium de congregatione instituti sunt, alius Virduni, alter in civitate S. Michaëlis; itemque conventus unus Minimorum. Patres Franciscani, dicti Cordigeri, an. 1602 conventum S. Lamberti urbis Virduni deseruere, & in eorum locum suffecti sunt Patres Recollecti. Cessit quædam monachis de Castellione, ecclesiæ suæ retento annuo vectigali. Prioratum Montis S. Martini juxta Longum-vicum juris S. Vitoni perpetuo univit collegio Jesuitarum Virduni, quorum institutum amplecti in mente habuerat, ut apparet ex epistola cardinalis Bellarmini, qui ei suadebat ut ad voluntatem Dei se conformaret. Conventum quidem Capucinorum in pago S. Nicolai condiderat, ubi testamento suo tanquam unus ex ordinis fratribus voluit humari.

XCI. Carolus.

DE LORRAINE.

Filius Henrici a Lotharingia comitis *de Chaligny* ex Claudia marchionissa *de Mouy* Carolus, in lucem est editus in loco *de Keures* apud Barrenses 18 Julii 1592. Is natura lenissimus, quamplurimas virtutes summamque doctrinam comparavit in collegio Jesuitarum Mussipontano. Procurante Maria Medicæa Franciæ regina, rogantibus Lotharingiæ familiæ principibus, agentibusque plurimis cardinalibus, in primis Bellarmino a quo litteris est admonitus insistere vestigiis BB. Ludovici Tolosani, Caroli Mediolanensis, & Petri de Luxemburgo Metensis, per factam an. 1610 a duce Errico patruo omnium beneficiorum cessionem, Virdunensi ecclesiæ præfectus fuit bullis Pauli papæ V, qui eam posuit conditionem, ut princeps Carolus nec consecrationem perciperet, nec episcopalia munia obiret ante tricesimum ætatis annum. Temporalium rerum habuit tantummodo possessionem, spiritali administratione commissa Johanni *de Porcelets* episcopo Tullensi. Primus auctoritatis actus fuit renovatio decreti antecessoris sui adversus cameram regiam judicialem, in Virdunensi civitate institutam, quo causidicis, procuratoribus & apparitoribus nefas esset emanandis ex ea sententiis parere. Verum pigere haud cunctatus est; quidquid enim ab ipso actum fuerat, rescidit scitum sanctioris consilii 23
Julii ejusdem anni 1611. Nec multo post 1611.
episcopus excusationes suas in aulam delatum aliquem emisit. Insequenti anno supplici libello 1612.
reginam rogavit ut prohiberet officiales regiæ cameræ ne magistratus civitatis jurisdictione exuerent. Ivit & ipse Parisios anno 1613 1613.
nonnulla petiturus, quæ ei denegata fuere. Nihilominus regi fidem juravit 21 Augusti. Virdunum redux cum magnis lætitiæ indiciis acceptus est 18 Septembris a clero & oppidanis, quorum animos affabilitate sua conciliavit. Propter obsequium & fidem erga regem gratia plurimum valuit in aula. Subditis suis tam nobilibus quam plebeis 9 Februarii 1614 1614.
vetuit ne sub aliis vexillis quam Franciæ regis militarent. Inter civilia bella, quæ sub id tempus Franciam agitarunt, cavit ne hostes regni atque religionis Virdunensem urbem invaderent. Licet temporalibus negotiis plerumque districtus, spiritalia tamen haud neglexit: sacris enim ordinibus se fecit initiari; episcopalem etiam consecrationem, ætatis veniam adeptus a papa, accepit 30 Octobris 1616 in ecclesia 1616.
S. Georgii de Nanceio ab Errico antecessore & patruo, adstantibus Ludovico *de Tavagny* episcopo Christopolitano, abbate sancti Apri, suffraganeo episcopi Tullensis, & Adamo *Petz* episcopo Tripolitano suffraganeo episcopi Ar- Ch. XLIV,
gentinensis, ut patet ex ejus epistola ad summum col. 582.
pontificem scripta. Synodum coegit generalem totius cleri Virdunensis in cathedrali ecclesia, eximiamque habuit orationem de statutis synodalibus observandis. Sacros operarios per diœcesim emisit, qui divinum verbum ubique disseminarent. Visitavit omnes parochias, capellas & sacella, ipsemet audiens confitentes peccata, Eucharistiæ & Confirmationis sacramenta in omnibus locis administrans, sacram quidem doctrinam puerulos nonnunquam edocens. Ut in urbem est reversus, conscientiæ consilium constituit, viris ecclesiasticis & religiosis probitatis & doctrinæ laude conspicuis conflatum, in quo graviores de rebus ad animarum salutem spectantibus difficultates agitarentur simul & deciderentur.

Generalem Virdunensis comitatus cœtum habuit anno 1619 de modo dicundi juris. 1619.
pars volebant ut camera regia existeret, antea Spiram delatas appellationes ergo judicandi. Alii petebant ut Parisiensi Parlamento tribuerentur. Nobilibus vero visum est ut institueretur judicialis curia constans uno præside, quem præficeret rex, & decem consiliariis, quos

ANNI CHRISTI episcopus, canonici majoris ædis, nobiles & A magistratus constituerent. Ea de re deputati
1620. anno 1620 Parisios missi sunt, quos secutus est anno postero princeps Carolus, spem habens res ad felicem exitum deducendi. Plura siquidem privato consilio proposuit, inter cætera postulans dignitate Paris Franciæ sublimari, atque jus & prærogativam officiales justitiæ nominandi, qui criminales causas & civiles suprema potestate judicarent, præter quam quod summa non excederet mille & quingenas libras Turonenses: in quo casu appellationes ad curiam supremam, quam regi placeret designare, deferrentur. Quoniam vero privatum consilium B statuerat creare Parlamentum in urbe Metensi, & ballivatus in Tribus-episcopatibus Metensi, Tullensi & Virdunensi, conditiones omnes nullum produxerunt effectum. Defraudatus itaque princeps Carolus ecclesiæ suæ jura spe conservandi, mundum cœpit fastidire, atque ex eo tempore episcopatum deserere constituit. Litteras namque ad Gregorium XV pontificem direxit, rogans eum ut non præberet modo consensum episcopalis muneris spontaneæ relictioni, verum & in societatem Jesuitarum ingressui. Cujus preces exaudivit pontifex per breve apostolicum Romæ datum apud sanctum C
1622. Petrum 22 Aprilis 1622. Id ubi resciverunt Virdunenses, nihil non moliti sunt ut eum a proposito averterent. At ille admodum firmus in consilio, omnia beneficia sua principi Francisco germano transcripsit; dein Romam iter aggressus desinente Junio ejusdem anni, ibidem in Jesuitarum societatem est ingressus, votaque emisit anno 1624. Cum in Franciam repedasset, in morbum Tolosæ incidit, illicque rectoris ædium professionis munere defungens mortem occubuit 28 Aprilis 1631. Cujus cor Virdunum revectum, ab omnibus civitatis ordinibus cum singulari veneratione acceptum D fuit. Super columnam depositum est in ecclesia Jesuitarum cum inscriptione.

Ejus vitam Parisiis editam an. 1632 scripsit pater *de Condé* Jesuita.

XCII. Franciscus.

DE LORRAINE. Episcopus & comes Virdunensis Franciscus, Fulgeriis in Armorica natus 13 Januarii 1599, major præpositus ac decanus ecclesiarum Coloniensis & Argentinensis, bulla Gregorii XV per cessionem Caroli fratris non ad præsulatum modo, sed & ad alia ejus beneficia promovetur E
1623. an. 1623. Possessionem accepit 18 Septemb.
1624. & subdiaconatum sequenti anno: at consecratione nunquam donatus, episcopalibus muniis per suffraganeos aut vicarios generales defungitur. Ad id tempus comes Mansfeldius turma militum stipatus in Virdunensem comitatum irrumpit, innumera perpetrans mala, latrocinia ubique exercens, homines feminasque & pueros indiscriminatim interficiens, omnia demum aut diripiens aut ferro flammaque devastans. Quibus calamitatibus avertendis, comparandæque regi summæ auctoritati in urbe & tractu Virdunensi placuit sanctiori concilio, ut jam ab Henrici II regis ætate fuerat statutum, arcem ædificare. ANNI CHRISTI
Præsidiarios itaque rex immisit milites, qui operibus instarent, dato cibaria ab urbe & patria ministrari jussu. Populum suum jam miseria valde conflictatum ut eo onere levaret, nihil non tentavit princeps Franciscus: verum id commodum curare nequivit, nec lato 21 Novembris 1625 decreto valuit vetare quin 1625.
& ipsi in laboribus absque questu inviti & coacti desudarent. Hæc inter opera, querentibus monachis S. Vitoni, quibus forsan terreni pars aliqua fuerat adempta, in ecclesiasticorum bonorum invasores monitoriam sententiam episcopus protulit 21 Decembris 1626. Quæ sen- 1626.
tentia cum a Johanne *Gillet* regio prætore denuntiata fuisset irrita, ipsum exsecrationi addixit 2 Januarii 1627. Haud multo post 1627.
quidquid ab episcopo factum fuerat, abrogatum est a Nicolao *Charpentier* regio in Tribus episcopatibus præside, qui quod episcopus latam excommunicationem solvere nollet, ejus reditus sub manum regis tradidit, episcopales judices summovit muneribus, & in ædibus episcopalibus præsidiarios collocavit milites. Ille vero sibi veritus, Coloniam, cujus erat major decanus & archidiaconus Novesiensis, cito aufugit, emissis inde querelis ad Cæsarem, qui ejus suscepit defensionem, & imperiales aquilas ex portis civitatis decussas restitui postulavit.

Verumtamen dum princeps Franciscus abfuit, conductoribus fundorum tam episcopi quam capituli tributa aliaque gravia onera imposita sunt. Quorum ille miseriam ejulatusque vehementer dolens, regis voluntati se subjicere constituit, & ideo sibi vectigalium restitutionem subditisque suis levamentum est assecutus anno
1631 mense Februario. Eodem anno excitata 1631.
in urbe gravi pestilentia quamplurimi indigenæ sublati sunt. Sub hunc annum 6 die Octobris princeps Condæus significavit Virdunensibus oppidanis hoc regi in animo esse, ut supremus princeps ab ipsis haberetur, simulque vetuit publicis tabulis inscribere urbem & comitatum a Germanico imperio dependere. Illi regio mandato paruerunt, id solummodo petentes ut in litigiosis rebus appellationes ad senatum Parisiensem deferrentur. Ast rex Ludovicus
XIII litteris datis 1 Julii 1633 jussit causas 1633.
centum libras non excedentes, ad quod Metis
nuper instituerat Parlamentum, referri. Biennio 1635.
post princeps Franciscus ut judiciariam, qua erat exutus, jurisdictionem vindicaret, sancito fœdere cum regis hostibus, copias contraxit Virdunum ergo invadendi, francigenasque milites inde expellendi: sed & ipsæ ab oppidanis propulsatæ, sese per agros effuderunt, ubique depopulationem inauditasque crudelitates exercentes. Qua de re rex Ludovicus perquam iratus, Francisco ademit episcopatum & omnia pene beneficia, in quorum tamen possessionem ille restitutus est per tractatum pacis Monasterii Westphalorum initum 24
Octobris 1648, hominiumque virtute tractatus 1648.

ANNI CHRISTI

1651. ejusdem Ludovico XIV præstitit Parisiis 12 Martii 1651. Placitum regium obtinuit anno 1654. 1654, 12 Januarii de justitia & civili disciplina per ballivum cæterosque suos officiales in urbe & Virdunensi comitatu exercenda, dummodo regiis officialibus pretium munerum exsolveret. Conditionem hanc implere cum recusasset, res infecta remansit. Ad ejus totiusque cleri Virdunensis preces rex edicto sancivit 2 1661. Junii 1661 ut intra sex menses hæreseos sectatores urbe & diœcesi excederent. Eodem anno 11 Julii Franciscus ob humanitatem diœcesanis suis dilectus, præclarisque dotibus commendabilis, mortuus est Diusii. Cujus corpus delatum in pagum S. Nicolai prope Nanceium, sepultum fuit in ecclesia Capucinorum juxta ducem Erricum patruum, ubi legitur istud epitaphium: *Hic jacet illustrissimus & reverendissimus dominus & princeps dominus Franciscus a Lotharingia episcopus Virdunensis, illustrissimi & piissimi domini Errici a Lotharingia hujus conventus fundatoris nepos, juxta cujus tumulum jacet. Obiit Diusii die .... mensis .... 1661.*

Sub ejus episcopatu in diœcesi quædam domus regulares institutæ sunt, scilicet Minimi apud S. Luciam de Sampigneio anno 1625; Canonici regulares 1623, Jesuitæ & Carmelitæ 1625; Carmelitanæ moniales 1628 in civitate S. Michaëlis, & in ipsa urbe Virdunensi 17 Junii 1634. Benedictinæ vero an. 1639 se receperunt ob pestem & bellum Parisios in suburbium sancti Germani, ubi noscuntur sub titulo monialium SS. Sacramenti. Princeps Franciscus sortitus est suffraganeum N. *de Basoche* Cæsariensem episcopum, a quo jura episcopalia adversus capitulum viriliter propugnata sunt. Sub finem vitæ monachis de Castellione centum & triginta jugera in nemore Mangiennensi cessit pro compensatione quorumdam jurium, quæ in eodem nemore possidebant.

Post hujusce principis obitum generalis capituli conventus indictus fuit de servando jure electionis ad dignitatem episcopalem, deque administrando episcopatu dum sedes vacaret: septem enim annos vacavit, interdicta capitulo electione a rege, cui tunc erat cum papa altercatio de nominationibus ad Trescpiscopatus.

DE MONCHY D'HOQUINCOURT.

XCIII. ARMANDUS.

Caroli *de Monchy*, marchionis *d'Hoquincourt*, Franciæ marescalli, gubernatoris & præfecti arcium & civitatum Peronæ, Mondiderii, Royæ & Hami, Catalaniæ proregis, ex Eleonora *d'Estampes de Valançay* filius Armandus, in lucem est editus anno 1637. Traditus est erudiendus doctissimo patri *de Monchy* presbytero Oratorii propinquo suo, qui singulari cura coluit ejus indolem mansuetam & affabilem, incitavit ejus propensionem ad christianam pietatem, fovitque ejus ad scientias ardorem, in quibus mirificos processus effecit. Licentiæ cursum summo splendore emensus, doctoratus lauream in Sorbona promeruit. Jam abbatiis sancti Vincentii Laudunensis & Boheriarum honestatus a rege Ludovico XIV, ut jam diximus tom. IX, col. 586 & 638. Primus ab eodem rege ad episcopatum Virdunensem renunciatus est 1667 virtute indulti, 1667. quod summus pontifex Alexander VII huic principi concessit, quodque ad successores ejus reges extensum fuit a Clemente IX. Consecrationem Parisiis Armandus suscepit 6 Maii 1668 ab Henrico *de la Motte-Houdancourt* 1668. Auscienfi archiepiscopo, adstantibus Francisco *Rouxel de Medavy* Sagiensi & Michaële *Poncet* Sistaricensi episcopis, in ecclesia PP. tertii ordinis S. Francisci suburbii S. Antonii. Ut ille fuit vultu venusto, commodisque & facillimis moribus, omnium corda sibi devinxit, munereque suo rite fungi cœpit; rebus quippe divinis sæpe sæpius aut intererat, aut pontificaliter ipse peragebat. Summam quidem præbebat assiduitatem sacris concionibus, quas & ipse, ut aiebat, habuisset ad populum, si rectius valuisset. Ecclesiasticæ disciplinæ restitutioni, emendandisque vitiis, quæ sub antecessore continua bella genuerant, plane se addixit. Aliquibus etiam conatibus usus est ut justitiam episcopalem, senatusconsulto Parlamenti Metensis rescissam, recuperaret: at metu regi displicendi ab omni persecutione destitit. Ob publicam supplicationem, quam indixerat ad diem 10 Maii 1669, litem habuit cum canonicis cathedralis, qui sibi tribuebant jus 1669. supplicationes indicendi, quique obstabant quominus ille haud indutus pontificalibus ornamentis populo in choro majoris ædis benediceret, aut etiam apparitoribus suis cum clavis erectis comitatus incederet. Ea de re statutum est a consilio privato ut mandatis episcopi obtemperarent, debitamque pontificali dignitati venerationem exhiberent. Aliud etiam aliquibus post annis decretum obtinuit adversus eosdem de instituendis parochis in archidiaconatu primiceriæ annexo. Generalem diœcesis exegit visitationem anno 1672, nec locus fuit 1672. quem sua præsentia non recrearet, & ubi verbum divinum non disseminaret. Cum cognovisset populos ob ministrorum inscitiam institutionibus carere, seminarium bonis pastoribus informandis in urbe fundavit, ad cujus cultum mille libras de suo vectigali & quingenas supra mille ex clero diœcesis desumendas largitus est. Totius cleri sui conventum celebravit 8 Novembris 1678, in quo habita eloquenti 1678. & concinna oratione epitomem statutorum synodalium, curis suis confectam, servare proposuit. Postero anno infirmæ valetudini remedia quæsiturus Parisios adiit, ubi in eisdem religionis & pietatis, quibus vixerat, indiciis mortuus est in suburbio S. Germani 29 Octob. 1679. ætatis suæ anno 42. Humatus est in ecclesia parœciali S. Sulpitii 2 Novembris. Cujus cor depositum est in Virdunensi cathedrali, ubi Rogerius *Brulart de Sillery* propinquus & familiaris ejus monumentum erexit.

ANNI CHRISTI

XCIV. Hippolytus.

DE BÉTHUNE. Parentibus Hippolyto comite *de Celles*, marchione *de Chabris* equite torquato, & Anna-Maria *de Beauvilliers* genitus Hippolytus, Armandi Aniciensis episcopi frater, Aniciensis & ipse decanus, abbas Belli-prati diœcesis Bellovacensis, Mariæ-Theresiæ reginæ ab eleemosynis, ob bonam quam in aula sibi comparavit famam, a rege Ludovico Magno anno
1681. 1681 designatus fuit episcopus, eodemque in Carthusianorum ecclesia consecratus ab archiepiscopo Parisiensi, assistentibus Noviomensi & Laudunensi episcopis, 3 Augusti anni B ejusdem. Virdunum advectus, in administratione episcopatus antecessoris sui vestigiis institit: eodem enim consilio iisdemque officialibus ac ille usus est, cœpitque soliditatem addere constituto ab eo seminario, comparatis quippe ad hunc usum ecclesia ædibusque xenodochii S. Jacobi, quas alter ex suis decessoribus, Nicolaus *Boucher*, quondam concesserat monachis Castellionis. Duos illic philosophiæ professores instituit anno 1684, qui candidatorum mentes ad studia informarent; indeque prodiere viri doctrina & pietate insignes. Populorum sibi commissorum fidem ut foveret aletque, diversa vulgavit opera, scilicet parvum & magnum cathechismum, rituale doctissimorum ejus ætatis præsulum laudibus elatum, itemque methodum de sacramento Pœnitentiæ utiliter administrando, nec non & præstantissimum breviarium. Decretum a privato consilio consecutus anno 1694, non archidiaconatum modo primiceriæ affixum, sed & totum cathedralis ecclesiæ capitulum, nec multo post collegiatam ecclesiam beatæ Magdalenæ jurisdictioni suæ episcopali subdidit. Seminarii administrationem commisit canonicis regularibus congregationis sancti Salvatoris. Rurales D decanos, quos parochi eligere consueverant, jus instituendi sibi arrogavit. Duarum collegiatarum Hatonis-castri & Asperi-montis fecit
1707. compactionem anno 1707, collocatis canonicis in ecclesia parœciali S. Stephani papæ civitatis sancti Michaëlis, qui nunc dicuntur canonici S. Leopoldi. Si peculiarem animarum curam sumsit, nec corporum prætermisit sanitatem: ægris siquidem pauperibus regionis Virdunensis, quibus deerant auxilia, in urbe instituit xenodochium, cujus curam credidit filiabus
1717. Caritatis, quas Nanceio accivit anno 1717. Eodem anno pauperes testamento constituit A suos heredes, erogata bonorum parte hospitali sanctæ Catharinæ, altera parte ædi hospitali sancti Hippolyti a se conditæ. Præter plurima donaria, quatuor millia librarum capitulo majoris ecclesiæ pro anniversario codicillis reliquit anno 1718 die 1 Novembris. In gravem 1718. morbum lapsus anno 1720, sacrum Viaticum 1720. sibi curavit ministrari in festo Assumptionis B. Mariæ, & ex eo tempore non conquievit a meditatione divinarum scripturarum. Morbi tamen ardoribus succubuit eodem anno 24 Augusti, ætatis suæ 73, episcopatus 40. Sepultus est ut petierat in choro cathedralis ante sedem episcopalem, ubi administratores xenodochiorum urbis præ gratitudine contra ejus voluntatem epitaphium incidi curarunt an. 1725.

XCV. Carolus-Franciscus.

D'HALLENCOURT DE DROSMENIL. Augustodunensi ecclesiæ a rege præfectus Carolus-Franciscus anno 1710, ut jam dictum est tom. IV, col. 431, inde ad Virdunensem sedem traductus fuit an. 1721 die 8 Januarii, 1721. possessionemque suscepit 7 Januari 1723. 1723. Fuit commendatarius abbas Humolariarum in diœcesi Noviomensi & Caritatis in Vesontionensi diœcesi, ubi de vita decessit 16 Martii C 1754, annos natus 79. 1754.

XCVI. Aimarus-Christianus-Franciscus-Michael.

DE NICOLAÏ. Vicarius generalis archiepiscopi Parisiensis, Delfino ab eleemosynis, ac quondam agens cleri Gallicani Aimarus-Christianus, prior S. Catharinæ Vallis-Scholarium seu de Cultura, canonicus ecclesiæ Parisiensis, renunciatus est a rege episcopus mense Aprili 1754. Parisiis inunctus fuit in choro ecclesiæ metropolitanæ ab archiepiscopo Parisiensi, adstantibus Ruthenensi & Ebroicensi præsulibus, 16 Junii ejusdem anni; fideique juramentum præstitit 21 ipsius mensis. Obiit vero in sua diœcesi 9 die Decembris 1769, annum agens quinquagesimum. De eo tom. VII, col. 863.

XCVII. Henricus-Ludovicus-Renatus.

DESNOS. Genitus anno 1716 in diœcesi Cenomanensi Henricus-Ludovicus-Renatus, Rothonensis abbas commendatarius ab anno 1747, Redonensis episcopus consecratus fuit 16 Augusti 1761, dein translatus, abdicata abbatia S. Ebrulfi, ad Virdunensem ecclesiam 25 Decembris 1769.

DE PRIMA POST EPISCOPUM DIGNITATE IN ECCLESIA VIRDUNENSI.

PRIMICERII officium prima fuit capituli dignitas, quam canonicorum mensæ adnectere Clementi VII visum est anno 1385. Huic dignitati adjunctus erat archidiaconatus intra cujus fines primicerius eamdem auctoritatem, quam episcopus in tota diœcesi, sibi vindicabat: & certe parochos instituebat, vicarios designabat, dispensationes indulgebat, officialemque, cujus de causis ecclesiasticis erat cognoscere, creabat. Præterquam quod primicerii jurisdictio secularem regularemque totius archidiaconatus clerum complectebatur, ad

omnes etiam capituli cathedralis extendebatur A personas. Ad hæc adde quod in pluribus pagis primicerius summam exerceret auctoritatem, & marchionis titulum sibi assumeret. Episcopatus vectigalia, sede vacante, administrabat, omnibusque capituli præerat conventibus. Indicem horum, qui eam obtinuerunt dignitatem, qualem scriptor historiæ ecclesiasticæ & civilis Virdunensis, & nos exhibemus.

PRIMICERII.

I. S. EUSPICIUS juniorum clericorum institutioni curas adhibuit, publicisque scholis, quas reddidit florentissimas, præfuit. Clodovæi B regis Virdunum obsidentis iram ut mitigaret, ab oppidanis missus est, ac postea, recusato episcopatu Virdunensi, in solitudinem prope Aureliam secessit, jactis ibidem Miciacensis monasterii fundamentis, ubi decubuit circa annum 508.

II. Agrebertus cum Pipino Heristallensi comutationem fecit anno 701, electusque est in episcopum anno 703.

III. S. Madalveus item ad episcopales infulas evectus fuit circa annum 753.

IV. Fremodo S. Madalveo successit.

V. Berardus episcopus evasit circa annum C 870.

VI. Dado præcedentis nepos in utroque munere patruo successit.

VII. Euvenardus circa annum 921 occurrit in tabulis, ac moritur anno 939.

VIII. Bernerius sub Berengario episcopo, qui ei officium beatæ Mariæ noctu in ecclesia recitanti intulit injuriam, quam Deus mox ultus est.

IX. Amicus ecclesiam S. Crucis ineunte undecimo seculo condidit.

X. Dudo simul erat primicerius & abbas Montis-Falconis anno 1032 mense Septemb. D in charta fundationis prioratus Ameliæ. Subscripsit litteris Brunonis episcopi Tullensis pro monasterio S. Apri anno 1034.

Hist. eccles. & civil. Vird. prob. p. 3. XI. Rotmirus legitur circa annum 1049 in litteris Leonis IX pro confirmatione bonorum ecclesiæ Virdunensis.

Wassburg. p. 241 verso. XII. Milo subscribit litteris ducis Godefridi, Theodorico episcopalem sedem obtinente. Memoratur etiam in litteris Udonis Tullensis *Chart. XIV, col. 562.* episcopi 1054, in aliis quoque Pibonis ejusdem urbis præsulis 1072, IV idus Octobris, nec non anno 1078. E

XIII. Theodericus Theoderici præsulis nepos, primicerii munere, quod invaserat, bis censura depulsus fuit: verumtamen imperiali auctoritate restitutus in dignitatem, fruitus est sub episcopis Richero & Richardo. Et vero *Ch. XIX, col. 566.* recurrit anno 1099 in charta Richeri episcopi. Notatur in necrologio S. Vitoni v cal. Julii.

XIV. Albertus I *de Marcey*, frater Haduidis abbatissæ Juviniaci, nominatur in placitatione sororis suæ anno 1128. Occurrit in monumentis annis 1135 & 1138. Privilegium anno 1142 obtinuit a Conrado Romanorum rege. In Concilio Trevirensi anno 1148, revelationes S. Hildegardis perpendendi curam accepit. Subscripsit anno 1153 chartæ Alberonis episcopi de fundatione monasterii Castellionensis. Testis reperitur in diplomate Friderici imperatoris anno 1155 idib. Januarii. Huic Albero transcripsit episcopatum an. 1156.

XV. Richardus an. 1153 subscripsit privilegio Alberti episcopi.

XVI. Albertus II cum prima nominis littera reperitur in documento an. 1175. Subsignavit an. 1185 tabulis Henrici episcopi. Directa est *Ch. XXXII, col. 575.* ad eum a Folmaro archiepiscopo Trevirensi sententia lata in abbatem S. Vitoni circa annum 1187. Memoratus etiam anno 1201.

XVII. Ostengius *de Marcey* Alberto successit.

XVIII. Robertus *de Grandpré* legitur in charta an. 1201. Ad episcopalem dignitatem elatus anno 1208.

XIX. Thomas I primicerii dignitate honestatus occurrit 1224.

XX. Johannes *d'Aix* tempore Radulfi de Torota episcopi patrui sui de jurisdictione primicerii ab arbitris sententiam ferri curavit. Subjiciendis civibus quamplurimum juvit Guidonem de Mello episcopum, cujus in locum suffectus fuit anno 1247.

XXI. Gaudefridus præfuit an. 1271 elec- *Charta XL, col. 579.* tioni Ulrici episcopi, ejusque in gratiam scripsit summo pontifici Gregorio X an. 1272.

XXII. Gerardus *de Grandson* ex primicerio episcopus evasit anno 1275.

XXIII. Thomas II *de Blamont* secretam iniit pactionem cum Henrico episcopo anno 1284. Memoratur anno 1292. Ad episcopales infulas promotus anno 1302.

XXIV. Taleyrandus cardinalis, summi pontificis in Francia legatus & Autissiodorensis episcopus, cum Henrico episcopo transactionem iniit anno 1334. Mortuus est Avenione 18 Januarii 1364, uti dictum fuit tom. XII, col. 316.

XXV. Albericus gravem cum episcopo Johanne de Borbonio simultatem habuit circa annum 1365, & ab eodem prælato non censuris modo percussus est, verum & de jurisdictione impetitus.

XXVI. Daulricus primicerii munus exercebat anno 1385, quo ejus dignitas abrogata est. Verumtamen post Daulrici obitum unus e canonicis, dictus *de Boulay*, anno 1387 se promoveri curavit ab Urbano VI. Qua de re gravissima mota lis est, quæ sopiri nequivit, nisi magna argenti summa promoto canonico exsoluta.

Post primicerii dignitatis abrogationem, primum locum obtinuere decani, quorum series talis est.

DECANORUM ELENCHUS.

I. S. EUSPICIUS de quo in primiceriis, fuit exemplar scientiæ & pietatis sub episcopis Pulchronio, Possessore & Firmino.

II. Bertarius anno 1 Bernuini episcopi cum

Wassburg. p. 183. Evenardo præposito redituum & censuum capituli codicem conficiendi curam accepit post depopulationem Hungarorum.

Spicil. t. XII. p. 271. Hist. eccles. & civil. Vird. prob. p. 3. III. Warmundus alodium de Wosophia capitulo tradidit ea lege, ut festum Annunciationis solenniter celebraretur. Ad eum Leonis IX pontificis scriptæ exstant litteræ anno 1049 de possessionibus Virdunensis ecclesiæ.

IV. Richerus anno 1178 occurrit in documento; sub annum 1084 a Theodorico episcopo missus est una cum Fulcrado abbate sancti Pauli ad sigillandum altare sancti Michaëlis. *Spicil. Ibid. p. 258.* Utrumque vero captum familia monasterii in carcerem trusit apud Barrum. Subscripsit anno *Ch. XIX, col. 566.* 1099 chartæ Richeri episcopi.

V. Godefridus I in necrologio S. Vitoni notatur VIII cal. Julii.

VI. Henricus *de Lorraine* ex decano Virdunensi in Tullensem episcopum electus est anno 1127.

VII. Guillelmus I de patratis in ecclesia Virdunensi miraculis tempore Ursionis episcopi opus hodie perditum scripsit circa annum 1130. *Ch. XXI, col. 569.* Adhuc memoratur eodem anno in litteris Alberonis pro monasterio Caladiæ, nec non anno 1144 in charta episcopi ejusdem.

VIII. Guillelmus II provinciali concilio *Ch. XXX, col. 574.* Trevirensi interfuit anno 1152. Occurrit in litteris Alberti præsulis anno 1162, nec non in charta Richardi de Crissa episcopi 1163. Adhuc occurrit anno 1183.

IX. P. ratam habuit anno 1185 sodalitatem renovatam inter capitulum Virdunense & abbatiam S. Michaëlis. Idem sane est ac Pontius, *Ch. XXXII, col. 575.* qui circa annum 1186 reperitur in charta monasterii Insulæ in Barrisio, & circa annum 1187 in sententia Folmari archiepiscopi Trevirensis.

X. Remigius cum Hugone abbate S. Vitoni circa annum 1190 notatur in tabulis monasterii Insulensis.

XI. Gaudefridus II annis 1197, 1198, 1201 legitur.

XII. Theodoricus I de Marceyo electioni Roberti de Grandi-prato in episcopum intercessit, eamque sententia curiæ Romanæ abrogari curavit anno 1215. Legitur adhuc annis 1219 & 1226.

XIII. Nicolaus I de Gorzia anno 1229. Notatur in necrologio S. Vitoni VIII cal. Febr.

XIV. G. reperitur in documento an. 1234. Forsan idem cum Guillelmo in charta pro Castellione.

XV. Thomas I anno 1271 concurrit elec- *Char. XI, col. 579.* tioni Ulrici episcopi, ut patet ex litteris Gregorii X datis anno 1272.

XVI. Theodoricus II una cum Rodulpho Lugdunensi archiepiscopo scripsit regi anno 1286 in gratiam abbatiæ de Avenaco. Adhuc etiam præerat anno 1289. Idem esse videtur cum Therrico de Monte-Corneto.

XVII. David anno 1322.

XVIII. Thomas II *de Bourlemont* decanatum a Clemente V adeptus est, & ad Tullensem episcopatum promotus anno 1330.

XIX. Johannes I *d'Epinal* fundavit capellam in cathedrali ecclesia.

XX. Bertrandus I *de Germiny* anno 1382. Summus pontifex Clemens VII, rogante Bertrando, anno 1385 mensæ capitulari officium primicerii adnexuit.

XXI. Nicolaus II *Pilon* descivit a vita 1405 mense Martio.

XXII. Dominicus *de Nauriac* an. 1433.

XXIII. Bertrandus II *Malazeri* possessionem est adeptus 1436. Præbendam unam officio decani ab Eugenio IV papa adjungi curavit.

XXIV. Beuveletus *Huin*, Guillelmi *Huin* cardinalis & Sedunensis episcopi nepos, superioris cessione factus decanus anno 1453, ob litem qua a capitulo de muneris sui juribus exagitatus est, Romam petiit, ubi excessit circa annum 1465.

XXV. Johannes II *Johanneaux* decanus anno 1482, cessit in gratiam sequentis.

XXVI. Johannes III *de Lenoncourt* per præcedentis resignationem adeptus est an. 1489.

XXVII. Nicolaus III *Gerbillon* in possessionem est immissus 14 Novembris 1522. Humatus in sacello S. Antonii.

XXVIII. Jacobus *Burluraut* fatis concessit 5 Octobris 1566.

XXIX. Nicolaus IV Marius a capitulo electus 1566, æmulum sustinuit Claudium *Gillon;* nec prius pacifice fruitus est, quin jus accepisset a Desiderio *Collin*, cui Claudius *Gillon* jus suum cesserat. In generali capituli conventu de electione episcopi habito an. 1575 quindecim sortitus est suffragia. Censuris, quibus ab episcopo ob usurpata jura episcopalia obstrictus fuerat, a summo pontifice solutus est. Nomine Caroli cardinalis Vademontani possessionem episcopatus accepit an. 1585. Obiit an. 1608.

XXX. Matthæus *de la Reauté*, Marii coadjutor, consensit pactioni, qua licitum ei erat bis tantum in anno duobus generalibus capituli conventibus præsidere.

XXXI. N. *Jousselin* eam dignitatem pauco tempore obtinuit, mortuus anno 1649.

XXXII. N. *de Feuquieres* obtinuit usque ad annum 1691, nec unquam Virduni constitit.

XXXIII. N. *Jappin* a capitulo electus, promotionem suam tueri noluit adversus N. *Monnier* a rege nominatum, suumque jus capitulo dimisit.

XXXIV. N. *Baillot* superioris abdicatione a canonicis in decanum electus, litem sustinuit adversus dominum *Monnier*, deturbatusque est decreto majoris consilii 31 Septemb. 1695.

XXXV. N. *Monnier* a rege renunciatus, nunquam Virduni constitit.

XXXVI. N. *Orseaux* per præcedentis cessionem obtinuit.

XXXVII. Ludovicus *Geraud de Scorailles* doctor Sorbonicus a rege dictus est decanus anno 1708 in Natali Domini. Jus præsidendi

aliasque prærogativas curavit firmari senatusconsulto Parlamenti Metensis 14 Junii 1719.

XXXVIII. Antonius-Vincentius *de Nogués* decanus, vicarius generalis & abbas commendatarius S. Severi de Rustano, Virduni moritur 27 Martii 1781, ætatis suæ anno 75.

VETUS MONASTERIUM.

S. MAGDALENA *seu* S. LUDOVICUS.

Ecclesia sancti Ludovici Virdunensis primo fuit constructa ad usum Sororum Pœnitentium ordinis sanctæ Magdalenæ in Alemannia, quibus Gregorius IX anno 1235 privilegium concessit, & Innocentius IV aliud, quo hortatur episcopos ut Sorores prædictas adjuvent in constructione monasteriorum anno 1247 nonis Martii, pontificatus 4. Sorores igitur hujus ordinis, constructa ecclesia in urbe Virduno, ordinem S. Victoris Parisiensis circa annum 1250 assumserunt, & electa sibi abbatissa, a summo pontifice petierunt ut sibi conservaret indulgentias & privilegia Sororum Pœnitentium ordinis præcipua. Quod Alexander IV ipsis concessit bulla data XII cal. Julii 1256, pontificatus 2. Hæc vero abbatia anno 1396 bellorum æstu tunc apud Virdunenses vigentium destructa fuit & funditus eversa, omnes moniales dispersæ undique perierunt; ita ut una duntaxat, Margareta nomine, ex quadraginta in monasterio superstes fuerit. Ipsa Leobaldo *de Cousance* episcopo Virdunensi consensum præbuit ut, titulo abbatiæ exstincto, omnes reditus sub prioratus nomine abbatiæ S. Agerici tribueret. Prioratus erectionem confirmavit Benedictus XIII anno 1398. Tandem anno 1576 ultima Augusti Desiderius *Saryon* abbas S. Agerici ad preces Psalmæi episcopi Virdunensis ecclesiam sancti Ludovici Patribus Minimis tradidit, titulo prioratus translato ad ecclesiam S. Agerici in capellam S. Johannis-Baptistæ. Hactenus de diversis statibus ecclesiæ S. Ludovici; nunc seriem paucarum abbatissarum subjicimus.

Charta XXXVIII, col. 578.

Ch. XXXIX, col. 579.

I. Juliana de Tilleyo anno 1290. Ipsa fortassis est quæ novæ ecclesiæ fundamenta jecit anno 1304.

II. Jacommatta præerat anno 1321.

III. Mathildis occurrit 1339.

IV. Cæcilia *Sanctignon* anno 1387 dedit Bauderio *Trusson* monasterii directori domum unam prope ecclesiam. Præerat adhuc anno 1392, ultimaque fuit abbatissa.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ numero decem.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

Bellus-locus, *Beaulieu.*
Sanctus-Michaël, *Saint-Mihiel.*
Sanctus-Vitonus, *Saint-Vannes.*
Sanctus-Agericus, *Saint-Airy.*

Feminarum.

Sanctus-Maurus, *Saint-Maur.*

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

Sanctus-Nicolaus de Prato, *Saint-Nicolas-des-Prés.*

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Caladia, *la Chalade.*
Castellio, *Chastillon.*

Ordinis Præmonstratensis.

Sanctus-Paulus, *Saint-Paul.*
Stagnum seu Stanchia, *l'Estanches.*

BELLUS-LOCUS.

Beaulieu en Argone.

Monasterii hujus origo debetur beato Rodingo genere Scotto, qui paulo post sanctum Columbanum in Galliam accedens, primum in Theologiense cœnobium se recepit, & ita se gessit ut abbatis munere honestari meritus sit. Verum Chroduino nepoti suo in locum suum substituto, secessit in locum Wasslogium, quem posteris, mutato nomine, Bellum-locum ob pulcherrimum loci situm appellare visum est. Septem fere leucis a Virduno, tribus vero ab oppido S. Manechildis distat. Illic anno circiter 642 jacta fuere fundamenta monasterii Bellilocensis, quod nonnunquam Wasslogiense a priori vocabulo dictum est. Ita in loco ubi erant lustra ferarum, fit domus orationis; ibique chorus psallentium cœptus, ubi prius lupi ululare consueverant. Austresius quidam, incola proximi vici prædives, non tulit barbaricæ, ut sibi videbatur, gentis homines in silva sua, se inconsulto, habitare; ibidemque succisis arboribus habitacula absque suo permissu sibi construere. Immissis itaque iræ suæ ministris, Rodingi discipulos flagellis cædi jussit, & cum dedecore e nemore expelli. Interim vir sanctus Romam pergit ad limina Apostolorum. Tum votis ad eorum tumulos Deo persolutis, in pristinum redit locum: Austresium cœlesti flagellatum plaga sanat, condendoque monasterio silvam ab eo impetrat. Cœptum opus mox perficitur, basilica in Salvatoris honorem construitur, sanctique Mauricii & sociorum ejus, quorum reliquias ex Agaunensi monasterio,

cum istuc in reditu ex secunda Romana peregrinatione se contulisset, reportavit. In hac peregrinatione a summo pontifice obtinuit privilegium, quo Virdunensi episcopo sacrorum ordinum collatio & benedictio abbatis reservatæ. Cui privilegio accessit Childerici regis præceptum, loci possessiones confirmantis, quæ ad septingentos septuaginta mansos excrevisse dicuntur: quin & ex fisco regio Ermeriacam villam largitus est; monasteriumque in suam tutelam suscepit & ab omni exactione liberum & immune pronuntiavit. Istuc confluxere complures discipuli, cum ex vicinis regionibus, tum ex transmarinis, maxime Scotti, qui popularem suum invisere & cum eo conversari gaudebant. Diu subditum est id monasterium ordini Cluniacensi, uti constat ex litteris papæ Bonifacii VIII datis Laterani idibus Martii, pontificatus anno VIII, id est 1302. Verum ab eo ordine sejunctum fuit anno 1610, quo princeps Erricus Virdunensis episcopus, & hujusce monasterii abbas illud subjecit congregationi reformatæ S. Vitoni.

Ch. XLII, col. 580.

ABBATES.

I. S. RODINGUS seu Chraudingus origine Scottus, relicta monasterii Theologiensis præfectura, in Argonæ saltum, Paulo Virdunensi antistite obiter salutato, se recepit in locum Wasslogium, qui ob loci pulchritudinem a posteris dictus est Bellus-locus. Illic monasterii fundamenta jecit circa annum 642. Quod ut Austresio cuidam incolæ proximi vici prædiviti fuit compertum, ægre passus est barbaricæ, ut sibi videbatur, gentis homines in silva sua, se inconsulto, habitare; & quidem discipulos Rodingi graviter multatos e silva pepulit. Mox vir sanctus Romam iter aggreditur, eodemque tempore cœlesti plaga affligitur Austresius, qua tamen a viro Dei reduce sanatur. Gratiæ hujus memor ille condendo monasterio silvam concedit. Cœptum itaque opus perficit Rodingus, basilicamque construit in honorem S. Salvatoris & S. Mauricii ac sociorum, quorum reliquias in secunda Romana peregrinatione ex Agaunensi monasterio secum retulit. Privilegia tum a Romano pontifice, tum a Childerico rege consecutus est. Ad eum tunc confluxere complures discipuli vicinis ex regionibus & maxime Scotti ejus populares. Compositis monasterii rebus, paulo ante obitum successorem cum fratrum consensu instituit Stephanum monachum cæteris religiosorem, & cum unico socio divinæ contemplationis studio, in secretiorem silvæ locum, dimidio milliari a monasterio dissitum secessit; unde Dominicis diebus ad monasterium repetere consueverat missarum solemnia celebraturus, spiritalibusque colloquiis fratres refecturus. Gravissima tandem febre correptus, accepto Viatico, fratribusque preces pro moribundis tunc recitantibus, animam Deo reddidit XV cal. Octobris circa annum 680. Corpus ad monasterium delatum, & ante aram S. Johannis

A Evangelistæ, ut ipse vivens jusserat, cum debita veneratione conditum est. Cultum ejus in ecclesia jam seculo nono receptum fuisse auctor est Dado Virdunensis episcopus. Richardus sancti Vitoni abbas undecimo seculo scripsit libellum de illius vita, cujus inscriptio in Virdunensi codice is est: *Vita sanctissimi ac beatissimi Chraudingi episcopi & abbatis*, tametsi nulla in hoc libello mentio est de episcopali ejus dignitate.

II. Stephanus I cæteris monachis religiosior, a B. Rodingo in solitudinem Bonæ-vallis recedente institutus est in abbatiali munere

B successor, & ab eodem viro sancto febre correpto admonitus est ut ejus proximam mortem fratribus commendaret.

III. Desiderius.

IV. Theodericus I memoratur XVII calend. Octobris in necrologio S. Vitoni.

V. Rainerus in necrologio sancti Agerici notatus die 8 Augusti.

VI. Theobaldus I.

VII. Gervasius I.

VIII. Remigius.

IX. B. Richardus I, abbas S. Vitoni, ubi de eo fusius agemus, inter cætera quæ admi-

C nistravit monasteria, moderatus quidem est Wallogiense seu Bellilocense cœnobium, inductaque strictiori in illud observantia anno 1026, præpositum instituit B. Popponem.

X. Poppo, sub cujus præfectura magnus huic cœnobio splendor est additus, & nomen Wasslogii in Belli-loci mutatum, quod huc usque perseverat. Ejus tempore a vicinis toparchis magnæ concessæ possessiones, conditaque fuit urbecula, cujus etiamnum cernuntur vestigia murorum, quos Barrenses comites everterunt. Inde eductus fuit Poppo ad moderandum abbatias sancti Vedasti Atrebatensis, & Stabu-

D lensem, in qua obiit anno 1048. Præpositi tantummodo munus gessisse videtur, honore abbatiali reservato Richardo.

XI. Richardus II præerat circa annum 1060, uti patet ex litteris ducis Godefridi exactiones majori ecclesiæ ac monasteriis ab advocatis impositas temperantis. Martene. Thesaur. Anecdot. t. I, coll. 989 & 990.

XII. Gotfredus abbas Bellocensis seu Bellilocensis subscripsit confirmationi donationis factæ S. Benigno anno 1081.

XIII. Gerebertus S. Vitoni monachus, ab abbate suo Rodulfo, in monasterio Divionensi exsule, missus fuit una cum Gerardo quondam

E archidiacono, ut Theodericum Virdunensem episcopum morti proximum ad pœnitentiam hortaretur circa annum 1088. Ipse vero in abbatem Belli-loci cooptatus est anno 1090. Delegatus est cum Azelino cantore a Richero episcopo ad Lestatense seu Guastallense concilium anno 1106. Spicil. t. XII, p. 292.

XIV. Robertus I venerabilis monachus sancti Vitoni, cum duobus sociis in solitudine nemoris Argonensis primum vitam duxit eremeticam, & in eodem loco ecclesiolam & quasdam mansiunculas fabricavit ex consensu Henrici

præsulis Virdunensis. Robertus illic transactis aliquot annis, assumtus fuit in abbatem Belliloci, locusque secessus ejus Calladia vocatus, Cisterciensi ordini traditus est, ubi hactenus existit monasterium Calladiæ; quin & ipse anno 1127 una cum fratre suo Riquino subscripsit litteris Henrici episcopi locum hunc ordini Cisterciensi conferentis, uti constat ex instrumento Alberonis itidem episcopi.

*Ch. XXI, col. 568.

XV. Albricus præerat an. 1125, Henrico episcopo sedente.

XVI. Hugo I 1136 tempore Alberonis episcopi.

XVII. Odo a Gaufrido Catalaunensi episcopo facultatem obtinuit celebrandi in capella, quam in parochia S. Martini juxta Catalaunum habebat tempore Innocentii papæ II.

XVIII. Rodulfus ædificium quoddam monasterio S. Petri Catalaunensis cessit an. 1145.

XIX. Hayricus an. 1153 subscripsit litteris Adalberonis Virdunensis episcopi de fundatione Castellionis, & alteri chartæ an. 1156.

Ch. XXVII, col. 572.

XX. Gervasius II circa annum 1154 donavit saltem ex parte locum & alodium de Janduria pro fundando monasterio Janduriarum.

*Annal. Præmonstr. tom. I, col. 656.

XXI. Albertus I anno 1162 Melchiam Insulæ-Barrensi concessit. Memoratur in charta Arnulfi episcopi 1172, in litteris Petri Tullensis pro monasterio Trium-fontium an. 1181.

XXII. Johannes I *de Brienne*, filius Galterii II comitis Briennensis, superstes an. 1186, munificum se præbuit erga abbatias Bassi-fontis, Belli-loci atque Ripatorii in diœcesi Trecensi.

XXIII. Theodericus II legitur anno 1198 in instrumento Insulæ-Barrensis.

XXIV. Girbertus I 1207 in documento Insulæ-Barrensis, 1218 in tabulis S. Michaëlis.

XXV. Ulricus reperitur an. 1220 in tabulis S. Mauri Virdunensis.

XXVI. M. in charta Mauri-montis 1225.

XXVII. Fulco I 1229, 1231 & 1233.

XXVIII. Nicolaus I 1237 mense Febr. vendidit Theobaldo regi Navarræ quidquid juris habebat in nemore cum fundo nuncupato Foresta, sito prope castellum S. Manehuldis.

XXIX. Albertus II 1244 transigit cum Gaufrido abbate de Caladia.

XXX. Milo sancti Agerici monachus in abbatem eligitur anno 1248.

XXXI. Garnerius regi Navarræ cedit jus suum in sexta parte nemoris de Verreriis pro 80 libris Pruvienensibus 1249 mense Novembri. Confirmavit anno 1254 incolis *de Triaucourt* quæ Milo olim concesserat privilegia.

XXXII. Guillelmus I legitur anno 1256 in instrumento Mauri-montis.

XXXIII. Johannes II 1259 in charta Gorziensi, itemque 1260 in charta Insulæ-Barrensis memoratus.

XXXIV. Nicolaus II circa annum 1260, ex instrumento Belli-campi.

XXXV. Herbertus 1273 societatem init cum Galtero abbate S. Michaëlis.

XXXVI. Fulco II 1280, 1282 in chartis Mauri-montis.

XXXVII. Girbertus II an. 1289, ex tabulis ecclesiæ Virdunensis.

XXXVIII. Hugo II occurrit an. 1293.

XXXIX. Theodoricus II 1298.

XL. Guido I *de Pernes* anno 1300. Se excusat an. 1301 quod non interfuerit capitulo generali apud Cluniacum. Ille sane est abbas ad quem diriguntur literæ Bonifacii VIII de subjectione monasterii Bellilocensis ordini Cluniacensi, datæ idibus Martii pontificatus 8, id est anno 1302. Unus fuit ex illis quos cardinales ad Bertrandum Burdegalensem archiepiscopum delegarunt ad ipsi perferendum electionis suæ decretum. Cum ille ejusque monachi Henrico Barrensi comiti homagium præstare detrectassent, urbem & ecclesiam direptioni flammisque comes tradidit, sacrumque corpus S. Rodingi Barrum secum abstulit, ubi etiamnum servatur. Cessit ab abbatia & in Italiam secessit, ubi factus fuit episcopus Venusinus, tum administrator Acheruntinæ ecclesiæ 1303, & tandem translatus a Clemente V ad Tullensem cathedram, ut supra dictum est.

Ch. XIII, col. 580.

XLI. Stephanus II anno 1307 testatur se quamcunque emendam soluturum, si constiterit quod comitem Barrensem Franciæ regis hostem consilio, auxilio aut armis juverit. Mortuus est 16 Julii 1309.

XLII. Galterius ex priore claustrali electus abbas 21 Julii 1309, ab Eduardo Barri comite, an. 1312 accepit dominium *de Braban*.

XLIII. Guido II occurrit anno 1315.

XLIV. Hugo III 1317, 1321 & 1324. Se excusat an. 1327 quod non accesserit ad capitulum generale Cluniaci celebrandum.

XLV. Philippus sedebat 1329. Se excusavit etiam an. 1330 capitulo generali non interfuisse. Legitur in instrumento anno 1332. E vivis ereptus fuit an. 1334.

5 Valterus monachus & thesaurarius electus est die Veneris post festum Nativitatis, quæ fuit octava a morte Philippi abbatis, sed electio ab abbate Cluniacensi admissa non est. Itaque

XLVI. Johannes III prior claustralis, vir virtutum meritis insignitus, ut docet ejus electionis decretum, die Veneris post octavas sancti Thomæ in abbatem cooptatus fuit & confirmatus.

XLVII. Nicolaus III an. 1336 excusationem misit ad generale capitulum Cluniacense de sua absentia.

XLVIII. Johannes IV misit etiam ad capitulum generale absentiæ suæ excusationem anno 1338.

XLIX. Petrus I *de Maillet* præerat anno 1340. A Petro Cluniacensi abbate confirmatur 15 Martii 1342. Memoratus etiam annis 1345 & 1347.

L. Theobaldus 1364.

LI. Hugo IV *de Bar* 1375 & 1379.

LII. Nicolaus IV 1384.

LIII. Johannes V *de Presles* seu *de Butel*,

cujus electio facta ultima Junii 1391, ab A abbate Cluniacensi confirmatur.

LIV. Petrus II 1399, cujus ætate ecclesia & monasterium iterum a comite Barrensi Theobaldo ferro flammisque adeo devastata fuere an. 1401, ut intra decennium monachi redire non ausi fuerint.

LV. Hugo V *de Chastillon* ex abbatia sancti Johannis Laudunensis translatus dicitur anno 1403.

§ Cum ob schisma diu vacasset abbatia, ex licentia Roberti abbatis Cluniacensis electus est frater Hugo de Nova-villa anno 1419. At ille jam ætate provectus electioni suæ B renunciavit 29 Julii.

LVI. Ferricus de Vendopera thesaurarius, gerendis rebus peritus, per Hugonis cessionem & commendationem electus est 1419: de cujus electione inquirendum mandavit Robertus abbas Cluniaci eodem anno 10 Augusti, & die 23 Novembris permisit electo ut a quocunque episcopo benediceretur.

LVII. Dominicus *du Pont*, sacræ theologiæ doctor, reperitur in antiquis membranis 1429. Excusavit se anno 1440 apud abbatem Cluniacensem quod ad capitulum generale non accessisset. Cum autem de concubinatu & incestu C aliisque criminibus accusatus fuisset, Odo Cluniacensis abbas die 10 Novembris 1434 duobus vicinis abbatibus, Petro de Maurimonte & Johanni de Castriciis, curam demandavit de his inquirendi, sic etiam de lugendo statu monasterii, quod tam temporum malitia, quam depravata monachorum conversatione audierat ad extremam paupertatem devenisse, ita ut vix tres monachi illic, ubi amplius quam octodecim ali consueverant, sustentari possent. Senio & infirmitate pene confectus, e vita migravit an. 1453 & sepultus D est in ædicula S. Chraudingi.

LVIII. Gerardus *Cumin* electus est an. 1453, & vero die 24 Aprilis missi sunt procuratores ad abbatem Cluniacensem, qui Gerardi confirmationem postularent, quæ recusata fuit. Verumtamen ille vocatur abbas anno 1454. Humatus in sacello S. Chraudingi.

LIX. Gaufridus *Floreau* Catalaunensis episcopus pro abbatia S. Germani a Pratis cessit abbatias Belli-loci, Belli-fontis, & præposituram Antoniaci an. 1482, & obiit 30 Aprilis 1503.

LX. Robertus II *de Lespinasse* ex permutatione invita cum præcedenti facta abbatias E Belli-loci, Belli-fontis ac præposituram Antoniaci adeptus est anno 1482.

LXI. Claudius *de Dinteville* commendatarius Belli-loci, Buxeriæ, Rigniaci, vallis S. Mariæ & Firmitatis ad Geronam jam decesserat an. 1507. Post ipsius obitum electus est a monachis Erardus *de la Mark*. At Philippus *Bourgoin* major prior Cluniaci, vicarius generalis abbatis Cluniaci, designavit abbatem Johannem *Tripaud*, qui obtinuisse non videtur.

LXII. Erardus *de la Mark* episcopus Leodiensis & Carnotensis, cardinalis, vocatur administrator perpetuus Belli-loci an. 1509: mortuus an. 1538.

LXIII. Antonius I *de la Mark d'Aremberg*, Roberti domini Sedanensis & Franciæ marescalli filius, major archidiaconus Carnotensis, obtinebat anno 1520. Quia vero Caroli V Cæsaris partes adversus Franciscum I regem susceperat, in abbatia obsessus & interfectus est regis jussu an. 1523.

LXIV. Ludovicus I *de Lorraine*, dictus cardinalis Guisius, qui Trecensis, Albiensis, Senonensis, & Metensis successive fuit præsul, eam abbatian obtinuisse perhibetur.

LXV. Franciscus I cardinalis *de Tournon* archiepiscopus Bituricensis, Auscienis, Lugdunensis occurrit annis 1529 & 1535 mense Martio. Biennio post cum sequenti permutavit pro abbatia Trenorchiensi.

LXVI. Robertus III *de Lenoncourt*, cardinalis, episcopus Catalaunensis, Metensis, archiepiscopus Tolosanus, Ebredunensis, Arelatensis, abbas S. Remigii Remensis, ingenio & prudentia conspicuus, 1537, 1539, 1547, 1554.

LXVII. Guillelmus II *de la Mark d'Aremberg*, sedis apostolicæ protonotarius, mortuus an. 1558 sepultus est in capitulo.

LXVIII. Carolus I *de Roucy* episcopus Suessionensis, regi a consiliis præpositusque regii oratorii, simul commendatarius Vallis-regiæ & S. Basoli, ab anno 1558 ad 1575 in diversis occurrit instrumentis. Defunctus 6 Octobris 1585. Lege tom. IX, col. 378.

LXIX. Antonius II *de Lorraine* brevi regio donatur anno 1586, quo etiam anno bullis necdum acceptis vitam finivit. Passus est æmulum N. *de Nettancourt* dominum *de Passavant*, qui patris sui Henrici favore obtinuit breve regium ab Henrico III rege, quod an. 1589 die 16 Augusti confirmatum est in castro Claromontis ab Henrico IV. Obtinebat adhuc anno 1591. Eo sedente abbatia sæpius obsessa penitus eversa est; qui & ipse omnia monasterii documenta igni tradidit. Huic tandem ejecto successit

LXX. Erricus *de Lorraine*, episcopus Virdunensis, provisus a summo pontifice an. 1590, abbatia vacante per obitum Caroli *de Roucy*; nullæ enim adhuc bullæ ab ipsius morte a sede apostolica emanaverant. Possessionem adeptus est 15 Novembris 1592. Reformationem induxit anno 1610, eodemque suis ab omnibus beneficiis se abdicavit.

LXXI. Carolus II *de Lorraine*, Errici nepos, & in omnibus ejus beneficiis successor, per bullas provisus VIII cal. Novemb. 1610 possessionem accepit 29 Martii 1611. Cessit & ipse anno 1622.

LXXII. Franciscus II *de Lorraine*, superioris germanus, & in omnibus ejus bonis ecclesiasticis heres, itemque major decanus Coloniensis, possessionem est adeptus 10 Junii 1623. Cum autem in regis offensionem incurrisset, omnibus beneficiis suis exutus est.

LXXIII. Franciscus III *de Feuquieres* anno

1641, 29 Martii brevi regio donatus, in possessionem inducitur 24 Septembris ejusdem anni per arrestum regium datum 30 Augusti. Defunctus 1663.

LXXIV. Henricus *de Lorraine*, marchio *de Mouy*, possessionem capessivit an. 1663. Obiit Nanceii 10 Junii 1672; humatus in ecclesia Capucinorum S. Nicolai.

LXXV. Ludovicus-Maria *de Rommecourt* nominatus a rege 15 Augusti 1672, occurrit & anno 1682.

LXXVI. Ludovicus II *de Béthune* Armandi Aniciensis & Hippolyti Virdunensis episcoporum frater, abdicato clericatu, postea evasit marchio *de Chabris*.

LXXVII. Franciscus IV *Sanguin de Livry*, regis legatus in Polonia, Lusitania & Hispania; fuit abbas Livriaci, S. Arnulfi Metensis, Fontaneti, S. Saturnini Tolosani, Belli-loci dioec. Virdunensis mense Januario 1728. Parisiis obiit 15 Februarii 1729. Vide tom. VII, col. 846.

LXXVIII. Fredericus-Hieronymus *de Roye de la Rochefoucault*, cardinalis, archiepiscopus Bituricensis, primas utriusque Aquitaniæ, abbas Belli-loci in Argona, S. Vandregisili, Athanaci, Cluniaci; commendator ordinis S. Spiritus, major Franciæ eleemosynarius, antea orator apud summum pontificem, obiit Parisiis 29 Aprilis 1757, natus annos 56, menses 9 & dies 13. Sepultus in parœciali ecclesia sancti Sulpicii, cor vero ejus delatum in monasterium S. Martini a campis. De eo diximus tom. XI, col. 948.

LXXIX. Carolus-Antonius *de la Roche-Aimon*, origine Lemovix, abbas Belli-loci mense Junio 1757, Fiscanni, Cari-campi. Nominatus vero S. R. ecclesiæ cardinalis anno 1772, abbatias Belli-loci & Cari-campi exuit, quarum loco accepit a rege abbatiam sancti Germani a Pratis apud Parisios, ubi decessit 27 Octobris 1777, ibidemque sepelitur. Vide in archiepiscopis Tolosanis, col. 72.

LXXX. Ludovicus-Albertus *de Lesé de Marnezia* consecratus Ebroicensis episcopus anno 1759 die 6 Novembris. Dimisso vero episcopatu, anno 1773 abbatiam Belli-loci obtinuit a rege 19 Decembris ejusdem anni.

S. MICHAEL.

S. MIHIEL.

IN honorem archangeli S. Michaëlis, B. Dei Genitricis, S. Martini, beatorum apostolorum Petri & Pauli, nec non SS. Martyrum & Confessorum a Wlfoaldo comite ejusque uxore Adalasinda in monte Castellionis, e cujus radice fluviolus Marsupia seu Marsupium * elabitur, quinque millibus a fluvio Mosa primitus cœnobium conditum, satque abundanti stipe provisum fuit anno 709. Carolus magnus datis an. 772, regni 4, mense Maio, Drippione in palatio regio litteris immunitates monasterii confirmavit. Sequenti seculo Smaragdo abbati monasterium ad ripam Mosæ uno milliari Germanico duabus scilicet Francicis leucis

Baluz. Miscell. t. IV, pag. 403 & seqq.

* Massoupe.

Mabillon. vetera Analec. tom. II, p. 401.

A a monte Castellionis transferre placuit, propterea quod in eum montem operosa & difficilis esset aquarum aliarumque rerum vitæ necessariarum devectio. In priori tamen monasterio, quod vetus postea nuncupatum, aliquot e fratribus reliquit, qui divinum persolverent officium; statuitque sub anathematis pœna, ut ibidem fratres omnes humarentur. Quod religiose observatum ad tempora Urbani II, a quo facta est licentia circa novam monasterii ecclesiam sepulturam fratribus constituendi. Paulo post hanc translationem Ludovicus imperator cum Lothario filio imperii socio libertatem

Baluz. ibid. p. 454.

B eligendi abbatis concessit non solum veteri monasterio, quod dicitur Castellio; sed potius, ut ipse ait, novo quod nostro tempore ædificatum est, nuncupante Marsupium, quod est situm in pago Virdunensi super fluvium Mosæ vel rivulum Marsupium (eo scilicet in loco ubi Marsupius in Mosam influit) constructum in honore S. Michaëlis archangeli, ubi præsente tempore auctore Deo abbas Smaragdus præest. Commune itaque utrique monasterio erat initio Marsupii vocabulum, quod utrumque ad Marsupium rivulum positum esset. Superest etiam nunc ecclesia veteris monasterii, in qua

C Wlfoaldus & Adalasinda ejus uxor conditores sepulti sunt. Circa novum monasterium paulatim accrevit oppidum satis elegans vulgo dicta *Saint-Mihiel*, ubi fuit sedes parlamenti Lotharingiæ, quod ab aliquot annis Nanceium translatum fuit. Huic cœnobio Carolus III simplex anno 898 rogatu Adheleidis genitricis suæ res quasdam ad stipendia fratrum assignavit, hoc est villam Busserias cum Tronione; item & alia, quæ Zuentiboldus rex ante triennium concesserat. Ludovicus etiam Franciæ Orientalis rex anno 904 Uncrino monacho villam Fraxinum ad restaurationem veteris monasterii

Id. p. 425.

Id. p. 426.

D concessit. Quæ donatio probata est an. 919 a præcitato rege Carolo III simplice. Miles quidam nomine Amalricus, gladiorum ictibus perfossus, cum diem mortis suæ imminere sentiret, & expaveret gehennæ pœnas, monachis, in quorum cœmeterio voluit sepeliri, contulit an. 942, IV cal. Novemb. quidquid in villis Marcione & Boveia possidebat, consentiente uxore sua Mainfreda cum fratribus suis Waltero & Stephano. Sub id tempus episcoporum judicio sancitum est ut quædam

Charta 11, col. 551.

E capella jussu cujusdam Widrici comitis depravati condita apud Masiriacum, destrueretur ob usurpationem partis decimæ Aciacensis ecclesiæ a S. Michaële dependentis. Doctissimæ elucidationes abbatis Smaragdi comprobant in eo monasterio ipsius ætate studia litterarum floruisse. Ibidem etiamnum perseverabant seculo decimo, quo tempore Hildebaldus quidam grammaticus professor, ex discipulis domni Remigii Autissiodorensis monachi, quondam doctissimi ea arte magistri, scholas habebat. Ecclesiam & abbatiam sancti Michaëlis super Mosam destructam fuisse asserit chronicon Alberici, ex eo quod ecclesia illa se a Virdunensi

Alberic. an. 1084.

ad

Ch. XIX, col. 566. ad Tullensem episcopatum transferre vellet A tempore schismatis. Cudendæ monetæ huic monasterio anno 1099 privilegium indulsit Richerus episcopus. Idem privilegium ab Henrico episcopo confirmatum fuit an. 1123. Delatæ sunt an. 1150 a monachis ad summum Ch. XXV, col. 571. pontificem querelæ de usurpationibus factis a Rainaldo comite Barrensi. In eo monasterio, quod cardinalis a Lotharingia abbas congregationi S. Vitoni an. 1606 subjecit, viget observantia regularis, vigent & litterarum studia.

Seriem abbatum ex diversis monumentis confecimus.

Abbatum Syllabus.

I. Ogerius primus abbas consignatur in necrologio pridie kal. Februarii.

II. Sicco absque ulla temporis nota in veteri necrologio notatus XII cal. Aprilis.

Mabillon. vetera Anal. tom. II, pag. 401. III. Ermengaudus abbas & episcopus immunitatis præceptum a Carolo magno rege impetravit an. 4 regni ipsius, hoc est 772 mense Maio. Traditur constituisse quid abbas, quid provisor panis & salis & sagiminis, quid pro- Id. p. 382 & 383. visor piscium, quid denique provisores luminarium, pauperum & hospitum, ad exercendum quisque officium habere deberent. Quam cons- C titutionem confirmavit uti & liberam eligendi abbatis facultatem. In expeditionem cum rege profectus abbas, corpus B. Anatolii ex urbe Cadurcina in monasterium suum retulisse perhibetur. Adhuc sedebat Ermengaudus an. 804 & obiit circa annum 805 vel insequenti.

5 Joseph de quo in diademate monachorum abbatis Smaragdii ista leguntur: *Hunc modicum libellum Smaragdus de diversis virtutibus collegit, Joseph abbate.* Dubium est num Joseph iste abbas tum fuerit S. Michaëlis, an Smaragdus, propter hæc verba quæ leguntur sub finem præfationis: *Volumus*, inquit Smaragdus, *ut* D *ad eorum* (monachorum) *capitulum quotidie legatur vespertinum.* Demissius forsan locuturus, si ipse tum abbas non fuisset.

IV. Smaragdus de quo chronicon sancti Michaëlis id habet elogium: *Smaragdus revera præsagio se sui nominis conformans, inter celebres sui temporis viros ut pretiosa gemma meritis & fama resplenduit.* Unus fuisse creditur e legatis, quos Carolus magnus Romam ad Leonem III papam misit an. 809 occasione disceptationis de processione Spiritus sancti, quam Johannes t. VII. Concil. p. 1199. quidam monachus Jerosolymitanus hoc tempore excitavit. Epistolam ea de re scripsit E Smaragdus, & sane is ipse est qui collationem coram pontifice hoc de argumento habitam litteris mandavit. A Ludovico imperatore anno 814 provinciam accepit dirimendæ simultatis inter Fortunatum abbatem & monachos Mediani-monasterii de portione bonorum, quæ utrisque competere debebat. Eam ab eodem Mabill. ibid. p. 404. Ludovico ejusque filio Lothario imperatoribus obtinuit libertatem, ut cum ex hac vita abbas migrasset, alter eligeretur. Regiæ tuitionis di- Id. p. 408. ploma ab eodem Imperatore consecutus est anno 816, IV non. Junii. Aliud item de libertate carrorum & sagmariorum impetravit Id. p. 411 IV non. Septembris ejusdem anni. Adstitit anno 817 Aquisgranensi conventui de donis quæ monasteria suppeditarent. S. Michaëlis monasterium accensetur his, quæ tantum dona absque militia darent. Cœnobium autem istud e monte Castellionis ad ripam Mosæ transtulit an. 819. Doctrinam Smaragdi probant diversa ab eo relicta monumenta, ex quibus hæc tantum edita sunt, nempe liber de virtutibus, *Diadema monachorum* inscriptus; *Via regia*, qui liber Carolo magno aut Ludovico pio nuncupatus B videtur, in spicilegii tomo quinto editus; epistola & collatio de processione S. Spiritus; commentarius in regulam S. Benedicti Rabano, aliisque falso adscriptus; commentarius in Donatum, nusquam typis excusus. Haud multo post monasterii translationem superstes fuit Honor. Smaragdus, ab Honorio Augustodunensi lau- lib. IV, c. 6. datus, cujus obitus in recentiori necrologio notatur 29 Octobris. In veteri monasterio sepultus est cum epitaphio, in quo hujusce translationis fit mentio.

V. Hilduinus I præerat an. 825, & litteras Mabill. ibid. obtinuit a Ludovico imperatore. p. 406.

VI. Matfridus comes ab imperatore Lothario hanc abbatiam in beneficium acceperat.

VII. Hadegaudus seu potius, ut scribunt authentica omnia, Hadeglandus a Lothario imperatore an. 21 ipsius imperii in Italia & 1 in Francia privilegium obtinuit de electione abbatis, & aliud eodem anno ab ipso principe.

VIII. Hilduinus II memoratur circa annum 876 in præcepto Caroli Calvi dato Suessionis, regni 37, imperii 2, quo confirmat donum Lotharii fratris sui.

IX. Hainardus subscribit circa annum 885 litteris Caroli Crassi imperatoris. Immunitatem ab omni thelonio a Lothario rege obtinuit indict. VI, forsan anno 888. In catalogo abbatum dicitur præfuisse an. 884 & obiisse 895. Ejus memoria in necrologio consignatur 13 Aprilis, in quo dicitur cancellarius Imperatoris.

X. Stephanus episcopus Tungrensis; cujus abbatis consensu quasdam possessiones, quæ ex portione abbatis erant, monachis concessit rex Zuenteboldus XIX cal. Septemb. an. 895, indict. XIII, regni 1. Circa annum 902 tanquam abbas ejus monasterii occurrit in charta commutationis de Harevilla & Saponariis. Ad annum 904 ab Umtrinmo monacho instauratum est vetus monasterium S. Michaëlis: ad quod opus perficiendum Stephanus Ludovicum Franciæ Orientalis regem rogavit, ut villam Baluz. Franxinum ex rebus S. Michaëlis assignaret. Miscell. ibid. Id patet ex litteris datis VI cal. Decembris p. 425. anni ejusdem. Sub se præpositum vel, ut legitur in charta præcitati Anselmi, prælatum habuit nomine Halevincum. Excessit anno 920, sed quatuor ante obitum annis abbatia cesserat. De eo vide in episcopis Leodiensibus, t. III, col. 836.

XI. Helevincus seu Halevinus abbas Rodulfo successisse videtur. Ejus obitus refertur ad annum 945, & in necrologio notatur VIII cal. Junii.

XII. Rodulfus anno 916 legitur in litteris Caroli III regis. Hic secularis abbas fuisse creditur. Notatus in necrologio XI. cal. Aprilis.

Chart III, col. 553. XIII. Odo I, seu Udo, vel Vodo an. 952 subscribit litteris Berengarii Virdunensis episcopi. Vita excessisse dicitur an. 960.

XIV. Sarovardus placito Friderici ducis Virdunensis habito in monasterio S. Michaëlis signum apposuit an. 962, VI id. Septembris. Obiit 23 Novembris ex necrologio.

XV. Odo II anno 972. Johanni piissimo Gorziensi abbati morienti adstitit cum pluribus aliis abbatibus circa annum 973. Controversiam exortam de quadam capella S. Martini exstructa prope monasterium sancti Michaëlis retulit ad synodum, subscripsitque decreto Wicfridi episcopi jubentis capellam hanc subjectam esse paroeciali ecclesiæ S. Cyrici V cal. Martii, anno 978. Consignatur in necrologio calendis Februarii. Baluz. t. IV, p. 431.

5 Malcalinus, de quo loquitur Flodoardus ad annum 978, non fuit abbas S. Michaëlis Virdunensis, sed S. Michaëlis in Theorascia.

XVI. Adalbertus seu Albertus, Aubertusve subscripsit an. 1002 litteris Thyberti. Occurrit & anno 1006. Defunctus circa annum 1020, 16 Aprilis.

XVII. Nanterus sub Adalberti regimine officium capellani, tum rerum exteriorum procurationem gessit, legatione pluries ad principes functus, non jussu tantum abbatis, verum etiam Theodorici ducis & monasterii advocati, qui eum ad quoscunque regni principes, & maxime ad consobrinum suum regem Francorum sæpe legatum direxit. Idem princeps Theodoricus voto & applausu sanioris consilii fratrum Nanterum sibi dilectum, non ætatis juventam attendens, honore prælationis donat, præsente Virdunensi episcopo, a quo benedictionis munus mox accepit. Hic præfecturæ initio de resecandis vitiis, inserendisque virtutibus perquam sollicitus, cum ad id se parem non esse crederet, prudentissimum adiit virum Richardum S. Vitoni abbatem, cui quosdam e suis in disciplinis informandos commisit. Itaque regularis observantia ibidem restituta fideles movit, ut ex suis rebus monachis indulgerent. In his una fuit nobilis quædam matrona, Gysa nomine, quæ defuncto marito suo, venit ad abbatiam S. Michaëlis tempore Nanteri abbatis, ibique S. Michaëli archangelo, ipso ejus die festo, se totamque progeniem suam, in famulam censualiter ipsi altari deserviendam ad opera monasterii reddidit anno 1022. Non multo post, hoc est circa annum 1026 Romam orationis causa juxta morem profectus Nanterus, ad montem Garganum itidem se contulit. Romam inde reversus, quoddam ex Martyrum corporibus, quibus abundat Romana civitas, ad suum monasterium reportare valde exoptavit.

A Deductus itaque ad sancti Valentini ecclesiam monachus itineris socius (nam ille tunc infirmabatur) quemdam illic commorantem adit, condignam pollicetur mercedem, si veri Martyris corpus sibi concedat. Custos corpus sancti Callisti papæ se daturum promittit, seque ostensurum & intactum usque nunc sepulcrum, & in superficie tabulæ marmoreæ epitaphium exaratum. Conventione facta ventum est ad cœmeterium, ac monumentum indissolubili compactum cæmento non sine grandi labore effoditur. Inde ossa Martyris extracta monachus ad hospitium refert. Hæc Nanterus reverenter B accipit, paratis decenter involvit linteaminibus, & festinato in patriam affert. Cum ad vetus monasterium pervenisset, sacras reliquias in ecclesia B. Mariæ parieti monasterii adhærente sub sigillo recondidit. Quo anno Nanterus excesserit non liquet; ejus tamen obitus dies annotatur in necrologio ad diem 3 Novemb.

XVIII. Albertus II, cui anno 1051 Theodericus Virdunensis episcopus confirmavit altare Domni-Remigii & capellam ad crucem. Privilegio Udonis episcopi Tullensis pro sancto Mansueto subscripsit an. 1054. Testis occurrit in litteris Walafridi cujusdam sancto Michaëli C donantis quidquid hereditario jure possidebat apud Nanceiacum & apud Saponarias anno 1064. Postero anno religionis habitum Willelmo viro nobili tradidit, & ab ipso prædia quædam accepit. Ad annum 1074 eum inter & Theodericum episcopum gravis emersit simultas ea occasione, quod episcopus exigeret ut illius loci monachi ad cathedralem ecclesiam singulis annis cum litaniis simul procederent. Quod cum illi, utpote insolitum, recusarent, divinum apud eum officium episcopus interdixit. Interpellatus hac de re Gregorius VII D pontifex, Udoni archiepiscopo præcipit Theodorico injungat, ut monasterio communionem sacro-sancti & divini ministerii restituat, sin minus episcopus ad reddendam pertinaciæ suæ rationem ad sedem apostolicam citetur. Monasterii sui ecclesiæ instaurator habetur Albertus, saltem ejus item & majoris turris fundamenta reparavit. Eo sedente facta est ecclesiæ dedicatio. Mortem oppetiit an. 1076, notatus in necrologio die 14 Aprilis.

XIX. Sigifridus seu Seifredus ex monacho S. Agerici abbas S. Michaëlis, investituris a Sophia Barri comitissa donatus est. Cujus Wassburg. p. 266. E facti pœnitens, Romam petiit absolutionem a summo pontifice petiturus. Hic a Theoderico Virdunensi episcopo an. 1078 firmari curavit Ch. XIV, col. 562. altare S. Cyrici, quod Alberto ejus antecessori hic præsul ante annos undecim in renovatione ecclesiæ monasterii concesserat, simulque altare Troniaci obtinuit. Abbatis munus gerebat anno 1080, quo a Theoderico episcopo Fulcradus abbas S. Pauli & Richerus decanus missi sunt ad sigillandum altare S. Michaëlis. Eodem anno Sophiam Barri comitissam apud Montiacum adiit conquesturus de quibusdam vexationibus, quas Boso *de Viocort* nonnullis monasterii

prædiis inferebat. Donum Hugonis de Landennivilla, Pibone existente Tullensi antistite, excepit anno 1083. Capellam quandam sub Asmantia ab eadem comitissa accepit an. 1085, ad quam eo circiter tempore forte se receperunt monachi S. Michaëlis, profugi a facie Theoderici episcopi persequentis, ex eo quod ad obedientiam episcopi Tullensis schismatis tempore transire vellent. Occurrit anno 1088 in litteris Pibonis Tullensis episcopi. Sigifrido sedente, ædificatum fuit an. 1090 ad monasterii defensionem castrum a comitissa Sophia, in cujus litteris hic memoratur an. 1091. Altaria duo, unum scilicet S. Cyrici in ipso S. Michaëlis burgo, alterum in villa Troniaco sibi a Richero antistite firmari fategit pridie nonas Februarii 1094. Notatur in necrologio ad diem 10 Junii.

Ch. XVI, col. 564.

A

B

XX. Ornatus ex monasterio sancti Vitoni assumtus, in Sigefridi defuncti locum suffectus fuit, & a Theodorico Barri comite investituram accepit. Comitem inter & monachos sancti Michaëlis tunc ea facta est conventio, ut electus pastorale pedum non ex comitis manu, sed desuper altare acciperet. Non diu superstes, notatur in necrologio 28 Octobris.

XXI. Ulricus qui & Udalricus, seu Odelricus ex monacho S. Agerici abbas S. Michaëlis, vir vitæ religiosissimæ & innocentis, anno 1098 epistolam Urbano II scripsit, rogans eum ut, efferendi defunctorum monachorum corpora ad quandam cellulam a cœnobio longo milliario vetere mutato more, circa novi monasterii ecclesiam fratrum sepulturam constituere liceret. Roganti annuit pontifex apostolico rescripto dato v cal. Aprilis hujus anni; quod Udalricus facile obtinuit propterea quod schismatis tempore apostolicæ sedi fuit addictissimus. Satagente Richero episcopo, restitutionem capellæ S. Petri in suburbio Virdunensi obtinuit eodem anno 1098, XIII cal. Novembris a Ludovico comite, qui eam abstraxerat. Privilegium ab eodem Richero præsule monetam fabricandi suo monasterio impetravit an. 1099. Eodem anno corpus Rodulfi S. Vitoni abbatis defuncti in cella Flaviniacensi, quondam in monasterio socii & amici, dum ad S. Vitonum reportaretur, in monasterium suum venerabundus excepit, & postera die Virdunum usque deduxit. Donatus est anno 1102 a Theodorico comite ecclesia S. Mariæ apud Asmangiæ villam, quam clerici conversatione sua infamaverant. Obtinuit a Paschali II papa an. 1106 confirmationem omnium sui monasterii possessionum & cellarum. Superstes fuit saltem ad annum 1115. Dictus in necrologio Aulricus. Notatur ad diem 21 Januarii.

Baluz. Miscell. tom. IV, p. 452.

Id. p. 454.

C

Ch. XIX, col. 566.

D

Chart. XX, col. 567.

E

XXII. Lanzo I Henrico episcopo dilectus, obtinuit ab eo altare sancti Petri apud vetus monasterium cum duabus capellis subjectis, nec non altare S. Laurentii de Fraxino anno 1121. Confirmationem juris cudendi monetam adeptus est an. 1123 ab eodem præsule. Triennio post ab ipso præsule subjectionem Alieri ecclesiæ S. Cyrici sibi confirmari curavit. Coram Riquino Tullensi antistite, per quem laudata & consecrata fuit an. 1122 fundatio prioratus S. Theobaldi *de Bolmunt*, Lanzo ex una parte & abbatissa S. Johannis Laudunensis ex altera adfuerunt hoc ipso anno occasione ejusdem cellæ sancti Theobaldi sub castro *de Bolmunt* a monachis S. Michaëlis exstructæ super fundum, quem sanctimoniales S. Johannis reclamabant. Lis a Riquino sub quadam conditione composita est. Lanzonem inter & Hadvidem Juviniacensem abbatissam lis orta est super ecclesia de Spiregio, quam illa suo parthenoni competere contendebat. Ea de re designati fuere judices, qui anno 1128 abbati ecclesiam tribuerunt ea lege, ut abbatissæ viginti libras Catalaunensis monetæ daret. Assecutus quidem est Lanzo anno 1133 a Steppone Leodiensi præposito confirmationem doni cujusdam. Memoratur anno 1135 in veteri instrumento. Episcopus Tullensis ipsi scito asseruit circa annum 1148 ecclesiam de Aceio cum duabus partibus decimarum.

Ch. XXXVI, col. 485.

Annal. Bened. t. VI, prob. p. 646.

Baluz. ibid. p. 455.

XXIII. Kalo seu Calo 1145 bullam protectionis nactus est ab Eugenio III; in necrologio consignatus die 8 Septembris.

XXIV. Manegaudus I circa annum 1150 cum gravem vexationem gravesque injurias a Rainaldo Barrensi comite pateretur, plures e fratribus direxit delatum querimoniam ad summum pontificem Eugenium III, a quo protectionis litteræ in Manegaudi ejusque monasterii gratiam missæ sunt VIII cal. Junii. De cellæ Asmantiæ decimis litem habuit Manegaudus cum Agnete abbatissa S. Glodesindis. Exagitatus quoque est ab abbate de Vallibus litigio super alodio *de Domenges*, quod tamen sopitum fuit anno 1151. Nec defuit Manegaudo controversia de cella Asmingiæ, eo seculo ineunte a Theoderico comite S. Michaëli traditæ; quam temporis processu Henricus comes de Salmis usurpavit, sed postmodum restituit, laudante Stephano Metensi episcopo an. 1151. Cum monasterio Trium-fontium transegit anno 1173. Bello-prato contulit terram S. Dionysii in parœcia *de Warinviller* 1175. Ille sane est abbas qui ad archiepiscopum Trevirensem querelas detulit de vexationibus comitis Barrensis. Sanctimoniales in domo sua de Mareyo prope Nanceium substituit ea lege, ut abbatiæ sancti Michaëlis subjectæ forent. Memorando gratitudinis exemplo unam præbendam in cibo, potu & vestimento quotidie in perpetuum pro fundatoribus, Wlfoaldo duce & Alsinda ejus conjuge, dari constituit. Quousque vitam produxerit non constat; at obitus ejus in necrologio consignatur 1 Novembris.

Ch. XXVI, col. 571.

Ch. XXVII, col. 571.

Ch. XXIX, col. 573.

XXV. Lanzo II an. 1179 quæ Zuentiboldus rex monasterio olim concesserat, a Petro episcopo Tullensi confirmari curavit.

XXVI. Nicolaus I occurrit an. 1191 in litteris de fundatione collegiatæ de Ligneio, & ad petitionem Agnetis Barrensis comitissæ jus patronatus & ecclesiam Dagonvillæ cum tertia decimarum parte anno 1197 contulit

Ch. XXXIII, col. 575.

eidem ecclesiæ de Ligneio, quam ipsa construxerat comitissa, & in qua canonicos constituerat. Memoratus etiam anno 1198, quo cum abbati Insulano super patronatu ecclesiæ Condatensis transegit.

XXVII. Robertus I 1199 bullam ab Innocentio III impetrat.

XXVIII. Manegaudus II epistolam de parochiali ecclesia S. Clementis a Johanne Trevirensi archiepiscopo accepit anno 1201. Adhuc præerat an. 1202.

XXIX. Henricus I 1203.

XXX. Valterius 1206.

XXXI. Robertus II 1209 excipit hominium a Castellano Pontis-Montionis.

XXXII. Drogo 1213, 1219, & 1220, quo permutationem facit cum Henrico Barri comite. Cum monasterio S. Vitoni societatem iniit 1230. Is atque Reginaldus prior de Barvilla cedunt Henrico Barrensi comiti quidquid habebant in certis silvis, excepto usuario pro prioratu de Barvilla an. 1232 mense Martio.

XXXIII. Henricus II 1237 cum monachis S. Vitoni renovavit societatem. Occurrit etiam anno 1241.

XXXIV. Petrus I 1251 in multis Theobaldum Barri comitem associavit, rogavitque Rogerium episcopum Tullensem & Johannem electum Virdunensem litteris apponere sigillum.

XXXV. Galterius, cujus tempore, anno scilicet 1253 corpus sancti Anatolii episcopi Cadurcensis a Petro Pannadiensi episcopo, sede Virdunensi vacante, translatum est. Quædam cessit Ascelino scabino *de Bouconville* mense Aprili 1254. Tribuit an. 1257 mense Martio vicariam *de Tirey* xenodochio a comite Barrensi apud Mussipontum fundato. Memoratur in chartis an. 1265 mense Julio, 1269 mense Februario, nec non an. 1270. Societatem precum cum Herberto abbate sancti Mauricii Bellilocensis an. 1273 contraxit. Cum priore S. Benigni de Berthencurte an. 1274 permutationem, itemque societatem cum abbate & monachis monasterii Hornbacensis mense Decembri anni ejusdem iniit. Transegit etiam an. 1276 cum Waleranno de Luxemburgo domino *de Liney*.

Charta XLI, col. 579.

XXXVI. Petrus II an. 1279 mense Martio fecit permutationem cum Theobaldo Barri comite. Dedit an. 1281 postridie Circumcisionis Ascelino de Bosonis-villa, ballivo S. Michaëlis, licentiam quædam acquirendi. Monasterii sui æs alienum exsolvendi gratia quædam vendidit an. 1282. Occurrit anno 1284 die Veneris post Pascha & postridie Ascensionis. Pactus est an. 1285 cum Guillelmo abbate Theologiensi. In tabulis memoratur an. 1286 mense Februario Sabbato ante initium jejunii quadragesimalis. Litteras dedit an. 1288 mense Februario. Adhuc superstes an. 1300

XXXVII. Guillelmus jura quædam præsenti pecunia acquirit 1300. Adhuc in vivis erat an. 1308.

XXXVIII. Johannes I nonnulla vendidit prædia an. 1312.

XXXIX. Robertus III quædam acquirit bona 1312. Cum monasterio S. Mansueti facit societatem 1315, sigillumque suum apponit 15 Martii 1317 litteris Gaufridi de Asperomonte. Componit etiam cum Henrico Virdunensi episcopo 1321. Cujusdam capellæ apud S. Michaëlem fundationem approbat.

XL. Johannes II *de Cheminons* diversa condidit statuta an. 1323, transegitque anno 1326 cum parocho de Condeto. Eodem anno die Veneris post Purificationem sigillum suum quibusdam litteris apponere rogatur. Memoratur & anno 1327.

XLI. Anscherus seu Anscharius occurrit anno 1330 in vigilia S. Catharinæ, 1332, 1333, 1335, 1338 die Martis post octavam Trinitatis, eodemque anno die Veneris post festum SS. Sacramenti, atque 1 Augusti. Humatus in capella abbatum.

§ Incertum quis sit ille Guillelmus *de Gibalcourt* abbas, sub cujus sigillo datur recensio feudorum Eduardo comiti Barrensi an. 1334 Sabbato in festo S. Mansueti mense Septembri. Certum enim est hoc anno Anscharium sancti Michaëlis præfecturam obtinuisse.

XLII. Henricus III *de Tronville* 1348, sepultus in capitulo.

XLIII. Amatus 1348 die 25 Februarii ad aliquot annos cessit Alienordi *de Poitiers*, quidquid monasterii jure in nonnullis pagis possidebat.

XLIV. Hugo *de Tilly* seu *de Telles* reperitur 8 Novembris 1351. Quædam vendidit & cessit 12 Martii 1367 Humbeloto *de Gondrecourt*. Subscripsit anno 1383 fundationi conventus Eremitarum S. Augustini apud Barrum. Reperitur etiam anno 1385.

XLV. Henricus IV *de la Rappe* in instrumento occurrit an 1387. Prædium Clausum locavit an. 1392 die 7 Martii. Memoratur an. 1395. Coegit ad restitutionem an. 1403 Tullenses, qui quosdam homines & pecora juris monasterii sui abduxerant. Excessit anno 1407 die 19 Februarii.

XLVI. Warricus I 1407.

XLVII. Gaufridus de Niceyo ex nobili genere, natus 25 annos eligitur 2 Martii 1408. Adversarium passus est Reginaldum S. Vitoni abbatem, quicum etiam pacis causa composuit, concessis ei prædiis quibusdam. Hic, orta controversia inter suum monasterium & Johannem dominum *d'Autel* & *d'Aspremont* de quibusdam hominibus, quos utraque pars sibi vindicabat, horum hominum partitionem fieri consensit, prout constat ex ejus litteris datis 22 Aprilis 1423. Solenni ingressui Ludovici de Haraucuria episcopi interfuit 27 Maii 1431. Reperitur 12 Decembris 1433. Excessit 27 Julii 1434.

XLVIII. Nicolaus II *de Buxey* seu *de Brissey* 1436, & 1439, 5 Novembris. Ad societatem suffragiorum capitulum sancti Christophori de

Bello-forti admisit anno 1443. Forte etiam A dictus Ansellus *de Brissey*, quo nomine sigillo suo munivit litteras. Obiit autem an. 1455 die 2 Novembris, uti notatur in necrologio.

XLIX. Warricus II seu Valaricus *de Laval*, nobili genere satus, transigit an. 1457 cum abbate B. Mariæ de Nemore. Thecam sancti Anatolii a Thoma *Lyrt* Assanensi episcopo aperiri procuravit 1469. Præfuit saltem ad annum 1488.

L. Gerardus de Frenellis 30 Aprilis 1493 per cessionem præcedentis factus abbas possessionem accepit. Fatis concessit 19 Julii 1505.

LI. Raphaël Volterranus cardinalis sanctæ B Susannæ de abbatia cum sequenti litigabat 1506 & 1507.

LII. Petrus III *du Chastellet*, monachus ordinis sancti Benedicti 24 Octobris 1506 a Parlamento Parisiensi obtinuit litteras de electione sua contradicta. Occurrit & annis 1507, 1510, 1512.

LIII. Ludovicus *de Lorraine*, Renati II Lotharingiæ ducis filius, abbatiam consecutus est an. 1512, verum non abbatia tantum in sequentis gratiam, sed & episcopatu Virdunensi in Johannis germani favorem cessit an. 1522, seculari militiæ nomen daturus. C

LIV, Renatus I *de Marie* commendatarius per superioris cessionem. Occurrit an. 1529 die 18 Augusti in instrumento. Vivere desiit 14 Decembris 1531.

LV. Johannes III *de Fresneaux* 1531 licentiam fecit F. Nicolao Lupentio ad Terram-sanctam peregrinandi. Occurrit adhuc annis 1532, 1537.

LVI. Johannes IV *de Fresneaux* commendatarius, Claudii militis domini *de Pierrefort* filius, regi a consiliis & magister hospitii regis, protonotarius apostolicus, possessionem adeptus est 1537. Cameræ Computorum Barrensi D recensionem prædiorum dedit 23 Decembris 1558. Adhuc reperitur annis 1569, 1571.

LVII. Renatus II *Merlin* 1571 contulit capellam B. Mariæ. Compositionem super civili disciplina urbis S. Michaëlis cum duce Lotharingiæ iniit 23 Septembris 1577. Missam unam feria 5 cujusque hebdomadis instituit in sacello abbatum, præsentavitque ad parœcialem ecclesiam S. Theobaldi an. 1586.

LVIII. Antonius I *de Lorraine*, comitis Vademontani ex Catharina *de Lorraine* Mercurii ducissa filius, obtinuit an. 1586. Item & abbas Belli-loci, vivendi finem fecit 14 Maii 1587. E

LIX. Carolus *de Lorraine* Argentoratensis atque Metensis episcopus & cardinalis, bullis a papa Sixto V acceptis, possessionem est adeptus 1587. Tunc reformationem in monasterium introducere cogitavit; verum magnas expertus est difficultates a veteranis monachis, qui tamen an. 1606 die 10 Februarii reformatis monachis tredecim S. Vitoni fecere licentiam monasterii possessionem ineundi. Cessione jam facta, obiit Nanceii 24 Novembris 1607.

LX. Henricus V *de Lorraine de Bainville aux Mirouers*, filius naturalis Henrici ducis Barrensis, per præcedentis cessionem accepit possessionem 14 Februarii 1606. Composuit 4 Januarii 1613 cum Lotharingiæ duce, qui ei quotannis ad usus concessit quatuordecim silvæ jugera. Plurima ad monasterii utilitatem operatus, ultimum diem clausit an. 1626. In ecclesia humo mandatus cum epitaphio.

LXI. Nicolaus-Franciscus *de Lorraine* episcopus Tullensis, itemque cardinalis post superioris mortem abbatia provisus est; verum ab omnibus beneficiis cessit an. 1634, uxorem ducturus.

LXII. Franciscus-Paulus *Cachet* a monachis electus an. 1634, aliquandiu virtute senatusconsulti Parlamenti existentis in urbe sancti Michaëlis fruitus est, & quidem an. 1636 quasdam contulit capellas; verum ejus electio a papa irrita declarata fuit.

LXIII. Alexander *de Bichi* cardinalis, Carpentoratensis episcopus, apud Christianissimum regem nuncius apostolicus, a papa abbas renunciatus, obtinebat annis 1638, 1652, 1654.

LXIV. Cœlius *Picolomini* cardinalis, archiepiscopus Cæsariensis, item summi pontificis in Francia nuncius, superiori successit, & in sequentis sub pensione septingentorum nummorum gratiam cessit anno 1666.

LXV. Henricus VI *Hennezon* congregationis S. Vitoni monachus, vir acris ingenii, eximiæ doctrinæ & eloquentiæ, nobili satus genere, possessionem accepit exeunte anno 1666. Sacram supellectilem auxit, egregiam bibliothecam collegit, pulchra ædificia construxit. Post annos monasticæ professionis 55, regiminis 33 omnibus triste sui desiderium relinquens, de vita cessit XII cal. Octob. 1689.

LXVI. Petrus-Henricus-Theobaldus *de Montmorency-Luxembourg* a Ludovico XIV, nominatus, abbatiam tenuit quandiu Lotharingi Christianissimo regi paruerunt: sed, restituta serenissimo principi & duci Leopoldo Lotharingia, cedere coactus fuit. Consecutus quidem est mense Martio an. 1693 abbatiam Ursicampi, fatisque concessit IX calend. Decemb. an. 1700, ut legere est tom. X, col. 1134.

LXVII. Gabriel *Maillet*, quem anno 1689 elegerant monachi, post Lotharingiæ ducis reditum, in possessionem immissus est.

LXVIII. Antonius II *de Lenoncourt* anno 1711 devolutum jecit in abbatiam, & in possessione servatus est decreto sanctioris consilii Lotharingiæ lato anno 1719.

LXIX. Benedictus *de Bellefoy*, monachus congregationis S. Vitoni, jecit etiam an. 1723 devolutum, & abbatiam, impetratis bullis, in regulam restituit ex indulto papæ Innocentii XIII, benedictionemque a summo pontifice accepit 17 Novembris 1726.

LXX. N. *de Lenoncourt*, canonicus ecclesiæ Nanceiensis, ea abbatia fruitus est.

LXXI. Bartholomæus-Ludovicus-Martinus

de Chaumont de la Galaisière, regii publicarum rerum in Lotharingia ordinatoris filius, suffectus est exeunte anno 1744 in locum præcedentis, dein & major præpositus sancti Deodati, tum consecratus ejusdem ecclesiæ primus episcopus 21 Septembris 1777.

SAINT-VANNES.

SANCTUS-VITONUS.

Insignis S. Vitoni basilica, olim extra muros, nunc in ipsa urbis arce posita, jam inde a primis receptæ Christianæ religionis temporibus & quidem a B. Sanctino primo Virdunensium antistite in Dei honorem sub invocatione sanctorum apostolorum Petri & Pauli condita & consecrata creditur. Illic sederunt primi Virdunensis civitatis præsules ad usque tempora sancti Pulchronii, a quo sedes episcopalis in ecclesiam beatæ Mariæ ab ipso conditam, est translata. Illic etiam sepultus inter alios pontifices sanctus præsul Vitonus, basilicæ jam dudum nomen tribuit. Qualis fuerit ejus loci status, ex quo desiit esse sedes episcopalis, vix conjicere nedum certo rescire possumus, idoneis deficientibus instrumentis, temporis lapsu deperditis, præter fragmenta quædam, ab Hugone Flaviniacensi abbate relata. Unum tamen habetur integrum datum *Wasburg. fol. 110.* an. 701 diploma Pipini Heristallensis ejusque conjugis Plectrudæ, quo commutationem faciunt cum Armonio episcopo Virdunensi & Angeberto archidiacono, qui basilicæ S. Vitoni præerat. Transferunt enim Pipinus ejusque uxor locum, nomine Pararitum, ad partem ecclesiæ S. Vitoni, donantque iis, qui ibidem præfuerint, vel clericis ibidem deservientibus. Vicissim Armonius & Angebertus tradunt locum dictum Commenarias Pipino ejusque conjugi, a quibus postea idem locus basilicæ sancti Vitoni concessus fuit. In eo diplomate Angebertus non vocatur abbas: primus qui eo titulo honestatus occurrat, Maldaveus est, qui, accepto episcopatu an. 753, nihilominus abbatis titulum obtinuit. In ea basilica canonicos octo Berhardus, qui ad Virdunensem *Spicil. t. XII, p. 277.* episcopatum circa annum 870 est promotus, constituit suasque res ipsi ecclesiæ reconsignavit. Sub annum 934 accidit, referente Flodoardo, ut quidam diaconus Virdunensis, Adelmarus nomine, morbo oppressus, spiritum emisisse visus sit, sed antequam feretro imponeretur, ad se reversus, ita validus surrexerit, quasi nihil morbi antea passus fuisset. Hic se diversa refrigerii & suppliciorum loca vidisse testatus est, seque ipsum loco pœnali deputatum, beatæ Dei genitricis Mariæ & sancti Martini interventu ad agendam pœnitentiam vitæ restitutum, quam deinceps severissimam exegit. Cujus exemplo provocati quidam Virdunenses canonici, seculum deseruere: & quia in eadem civitate nulla monachorum congregatio erat, cum in ecclesia S. Vitoni clerici tum degerent, Tullum petiere, & in monasterio sancti Apri clericalem habitum monastico commutavere. Berengarius Virdunensis antistes dolens ecclesiæ suæ clericos, qui ad monasticam professionem anhelabant, ad externa commigrare monasteria, communicato cum clero & proceribus consilio, *Ch. 111, col. 553.* constituit ut in ecclesia S. Vitoni monachorum cœtum institueret clericorum loco, qui illic tum degebant. Expulsis itaque clericis, monachos illuc introduxit an. 952, quibus ex rebus tum propriis tum matris ecclesiæ annuos proventus assignavit, præfecto eisdem venerabili *Labb. Biblioth. Nova, t. I, p. 132.* Humberto abbate, quem e Tullensi S. Apri monasterio accersivit. Præceptum eodem anno ab Ottone imperatore obtinuit, quo statuitur *Calmet, Hist. Lothar. tom. I, prob. col. 361.* ut filii ecclesiæ Virdunensis, qui seculum deserere voluerint, monasticum illic habitum suscipiant, nec ad externa monasteria demigrent. Quam institutionem Johannes XII papa probavit an. 956 litteris ejus loci possessiones *Labb. ibid. p. 535 & 536.* confirmantibus, quas Hugo Flaviniacensis male refert ad annum 972.

Quia vero monasterium istud erat angustius, quam ut capere posset omnes qui ad monasticam professionem convolabant, de illo amplificando novisque ædificiis exstruendis cogitare cœpit abbas Richardus, idque Henrici regis favore & munificentia fretus aggressus est insequenti seculo. Adjutorem in eo opere habuit Fridericum ex duce Virdunensi monachum, qui non tantum suis suorumque propinquorum opibus rem promovit, sed & præ humilitate non dedignatus viliora exercere ministeria, verbi gratia terram effodere, structoribus mortarium administrare, nec non in coquina vasa abluere. Hic quadam die cum operi huic incumberet, Gaufrido duci fratri suo tum forte supervenienti ac dicenti non decere comitem talia facere, respondit se hoc quidem officio indignum esse. Tanta ejus fuit modestia, ut cum quidam frater calceos ei detrahere vellet, ille eum prohibuerit dicens: *Quid mihi prodest frater, honores seculi reliquisse, si a fratribus obsequium, quod habuissem in seculo, cum non sit necesse, accipio! qui ad hoc veni ut serviam, servitium quod non expedit, quomodo accipiam!*

Ubi ædificata est nova basilica, necessarium fuit ut corpora quorumdam sanctorum pontificum, qui in veteri ecclesia sepulta erant, transmutarentur. Corpora sancti Madalvei & Berengarii incorrupta reperta sunt. Longius esset singula enarrare, quæ Richardus abbas ad ornandam eam ecclesiam fecit. Omnia hæc Hugo monachus ejus loci, dein Flaviniacensis abbas, in chronico fuse prosequitur.

Præter innumera auri & argenti munera, quæ huic monasterio largitus est imperator Henricus II, pixidem de Onychino tradidit, in qua servaretur corpus dominicum dependens super altare. Plurima etiam contulerunt dona alii magnates, Alverada scilicet comitissa, Liethardus comes factus ibidem monachus, Ludovicus quoque comes & monachus. Hilradus etiam comes Baronis curtem dedit, & defunctus in navi ecclesiæ humatus est. Denique tota prælibati Frederici progenies S. Vitono se in

primis munificam exhibuit, scilicet Godefridus comes ejus pater, dux Godefridus ibidem sepultus & Herimannus qui & Hezelo ejusdem Frederici fratres: ex quibus Hezelo se ipse demum factus monachus in claustro sepeliri voluit: ubi etiam uxor ejus Mathildis, multa virtute prædita, humata est, & ad cujus caput filia eorum Odilia, abbatissa ancillarum Dei in monte sanctæ Odiliæ.

Sub initium seculi undecimi constituit Heymo episcopus monasterium includere intra muros civitatis, quos tunc ædificabat. Cujus proposito restitit piissimus abbas Richardus, cœnobitis incongruum dicens muris urbis contineri; ne dum nocturnis vigiliis, aliisque divinis vacarent officiis, aut somnum caperent, ludicris oppidanorum cantibus & strepitu interturbarentur. Cum nec a proposito recederet episcopus, Imperatoris auctoritatem abbas interpellavit, utpote sibi amicissimi, qui missa legatione episcopum ab incœpto prohibuit. Pluribus post annis quædam religiosæ mulieres nobilibus & ingenuis ortæ natalibus, semetipsas ultro S. Petro cum rebus suis subdiderunt, quarum una vocabatur Bona, aliæ duæ Conrada & Ruspendis ejus soror. Hæ villam suæ potestatis, *Hast* dictam, S. Petri ditioni hoc pacto manciparunt, ut ejusdem villici quotannis die festo S. Remigii de manu-mortua XII denarios, sex de licentia maritalis copulæ persolverent, & placita generalia in jam dicta villa ter per annum servent. Quod litteris mandavit Richardus abbas anno 1025. Sub abbate Grimoldo, qui monasterio per sexdecim annos præfuit, regularis disciplina sensim collapsa est; & quia per illum ob nimiam ejus simplicitatem emendari non poterat, amotus est anno 1075 a Theoderico episcopo, qui in ipsius locum suffecit venerabilem Rodulfum, S. Agerici monachum, religione, scientia & moribus insignitum, a quo aliisque monachis ex S. Agerici cœnobio adductis, rectus ordo restitutus est, multis viris nobilibus & industriis ibidem aggregatis, quos bonus religionis odor eo attraxit, quorum probitate locus iste in pristinum decus refloruit.

Trienno post Rodulfum ejusque monachos plurimis affectos injuriis, ob summam in Gregorium VII pontificem observantiam, Theodericus schismati addictus monasterio exturbavit. Verum eis pro justitia ita pulsis, contraria in bonum cessere: nam fratres in Burgundiam profugi, a Jarentone sancti Benigni abbate, tanquam angeli Dei accepti, per septennium, quo episcopus supervixit, ibidem perstitere. Hinc firmata est sancta & valida inter utrumque monasterium societas. Interim Fulcradus abbas S. Pauli vacantem, imo potius vacuam sancti Vitoni abbatiam invadit, Theoderici episcopi auctoritate fultus, ibique nonnulla ornamenta & prædia diripuit. Pauci tamen qui remanserant fratres, cum improperio capti, in præsentiam Theoderici episcopi adducti sunt, ut pseudopapæ Clementi & Henrico imperatori, præs-

A tando juramentum super textum evangelii in medio positum, fidem suam obligarent: quod qui non fecisset, cum dedecore & ignominia vestibus nudatus ex urbe pelleretur. Ex his unus fuit Rufus nomine, qui cum id facere constanter recusasset, spoliatus, cæsus per medium urbis, nudus in stola staminea ductus, per octo milliaria fugatus est, dum a quibusdam servis Dei veste donatus, Divionem petiit ad S. Benigni monasterium, quo alii ejus fratres a Jarentone abbate invitati, immo e villa Flaviniaco intra Tullensem diœcesim, sumtibus ab eo suppeditatis deducti sese receperant.
B Hæc fuse describit Hugo, tunc sancti Vitoni a puero monachus, postmodum Flaviniaci in Burgundia abbas.

Religiosæ caritatis eximium ea occasione præbuit exemplum Jarento abbas, in suum admittendo monasterium Vitonianos, numero quadraginta; sed ea tamen conditione, ut omnes stabilitatem apud S. Benignum firmarent, ut concordia & pacis unanimitas inter utrasque turmas servaretur. Id a Vitonianis graviter & moleste acceptum, in primis Hugone, qui hæc scribit, quem tunc primum e seculo Rodulfus abbas ad Christi militiam pertraxerat. Vere-
C bantur siquidem illi ne primam fidem infringerent, quippe qui stabilitatis votum in monasterio S. Vitoni professi erant. Consultus inter alios Lanfrancus Cantuariæ antistes a Rodulfo abbate, respondit eum perjurii reum non esse, qui salutis suæ causa in aliud monasterium migrat: id enim propter Deum fieri & propter ejus amorem, ut ei placeatur. Porro qui sic transit, non ab ecclesia ad ecclesiam transire, cum una sit in toto orbe, non plures ecclesiæ. Denique neque id contrarium regulæ S. Benedicti, qui monachum ab uno monasterio ad aliud venientem suscipi jubet. Cui
D sententiæ non nisi ægre assensere omnes, & post omnes Hugo, quem tandem Jarento ad faciendam professionem adduxit, calcato serpente, qui ejus saluti insidiabatur. Attamen Theodoricus præsul, gravis senio & annis, in morbum incidit, & cum ad extrema pervenisset, nec adesset qui eum sedi apostolicæ reconciliaret, Rodulfus duos e suis monachis, Gerardum & Gerbertum, e Divionensi cœnobio misit, qui eum, cum indicia pœnitentiæ dedisset, ante mortem absolverunt. Huic suffectus Richerus, anno 1088 Radulfum omnesque ejus monachos statim a sua electione
E revocavit, eosque singulari studio, quandiu vixit, prosecutus est. Post cujus mortem multa a Richardo ejus successore monachi diu passi sunt adversa ea occasione: hic enim ubi ad episcopatum est promotus, videlicet an. 1107, baculum pontificii de manu Henrici V Germaniæ regis accipere præsumsit. Quod ut Paschali II notum est, eum excommunicatum denuntiavit, moxque litteras direxit Laurentio abbati S. Vitoni, ut tam ipsum Richardum quam omnes ei adhærentes, excommunicatos denuntiaret. Fecit ille quod jussus erat, nec

ab illa die cum Richardo, clerove Virdunensi, qui ei assentabatur, ullam communionem habuit. Inter hæc summus pontifex Pachalis anno IIII in captivitatem a rege abductus, in id invitus consensit ut Henricus episcopos & abbates libere electos absque simonia, annulo & baculo investiret. Id privilegium quam maxime acceptum fuit Richardo episcopo, qui statim illud ad monachos S. Vitoni detulit, eisque legit, atque exprobrando hæc protulit: *En quo tribulationes vestræ, quo exsilia, quæ per annos fere triginta passi estis, ceciderunt; en hæc omnia in cœnum devoluta sunt.* His auditis, fratrum conventus, (nam Laurentius abbas aberat) expalluit, ingemuit, quod Romanæ fidei propugnaculum cessisset.

Ad id tempus adfuit S. Vitoni festivitas, V id. Novembris celebrari solita, in qua ad primas vesperas & missam Virdunensis clerus ex more convenire consuevit. Huic ne communicarent monachi, vespertinum anticiparunt officium. Quibus adhuc cantantibus, supervenere canonici, qui clausum chori ostium sibi aperiri vociferantes jubent, cunctantibus monachis, per suos referant: ingressi unum e conversis, qui ne eis aperiretur obstiterat, propellunt, distrahunt, barba & capillis vellicatis atrociter verberant, monachis spectantibus nec subvenire ausis, ac demum illinc, non celebratis vesperis, ad sua redeunt. Hinc ira inflammatus Richardus tandem Laurentio abbati interdixit officium, in crimen ei imputans quod Imperatori sibique esset rebellis, insuper eorum communionem sperneret, ideoque dignus esset ut temporalia omnia, quæ ab Imperatore & per eum ex se tenebat, amitteret. Potestas itaque omnis in rebus abbatiæ intus & extus abbati detracta; claves ærarii & bibliothecæ rusticis ecclesiæ concessæ; custodia claustri clericis commissa; forum denique & viæ ad episcopium abbati monachisque interdictæ: adeo ut quidam in illis deprehensi, injuriis affecti fuerint. Tantæ violentiæ Laurentius cedere coactus, loco excessit, quibusdam e suis secum assumtis; aliis vero ut sequerentur præcepit, qui fuga dilabebantur in dies, clericorum custodiam frustrati. Soli remansere juniores, quos ad sibi communicandum clerici omnimodis compellebant, oblata Trevirensis archiepiscopi Brunonis epistola, qui eos ad clericalem communionem hortabatur. Quod etiam Rotbertus S. Hucberti abbas multique alii suadebant; idque tandem evicere. Ubi factum rescivit Laurentius, indoluit, litteris missis ut resipiscerent, sibique obtemperarent, eos admonuit. Nec mora nocte sequenti Hugo fervidæ & bonæ indolis, cui reliqui multum deferebant, jam de fuga simul & iterum retractus, demum cum Riozone evasit: reliqui altera die, prælata cruce procedentes, monasterio exeunt & per mediam urbem transeuntes, ad quamdam monasterii cellam, quæ Ad-Pauli-crucem dicitur, evadunt, tota urbe lamentante & episcopi facinus detestante, ipsoque jam

A graviter dolente. Sic omnes ad Laurentium se recipiunt, qui seniores in opportunis cellis collocavit; juniores vero ad Divionense sancti Benigni cœnobium misit, ubi a Jarentone abbate, quod jam alias factum fuerat, humanius quam dici possit, recepti sunt, & per triennium, quo Richardus supervixit, ibidem commorati, multum illic se in omnibus profecisse testati sunt. Totam hanc historiam accurate describit *Spicil. t. XII, p. 300.* Laurentius de Leodio Vitonianus monachus in historia Virdunensi; ipseque Laurentius abbas fusius in epistola ad clericos Virdunenses, *Annal. Bened. t. IV. instr. col. 683.* ex qua discimus Hugonem Flaviniacensem,
B de quo superius actum est, abbatia sua pulsum, in S. Vitoni præfecturam, absente Laurentio abbate, intrusum fuisse, & a Richardo episcopo virgam pastoralem suscipere præsumsisse. Mortuus tamen est anno 1114 in Italia Richardus, quo voti gratia ad Terram-sanctam eundo, se contulerat, a summo pontifice veniam petiturus. Hoc accepto, Laurentius ad monasterium reversus est, suos e Divionensi monasterio aliisque locis revocavit, & thesaurum ecclesiæ suæ, qui abstractus erat, ut ipsi restitueretur per Brunonem Trevirensem archiepiscopum effecit.

In sacrario ejus monasterii servantur maximo
C cum honore in splendida theca reliquiæ sancti Sanctini Virdunensium apostoli an. 1032, ex Meldensi urbe in Virdunensem a mercatoribus asportatæ. Sacra etiam corpora sanctorum episcoporum Pulchronii, Possessoris, Vitoni & Madalvei in pretiosis capsis recondita. Sub maxima etiam tumba recumbunt in horto octo episcoporum corpora, quorum nomina ignorantur.

Pendentes ex eo cœnobio plures sunt prioratus, puta Flaviniaci in Tullensi diœcesi, Novi-villaris, Montis S. Martini collegio Virdunensi Jesuitarum attributi, Calidi-fontis
D Jesuitis Remensibus adnexi, Munelli, Orgeivillæ, itemque præpositura Novæ-villæ.

Disciplina regularis identidem collapsa est, totiesque ad bonam frugem a viris pietate insignibus, quos Deus diversis suscitavit temporibus, revocata. Hos inter non prætermittendus domnus Desiderius *de la Cour* ejus monasterii præpositus, vir summæ sanctimoniæ, humilitatis & lenitatis, qui missarum ad principem Erricum a Lotharingia episcopum Virdunensem & abbatem S. Vitoni apostolicarum litterarum virtute in illud cœnobium strictiorem observantiam introduxit anno 1600.
E Unde emanavit congregatio sanctorum Vitoni & Hydulphi in Lotharingiæ, Campaniæ, & Burgundiæ provinciis dispersa; ex qua prodiit congregatio sancti Mauri, per Gallias longe lateque diffusa. Abbatiali mensa jam pridem fruuntur episcopi Virdunenses, ex beneficentia Caroli *de Lorraine* abbatis & archiepiscopi Remensis, qui eam ad preces Nicolai Psalmæi præsulis episcopatui uniri procuravit an. 1572.

ABBATUM SERIES.

I. S. MADALVEUS ex abbate sancti Vitoni episcopus

episcopus evasit anno 753, simulque titulum retinuit abbatis. Penultimo vitæ suæ anno, hoc est 775, indict. XIV, regnante Carolo Magno, basilicam S. Martini, in ipsa villa Bettiniliaca constructam, monasterio acquisivit ex dono Teuthardi. Ipse vero dedit eidem ecclesiæ de suo proprio Raherei-curtem pro tumulatione sui corporis, ex chartarum notitia. Obiit anno 776, ut in episcopis diximus.

II. Fremodo diaconus & abbas post sanctum Madalveum locum ipsum regendum suscepit. ipsius tempore quidam vir nobilis Becco canonicus anno 781 dedit S. Vitono ecclesiam in honore sancti Christophori. Postmodum idem Fremodo præstariam fecit de Raherei-curte cuidam Bettoni abbati. Memoratur in veteri charta data IV idus Aprilis anno XIIII regnante domno Karolo rege.

III. Humbertus, qui ab ipsis infantiæ rudimentis in ecclesia Virdunensi fuerat educatus, præbendamque in ea habuerat, ad aliorum canonicorum exemplum, perfectioris vitæ studio in monasterium S. Apri Tullensis secedens, vitam ibi monasticam est amplexatus. Illic cum aliquandiu conversatus fuisset, accitus est anno 952 a Berengario episcopo ut foret abbas congregationi monachorum, quam hic episcopus in ecclesia S. Petri seu S. Vitoni clericorum loco substituerat. Quam dispositionem litteris suis anno 956 probavit Johannes XII summus pontifex, qui ait id factum fuisse ut Virdunensis ecclesia quæ hactenus propriis alumnis, qui ad externa monasteria confugiebant, fraudabatur, deinceps in membro sibi subjecto, consilio sui episcopi, atque providentia gloriosi abbatis Humberti de eorum sancta conversatione sublimata glorietur. Decessit anno 972 pridie nonas Decembris, si fides Hugoni Flaviniacensi. Distinguendus vero est ab Humberto, qui ex monacho Gorziensi evasit abbas S. Apri.

(Chart. III, col. 553.) (Labb. Biblioth. t. I, p. 135.) (Ibid. p. 136.)

IV. Adelmarus instrumento Wicfridi episcopi plurimas donationes monasterio S. Vitoni largientis subscribit, & moritur V cal. Januarii. (Charta V, col. 554.)

V. Adelardus anno 967, regnante Ottone I rege, ecclesiam in Petri-villa sitam consecutus est a Wicfrido episcopo. Decreto præsulis ejusdem subsignavit anno 978, V cal. Martii, Ottonis II regis 6. Notatur ejus obitus XIII cal. Januarii. (Chart. VI, col. 556.)

VI. Ermenricus in quantum valuit, locum amplificavit; commutationemque, annuente Wicfrido præsule, fecit cum Milone filio Remberti quondam advocati S. Mariæ. Ad superos evolavit VI cal. Septembris.

VII. Roaldus Ermenrico successit.

VIII. Lambertus excepit Roaldum.

IX. Fingenius origine Scottus, ex Hibernia oriundus, Cadroæ popularis sui in regimine monasterii S. Felicis Metensis successor, dein abbas quoque S. Symphoriani, vir pietate insignis, raptus est circa annum 992 de monasterio S. Felicis ad restaurandum Virdunense S. Vitoni monasterium post mortem Lamberti abbatis, quia locus ille, inquit Hugo Flaviniacensis, per manum laïcam aliquantulum neglectus erat. Sic trium simul, eodemque tempore monasteriorum rector fuit Fingenius, in quorum regimine præclare se gessit, complures discipulos insignes habuit. Defunctus VIII id. Octobris anno 1004, in monasterio S. Felicis tumulatus est. Ille ejusque quinque antecessores a Bercarii continuatore celebrantur.

X. Richardus ob pietatem cognominatus *Gratia-Dei*, in finibus Montis-Falconis, in villa quæ dicitur Bantonis, nobilissimis parentibus Waltero & Theodrada exortus, in scholis Remensibus eruditus, successive in Remensi ecclesia præcentoris & decani munera rite exercuit. Dum ille muniis implendis totus incumberet, Fridericus comes Virdunensis imperiali sanguine procreatus, ex Jerosolymitano itinere redux, ad Remorum civitatem pervenit, suumque de seculo deserendo Richardo consilium aperuit. Quod ubi decano notum est, hic simili se desiderio teneri dixit. Sicque alternis ambo confirmati exemplis & adhortamentis, communi consilio decreverunt ut pauper quilibet locus eligeretur, in quo honor seu cultus Dei & rigor regulæ servaretur. Delectum primo Virdunense sanctorum Petri & Pauli atque S. Vitoni monasterium, in quo pauci viri quidem, sed boni ac religiosi, a Scottorum partibus oriundi, sub disciplina Fingenii abbatis Deo perfecte serviebant. Cum Richardus & Fridericus Virdunum locum exploraturi convenissent, occurrit eis aliud in eadem urbe S. Pauli monasterium nuper conditum a Wigfrido episcopo, cujus locus & situs opportunior eis visus est præ Vitoniano cœnobio, quod & loci angustia & situs asperitate minus commodum videbatur, licet regularis in eo disciplina melius servaretur. In hac anxietate Odilonem abbatem, non minus prudentia quam sanctitate tunc celebrem, consulendum conveniunt Cluniacum, & fluctuantis animi angustias viro Dei exponunt. Quibus sanctus vir suadet priori voto standum. Redierunt igitur novi monasticæ religionis tirones Virdunum, & advoluti genibus Fingenii abbatis in monasterium se admitti postularunt. Admissi itaque in monasterium, brevi facti sunt omnibus forma patientiæ & humilitatis, fluxarumque rerum penitus obliti, majori desiderio cœlestibus inhæserunt, quam prius terrena sectati fuerant: adeo ut mortuo non multo post Fingenio abbati Richardus substitutus fuerit, & Fridericus ab eo missus ad restituendam in Atrebatensi S. Vedasti monasterio regularem disciplinam. Attamen cum deligendi successoris gratia fratres S. Vitoni in unum convenissent, non una fuit eorum sententia: at præsens aderat Heymo Virdunensis episcopus, ad cujus interrogationem pueri duo juniores ejus loci monachi, consona voce Richardum abbatem proclamasse memorantur. Probavit electionem episcopus, novumque abbatem ordinavit anno 1004 in

festo sanctorum apostolorum Simonis & Judæ; A & impleri cœpit vaticinium Odilonis Cluniacensis, qui præsagierat futurum ut locus permodicus & angustus, Richardi & Friderici amplificaretur & augeretur industria. Ordinato Richardo tantam Deus contulit gratiam ut a regibus & principibus, a divitibus & mediocribus miro affectu diligeretur: nec apud suos veneratio ejus minor. Ea fuit Henrici II Germaniæ regis in Richardum propensio, ea liberalitas, ut dona ei ingentia in auro & argento, in ornamentis & vasis sacris conferret, seque totum in ejus amorem transfunderet. Cœpit tunc divino cultui, suorumque profectui totum B se dare, tantosque brevi progressus fecit, ut non modo per totum Lotharii regnum, sed etiam per universam Galliam fama ejus religionis ac sanctitatis diffunderetur.

Cum ex sanctitatis celebritate piissimi abbatis plurimi ad monasticam professionem convolarent, jamque locus esset angustior, quam ut omnes capere posset, de illo amplificando, novisque ædificiis exstruendis cogitare cœpit vir Dei, idque Henrici regis favore & munificentia fretus aggressus est. In tanto opere adjutorem habuit Fridericum ex duce monachum, qui non modo suis, suorumque pro- C pinquorum opibus rem promovit; sed etiam ipse operam suam contulit. Ab ecclesia, ut par erat, ductum initium, cujus pene jam diruta sarta tecta erant. His dejectis, amplioris basilicæ jacta fundamenta, quæ brevi tempore absoluta fuit. Turres ejus domnus Fridericus ex suo fecit, uti & cellarium, fratrumque refectorium. Longius esset singula enarrare, quæ Richardus ad ornandam basilicam fecit, quæ omnia Hugo monachus ejus loci, dein Flaviniacensis abbas, in chronico suo fuse prosequitur.

Plurima etiam huic loco munera in gratiam D Richardi contulerunt multi magnates, Alverada scilicet comitissa, Liethardus comes, Conradi imperatoris nepos & consanguineus, ibidem factus monachus, Ludovicus quoque & monachus, Theodericus comes qui ecclesiam de Metionis largitus, in eo monasterio voluit humari, Hildradus etiam comes, qui Richardum filium suum, postea episcopum, beato patri Richardo baptisandum obtulit, Baroniscurtem S. Vitono dedit, & defunctus in navi ecclesiæ humatus est.

Chart. XI, col. 560.

Ch. XII, col. 561.

Porro plures Richardus regendas habuit E abbatias, nimirum S. Vedasti Atrebatensis, cujus ab Erluino episcopo moderamen accepit anno 1008. Item Balduinus Flandriæ comes quamplurimarum curam commisit, scilicet S. Petri Gandensis, S. Amandi, S. Bertini, Laubiensis, S. Judoci. Addit insuper Hugo Flaviniacensis multa alia cœnobia, Brituliense, Humolariense, S. Quintini de Monte, sancti Wandregisili, sancti Hucberti, S. Remacli, Malmundariense, Walciodorense, Bellilocense, S. Urbani, S. Vincentii in insula Metensi, quæ omnia Richardus in meliorem reparavit statum, eisque reparatis abbates e suis præfecit. His addenda monasteria S. Petri Catalaunense, & S. Laurentii Leodiense: quibus instituendis operam egregiam navavit. In summa saltem viginti & unam abbatias, tam in Lotharingia, quam in Francia & Flandria sub sua providentia habuisse memoratur. Ad annum 1020 Hildradus cognomento Hescelinus comes nobilissimus, timore Dei & admonitione Richardi impulsus, sanctis Petro & Vitono contulit id quod habebat apud *Bobrunel.*

Persecutionis tamen haud fuit expers Richardus, eam ab Heymone episcopo passus hac occasione: Huic enim præsuli venerat in mentem ut S. Vitoni monasterium includeret intra civitatis muros, quos tunc ædificare cœperat. Cujus proposito justis de causis restitit piissimus abbas. Cum episcopum a consilio avertere nec posset, querelam ad Imperatorem, utpote amicissimum suum detulit, qui missa legatione episcopum ab incœpto prohibuit. Irato eam ob rem episcopo, vir Dei ad tempus iræ locum dedit, & opportunam votis suis occasionem nactus, ad solitarium locum, qui dicitur *Rumbech*, Romarici-monti proximum, secessit, ibique per annos quinque vitæ contemplativæ se totum addixit, claruitque miraculis. Hæc ubi rescivit Heymo episcopus, virum sanctum missa legatione revocavit. Pius hic abbas cum Gerardo Cameracensi episcopo anno 1023 legationem apud Robertum Francorum regem obivit, directus ab Imperatore tunc in Italiam iter meditante ac verente ne quid, dum abesset, Robertus in Germaniam moliretur. Insequenti anno idem Imperator quadam die monasterium S. Vitoni ingressus, statim hunc Psalmistæ versiculum protulit: *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Ad hanc vocem expavit Heymo episcopus qui præsens aderat, monuitque Richardum abbatem ne Imperatorem ad monasticam professionem admitteret, quod absque incredibili reipublicæ damno fieri non posset. Nihilominus ingressum postridie Cæsarem in capitulum, haud dubie ut monasticum habitum peteret, interrogavit Richardus vellet ne fieri monachus, ipsique in omnibus obedire? Cumque ille se ita velle professus esset, reposuit abbas: volumus ergo & præcipimus ut ad gubernandum tibi a Deo commissum imperium redeas.

Inter hæc Richardus pastoralis sarcinæ pertæsus, divinæque contemplationis amore captus, sub finem anni 1026 Jerosolymam ad sacra loca visenda peregrinationem aggressus est. Sed antequam hoc iter iniret, Cluniacum adivit, Odilonem abbatem Virdunum adduxit, eique monasterii sui disciplinam & inhabitantium mores commendavit. Dehinc cum pluribus magnatibus, quibusdam abbatibus, aliisque quamplurimis viris se commisit itineri. Ubi Antiochiam pervenit, illic aliquot dies remorari coactus est: quo tempore amicitiam contraxit cum Simeone viro Dei, qui a fratribus monasterii Montis-Sinaï ad accipiendam a

Richardo duce Normannorum eleemosynam mittebatur. Accedenti demum ad sanctam civitatem patriarcha Jerosolymitanus, qui ejus sanctitatis famam inaudierat, obviam occurrit. Dominica die Palmarum ingressus, tota hebdomada noctu & interdiu in Dei laudibus perseveravit. Post tamen annum pene integrum ex quo sanctus abbas Jerosolymorum iter aggressus erat, ægre tandem a sacris locis avulsus est, ditatusque pretiosissimis reliquiis, quas a Patriarcha acceperat, quasque e collo pendentes gestabat, e sancta civitate discessit, identidem cervice reflexa eam respectans, gemensque quod illam nunquam revisurus esset, in qua reliquum vitæ conficere peroptasset. Cum Virdunum pervenisset, huic tota civitas effuso agmine obviam processit, sed maxime monachorum cœtus, qui cum crucibus & cereis festivo ac solenni apparatu redeunti occurrit. Haud multo post reditum, puta anno 1028 grassante per totum orbem fame, Richardus ecclesiæ suæ thesauros vendidit ecclesiæ Remensi ut egenis subveniret. Abbatiam quoque S. Amantii in Ruthenis a Berengario episcopo Virdunensi collatam loco vadii concessit comiti Ruthenensi pro quadam pecuniæ summa, quam ab illo acceperat. Altare de Vivariis anno 1040 obtinuit a Widone Remensi archiepiscopo, cujus antecessor Ebalus monetam Mosomensem monasterio abstulerat.

Ch. VIII, col. 557.

Ad annum 1042, ex chronico Hugonis Flaviniacensis, tanta lues in urbe Virdunensi deseviit, ut civitas illa fere in solitudinem redigeretur. Quod ut averteretur malum, Richardo episcopo auxilium S. Vitoni implorare visum est; ideoque sacrum ejus corpus e feretro exponere, solennique processione deferre duxit, contradicente Richardo abbate, qui Sancti corpus non inquietandum esse aiebat. Verum cum nihilominus rem executus esset antistes, Richardus ei prædixit fore ut quintum abhinc annum non videret, itidem ille ipse abbas, qui demum assenserat, ante quintum pariter annum excederet. Quod utique probavit eventus. Equidem annus 1046 supremus fuit sancti hujus abbatis, rebus pie gestis insignis. Is vires corporis minui sentiens, monasteriis quæ per se ipse regebat, singulos dicitur præfecisse abbates. Una restabat abbatia S. Vitoni, cujus abbatem electioni fratrum permisit. Sic omnibus fere exoneratus, totum se ad exitum suum Domino commendandum composuit; tum febribus graviter vexari cœpit. Quo comperto, Richardus episcopus, quem ex sacro fonte susceperat, institueratque, ad eum accessit, nec inde usque ad ejus obitum recessit, ab illo noctu & interdiu non passus avelli. Instante obitu, oleo sancto inunctus est a Richardo episcopo, confessione data, viatico cœlesti refectus; mox in lecto expositus, jacuit in cinere & cilicio contra S. Nicolai altare, quod ejus oculis conspicuum erat. Animam tandem Deo reddidit an. 1046, XVIII calendas Julii, illucescentis diei hora fere tertia, regiminis sui anno 42. Patris oculos clausit Richardus episcopus, vestibus induit sacratis, non vilibus, quibus se indui præceperat, sed quas paternus amor suggessit. Tum solemni ritu sepultum fuit corpus in crypta subterranea ante altare B. Mariæ & S. Johannis Evangelistæ, sub majori altari S. Petri prope Madalveum episcopum. Res a B. Richardo gestas scripsit anonymus S. Vitoni monachus, prout ab eis acceperat, qui eum viderant & cognoverant. Easdem fusius prosecutus est in chronico suo Hugo abbas Flaviniacensis. Libellum de ejus miraculis subjunxit anonymus. Scripsit & ipse Richardus libellum de vita S. Rodingi Belli-loci abbatis primi, aliumque de vita & miraculis B. Vitoni episcopi Virdunensis, monasterii sui patroni.

XI. Valerannus comes, Gilduini Britoliensis comitis postea monachi S. Vitoni filius, & Hugonis episcopi Lingonensis frater, a Godefrido Gozelonis Mosellanensis ducis filio, in prælio Barrensi eumdem ducem Gozelonem inter & Odonem Campaniæ comitem edito, graviter in calcaneo vulneratus fuit an. 1037. Hic vitæ incolumitate petita & accepta, paulo mox in monasterio S. Vitoni sub disciplina Richardi abbatis, uti voverat, monachum induit. Cum illic in cœnobitica vita sese ad tempus exercuisset, vitæ remotioris studio secessit primum in locum a Romarici-monte quinque millibus semotum. Exacto illic quinquennio, post mortem Richardi abbatis regimen Vitoniani monasterii subire coactus est, simulque Arremarensem abbatiam in Tricassina diœcesi rexit. Leonem IX papam e Gallia Romam revertentem cum multis Galliæ præsulibus & abbatibus est comitatus an. 1050, synodoque Romanæ, in qua Sanctorum albo adscriptus fuit S. Gerardus Tullensis episcopus, adfuit. Litteris Theodorici Virdunensis episcopi, donationem monasterio S. Michaëlis ad Mosam confirmantis, Valerannus una cum aliquibus abbatibus subscripsit anno 1051. Remis in die sacro Pentecostes anno 1059 coronationi Philippi natu majoris Henrici Franciæ regis interfuit. Circa annum 1060 Romam Nicolaum II papam adiit querimoniam facturus super Rotberto Ruthenensi consanguineo suo, qui res S. Vitoni in illo comitatu sitas, in his abbatiam S. Amantii usurpaverat. Litteras pontifex comiti inscriptas, itemque privilegium de confirmatione bonorum monasterii anno pontificatus III tradidit Valeranno, qui dum Virdunum reverteretur, apud Arremarense monasterium, cujus itidem erat abbas, veneno periit ibidemque sepultus est. Ejus mors consignatur in necrologio ad diem 6 cal. Julii an. 1060. Divionense vero chronicon ejus obitum refert ad sequentem annum. De eo jam egimus tom. XII, col. 553.

XII. Grimoldus, vir nimiæ simplicitatis, Valerannum in monasterii regimine excepit an. 1061. Litteris ducis Gaufridi Gibbosi subscripsit in gratiam ecclesiarum diœcesis. Grimoldus vero abbatiam dimisit an. 1075 die

Thesaur. Anecdot. t. I, coll. 189 & 190.

S. Nicolai. A regimine amotus est a Theoderico episcopo, *quia*, inquit Laurentius de Leodio, *sub Grimoldo abbate religio per quorumdam insolentiam deperibat*, nec per illum corrigi poterat. Mortuus est anno 1078 dum Roma regrederetur, & Mantuæ in ecclesia S. Andreæ XIV calend. Julii sepultus fuit. In necrologio notatus VIII idus Junii.

XIII. Rodulfus I S. Agerici monachus, religione, scientia & moribus insignitus, a Theoderico episcopo in locum Grimoldi suffectus fuit an. 1075. Is per se aliosque monachos secum ex S. Agerici cœnobio adductos, summam ordinis restituisse, & plurima bona S. Vitono contulisse dicitur. Cum Theodericus episcopus an. 1080 Ultrajectino conciliabulo, in quo anathema Gregorio VII dictum est, interfuisset, tanta eum pœnitudo invasit, quod schismaticis aliquandiu adhæsisset, ut in manu Rodulfi abbatis stolam reddiderit & annulum, ipsumque ad eumdem summum pontificem miserit ejus absolutionem postulatum. Sed in hoc proposito non diu stetit Theodericus: & quidem Rodulfum abbatem ejusque monachos, qui legitimo pontifici adhæserunt, ultra modum vexare cœpit. Hinc soluta est vetus illa necessitudo, quæ inter Virdunenses episcopos & monachos S. Vitoni semper intercesserat, adeo ut episcopus abbatem & monachos, plurimis affectos injuriis suo loco exturbaverit. Sed eis pro justitia ita pulsis, contraria in bonum mox cessere: fratres enim in Burgundiam profugi, a Jarentone S. Benigni abbate, tanquam angeli Deo accepti per septennium quo episcopus supervixit, ibidem perstitere. Ea vero fuit Rodulfi abbatis apud pontificem existimatio, ut ei schismaticos reconciliandi facultatem dederit in tribus episcopatibus, Virdunensi scilicet, Metensi ac Tullensi. Attamen Theodericus præsul ad annum 1080 periculoso morbo correptus est. Hic senio annisque gravis, cum ad extrema pervenisset, nec adesset qui eum sedi apostolicæ reconciliaret, Rodulfus abbas duos e suis monachis, Gerardum & Gerebertum futurum postea Belli-loci abbatem misit, qui eum ab excommunicatione absolverent. Post Theoderici mortem a Richero ejus successore statim ab electione Rodulfus cum omnibus suis monachis e Divionensi monasterio revocatus, episcopum ordinandum ad Hugonem Lugdunensem duxit, eumque a tota urbe Virduno honorifice suscipiendum curavit. Præsulis ejusdem concedentis duo altaria monasterio S. Michaëlis ad Mosam litteris subscripsit pridie nonas Februarii 1094. Duas & ipse ecclesias, unam in monte S. Martini, alteram in Villari ab Alberto comite *de Misau* [Ch. XVII, col. 565.] an. 1096 consecutus est. Quam quidem donationem a comitissa Namurcensi Ermensendi [Ch. XVIII, col. 565.] comprobatam fuisse ex documento intelligitur. Cudendæ monetæ jus fategit attribui a Richero [Ch. XIX, col. 566.] episcopo cœnobio S. Michaëlis ad Mosam anno 1099. Hoc eodem anno post multas, quas tum a schismaticis tum ab aliis vexationes & angustias, ex hac vita mortali ad immortalem migravit. Paulo ante obitum ad cellam Flaviniacum secesserat, ut adventantium molestias vitaret ac rebus spiritualibus attentius vacaret. In Quadragesima graviter infirmari cœpit, nec tamen a sacris exercitationibus animum relaxabat. Venit tandem hora quam semper optaverat & velut dormiens spiritum efflavit an. 1099, V cal. Aprilis. Corpus ejus Virdunum advectum, ante altare S. Benedicti humatum est.

XIV. Laurentius. Expletis Rodulfi funeribus, Richerus episcopus fratres convocavit in capitulum, eosque ad eligendum dignum successorem hortatus est; moxque e capitulo egressus, liberam illis eligendi fecit facultatem. Post solitas preces Godezo monachus, cui Rodulfus moriens secretum suum de sublegendo successore commiserat, omnibus significavit, ut Laurentium priorem in abbatem cooptarent. Acclamaverunt omnes præter electum, qui vix adduci potuit, ut onus sibi impositum subiret; sequenti Dominica nihilominus est ordinatus. Erat is nobili genere in Leodiensi episcopatu ortus, eodem tempore quo & Rodulfus, monachus factus in eodem cœnobio: eoque ex priore creato abbate prior institutus; tum apud Divionem claustralis prior, cum sancti Vitoni monachi illuc commigrassent; iisque Virdunum reversis apud S. Vitonum quoque prior. Sub hoc tempus a Richero episcopo Romam cum Widone archidiacono missus est, ut præsulis ejus a divinis interdicti, ob communicationem cum Henrico imperatore habitam, a papa Paschali II veniam exposceret. Litteras accepit anno 1107 ab eodem pontifice, ut Richardum episcopum Richeri successorem, qui de manu Henrici baculum pastoralem suscipere præsumserat, omnesque ei adhærentes excommunicatos denuntiaret. Fecit ille quod jussus erat, nec ab illa die cum Richardo, clerove Virdunensi, qui ei assentabatur, ullam communionem habuit: unde magna in Vitonianos irruit tempestas. Adfuit tunc B. Vitoni festivitas, V idus Novembris celebrari solita, in qua capitulum cathedralis ad primas vesperas & missam ex more convenire consuevit. Canonicis ne communicarent monachi, officium anticipaverant; quibus adhuc cantantibus supervenit clerus cathedralis, qui clausum chori ostium reperit. Hinc ira inflammatus Richardus præsul, Laurentio divinum interdixit officium, potestatemque omnem in rebus abbatiæ intus & extus detraxit. Tantæ violentiæ cedere coactus, loco excessit, quibusdam e suis secum abductis. Soli remansere juniores, qui ad clero Virdunensi communicandum evicti sunt. Quod ut rescivit abbas, litteris eos admonuit ut resipiscerent. Equidem omnes e monasterio mox egressos ad Divionense S. Benigni cœnobium misit, ubi a Jarentone abbate, quod jam alias factum fuerat, humanius quam dici possit, recepti sunt, & per triennium, quo Richardus supervixit, ibidem commorati, multum illic se in omnibus

profecisse testati sunt. Totam hanc historiam fuse describit ipse Laurentius epistola ad clericos Virdunenses, ex qua cognoscimus Hugonem Flaviniacensem abbatem, abbatia sua pulsum, in S. Vitoni præfecturam, absente Laurentio abbate, intrusum fuisse, & a Richardo episcopo virgam pastoralem suscipere præsumsisse. Defuncto tamen in Italia Richardo anno 1114, Laurentius abbas ad propria rediit, suos e Divionensi monasterio aliisque locis revocavit, & thesaurus ecclesiæ suæ, qui abstractus erat, ut ipsi restitueretur, ope Brunonis Trevirensis archiepiscopi effecit. Insequenti anno bullam a Paschali II assecutus est, litterisque Riquini Tullensis episcopi subscripsit. Restitutionem capellæ S. Vincentii in territorio Novæ-villæ ab Henrico episcopo Virdunensi obtinuit anno 1124. Plurimas sane res monasterii adhuc retinebat hic episcopus, cum Laurentius apud Lotharium Cæsarem & Albertum Moguntinum archiepiscopum sedis apostolicæ legatum questus fuerit quod quædam suæ ecclesiæ prædia, tempore discordiæ inter regnum & sacerdotium ab ejus antecessoribus sublata, non restituisset. Ea de re, sic etiam de aliis criminibus Romam citatus episcopus, ante pontificem se stitit, qui Laurentium præsentem sic compellavit: *Tu pater quid dicis de criminibus episcopo objectis!* Et ille: *Domine*, ait, *ego ea non vidi, sed populus clamat.* Ecclesiarum rerumque omnium in Catalaunensi diœcesi positarum confirmationem anno 1132 a Gaufrido Catalaunensi episcopo adeptus est Laurentius, ac fundationem prioratus Calidi-fontis ab ipso ratam haberi fategit. Præcedenti anno ab Innocentio II bullam Remis datam III nonas Novemb. impetravit. Litteris Adalberonis episcopi in gratiam Idæ abbatissæ S. Mauri subscripsit an. 1135. Ejus tempore multi nobiles dona monasterio contulere, in his Theodericus & Widericus fratres comitis Frederici, Ramaldus eorum vitricus, & Chunegundis uxor Manfridi seu Matfredi, quæ multa prædia S. Vitono indulsit. Ad annum 1139 Laurentii obitum notat Laurentius de Leodio; necrologium vero ad calendas Julii.

Annal. Bened. t. V, prob. p. 683 & seqq.

XV. Segardus, Laurentii consanguineus, sedis ejus, pietatis & religionis successor fuit. Ab Henrico Tullensi episcopo adeptus est confirmationem altaris S. Hilarii de Flaviniaco anno 1142. Simul ut in abbatem est electus, omni studio dare cœpit operam ecclesiæ utilitatibus, & tam per se quam per cohærentes sibi fratres intus & exterius invigilare; dein de venerandi corporis S. Vitoni honorificentia cœpit in dies animum sollicitare, coacervatisque, prout potuit, auri & argenti impensis, decrevit omnimodis illud decore multo sublimare; sed post triennium suscepti officii, defuncto aurifice, qui illud inchoaverat, & ipse venerabilis abbas anno 1142 moritur, III cal. Octobris, regiminis sui an. 2, & in monasterii capitulo sepelitur.

XVI. Cono in Segardi locum suffectus anno 1142, præ multis prædecessoribus suis in hujus

A cœnobii innovatione & restauratione providus valde & sollicitus exstitit: diversisque operibus auri & argenti, palliorum, tapetium, librorum aliorumque ornamentorum ecclesiam admodum locupletavit & decoravit. Altaria Flaviniaci, Novi-villaris ab episcopo Tullensi huic monasterio dari obtinuit; item altare *de Valmey* ab episcopo & archidiacono Catalaunensi obtinere promeruit, nec non alodium ad usus ecclesiæ in vico S. Amantii acquisivit. Sacrum corpus sancti Vitoni in feretro, quod ex parte maxima confecerat, per summum pontificem Eugenium III coram magna plebis multitudine B ipso die divi depositionis honorifice recondidit. Sed ut bonorum est semper in melius proficere, Cono turres lapideas post opus librarii a fundamentis erexit, quarum opus usque ad consummationem perduxit, & in die etiam anniversarii sui decem solidos apud Nicevillam fratribus assignavit. Nec silendum quantum honoris ei impenderit summus pontifex, qui cum anno 1148 concilii gratia de more celebrandi Remos advenisset, & omnes tam episcopi quam abbates in suis sedibus & subselliis resedissent, contigit tandem venerabilem abbatem Cononem illò tardius adventare; qui C cum indutus sacris vestibus concilium introisset, nec haberet sedem in qua potuisset sedere, humi resedit. Ad quem conversis oculis pontifex hæc ait: *Hic est qui gratiæ majoris honorem & reverentiæ potioris favorem Gallicanis omnibus, ex quo cisalpinavi, nobis exhibuit:* & e vestigio misit ei in argumentum dilectionis curulem, in qua solitus erat residere, qua ille humiliter & cum gratiarum actione recepta desuper resedit. Plures pietatis suæ imitatores & heredes monachos informavit, quos inter Jacobum *Bras*, qui fuit abbas S. Agerici. In pluribus documentis reperitur annis 1153, D 1156, 1163, 1177. Præsulatu se abdicantem Albertum Virdunensem episcopum in monasterium admisit, eique monasticam vestem præbuit. Excessit autem hic venerabilis abbas cum sanctitatis fama anno 1178, pridie idus Junii, & sepultus est in ecclesia.

XVII. Richerus, vir miræ simplicitatis, concordi voluntate totius capituli, eligitur in abbatem anno 1178, quo ab Arnoldo Trevirensi archiepiscopo abbatia sanctæ Mariæ de Luxemburgo adnexa fuit monasterio S. Vitoni. Hic fere per annum benedictione suspensa, E a venerabili episcopo Arnulpho convenitur & instigatur, ut eam de more suscipiat pastoralia negotia pervigili cura exercendi gratia: verum pastoralis oneris & laboris impatiens, abbatiali dignitati nuntium remisit anno 1179, quo ab Alexandro III protectionis bullam impetraverat. Post cujus cessionem Petrus *de Briei* in abbatem cooptatur: sed cum in ecclesiam in sede pastorali intronisandus duceretur, Arnulphus episcopus, cui displicebat, ejus electioni intercessit. At Petrus haud multo post factus fuit abbas S. Petri Catalaunensis.

XVIII. Alestannus I dictus Junior, vir

admodum religiosus, suffectus in locum Petri, hominem exuit & anno 1179, sepultusque est infra ecclesiam juxta ostium capellæ sancti Christophori. Notatur ejus obitus in necrologio anno 1179, pridie idus Septembris.

XIX. Alestannus II senior, non minoris religionis quam suus prædecessor, administrationi abbatiæ spontaneus renunciavit anno 1183. Residuo vitæ suæ tempore apud *Bokencle* degens, lectioni divinæ vacans & orationi insistens, vitam felicem feliciori morte terminavit pridie nonas Decembris 1183.

XX. Thomas abbas Mauri-montis anno 1183 Alestanno subrogatur, vir natura & moribus generosus. Protectionis litteras a Celestino III consecutus est an. 1186. Cappam nigram auro contextam comparavit, ruinas refectorii resarcivit, tectum & cælaturam renovavit. Verumtamen Hugo præpositus cupiditate succensus, cœpit Thomam abbatem lacessere, & contra ipsum simultates concitare, ut ejus locum usurparet. Thomas igitur fraudis expers, artisque fuscatæ nescius, simultatum & seditionum impatiens, cura pastorali cessit anno 1187. Adhuc superstes erat anno 1194, uti comperitur ex inita inter Hugonem abbatem Mauri-montis & Vivianum Bellæ-vallis transactione, in qua testis occurrit. In prioratu de Nova-villeta, quo secesserat, e vivis exemptus est XIII cal. Maii, ex necrologio.

XXI. Hugo I præpositus & abbas Mauri-montis Thomæ regiminis pertæso successit anno 1187. Circa id tempus a Folmaro Trevirensi archiepiscopo ob pravam administrationem ab officio suspensus fuisse videtur. Hic postmodum, seditione mota ab eisdem a quibus electus fuerat abbas, divino in se retorto judicio, acriter cœpit infestari, ut qui prædecessorem suum contumeliis affecerat, & ipse eamdem pœnam subiret. Equidem anno 1197, ordinationis suæ decimo, abdicare coactus fuit. Memoratur in necrologio II nonas Februarii.

Ch. XXXII, col. 575.

XXII. Stephanus prior de sancta Margareta & de Domna-Maria, monachus Cluniacensis, instigante Agnete Barri comitissa, sorore Ludovici Francorum regis, abbatiali munere post Hugonis cessionem est honestatus. At paulo post ob verbum ore irreverenti prolatum in S. Vitonum, teste continuatore Laurentii de Leodio, percussus fuit, moxque abdicata dignitate reversus est ad Domnam-Mariam.

XXIII. Ludovicus I, Alberti de Hirgis Virdunensis episcopi germanus, vir gratia & moribus præditus, Stephano subrogatur anno 1197. Legitur anno 1204 in charta Gerardi de sancta Maria. Blancam comitissam Treeensem & heredes ad medietatem banni, justitiæ & assisiæ villæ, quæ dicitur Calida-fontana, associavit anno 1206 mense Julio. Monasterium reperit ære alieno ita gravatum, ut maxima pars proventuum in solutionem cederet usurarum. Ne igitur iste locus majori possessionum parte in posterum exheredari cogeretur, curtem *de Bollai* cum ejus pertinentiis

A omnibus nobili viro Thomæ *de Bollai* vendere compellitur. Cum ætate juvenis monasterii curam suscepisset, paupertatem in se sustinuit, vitatisque superfluis sumptibus, ad bonum statum divino cooperante adjutorio reduxit. Principibus magnatibusque dilectus, altaria Montis S. Martini, Villaris, Bailodii, & ecclesiam *de Rebons* adeptus est. Altaria etiam de Rahericuria & de Nova-villa cum appendiciis ab episcopis Virdunensibus obtinuit an. 1219. Compositionem cum Goberto de Aspero-monte & Stephano de Bello-ramo iniit anno 1223. Henricum comitem de Grandi-campo

Ch. XXXIV, col. 576.

B in id induxit, ut domum Novæ-villulæ sub sua tutela susciperet an. 1225, quo transegit cum Elisabetha sancti Mauri abbatissa. Altare Novæ-villæ quod sibi tradiderat Johannes episcopus, a Theodorico Trevirensi archiepiscopo confirmari sategit anno 1227. Reditus assignavit ad usus infirmorum, eleemosynariamque novam cum capella construxit. Advocatiam item de Calido-fonte cum magno sumptu acquirens, istum prioratum, qui ad victum unius monachi vix sufficere poterat, divitiis & reditibus ampliavit. Prioratus omnesque monasterii possessiones tam remotas quam pro-

C ximas in meliorem restituit statum. Advocatiam Montis S. Vitoni a viro nobili Goberto de Aspero-monte quingentis emit libris. Ecclesiam quoque supellectilibus auri & argenti decoravit, tabula argentea majus altare curavit exornari, claustrum a fundamentis erexit, omnesque reparavit officinas, & in ultimo vitæ suæ termino inchoavit opus novum, decorum & sumptuosum, id est ecclesiam, quam perficere nequivit. Sub ejus regimine floruerunt monachi religione præstantes, quorum tres, scilicet Martinus, Jacobus & Nicolaus successive fuerunt abbates S. Agerici; & alter nomine

D Nicolaus *de Chastel* in Valciodorensi & Harteriensi monasteriis in abbatem est electus. In die anniversarii quadraginta solidos supra domum unam fratribus assignavit, quorum medietatem in anniversario piæ recordationis abbatis Richardi jussit expendi. Legitur in litteris ducis Barri. Senio confectus, præsentibus Johanne Metensi, Rogero Tullensi & Rodulfo Virdunensi episcopis, ab administratione cessit VIII idus Martii 1237, & insequenti anno XVI cal. Julii acquievit, sepultusque est, uti jusserat, in sacello B. Virginis Mariæ.

Ch. XLIII, col. 582.

E XXIV. Guillelmus quondam hujus loci monachus, dein prior Flaviniaci, ex abbate S. Mansueti Tullensis cœnobio S. Vitoni per abdicationem Ludovici præfectus est anno 1237. Hanc abbatiam eadem qua prioratum Flaviniaci & monasterium S. Mansueti rexerat sapientia procellosis temporibus administravit. Cum Nicolao S. Petri Catalaunensis abbate, itemque cum Euvrardo abbate S. Maximini Miciacensis sancivit societatem anno 1240. Suborta est gravis discordia sub annum 1245 oppidanos inter & Guidonem de Melloto episcopum, qui bona reditusque monasterii

manu violenta subripere cœpit. Bonis igitur A datis undecunque in direptionem; pene omnes monachi locum deserere & mansiones in prioratibus a monasterio dependentibus victitandi gratia quærere, ita ut Guillelmus fere solus remanserit. Inter hæc oppidani veriti ne episcopus turribus ecclesiæ S. Vitoni uteretur, ut urbis ingressum & exitum occluderet, eas dejicere statuunt. Quod malum ut averteret Guillelmus curas & preces adhibuit, quibus cives acquiescere noluerunt nisi ea conditione, ut, si episcopus turrium occasione ipsis aliquod gravamen inferret, prædictus abbas totumque capitulum solveret duo millia librarum fortium. B Obsidibus ergo datis & pactione firmata, turres in statu permanserunt. Monasterii tamen mœnibus haud parsum est, quorum lapides resarciendis urbis mœnibus & propugnaculis adhibiti sunt. Anno 1246 mense Octobri comiti Campaniæ pro custodia Villæ-novæ sextarium avenæ duasque gallinas ab unoquoque indigena annuatim solvenda concessit. Obiit anno 1259 calendis Novembris.

XXV. Rodulfus II prior Montis S. Martini post obitum Guillelmi sortitus est unam suffragiorum partem, & Dominicus præpositus alteram. Unde duos inter æmulos exortum est C litigium, quod octo per annos duravit. Suum tamen Rodulfus evicit competitorem, multaque damna huic ecclesiæ intulit. Diversis in actis occurrit anno 1269. Mortuus anno 1281, IV nonas Aprilis, ex necrologio.

XXVI. Johannes I præfuit ab anno 1281 ad 1286, quo desiit vivere XII cal. Augusti.

XXVII. Thierricus ab anno 1286 ad 1292, quo excessit e vivis VIII id. Novemb.

XXVIII. Philippus *d'Orne* anno 1292 submovit æmulum Gobertum eleemosynarium in abbatem electum. Obiit XII cal. Januarii anno 1297. D

XXIX. Hugo II de Remis electus anno 1297, reperitur in instrumento anno 1300. Moritur X cal. Julii anno 1303.

XXX. Baudotus de Failleyo factus abbas 1303, defunctus XI cal. Maii an. 1305.

XXXI. Nicolaus I *Maisel* ex cellerario abbas creatus an. 1305, in documentis occurrit an. 1306. Decessit III idus Julii an. 1316.

XXXII. Simon de Nanceio ex priore Flaviniaci in abbatem cooptatur anno 1316. Occubuit VII cal. Julii an. 1318.

XXXIII. Theobaldus de Bazella ex prioratu *de Miniau* ad ejus monasterii præfecturam E evocatus an. 1318, decessit 1319, XII cal. Junii.

XXXIV. Erardus de Bazella, Theobaldi nepos, cui successit an. 1319, societatem iniit an. 1327 cum Hugone Mauri-montis abbate. Juxta Virdunense chronicon duas majores medias campanas conflari jussit. Reperitur plurimis in actis 1342, 1346 & 1349, quo anno reparandis imminentibus ecclesiæ ruinis statuit in capitulo generali, ut omnes priores & monasterii officiales certam pecuniæ summam persolverent. In necrologio ubi laudibus extollitur, mors ejus notatur XV cal. Februarii anno 1349.

XXXV. Raimundus de Acheio vel Apcherio sedis apostolicæ indulto abbatia provisus, submovit Sebastianum Calidi-fontis priorem a capitulo electum; fruitus quidem est abbatia S. Andreæ prope Avenionem, uti dictum est tom. I, col. 880. Sedebat annis 1350 & 1353, quo successit

XXXVI. Gerardus I *de Vaudenay*, ab apostolica sede abbatiali dignitate donatus, monasterii facultates in dandis sumptuosis epulis adeo exhausit, ut bona atque pretiosissima sacrarii ornamenta, itemque chartas & monasterii privilegia impignorare adactus sit. Quin & ejus incuria tanta irrepsit segnitia, ut vix duodecies in anno nocturnæ vigiliæ cantarentur. Hac depravatione contristati plures monachi, libellum contra abbatem obtulerunt. Verum ab abbate, quem Johannes de Borbonio episcopus tuebatur, claustralibus officiis deturbati, monasterio pulsi sunt, & Albericus primicerius, cujus officialis in abbatem plures protulerat sententias, ab episcopo excommunicatus. Obiit autem Gerardus anno 1381.

XXXVII. Johannes II *de Trie*, ex priore Flaviniaci in abbatem assumptus, cardinali de Arragonia prioratum Flaviniaci eripuit & monasterio adnexuit. Præfuit octo tantum mensibus, satisque concessit XII cal. Nov. 1382.

XXXVIII. Henricus *de Passavant*, prior Calidi-fontis, Johannem excepit. Memoratur annis 1385 & 1388. Excessit IV cal. Octob. anno 1391.

XXXIX. Reginaldus *Paillardel*, Ponte-Montionis oriundus, monachus S. Michaëlis, in locum Hermanni *d'Orgeviller* Flaviniaci prioris, quem elegerant monachi, a summo pontifice substitutus, occurrit annis 1398, 1399. Cum Gaudefrido *de Nicey* in abbatem S. Michaëlis electo litem de præfectura super monasterium S. Michaëlis habuit an. 1408, quæ sopita est cessione quorumdam prædiorum a Gaufrido facta. Optimus monasterii administrator, plures acquisivit possessiones, campanile flammis absumtum anno 1413 refecit, duasque campanas prioribus majores conflari curavit. Præfectura fruitus 25 annis, octo mensibus & 12 diebus, occubuit an. 1417, VII idus Decembris, sepultusque est in medio chori.

XL. Stephanus *Bourgeois*, Rainaldi nepos, ex eleemosynario abbas creatus, optima sua administratione haud minus quam suus antecessor commendandus, infinitos sumptus perficiendæ ac decorandæ ecclesiæ impendit; sacrarium quamplurimis auxit ornamentis; varia etiam ædificia construxit. Mortis ejus annus ita consignatur in necrologio: *IX cal. Aprilis an. Dominicæ Incarnationis M.CCCCLII obiit domnus venerabilis & recolendæ memoriæ abbas Stephanus Burgensis de Ponte-Montionis, qui hujusmodi monasterio S. Vitoni Virdunensis*

xxxv annis, tribus mensibus & xii diebus præfuit.

XLI. Johannes III de Arenceio, camerarius & prior Calidi-fontis, post Stephani mortem a toto capitulo via Spiritus Sancti electus in abbatem, a Ludovico de Haraucuria Virdunensi episcopo est confirmatus. Verum elapsis quindecim mensibus a sede apostolica dejicitur ad instantiam D. Guillelmi *Huin* cardinalis, cui administratio tributa fuit. Cnm hac abbatia novem mensibus fruitus esset hic cardinalis, Sedunensis ecclesiæ administrator, reservata sibi 400 ducatorum pensione, sequentis in gratiam cessit & Romæ obiit vi cal. Novemb. 1455. Johannes vero mortuus est idibus Junii 1462, humatus juxta chorum ante gradus capellæ S. Sanctini.

XLII. Antonius *de Serrieres* al. *de Sencey*, prior Flaviniaci, per abdicationem cardinalis *Huin* creatus abbas anno 1454, memoratur variis in documentis 1457, 1460, 1462, 1467. Licentiam obtinuit a sede apostolica prioratu Flaviniaci simul cum abbatia fruendi; possedítque invitis monachis quatuor officia claustralia, quæ Stephanus *Bourgeois* antecessor etiam habuerat, sed quorum proventus in ædificanda ecclesia insumpserat. Defunctus anno 1475, humatus fuit in choro.

XLIII. Matthæus de Domna-Maria electus anno 1475, capsam S. Sanctini argenteam ornari curavit. Præsens aderat an. 1477 cum Desiderius Panadiensis episcopus, a Guillelmo de Haraucuria delegatus, reliquias S. Madalvei in novam capsam transtulit. Fatis concessit anno 1481.

XLIV. Gerardus II *Varion* totius capituli calculis abbas creatus an. 1481, in possessione turbatus fuit a Ludovico *de Seraucourt*, qui per cessionem juris ab apostolica sede concessi cardinali Juliano in Francia legato super abbatiam S. Vitoni, pro abbate se gessit.

XLV. Ludovicus II *de Seraucourt* a Johanne *de Lenoncourt* sedis apostolicæ in Virdunensi episcopatu generali vicario provisus est abbatia 2 Augusti 1482. Pluribus in instrumentis reperitur ad annos 1484, 1488, 1499. Hic, submoto Gerardo, vitia voluptatesque cœpit sectari, graveque litigium habuit cum incolis Rarecurtis, de ejus violentia & rapinis querentibus. Et vero omnes ejus proventus a Parisiensi Parlamento in sequestris manus emissi sunt. Dum in his Ludovicus versaretur angustiis, a Warrico de Domno-Martino episcopo circa annum 1503 id accepit promissum, ut si ipsum Warricum coadjutorem sibi adscisceret, non modo ad lites persequendas pecunia donaretur, sed & diœcesis vicarius generalis institueretur. Conditioni huic acquievit Ludovicus, moxque accitus est notarius insignis falsarius, nomine Guillelmus *de la Forche*, qui in tabulis integram & meram inseruit cessionem. Itaque summus pontifex, inspecto abdicationis actu, bullas indulsit Warrico, qui abbatiæ possessionem nactus est.

A Hac fallacia delusus Ludovicus, sedem apostolicam voluit appellare; sed ut facultatibus indigebat, cum episcopo iniit compositionem, ab ipso adeptus resignationem prioratus de Castineto.

XLVI. Warricus *de Dommartin*, episcopus Virdunensis & Gorziæ abbas, eo dolo, de quo modo diximus, abbatiam S. Vitoni nactus, fruitus est usque ad annum 1508, quo vivere desiit 7 Julii.

XLVII, Nicolaus II Goberti, canonicus Virdunensis, dum Romæ versaretur, curam episcopatus Virdunensis ob teneram ætatem
B principis Ludovici a Lotharingia, ad eam sedem promoti, accepit a Julio II pontifice, consecratus & ipse sub titulo episcopi Panadiensis, abbatiamque S. Vitoni bullis adeptus xvii cal. Augusti 1508. Vitam cum morte mutavit anno 1543 nonis Septembris, post regiminis 35 annos, sepultus in ecclesiæ navi.

XLVIII. Nicolaus III *de Lorraine*, jam episcopus Metensis & Gorziæ abbas, post superioris mortem abbatiam S. Vitoni obtinuit anno 1543 & insequenti Virdunensem episcopatum. Clero valedixit anno 1548, & in gratiam sequentis, consobrini sui, ab hac abbatia
C se abdicavit.

XLIX. Carolus *de Lorraine*, cardinalis & archiepiscopus Remensis, per principis Nicolai cessionem abbas evasit anno 1548. Regressus jure reservato sequentis in gratiam cessit.

L. Tussanus *d'Hocedy*, episcopus Tullensis, per abdicationem Caroli abbatiam possidebat anno 1554. Fatis functus est Nanceii 3 Julii 1565.

LI. Carolus *de Lorraine* jure regressus iterum abbatiam nactus est, eamque an. 1572 episcopatui Virdunensi sub vitæ finem adnecti curavit, instigante Nicolao Psalmæo Virdu-
D nensi episcopo, qui ea non diu est fruitus, defunctus enim est hic præsul anno 1575, uno scilicet post cardinalem. Reliqui abbates qui & episcopi Virdunenses, ex quibus princeps Erricus a Lotharingia episcopus Virdunensis reformationis introductioni in id monasterium favit anno 1600, ut in proludio diximus.

SANCTUS-AGERICUS.

SAINT-AIRY.

SUBURBANUM monasterium in honorem S. Martini & S. Agerici Rambertus seu
E Rembertus Virdunensis episcopus ædificavit anno 1037. Eo loci primitus oratorium erat in honorem S. Andreæ, ut perhibent, antiquitus constructum; postea seculo sexto a sancto Agerico antistite consecratum sancto Martino Turonensi præsuli, ab eoque exulum post Bertfredi cædem a Childeberto rege in majori ecclesia patratam; dein seculo decimo a Wilfrido episcopo conversum in cellam abbatiæ S. Pauli suburbanæ; ac demum in monasterium a Ramberto erectum. Quod factum an. 1037 probatur tum ex veteri inscriptione mox referenda, tum ex necrologio monasterii ad iii cal. Maii,

Maii, quo Rambertus decessit, de quo hæc verba: « Anno milleno trigesimo septimo » præsul Rembertus nostram condidit ecclesiam. » Ipsi Remberto & Theodorico episcopis debemus quidquid sumus. » Et IV cal. Septembris: « Dedicatio hujus ecclesiæ beati Agerici episcopi. » Consilio & consensu Imperatoris hoc monasterium ædificatum fuisse probatur ex diplomate Henrici III, qui res omnes eidem loco a Ramberto concessas confirmavit anno 1041, idibus Februarii. Summus etiam pontifiex Leo IX anno 1051, pontificatus 3, tuitionis & corroborationis litteras est impertitus. Illic ab initio regularis disciplina maxime floruit, & quidem ex eo loco assumtus est vir eximiæ nobilitatis & virtutis Godefridus ad præfecturam monasterii sancti Quintini prope Perronam, ut apparet ex S. Agerici necrologio. Tunc etiam inclusæ seu reclusæ ibidem degebant, qualis fuit Walburgis abbatissa sanctæ Scholasticæ de Juviniaco, quæ quondam exstitit inclusa S. Agerici, ex eodem necrologio ad diem VIII idus Martii. Laudatur ibidem IV idus Decembris Fulgentius abbas S. Petri Haffligeniensis, monachus S. Agerici. Quæ omnia loci celebritatem probant, cujus laus Baldrico abbati partim debetur. Theodericus episcopus ad antecessorum suorum Raimberti & Richardi exemplum multa prædia, in his Balereis villam, super ripam Mosæ positum, contulit anno 1082. Id monasterium congregationi reformatæ sancti Vitoni adnexuit 16 Novembris 1611. Desiderius *Sarion* regularis abbas, ubi nunc quatuor aut quinque monachi vix degere possunt, qui ante commendam illic quindecim esse consueverant.

Ch. IX, col. 558. — Chart. XIII, col. 561.

Catalogus Abbatum.

I. Baldricus, illustri familia dominorum a Petra genitus, a Ramberto episcopo primus præfectus est abbas, ut constat ex diplomate Henrici III imperatoris dato an. 1041. Hunc abbatem, cui cognomen a Petra, una cum octo sociis e Trevirensi S. Maximini monasterio accersitum fuisse docet vetus inscriptio, in qua etiam annus conditi monasterii, aliaque exprimuntur. Litteris Theoderici episcopi, altare Domni-Remigii & capellam ad crucem Alberto S. Michaëlis abbati tradentis, Baldricus subscripsit anno 1051. Eodem anno bullam a Leone IX impetravit. Rexit per viginti annos, quos inter maxime floruit regularis disciplina, plenusque dierum & bonorum operum, multisque pro monasterio perfunctus laboribus, decessit VI idus Aprilis 1059.

Chart. IX, col. 558. — Ch. XIII, col. 561.

II. Encelinus natione Teutonicus, senex venerabilis & prior dignissimus, vir antiquæ fidei & pietatis, multis & magnis præstans animi dotibus, tribus tantum præfuit annis, longiori sane vita dignus, defunctus an. 1062 die 21 Martii.

III. Stephanus Leodicensis, vitæ integritate & doctrina conspicuus, regularis observantiæ studiosissimus, quam ita promovit, toto sui regiminis tempore, ut multi ad ipsum conversionis gratia, tum seculares, tum ecclesiastici, famosi etiam viri de longinquis terris accurrerint, multique e suis ad diversa cœnobia regenda evocati & expostulati fuerint. Libellum scripsit de vita S. Agerici episcopi patroni & fundatoris sui. In Domino obdormivit anno 1084, die 24 Januarii, non mediocrem sanctitatis opinionem posteris omnibus relinquens. Necrologium S. Agerici ei duobusque ejus antecessoribus titulum beatorum tribuit.

IV. Boso vir pietate & doctrina insignis, Stephanum excepit. Multos & varios tam sacros quam profanos libros undequaque congessit, litterarum & regularis observantiæ studiosissimus, quæ simul sub ejus regimine floruerunt: juventam enim publice in monasterio tam in Dei timore quam in humanioribus litteris instituendam curavit. Eo moderante, dedicatio ecclesiæ S. Salvatoris, nunc parœcialis, ab Henrico Leodicensi episcopo facta est IV non. Aprilis 1089. Jupeliæ obiit, forsan abdicata administratione, 12 Aprilis 1106. Unde corpus ejus, ut vivens petierat, delatum est ad S. Hubertum, & ad dexteram partem altaris S. Stephani humo mandatum.

V. Rotfridus an. 1098 regimen obtinebat, ex charta Richeri episcopi. Is sanguine nobilis, sed virtute nobilior, ob vitæ puritatem morumque suavitatem a suis multum dilectus, & vivens & moriens magnam sanctitatis famam sibi comparavit, & obiit 27 Novemb. 1117.

VI. Richardus, invictæ vir constantiæ & magnanimitatis, præfuit 23 annis in maximis & incredibilibus rerum omnium angustiis; nam circa annum 1120 totum monasterium cum ecclesia & maxima circum adjacente urbis parte combustum est a copiis Rainaldi comitis. In quo incendio plurima litterarum monumenta nec non & sanctæ reliquiæ perierunt; & tunc prædæ & cædis neque modus neque numerus fuit. Verum ille quinque annis post conflagrationem, ruinas templi locaque regularia restauravit. Occurrit an. 1121 in litteris Henrici episcopi. Chartis præsulis ejusdem subscripsit an. 1126, nec non litteris Adalberonis episcopi an. 1135. Excessit e vivis 10 Aprilis 1140.

VII. Radulfus, Segardi abbatis S. Vitoni consanguineus, compatriota & coævus, una cum eo die eodem in monasterium S. Vitoni ingressus, monachum professus est, simulque ab Alberone episcopo in abbatem S. Agerici benedictus est. Quoniam autem contumaces & rebelles monachos habuisse dicitur, nihil profecit: nam illi salutaria quæque pietatis & religionis monita spernebant, res sibi procuratas dilapidabant, monasticæ vitæ candidatos molestiis & injuriis affectos discedere cogebant; denique abbatem ipsum multis in dies modis impetebant & divexabant. Quamobrem ille exemplo S. Benedicti perversos illos monachos deseruit, & se a pastorali cura per episcopum absolvi sategit, agente Segardo abbate, qui

eum S. Vitoni priorem constituit. De monachis S. Agerici ita sentit Laurentius Leodiensis; sed suspectum est hujus chronographi testimonium, qui sui monasterii alumnum monachis S. Agerici non probari ægre ferebat.

VIII. Ægidius, ejus loci monachus, consilio S. Bernardi Claravallensis, qui electioni præfuit, in abbatem est cooptatus, & sic cum episcopo lis est terminata. Obiit vero Ægidius vir omnibus affabilis, raræ maturitatis & prudentiæ an. 1149 die 14 Februarii, cum vix annis novem monasterio præfuisset.

IX. Henricus I, vir bonus & Spiritu Sancto plenus, etsi sub finem vitæ cæcitate afflictatus, divinis officiis aliisque regularibus exercitiis interesse nunquam destitit. Cum in Dei timore omnibus vitæ suæ diebus perseverasset, quievit in pace 20 Martii 1176.

X. Simon, monachus S. Vitoni, consilio Arnoldi episcopi in abbatem assumtus, monasterium decem & amplius annis cum laude moderatus est, & a vita descivit 25 Aprilis 1186.

XI. Jacobus I *de Bras*, in monasterio sancti Vitoni ab abbate Conone educatus, ob vitæ meritum & singularem in rebus gerendis industriam factus S. Agerici abbas, multa cum laude & sapientia præfuit, pauperumque pater in annonæ penuria vocari meruit, finemque vitæ attigit 16 Augusti 1213.

XII. Martinus, Ludovici abbatis S. Vitoni discipulus, vir magnæ pietatis & mansuetudinis, excessit 19 Maii 1222.

XIII. Jacobus II, monachus quoque sancti Vitoni, religione, scientia & moribus spectabilis, oppignerata recuperavit bona, inter quæ molendinum de Carniaco. Collationem diversarum ecclesiarum, nempe Phillaregis & S. Salvatoris, itidemque de Signellis ab Odone Tullensi episcopo anno 1225 sibi confirmari curavit. De monasterio bene meritus, obiit 13 Augusti 1236.

XIV. Nicolaus I, ex S. Vitoni thesaurario in abbatem S. Agerici assumtus, cœnobium forti muro cinxit, plurimaque ædificia præ vetustate collabentia restauravit. Paralysi tamen perculsus, annuentibus monachis, in sequentis gratiam cessit anno 1241, & ad S. Vitonum remeavit.

XV. Jacobus III *de Vignuoles*, prior sancti Vitoni, per superioris cessionem factus abbas, quamvis sat brevi tempore rexerit, plurimum monasterio profuit tam in augmento rei quam religionis. Feria quinta post festum S. Luciæ mense Decembri 1245 aiebat se teneri defendere monasterium in Argona per definitivam sententiam latam in curia Romana, de mandato accepto a Guidone Cameracensi episcopo. Mors ejus in necrologio sic consignata: *Anno M. CCXLVII, IV id. Julii obiit piæ memoriæ dominus Jacobus abbas hujus loci, vir benignus & gratia plenus, qui omnibus amabilem se exhibuit, qui sex annis regens istam ecclesiam multa bona operatus est, & ordo tempore suo*

A *refloruit, & ecclesiam istam tam personis quam ecclesiasticis ornamentis decoravit; octo enim monachos fecit, campanam majorem fieri jussit, crucem argenteam, novum introitum ecclesiæ, nec non & alia multa bona operatus est.*

XVI. Nicolaus II, prior sancti Michaëlis, originis & virtutum omnium splendore illustris, ipso electionis suæ anno, vir magnæ expectationis, vitam hanc commutavit in meliorem idibus Martii hora 2 pomeridiana.

XVII. Nicolaus III Everlinus, loci monachus, plurimum profuit, ecclesiamque diversis ornamentis & donariis decoravit. E vivis abiit

B 14 Julii 1258.

XVIII. Dudo, monachus S. Vitoni, cujus incuria regularis disciplina admodum lapsa est, decessit 5 Februarii 1262.

XIX. Johannes I, separatam bonorum mensam primus monachis assignavit: ex qua divisione gravia passim est monasterium dispendia; nam & ordo religionis in spiritalibus & potior annui proventus pars in temporalibus disperiit & effluxit. Excessit e vivis Johannes 30 Martii 1275.

XX. Varnerus de Valle, de consilio virorum prudentum ob pacis bonum & continuas mona-

C chorum querimonias, longe copiosiorem bonorum partitionem quam suus successor monachis attribuit. Diem clausit extremum 6 Septembris 1281.

XXI. Johannes II defunctus 9 Aug. 1292.

XXII. Warinus, sancti Vitoni monachus, mortuus 15 Julii 1305.

XXIII. Nicolaus IV *Chastillon*, de monasterio bene meritus, obiit anno 1306, VII cal. Octobris.

XXIV. Jacobus IV exstinctus 22 Martii 1308.

XXV. Jacobus V *de Dom-Pierre*, vir pius

D & regularis disciplinæ amator, proprietatis vitium eradere diu, sed sine successu enixus est. Expleta mortalitate 13 Septembris 1349, sepulturam habuit in medio navis ecclesiæ, cui patrimonium satis amplum, quod habebat in villis *d'Alaumont* & *de Dompierre*, pro animæ suæ remedio tradiderat.

XXVI. Johannes III de Floreyo pactus est anno 1352 cum Rogerio abbate sancti Pauli. Gravissimis monasterium oppressit oneribus, & obiit 31 Maii 1362.

XXVII. Johannes IV Godinus ex priore abbas, fatis concessit mense Febr. 1364.

E XXVIII. Jacobus VI *la Roucette* per 40 ferme annos cum maxima sollicitudine & rerum penuria præfuit, optimus pater familias, & fidelis rerum temporalium œconomus, juriumque monasterii propugnator acerrimus. Plurimas redemit abalienatas possessiones; quin & anno 1396 a Leobaldo episcopo ecclesiam monialium S. Ludovici de Villeyo ordinis S. Augustini, alias pœnitentium mulierum S. Magdalenæ, ad talem miseriam redactam, ut ex quadraginta sororibus inibi Deo famulari solitis, una tantum Margareta nomine superesset,

ſuo monaſterio adnecti curavit, titulo abbatiæ in prioratum mutato. Vivere deſiit 16 Novembris 1403.

XXIX. Johannes V *le Deſbau*, primum prioris munus 32 annis cum laude geſſit, per quos ſeſe exercuit tranſcribendis veteribus chartis & monumentis. Factus poſtmodum abbas occubuit 10 Novembris 1411.

XXX. Nicolaus V *Chaſtron* ex priore abbas, moritur 19 Decembris 1422, ſepultus circa medium chori antiquæ eccleſiæ.

XXXI. Deſiderius I *Aubert* mortuus 14 Novembris 1431.

XXXII. Jacobus VII *Hurel*, cujus mors notatur 24 Auguſti 1432.

XXXIII. Johannes VI *Pijons*, monachus S. Mauricii de Bello-loco, vir affabilis & in multis idoneus, obdormivit in Domino 9 Martii 1433.

XXXIV. Balderus *Drouſſon*, primus prior S. Ludovici, vivendi finem fecit 21 Martii 1434.

XXXV. Johannes VII *Bourbeton*, canonicus regularis S. Dionyſii Remenſis, vita, ſcientia, moribus & ſingulari in rebus agendis induſtria multipliciter commendatus, unanimi omnium electus & poſtulatus ſuffragio. Tulli in eccleſia Minorum benedictionem ab Henrico epiſcopo Chriſtopolitano 10 Julii 1435 accepit. Monaſterium ære alieno ſat gravi exoneravit. Adverſus abbates ſancti Pauli in cathedrali eccleſia nec non in generalibus ſupplicìis & quibuſlibet comitiis jus viriliter tueri enixus eſt, unde emerſere multa jurgia & verba aſpera. Quievit in Domino 23 Februarii 1451.

XXXVI. Johannes VIII *Noel*, prior ſancti Ludovici, per undecim annos, quibus præfuit, totus fuit in recuperandis ablatis, diminutis redintegrandis, & integris conſervandis. Penſiones multas redemit, tres majores campanas conflavit, iconibus argenteis decoravit capſam S. Agerici, labentiaque monaſterii ædificia a fundamentis inſtauravit. Cum abbatibus S. Vitoni, S. Pauli & præpoſito Montis-Falconis anno 1140 provinciam magiſtratus creandi in urbe Virdunenſi accepit a Guillelmo epiſcopo. Deſiit vivere 6 Novembris 1461, ſepultus prope cancellos navis eccleſiæ.

XXXVII. Jacobus VIII *Willaume*, ex priore abbas, menſæ voluptatibus ſe dedere cœpit. Qua de re ad Guillelmum epiſcopum delatæ ſunt querelæ a monachis, quorum precibus abbati fruſtra admonito curam rerumque monaſterii cognitionem interdixit, adminiſtratione Nicolao priori & Henrico monacho commiſſa in viſitatione monaſterii facta 23 Novembris 1468. Exceſſit autem Jacobus 3 Decembris 1472.

XXXVIII. Wiricus *Bede*, S. Michaëlis monachus, præfecturam ſancti Agerici favore Guillelmi epiſcopi adeptus, poſſeſſionem iniit 14 Januarii 1473. Multo pejus anteceſſore ſuo ſe geſſit, nam monaſterium multo ære alieno gravavit, fundoſque abalienavit. Præſens erat an. 1477, cum Deſiderius Panadienſis epiſcopus reliquias S. Madalvei ex veteri capſa in novam intulit. Fato functus eſt 12 Septembris 1479.

XXXIX. Ludovicus Porterius, prior beatæ Mariæ Barrenſis, quondam præpoſitus ſancti Michaëlis, poſt Wirici mortem electus, in ſequentis gratiam ceſſit.

XL. Henricus II *Remniet* ex clauſtrali priore per præcedentis abdicationem abbas, monaſterii gloriam relevavit. Ante omnia divinum officium majori cum ſplendore voluit celebrari; numerum itaque ſacerdotum auxit ad duodenarium, eccleſiam plurimis ornamentis ſericis, pretioſiſſimiſque donariis, & majus altare egregia tabula decoravit, neglecta ab anteceſſoribus ſuis inſtauravit ædificia. Poſtea quam monaſterium magno cum honore & laude rexerat, ſenio confractus reſignavit anno 1502 ſuo ex ſorore nepoti, quem in ſancto Dei timore & regulari obſervantia a teneris annis inſtituerat. Priſcæ vir innocentiæ, omnibus percharus & dilectus obiit 5 Novemb. 1516.

XLI. Waricus *Varlet*, ſanctis avunculi ſui veſtigiis inhærens, nihil quod ad divinum cultum aut regularem obſervantiam aut jurium defenſionem ſpectaret, prætermiſit. Cum magna ſanctitatis opinione, omnibus perquam dilectus, vitam hanc mortalem exuit 14 Sept. 1539.

XLII. Nicolaus VI *Thibaud*, theſaurarius, vir doctus & pius, in abbatis munere confirmatus 16 Septembris, vivendi finem fecit 12 Junii 1540.

XLIII. Reginaldus *Jacques* ſeu *Jacquemin*, prior clauſtralis, una omnium voce electus, confirmatus fuit 14 Junii 1540. Vix, nullo contradicente, poſſeſſionem acceperat, cum blanditiis & pollicitationibus ſucceſſoris ſui captus, in ejus gratiam ceſſit. Dum prioris munus ageret, monaſterio contulerat columnas æneas & tabernaculum ejuſdem materiei majoris altaris, nec non ornamenta ſerica; notabiles exſtinxerat penſiones, propriique patrimonii prædium tradiderat.

XLIV. Claudius *de Jaulny*, Gorzienſis monachus, per præcedentis ceſſionem abbatiam aſſecutus, bullas obtinuit v cal. Aprilis 1541. Is beneficiorum avidus non tantum abbatiam, ſed & duos prioratus de Stenaco & de Gebervilla, imo & alias dignitates & officia abripuit. Toto quo fruitus eſt tempore, vix ſemel & iterum abbatiam inviſit; ſed commiſſa œconomis adminiſtratione dies ſuos egit in caſtro Ferrici *de Jaulny* nepotis ſui, ubi multis ærumnis infirmitatibuſque oppreſſus occubuit 21 Aprilis 1554.

5 Mauricius *Moleur*, prior S. Ludovici, vir ſpectatæ integritatis & prudentiæ, a ſodalibus ſuis in abbatem cooptatur: verum confirmationem renuente Nicolao Pſalmæo epiſcopo, ad metropolitanum Trevirenſem fruſtra recurrit, a ſequenti detruſus.

XLV. Joſephus I *de Jaulny*, prælibati Claudii

nepos, quarumdam bullarum subreptitiarum A & posthumarum virtute, parentumque favore ac potentia Mauricium evicit: at reservata sibi pensione, abdicavit & ipse in gratiam sequentis.

XLVI. Johannes IX *de Sauxiere*, monachus S. Michaëlis, & prior de Salone, Josepho affinitate devinctus, bullas assequitur, nec ulla in eis facta de reservatione pensionis mentione; sicque Josephum ejicit ac spoliat. Unde grave oritur litigium, inter quod Johannes prævidens futurum esse causæ finem infaustum, omnia dilapidat, distrahit & divendit: postea tanquam iniquus invasor & spoliator turpiter ejicitur.

XLVII. Josephus *de Jaulny* abbatiam iterum B nactus, collatorum sibi a Ferrico fratre suo officiorum in litis prosecutione bene memor, omnia monasterii bona vilissimo pretio ei ad sexennium locavit. Verum mox a monachis provocatus, ut vel resideret vel abbatiam linqueret, cernens se minus oneri idoneum & sufficientem, imo & interdum comitiali morbo laborantem, sequentis in gratiam rursus cessit.

XLVIII. Desiderius II *Saryon* abbatiale munus summa cum laude & gloria gessit: enimvero monasterium multo ære alieno oppressum exoneravit, novas acquisivit possessiones, ecclesiam tabulis laqueatis, minitante C ruinam fornice, circumtegi, claustrum pavimento consterni, porticibusque circumornari curavit, bonorum & monasterii jurium conservator acerrimusque propugnator. Ecclesiam S. Ludovici ad preces Psalmæi præsulis ultima Augusti 1576 patribus Minimis dedit, translato prioratus titulo in capellam S. Johannis Baptistæ ecclesiæ monasterii S. Agerici. Plenus dierum & bonorum operum, adscito in coadjutorem nepote suo, in Domino obdormivit 2 Martii 1598, de monasterio optime meritus.

XLIX. Desiderius III *Saryon*, superioris nepos, dictus junior, patruo defuncto jam D coadjutor successit. Natus annos 18 ad illustre divi Maximini Trevirensis cœnobium missus, ibidem disciplinam regularem cum sacra theologia didicit, quam in omni conversatione sua honesta admodum & irreprehensibili semper retinuit & observari studuit effectus abbas, patrui sui omnium virtutum æmulator. Studiorum amantissimus, bibliothecam sanctorum Patrum & eximiorum theologorum operibus ditavit, sacristiam tribus pretiosissimis locupletavit ornamentis, argenteis laminis capsam S. Agerici cooperiri curavit; ipsumque ecclesiæ E chorum vetustate jam prope collabentem a fundamentis instaurare & opere fornicato contegere in votis habuerat, nisi præmatura mors, dum opus vix ordiretur, succidisset eum in ætatis suæ flore, scilicet annos 48 natum, die 6 Novembris 1611, post quatuor menses quam observantiæ regularis admodum studiosus, suam abbatiam congregationi S. Vitoni aggregasset.

L. Petrus *Rozet*, prior sancti Vitoni, tum congregationis ejusdem S. Vitoni visitator, electus fuit abbas circa annum 1615. Ob petitam a papa confirmationem, qui benedictionem a quocunque episcopo accipere permisit, a congregatione abscissus est. Pontificalibus utendi ornamentis jus sibi suisque successoribus a summo pontifice impetravit. Creatus postea vicarius generalis Virdunensis diœcesis, Carolum a Lotharingia episcopum, qui relicta infula societatem Jesuitarum ingredi disponebat, Romam comitatur, sperans se fore suffraganeum; quod certe ad ejusdem principis Caroli preces ipsi concessum fuerat. Verum expeditis jam fere negotiis, cum de reditu cogitaret, febre correptus Romæ moritur 3 Junii 1622; sepultus in ecclesia PP. Minimorum sanctissimæ Trinitatis.

LI. Philippus-Franciscus *Collart*, Lunevillæus, ex priore abbas creatus est dum præsidentis congregationis munus obiret; sed vix confirmationem acceperat, cum ecce procurator cujusdam Benigni camerarii apostolici, cui summus pontifex contulerat abbatiam, advenit. Hic de tenuissimo monasterii annuo proventu, item & de electi meritis certior factus, juri suo pro pensione, quæ postmodum est redempta, cessit; sicque Philippus-Franciscus remansit in pacifica possessione, bullasque accepit 6 Augusti 1623 & possessionem 22 Decembris. Infirmorum & hospitum ædes, loca regularia, præsertim ex maxima parte ecclesiam a fundamentis instauravit. Austerioris vitæ rigore consumtus, in pace quievit 27 Martii 1635.

LII. Matthæus *Jacquesson*, lector theologiæ meritissimus, prior S. Helenæ de Alti-villario, in abbatem assumitur & confirmatur 30 Martii 1635. Hic, elapsis quinque annis, lubens concessit, ut abbatia fieret quinquennalis.

LIII. Mathias *Potier*, Burgundus, monachus prioratus B. Mariæ Semuriensis in Augustodunensi diœcesi, strictioris disciplinæ studio congregationi S. Vitoni nomen dedit anno 1610, & in capitulo generali habito an. 1640 in monasterio de Bello-loco primus renunciatus est quinquennalis abbas, nec non & in altero capitulo anno sequenti apud S. Michaëlem celebrato electus congregationis præses.

LIV. Matthæus *Jacquesson* secundus fuit abbas quinquennalis ab anno 1645 ad 1650.

LV. Gabriel *Bigot* rexit ab anno 1650 ad 1652, ac descivit a vita 4 Julii 1655, ætatis suæ 67.

LVI. Ireneus *Paradis* ab anno 1652 ad 1657.

LVII. Arsenius *Mathelin* usque ad 1661.

LVIII. Placidus *Beuvillon* usque ad 1666.

LIX. Martinus *Rethelois* usque ad 1670.

LX. Ildephonsus *Bardin* usque ad 1675.

LXI. Romanus *Arnould* usque ad 1681.

LXII. Philippus *de l'Hôpital* usque ad 1685.

LXIII. Bartholomæus *Senocq* usque ad 1688.

LXIV. Hieronymus *Pichon* usque ad 1691.

LXV. Benedictus *Fontaine* usque ad 1696.

LXVI. Franciscus *Jobal* usque ad 1698.

LXVII. Benedictus *Fontaine* usque ad 1702.

LXVIII. Hieronymus *Pichon* usque ad 1705.

LXIX. Bercarius *Mariette* 1705 & 1706.

LXX. Hieronymus *Pichon* 1707 ad 1711.

LXXI. Carolus *Cretot* usque ad 1717.

LXXII. Paulus *Jussy* 1717.

LXXIII. Romualdus *Loupot* ab anno 1718 ad 1724.

5 N. *Charlet* præpositus beatæ Magdalenæ Virdunensis breve regium adeptus 7 Julii 1719, bullas assequi non potuit, quia regularis non fuit, submotusque est decreto majoris consilii 20 Junii 1720.

LXXIV. Fredericus *l'Allemand de Vaille*, monachus S. Claudii in comitatu Burgundiæ, breve regium obtinuit 10 Julii 1720, bullas 13 Januarii 1721, & confirmationem a sanctiori consilio 26 Augusti 1724.

LXXV. Josephus II *Louviot* monachus S. Agerici, schedula regia nominatus mense Decembri 1726, bullas obtinet VI id. Martii 1727, & moritur 26 Januarii 1741; post quam sedes abbatialis sex annis vacavit, proventibus destinatis ad structuram seminarii Virdunensis.

LXXVI. Casimirus *Baudet* monachus, a rege donatus est abbatia anno 1746.

LXXVII. Urbanus *Seguin* item monachus, a rege renunciatus abbas 1755.

LXXVIII. N. *Conscience* hodie fruitur.

SANCTUS-MAURUS.

SAINT-MAUR.

IN loco, ubi nunc cernitur parthenon sancti Mauri, quondam erat ecclesia sanctis Johanni-Baptistæ & Johanni Evangelistæ sacra, in qua sancti præsules Maurus, Salvinus & Arator sepulti fuerunt. Nunc unius S. Mauri nomen ecclesiæ hæret. Sita primitus erat extra muros urbis prope rivulum Scantiæ, ut patet ex diplomate Leonis IX maximi pontificis. Hanc divinorum officiorum expertem dolens Heymo episcopus ineunte seculo XI instaurare constituit, eaque restituta, congregationem sanctimonialium, inquit Hugo Flaviniacensis, sub dispositione patris Richardi (abbatis sancti Vitoni) regulariter viventium instituit, & matrem eis consilio ejusdem providit Adelbergam fidelem Christi famulam, quæ cognominabatur Ava, cujus memoria est æterna. Hæc enim, pergit ille, velut apis prudentissima, patris sui formam imitata, cum ob zeli boni devotionem & fidei magnanimitatem fervorum Dei lustraret cœnobia, ut ad eorum imitationem æmularetur charismata meliora, Cluniacum ivit & viro Dei beato Odiloni advenisse nunciata, cujus animum ipsa possidebat pietas, cum grandi affectu suscepta est. Primæ sanctimoniales ab abbate Richardo ex Agrippinensi urbe adductæ creduntur. Parthenonis hujus conditionem collatasque ei donationes Leo IX pontifex anno 1049 firmavit bulla inscripta Theodorico episcopo, qui quasdam

Labb. Biblioth. nova, tom. I, pp. 173 & 174.

A tradidit ecclesias litteris, quibus S. Johannis, monasterium vocat. Dum Girberga abbatissæ munere fungeretur, nobilis femina, nomine Richildis, ejus propinqua marito orbata, Arelate in patriam reversa est, in primis amore Girbergæ, cujus in monasterio aliquandiu constitit. Interim secundis nuptiis animum adjecit: sed cum multam illi basilicæ reverentiam haberet, placuit ipsi de se ipsa potius, quam de rebus cæteris & alienis victimam Deo & S. Mauro solvere. Itaque pridie quam secundo nubere disposuerat, accessit ad altare S. Mauri, seque ipsam & liberos ex se nascituros Deo & sancto B Mauro vovit ea lege, ut unaquæque proles annuum censum ad altare S. Mauri offerret; mas quidem duos denarios, femina tres obolos. Ita pia illa matrona statuit edito hac de re instrumento anno 1103. Eodem aut circiter tempore fundationis parthenonis sancti Mauri, Amicus primicerius Virdunensis ecclesiæ collegiatam ecclesiam sanctæ Crucis duodecim canonicis proxime instituit, quos ad Heymonis episcopi preces parthenio subjecit. His Henricus episcopus ad sex redactis anno 1126 imposuit onus alternis vicibus missas in monasterio celebrandi. Ad strictiorem observan- C tiam parthenonem hunc reduxit Catharina *de Choiseul* abbatissa anno 1608, quæ & ipsa reformationis habitum a domno Desiderio *de la Cour* accepit 21 Martii ejusdem anni, seque & moniales suas monachorum S. Vitoni moderamini subjecit.

ABBATISSARUM SERIES.

I. ADELBERGA quæ & Ava, fidelis Dei famula, cujus memoria est æterna, inquit Hugo Flaviniacensis, consilio Richardi abbatis sancti Vitoni ab Heymone episcopo mater instituta D est congregationi sanctimonialium S. Mauri. Hæc patris sui formam imitari cupiens, velut apis prudentissima, ex aliis, etiam virorum, Ibid. monasteriis laudabilibus ritus ac mores exprimere studuit. Quapropter Cluniacum profecta, tanto in honore ab Odilone habita est, ut licet muliebri sexui monasterii aditus omnino interdictus esset, ei tamen pro sua religione & patris Richardi cum Odilone individua charitate, non modo claustra monasterii ingredi concessum sit, verum etiam capitulo associata, Dominico die in processione cum fratribus interesse. Possessiones suas, Theodorico episcopo rogante, a Leone IX pontifice confirmari Charta. x, col. 559. E curavit IX cal. Novembris 1049. Defuncta circa annum 1057, notatur in necrologio S. Vitoni VI nonas Maii.

II. Giberga seu Girberga subscripsit circa annum 1060 instrumento ducis Godefridi, cognomento Gibbosi, litem componentis de Thesaur. Anecdot. t. I, col 190. juribus advocatorum, qui exactiones indebitas majori ecclesiæ ac monasteriis imponebant. Dum ipsa præesset, nobilis femina Richildis ejus propinqua, marito orbata, anno 1103 pridie quam ad secundas nuptias convolaret, ad altare S. Mauri accedens, se ipsam liberosque

ex se nascituros Deo & sancto Mauro vovit, A inter cæteros præsente Milone, cui nubere debebat.

III. Alix I quibusdam ecclesiis a Theoderico episcopo donata fuit.

IV. Ida I, cujus tempore, puta anno 1125, Henricus episcopus ratum habuit compromissum factum inter Manassem abbatem S. Pauli & conventum sancti Mauri de cursu Scantiæ rivuli, qui ad utrumque locum influit. Eadem abbatissa moderante, id oneris monialibus sancti Mauri impositum erat, ut locum seu factitiam porticum, redeunte festo Nativitatis B. Mariæ, construerent episcopi ministerialibus, ut sub B ea justitiam exercerent. At Henricus præsul agnoscens id illis sanctimonialibus grave & molestum esse, Idæ abbatissæ gratia id oneris levavit. Moletrinam Ida ab Alberico episcopo accepit anno 1135.

V. Bertha electa fuit anno 1144. Falcatam prati sub annuo censu concessit Insulano monasterio.

VI. Elisabeth I memoratur anno 1174. Dona quædam confert anno 1177 cœnobio Insulæ-Barrensis, confirmante Arnulpho episcopo. Decimas omnes quas habebat in parochia *de Pilon* sub censu trium rasariorum frumenti C dedit 1190 G. abbati de Castellione.

VII. H. annuente Alberto episcopo, terram Genyvallis sub annuo censu an. 1206 Insulano monasterio concessit.

VIII. Elisabeth II seu Isabellis præerat anno 1219. Cum Ludovico abbate sancti Vitoni anno 1225 transegit. Legitur in instrumento an. 1238. Pacta quidem est an. 1245 cum monachis de Insula.

IX. Helvidis excessit anno 1254.

X. Agnes I electa an. 1254, monasterium suum paulo post flammis absumtum luxit. Cujus instaurationi impense studens, obtinuit ab Ale- D xandro IV facultatem eleemosynas fidelium deprecandi per diœceses Virdunensem, Tullensem & Metensem per annos quinque. Consignatur in necrologio S. Vitoni XV cal. Octob.

XI. Alix II 1265, forte eadem cum Adelaide sancti Mauri abbatissa, quæ Johanni Insulæ-Barrensis abbati sub annuo censu duorum solidorum concessit pascua per omnes fines Calvimontis.

XII. Ida II 1274.

XIII. Alix III 1276.

XIV. Ida III 1280, 1288.

XV. Margarita I *de Bar* an. 1304 sancti- E monialibus præbendas assignavit, usumque carnium permisit.

XVI. Sara de Amella mortua anno 1309, quiescit in ecclesia cum hoc epitaphio: *Anno Domini M. CCCIX, I die Decembris obiit domina Sara de Amella, quondam abbatissa hujus ecclesiæ. Orate pro ea.*

XVII. Margarita II *de Sorcy* obiit an. 1322, ut patet ex ejus epitaphio, quod sic legitur: *Anno Domini M. CCCXXII pridie mensis Januarii obiit Margareta de Sorseio humilis abbatissa S. Mauri Virdunensis. Orate pro ea ad Dominum Deum nostrum.*

XVIII. Ida IV *de Risle*, in documento anni 1324 celsa & potens domina vocatur. Decessit anno 1328.

XIX. Agnes II *de Longchamp* moderabatur 1336, defuncta 1349.

XX. Maria I *de Moncel* vivendi finem fecit 1367 mense Maio.

XXI. Margareta III 1368, in ecclesia quiescit.

XXII. Johanna I *d'Orne* 1392.

XXIII. Maria II *de Buzieres* 1395.

XXIV. Johanna II *d'Orne* 1401.

XXV. Margareta IV *de Mouson* 1413.

XXVI. Margareta V *de Benigpont* 1422; obiit 1468, sepulta in capella S. Johannis.

XXVII. Maria III *de Buzieres* 1484.

XXVIII. Johanna III *de Failly* obiit anno 1486 ex epitaphio. Cernitur etiamnum ejus effigies apposita pilæ a latere dextro majoris altaris, induta vestimentis quibus nunc utuntur sanctimoniales.

XXIX. Giletta *d'Ancherin* successit anno 1486.

XXX. Claudia I *de Dinteville*, monialis Marcigniaci, permittente Jacobo *d'Amboise* abbate Cluniacensi, in ordinem Cistercienſem primum ingressa est, dein Virdunum accedens anno 1494 ad regendum monasterium sancti Mauri, ibi diem ultimum clausit.

XXXI. Alix IV *de Thiaucourt* an. 1511 electa, æmulam habuit Claudiam *de Lugny* monialem, quæ ipsam prosequebatur abbatiam & bullas obtinuit a summo pontifice, quibus Alix citabatur. Prævaluit tamen Alix; & quidem thecam beatorum Salvini & Aratoris fabricari curavit. De monasterio bene merita, adscita sibi coadjutrice Claudia *Damneville*, decessit anno 1529, 3 Martii. In ecclesia epitaphio decorata jacet.

XXXII. Claudia II *Damneville*, monialis & thesauraria Juviniaci, præcedentis coadjutrix, haud pacifice fruita est: enimvero ubi possessionem accipere voluit, non intercesserunt modo sanctimoniales, verum & alteram, nomine Johannam *de Bouligny*, elegerunt. Unde grave & diuturnum excitatum fuit litigium. Quo durante, proventus monasterii sequestri dati sunt anno 1541, nec pax restitui potuit nisi anno 1546, quo Claudia jus suum transcripsit Ursulæ *de Choiseul*, monasterii Romarici-montis alumnæ.

XXXIII. Ursula I *de Choiseul*, e parthenone Romarici-montis accita, veste monastica suscepta emisit professionem, inordinatasque monasterii res aliquatenus composuit. Reservata sibi ad vitam spiritali & temporali administratione, sororis suæ in gratiam cessit an. 1561, vitamque finivit 1570.

XXXIV. Catharina *de Choiseul*, superioris germana, quæ in monasterio ab ipsa infantia educata fuerat, per sororis suæ cessionem evasit abbatissa, possessionemque iniit anno 1564.

Hæc eximiis virtutibus prædita strictiorem introduxit observantiam anno 1608; quin & reformationis habitum una cum Ursula *de Saint-Astier* nepte, Maria *de Moncel*, Catharina *de Vidine*, & Salama *de Custive* accepit 21 Martii ejusdem anni a domno Desiderio *de la Cour*. Tunc statutum est ut reformati Patres monasterii S. Vitoni in spiritalibus & temporalibus parthenonem regerent, visitationemque singulis annis facerent. Quod per apostolicum breve confirmatum fuit ab Urbano VIII & a principe Errico a Lotharingia episcopo probatum. E vivis erepta est Catharina 5 Julii 1611, anno ætatis suæ 80, regiminis 42.

XXXV. Ursula II *de Saint-Astier*, coadjutrix, amitæ suæ pietatem æmulata, decem præfuit annis. Apoplexia correpta 15 Augusti 1619 obiit, annum agens 50, sepultaque est in eodem tumulo, quo Catharina, cum epitaphio communi.

XXXVI. Margareta VI *Albert de Gironcourt*, prima e reformatione facta abbatissa, consensum præbuit ut deinceps triennales essent abbatissæ. obtento ea de re privilegio an. 1621 a papa Paulo V, electa est primo 4 Decemb. 1622.

XXXVII. Benedicta I *de Ciraucourt* in abbatissam cooptata 1625, moritur 1646.

XXXVIII. Margareta *Albert de Gironcourt* 2.° electa 1628, vivere desiit 1645

XXXIX. Barbara I *de Hulces de Villaune* 1.° 1631.

XL. Archangela *des Bœufs* 1.° 1634.

XLI. Barbara *de Hulces de Villaune* 2.° 1637.

XLII. Archangela *des Bœufs* 2.° 1640.

XLIII. Barbara *de Hulces de Villaune* 3.° 1643. Eodem anno 1 mensis Decembris una cum suis officialibus scripto testata est se ad sanctimoniales Vallis-gratiæ particulam corporis S. Mauri misisse. Interiit an. 1648.

XLIV. Archangela *des Bœufs* 3.° 1646.

XLV. Theresia *de la Ruelle* 1649, mortua 1661.

XLVI. Archangela *des Bœufs* 4.° 1652.

XLVII. Maura *Hardy* 1.° 1655.

XLVIII. Archangela *des Bœufs* 5.° 1658, defuncta 1663.

XLIX. Maura *Hardy* 2.° 1661.

L. Radegundis *Gaulard* 1664, exstincta 1690

LI. Maura *Hardy* 3.° 1667.

LII. Dorothea *Sauvage* 1.° 1670.

LIII. Maura *Hardy* 4.° 1673.

LIV. Dorothea *Sauvage* 2.° 1676.

LV. Maura *Hardy* 5.° 1679, occubuit 1691.

LVI. Dorothea *Sauvage* 3.° 1682, fatis concessit 1688.

LVII. Benedicta II *Joly* 1685. mortua 1701.

LVIII. Mechtildis *Tomas* 1688, decessit 1709.

LIX. Gabrielis *Milet* 1.° 1691.

LX. Barbara II *Garaudel* 1694, occubuit 1699.

LXI. Gabrielis *Milet* 2.° 1697.

LXII. Ursula III *Vaillant* 1700, defuncta 1720.

LXIII. Gabrielis *Milet* 3.° 1703, moritur 1711.

LXIV. Carola *Geoffroy* 1.° 1706.

LXV. Clara *Genin* 1.° 1709.

LXVI. Carola *Geoffroy* 2.° 1712, exstinguitur 1716.

LXVII. Clara *Genin* 2.° 1715.

LXVIII. Anna *Parisot* 1.° 1718.

LXIX. Clara *Genin* 3.° 1721.

LXX. Anna *Parisot* 2.° 1724.

LXXI. Rosa *Charpentier* 1727.

LXXII. Christina *Verneson* 1730.

LXXIII. Agnes III *Duchenoy* 1733.

S. NICOLAUS DE PRATO.

SAINT NICOLAS-DES-PRÉS.

JOHANNES de Aspero-monte Virdunensis antistes monasterio S. Nicolai de Prato ortum dedit. Is siquidem circa annum 1219 ecclesiam in honorem S. Nicolai infra civitatem Virdunum, eo in loco qui vocabatur Pratum episcopi, cœpit construere, absolutamque canonicis regularibus, ex Parisiensi monasterio sancti Victoris accitis, sub prioris moderamine deserviendam commisit. Fundationem probavit Conradus apostolicæ sedis legatus & cardinalis anno 1224. Ipse etiam Johannes jam ad episcopatum Metensem traductus, quin & ejus successor Radulfus de Thorota eamdem ratam habuerunt an. 1226. Cum vero religiosorum numerus in dies accresceret, Johannes *d'Aix* præsul Virdunensis anno 1252 id monasterium abbatiæ titulo illustravit: quod suis foverunt privilegiis summi pontifices Honorius III, Gregorius IX, Innocentius IV, Alexander IV & Nicolaus IV. In hujus abbatiæ ecclesia asservatur pars haud exigua cranii beati Nicolai patroni, quem sanctum populi frequenter veneratum eò conveniunt. Est & in eadem ecclesia parœcia sub titulo sancti Andreæ apostoli erecta. Reformatio in id monasterium anno 1625, favente Simone-Dionysio *de Marquemont* cardinali & archiepiscopo Lugdunensi, introducta fuit, immissis in illud canonicis regularibus congregationis S. Salvatoris.

Ch. XXXV, col. 577. Ch. XXXVI, col. 577. Charta XXXVII, col. 578.

ABBATUM SERIES.

I. JOFFREDUS primum hoc rexit monasterium sub prioris titulo. Mortuus an. 1254, post duos annos quam in abbatiam prioratus erectus fuerat. Ita in necrologio notatur: « IX calend. Junii ab Incarnatione Domini 1254 anniversarium solemne piæ recordationis domni Joffridi primi pastoris ecclesiæ S. Nicolai de Prato, cujus tempore per ejusdem provisionem & industriam fundata fuit prædicta ecclesia & ipsius Prati proventibus & libertatibus insignita, nec non beneficium ecclesiarum *de Dennevou*, *de Constant*, *de Vittonvilla*, *de Boncour*, *de Mescreigne*, cum earumdem decimationibus ampliata, verum etiam fructibus cujuslibet unius

» præbendæ cum anniversariis in cathedrali ecclesia Virdunensi, una cum annualibus cujuslibet canonici in ecclesia S. Mariæ-Magdalenæ decedentis, & multis aliis reditibus. »

II. Matthæus primus abbatis titulo honestatus, ad annum 1280 pervenit.

III. Ludovicus I an. 1280 mense Martio commutationem fecit cum Joffrido domino *d'Aix*. Decessit anno 1302.

IV. Henricus *Chevillard* vitam cum morte mutavit 1325.

V. Johannes I *d'Estain* occurrit an. 1335, defunctus 1347.

VI. Johannes II *Kaillardet* litteris suis datis 1342 recognoscit bona sui cœnobii apud *Boncourt* subjecta esse custodiæ domini de Aspero-monte; item & aliis datis an. 1349 die Jovis post festum sancti Nicolai mense Decembri, profitetur se nulla possidere apud *Boncourt*, quæ non sint subdita clientelæ Goffridi de Aspero-monte; quibus litteris rogavit Henricum episcopum Virdunensem sigillum suum apponere. In charta ejusdem episcopi edita anno 1353 in vigilia Nativitatis beatæ Mariæ sic memoratur: *Frater Johannes abbas S. Nicolai de Prato ordinis sancti Victoris Parisiensis.* Vivere desiit anno 1369.

VII. Lambertus *de Saint-Agnan* obiit anno 1404.

VIII. Johannes III *Coletti de Tigneville* fato functus 1418.

IX. Nicolaus I *d'Aspremont* vitam finivit 1432.

X. Herbinus *de Conflans* occurrit an. 1441. Mortuus 1452.

XI. Johannes IV *Adet de Boncourt* memoratus an. 1459, vitæ terminum fecit 1463.

XII. Desiderius I *Warin de Boncourt* præerat an. 1474. Interfuit an. 1477 in monasterio S. Vitoni translationi reliquiarum sancti Madalvei. Vivere desiit 1478.

XIII. Philippus *Myal* superstes an. 1485, cessit sequenti, reservato sibi Metensi sancti Nicolai prioratu.

XIV. Johannes V *Thierret*, præcedentis nepos, legitur 1502. Exstinctus est an. 1504.

XV. Garnerius *Poincignon*, ex priore claustrali fratrum suffragiis abbas creatus an. 1504, agente Warrico episcopo Virdunensi deturbatus fuit; & in ejus locum alter suffectus abbatiam in curia Romana obtinuit in commendam.

XVI. Ludovicus II *de Dommartin*, Warrici episcopi frater, Tullensis ecclesiæ decanus, primus bullis abbatiam adeptus est in commendam anno 1507.

XVII. Johannes VI *Colardi* canonicus & archidiaconus Virdunensis factus abbas 1509.

XVIII. Nicolaus II *Gerbillon* canonicus & cancellarius Virdunensis, 1550, 1571.

XIX. Guntherus *Bourguet* electus an. 1571, sed non confirmatus: obiit anno 1595.

XX. Hugo *Cunin* 1573.

XXI. Desiderius II *Didelot* 1586. Legitur

A an. 1588 in litteris de acceptione possessionis Nicolai *Boucher* episcopi.

XXII. Arnaldus *d'Ossat*, Bajocensis episcopus & cardinalis tit. S. Eusebii, simul abbas Nanti, S. Nicolai & prior Belismensis, Romæ occubuit prid. id. Martii 1604. De illo lege tom. XI, col. 390 & seqq.

XXIII. Cardinalis *Seraphin* 1605.

XXIV. Simon-Dionysius *de Marquemont*, archiepiscopus Lugdunensis & cardinalis, quo auctore & promotore monasterium an. 1625 reformatur a venerabili pioque patre *Fourrier*, congregationis S. Salvatoris institutore. Romæ

B degens nepoti suo resignavit, qui non potitus est ante annum 1627, quo tempore per œconomum temporalia abbatiæ gubernata.

XXV. Hieronymus *d'Angenoult*, præcedentis nepos, obtinebat an. 1727, 1 Novemb.

XXVI. Guillelmus *Leroy* 1658. Fuit etiam abbas Alti-fontis.

XXVII. Petrus *Danet*, parochus S. Crucis Parisiensis, libris editis ac potissimum dictionariis clarus, per præcedentis cessionem factus abbas 1674, vitam terminavit an. 1709.

XXVIII. Franciscus *de Montauban* nominatus abbas an. 1709, obiit in Lotharingia

C in oppido S. Michaëlis 30 Septemb. 1753, annum agens 75.

XXIX. Johannes VII *de Caulet*, filius Guillelmi *de Caulet*, præsidis infulati Tolosani senatus, ex Anna *de Noé*, doctor Sorbonicus, major vicarius Pontisarensis, regis eleemosynarius, dictus fuit episcopus Gratianopolitanus mense Decemb. 1725, & sacratus 14 Aprilis 1726. Fuit abbas commendatarius S. Martini de Miseraio, S. Tiraucii de Sauna, B. Mariæ de Castriciis, S. Nicolai de Prato, prior commendatarius S. Roberti de Cornilione. Decessit Parisiis 27 Septembris 1771,

D agens annum 78.

XXX. N. *de la Frelonnière*, vicarius generalis archiepiscopi Remensis, a rege nominatus abbas S. Nicolai de Prato 8 Martii 1772.

CALADIA.

LA CHALADE.

QUONDAM eremus erat ordinis sancti Benedicti Caladia in silva Argoniensi, una distans leuca supra Viennæ castrum. Eremum hanc venerabilis Robertus sancti Vitoni monachus cum fratre suo Riquino & aliis paucis primum incolere cœpit, ecclesiola & quibusdam mansiunculis fabricatis, de consensu

E nobilis matronæ Machildis & filii ejus Walteri de Vienna, quorum ditioni locus ipse subjacebat, cui postmodum accessit & consensus Henrici Virdunensis præsulis. Verum cum præfatus Robertus, transactis aliquot annis apud Caladiam, in abbatem Belli-loci in Argonia assumtus fuisset, Riquinus fratris sui solatio destitutus, eo tamen annuente, & Henrico episcopo assentiente, Guidonem abbatem de Tribus-fontibus cum memorato Waltero comite de Vienna adiit, & ut sui ordinis fratres illuc mittere dignaretur multa prece obtinuit;

Ch. XXI, col. 568. obtinuit; & sic de Benedictino ordine ad A Cisterciensem Caladia est translata an. 1127, ut testantur litteræ Alberonis episcopi ordinationem hanc ratam habentis. Hæc igitur cœpit ædificari, Henrico Virdunensi episcopo, ad quem ea de re est epistola 69 S. Bernardi Clarevallensis; postmodum vero cumulatissime ab Alberone dotata est, & ecclesia ab ipso consecrata. Prima est Trium-fontium filia, quæ cum a Guidone ejus loci abbate coloniam accepisset, tantopere excrevit, ut sub Guntero abbate trecentos fere monachos aluerit: quos inter tam pietate quam nobilitate emicuit Herveus comes de Vienna, qui pœnitentiæ B exemplo admirabili, uxore & unigenito filio relictis, cum laqueo circa collum alligato, ad monasterium se trahi jussit, fundentibus lacrymas spectatoribus. Nec omittendi sunt Bertrandus comes de sancta Manchilde & tres fratres Manassis comitis Vitriacensis, aliique multi prænobiles ac illustres viri, qui omnes variis bonis monasterium dotarunt & ibidem religionis jugum maxima cum omnium ædificatione portarunt. Id monasterium, ex quo Caherium prodiit, duces Lotharingiæ & Barri in suam tutelam susceperunt, in primis Theobaldus dux Barri & comes Claromontanus, C qui anno 1247 bona confirmavit. Quod jam anno 1183 præstiterat Henricus Barrensis comes. Ludovicus cardinalis & dux Barrensis annis 1428 & 1429 plura etiam privilegia indulsit. Cum autem hujus cœnobii monachi a primæva disciplina descivissent, strictior observantia introducta est 30 Martii 1637 jussu cardinalis Richelii, habenas totius ordinis Cisterciensis protunc habentis.

Abbates.

Ch. XXI, col. 568. I. Hugo ab Alberone episcopo anno 1130 ecclesiam consecrari curavit. Ab eodem episcopo id obtinuit, ut quidquid in gratiam monasterii ab Henrico item episcopo actum fuerat & ipse confirmaret

II. Hato Caladiensibus silvis donatus est anno 1138.

III. Gunterus, quondam monachus sancti Martini Tornacensis, postea vero ordini Cisterciensi adscriptus, & abbas Caladiæ sub se habuit fere trecentos monachos Deo militantes, quorum nonnullos transmisit anno 1147 ad Ch. XXIV, col. 570. locum dictum Caherium in diœcesi Remensi, quem a canonicis Remensis ecclesiæ ad abbatiam sui ordinis ibi construendam acceperat. Interfuit an. 1148 concilio Remensi in causa Gilberti Porretani. Subscripsit donationi factæ S. Remigio Remensi tempore Odonis I abbatis a Theodorico milite, de iis omnibus, quæ juris sui esse dicebat in possessione monasterii sancti Ch. XXVII, col. 572. Thomæ. Testis occurrit an. 1153 in instrumento fundationis monasterii de Castellione, & in altero in ejusdem loci gratiam an. 1156.

IV. Remigius memoratur anno 1167 in charta Mauri-montis, & anno 1169 in litteris Guidonis Catalaunensis episcopi de dono Harduini militis de Possessa, ecclesiæ Trium fontium indulto.

V. Eustachius legitur an. 1175 in veteri charta Trium-fontium, testisque est in litteris Petri Clarevallensis abbatis super discordia exorta inter Tres-fontes & Cheminonem anno 1180.

VI. Guido cum aliis abbatibus adversus Cheminonem sententiam protulit an. 1192.

VII. Richerus anno 1203 subscribit compromisso in manibus Guidonis abbatis Claræ-vallis inter Cheminonem & Tres-fontes.

VIII. Adam 1206 & 1208.

IX. Theobaldus 1213 in documento Mauri-montis.

X. Robertus I commutationem iniit mense Maio 1214 cum comitissa Campaniæ.

XI. F. memoratur anno 1228 in instrumento Caherii.

XII. Rogerius 1239 in schedis N. *du Fourny*.

XIII. Gaufridus 1244 ex tabulis Belli-loci.

XIV. Martinus 1266 occurrit in charta Caherii, & in altera parthenonis S. Jacobi de Vitriaco.

XV. Johannes I anno 1310 a capitulo generali deputatus cum Menerio Monasteriensi abbate ad inquirendum de venditione facta ab abbate Cheminonis monasterio Trium-fontium. Plurimi abbates hic desunt.

XVI. Johannes II 1405 in tabulis Trium-fontium.

XVII. Johannes III *de Varennes* 1421, 1425, 1429, ex tabulis Lotharingiæ.

XVIII. Robertus II 1468.

XIX. Nicolaus I *Clasquin* 1484.

XX. Johannes IV *de Monblainville* 1510. In tabulis Lotharingiæ cernuntur instrumenta quædam litis exortæ inter præfatum Johannem D & Nicolaum *Boucherat* monachum die 5 Martii 1515. Eodem anno 11 Junii idem Nicolaus *Boucherat* doctor theologus a fratre Mathurino *de Cangey*, utpote vicario Edmundi abbatis Clarevallensis, collationem abbatiæ accepit Parisiis in monasterio puellarum Pœnitentium: sed forte hæc provisio nullum habuit effectum; nam an. 1517 die 22 Maii Nicolaus cessit juri quod habere poterat ad abbatiam in gratiam Johannis *de Monblainville*: qua de re prodiit sententia ballivi sancti Desiderii, ex actis publicis.

E XXI. Johannes V *Herbelet*.

XXII. Jacobus *Mahinet* 1529.

XXIII. Claudius I *Angenost* seu *Engenart* baccalaureus theologus 1541.

XXIV. Bernardus *de la Ferté* doctor theologus 1574.

XXV. Claudius II *Lollier* 1578, 1581.

XXVI. Nicolaus-Thomas *de Clermont* 1581.

XXVII. Carolus I cardinalis Vademontanus, episcopus Virdunensis, 1583

XXVIII. Carolus II *Poignant* in causa fuit cur abbatia ad commendatarios devenerit:

enimvero pensionis cupidus, sponte cessit Chistophoro *de la Vallée* Tullensi episcopo, annuente Clemente VIII pontifice 1592.

XXIX. Christophorus *de la Vallée* episcopus Tullensis, acceptis bullis 1597, obiit anno 1606.

XXX. Franciscus *de Livron de Bourbonne*, ex nobili familia *de Livron*, Romæ dum litteris operam daret, a Paulo V nominatus est abbas 1607, vicesimum annum agens, obtinuit etiam commendam Ambroniaci anno 1634. Defunctus anno 1547.

5 Post Francisci obitum monachi Caladiæ electionis jure uti volentes, elegerunt domnum Placidum *Petit* monachum Castellionis, protunc procuratorem collegii S. Bernardi Parisiensis: qui cum paulo post creatus fuisset abbas Stellæ, ejus loco electus est domnus Benedictus *Lavandier* monachus Claræ-vallis; cujus tamen electio infirmata est a Franciæ rege. Inter hæc summus pontifex, objecta sua possessione, contendit nominationis jus sibi competere, & revera abbatem renunciavit Ludovicum *de la Rivière*, cujus etiam nominatio infirmata est a Christianissimo rege, a quo plenaria ac regia potestate abbas dictus fuit

XXXI. Gilbertus *de Clerembaud de Palluau* episcopus Pictaviensis 1648: sed propter intercessionem in curia Romana a monachis interjectam, bullis haud donatus obiit an. 1680. De illo pluries locuti, sed potissimum tom. II, coll. 1208 & 1209, ubi omnium ejus beneficiorum fit enumeratio.

XXXII. Adrianus *de Guittonneau* a rege commenda honestatus 1680, bullas non adeptus interiit 1682.

XXXIII. Nicolaus II *Cheron*, doctor theologus, officialis Parisiensis, commendam a rege obtinuit anno 1683. Hic abbatiam inauditis vexationibus devastavit, & tanquam singularis ferus vineam Domini depastus est. Obiit etiam bullis haud donatus anno 1692.

XXXIV. Ludovicus-Franciscus *de Vassinhac*, nobili familia *d'Imecourt* genitus, Remensis ecclesiæ canonicus, vir optimus, commendam a rege nactus est 1692 die 6 Aprilis.

XXXV. N. *de Geoffreville* commenda donatus est a rege anno 1717.

XXXVI. Carolus III *de Broglie*, genitus 17 Novemb. 1734, doctor Sorbonicus, abbas a rege designatus est 1 Januarii 1757. Renunciatus vero episcopus & comes Noviomensis consecrationem accepit 22 Junii 1766; destinatus quidem fuerat a rege Poloniæ ad cardinalitiam dignitatem. Ab abbatiis Caladiæ & Silvæ-majoris se abdicavit anno 1774 ad obtinendam abbatiam Ursi-campi prope Noviodunum. Exstinctus est in castro suo Carolipontis 20 Septemb. 1777, natus annos 43.

XXXVII. Claudius III *de Tudert* electus decanus ecclesiæ Parisiensis anno 1769, consiliarius honorarius Parlamenti urbis ejusdem, dictus a rege abbas S. Eligii-Fontis 1757, nec non Caladiæ 8 Decembris 1774, Parisiis obiit 24 Novembris 1779, annos natus 69.

XXXVIII. Jacobus-Marcus-Antonius *de Mahuet de Lupecourt*, decanus ecclesiæ Nanceyensis & vicarius generalis ejusdem diœcesis, facta cessione abbatiæ Ebrolii, ad quam designatus fuerat an. 1779, die 3 Octob. dictus est a rege abbas Caladiæ 22 Martii 1780.

CASTELLIO.

CHASTILLON.

ALBERO episcopus Virdunensis necessitudine cum S. Bernardo devinctus, in sua diœcesi Cisterciensibus monachis domicilia indulgere constituit. Cum autem ab abbate Trium-fontium colonos petiisset, nec impetrare potuisset, quia plures ex Tribus-fontibus jam emissi fuerant ad construendam Caladiam, petitionem suam vertit ad Ranulfum Himmenrodensem abbatem, qui cum plurimis discipulis accedens ad locum, qui Castellio vocatur, situm in Mangiennensi silva, sex a Virduno leucis, Septentrionem versus, ad amnem vulgo dictum *Ottain*, illic monasterium cœpit ædificare. Verum quia locus nimis erat angustus, quam ut ad famulorum Christi sustentationem sufficeret, Albero spatiosiorem locum dictum *Wiberstap* in præfata Mangiennensi silva concessit, ubi alterius monasterii fundamenta jacta sunt anno 1153, eòque introducti fuerunt inquilini ipso anno vigilia Nativitatis beatæ Mariæ Virginis. Cum illic aliquot annis commorati fuissent, usu ipso & experientia didicerunt locum esse minus idoneum, tum ob aquarum penuriam, tum quod aqua ibi esset amara & insalubris. Quapropter anno 1162 ad locum suum de Castellione, quem ab initio reliquerant, redierunt suumque monasterium futuris temporibus duraturum ædificare cœperunt. Insequenti anno Richardus de Crissa episcopus ad petitionem Hillini archiepiscopi Trevirensis, sedis apostolicæ legati, Gilberto abbati & fratribus locum ipsum de Castellione, grangiamque *de Wiberstap* ad Alberonis exemplum concessit sigilloque suo roboravit. Quin & adstantium plurimorum optimatum, qui in loco ubi exstat abbatia, nonnulla possidebant, donationes comprobavit. Ecclesia, quæ hodie cernitur, ædificata fuit ab Gerardo & Henrico *de Grandson* fratribus germanis & Virdunensibus episcopis, qui in ea consepulti jacent. Johannes *de Richericourt* item episcopus anno 1302 quamdam domum vulgo dictam *de Sacz* monachis Castellionis tradidit, ut in eam bellorum temporibus se reciperent. Prædictam vero domum Nicolaus *de Neuville* præsul redemit, eremitis sancti Augustini in urbem a se accitis tribuendam. Ad pristinum fervorem id cœnobium revocatum fuit ab Octavio Arnolfini abbate seculo proxime elapso.

Ch. XXVII, col. 572.

Ch. XXX, col. 574.

Ch. XXXI, col. 574.

ABBATUM ELENCHUS.

I. GILLEBERTUS anno 1162 monasterium ex loco nuncupato *Wiberstap*, ob aquarum penuriam & amaritudinem ad locum de Castellione, ubi ab initio conditum fuerat, transtulit.

Ch. xxx, col. 574. Prædicta etiam loca de Castellione & *de Wiberstap*, itemque usuarium in nemoribus a Richardo de Crissa episcopo tradi & confirmari curavit anno 1163. Eisdem anno atque die, Ch. xxxi, col. 574. ipso præsule collaudante, a plurimis optimatibus consecutus est quidquid juris habebant in loco ubi constituitur abbatia. Præfuisse dicitur usque ad annum 1167. A

II. Theobaldus illic sane locandus est, qui continuo post factam a S. Bernardo unionem abbatiæ de Savigneio ordini Cisterciensi prior & eruditor observantiæ Cisterciensis ab ipso S. abbate institutus est. Hic ex infirmario S. Dionysii monachus Clarevallensis postea evasit abbas de Fontanis, & post Castellionis. B

III. Dudo occurrit anno 1187.

IV G. cui abbatissa S. Mauri anno 1190 dedit omnes decimas, quas ipsa habebat in parochia *de Pilon*, sub censu trium rasariorum frumenti. Idem esse videtur cum Garnerio, quem adhuc reperimus in tabulis Aureævallis.

V. Gaufridus ab Henrico VI imperatore traditorum monasterio bonorum confirmationem impetravit.

VI. Nicolaus I memoratur anno 1209.

VII. Petrus I electus anno 1217, sibi conciliavit vicinorum toparcharum amicitiam, qui monasterio plurima contulerunt prædia, annuentibus Valerano comite Luxemburgi & Goberto de Aspero-monte. C

VIII. Johannes I electus an. 1231, abbatiale munus gessit ad annum 1238.

IX. Petrus II in abbatem cooptatus 1238, dilectus fuit Matthæo II duci Lotharingiæ, a quo nonnullas assecutus est donationes.

X. Guido legitur in instrumento 1243 mense Maio.

XI. Johannes II abbas creatus 1248, ab Innocentio IV obtinuit monachis Castellionis facultatem in parentum suorum hereditatem adeundi. D

XII. Ludovicus I cujusdam decimæ monasterio impositæ consecutus est immunitatem ab Alexandro IV, aliosque favores ab episcopis & principibus, ut hospitalitatem in monasterio exercere posset.

XIII. Johannes III institutus abbas an. 1258, privilegium de confirmatione bonorum monasterii ab Urbano IV impetravit. Testatus est mense Junio 1269 coram se factum fuisse hominium Theobaldo comiti Barrensi a Petro *de Fiquemont.* E

XIV. Petrus III in abbatem cooptatur anno 1270. Rogatus apposuit sigillum suum quibusdam litteris Federici Septem-fontium domini mense Augusto 1282. Sub ipsius regimine Gerardus & Henricus *de Granson* fratres & episcopi Virdunenses ecclesiam monasterii construxerunt & in ea consepulti sunt.

XV. Fornerius præfectura donatus est anno 1286. Memoratur annis 1287, 1292 mense Januario, item & an. 1293 in vigilia beatæ Mariæ, ex tabulis Lotharingiæ.

XVI. Petrus IV præfuit ab anno 1294 usque ad 1301.

XVII. Johannes IV *de Noeirs* pastorale pedum capessivit anno 1301. Obtinuit anno 1302 a Johanne de Richeri-curte episcopo domum *de Sacz*, quæ monachis Castellionis bellorum tempore foret asylus. Subscripsit anno 1304 mense Aprili die Lunæ post quindenam Paschæ litteris Thierionis *de Romains.* Sub ejus sigillo anno 1305, Sabbato post festum Divisionis Apostolorum celebrari solitum 15 Julii, cujusdam venditionis factum est instrumentum. Occurrit die Martis 1307 post Decollationem S. Johannis in litteris Thomæ *de Morsontaine*, & in aliis datis mense Decembri die Martis ante festum S. Luciæ 1309, quibus ab Hussone *de Sancy* rogatus sigillum suum addidit. Legitur & annis 1313, 1316, & 1321, quo ultimo post Brandones die 3 cuidam homagio subscribit.

XVIII. Johannes V *de Montmedy* 1324 sigillum suum addidit cuidam clientelari professioni 8 Novembris 1332.

XIX. Jacobus I *d'Amis* testis est recensionis feodalis factæ anno 1333 Sabbato ante festum S. Andreæ. Occurrit etiam anno 1335.

XX. Odo 1340.

XXI. Theodoricus I 1344.

XXII. Radulfus 1350.

XXIII. Hugo I 1354.

XXIV. Theodericus II 1365. Rogavit Urbanum V papam & Vincessaum imperatorem, ut sibi fieret potestas recuperandi bona sui monasterii usurpata inter bella.

XXV. Nicolaus II *d'Arency* 12 Martii 1375, sub cujus sigillo datur recensio litterarum Yolandis a Flandria comitissæ Barri.

XXVI. Jacobus II 1385.

XXVII. Johannes VI *de Montfaucon* 1408 se protectioni Eduardi III ducis Barri commisit. Quasdam litteras recenset 18 Junii 1409. Interfuit anno 1432 benedictioni Johannis abbatis Mosomi.

XXVIII. Guillelmus *de Cultry* 1440.

XXIX. Gerardus I *de Haitois*, Aureævallis monachus, eligitur 1464.

XXX. Johannes VII *d'Arency* 1472 sub tutela fuit Renati Lotharingiæ ducis.

XXXI. Hugo II Theobaldi 1482.

XXXII. N. *Habillon* 1500.

XXXIII. Leo de Chappeio, cujus electionem factam per viam S. Spiritus ratam habuit capitulum generale an. 1511. Sponte cessit a præfectura in manibus Ludovici Triumfontium abbatis, & paulo post obiit.

XXXIV. Alexander *Tourel* 1525.

XXXV. Gerardus *Tourel* coadjutor successit anno 1542.

XXXVI. Monginus *Henrion* occurrit anno 1567. Is atque conventus ad sedandas lites consentium, ut dux Lotharingiæ habeat omnem justitiam in locis quæ cœnobium possidet in præpositura *de Longuyon* 14 Octobris 1576.

XXXVII. Johannes VIII *Collet*, nec

præsente nec probante ullo ordinis superiore, A electus est. Qua de causa abbas Claræ-vallis ut immediatus pater Castellionis, electionem nullam declaravit, abbatemque nominavit Edmundum *de la Croix*. Ex altera parte Johannes *d'Haussonville* protonotarius apostolicus se provideri curavit a Gregorio XIII. Nihilominus Johannes *Collet* bullas adeptus, facta cum æmulis compositione, abbatia fruitus est. In coadjutorem assumsit an. 1601 monachum nomine Guillelmum, qui ex eo quod Gallus esset, non fuit confirmatus. Attamen Johannes fatis concessit anno 1604. Post ejus obitum princeps Erricus a Lotharingia Virdunensis B episcopus a nonnullis monachis electus, nec improbante rege, in possessionem adiit, œconomumque regendis proventibus instituit. Verum abbas Claræ-vallis cum Henrico IV regi demissime jus suum exposuisset, licentiam ad alteram electionem procedendi obtinuit; & quidem iter Castellionem aggressus, id executus est mense Februario 1605.

XXXVIII. Octavius *Arnolphini*, nobilissimis parentibus ortus, ab Henrico magno rege donatus est abbatia Charmeiæ an. 1598. Paulo post ad Claram-vallem secedens monasticum habitum sumsit, & ex eo tempore de C reformando ordine cum duobus aliis monachis, Abrahamo *l'Argentier* & Stephano *Maugier*, cœpit cogitare. Factus abbas Castellionis 24 Februarii 1605, strictiorem in monasterium induxit observantiam, ac ne post mortem suam regularis collaberetur disciplina, sibi ferventissimum adjunxit coadjutorem, plenusque meritis & virtutibus decessit an. 1641 in Pruliacensi monasterio. Cujus corpus revectum ad Castellionem ante gradum sacri presbyterii jacet cum epitaphio.

XXXIX. Josephus *Arnolfini*, præcedentis nepos & coadjutor ab anno 1627, doctor D theologus & provisor collegii sancti Bernardi Parisiensis, patrui vestigia proxime secutus, abbatiam rexit ab anno 1641 ad 1656, quo decessit 28 Octobris in monasterio Argensolæ. Ejus cor quiescit in ecclesia Castellionis in sepulcro patrui, ut fidem faciunt hæc verba: *Ibi etiam conditum est cor R. D. Josephi Arnolfini 34 abbatis electi, doctoris Parisiensis, viri sapientis, qui obiit in monasterio Argenteæ cellæ die 28 Octobris anno Domini M. DCLVI. Requiescat in pace.*

XL. Jacobus III *Minguet* ad abbatis dignitatem promotus est anno 1656. Creatus fuit E definitor in cœtu strictioris observantiæ habito Barbelli anno 1660. In comitiis celebratis Parisiis in collegio S. Bernardi 3 Septembris 1664 institutus est visitator Campaniæ, scilicet monasteriorum Cheminonis, Caladiæ, Pietatis, Vallis-claræ, Charmeiæ & Argensolæ. Pastoralem curam abjecit ac in monasterium beatæ Mariæ de Trappa secedens, illic vitam sanctam felici exitu consummavit 5 Aprilis 1688, ætatis 84.

XLI. Claudius *le Maître*, qui cum magistri novitiorum & prioris munus apud sanctum Benedictum & Altum-fontem rite exercuisset, 26 Octobris 1669 abbas electus, benedictionis munus apud Auream-vallem accepit anno 1671. Destructum bellorum impetu monasterium restauravit. Vitæ terminum explevit in monasterio beatæ Mariæ de Pietate diœcesis Trecensis 7 Augusti 1693.

XLII. Johannes IX *Chappier* electus 1693, vitæ partem egit in exsilio, & obiit an. 1717.

XLIII. Ludovicus II *Vielle de Montville* abbatiæ præfectus 1717, Parisiis occubuit 13 Maii 1748, & sepultus est in ecclesia parœciali S. Eustachii.

XLIV. N. *Boutteville* regi fidem dixit Versaliis 29 Novembris 1748.

SANCTUS-PAULUS.

SAINT-PAUL.

VIRDUNENSIS præsul Wicfridus, avitæ prædecessorum religionis æmulator, ingemiscens ecclesiam suburbanam S. Saturnini, in qua B. Pauli episcopi & confessoris, ejusdemque ecclesiæ conditoris, corpus frequentibus miraculis clarum quiescebat, jacere incultam, hanc studiose & in honorem B. hujus præsulis magnificare devovit, quam mox a fundamentis erexit & Domino volente peregit, & ad petitionem civium, non immemor sui voti, monachos ibi posuit qui die noctuque servirent Domino & S. suo confessori Paulo, majusque altare in honorem S. Pauli consecravit. Corpus autem S. Pauli ex sepulcro sublatum V calendas Septembris decenter in feretro argenteo exposuit. Ex duabus chartis fundationis comperimus a Wicfrido aggregatam fuisse sub regula S. Benedicti monachorum turmulam, cui Blicherus institutus fuit abbas. Fratrum victui ex consensu & consilio cleri & populi Virdunensis plurimas ecclesiæ suæ res delegavit pius præsul. Inter cæteras donationes dedit abbatiam sancti Martini in suburbio Virdunensi sitam ea lege, ut fratres eam pro posse construerent, insuper & corpus beati Agerici gloriosissimi confessoris Christi, quod in eadem quiescit ecclesia, cum omni diligentia custodire & venerari non desinerent. In uno ex duobus istis documentis dato IV idus Aprilis 973 ait Wicfridus Blicherum jam dudum per apostolicam licentiam abbatem a se ordinatum, cœnobioque præstitutum fuisse. Asceterium vero istud etiam B. Paulo apostolo sacrum corpore S. Gregorii Ottonis Augusti II ætate e Spoletana urbe adducto, reliquiisque sanctorum martyrum Fabiani, Sebastiani, & Cæsarii a Johanne Romanæ sedis pontifice sibi collatis locupletavit. Hic cum ex hac vita migrasset pridie cal. Septemb. 983, humatus est ad dextram partem altaris. Omnia hæc duplici diplomate rata habuit Otto II imperator annis 973 & 977. Quod etiam imperiali munimine Otto III ad patris exemplum comprobavit XIII cal. Novembris 984. Paruerat hæc ecclesia ad decimum seculum quibusdam secularibus clericis, quibus Wicfridus monachos

Spicil. t. XII. p. 263.

Annal. Præmonstr. tom. II. col. 319 & seqq.

Ibid. col. 330 & 331.

Ibid. col. 323 & seq.

Ibid. col. 325.

ordinis S. Benedicti substituit, qui longo tempore in religionis fervore perseverantes, & bona ecclesiæ dissipata restituerunt & insuper plurima acquisierunt, ut loquitur Adalbero de Chisneio episcopus Virdunensis in epistola ad Innocentium II. Verum Adalberonis ejusdem ætate adeo tepuerat religionis fervor, ut, teste Laurentio de Leodio, ecclesia S. Pauli tunc sorduerit divulsa, dilacerata & dissipata, cujus diripuerant filii Belial, eam inhabitantes, terram & omnia bona ejus. Horreo enim dicere, pergit idem auctor, quantis illecebris inservierint, quam nefarie servitio Domini nocte dieque detraherent, quomodo monachum professi, non se fortissimos cœnobitas, sed teterrimos sarabaitas & gyrovagos, in dedecus sancti ordinis nostri, exhiberent. Hos ut ad meliorem frugem revocaret nihil prætermisit Albero. At irritos esse conatus suos sentiens, Præmonstratenses religiosos monachis subrogavit anno 1131. Qua de re graviter conquestus est Petrus venerabilis Cluniacensis abbas in epistola ad Matthæum cardinalem episcopum Albanensem. In fine Matthæum rogat & cum eo dominus Catalaunensis episcopus Gaufridus ex abbate S. Medardi assumtus, immo & multæ aliæ ejusdem ordinis personæ deprecantur, ut det operam abstergere ab ordine Benedictino tantæ dedecus ignominiæ, ne reverentia semper huic professioni ab apostolica sede conservata, ipso papa assidente depereat; neve tanta, si inulta remanserit, injuria risum monachici ordinis inimicis præbeat. His querelis & rationibus motus pontifex Innocentius II, hanc causam ad examen denuo revocare parabat: sed tandem tam Alberonis quam Bernardi epistolis expugnatus, prædictam mutationem confirmavit. Totam hanc historiam fuse commemorat Laurentius de Leodio monachus in continuatione historiæ Virdunensis, confessus se multum gravari de facta inibi abjectione monachicæ professionis: nisi quod scio, inquit, nullam aliam viam dignissimo præsuli patuisse ad correctionem prædicti cœnobii: quia & abbas Laurentius, & omnes religiosi nostræ professionis refugerant curam ejusdem loci suscipere de manu episcopi. Cæterum ubi vix antea viginti solutiores monachi contineri poterant, brevi trecenti fuere servi Dei ordinis Præmonstratensis, ut idem Laurentius tradit. Ea de mutatione litteras dedit Albero anno 1135; quin & utraque potestas, secularis & ecclesiastica, puta Lotharius II imperator anno 1136, Innocentius II pontifex anno 1137, Albero archipræsul Trevirensis diplomatibus suis id ratum habuere.

[Margin: Spicil. t. XII, p. 321. — Ibid. p. 319. — Petr. venerab. L. II, ep. 31. — Spicil. Ibid. p. 321. — Bern. epist. 178. — Spicil. ibid. p. 320. — Annal. Præmonst. t. II, col. 326 & seqq. — Diplom. Trevir. t. I, p. 532.]

Abbates Ordinis S. Benedicti.

[Margin: Annal. Præmonstr. ibid. col. 321.]

I. Blicherus ex Theologiensi asceterio eductus, vir optimi testimonii, a Wicfrido per apostolicam licentiam abbas ordinatus, monasterii curam suscepit. Romam inde profectus ut a Benedicto VII pontifice confirmationem impetraret, benigne ab eo acceptus, ob reverendæ sanctitatis meritum, consecutus est quidquid postulavit. Sacras etiam exuvias S. Gregorii martyris e Spoletana urbe secum asportavit, quas una cum reliquiis SS. Fabiani, Cæsarii, & Fœliciani martyris in ecclesia sancti Pauli recondidit Wicfridus episcopus. Ex chronico monasterii S. Pauli colligitur ad ejusdem monasterii fores, pauperum miseriam sublevandi gratia, ab eodem Wicfrido episcopo institutum fuisse nosocomium, cujus administratio commissa est Blichero, qui pia morte suum quindecim annorum regimen conclusit anno 982.

II. Gardinus in minore chronico S. Vitoni Blachero successisse dicitur. [Margin: Biblioth. Labb. t. I, p. 401.]

III. Ebroinus Gardinum excepit, vir sanctitate & revelationibus insignis, quem author vitæ B. Pauli plurimis extollit laudibus.

IV. Hervinus monasterium cum omni sanctitate & regularum observantia regebat circa annum 1015. Hunc Fridericus comes Virdunensis & Richardus postmodum futurus abbas sancti Vitoni convenerunt, se ejus disciplinæ subdituri. At ille monitu quasi divino eos ad abbatem sancti Vitoni Fingenium monasticis disciplinis imbuendos direxit. Prioratum sancti Martini a monasterio S. Pauli pendentem, annuente Hervino, in abbatiam sub nomine sancti Agerici Raimbertus episcopus erexit anno 1037.

V. Fulcradus I publicis cleri & nobilium comitiis Virduni indictis interfuit, & edito adversus injustas advocatorum exactiones statuto subscripsit circa annum 1060. Missus una cum Richero decano a Theoderico episcopo ad sigillandum altare S. Michaëlis, propterea quod a Virdunensi episcopatu ad Tullensem monachi ejus loci transire vellent, a familia monasterii comprehensus est una cum socio & apud Barrum carceri mancipatus circa annum 1080. Eodem circiter tempore ex ejusdem Theoderici episcopi consensu abbatiam sancti Vitoni, ex qua abbas & monachi propter addictionem summo pontifici pulsi fuerant, invasit magnumque intulit detrimentum. In vetusto necrologio cathedralis ecclesiæ sic notatur, *VII kal. Martii obiit Folcradus venerabilis abbas S. Pauli confessoris.* [Margin: Marten. Thesaur. Anecdot. t. I, p. 190. — Spicil. t. XII, p. 228.]

VI. Folcradus II seu Fastradus memoratur an. 1123 in charta Hugonis comitis, a quo acquisivit quidquid ad eum comitem spectabat apud Heymonis-montem, nec non silvam *de Dieppe* & partem ecclesiæ Domni-Basoli. Subscripsit anno 1126 litteris Henrici episcopi pro S. Michaële & pro Gorziensi monasterio. Ille forsan est Hisulcradus notatus in necrologio S. Vitoni calendis Januarii.

VII. Manasses diu cum Laurentio abbate S. Vitoni de cursu rivuli Scantiæ litigavit. Adeo sub ejus regimine disciplina regularis restincta fuit & deleta, ut Alberoni episcopo monachos inde expellere, Præmonstratensesque religiosos in locum eorum sufficere visum fuerit anno 1131. Id fuse narrat Albero in

epistola ad Innocentium II edita in spicilegio tom. XII, p. 320 & seqq.

A

Abbates Ordinis Præmonstratensis.

I. Rogerus, primum imperatoris Lotharii aulicus, dein B. Norberti in evangelii prædicatione socius, ab abbate suo Hugone e Præmonstrato Virdunum submissus, ædes caducas, neglectum templum, pessumdatam disciplinam innovavit, evangelii interea ministerio intentus. Sub eo religiosorum numerus tam accrevit, ut partem eorum ad Vanodium in Catalaunensi diœcesi transferre coactus sit, ubi eodem fervore ac in matrice ecclesia degerunt. Privilegium de introductione ordinis Præmonstratensis in abbatiam S. Pauli & de confirmatione bonorum adeptus est a summo pontifice Innocentio II, XVII calend. Maii 1137. Assiduis pœnitentiæ & prædicationis laboribus fractus decessit 27 Decembris 1140.

Annal. Præmonst. t. II, prob. col. 328.

II. Theodericus, Rainaldi Salmensis comitis filius, discipulus S. Norberti, Rogeri antecessoris in laboribus indefessus coadjutor & in dignitate successor, tam parce bona monasterii administravit, ut quod vix viginti monachis satis fuisset, alendis trecentis Præmonstratensibus sufficeret. Plurimas virgines ad Deum a se conversas & religionis velo consecratas Vanodium transmisit, revocatis inde fratribus a prædecessore suo illic collocatis. In diversis documentis occurrit 1144 & 1145. Magna doctrinæ fama refulgens interfuit anno 1148 concilio Remensi, nec non Trevirensi in quo Alberoni suo episcopo datus est comes pro examine operum & vitæ S. Hildegardis. Chartæ fundationis monasterii B. Mariæ de Castellione subscripsit anno 1153. Reperitur & in altera ejusdem præsulis in ipsius loci gratiam an. 1156. Lapsus in morbum, quo ut levaretur, ad fratris sui castrum Marangeum, haud procul abbatia Justi-montis, deportatus est; sed increscente morbo, debitum naturæ illic solvit 12 Februarii: unde Metas traductus fuit sepeliendus in ecclesia S. Petri.

III. Bartholomæus I per antecessoris cessionem forsitan obtinuerat: enimvero memoratur an. 1148 die 27 Novemb. in litteris Alberonis Trevirensis archiepiscopi. Traditam sibi suoque conventui ecclesiam ab Henrico Tullensi episcopo accepit anno 1149. Insigne prædium an. 1150 comparavit apud *Amblonville*. Subscripsit an. 1151 litteris Alberonis episcopi, & anno 1153 aliis Henrici Tullensis præsulis pro Tribus-fontibus. Alberonem episcopum, auctorem introductionis instituti Præmonstratensis in hanc S. Pauli abbatiam, tumultuosæ vitæ pertæsum, admisit in monasterium anno 1156. Testis occurrit 1162 in litteris Alberti episcopi Virdunensis pro insula Barrensi. Eodem anno ab ipso præsule privilegium de confirmatione possessionum monasterii obtinuit. Jus in flumine Mosa piscandi a molendino ecclesiæ suæ usque ad vadum sancti Pauli ab Andrea præposito & canonicis S. Magdalenæ consecutus est. Subscripsit anno 1163 duabus chartis Richardi episcopi pro monasterio de Castellione. Quædam anno 1166 acquisivit prædia. Anno vero 1170, IX cal. Septemb. hic pius abbas studiosissimus religiosæ vitæ promotor obiit, magnam de se sanctitatis opinionem relinquens.

Ch. XXX, col. 574.

Ch. XXXI, col. 574.

IV. Constantinus I an. 1171 recensetur in litteris Guidonis Catalaunensis episcopi. Sub ipsius regimine, puta anno 1174 facta est licentia cuidam homini de feodo episcopatus ducendæ uxoris de jure S. Pauli ea lege, ut liberorum pars episcopo, pars abbati subderetur. Magno cum dolore monasterii sui proventus conspexit funditus deletos a copiis Agnetis Reginaldi II Barrensis comitis viduæ, comitatum Virdunensem pro filio suo Henrico ambientis. Post eam calamitatem sterilitatis flagellum sævìit in provinciam: verum in Deo confidens pius hic abbas, mox Henricum Namurci & Luxemburgi comitem beneficum expertus est, accepta siquidem ab eo valle *Harlebac*, hodie dicta Vallis Dei, an. 1176. Eodem anno cum Henrico abbate S. Agerici litem habuit, quæ ab Arnulfo electo Virdunensi composita est. Insequenti donum ab eodem episcopo suscepit. Abdicata dignitate an. 1179, privatus obiit V cal. Martii 1184.

B

C

V. Arnulphus confirmationis & protectionis bullam impetravit ab Alexandro II an. 1179. Adeptus quidem est an. 1180 molendinum de Lazeio ab Arnulpho episcopo, & parochialem ecclesiam de Briolis a Guillelmo Remensi archipræsule 1181. Ejus tempore Alexander de Braio miles, sæcularis militiæ cingulo in monasterio S. Pauli deposito, sub Arnulfo duce toto vitæ suæ decursu Deo militavit.

VI. Tescelinus quibusdam ecclesiis ab Henrico episcopo donatus est anno circiter 1182 & 1183, quo & ipse cessit capitulo Virdunensi nominationis jus ad ecclesias *de Forges*, *Cumieres* & *Regneville*; sicque monasterium suum a pastu altera die a Pascha majoris ecclesiæ canonicis debito liberavit. Memoratur anno 1185 in charta Bertrandi Metensis episcopi. Fatis concessisse dicitur an. 1188.

D

VII. Walterus bullam de recuperatione fundorum abbatiæ a Clemente III obtinuit. Delegatus est ab eodem pontifice judex una cum Hugone Mauri-montis abbate inter abbatem S. Petri de Monte & filios Alexandri & Theoderici *de Bras*. Defunctus anno 1190, VIII id. Januarii, quiescit in capitulo hac simplici inscriptione donatus: *Walterus abbas*.

E

VIII. Constantinus II ecclesiam *de Rombas* ad Ornæ fluviolum a Bertrando episcopo Metensi accepit an. 1191, ut hospitalitatem erga pauperes exerceret. Occubuit 24 Martii 1193.

IX. Ulricus seu Odalricus ab Alberto de Hirgis episcopo parochias quasdam prope monasterium, scilicet S. Jacobi, de Manhodoro, & *de Hareignes* per suos regendas religiosos

consecutus est. Tertia parte alodii de Haymonis-monte donatus fuit a Balduino milite de Asperomonte, qui religionis habitum ex uxoris suæ consensu in monasterio suscepit. E vivis abiit 24 Martii 1195.

X. Johannes I transegit cum Savarico castellano de Bello-ramo 1195. Spopondit anno 1200 pro Richardo *de Genicourt*. Diem clausit extremum 5 Octobris 1201. Sepultus jacet in capitulo cum epitaphio.

XI. Robertus I tribus pene præfuit annis.

XII. Bartholomæus II anno 1204 post aliquantas discordias cum abbate S. Leonis Tullensis ob ecclesias Novæ-villæ & Longi-campi, mediantibus tandem viris probis, statutum fuit ut abbatia S. Pauli ecclesiam Longi-campi haberet, & nova-villa penderet a S. Leone. In capitulo jacet sub tumba, cui inscripta hæc verba: *Quod es fui Bartholomæus abbas, quod sum eris.*

XIII. Wermundus an. 1203 factus abbas Præmonstrati, quietis desiderio dignitatem post unum regiminis annum exuit. Posthæc electus est abbas S. Pauli, quo nomine monasterii sui bona a Philippo imperatore confirmari procuravit anno 1207. Desiit autem vivere 15 Novembris 1208.

XIV. Johannes II plurimas iniit pactiones annis 1208, 1210 & præsertim an. 1213 cum Johanne domino de Mascero coram Thoma Barrensi & Luxemburgensi comite. Unde in odium Roberti episcopi incurrit. Verum Gervasius Præmonstratensis abbas pro pace concilianda mediatorem interpellavit Willelmum Remensem archiepiscopum. *Gervasii epist. 89.*

XV. Walterius præerat an. 1213 ex charta Insulæ-Barrensis; in capitulo sepultus.

XVI. Robertus II an. 1219 dominio utili & honorifico prædii vulgo dicti *Courrouve* Henricum II Barri comitem consociavit. Provinciam una cum Ludovico sancti Vitoni & Jacobo S. Agerici abbatibus fructus thesaurariæ majoris ecclesiæ usui canonicorum, qui divinis interessent officiis, applicandi accepit ab Honorio III anno 1225. Inter civilia bella campanile a civibus solo adæquatum fuit, Roberto regimen obtinente, qui 1 Augusti 1234 decessit ac sepultus est in capitulo cum hac simplici inscriptione: *Robertus abbas.*

XVII. Gerardus mense Maio 1235 electus, multum cœnobio profuit: variis enim ornamentis instruxit ecclesiam, thecis aureis & argenteis Sanctorum inclusit reliquias, prædia comparavit, alodium nuper alienatum acquisivit, Catalaunensem episcopum jurisdictioni suæ subdere volentem prioratum Vasnodii apostolica compescuit auctoritate. Ecclesiam monasterii sui ab oppidanis Virdunensibus episcopo rebellibus dirutam pristina augustius reficere cœpit anno 1249, primario lapide posito a Johanne *d'Aix* præsule 25 Maii anni ejusdem. Diversis temporibus cum plurimis monasteriis, nempe cum Bella-valle, sancto Mariano Autissiodorensi, Mira-valle, Mauri-monte, Theologio societatis fœdera icit. Delegatus est ab Urbano IV an. 1261, ut corrigeret notariorum apostolicorum abusus circa beneficia ecclesiastica. Litem cum Dodone parocho Longi-campi, Gocelino Bellæ-vallis abbate arbitro, terminavit anno 1265. Laudabili vitæ suæ cursum finivit 23 Novembris 1267, transactis in abbatiali munere triginta tribus annis, sex mensibus & quatuor diebus.

XVIII. Thomas sedebat an. 1270. Commutationem fecit cum abbate & monachis S. Agerici 1277.

XIX. Herbertus, Journini de Briolis filius, memoratur anno 1285. In clientelam Theobaldi II Barri comitis se contulit, quandiu interpontificium duraret in Virdunensi ecclesia, & idcirco quinquaginta libras Turonenses fisco Barrensi soluturum se pollicitus est die Mercurii ante festum sancti Bartholomæi 1286. Testis occurrit die Veneris ante Pentecosten 1288 in inquisitione, jussu Rodolphi I imperatoris acta de extensione limitum Galliæ ad fines imperii. Exortam inter abbates Præmonstrati & S. Martini Laudunensis controversiam de paternitate Lisquarum una cum abbatibus Thenolii & Clari-fontis sopivit. Mortuus 23 Martii 1292, inter navim & chorum sepulturæ traditus est. In necrologio vero sic consignatur ad 23 Martii: *Commemoratio piæ memoriæ Herberti de Briolis noti abbatis hujus loci, qui multis huic ecclesiæ spiritualiter & temporaliter profuit, & eidem præfuit annis XIIII, tribus mensibus, & XV diebus.*

XX. Johannes III de Manhodoro viriliter suam jurisdictionem super prioratum Vasnodii defendit contra Petrum Remensem archiepiscopum, qui publico actu professus est an. 1293 Dominica Brandonum in hunc prioratum nullum jus habere. Quædam comparavit prædia an. 1294. Subscripsit an. 1303 instrumento monasterii S. Petri ad montes. Litteras dedit anno 1304 postridie festi S. Michaëlis de actis quibusdam negotiis cum Isabella domina de Aspero-monte & liberis ejus. Eodem anno mense Julio cum conventu suo agnovit subdita esse custodiæ domini de Aspero-monte omnia quæ possidebant apud *Bauville*. Societatem cum monasterio S. Michaëlis ad Mosam & transactionem cum cœnobio Trium-fontium iniit 1306, itemque anno 1307 societatem cum Theobaldo abbate S. Petri Catalaunensis. Obiit die 8 Decembris 1311, & in ecclesia sepultus est sub tumba, figuram ejus mitra & pedo insignitam præferente.

XXI. Johannes IV de Philomela efficaci verbo efficacique vita fratres ad perfectionem induxit. Eduardo I Barrensi comiti litteris professus est an. 1316 omnes possessiones in villa *de Courrouve* sitas, subesse comitum Barrensium custodiæ. Ecclesiam a decessore vix perfectam ultimo complevit & in ea chorum inter & navim est humatus cum metrica epigraphe.

XXII. Nicolaus I de Rubro anno 1322

ab Odone Barri comite ad duodecim annos accepit 133 silvæ jugera, quibus se liberaret ære alieno quod contraxerat, ubi a duce Lotharingiæ captus est. Mortuus 10 Novemb. 1324, ut constat ex ejus elogio.

XXIII. Nicolaus II de Virduno societatem contraxit cum monachis S. Vitoni an. 1325, & cum sanctimonialibus sancti Mauri 1345. Memoratur anno eodem mense Junio in actis Locationis, necnon anno 1347. Pictis chorum ecclesiæ decoravit vitris. Defunctus vero 26 Februarii 1349, juxta antecessorem suum fuit humatus cum epigraphe.

XXIV. Jacobus de Virduno, præstantissimus medicus, scientia præditus, quamvis abbas juvenes artibus per se ipsum imbuere non dedignabatur. Protectionis privilegium ab imperatore Carolo IV assecutus est anno 1357 & insequenti 26 Februarii defunctus, tumulatus est retro chorum encomio honestatus.

XXV. Rogerius, origine Mussipontanus & genere nobilis, locavit 1361 quamdam piscariam ad quatuor annos, itemque domum ad vitam an. 1364. Eodem anno campanam fieri jussit, cui id distichum inscribitur:

Abbas Rogerus factor vasis fuit hujus,
C ter milleno LX tum quattuor anno.

Excessit e vivis 4 Martii 1368, humoque mandatus est juxta suos antecessores.

XXVI. Arnulfus *de Lendes*, nobili prosapia genitus, ad ecclesiam parœcialem de Briolis præsentavit an. 1376. Occurrit in instrumento 1381 mense Decemb. Vixit ad annum 1382. Cui sepulto in medio chori adjectum fuit elogium.

XXVII. Remigius *Gelée*, Metensi urbe oriundus, iterum atque iterum de duro moderamine, de mala administratione, deque moribus incompositis apud abbatem Præmonstratensem a fratribus accusatus, dignitatem suam sponte exuit 11 Octobris 1388.

XXVIII. Poncius *Martelli* ex pastore ecclesiæ S. Jacobi ad portam monasterii factus abbas, cum nec solvendi debita spem haberet, cessit & ipse an. 1390 in gratiam sequentis, rursus ad pastoratum reversus.

XXIX. Johannes V *d'Anisy* superioris cessione provisus est, invitis fratribus, qui monasterium, ut sustentationi suæ consulerent, deserere adacti sunt. In eo rerum misero statu Mariam a Francia, Roberti Barri ducis uxorem, in auxilium invocavit an. 1493, quæ monasterium ac possessiones ab invasoribus tutavit. Verum a prædonibus passim in villis adeo minuta fuit abbatis substantia, ut in Francisci *de Kerne* religiosi Præmonstratensis gratiam cedere statuerit. Quæ tamen cessio locum habuisse non videtur.

XXX. Habrandus *de Mambres*, patria Luxemburgensis & prosapia nobilis, post resignationem Johannis una canonicorum voce electus est abbas. Quam electionem Bonifacius IX probavit bulla data 5 Junii 1397, cujus bullæ executorem commisit Leobaldum Virdunensem episcopum. Tunc virtutibus sic emicuit, ut ab ipso Johanne *de Kerne* competitore & totius ordinis vicario generali in coadjutorem & visitatorem circariæ Lotharingicæ assumtus fuerit. Quin & ab illo id obtinuit, ut monasterium ære alieno gravatum vindicaretur a tributis. Præfuit mense Febr. 1404 electioni Waltrini *de Manicourt* abbatis Stagni. Paupertatis causa licentiam, eamque ad triennium valituram, ova & lacticinia quadragesimali tempore fratribus subministrandi ab abbate Præmonstratensi impetravit 1409. Eodem anno cum Lotharingiæ abbatibus in comitiis apud S. Paulum habitis nutantem ex bellorum tumultibus regularem disciplinam roboravit. Quamdam donationem a Ludovico cardinale & Barrensi duce accepit 5 Maii 1421. Ultima die Maii 1424 una cum Stephano abbate sancti Vitoni possessionem iniit administrationis ecclesiæ Virdunensis pro eodem cardinale Ludovico de Barro, ex ejusdem ecclesiæ tabulis. Litteras de quadam re ad suum monasterium spectante dedit 7 Novembris 1426. Jus mitræ, quo fruebantur sui antecessores, ut cernitur ex eorum imaginibus insculptis sepulchralibus lapidibus, a concilio Basileensi obtinuit. Guillelmum episcopum in solenni ingressu comitatus est, ejusque juramento subscripsit 1 Novembris 1437. Eversionis plurimorum sui monasterii ædificiorum per oppidanos, Caroli VII Franciæ regis iram reformidantes, tristis fuit spectator an. 1440. Ejus mors in necrologio S. Justi Bellovacensis ita notatur: *XIII Maii Habrandi de Membris, genere & virtute clari, abbatis S. Pauli Virdunensis, qui post felicissimum 47 annorum regimen suæ ecclesiæ, animam omni genere virtutum conspicuam Deo reddidit anno 1444.* Quiescit ante altare epitaphio decoratus.

XXXI. Johannes VI *Tardy*, patria Barrensis, nobili cretus propagine & consanguineus Guillelmi cardinalis sanctæ Sabinæ, archidiaconi de Riparia, dirutas antecessoris sui tempore ædes monasterii reparavit. A capitulis generalibus institutus est visitator circariarum Lotharingiæ, Vadegotiæ, & Franconiæ 1446, & rursus 1456 circariæ Lotharingiæ. Vicarii generalis diœceseos munus abbatibus S. Pauli attributum & a Guillelmo episcopo controversum viriliter est tutatus. Brachium sancti Saturnini martyris theca argentea inclusit 1453. Is una cum abbatibus S. Vitoni & S. Agerici judiciales ministros in urbe instituendi curam accepit anno 1460 a præcitato Guillelmo episcopo. Ad meliorem vitam transiit 27 Octobris 1461, sepultus in medio sanctuarii sub tumba effigiem ejus exhibente.

XXXII. Johannes VII *Tardy* junior, antecessoris nepos, via Sancti Spiritus in abbatem assumtus fuit 7 Novemb. 1461 coram Simone de Perona abbate Præmonstratensi, a quo probata fuit electio. Decoris domus Dei & observantiæ regularis studiosus, vivendi finem fecit

fecit 28 Junii 1467, sepultus ante altare beatæ A Mariæ, S. Michaëlis & S. Quirini, epitaphio honestatus.

XXXIII. Johannes VIII *Richelet* paucis rexit annis, subitanea morte correptus 18 Augusti 1471.

XXXIV. Julianus *de la Rovere*, cardinalis sancti Petri ad vincula, successive episcopus Carpentoractensis, Albanensis, Ostiensis, Bolonienfis & Avenionensis, apostolicæ sedis in Francia legatus, nepos Sixti papæ IV, postea ad summum & ipse pontificatum sub Julii II nomine exaltatus, hanc abbatiam a patruo suo obtinuit, sed nescio qua arte de possessione B a sequenti dejectus sit.

XXXV. Hubertus de Monte-Hermerio, abbas Præmonstrati, præcedentis cessione factus etiam hujus cœnobii, jam obtinebat an. 1493. Corpus S. Pauli e lignea capsa in argenteam inferri curavit 1494 die 1 Martii, debitumque naturæ solvit 17 Martii 1497, pristina electionis libertate fratribus restituta.

XXXVI. Adamus *de Haudrecourt* idibus Novembris 1497, præside Johanne *de Mamey* abbate S. Mariæ in nemore, canonice electus, æmulum evicit Johannem *de Tournay*, quem Carolus VIII Franciæ rex, civitatis custos, C ad eam abbatiam designaverat. Adami electio contra regis voluntatem a canonicis cathedralis ecclesiæ probata est, ipseque in pacifica possessione permansit ad annum 1500 quo excessit, die 30 Martii. Hoc ejus est epitaphium: *Hic jacet R. pater Adam de Haudrecuria bene meritissimus abbas, qui summi altaris tabulas, sancti Pauli episcopi feretrum compluraque alia argentea sacraria fieri jussit; porro sub probatissimo vitæ suæ curriculo dilectus abbas morbo repentino correptus interiit anno Dominicæ Nativitatis millesimo quingentesimo, pridie kalend.* D *Aprilis, cui Domino preces fundatis.*

XXXVII. Tugdualdus *de Venne*, hac abbatia simul cum Cuissiacensi per annos quinque fruitus, in sequentis gratiam cessit an. 1505.

XXXVIII. Johannes IX *Pseaulme* per abdicationem præcedentis a Julio II papa provisus 4 Aprilis 1505, claustrum, dormitorium, refectorium, & ecclesiæ porticum refecit. Vivere desiit 28 Septembris 1517.

XXXIX. Johannes X *Charlier*, parochus Longi-campi, in abbatem est electus 1 Octob. 1517 in ecclesia de Vasnodio, ad quam fratres ob grassantem Virduni pestem sese E receperant. At pacifice non fruitus est; enimvero Ludovicus a Lotharingia Virdunensis electus episcopus, ædibus abbatialibus prædiisque armata manu occupatis, realem adiit possessionem, & in hac rerum angustia mortuus est Johannes 11 Novembris 1519.

XL. Franciscus I *Pseaulme*, Johannis cognominis nepos, in abbatem cooptatus fuit 31 Januarii 1520. Inducias cum Ludovico a Lotharingia episcopo icit, promissa ei annua octingentarum librarum pensione, quam per sex millia librarum exstinxit anno sequenti. Alias passus est vexationes ab abbate Præmonstrati Jacobo *de Bachimont*, qui sub devolutionis prætextu administrandam commisit abbatiam Amato *de Fontaine* Cameræ-fontis abbati. Hic militari more Vasnodium ingressus, omnia abstulit ac diripuit, nec placari potuit nisi muneribus & trecentis aureis acceptis. Tot ac tantis calamitatibus attritus Franciscus, in gratiam Nicolai nepotis sui abdicare constituit, reservata sibi administratione usque ad obitum, qui 14 Octobris 1540 contigit. Ejus sepulchrum elogio successor decoravit.

XLI. Nicolaus III *Pseaulme*, superioris nepos, cujus abdicatione abbas factus est anno 1538, necdum Præmonstratensi ordini adstrictus; verum nomen ordini dedit an. 1540, & in abbatem generalem totius ordinis postulatus est anno 1542: at postulatio effectum sortita non est, repulsionem enim ipse passus a cardinali Pisano. Monasterii villas ab hæreticis sibi infensissimis cremari, fratresque suos cruentæ morti addici magno cum mœrore conspexit. Socius atque comes in totius ordinis regimine adjunctus fuit a capitulo generali anno 1546 patri Judoco *Coquerel* abbati sancti Judoci & vicario generali. Gubernio dum incumberet, episcopatu Virdunensi honestatus est cessione Johannis cardinalis a Lotharingia, facta hac compositione ut Psalmæus cardinali Carolo a Guisia cederet proventus abbatiæ, sed sibi spiritalem in canonicos S. Pauli jurisdictionem jusque regressus in casu mortis reservaret. Similiter cardinalis a Guisia episcopalis mensæ reditus omnes ei remisit. Cardinale mortuo Psalmæus iterum abbatiæ possessionem adeptus est 1574. Juvat hic observare monasterium sancti Pauli an. 1552 penitus eversum fuisse ne Carolus V, imperator, qui in Lotharingiam tres episcopatus impugnaturus magno cum exercitu irruperat, urbi noceret. Domicilium in urbe suis expensis fratribus profugis episcopus comparavit, ecclesiam, claustrum, dormitorium, cæterasque necessarias ædes nulla arte, nullo fastu commendandas construxit. Obiit an. 1575 die 10 Augusti, ut diximus in Virdunensibus episcopis, ubi vide.

XLII. Carolus a Lotharingia, cardinalis de Guisia, archiepiscopus Remensis, per Psalmæi resignationem factus fuit abbas anno 1548. Excessit anno 1574; post cujus obitum Psalmæus rediit in possessionem & fruitus est per septem tantum menses.

XLIII. Nicolaus IV *de Pellevé*, archiepiscopus Senonensis & S. R. E. cardinalis abbatiam a summo pontifice adeptus an. 1575, coadjutorem habere voluit Philippum *de Pellevé*, suum ex fratre nepotem; at tentatam in curia Romana confirmationem obtinere nequiens, fatis concessit anno 1594.

XLIV. Philippus *de Pellevé* titulum abbatis commendatarii post patrui obitum sumsit; sed æmulum passus est Franciscum *de Sorcy* monasterii priorem, qui hanc abbatiam utiliter ab anno 1595 ad 1628 administravit, constitutus

vicarius generalis virtute electionis fratrum ab abbate Præmonstratensi confirmatæ. Philippus tamen an. 1620, adprobante Carolo a Lotharingia Virdunensi episcopo, reformationis in monasterium introductionem ratam habuit. De vita cessit anno 1633 mense Februario, pluribus post abdicationem annis.

XLV. N. *de Rebetz*, Philippi coadjutor, ei successit, ac sequenti abbatiam transcripsit an. 1625, vivendique finem fecit 1632.

XLVI. Franciscus II *d'Escajeul de la Bretonniere*, tredecim annos natus, præcedentis nepos, per ipsius cessionem institutus fuit abbas 1625, iniitque possessionem an. 1632. Quæ tamen possessio locum habuisse non videtur.

XLVII. Eduardus *Molé*, senatus Parisiensis principis regiorumque sigillorum custodis filius, evicto Francisco *de la Bretonniere*, patris sui favore abbatiam impetravit a rege an. 1637, quam fratri suo transcripsit an. 1639. Bajocensis episcopus a Ludovico XIV renunciatus est 22 Maii 1647, ut legere est tom. XI, col. 395.

XLVIII. Franciscus III *Molé*, superioris germanus, libellorum supplicum magister, cæteris quas possidebat abbatiis, scilicet Herivalli, S. Cruci Burdegalensi, S. Memmio, Cameræfonti, Prateæ, ex regia, sed nusquam ex pontificia concessione junxit abbatiam S. Pauli 1639. Crebris Præmonstratenses exagitavit litibus, & in summa senectute obiit 5 Maii 1712, ætatis 87.

5 Post Francisci mortem capitulantes apud sanctius consilium de recuperanda electione decertarunt, evidentiaque juris ita prævaluit, ut Ludovicus XIV Johannem *Etheart* Præmonstratensis ordinis alumnum & jam abbatem Lucernæ, S. Pauli abbatem renunciaverit die 15 Augusti 1712: qui morte præocupatus 3 Novembris anni ejusdem possessionem non adiit.

XLIX. Petrus I Ottoboni, S. R. E. cardinalis ad eam abbatiam quæ quatuor vacaverat annis, abbas renunciatus est an. 1716.

L. Petrus II *Guerin de Tencin* in lucem editus est 22 Augusti 1679. Franciæ regni curator in curia Romana, nominatus est archiepiscopus Ebredunensis 12 Maii 1724, & Romæ consecratus ab ipsomet papa die 2 Julii ejusdem anni, S. R. E. cardinalis creatus 23 Februarii 1739. Ad Lugdunensem ecclesiam ex Ebredunensi transfertur mense Septembri 1740. Adest eodem anno electioni Benedicti XIV, apud quem nomine Christianissimi regis oratorem agit. Sacramentum regi dixit 3 Novemb. 1742. Diversis abbatiis a rege donatus est, puta Vezeliaci 15 Aprilis 1702, Triumfontium in diœcesi Catalaunensi mense Maio 1739, S. Pauli Virdunensis per obitum cardinalis Ottoboni 28 Febr. 1740, & Athanaci in urbe Lugduno mense Junio 1757. Is a sanctioribus consiliis & regni administer, vivere desiit 2 Martii 1758 Lugduni, natus annos 77, sex menses & aliquot dies.

A LI. Johannes-Ægidius *du Coetlosquet*, avitæ nobilitatis, filius Alani-Francisci *du Coetlosquet* & Ægidiæ *de Kergus* conjugum, dominorum Insularum, natus 15 Septembris 1700 in castro *de Kerigou* in parœcia *de Tregondern* prope Leonam in Armorica, e sacro fonte susceptus est 23 mensis ejusdem. Licentiatus & prior Sorbonæ, primum fuit episcopi Tutelensis, tum Friderici-Hieronymi *de la Rochefoucault* Bituricensis archiepiscopi vicarius generalis, archidiaconus Castri-Rodulfi, necnon cancellarius ecclesiæ metropolitanæ & universitatis ejusdem urbis Bituricensis, itemque abbas
B Podii-ferrandi in Biturigibus lauream doctoratus in utroque jure adeptus est an. 1733. Lemovicensis episcopus a rege renunciatus mense Septembri 1739, bullas accepit 15 Decembris, consecrationem vero in sacello seminarii S. Sulpicii a præcitato archiepiscopo metropolita suo 7 Februarii 1740, assistentibus dominis *d'Argentré* Tutelensi & *de Kervert* Trecoriensi præsulibus, ingressusque est in possessionem 13 Martii insequentis. Archiepiscopatum Turonensem a rege sibi oblatum recusavit an. 1750. Trenorchiensi an. 1745 mense Aprili nec non S. Pauli Virdunensis an. 1759
C donatur abbatiis. Sub finem mensis Jan. 1758 ob meritum eximiasque virtutes a Christianissimo rege inclyti Burgundiæ ducis delectus fuit didascalus. Quod munus cum omnium plausu & laude, abdicato episcopatu ubi etiamnum ejus memoria in benedictione est, complevit etiam circa alios principes ducis Burgundiæ germanos, scilicet Ludovicum-Augustum nunc ad totius regni felicitatem in throno sedentem, Ludovicum-Stanislaum-Xaverium Provinciæ comitem, & Carolum-Philippum comitem Artesiæ, infantes Ludovici Delfini denati apud Fontem-Bellaqueum 20 Decembris 1765;
D qui piissimus princeps hanc honorificam epistolam de ea dignitate a rege collata ad meritissimum hunc episcopum direxit: *Rien ne pouvoit m'être plus agréable, Monsieur, que le choix que le Roi a fait de vous pour être précepteur de mon fils; & c'est avec un plaisir bien sensible que je vois une ame si précieuse en de si bonnes mains. Mais je vous avouerai que l'on m'effraie par la crainte que l'éloignement que vous avez naturellement pour ce pays-ci, ne vous fasse recevoir cette nomination avec répugnance. Je ne saurois croire que votre piété*
E *ne vous fasse regarder, dans le choix du Roi, la volonté de Dieu, qui, sans sortir du meme ministère, vous appelle à d'autres fonctions bien plus capables encore de procurer sa gloire; tout autre motif seroit indigne de vous etre présenté: aussi je me persuade qu'il suffira pour vous déterminer à accepter une charge pesante à la vérité, mais que personne n'est plus capable que vous de bien remplir. Je crois n'avoir pas besoin d'autres assurances pour vous persuader de mes sentimens & de ma parfaite estime.* Signé LOUIS.

A Versailles, le 23 Janvier 1758.

Præter annotatos abbates in necrologio S. Pauli leguntur : A

Cal. Januarii Folcaudus abbas hujus eccleſiæ.

19 Februarii commemoratio Gerberti abbatis hujus loci.

14 Martii dñi Walterii & dñi Rogerii de Ponte-Montionis abbatum hujus loci.

1 Auguſti Bonis quondam abb. hujus loci.

L'ESTANCHE.

STAGNUM *ſeu* STANCHIA.

Duabus horis ab urbe ſancti Michaëlis, ſex a Virduno, una ab Hatonis-caſtro & paulo amplius a Moſa diſſitum eſt Stagnum ſeu Stanchia, in loco circumquaque pendulis B montibus anguſtato & limpidiſſimis fontium ſcaturiginibus irriguo. Montibus incumbunt ſilvæ opaciores, quæ ſolitario loco ortum intercipiunt ſolis, & alta incolis præbent ſilentia. Hæc abbatia fundata fuit circa annum 1140 ab Alberone Virdunenſi epiſcopo, Bellæ-vallis Stagni matris conditore, locum ipſum cum omni juriſdictione concedentibus Bertaldo & Alberto ejus nepote loci dominis. De ejus monaſterii primordiis Laurentius de Leodio hæc habet : « Noſter epiſcopus, ſcilicet Albero, » rectoribus Præmonſtratenſis ordinis terram ad » tres abbatias fundandas liberaliter tradidit : C » quarum duas ædificavit Philippus venerabilis » abbas, primam quæ Bella-vallis dicitur in ſaltu » Duellii, alteram ſecus Hadonis-caſtrum in loco » qui latine Piſcina, ſed vulgo vocatur Stanchia ; » tertiam Herbertus eremita juxta Arcus-villam » in Valle-Geneſii conſtruxit. Ad dotationem » Albero contulit duo prædia Alti-campi & » Benedictæ-vallis. Alexander III anno 1180 » protectionis & confirmationis privilegium im» pertitus eſt. Eccleſia vero conſecrata ſub titulo Annunciationis B. Virginis Mariæ. »

Pendet autem ab Stagni abbatia capella Benedictæ-vallis, cujus per plurima ſecula D ſucceſſive fuerunt cuſtodes plures eremitæ. Capella hæc deſerta fuit ad uſque annum 1635, quo tempore B. Dei Genitricis interceſſione diverſa patrata ſunt miracula. Ex eo tempore locus hic exſtitit famoſus magno peregrinorum concurſu, quibus ergo ſpiritalia adminiſtrandi auxilia Præmonſtratenſibus viſum eſt illic quatuor inſtituere canonicos ſui ordinis, quos abbas Stanchiæ ex ſuo monaſterio ad nutum mittere & revocare conſueverat. Eo loci nunc cernitur monaſterium partim fidelium oblationibus exſtructum, partim largitionibus perſonarum nobilium, in primis domini Antonii E *de Leſcalle* defuncti 21 Martii 1698, & dominæ Margaritæ *de Condé* ejus uxoris mortuæ 7 Septemb. 1696. Hi ad cultum trium canonicorum neceſſaria præbuerunt, juſſeruntque ut nova ædificaretur eccleſia, in cujus navi tumulantur ambo cum metrica inſcriptione.

His benefactoribus merito accenſendus eſt dominus Nicolaus *du Hautoy* eques, dominus *de Boinville*, *Bullainville* & *Nubecour*, qui ad cultum unius canonici domum indulſit anno 1707.

ABBATES.

I. Philippus, Bellæ-vallis abbas, Stanchiam non ædificaſſe modo dicitur, ſed & rexiſſe creditur.

II. Otto concordiæ inter Amelium Bellævallis abbatem & Waltherum abbatem S. Petri montis initæ arbiter fuit anno 1174.

III. Bonardus confirmationis & tuitionis privilegium ab Alexandro III obtinuit anno 1180.

IV. Gerardus I ab Alberto de Hirgis epiſcopo apud Hatonis caſtrum in declivi montis obtinuit vineam, itemque bonorum confirmationem anno 1194.

V. Helbertus ſeu Herbertus 1197.

VI. Petrus in necrologio S. Pauli Virdunenſis conſignatur 8 Auguſti.

VII. Varnerus circa annum 1240 ſilvas ad cenſum tradidit incolis pagi Mortuæ-villæ.

VIII. Johannes I donationem ſui anteceſſoris probavit menſe Januario 1259.

IX. Theobaldus a Roberto epiſcopo anno 1267 ſententiam impetravit adverſus Guillelmum *de Giebercourt*, ligna in ſilvis Stagni cædentem pro clibano Hatonis-caſtri.

X. Nicolaus I ſubſcripſit an. 1281 fidelitatis juramento ab Henrico *de Champlong* præſtito Henrico præſuli. Mortuus anno eodem.

XI. Johannes II acquiſivit anno 1281 die 30 Junii a Garſio de S. Juliano partem decimarum in villa S. Mauricii.

XII. Nicolaus II occurrit in documento anno 1298.

XIII. Jacobus 1323 ſcripto profitetur an. 1325 monaſterium ſuum ſub protectione Henrici de Aſpero-monte epiſcopi ejuſque ſucceſſorum conſiſtere.

XIV. Gerardus II 1339 ſubſcripſit litteris Johannis *d'Orne*, profitentis fidem & hominium Valerano *de Luxembourg*. Subſcripſit etiam an. 1346 chartæ nobilis Jacomini de Briolis, cedentis Henrico de Aſpero-monte epiſcopo jura omnia quæ ſibi competebant in bannis *d'Anglemont* & *Miroval*. Occurrit etiam annis 1361, & 1364 die ultima Auguſti.

XV. Andræas occurrit in inſtrumento anni 1385. Inſequente graves delatæ ſunt querelæ adverſus eum ad Johannem abbatem præmonſtrati, qui abbati Bellæ-vallis id dedit mandatum, ut Johannem *Damanche* canonicum S. Mariæ Nemorenſis abbatem inſtitueret, ſi Andræas foret inhabilis. Exceſſit autem anno 1404.

XVI. Waltrinus *de Manicourt* electus menſe Februario 1404, præſente Habrando ſancti Pauli abbate, a Jacobo Bellæ-vallis deputato. Confirmatus fuit anno 1407 die 3 Decemb. a Johanne de Lexovio archidiacono Virdunenſi in perceptione medietatis decimarum groſſarum & minutarum villæ *de Tillot*.

XVII. Johannes III *d'Amance* præerat anno 1407. Sub annuo cenſu aliquot fundos terræ Jacomino de S. Mauricio conceſſit 3 Februarii

1427. Censuali denario solvi solito ob vineas Hatonis-castri condonatus est a Ludovico de Haraucuria episcopo 1431.

XVIII. Rolinus Habrando abbati S. Pauli Theobaldum *de Montquentin* canonicum obedientia solutum tradidit anno 1435, sub ejus obedientia victurum.

XIX. Michaël *Lambault* 1467 quædam comparavit in villa dicta *Tillot*, quæ vendidit abbati S. Benedicti. Memoratur etiam annis 1467, 1471.

XX. Johannes IV *de Molley* fidem juravit 1484 Guillelmo de Haraucuria episcopo. Quamdam prati portionem acquisivit 12 Januarii 1485.

XXI. Johannes V *Damel* al. de Rivo domum in urbe S. Michaëlis emit an. 1493. Abbas itidem erat Salinæ-vallis anno 1496, quo Stagnensi ecclesiæ procuravit indulgentias centum dierum pro illis, qui festis diebus Purificationis, Nativitatis & Conceptionis Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentis reficerentur. Sic memoratur XV cal. Febr. in necrologio S. Pauli: *Commemoratio fratris Johannis de Rivo canonici & sacerdotis hujus loci, & quondam abbatis sanctæ Mariæ de Stagno & Salinæ-vallis, qui obiit anno 1500.*

XXII. Georgius *de Vennes* præerat 25 Martii 1500. Deputatus ab abbate Præmonstrati præfuit anno 1505 electioni Mengini abbatis S. Mariæ de Nemore. Adhuc occurrit 1510, fatisque concessit anno 1512.

XXIII. Desiderius I *Vignon* in abbatem cooptatus fuit 27 Februarii 1512. Johannis *de Bachimont* abbatis Præmonstrati visitationem canonicam excepit 1514. Defunctus an. 1520.

XXIV. Ascelinus I *Guerrin*, Dominico abbate Nemorensi præside, eligitur abbas 25 Januarii 1520. Capitulo generali dum interesset anno 1539, obtinuit facultatem suum nepotem in coadjutorem assumendi; in cujus favorem sub pensionis reservatione, & retento regressus jure, abbatiam dimisit anno 1542.

XXV. Ascelinus II *Valere* ex antecessoris abdicatione abbas, secus rivulum Stagni construxit molendinum 1553, obsistentibus Hatonis-castri officiariis, quos principis edicto domuit. Acquievit anno 1553.

XXVI. Germanus *Tricart* electus ipso sancti
A Augustini festo, decessit 1576 mense Aprili.

XXVII. Desiderius II *Petitcolot* 1 Maii 1576 pedo pastorali donatus, Tulli benedictionis munus accepit 3 Junii insequentis. Plurimum ad monasterii commodum operatus, a seculo migravit mense Aprili 1588.

XXVIII. Thomas *Janon* ex priore fratrum calculis Desiderio subrogatur 12 Aprilis 1588, & a Nicolao *Boucher* episcopo benedicitur 30 Junii insequentis. Abdicavit an. 1593.

XXIX. Firminus *la Trompette* creatus abbas 1594, abbatiales ædes totumque monasterium a fundamentis excitavit, regularis disciplinæ
B aliunde studiosus, quam strenue promovit. Nepoti suo abbatiam transcripsit 1625, supremumque diem obiit 3 Februarii 1626.

XXX. Johannes VI *la Trompette* reformatos patres in monasterium induxit, verum facti mox velut pœnitens hos male tractavit. Propter vitam moresque dissolutos, judicium ordinis prævertens, abdicavit ac secessit ad S. Mauricium, ubi vivere desiit an. 1671, unde revectus est sepeliendus in ecclesia monasterii.

XXXI. Macarius *Guinet*, canonicus reformatus & prior sancti Pauli Virdunensis, in
C abbatem cooptatur 21 Decembris 1670 & benedicitur 11 Januarii sequentis. Brevi præfuit, nam 25 Aprilis 1672 in gratiam sequentis sponte cessit & se recepit ad S. Mariam Majorem, ubi diem clausit extremum 19 Januarii 1677.

XXXII. Dominicus *Calot* possessionem iniit 27 Januarii 1673, vir summæ pietatis & eruditionis. Exstinctus 28 Novemb. 1684.

XXXIII. Edmundus *Maclot* electus 6 Januarii 1685, possessionem nactus 13 Junii, benedictionisque munere donatus 23 Decemb. Vicarii generalis suæ congregationis vice non
D semel functus, decessit VI non. Octob. 1711.

XXXIV. Johannes-Franciscus-Josephus *Boucart*, sacræ theologiæ doctor, vir singulari pietate, zelo observantiæ & doctrina præditus, electus fuit 21 Octobris 1711, confirmatus 20 Novemb. possessionem adeptus 4 Januarii 1712, benedictionemque accepit 1 Maii insequentis.

XXXV. N. *Tenodel* abbas a rege nominatus anno 1767.

NANCEIENSIS ECCLESIA.

LOTHARINGIÆ ducatus urbs caput & princeps Nanceium ad fluvium Murtham, solo situque amœnum, omnibus antiquis geographis ignotum, si quibusdam fides est, fundatricem habuit Evam comitissam, prioratus de Layo conditricem, quæ ad annum 960 in circuitu castri ab illa ædificati aliquas ædificavit domos: unde locus, ut aiunt, quondam dictus est *villa Hevæ super Murtham.* Recurrunt plura homagii acta, quod duces Lotharingiæ pro ipsa *villa Hevæ* imperatoribus Germaniæ præstiterunt, simulque ab ipsis principibus cudendæ monetæ jus consecuti sunt. Etiamsi Lotharingiæ duces apud Nanceium plerumque monetam cuderint, non inde sequitur Nanceium idem esse cum villa Hevæ. Et certe eruditi quidam viri censuerunt comitem Nanceium fundatorem monasterii de Mauri-monte, laudatum in documento edito anno 1074, licet multos ante annos superstitem, urbem condidisse, nomenque suum dedisse huic urbi. Verum hæc etymologia non nisi librarii errore innititur, utpote monumenta Mauri-montis comitem vocant Nanterum, nunquam vero Nanceium. Odelricus, Gerardi Alsatiæ ducis frater, cognominatur de Nanceio in actis anni 1069, ejusque posteri idem cognomen tulerunt, sane quod ea civitas ad illos pertinuerit. Eam urbem Drogo de Nanceio duci Lotharingiæ cessit, ut probant hæc verba ex archivio Lotharingiæ eruta: « Die XI Decembris 1115 Drogo princeps supremus & possessor Nanceianæ civitatis, dederat duci Lotharingorum Mosellanicorum castrum suum de Nanceio, villam subter illud « constructam & appenditias earum, in escambium castri & castellaniæ Roseriæ salinatæ, curtis « Lenonis comitis, Banni-Medii castri & Essonis villæ, reservavitque sibi seneschalcum & « posteris suis nomen de Nanceio. » Triginta millia circiter habitatorum numerum urbs continet; Parlamentum seu curiam supremam regiam; Universitatem quatuor facultatibus constantem, ex civitate Mussipontana a Ludovico XV rege 3 Augusti 1768 translatam, cujus Nanceyensis episcopus perpetuus est cancellarius; septem parochiales ecclesias, quinque in urbe duasque in suburbiis; abbatiam S. Leopoldi, ordinis S. Benedicti; canoniam Præmonstratensium; aliasque virorum communitates decem, puta Augustinianorum, Dominicanorum, duas Minimorum, Franciscanorum, Carmelitarum, Tiercelinorum, Capucinorum, fratrum de Caritate, fratrum de Scholis christianis; plures etiam feminarum conventus, scilicet Dominicanarum, virginum de S. Sacramento, de S. Elisabetha, de Congregatione, de Annuntiatione, de Visitatione, duos Carmelitanarum, de Refugio, Tiercelinarum, & Orphanarum. Una ab urbe leuca distat eximia Cartusia, ad Murtham sita, fundata a Carolo IV duce an. 1632 in loco pagi de Bosservilla hodie non superstitis, in quam hujus principis corpus deportatum fuit an. 1717. Ante id oppidum Carolus dux Burgundiæ, qui illud obsidione cinxerat, victus occisusque est a Renato II duce Lotharingiæ anno 1477, die 5 Januarii. In hac urbe, ducatus Lotharingiæ capite, quam maxime episcopatum erigere cupiebat dux Lotharingiæ Carolus III, jamque ab anno 1598 nihil non moliri cœperat, ut propositum suum assequeretur. Quod ubi compertum est cardinali *d'Ossat,* Francici regni negotia in curia Romana gerenti, mox ille commonefecit regem, qui consilii ducis exsecutioni intercessit; simul etiam Trevirensis archi- Charta c, episcopus & capitulum Tullensis ecclesiæ suum denegarunt assensum. Tantas tollere difficultates col. 368. cum dux non valeret, pontificem rogavit erectionem collegiatæ ecclesiæ sub nomine Primatialis, ac præsidi capituli titulum primatis. Concessa itaque est hac de re bulla a Clemente VIII idibus Martii 1602, qua pontifex statuit ut capitulum, quod apostolicæ sedi immediate subjicit, quatuor constet dignitatibus, scilicet primate, cui pontificalium ornamentorum permittit usum, decano, cantore & scholastico, tredecim canonicis, & octo capellanis seu vicariis. Post ducem Carolum III nihil non etiam moverunt duces Henricus II & Carolus IV, ut sedes episcopalis apud Nanceium institueretur; sed nec ipsi id perficere potuerunt. Ad hujus ecclesiæ dotationem adnexa sunt mensa abbatialis Clari-loci; antiquissimum sancti Martini Metensis monasterium, post cujus eversionem monachi translati fuerant in prioratum beatæ Mariæ Nanceiensis a Molismo dependentem, qui quidem primatiali adjunctus est; prioratus de Salona pendens a monasterio S. Michaëlis ad Mosam. Ad hæc adde tres canonicatus ecclesiæ sancti Deodati; bona ecclesiæ collegiatæ S. Laurentii de Dei-custodia, a Benedictinis Anglis abhinc anno 1606 occupatæ; prioratum sancti Nicolai de Portu, cujus ecclesia nunc possidetur a monachis congregationis sancti Vitoni; prioratus etiam S. Dagoberti de Stenaco diœcesis Trevirensis & Varengevillæ Tullensis, a Gorziensi abbatia dependentes. Unitum quidem fuerat ipsius pontificis Clementis autoritate Gorziense monasterium, quod per initam ultima Februarii 1661 inter Ludovicum XIV & Carolum IV ducem Lotharingiæ pactionem sejunctum fuit & attributum Franciæ regi, qui consensit, ut primatialis proventibus mensæ abbatialis Insulæ-Barrensis frueretur. Ecclesiæ fundamenta jacta sunt, primariusque lapis positus est ab Antonio *de Lenoncour* decano XVII. cal. Octob. 1603: sed bella quæ in provincia

supervenerunt diu in causa fuere cur non absoluta sit. Perfectum tamen est opus Leopoldi ducis jussu altera, qua incoeptum fuerat, ichonographia, præterquam quod tholus culmini ædificii non fuerit impositus. Edixit idem dux Leopoldus anno 1698 ne ullus admitteretur canonicus, nisi prius nobilitatis facta probatione. Ad splendorem & accretionem capituli Stanislaus Poloniæ rex adnexuit collegiatam S. Georgii Nanceiensis an. 1742. Quin etiam Benedictus papa XIV anno 1756 canonicis habitu violaceo & humerali super supparum jus utendi permisit. Hos quidem pectorali cruce ex una parte icone annuntiationis B. Mariæ Virginis & ex altera S. Sigiberti regis insculpta decoravit 2 Junii 1757 ipse rex Stanislaus. Antecessorum suorum Lotharingiæ ducum ad exemplar Ludovicus XV Franciæ rex anno 1766 sivit ut inter canonicos adscriberetur. Itaque Christianissimus rex primus est canonicus. Quam tamen efficere non potuerant Lotharingiæ duces episcopatus apud Nanceium constitutionem, hanc Christianissimi reges exsecuti sunt. Equidem Ludovicus XV, cui per obitum soceri sui Poloniæ regis Lotharingia obvenerat, summe exoptavit anno 1774, ut duo in eo ducatu instituerentur episcopatus, alius scilicet apud Nanceium, & alius apud S. Deo-datum: quin imo utriusque ecclesiæ præsules designavit. Antecessoris & avi sui propositum Ludovicus XVI diplomate regio probavit 12 Martii 1775, ac summus pontifex Pius VI erectionis bullam dedit XIII calend. Decembris 1777, servato Nanceiensi præsuli primatis titulo, & ecclesiæ cathedrali primatialis nomine; ita tamen ut hæc denominatio primatis & primatialis tam episcopo quam capitulo Nanceiensi nullum jus superioritatis aut præeminentiæ supra cæteros episcopos, cæteraque capitula cathedralium ecclesiarum provinciæ conferat. Nova hæc dioecesis ex episcopatu Tullensi, velut etiam dioecesis S. Deodati, in totum distracta, complectitur 169 parœciales ecclesias cum annexis 97; duas ecclesias collegiatas, aliam sanctæ Crucis a Theobaldo II Barrensi comite fundatam Mussi-ponti anno 1260, apostolicæ sedi immediate subjectam, uno præposito & quinque canonicis constantem; alteram apud Haussonis-villam a Johanne de Haussonis-villa de Castellione, & Ermensona *d'Autel* ejus uxore, cui deserviunt præpositus ac quatuor canonici. Exstant quoque plures abbatiæ, de quibus mox agemus, itemque nonnulli prioratus: videlicet Layum, Flaviniacum, atque Fronvilla ordinis Cluniacensis, ab Odoino condita anno circiter 1081.

Tres sunt dignitates in capitulo cathedralis; 1.° decanatus, quo fruitur Jacobus-Marcus-Antonius *de Mahuet de Lupcourt*, dioecesis vicarius generalis, designatus abbas Ebrolii 3 Octobris 1779, tum Caladiæ 22 Martii 1780; 2.° cantoria; 3.° scholastria. Sunt duo archidiaconi, viginti & unus canonici, duo subcantores, vicarii perpetui octo, sacrista, bibliothecarius, quatuor capellani, magister musices, & octo pueri chorales.

PRIMATES NANCEIENSES.

I. CAROLUS I *de Lorraine*, Caroli III ducis fundatoris ex Claudia a Francia filius, Metensis & Argentoratensis episcopus, primus primas, Nanceii decessit 24 Novembris 1607: sepultus in eadem primatiali ecclesia. De eo fusius in episcopis Metensibus, ubi vide col. 798.

II. Antonius *de Lenoncour*, abbas Belliprati, prior Layi, primas Nanceii ab anno 1607, fruitus est ad usque annum 1636, quo mortuus est 16 Julii.

III. Carolus II *de Lorraine*, Caroli III Lotharingiæ ducis filius naturalis, abbas Gorziæ, obtinuit ab anno 1636 ad 1645. Cessit e vivis an. 1648.

IV. Carolus III *de Lorraine*, qui postea Lotharingiæ dux evasit sub nomine Caroli V, a præcedente postulatus anno 1643 in omnium ejus beneficiorum coadjutorem, propter teneram ætatem bullas assequi non potuit nisi anno 1645. In sequentis gratiam cessit post mortem Ferdinandi fratris sui natu majoris, quæ contigit anno 1659; tunc ille clericali militiæ nuntium remisit, uxoremque duxit anno 1678.

V. Ludovicus-Alphonsus *de Lorraine*, eques *d'Harcourt*, per præcedentis abdica-

A tionem fruitus est usque ad annum 1687, quo vel circiter excessit.

5 Mathurinus *Savary* a Ludovico XIV designatus primas, bullas non adeptus est; sed virtute brevis regii proventibus fruitus est usque in annum 1697, quo Lotharingia per tractatum pacis proprio duci reddita est.

VI. Carolus IV *de Lorraine*, elector Trevirensis, Osnabrucensis & Olomutiensis episcopus, a patre suo Carolo V renuntiatus primas circa annum 1687, obiit 4 Decemb. 1715. Reditus omnes ædificandæ ecclesiæ destinavit. Eo defuncto, Leopoldus dux ex consensu summi pontificis, primate non designato,

B continuandæ ecclesiæ constructioni reditus omnes per plures annos insumsit.

VII. Franciscus-Vincentius-Marcus *de Beauvau* a Leopoldo duce nominatus fuit anno 1722, obiitque anno 1742.

VIII. Antonius-Clairiadus *de Choiseul-Beaupré* designatus a rege Poloniæ an. 1742, cardinalis, archiepiscopus Vesontionensis consecratus 25 Maii 1555, abbas S. Bertini, decessit 7 Januarii 1774, natus annos 68.

IX. Ludovicus-Hector-Honoratus-Maximus *de Sabran*, ex comitibus Forcalquerii, abbas commendatarius Josaphati, canonicus,

archidiaconus & Vicarius generalis Carnotensis, Reginæ primus eleemosynarius, post cardinalis *de Choiseul* obitum Nanceiensis primas evasit. Designatus a rege Ludovico XV anno 1774, qui primus in urbe & futura diœcesi Nanceiensi, quam constituere idem rex decreverat, episcopale munus obiret, in eadem dignitate confirmatus fuit a Ludovico XVI die 12 Martii 1775, donatusque autoritate persequendi cum in curia Romana, tum A in Francia episcopatus erectionem. Et vero ille, atque dominus Bartholomæus-Ludovicus-Martinus *de la Galaisière* designatus etiam primus episcopus S. Deodati cum illustrissimo episcopo Tullensi, ex cujus diœcesi duo novi episcopatus debebant abstrahi, transactionem inierunt 17 Augusti 1776. Sed enim dominus *de Sabran*. necdum consecratus, a præcitato rege Ludovico XVI nominatus est episcopus Laudunensis anno 1777.

EPISCOPUS NANCEIENSIS.

DE LA TOUR-DU-PIN-MONTAUBAN.

I. Ludovicus-Apollinaris.

Nobilissimo natus sanguine Ludovicus-Apollinaris, Eduensis episcopi vicarius generalis & abbas Altæ-silvæ ab anno 1769, in locum domini *de Sabran*, a Ludovico XV rege ad episcopatum Nanceiensem designati, postea vero a Ludovico XVI ad sedem Laudunensem traducti, suffectus est ab ipso rege 10 Augusti 1777, eaque donatus cura ut a summo pontifice cum episcopatus erectionis, tum ad episcopales infulas promotionis bullas adipisceretur. Per breve regium jubet rex, ut titulus primatis penes novum episcopum maneat, ecclesiaque cathedralis primatialis nomen B retineat, absque tamen nullo jure præeminentiæ supra cæteros episcopos provinciæ. Actam inter episcopum Tullensem & dominos *de Sabran* & *de la Galaisière* de erigendis episcopatibus Nanceii & S. Deodati transactionem 17 Augusti 1776, laudavit & ipse, suoque chirographo probavit anno 1777 die 18 Augusti, ac bullam erectionis episcopatus a Pio VI pontifice Romæ datam XIII calend. Decembris ejusdem anni consecutus est. Consecratus Parisiis 25 Januarii 1778, regi fidem Versaliis inter missæ solemnia juravit 27 ejusdem mensis, ac possessionem accepit 28 Martii ejusdem anni.

Abbatiæ diœcesis Nanceiensis e Tullensi sejunctæ, sunt numero octo, & duo Prioratus conventuales; nempe,

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

Layum, *Lay.*
Flaviniacum, *Flavigny.*
Sanctus-Leopoldus, *saint Leopold.*

Feminarum.

Buxeriæ, *Bouxières-aux-Dames*, hodie collegium nobilium virginum.

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

Domnus-Aper, *Dom-Evre.*
Bellus-campus, *Belchamp.*
Sanctus-Remigius, *S. Remy.*

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Bellum-pratum, *Beau-pré.*
Alta-silva, *Hautefeille.*
Clarus-locus, *Clair-lieu.*

LAYUM.

LAY.

Quondam fuit castrum comitum Calvomontensium ubi Eva uxor comitis Hugonis in honorem S. Christophori condidit prioratum anno 950, quem attribuit monasterio S. Arnulfi Metensis, cujus abbati diu solutum est a priore annuum vectigal 40 C librarum. Matris suæ Evæ donationem ratam habuit anno 959 Odolricus, futurus postea Remensis archiepiscopus, jam ætate maturus, significavitque se hoc magno teneri desiderio, ut reliquiæ S. Cleodulfi loci patroni illuc transferrentur. Tradita est anno 1092 a Matfrido ejusque uxore Cunegunde ecclesia quam in alodio suo de Vissa habebant. Res omnes cellæ indultas in diœcesi Tullensi autoritate sua fulsit anno 1130 Henricus episcopus. Distat hic prioratus ab urbe Nanceiana una leuca, versus aquilonem. Illic exstat cœtus monachorum aliquot congregationis S. Vitoni, quorum ingressui Gregorius XV maximus pontifex ad preces Antonii *de Lenoncourt* prioris favit anno 1621. Unita est mensa D prioralis domui Missionum regiarum Lotharingiæ.

PRIORES.

I. Antonius I natione Italus, adhuc junior monachum induit in monasterio S. Arnulfi. Aliquanto post factus prior Layi, monasterium reædificavit, simulque ecclesiam, quam a Pibone episcopo Tullensi curavit consecrari 18 Octobris 1092. Ob prudentiam & insignem œconomiam, procurante Poppone Metensi episcopo, creatus est abbas Senoniensis anno 1098. Ignorantur plurimi ejus successores.

II. Rainerius 1215.

III. Guillelmus I 1270, 1271.

IV. Ainardus *de Porte-trienne.*

V. Richardus *de S. Germain* 1326, 1330.

VI. Guillelmus II *d'Ameronville* 1337.

VII. Nicolaus I *de Montclair* 1339, 1343.

VIII. Ingerranus *Piedeschaut*, Metensis, 1348.

IX. Jacobus I *de Pontamousson*, 1355, 1363.

X. Johannes I *de Lucey*, 1364, 1374.

XI. Theobaldus *Bouquin* 1380.

XII. Johannes II 1394.

XIII. Nicolaus II Casanius 1405.

XIV. Jacobus II *Mercaire* ab anno 1420 usque ad annum circiter 1449, quo Nicolaus pontifex bullis proventus prioratus adnexuit abbatiæ S. Arnulphi. Verum hæc unio locum non habuit; nam Johannes *Pignon* devolutum projecit in prioratum, quo tamen non fruitus est, quia beneficium illud collatum fuit in commendam a papa cardinali S. Sabinæ; verum & ille gavisus non est, nam

XV. Leobaldus *de Ville*, monachus sancti Arnulphi, ab abbate suo, cujus juris erat nominare, creatus est prior anno 1452. Supplicem libellum Pio II obtulit anno 1463 hac de re, ut commissarios obtineret adversus priorem claustralem sancti Arnulphi, qui contra eum famosam tulerat sententiam.

XVI. Johannes III *de Lamballe*, protonotarius apostolicus & primicerius Metensis, pensionem super prioratum a papa obtinuit, quin & prioratu fruitus est ex consensu abbatis S. Arnulphi Johannis de Valle, qui nomine Johannis prioris administratorem instituit, dans illi id mandatum ut quemdam Jacobum monachum vagabundum expelleret.

XVII. Johannes IV notarius, prior anno 1481, tum abbas S. Symphoriani Metensis, decessit anno 1522.

XVIII. Johannes V *de Lorraine*, cardinalis tituli S. Onuphrii, prioratum adeptus anno 1522, sequentis in gratiam resignavit anno 1524.

XIX. Johannes VI *du Fresneau* nepoti suo cessit anno 1538, regressus jure & fructibus reservatis.

XX. Johannes VII *du Fresneau de Pierrefort*, præcedentis nepos, clericus, fructuum possessionem accepit tantum anno 1544, post patrui obitum. Cum solus e familia sua superesset, sua beneficia resignavit, scilicet prioratum Jacobo *Simonet*, & abbatiam S. Michaëlis Renato *Merlin*, contraxitque matrimonium.

XXI. Jacobus III *Simonet* obiit an. 1572.

XXII. Antonius II *de Lenoncourt*, postea Nanceianæ ecclesiæ factus primas, prioratum adeptus est an. 1572. Coadjutorem adscivit sibi an. 1614 Dominicum *Husson*, cui cedenti suffecit nepotem suum Claudium-Theodorum *de Lenoncourt*, mortuum an. 1633, cui etiam substituit alium nepotem, successorem suum. De vita cessit anno 1636.

XXIII. Henricus I *de Lenoncourt* cessit sequentis in gratiam anno 1645.

A XXIV. N. *de Stainville de Couvogne* defunctus anno 1657.

XXV. Henricus II *de Salins*, nominatus a serenissimo principe *de Furstemberg*, abbate S. Arnulphi, cum Claudio *Droüot*, qui prioratum in Curia Romana ut vacantem fuerat adeptus, transegit & obtinuit anno 1668, sequentique transcripsit anno 1694.

XXVI. Franciscus-Philippus *Morel*, regi ab eleemosynis, ecclesiæ Parisiensis canonicus, consiliarius clericus, abbas Casiaci, resignavit sequenti 1715.

XXVII. Augustinus *Calmet*, congregationis B S. Vitoni monachus, postea Senoniensis abbas, per superioris cessionem consecutus est anno 1715.

XXVIII. Hyacinthus *la Fauche*, per cessionem præcedentis prior evasit an. 1728.

FLAVINIACUM. FLAVIGNY.

TRIBUS a Nanceio & quinque leucis a Tullo ad austrum distans Flaviniacum ad litus Mosellæ, prioratus est abbatiæ sancti Vitoni subditus. Fuit olim fiscum regium, quod Berengarius episcopus Virdunensis ab Ottone rege acceptum tribuit Humberto sancti C Vitoni abbati, qui circa annum 959 corpus S. Firmini, ejusdem sedis olim episcopi, quod in ecclesia S. Vitoni per Eugeniam piissimam feminam est revelatum, cum præfati Berengarii licentia ad hunc locum transtulit. Servatum fuit pretiosum id pignus in ecclesia S. Hilarii de Flaviniaco usque in annum 1020, quo Rainulfus monachus, sacrarum reliquiarum custos, Richardo abbati sancti Vitoni denunciavit S. Firminum velle ut in honorem suum ecclesia & monasterium ædificaretur. Operi mox manum Richardus admovit, ecclesiamque dedicavit Bruno Tullensis circa D annum 1048 idibus Octobris. Ad petitionem Laurentii abbatis traditas omnes possessiones Flaviniacensi cellæ Henricus Tullensis episcopus confirmavit seculo sequenti. Prioratui huic deserviunt monachi congregationis sancti Vitoni.

PRIORES.

I. RAINULPHUS Richardum abbatem de ædificanda in honorem sancti Frmini ecclesia commonefecit circa annum 1020.

II. Odo, nominatus ab abbate Richardo E prior, navim ecclesiæ S. Firmini absolvit, eamque a Brunone episcopo Tullensi dedicari fategit.

III. Gerardus I acquisivit ab abbate Belliprati alodium de Linevilla an. 1142. Adhuc erat superstes an. 1150.

IV. Varinus, cujus curis Cono abbas sancti Vitoni ab Henrico episcopo obtinuit præsentationem ad ecclesiam parœcialem de Flaviniaco anno 1164.

V. Petrus I præerat ante annum 1196.

VI. Guillelmus simul fuit abbas S. Mansueti, tum sancti Vitoni. Potitus est ab anno 1217 usque

usque ad annum 1259, quo decessit calendis A Novembris.

VII. Paulus I obtinebat anno 1271, dictus etiam abbas S. Vitoni in charta Flaviniaci.

VIII. Hugo memoratur ad annum 1284.

IX. Aubertus *de Mannonville* 1307.

X. Johannes I *de Lineville* seu *de Henville* ab anno 1310 usque ad 1340.

XI. Gerardus II *de Basaille* in chartis ab anno 1340 ad 1348.

XII. Petrus II *de Jency* 1351.

XIII. Nicolaus cardinalis de Aragonia, 1357, 1359.

XIV. Johannes II *de Trie* al. *Thirn* & *Trin* B 1370, defunctus 1382. Simul abbas S. Vitoni.

XV. Hermannus *d'Ogiviler* priorale pedum obtinebat anno 1385. Post obitum Henrici *de Passavant* in abbatem S. Vitoni electus a monachis, destitutus fuit a summo pontifice. Adhuc superstes erat anno 1413.

XVI. Johannes III *d'Ogiviler* ab anno 1405 usque ad 1419.

XVII. Dominicus *la Barbe* in duobus documentis legitur 1420, & 1422 die 8 Februarii.

XVIII. Johannes IV *de Baulmont* 1424, defunctus 1429 & sepultus ad ingressum chori. C

XIX. Antonius I *de Serrieres* al. *des Guerres* renunciatus est prior ab abbate sancti Vitoni 11 Septembris 1439. Factus fuit abbas sancti Vitoni an. 1454 per cessionem Guillelmi *Huin* cardinalis; simul retinuit prioratum, & occubuit anno 1475.

XX. Bartholomæus *de Lucy* prior Flaviniaci & S. Nicolai de Portu, evasit abbas sancti Arnulphi an. 1480, vixitque ad usque annum 1509.

XXI. Varricus *de Lucy* anno 1510 prioratum obtinuit novem annos natus, chorum confecit eximiisque vitris exornavit. Cessit D e vita an. 1557.

XXII. Antonius II *d'Haraucour* mortuus 20 Januarii 1605, in medio chori sepultus juxta Varricum suum antecessorem.

XXIII. Carolus I *d'Haraucour*, præcedentis nepos & coadjutor ab anno 1595, canonicus Metensis, pauco tempore fruitus est.

XXIV. Paulus *d'Haraucour*, superioris frater, prioris munus agebat 28 Januarii 1607. Occurrit usque ad annum 1628. Matrimonio constrictus fuit, & in singulari certamine occisus.

XXV. Erardus *de Pulnoy*, protonotarius E apostolicus, prioratum in commendam obtinebat annis 1632, 1634. Cessit in gratiam sequentis, cujus sororem in uxorem assumpsit. In undis Mosellæ vitam amisit.

XXVI. Claudius *d'Arbois* prior erat anno 1635, fruitusque est per quatuor annos; in extrema egestate periit.

XXVII. Domnus Placidus, qui præses fuerat congregationis S. Vitoni, nominatus est a monachis abbatiæ S. Vitoni, iniitque possessionem 15 Decembris 1640. Monachos qui huic ecclesiæ inservirent, accivit, eisque mensam attribuit, approbante Parlamento Metensi senatusconsulto dato 12 Januarii 1641. Submovit æmulum N. *de Montmagny* a Christianissimo rege nominatum.

XXVIII. Carolus II *de Lorraine*, abbas Gorziæ primasque Nanceii, bullas adeptus est 8 Januarii 1642; coegit D. Placidum ad abdicandum, satisque concessit an. 1648.

XXIX. Carolus III *de Lorraine* post præcedentis obitum prioratum aliaque ejus beneficia consecutus est, gavisusque est usque ad annum 1657.

XXX. Franciscus *de Riguet*, major præpositus sancti Deodati, abbatiam Jovillaris permutavit anno 1657 pro prioratu, quem resignavit anno 1692 domno Carolo *Noirel* sub pensione sexcentorum nummorum.

XXXI. Carolus IV *Noirel* mensæ suæ proventus partim cessit ad ædificanda domus conventualis ædificia. Adscito sibi coadjutore anno 1710 Carolo *Vassimont*, mortuus est 3 Maii 1712.

XXXII. Carolus V *Vassimont* claustralia ædificia absolvit, & ecclesiam plurimum auxit. In coadjutorem eum qui sequitur assumpsit anno 1724.

XXXIII. Remigius *Ceillier* bullas consecutus est 7 idus Octobris 1724.

XXXIV. N. *Gueniot* an. 1779 prioratu gaudet, habetque coadjutorem domnum *Debras*.

SANCTUS-LEOPOLDUS.

SAINT-LEOPOLD.

HENRICO II duci Lotharingiæ suam debet originem abbatia S. Leopoldi. Princeps hic capto consilio Benedictinos reformatos congregationis SS. Vitoni & Hildulfi in urbe Nanceio, Lotharingiæ ducatus capite, instituendi, locum ubi etiamnum exstat monasterium tradidit anno 1615. Ad ejus preces pontifex maximus Paulus V bulla data 24 Decembris 1616 fecit licentiam construendi monasterii, sub ea invocatione vel appellatione, quæ congregationis superioribus placeret. Jubet idem pontifex ut illic confoveantur duodecim monachi, quorum superior abbatis vel prioris titulum præferat; imo quidem in perpetuum proventus omnes prioratus Bellævallis, positi prope castrum ad Mosellam, a Mediano-monasterio pendentis, adnectit. Ex eo tempore hoc monasterium nuncupatum fuit prioratus S. Crucis, sub quo vocabulo consecratus erat prioratus Bellæ-vallis. Nihilominus bulla non omnem suum sortita est effectum, pauci enim monachi eo loci substiterunt usque ad annum 1701, quo Leopoldo duci visum est ut quatuor ordines, scilicet Benedictinus, Augustinianus, Cisterciensis & Præmonstratensis uniquique abbatiam haberent in urbe Nanceiana. Quocirca diplomate dato 10 Decembris anno 1701 superioribus congregationis S. Vitoni permisit ut hunc prioratum proventibus augerent, & ut idem prioratus, qui titulo abbatiæ insignitus est, ex ipsius ducis

Charta LXXXVII; col. 538.

nomine abbatia S. Leopoldi vocaretur. Eodem anno cœpta est ecclesia, quam D. Franciscus *Blouet de Camilly* episcopus Tullensis consecravit 14 Novembris 1706. Primi hujusce monasterii abbates fuerunt amovibiles, & a capitulo generali congregationis sancti Vitoni pendentes.

Aliquot Abbates.

I. Domnus Humbertus *Belhomme* ab anno 1702 ad 1704.

II. D. Matthæus *Petitdidier* ab anno 1705 ad 1708.

III. D. Carolus *George* 1709, 1710.

IV. D. Mathhæus *Petitdidier* iterum ab anno 1711 ad 1715.

V. D. Franciscus *Guillaumé* 1716, 1717.

VI. D. Augustinus *Calmet* 1718, 1719. Iterum a capitulo generale dictus est abbas & præses seu superior generalis congregationis S. Vitoni 1727.

VII. D. Benedictus *Bellefoy* ex munificentia Stanislai Poloniæ regis & ducis Lotharingiæ ac Barri abbatiam obtinuit in commendam anno 1742.

VIII. D. Bernardus *Pierson* a rege nominatus anno 1767.

BUXERIÆ.

Bouxieres-aux-Dames.

Parthenonis Buxeriensis, in monte ad fluvium Murtham prope Nanceium ad Aquilonem positi, origini illustrandæ contextum ex actis episcoporum Tullensium operæ pretium est huc afferre, ubi de S. Gauslino fundatore leguntur hæc verba: « Cœnobium » sanctæ Dei Genitricis Mariæ Buxeriis a fun» damentis construxit (Goslinus), chorum an» cillarum Dei inibi constituit, rebus ac prædiis » & ornamentis decoravit. Cui rei occasionem » præbuit Hardradus, ejusdem Gauslini frater » germanus, qui inter venandum super *Murth* » fluvium, dum aprum insequeretur, in monte » supra Buxerias subsistentem, comprehendere » non potuit. Qua re commotus Gauslinus, » didicit ab antiquo ecclesiam sanctæ Dei Geni» tricis inibi constructam, sed vetustate deso» latam. Quare idem præsul ecclesiam restruere » meditatur. Et quia mons prælibatus ad Mettense » pertinebat episcopium, petiit a * Theoderico » præsule, qui & Sixtus vocabatur, illum sibi » dari per concambium, conferens illi S. Petri » apostoli baculum venerabilem, quem beatus » Mansuetus secum detulerat a Romana urbe. » Restructa ecclesia cœpit cogitare, quatinus in » eodem oratorio sanctimonialium virginum so» cietas fieret, quæ sub regula sancti Benedicti » obsequiis perpetuæ Virginis deserviret. Quod » sane factum est: nam invenit quasdam sancti» moniales, velut oves errantes, sed tamen viam » æternæ vitæ quærentes: quarum miseratione » permotus, consultu domini Archemboldi, qui » præerat S. Apri cœnobio, jam dictam cellulam » eis ad habitandum delegavit, præficiens eis » Rothildem abbatissam, quæ earum regeret vitam. » Verum ut ibidem liberius spiritalibus possent vacare rebus, S. Goslinus plurima largitus est dona: equidem deputavit earum usibus de rebus episcopatus ecclesiam sancti Martini in eadem villa de Buxeria cum decimis, vineis & omnibus appenditiis. Ad hæc addidit quemdam alodum, quem nobilis mulier Herisendis in villa Campiniola dederat ecclesiæ Tullensi; nec non alterum quem Gundelindis uxor Teutmari in pago Calmontensi possederat. His sanctimonialibus pro acceptis beneficiis imposuit conditionem singulis annis in missa Purificationis B. Mariæ duarum librarum cereum persolvendi. Acta sunt hæc idibus Januarii, regnante Othone rege, ordinationis Goslini an. 13, qui incidit in annum 935. Stephanus summus pontifex litteris datis anno 942 laudavit constructionem ejus monasterii, omnesque donationes ei tributas. Otho I imperator an. 960 pridie nonas Junii ad preces Goslini & interventu Adalheidæ conjugis suæ probavit monasterium omnesque res indultas. Aliud etiam diploma, rogante Gerardo episcopo, in ejusdem loci gratiam concessit anno 965 IV nonas Junii. Fridericus Lotharingiæ dux privilegium protectionis impertitus quidem est an. 963, discordiamque possessionum quarumdam occasione exortam compescuit an. 966. Præceptum etiam rerum parthenonis confirmatorium indulsit Conradus imperator an. 1027. Post mortem S. Goslini, corpus ejus in hunc parthenonem delatum fuit, ubi etiamnum illud, sicut & caput ejus, in pretiosissimis thecis reconduntur. Monasterium inter & saltum proximum, in loco eminenti, cernitur moles saxea seu turris alta decem vel circiter pedes, podio cincta, in qua sanctus hic præsul ad populos, undequaque religionis causa concurrentes, conciones habuisse dicitur. Nunc monasterium illud capitulum est nobile sæcularium dominarum, quæ sexdecim nobilitatis gradus probare tenentur. Hoc in statu jam illæ versabantur anno 1453. Parthenium illud dictum quidem est beata Maria de Monte.

* Adalberone.

Chart. XI ed. 466.

Series Abbatissarum.

I. Rothildis una erat ex duabus illis religiosis feminis, quæ a venerabili Humberto institutæ fuerant Virduni, ut scribit Johannes abbas in libro de vita S. Johannis abbatis Gorziensis. Hæc a S. Goslino præfecta est Buxeriensi monasterio anno 935, ut sanctimonialium illic institutarum vitam regeret. Privilegium a Stephano summo pontifice consecuta est anno 942. Controversiam habuit cum Ledrico & uxore ejus Ratsenna, quæ terminata fuit judicio Friderici Lothariensis anno 966. Innocentius II pontifex in bulla data an. 1137 observat filiam fuisse Rothildem comitis Theudeberti, qui dedit prædium pro oblatione filiæ suæ situm in comitatu Hornensi.

Vita Johan. Gorz. pp. 372, 382, sæc. V Bened.

II. Ermengardis Ottonem II imperatorem Theodonis-villam adiit, & ab eo protectionis & confirmationis diploma obtinuit an. 976.

III. Hadevidis anno 1073 jurgium habuit cum Valone abbate S. Arnulphi Metensis de reparatione pontis Buxeriensis, quod Pibo Tullensis episcopus arbiter sedavit III cal. Maii ejusdem anni. Idem episcopus huic abbatissæ confirmavit quidquid Hugo & Sophia ejus uxor tradiderant apud Buxerias.

IV. Hara, Theodorici ducis Lotharingiæ filia, Frounicæ monialis, a patre suo villam de Buxeriis cum omnibus appenditiis assecuta est circa annum 1115. Beneficum etiam experta est Simonem ducem fratrem suum, qui non modo ecclesiam *de Pixerecourt* cum decimis, verum & partem decimarum villæ suæ *de Margeville* & *Augecourt* indulsit anno 1130. Nepotem suum Lotharingiæ ducem rogaverat ut in protectionem suam monasterii possessiones susciperet, uti constat ex hujus principis litteris datis an. 1156, quibus nonnullas ille tradit decimas.

V. Oda ab Innocentio II pontifice anno 1137, XVI cal. Maii bullam accepit pro confirmatione possessionum. Sententiam quoque obtinuit XIII calend. Augusti 1146 ab Henrico episcopo Tullensi adversus Fulconem de sancto Vedasto, qui officiarios Buxeriensis ecclesiæ vexabat.

VI. Gertrudis *de Vy* vel *Vic* tutelæ diploma a Friderico II imperatore adepta est an. 1150. Munificentiam Simonis Lotharingiæ ducis experta est an. 1176. Adhuc superstes anno 1180 ex charta Rengis-vallis.

VII. Mathildis, rogante Petro de Brixeio episcopo, auctore ecclesiæ collegiatæ de Liverduno, jura quædam cessit huic capitulo diversis in locis anno 1185.

VIII. Helvidis *de Monthureux* an. 1213 nemus emit a comitissa, filia Petri *Peillart d'Amance* milite.

IX. Petronilla innotescit ex actis electionis abbatissæ quæ sequitur. Eadem forte est quæ cum capitulo suo an. 1255 fecit licentiam militibus Templi *de Schuney* aquas Mosellæ deducendi ad molendina sua sita subtus *Vurcourt.*

X. Alix *de Fontenoy*, Romarici-montis alumna jam præerat anno 1272. Ejus electio confirmata est anno 1283 die Martis post Circoncisionem.

XI. Magdalena *de Rupes* an. 1290.

XII. Henrica *d'Harouë* obtinebat an. 1299. Precum ac suffragiorum ordinis Præmonstratensis particeps effecta est a Guillelmo abbate & capitulo totius ordinis. Decessit an. 1349. Vocatur Henrica *de Pulnay* seu *de Puligny* in necrologio Romarici-montis.

XIII. Isabellis *de Rupes*, Huardi *de Beaufremont* & Mathildis *de Fontenoy* filia, electa die Martis post festum sancti Lucæ 1349. Extremum clausit diem 3 Aprilis 1377, alii dicunt 1379.

XIV. Catharina *de Nancy* occurrit an. 1377.

XV. Antonia *de Rupes*, Isabellæ neptis, Galterani *de Beaufremont* ex Alide *de Rougemont* filia, præfecta est 28 Aprilis 1379, decessitque 9 Januarii 1408.

XVI. Agnes *d'Harouë*, Henrico domino *d'Harouë* & Isabella *de Nancy*, parentibus procreata, electa 10 Januarii 1408 & mortua 1438. Ipsa superstite, Renatus Lotharingiæ dux e carcere liberatus anno 1432 peregrinationem in Buxeriensem ecclesiam suscepit.

XVII. Isabella *de Ludres*, filia Johannis domini *de Ludres* & Agnetis *de Richarmenil* electa 27 Septembris 1438, obtinebat adhuc anno 1466.

XVIII. Alarda seu Alix *de Paffenhoven*, Guerardi Lotharingiæ senescalli & Isabellis *d'Orne* nata, fruita est usque in annum 1501, quo cessit in gratiam sequentis.

XIX. Renata *de Paffenhoven*, neptis præcedentis, bullas obtinuit ultima die Junii 1501. Suum condidit testamentum 6 Augusti 1549.

XX. Anna I *de Jussy*, filia Claudii baronis *d'Hurbache* & Annæ *des Armoises*, coadjutrix ab anno 1547, confecit testamentum 21 April. 1553, ac decessit paucis post diebus.

XXI. Francisca *de Ludres*, Ferrici domini *de Ludres* & *de Richarmenil* ex Margarita *de Sampigny* filia, promota est 26 Aprilis 1553. Reformationem inducere & dominas canonissas ad pristinum vivendi genus, a sancto Gausslino præscriptum reducere constituerat; sed ab incœpto desistere oportuit, Petro episcopo Tullensi comitiisque Lotharingiæ consilium ejus haud probantibus. Coadjutricem habuit 1.° Margaritam *de Ludres*, decanam Romarici-montis, quam mors sustulit; 2.° Franciscam *du Hautoy* quæ sequitur.

XXII. Francisca II *du Hautoy*, filia Francisci *du Hautoy* & Nicolaæ *de Beauvau*, a Clemente VIII bullas pro coadjutoria obtinuit 1 April. 1601. Fato functa est 4 April. 1636.

XXIII. Anna II *de Montbeliard*, al. *de Lantage*, coadjutrix ab anno 1616 mense Julio, possessionem accepit an. 1636. Suum fecit testamentum 2 Januarii 1639, & obiit 17 ejusdem mensis.

XXIV. Margarita *de Custine*, Johannis *de Custine* baronis *de Condé* ex Dorothea *de Ligniville*, potita est usque ad annum 1641, quo nupsit Johanni comiti *de Lambertye*, marescalli castrorum exercituum regis Christianissimi.

XXV. Anna-Catharina *de Cicon*, Marci domini *de Richecour* & Bonnæ *de Tavagny* filia, electa fuit 23 Januarii 1641, & obiit 25 Septembris 1668. Adsciverat sibi coadjutricem Barbaram *des Armoises:* sed cum hæc electio absque consensu & comprobatione capituli facta fuisset, a canonissis in abbatissam admissa non est post mortem Annæ-Catharinæ; quin & inter annos novem in Parlamento & in curia Romana litigatum est. Tandem Barbara a jure suo cessit in gratiam sequentis, ratamque cessionem ejus habuit capitulum.

XXVI. Anna-Maria-Francisca *de Rouxel*

de Medavi, Romarici-montis canonissa, bullas adepta est 4 Julii 1678, fatisque concessit Romarici-monte 16 Septembris 1685.

XXVII. Anna-Francisca *de Simiane de Moncha*, Edmundi-Claudii *de Simiane* & Annæ-Claudiæ-Renatæ *de Ligniville-Tantonville*, a capitulo cooptata, bullas ab Innocentio XI accepit 21 Martii 1685, & excessit 21 Novembris 1715.

XXVIII. Anna-Maria *d'Elz-d'Ottange*, electa 8 Februarii 1716, bullas obtinuit 13 Martii, accepitque possessionem 25 Aprilis.

XXIX. Francisca III comitissa *d'Eltz* occubuit Nanceii 7 mensis Maii 1773, nata annos 53.

XXX. N. comitissa *de Messey* ab an. 1773.

DOM-ÈVRE.

DOMNUS-APER.

Richer. chron. Senon. Spicil. t. III, p. 314.

BERTOLDUS Tullensis episcopus an. 1010 monasterium sancti Salvatoris in Vosago, in clivo montis, prope Bodonis-monasterium, ubi quondam a Bodone sanctimoniales sub Thietbergæ abbatissæ ipsius Bodonis filiæ disciplina institutæ fuerant, a fundamentis erexit ac monachis deserviendum tradidit. His vero aliquanto post expulsis successerunt canonici regulares. De patrimonio suo Bertoldus cœnobio largitus est villas Domni-Apri, Bertricuriæ ad quercus, & Aracuriæ. Paucis post annis comites de Salmis alia contulerunt bona, quæ Agnes comitissa confirmavit, addiditque medietatem ecclesiæ & villæ de Ravone ad aquas. Succiduis temporibus aliorum benefactorum liberalitate adauctis temporalibus monasterii rebus, spiritalibus etiam illud auxere Bertoldi successores. Et certe Petrus de Brixeio jurisdictionem ordinariam & quasi episcopalem abbatibus hujusce loci in plures parochiales ecclesias impertivit anno 1185: quod ab Odone ejus successore ex capituli cathedralis ecclesiæ consensu confirmatum fuit an. 1195. Hæc tamen jurisdictio a Gerardo Tullensi archidiacono impugnata est; sed a delegatis judicibus pontificiis anno 1245 vindicata, & ipsemet aggressor facti pœnitens, impetitionis suæ temeritatem testatus est litteris datis mense Decembri 1245. Præter ecclesias, in quas abbas S. Salvatoris ordinaria gaudet jurisdictione, aliæ multæ sunt parochiæ in diœcesibus Metensi & Tullensi a canonicis regi solitæ, in quibus habet jus patronatus.

Ch. LXXII, col. 527.

Decimo sexto seculo dum Lutherana hæresis Lotharingiam bellicis furoribus invadere conaretur, in Vosagi montes hostilitatem irruens, hoc S. Salvatoris monasterium apposito igne consumpsit anno 1524, quod instauravit Gerardinus Jacobi. Postea vero Calvini sectatores, dum ex Galliis in Germaniam fugerent, in Lotharingiam irrumpentes, quidquid Catholicorum pietas olim erexerat flammis tradiderunt: quam ruinam iterato incendio expertum est cœnobium anno 1565. Tutiorem locum & securiorem mansionem hæreticorum incursionibus minus obnoxium quærentes canonici, eorumque saluti consulens Nicolaus *Malriar* abbas, ad vicum Domni-apri, ab oppido Albi-montis uno tantum lapide dissitum, monasterium transferendum censuit, obtento Pii V pontificis consensu, impetrataque a Carolo duce Lotharingiæ licentia per patentes litteras datas 14 Maii 1570. Sed quas festine basilicam, monasteriique officinas hic abbas struxerat, Bullonii dux devastavit an. 1587: templi tamen parietes & claustrum salva e flammis evaserunt. Voluntaria reformatione hæc sancti Salvatoris abbatia, favente abbate Christiano *Fabri*, congregationi Salvatoris nostri adunata est anno 1625, ipso die festo sancti Augustini.

Charta LXXXVI, col. 537.

ELENCHUS ABBATUM.

I. LEUTFRIDUS cum pluribus abbatibus aliisque viris tam ecclesiasticis quam laïcis an. 1065 subscripsit litteris Udonis episcopi de instituendo canonicorum cœtu in ecclesia S. Gengulphi. Memoratur adhuc in charta fundationis cœnobii S. Salvatoris ab eodem episcopo factæ in suburbio urbis Tullensis anno 1069.

II. Sigibaldus præerat anno 1085. Idem forte est cum Sigeberto, qui a Pibone episcopo benedictus & installatus fuit. Hic ab eodem præsule accepit decimas ex omnibus domibus, quæ intra & extra capellæ S. Bartholomæi atrium existerent. Memoratur etiam ad annos 1115, 1116, 1117.

III. Wibertus an. 1123 factam inter Lanzonem abbatem S. Michaëlis & sanctimoniales Laudunenses compositionem laudavit.

IV. Otho I 1123, 1126, 1127.

V. Hugo I memoratur an. 1128 in litteris Henrici episcopi pro cœnobio Trium-fontium. Legitur an. 1129 in litteris Stephani Metensis episcopi de fundatione prioratus de Xuris. Minuit anno 1130 censum, quem abbatia de Alta-silva monasterio annuatim solvere debebat. Præerat adhuc annis 1131, 1135.

VI. Bertrannus occurrit anno 1138, quo litteras obtinuit ab Agnete Salmensi comitissa de confirmatione bonorum, quæ a Gaufrido ejus marito concessa fuerant. Testis reperitur anno 1140 in charta Henrici episcopi Herberto abbate Regiæ-vallis tributa,

VII. Otho II transegit an. 1140 de loco ac fundo parœciæ & pagi de Tanconvilla, ubi exstat abbatia Altæ-silvæ. Occurrit etiam anno 1141.

VIII. Hugo II 1154, 1157.

IX. Otho III pactionem cum abbate sancti Vitoni Virdunensis de molendino posito super Mosellam iniit 1167.

Sedes abbatialis vacabat anno 1171, quia ab episcopo Tullensi exauctoratus fuerat abbas, ut constat ex tabulis Altæ-silvæ.

X. Ymmerius 1170, 1172.

XI. Hugo III testis est anno 1182 in litteris Petri Tullensis episcopi pro monasterio sancti Leonis.

XII. Theobaldus anno 1206 bona apud Mesnilium acquisivit. A

XIII. Claudius I duabus in chartis occurrit annis 1223, 1224.

XIV. Richerus plura comparavit apud Domnum-Aprum anno 1239.

XV. Ægidius-Wanderus capitulo ecclesiæ cathedralis ecclesiam & bona de Mesnilio cessit pro ecclesia & bonis pagi dicti *Bazemont* anno 1263. Quasdam possessiones acquisivit aliasque mutavit anno 1666.

XVI. Henricus discordiam habuit cum indigenis pagi dicti *Ibigney*, quæ arbitrorum judicio sopita est anno 1282. Nominavit B anno 1296 ad ecclesiam *de Repas*. Legitur etiam anno 1299.

XVII. Simon diversis in locis bona acquisivit annis 1305, 1309.

XVIII. Reginaldus pro duobus solidis annui proventus hortum dedit ad censum an. 1330.

XIX. Lietaudus, prosapia dominorum *de Couvax* exortus, a quibus auctum est bonis monasterium, præerat anno 1332.

XX. Thomas 1334. Adstitit anno 1338 synodo de Portu, in qua lata fuit sententia in monasterii S. Salvatoris gratiam mense Septembri postridie festi S. Gorgonii. C

XXI. Gerardus I anno 1343 a Johanne-Ferrico milite fundo terræ donatus est apud *Couvax*.

XXII. Valtrinus occurrit anno 1355. Modium salis a toparchis *de Marlei* accepit pro anniversarii fundatione anno 1363. Quasdam immunitates a Johanne duce firmari fategit anno 1272.

XXIII. Gaufridus 1383, 1403.

XXIV. Johannes I *Aubertinetti de Blamont* 1414.

XXV. Johannes II *de Vaxenville* 1425. Factam anno 1426 fundationem ab Henrico D *de Barbas* acceptavit.

XXVI. Gerardus II 1445.

XXVII. Johannes III *de Bouviler* 1453.

XXVIII. Johannes IV Stephani obtinebat an. 1455. In duos e suis canonicis parochos, de pravis moribus insimulatos, excommunicationis sententiam tulit anno 1456. Sequentis in gratiam cessit anno 1470.

XXIX. Johannes V Desiderii a Georgio Badensi episcopo Metensi quadraginta indulgentiarum dies obtinuit omnibus fidelibus, qui de suo instaurationi monasterii igne consumti suppeditarent. Migravit e seculo anno E 1486.

XXX. Johannes VI *Gadet* privilegium obtinuit a duce Lotharingiæ anno 1488. Diem clausit extremum anno 1515.

XXXI. Claudius II *Gauzelet* seu *Hozelet* sequenti resignavit anno 1527.

XXXII. Gerardinus-Jacobus *Vivian* coadjutorem sibi adsciverat Johannem *de Halle*, qui decessit anno 1537. Ipse vero mortuus est anno 1540.

XXXIII. Johannes VII *Jacob* electus anno 1540, transegit cum monachis Altæ-silvæ anno 1542, decessitque anno 1552.

XXXIV. Nicolaus *Malriat* electus est anno 1552. Monasterium Lutheri furoribus dirutum, cum consensu Pii V pontificis, & ex licentia Caroli Lotharingiæ ducis, transtulit ad prioratum de Domno-Apro dedicavitque anno 1569, ut testantur litteræ patentes confectæ 14 Maii 1570. De vita cessit an. 1574, IX calendas Februarii.

XXXV. Sebastianus *Malriat*, frater & coadjutor præcedentis, novum monasterium ab hæreticis crematum restauravit, devixitque III nonas Septembris 1594.

XXXVI. Christianus I *Malriat*, duorum præcedentium frater, & Sebastiani coadjutor, assumpserat & ipse in coadjutorem nepotem suum dictum etiam Sebastianum *Malriat*, insignem theologum & concionatorem eximium, qui supremum diem obiit an. 1612. Ille vero, adscito sibi alio coadjutore, desiit vivere anno 1614, X cal. Maii,

Tres hos abbates germanos inscriptione funebri decoravit Christianus *Fabri* eorum successor.

XXXVII. Christianus II *Fabri* ex coadjutore abbas, introduxit reformationem congregationis Salvatoris nostri anno 1625, ipso die festo S. Augustini. Lunæ villæ obiit sexagenarius 30 Decembris 1636, auctis monasterii rebus.

XXXVIII. Johannes VIII *Marchal*, præcedentis coadjutor, excessit e vivis in monasterio Bello-campensi anno 1638.

XXXIX. Clemens *Philippe*, congregationis Salvatoris nostri alumnus, per electionem factus abbas, adscivit sibi coadjutorem anno 1664, & occubuit anno 1668.

XL. Carolus *le Begue*, superioris coadjutor, ædificiis reficiendis multam dedit operam, satisque concessit anno 1688.

XLI. Mathias *Alaine*, dum prioris munus obiret, restituendis monasterii rebus temporalibus multum insudavit; factus abbas sanctuarium decorandum curavit. Mortuus an. 1704.

XLII. Petrus *Collin* ex professore theologiæ & moderatore seminarii Virdunensis electus fuit abbas 9 Oct. 1704. Sedis apostolicæ protonotarius & consiliarius supremæ curiæ Lotharingiæ & Barri, desiit vivere 30 Martii 1722.

XLIII. Johannes-Baptista *Piart* in abbatem promotus fuit 5 Maii 1722. Romæ diu pro prosequenda beatificatione venerabilis Petri Forerii commoratus, rem ad felicem adduxit exitum. Curis ejus de novo ædificatum est monasterium, sed inchoatam reliquit basilicam, quæ a successoribus suis est absoluta. Decessit 1 Januarii 1746.

XLIV. Dominicus *Bexon*, præpositus generalis, ex abbatia S. Remigii de Lunæ-villa translatus est an. 1746. Bullam datam idibus Februarii 1748 a Benedicto XIV, patentesque litteras tum a Ludovico XV rege, tum a Stanislao Poloniæ rege & Lotharingiæ duce

obtinuit, ut in posterum abbatia de Domno-Apro esset totius congregationis domus primaria, sedesque præpositi generalis. Contigit ejus mors 10 Augusti 1753.

XLV. Hyacinthus *Pillerel* ex abbatia sancti Petri-montis, cujus titulus ejus curis exstinctus est, proventusque attributi domui canonicorum regularium ejusdem congregationis Metis degentium, in abbatiam de Domno-Apro traductus fuit, ac totius congregationis præpositus generalis electus anno 1753.

XLVI. Josephus *le Roi* abbas, & præpositus generalis congregationis, defunctus 6 Septembris 1772.

XLVII. Josephus *de Saintignon* electus fuit in præpositum generalem & abbatem 25 Novembris 1772, adstante domino *de la Gallaisière* regio commissario.

BELLUS-CAMPUS.

BELCHAMP.

Canonicorum regularium in gratiam fundata fuit abbatia Belli-campi circa annum 1130 ab Alberone primicerio Metensi, postea Trevirensi archiepiscopo, & a Petro *de Monsterol* ejus fratre in propriis possessionibus supra montem, qui primum dictus fuit mons S. Trinitatis, propterea quod SS. Trinitati & B. Virgini Mariæ dedicata est ecclesia. Monasterio huic non procul a castro de Monsterolio, cujus adhuc visuntur in monte rudera, prope pagum vernacule dictum *Mehoncourt*, ad radices montis, versus septentrionem, quinque leucis ab urbe Nanceiana dissito, inditum nomen est Belli-campi decimo quarto seculo ex loci pulchritudine. Delapsus est in errorem Ruirius in Vosagi antiquitatibus, ubi dixit primam abbatiæ sedem fuisse in pago *Mehoncourt*. Fuit enim semper illa ubi etiamnum cernitur. Allucinatur & ipse author, asserens S. Bartholomæum ab origine fuisse unum e patronis: nam sancti hujus Apostoli festivitas splendorem non habuit, nisi ex quo Bartholomæus abbas consecutus est reliquias, ad quarum venerationem undique concurritur festo die sancti hujus Apostoli. Hillinus Alberonis successor in archiepiscopatu Trevirensi probavit an. 1157 non fundationem tantum, sed & donationes collatas conferendasque monasterio, quod una cum maxima chartarum ac documentorum parte Protestantium exercitus cremavit anno 1587. Deserviunt huic ecclesiæ canonici regulares congregationis Salvatoris nostri, introducti anno 1626. (Charta LX, col. 511.)

Series Abbatum.

I. Durandus reperitur anno 1130. Abbatiæ S. Remigii Lunæ-villaris possessionem accepit, canonicosque regulares introduxit anno 1135. Legitur in documentis ad annos 1147, 1148. Subscripsit circa annum 1150 compositioni ab Alberone Trevirensi archiepiscopo inter Hugonem abbatem S. Apri & Roricum Calmosiaci initæ. Prædium prioratui de Bello-loco a Matthæo I Lotharingiæ duce

A indultum acceptavit an. 1152. Eodem suum apposuit sigillum chartæ Hillini archiepiscopi Trevirensis datæ pro sedandis altercationibus diversis inter Matthæum Lotharingiæ ducem & parthenonem Romarici-montis. Res omnes monasterio suo traditas firmari fategit an. 1157 ab eodem Hillino archipræsule. Litteris Henrici Tullensis episcopi de fundatione Belli-prati subscripsit hoc anno. (Charta LX, col. 511.)

II. Hugo I anno 1157 a Bertha, vidua Matthæi ducis Lotharingiæ, probari curavit donum Petri de Brixeio episcopi Tullensis, cæteras monasterii possessiones confirmantis.

B Simonis ducis chartæ subsignavit an. 1176. Occurrit anno 1178 in tabulis societatis initæ inter capitulum S. Deodati & Cistercienses Belli-prati. Memoratur adhuc an. 1179.

III. Johannes I 1181 in charta Morimundi.

IV. Lybardus, forte idem atque Richardus, reperitur anno 1182, nec non an. 1183 in documento Morimundi. Testis anno 1185 in litteris Petri episcopi Tullensis pro Bello-prato. Diversis in locis legitur annis 1187, 1188, 1190.

V. Virricus seu Vinicus 1194, 1196.

C VI. Humbertus, cui Matthæus episcopus Tullensis an. 1203 concessas ab antecessoribus suis parœcias confirmavit.

VII. Barnabas transactionem iniit anno 1210 cum Guichardo priore *de Tahecourt*, eamque probari fategit a Reginaldo episcopo Tullensi. Adhuc superstes an. 1234, ut constat ex actis fundationum factarum a dominis *d'Haussonville*, quorum sepultura in monasterii ecclesia cernitur.

VIII. Bartholomæus infaustis ac procellosis temporibus administrationem suscepit. Equidem bona monasterii vastata sunt & pecus

D abactum a Ferrico II duce Lotharingiæ, offenso ex eo quod exigere censum a subditis monasterii non licuisset. Nihilominus tamen, interveniente Gilone de Sorceio episcopo, pax restituta est, resarcitumque detrimentum. Fidem a milite quodam pro molendino accepit an. 1260. Terras & nemora pro aliis mutavit an. 1265, annuente Ferrico duce.

IX. Hugo II cum Simone domino *de Gerbeviller* pactus est anno 1281 de terra *Mehoncourt*, procurante Ferrico duce, qui inter eumdem abbatem & Aubertum *de Paroye* de limitibus exortam litem sopivit an. 1284.

E X. Henricus I Humberto abbati Mediani-monasterii capellam quamdam dedit ad censum anno 1288.

XI. Guillelmus I viginti solidis parvis Tullensibus donatus fuit anno 1293 a Ferrico II duce Lotharingiæ. Quoddam etiam alodum in censum accepit ab Henrico abbate S. Michaëlis.

XII. Hugo III *de Asceyd* abbas an. 1298, ex charta Senoniensi.

XIII. Theodoricus I cum Waltero Mediani-monasterii abbate transegit an. 1304. Alodum quoddam vi ereptum curavit restituendum ab

Henrico de Vadano-monte & Isabella a Lotharingia Castelli dominis an. 1309.

XIV. Guillelmus II 1310.

XV. Johannes II *Hamil* in veteribus occurrit regestis. Idem forte est cum Johanne qui memoratur anno 1316 mense Martio in litteris Isabellæ uxoris Federici *de Plomieres* militis.

XVI. Henricus II anno 1350 de decimis Monsterolii transegit. Statuta pro regularis disciplinæ restitutione, rerumque temporalium instauratione condidit anno 1360.

XVII. Hermanus pauco tempore præfuit ac resignavit anno 1368.

XVIII. Theodoricus II *al.* Fredericus a Dominico *de la Neuveville* & Johanne *de Remiremont* canonicis & compromissariis electus, confirmatur ab officiali Tullensi 23 Junii 1368. Indemnitatem accepit a Johanne duce Lotharingiæ pro ducentis pecoribus abactis a milite *de Linets*, qui adversus ducem Lotharingiæ tunc in armis erat. Cum indigenis *de Mehoncourt* composuit de ornamentis & cereis altari parœciæ S. Petri suppeditandis an. 1373.

XIX. Albertus I *de Luneville* confirmatus penultima Martii 1384, majorem ædificavit turrim ut monasterium a prædonibus incolume præstaret. Se abdicavit anno 1407.

XX. Albertus II *de Roselieures* electus & confirmatus fuit an. 1407. Obtinuit ab Alide *de Vaudemont* restitutionem cujusdam alodii, quod officiales ejus detinebant anno 1409 die 29 Aprilis.

XXI. Jacobus *de Luneville* per Alberti cessionem abbas factus, præfuit usque in annum 1428, quo resignavit in gratiam sequentis.

XXII. Walterius *de Luneville* æmulum habuit Nicolaum *de Fleville* seu *Fremille* a capitulo electum, quem tamen evicit. Diversis in actis occurrit ad annos 1434, 1435, 1436. Incusatus de imperitia apud Ludovicum de Harauccuria, prælatus hic priorem & alium canonicum regimini præfecit an. 1452.

XXIII. Johannes III *Thirion de Roselieures* paucos præfuit annos.

XXIV. Johannes IV *Viriet de Clayeures* electus anno 1470, de vita cessit anno 1490, ut ex ejus epitaphio, quod sic legitur in navi ecclesiæ, constat: *Hic requiescit reverendus pater Johannes* Viriet de Clayeures, *bonæ memoriæ abbas noster, qui fecit fieri hujus ecclesiæ organa, thuribulum argenteum, & alia bona, qui feliciter obiit in Christo anno Domini millesimo, quadringentesimo, nonagesimo.*

XXV. Theodoricus III *Petitpain de Bayon*, præcedentis immediatus successor, variis chartis subscripsit annis 1495, 1498, 1500. Conditum fuit ab eo totoque capitulo statutum de modo dividendi spolia canonicorum claustralium & parœcialium defunctorum inter superstites canonicos. Mortalitatem exuit 6 Martii 1506.

XXVI. Johannes V *Cousson de Rozelieures* bullas coadjutoris obtinuit 18 Novembris 1502. Prioratum belli-loci, fundatum a A Mathilde comitissa, mensæ abbatiali univit an. 1513. Naturæ debitum solvit an. 1531 die 21 Februarii.

XXVII. Antonius *Thierry de Girmont*, superioris coadjutor, convenit cum Desiderio *Boujette* Stivagii abbate 13 Decembris 1539 de ponendis terminis inter saltus utriusque monasterii. Composuit an. 1544 cum Francisco duce Lotharingiæ. Eximia chori sedilia confici & perfici curavit an. 1554. Defunctus 28 Februarii 1575.

XXVIII. Theodoricus IV *Courier de Lemainville*, coadjutor factus jam ab anno B 1570, 7 Aprilis, tristis fuit oculatus testis magnarum calamitatum, quas seducti ex exercitu ducis Bullonii milites manubiarum spe monasterio intulerunt. Ignis enim subjectus est ædificiis & ecclesiæ, quæ, si chorum & archivium excipias, penitus conflagrarunt. Damna hæc omnia instauravit abbas inter annos 1596, & 1599. Jura altæ justitiæ a duce Lotharingiæ obtinuit litteris datis 16 Januarii 1604. Mortuus est 18 Januarii 1607.

Post Theodorici mortem capitulum postulavit Philippum-Emmanuelem *de Ligniville*, præpositum S. Georgii Nanceiensis, qui bullas C a sancta sede obtinere nequivit. Inter hæc Carolus III Lotharingiæ dux bullas a papa in gratiam filii sui naturalis Caroli *de Remoncourt* abbatis Gorziæ nactus est, reservata principi Carolo, qui postea fuit dux Lotharingiæ sub nomine Caroli IV, fructuum parte. Fructuum pars hæc dein obtigit cardinali Nicolao-Francisco, Caroli germano, qui eam permutavit an. 1631 die 8 Octobris hac conditione, ut post mortem Caroli *de Remoncourt* ipse succederet, contra abbatiam S. Naboris, quam tunc obtinebat Johannes *d'Anglure*.

XXIX. Carolus I *de Remoncourt*, cujus D tempore canonici congregationis Salvatoris nostri in abbatiam introducti sunt 27 Augusti 1626.

XXX. Carolus II *d'Anglure*, Adurensis episcopus, per bellorum & pestilentiæ tempora fruitus est post præcedentis obitum usque ad mortem, quæ contigit anno 1669. Eo moderante domum & ecclesiam bis cremarunt tam Sueci a Weimaro ducti, quam Galli sub imperio marescalli *de la Force*.

XXXI. Johannes-Claudius *de Lozanne*, canonicus regularis, a capitulo electus est 10 Decembris 1669 & confirmatus 13 mensis E ejusdem ab Andrea *du Saussay* episcopo. Josephum *de Gournay* designatum a rege Ludovico XIV abbatem evicit decreto majoris consilii 5 Martii 1675. Assistens superioris generalis decessit 25 Februarii 1693, ætatis suæ anno 58, humatusque est in sanctuario.

XXXII. Carolus III *Massu de Fleury*, a capitulo cooptatus in abbatem 21 Aprilis 1693, confirmatus fuit ab Henrico *Thyard de Bissy* episcopo 24 Augusti, & benedictus 29 Septembris sequentis. Suam locupletavit ecclesiam pretiosissimis ornamentis & operibus

sculpturæ & picturæ exquisiti laboris: optimis libris bibliothecam auxit: ædes quoque abbatiales, bonaque mensæ suæ instauravit & exornavit. Domus etiam conventualis concinne & commode refecta est. Coadjutorem cum capituli plausu sibi adscivit anno 1722, defunctusque est 24 Decembris 1743.

XXXIII. Franciscus *de Kicler* in coadjutorem assumptus anno 1722.

XXXIV. Claudius *de Bouzei*, primatialis ecclesiæ Nanceianæ decanus, abbas commendatarius nominatus anno 1743.

XXXV. N. *de Boufflers*, præcedentis pronepos, ei successit.

SANCTUS-REMIGIUS.

SAINT-REMY.

FOLMARUS senior, Metensis comes, anno 999 apud Lunarem-villam pro salute animæ uxoris suæ Spanechildis condidit monasterium, quod ad inhabitandum monachis tradidit. Filii ejus Godefridus & Hermannus comites cernentes monachos esse violatores & direptores hujus ecclesiæ, eam abbatissæ Adelidi & gregi monialium, pulsis monachis, procurandam concesserunt, plurimasque donationes indulserunt & confirmarunt an. 1034. Verum Durandus, canonicus regularis, primus abbas Belli-campi, in hujus monasterii possessionem immissus, sanctimonialibus religiosos viros ordinis sui substituit anno 1135. Quondam extra muros positum cœnobium, in civitatem translatum fuit an. 1587, paucis abhinc annis templo mirabili architectura a fundamentis exstructo illustratum. Unitæ sunt huic monasterio parœciales ecclesiæ tam civitatis quam aliorum locorum in vicinia, quas juxta primævum institutum administrant canonici regulares. Inter cæteras Lotharingiæ abbatias reformationis leges prima accepit an. 1623, multisque annis exstitit caput congregationis Salvatoris nostri. Titulus abbatialis aliquandiu mansit exstinctus, adscriptis mensæ conventuali proventibus mensæ abbatialis.

Ch. XVIII, col. 463.

ABBATISSÆ.

I. ADELAIS a comitibus Godefrido & Hermanno fratribus, Folmari fundatoris filiis, una cum sanctimonialium grege, post monachorum expulsionem, procurandum cœnobium accepit anno 1034. Regebat adhuc an. 1052, ætate Udonis Tullensis episcopi.

II. Uda seu Oda ita consignatur in charta fundationis Lunæ-villensis ecclesiæ S. Georgii: « Fuit quædam nobilis domina, nomine Uda, » a cunabulis Deo consecrata in Romaricensi » ecclesia, soror domini Alberonis Metensis episcopi, quæ in ecclesia Lunarensi, petente fratre » ejus Alberone episcopo, post mortem Adeleidis » abbatissæ, in abbatiam successit, quam etiam, » quia diu vixit, usque ad senectam strenue rexit: » quæ quia religiosa vita cum sibi sociatis virginibus pollebat, locus autem ille hospitali domo » carebat, hospites enim supervenientes quàm » sæpe eas infestabant; cum consilio fratris sui, sub ponte juxta castrum hospitalem domum « instituit, ut inibi supervenientes hospites certis « & incertis horis reciperentur; & ipsa pro posse « necessaria ministrabat. Sed cum ipsa domus « graviter infestaretur a militibus castri, sæpe « ante ipsam abbatissam querelæ proveniebant. « Quapropter ipsum ex consilio sapientum vi- « rorum amovit, & in locum quò nunc est « posuit. Est autem mansus super quem domus « stabilita est; quem mansum comes Folmarus « senex pro salute animæ beato Remigio tra- « didit. » Attamen Uda jussit ut quisquis inibi foret prælatus, ad monasterium S. Remigii accederet, processionibus & sacrificio missæ adfuturus. Præcepit etiam ut, prælato defuncto, alter eligeretur in capitulo S. Remigii, qui ab abbatissa institueretur. Eadem forte est cum Oda, quæ anno 1094, tempore Pibonis episcopi a comitibus Folmaro & Godefrido donum pro salute animæ patris eorum accepit.

ABBATES.

I. CONO in necrologio sancti Petri-montis primus abbas Lunæ-villensis fuisse dicitur. Occurrit anno 1152.

II. Abero 1154, 1161, 1165, 1166.

III. Henricus I bona quædam monasterio Altæ-silvæ tradidit annis 1170, 1171. Legitur & in litteris Petri episcopi Tullensis 1175, 1177, 1179, 1183.

IV. Johannes I transactionem ac societatem cum Gerardo Senoniensi abbate iniit anno 1191. Memoratur etiam an. 1195.

V. Otho 1201, 1206.

VI. Harduinus occurrit anno 1206.

VII. Bertrannus 1225.

VIII. Stephanus una cum fratribus recipit comitem Barrensem in partem possessionis silvarum ad monasterium spectantium, sub quibusdam conditionibus, ut constat ex litteris datis mense Julio 1249.

IX. Petrus an. 1260 ex consensu capituli sui cessit Theobaldo comiti Barrensi omne jus quod prioratus *de Rus*, a monasterio dependens, habebat in silva dicta *Vautier-mont.*

X. Johannes II 1267, 1270, 1279, 1289.

XI. Hugo anno 1293 mense Octobri apposito sigillo consentit cuidam cessioni factæ a fratre Jacobo priore *de Rus.*

XII. Henricus II 1295.

XIII. Johannes III occurrit 1303 usque ad 1323.

XIV. Ludovicus I 1326 usque ad 1351.

XV. Simon *Molan* 1372, 1375.

XVI. Walterius *de Rosières* electus anno 1375, obiit 25 Februarii 1414.

XVII. Johannes IV *Sauvage* in abbatem cooptatus 2 Martii 1414, ab episcopo Tullensi confirmatus est 19 Martii anni ejusdem. Reformato monasterio, decessit 24 Februarii 1422.

XVIII. Dominicus I *Rentier* creatus abbas 27 Februarii 1422, confirmatus fuit 5 Martii. Licet invitatus ad Constantiense concilium non adiit,

adiit, sed claustralem direxit priorem. Cessit in gratiam sequentis 3 Februarii 1462.

XIX. Ludovicus II seu Loyonus de Nanceio bullis donatus 18 Martii 1461, excessit 12 Decembris 1474.

XX. Philippus *Franquin* in abbatialem sedem evectus 16 Decembris 1474, bullas accepit 15 Februarii sequentis. Mortuus est circa annum 1492 ineuntem.

XXI. Desiderius-Antonius *de Magniere* paucis diebus post antecessoris obitum electus, accepit bullas mense Julio, & possessionem 16 Augusti 1492. Facta cessione in papæ manibus anno 1538, fato functus est 5 Aprilis 1542.

XXII. Theobaldus *Vincent* bullas adeptus est 19 Julii 1538. Adscito sibi coadjutore, cessit e vita anno 1547.

XXIII. Franciscus I *Porsieux* ex coadjutore abbas, bullas assecutus est 21 Maii, & migravit e vivis 15 Decembris 1562.

XXIV. Michaël *de Grand* electus 16 Decembris 1562, æmulum habuit Claudium *de Xaintes* canonicum regularem Gallum, Christianissimi regis theologum apud concilium Tridentinum, quem abbatem papa designaverat. Eum tamen Michaël submovit, bullasque impetravit anno 1567. Retenta pensione cessit anno 1588, defunctusque est anno 1602.

XXV. Jacobus *Magnien* bullas obtinuit 28 Januarii 1588. Quemdam saltum duci Lotharingiæ vendidit 13 Martii an. 1608. Haud spontaneam cessionem in gratiam sequentis facere coactus an. 1621, obiit dolore confectus an. 1622 die 2 Septembris, ex eo quod ad commendatarios abbatia decidisset.

XXVI. Carolus *de Lorraine*, Gorziæ princeps & abbas, per sequentis abdicationem factus etiam hujusce monasterii abbas, bullas obtinuit 1 Julii 1623. Reformavit abbatiam, primosque reformationis novicios admitti permisit, qui vota in manibus prioris emiserunt 25 Martii 1624. Ipse vero decessit 1648.

XXVII. Carolus-Nicolaus-Leopoldus-Sixtus *de Lorraine*, sub nomine Caroli V Lotharingiæ ducis notus, a papa renunciatus est abbas 1649. Cum sparsus fuisset rumor hunc principem a beneficiis suis cessisse, electus est anno 1661 a capitulo Johannes *Terrel*, superior generalis congregationis Salvatoris nostri; verum effectu caruit electio.

XXVIII. Christophorus *d'Hordal*, præcedentis eleemosynarius, per bullas provisus 20 Julii 1662, obiit 23 Julii 1693.

XXIX. Claudius-Nicolaus *de Seve*, filius Guillelmi Protopræsidis Parlamenti Metensis ex Anna *le Clerc de Lesseville*, canonicus & major vicarius Atrebatensis, doctor Sorbonicus, a Christianissimo rege nominatus abbas 8 Septembris 1693, bullas nequaquam adeptus, abbatiam post triennium in regis manibus abdicavit.

XXX. Hyacinthus *de Tornielle*, dictus etiam *Tomus* abbas a rege, fruitus est usque in annum 1697, quo cessionem fecit.

XXXI. Franciscus II *Huguin*, abbas regularis a capitulo creatus 28 Januarii 1700: verum in præpositum generalem electus anno 1726, ad abbatiam Calmosiacensem traductus eodem anno, ubi vita functus est 17 Januarii 1738.

XXXII. Sigisbertus *Verlet* ex abbatia Calmosiacensi accitus anno 1726, moritur anno 1733.

XXXIII. Dominicus II *Bexon* Sigisbertum excepit, factusque est anno 1738 præpositus generalis, tum translatus ad abbatiam sancti Salvatoris de Domno-Apro, prius resignata commendatario S. Remigii abbatia juxta placitum Stanislai Poloniæ regis; post cujus commendatarii obitum vel cessionem constitutum est tam bulla papæ, quam regiis litteris, ut abbatialis mensa conventuali jungeretur. Nihilominus

XXXIV. N. *Mathy* commendam a rege accepit anno 1767.

BELLUM-PRATUM. BEAUPRÉ.

METENSIS comes Folmarus, uxore Mathilde liberisque suis annuentibus, ad fluvium Murtham, leuca una supra Lunævillam, monasterium Belli-prati anno 1135 construxit ac dotavit pro monachis Cisterciensis ordinis, qui e Morimundo accersiti fuerunt. Ratam quidem habuit eodem anno Folmari fundationem Henricus Tullensis episcopus litteris, concessas omnes monasterio complectentibus possessiones. Per easdem litteras Stephanus Metensis episcopus quidquid a Folmaro comite homine suo traditum est & quidquid dederunt aut daturi sunt subditi sui sigillo confirmat. Exstant & aliæ litteræ præsulis ejusdem datæ anno 1157, in quibus de fundatione hujus monasterii sic loquitur: « Idcirco data est eis (Cisterciensibus) ab eodem comite secundum suum desiderium heremi vastitas ad habitandum in valle silvestri satis & horrida, subtus *Hamermaisnil* supra fluvium Murtem, quatinus ubi prius fremitus & ululatus ferarum frequenter sonabat in auribus hominum, ibi deinceps in psalmis, hymnis & canticis spiritalibus crebrius resonaret gratiarum actio & vox laudis in auribus Angelorum. Anno igitur ab Incarnatione M. CXXXV, indictione XIII, concurrente I, III cal. Martii, vallis illa silvestris facta est mansio sanctorum horum, qui cogitatione & aviditate conversantur in cœlis. Nam spinis & vepribus exstirpatis, constructa est abbatia Cisterciensis ordinis in honorem sanctissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ; quæ scilicet abbatia ex amœnitate loci congruum sortita nomen, Bellum-pratum vocatur usque in hodiernum diem. » Simon dux Lotharingiæ anno 1176 ad preces viri nobilis Drogonis, facti ibidem monachi, universos reditus, quos idem Drogo in banno de Capella habebat, asseruit. Eodem anno possessiones omnes singulaque privilegia eximio diplomate

Ch. XLVI, col. 496. Ch. LXI, col. 512. Ch. LXV, col. 520.

confirmavit, suaque auctoritate fulsit. Cum autem regularis disciplina penitus collapsa esset, Leopoldus dux Lotharingiæ monachos strictioris observantiæ ex Aurea-valle accitos in id monasterium introduci jussit. Et quidem illi numero duodecim cum abbate suo Anselmo *de Bavai*, qui nuper perceperat benedictionem, ingressi sunt anno 1710, ultima die Augusti: mitigatæ vero observantiæ monachi jussu principis in alia ordinis monasteria dispersi sunt.

Series Abbatum.

I. Durandus præerat anno 1145.

II. Hugo privilegium adeptus est an. 1147 ab Eugenio III.

III. Odo 1150. Donum accepit a Conone *de Murinviller*, de quo agitur in litteris Henrici episcopi Tullensis datis anno 1152. Eodem anno occurrit in charta Hillini archipræsulis Trevirensis de restituenda concordia inter Matthæum Lotharingiæ ducem & ecclesiam Romaricensem. Factus abbas Morimundi decessit VI nonas Maii 1161.

IV. Lambertus an. 1153 in litteris Henrici episcopi. Testis occurrit IV nonas Martii in diplomate fundationis Clari-loci an. 1159. Privilegium tuitionis obtinuit anno 1163 ab Alexandro III. Legitur adhuc annis 1164, 1165.

V. Petrus I testis occurrit anno 1168 in litteris Petri episcopi Tullensis pro Insula Barrensi. Aliis in locis memoratur 1171, 1172, 1173, 1176. Composuit anno 1178 cum canonicis sancti Deodati. Bullam assecutus est an. 1182 a Lucio III. Societatem iniit cum monasterio Stivagii anno 1183. Fridericum de S. Germano apud Bellum-pratum sepelivit.

VI. Constantinus 1183 in charta Morimundi.

VII. Reginaldus 1185 transegit cum canonicis S. Deodati. Cononi de Almantia suffragiorum & precum societatem indulsit anno 1187.

VIII. Petrus II 1194. Incertum an ille sit, qui ob administrationem pravam depositus fuit, uti constat ex statutis capituli generalis Cisterciensis.

IX. Humbertus legitur in transactione acta inter Simonem Lotharingiæ ducem & Romaricense parthenium anno 1194. Varia impetravit privilegia a Cœlestino III. Adhuc reperitur annis 1195 & 1196, quo transegit cum abbate Alteriæ.

X. Rodulphus 1200 & 1210, quo ab Othone abbate Mauri-monasterii, aream apud *Marsal* obtinuit.

XI. Theodericus I superstes anno 1213. Monasterii varias possessiones curavit confirmari ab Honorio III, pontificatus anno 3. Hugoni filio Gerardi comitis Vadani-montis concessit societatem in agricultura *de Matricourt* anno 1221.

XII. Garnerius 1239.

XIII. Gobertus 1238 in litteris Rogerii Tullensis episcopi. Compositionem iniit cum Hugone comite Vadani-montis 1241.

XIV. Adamus 1273, 1274.

XV. Theodericus II 1293 in litteris Ferrici ducis Lotharingiæ.

XVI. Pointius seu Pontius, vel etiam Petrus, transegit cum Gerardo Stivagiensi abbate & Eligio *de Bremoncourt* pro quibusdam excambiis mense Januario 1299. Reperitur etiam annis 1303, 1305, 1306, 1310.

XVII. Simon an. 1312 & 1313 mense Decembri sigillum suum quibusdam litteris apposuit.

XVIII. Escelinus 1320 libellum supplicem obtulit Henrico Delphini electo Metensi & confirmato. Adhuc memoratur annis 1322, 1323.

XIX. Johannes I *Haizars* monasterii procurator erat anno 1334. Abbas vero vocatur annis 1336, 1338, 1344, 1347.

XX. Nicolaus I *al.* Michaël *de Bauzemont* 1348, 1353, 1357, 1371. Obiit 15 Aprilis 1374.

XXI. Dominicus I *de Gerbeviller* occubuit anno 1380.

XXII. Richerus natus in pago dicto *Fresnoy*, prope Morimundum, per decem tantum dies fuit abbas, & obiit anno 1380 ultima die Augusti.

XXIII. Jacobus 1383.

XXIV. Johannes II 1386.

XXV. Dominicus II 1390.

XXVI. Simon-Dominicus *de Lunéville* 1391, 1393.

XXVII. Johannes III *de Bourmont* 1395, 1396 mense Januario. Monachi S. Martini Metensis anno 1398, die 20 Martii, eum crearunt compromissarium pro sui abbatis electione. Diversis in instrumentis legitur annis 1402, 1406, 1408, 1409, 1410, 1411.

§ Locuti sumus tom. IV de Matthæo *Pillard* seu *Pillaerdt* in abbatibus Claræ-vallis. Antea non fuerat abbas Belli-prati in Lotharingia, sed Belli-prati in diœcesi Bellovacensi, ut dictum est tom. IX, col. 836.

XXVIII. Simonetus *de Mets* 1417. Transegit anno 1419 cum Richardo *de Chastoy*. Adversus eum abbas Senoniensis arbitrariam obtinuit sententiam 1423. Verumtamen

XXIX. N. *Courtoy de Gerbeviller* memoratur anno 1419.

XXX. Gerardus *de Bremoncourt* 1432, 1433, 1434. Jacet in capitulo cum epitaphio quod notat ejus obitum an. 1441, die 11000 Virginum.

XXXI. Johannes IV *Rougevie* 1442, 1444, 1448. De sententia lata ab officiali Trevirensi ad sedem apostolicam appellavit anno 1457. Defunctus 12 Aprilis 1464, quiescit in capitulo.

XXXII. Johannes V *Boffard de Bauzemont* memoratur annis 1465, 1469, 1479, 1480, 1491. Decessit 20 Januarii 1493. Jacet in navi ecclesiæ.

XXXIII. Christophorus *d'Estain* occurrit A annis 1495 1497.

XXXIV. Claudius I *de Geriville* præerat anno 1518. Propter senectutis incommoda in manibus Aymonis abbatis Morimundi sponte cessit 1519 in gratiam sequentis. Eodem anno 1 Martii mortuus, jacet in claustro ante valvas ecclesiæ.

XXXV. Nicolaus II *Bacquelet*, sacræ theologiæ doctor atque professor, electus est & ab abbate Morimundi confirmatus anno 1519. Coadjutorem adscivit sibi Petrum *Rameille* theologiæ professorem, collegii sancti Bernardi apud Parisios professorem, an. 1533, B cujus electionem probavit capitulum generale 1534. Superstes adhuc Nicolaus annis 1535, 1540.

XXXVI. Petrus III *Rameille* ex coadjutore abbas, degebat anno 1544.

XXXVII. Dominicus III *de Hadonviller* 1547, 1548.

XXXVIII. Claudius II *Cunin de Crevi* 1549 permutationem fecit cum Christina *de Dannemark* Lotharingiæ ducissa. Reperitur etiam anno 1558, ac decessit 10 Septemb. 1560.

XXXIX. Nicolaus III *Ogier de Lunéville* C mense Septembri 1560. Actis in regimine 28 annis, fatis concessit 9 Junii 1588.

XL. Carolus *de Lorraine*, cardinalis tituli S. Agathæ, Metensis & Argentoratensis episcopus, factus coadjutor 1587, fruitus est usque ad annum 1601, quo cessit in gratiam sequentis sub pensione centum ducatorum.

XLI. Antonius I *de Lenoncour*, protonotarius apostolicæ sedis & primas Nanceii, sacri imperii comes, per præcedentis cessionem obtinuit in commendam XIV calend. Augusti 1601. Delegatus a Carolo duce Lotharingiæ, litem composuit cum capitulo majoris ecclesiæ D Trevirensis 3 Januarii 1603. Fato functus est anno 1636.

XLII. Antonius II *d'Allamont*, coadjutor creatus anno 1631 ab Urbano VIII, occurrit annis 1640, 1650, 1660.

XLIII. Cælius *Picolomini* cardinalis, sedis apostolicæ nuncius, se abdicavit an. 1666.

XLIV. Christophorus *Cuny*, clericus Trevirensis ac canonicus S. Deodati, per præcedentis cessionem ab Alexandro VII abbatia provisus est XV cal. Septembris 1666, annos natus 19. Obtinebat adhuc annis 1685, 1699. E

XLV. Hyppolitus *de Béthune*, episcopus Virdunensis, abbatiam hanc obtinuisse dicitur.

XLVI. Franciscus *de Lorraine*, Leopoldi ducis germanus, simul abbas Stabulensis, cessit in gratiam reformationis anno 1710.

XLVII. Anselmus *de Bavais*, Valciodorensis monachus, cum in Auream-vallem se recepisset strictiorem observantiam amplexandi gratia, primum illic subprioris tum prioris munere functus est. Deinde, Leopoldo Lotharingiæ duce in monasterium Belli-prati reformationem introduci quamplurimum exoptante, ab Aureæ-vallis abbate designatus est, qui principi Francisco cedenti succederet. Bullas adeptus, possessionem accepit 20 Junii 1710, & benedictionem ab episcopo Tullensi 29 eorumdem mensis & anni. Antiquis hujus loci incolis reformationem suscipere detrectantibus, duodecim reformatos ex Aurea-valle secum adduxit & introduxit ultimo die Augusti, licet reclamarent mitigatæ observantiæ monachi, quos dux Leopoldus in diversa monasteria deduci jussit. Antiquam cum abbate & canonicis Stivagii societatem innovavit an. 1705. Obiit 3 Martii 1737, annos 75 natus.

XLVIII. Hieronymus ex coadjutore ab anno 1736, 15 Maii, decessit 10 Decemb. 1750, natus annos 45.

XLIX. Ludovicus Princeps *de Salm* commenda donatus a rege Stanislao an. 1751.

L. Domnus *Malin* hodie regit monasterium.

ALTA-SILVA. HAUTE-SEILLE.

SITA in comitatu Albi-montis ad fluvium Vesosam abbatia de Alta-silva, infra parœciæ Tanconis-villæ limites, filia Theoloci in comitatu Burgundiæ prope Græum, ædificari cœpit 26 Maii 1140. Monasterii hujus fundatrix fuit Agnes *de Langestein* comitissa de Salmis, ex consensu filiorum suorum Henrici & Heremanni, quibus adjungendi sunt Conradus comes & ejus uxor Havidis, qui, teste Stephano Metensi episcopo, sanctæ Mariæ de Alta-silva tradiderunt quidquid habebant infra parochiam Tanconis-villæ in pratis, silvis pascuis, terris cultis & incultis, ut monachi inibi Deo servientes, omnia hæc ab ævo in ævum haberent & possiderent. Donationes ab Agnete avia sua per Stephani manum collatas confirmavit & auxit Henricus comes de Salmis anno 1174. Verum ab illo mox mutatus, non modo avertere cursum aquæ, quæ fluit per monasterium, sed & omnes præstitas ab antecessoribus suis eleemosynas extorquere enixus est. Prudentum tamen virorum consilio, coram Metensi ac Tullensi episcopis confessus est ne quidquam juris in aquarum cursibus, nec in abbatiæ possessionibus a se haberi, quin & in illatorum damnorum compensationem silvam suam, quæ retro monasterium est, tradidit an. 1184. Biennio post idem comes, laudantibus uxore sua Johata comitissa & Henrico filio, præbuit partem silvæ vulgo dictæ *Everbois*. Motam de quodam censu discordiam inter monasteria Altæ-silvæ & S. Salvatoris Petrus Tullensis episcopus sopivit an. 1171. Quin etiam anno 1176 eximium indulsit Ch. LXIV, col. 517. privilegium, quo omnes fulciuntur possessiones, & omnium beneficorum nomina recensentur. Bene in hujus loci monachos affectus Ludovicus comes de Salwerna anno 1185 id concessit, ut cum illi vel eorum carri per terras ab eo pendentes transirent, liberi & immunes essent ab omni censu.

ABBATES.

I. GERARDUS subscribit an. 1152 pactioni initæ inter Stivagium & Bellum-pratum, Henrico episcopo arbitro. Ex eo monasterio ad Tulleium traductus est, ubi adhuc degebat ad annos 1163, 1173.

II. Imbrannus testis est anno 1153 in litteris Henrici episcopi de consecratione ecclesiæ Senoniensis.

III. Fulco I legitur anno 1165 in charta Folmari comitis Castellensis pro Bello-prato. Diversis in documentis memoratur ad annos 1174, 1175, 1178. Defunctus 28 Maii.

IV. Hugo 1178.

V. Nicolaus I 1185.

VI. Fulco II 1189 occurrit in diplomate Simonis Lotharingiæ ducis confirmantis dona Alberti & Frederici fratrum de S. Germano, facta monasterio Belli-prati. Testis est eodem anno in litteris Petri episcopi Tullensis de dono Alberti *de Spinal*, nepotis Theoderici *de Romont*, concesso abbatiæ Belli-prati. Cum Pontio Mediani-monasterii abbate hoc ipso anno pactus est.

VII. Henricus I 1197 in donatione collata monasterio Bongartii; adhuc etiam an. 1200 in donatione facta monasterio *de Stultzerborn* a Conrado Harburgensi. Idem forte cum H. qui memoratur anno 1225.

VIII. Johannes I 1254. Arbiter fuit anno 1261 inter Belli-prati & Salinæ-vallis abbates. Monasterio sancti Martini Metensis vineam vendidit anno 1275. Mors ejus notatur 7 Augusti.

IX. Conradus obiit 28 Septemb. 1283.

X. Henricus II 1292. Quam jam pridem cum Henrico domino *de Blamont* discordiam habebat, sedavit anno 1314.

XI. Saffridus 1324.

XII. Jacobus *de Sarbourg* 1419.

XIII. Thirietus *de Vitrimant* 1433. Turpi
Ch. LXXIII, col. 535. apostasia se dedecoravit, ut constat ex litteris Johannis abbatis Cistercii, qui abbati Belli-prati præcepit 28 Maii 1434, ut quantocius se conferret ad Altæ-silvæ monasterium ipsum fratrem Thierietum apostatam, nec non alium fratrem, nomine Milsum, similiter apostatam & abbatiam invadere nitentem excommunicaturus, ac monasterium de abbate provisurus.

XIV. Albertus *de Blammont* 1447, obiit 1455.

XV. Stephanus 2 Maii.

XVI. Rembaldus 16 Maii.

XVII. Christophorus 1483 die 4 Aprilis quoddam molendinum dedit ad censum.

XVIII. Henricus III *de Sarrebourg* ab Henrico *de Lorraine* Metensi episcopo duos salis modios quotannis percipiendos accepit 21 Januarii 1500.

XIX. Adam *de Herbeviller* cum Thiriono *d'Anthelu* abbate Senoniensi occurrit in litteris Margaritæ filiæ Johannis comitis de Salmis 24 Januarii 1529.

A XX. Johannes II *de Xauray* 16 Septemb. 1562 dedit litteras, quibus suo suique conventus nomine recipit a Carolo *de Lorraine* Metensi episcopo ducentas libras ad redimendam pensionem duorum modiorum salis.

XXI. Johannes III *Perrin* legitur an. 1570 in charta Senoniensi. Cessit anno 1575 in gratiam sequentis. Mortuus 19 Aprilis 1583.

XXII. Nicolaus II *Perrin*, præcedentis germanus, possessionem accepit obtenta licentia Johannis comitis Salmensis 25 Junii 1575. Diem clausit extremum 26 Aprilis 1596.

XXIII. Petrus *Guerard* legitur anno 1601
B in instrumento monasterii in Argona. Ille ejusque conventus anno 1604 die 8 Octob. vendiderunt duci Lotharingiæ partem cujusdam saltus.

XXIV. Johannes IV *Caucre*, eleemosyna ac mansuetudine clarissimus, Othonem comitem adscivisse sibi coadjutorem dicitur anno 1617. Decessit 6 Februarii 1627.

XXV. Lupus *Ferriet* obtinebat an. 1639.

XXVI. Ludovicus *Ferriet* 1652.

XXVII. N. *Bretagne*.

XXVIII. N. *Maurean de Mautour*.

XXIX. Jacobus-Carolus *Brisacier*, a con-
C siliis, eleemosynis & concionibus Mariæ-Theresiæ Austriacæ, defunctus in seminario Missionum externarum annum agens 95.

XXX. Henricus IV *le Clerc* mortuus 13 Februarii 1747.

XXXI. N. *Alliot* commenda donatus a rege Stanislao 1747.

XXXII. Ludovicus-Apollinaris *de la Tour-du-Pin-Montauban*, vicarius generalis episcopi Eduensis, abbas a rege Ludovico XV dictus est mense Junio 1769, tum primus Nanceiensis episcopus 10 Augusti 1777, ut supra
D diximus.

CLARUS-LOCUS. CLAIR-LIEU.

SANCTISSIMÆ Dei Genitrici Virgini Mariæ & domno Vidrico abbati in valle quadam locum, qui quondam vocabatur *Amelum*, hora una a Nanceio dissitum, dedit anno Ch. LXII, col. 515.
1159 Matthæus dux Lotharingiæ, ex consensu tam uxoris suæ Berthæ, quam Matthæi & Friderici liberorum suorum, ad construendam abbatiam duodecim monachorum clericorum & laïcorum, quotquot necessarii forent. Clari-loci nomen monasterio indidit, plurimasque res, in diplomate enumeratas, ad monachorum
E nutrimentum impertitus est. Petrus de Brixeio episcopus Tullensis, studiosissimus Cistercensium cœnobitarum fautor, quos miris prosequitur laudibus in litteris de tributarum monasterio donationum confirmatione, ait ipsos e Ferraria in vicinia, loco sterili, ubi domunculam jam ædificare cœperant, a duce Matthæo evocatos, benigneque susceptos fuisse in ejusdem ducis alodium, positum in valle satis horrida & spinosa. Girardus Vadanimontis comes donum prædii, quod vocant *Benvise*, ab Alberto de sancto Firmino ejusque

fratre Conone traditum confirmavit. Litteras A quidem præbuit Odo Tullensis episcopus, quibus annuit ut census duodecim denariorum, præfato Cononi debitus, a fratribus Clari-loci in compensationem damni ab eo illati in posterum ecclesiæ sancti Stephani Tullensis solveretur. Benefactoribus merito accensenda est Bertha, domina de Ulmis, Matthæi ducis soror, Gualteri domini *de Vagnory* uxor, quæ molendinum suum *de Floart* in puram & perpetuam eleemosynam concessit an. 1240 mense Augusto. Mensa abbatialis assignata est an. 1602 bulla Clementis VIII data idibus B Martii ad dotationem ecclesiæ primatialis Nanceiensis. Abbatum seriem hîc exhibemus ex catalogo confecto a D. Petro *Bichet* abbate.

ABBATES.

I. VIDRICUS I ex abbatia Bitaniæ accitus, IV nonas Martii 1159 locum dictum *Amê-lum* a Matthæo duce Lotharingiæ accepit ad transferendum monasterium Ferrariæ; vineam etiam quam ab ipso duce Simon de Tullo miles tenebat assecutus est. Adhuc se dicit abbatem Ferrariæ in litteris datis annis 1160, 1163, C tametsi Clarus-locus jam fundatus fuisset anno 1159. Vendidit anno 1174 Ascelino abbati Bonifageti alodium de Janneio, laudantibus duce Matthæo & Petro episcopo Tullensi.

II. Jacobus 1165.

III. Vidricus II 1175, 1176, 1183, dictus abbas Ferrariæ.

IV. Walo anno 1184 concordiam iniit cum Francone abbate S. Vincentii, testibus Jacobo Bitaniæ & Gonterio Insulæ abbatibus. Adhuc in variis chartis recurrit ad annos 1180, 84, 85.

V. Petrus I 1194.

VI. Stephanus anno 1194 fuit unus ex arbitris qui exortam inter Simonem Lotharingiæ ducem & Romaricense monasterium sopiverunt litem. Occurrit etiam ad annos 1200, 1205, quo subscribit chartæ Hugonis Vademontis pro Morimundo.

VII. Guido dedit litteras de donatione quadam a Terrico milite *de Dambrot* facta monasterio Flabonis-montis. *Annal. Præmonst. t. I, p. 555.*

VIII. Petrus II 1293, 96, 1300.

IX. Ludovicus 1305.

X. Reinerius I 1314.

XI. Johannes I 1315.

XII. Philippus 1324.

XIII. Reinerius II 1328.

XIV. Everardus 1330, 1338, 1350.

XV. Clemens 1352.

XVI. Henricus I 1356, 57, 58.

XVII. Petrus III 1359.

XVIII. Johannes II *de Goute* 1374.

XIX. Johannes III *de Houdemont* 1389, 1390, 92, 93.

XX. Desiderius *Dortemont* 1395, 96, 97.

XXI. Dominicus I *de Varengeville* 1397.

XXII. Johannes IV 1400, 1408.

XXIII. Dominicus II *de Chavigny* al. *Demange de Charbonne* 1405, mortuus 2 Septembris 1429.

XXIV. Johannes V *de Gerbeviller* 1432, 37, 39, 49.

XXV. Johannes VI *de Gerbeviller* ab anno 1460 ad 1492, quo mortuus XIII cal. April.

XXVI. Dominicus III *de Clevi*, duci Renato a consiliis ab anno 1493 ad 1509, quo decessit 29 Novemb.

XXVII. Cuni *Forville de Rosieres*, suffraganeus Metensis, Antonio duci a consiliis, ab anno 1509 ad 1541.

XXVIII. Henricus II *d'Haraucourt*, monachus S. Apri Tullensis, simul abbas Bosonis-villæ, primus clarum-locum in commendam obtinuit; assecutus est a duce Carolo III veniam assumendi in coadjutorem Bosonis-villæ Franciscum *Thouvenin* canonicum regularem Calmosiaci, ipsius ducis confessarii. Gavisus est ab anno 1541 ad 1566.

XXIX. Annas *du Châtelet* simul commendatarius Clari-loci & Flabonis-montis.

XXX. Renatus *du Châtelet*, præcedentis nepos & coadjutor, simul abbas Belli-loci & Flabonis-montis, 1592, 1594. Cessit a beneficiis ut uxorem duceret.

XXXI. Carolus a Lotharingia, filius Caroli III ducis, episcopus Argentoratensis & cardinalis, Nanceii primas, præcipuos monasterii redditus univit ecclesiæ primatiali. Cesserat ante mortem quæ accidit anno 1607.

D XXXII. Johannes VII *Martinne*, monachus Morimundi, theologiæ baccalaureus, a monachis Clari-loci electus, possessionem accepit anno 1604, ac decessit 12 Martii 1631.

XXXIII. Carolus-Christianus *de Gournay* a monachis postulatus est 1632, tum evasit episcopus Tullensis, & obiit 1637 mense Septembri.

XXXIV. Franciscus *Brissaus* electus 1637, possessionem nactus est mense Decembri. Moritur in monasterio Vallium-Ornesii 11 E Septembris 1664.

XXXV. Claudius *Bichet*, præcedentis nepos & coadjutor, per avunculi cessionem regere cœpit 1664, 23 Martii, satisque concessit 1689. Hujus indicis abbatum auctor.

XXXVI. Petrus IV *Charlot* se abdicavit 1727.

XXXVII. N. *Pancheron*.

XXXVIII. N. a rege designatus.

XXXIX. N. *Haboury* nominatus etiam a rege anno 1768.

ECCLESIA S. DEODATI.

Saint-Diez.

Nivernensis episcopus sanctus Deodatus in solitudinem secedendi desiderio captus, episcopatum dimisit ac cum tribus sociis Wiligodo, Domnolo, & altero Deodato accedens in locum dictum *Romont*, Vosagi montium proximum, illic consedit, & trabem in ædificii fastigio, quam lignarii adaptare nequibant, collocavit. Cujus rei memor dominus loci, sancto episcopo locum ipsum ad inhabitandum obtulit. Verum sanctus præsul, accepto tantummodo quinque solidorum censu, in Alsatiam profectus est, & in sancta silva *, juxta oppidum Hagenowiam sedem aliquandiu fixit. Unde pulsus invidorum injuriis, commigravit ad Ebersheimense monasterium, cui præfuit aliquandiu, usus interea familiaritate Arbogasti Argentinensis episcopi, ac deinde B. Florentii ejus successoris. Adventantium concursus ex illo monasterio eum etiam coegit abire, seque recepit in quamdam vallem juxta Amalrici-villare, ubi tantisper substitit, unde etiam incolarum improbitate pulsus est. Adiit itaque Hunum seu Hunonem virum illustrem, qui cum uxore sua Huna in vicinia commanebat, filiumque eorum baptisavit & ex sacro fonte suscepit. Cum vero optatam illis in locis solitudinem invenire non posset, abstrusit se in Vallem-Galilæam, ibidemque in spelunca per aliquod tempus fructuum & herbarum tantum agrestium esu vitam sustentavit, & juxta montem *Cromberg* oratorium erexit in honorem S. Martini, in quo sancti antistitis aliorumque Sanctorum reliquias collocavit.

* Heilige-worst.

Cum multi prædia & possessiones monachis illuc undique confluentibus suppeditarent, Childericus rex ex fisco regio Vallem-Galileæ ab exortu cunctorum rivulorum in eamdem vallem influentium, usque ad eorum ab ea exitum, eidem loco assignavit. Præter sancti Martini oratorium, basilica etiam sub invocatione B. Mariæ Virginis, omniumque Apostolorum, nec non præcipuorum Trevericæ urbis pontificum, quorum reliquias ab Hidulfo episcopo acceperat, condita fuit ad collem, *Juncturas* ideo appellatum, quod Robachus & Morta fluvioli non longe ab ejus pede simul jungantur. Hinc *Junctura* dictum primitus, alias Vallis-Galilææ monasterium, quod postmodum ab ipso auctore sancto Deodato nomen accepit. Fundationem monasterii hujus probavit Numerianus Trevirorum episcopus, & ait monachos & peregrinos sub regula B. Benedicti & S. Columbani abbatis in eo congregatos fuisse. Jubet eisdem litteris ut cum Deodatus episcopus qui est pater ipsius monasterii de hoc seculo evocatus, illum quem unanimis congregatio illa ex semetipsis optime regula compertum elegerit, seniorem & abbatem instituat. Consimile etiam privilegium S. Deodato concessit Hidulfus Numeriani successor circa annum 670, quod monachus hujus loci se vidisse testatur in quibusdam ejusdem cœnobii chirographis seu instrumentis, regali & pontificali auctoritate firmatis. Ipsi sancto Hildulfo, ex quo episcopatum reliquerat, condideratque Medianum-monasterium, necessitudo fuit cum sancto Deodato, qui ab aliquanto tempore haud procul a fratribus suis in oratorio S. Martini seorsim degebat, soli Deo vacaturus, identidem tamen fratres visitare solitus. Instante morte Hildulfum ad se convenire rogavit, ut sibi viaticum præberet; simulque ut ei commendaret fratres ac discipulos suos, quos ipsi tanquam patri in omnibus parere jussit. His expletis, inter ejus manus animam Deo reddidit XIII cal. Julii 679, ab ingressu ipsius in vallem-Galilæam anno undecimo mediante. Sacrum ejus corpus in basilicam B. Mariæ deportatum, condigno cum honore sepultum est. Per viginti octo annos ac dimidium, quibus viro sancto superstes fuit Hildulfus, ejus gregi sibi commendato sedulo invigilavit, per præpositos locum illum administrans, abbatis sibi reservans officium, quamvis sui Mediani-monasterii congregationi vice sua proprium abbatem præfecisset. Et primo quidem ab ejus obitu anno locum sæpius adire solebat, ibique ad sanctum corpus missarum solemnia celebrare, ut Deum ei propitium redderet, si quid veteris maculæ expiandum superesset: postea vero nonnisi semel quotannis, ut vivente Deodato, illuc accedebat. Huic autem ad Vallem-Galilæam accedenti occurrebant S. Deodati discipuli, patris ac institutoris sui tunicam præferentes, quam is reverenter exosculabatur; idemque ritus servabatur in ejus reditu ad Medianum-monasterium. Attamen B. Hildulfus a S. Deodato de proxima morte præmonitus, Mediani-monasterii abbatem Raimbertum designavit; Marcinannum vero Vallis-Galilææ anno 707, cujus curam ac providentiam ab ipso B. Deodato acceperat. Hæc amborum monasteriorum societas ac necessitudo continua fuit sub Raimberto & Marcinanno, qui acceptam a sanctissimis magistris confœderationem adeo non imminuerunt, ut contra multum auxerint, atque hereditaria quadam lege ad posteros transmiserint. Hinc consuetudo apud utrosque diu inolevit, ut semel quotannis utriusque loci monachi sese inviserent, magistrorum suorum tunicas præferentes; deinde ipsa eorumdem Sanctorum corpora, posteaquam e tumulis elata fuerunt.

Mabill. Annal. Bened. t. I, p. 696.

Ad annum 769 ineuntem Carolus rex basilicæ sancti Dionysii, in qua genitor ipsius

Pippinus requiescebat, ipseque consepeliri cupiebat, monasteriolum S. Deodati, in vosago situm, donavit ea conditione, ut decem aut quindecim fratres ibidem assidue in psalmis, missis ac precibus Deum orarent pro se ac genitore suo Pippino, qui olim hunc locum in possessione sua tenuerat. Monasticas leges illic diu viguisse non omnino constat, nam circa annum 942 istud S. Deodati monasterium, tunc canonicorum, a duce Lothariensi, quem Fridericum vocant, commissum fuerat Adelberto Gorziensi monacho, eximiæ religionis viro, qui monachos illic denuo instituit. Hunc ad Medianum-monasterium transferre duci placuit, ut denuo istic religionem excitaret. Unus illic restabat æditúus monachus, Erchembertus nomine, cui Adelbertus, cum utrique loco sufficere non posset, sancti Deodati abbatiam commisit. Ille vero brevi totam loci substantiam & supellectilem devoravit, distraxit, venditisque calicibus & vasis sacris, pretium duci placando, quem sibi infensum malis moribus factum sciebat, offerre statuit. Quod aversatus princeps, malum illum provisorem inde extrusit cum monachis, qui istic ab Adelberto restituti erant, & canonicos eorum loco substituit.

ABBATES S. DEODATI.

I. S. Deodatus Nivernensis episcopus, capto episcopatus dimittendi & in solitudinem secedendi consilio, hujus monasterii Vallis-Galilææ auctor fuit, ut in prœmio modo diximus, illudque rexisse traditur ab anno circiter 669 usque ad annum 679, quo mortuus est XIII calend. Julii. De eo vide tom. XII, col. 627.

II. S. Hildulfus qui, relicto Trevirensi episcopatu, in vosagum se receperat, ut solitariam vitam ageret, condideratque Medianum-monasterium, a sancto Deodato familiari suo, morti proximo, rogatus est ut curam ac providentiam monasterii Vallis-Galilææ acciperet. Equidem illud administravit usque in annum mortis suæ 707.

III. Marcinannus præfectus est a S. Hildulfo, vixitque ad principatum Childerici, ultimi Meroveadum regis, a quo totius Vallis-Galilææ monasterii descriptionem seu recensionem, Aquisgrani regia auctoritate roboratam, obtinuit.

IV. Adelbertus, monachus Gorziensis, vir eximiæ religionis, a Friderico Lothariensi duce circa annum 942 provinciam accepit monachos canonicis in S. Deodati monasterio tunc degentibus substituendi. Quod cum feliciter operatus fuisset, ad Medianum-monasterium ab ipso duce translatus est, ut denuo istic religionem excitaret. Cum utrique loco sufficere non valeret, abbatiam S. Deodati cuidam Erchemberto commisit.

V. Erchembertus æditúus Mediani-monasterii, mox ut S. Deodati monasterii curam accepit, totam loci substantiam & supellectilem devorare ac distrahere cœpit. Qua de re indignatus præfatus princeps Fridericus malum illum provisorem cum monachis expulit, & canonicos in eorum locum suffecit, ubi etiamnum degere pergunt.

Pulsis igitur monachis, eidem Friderico Lotharingiæ duci anno 954 id monasterium ob dissolutam monachorum vitam in secularem ecclesiam convertere placuit, posuitque in ea triginta sex canonicos.

Primum hactenus occupavit locum præpositus, quem immediate sequuntur decanus, cantor & scholasticus. Pluribus abhinc seculis hæc ecclesia jurisdictione quasi episcopali fruitur in omni suo territorio, sex vel septem leucis patenti, quod quindecim parochiales & quinque succursales ecclesias continet. Pontificalibus ornamentis præpositus, cum divinis rebus incumbit, utitur magnisque & exmiis aliis fruitur privilegiis. Alii in capitulum non admittuntur canonici quam genere nobiles, quos anno 1765 cruce pectorali figuris SS. Deodati & Stanislai insculpta, vittaque violacea devincta, Poloniæ rex & Lotharingiæ dux Stanislaus decoravit.

Præpositorum Series.

I. Bruno, qui postea fuit episcopus Tullensis, & summus pontifex sub nomine Leonis IX, præpositus fuisse dicitur circa annum 1025, bullamque factus papa concessit an. 1049.

II. Valdradus a Leone IX ecclesiæ suæ assecutus est bullam anno 1051.

III. Allusus legitur anno 1065 in charta Udonis episcopi de instauratione ecclesiæ sancti Gengulphi.

IV. Raimbaldus subscripsit litteris Pibonis episcopi circa annum 1076, in quibus hic præsul de se loquens hæc ait: *Quia vero ejusdem ecclesiæ frater episcopus fui.* Unde visum est quibusdam Pibonem præpositis accensere.

V. Eglalphus 1078.

VI. Albertus anno 1120; factæ a Stephano Metensi episcopo Senoniensis ecclesiæ dedicationi interfuit anno 1124. Memoratus & annis 1126, 1127. Devixit anno 1135.

VII. Henricus I *de Lorraine*, Theodorici ducis filius, Tullensis episcopus præposituram obtinuit ab anno 1135 ad 1167.

VIII. Theodoricus I *de Lorraine*, Matthæi I ducis ex Bertha Friderici I imperatoris sorore filius, electus episcopus Metensis an. 1171, præpositi munus gessit ab anno 1167 usque in annum 1181, quo episcopali dignitate dimotus excessit.

IX. Matthæus seu Maherus *de Lorraine* obtinuit anno 1181, factusque est Tullensis

episcopus anno 1198; exauctoratus vero anno A 1210 & occisus propter crimina an. 1217, ut supra diximus in episcopis Tullensibus, col. 1005 & seqq.

X. Ferricus I 1224, 1225.

XI. Hugo in itinere Hierosolymitano mortuus circa annum 1237.

XII. Philippus I *de Florenges* promotus ad Metensem episcopatum anno 1264.

XIII. Johannes I *de Lorraine de Fontenoy* a majori parte capituli Tullensis in episcopum electus an. 1271, Romæ decessit an. 1272, dum jus suum persequeretur.

XIV. Ferricus II *de Lorraine*, Friderici II B Lotharingiæ ducis filius, Aurelianensis episcopus evasit an. 1296, ut dictum est tom. VIII, col. 1470. Circa idem tempus in episcopum Autissiodorensem a canonicorum parte postulatus fuerat.

XV. Johannes II *d'Arguel*, patria Burgundus, ab anno 1296 usque ad 1319, quo vivere desiit in vigilia Ascensionis.

XVI. Jacobus *de Nancey* electus 23 Octob. devixisse dicitur 19 Februarii 1320. Post cujus mortem vacavit quinque annis præpositura propter dissidium inter ecclesiam sancti Deodati & capitulum cathedralis ecclesiæ, C quod præpositum e cathedrali assumendum esse contendebat.

XVII. Philippus II *de Bayon* præpositi munere functus est ab anno 1324 ad 1350.

XVIII. Gerardus *Lhomme* defunctus anno 1376.

XIX. Alelmus *de Boistelly* elatus est ad archiepiscopatum Turonensem circa annum 1380.

XX. Galterus *de Fricocour* usque in annum 1414.

XXI. Petrus *d'Ailly*, Cameracensis episcopus & cardinalis, obtinuit usque ad 1417. D

XXII. Theodoricus II ad usque 1424.

XXIII. Henricus *d'Haroué*.

XXIV. Ferricus III *de Clisentaines* jam præpositura fruebatur anno 1424. Omnia sortitus est suffragia capituli Tullensis an. 1436 ut in sedem episcopalem extolleretur; improbata vero a summo pontifice electione, in ejus locum suffectus est Ludovicus de Haraucuria episcopus Tullensis. Adhuc præposituram S. Deodati obtinebat anno 1467.

XXV. Desiderius *de Bistroff* præfuit ad annum 1496.

XXVI. Ludovicus *de Dommartin* usque E ad 1509.

XXVII. Varricus *de Savigny* ad 1527.

XXVIII. Nicolaus I Desiderii ab anno 1528 ad 1530.

XXIX. Andreas *de Rennette* usque ad 1557.

XXX. Nicolaus *de Rennette*, coadjutor & nepos præcedentis, ad usque 1573.

XXXI. Cuminus Alix ad usque 1585.

XXXII. Gabriël *de Rennette* ad 1620.

XXXIII. Philippus III *de Tantonville* ad 1646.

XXXIV. Carolus *de Lorraine* abbas & princeps Gorziæ ad 1648.

XXXV. Carolus-Leopoldus *de Lorraine*, notus sub nomine Caroli V, cessit in gratiam sequentis anno 1656.

XXXVI. Franciscus I *de Beauveau* a capitulo difficultates expertus, præposituram nequivit obtinere; idcirco princeps Carolus-Leopoldus aliam fecit cessionem an. 1659.

XXXVII. Franciscus II *de Riguet* Caroli-Leopoldi principis educator, meritissimus vir, per cessionem discipuli sui factus præpositus, obtinuit usque ad mortem, quæ contigit anno 1701.

XXXVIII. Bernardus *du Fort*, ab antecessore suo coadjutor institutus, vitam finivit anno 1723.

XXXIX. Johannes-Franciscus *de Mahuet* ex coadjutore præpositus, se abdicavit anno 1725.

XL. Johannes-Claudius *Sommier*, Cæsareæ archiepiscopus, præpositus evasit anno 1725, possessionem eodem anno 11 Junii accepit. Domnum Augustinum *Calmet*, abbatem Senoniensem 24 Aprilis 1729, nec non Augustinum *Fangé* ipsius nepotem & coadjutorem 10 Maii 1736 benedixit: fatis vero functus est 5 Octobris 1737.

XLI. Comes *de Zaluski* in possessionem adiit 18 Martii 1741, abdicavitque 24 Junii 1742.

XLII. Scipio-Hieronymus *Begon*, episcopus Tullensis, possessionem capessivit 25 Junii 1743, ac devixit 28 Decemb. 1753.

XLIII. N. *de Moreuil*, vicarius generalis Metensis præcedentem excepit.

Verumtamen hæc celebris ecclesia majoribus aucta est honoribus. Enimvero anno 1774 Christianissimi regis Ludovici XV venit in mentem, ut in suo Lotharingiæ ducatu duo stabilirentur episcopatus, alius scilicet apud S. Deodatum, alius vero in urbe Nanceiensi Lotharingiæ capite; & quidem futuros designavit præsules. Pium avi sui consilium non laudavit modo anno 1775 Ludovicus XVI optimus rex noster, verum & ipse pro ingenita sua pietate, suas hac de re preces emisit ad papam Pium VI, qui bullas erectionis episcopatus S. Deodati indulsit 21 Julii 1777. Eodem anno ad dotationem hujus ecclesiæ adnexa sunt jura & proventus abbatiæ Stivagiensis. Tribus constat capitulum dignitatibus, nempe decano, quo munere fungitur Hyacinthus-Humbertus *de Tonnois*; majori cantore, atque scholastico, nec non viginti & uno canonicis, maximeque numeroso & inferiori choro.

EPISCOPUS

EPISCOPUS S. DEODATI.

DE CHAUMONT DE LA GALAISIÈRE.

I. BARTHOLOMÆUS-LUDOVICUS-MARTINUS.

A DOCTOR theologus facultatis Parisiensis, major præpositus ecclesiæ & comes sancti Deodati, abbas commendatarius S. Michaëlis ad Mosam & Alteriaci, Bartholomæus-Ludovicus-Martinus, a Ludovico XV rege designatus est anno 1774 ut esset hujus ecclesiæ primus episcopus, ac confirmatus a Ludovico XVI ejus successore anno 1775. Is & dominus *de Sabran*, designatus etiam Nanceiensis episcopus, transegerunt 17 Augusti 1776 cum illustrissimo episcopo Tullensi, e cujus diœcesi uterque episcopatus Nanceiensis & S. Deodati erat distrahendus. Bullas adeptus 21 Julii 1777 ac Briennæ consecratus 21 Septembris, regi fidem juravit 30 ejusdem mensis, ac possessionem accepit 28 Octobris ejusdem anni. Rem divinam in pontificalibus peregit 23 Februarii 1778 in ecclesia Minimorum de Bono-auxilio prope Nanceium pro solamine animarum Stanislai Poloniæ regis ac Lotharingiæ ducis, atque Catharinæ Opalinskæ reginæ ejus uxoris, ibidem sepultorum.

Abbatiæ diœcesis S. Deodati e Tullensi desumptæ, sunt sex, & unus Prioratus conventualis; scilicet,

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Senoniæ, *Senones.*
Medianum-monasterium, *Moyen-moutier.*

Feminarum.

Romarici-mons, *Remiremont*, nunc nobile virginum capitulum.
Spinalium, *Épinal*, nobile etiam virginum capitulum.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

Calmosiacum, *Chaumousey.*
Hyrevallis, *Hérival*, prioratus.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Stivagium, *Estival.*

SENONIÆ.

SENONES.

S. Gundebertus seu Gondelbertus, relicto episcopatu Senonensi, in Vosagum secessit, ibique monasterium construxit circa annum 661, quod in relictæ civitatis memoriam Senonense seu Senoniense placuit appellari. Childerici III regis est præceptum, quo hic princeps Gundelberto episcopo & abbati monasterii beatæ Mariæ & S. Petri in pago Calvomontisi, in Vosago, ad fluviolum Robodonem ædificati, ubi plurima monachorum turma degit, concedit exemptionem rerum omnium, quæ in Calvomontisi, Suetensi & Salinensi possidet. Monasterii limites in regio diplomate accurate distinguntur. Eo in loco, pro situ & vicinia montium excelsorum satis amœno, Gundelbertus duplicem basilicam cum adjuncto monasterio exstruxit, unam in honorem B. Mariæ, & alteram in honorem sancti Petri Apostolorum principis. Non ita pridem deleta est basilica B. Mariæ, rotundo structa opere, dormitorium ergo ædificandi.

Annal. Bened. tom. I, prob. p. 692.

B Elapso a fundationis tempore circiter seculo, Angelramnus episcopus Metensis abbatiam hanc a Carolo magno rege impetravit, eamque Metensis ecclesiæ ditioni subjecit, moleste ferentibus monachis, quod eorum monasterium ex imperiali episcopale evasisset. Sed vanum eorum dolorem fuisse asserit Richerius chronographus, atque monasterium illud, si sub Imperatoris jure perstitisset, omnino pessumdatum iri, ut cæteras circumjacentes ecclesias, quæ oppressione imperiali sæpius terebantur & deficiebant, tum ob armatorum cuneos in expeditionem mittendos, tum vexationes inimicorum, quos Imperator sæpius absens arcere
C non poterat. Porro Angelramnus ut monachorum gratiam aucuparetur, largitus est eis corpus S. Simeonis septimi episcopi Metensis, quod illi irati in ecclesiam suam admittere recusarunt. Depositum itaque fuit in capella, quæ in declivi vicini montis ab Angelramno condita est. Unde monachi sacrum hoc corpus miraculis clarum in ecclesiam suam solemniter detulerunt, ubi etiamnum in capsa argentea servatur. Verumtamen Angelramnus negotiis nimium distractus, relicta monasterii administratione, abbatem constituit Norgandum loci monachum, quin & monasterio defensorem seu advocatum simul assignavit. Nihilominus
D tamen abbatia hæc quoad temporales res subjecta remansit Metensibus episcopis, adeo ut abbates recens electi ab episcopo Metensi investituram acciperent, & in spiritalibus Tullensi episcopo parerent. Verum in temporis decursu ab obdientia Metensis & Tullensis episcoporum se subduxerunt, jurisdictionem quasi episcopalem in circumvicinis parœciis a sancta sede adepti. Bona & privilegia ad Adalberonis Metensis episcopi preces confirmavit imperator Otho anno 940. Consimiles etiam litteras indulsit Henricus IV an. 1111. Reformatio in id monasterium a Benedictinis congregationis S. Vitoni anno 1618 introducta est.

Char. x, col. 454.

CATALOGUS ABBATUM.

I. S. GUNDELBERTUS Senonum antistes, dimisso episcopatu, in Vosagum secedens circa annum 661, illic monasterium, Childerico rege Chlodovæi junioris filio fundum largiente construxit, & in relictæ civitatis memoriam Senonense seu Senoniense vocavit. Hoc in loco duplicem basilicam cum adjuncto monasterio condidit: unam in honorem sanctæ Dei Genitricis, ad quam monasterium cum suis officinis ædificasse dicitur: alteram beato Petro consecravit. Incertus ejus mortis annus, incertus quoque sepulturæ locus, quem nonnulli apud Medium-vicum statuunt. Nec fere certior ejus cultus, quem non in fastis sacris, nequidem domesticis notatum reperimus. In necrologio tamen Senoniensi legitur XVI cal. Novembris: *Commemoratio sancti Gundelberti præsulis, hujus loci fundatoris; Megerranni, Teodradi, Perini, Matheri, Wipodi, abbatum & sacerdotum Senonensis monasterii.*

II. Magnerannus, vir probis & sanctis moribus adornatus, in antiquo necrologio una cum sancto Gundelberto memoratur XVI cal. Novembris.

III. Aggericus.

IV. Benedictus.

V. Erlefridus I in Senoniensi necrologio laudatus XII cal. Maii.

VI. Boniceolus seu Boniciolus, cujus mentio est in veterrimo necrologio Augiensi & in Senoniensi V cal. Augusti.

VII. Stephanus.

VIII. Angelramnus, illustris genere, *cœnobialis vitæ alumnus,* ut ex antiquis monumentis prodit Meurissius, Caroli magni regis gratia, cujus fuit archicapellanus, Metensis evasit episcopus, & per obitum Stephani abbas Senoniensis an. 768. Monasterium ditioni Metensis ecclesiæ cum subjecisset, monachi moleste tulerunt quod eorum monasterium ex imperiali episcopale evasisset. Quos ut placaret Angelramnus, sacris reliquiis S. Simeonis septimi Metensis episcopi gratanter muneratus est; quas a monachis rejectas in ædicula sacra ad latus meridianum monasterii subito constructa interim deponi curavit. Attamen monachi miraculorum inibi coruscantium frequentia & celebritate attoniti, sacrum id pignus in majorem monasterii ecclesiam solemniter intulerunt IX cal. Novembris. Porro Angelramnus considerans se aliis arduis tam imperii quam episcopatus negotiis implicitum, dimittere abbatiam constituit, & in locum suum suffecit Norgandum anno 785. Præterea monasterii defensorem seu advocatum instituit, cujus stipendio partem terræ *Abaium* assignavit. De vita migravit anno 791.

IX. Norgandus per superioris cessionem factus est abbas an. 785. Senonienses abbates ab ipsius tempore benedictionem ab episcopo Tullensi, temporalia vero a Metensi episcopo

A accipere compulsi sunt. In antiquo necrologio notatur Norgandus VII idus Novembris.

X. Theodradus.

XI. Perinus.

XII. Notherus.

XIII. Wipodus fundator fuit prioratus seu cellæ, quæ ejus nomine * Wipodi-cella nuncupata est; item & prioratus S. Salvatoris. * Vipucelle.

XIV. Ricbodo Wipodi nepos & successor, ab imperatoribus Ludovico & Lothario in beneficium accepit anno 826 cellulam in loco qui vocatur Alwini-mons super fluvium Prusia, quam jam dudum avunculus ejus Wicpodus

B episcopo Metensi tradiderat.

XV. Erlefredus II memoratur in epistola 10 Frotharii Tullensis episcopi, qua hic præsul apud Drogonem Metensem queritur, quod absque permissu & licentia ejus Senonienses monachi e parochia seu diœcesi Tullensi egredi præsumsissent. Chesn. Hist. franc. tom. II. pag. 715.

XVI. Teutdericus, cui simul & Ragenardo Frotharius episcopus Tullensis inscribit epistolam vicesimam sextam de quibusdam calamitatibus, Senoniensis abbas fuisse creditur. Ibid. p. 721.

XVII. Adelhardus ex chronico Senoniensi monasterii bona, reditus & proventus negli-

C gentia sua dissipavit; immo, quod deterius est, spiritalium, ordinis scilicet & religionis & religiosorum exstitit perversor. De aliis quinque subsequentibus abbatibus ne quidem nomina refert Richerius author Chronici Senoniensis, forte ne sui annales eorum appositione nimium fœdarentur.

XVIII. Rangerus, vir prudens & modestus, obiit 25 Januarii circa annum 930.

XIX. Rembertus, monachus Senoniensis, qui in Gorziense monasterium confugerat, ut regularem disciplinam excoleret, Senoniam reversus est tempore Rangeri, a quo præpositi

D munere honestatus fuit, quod tam rite adimplevit, ut post Rangeri mortem una voce electus sit abbas. Mox fratres ad observantiam revocare cogitavit: at illi eum orarunt ut, sicut consueverant, victitare sineret. Adalbero Metensis episcopus ut abbatis zelo faveret, Agenaldum Gorziensem priorem ei dedit adjutorem. Ambo monachis significarunt vel disciplinam esse observandam, vel e monasterio exeundum. Omnes præter quatuor, qui e monasterio discesserunt, reformationis leges susceperе. Ubi spiritalibus rebus Rembertus operam dedit, temporales etiam componere duxit.

E Enimvero ab Adalberone Metensi episcopo id assecutus est anno 938, ut quidquid antecessores ejus dono contulerant monasterio, confirmare dignaretur. Privilegium etiam Childerici III regis, concessum B. Gundelberto ab Othone imperatore roborari fategit anno 949, procurante eodem Adalberone episcopo. Obiit in senectute bona 3 Martii. Ch. VIII. col. 431.

XX. Erlefridus III, cujus mors notatur 20 Aprilis.

XXI. Daubertus 18 Septembris.

XXII. Anselmus 29 Novembris.

XXIII. Suthardus I pacis cupidus, perturbationes, rapinas exosus, concordiam inter se & Gerardum *de Turkestein* cœnobii advocatum, ab Adalberone II Metensi episcopo componi curavit anno 1000. Mortuus 9 Martii.

Ch. XVI. col. 461.

XXIV. Suthardus II decessit 29 Junii.

XXV. Erlinus vixit tempore Willelmi abbatis S. Benigni Divionensis, a Bertholdo episcopo ex Burgundiæ partibus vocati, ac cœnobio S. Apri circa annum 1018 præfecti. Libram unam auri & semis ad instaurandum monasterium S. Apri contulit circa annum 1030, ut constat ex notitia Tullensis episcopi de restauratione hujus cœnobii. Notatus in necrologio 18 Martii.

Bened. Hist. Tull. instr. p. 70.

XXVI. Bercherus an. 1057 adfuit synodo ab Udone episcopo coactæ mense Julio, in qua subsignavit sententiæ latæ contra incolas pagi Varengisi-villæ. Donum accepit a viro quodam, nomine Johanne, & Eva ejus uxore, quo se suosque liberos & heredes omnes ac singulos, nec non & hereditatem de Seckmarvillari subdunt, & vectigales faciunt monasterio Senoniensi an. 1059. Subscripsit chartæ Udonis episcopi de restauratione capituli sancti Gengulphi Tullensis an. 1065. Decessit anno 1087, teste Johanne de Bayone, ejusque obitus in necrologio notatur IV kal. Decemb. post cujus mortem fere ad decennium vacavit sedes abbatialis. Vacatio hæc contigit ob turbas ecclesiæ Metensis, cui Senoniense monasterium in temporalibus subjectum erat.

Id. p. 73. Id. p. 77.

XXVII. Antonius natione Italus seu Longobardus, ortu Ticinensis, moribus æque ac genere illustris, relictis parentibus rebusque paternis, accessit ad Metensem urbem & in monasterio S. Arnulphi monachum induit. Tum probata ejus virtute ac prudentia, Laiensi cellæ præpositus fuit. Illam ruinæ proximam instauravit, ecclesiamque ut etiamnum cernitur exstruxit a fundamentis. Senoniensis ecclesiæ ad regimen vocatus anno 1098 favore Popponis episcopi Metensis, totum monasterium, puta claustrum, refectorium, dormitorium, omnesque officinas intus & extra evertit, & ampliora commodioraque evexit, ac proventus auxit. Cellas quinque seu prioratus acquisivit, scilicet cellam juxta castrum Danubrii, cui ad sustentationem fratrum ibidem Deo servientium collata sunt plurima a Stephano episcopo Metensi; cellam Leonis-montis, quam satis ample dotavit; cellam de Xuris a venerabili matrona Cunegunde collatam; cellam S. Christophori in clivo collis ante portam vici sitam, quorumdam virorum nobilium ope conditam; cellam *Lorking*, a Bencelino *de Turkestein* & Mathilde ejus uxore fundatam. Querelas de injuriis & damnis suo monasterio illatis ab Hermanno comite detulit an. 1111 ad Adalberonem IV episcopum Metensem. Eodem anno res omnes monasterii ab imperatore Henrico IV firmandas curavit. Litteras eadem de re adeptus est a summis pontificibus Calixto II & Honorio II annis 1123, 1125. Constat ex charta Stephani Metensis episcopi, a quo dedicata est ecclesia Senoniensis anno 1124, Antonium per idoneos testes productos sufficienter probasse anno 1125 servitium annuale, quod exigebat episcopus, non a domo Senoniensi, sed a banno debere impendi. Insequenti anno ab eodem præsule consecutus est locum quemdam prope castrum Danubrium ad construendam cellam, olim sub titulo sancti Stephani, nunc sub patrocinio S. Christophori. Ob sanctitatem nominatissimi abbatis Antonii ab ipso Stephano cellæ dictæ *Lorking* presbyteratus ejusdem loci anno 1128 collatus est: quin & ab ipso præsule, abbate Antonio rogante, ecclesia S. Jacobi de Xuris dedicata fuit anno 1129. Alodium quoddam a domina Leucardi *de Baffimont* traditum ab eodem episcopo monasterio suo afferi curavit anno 1130. Adalberoni Trevirensi archiepiscopo questus est de comitis Henrici, advocati monasterii, rapinis & exactionibus, & adversus eum sententiam obtinuit anno 1135. Meritis plenus animam Deo reddidit 27 Octobris 1136, post triginta & octo regiminis annos, sepultusque est in ecclesia SS. apostolorum Petri & Pauli.

Charta XXXVIII, col. 488. Ch. XXXIX, col. 489. Charta XL, col. 489. Charta XLI, col. 491. Ch. XLII, col. 492.

XXVIII. Gualterus cellam seu prioratum dictum *Moinier*, adstante fundatore Stephano Metensi episcopo per Lethuinum S. Rufinæ cardinalem, sedis apostolicæ legatum, consecrari curavit. Bonorum vero ipsius cellæ, jurium & privilegiorum confirmationem ad preces ejusdem Stephani ab Innocentio II impetravit an. 1139. Notatus in necrologio 11 Febr.

Ch. XLVIII, col. 498.

XXIX. Humbertus factas donationes per diversas personas in pago *Remereville* monasterio Senoniensi ab Alberone Trevirensi archiepiscopo laudandas curavit an. 1145. Biennio post, scilicet an. 1147, adeptus est ab Henrico Tullensi episcopo confirmationem donationis indultæ a Rainaldo clerico in villa quæ dicitur *Arch*. Bullam ab Eugenio III summo pontifice obtinuit an. 1152 de jurium & privilegiorum munimine. Eodem anno donum Theodorici de Dombavilla & Petronillæ uxoris ejus, confirmante Stephano Metensi episcopo, accepit. Ecclesiam ab abbate Antonio a fundamentis exstructam dedicari studuit in honorem B. Mariæ Virginis ab Henrico episcopo Tullensi anno 1154, IX cal. Februarii, qua die cœnobio plurimæ res ab ipso præsule collatæ sunt. Excessit 25 Aprilis circa annum 1160.

Chart. LI, col. 501.

XXX. Bernardus occurrit anno 1160. Hujus ætate venundatus est quidam prioratus dictus *Sales*, alio nomine Mansus S. Benedicti, in diœcesi Bisuntinensi, quem ecclesia Senoniensis a primis temporibus acquisierat. Defunctus est XIV cal. Decemb. 1169, regiminis sui anno nono.

XXXI. Gerardus, in valle S. Deodati nobilibus ortus parentibus, Metensis sancti Arnulphi monachus, ob vitæ morum honestatem Senoniensi cœnobio præfectus est anno 1169. Multam habuit religionem, sed nimiam

in parentes propenſionem. Petro magiſtro & Militibus domus Suniaci fundum *de Volferen* locavit anno 1173. Quamdam nactus eſt donationem ab Henrico Salmenſi comite anno 1174. Ad removendas omnes lites inter monaſterium ſuum & illud S. Remigii Lunarisvillæ iniit compoſitionem an. 1191. Vituperationem meretur ex eo quod monaſterium oneraverit parentibus ſuis, qui illud dilapidaverunt. De qua dilapidatione doluit maxime, tantoque pro eis dolore perculſus eſt, ut poſtquam 31 annis hanc rexiſſet eccleſiam, ſua ſe dignitate abdicarit, & ad cellam Leonismontis ſe tranſtulerit: ibi paucis ſuperſtes annis diem clauſit extremum 4 Julii circa annum 1204.

XXXII. Theodoricus *de Noviant* poſt admiſſam ſuperioris abdicationem ſuffectus fuit & benedictus an. 1200, vir ſimplex & honeſtæ vitæ, qui cum a ſolennitate Paſchæ uſque ad feſtum ſancti Simeonis 24 Octobris ſediſſet, ceſſit a dignitate & ad cellam S. Chriſtophori prope vicum ſeceſſit, ubi obiit poſt aliquot annos, ibidemque ſepultus eſt 29 Aprilis.

XXXIII. Cono de Danubrio ſacerdos, poſt Theodorici ceſſionem a conventu electus fuit ſeu poſtulatus anno 1200, ſolo intuitu divitiarum quibus affluebat, & in ea ſpe ut monaſterium ad inopiam redactum ſublevaret. Verum ille regulæ S. Benedicti clauſtraliumque exercitiorum admodum rudis, ad docendam verbis & exemplo regulam iners fuit. Nunquam veſte monaſtica indutus, vitam exegit prorſus ſecularem, imo etiam accipitres in clauſtro & choro geſtabat. Poſt regiminis annos quinque deceſſit 9 Auguſti anno 1204.

XXXIV. Henricus I patria Metenſis, aliquantulum litteratus, monaſticis moribus ornatus, diviniſque officiis aſſiduus, Cononi ſucceſſit anno 1204. Ut in rebus monaſterii parcendis nimium fuit ſollicitus, cum monachis, quibus neceſſaria negabat, graviſſimum habuit diſſidium. Ille ſibi infenſos cernens monachos, Henricum de Salmis comitem ejuſque uxorem Walburgam adiit rogans, ut ad monaſterium convenirent ad reſtituendam pacem & concordiam. Hi tam efficaciter precibus, muneribus ac minis apud monachos egerunt, ut omnes depoſuerint ſimultates. Collato in abbatem officio abutens comes, injuſta a monaſterio cœpit exigere. Henricus vero, irrito vibratis in eum ſpiritalibus armis, in auxilium vocavit ducem Lotharingiæ, qui comiti bellum indixit. Mala tamen, quibus dederat occaſionem, reſarcire abbas enixus eſt. Ille ſiquidem privilegii exemptionem ab annali ſervitio, quod per Bertrannum Metenſem epiſcopum exigebatur, ſicut olim ab anteceſſore ejus Antonio per Stephanum itidem epiſcopum fuerat exactum, renovari & approbari procuravit anno 1210. Domum lapideam in curia dicta *Rosheim*, & molendinum in Lotharingia apud Archum ſuper fluvium Mortam conſtruxit. Eccleſiam S. Hilarii Metis acquiſivit, multaque alia utiliter egit. Henrico comiti Salmenſi uxorique ejus ac filiis ſexaginta libras Metenſes dedit pro alodio dicto *Domgevin* apud *Herbeviller* anno 1219. Henricum militem, cognomento *Lombart*, ſocium ſibi adjunxit ad poſſeſſionem prædii apud Borvillam menſe Decembri 1224. Obedientias omnes ſeu prioratus vacuos reliquit, ita ut monachi penitus ignorarent ſtatum monaſterii: nihilominus tamen ſub ejus regimine magna rerum fuit ubertas. Cum viginti rexiſſet annis, in abbatia de Bello-prato vitam finivit 21 Septembris 1225. Unde ejus corpus Senonias reportatum, in capitulo ſepultum fuit.

XXXV. Widricus, vir generis ac perſonæ ſuæ & vitæ honeſtate clarus, ex familia militum de Scovagio, paucis diebus poſt mortem Henrici, unanimi monachorum conſenſu electus eſt, ejuſque fuit imitator in rei familiaris ſolerti ac provida adminiſtratione & cura divini officii. Clauſtrum ab abbate Antonio a fundamentis erectum ſed non abſolutum perfecit. Quamdam emit poſſeſſionem apud Regisvillam in Alſatia octoginta marcis argenteis, quæ tempore Balduini abbatis perdita fuit. Cum Frederico de Albo-monte concordiam iniit menſe Octobri 1225, ut conſtat ex litteris Matthæi ducis Lotharingiæ arbitri. Eccleſiam *de Ramberviller* cum omnibus appenditiis anno 1227 menſe Octobri dono accepit ab Odone Tullenſi epiſcopo. Tertiam decimarum partem ejuſdem loci a Simone quodam uſurpatam, jubente Johanne Metenſi epiſcopo, recuperavit anno 1229. Sex vinearum jugera a Waltero de Regis-villa & Berta ejus uxore acquiſivit anno 1230. Quidquid Henricus dominus *de Dombal*, frater comitis Salmenſis comparaverat apud Magnevillam, in perpetuam eleemoſynam accepit an. 1235 menſe Junio. Graves paſſus eſt ærumnas ab Henrico Salmenſi ea occaſione: tres ſiquidem illi fuere fratres germani, ſcilicet Johannes, Gaufridus, & Rodulfus *d'Oucrois*, milites, quos Salmenſis comes vaſſallos ſuos eſſe contendebat. Quam ſubjectionem ſubire cum hi tres milites conſtanter recuſarent, comes iratus abſtulit eis univerſa, quæ in comitatu ſuo poſſidebant. Comitem coram epiſcopis Metenſi & Tullenſi citavit, ac poſt longam & inutilem litigationem, monachos omnes ex monaſterio diſcedere juſſit, aliis ad Rembervillare, aliis ad cellam Leonis-montis tranſmiſſis, quo etiam reliquias ſancti Simeonis e capſa extractas deportaverunt. Quinque tantum monachi comitis partibus addicti in monaſterio manſerunt, quibus ille neceſſaria ad victum impendebat; ſed mox Metenſis ac Tullenſis epiſcoporum juſſu in carcerem truſi ſunt. Compoſita tamen eſt pax, reſtitutis in integrum fratribus abbatis & promiſſa a comite Salmenſi rerum omnium reſtitutione, quas Senonienſi eccleſiæ rapuerat, moxque abbas & monachi ad monaſterium reverſi ſunt. Poſt duodecim & amplius prælaturæ annos, conſulente Rogero Tullenſi

præsule, Widricus a monachis S. Apri pastore destitutis, postulatus est abbas. Acceptata hac dignitate, nihil non est molitus ut unus e propinquis suis in locum suum sufficeretur; sed effectu caruit desiderium ejus.

XXXVI. Balduinus I prior Varingisivillæ, traducto in abbatiam S. Apri Widrico substitutus, per compromissarios monachos, scilicet Johannem, Richerium authorem chronici Senoniensis, & Fridericum priorem *de Xures* dictus fuit abbas anno 1239, confirmatusque est sat ægre a Rogero Tullensi episcopo. Possessionem iniit circa festum Purificationis beatæ Virginis Mariæ, solemniter acceptus a conventu. Juvenis ætate & moribus, rogavit fratres, ut si quid contra rectum ordinem faceret, admonerent; sed admonitus nihil emendavit. Attamen mox ut abbatiam est assecutus, locupletando monasterio curam adhibuit, at intervallo temporis sat longo studium ejus paulisper remissum est. Cum cognovisset abbatem sancti Apri Widricum velle retinere cellam Leonismontis, ad ordinis visitatores recurrit, litterasque ab eis impetravit ad hunc abbatem, ut quam occupabat cellam Senoniensi ecclesiæ restitueret, sin aliter sciret se excommunicatum. Ecclesiam de Columbario prope Metas nec non ecclesiam *de Fontenoy* acquisivit. Claustrum ante ecclesiam S. Mariæ, cujus partem construxerat Widricus, cœpit ædificare. Quædam etiam molendina construxit, aliaque vetera restauravit. Ejus tempore laudata est an. 1242 a Catharina ducissa Lotharingiæ fundatio prioratus de Mervavilla. (Ch. LXXI, col. 526.) Henricum *de Bayon*, cognomento *Lombart*, prædii de Borevilla consortem sibi adscivit mense Aprili 1249. Eodem anno mense Septembri villæ & vineæ, quas idem Henricus possidebat in vico de Borevilla, particeps & ipse effectus est. Compositionem iniit anno 1261 cum Henrico comite Salmensi de fodinis ferri *de Framont* & *de Plaine*. Ad hunc annum refertur obitus Richerii monachi & auctoris chronici Senoniensis. Balduinus vero decessit 27 Aprilis 1270, ex necrologio.

XXXVII. Simon anno 1270 mense Maio cum domino *de Blamont* transegit de quibusdam silvis & earum usu. Clientelarem fidem a viro quodam nomine *Dantray* ejusque filia Alexia accepit sub finem anni 1277. Admisit in societatem silvarum a monasterio dependentium comitem Salmensem mense Aprili 1284. Mortuus est 8 Martii 1285.

XXXVIII. Balduinus II ex cellerario creatus abbas a nonnullis monachis, quibus adjuncti erant decumani, passus est repulsam. Certior factus de hoc schismate Conradus Tullensis episcopus, minacem scripsit epistolam feria secunda post secundam Paschæ Dominicam anno 1285, jubens monachos abbati suo obtemperare, & decumanos annuos reditus pendere; si vero imperium detrectaverint aut vectigalia non solverint, pœnam excommunicationis denuntiat. Diversis in instrumentis occurrit Balduinus annis 1289, 1290, 1299, 1300, 1302, 1304, 1306, 1312, 1313, 1314. Incertus mortis ejus annus, sed dies annotatur in necrologio 13 Julii.

XXXIX. Hartungus plurimas res acquisivit, ut constat ex pluribus chartis in archivio asservatis & confectis ad annos 1316, 1319, 1322. Legitur in necrologio 25 Aprilis.

XL. Bencelinus anno 1327 die Jovis post Conversionem sancti Pauli cum Artemanno, Childerici domini de Rhea equite transegit. Collationis capellæ in parochia Rambervillensi erectæ confirmationem a Thoma Leucorum episcopo adeptus est anno 1339. Rogatus ab abbate Stivagiensi diplomata Theobaldi ducis Lotharingiæ in gratiam monasterii Stivagiensis cum eo revisit, & originalibus conformia agnovisse testatus est anno 1340. Memoratur in litteris ducis Lotharingiæ datis an. 1341 mense Decembri, Sabbato post festum sancti Nicolai. Singulis annis ab anno 1327 usque ad 1349 legitur in documentis. Dies & annus mortis ejus ignorantur.

XLI. Rennerus *Finance* anno 1353 die Martis post festum sanctissimi Sacramenti cum Henrico comite de Salmis compositionem iniit de alta domo pagi nomine *du Puit*. Supplicibus litteris Urbanum V papam rogavit anno 1367 die 15 Julii, ut ob infirmitates suas monasterii regimine exoneraretur. Quis petitionis ejus fuerit effectus prorsus incompertum, incompertus & mortis annus.

XLII. Petrus I *de Varice* an. 1372 testis occurrit in litteris Theobaldi ducis Lotharingiæ. Insequentibus annis plurimas monasterii possessiones locavit. Johannis *de Vatronville* equitis & procuratoris comitis de Salmis ausa repressit anno 1381. Ad capellam beatæ Magdalenæ in ecclesia *de Remberviller* præsentavit Johannem de Camera. Cessit e vita 18 Septembris juxta necrologium.

XLIII. Nicolaus *de Barlemont* jam præerat anno 1392, quo Clemens VII litteris datis Avenione IV nonas Januarii, mandavit cantori sancti Deodati, ut ipsi Nicolao abbati ejusque monasterio ablata restitui curaret. Dies ejus obitus notatur 14 Octob. sed reticetur annus.

XLIV. Balduinus III septem laterculos agrarios emit anno 1397 die Mercurii post Pentecosten in banno *de Hungesheim* in Alsatia. Defunctus eodem anno 12 Julii, ex necrologio.

XLV. Thericus *de la Chambre*, rerum monasterii studiosus conservator & defensor, opposuit sese quibusdam infimæ plebis hominibus bona attentantibus anno 1418. Summo pontifici de divellendo prioratu S. Christophori de Vico a monasterio serio meditanti restitit anno 1420. Causam obtinuit adversus incolas pagi *de Sainstail*, qui pecora sua in silvas a monasterio dependentes deducendi sibi jus arrogabant. Consignatur in necrologio 20 Martii.

XLVI. Valentinus ex abbate Mediani-monasterii factus quidem est cœnobii Senoniensis,

& utrumque diu habuisse creditur. Omnes contentiones exosus, dedit operam an. 1423, ut controversia inter se & abbatem Belli-prati ob banni S. Clementis decimas exorta peritorum consilio dirimeretur. Constitutus fuit anno 1437 ad componendam inter abbatem Stivagiensem & abbatissam Andelacensem litem. Monasterii rebus conservandis & augendis sedulo incubuit. Obiisse dicitur anno 1451, notatus in necrologio calendis Aprilis.

XLVII. Desiderius *de Borville* ex priore Leonis-montis creatus est abbas x cal. Junii 1440. Laudatur quod bona emerit multa, & abalienata recuperaverit non pauca. Pluribus in documentis memoratur annis 1449, 1456, 1457. Extremum autem clausit diem 26 Julii 1461.

XLVIII. Henricus II *de Britton* de Danubrio Desiderio postridie mortis ejus successit 27 Julii 1461, adeptusque est confirmationem a Pio II nonis Septembris ejusdem anni. Accepit die 4 Octobris insequentis literas ab Heberardo *d'Andelau*, quibus hic confitetur se suosque heredes in quorumdam bonorum possessionem lege clientelaris fidei inductos fuisse. Prædium *Mouacourt* locavit anno 1471 domino *de Parois*. Capellam S. Magdalenæ contulit 2 Septembris 1472. Arbiter fuit anno 1480 controversiæ sedatæ inter Præmonstratenses Stivagii & incolas ejusdem loci. Plurimæ cernuntur in archivio factarum ab eo acquisitionum, locationum & permutationum litteræ. Leguntur & aliæ datæ 23 Maii 1482, quibus Georgius Metensis episcopus contestatur ducentos florenos aureos sibi ab eo abbate & ejus conventu mutuo datos fuisse. Legitur in instrumento anno 1487. Defunctus 6 Febr. 1490, sepulturam habuit ante aram sacratissimi Rosarii a cornu epistolæ.

In tabulis Lotharingiæ ducatus occurrit 26 Augusti anno 1482 Johannes de Danubrio abbas Senoniensis. Quod fere persuadet Johannem hunc inter abbates numerandum. Forte ipsi cesserat Henricus, qui tamen, Johanne aut mortuo aut cedente, pastorale pedum adhuc sumpsit.

XLIX. Johannes I Curati abbatia instructus est non ratione electionis, sed provisionis, auctoritate apostolica 5 Julii 1490, pontificatus Innocentii VIII anno 6. Mortis ejus diem & annum silent monasterii monumenta; verum non excessit annum 1492.

L. Johannes II *de Borville* cuidam incolæ pagi Vipodi-cellæ, quatenus Senoniensis abbas, bonorum obligatorum inducias dedit 5 Julii 1492. In abbatiam Stivagiensem profectus anno 1497, tollendi abbatem inter & rusticos dissidii adjutor non mediocris fuit. Eodem anno domum magno pretio in pago *Raon* comparavit. Prioratum Leonis-montis abbatiali mensæ anno 1499 uniri procuravit. Abalienata iterato emit & nova acquisivit. His speciosam adde structuram ænei candelabri, ab ecclesiæ fornice catena ferrea pensilis, pluribus

A angelis & columnis ornati, duodecim vestiti ramis, sex in superiori parte & sex in inferiori, omni modo exquisitissime elaborati. Privilegium sibi suisque successoribus ab Alexandro VI consecutus est 4 Decembris anno 1501, quo conceditur facultas utendi mitra, lituo & aliis pontificum amictibus, simul cum potestate ornamenta benedicendi, cœmeteria reconciliandi, tonsuram & quatuor minores ordines monachis suis conferendi. Defunctus 5 Octob. 1506, jacet ante majus altare.

LI. Thirionus *d'Anthlu* ex priore in abbatem una monachorum voce electus est an. 1506,
B deinde a sede apostolica confirmatus. Optimus dispensator, rem familiarem auxit, deturbataque bona resarcivit. Sed heu! tristis fuit testis oculatus 13 Aprilis 1534 casus adversi & omnino luctuosi; integrum siquidem monasterium, nullis partibus, ne quidem binis ecclesiis, neque domo abbatiali exceptis, crudeli conflagravit incendio. Campanæ omnes fuerunt liquefactæ, claustra in cinerem redacta, domus circumjacentes consumtæ. Mœstum istud spectaculum abbatem acerrimo pupugit dolore, sed animum non fregit, imo succendit; nam nihil cunctatus, binarum ecclesiarum sarta-
C tecta eodem anno refecit, & subsequentibus claustrum, capitulum, culinam, refectorium, dormitoria, ædesque abbatiales summa pecunia restauravit. Johannem *Durand* nepotem suum in coadjutorem assumsit. Decessit III nonas Januarii 1541, sepultusque est ante majus altare.

LII. Johannes III *Durand*, antecessoris nepos & coadjutor, in possessionem venit 4 Januarii 1541. Inchoatum a Thiriono opus imperfectum absolvit; parastadibus multis, quibus fornices fulciuntur, interiora & exteriora
D claustri munivit. Totum anno 1542, id est uno post initam abbatiæ possessionem perfecit. Deinde pluribus partis rebus monasterium ditavit. Pacem conciliavit inter se & dominum *du Paroy*, beneficæ naturæ vir uniuscujusque utilitati consuluit. Cum vix quatuor præfuisset annis, mortuus est 1 Martii 1545.

LIII. Claudius I *Padoux* a Johanne antecessore suo administer prioratus *de Moniez* factus, donatus quidem ab ipso est viginti duorum annorum curriculo bonorum abbatiæ procuratione & dispensatione. Posteaquam duplici hoc officio sibi injuncto prudenter functus
E fuerat, omnium voce conclamatus est abbas mense Junio 1545; tum vero Romæ a Paulo III confirmationis litteras accepit datas VII cal. Aprilis. Transegit anno 1551 cum Anna *d'Haussonville* abbatissa sancti Petri Metensis. Nullum elabi passus est annum, quin monasterio bona compararet nova, novisque monachos cumularet beneficiis, uti constat ex authenticis multisque litteris in archivio asservatis. Inter ea quæ in fratrum gratiam peregit, illud est præsertim quod de mensæ separatione transactionem a prædecessore suo confectam, anno 1563 non solum redintegrarit, verum etiam

amplificaverit; appositoque decani totiusque capituli S. Deodati sigillo muniri, & ab ipso summo pontifice confirmari procuraverit. Plenus meritis obdormivit in Domino 3 Maii, ante vestibulum chori sepultus.

LIV. Claudius II *de Raville*, unanimi fratrum consensu in abbatem cooptatus, Pii IV litteris confirmatus fuit 1 Julii 1564. Litigium habuit anno 1576 cum Johanne & Henrico *d'Haraucourt* & Nicolao *de Balistein* dominis *de Magneres*. Præfulsit ejus pietas in exornandis ecclesiis; equidem turrim campanis replevit, chorum subselliis ex exquisitissimo opere instruxit anno 1577. Pulpitum aspectu jucundissimum, triaque magna candelabra ex ære cyprio confici curavit anno 1582. Virorum doctorum & scientiarum amantissimus, quatuor e monachis suis in antiquo gymnasio edoceri voluit, quibus alendis perpetuos assignavit reditus. Optimos etiam in bibliotheca congessit libros. Infirmorum ædes construi jussit, proventibusque dotavit. Viriliter advocatis monasterii facultates contra fas sibi vindicantibus obstitit, sed non omnino fauste: adactus enim est transactiones annis 1573, 1574, 1580, quibus pleraque abbatiæ jura erant dimissa, etiam contra voluntatem recipere. Nepotem suum Johannem Lignarium in coadjutorem suum obtinuit a Gregorio XIII bullis datis 26 Octobris 1581. Omni virtutum genere onustus, obiit 22 Decemb. 1588, sepultusque est ante majus altare.

LV. Johannes IV Lignarius, Claudii decessoris nepos, cujus octo annis fuerat coadjutor, postridie ejus mortis abbatialem dignitatem est assecutus 24 Decembris 1588. Cum apud summum pontificem de male sana mente, deque rerum monasterii dilapidatione insimulatus esset, datus ei est coadjutor ab ipso summo pontifice Franciscus *Terrel* monachus de Longa-villa an. 1601. Inter hæc Johannes Romam petiit suam dicturus causam, restitutusque est in jura sua sententia Rotæ an. 1611; litis vero impensis & fructuum restitutione multatus Franciscus *Terrel*. Dum Romæ versaretur, unde nunquam reversus est, Benedictini congregationis S. Vitoni in monasterium introducti fuere anno 1618. Sequentis in gratiam sub annua sex millium florenorum cessit in manibus Urbani VIII anno 1624, VIII cal. Maii. Romæ mortuus exeunte anno 1625, tumulatus est in ecclesia sancti Caroli de Catinari.

LVI. Nicolaus-Franciscus *de Lorraine*, episcopus Tullensis, per cessionem Johannis possessionem adeptus est sub finem Decemb. 1625. Abbatiam aliaque beneficia ultro deposuit, ut uxorem duceret Claudiam a Lotharingia consobrinam suam.

LVII. Carolus *de Lorraine*, filius naturalis Caroli III ducis, abbas Gorziæ, S. Michaëlis & S. Remigii Lunaris-villæ, ab Urbano VIII Senoniensem abbatiam assecutus est an. 1634.

A Fruitus est usque in annum 1647, quo se abdicavit in gratiam sequentis.

LVIII. Carolus-Nicolaus-Leopoldus-Sixtus *de Lorraine*, notus sub nomine Caroli V ducis Lotharingiæ, novem vel decem annos natus, possedit abbatiam ab anno 1647 usque ad 1661, quo eam transcripsit Nicolao-Francisco supra memorato, patri suo, qui post mortem Claudiæ uxoris suæ in statum ecclesiasticum regressus fuerat. Hic domno Bartholomæo *Claudon* priori, jurisdictionis spiritalis vicario, jussit 25 Septemb. 1664 ut parœcias monasterio subjectas lustraret. Cessit & ipse B anno 1668 in sequentis favorem, sub annua quinque millia francorum Barrensium pensione.

LIX. Joachimus *Vivin* ex priore per superioris resignationem abbas factus est, & a Clemente IX probatus IV id. Octob. 1668. Ubi ad hujusce monasterii regimen pervenit, ruebant omnia, ædes lababantur, templa nec decorabantur, nec divino cantu personabant. Tanta erat rerum penuria, tanta egestas, ut vix quinque monachis tum ad divinam rem faciendam quam ad regendas vallis Senoniensis parœcias missis possent necessaria suppeditari. Luctuosum hunc statum voluit immutare Joa- C chimus, & a domo Dei orsus est. Ligneo instructu adornavit sacrarium, in quo armaria plurima eleganti opere, ubi tam vasa sacra, quam varia ornamenta reconduntur, construi jussit, anno 1674. Primarium altare quatuor columnis & quidem tortillibus, cor singulis inflammatum ferentibus decoravit an. 1680. Emit sex ponderosa ex argento candelabra magnæ & multæ artis, nec non etiam Christi in cruce non parva pendentis effigiem, quæ inter sex candelabra in medio altari collocatur. Capsam ex argento confici jussit, in qua reliquias S. Simeonis Metensis episcopi recondidit. D Cum nollet templum a se optime ornatum deseri, & esse ministris vacuum, monachos accersivit sexdecim, quorum alii parochiis, alii laudibus Deo canendis in monasterio vacarent. Et ne eis necessaria deessent maxime cavit: omni linteorum honestorum genere vestiarium instruxit, cellas decenti & accommodata supellectili munivit; bibliothecam libris selectis & exquisitis locupletavit. Postremo dormitoria duo, refectorium a summo ad imum bene pictis distinctum tabellis ædificavit. Mortuus est 24 Augusti 1684 meritis E plenus. Inter chorum & presbyterium sub sepulcro ex albo lapide recumbit.

LX. Petrus II *Alliot* nominatus a rege 1 Novembris anno 1684, jus suum sponte deposuit, fecitque capitulo licentiam ad novam electionem procedendi, & uno consensu iterum proclamatus fuit abbas anno 1685. Abbatiales ædes ædificiaque regularia a fundamentis erexit. Demortuus 21 Septembris 1715.

LXI. Franciscus a Lotharingia, Stabulensis abbas, Senoniensi abbatia anno 1712 per jus devolutum requisita, decubuit an. 1715.

LXII. Matthæus *Petitdidier* electus fuit

18 Septembris 1715. Impetratæ sunt tamen bullæ per devolutum a Claudio *de Bouzei* anno 1719, adversus quem Matthæus sententiam obtinuit anno 1724, tandemque cum eo compositionem iniit 9 Octobris 1726, quo anno a summo pontifice in Macrensem episcopum consecratus fuit 1 Decembris. Ultimum clausit diem 15 Junii 1728.

LXIII. Augustinus I al. Antonius *Calmet* mediocri, sed honesto loco, in pago diœcesis Tullensis, vernacule dicto *Mesnil-la-Horgne*, genitus fuit 26 Februarii 1672. Post humanitatis studia monachum induit 17 Octobris 1688 in abbatia S. Mansueti suburbii Tullensis, votaque Deo nuncupavit 23 Octobris insequentis anni. Mox ubi philosohiæ & theologiæ dedisset operam, informandis junioribus monachis in litteris sacris præpositus fuit, tumque in omnes pene libros veteris testamenti scripsit commentarios. Quibus in lucem edendis dum Parisiis invigilaret, per resignationem Francisci-Philippi *Morel* regi ab eleemosynis, ecclesiæ Parisiensis canonici, & consiliarii clerici Parlamenti urbis ejusdem, concessa pensione mille nummorum, obtinuit prioratum de Layo, & bullas a summo pontifice mense Februario 1715. Proventus omnes instaurandæ & decorandæ ecclesiæ, locupletando sacra supellectile sacrario, ædificandisque claustralibus ædificiis impendit. Dictus est a capitulo generali anno 1718 abbas sancti Leopoldi Nanceiensis & visitator congregationis suæ. Quo munere cum rite functus fuisset quinque annis, se recepit in prioratum de Layo. Unde a capitulo generali ad abbatiam S. Leopoldi iterum promotus est, & dignitate præsidis seu superioris generalis congregationis S. Vitoni honestatus an. 1727. Supeveniente vero morte domni Matthæi *Petitdidier* Senoniensis abbatis & Macrensis episcopi, uno fratrum omnium consensu proclamatus est abbas 15 Junii 1728, adeptusque bullas capessivit possessionem 3 Januarii 1729; benedictionem etiam suscepit a D.D. Johanne-Claudio *Somier*, Cæsareæ archiepiscopo, & præposito S. Deodati, 24 Aprilis ejusdem anni. Præ modestia oblatam sibi a summo pontifice Benedicto XIII episcopalem dignitatem recusavit. Ordinata re spirituali, suas etiam ad temporalem vertit curas. Enimvero plurimum abbatiales auxit ædes, cavædia & equilia addidit. Diversa monasterii ædificia partim refecit. Hortos ad duplum amplificatos insigni porticu, longa pene quingentos pedes, clausit. Præcipuam monasterii portam eximia construxit architectura, nec non majorem scalam quæ visitur ad domus introitum. Bibliothecam, inter alias provinciæ jam insignem, non modo libris & manuscriptis, sed & antiquis monumentis refersit. Viginti saltem parœciales ecclesias de monasterii sui patronatu restituit. Ad egenorum ægrotorum levamen fundavit ac condidit an. 1742 xenodochium in urbe Senoniensi, positis his conditionibus, ut abbas [A] seu prior Senoniensis rationum redditioni interessent, ac de distributionibus eleemosynarum mandata traderent. Haud contentus pauperibus commoda in infirmitatibus curavisse, faciebat ut in valetudine victum haberent. Ea siquidem mente multa ædificia aliosque labores aggressus est; chorum ecclesiæ abbatialis tametsi solidum refecit, ac plurimum ampliavit anno 1741. Addidit & ornatus toti ecclesiæ, & sacristiam pretiosissimis sacris vestibus locupletavit. In diversis visitationibus parœcialium ecclesiarum a jurisdictione sua dependentium de recto ordine & disciplina ecclesiastica observandis condidit [B] statuta. Distractioni duodecim millia librarum e mensa sua abbatiali consensit pro exstructione monasterii ordinis sui apud Menillum prope Lunevillam. Tot negotia, tantæ occupationes abbatem nostrum a studio litterarum nullo modo abduxerunt. Equidem scripsit ac vulgavit innumera opera, quæ ei immortale nomen in re publica litteraria meruerunt, omniumque virorum eruditorum totius Europæ existimationem ac venerationem conciliarunt. Quia verebatur ne abbatia sua in commendam evaderet, coadjutorem sibi dare cogitavit. Impetrata igitur ad electionem [C] procedendi a duce Francisco III licentia, unanimi capituli voce electus est 6 Septembris 1735 domnus Augustinus *Fangé*, nepos ejus, ex sorore filius, tunc in monasterio philosophiæ professor, qui & ipse eruditione clarus doctissimi ac meritissimi avunculi sui virtutes celebravit, omniumque operum ejus notitiam vulgavit uno volumine in-8.° Senoniis edito anno 1762. Obiit autem Augustinus *Calmet* vir in ævum memorandus 25 Octob. 1757.

LXIV. Augustinus II *Fangé*, præcedentis ex matre nepos, cum licentia Francisci III [D] ducis Lotharingiæ, postea Germaniæ imperatoris, in coadjutorem avunculi sui omnibus suffragiis electus 6 Septembris 1735, accepit bullas 17 Octobris anni ejusdem, & benedictionem 10 Maii anni sequentis, ipso die Ascensionis, ex manibus D. D. *Somier* archiepiscopi Cæsareæ, & majoris præpositi capituli S. Deodati. Carissimi sui avunculi ac decessoris vitam cum omnium ejus operum indice in lucem edidit anno 1762.

Hos præter absque chronologicis notis reperiuntur sequentes:

[E]

I. Probus XVIII Martii.
II. Fericus XX Martii.
III. Leutfridus XX Aprilis.
IV. Humbertus XXVI Aprilis.
V. Gerardus IV Julii.
VI. Balduinus XXVII Julii.
VII. Cono IX Augusti.
VIII. Videricus V Septembris.
IX. Henricus XXI Octobris.
X. Bernardus XIV Decembris.

MEDIANUM-

MOYEN-MOUTIER.

MEDIANUM-MONASTERIUM.

Cum multa, inquit Mabillonius, essent in Vosago monasteria, potiora quinque erant in modum crucis disposita. Bodonis-monasterium virginum a Bodone Tullensi episcopo, sanctæ Salabergæ fratre, quasi in capite conditum ad septentrionem, cui Thietbergam filiam præfecerat; Senoniense ad orientem a Gundeberto Senonensi præsule; Stivagium ad occidentem, incerto auctore; Juncturæ ad meridiem, quasi in pede crucis, a Deodato Nivernensi episcopo; ac Medianum-monasterium in meditullio positum, quod Hildulfus B Trevirensium antistes ædificavit. Hunc anno post sexcentesimum septuagesimo primo, abdicata dignitate, in Vosagum successisse tradit scriptor vitæ sancti Deodati, quicum magna semper ei necessitudo intercessit. Hildulfo locum secessui aptum designasse dicitur Jacob Tulli-leucorum episcopus; idque Petrus Damiani in libro de gestis sancti Hildulfi legit. Verum si duo ejus nominis Tullenses episcopi per illa tempora non fuerunt, ut certe non videntur fuisse; haud dubie erratum est in nomine Tullensis episcopi: cum Jacob, qui unus in vulgatis indicibus & in actis mss. C habetur, ad principatum Caroli magni pertineat. Idem peccatum in Milone pseudoepiscopo Trevirensi, cui Hildulfum substituunt. Locus ille Hildulfo designatus ab episcopo Tullensi, positus est ad fluviolum, qui ob rapidum cursum Rabodo vocatur, a Senonia in Medianum-monasterium defluens. Hîc duæ ab Hildulfo exstructæ basilicæ: prima sub beatissimæ Dei Genitricis Mariæ patrocinio, VIII calendas Martii ab ipso dedicata: altera sub titulo S. Petri omniumque Apostolorum XVII cal. Novembris. Ad hæc monachorum solitudini ac quieti præcavens vir Dei, oratorium S. Johannis-Baptistæ ad portam mo- D nasterii exstruendum curavit, ubi hospites ad divina audienda convenirent. Ibidem dolium erat aqua exorcisata plenum ad energumenos curandos. Denique oratorium sancti Gregorii statuit in cœmeterio fratrum, quod etiam nunc ad australe latus principis basilicæ cernitur.

Cum monachorum numerus ita cresceret, ut omnes in tam arcto & angusto loco una consistere non possent; supplementi causa in circumjacentibus locis cellas Hildulfus exstruxit, nempe ad septem abietes, ad sanctum Johannem, apud Orbacum, apud sanctum E Præjectum, apud Ursivallem, ad Altam-petram, quæ monasterio superemineat; ad Roberti-fontem, & denique ad locum, qui olim a donatore Beggonis-cella, nunc sancti Blasii dicitur. Hunc locum cum adjacentibus nemoribus & prædiis Beggo quidam, vir nobilis ac locuples, ad monasterium amplificandum contulerat sancto Hildulfo, qui beatum Spinulum monachum cum quibusdam fratribus ibidem constituit, eumdemque non multo post mortuum in Mediano-monasterio sepelivit, & A quidem in oratorio beati Gregorii, quod ipse cum adjuncto cœmeterio consecraverat. Edita a beato Spinulo miracula, simulque exorti ad hortum monasterii tres Salinarii fontes, tantam populorum multitudinem eo conciverunt, ut Hildulfus monasterii sui solitudinem ac quietem hac confluentium turba interturbari, suosque a regulari proposito deflectere animadvertens, eumdem Sanctum a patrandis miraculis ex obedientia cessare præceperit. Videres mortuum, quasi viveret, magistro jubenti obedire, cessantibus deinceps signis miraculorum, & aquis salsis in priorem dulcedinem denuo conversis. Cæterum omnes illi monachi, numero fere trecenti, vivebant sub regimine & disciplina beati Hildulfi episcopi & abbatis: qui demum contemplationi, altioribusque studiis animum occupare cupiens, totius congretionis regimen in Leutbaldum abbatem, virum sanctimonia & doctrina insignem rejecit.

Regnante Lothario, addit Mabillonius, Medianum-monasterium pene in vastam solitudinem redactum legitur: cujus rei hæc affertur causa. Hoc monasterium, quia imperiale censebatur, militiæ onera sustinere cogebatur, sufficiendis ad exercitum militibus triginta. Cum vero bella per id tempus continua essent, sic locus iste bellicis sumptibus attritus est, ut huic militum numero suppeditando impar omnino esset. Qua re indignatus Lotharius, abbatiam illarum partium duci tradidit. Mox ille fratres vexare, mille quingentos & undecim mansos in suos usus convertere, unica villula eis ad victum relicta; cellas eisdem subtrahere, & monachos ex eis expellere. Tum omnes ad monasterium revocati, cum vitæ subsidiis destituti essent, alio victum quæritando vagari cœperunt, cum vix deni vel duodeni in principe monasterio sustentari possent: qui cuncta sibi licere arbitrati, sanctæ religionis formam omnino exuerunt.

Richerius chronographus Senoniensis narrat Zuenteboldum Lotharingiæ regem hoc monasterium tradidisse Hasumæ seu Hillino comiti, qui Pipinum abbatem cum monachis expulit & canonicos seculares in eorum locum sufficit an. circiter 894. Cum malis monachis pejores clerici successissent, Friderico Lothariensi duci placuit monasticum illic restituere ordinem per Amaldum, tunc ejus loci abbatem; sed ut erat ille prorsus religionis expers, quoscunque sine delectu admisit, & cuculla indutos vivere pro libito sivit. Unde isti brevi habitus ac loci pertæsi, abjecta plerique cuculla huc illuc vagari & lascivire cœperunt; abbas ipse in Alsatiam fugit: atque ita monasterium abbate & monachis destitutum mansit, absque divinis officiis: nisi quod presbyter villæ adjacentis ibidem identidem sacra peragebat. Per id tempus vicinum S. Deodati monasterium tunc canonicorum ab eodem duce commissum fuerat Adelberto Gorziensi eximiæ religionis viro, qui monachos illic instituit. Hunc ad Medianum-monasterium transferre visum est, ut

denuo istic religionem excitaret. Curam hanc ut adimpleret Adelbertus, regimen monasterii sancti Deodati Erchemberto æditui Mediani-monasterii commisit. Verum ille cœnobii res ita decoxit, ut necessariis ad vitam indigerent monachi. Quod ubi compertum fuit duci, monachis substituit canonicos, qui etiamnum monasterium S. Deodati occupant. Disciplina in Mediano-monasterio adhuc delapsa, procurante principe Errico episcopo Virdunensi & hujus cœnobii abbate, anno 1600, autoritate summi pontificis restituta fuit sub congregatione Lotharingica seu sanctorum Vitoni & Hydulphi. Proprium & exemptum habet hæc abbatia territorium in quo abbas omnimodam jurisdictionem episcopalem exercet.

Abbates.

I. S. Hildulphus Trevirensis episcopus cum cognovisset deserta Vosagi quamplurimis solitariis, in primis Gundelberto Senonensi & Deodato Nivernensi præsulibus esse referta, horum exempla sequi cupiens, ab episcopatu se abdicavit circa annum 671. Sedem suam fixit in loco, qui Medianum-monasterium appellatum fuit, situmque est inter quatuor monasteria non longe dissita. Illic de suo suorumque discipulorum undequaque confluentium labore ac modicis fundis victitans, plures condidit ecclesias, unam sanctæ Dei Genitrici, aliam S. Petro, & alteram sancto Johanni externis destinatam, ne quies ac silentium in monasterio turbaretur. Quartam ecclesiam in honorem S. Gregorii, juxta quam & cœmeterium ad sepulturam monachorum. Cum ipsorum numerus ita accresceret, ut omnes in tam arcto & angusto loco una consistere non possent, supplementi causa in circumjacentibus locis cellas exstruxit, nempe ad Septem-abietes, ad sanctum Johannem, apud Orbacum, apud sanctum Præjectum, apud Visivallem, ad Altam-petram, ad Roberti-fontem, & tandem ad locum, qui olim a donatore Beggonis cella, nunc sancti Blasii vocatur. Locus hic cum adjacentibus nemoribus & prædiis a Beggone quodam, viro nobili ac locuplete, ad monasterium amplificandum collatus fuerat Hildulfo, qui beatum Spinulum monachum cum quibusdam fratribus ibidem constituit, eumque non multo post mortuum in Mediano-monasterio sepelivit in oratorio beati Gregorii. Sub ejus regimine & disciplina vivebant trecenti fere monachi. Ille vero contemplationi altioribusque studiis animum occupare cupiens, totius congregationis regimen in Leutbaldum abbatem, virum sanctimonia & doctrina insignem rejecit. Cum in hac Vosagi solitudine commoraretur, invisus fuit ab Erhardo coepiscopo fratre suo, qui ibidem e sacro fonte lavavit B. Othiliam, Athici ducis filiam, a nativitate cæcam, quam S. Hildulfus baptisavit, & a cæcitate mirabiliter liberavit. Familiaritate cum S. Deodato junctus, ipsi in extremis viaticum impertivit, eoque rogante monasterii Vallis-Galileæ post ipsius mortem suscepit administrationem. Curam etiam Mediani-monasterii post excessum Leutbaldi resumsit anno 704 ad fratrum instigationem, & utrumque monasterium rexit usque ad annum 707, quo & ipse obiit 11 Julii, designatis successoribus suis Ramberto in Mediano-monasterio & Marcinanno in monasterio Vallis-Galileæ. Corpus ejus sepultum est retro altare oratorii S. Gregorii, unde pluribus post annis deportatum in ecclesiam B. Virginis Mariæ.

II. Crescente in Mediano-monasterio fratrum numero & secularium undequaque adventantium frequentia, B. Hildulfus ne a dilecta quiete suæ contemplationis quoquomodo divelleretur, domnum Leutbaldum venerabilem virum abbatem designavit, qui fratribus pastorali vigilantia præesset, & adventantium sese negotiis impertiret. Hujus tempore Hagio seu Hariulfus, vir illustris, nobilis prædii *Bercheim* maximam partem B. Petro contulit. Sed Leutbaldo anno 704 vita functo, S. Hildulfus fratrum precibus cedens, abbatis onus denuo suscepit, & monasterium rexit usque ad mortem, quæ contigit ut diximus v id. Julii 707. Circa id tempus quidam vir præpotens, nomine Theobaldus, una cum Abbone filio suo naturali, spretis seculi illecebris, uxore consentiente ac sanctimoniali facta, S. Hildulfi disciplinæ se subdidit, atque monasterio jam dicti prædii basilicam, perpetuæ Virginis Mariæ honori dicatam, cum suis reditibus tribuit.

III. Regimbertus concordi fratrum voto electus, monasterio præfuit annis non minus quinquaginta, obiitque v cal. Febr. an. 758.

* IV. Sundrabertus, cujus tempore cœnobium fidelium donationibus auctum fuit, transactis in regimine viginti uno & amplius annis, decessit pridie nonas Augusti 779. Legitur ejus nomen in catalogo monasteriorum, quibuscum Augiense societatem habebat seculo IX: *Ex monasterio Mediano Sundreberto abba.* *Analect. t. IV. pag. 644.*

V. Madalvinus Sundreberti germanus & successor, sed meritis superior, fratris tempore monasticen amplexatus est. Arcam super beatos S. Hildulfi artus fabricari, & honorifice auri argentique metallis adornari curavit. Decessit duodecimo regiminis anno, qui incidit in annum Christi 791, III id. Martii.

VI. Fortunatus patriarcha Gradensis, non vero Jerosolymitanus, cum in aula Caroli magni degeret, diffidentibus de eligendo abbate Medianensibus monachis, ejusdem Caroli suasione & summa monachorum gratulatione monasterii curam suscepit. Verum sub initium principatus Ludovici Augusti magna simultas est orta inter hunc abbatem & monachos de portione, quæ utrisque competere debebat. Fortunatus summo jure totius substantiæ administrationem sibi vindicabat: monachi vero, ut ille erat alieni gregis & instituti, certam sibi portionem assignandam esse contendebant. Commissa est a rege ejus negotii cura Smaragdo abbati S. Michaëlis ad Mosam, qui monachis

portionem de abbatia dedit, ut regulariter viverent. Cum rexisset Fortunatus annis viginti, decessit circa annum 825, IV id. Martii. Sepultus est in oratorio sancti Gregorii retro basim altaris ejusdem Sancti. Ejus tempore ex orientis partibus eodem se recepisse dicitur rex quidam nomine Lazarus cum filia sua Aza: ambo ibidem reclusi, Lazarus quidem prope oratorium S. Petri; Aza vero juxta basilicam S. Apri, quæ modo parœcialis est: ambo item in suis sepulti cellulis; tametsi postea Azæ reliquiæ patris ossibus sociatæ sunt.

VII. Waldo ex sorore Maldavini abbatis progenitus.

VIII. Ismundus, dictus episcopus, monachorum portionem usurpavit, pollicitus se eis omnia necessaria regulariter administraturum. Cum ille fidem fefellisset, monachi conquesti sunt apud Frotharium episcopum Tullensem, dicentes se necessariis ad victum indigere. Rem ille, uti exposita fuerat, haberi cognovit. Ipso agente promisit Ismundus se omnino emendaturum quidquid a se negligenter actum fuerat. Sed promissis ejus monachi fidem nec habentes, portionem sibi assignatam reddi postularunt. Negat abbas se id facturum injussu Imperatoris, quem adeundi facultatem sibi dari unanimi consensu monachi Frotharium rogant, affirmantes malle se de monasterio expelli, & ostiatim mendicando vivere, quam falsis promissionibus eludi. Hanc facultatem eis indulsit Frotharius, ipsosque Hilduino abbati & archicapellano commendavit.

IX. Theodericus.

X. Reginaldus idem esse videtur, cui Frotharius Tullensis episcopus simul & Theodorico Senoniensi abbati inscribit epistolam vicesimam sextam, in qua agit de luporum infestatione, deque murium pernicie, qui vineas ac segetes tum depascebantur. Tempore Johannis de Bayone Dominicani, historiæ Mediani-monasterii scriptoris, legebatur ad altare de Reginaldo id distichon:

Chesn. hist. Franc. t. II, p. 421.

Hoc altare in honore Dei sanctæque Mariæ
Munere de proprio Reginardus contulit abbas.

XI. Pipinus, sub quo Zuenteboldus rex Medianum-monasterium in beneficium concessit Hillino seu Hasumæ comiti, qui Pipinum abbatem & monachos inde exturbavit, & canonicos eorum in locum suffecit an. 896.

XII. Hillinus comes, cui successerunt

XIII. Riquinus, }
XIV. Otto, } comites.
XV. Bozo, }

XVI. Arnaldus comes & abbas, procurante Friderico Lotharienſi duce, monachos illic restituere aggressus est; sed ut erat ille prorsus religionis expers, quoscunque sine delectu admisit, & cuculla indutos vivere pro libito sivit. Unde isti brevi habitus ac loci pertæsi, abjecta plerique cuculla huc illuc vagari & lascivire cœperunt; abbas ipse in Alsatiam fugit: atque ita monasterium abbate

A & monachis destitutum mansit, absque divinis officiis: nisi quod presbyter villæ adjacentis ibidem identidem sacra peragebat.

XVII. Gislibertus comes monasticum ordinem in Mediano-monasterio restituere cupiens, Adalbertum Gorziensem monachum præfecit abbatem anno 939.

XVIII. Adalbertus, abdicata in gratiam Erchemberti abbatia S. Deodati, ubi monasticam disciplinam jam restituerat, rogante comite Gisliberto, congregandis & instituendis monasticæ professionis viris sedulam navavit operam, & postmodum corpus S. Hildulphi, B adhuc in saxea tumba servatum, magno levavit apparatu. Fatis concessit anno 985.

XIX. Almannus prædio dicto *Berkeim*, quod magnis impensis in Alsatia ab Imperatore acquisierat, a Bertholdo episcopo fraudatus, tantum inde concepit dolorem, ut obierit anno 1011.

XX. Nardulfus seu Hardulfus, cujus tempore celebris Humbertus, qui postea Silvæ-candidæ episcopus & cardinalis exstitit, Deo in monasterio oblatus est. E sede sua pulsus est Nardulfus.

XXI. Ensiboldus Nardulfo de gradu dejecto C successit; post cujus mortem

XXII. Nardulfus in pristinum honorem restitutus fuit. Sub ejus præfectura ingens strages morbo facta est in monasterio, quæ adeo locum vastavit, ut ille vix cum uno fratre ex hac peste superstes fuerit. Iterum exauctoratus fuisse dicitur.

XXIII. Guillelmus abbas sancti Benigni Divionensis id monasterium regendum suscepit, ex chronico Mediani-monasterii.

XXIV. Widricus seu Guidricus a Brunone Tullensi episcopo præfectus fuit monasteriis S. Apri, S. Mansueti & Medianensi.

D XXV. Norbertus recensetur in litteris Brunonis episcopi inter abbates, qui suppetias tulerunt resarciendo monasterio sancti Apri. Regere cœpit an. 1029 & excessit an. 1039.

XXVI. Lambertus corpora sanctorum Lazari & Azæ de veteri ecclesia S. Petri in sanctæ Mariæ basilicam transtulit. Oratorium S. Petri a suo decessore inchoatum perfecit, & a Brunone Tullensi episcopo V id. Junii dedicari curavit, atque in illud corpus S. Spinuli confessoris transtulit. Ecclesiæ ornamenta & supellectilem multum auxit, eorumque indicem recensuit, in quo calices tres notat, in quibus E unus erat cum ansis. Sub Lamberti disciplina degens Humbertus monachus, responsoria sanctorum Cyriaci martyris, Gregorii papæ, Hildulfi ac Deodati, nec non Columbani & Othiliæ virginis rhytmice ac metrice composuit, & in cantum redigenda tradidit Brunoni episcopo Tullensi, qui postea summus pontifex factus, Humbertum secum in Italiam duxit, eumque cardinalem & Silvæ-candidæ episcopum creavit. Sententiæ Udonis episcopi adversus incolas Warengisi-villæ subscripsit Lambertus an. 1057, mense Julio, indict. X.

Præfuit autem usque ad annum 1062, quo decessit XIII calend. Aprilis, anno regiminis sui 24.

XXVII. Benedictus monasterio præfectus est anno 1062. Occurrit in litteris Udonis episcopi de instauratione ecclesiæ S. Gengulphi anno 1065. Humilitatis & castitatis virtutibus clarus, beato fine quievit idibus Decembris 1076, regiminis sui 14.

XXVIII. Bertricus, a plerisque filius Gerardi Alsatiæ & frater Theodorici Lotharingiæ ducum creditus, initio anni 1077 nonis Januarii abbatiale munus suscepit. Jam octavus B erat annus, ex quo Benedicto successerat, cum basilicam sub balma seu rupe monasterio imminente, quæ nunc dicitur Alta-petra, a fratre Theodorico ipsius jussu constructam, a Pibone Tulli-Leucorum episcopo in honorem sanctæ Mariæ-Magdalenæ dedicari curavit. Litem habuit anno 1111 cum Cluniacensibus de cella Frondonis, quibus pacifice possidenda a Riquino episcopo in synodo generali attributa est. Privilegium ab imperatore Henrico IV impetravit XV cal. Aprilis 1114. Testamentum seu memoriale edidit anno sui regiminis nono, in quo rerum monasterio eo abbate collatarum C fit enumeratio. Fato functus fuisse dicitur anno 1015, VII cal. Januarii.

XXIX. Milo testis reperitur anno 1116 in litteris Riquini episcopi confirmantis bona prioratus de Castineto, atque etiam an. 1124 in litteris Stephani episcopi Metensis, de dedicatione monasterii Senoniensis. Coactus est restituere Henrico episcopo Tullensi feudum *de Berkeim* in Alsatia, ad quod transtulerat corpus S. Hildulfi ob incendium, quo desolatum fuit monasterium V calend. Martii anno 1130. Ejus ætate fundatio cellæ Bellævallis, monasterio a comite Conrado ejusque D uxore Helvide traditæ, probata est ab Henrico episcopo Tullensi an. 1134. Reliquias sancti Hildulfi recondidit in novo scrinio an. 1139. Protectionis bullam obtinuit anno 1140 ab Innocentio II. Mortuus est anno 1147.

Ch. XLV, col. 494.

XXX. Hermannus I reperitur anno 1150 in veteri instrumento Belli-prati, & 1153 in Senoniensi. Mortuus anno 1154.

XXXI. Rainardus subscribit litteris Tullensis episcopi & præpositi sancti Deodati, Gerardo abbati Altæ-silvæ concessis an. 1154.

XXXII. Hermannus II superstes annis 1169, 1172 & 1173. Testis occurrit in E litteris Petri episcopi pro monasterio Altæ-silvæ anno 1176. Defunctus anno 1180.

XXXIII. Henricus 1181 transigit cum Walterio Mauri-monasterii abbate, præsente Henrico Argentinensi episcopo. Adhuc memoratur anno 1187.

XXXIV. Pontius 1187 & 1189, quo transactionem iniit cum Fulcone abbate Altæ-silvæ.

XXXV. Simon 1193. Reperitur 1194 in transactione inter Albertum S. Mansueti & Johannem sancti Leonis abbates, nec non in altera inter Simonem ducem Lotharingiæ & parthenonem Romaricensem. Occurrit adhuc ad annos 1194, 1206.

XXXVI. Petrus.

XXXVII. G. Præerat anno 1222.

XXXVIII. Nicolaus I 1238, 1244.

XXXIX. Johannes I Rogerium Archidiaconum de Portu eo adduxit anno 1257, ut recognosceret se nihil jurisdictionis habere in paræciali ecclesia Mediani-monasterii & alia. Memoratur adhuc annis 1258, 1260.

XL. Alexander jussus ab Egidio de Sorceio Tullensi episcopo, comitem Salmensem adiit anno 1261 eum monendi causa, ut Deo & ecclesiæ satisfaceret de multis malis admissis. Verum in carcerem conjectus fuit, ex quo postea ereptus, comitem excommunicatum denunciavit. Legitur in chartis Altæ-silvæ & aliis ad annos 1274, 1275, 1294, 1298, 1301, 1302.

XLI. Walterius an. 1304 cum Gerardo abbate Flabonis-montis compositionem iniit, arbitris abbatibus Stivagii & Bonifageti. Sigillum suum apposuit anno 1309 litteris datis sabbato ante festum sanctorum Simonis & Judæ. Decubuit anno 1316.

XLII. Odo una cum Guillelmo abbate sancti Apri & Fulcone abbate sancti Leonis subscribit anno 1317 litteris hominii præstiti Eduardo comiti Barrensi.

XLIII. Bancelinus præerat anno 1317 & 1320. Author fuit Johanni de Bayone Dominicano, consanguineo suo, anno 1326, ut chronicon Medianense conscriberet. Societatem iniit anno 1327 cum monasterio sancti Agerici. Litteras expedivit anno 1333, 7 Septembris & anno 1337 die Jovis post Palmas. Transegit anno 1340 cum priore Flaviniaci, eodemque mortuus est in custodia: enim vero carceri mancipatus fuerat a Johanne domino *de Rebaupierre*, ex litteris Rodolphi ducis Lotharingiæ anno 1341, mense Decembri, sabbato post festum sancti Nicolai datis, in quibus dicitur jam defunctus.

XLIV. Johannes II de Malla sedebat anno 1343. Aggerem quem in fluvio Murtha construxerat, sententia Rodolphi Lotharingiæ ducis, instigante Petro abbate Stivagii, subvertere jussus est anno 1344. Decessit 16 Julii 1361.

XLV. Herremannus 1362, 1365; mortuus anno 1372.

XLVI. Guntebertus seu Gobertus præerat 1374: fatis concessit 8 Januarii 1379 vel 1380.

XLVII. Thierricus de Ogivillari memoratur ad annos 1380, 1383, 1391, 1396, 1399, 1401. Arbiter & judex electus est anno 1404 ad finiendam litem inter Willelmum abbatem Stivagiensem & quosdam vicinos. Adhuc occurrit annis 1414, 1418, 1420, 1421, 1429.

XLVIII. Johannes III de Culina 1433.

XLIX. Desiderius d'*Ogeviller* 1435, 1436, 1437: decessit anno 1438. A

L. Valentinus abbas Senoniensis an. 1423 & 1438, fuit etiam abbas Mediani-monasterii annis 1438, 1449, 1451 quo vivendi finem fecit.

LI. Johannes IV *de Bayon* electus an. 1453, prævaluit adversus Guillelmum cardinalem *de Givry*, qui abbatiam in commendam obtinuerat. Mortem oppetiit 4 Septembris 1476.

LII. Johannes V *de Faulx*, latine de Falconibus, abbas a fratribus eligitur 12 Septembris 1477. Memoratur etiam annis 1479, 1482. Vivere desiit 4 Aprilis 1488. B

LIII. Guerardus *de Gomberval* occurrit annis 1493, 1495. Devixit anno 1514, 11 Maii.

LIV. Georgius *de Hossonville* ex coadjutore abbas hujus monasterii & sancti Clementis, ac prior sancti Quirini, consiliarius Lotharingiæ ducis, defunctus 16 Februarii 1534, in ecclesia quiescit.

LV. Nicolaus II *de Lorraine* episcopus Metensis & Virdunensis, primus commendatarius obtinebat anno 1538 mense Augusto. Sequentis in gratiam cessit anno 1546, dimisitque clerum & episcopatus, ut ducatus Lotha- C ringiæ administrationem acciperet.

LVI. Johannes VI *Martin* bullas adeptus 1546, cessit e vita anno 1552.

LVII. Jacobus *de Mesieres* in abbatem electus, possessionem adeptus est anno 1552. Ludovico *Bilirtin* nepoti resignavit, sed cum resignatio locum non habuisset, aliam fecit cessionem anno 1568 in gratiam sequentis.

LVIII. Johannes VII *de Mesieres*, præcedentis nepos, male administravit usque in annum 1575, quo abbatiam sequenti transcripsit 9 Decembris.

LIX. Antonius *le Noir* abdicavit an. 1577, D in favorem sequentis.

LX. Nicolaus III *Bertrand* cessit & ipse sequentis in gratiam anno 1581.

LXI. Carolus a Lotharingia, cardinalis Vademontanus, mortuus anno 1583.

LXII. Erricus a Lotharingia episcopus Virdunensis, cujus autoritate reformatio introducta fuit in Medianum-monasterium & in cœnobium sancti Vitoni, ex quorum consociatione orta est, & a Clemente VIII papa anno 1604 erecta est congregatio sanctorum Vitoni & Hidulfi, quæ plurimis deinde adjectis monasteriis sic aucta & amplificata est, ut E ex ea aliæ etiam congregationes prodierint.

LXIII. Franciscus *de Lorraine* itidem Virdunensis episcopus per superioris cessionem adeptus, obtinuit annis 53, obiitque an. 1661.

LXIV. Philibertus *Galavaux*, post obitum Francisci electus, statim potiri non potuit, quia abbatiam interim obtinuerat in commendam Nicolaus-Franciscus a Lotharingia, qui tamen juri suo cessit anno 1662 in favorem Philiberti, cujus obitus contigit Barro-duci 18 Octobris 1676.

LXV. Hyacinthus *Alliot*, pro resarciendis commendarum damnis perfunctus maximis laboribus, obiit 12 Aprilis 1705, ætatis suæ anno 70, regiminis 28, ut constat ex epitaphio in quo multa suo monasterio totique congregationi commoda curasse dicitur.

LXVI. Humbertus I *Belhomme*, jam coadjutor, possessionem iniit an. 1705. Sibi coadjutorem ascivit & ipse nepotem suum an. 1719.

LXVII. Humbertus II *Barrois*, præcedentis nepos & coadjutor, successit anno 1762.

LXVIII. N. *Maillard* 1779.

ROMARICI-MONS.

REMIREM. MONT.

DUPLEX fuit Habendense-monasterium, sic nuncupatum ex eo quod S. Romaricus anno 620, adjuvante sancto Amato, construxerit in villa sua Habendi seu Habundi, quam unam, cæteris rebus dimissis, ad pium opus in monasticæ vitæ professione sibi reservaverat, sanctimonialium basilica in honorem B. Petri apostoli exstructa. Locus est in Vosago ad Mosellam, eo quidem tempore vasta solitudo, nunc vero pro situ longe amœnior. Istic ergo sanctus magister Amatus & discipulus ejus Romaricus multis adunatis puellis in eremo sanctum instituunt opus. Et primo quidem in monte constructum est monasterium duplex, unum puellarum, alterum virorum pro Amato & Romarico, de quibus & eorum successoribus abbatibus jam supra diximus coll. 1065, 1066. Sed processu temporis puellare in subjectam vallem ultra Mosellam translatum est, relictis viris in priori loco, quem sanctum montem appellant. Tanta principio sanctimonialium religio, tantus fervor fuit, ut cum plurimæ istuc virgines confluxissent, eas in septem turmas, duodenis puellis per singulas deputatis, distinxerit Amatus, ut die noctuque jugem ac perennem psalmodiam continuarent. Suum singulis turmis fuisse oratorium conjicere licet ex illis quæ supersunt, numero sex: quæ omnia præter illud, quod modo sacrimontis occupant monachi, aliis amplius & majus, angustissima sunt, vixque capiendis duodecim aut viginti hominibus apta.

Utrique cœnobio regulam S. Columbani primitus inditam fuisse Jonas in vita sancti Eustasii abbatis Luxoviensis auctor est; eidemque regulam sancti Benedicti mox conjunctam, nec multo post ibidem solam diutissime usitatam Mabillonius epistola ad amicum scripta Parisiis 16 Augusti 1687 probat ex vetustis illius cœnobii monumentis, quod ab auctore & situ Romarici-montis postmodum appellatum est. Etiamsi duplex monasterium ab uno & eodem abbate regeretur, puellare tamen suam habebat abbatissam, obedientiamque Luxoviensi abbati, tanquam generali abbati ambo exhibebant. Insigne privilegium Johannes IV papa ad preces Chlodovæi II regis, Chart. I, col. 445. non vero Chlotarii II, licet nomen ejus in diplomate legatur, qui decem saltem ante annos decesserat, venerabili viro Romarico concessit

circa annum 640. Jubet pontifex ut episcopus quem mater monasterii, vel cuncta congregatio voluerit ad celebranda missarum solemnia aut benedictionem abbatissæ, habeat facultatem in monasterium ingrediendi, tantum ad pii opus ministerii, quo peracto, ad propria mox regredi non moretur. Inane est dicere de quibusdam litteris, ubi sanctus Romaricus ait a se fundatum fuisse cœnobium sanctimonialium ordinis sancti Benedicti, cui abbatissam præfecit filiam suam Gebetrudem: hæ enim litteræ, quibus inscribuntur annus 620, & dies 4 Martii, falsæ ab omnibus habentur.

B Attamen cum Hungari, qui anno 910 in Bajoariæ & Franciæ confinibus Francos orientales fudere, Vosagi partibus imminerent, instantis mali formidine perculsæ Romaricimonus virgines, e Sacro-monte in subjectam planitiem monasterium transferendum curarunt, ubi condito cum propugnaculis oppido, securius possent consistere. Collocatum itaque, opitulante Ludovico III imperatore, ultra Mosellam monasterium cum augusta basilica in honorem sancti Petri, sub cujus principe ara insignis crypta constructa cum tribus altaribus, quorum præcipuum, id est medium, sancto Benedicto sacrum, quod hactenus subsistit, C perpetuum erit Benedictinæ ibidem institutæ regulæ monumentum. Translatæ sunt etiam in novum illud monasterium sanctorum Romarici, Amati, & Adelphii reliquiæ a Drogone Tullensi episcopo, majori postea honore cumulatæ a Leone papa IX, qui per Udonem Tullensem primicerium Romariciani parthenonis res præclare gessit. Cremata sunt anno 1057 sanctimonialium desidia monasterium, & ecclesia quæ mox instaurata fuit. Tunc virgines illæ, quæ in eodem claustro conversatæ fuerant, in privatis domiciliis cum libertate degere cœperunt. Cessavit itaque vita communis, D collapsaque est regularis disciplina, & ex eo tempore stricta regulæ sancti Benedicti observantia nunquam restituta est, tametsi in actis publicis & privatis de ordine sancti Benedicti monasterium dicatur. Haud citius fine sæculi decimi quinti, vel etiam initio decimi sexti Romaricianæ virgines absque summi pontificis authoritate canonissas se vocare cœperunt. In eo statu perseverant nullomodo religionis votis obstrictæ, nec ulla puella in id capitulum admittitur, nisi facta antiquæ nobilitatis probatione. Abbatissa principissæ imperii E titulo honestata fuit anno 1290 a Rodolpho imperatore.

ABBATISSARUM SYLLABUS.

I. PRIMA hujus monasterii abbatissa a Sammarthanis vocatur Gertrudis, sed constat ex vita sancti Amati Mactefledem seu Mactefredem præfectam fuisse, quæ aliis sororibus illic congregatis foret exemplum. Verum illa, vix peracto in regimine biennio, naturæ debitum solvit. Dum in extremo vitæ articulo versaretur, cuidam sorori cæteris dicenti ut psalmos

Act. sanct. ord. sancti Bened. t. 1. p. 133.

A canerent, hæc tantisper expectandum esse respondit, dum sanctus Paulus, quem præcipuo cultu venerabatur, adesset: dein post pusillum innuit ut canerent. Quod dum fieret, sancta illa anima de hac luce ad meliorem migravit, eamque instar stellæ e monasterio ad cœlos subeuntem una ex sororibus conspexit.

II. Cæcilia quæ & Clara, antea dicta Gegoberga, cui prima de sancti Romarici gestis lucubratio nuncupata est. *B. p. 416.*

III. Tetta seu Tecla, quæ & Gebetrudis, de qua honorifica fit mentio in vita S. Adelphii Habendensis abbatis. *Ibid. p. 603 & 604.*

IV. Perpetua Tettæ successisse dicitur. Abbatissarum, quæ ipsam secutæ sunt, nomina ignorantur usque post sæculum medium decimum.

V. Gisla I per quam instituta est circa annum 970 *memoria misericordiæ* seu *servitium perpetuum, post occisos a paganis homines de potestate; quæ dicitur lietzeis. Lectum publice ad sancti Romarici montem 11 kal. Julii regnante Othone imperatore. Signum Deoderici episcopi* (Metensis) *tutore monasterii, sancti Gerardi comitis, sanctæ Gestæ abbatissæ, quæ hanc notitiam causa pietatis annotari præcepit, cæteris dominabus assentientibus.*

VI. Henrica I occurrit in documento anno 1001.

VII. Doda seu Oda Leonem IX papam Metas adiit, ipsum rogans ut translationem corporum sanctorum Romarici, Amati, Adelphii & Gebetrudis ageret. Quod cum ille exsequi non potuisset, curam hanc commisit Hugoni archiepiscopo Vesontionensi & Udoni primicerio Tullensi, qui magna cum pompa id munus expleverunt 13 Decembris 1049.

VIII. Gisla II præerat anno 1070, quo Mantuam adiit imperatorem Henricum IV. Sub finem hujus sæculi, eadem Gisla moderante, cum ad laxiorem vitam declinarent ejus loci sanctimoniales, nec ad pristinam vivendi normam revocari se paterentur, ab eis recessere monachi, qui earum curam ab origine sacri illius monasterii habuerant, & ad sacrum montem se receperunt, unde illi cum sanctimonialibus superiori sæculo ad Transmosellanam planitiem transmigraverant. Id testantur vicarii apostolici litteris ad Paulum V papam datis anno 1613 in quibus hæc verba: Hinc post ducentos fere annos a condito parthenone, sive temporum injuria, religiosi pertæsi, monialium curam relinquentes ab eis recesserunt. Hæ vero sæculares sacerdotes ad spiritualium curam, & syndici unius loco officiales nobiles, ad temporalium regimen acciverunt, unde regularis vivendi norma sensim delapsa est.

IX. Felicitas dicta etiam Lauretta, occurrit in diplomate imperatoris Rodulphi ad annos circiter 1079 vel 1081.

X. Gisla III, intervenientibus Alberone Metensi & Riquino præsulibus, obtinuit ab Henrico V imperatore litteras defensionis &

tuitionis VIII cal. Februarii 1113. Maximopere canonicos regulares Calmosiacensis monasterii molestavit, ut constat ex litteris Seheri ejus loci abbatis ad Paschalem II, qui & ipse pluries Gislæ prohibuit sub excommunicationis pœna, ne illa eos amplius vexaret. Controversiæ hujus historiam lege si lubet Thesaur. anecdot. tom. III, col. 1173 & seqq. A

XI. Juditha I, filia Theodorici I, Simonis I germana, & amita Matthæi I, Lotharingiæ ducum, præerat annis 1117 & 1120. Occurrit in litteris Calisti papæ II anno 1123, IV cal. Aprilis.

XII. Gisla IV superstes anno 1141. B

XIII. Juditha II adepta est anno 1141 a Conrado II imperatore diploma protectionis. Datum est ab ipso imperatore anno 1142 præceptum, quo inter Matthæum ducem Lotharingiæ & Juditham lis dirimitur, de talliis
Charta L, col. 499. aliisve exactionibus extortis a subditis abbatiæ. Bullam impetravit anno 1143 a Lucio II. Legitur in tabulis Sancti-montis anno 1147.
Ch. LVIII, col. 507. Sopita quidem est anno 1152 inter ipsam & ducem Matthæum controversia alia in concilio provinciali Trevirensi. Aliud etiam obtinuit
Ch. LIX, col. 509. privilegium anno 1157 ab Adriano IV. In documento anni 1161 simul abbatissa sancti Petri Metensis fuisse dicitur. Adhuc reperitur anno 1178. C

XIV. Mathildis superstes erat tempore Henrici Tullensis episcopi, qui ad ejus preces quædam concessit cœnobio Bonæ-fidei. De illa fit mentio in diplomate Friderici I imperatoris pro parthenone Romarici-montis anno 1178.

XV. Indethila 1181 tempore Lucii III, & Simonis II Lotharingiæ ducis.

XVI. Clementia I præerat anno 1190, innotescitque ex rescripto Cœlestini III ad
Ch. LXVIII, col. 524. ipsam directo anno 1191, nec non ex litteris Odonis episcopi Tullensis de dissidio inter D Simonem ducem Lotharingiæ & Romaricimontem anno 1194. Adhuc occurrit anno 1199.

XVII. Margarita I *de Savoie* cum Bertrando episcopo Metensi pactionem fecit anno 1211 pro sale sibi debito apud Marsaliam. Ipsa cum Agnete thesauraria & omni conventu anno 1231 juravit ecclesiæ suæ deprædatores nunquam ab illa impetraturos veniam, nisi prius pro illatis damnis satisfecissent.

XVIII. Agatha *de Lorraine*, Frederici I ducis filia, simul abbatissa Buxeriensis, 1236. E

XIX. Agnes I *de Salm* anno 1246, die Mercurii ante divisionem apostolorum dedit literas, quibus illa profitetur se pollicitam esse stare judicio quatuor arbitrorum electorum pro sedandis dissidiis & litibus cum Matthæo duce Lotharingiæ. Legitur anno 1255 mense Junio in litteris Ferrici ducis. Feudum a Willelmo Bisuntino archiepiscopo apud Villam-Dei recepit anno 1260. Memoratur anno 1275 in cartario Cabilonensi. Mensam abbatialem a conventuali separavit. Suum condidit testamentum anno 1279. Tumulata est in capella abbatiali cum hoc epitaphio: *Anno ab Incarnatione Domini 1279 XVIII kal. Februarii obiit Agnes de Psalmis, Dei patientia abbatissa Romaricensis. Orate pro ea.*

XX. Anna I, abbatissa Siconiæ diœcesis Constantiensis, electa auctoritate Frederici Lotharingiæ ducis & aliorum optimatum, confirmata non est a sede apostolica, imo potius excommunicata a cantore ecclesiæ Vesuntionensis anno 1187, quod redditus abbatiales usurpasset.

XXI. Felicia Laura, seu Felicitas Lauretta, principissæ imperii titulo decorata est anno 1290 a Rodulfo I imperatore. Eodem anno 25 Januarii Odoni archiepiscopo Bisuntino feudorum fecit fidem. Cum Guillelmo Cabilonensi episcopo composuit super juribus in ecclesiam Domus-Dei de Melloto 1291. Charta LXXVIII, col. 530.
Occubuit anno circiter 1293.

XXII. Catharina I *de Vaudemont*, filia Henrici comitis defuncti anno 1299 populi favore abbatiam possedit, ut ait Johannes de Bayone in chronico Mediani-monasterii; at non excessit annum 1293, nam sedes abbatialis vacabat annis 1294, 1295, 1302 & 1303.

XXIII. Clementia II d'*Oiselet* præerat anno 1306. Agnita est anno insequenti IV id. April. indict. V principissa imperii ab imperatore Alberto, qui duci Theobaldo eam in possessionem immittendi curam demandavit. Occurrit anno 1314 mense Julio in litteris Henrici comitis Vadani-montis. Pactionem iniit anno 1316 cum dominis *de Fougerolles* Transegit anno 1320 cum Ferrico duce Lotharingiæ, in cujus litteris adhuc legitur anno 1322. Nihilominus

XXIV. Felicitas nominatur abbatissa anno 1318.

XXV. Oda reperitur anno 1320.

XXVI. Johanna I *de Vaudemont* 1324, quo mensa conventualis in præbendas commutata est. Supplices scripsit litteras, quibus desunt chronologicæ notæ, querens apud comitissam Barri de multiplicibus damnis ecclesiæ suæ ab ejus filio comite Barri illatis. Legitur anno 1342 in litteris Rodulfi ducis Lotharingiæ, quibus ille promittit sese emendaturum omnes injurias & damna a se & hominibus suis illata Romarici-monasterio. Ipsa autem obiit anno 1347.

XXVII. Simonetta *de Vara* occubuit anno 1350.

XXVIII. Eleonora *de Châlons* electa anno 1350, homagium præstitit Johanni archiepiscopo Bisuntino mense Aprili 1357. Præerat adhuc annis 1359, 1363 & 1366, quo consensit ut dux Ferricus IV urbem Romaricimontis muris cingeret. Occurrit etiam anno 1369.

XXIX. Johanna II d'*Aigremont* seu d'*Atrimont* 1369 & 1382, quo circiter tempore Benedictus XIII prohibuit ne ullæ deinceps in monasterium admitterentur virgines, nisi ex utroque parente nobili natæ. Accepit anno

1392 die 5 Novembris juramentum a Carolo duce Lotharingiæ pro custodia abbatiæ & terræ Romarici-montis. Perinum *de Belvent* instituit magnum forestarium silvæ suæ in Vosago 21 Novembris 1397. Decessit anno 1403.

XXX. Henrica II d'*Amoncourt* electa an. 1407, confirmata est a Benedicto XIII præ æmula Catharina *de Blamont* abbatissa Spinalensi, quæ electa quidem fuerat abbatissa Romarici-montis anno 1403. In tribunali de Rota adversus Catharinam latæ sunt tres sententiæ, quas Johannes XXIII confirmavit an. 1412. Sigismundus imperator anno 1415 die 20 Junii venerabili Henricæ de Amoncuria abbatissæ monasterii S. Petri Romarici-montis, ordinis sancti Benedicti, Tullensis diœcesis, principi & devotæ suæ omnia & singula sua & ejusdem monasterii regalia contulit. Eodem anno princeps ille omnia jura & privilegia eidem monasterio a decessoribus suis collata confirmavit. Adhuc superstes Henrica anno 1418.

XXXI. Margarita II *de Salvain* 1418. In genealogia familiæ *de Beauvau* per Sammarthanos legitur Cæcilia *de Beauvau* abbatissa Romarici-montis sæculo XVI, quæ nullibi occurrit.

XXXII. Isabella *de Demengeville* an. 1421. Composuit anno 1430 cum Theobaldo *de Blammont.* Officium magni forestarii in Vosago contulit anno 1431. Juramentum protectionis accepit a Renato Siciliæ rege & Lotharingiæ duce anno 1432. Deputatus est anno 1442 a Friderico rege Romanorum archiepiscopus Trevirensis, qui huic abbatissæ regaliorum jura conferret. Ipsa vero moritur anno 1444, quo Carolus VII Franciæ rex in protectionem suam parthenonem suscipit litteris datis mense Octobri, quibus virgines hujus loci vocat sanctimoniales nobili sanguine exortas.

XXXIII. Henrica III *de Vienne* translata est ex abbatia sancti Andochii Eduensis, electa 24 Aprilis 1444. Facultatem a Nicolao V accepit eligendi confessarium, a quo ipsa & canonicæ possent accipere absolutionem & plenariam remissionem quorumlibet delictorum semel in vita, & in articulo mortis, ea lege ut singulis sabbatis jejunarent. Decessit die sancti Valentini 1452.

XXXIV. Johanna III *de Chauvirey* in actis memorata anno 1452, 4 Aprilis, 7 Octobris, 11 Decembris. Cum Guillelmus Tullensis episcopus anno 1453 jus visitationis in omnia diœcesis suæ monasteria, absque ulla distinctione a Nicolao V obtinuisset, idem papa litteras suas rescidit, utiturque his verbis: *cum fuissemus plenissime informati de laudabili vita ac morum honestate filiarum nostrarum abbatissæ & monialium ordinis sancti Benedicti Romarici-montis;* datum *Romæ eodem anno III kal. Junii.*

XXXV. Alix seu Aleydis *de Paroye* ejusque

A capitulum suas procurationes dederunt ad obtinendam confirmationem ipsius electionis in curia Romana 18 Martii 1453. Contulit capellam anno 1455. Protectionis & fidei juramentum accepit a Johanne Calabriæ & Lotharingiæ duce 12 Maii 1465. Carolo *de Neufchatel* Bisuntino archiepiscopo homagium præstitit 1471. Devotionis suæ plurima pignora suo testamento monasterio legavit. Fatis functa est anno 1473.

XXXVI. Catharina II *de Neufchatel* postulata est abbatissa anno 1473: verum cum esset annos tantummodo 18 nata, nec suffra-
B giorum majorem partem haberet, ejus electio confirmata non est.

XXXVII. Johanna IV *d'Anglure* electa an. 1473, in possessionem immissa est ab abbate Belli-prati 11 Martii 1474. Eodem anno 14 Junii excepit Renatum ducem Lotharingiæ fidelitatem & protectionem profitentem. Fidem & ipsa præstitit Carolo *de Neufchatel* Bisuntino archiepiscopo 1485. De vita cessit anno 1508.

XXXVIII. Agnes II *de Dommartin* dicitur mortua anno 1507. Annis insequentibus diu magnis monasterium est agitatum turbis ex
C numero æmularum de abbatia, litigantium; nec facile est distinguere quænam legitima fuerit abbatissa.

XXXIX. Margarita III *de Neufchatel* possessionem adepta est anno 1509. Evocata fuit e parthenone Balmensi, ubi abbatissæ munus agebat. Litem habuit anno 1524 cum Aleide *de Choiseul*, quæ possessionem etiam acceperat anno 1509. Asserebat Margarita abbatiam sibi resignatam fuisse ab Aleide *de Choiseul*, Nicolaa *de Dommartin* & Magdalena *de Choiseul*, itidem in abbatissas electis. Haud pacifice obtinuit usque ad annum 1549.

D XL. Aleidis seu Alix *de Choiseul* electa an. 1509, memoratur 26 Decembris 1511 in documento. Antonium Lotharingiæ ducem fidem & protectionem spondentem admisit an. 1513, defuncta anno 1521.

XLI. Magdalena *de Choiseul* per resignationem Margaritæ *de Neufchatel* obtinuit abbatiam anno 1527, obtinuitque ad usque annum 1547.

XLII. Nicolaa *de Dommartin* de abbatia contendit cum Margarita *de Neufchatel*, fruitaque est inter annos 1523 & 1524. Pactionem
E iniit anno 1528 cum præfata Margarita *de Neufchatel* & cum Margarita *d'Haraucourt.*

XLIII. Margarita IV *d'Haraucourt* per cessionem Nicolaæ bullas adepta est an. 1524. Deturbata est a Margarita *de Neufchatel*, quæ gavisa est usque in annum 1549, quo suum testamentum condidit. Attamen ipsa Margarita *d'Haraucourt* abbatissæ munus obibat annis 1550, 1567 & 1568, quo decessit 31 Julii. Ante mortem sequenti cesserat.

XLIV. Renata *de Dinteville*, filia Johannis ex Gabrielide *de Stainville*, obtinebat annis 1568 & 1570. Intercessit anno 1573 die 15 Junii

Junii admissioni Philibertæ *du Chatellet* in collegium canonicarum. Cum Carolo duce Lotharingiæ fecit compositionem pro multis, de quibus litigabatur. Sibi coadjutricem adscivit Barbaram *de Salms* anno 1578. Suum fecit testamentum anno 1574, devixitque 3 Maii 1580.

XLV. Barbara *de Salm*, filia Johannis comitis & Ludovicæ *de Stainville* per cessionem præcedentis bullas assecuta est anno 1579. Legitur 29 Januarii in codicillis Ludovicæ matris suæ. Suum & ipsa testamentum condidit anno 1586, quo anno illam ex abbatia Lilii ad Romarici-montem translatam fuisse diximus tom. XII, col. 249. Litteras a Carolo duce Lotharingiæ Nanceii datas 5 Aprilis 1591 obtinuit. Transegit cum suo capitulo an. 1597. Donum a fratre suo Johanne equite ordinis sancti Jacobi testamento relictum accepit 27 Decembris 1599. Mortua anno 1602 ultima Maii, humata fuit in capella abbatiali cum epitaphio.

XLVI. Humberta *de Châtenet* coadjutrix electa est 9 Maii 1580.

XLVII. Margarita IV *de Ludre* eodem anno 9 Octobris electa quidem est coadjutrix.

XLVIII. Elisabetha I *de Rhingrave* coadjutrix anno 1595, abbatissa adhuc erat anno 1610, cessitque sequenti, retenta annua pensione.

XLIX. Catharina III *de Lorraine* Carolo III Lotharingiæ duce & Claudia a Francia parentibus genita est Nanceii 3 Novembris 1573. Coadjutrix facta est anno 1609, abbatissa vero per præcedentis cessionem anno 1611. Vota juxta regulam sancti Benedicti in manibus D. Johannis de Porcellets Tullensis episcopi nuncupavit 14 Augusti 1616, tum ab ipso benedictionem percepit in ecclesia S. Georgii Nanceiensis. In mente habebat pristinum in Romarici-montis parthenone institutum restituere; verum tam a nobilitate provinciæ, quam a canonissis innumeras experta difficultates, conventum sanctimonialium ordinis S. Benedicti in urbe Romarici-montis construere decrevit, ubi strictior regulæ sancti Benedicti teneretur observantia. Sanctimoniales itaque e monasterio sancti Mauri Virdunensis accitas, hospitio in ædes suas abbatiales accepit, donec parthenium ædificaretur. Canonissæ Romarici-montis veritæ ne reformatio ad se extenderetur, irritum fecerunt desiderium principissæ, quæ Henrici II ducis fratris sui suasu Nanceii in urbe nova, in propriis ædibus suis, monasterium ædificari jussit. Mox Parisios iter aggressa, in monasterium Vallis-gratiæ se recepit, ut se assuefaceret exercitationi regularis disciplinæ. Cum in Lotharingiam repedasset litteras Romæ datas 16 Aprilis 1625 ab Urbano VIII obtinuit, quibus hic pontifex erigit id monasterium in abbatiam sub invocatione B. Mariæ de Consolatione pro duodecim sanctimonialibus, quibus abbatissa foret ad vitam princeps eadem Catharina, retenta tamen abbatia Romarici-montis, ad quam ipsa se conferre posset, ubi necesse foret. Sed ut ab illa in parthenone de Consolatione instituta firmaretur strictior observantia, visum quidem ei est erigere congregationem eisdem legibus obstrictam. Et vero duo virorum cœnobia condere cœpit, aliud in honorem sancti Romarici prope septa parthenonis de Consolatione, & alterum in oppido Pontis sancti Vincentii S. Bernardo sacrum; bullasque pro hujusce congregationis erectione consecuta est ab Urbano VIII anno 1631 III id. Aprilis. Verum bella ac pestis, quæ in Lotharingia paulo post emerserunt, novam hanc penitus deleverunt institutionem. Quin etiam Parisiis post conditum testamentum defuncta piissima abbatissa Catharina 16 Martii 1648, parthenium de Consolatione adunatum fuit congregationi adorationis perpetuæ SS. Sacramenti.

Ch. XCI, col. 543. Ch. XCII, col. 543. Ch. XCIII, col. 550.

L. Maria *de Lorraine*, Calensis abbatissa, quam Franciscus *Patissier* abbas Calmosiaci ex commissione Pauli Papæ V, vi bullarum Romæ datarum apud sanctam Mariam majorem calendis Februarii 1617, Romarici-montem accedens, instituit coadjutricem 16 Octobris 1618.

LI. Margarita V *de Lorraine* coadjutrix anno 1625, Gastoni Aurelianensi duci nupsit anno 1633.

LII. Anna-Maria *de Lorraine*, filia natu major Claudii ducis Caprosiæ primum fuit coadjutrix, & etiamnum erat anno 1644. Dehinc monialis Montis-martyrum ad abbatiam Pontis-dominarum promota fuit anno 1651 mense Octobri, ibidemque diem clausit ultimum 5 Augusti 1652 ætatis suæ anno 28, ut legere est tom. VIII, col. 1727.

LIII. Elisabetha II *d'Alençon*, filia Gastonis ducis Aurelianensis & Margaritæ a Lotharingia, electa est ac bullis donata anno 1648.

LIV. Maria-Anna *de Lorraine*, soror Caroli IV ducis, bullas est adepta an. 1657, obiitque 1662.

LV. Dorothea *de Salm-Rhingrave* decessit anno 1707.

LVI. Gabrielis *de Lorraine*, primogenita Leopoldi I ducis ex Elisabetha Aurelianensi, electa est quinquennis an. 1707; Lunevillæ occubuit 4 Maii 1711, ætatis suæ anno 13.

LVII. Beatrix-Hieronyma *de Lorraine*, filia Francisci Mariæ *de Lorraine*, principis *de Lillebonne*, Domicelli de Commerceio, & Annæ *de Lorraine*, abbatissa ab anno 1711, decessit Parisiis 9 Februarii 1738, annos nata 76.

LVIII. Elisabetha-Theresia *de Lorraine*, coadjutrix erat, cum Carolo-Emmanueli Sardiniæ regi nupta est.

LIX. Anna-Carola *de Lorraine*, Francisci I imperatoris & magni Etruriæ ducis, nec non Elisabethæ Theresiæ reginæ Sardiniæ soror, nata anno 1714, abbatissa nominata est a Stanislao rege 10 Maii 1738, obiitque anno 1773.

LX. Maria-Christina *de Saxe*, Dresdæ nata 12 Februarii 1735 ex Friderico-Augusto

III Poloniæ rege, electore Saxoniæ, & Maria-Josepha Austriaca regina parentibus, jam coadjutrix præcedenti defunctæ successit an. 1773; denataque & ipsa est exeunte an. 1782.

LXI. Anna-Carola *de Lorraine*, filia Ludovici-Caroli *de Lorraine*, comitis *de Brionne*, stabuli regii magistri, equitis torquati, ex Ludovica-Julia-Constantia de *Rohan-Guemené*, ante connubium canonissa Romaricimontis, nata est susceptaque e sacro fonte a principe Carolo a Lotharingia, gubernatore Flandriæ Austriacæ, Francisci I imperatoris germano, & ab Anna-Carola *de Lorraine*, ipsius imperatoris sorore, Romarici-montis abbatissa, anno 1755 mense Novembri. Inter canonissas admissa est 6 Decembris 1775, ac postridie in coadjutricem electa; nunc autem fruitur.

ÉPINAL.

SPINALIUM.

De monasterii Spinalensis origine hæc leguntur in vita Adalberonis II Metensis episcopi: « Domnus Theodoricus Metensis urbis antistes gloriosus, cui hic dominus noster Adelbero successerat, in pago Calvomontensi locum quemdam inter Mosellam & montem, qui in devexo sui castrum habens, ex accidenti rusticorum lingua Spinal vocatur, divino famulatui aptum reperiens monasterium construxit (circa annum 970) consecrans illud Deo & sancto Goërico, cujus sacratissima ossa ab urbe Metensi transferens, digna veneratione collocavit, & patriæ patrocinium felicissimum præparavit. Domnus Albero ejus successor, ad salutem Christianitatis, & ad votum commissorum præsul effectus perpendens murorum alta fastigia non valere, si non sint servi Dei qui incolant ædificiorum constructionem, primo quidem clericorum conventum ad omnipotentis Dei honorem coadunavit; post, gloriam divinitatis, quantum in homine est, ampliare totis viribus omnique conamine gestiens, ancillas Christi sub regulari vita & sub institutione patris nostri, beati scilicet Benedicti bene edoctus, Deo & S. Goërico pontifici servire destinavit, dans prædia & possessiones, quibus sine inopia & sine indigentia vivere possint ». Confirmationis regium diploma impertitus est ad Adelberonis preces Henricus II Germaniæ rex XI cal. Augusti anno 1003. Gregorius VII & Honorius II summi pontifices, primus anno 1080, alius vero 1127 protectionis litteras indulsere. Ricuinus Tullensis episcopus concessas a prædecessoribus suis res omnes probavit laudavitque anno 1128. Compertum ex ipsius litteris habemus id monasterium dedicatum fuisse primum a B. Gerardo episcopo; dein quia nimis parvum erat, iterum ædificatum, a S. Leone IX consecratum. Metropolitanus etiam Trevirensis Hillinus annis 1143 & 1161 res omnes traditas duobus privilegiis munivit. Hanc concessit eodem anno 1161 gratiam Henricus Tullensis episcopus, ut tempore interdicti

Labb. Bibl. nov. tome I, p. 673.

A urbis Spinalensis missa & omnia divina officia in monasterii ecclesia celebrarentur, januis tamen clausis, ne pateret excommunicatis aditus. Cognoscitur ex documento edito anno 1294 virgines, quæ hactenus inservierunt ecclesiæ Spinalensi sancti Goërici, licet ab aliquibus vulgariter de ordine sancti Benedicti dicantur, habitum prælibati ordinis non gestasse, nec ipsius seu alterius ordinis regulam professas fuisse; sed ipsas & singulas a fundatione monasterii distinctas obtinuisse præbendas, & proprium habuisse, ut mos est in multis monasteriis tam Lotharingiæ, quam Allemaniæ, a tempore cujus non existit memoria. B Nihilominus Conradus Tullensis episcopus hoc eodem anno 1294 has dominas admonuit ut infra quindecim dierum spatium religiosum & regularem induerent habitum, in communi refectorio victitarent, & in dormitorio simul recumberent, sin minus illas ab officiis suspenderet & excommunicaret. Ipsæ vero scito episcopi per Nicolaum Picardum, clericum & notarium Tullensis ecclesiæ intercesserunt. Hactenus in eo statu perseverant, nec ulla ex illis in Spinalense capitulum, abbatissa & viginti dominabus canonissis constans, admit- C titur, sin prius probaverit sexdecim nobilitatis gradus. Primævi tamen instituti sui memoriam etiamnum illæ servant: officium enim sancti Benedicti in natali ejus die necnon in translatione ritu solemni & magna pietate concelebrant. Crucem Melitensi similem gestant, cui insculpta est ex uno latere imago sanctæ Dei genitricis, & ex altero figura S. Goërici episcopi. Constitutum est a Stephano Metensi episcopo ut quatuor presbyteri hebdomadarii, maturæ ætatis & conversationis honestæ, jugiter alternis vicibus Spinalensi ecclesiæ deservirent. Qua de re Lucius III tres bullas dedit an. 1185. D Antiquus hic in monasterio mos servatur, ut unaquæque canonissa ab abbatissa singulis annis tempore paschali petat facultatem confessarium eligendi, privatim vivendi, propriaque retinendi. Ad hæc abbatissa respondet: Per me, soror, tibi licet confessarium eligere, ad diem egredi, eodemque redire, emere vel vendere pro tuis necessitatibus. Circa id monasterium coaluit civitas, quæ numero inquilinorum, pulcherrimo loci situ allectorum, plurimum accrevit. In ea exstant duo monasteria virorum, scilicet Minimorum & Capucinorum, E itemque duo virginum monasteria, Annunciatarum & congregationis B. Mariæ. Domicilium etiam habuerunt patres societatis Jesu.

ABBATISSÆ.

I. Dierburhis anno 1003 XI cal. Augusti, rogante Adalberone episcopo Metensi & interveniente Cunigunda regina, privilegium obtinuit ab Henrico II Germaniæ rege.

II. Adheleidis ecclesiam de Barneio monasterio suo asseri curavit a Pibone Tullensi episcopo anno 1090, VI idus Octobris.

III. Haceca anno 1128: eadem sane est

abbatissa, cui Ricuinus Tullensis antistes donationes monasterio indultas confirmavit hoc anno.

IV. Bertha cujusdam juris confirmationem anno 1140 obtinuit a Stephano episcopo Metensi, a quo sopita est dissensio ipsam inter & Walterum archidiaconum. Ipsa vero decessit 13 Januarii.

V. Acicha eadem forte est cum Hozca: sub utroque nomine occurrit in duplici privilegio absque notis chronologicis Petri de Brixeio Tullensis episcopi, qui per unum confirmat bona monasterii & per aliud peregrinis concedit sepulturam in atrio ecclesiæ Spinalensis, tempore interdicti. Superstes erat hæc abbatissa annis 1173 & 1180. Dum ipsa moderaretur, quatuordecim erant religiosæ, quibus spiritualia administrabant quinque capellani.

VI. Sybilla XIII cal. Julii circa annum 1185 bullam assecuta est, qua Lucius III pontifex assentitur ut in ecclesia Spinalensi quatuor presbyteri honestæ conversationis munia ecclesiastica exerceant. Exstant & aliæ duæ bullæ ipsius pontificis de re eadem. Donum a Stephano Metensi episcopo indultum apud Vicum firmari sategit an. 1198 a Bertrando ejus successore.

VII. Hadey legitur in documento sigillato a Sehero abbate Calmosiacensi anno 1235.

VIII. Clementia *d'Autrey* 1291, cujus tempore duas in mensas bona divisa sunt.

IX. Johanna I 1316.

X. Villeminetta *de Ville* 1340, 1373.

XI. Johanna II *d'Ogeviller* 1373, 1384.

XII. Catharina I *de Blamont* 1384, electa est abbatissa Romarici-montis anno 1403, sed evicta ab Henrica *d'Amonconrt.* Adhuc superstes anno 1408; fatis concessit VI idus Augusti.

XIII. Margarita I *de Contreglise* 1404.

XIV. Johanna III *d'Almoncourt* 1420.

XV. Valburgis-Catharina *de Blamont* 1420, 1439.

XVI. Alix I *d'Almoncourt* 1440 usque in annum 1460, quo decessit 14 Septembris.

XVII. Adelina *de Menoux* obtinuit ab anno 1460 usque ad 1484. Sub ejus regimine alia facta est bonorum partitio inter abbatissam & dominas capitulares.

XVIII. Nicolaa *de Domp-Martin* præerat anno 1484. Coadjutricem sibi adscivit Aleidem *de Domp-Martin.* De abbatia Romarici-montis contendit cum Margarita *de Neuf-chatel* anno 1524, sed resignavit anno 1526.

XIX. Alix II *de Domp-Martin* occurrit an. 1528. Antonio duci Lotharingiæ & Barri jura quædam, de quibus litigabatur, ex consensu capituli cessit, & ab eo duos salis modios annuatim persolvendos accepit mense Maio 1541. Obiit anno 1558.

XX. Jolandis *de Bassompierre*, filia Francisci *de Bassompierre*, nata anno 1536, in abbatissam admissa fuit anno 1558. Patres Minimos fundavit in urbe Spinalensi. Neptem suam assumpserat in coadjutricem, defuncta 21 Aprilis 1621.

XXI. Claudia *de Bassompierre de Cussigny*, præcedentis neptis & coadjutrix gavisa est per 14 annos, obiitque 1 Novembris 1635, nata 66 annos.

XXII. Margarita II *de Bassompierre*, filia Georgii-Africani *de Bassompierre*, ducis Lotharingiæ majoris equitis, & Henricæ *de Tournielle*, ab anno 1635 usque ad 1639, quo matrimonium contraxit.

XXIII. Catharina II *de Livron de Bourbonne* mortua 25 Octobris 1645.

XXIV. Carola-Margarita *de Lenoncourt* electa est anno 1645. Ipsa est auctor ordinis quasi militaris, cujus insignia gestant dominæ canonissæ capituli Spinalensis. Decessit anno 1698 in natali Domini.

XXV. Felicitas *d'Hunolstein* præfectuum. 1699, vivere desiit anno 1719.

XXVI. Anna-Elisabeth, comitissa *de Ludres*, in abbatissam cooptatur 24 Februarii 1719.

XXVII. N. de Spada Marchionissa præest ab anno 1767.

CALMOSIACUM.

CHAUMOUSEY.

DUCENTIS vel circiter annis post translationem monasterii sancti Romarici ex vertice montis ad locum, ubi illud nunc existit, monachi penes quos tam in spiritalibus, quam in temporaneis cura virginum huc usque fuerat, regularem disciplinam exolescere non solum ingemuerunt, verum etiam ad sanctum Montem, primam beatorum Amati & Romarici fundatorum sedem, secesserunt; nec multo post à Benedictina regula desciscentes, Augustinianum institutum sunt amplexati. Ad id tempus sanctus presbyter, nomine Antenor, consedit apud Castellum * in colle inter civitatem Romarici-montis & sanctum Montem. Cujus sancta conversatione motus Seherus, presbyter Spinalii, cum quibusdam sociis ejus disciplinæ se commisit, ipsique defuncto in regimine successit, & ex unanimi fratrum consensu statutum est degere juxta regulam sancti Augustini. Inter hæc a Liutulpho, Tullensi decano, abbatiæ sancti Leonis conditore, rogatus Seherus, cum nonnullis discipulis Tullum accessit, curam ejus monasterii capessiturus. Cui cum providisset, reversus est ad Castellum, reservata tamen authoritate & administratione. Mox ad eum confluere cœperunt quam multi discipuli, quos, prout opus erat, e loco ad locum transmittebat. Verum ut Castelli situs arctior erat, aliam mansionem Seherus quærere cogitavit. Dum id consilium animo agitaret, vir nobilis, nomine Theodoricus, ejusque uxor Hadwidis, sobolis habendæ spe carentes, locum condendo mo[nast]erio aptum in suo alodio Calmosiacensi obtulerunt. Seherus, relicto Castello, illic cœnobium & ecclesiam in honorem beatæ Mariæ construxit, nec multo post ab ipso Theodorico ejusque consorte

* Le Chastellet.

Hadwide integrum accepit feudum Calmosiacense. Mortuo Theodorico fundatore, frater ejus Joscelinus novos colonos expellere nixus est: hos enim insectari, terras deprædari, quin & parœcialem ecclesiam cremare cœpit. Ad ducem Lotharingiæ Theodoricum delatæ sunt querelæ, qui fundatoris donationes ratas habuit. Quo judicio haud contentus Joscelinus, a vexationibus non destitit. Excommunicatus itaque est a Pibone episcopo Tullensi: verum in se recedens, oblatas sibi duodecim libras, misso qualicumque jure, optavit, solutusque est a censuris.

Attamen Seherus duo regebat monasteria sancti Leonis & Calmosiaci, quibus ab antiquis approbatas constitutiones exhibere valde exoptabat. Duos igitur e fratribus ad abbatiam sancti Rufi in Provincia direxit, unde retulerunt vivendi genus canonicorum ejus loci, quod in utrumque monasterium est inductum. Piboni Tullensi episcopo tunc visum est, ut unus pastor duobus cœnobiis præficeretur. Fratres itaque requisiti quem vellent abbatem ordinari, ad eam dignitatem Seherum promoverunt unanimi consensu. Cui Pibo benedictionis munus impertitus est anno 1094. Sed quoniam domus Calmosiacensis ab episcopo necdum visitata nec dedicata fuerat, fratribus omnibus placuit ut utriusque loci fratres de sancto Leone nuncuparentur, usque dum monasterium in abbatiam erigeretur. Rata hæc habuit Pibo episcopus calendis Decembris 1094. Non ita multo post idem præsul ad Calmosiacensem ecclesiam visitationis gratia accedens, eam in honorem beatæ Mariæ consecravit, ac monasterium abbatiæ titulo insignivit. Tullum vero reversus, in capitulum sancti Leonis se contulit, & ad Seheri preces a fratribus præsentibus requisivit quem e duobus locis, scilicet sancti Leonis & Calmosiaci, quisque exoptaret ad inhabitandum. Eadem a fratribus, qui Calmosiaci versabantur, requirendi provinciam Theotmaro abbati sancti Mansueti demandavit. Et ex eo momento ambo monasteria unum ab alio segregata, sed tamen administrationi Seheri subdita remansere.

Exorta mox est inter abbatem Calmosiaci & abbatissam Romarici-montis gravissima dissento de parœciali ecclesia Calmosiacensi, quam abbatissa sibi competere contendebat. Paschali II papæ scripsit Pibo episcopus in gratiam Calmosiacensium fratrum, rogans illum ut quod eis contulerat donum, authoritate pontificali confirmaret, adeo ut quemadmodum presbyter, qui eam ecclesiam prius habuerat, e manu episcopi suscepisset, sic deinceps e manu abbatis susciperet. Probatum fuit a papa episcopi postulatum; sed nec pontificalis, neque episcopalis authoritas abbatissæ persecutiones compescere nequivit. Quin etiam placuit Lotharingiæ duci, Romarici-montis advocato, partes abbatissæ suscipere, atque presbyterum ex ecclesia litigata pellere & alium substituere. Res delata fuit ad Tullensium archidiaconorum tribunal, ubi dux abbatissæ jura viriliter tuitus est: verum judicibus sententiam ea de causa ferre nec audentibus, partes injudicata re discesserunt. Istud tamen litigium curis Seheri abbatis sedatum fuit, ut mox dicemus. Monasterio contulit præcitatus Pibo episcopus ecclesias Domni-Martini, Imberticuriæ, Domnæ-Petræ, & Orquevallis. Plures etiam ecclesias auctoritate sua asseruit Paschalis II summus pontifex, statuitque abbatem ex fratribus eligendum, & ab episcopo confirmandum. Bulla altera data anno pontificatus sui decimo cœnobium sanctæ sedi subjici jussit. Omnes factas concessiones laudavit Simon dux Lotharingiæ an. 1122. Jurisdictione quasi episcopali in plures prioratus & parochias abbatia perfruitur. In eo monasterio, quod in Vosago inter Darneium & Spinalium situm est, venerabilis pater Forerius, author reformatæ congregationis Salvatoris nostri, educatus fuit; quin & ipsa congregatio inducta anno 1653.

ABBATES.

I. SEHERUS, de quo jam egimus in abbatibus sancti Leonis, fundationis monasterii Calmosiacensis historiam ipse contexuit brevi historia edita tom. II. hist. Lothar. prob. col. xc. Cum omnia ille disposuisset in monasterio sancti Leonis, regressus est ad Castellum, utriusque tamen loci administratione reservata. Verum ad preces nobilis viri Theodorici & Hadwidis uxoris ejus, relicto ob angustiam Castello, monasterium in Calmosiacensi territorio construxit. Mortuo Theodorico fundatore, multas ærumnas vexationesque a Joscelino ejus fratre passus est. Aliquanto post, composito in pace monasterio, vigenteque regulari observantia, misit quosdam ex fratribus suis, quos aptiores reperit, ad monasterium sancti Rufi in Provincia situm, ut scripto & voce vivendi modo canonicorum illic degentium instructi, in Calmosiacense monasterium reportarent. Quod revera præstitum est: omnes enim fratres Calmosiacenses idem vivendi genus amplexati sunt. Tunc Seherus in abbatem utriusque cœnobii sancti Leonis & Calmosiacensis eligitur & a Pibone episcopo Tullensi benedicitur anno 1094. Idem præsul oratorium in honorem sanctæ Mariæ dedicavit, ecclesiam vero Calmosiacensis pagi Sehero ejusque successoribus regendam commisit. Quod ubi rescivit Gisla abbatissa Romarici-montis, presbyterum a Sehero constitutum amovit, aliumque a se nominatum constabilivit. Res ad episcopum delata, agente Theodorico duce Lotharingiæ, terminata non fuit. Interea Seherus Arnulphum fratrem suum & Richardum cum litteris deputavit Romam ad papam Paschalem II, a quo ad abbatissam jussa directa sunt. Scripsit secundo & tertio Seherus ad pontificem, qui mandata iteravit: verum abbatissa reluctans, papæ rescriptis noluit obedire. Adiit itaque Seherus in Italiam, tum Lingonas, quo accesserat pontifex, qui litigantes ad judicium illuc vocaverat,

Ponderatis utriusque partis rationibus, lata est A vi cal. Martii 1107 sententia hæc, ut fratres Calmosiacenses semper fruerentur fundo in quo situm erat monasterium, item & ecclesia parœciali; abbatissa vero Romarici-montis decimas haberet in tota parœcia, exceptis tamen decimis terrarum, quas Calmosiacenses propriis colerent manibus. Seherus, sopita hac controversia, de ecclesia & monasterio, etsi nondum absolutis, tunc consecrandis cogitavit. Pibo enim episcopus solummodo oratorium vel interiorem ecclesiam consecraverat. Gravis ætate infirmatibusque hic prælatus, Richardum apostolicæ sedis legatum litteris precatus est, B ut eam dedicationem ageret. Quod re quidem vera legatus fecit in honorem S. Salvatoris calendis Octobris 1107. Subscripsit chartæ Ricuini episcopi bona & privilegia prioratus de Portu sancti Vincentii confirmantis anno 1126. Cum autem Seherus per triginta quatuor annos pie ac laudabiliter præfuisset, obiit anno 1128. In medio chori Calmosiacensis ecclesiæ sepultus est: cujus cum tumulus anno 1586 reseratus fuisset, inventa sunt ipsius ossa cum calice stanneo, baculo pastorali & cruce plumbea incisa ex utraque parte. Ex una erat initium evangelii secundum Johannem; ex C altera verba hæc: *Anno ab Incarnatione Domini MCXXVIII, VII idus Maii, obiit Seherus abbas primus, & fundator hujus cœnobii & S. Leonis Tulli.*

II. Josselinus seu Jocellus subscripsit anno 1128 litteris Henrici Tullensis episcopi pro monasterio Trium-fontium. Eodem innotescit ex charta Simonis ducis Lotharingiæ, qua princeps hic promittit se non conducturum homines Calmosiaci in suam *chevaciam* sine abbatis facultate. Occurrit aliis in documentis ad annos, 1129, 1131, 1132, 1133, D 1135, 1137.

III. Roricus testis adest 1140 in litteris Henrici episcopi, Herberto Regiæ-vallis abbati concessis. Cum Hugone abbate sancti Apri compositionem iniit, Alberone Trevirensi archiepiscopo arbitro. Occurrit etiam annis 1147, 1152, 1159, 1160.

IV. Viardus cum Aliprando abbate Morimundi pactus est de ecclesia *de Frocourt* anno 1168.

V. Videricus de Bretigneio 1170.

VI. Guido I vel Wido testis recurrit 1172 in litteris Mathæi ducis. Memoratur & an. 1173 E in charta Acichæ Spinalensis abbatissæ pro Bello-prato. Testis adhibitus anno 1175 in litteris Petri episcopi Tullensis in ejusdem loci gratiam. Cum pluribus abbatibus arbiter fuit inter capitulum sancti Deodati & idem monasterium Belli-prati an. 1177. Recurrit anno 1179 in documento. Factam inter Stivagium & Bellum-pratum societatem probavit anno 1182. In ecclesiæ choro quiescit.

VII. Petrus memoratur anno 1182 in privilegio Petri episcopi Tullensis pro monasterio sancti Leonis. Obtinuit a Gregorio VIII confirmationem omnium jurium, libertatum, & bonorum omnium monasterio suo collatorum anno 1187.

VIII. Hugo I in documento legitur anno 1189.

IX. Humbertus de illatis monasterio suo injuriis a Simone duce Lotharingiæ accepit litteras anno 1193. Occurrit & ad annos 1194, 1197.

X. Guido II testis est circa annum 1204 in litteris Petri Tullensis episcopi, quibus hic præsul dicit a se absolutum fuisse ab excommunicatione Simonem ducem Lotharingiæ, qua ipse dux ligatus fuerat ob vexationes illatas virginibus Romarici-montis.

XI. Guillelmus I 1224, 1229. Ejus ætate Folmarus archidiaconus dedit ecclesiam vulgo dictam *Vouxey*, in qua jus patronatus jam habebat abbas Calmosiacensis.

XII. Hugo II gravibus afflictatus morbis abdicavit ac decessit Novi-castri.

XIII. Seherus II in litteris Falconis *de Ville-sur-Illon* in gratiam parthenonis Spinalensis anno 1235.

XIV. Guillelmus II 1239, 1243, 1257.

XV. Reginaldus donum accepit an. 1274.

XVI. Oicelinus 1284.

XVII. Dominicus innotescit ex concordia facta cum parocho de Domno-Martino propter decimas grangiæ *d'Aubeuvenet*, & ex altera propter decimas de Domno-Martino annis 1292 & 1295. Habitum est anno 1294 capitulum generale, constans quatuor prioribus, multisque fratribus, præside Dominico, in quo definitum fuit abbatem statuta negligentem, ab ecclesiæ ingressu debere se abstinere. Quod ab ipso Dominico confirmatum fuit.

XVIII. Guillelmus III 1297, mortuus IV cal. Maii.

XIX. Johannes I 1308, 1313, 1316.

XX. Pontius 1317, 1343.

XXI. Leobaldus an. 1354, adhuc præerat anno 1357. Provisus a papa fuerat.

XXII. Theodoricus *de Dompaire* 1362, 1366. Vixisse dicitur usque in annum 1406.

XXIII. Johannes II *de Bussignecour* fecit cartularium, suorumque decessorum indicem contexuit anno 1427.

XXIV. Johannes III *de la Grand-maison de Parroye* an. 1450. Æmulum vero passus, appellavit a Calixto papa III male consulto ad eumdem melius consultum, & eo casu quo appellationem pontifex rejiceret, provocavit ad proximum generale concilium. In abbatem confirmatus fuisse videtur anno 1456. Præerat adhuc anno 1473.

XXV. Philippus *de Craincour* pedum obtinebat anno 1493; obiit 29 Decembris 1505.

XXVI. Carolus *de Frenels*, præcedentis nepos, cui Hispaniæ rex epistolam direxit 1 Junii 1506, mandans quod providisset Johannem *Poirot* de prioratu *de Marast*, sito in Burgundiæ comitatu. Decessit 4 Maii 1520.

XXVII. Johannes IV *de Frenels* prioratum *de Maraſt* contulit Philiberto *de Bié* protonotario 7 Septembris 1545. Mortuus 5 Martii 1560.

XXVIII. Claudius *de Freuels* 1563.

XXIX. N. *de Mercy* commendatarius infauſte periit.

XXX. Nicolaus I *de Louppy* commendatarius & ipſe, cum Gerardo *du Haultoy* de abbatia compoſuit, uxoremque duxit dominam *de Mouſtreux*.

XXXI. Gerardus *du Haultoy* confirmatus eſt a Petro *du Chaſtellet* epiſcopo 6 Auguſti 1570. Viſitavit eccleſiam de Meſnilio 16 Januarii 1583. Migravit a ſeculo 30 Auguſti 1586, quo ab ipſo detectus fuit tumulus Seheri primi abbatis.

XXXII. Franciſcus I *Patiſſier* electus anno 1586, confirmatuſque a Carolo cardinali a Lotharingia epiſcopo 9 Octobris ejuſdem anni, fatis conceſſit 3 Decembris 1601.

XXXIII. Franciſcus II *Patiſſier*, præcedentis nepos, ſedebat 16 Octobris 1618, quo vi bullarum Pauli V inſtituit Mariam a Lotharingia coadjutricem Romarici-montis. Reformationem induxit anno 1653; perditis & abalienatis multis bonis, deceſſit ſenio confectus an. 1654.

XXXIV. Antonius I *du Bourg* ab anno 1625 in coadjutorem admiſſus ab archiepiſcopo Biſuntino benedictus eſt abbas an. 1654, ultimumque diem clauſit anno 1680.

XXXV. Antonius II *de Lenoncour* coadjutor ab anno 1678, & in abbatem admiſſus 9 Januarii 1680, deceſſit 1 Februarii 1699.

XXXVI. Johannes V *le Gagneur* electus eſt anno 1699, eodemque ab Henrico *Thiard de Biſſy* epiſcopo confirmatus. Sanctuarium eccleſiæ a fundamentis excitavit & ampliavit, multis ſculpturæ ornamentis decoravit, ſedes chori novas fabricavit, aquilam cupream & organum integrum conflari curavit. Præpoſitus generalis congregationis ſancti Salvatoris factus 24 Decembris 1707, moritur 26 Auguſti 1714.

XXXVII. Nicolaus II *Verlet* in abbatem aſſumptus 12 Septembris 1714, occubuit 1 Aprilis 1726 præpoſitus generalis congregationis.

XXXVIII. Sigiſbertus *Verlet*, ſuperioris nepos, traductus eſt ad abbatiam ſancti Remigii Lunæ-villenſis, ubi deceſſit anno 1733.

XXXIX. Franciſcus II *Huguin* ex abbatia ſancti Remigii Lunæ-villenſis accitus, creatuſque præpoſitus generalis anno 1726, vivere deſiit 16 Januarii 1738.

XL. N. *de Baſſompierre* abbatiam in commendam a rege accepit anno 1767.

Herival.

HYREVALLIS.

Leuca una a Romarici-monte verſus meridiem Hyrevallis ſeu Aſpera-vallis, intra Voſagi cacumina, prioratus eſt canonicorum regularium. Primus ſolitudinis hujus incola fuit Engibaldus preſbyter Romarici-monte A oriundus, qui ſpretis mundi vanitatibus & deliciis, totum ſe contemplationi & pœnitentiæ exercitiis dedit, Theodorici Lotharingiæ ducis, Pibonis epiſcopi & Giſlæ parthenonis ſancti Romarici abbatiſſæ temporibus, circa annum 1070. Laudabile probavit Engibaldi propoſitum abbatiſſa, ipſique allodium Hyrevallis ſub proprietatis titulo liberaliter elargita eſt. Ille mox, adjunctis ſibi fratre germano Wichardo aliiſque ſociis, auſteriorem vitam cum ſuis amplectitur. Sed parum abſfuit quin bonus hic ſolitarius in perniciem ſuam rueret. Enimvero ſomniaverat neceſſaria non eſſe oraB torium, eccleſiam, altare, publicam divini officii celebrationem, ſacrumque corporis Chriſti communionem, quin & ſatis eſſe mente Deum orare illique ſervire, & communionem corporis Chriſti ſpiritualiter accipere. Qua de re licet increpatus a Riquino epiſcopo, in pertinacia ſua perſtitit, & idcirco a fratre ſuo Wichardo derelictus eſt. Reſipuit tamen, adiitque Romarici-montem, ubi accepta ſacra communione, aliquanto poſt deceſſit. Mortuo Engibaldo ſuffectus eſt Wichardus, qui poſt trium annorum regimen e vivis exceſſit anno 1145 virtutibus clarus & meritis cumulatus.
C Huic ſucceſſit Conſtantinus, qui ex conſilio Henrici epiſcopi Tullenſis & Lamberti Ciſtercii abbatis perfectam paupertatem evangelicam obſervare & manuum ſuarum opere vivere conſtituit. Ad regulam ſancti Auguſtini quam maxime auſtera addidit ſtatuta a ſe condita, quæ quidem excolenda eremitæ vallis de Paſſeio in monaſterium ſuum admiſerunt. Hæc tamen ſtatuta mitigare viſum eſt Honorio III pontifici, qui bulla data anno 1216, qua confirmat bona monaſterii, id ſimul indulget ut fratres a feſto ſancti Martini ad calendas Aprilis
D calceamenta habeant. Per breve Lugduno emiſſum Innocentius IV anno 1245 permiſit ut infirmi carnibus uterentur, & fratres greges & armenta poſſiderent. Ad uſque finem ſæculi decimi quarti primævum illum fervorem viguiſſe aſſerunt: ſed ex eo tempore ad laxiorem defecerunt vivendi morem Hyrevallenſes. Reformationem a concilio Tridentino præſcriptam amplecti & in congregationem adunari cum cæteris Lotharingiæ canonicis pertinaci animo renuerunt, ſpecie quadam melioris obſervantiæ contenti, quam Sebaſtianus *Valdenaire* prior in generali fratrum conventu de capitulantium conſenſu evulgavit 20 Aprilis 1574.
E Sed qualiſcumque inducta fuerit reformatio, degenerem omnino ſpiritum & nihil de priſtina obſervantia exprimebat.

Attamen Staniſlai Poloniæ regis ac Lotharingiæ ducis, necnon Scipionis-Hieronymi *Begon* Tullenſis epiſcopi conſilio congregationi canonicorum regularium Salvatoris noſtri unita eſt atque incorporata Hyrevallis anno 1748. Pendent ab eo prioratu tam clauſtralia quam parochialia beneficia in Biſuntina & Tullenſi diœceſibus ſita. Clauſtralia ſunt prioratus de Abieio prope caſtellum ad Moſellam &

Bona-vallis. Inter parœcialia numerantur Plumbariæ ad thermas.

PRIORES.

I. ENGIBALDUS sacerdos, Romarici-monte in Vosago oriundus, capto relinquendi sæculi consilio, in eremum quamdam, scilicet Hyrevallem, juxta Romarici-montem, secessit tempore Pibonis Tullensis episcopi circa annum 1070. Fuit illi germanus frater nomine Wichardus, quem mundum despicere & Christum sequi verbis & exemplis hortatus est. Sacramentis ecclesiæ indignum se ratus, contra disciplinam ecclesiasticam statuit ecclesiam in eremo non construere, missas non celebrare, sacram communionem non accipere, seque psalmodia abstinere. Hoc scandalo graviter afflictus Riquinus episcopus, Engibaldum a proposito revocare tentavit. Ille vero vivendi genus per aliquot annos noluit immutare. Quocirca Wichardus frater ejus aliam in solitudinem se contulit, donec Engibaldus ad meliorem frugem se reciperet, qui revera sacram percepit communionem Riquini episcopi consilio, & occubuit Romarici-monte circa annum 1110.

II. Wichardus Engibaldi frater, eum secutus est in eremum, seque ab illo sejunxit, ubi eum a recto tramite discedentem conspexit. Post trium annorum regimen plenus meritis decessit anno 1145.

III. Constantinus superstes anno circiter 1155, ex consilio Henrici episcopi Tullensis & Lamberti Cisterciensis abbatis, quam maxime austeras fratribus præscripsit constitutiones observandas, quas lege si lubet apud Calmetum, hist. Lothar. tom. II. prob. col. CXI & seqq.

IV. Cono.

V. Stephanus I.

VI. Willelmus *de Rombech.*

VII. Vincentius anno 1245, quo Innocentio papæ IV constitutiones placuit mitigare.

VIII. Stephanus II mortuus anno 1287.

IX. Clemens I prioratum de Abieio recuperavit anno 1300, decessit vero anno 1302.

X. Guillelmus I *de Fougerolles* præfuit ab anno 1302 ad 1316.

XI. Varnerius cessit e vita 1324.

XII. Guerricus superstes anno 1329.

XIII. Hugo vixit anno 1351.

XIV. Vinetus præerat anno 1357.

XV. Clemens II obiit anno 1361.

XVI. Johannes I Durandi moritur anno 1368.

XVII. Varnerus *Paget* defunctus anno 1379.

XVIII. Dominicus *de Vichery* 1390, mortuus anno 1402.

XIX. Guillelmus II *Bonvoisin*, Romaricomontanus, 1421, fato functus 1439.

XX. Johannes II *Gerard de Chastel* electionem suam bullis apostolicis probari fategit. Prioratum reformavit anno 1450, mortuusque est anno 1463.

XXI. Thouveninus occubuit an. 1478.

XXII. Johannes III *l'Escuyer*, al. *de France*, vivendi finem fecit anno. 1497.

XXIII. Gerardus-Marius *de Chastel* adscivit sibi coadjutorem an. 1502, abiitque e vivis anno 1507.

XXIV. Hilarius *Petit d'Agecourt*, ex coadjutore prior, fatis concessit anno 1507.

XXV. Sebastianus I *Valdenaire* monasterii annales scripsit, cessitque dignitati an. 1543.

XXVI. Nicolaus I *Tocquart* vivere desiit 1556.

XXVII. Sebastianus II *Valdenaire* moritur anno 1592.

XXVIII. Remigius *Valdenaire* obiit anno 1595.

XXIX. Theodorus *Remy*, confirmatus a cardinali a Lotharingia, apostolicæ sedis legato, anno 1595, mortuus est anno 1608.

XXX. Claudius *Remy*, superioris frater, decubuit anno 1639.

XXXI. Sebastianus III *Conat*, successorem assumpsit in coadjutorem, seque abdicavit an. 1658.

XXXII. Tussanus *Moulin*, ex coadjutore factus prior, defunctus anno 1677.

XXXIII. Jacobus *Moulin*, præcedentis frater, prioratum abdicavit urgente ægritudine anno 1722.

XXXIV. Paulus *Barbier* electus an. 1722, cessit e vita 1748.

XXXV. Johannes-Guillelmus *Guillemart*, canonicus congregationis sancti Salvatoris, a Stanislao rege apostolici indulti virtute nominatus, obiit 25 Februarii 1751.

XXXVI. Nicolaus II *le Comte* ejusdem congregationis canonicus similiter est nominatus.

STIVAGIUM.

ESTIVAL

ANTIQUITATE primarium inter alia Vosagiensis provinciæ monasteria Stivagium, in facta inter filios Ludovici pii imperatoris partitione recensitum, vicinis abbatiis Offonis-villæ, Mediani monasterii & Bodonis-monasterii adjungitur. Quo tempore fundatum fuerit, & quem habuerit fundatorem non liquet, tametsi hic honos perperam Bodoni episcopo ab authore anonymo actorum episcoporum Tullensium deferatur. Patronum sortitum est ab initio sanctum Petrum, & ad fluvium Murtham positum una leuca a Mediano-monasterio, duabus vero a sancto Deodato remotum etiamnum existit. Richerio Senoniensi si detur fides, inhabitata fuit hæc domus primo a monachis, tum a sanctimonialibus, quibus alii successere monachi, quos tandem excepere canonici sæculares. Ruirius in Vosagi antiquitatibus vult primos monasterii hujus incolas fuisse canonicos sæculares, dein regulares; adeo incertus est primus hujusce monasterii status. Cum Stivagium Ludovico Germaniæ regi in

sortem obtigisset anno 870, illud Carolus Crassus imperator, Ludovici filius, Richardi uxori suæ in dotem tradidit. Abbatiam quasi proprietatis jure partam summo rexit imperio Richardis imperatrix, & postquam a suspicaci sponso per divortium avulsa est, illam in præposituram convertit, fundosque & prædia distinctis finibus notata ad servorum Dei sustentationem delegavit anno 880. Possidebat Stivagiensis abbatia in Alsatia villam, nomine Andelacum, ubi Richardis, constructo parthenone, cum virginibus religionis voto se obligavit, seque sanctificavit. Parthenoni huic subdidit Stivagium, ita ut præpositus neoelectus confirmationem & investituram ab Andelacensi abbatissa reciperet. Monasterium illud in præposituram immutatum tunc rexere præposiui, quorum nomina quædam huc usque conservata sunt: scilicet

I. GUNTHERUS cui & ejus canonicis, sub regula B. Augustini in cœnobio Stivagiensi degentibus, Otto I imperator ad Uthicæ abbatissæ Andelacensis impertitus est confirmationem bonorum & protectionem diplomate dato anno 963, regni ejus 27.

II. Titimarus anno 1114 ab Henrico IV imperatore bona & privilegia probari curavit.

Annal. Præmonstr. tom. II. prob. col. 539.

III. Conradus I, annuente Mathilde Andelacensi abbatissa, defensorem vectigalium ex prædiis aliquibus percipiendorum constituit Fridericum militem de Sancto Germano anno 1122.

Ibid. col. 540.

IV. Henricus anno 1140 bullam possessiones & immunitates monasterii confirmantem assecutus est ab Innocentio II.

V. Conradus II una cum suis sodalibus nomen dedit ordini Præmonstratensi, eidemque ordini Mathildis Andelacensis abbatissa consilio & consensu totius capituli sanctimonialium, & Hugonis comitis Metensis Andelaci advocati, dependens a parthenone suo Stivagiense monasterium concessit anno circiter 1147. Itaque prælati qui sequuntur fuerunt ordinis Præmonstratensis; quorum tamen series hodie manet interrupta, propterea quod proventus & jura mensæ abbatialis primum adjuncta sint episcopatui Tullensi, tum destinata anno 1777 ad dotationem episcopatus S. Deodati.

ABBATUM ORDO.

Ibid. col. 543.

I. GILBERTUS a Stephano Flabonis-montis abbate, unde inquilini educti sunt, designatus abbas, ad ordinis Præmonstratensis stabilimentum bullam ab Eugenio III obtinuit anno 1147.

II. Hugo I legitur in scheda anno 1150. Dedicationi Senoniensis ecclesiæ interfuit an. 1154. Decessit VIII id. Augusti 1158 ex recentiori MSS.

Ibid. col. 546 & seq.

III. Raimbaldus a regiminis exordio cum Petro de Monasteriolo Tullensi archidiacono de jurisdictione gravem habuit discordiam, cui Philippi Præmonstratensis, Stephani Flabonis-montis, aliorumque ordinis ejusdem abbatum interventu in monasterii Stivagiensis commodum finis impositus fuit per litteras Henrici Tullensis episcopi atque etiam Hillini Trevirensis archiepiscopi anno 1161. Mors ejus assignatur in necrologio III cal. Februarii.

Ibid. p. 548.

IV. Valterus assumptus e Regia valle, cujus monasterii nomen retinuit, regere cœpit anno 1168. Renovatam a Friderico Tullensi archidiacono de jurisdictione disceptationem per Petrum de Brixeio episcopum definiri curavit anno 1169. Gratam rem Andelaco facturum suique monasterii tranquillitati opportunam ratus, si dominia laicis sub censu oppignerata in se cum oneribus susciperet, Hadewidem Andelaci abbatissam adiit, & sub annuo quadraginta librarum Argentinensium censu duarum tractus Stivagiensis partium proprietatem ab ipsa consecutus est anno 1172. Eodem anno Valtero promovente, pleræque servitutes, quibus obnoxii erant Stivagienses, reseratæ sunt ab ipsa abbatissa, addita tamen ea conditione, ut Stivagiensis abbas investituram ab Andelacensi abbatissa acciperet, & in parthenone singulis annis missam celebraret in festivitate sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Ipso quidem anno subscripsit diplomati Mathæi Lotharingiæ ducis in gratiam monasterii Bongardi.

Ibid. p. 549.

V. Warnerus amplissimam bonorum Stivagii confirmationem a Friderico Ænobarbo Romanorum imperatore obtinuit an. 1178. Locum sancti Gorgonii in declivi montis sanctæ Odiliæ ab Herrat abbatissa Hoemburgensis monasterii accepit eodem anno, ut illic Præmonstratensium canonicorum coloniam institueret. Quam quidem ratam habuere donationem Fridericus imperator & Fridericus dux Alsatiæ. Id quoque probatum est a Lucio III summo pontifice anno 1181. Post sopitam de alodio quodam dissensionem, societatem precum & bonorum operum inter se sanciverunt abbates Stivagii & Belli-prati an. 1183. Admissus etiam in precum participationem Simon *de Paroye*, dominus Urbachii, monasterio concessit jus pascui in terris suis an. 1187.

Ibid. col. 550 & seq.

Ibid. col. 555.

VI. Albertus legitur in documento anno 1203.

VII. Nicolaus notatur in necrologio 20 Januarii.

VIII. Videricus defunctus 24 Augusti.

IX. Hugo II cum abbate Mediani-monasterii de silva inter viam Salinariam & Fontem-Jordanis sita, præposito S. Deodati & abbatibus Senoniensi & Alteriacensi arbitris, pactus est anno 1222 fer. 6 post pascha. Eodem anno ab Erardo de Rambervillari recuperavit homines *Frarios*, quos antiquitus a monasterio suo dependisse constabat.

X. Stephanus in obituario 19 Septembris.

XI. Richerus 15 Novembris.

XII. Lisiardus 13 Decembris.

XIII. Terricus seu Theodoricus in participationem dominii Novæ-villæ secus Ravonum ascivit

ascivit Ferricum II Lotharingiæ ducem anno 1266. Vivere desiit 21 Maii 1278.

XIV. Philippus Matthæum *de Coussey* ob damna monasterio illata anathemate plexuit; verum ab eo mox pœnitente donatus est villa sancti Remigii anno 1280 mense Januario. Jurisdictionem spiritalem monasterii sui a Conrado episcopo Tullensi approbari fategit anno 1284: ultimum vero diem clausit anno 1290, 8 Januarii.

XV. Gerardus I *de Ville*, antiqua & nobili gente exortus, præclaris facinoribus illustris, Ferricum a Lotharingia, Plumberiæ dominum, prædii Egini-vallis participem effecit anno 1291. Henricum *de Remberviller* advocatiam Stivagii de manu abbatis accipere recusantem judicio compressit anno 1293 mense Decembri. Ad petitionem colonorum Egini-vallis vecturas in octoginta avenæ resalia commutavit anno 1295. De jurisdictione etiam exagitatus Gerardus anno 1297, chartas & tabulas hac de re exhibuit Johanni *de Sierk* episcopo, a quo probatæ fuerunt anno 1298.

Quædam Burguntiæ prædia eodem anno redemit de manibus Johannis *d'Elye* clientis sui. Duo molendina duoque stagna communibus impensis in villis Bremoncuriæ & Egini-vallis confecta paribus emolumentis partitus est cum Ferrico a Lotharingia & Pontio Belliprati abbate condominis anno 1299. Hic una cum Friderico a Lotharingia juravit an. 1310 observationem pactorum quondam inter Fridericum II ducem Lotharingiæ & Theodoricum abbatem initorum. Tunc abdicationem in mente jam volvebat, & quidem factam fuisse mense Decembri conjicere fas est ex pensione, quam successor ejus hoc anno feria 3 post festum sanctæ Luciæ de consensu Gerardi Flabonis-montis abbatis ei impertitus est.

XVI. Simon non aliunde noscitur, nisi ex pensione quam suo decessori concessit: pauco post tempore defunctus.

XVII. Gerardus II iterum ad monasterii regimen assumptus, anno 1312 mense Februario ad præbendarum auctionem, quas Stivagienses habebant in monte sanctæ Odiliæ, triginta solidos monetæ argentinensis annuatim solvendos accepit a Catharina Hoemburgensi abbatissa. Inerat anno 1319 inter Tullensem ecclesiam & capitulum sancti Deodati litigium de jurisdictione, quod a partibus arbiter electus Gerardus compescuit. Quam plurimis monasterio bonis comparatis, senio confectus decessit 9 Aprilis 1328.

XVIII. Dominicus I *de Remberviller*, filius Henrici Stivagiensis monasterii advocati, nobili genere satus, flagrantis Germanos inter & Gallos belli calamitates sustinuit, adeoque oppressus est, ut Isabella Lotharingiæ ducatus administratrix, & Rodulfi ducis mater, cuivis extraneo salvi-conductus cautione non munito ingressum abbatiæ prohibuerit publico edicto die Veneris post festum Pentecostes 1329. Propter bellorum pericula ad sanctam Odiliam accedere non valens, exemptus fuit a Mathilde abbatissa investituram sancti Gorgonii & duarum præbendarum personaliter accipere mense Februario 1330. Litem habuit anno 1334 cum præposito S. Deodati, quam Rodolphus dux Lotharingiæ Ferrico *de Void* decano Tullensi dirimendam commisit. Excessit 2 Martii circa annum 1335.

XIX. Albertus *de Onvilla* pauco sedit tempore, & ex solo sui successoris investituræ notus actu, occubuit 14 Decembris 1337.

XX. Theodoricus *du Moulin* investitura ab Andelacensi abbatissa donatus anno 1338 ante festum S. Vincentii, fatis concessit anno 1341 pridie idus Junii.

XXI. Petrus immunitates & privilegia curavit innovari & augeri a Radulpho duce Lotharingæ 6 Decembris 1341. Ab Henrico Vadani-montis comite, ob graves molestias prædio monasterii ab eo illatas, donatus est jure ligna in nemoribus cædendi & pecora in pratis pascendi anno 1343. Johannem *Malla* abbatem Mediani-monasterii per judices, a Rodolpho duce designatos, coegit ad dejiciendum repagulum in fluvio Murtha constructum ad Stivagiensis pagi detrimentum anno 1344. Obtinuit ab eodem principe colonis tractus Stivagiensis publicorum laborum immunitatem anno 1346. Devixit anno 1356.

XXII. Dominicus II *de Nancey* bullas ab Innocentio VI assecutus est VI cal. Novembris non ex virtute electionis, sed ex proprio pontificis motu. Privilegia monasterii eo rogante confirmata sunt a Johanne I Lotharingiæ duce anno 1362. Ad ipsius quidem preces decano S. Deodati cura bona monasterii Stivagiensis illicite alienata recuperandi demandata est ab Urbano V, qui decessorum suorum litteras & bullas ratas habuit anno 1363. Similem acceperunt provinciam a Gregorio XI abbas sancti Pauli Vesuntini, præpositus ecclesiæ Basileensis, & decanus Argentinensis contra invasores fundorum monasterii in Alsatia sitorum an. 1371. Notatur obitus Dominici 13 Aprilis.

XXIII. Willelmus *Malhôte* de Lunarisvilla exemptionem ab omni portorio tam pro vinis quam pro aliis rebus ex Alsatia per vallem Orbacensem ad Stivagium deducendis a Johanne *d'Alcey* obtinuit anno 1387. Antiquum renovavit pactum cum Elisabeth abbatissa Andelacensi 1399. Vivere desiit 18 Novembris 1421.

XXIV. Dominicus III *de Midrevaux* litem habuit cum abbatissa Andelacensi, quæ Stivagio quindecim mensuras vini rubri, quotannis solvi consuetas pendere recusabat. De litigio a partibus compromissum fuit in Valentinum Senoniensem abbatem, qui condemnavit 19 Octobris 1437 abbatissam ad solutionem mensurarum vini, abbatem vero ad concedendos abbatissæ duodecim caseos vel pro unoquoque caseo duodecim denarios monetæ Argentinensis. Prima hæc questio agitata est in concilio Basileensi, ubi movit Dominicus litem alteram

contra Desiderium abbatem Mediani-monasterii. Statutum quondam fuerat ab arbitris ut nemus quoddam ad Monachos Medianenses pertineret, & casu quo immutaretur in agros, Stivagienses ob jus pascui haberent duo quartalia siliginis. Succisa fuerat silva, & Medianenses censum debitum solvere detrectabant. Duo arbitri a partibus electi sententiam tulerunt in gratiam Stivagiensis abbatis 10 Septembris 1437. Decessit 5 Martii 1450.

XXV. Gerardus III *d'Essey* privilegiorum confirmationem 14 Decembris 1464 a Johanne Calabriæ duce impetravit. Stivagienses villicos consuetæ servitutis officia detrectantes per principis edictum ad obtemperationem adegit 19 Februarii 1465. Deputatus ab abbate Aroasiæ confirmavit electionem Johannis *du Chatel* abbatis Alteriaci 19 Octobris 1468. Ducentos francos ad fundationem anniversarii sui & ad fratrum pitantiam assignavit anno 1475. Defunctus 22 Februarii 1480, humatus est cum epitaphio sub tumba lapidea ad gradus capellæ sanctæ Richardis.

XXVI. Petrus *de Corsieux* ante electionem una cum fratribus capitulum ingressus, quædam inter se conventa sanxerunt pacta, ad quorum observantiam juramento se obstrinxerunt 19 Februarii 1480. Articulos quos prius voverat, iterum juravit electus Petrus, qui extremum diem clausit 5 Martii 1485, multis factis reparationibus.

XXVII. Franciscus *Fagnozel* emersæ inter pastorem & incolas Donceriæ controversiæ judex & arbiter delectus eam diremit 26 Aprilis 1488. Consentiente Renato II Siciliæ rege, ballivum Nanceii & Christianum *de Chastenay*, qui chartas & diplomata incendio deperdita recognoscerent, excivit in monasterium anno 1491. Pactionem cum episcopo Metensi a decessore factam renovavit & ipse cum Henrico a Lotharingia itidem episcopo 30 Octobris 1495. Eodem anno 11 Decembris præceptum assecutus est a Renato II rege ad geminæ jurisdictionis confirmationem. Johannem *Martin* ob falsam insimulationem ad publicam satisfactionem damnavit 13 Januarii 1498. Exactores tributi vinarii apud Ravonum ad cauponas Stivagii eamdem exactionem extendere nitentes sanctioris consilii statuto repressit 22 Novembris 1503. Desiderium *Grandvaltrin* de polygamia convictum canonica mulctavit pœna 9 Novembris 1508. Litem quam ille cum indigenis Xaffevillaris de decimis habebat, terminavit anno 1511 synodus Danubrii. Cum feliciter triginta fere annis monasterium gubernasset, e vivis abiit 17 Aprilis 1515. Quiescit in sacello S. Johannis adhærente parti sinistræ sanctuarii.

XXVIII. Johannes I *Feal*, superioris ex matre nepos, pastor Donceriæ & Xaffevillaris, præside Antonio Mignetti Flabonis-montis abbate, electus, post unius & semi anni regimen occubuit 3 Novembris 1516.

XXIX. Desiderius *Banviet* de Sallaris coram Antonio Mignetti ad abbatiam promotus est 16 Novembris 1516. Obtinuit 15 Januarii 1517 a præposito sancti Deodati, ut malefactores Stivagiensis territorii, in carceribus S. Deodati detenti, judicibus suis traderentur. Invitatus a capitulo sanctæ Odiliæ Hoemburgensis 20 Februarii 1542, in viam se dedit & adfuit electioni Agnetis *d'Oberkirk* abbatissæ. Transactis in regimine fere 27 annis, naturæ debitum solvit 5 Decembris 1542.

XXX. Johannes II *Banviet*, præcedentis nepos, statuta antecessorum suorum ad utilitatem fratrum anno 1480 condita probavit. Succensam Homburgensem abbatiam anno 1546 consiliis & quantum potuit bonis suis adjuvit. Mortuus 3 Februarii 1554 post regimen decem fere annorum, tumulatus est in sacello sancti Nicolai.

XXXI. Antonius-Nicolaus *Saffroy*, exortus e Mediano-monasterio, paucos post regiminis dies decessit 11 Februarii 1554.

XXXII. Johannes III *de Maisières*, nobili genere comitatus Burgundiæ ortus, Claudii *de Maisières* & Sybillæ *de Fauquet* filius, habuit fratrem Jacobum abbatem Mediani-monasterii, cujus arte & commendatione, tametsi monasticis legibus obstrictus & quidem ignotus, in abbatem Stivagiensem postulatus est. Saluti suæ consulens cum pluribus fratribus timidis e monasterio aufugit ut heterodoxorum furorem vitaret, qui domus interiora ingressi, sacra & prophana diripuerunt, ædibusque ignem intulerunt. Ad resarciendas ædes toparchiam Fandronis-villæ ex capituli consensu alienavit; nudatamque ecclesiam texisse & campanile ædificasse laudatur. Antonium *Doridant*, quem educarat a pueritia, coadjutorem postulavit Romæ, bullasque obtinuit anno 1575, spreto fratrum assensu, qui, inscio abbate, Nicolaum *Saffroy* Donceriæ pastorem in coadjutorem elegerant. Obiit Johannes 17 Martii 1581, in capella sancti Johannis humi mandatus.

XXXIII. Antonius *Doridant*, Rembervillari humilibus parentibus natus, adhuc puer ob præclaram indolem dilectus fuit Johanni *de Maisières* abbati, qui eum magistris excolendum tradidit, ac votorum nuncupatione Præmonstratensi militiæ devinxit. Ex coadjutore cum ille post Johannis obitum abbas evasisset, restituendæ regulari disciplinæ totus incubuit, ædesque regulares festino labore construxit, ac divini cultus restituit decorem. Prælaturæ suæ jura subditorum suorum publica subscriptione firmavit 2 Decembris 1581. Cum Senoniensi & Medianensi monasteriis societatem precum iniit 1594. Generalibus Lotharingiæ comitiis interfuit annis 1585, 1587, 1589. Creatus fuerat a Quæstore Roseriarum ad salinas scabinus Egini-vallis nomine ducis Lotharingiæ, quem dux alternis tantum vicibus cum abbate ex veteribus pactis creare debebat: de concordatorum violatione in sanctiori consilio conquestus abbas, Friderici principis diplomati standum sancitum est 17 Octobris

1597. Nicolaum *Bildistein* antecessoris sui nepotem, officiorum ab ejus avunculo acceptorum haud immemor, coadjutorem sibi adscivit, quem in Dolana universitate studiis navantem sustulit mors pridie nonas Novembris 1602. In mortui locum unanimi fratrum consensu suffecit Desiderium *Frouart* 11 Januarii 1603. Ipse autem bonorum operum & dierum plenus ex hac vita migravit 23 Martii 1609.

XXXIV. Desiderius *Frouart*, Ravoni honestis natus parentibus, Theologiæ in seminario Ponti-Mussano studuit, magnamque necessitudinem illic auspicatus est cum Servatio B *Layruels* sanctæ Mariæ majoris abbate, cujus consiliis ad regimen abbatiæ suæ frequenter usus est. Ex coadjutore abbas, benedictionem apud sanctam Odiliam a suffraganeo Argentinensi accepit 21 Aprilis 1609. Delegatus fuit 10 Januarii 1612 a Paulo V pontifice judex litis exortæ inter Senoniensis abbatiæ monachos de coadjutoris electione. Eodem anno fundum terræ concessit in prædio Vimbacensi ad constructionem conventus capucinorum, comprobante Ladislao de Aquino, sedis apostolicæ nuntio, litteris datis 8 Junii 1612. Vitam clausit 24 Maii 1617, in sanctuario cum epitaphio tumulatus. C

XXXV. Johannes IV *Frouart*, superioris amitanus & coadjutor, doctor Theologus omnigena eruditione conspicuus, quam plurimis superatis obicibus, ressuscitatam a Layruelio pristinam disciplinam induxit in monasterium an. 1627, & ne successoris malevola intentio reformationem obturbaret, mensarum distractionem fecit. Proventus suos decorandæ ecclesiæ, ædificiorum structuræ, quin & hospitibus benigne accipiendis impendit. Qui perfugium aliis dederat, coactus & ipse est inter bellorum turbas hospitium quærere apud D sanctam Odiliam anno 1655. Senio gravis Hilarionem *Rampant* Justi-montis abbatem de meritis & scientia sibi notum per spontaneam cessionem postulavit successorem 29 Octobris anni ejusdem, & paulo post Wimbacum se recepit, ubi vitæ cursum absolvit 17 Decembris insequentis. Unde ejus exuviæ a successore Stivagium reportatæ sunt anno 1690, ejusque elogium funebre in annalibus ordinis editum, ab eodem contextum est.

XXXVI. Hilarion *Rampant*, in oppido Monasterii ad salices natus, vota Mussi-ponti emisit 4 Aprilis 1626. Diversis in monasteriis prioris munere rite functus, abbas Justimontis delectus est anno 1651, & ultronea E

A cessione Johannis *Frouart* designatus ejus successor. Quoniam vero præcipiti resignantis morte dimissio caruit effectu, capitulares per electionem mortui abbatis votis obsecundarunt, nec frustrati sunt spe quam de eo conceperant. Sanctæ Odiliæ præbendas & sancti Gorgonii proventus, usque modo Stivagii appendices & membrum, monasterium per se stans & a Stivagio dependens fieri consensit. Supremum diem obiit 12 Martii 1662.

XXXVII. Epiphanius *Louys* ex priore sancti Pauli Virdunensis ad Stivagii abbatis dignitatem obedientiæ præcepto se evehi passus est Theologiæ doctor, ac congregationis vicarius generalis, concionator eximius, author & legifer congregationis Benedictinarum a cultu perenni venerabilis sacramenti, scriptor constitutionum sororum hospitalium a sancto Carolo, Virduni decessit 23 Septembris 1682, ætatis suæ anno 68, professionis 50. Corpus ejus Stivagium relatum, ad sinistrum latus sanctuarii conditum est, corde in monasterio sancti Pauli relicto.

XXXVIII. Simeon *Godin* post optimi regiminis quadraginta annos, & ab ultronea cessione quatuordecim menses mortuus est 4 Octobris 1723, ætatem agens supra octogenariam. Jacet in ecclesia sub marmoreo tumulo, cui inscribitur epitaphium.

XXXIX. Ludovicus-Carolus *Hugo*, Theologiæ doctor, in coadjutorem assumptus 12 Augusti 1710, confirmatur a Clemente XI, IV cal. Decembris anni insequentis. Coadjutoriæ possessionem nactus 1 Aprilis 1712, inaugurationem tam sub coadjutoris Stivagii titulo, quam abbatis Fontis-Andreæ ab episcopo Basileensi accepit 23 Julii ejusdem anni. Spontanea Simeonis *Godin* antecessoris abdicatione, necnon suorum quidem jurium omnium ultronea renunciatione facta, libere a capitulo, præside Boni-fageti abbate, electus fuit 22 Octobris 1722. Villam Wimbaci caducam instauravit, inchoatasque a decessore abbatiales ædes perfecit. De monasterii sui exemptione & apostolicæ sedi subjectione cum Hieronymo *Begon*, Tullensi episcopo, gravissimum habuit dissidium, cui Benedictus XIII pontifex finem imposuit, abbatem ad episcopatum sub titulo episcopi Ptolemaidis promovens 15 Decembris 1728. Sacræ suppellectili librisque comparandis curam impendit; quin & ipse litterariam rempublicam plurimis locupletavit voluminibus. Vitæ finem implevit IV nonas Augusti 1739.

ADDENDA huic Tomo.

Col. 100. *A.* n.° XXXVI. *Adde:* hic abbas dictus Henricus *le Clerc de Fleurigny*, & ex jure dignitatis suæ Consiliarius parlamenti Tolosani, mortem occubuit 16 Junii 1777, ætatis suæ 67.

XXXVII. N. *de Narbonne-Lara*, regi ab eleemosynis, in præcedentis locum sufficitur 15 Februarii 1778.

Col. 140. *A. Post* numerum LV, *Adde:*

LVI. Ludovicus-Athanasius-Bonifacius *Balbe-Berton de Crillon*, quondam agens generalis cleri Gallicani, abbas S. Stephani de Beania ab anno 1750, cujus cessionem in manibus Ludovici XVI regis fecerat, & quam ex regia munificentia recepit, facta abdicatione abbatiæ sancti Johannis Ambianensis, quam a Ludovico XV erat adeptus anno 1760, suffectus est in abbatia Grandis-silvæ anno 1719, 19 Novembris in locum D. *de Veri* ad abbatiam Troarnensem traducti anno 1778. Pronepos est viri illustrissimi ac fortissimi dicti *le brave Crillon*, quem Henricus IV singulari amore prosecutus est.

Col. 204. *Post* numerum XL, *adde:*

XLI. N. *de Barral*, vicarius generalis Senonensis a rege donatur abbatia 28 Aprilis 1782.

Col. 216. *C.* n.° LXVII. *Adde:* Johannes Ludovicus in episcopum Pictaviensem consecratus 18 Martii 1749, renunciatus est abbas commendatarius Albæ-ripæ 1759, & sancti Petri Latiniacensis anno 1773. Parisiis obiit anno 1779, 16 Februarii, ætatis suæ 67.

LXVIII. N. *Jouffroy d'Abans*, canonicus sancti Claudii, commmendatarius abbas Lezati a rege nominatus est 3 Octobris 1779.

Col. 307. *B.* n.° XV. *Lege:* Dionysius *de Bar*, episcopus sancti Papuli patrem habuit Petrum equitem dominum *de Villemenard*, cujus frater Johannes miles & toparcha *de Baugy*, Carolo VII & Ludovico XI regibus fuit a consiliis, necnon Turoniæ Baillivus. Ipse Dionysius Biturigibus natus, ad regis commendationem renunciatus fuit episcopus S. Papuli anno 1468; tum ad Tutelensem ecclesiam traductus anno 1471, solemni pompa ingressus est 25 Martii anni sequentis; denique ad primam sedem revertitur VI idus Martii 1495. At in mente æternos habens annos, abdicatis episcopatu & abbatia Loci-regii, quam in commendam acceperat anno circiter 1489, in gratiam Caroli de Barro, patruelis sui Roberti domini de Baugiaco filii, sedem fixisse creditur in patria, forsan in castro *de Villemenard*. Ei successit Carolus *de Bar* anno ad minus 1510. De Dionysio consule tom. II. col. 673.

Col. 314. *B.* n.° XXXIV. *Adde:* fato functus est Guillelmus-Josephus, 29 Januarii 1784.

XXXV. Johannes-Baptista *de Maillé de* A *la Tour-Landry*, nominatus episcopus Vapincensis an. 1777, a rege translatus est anno 1784 21 Februarii, ad ecclesiam S. Papuli.

Col. 925. *A. Post* numerum LIX, *adde:*

LX. Josephus-Amedeus *de Broglie*, natus Arelate anno 1710, & in episcopum Engolismensem consecratus 3 Martii 1754, obtinuit abbatiam sancti Vincentii 27 Februarii 1781. Obiit autem anno 1784.

LX. Ludovicus-Hieronymus *de Suffren de Saint-Tropez*, ordinatus episcopus Sistaricensis 30 Septembris 1764, abbatia S. Vincentii anno 1784, die 9 Maii, donatur a rege.

Col. 927. *D. post* numerum XXXIX, B *Adde:*

XL. N. *de Meun de Salabous*, vicarius generalis Convenensis, abbas Bozonis-villæ a rege renunciatur mense Maio 1782.

Col. 893. *A. post* numerum LXXIV, *Adde:*

LXXV. Princeps *Doria Pamphili*, archiepiscopus Seleuciæ, nuncius apostolicus in Francia, abbatia Gorziæ a rege donatus est 26 Januarii 1783.

Col. 1084. *D. Post* numerum LXIII, *adde:*

LXIV. Camillus-Ludovicus-Apollinaris *de Polignac*, Parisiis natus 31 Augusti 1745, C in Meldensem episcopum inunctus 8 Augusti 1779, abbatiam sancti Apri Tullensis a rege consecutus est 24 Octobris 1782.

Col. 1114. *C.* n.° XV. *Adde:* is vocabatur Josephus-Albertus, fuitque episcopus de Thermis, primus eleemosynarius inclyti principis Caroli-Philippi a Francia Artesiæ comitis, regis fratris, abbas S. Illidii Claromontensis, Vallium in Ornesio, & Loci-Dei. Parisiis decessit 9 Januarii 1784, ætatis suæ anno 64.

Col. 1339. *A.* n.° LI. *Adde:* defunctus autem Johannes-Ægidius in abbatia S. Victoris Parisiensis 21 Martii 1784, ætatis suæ anno 84, ibidem est humatus.

LII. Maria-Josephus *de Galard de Terraube*, D Aniciensis episcopus consecratus 24 Julii 1774, a rege nominatus est abbas commendatarius S. Pauli Virdunensis 25 Aprilis 1784.

Col. 1348. *B. Adde:* Ludovicus-Apollinaris ad Ausciensem archiepiscopatum a rege traductus est 22 Junii 1783.

II. Franciscus *de Fontanges*, reginæ ab eleemosynis, renunciatus episcopus Nanceiensis, 22 Junii 1783, consecrationem accepit 17 mensis Augusti, fidemque regi juravit 17 ipsius mensis ejusdem anni.

Col. 1374. *C. post* numerum XXXII, *Adde:*

XXXIII. N. *de Cambis*, reginæ elemosy- E narius, adeptus est a rege abbatiam Altæ-Silvæ, 19 Octobris 1783.

INDEX

GALLIA

CHRISTIANA.

TOMUS XIII,

PARS PRIMA.

PROSTAT APUD P. M. LAMY, BIBLIOPALAM,
ad ripam Augustinianorum.

GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA COMPLECTEBATUR, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, et probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Operâ & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.

TOMUS DECIMUS-TERTIUS;

PARS SECUNDA,

Ubi de Provinciis TOLOSANA *&* TREVIRENSI *agitur.*

PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.
Prostat apud P. M. LAMY, Bibliopolam, ad ripam Augustinianorum.

M. DCCLXXXVI.

INSTRUMENTA

AD TOMUM XIII

GALLIÆ CHRISTIANÆ

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ

SPECTANTIA,

QUÆ PERTINENT AD METROPOLIM TOLOSANAM.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ *TOLOSANÆ*.

I.

Diploma Caroli Regis Samueli episcopo concessum in gratiam ecclesiarum S. Stephani, B. Mariæ & S. Saturnini.

843. IN nomine sanctæ & individuæ Trinit. Carolus Dei gratia rex, omnibus episcopis, abbatibus ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, actionariis, &c. Notum sit quia si petitionibus sacerdotum ac servorum Dei pro opportunitatibus sanctorum locorum quorumcunque aurem accommodamus, & ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem vel stabilitatem regni nostri proficere non ambigimus. Igitur cognoscat utilitas seu solertia omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum, B quia vir venerabilis Samuel ecclesiæ Tolosanæ episcopus, quæ est constructa in honorem S. Stephani, seu & S. Jacobi apostoli, indicavit serenitati nostræ emunitates domini & genitoris nostri videlicet Lodovici bonæ memoriæ gloriosissimi imperatoris, & regum prædecessorum nostrorum qualiter ipsam sedem cum monasterio S. Mariæ quod est infra muros Tolosæ civitatis, cum omnibus appendiciis suis, necnon & monasterium S. Saturnini martyris haud procul ab eadem urbe constructum, ubi & corpore requiescit, cum omnibus rebus & hominibus ibidem aspicientibus, propter amorem Dei & reverentiam eorumdem sanctorum sub plenissima semper defensione & emunitatis tuitione habuissent. Tamen pro firmitatis studio petiit idem episcopus ut circa prædicta loca sanctorum denuo claustra pro mercedis nostræ augmento concedere & C confirmare deberemus. Cujus petitionem pro divino amore renuere noluimus, sed in omnibus concessimus, & volumus ut fideles sanctæ Dei ecclesiæ & nunc & in futuro omnia a nobis confirmata esse cognoscant. Insuper etiam per ejus petitionem tale beneficium ex nostra clementia erga ipsa memorata loca concessimus, ut nullus judex publicus neque quilibet ex judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus nostris in ecclesias aut loca, vel agros seu reliquas possessiones prædictarum ecclesiarum quas moderno tempore in quibuslibet pagis aut territoriis infra ditionem regni nostri juste habere ac possidere cognoscantur, quidquid etiam deinceps in jure ipsorum locorum sanctorum Dei voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel A freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsarum ecclesiarum tam ingenuos quam servos qui super terram earum residere videntur juste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones inquirendas, ullo unquam tempore ingredi audeant, vel exactare præsumant, sed liceat memorato præsuli suisque successoribus sub emunitatis tuitione quieto tramite possidere & nobis fideliter deservire, & una cum clero & populo sibi subjecto Deum misericorditer exorare. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconvulsa manere, manu propria subterfirmavimus & annulo nostro sigillare jussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis.

II.

Placitum coram Ardemaldo Tolosæ episcopo, de controversiis quibusdam dirimendis. *Ex archivio Montis Olivi.*

CUM in Dei nomine resideret Ardemaldus episcopus sedis Tolosæ civitatis, cum viro venerabili 918. Bernardo qui est missus advocatus Reimundo comite Tolosa civitatis & marchio per consensu Odone comite jeniore suo, una cum abbatibus presbyteris, judices Scastrinos & Regimburgos tam Gotos quam Romanos seu etiam & Salicos, qui jussis causam audire, dirimere & legibus definire, id est Donadeus monachus, Bellus monachus, Amelius monachus, Adalbertus, Jodolenus, Donatus, Rumaldus, item Donatus, judices Romanorum. Eudegarius, Aicobrandus, Radulphus, Hugo, judici Gotorum. Oliba Rodgarius, Aimenradus, Joannes, Aimo, Arloinus, Arimares, Ailenus, judices Salicorum. Sive & in presentia Autario, Adalardo, Olibano, Arnulfo, Ugberto, Hugone, Gairaldo, Ostendo, Bellone, Baldefredo, Ischafredo, Alalaignaco, Segbrando, Ariberto, Sanprognano, Bonemiro, Ostaldo, Salvardo, Sagione, & aliorum plurimorum bonorum hominum qui cum eos residebant in mallo publico in castro Ausona in die sabbato, ibique in eorum præsentia veniens homo nomine Adalbertus qui est mandatarius vel adcertor advocatus Bernardo vicario seniori suo dicebat: domne episcope & vos judices jubete me audire & facite mihi justitiam de iste Arifonso abbate S. Johannis-Baptistæ castri Malasti quæ

est situs in territorio Carcassense, super fluvium A Duranno, iste jam dictus abbas & ipsa congregatio de jam dicto loco venerabile retinent vilare cujus vocabulum est villa Fedosi quæ alium nomen vocatur *Elsau*, cum terminis & liminibus & ajacentiis suis, qui est situs in territorio Ausonense, in suburbio Carcassense fines vel ajacentias habet. Ipse jam dictus vilares de parte orientis ajacit a terminio de Ramiano de meridie adjacit in fluvio Fiscavum sive a terminio de S. Eulalia, de parte cercii ajacit a terminio de S. Eulalia sive a terminio de villa Valeriani, sive a terminio de Canevellas, & de parte aquilonis ajacet a terminio de Canevellas de quantum in istas totas affrontationes abet. Ipse villare constructo cum terminis & lemitibus & ajacentiis suis sic retinet iste jam dictus abba injuste & malum ordine, unde servicius debet exire circa & quarta & cavallatas sicut B alii spanii debent facere de illorum aprissione: tunc interrogaverunt ipsi judices supra nominati jam dicto abbate, qui respondere vellis de ac causa unde iste mandatarius Bernardo te interpellat; tunc ipse abbas præsens steit & dixit, ego mandatario ab eo qui pro me respondere debet, & dedit ibi suum mandatarium vel adsertorem advocatum nomine Soniarium, & Soniarius ibi præsens stetit & dixit: non retinet iste abbas nec ista congregatio jam dicta cui ego vocem prosequor, ipsum villarem supra nominatum injuste & malum ordine, sed legibus eum adquisierunt antecessores sui per scripturas emtionis legalibus factas & per judiciis legibus ordinatis qui fuerunt decreti in civitate Carcassona antei Olibane comite & ante C Fredario vicecomite, sive ante aliis viris & bonis hominibus. Et præceptum habet ipsa congregatio & regia auctoritate quod adquisivit Ugbertus abba qui fuit quondam ante Odone rege. De jam dicto villare & litteras seu auctoritates habet ipsa congregatio, vel alium præceptum quod acquisivit Rainulphus abba qui fuit condam ante Carlo gloriosissimo rege & privilegium iste jam dictus Arisonsus abba qui me mandatarium injunxit & litteras dominicas. De Romam & de beato Joanne papa sedis apostolicæ S. Petri qui est mater omnium ecclesiarum per quod nullum obsequium nec ullum servitium non debent facere de jam dicto villare nec de suum terminium, sed omnia hæc in alimonia pauperum & in stipendia monachorum. Cum autem ipse episcopus supra D nominatus & ipsi judices audissent Soniario mandatarium Arisonso abbate sic respondentem, decreverunt judicium & ordinaverunt Soniario mandatarium ut aramiset suas scripturas & litteras dominicas quod ille ibidem postulavit sicut & fecit & aramivit eas ad placitum constitutum. Iterum ad ipsum placitum constructum venit Arisonsus abba & advocatus Soniarius cum suas auctoritates in præsentia de jam dicto episcopo & de supra nominato vicario, & in præsentia de jam dictos judices vel auditores, & sic præsentavit ipsos præceptos & ipsum privilegium & judicios & auctoritates de supra nominate vilare unde alodes legitimum debet esse, de jam dicta causa Dei & de ipsa congregatione superius nominata. Rursum vero nos episcopus & judices superius nominati cum audissemus & vidissemus talem rei veritatis & tale E legum auctoritatis interrogavimus Adalberto mandatario de jam dicto Bernardo vicario misso Raimundo comite si potebat habere scripturas aut testes, aut ullum indicium veritatis ut possim approbare quod beneficiis debet esse de seniore suo Bernardo per donum tuum vel consensu: de jam dicto comite Raimundo quam alodes de ipse venerabile loco superius nominato. Tunc ipse Adalbertus dixit quia non possum habere testes nec scripturas nec ullum indicium veritatis unde dicere nec probare possim quod beneficiis debeat esse seniori meo qui me mandatarium injunxit, sed plus debet esset alodes legitimus de ipse venerabile loco jam dicto per istas scripturas & per istas litteras dominicas & per istas regias auctoritates quæ nos hodie vidimus & audivimus in istum placitum legentes & relegentes quam beneficius seniori meo aut de qualibet homine. . . . . Nos episcopus & judices cum audivimus & vidimus tales regias auctoritates ad istum mandatario Arisonso abbate, non fuimus ausi nullam querelam litteris contra eum impendere, sed per lege & justitia ordinavimus fagionem nostrum supra nominatum, & astringere fecisset Adalberto mandatario Bernardo ut confirmasset suam conlaudatium adque ex vacuatione de ipso supra nominato vilare vel de suum terminum recognosco me, ego Aldabertus mandatarius quod negare non possum & sic facio meam professione adque ex vaguatione quæ de ipse villare superius nominatum, unde ego per vocem seniori meo interpellavi Sonario mandatarium Arisonso abbate injuste & malum ordine eum interpellavit adque mallavit, quæ plus debet esse ipse villares cum finis & terminis suis, sicut scriptum est alodes legitimum de ista jam dicta casa Dei adque venerabili loco sive Arisonse abbate vel ad ejus congregatione per illorum auctoritates & per regia donatione quam beneficias seniore meo qui me mandatarium injunxit aut de qualibet hominem, & ea quæ ego me recognosco adque ex vacuo simulque conlaudo, recte & veraciter me recognosco adque conlaudo, & mea recognosco vera est in omnibus, & congaudet se Suniarius mandatarius Arisonso abbate in nostro judicio suam plenissimam adquesivit justitiam. Dato judicio isto decimo sexto cal. Julii, anno XXI, regnante Carolo rege. Signum Daniel Adalbertus mandatarius Gavarnal. Sign. ✠ Aitarius. Sign. ✠ Radulfo. Sign. ✠ Jodoleno. Signum ✠ Johano. Signum ✠ Aimone. Sign. ✠ Leudgario. Sign. ✠ Ecbrando. Signum Olibane. Sign. ✠ Rodgario. Sign. ✠ Radramno. Sign. ✠ Guiberto. Sign. . . . . chone. Signum ✠ Ratario. Signum ✠ Donato. Signum ✠ Hugone. Signum ✠ Leutgario. Signum Rodaldo. Sign. ✠ Agileno. Signum Cafred. Signum ✠ Deudado. Signum ✠ Stephano. Signum Johanno. Signum ✠ Elizeo. Signum ✠ Bertranno. Signum ✠ Guntario. Signum ✠ Eldefredo. Signum item alio Deudado. Sign. Agila. Sign. Emidario. Sign. Undilane.

III.

Hugo episcopus Tolosanus Luponi clerico nonnulla per vitam possidenda tradit.

IN Dei nomine. Ego HUGO Tolosanæ civitatis *Circa* sanctæ sedis Stephani protomartyris pontifex, ac *948.* Tolosanæ plebis gratia Dei episcopus, constat me condonare unam partem de rebus proprietatis meæ alicui homini, clerico scilicet nostro nomine Luponi, quod ita & feci. Dedi ergo, & sub obtentu venditionis ecclesiam S. Mariæ, ubi corpus beatæ Gabellæ humatum quiescit, cum omni ecclesiastico suo, cum ecclesia scilicet sancti Petri & ecclesia sancti Hilarii *de Godentius*. Ecclesia vero sancti Petri de Castilione cum omni ecclesiastico suo, atque alia ecclesia sanctæ Mariæ *de Gradiac*, cum omni ecclesiastico suo, unde convenit inter me & ipsum accipere ab ipso in pretium operationem de ipso castello, quod est positum super locum jam nominatum S. Gabellæ, sicut inter me & inter ipsum bene convenit atque complacuit. Ita ipsum opus in ipso castello ita operetur ut sicut inter me & ipsum disponere ac definire melius visum fuerit, & propter ipsum hæc omnia supra nominatas ecclesias, videlicet quæ sunt supradictæ in pago Tolosano, in ministerio ejusdem loci S. Gabellæ, ipsi Luponi trado ad habendum & possidendum in tali scilicet ratione, ut quamdiu ipse vixerit, teneat & possideat; post ejus vero discessum, jam supradictæ res ad sedem quæ supra dicta est, scilicet sancti Stephani

protomartyris omnia revertantur. De repetitione vero quam minime fieri credimus, si quis aut ego ipse, aut ullus de hæredibus vel successoribus, aut parentibus meis, vel quælibet alia admissa persona contra hanc convenientiam venditionis aliquam calumniam inferre tentaverit, hoc quod accepit non vindicet sibi, sed in sua lege conscriptus componat ei qui litem intulerit tantam, & aliud tantum quantum ipsæ supradictæ ecclesiæ habebant; qui contemptores ultra fuerint reddant & anathematizentur, nisi satisfactionem faciant. Hæc intentio venditionis firma & stabilis perseveret cum adfirmatione subinserta. Signum Hugonis episcopi.

I V.

Lupus primicerius & archidiaconus ecclesiæ Tolosanæ plurima concedit monasterio S. Michaëlis de Coxano.

969. PRISCORUM patrum sagacitas & legum sanxit auctoritas, divina quoque non renovavit, sed firmavit beatitas, ut omni homini fas libera esset de facultatibus suis quod velit facere, tantum ut si vendere dareve, aut pro animæ suæ salute, sanctis Dei aliquid de suis opidis vel agrorum fundis, domibusve cuperet impertiri, ipsum in cartula digestum ac testibus adstipulatum firmum permaneret in posterum. Est exemplum ex his dominicum atque preceptum omnimodis amplectendum. Igitur nonagentesimo & sexagesimo nono dominicæ trabeationis anno, indictione duodecima, cum jam mundus verteretur in senio & multorum refrigesceret caritas, Ego in Christi nomine Lupus primicerius atque archidiaconus sancti Stephani sedis Tolosæ, divino promotus imperio, cogitare cœpi animo de examinis die atque extremo, qualiter possem vada tetra cerontis illæsus transmeare, & intra paradisi mœnia perenniter lætare. Quamobrem facio cartam S. Michaëli & sancto Germano, quorum basilicæ sunt fundatæ in cœnobio Coxano, qui est situs in valle confluente super fluvium Literanorum, & ad radicem montis Cathegonis, de ipsis meis alodibus qui sunt in pago Tolosano, & in ministerio Agarnagense sive de Canneto, seu de Lucianense vel de ipsa Puia, & ipsum alodem qui est infra ambas aquas qui tenet ab Agullone usque ad Riguerium, & vadit per ripam Ircæ albæ & venit usque ad fontem prænominati loci, & inde vadit per mediam Vernedam & per medias insulas, usque ad Aregiam fluvium, & a medio fluminis Aregiæ revertit ad Agullonem. Dono insuper & ipsum alodem de Ampuliaco quem acquisivi de Amelio Simplicio & de Amelio Nizecio totum & ab integrum. Et in alio loco ipsum alodem quem dicunt Teixonarias, cum ipsa ecclesia quæ est fundata in honore sancti Martini, quem acquisivi de Bobone & de Bernardo, atque de Vivolino & Eldiardo, sive de Manscicone, totum & ab integrum. Quantum ego jam supra dictus Lupus primicerius sedis sancti Stephani urbis Tolosæ, in istis locis denominatis visus habere vel possidere suum totum & ab integrum cum exiis & regressiis earum quæsitum vel ad inquirendum, divisum vel ad dividendum, cum omnia supra posita earum, id est in ecclesiis, in domibus & in omnibus quæ ad usum hominis pertinet & advenit mihi ad tractum scripturarum vel ex comparatione. Ista omnia trado & concedo monasterio sancti Michaëlis Coxani, & domno Grarino abbati, cunctisque monachis ibidem Deo famulantibus, propter remedium animæ meæ & omnium parentorum meorum, & omnium fidelium christianorum. Si quis vero hanc cartam donationis inquietare præsumpserit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ extraneus fiat, & cum Juda traditore participationem habeat. Facta carta eleemosynaria idus Julii feria quinta, anno decimo quinto, regnante Leutario rege. Sig✠num Lupone qui hanc cartam scribere jussit. Sig✠num Guilabertus levita. Sig✠num Stephanus. Sig✠num Eimo presbyter. Sig✠num Odonis decani. Ebulus presbyter atque monachus qui hanc cartam rogatus scripsit.

V.

Charta Isli episcopi Tolosani.

ISLUS episcopus & GUAIRALDUS præpositus Gamevillæ dederunt ad fevum, Benedicto clerico & fratri suo Petro clerico Guardam toto decimo B. Stephani Tolosæ. Insuper supradictus præpositus dedit eis ex toto suo honore præpositurale, quam habebat in terminio civitatis Tolosæ de sancto Stephano totam Guardam & totum serventage, & pro hoc feuo dederunt illorum domino præposito v sos. acaptationis, & in uno quoque anno unum prandium optimum cum sex militibus, & in hoc feuo dedit illis totam siglicem, & totum milium & balagium, & decimum de sextaratis boërium, & retrodecimum, & retrocole, totoque solagge, & senescalciam, atque pistinnum ecclesiæ S. Stephani, & cellarium atque coquinam, & de ea habebant totas pelles scorticatas, & diem S. Stephani, tot solagge de frumento quod ibi erit oblatus, & per senescalciam habebunt feuum de restacane; & si de hoc feuo præpositus poterit eos inculpare, faciant ei vistum & habeat quinque solidos justitiam. Signum Islus episcopus, S. Gairaldus præpositus qui hoc feuum dederunt & manibus firmaverunt, S. Bonifillus sacristanus de Brantalone, S. Stephanus Hugo paraphronista, S. Stephanus de Montelubello, S. Bertrandus Jordanus, & filii ejus Gaulbertus, Bernardus, Oalricus, Dodo, Aigra, & alii clerici, tam laïci, qui ibi aderant. Gaulbertus capellanus scripsit. 985.

V I.

Islo episcopus facit emptionem suæ ecclesiæ tradendam.

DOMINO & venerabili viro Islone pontifice emptore, ego Ramundus & uxor mea nomine Godila ceditores cedimus vel vendimus, ab aliquo homine jam supradicto Islone, alodem nostrum viris nostris, qui est in pago Tolosano in termino ubi vocabulum est Campobello, cum ipsa ecclesia quæ est fundata in honore sancti Joannis, vel cum ipso ecclesiastico denominato, quantum nos ibi visi sumus habere vel possidere. Hoc totum & ad integrum nos tibi vendimus & donamus pro animabus nostris & parentum nostrorum, pro solidis XL quæ Islus pontifex dedit suæ sedi Tolosæ, ut in hodiernum diem dominium propiium habeat, teneat, possideat, suisque posteris derelinquat, vel quicquid facere voluerit, sua sit potestas ad faciendum neminem contradicentem. De repetitione vero si nos aut ullus de hæredibus nostris, aut quislibet homo fuerit, qui contra hanc chartam venditionis ista inquietare voluerit, quali lege vivit, tale componat, & postea se taceat, & aliis tacentibus faciat: facta cessio vel venditio ista in mense Junio, in anno primo quo Ludovicus rex cœpit regnare. S. Ramondo & uxore mea Godine, qui chartam istam scribere rogaverunt, & manibus firmaverunt. Signum Bernardo filio suo, S. Olibano, Stephanus scripsit. 986.

V I I.

Prædium de Gaia *datur monasterio Curtensi.* *Ex cod. ms. Mansi Garnerii.*

ANNO millesimo septuagesimo primo dominicæ Incarnationis, regnante Philippo rege, ego Raimondus Arnaldi filiusque meus Arnaldus favente 1071.

conjuge mea, conferimus domino Apostolorumque principi suo Petro, Curtensi monasterio & abbati Raimondo & monachis ibidem morantibus, prædium nostrum quod est in territorio Tolosano, vocatum *Gaia*. Ita sane prædictum prædium concedimus ut nullam particulam retineamus, cum ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ in eodem fundata, cum indigenis ad idem prædium pertinentibus, & ne longius moremur, totum concedimus, nihil juris nobis neque posteris nostris reservantes. Factum est octavo idus Decembris, sub testimonio bonorum virorum ibidem astantium, V. Raimondi Lactorensis episcopi, & W. Bernardi Sauensis principis, & Raimondi Arnaldi Modlonis, & Willelminus qui respublicas Tolosæ urbis disponebat, Isarnusque qui eo anno ejusdem urbis episcopatum adeptus fuerat. Hæc donatio ut sit firma deprecor. Confirmat manu sua, * confirmat Arnaldus filius datoris. Ego Raimondus Arnaldi dator hanc eamdem manu mea firmo, aliosque ut confirment deprecor.

* *forte* uxor mea.

VIII.

Qualiter debeant vivere canonici sancti Stephani præscribit Isarnus, iisdemque plurima largitur.

circa 1077.

OMNE quod secundum carnem cogitatur, &c. Tolosanæ urbis indignus ego ISARNUS episcopus: Est in præfata civitate quædam ecclesia protomartyris Stephani tropheis insignita, sub pastorali provisione, meæ exiguitati contradita, quæ olim vario laquearium, & parietum rutilo expolita fulgore, dominicæ mensæ ornamentorum vernans decore, copiosis prædiorum facultatibus, censuumve opimis exuberans redditibus, ecclesiis admodum circum circa positis populari supereminebat concursione, ut prima earum mater & sedes, cunctorum vocaretur adstipulatione. Nunc autem decessorum prô dolor! incuria, a tantæ dignitatis non ad modicum exinanita gloria, ad tantam ecclesiasticæ gazæ depopulationem, suorumque devoluta est filiorum orbationem, quatenus non modo de perpessa parietum magna ex parte conqueratur ruina, verum etiam lugeat, quod divini cultus religio atrocius, nisi fallor, cleri excesserit memoria, ut merito illud sibi coaptetur vaticinium spiritualium plangens ita Hierusalem destitutionem filiorum. « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus » color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum! » Volens ergo ultimus prænominatæ ecclesiæ ego præfatus filius ejusdem condescendere desolationi, obtenta & immunitate gloriosissimi nostri comitis Guillermi, consultu æque monasticæ disciplinæ propagatoris Cluniacensium abbatis Hugonis, auxiliante quoque & cooperante Vualdo abbate loci Moissiacensis voluntate, nec minus quorumdam inibi cohabitantium ex spontanea deditione clericorum, divina inspiratione, non tantum assensu verum primatum & principum præfati comitis ditioni militantium, deliberavi divina inspiratione, non tantum scissuras ejusdem sedis reintegrare, ruinas implere, ornamentorum prædictorum facultatumve damna restituere, verum etiam ecclesiasticum vigorem, ad pristini status lineam totis nisibus corrigere. Statui si quidem habita deliberatione, ut quicunque clericorum abhinc, & deinceps corpori voluerit communicare ecclesiæ prælibatæ, mancipandum se noverit rigori canonicæ vitæ, verbi gratia ut nihil sibi proprium habeat, vel etiam, quod absit, dicat: omnes una prandeant, una somnum capiant, communis omnibus secundum apostolicæ institutionis formam victus sit & vestitus; nulli præter licentiam sui prioris suppetat eundi, vel evagandi libertas aliqua, ut quibus unus dominus, una fides, unum est baptisma, unus existat spiritus & una anima. Ne vero alicui ob penuriam victus tantæ authoritatem diffinitionis transgrediendi

A male blandiatur occasio, decernimus ac communis consilii conspiratione statuimus, quatenus per omnes archidiaconatus prædictæ sedis episcopatus, canonici Deo inibi militantes archidiaconos ex propria congregatione communi consensu sibi eligant, substituant, & per succedentium hujusce modi ministrorum ecclesiæ successiones archidiaconatuum redditus accipiant, possideant. Dono igitur ego ISARNUS episcopus, consilio gloriosissimi comitis Guillermi, suique fratris Ramundi comitis Ruthenorum, & cunctorum Tolosanæ regionis principum affirmatione, & sanioris consilii sanctæ canonicorum sedis præmissæ, regularibus institutis obedientiæ, dono & in perpetuum possidenda relinquo, sub communi vita regulariter in prædicta sede canonicis viventibus, præpositùræ

B scilicet & decaniæ, sacristaniæ & capiscoliæ cunctum honorem. Dono vero omnem decimationem, omnem ecclesiæ vel altaris oblationem, dono totum ab integro frumentum quod antecessores mei & ego S. Stephano portandum constituimus, vel offerendum. Dono autem illis cuncta episcopalium pœnitentiarum gaudia, & omnes ecclesiæ thesauros in eorum mitto custodiam, eo scilicet tenore ut quicunque comes vel episcopus sive clericus vel aliqua laïcalis persona ex illo thesauro furtive aliquid aut violenter distraxerit vel abstulerit, excommunicationis feriatur sententia, donec restituat quod male usurpavit. Dono vero illam villam quæ *Braca* cognominatur, terras ejus videlicet & vineas, prata & cunctas ad illam pertinentes, aquas atque sylvas, culta & inculta, cum omnibus habitantibus

C in ea. Dono autem eadem conventione sal meum omne quod accipio, & habere videor de toto sancti Saturnini burgo. Testamenti igitur confirmatione huic donationi confirmo, ut liceat illis pro eleemosyna suscipere, vel quocunque pretio, quidquid poterunt emere de toto honore quem ab antecessoribus meis vel a me quilibet clerici sive laïci feuvaliter tenent. Dono etiam extra muros prædictæ urbis Tolosæ terras omnes quas habeo ante portam civitatis, ubi vocant *ad Feretrale*. Ego quoque Guillermus comes jam sæpe prædictus, ad augendam hujus sanctæ institutionis dignitatem, & servorum Dei in divinis obsequiis concedendam libertatem, electionem ac missionem episcopi in prædicta sede constituendi, quam majores mei male sibi usurpaverunt, ejusdem ecclesiæ filiis

D relinquo, atque soli arbitrio eorum, sicut fieri debet, permitto ut quemcumque ipsi communi consensu catholice elegerint, ego laudem & corroborem: huic quippe facto adest præsentia, consilium favorque domini abbatis Cluniacensis supranominati, una cum jam prædicto Moissiacensi abbate aliarumque plurimarum nobilium personarum conventus. Commendamus igitur hanc nostram salutarem cessionem & operationem, ego prædictus præsul Isarnus, & ego ejusdem civitatis comes Guillelmus, tuitioni, protectioni & defensioni præfati Hugonis Cluniacensis abbatis, tam ipsi quam omnibus in eodem loco abbatibus, usque in sæculum futuris, ut quicumque malignæ mentis homo quod fecimus pessima, quod absit, præsumptione temerare vel infectum reddere

E studuerit, ipse Dei & proximi provocatus amore, & nostra supplicatione apostolicæ sedis non dedignetur pontificem interpellare, & ita pro supradicti loci, nostra sicut pro sui discutienda causa ante tantæ majestatis tribunal strenuissimus noster advocatus & præcipuus defensor studeat quis contra insurgentes insurgere, ac facundus ratiocinator adversus magniloquas obloquentium linguas assistere. Ad hujus ergo institutionis nostræ corroborandam diffinitionem, & nullo tempore penitus abolendam, vestris pontificum pontifex papa reverentissime domine Gregori pedibus hanc transmittimus descriptionis chartam. si quis igitur comes vel episcopus, sive alicujus invasionis manus disceptatione, concussione, agitatione aliqua, tam salutaris decreti temerare censuram

attentaverit vel inquietaverit, &c. Præter ea quæ superius continentur ego Isarnus sæpe jam prænominatus, addo etiam huic donationi eodem tenore quo supra, quartam partem oblationum ecclesiæ S. Saturnini, sicut habere videor ac possidere: dono etiam tertiam partem cemiterii ejusdem ecclesiæ, necnon & pastum quem solent reddere mihi canonici ipsius loci in festivitate B. Saturnini. Hoc totum dono, in perpetuum habendum concedo Domino Deo, ejusque gloriosæ genitrici semperque Virgini Mariæ, atque B. protomartyri Stephano & canonicis modo inibi canonice degentibus & futuris. Insuper quoque dono eis quidquid ex eadem ecclesia ex consuetudine soleo habere, similiter & quartam partem omnium ecclesiarum diœcesenarum, illarum scilicet unde reddenda est. Iterum ego Isarnus episcopus supradicta nominatim colligens, præposituram scilicet ac decaniam, sacristiam & capiscoliam, omnes archidiaconatus, omnesque census & consuetudines quas habeo & teneo, & tenuisse & habuisse visus sum in ecclesia B. Saturnini, quartam scilicet partem oblationum altaris, tertiam partem cemiterii, pastum etiam quem debent mihi reddere, operam quoque ecclesiæ construendæ, redditiones iterum quasdam de ecclesia B. Mariæ Tolosanæ urbis, usque adeo mihi redditas & consuetudines in eadem, & cætera omnium ecclesiarum totius episcopatus ad me pertinentia; totum omnibus modis dono Deo, & S. Stephano & sedi meæ confirmo, & arbitrio canonicorum ibi modo & in futuro manentium disponenda in perpetuum derelinquo; tali convenientia ut ab hac hora nihil de his quæ supradicta sunt mihi, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ liceat auferre eidem sedi, imminuere vel commutare. Facta charta ista sub præsentia domini Guillelmi Auxiensis archiepiscopi, & Ramundi Lectorensis episcopi, Petri prioris, Raymundi Guifredi, Petri Benedicti, Bernardi Attonis, facta & firmata in manu domini Hugonis Cluniacensis abbatis, & Hunaldi Moissiacensis, regnante Philippo Francorum rege.

I X.

Ecclesia B. Mariæ Deauratæ traditur Hugoni abbati Cluniacensi ab Isarno episcopo.

1077. POSTQUAM Dominus noster J. C. alta pietate misertus est generi humano per Incarnationis suæ mysterium, multi patres in ecclesia extiterunt qui toto nisu laboraverunt ut ipsa divina ecclesia floreret religione quorum exemplo provocatus ego Isaarnus Tolosanæ ecclesiæ episcopus qui post tot Dei amicos, dominum scilicet Saturninum, Sylvium quoque & beatæ memoriæ Exuperium, eidem sedi humilis præsideo, quamdam ecclesiam in honore B. Mariæ semper Virginis quæ juris est ecclesiæ meæ, quæque gloriosa esset & venerabilis ab antiquis diebus, meritis ejusdem Virginis, tamen desolata divino cultu erat & Dei servitio. Et idcirco consilio senioris mei domini Guillermi Tolosani comitis & aliorum fidelium..... & præcipue canonicorum, trado, concedo & dono ipsam ecclesiam domino Hugoni abbati Cluniacensi & ejus omnibus successoribus Cluniac. abbatibus, quamdiu ibi religio fuerit in perpetuum, ad hoc videlicet ut monasticus ordo maneat ibi & pro succedente tempore duret. Locum autem ipsum propter quietem habitantium ab omni servitio liberum esse concedo, excepto censu annuali videlicet trium modiorum avenæ & servitio quod Judæus persolvit quantum ad episcopum pertinet pro merito collatæ. Hanc autem chartam facio pro remedio animæ meæ & omnium antecessorum meorum pontificum, & omnium successorum qui firmaverint & custodierint hæc quæ hic scripta sunt, & omnium amicorum meorum vivorum & defunctorum, & præcipue senioris mei Guillermi comitis, qui Tolosanam ecclesiam in quantum potuit de manu inimicorum liberavit. Quicumque autem hæc observaverit quæ hic tenenda mandamus benedicat illum omnipotens Deus & ad dextram suam ponat cum omnibus bonis in die judicii. Qui autem infregerit, donec resipiscat, sciat se esse excommunicatum & anathematisatum maledictionibus multis. Et ut charta rata permaneat, manu propria firmavi & canonicis meis corroborandam tradidi. D. Isaarni episcopi. D. Raymundi episcopi Lectorensis præpositi sancti Stephani. D. Raymondi Petri canonici S. Stephani. D. Petri Amelli prioris ejusdem sedis. D. Petri Borelli. D. Arnaldi Girardi. Facta autem charta anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo septimo, pontificatum Romanæ ecclesiæ tenente Gregorio septimo PP. Francorum autem regnum Philippo rege, dominus Hugo abbas Cluniacensis dictam......

X.

Ecclesia sancti Saturnini abbatibus Cluniacensi & Moissiacensi moderanda committitur ab Isarno episcopo Tolosano. Catel. mem. p. 873 & seq.

IN nomine Dei Patris Omnipotentis & Filii & Spiritus Sancti, in quo quidquid facimus in verbo vel in opere, facere jubemur, & qui totius boni initium est & finis. Ad notitiam præsentium & futurorum scribitur hæc convenientia, quam ego Isarnus Dei gratia Tolosæ episcopus statuo & firmo cum Hunaldo abbate Moyssiacensi de loco sancti Saturnini, quem ego laudo & committo domino Hugoni abbati Cluniacensi & Hunaldo supra scripto abbati, ut ibi domino sub monastica regula omni tempore serviatur. Hoc videlicet pacto quod habendum semper retineo quartam partem omnium oblationum ecclesiæ supradicti martyris, & proprium custodem altaris, & victum ipsius custodis de claustro accipiendum & domum ad opus custodis prope hostium ecclesiæ ad placitum meum. Retineo quoque clavem sepulcri martyris & clavem ante altare sancti Asciscli. Et de omnibus quæ in prædicta ecclesia acquirentur a populo, retineo tertiam partem ad opera ecclesiæ, & tertiam partem episcopi, & unum cubitum candelæ episcopalem, alium præpositi, & alium decani, & alium sacristæ, & alium ad opera ejusdem ecclesiæ & luminaria ad prandium mihi necessaria, quæ ex consuetudine habere soleo, & tota opera fabricæ ecclesiæ supra scriptæ retineo in dominio dum vivo. Post obitum meum convenit inter nos ut medietas operis ipsius ecclesiæ remaneat in potestate sancti Stephani & canonicorum ejusdem sedis. Consummata vero fabrica prædictæ ecclesiæ, medietas omnium oblationum præfatæ ecclesiæ, illarum scilicet rerum quæ consueverunt dividi inter episcopum, & opera & congregationem ejusdem loci, sit sancti Stephani & episcopi ac canonicorum illius sedis. Retineo etiam pastum quem recipere soleo in festo sancti Saturnini sicut constitutum est & tertiam partem omnium rerum quæ pro sepultura mortuorum prædictæ ecclesiæ conferentur vel dabuntur ultra quinque solidos. Retineo similiter mihi dum vixero omnem honorem præposituræ, decaniæ, sacristaniæ; post obitum meum quicquid ex prædictis honoribus solent tenere laïci per manum episcopi, remaneat sancto Saturnino. Retineo & omnes stationes festivitatum, sicut ab antiquitus sunt constitutæ fieri apud sedem. Retineo etiam hoc laudante & conveniente Hunaldo prædicto abbate & congregatione ipsius loci, ut quicumque ex civitate voluerit sepeliri in cemiterio nostræ sedis, sine omni calumnia & contradictione recipiatur ac sepeliatur ibi. Omnia hæc supra scripta ego Isarnus episcopus jam supra nominatus retineo ad opus sancti Stephani nostræ sedis & ad meum opus & canonicorum ejusdem opus & canonicorum

circa 1082.

A ejusdem sedis propter laïcalem fevum superius dixi, ut illa sit sancti Saturnini & ex omnibus istis quæ mihi & sedi meæ atque canonicis meis retineo, convenit inter nos ut nihil umquam impediam neque aliàs transfundam, neque ullam difficultatem immittam contra sedem meam, & canonicos ipsius sedis; similem conventionem facio de omnibus illis quæ remanent juris sancti Saturnini. Propter hoc placitum & propter constitutionem supradicti ordinis quod episcopus prænominatus Isarnus consentit ac permittit institui monasticam regulam in loco sancti Saturnini, ego Guillelmus Tolosanus comes dono & laudo & firmo ipsi episcopo Isarno, ut propter excommunicationem apostolici vel ejus legati nunquam contrapellam illi honorem neque auferam, neque ullam vim inferam, B & propter hoc idem placitum dono & firmo illi ut ab hodierno die de nullo clerico accipiam justitiam, qui habitet in suburbio vel in civitate, postquam coronam habuerit in capite, neque accipiam justitiam de bajulis, neque de servientibus suis qui sunt in civitate vel in burgo. Hæc omnia sicut in hac charta scripta sunt, ita dono ego supradictus comes, & laudo & firmo Deo & sancto Stephano prædictæ sedis & episcopo Isarno prænominato, atque canonicis ejusdem sedis præsentibus & futuris & ut nunquam irrumpere possint, sed semper firma stabilitate teneam & fideliter observem, in nomine sanctæ fidei osculatus sum prædictum episcopum Isarnum & canonicos ejus sedis. Præterea constituimus & perpetua observatione diffinimus ut in prænominato loco sancti Saturnini C nunquam instituatur abbas, sed semper habeat & teneat illum cum priore suo suprascriptus abbas Cluniacensis ac successores ejus per manum episcopi & canonicorum ipsius sedis, exceptis illis quæ superius nominatim expressa retenta sunt ad opus episcopi & canonicorum ejusdem sedis salva authoritate ipsorum. Hoc totum factum est in præsentia Hunaldi suprascripti abbatis, & Arnaldi abbatis sancti Audardi, & Petri prioris sancti Stephani, & Ramundi ejusdem loci canonici, & Petri Benedicti, & Bernardi Benedicti, & Pontii Bernardi de Lavauro, & Isarni Revel, & Pontii Ebrardi.

X I.

Cartul. abb. S. Saturnini. Catel. Comites, pag. 126.

D *Canonici regulares revocantur in Ecclesiam sancti Saturnini, unde ejecti fuerant.*

1083. AGNOSCAT universalis ecclesia Guillelmum Tolosanum pœnitentem de sacrilegio & de invasione ecclesiæ S. Saturnini, necnon & canonicorum regulariter ibi degentium, quod fecit suasu Hunaldi Moysiacensis abbatis nuncupative dicti, videlicet de expulsione canonicorum & introductione monachorum. Namque de hoc tanto & inaudito sacrilegio vehementer redargutus a domino Gregorio papa, sive a Ricardo legato & a Dalmatio Narbonensi archiepiscopo, & Ugone Lugdunensi archiepiscopo & a domino Ugone Cluniacensi abbate & maxime a venerabili Gerardo Caturcensi episcopo, & quod amplius dicam ab omni pene episcoporum & clericorum & E ab utriusque sexus numero, videlicet laïcorum & mulierum, jam dictum Geraldum Caturcensem episcopum accersivit & eos quos turpiter ejecerat revocavit & festivo honore locum quem male surripuerat reddidit. Insuper cogente sæpe dicto episcopo & Petro Carcassensi episcopo & Frotardo S. Pontii abbate egregio, jurejurando firmavit nullo modo deinceps se aggredi locum, nec vi vel dolo expellere canonicos vel introducere monachos, nec cujuspiam assensu aut ejus consilio quamdiu canonici canonice militare Domino ibi studuerint. Firmavit etiam ut quotquot enormes canonici infra claustra manere videntur vel videndi sunt & omnes facultates eorum ubique sub hoc tenore & munimine jusjurandi forent.

Condonavit quoque omnibus tam hominibus quam mulieribus qui ei in tanto facinore, quod in canonicos exercuerat, verbis aut actibus forte restiterant, omnem querimoniam qua eis minabatur & insidiabatur: dedit & omne claustrum libertati, quatenus ibi nec ipse nec uxor sua, aut aliquis filius suus, aut persona sibi subjecta ulterius præsumat quempiam invadere, aut quidquam inde male subripere: honorem vero quem nunc ecclesia possidet vel in futuro annuente domino possessura est, eodem juramento munivit: & quæcumque in eo reperiri poterint illabata manere tam a se quam a personis sibi subjectis. Si autem quispiam obcæcatus avaritia vel superbia quicquam damni ibi intulerit, ei occurrere & occurrendo resistere & resistendo damnum in quantum potuerit prohibere juravit. Cartam etiam quam injuste fecerat cum Ysarno episcopo de ecclesia sancti Saturnini præfato Hunaldo usurpative abbati omnibus modis damnat & falsam esse testatur. Hæc igitur scripta prædictus comes fieri jussit & facta firmavit favente Geraldo Caturcense episcopo & Petro episcopo Carcassense, necnon Frotardo abbate S. Pontii regnante Philippo rege Francorum, anno millesimo octuagesimo tertio, Dominicæ Incarnationis indict. VI, X calendas Augusti. Signum Guillelmi comitis & signum Emmæ uxoris suæ. Signum Geraldi Caturcensis episcopi. Signum Petri Carcassensis episcopi. Signum Frotardi abbatis sancti Pontii. Signum Ysarni vicecomitis sancti Antonini. Signum Frotardi fratris ejus. Signum Aimerici *de Ariphat*. Signum Bernardi Raimundi de Tolosa. Signum Sancii vicecomitis de la Barta. Signum Arnaldi Pontii *de Mur*. Signum Guillelmi *de Biron*. Signum Arnaldi Otonis. Signum Pontii Bernardi. Signum Guillelmi Arnaldi. Signum Borelli Grimaldi. Signum Guillelmi Bernardi. Sign. Bernardi Jaldoni. Signum Bernardi *Aimon*. Signum Vitalis Avergarii. Signum Oalrici Caraboda. Signum Petri *Radiu*. Signum Constantini. Signum Arnaldi Pontii Gilardi qui cartulam scripsit.

X I I.

Monasterio S. Pontii Tomeriensis ecclesia S. Elani ab Isarno episcopo Tolosano donatur.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, Ego Isarnus gratia Dei Tolosanus episcopus, & fratres mei Bernardus Guillelmi & Petrus Guillelmi, & nepotes mei Raimundus Atonis, Pontius Atonis, Guillelmus Berengarii & Raymundus Berengarii, una cum consilio, voluntate & suggestione domini Bernardi Bonifilii, & fratrum ejus, scilicet Guillelmi Arsini, Raymundi Guillelmi, Petri Guillelmi, Bernardi, Berengarii & Galterii; sed & domnæ matris eorum Ermengardis, memores verborum Domini, quibus ipse dicit: *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis;* & quia debet felicitas hominis beneficiis respondere Creatoris, voluntario animo & amplo corde donamus ecclesiam S. Elani, quæ est sita in pago Tolosano secus litus Agoti fluvii, cum omni jure ecclesiastico Domino Deo, & S. Dei genitrici Mariæ sanctoque martyri Pontio, & abbati Frotardo Tomeriensis cœnobii, quod est situm in pago Narbonensi, seu successoribus ejus, necnon & monachis ejusdem cœnobii tam præsentibus quam futuris. Hoc autem donum facimus propter remedium animarum nostrarum ceu parentum nostrorum fidelium, qui jam ex hoc sæculo migraverunt vel migraturi sunt, ut Deus misereatur illis & nobis: in tali vero ratione facimus hanc donationem nos suprascripti, quatenus præfatam ecclesiam sancti Elani, quæ olim a fidelibus fuit constructa, & nunc per negligentiam destructa est, restauretur juxta castrum quod est situm in allodio sancti Elani & in parochia ejusdem ecclesiæ, & cum ipsa ecclesia sancti Elani donamus nos, 1098.

scilicet ego Bernardus Boni-filii, & fratres mei, una A cum matre nostra, condaminam quæ est foris vallos ejusdem castri, & tenet usque ad stratam publicam quæ ducit ad ecclesiam antiquam sancti Elani & descendit ab ipsa strata terminus ejusdem condaminæ, per fontem de Rocabrauda usque ad fluvium qui dicitur *Agotus*, ad proprium allodium ut ibi fiat ecclesia & villa ad honorem Dei genitricis Mariæ ac S. Elani, cui etiam ecclesiæ donamus tertiam partem de decimo, scilicet de Blado & vino, quæ pertinet ad ecclesiam S. Elani una cum primitiis & oblationibus, & cimeteriis, & cum omni fevo ecclesiastico, & totum carnage, & decimum lanæ & lini, & decimas de molinis, tam de nostris quam de alienis, qui nunc sunt vel in antea erunt, & totum decimum de piscibus qui capti fuerint, tam in nostris piscatoriis quam in B alienis qui nunc sunt vel in antea erunt, sicuti est terminus de allodio sancti Elani. Donamus etiam mansiles qui sunt sub fonte Rocabrauda, & omnes furnos qui nunc sunt vel in antea erunt in supradicto castro & villa, & in tota parochia sancti Elani, & terras ad unum par boum, quantum arare potuerint ad unumquemque annum ad proprium allodium; & ego Guilabertus Gausfredi, una cum filiis meis Gaufredo & Isarno, dono Deo & sanctis prædictis, & præfato abbati & monachis, totam quartam partem decimæ quam habebam in ipsa ecclesia, exceptis duabus partibus panis & vini de ipsa quarta parte, & lanam & linum, & carnage totum. Hæc omnia supradicta, scilicet ecclesiam S. Elani, cum condamina & villa quæ ibi est vel in antea fuerit, & tertiam C partem decimæ panis & vini, & in domino omnes primitias & oblationes cum cimiteriis, & totum fevum ecclesiasticum, & totum carnage, & totum decimum lanæ & lini, & decimas de molinis tam de nostris vel de alienis quæ nunc sunt vel in antea erunt, & totum decimum de piscibus qui capti fuerint tam in nostris piscatoriis quam in alienis qui nunc sunt vel erunt, & mansiles qui sunt sub fonte de Rocabrauda, & omnes furnos qui nunc sunt vel erunt in supradicto castro qui dicitur *Lavaur*, vel villa sive in tota parochia sancti Elani, & terras ad unum par boum, quantum arare potuerint ad unumquemque annum, nos suprascripti donatores donamus Deo, & sanctæ Mariæ sanctoque Pontio, & abbati Frotardo seu successoribus ejus, ac monachis Tomeriensis cœnobii D tam præsentibus quam futuris, ad proprium allodium jure perpetuo. Scripta charta hujus donationis, anno Domini M. XCVIII, feria quinta mensis Augusti, regnante Philippo rege. Ego ISARNUS episcopus hanc donationem facio & hoc signo confirmo. Sign. Bernardi Guillelmi. Signum Petri Guillelmi. Signum Raymundi Atto. Sign. Pontii Atto. Sign. Guillelmi *Berenger*. Sign. Raymundi *Berenger*. Sign. Bernardi Boni-filii, Ermengardæ matris suæ. Sign. Gausfredi de monte Orsiniano qui hanc cartam scripsit.

X I I I.

Literæ Paschalis II in gratiam Deauratæ.

1105. PASCHALIS episcopus servus servorum Dei, E venerabili fratri Hugoni Cluniacensi abbati salutem & apostolicam benedictionem. Prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Urbani II, literis novimus monasterio sanctæ Mariæ, quod apud urbem Tolosæ situm est, & sub jure vestri cœnobii Cluniacensis continetur, cœmeterium fuisse concessum, quod etiam ejusdem civitatis episcopo consecrandum eisdem mandavit apicibus: & nos ergo juxta tuæ religionis petitionem ipsius prædecessoris nostri constituta servantes, supradicto beatæ Mariæ monasterio habendum perpetuo cœmeterium confirmamus. Et ad æmulorum injurias propulsandas præsenti decreto statuimus, ut si qua secularium personarum apud idem cœnobium sepeliri desideraverit, nullius prohibeatur obstaculo, nisi forte excommunicationis vinculo fuerit innodatus. Possessiones autem eidem monasterio pertinentes, quæ in præsentiarum a quibusdam secularis conversationis clericis detinentur, jubemus defunctis eis in usus monachorum regulariter viventium redigendas. Præterea quidquid legitima possessione supradictum monasterium possidet, vel in futurum juste & canonice largiente domino possidere contigerit, firmum semper illibatumque servetur, nec liceat alicui locum ipsum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis autem decreti hujusmodi tenore cognito contraire tentaverit, nisi Deo & ecclesiæ fratribus canonice monitus satisfecerit, se Omnipotentis Dei & B. Petri Apostolorum principis indignatione plectendum, & mucrone S. Spiritus feriendum sciat. Quicumque vero idem monasterium & in eo Domino servientes favore, suisque rebus honorare curaverint, Omnipotentis Dei & Apostolorum ejus gratiam consequantur. Datum Laterani septimo idus Novemb. per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis & bibliothecarii, indictione tertia decima, Incarnationis Dominicæ anno M. CV, pontificatus autem domini Paschalis secundi papæ VII.

X I V.

Restitutio B. Mariæ Dealbatæ facta monasterio B. Mariæ Deauratæ cujus juris erat.

NOTUM sit tam præsentibus quam futuris quod 1110. ego Geraldus servus & minister hospitalis consilio fratrum nostrorum dimisi & reddidi ecclesiam B. Mariæ Dealbatæ & omnia quæ ad eam pertinent Deo & B. Mariæ Deauratæ cujus juris eam cognoscebam, & domino Pontio abbati Cluniacensi, & Ausquilino abbati Moissiacensi & omnibus successoribus eorum in perpetuum. Hoc factum est consilio & voluntate Amelii episcopi Tolosani & canonicorum ecclesiæ sancti Stephani Arnaldi Raimundi præpositi, Aicardi Willelmi, Bertranni archidiaconorum, & aliorum qui ibi aderant. Facta sunt hæc in claustro sancti Saturnini coram multis testibus, Hugone videlicet de Conchis, Raymundo Bernardi, Raymundo Guillelmi, Arnaldo de Duroforti monachis, Oddone abbate Lezatensi, Radulfo priore S. Mariæ, Hugone subpriore, Helia Moissiacensi sacrista, Arnaldo Guillelmi operario, Archambaldo Armario Cluniacensibus, Arpino de Bituricis, Hugone Gerentone, Petro Armario. Petrus modo scripsit.

X V.

Amelii Tolosani episcopi carta de restitutione ecclesiæ S. Columbæ facta Cluniacensi monasterio.

Ex archivis Moissac. & schedis Colbertinis.

EGO AMELIUS Dei gratia Tolosanus episcopus 1110. recognoscens ecclesiam S. Columbæ, quæ in Tolosano sita est, in territorio Cercorbensi juxta fluvium Hert, juris esse sancti Petri Cluniacensis, in manu domni PONCII abbatis ipsam ecclesiam sanctæ Columbæ cum ecclesiis ad eam pertinentibus Cluniaco restitui, salva reverentia Tolosanæ ecclesiæ. Hoc autem feci pro multa multumque cara dilectione, quæ inter nostros majores & Cluniacenses patres ab olim usque nunc conservatur, & pro sincera veraque germana amicitia, quam cum prædicto abbati specialiter habeo & habere semper curabo, & ut particeps esse merear Cluniacensis fraternitatis in cunctis benefactis eorum. In quo bono omnes legitimos successores meos, qui hoc factum & hanc cartam laudaverunt participes esse volo & oro. Hoc factum laudaverunt canonici

nostri Tolosanæ sedis Arnaldus præpositus & Arnaldus Willelmus archipresbyter cum ceteris. Vicecómes quoque BERNARDUS ATONI ipsam ecclesiam cum suis pertinentiis reddidit, & novam inde donationem fecit Cluniaco in manu nostra & in manu prædicti abbatis, quantum ad ipsum pertinere poterat, concedens, ut quicumque feudalium suorum de bonis prædictæ ecclesiæ sanctæ Columbæ aliquid possidebat, se volente restitueret; sed & frater meus PETRUS RAIMUNDUS & uxor ejus ADELA, quæ prædicti abbatis soror erat, quidquid de bonis ecclesiæ habebant, reddiderunt gratis, simulque filium suum pulcrum Willelmum nomine in Cluniaco futurum monachum donaverunt. S. Amelii Tolosani episcopi, qui ecclesiam sanctæ Columbæ cum pertinentiis suis Cluniacensibus redonavit & laudavit, & cartam istam inde firmavit. S. Raymundi Ausciorum archiepiscopi ..... ad utramque donationem episcopi scilicet & vicecomitis præsens fuit. S. Arnaldi Raimundi præpositi. S. Arnaldi Willelmi archipresbyteri. S. Isarni Frigdilensis prioris. S. Willelmi capellani. S. Bernardi Atonis vicecomitis. S. Bertrandi de Villamodi. Porro alii quam plures monachi & clerici & milites exstiterunt testes. Actum apud sanctam Eulaliam prope Carcassonam in manu domni Poncii Cluniacensis abbatis, anno ab Incarnatione Domini M. CX, sub domno Pascali papa II, regnante Ludovico rege Francorum. Albertus Teutonicus rogatus scripsit.

XVI.

Prima donatio facta Grandi-silvæ.

1118. IN nomine Domini. Notum sit omnibus hominibus, quod anno Incarnationis M. CXVII, regnante Ludovico rege Francorum, ego *Olivers de Bessens* & ego Algardis uxor ejus per nos & per omnes successores nostros bona fide & absque omni dolo pro salute animarum nostrarum donamus & concedimus in perpetuum sine omni retinemento Domino Deo & beatæ Mariæ Grandis-silvæ & tibi Geraldo de Salis & fratribus ejusdem loci tam futuris quam præsentibus quandam partem de Grandi-silva, ut habeatis & possideatis libere & quiete jure perpetuo. Testes sunt hujus rei Petrus sacerdos de Riquersila, Raimundus & Pontius de Tocula, & Vitalis de *Riveres*. Facta fuit hæc charta in mense Januario.

XVII.

Carta fundationis incliti monasterii Grandis-silvæ.

1118. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus filiis catholicæ matris ecclesiæ tam futuris quam præsentibus, quod ego Amelius Dei gratia Tholosanæ sedis episcopus consilio clericorum meorum, religiosissimo magistro Geraldo de Salis ejusque discipulis concedo & episcopali auctoritate firmo quidquid ipsi a fidelibus Dei acquisierunt & deinceps acquirere poterunt, Grandis-silvæ, Figaredæ, Gaudanvillæ, Richerii cellæ, Pulchri montis, Boilaci, sancti Germani, quæ loca sita sunt inter quatuor ecclesias, videlicet Richercellam, Pulchrum montem, ac Boilacum, & sanctum Germanum. Concedimus etiam eis quidquid acquisierint vel acquirere poterunt in prædictorum vicinia locorum, ad hoc quidem ut ad honorem Dei & Virginis Mariæ & sanctæ Mariæ Magdalenæ ecclesiam & mansiones ibi ædificent: & præcipientes præcipimus ut de omni proprio labore suo quem in locis supradictis fecerint nulla qualiscunque persona decimas, nec primitias exigere audeat, quam concessionem hac conditione facimus, ut ad honorem Dei regulam beati Benedicti teneant more Cisterciensium qui laudabiliter eam custodiunt. Cunctis autem qui personis ibi Deo servientibus justa servaverint, ex parte Dei & nostra pax, benedictio, peccatorum remissio, si quis autem contra hujus decreti nostri auctoritatem aliquam invasionem & molestiam, quæcunque persona sit, eis inferre præsumpserit, ex parte Dei, & beati Petri, & nostra ab omni communione fidelium eum prohibemus & sequestramus, donec ad plenariam veniat satisfactionem. Ut ergo rata & inconvulsa maneat hæc nostra concessio sigillo nostro eam firmare decrevimus. Datum 5.° idus .... anno Domini M. CXVII.

XVIII.

Amelius episcopus consentit ut ecclesia de Bragerac *subdatur abbatiæ Fontebraldensi.*

EGO AIMERICUS ecclesiæ B. Mariæ *de Bragerac* humilis prior, & fratres nobis a Deo commissi, notum fieri volumus quod ecclesiam S. Dei genitricis Mariæ, quæ in loco qui *Bragerac* dicitur sita est, pari voto & communi fratrum nostrorum totius capituli nostri assensu, cum omnibus pertinentiis suis mobilibus & immobilibus, quæsitis & acquirendis, ecclesiæ B. Mariæ *de Fontebraut* & sanctimonialibus quæ ibidem Domino Deo deserviunt, quiete & pacifice perpetuo possidendam concessimus. Hoc autem donum ego Aimericus prior unus pro omnibus in ecclesia nostra feci, in manu P. venerabilis Fontebraldensis abbatissæ, assensu & concessione domini AMELII venerabilis Tolosanæ ecclesiæ episcopi; in cujus ditione ecclesia S. Mariæ *de Bragerac* sita est. Præterea ego Aimericus prior, & alii fratres nostri, nosmetipsos consilio sancti Spiritus, & prædicti nostri episcopi sub obedientia præfatæ abbatissæ, & aliarum sibi succedentium in sancta religione Deo, & sanctimonialibus ecclesiæ Fontebrald. ex arbitrio abbatissæ perpetuo servituros promisimus, & ut nostri successores hoc idem teneant firmum, stabili decreto sancimus, &c. Huic nostræ donationi interfuerunt fratres nostri Arnaudus de Petragoris, Petrus de Salis, Bernardus Raimundi, Giraldus *de Groler*, Gautinuandus, Bernardus de Podio, & omnes alii. Interfuerunt etiam Willelmus Lecturiensis episcopus, Beatrix vicecomitissa de Lomagnia, Arnaudus Arramundi *de Boirel*, Ugo *de Messones*, & alii plures. Ex parte abbatissæ Fulco de Cocei, Sainfredus de Lineriis, Raginaudus de Meduana, Joscelinus de Tucio prior presbyteri, & Gaufridus de Cleja. De sanctimonialibus adfuerunt Richildis de Meduana, Haoisa. Præterea memoriæ tam præsentium quam futurorum tradere curavimus; quod omnes chartas in quibus dona nobis & ecclesiæ nostræ facta continebantur prædictæ abbatissæ reddidimus. Ego Aimericus prior *de Brajerac* propria manu subscripsi, &c. Actum in ecclesia sanctæ Mariæ *de Brajerac*, anno ab Incarnatione M. CXXII, Calixto papa Romanam ecclesiam gubernante, Amelio episcopo Tolosanæ ecclesiæ præsidente, Ludovico Francorum rege regnante, Willelmo duce Aquitaniæ, Hildefonso comite Tolosanorum. 1122.

XIX.

Donatio Pontis Garumnæ.

Ex Apographo.

circa 1125.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Ildefonsus comes Tolosæ, dux Narbonæ, marchio Provinciæ, do & concedo Deo & beatæ Mariæ Fabricatæ, & Raimundo priori & omnibus senioribus ejusdem loci præsentibus & futuris. Necnon & abbatibus Cluniacensi & Moysiacensi, & sancto Stephano protomartiri, & sancto Saturnino & omnibus hominibus Tolosæ, tam burgi quam civitatis, ut faciant & habeant in perpetuum, pontem qualem voluerint &

& ubi voluerint inter hospitale beatæ Mariæ & vivarios; hic pons erit liber, ut nunquam aliquis ibi per vim aliquid quærat & accipiat præter quod quisque sponte & pro Dei amore dare ibi voluerit. Si quis vero contra hoc donum & stabilitatem ire præsumserit, prædictus comes & successores ejus debent eos tueri & de totis amparatoribus perpetuo defendere. Et seniores beatæ Mariæ cantabunt in conventu semel in anno officium & missam pro anima patris sui & parentum suorum, ut Deus concedat illis requiem sempiternam, & pro ipso comite dum vixerit orationem, ut Deus dimittat ei peccata sua, & det ei finem bonum & perseverantiam. AMEN. S. Ugonis prioris Claustrensis. S. Sancii eleemosinarii. S. Petri cellerarii. S. Petri de Roca maura. S. Ugonis sacristæ. Laicorum Dodonis de Caumonte. Stephani Caraborde. Ademari Caraborde. Belengarii. Bonimancipii Mauranni. Bernardi Raimundi baptizati. Arnaldi Guillelmi de Claustro. Radulfi vicarii. Arnaldi Guileberti & Petri filii sui Augerii. Arnaldi Geraldi. Bernardi de sancto Martino. S. etiam Pilistorti & fratrum suorum. Bernardi Raimundi & Petri Guillelmi qui in præsentia & omnium adsistentium hoc donum & hanc libertatem fecerunt & laudaverunt. Amen. Ricardus scripsit.

XX.

Donatio facta sancto Petro de Curia seu de Mauso-garnerii.

1130. IN Dei nomine. Ego Guillelmus *de Bessengs* & Maria uxor mea donamus Deo & S. Petro de Curia & abbati & monachis ibidem Deo servientibus tam præsentibus quam futuris quartam partem ecclesiæ *de Vivers* & quartam partem ecclesiæ sancti Saturnini de Riquersela cum pertinentiis suis, & propter hoc abbas & conventus dicti loci fecerunt monachum filium meum Odonem. Actum est hoc v nonas Maii in festo Inventionis S. Crucis, Ludovico Francorum rege regnante, Alfonso Tolosæ comite & Amelio Tolosanæ sedis episcopo præsidente.

XXI.

Grandis-silva subjecta monasterio Caduini.

1133. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Tolosano episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Cum omnium virtutum stabilitas & fundamentum sit obedientia, patet profecto quoniam quasi ariolandi peccatum est repugnare & velut scelus idolatriæ repugnare & nolle acquiescere. Adversus abbatem & fratres de Grandi-silva gravem querelam accepimus quod Cadunensi ecclesiæ subjectionem & debitam subtrahant obedientiam. Quod si verum est, per apostolica tibi scripta mandamus atque præcipimus quatenus ipsos ad obedientiam præfatæ ecclesiæ redire districte commoneas. Si vero te audire noluerint, de ipsis tanquam inobedientibus plenam justitiam facias. Datum Laterani 13 calend. Junii.

XXII.

Ildefonsus comes Tolosanus ecclesiæ S. Stephani pessimam dimittit consuetudinem.

1138. EGO ILDEFONSUS per Dei gratiam comes Tolosanus, dux Narbonæ & marchio Provinciæ, amore Dei & Virginis Mariæ, & amore gloriosissimi Stephani & omnium Sanctorum Dei, & pro redemptione omnium peccatorum meorum & omnium parentum meorum, consilio multorum virorum qui ibi mecum erant, derelinquo & absolvo coram populo Tolosano, illam pessimam consuetudinem quam

antecessores mei in rebus Tolosani episcopi defuncti eodem episcopo per violentiam exigebant, illam supradictam consuetudinem derelinquo Domino Deo, & pretiosissimo martyri Stephano & Tolosano episcopo ejusque successoribus, & præposito & canonicis in ecclesia sancti Stephani modo manentibus & futuris: Hoc donum factum fuit in ecclesia sancti Stephani, die Dominica ad missam matutinalem, in præsentia Bernardi Convenarum comitis, Sicardi de Lauraco & Raimundi Atonis de Altaripa; & in præsentia Rogerii Fuxensis comitis, Galterii vicecomitis de Terrida, & Bernardi de Monte-alto: anno ab Incarnatione 1138. Signum BERNARDUS S. Stephani præpositus, Maurinus archidiaconus, Magister Ricardus, & Bernardus de Justigniaco archidiaconus.

XXIII.

Ratihabitio transactionis super ecclesia S. Mariæ Dealbatæ initæ.

SANCTISSIMO ac venerabili R. Dei gratia Tolosano episcopo Guiscardus Aymerici eadem gratia dictus prior sancti Egidii & Hospitalariorum minister salutem. Parvitati nostræ significavit litteris vestris vestra diligens prudentia transactionem factam esse inter Guillelmum priorem ecclesiæ S. Mariæ & fratres ejusdem ecclesiæ, & Bernardum fratrem nostrum rectorem Tolosanæ ecclesiæ sancti Remigii ejusque fratres super ecclesia S. Mariæ quæ dicitur *Dealbata* & aliis quibusdam, quod cum audivimus placuit & placet, eamque transactionem ratam habuimus & habemus, & eamdem confirmamus autoritate & consilio nostri communis capituli & proprii sigilli impressione. 1140.

XXIV.

Confirmatio possessionum Grandis-silvæ.

INNOCENTIUS servus servorum Dei dilectis filiis Bertrando abbati monasterii Grandis-silvæ ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in P. P. M. apostolici moderaminis clementiæ convenit religiosos diligere & eorum loca pia protectione munire. Dignum namque & honestati conveniens esse cognoscitur ut qui ad ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur & apostolicæ sedis patrocinio foveamus. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ monasterium, quod in Tolosano episcopatu situm est, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut ordo monasticus secundum beati Benedicti regulam & institutionem fratrum Cisterciensium perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum scilicet Grandem-silvam, cum omnibus quæ ad ipsum pertinent, qui locus infra has quatuor ecclesias videlicet Riclercellam, Pulchrum-montem, Bolliacum, & sanctum Germanum, situs est. Grangiam *de Cobirac*, grangiam *de Combaroger*. Et ultra fluvium Garonnæ grangiam *de Baniols*, grangiam de Lasela. In alio loco sub castro *de Caraman* grangiam *de Salet*. Præterea in pago Narbonensi locum Fontisfrigidi cum decimis & primitiis & omnibus pertinentiis suis, quem AIMERICUS vicecomes Narbonensis ad ædificandam 1142.

ibi abbatiam pro redemptione animæ suæ prædicto A abbati & fratribus in perpetuum contulit. In pago Petragoricensi locum *de Scenzalas* cum decimis & primitiis & omnibus quæ ad eum pertinent, sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus vel laicus decimas a vobis exigere præsumat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur; sed liceat vobis communi concilio vel parti concilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam absque ullius contradictione abbatem eligere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, B seu aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & C apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ ecclesiæ episcopus. ✠ Ego Gregorius Gerardus. ✠ Ego Conradus Sabiniensis episcopus, diaconus cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi. ✠ Ego Albericus Hostiensis episc. ✠ Ego Guido diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani. ✠ Ego Guido sanctæ Romanæ ecclesiæ indignus sacerdos. ✠ Ego Gerardus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Dominica. ✠ Ego Octavianus diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere. ✠ Ego Guido sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis. ✠ Goizo presbyter cardinalis tituli sanctæ Ceciliæ.

Datum Laterani per manum Gerardi sanctæ Ro- D manæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & bibliothecarii, kalendis Aprilis indictione quinta, Incarnationis dominicæ anno M. CXLII, pontificatus vero domini Innocentii II anno XIII.

XXV.

Privilegium Innocentii II pro ecclesia S. Stephani.

1142. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Raimundo Tolosano episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio, fratres nostros tam vicinos quam longe positos debemus diligere, & ecclesiis in quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam conservare: ea propter E venerabilis frater, Raimunde episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Tolosanam B. protomartyris Stephani ecclesiam, cui Deo authore præesse dignosceris sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona impræsentiarum juste & canonice possides, aut in futurum rationabilibus modis, Deo propitio poteris adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Præterea apostolica authoritate interdicimus ut nullus laïcus sive clericus in tuo vel tuorum successorum obitu episcopalia bona pervadat aut res ecclesiasticas distrahat, sed ad opus ecclesiæ & episcopi substituendi in œconomi & archidiaconorum maneant potestate: prohibemus etiam ut eadem bona sine tuo vel successorum consilio, vel sanioris partis capituli ipsius ecclesiæ nullus vendere vel impignorare, seu quolibet modo alienare præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, &c. Ego Innocentius Catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi, ego Conradus Sabinensis episcopus, ego Stephanus Prænestinus episcopus, Himinarius Tusculanus episcopus, Guido S. Romanæ ecclesiæ indignus sacerdos, Martinus presbyter cardin. tit. S. Pastoris, Goizo presbyter cardin. tit. S. Ceciliæ, Gregorius diaconus cardin. S. Sergii & Bacchi, Oto diaconus cardin. S. Georgii ad Velum aureum, Guido diaconus cardin. SS. Cosmæ & Damiani, Geraldus diaconus cardin. S. Mariæ in Dominica, Octavianus diaconus cardin. S. Nicolai in carcere, Petrus cardin. sanctæ Mariæ in Porticu, Nicolaus diaconus cardin. sanctæ Romanæ ecclesiæ. Datum Laterani per manum Geraldi S. Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, XIII cal. maii, indict. V, Incarnationis M. CXLII, pontificatus vero Innocentii II papæ anno tertio decimo.

XXVI.

Rogerius de Noër *Convenarum episcopus, dat Raymundo episcopo & ecclesiæ Tolosanæ sancti Stephani, ecclesiam S. Martini* de Noër. *Ex cartario S. Stephani Tolosani.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Rogerius *de Noër* Convenarum episcopus, & frater 1143. meus Bernardus *de Montalt* & uxor ejus *Dias*, & filii eorum Arnaldus-Poncius, Gualterius & Isarnus, pro remissione omnium peccatorum nostrorum donamus Deo & S. Stephano, & Raymundo episcopo & Bernardo præposito, & omnibus canonicis ibi modo manentibus & futuris, ecclesiam S. Martini *de Noër*, cum omnibus suis pertinentiis, cum decimis & præmitiis, cum altaris oblationibus & cum omnibus ecclesiasticis, ita totum & ab integrum donamus, sic melius nos & parentes nostri tenuimus & habuimus, tali enim conditione ut canonicus sancti Stephani qui ibi fuerit non inde proteratur nisi rebellis fuerit & inobediens. Dono insuper ego Bernardus *de Montalt* Domino Deo & protomartyri Stephano cum supradicto honore filium meum Odonem ad canonicum. Promittimus etiam legalem guirentiam facere de totis amparatoribus sine inganno. Si quis autem temerario ausu hanc nostram donationem infringere voluerit, cum Datan & Abiron in inferno sepeliatur. Facta carta mense Augusto, feria quinta, regnante Lodovico rege Francorum, & Ildefonso Tolosano comite, anno Dominico M. CXLIII. Hæc supradicta donatio fuit facta in capitulo sancti Stephani, præsente domino Raymundo Tolosano episcopo, & Rogerio Convenarum episcopo, & Petro Coseranico episcopo, & Bernardo præposito, & universo conventu ejusdem ecclesiæ. Sigillum Maurini archidiac. sigillum Augerii archidiaconi, sigillum Bernaldi Arnaldi de Capite-pontis, sigillum Bernardi *de Montalt* & Arnaldi Poncii filii ejus, sigillum Petri de Buraco, & Guillelmus *d'Ex*.

XXVII.

Carta Pelagoz *de Bono-repauso pro fratribus Casæ-Dei habitantibus Goionem.* *Ex autograph. Gimonti.*

NOTUM sit omnibus quod *Pelagoz* de Bono- 1154. repauso . . . . . & Sancius frater ejus dederunt Deo & fratribus Casæ-Dei habitantibus Goio,

præsentibus & futuris in perpetuum liberum pastum cunctis animalibus suis, quod vulgo dicitur *Expleta* sive *Padoentia* per totam terram suam, herbas videlicet, folia, aquas & ligna, & cætera nutrimenta suis animalibus & propriis usibus necessaria: hoc donum & datum & acceptum fuit in villa *de Fonzorbas*, anno M. CLIV Incarnati verbi. Testes hujus donationis sunt Arnaldus de Podio Siora, & Bernardus-Willelmus de Monte-acuto, & Raimundus-Odo *de Fonzorbas*, & Amardus-Arsivus de Oratorio, regnante Ludovico rege Franc. & R. comite Tolos. & R. existente episcopo apud Tolosam.

XXVIII.

Ex autograp. Gemund.

Carta Indiæ de Bono-Repauso pro fratribus Casæ-Dei.

1155. CERTUM sit præsentibus & futuris quod India comitissa de Bono-Repauso pro anima viri sui & filii, & *Pelagoz* filius ejus, dederunt Deo & sanctæ Mariæ, & fratribus Casæ-Dei habitantibus Goio, nemus quod vulgo dicitur Boscum rivo illorum continuum a rivo videlicet usque ad Serram, & a via quæ ducit de Pelamenig ad S. Mariam Ermam & usque ad pontem qui est inter domum de Goio & dominas, & inde in directum usque ad Serram; hoc dederunt mater & filius pro anima Garciæ Sancii & exequiis quibus honorifice prædicti fratres eum sepelierunt. Hoc donum factum est & confirmatum fuit in die depositionis ejusdem audiente & vidente clero & populo qui præsentibus exequiis assistebant, anno M. CLV, regnante Ludovico rege Francorum, & R. existente comite Tolosano, & R. episcopo. Iterum confirmaverunt mater & filius hanc donationem in manu Willelmi archiepiscopi Auxiensis, & Romanæ ecclesiæ legati: testes hujus confirmationis sunt magister G. capellanus archiepiscopi, & W. de Insulo, Hyspanus *de Lambes*, Willemus Vitalis de Andulfi villa, & Bonetus de Bono-Repauso. Hoc totum postea concessit libere & voluntaria Genesia uxor Willelmi Garciæ de Orbecano, fratribus de Goio coram matre sua & fratre suo: testes sunt Vitalis canonicus & Willelmus de Monte-acuto, & plures alii; hoc prædictum nemus ita fideliter datum est fratribus ut si vellent excolerent illud & in campum redigerent. Anno M. CLV, feria quinta.

XXIX.

Canonici S. Stephani ab episcopo donum accipiunt.

1163. NOTUM sit quod ego Bernardus Bonus homo Tolosanus episcopus, mea propria ac spontanea voluntate dono ecclesiæ S. Stephani Tolosæ sedis, & omnibus canonicis in eadem ecclesia manentibus, præsentibus atque futuris, totum illud decimum quod ego habebam vel tenebam in honore Montarsini *d'Escalquens*, qui honor est apud *Castanet*, , inter flumen Ircii & stratam Franciscam, quod decimum mihi Montarsinus dederat in omni suo honore culto & heremo, quem habebat in aliquo de flumine Ircii, usque ad stratam Franciscam; & de honore episcopi de Puychano, usque ad honorem Audivillæ, & hoc decimum totum sicut Montarsinus melius illud habebat vel tenebat in terris cultis, & habere debebat eodem pacto in terris heremi cum erunt cultæ, dono illud decimum totum libere ecclesiæ sancti Stephani, & omnibus in eadem ecclesia habitantibus vel habitaturis. Facta charta hujus donationis mense Martii, feria sexta, Lodoico rege Francorum regnante, & Raimundo Tolosano comite, & eodem episcopo prædicto, an. ab Incarnat. M. CLXIII. Hujus donationis sunt testes Maurinus archidiaconus, Bernardus de Gradaco ejusdem episcopi bajulus, Guillelmus

A *Capiscol* cellerarius ecclesiæ sancti Stephani, Petrus Raimundus de Montibus, Raimundus Arnaldus de Rivis, & Stephanus qui cartam istam mandato ipsius episcopi scripsit.

XXX.

Donatio facta Manso Garnerii.

NOTUM sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego N. *de Vivers* & filii mei pro remedio animarum nostrarum, donamus Deo & S. Petro de Curte seu Manso Garnerii in manu domni Odonis abbatis, omnem honorem quem habemus in ecclesia de Riquersala in decimis, primitiis & aliis pertinentiis, & propter hunc honorem fuit monachatus Arnaldus *de Vivers* filius meus. Factum est hoc anno Incarnationis Domini M. CLXIII. 1163.

B

XXXI.

Epistola Ludovici VII regis ad papam in Tolosatum gratiam.

SANCTISSIMO patri & domino Alexandro Dei gratia summo pontifici, Ludovicus eadem gratia Franc. rex, salutem & debitam reverentiam. Tenet in memoria celsitudo vestra, quomodo dileximus vos, & sicut patri servivimus vobis, & nos & regnum nostrum. De regno nostro est Tolosa, & eam civitatem specialiter diligimus, & cives qui vestræ districtionis mandato tenentur interdicti, & tamen non in regno sed in imperio commissum est, pro quo factum est interdictum. Ipsa quidem civitas innocens est, & vestræ sanctitati obediens, & villæ episcopus a domino Narbonensi consecratus. Itaque deprecamur mansuetudinem vestram, ut laxetis interdictum istud, & nostram hanc precem admittere non dedignemini, in quo nobis honor magnus erit, & vobis gratias magnas habebimus. Vale. 1164.

C

XXXII.

Hugo abbas S. Saturnini dat terram de Liran *Petro Vitali ad feodum.*

D SCIENDUM est quod Hugo abbas S. Saturnini dedi ad feodum Petro Vitali de sancto Georgio & ejus ordinio terram *de Liran* quæ vocatur, sicuti melius habuit & tenuit eam Vitalis Gaidanus pater suus tali convenientia ut reddat inde prædictus Petrus Vitalis vel suus ordinator tasquam & decimam prædicto abbati vel suo bajulo, & medietatem de nucibus. Ista prædicta terra habet adjacentias ex una parte Garumnam mortuam, & ex alia parte alodium sancti Georgii de isto prædicto feudo. Si voluerit vendere vel impignorare prædictus feudatarius, reddat de unoquoque solido venditionis unum denarium, & de unoquoque solido impignorationis unum obolum & reacaptationem, quando evenerit, sex denarios, & prædictus abbas debet facere garentiam ex parte dominationis de prædicta terra Petro Vitali & ejus ordinio de omnibus amparatoribus. Facta carta mense Aprili, feria sexta, regnante Lodoico Francorum rege, Raymundo Tolosano comite, Geraldo episcopo, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quinto. Hujus rei sunt testes Willelmus Borrelli & Raymundus *Darborenes*, & Petrus de Monte qui hoc scripsit. De clamore prædicti feudatarii fidem habet prædictus abbas, vel suus bajulus, & quatuor denarios justitiam, si juste inculpabitur feudatarius. 1165.

E

XXXIII.

Ex autograp. Grandi.

Carta Petri de Sayla qua donat Gaudionæ priorissæ Goionis ea quæ abbas Casæ-Dei & monachi reliquerant.

1167. SCIENDUM est quod Petrus de Sayla sua propria & bona voluntate dedit & solvit, & reliquit Gaudionæ priorissæ de Goiono & omnibus habitatoribus sive habitatricibus ejusdem loci præsentibus atque futuris, totum illum honorem quem Bernardus Odonis abbas de Casa-Dei reliquerat Gaudionæ præfatæ priorissæ & aliis monachabus ejusdem domus, sicut prædictus abbas Casæ-Dei & habitatores ipsius loci melius tenuerant illum honorem, & solverant & reliquerant supradictæ priorissæ, totum solvit & reliquit Petrus de Sayla Gaudionæ prædictæ priorissæ & omnibus monachabus ibi habitantibus vel habitaturis, scilicet quidquid ibi petebat vel petere putabat, & quicquid ibi ulla ratione sive aliquo jure petere poterat, totum solvit & reliquit Petrus de Sayla pro se & pro omnibus heredibus suis, & pro omni suo ordinio Gaudionæ supradictæ priorissæ & omnibus habitatricibus sive habitatoribus ejudem loci tam præsentibus quam futuris, sine ulla retentione quam Petrus de Sayla convenit facere enguirentiam supradictæ priorissæ & omnibus monachabus ejusdem domus tam præsentibus quam futuris de omnibus amparatoribus juste. Facta carta doni hujus & solutionis mense Junii Dominica die, Ludovico rege Francorum regnante, & Remundo Tolosano comite, & Geraldo episcopo, anno ab Incarnatione Domini M.CLXVII, hoc totum fuit factum in præsentia & in manu Geraldi Tolosani episcopi. Hujus doni & solutionis sunt testes Hugo abbas ecclesiæ sancti Saturnini, & Augerius archidiaconus, & Joannes Signarius, & Bruno Baranonus, & Bonus mancipius, Baranonus frater ejus & alii plures qui ibi aderant, & Stephanus qui chartam istam scripsit.

XXXIV.

Pactiones initæ abbatissam de Marenx *inter & abbatem Lezatensem.*

1168. IN nomine Domini. Ego Guillelmus abbas de Lezato cum consilio & assensu monachorum ejusdem monasterii videlicet . . . . & solvimus & Wirpimus omnem querelam quam faciebamus de abbatia sanctimonialium *de Marenx* de destructione veteris ecclesiæ & de constructione abbatiæ, & de vicinitate loci, & quidquid in illa abbatia requirere poteramus vel possumus, Deo & beatæ Mariæ & tibi, Adalais, abbatissæ *de Marenx* & conventui ejusdem loci præsenti & futuro, salvo censu & compositione quæ facta fuit inter abbatem Bolbonæ Dominicum & Attonem abbatem de Lezato & conventum ejusdem loci, sicut continetur in alio instrumento, scilicet singulis annis quatuor sextarios tritici & duos fabarum, & alios duos alterius annonæ ad mensuram sextarii venalis de Lezato monasterio nostro reddatis. Iterum ego Adalais abbatissa *de Marenx* & conventus prædicti loci facimus convenientiam tibi Willelmo abbati prædicto & conventui ejudem loci præsenti & futuro, ut non recipiamus ad sepulturam parochianos & parochianas & homines vestros, nisi pedibus propriis regularem portam monasterii possint intrare sine consensu & voluntate vestra. Hanc autem compositionem facimus causa pacis & reconciliationis ut firma & inviolabilis omni tempore perseveret. Hoc autem totum factum est sub manu & præsentia domini Petri abbatis Bonifontis & Arnaldi abbatis de Ealnis qui hoc totum confirmaverunt & cartam hanc fieri præceperunt,

A an. M.CLXVIII, Incarnationis Dominicæ, regnante Ludovico rege.

XXXV.

Possessiones capituli Tolosani a Geraldo episcopo confirmatæ.

EGO Geraldus Dei gratia Tolosanæ sedis episcopus, fideli mente ac devotione pia firmiter 117^ promitto, & laudo Domino Deo & gloriosæ genitrici ejus Mariæ sed & beatissimo protomartyri Stephano, necnon Maurino sedis Tolosanæ præposito, & cunctis successoribus ejus præpositis; insuper omnibus in eadem sede canonicis modo viventibus & futuris, B quatenus patrimonium ad sacrosanctam ecclesiam beatissimi protomartyris Stephani Tolosanæ sedis multis retro temporibus revolutum, puta proprietates honorum, qui videlicet honores, eorumque redditus ac proprietates ad emolumentum Tolosani episcopi, imo ad sustentationem mensæ ipsius specialiter spectant & pertinent, quos videlicet honores multipliciter distractos ac diversis creditoribus obligatos divino subnixus auxilio conatus sum exolvere, ac sic præfatæ ecclesiæ Tolosanæ sedis, & utilitatem meam & successorum meorum pleniter restituere; firmiter inquam promitto & laudo quod ego de cætero, vel aliquis successorum meorum sine communi consilio præpositi Tolosani & canonicorum præposito subjectorum non possim vendere nec C obligare, vel quocunque modo distrahere aut alienare prætaxatos honores, scilicet Boriam quæ fuit Geraldi *de Lombers* cum suis omnibus pertinentiis, quam ab eodem Geraldo acquisivi, villam & homines *de Balmar*, & totum alodium ejusdem villæ cum omnibus ad eam pertinentibus, villam & homines *de Puechabo*, & totum alodium ejusdem villæ cum omnibus ad eam pertinentibus, & quicquid habeo & habere debeo in villa quæ dicitur *Donavilla*, vel in toto alodio ejusdem villæ cum omnibus ad eam pertinentibus, & quicquid habeo & habere debeo in villa Castaneti & in toto alodio ejusdem villæ, cum omnibus ad eam pertinentibus. Præterea censum annualem quem Judæi habitantes in civitate Tolosana mihi persolvere debent. Hæc omnia supra- D scripta, sicut præsenti subnotatione comprehenduntur ecclesiæ B. Stephani Tolosanæ sedis restituere volo, imo restituo. Et hoc facio prætaxato pacto, ut scilicet nulli ex successoribus meis episcopis liceat inposterum prætaxatos honores vendere vel obligare, seu quocunque modo distrahere vel alienare, nec etiam mihi liceat, nisi ut dictum est, fiat hoc communi consilio præpositi & canonicorum; sic etiam ut talis contractus fiat non ad onus sed in subsidium episcopi & ecclesiæ. His omnibus supradictis ad speciale commodum episcopi, & ad subsidium & sustentationem propriæ mensæ ipsius firmis & illibatis in perpetuum valituris. Si quis autem ex successoribus meis episcopis aliquo velamenti colore contra statutum hujusmodi venire tentaverit, tam irrationabile propositum tunc E & semper irritum habeatur.

XXXVI.

Litteræ Bertrandi episcopi Tolosani pro Bonofonte. Ex autograp. Bonifontis.

IN nomine Christi, ego Bertrandus Tolosanus 1177. episcopus, consilio & assensu, & voluntate totius Tolosani capituli, dono Deo & B. Mariæ Bonifontis, & tibi Arnaldo abbati ejusdem loci, & omnibus fratribus præsentibus & futuris ibidem Deo servientibus, & concedo in perpetuum per me & per omnes successores meos, intuitu divino & misericordiæ officio, omnia jura quæ auctoritate & consuetudine pontificali mihi & ordinationi meæ pertinent, decimarum vel

primitiarum omnium nutrimentorum vestrorum ubicumque fuerint, & omnium laborum vestrorum quoscumque feceritis per vos & per sumptus vestros, in grangiis, & in terris vestris & circonstantiis earum, quas modo habetis in episcopatu Tolosano. Si vero aliquid in antea conquirere poteritis, nobiscum concordiam faciatis, scilicet si in nostro episcopatu aliquas grangias vel aliqua ædificia noviter feceritis. Totum hoc facio fideliter & liberaliter, & devote, & sine omni retentione, & promitto & convenio per me & per omnes successores meos, quod non exigamus a vobis nec a successoribus vestris aliquas exactiones occasione decimarum vel primitiarum supradictorum nutrimentorum, nec laborum vestrorum quas modo habetis, nisi duos solidos Tolosanæ monetæ, quos vos & successores vestri dabitis nobis & successoribus nostris in synodo Pentecosten. Quicunque vero hereditate vel aliqua occasione præsumpserit exigere a vobis decimas vel primitias supradictorum nutrimentorum vel laborum vestrorum, ut supra dictum est, ex parte Dei & nostra, & omnium Sanctorum sit excommunicatus, & careat omni divino officio & toto ordine christianitatis. Hujus rei & donationis sunt testes W. abbas Fricdelensis, W. Petri archidiaconus, Bernardus *de Gerdag*, R. Arnaldi archidiac. B. prior Bonifontis, A. *de Cardelag*, Arnaldus *de Tarsag* monachi. Facta carta anno ab Incarn. Domini M. CLXXVII, mense Martii sabbato, regnante Lodoico rege Francorum, R. C. T. B. episcopo.

XXXVII.

Carta Raimundi comitis pro Manso Garnerii.

1180. LITTERÆ Raymundi Tolosæ comitis, quibus sub sua custodia & tuitione suscipit cœnobium sancti Petri de Curia & abbatem ejusdem loci Raymundum cum suis monachis; eidem cœnobio concessa enumerat & confirmat, statuitque ut nec ipse nec successores sui fortiam aliquam sive tollam, sive albergam in castro de Manso ulterius facere præsumant, & ut homines qui sunt in castro prænominato vel in antea fuerint salvi & liberi in castro præscripto permaneant & sint homines sancti Petri, &c. Data sunt anno Incarnationis Dominicæ M. CLXXX.

XXXVIII.

Raymundus comes Tolosanus facit donationem Grandis-silvæ.

1188. MANIFESTUM sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod dominus Raymundus dux Narbonæ, comes Tolosæ & marchio Provinciæ, intuitu divinæ pietatis ac pro redemptione peccatorum suorum, dedit & concessit Domino Deo & monasterio ecclesiæ B. Mariæ Grandis-silvæ, & domno Guillelmo abbati & conventui ejusdem loci præsentibus atque futuris, duo loca molendinorum in capistro *de Verdun* libera, ita videlicet ne habitatores Grandis-silvæ aliquid conferant in expensis paxeriæ faciendæ vel reficiendæ nec aliquem censum neque usaticum pro prædictis locis molendinorum nec pro ipsis molendinis alicui præstare, imo ipsos molendinos & loca ibi habeant ac teneant quiete & libere absque omni servitio, quod inde facere non teneantur pro prædictis molendinis nec pro locis eorum nec pro paxeria illius capistri alicui viventi. Et de his omnibus præfatus comes pro se & pro omnibus suis successoribus convenit facere bonam & firmam guirentiam prædictis abbati & successoribus suis & habitatoribus ecclesiæ Grandis-silvæ præsentibus atque futuris de omnibus amparatoribus. Hujus rei sunt testes dominus Fulcrandus Tolosanus episcopus, & Hugo *de Morez*, & Raimundus *de*

A *Racalz*, & Guillelmus, Hugo Raynaldus, & Arnaldus Feruscius qui mandato domini comitis præfati chartam istam scripsi, mense Novembri sabbatho, regnante Philippo rege Francorum, & Raymundo Tolosano comite prædicto qui prædictum donum fecit & hoc laudavit, & eodem Fulcrando episcopo, anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXVIII.

XXXIX.

Bulla Clementis III pro confirmatione bonorum Deauratæ.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis B. priori & fratribus ecclesiæ beatæ 1190.
B Mariæ Deauratæ salutem & apostolicam benedictionem. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, devotionem quam erga B. Petrum & nos ipsos habere noscimini, attendentes, personas vestras cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis, quæ in præsentiarum laudabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante domino poteritis adipisci, sub protectione B. Petri & nostra suscipimus, specialiter autem ecclesiam sanctæ Mariæ Dealbatæ, ecclesiam sancti Petri & sancti Martini, ecclesiam sancti Nicolai, capellam sancti Jacobi, capellam sanctæ Mariæ quæ est in domo Branhanonis, ecclesiam sancti Martialis,
C ecclesiam sancti Johannis de Saviniaco, ecclesiam S. Eleutherii, ecclesiam S. Johannis de Gorionis, ecclesiam sancti Amantii, ecclesiam sancti Petri de Quinto, ecclesiam sancti Salvii *de Dalbs*, ecclesiam sancti Sulpitii de Cella, & ecclesiam sanctæ Mariæ *de Salvenes* cum pertinentiis earum, sicut eas juste & sine controversia possidetis, vobis & ecclesiæ vestræ authoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut si vos in aliquo gravari senseritis, libere vobis liceat sedem Apostolicam appellare. Nulli ergo omnino hominum liceat personas seu bona vestra temere perturbare, seu hanc paginam nostræ confirmationis & protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,
D indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XIV kal. Novemb. pontificatus nostri anno tertio.

XL.

Fulcrandus episcopus & Guillelmus de Cantelio præpositus, & conventus ecclesiæ S. Stephani commendant Gauterio de Noer *nomine bajulationis ecclesiam* de Noer, *&c.*

Ex archiv. S. Stephani Tolosani.

MANIFESTUM sit cunctis tam præsentibus quam futuris, quod dominus Fulcrandus Tolosanus 1196.
episcopus & Guillelmus de Cantelio præpositus, &
E conventus ecclesiæ sancti Stephani commendaverunt Gauterio *de Noer* nomine bajulationis ecclesiam *de Noer* cum tribus partibus totius decimæ & cum omnibus præmitiis, & cum omnibus aliis juribus ad ipsam ecclesiam pertinentibus in omni vita ipsius Gauterii, & tali pacto quod ipse Gauterius ibi eligat idoneum capellanum & præsentet eum episcopo & præposito, qui capellanus accipiat ab episcopo curam animarum, & sic fideliter in omnibus & per omnia pro posse suo episcopo & præposito, & conventui quamdiu ibi fuerit; & reddat archipresbytero sinodales nummos, & præposito, & celerario annuatim in Quadragesima intrante decem solidos Tolosanos in claustro sancti Stephani, totum hoc sicut superius dictum est commendaverunt episcopus, præpositus

& conventus eidem Gauterio in tota ipsius Gauterii vita pro habere & pro tenere nomine bajulationis sicut melius ipse Gauterius eis reddiderat & reliquerat, excepta tenencia Willelmi de Somitone, & excepta tenencia Bernardi de la Nauza qui fuit; quas tenencias & omnes homines & feminas, de illis tenenciis, quique sint & ubicumque sint, præpositus & conventus sibi retinuerunt pro eorum voluntate facienda; de quibus tenenciis, & de omnibus hominibus & de feminis illarum tenenciarum, & de toto quantum ad jura illorum pertinet; supradictus Gauterius promisit se eis esse fidelis adjutor & defensor scilicet episcopo & præposito, & conventui, & totum hoc promisit per fidem suam & sub sacramento quod eis fecerat super sancta Dei evangelia, affirmavit quod hoc totum sicut superius dictum est pro posse suo exequatur & teneat. Præterea retinuerunt præpositus & conventus quod si Oliverus de Legaticis, vel ejus heredes forte expediebat illud pignus de decima quam habebat ecclesia de eo quod de præposito & conventu expediretur, & totum hoc sicut superius est dictum commendaverunt, præpositus & conventus supradicto Gauterio in tota vita ipsius Gauterii nomine bajulationis pro habere & pro tenere, & quod post mortem ipsius Gauterii totum remaneat solutum & liberum, & sine omni gravamine & sine omni diminutione episcopo & præposito, & conventui; & supradictus Gauterius sub eadem conditione prædictam commendationem recepit, & de toto fidelis & verus eis esse mandavit pro posse suo; & hoc mandavit eis sub eodem sacramento. Facta charta tertia die in introitu mensis Februarii, feria secunda, regnante Philippo rege Francorum, & Raymundo Tholosano comite, & Fulcrando episcopo, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto. Hujus rei sunt testes Mascaronus cellarius & A. de Monte-Lauro sacristanus, & Faber operarius, & R. Petrus de Molinariis, & Bernardus Raymundus canonicus, & R. *Capiscol*, & Willelmus S. Saturnini qui cartam scripsit.

X L I.

Ex archivo S. Stephani Tolosani.

Gauterius de Noerio restituit præposito & ecclesiæ S. Stephani bona quæ ab eis acceperat.

1205. NOTUM sit quod Gauterius de Noerio in infirmitate de qua .... sed in bono suo sensu & bona memoria d...... dedit & reddidit, absolvit & relaxavit Domino Jesu Christo & beatæ Mariæ & S. Stephano, & domino Mascarono præposito ecclesiæ sancti Stephani & conventui dictæ ecclesiæ sancti Stephani præsenti & futuro, totum hoc integre quantum ipse Galterius de Noerio ullo modo ab habitatoribus domus tenuerat .... scitum; hoc est tres partes totius decimæ ad ecclesiam de Noerio pertinentis, & primicias & totum integre quidquid ad ecclesiam pertinet, & illam domum quæ est inter domum Stephani de Willelmo ..... qui fuit & domum Raymundi Aurioli, & tenet de pariete castelli usque ad Carrayriam quam domum dederat ..... domus sancti Stephani ..... in loco de illa alia domo quam suus pater Galterius alienaverat a domo sancti Stephani & vocabatur ..... absolvit & reddidit jam dictus Galterius habitatoribus sancti Stephani præsentibus atque futuris, & prædicto præposito totam illam tenenciam quæ fuit Arnaldi Somitoni, & totam illam tenenciam quæ fuit Bernardi de Nausa, & homines & feminas illarum tenenciarum. Quod totum reddiderat & dederat quondam sicut in illa carta quam Willelmus de sancto Saturnino scripserat continebatur, & hoc ipsum totum idem Galterius tenuerat ab eis in donum sicut in carta illius commendæ quam prædictus Willelmus de S. Saturnino scripserat continebatur; hoc totum integre ut prædictum est sicut ipse Galterius illud totum reddiderat & dederat eis & sicut ab eis illud idem tenuerat in deposito sicut in supradictis cartis continetur, ita bene idem integre illud totum tradidit & reddidit prædicto præposito & habitatoribus domus sancti Stephani præsentibus atque futuris ad omnem voluntatem inde faciendam sine aliquo retentu quod ibi ullo modo non fecit nec retinuit, & si aliquid in prædicta decima vel in primiciis vel in domum prædictam, vel in prædictis tenenciis vel in hominibus vel in feminis illarum tenenciarum, propter illud depositum quod ab eis uti dictum est tenuerat, aliquid prædictus Galterius petere poterat vel putabat aliquo jure vel aliqua ratione pro deposito scilicet vel pro ullo alio modo illud totum solvit & reliquit; si hoc aliquid erat domino Mascarono præposito supradicto & habitatoribus sancti Stephani præsentibus atque futuris sine aliquo retentu quod ibi non fecit. Hoc totum fuit factum ad videnciam & in præsentia Willelmi Atonis & Bernardi Cascavelii qui hoc laudaverunt & concesserunt, & dixerunt, fiat sicut dominus Galterius dicit & vult, & fuit factum similiter in præsentia dominæ Sauræ uxoris prædicti Galterii quæ hoc laudavit & concessit, & voluit ut ita fieret, & fuit factum octava die introitus Julii, feria quinta, regnante Philippo Francorum rege, & Raymundo Tholosano comite, & Raymundo episcopo, anno millesimo ducentesimo quinto ab Incarnatione Domini. Hujus rei sunt testes Raymundus de ..... Thomas *de Dalbs*, & Franciscus canonicus, & Arnaldus Mascaronus, & Willelmus de Nauza sacerdos, & frater Willelmus de sancto Andrea, & Raymundus Guillelmus qui cartam istam scripsit.

X L I I.

Carta fundationis Fratrum Prædicatorum in urbe Tolosa.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. 1216. Anno ab Incarnatione ejusdem M. CCXVI, mense Julii; noverint præsentes & futuri, quod nos M. Dei gratia ecclesiæ Tolosanæ præpositus & conventus ejusdem loci ammoniti & adducti precibus venerabilis patris nostri F. Tolosani episcopi, damus & donando concedimus in perpetuum titulo perfectæ donationis fratri Dominico priori & magistro Prædicatorum, & sociis præsentibus & futuris, capellam S. Romani cum oblationibus suis libere & quiete perpetuo possidendam, & quod ibi habere & facere possint cimiterium ad opus fratrum suorum canonicorum & conversorum professorum; alium autem neminem accipiant ad sepulturam. Si autem aliquis in mortis articulo positus vellet ibi habitum percipere & professionem facere, liberam habeant potestatem recipiendi, ita tamen quod si de illa infirmitate obierit, ecclesia sancti Stephani habeat tertiam partem de omnibus relictis & donatis illi capellæ: si autem convaluerit, ibi remaneat cum omnibus relictis & donatis. Prædictam vero donationem facimus, ita ut non exerceantur jura parochialia ibi, nisi de licentia petita & impetrata a præposito vel cellerario sancti Stephani, & retento ibi servitio III solidorum Tolos. in Pascha persolvendo singulis annis. Actum hoc in capitulo præsente domino F. episcopo Tolosano, & omnibus canonicis qui tunc temporis erant in ecclesia sancti Stephani, & præsente magistro P. archidiacono Villemurus, & Francisco & G. de Tolosa cellerariis, & G. *Cabiscol* sacrista, & P. Donati. Hoc totum fuit ibi juratum utraque parte in præsentia prædictorum, ut inviolabiliter in perpetuum observetur; & ut plus firmitatis obtineat, nos F. Tolosanæ sedis minister humilis sigillum nostrum apposuimus instrumento, & nos M. ecclesiæ Tolosanæ præpositus similiter ut plus firmitatis obtineat sigillum nostrum apposuimus instrumento.

XLIII.

Litteræ Gregorii IX papæ, quibus confirmat donationem villæ sancti Michaëlis de Castello prope Tolosam, factam ab abbate Cluniacensi monasterio Deauratæ.

1240. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui Moissiacensi, Cluniacensis ordinis Caturcensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ex vestra sane relatione accepimus quod cum olim villa S. Michaëlis de Castello prope Tolosam cum ecclesia ibidem existente adeo desolata fuisset, quod in ea non remansisset aliquis habitator, abbas Cluniacensis ecclesiæ & S. Salvatoris diœcesis Taurinensis ut idem locus reduceretur ad cultum & in eadem ecclesia digna Deo servitia præstarentur, conventus monasterii sui accedente consensu, villam & ecclesiam præfatas ad monasterium ipsum pleno jure spectantes, cum omnibus earum pertinentiis vobis ac priori & conventui ecclesiæ sanctæ Mariæ Deauratæ Tolosanæ monasterio vestro pleno jure subjectæ tenendas concessit in perpetuum, annuo censu & quibusdam aliis juribus sibi reservatis in ipsis, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos igitur vestris supplicationibus grato concurrentes assensu, quod super hoc a prædictis abbate & conventu juste, pie ac provide noscitur esse factum, & in præfatis litteris continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani idibus Maii, pontificatus nostri anno quarto decimo.

XLIV.

Gregorius IX bona Deauratæ confirmat plurimaque privilegia largitur.

1240. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori monasterii B. Mariæ Deauratæ Tolos. Cluniacensis ordinis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, salutem & apostolicam benedictionem. Quotiens a nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere ac petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus & monasterium sanctæ Mariæ Deauratæ Tholosæ in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, in primis quidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam atque institutionem Cluniacensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis: temporalem jurisdictionem villæ sancti Cypriani, & loci qui dicitur

A claustrum S. Mariæ; sancti Michaëlis, sanctæ Mariæ Dealbatæ, S. Nicolai, sanctorum Petri & Martini, sanctæ Mariæ Bruni Baranhonis, & sancti Jacobi capellas: sanctæ Mariæ de Grava, Bernardi Novelli, S. Jacobi Ballani & Bruni Baranhonis hospitalia cum decimis & aliis pertinentiis suis Podii Aymerici, terrarum quæ dicuntur feoda Bernardi de Miramonte & Judæorum: clausus *Basdarde:* clausus *Baroty:* clausus *Fuzeric:* clausus S. Michaëlis: cumbæ .... & S. Hilarii decimas: S. Mariæ de Portu Blaniaci, & S. Michaëlis de curia Severini ecclesias cum juribus omnibus & aliis pertinentiis suis: S. Mariæ & Petri Constantini Boarias, quæ omnia idem monasterium obtinet in civitate & territorio Tolosano: in diœcesi Tolosanensi S. Amantii supra Muretlum, S. Mariæ B de Salvenas, sancti Johannis de Goyranis, sancti Saturnini de Valle-Beraldi, S. Eleutherii de Monte-Lauro cum capella S. Mariæ ejusdem loci, sancti Martialis de Bellopodio, de Garriga..... S. Lupi, S. Petri de Bordis, S. Liberatæ, S. Mariæ ..... & S. Saturnini de Portello ecclesiam cum decimis & aliis pertinentiis suis, sancti Johannis de Saviniaco, de Serrando Montisiorii, & de Marcas mansionibus: sancti Juliani de Villandrico, sancti Michaëlis de Bonomonte, S. Petri de Lanagio, sancti Sulpitii de Cella, sancti Petri *de Aquin*, sancti Aviti prope Cornabarillum & S. Salvii *de Dalbs* prope Alzonam ecclesias & villas, in quibus ecclesiæ ipsæ consistunt cum decimis & omnibus aliis pertinentiis earumdem. Monasterium & villam S. Michaëlis de Castello cum C decimis & pertinentiis suis, & de Fraxeneta prope Cornabarillum, de la Beigia, & S. Aviti de Frontonio decimas: bastidam de Podio Bozono cum omnibus pertinentiis suis, necnon alias possessiones vestras cum pratis, vineis, nemoribus, usagiis & pascuis, in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & servitiis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus sive novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos vel absolutos de seculo fugientes ad conversionem recipere, ac eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post D factam in monasterio vestro professionem fas sit sine prioris sui licentia *nisi* alterius religionis obtenta de eodem loco discedere, discedentem vero absque communi litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiatis episcopo, si quidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani episcopi E & vestri capellani oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum: ad hæc novas & indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, secularibusque personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint aut publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea & possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, redimendi & legitime liberandi de manibus eorum, & ad

ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis A de nostra authoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Deum & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, authoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas authoritate apostolica con- B firmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvis sedis apostolicæ authoritate, diœcesani episcopi canonica justitia, & in prædictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire attentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, C reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum fratris Jacobi de ordine fratrum Prædicatorum S. Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, IV cal. Junii, indict. XIII, Incarnationis Dominicæ anno M. CCXL, pontificatus vero domini Gregorii papæ IX anno 14.

✠ Ego Gregorius Catholicæ ecclesiæ episcopus.

✠ Ego Johannes S. Praxedis presbyter cardinalis. D

✠ Ego Stephanus sanctæ Mariæ trans Tyberim presbyter cardinalis.

✠ Ego Romanus Portuensis & S. Rufinæ epis.

✠ Ego Rainaldus Ostiensis..... episcopus.

✠ Ego Giffredus Sabinensis episcopus.

✠ Ego Raynerius S. Mariæ Nurcinens. diaconus cardinalis.

✠ Ego Robertus S. Eustachii diac. cardin.

✠ Ego Richardus S. Angeli diac. cardin.

X L V.

Prior Deauratæ residens Romæ magnam reliquiarum copiam a diversis ecclesiis obtinet. E

1241. REVERENDIS in Christo fratribus Hugoni subpriori & sacro conventui monasterii S. Mariæ Deauratæ Tolosanæ Ancilla Christi Catharina abbatissa, Cecilia priorissa, Margarita & reliquæ sorores monasterii S. Vivianæ de Urbe ordinis S. Benedicti salutem & continuos in Christo profectus. Lætatæ sumus in his quæ dicta sunt nobis de odore vestræ bonæ opinionis & vestri monasterii excellentia & honore, quodque hactenus de vobis & ecclesia vestra, fama referente, percepimus, ex jam assueta celebri conversatione venerandi per omnia viri P. prioris vestri longo tempore in curia commorantis quasi per experientiam obtinemus. Cupientes itaque gloriosæ matris Domini, cui locus ipse dicatus est, & orationum vestrarum promereri suffragia, de his, quæ carius possidemus, Sanctorum videlicet reliquiis prædicti venerandi viri obtentu vobis portionem aliquam duximus impertiri, sperantes & eorumdem Sanctorum nos devote patrociniis adjuvari, si apud fideles populos per sacrorum pignorum eorum participium suam procuremus gloriam ampliare. Reliquiæ ergo quas sub nostro & discretorum virorum, Montanarii sanctorum Marcellini & Petri secularis ecclesiæ de Urbe prioris, & magistri Thomæ *de Dalbs* rectoris sancti Salvii *de Dalbs* diœcesis Tolosanæ sigillis in quodam vase vitreo per præfatum priorem vestrum vobis mittimus interclusas, sunt, sanctorum Papiæ & Mauri martyrum. SS. Nerei & Achillei martyrum. S. Alexandri papæ & mart. S. Martinæ virg. & mart. SS. Marii & Marthæ martyrum. S. Rufinæ virginis & mart. S. Sixti papæ & mart. S. Silvestri papæ & confessoris. SS. quatuor Coronatorum. S. Marcelli papæ & mart. S. Pantaleonis mart. S. Maximi mart. S. Sosthenes mart. apostolorum discipuli. S. Dionysii mart. S. Tiburtii mart. SS. Trium puerorum. Sancti Aurelii martyris. Sanctorum Marcellini & Petri mart. S. Dorotheæ virg. & mart. Sanctorum Marcelli & Superantii mart. Unius ex lapidibus quibus sanctus Stephanus extitit lapidatus, & psalterii quod sub capite S. martyris Vivianæ repertum extitit tempore quo bonæ memoriæ Honorius papa tertius ejus fecit mausoleum aperire, cujus duo psalmorum principia, videlicet, *Dominus illuminatio*, & *Dominus regit me*, non obstante interpositione vitrei vasis possunt a respicientibus aperte distingui. In cujus rei testimonium præfati venerabiles viri Montanarius & Thomas præsentibus litteris subscribentes sigilla sua huic chartæ nobiscum duxerunt pariter imprimenda. Orate ergo pro nobis, fratres, quia juxta B. Jacobi assertionem, multum valet deprecatio justi assidua, & inter secretiores lacrymas vestras, ibi nostri memoriam habeatis, ubi patri filius immolatur, ut quod nostra non obtinent merita, hoc nobis saltem obtineat intercessio aliena. Datum Romæ in præfato monasterio sanctæ Vivianæ V id. Aprilis, anno Domini M. CCXLI, pontificatus domini Gregorii papæ IX anno quinto decimo.

Ego Montanarius prior ecclesiæ SS. Marcellini & Petri de Urbe qui prædictis omnibus interfui, præsenti paginæ subscribens hic & in sacrarum reliquiarum inclusione proprium sigillum impressi sub anno & die prædictis.

Ego magister Thomas *de Dalbs* rector ecclesiæ sancti Salvi *de Dalbs* Tolosanæ diœcesis qui prædictis omnibus interfui, præsenti paginæ subscribens hic & in sacrarum reliquiarum inclusione proprium sigillum impressi sub anno & die prædictis.

X L V I.

Prior S. Adriani in urbe Roma reliquias indulget monasterio Deauratensi.

REVERENDIS in Christo fratribus Hugoni subpriori & sacro conventui monasterii sanctæ Mariæ Deauratæ Tolosanæ servus Christi Oliverius prior & totum capitulum ecclesiæ sancti Adriani de urbe *(Roma)* salutem & fœlices ad vota successus. In libro Regum legitur quod benedixerit Dominus domui Obededom eo quod arcam Domini apud se recepit. Convenienter ab eo arca recipitur, qui rebus sacris & iis, per quæ Dei cultus augetur, spirituale mentis hospitium per affectum & honorabilem ac pretiosam materialem mansionem exhibet per effectum. Cum ergo (sicut nobis fama referente innotuit, & ex 1241.

ex jam assueta laudabili conversatione discreti viri P. prioris vestri quasi per experientiam obtinemus). Sacræ suis religionis titulis insignitam, ecclesiamque vestram ob merita gloriosæ matris Domini nobilitet fidelium frequens accessus, ut vobis & domui vestræ pro devota veneratione Sanctorum altissimus benedicat, de singulis ipsorum reliquiis, quas apud nostram basilicam certissime constat haberi, prædicti venerabilis obtentu, singulas particulas vobis dignum duximus impertiri, firmam spem fiduciamque tenentes, quod & nobis quoque Dominus benedicat, si eorumdem Sanctorum gloriam apud tam celebrem ecclesiam, & tam devotos hospites per sacrorum pignorum eorum communionem ad laudem & magnificentiam divini nominis procuraverimus ampliare. Reliquiæ ergo, quas sub nostris, & discretorum virorum ecclesiæ sanctorum Marcellini & Petri de Urbe prioris, & magistri Thomæ *de Dalbs* rectoris ecclesiæ S. Salvii *de Dalbs* diœcesis Tolosanæ sigillis in quodam vase vitreo vobis mittimus interclusas; sunt, S. Adriani martyris, S. Sosthenis martyris Apostolorum discipuli, SS. Nerei & Achillei martyrum: sanctorum Felicissimi & Agapiti martyrum: SS. Papiæ & Mauri martyrum: SS. trium puerorum *Sidrac, Misac & Abdenago*: SS. Marii & Marthæ martyrum, & sanctæ Domitillæ virginis & martyris: quorum omnium corpora, plura ex eis integra, reliqua pro majori parte in nostra ecclesia cum multis aliis requiescunt. Item S. Jacobi majoris apostoli, sancti Bartholomæi apostoli, S. Lucæ evangelistæ, sancti Laurentii martyris, S. Sixti papæ & martyris, S. Alexandri papæ & martyris, SS. Marcellini & Petri martyrum, S. Ermetis martyris, S. Vitalis mart. SS. Quatuor Coronatorum, SS. Sergii & Bacchi martyrum, S. Tiburtii mart. S. Christophori mart. S. Pancratii mart. S. Theodori mart. S. Justi mart. S. Eutici mart. S. Trophimi mart. S. Pantaleonis mart. S. Pascasii mart. S. Ermophili mart. S. Martialis mart. S. Simetrii presbyteri & mart. S. Restituti mart. S. Bibiani mart. S. Saviniani mart. sanctorum Carpophori & Victorini martyrum, SS. Aurelii & Dionysii mart. SS. Marcelli & Superancii mart. SS. Eustachii sociorumque ejus mart. S. Maximi mart. S. Venerii mart. S. Agathonis papæ & mart. S. Aaron fratris Moysis, S. Silvestri papæ & confessoris, S. Leonis papæ & confessoris, S. Nicolai episcopi & confessoris, sancti Guillelmi confessoris archiepis. Bituricensis, S. Elyæ eremitæ, sanctorum Isariæ & filiorum ejus Jasonis & Mauri martyrum: S. Mariæ-Magdalenæ, S. Luciæ virginis & mart. S. Vivianæ virginis & mart. S. Theodosiæ virg. & mart. S. Salviæ virg. & mart. S. Victoriæ virginis, S. Dorotheæ virg. & mart. S. Faustæ virg. & mart. S. Saturninæ virginis & mart. S. Laurentiæ virg. & mart. sanctæ Ursulæ virg. & mart. S. Juliæ virg. & mart. S. Martinæ virg. & mart. S. Carinæ virginis & mart. S. Eraneycæ mart. S. Paulinæ virg. & mart. SS. undecim millium Virginum & mart. S. Petronillæ virginis, S. Praxedis virg. S. Helenæ matris Constantini magni, S. Quiriacæ viduæ, & quorumdam aliorum Sanctorum, quorum nomina, pro eo quod extranea sunt, vel minime nota, hic non duximus exprimenda, quanquam super singulis eorum reliquiis intus in eodem vase contineantur expressa, præterquam super ligatura quadam, in qua licet S. Petri apostoli fore reliquias crederemus, quia tamen titulus amissus erat, effecti dubii potius elegimus nihil ibi scribere quam per appositionem novi tituli aliquid inde temere desinire. Item S. Johannis-Baptistæ, S. Arthemii mart. SS. Leporii & Maximi martyrum, SS. Fidei, Spei & Charitatis virg. & mart. Item de ligno Domini, de cunabulo Jesu-Christi, de vestimento ipsius, de purpurea veste ejus, de quinque panibus, quibuscum duobus piscibus satiavit quinque millia hominum; de sepulcro ejus, de lapide unde ascendit in cœlum, de terra ubi angelus Gabriël annuntiavit Dominum; de terra ubi beata Virgo Maria mater Domini nata fuit; de velo ejusdem, de vestimento suo, de cingulo ipsius & de sepulcro ejus, de vestimento S. prophetæ David regis, de vestimento S. Annæ matris B. Mariæ, de vestimento S. Johannis Evangelistæ & de manna sepulcri ejus, de uno ex lapidibus quibus fuit sanctus Stephanus lapidatus, & de vestimento sancti Basilii episcopi & confessoris. Verum prædictis cum exacta diligentia & hilari charitate vobis concessis & quibusdam etiam portionculis augmentatis, præfati venerandi viri sacrarum avida reliquiarum nondum contenta pia devotio, gravi molestia simplicitatem nostram suarum instantia precum afficere non formidans, sancti Sosthenis prædicti brachium deinde maxillam ad satisfaciendum sibi pro capite quod summo desiderio efflagitabat a nobis.... oblatam, demum vero quorumdam bonorum virorum de urbe adjectis precibus violentis caput petitum non tam obtinuit quam extorsit. Quæ omnia in quodam vase ligneo sub eisdem sigillis duximus includenda..... Cum apud eumdem Sanctum de contemptu, & nostram ecclesiam de prodigalitatis vitio non modica nostris in cordibus ob hoc suborta tristitia condemnari merito timeamus, charitatis vestræ sinceritatem affectuose rogamus & obsecramus in Domino, quatenus ejusdem Sancti, cujus tam eminentia pignora, necnon & aliorum prædictorum Sanctorum gloriam laudibus dignis attollere ac devotis obsequiis venerari, nosque ac successores nostros & ecclesiam nostram vestris & successorum vestrorum orationibus perpetuo recommendare taliter audeatis, quod ab hac nos offensa penitus immunes effecti, sanctos ipsos ad obtinenda æternæ vitæ gaudia exinde habeamus perpetuos adjutores, & recompensativum orationum vestrarum suffragium sic illo devotionis odore fragrare pro nobis apud dominum sentiamus, quod per intercessionem vestram ipse pius dominus præsentem tristitiam in illud gaudium nunquam a nobis, & utinam, nec a vobis tollendum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quod præparavit diligentibus se, benigne dignetur & feliciter commutare. Ego autem Oliverius prædictus, qui pro meorum obtinenda venia peccatorum in quærendis prædictis reliquiis & eis communicandis vobis ad laudem Dei & eorumdem Sanctorum gloriam augmentandam præ cæteris laboravi, supplico quatenus inter secretiores lacrymas vestras ibi mei specialem memoriam habeatis, ubi patri filius immolatur, ut opitulante orationis vestræ subsidio sic divina clementia in præsenti me puniat pro peccatis, quod æternæ beatitudinis præmium tunc misericorditer mihi concedat, quando ab hac vita me duxerit evocandum. Datum Romæ in ecclesia S. Adriani, VIII idus Madii, anno Nativitatis Domini M. CCXLI, pontificatus domini Gregorii papæ IX quinto decimo.

Ego Montanarius prior ecclesiæ SS. Marcellini & Petri de Urbe, quia prædictis omnibus interfui, præsenti paginæ subscribens hic & in sacrarum reliquiarum inclusione proprium sigillum impressi sub anno & die prædictis.

Ego magister Thomas *de Dalbs*, rector ecclesiæ S. Salvii *de Dalbs*, diœc. Tolosan. quia prædictis omnibus interfui, præsenti paginæ subscribens, hic & in sacrarum reliquiarum inclusione proprium sigillum impressi sub anno & die prædictis.

XLVII.

Prior Laterani præstat reliquias monachis Deauratæ.

JOHANNES subdiaconorum domini papæ & basilicæ ad sancta sanctorum prior ac ejusdem ecclesiæ capitulum religiosis viris Hugoni subpriori 1241. 12 *Maii.*

A & sacro conventui monasterii S. Mariæ Deauratæ Tholosanensis salutem in Domino. Noverit vestra discretio nos ad preces & instantiam dilecti viri M. clerici ecclesiæ sanctorum Marcellini & Petri de Urbe venerabili viro P. priori vestro in curia existenti de reliquiis sanctorum Quadraginta Martyrum quæ apud nostram habentur ecclesiam concessisse. In cujus rei testimonium præsentes litteras & pannum in quo eædem sunt reliquiæ involutæ, sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Laterani IV id. Madii, anno Nativitatis Domini M. CCXLI, pontificatus domini Gregorii papæ IX anno quinto decimo.

XLVIII.

B *Abbas S. Pauli in urbe Roma reliquias sanctorum Petri & Pauli tribuit priori Deauratæ.*

1241. GERALDUS Dei gratia abbas monasterii sancti Pauli de Urbe religiosis viris Hugoni subpriori & sacro conventui monasterii sanctæ Mariæ Deauratæ Tolosanensis salutem in Domino. Noverit discretio vestra nos ad preces & instantiam dilecti nostri Petri clerici scriptoris penniæ domini papæ & canonici S. Clementis de Urbe venerabili viro P. priori vestro in curia existenti, de reliquiis beatorum apostolorum Petri & Pauli, S. Dionysii Areopagitæ, SS. Felicis & Adaucti martyrum, & de baculo S. Pauli prædicti quæ apud nostrum habentur monasterium, concessisse. In cujus rei testimonium præsentes litteras & pannum in quo sunt eædem reliquiæ involutæ C sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in dicto monasterio IX cal. Junii, anno Nativitatis Domini M. CCXLI, pontificatus domini Gregorii papæ IX anno decimo quinto.

XLIX.

Matrimonium Raimundi comitis Tolosæ cum Sancia filia Berengarii comitis Provinciæ.

Tom. VIII, Spicileg. pag. 231. 1241. NOVERINT universi quod nos Jacobus gratia Dei rex Aragoniæ, Majoricarum, & Valentiæ comes, Barcinonensis & Urgelli, dominus Montispessulani, procurator nobilis viri Raymundi comitis Tolosæ, nomine ipsius R. comitis recepimus D vos Sanciam filiam nobilis viri R. Berengarii comitis Provinciæ in uxorem R. comitis antedicti, si placuerit domino papæ, superdicto matrimonio duxerit dispensandum usque ad Septuagesimam proximo venturam: Et nos Sancia filia nobilis viri R. Berengarii comitis Provinciæ recipimus R. comitem Tolosæ in maritum nostrum; vobis domino Jacobo rege Aragon. in dicto matrimonio procuratore pro dicto Tolosano comite existente, si placuerit domino papæ de supradicto matrimonio duxerit dispensandum usque ad Septuagesimam proximo venturam. Et hoc juramus per Deum & sancta ejus evangelia, nostris propriis manibus corporaliter tacta, & prædicta facimus cum voluntate & assensu patris nostri Raimundi Berengarii comitis, & matris nostræ dominæ beatricis comitissæ Provinciæ; E & nos Raimundus Berengarii comes Provinciæ, & beatrix comitissa ejusdem, dicto matrimonio nostrum damus assensum, &c. Actum Aquis III idus Augusti anno M. CCXLI. Testes I. archiepiscopus Arelatensis, R. archiepiscopus Aquensis, R. episcopus Regensis, Raimundus episcopus Tolosanus, G. episcopus Carpentoracensis, R. de Villanova, &c. ut in loco citato.

L.

Hominium comiti Tolosano præstitum a Bernardo comite Convenarum.

EGO Bernardus comes Convenarum, recognosco 1241. vobis R. comiti Tolosano, me tenere a vobis in feudum castrum de Murello & de Samathano. Actum M. CCXLI. Testes episcopus Convenarum, R. præpositus Tolosanus, Rogerius comes Fuxensis, Jordanus de Insula, Sicardus & Gilabertus de Montealto fratres, Bertrandus Jordanus de Insula, Sicardus de Mirotmonte, Lupus de Fuxo.

LI.

Raymundus episcopus Tolosanus ecclesias a Fulcone prædecessore suo datas monasterio Capellæ ordinis Præmonstrat. confirmat.

NOVERINT universi præsentes pariter & futuri 1247. quod venerabilis pater dominus Raymundus Dei gratia episcopus Tolosanus vidit & recepit literas sanctæ memoriæ domini Fulconis Dei gratia quondam episcopi Tolosani suo sigillo sigillatas, non corruptas nec in aliqua parte sui vitiatas sub hac forma. In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Noverint universi præsentes ac posteri, quibus præsens pagina innotuerit, quod nos Fulco Dei gratia Tolosanæ sedis episcopus per nos & successores nostros donamus & concedimus in perpetuum Domino Deo & beatæ Mariæ Virgini, & vobis Johanni abbati domus Capellæ, & omnibus successoribus vestris, & universis ejusdem domus fratribus præsentibus & futuris omnia jura ad nos spectantia in omnibus decimis & primitiis, & ecclesiasticis possessionibus ecclesiæ de Mairanis quæ sita est inter grangiam de Villari, quæ est domus Capellæ, & castrum Bernardi Jordani de Insula, quod dicitur Mons acutus, & omnia jura ad nos spectantia in omnibus decimis & primitiis, & ecclesiasticis possessionibus ecclesiæ sancti Johannis de Rustiniaco, quæ sita est inter castrum de Omervilla & Voltam, & omnia jura ad nos spectantia in duabus partibus decimarum ecclesiæ de Omervilla. Item laudamus & approbamus, & in perpetuum confirmamus vobis Johanni abbati & successoribus vestris, & universis ejusdem domus Capellæ fratribus præsentibus & futuris, omnes acquisitiones quas a laïcis tam viris quam mulieribus feceratis de duabus partibus decimarum ecclesiæ de Omervilla, & de omnibus decimis & primitiis ecclesiarum de Mairanis & sancti Johannis de Rustiniaco, videlicet a domina Ursa & filia ejus *Assaut* & fratre ejus Vitale de Monte-Galardo, & a Bernardo Anerio & filio suo Guillelmo de Bellovisu, & a Bernardo Claverio & fratre ejus Arnaldo, & a Pontio de Saxiis & filiis ejus Petro Garsia & Bernardo Garsia, & a Petro Arduyno, sicut in instrumentis quæ nobis ostendistis quæ scripsere publici Tolosæ notarii sicut ex ipsorum tenore perpendimus, acquisitiones illæ plenius continentur, quorum scripsit Andræas unum, & Radulfus duo, & Arnaldus Barrarius unum, & Arnaldus Petrus unum, & Pontius Elias unum. Retinemus tamen & volumus ut in memoriam dicti doni nobis & successoribus nostris tres libras piperis pro censu annis singulis in festo Nativitatis Domini persolvatis. Et si parochiani venerint causâ mansionis ad aliquam prædictarum ecclesiarum vel ad omnes, faciatis tunc ibi ad honorem Dei divina officia celebrari. In testimonium etiam hujus doni & ut præsens donatio robur habeat perpetuæ firmitatis, præsentem paginam sigillo nostro fecimus confirmari. Prædictus autem dominus Raymundus episcopus Tolosanus constitutus in generali capitulo ecclesiæ Tolosanæ in festivitate Omnium sanctorum,

de consilio, assensu & voluntate Raymundi præpositi & totius prædicti capituli, scilicet Vitalis Auriolli prioris, & magistri Arnaldi Pelissoni, & Francisci archidiaconi Graicensis, & Martini prioris Lumberiensis, & Raymundi Resplandii archidiac. Lesatensis, & Bernardi Mascaroni archidiaconi Pavensis, & Raymundi Fabri prioris Murelli, & Petri *d'Espacs* prioris de Noerio, & Raymundi Carrugerii sacristæ, & Bernardi Britonis infirmarii, & magistri Bernardi archidiaconi veteris Moresii, & Guillelmi Bernardi cellerarii, & Guillelmi Attonis archidiaconi Villælongæ, & Bertrandi de Falgario prioris de Unzento, & Arnaldi Mascaroni, & Guillelmi de Tolosa operarii, & Guillelmi Vanquerii prioris de Vauzela, & Pontii de Tolosa prioris de Artigati, & Arnaldi ovis & Arnaldi Guarini pro se & suis successoribus confirmavit, concessit, laudavit & approbavit donationem seu collationem prædictarum ecclesiarum & decimarum, quam præfatus dominus Fulco fecerat abbati & fratribus domus Capellæ, prout in rescriptis literis plenius continetur. Et ex mera liberalitate pro amore Dei quia prædictum monasterium Capellæ ordinis Præmonstratensis situm in diœcesi Tolosana pauper est & exiguos habet reditus, præfatus dominus Raymundus episcopus Tolosanus pro se & suis successoribus, de consilio, assensu & voluntate totius prædicti capituli ecclesiæ Tolosanæ, dedit & concessit in perpetuum Domino Deo & B. Mariæ semper virgini, & domino fratri Johanni Dei gratia abbati monasterii Capellæ, & omnibus successoribus suis & universis ejusdem domus fratribus præsentibus & futuris prædictas tres ecclesias inter quas est ecclesia de Omervilla, & etiam ecclesiam *de la Venta* situm juxta ecclesias supradictas cum omnibus decimis & primitiis, possessionibus & reditibus, & juribus universis pertinentibus vel pertinere debentibus aliquo modo ad ecclesias supradictas vel ad aliquam prædictarum ecclesiarum. Retinuit tamen præfatus dominus episcopus quod abbas Capellæ qui pro tempore fuerit, præsentet domino episcopo Tolosano & suis successoribus Capellanum ad curam animarum tenendam in ecclesiis supradictis. Retinuit & dictus dominus episcopus in prædictis ecclesiis procurationes suas, archidiaconorum & archypresbyterorum & cathedraticum, ac alia jura episcopalia universa. Conditum fuit & inter partes, & expresse concessum, & prædictus dominus abbas pro se & suis successoribus, de consilio & assensu & voluntate conventus dicti loci, scilicet fratris Vitalis de Atro-monte prioris, & fratris Raymundi Ademarii Grangerii de Villario, & fratris Arnaldi vestiarii, & fratris Bernardi de Livinaco sacristæ qui pro se & toto conventu prædicti monasterii hoc totum laudaverunt & concesserunt, concessit, promisit, mandavit & se ex certa scientia obligavit in perpetuum, quod ipse & successores sui perpetuis temporibus veniant ad synodum bis in anno Tolosæ, & ibi audiant & recipiant præcepta synodalia honesta & canonica, & quantum in ipsis fuerit, observent & adimpleant fideliter & devote. Præterea supradictus dominus abbas, de consilio & assensu & voluntate conventus sui prædicti, promisit & obligavit se & successores suos & prædictum monasterium Capellæ, quod pro dono & collatione prædictarum ecclesiarum annis singulis in perpetuum in festo sancti Thomæ apostoli, reddat & persolvat censum annualem prædicto domino episcopo & successoribus suis, scilicet tres libras ceræ & piperis tres libras. Item prædictus dominus episcopus dedit & liberaliter contulit capitulo prædictæ ecclesiæ Tolosanæ in perpetuum de prædictis sex libras ceræ & piperis, & unam libram ceræ & aliam piperis libram annis singulis solvendas in perpetuum cellerariis capituli supradicti. Et prædictus dominus abbas pro se & successoribus suis convenit, promisit & mandavit quod ex prædictis sex libris ceræ & piperis persolvet prædicto domino episcopo Tolosano & ejus successoribus annis singulis in prædicto festo sancti Thomæ, in aula ejusdem domini episcopi Tolosæ, duas libras ceræ & duas piperis libras, & solvet cellerariis capituli prædictæ ecclesiæ Tolosanæ in cellario, in prædicto festo S. Thomæ, unam libram ceræ & unam libram piperis annuatim. Actum est hoc septimo die introitus mensis Novemb. feria quinta, regnante Lodoico rege Francorum, Raymundo Tolosano comite, Raimundo episcopo prædicto, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo. Hujus rei sunt testes Galhardus prior Mansi sanctarum Puellarum, & Guillelmus Barascus capellanus ejus loci, & Johannes de sancto Romano qui cartam istam scripsit. Ad majorem autem prædictorum omnium firmitatem præfati dominus episcopus, præpositus & capitulum ecclesiæ Tolosanæ, & prædictus dominus abbas & conventus monasterii Capellæ sigilla sua apposuerunt huic publico instrumento per alphabetum diviso. Cartam istam translulit Pontius Basterius de alia alphabeto divisa quinque sigillis cereis pendentibus, scilicet præfati domini episcopi, præpositi & capituli ecclesiæ Tolosanæ, & prædicti domini abbatis & conventus monasterii Capellæ sigillata, quam Johannes de sancto Romano scripserat eisdem rationibus & verbis, mense Maii, feria secunda, regnante Lodoico rege Francorum, Alfonso Tolosano comite, Raymundo episcopo, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto. Hujus facti translati sunt testes Petrus Feltrerius, & Bernardus Aymericus, & Pontius Stephanus notarii publici, & item Pontius Basterius qui exscripsit. Ego Petrus Feltrerius scripsi, ego Bernardus Aymericus subscribo, ego Pontius Stephanus subscripsi.

LII.

Sententia arbitralis de permutatione nonnullarum ecclesiarum Raymundum inter episcopum Tolos. & Bertrandum de Monte-acuto priorem Deauratæ.

NOVERINT universi tenorem præsentis paginæ inspecturi, quod dominus Raymundus Dei gratia episcopus Tolosanus pro se & successoribus & capitulo S. Stephani ex una parte, & dominus Bertrandus de Monte-acuto, prior ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ, pro se & successoribus suis & conventu suo ex parte altera, compromiserunt in venerabiles viros Guillelmum Isarni archipresbyterum de Rivis & Guillelmum Rotberii jurisperitum, tanquam in arbitros, arbitratores, vel amicabiles compositores super quibusdam ecclesiis, & juribus eisdem ecclesiis pertinentibus inter se permutandis, promittentes firma stipulatione & solemni, quod quidquid prædicti arbitri seu arbitratores vel amicabiles compositores inde dixerint, componendo, arbitrando, sententiando, seu quocunque alio modo, quod illud perpetuo observabunt, promittentes hoc sub pœna centum marcharum argenti, quibus solutis a parte nolente eorum sententiam observare parti illam volenti servare, arbitrium, compositio seu sententia nihilominus in suo robore perseveret; quo compromisso a partibus sic recepto prænominati arbitri seu arbitratores, auditis primitus & intellectis voluntatibus partium prædictarum super permutationibus seu biscambio faciendis ecclesiarum, & consideratis reditibus ipsarum ecclesiarum hinc inde considerata utilitate ecclesiæ S. Stephani & B. Mariæ Deauratæ, communicato etiam consilio plurium sapientum, ac deliberatione super hoc præhabita diligenti, ipsi arbitri seu arbitratores scilicet Guillelmus Isarni & Willelmus Rotberii dixerunt arbitrando de voluntate partium prædictarum, quod dominus prior prædictus donet & absolvat in perpetuum domino Raymundo Dei gratia episcopo Tolos. & suis successoribus ecclesiam sancti Martialis de 1254.

Bellopodio cum omnibus juribus suis & pertinentiis, A videlicet decimas omnes & primitias, & omnes homines & feminas cum eorum tenemiis universis, terras cultas & incultas ejusdem ecclesiæ, & cætera alia jura ad ipsam ecclesiam pertinentia S. Martialis, & promisimus ei guarentiam de omnibus amparatoribus, & suis successoribus. Item dixerunt etiam prædicti arbitri seu arbitratores arbitrando quod dominus Raymundus episcopus Tolosanus ratione dictæ permutationis, donet & absolvat in perpetuum domino Bertrando de Monte-acuto, priori ecclesiæ sanctæ Mariæ Deauratæ & suis successoribus, ecclesiam sancti Martini de Portello, & ecclesiam S. Andreæ quæ est prope Portellum, & ecclesiam S. Sigismundi, & ecclesiam S. Christinæ cum omnibus juribus ad easdem ecclesias pertinentibus, retentis eidem domino episcopo & B successoribus suis juribus episcopalibus, sicut habet in aliis ecclesiis ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ similibus, & quod ad præsentationem ipsius domini prioris vel successorum, ad præsentationem ipsius vel ipsorum cum ecclesias ipsas vacare contigerit, instituat capellanos in ecclesiis memoratis, & mandet idem dominus episcopus inde guirentiam dicto priori & successoribus de omnibus amparatoribus. Quo arbitrio a dictis arbitris hujusmodi promulgato dicti dominus episcopus & dominus prior approbaverunt illud & inviolabiliter observari mandaverunt. Hoc ita facto dominus episcopus Tolosanus pro se & successoribus suis dedit & concessit ratione permutationis dicto domino priori & successoribus suis Deauratæ & conventui, ecclesiam S. Martini de Portello & ecclesiam C S. Andreæ, & S. Sigismundi & S. Christinæ, cum omnibus decimariis & juribus universis ad easdem ecclesias pertinentibus, salvis suis juribus, ut superius est expressum, & de prædictis ecclesiis cum pertinentiis guirentiam mandavit de omnibus amparatoribus, qui pro episcopatu aliquid ibi peterent aliquo modo; & ibidem præfatus dominus prior B. Mariæ Deauratæ dedit & concessit ratione permutationis dicto domino episcopo & successoribus suis expresse ecclesiam S. Martialis quæ est juxta Bellum-podium & juxta montem *Rabé*, cum omnibus decimis ex juribus ad ecclesiam pertinentibus universis, scilicet homines & feminas, terras cultas & incultas, & cætera alia jura quæ ecclesia B. Mariæ ibidem habet, & guirentiam de omnibus amparatoribus promisit D eidem, & pro ecclesia Deauratæ qui aliquid peteret ullomodo. Item recognoverunt & concesserunt quod dictum biscambium fecerunt pro utilitatibus suarum ecclesiarum, & quilibet recognovit fuisse factum in utilitatem suæ ecclesiæ. Factum fuit hoc decima die exitus mensis Novembris, regnante Lodoico Francorum rege, Alphonso Tolosano comite, & dicto domino Raymundo episcopo, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto. Horum omnium sunt testes dicti arbitri, scilicet Guillelmus Isarni & Guillelmus Rotberti, & etiam Cenebrunus, & Willelmus Delsol, & magister Arnaldus officialis, & Bernardus Rodbertus qui de hoc negotio mandamentum acceperat & materiam descripserat ad faciendam inde chartam, sed morte præventus eam non fecit. Post cujus mortem consules E Tolosæ urbis & suburbii, scilicet Willelmus de Septenis, Bertrandus de Palatio, Willelmus de Roaxio, Bernardus-Raimundus Baranhonus, Willelmus Saurinus, Bertrandus Pictavinus, Berengarius de Portalli, Bernardus-Pontius de Galhaco, & Vitalis de Fumello, pro se ipsis & aliis eorum sociis consulibus tunc absentibus cognoverunt judicio, & dixerunt quod Petrus Felterius & Willelmus de Vesseriis, & Ramundus Bernardus, & Stephanus Galterius, publici Tolosæ notarii, & quilibet eorum possent facere chartas de materiis dicti Bernardi Rotberti, de quibus nondum facta fuerant instrumenta secundum tenorem earumdem materiarum, & quod illæ chartæ habeant eamdem firmitatem per omnia tempora, ac si a dicto Bernardo Rotberto vivo existente personaliter essent factæ. Hoc fuit ita a dictis consulibus judicio cognitum quarto die exitus mensis Octobris, regnante Lodoico rege Franc. Alphonso Tolosano comite, Raymundo episcopo, anno millesimo ducentesimo * quadragesimo secundo ab Incarnatione Domini. *Sexagesimo Hujus ita factæ cognitionis & judicii per dictos consules testes sunt ipsi prænominati consules, sunt etiam inde testes similiter Guillelmus Pictor & Willelmus de Lezato notarii, & Stephanus Galterius prædictus, qui hanc chartam scripsit mandato & cognitione consulum prædictorum.

LIII.

Raimundus episcopus Tolosanus confirmat possessiones Mansi-Garnerii.

NOVERINT universi præsentes pariter & futuri, 1255. quod dominus Raimundus Dei gratia Tolosanus episcopus pro se & successoribus suis concessit & confirmavit domno Raimundo abbati monasterii Mansi-Garnerii, & toti conventui ejusdem monasterii præsenti atque futuro, ecclesiam sive monasterium S. Petri de Manso-Garnerii, cum capella S. Jacobi, cum decimis, primitiis & aliis juribus suis, & prioratum & ecclesiam S. Sulpicii de Verduno, cum capellis S. Michaëlis & beatæ Mariæ & S. Jacobi, cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; & ecclesiam S. Aviti de Caniaco, cum decimis, primitiis & aliis CANIAC modo SAVENEZ. juribus suis; & ecclesiam S. Martini de Aucamvilla, OCAMVILLE. cum capella sua sanctæ Mariæ, cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; & medietatem ecclesiæ S. Petri de Malberiis, cum decimis, primitiis & aliis juribus MAUVERS. suis; ecclesiam S. Mariæ de Boivilla, cum decimis BOIVILLE. & primitiis & aliis juribus suis; & ecclesiam S. Petri *de Seilh*, cum decimis & primitiis & aliis juribus suis; SEIL. & ecclesiam S. Salvatoris *de Fordencs*, cum decimis, *Fordencs destructa.* primitiis & aliis juribus suis; & ecclesiam S. Petri *de Aussmont*, cum decimis & primitiis & aliis juribus OSMONT. suis; & ecclesiam sancti Salvatoris *de Gosas*, cum GOUAS. decimis, primitiis & aliis juribus suis; & ecclesiam S. Johannis de Margastaudo, cum decimis, primitiis MARGASTAUD. & aliis juribus suis; & prioratum & ecclesiam sanctæ Mariæ de Brevello castello, cum capella beati Petri, BRIVE-CASTEL. cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; & ecclesiam S. Martini de Losantvilla, cum decimis & primitiis & aliis juribus suis; & prioratum & ecclesiam S. Martini & S. Albini, cum capella beatæ Mariæ de Borello, cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; BOURRET. & ecclesiam S. Michaëlis *de Ladmont*, cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; & ecclesiam S. Cassiani, S. CASSIAN. cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; & ecclesiam S. Bartholomæi de Fingano; & ecclesiam S. Amantii FIGUAN. de Montebeguino, cum decimis, primitiis & aliis MONTBEGUIN. juribus suis; & ecclesiam S. Saturnini *de Sailh*, cum *Sal destructa.* decimis, primitiis & aliis juribus suis; & ecclesiam S. Mariæ de Villanayssaga, cum decimis, primitiis, *Villenayssague destructa.* & aliis juribus suis; & ecclesiam * sancti Johannis de Quinsaco, cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; & medietatem ecclesiæ *de Rualmont*, cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; & prioratum & ecclesiam S. Cezerti, cum decimis, primitiis & aliis juribus suis; S. CESERT. ecclesiam sancti Stephani de Montebarterio, cum MONTBARTIER. decimis, primitiis & aliis juribus suis; addidit etiam prædictæ confirmationi & concessioni prædictus domnus episcopus ecclesiam S. Launardi juxta Brevellum S. LAUNARD. castellum, &c. Actum fuit hoc XIV exitus mensis Martii, regnante Ludovico rege Francorum, Alfonso comite Tholosano, anno ab Incarnatione Domini M. CCLV.

* Ibi sacellum sancti Johannis olim celebre & miris clarum, ad quod innumeri confluebant peregrini, item & modo plurimi illud frequentant.

LIV.

Epistola Clementis IV inquisitori de testibus audiendis in defensionem episcopi Tolosani.

TUA nobis venerabilis frater noster R. Tholosanus
1267. episcopus insinuatione monstravit, quod cum ad innocentiæ suæ præsidium tam super fama suæ integritatis, quam reprobatione testium contra ipsum a nobis super ejus infamia, necnon & veritate criminum receptorum testes aliquos produxisset, alios nihilominus producturus infra tres septimanas, ut dicitur, quæ sibi supererant de termino in nostris præfixo litteris: aliæ nostræ supervenerunt litteræ, quibus visis ad plures testes reprobatorios producendos eum admittere noluisti, cum numerum centenarium posterioribus contentum litteris implesset, sicque spe sua sine culpa frustratus, ut asserit, trium septimanarum tempus amisit, & ex causa hujus modi XLVIII testes remanent multum reprobi, quos ex causis certis & variis reprobare proponit, si audientia sibi detur, nobis humiliter supplicans, ut dictas tres septimanas amissas reddi jubeamus eidem. Licet autem suspicione non careat processus episcopi, qui forsitan animosior creditur in hujusmodi, quia testes suos non sperat per alios reprobari; ne tamen corruat veritas in plateis, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo vestrum infra tres septimanas testes recipiatis ejusdem, quos contra singulos XLVIII testes duxerit producendos, sic quod contra singulos tantummodo tres producat, & ne probi per reprobos reprobentur, volumus & mandamus quod ex officio postmodum inquiratis, nullis datis articulis, cuicumque personæ cujuscunque conditionis, opinionis & famæ ac fidei sint illi, quos idem episcopus ad suam famam probandam, vel ad reprobationem produxerit aliorum. Testes autem quos ad hoc necessarios credideris, cujuscunque sint status, dignitatis aut ordinis, per censuram ecclesiæ compellatis veritati testimonium perhibere, non obstante aliqua indulgentia, cuicunque personæ, dignitati vel ordini ab apostolica sede concessa, per quam mandati nostri executio impediri posset aliquatenus, vel etiam retardari, & de qua cujuscumque toto tenore de verbo ad verbum in nostris esset litteris plena & expressa mentio facienda. Quicquid autem super his inveneritis, nobis sub vestris conclusum sigillis cum actis aliis mittere non tardetis. Quod si terminum aliquem eidem episcopo accedenti ad nostram præsentiam præfixistis, illum ut qualitas requiret negotii prorogetis. Datum Viterbii XV calendas Januarii, anno II.

LV.

Litteræ Alfonsi comitis quibus dat abbati & conventui S. Saturnini quidquid juris habebat in castro de Vaqueriis & pertinentiis ejusdem.

ALFONSUS filius regis Franciæ, comes Pictaviæ & Tolosæ, universis præsentes litteras inspecturis
1269. salutem in Domino. Attendentes quod in donationibus quæ fiunt ecclesiis optima mensura quæ fit immensitas, considerantes etiam quod nihil nostris depereat utilitatibus si quæ sunt aliena reddantur, notum facimus quod nos pro nobis, heredibus & successoribus nostris abbati & conventui S. Saturnini Tolosæ damus & concedimus quidquid juris habebamus vel habere debebamus in castro de Vaqueriis & pertinentiis ejusdem cum mero & mixto imperio, de quibus per spondarios bonæ memoriæ R. quondam comitis Tolosæ prædecessoris nostri restitutio facta fuisse dicitur monasterio supradicto, inter quæ titulo emptionis nonnulla acquisita fuisse a dictis abbate & conventu nomine monasterii prædicti apparet per publica instrumenta; præterea sex libræ Tolosanæ
A monetæ nobis ratione albergue seu census in blado & denariis annuatim debebantur ab hominibus Villarum seu Bovariorum dicti monasterii, scilicet sancti Salvatoris castri Genessii, villæ de Garatentorii bastidæ S. Saturnini, & pertinentiarum earumdem de Leuxa de Capite-denario, & earum territoriis dictis abbati & conventui nomine sui monasterii eosdem plene remittimus & quittamus. Ad hoc cumulum majoris gratiæ acquisitiones quas usque ad summam septem librarum Tolosanarum, vel circa in civitate Tolosæ & bovaria quæ fuit Arnaldi Benedicti civis Tolosæ, & in villa de Grisolis fecerunt abbas & conventus monasterii prædicti, eisdem nomine sui monasterii liberaliter confirmamus, volentes & concedentes quod idem abbas & conventus, seu alius
B pro eisdem prædictum castrum de Vaqueriis cum pertinentiis, necnon prædictas acquisitiones habeant, teneant & possideant, ac explectent, salvo in aliis jure, in perpetuum, pacifice & quiete, retentis nobis & heredibus nostris in castro & omnibus aliis prædictis exercitu & cavalcata, incursibus hæresum ac ressorto, necnon appellationibus quas ab abbate dicti monasterii ad nos contigerit interponi, ad quem abbatem volumus appellari, si ab alio, aut a consulibus castri de Vaqueriis appellatio fuit interjecta. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum fecimus apponi, salvo in præmissis, ut dictum est, jure nostro, & salvo in omnibus jure quolibet alieno. Nos autem Johanna Tolosæ ac Pictaviæ comitissa concessionem, quittationem & confirmationem præ-
C dictas, & alia universa & singula prout præmissa sunt grata & rata habemus, ac pro nobis, heredibus & successoribus nostris spontanea voluntate approbamus, volumus & laudamus, & ad majorem roboris firmitatem sigillum nostrum una cum sigillo carissimi domini nostri comitis supradicti viri nostri præsentibus litteris nostris duximus apponendum. Datum apud Johannem Angel.... anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nono, mense Martii.

LVI.

Concessio facta a Bertrando Tholosano episcopo de capellania ecclesiæ S. Martini de Noerio. *Ex archivo S. Stephani Tolosani.*

D NOVERINT universi præsentes litteras inspecturi quod nos Bertrandus permissione divina Tho- 1271.
losanus episcopus, ad præsentationem venerabilium virorum præpositi & capituli ecclesiæ Tholosanæ, & specialiter Olivarii prioris de Noerio, concessimus & contulimus Guinardo Engibberti clerico de Cesseraco, capellaniam ecclesiæ sancti Martini de Noerio cum omnibus juribus & pertinentiis suis, ad habendam, possidendam pacifice & quiete diebus omnibus vitæ suæ dummodo bene se habuerit & honeste, committentes sibi in prædicta capellania curam & regimen animarum; in cujus rei testimonium præsentes litteras sibi concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Tholosæ die Mercurii ante festum S. Petri ad cathedram, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo.

E

LVII.

Litteræ Philippi regis in gratiam monachorum Grandis-silvæ.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis tam præsentibus quam futuris,
quod nos divinæ pietatis intuitu & ob remedium 1279.
animarum inclytæ recordationis domini & genitoris nostri LUDOVICI regis Francorum ac aliorum antecessorum nostrorum, concedimus religiosis viris abbati & conventui monasterii Grandis-silvæ Tolosanæ diœcesis, ut ipsi domos, terras, vineas, prata, nemora, census, reditus & quascunque alias possessiones, quas

in feudis aut retrofeudis nostris tam nobilium quam aliorum usque nunc juste & rationabiliter acquisierunt, seu quas in præsenti juste & rationabiliter possident, tenere possint in perpetuum & pacifice possidere; quæ omnia sibi & suo monasterio autoritate regia confirmamus salvo jure nostro in aliis, & jure in omnibus alieno. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini M. CCLXXIX, mense Augusti.

LVIII.

Collegium fundatum Tolosæ ab abbate Grandis-silvæ pro monachis ordinis Cisterciensis.

NOVERINT universi quod religiosus vir dominus Bertrandus Gaufridi Dei gratia abbas monasterii
1286. Grandis-silvæ ordinis Cistercii diœcesis Tolosanæ, ut abbas dicti monasterii, pro se ipso & suis successoribus, pro dicto monasterio & conventu ejusdem loci præsenti & futuro, & frater Petrus *Sobac* monachus & sindicus dicti monasterii pro dicto monasterio & conventu ejusdem loci præsenti & futuro, & nomine dicto sui sindicatus: cujus sindicatus prædictI tenor inferius continetur, de consilio, voluntate & expresso assensu fratris Johannis *de Surzol* provisoris, fratris Ber. R. magistri novitiorum, fratris Petri de Bosco, fratris Petri Bartella, fratris Raymundi Isami, fratris Ar. Segerii, fratris Johannis *de Guiscarol*, fratris Bernardi de Monte-Aigone, fratris Johannis Frobaci, fratris Ber. *de Gaure*, fratris Raymundi de Casalibus, fratris Ber. Poc. fratris Amelii, fratris Aurioli monachorum dicti monasterii ibidem præsentium, qui infra scripta omnia & singula, sicut inferius continentur, concesserunt, & sic fieri voluerunt, constituti & congregati in capitulo dicti monasterii S. Saturnini proposuerunt in præsentia reverendi in Christo patris domini Ar. de Villamuro abbatis proxime dicti monasterii & conventus ejusdem loci, scilicet Remundi de sancto Lupo prioris Claustralis, Vitalis de Martyribus prioris de Martris, Remundi Atonis prioris de Calvo-monte, Ber. de Pruliaco prioris de Blanaco, Raimundi de Cardelhaco, Raimundi de Petra, Bertrandi de Rabastenquis, Petri de Curamonte, W. de S. Amantio, Remundi de Monte-Lauderio, Augerii de Sarrania, magistri Sancii operarii...... Mascaroni sacristæ, Berengarii de Monte-veteri cellerarii, & Bernardi de Monte-veteri cellerarii, & Bertrandi de Monteveteri, Rogerii de Monte-alto cantoris, Bernardi de Villamuro prioris Lavarduni, Petri de Aliis, Petri *de Varilhas* canonicorum ejusdem monasterii sancti Saturnini ad hæc facienda, ordinanda & concedenda, quæ inferius continentur specialiter convocatorum & etiam in dicto capitulo congregatorum ipsi abbas & conventus Grandis-silvæ, quæ domus sive locus prædictus est infra parochiam dicti monasterii sancti Saturnini ad honorem Dei & beatissimæ Mariæ semper virginis matris ejus, & ad culturam divini nominis ampliandum incœperunt studium theologiæ facultatis: quod studium perpetuo habere & continuare intendebant, divino auxilio suffragante.

Verum quia ratione dicti studii adesse ibidem continue oporteret aliquam multitudinem tam religiosorum hominum, quam & aliorum, idcirco domnus abbas Grandis-silvæ & sindicus supradicti nominibus quibus supra eidem domno abbati & conventui dicti monasterii sancti Saturnini superius nominati cum instantia supplicarunt, quod ipsi domnus abbas & conventus S. Saturnini pro se ipsis & eorum successoribus, & dicto monasterio, quatenus in ipsis & dicto eorum monasterio erat, darent & concederent eisdem abbati & sindico dicti monasterii Grandis-silvæ nominibus quibus supra, & conventui dicti monasterii Grandis-silvæ auctoritatem, licentiam &
A potestatem construendi, & ibidem publice & solemniter erigendi, ædificandi & habendi perpetuo infra dictam parochiam eorumdem, in dicta domo, seu loco prædicto, ecclesiam, & ibidem publice & solemniter divina officia celebrandi, & verbum Domini præponendi & prædicandi, & monachis conversis ibidem existentibus, eorum donatis, & familiæ & servientibus sacramenta ecclesiastica ministrandi, & ibidem admittendi tam clericos quam laïcos ad divina, & recipiendi oblationes, eleemosynas & legata, habendique cimiterium, & ibidem funerandi & fidelium corpora quæ apud eos & ibidem elegerunt sepulturam recipiendi & tradendi ecclesiasticæ sepulturæ.

Licet tamen inter dictas partes supra præmissis
B fuisset aliquandiu altercatio, tandem pro bono pacis, concordiæ & compositionis, dicti domnus abbas & conventus dicti monasterii sancti Saturnini superius nominati, pro se ipsis & eorum successoribus, & dicto eorum monasterio, cupientes dictum Theologiæ studium in favorem catholicæ fidei ac præcipue infra suam parochiam augmentare, ut dilatato sui territorii loco funiculos suos faciat longiores, & ut bellatorum muro inexpugnabili circum ..... multiplicatis strenuis bellatoribus resistere fortius valeat ascendentibus ex adverso. Attendentes etiam quod præbere assensum tam honestis supplicationibus pium est & devotum. Ad honorem omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, & gloriosissimæ, beatissimæ semperque virginis Mariæ matris Christi, & gloriosissimi martyris atque
C pontificis S. Saturnini, & aliorum Sanctorum omnium in dicto eorum monasterio quiescentium, & totius cœlestis curiæ, & ad utilitatem suburbii Tolosæ & civitatis, præhabita diligenti deliberatione & tractatu super præmissis. Attendentes & in his suam & suorum successorum & dicti monasterii utilitatem imminere pariter & honorem, pro se ipsis & eorum successoribus & dicto monasterio S. Saturnini, donaverunt & donando concesserunt eisdem abbati & sindico prædictis dicti monasterii Grandis-silvæ, pro se ipsis & eorum successoribus & toto conventu dicti monasterii Grandis-silvæ præsenti & futuro, & dicto monasterio Grandis-silvæ, recipientibus & toti conventui prædicto proxime dicti monasterii, & eorum successoribus, & eidem monasterio proxime dicto quod ipse domnus abbas & sindicus dicti monasterii Grandis-silvæ, &
D eorum successores, & dictum eorum monasterium, & conventus ejusdem loci & eorum successores in supradicta eorum domo, sive loco prædicto infra dictam parochiam dicti monasterii sancti Saturnini, possint & eis liceat ecclesiam & oratorium construere & ædificare, facere & erigere, & perpetuo habere secundum formam & modum sui ordinis, ejusdem scilicet longitudinis sicut est ecclesia Fratrum Minorum Tolosæ, vel minoris formæ, prout voluerint vel eis videbitur expedire: ita tamen quod caput ecclesiæ prædictæ & oratorii actuetur juxta Carreriam qua itur de Posamilairo recte versus Matabovem, & ibidem absque medio construatur.

Item, quod in eadem ecclesia & oratorio habeant & ædificare & habere valeant perpetuo quot altaria
E voluerint: dum tamen non sint sub nomine & honore illorum Sanctorum quorum altaria in dicto monasterio S. Saturnini in præsenti sunt habita & constructa: quorum nomina proxime subsequuntur, scilicet altare gloriosissimi S. Saturnini, S. Martini, S. Laurentii, S. Martialis, S. Crucis, S. Nicolai, S. Johannis-Baptistæ, SS. apostolorum Petri & Pauli, sancti Exuperii, S. Thomæ episcopi & martyris, sancti Augustini, S. Jacobi apostoli, S. Blasii, S. Michaëlis archangeli; altaria vero sanctissimæ Virginis, & B. Catharinæ & aliorum Sanctorum quorum voluerint in eorum prædicta ecclesia & oratorio construere libere valeant & habere.

Item, quod in eadem ecclesia & oratorio seu loco

divina officia & mysteria quemadmodum in monasteriis Cistercienfis ordinis alta & submissa voce, prout voluerint, omni tempore valeant celebrare, & quod ibidem clero & populo latinis verbis & laïca verba vel lingua verbum Dei proponere valeant & etiam prædicare.

Item, quod possint infra prædictam domum seu locum tenere & habere perpetuo cimiterium, in quo sepeliantur monachi & conversi ordinis Cistercii, & eorum servientes, familia & donati, & etiam quilibet alii fideles qui in dicto loco suam elegerint sepulturam.

Item, quod in dicta eorum ecclesia & oratorio, seu loco prædicto, monachis & conversis dicti ordinis Cisterciensis & eorum servitoribus, familiæ & donatis sacramenta ecclesiastica ministrare valeant, & conferre videlicet Pœnitentiam, Eucharistiam & Extremam-unctionem.

Item, quod monachi & conversi habitantes in dicta domo seu loco prædicto possint recipere & habere oblationes & obventiones a quibuscunque personis, & etiam eleemosynas & legata: ita videlicet & tali modo quod de omnibus & singulis oblationibus & obventionibus quæ prædictæ ecclesiæ seu oratorio dicti loci Grandis-silvæ, & sacerdotibus in missarum celebrationibus, & altari & altaribus ejusdem ecclesiæ seu oratorii, in denariis, auro, argento, pane, vino, candelis, terra, pannis sericis, & aliis quæ ab aliquo vel aliqua, vel aliquibus offerentur; & de lectis & pannis, & aliis omnibus mobilibus, quæ ratione alicujus defuncti seu defunctorum cujus corpus seu quorum corpora ibidem apportabuntur, causa ecclesiasticæ sepulturæ oblata fuerint, necnon & de omnibus legatis & rectis rerum tantummodo mobilium, quæ generaliter fratribus & conventui seu collegio ibidem commorantibus legabuntur seu relinquentur in testamento, seu ultima voluntate, seu testamentis, ab aliquibus civibus Tolosæ habitantibus in Tolosa & Bariis Tolosæ, & in sancto Cypriano fratres dictæ ecclesiæ seu dicti oratorii dicti loci Grandis-silvæ ibidem commorantes habeant tres partes, & dicti domnus abbas & conventus dicti monasterii sancti Saturnini, & eorum successores residuam quartam partem.

Item, quod corpus alicujus defuncti in parochia S. Saturnini & parochia de Tauro tantummodo non deferetur ad dictam ecclesiam seu cimiterium dicti loci Grandis-silvæ, nec sepeliatur ibidem, donec illud corpus portatum fuerit ad ecclesiam prædictam S. Saturnini vel ad ecclesiam de Tauro: ubi tamen illud fieret cum licentia sacristæ sancti Saturnini seu capellani de Tauro, qui pro tempore fuerit, vel eorum loca tenentis, exceptis illis tantummodo qui morientur in dicta domo seu in dicto loco Grandis-silvæ sepeliri poterunt, licentia cujuslibet personæ super hoc non habita nec petita.

Item, quod diebus dominicis & festivitatibus sancti Saturnini, horis quibus fiet sermo, seu consuetum fieri sermonem populo in dicta ecclesia seu dicto monasterio sancti Saturnini, dicti monachi qui pro tempore fuerint in dicta domo, dicto loco Grandis-silvæ, in ea domo seu loco proxime dicto, vel in aliqua parte dictæ domus seu dicti loci, ante horam pulsationis primæ statutam in dicta ecclesia seu monasterio S. Saturnini, dicti monachi vel eorum aliquis non prædicent populo in vulgari.

Item, quod dicti abbas & conventus monasterii Grandis-silvæ recognoscant & concedant nunc, quod provisor seu prior seu ministrator, qui dicto loco præerunt, quocunque nomine nominetur, in principio suæ institutionis domno abbati S. Saturnini se præsentet personaliter, & subjectum confiteatur in prædictis dictam ecclesiam & oratorium & cimiterium dicti loci Grandis-silvæ supra dicto monasterio sancti Saturnini, tanquam majori & matrici ecclesiæ ratione tantummodo eorum: & his quæ superius sunt expressa,

A & quod promittat idem provisor per fidem suam, quod prædicta omnia observabit bene & fideliter, & faciet pro viribus observari.

Item, quod per provisorem dicti loci, qui pro tempore fuerit, vel alium qui præerunt dicto loco, quocunque nomine nominetur, instituatur unus monachus vel conversus de dicto loco monasterii Grandis-silvæ, qui recipiat omnia & singula supradicta, & qui fideliter unicuique dictorum quod pertinet secundum modum prædictum, reddat & restituat suam partem, & quod idem institutus promittat per fidem suam dicto domino abbati sancti Saturnini, quod ipse institutus de prædictis omnibus & singulis reddet & restituet cuilibet dictarum partium partem debitam secundum modum superius

B ordinatum.

Insuper fuit ordinatum & actum de communi consensu partium prædictarum, quod dicti domnus abbas & conventus dicti monasterii Grandis-silvæ, pro se ipsis & eorum successoribus obligent se & promittant solemniter dicto domino abbati & conventui S. Saturnini, se fideliter reddituros quartam partem prædictam secundum ordinationem prædictam de omnibus & singulis supradictis.

Item, quod ipse domnus abbas & conventus dicti monasterii S. Saturnini superius nominati, pro se & suis successoribus se solemniter obligent & promittant dictis domino abbati & sindico, & conventui dicti monasterii Grandis-silvæ, se fideliter tenere perpetuo & inviolabiliter observare compositionem, ordina-

C tionem supradictam, & nunquam contra compositionem & ordinationem per se vel per alium vel alios aliqua occasione vel aliquo modo, aliquo tempore facere vel venire in solidum vel in parte, vel contra ea, vel præter quæ superius continentur monachos vel conversos dicti monasterii Grandis-silvæ, nec aliquos dicti loci Grandis-silvæ in aliquo aggravare.

Item, quod domnus episcopus Tolosanus valeat prædictam compositionem, ordinationem cum effectu executioni mandare, quando & quoties inde fuerit requisitus, & omnia & singula in dicta compositione & ordinatione contenta, & quod in hoc & propter hoc tam domnus abbas & conventus dicti monasterii S. Saturnini, & domnus abbas & conventus dicti monasterii Grandis-silvæ se supponant jurisdictioni domni

D episcopi Tolosani, renunciantes omnibus & singulis privilegiis, quibus contra prædicta vel aliqua de prædictis ipsi superius nominati, vel aliqui ex ipsis possent modo aliquo facere vel venire, & quod hoc promittant quælibet prædictarum partium sub pœna centum librarum Turonensium tenere perpetuo & inviolabiliter observare; quibus omnibus & singulis supradictis sic dictis & concessis per dictas partes, & cæteris ordinatis prout superius continetur, dictus domnus abbas monasterii Grandis-silvæ, pro se & suis successoribus, cum toto conventu dicti monasterii Grandis-silvæ, præsenti & futuro, & pro dicto monasterio Grandis-silvæ, & dictus frater Petrus Jobacus sindicus supradictus nomine dicti monasterii & totius conventus ejusdem loci, & nomine sui sindicatus, comprobantes & acceptantes supradictam

E ordinationem & compositionem, & habentes rata & grata, & accepta atque firma perpetuo nominibus quibus supra, omnia & singula supradicta recognoverunt, voluerunt & concesserunt, quod quilibet provisor, &c.

Facta fuit compositio & ordinatio mense Junii in introitu die quinto, regnante Philippo rege Franc. & Bertrando episcopo Tolos. anno ab Incarnatione Domini M. CCLXXXV, de quibus sunt testes frater Bernardus Sarqueti monachus Bolbonæ, P. de Miis capellanus major ecclesiæ S. Saturnini, P. *Fortis* presbyter, W. de Varilhis rector ecclesiæ de Vajano nihilominus clericus Pampilonensis, B. R. *de Retges* notarius, frater W. R. monachus monasterii regalis....

liem, concessio, ratificatio & approbatio facta per A monachos prædictos Grandis-silvæ, qui prædictam compositionem & ordinationem concesserunt in dicto capitulo dicti monasterii, de quorum nominibus fit mentio, fuerunt factæ octavo die introitus mensis Aprilis, prædicto domino rege regnante & Hugone episcopo Tolosano, anno ab Incarnatione Domini M. CCLXXXVI; de quibus sunt testes Ber. Vitalis, Jeverius & Remundus de Manso, & Remundus de Cobiraco, &c.

L I X.

Testamentum sancti Ludovici ordinis Minorum episcopi Tolosani.

1297. IN nomine Domini, amen. Anno Nativitatis ejusdem B millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione decima, regnante inclyto principe Carolo secundo Dei gratia Jerusalem & Siciliæ rege illustri, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii comite regnorum ejus anno decimo tertio feliciter, amen. Mense Augusti die nono decimo ejusdem decimæ indictionis apud Brinoniam, in præsentia Thomæ de sancto Georgio, ubique per regnum Siciliæ & per comitatus Provinciæ & Forcalquerii, publici regia authoritate notarii & testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, videlicet venerabilis viri Durandi Mauritii prioris conventualis Cherasii, fratris Bertrandi prioris S. Genit, fratrum Guillelmi de Corniliano, Francisci Bruni, Petri Scarrerii, Bartholomei Vitalis C ordinis Minorum, & magistri Hugonis Fabri physici. Ego frater Lodoicus permissione divina episcopus Tolosanus, memor conditionis humanæ quam semper comitatur innata fragilitas cui ab ipso vitæ principio mortis imperium dominatur, dum essem æger corpore, sanus tamen mente ac composita loquela, directa discretio & sana memoria in me integriter vigerent, volens peregrinationis meæ diem extremam dispositione testamentaria prævenire, authoritate sedis Apostolicæ in hac parte mihi concessa, de bonis meis sive ad meam administrationem spectantibus in hunc modum ordino & dispono.

In primis in domo Fratrum Minorum Massiliæ meam eligo sepulturam, deinde de bonis meis & primum quidem de capellis quas habebam tempore D quo professus sum beati Francisci regulam & habitum ejus assumpsi, ordino in hunc modum. Quod scilicet capellæ ipsæ & ea quæ ad easdem capellas pertinent, sint conventuum Fratrum Minorum Tolosæ, Massiliæ & Aquis, prout viri religiosi fratres Raymundus Goffridi magister in theologia & minister in Provincia & Guardianus Tolosæ ordinaverint, & eas inter eosdem conventus duxerint dividendas. De libris nostris lego religioso viro fratri Guillelmo de Corneliano socio & familiari meo, bibliam in uno volumine quam præfatus dominus rex dominus & genitor meus dedit mihi, & etiam summam Thomæ. Item fratri Berengario de Bosco familiari meo, bibliam quam dedit mihi conventus Tolosæ; item fratri Petro Corardi familiari meo, bibliam & flores Sanctorum pulchriores qui fuerunt prædecessoris mei. Omnes autem E alios libros meos lego fratribus Petro Scarrerii & Francisco Bruni sociis & familiaribus meis, inter ipsos æqualiter dividendos, propter plura grata servitia quæ ab ipsis longo tempore recolo suscepisse; capellas siquidem quas habui postquam professionem feci, lego ecclesiæ Tolosanæ: annulos quoque meos omnes lego & relinquo prædicto domino regi ac dominæ reginæ parentibus meis, in hunc videlicet modum quod retentis ex eis per eundem dominum regem illis quos voluerit reliqui sint prædictæ dominæ matris meæ. De aliis autem reliquis bonis meis, utpote vasis argenteis, equitaturis, & quibuslibet aliis, ac etiam iis quæ debentur mihi ex quacumque causa, solutis inde debitis ad quæ quibuscumque personis teneri ac emendæ si quæ apparuerint faciendæ; volo quod infra nominati executores mei familiares ac servitores meos remunerent prout attentis eorum conditionibus & impensis per eosdem mihi servitiis viderint faciendum, & residuum ipsorum omnium distribuant inter conventus Religiosorum civitatis Tolosæ & conventus Fratrum Minorum Massiliæ & Aquis, ac conventus Fratrum Prædicatorum S. Maximini, & conventus S. Claræ Afficii, ad construendam unam capellam ad servitium domus episcopalis Tolosæ, in honorem beati Laurentii martyris, prout eis videbitur faciendum. Item volo quod officiarium & responsorarium quæ dedit mihi conventus Draguiniani reddantur illi; item lego conventui Brinoniæ indumentum unum sacerdotale completum de meis communibus quibus familiares mei uti sunt consueti.

Executores autem hujus meæ ordinationis facio & ordino reverendos in Christo patres dominos archiepiscopum Arelatensem, P. episc. Carcassonensem, dominum episcopum & G. abbatem Massilienses, & religiosum virum præfatum fratrem Raymundum Goffridi, ac virum venerabilem magistrum Petrum de Ferreriis decanum Aniciensem, regni Siciliæ cancellarium, & nobilem virum dominum Hugonem de Vicinis Provinciæ & Forcalquerii senescalum: ita scilicet quod illud quod omnes simul vel quicumque ipsorum cum prædicto fratre Raymundo ordinandum & faciendum duxerit, in præmissis & quolibet præmissorum roboris firmitatem habeat. Dans eis omnibus executoribus & eidem fratri Raymundo cum quocumque alio ex ipsis plenariam potestatem bona & credita mea recipiendi ubicumque fuerint & a quibuscumque mihi debeantur, ac petendi & exigendi ea tam in judicio quam extra judicium, & omnia alia circa hæc faciendi, quæ ego ipse facere possem si præsens adessem, & hanc meam ordinationem valere volo jure testamenti vel jure codicillorum vel donationis causa mortis inter vivos, vel alterius cujuslibet ultimæ voluntatis, secundum quod melius de jure valere potest; rogans suppliciter præfatum dominum & genitorem meum ut circa efficacem & celerem executionem ordinationis ejusdem dignetur & velit prædictis executoribus meis ac dicto fratri Raymundo, & aliis ex eis quem cum ipso ad executionem eamdem vacare contigerit, assistere & favere, ac opportunum consilium, protectionem & auxilium impertiri; in quorum omnium præmissorum fidem & cautelam factum est per manus mei prædicti notarii præsens publicum instrumentum quod scripsi ego idem notarius, qui prædictis omnibus interfui & meo solito signo signavi rogatus; quæ ordinata & acta per prædictum dominum episcopum supra continentur, de præfato scilicet episcopo Carcassonensi quod sit unus dictorum executorum ejus, & de annulis suis legatis & relictis prædictis domino regi ac dominæ reginæ ut dictum est: ordinata & acta sunt prædicto nono decimo die dicti mensis Augusti. Cætera vero præmissa prout superius exprimuntur ordinata & acta sunt per eumdem prædicto die nono decimo mensis ejusdem.

L X.

Prior Deauratæ ab abbate Moissiacensi exauctoratus & excommunicatus.

IN nomine Domini, amen. Universis præsentes 1299. litteras processum & sententias inspecturis, frater Guillelmus Dei gratia humilis abbas Moissiacensis salutem. Ex ore sedentis in throno procedit gladius bis acutus, ex quo rectissima debet exire sententia, ut contra justitiam nulli parcatur. Sane cum reverendus in Christo pater dominus Jacobus titulo S. Clementis presbyter quondam cardinalis naturæ debitum

debitum persolvisset, qui inquam prioratum B. Mariæ Deauratæ ex concessione eidem per sanctissimum in Christo patrem dominum nostrum summum pontificem facta quamdiu viveret, suæ mortis tempore possidebat, nobis Parisius existentibus frater Amelius prior major Moissiaci, & sacrista Moissiaci, ut vicarii nostri generales, & ut mandatum speciale a nobis habentes ad prioratum prædictum, ad adipiscendam possessionem ejusdem nomine nostro juxta privilegiorum apostolicorum tenorem, & ad monendum specialiter fratrem R. Bernardi quondam procuratorem ejusdem domini cardinalis, accesserunt, & ibidem iam per schedulam quamdam sigillis eorum sigillatam, quam per publicum instrumentum, nec non viva voce eumdem monuerunt, ut titulum, si quem haberet in prioratu ipso, eisdem ostenderet. Ipse autem inobediens mandatis eorum, & monitus respondit se nolle eis ostendere, & cum ipsi vellent ibidem publicare litteras suas monitorias, audire noluit, sed inde malitiose recessit. Et quia impediti per aliquos de sua familia, ibidem ipsas legere nequiverunt, eas infra primam januam prioratus ejusdem nonobstante contumacia publicarunt, ut de iis omnibus, necnon de excommunicationis sententia per eos in eumdem rite lata nobis constitit per publicum instrumentum & per litteras suas, quas nobis sub suis remisere sigillis. Nos igitur attendentes quod nihil humilibus prodesset obedientia, si contemptus contumacibus non obesset, easdem sententias, & processum ratas & gratas habuimus & habemus, eumdemque R. Bernardi in his scriptis sua exigente contumacia & inobedientia excommunicationis vinculis astringentes. Et nihilominus quia nobis constitit per litteras domini nostri summi pontificis bullatas, eumdem, mortuo domino cardinali prædicto, nullum jus, nullum titulum in prioratu habere prædicto, quia juxta tenorem privilegiorum nobis in nostro monasterio Moissiaci concessorum ab eodem domino nostro summo pontifice, eodem domino cardinali cedente vel decedente collatio, institutio, provisio, ac bonorum omnium dispositio prioratus prædicti, non obstante aliqua concessione facienda per eumdem dominum cardinalem, ad nos & monasterium Moissiaci, sicut prius est libere reversa: eumdem fratrem R. Bernardi de Asperomonte quatenus de facto, quia de jure non potest, possidere dicitur, possessione facti, si quam habet sententialiter privamus, & privatum ostendimus. Et quia tam de jure quam de statutis Cluniacensis ordinis, & generali consuetudine inobedientes a suis prioratibus, decanatibus & aliis administrationibus ordinis prædicti, quantumcumque plenum jus in eis esse assecuti noscantur, removeri & privari possunt; propter prædictam inobedientiam eumdem R. Bernardi sententialiter omni jure, si quod habeat in prioratu prædicto, seu ei competere videbatur, privandum duximus & privamus, ipsum exinde amoventes, mandantes sibi in virtute sanctæ obedientiæ ut sub pœna excommunicationis, licet jam excommunicatus existat, ut ad claustrum Moissiaci redeat. Mandamus nihilominus omnibus prioribus monachis & venerabilibus abbatibus nostris, ut eumdem in locis suis non recipiant, nec eumdem de cætero pro priore teneant, nec eidem quamdiu in excommunicatione & inobedientia prædictis steterit, præstent consilium, auxilium vel juvamen. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Actum Parisiis in hospitio nostro prope sanctam Genovefam, anno Domini M. CCXCIX, VI nonas Martii.

LXI.

Prior & monachi B. Mariæ Deauratæ sub certis conditionibus cedunt hospitale S. Jacobi Veteris Sororibus ibidem Infirmorum curæ deservientibus.

NOTUM sit quod religiosus & discretus vir dominus Amelhius de Castanherio, prior prioratus & ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ Tolosæ, pro se & suis successoribus, & toto conventu & habitatoribus dicti prioratus, & ecclesiæ præsentibus & futuris, de præcepto, voluntate & autoritate reverendi patris domini Guillelmi Dei gratia abbatis Moissiacensis, qui totum hoc ut sequitur ita fieri voluit, & concessit ut ibi fuit dictum; & de voluntate & expresso consensu domini Raymundi de Podio-petroso prioris claustralis dicti prioratus & ecclesiæ Deauratæ, & domini Ramundi Cabiroli operarii dictæ ecclesiæ, & domini Johannis de Villa-franca infirmarii dicti prioratus, & domini Petri de Villa-nova sacristæ, & domini Galhardi de Rupe Pirancerii, & domini Arnaldi Bosati prioris S. Rusticii, & domini Raimundi Bernardi de Castanherio prioris de Cucomonte, & domini Francisci *Mocas* monachi dicti prioratus & conventus Deauratæ, qui prædicti domini monachi ibidem præsentes erant, & totum hoc ut sequitur voluerunt & concesserunt ad honorem Dei & gloriam, ac ipsius beatissimæ matris Virginis Mariæ omniumque Sanctorum, & ut hospitalis caritatis ac divinus cultus magis ac magis augmentetur, & ob reverentiam dominæ Johannæ illustrissimæ reginæ Franciæ, & ad preces & ad instantiam ejusdem, dedit & concessit & tradidit quasi sub annua pensione quindecim librarum Turonensium parvorum in festo Nativitatis Domini annuatim dicto domino priori & ejus successoribus solvendarum hospitale S. Jacobi Veteris de sancto Cypriano Tolosæ, & domos & hortos cum dicto hospitali contiguos, & cum locis in quibus sunt, & cum ædificiis & bastimentis & clausuris ibi existentibus & pertinentibus, quod hospitale cum domibus & hortis totum esse dixerunt apud S. Cyprianum in parochia S. Nicholai inter duo itinera publica ex duabus partibus, & tenent de capella dicti hospitalis usque ad hortum Johannis Anceris, necnon & omnia alia jura & pertinentias sive terras vel vineas franquas vel quartanerias, vel alia quæcunque jura seu pertinentias dicto hospitali quoquomodo competentes, competentia seu competitura, quod hospitale prædictum cum omnibus suis juribus spectat dicto domino priori & ejus successoribus, sorori Guillelmæ filiæ quondam Bernardi *Dayde* de castro Sarraceno, & sorori *Gensses de Sayches*, & sorori Agneti Lafilhadio, & sorori Johannæ de Francor, & sorori Bernardæ de Duraddo, & sorori Anselmæ de Sega, & sorori Raymundæ de Ramundo Johannis, & sorori Marchesiæ Durandi, & sorori Bertrandæ de Migo, & sorori Sabralinæ filiæ Dominici Bertrandi, & sorori Esclarmundæ Jordanis, & sorori Sorimundæ de Bolega, & sorori Guillelmæ de Bolega sorori dictæ Sorimundæ, & sorori Guillelmæ de Scala, & sorori Alayciæ de Pinu, & sorori Reginæ *de Gros*, & Navarræ filiæ Thomæ, & sorori Bertrandæ de Verelino præsentibus pro se ipsis & suis successoribus recipientibus; & sorori Jamæ *Delfau*, & sorori Covinæ de Amelhio, & sorori Resplandiæ, & sorori Johannæ, & sorori Tolsanæ de Fabro, & sorori Vegæ absentibus, me notario infra scripto pro præfatis sororibus absentibus recipiente vocatis sororibus B. Mariæ Deauratæ, & ita eas dictus dominus prior deinceps voluit appellari, quas sorores dictus dominus prior in dicto loco seu hospitali statuit & ordinavit debere vivere, ut mulieres singulares honeste viventes sine collegio & conventu, & sine aliqua priorissa, abbatissa seu alia prælata per ipsas eligenda, sed solum spectetur ad regimen & gubernationem 1303.

ejusdem prioris & ejus successorum, vel illius quam ibidem dictus dominus prior vel ejus successores duxerit deputandam, & quod ibidem divinis officiis dictæ sorores & ejus successores deserviant, & pauperibus serviant, & provideant secundum posse suum bene & fideliter, absque omni dolo & fraude. Et si contingat quod dictæ sorores, seu earum successores dictam pensionem dicto domino priori seu ejus successoribus in dicto termino solvere recusarent, vel eidem domino priori seu ejus successoribus contradicerent obedire, vel in dicto loco inhoneste conversarentur, præfatus dominus prior & ejus successores extunc talem sororem seu tales sorores, contradicentem seu contradicentes obedire, vel inhoneste conversantem seu conversantes, vel omnes si omnes erant contradicentes, vel inhoneste conversantes autoritate B sua propria expellere posset de dicto loco seu hospitali prædicto, & ad hæc dictæ sorores volentes & concedentes prædicto modo deinceps appellari prædictam donationem sub pensione prædicta, & modis ordinationibus supradictis pro se ipsis & suis successoribus receperunt cum gratiarum devota actione, & promiserunt dicto domino priori pro se & suis successoribus solemniter stipulanti eidem & ejus successoribus dictam pensionem solvere annuatim in termino supradicto, & Deo ipso auctore in divinis officiis ibidem deservire, & pauperes Christi charitative recipere, & eis juxta posse suum providere bene & fideliter absque omni fraude & dolo, & honeste conversari, & esse dicto domino priori & ejus successoribus obedientes in perpetuum & fideles. Item fuit actum C & conventum ac etiam ordinatum inter dictum dominum priorem & dictas sorores, quod dictæ sorores nullas sorores possent recipere per se nec per alios, nec alias feminas quascunque, nisi de voluntate & expresso consensu dicti domini prioris & ejus successorum. Item fuit actum, conventum ac etiam ordinatum inter dictum dominum priorem & dictas sorores, quod dictæ sorores non possent adquirere in feudis vel retro-feudis aliquas possessiones, vel feuda de possessionibus vel feudis dicti prioratus B. Mariæ Deauratæ, & si contingeret quod aliquis vel aliqua daret vel legaret, vel alio quocunque modo transferret dictis sororibus terras, quartales, vel alias quæ tenerentur in feudis vel ad quartum vel quintum, vel alias quoquomodo a dicto prioratu, quod ad D requisitionem dicti domini prioris vel ejus successorum, vel illius qui pro ipso domino priore fuerit, statim dictæ sorores ponant extra manum suam, & si contra facerent dictæ sorores, quod ipse dominus prior vel ejus successores autoritate sua propria ea recipiat feuda sicut sua. Item fuit actum, conventum ac etiam ordinatum inter dictum dominum priorem & dictas sorores, quod si dominus episcopus Tolosanus, vel alius ipsius nomine movebat aliquam quæstionem vel controversiam ratione dicti loci, quod dictæ sorores reciperent & ducerent dictam quæstionem & controversiam pro posse suo suis propriis missionibus seu expensis, sine missione dicti domini prioris, seu ejusdem prioratus B. Mariæ Deauratæ bene & fideliter, absque omni dolo & fraude; & si aliqua vel aliquæ E dictarum sororum, seu omnes insimul dictum locum seu hospitale earum libero animo domino episcopo Tolosano submissum seu subjugatum esse concederet seu concederent, talem concedentem seu concedentes, seu omnes, si omnes concedentes erant, dictus dominus prior & ejus successores possent expellere a dicto loco seu hospitali prædicto; & quod ipse dominus prior & ejus successores non tenerentur dictis sororibus nec successoribus earumdem reddere nec restituere aliquam meliorationem, quam in dicto loco seu hospitali fecissent, sed quod ipse prædictus dominus prior seu ejus successores extunc habent dictum locum & hospitale cum omnibus suis juribus & pertinentiis sine aliquo impedimento, sicut prius,

A cum omnibus meliorationibus & bastimentis ibidem factis pleno jure. Item fuit actum ac etiam ordinatum inter dictum dominum priorem & dictas sorores, quod si aliqua quæstio seu controversia movebatur inter dictas sorores, quod dictus dominus prior seu ejus successores esset judex ipsarum, & posset dictam quæstionem seu controversiam tanquam dominus & patronus in pacem reformare, terminare, & etiam diffinire absque omni contradictione & omni appellatione postposita & remota. Et hæc omnia & singula attendere, complere & servare bona fide, in nullo contrafacere, vel venire per se vel per alium ulla arte vel ingenio prædictæ sorores quæ præsentes erant manibus suis dexteris corporaliter tactis ad sancta quatuor evangelia juraverunt, volentes & pacto expresso convenientes, & promittentes dictæ sorores dicto domino priori pro se suisque successoribus, & dicto prioratu firmiter & solemniter stipulante, quod si in præmissis vel aliquo præmissorum deficerent, contradicerent, vel venirent per se vel per alium aliqua ratione vel ingenio, quod illico dictus dominus prior vel alius qui pro ipso fuerit sua propria autoritate talem seu tales contradicentem seu contradicentes, vel omnes, si omnes contradicentes erant, de dicto loco & hospitali expellent perpetuo absque omni spe redeundi ad hospitale ante dictum, & hoc tanquam mendacem seu mendaces, & perjuram seu perjuras; & ibidem præfatæ sorores quæ præsentes erant dicto domino priori flexis genibus coram ipso in suis manibus obedientiam promiserunt firmiter tenere ac etiam observare, & prædictus dominus prior ibidem in præsentia mei notarii & testium infra scriptorum prædictam sororem Guillelmam filiam quondam Bernardi *Dayde* de castro Saraceno majorissam & gubernatricem aliarum sororum omnium in dicto loco elegit, misit ac etiam constituit atque fecit, & eidem omnium aliarum sororum prædictarum * commisit tantum quantum dicti prioris & ejus successorum placuerit voluntati; & de prædictis omnibus & singulis fuerunt facta per me notarium infra scriptum duo publica instrumenta alphabeto divisa, scilicet unum ad opus dicti domini prioris Deauratæ & ejusdem successorum, & alterum ad opus dictarum sororum & earumdem successorum. Et fuit actum hoc septimo die exitus mensis Januarii ...... rege Francorum, & Petro episcopo Tolosano, anno ab Incarnatione Domini millesimo trecentesimo tertio, &c.

* Forte regimen.

L X I I.

Charta Philippi IV regis pro Deaurata.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex senescallo Tholosæ vel ejus locum tenentibus salutem. 1306. Significavit prior B. Mariæ Deauratæ Tholosanæ quod cum ipse & prædecessores sui ex privilegio progenitorum nostrorum & longa consuetudine essent & fuissent in possessione & saisina habendi & exercendi jurisdictionem temporalem & civilem in loco vocato Claustrum B. Mariæ Deauratæ Tholosanæ monasterii Moisiacensis ordinis Cluniacensis, a tanto tempore cujus memoria hominum in contrarium non existit, nichilominus Raymundus Arnaldi miles quondam vicarius Tholosæ dictum priorem possessione sua jurisdictionis prædictæ sine causæ cognitione injuste ut dicitur spoliavit, & dictum priorem gentes nostræ detinent spoliatum. Quare vobis mandamus quod adjornetis procuratorem nostrum pro nobis parisiis coram nobis ad diem vestræ senescalliæ proximum Parlamenti dicto priori super præmissis quod justum fuerit responsurum. Actum Parisiis die III Januarii, anno Domini M. CCC sexto.

LXIII.

E Mſ. cod. S. Germani a Pratis.

Bulla Clementis V ad Galhardum Tolosanum episcopum.

1312. CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Galhardo episcopo Tolosano salutem & apostolicam benedictionem. Nuper sexcentas libras Turon. annui & perpetui redditus a dilectis filiis magistro Gaufrido de Plessejo archidiacono Vallis-Biriæ in ecclesia Constantiensi notario nostro viginti septem libras decem & septem solidos & undecim denarios Parisiens. deducendas de summa centum librarum & octo denar. ejusdem monetæ Parisiens. similis redditus, quas ab heredibus quondam Henrici & Georgii dictorum Hacti de Gaudano, necnon & a Johanne *Villebart* ejusdem loci de Gaudano trecentas quadraginta quinque libras XVII solidos & quatuor denarios, a magistro vero Alexandro *de Odeinghen* laico centum sex libras quatuor solidos & novem denarios dictæ monetæ Parisiens. ejusdem annui & perpetui redditus, quas ex donatione & assignatione carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris ex certis & legitimis causis eis facta Paris. in thesauro suo singulis annis in festo Purificationis B. Virginis percipiebant, non tanquam summus pontifex, sed sicut privata persona, emptionis titulo pro certo pretio duximus acquirendas. Demum rex prædictus acquisitionem hujusmodi ratam habens & gratam voluit & per suas litteras nostris postulationibus annuendo concessit, quod nos vel ille aut illi, in quem vel in quos prædictas sexcentas libras ejusdem annui & perpetui redditus nos transferre contingeret super pedagio seu leuda castri novi de Arrio, ducentas sexaginta libras Turon. super pedagio vero seu leuda villæ Avinionens. Tolos. dioec. alias ducentas sexaginta libras ejusdem monetæ Tur. annui & perpetui redditus, quorum pedagiorum quodlibet per informationem super hoc de speciali mandato ipsius regis factam, quingentas libras vel circa annui & perpetui redditus ut valere compertum sub his modo & forma possideremus, perciperemus & etiam haberemus, scilicet quod in quolibet pedagiorum seu leudarum ipsorum, unus communis collector seu receptor, præmissis sub hastationibus ex parte dicti regis de plus offerentibus & dare volentibus pro pedagiis eisdem, ut est fieri consuetum, per senesc. Tolos. ejusdem regis pro rege ipso, & per illum seu illos, quem vel quos nos vel ille aut illi, in quem vel quos nos præfatas sexcentas libras transferremus de ipsorum communi concordia constitueretur & etiam deputaretur, qui ut præmittitur & super sancta Dei evangelia ab eo corporaliter tacta tempore suæ deputationis & constitutionis hujusmodi coram dicto senescallo & nostris seu illius vel illorum, in quem vel quos sexcentas libras transferremus easdem, nunciis juraret, quod nobis sive illi aut illis in quem vel quos hujusmodi annuos & perpetuos redditus, ut præmittitur, transferremus, vel ad nostrum aut ipsorum mandatum in perpetuum annis singulis prædictas quingentas viginti libras ejusdem annui redditus, de primis redditibus & obventionibus pedagiorum prædictorum, & antequam de ipsis quicquam dicti regis commodis vel rationibus applicaretur, traderet & etiam assignaret, ita quod eas haberemus plene & integre, & contenti essentus legitime de eisdem & de constitutione seu deputatione dictorum receptorum seu collectorum, & perceptione redditurum eorumdem pro nobis vel pro illo, seu illis, in quem vel in quos transferremus, ut præmittitur, annuos redditus supradictos in festo Nativitatis B. Johannis-Baptistæ futuro proximo inchoandis, & quod residuas octuaginta libras ejusdem monetæ Turon. hujusmodi perpetui redditus quas idem rex super portu Bellæ-perticæ ejusdem Tolos. diœcesis percipit annuatim, cui quidem portui abbas monasterii dicti loci de Bella-pertica, de nauta & navibus tenetur propriis sumptibus providere, habendas & percipiendas pro complemento dictarum sexcentarum librarum a nobis aut nunciis seu procuratoribus nostris, aut illius vel illorum in quem vel quos prædictas octuaginta libras per nos ut prædicitur transferri contingeret, eo modo quo dudum per officiales seu nuncios dicti regis pro ipso consueverunt percipi & haberi, cum jurisdictione & potestate coercendi debitores ad eamdem solutionem faciendam, haberemus integraliter, ut est moris. Voluit etiam rex præfatus, & suarum litterarum tenore concessit, quod nos tanquam privata persona & super hoc habentes & habituri causam a nobis sexcentas libras annui & perpetui redditus sæpe dicti habeamus, teneamus & possideamus in perpetuum pacifice & quiete, & ea omnia in quoscunque prælatos & personas ecclesiasticas, collegium vel universitatem ecclesiasticam vel secularem transferre possimus, quodque prælati & personæ ecclesiasticæ, collegium vel universitas in quos nos vel causam super hoc a nobis habituri, pedagium seu leudam & alios pecuniarios redditus supradictos, cum eisdem jurisdictione & potestate duxerint transferenda eadem pedagium seu leudam & redditus cum jurisdictione & potestate prædictis absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, aut præstandi financiam pro eisdem, habeant, simili modo teneant & possideant in futurum pacifice & quiete, in aliis dicti regis & alieno in omnibus jure salvo, prout in prædictis litteris ejusdem regis sigillo munitis plenius continetur. Cum igitur nos prædictas sexcentas libras ejusdem annui redditus pro parte dotis duarum ecclesiarum, scilicet B. Mariæ de Usesta & sancti Martini in castro seu burgo *de Vinhandrant* Burdegalens. & Vasaten. diœces. fundatarum, quas ad laudem & gloriam Salvatoris in collegiatas ecclesias ereximus, duxerimus acquirendum, dictaque loca & redditus & proventus a præfatis ecclesiis adeo sint remota, quod ecclesiæ ipsæ ex præfatis redditibus modicam utilitatem possent consequi vel habere; propterea volentes in hac parte sæpedictis ecclesiis absque tamen damno tuo & ecclesiæ Tolosanæ utiliter providere, prædictas sexcentas libras ejusdem annui & perpetui redditus percipiendas in locis prædictis per te & successores tuos vel alios tuo & eorumdem nomine quo tibi & ecclesiæ Tolos. accommoda fore noscuntur, in te & mensam tuam episcopalem ejusdem ecclesiæ Tolos. tuosque episcopos successores Tolos. qui pro tempore fuerint perpetuis habendas temporibus apostolica autoritate transferimus. Ita videlicet quod tu in decimis ad tuam mensam episcopalem pertinentibus castro Sarracenti ejusdem diœcesis Tolosanæ magis propinquis & eisdem ecclesiis magis accommodis, redditus & proventus qui usque ad valorem dictarum sexcentarum librarum singulis annis ascendant, nobis vel alii seu aliis quem vel quos ad hoc duxerimus deputandum seu etiam deputandos pro eisdem ecclesiis seu eorum nomine conferas & assignes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ translationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionens. diœcesis, II cal. Junii, pontificatus nostri anno septimo.

LXIV.

Litteræ Johannis papæ XXII ad reginam Siciliæ de sanctitate S. Ludovici episcopi ejus filii.

1317. CARISSIMÆ in Christo filiæ Mariæ reginæ Siciliæ illustri. Epulari filia in sinceritatis & veritatis azymis, & in Domino gaudere te convenit, quia filius tuus ab olim mundo moriens, Deo feliciter vivere, factusque compatriota Cœlestium ac siderearum incola mansionum, in Domini tabernaculo meruit habitare; exultare ac pium prorumpere debes in jubilum, de utero tuo processisse virum angelicum, meditans consortem esse Angelorum; profusis decet te plaudere gaudiis, quod talem in terris genueris filium cujus in cœlis patrocinio cujusque favore apud homines potiris ut intercessionibus apud Deum. Hic est ille natus tuus venerandæ memoriæ LUDOVICUS episcopus Tolosanus, quem Deus ipse gloriosus in sanctis suis, & in Majestate mirabilis, sua immensa bonitate virtutum operatione mirificans, & gratia sanitatum, sic immensis illustravit miraculis, quod in diversitate graduum sui status in gratia & gloria gradatim ascendit. Hic est, quem ut pie creditur, Rex ipse cœlestis sic honorari decrevit in patria, ut sedi supernæ quietis insidat, æternæ claritatis lumine quasi vestimentis amictus regiis, & sempiternæ gloriæ diademate coronatus. Hic est denique, quem & nos propter sua merita gloriosa, nostro ministerio per omnem Christiani cultus ambitum, vehiculo debitæ venerationis incedere, ac profusis per orbem gaudiis & effusis undique laudibus coli cupientes in terris, nuper die Jovis post festum Resurrectionis Dominicæ, septimo videlicet idus Aprilis de fratrum nostrorum & prælatorum omnium tunc apud sedem apostolicam existentium, unanimi consilio & consensu concordi Sanctorum catalogo duximus adscribendum, nec sine causa paschale tempus ad id faciendum elegimus, ut dies ipsa nova festivitate jucunda & temporis gaudiosa celebritate paschali fieret ampliori jucunditate festiva. Digne itaque filia, cor tuum delectari debet in Domino & in salutari suo tuus animus dilatari, & digne gratias agere teneris Altissimo qui tibi fecunditatem sobolis tam sanctissimæ tribuit, & qui in tanta sublimitate illius in benedictionibus immensæ dulcedinis te prævenit. Propera igitur quæsumus, & in odore unguentorum beatissimi filii curre, tuas corrigendo vias & bonis operibus vacando, festina ut illum sequi merearis ad regnum, quem si mundo viveret affectu regente materno in exilium sequereris.

* Al. IV. Datum Avenione * quinto idus Apriles.

LXV.

Tolosana sedes in archiepiscopatum erigitur, ejusque territorium dividitur in plurimas diœceses.

1317. SALVATOR noster cujus nutui cuncta serviunt, in agro mundi hujus messem multam aspiciens, & operariorum raritatem attendens, Dominum messis rogandum esse ut in illam operarios mitteret, censuit: & ipse idem etiam exiens mane, veluti paterfamilias diligens, horis diei variis operarios in vineam suam misit. Romanus itaque pontifex, sicut eodem Domino disponente vicarius ejus in terris esse dignoscitur, sic & ipsius actibus, in quantum sinit humana fragilitas, se conformare tenetur. Ubi ergo superexcrescere messem, populi videlicet multitudinem viderit, operarios debet opportunos adjicere, & juxta propheticum verbum, augere custodiam, custodes & cultores idoneos in Dominicam vineam destinare. Sane considerantes attentius, & intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta

A fecundavit altissimus civitatem & diœcesim Tholosanam, singulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere: quodque durum erat atque difficile per talem latam & diffusam diœcesim ad unum tantum a personis ecclesiasticis & mundanis recursum haberi. Attendentes etiam, quod licet Tholosanus episcopatus redditibus abundaret immensis, non tamen supererat hucusque memoria, quod ex suorum opulentia copiosa redditituum aliquid in ecclesia vel diœcesi Tholosana provenisset in divini cultus augmentum: imo sic ex adipe prodierat & prodibat iniquitas, ut multo jam tempore luxus circa carnis desideria, evectionum pompa, immensitas clientelæ, immoderata disfluxio in parentes, sumptus enormes, aut usus extraordinarii B sibi vendicassent ibidem quasi totum patrimonium Crucifixi: & verendum erat ne præsul unicus Tholosanus incrassatus & dilatatus, & excessivis hujusmodi opibus alias superbus, periculose recalcitrans, Deum factorem derelinqueret, & a suo salutari recedens, perniciosum exemplum in subditos derivaret. Pensantes quoque quod sanctæ memoriæ Clemens papa quintus prædecessor noster, eodem etiam tempore quo civitas & diœcesis antefatæ longe minus in populo ac redditibus affluebant, tamen ex tunc benedicente Domino incredibiliter creverunt in utroque & jugiter crescere dignoscuntur, spiritu beatæ considerationis inductus, ad divisionem episcopatus ejusdem firmiter, dum viveret intendebat, licet morte præventus, suum in hac parte nequiverit implere conceptum. Nos C pium prædecessoris nostri propositum in effectum volentes adducere, & tam dissipare malum quod prædictorum reddituum copia excessiva produxit, quam etiam cultum augere divinum & spiritalem animarum profectum, quos (si juxta facultatis exigentiam, & diffusam latitudinem dictæ diœcesis sufficiens numerus in eadem utilitate præsulum deputetur) indubio provenire speramus, promovere salubriter intendentes: præmissis & aliis suadentibus justis causis, ex certa nostra scientia, de fratrum nostrorum consilio concordi, & Apostolicæ plenitudine potestatis, ad laudem Dei exaltationem ecclesiæ, fideliumque salutem, episcopatum ipsum dictamque diœcesim Tholosanam, Apostolica auctoritate dividimus in quinque diœceses quas per certos distingui limites faciemus, volentes ac decernentes quod D præter civitatem Tholosanam quæ suam propriam & distinctam habebit diœcesim certis finibus limitandam, subscriptæ quatuor villæ, quarum quamlibet, eisdem consilio & auctoritate, in civitatem erigimus, & civitatis vocabulo insignimus: scilicet de MONTE-ALBANO, pridem de Caturcensi diœcesi, cui adjicietur certa pars dictæ quondam diœcesis Tholosanæ, ac S. PAPULI, DE RIVIS, & de LUMBERIIS, & de ipsa quondam Tholosana diœcesi existentes, quatuor separatas diœceses habeant certis limitibus distinguendas. Quodque beati Martini de Montealbano, ubi corpus S. Theodardi confessoris dicitur esse reconditum, prædictæ civitatis Montis-albani, & beati Papuli, dictæ civitatis S. Papuli, Mariæ de Lumberiaco, necnon beatæ Mariæ de Rivis, E ecclesiæ ipsius civitatis Rivensis sint de cætero, & habeantur perpetuo ecclesiæ cathedrales. Et quia ecclesia Tholosana, sicut solenniori statu & conditione potiori refulget, sic & grandioris honoris titulis efferenda est, ipsam hucusque suffraganeam ecclesiæ Narbonensis, ac totam quondam diœcesim Tholosanam, de fratrum nostrorum consilio, & ex certa nostra scientia, & apostolicæ plenitudine potestatis, ab omni jurisdictione, potestate ac subjectione archiepiscopi, capituli, & ejusdem ecclesiæ Narbonensis penitus eximentes, eam ad laudem divini nominis & honorem ecclesiæ sanctæ suæ, in archiepiscopalem seu metropolitanam erigimus, eamque honoribus & insigniis sedis metropolitanæ decoramus; auctoritate

apostolica decernendo, ut exnunc pro metropolitana ecclesia in perpetuum habeatur. Et quia etiam dignum est, ut ex quo de filia facta mater, metropolicæ dignitatis suscepit insignia & suffraganeatum, congruum numerum filiarum ac decenem provinciam habeat: ut ad judicium archiepiscopi Tholosani, qui pro tempore fuerit, omnes causæ suffraganeorum episcoporum & personarum ecclesiasticarum, ac civitatum ejusdem provinciæ juxta sacrorum statuta canonum referantur. Nos præfatas quatuor civitates & ecclesias cathedrales, cum earum diœcesibus, ut præmittitur, distinguendas, necnon civitatem & ecclesiam Appamiarum cum sua diœcesi, exnunc ipsius ecclesiæ Tholosanæ suffraganeas, ac de provincia Tholosana, in perpetuum fore decernimus, & jure metropol. subjicimus, & subjectas volumus eas illi prænominatas Montis-albani, quæ de diœcesi Caturcensi & Bituricensi provincia, & Appamiarum civitates, & ecclesias quæ de provincia Narbonensi hactenus fuisse noscuntur; necnon reliquas tres civitates, & ecclesias S. Papuli, Rivensis, Lumberiacensis, quæ ab olim de diœcesi Tholosana fuerunt, cum earum diœcesum conventibus, collegiis sive capitulis, a jurisdictione, potestate ac subjectione quacumque Bituricensis & Narbonensis archiepiscoporum, de Caturcensis & quondam Tholosani episcoporum, capitulorum & abbatum, atque conventuum & ordinariorum quorumlibet, aliorum ecclesiasticorum, quibus quomodolibet fuerant huc usque subjectæ, auctoritate præsentium perpetuo eximentes, de prædictorum consilio & plenitudine potestatis. De bonis autem, redditibus, proventibus & juribus dicti quondam episcopatus Tholos. ipsi Tholosano decem millia, & singulis aliis prædictis ecclesiis, Appamiarum excepta, cui de ipsis bonis, redditibus & proventibus, juribus, ultra illa quæ habere dignoscitur, certam assignabimus portionem nostris aliis litteris distinguendam: singula quoque millia librarum Turon. annui redditus & perpetui proventus, quæ quidem unicuique illarum suisque pontificibus, dignitate, de onere & circonstanciis aliis attente pensatis, debere sufficere vidimus, præter redditus, proventus & jura quæ ad prædictas ecclesias & conventus earum antea pertinebant, de quibus ad honorem Dei & ipsarum ecclesiarum commodum intendimus ordinare, ex nunc auctoritate prædicta, de consilio ac plenitudine memoratis concedimus, donamus ac etiam deputamus percipienda integraliter per ipsarum ecclesiarum præsules, qui pro tempore fuerint, in rebus & locis cuilibet magis adjacentibus & vicinis, juxta distinctionem seu limitationem diœceseon singularum, per alias nostras litteras faciendam. Interim tamen distinctione seu limitatione prædicta pendente, volumus quod eorum quilibet summam eum contingentem pro rata accipiat annuatim de bonis, redditibus, proventibus & juribus antedictis, per manus eorum quos ad hoc providerimus deputandos. Residuum vero reddituum, proventuum & jurium ipsorum, quod facta de illis, ut præmissum est, assignatione supererit, necnon jurisdictionem spiritalem & temporalem, quæ ad dictum quondam episcopatum Tholosanum, usque ad tempus divisionis hujusmodi, pertinebat, & quæ distinctione seu limitatione posttacta, pendente faciemus per idoneas exerceri personas; ac beneficia, etiamsi dignitates, personatus ac officia existant, exceptis his ad quæ quis per electionem assumitur, & in quibus vel ad quæ auctoritate litterarum apostolicarum alicui seu aliquibus jus est aliquod acquisitum, quibus per id nullum volumus præjudicium generari, nunc & in antea usque ad distinctionem diœc. vacatura, dispositioni nostræ ac sedis apostolicæ de fratrum ipsorum consilio reservamus. Hæc igitur per dictæ sedis prudentiam circumspectam, sic statuta salubriter & utiliter ordinata, perpetuis esse valitura temporibus, & robur

A incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta districtius inhibemus, ne aliquis cujuscumque præeminentiæ, ordinis, conditionis aut status, etiamsi archiepiscopali vel episcopali, seu regia præfulgeat dignitate, hujusmodi ordinationem, apostol. reservationem, & alia supradicta quovis modo turbare, seu quomodolibet impedire præsumat. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Et nihilominus in eos qui ex certa scientia contrarium præsumpserint, nisi intra octo dierum spatium post publicationem præsentium resipuerint cum effectu excommunicationis in personas, & interdicti in universitates, ac suspensionis in conventus, capitula sive collegia, de consilio & auctoritate prædictis

B sententias promulgamus: a quibus nonnisi per Romanum pontificem absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo valeant obtinere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrarum divisionis, voluntatis, constitutionum, erectionum, insignitionum, exemtionum, decorationis, subjectionis, concessionis, donationis, deputationis, reservationis, inhibitionis, promulgationis infringere, &c. Datum Avinioni VII kal. Julii, pontificatus nostri anno primo.

LXVI.

Litteræ Johannis XXII ad Philippum V de erectione archiepiscopatus Tolosani.

C JOHANNES episcopus servus servorum Dei 1317.
carissimo in Christo filio Philippo regi Franciæ & Navarræ illustri salutem & apostolicam benedictionem. Si prout indicit tibi, fili carissime, clari tui generis bonitas in te, ut credimus firmiter radicata, quæcumque circa ecclesias christianissimi regni tui Franciæ ad Dei laudem & gloriam suique cultus augmentum ordinanda duxerimus, grata gerere debes & placita, acceptabiliora nimirum tuis esse debent affectibus, dum in tuam & regni prædicti quietem providumque tutamen illorum redundat effectus. Hæcce, fili carissime, considerantes attentius & frequenter in animo revolventes quod in tanta multitudine populi quanta fecundavit altissimus civitatem & diœcesim Tolosanam, singulorum vultus nequibat ut condecet unicus pastor inspicere, aut alias partes

D boni pastoris implere, quodque durum existebat atque difficile in tam larga & diffusa diœcesi ad unum tantum a tot personis ecclesiasticis & mundanis recursum haberi, attendentes etiam quod vix superest huc usque memoria ut ex ea qua Tolosanensis episcopatus vigebat opulentia copiosa reddituum aliquod in ecclesia vel diœcesi Tolos. provenisset divini cultus augmentum, imo sic ex adipe prodierat & prodibat iniquitas, ut multo jam tempore luxus, cura carnis in desideriis, evectionum pompa, numerositas clientelæ, sumtus enormes & usus extraordinarii sibi vindicassent quasi totum patrimonium Crucifixi, & ab ipsius nostræ considerationis intuitu, non excluso quod tibi & regno prædicto, ad quorum tutam tranquillitatem afficimur, periculosum esse poterat, in adversi præsertim in-

E gruentia temporis, in partibus illis talem habere pontificem, qui in potentia & divitiis quasi cujusdam regis insigne præferret, nos pro te velut filio prædilecto, necnon pro ipsarum civitatis & diœcesis populo salubre consilium capientes, debitum officii pastoralis implendo, necnon dissipando malum quod prædictorum reddituum copia excessiva produxit, & nihilominus civitatem ipsam novæ dignitatis insigniis insignire volentes, & per consequens regnum tuum speciali quadam honorificentia decorare, ipsum Tolosanum episcopatum ejusque redditus in quinque partes de fratrum nostrorum consilio per certos limites duximus dividendos, civitatem seu ecclesiam Tolosanam, quæ sicut solenniore statu & conditione potiori

præfulget, sic & est grandioris honoris titulis efferenda, A in archiepiscopalem erigentes seu metropoliticam, ac in quatuor aliis partibus quatuor episcopales ecclesias ejus suffraganeas de novo creantes, ut tantum onus partitum in plures, quod per unum procul dubio sustineri non posset, levius feratur a multis, & dum idonei erunt in unaquaque regione pastores, divino cultui insistatur uberius, piis diligentius intendatur operibus, & per sui ministerium præsulis grex subditus facilius retrahatur a noxiis & ad salutaria dirigatur, & ut insuper tanta unius potentia debilior per divisionem hujusmodi reddita, nedum minor tibi de ipsarum concussione partium possit superesse suspicio, quin etiam evidenter occurrat de illarum fideli constantia majoris securitatis & fiduciæ plenitudo. Tu itaque fili carissime, ordinationem nostram hujusmodi B tam expedientem & utilem, & tam honorabilem regno & civitati prædictis, ac ipsius efficaces rationes & causas, necnon ordinantis puram intentionem & rectam, attenta nec minus grata meditatione recogitans ac confidenter advertens quod per id tu & regna tuo commissa regimini multiplicatos intercessores habebitis apud Deum, nullis, quæsumus, nostra in hac parte vota, quæ indubie credimus cum Divini numinis voluntate concurrere, depravare nitentibus acquiescas, quin immo perversas suasiones talium sic prudenter rejicere sicque viriliter studeas confutare, quod nobis gratum existere debeat, & tu proinde ab eo cujus in hoc negotium agitur condignum præmium reportare merearis. Datum Avinioni nonis Julii, pontificatus nostri anno primo. C

LXVII.

Aliæ ejusdem ad eumdem litteræ de novis in regno episcopatibus erectis ordinatisque episcopis.

1317. JOHANNES episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo Franciæ & Navarræ regi illustri salutem & apostolicam benedictionem. Per alias tibi, fili carissime, scribimus litteras qualiter episcopatum Tolosanum ejusque reditus in quinque diœceses de fratrum nostrorum consilio per distinguendos limites duximus dividendos, civitatem seu ecclesiam Tolosanam in archiepiscopalem erigentes seu metropoliticam, ac in quatuor aliis diœcesibus quatuor episcopales ecclesias ejus suffraganeas de D novo creantes. Sed & nunc tibi significare providimus nos Albiensem in duos & Claromontensem episcopatus in alios duos similiter divisisse. Ut autem de locis in quibus constituimus episcopatus hujusmodi, ac de personis de quibus episcopatibus providimus antefatis, notitiam habeas, scire te volumus quod castrum seu villam de Rivis ac villas S. Papuli & Lumberiaci quondam Tolosanæ ac Montemalbanum quondam Caturcensis diœcesis civitates fecimus, & in earum qualibet ecclesiam constituimus cathedralem, quarum primæ, scilicet de Rivis, de dilecto filio magistro G. de Brocia decano Bituricensi consiliario tuo, viro utique cujus genus, fidelitas & merita te non latent; secundæ, scilicet S. Papuli, de dilecto filio abbate ejusdem loci, viro E profundæ scientiæ & fidelitatis expertæ; tertiæ vero, scilicet Lumberiaci, de dilecto filio abbate ejusdem loci, fratre dilecti filii nobilis viri comitis Convenarum, viro laudabilis conversationis & vitæ; & quartæ, scilicet Montis-albani, de dilecto filio abbate ipsius loci capellano nostro & causarum appellationum palatii nostri auditore duximus providendum. Castras autem quondam Albiensis & villam sancti Flori quondam Claromontensis diœcesis similiter fecimus civitates & in earum qualibet ecclesiam constituimus cathedralem; quarum primæ, scilicet Castrensi, de dilecto filio abbate Latiniacensi magistro in Theologia; reliquæ vero, scilicet S. Flori de abbate S. Tiberii decretorum doctore capellano nostro providimus, viris utique genere nobilibus & morum honestate præclaris, qui omnes de regno tuo Franciæ oriundi, & fidelibus regni progeniti, regiorumque commodi & honoris fervidi zelatores existunt. Hæc, fili dilectissime, fecimus intendentes in iis Dei honorem & gloriam suique nominis cultum extollere, animarum procurare salutem, & tuam & regni tui tranquillitatem, securitatem & pacem, ac commodum evidens promovere. Datum Avinioni VII id. Julii, pontificatus nostri anno primo.

LXVIII.

Fundatio conventus seu monasterii monialium canonicarum S. Saturnini Tolosanensis ordinis S. Augustini.

JOANNES episcopus servus servorum Dei ad 1320. perpetuam rei memoriam. Exponentibus nobis nuper dilecto filio nostro Vitali tituli S. Martini in Montibus presbytero cardinali, & Petro abbate monasterii sancti Saturnini Tholosanensis ordinis sancti Augustini sanctæ Romanæ ecclesiæ vice cancellario, quod dudum eodem Vitali, priusquam foret ad cardinalatus dignitatem assumptus, in civitate Tholosana quadam die proponente populo verbum Dei, nonnullæ mulieres quæ obscœnam vitam ducebant, seque immergebant in volutabro peccatorum, statim divina gratia inspirante, & captæ spiritaliter dulcedine dicti verbi Dei, abjectis carnis illecebris ad Christum sint divina clementia favente conversæ, & quemdam certum locum situm in parochia de Tauro, qui ejusdem monasterii esse dignoscitur, de consensu tamen abbatis & conventus dicti monasterii, pro inhabitatione earum, ut ibidem pœnitentiam agerent, receperunt; cui quidem loco tantum dedit Altissimus incrementum, quod inpræsentiarum sunt triginta septem numero pro majori parte virgines & genere nobiles, ac aliæ honesti status & conversationis laudabilis in loco hujusmodi mulieres, quæ adeo sunt per virtutum augmenta progressæ, quod inter eas morum observantia, honestas & pudicitia vigent, & clarescunt opera sanctitatis; ac per eas diurnis ac nocturnis horis pulchre ac devote insistitur in divinis officiis laudabiliter celebrandis. Ex hac itaque virtutum & operum fragrantia venerabilis frater noster Raymundus episcopus Mirapicensis tunc abbas monasterii prælibati, gratum odorem velut ex aromatibus sentiens, de voluntate omnium & singulorum canonicorum dicti monasterii, mulieres ipsas ad professionem ordinis & regulæ beati Augustini juxta formam & modum quibus iidem canonici ordinem & regulam profitentur hujusmodi, de plurium jurisperitorum & aliorum prudentium consilio sincera caritate recepit solemniter & admisit, volens eas, sorores canonicas sancti Saturnini Tholosanensis ex tunc in antea nuncupari. Nos igitur qui in terra vices Christi, licet immeriti, gerimus, cupientes ad divini cultus augmentum animarumque salutem familiam domus suæ Apostolici favoris præsidio communire, eorumdem cardinalis & Petri abbatis necnon ipsarum sororum seu canonicarum nobis in hac parte humiliter supplicantium precibus inclinati, receptionem & ordinationem hujusmodi factas de prælibatis mulieribus, ut præfertur, ratas & gratas habentes, ipsas ac earum statum, habitum atque nomen authoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis in præmissis forsan habitus quomodolibet extitisset de apostolicæ plenitudine potestatis: & nihilominus eadem authoritate ad laudem divini nominis decernentes, ut hujusmodi locus & habitatio ipsarum ex tunc & deinceps perpetuo canonicarum monasterium censeatur, dictæque sorores amodo

canonicæ nominentur: quodque in eodem monasterio præsit perpetuis futuris temporibus priorissa, & tam ipsa quam conventus canonicarum ipsius monasterii, ac res & bona ipsarum quæ sunt ad præsens & in posterum dante domino obtinebunt, abbati dicti monasterii S. Saturnini, qui est & qui pro tempore fuerit, ipsique monasterio S. Saturnini pleno jure in spiritualibus & temporalibus sint subjecta; & quod ad canonicas ipsas earumque conventum electio priorissæ præfatæ cum imminebit facienda juxta canonica instituta seu canonicam formam pertineat; confirmatio autem & informatio ejusdem electionis ad abbatem dumtaxat pertineat prælibatum, vel monasterio ipso S. Saturnini vacante, ad vicarium seu vicarios ejusdem monasterii pertinere noscatur: qui cum consilio & assensu majoris partis canonicorum dicti monasterii S. Saturnini, si tamen aliquod canonicum non obsistat impedimentum possint & valeant hoc facere & complere. Teneatur quoque ipse abbas administrationem dicti monasterii ipsarum canonicarum priorissæ præfatæ, postquam electa rite & confirmata per ipsum extiterit, tradere & libere assignare: interim tamen ante videlicet electionem & confirmationem hujusmodi administrationem eamdem per ipsum abbatem volumus gubernari. Visitatio quidem, correctio, punitio & reformatio dictarum priorissæ & conventus earumque monasterii, tam in capite quam in membris ad abbatem pertineat supradictum, ut possit in eas ipsarumque monasterium & conventum censuram ecclesiasticam exercere. Statuimus insuper quod in ipso canonicarum monasterio triginta canonicarum numerus perpetuis temporibus habeatur, dictæque canonicæ præsentes & posteræ in dicto earum monasterio perpetuo sint inclusæ, & quatuor honestis servitoribus . . . . . . * qui eis in earum opportunitatibus serviant. Volumus etiam & mandamus quod receptio canonicarum in monasterio prælibato, postquam ipsæ infra prædictum trigenarium numerum fuerint, cum consilio & consensu priorissæ & canonicarum ipsarum ad abbatem dumtaxat pertineat supradictum, & si forsan super receptione hujusmodi vel assensu dubium aliquod oriatur, definitio, cognitio & determinatio ipsius dubii ad eumdem abbatem vel ad ejus vicarium seu vicarios devolvatur: illarum vero canonicarum quas in monasterio jam dicto recipi contigerit in futurum sit gratuita, pura & charitativa receptio, & si aliquid gratis offerri contingat dicto monasterio pro eisdem, liceat eidem priorissæ suoque conventui gratuitatem oblatam seu donatam recipere, ita tamen quod sic oblata seu donata cum consilio & assensu abbatis aut vicarii seu vicariorum ipsius, per ipsam priorissam in utilitatem & emolumentum dicti canonicarum monasterii ejusdem conventus libere convertantur. Inhibemus autem & volumus quod nulla recipiatur in monasterio ipso, postquam ad præfatum, ut præmittitur numerum redactum extiterit, nisi prius duodecimum attigerit, & infra quintum decimum ætatis annum existat. Liceat tamen in hoc casu eidem abbati cum recipienda vel recipiendis circa ætatis annos supra quindecim, siquidem utilitas fuerit, dispensare; quod dicta priorissa & conventus nihil possint a memoratis abbate & conventu de novo petere vel exigere, nec contra eos ipsorumque monasterium suum sibi aliquid vindicare. Adjicimus præterea & mandamus quod dicta priorissa rationem administrationis bonorum dicti monasterii præfato abbati vel aliis de ipsius mandato, quater in anno, si requisita fuerit, reddere teneatur. Cæterum præfatos abbatem & conventum dicti monasterii sancti Saturnini rogamus & hortamur in Domino, eis in remissionem peccaminum suadentes, quatenus easdem priorissam & canonicas habentes ob reverentiam Domini nomine commendatas, ipsas opportunis temporibus, verbis & operibus per se instruant & informent salutaribus exemplis, aut per alios probos viros instrui faciant & etiam informari, ut post præsentis vitæ decursum possint de animabus earum coram æterno Judice dignam reddere rationem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, suppletionis, constitutionis, voluntatis, statuti, mandatorum, inhibitionis & additionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione calendis Decembris, pontificatus nostri anno quinto, & Incarnationis Dominicæ millesimo trecentesimo vigesimo.

* F. utantur.

L X I X.

Excerptum bullæ Johannis XXII pro monialibus canonicis S. Saturnini.

DUDUM ad notitiam apostolatus nostri deducto quod nonnullæ mulieres quæ olim reprehensibilem vitam ducentes, divina gratia inspiratæ & captæ dulcedine verbi Dei dimissis carnis illecebris ad Christum fuerant clementia Divina favente conversæ, & quemdam locum situm in parochia de Tauro qui monasterii S. Saturnini Tolosani ord. S. Augustini fore dinoscitur, de consensu abbatis & conventus dicti monasterii pro inhabitatione earum, ut ibidem pœnitentiam agerent, receperant, cui loco tantum dederat Altissimus incrementum quod jam XXXVII numero pro majori parte virgines & genere nobiles & conversationis laudabilis erant in loco hujusmodi mulierum, « inter quas morum observabatur honestas, vigebat pudicitia, & clarebant opera « sanctitatis, ac per eas diurnis & nocturnis horis insistebatur devote Divinis officiis celebrandis, & quod ex « hac operum & virtutum fragrantia, tu frater episcope, « tunc abbas monasterii prælibati gratum odorem velut « ex aromatibus sentiens, de voluntate omnium canonicorum dicti monasterii mulieres ipsas ad professionem « ordinis & regulæ B. Augustini juxta formam & modum « quibus iidem canonici dictos ordinem & regulam profitentur, sincera caritate recipiendas duxeras & etiam « admittendas, volens eas sorores canonicas S. Saturnini « Tolosani ex tunc in antea nuncupari. » Nos cupientes ad Domini cultus augmentum, &c. Ipsas earumque statum atque nomen auctoritate apostolica, ex certa scientia duximus confirmanda, &c. 1322.

L X X.

Parthenon S. Saturnini in abbatiam erigitur.

JOANNES episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sancta Romana ecclesia quæ super universas alias orbis ecclesias obtinet Divina institutione primatum, de statu prospero ecclesiarum & religiosorum locorum ordinat & disponit illa præveniendo gratiis & honoribus attollendo prout locorum personarumque qualitatibus & circumstanciis eorum pensatis conspicit in Domino salubrius & utilius expedire. 1327.

Sane dudum exponentibus nobis bonæ memoriæ Vitali episcopo Albanensi tunc tituli S. Martini in Montibus, & Petro tituli sancti Stephani in Celio monte presbyteris cardinalibus tunc abbate monasterii sancti Saturnini Tolosani ordinis S. Augustini sanctæ Romanæ ecclesiæ vice-cancellario, quod olim eodem Vitali priusquam foret ad cardinalatus dignitatem assumptus in civitate Tolosana proponente quodam die populo verbum Dei, nonnullæ mulieres quæ obscœnam vitam ducebant, seque immerserant in volutabro peccatorum, statim divina gratia inspiratæ, & captæ spiritualiter dulcedine dicti verbi, abjectis carnis illecebris, ad Christum fuerant divina clementia * faciente conversæ, & certum locum situm

* Faventes.

in parochia de Tauro qui ejusdem monasterii existebat de consensu tamen abbatis & conventus dicti monasterii pro inhabitatione ipsarum ut ibidem pœnitentiam agerent receperant, & quod eidem loco tantum dederat altissimus incrementum, quod tunc triginta septem numero, pro majori parte virgines & genere nobiles, ac aliæ honesti status & conversationis laudabilis erant in loco hujusmodi mulieres quæ adeo erant per virtutum augmenta miraculose progressæ, quod inter eas morum servabatur honestas, vigebat pudicitia, & clarescebant opera sanctitatis, ac per eas diurnis & nocturnis horis pulchre & devote insistebatur in divinis officiis laudabiliter celebrandis, quodque ex hujusmodi operum & virtutum fragrantia bonæ memoriæ Raymundus episcopus Mirapicensis tunc abbas monasterii prælibati gratum odorem velut ex aromatibus sentiens de voluntate omnium & singulorum canonicorum dicti monasterii, mulieres ipsas ad professionem ordinis & regulam beati Augustini, juxta formam & modum quibus iidem canonici ordinem & regulam profitebantur eamdem sincera caritate receperat, volens eas sorores canonicas sancti Saturnini Tolosani ex tunc in antea nuncupari. Nos cupientes ad divini cultus augmentum animarumque salutem familiam domus Domini apostolici favoris præsidio communire ipsorum Vitalis, Petri & sororum supplicationibus inclinati receptionem & ordinationem hujusmodi factas de præfatis mulieribus, ut præfertur, ratas & gratas habentes ipsas ac earum statum, habitum atque nomen authoritate apostolica ex certa scientia duximus confirmanda, supplentes omnem defectum si quis in præmissis forsan quomodolibet extitisset de apostolicæ plenitudine potestatis, & nihilominus eadem authoritate decrevimus ut hujusmodi locus & inhabitatio ipsarum extunc deinceps perpetuo canonicarum monasterium consecretur, dictæque sorores deberent canonicæ nominari, & quod in eodem monasterio perpetuis futuris temporibus priorissa præesset, prout in eisdem litteris nostris plenius continetur. Cum autem sicut habet fide dignorum assertio laudabilis & accepta præfatum monasterium favente Domino sic in operibus bonis quæ inibi jugiter exercentur, & in rebus temporalibus excrevisse noscatur, quod digne meretur per sedem apostolicam gratiis & honoribus præveniri.

Nos volentes propterea dictum monasterium potiori decorari prærogativa tituli & honoris ipsum monasterium ad laudem divini nominis authoritate apostolica exnunc abbatiæ titulo, honore & nomine insignimus, authoritate prædicta firmiter statuentes quod dilecta in Christo filia . . . . . eidem præsidens monasterio, quæ priorissa ut præmittitur vocabatur, quamque auctoritate prædicta eidem monasterio canonicarum in abbatissam præficimus, & omnes aliæ quæ in regimine dicti monasterii succedent eidem, abbatissæ de cætero nuncupentur, ipsumque monasterium ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus per abbatissam debeat gubernari, & tam prædictæ quam futuris abbatissis ejusdem monasterii canonicarum munus benedictionis secundum instituta canonica per loci ordinarium impendatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ insignitionis, statuti & præfixionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenion. tertio calendas Septembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

LXXI.

Priori Deauratæ usus baculi pastoralis conceditur.

1342. CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Bonafosso priori prioratus conventualis B. Mariæ Deauratæ Tolosanæ Cluniacensis ordinis, salutem & apostolicam benedictionem. Dum diligenter attendimus sinceræ devotionis affectum, quem ad Romanam geris ecclesiam, & nos ipsos, favorem & gratiam tibi libenter impendimus, & petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus: hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut tu in processionibus & alibi in divinorum officiorum solemnitatibus baculum, alias bordonum vulgariter nuncupatum, aureum vel argenteum, seu auro vel argento munitum portare ac tenere ad vitam tuam valeas, ordinariorum locorum vel quorumcumque aliorum licentia minime requisita, quibuscumque constitutionibus necnon statutis & consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, aucthoritate tibi apostolica de speciali gratia tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione XI cal. Decemb. pontificatus nostri anno primo.

LXXII.

Instrumenta fundationis, dotationis, erectionis monasterii de Salenchis monialium Cisterciensis ordinis Tolosam translati. In quibus ordinatio sive electio primæ abbatissæ continetur. Ex autographo.

IN nomine Domini Jesu-Christi amen. Quoniam hostes humani generis naturam humanam, quæ de se proclivis est jugiter ad delicta, impellunt sæpius ad peccandum, ut sic christicolæ fraudentur denario retributionis æternæ, sedulo elaborandum est hominibus, ut quia contra hostem hujusmodi impulsum eorum propriis non possunt viribus subsistere, virtuosorum secum triumphantium videlicet & militantium [a]suffragatorum habeant comitatum. [b]Quia igitur nos Alienors de Convenis Dei gratia comitissa Fuxi, sive vicecomitissa Bearnii, Martiani, Gabardani & Lautrici, relicta magnifici & illustris viri domini Gastonis inclitæ recordationis comitis & vice-comitis terrarum prædictarum, caremus omnino meritis & virtutibus quibus contra memoratos impulsus per nos resistere valeamus, [c]contractu suffragatorum hujusmodi præ maxime indigemus, nec occurrit nobis quod illum convenientius invocare & efficacius procurare, adquirere vel habere valeamus, quam si subscriptam nostram dispositionem [d]sive fundationem & dotationem infra nominandi monasterii juxta licentiam per nos a sanctissimis in Christo patribus domino Clemente felicis recordationis papa sexto & domino Innocentio digna Dei providentia nunc papa sexto super hoc [e]sui licentiam prout in quibusdam litteris apostolicis inferius descriptis latius continetur sine prorogationis dispendio cum divino adjutorio explеamus, & quia decens & rationi consonum, nos GASTO comes & vicecomes terrarum prædictarum ac filius & heres universalis prænominati domini Gastonis arbitramur ut quod per ipsum dominum Gastonem & dictam dominam comitissam progenitores [f]nostros tam super fundatione [g]ejusdem futuri monasterii [h]fuerit laudabiliter inchoatum, quam super dotatione ejusdem futuri monasterii fuerat per eundem dominum progenitorem nostrum dispositum [i]convenimus ad plenum informati, sed morte ejusdem domini patris nostri superveniente permanserat incompletum, per nos & dominam genitricem nostram ante dictam ad perfectionem omnimodam deducatur. Eapropter nos ALIENORS prædicta & nos Gasto præfatus constituti personaliter infra locum [k]prædictum novi monasterii fundatum in præsentia venerabilium patrum in Christo dominorum Arnaldi [l]Elnarum, Pontii

1353.

[a] Ex apograph. suffragatorem.
[b] Primo igitur
[c] comitatu
[d] super fundationem
[e] jam obtentam
[f] meos
[g] cujusdam
[h] fuerat
[i] de quo fuimus
[k] pro ecclesia
[l] Elnensis

Pontii Lezatensis ac Bernardi de Calerüo monasteriorum abbatum * commissorum per super nominatos sanctissimos patres dictos dominos pontifices super hoc deputatorum prout in prædictis duabus litteris apostolicis eisdem commissariis per nos dictam commissam nuper præsentatis latius continetur, quarum tenor & series sequitur per ordinem in hæc verba.

* commissariorum.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Elnensis & Lezatensis ac de Calertio Tolosæ & Rivorum * diœcesis monasteriorum abbatibus salutem & apostolicam benedictionem. Eximiæ in Christo filiæ nobilis mulieris Alienoris comitissæ Fuxi nobilitatis & devotionis merita, quibus in sinceritate mentis & fidei æterno regi placere desiderat & Romanam ecclesiam reveretur, non immerito promerentur ut personam suam sinceris * affectionibus prosequentes desideriis suis quæ animæ ipsius salutem & divini cultus augmentum respiciunt, opportunis favoribus annuamus. Ex tenore si quidem * procurationis ipsius comitissæ nobis nuper oblatæ * percipimus quod ipsa de propria salute cogitans cupiensque terrena in cœlestia & transitoria in æterna felici commercio com...mare, in quibusdam domibus ipsius & quondam Gastonis comitis Fuxi viri sui * expon. prope locum de Salenchis Rivensis diœcesis constructis, & ad id oblatis & congruis affectat monasterium in quo triginta moniales ordinis Cisterciensis virtutum Domino famulentur perpetuo, quarum unam * in abbatissam aliis canonice præficiatur ibidem de bonis propriis ordinare, & ipsius domos in monasterium erigere, illudque sic erectum de bonis hujusmodi sufficienter pro * dominæ abbatissæ & monialium sustentatione congrua dotare proponit. Quare pro parte ipsius comitissæ fuit nobis humiliter supplicatum ut præmissa faciendi sibi concedere licentiam de speciali gratia dignaremur. Nos itaque ejusdem comitissæ hujusmodi petitioni, propositum in Domino commendantes ipsius in hac parte supplicationibus inclinati, domos easdem si ad id ejusdem Gastonis vel sui heredis accedat assensus pro dote dictarum abbatissæ & monialium sustentatione congrua cæterisque ipsius monasterii debitis oneribus supportandis de bonis ipsius comitissæ primitus assignatis in monasterium cum ecclesia seu oratorio, cimiterio, campanali, campana & aliis necessariis * assuetis erigendi ac etiam ordinandi, disponendi & * extruendi quæcunque ad hæc necessaria fuerint. Jure parochialis ecclesiæ & cujuscunque alterius in omnibus semper salvo necnon usque ad dictum numerum, personas cupientes in dicto monasterio sub regulari habitu, virtutum Domino famulari quas dicta comitissa vobis ad id nominandas duxerit, si sint idoneæ & aliud canonicum non obsistat recipiendi in * dicto monasterio ut monachas & sorores eisque regularem habitum exhibendi, & ab eisdem professionem ejusdem ordinis secundum regulam & * statuta ipsius canonice recipiendi, & de prædicto numero aliquam ipsum ordinem expresse professam ad hoc idoneam aliis dicti monasterii monialibus in abbatissam hac vice duntaxat præficiendi, non obstantibus quibuscunque constitutionibus apostolicis * ac privilegiis, statutis ac consuetudinibus ordinis supradicti contrariis, vobis & cuilibet vestrum plenam & liberam auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem. Volumus autem quod moniales prædicti monasterii quæ erunt pro tempore, postquam illud ingressæ fuerint & in eo votum professionis emiserint, sub perpetua maneant clausura nec inde egredi valeant, illis duntaxat exceptis quæ ad monialium hac vice initii recipiendarum instructionem in regula & institutione præsata de aliis monasteriis dicti ordinis in illis partibus consistentibus, quæ cum licentia abbatissæ dicti monasterii quæ erit pro tempore inde exire possint ex causa rationabili & honesta,

* diœcesum * affectibus * petitionis * percepimus * expensis * una * dictarum * officinis * extendendi * dicti monasterii monachas, &c. * institutam

Datum Avinioni idus Aprilis, pontificatus nostri anno nono.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Elnensi, Lezatensi & de Calercio Tolosæ & Rivorum diœcesum monasteriorum abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem. Piis desideriis nos decet gratum præstare consensum, & ea quæ augmentum religionis cultusque divini respiciunt ut * votum consequantur effectum affectu prosequi * glorioso. Sane dudum pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Alienordis comitissæ Fuxi, felicis recordationis Clementi papæ sexto prædecessori nostro fuit expositum quod ipsa de salute propria cogitans, &c. (ut supra in bulla Clementis) .... Cum autem sicut adhibita nobis nuper dilecti filii nobilis viri Gastonis comitis Fuxi, & præfatæ Alienoris ejus matris petitio continebat, idem prædecessor executione ejusmodi negotii non incepta sed re integra existente naturæ debitum persolvisset, ipsique Gasto filius & Helienors desiderent ut dictum negotium executioni mandetur, ac etiam quod dictum monasterium postquam erectum fuerit ac personæ quæ pro tempore in eo deguerint, illis privilegiis gaudeant quibus alia monasteria prædicti ordinis potiuntur. Nos votis ipsorum comitis & comitissæ volentes favorabiliter annuere in hac parte ipsorum supplicationibus inclinati præmissa omnia & singula, ac alia in præfatis litteris prædecessoris ejusdem contenta faciendi, ordinandi, disponendi ac etiam exercendi juxta ipsarum vobis directarum continentiam litterarum præmiss. & quibuscunque apostolicis & aliis constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, & nihilominus eidem monasterio postquam illud erectum & dotatum fuerit ut præfertur, ac personis quæ pro tempore sub regulari habitu dicti ordinis deguerint in eodem, ut illic eisdem privilegiis gaudeant, quibus gaudent alia monasteria dicti ordinis concedendi vobis & vestrum cuilibet, plenam & liberam auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Avenioni 7 idus Februarii, pontificatus nostri anno primo.

* F. secundum vel votivum. * gratioso.

AD honorem & laudem sanctæ & individuæ Trinitatis, & gloriosissimæ semperque virginis Mariæ ac beatorum apostolorum Petri & Pauli, & SS. Benedicti & Bernardi gloriosorum confessorum & totius curiæ cœlestis, ac pro salute animarum nostrarum & in redemptionem nostrorum peccaminum & dicti domini Gastonis, & aliorum parentum nostrorum, locum prope ecclesiam sancti Felicis de LAS SALENCHAS, diœcesis Rivorum comitatus Fuxi in nostro proprio territorio ac dominio ad infra scriptum usum nostris propriis expensis fundatum, & opere non * modice sumptuoso ædificatum cum ecclesia, claustro, capitulo, refectorio, dormitorio, infirmaria, cellario & omnibus & singulis ædificiis, & bastimentis ac terris ibi * congruis, sub modis, formis, retentionibus, protestationibus & ordinationibus infra scriptis, Deo dicamus & divino cultui assignamus, ita quod inibi sit perpetuis temporibus monasterium Sororum monialium * abbatissarum inclusarum ordinis Cisterciensis, cui quidem monasterio futuro pro dote & sustentatione monialium & aliarum personarum servitio ejusdem monasterii deputandarum, ac pro cæteris ipsius monasterii debitis oneribus supportandis quingentas quinquaginta libras turonensium parvorum annui redditus sub modis, formis, ordinationibus & retentionibus supra & infra scriptis gratis, & ex certa scientia ac deliberato proposito per * hos & nostros heredes & successores constituimus & assignamus, & pura & irrevocabili donatione cum hoc præsenti publico instrumento nunc & in perpetuum valituro eidem monasterio & personis ejusdem

* modicum sumptuosum * F. contiguis. * albarum * nos

quæ erunt pro tempore, & tibi notario infra scripto tanquam personæ publicæ pro eisdem monasterio & personis ejusdem quæ erunt pro tempore solemniter ac efficaciter stipulanti & recipienti bona, redditus, terras, possessiones, molendina, ædificia & alia loca inferius declarata & expressa, prout ad nos & ad nostrum quemlibet *f* conjunctim vel divisim pertinent seu pertinere possunt aut debent quoquo modo donamus, & ipsum monasterium per has dotando eidem monasterio & personis ibidem Deo famulantibus per prædictas quingentas quinquaginta libras turonensium parvorum annui redditus in locis, bonis, terris, possessionibus, molendinis, boariis, obliis, agrariis & aliis juribus & bonis subsequentibus, modis, formis, *g* præservationibus quibus supra, assidemus *h* etiam & assignamus, & in primis pro dicta dote & complemento, & satisfactione dictæ dotis quingentarum quinquaginta librarum annui redditus damus & assidemus quoddam molendinum aquæ situm supra flumen Ariziæ quod est ædificatum & constructum ac contiguum juxta nostrum hospitium de SALENCHIS, cum suis bastimentis, paxeriis *i* Ragiis, aquæ ductibus, Issagatoriis, introitibus, exitibus & omnibus aliis pertinentiis ejusdem. Item quandam petiam terræ sitam in *k* ripa de Salenchis, inter carrerias publicas & rivum vocatum de sancto Felice. Item aliam petiam terræ sitam in territorio de Viulenc, inter tenentias Petri de Fuxeto & carreriam publicam, &c..... quorum possessiones bonorum, fructus & emolumenta molendini sunt estimata posse valere annui redditus triginta quatuor libras quatuordecim solidos sex denarios turonenses. Item decem libras turonensium parvorum quas prior de vico *l* *Souchs* facit seu facere tenetur nobis dicto comiti pro alberga anno quolibet, &c. Item decem libras turonenses quas *m* hospitium de Consolagis ordinis S. Johannis Jerosolimi facit & facere tenetur nobis dicto comiti pro alberga quolibet anno. Item & item.... &c. quæ quidem albergæ seu valor redditus earum ascendit ad summam centum librarum decem solidorum turonensium annui redditus. Et pro dicta dotatione etiam *n* assignavimus quandam boriam vocatam de Insuleto, sitam inter villas de Montesquivo & de Rivis, cum bastimentis, ædificiis omnibus, molendinis aquæ sitis seu fundatis supra fluvio Ariziæ, *o* paxeria, aquæ ductibus *p* hitagatoriis suis terris hermis & cultis, pratis, vineis, nemoribus, pascuis, bordis, columbariis, albareis, agrariis, carrigiis, &c. *q* & fuit estimata posse valere in redditibus annualibus expensis deductis centum decem & novem libras turonens. & duos solidos sex denarios turonenses.

f communiter

g reservationibus

h & etiam

i F. herbagiis vel rivagiis.

k riparia

l de Sos

m hospitale Capoligio

n assignamus

o Paxeriis

p yssagatoriis

q quæ reperiuntur æstimata

Item ultra hoc assignamus pro dicta dote quadraginta sex solidos turonenses obliales quos diversi habitatores tam de bastida Pulchris-planis quam de Villa-nova faciunt, &c. Item assignamus pro dicta dote boriam vocatam *de Montguiaut*, situatam infra pertinentias castri de Castario, cum ædificiis, bastimentis, terris, &c. fuit estimata posse valere annuatim in redditibus deductis expensis quinque libras quatuordecim solidos quatuor denarios & obolum turonenses. Item assignamus quandam boriam vocatam de S. Maxentio, sitam infra pertinentias Castri de Castario, cum suis bastimentis, &c. quæ fuit estimata posse valere in redditibus annualibus deductis expensis undecim libras & novem solidos turonenses. Item assignamus nos prædicti comitissa & comes super redditibus, emolumentis seu arrentamentis leudæ seu pedagii loci de Fuxo ad nos dictum comitem pertinentis anno quolibet, centum sexaginta quinque libras turonenses percipiendas anno quolibet per abbatissam & conventum dicti monasteri seu alios nomine eorum, de manibus arrendatorum seu firmariorum dictæ leudæ seu pedagii loci de Fuxo, terminis per arrendatores aliam summam dictæ leudæ exsolvi consuetis, absque nostri præfati comitis seu successorum

Montguiaut

A nostrorum, vel thesaurariorum aut aliorum officialium nostrorum expectatione alicujus mandati, & sine omni contradictione & debato seu impedimento, quam seu quod dictus comes dictis monialibus seu earum conventui vel procuratori earum facere nunc per se vel per interpositam personam mihi notario infra scripto efficaciter promisit. Tamen nos præfatus comes retinemus & protestamur quod præfatum monasterium dictas centum sexaginta quinque libras turonenses solum percipiendas tamdiu in & super dicto pedagio seu leuda teneat, donec nos præfatus comes seu nostri successores dictam summam centum sexaginta quinque librarum in & super dictam leudam datam & assignatam ut præmittitur dicto monasterio dederimus seu constituerimus, seu constituendo assignaverimus seu assignaverint in alio vel aliis loco vel B locis, seu redditibus suis dicti comitatus Fuxi competentibus ad cognitionem dictorum commissariorum seu alterius eorum, aut abbatis Bolbonæ vel abbatissæ ipsius monasterii qui tunc temporis erunt

Item nos comitissa & comes supra nominati assignamus pro dicta dote in seu supra redditibus ad nos seu nostrorum alterum pertinentibus in castro loco seu villa de Calvomonte & ejus pertinentiis, sexaginta quinque libras turonenses annuis redditibus percipiendis quolibet anno per abbatissam & conventum dicti monasterii seu alios nomine eorum de manibus firmariorum seu arrendatorum, &c.....

Et quia visum fuit alias dictis dominis commissariis quod dicta assignatio dotis dictarum quingentarum C quinquaginta librarum turonensium annui redditus, non erat sufficiens pro triginta monialibus sed solum pro viginti monialibus in eodem monasterio recipiendis & aliis oneribus & expensis ipsi monasterio incumbentibus supportandis. Idcirco nos comitissa & comes promittimus efficaciter dictis dominis commissariis dictam dotem & dotationem de bonis nostris augere & augmentare pro rata *r* numeri personarum jam taxatarum juxta ipsorum dominorum commissariorum vel duorum vel alterius eorum ordinationes super hoc in posterum faciendas, & clausuram dicti monasterii & aliqua ædificia ibidem ædificanda nostris propriis sumptibus & expensis perficere & complere, & super his dare operam efficacem.

r F. minus

Nos vero comitissa & comes supra nominati reti- D nemus nobis & nostris heredibus & successoribus universis, comitatum Fuxi tenentibus jus patronatus in dicto nostro monasterio, & ultra hoc quod electio abbatissæ ejusdem monasterii quam ad conventum ejusdem monasterii deinceps volumus pertinere, nobis seu nostrum alteri & dictis nostris heredibus ex parte dicti conventus præsentetur, per nos seu nostrum alterum, vel dictos heredes seu heredem, si de persona idonea & sufficienti facta fuerit, approbanda, alias sine præsentatione hujusmodi minime valitura. Et quod in receptione monialium ejusdem monasterii nunc & in posterum facienda, *s* nostri vel alterius nostrum *t* & heredum nostri *u* comitatus prædicti expectetur assensus, ita videlicet quod quando contigerit unam vel plures de dictis triginta monialibus E deficere sive mori, nos comitissa & comes prædicti possimus, & heredes *x* & successores nostri comitis possint aliam vel alias moniales in dicto monasterio abbatissæ & conventui ejusdem monasterii nominare, & ad dictam nominationem abbatissa & conventus ejusdem monasterii teneantur illam vel illas, dum tamen alias ipsæ sufficientes & idoneæ existant, in moniales ejusdem monasterii recipere & eas debita caritate tractare, & illi vel illis tradere habitum monialium prout in aliis monasteriis monialium dicti ordinis inclusarum quantum ad traditionem dicti habitus est fieri consuetum.

s nostri *t* vel *u* comitis

Item nos comitissa & comes prædicti retinemus nobis quod in dicto monasterio sit unus perpetuus

presbyter secularis per nos vel alterum nostrum, aut heredes nostros dictum comitatum Fuxi tenentes, inibi perpetuis temporibus quando locus vacabit, tenendus & instituendus, ac de bonis ipsius monasterii per abbatissam ejusdem monasterii in victu decenti & vestitu inferius [a] taxaturus alimentandus. Qui quidem presbyter teneatur & ita promittat sua institutione omni die cessante causa legitima missam in eodem monasterio pro anima dicti domini Gastonis & nostra ac prosperitate & incolumitate nostra celebrare.

[a] taxaturo

Item nos comitissa & comes requirimus & rogamus dictos dominos abbates & commissarios ut ipsi auctoritate apostolica statuant, ordinent & disponant quod nos comitissa & comes eo meliore modo quo possumus & debemus in fundatione ejusdem retinemus, & ita fieri disponimus ut in eodem monasterio de praesenti sint viginti & perpetuis temporibus sint triginta moniales, computata in hoc ejusdem monasterii abbatissa, quae tam [a] praesentes quam [b] futurae, illis duntaxat exceptis quae ad monialium inibi recipiendarum instructionem de aliis ejusdem ordinis monasteriis assumentur, quae cum licentia abbatissae ejusdem monasterii nostri quae erit pro tempore inde exire valeant ex causa rationabili & honesta, & ad sua prima monasteria unde exiverant redire, sub perpetua dicti nostri monasterii remaneant clausura ut sic sua corda & corpora in omni sanctimonia custodientes possint devotius Altissimo famulari, ita quod deinceps nulli earum dictam religionem tacite vel expresse professae liceat quacunque ratione vel causa, nisi forte earum aliquam tanto & tali morbo evidenter laborare constaret quod non posset absque gravi periculo seu scandalo cum aliis monialibus commorari, egredi clausuram monasterii supradicti, nullique personae etiam honestae nisi rationabilis & manifesta causa existat, & de nostra vel alterius nostrum, vel comitum vel comitissarum Fuxi qui vel quae erunt pro tempore, seu illius seu illorum vel illarum ad quem, quam vel quos juxta statuta praedicti ordinis pertineret specialis licentia ingressus vel accessus pateat aliquatenus ad eandem, excepto quod nos comitissa & comes praedicti valeamus, & comites & comitissae Fuxi qui vel quae fuerint pro tempore valeant clausuram dicti monasterii cum personis honestis utique & maturis intrare quotiens nobis vel illis fuerit opportunum.

[a] praesenti
[b] futuro

Sane [c] quam rationi consonum existit ut praefatum nostrum monasterium sub gubernatione & correctione alicujus monasterii dicti ordinis Cistercensis perpetuis temporibus gubernetur, quoniam ubi gubernaculum disciplinae contemnitur restat ut religio naufragetur, idcirco nos comitissa & comes praedicti retinemus in ipsa fundatione & ita fieri ordinamus quod praefatum nostrum monasterium sit solum quantum ad infra scripta submissum & subjectum venerabili monasterio Bolbonae dicti ordinis Cisterciensis Mirapicensis dioecesis, in quo praefatus dominus Gasto ad instar progenitorum nostrorum fuit traditus ecclesiasticae sepulturae. Ita quod abbas ejusdem monasterii Bolbonae qui est & erit pro tempore habeat ista vice excepta confirmationem abbatissae quae erit pro tempore inibi canonice electa, & ultra hoc visitationem & correctionem dictae abbatissae & aliarum sororum monialium praedicti nostri monasterii quae commode non possent per eandem [d] abbatissam corrigi illa vice, verumtamen correctio & punitio dictarum monialium primo loco ad abbatissam ejusdem monasterii cum consilio tamen sui conventus in gravioribus culpis pertinebit, ipsum vero dominum abbatem Bolbonae & suum conventum qui sunt, est vel erit seu erunt pro tempore, rogamus & obsecramus in domino ut dictam subjectionem grato animo recipientes eisdem abbatissae & monialibus assignent de praesenti & successive perpetuis temporibus duos monachos ejusdem monasterii providos & discretos in earum patres

[c] quia
[d] comitissam

A spirituales & confessores, quorum gubernaculis non solum tueri sed etiam doctrinis & moribus erudiri valeant ipsa abbatissa & moniales supradictae; qui quidem monachi postquam ibi fuerint assignati teneantur in loco propter hoc per nos ibi deputato eidem nostro monasterio contiguo residentiam facere personalem, & in ecclesia ejusdem futuri monasterii missas & alia divina officia diebus singulis cessante causa legitima celebrare & alia servitia [b] eidem monasterio incumbentia facere ut eis altissimus ministrabit; quibus quidem duobus monachis & [c] uno presbytero, & aliis personis ad eorum & dictae abbatissae & monialium ejusdem monasterii servitium deputandis in victu decenti & necessario, & ultra hoc unicuique dictorum duorum monachorum pro vestitu B octo florenos, & dicto presbytero seculari sex florenos vel valorem ipsorum, & aliis personis pro vestiario juxta eorum laborem & decentiam annuatim in festo Omnium sanctorum dicta domina abbatissa de bonis ejusdem monasterii solvere teneatur. Retinemus etiam in ipsa fundatione & ita fieri volumus & ordinamus quod dicti duo monachi & presbiter secularis omni die lunae, nisi festum tunc occurreret, vel alia die septimanae eis magis grata, matutinum & vesperas de officio mortuorum in ecclesia nostri dicti monasterii communiter vel sigillatim post vel ante alias vesperas monialium pro animabus nostris post nostrum discessum, & pro anima dicti domini Gastonis & aliorum parentum nostrorum dicere & recitare teneantur. [d] Eo quod ipsi monachi & capellanus in omnibus missis C suis tam ante quam post mortem nostram in eodem monasterio dicendis infra missae canonem in locis & sub modis convenientibus, tam de nobis quam de dicto domino Gastone memoriam habeant specialem.

[b] ejusdem monasterii
[c] uni
[d] &

Item retinemus in fundatione praedicti monasterii quod moniales quae erunt pro tempore in dicto nostro monasterio teneantur qualibet die, exceptis diebus magnarum solemnitatum, finita missa conventuali & in fine cujuslibet horae, commemorationem cum debitis & convenientibus orationibus pro salute corporum & animarum nostrarum, & pro anima dicti domini Gastonis facere specialem. Et ut praemissa omnia & singula votivum & debitum sortiantur effectum, idcirco nos comitissa & comes cum debita instantia & devota requirimus & rogamus praefatos D dominos abbates & commissarios ut ad erectionem dicti monasterii quod postquam per ipsos juxta potestatem per praenominatos dominos summos pontifices eis super hoc attributam erectum exiterit, deinceps MONASTERIUM ABUNDANTIÆ DEI volumus nuncupari & communiter nominari, ad receptionem monialium & abbatissae futurae in eodem monasterio provisionem & electionem procedant, & alia contenta in supra scriptis literis apostolicis exequantur & compleant diligenter, & ibidem praenominati domini abbates & commissarii, visis & diligenter inspectis omnibus & singulis contentis in supra scriptis literis apostolicis, per eos nunc & alias cum debita reverentia receptis, quia evidenter apparet quod locus per dictam dominam comitissam fundatus, quem nunc E & alias praedicti domini abbates & commissarii, ut dixerunt, propriis oculis subjecerant, est solemniter & sufficienter, quantum ad ecclesiam, claustrum, &c. aedificatus, &c. Idcirco praefati domini abbates & commissarii dotationem, donationem & assignationem supradictas cum gratiarum actione recipientes, [e] ad quod ipsos dominam comitissam & dominum comitem ad protestationes, reservationes, modos & conditiones, per eosdem dominam comitissam & dominum comitem in fundatione & dotatione supradictis adjectas & factas quantum in eis est, & ad eos potest aliqualiter pertinere, auctoritate apostolica admittentes praemisso venerabili signo S. Crucis.

[e] adque *F.* atque

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Dictum locum per dictam dominam comitissam fundatum, & per ipsam & dictum dominum comitem dotatum, ipso domino comite filio & herede prænominati dicti domini comitis Gastonis sic volente fieri & requirente, & ad hæc expresse consentiente, in monasterium sororum monialium ordinis Cisterciensis, quod monasterium Abundantiæ Dei decreverunt auctoritate apostolica esse deinceps nuncupandum, cum ecclesia, oratorio, claustro & cimiterio campanali & campana, & aliis officinis ibidem necessariis erexerunt, & auctoritate qua supra decreverunt & ordinaverunt, & concesserunt ut personæ quæ pro tempore sub regulari habitu dicti ordinis Cisterciensis in eodem monasterio novo deguerint, illis eisdem privilegiis & libertatibus gaudeant quibus gaudent alia monasteria monialium ordinis supradicti.

Adjicientes dicti domini abbates & commissarii, ac auctoritate apostolica decernentes, ordinantes, statuentes quod in præfato monasterio Abundantiæ Dei sit de præsenti numerus XX, & deinceps perpetuis temporibus numerus XXX monialium inclusarum, computata in hoc ejusdem monasterii abbatissa, quarum una in abbatissam aliis canonice præferatur; ita quod tam præsentes quam futuræ moniales, illis duntaxat exceptis quæ ad monialium inibi recipiendarum instructionem de aliis ejusdem ordinis monasteriis assumentur, quæ cum licentia abbatissæ ejusdem novi monasterii quæ erit pro tempore, inde exire possint ex causa rationabili & honesta, & ad sua unde venerant prima monasteria redire, sub perpetua ejusdem monasterii remaneant clausura; ita quod deinceps nulli earum dictam religionem tacite vel expresse professæ liceat quacunque ratione vel causa, nisi forte tanto & tali morbo earum aliquam laborare evidenter constaret, quod non posset cum aliis monialibus absque gravi periculo seu scandalo commorari, egredi clausuram monasterii prædicti, & quod nulli personæ etiam honestæ, nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de ipsorum comitissæ & comitis, vel alterius eorum comitum & comitissarum qui vel quæ sunt vel erunt pro tempore, seu illius vel illarum ad quem, quam vel quos juxta statuta prædicti ordinis pertinebit, speciali licentia ingressus vel accessus pateat aliquatenus ad easdem, exceptis præfatis domina comitissa & domino comite, & eorum successoribus & heredibus, juxta retentionem in ipsa fundatione per ipsam dominam comitissam & dictum dominum comitem super hoc factam, quam reservationem seu retentionem, prout possumus & ad nos pertinet, gratam recipimus & etiam acceptamus; observato quod illi qui dictam clausuram cum eisdem domina comitissa vel domino comite, vel eorum heredibus, & alii qui cum licentia dictam clausuram intraverint, compendiosa & salutifera verba non risum moventia seu inhonestatem sapientia cum ipsis monialibus habeant, in brevi ab eis discedant si divinam indignationem voluerint evitare, offerentes dicti domini abbates & commissarii se paratos & promtos moniales in dicto monasterio usque ad dictum numerum recipere, quas eadem domina comitissa, si sint idoneæ ad id duxerit nominandas & eisdem regularem habitum exhibere; & ibidem dicti domini abbates & commissarii ad nominationem dictæ dominæ comitissæ, sorores Mathellionem de Castellione, Maurandam *de Muam*, Sclarmundam de Verniola, Joannam *de Levis*, Fitcam de Riperia, Egidiam de Riperia, jam eundem ordinem tam in monasterio Luminis-Dei, *alias* dicto de Favariis Convenarum diœcesis, quam in monasterio civitatis Mirapicensis, tacite vel expresse professas, in moniales prædicti monasterii Abundantiæ Dei, necnon Margaritam *de Levis* & Joannam *de Levis*, Margaritam de Barbazano, Esclarmundam de Montefalcone, Blancam de Ravaco, Miraclam de Fuxo,

A Jacobam *de Assurz*, Joannam de Castellione, Florem de Ysardo, in moniales ejusdem monasterii auctoritate apostolica receperint, & habitum religionis eis quæ non habent habitum ejusdem religionis se auctoritate qua supra tradituros obtulerunt, & alias moniales inibi recipere usque ad numerum in præscriptis litteris apostolicis prætaxatum.

Et quia eisdem dominis abbatibus & commissariis constitit tam per relationem ipsius dominæ comitissæ & dicti domini comitis, quam dominæ Candoræ de Montibus abbatissæ monasterii Luminis-Dei, *alias* dicti de Favariis dicti ordinis Cisterciensis, & aliarum personarum fide dignarum ut ibi dictum fuit, quod religiosa domina MATHELIO DE CASTELLIONE, nunc monialis dicti monasterii Abundantiæ Dei, est B & fuit expresse professa in religione & ordine supradictis, & quod morum honestas & alia virtutum merita ac spiritualium & temporalium circumspecta & provida discretio eidem dominæ Mathelioni suffragentur; idcirco præfati domini abbates & commissarii eandem dominam Mathelionem ibidem præsentem in abbatissam ejusdem monasterii Abundantiæ Dei auctoritate apostolica eis in hac parte commissa præfecerunt & elegerunt, eadem auctoritate in gubernatricem spiritualium & temporalium ejusdem monasterii cum plena integritate & omni jurium plenitudine eidem dominæ Mathelioni commiserunt, & eam in cathedram abbatialem ejusdem monasterii in signum assecutionis omnium jurium prædictorum intronisaverunt & installaverunt, & ipsam promotionem, C provisionem & erectionem eisdem monialibus & clero & populo ibidem præsentibus publicaverunt & intimaverunt; & in signum complementi omnium præmissorum, & in laudem Dei beatissimæque virginis Mariæ & totius curiæ cœlestis, præfatus dominus abbas Lezati incepit cantando alta voce *te Deum laudamus*, quem chorus in eodem tono prosecutus fuit eundo ad altare majus dictæ ecclesiæ, ubi reverendus in Christo pater dominus Canhardus episcopus Conzeranensis erat pontificaliter indutus ad missam ibi celebrandam; præfati vero domini abbates & commissarii fuerunt expresse protestati quod prædictam erectionem monasterii Abundantiæ Dei fecerunt jure parochialis ecclesiæ & cujuscunque alterius in omnibus semper salvo, & quod per hujusmodi actum quem communiter fecerant alias vel faciunt de præsenti D virtute dictarum litterarum apostolic. non intendunt sibi præjudicare seu derogare quominus ipsi, unus aut quisque eorum divisim & in solidum & per se valeant quotiescunque expediens fuerit, in his quæ dependent ab hoc negotio vel alias ipsum negotium, quoquomodo contingat procedere juxta traditam eis formam. Actum fuit hoc in ecclesia dicti monasterii prima die mensis Sept. anno domini M. CCCLIII, regnante domino Johanne rege Francorum, & domino Johanne electo ecclesiæ Rivensis existente, in præsentia & testimonio reverendi in Christo patris domini Petri episcopi Olorensis, & venerabilis in Christo patris domini G. abbatis de Fuilhencis dicti ordinis Cisteriensis, & nobilium virorum dominorum Remundi Rogerii vicecomitis Cozeranensis, Theobaldi E *de Levis* domini de Montebruno, Aymerici de Rupeforti domini de Pomerada, Jordani de Perelhano domini de Gibello, Raimundi *Dalbi* domini de Gauro militum; Theobaldi *de Levis*, Ramundi de Duroforti domini de Azennio, Rogerii Isarnii domini de Durbanno, & Remundi de Sideraco domicellorum, & plurium aliorum tam nobilium quam ignobilium, & magistri Arnaldi de Nogareda publici auctoritate regia notarii, &c.

Et nos *Alienors* de Convenis comitissa & Gasto comes prædicti, ad majorem omnium præmissorum firmitatem in perpetuum obtinendam & præmissorum omnium testimonium, sigilla nostra authentica impendentia cuilibet fecimus apponi; & nos Johannes

Elnarum P. Lezati & Bernardus de Calercio monasteriorum abbates & commissarii antedicti, in testimonium præmissorum omnium præsens instrumentum fecimus sigillorum nostrorum appensione muniri.

LXXIII.

Johannis regis Francorum litteræ fundationem abbatiæ S. Pantaleonis confirmantes.

1354. JOHANNES Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod supplicato nobis pro parte carissimi & fidelis avunculi Guidonis de Bolonia Portuensis episcopi, & carissimorum & fidelium amicorum nostrorum Raimundi....... S. Crucis in Jerusalem, Pictavini basilicæ duodecim Apostolorum presbyterorum, Gaillardi S. Luciæ in Cælio-monte & Bernardi S. Eustachii diaconorum, S. R. E. cardinalium, executorum inter cæteros testamenti seu ultimæ voluntatis bonæ memoriæ Johannis de Convenis quondam episcopi Portuensis, & ejusdem Romanæ ecclesiæ cardinalis, nomine executorio supradicto, ut quosdam certos reditus, loca & res inferius designatas per ipsos executores acquisitos atque ordinatos ad fundationem & dotationem unius monasterii, quod præfatus defunctus dum ageret in humanis, suum prædictum condendo testamentum construi disposuit & fundari de bonis executionis suæ supradictæ in civitate & villa Tolosana, in honore Domini nostri JESU-CHRISTI, ejusque Virginis matris, & undecim millium Virginum, ibidemque institui abbatissam & certarum dominarum canonicarum regularium numerum, quæ sub regulari habitu B. Augustini vivere ibi haberent & Domino famulari, ac etiam perpetuo immorari, dignaremur ad opus constructionis, fundationis & dotationis hujusmodi admortizare, ut decet & in talibus fieri consuevit; quorum quidem redituum locorumque & bonorum taliter dispositorum aliqui sunt in feudo seu sorto regio, aliqui vero in retrofeudo seu ressorto; & quorum hii quæ sunt in feudo sive sorto regio sunt tales, videlicet locus & porprisia seu platea in quibus monasterii hujusmodi, quod vocari debet *Undecim millium Virginum*, constructio est incepta, & quos ad fundationem hujusmodi tam pro ecclesia, choro, claustro, refectorio, dormitorio, coquina, officinis, bastimentis, viridariis, hortis, clausuris, & aliis ædificiis constructis & construendis necessariis & opportunis, quibuslibet fieri oportebit in civitate prædicta Tolosana, & locis de Pauconeriis ac Pelegonteriis structis situatis cum sex operatoriis dicto monasterio contiguis & in ejus clausuram applicandis. Item quædam bovaria vocata *de nigris noctibus*, sita in parochia S. Saturnini Tolosæ, cum domibus, ædificiis & bastimentis, ac cum viginti quinque quartonatis de terris, pratis, hortis & vineis ibidem acquisitis seu etiam acquirendis; quæ quidem boveria cum domibus, ædificiis suis & bonis aliis sunt empta & acquisita ab heredibus Hugonis Jordani Burgensis quondam Tolosæ, & a quibusdam aliis in instrumentis dictarum acquisitionum contentis. Item sex operatoria juxta S. Saturninum, inter honores Petri Audoeti Burgensis quondam Tolosæ situata, & a prædictis heredibus Hugonis Jordani acquisita & empta. Item quoddam hospitium cum quatuor operatoriis in carreria de Freneriis Tolosæ, inter honores Guillelmi Poncii de Motelanis militis, & Petri Guillii Blasini situata, quæ fuerunt empta a Remundo Fabri de S. Jorio camptore Tolosæ. Item octo libras decem solidos tres denarios obliarum, quæ sunt juxta Tolosam, & fuerunt emptæ & acquisitæ a Johanne Viraldi & ejus uxore. Item hospitium situm juxta bancos S. Saturnini, quod fuit emptum ab Hugone de Poranis & Arnaldo Barrerii & ejus fratribus habitatoribus de Gaffallasio. Item furnus

A cum domo sua situs juxta domum communiæ Tolosæ, qui fuit emptus a fratribus minoribus Tolosæ. Item quatuor quartones & emina frumenti censualis situati in loco S. Juliani Laurraguerii, empti ab Aymerico de Rupeforti milite. Item hospitium cum quatuor operatoriis contiguis, in quo moratur Sparans Goti donatus dicti monasterii, in carreria de Ulmo sita Tolosæ situatum, quod fuit emptum ab heredibus Arnaudi Pogesii mercatoris quondam Tolosæ. Item viginti solidos Tolosæ de obliis juxta cadrunnam de Balatis Tolosæ situatæ, quæ fuerunt acquisitæ ex causa permutationis cannererii. Alii vero reditus, loca sive bona & res quæ sunt in retro-feudo seu ressorto regio, sunt tales, videlicet boveria de Lamiato situata in jurisdictione de Lanrato juxta Tolosam, cum obliis, B juribus, jurisdictionibus quas Bertrandus de Bordis, dominus dicti loci de Lamiato, habebat & habere debebat in dicta boveria, & cum ædificiis, bastimentis, clausuris, terris, pratis, vineis, piscariis, molinariis & aliis deveriis ad dictam boveriam pertinentibus, emptis & acquisitis ab heredibus Petri de Bauro quondam legum doctoris, & a dicto Bernardo de Bordis, ac quibusdam aliis in instrumentis dictarum acquisitionum contentis. Item hereditatem & bona situata in loco de Vazutio, empta & acquisita a Bernardo Raimundi & Germano Baraulionis burgensibus quondam Tolosanis, cum terris, pratis, vineis, purga, rebus, & aliis juribus & deveriis suis. Item boveriæ, bona hereditaria, terræ, prata, vineæ, nemora, paiciones, agreriæ, census, & omnia alia jura & deveria per Guillelmum C de Monte-olivo burgensem quondam de Gemonte senescalliæ dicto monasterio legatæ, quod & quæ idem Guilhelmus habebat & in locum & territorium de Monreitione, de S. Martino, de S. Maria Maurini, de sancto Andrea de Moia & de Affariis, cum aliis juribus, deveriis & pertinentiis suis, prout plenius & perfectius in testamento dicti Guillelmi de Monte-olivo explicantur. Nos vero qui ad laudem & gloriam benedictæ & summæ Trinitatis, totiusque cœlestis curiæ, augmentum divini cultus peroptamus in honorem Sanctorum & Sanctarum prædictarum, & ut nos progenitores & successores nostri participes simus omnium suffragiorum divinorum quæ fient in loco illo, & fieri contigerit in futurum, ut etiam in prædicti memoriam defuncti cardinalis, quem in vita ipsius D dilexeramus vero corde, & cujus propositum laudabile, quem ad hoc commendamus, intuituque precum executorum prædictorum, & quia ipsi executores prædicti nobis pro parte financiæ, cum ad longe majorem tenerentur, nisi nostram super hoc gratiam reportarent redituum & rerum superius expressarum omnium & singularum tradiderunt & solverunt in nostro Thesauro Parisiensi duo millia florenorum scudatorum auri, de bonis executionis antedictæ, prout per cedulam thesauri nostri super dicta solutione facta poterit plenius apparere, informatione tamen prælibata competenti a nobis quod dicti reditus, res aut loca specificati superius in valore annui reditus non ascendunt vel ascendere debent in futurum legitima & communi estimatione ad annum, per alium ultra summam trecentarum librarum turo-E nensium parvorum. Volumus & executoribus prædictis de gratia speciali, & auctoritate regia concessimus & concedimus per præsentes, ut ipsi executores nomine quo supra monasterio & ecclesiæ prædictis assignatæ tradere ac dimittere valeant reditus, resque & loca superius expressatos, & de eisdem dotare monasterium prædictum ac personas ecclesiasticas institutas & instituendas in posterum canonice, de eisdem, quodque religiosæ personæ institutæ & instituendæ ipsæ reditus, possessiones, res & bona prædictos prout eis fuerint assignati & traditi tenere, retinere & possidere possint, teneantque perpetuo, pacifice & quiete, necnon capellani aut alii quicumque ad divinorum cultum ibidem deputati, & eorum

successores dictis rebus cum plenitudine juris sui, libertate & immunitate gaudeant & lætentur, absque eo quod cogantur vel cogi possint a nobis vel successoribus nostris ipsi vendere, alienare seu extra manus suas ponere quomodolibet in futurum, seu nobis aut successoribus nostris aliquantulam financiam facere vel præstare. Nam super plus financiæ majoris quam propter hoc solvere fundatores aut personæ prædictæ tenerentur, eisdem remisimus, quittavimus, donavimus, si opus sit, quittamusque & donamus per præsentes, non obstantibus aliis donis per nos aut prædecessores nostros eis factis aut horum alteri, ex certa nostra scientia & regali munificentia, ex causis & considerationibus antedictis. Mandantes dilectis & fidelibus gentibus computorum nostrorum Parisiensibus quatenus dictis executoribus, præsentes litteras reddant & deliberent absque difficultate aut impedimento quolibet indilate, & absque alia financia aliqua propter hoc exigenda vel petenda, necnon & absque eo quod aliam informationem petant vel habeant aliqualem aliam de valore redituum & rerum prædictarum. Senescalloque nostro Tholosæ & cæteris justitiariis nostris præsentibus & futuris vel eorum loca tenentibus, & cuilibet eorumdem, ut ad eum pertinuerit, quatenus religiosas & alias personas dicti monasterii præsentes & futuras, reditibus, hereditatibus rebus atque locis antedictis gaudere pacifice perpetuo faciant & permittant juxta formam & tenorem nostrarum præsentium litterarum, ipsos contra concessionem & gratiam prædictas nullatenus molestando aut molestari aliquo modo permittendo. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum, nostro in aliis & alieno in omnibus jure salvo. Datum & actum Parisiis, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, mense Julii.

LXXIV.

Vitalis in archiepiscopum electus Petrum episcopum S. Pontii æmulum favore papæ evincit.

1409. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei. Exhibita nobis pro parte venerabilis fratris nostri VITALIS archiepiscopi Tolosani petitio continebat, quod olim ecclesia Tolosana tunc per obitum bonæ memoriæ Petri archiepiscopi Tolosani pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum Tolosanum, tunc etiam apostolica sede vacante, eundem Vitalem tunc præpositum ecclesiæ præfatæ in eorum, & ipsius ecclesiæ archiepiscopum elegerunt concorditer, ipseque Vitalis archiepiscopus electioni hujusmodi illius sibi præsentato decreto consensit: sed iniquitatis filius Petrus de Luna qui olim Benedictus decimus-tertius in sua obedientia nominabatur, & tempore quo in regno Franciæ fuerat sibi facta obedientiæ restitutio, prælatis tamen & aliis beneficiatis promotis tempore subtractionis per eorum superiores, aut ordinarios in eorum prælaturis & beneficiis & possessionibus remanentibus, venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum S. Pontii Thomeriarum a vinculo quo ecclesiæ sancti Pontii Thomeriarum, cui tunc præerat, tenebatur absolvens, ipsum ad eandem ecclesiam Tolosanam transtulit, ipsumque illi præfecit in archiepiscopum & pastorem, licet de facto. Cumque etiam postea prædictus Vitalis archiepiscopus electioni præfatæ inhærendo, de regimine & administratione bonorum ecclesiæ Tolosanæ prædictæ, necnon & archiepiscopalis mensæ Tolosanæ se in spiritualibus & temporalibus ingessisset, præfatus Petrus de Luna, seu quidam sui delegati in hac parte ad instantiam prædicti episcopi contra eundem Vitalem archiepiscopum, & nonnullos sibi adhærentes & faventes, tam clericos quam laïcos, & personas utriusque sexus quosdam processus, diversas excommunicationis, suspensionis

A & interdicti sententias continentes in diversis locis provinciæ Tolosanæ publicari fecerunt, etiam de facto monentes inter cætera dictum Vitalem, in processibus ipsis, ut ab administratione prædicta omnino cessaret, ac eundem episcopum ad possessionem ejusdem administrationis bonorum ecclesiæ Tolosanæ prædictæ libere ac expedite admitteret, alioquin in ipsum Vitalem archiepiscopum, necnon in adhærentes & faventes prædictos, ac omnes alios & singulos qui sibi præstarent auxilium, consilium & favorem, excommunicationis, necnon in capitula ecclesiarum, & in ipsas ecclesias atque loca diversa interdicti sententias promulgarent, & alias Vitalem archiepiscopum sibique adhærentes & faventes hujusmodi, quia ipse Vitalis archiepiscopus eisdem pro-
B cessibus non paruit, multipliciter vexaverunt, similiter de facto. Quare pro parte dicti Vitalis archiepiscopi, de cujus persona nos postea divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti ecclesiæ Tolosanæ prædictæ authoritate apostolica duximus providendum, præficiendo ipsum eidem ecclesiæ in archiepiscopum & pastorem, ratificantes & approbantes etiam omnia & singula quæ per ipsum circa administrationem prædictam alias rite gesta erant, fuit nobis humiliter supplicatum ut suo statui, & alias in præmissis opportune providere de speciali gratia dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictos & quoscunque alios processus ac excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias per Petrum de Luna, sive delegatos hujus-
C modi, aut quoscunque alios in Vitalem archiepiscopum sibique adhærentes & faventes, necnon capitula & ecclesias hujusmodi, ac res universitatis quorumlibet oppidorum, castrorum, terrarum & villarum occasione præmissorum latas, quatenus de facto processerunt, authoritate prædicta cassamus & annullamus, ac decernimus nullius existere firmitatis, & nihilominus easdem suspensionum & interdictorum sententias, sive censuras hujusmodi tollimus, ac eosdem Vitalem archiepiscopum, omnesque alios & singulos quos ibi processus concernere videbantur, ab eisdem sententiis & censuris ad cautelam absolvimus per præsentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cassationis, annullationis, constitutionis, amotionis & absolutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare
D præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Pisis, decimo quarto cal. Sept. pontificatus nostri anno primo.

LXXV.

Abbatia S. Cypriani tributa puellis tertii ordinis S. Francisci.

CUM religiosæ sorores ordinis tertiæ regulæ sancti 1464.
Francisci Tholosæ ante horribile ignis incendium ultimate in præsenti civitate Tholosæ positum haberent suum monasterium in carreria Corderiorum veterum juxta conventum fratrum Prædicatorum
E Tholosæ, in quo Deo juxta ordinem dictæ tertiæ regulæ S. Francisci serviebant: quod quidem monasterium in dicto horribili incendio totum combustum exstiterit, & nihil penitus remanserit, ita ut ipsæ religiosæ non haberent ubi possent morari. Cumque ab antiquo fundatum & ædificatum fuisset quoddam monasterium infra clausuram burgi S. Cypriani, in quo antiquitus solebant morari certæ religiosæ moniales ordinis Cluniacensis in certo numero, quæ sub regula & jurisdictione prioris venerabilis & sacri monasterii beatæ Mariæ Deauratæ tamquam earum superioris immediati. Quæ quidem moniales propter mortalitates, bella, inundationes aquarum, plurimaque alia infortunia quæ in civitate Tholosana contigerunt, &

patriam circumvicinam oppresserant, decesserunt, sic ut nullæ penitus remanserint, propter quod dictum monasterium vacans fuerit, & ut vacans prior protunc Deauratæ tamquam verus dominus immediatus & patronus illud ad manum suam & dicti sui monasterii posuerit. Pro parte religiosorum virorum ministri & fratrum dicti ordinis tertiæ regulæ sancti Francisci Tholosæ, necnon syndici earumdem sororum supplicatum fuerit D. Amalrico de Senhergiis baccalaureo in decretis priori Deauratæ, quatenus dictum monasterium S. Cypriani ad novam & perpetuam emphyteosim, sub certa pensione annuali perpetua præfatis syndico & sororibus tradere vellet, offerentibus se præter pensionem illam relaxaturas prædictam plateam, & locum, cum omnibus suis juribus & pertinentiis, in quibus olim ipsæ religiosæ sorores habebant suum monasterium. Quam supplicationem justam esse attendens prior una cum suis monachis, consideransque dictum monasterium monialium S. Cypriani constructum fuisse ad honorem Dei & B. virginis Mariæ, ut ibi cultus divinus fieret, & religiosæ mulieres habitarent, esset tamen ob rationes superius allatas quasi desertum, ibique cultus divinus raro & fere non celebraretur: eidem supplicationi ut rationi consonæ subscribens dictum monasterium sancti Cypriani eisdem sororibus ad novum feudum concessit sub his conditionibus: 1.° ut sorores traderent locum & plateam, ubi suum antea habebant monasterium, pro intratis dicti monasterii sancti Cypriani: 2.° singulis annis in festo D. Thomæ apostoli nomine obliarum solverent eidem priori & suis successoribus quinque solidos Tolosanos bonæ, fortis & antiquæ monetæ; & pro retrocapitibus, uti evenerint tam per mortem domni prioris, quam priorissæ dictarum sororum, toties quoties id evenerit, decem solidos ut supra; & pro justitiis, si sorores dictæ non solverent festo prædicto, duos solidos: 3.° ut eædem sorores non valeant dictum monasterium in solidum nec in parte dare ad superfeudum, nec cedere vel impignorare militibus, clericis, collegiis & aliis locis privilegiatis, ita ut prior aliquid de suo dominio perdere possit, sed si vendere, aut aliter a se alienare voluerint, hoc fiat de expresso consensu dicti prioris, qui habeat de unoquoque solido pretii venditionis unum denarium, & de quolibet solido impignorationis unum obolum: 4.° ut ipsæ sorores teneantur quolibet anno in vigilia festi B. Elisabeth, quod colunt solemniter eædem sorores, requirere ab eodem priore, ut per se vel per suos monachos celebrare velit majorem missam & solemnem, ita ut nullus omnino alius præter ipsos possit celebrare sine licentia ipsius prioris: & oblationes, quæ eadem die evenient in illo monasterio, sint ejusdem prioris.

Acta hæc fuerunt in capitulo monasterii B. Mariæ Deauratæ, die 20 Julii, anno M. CDLXIV, regnante Ludovico (XI) rege Francorum, & Bertrando archiepiscopo Tolosano.

LXXVI.

Ex Ms. S. Genovefa.

Sæcularisatio ecclesiæ S. Saturnini Tolosani.

1526. CLEMENS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sacri apostolatus ministerio meritis licet imparibus superna dispositione præsidentes ad singulas ecclesias & monasteria exactæ considerationis intuitum dirigentes, ac eorum dispendiis ne in spiritualibus & temporalibus penitus collabantur occurrere & perfectius consulere satagentes nonnunquam illorum, ac in eis altissimo famulantium personarum statum immutamus & alteramus ac desuper disponimus, prout salus existit animarum, ac temporum & locorum conditionibus diligenter pensatis, ad divini cultus augmentum, ecclesiarumque & monasteriorum eorumdem feliciorem successum ac

A decorem & venustatem conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Laurentii episcopi Gratianopolitani qui monasterio S. Saturnini Tholosanensis ordinis S. Augustini de dispensatione apostolica præesse dignoscitur, & dilectorum filiorum conventus dicti monasterii nobis nuper exhibita petitio continebat quod illud monasterium ipsum celebre, illudque ac ejus ecclesia in qua beatorum apostolorum Philippi & Jacobi ac Simonis & Judæ, necnon alterius Jacobi ac Barnabæ, & ejusdem sancti Saturnini sub cujus invocatione monasterium ipsum dicatum existit, ac quam plurimorum aliorum sanctorum Martyrum & Confessorum corpora requiescunt, & ad quam Christi fidelium tam civium & incolarum civitatis Tholosanæ, quam
B peregrinorum aliorum locorum devotionis causa profluit multitudo, ac personæ ejusdem monasterii cujus abbas pro tempore existens, tanquam illius caput & superior omnimodam jurisdictionem habet & exercet, ac ex indulto apostolico mitra & pastorali baculo uti, necnon in pontificalibus celebrare ac benedictionem solemnem & indulgentiam centum dierum elargiri in dicta ecclesia consuevit variis privilegiis & indultis insignita, & tam monasterium quam abbas & personæ præfatæ ab omni jurisdictione ordinaria exempta, & soli sedi apostolicæ immediate subjecta fore noscantur, necnon jus eligendi abbatem monasterii hujusmodi dum pro tempore vacat præfato conventui competere, ac institutio & destitutio sexdecim scholarium collegiatorum collegii sancti Raymundi nuncupati univer-
C sitatis Tholosanæ ad eleemosinarium ipsius monasterii pro tempore existentem pertinere noscantur, & in ipso monasterio in quo olim triginta canonici regulares dictum ordinem expresse professi, decem & novem claustrales in claustro remanentes, & undecim priores in totidem videlicet sancti Petri de Oziilla & de Necaco, alias de Malovicino & ipsius S. Saturnini, & Calvo-monte & S. Mariæ, necnon S. Vidiani de Martris Tolosani & ejusdem S. Petri de Blaniaco ac ipsius sanctæ Mariæ de Vicocessos, necnon de Rupeulmensi, & ejusdem beatæ Mariæ ac beatæ Constantiæ de Savardano & de Miglosio, necnon ipsius beatæ Mariæ de Petra-pertusata & ejusdem sancti Saturnini de Acta-sona Tolosani, Lombariensis, Mirapicensis, Apamiarum, Ruthenensis & Pam-
D pilonensis diœcezeon prioratibus ab eodem monasterio dependentibus residentes esse consueverunt, unus prioratus claustralis quem pro tempore obtinens ad nutum præfati abbatis amobilis existit ac una cantoria, una sacristia, una eleemosinaria, una infirmaria & una cameraria officia inibi claustralia, per quinque dicti monasterii canonicos qui illarum ratione diversos & separatos fructus cum certis oneribus percipiant, una cum loco & canonicali portione ejusdem monasterii absque dispensatione apostolica obtineri solita, necnon de præsenti cum dicti undecim dependentes prioratus qui fere omnes per clericos seculares in commendam obtinebantur, & quos dicti canonici prosequi non poterant, per felicis recordationis Leonem papam prædecessorem nostrum perpetuo suppressi & exstincti, ac illorum fructus, reditus &
E proventus cedentibus vel decedentibus tunc illos obtinentibus quatuor presbiteralibus, & quatuor diaconialibus & aliis tribus subdiaconialibus ipsius monasterii portionibus ad optionem seniorum illius canonicorum applicati fuerint, decem & novem loca & totidem canonicales portiones pro decem & novem canonicis præbendatis dicti ordinis regularibus, ac in illius ecclesia prædicta decem perpetua simplicia beneficia ecclesiastica præbendæ nuncupata pro decem presbiteris seu clericis secularibus singulis diebus in qua divinorum celebrationi interessentibus instituta existunt, cujus tamen alios inter bonæ memoriæ Laurentii olim episcopi Gratianopolitani, tunc in humanis agentem & dictum monasterium

ex concessione apostolica in commendam obtinentem ex una, ac præfatos conventum ex alia, partibus super nonnullis, reformationem, statum & regimen tam monasterii quam abbatis & conventus prædictorum, ac observationem privilegiorum illis concessorum concernentibus, mota controversia seu contentio coram diversis ecclesiasticis & secularibus judicibus; & deinde illæ sedatæ ac certa desuper inter Laurentium episcopum & conventum præfatos transactione, per quam inter alia convenerant quod collationes, provisiones & omnimodæ dispositiones omnium & singulorum prioratuum ab eodem monasterio dependentium, ac infirmariæ, sacristiæ, eleemosinariæ & camerariæ ad conventum, una cum pro tempore existente abbate monasterii hujusmodi, seu ejus vicario si præsens esset in civitate prædicta & interesse vellet; cantoriæ vero & decem præbendariorum nuncupatorum prædictorum, ac aliorum officiorum & beneficiorum nuncupatorum ejusdem monasterii ad abbatem præfatum; provisiones autem & præsentationes prioratuum ecclesiarum seu vicariarum perpetuarum quæ antea ad eosdem abbatem & conventum communiter vel divisim pertinebant, extunc de cætero perpetuis futuris temporibus ad ipsum solum abbatem pertinerent, inita & per piæ memoriæ Julium papam secundum & prædecessorem nostrum approbata, dicto Laurentio episcopo & commendatario vita functo, diversæ aliæ inter præfatum Laurentium episcopum modernum abbatem ordinem ipsum expresse professum, tam super correctione, spoliis & rebus aliis tunc expressis, ac novissime & super ipsius monasterii reformatione, aliæ plures controversiæ & contentiones coram nonnullis ecclesiasticis a certo judice apostolica autoritate delegato subdelegatis, quam forsan secularibus partium illarum judicibus exorta, & tandem plures eorumdem canonicorum molestati & carceribus mancipati, ac perceptione suarum portionum canonicalium per eosdem judices subdelegatos privati, & aliæ in hujusmodi perceptione in dicto monasterio subrogatæ & substitutæ, ac postmodum ipsi canonici ad eandem perceptionem restituti & reintegrati fuerant, ac idem Laurentius episcopus modernus abbas & presbiteri dicta decem beneficia præbendas nuncupata nunc obtinentes super fructibus ipsorum beneficiorum per dictum Laurentium modernum abbatem augendis coram certis judicibus partium earumdem se invicem molestassent, & occasione contentionum & molestatione hujusmodi canonici dicti monasterii in illo juxta ejus antiquas & hactenus observatas consuetudines Domino libere & cum animi quiete deservire nequeant, ac divinus cultus in eo minuatur & jura illius pereant, ac literati & qualificati viri in ipso monasterio dictum ordinem profiteri nolint, solumque pauperes presbiteri & clerici loca & portiones illius accepiunt, ex quo formidandum est ne successu temporis propter virorum litteratorum qui onera dicti monasterii perferre velint, sciant & valeant penuriam monasterium ipsum grande sustineat detrimentum, & alias præfatus Leo prædecessor nunc & pro tempore existentibus priori & canonicis ejusdem monasterii, ut sine aliquo conscientiæ scrupulo in statu & modo portiones suas canonicales percipiendi, ac in cellis seu domibus & cameris eorum infra septa dicti monasterii consistentibus separatim dormiendi & comedendi, quos tunc observabant, vivere valerent, per suas literas indulserit, ac in ecclesia monasterii hujusmodi & illius choro horæ canonicæ diurnæ & nocturnæ, ac alia divina officia secundum usum & morem Romanæ ecclesiæ ex simili indulto recitantes, & a certo tempore citra per dictos conventum ordinatum fuerit ut undecim canonici dictas presbiterales, diaconales & subdiaconales portiones pro tempore obtinentes inibi undecim presbiteros ex fructibus ipsarum portionum sustentandos deputare deberent,

A si in dicto monasterio abbatialis dignitas & conventualitas, ac tam in illo quam in cantoria & decem novem locis & totidem canonicalibus portionibus hujusmodi ordo prædictus & prioratus claustralis, necnon sacristia, eleemosinaria, infirmaria & cameraria hujusmodi penitus supprimerentur & extinguerentur, ac illius ecclesia prædicta ad statum canonicorum secularium, ad instar aliarum collegiatarum ecclesiarum secularium partium reducerentur, & in illa loco abbatialis dignitatis una abbatiæ dignitas secularis inibi principalis & electiva pro uno abbate seculari erigeretur & institueretur, profecto controversiis & molestiis hujusmodi finis imponeretur & futuris incommodis ipsius monasterii obviaretur, ac ecclesia ipsa decentior & venustior redderetur, divinusque
B cultus in ea augeretur & ad illam Christi fidelium devotio proderetur, ac alias feliciori illius statui salubriter consuleretur; quare pro parte tam Laurentii episcopi moderni abbatis quam conventus prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum ut transactioni prædictæ pro illius subsistentia firmatæ etiam nostræ approbationis robur adjicere, & in eodem monasterio abbatialem dignitatem & conventualitatem, ac tam in eo quam cantoria necnon singulis decem & novem locis & totidem canonicalibus portionibus hujusmodi ordinem prædictum, necnon sacristiam, eleemosinariam, infirmariam & camerariam, ac prioratum claustralem prædictos penitus & omnino supprimere & extinguere, ac in illius prædicta ecclesia statum regularem in statum canonicorum & presbiterorum
C & clericorum secularium immutare & ad statum secularem reducere, aliasque in præmissis oportune providere benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui ecclesiarum & monasteriorum omnium felicem successum & decorem, ac in illis divini cultus augmentum sinceris desideramus affectibus, Laurentium episcopum modernum abbatem ac conventum præfatos, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutos fore censentes, necnon monasterii singulorum officiorum & canonicalium portionum, necnon prioratuum prædictorum fructuum, redituum & proventuum
D veros valores, ac transactionis, suppressionis, extinctionis, approbationis & indulti prædictorum veriores tenores præsentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinantes, transactionem dudum inter Laurentium episcopum & commendatarium ac conventum præfatos initam prædictam de novo apostolica authoritate prædicta tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere ac firmiter observari debere decernimus, supplentes omnes & singulos juris & facti defectus si qui forsitan intervenirent in eadem necnon in dicto monasterio S. Saturnini abbatialem dignitatem & conventualitatem, & tam in eo quam cantoria necnon singulis decem & novem locis & totidem canonicalibus portionibus hujusmodi ordinem prædictum omnemque
E statum & dependentiam regulares, ac sacristiam, eleemosinariam, infirmariam & camerariam ac claustralem, necnon de novo singulis undecim dependentes prioratus prædictos ac illorum omnium nomina, denominationes, invocationes & qualitates, ita ut de cætero officia claustralia & prioratus seu portiones dici, denominari vel censeri non possint, & omnino authoritate apostolica & tenore prædictis perpetuo supprimimus & extinguimus, ac in illius ecclesia prædicta statum regularem in statum canonicorum, presbyterorum & clericorum sæcularium immutamus, & ad statum sæcularem hujusmodi, ita ut Laurentius episcopus modernus abbas ac omnes & singuli ipsius sic suppressi monasterii canonici regulares, de cætero abbas

abbas & canonici seculares existant necnon pro talibus habeantur & reputentur, ac habitum regularem dicti ordinis gestare, & illius regularia instituta, ordinationes, definitiones, ritus & mores ac regulas S. Augustini, & vota per eos in eorum professione emissa, castitatis & obedientiæ votis exceptis, & alia quæ ratione dictæ professionis observare tenentur, etiam quoad jejunia, victum & ciborum usum observare minime teneantur. Sed ab illis penitus absoluti & totaliter liberati existant, ac in habitu, cæremoniis, ritu, moribus & vita canonicis secularibus aliarum collegiatarum ecclesiarum secularium partium earumdem te conformare possint & debeant reducimus, necnon in eadem ecclesia statum secularem & capitulum cum mensa seculari separata & seorsum ab abbatiali ac sigillo & arca nominibus aliisque collegialibus insignis, necnon B loco suppressæ abbatialis dignitatis unam abbatialem secularem dignitatem inibi principalem & electivam, prout dicta suppressa abbatialis dignitas hactenus fuit pro uno abbate seculari qui similes juridictionem, superioritatem, potestatem, authoritatem & præeminentiam habeat quas abbas dicti monasterii pro tempore existens hactenus habere consuevit, salvo quod in gravioribus delictis in quibus pœna suspensionis ab officio vel beneficio venit imponenda cum consilio quatuor canonicorum ipsius ecclesiæ seu quatuor ab ipso capitulo singulis annis deputandorum, & alias juxta antiqua dicti monasterii suppressi statuta, ac illis concessa privilegia apostolica, necnon ultra cantoriam quæ officium seculare ac decem & novem loca, & totidem canonicales portiones hujusmodi C quæ canonicatus & præbendæ seculares perpetuo remaneant & sint, ac per canonicos qui illa nunc canonice obtinent, absque nova alia eis de illis facienda provisione retineantur, alios quinque canonicatus & totidem præbendas pro totidem canonicis authoritate & tenore præmissis sine alicujus præjudicio erigimus & instituimus, necnon omnia & singula, fructus, reditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta sacristiæ, eleemosinariæ, infirmariæ & camerariæ, ac claustralia necnon undecim dependentia sic suppressorum prioratuum prædictorum, ita tamen ut omnes canonici præfati & alii, tam sacristiam, eleemosinariam, infirmariam & camerariam officia prædicta, quam & undecim dependentes prioratus aut presbiterales diaconales ac subdiaconales portiones hujusmodi nunc D quomodolibet obtinentes, seu in eisdem suppressis prioratibus aut portionibus jus habentes, quibus de cætero nullus titulus in eis competat, sed totus illorum titulus in mensam capitularem ipsius ecclesiæ ex nunc translatus, super quibus illa & in manibus nostris vel pro tempore existentis Romani pontificis simpliciter vel ex causa permutationis, etiam cum præsentium speciali ac de verbo ad verbum mentione, ac expressa suspensione & derogatione, nisi ad effectum suppressionis & extinctionis prædictarum resignandi vel dimittendi facultas penitus interdicta existat, & si contingat aliquos ex eis illa simpliciter vel ex causa permutationis & in eisdem nostris seu pro tempore existente Romani pontificis manibus, & apud sedem prædictam & cum quibusvis suspensionibus & derogationibus unionum, suspensionum & extinctionum E quarumlibet resignare, seu illorum commendis aut juri cedere, resignationes seu cessiones hujusmodi in odium & præjudicium ipsorum resignantium seu cedentium teneat, & in favorem mensæ & capituli ecclesiæ hujusmodi factæ & admissæ censeantur, administratores illorum fructuum, redituum & proventuum quoad vixerint duntaxat existant, & similiter quoad vixerint illorum fructus, reditus & proventus hujusmodi onera solita eis respective incumbentia supportando absque præjudicio ipsorum capituli, cum vel sine canonicatu & præbenda ipsius ecclesiæ percipere valeant & post eorum cessum vel decessum nullus alius in ipsorum loco assumetur, sed abbas & capitulum ecclesiæ

A hujusmodi ex nunc & pro tunc possessionem bonorum, officiorum & prioratuum suppressorum prædictorum, tanquam de eorum mensa capitulari existentium, per se vel alium seu alios propria autoritate libere apprehendere, necnon & ex nunc dicti prioratus claustralis qui quoad omnia penitus suppressus sit, ac post cessum vel decessum illa nunc ut præfertur obtinentium aliorum prioratuum & officiorum, ac illorum bonorum prædictorum, fructus, reditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta hujusmodi propria autoritate libere percipere exigere, ac in suos & mensæ capitularis hujusmodi usus & utilitatem convertere libere & licite valeant, diœcesani & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, ac omnimodam fructuum, redituum, proventuum nimirum obventionum & emolumentorum undecim dependentium sic suppressorum prioratuum prædictorum in spiritualibus & temporalibus administrationem & dispositionem quam habebant eosdem undecim prioratus pro tempore obtinentes, habeant, ac vestiaria simplicibus canonicis dicti suppressi monasterii ministrari solita, modernis duntaxat illis simplicibus canonicis quoad vixerint ministrare, necnon in dicta ecclesia undecim presbiteros prout per ipsos proventum ordinatum fuerit, qui de cætero ad nutum ipsorum capituli amovibiles vel conducticii sint, deputare, & alia onera officiorum suppressorum hujusmodi supportare, ac augmentum fructuum decem beneficiorum præbendarum nuncupatorum per dictum abbatem pro tempore existentem pleno jure perferri solitorum prædictorum, si ultimo dicti judices illos augendos fore ordinaverint, assignare debeant & teneantur mensæ capitulari ecclesiæ suppressi monasterii, hujusmodi autoritate & tenore eisdem & perpetuo appropriamus & applicamus, ac applicata & appropriata existere decernimus, & insuper quod fructus, reditus & proventus mensæ capitularis ecclesiæ hujusmodi inter abbatem, canonicos & beneficiatos præfatos solum divinis interessentes, juxta eorumdem abbatis & capituli providam ordinationem desuper faciendam distribui, & duo celerarii seu procuratores qui bona mensæ hujusmodi regant, singulis annis per eosdem abbatem & capitulum eligi & deputari, ac onus providendi, & consuetis altaris & hujusmodi canonicalium portionum fructibus per eos per quos antea perferri consueverunt, & similiter alia onera dictæ ecclesiæ per abbatem & conventum perferri solita, per abbatem secularem & capitulum præfatos supportari, ibique abbas secularis & capitulum nihilominus quatuor pueros chorales & unum magistrum in musica peritum ad eorum nutum amovibiles, qui dictæ ecclesiæ in divinis deserviant, deputare debeant & teneantur; quodque convocatio capituli ad abbatem seu vicarium ejus de numero ipsorum canonicorum existentem, si presens fuerit, alioquin ad celerarios & procuratores ipsorum capituli, & præsidentia in capitulo ad abbatem, seu eo absente, ad vicarium de numero canonicorum hujusmodi, ac abbate & vicario absentibus, ad hebdomadarium, vel eo absente ad seniorem canonicorum; jurisdictio vero in choro ratione cultus divini & annotandi difficultas per punctuationes, similiter ad abbatem, si præsens fuerit, seu ejus vicarium, punctuationes habendi, si illæ modum excedant, sine strepitu & figura judicii moderare possit, alioquin ad cantorem, vel eis absentibus, ad hebdomadarium illius ecclesiæ pro tempore existentes, necnon collatio, provisio & omnimoda dispositio cantoriæ, una cum institutione & destitutione custodis dictorum corporum sanctorum & clericorum in beneficiis ecclesiasticis beneficiaturis alias obitibus nuncupatis in dicta ecclesia pro tempore instituendorum & ab eis destituendorum, ad abbatem, sic tamen quod cantoria ipsa canonico dictæ ecclesiæ & nulli alteri perferatur, canonicatuum vero & præbendarum & de novo electarum pro una ad abbatem & pro alia medietatibus

ad capitulum præfatos, ita quod abbas solus per se vel ejus vicarium de una necnon per hebdomadas ipsorum 24 canonicorum, capitulum præfati de alia medietatibus 24 canonicatuum & totidem præbendarum hujusmodi, hac prima vice quoad dictos quinque de novo electos ab eorum primæva electione hujusmodi vacantes, excepta qua quatuor per abbatem ac alios & alia, ipsorum quinque canonicatuum & præbendarum de novo electorum per capitulum præfatos conferri valeant, quoties tam quinque de novo electos quam decem & novem canonicatus & præbendas prædictas pro tempore quoquomodo vacare contigerit, libere providere & disponere possint, ac abbas 1.° & capitulum seu canonicus hebdomadarius præfati 2.° & sic successive alternatis vicibus de illis disponere debeant, & si aliqui canonicatus & præbendæ per hebdomadarium modo debito non perferantur, jus illos perferendi ad abbatem & capitulum pro ea vice devolvantur, necnon decem beneficiorum præbendarum nuncupatorum, ac parochialium ecclesiarum & vicariarum prædictarum, & in undecim prioratibus suppressis prædictis existentium, seu ad ipsas parochiales ecclesias & vicarias præsentatio ut prius, & alias juxta ipsius transactionis tenorem, ita ut ipsi capitulum de illis nullo modo se intromittere, necnon eorum consensus in illorum dispositionibus intervenire debeant ad dictum abbatem pro tempore existentem solum & in solidum. Institutiones autem & destitutiones sexdecim scholarium collegiatorum similiter alternatis vicibus ad abbatem & capitulum præfatos, prout pertinet dispositio canonicatuum & præbendarum prædictarum spectent & pertineant, quodque Laurentius episcopus, loco ipsius suppressæ abbatialis dignitatis, dictam abbatialem secularem vigore præsentium, & singuli canonici præfati quæcunque, quodcunque & qualiacunque alia cum cura & sine cura per clericos seculares obtineri solita, se invicem compatientia beneficia ecclesiastica, etiam si canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus & metropolitanis vel collegiatis, & dignitates ipsæ in cathedralibus & metropolitanis post pontificales majores, aut collegiatis ecclesiis hujusmodi principales seu talia mixtum fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi eisque cura immineat animarum, si sibi alias canonici conferantur aut eligantur, præsententur aut alias assumantur ad illa & instituantur in eis recipere, & perinde ac si nunquam regulares extitissent absque alia dispensatione retinere, ac de fructibus quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, & bonis suis quibuscunque mobilibus & immobilibus per eos & eorum quemlibet, tam ex successione parentum quam intuitu ecclesiæ & alias licite acquisitis & acquirendis, & in ultimis eorum voluntatibus & alias ac si clerici seculares facultatem testandi habituri essent, sic tamen quod illis ab intestato decedentibus, etsi consanguineos habuerint, nihilominus dicta ecclesia succedat, disponere & testari libere valeant, ac quod abbas panonatiam & apectam ac pellibus albis vel griseis foderatam si voluerit, canonici vero & beneficiati prædicti hiemali tempore nigras cappas longas & latas, æstivo autem tempore almutias de pellibus griseis & alias ad instar aliorum canonicorum secularium etiam cathedralium, & aliarum collegiatarum ecclesiarum & insignium, partium prædictarum, sic tamen quod canonicorum ac abbatis & beneficiatorum cappæ & almutiæ a canonicorum cappis & almutiis hujusmodi differant in eadem ecclesia & extra illam deferre, ipsique abbas & capitulum quæcunque felicem statum & salubre regimen ecclesiæ prædictæ, ac in ea divinum cultum necnon personarum ad cantoriam canonicatus & præbendas, necnon beneficia hujusmodi pro tempore quavis & prædicta apostolica autoritate faciendum receptionem

A concernentia, & alias eidem ecclesiæ utilia & rationabilia & honesta, sacrisque canonibus non contraria statuta & consuetudines condere, & condita quotiens opportunum fuerit mutare, & alia de novo edere & facere libere & licite valeant, ad quorum observationem singuli clerici beneficiati & habituati nuncupati dictæ ecclesiæ adstricti sint, & ad id compelli possint autoritate & de supradictis similiter perpetuo statutum & ordinatum, cum Laurentii episcopi moderni abbatis & conventus præfatorum ad præmissa per dilectum filium Remigium *Hilarii* clericum Tullensis diœcesis, procuratorem eorum ad hoc specialiter constitutum, expressus ad hoc accedat assensus, & insuper abbati ut mitra & pastorali baculo utatur, necnon in pontificalibus celebrare ac benedictionem solemnem & B indulgentiam centum dierum elargiri in dicta ecclesia prout constituerat, necnon eidem abbati & capitulo, ac canonicis singulisque personis ecclesiæ hujusmodi pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, jurisdictionibus, præeminentiis & indultis quibus de jure vel consuetudine, & tam ex apostolicis quam aliis concessionibus in genere vel in specie utebantur, potiebantur & gaudebant, ac uti, potiri & gaudere possint & debeant, ac omnia privilegia, jurisdictiones & indulta apostolica, tam per præfatum Leonem quam quoscunque alios Romanos pontifices & prædecessores nostros & sedem prædictam, ac forsan per nos monasterio & illius abbati ac conventui & personis præfatis quomodolibet concessa, approbata & innoC vata, & quoad dispensationes & beneficia quæcunque regularia vel secularia in titulum vel commendam, & natalium & ætatis defectibus non obstantibus, obtinenda, firma, illæsa & valida eis remaneant & suffragentur ab omnibus & per omnia, perinde ac si eidem ecclesiæ & illius abbati, capitulo & canonicis præfatis, ut ecclesiæ seculari & personis secularibus a principio concessæ fuissent, autoritate & tenore præmissis & perpetuo indulgemus, decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super iis a quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, & insuper præfatos canonicos vel eorum singulos qui propter transgressum institutorum regularium prædictorum aliquam notam apostasiæ sive irregularitatem aut inhabilitatem forsan incurrerunt, ab hujusmodi excessibus & apostasia, & quibusvis excommunicationibus aliisque sententiis, D censuris & pœnis ecclesiasticis quas præmissorum occasione quomodolibet forsan incurrerunt, dicta autoritate apostolica eorumdem tenore præsentium absolvimus, ac cum eis super irregularitate si quam censuris hujusmodi ligati missas & alia divina officia c[illegible]ndo aut illis se immiscendo contraxerint, dispensamus, abolentes omnem inhabilitatis & infamiæ maculam per eos eadem occasione contractam, non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiæ suppressi monasterii & ordinis hujusmodi juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis & officiis & prioratibus hujusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis E in illis partibus gerentes, dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, & si per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem & inde quæcunque ad suppressa officia & prioratus prædictos volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem officiorum & prioratuum aut beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis & litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum

habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem quod canonici præfati aliqua irregularitatis & infamiæ macula sive nota forsan irretiti, pœnitentiam salutarem per confessores idoneos quos singuli ipsorum duxerint eligendos eis pro præmissis iniungendam adimplere teneantur, alioquin præsentes literæ eis quoad absolutionem hujusmodi nullatenus suffragentur. Nulli ergo omnino liceat homini hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, suppressionis, extinctionis, immutationis, reductionis, electionis, institutionis, applicationis, approbationis dicti statuti, ordinationis, indulti, dispensationis & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. DXXVI, quinto kalendas Octobris, pontificatus nostri anno tertio.

LXXVII.

Breve Apostolicum directum ad archiepiscopum Tolosanum in quo papa monialium Urbanistarum defensionem suscipit.

Venerabili fratri JOSEPHO archiepiscopo Tolos.
INNOCENTIUS PAPA XI.

1679. VENERABILIS frater, delatæ sunt nuper ad nos querelæ monialium ordinis sanctæ Claræ Urbanistarum in Tolosana civitate dolentium, & dolorem suum in paternum sinum nostrum, multis cum lacrymis deponentium, ut afflictis ac pene perditis rebus suis præsentem opem pro apostolici muneris nostri debito afferamus. Per hos enim dies ad illud monasterium venisse monialem quandam magno comitatu militum etiam cohorte stipatam, ut abbatissatus perpetui possessionem invaderet pretextu regiæ nominationis nulli juri aut consuetudini, nulli apostolico indulto subnixæ; se quidem ad inusitatæ rei spectaculum primo attonitas, mox collectis animis & implorata cœlesti ope quacumque ratione licuit restitisse ne immunitati ecclesiæ & instituto ordinis sui apostolica autoritate firmato tam inaudita, ac tam perniciosi exempli injuria inferretur: sed superante vi militum, cedere tandem coactas, effractisque foribus ac pariete ipso, liberum multis secularibus aditum patuisse, cum quibus ingressos quoque milites violenter ibi & sacrilege multa patrasse magna cum totius civitatis indignatione & scandalo, fraternitate autem tua quæ par animo erat, ut venientibus lupis pastorale pectus opponeres, non solum non repugnante, sed ultro & quodam modo invitante & monasterium edito decreto per vim recludi jubente, inhorruit ad tam indignæ rei nuncium animus noster, adeoque monstri similis visa est, ut quamvis aliunde quoque eadem afferremur, vix tamen persuadere nobis potuissemus archiepiscopum Tolosanum inspectantibus religiosissimis Galliæ episcopis, & Gallia universa, eo progressum fuisse ut dignitatis ac muneris sui oblitus, nullo horribilium censurarum & cœlestis iræ metu, nulla famæ reverentia tanto facinori pro quo impediendo animam ipsam boni pastoris exemplo, ponere debuisset, non solum non resisteret, sed etiam suffragaretur, nisi memoria teneremus quid duobus fermè abhinc annis in negotio regaliæ ut nuncupant, ibi de Apamiensi ecclesia Tolosanæ suffraganea agebatur, decernere ausus fueris, contra manifestam causæ justitiam, contra omnes humani divinique juris regulas, contra ipsius ecclesiæ totiusque provinciæ tuæ jura & libertatem, & contra morem prædecessorum tuorum aliorumque Galliæ præsulum, qui in similibus casibus regiæ voluntati & indignationi ne muneri

A suo deessent, obviam fortiter eundo, & rei causam strenue orando, certa salutaria ecclesiis suis responsa, ab ingenita Christianissimorum regum justitia ac pietate retulere. Officii itaque nostri esse duximus, gravem ac plane acerbum ea de re animi nostri sensum tibi aperire, teque in Domino monere, ut diligenter consideres quo in periculo sis experiendæ divinæ ultionis quam facile provocabunt gemitus tot lectissimarum virginum, quarum vitæ innocentia & candor, atque assiduus divinarum laudum concentus, deliciæ quodam modo sunt Cœlestis sponsi, cui sacro sancto & insolubili vinculo conjunctæ fuere, nisi quamprimum emendans quæ admissa sunt, misericordiarum clementiam demereri studueris, alioquin nos pro vicaria Christi Domini in universam ecclesiam potestate B qua fungimur, quanquam indigni, immerentesque & pro sollicitudine quam debemus unicuique fidelium ad paternum patrocinium nostrum confugienti, cogemur de opportunis remediis serio cogitare. Datum Romæ die 18 Januarii M. DCLXXIX.

LXXVIII.

Breve aliud quo papa adhortatur eumdem archiepiscopum ut male gestorum pœniteat.

Venerando fratri JOSEPHO archiepiscopo Tolos.
INNOCENTIUS PAPA XI.

VENERABILIS frater, statueramus nullas ad te amplius litteras, nec ullum aliud communionis 1687. C nostræ signum dare, ut hac saltem pœna, quam catholici omnes semper gravissimam existimarunt, te ad ea quæ perperam egeras reparanda induceremus: cum tamen allatum nobis sit te variis ægritudinibus jam dudum laborantem, in maximo versari vitæ discrimine, charitas Christi quæ urget nos, ac de tua æterna salute vehementer anxios reddit, ultimum hoc nostræ sollicitudinis officium a nobis expressit, quo te nondum, sicuti confidimus, in duritiam cordis collapsum, ad spem de divina misericordia concipiendam excitaremus. Verum quia vana spes est, quæ fructum non parit, te etiam atque etiam in Domino hortandum duximus, ut redeas ad cor, & animo reputando quæ & quanta in Apostolicæ sedis ac in D ecclesiarum jura libertatemque commiseris, non solum doleas, sed etiam emendare pro viribus studeas, quæ ut hominibus placeres perpetrasti contra sanctimoniales Urbanistas & virgines, uti vocant, de infantia D. N. J. Ch. quarum institutum a te ac prædecessoribus tuis approbatum, ac magno semper in pretio habitum, atque hujus sedis confirmatione munitum evertere non ita pridem tentasti, dispersis duabus earum familiis, quæ, ut audivimus, ingenti cum laude ac fructu in ista diœcesi tua christianæ charitatis munia obibant. Omnium vero maxime refert ut revoces quæ in negotio Regaliæ adversus piæ memoriæ Franciscum episcopum Apamiensem & universum ejus capitulum & diœcesim etiamnum fœdo E schismate a te excitato misere afflictam & criminibus ac sacrilegiis obrutam, & contra ipsiusmet ecclesiæ tuæ jura, a te gesta sunt: & quidem in his omnibus nos potius, ac redarguentem conscientiam audire debes, quam perniciosa eorum consilia, qui excusantes excusationes in peccatis, adipiscendæ veniæ tibi viam præcludunt, nec enim ante tribunal Christi tibi aliud proderit, quam pœnitentia & male gestorum emendatio: quam ut assequi merearis intercessores apud Deum in primis adhibere debes pios illos sacerdotes & virgines quos tot damnis & ærumnis affecisti, vel ut afficerentur auctor & adjutor fuisti, dum nos illam tibi a divina bonitate impense auguramur. Datum Romæ die 15 Julii M. DCLXXXVII.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ APPAMIENSIS.

I.

Marten. anecdot. t. 1. col. 311.

Rotgerius comes Fuxensis locum sancti Antonini Fredelacensis concedit Hugoni abbati Cluniacensi monasticis institutis informandum.

circa 1066.

DOMNO Hugoni abbati Cluniacensi Rotgerius comes *de Foys* & uxor ejus Amica, & omnino servi pro posse sui a salvatore suo salutem & pacem.

Notum est nobis, pater & magister animarumque pastor, teste humano genere passim quotidie obeunte, non nos semper corporaliter vivere posse. Ideo consilio inito inter nos ad remedium & nostrarum salutem animarum remissionemque quæ egimus peccatorum, ex hereditate quam in præsentiarum possidere videmur, transitoria, dare vobis partem jam dispostuimus, ut perpetuam mereamur cum Domino mercedem, qua post corporum finem nostrorum in cœlesti feliciter vivamus requie. Quod quoque vestri ordinis meritis & precibus credimus adquirere superabundanter, quam petimus Christi misericordiæ affluentia desuper pie nobis lapsura, cui in nobis vos fiducialiter cum prædicta donatione committemus. Verbi gratia Domino Deo creatori ac redemptori nostro Jesu-Christo genitricique ipsius sanctæ Virgini Mariæ & apostolis sanctis Cluniacensis cœnobii Petro & Paulo, necnon tibi, Hugo, sancte viventi, famosissimo per orbem Cluniacensi abbati, ego R. & conjux mea pro acquisitione vitæ æternæ concedimus cum omnibus ad se pertinentibus, cum assensu & ultroneo consensu comitis Tolosani, locum S. Antonini, qui vulgo vocatur *Fredelciz*, quatenus ibi monastici habitus, te statuente, regularis inseratur ordo, ad provectum profectumque nostrum omniumque fidelium animarum.

II.

Ex apographo Appamiensi.

Carta Rogerii comitis Fuxi qua Appamiensem S. Antonini abbatiam Petro abbati donat.

1095. IN nomine Domini. Hoc est recordatio & memoria qualiter ego Rogerius comes Fuxensis & mater mea dereliquimus, & absolvimus, & guerpimus Domino Deo, & sancto martyri Antonino, & Petro abbati, & successoribus ejus canonicis abbatibus, & Isarno priori, & successoribus ejus canonicis prioribus & canonicis professis in loco S. Antonini Freedalensis ecclesiæ, abbatiam S. Antonini, & omnia quæ pertinent ad ipsam abbatiam, tam homines quam feminas, alodes & fevos, & terras & vineas, loca culta & inculta, heremum & con directum, totum & ad integrum absolvimus & guerpimus Petro abbati & Isarno priori supradictis, qui modo ibi sunt & postea erunt, & canonicis qui modo ibi sunt & postea erunt, sine ullo enganno, sine ulla retinentia, sine aliqua revenientia ad aliquem de parentibus nostris, & guerpimus & absolvimus illis omnes usagios & omnes census quos habebamus in toto honore sancti Antonini, sive juste sive injuste, & in hominibus & in feminis villæ ipsius, & hoc facio ego Rogerius pro remissione peccatorum Rogerii patrui mei, & pro remissione peccatorum patris mei P. & pro remissione peccatorum meorum & omnium fidelium, & pro quingentis solidis Tholosanis quos Petrus abbas & Isarnus prior dederunt mihi ad viæ auxilium Hierosolimam profecturo. Si quis autem homo vel aliqua femina contra hanc absolutionem & guerpitionem irritare voluerit & destruere tentaverit, particeps sit pænarum inferni cum Juda traditore, & ita absorbeat eos terra sicut Datan & Abiron absorbuit, & omnis maledictio & pœna quæ cogitari potest, veniat super illos qui hanc guerpitionem violare præsumpserint. Facta scriptura cartæ ipsius mense Aprilis, die Sabbati, VI cal. Maii, luna 28, anno M. XCV Incarnationis Dominicæ, rege Philippo regnante. Signum Rogerii comitis Fuxensis. Signum matris ejus qui cartam istam manibus firmaverunt suis, videntibus Bernardo Amelii *de Ranad*, & Petro Remundi nepote ejus, & Guillelmo Bernardo *de Amances*. Petrus presbyter scripsit.

III.

Ex archivis castri Fuxens.

Villa Fredelaci, castrum Appamiarum, & abbatia S. Antonini Isarno priori restituta.

NOTUM sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quoniam hæc est recordatio & recognitio violentiæ & rapinæ, quam ROGERIUS comes Fuxensis de villa Fredelaci & de abbatia S. Antonini hactenus injuste fecit. Quapropter in nomine Domini nostri Jesu-Christi, ego ROGERIUS prædictus Fuxensis comes recognosco & reddo me culpabilem & Dei legis mandatorum violatorem, de violentia & rapacitate, quam ROGERIUS patruus meus & ego post eum de villa Fredelaci, & de abbatia S. Antonini usque ad præsentem diem fecimus: quæ ab antecessoribus nostris a comite videlicet Fuxi & Carcassonæ juste vel injuste numquam ablata vel possessa fuerunt. Ergo propter hæc mala omnia quæ perpetravimus, ut miser & infelix vinculum excommunicationis quod dominus URBANUS papa II . . . . . successor PASCHALIS & WALTERIUS cardinalis prædicta mala mihi facienti imposuerant, diu sustinui: quod ut a me valeam amovere reddo & guerpio sine inganno Domino Deo & S. Antonino, & abbatibus futuris canonice electis, & Isarno priori & successoribus suis, & canonicis tam præsentibus quam futuris, totam villam Fredelaci, & castrum *Appamiæ*, & omnem abbatiam S. Antonini, sine ulla retinentia, sine omni revenientia ad me vel ad aliquem ex heredibus ac successoribus meis. Relinquo etiam omnes usagios bonos & malos, quos usque hodie in villa Fredelaci vel in castro Appamiæ, & in omni abbatia injuste tenueram & habueram, ut sicut ego & patruus meus ROGERIUS initium doloris & rapinæ fuimus, ita pro me & pro ipso sint finis doloris & rapinæ, & principium pacis & concordiæ, mali namque usagii non sunt recitandi sed potius * tractandi & dissipandi; alii autem usagii quos ab antiquis temporibus abbas in villa Fredelaci habuit, sunt isti, omnes lisdæ & justitiæ septem solidorum obolo minus, & feda & alii qui a clericis & laïcis memoriter retinentur. Igitur sicut hæc omnia supra scripta ad salvationem ecclesiæ B. Antonini & clericorum qui modo ibi sunt vel in antea erunt, melius possunt recognosci & intelligi: ita reddo omnino, & sine inganno absolvo, & redditionem tali convenientia firmo, quod si ego aut aliquis homo vel aliqua femina hujus nostræ redditionis umquam raptor vel violator exstiterit, secundo tertiove ab episcopo Tolosano, vel a clericis ecclesiæ prædicti martyris ammonitus, si ad dignam emendationem non venerit, & in pertinacia violationis suæ contumax permanserit, præfatus episcopus de his omnibus adjutor & defensor ecclesiæ prædictæ & clericorum semper maneat, & idem excommunicationis vinculum super eum imponat, quod dominus papa Urbanus & Paschalis & Walterius cardinalis super me imposuerant. Item ego Rogerius supradictus comes dono Domino Deo, ac almo Martyri præfato, cunctisque clericis devote viventibus in ejusdem Martyris Fredelacensi monasterio,

1111.

* *F. tacendi.*

dimidium nitidi frumenti modium, ac fani vini unum modium, pinguemque unam ac optimam vaccam, atque quatuor porcos vel quatuor solidos in festivitate sæpedicti gloriosissimi Martyris per unumquemque annum. Ego igitur ISARNUS prior prædictus, cum consilio clericorum nostrorum, & AMELII Tolosani episcopi, & Raymundi Barbastiensis episcopi S. Antonini ecclesiæ filii commendo tibi ROGERO comiti castrum Appamiarum cum forteliá & fortesas quæ modo ibi sunt vel in antea erunt, ut fidelis custos de ipso castro maneas, & de villa Fridelacensi & de omni abbatia verus adjutor & defensor existas, ad honorem Dei & S. Antonini, & clericorum ejus tam præsentium quam futurorum. Ad custodiam itaque & defensionem munitionemque castri consentio tibi medietatem listdarum exceptis sevis de ipsa lista, quos proprios retineo, & medietatem justitiarum septem solidorum obolo minus, præter seda & justitias clericorum & familiæ nostræ. Consentio etiam vineam de prato, & manulevationem ciborum & vestimentorum in capello, & in villa sicut usus est per unum mensem. Ordinatio vero locorum & domorum castri, sicut ego dispósuero firma permaneant; de quibus medietatem census quem habuero tibi concedo & consentio tibi casalem Benedicti . . . . . . cum aliis . . . . quos tenebas die quando carta ista facta est, & ille ministralis, quem tu posueris in prædictis rebus, quas tibi concedimus, non ponas sine consilio meo vel successorum meorum, qui etiam fidelitatem nobis promittat, ut si querelam de eo habuerimus fidantias nobis donet, & justitiam persolvat, & deinceps fidelis maneat, & quæ suscipere debet de manu ministralis sancti Antonini & nostri semper suscipiat, excepta manu-levatione, sicut supra scriptum est, quam per se faciat. Hæc omnia tibi superius a nobis concessa concedimus, comes Rogeri, in diebus tuis. Ego ROGERIUS comes Fuxensis hanc guerpitionem & redditionem, supra scriptam promissionem tenebo, sicut superius scriptum est, per fidem sine ullo inganno. Juro per Deum & per istos sanctos. Facta est descriptio hujus cartæ mense Junio die Dominica, anno ab Incarnatione Domini M. CXI, apostolante domno Paschali papa, Francorum rege regnante Ludovico. Signum Rogerii comitis qui hanc cartam scribi mandavit & firmavit, & firmando propriis manibus & ore super corpus S. Antonini juravit, videntibus & audientibus Amelio Tolosano episcopo, & Raymundo Barbastensi episcopo, & Isarno priore, & omnibus aliis canonicis, & Raymundo Guillelmo de Villamuro & Raymundo Sanza, & Guillelmo Alsinavensi & Arnaldo Rogerii... Rogerii, & Arnaldo, Ardinando & Gerardo, & Berengario & Rogerio *de Belpug*. Bernardus Willelmi scripsit Barbastensis canonicus.

IV.

Ex mss. Colbert.

Emenda seu restitutio facta per comitem Bernardo abbati & monasterio Fuxensi.

1145. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego ROGERIUS comes Fuxensis, filius STEPHANIÆ, recognoscens maximam & inhonestam invasionem quam feci erga Deum cœli & ecclesiam Fuxensem, volo emendare & restaurare mandamento & consilio domni RAYMUNDI Tolosani episcopi & Maurini archidiaconi, & Raymundi sancti Martini militis templi Dei, atque Petri *Danzant* prioris Fredelacensis, Raimundi etiam Sancii & nepotis sui Bernardi Amelii, & Bertrandi de Percla & Guillelmi de Alsinava, & Guillelmi S. Saturnini & Rogerii *de Verneriol*, & multorum aliorum probissimorum militum & clericorum atque laïcorum cæterorum. Itaque videre & audire volentium facio hanc emendationem Deo & ecclesiæ Fuxensi, & B. Volusiano ibi requiescenti, A & cæteris sanctis Dei in eadem ecclesia vere requiescentibus, & BERNARDO ejusdem loci abbati, atque omnibus canonicis ibidem Deo servientibus tam præsentibus quam futuris. In primis quidem reddo me ipsum servum & culpabilem Deo & B. martyri Volusiano, & ecclesiæ illius & clericis; & concedo illis libertatem quam semper habuerunt & habere debuerunt, quam ego vi & mera mala voluntate injuste abstuleram: ita quod neque ego, neque filius aut filia mea, nati nec nascituri, insuper germanus vel germana, vel aliquis ex progenie mea, potens ac impotens, de ista hora in antea in supradicta domo & ecclesia, atque in honore illius nec in ullis suis tenentiis aliquid inquietare, requirere, vel mandare, vel apparere possit. Quapropter ego omes ROGERIUS B Fuxensis pro emendatione tam magnæ invasionis accipio supradictam ecclesiam & familiam cum omnibus suis pertinentiis in mea potestate & manutenentia de me & de cæteris amicis meis & inimicis, & ad ultimum de omnibus hominibus juxta meum posse sine omni inganno & retinentia, sine omni pecunia, quam non accipio nec accipiam, nec ego nec ullus homo vel femina per me vel post me, & mando ut neque amicus neque inimicus meus vel illorum nullam pecuniam illorum vel honorem quærat vel requirat, vel vi auferat, atque occasione mei injuste aliquid agat. Pro emendatione autem supradictæ invasionis ego supradictus ROGERIUS comes dono de proprio alode meo Domino Deo & supradictæ ecclesiæ Fuxensi, & BERNARDO supradicto abbati C & clericis ejusdem loci tam præsentibus quam futuris, duos casales, unum in villa quæ vocatur *Burbre*, casalem capellam qui vocatur *Asafont*, cum omnibus suis pertinentiis, totum & ab integrum, sicut ego melius visus sum habere & tenere, aut aliquis per me; & alium casalem in villa quæ vocatur *Aspira*, qui dicitur *Asotel*, qui est in pignus pro sexaginta solidis: ita ut abbas donet sexaginta solidos, insuper donet mihi quinquaginta solidos, hoc sunt centum decem solidi, & dono illum illis ad alodem cum omnibus suis pertinentiis, & omnibus successoribus illorum. Locum autem de Buxa quæ est in silva quæ vocatur *Baulo*, quem ego eis injuste amparabam dono, & solvo illis similiter libere. Duas itaque villas Savinha & Pederlas laudo & concedo supradicto abbati BERNARDO, ut mittat illas in fortitudine in loco sibi D congruenti, & provideat supradictus abbas & ejus successores, ut non exeat mihi guerra, nec successoribus meis. Signum Rogerii comitis Fuxi qui hanc emendationem supradictam supradictæ ecclesiæ fecit, & hanc cartam scribere mandavit, & manibus firmavit in audientia & videntia supradicti Raymundi episcopi Tolosani, & Maurini archidiaconi, & cæterorum supra scriptorum, militum, clericorum atque laïcorum. Facta carta ista mense Novemb. feria VII, epact. VI, luna VI, concurrente VII, anno videlicet ab Incarnatione Domini M. CXLIV, sub anno & M. CXLV episcopatu supradicti episcopi Raimundi *de Lautre*, in cathedra & apostolatu Romano residente honestissimo Eugenio, & in Francorum regno divina donante E gratia regnante Ludovico regum piissimo. Guillelmus presbyter ejusdem ecclesiæ canonicus scripsit.

Nota. Eugenius III electus fuit papa 1145. 25 Februarii; itaque error est in numero 1144.

V.

Pactum comitis Fuxensis cum abbate S. Antonini.

IN nomine Domini, ego RAIMUNDUS ROGERII 1198. comes Fuxi laudo & concedo Domino Deo & B. martyri Antonino, & tibi Raimundo abbati & omnibus successoribus tuis, cunctisque S. Antonini canonicis præsentibus & futuris, fortiam & munitionem quæ facta est in villa S. Antonini, quæ vocatur

Castlaro, vel in antea pro defensione dictæ villæ ibi facta fuit: quæ videlicet villa est proprium alodium ab antiquo tempore gloriosissimi martyris Antonini. Tali vero pacto concedo vobis sicut superius scriptum est, prædictam fortiam & munitionem habendam, tenendam & possidendam in perpetuum, ut nunquam pro prædicta fortia tibi vel successoribus tuis, aut alicui hominum aliquod servitium vel blandimentum faciatis, neque potestatem de ipsa furtia reddatis, sed libere & absolute & absque hominum dominatione vos & omnes successores vestri teneatis & possideatis. Convenio etiam vobis per fidem meam, ut nunquam vobis prædictam fortiam, vel aliquod de prædicta fortia auferam, vel aliquis homo vel femina per meum ingenium vel per meum consilium; sed quandiu vixero eam manu teneam & defendam ad honorem sancti Antonini & vestri, omniumque successorum vestrorum. Et si forte aliquis homo vel femina eam vobis abstulerit, ego cum illo vel illa pacem vel concordiam non habebo, sed tandiu illum vel illam pro juribus meis guerreiabo, donec munitionem vobis reddat, & damnum illatum vobis restituat. Concedo etiam vobis, ut si prædicta fortia, quod absit, aliquo modo destructa fuerit, eam ut vobis melius visum fuerit reædificetis, & sicut superius scriptum est, reædificatam teneatis & possideatis. Hoc autem pactum in prædicta munitione vobiscum constituo, ut nunquam aliquis guerram inde mihi faciat, vel ego alicui. Facta carta ista mense Octobris feria tertia, regnante Philippo rege Francorum, Raimundo comite Tholosano, Fulcrando episcopo, anno ab Incarnatione Domini M. CXCVIII. Hujus rei prædictæ sunt testes Pontius Ademarii de Rodilla, & Guillelmus de Hospitali, & Petrus *de Laurag*, & Raymundus de Lisiaco, & Guillelmus *de Calmels*, & Pontius de Fraxino, & Bernardus Rogerii canonici, & Lambertus qui cartam scripsit.

VI.

Bulla confirmatoria bonorum abbatiæ S. Volusiani.

1224. HONORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Roberto abbati ecclesiæ beati Volusiani Fuxensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, &c. Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, ad exemplar felicis recordationis Urbani & Alexandri prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, præfatam ecclesiam, cujus utique vobis a Deo cura commissa est, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, archidiaconatum *de Olives* & *de Savares* cum terminis suis, scilicet ab ecclesia sancti Benedicti de Cubeleca, usque ad ecclesiam sanctæ Guiteriæ & ab ecclesia de Turri usque ad ecclesiam Merentis; ecclesiam de Combila cum decimis & villa, ecclesiam *de Tremolhet* cum decimis suis, ecclesiam de Marbila cum decimis, ecclesiam S. Marcelli cum decimis, ecclesiam S. Mariæ *de Valzi*, ecclesiam *de Rieu* cum decimis, ecclesiam *de Laberas* cum decimis & villa, ecclesiam *de Verniol* cum decimis, ecclesiam S. Joannis *de Verges* cum decimis, ecclesiam *de Laures* cum decimis, ecclesiam *de Aspiram* cum decimis, ecclesiam *de Crasluam* cum decimis, ecclesiam *de Salam* cum decimis, ecclesiam *de Sinsirac* cum decimis & villa, ecclesiam *de Her* cum decimis, ecclesiam *de Ganac* cum decimis, ecclesiam *de Brassac* cum decimis, ecclesiam *de Allenac* cum decimis, ecclesiam *de Seres* cum decimis, villam quæ vocatur Abbatia, & ecclesiam ejusdem villæ cum decimis, ecclesiam *de Fentonart* cum decimis, ecclesiam *de Anplam* cum decimis & villa, ecclesiam *de Surbam* cum decimis & villa, ecclesiam de Anaulis cum decimis, ecclesiam *de Boam* cum decimis, ecclesiam de Verduno cum decimis, ecclesiam de Arnava cum decimis, ecclesiam de Unobore cum decimis, ecclesiam de Unaco cum decimis, ecclesiam *de Perlas* cum decimis & villa, ecclesiam de Sabinsano, salva moderatione concilii. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat: liceat quoque vobis clericos vel laïcos, liberos, absolutos a seculo fugientes ad conversationem recipere; & eos absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum ecclesiæ fuerit, liceat vobis ecclesiam de Savarto cum decimis & villa, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacrosanctæ Rom. sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere, alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur, impendat. Statuimus præterea ut neque episcopo neque comiti, seu alicui personæ seculari vel ecclesiasticæ liceat indebitas & injustas exactiones in præfata ecclesia exercere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotionis extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te in uno ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptione, astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel patrum pars majoris vel sanioris consilii secundum Dei & beati Augustini regulam providerint eligendum. Præterea præcipimus ut nullus ibi deinceps ordinetur canonicus, nisi qui se canonice victurum professus fuerit: paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, capere vel interficere, seu violentiam audeas exercere. Præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ecclesiæ vestræ concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus, vel fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Ad judicium autem hujus præcepti, ab apostolica sede libertatis, nobis nostrisque successoribus quinque solidos Pictaviensis monetæ annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, &c. Datum Laterani per manum Guidonis domini papæ notarii, III nonas Dec. indict. XIII, Incarnationis M. CCXXIV, pontificatus Honorii papæ III an. IX.

VII.

Ex mss. codice abbatiæ sancti Germani.

Canonici Appamienses tradunt regi Ludovico VIII castrum Appamiense custodiendum.

1226. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Nos Mauricius sacrista & canonici S. Antonini de Appamiis notum fieri volumus præsentes literas inspecturis, quod nos venerabili patre & domino Romano sancti Angeli cardinali sedis apostolicæ legato consentiente & authoritatem impertiente, commendavimus castrum Appam. cum forteriiia domino Ludovico regi Francorum illustri custodiendum; ipse autem promisit quod ipsum castrum & forteritias quæ modo ibi sunt vel in antea erunt, fideliter custodiet, & adjutor & defensor erit bona fide absque B malo ingenio abbati nostro & canonicis ecclesiæ nostræ ad retinendum jus nostrum in villa Fredalaci & in tota abbatia, & toto honore ad ipsam abbatiam pertinente, ad honorem Dei & sancti Antonini, & utilitatem canonicorum ipsius tam præsentium quam futurorum, pro munitione quoque defensione ac custodia ipsius castri competentius faciendis concessimus eidem regi medietatem Lydderi. exceptis feudis de ipsa Lydda quæ nobis retinuimus; item medietatem justitiarum castri septem solid. præter feuda & justitiam clericorum & familiæ nostræ quæ nobis retinuimus. Item manulevationem ciborum & vestimentorum in castello sicut hujus est per unum mensem, ordinatione vero locorum & domorum castri tam C veteris villæ quam novæ, sicut abbas noster & nos disposuerimus firma permanente. Medietatem census quem de ipsis habuerimus concessimus dicto regi, cum horto & insula quæ est extra fluvium Aregæ, & medietate molendini, præter discursus aquarum quos nobis retinuimus. Concessimus præterea eidem medietatem redditus omnium furnorum totius villæ Appam. & medietatem omnium usagiorum mercati, præter decimam. Item medietatem obliarum villænovæ & campi, & medietatem denariorum Clavar. qui colliguntur in festo S. Antonini, & medietatem calendarii quod colligitur in natali Domini in Pascha & festo sancti Johannis-Baptistæ, præter decimam calendarii. Item medietatem pedagiorum omnium portarum prædictæ villæ. Ballivus autem seu claviger D quem in prædictis rebus quas ei concessimus præficiet, præsentabitur abbati nostro & nobis, qui fidelitatem nobis sub juramento promittet, in quo continebitur quod manutenebit & defendet res & jura ecclesiæ nostræ, & si querelam de illo habuerimus, finantiam nobis donet & justitiam persolvat, & deinceps fidelis maneat, & qui suscipere debet de manu ministralis ecclesiæ nostræ, semper suscipiat, excepta manulevatione in castello, sicut supra scriptum est, quam per se faciat; collectio tamen redditium fiat communiter per utrumque, ministralis autem ecclesiæ nostræ jurabit quod de collectis redditibus fideliter dabit ballivo domini regis partem suam. Nos itaque omnia supradicta eidem regi concessimus tantummodo in vita sua. Idem vero rex pro domo sua in castello sita donat in servitium Deo & sancto E Antonino, & clericis ejus tam præsentibus quam futuris, dimidium modium purgati frumenti & unum modium puri vini, & unam vaccam pinguem & quatuor porcos aut quatuor solidos in festo sancti Antonini per unumquemque annum, singulis quoque annis in die solemnitatis sancti Antonini vexillum ecclesiæ nostræ in signum dominii super arcem ipsius castri ponetur sine redditione tamen ipsius castri. Ballivus autem dicti regis quandocumque fuerit institutus, & ii qui cum eo ad custodiam castri fuerint deputati, jurabunt quod quandocumque ipsum regem contigerit debitum humanitatis exsolvere, castrum Appam. cum omnibus forteriiis suis, & totam villam A tam veterem quam novam ipsi castro adjacentem, cum omnibus pertinentiis suis, & omni integritate ac melioratione si facta fuerit in prædictis, abbati nostro & nobis restituent absolute sine aliqua contradictione vel mora, & sine aliqua propter expensas aliquas retentione. In cujus rei memoriam & testimonium præsentes literas exinde confectas, sigillo nostro munitas, sæpe dicto domino regi duximus concedendas. Actum Appam. anno Domini M. CCXXVI, mense Octobri.

VIII.

Restitutio facta abbatiæ S. Antonini Appamiensis.

NOTUM sit cunctis quod Ademarius de sancto Saturnino canonicus, cellerarius & sindicus 1264. B monasterii S. Antonini Appamiarum, coram venerabilibus patribus & dominis A. Dei gratia archiepiscopo Auxitano, Raimundo episcopo Tholosano, & B. episcopo Convenarum, & nobilibus viris domino Raymundo de Cardona, domino Rogerio Bernardi, comite Fuxi per Dei gratiam, & vicecomite Castri-boni, & domino C. comite Bigorræ, & domino Aymerico de Narbona, domino * G. abbate Mansi-azilis, & pluribus aliis viris religiosis clericis, militibus, & universo populo villæ Appamiarum. Idem Azemarius cellerarius sive sindicus nomine sui monasterii requisivit dictum dominum comitem Fuxi, quod redderet sibi castrum villæ Appamiarum, & omnia alia jura quæ dominus ROGERIUS pater ejus quondam comes Fuxensis C tenuerat in villa Appamiarum. Qua requisitione facta, dominus A. Dei gratia abbas Mansi azilis, qui assistebat ipsi domino vicecomiti, surrexit pedes, & dixit: dominus comes qui hic est, reddit & restituit vobis libere & absolute, & absque omni contradictione, castrum hujus villæ, furnos, molendina, leudam, oblias, & alia quæ dominus ROGERIUS pater ejus quondam comes Fuxi percipiebat in hac villa, quibus verbis dictis, dictus Azemarius de sancto Saturnino canonicus, cellerarius & sindicus prædicti monasterii S. Antonini, mandavit mihi Jacobo Sancii publico notario Appamiarum, quod dominus ROGERIUS BERNARDI per Dei gratiam comes Fuxi, reddebat sibi nomine dicti monasterii S. Antonini Appamiarum, libere & absolute, absque omni contradictione, castrum D hujus villæ, furnos, molendina, leudam, oblias, & alia quæ dominus ROGERIUS pater ejus quondam comes Fuxi tenuerat in hac villa, & mandavit mihi ut inde facerem publicum instrumentum, scilicet de dicta redditione & restitutione, adhibitis pluribus testibus præsentibus. Et consequenter statim dictus dominus ROGERIUS BERNARDI per Dei gratiam comes Fuxi & vicecomes Castri-boni mandavit nobili viro domino PETRO ROGERII DE MIRAPISCE, quod iret ad castrum, & redderet claves ipsius castri Ademario & canonicis S. Antonini; mandavit etiam Boneto DD. quod redderet eidem Ademario & dictis canonicis claves furnorum & molendinorum, & traderet eis possessionem leudæ, obliarum, redditiuum & jurium quæ dominus ROGERIUS quondam E pater ejus tenuerat in hac villa libere & absque omni contradictione. Qui dominus PETRUS ROGERII audito prædicto mandato accessit statim ad castrum, & fecit quod sibi injunctum fuerat, ut superius continetur, me præsente & vidente. Et tunc mandavit mihi dictus Ademarius canonicus, cellerarius & sindicus S. Antonini, quod facerem publicum instrumentum super recuperatione castri, & libero introitu ipsius Ademarii & canonicorum, qui propter mandatum ejus vocavi testem ad hoc. Prædictæ autem requisitionis quam fecit dictus Ademarius de sancto Saturnino, cellerarius & sindicus monasterii sancti Antonini in ecclesia, & eorum quæ dixit dictus dominus abbas Mansi-azilis, & mandati quod fecit

* Infra A.

dictus dominus Rogerius Bernardi comes Fuxi & A vicecomes Castri-boni, super prædictis possessionibus restituendis, sunt testes magister Raimundus DD. magister Atho officialis Appamiarum, magister B. de S. Lupo, & Arnaldus *de Calmels*, B. Aldeminus, Bartholomæus Sancii, Guillelmus Bernardi, B. Sicredi, Raimundus Ruffi, Petrus Martini, Arnaldus *de Artrez*, Raymundus Peyrolerii, Johannes Bartha, Faber Piazelli, Guillelmus Mironis, Guillelmus Mercerii & Arnaldus de Furno consules Appamiarum, & Bernardus Segerii & Ramundus Bernardi. Prædictæ autem requisitionis castri & introitus sunt testes magister R. DD. & Arnaldus *de Calmels*, & Bartholomæus Sancii prædicti, & Raimundus Boerii clericus, & Petrus de Gardogio diaconus, Raimundus de Aleriis, Arnaldus Galhardi. Ego Jacobus Sancii B publicus Appamiarum notarius hanc cartam scripsi. Acta fuerunt hæc in crastina die post sepulturam prædicti domini Rogerii quondam comitis Fuxi, scilicet die Jovis post festum S. Mathiæ apostoli, & die præcedenti corpus dicti domini comitis quondam Fuxi fuit traditum sepulturæ in anno Incarnationis Christi M. CCLXIV.

IX.

Ex Mss. codice abbatiæ S. Germani.

Consules & cives Appamienses dant abbati licentiam transferendi dominium urbis Appamiensis in quem voluerit principem.

1268. IN nomine Domini. Notum sit omnibus præsentibus C & futuris præsentem paginam videntibus & audientibus, quod Guillelmus *Aldigny*, Guillelmus Athonis Baldoigni, Bernardus *Mediane*, Guillelmus Crassi, Guillelmus *Marie*, Guillelmus Dulcii, Raymundus de Lupa & Faber Martini consules Appam. & tota universitas villæ Appam. per præconem cum tubæ sonitu, prout moris est in eadem villa publice ad parlamentum convocata, & in ecclesia Mercatal. ejusdem villæ congregata, harengua & causa convocationis & congregationis proposita & diligenter exposita, præhabitis deliberatione magna & consilio diligenti, ex certa scientia, abjectis penitus dolo & fraude, ac errore & ignorantia, certi de facto & de jure suo & ipsius universitatis plene certificati, per se suosque in perpetuum successores, volentes ac cupientes sibi & successoribus suis perpetuam pacem D & concordiam acquirere, & omne genus discordiæ a se abjicere, eligentes potius, cum dies mali sint, tempus redimere, quam cum briga & in guerra cum quadam electione vivere & consistere, donaverunt & concesserunt venerabili in Christo patri & domino B. permissione divina abbati monasterii S. Antonini Appam. ad quod dominium dictæ villæ pertinet pleno jure, plenam & liberam potestatem, & auctoritatem ac licentiam specialem concedendi, & quocunque alienationis genere voluerit transferendi dominium seu partem dominii & jurisdictionis quod in eas & in ipsa villa ipsum nomine monasterii habere publice cognoverunt; concedentes eidem domino abbati, quantum in eis est, quod ipse cum consilio Boneti, David & Ramundi de Molino burgensium E suorum de Appam. qui præsentes erant, vel etiam per se solum & autoritate propria sine alicujus consilio si sibi placuerit, possit prædictam jurisdictionem & dominium, ac specialiter exercitum ac cavalcatam in eos & successores suos concedere domino Ludovico Dei gratia regi Francorum illustri ac ejus successoribus, vel alteri seculari vel ecclesiastico principi cuicunque. Promittentes mihi Arnaldo de Lisiaco publico notario Appam. infra scripto, nomine cujuslibet cujus interest vel in futurum interesse poterit stipulanti quod ipsi concessionem & translationem jurisdictionis & dominii, ac exercitus & cavalcatæ, quæ per ipsum dominum abbatem facta fuerit, grata habebunt, ac si per eos personaliter facta esset, & illum quicunque sit qui concesserit vel in quem transtulerit juxta modum & formam concessionis & translationis habebunt pro domino temporali & eidem sicut domino obedient & fidelitatem servabunt in perpetuum, salvis libertatibus & consuetudinibus eisdem concessis vel abbatibus qui pro tempore fuerint in ipso monasterio, & ab aliis qui tenuerunt pro tempore dominium dictæ villæ, & quæ fuerunt usque ad hæc tempora in eadem villa rationabiliter observata, renunciantes omni juri canonico & civili, speciali & generali quo contra prædicta vel aliqua prædictorum venire possent de jure vel de facto, vel in aliquo se & juridicenti generalem renunciationem non valere. Dicentes & recognoscentes quod hæc eadem posset prædictus dominus abbas facere jure suo & monasterii supradicti. Acta fuerunt hæc in ecclesia prædicta Mercatal. ultima die mensis Julii, anno Domini M. CCLXVIII, regnante domino Ludovico rege Francorum, præsentibus testibus extraneis in villa, scilicet magistro Guillelmo Firmini, & domino Ramundo de Vilola milite, Ar. Boneti, Berengario de Camben. & Juliano de Villa-nova clerico, & pluribus aliis, & me Arnaldo de Lisiaco publico notario Appam. qui de mandato consulum prædictorum & universitatis prædictæ & prædicti domini abbatis cartam istam scripsi. Et ad majorem firmitatem & fidem habendam prædicti consules præsentem paginam fecerunt sigilli sui munimine roborari.

X.

Ex eodem cod. Mss.

Abbas Appamiensis concedit ex licentia consulum & civium dominium civitatis Ludovico regi.

IN nomine Domini nostri, amen. Anno Incarnationis ejusdem M. CCLXIX, IV nonas Julii, 1269. omnibus tam præsentibus quam posteris fiat præsentis scripti serie manifestum, quod nos B. permissione divina abbas monasterii S. Antonini Appam. nomine nostro ac conventus supradicti ad quod dominium villæ Appam. pleno jure spectat, habentes nihilominus super hæc plenam & liberam potestatem, auctoritatem & licentiam specialem a consulibus & tota universitate dictæ villæ Appam. concedendi jurisdictionem & dominium, ac exercitum & cavalcatam in omnes homines ejusdem villæ præsentes & futuros, vobis excellentissimo domino Ludovico Dei gratia regi Francorum illustri, & heredi vestro regi Francorum usque ad decennium continuum numerandum a data præsentium litterarum pro evidenti utilitate nostri monasterii supradicti, pro defensione ac custodia castri Appam. quod vobis ad tempus prædictum concessimus, ac custodia & defensione monasterii nostri & bonorum ac jurium dicti monasterii & hominum villæ Appam. competentius & melius per vos dominum regem prædicto decennio faciendis concedimus & donamus pro nobis & successoribus nostris, & conventu nostro ac consulibus & universitate dictæ villæ, quod omnes homines & singuli ejusdem villæ præsentes & futuri, exceptis clericis & familia monasterii nostri, juxta modum & formam concessionis & donationis quam vobis usque ad tempus prædictum de castro nostro Appamiensi & quibusdam aliis rebus facimus, habeant vos una cum nostro monasterio pro domino temporali & vobis una cum dicto monasterio, sicut domino obediant & fidelitatem observent per totum decennium supradictum. Item concedimus & donamus vobis & heredi vestro regi Franciæ, pro nobis & successoribus nostris, & conventu nostro ac consulibus & universitate dictæ villæ, exercitum & cavalcatam per totam conquestam Albigesii & per totum comitatum Tolosanum, in omnes homines dictæ villæ Appam. præsentes & futuros, exceptis clericis & familia nostri monasterii, concedentes

concedentes vobis domino regi prædicto & heredi vestro regi usque ad tempus prædictum, quod vos omnes homines prædictos antedictæ villæ præsentes & futuros possitis ubique per terram contra quoscunque homines in exercitum & cavalcatam ducere ac tenere sicut alios homines terræ vestræ; salvis tamen libertatibus & consuetudinibus hominibus dictæ villæ concessis ab abbatibus qui pro tempore fuerunt in dicto monasterio, & ab aliis qui tenuerunt dominium dictæ villæ, & quæ fuerunt usque ad hæc tempora in ipsa villa rationabiliter observata. Promittentes nos prædictus abbas pro nobis & successoribus nostris & conventu nostro, ac consulibus & universitate prædictis, quod neque nos, successores nostri, conventus noster, consules & universitas prædicti, contra prædictam concessionem & donationem nullo tempore veniemus, nec alicui contravenire volenti consentiemus. Renunciantes ex certa scientia & consulte omni juri canonico & civili, & omnibus statutis & consuetudinibus, & omnibus privilegiis nobis indultis & indulgendis, quibus contra prædicta de jure vel de facto contravenire possemus, vel in aliquo nos tueri. Et promittimus quod prædicta faciemus laudari per conventum nostrum prædictum ad voluntatem & requisitionem vestram, & ea rata haberi. Acta fuerunt hæc Parisius, anno & die quo supra. Et ad majorem prædictorum omnium firmitatem, & ad eorum pleniorem fidem habendam, nos prædictus abbas Appamiarum præsenti chartæ sigillum nostrum apposuimus.

X I.

Ex codice Colbertino.

Dimissio facta a conventu Appamiarum abbati suo.

1270. AD honorem Dei omnipotentis & in ipsius nomine sciant legentes infra scripta & recolant audientes, quod conventus monasterii S. Antonini Appamiarum, ordinis sancti Augustini, scilicet B. Raymundi prior, Ademarius sacrista, Petrus Morati, Guillelmus Borelli, Petrus Garda, Maurinus de Monte-lauro, Guillelmus Tolosanus, B. de Vernhola, Elias de Lauraco, magister G. de Cominhano, B. Segerii, A. de Hospitali, Galhardus .... de Lauraco, R. Sancii, Guillelmus Vigerii, R. de Campanhano, Hugo de Castlardo, B. de S. Medardo, Petrus de Monte-respulo, G. de Mirapice, Estoldus, statum monasterii supradicti præteritum recolentes, præsentem sollicite meditantes, & de futuro volentes sibi & eidem monasterio utiliter providere, audito, viso & plenarie intellecto quod ordinatio olim facta inter ipsos conventum ex una parte, & dominum G. quondam abbatem dicti monasterii ex altera, quæ quidem ordinatio fuerat juramento vallata, & per dominum Urbanum papam ex certa scientia confirmata, mutato cursu rerum ac temporis & etiam personarum, fuit ex certa scientia per sanctissimum in Christo patrem dominum Clementem olim sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summum pontificem totaliter revocata, quin imo & absoluti a juramento qui eam juraverant observare, prout in litteris dicti domini Clementis quas viderunt & audiverunt, plenius & apertius continetur; prædicti, inquam, conventus bonam & utilem administrationem venerabilis in Christo patris domini B. Dei gratia abbatis ipsius monasterii sollicite attendentes, ex certa scientia, spontaneis voluntatibus & consulte habito nihilominus inter se frequenti & diligenti tractatu, & insuper communicato sibi super iis consilio plurium sapientum, voluerunt & concesserunt dicto domino abbati præsenti & recipienti, quod ipse plenam & liberam administrationem spiritualium & temporalium redditumn ac proventuum, ac rerum ac bonorum omnium ad monasterium ipsum spectantium habeat diebus omnibus vitæ suæ, & de eisdem quamdiu abbas fuerit in dicto monasterio plene & libere ac pacifice administret, dicentes quod ipsi sciunt & credunt revocationem prædictam esse sufficientem & bonam, & eidem volunt insistere, & promiserunt omnia supradicta, quamdiu dictus dominus abbas vixerit, observare, &c. Acta fuerunt hæc coram venerabilibus viris dominis magistro Bertrando de Serr. Tolosano, & magistro R. *Vital* Appamiarum officialibus, & domino Hugone archipresbytero Gardubii, gerentibus vices venerabilis in Christo patris domini R. Dei gratia episcopi Tolosani, & ab eodem in hac parte specialiter delegatis, qui vice & nomine ipsius domini episcopi præmissis omnibus & singulis autoritatem suam interposuerunt & decreverunt ea prout supra dicta sunt observari. Præmissa omnia fuerunt acta & ordinata in capitulo S. Antonini Appamiarum, VIII idus Septembris, regnante Ludovico rege Francorum, anno ab Incarnatione Domini M. CCLXX, in præsentia & testimonio domini B. abbatis Calercii, Michaëlis prioris Avinionis, &c.

Hæc omnia confirmata & approbata fuerunt VII id. Septemb. ejusdem anni a magistro Johanne de Lauraco & Geraldo Convenarum canonicis Appamiarum.

Hæc omnia rata & grata habet & confirmat frater Raymundus permissione divina Tolosanus episcopus, dato diplomate Balmarii, in vigilia beati Matthæi apostoli, anno Domini M. CCLXX.

X I I.

Appamiensis abbatia in episcopatum erigitur.

Ex Sammarthanis.

BONIFACIUS episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus pontifex, 1295.
qui supernæ dispositionis arbitrio in supremæ dignitatis specula constitutus, ecclesiarum omnium rector agnoscitur, vineæque dominicæ custos generalis & cultor, ac totius ovilis Catholici pastorumque omnium summus pastor, de Apostolicæ plenitudine potestatis tradita sibi a Domino, cujus nutui cuncta subserviunt, obediunt singula, obtemperant universa, interdum cathedrales & alias unit & annectit ecclesias, interdum vero ad episcopatuum divisiones procedere non omittit, cum temporis qualitas suggerit, causæ rationabiles persuadent ut omnia quæ pontificali noscuntur officio imminere, prudenter & solerter exerceat, ac salubri & provida exequi studeat actione. Sane considerantes attentius & infra claustra pectoris meditatione sollicita revolventes, quod Tolosana ecclesia usque adeo amplam & diffusam diœcesim obtinet, prout ex ipsa facti evidentia innotescit, quod Tolosanus episcopus qui existit pro tempore, nequit ipsam ut decet & convenit visitare, non sine gravi animarum dispendio personarum degentium in eadem. Pensantes etiam quod ecclesia ipsa in proventibus & redditibus annuis tam affluenter tamque magnifice abundare conspicitur, prout famæ veridicæ revelat assertio, & clara fide dignorum testimonia profitentur, quod de ipsorum multitudine copiosa, non solum duobus sed pluribus etiam potest episcopis juxta suæ dignitatis decentiam annis singulis provideri; quodque propterea felicis recordationis Clemens papa IV prædecessor noster animarum fidelium saluti prospiciens, & illarum partium notitiam plenam habens, ad divisionem ejusmodi episcopatus Tolosani, dum viveret, firmiter intendebat, certam ad hoc, sicut asseritur, diœcesim distinguendo, villam APPAMIARUM pridem de dicta Tolosana diœcesi existentem, locum utique nobilem & insignem, multisque commoditatibus præditum, ad Dei laudem & gloriam, exaltationem catholicæ fidei, & divini cultus augmentum, de fratrum nostrorum consilio & assensu & potestatis plenitudine supradictæ, in civitatem ereximus, & vocabulo insignimus civitatis; eam a jurisdictione qualibet Tolosani episcopi penitus eximentes, auctoritate sedis apostolicæ decernendo ut beati Martini confessoris ecclesia eidem civitati vicina, in qua

corpus gloriosi Antonini martyris, prout proponitur, requiescit, sit de cætero, & habeatur perpetuo prædictæ civitatis ecclesia cathedralis. Concessimus quoque ex nunc auctoritate prædicta, & donavimus, deputavimus ac etiam providimus futuro Appamiarum episcopo ejusque successoribus qui pro tempore fuerint, de redditibus & proventibus supradictis septem millia librarum Turonens. parvorum integre percipienda anno quolibet ab eisdem; ita quod idem Appamiarum episcopus & successores ipsius habeant & percipiant in hujusmodi redditibus annuatim decem millia librarum ejusdem monetæ, computatis in eis tribus millibus libris monetæ ipsius, ad quos redditus & proventus ecclesiæ Appamiatum annis ascendere singulis dignoscuntur, prout in nostris super hoc confectis literis plenius & seriosius continetur. Nos itaque ad hujusmodi executionem negotii, & distinctionem diœcesis faciendam procedere intendentes, castra, villas, terras, ecclesias & loca omnia quæ de loco Girpiaci, quantum Tolosana diœcesis versus flumen Garonnæ prætenditur, prout rectius fieri poterit per lineam transversalem; & de loco ipso Girpiaci, usque ad flumen Agoti, sicut rectius similiter poterit fieri per lineam ipsam, usque ad fines Tolosanensis diœcesis, versus civitatem Appamiarum, seu meridiem consistere dignoscuntur, habita per testes idoneos & juratos quos in hac parte recipi fecimus, de hujusmodi confinibus certitudine pleniori; ex nunc de Appamiarum diœcesi esse decernimus & etiam ordinamus, ac Appamiarum episcopo in spiritualibus & temporalibus, quemadmodum Tolosano episcopo anteactis temporibus existebant, perperpetuo sint subjecta, sibique illa & habitatores eorum devote intendere ac humiliter obedire tanquam episcopo ipsorum teneantur. Si vero annui redditus & proventus quos infra hujusmodi confinia dudum percipiebat episcopus Tolosanus, prædictam summam septem millium librarum excederent, volumus secundum quantitatem excessus hujusmodi ex dictis confinibus subtrahi, de illa videlicet parte ipsorum quæ minus necessaria fuerit Appamiarum episcopo supradicto. Et si forte iidem redditus & proventus ad eamdem non attingerent quantitatem, illorum defectum suppleri præcipimus de redditibus & proventibus reliquis Tolosanensis episcopi memorati, & prædicta confinia, prout eodem considerato defectu expedire videbitur, augmentari. Cæterum proventus omnes & redditus quos præpositus ac capitulum Tolosanensis ecclesiæ infra confinia eadem obtinere noscuntur, ab omni jurisdictione Appamiarum episc. eadem auctoritate prorsus eximimus & exemta fieri decernimus in futurum. Quia vero hujusmodi apostolicæ sedis ordinationem laudabilem, providam & salubrem, perpetuis futuris temporibus esse volumus valituram, & robur obtinere incommutabilis firmitatis, auctoritate prædicta districtius inhibemus, ne aliquis cujuscumque præeminentiæ, ordinis, conditionis sive status, etiamsi episcopali seu archiepiscopali, seu regia præfulgeat dignitate, hujusmodi ordinationem sedis ejusdem, quovis quæsito colore, ullo modo, sive causa vel occasione turbare, seu quomodolibet impedire præsumat. Nos enim ex tunc irritum decernimus & inane, si secus super hoc per quemcumque apostolica vel alia quavis auctoritate contigerit attentari; & nihilominus in eos qui ex certa scientia contrarium quovisinodo præsumpserint, excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiam promulgamus, a qua non nisi per Romanum pontificem absolutionis beneficium valeat obtineri. Nulli ergo omnino, &c. Si quis autem, &c. Datum Anagniæ XVI calend. Octobris, pontificatus nostri anno primo.

XIII.

Sententia arbitralis lata a Guidone de Levis, *inter episcopum Appaniensem & comitem Fuxi.* *Ex codice Colbert.*

ANNO Domini M. CCXCVII, domino Philippo illustrissimo Francorum rege regnante, septimo idus Novembris. 1297. Noverint universi quod orta materia quæstionis, & maximæ discordiæ inter reverendum patrem dominum B. Dei providentia Appamiarum episcopum, ex parte una; & egregium & magnificum virum Rogerium Bernardi Dei gratia comitem Fuxensem, vicecomitem Bearnii & Castri-boni, ex altera, ratione temporalitatis civitatis Appamiarum, & jurisdictionis altæ & bassæ prædictæ civitatis partes volentes venire ad pacem & concordiam super dicta quæstione & controversia, & super omnibus eas tangentibus, compromiserunt in nos Guidonem *de Levis* dominum Mirapicis, tanquam in arbitrum, arbitratorem seu amicabilem compositorem, sicut in instrumento compromissi inde facto plenius continetur. Unde nos Guido prædictus ex potestate nobis a dictis partibus attributa, attendentes quod ratione dictæ quæstionis seu discordiæ quæ duraverunt longissimo tempore, dicta villa Appamiarum nunc facta civitas bene regi non potuit, & quod multæ seditiones, homicidia & incendia ibi commissa fuerunt, & alia crimina infinita; attendentes etiam quod multa bona ibi omittuntur fieri, quæ quotidie fierent, si esset vera pax & concordia inter eos; attendentes etiam quod dicta civitas est posita in comitatu Fuxensi, & circumdata castris & villis dicti comitatus, & quod non potest per se gubernari sine adjutorio comitatus; attendentes etiam quod dicta civitas non potest bene regi sine adjutorio alicujus brachii secularis; attendentes etiam quod illustrissimus dominus noster rex Franciæ dimisit pariagium dictæ civitatis, amore dicti domini comitis, & quod promisit sibi quod nunquam reciperet pariagium dictæ civitatis; attendentes etiam quod per nullum alium ita commode regi potest sicut per dominum comitem antedictum; attendentes etiam quod redditus temporales dictæ civitatis non valent nunc duo millia librarum Turonensium parvorum; attendentes etiam quod dictus dominus episcopus expendit annuatim quinquaginta libras Turonenses & amplius in custodia castri & munitionis dictæ civitatis; attendentes quod dictus dominus comes habet seu possidet in dicta civitate vineas, prata & molendina quæ valent ducentas libras Turonenses & amplius annui redditus; volentes providere honori & utilitati præfati domini episcopi & ecclesiæ suæ, & ejus indemnitati, auditis rationibus utriusque partis, cum jura partium essent multum dubia; volentes omnia dubia removere, & jura partium declarare componendo & transigendo inter eos, ut amicabilis compositor, & ut tenentes viam amicabilis compositoris eo jure & modo quibus melius possumus, secundum a dictis partibus traditam nobis formam, dicimus & ordinamus, statuimus & mandamus quod dictus dominus episcopus & dominus comes transigant in modum infra scriptum, videlicet quod dictus dominus comes habeat, teneat & possideat castrum dictæ civitatis, & munitiones dictæ civitatis, & successores sui; & quod dominus episcopus & successores sui habeant, teneant & possideant turrim novam constructam per dictum dominum comitem, cum ædificiis suis & locis ad dictam turrim pertinentibus, prout eam habet & tenet dictus dominus comes. Item volumus & ordinamus quod merum imperium & mixtum, & jurisdictio omnimoda ordinaria dictæ civitatis, & exercitium eorumdem pertineat pro æqualibus portionibus domino episcopo & successoribus suis, & domino comiti & successoribus suis; & quod omnes incursus & bona vacantia rerum mobilium &

immobilium dictæ civitatis & ejus territorii quoquomodo evenerint, & omnes justitiæ pecuniariæ sexaginta sol. Tur. & septem solid. & aliæ majores & minores, & obliæ de Villa-nova, & campo Appamiarum, & obliæ clavarum cum earum foriscapiis, sint pro indiviso & pro æqualibus portionibus communia inter dominum episcopum & successores suos, & dominum comitem & successores suos; & quod omnes furni & molendina quæ nunc sunt vel erunt pro tempore in villa Appamiarum, & omnes redditus & proventus provenientes in dicta villa ratione furnorum, molendinorum & bancorum, leudæ & curiæ sint communes inter eos & pro æqualibus portionibus, & omnes alii redditus & proventus ad temporalitatem pertinentes, qui modo sunt vel fuerint in futurum, exceptis obliis cum eorum foriscapiis superius non expressis, quæ obliæ cum eorum foriscapiis ad solum dominum episcopum & suam ecclesiam pertinebant, & exceptis duobus furnis, videlicet Raimundi Boerii & Poncii Fabri; dicimus etiam, volumus & ordinamus quod ibi sit castellanus qui fideliter & bona fide custodiat castrum dictæ civitatis cum munitionibus suis, & quod incarcerandos ibi mittendos fideliter custodiat, & quod juret domino episcopo & domino comiti quod fideliter se habebit in negotio supradicto. Item dicimus & ordinamus quod sit ibi vicarius qui percipiat omnes redditus & proventus dictæ civitatis, & quod restituat pro æqualibus partibus dominis episcopo & comiti supradictis, & de administratis per eum teneatur eisdem reddere rationem, & qui eligat servientes & custodes in dicta civitate, & qui citationes reales & personales fieri, & captiones capiendorum, & executiones sententiarum criminalium, & alia faciat quæ ad officium pertinent vicarii & pertinere debent. Item dicimus & ordinamus quod sit ibi bonus judex ordinarius homo fidelis & discretus per dominum episcopum & dominum comitem eligendus, qui juret in manibus eorum vel tenentium loca eorum, ea facere & dicere quæ debet facere ordinarius judex; volumus, dicimus & ordinamus quod in baculis nunciorum ponatur signum episcopi & domini comitis prædictorum; item dicimus, volumus & ordinamus quod ea quæ fient in dicta civitate, & ordinabuntur per dictum castellanum, vicarium & judicem, fiant nomine domini episcopi & domini comitis prædictorum; item dicimus, volumus & ordinamus quod dictus dominus comes recognoscat se tenere in feudum honoratum dictum castrum, & cætera supradicta a domino episcopo Appamiarum & successoribus suis, & quod præstet sacramentum fidelitatis domino episcopo recipienti pro se & ecclesia sua, & successoribus suis, quod sacramentum debet præstare fidelis vassallus domino suo fideli, quam recognitionem & fidelitatis sacramentum faciant comes & successores sui prædicti, & teneantur facere dominis episcopis qui pro tempore fuerint in ecclesia Appamiarum antedicta. Item dicimus, volumus & ordinamus quod dictus dominus comes dictum castrum & munitiones dicti castri faciat fideliter custodiri suis propriis expensis, & quod quolibet anno in festo S. Antonini mensis Septembris claves dicti castri tradantur domino episcopo vel ejus locum tenenti, & aperiantur portæ dicti castri, ut corpus beatissimi Antonini martyris cum magna processione possit poni in dicto castro, & esse ibi per unam partem diei, & quod vexillum domini episcopi ponatur dicta die in castro, & quod postmodum removeantur dicta die corpus beatissimi Antonini, vexillum & gens dicti domini episcopi exeat, & remaneat ibi familia domini comitis supradicti, prout hoc erat fieri consuetum olim quando comites Fuxi tenebant castrum prædictum. Item dicimus, volumus & ordinamus quod vineæ, prata & molendina quæ tenet dominus comes in civitate Appamiarum, & .... vinearum quos percipit, sint communia

A domino episcopo & domino comiti supradicto, sicut alii redditus supradicti, & teneantur a domino episcopo supradicto; præterea volentes indemnitati domini episcopi & ecclesiæ suæ specialiter providere, attendentes quod redditus & proventus dictæ civitatis, de quibus dominus comes percipiet medietatem, non valeant annuatim duo mille libras Turonenses, de qua medietate ad dictum dominum comitem pertinente dominus comes suis expensis debet dictum castrum & ejus munitiones facere custodiri, & dare salarium castellano, & partem salarii solvere aliis officialibus dicti loci, dicimus & ordinamus ut magna utilitas & commoditas, & indemnitas præstetur domino episcopo & ecclesiæ ex præsenti compositione & transactione, quod dominus comes det & assignet
B mille libras terræ annui redditus, in villis, terris & castris in diœcesi Appamiarum, si poterit bono modo infra annum a tempore confirmationis præsentis ordinationis per summum pontificem faciendæ, & notificationis ejusdem; & si non posset invenire tales redditus dandos & tradendos domino episcopo, commode det & solvat dictus dominus comes viginti mille libras Turonenses parvorum, ex quibus dictus episcopus possit acquirere sibi & ecclesiæ dictas mille libras Turonenses annui redditus, de quibus solvat dictus dominus comes dicto domino episcopo quatuor mille libras Turonenses post mensem a tempore confirmationis factæ partibus, & exinde quolibet anno eodem die alias quatuor mille libras Turonenses, & sic de anno in annum alias quatuor mille libras
C quousque dicta viginti millia librarum Turonensium fuerint plenarie persoluta & tradita domino episcopo antedicto, quibus exsolutis, sit plenarie liberatus a traditione dictæ terræ, ita quod dominus episcopus ratione dictæ terræ assignandæ non possit aliquid petere ulterius a domino comite supradicto, nec possit aliquid petere ab eodem ratione damnorum quæ asserit sibi data fuisse a dicto domino comite & a gente sua in villa Appamiarum vel extra, & quod sibi pactum faciat de non agendo & non petendo dicta damna, & quod dictus dominus comes satisdet idonee infra festum Natalis Domini de assignanda dicta terra annui redditus, vel solvendis dictis viginti mille libris Turonensibus supradictis dicto domino episcopo, si præsens ordinatio & compositio confirmetur.
D Item dicimus, volumus & ordinamus quod dominus comes custodiat & conservet personam domini episcopi & familiam suam, & canonicos suæ prædictæ ecclesiæ, & bona & jura dictæ ecclesiæ in toto comitatu suo & in dicta civitate, & ejus pertinentiis, & homines suos & eorum bona. Item dicimus, volumus & ordinamus quod si aliquæ pœnæ vel damna hinc inde commissæ apparuerint usque ad hanc præsentem diem ratione compromissi, transactionis vel alio quoquomodo, quod neutra partium ab altera petat, & quod sibi ad invicem pactum faciant de non agendo & non petendo, & de non exigendo, & se invicem liberent atque quitent. Item dicimus, volumus & ordinamus quod confirmatio facienda per dominum summum pontificem procuretur expensis communibus domini episcopi & domini comitis præ-
E dictorum. Item volumus, dicimus & ordinamus quod dictus dominus comes non præstet impedimentum quominus dictus dominus episcopus & cæteri clerici suæ diœcesis possint percipere & habere decimas & primicias, & cætera jura ecclesiastica a subditis ejusdem domini comitis, prout debent & solvere consueverunt. Item volumus, ordinamus & præcipimus quod omnes ecclesias & decimas quas dictus dominus comes, vel ejus gentes ipsius mandato vel nomine ipso ratum habente occuparunt seu detinent occupatas, postquam dictus dominus B. fuit factus episcopus Appamiarum, idem dominus comes restituat libere domino episcopo supradicto cum fructibus inde perceptis & percipiendis usque ad restitutionem prædictam: in aliis vero ecclesiis

vel decimis si quas idem dominus comes ante tempus creationis dicti domini episcopi occuparat, & remaneat jus salvum domino episcopo memorato. Item dicimus & ordinamus quod si aliquæ res obliales veniant in commissum quarum rerum obliæ domino comiti non solvantur, dominus comes & dominus episcopus teneantur infra annum & diem extra manum suam ponere, nisi dominus episcopus & dominus comes prædicti communi assensu aliud ordinarent; dicimus etiam, volumus & ordinamus quod dominus episcopus & dominus comes infra mensem mittant solemnes nuncios seu procuratores ad dominum summum pontificem pro insinuanda præsenti ordinatione sedi apostolicæ, & pro ejus confirmatione impetranda, qui fideliter procurent quod præsens ordinatio a sede apostolica confirmetur, quam citius poterint bono modo, & quod hoc procuretur expensis communibus partium prædictarum: super aliis vero quæstionibus omnibus & controversiis retinemus nobis specialem potestatem alias & alibi terminandi, retinemus etiam potestatem super jam ordinatis declarandi, interpretandi, addendi & diminuendi, prout nostræ placuerit voluntati. Volentes & ordinantes quod prædictus dominus episcopus & dominus comes faciant pacem ex corde & ore, & si rancores inter eos sunt vel hactenus fuerunt, quod sibi ad invicem remittant, & quod se in signum veræ amicitiæ & confederationis ad invicem osculentur, & quod procurent modis quibus poterunt quod præsens ordinatio confirmetur & inviolabiliter observetur; volentes tamen & ordinantes quod pendente ordinatione præsenti, quousque fuerit confirmata, dominus episcopus teneat & custodiri faciat dictum castrum nomine suo & suæ ecclesiæ, & cætera jura villæ teneat ut nunc tenet & dictus dominus comes similiter jura sua, nisi per nos vel ipsos aliter ordinetur, & præmissa dicimus & ordinamus salvo jure, honore & voluntate, & jure, & sine præjudicio domini papæ, & salvo jure, & sine præjudicio domini nostri regis in omnibus & per omnia quolibet alieno. Acta fuerunt hæc in præsentia & testimonio domini Castelli-novi militis, domini Johannis *de Levis* militis, Petri *de Levis* & Philippi *de Levis* filiorum dicti domini Mirapicis, domini Arnaldi Novelli abbatis monasterii Fontis-frigidi, domini Guillermi de Junhaco, domini Juonis de Landevenhaco legum professorum, magistri Guillermi Firmini canonici in ecclesia Vivarensi, magistri Guillermi *de Guazench* judicis domini Mirapicis, Poncii Fabri vicarii domini episcopi Appamiarum, domini Rogerii Isarni, domini Bertrandi de Vernhola militum, Raymundi Durbanni, Bernardi Durbanni domicellorum, & mei Bertrandi *de Mazer* publici notarii villæ & terræ Mirapicis, qui præmissis interfui, & mandato dicti domini Mirapicis hanc cartam recepi, scripsi, & mei Bertrandi de Mazeriis publici notarii villæ & terræ Mirapicis, qui cartam istam scripsi & signavi.

XIV.

Ex ms. cod. biblioth. S. Germani a Pratis.

Compositio facta inter B. episcopum Appam. & Rogerium B. comitem Fuxi de homagio & fidelitate debitis & reddendis episcopo a comite, una cum bulla Bonifacii VIII qua confirmat eamdem compositionem.

1300. IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, amen. Anno Incarnationis ejusdem M. CCC, regnante domino Philippo rege Francorum, V cal. Julii, magnifico ac potenti viro domino Rogerio Bernardi Dei gratia comite Fuxi constituto personaliter coram reverendo in Christo patre domino B. Dei gratia episcopo Appam. assistentibus ibidem reverendis in Christo patribus domino Berengario Biterrensi, domino

A Gaucelino Magalonensi Dei gratia episcopis, scilicet apud sanctum Antoninum in camera episcopali prope aulam superiorem exhibitæ fuerunt ibidem & publice lectæ in vulgari per magistrum P. Andreæ notarium quædam apostolicæ litteræ sanctissimi patris in Christo domini Bonifacii divina providentia papæ VIII, ejus vera bulla plumbea bullatæ, pendente filis sericis, non abolitæ nec abrasæ, non vitiatæ, non cancellatæ nec suspectæ in aliqua parte sui; quarum quidem apostolicarum litterarum tenor sequitur in hæc verba:

BONIFACIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo & dilectis filiis capitulo Appamiarum, & nobili viro Rogerio comiti Fuxi Appam. diœcesis, salutem & apostolicam benedic-
B tionem. Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent & illibata persistere, & ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur apostolico convenit præsidio communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod cum olim inter vos frater episcope & filii capitulum ex parte una, & T. fili comes ex altera, super temporali jurisdictione civitatis Appam. & civitate ipsa ejusque pertinentiis, & quibusdam aliis diversis articulis orta fuisset materia quæstionis, demum mediante dilecto filio nobili viro Guidone *de Levis* domino de Mirap. talis inter vos amicabilis compositio, si ad id nostrum beneplacitum & assensus accederent, intervenit, videlicet quod tu prædicte comes tuique successores & posteri castrum civitatis ejusdem habeatis & teneatis, quod cum munitionibus
C dictæ civitatis expensis propriis teneamini fideliter custodire, tuque præfate episcope habeas & teneas quandam turrim in perpetuum magnam & fortissimam cum suis ædificiis & pertinentiis ibidem de novo constructam per te comes memorate, & quod merum & mixtum imperium, & omnimoda ordinaria jurisdictio & eorum exercitium, & proventus & redditus civitatis ejusdem provenientes ratione furnorum, molendinorum, bannorum, judæorum, leudæ, curiæ, omnes incursus rerum mobilium & immobilium temporalium tamen, & bona vacantia dictæ civitatis & ejus territorii quoquomodo evenientia, & omnes justitiæ pecuniariæ LX sol. Tol. & un. sol. & quæcunque aliæ sive majores fuerint sive minores, & obliæ de Villa-nova & de Campo Appam. & obliæ
D clavarum cum earum foriscapiis, & pœnis eorum impositis contra cessantes oblias solvere temporibus a jure statutis, ac molendina, prata, vineæ & quarta vinearum, & oboli quæ tu dicte comes detinebas seu percipiebas, ad vos pertineant, & communia inter vos æqualibus portionibus existant, necnon & omnes alii redditus & proventus dictæ civitatis ad temporalitatem quomodolibet pertinentes, exceptis obliis majoribus non expressis cum earum foriscapiis, & pœnis impositis contra cessantes oblias solvere temporibus a jure statutis, quæ non consueverunt poni in pariagiis regum vel comitum temporibus retroactis, & si prædictarum obliarum non expressarum res aliæ confiscarentur & venirent in commissum, tu prædicte comes & tui teneamini eas ejicere extra manum post annum atque diem, quarum quidem
E rerum obliæ solum ad te prædicte episcope & tuam ecclesiam perpetuo pertinebunt; & quod sit in castro prædicto castellanus per vos præfati episcope & comes communiter eligendus, qui tuis expensis propriis dicte comes castrum ipsum fideliter custodiat, & incarcerandos illuc mittendos nomine vestro dicte episcope & comes, ac ecclesiæ prælibatæ fideliter custodiat pro posse suo, & eidem castellano per te dicte comes de tuo salarium persolvatur, & quod in civitate prædicta sit vicarius qui omnes proventus & redditus recipiat nomine vestro, & æqualibus portionibus restituat tibi episcope & eidem ecclesiæ, tibique comes prædicti, & qui de communi assensu vestro eligatur, ac juret vobis se fideliter habiturum

in hujusmodi officio sibi commisso, & de administratis per eum vobis teneatur reddere rationem, qui etiam servientes ponat & eligat in ipsa civitate, qui præposito signo tuo dicte episcope in massis seu baculis quos portabunt, tua dicte comes signa ponent. Qui etiam vicarius citationes reales & personales fieri faciat, & captiones capiendorum, & executiones summarum causarum criminalium & civilium, & alia vice & nomine vestro exerceat quæ ad vicariæ officium pertinebunt, & quod per vos ei communiter salarium exsolvatur, & quod sit in civitate prædicta unus bonus judex ordinarius vir sapiens & discretus per vos communiter eligendus, qui juret in manibus vestris vel locum vestrum tenentium, quod fideliter se habeat in officio judicis per vos sibi commisso, & salarium vos communiter exhibeatis eidem, & quod omnia quæ in ipsa civitate per castellanum, vicarium & judicem, vel vos aut vestrum alterum, vel mandato vestro fient & proclamationes civitatis ejusdem rerum seu jurium ad temporalitatem ipsius civitatis duntaxat & ad vos communiter pertinentium æqualiter nomine vestro fiant, præposito semper in præconisationibus & aliis præmissis omnibus nomine tuo dicte episcope in signum majoris dominii, & in signum subjectionis dicte comes tuo nomine subsecutæ, & quod tu dicte comes tuique posteri recognoscatis vos tenere in feudum honoratum castrum & supradicta omnia a te præfate episcope & ecclesia tua & episcopis qui pro tempore præfuerint ecclesiæ memoratæ, & teneamini tibi dicte episcope pro te & ecclesia prædicta recipienti, tuisque successoribus homagium & fidelitatis sacramentum præstare, quod facere debet fidelis vassallus domino suo fideli, & personam tuam sæpedicte episcope, & canonicorum ecclesiæ prædictæ, & tua & eorum bona, & jura & subditorum vestrorum custodire fideliter pro posse; quodque tu comes prædicte tibi præfate episcope & ecclesiæ memoratæ terram annui redditus mille libr. Turon. parvorum infra ipsam diœcesim & extra civitatem prædictam assignare tenearis; si poteris modo bono, alioquin pro qualibet libra annui redditus parvorum Turon. quæ ex dicta quantitate dictarum mille libr. deficeret, viginti libr. parvorum Turon. vobis prædicte episcope & capitulum exhibeas & persolvas, cum infra ipsam diœcesim una libra pro viginti libris ejusdem monetæ exemptionis contractu communiter habeatur, ex quibus denariis pro defectu ipsorum redditus traditis & solutis, vobis dicte episcope & capitulum, tua provida discretio præfate episcope acquirere valeat redditus tuæ ecclesiæ memoratæ, si vobis præfate episcope & capitulum expediens videatur; & quod in vexillis quæ ponuntur tubis quando fient præconisationes in civitate prædicta vel aliis similibus signum tuum præfate episcope præponatur, tuum vero comes prædicte deinde subsequatur, & quod quolibet anno in die festo beati Antonini mense Septembri, tu præfate comes & gentes tuæ dimittere teneamini castrum prædictum per totam illam diem tibi memorate episcope & canonicis ecclesiæ supradictæ familiæque vestræ; quodque per totam illam diem usque in sero teneatur vexillum ejusdem ecclesiæ in signum dominii positum supra castrum, & eadem die in sero tu præfate episcope & præfati canonici, & tui ac eorumdem canonicorum successores teneamini jam dicte comes, tibi tuisque successoribus libere dimittere castrum ipsum; & quod tu præfate comes tenearis facere dicta die in signum subjectionis & dominii servitium consuetum canonicis ecclesiæ memoratæ, scilicet exhibendo iis dimidium modium frumenti purgati & unum modium vini puri, & unam vaccam pinguem, & quatuor porcos vel quatuor sol. Tolos. pro porcis antedictis, prout in patentibus litteris inde confectis vestris prædicti episcope & capitulum, & comes ac nobiles prælibati sigillis munitis perspeximus plenius contineri. Nos igitur vestris supplicationibus

A inclinati compositionem hujusmodi per quam conditio ecclesiæ prædictæ melior est effecta, sicut eædem litteræ continebant, ratam & gratam habentes eam autoritate apostolica ex certa scientia confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes defectum si quis in ea ex quacunque causa exitit de apostolicæ plenitudine potestatis, ac decernentes compositionem ipsam per omnia & singula supradicta præsentibus sic expressa plenum robur firmitatis obtinere, ac ei tam in judicio quam extra fidem omnimodam adhibere, etiamsi de ipsa supradictæ vel quævis aliæ litteræ, aut instrumenta vel munimenta ostenderentur vel nullatenus apparerent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, suppletionis & constitutionis infrin-
B gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. XIII kal. Martii, pontificatus nostri anno quinto.

Quibus quidem litteris apostolicis supradictis lectis ut præmittitur, & publicatis in vulgari, dictus dominus comes Fuxi recognitionem fecit & homagium nihilominus domino episcopo Appam. antedicto, & sacramentum fidelitatis præstitit in hunc modum:

EGO Rogerius B. comes Fuxi pro me & successoribus meis Fuxi comitibus vobis domino B. Dei gratia episcopo Appam. recognosco me tenere in feudum honoratum a vobis & ecclesia Appam. &
C episcopis qui pro tempore præfuerint ecclesiæ memoratæ, scilicet castrum civitatis Appam. & medietatem pro indiviso meri & mixti imperii, & omnimodæ ordinariæ jurisdictionis & eorum exercitii omnium proventuum & redditutum civitatis Appam. provenientium ratione furnorum, molendinorum, bannorum, judæorum, leudæ, curiæ, omnium incursuum, rerum mobilium & immobilium temporalium tamen & bonorum vacantium dictæ civitatis & ejus territorii quoquomodo evenientium, & omnium justitiarum, pecuniarum LX sol. & un. solidorum, & quarumcunque aliarum, sive majores fuerint sive minores, & obliarum de Villa-nova & de campo Appam. & obliarum clavarum cum earum forisçapiis, & pœnis eorum impositis contra cessantes oblias solvere temporibus a jure statutis, ac medietatem molendinorum,
D pratorum, vinearum & obolorum, quæ ego dictus comes detinebam seu percipiebam, necnon & omnium aliorum redditutum & proventuum dictæ civitatis ad temporalitatem quomodolibet pertinentium, exceptis obliis majoribus non expressis cum earum Foriscapiis, & pœnis impositis contra cessantes oblias solvere temporibus a jure statutis, quæ non consueverunt poni in pariagiis regum vel comitum temporibus retroactis, quæ obliæ majores cum earum foriscapiis & pœnis contra non solventes impositis ad vos dominum episcopum & vestram ecclesiam perpetuo pertinebunt, & pro prædictis omnibus a me vobis & ecclesiæ vestræ recognitis, vobis pro vobis & ecclesia vestra prædicta recipienti vestrisque successoribus homagium facio flexis genibus & junctis meis
E manibus ac positis intra vestras, sacrosanctis etiam evangeliis a me corporaliter gratis tactis, vobis & ecclesiæ vestræ ac successoribus vestris præsto sacramentum fidelitatis quod facere debet fidelis vassallus domino suo fideli. Promitto insuper quod personam vestram domine mi episcope & canonicorum ecclesiæ vestræ prædictæ, ac vestra eorum bona & jura subditorum vestrorum custodiam fideliter pro meo posse; quodque prædicta omnia & singula contenta in compositione inter vos & me habita, & per sanctissimum patrem dominum Bonifacium papam VIII ex certa scientia confirmata per me & meos in perpetuum successores complebo fideliter & servabo. Et nos B. miseratione divina Appamiarum

episcopus nomine nostro & ecclesiæ Appam. successorumque nostrorum a vobis Rogerio B. comite Fuxi recognitionem omnium prædictorum nobis a vobis recognitarum, necnon homagium & fidelitatis sacramentum nobis a vobis præstita grataner admittimus, & vobis pacis & amicitiæ osculum exhibemus, & quod prædictam compositionem, & omnia & singula in ea contenta per nos & successores nostros compleamus integraliter & servemus vobis promittimus bona fide. Quibus sic ut præmittitur peractis fuit actum & expresse condictum & conventum inter dominum episcopum Appam. & dominum comitem Fuxi præfatos, quod in mutatione episcopi Appamiarum vel comitis Fuxi fiat similis recognitio ei quæ superius continetur. Acta fuerunt hæc anno, die & loco præmissis, in præsentia & testibus venerabilium patrum in Christo dominorum Gaufridi Fuxi & Raymundi Mansi-azil. monasteriorum abbatum Appam. diœcesis, & venerabilium ac discretorum virorum dominorum Johannis Cambonis archidiaconi & vestiarii, & Raimundi Dago infirmarii in ecclesia Magalon. Jacobi Februarii legum doctoris, rectoris ecclesiæ de Caucibus Biterrensf. diœcesis, fratris Ar. Johannis de ordine Prædicatorum inquisitoris hæreticæ pravitatis in dicta civitate & diœcesi Appam. fratris Ar. Guillelmi prioris domus Fratrum Prædicatorum de Appam. dominorum Guillelmi Fermini sacristæ Vivarii, magistri Guillelmi de Testa archidiaconi de Averino in ecclesia Convenarum, Jacobi de Planhano archipresbyteri Garnaguesii de Appam. diœcesi, Aymerici *de Magnan* de Lunoso Narbon. diœcesis, Gregorii Cascavelli jurisperitorum, Pontii Fabri vicarii, & Petri Baudrici Thesaurarii dicti domini episcopi Appam. & nobilium virorum dominorum G. Ar. de Exilio, Isarni Bathallya aliter dicti Lupi, Assallici Baudouini, & Hoti de Aura militum, ac domini Petri Ar. de Castro-Verduno militis, senescalli terræ dicti comitis, B. de Urbano de Rosando, & G. de Amantianis domicellorum, & fratris Rogerii de Causaco prioris, & fratris Raymundi de Guanaco cellerarii monasterii Bolbon. sæpedictæ Appam. diœcesis, magistrorum Petri, Andreæ, Jacobi, Clementis & Johannis *Aurelhe* Not. & plurium aliorum, & mei Bernardi *Masse* publici domini regis in senescallia Carcass. & Biter. notarii qui requisitus hoc scripsi, in formam publicam redegi, signoque meo consueto signavi.

Et nos episcopus & capitulum ecclesiæ Appam. ac comes Fuxi, necnon & Biterren. & Magalon. episcopi memorati sigilla nostra præsenti instrumento publico appendi fecimus ad majus præmissorum testimonium & plenam roboris firmitatem.

X V.

Episcopus Appamiensis diversis criminibus accusatus Philippi Pulchri regis jussu comprehenditur.

1300. FACTUM tale est. Dominus BERNARDUS Dei gratia Appamiarum episcopus super variis & diversis criminibus domino Philippo regi Francorum illustri delatus extitit, archiepiscopo Narbonensi hæc penitus ignorante, & specialiter de quadam prophetia super perditionem nominis regii & regni Francorum temporibus istis, de qua dicebatur ipsum episcopum Appamiensem multum fuisse locutum.

Sane religiosus pater dominus abbas monasterii Mansi-azilis, Appamiensis diœcesis, ordinis sancti Benedicti, circa festum B. Mariæ Magdalenæ proxime præteritum, accessit ad dominum archiepiscopum Narbonensem præfatum, existentem tunc Aurelianis in via eundi ad Clarum-montem, propter mortem quam de novo audiverat bonæ memoriæ domini Johannis Claromontensis episcopi fratris sui, & eidem domino archiepiscopo exposuit dictus abbas, qui sibi

A litteras credentiæ ac dicto domino regi ex parte dicti episcopi adportabat, quod idem episcopus qui ad Romanam curiam proficisci volebat, petebat sibi dari licentiam voluntariam non necessariam, a domino rege & archiepiscopo supradictis, si qua grata in dicta curia facere posset, offerens se facturum.

Item dixit quod postquam discesserat abbas prædictus ab ipso domino episcopo pro veniendo ad regem & ad archiepiscopum, ut dictum est, ex causa præmissa intellexit idem abbas, tam per litteras præfati domini episcopi, quam per nuncium specialem super hoc sibi missum, nobilem virum dominum Johannem de Piquenheio militem domini regis vicedominum Ambianensem quadam nocte apud Appamiam accessisse personaliter, & ipsum episcopum, qui lectum
B intraverat, dicto quod tarda hora esset, surgere de lecto fecit, & ad manum regis posuit omnia bona dicti episcopi, & sibi præcepit quod infra mensem unum compareret personaliter coram rege, & nihilominus aliquos de capellanis & familiaribus suis, unum etiam qui sigillum suum tenebat captos secum duxit Tholosam. Super quibus supplicavit idem abbas prædicto episcopo sibi de opportuno remedio provideri per dominum regem præfatum. Dictusque dominus archiepiscopus, his auditis, in crastinum accessit ad regem apud Castrum-novum super Ligerim, ubi erat, & cum præmissa in præsentia dicti abbatis & domini Autissiodorensis episcopi, domini Ludovici de Francia Germani regis, domini P. *Flote* & archidiaconi Brugensis consiliariorum regis inti-
C masset eidem regi. Respondit rex, quod licet intellexisset episcopum dictum aliqua gravia & enormia crimina commisisse contra suam regiam majestatem, hoc minime de facili credere non poterat; immo multum placebat ei, & placeret quod episcopus dictus suam innocentiam in præmissis ostendere posset, volens ex tunc quod in octabis festi B. Michaëlis proxime præteriti, episcopus dictus coram rege compareret, ad se excusandum super præmissis: interim verbo revocans ea quæ per dictum militem acta erant super captione personarum, similiter dicti episcopi, & arrestatione bonorum, mandans idem rex sibi fieri de præmissis litteras regias, pro quibus habendis dictus abbas secutus est Aurelianis præfatum P. *Flote* cancellarium regis, eodem archiepiscopo viam suam in Arverniam prosequente.

D Cumque præfatus dominus Narbonensis esset de Arvernia discessurus, jamque arripuisset iter suum in Franciam & Flandriam veniendi, venit ad ipsum dominus abbas præfatus circa finem mensis Augusti, sicut nuncius, ut dixit, episcopi memorati, referens eidem archiepiscopo oraculo vivæ vocis, quod cum idem abbas supradictas concessas litteras regias habuisset de dictis assignatione diei & deliberatione personarum captarum, ac bonorum dicti episcopi, in via qua erat portando eas episcopo dicto, obviavit præfato nobili domino Johanni vicedomino Ambianensi, in Franciam venienti: cui ostendit litteras regias. Idem tamen Johannes retinuit eas, & cum instaret apud eum, ut pareret literis, præsertim cum quasi eadem per litteras clausas regias nuper sibi mandata
E fuissent: respondit dominus Johannes dictus, quod licet si per litteras clausas & patentes prædicta sibi mandata fuerint, nec istis, nec illis intendebat parere, cum ad regem iret, ut dicebat, de cujus ore prius volebat super his voluntatem ejus audire; aliudque obtinere non potuit, nisi transcriptum ratum dictarum litterarum regis obtentarum per eum sub sigillo nobilis memorati. Postquam dictus abbas, ut retulit, eundo ad episcopum dictum obviavit eidem qui in Francia veniebat ex mandato super hoc facto eidem episcopo per dictum militem, quod infra mensem videlicet coram dicto rege comparere deberet, circa Tholos. videlicet in via veniendi Parisius per quatuor leucas vel circa, cui relatis per abbatem concessionibus sibi

factis, per regem videlicet de assignatione diei personarumque deliberatione, & bonorum suorum, consilium habuit episcopus de redeundo Tholosam, & quod assignatum terminum expectaret, videlicet usque ad octavam dicti festi B. Michaëlis. Item, quod ipso episcopo reverso Tholosam, accessit abbas dictus ad archidiaconum Lexoviensem collegam præfatum domini Joannis vicedomini Ambianensis in quadam inquisitione vel informatione, quam ambo auctoritate regia fecerant, ut dicebatur, super delatione prædicta in partibus Tholosanis, petens deliberationem bonorum dicti episcopi auctoritate dictarum litterarum regiarum. Cujus transcriptum sibi ostendit, sub sigillo domini Johannis præfati. Cumque dictus archidiaconus finaliter respondisset se velle super his deliberare usque ad quamdam diem Sabbati tunc instantem; interim B dicta deliberatione pendente, dominus Johannes de Burlatio magister ballistariorum, milesque domini regis ad dictum episcopum veniens, licet ab initio fingeret se contra dictos inquisitores venisse, cum litteris regiis de credentia quas portabat, præcepit dicto episcopo ut in crastinum arriperet iter suum in Franciam, veniendo ad regem, & licet taxasset sibi seu limitasset familiares sub certo numero quos secum duceret: postmodum tamen laxavit manum dicto episcopo, quod familiam decentem ducere posset.

Idemque episcopus ex tunc de Tholosa arripuit iter suum eundi in Franciam, concomitantibus ipsum prædicto magistro balistariorum, ac senescallo Tholosano, potius, ut dicebatur, causa custodiæ, quam honoris, duobusque servientibus regis, nullis tamen C eorum pernoctantibus in domibus in quibus hospitabatur episcopus dictus, licet dicti servientes, qui ad expensas dicti episcopi erant, assererent se mandatum habere, quod etiam in camera dicti episcopi jacere possent, si videretur eisdem: quod tamen per regales & milites prædictos negatur, prout supra intellexit dictus archiepiscopus ex relatu abbatis prædicti. Cumque archiepiscopus Parisius pervenisset pro rege in Flandriam proficiscens una cum præfato domino Autissiodorensi episcopo, de S. Paulo, & Drocarum comitibus, constabulario Franciæ & dicto domino *P. Flote*, multisque aliis de consilio regis: invenit ibidem dominum Ber. Dei gratia episcopum Biterrensem pro isto eodem negotio per regem prædictum, ut dicebatur, vocatum: cui injunxit idem archi- D episcopus quod nomine ipsius, & pro ipso iret ad regem, qui multum erat tunc remotus a Parisius in Turonia, videlicet pro facto dicti Appamiensis episcopi, qui in tali concomitantia veniebat seu ducebatur, exhortaturus eumdem regem de salute animæ, & quod talis concomitantia quæ sapere videbatur speciem captionis, periculum latæ sententiæ in canonem importabat: requisiturus eumdem regem, sicut nuncius dicti archiepiscopi, quod in hoc salubri remedio provideret, dans eidem Biterrensi episcopo nihilominus litteras suas credentiæ ad regem ipsum, quarum tenor inferius continetur.

Postmodum quod proficiscente dictis archiepiscopo in Flandriam & episcopo Biterrensi ad regem pro injuncto sibi negotio proficisci volente, arripuit dictum E episcopum fluxus a quo de die in diem curari credebat, deinde febris cum fluxu: qui ex his post aliquos dies sentiens se debilitatum, scripsit dicto archiepiscopo ad hoc in Flandriam existenti, se non potuisse nec posse ire ad regem ex causa præmissa: quod quam cito scivit archiepiscopus dictus, misit e vestigio ad regem prædictum Johannem Lorini scutiferum suum valletumque dicti regis, quem inter familiares suos magis gratiosum in conspectu regis esse credebat, cum litteris suis ad regem & ad confessorem suum, ac omnes & singulos consiliarios suos clericos, quos secum tunc esse credebat: quarum tenor inferius continetur. Idemque rex, visis dictis litteris, licet super eis eidem archiepiscopo minime

A responderet, mandasse dicitur, quod dictus episcopus Parisius venire posset cum concomitantia tamen dicta, qui tunc erat apud Dordam prope Parisius, ad septem leucas vel circa.

Deinde archiepiscopus ad regem accedens, sæpius cum frequenti instantia requisivit eumdem, semel etiam in nemore prope Parisius in præsentia reverendi patris domini episcopi Spoletani, nuncii domini nostri summi pontificis, quod dicta concomitantia ab eodem episcopo tolleretur omnino, quæ cujusdam captionis speciem, ut dictum est, continebat vel continere videbatur judicio aliquorum, licet hoc regales ipsi negarent; quodque liber permitteretur abire. Præfatoque rege dicente, quod nullam captionem vel violentiam dicto episcopo voluerat fieri, nec hoc intendebat, immo si quæ facta fuerat deadvocabat expresse. Tandem rex dicto archiepiscopo per comitem Drocarum & constabularium Franciæ mandavit quod apud Silvanectum responderet sibi de facto episcopi memorati. Ad quem locum cum venisset dictus episcopus cum dicta concomitantia, ibidemque dictis rege & archiepiscopo existentibus, die Martis videlicet post festum beati Lucæ evangelistæ, in præsentia multorum prælatorum, comitum, baronum, militum, clericorum & aliarum quam plurium personarum, fecit proponi rex ipse contra dictum episcopum præsentem crimina hæreseos in genere, & proditionis ac seditionis, & alia quam plura quæ dicebat dictum episcopum commisisse contra dictum regem ac suam regiam majestatem & rempublicam regni sui, necnon quam plura alia enormia, turpia & contumeliosa, quæ dicebat episcopum dixisse de persona regia & parentibus ejus: de quibus cum diceret rex se fuisse plenissime informatum, obtulit dicto archiepiscopo se paratum in continenti informare eumdem per prælatos & religiosos barones, milites, clericos, & alias fide dignas personas, instanter requirens quod eumdem episcopum in tam arcto faceret carcere custodiri, sicut dicta crimina requirebant, ne conceptam proditionis & seditionis materiam posset ducere ad effectum, & ut punitionem condignam quam se prosecuturum asseruit, idem rex valeat obtinere: apertius dicens idem rex quod in defectu dicti archiepiscopi, faceret episcopum ipsum, ut præmittitur, custodiri.

Ad quæ se prædicto episcopo primitus excusante, extra judicium tamen, & negante proposita contra ipsum, respondit dictus archiepiscopus quod mature erat in tanto negotio procedendum, & quod communicato consilio cum prælatis, præsertim suffraganeis suis, & aliis prælatis, tam in dicta villa quam Parisius, & alibi in regno existentibus, consulto quoque prius domino nostro summo pontifice, paratus erat facere quod secundum Deum & justitiam, ac sacros canones facere teneretur. Cumque magni fremitus, terrores, comminationes & minæ ibidem insurgerent contra dictum episcopum, quibusdam etiam de majoribus regni sui fortiter lacrymantibus & dicentibus: quid tenet nos quod non interficimus te statim? propter quæ, nec immerito, dicto episcopo erat de proprii corporis periculo formidandum: idem rex ad supplicationem dicti archiepiscopi & domini Autissiodorensis episcopi, hoc districte prohibuit, & insuper exhortatus per dictum archiepiscopum ad tyrannidem repellendam, & ad misericordiam & pietatem justitiamque sectandas, per quam quidem justitiam idem episcopus solius est ecclesiæ judicio relinquendus, certos eidem episcopo præcepit deputari custodes a sævitia & injuria, ne inferrentur eidem. Dictusque episcopus, visis & auditis præmissis, proposuit quod malebat per archiepiscopum dictum, quam per manum regiam custodiri; & de consilio quorumdam prælatorum & aliorum, dictum archiepiscopum requisivit instanter quod ad tollendum scandalum & corpori suo imminens periculum, ipsum faceret, prout sibi

videretur, in manu ecclesiæ custodiri: præsertim cum ibidem publice dictum fuerit, per proponentem nomine regio, rege hæc & alia per ipsum proposita advocante, quod dicta prohibitio facta de non sæviendo in personam episcopi dicti facta fuerat sub illis conditione & modo, si dictus episcopus auctoritate dicti archiepiscopi in tuta & arcta custodia teneretur, nec alius arctabat subditos regios, prout etiam per quosdam ex subditis ipsis id publice profitentes extitit expresse declaratum ibidem.

Quibus actis, cum tarda esset hora, præfatus Appamiensis episcopus ad domum in quam hospitatus erat in Silvanecto regressus est, concomitante ipso conductu regio supradicto, & tam rex quam archiepiscopus, prælatique, barones & alii ad comedendum iverunt. Præfatus vero dominus Johannes de Burlatio miles, dicto conductui a sævitia & injuria non inferendis dicto episcopo deputatus per regem, eadem die hora magis tarda fere circa crepusculum venit ad domum in qua dictus archiepiscopus fuerat hospitatus, requirens eumdem super custodia & modo custodiæ dicti episcopi Appamiensis, & an aliqui de servientibus armorum ad dictam custodiam deputatis, cum eo jacere deberent in camera dicti episcopi. Cui sæpedictus archiepiscopus in præsentia venerabilium patrum dominorum Biterrensis & Magalonensis episcoporum, & aliorum proborum virorum respondit & dixit eidem militi: quod quantum in ipso archiepiscopo erat, nolebat quod aliquid in personam dicti episcopi & familiarium suorum innovaretur, per quod dictus Appamiensis episcopus perderet pristinam libertatem, quam regales ipsi eumdem episcopum habere dicebant, in veniendo apud Silvanectum ad regem: asserentes nulla tunc eum teneri specie captionis, & quam libertatem debet habere episcopus necdum convictus de criminibus sibi impositis: nec volebat dictus archiepiscopus, quantum in eo erat, quod aliquis seu aliqui de servientibus dictis jacerent in camera episcopi supradicti, nec quod prohibitiones sibi fierent vel familiaribus suis, quominus posset loqui cum eis quandocumque videretur eidem. Sed solum rogabat idem archiepiscopus dictum militem, quod episcopus ipse sine fraude custodiretur ab omni sævitia & injuria, de quibus merito timebatur, ne inferretur eidem: ita tamen quod hujusmodi custodia non traheretur ad aliquam speciem captionis, ipsumque episcopum, quantum erat in eo, liberum esse ab omni captione tunc volebat, & in ea libertate persistere, in quanta fuerat temporibus retroactis, loquendo cum familiaribus suis, scribendo & mandando litteras ad Romanam curiam, & ubicumque placeret eidem pro suis & ecclesiæ suæ negotiis, jacendo solus in camera, & quæcumque alia faciendo quæ homo liber ab omni captione & carcere facere potest & debet: cum si esset idem episcopus in custodia ecclesiæ majori quam ante, videlicet dum veniebat ad regem, deberet libertate gaudere, quo tempore dicti dominus Johannes & alii regales dicebant & asserebant, ut dictum est, eumdem episcopum fuisse liberum ab omni specie captionis.

Verum cum crastina die in mane dictus archiepiscopus intellexisset quod quidam de servientibus armorum ad eamdem custodiam deputatis, in camera dicti episcopi nocte præterita jacuissent, non obstantibus prohibitionibus supradictis: statim hoc archiepiscopus domino regi exposuit: qui tunc prohibuit talia de cætero fieri vel attentari, licet nocte sequenti abstinuissent servientes a similibus perpetrandis, die tamen & nocte subsequentibus eadem fecisse dicuntur, & prohibuisse etiam familiaribus dicti episcopi, ne cum eodem episcopo loquerentur, nisi in certis locis, & sub certis modis & formis. Quibus per ipsum archiepiscopum intellectis, ad domum quam inhabitabat episcopus dictus accedens personaliter archiepiscopus memoratus, in præsentia præfati domini

A episcopi & familiarium suorum, ac prædictorum domini Johannis de Burlatio, & aliorum complicum suorum ad dictam custodiam deputatorum dixit & proposuit quod ipse idem archiepiscopus eidem domino Johanni dixerat præfata die propositionis factæ coram rege contra præfatum episcopum, quod nolebat idem archiepiscopus, quantum in ipso erat, servientes jacere in camera dicti episcopi, nec volebat sibi vel familiaribus suis fieri prohibitiones prædictas, nec aliquid in persona ipsius episcopi vel suorum familiarium innovari, per quod episcopus ipse perderet pristinam libertatem quam habere dicebant regales episcopum ipsum, priusquam apud Silvanectum veniret, & quam debet habere episcopus non convictus de criminibus sibi impositis: apertius dicens
B idem archiepiscopus domino Johanni ac servientibus supradictis, quod nolebat nec erat intentionis suæ novitatem aliquam fieri in custodia vel persona dicti episcopi contra libertatem prædictam, & quod ipsum episcopum, quantum in ipso erat, volebat liberum esse ab omni captione, & in ea libertate persistere in quanta fuerat temporibus retroactis, loquendo cum familiaribus suis, jacendo solus in camera, scribendo & mandando litteras ad Romanam curiam & alibi pro suis & ecclesiæ suæ negotiis, ac alia omnia & singula faciendo quæ homo liber & solutus ab omni carcere facere potest & debet, dicens & asserens, & scire volens tam dictum episcopum quam omnes alios, quod idem episcopus in nullo erat, nec ipsum esse volebat captione sua seu carcere suo, nec in
C custodia de qua idem episcopus præfatum archiepiscopum requisierat, videlicet quod esset in custodia ipsius archiepiscopi nomine ecclesiæ Narbonensis: præsertim ubi custodia ab omni sævitia & injuria ipsi episcopo non fieret juxta ordinationem prælatorum & aliorum clericorum sapientum & bene peritorum. Dixit tamen idem archiepiscopus quod super custodia de qua episcopus Appamiensis ipsum requisiierat, ut custodiretur per ipsum seu de mandato suo nomine ecclesiæ Narbonensis, idem archiepiscopus peritus erat facere quod deberet & de jure posset, juxta consilium prælatorum & aliorum peritorum, ubi & quando gentes domini regis ipsi archiepiscopo super his quæ respicere possent custodiam dictam honestam & tutam, præsertim ne ipsi episcopo
D possent inferri sævitia vel injuria sibi fieri, parere vellent cum effectu: de quibus omnibus fecit fieri dictus archiepiscopus publica instrumenta propter quæ dicti custodes abstinuerunt, ut audivit idem archiepiscopus, a jacendo in camera dicti episcopi, & ab observatione prohibitionum dictarum, & hæc omnia dictus archiepiscopus in crastinum nuntiavit majoribus de consilio regis, cum rege in Silvanecto existentibus, cum domino regi præmissa tunc significare non posset, eo quod esset aliquantulum discraciatus. Sed subsequenti die ipso rege curato, dominoque Spoletano præfato in ipsius regis & consilii sui majoris præsentia existente & regi supplicante pro dicto Appamiensi episcopo, cum diceretur ibidem quod dictus Appamiensis episcopus erat in
E custodia dicti archiepiscopi & manu ecclesiæ, dictus archiepiscopus asseruit & declaravit expresse quod non erat ita, & dicto domino regi ac consiliariis suis exposuit in præsentia dicti domini Spoletani prædicta omnia per ministros regios attentata contra voluntatem ipsius archiepiscopi ac prohibitionem dictorum archiepiscopi & regis, & remedia suprascripta quæ idem archiepiscopus pro viribus suis apposuerat in præmissis. Tuncque tam dicti episcopus Spoletanus quam archiepiscopus requisierunt dominum regem quod placeret sibi ut dictus Appamiensis episcopus cum salvo conductu regio, saltem quousque esset in loco tuto, posset adire ipsum papam qui suus judex est in hoc casu. Ad quod respondit rex quod miserat vel missurus erat statim nuntios suos ad dominum papam

papam pro scienda voluntate sua super præmissis, & quod in his agendis præstolaretur dicti domini papæ responsum, cujus voluntati se in his asseruit pariturum. Eodemque modo respondit rex ipsi præfato archiepiscopo pluries, & in diversis locis ipsum super hoc requirenti & dicto archiepiscopo instanti, quod idem episcopus cum dicto conductu regio saltem posset ire ad aliquod de castris ecclesiæ Narbonensis. Et cum hoc requireret idem episcopus, dominus rex præfatus ut supra respondit: præfatoque domino Spoletano prædicta vice existenti coram domino rege, & fortiter instanti pro dicto episcopo Appamiensi erga regem, rex ipse respondit: domine episcope, si vultis, ego tollam custodiam meam, & vos custodiatis eum, si vultis.

Porro ex verbis præmissis dictis per archiepiscopum multum moti fuerunt, multique ex ipsis contra ipsum prorupisse dicuntur in verba quæ videbantur sonare quod idem archiepiscopus esset fautor vel defensor proditionis vel seditionis criminum prædictorum & actoris ipsorum, nec zelator honoris regii, nec etiam boni & securi status ipsius regis vel regni. Sed tandem inito consilio & ipso archiepiscopo ipsa die post prandium mandato, rex in præsentia sua proponi fecit contra ipsum archiepiscopum sub quadam admiratione quæ erant causæ vel esse poterant favoris, quem ipse archiepiscopus haberet ad personam dicti Appamiensis, vel mali zeli quem haberet ad dominum regem & regnum seu timoris alicujus: propter quas idem archiepiscopus obmitteret dictum episcopum in custodia sua teneri, cum dictus rex procurasset sibi territorium per archiepiscopum & loci diœcesanum concedi: dictumque archiepiscopum fecit idem rex ibidem requiri per juramentum fidelitatis quo sibi teneretur astrictus, quod sibi in justitia non deesset; dictoque archiepiscopo respondente quod timor Dei, & quia timebat ne offenderet dominum nostrum papam, & ne peccaret in suffraganeum fratrem suum, erant causæ præmissorum: tamen cum esset debitor justitiæ omnibus, & præsertim ipsi domino regi, paratus erat sibi in justitia non deesse. Et communicato consilio cum prælatis & aliis peritis, obtulit archiepiscopus facere quod de jure posset & deberet.

Cumque in crastinum fuisset, omnes prælati qui in Silvanecto erant, ad requisitionem regis in locum unum, videlicet in capella regia dicti loci pariter congregati, scilicet domini Auxitanus archiepiscopus & Autissiodorensis, Trecensis, Belvacensis, Biterrensis, Magalonensis, Aniciensis & Biarnensis episcopi, una cum quibusdam clericis domini regis prædicti, videlicet decano & cancellario Turonensi, thesaurario Andegavensi, archidiacono Remensi, magistris P. de Bella-peruca Bituricensi, ac Philippo de Mornaio sanctæ Crucis Aurelianensis ecclesiarum canonicis; archiepiscopus prædictus requisivit ab ipsis consulendo eosdem, si dictus Appamiensis episcopus, qui ad vitanda scandala & pericula supradicta super hoc requisierat instanter archiepiscopum dictum propter præmissa in quibus præfati prælati & clerici præsentes fuerunt, recipi deberet in custodia ecclesiæ. Dixerunt & responderunt quod sic: habito tamen & concesso territorio per archiepiscopum & loci diœcesanum, & quod summe tutum erat archiepiscopo & episcopo dictis, ipsum Appamiensem episcopum recipi in custodia ecclesiæ, cum salvo tamen conductu dicti regis a sævitia & injuria non inferendis eidem, quousque super hoc sciretur voluntas domini nostri papæ, & quod cum timore Dei & absque offensa domini nostri summi pontificis, nec peccandi in ipsum Appamiensem episcopum suffraganeum suum hoc facere poterat idem archiepiscopus: immo peccaret contrarium faciendo. Dominus tamen Auxitanus archiepiscopus dixit sibi non videri dictum episcopum de jure posse extra Narbonensem provinciam custodiri, sed ad dictam provinciam ipsum duci debere cum dicto conductu regio, si tamen posset haberi: cæteris omnibus prælatis & clericis asserentibus & consulentibus sicut supra, requisitique & consulti per dictum archiepiscopum super modo custodiæ ipsius episcopi, ordinaverunt seu fieri consuluerunt ut sequitur super custodia memorata.

De loco primum quod stet Appamiensis supradictus in aliquo loco spatioso & sano & bene firmato, in quo non nisi unus introitus & exitus; & si plures essent, claudantur. Qui locus sit alicujus episcopi, monasterii vel ecclesiæ, impetrato prius territorio ab archiepiscopo & diœcesano loci illius, & quod episcopus habeat bonam cameram & tutam in qua jacebit, & camerarius suus cum eo & de die poterit esse in aliis cameris dicti loci & studere & alia honesta facere.

Item, missam suam audire in capella dicti loci, vel in aliquo alio loco honesto ad hæc deputato.

Item, quod possit habere duos capellanos, & unum fratrem ordinis sui, qui sciat officium suum, non suspectos.

Item, habeat unum clericum pro faciendis & scribendis expensis.

Item, tres scutiferos & coquum suum & subcoquum.

Item & medicum suum. Et omnes isti debent jurare quod fideliter se habebunt in custodia dicta, nec aliquam fraudem vel dolum committent in dicta custodia.

Item, custodes aliqui de quibus rex confidere possit, clerici vel religiosi, si fieri potest, erunt ibi nomine ecclesiæ pro custodia dicta: inter quos sint duo sapientes & discreti qui videant omnes litteras quas episcopus mittet, vel quæ sibi mittentur. Qui non impedient quominus dictus episcopus possit scribere domino papæ & cardinalibus, vel aliis de curia Romana, ea quæ erunt necessaria pro causa sua vel negotiis ecclesiæ suæ, nec impediant etiam quin licita & honesta possit scribere officialibus & ministris & aliis amicis suis.

Item, sigillum dicti episcopi ponetur in quadam arca in camera dicti episcopi sub duabus clavibus, quarum episcopus habebit unam, & alteram alter de prædictis sapientibus clericis vel religiosis, pro cavendo ne aliquid possit inde sigillari in præjudicium dicti episcopi, vel aliter quam supra dictum est, nec impediatur episcopus sigillare & facere sigillari ea quæ pertinent ad officium episcopale.

Item, tradet dictus rex dicto archiepiscopo unum bonum militem, & aliquos probos & honestos viros in sufficienti numero, de quibus sibi videbitur pro salvo conductu & custodia corporis dicti episcopi, ne aliqua sævitia vel injuria fieri possit in personam ipsius & familiæ suæ, qui dictum episcopum servabunt & suos ab omni sævitia & injuria, ac pro custodia & tuitione ipsius episcopi & suorum.

Item, habebit episcopus sex aut septem mulos vel equos pro suis necessariis, & famulos pro prædictis necessariis, qui stabunt extra clausuram dictam.

Item, dictus episcopus poterit spatiari infra dictam clausuram per pratellos, jardinos & alia loca dictæ clausuræ: proviso tamen ne fugere possit.

Item, si aliquis extraneus loqueretur episcopo, una de prædictis sapientibus personis audiet sermones prædictos, nec prohibebuntur homines etiam extranei non suspecti sibi loqui sub forma prædicta.

Item, quod dicta custodia fiat quousque scita fuerit voluntas domini papæ, cujus voluntati debet stari in omnibus super facto episcopi memorati.

Item, omnes custodes jurabunt quod fideliter se

habebunt in custodia memorata, & custodia dicti A episcopi & suorum.

Sciendum tamen est quod ad dictos prælatos & consiliarios congregatos venerunt dominus Ludovicus de Francia germanus regis & Atrebatensis, ac de S. Paulo comites ex parte regis ipsius, ut dicebant, missi, requirentes nomine regio prælatos & alios supradictos, quod honori regis & securo statui regni super tuta custodia dicti Appamiensis episcopi consulenda & ordinanda sic providere vellent, quod rex ipse & sui, baronesque & alii de regno suo, proinde merito contentari deberent. Dictusque Atrebatensis comes adjecit, dicens id se dicere non nomine regis, sed suo: quod si dictum episcopum Appamiensem extra custodiam ecclesiæ prælati vellent, seu consulerent dimittendum, bene inveniretur qui cus- B todiret eumdem, sicut talis homo custodiri debebat. Cum autem consilium prælatorum & aliorum prædictorum in scriptis redactum, traditum regi fuisset: rex aliis negotiis suis præoccupatus, absque alia ordinatione tunc facta circa custodiam dicti episcopi de Silvanecto recessit. Prius tamen territorium concedi fecerat per archiepiscopum & loci diœcesanum. Die vero qua recessit de loco dicto rex ipse, ad eumdem archiepiscopum misit nobilem virum Johannem de Monte-rubeo militem suum, & ballivum Silvanecti, qui ipsum archiepiscopum requisierunt ex parte regis super dicta custodia dicti Appamiensis facienda: quibus ipse archiepiscopus respondit, quod pro ipso archiepiscopo, seu de mandato suo nolebat quod custodiretur ut captus episcopus antedictus, nec quod sibi C fieret aliqua injuria: immo, quantum in ipso erat, volebat ipsum liberum esse ab omni captione & custodia cujuscumque: hoc excepto quod bene placebat sibi, & rogabat ipsum episcopum custodiri, absque omni tamen specie captionis, nec aliquis in personam dicti episcopi injuriam vel sævitiam posset inferre, & quod libere omnia & singula facere & exercere posset idem episcopus, quæ liber homo ab omni captione & carcere facere potest & debet, ut episcopus & liber ac solutus homo. Dixit tamen idem archiepiscopus quod super custodia, de qua idem episcopus ipsum dominum archiepiscopum requisierat, ut custodiretur per ipsum seu de mandato suo, nomine ecclesiæ Narbonensis, ipse archiepiscopus paratus erat facere quod deberet & de jure posset, D juxta consilium prælatorum & aliorum peritorum, ubi & quando gentes regis ipsi archiepiscopo super his respicere possent dictam custodiam honestam & tutam, præsertim ne sibi posset inferri sævitia, vel injuria fieri, sibi parere vellent cum effectu. Et cum dicti milites & ballivus dicerent cedulam regi traditam continentem dictum consilium prælatorum perditam: ad requisitionem ipsorum idem archiepiscopus fecit tradi per notarium qui eumdem scripserat, consimilem cedulam dictum consilium continentem; prædictisque milite & ballivo redeuntibus ad regem, dictus archiepiscopus volens Parisius proficisci, accessit ad domum habitationis dicti episcopi & quorumdam servientium, qui dictum episcopum custodire dicebantur a sævitia & injuria. Repetiit idem archiepiscopus E verba omnino quæ dixerat supradictis militi & ballivo, & eadem dixit servientibus ipsis, de quibus omnibus per notarios publicos, qui utrobique præsentes fuerant, requisivit sibi fieri publica instrumenta, sic quod dictus archiepiscopus, recepta licentia ab ipso episcopo, Parisius venit, dicto episcopo in Silvanecto huc usque remanente cum conductu regio supradicto.

XVI.

Criminationes adversus episcopum Appamiensem a Petro Flotte *milite coram Narbonensi archiepiscopo factæ.*

In præsentia vestra, domine Narbonensis archiepiscope, ac præsente B. Appamiensi episcopo, dico & propono ego Petrus *Flote* miles, domini regis cancellarius, nomine dicti domini regis & pro ipso ea quæ inferius continentur.

Primo, quod dictus Appamiensis episcopus, licet ad fidelitatem domini nostri regis tenetur, in injuriam & blasphemiam dicti domini regis prorumpens, dixit non solum semel & secundo, sed pluries, diversis in locis & temporibus, coram multis personis ecclesiasticis, & pluribus nobilibus & ignobilibus, quod S. Ludovicus, dum viveret, dixit eidem episcopo tunc abbati, quia temporibus istius domini regis qui nunc est, regnum Franciæ debebat destrui, & quod idem dominus rex & sui tempore ipsius domini regis debebant perdere dictum regnum, & quod dictum regnum tempore ipsius dicti domini regis debebat ad alios devenire, ad ipsum dominum regem & suos ulterius non reversurum.

Item, quod dictus dominus episcopus multotiens dixit quod dominus noster rex nihil omnino valebat.

Item, quod dictus dominus rex non erat de genere Caroli-magni.

Item, nec de recto genere regni Franciæ.

Item, quod non erat homo nec bestia, sed imago.

Item, quod nihil omnino sciebat nisi respicere homines.

Item, quod non erat dignus tenere regnum Franciæ, quia dictum regnum regere nesciebat,

Item, quod tota curia Franciæ intra & extra huc & illuc erat falsa, corrupta & infidelis, neminem excipiendo, & rex eodem modo.

Item, quod Gallici inimicabantur linguæ Tolosæ, & nunquam fecerant Tolosanis bonum, sed semper malum, & quod eis auferebant quidquid habebant, & rex eodem modo.

Item, quod rex fabricabat falsam monetam & erat falsator monetæ.

Item, quod dicta moneta erat falsa & sine lege, & quod non poterat esse falsior, & quod falsus erat, qui eum faciebat fabricari.

Dixit etiam pluries idem episcopus Appamiensis, quod civitas Appamiensis non erat in regno Franciæ nec de regno, & quod dominus rex in ea nihil omnino habebat.

Item, pluries dixit & præcepit & cum gentibus comitis Fuxi tractavit, quod gentibus domini regis volentibus ibi aliquam justitiam exercere, manualiter resisteret & de facto.

Item, quod prædictus B. Appamiensis tanquam sceleratissimus in diminutionem, blasphemiam & contemptum dicti domini regis, ac subversionem totius regni & regis, cogitavit, voluit & consensit, sat proditionaliter tractavit, scelestam quantum potuit & in se fuit iniendo factionem per se, per alios, fraudulosis machinationibus, & dolosis cum multis nobilibus & potentibus diversimode tractando, ac permissiones multas & diversas, ut ad proditionem consentirent faciendo, quantum potuit & in se fuit, ea ad effectum perducens. Primo dictus episcopus tractavit proditionem contra dominum nostrum regem, quantum in se fuit, cum comite Fuxi & aliis, pro eo tempore quo guerra erat in Vasconia inter dominum regem Franciæ & Angliæ, promittendo dicto comiti Fuxi, & aliis pro eo, quod si ipse comes vellet facere pacem

cum ipso episcopo & se conjurare cum eo, ipse episcopus faceret ipsum comitem dominum totius terræ Tholosæ.

Item, promisit sibi quod si idem comes vellet facere confœderationem cum dicto episcopo, ipse domnus episcopus procuraret quod omnes Tholosani jurarent sibi fidelitatem, & eum reciperent in dominium suum; & tunc idem episcopus & comes possent expellere de facili omnes Gallicos de patria, & acquirere totam terram.

Item, promittebat & dicebat idem episcopus, quod hæc bene faceret per amicos suos quos habebat in Tholosâ de suo genere, potentiores & nobiliores de tota civitate, ut dicebat.

Item, asserebat & promittebat dicto comiti, quod omnes gentes de terra ipsum comitem libenter reciperent in dominum suum, & ipsum juvarent in occupatione dictæ terræ, quia non diligebant regem nec Gallicos, quia rex & Gallici nunquam fecerant sibi bonum, sed semper malum; & similiter dicto comiti dominus rex & Gallici nunquam fecerant bonum, sed semper malum: & hoc bene sentiret, videret & perciperet dictus comes, si guerra Vasconiæ esset finita.

Item, tractavit idem episcopus cum dicto comite, & quantumcumque potuit ipsum induxit ut rescinderet, vel non faceret matrimonium de filio suo cum filia domini Philippi Atrebatensis, sed quod faceret dictus comes matrimonium de filio suo cum filia regis Aragonum, ut dictum regem Aragonum & suos haberet adjutores in occupatione & captione terræ Tolosanæ.

Item, dicebat dictus episcopus dicto comiti, quod in istis Gallicis nunquam inveniret fidelitatem, & pro dicto matrimonio celebrato nihil appretiarentur eum, asserens etiam quod omnes de domo regis Aragonum semper dilexerant dictum comitem Fuxi & suos.

Item, obtulit & promisit dictus episcopus dicto comiti ire ad regem Aragonum suis propriis sumptibus & expensis, pro dicto matrimonio procurando inter filium dicti comitis & filiam dicti regis Aragonum, & pro pace inter eos reformanda, dicens causam idem episcopus, & asserens quod dictus rex Aragonum erat suus intimus & magnus amicus.

Item, tractavit dictus episcopus cum dicto comite, & quantum potuit eum induxit ut faceret pacem cum comitibus Armaniaci & Convenarum, ut eos haberet adjutores in occupatione terræ Tolosæ, dicens quod ipsi comites colligati ac uniti & conjurati invicem, ac matrimonio de filio suo & filia sua regis Aragonum celebrato, & cum mala voluntate gentium terræ quam habent ergo dominum regem, possent de facili occupare dictam terram.

Item, tractavit dictus episcopus per litteras & nuncium cum comite Convenarum, & quantum potuit ipsum induxit ut dictus comes esset adversarius, hostis & inimicus domini regis, promittendo dicto comiti quod gentes de Tolosa libenter ipsum reciperent in dominum suum, & quod erat de recta linea comitis Tolosani, & de causa illa gentes terræ ipsum diligebant & ipsum in dominum suum vellent habere præ omnibus.

Item, volebat dictus episcopus & tractabat quod dictus comes se juraret cum eo, & promittebat eidem comiti, quod amici sui de Tolosa & de genere suo, se jurarent cum dicto comite.

Item, quod dictus episcopus tractavit cum dicto comite, quod episcopus Tolosanus expelleretur de episcopatu Tolosano, ut magis de facili terra per dictum comitem posset occupari & capi.

Item, scripsit quamdam litteram dicto comiti, quæ dirigebatur summo pontifici, in qua multa mala & diversa mendacia continebantur contra episcopum Tolosanum. Mandavit etiam sibi idem Appamiensis episcopus, quod similes litteras a suis communitatibus procuraret idem comes, & quod faceret sibi fieri sigilla, quantumcumque essent modicæ litteræ quæ dirigerentur summo pontifici. Et mandavit dicto comiti, quod consimilem litteram haberet dictus episcopus a consulibus & universitate Tolosanis, & aliis multis viris fraudulosis & machinationibus dolosis tractavit ad amovendum dictum episcopum Tolosanum.

Item, mandavit sibi quod omnino volebat quod pax fieret inter dictum episcopum & comitem Armaniaci ex una parte, & comitem Fuxi ex altera, & tunc dicto episcopo amoto, & facta pace inter ipsos comites possent facere voluntatem suam de terra Tolosana, & ibi totaliter dominari.

Item, mandavit sibi dictus episcopus quod haberet bonum cor & nobile, & quod omnia venirent sibi ad votum, asserens prædicta posse fieri de facili, quia rex omnino nihil valebat, & mandavit sibi unum computum de ave. Aves elegerunt in regem quamdam avem vocatam *Duc*, & est avis pulchrior & major inter omnes aves, & accedit semel quod pica conquesta fuerat de accipitre dicto domino regi, & congregatis avibus, dictus rex nihil dixit nisi quod flavit *vel*. Idem de rege nostro dicebat ipse episcopus, qui ipse est pulchrior homo de mundo, & tamen nihil scit facere nisi respicere homines.

Mandavit etiam sibi quod tempore istius regis qui nunc est, regnum Franciæ finiret, & quod hæc audiverat a S. Ludovico pluries recitari.

Prædicta autem omnia vel pro majori parte cogitavit, dixit, tractavit, & quantum in se fuit perfecit episcopus antedictus, durante guerra Vasconiæ inter dominum regem Franciæ & regem Angliæ, ad illum finem & illa intentione, ut homines ad proditionem moverentur & concitarentur contra regem, ad subversionem totius regni, & diminutionem honoris & juris regis, prout supra est expressum.

Quæ omnia superius expressata, vobis, domine archiepiscope, tanquam ipsius episcopi Appamiensis metropolitano & suo judici ordinario, ego prædictus Petrus, præsente domino nostro Philippo Dei gratia rege Francorum, ac pro ipso insinuo, significo, ac tanquam vera & manifesta, ac jam quasi per totum regnum Franciæ divulgata, ad vestram notitiam produco: super quibus omnibus seu majori parte præmissorum in continenti potestis sufficienter informari, vosque ex parte domini mei regis, instantia qua decet requiro ut de persona dicti episcopi, ne perficiat quod incepit, & cum periculum sit in mora, sic vos teneatis securum, eum taliter custodiendo, ut de eo, per eum ad quem pertinet, possit justitia fieri & executio sententiæ, tanquam contra committentem crimen lesæ-majestatis, ad effectum debitum perduci: in præmissis taliter vos habentes, ne ob vestri negligentiam vel defectum (quod absit) dominus rex cogatur, justitia exigente, aliud remedium adhibere.

XVII.

Continuatio negotii episcopi Appamiensis.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Berengarius Biterrensis, & Gaucelinus Magalonensis divina permissione episcopi, salutem in Domino sempiternam.

Notum sit quod cum die Martis post festum beati Lucæ evangelistæ, circa horam tertiæ, apud Silvanectum in camera regalis palatii dicti loci, magnificus princeps dominus rex Franciæ illustris, in præsentia RR. Patrum Ægidii Narbonensis, &

Auxitani divina providentia archiepiscoporum, necnon Autissiodorensis, Belvacensis, Aniciensis & Trecensis Dei gratia episcoporum, & nostrum & multorum comitum, baronum ac religiosorum nobilium, clericorum, militum, & aliarum quam plurium venerabilium personarum proponi fecisset contra venerabilem patrem dominum B. Dei gratia Appamiensem episcopum ibidem præsentem, quem ad diem prædictam coram se fecerat evocari, crimina proditionis, seditionis, & alia quamplurima enormia & gravissima crimina & delicta quæ dicebat ipsum dominum Appamiensem episcopum commisisse contra Deum & suam regiam majestatem, & rem publicam regni sui: de quibus dicebat idem rex se fuisse plenissime informatum, ipsumque dominum archiepiscopum Narbonensem, cui offerebat se paratum in continenti informare, eumdemque per legitimas probationes de criminibus supradictis commissis, ut dicebatur, per dictum dominum Appamiensem episcopum, & facere concedi, quoad hoc territorium ipsi domino Narbonensi archiepiscopo, per archiepiscopum & loci diœcesanum requisisset instanter, ut præfatum Appamiensem episcopum, ne conceptam, ut dicebatur, proditionis & seditionis materiam posset producere ad effectum, in tam arcto carcere custodiret, sicut requirebant crimina supradicta, & ut punitionem condignam, quam se profecuturum asseruit idem dominus rex, obtinere valeret, apertius prædicens idem rex quod in defectu domini archiepiscopi eumdem Appamiensem episcopum faceret, ut præmittitur, custodiri. Et quamvis dictus dominus archiepiscopus respondisset quod mature erat in tanto negotio procedendum, & quod communicato prius consilio cum prælatis, præsertim suffraganeis suis & aliis peritis, tam in villa dicta, quam Parisius, & alibi in regno existentibus, consultoque primitus domino nostro summo pontifice, paratus erat quod mediante justitia secundum Deum & sacros canones in hac parte facere teneretur: magnique fremitus, terrores, comminationes & minæ contra personam dicti domini Appamiensis episcopi processissent ibidem, propter quæ, nec immerito, de proprii corporis periculo dicto domino Appamiensi episcopo formidandum fuisset, nisi dominus rex præfatus, ad supplicationem memorati domini Narbonensis archiepiscopi, ac domini Autissiodorensis episcopi supradicti, hoc prohibuisset districte, & ad plenam tuitionem & securitatem dicti domini Appamiensis episcopi ab omni sævitia & injuria certos rex ipse motu proprio sibi præcepisset deputari custodes, videlicet nobilem virum dominum Johannem de Burlatio magistrum Balistariorum, militemque domini regis, ac quosdam servientes armorum ejusdem. Supradictusque dominus Appamiensis episcopus, visis & auditis præmissis, proposuisset quod malebat per præfatum dominum archiepiscopum, quam per manum regiam custodiri, instanterque requisisset idem dominus Appamiensis præfatum dominum Narbonensem archiepiscopum, quod ad tollendum scandalum & corpori suo imminens periculum, præsertim cum publice dictum fuerit ibidem, quod dicta prohibitio facta per regem de non sæviendo in personam ipsius domini Appamiensis episcopi, facta fuerat sub illis conditione & modo, si idem dominus episcopus auctoritate domini Narbonensis archiepiscopi prædicti in tuta & arcta custodia teneretur. nec alias arctabat subditos regios, prout per quosdam ex subditis ipsis publice profitentes extitit declaratum expressim, ipsum faceret in manu ecclesiæ custodiri, prout sibi expediens videretur.

Præfatus dominus Johannes de Burlatio miles ad dictam custodiam a sævitia & injuria non inferendis eidem domino episcopo per dominum regem, ut dictum est, deputatus, eadem die hora tarda ad dominum dictum archiepiscopum Narbonensem accedens, requisivit eumdem super custodia & modo custodiæ domini Appamiensis. Sæpedictus Narbonensis archiepiscopus in præsentia nostra & testium subscriptorum, respondit & dixit eidem militi, quod quantum in ipso erat, nolebat quod aliquid in personam dicti episcopi vel familiarium suorum innovaretur, per quod idem episcopus Appamiensis perderet pristinam libertatem, quam regales habere dicebant ipsum episcopum priusquam veniret apud Silvanectum, & quam debet habere episcopus necdum convictus de criminibus sibi impositis, nec volebat quantum in eo erat, quod aliquis seu aliqui de servientibus dictis jacerent in camera dicti episcopi Appamiensis, nec quod prohibitiones sibi fierent vel familiaribus suis, quatenus posset loqui cum eis quandocumque videretur eidem: sed solum rogabat militem prædictum, quod dictus dominus episcopus sine fraude custodiretur ab omni sævitia & injuria, de quibus merito timebatur ne inferrentur eidem: ita quod hujusmodi custodia non traheretur ad aliquam speciem captionis, ipsumque episcopum, quantum erat in eo, liberum ab omni captione esse volebat, & in ea libertate persistere, in quanta fuerat temporibus retroactis, loquendo cum familiaribus suis, scribendo & mandando litteras ad curiam Romanam, & ubicumque placeret eidem pro suis ecclesiæ suæ negotiis, jacendo solus in camera sua, & quæcumque alia faciendo quæ homo liber ab omni captione & carcere facere potest & debet: cum si esset idem dominus episcopus in custodia ecclesiæ majori quam ante, videlicet dum veniebat ad regem, deberet libertate gaudere: quo tempore dictus dominus Johannes & alii regales dicebant & asserebant dictum Appamiensem episcopum fuisse liberum ab omni specie captionis. Acta fuerunt hæc apud Silvanectum, in abbatia S. Vincentii ordinis S. Augustini, videlicet requisitio dicti militis, & responsio domini Narbonensis archiepiscopi memorati supradicti, die Martis post festum S. Lucæ, hora tarda, sicut præmissum est, dictæ diei, scilicet circa crepusculum, anno ab Incarnatione Domini M. CCCI, pontificatus sanctissimi patris domini Bonifacii papæ VIII, an. VII, præsentibus venerabilibus viris magistris Guillelmo de Rupe-fixa Biterrensis, & Durando de Fontemarino Nivernensis ecclesiarum canonicis, ac religioso fratre Raymundo de Agone canonico Magalonensi, dominis Guillelmo de Garriga, *de Feu*, & Guillelmo de S. Floro de nova ecclesia Claromon. ac Laur. Monia S. Andreæ de Veyranicis Magalonensis diœcesium ecclesiarum rectoribus ac presbyteris, & Arnaldo *de Salque*, ac Bertrando *Varnasse* domicellis, & Ægidio Arnaldi, & pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis.

XVIII.

Inquisitio juridica facta per missos regios contra episcopum Appamiensem, in qua testes plures auditi.

Ex Ms. cod. Biblioth. S. Germani a pratis.

PERVENIT ad audientiam nostram quod B. episcopus Appam. in injuriam & blasphemiam domini nostri regis Franc. prorumpens, dixit non semel sed pluries, diversis locis & temporibus, coram multis personis ecclesiasticis & secularibus, nobilibus & ignobilibus, quod S. Ludovicus, dum viveret, dixit eidem episcopo Appamiarum tunc abbati, quod temporibus istius domini regis qui nunc est, regnum Franciæ debebat destrui, & quod ipse dominus rex & sui tempore istius domini regis debebant perdere dictum regnum, & quod istud regnum temporibus illius domini regis debebat devenire ad alienos, ad ipsum dominum regem & suos ulterius non reversurum. 1301.

Item, quod dictus episcopus tractavit proditionem contra dominum regem prædictum tempore quo rex Angliæ faciebat guerram contra ipsum dominum regem in partibus Vasconiæ, sive in ducatu Aquitaniæ,

promittendo comiti Fuxi vel aliis pro eo, quod si idem comes vellet facere pacem cum ipso episcopo & se conjurare cum eo, quod ipse episcopus faceret ipsum comitem dominum totius terræ Tolosanæ.

Item, quod promisit eidem comiti sive aliis pro eo tempore dictæ guerræ Vasconiæ, quod si dictus comes vellet cum ipso episcopo facere dictam conjurationem sive colligationem, idem episcopus faceret quod cives Tolosani facerent dictum comitem dominum suum & sibi jurarent fidelitatem, asserens idem episcopus se hoc facere posse propter multos consanguineos & amicos quos habebat in civitate Tol. valde nobiles & potentes.

Item, quod dictus episcopus tunc temporis dixit dicto comiti vel aliis cum quibus tractabat prædicta, quod ipse & comes cum dictis civibus Tolosæ, postquam ipsum comitem ipso episcopo procurante in suum dominum recepissent, expellerent omnes Gallicos de terra ista & acquirerent totam terram.

Item, quod tempore dictæ guerræ Vasconiæ dictus episcopus tractavit cum dicto comite vel cum aliis pro eo, quod rescinderet vel non faceret matrimonium olim tractatum inter filium comitis & filiam domini Philippi de Artesio qui tunc temporis vivebat, sed quod faceret dictus comes matrimonium de dicto filio suo cum filia regis Aragonum, & suos haberet adjutores in occupatione terræ prædictæ.

Item, quod in tractatu prædicto quem dictus episcopus movebat dicto comiti Fuxi vel alii pro eo, dixit hæc verba vel similia, nobis constat per prophetiam S. Ludovici, quod iste rex debet perdere regnum Franciæ, & ex quo ita est, melius est quod nos præveniamus alios in occupatione terræ, quam si alii nos prævenirent.

Item, quod dictus episcopus dixit multoties quod civitas Appam. non est nec fuit de regno Franciæ vel in regno.

Item, quod dictus episcopus dixit quod dominus rex fabricabat falsam monetam, & quod erat falsarius.

Item, quod idem episcopus dixit quod dominus rex erat de bastardis vel de spuriis oriundus.

Item, quod dictus episcopus Appam. multa alia tractavit, machinatus fuit, dixit & fecit in injuriam, blasphemiam & vituperium dicti domini regis, & in subversionem & diminutionem honoris regii, & juris atque regni.

Unde nos B. nepotis archidiaconus Algiæ in ecclesia Lexoviensi clericus, & Johannes vicedominus Ambian. dominus Pinguonini miles dicti domini regis de mandato ipsius domini regis, volentes super præmissis & infra scriptis, & aliis dictum negotium tangentibus inquirere veritatem super eis, testes recepimus & examinavimus infra scriptos, qui jurati super omnibus & singulis supradictis meram & plenam dicere veritatem, & ad inquisita veraciter respondere deposuerunt, ut inferius continetur.

Comes Fuxi testis juratus, & super fidelitate, qua domino regi est obligatus, requisitus, dixit per juramentum suum quod episcopus Appam. sibi dixit & promisit quod si vellet facere pacem cum eo, quod ipsemet episcopus faceret dictum comitem dominum totius terræ & patriæ Tolosanæ; & hoc fuit tractum tempore guerræ Vasconiæ inter dominum regem Franciæ & regem Angliæ. Item promisit dictus episcopus dicto comiti, quod si vellet facere pacem & colligationem cum eo, dictus episcopus faceret & procuraret quod omnes Tolosani jurarent sibi fidelitatem & reciperent eum in dominum suum, & tunc dictus comes & idem episcopus possent expellere omnes gallicos de patria & acquirere totam terram, & hoc dicebat episcopus se facere posse per amicos suos quos habet in civitate Tolosana, quia sunt potentiores & nobiliores de civitate Tolos. de

A suo genere ut dicebat. Item tractavit idem episcopus cum dicto comite, & ipsum quantum potuit induxit ad hoc ut rescinderet vel non faceret matrimonium olim tractatum inter filium ejusdem comitis & filiam domini Philippi de Artesio, sed quod matrimonium faceret idem comes de dicto filio suo cum filia regis Aragonum, & suos haberet adjutores in occupatione & captione dictæ terræ Tolos. Item audivit dictus dominus comes eumdem episcopum pluries dicentem quod dominus noster rex Franciæ in civitate Appam. nihil omnino habebat, & quod ab eodem domino rege non tenebam; nihil aliud novit super omnibus præmissis articulis diligenter requisitus. Prædicta autem deposuit pro parte die Mercurii post Trinitatem, anno Domini 1301. Plenarie autem

B deposuit omnia prædicta die Dominica post æstivale festum S. Martini in camera hospitii nostri, in qua ego vicedominus tunc morabar Tolosæ,

Die Dominica post festum beatorum Egidii & Lupi, addidit dictus comes Fuxi depositioni suæ ista quæ sequuntur: Videlicet quod episcopus Appam. dixit sibi comiti quod S. Ludovicus sibi dixerat quod regnum Franciæ tempore ipsius regis, qui nunc est, perderetur, nunquam ad ipsum dominum regem vel aliquem de suo genere reversurum. Item, quod dominus rex non erat e recto genere regum Franciæ. Item, quod fabricabat falsam monetam & erat falsarius monetæ; asserens dictus episcopus quod dominus papa hæc dixerat domino Petro Flotæ. Item, quod dictus episcopus Appam.

C dixerat eidem comiti quod ipsum faceret dominum Appam. & tunc esset rex, quia in Appam. solebat esse regnum ita nobile sicut regnum Franciæ, dicens idem episcopus quod de facili possent prædicta fieri, videlicet quod dictus comes esset dominus totius Tolos. & quod acquireret totam terram, quia gentes terræ non diligebant regem nec Gallicos, quia rex seu Gallici nunquam fecerant gentibus terræ bonum sed semper malum, & similiter dicto comiti nunquam fecerant dictus dominus rex seu Gallici bonum sed semper malum, & hoc bene sentiret & perciperet cum guerra Vasconiæ esset finita. Item, quod audivit dictum episcopum dicentem sibi quod tota curia Franciæ intus & extra, huc & illuc erat tota corrupta, & quod nihil fiebat ibi sine muneribus. Item quod

D dictus episcopus dixit eidem comiti quod cum Gallicis nunquam inveniret fidelitatem, & quod paratus erat ipse episcopus ire ad regem Aragonum suis propriis sumptibus & expensis pro matrimonio pertractando inter filium dicti comitis & filiam dicti regis, quem regem idem episcopus dicebat esse valde amicum suum. Item, dixit idem episcopus dicto comiti, quod ipse comes faceret pacem cum comitibus Armaniaci & Convenarum, & tunc dicta pace facta & dicto matrimonio celebrato, posset ipse comes dominari toti terræ. Item, posuit dictus episcopus in suis articulis, prout videtur ipsi comiti, quod ipse episcopus non faceret pacem cum dicto comite, nisi ipse comes faceret pacem cum antedictis comitibus. Item, dixit idem comes quod omnia per ipsum deposita, ipse

E comes dixit & denunciavit domino episcopo Tolosano tanquam fideli domini regis consiliario & jurato, illa intentione quod prædicto domino regi omnia revelaret, & eidem episcopo dixit nudo verbo quod omnia ista domino regi diceret & etiam denudaret.

Episcopus Biterrensis requisitus super prædictis articulis, dixit sub fidelitate qua domino nostro regi tenetur, se audivisse pluries tam in Romana curia, quam in partibus Tolosanis, episcopum Appam. dicentem quod S. Ludovicus dum viveret, dixit ipsi episcopo tunc abbati, quod temporibus domini regis qui nunc est, debebat regnum Franciæ destrui, & quod ipse dominus rex perderet dictum regnum, & regnum deveniret ad alienos. Item, dictus episcopus

Biter. requisitus ubi & quando & quibus præsentibus A audivit dictum episcopum Appam. dicentem prædicta, respondit quod anno præterito, mense Maii vel Junii, dum episcopus Magalon. & idem Biter. erant cum ipso episcopo Appam. in ecclesia cathedrali Appam. sedentes ante quoddam altare, quod, ut ipsi episcopo Biter. videtur, dicitur altare S. Laurentii, & ibidem dictus episcopus Appam. protulit dicta verba vel æquipollentia, præsentibus & audientibus ipso episcopo Biter. & dicto domino episcopo Magalon. dicens idem episcopus Appam. quod dominus rex male regebat regnum suum, & quod S. Ludovicus dixerat eidem, ut supra dixerat. Licet autem idem episcopus Biter. dicat se dictum episcopum Appam. dicentem præmissa vel similia diversis temporibus atque locis, non tamen recordatur quod hæc audiverit eum dicentem præsentibus aliquibus aliis quam B supradixerit. De aliis contentis in dictis articulis dictus episcopus Biter. dixit se nihil scire pro certo, dixit tamen se audivisse dici tam a domino de Rupe canonico Narbon. rectore ecclesiæ *de Arhez*, diœcesis Carcass. quam a magistro Raimundo *de Roergue* jurisperito, quam a domino abbate S. Papuli, pro parte omnia & singula in dictis articulis expressata circa tractatum, quem dictus episcopus Appam. efferebat vel faciebat tractari comiti Fuxi, non tamen dixit idem episcopus Biter. quamlibet prædictarum trium personarum dixisse sibi omnia & singula supradicta, sed aliqua de prædictis audivit a quolibet prædictorum & aliqua ab aliis, sed bene recordatur dictus dominus episcopus Biter. ut dixit, quod anno C præterito in capitulo Fratrum prædicatorum Appam. dictus dominus de Rupe dixit sibi omnia prædicta, & isto anno apud Mirapiscem in domo quam dictus episcopus Appam. inhabitabat. Item, dixit idem episcopus Biter. se audivisse dici a nobili viro Aymerico de Claro-monte domicello, quod ipse audiverat aliquando a dicto episcopo Appam. quod dominus rex Franciæ non erat de recto genere regum Franciæ, & quod erat de genere spuriorum ex parte matris, nam omnes illi de domo reg. Aragonum erant spurii, ut dicebat; interrogatus ubi & quando & quibus præsentibus dictus episcopus Biter. audivit hæc a dicto Aymerico, respondit quod a festo Pentecostes citra in domo quam idem episcopus inhabitabat apud Mirapiscem, præsente Pontio Fabri vicario Appam. D De aliis in dictis articulis contentis dictus episcopus Biter. dixit se nihil scire: interrogatus si prece vel pretio, vel favore alicujus vel odio dicti episcopi Appam. idem episcopus Biter. deposuit prædicta, dixit quod non.

Religiosus vir abbas S. Papuli requisitus super omnibus prædictis articulis, dixit per juramentum suum quod audivit semel episcopum Appam. dicentem in mensa sua, nescit quod facit comes Fuxi, quia non facit pacem mecum, ego facerem eum dominum istius terræ, & facerem sibi jurare omnes amicos meos. Crastina vero die audivit, prout dixit, dominum Bernardum de Rupe rectorem ecclesiæ *de Airhez* dicentem quod episcopus Appam. dixerat ei quod ipse faceret comitem Fuxi dominum terræ E Tolos. & faceret sibi jurare amicos suos. Requisitus de tempore, dixit quod in hebdomada Pentecostes, fuit annus elapsus. Requisitus de loco, dixit apud Appam. in aula episcopi Appam. Requisitus de præsentibus, dixit se non recordari quod alius audivisset, dixit etiam quod pluries audivit dictum episcopum dicentem quod in civitate Appam. nullus habebat aliquid nisi papa.

Dominus Magalon. episcopus super prædictis articulis requisitus, dixit in fidelitate qua domino regi tenetur, quod audivit dictum Appam. episcopum pluries dicentem quod sanctus Ludovicus dixerat prædicto Appam. episcopo quod dominus noster rex qui nunc est, perderet regnum Franciæ, & quod suo tempore destrueretur & ad aliqs deveniret. De aliis articulis dixit se nihil scire.

Magister Guillelmus Ar. de Ponte licentiatus in legibus juris, & requisitus super omnibus articulis, dixit per juramentum suum quod audivit pluries dictum Appam. episcopum dicentem, quod civitas Appam. non erat in regno Franciæ nec de regno. Item audivit pluries dictum episcopum dicentem quod dominus noster rex Franciæ non erat rex, sed regulus, & quod non regebat sicut rex. Item audivit dictum episcopum pluries dicentem quod dominus noster rex fabricabat falsam monetam, seu fabricari faciebat. Item audivit pluries ipsum episcopum dicentem, quod beatus Ludovicus sibi dixerat quod infra tertiam generationem regnum Franciæ perderetur.

Dominus B. de Rupe canonicus Narbon. testis juratus dixit per juramentum suum quod pluries audivit dictum episcopum Appam. dicentem, quod S. Ludovicus dixerat quod tempore domini nostri regis qui nunc est, perderetur regnum Franciæ, & quod ad alios deveniret dictum regnum. Item, dictus Appam. episcopus dixit prædicto loquenti, præsente domino P. Alnaldi ballivo comitis Fuxi: nonne melius fecisset vel faceret comes Fuxi, si faceret matrimonium cum filia regis Aragonum de filio suo, vel fecisset? non recolens dictus testis utrum dictus episcopus loqueretur in præsenti vel in futurum, & tunc posset esse dictus comes dominus villæ Tolosæ & totius terræ, quia in civitate Tolosæ magnos habeo amicos, quia meam omnino facerent voluntatem, & ego facerem quod ipsi facerent voluntatem dicti comitis, & tunc posset esse dominus terræ.

Magister Raymundus *de Roergue* testis juratus & requisitus super prædictis, dixit contenta in 1.° 2.° 3.° 4.° & 5.° articulis audivisse dici a domino B. de Rupe canonico Narbon. & senesc. comitis Fuxi, incontinenti cum ea acceperant & audiverant a dicto episcopo Appam. prædicta dicente ut dicebant. Audivit etiam a dicto comite Fuxi omnia prædicta sibi substantialiter recitari, & dicebat dictus comes, quod dictus episcopus omnia prædicta sibi dixerat ac etiam promiserat eidem. Item audivit pluries dictum episcopum dicentem quod dominus noster rex erat falsarius, & quod falsam fabricabat monetam. Item audivit dictum episcopum dicentem quod civitas Appam. non erat in regno Franciæ nec de regno.

Dominus P. Ar. miles testis juratus super prædictis dixit per juramentum suum quod dum ipse tractaret pacem inter comitem Fuxi & episcopum Appam. idem episcopus pluries dixit eidem deponenti quod comes non erat sapiens, eo quod non faciebat pacem cum eo, quia si vellet facere pacem cum eo, ipse faceret ipsum comitem dominum civitatis Tolosæ & totius Tolosani, & faceret sibi jurare amicos suos de Tolosa, quos ibi magnos habebat, & hoc sibi promittebat adimplere cum effectu, & cum audiebat prædicta dictus testis, vellet ipsum episcopum esse suspensum, uti dicebat hæc præsentibus domino B. de Rupe canonico Narbon. & magistro Raimundo *de Roergue*, ut sibi videtur. Item audivit ipsum episcopum pluries dicentem, quod regnum Franciæ tempore domini nostri regis qui nunc est finiretur & ad alios deveniret. Item audivit dictum episcopum pluries dicentem, quod dominus noster rex Franciæ in civitate Appam. nihil habebat.

Bruneus de Monte-alto testis juratus & requisitus super prædictis, dixit per suum sacramentum quod episcopus Appam. dixit eidem qui loquitur, quod si comes Fuxi vellet sibi credere, quod esset dominus Tol. & totius Tolos. tantum faceret idem episcopus

& procuraret. Item audivit dicentem eum quod civitas Appam. non erat in regno Franciæ nec de regno A

Frater Ar. Johannis de Tolosa de ordine Prædicatorum, testis juratus & requisitus super primo articulo, dixit quod non recolit quod episcopus Appam dixerit quod tempore istius regis deberet perdi regnum Franciæ, sed videtur sibi, ut dixit, quod audivit a dicto episcopo quod S. Ludovicus in infirmitate qua mortuus est, vocavit dominum Philippum patrem istius regis qui nunc est, & dixit sibi: fili, nos sumus prope illam generationem in qua debet regnum Franciæ terminari, quia terminabitur in te vel in filio tuo, & mutabitur ad aliam generationem, quia in decimam generationem debet magnam mutationem recipere, ideo consulo quod sis devotus ecclesiæ, quia si fueris, non solum regnum B durabit usque in decimam generationem, imo usque ad XI & XII.^am & ultra, si sis sanctus & bonus & justus. Item requisitus super secundo, dixit quod nunquam scivit quod dictus episcopus tractaverit illam proditionem, imo tempore, quo erat illa guerra, dictus Appam. episcopus misit ipsum qui loquitur ad dominum regem qui erat Parisius, ut faceret pariagium cum eo de villa Appam. vel alienationem perpetuam, & super hoc ipse qui loquitur, locutus est domino regi præsente domino archiepiscopo Narbon. & domino P. *Flotte*, & scivit hoc dominus episcopus Ambian. cui locutus fuit ipse deponens super his, ut dixit, & ipse episcopus aliquando dicebat quod rex caveret sibi quod comes non haberet villam Appam. quia bene posset per hoc C rex perdere totam terram, quia extra Tolos. nullus auderet remanere. Item super 3 & 4 articulis dixit se super his nihil scire. Item super quinto articulo requisitus dixit quod nunquam scivit nec audivit illa, sed bene dicebat idem episcopus quod illud matrimonium non fieret, quia rex illam filiam tradiderat alii. Item super sexto requisitus dixit quod nunquam audivit de hoc verbum. Item requisitus super septimo dixit quod bene audivit episcopum dicentem quod civitas Appam. non recognoscitur a rege, sed semper de facto civitatis litigabat coram rege & coram senesc. Carcassonæ, & dicebat quod bene est in regno, sed nunquam fuit a rege recognita per ipsum nec prædecessores suos, & quod sic litigaverat coram istis patet per multas litteras, & D etiam per sententiam latam de facto civitatis contra comitem Fuxi per senesc. Carcass. & confirmatam per S. Ludovicum. Dicebat etiam S. Ludovicus quod libenter faceret juramentum regi de fidelitate aliter non recognoscenda. Item super octavo requisitus dixit quod audivit dictum episcopum dicentem quod rex faciebat parvam monetam & falsam, & quod idem dominus rex non poterat super hoc de magna malitia excusari, sed nunquam audivit quod vocaret eum falsarium prout dixit. Item super nono articulo requisitus dixit quod de hoc non audivit unquam verbum. Item super decimo requisitus dixit quod nescit quod dictus episcopus machinatus fuerit vel dixerit alia, nisi quæ supra deposuit, credit tamen quod post potum dixerit episcopus multa inordinata, E de quibus non recordatur.

Frater Petrus de Bocenaco cameratius Mancerii, testis juratus & requisitus super prædictis, dixit per juramentum suum quod audivit episcopum Appam. dicentem quod in quarta generatione status regni Franciæ debebat mutari, & quod a domino Ludovico, quem modo sanctum faciunt, ut idem episcopus dicebat, audivit hæc pluries. Item dixit se audivisse dici ab eis qui tractabant pacem inter ipsum episcopum & comitem Fuxi, maxime a magistro Guillelmo *de Gozench*, quod ipse episcopus promittebat quod si dictus comes vellet facere pacem, ipsum comitem faceret dominum totius terræ Tolos. Item dixit se audivisse dictum episcopum dicentem quod melius faceret comes, si faceret matrimonium cum filia regis Aragonum, quam cum filia domini Philippi de Aurebato, & dicebat quod isti Gallici erant de pulchro introitu & de malo exitu. Item dixit se audivisse ipsum episcopum dicentem quod civitas Appam. non erat de regno Franciæ, imo fuerat regnum per se, & quod dominus rex non multum curabat qualiter acquireret, dum tamen posset accrescere regnum suum. Item dixit se audivisse ipsum episcopum dicentem quod dominus rex bonam monetam reduxerat ad monetam cupri vel ferri. Item dixit quod ipsum episcopum audivit dicentem quod in curia regis solebant esse justitia & boni consiliatores, sed modo tota curia erat corrupta, & quod nihil ibi fiebat cum justitia, & quod dominus P. *Flotte* nihil nisi præcedentibus muneribus faciebat.

Bernardus Tardivi testis juratus & interrogatus super primo articulo, dixit quod quando tractabatur pax inter dominum comitem Fuxi & episcopum Appam. inter cætera verba quæ habebant, dixit dictus episcopus dicto comiti, non curetis de pecunia sed habeatis pacem mecum & habeatis civitatem Appam. ita quod sitis dominus una mecum, & tunc eritis in statu, & comitatus vester qui aliter nihil valet, & timebitur posse vestrum a Burdegal. usque ad portus, & sitis homo valens & bonus, quia ego faciam tantum & procurabo quod vos eritis dominus civitatis Tolos. & totius comitatus, qua bene habeo posse, & habeatis pro certo quod dominus rex Ludovicus revelavit mihi & dixit pluries quod regnum Franciæ debebat in isto rege penitus cadere & nomen regni. Interrogatus ubi fuerunt ista verba, dixit quod in camera episcopali apud sanctum Antoninum juxta capellam. Interrogatus de præsentibus, dixit quod idem qui loquitur, totius fabr. & prædicti domini comes & episcopus. Interrogatus de tempore, dixit quod inter festum Paschæ & Pentecostes fuit annus vel circa. Dixit tamen quod pluries dixerat episcopus Appam. prædicta verba in præsentia fratris Ar. Johannis B. Stephani, B. de Zuinbaldo, Bertrandi de Glienhaco, B. de Rupe, domini P. Ar. de Castro-Verdino, & Petri Baudrici thesaur. Interrogatus quid comes tunc respondit, dixit quod nihil nisi quod modicum movit caput. Item dixit se audivisse pluries quod dictus episcopus dicebat quod eo tempore quo dominus Philippus rex Franciæ pater istius domini regis fuit Tolos. cum domino Petro rege Aragonum, idem dominus Petrus rogabat dominum Philippum ut haberet abbatem Appam. recommendatum, & si casus occurreret, idem Philippus pro malo non haberet si ipse veniret in comitatu Tolos. etiam cum armis ad defensionem dicti abbatis contra suos inimicos, & tunc dictus dominus Philippus respondit, frater velletis tantum expendere pro dicto abbate, & rex Aragonum respondit pro certo volo vos tenere quod amore abbatis ista & majora facerem, & si fas esset mihi dicere ponerem me in campo pro eodem, & tunc dominus rex Franciæ respondit, non curetis de talibus, quia in negotiis abbatis bonum remedium adhibebimus. Item audivit dici a dicto episcopo quod antiquitus erat comes & vicecomes Tolosæ, & quia ipse erat de genere vicecomitis, qui dictus vicecomes dominabatur in certa parte Tolos. civitatis, & quod domina G. *de Recald* mater matris suæ in tanta reverentia habebatur Tolos. quod habebat sedem deputatam in ecclesia S. Stephani Tolos. quod alia domina non erat ausa ponere se in sede illa, & illa domina G. ut dixit, fuit filia vicecomitis Tolos. ultimo defuncti. Item interrogatus super omnibus aliis articulis, dixit se nihil amplius scire.

Reverendus pater dominus P. episcopus Tolos. testis juratus & diligenter interrogatus tam super proditione, quam super falsa moneta, dixit se nihil

aliud scire nisi quod, ut sibi videtur, audivit dici a dominis Magal. & Biter. episcopis, quod ipsi audiverant B. Appam. episcopum dicentem quod regnum Franciæ debebat amitti tempore illius domini regis qui nunc est, & hoc, ut asserebat idem Appam. episcopus, prædixerat sibi S. Ludovicus. Item dixit idem episcopus Tol. quod ut sibi videtur, quia ad plenum non recolit quod comes Fuxi revelavit sibi quod B. Appam. episcopus sollicitaverat eum de faciendo fœdus contra regem & de insurgendo contra eum, & quod ipse haberet pro se multos fautores in partibus Tol. Item credit firmiter quod dictus comes Fuxi revelavit sibi ista in Jardino fratrum Prædicatorum Appam. revolutus fuit annus in festo beati Johannis-Baptistæ vel circa proximo præterito, sed de modo sollicitationis aut de verbis quæ eidem episcopo Tolos. dixit idem comes non recolit dictus episcopus, sed credit quod ita dixit & revelavit sibi in summa prout prædixit. De cæteris interrogatus dixit se nihil scire nisi quod in solutione centum vel ducentarum librarum quam fecerunt gentes episcopi Appam. ad opus judicum in causa episcopatuum Tolos. & Appam. erat admixta falsa moneta in saccis magna quantitate, ut dicebatur, sed quanta summa falsæ monetæ esset admixta, dixit se nescire, nisi quod dicebant de XL libris, alii de XXX, alii de XX, aliqui de decem. Requisitus si hoc denuntiavit domino regi Franciæ, dixit quod sic, non nominando personam Appam. episcopi, sed nomina testium a quibus audiverat expressit. Requisitus quo tempore denuntiavit regi, dixit quod circa festum Resurrectionis Domini nuper præteritum. Requisitus quare tantum retardavit denuntiare domino regi, dixit quod habet causam arduam contra episcopum Appam. & videbatur sibi non esse conveniens aliquid denuntiare contra ipsum, sed ad ultimum quia jam ab aliquibus extiterat denuntiatum archid. Brugens. & Johanni de Momihiaco, sicut ipsi archid. & Johannes dixerunt eidem qui loquitur, cogitavit quod non erat bonum totaliter tacere, & denuntiavit domino regi ut supra.

Bernardus Pontanerii jurisperitus de civitate Appam. testis juratus & requisitus super contentis in prædictis articulis, dixit per suum sacramentum quod audivit pluries & coram pluribus, & diversis locis & diversis temporibus, episcopum Appam. dicentem, quod sanctus Ludovicus dum viveret sibi dixerat, quod tempore domini nostri regis qui nunc est, regnum Franciæ debebat destrui, & quod dominus rex & sui debebant perdere dictum regnum, & quod debebat devenire ad alienos, nunquam ad dominum regem & suos reversurum. Item dixit per suum sacramentum quod audivit dictum episcopum Appam. comiti Fuxi dicentem, faciatis pacem mecum & habebitis civitatem Appam. & eritis rex, quia antiquitus solebat ibi esse regnum adeo nobile sicut regnum Franciæ, & postea ego faciam quod vos eritis comes Tolosæ, quia in civitate Tolosæ & in terra habeo multos amicos valde nobiles & valde potentes, cum quibus poteritis occupare terram, quia faciam quod erunt vobiscum in occupatione dictæ terræ & civitatis Tolos. asserens idem episcopus hoc posse fieri de facili, quia gentes terræ non diligebant regem Franciæ nec Gallicos, quia rex seu Gallici nunquam fecerunt gentibus terræ bonum, sed semper malum, & similiter dicti Gallici semper fecerunt malum dicto comiti, & hoc bene sentiret & videret idem comes, si guerra Vasconiæ esset finita. Item dixit quod audivit dictum episcopum multoties dicentem, quod civitas Appam. nec est nec fuit de regno Franciæ vel in regno, & quod etiam dicta civitas a domino nostro rege non tenebatur. Dixit etiam quod audivit ipsum episcopum, dicentem cum ipsi loquebantur de falsis

A monetis, quod non poterat esse moneta falsior, quam illa quam faciebat fabricari dominus noster rex. Item audivit dicentem ipsum episcopum quod dominus noster rex non erat de genere Caroli-magni. Item audivit quod dictus episcopus pluries dixit quod tota curia Franciæ intus & extra, huc & illuc neminem excipiendo erat corrupta, & quod ibi nihil fiebat nisi muneribus.

Brunetus de Monte-alto prope civitatem Appam. testis juratus & requisitus super primo articulo, dixit per juramentum suum se audivisse pluries episcopum Appam. in pluribus locis & coram diversis personis dicentem, quod S. Ludovicus dum viveret dixerat ipsi episcopo tunc abbati, quod regnum Franciæ debebat destrui tempore istius domini regis qui nunc
B est, & quod ipse dominus rex & sui debebant amittere dictum regnum, sibi vel suis de cætero minime reversurum. Requisitus super 2.° 3.° & 4.° articulis, dixit per juramentum suum se audivisse dictum episcopum dicentem comiti Fuxi, faciatis pacem mecum & sic poteritis habere civitatem Appam. & eritis rex, quia ibi solebat esse regnum ita nobile sicut regnum Franciæ, & postmodum ego faciam quod vos eritis comes Tol. asserens dictus episcopus se hoc bene posse facere propter multos amicos valde nobiles & potentes, quos dicebat se habere in civitate & terra Tolos. quos quidem ipse episcopus faceret esse cum dicto comite, ut dicebat, in occupatione civitatis & terræ Tolos. dicens etiam idem episcopus hoc posse de facili fieri, quia gentes terræ non diligebant
C regem Franciæ nec Gallicos, quia rex seu Gallici nunquam fecerunt gentibus terræ bonum, sed semper malum, & similiter eidem comiti fecerant semper malum dicti Gallici, quod idem comes posset bene percipere & videre si guerra Vasconiæ esset finita. Item dixit idem testis requisitus quod audivit dictum episcopum dicentem dicto comiti Fuxi, quod idem comes non faceret matrimonium de filio suo cum filia domini Philippi Atrebat. quia nunquam cum istis Gallicis inveniret fidelitatem, sed quod melius & utilius faceret, si faceret matrimonium de dicto filio cum filia regis Aragonum, quam cum filia domini Philippi, & dicebat idem episcopus dicto comiti quod hoc bene procuraret, & quod paratus erat ire suis propriis sumptibus & expensis ad regem Aragonum,
D quem dicebat esse suum magnum amicum pro dicto matrimonio procurando; dicebat etiam idem episcopus prædicto comiti quod ipse faceret pacem cum comitibus Armaniaci & Convenarum, & tunc dicto matrimonio celebrato inter filium ipsius comitis & filiam regis Aragonum, & pace inter ipsos comites reformata, ipsi sic colligati & uniti ad invicem, possent terram Tolos. de facili occupare una cum voluntate amicorum dicti episcopi & subditorum terræ, quia Gallicos non diligebant. Item dixit dictus deponens quod dictus episcopus posuit in suis articulis, quod ipse non faceret pacem cum dicto comite Fuxi, nisi idem comes faceret pacem cum comitibus antedictis. Item dixit idem deponens quod postquam dictus episcopus dixit illa verba suprascripta, dictus
E comes Fuxi in exitu cameræ dicti episcopi cepit ipsum deponentem per brachium, dicendo eidem, audivisti quid dixit iste proditor, caveas tibi quod bene recorderis & teneas bene in memoriam.

Jacobus de Molino de Appam. testis juratus & diligenter interrogatus per juramentum suum si scit quod B. Appam. episcopus machinaverit aliquam proditionem contra dominum nostrum regem Franciæ, vel verba blasphemiæ contra personam domini nostri regis dixerit, seu regni vel consilii sui ipsius domini regis, dixit quod quadam die hoc anno circa festum Pentecostes fuit unus annus, dum ipse testis esset apud S. Antoninum, quando tractabatur de pace inter dictum episcopum & dominum comitem Fuxi, ipse

ipse episcopus traxit ad partem dictum testem & dixit sibi ista verba: dominus comes Fuxi dominus tuus nescit facere utilitatem suam, quia si vellet mihi credere, ego facerem ipsum magnum hominem, quia ego facerem ipsum comitem Tolos. & dominum totius Tolosani, cum amicis meis & parentibus quos habeo majores de Tolos. quia ipsi bene crederent mihi, & gentes comitatus Tolos. libenter reciperent ipsum in dominum: quia non diligunt regem nec Gallicos, quia nunquam fecerunt eisdem gentibus nisi malum, imo eis auferunt quidquid habent, & dicas ex parte mea hæc domino comiti domino tuo, & quod non habeat *bricam mecum, sed quod faciat pacem mecum & voluntatem meam, quia ego faciam sibi omnia ista fieri. Item dixit ipse testis quod hoc anno in vigilia Pentecostes proxime præterita, idem testis fuit apud sanctum Antoninum cum familia dicti domini comitis & cum Sen. ejusdem comitis, pro facienda solutione IV M libr. turon. quas debebat dictus dominus comes ipsi episcopo pro compositione cum eo facta, & vidit & audivit quod magister Raymundus *de Rorgue* qui erat ibi pro dicto domino comite, rogavit ipsum episcopum quod ipse descenderet inferius in thesaur. pro videnda solutione quæ ibi fiebat de quatuor millibus libr. turon. & tunc dictus episcopus noluit ire, imo vituperavit dictum magistrum Raymundum, & post recessum dicti magistri Raymundi, ipse episcopus vocavit ipsum testem qui loquitur; audi, dixit idem episcopus, comes credit quod ego multum curem de ista pecunia quam mihi solvit, quam facit rex, sed ego in tota illa pecunia non darem unum stercus, quia prava & falsa est & sine lege, & falsus qui eam facit fieri, nec in curia Romana daret homo unum stercus in ista pecunia. Postea Senesc. dicti comitis venit ad dictum episcopum, & rogavit eum quod iret ad dictam thesaur. & tunc dictus episcopus dixit dicto senesc. gratia vestri ibo nunc malis gratibus Dei & Matris ejus. Item dixit idem testis quod semel dictus comes dominus suus misit ipsum testem ad dictum episcopum cum quadam littera quæ dirigebatur ipsi episcopo, & invenit eum in Mirapisce in ecclesia de Vallibus, & recepta dicta littera, dictus testis venit cum dicto episcopo usque ad S. Antoninum, quæ loca distant per unam leucam & dimidiam, & tunc in itinere dictus episcopus interrogavit dictum testem, si comes Fuxi faceret matrimonium de filio suo cum filia domini Philippi de Artesio consanguinei domini nostri regis, qui testis respondit quod sic in omnem eventum, & tunc dictus episcopus dixit quod de hoc matrimonio non faceret commodum suum nec honorem, & dolebit adhuc, dixit idem episcopus, quia non vult mihi credere, quia si ipse vellet ego facerem pacem de ipso & de rege Aragonum, & facerem matrimonium de filio suo cum filia regis Aragonum, & ego irem ad dictum regem ad meas expensas pro pace & matrimonio antedictis, si placeret dicto comiti, & dicas sibi ista ex parte nostra, & quod nunquam inveniet in Gallicis fidelitatem, & quod facto dicto matrimonio inter filium dicti comitis & filiam dicti domini Philippi, isti Gallici non appretiarentur eum unum stercus. Interrogatus de tempore quando ista verba fuerunt ultima dicta, dixit quod hoc anno circa festum B. Johannis fuit unus annus elapsus.

*F. rixam.

Herico camerarius episcopi Appam. testis juratus & requisitus super prædictis articulis, dixit per suum sacramentum quod ipse audivit pluries dictum Appam. episcopum dicentem quod tempore domini nostri regis qui nunc est, regnum Franciæ debebat destrui penitus & ad alienos devenire, & hoc audiverat a sancto Ludovico pluries dici idem episcopus, ut dicebat. Super aliis articulis dixit se nihil scire.

Rogerius Athonis de Alairaco testis juratus & interrogatus super prædictis articulis, dixit quod ipse audivit dici a B. episcopo Appam. dicto Saysseti apud S. Antoninum, annus est elapsus, quadam die de qua non recordatur, in camera ejusdem episcopi, præsente comite Fuxi, dum tractabatur inter se de pariagio villæ Appam. domine comes non displiceat vobis aliquid in isto pariagio, quia sciatis pro certo quod ego procurabo quod vos habebitis castrum Appam. & interim nunquam injunget ibi lingua gallic. & si vultis vos credere mihi ego faciam vos adhuc de majoribus istius linguæ, & procurabo cum amicis meis Tolos. & aliis quod vos eritis adhuc comes Tolosæ, & utinam faceretis pacem cum comite Armaniaci, & postea esset caput omne, & non esset aliquis postmodum qui vobis contradiceret in aliquo, & si vultis credere Gallicis vestris, nunquam habebitis pacem cum eodem. Item dixit quod audivit tunc dici ab eodem episcopo, quod melius esset eidem comiti ut faceret matrimonium de filio suo cum illis qui semper dilexerunt eum & genus suum, quam cum istis qui eum nunquam diligerent. Item dixit quod quadam die ipse testis erat cum dicto episcopo, & dixit eidem ipse testis, mirum est quod florini auri ita augmentabantur in valore, quia a tempore citra quo dominus B. de Rupe ivit ad curiam Romanam pro impetranda confirmatione pariagii villæ Appam. florini erant augmentati quilibet de septem solidis & plus, & dictus episcopus respondit sibi quod non erat mirum, quia illa moneta, scilicet florini, quam rex facit fieri, erat falsa & sine lege, & non est ibi argentum propter quod florini & alii boni denarii erant magni valoris. Item dixit idem testis, quod ipse & Guillelmus Montanerii iverunt de mandato domini comitis Fuxi Paris. & invenerunt ibi dictum episcopum in quadam domo ubi morabatur prope fratres Minores, quando exaltatio seu transportatio S. Ludovici facta fuit; & dixit idem testis eidem episcopo, quod ipsi venerant Paris. pro facto dicti comitis, & si necesse esset venirent ad eum, qui dictus episcopus dixit quod dimitteret in præsenti, quia temporibus istis veritatem nec legalitatem in illa curia inveniret, quia totum erat corruptum & falsum, & rex eodem modo, & ipse testis dixit eidem quod minime erat quia rex sustinebat, & ipse respondit, quia rex non erat homo nec bestia, sed quasi imago, & si fuisset de sanguine Caroli magni, non sustinuisset, & quod totus mundus erat confusus & destructus, nisi adhiberetur remedium, & quod non potest fieri quin adhibeatur.

Comes Convenarum juratus & interrogatus sub suo juramento dixit, quod circiter festum Pentecostes fuit annus, Bonetus de Rivis præsentavit quandam litteram clausam ex parte episcopi Appam. dicto comiti, in qua inter cætera continebatur quod dictus comes crederet dicto Boneto super his quæ eidem comiti ex parte dicti episcopi proponeret; qui Bonetus dixit isti qui deponit ex parte dicti episcopi quod se juraret cum eo, quod ipse esset intimus amicus ejus, respondente dicto comite quod non opportebat se jurare amico, & quod nunquam se cum eo juraret. Item dixit dictus Bonetus quod expediebat expelli dominum episcopum Tolos. & quod de facili posset fieri per hunc modum, quod comes domino papæ testificaretur quod episcopus est inutilis in episcopatu & inimicus linguæ Tolosanorum, & quod gentes terræ habent ipsum odio, & demum quod comes supplicaret papam quod eum amoveret, & quod comes faceret quod communitates terræ suæ eodem modo scriberent & supplicarent domino papæ, & quod faceret quod communitates terræ suæ quantumcumque modicæ facerent sibi sigilla ac sigillandas litteras domino papæ dirigendas: dicens idem Bonetus quod hoc comes secure posset facere, quia consules Tolos. eodem modo scriberent procurantibus hæc

vicariis Tolosanis, & quod isto modo posset episcopus Tolos. expelli, & dictus comes habere episcopatum pro uno de amicis suis. Dixit etiam dictus Bonetus eidem comiti, quod episcopus Appam. faceret unum de filiis comitis canonicum Tolos. & alium canonicum Appam. & quod credebat quod in brevi deberet creari in cardinalem, & tunc ipse procuraret quod filius comitis esset Appam. episcopus, & daret etiam filio dicti comitis redditus de Monte-Esquino, quos faceret valere C marchas per annum, & quod ipse faceret dictum comitem majorem quam sit homo generis sui, & quod gentes Tolos. libenter reciperent ipsum in dominum suum, quia est de recta linea comitis Tolosani, & quod episcopus consulebat quod modis omnibus fieret pax inter Fuxi & Armaniaci comites, & ipsum qui deponit, & quod tunc expulso episcopo & facta pace inter comites, ipsi duo & ille qui deponit, possent facere voluntatem suam de terra Tolos. & ibidem dominari, & de facili possent fieri hæc, ut dicebat dictus Bonetus ex parte dicti episcopi, quia rex nihil valebat, & incœpit dictus Bonetus exponere computum de ave qui electus fuit in regem, quod computum comes noluit peraudire, dicens quod ultra voluntatem suam diceret, & statim dictus Bonetus prædicta asseruit posse fieri, quia regnum Franciæ finire debebat in isto domino rege, sicut idem Bonetus audiverat a dicto episcopo. Item dixit dicto comiti idem Bonetus, quod haberet cor bonum & nobile, quia episcopus adimpleret sibi omnia, & venirent omnia ad votum. Quibus auditis iste qui deponit, signans se dixit quod iste episcopus Appam. non erat homo sed diabolus, & lecta sibi littera quam episcopus petebat sigillari, respondit quod tot & tanta mendacia non scriberet papæ nec alii de episcopo Tolos. qui est probus & legalis & justus, & utilis ecclesiæ, & dilectus a gentibus terræ, & quod eum diligebat ut dominum spiritualem & amicum, & quod non placeret Deo quod ipse consentiret in talibus contra dominum suum naturalem dominum regem Franciæ, maxime dicens dictus comes, iste episcopus credidit destruere fratrem meum, & modo vellet destruere me & genus meum. Respondit etiam dictus comes & dixit isti Boneto, iste episcopus Appam. habet tantam malitiam in se, quod si Angeli conversarentur cum eo faceret eos peccare, vadat cum maledictione Dei; & dixit iste testis quod aliàs ante episcopus miserat ad eum fratrem Ar.^um *Gras* de ordine Prædicatorum, rogans eum ex parte episcopi quod haberet colloquium cum episcopo, qui comes cum adhuc non audisset quæ superius exposita fuerant per Bonetum, dixit quod libenter loqueretur cum episcopo, sed audito postmodum dicto Boneto, nunquam vidit nec audivit dictum episcopum nisi præsentibus inquisitor. missis per dominum regem in Tolosa. De aliis requisitus dictus comes, dixit quod diu est cum quadam die esset in villa Appam. dictus episcopus dixit quod dominus noster rex est de genere Capeti, & decimus ab illo Capeto, & quod in eo finiret regnum, & dicebat quod hoc inveniebatur in scriptis & chronicis Franciæ.

XIX.

Querelæ procuratoris episcopi Appam. de immanitate in eum exercita.

1301. IN nomine Domini, amen. Hæc sunt gravamina illata episcopo Appamiarum per magistros & dominos, per dominum videlicet & discretum virum Richardum Nepotis archid. Alg. in ecclesia Lexoviensi, & dominum Johannem vicedominum Ambian. & dominum de Pinguinhio.

In primo enim super quibusdam criminibus & excessibus, qui per ipsum & gentes suas dicebantur commissi per modum perventionis, tam contra eumdem dominum episcopum, quam contra familiarios suos clericos & laïcos ex officio inquirere incœperunt, ipsos respondere coram eis super prædictis per potentiam regiam compellentes.

Item, hujusmodi inquisitione pendente ipsis non confessis nec convictis, & inquisitionis negotio non perfecto, omnia bona dicti episcopi ad manum domini regis per senesc. Tolos. poni fecerunt, & plurium servientium garnisionem in ipsis causa aliqua non expressa.

Item, dicta inquisitione pendente, dictum episcopum extra episcopatum suum ad locum de sancto Felice diœc. Tolos. coram se personaliter citaverunt, & vix potuit obtinere quod posset per procuratores comparere.

Item, ad diem & locum dictæ citationis procuratores suos religiosos, presbyteros & clericos idem episcopus cum transmisisset, iidem procuratores per dictos dominos & magistros seu mandato ipsorum capti & arrestati fuerunt, & eorum carceribus mancipati.

Item, pro petenda amotione garnisionis prædictæ idem episcopus apud Tolos. personaliter accedere habuit, & ibidem stare continue ad magnos sumptus per XVI dies & ultra, & tamen donec gagiavit emendam super prædictis eidem episcopo & ejus familiæ impositis, licet de ipsis eisdem dominis magistris aliquatenus non constaret, noluerunt facere amovere garnisionem prædictam.

Item, antequam servientes ab eadem garnisione recedere vellent, idem episcopus in magna summa pecuniæ eis satisfacere habuit pro expensis & vadiis eorumdem.

Item, dicta inquisitione pendente, dictus dominus vicedominus ex parte sua & dicti domini archid. ut dicebat, venit de nocte hora tarda circa primum somnum ad domum ecclesiæ cathedralis dicti episcopi, & portas ejusdem domus sibi aperiri mandavit, & magnis ictibus datis in portis ejusdem domus fecit aperiri, & dictum episcopum a somno excitari & a lecto surgere & ad ipsum venire, & ibidem citavit eumdem, & ad diem Mercurii quæ præcesserat dictam noctem quæ fuit XII introitus mensis Julii, usque ad unum mensem, coram domino rege Franciæ personaliter compareret, quam citationem fecit verbo tenus mandato aliquo regio non exhibito nec ostenso, licet de hoc fuisset requisitus cum publico instrumento.

Item, dicta inquisitione & citatione pendentibus, die Veneris proxime sequenti post diem Mercurii prædictam, cum dictus episcopus misisset apud Appamias magistrum Bernardum *Tardivi* presbyterum, camerarium & sigillatorem suum, ac Petrum *Baudrici* clericum & thesaurarium suum, & Pontium *Fabri* vicarium suum & domini comitis Fuxi in temporalibus in civitate Appam. ad dictum dominum vicedominum requirendo, causa invitandi eumdem ad prandium cum dicto domino episcopo, & requirendo ut sibi placeret, ex causa senectutis & infirmitatis dicti domini episcopi, & longitudinis itineris & æstatis, prædictum citationis terminum prorogare, idem dominus vicedominus presbyterum, thesaurarium & vicarium prædictos, causa aliqua non expressa in civitate Appam. prædicta, irrequisitis & invitis dominis episcopo & comite prædictis, ad quos omnimoda jurisdictio dictæ civitatis noscitur pertinere, cepit, & ipsos captos viliter per civitatem Appam. palam & publice apud Tolosam secum adduxit, & postea cepit Tolosæ Raimundum de Benaugis domicellum, & ipsos quatuor ibidem suo carceri mancipavit, & adhuc ipsos tenet captos, ipsorumque aliquos supponit quæstionibus & tormentis adeo durissimis quod brachia ejusdem sunt fracta, & quod desperatur de vita domicelli prædicti, nuncque videlicet post festum B. Jacobi dictos presbyterum, thesaurarium & vicarium de Tolosa extraxerunt, & ipsos ad dominum

regem secum captos adducunt, ut si quæ metu tormentorum deposuerint, non possint nec audeant immutare, quamvis non contineant veritatem, propter minas & duritiam dicti domini vicedomini.

Item, die eadem Veneris capi mandavit & fecit omnia castra, villas & loca, & alia bona temporalia & spiritualia, mobilia & immobilia dicti domini episcopi, & ad cultum divinum spectantia, litteras papales, regias, & instrumenta & scripturas, libros ecclesiasticos & alios, mitram & baculum pastoralem, & multa alia ornamenta pontificalia, & capellam ejusdem domini episcopi, ac omnia vasa argentea & totam pecuniam ipsius ubicunque esset in regno Franciæ, ad manum domini regis prædicti posuerunt; intrantes cameram dicti episcopi & thesaurum ejusdem ac camerarii & sigillatoris sui, & omnes alias cameras & B loca domus ejusdem episcopi, necnon turres ecclesiæ ejusdem loci, aperiendo ostia omnium prædictorum locorum, & etiam armaria, arcas, thecas, cofinos, & scrinia quæcunque, & etiam paleas lectorum tangendo & sublevando ad quærendum seu inveniendum pecuniam & jocalia, seu alia bona episcopi supradicti, & claudendo & consignando omnia bona prædicta, & de ipsis inventarium faciendo & pecuniam numerando & ponderando, & vasa argentea dicti episcopi etiam ad ecclesiam seu capellam spectantia, & litteras seu scripturas secretas, & alias per dominum papam ac dominos cardinales, & alias missas eidem episcopo videndo & legendo, etiam dicto episcopo vel aliquibus de familia non vocatis, & aliquas cedulas seu litteras exinde extrahendo pro suæ libito voluntatis. Quid C plura etiam scripturæ suspectæ vel falsæ insciis seu ignorantibus episcopo vel gentibus suis immisceri potuissent, ad confusionem, vituperium & ignominiam dicti episcopi, inter alias scripturas ejusdem, & tamen nihil suspicionis in prædictis invenerunt.

Item, licet idem episcopus ire disposuisset ad dominum regem prædictum ratione citationis prædictæ, de sua tamen pecunia de mandato dicti domini vicedomini occupata noluit ipse vicedominus seu ejus commissarius dimittere eidem episcopo sufficientem pecuniam, imo eidem abstulit medietatem pecuniæ, una vice & aliis duabus vicibus quingentas libr. turon. quam primo sibi dimiserat & pro itinere supradicto & pro expensis itineris supradicti, ita D quod non remanserunt sibi nisi quingent. libr. nec etiam litteras papales, regias vel alias jus ecclesiæ suæ tangentes, quibus in curia Franciæ indigebat, sibi dimittere seu reddere voluerunt.

Item, dictus dominus vicedominus banniri mandavit & fecit sine aliqua causa omnia debita præfati episcopi ubicunque deberentur ibidem, & prohibuit ne solverentur eidem.

Et prædicta omnia & singula facta sunt, ut publica fama laborat, procurante & ordinante episcopo Tolosano, qui per modos prædictos & modis aliis quibus potest impedit & impedire nititur dictum Appam. episcopum, ne possit ad Romanam curiam proficisci, ad quam disposuerat in proximo arripere iter suum, & propter prædicta oportet ipsum ad curiam Franciæ E accedere pro deliberandis & expediendis familiaribus & bonis suis prædictis, licet jam eadem bona per regales prædictos in parte fuerunt devastata, & ad faciendum quod facere debebit in termino citationis prædictæ, nam nisi aliam securitatem a domino rege habeat, episcopalem pecuniam suam in aliqua parte regni tenere, vel etiam extra regnum secure transferre non potest.

Item, dictus Tolos. episcopus, & Arnaldus de Villario officialis, & alii de familiaribus dicti episcopi Appam. minas inferunt quod si unquam intrent dioec. Tolos. & ipsi eos habere possunt, nunquam exibunt de manibus eorumdem, ex eo quia jus domini episcopi

A Appam. exceptiones excommunicationis & alias fuit ausus proponere contra eumdem episcopum Tolos. & breviter nullus de familia dicti episcopi audet intrare secure dioecesim Tolos. nec etiam comparere coram dominis supradictis propter minas dictorum magistrorum & aliorum prædictorum.

Item, præfatus dominus vicedominus fecit citationem prædictam de facto, cum de jure non posset, cum ipse duntaxat limitatam jurisdictionem a dicto domino rege haberet in senesc. Tolos. & Albien. in qua civitas Appam. ubi citationem fecit prædictam est nunc situata, sed in senesc. Carcass.

Item, alia ratione qua personam ecclesiasticam citavit & personaliter in casu prohibito.

Item, præfatus dominus vicedominus, tempore & hora quibus inquirebat prælibatos invocabat inimicos capitales dicti domini episcopi Appam. & ad eorum instructionem & informationem, & tractatum processit contra dictum dominum episcopum Appam. eorumque bona atque familiam cum quibus pluries & frequenter receperunt convivia tam de die quam de nocte, & ipsos recolligebant & conversationem habebant & adhuc habent domini commissarii prædicti cum eisdem propter quod dicto domino episcopo Appam. merito suspecti cum suis negotiis reputantur.

Item, præfatus dominus vicedominus in majus præjudicium domini Appam. episcopi, atque damnum, litteras patentes quas dictus dominus rex concesserat nomine dicti domini episcopi Appam. domino abbati Mansi-Asilis, de recredendis bonis ecclesiasticis ejusdem domini episcopi quæ fuerunt eidem per eumdem dominum abbatem præsentatæ, penes se retinuit & adhuc retinet, nolens easdem restituere eidem domino abbati, nec contentis in eis obedire, licet de his fuisset cum magna instantia requisitus.

Item, præfatus dominus vicedominus prædicta omnia & singula fecit, ordinavit, domino episcopo Appam. coram ipso non citato, non vocato, nec testibus seu aliis documentis convicto, seu etiam confessato, nec alio juris ordine in aliquo observato. Quare magister Aimericus de Magal. procurator, & procuratoris nomine domini Appam. episcopi prædicti supplicat regiæ majestati & ejusdem consilio, ut prædicta contra ipsum per dominos magistros prædictos acceptata sic de facto revocari faciat, & reduci ad statum debitum & pristinum, & omnino eosdem corrigat, taliter quod damnum passis & reipublicæ succurratur, & cum prædicta per ipsos magistros commissa contra episcopum Appam. sint notoria ut notoria, & quod nulla possunt tergiversatione celari, quæ si negata existant per ipsos, petit informationem de novo fieri per aliquam personam de moribus & scientia imbutam, eidem domino episcopo Appam. supradicta restitutione primitus facta de his quæ sibi sunt capta & bannita per eosdem, ne spoliatus suæ causæ cognitione causidicat.

X X.

Bulla Bonifacii papæ VIII qua mandat archiepiscopo Narbonensi & Biterrensi ac Magalonensi episcopis, ut inquirant de criminationibus episcopo Appam. illatis.

BONIFACIUS episcopus servus servorum Dei, 1301. venerabilibus fratribus archiepiscopo Narbon. & Biterren. ac Magalonen. episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Nuper non sine gravi mentis amaricatione percepimus quod venerabilis frater noster B. episcopus Appamiarum, extra limites discretionis egressus & insanæ mentis effectus, pontificali decentia

prætermissa, contra carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francorum illustrem diversimode ad gravem prorupit insaniam, prout in diversis articulis quorum tenor infra describitur, plenius continetur. Nos igitur ex hoc non inmerito provocati, ac ex eo potissimum quod idem episcopus, si relatis veritas suffragetur, irruere non metuit in tanti principis læsionem, ac scire volentes super his plenariam veritatem, de vestra quoque diligentia & circonspectione plenarie confidentes fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eodem episcopo ab omni potestate seu custodia sæculari plenarie liberato, & ab omnibus bonis ejus & ecclesiæ Appam. mobilibus & immobilibus seque moventibus manu dicti regis & suorum prorsus amota, tu frater archiepiscope ipsum episcopum Appamiarum, autoritate nostra, per te ac tuos nomine nostro & ecclesiæ Romanæ sub fida custodia diligenter custodire procures. Vos autem vel duo vestrum, si omnes ad id commode interesse non poteritis, super contentis in articulis prælibatis, & eorum circumstanciis ac ad ea pertinentibus, infra trium mensium spatium a receptione præsentium, summarie de plano sine strepitu & figura judicii, plena tamen & libera defensione dicto episcopo reservata, ex officio nostro a fide dignis personis de quibus expedire videritis, studeatis inquirere diligentius veritatem, etiam si super hoc contingeret prædictum Bernardum episcopum ad sedem apostolicam appellare, cujus appellationi seu appellationibus deferri nolumus in hac parte, si vero idem B. episcopus hujusmodi personas quas in inquisitione hujusmodi examinari contigerit, vel earum dicta voluerit reprobare, testes qui super reprobatione hujusmodi producti fuerint infra unum mensem, prædictos tres menses immediate sequentem, prudenter recipere ac diligenter examinare curetis, depositiones omnium hujusmodi personarum & testium fideliter in scriptis redactas, una cum præsentibus litteris sub vestris inclusas sigillis, ad nostram præsentiam quantocius transmissuri ac significaturi nobis quæ & quanta sit fides hujusmodi personis testibus & depositionibus adhibenda; tuque archiepiscope, prælibatum episcopum Appam. tunc ad præsentiam nostram sub fida custodia destinare procures; quod si etiam duo vestrum legitimo forsan impedimento detenti executioni inquisitionis, examinationis & remissionis hujusmodi non potueritis interesse, reliquus illas & quæ dependent ab ipsis fideliter & diligenter exequatur, testes quos super inquisitione ac reprobatione prædictis vocari contigerit seu produci cogendo ad perhibendum testimonium veritati, & contradictores si qui in præmissis fuerint vel rebelles autoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, sive quod eidem regi & tibi archiepiscope scripsimus per alias nostras sub certa forma litteras super amovenda custodia ab eodem B. episcopo, & liberatione ipsius ac permissione libera ad nostram præsentiam veniendi. Tenor autem prædictorum articulorum talis est.

In primis asseritur quod idem episcopus Appam. in injuriam & blasphemiam dicti regis prorumpens, dixit non solum semel & secundo, sed pluries, diversis locis & temporibus, coram multis personis ecclesiasticis & secularibus, nobilibus & ignobilibus, quod S. Ludovicus avus dicti regis, olim dum viveret, dixerat eidem episcopo tunc abbati Appam. quod temporibus ipsius Philippi regis debebat Franciæ regnum destrui, ac idem rex & sui debebant perdere regnum ipsum, & quod dictum regnum debebat ad alios devenire, nullatenus ad ipsum Philippum

A regem & suos ulterius reversurum. Item, quod idem episcopus multoties dixit quod dictus Philippus rex nihil omnino valebat. Item, quod ipse rex non erat de genere claræ memoriæ Caroli magni regis Francorum. Item, quod nec de recto genere regum Franciæ. Item, quod nec homo nec bestia, sed imago. Item, quod nihil omnino sciebat nisi respicere homines. Item, quod non erat dignus tenere regnum Franciæ, quia regnum ipsum regere nesciebat. Item, quod tota curia Franciæ, intus & extra, huc & illuc, erat falsa, corrupta & infidelis, neminem excipiendo, & quod idem rex erat eodem modo. Item, quod omnes Gallici inimicabantur linguæ Tolos. & quod nunquam fecerant Tolosanis bonum, sed semper malum, & quod auferebant eis quidquid habebant,
B & quod dictus rex faciebat eodem modo. Item, quod dictus rex fabricabat seu fabricari faciebat falsam monetam & erat falsator monetæ. Item, quod moneta quam fabricari faciebat, erat falsa & sine lege, nec poterat esse falsior, & quod falsus erat qui fabricari faciebat eamdem. Item, quod idem rex erat de spuriis & bastardis. Item, quod idem episcopus Appam. dixit pluries quod civitas Appam. non erat in regno Franciæ nec de ipso regno, & quod idem rex in ea nihil omnino habebat. Item, quod idem episcopus pluries dixit & præcepit gentibus suis, & cum gentibus comitis Fuxi tractatum habuit, quod gentibus dicti regis volentibus in ipsa civitate justitiam aliquam exercere, resisteretur manualiter & de facto. Item, quod idem episcopus tanquam sceleratissimus
C diminutionem, blasphemiam & vituperium dicti regis & honoris regii, ac subversionem ipsorum regis & regni voluit & consensit, ac ea proditionaliter tractavit, quantum potuit & in eo fuit, iniendo scelestam factionem per se & per alios fraudulosis machinationibus & dolosis cum multis nobilibus & potentibus, & diversimode tractando, & eis promissiones multas & diversas ut ad proditionem consentirent, faciendo, ea quantum potuit & in se fuit ad effectum perducens. Primo videlicet tractavit quantum in eo fuit proditionem contra ipsum regem cum comite Fuxi, tempore quo erat guerra in Gasconia inter regem eumdem & regem Angliæ, promittendo dicto comiti & aliis pro eo, quod si dictus comes vellet facere pacem cum dicto episcopo & conjurare cum ipso, idem episcopus
D dictum comitem faceret dominum totius terræ Tolos. Item, quod dictus episcopus promisit ipsi comiti, quod si confœderationem vellet facere cum eodem, episcopus ipsi procuraret quod omnes Tolosani jurarent ei fidelitatem ac ipsum reciperent in dominum suum, & tunc iidem episcopus & comes possent expellere de facili omnes Gallicos de patria Tolosana & illam acquirere totam sibi. Item, promittebat & dicebat idem episcopus ipsi comiti quod hæc faceret per amicos suos quos habebat in Tolosa de suo genere potentiores & nobiliores de tota ipsa civitate, sicut dicebat. Item promittebat & asserebat dicto comiti, quod omnes gentes de terra Tolosana ipsum comitem libenter reciperent in dominum suum, & ipsum juvarent in occupationem dictæ terræ, quia non diligebant dictum regem nec Gallicos, & quia
E dicti rex & Gallici nunquam fecerant bonum ipsi episcopo, sed semper malum, & similiter dicto comiti, & quod hoc idem comes bene sentiret, videret atque perciperet, si esset Vasconiæ guerra finita. Item, quod idem episcopus tractavit cum dicto comite, ac quantum potuit induxit eumdem ut rescenderet vel non faceret matrimonium de filio suo cum filia quondam Philippi primogeniti nobilis viri Roberti comitis Atrebat. sed quod faceret matrimonium de dicto filio suo cum filia regis Aragoniæ, ut ipsum Aragon. regem & suos adjutores haberet in occupatione & captione dictæ terræ Tolos. Item, quod dictus episcopus dicebat dicto comiti, quod in Gallicis nunquam inveniret fidelitatem, & quod

dicto matrimonio celebrato de filia præfati Philippi, nihil appretiarent eum, asserens etiam quod omnes de domo dicti regis Aragon. semper dilexerant ipsum comitem Fuxi & suos. Item, quod idem episcopus obtulit & promisit dicto comiti ire ad regem Aragonum suis propriis sumptibus & expensis, pro dicto matrimonio procurando inter filium ejusdem comitis & filiam præfati regis Arag. & pro pace reformanda inter eosdem, asserens quod idem rex Aragonum erat suus intimus & magnus amicus. Item, quod idem episcopus tractavit cum dicto comite Fuxi, & quantum potuit induxit eumdem ut faceret pacem cum comitibus Armaniaci & Convenarum, ut haberet eos adjutores in occupatione terræ Tol. dicens quod ipsi comites colligati, uniti & conjuncti invicem, ac hujusmodi matrimonio de filio suo & filia prædicti regis Arag. celebrato, & cum mala voluntate gentium dictæ terræ Tol. quam habebant erga prædictum regem Franciæ, terram ipsam de facili poterant occupare. Item, quod tractavit dictus episcopus per ejus litteras atque nuncium cum comite Convenarum, & quantum potuit induxit eumdem ut esset adversarius, hostis & inimicus prædicti regis Franciæ, promittendo ipsi comiti quod gentes de Tolosa libenter reciperent eum in dominum suum, quia erat de recta linea comitis Tolos. & illa de causa gentes dictæ terræ diligebant ipsum, & eum præ omnibus in dominum vellent habere. Item, quod volebat & tractabat dictus episcopus quod idem comes Convenarum conjuraret cum eo, & promittebat sibi quod amici sui de Tolosa & de genere suo jurarent fidelitatem ipsi comiti. Item, quod dictus episcopus tractavit cum eodem comite quod episcopus Tolosanus expelleretur de episcopatu Tolos. ut magis de facili per ipsum comitem dicta terra Tolos. capi & occupari valeret. Item, quod idem episcopus misit quamdam litteram ipsi comiti quæ dirigebatur nobis, in qua multa & diversa mendacia inseruit contra eumdem episcopum Tolos. & etiam idem episcopus Appam. suggessit ipsi comiti quod consimiles litteras idem comes a suis universitatibus procuraret, & faceret fieri sigilla ab universitatibus ipsis quantumcunque essent modicæ, quibus sigillis dictæ literæ sigillarentur & dirigerentur nobis, & significavit ipsi comiti quod consimilem litteram habebat idem a consulibus & universitate Tolos. & multis aliis fraudulosis machinationibus & dolosis tractavit ad amovendum dictum episcopum Tolos. dicti regis Franciæ devotum & fidelem. Item, quod idem episcopus Appam. significavit ipsi comiti Convenarum quod omnino volebat ut pax fieret inter ipsum & comitem Armaniaci ex parte una, & comitem Fuxi ex altera, ut facta hujusmodi pace, & amoto prædicto episcopo Tolos. ipsi possent facere voluntatem suam de tota terra Tolos. & ibi totaliter dominari. Item, quod idem episcopus significavit ipsi comiti Convenarum, suadendo ei ut haberet bonum cor & nobile, & quod omnia succederent sibi ad votum, asserens prædicta sic concepta & tractata posse fieri de facili, quia prædictus rex Franciæ nihil omnino valebat, & misit ipsi comiti unum computum de ave, recitando quomodo aves elegerunt quamdam avem vocatam *Duc*, & est avis pulchrior & major inter omnes aves, & accidit semel quod pica conquesta fuit de accipitre dicto *Duc* regi, qui congregatis avibus nihil dixit, nisi quod flavit, & idem esse de prædicto rege Franciæ dicebat idem episcopus, quia ipse erat pulchrior homo de mundo, & tamen nihil sciebat nisi respicere homines. Significavit etiam sibi quod tempore dicti regis Franciæ qui nunc est, regnum Franciæ finiretur, & quod idem episcopus hæc audiverat recitari pluries a sancto Ludovico. Item, quod prædicta omnia vel pro majori parte idem episcopus Appam. cogitavit, dixit, tractavit, & in quantum in eo fuit, perfecit durante guerra Vasconiæ inter dictum regem Franciæ ac regem Angliæ, ad illum finem & cum illa intentione ut homines ad proditionem citius moverentur & concitarentur contra regem Franciæ prælibatum, & ad subversionem totius regni Franciæ supradicti, & ad diminutionem honoris & juris regii, prout superius est expressum. Item, quod de prædictis omnibus & singulis est in partibus Tolos. & in regno Franciæ publica vox & fama. Datum Laterani idibus Januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXI.

Mandatum episcopi Rivensis de immitendo Johanne de Pinibus in possessionem episcopatus Appam.

GASPAR de Montepesato miseratione divina & sanctæ sedis apostolicæ gratia Rivensis episcopus, abbasque inclyti monasterii B. Mariæ de Scalla-Dei, Cisterciensis ordinis, judex delegatus in hac parte per sanctissimum dominum nostrum papam Leonem decimum, deputatus cum certis aliis nostris collegis, cum clausula: *quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, &c.* dilecto nostro magistro Bernardo de Joculatore jurium professori, archidiacono & canonico ecclesiæ nostræ Rivensis, ac vicario & officiali nostro in eadem nostra diœcesi Rivensi, salutem. Cum die datæ præsentium pro parte reverendi in Christo patris & domini domini fratris nostri Johannis de Pinibus episcopi Appamiarum, nobis in dicto nostro monasterio Scallæ-Dei fuerint exhibitæ & præsentatæ quædam litteræ apostolicæ a dicto summo pontifice seu ejus curia Romana pro parte ipsius de Pinibus obtentæ, datæ Romæ apud sanctum Petrum, sexto calendas Januarii, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vicesimo, sui pontificatus anno octavo, mentionem facientes inter alia de nos transportando apud ecclesiam cathedralem Appamiarum & episcopatum ejusdem, causa ipsum mittendi, seu ejus procuratorem ejus nomine, & apponendi in possessionem veram, realem & actualem dicti episcopatus & fructuum ejusdem, cum certis aliis clausulis in eisdem ac aliis . . . . inseri omissis, & quia pluribus occupatus negotiis tam circa dictum nostrum monasterium quam aliis, nequivimus attendere, neque procedere circa delegationem & commissionem nostram: certificati ad plenum de vestris scientia, experientia, legalitate & morum honestate, vos in locum nostri auctoritate qua fungimur in hac parte subdelegavimus atque subrogavimus, & per præsentes subdelegamus atque subrogamus, dantes vobis tantam & similem potestatem, quanta & qualis nobis in hac parte data & attributa extitit, mandantes universis presbyteris, clericis, personis ecclesiasticis, quotiens per vos fuerint requisiti sub pœna excommunicationis quam sub verbo ferimus in hiis supradictis, ut vobis pareant in præmissis tanquam nobis. Datum apud monasterium nostrum Scallæ-Dei, sub signo & sigillo nostris, die sexta mensis Maii, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo primo. De dicti domini mei mandato, *Liquery*. 1521.

XXII.

Epistola Baronii ad Henricum Spondanum.

ADMODUM reverendo domino D. Henrico Spondano, Cæsar tit. sanctorum martyrum Nerei & Achillei presbyter cardinalis Baronius. Quod de annalium nostrorum epitome, opera & studio tuo elaborata significasti, non gratum mihi acceptumque esse non potuit; etsi enim revera totum hoc breviandi genus probare vix solemus, rarumque fit ut ex animi sententia lectoribus procedat, ea tamen de prudentia, fide ac diligentia tua nostra est fiducia ut quod abs te profectum sit, id omnibus placere 1606.

posse arbitremur. Quare quod ad epitomes tuæ editionem spectat, ne mora sit sedis apostolicæ decretum quo cautum est, ne quid ejusmodi nisi permissu nostro exeat in lucem, plenam tibi liberamque potestatem damus, ejusque indices ac testes has litteras esse volumus. Vale Romæ pridie calend. Septembris M. DCVI, uti frater amantissimus Cæsar cardinalis Baronius.

XXIII.

Spondano gratulatur de reditu ad suam diœcesim Urbanus papa.

1628. URBANUS papa VIII. Venerabilis frater, salutem & apostolicam benedictionem. Qui paterni amoris commiseratione fraternitatem tuam prosequebamur extorrem, atque impiorum furore agitatam, nunc ingenti lætitia te comitamur ad sacræ tuæ sponsæ amplexus revertentem. Nos dum civitas Appamiensis exultat sui præsulis aspectu, misericordiarum Domino gratias agemus, qui tuum reditum insigni hæreticorum clade voluit illustrare. Sane exoptatissimo gaudio pontificias sollicitudines cumulavit numerus ille resipiscentium, quo fidelem gregem auctum esse nunciarunt fraternitatis tuæ litteræ. Pastorem sempiternum nos enixe semper rogabimus ut vota & conatus tuæ pietatis juvet, tibique benedictionem nostram peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die XXVI Maii M. DCXXVIII, anno pontificatus nostri quinto. Joannes Ciampolus.

XXIV.

Breve officiosum Urbani VIII ad Spondanum.

VENERABILI fratri Henrico episcopo Appamiensi, Urbanus papa VIII. Venerabilis frater, salutem & apostolicam benedictionem. Conciliaverant jam pridem fraternitati tuæ existimationem simulque benevolentiam nostram lucubrationes, quæ cum omnium manibus terantur, præclaram tibi famam pepererunt. Paternæ autem erga te caritatis nostræ cumulus adjectus est, cum recens a te editum volumen acceperimus, quod non sine pietatis tuæ significatione nobis & apostolicæ sedi dicatum voluisti. In eo historiam e sacris petitam monumentis cum diligentissime prosequaris, speramus fore ut inde par voluptati utilitas percipiatur. Nos quamvis in ejus lectione diu immorari hactenus non potuerimus, ubi per negotia licuerit, eruditum opus libenter percurremus. Interim hasce literas non minus propensæ erga te voluntatis nostræ, quam virtutum tuarum testes extare volumus, quibus & felicitatis affluentiam ab Altissimo bonorum largitore fraternitati tuæ postulamus, & pontificiam benedictionem ex animo impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem, sub annulo Piscatoris, die IX Julii M. DCXXXIX, pontificatus nostri XVI.

XXV.

Bulla secularisationis capituli ecclesiæ Appamiarum.

1745. BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei: dilecto filio officiali venerabilis fratris nostri episcopi Appamiarum, salutem & apostolicam benedictionem. Inter innumeras quas, ex debito pontificii muneris nobis divinitus crediti, incessanter suscipimus curas, in illam peculiaribus studiis intendimus, per quam ecclesiarum, præsertim cathedralium, dignitas, amotis quibuscumque dissonantiis, magis refulgeat, illique inservientes personæ moribus atque institutis conformes, ad ministeria Dei, in quorum sortem vocati existunt, probe exequenda, aptiores reddantur; A quare si in una eademque ecclesia, ex viris ejus inibi clerum constituentibus, alios regulare aliquod institutum, illius tamen præscriptionibus minus rite servatis profiteri, alios vero ecclesiasticum tantum, absque præcipuæ obligationis assumptione, disciplinam sequi comperiamus, omnes ad concordem vivendi rationem reducere non dubitamus, aliaque salubriter præcipimus quæ ad Divini cultus amplitudinem opportune conferre putamus, idque libentius efficimus, si præclarissimis regibus pergratum esse dignoscamus.

Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum capituli & canonicorum ecclesiæ Appamiarum, petitio continebat, quod in dicta ecclesia Appamiarum alias de anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, seu alio B veriori tempore per felicis recordationis Bonifacium PP. octavum prædecessorem nostrum apostolica auctoritate erecta & fundata, ac episcopali cathedra decorata, & in ea archidiaconatus magnus nuncupatus, inibi post pontificalem major existens, ac archipresbyteratus & thesaurariatus seu sacristia, ac cantoratus etiam inibi respective dignitates, & duodecim canonicatus, totidemque præbendæ, ac quatuor personatus, videlicet infirmaria, eleemosynaria, prioratus de *Rieveros* & prioratus d'*Arbignac* respective nuncupati, ordinis sancti Augustini canonicorum regularium, necnon duodecim semi-præbendæ clericis seu presbyteris secularibus præbendariis nuncupatis debitæ, respective fundati & fundatæ reperiantur, propter eaque clerus dictæ ecclesiæ promiscue regu- C laris & secularis existat, canonici vero regulares dicti ordinis ad dignitates ac canonicatus & præbendas, ac personatus hujusmodi, dum illi & illæ pro tempore vacant, ex quacumque congregatione regulari dicti ordinis regni Galliarum assumantur, illique sic assumpti, fructus, redditus & proventus, ratione canonicatuum videlicet & præbendarum hujusmodi, a mensa communi capitulari, ratione vero dignitatum & personatuum hujusmodi a propriis & distinctis bonis, quæ eisdem dignitatibus & personatibus applicata existunt, respective percipientes, libere & in usus sibi benevisos convertant, & insimul ac in communione minime viventes, minusque mores, disciplinam ac vivendi rationem regulares servantes, in privatis domibus ac seorsim commorantur, ac nullum pro probatione exequenda, & pro professione regu- D lari emittenda, atque pro studiis certa methodo peragendis, tempus præfixum habeant, tunicam insuper interius lineam admodum brevem, & exterius togam nigram more clericorum secularium deferentes, in aspectu ab eisdem clericis secularibus non discernantur, immo illis penitus, etiam in victu, cæremoniis ecclesiasticis & cantu se conformantes etiam in choro & ubique locorum, prorsus clerici seculares videantur & reputentur, & nil aliud regularitatis, nisi purum & nudum nomen in se ipsis retineant & præferant.

Cumque dudum venerabilis frater noster modernus episcopus Appamiarum, ac capitulum & canonici ecclesiæ hujusmodi, quin immo etiam ipse charissimus in Christo filius noster Ludovicus Fran- E corum & Navarræ rex Christianissimus, per suas peculiares litteras nobis, sub die vigesima mensis Maii anni Domini millesimi septingentesimi quadragesimi-secundi datas, respective demissas preces super præmissis nobis detulerint, ac pro deformitate & dissonantia ut supra insurgentibus, ab eadem ecclesia amovendis & eliminandis, plurimum coram nobis institerint, propterea que nos easdem preces, ad dictæ ecclesiæ feliciorem directionem, atque personarum divina inibi peragentium morum congruentiam, & similitudinem firmiter stabiliendam, directas esse comperientes, illas, ut maturius, prout convenire putabatur, res ipsa perpenderetur, ad congregationem particularem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E.

cardinalium rebus consistorialibus præpositam remiserimus; congregatio autem particularis præfata negotium hujusmodi diligenter, & debita cum maturitate examinans, dictæque instantiæ adhærendum esse existimans, sub die 25 mensis Novembris anni Domini 1743, votum suum favorabiliter ediderit.

Et si, sicut eadem petitio subjungebat, dignitates ac canonicatus & præbendæ, ac personatus hujusmodi, necnon omnia & singula beneficia, ac loca regularia in dicta ecclesia quomodolibet existentia, ac membra, pertinentia & dependentia quæcumque, ac res, bona, proprietates, jura & actiones universæ quomodocumque & undecumque provenientia, necnon canonici regulares dicti ordinis dignitates, canonicatus & præbendas, ac personatus hujusmodi, necnon beneficia & loca præfata, si illa, ut præfertur, inibi existant, nunc quomodolibet obtinentes, in præfata ecclesia vel ubicumque degentes, ab eadem tamen ecclesia illiusque capitulo præfato dependentes, ad secularem statum, ut infra, reducerentur, aliaque infra scripta per nos fierent, concederentur & præscriberentur, ex hoc profecto deformitas & dissonantia hujusmodi ab ecclesia illiusque choro præfatis amoverentur, & earum loco in ecclesiasticis personis uni eidemque ecclesiæ ministrantibus morum, etiam quoad vestium delationem, similitudo, conjunctio atque concordia infererentur & inducerentur.

Quare pro parte dicti Ludovici regis, ac episcopi & capituli, ac canonicorum præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus felici & prospero dictæ ecclesiæ, illiusque capituli & canonicorum, necnon universi cleri ejusdem ecclesiæ hujusmodi successui in præmissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur eundem Ludovicum regem ac Modernum episcopum, necnon capitulum & canonicos ecclesiæ hujusmodi specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eosdemque capitulum & canonicos dictæ ecclesiæ, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac erectionis dictæ ecclesiæ Appamiarum per præfatum Bonifacium prædecessorem, ut præfertur, factæ, & alia jura quæcumque præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus.

Quatenus, vocatis qui fuerint ad id evocandi, in dicta ecclesia Appamiarum, illiusque capitulo præfato, ac in ea quatuor dignitatum & duodecim canonicatuum, totidemque præbendarum, ac quatuor personatuum hujusmodi, ac omnium & singulorum beneficiorum, officiorum & locorum regularium inibi forsan existentium, nomen, titulum, denominationem, essentiam & naturam regulares, ac omnes respective statum, dependentiam & instituta regularia dicti ordinis canonicorum regularium S. Augustini, auctoritate nostra, sine alicujus præjudicio, perpetuo supprimas & extinguas.

Ac dictam ecclesiam Appamiarum, illiusque capitulum, ac dignitates, canonicatus & præbendas, personatus hujusmodi, necnon beneficia, officia & loca regularia forsan inibi existentia præfata ac omnes & singulos canonicos regulares dicti ordinis, necnon dignitates, canonicatus & præbendas, ac forsan inibi, ut præfertur, existentia beneficia, officia & loca regularia hujusmodi, ad præsens, & tempore executionis præsentium, respective obtinentes, ad statum secularem cum privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, præeminentiis, prærogativis,

A honoribus, facultatibus, indultis, & aliis gratiis quibuscumque, tam spiritualibus quam temporalibus & mixtis, dictæ ecclesiæ illiusque capitulo, dignitatibus, canonicatibus & præbendis, ac personatibus, necnon inibi forsan existentibus beneficiis, officiis & locis regularibus præfatis, dictæque ecclesiæ mensæ capitulari hujusmodi, necnon canonicis regularibus quibuscumque inibi quomodolibet beneficiatis, apostolica præfata vel alia quavis auctoritate hactenus quomodolibet concessis & elargitis, ac etiam de jure, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet competentibus, quoad ea tamen quæ sunt in usu, & revocata non existunt, nec sub aliqua revocatione comprehensa, ac sacris canonibus, constitutionibus apostolicis & concilii Tridentini decretis,

B seu statui seculari & ordinationibus per nos, ut infra, præscribendis non repugnent; ac unionibus de quibusvis prioratibus, non tamen conventualibus & beneficiis ecclesiasticis, etiam curam animarum annexam habentibus, si quæ sint, & applicationibus quorumcumque fructuum, redditRuum & proventuum, necnon bonorum, jurium, proprietatum & actionum quarumcumque, ad illorum respective favorem & commodum, alias tamen canonice factis, necnon decimis, laudemiis, censibus, recognitionibus, servitutibus, livellis, possessionibus, proprietatibus, legatis, donationibus, juribus, rebus & bonis ad illos legitime spectantibus, & quæ in futurum quomodolibet spectare poterunt, & per sedem apostolicam, illiusque legatos & nuncios, aut imperatores, reges, reginas,

C & alios utriusque sexus Christi fideles quoscumque, etiam intuitu & contemplatione religionis seu status regularis, & quamdiu illa seu ille inibi vigeret, concessis, donatis, relictis, erogatis & elargitis, necnon recognitionibus, pensionibus & responsionibus annuis, tam in pane, vino, pecuniis, granis, frugibus, frumentis, leguminibus, fructibus esculentis & poculentis, quam aliis quibuscumque rebus consistentibus, illis conjunctim & unicuique eorum debitis, in omnibus, & per omnia perinde ac si status regularis hujusmodi minime immutatus foret, salvis, firmis & illæsis remanentibus, dicta auctoritate nostra etiam perpetuo reducas & immutes.

Nos enim, si suppressionem, extinctionem, reductionem & immutationem præfatas per te vigore earumdem præsentium fieri contigerit, ut præfertur,

D omnes & singulos præfati ordinis canonicos regulares, eumdem ordinem inibi tacite vel expresse professos, seu ad ordinem præfatum forsan canonice translatos, qui earumdem præsentium executionis tempore in possessione ipsius ecclesiæ, ac quatuor dignitatum & duodecim canonicatuum, totidemque præbendarum, ac quatuor personatuum, necnon forsan inibi existentium beneficiorum, officiorum & locorum regularium, existere reperti fuerint, in eadem possessione, absque obligatione sumendi a nobis & sede apostolica præfata novam beneficiorum per eos respective, ut præfertur, obtentorum provisionem, remanentes, ab omni & quacumque observantia & vinculo observantiæ constitutionum, ordinationum, definitionum, institutionum, statutorum & consue-

E tudinum regularium præfati ordinis, ac a quacumque votorum per eos emissorum obligatione, castitatis voto duntaxat excepto, necnon ab omni regula ejusdem ordinis, ita quod deinceps habitum regularem deferre, seu aliquod signum aut indumentum, etiam occultum, regularitatem indicans, gestare aut gerere, vel constitutiones, ritus, mores & statuta præfati ordinis, etiam quoad victum, jejuniorum observantiam, seu liberam abstinentiam, aut quævis alia ad quæ virtute regulæ seu professionis ab eis emissæ respective tenentur, observare minime teneantur, sed in habitu, tonsura, incessu, victu, moribus & divinorum celebratione clericis & presbyteris mere secularibus, ubique libere & licite, & absque alicujus

transgressionis, apostasiæ, inhabilitatis & infamiæ nota, ac censurarum vel aliarum pœnarum, etiam per regulas & instituta dicti ordinis inflictarum, incursu, se conformare valeant & teneantur, ac de cætero vere seculares existant, ac pro talibus ubicunque habeantur & reputentur, apostolica auctoritate præfata, earumdem tenore præsentium absolvimus & totaliter liberamus.

Ac eisdem canonicis regularibus, ordinem præfatum professis, seu etiam illum nondum professis, seu ad eumdem ordinem, ut præfertur, translatis, in præfata ecclesia quatuor dignitates & duodecim canonicatus, totidemque præbendas & quatuor personatus, necnon forsan inibi existentia beneficia, officia & loca regularia hujusmodi tempore executionis earumdem præsentium obtinentibus, ut ipsi & quilibet eorum, ad instar clericorum seu presbyterorum secularium, quæcumque & qualiacumque cum cura & sine cura dicti & aliorum ordinum regularia in commendam, etiam monasteria & prioratus conventuales & electivos, secularia vero beneficia in titulum, etiamsi canonicatus & præbendas, dignitates etiam majores & principales personatus, administrationes & officia etiam curata & electiva, in cathedralibus, metropolitanis, collegiatis aliisque ecclesiis, seu si parochiales ecclesiæ vel earum perpetuæ vicariæ fuerint, si eis alias canonice conferantur aut ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa & instituantur in eisdem recipere, & dummodo plura simul non sint, quam quæ a concilii Tridentini præfati decretis permittuntur, quoad vixerint, & quilibet eorum respective vixerit, retinere & acquirere, necnon quascumque pensiones annuas super similium vel dissimilium beneficiorum ecclesiasticorum fructibus, redditibus & proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis, apostolica eis auctoritate præfata reservandas, etiam quoad vixerint, & quilibet eorum respective vixerit, percipere, exigere, levare, ac in eorum respective usus & utilitatem convertere, necnon quæcumque beneficia ecclesiastica quæ nunc quomodolibet canonice respective obtinent, aut in quibus vel ad quæ jus eis & eorum cuilibet quomodolibet competere poterit, quæque, tam a dicto capitulo, quam a quibuscumque aliis monasteriis & prioratibus quomodolibet dependent, ut prius, etiam post eorum secularisationem hujusmodi, quoad vixerint, & quilibet eorum respective vixerit, absque novis sibi desuper faciendis provisionibus seu commendis, retinere, necnon quascumque pensiones annuas super similium vel dissimilium beneficiorum fructibus, redditibus & proventibus, quas nunc etiam quomodolibet canonice percipiunt, ut prius, etiam post eorum secularisationem præfatam, absque novis sibi desuper faciendis reservationibus, similiter percipere respective, libere & licite valeant, ac tam de redditibus seu assignamentis annuis per eos ad præsens percipi solitis, quam de eorum propriis bonis, post secularisationem hujusmodi, de novo acquirendis, in cujuscumque personæ eis benevisæ, de jure tamen capacis, favorem & commodum, libere & licite testari seu alias disponere, dummodo tamen non sint bona & jura ante secularisationem aliis delata aut acquisita, & non sint comprehensa in renunciationibus ante professionem per eos emissam præfatam, legitime factis, & ne familiarum turbetur concordia, absque eo quod legitimam, seu quidquam aliud, ex bonis ad eorum respective parentes, propter professionis hujusmodi emissionem, devolutis, prætendere valeant, eadem apostolica auctoritate concedimus & indulgemus.

Et insuper, ne dictæ ecclesiæ, in illius clero præfato, ac divinorum officiorum celebratione, ullum in posterum præjudicium irrogetur, quod, postquam dignitatum, ac canonicatuum & præbendarum, personatuum, & forsan inibi existentium beneficiorum, officiorum & locorum regularium hujusmodi status & essentia regularis, ut præfertur, suppressa & extincta, illaque omnia & singula ad secularem statum, ut præfertur, redacta fuerint, de cætero, perpetuis futuris temporibus, in eadem ecclesia, prout antea, quatuor dignitates in theologia vel jure canonico graduatis, gradu tamen hujusmodi in aliqua approbata universitate studii generalis insignitis, conferendæ, & duodecim canonicatus, totidemque præbendæ, ac quatuor personatus & duodecim semi-præbendæ, præservata, ac salva & illæsa, ut præfertur, remanente illorum omnium & singulorum possessione eisdem personis quæ tempore executionis earumdem præsentium ea gaudere repertæ fuerint, persistant; quodque dignitates & personatus hujusmodi earum & eorum antiquam denominationem respective retinentes, ex dignitatibus archidiaconatus magnus nuncupatus post pontificalem major, pro uno ex duodecim dictæ ecclesiæ actu existentibus canonicis, & in ætate ad se promovendum infra annum, a die adeptæ per eum de illo possessionis decurrendum, ad sacrum presbyteratus ordinem capaci constituto; archipresbyteratus vero secunda, & thesauraria vel sacristia tertia, & cantoratus quarta inibi dignitates existant, illæque obtineri valeant absque dispensatione apostolica cum dictis canonicatibus & præbendis, & ab aliis quam ab actu canonicis, ac etiam extra capitulum dictæ ecclesiæ existentibus, in ætate tamen ad se promovendum, infra annum, a die adeptæ per eos illarum possessionis, computandum, ad sacrum diaconatus ordinem capaci constitutis; ita ut si de majori actu presbyter, aut de secunda, & tertia & quarta dignitatibus præfatis respective provisi actu diaconi non existentes, de majori videlicet, ad presbyteratus, & de secunda, tertia & quarta, dignitatibus provisi hujusmodi, ad diaconatus sacros ordines præfatos infra annum respective, ut præfertur, decurrendum, se promoveri neglexerint, ipso facto & absque ulla monitione canonica de dictis quatuor dignitatibus respective privati remaneant, dictæque dignitates, uti vere vacantes, aliis personis, ut præfertur, qualificatis, conferri valeant & debeant: Quatuor autem dignitates & duodecim canonicatus, totidemque præbendas hujusmodi obtinentes, apud dictam ecclesiam, ut, infra, personaliter residere debentes, quoad tamen dignitates obtinentes, nulla alia perpetua beneficia ecclesiastica residentiam requirentia extra civitatem Appamiarum retinere valeant.

Canonicatus vero & theologalis nuncupata præbenda præfati, quotiescumque illæ & illa in posterum vacaverint, conferri nequeant nisi clerico seu presbytero, juxta concordata dudum inter sedem apostolicam præfatam, & claræ memoriæ Franciscum primum tunc, dum viveret, eorumdem Francorum regem Christianissimum, inita, debite qualificato.

Porro quatuor dignitates præfatas pro tempore quomodolibet obtinentes ubicumque & quandocumque canonicis dictæ ecclesiæ præcedant, congressibus tamen capitularibus ordinariis actu existentes canonici dictæ ecclesiæ tantum interveniant, ad eosdem autem congressus admittantur ejusdem ecclesiæ præbendarii per eorum deputatum, absque voto deliberativo, quotiescumque de rebus cum canonicis & præbendariis communibus agatur; extraordinariis vero congressibus, etiam quatuor dignitates præfatas obtinentes canonicis ejusdem ecclesiæ præcedentes interveniant: Attamen easdem quatuor dignitates obtinentes præfati, ac dictæ ecclesiæ canonici & præbendarii, ac in ea quomodolibet beneficiati & capellani, ac quicumque ejusdem ecclesiæ officiales pro tempore existentes, jurisdictioni, visitationi, correctioni & auctoritati nunc & pro tempore existentis episcopi Appamiarum subjaceant: Idem autem nunc & pro tempore existens episcopus Appamiarum, congressibus capitularibus ordinariis præfatis, in quibus de bonis mensæ capitularis præfatæ, aut de ejus

ejus rebus tantum agetur, non interveniat; adsit tamen & præsit, cum voce, voto & suffragio præponderanti, ubi tractentur res tam episcopo quam capitulo præfatis communes, aut diœcesim Appamiarum concernentes, quo casu præfatas quatuor dignitates pro tempore obtinentes præfati & canonici dictæ ecclesiæ, sub mulcta, per eumdem episcopum Appamiarum pro tempore existentem, arbitranda intervenire teneantur.

Verum ex universis fructibus, redditibus & proventibus dictæ mensæ capitularis, congrua summa, in ejus necessitates & expensas communes impendenda detrahatur; quod autem superest in tres partes dividatur æquales; quarum duæ pro massa grossa canonicorum & præbendariorum inserviant, dictæque duæ partes in octodecim portiones distribuantur, B quarum una singulis canonicis, & dimidia singulis præbendariis tribuatur, tertia autem pars reliquorum fructuum, redditunm & proventuum mensæ capitularis hujusmodi, eadem proportione qua supra inter canonicos & præbendarios dictæ ecclesiæ dividenda: in usum distributionum quotidianarum, inter eosdem canonicos & præbendarios dictæ ecclesiæ pro tempore existentes, ac horis canonicis diurnis atque nocturnis, aliisque divinis officiis in dicta ecclesia peragi solitis & debitis, in ea personaliter interessentes, juxta eorum & cujuslibet illorum interessentiam, æqualiter dividendorum, convertatur, ac in usum hujusmodi semper stare debeat; ita quod distributionum præfatarum non interessentium portiones, infirmitatis, aut alio legitimo impedimento cessante, præsentibus & interessentibus accrescant, & ipso jure auctæ censeantur, C fructus tamen ac redditus & proventus massæ præfatæ, nisi per residentiam, distributiones vero hujusmodi, nisi per præsentiam, ac divinis officiis præfatis interessentiam, juxta statuta desuper per episcopum, ut infra, approbanda, lucrari minime possint.

Præterea canonici per tres, & præbendarii pro tempore existentes dictæ ecclesiæ per duos menses abesse valeant; si tamen ultra id tempus cumulative a civitate Appamiarum respective absuerint, portione tam fructuum, redditunm & proventuum massæ præfatæ, quam dictarum distributionum, quam tum apud dictam ecclesiam residentes, tum illi inservientes acquirerent, mulctentur, mulctæque hujusmodi, quoad fructus, redditus & proventus massæ, in dictæ D ecclesiæ, quo vero ad distributiones hujusmodi in eidem ecclesiæ inservientium commodum & utilitatem cedant: canonici tamen & præbendarii dictæ ecclesiæ ab ea absentes causa studiorum aut suscipiendorum ordinum, quando studiis vacabunt, aut in seminariis pro susceptione ordinum hujusmodi permanebunt, quotam partem fructuum, redditunm & proventuum massæ ab episcopo Appamiarum pro tempore existente præfato, una cum capitulo & canonicis ejusdem ecclesiæ assignandam percipere valeant.

Cæterum jus corrigendi & animadvertendi in choro & in ecclesia Appamiarum præfata in omnia membra illius capituli, etiam dignitates præfatas obtinentes, ac canonicos & præbendarios, ac inibi beneficiatos & officiales quoscumque exercendum, E præfato capitulo tribuatur, dictumque jus personaliter per cantorem dictæ ecclesiæ, de consilio & assensu ejusdem capituli, exerceatur.

Quodque demum quatuor dignitates ac duodecim canonicatus, totidemque præbendas, necnon quatuor personatus & duodecim semi-præbendas hujusmodi in eadem ecclesia nunc & pro tempore quomodolibet obtinentes, inibi capitulum & clerum secularem constituant, & apud præfatam ecclesiam personaliter residere, ibidemque ut prius, horas canonicas diurnas & nocturnas præfatas, necnon conventualem seu majorem, aliasque missas ac omnia divina officia collegialiter, ac cum debita mentis attentione servataque ecclesiastica disciplina seculari, rite & recte A recitare, decantare, psallere & celebrare, divinisque officiis tam diurnis quam nocturnis hujusmodi interesse, ac alias, ut prius, eidem ecclesiæ laudabiliter * debeant & teneantur, apostolica auctoritate præfata similiter perpetuo præcipimus, injungimus & mandamus.

* Adde Deservire.

Præterea nunc & pro tempore existentibus archidiacono magno nuncupato, ac archipresbytero, & thesaurario seu sacristæ ac cantori, & duodecim canonicis, & quatuor personatus præfatos obtinentibus, necnon duodecim præbendariis dictæ ecclesiæ, ut ipsi capitulariter congregati pro ejusdem ecclesiæ & illius mensæ capitularis, sacristiæ, illarumque rerum & bonorum, ac jurium tam spiritualium quam temporalium prospero & felici regimine, gubernio & directione, necnon onerum illis respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum & suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, & aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, repartitione, perceptione & divisione, pœnarumque per absentes, ac divinis officiis, suis loco & tempore, non interessentes, seu onera & ministeria eis, & eorum cuilibet incumbentia, subire negligentes, incurrendarum incursu, singulorum præsentiis & absentiis notandis, cæremoniis & ritibus in dicta ecclesia, illiusque choro, capitulo, processionibus, & aliis actibus hujusmodi servandis, officialibus & ministris præfatæ ecclesiæ necessariis deputandis & amovendis, & ministeriis per se ipsos subeundis, salariis & stipendiis præstandis, ac quibusvis aliis rebus in præmissis & circa præmissa quomodolibet necessariis & opportunis, quæcumque statuta, ordinationes, capitula & decreta, etiam circa indictionem dictorum congressuum, & perceptionem jurium ingressus nuncupatorum a providendis, post earumdem præsentium executionem hujusmodi, de quatuor dignitatibus ac duodecim canonicatibus, totidemque præbendis, ac duodecim semi-præbendis, ac quatuor personatibus & aliis forsan inibi existentibus beneficiis ecclesiæ hujusmodi persolvendorum, & in commodum & utilitatem ipsius ecclesiæ integre erogandorum, licita tamen & honesta, ac sacris canonibus & constitutionibus apostolicis, decretisque concilii hujusmodi minime adversantia, & per ordinarium loci prius examinanda & approbanda, edendi, ac edita declarandi & interpretandi, ac in meliorem formam redigendi & reformandi, seu alia de novo ex integro, eisdem sacris canonibus & constitutionibus apostolicis, decretisque præfatis minime advertantia, &, ut præfertur, per ordinarium loci prius examinanda & approbanda, ac per eos ad quos spectat & pertinet, ac pro tempore spectabit & pertinebit observanda, sub pœnis in contravenientes infligendis, similiter edendi, plenam & omnimodam facultatem, potestatem & auctoritatem dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo concedimus & elargimur.

Demum postquam eædem præsentes executæ fuerint, jus collationis, provisionis ac omnimodæ dispositionis, cessantibus tamen reservationibus & affectionibus apostolicis, ad quatuor dignitates & duodecim canonicatus, totidemque præbendas dictæ ecclesiæ, necnon ad infra scriptam parochialem ecclesiam terræ seu loci, aut oppidi *de Marcadel* dictæ diœcesis Appamiarum, nunc & pro tempore existenti episcopo Appamiarum præfato, ad quatuor vero personatus ecclesiæ hujusmodi, quotiescumque illos & illas respective deinceps vacare contigerit, capitulo & canonicis ecclesiæ præfatæ, personatum tamen vacantem hujusmodi, secundum usum dictæ ecclesiæ, antiquiori ex illius canonicis, infra mensem, a die illius vacationis & non ultra, requirenti, nullamque ex dictis quatuor dignitatibus obtinenti conferre debentibus; cum hoc tamen quod liceat personatus hujusmodi quomodolibet vacaturus requiri ab obtinente

alium personatum, juxta antiquitatem suæ receptionis, & tunc personatus antea obtentus, per assecutionem primi personatus vacantis vacet, & optioni subjaceat; jus vero omnimodæ collationis hujusmodi ad duodecim semi-præbendas præfatas episcopo & capitulo Appam. alternatim, incipiente primum episcopo & deinde capitulo hujusmodi, per canonicum Turnarium, seu in turno conferendi existentem; & quod remanentibus capitulo & canonicis dictæ ecclesiæ in possessione, in ea nempe in qua ipsi legitime ad præsens reperiuntur, juris nominandi seu præsentandi personas idoneas ad quasdam parochiales ecclesias dictæ diœcesis Appamiarum, excepta tamen primodicta parochiali ecclesia quam ipsi cedunt nunc & pro tempore existenti episcopo Appamiarum præfato, jus nominandi seu præsentandi hujusmodi exerceatur in futurum absque ulla innovatione, & secundum usum juxta quem nominatio seu præsentatio nonnullarum ad dignitates, & aliarum ex parochialibus hujusmodi ad canonicum Turnarium dictæ ecclesiæ pertinet, similiter perpetuo reservamus, concedimus & assignamus.

Præsentes quoque litteras, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, etiam ex eo quod causæ propter quas præmissa emanarunt coram nobis vel alibi adductæ, verificatæ & justificatæ, & quicumque in eisdem præmissis & circa ea interesse quomodolibet habentes seu habere prætendentes ad id vocati, citati & auditi non fuerint, & consensum suum eisdem præmissis non præstiterint, aut alio quantumvis substantiali & de necessitate exprimendo, & ex quacumque causa resultante defectu notari, impugnari, redargui, limitari, infringi, modificari, retractari, seu in jus vel controversiam vocari, ad viam & terminos juris reduci, aut adversus eas quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, etiam motu proprio, atque ex certa scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine concedi, vel concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus umquam posse, sed illas semper & perpetuo firmas, validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis ad quos nunc spectat & spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, neque illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aliisque contrariis dispositionibus pro tempore factis vel faciendis, unquam comprehendi, sed ab illis semper excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas & plenarie reintegratas, ac de novo etiamque sub quacumque posteriori data per episcopum Appamiarum, ac archidiaconum magnum nuncupatum, & archipresbyterum, ac thesaurarium seu sacristam, & cantorem, ac duodecim canonicos, totidemque præbendarios, necnon quatuor personatus præfatos obtinentes pro tempore existentes, seu eorum aliquem quandocumque eligenda, concessas, validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, & ab omnibus ad quos spectat & pro tempore quomodolibet spectabit firmiter & inviolabiliter observari, sicque & non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque sedis nuncios præfatos, judicari & definiri debere; & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, nonobstantibus, quatenus opus sit, nostra & cancellariæ apostolicæ regula de gratiis & indulgentiis non concedendis ad instar, ac Lateranensis concilii novissime celebrati similes secularisationes prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus, generalibusque conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon ordinis & ecclesiæ Appamiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris apostolicis, illis illorumque canonicis regularibus, aliisque superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis ac irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, ac etiam forsan in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime & plenissime, ac specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod earumdem præsentium transumptis etiam typis impressis, & sigillo alicujus in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si illæ exhibitæ forent vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, pridie nonas Julii, pontificatus nostri anno quinto.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ RIVENSIS.

I.

Ex chartul. monasterii.

Donum abbati Mansi-Azilis collatum.

817. IN nomine Domini nostri Jesu-Christi Domini mei. Ego Ebolatus dictus nobilis & uxor mea Virana cum filiis nostris Maurino & Saione hominibus innotescere volumus, quia nos donatores damus locum quemdam, quæ *Silva-agra* dicitur, & villam vel villas quæ ibidem sunt constructas, cum ecclesia ibidem fundata in honorem S. Petri apostoli, in qua requiescit corpus S. martyris Rustici, super rivolum quæ *Jerles* dicitur, non procul a Garumna flumine, & est in comitatu Tolosano: & definimus nos suprascripti donatores locum vel loca, & villam vel villas, & ecclesiam supra nominatam per animarum nostrarum vel parentum nostrorum remedium, sicut diximus, Domino Deo, & S. Mariæ in monasterio prædicto martyris S. Stephani, qui dicitur *Asilius*, & abbati Asnarii, & sanctis fratribus ibi commorantibus, ut ibi cœnobium construant Fratrum congregationem qui pro se & pro nobis fideliter orent. Cedimus sic illum locum cum omni integritate pro amore Domini, cum suis guarricis, cultibus & incultibus, terris & vineis, cum rivis, pratis, pascuis, cum exitibus vel redditibus omnibus, sine ullius hominis inquietudine vel judiciaria potestate pro animabus nostris, & pro anima Ludovici serenissimi imperatoris senioris nostri; cujus dono & consilio hoc factum est. Si quis, suadente diabolo, ex nostro vel ex alio genere donum hoc supra scriptum scindere voluerit, non valeat quod cupit; sed componat in fisco auri libras decem, & donum hunc firmum & stabilitum sit omni tempore. S. Ebolatu qui chartam scribere & firmavit & firmare rogavit. S. Maurini, S. Saione, regnante Ludovico imperatore, &c.

II.

Ex schedis R. P. Eustachii Davesne.

Bulla Johannis papæ XVI ad Guarinum abbatem Lesatensem.

993. JOHANNES episcopus servus servorum Dei carissimo ac spiritali in Domino JESU-CHRISTO Filio GARINO sanctissimo abbati tuisque successoribus in monasterio nostro Lesato Deo rite servientibus in perpetuum. Summam gerentes curam ac sollicitudinem venerabilium locorum, quantum ex divino adjutorio nobis possibilitas datur, de eorum perseverantia studere debemus. Tali namque studio & clementia divina placatur, & stabilitas ecclesiarum Dei continuatur, tam pro animabus Romanæ sedis pontificum, sive regum cæterorumque principum, seu cunctis protegentibus Christo sanctæ ecclesiæ inhærentibus instituta subjacere non renueremus, ut in futuro perpetuam habeamus salvam & indeficientem mercedem, tradimus & corroboramus religiositati tuæ regimen abbatiarum nostrarum quinque, videlicet S. Petri Lesatensis in comitatu Tolosanensi, monasterium S. Hilarii in comitatu Carcassensi, verum etiam & monasterium S. Michaëlis archangeli situm in valle confluenti, immo monasterium S. Petri qui dicitur Garnensis, simulque monasterium S. Mariæ Electensis in comitatu Redensi, cunctaque prædicta monasteria in integrum confirmantes corroborantesque tibi & per te eidem sacro monasterio omnes res omniaque jura, quæ in eis a primordio fundationis eorum & usque nunc quolibet modo pertinere probantur, id est generaliter terras, vineas, casales, fundos, prædia, rura, castella, munitiones, casas, A mœnia, hortos, molendinos, piscarias, colonias, mansos, servos & ancillas, peculia & suppellectilia jam dicta monasteria, cum omni integritate & undique inibi pertinentia, tibi tuisque successoribus concedimus atque confirmamus, denique tuoque concessu nostræ auctoritatis horum abbatum qui in præfata monasteria ordinati sunt cum summa securitate, cum Dei timore perfruantur ac defendant, scilicet BENEDICTUS abbas monasterii sancti Petri Lesatensis, S. Hilarii, & S. Mariæ Electensis, & abbas HUGO S. Petri Garnensis & S. Michaëlis archangeli abbas Giffridus possessor: ita ut sub tua ditione & defensione semper persistant a præsenti sexta indictione diebus vestræ vitæ vestrisque successoribus usque in finem B seculi detinendam. Unde nos quod justum est cognoscentes, vestræque piæ petitioni liberalitate paterna faventes, tam præscripta monasteria, quam omnes res ad ipsa undecumque pertinentes, utrarumque omnia quæ episcoporum reliquorumque secularium hominum potestate, sine remota, sub tuo usu dum hujus luce seculi frui videberis, & postmodum successorum tuorum abbatum jure perenni persistere decrevimus, ut de his quæ ab Italis regibus, principibus, cunctisque Dominum timentibus ibi concessa sunt, nulla qualibet occasione vel alicujus scriptionis titulo omnino imminuatur, quatenus in Dei laudibus conversantes pro incolumitate nostra & clementissimi imperatoris, ac totius ecclesiæ liberis Dominum valeant deprecari. Nullus etiam episcoporum aut C quilibet abbatum, seu vicinarum ecclesiarum quilibet sacerdos in eadem monasteria jus sibi ecclesiasticum aliquo modo vindicet ac defendat, nisi forte a patre monasterii vel fratribus pro negotio aliquo fuerit invitatus. Si vero, quod non optamus, monachi in prælibatis monasteriis vel abbates constituti, tepidi in Dei amore aut prævaricatores regulæ conspiciuntur existere, a te tuisque successoribus abbatibus corrigendos instituimus. Abbatem vero eisdem monasteriis non alium, sed quem dignum moribus atque aptum monachicæ disciplinæ communi consensu congregatio tota poposcerit ordinari, & eum sicut sanctorum patrum dicta referunt, sine mundano & corruptibili munere consecrari monemus ac præcipimus, ne D tantæ cupiditatis errore animæ quæ Deo salvandæ sunt pereant, & per rapacitatis avaritiam lividus eos serpens venenis inficiat, quod Spiritus Sancti gratia irrigante debuerunt satiari. Si autem pro tanta talique consecratione contra piorum sanctorum dogmata, aliquod donum vel præmium qualibet occasione petitum fuerit, & aliter fieri nequiverit, tunc electo abbati fuerit & licitum sine ullo mortali impedimento apostolica consecratione & benedictione, cujus ipsa monasteria prostrata sunt fideliter petere, & sine dubio feliciter consecrare: immo ut nullus cujuscumque sit dignitatis & potestatis virorum vel etiam mulierum audeat post sacratissima monasteria de omnibus rebus sibi pertinentibus molestari aut injuste inquietari vel divestiri, quatenus omnipotenti Deo ibidem famu- E lantibus quiete & tolerabiliter semper liceat monasticæ conversationis vitam producere. Hunc autem scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore a te vel post te abbatibus præordinatis in prædicta monasteria succedentibus firmam statuimus illibatamque servari, ut vestra monasteria juvante Domino illorum tantummodo sit jure contento, cœnobiaque illa nulli alteri ecclesiæ subjaceant alicujus canonicæ jussionis, aut laicorum vel mulierum ditione deserviens præ sola sancta matre ecclesia Romana, sed remotis vexationibus a cunctis gravaminibus divinum opus sub te degentes fratres cum summa devotione perficiant.

Si quis autem, quod non optamus, hujus nostri fuerit ausus decreti paginam contraire vel decreto molestari, maledictionibus damnaticis sub anathematis innodetur, & inde prædicta maledictione traditoris non observantes ex meritis atque precibus apostolorum vitæ futuræ prœmiis percellantur. Scriptum per manum Benedicti scrinarii S. Romanæ ecclesiæ, in mense Junio, indictione sexta feliciter. *Bene valete.*

III.

Restitutio facta monasterio Lesatensi.

circa 1030. APPROPINQUANTE etenim mundi terminio & ruinis crebrescentibus jam certa signa manifestantur, quod si aliqui de rebus nostris ad loca Sanctorum condonavimus retributionem Domini in judicio non diffidimus haberi; quod dicitur: *date eleemosynam & omnia munda sunt vobis, & qui plus dat, plus mercedem accipit & congregat fructus in vitam æternam.* Ob hanc igitur causam multi fuerunt donatores, & usque in præsens multi permanent in loco qui vocatur *Lesado* venerabili monasterio ex aliquibus possessionibus animarum suarum curam gerentes Deo & sancto apostolo Petro, sive etiam S. Antonii confessoris & sancti Vincentii martyris, & aliorum Sanctorum quorum reliquiæ ibi videtur habere; dederunt ecclesias cum ecclesiasticis, villas cum appenditiis suis, terris, vineis, silvis & garricis, pratis & pascuis, & aquis cum piscatoribus, & munaris cum molendinis; & sicut multi fuerunt donatores, ita etiam adfuerunt multi persecutores, qui de hoc donum multa abstrahentes, & per modos & multas occasiones per vim rapientes, in tantum ut possessiones qui per eleemosynas Deo in hoc cœnobio sunt traditas a secularibus hominibus laicis vel etiam & clericis visa sunt per vim fortitudinis auferre, & negligenter ab hiis possideri. Cum vero ita in plurimis locis permanent, extitit intus Deo dilectus Ato S. Stephani Aziliensis pastor & clericus, & ejusdem loci quam supra taxavimus abba & monachus, necnon etiam Aimericus decanus non valentes hanc injuriam sustinere vel fortitudinem, adhæserunt cuidam domino seniori ipsius terræ nobilissimo domino Remundo Guillelmo marchione præpotentissimo, ut justitiam facerer ex his omnibus qui ita videbatur superstitiose alodes a loco jam dicto abstrahere & insuper possidere, & qui videbantur injuste detinere, ut maneret in pejus ille auxiliante Deo converteretur in melius, quod ille libenti animo promisit se ita facturum, & inierunt consilium, & fecerunt tale conventum, ut de illos alodes vel de ipsas terras quod ille per justitiam suam faceret reddere aut dimittere vel guarpitionem facere, omnibus placuit ut medietatem haberet in vita sua: similiter & de suas franchezas vel de senioraticos suos illi a quibus videtur teneri vel possideri aliqui Domino Deo, & a loco jam dicto cedere vel donare voluerunt homines sive feminas, jussum & absolutum est ab illo ut licentiam habeant faciendi in tantum ut ipse semper medietatem possideat interdum vivit; post mortem quoque suam sit Domino Deo & S. Petro indominicatum similiter & de ipsam donationem quam Eimericus abba dedit de illo alode quem vocant *Bassanago*, & de ecclesia *de Camuliag*, sive etiam & de ipso casale *de Rover* quam dedit illi ut dum viveret teneat, & post obitum illius Deo & S. Petro remaneret.

IV.

Monasterium Lesatense curæ Hugonis Cluniacensis abbatis committitur.

Ex cartario Lesatensi.

1073. NOTUM sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod Lesatense monasterium quondam ab Attone Benedicti constructum, atque sancto Apostolorum principi Petro ab eodem Attone Benedicti contraditum, cum succedentibus adversitatibus, pene jam ad ultimam sæcularitatis, quæ bonorum locorum destructionis indicium maxime esse solet, profunditatem devenisset, nos ejusdem loci monachi juncti nobilibus terræ viris, comiti videlicet ROTGERIO, necnon RAIMUNDO WILLELMI, insuper & BERENGARIO DE ALTA-RIPA, & BERNARDO DE MARCAFAVA, in quibus una nobiscum abbatis constabat electio, venerabilem virum HUGONEM Cluniacensem videlicet abbatem adivimus, & ut supra memorato cœnobio sua ordinatione & consilio qualiter ad Dei iterum servitium restauraretur, subveniret, rogavimus. Igitur ipse in primis nullo modo nostræ assentiens petitioni, nequaquam se de causa ista intromissurum asseruit, nisi electionem seu ordinationem abbatis ita traderemus, quatenus per succedentia tempora ipse atque ejus in perpetuum successores, quamdiu Cluniacensis locus in religione monastica vigeret, jam dictum monasterium Lesatense sine alicujus justa impeditionis querela ordinare debuissent. Hoc autem ideo se facere dicebat, ne & ipse in vacuum laborare videretur, & semel recuperatus locus iterum in pejora laberetur. Quapropter nos ejusdem loci monachi, necnon & clarissimi viri superius scripti, comes scilicet ROTGERIUS & cæteri, ad quos abbatis electio seu monasterii ordinatio pertinere videtur, damus & concedimus eidem reverendissimo viro & sæpe memorando domno Hugoni abbati, ejusque in perpetuum successoribus omnibus, quandiu Cluniacensis locus religionem monasticam secutus fuerit, electionem seu ordinationem abbatis monasterii Lesatensis, ut ordinent & provideant ipsum locum secundum regulam sancti Benedicti, ad laudem & honorem Domini nostri JESU-CHRISTI, qui nunc & semper regnat & vivit & in omnibus seculis. Hanc autem donationem nostram sicut optamus, ita & rogamus, ut isdem domnus abbas Cluniacensis auctoritate apostolica confirmare & roborare faciat, quatenus amodo & deinceps, nullus hæc temerario ausu audeat infringere. Quod si quisquam præsumpserit, iram omnipotentis Dei incurrat, & quod tentaverit non eveniat; insuper perpetuo anathemati, nisi resipuerit, subjaceat, atque suam in parte sinistra cum reprobis portionem accipiat. Facta est autem hæc carta die IV post festivitatem Omnium sanctorum, anno Incarnationis Dominicæ M. LXXIII, indictione XI, præsidente domno Hugone abbate Cluniacensi, & domno Hunaldo abbate Moisiacensi, necnon & Auxensi archiepiscopo Willelmo, sedem vero apostolicam domno papa Gregorio VII tenente, regnante Philippo Francorum rege, insuper Domino nostro Jesu-Christo cui est honor & imperium per omnia secula seculorum, amen. S. Rotgerii comitis, S. Raimundi, S. Berengerii, S. Bernardi.

V.

Patricianum cœnobium ab Asnario abbate Lesati conditum.

POST Domini nostri Jesu-Christi resurrectionem 1075.
cœlisque ascensionem crescente religione Christiana, quidam vicecomes, nomine Asnarius, carens propria sobole, cupiens ex proprio fundo & alode Deum heredem habere, Romam oraturus petiit, consilio & auctoritate domini papæ inde rediens in honore Dei & perpetuæ Virginis Mariæ monasterium construens, abbatem & monachos, & clericos & alias personas sub regula viventes, victualia eis instituens nomen *Patriciani* ei imposuit ut nulli personæ pareret atque serviret, nisi cœlesti Patri, unam tamen refectionem comitii * Comuniensis in anno & tertiam partem

* *F.* Convenarum.

A benefacti domus concessit, si bene & secure domum ac familiam totumque jus monasterii teneret ac defenderet: sin autem, peccatum animæ illius inesset. Præfatus vero vicecomes Asnarius videlicet rebus monasterii rite ordinatis ac bene dispositis, seculum despiciens, transitoria linquens, cœlestia petens, Lesatense quærens cœnobium inibi monachorum habitum sumpsit, postea abbas inde factus recto itinere celicas ad sedes venisse creditur. In potestate præterea comitis Astaracensis mortuo comite Convenarum, surrexit Bernardus Oddo insequens jura patris sui mortemque ejus cupiens vindicare, prope dictum monasterium castrum nomine *Benca* locavit salvo jure Patriciani cœnobii. Namque auditu & visu cognoscens locum esse sanctum, religiosum ac venerandum, ob honorem & reverentiam Genitricis Dei B Mariæ, in cujus nomine locum esse fundatum ac dedicatum cognovit, cepit amare, timere, venerari, libenter tenere, diligere in tantum, ut filium suum nomine Rogerium inibi Deo offerret ad monachum faciendum, seque inibi sepeliri juberet. Quin etiam in omni comitatu suo præcepit ut si quis nobilis sive ignobilis hanc Deo serviturus domum ingredi vellet, libere ingrederetur, & liber ab omni servitute secularis personæ maneret, quia indecens est ut clienteli & servitores domus Dei tributarii ac sub justitia sint terreni hominis. Post mortem Patris Rogerius abbas inde factus, videns fratres suos contra inimicorum potentiam fortissimos, timuit ut illorum causa monasterium in ruinam scilicet ex eorum hostibus laberetur; cepto consilio quæsivit strenuissimum ac potentissimum virum de Benca nomine Guillelmum Enardi, C cujus opere & auxilio res suas & jura suæ ecclesiæ in pace posset tenere. Igitur villicum suum constituit tali pacto ut esset fidelissimus amicus & monachorum & clericorum totiusque juris domus, & ut abbatis Lesati homo sit, & unam mulam LX sol. pretio det, quæ in obsequio domus Patriciani sit. Si vero aliquis sub potestate abbatis per potentiam & per vim adversum eum surrexerit, & fidanciam & justitiam si debet, dare noluerit vel negaverit, & abbas & sui querimoniam fecerint villico, debet eum inquirere & tamdiu rem ducere donec satisfaciat abbati, & si reus est, justitiam quasi de comprobato, si vero extraneus vel domesticus, animum vel manum contra jura domus erexerit, ipse villicus contra illum vel D illos animum & manum erigat; & si est placitum, ipse quæ necessaria sunt debet habere, defensores scilicet, & judices & fidejussores; & si est duellum, quæ vulgo *Batalla* dicitur, ipse faciat sine lesione & impedimento abbatis. Ipso etenim die abbas & omnes qui cum eo fuerint stare & manducare cum villico debent, propter hoc dedit abbas Rogerius villico in villa Patriciani unum casalem, & tertiam partem justitiæ, ac tertiam partem guadii, & in omnibus in quibus habent guadium tertiam partem refectionum. At vero si villicus in abbatem vel in omnibus qui ad jus ejus pertinent querimoniam habuerit, vel quilibet de his conquestus ei fuerit, ante præsentiam abbatis ille villicus veniat & querimoniam exponat, & abbas atque sui sine fidejussore E & secundum justitiam querimoniæ satisfaciant, si sine culpa fuerint omne damnum secundum dicta legum eis emendetur. Si quis vero villicus vel de stirpe ejus, vel de ordinio ejus, contra hoc surrexerit, & domum Dei turbare voluerit, in primis iram Dei incurrat, & villicationem perdat, & cum Juda Scharioth, & Datan & Abiron in inferno particeps fiat. Factum est hoc in manu & præsentia Rogerii abbatis & fratrum ejus comitum Remundi Bernardi, & Bernardi patris Remundi Guillelmi, & Forto Anerii. Sig. Vidiani monachi. S. Amelii Benedicti monachi, S. Garciæ clerici, S. Guillelmi clerici, & multorum qui aderant. Hiis & rebus in omnibus valeat Majestas Dei.

V I.

Arnaldus-Pontius de Noer *monachum induens in monasterio Lesatensi Odoni abbati & monachis dat quasdam decimas & primitias.* *Ex archivo sancti Petri Lesatensis.*

IN Dei nomine. Ego Arnaldus-Pontius *de Noer* facio me monachum de ecclesia S. Petri *de Lezat*, 1111. consilio & voluntate filiorum meorum Rogerii videlicet & Bernardi & Isarni, & dono illud decimarium & premicias de sancto Cassiano, & totum decimarium & premicias *de Riutor* domino, & beatæ Mariæ & beato Petro *de Lezat*, & Odoni abbati ejusdem loci, & ejus successoribus & monachis præsentibus & futuris; hoc donum jam dictum ego Arnaldus-Poncius jam dictus dedi cum consilio & voluntate filiorum meorum prædictorum, scilicet Rogerii, Bernardi & Isarni, & cum consilio & voluntate Emelii episcopi Tolosani; & filii mei prædicti & eorum ordinium debent esse de hoc dono guirentes de omnibus melioribus, abbati *de Lezat*, & monachis præsentibus & futuris; & si quis hanc cartam & donationem arripere vel contradicere voluerit, quod absit, penitus in iram Dei cadat, & omnes maledictiones veteris & novi testamenti super caput ejus & semen ejus, & maledictum in æternum cum Datan & Abiron, & cum Juda Iscariote particeps in Infernum. Facta carta ista anno ab Incarnatione Domini M. CXI, mense Julii, feria VI.ª epacta XII.ª luna VI.ª Lodoico rege regnante, Tolosano comite Guillelmo, & episcopo Emelio.

V I I.

Guillelmus comes Tolosæ dat Lesato plateam ante castrum Narbonense.

DIVINA declarante scriptura pro certo scitis amantissimi decere Dominum de nostra honorare substantia, ut illius congruis divitiis in cœlis ditari mereamur cum Sanctis. Ego vero Guillelmus 1115. comes urbis Tolosæ, simulque princeps Pictaviensis provinciæ cognoscens in sanctis suis Deum esse mirabilem: & quoniam qui illos honorat, Deum honorare creditur; volo, meditor & cupio quemdam fidelem suum videlicet sanctissimum confessorem Antonium de meis substantiis, meisque honorare eleemosynis, ut ejus precibus in cœlis merear a Christo honorari & magnificari. Volente igitur ac largiente Cunctipotente, ego Guillelmus comes & uxor mea, & filius meus nomine Guillelmus in Christi honore, & in cunctorum nostrorum criminum remissione, honorabili sanctissimoque confessori Antonio, & Odoni abbati & monachis Lesati damus & firmamus jure perpetuo illam plateam & totum illum locum qui videtur esse ante portam castri Narbonensis, sicut melius tenemus & dare possumus, tali convenientia ut super ipsos qui ex alienis regionibus ad eundem locum causa manendi devenerint seu habitaverint, ullus princeps vel ullus vicarius, seu aliquis ex nostra familia principatum vel dominationem, vel justitias non requirant, sed secure & libere sanctissimo serviant confessori Antonio, atque ejusdem loci dominis. Si qui vero ex civibus atque urbanis ad istum transvolaverint locum, inibi ut habitent: volumus atque præcipimus ut illud fidele servitium atque censum quod illorum prædecessores nostris curaverunt legaliter persolvere antecessoribus, fideliter vobis persolvendo impendant: hoc primitus remoto, quod ulli homini dum intra ipsum locum fuerit, aliquam vim non inferamus fide & reverentia beatissimi Christi confessoris Antonii, cujus sanctitas & invocatio inibi habetur, &c. Firmatores istius rei sunt isti, Amelius urbis Tolosæ episcopus, dehinc Guilabertus *de Laurag*,

atque Gerardus de Viridifolio, & Guillelmus Unaldi *de Lantar*, ac Stephanus *de Calmont*, Guillelmus monachus de Magrinio, atque Guillelmus Sacrista, qui hoc donum acceperunt. Facta carta ista in mense Augusto, sub die feria quinta, Ludovico rege, anno ab Incarnatione Domini M. CXV, indictione VIII, epacta XXIII, Arnaldus monachus scripsit.

VIII.

Guillelmus abbas Lesati desolationem monasterii sui describit.

1139. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Guillelmus Lesati abbas intuens monasterium Lesati, quod constructum est in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli, ac sancti Antonii confessoris, cæterorumque Sanctorum qui inibi venerantur ab incolis & extraneis, per violentiam expoliari, deprædari & destrui, necnon & villam quæ monasterio præfato continuatur, quod est lacrymabile dictu, consilio & voluntate totius congregationis ejusdem loci convocavi principes & nobiles hujus patriæ, scilicet Rogerium comitem Fuxi, & Bernardum Convenarum comitem, & Ramundum Willelmi de Venca, Ramundumque Atonem de Alta-riba, necnon & Bernardum de Bello-monte, ac Arnaldum Bernardi de Marcasava & Bernardum de Monte-alto, aliosque quam plures, qui amore Omnipotentis Dei & redemptione suorum peccaminum, præfati monasterii & villæ tutores & defensores adversum violentos raptores & fures constituti erant. Ostendi quippe eis lacrymabilem querimoniam de monasterii & villæ lapsu ac destructione, & hominum injusta nece & de quorumdam fuga, & cæteris infortuniis quæ in præsenti longum est narrare; qui vehementer irati & tristes, videntes quod monasterium jam dictum & villam tueri & defendere ut pote deberent nequaquam aliter possent, demum mihi consuluerunt quod castrum & munitiones in villa ordirer, & pro posse nostro & velle perficerem, nobilior quorum & dominus Rodgerius comes Fuxi, voluntate & mandato cæterorum pro se & pro prædictis sic exorsus est loqui. Ego Rodgerius jam sæpe dictus comes Fuxi, omneque meum ordinium, omneque meum jus quod ad castrum prædictum pertinet, & omnem meam donationem, si quam habeo, dono libere & concedo Deo & beato Petro apostolo & beato Antonio, & omnibus reliquiis prædicti monasterii, & Willelmo abbati loci præscripti, & omnibus ejus successoribus, & omnibus monachis tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Nos autem prædicti Bernardus Convenarum comes, & Ramundus Willelmi, & Ramundus Ato, & Bernardus de Bello-monte, & Arnaldus Bernardi de Marcasava, qui in defensione prædicti loci parati bona fide esse debemus, omnem donationem omneque nostrum jus & omne nostrum ordinium, si quod habemus, Deo & reliquiis Sanctorum prænominatorum, & abbati jam dicto ejusque successoribus, & monachis præsentibus & futuris libere concedimus & damus. Si quis vero hoc donum & hanc libertatem violare tentaverit, ego Rogerius comes & omne nostrum ordinium, & prædicti principes omneque illorum ordinium semper guirentiam sufficientem prædicto abbati & cæteris prædictis omni occasione remota facere debemus. Tali namque pacto talique conventu castrum & valla inibi cœpta secundum voluntatem abbatis prædicti loci, & facta ut nullus ex principibus neque comes inde guerram ac vastationem alteri faciant, nec exeundo ac redeundo malum hostibus suis inferant, ne . . . . . pereundi villæ . . . . neque vim neque dominatum requirant, sed secundum dispositionem & voluntatem abbatis ac monachorum omnia fiant, & non solum in Lesati villa operandi liberam facultatem habeant, imo in omnibus sancti

A Petri obedientiis secundum sui posse & velle operandi licentiam & construendi castrum habeant. Hæc carta fuit facta mense aprilis, luna vigesima, feria septima, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo nono, regnante Lodoico rege Francorum, Ildefonso comite Tolosano & Emelio episcopo. Hujus rei sunt testes Rogerius S. Medardi, Arnaldus Donati, Raymundus de Manavila, Bernardus sancti Sulpicii, Atto *de Orcas*, Atto *de Caurag*, multique alii qui aderant.

IX.

Epocha fundationis abbatiæ Calercii.

B ANNO M. CXLVII Incarnationis Dominicæ, nos Willelmus Petri, & Aymericus & Ademarus fratres, donamus Deo & S. Mariæ, & Bertrando abbati Grandis-silvæ, & monachis ibidem Deo servientibus, tam præsentibus quam futuris, pro redemtione peccaminum nostrorum, totam terram nostram quæ est inter combam *de Goyre* & condaminam Rossanellam, & usque ad rivum Calertii, cultam & incultam, &c. Signum Willelmi Petri, S. Aymerici, S. Ademari, qui hoc donum fecerunt & alterum. 1147.

Willelmus Raynerii & Companius de Bonvilla, & Raymundus de Pulchro-monte, & Arnaldus *de Lens*, confirmaverunt hoc donum prædicto domino abbati Bertrando & monachis Grandis-silvæ, qui in eodem loco hoc ipso anno cœnobium construxere, C & abbatem & monachos posuere.

X.

Fuliensis monasterii ordini Cisterciensi aggregatio.

NOTUM sit omnibus hominibus præsentibus & futuris, quod Bernardus *Colens* Loci-Dei abbas quartus, cum consilio conventus Loci-Dei, & cum consilio Amelii abbatis & conventus Dalonensis, licentiam Willelmo abbati de Charitate donavit & congregationi domus Charitatis, & per obedientiam præcepit quatenus ordini Cistercium se jungant in perpetuum; suprascriptam licentiam Bernardus *Colens* Loci-Dei prædictus quartus abbas donavit in præsentia Pontii *d'Elz*, & ad preces prioris hospitalis D Tolosæ, & Petri de Tolosa magistri domus templi de Tolosa, & Petri Arnaldi & Bernardi sui fratris, & Guilhelmi Petri & Guilhelmi Vitalis, & Pontii jam dicti, & Guilhelmi Lamberti qui hæc scripsit. *Circa* 1163.

XI.

Concordia inita inter Petrum Bonifontis & Guillelmum Fuliensem abbatem.

HÆC est concordia quam fecerunt inter se Petrus abbas Bonifontis, cum consilio fratrum suorum, & Guillelmus abbas de Caritate, cum Consilio fratrum suorum, super abbatia de Caritate; abbas de Bonofonte, consilio fratrum suorum, solvit & dereliquit E abbatiam de Caritate, tali convenientia ut recuperet de expensis quas fecit in domo & pro domo de Caritate, 5 sol. Morlan. a prima festivitate Omnium sanctorum usque in sequenti, & rursum a sequenti usque in altera, alios D. sol. vel valentiam in blad. quartonem frumenti minus sex denarios milium, sive mixturam minus tres denarios, sicuti vendiderit apud Tholosam, debent etiam omnia persolvere debita lucrum & cabal quæ abbas & fratres Bonifontis mandaverant vel fecerant pro domo de Caritate vel grangiis ejusdem, usque in præsenti festivitate Omnium sanctorum vel Natalis Domini; quod si hoc abbas & fratres de Caritate per omnia executi non fuerint, abbas Bonifontis & fratres sui habeant 1167.

super grangias de Curto & de Montorsi, cum omnibus pertinentiis suis & omni substantia earum cum A
omnibus bobus ad distrahendum & vendendum, quousque prædicta debita & omnes expensas quæ abbas & fratres Bonifontis mandaverunt & fecerunt pro domo de Caritate persoluta fuerint, quia sciendum quod abbas & fratres Bonifontis, & abbas de Caritate & fratres sui recognoverunt expensas quas fecerant fratres Bonifontis pro domo de Caritate, ad duo millia D. & sex sol. quod si hoc vel illud non possent persolvere, hoc est prædictos nummos reddere vel valentiam in blad. sicut prædictum est, abbas de Caritate dat & solvit, consilio fratrum suorum, grangiam de Curto cum omnibus pertinentiis suis, & octo paria boum, & quidquid habent vel habere debent inter Luram & garonam, abbati & fratribus B
Bonifontis in perpetuum, pro omnibus expensis quas fecerant in domo de Caritate; totum quod supra dictum est fecit abbas Bonifontis pro amore Dei & ordinis, retinet etiam hanc convenientiam domus Bonifontis super domum de Caritate, ut nulli alii domui ordinis nostri exhinc se reddere possit, nisi domui Bonifontis, vel consilio abbatis & fratrum Bonifontis, si tantum volunt in ea impendere quantum alii ordinis nostri. In rei veritate hujus rei testes sunt Dominicus abbas Bolboniæ, Guillelmus *Carpinel* monachus ejusdem, Petrus abbas Bonifontis, Raymundus *Aldra*, Bernardus *Cerda* monachi ejusdem, Guillelmus abbas de Caritate, Vitalis Guinardi & Petrus de Abbatia monachi ejusdem. Facta charta anno Incarnationis Christi M. CLXVII, regnante C
Ludovico rege Francorum, Geraldo episcopo Tholosano, Raymundo comite.

XII.

Ex cartario Lesatensi.

Abbas Lesati de lite in abbatissam de Marenz *illata desistit.*

1168. IN nomine Domini. Notum sit omnibus hominibus præsentibus & futuris quod ego Guillelmus abbas de Lesato, cum consilio & voluntate conventus ejusdem loci, bona fide, sine omni engano & retentione solvimus & guarpimus omnem querelam quam faciebamus de abbatia sanctimonialium *de Marenz*, de destructione veteris ecclesiæ, & de constructione D
abbatiæ & de loci vicinitate, & quicquid aliqua voce in prædicta abbatia requirere poteramus vel possumus, Deo & beatæ Mariæ, & tibi, Adalais abbatissæ *de Marenz*, & conventui ejusdem loci præsenti & futuro, salvo censu & compositione quæ fuit facta inter abbatem Bolbonæ Dominicum & conventum ejusdem loci, & Atonem abbatem de Lesato, & conventum ejusdem loci, sicut continetur in alio instrumento, scilicet singulis annis IIII sextarios tritici & duos fabarum, & duos alios alterius annonæ ad mensuram sextarii venalis de Lesato & conventui ejusdem loci præsenti & futuro, ut non recipiamus ad sepulturam parochianos & parochianas & homines vestros, nisi pedibus propriis regularem portam monasterii possint intrare sine consensu & voluntate vestra. Hanc autem compositionem facimus causa pacis & reconciliationis, E
ut firma & inviolabilis omni tempore perseveret. Hoc autem totum factum est sub manu & in præsentia domni Petri abbatis Bonifontis, & Arnaldi abbatis de Elnis, qui hoc totum confirmaverunt, & cartam hanc fieri præceperunt anno M. CLXVIII ab Incarnatione Domini, regnante Ludovico rege. Istius rei testes sunt Remundus *de Cher*, & Bernardus Cerdani, & Hugo Cointorii, & Bernardus superioris Lesati, & Remundus *de Magren*, & Remundus Gauterii. Guillelmus scripsit.

XIII.

Littera fratris A. abbatis Cisterciensis.

FRATER A. Cistercii dictus abbas, & totus abbatum conventus capituli generalis, omnibus in quorum manibus venerit hæc scriptura, salutem & omnium bonum. Noverit universitas vestra, quia cum quoddam autenticum scriptum A. quondam abbatis Bonifontis venisset ad audientiam nostram, in quo scripto, de consilio fratrum suorum Fuliense monasterium absolvebat, sicut in eodem scripto plenius continetur, nos ipsum scriptum diligentius attendentes, & fraternæ quieti & paci in posterum providentes, communi consilio statuimus ut scriptum illud perpetuam habeat firmitatem & inviolabile perpetuo perseveret, unde & abbati Dominico Bonifontis qui de eodem scripto causabatur, indiximus ne staret amplius ex adverso, nec contra scriptum illud loqueretur ulterius. Est autem hic tenor scripti illius autentici.

XIV.

Fuliense monasterium eximitur a subjectione Bonifontis.

OMNIBUS liqueat quod ego A. abbas bonifontis, cum consilio & voluntate conventus 1175.
ecclesiæ nostræ, solvo Deo Patri omnipotenti & Cisterciensi ordini, R. abbatem Fuliensem & congregationem ecclesiæ ejus, & omnes honores & pertinentias ad ecclesiam Fuliensem pertinentes, & quicquid ab eis possumus exigere aliquo modo vel aliqua ratione, ex integro libere absolvimus & dimittimus; hoc tamen facimus tali pacto ut habitatores *de Fulhen* reddant in parte & sine querela fortanerio *de Bignet* vel ejus ordinio CCCC sol. de morlanis; de cætero si quis abbas ordinis nostri præfatum R. abbatem ejusque congregationem recipere voluerint, ego præfatus A. abbas & conventus Bonifontis absolvimus eos a debitis & quibuscunque tenentur a nobis modis omnibus, absque omni calumnia vel contradictione, ita tamen ut supradicti CCCC sol. pacifice persolvant, hoc enim causa paupertatis facimus, quia nec nobis nec sibi consilium dare possimus. Hujus rei sunt testes Zacharias, Raimundus, Guillermus Montis-Pesati, *cabos* monachi de Bonofonte, Petrus de Abbatia, Dominicus *de Samathan*, Bertrannus monachi *de Fulhens*, anno ab Incarnatione Domini M. CLXXV.

XV.

Litteræ Gregorii VIII in gratiam Fulii authenticæ declarantur.

CAROLLUS Bastardus de Borbonio miles, 1187.
dominus baroniarum de Calidis aquis & Malosо, consiliarius & chambellanus domini nostri regis, ejusque seneschallus Tholosanus & Albiensis, universis præsentes litteras inspecturis, salutem. Notum vobis facimus & tenore præsentium attestamur, quod nos originaliter vidimus, tenuimus, & per notarium infra scriptum perlegi fecimus quasdam litteras apostolicas more Romano expeditas, sigillo plumbeo impendente sigillatas, sanas & integras, non rasas, neque in aliqua earum parte suspectas tenorem sequentium continentes. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii de Caritate Fulienf. ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, ipsam religiosam vitam eligentibus, apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer

annuimus, & præfatum monasterium de Caritate Juliens. in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis si quidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum & beati Benedicti regulam & institutiones Cisterciensium fratrum ibidem noscitur institutus perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino adipisci poterit, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In primis hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præfata abbatia sita est, ex dono Bernardi comitis Convenarum, assensu filii sui Bernardi, & omnium heredum suorum quidquid ibidem habetis cum decimis, premiciis, usurariis & pascuis, & omnibus tenementis loci ipsius, grangiam *de Lenerents* cum omnibus appenditiis suis, grangiam de Montursis cum omnibus appenditiis suis, territorium de Aiguas, territorium sancti Lupi, territorium quod vulgo vocatur *ad quatuor fratres*, & terram de Fita Hyeronimi cum omnibus appenditiis suis, decimis & primitiis, usurariis, pascuis, aquis, sylvis & omnibus tenementis suis, sicut in cartis ipsius ecclesiæ continetur; molendinum *de Tog*, ex dono Fortinerii & omnium heredum suorum, & molendinum *de Loge* in territorio *de Ravidan* situm, cum omnibus aquis suis & viis ad præfata molendina tendentibus, ex dono Ramundi comitis S. Ægydii pedagium per totam terram suam, domos apud Tolosam. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas vel primitias extorquere præsumat, liceat quoque vobis clericos & laicos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de ipso discedere, discedentem vero sine conventus litterarum cautione nullus audeat retinere. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, authoritate apostolica prohibemus ne quis infra ambitum domorum vestrarum vel grangiarum furtum rapinamve committere, ignem apponere, hominem capere aut interficere, seu aliquam violentiam temere audeat exercere. Inhibemus etiam ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat aliquid personaliter dari sive aliquo modo alienari absque assensu totius capituli aut majoris aut sanioris partis ejusdem. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, irritas esse censemus. Licitum præterea vobis sit in causis propriis, sive civilem, sive criminalem continentes quæstionem, fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, atque ipsorum testimonio sicut justum fuerit & propulsare violentiam & justitiam vindicare. Insuper etiam apostolica autoritate sanximus quemadmodum a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus vestro ordini est indultum ut nullus episcopus neque alia quælibet persona ad synodos vel ad conventus forenses vos ipse vel judicio seculari de propria substantia vel possessionibus subjacere compellant, illud adjicientes ut nullus regularem electionem abbatis vestri impediat, aut de instituendo vel deponendo, seu removendo eo, qui pro tempore fuerit contra statutam Cisterciensis ordinis authoritatem privilegiorum vestrorum se nullatenus intromittat; quod si episcopus in cujus parochia domus vestra fundata est, tertio cum humilitate ac devotione qua convenit requisitus substitutum abbatem benedicere forte renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere, & alia quæ ad officium suum pertinent exercere, donec idem episcopus duritiam suam recogitet & abbatem sine pravitate aliqua benedicat, cumque benedicendus abbas vester ad episcopum venerit ea professione sit contentus episcopus quæ in ordine vestro solet impendi nec aliam de novo requirat; sane si episcopi aliquid a vobis vel monasterio vestro præter obedientiam debitam, vel principes terræ contra libertatem ordinis a prædecessoribus nostris & a nobis indultam, expetierint, liberum sit vobis auctoritate apostolica denegare quod petitur, ne occasione ista prædictus ordo qui hactenus liber extitit, humanæ servitutis laqueo vinciatur. Quod si episcopi ipsi aliquam propter hoc in personas vel ecclesias vestras sententiam promulgaverint, eamdem sententiam tanquam contra apostolicæ sedis indulta prolatam statuimus irritandam. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax D. N. J. C. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Dirige me Domine in veritate tua, sanctus Petrus, sanctus Paulus. Gregorius papa octavus. Ego Gregorius Catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Henricus Albenensis episcopus. Ego Paulus Prænestinus episcopus. Ego Theobaldus Ostiensis & Vellitrensis episcopus. Ego Petrus de Bono presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ. Ego Laborans presbyter cardinalis sanctæ Mariæ Transtyberinæ tituli Cablon. Ego Melior presbyter cardinalis sanctorum Joannis & Pauli tituli Pammachii. Ego Adelardus tituli S. Marcelli, presbyter cardinalis. Ego Jacobus diaconus cardinalis S. Mariæ in Consond. Ego Gratianus cardinalis diaconus sanctorum Cosmæ & Damiani. Ego Octavianus sanctorum Sergi & Bacchi, diaconus cardinalis. Ego Petrus S. Nicolai in Car. Juliani, diaconus cardinalis. Ego Radulphus sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis. Datum Ferrariæ per manum Moysi Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii, 11 cal. Novembris, indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo octogesimo septimo, pontificatus vero domini Gregorii papæ octavi anno primo. In quarum visionis & aliorum præmissorum sigillum nostræ seneschalliæ his præsentibus duximus apponendum. Tolosæ, die . . . . . . mensis Decembris, anno Domini.

X V I.

Pariagium initum ab abbate Mansi-Azilis cum comite Fuxensi. *Ex transf. sumpto Mansi.*

IN Christi nomine. Notum sit cunctis præsentem chartam inspecturis, quod nos frater Guillelmus 1246.
Arnaldi permissione divina dictus abbas S. Stephani Mansi-Azilis Tolosanæ diœcesis, ac totus ejusdem conventus, videlicet nos Raimundus de Podio prior, & Petrus de Viridario cellerarius, ac Martinus sacrista, & Guillelmus Joannes, prior de Marcasaba, &

& Arnaldus de S. Pastore, & pontius Monerius & Pontius de S. Maxentio, & Bertrandus de Bordis, monachi prædicti monasterii, videntes, considerantes atque intuentes statum miseriæ atque penalitatis monasterii supradicti personarumque nostrarum in tanta * . . . . . . positarum malignæ & perversæ nationis longissimo stimulo coercente, cognoscentes in prædicto cœnobio regulæ beati Benedicti observantias & sanctorum Patrum statuta pereclitari penitus & perire in nostrum periculum corporale atque magnum imo maximum periculum animarum conscientiæ remorsionis . . . . . . potius locum prædicti cœnobii dimittere, quam nostras animas de claustro monasterii ad claustra tartari seu pœnalitates inferi declinare. Verum quia liberum monachus non debet arbitrium habere, sine superioris licentia volitum nec etiam possidere religionis vinculo constringente, super hoc consilium venerandi patris nostri domni Raimundi Dei gratia episcopi Tolosani, aliorumque virorum religiosorum instantissime & frequentissime duximus requirendum, qui deliberatione habita sano ducti consilio penes nos cum magna instantia institerunt ne locum prænominatum semel Deo devotione fidelium dedicatum tanquam religionis beneficio penitus spoliatum nostra imbecillitate tineremus ad humanos usus in Dei opprobrium & totius ecclesiæ præjudicium transfineare, verbum canonum ad memoriam reducentes ne quod semel est Deo debitum humanitatis pompa seu gloria ulterius valeat possidere, sed in divini cultus maneat servitio in æternum, adjicientes pro sano & firmo consilio, & dicentes quod melius est nos ibidem sub tuitione alicujus principis de bonis monasterii pro præstanda defensione eidem parte aliqua assignata in Dei servitio remanere, Domino nostro reddere vota nostra, quam alibi illam fugere quam nobis Dominus in terris venerat prædicare paupertatem videlicet quæ sola regnum cœlorum dicatur possidere; in cujus rei testimonium & favorem litteram scriptam a prædicto domno episcopo haberi . . . . . . in hunc modum.

* F. calamitate.

FRATER RAYMUNDUS permissione divina Tolosanus episcopus venerabili & dilecto in Christo eadem gratia abbati Mansi-Aziliensis, salutem in Domino. Laboribus, tribulationibus & gravibus angustiis vestris compatimur ut tenemur in visceribus charitatis. Cæterum quia propter malitiam temporis uberius monasterio vestro prodesse non possumus ut vellemus, dolemus satis, & favente divina gratia cum restituti fuerimus pristinæ sanitati vobis in quantum poterimus assistemus, cum autem cura & regimen vestri monasterii vobis totaliter sit commissa, volumus & concedimus vobis ut cum consilio fratrum vestrorum componendo vel transigendo, vel consilium & defensionem obtinendo, etiam cum subsidio rerum vestrarum immobilium, prout utilitati vestri monasterii videritis expedire de nostra licentia quam præsentibus litteris vobis concedimus, faciatis, ratum enim & firmum habebimus quidquid per vos & conventum vestrum pro utilitate vestri monasterii erit factum. Datum Tolosæ * 12.ª mensis Februarii, anno Domini M. CCXLVI, quarum inducti præsidio & consilio roborati, contrito corpore, corde & anima lacrymante præ angustia nimia & dolore compulsi, defensionis inopia & malignorum angustia aggravati, ordinandum duximus & faciendum censuimus nostra sensualitate præventa assensum legitimum rationi omnibusque diligentissime indagatis, inspectis accidentibus præteritis, præsentibus & futuris, habito vero judicio prædictorum, quia cognovimus prædictum monasterium factum esse in jurisdictione seu potestate & comitatu domni Fuxensis comitis supradicti, & per ipsum posse deffendi melius quam per alium & tueri, etenim in illis a quibus nobis proveniebant impedimenta superius memorata habet merum imperium & mandatum ut in illos qui de mensa & prosapia seu genere suo sunt & descendere cognoscuntur, & ab ipso sua omnia pro majori parte tenere dicuntur etiam possidere; ipsis nostris placuit animis, nullius cogente imperio, sed angustia prædicta nos mirabiliter exhortante, ut pars bonorum nostri monasterii pro tuitione nostra & nostro monasterio, ac nostris successoribus in perpetuum præstandis esset per nostram providentiam assignata, ideo nos prædictus abbas & conventus non inducti dolo neque vi, nec circumventi fraude aliqua, sed mera & spontanea voluntate, inspecta utilitate nostri monasterii, mentis nostræ tranquillitate considerata, & salute nostrarum & successorum nostrorum videlicet animarum, cum aliter in eodem cœnobio in tranquilla quiete corporis & spiritus vivere nequeamus, nec debitum Domino reddere famulatum per nos & per omnes successores nostros damus & concedimus, & in præsenti cum hoc autentico & publico instrumento mera, pura & perfecta donatione, quæ donatio dicitur inter vivos, corporaliter tradimus vobis domno Rogerio Dei gratia comiti Fuxensi, & vicecomiti Castri-boni, & omnibus vestris successoribus in perpetuum totam medietatem omnium bonorum & jurium immobilium, corporalium sive incorporalium, quæ nostrum monasterium & nos per ipsum habemus sive habere debemus, possidemus sive possidere debemus, seu aliquis vel aliqui habent, tenent, possident, & pro nobis & monasterio nostro habere, tenere vel possidere debent in feudum & emphiteosim, vel sub aliquo annuo censu vel servitio, aut terrenerietto, sive annuo vectigali vel temporali, videlicet in villis & castris, & locis nominatis de Rocabruna, & *de Esfheld*, & *de Albed*, & de S. Columba, & de Rosiaco, & de Aleriis, & *de Artagonac*, & *de Anthunam*, & *de Cotas*, & *de Aron*, & *de Malhad*, & de Bastida *de Anthunam*, & de Durbano, & de Scalerio, & de Castro-novo, & *de Cerd*, & de planis, & *de Laubants*, & *de Olyeg*, & *de Cavernolase* . . . . & de Clavarata, & de Bordis, & de Barta, & de Montgausi, & de Sylva, & *de Lanas*, & *de Semartet*, & de Podis, & de Serra, & *de Caparog*, & *de Moleras*, & *de Gatre*, & *de Raissac*, & de Calercio, & de Paleriis, & de Monte-acuto, & de Insula, & *de Tessenes*, & de S. Victore, & de Gutta-vernissa, & de sancto Lodio, & de Marca-faba, & de Cava-roca, & de Calsaco, & de Coma-longa, & de Fayola, & etiam in omnibus juribus *de Dalmazenes* & *de Volvestre*, & de aliis locis nobis pertinentibus, casalibus, mansis, mansalibus, & domibus atque bordis, hominibus & feminis, terris, hortis & vineis, cultis & incultis, heremis & condirectis, pratis, pascuis, sylvis & garricis atque nemoribus, cum eorum venationibus, aquis aquæ ductibus & reductibus, cum molendinis & molinaribus & eorum reclausis, & cum aquarum piscationibus, & cum omnibus redditibus, exitibus & proventibus, & cum omnibus terrenerietis, cum migeriis, terceriis, quarteris & quintis, sepienis, agrariis, & cum justitiis & exactionibus, questis, toltis, forciis, laudimiis, forisca piis, honoribus, institutionibus, inrestatationibus & exorquiis atque redemptionibus hominum vel feminarum, & cum omnibus servitiis adempriviis, & cum omnibus servitutibus militaribus, prædialibus & rusticanis, & cum omnibus aliis juribus hic expressis & non expressis, quæ dici vel exprimi possent ab aliquo sapienti, prout melius dici vel intelligi potest ad utilitatem vestram in perpetuum & vestrorum, omnia prædicta, singula & universa, distributive & in unum collecta, hic expressa & non expressa generaliter & singulariter, quæ sub dominatione possent esse hominis, & valent ab homine possideri vel quasi possideri, vobis, ut dictum est, & vestris successoribus per nos & per omnes successores nostros damus, concedimus, atque omnium supradictorum dominationem tradimus, & in

* F. XII cal. Febr.

corporalem vel naturalem atque civilem possessionem juris vel facti, vel quasi possessionem totius medietatis prædictæ ab integro pro indiviso vos & vestros inducimus & inductos constituimus, constituendo vos & vestros tanquam in rem vestram, veros dominos & veros procuratores, cedendo vobis & vestris pro tota dicta medietate, omnia nostra jura, voces & rationes, atque actiones reales & personales, utiles & directas, civiles atque prætorias, nobis & nostro monasterio competentia & competitura in prædictis rebus & pro prædictis contra cunctas personas quæ omnia prædicta vobis & vestris habere, tenere & possidere in pace faciemus ab omni persona pro posse nostro; & si quis vobis in prædictis vel præfactis in parte vel in toto moveret vobis quæstionem vel vestris, vel justitiam facere denegaret, B nos & nostri successores, & guirentes & defensores, & coadjutores boni, pro posse nostro & omnium videlicet nostrorum successorum, & si forte hoc vobis facere negaremus, volumus vobis teneri de omni evictione & de expensis in causa evictionis, & pro omnibus sic complendis supradictis & observandis obligamus vobis nos & nostros successores omnes, & omnia bona nostra & monasterii nostri sæpius memorati, promittentes bona fide, & firma stipulatione stipulantes quod nihil facimus nec faciemus, nec fieri permittemus quominus hæc donatio vobis & vestris valere possit, & si facimus, pro infecto & irrito habeatur, imo expresse & viva voce penitus in irritum revocamus cum hoc autentico instrumento; C promittentes insuper quod contra prædictam donationem non veniemus nec venire faciemus in judicio vel extra, clam vel manifeste, per nos vel per personam aliquam subrogatam, & hoc in nostra bona fide & legalitate nos & nostros recipimus & receptos immunes promittimus observare, & quod omnia ita ut superius fuerunt expressa teneamus, adimpleamus & observemus penitus illibata, & contra non veniamus in parte vel in toto, tactis sacro-sanctis quatuor evangeliis Dei, sive jurejurando affirmamus, renunciantes per virtutem præstiti juramenti omnibus juribus divinis & humanis, scriptis & non scriptis, promulgatis & promulgandis, civilibus, naturalibus atque consuetudinaribus quibus possemus nos & nostri in aliqua contravenire.

D Excipimus tamen de prædicta donatione corpus nostri monasterii cum omnibus suis officiis, & omnes nostros prioratus, omnes nostras ecclesias, & omnia jura spiritalia & spiritualibus connexa, atque ecclesiastica quæ non possunt nec debent a laico possideri, & unam vineam de tribus arpentis, & unum hortum de uno arpento, & unum molendinum, & unum furnum, & unam fabricam de villa de Manso, quæ omnia nobis & nostro monasterio atque nostris successoribus pro franco & libero alodio retinemus, sine parte aliqua nostri & nostrorum quam in prædictis vos & vestri requirere valeatis. Retinemus etiam nobis & monasterio nostro, rocam Mansi-azilis, sine parte vestri & vestrorum, & ipsum locum ad manum E nostram & nostrorum retinemus successorum pro libero alodio atque franco. Promittimus tamen vobis quod si contingeret vobis pro vestris vel nostris negotiis habere guerram cum aliquo, tradere vobis & vestris dictam rocam, ut cum ipsa roca & alia terra nostra possitis guerram facere, & vos & nos, & vestra & nostra bona deffendere contra cunctos, Dei ecclesia exceptata; guerra tamen finita vel treuga inita, prædicta roca deveniat libera ad manus nostras, omnia alia pro indiviso habeamus communiter. Hanc prænominatam donationem vobis & vestris tali videlicet pacto & conventione (facimus) ut omnia prædicta teneatis a nobis & a nostris successoribus in feudum, & teneamini nobis & nostris successoribus, vos & vestri successores quando & quoties dominus mutabitur in comitatu Fuxensi vel in abbatia nostra, facere homagium, A & fidelitatem promittere & jurare, atque firmam tuitionem & defensionem omnium bonorum nostrorum & nostri monasterii attendere & complere, & personas nostras & familiam nostram totam, & donatos & fratres nostros, & homines & feminas nostras, & bona omnia eorumdem ubique deffendere & custodire a cunctis hominibus, sicut propria vestra bona, & quando comes mutabitur in comitatu Fuxensi, sive per mortem, sive per vitam, faciat prædictum homagium abbati de Manso tunc temporis præsidenti, & faciet sacramentale instrumentum in quo omnes conditiones in hoc instrumento contentæ conscribentur; & si forte castrum vel castra, munitio vel munitiones in aliqua parte nostri communis dominii fierent, vos vel quicunque comes fuerit in comitatu prædicto, quoties & quando requisitus ab abbate prædicti monasterii fuerit, tradat eidem liberam potestatem, exclusis vestris hominibus vel successorum vestrorum in comitatu superius memorato.

Item, vos & vestri successores habeatis unum bajulum, & nos & nostrum monasterium alium in prædicta villa & in aliis locis nobis & vobis communibus, qui insimul pro nobis & vobis & vestris successoribus requirant & recipient firmancias & justitias, & alia omnia jura nostra communia insimul congregabuntur pro nostro & vestro arbitrio dividenda. Item, si vos vel vestri successores hostem vel cavalgadam in tota nostra & vestra communi redimi faceretis, & inde pecuniam reciperetis, quoties illud fieret, nos de prædicta pecunia medietatem ab integro & nostrum monasterium habeamus. Item, quod sacramentum tam a feudatariis quam a consulibus universitatum, villarum seu castrorum, aut etiam postulantium, necnon etiam a totis universitatibus populorum volumus ut nobis & vobis, nostris & vestris successoribus præstentur communiter atque fiant. Item, quod vos illam libertatem & franchesiam nobiscum insimul dictis omnibus advenientibus habitandi proposito & causa mutandi & faciendi suum domicilium in villa prædicta de manso quam nos insimul duxerimus condonandam. Hinc est quod nos ROGERIUS Dei gratia comes Fuxi & vicecomes Castri-boni prædictus, attendentes devotionem vestram abbatis & conventus prædictorum, vestræque magnificentiæ beneficium gratum & acceptabile, magnis meritis & beneficiis obligatum accipimus gratulanter, ob quod nos vobis & vestris successoribus per nos & per omnes successores nostros facimus nos homines vestros, junctis manibus nostris inter vestras præstantes vobis fidelitatis osculum in signum veri homagii & honoris, promittentes vobis & vestris successoribus per nos & omnes successores nostros in perpetuum, atque solemniter stipulantes quod vos & vestrum monasterium in personis & rebus servabimus illæsos in omnibus deffendemus & manutenebimus pro posse nostro ab omnibus & jura ipsius & vestra ad proprietatem monasterii & vestri viriliter procurabimus revocare, & quod dominationis beneficium annexum dignitatis beneficio comitalis in perpetuum retinebimus nos & nostri, & quod omnes prædictas conventiones, pacta & conditiones a vobis superius positas & exquisitas, vobis & successoribus vestris nos & nostri successores in perpetuum impleamus, accordemus & fideliter observemus promittimus Deo & SS. martyribus beato Stephano protomartyri, & S. Ferreolo, in quorum honore prædictum monasterium est consecratum, & etiam tactis sacro-sanctis quatuor Dei evangeliis, sponte juramus, & jurejurando etiam confirmamus omnia supradicta attendere & complere, volentes nos & nostros ad omnia supradicta specialiter & generaliter obligare, ac si essent a nobis in hoc instrumento, prout à vobis superius dicta sunt, repetita, renunciantes per virtutem præstiti juramenti omnibus juribus divinis vel humanis, scriptis vel non scriptis,

promulgatis & promulgandis, civilibus & naturalibus atque consuetudinalibus, quibus possemus nos & nostri in aliquo contravenire, & pro omnibus sic complendis obligamus vobis & successoribus vestris omnia supradicta quæ nobis donastis, & omnia bona alia nostra habita & habenda. Actum est hoc idus Martii, regnante Ludovico rege Francorum, anno Incarnationis Christi M. CCXLVI. Rei hujus testes sunt dominus M. abbas S. Antonini, Lupus de Fuxo, & Guillelmus Bernardi de Astnava, & Petrus Rogerii de Mirapice, & B. de Bello-podio, de Fano-jovis, & B. de Duro-forte, & G. de Arnio de Bello-monte, & G. de Cati, & Joannes de Villamuro capellanus de Bordis, & Pontius de Carreria, capellanus de Manso, Bonetus David publicus Appamiæ notarius cartam istam scripsit.

XVII.

Possessiones & privilegia Mansi-Azilis a papa confirmantur.

1247. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii S. Stephani de Manzo-Azilis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, & in posterum religiosam vitam eligentibus, apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, religionis infringat, ea propter dilecti in domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium S. Stephani de Manso-Azilis Tolosanæ diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, villam Mansi Azilis, castrum quod dicitur Rupis-Azilis, & ecclesiam sancti Martini in eodem castro, sancti Juliani *de Es* & de Semocerio, sanctæ Columbæ de Rupe-bruna, S. Albini de Estelleto, S. Michaëlis & S. Mariæ de Savarato, sancti Petri de Moleriis, S. Stephani de Buba, S. Petri *de Trecens* & sancti Felicis ecclesias, & villas in quibus ecclesiæ ipsæ consistunt, cum omnibus pertinentiis earumdem, S. Hypoliti de Marcha-faba, S. Victoris & sancti Juliani de Tesaco ecclesias, cum pertinentiis suis in episcopatu Coseranensi, ecclesiam S. Petri de Aleriis, dominium castri de Durbano, & capellam S. Mariæ in eodem castro, sancti Licerii de Actigonaco, sancti Vincentii *de Anthunan*, sancti Jacobi de Alis, sancti Eleusipi *Denat*, sancti Petri *de Aron* & de Certis ecclesias, necnon villas in quibus eædem consistunt ecclesiæ, cum omnibus pertinentiis suis, prioratum sanctæ Mariæ de Vico, decimas *de Carbont*, de Planis & *de Nos*, quartam partem decimarum *de Lanos* & de Castellario, terras & possessiones quæ vulgariter nuncupantur *Militia Petri de Silva*, possessiones & terras quæ dicuntur *Elseis & Podium*, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus, immunitatibus suis, sane novalium vestigium quæ propris manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis

A hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat; liceat quoque vobis alterius vel laicorum liberos & absolutos a sæculo fugientes ad conversionem recipere & eos absque contradictione aliqua retinere: prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio possessionem fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem vero absque communium literarum nostrarum cautione nullus audeat retinere; cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis janus, exclusis excommunicatis, interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto, chrysma

B vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi a diœcesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit & gratiam & communionem sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere; prohibemus insuper ut intra fines parochiæ vestræ nullus sine diœcesani episcopi & vestro assensu capellam sive oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum, ad hæc novas indebitas pactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus, sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ

C voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumentur, decimas præterea & possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, redimendi & legitime liberandi de manibus eorum, & ad ecclesias ad quas pertinent revocandi libera sit vobis de nostra autoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communis concilii, vel fratrum major pars concilii sanioris, secundum Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendum; paci quoque & tranquillitati vestræ

D paterna in posterum sollicitudine providere volentes, autoritate apostolica prohibemus ut intra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu molestiam audeat exercere, præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus vel aliis fidelibus inviolabiliter vobis indultas, autoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti privilegio communimus; decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet

E vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus commodis profutura, salva sedis apostolicæ autoritate & diœcesanorum ipsorum canonica justitia, & in prædictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum condigna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divini judicis existere, de perpetuo inquietari cognoscat, a sacratissimo corpore & sanguine Dei Domini redemptoris nostri Jesu-Christi alienam se facere, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni; cunctis autem eidem loco

sua justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmium æternæ pacis inveniant, amen, amen. Ego Innocentius Catholicæ ecclesiæ episcopus S. R. A. Ego Petrus ecclesiæ S. Marcelli presbyter cardinalis. Ego W. basilicæ Duodecim apostolorum presbyter cardinalis. Ego frater Joannnes H. sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis. Ego frater Hugo titulo sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis. Ego Oto .... sancti Ruffi episcopus. Datum Luduni per manum magistri Marini sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, quinta idus Augusti, indictione quinta, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, pontificatus vero domini Innocentii papæ quarti anno quinto.

XVIII.

Anecdot. t. I, col. 1110. *Ordo de Spata in Vasconia unitus abbatiæ Fuliensi.*

1261. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus-Sancti. Sit notum cunctis præsentibus pariter & futuris, quod frater Guillelmus *Marra* magister totius ordinis de Spata in Vasconia, & frater Gaufferandus ejusdem ordinis, non inducti, ut ipsi asseruerunt, dolo neque vi, nec circumventi fraude aliqua vel decepti, imo gratis & sua mera ac spontanea voluntate, & conscientia vera, & corde puro & fide non ficta, sed deliberato concilio, attento & considerato se nimis seculariter vivere in ordine supradicto, & se & fratres ac sorores ejusdem ordinis, & ipsum ordinem hostilitate faciente desolatos existere, intendentes & volentes ad frugem melioris vitæ transmigrare, authoritate & voluntate propria, & etiam authoritate & potestate & licentia ipsi magistro a fratribus & sororibus ejusdem ordinis vovendo data & communiter & unanimiter concessa, prout in publico instrumento præsenti a me Raimundo Dauno publico Tolosæ notario confecto plenius & expressius continetur, ad honorem Domini nostri Jesu-Christi & beatæ Mariæ matris ejus Virginis gloriosæ, & beatorum sancti Benedicti sanctique Bernardi transtulerunt & unierunt & dedicaverunt se & dictum ordinem de Spata, cum villis & molendinis dictis de rocquas & rocquetas, cum juribus & pertinentiis omnibus ad easdem, ad ordinem Cisterciensem, & specialiter ad domum seu monasterium Fuliacense Cisterciensis ordinis Tolosanæ diœcesis, & ad domnum Augerium abbatem præsentem & recipientem pro se & suo conventu & suis successoribus, & ad conventum monasterii ejusdem recipientis & assumentes ibidem habitum ejusdem ordinis Cisterciensis, & observantiam regularem & eidem abbati secundum eamdem regulam obedientiam promiserunt, & sic se transferendo & dedicando & uniendo præfatis abbati præsenti & recipienti, & eorum successoribus, & conventui & monasterio Fuliacensi, dictas villas de rocquas & rocquetas, & molendina & honores & possessiones, & homines & feminas, cum eorum tenentiis, & jura ad eas spectantia & pertinentia, scilicet domus, campi, vineæ, prata vel pascua, fontes aquæ vel piscaria, census, redditus vel proventus, quarta, quinta, vel agraria & terrenerietta dominationes, ademprivia vel expletivia, debita, vel nomina debitorum, ædificia vel bastimenta, & quæcumque alia ex collatione vel perceptione nobilis viri domini B. comitis Convenarum, vel ratione alia ipsi magistro, seu ordini de Spata prædicto, dictus magister frater Guillelmus *Marra* dicti ordinis de Spata transtulit & univit eidem ordini spectantia & pertinentia, & dedit & contulit datione, collatione & translatione plana, purissima & perfecta & unione in præsentiarum & in perpetuum modis omnibus valitura, cedens eidem abbati & conventui & eorum successoribus omnes suas & dicti ordinis de Spata, & fratrum ejusdem ordinis voces & actiones reales & personales & mixtas, utiles & directas, & omnia sua jura eis pro prædictis vel aliquo prædictorum competentia vel competitura aliquo jure vel ratione, & ipsos abbatem & conventum pro se & suis successoribus idem magister Guillelmus *Marra* de omnibus & singulis supradictis generaliter & specialiter, cum hoc publico instrumento nunc & in perpetuum valituro, in corporalem juris & facti possessionem vel quasi misit, posuit & induxit, & in signum possessionis traditæ claves dictarum villarum & molendinorum eidem abbati tradidit atque dedit, dando nihilominus eidem abbati & conventui supradictis licentiam & liberam potestatem, ut sua authoritate propria, sine alicujus curiæ vel judicis licentia requisita, possint libere de dictis omnibus & singulis corporalem possessionem & vacuam accipere & nancisci, & inde de toto facere suam omnimodam plenarie voluntatem, & se idem magister & dictum ordinem de Spata inde penitus spoliando, & dictos abbatem & conventum & monasterium Fuliense investiendo, nullo sibi vel dicto ordini de Spata ibi retento vel etiam reservato, promittens idem magister per stipulationem dicto abbati Fuliacensi, nomine sui & dicti conventus stipulanti se omnia & singula supradicta rata & firma habere & tenere & in perpetuum observare, & nunquam per se vel per interpositam personam aliam clam vel palam contravenire, vel aliquid de prædictis revocare vel etiam retractare, renuncians super his scienter & consulte exceptioni fraudis & doli, & beneficio in integrum restitutionis, & dicti ordinis de Spata observantiæ regulari & omni juris auxilio tam canonici quam civilis, scripti & non scripti, promulgati vel promulgandi, per quod posset contra prædicta venire vel aliquod prædictorum; & ad majorem firmitatem horum omnium habendam, singula & universa prædicta distributive & in unum collecta sæpe fatus magister juravit, quatuor sacro-sanctis evangeliis corporaliter a se tactis, promittens sub virtute ejusdem juramenti dicto abbati stipulanti quod de ipso juramento remissionem seu indulgentiam aut licentiam contraveniendi a domino papa vel ab aliquo alio nullatenus postulabit; nam ita concessit hæc omnia & singula idem magister frater Guillelmus *Marra* quæ prædicta sunt supra dicto abbati Fuliensi & conventui, omni intervallo postposito & remoto; in his vero venerabilis pater R. Dei gratia Tolosanus episcopus, auditis & consideratis diligenter omnibus & singulis, concessit & suum pium præbuit assensum, & eadem sua authoritate approbavit & etiam confirmavit. Actum est hoc decimo quinto die in introitu mensis Martii, regnante Ludovico rege Francorum, & Alphonso Tolosano comite, R. episcopo, anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo ab Incarnatione Domini. De prædictis omnibus & singulis contentis superius, testes sunt Vitalis de Sernino bajulus de Murello pro domino comite Convenarum prædicto, & B. de sancto Lari miles, & Vitalis Forinus, de Burgenconovo mercator, B. de Insula Tolosæ subvicarius, Guillelmus de Murello mercator, excepta tamen concessione dicti domini episcopi, de qua sunt testes Bernardus Isarnus archipresbyter de Murello, & frater Joannes abbas Alnarum, & Guillelmus Unaudus, & Benedictus de Miramonte milites, & Galhardus frater ipsius Guillelmi Unaudi, Petrus Raymundus Danstius fuit ad totum præsens, & est de toto testis, & cartam istam scripsit.

XIX.

Ex autographo in archivis ecclesiæ Tolosan. asservato. 1317.

Bulla Johannis papæ XXII de erectione episcopatus Rivensis.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Ad divini cultus augmentum piis intendentes affectibus & ad salutem populi, quem in civitate & diœcesi Tolosana sic multiplicavit Altissimus, quod per unum antistitem salubriter gubernari non poterat, quin potius ad ejus regimen exigente messis multitudine ac latitudine requirente diœcesis pluribus operariis opus erat, paternis desideriis anhelantes, nuper præmissis ex causis & aliis quæ nostrum & fratrum animos ad id rationabiliter induxerunt episcopatum Tolosanum, ejusque reditus quorum opulentia copiosa pluribus potest abunde sufficere, de fratrum ipsorum concordi consilio & de apostolicæ plenitudine potestatis per quinque civitates & diœceses duximus ut sequitur dividendos: ut videlicet præter civitatem Tolosanam, quæ suam propriam & distinctam habebit diœcesim auctoritate apostolica limitandam, in subscriptis quatuor villis, quarum quamlibet insignivimus vocabulo civitatis, sint quatuor quas ibi de novo apostolica auctoritate creavimus ecclesiæ cathedrales, quatuor distinctas diœceses habituræ; una videlicet in loco seu villa Montis-Albani, olim Caturcensis diœcesis adjecta sibi certa parte diœcesis Tolosanæ, cui de dilecto filio BERTRANDO abbate monasterii dicti loci Montis-Albani: alia in villa S. Papuli, cui de dilecto filio Bernardo abbate ejusdem loci: alia vero in villa Lumberiaci, cui de dilecto filio Arnaldo Rogerii abbate ejusdem loci: & reliqua in villa de Rivis olim Tolosanæ diœcesis, cui de dilecto filio Guillelmo de Brutia decano Bituricensi duximus providendum. De bonis autem reditibus, proventibus & juribus di.... dan episcopatus Tolosani decem millia, & singulis aliis prædictis ecclesiis singula quinque millia librarum Turonensium annui reditus, quæ quidem unicuique illarum dignitate & onere & circumstantiis aliis attente pensatis debere sufficere vidimus, verbaliter providimus assignanda; totali bonorum, redituum, proventuum & jurium ipsorum residuo, necnon beneficiis omnibus ecclesiasticis, etiamsi dignitates, officia vel personatus existant, & curam habeant animarum, dummodo ea quis per electionem minime assequatur, nec in eis vel ad ea sit auctoritate litterarum apostolicarum alicui vel aliquibus jus aliquod adquisitum: quibus per id nullum volumus præjudicium generari: vacantibus nunc & quæ à die divisionis prædictæ vacaverit, vel in antea usque ad distinctionem vel limitationem prædictarum diœcesum in civitate ac ipsa quondam diœcesi Tolosana vacabunt, dispositioni nostræ ac sedis apostolicæ reservatis. Et quia civitatem & ecclesiam Tolosanam, sicut solenniori statu & jurisdictione potiori præfulget, sic & grandioris honoris titulis censuimus efferendam, eam de consilio & potestatis plenitudine memoratis in archiepiscopalem ereximus seu metropoliticam, & tam prædictas quatuor, quam Appamiarum ecclesias lubentius eidem in suffraganeas suas esse decrevimus: ut ipsa Tolosana ecclesia quasi mater honorificata quinque sub se filias reperiatur habere, prout hæc & alia in apostolicis litteris exinde confectis plenius continentur. Ne igitur in præjudicium .... per nos factarum ut præmittitur, aliquid attentetur, & in ecclesiarum dispendium prædictarum reditus, proventus & jura dicti olim episcopatus, per occupationes dilapidationis vel dissipationis ... . proventus, jurisdictionem tam temporalem quam spiritualem, & omnia jura quæcumque & ubicumque sistentia, quæ ad ipsum episcopatum quondam divisionis prædictæ tempore pertinebant & pertinere debebant .... vel divisa ad nostram & apostolicæ sedis manum de ipsorum fratrum consilio a die prædictæ divisionis, ut præmittitur, per nos factæ posuimus & ponimus, ea per deputandos a nobis vel a sede prædicta obligari .... reservari volentes, donec cuilibet ex quinque prædictis ecclesiis facta fuerit realis assignatio, ut præmissum est de eisdem, & de residuo redituum & proventuum ipsorum & jurium nos vel eadem sedes, prout expedire videbimus .... andum. Inhibentes quibuslibet collegiis, capitulis aut conventibus, universitatibus & personis, cujuscumque status, ordinis, dignitatis & conditionis existant, etiamsi archiepiscopali, episcopali aut regia perfulgeant dignitate .. .. præfatos deputandos a nobis vel sede prædicta in receptione, perceptione, collectione ac conservatione redituum, proventuum & jurium prædictorum, vel jurisdictionis exercitio, qualitercumque impediant, neve de ipsis reditibus, proventibus & juribus quicquam percipiant, colligant, alienent, dissipent aut consumant, vel quovismodo contra assignationem & reservationem prædictas, ad ea per se vel per alios manus extendant, aut dicta beneficia per nos reservata conferant, vel de eis ordinent seu disponant absque nostro vel sedis ejusdem beneplacito vel mandato, ac decernentes irritum & inane si secus a quoquam super his quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: alioquin in contrarium facientes, nisi infra octo dies post publicationem præsentium resipuerint cum effectu, & ea quæ de reditibus, proventibus & juribus antedictis perceperint, habuerint vel alienaverint, contra inhibitionem nostram hujusmodi statuerint integre hiis qui per nos vel sedem eamdem super hoc fuerint deputati, & quæ circa ipsa beneficia attentaverint, revocanda duxerint, & in statum pristinum reducenda, excommunicationis in personas, & interdicti in universitates, & suspensionis sententias in collegia, conventus sive capitula auctoritate apostolica promulgamus, a quibus non nisi per Romanum pontificem absolutionis beneficium, præter quam in mortis articulo valeant obtinere. Datum Avenioni V idus Julii pontificatus nostri, anno primo.

XX.

Fragmentum alterius bullæ ejusdem papæ, qua declarat Pilum-fortem Legionensem electum a se translatum ad Rivensem ecclesiam.

DILECTIS filiis Bartholomæo abbati monasterii Electensis Narbonensis diœcesis, & magistris 1318.
Ayquelino Engolismensi ac Raymundo Raimbaldo Avallonen. Æduen. archidiaconis, & Berengario de Olargiis Capillano nostro nostrique palatii causarum auditori, canonico Narbonensis ecclesiæ, salutem. Dudum civitatem de Rivis tunc villam Tolos. diœcesis in civitatem ereximus, & in dilectum filium Pilumfortem Rivens. tunc Legionensem electum direximus oculos, & ad præfatam Rivensem ecclesiam sic in cathedralem erectam duximus transferendum, &c. Datum Aven. idib. Novemb. anno 2.°

XXI.

Fundationes ab episcopo Tarbiensi factæ in monasterio Lesatensi.

IN Christi nomine. Anno ejusdem millesimo tre- 1326.
centesimo vigesimo sexto, die Martis in crastinum Translationis Beati Antonii quæ dies est, & erat decima die introitus Junii, regnante Carolo rege

Francorum & Navarræ, & Joanne Rivensi episcopo. Noverint universi quod reverendus in Christo pater dominus Guillelmus Unaldi digna Dei providentia episcopus Tarbiensis personaliter constitutus in capitulo monasterii Lesatensis Rivensis diœcesis ordinis Cluniacensis, venerabilibus pariter & viris religiosis domino Pontio Dei gratia abbate dicti monasterii Lesatensis, & dominis Raymundo de Monte-moreno priore claustrali, Rogerio de Baneriis subpriore, Bonifacio de Falgario priore de Patricianis, Bonifacio de Falgario priore de Arnespo, Guillelmo Gassiæ camerario, Petro de Lorda operario, Hugone de Piribus ostiario, Aymerico de Castro-novo cantore, Geraldo de Malo-leone priore de sancto Michaële de Monte-Sabaoth, Galhardo de Sarrauta priore de Fossato, Raymundo de sancto Felice priore sancti Antonii Tolosæ, Pontio Garaudi priore de Fustignaco, Bertrando *de Martras* priore de Durosorti, Guillelmo Arnaldo de Monte, Joanne de Chalmonte, Boneto Alamanni, Odone de Lupo-alto, Arnaldo de Palheris, Rogerio de Benca, Raymundo de Serris, Rigaudo de Vantruilla, Arnaldo de Folheraco, & de Gariga, & Bertrando de Canhaco monachis ipsius monasterii, & in ejusdem monasterii capitulo præsentibus congregatis, & existentes conventum facientes suum quod generale capitulum inibi tenentibus, facientibus & celebrantibus, prout ipso die fieri, teneri & celebrari annuatim per ipsos dominos abbatem & conventum est in dicto monasterio hactenus consuetum, idem reverendus dominus episcopus in mei notarii publici & testium infra scriptorum præsentia, dixit, requisivit & instanter supplicavit, voluit, statuit, ordinavit & constituit in modum qui sequitur, & in formam in Dei nomine, amen. Quoniam ad vineam vocati dominicam, ne ab ejus revocentur cultura, & denario retributionis æternæ fraudentur, nunc a mundo in paludosam suæ cupiditatis foveam modo a carne in fetidum illecebrositatis suæ carcerem, nunc a diabolo in ruinosam superbiæ suæ perniciem impellantur, sedulo elaborandum est eis, & quia contra hostes hujusmodi & impulsus eorum propriis in die contravenire non possint subsistere, nisi viribus virtuosorum secum triumphantium vocem, & militantium suffragiorum habeant comitatum. Quia igitur nos Guillelmus Hunaldi miseratione divina episcopus Tarbiensis, ad monasterium Lesatense Rivensis diœcesis, ordinis Cluniacensis, in quo dudum professionem fecimus monachalem, & a quo etiam bona plurima spiritualia & temporalia procul dubio recepimus nosque recepisse fatemur specialiter, & merito gerentes devotionis affectum, dudum disposuimus, cum regimini abbatiæ dicti monasterii licet immerite præsidebamus, tam pro nostra quam consanguineorum nostrorum animabus, quam etiam pro benefactoribus nostris, unam capellam contiguam illi domo Dei sive hospitali, per nos, in honorem & magnificentiam almi patris Antonii abbatis & confessoris in dicto monasterio quiescentis ante portam ecclesiæ dicti monasterii, constructæ tempore regiminis supradicti infra septa dicti monasterii fundare, duosque obitus vel anniversaria specialiter pro animabus nostri & parentum ac consanguineorum nostrorum constituere in capella supradicta; ideoque dispositionem nostram hujusmodi volentes deducere ad effectum, idcirco ordinamus quod in capella quam infra septa dicti monasterii in præsenti ædificari faciemus, duo fiant altaria, primum scilicet in parte dextri lateris, sub nomine & honore S. Laurentii martyris: secundum in parte sinistri lateris, sub honore Omnium sanctorum quorum patrociniis nostram parentum, fratrum, sororum, consanguineorum, & benefactorum nostrorum ac prælatorum & personarum nostræ Tarbiensis ecclesiæ in dicti monasterii Lesatensis animas specialiter commendamus. Item ordinamus quod in dictis capella & altaribus duæ sint capellaniæ perpetuæ

A convenientibus redditibus ac decentibus per nos, seu alios nostri nomine, de bonis per nos jam ad hoc specialiter acquisitis inferius specificatis, & aliis in posterum acquirendis dotatæ sint, & capellanos singulos habeant, qui debeant omni die causa cessante legitima, prout inferius clarius ordinabitur, celebrare, & subire onera infra scripta, & quod capellaniæ & capellani hujusmodi suam denominationem accipiant a dictis altaribus seu sanctis superius nominatis. Item ordinamus quod quandiu vita nobis fuerit in humanis missæ dicendæ per dictos capellanos in altaribus supra dictis celebrentur juxta modum infra scriptum, videlicet diebus dominicis de hoc de quo diebus illis divinum officium peragetur, vel de Trinitate, juxta arbitrium celebrantis: secunda feria de mortuis: B tertia vero feria de sancto Benedicto, quarta de beato Antonio, quinta de beato Laurentio & omnibus sanctis in quorum honorem altaria erunt ædificata: sexta de Cruce: Sabbatho de Virgine gloriosa, nisi festa alia quæ in monasterio prædicto sub duplici officio celebrantur, diebus illis contigerit evenire; quibus supervenientibus & omnibus aliis diebus supra dictis quibus ut prædicitur non de mortuis celebrabunt, statim missis ipsis expletis, officium missæ mortuorum pro parentibus, fratribus, sororibus, consanguineis, benefactoribus nostris, necnon prælatis, personis ac benefactoribus ecclesiæ nostræ Tarbiensis, & monasterii Lesatensis prædicti, dicti presbyteri recitabunt, & postea deposita solummodo casula, ad tumulum consanguineorum vel nepotum C nostrorum, si in dicto monasterio fuerint, accedere: vel si tumulus hujusmodi ibi non fuerit ante altare in quo celebratum fuerit cum aspersione aquæ benedictæ absolutionem pro parentibus ac ipsis fratribus, sororibus, consanguineis & omnibus aliis supradictis, cum orationibus convenientibus facere teneantur. Quibus autem diebus prædictis festivis & etiam non festivis uterque presbyter dicet pro secunda oratione in introitu missæ pro nobis, *Deus qui justificas impium;* & pro tertia, *Deus qui charitatis dona, &c.* pro consanguineis & amicis nostris, ac præfatis personis & & benefactoribus supradictis. Postquam vero nos migraverimus ab hac luce ii presbyteri missas suas celebrent de officio mortuorum nisi diebus festivis aut interdum votiva devotio celebrantium seu præ- D sentia personæ notabilis de aliquo alio quam mortuorum officio suaserit celebrari, eo semper servato, sicut in alio casu præmittitur, quod finitis missis talibus, dicatur statim per celebrantem missale officium mortuorum, & tam in missa de mortuis quam in officio prædicto post alias missas dicendo, 1.° dicatur pro nobis illa oratio, *Deus qui inter Apostolicos, &c.* pro parentibus vero nostris & aliis supradictis dicantur orationes competentes, secundum quod celebrantibus videbitur faciendum, & nihilominus postea fiat absolutio & tumuli visitatio, si nos in dicto monasterio contigerit sepeliri, ut in alio casu præfertur, dicendo prius pro nobis orationem prædictam, *Deus qui inter Apostolicos, &c.* eo tamen semper servato quod in omnibus missis prædictis tam ante quam post mortem nostram dicent capellani E præfati, tam de nobis quam de parentibus, fratribus, sororibus, consanguineis, prælatis, personis & benefactoribus supra expressis, infra missæ canonem in locis & modis convenientibus, memoriam habeant specialem; cæterum quia verisimile credimus & speramus quod nobilis vir Rogerius de Monte-alto nepos noster, & dominus castri de Monte-alto de cujus genere traximus originem, suique in castro eodem heredes tamen propter se quia tam ipsi quam nostri parentes participes erunt bonorum quæ in hujusmodi capellaniarum ordinatione sequentur, tam etiam propter nos ad quem specialem habebunt & habere debebunt affectum, utilitatem & statum prosperum capellaniarum nostraru, immerito affectabunt,

& instanter ac fideliter prosequentur. Quodque de bonis ac juribus capellaniarum ipsarum, & de capellanorum personis, quantum eis licere poterit, tanquam præsentes, propter vicinitatem monasterii & castri prædictorum curam habere poterunt opportunam, & ut etiam multas difficultates & incommoditates vitemus, quæ ex constitutione alterius patroni a dicto monasterio plus distantis necessario sequerentur, ordinamus, statuimus & decernimus quod patronus dictæ capellæ & jus præsentandi ad dictas capellanias, plene pertineat ad prædictum nobilem, & suos in dicto castro perpetuos successores. Item ordinamus quod infra duos menses postquam dicta capella fuerit complete ædificata & in posterum, & cum dictæ capellaniæ vacabunt, a vacationis earum notitia computandos, debeant personæ idoneæ per præordinatum dictæ capellæ patronum vel ejus legitimum procuratorem, pitanceriis dicti monasterii, vel iisdem pitanceriis absentibus aut in hoc nequeuntibus vel nolentibus convenire, uni de pitanceriis & priori claustrali, vel eo absente, subpriori dicti monasterii qui pro tempore fuerint, præsentari, quodque ipsi pitancerii, vel ipsis absentibus aut in hoc nequeuntibus vel nolentibus convenire, unus de pitanceriis & prior claustralis, vel eo priore absente a monasterio, subprior dicti monasterii præsentatas sibi personas hujusmodi ad capellanias easdem, & ipsarum quamlibet infra sex dies immediate sequentes admittere & instituere teneantur, & licet forsan persona hujusmodi idonea eisdem primo præsentata exstiterit per dictum patronum, adhuc infra eosdem duos menses possit secundo per eumdem patronum alia persona idonea præsentari, qui si secundo præsentata non fuerit idonea, ex tunc dicti pitancerii vel unus de pitanceriis cum priore claustrali vel subpriore dicti monasterii in altero casuum prædictorum possint infra quindecim dies sequentes duntaxat de capellania hujusmodi illa vice in personam idoneam ordinare, quod si non fecerint, jus præsentandi ad capellaniam camdem eo ipso ad dictum patronum & suos heredes libere revertatur. Et idem in casu negligentiæ ordinamus quod videlicet si patronus infra illos duos menses nullam personam præsentaverit ad capellaniam sic vacantem, dicti pitancerii vel unus de ipsis cum priore vel subpriore prædictis in altero casuum prædictorum ordinare possint infra sequentes quindecim dies duntaxat hac vice de illa; & nisi hoc fecerint, jus præsentandi revertatur eo ipso libere ad patronum & ad suos heredes. Item ordinamus quod ad aliquam de capellaniis hujusmodi aliquis præsentari possit minime, nisi tempore præsentationis presbyter fuerit, aut saltem talis ætatis & conditionis quod infra octo menses possit ad sacerdotium promoveri; & nisi justo impedimento cessante ad sacerdotium infra dictum tempus promotus fuerit, eo ipso & absque monitione qualibet capellaniam ipsam amittat, nec ad illam nec ad aliam per sequens .... reassumi valeat vel assumi. Item quia dignum est ut ii qui cum aliis vitam suscipiunt similem in moribus sentiant disciplinam, idcirco ordinamus quod capellani dicant una cum conventu sequendo chorum officium monachorum dicti monasterii diurnum pariter & nocturnum. Item ordinamus quod cum aliquis de capellanis hujusmodi capellaniam suam per mortem aut alio quocunque modo dimittet, partem redituum, quos illo anno, ratione capellaniæ suæ perceperit pro rata sequentis temporis ejusdem anni suæ capellaniæ dimittere teneatur. Item ordinamus quod presbyteri præsentati ad dictas capellanias, continuam residentiam in villa Lesati facere teneantur, nisi ad tempus aliquod dicti pitancerii vel prior claustralis dicti monasterii se absentandi a dicta villa licentiam eisdem aut eorum alteri duxerint concedendam, quo casu usque ad regressum suum absens presbyter, in missa & officio defunctorum, & aliis supradictis providere habeat de

A idoneo servitore qui divinum servitium in dicta capellania per omnia faciat, sicut ipse si præsens esset, illud facere teneretur, & idem faciendum volumus & etiam ordinamus cum ipsos presbyteros aut eorum alterum infirmari adeo contigerit quod non possit suum ut prius officium exercere, aut pro suis culpis excommunicari quomodolibet aut suspendi seu interdici. Item ordinamus quod præsentati ad capellanias hujusmodi, statim cum fuerint ad illas admissi, jurent ad sacra Dei evangelia manu tacta in manibus dictorum pitanceriorum, præsente patrono vel ejus procuratore, & sub testimonio publici instrumenti, & de residentia per eos in dicta villa, & de juribus & ornamentis & bonis aliis capellaniarum ipsarum & dictæ capellæ fideliter observandum, & de non assumendo vel

B exercendo officia vel servitia ecclesiastica vel temporalia aliquorum per quæ a divino officio retrahantur, & de dimittenda parte redituum receptorum per eos capellaniis suis cum eas per mortem vel alias quomodocumque dimiserint, sicut est superius ordinatum; & ultra juramentum hujusmodi pro parte prædicta efficaciter obligent in instrumento prædicto, omnia bona sua mobilia & immobilia, præsentia & futura, ut si forsan casu aliquo contigerit ipsos partem hujusmodi expresse non dimittere, ut præfertur, ad bona eorum haberi possit & habeatur recursus pro parte illa; & si aliquo casu contingat juramentum & obligationem hujusmodi non fieri tempore supradicto, fiat nihilominus postea sub eisdem modo & præsentia, præsertim cum per dictum patronum seu prædictos

C pitancerios, aut aliquod officium vel administrationem in prædicto monasterio obtinentes fuit hoc petitum. Item ordinamus quod quamdiu vacabunt capellaniæ hujusmodi, & quamdiu etiam assumpti ad eas sacerdotes non erunt, seu jam promoti missas suas continue non incœperint, vel postquam incœperint quicumque ipsas neglexerit celebrare, deserviatur eis per alios exteriores sacerdotes, quibus tam de his quæ juxta præmissa dimittent capellani morientes, seu capellanias ipsas quomodolibet dimittentes, quam de capellaniarum ipsarum vacantium reditibus, prout congruum fuerit, satisfiat, assumpti quoque ad capellanias easdem nihil omnino recipiunt de illarum reditibus pro tempore vacationis illarum; nec pro alio & sequenti tempore promotionis eorum ad sacerdotium præcedente, sed tunc demum cum ad sacer-

D dotium promoti fuerint, recipiant capellaniarum reditus pro rata sequentis temporis anni illius, ut verbi gratia, si duæ partes anni ante diem promotionis ipsorum ad sacerdotium effluxerint, tertiam tantum partem recipiant de reditibus anni ejusdem, & sic de aliis anni partibus observetur, ut scilicet pro media parte anni, medietatem redituum, & pro tertia parte anni, tertiam partem redituum, & sic de aliis capellaniæ dimittant, computatis tamen in parte hujusmodi dimittenda reditibus illis qui in dicta parte anni capellaniæ debuerunt certitudinaliter obvenire, & tam pro ipso quam pro omnibus sequentibus casibus in festo Omnium sanctorum annum incipi volumus & finiri: illud autem residuum quod de prædictis reditibus in casibus hujusmodi & quibus-

E cumque aliis remanebit, in communes capellaniæ seu capellaniarum ipsarum utilitates sive necessitates integraliter & confideliter convertatur. Item ordinamus quod dicti pitancerii teneantur, omni fraude cessante, dicto patrono vel ejus certo procuratori, expensis ipsius patroni, vacationem dictarum capellaniarum, vel alterius earum infra biduum intimare, sane ut onera & labores quæ ex prædictis dicti presbyteri subire habebunt, eo ipsis leviora existant, quo ex eis ultra diem retributionis meritum & sanctorum quorum altaribus inserviant favorem benevolum emolumentum senserint temporale, ideo constituimus, ordinamus & assignamus dictis capellaniis pro dote ipsarum, & pro prædictis & infra scriptis oneribus

fupportandis, omnia & fingula bona, & jura quæ quondam fuerunt Petri de Siuraco habitatoris villæ Lefati, infra diftrictum & tenementum dictæ villæ Lefati fituata, inferius defignata & latius confrontata, videlicet totam domum, vineam & terram contiguas, fitas apud Lefatum inter honorem Arnaldi de Podio-venti & honorem Petri de Villario de Caftagniaco, & inter carrerias publicas & fuis partibus, & omnia illa quarta & oblias quæ & quas dictus Petrus de Siuraco quondam habebat & percipiebat in illis vineis quæ funt verfus peraredam, inter vineam magiftri Guillelmi de Paderno notarii, & inter exitum vinearum de Peraredis a parte inferiori ex duabus partibus, & inter carreriam publicam. Et etiam illa omnia quinta aggreria, & media aggreria & oblias illas quæ & quas præfatus Petrus de Siuraco quondam habebat & percipiebat in illis vineis & terris quæ funt apud Marfacum, infra diftrictum & tenementum de Lefato, inter adjacentias infra fcriptas; quæ quidem vineæ & terræ fituantur & confrontantur inter vineas Raymundi de Vanigrina, Joannis Caufiti heredis Petri Mercerii, quondam heredis Petri de Garigaffio clerici quondam, & inter terras Arnaldi podii-venti & rivum vocatum *Gutta major*, & deinde afcendendo per dictum rivum inter terras Guillelmi Olerii de Laura dicti d'Aura, & defcendendo per dictas terras inter rivum de Ponte-nauterio, & terras Bernardi de Bovila, & afcendendo deinde per Serram inter vineam Bernardi Marfilii quondam, & omnes illas oblias quas prædictus Petrus de Siuraco habebat & percipiebat a nonnullis habitatoribus villæ de Lefato, in honoribus & poffeffionibus qui vel quæ funt fituati in loco vocato de Potte-nauterio, inter carreriam publicam ex una parte, & inter terras heredum Bernardi Sotis quondam, & heredum Guillelmi Lauzo quondam & nemus *de Scaudegat* domini abbatis, & inter honores Petri Frumenti & Raymundi Frumenti, & rivum de Ponte-nauterio & aliis partibus, & in illis honoribus & poffeffionibus qui & quæ funt in eodem loco de Ponte-nauterio inter duas carrerias publicas & rivum de Ponte-nauterio, & terram Raymundi Vitalis, fex quidem nomina habentium & tenentium poffeffiones & honores ad oblias quarta, quinta, & ad agraria & media agraria, & fummas obliarum ipfarum, & aliorum oblias facientium in inftrumentis infeudationum dictarum poffeffionum & honorum plenius continentur, nobis per Bernardum de Monte-albano cum publico inftrumento vendita, necnon & alia quædam bona per nos ob hanc caufam emenda; ita quod omnia & fingula bona hujufmodi, & jura ad dictas capellanias & ad opus dictorum capellanorum, & infra fcriptorum onerum fupportandorum debeant perpetuo pertinere, fic quod aliquid quantumcumque modicum de dictis bonis per dictos capellanos, feu per dictum dominum abbatem feu fucceffores ipfius, vel per conventum prædictum vel per pitanecrios fupradictos, feu quemcumque alienari, & confentiente patrono prænominato nequeant perpetuo vel ad tempus nec de bonis fupradictis aliquid occupari, feu aliis ufibus in toto vel in parte aliqua transferri vel aliquatenus occupari; fi vero dicta bona ad alios ufus quam fupra expreffos contingeret quomodocumque vel quamcumque perfonam converti vel mutari, vel dictam noftram ordinationem non fervari, volumus quod nec alienantem, aut in parte vel in toto mutantem, aut illum feu illam in quem feu quam fieret feu transferretur alienatio, aut illam etiam immutationem per quemcumque & quomodocumque factam de rebus in rebus prædictis immutant, quanticumque temporis lapfus feu præfcriptio, aut ufus feu confuetudo contraria, & caufa cujufcumque hujus præfcriptionis lapfus feu confuetudinis quæcumque exifteret, per quam vel in toto vel in parte noftræ piæ intentionis, ordinationis, affignationis & donationis præmiffæ, aut & quæ fequuntur poffent a quocunque violari aut infringi, ex nunc tanquam noftræ intentionis rationem & inditium penitus judicamus, & ipfam caufam irrationalem quantum poffumus, ac ex eo fecutam confuetudinem, ufum feu præfcriptionem, aut quidquid aliud ex nunc & ex tunc declaramus, & contra noftram piam & deliberatam intentionem, & deliberationem ac ordinationem, hoc autem falvo quod fi aliquis de dictis capellanis qui pro tempore fuerint bajulus dictarum capellaniarum meliora profpiciens bona prædicta vel aliqua ex eis, ob utilitatem dictarum capellaniarum cum aliis bonis providerit permutanda, aut in emphytheofim feu acaptum concedenda, prædicti pitancerii cum priore clauftrali & facrifta dicti monafterii, vel eorumdem altero, juramento ab ipfo capellano, bajulo & altero capellano prius recepto, quod credunt hoc quod tractatur dictis capellaniis certitudinaliter expedire, quatuor advocent homines, quos juxta eorum confcientias noverint fapientes in talibus & expertos, quos ad bona dictarum capellaniarum de quibus permutandis, ac etiam ad bona alia de quibus caufa permutationis hujufmodi præfatis capellaniis dandis agetur infpicienda propriis oculis & fideliter, & etiam debite & diligenter confideranda habeant deftinare, juxta quorum relationem fidelem ab ipfis quatuor hominibus inde factam, permutationes aut conceffiones prædictas de confenfu totius conventus aut majoris partis prædicti monafterii & non aliter ordinentur, & quod dictus dominus abbas feu ejus locum tenens habeat concedere, & auctoritatem fuam feu Laudaminium in hoc fine difficultate præftare, ita tamen quod venditio & impignoratio, feu quodcumque aliud emolumentum inde proveniens, fit & veniat ad capellanos prædictos. Et ordinamus quod dominus epifcopus Rivorum qui pro tempore fuerit, ad cujus fpectat officium facere inviolabiliter pias ordinationes in fua diœcefi obfervari, ut dictam noftram ordinationem fervari faciat & compleri, aut in eis feu de ipfis immutata aut alienata ad noftræ piæ præmiffæ & fequentis ordinationis formam, ftatum & modum revocari, etiam omni exceptione ceffante. Item ordinamus quod in capella prædicta fit femper annualis bajulus unus de capellanis prædictis, qui cuftodiam calicis, librorum, ornamentorum & omnium aliarum rerum fervitio dictæ capellæ, & ejus altarium deputatarum & in pofterum deputandarum habeat: necnon dictarum capellaniarum reditus pro tempore quo vacabunt, & affumpti ad eas facerdotes non erunt, & partem etiam per capellanos morientes, feu capellanias fuas aliter dimittentes, ut præmittitur, dimittendam exigere & recipere, & in fervitium capellaniarum ipfarum vacantium aut capellaneos facerdotes non habentium, & illud quod hoc facto fupererit in utilitates feu neceffitates, ut præfertur, communes convenerit, ut cuftodes etiam capellaniæ & capellaniarum quandiu ipfæ capellaniæ vacabunt, & donec etiam affumpti ad illas facti fuerint facerdotes habere, & in utilitates ac neceffitates alias communes ipfius capellaniæ profequi, de rebus omnibus & ipfarum rerum bonis inventarium conficere teneantur: bajuliam autem hujufmodi teneant capellani prædicti fingulis annis, unus poft alium fucceffive, juxta ordinationem per quam funt fuperius nominati, ita quod dicti capellani fub dicto ordine fuæ nominationis bajuli fiant, & bajuli effe definant ipfo facto per principium & finem anni ejufdem, hoc falvo quod fi eorum aliquem contingeret juftam circa hoc excufationem habere, aut fi etiam non expediret capellaniæ ipfi quod ille bajulæ officium exerceret, ordinent in ipfo fine anni vel ante dicti pitancerii cum patrono, fi præfens fuerit, & alterius capellani deliberatione ac confilio, quod illo impedito vel inutili prætermiffo, bajuliæ officium tranfeat ad capellanum alium, feu potius remaneat qui utilis eft, & non impeditus exiftat.

Annus

Annus autem bajuliæ hujusmodi incipiet & finiet in festo primi altaris, & in ipso etiam festo in præsentia alterius capellani & dictorum etiam pitanceriorum, & patroni vel ejus procuratoris, supradicti pitancerii & patronus adesse opportune potuerint & voluerint. Bajuliam recipiens jurabit quod fideliter se habebit in ea, atque sub simili juramento illam dimittens prædictis pitanceriis vel uni ex ipsis, cum priore claustrali dicti monasterii, patrono aut ejus procuratore & alio capellano præsentibus, si commode potuerint aut voluerint interesse, legale computum de administratione sua reddere teneatur; & si hæc illa die facta non fuerint, fiant nihilominus postea, cum primum fieri potuerint, & maxime cum petitum fuerit per prædictos pitancerios & patronum; verum cum per nos jam dudum ordinatum fuerit, cum prædicto regimini monasterii Lesatensis præsidebamus, de consensu & auctoritate conventus dicti monasterii, quatuor fore capellanos ad servitium prædictæ domus Dei, qui deberent diebus singulis missas tunc ordinatas celebrare, idcirco prædictæ ordinationi adjecimus ut prædicti quatuor capellani in capellania & altaribus supradictis teneantur missas inviolabiliter celebrare. Item ordinamus quod prædicti sex capellani diebus singulis tam ante mortem nostram quam postea, matutinum & vesperas de officio mortuorum, sive in capella communiter, sive extra capellam bini vel singuli immediate post alias vesperas per conventum dicti monasterii recitandas, dicere teneantur, excepto quod diebus Lunæ & Mercurii cujuslibet septimanæ dicant illud omnino alta voce post dictas vesperas conventus communiter in capella. Et si qui ex eis diebus illis ab hujusmodi officio in capella ut præfertur dicendo ex aliqua causa defecerint, illud nihilominus per se dicant cum præfata oratione, *Deus qui inter apostolicos sacerdotes, &c.* semper post obitum nostrum dicenda pro nobis. Item ordinamus quod prædicti duo capellani sint ad servitium dictæ domus Dei, qui corpora infirmorum & pauperum residentium in dicta domo Dei, ibique decedentium cum superpeliciis & aliis ad sepulturam decentibus & necessariis, una cum aliis quatuor capellanis in prædicta ab alia ordinatione expressis, funerare teneantur seu tradere ecclesiasticæ sepulturæ. Item ordinamus quod omnes & singulæ oblationes panis, vini, candelæ, pecuniæ & cujuscumque alterius rei a Christi fidelibus infra dictam capellam perpetuis temporibus offerendæ per administratorem seu gubernatorem dictæ domus Dei vel alio loco ejus colligantur & recipiantur, & in usus pauperum & infirmorum, ac aliorum servitorum dictæ domus expendantur & convertantur, hoc salvo quod dictus gubernator seu administrator de candelis & intorticiis ac vestimentis missis in dicta capella celebrandis habeat perpetuo providere. Item volumus & ordinamus sex libras turonenses parvorum annui & perpetui reditus fore emendas per nos vel alium, vel alios nostro nomine & pro nobis, quæ die qua nostrum obitum seu anniversarium celebrari contigerit, distribuantur per bajulum dictarum capellaniarum, prout inferius declaratur: & quod dominus abbas & conventus monasterii Lesatensis qui nunc sunt & pro tempore fuerint, teneantur missam solitam pro defunctis annuatim tali die qua naturale debitum persolvemus, solemniter celebrare, & quod die qua noster obitus fiet solemniter, dominus abbas, si præsens extiterit & celebraverit, habeat de prædictis sex libris quadraginta solidos turonenses singulis annis, eo casu vero quo præsens non fuerit, vel præsens non celebraverit, decem monachi & presbyteri celebrent, & cuilibet dentur per dictum bajulum quatuor solidi turonenses de dictis quadraginta solidis: & residuum, si quod fuerit, illa vice per bajulum dictarum capellaniarum Christi pauperibus erogetur; ipsa autem die nostri obitus, volumus & ordinamus quod conventus habeat

A pro pitancia annuatim quadraginta solidos turonenses, assignamus pro oleo in duabus lampadibus argenteis quas jam fecimus fieri ponendo quoque die ac nocte perpetuo coram corpore & reliquiis beati Antonii confessoris & abbatis incendantur: ut tamen quæ præmissa sunt juxta nostræ intentionis piæ benevolentiam & affectum perpetuo valeant, & irrevocabili firmitate vigere: & nullius frustrari possit violentia atque facto a vobis venerabile patre in Christo Domino domino Pontio abbate monasterii Lesatensis Cluniacensis ordinis, Rivensis diœcesis, necnon & a vobis venerabilibus religiosis viris dominis prioribus & monachis ut conventum facientibus nunc in vestro generali capitulo per vos more solito celebrari in crastino translationis beati Antonii annuatim insimul B congregatis, & per vestrum alterum alteri licentiam concedendi & confirmandi prius concessa petimus suppliciter ac requirimus, quatenus auctoritatem in præmissis, & circa præmissa, ac etiam nostrum consensum expressum & publicum, necnon quantum ad vos pertinet confirmationem ad præmissorum perpetuam firmitatem præbere dignemini liberam & legitimam, & nihilominus ut vos venerabilis pater abbas prædictus, una cum vestro conventu concedatis, & consensum ac licentiam præbeatis vestri monasterii pitanceriis præsentibus & futuris, ac per eos suisque qui pro tempore fuerint successoribus universis, ac priori claustrali vel subpriori per nos ordinatorum superius ut præsentatum vel præsentatos eosdem sub, in & forma præmissis, ab eisdem recepto primitus juramento, & forma superius C contenta recipiant & instituant in capella a nobis ut diximus construenda, & altaria singula singulis assignent sic institutis presbyteris in eadem capella in quibus pro nostra ac præmissorum redemptione peccaminum corpus & sanguinem Domini nostri JESU-CHRISTI digne valeant & laudabiliter victimare, necnon insuper concedere dignemini ut si qui vel si quæ piæ devotionis affectu voluerint dare & legare dictis capellaniis & capellanis aliquas eleemosinas, perpetuos reditus, terras, domos, prata, vineas, vel alias quascunque possessiones in augmentum, quod hoc possint libere facere & absque contradictione aliquali, quodque nos possimus aut alius nostro nomine & pro nobis emere in nostro dominio temporali a quacumque persona nobili, perpetuos reditus vel hereditates D qualescumque necessarias & decentes, tam pro dotatione dictarum capellaniarum & aliorum redituum per nos assignandorum, quam pro obitu nostro, oleo lampadarum, & pitancia monachorum. Nos vero abbas prædictus auctorisantes & auctoritatem nostro conventui consentiendi præmissis, & laudandi, approbandi præmissa, concedimus & donamus. Nosque abbas necnon & conventus monasterii Lesatensis capitulantes, & capitulum facientes & celebrantes, auctorisati per dictum dominum abbatem, pium dicti episcopi & pro eo nobis supplicantis affectum attendentes, utilitatemque dicti monasterii & decorem: ipsumque volentes prout decet in augmentum divini cultus in suo laudabili proposito conficere, omnes & singulas ordinationes, petitiones, E supplicationes & voluntates, prout superius scriptæ sunt, & omnia & singula in præmissis & circa præmissa necessaria, quantum ad nos & nostrum quemlibet pertinet vel pertinere potest, vel poterit in futurum, concedimus & certa scientia laudamus, approbamus, & præsentes . . . . . . patrocinio communimus & concedimus habere perpetuum robur & firmitatem, sigillique nostri nos abbas nosque conventus, cum proprium sigillum non habeamus, dicti domini abbatis sigilli appensione fecimus & volumus communiri. Præsens instrumentum in testimonium præmissorum, & ut omnia & singula . . . . ordinata præmissa contenta valeant & inviolabiliter observata. Acta fuerunt hæc anno & die quibus supra

in dicto capitulo dicti monasterii Lesatensis, in præsentia & testimonio venerabilis viri domini Joannis de Falgario canonici Appamiensis, Arnaldi de Lantario domicelli, dominorum Petri de Santenerio rectoris ecclesiæ de Monte-galhardo Tarbiensis diœcesis, Jacobi de Bauro presbyteri, Germani Garaudi presbyteri, & mei Dominici Gagerii, publici notarii de Lesato qui hanc cartam scripsi requisitus & rogatus, cum alia ejusdem alphabeto divisa, & signo meo signavi, salva transpositione quæ in altera carta est: & alia si qua inveniatur, & salvis aliis interlinearis de quibus mihi notario constat. Et nos Guillelmus Hunaldi miseratione divina episcopus Tarbiensis prædictus, ad majoris roboris firmitatem omnium & singulorum præmissorum præsens instrumentum fecimus, & mandavimus sigilli nostri appensione muniri.

XXII.

Guillelmus cardinalis crucem & calicem argentea tradit Lesato.

1343. Venerabilibus & religiosis viris, & in Christo nobis carissimis dominis abbati & conventui monasterii Lesatensis, ordinis Cluniacensis, Rivensis diœcesis, Guillelmus miseratione divina tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis; salutem in auctore salutis. Agnoscat religionis vestræ sinceritas, quod nos ad memoriam revocantes beneficia plurima quæ in eodem monasterio vestro Lesatensi in quo & habitum religionis recepimus, & professionem fecimus monachalem, & a personis ejusdem pro tempore suscepimus, ad honorem Dei Omnipotentis, B. Mariæ Virginis, SS. apostolorum Petri & Pauli, ac B. Antonii, & aliorum sanctorum quorum reliquiæ in eodem monasterio venerantur, gratuita ac perpetua & irrevocabili donatione donamus & assignamus monasterio vestro Lesatensi præfato, quandam crucem argenteam deauratam, & armentatam ponderis quatuordecim marcarum vel circa, calicem argenteum cum patena deauratum, & etiam armentatum, & duas canetas argenteas deauratas, ponderis quinque marcarum vel circa; donamus & assignamus vobis & dicto vestro monasterio 200 florenos auri, ex quibus emantur per vos decem libræ turon. renduales pro dicto monasterio, & ad opera pia in usus infra scriptos expendendæ. Quæ omnia supradicta, videlicet crucem, calicem, patenam & canetas, ac 200 florenos realiter tradidimus venerabili ac carissimo nostro domino Pontio Dei gratia ejusdem monasterii abbati, per eum ad dictum monasterium fideliter asportanda. Caritatem vestram sinceram & amicitiam pro mentis affectu deprecantes ut statuere & ordinare velitis, & ad perpetuam rei memoriam in libris dicti vestri monasterii, ut in talibus est fieri consuetum in scriptis redigere, quod perpetuo bis in anno, diebus certis per vos statuendis fiat anniversarium & solemnis memoria pro nobis, & pro omnibus abbatibus & monachis dicti monasterii defunctis. Et quod die qualibet qua dictum anniversarium fiet, habeat conventus 50 solidos Turon. & abbas 10, si præsens fuerit, & capellani & pauperes hospitalis 10 solidos Turon. & nihilominus reficiantur 30 pauperes, vel dentur cuilibet pauperi 4 denarii turon. residuum vero de dictis decem libris applicetur pitantiæ, vel expendantur per eleemosynarium in pios usus, prout commodius pro salute animarum prudentiæ vestræ videbitur faciendum. Actum Avenioni sub anno Natalis Domini M. CCCXLIII, indict. XI, die XII mensis Julii, pontificatus domini nostri Clementis divina providentia papæ VI, an. 2.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ MONTALBANENSIS.

I.

Ex mss. cod. reg. Biblioth. olim Colbert. n.° 89.

Pacta inita inter Hugonem abbatem S. Theodardi & G. hospitalistam pro ecclesia de Verlhaco injuste acquisita ab eodem.

1121. NOTUM sit cunctis tam præsentibus quam futuris, quod ecclesia S. Saturnini de Verlhaco cum omnibus appendiciis suis ex magna antiquitate erat alodus S. Theodardi. Post multum vero tempus G. hospitalista & Bernardus Hugo de Frontaneo venientes acquisierunt eam de dompno Amelio Tolosano episcopo, & de militibus qui eam injuste possidebant, exclamante tamen dompno Hugone abbate sancti Theodardi cum monachis. Illis ædificantibus veniens dompnus Hugo supradictus Tholosam cum suis B monachis fecit querimoniam in præsentia dompni Amelii episcopi supradicti contra dictos hospitalistas qui aggressi erant alodem B. Theodardi; episcopus vero visa carta dictorum hospitalistarum, & injuriam quam fecerant dictis abbati & monachis S. Theodardi, de ecclesia de Verlhaco quæ est ultra flumen Tarni in episcopatu Tolosano .... & cognoverunt ea quæ facta erant male fecisse, & confirmaverunt se daturos duos solidos per unumquemque annum in die festivitatis S. Theodardi, supraque sancto suo altare posituros, deinde amicitiam & servitium in futurum .... & hoc tenere volunt ambo de licentia .... eorum majorum, tam pro se quam pro successoribus loci antedicti; & qui contra hoc venire C præsumpserit portionem cum Dathan & Abiron in infernum se noverit habiturum, & ad hoc faciendum & fideliter attendendum obligaverunt alodem, prout superius est expressum, brachio seculari & spirituali, & nos dictus abbas hoc ab eis recepimus nomine nostri monasterii antedicti. Ipsi viderunt qui hoc negotium fecerunt, & testes fuerunt dompnus Amelius supradictus episcopus, Raimundus Guiberti archidiaconus, Bernardus *de Mirabel* monachus, Raimundus *de Cassanhas* monachus, Tesanus Petrus monachus, Constantinus monachus, Petrus Raimundus miles, Tesanus Bonelli miles & frater ejus, Raimundus-Bernardus *Dozel*, Tesanus-Aimericus de Ranca-maura, Guillelmus *de Solacrop*, & Raimundus *de Solacrop* scriptor *que aquesta carta de* D *consensu de las pars* fecit in mense Septembris, sub die feria tertia, luna septima, regnante Lodoico Franciæ rege, Ildefonso comite, anno Domini millesimo centesimo vicesimo primo.

II.

Ex mss. cod. Biblioth. reg. olim Colbert. n.° 89.

Raymundus Geraldus se in monachum & decimam terrarum in eleemosynam dat Deo & sancto Audardo & Hugoni abbati.

1134. EGO Raymundus Geraldus dono me per monachum pro monacho Deo & sancto Audardo & domino Hugoni abbati, & dono in eleemosynam ipsi E monasterio omne decimum terrarum quod habeo vel possideo infra flumen Tarni, Mortarinum & *Fossat*, juste vel injuste per ipsam convenientiam. Ego Geraldus Amelli filius Raymundi Geraldi supradicti, dono & concedo omne decimum suprascriptum Domino Deo & sancto Audardo, & monachis ejusdem loci. Hoc donum, sicut supradictum est, fuit factum in plano in manu domini Hugonis abbatis, videntibus Bonito milite, Bernardo Pontio milite, Geraldo Clepis milite, Hugone *Bandos*, Raymundo Engolbaudi, Johanne priore, Raymundo sacrista. Facta est carta illa mense Julii, feria sexta, luna quarta, A anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo quarto, regnante Lodovico rege, & in Tolosa Ildefonso comite, Guillelmo Caturcensi episcopo. Dona-deus scripsit.

III.

Ex archivis domus publicæ ejusdem civitatis.

Carta fundationis urbis Montalbanensis.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi & beatæ Mariæ Virginis, hæc est testamenti charta. Notum sit omnibus hominibus quod Ildefonsus comes Tolosæ, 1144. dux Narbonæ, marchio Provinciæ; & Raymundus de sancto Ægidio ejus filius, dederunt locum qui vocatur *Montalba*, quod ipse comes misit ei tale nomen ad opus ædificandi villam sive burgum habitatoribus tam præsentibus quam futuris, retento censu & usibus suis. Census & usus tales sunt: de unoquoque casali, quod habeat sex astadias in latitudine & duodecim in longitudine, habeat dominus duodecim denarios de acapte, & omni anno a Martio servitium duodecim denariorum; & reacapte, quando evenerit, duodecim denarios; & si feudatarii qui acaptant honorem de domino comite, volunt vendere vel impignorare feudum, faciant hoc consilio domini comitis aut suorum ministrorum, ita ut dominus comes habeat de unoquoque solido venditionis unum denarium, & de unoquoque solido pignoris unum obolum. Usus talis est: de duobus sextariis avenæ quam asportabunt extranei ad vendendum, habeat dominus unam copam, de uno sextario mediam copam, si minus avenæ vendiderint nihil præbeant domino. De saumata salis quam extranei exportabunt, habeat dominus unam copam, & si extraneus emerit saumatam unam salis, habeat dominus unum denarium. Collaudarius extraneus qui attulerit salem ibi præbeat domino unam maillam, & collaudarius extraneus qui extraxerit salem præbeat unum pogesum; & de saumata vini quam extraneus attulerit ad vendendum, præbeat domino unum obolum, si minus attulerit, nihil. Et si extraneus vendiderit equum vel equam, vel mulum vel mulam, præbeat domino quatuor denarios; si asinum vel asinam vendiderit, præbeat domino unum denarium; si bovem vel vaccam vendiderit, præbeat domino unum denarium; si porcum vendiderit pretio duodecim denariorum vel plus, præbeat domino unum obolum, si minus vendiderit nihil det; si vendiderit extraneus arietem vel ovem, vel capram vel hædum, præbeat domino unum pogesum; si extraneus vendiderit corium, præbeat domino unum obolum; si vendiderit pellem arietis vel ovis, vel hædi vel capræ, vel minorum animalium, nihil præbeat domino. Macellarii habitantes in præfato loco de bove sive vacca unum denarium, & de porco qui se vendiderit ad macellum præbeat domino unam maillam. Panificus & panifica qui panem venalem fecerit singulis septimanis in prima feria præbeat domino unam maillam. Omnes sutores sive affactores extranei vel privati, qui ad mercatum præfati loci venerint, & merces officii sui attulerint omni anno, in die Omnium sanctorum præbeant domino sex denarios. Carbonellus faber habeat de laboratoribus suum censum, qui vulgo vocatur *Lause*, & faciat & reparet ferramenta molendinorum, retento ibi pretio & usu suo, & propter hoc præbeat domino acapte decem solidorum, & quinque solidorum reacapte quando evenerit; & quoties dominus venerit, ferret ei equum suum, si dominus voluerit, & faciat ferramenta clausuræ præfati loci, & ferramenta portæ stationis domini, quæ sita erit in præfato loco, & hoc cum ferro quod ei detur: cæteri vero fabri qui ibi steterint

Vide Cang. gloss. tom. 1. col. 365.

vel venerint causa peragendi officium suum, vel A vendendi merces officii sui, præbeant domino unum ferramentum sui officii. De crusellis quos extranei attulerint & vendiderint, præbeant domino quatuor denarios, & de barda duos. Qui molendinum ibi habent, habeant de sextario avenæ decimam sextam partem pro moldura; & qui furnum ibi habuerit, coquat sextarium avenæ pro obolo. Justitiæ domini tales erunt: de privatis clamoribus habeat dominus quinque solidos, de sanguinis effusione triginta solidos. Qui traxerit gladium contra alium quadraginta solidos, si vero percusserit aliquem cum gladio erit justitia secundum voluntatem domini: de furibus, & de homicidis & de falsatoribus erit justitia secundum voluntatem domini: de adulteris erit justitia de publicatione omnium bonorum suorum. Si quis venerit B in præfato loco causa habitandi vel ædificandi, liber sit & securus ab omni clamore extraneorum. Si comes vel sui volunt ibi albergare, faciant ita ut emant quod erit eis necessarium sine omni vi, quod ibi non faciant. Si dominus comes mandaverit, habitatores prædicti loci faciant pontem super Tarnum fluvium, & ponte facto dominus comes accipiat consilium cum sex probis hominibus melioris consilii habitantibus in prædicto loco, qui usus ibi imponant, unde supradictus pons teneri possit constructus & paratus. Et si homo vel femina de prædicto loco obierit, ordo quem ad mortem suam fecerit teneatur, & nullus homo sit ausus quærere ullam rem ultra præfatum ordinem. Et dominus comes Ildefonsus & Raymundus sancti Ægidii ejus filius, mandaverunt & C juraverunt super quatuor evangelia, quod præfatam villam non vendant, nec pignori obligent, non dent ad feudum, non mutent in alium locum, non faciant aliquam donationem de dominio hujus villæ, & per istam præfatam villam & usus quos ibi misit dominus comes, cepit magnam partem ex probis hominibus hujus villæ in homines (forte hominium) ut ipsi & sui, ut supra scriptum est, teneant ad bonam fidem. Hujus rei sunt testes Pontius de sancto Michaële, Raymundus Sarraceni, Guillelmus Pilifortis, Ademarius Caraboda, Petrus *de Roayx*, Tosetus filius, B. G. de Claustro, Petrus Vitalis, Petrus *de Librat*, Pontius *Astre*, Geraldus Rufelli, Robertus scripsit. Facta charta, de qua ista transcripta fuit, mense Octobri, feria secunda, regnante Ludovico rege D Francorum, Ildefonso Tolosano comite, Raymundo episcopo, anno Domini millesimo centesimo quadragesimo quarto.

IV.

Bulla Eugenii papæ III in gratiam Alberti abbatis S. Theodardi.

1145. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Arnaldo Narbonensi archiepiscopo, & Raimundo Tolosano episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Veniens ad præsentiam nostram filius noster Albertus S. Audardi abbas cum quorumdam fratrum nostrorum litterarum attestatione, gravem in præsentia nostra querelam deposuit, E quod Idelphonsus Tolosanus comes abbatiam sancti Audardi violenter destruit, villæ habitatores in abbatem & monachos consurgere, atque cum rebus & domibus suis ad alium locum transmigrare facit, abbatem ipsum & monachos fugere & velut exules ire compellit, duo castra in alodio ipsius monasterii, & tertium in terra quam ipsemet duobus millibus solidorum & ducentis eidem abbati vendiderat, ausu sacrilego construit, nec his contentus ad cumulum suæ nequitiæ graviora eis, videlicet pœnam & mortem minatur. Quia igitur res ecclesiasticas tam præsumtuose pervadere quantum sacrilegum sit, quantaque animadversione puniendum fraternitati vestræ non credimus esse incognitum, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus dilatione remota in unum convenientes, præfatum comitem ex nostra parte districte commoneatis ut præfatum abbatem & monachos suos in loco suo in pace manere permittat, castra in ipsius alodio monasterii ædificata diruat, & de damnis & illatis injuriis abbati & fratribus condigne satisfaciat, pravas quoque consuetudines quas in eadem abbatia & pertinentiis suis imposuisse dignoscitur, omnino aboleat. Quod si infra quadraginta dies post vestram commonitionem adimplere contemserit, in tota civitate ipsa Tolosa & in episcopatu, qui sub ipsius potestate est, divina prohibemus officia celebrari præter baptisma & pœnitentiam morientium. Vos autem ipsum interdictum donec supradicto modo satisfaciat, observari firmiter faciatis. Si vero nec sic resipuerit & in eadem malitia perseverare præsumserit, dissimulare non poterimus quin B. Petri manus & nostras in personam ipsius extendamus. Datum Viterbii nono calendas Julii.

V.

Concordia seu transactio Raymundum inter comitem Tolosæ & Amelium abbatem ac monachos sancti Theodardi, pro restitutione & confirmatione quorumdam jurium & possessionum. Ex cod. ms. reg. Biblioth. olim. Colbert. n.° 89.

IN nomine Domini. Ego Raymundus comes Tholosæ, dux Narbonæ, marchio Provinciæ per me & per omnes meos, per bonam fidem & sine omni enganno laudo & concedo, dimitto & reddo Domino Deo & monasterio sancti Audardi, & tibi Amelio ejusdem loci abbati, & omnibus monachis ejusdem loci præsentibus & futuris, omnem medietatem totius Montis-Albani, scilicet de omni dominio, de omnibus justitiis, de leydis, de aquis & de omnibus rendis, & de omnibus quæ pertinent ad dominium Montis-Albani, nunc & in perpetuum. Foris meum stagile quod ibi retinui & adhuc retineo. Terras autem quas extra ambitum & clausuram Montis-Albani ante ejusdem villæ constructionem abbas possidebat integre, laudo & concedo eas prædicto abbati ejusdemque monasterii monachis. Homines vero qui jam dudum ejusdem monasterii atque abbatis terras possidebant, & in prædicta villa Montis-Albani manent, concedo & laudo ut eas serviant abbati secundum modum terrarum. Item dono & concedo omnem medietatem insulæ Amatæ, scilicet de omni dominio, de omnibus justitiis, de obliis, de leydis & de omnibus rendis, & de omnibus quæ pertinent ad dominium insulæ Amatæ. Dono etiam omnem medietatem de meis terris & de dominiis terrarum quæ continentur inter Tarnum & Avenionem, scilicet *de Bretenour* & *de Legres*, & de aliis terris meis quæ sunt juxta insulam Amatam. Item dono & concedo medietatem supradictorum fluminum & utrarumque riparum, & accessus earum. Ecclesias vero quæ in locis supradictis ædificatæ erunt, plenarie & integre cum omnibus juribus ecclesiasticis laudo & concedo prædicto abbati atque ipsius monasterii monachis nunc & in perpetuum. Insuper etiam constituo & concedo totum monasterium sancti Audardi, cum omnibus suis juribus, liberum & immune & quittum ab omni meo servitio & meorum successorum nunc & in perpetuum. Hæc omnia præscripta ego Raymundus comes dono & concedo, ut in perpetuum firma & illibata permaneant apud præfatum monasterium S. Audardi, nihil mihi retinens vel posteris meis. Concedo etiam ut homines quos abbas adduxerit vel venerint ad habitandum in veteri villa, sint liberi & immunes ab omni meo servitio per quindecim annos. Totum hoc donum & hanc concordiam, sicut supradictum est, suscepit abbas Amelius a prædicto comite Raymundo, ipso concedente &

confirmante bono fine & in bona pace, per se & per omnes suos monachos in villa de Biterris. Videntes & confirmatores hujus finis & concordiæ sunt isti Rogerius Biterrensis, Siccardus vicecomes Lautreyensis, Sicardus de Lauraco, Guillelmus de Brugariis, Petrus Guillelmi Tolosas; testes sunt hi Bermundus episcopus Biterrensis, Bermundus *Duzid*, Ricardus *de Islas*, Raymundus Guillelmi Tholosæ, Bernardus *Adalberty*, Ramundus Sarracenis. Facta est charta ista mense madio feria sexta, regnante Lodovico rege, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo nono.

VI.

Instrumentum fundationis Bellæ-Perticæ.

1166. NOSCANT præsentes & futuri quod cum bonæ memoriæ Bernardus abbas Claræ-vallis venisset in conventum & monasterium de Bella-perticula visitandi gratia, & per tres dies in illo moram fecisset, & ad copiam religiosorum in illo prospexisset, videns incompositionem loci propter aquarum defectum & aëris incomplacentiam, consilium & tractatum habuit cum Alquerio qui tunc præerat in illo monasterio, & cum suis religiosis qui in grandi numero stabant, super mutatione illius monasterii & abbatiæ, qui omnes coadunati in voluntate perfecta & oratione, ut præcepit supradictus Bernardus & injunxit in illo existentibus per tres dies in jejunio [a] coadunatis, invocaverunt gratiam Spiritus-Sancti [b] gratumque de Alto distribuere haberet; & locum ostenderet aptum pro commutatione & compositione supradicti monasterii, & solemnisatis & expletis diebus quibus supra appellaverunt [c] in illo nobiles & milites Raymundus Bernardi, Bernardus Galterii [d] Franciscus & Willelmus de Arcombato cum matre eorum Juliana de Claromonte, & hoc pro pia solemnisatione capitis sive viri & patris prædictorum de Arcombato vocati [e] Francisci de Arcumbato militie. Quibus diebus & fine adhuc completis supradicti de Clara-valle & de Bella-perticula, cum supradictis religiosis, desiderium ipsorum & voluntatem [f] ostenderent & tractum facerent de commutatione abbatiæ, ut supradictum est, & hoc propter angustiam loci & aquarum penuriam, & [g] aliis causis & difficultatibus multis: Quibus auditis supradicta mater cum filiis suis, qui fundatores fuerunt supradicti monasterii de Bella Perticula, grandem difficultatem in mutatione fecerunt [h] & multis causis; sed omissis quibuscunque dolebant de commutatione, quia pater illorum in supradicta Bella-perticula sepultus erat, & quasi absurdum & inauditum eis videbatur mutare abbatiam. Sed auditis & [i] imploratis requestis & demandis de commutatione, sicut dictum est, petierunt supradicta Juliana cum filiis suis dies octo ad respondendum, & adveniente die quæ fuit XXIV madii, anno Domini M. CLXVI, regnante Ludovico Francorum rege, & Raymundo comite Tolosano & Raymundo ejusdem civitatis episcopo, apud castellum Mayranum supradicta Juliana cum filiis suis, videlicet Raymundus Bernardi de Arcombato, dominus de castro Mayrano, de Couturis, de Cadelhano, de Favomonte, de Raymundiis, de la Roqua, cum fratribus suis supradictis, consilio habito & tractatu cum parentibus & sapientibus pluribus, inter ipsam matrem, filios & parentes, aliosque qui præsentes erant complacuerunt omnes insimul, & concordiam fecerunt de commutatione ut dictum est, dum tamen supradicti abbates & religiosi convenirent & promitterent supradictam abbatiam commutare & ædificare in aliquo alodio sive donatione supradictorum de Arcombato, ne nomen fundatorum ipsius abbatiæ amitterent; & in crastinum quæ fuit XXV, convocatis supradictis abbatibus & religiosis apud supradictum locum de castro Mayranno, voluntatem & convenientiam dixerunt & notificarunt; qui supradicti abbates & religiosi promiserunt & obligarunt illam commutare ut volebant, dum tamen aptum darent locum & territorium, & tunc supradicti de Arcombato, missa & [k] officium expletum, accesserunt omnes insimul ad dominationem & territorium & alodium vocatum *la honor de la Roqua*, super garumnam ac prope Gimonam, & illud visitarunt, prospexerunt & circumdederunt. Quibus visis, palpatis & consideratis, gratias ingentissimas Deo refertas, genibus flexis rogando & exorando supradictos nobiles, quatinus implere & concedere vellent quæ ostenderant; nam amœnus, ornatus plantis, herbis virentibus repletus, aquis circumdatus & terris munitus erat locus ille, & tunc complausis manibus [l] parcissim deosculati sunt ad invicem, & illic commorantibus per totam diem & noctem subtus arboribus, missam dicti supra abbates & religiosi transactis nocte & aurora de Spiritu-Sancto celebrarunt, qua expleta coram me notario infra scripto & testibus infra scriptis, dicta mater & filii sui concesserunt, dederunt [m] cederunt, transportarunt supradictam jurisdictionem, territorium & alodium de la Roqua, cum tota jurisdictione, merum & mixtum imperium, lauda & pedagium in terra, cum aquis & nemoribus, & terris cultis & incultis: quam jurisdictionem, territorium & alodium durare & stare fecerunt ab ingressu Gimonæ in Garumnam, ascendendo per dictam Gimonam & nemus vocatum *de la Galaria*, usque ad iter magnum & pontem quo itur de Garganvilario versus Corduam, & de illo itinere ascendendo juxta pratum sancti Egidii, & de illo prato ascendendo per quemdam rivum vocatum *le Rion de los Vignos*, & descendendo per illum rivum ad manum sinistram per alium quemdam rivulum vulgariter dictum *le Rion d'Escanatreja*, & per illum ascendendo per quemdam montem usque ad quoddam fossatum & altitudinem terræ recta linea usque ad iter vocatum *le Cami de las Graves*, & transeundo per illud usque ad rivulum vocatum *lou Riou de las Genestas*, deinde usque ad alium montem & aliud fossatum, & altitudinem terræ usque ad Garumnam & aquam Garumnæ cum utraque ripa, & deinde descendendo usque ad Gimonam. Quibus peractis dicta mater & nobiles abbates & religiosos supradictos in possessionem realem & corporalem posuerunt, & dominos fecerunt tanquam de re propria, præsentibus nobiles Odo *d'Escuders*, Raymundus *de Lachmet*, Petrus-Bertrandus de Asina, Raimundus Gaubertus, Geraldus de Arveria, & ego Elias de Alta-Serra communis scriptor de Cordua Tolosana, qui hanc cartam scripsi & signavi manu mea propria & signo quo utor, anno Domini M. CLXVI, & die XXVIII Madii.

Nota. Exscripta fideliter fuit hæc charta ex authentico haud emendatis vitiis latinitatis & solecismis, quæ profecto sic exarata sunt in originali. Nihilominus suspecta videtur, quia S. Bernardus obiit an. 1153, Raymundus vero Tolosæ episcopus ante annum 1163. At quod certum est & evidens, domini *d'Arcombat* sunt fundatores & præcipui benefactores monasterii: nunc autem familia hæc exstincta est. Abbatia translata fuit e loco Bellæ-perticulæ in locum ubi nunc est, ut evincunt confinia superius allata. Non tamen omnino respuendum hoc instrumentum, quod videtur esse apographum; quia exscriptor qui erravit in latinitate, errare potuisset & in notis chronologicis.

[a] *Forte* coadunati
[b] *al.* ut quod gratum haberet de Alto distribueret.
[c] *al.* ad illud.
[d] *al.* Franco & Guillelmus
[e] *al.* Franconis
[f] *al.* ostenderunt ut tractatum
[g] *Forte* desit pro
[h] ex
[i] *al.* exploratis
[k] *al.* officio expleto
[l] *F.* passim
[m] *al.* cesserunt

VII.

Donatio quarumdam ecclesiarum facta per Galhardum abbatem S. Theodardi abbati & monasterio Bellæ-perticæ.

Ex mss. cod. Biblioth. reg. olim Colbert. n.° 89.

NOSCANT præsentes & futuri quod nos Galhardus abbas Dei gratia S. Audardi, cum toto conventu nostro, scilicet fratrum Petri de Casalibus prioris claustralis, Petri de Monte-acuto camerarii, Ginoti de Bosqueto sacristæ, Duranti de Monte- 1188.

Meiano eleemosinarii, & Bertrandi de Aurelio-monte infirmarii nostri prædicti monasterii, fecimus, concessimus & donavimus in eleemosinam francam & in relevationem omnium animarum prædecessorum nostrorum defunctorum, ecclesias & parochias sancti Stephani de las Autuillas in honore de Larro-feio, quæ ecclesia & parochia est inter parochiam sancti Martini de Bellovidere & ecclesiam de Monte-congruo, & etiam ecclesiam S. Jacobi de Faumonte, quæ ecclesia & parochia est in honore de Faumonte, confrontatur cum parochia de Couris & de Gensaco, quæ ecclesiæ & parochiæ supradictæ de las Autuillas & de Faumonte nobis pertinebant tam in decimis quam primitiis & aliis juribus ecclesiasticis quibuscumque, prout in quodam instrumento desuper his omnibus confecto & concesso per reverendum in Christo patrem dominum G. [5] episcopum Tolosanum & totum capitulum sancti Stephani Tholosæ ad hoc expresse consentiente .... & etiam licentiam concessit & auctoritatem in supradictis ecclesiis sancti Stephani de las Autuillas & S. Jacobi de Faumonte capellanos sive capellanum in illis præsentandi ..... dominum ad populationes supradictæ ecclesiæ pervenirent, retentis sibi & successoribus suis institutionibus in illis. Nos vero supradictus abbas cum supradictis religiosis de voluntate, auctoritate & consensu quibus supra, omne jus, portiones, actiones quas in illis habebamus, concedimus, & donamus per præsentes monasterio & abbati de Bella-pertica, & successoribus suis quibuscumque, sive fuerint decimæ, primitiæ, carnalagia, oblationes, præsentationes & omnes actiones quas in illis habebamus, ut dictum est, retentis nobis & successoribus nostris tribus cartonibus frumenti boni legitimi, quolibet anno exsolvendis in festo decollationis S. Johannis-Baptistæ, medietas illorum trium nobis & successoribus nostris, & alia medietas supradictis infirmario & successoribus suis. Ipsi vero dicti abbas & religiosi monasterii supradicti de Bella-pertica dictas donationes recepere, & promiserunt, & se obligaverunt, & juraverunt dictam summam bladi sive frumenti exsolvere, & nos & successores nostros tam in divinis quam in omnibus aliis bonis in dicto monasterio celebraturos recipere & aggregare. Acta sunt hæc in domo nostra sancti Audardi in monte Aurelio, feria secunda, luna vicesima, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo octavo, regnante Philippo Francorum rege, Tholosæ Raymundo comite, Geraldo Caturcensi episcopo; & Petrus de Bono-amore, & Guillelmus de sancto Andræa, & Johannes *de Albes Petres* testes ad hoc specialiter vocati, & ego Seguinus de Miramonte communis scriba Montis-Albani qui hanc cartam scripsi, & signo meo consueto quod est tale signavi.

[5] In hac carta legitur integrum nomen episcopi Tolosani quem designavimus littera G. & vocatur Gilberandus aut Gilberaudus, sed cum nullus occurrat hujus nominis in catalogo episcoporum Tolosanorum, forte in ejus locum substituendus est Geraldus nempe *de la Barthe* qui ab anno 1164 usque ad annum 1171 circiter huic ecclesiæ præfuit; vel potius Raymundus qui in altera carta transactionis inter Bertrandum episcopum Tolosanum & Bernardum de Mala-morte abbatem Montis-Albani, anno 1274 initæ, memoratur & fertur composuisse cum Alberto abbate & conventu monasterii Montis-Albani.

VIII.

Guillelmus episcopus Caturcensis confirmat ecclesias a prædecessore suo datas Roberto abbati & conventui S. Theodardi.

Ex mss. cod. Biblioth. reg. olim Colbert. n.° 89.

1215. GUILLELMUS Dei gratia Caturcensis episcopus Roberto abbati sancti Theodardi totique conventui ejusdem cœnobii, in perpetuum. Felicis recordationis venerabilis Guillelmi Caturcensis episcopi vestigiis inhærentes, ecclesiam sancti Ypolitii, ecclesiam sancti Ylarii quæ sunt juxta fluvium Tarni, ecclesiam sancti Saturnini *Dorsalilas*, ecclesiam sanctæ Mariæ de capella *Garrot*, ecclesiam sancti Cyrici, ecclesiam S. Mariæ de Campo-guisano, ecclesiam sanctæ Ruffinæ de ..... ecclesiam S. Simphoriani *de Lecugac*, ecclesiam sancti Johannis *de Montalsat*, & ecclesiam sancti Sulpicii de Castaneda, tibi Roberto abbati & conventui S. Theodardi, vestrisque successoribus liberaliter concedimus, & donationes a prædicto domino Guillelmo episcopo vobis factas gratanter innovantes, de communi consensu & voluntate totius capituli S. Stephani præsentis scripti testimonio roboramus, vestris qui divinis estis obsequiis mancipati & vestrorum usibus profuturas, salvo jure episcopali nobis & nostris successoribus plenarie prosequendo. Prædictas igitur ecclesias cum omnibus pertinentiis suis in favorem religionis & paupertatis ecclesiæ vestræ vobis concedimus, & ad majorem prædictorum firmitatem præsens pagina sigillo nostro & sigillo capituli ecclesiæ Caturcensis fuit munimine roborata. Datum apud Caturcum anno gratiæ millesimo ducentesimo quinto decimo, mense Augusti, tertia die post assumptionem beatæ Mariæ.

IX.

Geraldus Caturcensis episcopus curam committit aliquarum parochiarum ad præsentationem Ildefonsi abbatis S. Theodardi. Ibidem.

GERALDUS Dei gratia Caturcensis episcopus, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Universis & singulis volumus tenore præsentium fieri manifestum quod nos ad præsentationem venerabilis Ildefonsi abbatis S. Theodardi de Monte-Albano, instituimus Petrum *Dambrogat* presbyterum in ecclesiis *de Frez, Autuillar*, de Laviaco, *d'Ordalilhas*, de Camguisa & de sancto Cirico, curam animarum cum suis omnibus juribus & pertinentiis spectantibus ad easdem ecclesias, cum sint tenues in proventibus & exiles, eidem Petro concedentes, & committentes habendam & possidendam quamdiu vixerit pacifice & quiete, salvo tamen jure nostro & nostrorum ministrorum. Idem vero Petrus promisit nobis debitam obedientiam se observaturum & juravit, & quod ad cognitionem & voluntatem nostram residentiam faciat in ecclesia *de Frez Autuillar* supradicta. Nos autem in memoriam prædictorum concessimus prædicto Petro præsentes litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum apud Caturcum, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense Decembris. 1246.

X.

Altera compositio Raymundum VII inter & Albertum abbatem facta in superioris supplementum anno 1149 initæ. Ibidem.

NOVERINT universi quod cum controversia verteretur inter Albertum abbatem S. Theodardi Montis-Albani ex una parte, & dominum R. Dei gratia comitem Tholosanum ex altera, super eo quod dictus abbas petebat a domino comite medietatem majorum justitiarum villæ Montis-Albani & villæ Insulæ-Amatæ, & omnium incurrimentorum quæ advenerint in dictis villis & earum finibus & dominiis, & quod dominus comes recognosceret residuum quod in dictis villis habet in feudum a monasterio Montis-Albani, & quod vicarius abbatis reciperet firmantias & faceret justitias in dictis villis, sicut & vicarius domini comitis. Item petebat quod præconisaretur in dictis villis ex parte domini comitis & abbatis, & fierent banna & edicta. Item petebat medietatem salini quod dominus comes tenet in villa Montis-Albani. Item petebat medietatem bladi quod dominus comes accipiebat in dictis villis pro vomeribus & ferramentis molendinorum & aliis acuendis. Item 1231.

petebat portum *del Perget*, quia dicebat illum ad dictum monasterium pertinere. Item petebat quod dominus comes recognosceret se tenere in feudum castrum de Tolvio cum pertinentiis a monasterio S. Theodardi, & quod redderet pro illo feudo cuilibet abbati in quibuslibet curiis tale servitium, videlicet quod teneret abbati ascendenti equum *Lestreup*. Item petebat quædam feuda & quosdam census quæ debebantur ecclesiæ, ut dicebat, de quibusdam terris & vineis quas dominus comes tenet. Item petebat justitias hominum specialium & ligiorum abbatis. Item petebat omnes justitias monachorum & clericorum & donatorum suorum, & specialis familiæ suæ, videlicet illorum donatorum qui in Capitulo S. Theodardi donant se & sua eidem monasterio, & promittunt obedientiam abbati & successoribus suis, & victum percipiunt a dicta ecclesia. Item petebat quod quando detentores possessionum quæ tenentur ab ecclesia ad censum annuum in incurrimentum caderent, abbas haberet integre illas possessiones. Item petebat quod quando homines villæ facerent juramentum in villa jurarent salvo dominio & jure abbatis. Item petebat quod consulatus destrueretur & domus communis quæ est sita in platea villæ Montis-Albani, & petebat quingentas libras ab hominibus villæ Montis-Albani, quia nolebant ei facere fidelitatis juramentum, dicens ipsos teneri sibi ad eas reddendas, ratione compromissi ab utraque parte facti in magistrum P. de Collo-medio. Item petebat quædam feuda & quasdam possessiones quas dominus comes tenet, dicens ea ad suum monasterium pertinere. Tandem super his omnibus amicabilis compositio intervenit inter sæpedictum abbatem & dominum comitem, de consensu utriusque, mediantibus Durando Dei gratia Albiensi episcopo, & Pontio de Villa-nova milite, & Petro Martini de Castro-novo, sub hac forma videlicet quod dominus comes concessit, tradidit, reddidit & donavit abbati de Monte-Albano & monasterio S. Theodardi nunc & in perpetuum quartam partem majorum justitiarum & omnium incurrimentorum, quæ de cætero fierent in villis de Monte-Albano & Insulæ-Amatæ & earum finibus, & quod vicarius abbatis reciperet firmantias & faceret justitias in supradictis villis & earum finibus, sicuti & vicarius domini comitis, & postmodum quilibet haberet partem suam de emendis & incurrimentis, videlicet de quinque solidis, & a quinque, & infra medietatem abbas sicut solitus est percipere, & a quinque solidis & supra integraliter quartam partem, & dominus comes perciperet de quinque solidis, & a quinque, & infra medietatem, & a quinque solidis & supra integraliter tres partes. Concessit etiam dictus comes quod de cætero præconisaretur in dictis villis ex parte ipsius comitis & abbatis, & fierent banna & edicta. Item concessit quod abbas haberet quartam partem salini supradicti. Verumtamen si idem comes dimittat vel derelinquat salinum universitati villæ, quod facere potest si voluerit, abbas habeat medietatem leydæ salis sicuti solebat percipere & habere. Eodem modo & sub eadem forma concessit eidem abbati medietatem eorum quæ percipit idem comes in dictis villis occasione *de las agusaduras*; verumtamen si dominus comes dimittat vel derelinquat *las agusaduras*, quod facere potest si voluerit, abbas habebit medietatem illius servitii quod facient detentores eorum hac de causa domino comiti. Item concessit quod abbas haberet navem suam in portu *del Perget*, & transirent ibi quicumque vellent, dum tamen non compellantur ab abbate, nec prohibeantur transire a domino comite vel suis. Item recognovit dominus comes se tenere in feudum ab ipso abbate castrum de *Tolvio* cum pertinentiis, & quod inde debet tale servitium, videlicet quod semel tenebit unicuique abbati de Monte-Albano ascendenti equum, cum ab eo fuerit requisitus, *Lestreup*. Concessit etiam

A quod abbas haberet feuda sua & census suos & jura sua alia, & proprietates & honores, sicuti habere solebat & debebat, & quod idem comes de terris censualibus abbatis, quas tenebat ubicumque, redderet abbati censum & alia jura sua, vel cambium competentia illis. Item concessit quod quando homines speciales & ligii abbatis conquerentur de se ipsis ad invicem abbati, abbas haberet inde omnes justitias & emendas; si vero conquererentur vicario domini comitis, abbas haberet partem suam de emendis & justitiis sicuti de aliis hominibus, & dominus comes similiter partem suam sicuti de aliis hominibus. Item concessit dominus comes quod abbas haberet totam justitiam monachorum, clericorum, & specialis familiæ suæ, & donatorum suorum, videlicet illorum donatorum qui sunt recepti ut supradictum est, & non

B possunt facere testamentum sine assensu abbatis. Item concessit quod quando detentores possessionum tenentur ab ecclesia ad censum annuum vel in feudum in incurrimentum ceciderint, vendantur possessiones illæ personis competentibus bona fide, & ecclesia habeat inde vendas & acaptas, & alia jura sua, & de incurrimento quartam partem, sicut de aliis incurrimentis & comes tres partes, & ita fiat de terris censualibus & feudis domini comitis, videlicet quod abbas habeat quartam partem incurrimenti, & dominus comes tres partes. Hoc vero dictum est de illis feudis & terris quæ sunt in supra dictis villis de Monte-Albano & Insulæ-Amatæ, & in dominio earum. Item concessit quod consules de novo electi apud Montem-

C Albanum jurabunt singulis annis super sancta Dei evangelia se deffendere & custodire bona fide omnia jura monasterii sancti Theodardi de Monte-Albano & abbatis; abbas vero prædictus quitavit & dimisit illud juramentum quod petebat ab hominibus Montis-Albani, quitavit etiam & dimisit supradictas quingentas libras quas petebat ratione supradicti compromissi, & petitionem quam faciebat de consulatu & de domo communi, & concessit quod consulatus ibi remaneret ut supradictum est, & domus communis; quitavit etiam abbas generaliter omnes petitiones & querelas superius scriptas, his exceptis quæ sibi superius in præsenti compositione sunt concessa, renuntiavit etiam dictus abbas omnibus instrumentis quæ habuerat a magistro P. de Collomedio & a domino R. sancti Angeli diacono cardinali, olim Apostolicæ sedis

D legato, remisit etiam omnes obligationes sibi & monasterio suo his de causis acquisitas. Dictum etiam est quod quantum ad alios articulos de quibus in isto instrumento non fit mentio, remanebunt cartæ & instrumenta antiqua ecclesiæ Montis-Albani in sua firmitate quantum ad capitula prænotata in his in quibus non fuerunt contra compositionem istam; & eodem modo erit de Insula-Amata sicuti de Monte-Albano, videlicet intra fines & dominium earumdem villarum, & abbas habebit illud quod solitus est habere & percipere in pedagiis, Leydis & aliis juribus in supradictis villis & dominiis earumdem; comes vero habebit in supradictis & finibus & dominiis earum omnia jura sua & possessiones quas hactenus habuit & possedit, exceptis illis quæ in

E præsenti compositione abbati & monasterio sancti Theodardi de Monte-Albano sunt concessa, excepto quod si bajuli comitis de possessionibus omnibus inter comitem & abbatem occupaverint plus quam deberent, sive apud Montem-Albanum, sive apud Insulam-Amatam, quod totum redigetur in commune, & eodem modo erit, si abbas vel sui occupaverint plus quam deberent. Supradicta omnia concessit, tradidit, reddidit & donavit R. Dei gratia comes Tolosanus supradicto Alberto abbati & monasterio S. Theodardi, ab ipso abbate & ejus successoribus in perpetuum pacifice possidenda. Nos vero R. Dei gratia comes Tolosanus, & Albertus eadem gratia abbas S. Theodardi de Monte-Albano istam fecimus

compositionem, & sigilla nostra apponi fecimus huic A instrumento, in hujus rei testimonium & munimen, & supradicta ac singula promittimus in perpetuum bona fide firmiter observare. Nos vero G. eadem gratia abbas Casæ-Dei istam compositionem approbavimus, & præsens instrumentum sigillo nostro fecimus sigillari. Nos vero Durandus miseratione divina Albiensis episcopus in hac compositione interfuimus, & ex utraque parte rogati sigillum nostrum in præsenti instrumento apposuimus in hujus rei testimonium & munimen. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo tricesimo primo, decimo tertio die introitus mensis Octobris, apud Galliacum, regnante Lodoico Francorum rege, & Guillelmo episcopo Caturcensi. Hujus rei testes sunt Raymundus abbas Galliaci, & B Artaldus hospitalarius Casæ-Dei, & Guillelmus prior, & Rotbertus de Maulione, & Hugo *de Aniou*, & Petrus de Lacu monachi Casæ-Dei, & Geraudus frater domini comitis Tholosani, & Arnaldus de Monte-Acuto Albiensis miles, & Berengarius de Joarriis, & Guigo *Masantasé* milites, & Ramundus de la Garrigua, & Angelbaudus & Guillelmus-Bernardus de la Mota, & Geraldus de Castillone, & Bernardus *Capel* publicus notarius villæ Montis-Albani, qui ex utraque parte rogatus cartam istam scripsit.

X I.

Compositio inter Raymundum comitem Tolosæ & Laurentium abbatem Bellæ-perticæ. C

1246. NOVERINT universi præsentem paginam inspecturi, quod cum discordia & dissensio esset inter dominum Raymundum Dei gratia comitem Tolosanum, marchionem Provinciæ ex una parte, & dompnum Laurentium abbatem & conventum Bellæ-perticæ ex altera, super terris & possessionibus & nemoribus quæ erant inter Borcellum & domum Bellæ-perticæ, & inter Garonam & rivum Cravum. Tandem utraque pars dedit inquisitores super jure quod utraque pars ibi habebat vel habere debebat, Bernardum videlicet de Brassa & Stephanum Machellarium qui inquisita diligentius veritate a personis ecclesiasticis & secularibus, scilicet a Vitali capellano de Manso & fratre Petro de S. Andræa, & fratre Vitali Berberia, & Bernardo Forte, & Athone *de Favars*, D & Durando de Nerauga, & aliis pluribus, & etiam cognita posuerunt tales terminos, videlicet de rivo Cavo qui est inter honorem sancti Vitii & honorem de Catusaco, & ab inde superius sicut bosolæ de Now desossæ sunt & quercus de novo cruce signatæ, & usque ad pomerium quod est super fontem de Comba de Catusato, & a prædicto pomerio usque ad rivum fontis *Delazeraud*. Et ab inde directe usque ad quercum ubi sunt bosolæ quæ quercus est ad caput Arrignæ frigidæ, & ab inde scilicet a quercu prædicta directe usque ad fossatum quod est sub mota prædicta descendit usque in Garonam, unde prædictus dominus comes & abbas Bellæ-perticæ habita super hoc diligenti deliberatione spontanea voluntate taliter inter se composuerunt, scilicet quod E dictus dominus comes absolvit, quittavit & dereliquit abbati & domui Bellæ-perticæ & conventui ejusdem domus in perpetuum quidquid petebat vel petere poterat in prædictis honoribus de quibus superius erat quæstio, a prædictis terminis seu bosolis superius designatis versus domum & usque ad domum Bellæ-perticæ, salvo jure alieno & salvo sibi jure in feudis, si quæ habent infra prædictos terminos aliqui homines terræ suæ. Et promisit facere bonam & firmam guirentiam eidem abbati & conventui domus Bellæ-perticæ de omnibus amparatoribus qui pro eodem domino comite vel nomine suo ibi aliquid peterent vel de cætero ampararent. Et eodem modo idem abbas quittavit & dereliquit pro se & successoribus suis in perpetuum quicquid ipse & domus Bellæ-perticæ & conventus petebant vel petere poterant in prædictis honoribus de quibus superius erat quæstio, a prædictis terminis seu bosolis superius designatis versus castrum & usque ad castrum de Bonello. Et promisit facere bonam & firmam guirentiam eidem domino comiti & successoribus suis, & conventui & domo Bellæ-perticæ, vel nomine eorum qui ibi aliquid peterent vel de cætero ampararent. Hæc omnia fuerunt facta de consilio & assensu conventus Bellæ-perticæ, videlicet fratris Apparitii cellerarii majoris, dompni Jordani sacristæ, fratris Willelmi Durandi subprioris, fratris Bernardi de Guiscarollo, fratris Petri Bernardi magistri conversorum, fratris Petri *de Born*, fratris Hugonis de sancto Juliano, fratris R. de Balaguerio subcellarii, fratris Johannis de Vagueriis subcellarii, fratris Geraldi de Marmonda cellerarii tertii, fratris Petri *Gardon*, fratris Petri Arzoni, & fratris Arnaldi Andreæ magistri noviciorum, qui omnes pro se & aliis tam monachis quam fratribus domus Bellæ-Perticæ prædictam compositionem approbaverunt, & ratam & firmam esse in perpetuum voluerunt, cognoverunt que etiam abbas & conventus prædictam compositionem esse ad utilitatem & commodum Bellæ-Perticæ supradictæ. Et ad majorem horum omnium firmitatem placuit domino comiti & abbati & conventui prædictis, quod inde quatuor per manum publicam fierent instrumenta per alphabetum divisa, quorum duo sigillis propriis sigillarentur, alia vero sine sigillis perpetuo robore perseverent. Et quia casus amissionis instrumentorum potest timeri & effractio sigillorum, voluerunt dictus dominus comes & abbas & conventus, quod instrumenta duo de prædictis quatuor sigillata sigillis effractis vel emotis nichilominus ut instrumenta publica robur obtineant firmitatis. Acta sunt apud Bigardum undecimo kal. Decemb. anno Domini M.° CC.° XLVI.° De laudatione vero & concessione domini comitis & dompni abbatis & fratris Apparitii cellarii majoris, sunt testes Raymundus Gaucelinus dominus Lunelli, Berengarius de Promilhaco, Arnaldus de Escalquenciis, Johannes Aurioli, magister Raimundus quondam officialis Agenni, magister Willelmus de Yauro, Bertrandus de Alfaro, Ysarnus Raterii bajulus Verduni; & de laudatione & concessione aliorum prædictorum fratrum sunt testes Bernardus de sancto Antonio de Manso subtus Verdunum, Willelmus Grava de Albia, & Joannes Cerdanus de Castro Sarraceno, &c. Bernardus Aymericus publicus Tolosæ notarius fuit ad totum præsens & est de toto testis, qui mandato prædictorum domini comitis & abbatis & conventus istam cartam scripsit.

X I I.

Petro Bermundo abbati S. Theotardi conceditur a summo pontifice usus mitræ, annuli, &c.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Petro Bermundo capellano nostro 1255. abbati & conventui monasterii sancti Theotardi de Monte-Albano, ordinis S. Benedicti, Caturcensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Ut pulchra & decora filia Jerusalem fidelibus & infidelibus terribilis appareat ut castrorum acies ordinata, ecclesia militans variis insignitur titulis dignitatum, per quas tanquam ornata monilibus & circumamicta varietate, venustatem præfert virtutum illustrium ecclesiæ triumphantis, & quod tandem in re habebit in spe gerere se ostendens, veritatem indicat per figuram. Quare sedes apostolica mater ecclesiarum omnium & magistra, ecclesias alias tanquam adolescentulas suas honorum insignibus libenter adornat pro meritis singularum spectatis ut in honore tanto se

se immaculatas diligentius studeant conservare, quanto propensius tenentur diligere decus proprium & decorem; ea propter dilecti in domino filii vestris precibus inclinati usum mitræ & annuli, & chirotecarum, sandaliorum, tunicæ ac dalmaticæ tibi fili abbas & successoribus tuis in perpetuum duximus concedendum. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum apostolorum ejus Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Anagniæ decimo cal. Augusti, pontificatus nostri anno primo.

XIII.

Urbanus papa IV concedit indulgentias accedentibus ad dedicationem ecclesiæ Bellæ-perticæ.

1263. URBANUS episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & apostolicam benedictionem. Vere perennis gloria qua mira benignitas conditoris omnium beatorum coronat aciem civium supernorum a redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore Redemptoris meritorum debet adquiri virtute, inter quæ illud esse pergrande dinoscitur quod ubique, sed præcipue in Sanctorum ecclesiis majestas Altissimi collaudetur. Cum itaque dilecti filii abbas & conventus monasterii Bellæ-perticæ, Cistercienfis ordinis, Tholosanæ diœcesis, sicut ipsi nobis significare curarunt, ecclesiam ejusdem monasterii quam jam perfecerunt opere sumptuoso, intendant in proximo facere dedicari, universitatem vestram rogamus & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatenus ad ecclesiam ipsam imploraturi a Domino delictorum veniam in humilitate spiritus accedatis. Nos enim ut Christi fideles quasi per prœmia salubriter ad merita invitemus, de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis qui ad dictam ecclesiam in prima die dedicationis hujusmodi causa devotionis accesserint unum annum, accedentibus vero illuc per octavas ipsius diei, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum apud Urbem veterem, nonis Maii, pontificatus nostri anno secundo.

XIV.

Ex cod. mss. Biblioth. reg. olim Colbert. n.° 89.

Bulla Clementis papæ IV qua solvit excommunicationem latam ab abbate Casæ-Dei in Bernardum abbatem Montis-Albani.

1268. CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Bernardo de Mala-morte abbati monasterii Montis-Albani, ordinis sancti Benedicti, Caturcensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. In tantæ præsumptionis excessum abbas monasterii Casæ-Dei, ordinis S. Benedicti, Claromontensis diœcesis, sicut asseris, prorupisse dicitur, quod ipse non attendens quam sit difficile beneplacitis sedis apostolicæ contraire, provisionem quam communicato fratrum nostrorum consilio de te præfato monasterio Montis-Albani tunc abbatis regimine destituto fecimus, multis modis evacuare molitur contra decretum super hoc per nos interpositum, præficiendo ibidem alium motu proprio, vel potius ausu temerario in abbatem, nec iis contentus famam tuam offuscare contendens in te apud sedem apostolicam existentem ex causis satis patenter frivolis excommunicationis sententiam contra justitiam promulgavit, & quod est gravius sententiam hujusmodi mandavit & fecit apud sedem ipsam in audientia publicari, quare humiliter petebas a nobis, ut subvenire super hoc tibi paterna sollicitudine curaremus. Quia vero hujusmodi sententia non ex zelo justitiæ, sed ex malitiæ videtur somite processisse ut ipsa tibi confusionis materiam afferat, dictamque nostram provisionem elidat; nos volentes super hoc congruum remedium adhibere, præfatam sententiam, & si quam aliam dictus abbas in te apud sedem apostolicam constitutum, postquam dictam provisionem tibi fecimus, forte tulit, & quidquid ex eis secutum est, vel ob ipsas, omnino carere juribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Datum Viterbii, quinto idus Martii, pontificatus nostri anno quarto.

XV.

Bulla Clementis IV papæ qua Bernardus legitimus abbas declaratur S. Theodardi, amoto Petro Arnardi ab abbate Casæ-Dei nominato. *Ibidem.*

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Moissiacensis & Belli loci, Cluniacensis & sancti Benedicti ordinum, Caturcensis & Lemovicensis diœcesum, monasteriorum abbatibus, & archidiacono Caturcensi salutem & apostolicam benedictionem. 1268. Exposuit nobis dilectus filius Bernardus abbas monasterii Montis-Albani ordinis sancti Benedicti, Caturcensis diœcesis, quod dudum prædicto monasterio per mortem P. Bermundi abbatis ejusdem monasterii regimine destituto, dilecti filii prior & conventus ipsius monasterii diversis suspensionis, interdicti & excommunicationis sententiis, ex causis certis astricti, & propter hoc ad providendum sibi de persona idonea in abbatem procedere non valentes, dilectum filium W. Joannis eleemosinarium ipsius monasterii monachum ad obtinendum super his absolutionis beneficium ad sedem apostolicam transmittere procurarunt; eodem itaque eleemosinario ad nostram propter hoc accedente præsentiam, & vacationem prædicti monasterii nobis diligentius exponente, nos dispendiis ejusdem monasterii, quæ tam propter discordiam quæ intervenerat in provisione facta de dicto Petro Bermundi, quam etiam alias olim incurrerat, paterno compatientes affectu, ac sollicite cogitantes, quod si prædictos priorem & conventum ad providendum sibi & eidem monasterio de abbate per viam electionis procedere contingeret, dispendiosæ contentionis forsan adhuc incurrerent detrimenta, dictum Bernardum tunc monachum ipsius monasterii fratrum nostrorum communicato consilio, eidem monasterio præfecimus in abbatem, decernentes irritum & inane quicquid de abbatia ejusdem monasterii per ipsos priorem & conventum aut quoscunque alios, postquam idem eleemosinarius occasione hujusmodi iter arripuit ad sedem veniendi prædictam, in præjudicium provisionis nostræ præsumptum foret, vel in posterum contingeret attemptari. Demum dilectus filius alias abbas monasterii Casæ-Dei ejusdem ordinis Claromontensis diœcesis asserens prædictum monasterium Montis-Albani sibi fore subjectum, quodque ipsius monasterii Montis-Albani pro eo quod conventus infra tres menses a tempore vacationis ipsius ad electionem non processerant, erat ad eum provisio secundum generalis statuta concilii legitime devoluta, Petrum Arnaldi monachum sui monasterii præfato monasterio Montis-Albani, postquam dictus eleemosinarius occasione præmissa iter arripuerat ad sedem veniendi prædictam, de facto, cum de jure non posset, auctoritate propria in abbatem præfecit. Sicque dictus Petrus laïcali fultus potentia, ad monasterium Montis-Albani prædictum accedens, quia monachi ipsius monasterii ne illud intraret Petro resistebant eidem, Gailardus de Castro-novo & alii ejus in hac parte complices laici de mandato Johannis Tosetii, Arnaldi Batterii, Petri de Posata & aliorum consulum villæ Montis-

Albani, muros ejusdem monasterii temere ascendentes, & monasterium Montis-Albani intrantes prædictum, januas & ostia tam ejusdem monasterii, quam ipsius ecclesiæ ausu nefario confringere præsumpserunt, prædictum Petrum Arnaldi in possessionem dicti monasterii, divino timore postposito, per violentiam inducendo in prædicti Bernardi abbatis præjudicium, plurimorum scandalum & ecclesiasticæ disciplinæ contemptum. Quare fuit ex parte ipsius B. nobis humiliter supplicatum ut prædictos puniendo excessus, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca discretioni vestræ mandamus quatinus fide plana & absque judicii strepitu de hujusmodi fractione januarum & ostiorum ipsius ecclesiæ vobis constiterit, dictos sacrilegos per vos vel per alios tandiu excommunicatos publice nuntietis, & per omnia loca in quibus expedire videritis nuntiari faciatis, necnon & ab omnibus artius evitari, donec super his competenter satisfecerint, & cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Viterbii calendas Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Nota. Mense superiori, scilicet idibus Martii summus pontifex scripserat ad Bernardum de Mala-morte de quo agitur; damnaveratque excessum abbatis Casæ-Dei, qui in prædictum excommunicationem vibraverat, & alium nominaverat abbatem, excommunicationemque revocat, *quæ non ex zelo justitiæ, sed ex malitiæ fomite videbatur processisse.*

XVI.

Ex mss. cod. Biblioth. reg. olim Colbert. n.° 89.

Alfonsus comes Tolosanus confirmat conventionem factam inter Raymundum comitem Tolosanum & Albertum abbatem S. Theodardi anno 1231.

1270. ALFONSUS filius regis Franciæ comes Pictaviensis & Tolosanus, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Pietati proximum & juri consonum arbitramur ut eorum justis desideriis pio condescendamus affectu, qui jugiter Domino famulantur. Notum itaque vobis fieri volumus per has nostras patentes litteras, quod cum religiosi viri Bernardus dictus de Mala-morte abbas monasterii Montis-Albani & conventus ejusdem loci Caturcensis diœcesis, a nobis cum instantia & devotis supplicationibus postularent, ut compositionem amicabilem & pacem inter bonæ memoriæ Raymundum quondam comitem Tholosæ proximum prædecessorem nostrum, & Albertum dictum Aurelha abbatem tunc, & conventum monasterii supradicti super jurisdictione, dominio & jure villarum Montis-Albani & Insulæ-Madidæ prædictæ diœcesis, & aliis in dicta compositione contentis, ac super dominio finium & pertinentiarum dictarum villarum dudum factam approbare, laudare & confirmare ad perpetuam memoriam, tam pro nobis, quam carissima consorte nostra Johanna comitissa Pictaviensi & Tholosana, sigillatam sigillo comitis supradicti, sigillis etiam venerabilis patris Durandi tunc episcopi Albiensis, & religiosorum virorum Geraudi quondam abbatis Casæ-Dei Claromontensis diœcesis, & præfati Alberti, ut apparebat prima facie, dignaremur; cujus compositionis tenor de verbo ad verbum continetur inferius in hæc verba. Noverint universi, &c. ut supra ad annum 1231. Nos vero eorum piis precibus & devotis supplicationibus inclinati pro remedio animæ meæ & carissimæ consortis nostræ Johannæ comitissæ Pictavii & Tholosæ, ac progenitorum nostrorum, dictam compositionem, prout superius est expressa, pro nobis & dicta consorte nostra, heredibus & successoribus nostris, quantum ad nos & dictam consortem nostram pertinet laudamus, approbamus ac etiam confirmamus, & ut in futurum perpetuo inviolabiliter observetur, senescallo nostro Caturcensis diœcesis, qui nunc est,

A & aliis nostris senescallis qui pro tempore ibidem fuerint pro nobis & dicta consorte nostra, heredibus & successoribus nostris damus in mandatis & eis præcipimus, ut dictam compositionem omnino prout dictum est, observent, & a bajulis, ministris ac allocatis nostris dictarum villarum, scilicet Montis-Albani & Insulæ-Madidæ, faciant in posterum inviolabiliter observari. Insuper ad cumulum majoris gratiæ volumus & mandamus tam pro nobis quam pro præfata consorte nostra, ut bajuli nostri dictarum villarum, scilicet Montis-Albani & Insulæ-Madidæ, ac allocati præsentes & qui pro tempore fuerint in principio bajuliæ suæ jurent dicto abbati & conventui dicti loci, ac suis successoribus legitimum eis reddere computum de majoribus justitiis & minoribus, quinque B solidos scilicet, & infra de omnibus incurrimentis quæ provenerint ratione jurisdictionis villarum prædictarum, pro ea parte quæ dictis abbati & conventui ac eorum successoribus competit & competere debet & debebit occasione vel causa compositionis prædictæ, & reddere ipsi abbati & ejus successoribus partem legitimam ipsos & supradictum monasterium, juxta tenorem dictæ compositionis & formam contingentem, & hoc idem jurabunt senescallo nostro bajuli dictarum villarum dicti abbatis & successorum suorum qui modo sunt & qui pro tempore fuerint, legitime se facturos, hominum Montis-Albani & Insulæ-Madidæ in omnibus jure salvo. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum, salvo in aliis superius non C expressis jure nostro, & salvo in omnibus jure quolibet alieno. Nos autem Johanna Tholosæ ac Pictavii comitissa universa & singula sicut superius sunt expressa voluntate spontanea approbamus, volumus & laudamus, ac pro nobis, heredibus & successoribus nostris etiam confirmamus; & ad majorem roboris firmitatem sigillum nostrum una cum sigillo carissimi domini nostri comitis supradicti viri nostri, præsentibus litteris duximus apponendum. Datum apud Armazancas prope Aquas-mortuas, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, mense Junii.

XVII.

Transactio inter Bertrandum episcopum Tolosanum & Bernardum abbatem monasterii Montis-Albani, de quibusdam ecclesiis, beneficiis aliisque juribus spiritualibus ac temporalibus. *Ibidem.*

D

NOVERINT universi quod cum diversæ causæ, lites seu controversiæ fuerint inter reverendum in Christo patrem dominum Bertrandum Dei gratia Tolosanum episcopum ex parte una, & venerabiles & religiosos viros dominum Bernardum abbatem monasterii Montis-Albani & conventum ejusdem loci Caturcensis diœcesis ex altera, super pluribus articulis & diversis expressis inferius & contentis, coram discretis viris domino Hugone Mascaronis canonico S. Stephani .... priore Murelli, & fratre Guillelmo Johannis monacho & camerario monasterii supradicti, ac domino Petro Grimoardi, arbitris & E arbitratoribus electis a partibus supradictis, petebat idem dominus episcopus coram ipsis arbitris, nomine sui episcopatus & Tolosanæ ecclesiæ supradictæ, ab abbate & conventu præfatis, universas ecclesias, decimas, primitias, beneficia ac cætera jura spiritualia, ac jus ea percipiendi, quæ abbas & conventus præfati tenebant seu possidebant, vel quasi in diœcesi Tolosana sive ipsæ decimæ vel primitiæ ex novalibus, sive ex terris cultis dudum aut rebus aliis proveniant, & specialiter in territoriis de Vinha Arnaldi de Cavorivo, de Trotaca, de Calmis ..... de Bondilho, de Cumba-fera, de Riparia & *de Guiraudenes*, his dumtaxat exceptis quæ habent & obtinent abbas & conventus superius nominati per compositionem factam 1274.

dudum inter dominum Raimundum quondam Tolosanum episcopum & ecclesiæ supradictæ capitulum ex parte una, & dominum Albertum abbatem & conventum dicti monasterii ex altera, asserens idem dominus episcopus universa & singula supradicta de jure communi ad se & dictam ecclesiam pertinere, dictosque abbatem & conventum ea indebite detinere; præfatis abbate & conventu contrarium asserentibus & dicentibus, quod tam ipsi quam prædecessores eorum ecclesias & cætera supradicta petita tenebant & tenuerant a tempore cujus memoria non extabat. Abbas vero & conventus præfati petebant a domino episcopo supradicto, nomine sui monasterii antedicti, restitutionem possessionis, vel quasi parrochiæ, ac juris parochialis illius Barrii, seu populationis, quæ est juxta flumina Tesconis & Tarni in diœcesi Tolosana, quibus dicebant se per eumdem dominum episcopum, vel alios ejus nomine, ipso ratum habente, aut de mandato ipsius, contra justitiam spoliatos, asserentes se ac prædecessores suos possedisse, vel quasi bona fide tenuisse parochiam dicti Barrii & jus parochiæ dictæ populationis ipsius Barrii tempore longiori, faciendo habitatoribus dicti loci divina officia celebrari & sacramenta ecclesiastica ministrari, ac in cimiterio dicti monasterii omnia corpora sepeliri; sed prædictus dominus episcopus hoc negavit, asserens se ac prædecessores suos, seu alios eorum nomine vel mandato semper parochiam ipsam & jura parochiæ possedisse: tandem vero post dierum assignationes, & altercationes multiplices super prædictis habitas coram arbitris prædictis, lite legitime contestata, ipsis arbitris mediantibus super prædictis petitionibus, & omnibus quæ alterutra pars petebat ab altera, vel petere poterat aliqua ratione, talis inter ipsas partes compositio seu transactio intervenit, videlicet quod dictus dominus abbas & conventus dicti monasterii Montis-Albani, scilicet Guillelmus Berengarii prior claustralis & sacrista, Guillelmus Johannis camerarius prædictus, Petrus de Corba-rivo eleemosinarius, Guillelmus de Caussata, Johannes Geraldi prior de la Mada, Petrus *de Salgues* prior sancti Martialis, Bernardus Catelli, Armannus, Ademarius Bernardi, Johannes Augerii, Bertrandus Carbonelli, Bernardus Magistri, Petrus de Niela, & Peraldus Heliæ monachi omnes congregati in capitulo dicti monasterii S. Martini Montis-Albani, in præsentia & de mandato dicti domini Bernardi abbatis ejusdem loci, & dictus dominus abbas una cum eis unanimiter & concorditer ut conventus, utilitate dicti monasterii sui diligenter pensata, habitoque semper inter se diligenti tractatu, communiter & concorditer pro se suisque successoribus & monasterio supradicto cesserunt, dederunt & concesserunt pure & simpliciter in perpetuum, ex causa præsentis compositionis seu transactionis, præfato domino episcopo Tolosano ejusque successoribus universis, omnia jura & actiones, ac totum integre quidquid ipsi vel monasterium supradictum habebant vel habere debebant in ecclesia, territorio & pertinentiis sancti Germani prope Fagum, cum omnibus decimis, primitiis, terris, possessionibus, censibus, cum dominationibus suis & ejusdem loci dominio, si quod dicto monasterio competebat, ac cæteris suis juribus ac pertinentiis universis. Item cesserunt, dederunt & concesserunt eidem ut supra medietatem decimæ *dels Guiraudenes*, & omnia jura & actiones, ac totum integre quidquid ipsi seu monasterium supradictum habebant & habere debebant in medietate ipsa, ita quod alia medietas remaneat perpetuo apud ipsos & successores suos & monasterium antedictum. Item cesserunt & dederunt eidem ut supra jus spirituale vel parochiale, si quod sibi vel suo monasterio competebat vel competere poterat in parochia & habitatoribus dictæ populationis seu Barrii de Tescone. Item concesserunt & dederunt eidem ut supra totum illum censum cum suis domi-

A nationibus & juribus universis quæ Johannes *de Juvinhargas* dicto monasterio faciebat seu debebat facere annuatim pro illo feodo quod tenet in Barrio de Tescone, vel adhærentibus ipsi Barrio immediate, & vocatur feodum *Bertrandi Bodo*, & est inter tegularias & viam publicam & Tesconem; & idem abbas tradidit eidem domino episcopo in signum possessionis traditæ dicti feudi instrumenta, volens & præcipiens ut dictus Johannes dictum feudum teneat de cætero a dicto domino episcopo & successoribus suis. Item cesserunt & dederunt eidem domino episcopo ut supra omnia jura & actiones, ac totum integre quid quid ipsi seu monasterium suum habebant vel habere debebant in prioratu seu ecclesia de Faguo diœcesis Tolosanæ, cum omnibus decimis, primitiis, posses-

B sionibus & aliis suis juribus & pertinentiis universis: possessiones quidem & proprietates ipsius ecclesiæ de Faguo sunt istæ, videlicet quædam condamina quæ confrontatur ex una parte cum ipsa ecclesia, & ex alia cum cimiterio ipsius ecclesiæ, & ex alia cum casali ejusdem ecclesiæ, & ex alia cum terra Jacobi *Cavaier*, & ex alia cum terra Hugonis *Grimaut*. Item quædam alia petia terræ, quæ confrontatur cum ecclesia ipsa ex una parte, & ex alia cum via publica qua itur a Monte-Albano versus Villæmurum, & ex alia cum terra Jacobi *Cavaier*, & ex alia cum ipsa condamina ejusdem ecclesiæ. Item quædam vinea quæ confrontatur ex una parte cum vinea Jacobi *Cavaier*, & ex alia cum terra Petri *del Garric*, & ex alia cum vinea *dels Faures*, & terra

C Hugonis Grimaudi. Item domus, terra & viridarium domini *Trenqua* tenentur ab ecclesia ipsa, & confrontantur ex una parte cum via qua itur ab ecclesia de Faguo versus Bordas, & ex alia parte cum feudo quod tenet dictus *Trenqua* a Bertrando de Gaviaco, & ex alia cum terra Johannis Molto, & ex alia cum terra Petri *Cavaier*, & ex alia cum vinea Guillelmi Helias, quam tenet in feudum ab ecclesia prædicta, & ex alia cum terra Guillelmi *Cavaier*. Item quædam vinea quam tenet G. Helias ab ecclesia ipsa, quæ confrontatur cum terra domini *Trenqua* prædicti & Guillelmi *Cavaier*, & alia omnia, si quæ priores de Faguo monachi nomine ipsius prioratus de Faguo tenere consueverunt, cæteris tamen possessionibus, terrarum proprietatibus, feudis, homagiis & censibus

D pro possessionibus & rebus in ejusdem ecclesiæ parochia sitis, dicto monasterio debitis seu solvi consuetis penes ipsum monasterium perpetuo remanentibus in futurum, & in præsenti transactione sibi specialiter reservatis, quæ omnia nominatim inferius exprimuntur, videlicet feuda de Monte-Sendano, mansi de Ulma, feuda, obliæ ac dominationes territorii de Bordis, census bladi & gallinarum quæ G. *Cavaier* & Petrus frater ejus consueverunt facere monasterio antedicto. Item census gallinarum & bladi quem Hugo Grimaudi eidem monasterio facere consuevit. Item census duorum solidorum quem Petrus *Parcilh* debet solvere monasterio supradicto. Item territorium de la Clota cum omnibus terris cultis & incultis, cum pratis & aquis territorii ejusdem. Item feuda, census, obliæ quæ & quas monasterium ipsum habet & habere

E debet in territoriis de la Verrandia, de Podio .. *dric*, de Cota-fava, de Garrigueto, de Rinhaco & de Coumba-fera, ita quod dominus episcopus supradictus & ejus in perpetuum successores episcopi Tolosani, seu aliquis nomine prædictæ ecclesiæ de Faguo, in prædictis & aliquibus prædictorum dicto monasterio expresse superius reservatis, nihil juris in perpetuum sibi valeant vindicare; & recognoverunt ibidem concorditer dominus abbas & conventus præfati, quod idem conventus ad præsens sigillo carebat proprio quod ab illo tempore citra quod dictus conventus sigillo proprio caruit, abbas Montis-Albani omnia quæ sigillanda ipsis abbati & conventui communiter occurrerunt, sigillo suo tantummodo

sigillavit, & quod idem conventus rata habuerat universa & singula, & habebat quæ de consensu ejusdem conventus cum sigillo ipsius abbatis fuerant sigillata, & expresse ipse conventus voluit & concessit quod dictus dominus abbas pro se & eodem conventu præsens instrumentum ad majorem firmitatem omnium in eodem contentorum sigillo proprio sigillaret, voluit etiam quod dominus officialis Tolosanus pro ipso conventu sigillum suæ curiæ huic præsenti publico instrumento apponeret, & quod perinde valeat ac si sigillo ejusdem conventus existeret sigillatum. Item compositionem seu transactionem istam, & universa & singula in ea contenta, & quod sigillum officialis Tolosani eidem, ut dictum est, apponatur Guillelmus de Longo-podio infirmarius monasterii supradicti, considerata utilitate ipsius monasterii & diligentius circumspecta, ratificavit & etiam approbavit. Cæterum prædictus dominus episcopus utilitate episcopatus sui & dictæ ecclesiæ Tolosanæ diligenter pensata, habitoque sæpe cum suo capitulo consilio & tractatu, pro se suisque successoribus episcopis Tolosanis & ecclesiæ supradictæ dedit, concessit atque cessit pure & simpliciter in perpetuum, ex causa præsentis compositionis seu transactionis, venerabilibus & religiosis viris domino abbati & conventui monasterii Montis-Albani prædicti, & successoribus eorumdem, omnia jura & actiones, & quidquid eidem vel ecclesiæ Tolosanæ prædictæ competebat vel competere poterat, jure scripto vel non scripto, privilegio vel alio quovis modo, in omnibus decimis & primitiis bladi, vini, lini, canapis, feni, lanæ, carnalagiorum, fructuum & omnium aliorum, sive ex novalibus, sive ex terris dudum cultis, aut rebus aliis provenerint & provenient in futurum a fluminibus Tarni & Tesconis usque ad decimaria ecclesiarum sancti Genesii & de Faguo, & usque ad rivum S. Genesii ex parte castri de Curvo-rivo, descendentem & cadentem in flumine Tarni, & a dicto decimario de Faguo usque ad flumina Tarni & Tesconis prædicta, & ab ipsis fluminibus usque ad decimarium S. Leufarii. Voluit etiam idem dominus episcopus & concessit quod neque ipse episcopus nec sui futuris temporibus successores episcopi Tolosani, nec capitulum ecclesiæ Tolosanæ, nec illi qui ministrant parrochianis dicti barrii de Tescone, vel pro tempore ministrabunt ecclesiastica sacramenta, aut divina officia celebrabunt, valeant unquam sibi jus aliquod vindicare in dictis decimis vel primitiis & aliis superius nominatis infra dictos limites contentis, sed sint dictæ decimæ, & jus percipiendi easdem perpetuo, prout superius exprimuntur, plene & integre monasterii supradicti, & apud ipsos abbatem & conventum remaneant, & eorum successores perpetuo jure suo, juribus episcopalibus duntaxat exceptis inferius expressatis. Si autem contingeret populationem ibi fieri, & ob hoc fundari ecclesiam infra limites supradictos, voluit etiam idem dominus episcopus & concessit, quod ecclesiæ, decimæ, primitiæ, beneficia, & cætera jura spiritualia & temporalia universa quæ abbas & conventus monasterii antedicti habent & possident, vel quasi conjunctim & divisim in tota diœcesi Tolosana apud ipsos sint & remaneant jure suo perpetuis temporibus illibata & eorum perpetuo successores, salvo sibi & successoribus suis episcopali jure in institutionibus, destitutionibus, procurationibus, visitationibus, correctionibus & aliis juribus episcopalibus universis quæ præsenti compositioni & præconcessis per eumdem dominum episcopum eisdem abbati & conventui non obsistunt, & salvis etiam & exceptis illis quæ ratione compositionis seu transactionis præsentis & alterius superius nominatæ dicto domino episcopo reservantur & ecclesiæ Tolosanæ. Item idem dominus episcopus utilitate ac necessitate subsequentium ecclesiarum diligenter pensatis univit ecclesias S. Martini, S. Liberii & *de Gafferas* quæ

A in solidum pertinent ad monasterium supradictum, volens & statuens ut per unum regantur omnes de cætero capellanum, & per eumdem ministrentur in ipsis ecclesiastica sacramenta & divina officia celebrentur, nisi ex aliqua nova & evidenti necessitate de jure fuerit aliter in posterum ordinandum, & habitatores si qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint in decimario *dels Guiraudenes* antedicto sint parochiani perpetuo ecclesiæ *de Gafferas* supradictæ. Voluit etiam idem dominus episcopus & concessit quod dominus abbas & conventus monasterii supradicti percipiant integre & pacifice perpetuis temporibus suo jure medietatem omnium decimarum, ecclesiarum ac aliorum in compositione nominata superius contentorum, & idem dominus episcopus aliam medietatem juxta compositionem eamdem, exceptis decimis

B ecclesiæ S. Petri *de Braffols* & *de Ordas*, quæ in solidum pertinent ad monasterium supradictum, & excepta tertia parte decimæ Villæ-muri prioratus, quæ fuit quondam militis, in quo dictus dominus episcopus medietatem habet, & aliam medietatem monasterium supradictum, ut in compositione de qua facta est mentio superius, continetur, & exceptis ecclesiis seu prioratibus prædictis de Faguo & de S. Germano qui erunt in solidum perpetuo domini episcopi supradicti cum dicta parochia de Tescone. Voluit præterea idem dominus episcopus & concessit quod dominus abbas prædictus & ejus perpetuo successores habeant jus & liberam potestatem præsentandi capellanos eidem domino episcopo & successoribus

C ejus ad dicti monasterii ecclesias, cum eas vacare contigerit sitas in diœcesi Tolosana. Voluit insuper idem dominus episcopus quod capellani ecclesiarum monasterii antedicti sitarum in diœcesi Tolosana habeant pro sua capellania primitias & obventiones alias ecclesiasticas, prout fuit hactenus consuetum. Item dominus episcopus supradictus certioratus de jure & de facto contingentem compositionem istam recognovit & concessit conditionem episcopatus & ecclesiæ Tolosanæ in præsenti transactione melioratam fuisse, atque in ea ipsorum esse utilitatem evidentius procuratam, & in nullo prædictos ecclesiam & episcopatum fore deceptos; concessit etiam quod ipsa compositio seu transactio per sedem apostolicam confirmetur. Præterea compositionem seu transactionem præsentem, & universa & singula supradicta, prout

D superius sunt expressa, acceptaverunt & approbaverunt idem dominus episcopus, abbas & conventus superius nominati, pro se & successoribus suis, & ad ea servanda in perpetuum & complenda se suosque successores & suas ecclesias specialiter obligarunt, promittentes firmiter sibi ad invicem quod omnia & singula supradicta facient perpetuo inviolabiliter observari. Et præterea compositionem seu transactionem ipsam, & omnia & singula in ea contenta capitulum ecclesiæ Tolosanæ scilicet Dominus Vitalis Dei gratia Tolosanus præpositus, & Raymundus de Villafrancha prior claustralis ac archidiaconus veteris Moresii, Hugo Mascaroni prior de Murello, & Guillelmus Athonis thesaurarius, & Hugo de Roscio prior de Justinhaco, & magister Aimericus cancellarius

E Tolosanus, & operarius, & Guillelmus Arnaldi de Artizanis infirmarius, & Bernardus Cornelli archidiaconus Savin. & Guillelmus Vasquerii prior de Alsona, & Guillelmus Petri Mainata eleemosinarius, & Guillelmus Onis cellerarius, & Raimundus de Turre, & Petrus *Despaor*, & Bernardus de Gamevilla canonici ecclesiæ Tolosanæ, in capitulo ipsius ecclesiæ congregati in præsentia & de assensu dicti domini episcopi Tolosani, & idem dominus episcopus una cum dicto capitulo unanimiter & concorditer habito sæpe inter se diligenti tractatu communiter & concorditer pro se suisque successoribus & toto capitulo dictæ ecclesiæ præsenti & futuro, certiorati de jure & de facto ipsam compositionem seu transactionem

considerata utilitate ipsius ecclesiæ, & capituli & A episcopatus & diligentius circumspecta ratificaverunt, confirmaverunt & approbaverunt, & eamdem voluerunt illibatam perpetuis temporibus observari. Omnia prædicta & singula quæ dicti abbas & conventus Montis-Albani concesserunt, fuerunt facta secunda die introitus mensis Februar. regnante Philippo Francorum rege, & Bertrando prædicto episcopo Tolosano, anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto Incarnationis Domini scilicet, in præsentia & testimonio Bernardi Durandi clerici de Tolosa, & Geraldi Garini mercatoris, & Arnaldi Furnerii civium Tolosæ; & in præsentia & testimonio Arnaldi Raterii de Monte-Albano, & Petri *Ba*, & Geraldi Perarii clericorum de Monte-Albano, excepta concessione facta per dictum infirmarium B Montis-Albani, quæ fuit facta undecima die exitus dicti mensis Februarii, scilicet in præsentia & testimonio Petri Fabri de Monte-caprario, & Guillelmi Martini de Ulmo. Item omnia prædicta & singula quæ dictus dominus episcopus & dictum capitulum dictæ ecclesiæ Tolosanæ concesserunt, fuerunt facta undecima die introitus mensis Januarii, anno quo supra, in præsentia & testimonio dominorum magistri Bertrandi de Ferreriis officialis Tolosani, & Guillelmi de Casa-nova notarii publici Tolosæ, & Arnaldi Austurtonis, & Petri Guillelmi sacerdotum, & Petri de Berenguis capellani de Justinhaco, & Raymundi Royscii, & Johannis de Briva sacerdotis. Item canonici dictæ ecclesiæ Tolosanæ infra scripti, anno quo supra compositionem seu transactionem istam, C & universa & singula in ea contenta, contingente utilitate nihilominus ejusdem capituli, & dictæ ecclesiæ Tolosanæ, & dicti episcopatus Tolosani diligentius circumspecta, expositis eis diligenter omnibus prædictis, ratificaverunt, confirmaverunt & eamdem voluerunt illibatam perpetuis temporibus observari, quam ratificationem fecerunt Bernardus *de Saysses* archidiaconus Lesatensis, & magister Petrus de Gozenchis archidiaconus Villæ longæ alter cellerarius dictæ ecclesiæ Tolosanæ, & Arnaldus Mascaroni prior de Rivis, & Guido de Turribus prior de Monte-amato, & Bernardus Brito prior de Salvimonte, & Guillelmus Arnaldi de Maurenchis prior Unzenti, & Bernardus de Altaraguesio prior de Insula Jordani, & Raimundus Fabri prior de Arti- D guato, & Arnaldus Raimundus de Palmeriis prior de Pompiaco, & Arnaldus Ouis prior de Gentiaco, dictæ ecclesiæ Tolosanæ canonici, scilicet dicti archidiaconi Lesatensis & Villæ-longæ, decimo quarto die introitus dicti mensis Januarii, scilicet in præsentia & testimonio Ispani *de Saisses* clerici, & Johannis de Fornellis mercatoris; & dicti priores de Salvimonte & de Unzento, undecimo die exitus dicti mensis Januarii, scilicet dictus prior de Salvi-monte, in præsentia & testimonio Bernardi de Ceraria rectoris ecclesiæ de sancto Gonderico, & Petri Fabri de Monte-Caprario notarii publici Tolosæ; & dictus prior de Unzento, in præsentia & testimonio Guillelmi Seguerii clerici, & Pontii Amoravii monetarii, & Raimundi Thomæ; & dictus prior de Insula E Jordani, nona die exitus dicti mensis Januarii, scilicet in præsentia & testimonio Petri Guillelmi sacerdotis, & Bernardi Durandi; & dictus prior de Artigato, octavo die exitus dicti mensis Januarii, scilicet in præsentia & testimonio Arnaldi Austurtonis sacerdotis, & Petri de Fuxo diaconi; & dictus prior de Pompiaco, duodecimo die introitus Februarii, scilicet in præsentia & testimonio Thomæ sutoris, & Guillelmi de sancto Paulo; & dictus prior de Gentiaco, primo die Martii, scilicet in præsentia & testimonio Petri de Insula capellani de Monte-Brunò, & Bernardi Durandi prædicti. Hæc omnia prædicta & singula fuerunt facta anno quo supra, scilicet in præsentia & testimonio Guillelmi Pontii de Jonqueriis publici

Tolosæ notarii, qui omnibus prædictis & singulis interfuit, & hoc præsens publicum instrumentum scripsit de voluntate partium prædictarum. Item ad majorem omnium firmitatem & in prædictorum omnium testimonium dictus dominus episcopus Tolosanus, & dictus dominus præpositus Tolosanus, & dictum capitulum dictæ ecclesiæ Tolosanæ pro se ipsis; & dictus dominus abbas de Monte-Albano pro se & dicto conventu suo dicti monasterii de Monte-Albano, sigilla sua apposuerunt huic præsenti publico instrumento, quod quidem instrumentum & omnia & singula in eo contenta cum sigillo, & sine sigillo, & in omni casu & eventu obtinere voluerunt perpetuam roboris firmitatem. Similiter dominus Bertrandus de Ferreriis officialis Tolosanus pro eo, quia dictus conventus Montis-Albani sigillum proprium non habebat, ut superius exprimitur, & quia fuit concessum ab eodem abbate & conventu, quod officialis Tolosanus sigillum curiæ domini Tolosani episcopi præsenti instrumento apponeret nomine ejusdem conventus, & pro eodem conventu, ideo idem officialis ad majorem omnium firmitatem, loco & nomine dicti conventus dicti monasterii de Monte-Albano, & pro eodem conventu, cum consensu expresso & voluntate dicti domini abbatis de Monte-Albano tunc præsentis, dictum sigillum dictæ curiæ domini Tolosani episcopi huic apposuit instrumento. Item Ratificatio per dictos priores de Rivis & de Monte-Amato fuit facta decimo tertiò die exitus dicti mensis Januarii, anno quo supra, scilicet in præsentia & testimonio Raimundi Sancii massonerii & Bernardi Durandi prædicti, & dicti Guillelmi Pontii de Jonqueriis publici Tolosæ notarii, qui præsens instrumentum, ut dictum est, scripsit.

XVIII.

Raymundus episcopus Caturcensis donationes factas a decessoribus suis Guillelmis confirmat Bernardo abbati Montis-Albani.

Ex cod. ms. Biblioth. reg. olim Colbert. n.° 89.

UNIVERSIS & singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Raymundus Dei gratia Caturcensis episcopus, & capitulum cathedralis ecclesiæ civitatis Caturcensis, salutem in filio Virginis gloriosæ. 1281.
Dignum est ut eis favoris gratiam impendamus, qui sub gravibus angustiis observantiæ regularis Domino famulantur, & decreverunt pacificis studiis inhærere. Sane cum claræ memoriæ prædecessores nostri dominus Guillelmus & alius dominus Guillelmus quondam episcopi Caturcenses quasdam ecclesias inferius expressatas contulerint monasterio sancti Theodardi de Monte-Albano in remissionem suorum peccaminum, gratiose volentes paupertatem dicti monasterii relevare, videlicet ecclesiam S. Hyppoliti prope Insulam-madidam & flumen Tarni sitam, & ecclesiam S. Hilarii prope flumen Tarni, & ecclesiam sancti Johannis de Monte-Alsato, & ecclesiam S. Sulpicii de Castaneda, & ecclesiam S. Ruffinæ de Corondis, & ecclesiam S. Mariæ *de Davias*, & ecclesiam Baltidæ *de Genebrieras*, & ecclesiam S. Mariæ de Campo-Guizano, & ecclesiam S. Mariæ de capella *de Gaolf*, & ecclesiam S. Cirici, & ecclesiam sancti Saturnini *d'Ordarilhas*, & ecclesiam S. Symphoriani *de Leviac*, & ecclesiam S. Martialis de Fresauvila, & ecclesiam S. Michaëlis de Monte-Albano, & capellam S. Jacobi de Monte-Albano in diœcesi Caturcensi constitutas. Nos inquam, dictorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, & habentes devotionem & affectionem ad dictum monasterium specialem, prædictas donationes ex nostra certa scientia approbamus, laudamus & etiam confirmamus, volentes quod abbas qui nunc est in dicto monasterio, & ejus successores qui pro tempore fuerint in eodem monasterio habeant, teneant & possideant dictas

ecclesias cum omnibus decimis, juribus & pertinentiis suis, salvis juribus episcopalibus nobis & successoribus nostris competentibus in institutionibus capellanorum ad præsentationem dictorum abbatum dicti monasterii, visitationibus agendis, & recipiendis procurationibus in ecclesiis supradictis. In cujus rei testimonium nos dictus episcopus sigillum nostrum una cum sigillo dicti capituli Caturcensis litteris præsentibus duximus apponendum. Et nos præfatum capitulum sigillum nostrum commune una cum sigillo dicti domini episcopi litteris præsentibus duximus apponendum. Actum & datum Caturci, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, die Lunæ in vesperis beati Johannis-Baptistæ.

XIX.

Montalbanensis ecclesia in episcopalem erecta a qualibet servitute liberatur.

1317. *Sammarth.* JOANNES episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Nuper ex certis, manifestis & rationalibus causis, monasterium de Monte-Albano ordinis S. Benedicti, tunc Cadurcensis diœcesis in ecclesiam ereximus cathedralem, certam sibi assignaturi diœcesim a Tolosana quondam diœcesi decidendam, ipsamque sic erectam ecclesiam cum suis capitulo & diœcesi, ab omni jurisdictione, potestate & subjectione quacunque Bituricensis & Narbonensis archiepiscoporum, ac Cadurcensis & quondam Tolosani episcoporum, capitulorum & etiam abbatum, atque conventuum & ordinariorum quorumlibet aliorum ecclesiasticorum, quibus quomodolibet fuerat huc usque subjecta, perpetuo eximentes, prout hoc latius in nostris litteris aliis inde confectis continetur. Verum quia præfatum quondam monasterium de Monte-Albano in certis annuis censibus, & aliis quibusdam præstationibus & servitiis, Cadurcensi ecclesiæ & monasterio Casæ-Dei dicti ordinis, Claromontensis diœcesis, cui cum membris suis pleno jure suberat, tenebatur. Nos ex novi & debiti prærogativa honoris, præfatam de Monte-Albano ecclesiam, plena quoad hoc gaudere libertate volentes, ipsam cum omnibus membris suis, intra constituendam sibi diœcesim consistentibus, quoad archiepiscopos & episcopos memoratos, & ecclesias ac capitula eorumdem, necnon & cum membris eisdem ubilibet consistentibus, quoad præfatum monasterium Casæ-Dei & abbatem, & conventum ejusdem ab omni censu, præstatione, servitio, subjectione & obedientia qualibet, de consilio fratrum nostrorum, & apostolicæ plenitudine potestatis prorsus absolvimus & totaliter liberamus, jura superioritatis & quælibet alia ad prædictum monasterium Casæ-Dei spectantia, in dictam de Monte-Albano ecclesiam transferentes, & omnia illa & singula penes eam volentes plene & integraliter perpetuo remanere. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Avenione III cal. Augusti, pontificatus nostri anno primo.

XX.

Johannes XXII ecclesiam S. Stephani de Tescone cum suis pertinentiis annectit mensæ episcopali Montis-Albani.

1317. JOHANNES episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Bertrando episcopo Montis-Albani, salutem & apostolicam benedictionem. Pridem ex certis, manifestis & rationabilibus causis quæ ad hoc nostrum animum induxerunt villam de Monte-Albano, quæ dudum de Caturcensi diœcesi existebat, ut pote locum nobilem & insignem multisque commoditatibus præditum, ad Dei laudem & gloriam, & exaltationem catholicæ fidei, & divini cultus

A augmentum, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in civitatem ereximus, & civitatis vocabulo duximus decorandam, auctoritate apostolica decernendo ut regularis ecclesia S. Theodardi sita in civitate prædicta Montis-Albani, quæ dudum monasterio Casæ-Dei ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diœcesis nullo medio subjacebat, esset & de cætero haberetur perpetuo ecclesia cathedralis, ipsamque ecclesiam cum omnibus juribus & pertinentiis suis ab omni jurisdictione, potestate & dominio dictorum filiorum abbatis & conventus ejusdem monasterii Casæ-Dei in perpetuum liberandam duximus & totaliter eximendam, ac præfatæ ecclesiæ Montis-Albani de novo in cathedralem
B erectæ, tibique & successoribus tuis qui pro tempore fuerint episcopi Montis-Albani de annuis proventibus & redditibus olim episcopatus Tolosani, in quibus olim episcopatus Tolosanus tam affluenter tamque magnifice abundabat, quod absque ejus dispendio multi ex annuis redditibus & proventibus dictæ mensæ pontifices juxta pontificalis status decentiam poterant sustentari, quinque millia librarum turonensium parvorum bonorum percipienda integre a te dictisque successoribus tuis anno quolibet donanda duximus auctoritate prædicta & etiam deputanda, prout in nostris litteris apostolicis inde confectis plenius continetur. Cum autem pro eo quod tua diœcesis nondum extitit limitata, dictique redditus & proventus non fuerint tibi in certis distinctis locis
C atque partibus assignati in prædicta quondam Tolosana diœcesi, nullum locum congruum habeas ad quem pro exercenda jurisdictione pontificalis officii valeas declinare. Nos attendentes quod ecclesia sancti Stephani de Tescone dictæ quondam Tolosanæ diœcesis, quæ ad mensam quondam episcopi Tolosani pertinebat cum hospitiis, domibus, omnibus juribus & pertinentiis dictæ civitatis de Monte-Albano consistens, est tibi & mensæ tuæ episcopali multum accommoda & plurimum opportuna, & quod propter contiguitatem & vicinitatem ipsius decet & expedit ut in distinctione, limitatione & assignatione dictæ diœcesis facienda, dicta ecclesia de Tescone infra dictam diœcesim Montis-Albani consistat, prædictam ecclesiam de Tescone cum hospitiis, domibus,
D omnibusque juribus & pertinentiis suis mensæ episcopali Montis-Albani, tibique ac tuis successoribus in perpetuum donamus, concedimus & etiam applicamus, tibique apprehendendi per te vel alium, seu alios corporalem possessionem ejusdem ecclesiæ de Tescone, hospitiorum, domorum, ac jurium & pertinentiarum ipsarum, & retinendi eamdem nomine dictæ mensæ, ac percipiendi fructus & redditus & proventus ipsorum, & in usus dictæ mensæ integraliter convertendi, non obstantibus quibuscumque litteris, administratoribus seu procuratoribus, vel quibuscumque aliis, quocumque nomine censeantur, ad gerendam curam, gubernationem & administrationem in spiritualibus & temporalibus ecclesiæ ac civitatis & quondam diœcesis Tolosanæ per nos deputatis, eis directis, quas ad ecclesiam de Tescone,
E hospitia, domos, jura & pertinentias supradicta volumus non extendi, nec eorum prætextu administratores seu procuratores prædictos in eis jurisdictionem vel administrationem aliquam spiritualiter vel temporaliter exercere, sed ipsa duntaxat ad tuam ac successorum tuorum & episcoporum Montis-Albani qui erunt pro tempore, jurisdictionem & dispositionem in spiritualibus & temporalibus plenarie ex nunc auctoritate apostolica decernimus pertinere, contradictoresque quoslibet & rebelles, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, concedimus tibi plenam auctoritate præsentium facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ donationis, concessionis,

applicationis, voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione sexto idus Augusti, pontificatus nostri anno primo.

X X I.

Fines diœcesis Montalbanensis a papa præscribuntur.

1318. *Sammarth.* JOANNES episcopus servus servorum Dei, &c. volumus & decernimus auctoritate & consilio supradictis, ac ex certa nostra scientia, ut civitas & diœcesis Montis-Albani præfatæ, a dicta diœcesi Caturcensi per infra scriptos limites seu terminos in perpetuum distinguatur seu etiam terminetur; videlicet ex parte orientali ex qua descendunt flumina dictæ villæ, a ponte dicto de Calmo supra flumen Tesconis, sicut ostenditur per rectam lineam ad cacumen montis vocati de Bello-sole prope ecclesiam S. Michaëlis, & inde per rectam lineam ad viam publicam per quam itur de Monte-Albano versus primam vineam, in fine vineæ appellatæ vulgariter *vinea longa*, quæ est Petri Gastandi civis Montis-Albani, & ab inde per rectam lineam usque ad bivium per quod itur de Monte-Albano ad locum vocatum *ad Effercos*, & per aliam ad viam vocatam *de Leviac;* ac deinde per rectam lineam ad quoddam bivium quod est ultra boriam pontis Molineri, per quod itur de Monte-Albano versus castrum de Bruniquello; & ex alia magna via ex qua nascitur alia parva via a parte dextra, per quam itur ad podium Nicherii ex transverso, ac per rectam lineam usque ad pontem Mortui-rivi ultra domum Leprosorum Montis-Albani, recta via, satis prope situatum; indeque per rectam lineam usque ad pontem dictum *Negransaum*, procedendo ultra per rectam lineam usque ad viam publicam per quam itur de Monte-Albano versus Moyssiacum, ad locum dictum *de Gevarenos*, ubi est quoddam iter parvum inter vineas Toseti de Colonis ex una parte, & pontii de Cogornaco ex altera, procedendo per rectam lineam usque ad flumen Tarni, in fronte boriæ heredum de Juvagoris, quæ est in Tolosano, ex parte altera prædicti fluminis Tarni situata est. Nihilominus infra scripta loca, castra seu villæ, ac redditus in dicta quondam Tolosana diœcesi existentia, videlicet de villa Brameria, de Curvo rivo, de Verlhaco, de monte Galhardo, de S. Urcicio, de monte Durantuno, de S. Sebastiano, de monte Valento, de rupe Mauro, de Causanis Bastidæ, S. Petri de Canalibus, de Diopantala, de Montogio, de Gensaco, de Ureneto castello, de Pulchro-videre, de Vigorono, de Casalibus, de S. Joanne de Calsaco, de Bello-monte Guarii, de Mayrinsaco, de Feudoas, de Sinderiis, de Gualmeriis, de Gualsaco ac de Alta-ripa, necnon de Varenis, Despensaco, & de Glatens ecclesiæ: monasteria quoque seu prioratus de Bella-pertica, de monte Luganno, de monte Valento, de Villamuro, de S. Leufario, S. Salvatoris de castro Sarraceno, monialium sancti Aniani de Bosaneis & de Marcello, ac ecclesiæ Mesenchis, de Conchis, de Peregrino, de Foncleyrones, de Tauriaco, de Aleyraco, de Labaressis, de Borno, de Monsonaco, de Noyco, de Orgolio, S. Joannis de prædicto castro Sarraceno, de Grando-bono, de Borcis, de Mansaco, de Villa-Dei, de Catalenchis, de Montanerio, de Affrinnano, de Brial, de Larinsiaco, de Pamperdut, de Gullaris, de S. Sacerdote, de Agevilla, de Penvilla, de Gargamilar, de Arreseto, de Cugo monte, de Cordisa, de Fayola, de Musey, de Fagugeto, de Crilaco, de Reyneriis, ac de Vinosa ecclesiæ, cujus quidem ecclesiæ de Vinosa præfatum Montis-Albani episcopum qui est & pro tempore fuerit, medietatem decimarum ex nunc & in perpetuum decernimus percipere & habere, totali residuo ipsius ecclesiæ rectori, qui est & pro tempore fuerit integraliter remanente, territorio etiam, seu decimario de Fenayrolis, de S. Martiali, de Mesenchis, de Pinu, de fonte Laironesia, Cuget Canta, & de Grasaco, ac Bertrandi Agassa prope S. Urcicium, & hospitale de Feudoas, & ecclesiæ de sancto Porquerio, & de monte Besrone, de Fago, & de Bressollis, cum territorio seu decimario de Gassaranis, nunc usque de dicta quondam diœcesi Tolosana cum aliis infra dictos limites a parte Caturcensis diœcesis positos existentibus, ac omnibus aliis ecclesiis parrochiis, capellaniis, decimis seu decimariis, juribus & pertinentiis earumdem, monasteriis quoque ac prioratibus, hospitalibus secularibus & regularibus, ac jurisdictionibus aliis consistentibus infra limites seu terminos ecclesiarum, parrochiarum & decimariorum prædictorum sint ex nunc, & esse debeant in perpetuum diœcesis Montis-Albani, ac ipsi ecclesiæ de Monte-Albano in suam diœcesim deputamus & assignamus, ipsamque diœcesim taliter limitatam episcopo Montalbanensi qui est & qui pro tempore fuerit ordinario episcopali jure subjicimus, eamque ab omni jurisdictione, dominio & potestate archiepiscopi Tolosani, & episcopi Caturcensis in totum eximimus, & in perpetuum liberamus. Volentes atque decernentes, ut quæcunque jura, redditus & proventus quos quondam Tolosanus & dictus Caturcensis inibi habuerunt hactenus, & habere ac percipere debuerunt, in quibuscunque consistant, quocumque nomine censeantur, cedant & accrescant episcopali mensæ Montis-Albani: eaque omnia & singula quæ hactenus ad prædictum quondam Tolosanum episcopum antea, ut prædicitur, pertinebant, pro summa quatuor millium librarum dictæ monetæ, de summa quinque millium librarum prædictarum, quam per alias nostras litteras eidem ecclesiæ Montis-Albani assignari decrevimus, ut præfertur, ex nunc in episcopalem mensam Montis-Albani, & episcopatum prælibatos transferimus, & etiam assignamus eisdem illa eadem quæ subibat & subire debebat pro illis dictus quondam Tolosanus episcopus, onera subituros, excepta jurisdictione temporali seu temporalitate, si quam forte quondam Tolosanus episcopus in prædictis villis & locis, eorumve territoriis, ante divisionem prædictam habebat, quam prædictæ Tolosanæ ecclesiæ volumus ex certa scientia nostra integraliter remanere, ac fructibus, redditibus, proventibus duntaxat ecclesiarum de S. Porquerio, de Monte-besrone, de Fago, & de Bressolis, cum territorio seu decimario de Gasseranis prædictarum, prout ad quondam Tolosanum prædictum episcopum ante pertinebant: quæ capitulo seu collegio ecclesiæ S. Stephani de Tescone Montis-Albani quam de novo in collegiatam ereximus, pro mille libris dictæ monetæ, per alias nostras certi tenoris litteras duximus assignanda. Cæterum ne præfatæ ecclesiæ Montis-Albani, de præfata summa quinque millium librarum quam sibi, ut prædictum est, per alias nostras litteras mandavimus assignari, ex eo videlicet, quod de redditibus & proventibus in sua diœcesi situatis, & pro prædicta summa quinque millium librarum prædictarum æstimatis, ad communem valorem mille librarum ejusdem monetæ, præfatæ collegiatæ ecclesiæ mandavimus assignari, aliquid subtrahatur, sed eas potius integras & sine diminutione percipiat, fructus, redditus & proventus infra scriptos spectantes olim ad quondam abbatem ipsius loci de Monte-Albano, videlicet medietatem reddituum totius decimarii vinorum tam in portionibus, quam agrariis decimarii Montis-Albani, redditus quoque fœni omnium pratorum, ac Insulæ Madidæ cum pertinentiis suis, & boariæ cum terris, vineis ac nemoribus, ac illos quos habebat idem quoque abbas

apud motam ecclesiarum de Falgueriis & de sancto Hilario, cum omnibus juribus & locis de Bernha, ac medietatis furni dela Porta de Tesco, & omnes redditus prioratus de Villamuro dictæ quondam Tolosanæ diœcesis, quem per alias nostras litteras mensæ ipsi episcopali duximus uniendum; necnon redditus omnes tabulæ Montis-Albani, cum omni jurisdictione quam quondam monasterium ipsius loci habere consuevit, tam in eadem villa Montis-Albani, quam in villa Madida & omnibus aliis pertinentiis eorum, & omnium aliorum locorum dicti quondam monasterii, ubicunque & in quibuscunque consistentium, sive in obliis, sive in Laudimiis, sive in pedagiis, seu leudis, ac incursibus & confiscationibus, sive in terris, totam etiam temporalitatem, & jurisdictionem ac dominium, quam & quod habebat dictus quondam abbas & prædecessores ipsius, tam in superius expressatis locis seu rebus, quam aliis omnibus quæ nunc habet, ac illis etiam quorum redditus sunt capitulo seu conventui ipsius loci assignati, quos redditus dumtaxat eidem capitulo seu conventui volumus remanere prædictis mensæ & ecclesiæ Montis-Albani pro eisdem mille libris prædictæ ecclesiæ collegiatæ assignatis, in complementum dictarum quinque millium librarum, de consilio & auctoritate prædictis, ac ex certa scientia nostra in perpetuum deputamus & etiam assignamus, &c. Datum Avenione VIII calend. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

Vide codicem, n.° 89 Biblioth. reg. ex quo plures voces restituimus, & in quo integra describitur bulla pertinens quoque ad novas diœceses Appamiarum, de S. Papulo, de Lumberiis, de Rivis, &c. quas recens erexerat summus pontifex, & quam eo loci truncam edidimus, ob lacunas innumeras quibus abundat, quasque supplere non potuimus.

XXII.

Ex cod. reg. Biblioth. mss. n.° 92.

Donatio facta monasterio Bellæ-perticæ per Raymundum Bernardi de Preisshaco.

1330. IN nomine Domini, amen. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nobilis vir Raymundus Bernardi de Preishaco domicellus, condominus de sancto Michaële de Cornelha, pia devotione motus, ut dixit, quam habet erga monasterium Bellæ-perticæ Cistercienses ordinis Montis-Albani diœcesis, & dominum abbatem & conventum ejusdem monasterii, volens, ut dixit, esse particeps in jejuniis, abstinentiis, orationibus & vigiliis, eleemosynis pariter & in missis & aliis divinis caritativisque beneficiis quæ in dicto monasterio de die in diem fiunt, & per dictum dominum abbatem & conventum dicti monasterii impenduntur, & fient & impendentur perpetuo in futurum, volens etiam sibi & suis parentibus præteritis & futuris, & animabus eorumdem de salubri collatione & provisione ac remedio perpetuo & æterno providere ut ab eorum .... divino numine absolvantur, & per dicta divina officia æterna gaudia promereri, ac perduci ...... & specialiter pro anima nobilis Vitalis de Preishaco domicelli fratris sui jam defuncti, & ut ejus anima pro præmissis in pace perpetua requiescat, gratis & sponte dedit perpetuo, & etiam assignavit dicto monasterio & reverendo patri in Christo domino Bertrando permissione divina abbati dicti monasterii, & religiosis viris dominis fratribus Raymundo de Rupe priori dicti monasterii, & Othoni Robberti, Bernardo de Monsaco, & Heliæ de Monte-claro monachis & syndicis dicti monasterii, ut ibi dictum fuit, ibidem præsentibus, & dictam donationem & assignationem pro se & conventu dicti monasterii & pro dicto monasterio stipulantibus & recipientibus centum solidos turonensium parvorum reddituales quolibet anno in posterum in festo beati Martini hiemalis exsolvendos dicto monasterio & dicto domino abbati & conventui A qui nunc sunt, & aliis qui perpetuo fuerint in futurum, assignando eosdem centum solidos turonensium parvorum ex causis prædictis, super reddiitibus vinearum quas idem nobilis dixit se habere in loco de Alto-villari seu pertinentiis ejusdem in decimario vocato *Disank* pro Serra volens & prædicens dictus nobilis quod si prædicti redditus dictarum vinearum sufficere non poterant ad exsolvendum dictos centum solidos turonensium parvorum dicto monasterio & domino abbati & conventui qui nunc sunt vel erunt pro tempore perpetuo in futurum; vel alias non valerent dictos centum solidos turonenses, super facto de las Coriada in honore *de Baynas* & redditibus ejusdem quos in dicto loco habet, una cum dictis reddiitibus in decimario *de Sank* pro Serra B assignavit & etiam obligavit, voluitque etiam pro dictis centum solidis turonensium parvorum annualibus reddiitibus termino supradicto perpetuo dicto monasterio exsolvendis, quod semper præsens obligatio & assignatio dictorum centum solidorum turonensium parvorum annualium rendualium dictos redditus quos habet in dicto decimario *de Sank* .. .. & de las Coriada in honore *de Baynas* perpetuo assequantur venditione vel alienatione per dictum nobilem alteri vel alteris facienda de dictis reddiitibus in aliquo non obstante, imo ipsa affixa & enervata dictis centum solidis turonensibus annuis rendualibus esse voluit, & quod semper, ut præmissum est, dictos redditus perpetuo assequantur. Hanc autem donationem & assignationem dictorum C centum solidorum turonensium parvorum annualium rendualium in dicto termino dicto monasterio exsolvendorum recognovit dictus nobilis se fecisse ex causis superius expressatis, & ad hunc finem etiam quod dictus dominus abbas & conventus qui nunc sunt & pro tempore erunt in futurum perpetuo habeant, & debeant unam missam de *requiem* pro anima dicti Vitalis de Preishaco & pro anima ejusdem donatoris & assignatoris, dum viam universæ carnis ingressus fuerit, & pro animabus parentum suorum, & aliorum sui generis fidelium defunctorum in dicto monasterio celebrare; & ibidem dictus dominus abbas & domini syndici prædicti pro se & nomine dicti monasterii & canonicis ejusdem, attenta pia devotione dicti nobilis donatoris quam habet erga D dictum monasterium, & quod pie postulantibus & devotis in dictis largitionibus ac caritativis operibus, non debet denegari assensus, sed eis largissime pro cultu divino & amplissime in Domino erogari, dictum nobilem Raymundum Bernardi de Preishaco & Vitalem ejus fratrem quondam, & omnes de genere suo jam defunctos & qui erunt pro tempore perpetuo in futurum participes receperunt in jejuniis, abstinentiis, orationibus, vigiliis, eleemosynis pariter & in missis, & aliis divinis & caritativis beneficiis quæ fient deinceps perpetuo in dicto monasterio, & unam missam perpetuo de *requiem* celebrare quotidie .... pro animabus dictorum Vitalis de Preishaco fratris dicti donatoris, & aliorum de genere suo jam defunctorum & moriendorum, & ipsius donatoris, dum viam universæ carnis ingressus fuerit, E & per mortem suam debitum reddiderit naturaliter, vel unam collectam in remissionem & suorum veniam peccatorum; pro quibus omnibus & singulis supradictis tenendis & complendis, & inviolabiliter perpetuo observandis dictus nobilis donator obligavit dicto domino abbati & dictis syndicis pro se & nominibus quibus supra, prædictos redditus in decimario *de Sank* pro Serra, de la discoriada in honore *de Baynas*, & generaliter omnia bona sua ubicumque sint, mobilia & immobilia, præsentia pariter & futura; & dictus dominus abbas & dicti syndici pro se & nominibus quibus supra, ac successoribus suis promiserunt promissa superius per eos tenere & inviolabiliter observare, pro præmissis bona dicti monasterii dicto

A dicto nobili & ejus heredibus & successoribus obligando, renuntiantes partes hinc inde & nominibus quibus supra juribus dicentibus donationem sine causa non valere, & dictos centum solidos turonensium parvorum annuos rendualès non esse assignatos super redditibus in decimario *de Sank* p . . . Serra & de la Discoriada in honore *de Baynas*, & non teneri cantare unam missam *de requiem*, vel unam collectam dicere quotidie perpetuo pro animabus dictorum donatoris & nobilis Vitalis de Preishaco ejus fratris quondam, & aliorum de suo genere defunctorum & moriendorum, & omnium aliorum fidelium defunctorum, & omnibus aliis juribus tam civilibus quam canonicis cum quibus partes hinc inde contra præmissa vel aliquid de præmissis venire B possent aliqua ratione vel causa; & ea irritare, cassare, infringere vel alias annullare sub obligatione consimili & juris renuntiatione qualibet & cautela . . . . de quibus omnibus & singulis supradictis partes prædictæ hinc inde & nominibus quibus supra requisiverunt me notarium infra scriptum ut sibi reciperem & conficerem duo publica instrumenta unius continentiæ & tenoris, quorum unum restituatur dicto domino abbati & Syndicis nominibus quibus supra, & aliud restituatur dicto nobili Raymundo Bernardi de Preishaco donatori & assignatori prædicto; ad quarum partium instantiam & requisitionem ego notarius infra scriptus de præmissis omnibus & singulis duo abstraxi & feci publica instrumenta ejusdem tenoris & continentiæ. Acta fuerunt hæc C in dicto loco de Bella-pertica, quinta die exitus mensis Februarii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo, regnante domino Philippo rege Francorum, Guillelmo Montis-Albani episcopo. Quorum omnium præmissorum sunt testes discretus vir magister Petrus Baiani jurisperitus, Raymundus Bernardi de Belinquis, Ogerius de Leomania, Guillelmus de Podio Dalphini domicelli, & ego Egidius-Paschalis de *Gargan* villari, autoritate regia publicus domini nostri Franciæ regis notarius, qui requisitus per dictas partes & nominibus quibus supra hanc præsentem donationem & assignationem recepi & scripsi, & de eadem duo publica instrumenta abstraxi, & in formam publicam redegi, & D signo meo consueto signavi.

XXIII.

Ibidem. *Bulla Benedicti papæ XII pro restitutione bonorum Bellæ-perticæ a quibusdam olim abbatibus alienatorum.*

1337. BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio officiali Caturcensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit quod tam dilecti filii abbas & conventus monasterii de Bella-pertica Cisterciensis ordinis, Montis-Albani diœcesis, quam prædecessores eorum, decimas, redditus, vineas, possessiones, domos, casalia, prata, E pascua, grangias, nemora, molendina, jura, jurisdictiones & quædam alia bona ipsius monasterii, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renuntiationibus, & pœnis adjectis, in gravem ipsius monasterii læsionem, nonnullis clericis & laicis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super his confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de opportuno remedio providere, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ea quæ de bonis præfati monasterii per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite, vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, juramentis, renuntiationibus, pœnis & confirmationibus supradictis, ad jus & proprietatem ejusdem monasterii legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avinioni secundo idus Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

XXIV.

Litteræ Arnaldi quibus ecclesias de Deo-pantala & de Lessinchis in vicariatum perpetuum erigit, quem officio eleemosynarii unit & annectit. *Ex mss. cod. Biblioth. reg. olim Colbert. n.° 90.*

ARNALDUS miseratione divina patriarcha Alexandrinus perpetuusque administrator ecclesiæ Montis-Albani ad æternam rei memoriam, universis & singulis præsentes litteras recepturis salutem in Domino sempiternam. Supplicationem dilecti nobis in Christo Guillemoti de Campmasio eleemosynarii ecclesiæ nostræ Montis-Albani ordinis B. Benedicti, nobis exhibitam recepimus continentem, quod licet temporibus retroactis officium eleemosynariæ prædictæ, quod in ipsa ecclesia multos labores & multa onera, ac multas expensas habet necessario supportare, esset in fructibus, redditibus, proventibus & obventionibus competentibus abundans, propter quod eleemosynarius qui tunc erat & prædecessores sui onera, labores & expensas hujusmodi faciendas poterant sustinere, tamen a quindecim annis proxime lapsis citra, propter pestiferas mortalitates personarum, quæ in hac patria extiterunt, & propter guerrarum discrimina quæ inibi fuerunt inter reges Franciæ & Angliæ, & inter comites Fuxi & Armaniaci, ac propter deprædatores qui deprædando patriam discurrerunt & discurrunt incessanter, & propter lites & controversias ipsi eleemosynario motas, dictum officium eleemosynariæ dictæ ecclesiæ est in fructibus, redditibus, proventibus & aliis obventionibus ejusdem quæ percipere consueverat & levare adeo diminutum, quod ipse eleemosynarius qui nunc est, vitam suam & onera & expensas ipsius officii potest nullatenus sustinere, nec etiam supportare, quæ cedunt in detrimentum ipsius eleemosynarii qui nunc est & pro tempore fuerit, & capituli ipsius ecclesiæ vituperium satis magnum maxime cum de melioratione & augmento dictorum fructuum, reddituum & proventuum ac obventionum ejusdem officii, sed potius diminutione & deterioratione istis temporibus, nec longe diu post nulla bona spes habeatur. Quare nobis humiliter supplicavit dictus eleemosynarius sibi de aliquo beneficio ecclesiastico nostræ Montis-Albani diœcesis, seu successoribus ejusdem in adjutorium supportationis dictorum onerum, uniendo ipsi officio per nos, & paterna benevolentia provideri, & specialiter & expresse ecclesias de Deo-pantala & de Lessenchis unitas Montis-Albani diœcesis ad invicem annexas, quæ rectoria existit, eidem officio ad ejus subsidium, cum ipsas vacare contingat per cessum rectoris ejusdem, vel alias, quovis modo eidem officio dictæ eleemosynariæ cum omnibus juribus & pertinentiis suis perpetuo uniendo, & de rectoria earumdem ecclesiarum vicariam perpetuam faciendo. Nos igitur patriarcha & administrator præfatus in capitulo dictæ ecclesiæ ad sonum campanæ solito more nobiscum congregatis religiosis viris dominis Petro de Bello-forti priore majore, Sicardo de Bello-forti sacrista, Bernardo de Corundello camerario, Geraldo de S. Hilario infirmario, Guillelmo Mancellini pitancerio, Guillemoto de Campmasio eleemosynario, Johanne de Bedis cantore, Mello de Parisio priore de Leviaco, Raimundo de Marsano priore S. Martialis, Guillelmo *d'Estria* priore Insulæ

Tomus XIII. O

madidæ, Petro Pontii, Johanne de Rigaldo, Simone Altorgii, Galtone *de Cas*, Bertrando de Corundello Guillelmo de Bello-forti & Guillelmo *d'Espinassia* monachis dictæ ecclesiæ capitulantibus, & capitulum facientibus, ut est moris, habita deliberatione super præmissis cum eodem capitulo, attentis & consideratis omnibus supra scriptis, quodque secundum mutationes temporum status ecclesiarum possunt rationabiliter mutari, & quod nobis tam per facti evidentiam quam alias constat proposita per ipsum eleemosynarium esse vera, compertoque evidentem utilitatem, imo quodam modo necessitatem dicti officii & dictæ nostræ ecclesiæ, quodque dictæ ecclesiæ de Deo-pantalla & de Lessinchis annexatæ, ut præfertur, seu fructus & redditus earum sunt satis pingues ad vicariam perpetuam faciendam, in his & infra scriptis * . . . . volentes & cupientes, sicut nostra interest in officiis ecclesiasticis, præsertim nobis ut pastori subjectis, ut cultus divinus & alia necessaria caritatis opera in eisdem disponente Domino augeantur, & nullatenus minuantur; dictæ supplicationi annuentes de voluntate & expresso consensu ejusdem capituli, dictas ecclesias de Deo-pantala & de Lessinchis diu ad invicem annexatas nostræ Montis-Albani diœcesis cum omnibus redditibus, proventibus & obventionibus suis & aliis juribus universis dicto officio eleemosynariæ dictæ nostræ ecclesiæ Montis-Albani in subsidium ejusdem officii, ex causis prædictis, autoritate nostra ordinaria unimus & perpetuo annexamus, istam rectoriam dictarum ecclesiarum de Deo-pantala & de Lessinchis, ut præfertur, diu est, annexarum in vicariam perpetuam reducentes, quam primum ipsas vacare continget per cessum & decessum rectoris earum qui nunc est, vel alias quovis modo ipsas dimittentis; ita tamen quod in eisdem ne in divinis officiis valeant defraudari, perpetuus vicarius statuatur qui curam habeat animarum, cui primitus de fructibus, redditibus & bonis dictarum ecclesiarum pro sui & servitorum victu necessario & opportuno, & debita supportatione onerum ejusdem, certa & condecens portio nostro arbitrio statuatur, & retento & dicto expresse quod decimæ & redditus quas & quæ dictum tenet officium eleemosynariæ, cum dicta unio suum fuerit sortita effectum ad mensam episcopalem redigantur, quæ de mensa episcopali esse consueverunt, & intelliguntur esse redacta, retenta nobis solis & successoribus nostris plena & in solidum dictam vicariam conferendi potestate; in quorum omnium fidem & testimonium præsentes litteras scribi & publicari mandavimus per notarium publicum infra scriptum, & in sigilli authentici pendentis munimine roborari. Datum & actum in dicto capitulo dictæ nostræ ecclesiæ, die quarta mensis Maii, pontificatus SS. in Christo patris & domini D. Urbani divina providentia papæ V anno primo, & indictione prima, anno Nativitatis Domini M. CCCLXIII, præsentibus testibus venerabilibus viris dominis Arnaldo Bertrandi legislatore decano, Gualhardo de portu, Arnaldo Servienti, Osilio de Cassanea canonicis, Michaële Mutonis, Raimundo de Rupe presbyteris præbendatis ecclesiæ S. Stephani Montis-Albani ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, & me Petro Andreæ cive Montis-Albani, autoritate apostolica notario publico, qui de mandato dicti domini patriarchæ & administratoris, ac requisitus per dictum eleemosynarium præsentes litteras scripsi & publicavi & in hanc formam publicam redegi, signoque meo consueto signavi rogatus.

* F providere vel intervenire

X X V.

Testamentum Petri de Chalais *episcopi.*

1379. Sammarth.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, amen. Noverint universi quod anno a Nativitate ejusdem M. CCCLXXIX, die 13 mensis novembris, indict. II, A pontificatus sanctissimi in christo patris & Domini nostri, domini Clementis divina providentia papæ VII anno secundo, apud Montem-Albanum, in mei notarii & testium infra scriptorum præsentia, ad hoc vocatorum & rogatorum, personaliter constitutus reverendus in Christo pater, & dominus noster Petrus miseratione divina episcopus Montis-Albani, licet æger corpore, tamen Dei gratia sanus mente, utendo ut dicebat gratiis tam per sanctissimum in Christo patrem dominum Urbanum papam V, quam præstantissimum in Christo patrem dominum Gregorium papam XI, sibi factis, quarum tenores inferius describuntur, & aliàs meliori modo & forma, quibus de jure seu consuetudine potest exprimi sive dici, muniens se signo sanctæ Crucis: sic dicendo, B in nomine Patris, & filii, & Spiritus-Sancti, amen, testamentum suum seu ultimam voluntatem fecit & condidit forma & modo contentis in quadam papiri schedula, cujus tenor sequitur hac forma.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, amen, & gloriosæ virginis Mariæ matris suæ, & totius Collegii supernorum: quia tanta est conditionis humanæ miseria, &c. Ego Petrus divina misericordia Montis-Albani episcopus indignus, Jesu-Christi misericordia sanus mente, licet æger corpore, cupiens ordinatione testamentaria prævenire obitum meum, utendo gratiis testandi mihi factis, prima per sanctissimum in Christo patrem dominum Urbanum bonæ memoriæ, quæ fuit plena libere testandi de C omnibus bonis quæ habebam tempore promotionis meæ ad ecclesiam Montis-Albani, secunda in forma communi & sanctissimo in Christo patre & domino nostro Gregorio divina providentia papa XI, & tertia ab eodem domino Gregorio, quod possem dare monasterio de Corona Engolismensis diœcesis mille libras turonensium parvorum, per eorum litteras apostolicas, quarum tenores inferius describuntur; & alias meliori modo & forma quibus de jure seu de consuetudine, ac de æquitate canonica potest exprimi sive dici, testamentum solemne sive nuncupativum condo, dispono & ordino in hunc modum: In primis animam meam peccatricem quanto devotius possum commendo Jesu-Christo Redemptori & Salvatori nostro, & beatissimæ & gloriosissimæ virgini Mariæ D matri suæ, B. Augustino, & toti Collegio supernorum, & volo sepeliri, & eligo sepulturam meam in ecclesia mea cathedrali Montis-Albani, ante altare B. Mariæ, cui fui oblatus antequam nascerer; & quia multa bona habui a Romana curia, tempore quo fui in legatione ad dominum Carolum imperatorem Romanum, ideo lego sibi & promitto mille florenos currentes Avenion. in quibus mihi tenetur ex mutuo, sicut apparet per bullam super hoc confectam. Item lego domino meo papæ pro guerra Lombardiæ 500 florenos currentes, & supplico sibi humiliter & devote, quod dignetur approbare hoc meum testamentum, quia bene informatus de administrationibus quas gessit tempore meo, & de universis bonis per me administratis, considero quod pro E majori parte contenta in hoc testamento, sunt potius restitutiones quam legata, & si quid habeo de proprio, confiteor quod non sunt de bonis ecclesiæ meæ, quia non habui expensas meas de ipsa, postquam fui episcopus, imo exquisivi ea ex donatione domini imperatoris prædicti. Item lego ecclesiæ meæ cathedrali crossam meam & baculum pastoralem, & mitram cum annulo pontificali, & pectorale, & capellam nigram, sub tali conditione quod aliquo modo alienari non possint, sed quod stent semper in ecclesia prædicta ad usum successorum meorum. Item lego successori meo omnia supellectilia mea, & melius pontificale meum, & missale, & pulchriorem calicem, & turibulum argenteum cum naveta, & duas ampullas argenti, & Chrismarium meum, & melius annulum

meum cum saphiro; & rogo eum quod omnia bona dimittat in ecclesia, si alibi transferretur, & quod dignetur esse executor ipsius testamenti realiter. In omnibus vero aliis bonis meis, quæ pauca erunt, solutis prædictis, & facta sepultura mea facio & constituo heredes meos capellanos capellæ ecclesiæ S. Benedicti in ecclesia mea Montis-Albani, & eorum capellanias; considerando quod male & pessime sunt dotati, & quod multa bona habui etiam a domino Bertrando prædecessore meo, qui instituit eos heredes, & nihil profuit eis: & supplico dominis meis Albanensi & S. Angeli cardinalibus, & domino Petro archiepiscopo Arelatensi camerario domini nostri papæ, domino Joanni patriarchæ Alexandrino & archiepiscopo Tolosano, & domino Joanni Agenen. quod dignetur saltem nominis esse executor mei testamenti. Item facio executores meos dominos Montarsinum de Aula priorem majorem ecclesiæ meæ Montis-Albani, Arnaldum *Andrea* decanum Engolismensis, Heliam *Observens* archidiaconum Petragoricensem, Heliam Jacobi priorem de Longa-villa, Arnaldum de Taulaiaco priorem S. Liceriï, Bertrandum de Campaginhaco canonicum Petragoricensem, Petrum de Cruce, & Petrum de Leno canonicos S. Stephani Montis-Albani, & familiares meos. Et volo quod dictus dominus Helias Jacobi prior de Longa-villa, simul cum uno alio de aliis executoribus meis, aut duobus ipsorum, possint exequi voluntatem & ordinationem suam, aliis executoribus minime requisitis; & volo quod dictus Petrus de Cruce, de mandato dicti prioris de Longa-villa simul cum uno alio de aliis conexecutoribus meis, aut duobus ipsorum, exequatur & administret præmissa: & volo quod dictus dominus prior similiter possit augmentare numerum capellanorum capellaniarum S. Benedicti prædictorum, & dictis capellanis distribuere & assignare de bonis meis prædictis, juxta facultatem bonorum meorum prædictorum, & prout eis videbitur faciendum; & quod ponantur in hoc præsenti publico testamento clausulæ necessariæ, utiles & expedientes; & volo quod hoc sit meum ultimum testamentum & mea ultima voluntas, & valeat omnibus melioribus modis quibus melius poterit, & requiro vos magistrum Durandum de Archia notarium authoritate apostolica publicum, & habitatorem Montis Albani, quatenus ex vestro officio publico, de omnibus & singulis præmissis mihi conficiatis publicum instrumentum, & rogo vos dominum Heliam Jacobi priorem de Longa-villa, Joannem Andreæ, Petrum de Revo, Petrum de Cruce canonicos S. Stephani de Tescone Montis-Albani, magistrum Bernardum Tira magistrum in medicina, Petrum de Tacto canonicum ecclesiæ Engolismensis, Guillelmum Torneia, Guillelmum Fayardi, Petrum Giraldi presbyteros, Robertum de Aula, Petrum Jacobi, Guillelmum de Lacu, Joannem de Musaco, & Joannem de Pichiato, quatenus de hoc præsenti meo testamento velitis esse testes. Acta fuerunt hæc anno, die, mense, indictione, pontificatu & loco prædictis, præsentibus Helia Jacobi priore prioratus conventualis de Villa-longa ordinis Cluniacensis, diœcesis Rotomagensis, venerabilibus viris magistro Bernardo Germani, &c.

XXVI.

Juramentum episcopi de servandis privilegiis & immunitatibus urbis Montalbanensis.

1406. *Sammarth.* ANTE cœmeterium ecclesiæ S. Orentii Montis-Albani, cum reverendus in Christo pater dominus Ramundus de Baro, permissione divina episcopus Montis-Albani noviter electus, veniens noviter in Montem-Albanum, & in possessionem episcopatus tanquam verus episcopus intrare vellet in sede episcopali, & antequam dominus episcopus

A dictæ civitatis debeat intrare dictam civitatem, in primo suo adventu teneatur jurare, de tenendo & servando privilegia, usagia, franchisias, libertates & consuetudines dictæ civitatis, prout sui prædecessores consueverunt jurare: sciendumque est, veniente noviter dicto domino episcopo, & existente ante dictum cœmeterium dictæ ecclesiæ S. Orentii dicti loci, venerunt ibidem ante ipsum dominum episcopum honorabiles viri dominus Jordanus de Montegraltione licentiatus in decretis, Bernardus de Furno baccalaureus in utroque jure, Guillermus de Engilbaudo, Guillermus *de Pinols*, Petrus de Petra, Ramundus Seguerii, Joannes Grationis senior, Petrus Vitalis, & Hugo Baufferii consules anni præsentis, dicti loci Montis-Albani, qui pro se ipsis, B & pro dicto Consulatu & Universitate Montis-Albani, humiliter supplicarunt dicto domino episcopo, & ipsum requisiverunt, quatenus antequam intraret dictam civitatem, promitteret eisdem dominis consulibus medio juramento tenere, servare & custodire eisdem, & dictis civibus dicta privilegia, usagia, consuetudines, franchisias & libertates, per dominos nostros reges Francorum, & episcopos Montis-Albani ejusdem civitatis & universitatis, & habitatores ejusdem concessa, prout alii domini episcopi seu prædecessores jurare hactenus consueverunt: qui quidem dominus episcopus coram sacrosanctis Dei evangeliis, & sacra Majestate Dei ibidem propofuerunt, etiam ipse volens, ut dixit, toto posse suo tenere, servare & custodire dicta privilegia & libertates, prout consuetum erat per dictos prædecessores C suos, gratis & sua sponte, pro se ipso & pro successoribus suis episcopis Montis-Albani; mandavit & promisit, in animam suam jurando, ad modum episcopalem ponendo manum suam dextram supra pectus, suis dictis dominis consulibus præsentibus, & me notario etiam pro dicta civitate & ejus universitate, & pro aliis omnibus & singulis, quorum interest, intererit aut interesse poterit in futurum, stipulantis, etiam tenere, servare, custodire bene & fideliter dicta privilegia, usagia, consuetudines, franchisias & libertates, via, modo & forma, & prout dicti sui prædecessores consueverunt, hactenus jurarunt servare, tenere & custodire, ea nullo modo infringere nec diminuere, sed potius augmentare juxta posse, de quibus etiam dicti domini consules D petierant instrumentum. Testes dominus Joannes Garidii licentiatus in legibus, nobilis Robertus *de Bar* domicellus, Bartholomæus Seguini, Bernardus de Orgelio, Michaël Mancipii Burgensis, Stephanus de S. Baucio, Bertrandus Garidii baccalaureus in legibus, Guillermus Ademarii, Joannes Martelli, Joannes de Merlanis, Othonus Seguerii, Stephanus Mosseti, Bartholomæus de Peysieto, Bertrandus de Livone, magistri Guillermi, Joannes Consueverii, Henricus Stephani notarius, Guillermus Caussada Palhenus, Joannes Forandi, Arnaldus Bardini, & alii plures habitatores Montis-Albani.

XXVII.

E *Johannis Papæ XXIII bulla qua conciliat Raymundum episcopum cum priore majore & capitulo Montis-Albani.* *Ex mss. cod. Biblioth. reg. n.° 90.*

JOANNES episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ea quæ judicio vel concordia terminantur, firma debent & illibata persistere, & ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit munimine roborari. Exhibita si quidem nobis pro parte venerabilis fratris nostri Raimundi episcopi Montis-Albani, & dilectorum filiorum Petri Doluini majoris, Raimundi Laureti claustralis priorum, & capituli ecclesiæ Montis-Albani ordinis S. Benedicti petitio continebat, 1411.

quod cum olim inter episcopum ex una parte, necnon priores & capitulum prædictos, super eo quod episcopus ad se, sive ad episcopum Montis-Albani qui esset pro tempore solum & in solidum auctoritatem celebrandi synodum apud ipsam ecclesiam & præsidendi in eadem ipso in civitate vel diœcesi Montis-Albani præsente, & alium deputandi loco sui ad celebrationem synodi prædictæ & præsidentiam inibi peragendas, eodem episcopo a prædictis civitate & diœcesi absente, aut alias nequeunte seu nolente prædictam synodum tenere, necnon jurisdictionem correctionem & punitionem tam de jure communi quam de consuetudine approbata super omnes & singulos monachos, donatos perpetuoque oblatos & conversos ejusdem ecclesiæ super criminibus, excessibus & delictis in sui cognitione, punitione & castigatione indagationem ac juris ordinem requirentibus, necnon in sua curia episcopali, aut sui officialis Montis-Albani ventilandis, pertractandis aut puniendis, & hoc absque evocatione seu præsentia majoris prioris ejusdem ecclesiæ etiam existentis pro tempore, seu alterius personæ cujuscumque, nec non alias jurisdictionis exercitium in spiritualibus & temporalibus ad eumdem episcopum * .... Petrus vero major & Raimundus claustralis priores & capitulum prædicti celebrationem dictæ synodi, & præsidentiam in illa apud eamdem ecclesiam ad majorem priorem ipsius ecclesiæ nomine sui prioratus ecclesiæ & capituli prædictorum, eodem episcopo existente pro tempore absente, aut nequeunte seu nolente ipsam synodum tenere apud prædictam ecclesiam, necnon monachorum, conversorum & donatorum prædictorum delinquentium punitionem, correctionem & castigationem super eisdem criminibus, excessibus & delictis juris ordinem requirentibus, ut præfertur, ex quadam antiqua transactione ac concessione bonæ memoriæ Guillelmi episcopi Montis-Albani ejusdem Raimundi episcopi prædecessoris factis & concessis eidem priori majori qui esset pro tempore, etiam longa consuetudine diutius approbata & canonice præscripta firmatis & roboratis, ac nonnullis aliis articulis tunc expressis, & eorum occasione ex altera orta fuisset materia quæstionis, tandem partes ipsæ super præmissis omnibus & singulis in quosdam arbitros, arbitratores & amicabiles compositores sub certa forma compromiserunt, qui hujusmodi arbitrio in se sponte suscepto æquum tulerunt arbitrium inter partes, quod fuit ab utraque parte sponte susceptum, prout in quibusdam instrumentis publicis inde confectis, etiam eorumdem Raimundi episcopi, Petri prioris majoris & capituli sigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte ipsorum Raimundi episcopi, Petri majoris Raimundi claustralis priorum & capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem arbitrio pro ejus subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati prædictum arbitrium sicut rationabiliter latum, & ut præmittitur, ab utraque parte susceptum, ac quæcumque inde secuta rata habentes & grata, ea auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, VI.° nonas Maii, pontificatus nostri anno secundo.

F. pertinere

XXVIII.

Ex cod. mss. Biblioth. reg. n.° 90.

Bulla Nicolai papæ V qua transfertur Bernardus de Rosergio ab ecclesia Vasatensi ad Montalbanensem.

1449. NICOLAUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis clero civitatis & diœcesis Montis-Albani salutem & apostolicam benedictionem. Romani

A pontificis quem pastor ille cœlestis & episcopus animarum potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis prætulit universis, plena vigiliis sollicitudo requirit ut circa cujuslibet statum ecclesiæ sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, ac quandoque per ministerium translationis accommode ecclesiis singulis, præsertim vacationum incommodis subjacentibus pastor accedat idoneus, & rector providus deputetur, qui populum suæ curæ commissum salubriter dirigat & informet, necnon eisdem ecclesiis votivæ prosperitatis afferat incrementa. Sane ecclesia Montis-Albani ordinis sancti Benedicti, cujus regimini bonæ memoriæ Aymericus episcopus Montis-Albani, dum viveret, B præsidebat, per obitum ipsius Aymerici episcopi qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum præfatæ ecclesiæ ad electionem futuri inibi episcopi procedentes, vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt & debuerunt electioni hujusmodi commode interesse, die ad eligendum præfixa, ut moris est, convenientes in unum, venerabilem fratrem nostrum Bernardum tunc Vasatensem episcopum in eorum & dictæ ecclesiæ episcopum concorditer postularunt, & deinde præfati capitulum hujusmodi postulationis negotium proponi fecerunt in consistorio coram nobis. Nos postulationem ipsam quam per instrumentorum publicorum desuper confectorum coram nobis in eodem consistorio productorum lectionem C ac diligentem inspectionem & examinationem a nobis factas, canonicam fuisse & esse comperimus, ratam & gratam habentes, necnon ad provisionem præfatæ ecclesiæ celerem & felicem, ne illa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de præficienda ipsi ecclesiæ persona utili & fructuosa cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad præfatum Bernardum episcopum, consideratis grandium virtutum donis quibus personam suam largiter dominus insignivit, & quod ipse qui ecclesiæ Vasatensi hactenus laudabiliter præfuit, præfatam ecclesiam Montis-Albani sciet & poterit auctore Domino salubriter regere & feliciter gubernare, convertimus oculos nostræ mentis. Intendentes igitur tam dictæ ecclesiæ Montis-Albani, quam ejus gregi dominico utiliter D providere, dictum Bernardum episcopum a vinculo quo ipsi ecclesiæ Vasatensi cui tunc præerat, tenebatur, de ipsorum fratrum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, eumdem Bernardum episcopum ad prædictam ecclesiam Montis-Albani auctoritate apostolica transtulimus, ipsumque illi præfecimus in episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius ecclesiæ Montis-Albani sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, dictoque Bernardo episcopo licentiam tribuendo ad eamdem ecclesiam Montis-Albani transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus suos, ipsa ecclesia Montis-Albani per suæ circumspectionis industriam & studium fructuosum regetur utiliter & prospere dirigetur, E grataque in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Quo circa discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eumdem Bernardum episcopum tanquam patrem & pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, exhibeatis ei obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac ejus salubria monita & mandata suscipiatis humiliter & efficaciter adimplere curetis: alioquin sententiam quam idem Bernardus episcopus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, quinto idus Januarii, pontificatus nostri anno tertio.

XXIX.

Ibidem. *Altera ejusdem papæ in gratiam Johannis de Batuto.*

1453. NICOLAUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo ecclesiæ Montis-Albani ordinis S. Benedicti, salutem & apostolicam benedictionem. Hodie ecclesiæ vestræ tunc certo modo vacanti de persona dilecti filii Johannis de Batuto electi Montis-Albani tunc cameræ apostolicæ clerici & familiaris nostri de fratrum nostrorum consilio providimus, ipsumque eidem ecclesiæ vestræ præfecimus in episcopum & pastorem, curam & administrationem prædictæ ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eidem electo tanquam patri & pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes sibi obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita, &c. ut supra. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, octavo idus Martii, pontificatus nostri anno septimo.

XXX.

Ex eodem cod. reg. n.° 90. *Transactio inter Johannem de Letis episcopum & capitulum ecclesiæ Montalbanensis super collatione canonicatuum & dignitatum.*

1552. IN nomine Domini, amen. Noverint universi & singuli quod cum, prout ibidem dictum fuit, quæstio & lis oriri dubitaretur inter reverendum in Christo patrem & dominum dominum Johannem de Lectis episcopum Montis-Albani ex una parte, & capitulum ecclesiæ Montis-Albani ex alia, ad causam collationis canonicatuum simplicium præfatæ ecclesiæ cathedralis, eo quod præfatus dominus episcopus dicebat & asserebat collationem & omnimodam dispositionem duarum dignitatum, scilicet præpositatus & primi archidiaconatus; & duorum personatuum, scilicet secundi archidiaconatus ac præcentoriæ præfatæ ecclesiæ cum canonicatibus illis annexis, & quovis modo vacantibus sibi in solidum pertinere & spectare, & quatenus concernebat alios octo simplices canonicatus dictæ ecclesiæ, dicebat dictus dominus episcopus illorum etiam collationem & omnimodam dispositionem, loco vacationis veniente sibi in solidum etiam pertinere, excepta sola illorum per mortem & decessum vacatione, quo casu adveniente dicti simplices canonicatus per turnum, primo per dictum dominum episcopum, secundo per dictum capitulum, & sic deinceps alternis vicibus conferri debebant, insequendo provisionem apostolicam erectionis ecclesiæ prædictæ cathedralis de regulari in secularem. Dictum vero capitulum fatebatur collationem & omnimodam dispositionem dictarum duarum dignitatum & duorum personatuum, & canonicatuum illis annexorum, quoquomodo vacantium, ad præfatum dominum episcopum pertinere, sed quatenus concernebat dictos octo simplices canonicatus, seu præbendas canonicales, dicebat illorum tam per simplicem renuntiationem quam per decessum, aut causa permutationis, aut alias quovis modo vacantium collationem alternis vicibus, & primo ad dictum dominum episcopum, secundo ad dictum capitulum, & sic deinceps & per turnum respective pertinere & spectare. Volentes tamen ipsæ partes super præmissis pro bono pacis transigere & ad concordiam devenire in omnibus semper reservato beneplacito summi pontificis, aut ejus in regno Franciæ legati; est sciendum quod anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, & die ..... mensis

A Februarii, apud castrum de Ratalenxis senescalliæ Tholosanæ, pontificatus sanctissimi domini nostri papæ Julii III anno primo, regnante christianissimo principe & domino nostro domino Henrico Dei gratia Francorum rege, in mei notarii publici & testium infra scriptorum præsentia personaliter constituti, videlicet prænominatus reverendus in Christo pater dominus dominus Johannes de Lectis episcopus Montis-Albani, pro se & aliis in futurum dictæ ecclesiæ episcopis ex una, & nobilis & discretus vir dominus Johannes Guillelmus alias de Broqueto canonicus prædictæ ecclesiæ cathedralis syndicus dicti capituli, constante syndicatu per me notarium infra scriptum sumpto, & pro dicto capitulo ex alia partibus, quæ partes super dicta discordia &
B quæstione ad transactionem & concordiam devenerunt in modum qui sequitur.

Imprimis fuit inter easdem partes conventum & transactum, quod adveniente vacatione dictarum duarum dignitatum & personatuum, scilicet præpositturæ, archidiaconatus majoris & secundi archidiaconatus, ac cantoriæ seu præcentoriæ, ac canonicatuum illis annexorum, aut alterius illorum, tam per simplicem renuntiationem, permutationem, aut decessum, aut alias quovis modo, illorum collatio, provisio & omnimoda dispositio ad dictum dominum Montis-Albani episcopum in solidum pertinebit & spectabit, & quatenus concernit dictos octo simplices canonicatus; fuit inter easdem partes conventum & concordatum, quod quatuor canonicatus simplices
C ex parte sinistra chori & introitus illius, in qua parte præpositus dictæ ecclesiæ suam habet cathedram, in futurum vacantes, tam per simplicem renuntiationem, quam per permutationem seu decessum, aut alias quovis modo, per præfatum dominum episcopum conferentur, & illorum collatio, provisio & omnimoda dispositio ad dictum dominum Montis-Albani episcopum in solidum pertinebit; & alii quatuor canonicatus simplices ex parte dextra introitus dicti chori, in qua parte dictus dominus episcopus ac archidiaconus major suas respective habent cathedras, in futurum vacantes, tam per simplicem renuntiationem, vel permutationem seu decessum, aut alias quovis modo, per præfatum capitulum conferentur, & illorum collatio, provisio & omnimoda
D dispositio, quacumque vacatione occurrente, ad præsentationem canonici dictæ ecclesiæ tunc septimanarii, ad dictum capitulum pertinebit, tenebunturque dictæ partes, videlicet dictus episcopus procuratores, & dictum capitulum sindicos in curia Romana, aut legati aut alterius ad hoc potestatem habentis respective constituere ad supplicandum & humiliter requirendum autorisationem, confirmationem & approbationem præsentis concordiæ, cum derogatione quoad præmissa provisioni apostolicæ erectionis prædictæ ecclesiæ de regulari in secularem, ac expeditioni litterarum de & super præmissis necessariarum consentiendum, promittentes dictæ partes hujusmodi concordiam respective tenere, & ita juraverunt, videlicet dictus dominus episcopus manum suam supra pectus ponendo, & dictus Guillelmus
E alias de Broqueto in animam sui & in animas constituentium, petentes de præmissis instrumentum per me notarium infra scriptum retineri, præsentibus in præmissis, &c.

XXXI.

Bulla Clementis papæ VIII qua permittit Annæ electo Montalbanensi ut ordines sacros per quemvis prælatum suscipiat, præstito prius juramento in bulla contento.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Annæ electo Montis-Allani salutem & apostolicam benedictionem. Cum nos pridem 1616.

ecclesiæ Montis-Albani certo tunc expresso modo A pastoris solatio destitutæ de persona tua nobis & fratribus nostris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorumdem fratrum consilio apostolica auctoritate providerimus, teque illi in episcopum præfecerimus, pastoralem curam & administrationem ipsius ecclesiæ tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi qui clericali charactere dumtaxat insignitus existis, ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam & communionem apostolicæ sedis habente extra Romanam curiam residente, ad omnes & sacros B & presbyteratus ordines tribus dominicis, vel aliis festivis diebus, & extra tempora a jure statuta, ac interstitiis a concilio Tridentino designatis minime servatis, promoveri, necnon ab eodem vel alio etiam catholico antistite similes gratiam & communionem habente, ac extra dictam curiam residente, accitis, & in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis episcopis pares gratiam & communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti, ut te ad dictos ordines promovere, necnon recepto prius per eum a te nostro & Romanæ ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solito juramento juxta formam præsentibus annotatam, munus prædictum tibi impendere auctoritate nostra licite possit, plenam & liberam tenore præsentium concedimus C facultatem. Volumus autem & prædicta statuimus auctoritate, atque decernimus, quod si non recepto a te per ipsum antistitem dicto juramento, idem antistes munus ipsum tibi impendere, & tu illud suscipere præsumpseritis, dictus antistes a pontificalis officii exercitio, ac tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso, ac etiam volumus quod formam juramenti hujusmodi a te tunc præstiti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas, per proprium nuncium quantocius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro archiepiscopo Tolosano, cui dicta ecclesia metropolitico jure subesse dignoscitur, nullum in D posterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti hujusmodi talis est. Ego Annas electus Montis-Albani ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ, ac domino nostro domino Clementi papæ octavo, suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio, aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæsito colore; consilium vero quod mihi credituri sunt per se, aut nuncios seu litteras ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum & regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Legatum apostolicæ sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo, jura, honores, privilegia & auctoritatem Romanæ ecclesiæ & domini nostri papæ, ac successorum prædictorum conservare, defendere, augere & promovere curabo; nec ero in consilio, facto vel tractatu in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eamdem Romanam ecclesiam, aliqua sinistra vel præjudicialia personæ, juris, honoris, status & potestatis eorum machinentur, & si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse, & quantocius potero commode, significabo eidem domino nostro, vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones & mandata apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos & rebelles domino nostro & successoribus prædictis pro posse persequar & impugnabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina singulis quadriennis personaliter ac per me ipsum visitabo, & domino nostro ac successoribus prædictis rationem reddam de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad meæ ecclesiæ statum, ad cleri & populi disciplinam, animarum denique quæ meæ fidei creditæ sunt salutem quovis modo pertinentibus, & vicissim mandata apostolica prædicta humiliter recipiam & quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero prædicta omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio mei capituli, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut his mihi deficientibus per diœcesanum sacerdotem, & clero deficiente omnino per aliquem alium presbyterum secularem vel regularem spectatæ probitatis & religionis de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconum cardinalem ordine priorem per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu capituli ecclesiæ meæ, inconsulto Romano pontifice, & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo, XVI.° kalendas Decembris, pontificatus nostri anno nono.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ MIRAPICENSIS.

I.

Monasterium beatæ Mariæ de Cambono subjicitur abbatiæ Crassensi.

943. UNUSQUISQUE homo contrito corde & animo ab amore Dei dum in hoc seculo labenti fore cernitur, quandoquidem vitam terminaverit humanam æternæ felicitatis bravium pertingere mereatur. Unde ante Deum possit invenire remedium in Dei Patris nomine & Unigeniti Filii ejus Domini nostri Jesu-Christi Redemptoris totius humani generis, & Sancti Spiritus consecratoris baptismi, & inluminatoris mundi. Legum autem sanxit auctoritas & vitæ exposcit ratio inter reliquas scripturas solam tantum pro remedio animarum eorum donatio sive gestarum cessio plenissimam in perpetuum nos donatores obtineamus firmitatem. Quamobrem in Dei nomine ego Sulpicius Levita atque indignus donator vel cessor pro animæ remedium & pro peccatis & negligentiis meis, seu pro anima Guitardi fratris mei, & pro Archemanno, & pro anima alii Guitardi vel Autadi, & pro genitore meo Teudardo vel genetrice mea Elisabeth cum filiis & filiabus in requie defunctorum, & pro anima Centullo presbytero sive Benedicti presbyteri, & anima Ingeranni presbyteri, & pro anima Amelii presbyteri sive pro anima Benedicti alii presbyteri, & pro animabus Teudberti & Danihelis, vel Gilaberti & Eldegardis, sive Elperici vel . . . . . & pro anima Rodulfi vel alio Teudardo vel Lanberto sive Bertane, & propter remedium animarum nostrarum, & propter peccata nostra quæ in hoc seculo commisimus, & pro animabus omnium fidelium defunctorum christianorum, tam vivis quam & defunctis qui ab Adam usque in hodiernum diem ex hoc seculo migraverunt, ut a Christo veniam consequi mereantur, & pro animabus omnium christianorum præsentium sive futurorum usque in finem seculi. Ob hanc ergo indignus Sulpicius causam miserante Christo tibi Domine nostræ beatæ Mariæ Virgini Urbionensis monasterii & subditis titulis, necnon etiam & Soniarii abbatis ejusdem monasterii quod est fundatum super fluvio Urbione, scilicet & cuncta congregationi in eodem monasterio degentium tam præsentibus quam & futuris. Nos ergo in Dei nomine cogitantes, ego Sulpicius cogitantes (sic) de Dei servitio, & timentes illum trementem diem quæ in scripturis sanctis commemoratur: hoc igitur placet nunc in animis nostris & in perpetuum placebit ut domui præfatæ Virginis Mariæ, necnon & abbati & congregationi ejus. Nosque jam prædicti cessores & traditores simulque facimus cartulam traditionis de prædio nostro, sicut & facimus de ipsos alodes (sic) cum ipsis ecclesiis & terris & vineis qui sunt in pago Tolosano, in fines Choliensæ vel Fuxense, seu in Olmensæ vel Liciagensæ, seu in Redense vel in Tendirandense. In primis donamus vel concedimus seu tradimus sanctam Mariam monasterii Cambonis cum suis titulis, cum terris & vineis cultis & incultis, & cum ipso Molino, & cum suum capud aquis, silvis, garricis, pratis, pascuis, aquis aquarumve ductibus & reducibus ex iis & regressiis, & cum omnibus superpositis earum, exceptis ipsa vinea in ipso plano qui est ad ribas fractas, & ipso molino quæ dono ad ipsa fraterna, & exceptis ipso alode qui fuit Eldoino Cabanna qui fuit quondam tam quæsitum quam ad inquirendum, sicut ipsa strata dividit & alio manso tructone & aurucione, & isto alode qui fuit Eldovino Cabanna & tructone

A & aurucione, cui ego Sulpicius cessero dum vivit sua fiat potestas ad usum fructuarium.

Post obitum suum remaneat ad domum sancti Salvatoris vel sancta (sic) Mariæ monasterii Cambone, & cedo aliam vineam qui (sic) fuit Sulpicio, & aliam vineam qui fuit Salomone post obitum meum cedo Datoni & filio suo Sulpicio dum vivunt, teneant; post obitum illorum remaneant ad sancti Salvatoris & sanctæ Mariæ Camboni (sic). Et in alio loco ubi dicitur Monte-læto dono alium alodem cum ipsa ecclesia S. Petri, cum terris & vineis & silvis, & cum omnes fines & ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco ubi dicitur Silvola dono alium alodem cum fines B vel ajacentias earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco dono alium alodem ubi dicitur Lecha, cum ipsa ecclesia S. Andreæ, cum terris & vineis & silvis cum fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco ubi dicitur Villa-soniario dono alium alodem cum terris & vineis, cum silvis & garricis, & pratis & pascuis, & cum omnes fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio ubi dicitur Kavanniaco dono alium alodem cum ipsa ecclesia S. Maria, cum suum ecclesiasticum & cum ipsum alodem, cum terris & vineis, & cum omnes fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco ubi dicitur Monte-C Ingeramno vel in Monte-Auriolo dono alodes meos. Et in alio loco ubi dicitur Nibianus dono tibi alodem meum. Et in alio loco ubi dicitur Ardeumzano ego Quitardus dono alodes meos & tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco in Liciagense ubi dicunt sancti Audolini dono alium alodem cum terris & vineis, & cum ipsum molinum, & cum ipso Boscho, & cum omnes fines & ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco in Tindirandense in locum ubi dicitur Rochatino dono alium alodem cum ipsa ecclesia S. Andreæ, cum terris & vineis, cum omnes fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco ubi dicitur Kalson dono alium alodem totum & ab integro de ipsa ecclesia S. Johannis, cum suum D ecclesiasticum, cum omnes fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco in fines Olmense ubi dicitur Auseiago dono alium alodem cum terris & vineis, & cum ipso molino, cum omnes fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco in comitatu redense in locum ubi dicitur Villa-longa dono alodem meum quem ibidem habeo, cum terris & vineis, cum finis (sic) vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco ubi dicitur Valle-Pedetario dono alium alodem meum cum terris & vineis, cum omnes fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco ubi dicitur Telia dono alium alodem meum E cum ipsa ecclesia quæ vocatur sancta Maria, cum ipso ecclesiasticum, cum omnes fines vel ajacentiis earum omnia & in omnibus tam quæsitum quam ad inquirendum, Et in alio loco ubi dicitur Mazirolas dono alium alodem cum ipsa ecclesia sancta Maria, cum suum ecclesiasticum, cum terris & vineis, cum fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco ubi dicitur Tolnengus dono alium alodem cum terris & vineis, & cum fines vel ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. Et in alio loco quæ dicunt *Vilaret*, ego Archemannus frater Simplicio dono alodem

meum cum ipsa ecclesia sancta Columba . . . . dicta A sancta Maria, cum terris & vineis & silvis, cum fines & ajacentiis earum tam quæsitum quam ad inquirendum. In ea vero ut dum ego Archemannus jam dictus vixero teneam & possideam; post obitum quoque meum filius meus Simplicius in religione monastica voluerit permanere & regulariter vivere, teneat ipsum alodem ad obedientiam dum vivat; sin autem aliter fecerit, nec teneat nec possideat, sed ipse alodes in potestate S. Mariæ firmiter permaneat. Hæc autem alodes isti denominati quod superius scripti vel inserti sunt serviant, omnique tempore S. Maria nuncupante Camboni monasterii sine ulla occasione, & ipsum monasterium S. Mariæ & S. Salvatoris cum suis . . . . & cum ipsis ecclesiis supra nominatis, & cum omnibus alodiis, B & cum omnibus ad se pertinentibus, & cum ipsis qui de hac hora & deinceps adquirere potuero & successores mei adquirere potuerunt, omnia & in omnibus monasterio beatæ Mariæ Virginis tradimus & donamus cum omnibus finibus & ajacentiis ejus, quod monasterium Crassæ est in comitatu Karkassensi super fluvium Urbione, quod monasterium regiæ potestatis consistit vel etiam consistere debet in perpetuum; sic etiam dono omnia quæ supradicta sunt, cum omnibus quæ ad monasterium supradicti Camboni pertinent sine ulla occasione in tali deliberatione, dum ego Simplicius Levita vixero teneam & possideam in servitio beatæ Mariæ Virginis sine ulla occasione. Post obitum quoque meum sub se filius Guitardo fratri meo nomine Bernardus ad sapientiam C aut profectum pervenerit, qui regulam vel obedientiam S. Benedicti abbatis voluerit tenere, & ad abbatem vel monachos S. Mariæ Urbionensis, vel S. Mariæ Camboni obediens voluerit esse, sicut regula S. Benedicti commemorat, teneat & possideat ad serviendum Deo & S. Mariæ Crassæ, & ad abbatem ipsius monasterii, & si hoc non fecerit, nullam habeat potestatem. Et si Sulplicius filius Archemanno supravixerit Bernardo, & istam obedientiam voluerit tenere, sicut scriptum est, & sicut regula sancti Benedicti præcepit, teneat & possideat. Sin autem aliter fecerit, nullam habeat potestatem, & eligat ipse abbas S. Mariæ unum præpositum de S. Mariæ Camboni invenire non potuerit, & si potuerit invenire, mittat præpositum; st autem in ipso loco D Camboni monasterii causa surrexerit aut nausia subcreverit, veniat ipse abbas ad ipsum locum & emendet; sin autem abbas non venerit ad eumdem locum Urbionensis monasterii, veniant ipsi monachi sicut rectum est, & ibi emendetur & ipsi judicetur, veniat ergo ipse abbas ad prædictum monasterium Cambonis, & ipse præpositus cum ipsis monachis donare faciant sensum per singulos annos, juxta arbitrium abbatis vel monachis St Mariæ Urbionensis & S. Mariæ Cambonis, & distringere faciat abba ipsum præpositum cum ipsos monachos qui ibidem erunt regulariter. Et si ullus homo vel abbas ut ullus monachus istos alodes supra scriptos . . . . . extraere voluerint, vel vendere sive commutare ista carta nullam habeat firmitatem, & si hoc non fecerint in omnibus habeat firmitatem. In ea vero conventu E ut neque abbas neque monachi, nec ullaque persona neque masculus neque femina ipsum monasterium S. Mariæ monasterii Cambonis, nec ipsas ecclesias nec ipsos alodes qui superius scripti sunt, licentiam non habeant vendere nec alienare nec commutare, ipsa carta superius inserta nullam habeat firmitatem, & si hoc non fecerint in omnibus habeant potestatem. Et ego jam dictus Simplicius Levita dum vixerit donare faciam MDSV. inter annonam & vinum in sacina ad opus S. Mariæ Urbionensis, quæ vero hæc omnia superius scripta de nostro jure ad ipsum monasterium supradictum, vel ad ipsum præfatum abbatem Soniarium tradimus dominum sicut superius scriptum est ad potestatem. Ut si quis aliquis, excepta persona nostra, aut ullus abbas aut ullus monachus, aut ulla subrogata persona, sive masculus sive femina, qui contra istam cartam cessionis venire tentaverit, aut irrumpere ausus fuerit, veniant super eum omnes maledictiones novi ac veteris testamenti, &c. (hinc longa maledictionum series) Facta hujus cessionis carta X kal. Julii, anno octavo, regnante Ludovico rege. Sulpicius arcidiaconus qui hoc fecit & testes firmare rogavit. Sig✝num Gutardi, sig✝num alii Gutardi, sig✝num Mironis, sig✝num Eliseus, sig✝num Raimundi, Stephanus Levita, sig✝num Sicuini, sig✝num Vudinus, sig✝num Aldoni, sig✝num Daioni, sig✝num Odalrici, sig✝num Stephani, sig✝num Eldefredi, Aimo presbyter.

Xuuadabdus episcopus hanc cessionis donationem adfirmando recognovi ut si quis contra ipsam aut insidiose aut manifeste aliquam calomniam inferre voluerit, ex auctoritate Patris & Filii sanctique Spiritus, necnon & B. Virginis Mariæ omniumque Sanctorum excommunicatus, sub anathemate maledictionis taliter innodatus existat, quatenus eamdem maledictionem quam Judas proditor ejusque imitatores juste promerentur, hanc ipse & omnes qui contra hanc donationem ad nocendum auctores extiterint, in æterno igne qui paratus est diabolo & angelis ejus damnati æternaliter exurendi accipere mereantur. Et qui ad sustentandum & adjuvandum auctores extiterint, a Christo Domino nostro & omnibus Sanctis ejus, & nostram benedictionem bonamque retributionem consequi mereantur. Amen.

Adfirmatio hujusce donationis ab Aimerico Narbonensis cathedræ archiepiscopo, cum excommunicationis vinculo simulque maledictionis imprecatione pacta, eo videlicet modo ut quicumque hanc donationem aliquo modo infringere temptaverit, vel eidem adversarius contrariusque in malum extiterit, excommunicatus a Deo Patre & Filio Sanctoque Spiritu, & a consortio sanctæ Matris Christi, scilicet Mariæ semper Virginis omniumque Sanctorum Dei, & a regno in quo ipsi cum Christo regnante alienatus existat, omnibusque bonis exheredatus, omniumque malorum impedimentis circumdatus, ipse & omnes qui hujus sceleris auctores inventi fuerint, omni maledictione quæ perditis præparatur maledicti & anathematisati cum diabolo & angelis ejus pereant in æternum damnati; & qui consolatores adjutoresque supra scripti loci Cambonensis eidemque donationi in bonum extiterint, illam beatitudinem valeant promereri quam promisit Deus diligentibus se. Amen.

Ex Bitterrensis sedis episcopi Rodaldi hujus donationis adfirmata conscriptio, ut si forte inventus fuerit quis contra hanc donationem in malum repugnans ut eam disrumpere conetur, a Majestate Sanctæ Trinitatis, & a gloriosissima Dei Genitrice Maria, omniumque Sanctorum Dei excommunicatis maledictionis æternæ subjaceat perditioni, ipse & omnes hujus oblationes contrarii persistentes omnis bonitatis luce privati, in tenebris palpantes, & in hanc miseram vitam miserabiliter morientes cum diabolo & angeli ejus ejiciantur (sic) in tenebras exteriores. Omnesque qui supradicti loci hujusve donationis adjutores in bonum adfuerint, cum justis in requiem æternam indeficientem lucem perfrui mereantur. Amen. RODALDI episcopi.

Hujus donationis confirmativa conscriptio a Gilamno Carcassense sedis episcopo taliter edita ut si quislibet mortalis contra hanc donationem malivolo animo consurgens, eam violare aut aliquatenus disrumpere voluerit, a Patre & Filio & Sancto Spiritu excommunicatus, retrorsum rediens hoc quod male tractare conatus est, adimplere non valeat, sed omni maledictione & incursione diabolica repletus ipse & omnes

omnes qui contra hanc donationem in malum venire temptaverint, in reprobum sensum traditi pereant e terra, & nomen eorum non memoretur amplius; sed descendant in infernum viventes, percepturi pœnas æternas cum diabolo & angelis ejus in igne perpetuo. Si qui vero supralcriptæ donationi adjutores effecti, jam dictum locum pro Dei amore in bonum visitaverint, gratiam Christi Domini percipientes vitam æternam valeant obtinere. Amen.

Cum auctoritate Pontificis æterni, qui pontificibus ecclesiæ suæ ligandi solvendique tradidit claves, Hugo Tolosanæ sedis episcopus hanc donationem roborando adfirmat, taliter inquiens. Si quis obcœcato corde ausuque temerario contra hanc bonæ devotionis oblationem aliquam malignitatis direptionem inferre, eamque aliquo modo infringere temptaverit, ut eo tenus non possit inconvulsa manere, ut supra scriptum est, una cum excommunicatione Patris & Filii Sanctique Spiritus, & Genitricis Christi Domini Mariæ semper Virginis, omniumque Sanctorum Dei in æterna maledictione submersus ipse & omnes qui hujus donationis ad irrumpendum nocibiles perstiterint, egestate semper & penuria, omnique dolore atque pavore consumpti, omniumque genera maledictionum quæ reperiri (sic) possunt scripta depressi anathema maranatha anathematisati in hoc seculo & in futuro cum diabolo in infernum præcipitati semper sint maledicti. Quicumque ergo suprascripti loci hujusce donationis in bono adjuverint, omni benedictione repleti, videant quæ bona sunt in Hierusalem in secula seculorum. Amen.

✠ UGO.

Sanctæ sedis Agadensis episcopi Dagberti (sic) donationis hujus adfirmatio. Quicumque ergo hujus supra scriptionis & præestationis transgressor effectus hanc Omnipotentis Christi ejusque Genitricis oblationem distrahi vel minui aut venundari, sive commutari vel etiam alio modo alienare præsumpserit, excommunicatione Patris & Filii & Spiritus Sancti, & ejusdem Genitricis Christi omniumque Sanctorum excommunicatus ipse, & omnes qui contra hanc donationem repugnatores in malum perstiterit, in illius maledictione qui per superbiam de cœlo cecidit devoluti, omnibus diebus vitæ suæ semper in tribulatione viventes, in ultimo tremendi judicii die perditionem quam diabolus percepturus est, cum ipso percipiant in inferno inferiori æterno igne sine fine cruciandi. Et quicumque hujus donationis supradictique loci consolatores adjutoresque extiterint, æternam mercedem a Christo Domino percipere mereantur in vitam æternam. Amen.

Dachovertis episcopus.

Exposita ab episcopo Albiensæ sedis Mirone hujus donationis adfirmatio. Omnis itaque quicumque hanc donationem Omnipotenti Deo, sanctæque semper Virginis (sic) Mariæ consecratum aliquo modo irrumpere vel infringere, aut vendere vel commutare, seu etiam aliquoties alienare præsumpserit, a summo Pontifice Christo Jhesu Domino nostro excommunicatus, & a liminibus sanctæ Matris ecclesiæ, & a consortio beatæ ejusdem Genitricis Dei Mariæ omniumque Sanctorum extraneus effectus; ipse & omnes ejus qui hujus malignæ conspirationis auctores perstiterint, maledictionis portionem, cum eis qui dixerunt Domino Deo, *recede a nobis*, & cum eis qui eum crucifigentes negaverunt, percipere mereantur; sintque in hoc seculo semper maledicti, ambulantes & sedentes, vigilantes & dormientes, manducantes & bibentes, egredientes & regredientes, & ubicumque se verterint, semper malum inveniant & non bonum; semperque cum dedecore & opprobrio inrecuperabiliter viventes in seculo, in judicii die ultimo sententiam damnationis accipiant cum diabolo

A & tartareis tenebrosisque locis deputati: cruciatus pœnarum percipiant in igne perpetuo. Et qui ad adjutorium & consolationem supra scriptæ cessioni (sic) vel jam dicti loci convenerint, æternam consolationem in cœlesti regno percipere mereantur cum Christo. Amen.

Et ego Miro gratia Dei episcopus confirmo quod supra loquitur ut sic omni tempore stabilitum fiat.

II.

Transactio inita inter abbatem Crassæ & priorem de Cambono.

Ex autographo Cambon.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Hic est 959.
B brevis sanctis sanctorum sacris sacramentorum, in honore S. Maria mater Domini Virgo regina mundi, & in honore sancta Trinitate & S. Salvatoris, & in honore S. Petri & S. Johannis, & sancti Saturnini & sancti Stephani, qui in Cambonense monasterii super fluvium *Yrce-alba* sunt fundamentati ipse alodes quæ SULPITIUS abba sive aliquos homines donaverunt Domino Deo & S. Maria, cum suis titulis qui superius scripti sunt, hoc sunt nominati, & qui sunt & qui erunt, id est *Ardjungane* cum ipsa ecclesia cum fines vel adjacentias earum tam quæsitum vel ad inquirendum; alium alodem qui dicitur *Calson;* similiter alium alodem qui Rocatino similiter cum ipsa ecclesia, sive Monte-Ingrando cum ipsa ecclesia S. Andreæ & sancta Maria, ac
C Avannago cum ipsas vineas & ipsas terras, & ipso molinare tam quæsitum quam & ad inquirendum, & ipse alode villa Suniario, & alium alodem sancti Andreæ cum fines vel adjacentias earum & Monte-Ingrando sive Monte-Auriolo, & alium alodem qui dicitur *Valde-petaria*, cum ipsa curte, cum fines vel adjacentias earum, & ipsa ecclesia quæ dicitur sancta Maria a Tello, cum ipsas terras quæ ego SULPITIUS acamptavi, tam quæsitum quam & ad inquirendum; & alium alodem nomine *Elânes* sive *Mazerolas*, cum ipsa ecclesia S. Maria; & alium alodem qui dicitur *Tonnengos*, & alium alodem Villa-longa, & alium alodem qui dicitur *Ladingara*, cum ipsa ecclesia S. Columba, & ipsum alodem qui dicitur *Selvola*, & alium alodem qui dicitur *Ausetago*, & alium alodem qui dicitur *Lecha*, cum ipsa ecclesia
D quæ dicitur S. Andreæ, & alium alodem Monteleto cum ipsa ecclesia S. Petri, & alium alodem qui dicitur S. Johanni Adisspirazano, & alium alodem qui dicitur Verno.... & alium alodem qui dicitur *Canega*, & alium alodem Gorbiago, & alium alodem *Vilares* cum ipsa ecclesia, tam quæsitum quam & ad inquirendum, & alium alodem Rasungus, & alium alodem ...... & alium alodem qui dicitur *Aubianes* cum ipsa ecclesia S. Maria, & alium alodem qui dicitur Franxano, & ipsa medietas de ipso *Boschet*, & ipsos alodes quæ Witardus super Sulpicio abba .... orta fecit sancta Maria *Cambonense* monasterii propter animæ meæ & propter animas nostras, & pro cunctum populum Christianorum vivorum atque defunctorum usque in secula seculorum; sic totos alodes qui superius
E scripti sunt, & sicut sunt nominati hoc sunt in pago Tolosano & in ministerio Fuxense, & in Tandinarense sive in Colledense, vel in Ralense aut in Cabardense ego Sulpitius abba indignus levita humilis rogo & precor tibi Amelio Sulpicio de ipsos alodes qui denominati sunt & quod superius scripti sunt .... tam quæsitum quam ad inquirendum, ego Sulpitius abba tibi commendo in honore Deo & vero .... CAMBONENSE monasterii cunctos dictos alodes qui hic sunt denominati Sulpitius abba tenere, tam quæsitum quam ad inquirendum vel acquirere poteris, quod tu Amelius SULPITIUS adjutor sis .... in contra Deo omnipotente & S. Maria Virginis in

Cambone monasterii super fluvium Yrce-alba, & in contra Sulpitio abbati & ipsos monachos qui ibi serviunt, in ea vero ratione quantum ego SULPITIUS abba vivo teneam & possideam sine ulla occasione, post obitum quoque meum remaneat in comanda & in potestate Amelio Sulpicio, neque abbas neque præpositus, neque monachi qui ibi serviunt in consilio Amelio veniebat, in tantum Amelius Sulpicius vivit in sua baliza vel in sua comanda remaneat ad onore Domino Deo & S. Maria; & ego Sulpitius abba tibi dono Amelio Sulpitio alodem meum qui dicitur *Agudanes*, cum ipsa ecclesia quæ dicitur sancto Genesi, tam quæsitum quam ad inquirendum vel inquirere potueris, in ea vero ratione dum ego Sulpitius abba vivit teneam & possideam sine ulla occasione, post obitum quoque meum remaneat tibi Amelio Sulpitio qui adjutor sit tenere istos alodes, & idem superius scripti sunt in tantum te vivis teneas & possideas ad usum fructuarium, vendere neque alienare neque comutare, neque usus neque fundus non præsumas, post obitum quoque tuum remaneat Domino Deo & S. Maria monasterii quod superius scripta est sine ulla occasione, & si non volueritis facere quod superius istus sacramentales dicitur, non habeatis licentiam attenere neque possidere, neque comutare neque vendere ipsum alodem denominatum qui dicitur *Agudanes*, & si hoc bene volueritis facere, licentiam habeas adtenere ipsum alodem quod superius scriptum est sine ulla occasione. Factus est istus sacramentales sub die Lunis & mense Januario, anno quinto, regnante Leutarius rex.

SULPICIUS abba

qui sacramentale isto scribere rogavi, & manibus firmavi & firmare rogavi, S. Aulino presbytero, S. Benedicto, S. Regone, S. Dominico, S. alio Dominico; ea vero ratione ego Amelius Sulpitius non decipio tibi Sulpitio abbati, filio Teutardo & filio *Olisabe*, neque in vita neque in morte, neque in ista scriptura qui superius scripta est, & ego adjutor sit tibi tenere ipsa convenencia sine ulla occasione vel ipsum ab ex hoc hodie .....

III.

Ex chartulario Bolbona.

Donatio facta per Lupum Primicerium S. Stephani Alodis dicti inter Ambas-aquas *Garino abbati & monasterio S. Michaëlis de Coxano.*

969. PRISCORUM patrum sagacitas & legum sanxit autoritas, divina quoque non renuit sed firmavit beatitas ut omni homini fas & liberum esset de facultatibus suis quod velit facere, tantum ut si vendere dareve, aut pro animæ suæ salute sanctis Dei aliquid de suis oppidis vel agrorum fundis domibusve cuperet impertire, istud in cartula digestum ac testibus adstipulatum firmum permaneret in posterum, est exemplum ex hoc dominicum atque præceptum omnimodis amplectendum. Igitur nongentesimo & sexagesimo nono Dominicæ Trabeationis anno, indictione duodecima, cum jam mundus verteretur in senio, & multorum refrigesceret caritas, ego in Christi nomine Lupus primicerius atque archidiaconus sancti Stephani sedis Tolosæ, divino præmotus imperio cogitare cœpi animo de examinis die atque extremo qualiter possem vada teiri Acherontis inlæsus transineare, & intra Paradisi mœnia perenniter lætare, quamobrem facio cartham S. Michaëli & S. Germano quorum basilicæ sunt fundatæ in cœnobio Coxano qui est situs in valle confluenti, super fluvium Litteranum & ad radicem montis Caniconi, de ipsos meos alodes qui sunt in pago Tolosano, & in ministerio Agarnagense sive de Canneto seu de Lucianense, vel de ipsa Puia, id est ipse alodes qui est infra Ambas-aquas, id est inter Aregia & Irce-alba, cum ipsa ecclesia quæ est in honore S. Mariæ, quod ego emi de Pontione vel de Teuderico presbytero, cum ipsa vinea quæ est ultra Irce, & in alio loco ultra flumen Aregiæ, ipsum alodem de Ampulliaco quem adquisivi de Amelio Simplicio & de Amelio Nicetio, totum & ad integrum; & in alio loco ipsum alodem quem dicunt Teixonarias, cum ipsa ecclesia quæ est fundata in honore S. Martini, quem adquisivi de Bolbona & de Bernardo, atque de Juvolino & Eldiardo sive de Mancione, totum & ad integrum. Item in alio loco ipsum alodem de Curte-vetula cum ipso caput-maso, cum terris & vineis, & cum ipsa silva de Monte-Ruco; & in alio loco ipsa vinea Cudre, & in alio loco ipsa vinea quæ fuit de Mancione, & in alio loco ipsa vinea de Cuntevolaria, & in alio loco ipsas vineas quæ sunt ad ipsa Faia, & in alio loco ipsam medietatem de ipso alode qui est in alio ampulliaco quem adquisivi de Geraldo clerico & de Amelio Simplicio, quantum ego jam supradictus Lupus primicerius sedis S. Stephani urbis Tolosæ in istis locis denominatis visus sum habere vel possidere totum & integrum cum exitu & regressu earum, quæsitum vel ad inquirendum, divisum vel ad dividendum, cum omnia suprapposita earum, id est in ecclesiis, in domibus, in curtibus, in terris, in vineis, in silvis & garricis, pomis, pomiferis, pratis, pascuis, molinariis, aquis, aquarumque ductibus vel reductibus, tam rusticum quam & urbanum; & advenit mihi ista omnia per adtractum scripturarum vel ex comparatione; ista omnia superius scripta sic trado atque cedo ad prædictum cœnobium S. Michaëlis Coxani, ubi domnus Warinus abba degere videtur cum monachis sub regula S. Benedicti constitutis, propter remedium animæ meæ & animæ senioris mei Hugoni episcopi, & animarum genitoris mei & genitricis meæ, & omnium parentum meorum, & cunctorum fidelium Christianorum, ut omnes in istam eleemosynam participationem habeant, & merces nobis adcrescat in die judicii, & participationem mereamur habere in consortio monachorum fideliter Deo famulantium. In ea vero ratione ut ipse abbas & alii qui futuri erunt monachos ibidem in illo loco constituant, qui ibidem Deo serviant juxta possibilitatem loci ipsius, & semper subjecti maneant ad supradictum S. Michaëlis cœnobium. Et oppono ego tale vinculum ut nullus abba neque monachus, neque ullus comes, neque ulla potestas, neque ullus homo, neque ulla femina, vendere nec alienare, nec commutare, neque usum neque fundum, neque ad sanctum neque ad sanctam, neque ad hominem neque ad feminam licentiam non habeant; & si aliquis homo aut femina, hoc, quod absit, fecerit, licentiam habeat ille episcopus qui illo tempore fuerit in S. Stephanum in urbe Tolosa istum prædictum alodem ad opus sancti Stephani apprehendere, & donet centum solidos ad cœnobium S. Michaëlis de Coxano; & dono ego prædictus Lupus ad supradictum cœnobium sancti Michaëlis de Coxano, casalem unum infra muros Tolosæ, qui mihi advenit ex alode parentum meorum.

De repetitione vero si quis, ego aut ullus homo aut ulla persona fuerit, qui contra hanc chartam inquietare præsumpserit, quicunque hoc fecerit in primis iram Dei incurrat, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ extraneus fiat, & cum Juda traditore participationem habeat. Facta charta eleemosynaria ista, idus Julii, sub die feria quinta, anno decimo quinto, regnante Leutario rege.

✠ Lupone primicerio sancti Stephani qui hanc chartam scribere jussi & testes firmare rogavi.

✠ Willabertus levita.

✠ Landericus.

✠ Itarius.

✠ Stephanus.

✠ Eimo presbyter.

✠ Odo decanus.

✠ Elias parofonifta.

✠ Rodaldus archiclavus firmavit.

✠ Willelmus de Leutria.

Ebulus presbyter atque monachus qui hanc chartam rogatus scripsi, & cum literas rasas duas in octavo versu sub die annoque quo supra.

N. B. In hac charta quam ex cod. mss. Biblioth. reg. n.° 290 excripsimus, plura sunt manca & mutila, plura barbare enuntiata; quædam emendavimus, cætera permittimus eruditiorum sagacitati.

I V.

Hugo episcopus Tolosanus confirmat abbatiæ Coxanensi ecclesiam de inter Ambas-aquas.

973. ANNO DCCCCLXXII, indict. I Trabeationis Domini nostri Jesu-Christi, XI calendas Febr. fer. IV, quomodo jussit Garinus abbas Bernardo præsuli dedicare ecclesiam quæ est fundata in honore S. Mariæ Virginis, cum jussione Hugonis pontificis sedis Tolosæ, propter remedium animæ Luponi archidiaconi sive Primiscerii S. Stephani, qui hanc ecclesiam vel cæteros alodes vel ecclesias tradidit Deo vel S. Michaëli archangelo, sive S. Germani confessoris monasterio de Coxano . . . . confirmamus illi titulum traditionis vel donationis, ut nulli unquam hominum liceat hunc locum usurpare neque minuere, neque calumniam facere, neque ad hunc locum dominium quod jure pertinere videtur; & quicumque hanc confirmationem vel excommunicationem irrumpere voluerint, sint separati a liminibus sanctæ ecclesiæ Dei, vel a consortio bonorum hominum, & accipiant damnationem cum impiis & sceleratis in Infernum, nisi cum satisfactione emendaverint. Et quicumque locum hunc accreverint vel honoraverint de beneficiis suis, accipiant hereditatem regni cœlestis & Dei, & audiant illam vocem quam Dominus dicturus erit in die judicii: *venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Facta carta donationis hujus, XI calend. Febr. anno XVIII, regnante Leutario rege filio Ludovici.

V.

Privilegia tributa ecclesiæ beatæ Mariæ de inter Ambas-aquas.

1035. . . . . IGITUR nos in Dei Omnipotentis nomine subscripti episcopi, videlicet Guifredus sanctæ primæ sedis Narbonensis archiepiscopus, & Bernardus præsul Tolosanensis, & Petrus episcopus Gerundensis, & Arnaldus episcopus Commengensis, & Arnaldus episcopus Magalonensis, & Oliba episcopus Alsonensis, & Giffredus episcopus Carcassonensis, & Bernardus præsul Coseranensis, & Bernardus Biterrensis, & Eribullus Urgellitanensis, & Berengarius episcopus Elnensis, & Bernardus præsul . . . . & Ugo nuncius domini Nicolai papæ, hanc constitutionem dotis quæ facta est temporibus Garini abbatis bonæ memoriæ, ad utilitatem & honorem S. Dei genitricis Mariæ cujus locus ab indigenis inter Ambas-aquas vocatur, omnes uno animo unaque sententia confirmamus, & quidquid ad prædictam ecclesiam S. Mariæ ubicumque pertinet totum simul cœnobio S. Michaëlis archangeli quod Coxanum dicitur, & abbatibus vel monachis ejusdem loci ut in perpetuum libere possideant authoritate pontificali nos stabilimus & roboramus.

Terminus autem de immunitate prædictæ ecclesiæ S. Mariæ incipit ab aquilone, & vadit per medium fluminis Hircii usque ad vadum Parler . . . . . ante rupem de Caveto, & de ipso vado tendit per semitam usque ad caput de Baissaco, & ex inde tendit per

A rivulum qui intrat in flumen Aregiæ, scilicet a Negabon, & a medio fluminis Aregiæ revertitur ad Aquilonem.

Addidimus etiam hoc per sacerdotalem authoritatem gratia Jesu-Christi nobis concessam, ut qualibet persona magna vel parva, cujuscumque ordinis vel ætatis, non habeat licentiam tenere aliquid, se sciente, de alodibus ad prædictam ecclesiam sanctæ Mariæ pertinentibus, sine voluntate & consensu abbatis & monachorum cœnobii sancti Michaëlis archangeli. Interdicimus quoque ut non liceat ulli homini assallire vel capere aliquam personam infra terminos vel immunitates prædictæ ecclesiæ, & ut nulla persona parva vel magna non habeat licentiam aliquam vim in totis ipsis alodibus facere, neque aliquid tollere, sine B voluntate abbatis vel monachorum præfati cœnobii S. Michaëlis archangeli, neque ibi aliquid agere quod pertineat ad dehonestamentum vel damnum ipsius ecclesiæ. Concedimus etiam propter honorem Dei & S. Virginis Mariæ, & S. Martini confessoris Christi, sanctique Quintini martyris, quorum ecclesiæ pertinent ex toto ad proprietatem prænominati cœnobii, ut qualiscumque pœnitens ibi advenerit, licentiam habeat introeundi & orandi, & omne divinum officium audiendi. Addimus quoque, non excommunicando, sed rogando & obsecrando, & per Deum Omnipotentem admonendo ut plus quam VI caballerii non se jungant ad placitandum infra terminos prædictæ immunitatis S. Mariæ Virginis & sancti Michaëlis archangeli. Quicumque ergo hujus nostræ C constitutionis quæ ad honorem Dei & beatæ Virginis, atque gloriosi archangeli Michaëlis a nobis facta & confirmata est, observator extiterit, atque hunc locum exaltaverit, vel de suis beneficiis honoraverit & defenderit, hunc de parte Omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum ejus & nostra benedicimus, & ut illum Dominus ab omni vinculo delictorum absolvat oramus, ita ut in præsenti vita ejus misericordiam consequatur, & in futuro cum Sanctis omnibus vivere mereatur. Qui vero hoc quod nos excommunicando firmamus, transgredi ausus fuerit, neque dederit honorem Deo, Sanctisque ipsius & ordini nostro, hunc de parte Omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus-Sancti, & sanctæ Mariæ Virginis sanctique Michaëlis archangeli & omnium Sanctorum, & per authoritatem nostri ordinis excommunicamus D & ab omni consortio Christianorum extraneum judicamus, & a regno Dei alienamus, & sit pars ejus cum impiis & sceleratis, donec digna satisfactione pœniteat & humiliter emendet quod superbe deliquit, & sic postmodum per divinam misericordiam absolutus existat.

In fine quoque ejus operis hoc addimus, & per divinam authoritatem & apostolicam & nostram, atque hujusmodi obtestationem secundum superiorem allegationem intendimus ut præfata ecclesia sanctæ Virginis Mariæ semper in perpetuum maneat absoluta, nec per ullam personam aut propter quamlibet causam unquam sit excommunicata, sed sine ullo vinculo alligationis irrevocabiliter omnino sit libera. Datum in cœnobio prænominato, anno Incarnationis E Dominicæ M. XXXV, æra M. LXXIII, indict. III, sub die nono calend. Julii, anno V regni Aenrici regis.

S. ✠ Arnaldus præsul.

S. Bernardus præsul. ✠

S. Arnaldus episcopus Magalonensis. ✠

S. Guifredus sanctæ Narbonensis sedis ecclesiæ episcopus. ✠

S. Guilabertus episcopus Barchinonensis. ✠

S. Oliba episcopus. ✠

S. Bernardus episcopus Biterrensis. ✠

S. Bernardus gratia Dei episcopus. ✠

S. Stephanus Agathensis episcopus. ✠
S. Petrus episcopus. ✠
S. Guiffridus Carcassonensis præsul. ✠
S. Berengarius sanctæ Elnensis ecclesiæ nutu Dei præsul. ✠
S. Eribaldus gratia Dei episcopus. ✠
S. Durandus præsul. ✠
S. Amelius episcopus Albiensis. ✠
S. Willelmi episcopi Convenarum. ✠

Scriptum per manus Radulfi presbyteri ad vicem Arnaldi Olibæ pontificis notarii, præfato anno vel die.

Nota. In his autem litteris nonnulla videntur adjecta aut mutata. Legendum si quidem non *Nicolai* papæ, sed Benedicti; præterea leguntur in subscriptionibus nomina quorumdam episcoporum qui in indicibus non occurrunt.

V I.

Carta Bertrandi de Bello-podio pro abbatia de Vajal *diœcesis Mirapicensis.*

1125. NOTUM sit omnibus hominibus præsentibus atque futuris, quod Bertrandus de Bello-podio dedit Deo & S. Mariæ, & Aimerico fratribusque ejus præsentibus atque futuris, manentibus in loco qui dicitur *Vajal*, totum quod hereditario jure habebat & tenebat in terris quæ sunt a fonte Stephani Vacherii usque ad fontem Saunerium, & a Cingulo usque ad rivum qui vocatur *Astald*, sicut in longitudine & latitudine pro æqualitate fontium rectius discerni potest, nullo in servicio, nullo sibi reddito retento: auditores & testes doni Bertrandi de Bello-podio fuerunt Bernardus Guilaberti & ejus frater Raimundus, & Guillelmus de Bello-podio archidiaconus de Galderio, & Ato capellanus atque Pontius Odo. Facta carta ista in mense Aprili, feria VI, anno ab Incarnatione Domini M. CXXV, regnante Lodoico rege Francorum. Guillelmus monachus scripsit.

V I I.

Compositio inter abbatem de Lezato & abbatissam de Marenx.

1168. IN nomine Domini. Ego Guillelmus abbas de Lezato, cum consilio & assensu monachorum ejusdem monasterii, videlicet . . . . . & solvimus & wirpimus omnem querelam quam faciebamus de abbatia sanctimonialium *de Marenx*, de destructione veteris ecclesiæ & de constructione abbatiæ, & de vicinitate loci, & quidquid in illa abbatia requirere poteramus vel possumus, Deo & beatæ Mariæ, & tibi Adalais abbatissæ *de Marenx*, & conventui ejusdem loci præsenti & futuro, salvo censu & compositione quæ facta fuit inter abbatem Bolbonæ Dominicum & Attonem abbatem de Lezato, & conventum ejusdem loci, sicut continetur in alio instrumento, scilicet singulis annis quatuor sextarios tritici & duos fabarum, & alios duos alterius annonæ ad mensuram sextarii venalis de Lesato monasterio reddatis.

Iterum ego Adalais abbatissa *de Marenx* & conventus prædicti loci, facimus convenientiam tibi Willelmo abbati prædicto & conventui ejusdem loci præsenti & futuro, ut non recipiamus ad sepulturam parrochianos & parrochianas & homines vestros, nisi pedibus propriis regularem portam monasterii possint intrare, sine consensu & voluntate vestra. Hanc autem compositionem facimus causa pacis & reconciliationis, ut firma & inviolabilis omni tempore perseveret. Hoc autem totum factum est sub manu & præsentia domni Petri abbatis Boni-fontis, & Arnaldi abbatis de Ealnis, qui hoc totum confirmarunt A & cartam hanc fieri præceperunt, anno M. CLXVIII Incarnationis Dominicæ, regnante Ludovico rege.

V I I I.

Raimundus Forz *abbati Bolbonæ dimittit jus suum in abbatia* de Vajal.

IN nomine Domini. Notum sit omnibus hominibus præsentibus & futuris, quod ego Raimundus *Forz*, 1193.
amore Dei & redemptione animæ meæ & parentum meorum, dono & concedo per me & per omnem posteritatem meam, Domino Deo & beatæ Mariæ Bolbonæ, & Odoni abbati ejusdem domus, & fratribus præsentibus & futuris ibidem Deo servientibus, B pasturas & espletas aquas, & incisiones lignorum intrare & exire sibi & familiis suis, & animalibus eorum & carregiis eorum, sicut necesse habuerint, per omnem terram meam & per omne dominium meum ubicunque sit, ut habeant & espleitent ad omnem necessitatem suam, libere & absque ulla contradictione semper, excepto quod si damnum cum animalibus suis in bladis vel vineis fecerint, per judicium proborum hominum emendent; similiter dono & concedo eis honorem *de Vajal*, sicuti tenent Guillelmus abbas & fratres illius domus *de Vajal*, quæ alio nomine dicitur domus Aimerici, cum omnibus pertinentiis suis & cum omni jure suo, tali pacto quod si aliquando prædictus Odo abbas vel successores ejus & fratres Bolbonæ, eandem domum *de Vajal* C a prædicto abbate & fratribus illius domus aliquo modo vel a successoribus eorum adquirere potuerint, ibi faciant missas cantare, nisi communi consilio supradicti abbatis Odonis aut successorum ejus & Raimundi Fortonis cessarent. Hoc totum, sicut superius scriptum est, dono & auctorgo eis cartam quam habent de donatione ejusdem honoris *de Vajal*, sicut ego & fratres mei donavimus abbati Dominico & fratribus Bolbonæ, & sicut in illa carta continetur, de his omnibus sicut superius scripta sunt ero eis bonus guirens de omnibus amparatoribus & amparatricibus; hujus rei sunt testes Raimundus Berengarii prior, Guillelmus Clareti, Augerius de Calvomonte, Ato de Gapia monachi Bolbonæ, Petrus de Insula conversus. Facta carta ista mense Aprilis, feria 3.ª in anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXXXIII, D regnante Philippo Francorum rege, Ramundo comite dominante Tolosæ, Fulcrando episcopo existente; Bernardus Bruneti Bolbonæ monachus & levita hanc cartam jussu prædictorum scripsit.

I X.

Privilegium Raimundi Rogerii comitis Fuxensis in gratiam monasterii de Bolbona.

IN Dei nomine. Notum sit omnibus hominibus præsentibus & futuris hanc chartam legentibus vel 1198.
audientibus, quod ego Raymundus Rogerii Dei gratia comes Fuxensis, amore Dei & salute animæ meæ & animæ patris mei, in præsentia domini E Fulcranni Tolosani episcopi, & domini Laurentii Conseranensis episcopi, in consecratione monasterii Bolbonæ dono Deo & concedo per me & per omnem posteritatem meam Domino Deo & beatæ Mariæ Bolbonæ, & tibi Berengario ejusdem domus abbati, & omnibus fratribus prælibatæ domus præsentibus & futuris ibidem Deo servientibus vel in perpetuum servituris, omne affranquimentum & omnem libertatem per omnem comitatum meum in leudis & in pedagiis, in pascuis, in venationibus, & in nemoribus ad ligna incidenda ad quodcunque videlicet opus vobis fuerint necessaria, & in aquis & in ripariis, & in eisque piscari, & in montaneis in herbis, in pascuis. Et dono vobis in omni comitatu

nico omnem lucrifactum vel conquisitum quem A modo ibi habetis, amodo ullo modo conquirere poteritis. Dono etiam vobis prædictis liberum exitum & reditum & transitum per pontem Fuxi & aliorum locorum, & ex hoc non dabitis in omni terra mea neque in villis meis vel castellis ullam leudam, neque ullum censum de cunctis rebus vestris, & in eundo & in redeundo vos & omnia vestra sitis liberi, & de vestris hominibus manu tenebo vos. Dono etiam vobis centum sextarios frumenti quos accipietis supra decimas & grangias quas dedi vobis singulis annis, illos per abbatem, priorem vel cellerarium vestrum in perpetuum in die magno Jovis, in porta vestri monasterii ubi pro tempore mansionem feceritis, pauperibus omnibus distribuendos in pane, & ut melius vobis videbitur & aliis diebus per annum, si B quid residuum fuerit, transeuntibus, ut orent pro anima mea & parentum meorum, & totius domus comitum Fuxensis fundatricis vestri monasterii, præsentium & futurorum, & status vestri monasterii ubi pro tempore mansionem feceritis. Insuper dono & concedo vobis omnibus prædictis abbati scilicet & fratribus Bolbonæ præsentibus & futuris, ut si aliquis homo vel femina ad dominium meum pertinens, amore Dei & salute animæ suæ, se ipsum vel res suas, sive sint nobiles sive innobiles, prædicto monasterio dare voluerint, sine omni contradictione & & retentione mei meorumque successorum, eos libere & absolute recipiatis, & res suas mobiles vel immobiles quas vobis dederint, sine omni placito possideatis. Donoque vobis prælibatis & concedo bono C animo & spontanea voluntate, ut hospites vestri qui morantur in domibus vestris quas habetis in villis vel castellis meis, in Appamia videlicet, in Tarasco & in cæteris terræ meæ villis vel oppidis, non teneantur dare in questis & exactionibus quas facturus sum ego vel mea posteritas in hominibus terræ meæ. Donoque vobis domno abbati & monachis Bolbonæ præsentibus atque futuris, omnes illas decimas & primitias quas habui & mihi comparavi in grangia de Genato *de Sabartes*, in loco de Valle-nigra, in grangia de Bono-repauso, in loco & territorio de Monte-alto, in Denerio-vallato, & nemore de Bolbona vobis concesso, de Maceriis, de Duno, de Podio-alto, & in omnibus pertinentiis earumdem & omnium locorum supradictorum. Concedo quoque vobis D omnem piscaturam & omnem piscationem, & totam illam estanguam quam habetis in vestro monasterio Bolbonæ & circa illud, a capite fluminis Ircii quod *Alba* vocatur, a molendino Salis dicto & *Trincalobre*, usque subtus molendinum vestrum de Turris, quod habetis prope Mazeriam, ne ullus ibi piscari præsumat neque possit, nisi vos vel vestri mandato ne ibi venari, nec ab illo loco de Beaulhæmeo prope *Sabartes* in toto flumine Aregiæ, nec in toto Irsio supradicto, ab illo videlicet loco de S. Johanne de Caneto, usque ad finem dicti Hircii & Aregiæ ubi simul ambo uniuntur, subtus vestras terras de Intrambis-aquis, ne scilicet aliquis ibi piscari possit vel venari, nisi vos vel vestri: quia vobis concedimus omnem illam piscaturam & omnes illas riperias & insulas, arbores, virgulta, & quæcunque in illis E duobus fluminibus esse possunt vel in posterum esse poterunt inter duos illos terminos, præsertim vero in illis locis quæ sunt contigua & juxta molendina supradicta, & juxta possessiones, terras & decimas & grangias omnes vestras, & circa terras de Ampolliaco, de Artenaco, de S. Quintino, de sancto Johanne, de Caneto, de Intrambis-aquis & de Baisiaco, & in nemoribus & denesiis de Podio-alto, de Bolbona, de Duno, & in aliis terris vestris & denesiis. Quod si quis in illis partibus Artegiæ & Ircii piscari vel venari, vel aliquid usurpare, scindere, vel molendina construere præsumpserit absque vestra licentia, illos tanquam vobis ipsis injuriam factam volumus ulcisci & pœnis de jure vindictis coertari. Si vero vos vel vestri in illis partibus molendina construere volueritis liberam facultatem vobis concedimus ut vestri & quicunque voluerint, inibi molere possint, & volumus quod possitis vos vel vestri homines, servi, grangiarii & familiares vestri & domestici libere possint transire, ire, redire in omni terra mea, ut dictum est, & in omnibus villis, oppidis, castris, pontibus terræ meæ & totius comitatus Fuxi, cum equis, quadrigis ferendo grana, vina, ferrum, & quidquid volueritis ut libueri: absque ulla exemptione de omnibus quæ apportaveritis. Omnem hanc libertatem & omne affranquementum & donationes omnium supradictorum, ut est. Ego prædictus Ramundus Rogerii dono, laudo & concedo pro me & pro meis successoribus, prout melius quis valet intelligere ad omnem utilitatem domus Bolbonæ, ita ut nullus meorum successorum licentiam habeat has prædictas recuperandi vel auferendi donationes domui jam dictæ & fratribus ibidem Deo servientibus, hoc affranguimentum & hoc ampliamentum, & hæc dona facio pro amore Dei & redemptione animæ meæ & animæ patris mei. Et sic faciam vobis prædictis bonum tenere & habere, & ero vobis bonus guarens ego & posteritas mea post me. Hujus rei sunt testes *Mascaros* archidiaconus Tolosanæ sedis, Guillelmus Clareti, Guillelmus *de Genat* monachi Bolbonæ, Esclarumunda soror comitis Fuxensis, Arnaldus Guillermi de Arcumiano, Mammelus-Guillelmus *de Pampeus*, frater Ademarus *de Gardog*. Facta carta mense Martii, die Dominica idus ejusdem mensis, anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXXVIII, regnante Philippo rege Francorum, Ramundo comite Tolosæ, Fulcrando episcopo civitatis ejusdem existente. Bernardus Frotardi monachus Bolbonæ jussu utriusque partis & testium hanc cartam scripsit.

X.

Imbertus abbas Bolbonæ rescribit epistolæ comitis Fuxensis.

NOVERINT universi præsentes litteras inspecturi, 1285. quod nos frater Imbertus dictus abbas Bolbonensis recepimus quamdam litteram a nobili domino Rogerio B. . . . . . . Dei gratia comite Fuxensi, cujus tenor noscitur esse talis. Reverendo domino & carissimo amico suo domino abbati monasterii Bolbonensis, Rogerius B. Dei gratia comes Fuxensis, vicecomes Castri-boni, salutem & dilectionem. Mittimus ad vos dilectum virum Petrum de Durbanno militem, cui de his quæ pro nobis dicet ex parte nostra, sicut nobis credatis, & hoc aliqua ratione amore nostri non mutetis. Datum Narbonæ die Mercurii ante festum Ascensionis Domini. Qui prædictus dominus P. de Durbanno dixit nobis ex parte prædicti domini comitis, ut duo paria litterarum quæ dominus comes dimiserat nobis in deposito statim mitteremus & traderemus eidem domino P. ex parte dicti domini comitis, in quibus litteris continebatur qualiter dominus rex Francorum receperat quædam castra sua de manu dominæ Margaritæ comitissæ Fuxensis, quæ promittebat restituere libere & in pace completis duobus annis: in aliis vero continebatur qualiter recipiebat terram comitatus Fuxi ad manum suam tenendam & custodiendam ex parte dictæ dominæ comitissæ, promittens ei restituere quotiens per eam vel per dominum comitem esset requisitus. Nos vero prædictus abbas prædicta duo paria litterarum tradidimus dicto domino P. de Durbanno ex parte prædicti domini comitis, sicut mandatum receperamus ab ipso in præsentia & testimonio fratris P. Raymundi prioris dicti monasterii Bolbonensis, & fratris Geraldi *Aimes* cellerarii, & fratris G. *Demiadam*, & fratris G. de Montepesato,

& fratris Rogerii de Liciaco, & fratris Arnaldi A Guillelmi monachorum dicti monasterii.

Actum in monasterio Bolbonensi prædicto in die Ascensionis Domini, anno Domini M. CCLXXXV; in cujus rei testimonium nos prædictus abbas qui prædictas litteras tradidimus, & nos P. de Durbanno prædictus qui easdem pro domino prædicto comite recepimus, præsentibus sigilla nostra duximus apponenda anno & die quo supra.

X I.

Anniversarium in monasterio Bolbonensi pro Johanna Franciæ regina institutum.

1305. EXCELLENTISSIMO principi domino suo B carissimo domino Philippo Dei gratia Franciæ regi sui devoti & humiles Ar. abbas humilis monasterii Bolbonæ Cisterciensis ordinis, totusque conventus ejusdem monasterii Appamiarum diœcesis, cum recommendatione se ipsos promptos ad vestra beneplacita & parvos ad pedes vestræ regiæ majestatis gemens ad nostrum prædictum monasterium discretus vir magister Helias *de la Faya* canonicus ecclesiæ sancti Frontonis *Petgss* clericus vester, die Lunæ post Dominicam Trinitatis, litteras vestras patentes duo paria exhibuit quas nobis legit diligentius, & etiam explicavit ex parte vestra, requirendo & deprecando benigne quatinus in monasterio nostro vellemus per celebrationem missarum, & alias pro salute animæ charissimæ dominæ J. reginæ Franciæ C & Navarræ, comitissæ Campaniæ ac Briæ palatinæ, quondam consortis vestræ memoriter speciales exequias celebrare. Nos igitur merito de vestri tanto & totius regni exitio non modicum condolentes cogitavimus, nullum aliud posse consolationis remedium vestris in hac parte doloribus adhibere, nisi quod juxta piarum & benignarum requisitionum vestrarum per devotissimas preces supplicaremus Regi regum altissimo, ut ejus animam dignetur per sui misericordiam in cœlesti patria cum suo consortio feliciter aggregare, & ut Rex regum altissimus vos in hac parte exaudire dignetur, volumus, concedimus, promittimus, & ad hoc nos personas & monasterium nostrum in vestros successores obligamus pro salute animæ præfatæ reginæ solemniter celebrentur. Item quod ultra præmissa quilibet nostrum sacerdos quorum D sumus numero quadraginta, celebrabit pro salute dictæ dominæ quinque missas speciales, & quamdiu vixerimus, in qualibet celebratione missarum nostrarum effundemus preces speciales & devotissimas, & in aliis nostris orationibus Altissimo pro eadem; nostrum vero singuli qui nondum sumus promoti ad sacerdotium quorum sumus viginti & sex numero, legemus pro salute animæ ejusdem dominæ quilibet quinque psalteria, & quam citius promovebimur ad sacerdotium quamdiu vixerimus pro celebratione missarum nostrarum, & alias orabimus specialiter pro eadem. Nos autem fratres conversi dicti monasterii qui sumus numero quinquaginta, dicemus quilibet nostrum pro salute præfatæ dominæ animæ orationem dominicam, videlicet millesies Pater noster cum Ave Maria salu- E tatione Virginis gloriosæ, præterea ordinamus die Dominica post vesperas in octabas Trinitatis vigiliam, & in crastinum missam solemnem pro salute ejus animæ celebrare. In cujus rei testimonium, coram dicto magistro Helia *de la Faya* in libris missalibus nostris, & in præsentia supra scripti notarii præmissa conscribi ad æternam memoriam futurorum; & per eumdem notarium volumus & mandamus fieri hoc præsens publicum instrumentum, & per appensionem nostri sigilli muniri cum appositione signi notarii suprascripti.

X I I.

Bulla erectionis prioratuum Vaurensis & Mirapicensis in episcopales sedes.

AD perpetuam rei memoriam Salvator noster 1317. cujus nutui cuncta subserviunt in agro mundi hujus messem multam aspiciens, & operariorum caritatem attendens, dominum messis rogandum esse ut in illam operarios mitteret, censuit, & ipse idem etiam exiens mane veluti paterfamilias diligens horis diei variis operarios in vineam suam misit. Romanus itaque pontifex qui sicut domino eodem disponente vicarius ejus in terris esse dignoscitur, & ipsius actibus in quantum sinit humana fragilitas se conformare tenetur, ubi ergo superexcrescere messem, populi videlicet multitudinem viderit, operarios debet oportunos adjicere, & juxta propheticum verbum augere custodiam, custodes & cultores idoneos in dominicam vineam destinare. Sane considerantes attentius & intra pectoris claustra meditatione solicita revolventes, quod in tanta multitudine populi quanta fecundavit Altissimus civitatem & diœcesim Tholosanam, singulorum vultus nequibat, ut condecet unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere, quodque durum erat ac difficile in eadem ditione, quæ diffusa existebat & lata, ad unicum tantum a tot personis ecclesiasticis & mundanis recursum haberi; attendentes etiam, quod licet quondam episcopatus Tholosanus divitiis abundaret immensis, vix tamen supererat hucusque memoria, quod ex suorum opulentia copiosa redituum, aliquod in ecclesia vel diœcesi Tholosana provenisset divini cultus augmentum, imo sic ex adipe prodierat & prodibat iniquitas, ut multo jam tempore luxus cura, carnis in desideriis, evectionum pompa, numerositas clientelæ, immoderata distributio in parentes, sumptus enormes & extraordinarii usus sibi vindicassent; ibidem quanti totum patrimonium Crucifixi, & verendum erat ne præsul unicus Tholosanus incrassatus & dilatatus ex excessivis his opibus & superbiis periculose recalcitrans Deum factorem suum derelinqueret, & a suo salutari recedens perditionis exempla in subditos derivaret: Pensantes etiam quod sanctæ memoriæ Clemens papa quartus prædecessor noster eo tempore quo civitas & diœcesis ante fata longe minus in populo ac reditibus affluebant, cum ex tunc benedicente Domino incredibiliter creverint in utraque, & jugiter crescere dignoscantur spiritu beatæ considerationis inductus ad divisionem episcopatus ejusdem, dum viveret, intendebat, licet morte præventus suum in hac parte nequiverit implere conceptum, nos pium prædecessoris prædicti propositum volentes in effectum adducere, si non tam dissipare malum quod prædictorum redituum copia excessiva produxerit, quam etiam augere cultum & spiritualem animarum profectum, quæ si juxta facultatem exigentium, ac diffusam latitudinem dictæ diœcesis sufficiens numerus in eadem utilium præsulum deputetur sperabamus indubie pervenire, promovere salubriter intendentes, præmissis & aliis suadentibus justis causis, & certa nostra scientia, de fratrum nostrorum concordi consilio & apostolicæ plenitudine potestatis, ad laudem Dei fideliumque salutem dictum quondam episcopatum Tholosanum suamque diœcesim autoritate apostolica in quinque diœceses dividentes, quas per certos limites mandavimus terminari quatuor in quatuor villis tunc dictæ diœcesis Tholosanæ cathedrales ecclesias duximus erigendas; & quia ecclesia Tholosana tanquam solemniori statu & conditione præfulgens grandioris erat honoris titulis efferenda, ipsam tunc suffraganeam ecclesiæ Narbonensi ac totam quondam diœcesim Tholosanensem ab omni jurisdictione, dominio potestateque archiepiscopi, capituli & ejusdem ecclesiæ Narbonensis penitus eximentes, de prædic-

torum consilio fratrum & potestatis plenitudine supradicta, eam in archiepiscopalem seu metropoliticam duximus erigendam, ac de bonis, reditibus, proventibus, & juribus dicti quondam episcopatus Tholosani ipsi Tholosanæ decem millia, & singulis aliis cathedralibus quatuor per nos erectis singula quinque millia librarum turonensium parvorum annui & perpetui redditus, præterquam Appamiarum ecclesiæ, cui de ipsis redditibus certam portionem aliis vestris distractam litteris mandavimus assignari, quæ quidem unicuique ipsarum ecclesiarum, suisque pontificibus, onere & dignitate ipsorum attente pensatis, debere sufficere vidimus, concessimus & deputavimus percipiendi integraliter per ipsarum ecclesiarum præsules qui pro tempore fuerint in rebus & locis cuilibet magis adjacentibus & vicinis juxta distractionem seu limitationem ipsarum singularum diœcesum faciendam residuo bonorum reddituum & jurium episcopatus Tholosani prædicti, quod superesset, facta ut præmissum est assignatione de illis dispositioni nostræ & sedi apostolicæ reservato, prout hoc in aliis nostris litteris super hoc confectis seriosius continetur, deinde vero de dictis redditibus & proventibus ipsius quondam diœcesis Tholosanæ, & in quibus locis fieri deberet limitatio diœcesum prædictarum, volentes plenam informationem habere certas & sufficientes personas ad partes ipsas duximus propter ea specialiter destinandas. Cumque tam & relatione ipsarum, quam plurium aliorum ad nostram fide digna relatione sit deductum notitiam, quod præter portiones easdem, quas tam eidem Tholosanæ, quam aliis supradictis ecclesiis per nos de novo erectis decrevimus assignandas, magna & innumerosa ipsorum proventuum & reddituum remanebat, nos cupientes de ipsis proventibus & redditibus sic remanentibus in quantum cum Deo possumus salubriter ordinare, volentes quoque cultum divinum, & spiritualem animarum profectum, ad quod totis affectibus aspiramus, augere; sperantes etiam quod ex his sequetur devotio populi, augmentum fidei, & vinea Domini pluribus munita cultoribus fructum faciet ampliorem; præmissis & aliis suadentibus justis causis cum fratribus nostris plene discussis, ad ulteriorem ipsius quondam diœcesis Tholosanæ divisionem, cum nondum juxta eamdem ordinationem nostram sint ex ea dictæ diœcesis limites in Dei nomine procedentes de fratrum ipsorum consilio & plenitudine supradicta eandem quondam diœcesim iterum dividentes de Vauro & de Mirapisce villas pridem de dicta quondam Tholosana diœcesi existentes veluti ad hoc insignes, & ad id convenientes & accommodas, in civitates erigimus, civitatis vocabulo insignivimus, volentes & decernentes autoritate prædicta, ac de ipsorum fratrum consilio, & plenitudine supradicta, ut sancti Hellani quondam prioratus Vaurensis, & quondam sancti Mauritii Mirapicensis prioratuum ordinis sancti Benedicti ecclesiæ sint de cætero & habeantur perpetuo cathedrales, ipsas & civitates prædictas cum suis capitulis & diœcesibus limitandis ab omni jurisdictione, dominio & potestate archiepiscopi, capituli, & ecclesiæ Tholosanæ in cujus provincia fore noscuntur, necnon abbatum atque conventuum, & ordinariorum quorumlibet aliorum ecclesiasticorum quibus quomodolibet fuerant huc usque subjectæ, majoritate tamen seu superioritate in ipsis Vaurensi & Mirapiscensi ecclesiis, civitatibus, capitulis & diœcesibus limitandis dictæ Tholosanæ ecclesiæ, sicut in aliis suffraganeis suis metropolitico sibi jure subjectis habere dignoscitur reservatis autoritate præsentium perpetuo eximentes de consilio & autoritate prædictis. Verum quia dictæ Vaurensis & Mirapicensis ecclesiæ facultates non habent correspondentes honori & statui ad quos noviter sunt provectæ, autoritate apostolica decernimus eas sic honorandas esse in facultatibus & augendas, quod mensa episcopalis ipsarum cujuslibet

A quinque millia librarum turonensium parvorum annui & perpetui redditus de bonis & rebus dicti quondam episcopatus Tholosani ipsis Vaurensi & Mirapicensi ecclesiis magis accomodis & vicinis, juxta communem æstimationem bonorum, rerum hujus & redditualium situanda, quæ quidem utrique dictarum ecclesiarum, ipsarumque pontificibus dignitate ac onere & circumstanciis attente pensatis debere sufficere vidimus præter redditus, proventus, & jura quæ ad prædictas ecclesias antea pertinebant, de quibus ad honorem Dei & ipsarum ecclesiarum commodum intendimus ordinare, ex nunc autoritate prædicta & consilio & plenitudine memoratis concedimus, donamus & etiam deputamus percipienda integraliter per ipsarum præsules qui pro tempore fuerint, in rebus sibi magis
B adjacentibus & vicinis, juxta distinctionem & limitationem ipsarum diœcesum per alias nostras litteras faciendam; interim tamen distinctione seu limitatione dicta pendente, volumus & auctoritate prædicta decernimus quod de Vauro & de Mirapice episcopi, qui pro tempore fuerint, summam prædictam pro rata temporis recipiant annuatim prædictæ sedis providentiam, circumspectione sic facta salubriter & utiliter ordinata, perpetuis esse valitura temporibus & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta districtius inhibemus ne aliquis cujuscunque præeminentiæ, ordinis, conditionis aut status, etiamsi archiepiscopali seu regia præfulgeat dignitate, hujus ordinationem apostolicam seu aliqua vel aliquod de contentis in ea quovis requisito colore vel modo sine
C causa vel occasione qualibet adinventis turbare seu quomodolibet impedire præsumat, nos enim ex tunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari; & nihilominus in eos qui ex certa scientia contrarium præsumserint, nisi infra octo dierum spatium post publicationem præsentium resipuerint cum effectu excommunicationis in personam, & interdicti in universitates, ac suspensionis sententias in conventus, capitula sive collegia promulgamus de consilio & auctoritate prædicta a quibus non nisi per Romani pontificis absolutionis beneficium præterquam in mortis articulo valeant obtinere. Nulli ergo ...... nostræ erectionis, insinuationis, voluntatis, constitutionum, exemptionis, concessionis, donationis, de-
D putationis, inhibitionis infringere...... Datum Avenioni VI calendas Octobris, pontificatus nostri an. II.

XIII.

Odinatio capituli Mirapicensis.

JOANNES episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sedes apostolica cui 1318.
generalis est ecclesiarum omnium sollicitudo commissa, libenter, quantum ex Alto permittitur, ad Dei laudem & gloriam singularum prospero statui prospicit, & ad perfectionem illarum quas ejus dextera plantasse dignoscitur, eo libentius se impendit, quo magis ex more quilibet opifex, ad sui operis con-
E summationem afficitur, & ad supplendum omnino quæ desunt voto intensiori conatur. Sane pridem ad divini cultus augmentum, & salutem populi quem in civitate & diœcesi quondam Tholosana sic multiplicarat Altissimus, quod per unum antistitem salubriter gubernari non poterat, quin potius ad ejus regimen exigente messis multitudine ac latitudine requirente diœcesis, pluribus operariis opus erat: paternis desideriis anhelantes, ex iis & aliis causis quæ nostrum, & fratrum nostrorum animos ad id rationabiliter induxerunt; episcopatum quondam Tolosanum, qui opulentia copiosa pluribus episcopis poterat abunde sufficere, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis, in certas civitates atque diœceses providimus dividendum, ut

videlicet præter civitatem Tolosanam cujus cathedralem ecclesiam in metropolitanam ereximus, & quam habere voluimus suam propriam & distinctam diœcesim, autoritate apostolica limitandam, inde Vauro, Mirapice & nonnullis aliis villis dictæ quondam Tolosanæ diœcesis, quarum quamlibet insignivimus vocabulo civitatis; essent singulæ quas ibi de novo creavimus ecclesiæ cathedrales, singulas diœceses separatas certis distinguendas limitibus habituræ; quarum etiam unicuique de bonis, redditibus, proventibus & juribus dicti quondam episcopatus Tolosani, certam competentem assignavimus portionem. Licet autem Mirapicensi ecclesiæ quam inter cæteras, ut præfertur, in cathedralem ereximus, de idoneo providerimus præsule, quem speramus eidem spiritualiter & temporaliter profuturum: quia tamen solus ipse B incumbens onus portare non posset, ad plenam & solidam ecclesiæ prædictæ structuram superesse conspeximus sustentatorias erigi debere columnas, viros videlicet virtutibus præditos, qui cum ipso præsule quasi cum quodam capite unum corpus effecti, nedum illi tanquam membra capiti virtuose cohæreant, sed ut sibi participato labore circa imminentis executionem regiminis seduli cooperatores existant. Volentes itaque quod in iis laudabiliter cœptum est, ad debitæ perfectionis exitum, illius assistente gratia qui opus imperfectionis ignorat, adduci; & proinde sinceris optantes affectibus ut eadem ecclesia ministrorum honestate præfulgens, pulchra & decora, prout decet, appareat, & variis dignitatum titulis insignita tanquam monilibus ornata consistat; de C fratrum ipsorum consilio & autoritate prædictis duodecim canonicorum numerum, capitulum facientium, in eadem Mirapicensi ecclesia constituimus & etiam ordinamus; quorum unus sit præpositus qui primum locum & primam vocem post episcopum habeat in eadem. Ipse quidem episcopus quamvis canonicus non existat, vocem tamen in capitulo sicut unus ex canonicis obtinebit; alius vero erit archidiaconus, alius sacrista, aliusque præcentor, loca & voces in capitulo, juxta hujusmodi ordinem obtenturi. Cæteri vero canonici secundum ordinem provisionum suarum loca & voces post prædictos in eadem ecclesia obtinebunt. Præfatæ autem præpositura, archidiaconatus & sacristia dignitates, præcentoria vero officium, erunt in ecclesia memorata. Eadem insuper ordinamus au- D toritate, ut quatuor capellani hebdomadarii & viginti octo alii capellani, duo vero diaconi & duo subdiaconi, necnon octo clerici in inferioribus ordinibus constituti, omnes prædicti perpetui ac octo pueri pro capituli arbitrio & voluntate mutandi sint & esse debeant in ecclesia prædicta, qui continuam in illa residentiam facere & officiis interesse divinis; & specialiter dicti quatuor hebdomadarii missas conventuales septimanis alternis, ac in horis canonicis & aliis divinis obsequiis sacerdotale officium exercere; alii vero capellani missas privatas celebrare, diaconi vero evangelia, subdiaconi epistolas legere, suis diebus & vicibus, clerici quoque capellanis celebrantibus deservire: pueri autem & præfati clerici capituli alia inferiora officia gerere in ipsa ecclesia teneantur. Per præmissa autem quæ de hebdomadariis, diaconis & subdiaconis ordinamus, E nullatenus intendimus prohibere: quin multo magis canonici & alii superiores dicta officia exercere valeant, cum eis fuerit opportunum. Ne autem super hujusmodi personarum & ministrorum electione, deputatione seu institutione, quævis dubietas oriatur in posterum concertationis litigiosæ dispendium paritura, volumus & ordinamus autoritate prædicta, quod præpositus in eadem ecclesia per capitulum eligatur, servata forma concilii generalis. In qua electione episcopus vocem ut canonicus habeat; cujus electio celebrata præsentetur nihilominus ipsi soli episcopo confirmanda vel infirmanda, prout justitia suadebit. Archidiaconatus vero, sacristia & præcentoria cum vacabunt, per solum episcopum irrequisito capitulo canonicis dumtaxat ipsius ecclesiæ; canonicatus autem & præbendæ canonicorum per episcopum & capitulum semotim & alternis vicibus conferantur; ita quod episcopus solus primo loco, capitulum per se secundo, episcopus tertio, & capitulum quarto; & sic deinceps suis locis & vicibus canonicatus & præbendas conferant cum vacabunt. Sed hebdomadariæ & capellaniæ & prædicta alia officia ipsius ecclesiæ per capitulum communiter conferentur. Sane quia dignum est ut ii stipendiis ecclesiæ sustententur, qui divinis obsequiis ascribuntur in illa, cum a mercede repelli non debeant qui ad onera eliguntur: præsertim quia in humanis rebus spiritualia sine temporalibus diu superesse non possunt, condignum, imo necessarium fore conspeximus, ut justa supra distinctum numerum servitorum & ministrorum, considerata conditione cujuslibet, pro eorum stipendiis & substentatione congrua, certas facultates & bona capitulo ipsius ecclesiæ pro dote ejusdem & peculio assignemus. Itaque ecclesiarum de Mirapice dumtaxat sine redditibus de Mazeriis, sancti Jacobi de Villario Savarico ad cancellarium Tolosanum, sancti Petri de terra Capulata ad capitulum Tolosan. pro provisione facienda certis capellanis institutis per bonæ memoriæ Bertrandum episcopum Tolosanum sancti Pauli, sancti Petri de Abilheriis, de Eschalensis ad mensam abbatis Electen. Mirapicen. de Unsedelle ad capitulum Appamiarum diœcesis, necnon de Gibello, de Garda, de Bellostario, de Boignano, de Romengosio, de Ballida, sancti Andreæ de sancto Paulo de Troya, ac territorii de Astroleto dudum ad episcopum Tolosanum antedictorum episcopatus & redditumm, divisionem spectantibus omnes redditus & proventus qualescumque & in quibuscumque consistant, pro valore & estimatione duarum millium librarum turonensium parvorum capitulo ipsius Mirapicensis ecclesiæ ejusque mensæ de fratrum ipsorum consilio autoritate apostolica concedimus, donamus & in perpetuum assignamus. Quæ quidem sic absolute & irrevocabiliter dicto donamus capitulo, quod & si hujusmodi donati redditus & proventus supra scriptam duarum millium librarum summam excederent, aut e contra complere non possent, præfatum capitulum plus petere, aut ab ipso quidquam exigi vel repeti non valeat de prædictis: de quibus, ut præmissum est, donatis, præfatis servitoribus & ministris ecclesiæ juxta infra scriptum hujus nostræ ordinationis modum stipendia & assignationes integraliter exsolvantur. Volumus igitur & autoritate prædicta statuimus ut præpositus ratione præposituræ octoginta, archidiaconus vero, sacrista & præcentor quilibet ratione dignitatum & officii hujusmodi quadragima; & tam eorum singuli, ultra hoc quam quilibet ex simplicibus aliis octo canonicis pro grosso uniuscujusque præbendæ triginta libras turonenses parvorum percipere debeant annuatim. Pro distributionibus vero quotidianis, quilibet ex ipsis duodecim canonicis quadraginta libras & decem & octo solidos turonenses quolibet anno percipiet: nec plus quam simplices, recipient in dignitatibus seu officiis constituti. Fiet autem hujusmodi quadraginta librarum & decem & octo solidorum turonensium in hunc modum distributio: dabuntur enim singulis diebus cuilibet canonico duo solidi turonenses parvorum; in festo autem Natalis Domini decem solidi turonenses; in singulis vero, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes; & quolibet de quatuor principalibus beatæ Mariæ, Nativitatis beati Joannis-Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & Omnium sanctorum; & in principali ipsius ecclesiæ Mirapicensis festivitatibus sex solidi turonenses parvorum: & si forte ipsum festum principale ejusdem ecclesiæ aliquod de dictis festis existat, tanquam pro duobus festis dabuntur distributiones hujusmodi duplicatæ;

duplicatæ; dictis vero diebus quibus hujusmodi distributiones festivales dabuntur, prædictæ nihilominus duorum solidorum distributiones solventur. Sane quod supererit de distributionibus propter absentiam canonicorum non residentium in ecclesia prædicta, per medium dividetur, & medietas commodo residentium canonicorum accrescet, alia vero medietas acquiretur thesauro ipsius ecclesiæ, in ornamentis, libris, & aliis diversis necessitatibus & utilitatibus ecclesiæ & capituli convertenda, prout capitulum viderit expedire. Eadem etiam autoritate & de fratrum ipsorum consilio statuimus ut singuli ex quatuor hebdomadariis supra dictis viginti duas; unusquisque ex aliis viginti octo capellanis decem & octo; quilibet ex dictis duobus diaconis & duobus subdiaconis quindecim; singuli ex præfatis octo clericis duodecim; & quilibet ex memoratis octo pueris quinque libras turonenses parvorum percipere debeant annuatim. Quas quidem summas sic per capitulum inter servitores hujusmodi per quotidianas distributiones dividi volumus, quod singuli ex eis suis officiis, ut præmissum est continue insistentes anno quolibet percipiant integre singulas quantitates, prout proxime sunt distinctæ. Cæterum episcopum & capitulum memoratos hortamur in Domino, eisque districte injungimus & mandamus quatenus per ordinationes suas salubres & utiles studeant efficaciter providere, quod tam canonici quam singuli servitores alii supradicti, prout cujusque officium respicit, celebrationibus missarum conventualium & privatarum, & aliis divinis nocturnis & diurnis officiis devote & solemniter, adjuvante Domino, peragendis sic studiose intendant, quod Dei proinde capiata gratia, & fidelium devotione adaucta, circa divini cultus augmentum experiamur in ecclesia ipsa impleta effectualiter vota nostra: porro ne curam animarum gregis dominici, cujus utilis & grata Deo dispositio est plurimum ac principaliter nobis cordi, quod absit, negligere videamur, volumus quod cura animarum parrochiæ dictæ ecclesiæ cathedralis ad sacristam pertineat memoratum, committenda eidem per episcopum, cum sibi provisum fuerit de sacristia prædicta; quæ cura etiam annis singulis per episcopum committatur capellanis præsentandis per dictum sacristam, prout requiret populi magnitudo. Verum ne propter frequentes præstationes ecclesiasticorum sacramentorum tota canonicorum & aliorum servitorum communitas occupetur, statuimus quod aliqua capella seu altare ipsius ecclesiæ ad hoc magis accommoda seu accommodum, per episcopum deputetur & assignetur; in qua sacrista ipse & sacerdotes sui curati missam populo celebrent, & ministrent sacramenta ecclesiastica, ac cætera faciant quæ curam prædictam concernere dignoscuntur. Volumus autem & statuimus ut sacrista prædictus in pulsatione campanarum omnia onera habeat supportare, & in missis conventualibus & privatis & aliis divinis officiis, in ipsa & circa ipsam ecclesiam exercendis, prout ipsius officii qualitas exegerit, candelas, vinum, oleum, hostias, incensum, & alia consimilia ipsi divino officio opportuna propriis sumptibus debeat ministrare. Ut autem idem sacrista sustentationem condignam habeat pro prædictis, volumus ut medietas omnium, quæ occasione funeris quod in ipsa ecclesia vel ejus cimeterio sepeliri contigerit, ad ipsam portabuntur ecclesiam; necnon oblationum & quarumlibet rerum quæ in ipsa ecclesia offerentur, exceptis pannis aureis & sericis, omnino pertineat ad sacristam. Alia vero medietas libera cum dictis pannis aureis & sericis thesauro ecclesiæ deputetur; quæ quidem medietas cum dictis pannis aureis & sericis, & resta, quam omnibus & singulis stipendiis pro universis servitoribus & ministris superius deputatis, & omnibus quibuscumque oneribus impositis & imponendis integraliter exsolutis contigerit superesse, sic thesauro ipsius ecclesiæ applicentur in ornamentis, libris & aliis ipsius ecclesiæ & capituli utilitatibus & necessitatibus convertenda; quod tam de ipsis quam de aliis superius thesauro ecclesiæ deputatis canonici & alii quilibet ipsius ecclesiæ ministri nullatenus audeant inter se dividere, aut sibi vel alii appropriare in usus alios quam supra dictum est, ipsam pecuniam convertendo. Qui vero tradendo vel recipiendo contrarium fecerit, duplum infra mensem restituere teneatur; quod si non fecerit, episcopus ingressum ecclesiæ sibi interdictum, inferiores vero ab officio & beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo hujusmodi thesauro ipsius ecclesiæ plenariam satisfactionem impendant: nulla eis in hoc episcopi & capituli aut cujuslibet alterius, præterquam Romani pontificis remissione, liberalitate seu gratia valitura. Cæterum si medietas funeralium & obventionum prædictarum, quam dicto sacristæ donavimus, non sufficiat eidem sacristæ pro dictis oneribus supportandis, volumus quod de altera medietate & aliis bonis dicti thesauri, prout episcopus ordinaverit, defectus hujusmodi integraliter suppleantur. Hanc igitur ordinationem per dictæ sedis providentiam circumspectam sic factam salubriter ad Dei laudem & gloriam, ecclesiæ præfatæ decorem, & perfectam spiritualis ædificii per nos in illa, ut præmissum est, incoepti structuram, perpetuis valere temporibus & robur incommutabilis firmitatis volumus obtinere; autoritate prædicta districtius inhibentes ne aliquis cujusque praeeminentiæ, ordinis aut status, etiamsi archiepiscopali vel episcopali, seu superiori perfulgeat dignitate, hujusmodi ordinationem apostolicam, seu aliquod de contentis in ea, quovis quæsito colore vel modo, sine causa vel occasione qualibet ad inventis turbare, violare, seu quoquo modo impedire præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionum, ordinationum, voluntatum, concessionis, donationis, injunctionis, assignationis, mandati & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenioni VIII.° kal. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

XIV.

Mirapicensis ecclesia S. Mauricii ablata monasterio S. Victoris Massiliensis.

Ex armario bullarum monasterii sancti Victoris Massil. n.° 121. 1318.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui sancti Victoris Massiliensis ordinis S. Benedicti, salutem & apostolicam benedictionem. Romanus pontifex qui supernæ dispositionis arbitrio in supremæ dignitatis specula constitutus ecclesiarum omnium rector agnoscitur, vineæque dominicæ custos generalis & cultor, ac totius ovilis catholici, pastorumque omnium summus pastor, de apostolicæ plenitudine potestatis a Domino sibi tradita, cujus nutui cuncta subserviunt & obtemperant universa, interdum minores ecclesias in cathedrales erigit, eisque alias unit & annectit ecclesias quæ prius ad alias ecclesias seu monasteria pertinebant, & prout cognoscit animarum profectibus expedire, suadentibus rationabilibus causis; sane dudum ecclesiam Mirapicensem, nunc Tolosanæ diœcesis, ex certis & rationabilibus causis quæ ad id nostrum animum induxerunt, de fratrum nostrorum consilio, & apostolicæ plenitudine potestatis in cathedralem duximus erigendam, eidem ecclesiæ sic erectæ præficientes episcopum & pastorem, ac sibi seu mensæ episcopali Mirapicensi, & dilectis filiis capitulo ejusdem ecclesiæ Mirapicensis, prioratum de Mirapice cum loco & domibus & redditibus de Mazeriis ad monasterium vestrum spectantes, cum omnibus juribus & pertinentiis suis in perpetuum auctoritate apostolica duximus concedendos, prout in apostolicis litteris inde confectis,

plenius & seriosius continetur. Cum itaque sicut accepimus vos & monasterium vestrum ex ademptione prioratus loci, & domorum ac reddituum prædictorum, ex quibus vobis & eidem monasterio noscebantur emolumenta quamplurima provenire gravem incurretis læsionem: nos attendentes fore dignum & congruum ut pro quantitate læsionis hujusmodi, vobis & eidem monasterio per apostolicæ sedis providentiam utiliter consulatur, ecclesiam B. Mariæ de Villa-nova Graulheti, Rivensis diœcesis, quæ dudum membrum fuerat prioratus ejusdem, cum domibus & ædificiis, ac omnibus juribus & pertinentiis suis, in locum ejusdem prioratus de Mirapisce auctoritate apostolica surrogantes, & statuentes quod de cætero dicta ecclesia B. Mariæ esse debeat prioratus, omnes fructus, redditus & proventus parochialis ecclesiæ de Saxis, cum territoriis *de Lamigau*, & de aramento existentes in Tolosana diœcesi noviter limitata, quos & quæ quondam episcopalis mensa Tolosana inibi obtinebat, quique ad mensam prædictam Tolosanam hactenus pertinebant, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, vobis & monasterio vestro, ac prædicto prioratui B. Mariæ de Villa-nova Graulheti, in perpetuum auctoritate apostolica concedimus, incorporamus, unimus & etiam applicamus, dantes & concedentes vobis tenore præsentium, apprehendi per vos, vel per alium seu alios, & tenendi corporalem possessionem, vel quasi fructuum, redditaum & proventuum, ac territoriorum prædictorum, jurium & pertinentiarum ipsarum, auctoritate propria diœcesani loci, vel alterius cujuscumque licentia minime requisita, plenariam potestatem, auctoritate prædicta nihilominus decernentes quod per priorem qui dictum prioratum de Mirapice obtinuerat, præfatus prioratus de Villa-nova Graulheti debeat gubernari, dictusque prior & successores ipsius priores B. Mariæ prædictæ, qui erunt pro tempore in Divini cultus observantia, hospitalitate tenenda, & aliis incumbentibus oneribus illa supportent onera quæ in priori prioratu consueverant supportare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ surrogationis, statuti, concessionis, incorporationis, unionis, applicationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione VIII kal. Mart. pontificatus nostri anno II.

Cum plumbo pendente, in quo ex una parte capita Apostolorum, ex altera Johannes pp. XXII.

X V.

Facultas quoscumque hæreticos absolvendi episcopo Mirapicensi concessa.

1608. DOMINICUS episcopus Ostiensis Pinellus, frater Jeronymus Bernerius episcopus Portuensis Asculanus, Laurentius tituli S. Laurentii in pane & perna Blanchettus, Pompeius tituli S. Balbinæ Arigonius, Robertus tituli S. Mariæ in via Bellarminus, Antonius tituli sanctæ Crucis in Jerusalem Zapata, & Ferdinandus Juberna S. R. E. Cardinales in universa republica christiana adversus hæreticam pravitatem generales inquisitores a sancta sede apostolica specialiter deputati, reverendo in Christo patri domino Petro episcopo Mirapicensi salutem in Domino sempiternam.

Cum in generali congregatione sanctæ Romanæ & universalis inquisitionis habita in palatio apostolico Montis-Quirinalis, coram sanctissimo domino nostro Paulo divina providentia papa V ac nobis die infra scripta, nomine reverendæ paternitatis tuæ supplicatum fuerit ut ad hæresum extirpationem & hæreticorum conversionem omnes hæreticorum libros

A legendi & retinendi, necnon absolvendi & recipiendi quoscumque hæreticos redeuntes & pœnitentes, licentiam & facultatem eidem paternitati tuæ concedere dignaremur. Nos cupientes ut omnis hæretica pravitas e cunctorum mentibus depellatur, & oves aberrantes ad caulam dominici gregis sedulo reducantur, cunctorumque Christi fidelium saluti provide consulatur auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa paternitati tuæ, ut quoscumque hæreticorum aut alios prohibitos libros, etiam in indice romano librorum prohibitorum damnatos, ad effectum ut perfertur, hæreses & errores redarguendi & confutandi secreto, & per se ipsam, & sine aliorum scandalo aut periculo, absque censurarum & pœnarum incursu legere & retinere libere & licite possit & valeat: injuncto tamen ei ut tam præsentium litterarum exemplum, quam

B librorum prohibitorum præsertorum, quos hujusmodi nostræ facultatis vigore leget aut retinebit, paternitas tua notam quamprimum exhibeat admodum reverendo in Christo patri domino archiepiscopo Tolosano vel ejusdem officiali, sive vicario in spiritualibus generali utpote hujus facultatis elapso, vel post obitum tuæ paternitatis, si eam interim forte ex hac vita migrare contigerit: libri prædicti ei consignentur, ut provideat ne ad aliorum manus perveniant, sed per eum tradantur igni comburendi. Præterea eidem paternitati tuæ, ac ejus in dicta ecclesia Mirapicensi officiali sive vicario in spiritualibus generali nunc & pro tempore existenti in solidum, ut omnes & singulos utriusque sexus, ac tam laicos quam clericos seculares, ac cujusvis

C ordinis regulares, tam dictæ civitatis Mirapicensis civitatis & diœcesis, quam aliarum partium in quibus hæreses impune grassantur, hæreticos, schismaticos & a sancta fide catholica quomodolibet aberrantes, non tamen in hæreses, schisma, aut errores relapsos, vel de eis in judicio delatos ac condemnatos, de quibus nihilominus sanctissimus dominus noster papa, aut hoc sacrum inquisitionis officium consulatur; pœnitentes quidem ad paternitatem tuam, vel dictum ejus officialem seu vicarium, in dicta civitate seu diœcesi Mirapicensi constitutos seu residentes, sponte venientes, & ad sanctæ matris ecclesiæ gremium recipi & admitti humiliter deprecantes, ab excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis quas propter hæreses, schisma & excessus hujusmodi quomodolibet incur-

D rerint, dummodo corde sincero & fide non ficta coram notario & testibus publice vel privatim prout casus exegerint, & paternitati tuæ, vel dicto ejus officiali sive vicario magis expedire videbitur, hæreses, schisma, & errores suos ac alios quoscumque detestati fuerint, anathematisaverint & abjuraverint, ac præstito jurejurando promiserint, de cætero ab hujusmodi erroribus, hæresibus & schismate, & aliis similibus excessibus penitus abstinere in forma ecclesiæ consueta, impositis eisdem pœnitentiis salutaribus, ac aliis injungendis in utroque foro citra ullam habitationem aut dispensationem absolvere, & in gremium sanctæ matris ecclesiæ recipere & reconciliare, & insuper ut omnes & singulos de partibus prædictis qui libros hæreticorum aut alias prohibitos, etiam in indice Romano

E librorum prohibitorum damnatos scienter legerint vel retinuerint, hæreticorum quoque & schismaticorum receptatores, fautores & defensores qui illorum hæresibus non adhæserunt, & in futurum ab hujusmodi perniciosa lectione vel retentione, & excessibus prædictis abstinere firmiter proposuerint, similiter ab excommunicationis & aliis ecclesiasticis censuris & pœnis quibus propterea fuerint innodati, in eadem forma ecclesiæ consueta, impositis eis pœnitentiis salutaribus, & aliis injungendis in utroque foro pariter absolvere & liberare. Propterea eidem paternitati tuæ, ut per ipsam solam cum eisdem pœnitentibus qui clerici seculares, vel cujusvis ordinis regulares fuerint super irregularitate per eos tam hæresum, schismatis

& errorum, quam lectionis & retentionis librorum A prohibitorum, ac excessuum hujusmodi, aut alias præmissorum occasione dumtaxat contracta quoad exsecutionem ordinum tantum, non autem quoad habilitationem obtinendi vel retinendi beneficia ecclesiastica, dignitates & officia iis tamen qui hæretici fuerint, & in sacris ordinibus constituti ab altaris ministerio & omnium sacramentorum administratione perpetuo vel ad tempus arbitrio paternitatis tuæ suspensis, si aliud canonicum impedimentum non obsistat pœnitentia vel ejus parte peracta, & suffragantibus meritis etiam in utroque foro dispensare possit, & valeat licentiam & facultatem ad quinquennium proxime futurum ab infra scripta data numerandum dumtaxat duraturum, tenore præsentium damus, concedimus & impertimur, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut si quis alienæ civitatis vel diœcesis præsentium vigore in utroque foro reconciliatus fuerit, ad illius ordinarium fides hujusmodi reconciliationis in forma authentica confecta transmittatur; in quorum omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium præsentes literas gratis expeditas, per infra scriptum nostrum & dictæ sanctæ universalis Inquisitionis quo in talibus utimur, jussimus & fecimus appensione muniri. Datum Romæ in congregatione generali dictæ sanctæ universalis Inquisitionis, decimo quarto cal. Octobris, anno a Nativitate Domini nostri Jesu-Christi millesimo sexcentesimo octavo, pontificatus prædicti sanctissimi domini nostri papæ anno quarto. Dominicus episcopus Ostiensis cardinalis Pinellus. Frater Jeronymus Bernerius episcopus Portuensis cardinalis Asculanus. Laurentius cardinalis Blanchettus. Pompeius cardinalis Arigonius. R. cardinalis Bellarminus. A. cardinalis Zapata. Ferdinandus cardinalis S. Eusebii, signati.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ S. PAPULI.

I.

Ecclesia B. Mariæ de Pruliano traditur Dominico Oxoniensi canonico.

1206. MANIFESTUM sit omnibus præsentibus ac futuris hanc cartam legentibus sive audientibus, quod dominus Fulco Dei gratia Tholosanæ sedis minister humilis, dedit & concessit consilio & assensu domini præpositi sancti Stephani, in quantum fieri potuit ad preces domini Dominici Oxoniensis, præcipue sibi visum fuit esse pietatis & misericordiæ, ecclesiam beatæ Mariæ de Pruliano, & territorium per 30 passus sibi adjacens ex utraque parte circa prædictam ecclesiam, ut in jure canonum reperitur, mulieribus conversis per prædicatores ad prædicandum contra hæreticos, & ad repellandam hæresim pestiferam delegatos tam præsentibus quam futuris ibidem religiose viventibus, absque tamen decimis & primitiis, ita quod decimæ & primitiæ quæ ad jam dictam ecclesiam jure parrochiali aliquando spectasse videntur, ecclesiæ quæ est in Phano-Jovis reddantur ex integro, ipsam vero ecclesiam possideant absque aliquo censu & servitute & quiete deinceps nisi prædictæ decimæ & primitiæ ab episcopo concedantur dictæ ecclesiæ de Pruliano. Acta sunt hæc anno Domini M. CCVI, regnante Philippo Francorum rege.

II.

Aliæ donationes factæ Pruliano.

1214. NOTUM sit tam præsentibus quam futuris quod ego Fulco Dei gratia Tholosanæ sedis episcopus, de assensu & voluntate fratris Dominici capellani de Fano-Jove, do & concedo in perpetuum monialibus de Pruliano decimas & primitias trium aratorum suorum & triginta arpentorum vinearum quæ sunt ejusdem domus in territorio & decimario de Phano-Jovis; & ut ratum & inconcussum maneat omni tempore, præsentem sigilli nostri munimine roboravimus. Datum Phano-Jovis VIII cal. Junii, anno Domini M. CCXIV.

III.

Ecclesia Fani-Jovis data S. Dominico, qui Fulconi episcopo Tolosano donatori decimas resignat.

1221. ANNO Domini M. CCXXI, indictione IX, XV calendas Maii: in nomine Domini. Notum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quod nos Fulco Tolosanæ ecclesiæ gratia Dei episcopus donamus & libere concedimus per nos & per successores nostros, in remissionem animæ nostræ, & ob tuitionem fidei catholicæ, & ad utilitatem totius diœcesis Tolosanæ, tibi dilecto nostro Dominico magistro Prædicationis, & per te, tuis successoribus & fratribus ejusdem ordinis, ecclesiam B. Mariæ Fani-Jovis quam eidem ordini Prædicationis cum decimis, sive ad nos, sive ad fabricam ecclesiæ, sive ad capellanum ibidem instituendum, quondam pertinentibus, jure perpetuo & possidendam integre assignamus, te & per te fratres ejusdem ordinis cum traditione præsentis cartæ in possessionem inducentes, salvo tamen jure episcopali, nobis & successoribus nostris, tam in cathedratico quam in procurationibus & visitationibus, & in commissione curæ animarum illi sacerdoti, qui a magistro & priore in dicta ecclesia a dicto magistro instituto, vel a fratribus jam dicti ordinis nobis vel A nostris successoribus fuerit præsentatus. Et nos supradictus magister Prædicationis per nos & successores, & fratres ipsius ordinis vobis domine Fulco episcope, vestrisque successoribus, sextam partem decimarum ecclesiarum parochialium totius Tolosanæ diœcesis, quam nobis & ordini prædicto de consensu canonicorum S. Stephani Tolosani retroactis temporibus libere concessistis, sicut in instrumento publico plenius continetur, solvimus & desamparamus in perpetuum: ita quod dictum instrumentum sit penitus irritum & inane: renuntiantes omni legum & canonum auxilio, quod nobis & ordini antedicto ex donatione vestra vel alio modo, super prædicta parte decimarum posset competere vel valere. Ut autem omnia supradicta omni firmitate subnixa permaneant, sigillorum nostri B & dominici magistri Prædicationis præfati munimine fecimus roborari. Actum in urbe Roma, anno & die prætaxatis, præsentibus ad hoc vocatis Aymerico & Petro monachis Cistercienfis ordinis, & fratre Bertrando ejusdem ordinis, & magistro Arnaldo de Compragnano, & Guillelmo Calveto, & me Guillelmo Gayraudo qui hæc rogatus scripsi, domino Amico Arelatensi archidiacono dictante.

IV.

Donatio Fulconis episcopi Tolosani in gratiam Pruliani ab Honorio III papa confirmata.

C HONORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro & fratribus ordinis Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem. 1221. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, ecclesiam S. Mariæ Fani-Jovis, cum omnibus pertinentiis suis, quam venerabilis frater noster episcopus Tolosanus pia vobis liberalitate donavit, sicut eam juste & pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis D autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani IV cal. Maii, pontificatus nostri anno quinto.

V.

Litteræ ejusdem Fulconis episcopi Tolosani pro eodem parthenone Prulliano.

ANNO gratiæ Christi M. CCXXVII, mense Septembris, noverint universi præsentes inspecturi 1227. quod nos Fulco Dei gratia Tholosanæ sedis episcopus, considerantes necessitatem & indigentiam sanctimo- E nialium monasterii nomine Prulliani ordinis Prædicatorum, siti juxta castrum Fani-Jovis nostræ diœcesis, illam collationem ecclesiæ Fani-Jovis quam eis fratres Prædicatores de communi ordinis & magistrorum suorum fecerant consilio & assensu, volumus & concedimus, & præsenti pagina confirmamus, sicut ipsi a nobis pro commutatione sextæ partis decimarum quam collatam sibi a nobis prius postmodum resignarunt, dictam ecclesiam habuerunt; ut autem supradicta confirmatio robur perennis & incommutabilis firmitatis obtineat, præsentes litteras cum sigillo nostro duximus eidem monasterio concedendas.

V I.

Prædicta ecclesia Fani-Jovis alio donationis jure concessa Pruliano.

1230. ANNO Domini M. CCXXX. mense Decembris. Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quod nos Fulco Dei gratia Tolosanæ sedis episcopus, considerantes necessitatem & indigentiam monialium monasterii nomine Pruliani, quod a nobis ædificatum fuit & constructum, eidem monasterio & monialibus ibidem commorantibus de parte proventuum ad mensam nostram pertinentium, quam jura & statuta canonum concedunt episcopis posse dare monasteriis ab eisdem episcopis ædificatis, paululum concessimus in perpetuum possidendum: videlicet ecclesiam beatæ Mariæ Fani-Jovis, quæ sita est in nostra diœcesi, & quasi juncta monasterio memorato; ita scilicet ut eamdem ecclesiam cum suis decimis, primitiis, oblationibus & aliis obventionibus ad ipsam pertinentibus, in perpetuum pacifice possideant & quiete, jure episcopali nobis servato, quod in cathedratico & visitationibus consistit. Ut autem supradicta donatio sive concessio robur perennis & incommutabilis firmitatis obtineat, præsentes litteras cum sigillo nostro duximus eidem monasterio concedendas. Actum est hoc anno & mense ut supra.

V I I.

Confirmatio ecclesiæ Fani-Jovis sororibus Pruliani per Gregorium IX.

Circa 1230. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus priorissæ & conventui monasterii S. Mariæ de Pruliano salutem & apostolicam benedictionem. Inter alia quæ Christo præstantur obsequia, illud est præcipue commendandum, cum mulieres fragilitatem suam in stabilitatem perpetuam voluntarie convertentes, mundanas spernunt illecebras, & cum perenni sponso vivant perenniter, habitaculum ipsi dignum corpora sua parant, & accensis lampadibus eidem obviam exire festinant; ac pro hoc merito gratis sunt attollendæ favoribus, & congruis præsidiis muniendæ, ut eo devotius quo quietius Domino famulantes, sibi per vitæ meritum & aliis proficiant per exemplum. Hinc est quod vestris precibus benignum impertientes assensum, ecclesiam B. Mariæ Fani-Jovis, quam venerabilis frater noster Fulco episcopus Tolosanus, ut pote ad mensam suam spectantem, monasterio vestro quod ipse construxerat pia & provida liberalitate concessit, prout super hoc confectum publicum indicat instrumentum, & in ejusdem episcopi litteris inspeximus plenius contineri, vobis & per vos ipsi monasterio auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

V I I I.

Donationem supradictam confirmat Alexander IV papa.

1257. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus priorissæ & conventui monasterii S. Mariæ de Pruliano, ordinis S. Augustini Tolosanæ diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Inter alias personas quæ se Christi obsequiis dedicarunt, mulieres Deo devotæ, quæ fragilitatem suam stabili religionis proposito fulcientes, mundanas
A spernunt illecebras, sanctificando in corporibus mundam Sancto-Spiritui mansionem, apostolici sunt favoris præsidio muniendæ. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod bonæ memoriæ Fulco episcopus Tolosanus, ecclesiam S. Mariæ Fani-Jovis tunc ad mensam suam spectantem monasterio vestro, quod ipse construxerat pia & provida liberalitate concessit, prout in litteris suis inde confectis plenius dicitur contineri; & felicis recordationis Gregorius papa prædecessor noster vobis ecclesiam hujusmodi confirmavit, quam sicut proponitis sine lite & pacifice possidetis. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod per eumdem episcopum in hac parte provide factum est, ratum ac gratum habentes, illud, non obstante quod in his capituli
B Tolosani non intervenit assensus, autoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Laterani XII cal. Aprilis, pontificatus nostri anno III, Verbi autem Incarnati anno M. CCLVII.

I X.

Raymundus prædecessoris sui Fulconis episcopi ratum habet donum.

ANNO Domini M. CCLXI, VI nonas Octobris. 1261. Noverint universi præsentes litteras inspecturi,
C quod nos frater Raymundus permissione divina Tolosanus episcopus, vidimus & inspeximus litteram infra scriptam, sigilli reverendi patris in Christo domini Fulconis sanctæ memoriæ prædecessoris nostri, quondam episcopi Tolosani, munimine roboratam, non viciatam, non cancellatam nec in aliqua parte sui abolitam, cujus tenor talis est: Noverint universi præsentes litteras inspecturi, quod nos Fulco Dei gratia Tolosanæ sedis episcopus, considerantes necessitatem, &c. ut supra. Igitur nos frater Raymundus episcopus antedictus, considerantes donationem antedictam rite & canonice esse factam; attendentes nihilominus quod prædictæ moniales prædictam ecclesiam B. Mariæ de Fano-Jovis cum juribus ad eam spectantibus, juxta donationem prædictam
D quadraginta annis & amplius possederunt pacifice & quiete; volentes insuper dicti prædecessoris nostri piis vestigiis inhærere, donationem prædictam & possessionem diu, ut dictum est, obtentam, ratam & firmam habentes, auctoritate præsentium approbamus, ratificamus & etiam acceptamus; in cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine roboramus. Datum Tolosæ VI nonas Octobris, anno Domini M. CCLXI.

X.

Rogerius de Turre fundat presbyterum in monasterio Pruliauensi. Ex archivio Prulanensi.

E ANNO Domini millesimo trecentesimo septimo, 1307. Philippo rege Francorum regnante, Bernardo episcopo Appamiensi, sexto calendas Aprilis. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod ego Rogerius de Turre clericus & condominus castri de Monte-Auriolo, cupiens prospicere saluti animæ meæ & dominæ Veziatæ sororis meæ, olim uxoris domini Amelii de Campo-longo militis de Lauraco, & cæterorum parentum meorum; perfecta & bona voluntate mea ad hæc inductus, confero ex devotione quam habeo erga monasterium B. Mariæ de Pruliano, & habere consuevi, titulo puræ & simplicis donationis inter vivos factæ supradicto monasterio, scilicet sorori Alberinæ priorissæ & conventui ejusdem monasterii in perpetuum, & vobis domino fratri Arnaldo

Johannis priori ejusdem monasterii, & tibi Jacobo Capella notario infra scripto pro ipsis priorissa & conventu stipulantibus & recipientibus, omnia bona mea, actiones & jura, quæ & quas habeo in castris de Lauraco & de Bellis-planis, & in villis de Vicbrando, de Fonte-Ircio superiori, de Lanerioville, & de Fonte-Ircio inferiori, & de Boncenaco, & in decimariis & in territoriis castrorum & villarum prædictarum, & in decimariis de Arborenchis, & de sancto Stephaneto & de sancto Christophoro, concedens dicto monasterio & dictis priorissæ & conventui omnes petitiones & actiones, & receptiones, deffensiones & jura, & omnia juris beneficia, quæ nunc mihi competunt & ex præsenti tempore mihi possunt competere in futurum pro eisdem. Transferens a me in ipsam priorissam & conventum præfati monasterii omnes actiones & jura mihi competentes ad levandum, exigendum, possidendum prædicta in ipsis juribus & actionibus, ipsam priorissam & conventum, & vos dominum priorem prædictum & successores vestros, constituens procuratores tanquam in rem vestram & dicti monasterii, eaque pro ipso monasterio & pro vobis domino priore prædicto & successoribus vestris me constituo possidere, & quasi donans vobis domino priori, nomine quo supra, stipulanti, plenam licentiam & authoritatem, quod de prædictis per me dicto monasterio donatis, possitis corporalem & quasi apprehendere possessionem, me præsente vel absente, me requisito & non requisito: nam potentiam præsto vobis & dicto monasterio nanciscendi prædictorum corporalem possessionem, & quasi per vos vel alium, nomine monasterii supra dicti tradens in manibus vestris domino priori prædicto directum meum in signum tradere & dicto monasterio possessiones prædictorum, promittens vobis domino priori prædicto & tibi Jacobo Capella notario prædicto, nomine quo supra, stipulantibus, me facturum & curaturum quod dicto monasterio & agentibus ipsius monasterii licebit habere, tenere & possidere, & quasi in pace & sine contradictione res prædictas & bona prædicta & singula prædictorum super iis omnibus & singulis, & specialiter de evictione dicto monasterio, obligans me & mea ubique præsentia & futura. Hanc autem donationem adjicio quod dicta priorissa & conventus prædicti monasterii teneant & tenere debeant in perpetuum sumptibus suis, statim post mortem meam unum presbyterum in dicto monasterio, qui in ipso monasterio pro omnibus meis & dictæ dominæ Veziatæ sororis meæ & parentum meorum celebret missarum solemnia & alia divina singulis horis & temporibus opportunis, ad quem sacerdotem tenendum in perpetuum dicto monasterio, sumptibus ejusdem monasterii, ut dictum est superius. Nos igitur Arnaldus Johannis prior prædictus, nomine quo supra, de assensu fratrum Guillelmi Arnelii & Bernardi *Barte* procuratorum dicti monasterii, obligamus omnia bona monasterii supradicti, quantum cum honestate fuerit opportunum. In hac autem donatione & cessatione, venerunt & veniunt nominatim & expresse, omnes census, omnes obliæ, omnes questæ, omnes possessiones, omnia civadia, fromacgia, omnia corregia, foriscapia, laudimia & casalagia, quæ & quas ego Rogerius de Turre prædictus habebam & habere poteram tempore hujus donationis & cessationis, prout inferius exprimitur, & ultra hæc generaliter veniunt in hac donatione, & in hac donatione venire intelligo omnia corporalia & incorporalia, & quæcumque alia immobilia, servitutes & alias res, quocunque nomine censeantur, quas ego habebam in castris, villis, decimariis & territoriis supradictis, prout melius ad utilitatem dicti monasterii poterit intelligi esse datum, & dictum & concessum, præcipiens quoque universis & singulis feudatoriis meis & aliis, terram seu terras & possessiones a me tenentibus, quæ ex nunc in antea eas

A teneant & recognoscant se tenere, & tenere debere a dicto monasterio ad jura & ad possessiones debitas & consuetas præstandas in perpetuum monasterio supradicto. Ab hac autem donatione excipio ego Rogerius de Turre prædictus, & mihi retineo quæcunque ad usumfructum quamdiu vixero, oblias & alias servitutes, sive census earum rerum quas habebam tempore hujus donationis in castris de Lauraco & de Bellis-planis, & in pertinentiis castrorum prædictorum: volens quod censitu dicto usufructu, post mortem meam, res prædictæ, in quibus, sicut prædictum est, fuerat assignatus. Renuntians pleno jure penes monasterium supradictum. Item est sciendum quod ego Rogerius de Turre prædictus ab hac generali donatione excipio quoddam locale meum B quod habeo in castro de Lauraco, situm prope castellum regium dicti castri, quod mihi & meis retineo ad faciendum de ipso locali in perpetuum meam & meorum omnimodam voluntatem. *In eo documento enumerantur omnes & singulæ Rogerii possessiones, quas hic recensere non sinit prolixitas. In fine vero Rogerius hæc addit:* Promittens vobis domino priori prædicto nomine quo supra, stipulanti & recipienti, quod nunquam aliquid, nec faciam quominus præsens donatio plenum robur obtineat firmitatis, renuntians quoque ego Rogerius de Turre prædictus super iis omnibus legi dicenti: donationem quantumcunque perfectam per ingratitudinem donatarii revocari; & alteri legi dicenti: donationem excedentem summam quingentorum aureorum vel solidorum sine C insinuatione judicis vel principis factam, non valere. Et generaliter omni alii juri canonico & civili, per quod contra prædicta venire possem, vel aliquod prædictorum in solidum vel in parte. Acta fuerunt hæc in prædicto monasterio, anno & die quibus supra, in præsentia & testimonio fratrum Guillelmi Aurelii-Petri de Shepenco, Arnaldi Olerii, Guillelmi Ruffi, dicti monasterii. Discreti viri magistri Arnaldi Pitrelli de Manso, magistri Johannis Espera notarii de Lauraco, Petri de Colomeriis de Fano-Jovis, Andreæ Grossi de Fonte-Ircio, Raymundi Ricardi, Guillelmi Jordani de Vicbrando, & magistri Jacobi Capella notarii publici Lauraci domini regis, qui hanc cartam recepit, vice cujus & mandato ego Bernardus Tornerii notarius publicus de Sancto-Felice & totius senescalliæ Tolosanæ & Albiensis ejusdem D domini regis, eamdem scripsi in quatuor peciis pergameni, simul una cum alia junctis, &c. Ego vero Jacobus Capella publicus notarius antedictus me subscribo, atque solito signo meo signo.

X I.

Bulla Johannis papæ XXII pro erectione episcopatus S. Papuli.

JOANNES episcopus servus servorum Dei, ad 1317.
perpetuam rei memoriam. Cum illius, cujus perfecta sunt opera, vices licet immeriti geramus in Sammarth.
terris, eum pro viribus imitari nos convenit, ut ea quæ ad ipsius laudem & gloriam pia dispositione E cepimus, ad debitum consummationis exitum perducamus. Sane pridem ad divini cultus augmentum piis intendentes affectibus, ad salutem populi, qui dudum in civitate, & quondam diœcesi Tolosana sic multiplicavit Altissimus, quod per unum antistitem salubriter gubernari non poterat; quin potius ad ejus regimen exigente messis multitudine, ex his & aliis causis, quæ nostrum, & fratrum nostrorum animos ad id rationabiliter induxerunt, de fratrum ipsorum consilio, concordia, & apostolicæ plenitudine potestatis, ad laudem Dei fideliumque salutem, Tolosanæ diœcesis auctoritate apostolica in quacumque diœcesi per distinguendos limites dividentes, præter ecclesiam Tolosanam quam in archiepiscopalem seu metropo-

litanam duximus erigendam, & quam habere volumus suam propriam & destitutam diœcesim certis finibus limitandam, in subscriptis quatuor villis, quatuor cathedrales ecclesias de novo duximus erigendas: unam videlicet in civitate Montis-Albani, nunc villa, quondam diœcesis Caturcensis, cui adjicietur certa pars dictæ quondam diœcesis Tolosanæ; inde de S. Papulo, Lumberico, ac de rivis de Bolbestria existentibus tunc in dicta quondam diœcesi Tolosana. Quas quidem quatuor ecclesias cum earum diœcesibus limitandas, una cum Appamiarum ecclesia & diœcesi, suffraganeas ipsius ecclesiæ Tolosanæ, ac de provincia Tolosana in perpetuum fore decrevimus, & jure metropolitico subjecimus; eas illi de bonis quoque & redditibus dicti quondam episcopatus Tolosani, quibus plurimum abundat, ipsi Tolosano tanquam solemniori & majori dignitate pollenti decem millia, & singulis aliis quatuor ecclesiis, Appamiarum excepta, cui de ipsis bonis quondam episcopatus Tolosani ultra ea quæ habebat, antea certam assignavimus portionem, specialibus nostris litteris jam diffinitam, cum facultates non haberet, episcopali correspondentes honori, singulis quinque millia librarum Turonensium parvorum annui & perpetui redditus concedenda duximus, ac etiam deputanda, ab eorum præsulibus qui pro tempore forent, præter redditus ac proventus, ac jura quæ ad prædictas ecclesias & conventus, seu capitula earum antea pertinebant, de quibus ad honorem Dei & ecclesiarum ipsarum commoditatem disposuimus, sicut adhuc disponimus ordinare, percipienda in rebus & locis cuilibet magis adjacentibus & vicinis juxta dispositionem seu limitationem diœcesum singularum, ut præscribitur faciendam, residuo bonorum, proventuum, redditum & jurium episcopatus Tolosani prædicti, quod superesset, facta, ut præmissum est, assignatione de illis, dispositioni nostræ & sedis apostolicæ reservata. Deinde vero ad nostram fide digna relatione perducto notitiam, quod præter portiones quas tam eidem Tolosanæ quam aliis ecclesiis supra dictis, ut prædicitur, decernimus assignandas, magna & numerosa ipsorum redditum copia remanebat. Nos amplioris divini cultus augmentum, ad ulteriorem ipsius diœcesis Tolosanæ divisionem, cum nondum juxta eandem ordinationem essent ex ea dictæ limitatæ diœceses, procedentes in villis de Vauro & Mirapisce, tunc de dicta quondam Tolosana diœcesi existentibus, duas ecclesias cathedrales duximus erigendas, ipsasque modo simili de provincia Tolosana fore decrevimus, & jure metropolitico subjecimus, eas illi ac utrique illarum Mirapicensis ac Vaurensis ecclesiarum, cum facultates non haberent episcopali correspondentes honori, singula quinque millia librarum Turonensium parvorum annui & perpetui redditus de bonis dicti quondam episcopatus Tolosani percipienda per eorum præsules qui essent pro tempore, in perpetuum duximus deputanda, prout hæc in diversis aliis nostris super hoc confectis litteris plenius & seriosius continetur. Cum autem nuper de ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis, castris, villis, territoriis, terris, possessionibus, juribus, jurisdictionibus, spiritualibus & temporalibus, aliisque redditibus & proventibus ecclesiasticis dicti quondam episcopatus seu diœcesis Tolosanæ, & in quibus tam ipsius quam de S. Papulo, quam aliarum prædictarum ecclesiarum propriæ possent diœceses deputari ac etiam limitari, & concessorum summa prædictorum redituum assignari per sufficientes & fide dignas personas, per quas super his inquiri mandamus, plenarie informati, volentes quod tam utiliter cepimus, ad debitum consummationis finem perducere, & per hoc ad separationem & distractionem dictæ quondam diœcesis Tolosanæ per partes, & ad assignationem specialem ecclesiæ de S. Papulo de dicta diœcesi faciendam in Dei nomine procedentes. Volumus & decernimus auctoritate & consilio supradictis, & de ejusdem plenitudine potestatis, ac ex

A certa scientia nostra, ut castra, villæ, ecclesiæ, monasteria, territoria, decimaria & alia infra scripta, videlicet de Folcarda, de S. Britio, de Airosio, de Ricaudo, de Podio-ainerio, de Villa-nova-comitali, de Fendeilha, de S. Martino, de Landa, de Bordis, de Villescisele, de Verduncto, de Besseda, de Exilio, de Trevilla, de Pomereta, de Avignoneio, de Varagnano, de Monteferrando, de Soupets, de Montemauro, de Peirenchis, de Manso sanctarum puellarum, de S. Papulo, de Laurabuc, de Mira-valle, de Rascusio, de Podio-sivrano, de Bramo, de Pulchrisplanis, de Villa-picta, de Villario-favarico, de sancto Pauleto, de Druilha, de Casseriis, de Cadenaco, ac collegiata ecclesia Castri-novi de Arrio, necnon & redditus de Fulhonibus, de Podio-Gosino, de Marnaillibus, de Tresonibus, de Quidderiis, de Villa-
B noveta prope podium sivranum, de Garsano, de Cucuror, de S. Andrea, de Lassenis, de Podio-Genestar, de Petra-alba, de Cascareto & hospitale de Cascareto, monasterium de Proilhano, cum ecclesia de Forcia Ramundi Ferrandi nunc usque de dicta quondam diœcesi Tolosana, cum omnibus aliis castris, villis, ecclesiis, parrochiis, capellis, decimis seu decimariis, juribus & pertinentiis eorumdem, monasteriis quoque & prioratibus, hospitalibus regularibus & secularibus, ac jurisdictionibus omnibus consistentibus infra limites seu terminos ecclesiarum, parochiarum & decimarum, & redditum prædictorum, sint ex nunc & esse debeant in perpetuum diœcesis
C S. Papuli, & ipsi ecclesiæ de S. Papulo in suam diœcesim deputamus ac etiam assignamus, ipsamque diœcesim taliter limitatam episcopo S. papuli, qui pro tempore fuerit ordinario episcopali juri subjecimus, ipsamque ab omni jurisdictione, dominio & potestate archiepiscopi & ecclesiæ Tolosanæ, nisi in casibus a jure permissis, in totum eximimus & in perpetuum liberamus: volentes ac etiam decernentes ut quæcunque jura, jurisdictiones, redditus & proventus, quondam Tolosani episcopatus inibi habuit hactenus & percepit, ac habere & percipere debuit in quibuscumque consistant, & quocumque nomine censeantur, una cum domibus & redditibus prioratus de Suplesenchis, & redditibus de Podio-Genestar ipsi prioratui annexis, existentibus infra limites ipsius diœcesis
D S. Papuli pertinentibus, hucusque ad abbatem monasterii Grasiensis ordinis S. Benedicti, Carcassonensis diœcesis, ac priorem prioratus ejusdem, quibus pro eis sufficientem emendam de aliis redditibus duximus faciendam, cedant & accrescant episcopali mensæ S. Papuli, eaque omnia & singula pro summa 3000 lib. dictæ monetæ de summa 5000 lib. prædictarum, quam per alias nostras litteras eidem ecclesiæ de S. Papulo assignari decrevimus, ut præfertur, ex nunc in mensam S. Papuli & episcopum prælibatos transferimus & assignamus, eisdem illa quæ subibat & subire debebat, pro illis quondam Tolosanensis episcopus onera subituros, exceptis jurisdictione temporali seu temporalitate, si quam forte prædictus
E quondam Tolosanus episcopus in prædicta diœcesi S. Papuli per nos taliter limitata ante divisionem prædictam habebat, quam prædictæ ecclesiæ Tolosanæ volumus ex certa nostra scientia integraliter remanere, ac fructibus & redditibus, & proventibus ecclesiarum de Verduneto, de Villecisile, de sancto Britio, de Airosio, de Villa-nova comitali, de Podio-Ainerio & de Trevillar, territoriorum etiam de Casareto, de Podio-Genestar, & de Petra-alba, ac redditibus carnalagiorum de Castro-novo, quos capitulo sive collegio ecclesiæ Castrinovarriensis, S. Papuli diœcesis, quam in collegiatam ereximus, pro summa 2000 libr. ejusdem monetæ, per alias nostras certi tenoris litteras duximus assignandos, ac etiam redditibus de Villa-noveta prope Podium-Sivranum quos dilectus filius Ramundus Ruffi clericus Caturcensis diœcesis ex collatione apostolica tenet, & ad

vitam suam ipsos eum volumus ex certa scientia retinere: ita tamen quod eo cedente aut decedente, aut eos quomodolibet dimittente; præfati redditus, præfatæ mensæ S. Papuli cedant totaliter & accrescant. Cæterum ne præfatæ ecclesiæ S. Papuli de præfata summa annua 5000 libr. quam sibi, ut prædictum est, per alias nostras litteras mandavimus assignari, ex eo videlicet quod de redditibus & proventibus in sua diœcesi situatis, & pro prædicta summa 5000 libr. prædictarum existimaturum ad communem valorem 2000 libr. ipsius monetæ, præfatæ collegiatæ ecclesiæ Castrinovariensis decrevimus assignari, aliquid subtrahatur, sed potius eandem summam integre & sine diminutione percipiat, fructus, redditus & proventus, ac jurisdictiones & jura infra scripta olim ad abbatem & conventum ipsius loci de S. Papulo pro indiviso B spectantia, videlicet medietatem redditu um ipsius loci de S. Papulo, bladorum, vinorum, palearum, decimarum, & portionem; omnes census dicti loci, tam in blado, pecunia, gallinis, quam aliis rebus in quibuscumque consistentibus, una cum laudimiis, furno, fenis, decimis pratorum & carnalagiorum loci de Roqueta, ac omni jurisdictione dicti loci alta & bassa, prout ad abbatem ipsius loci de sancto Papulo olim pertinebat omnes redditus de Cucurono, de Castro-novo, de Arrio, in blado, vino, censibus, laudimiis, carnalagiis, seu in quibuscumque aliis consistentibus, exceptis dumtaxat redditibus de sancto Joanne, & manuali ecclesiæ de Castro-novo de Arrio, quæ capitulo ecclesiæ de S. Papulo duximus assignanda: omnes etiam redditus de Villespi, de Miravalle, de Laurabuco, de Pulchris-planis, de Podio- C Sivrano seu Lauraguesio, & in loco *de Lasbordes*, ac census seu obliæ dumtaxat villæ de Rascosio infra limites S. Papuli diœcesis constitutæ, ac in loco de Carlipaco Carcassonensis diœcesis, cum omnibus pertinentiis eorumdem in blado, vino, carnalagiis, censibus & laudimiis, in quibuscumque aliis rebus consistentibus, ac omni jurisdictione temporali & spirituali alta & bassa, prout ad quondam abbatem prædictum ipsius loci de S. Papulo quomodolibet in quibuscumque rebus dicti quondam monasterii hactenus pertinebant, prædictis episcopo & mensæ S. Papuli pro eisdem 2000 libr. prædictæ collegiatæ ecclesiæ assignatis in complementum 2000 libr. tenore præsentium, ac ex certa nostra scientia, & D de consilio & auctoritate prædictis in perpetuum deputamus ac etiam assignamus, eaque omnia & singula transferimus totaliter in eosdem. Et ne limitatio, deputatio & assignatio nostræ hujusmodi eo prætextu perpetuis futuris temporibus a quoquam valeant impugnari, quod prædicti redditus & proventus per nos taliter assignati, plus aut minus valerent quam dicta 5000 libr. monetæ prædictæ, pro quibus quidem 5000 libr. supradictis, fructus, redditus & proventus consistentes hactenus tam in diœcesi quondam Tolosana prædicta, quam ad mensam quondam abbatis præfati spectantes, præfatæ S. Papuli ecclesiæ duximus assignandos, & de quibus eandem S. Papuli ecclesiam volumus & decernimus fore contentam. Volumus & decernimus præsentium tenore, quod si hujusmodi deputatio & assignatio E nostræ ultra prædictam summam 5000 libr. turonensium modo vel alias fuerint valere repertæ, nihil prorsus ab eisdem episcopo & ecclesia S. Papuli de hujusmodi majori valentia per aliquem peti aut exigi valeat quomodolibet vel deduci, sed totum in ipsius omnimodæ mensæ cedat, aut si forte minus reperiantur prædicta valere, nihil tamen ultra illa petere debeant vel exigere possint, non obstantibus quibuscumque litteris nostris super hoc habitis, cujuscumque tenoris existant, quas quatenus huic ordinationi nostræ possent esse contrariæ, viribus vacuamus omnino, & nullius fore decernimus firmitatis, quoad alia contenta in eis in suo robore duraturis. Hanc igitur limitationem,

A deputationem & assignationem nostras sic factas, salubriter & utiliter ordinatas, perpetuis esse valituras temporibus incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta districtius inhibemus, ne aliquis cujuscumque præeminentiæ, ordinis, conditionis ac status, etiamsi archiepiscopali vel episcopali præfulgeat dignitate, hujusmodi limitationem, deputationem, assignationem & ordinationem nostras, seu aliqua vel aliquid de contentis, quovis quæsito colore vel modo, sive causa vel occasione qualibet adinventa turbare, seu quomodolibet impedire præsumat. Nos autem irritam decernimus & inanem, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, constitutionum, deputationum, assignationum, submissionis, exemptionis, libertatis, translationis, vacuationis & inhibitionis infringere vel ausu temerario contravenire: si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione VIII calend. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

X I I.

Johannes papa XXII instituit ecclesiam collegiatam in urbe Castri-novi de Arrio.

JOANNES episcopus servus servorum Dei, ad 1317.
perpetuam rei memoriam. Inter cætera desidera- *Samarth.*
bilia cordis nostri, illud intentioribus desideriis concupimus, ut ubique majestas Altissimi collaudetur in benedictionibus gratiarum, suique cultus gloriosi nominis augeatur; ad quorum promotionem eo libentius ministerium apostolicæ sollicitudinis adhibemus, quo magis debitum reputamus, ut nunquam sileat ad ipsius laudes lingua carnis. Nuper si quidem ex certis rationabilibus causis quæ nostrum ad hoc & fratrum nostrorum animos induxerunt, episcopatum Tolosanum ejusque redditus, quorum opulentia copiosa poterat pluribus abunde sufficere, in certas divisimus, quas præter ecclesiam Tolosanam quam in metropolitanam ereximus, de novo creavimus ecclesias cathedrales, suis eis diœcesis certis destinatis, limitibus assignatis, & demum ad hujusmodi cultum pro nostri Salvatoris gloria dilatandum ferventibus studiis intendentes, parochialem ecclesiam Castrinovi de Arrio prope S. Papulum, propter ipsius populi sinceram ad Deum devotionem augendam, auctoritate apostolica in collegiatam ereximus, & suo capitulo quod pro tempore fuerit, pro ipsius dote de Verduneto, de Castareto, de Villasicle, de sancto Britio, de Podio-Genestar, de Petra-alta, de Ayrozio, de Villa-nova comitali, de Podio-Anerio, & de Trevilla, ac minutorum carnalagiorum ejusdem loci de Castro-novo, ad episcopatum eundem Tolosanum spectantia, & de S. Mauritio dudum pertinentia, ad ecclesiæ prædictæ rectores omnes redditus & proventus qualescumque, & in quibuscumque rebus consistant, pro valore & estimatione duorum millium librarum turonensium parvorum ab eodem capitulo perpetuis percipienda & tenenda temporibus, concedenda duximus & etiam assignanda. Quæ quidem sic absolute & irrevocabiliter dicto donamus capitulo, quod & si hujusmodi donatus, redditus & proventus supraseriptam pecuniarum summam excederent, aut .... complere non possent, præfatum capitulum plus petere, aut ab ipso quicquam exigi vel repeti non valeat de prædictis. Verum ut in eadem ecclesia eo majorum laudationum præconiis collaudetur Omnipotens, quo plurium ad hoc ministrorum numerus extiterit deputatus: XII canonicorum numerum capitulum facientium in eadem ecclesia Castri-novi auctoritate prædicta constituimus & etiam ordinamus, volentes quod unus canonicorum ipsorum qui ejusdem ecclesiæ

ecclesiæ clero præsit, ac primum locum primamque vocem obtineat; in eadem decanus unus, sacrista & unus præcentor existant, qui secundum hujusmodi seriem, necnon alii ejusdem ecclesiæ canonici, post eos juxta suarum provisionum ordinem loca & voces, & nihilominus ipsi decanus decanatum, sacrista sacristiam, quas dignitates ac præcentor præcentoriam, quam officium esse censemus, in eadem ecclesia imperpetuum obtinebunt. Statuimus insuper, quod præter capitulum supradictum tres sacerdotes hebdomadarii, 24 capellani, duo diaconi & totidem subdiaconi, sex clerici in minoribus ordinibus constituti, omnes prædicti perpetui, & sex pueri per capituli arbitrium & voluntatem mutandi in eadem ecclesia habeantur, qui continuo personaliter in ecclesia ipsa resideant, ipsique tres hebdomadarii septimanis alternis majores, capellani vero alii privatas celebrent missas, ac diaconi & subdiaconi supraścripti evangelia & epistolas per vices cantent & legant, dictique clerici in minoribus, ut prædicitur, ordinibus constituti, presbyteris celebrantibus serviant, ipsique pueri, una cum eisdem sex clericis minora exerceant officia. In eadem per præmissa auctoritate quæ de hebdomadariis, diaconibus, subdiaconibus ordinavimus, nullatenus intendimus prohibere, quam multo magis canonici & alii superiores dicta officia exercere valeant, cum eis fuerit opportunum. Cum autem vacanti ecclesiæ cathedrali de S. Papulo, de episcopo imminebit electio facienda, omnes & singuli duodecim dictæ ecclesiæ de Castro-novo canonici, cum monachis ipsius ecclesiæ de S. Papulo, vocem in eadem electione, sicut singuli ex prædictis monachis obtinebunt, nec iidem monachi absque canonicis supradictis, vel e converso iidem canonici absque præfatis monachis ad dictam electionem procedere, aut illam concorditer poterunt celebrare: sed eodem episcopo defuncto, ecclesiasticæque tradito sepulturæ, aut alterius electione præsulis imminente, ipsius ecclesiæ S. Papuli monachi qui tunc fuerint in ecclesia ipsa præsentes, dictos canonicos ad electionem hujusmodi celebrandam, quam citius poterunt, convocabunt, eis ad hoc in ipso loco de S. Papulo certa die specialiter assignata. Volentes præterea quod vacante decanatu ipsius ecclesiæ de Castro-novo, per electionem provideatur eidem. Statuimus quod cum de ipso decano fuerit electio facienda apud ipsam ecclesiam Castri-novi, per episcopum de S. Papulo qui pro tempore fuerit, & capitulum ipsius ecclesiæ de Castro-novo eadem electio celebretur, servata forma concilii generalis. In qua quidem electione præfatus episcopus, non ut episcopus, sed ut simplex canonicus vocem habeat, licet canonicus non existat, dictaque postmodum electio eidem episcopo præsentetur confirmanda vel infirmanda, prout justitia suadebit. Sacristiæ vero & præcentoriæ prædictarum provisio, cum illas vacare contigerit, ad solum præfatum episcopum, dicto irrequisito capitulo pertinebit, canonicis dumtaxat ejusdem ecclesiæ facienda. Canonicatus quoque & præbendas canonicorum prædictorum cum vacabunt, pro tempore episcopus & capitulum supradicti & alternis vicibus conferent in hunc modum: videlicet quod idem solus episcopus primo, decanus vero cum capitulo supradicto per se secundo, & idem episcopus tertio, ipsique decanus & capitulum quarto loco, & sic deinceps perpetuo dictos canonicatus conferent & præbendas. Hebdomadariæ vero & capellaniæ, & alia inferiora ipsius ecclesiæ officia, per ipsos decanum & capitulum, absque dicto episcopo conferentur. Verum memoratus decanus pro decanatu suo ducentas, & pro duplici præbenda sexaginta; sacrista vero pro sacristia quadraginta, & pro præbenda triginta; & præcentor pro præcentoria & præbenda totidem libras turonenses annis singulis percipient & habebunt: alii autem residui novem canonici, videlicet singuli pro singulis præbendis eorum 30 libras ejusdem monetæ percipient annuatim, & nihilominus eorum quilibet, dicto decano duntaxat excepto, qui distributionem recipiet pro duobus 40 libras & 5 solidos anno quolibet pro eisdem distributionibus habebit, in modum qui sequitur dividendas, videlicet pro præfato decano 4 solidi, & singulis de canonicis supradictis duo solidi dictæ monetæ Turonensis diebus singulis persolventur. In Nativitate vero Domini decem solid. in Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & singulis B. Mariæ Virginis 4, ac Nativitatis B. Joannis-Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri & Pauli, ac Omnium sanctorum, & ipsius ecclesiæ de Castro-novo principalibus festivitatibus 5 solid. Et si forte ipsum principale festum ejusdem ecclesiæ de Castro-novo, unam de dictis festivitatibus esse contingat, quilibet canonicorum ipsorum 10 solidos ejusdem monetæ turonensis pro distributionibus, tanquam pro duabus festivitatibus recipiet eo die: nihilominus duos solidos, sicut diebus simplicibus ipso die pro eisdem distributionibus percepturus. Cæterum volumus ac etiam ordinamus, quod quilibet de tribus hebdomadariis viginti duas, singuli de viginti quatuor capellanis 18, quilibet de diaconibus & subdiaconibus 15, unusquisque de sex clericis 12, & quilibet de sex pueris antedictas 5 libras ejusdem monetæ turonensis percipiant annuatim, qui sic per quotidianas distributiones a præfatis capitulo & decano dividantur & assignentur, eisdemque eorum singuli suis officiis continue insistentes, singulis annis integraliter hujusmodi pecuniarum singulas recipiant quantitates. Cæterum episcopum & capitulum memoratos hortamur in Domino, eisque districte injungimus & mandamus, quatenus per ordinationes suas salubres & utiles studeant efficaciter providere, quod tam canonici, quam singuli servitores alii supradicti, prout cujusque officium respicit, celebrationibus missarum conventualium & privatarum, & aliis divinis nocturnis & diurnis officiis devote & solenniter, adjuvante Domino, peragendis, sic studiose intendant, quod Dei proinde captata gratia, & fidelium devotione adaucta, circa divini cultus augmentum, experiamur in ecclesia ipsa impleta effectualiter vota nostra. Præterea ne forsan animarum nostrarum quas Deo lucrificere super omnia concupimus, dare, quod absit, negligentiæ videamur, statuimus ac etiam ordinamus, quod cura animarum parochiæ ipsius collegiatæ ecclesiæ ad sacristam pertineat supradictum, & cum sibi de sacristia ipsa provisum extiterit per dictum episcopum convertenda, quæ nihilominus capellanis dictum sacristam ad hoc eidem episcopo præsentandis per episcopum ipsum, prout requiret magnitudo populi, annis singulis convertatur. Et ut idem sacrista onus curæ prædictæ possit commodius supportare, medietatem omnium quæ occasione illorum funerum quæ in ipsa ecclesia vel cimiterio sepeliri contigerit, ad eandem ecclesiam deferentur, necnon manualis & oblationum rerum quarumlibet quæ in ipsa offerentur ecclesia, aureis & sericis pannis duntaxat exceptis, ad dictum sacristam concedimus perpetuis temporibus pertinere. Reliqua vero medietas prædictorum cum pannis eisdem ipsius ecclesiæ thesauro libere & integraliter applicetur, in ornamentis, libris & aliis ejusdem ecclesiæ utilitatibus convertenda, ipseque sacrista onera universa in pulsatione campanarum habeat supportare, & in conventualibus & privatis Missis, & aliis divinis officiis in ipsa & circa ipsam ecclesiam exercendis, prout officii exegerit qualitas, candelas, oleum, vinum, hostias, incensum, & alia consimilia divinis officiis opportuna ministrare propriis sumptibus teneatur. Et ne frequenter circa sacramenta ecclesiastica ministranda, prædictorum canonicorum & aliorum ipsius ecclesiæ servitorum tota communitas occupetur, volumus quod altare aliquod seu capella in eadem ecclesia ad hoc

magis accommoda per episcopum deputetur, in qua idem sacrista & sacerdotes qui præfatam curam gerent pro tempore, missam populo celebrent, & prædicta ministrent ecclesiastica sacramenta, cæteraque teneantur facere & exercere, quæ præfatam curam contingere dignoscuntur. Sane quod supererit de distributionibus propter absentiam canonicorum non residentium in ecclesia prædicta, per medium dividetur, & medietas commodo residentium canonicorum accrescet, reliqua vero ipsarum distributionum medietas, necnon & illa summa pecuniæ quam solutis omnibus stipendiis antedictis de ipsius ecclesiæ redditibus restare continget, satisfactione de decimis & aliis oneribus incumbentibus pro tempore præstita sit, thesauro ipsius ecclesiæ applicetur, in ornamentis, libris & aliis ipsius ecclesiæ utilitatibus vel necessitatibus convertenda, quam nequaquam canonici supradicti, vel eorum aliquis, aut alii ipsius ecclesiæ ministri in alios usus convertere vel inter se dividere, aut sibi vel alii appropriare præsumant: qui vero tradendo vel recipiendo contrarium fecerit, infra mensem duplum ejus restituere teneatur: si vero episcopus fuerit, ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum; inferiores vero ab officio & beneficio pœnam suspensionis incurrant, quousque de hujusmodi duplo plenam satisfactionem thesauro impenderint suprascripto, nulla eis episcopi & capituli prædictorum, vel alterius cujuscumque, præterquam Romanum pontificem super hoc remissione qualibet aut gratia valitura. Cæterum si medietas funeralium & obventionum prædictarum, quam dicto sacristæ donavimus, non sufficiat eidem sacristæ pro prædictis oneribus supportandis, volumus quod de altera medietate & aliis bonis dicti thesauri, prout episcopus ordinaverit, defectus hujusmodi integraliter suppleantur. Hanc igitur ordinationem prædictæ sedis providentiam circumspectam, sic factam, salubriter perpetuis valituram temporibus, & robur incommutabilis firmitatis volumus obtinere, universis & singulis, cujuscumque conditionis, præeminentiæ, dignitatis, ordinis vel status existant, districtius inhibentes ne contra illam quovis modo, colore vel occasione quæsita attemptare præsumant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionis, assignationis, donationum, ordinationum, voluntatum, constitutionum & inhibitionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione VIII cal. Martii, pontificatus nostri anno 2. Jacob. Paschal.

XIII.

Clemens VI papa præscribit archiepiscopo Tolosano qualiter agere debeat adversus persecutores episcopi San-Papulensis.

Circa 1348. VENERABILI fratri Raymundo archiepiscopo Tolosano. Infesta nimis & displicibili relatione dudum ad audientiam nostri apostolatus perducta, quod quidam iniquitatis filii maligno exagitati spiritu, in tantæ temeritatis audaciam, tamque nefandum scelus & detestandum genus sacrilegii proruperant, quod servientes, contra prohibitionem propheticam dicentem, *nolite tangere Christos meos*, bonæ memoriæ Guillelmum episcopum sancti Papuli, & quosdam presbyteros seu clericos, & personas alias ecclesiasticas de familiaritate ipsius episcopi existentes, injuriosis, violentis & sacrilegis ausibus capere præsumpserant, episcopum & familiares eisdem bonis suis mobilibus nequiter spoliando, ipsosque captos miserabiliter detinere in Divinæ majestatis offensam & ecclesiæ sanctæ suæ, totiusque Christianæ religionis opprobrium, læsionem majestatis ecclesiasticæ, ad ejusdem episcopi & ecclesiæ S. Papuli sponsæ suæ injuriam & exempli perniciem, ac grave scandalum plurimorum. Propter quæ sacrilegos ipsos excommunicationis sententias & alias pœnas adversus talium præsumptores a sacris privilegiatas sanctionibus, non erat dubium damnabiliter incurrisse. Nos attendentes quod parum esset jura fuisse condita, nisi essent qui tuerentur, & executioni debitæ demandarent eadem, & quod præmissa sic gravia & enormia non poteramus nec debebamus conniventibus oculis pertransire, supradictos sacrilegos, captivatores & etiam detentores episcopi & familiariorum prædictorum, illos etiam qui captionem vel detentionem hujusmodi fieri mandaverant, seu ab aliis factas ratas habuerant, seu etiam socii vel capientium aut detinentium prædictorum defensores in iis fuerant vel præstiterant auxilium, consilium vel favorem, excommunicatos a canonibus & sacris constitutionibus, aliisque pœnis adversus tales, ut præfertur, inflictis innodatos, generaliter mandavimus per nostras literas, sicut continetur in eis, plenius nunciari. Cum autem, sicut intelleximus, carissimus in Christo filius noster Philippus rex Franciæ illustris, præmissa per eosdem sacrilegos execrabiliter sic commissa, tanquam princeps catholicus Deo & ecclesiæ sanctæ suæ devotus abhorrens, eundem episcopum quanquam eum de sinistris aliquibus, statum & honorem suum, regnique sui Franciæ tangentibus diceretur habere suspectum, & personas ecclesiasticas tunc cum eodem episcopo captivatas, a suis fecerit carceribus liberari, ac nobis & ecclesiæ restitui, ut possemus exinde sicut nobis videretur justitiam exhibere, nobisque fuerit postmodum humiliter supplicatum, ut cum propter præsentis turbationem temporis & pericula quæ ipsa turbatio in eisdem partibus comminatur, personis ligatis eadem excommunicationis sententia, ratione vel occasione præmissorum, dictæque patriæ dispendiosum nimium redderetur, si eis venire his temporibus personaliter pro absolutionis beneficio, quod postulare asseruntur humiliter ab eadem sententia ad sedem apostolicam oporteret, providere de opportuno remedio dignaremur. Nos qui licet insufficientibus meritis, illius vices in terris gerimus cujus misericordiarum non est numerus, quique omnes quærit salvos fieri, & neminem vult perire, volentes præsertim consideratione regis prædicti agere super iis gratiose, de tua quoque fidelitatis & circumspectionis industria plenius in Domino confidentes, ut per te vel tuum in spiritualibus vicarium, personis prædictis quæ ratione vel occasione præmissorum eadem excommunicationis sententia sunt ligatæ, petierintque ab ea humiliter se absolvi, facta prius reali, plena & integra satisfactione, de omnibus & singulis bonis mobilibus ereptis ab episcopo & familiaribus supradictis, de absolutionis beneficio juxta formam ecclesiæ vice & auctoritate nostra valeas providere, plenam fraternitati tuæ concedimus tenore præsentium facultatem. Volumus autem quod per te vel vicarium tuum prædictum, nobilibus viris Gerardo de Monte-Falcone domino *de Villensous* senescallo, & Odardo de Merrino vigerio Tolosano, ac Guillelmo de Gresaco judici Rivensi, cum eis eadem ligatis sententia beneficium absolutionis hujusmodi duxeris imponendum, ex parte nostra injungatur inter cætera districtius & mandetur ut infra unum annum a die impensæ absolutionis hujusmodi computandum, apostolico conspectui personaliter se præsentent mandatum apostolicum suscepturis super his humiliter & efficaciter impleturis, alioquin si se præsentare infra dictum tempus, sicut præmissum est, omiserent, ex tunc elapso eodem anno in prædictam excommunicationis sententiam eos recidere volumus & decernimus ipso facto. Datum, &c.

XIV.

Petrus Soyberti episcopus sancti Papuli concilium congregari procurat apud Castellum-novum de Arrio.

Circa 1435. PETRUS miseratione divina S. Papuli episcopus. Quia prælati ex debito pastoralis officii fundamenta & causas litium de tempore eorum administrationis onere gentium, & defensiones jurium ecclesiæ suæ ad eruditionem suorum successorum memoriæ commendare debent, ne per ignorantiam facti ecclesia succumbat indefensa, & ex negligentia remaneat prædecessorum conscientia onerata, notum facimus quod cum divina clementia nos immeritos promoveri promiserit ad ecclesiam S. Papuli de tempore felicis recordationis domini Martini papæ V in urbe, anno Domini M. CCCCXXVI, die 28 mensis Januarii, qua fuit memoria & dies annotatus Agnetis secundo, & die XXVII Julii, anno M. CCCCXXVII intraverimus castrum de Vilespino capiendo possessionem episcopatus, invenerimus, prout Deo placuit, jurisdictionem episcopalem in magna turbatione & confusione per abusus curiæ metropolitanæ Tolosanæ. Quare cum Dei adjutorio procuravimus concilium dominorum suffraganeorum ecclesiæ Tolosanæ teneri in villa nova Castri-novi de Arrio diœcesis S. Papuli, ad dandam provisionem contra abusus infra describendos; qui abusus tantam temeritatis audaciam dabant multis ex subditis nostris, quod fere episcopalis justitia erat in magno contemptu & in modica reverentia, & curia nostra ordinaria spiritualis veniebat ad nihilum sine ministratione seu complemento justitiæ. In eodem concilio Castri-novi fuerunt personaliter reverendi patres domini Guillelmus Mirapicensis episcopus, Johannes Vaurensis, Hugo Rivensis, & ego Petrus S. Papuli, fueruntque præsentes vicarii generales dominorum episcoporum Appamiarum, Lumbariensis & Montis-Albani, & steterunt per VI dies, quibus durantibus nos Petrus S. Papuli multas habuimus expensas; & ibi fuit conclusum quod materia contra stilos prætensos & abusus curiæ metropolitanæ fieret contentiosa in curia Romana, & quisque nostrorum episcoporum appellavit, expressis gravaminibus coram authentica persona nomine suæ ecclesiæ, & adhærentium in forma instrumentum publicum appellationis confecit, & notam recepit & instrumenta publica magister Johannes Blanquerii notarius apostolicus & curiæ officialatus S. Papuli firmarius & ordinarius. Et fuit appellatio intimata reverendo in Christo patri domino Dionysio Tolosano archiepiscopo, domino Arnaudo la Durantia canonico Tolosano judici appellationum curiæ metropolitanæ, & cæteris officiariis domini metropolitani & apost. Dat. Demum fuit electus Jacobus Rosiaci clericus familiaris noster qui accessit ad curiam Romanam pro impetrando litteras inhibitorias & compulsorias, & quod faceret causam committi ibidem. Et in eodem concilio Castri-novi fuit appellatio formata & interposita, & gravamina per abusus curiæ metropolitanæ illata recollecta, de quibus infra loco suo per ordinem.

Sequuntur gravamina illata suffraganeis per abusus curiæ metropolitanæ, & alia instrumenta litis a nobis brevitatis causa omissa.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ LOMBARIENSIS.

I.

Ex archivis S. Tiberii.

Lombariensis B. Mariæ ecclesia monasterio sancti Tiberii concessa.

790. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Raymundus *Raphinel* gratia dei dux Aquitanorum constantissimus in confessione catholicæ veritatis & tinctione fidelium, contuens diem extremum, cernens me * variis sceleribus involutum, perpendens reos vastis flammarum inferni tradere cruciatibus, justos præmia Paradisi possidere sine defectione, vel ad extremum de male actis pœnitudinem gerens ut fugitivus misericordiam Dei per domesticos Dei expostulans, ad fontem pietatis pro absolutione meorum accurrens criminum cedo vel dono locum qui appellatur *Lumbé*, situm in territorio Tolosano super rivulum *Save*, in quo est ecclesia consecrata in honore Genitricis Dei Mariæ, & oratorium non longe positum in quo requiescit Christi confessor Majanus, & in alio loco in comitatu vel episcopio Nemausensi, non procul a littore maris, fiscum qui *Pescarias* dicitur, in quo simili modo est constructa ecclesia in honore Virginis Mariæ, has supradictas ecclesias & loca prænominata cum omnibus ajacentiis vel appendiciis suis, terris cultis & incultis, & omnibus ad se pertinentibus ab integro cum terminis suis, ego Raymundus suprascriptus pro æterna remuneratione, sicut supra dixi, cum adjutorio Jesu-Christi Redemptoris nostri & Salvatoris, cedo vel dono Deo Omnipotenti & Filio ejus Jesu-Christo & Spiritui Sancto, & Genitrici Dei Mariæ, & sancto Tiberio, & Attilioni abbati, & sancto conventui fratrum in monasterio quod *Cesarion* dicitur, quod est constructum in territorio Biterrensi in suburbio Agatensi in quo sacrata est ecclesia in honore protomartyris Stephani, in qua requiescit corpus supradicti martyris Tiberii, & Attilion ibidem pater monachorum secundum regulam sancti Benedicti præesse videtur. Sit hoc donum in alimonia pauperum & pro stipendio monachorum ibidem Deo servientium, fixum & firmum maneat in perpetuum, ut pro nobis & pro nostra salute & prosperitate piissimi domni senioris nostri Caroli serenissimi imperatoris clementiam Dei eos exorare delectet; si quis vero post dicessum nostrum occasione maligna hoc donum suprascriptum dirumpere tentaverit, odium Dei sit & maneat super eum, & cum Caïn fratricida sit portio ejus, & cum Datan & Abiron, & cum Juda proditore qui sacrum corpus Domini vendidit, donec ad emendationem veniat, & non valeat vindicare quod cupit, sed Deo in supradicto monasterio auri libras viginti. Insuper donum supradictum perenni tempore sit stabilitum sine ulla inquietudine feliciter. Scripta carta donationis hujus, rogante Raymundo principe, mense Martio, XII cal. Aprilis, sub feria V, apud Biterrensem civitatem, regnante domino, anno XXI serenissimi imperatoris Caroli, Severius levita scripsit.

* al. validissimis

II.

Ex cartario ecclesiæ Tolosanæ.

Arnaldus abbas Lombariensis donat ecclesiam beatæ Mariæ Lombariensis ecclesiæ Tolosanæ.

1125. IN nomine Domini. Ego Arnaldus Lumberensis abbas dono Domino Deo & S. Stephano Tolosæ sedis A. episcopo & A. præposito, & clericis ejusdem sedis, tam præsentibus quam & futuris, totum illum elodium quod ex parte parentum meorum mihi attinere videtur, scilicet ecclesiasticum & leicale, cum filio meo Guillelmo, & hoc est ecclesiam S. Mariæ

de Lumbers cum suis pertinentiis, ecclesiam sancti Saturnini *de Pompiay* cum suis pertinentiis, ecclesiam S. Petri *de Sabonteras* cum suis pertinentiis: in tali vero tenore ut, dum vixero, in obedientia episcopi & seniorum sedis egomet teneam, salva in omnibus obedientia. Interim est & alia convenientia, scilicet ut is qui ecclesiæ B. Mariæ Lumberiensi præfuerit, præsit etiam duabus ecclesiis supra nominatis, post discessum vero meum libere & absolute remaneat Deo & S. Stephano Tolosæ sedis cum filio meo Guillelmo. Facta carta ista mense Martio, feria IV, VIII cal. Aprilis, anno ab Incarnatione Domini M. CXXV, & luna XVII, regnante Ludovico rege Francorum, Tolosa. 1. comite. Signum A. Tolosanus episcopus. Sig. A. præpositus. S. B. de Justiniaco. S. Arnaldus Raimundi. S. Arnaldus Lumberiensis abbas, qui istam cartam laudavit & manibus firmavit. S. Pontius de Villa-nova. S. B. panetarius. S. Raterius. Pontius *de Lumbers.* S. Guillelmus *de Lumbers*, qui istam cartam laudavit manibusque firmavit.

III.

Compromissum super limitibus urbis Lombariensis.

1284. IN nomine, &c. Manifestum sit, &c. quod cum nobilis vir dominus Bernardus Dei gratia comes Convenarum, pro se, &c. ex una parte; & discretus vir dominus Sicardus de Bartis canonicus ecclesiæ Tolosanæ, abbas ecclesiæ beatæ Mariæ de Lomberiis, intuitu ipsius ecclesiæ Tolosanæ procurator & syndicus . . . . . præpositi dicti capituli ecclesiæ Tolosanæ, &c. se compromisissent . . . . . de omnibus & singulis causis . . . . . . inter prædictum dominum comitem ex una parte, & dominum abbatem & ecclesiam beatæ Mariæ de Lomberiis, & dominos A præpositum & capitulum dictæ ecclesiæ Tolosanæ simul vel disjunctim ex parte altera, ratione meri imperii villæ de Lomberiis . . . . . & ratione limitum dictæ villæ, &c. Tandem supradicti domini arbitri, &c. videlicet dominus Gamerandus de Bello-podio canonicus, & dominus Fortius de Motibus legum professor . . . . . dixerunt . . . . . quod supradicti domini præpositus & capitulum ecclesiæ Tolosanæ possident villam & locum de Lomberiis ut liberum & francum alodium, & quod prædicta villa de lomberiis cum pertinentiis suis pertinet & pertinere debet ad præpositum & capitulum antedictos . . . . . . &c. Hoc fuit factum quarto die exitus mensis April. regnante Philippo, &c. & Bertrando episcopo Tolosano, anno Incarnationis Domini M. CCLXXXII. Lata, dicta & pronuntiata fuit hæc prolatio & pronuntiatio apud S. Cyprianum, secunda die exitus mensis Martii, regnante domino Philippo, &c. & domino Bertrando B episcopo Tolosano, anno ab Incarnatione Domini M. CCLXXXIII. Item procurante dicto domino Sicardo de Bartis syndico, scilicet in vigilia Paschæ Domini, octavo die introitus mensis April. sub an. Incarnationis Domini M. CCLXXXIV; venerabilis & discretus vir dominus Vitalis Roquerii Dei gratia præpositus & capitulum ecclesiæ Tolosanæ, videlicet dominus Ramundus de Villa-franca prior claustralis, dominus Guillelmus Arnaldi, dominus Bernardus Cornelii thesaurarius, dominus Isarnus de sancto Paulo cancellarius, dominus Guillelmus Ovis eleemosinarius, dominus Bernardus Saxis archidiaconus Lezatensis, dominus Gamerandus de Bello-podio archidiaconus * Ulmensis, dominus Sicardus Froterii archidiaconus Gimonensis, dominus Isarnus archidiaconus veteris morelii, dominus Guillelmus Arnaldi de Maurenchiis prior de Artigaco, &c. canonici prædictæ ecclesiæ . . . . approbaverunt singula, &c. * Exon

INSTRUMENTA ECCLESIÆ VAURENSIS.

I.

Fundatio Soricinii a Pipino rege.

754. IN nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, Pipinus gratia Dei rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei ejusque in eisdem locis famulantium propter eorum sustentationem quoddam conferimus præmium, nobis apud Dominum æternæ remunerationis præmium rependi non diffidimus. Proinde noverit omnium fidelium tam præsentium quam & futurorum solertia, quia placuit nobis propter amorem Dei & animæ nostræ remedium construere monasterium in pago Tolosano, juxta castrum quod dicitur *Verdiminus*, cui Soricinii rivulo vocabulum constet indici Soricinii, in honorem Dei & ejus genitricis perpetuæ Virginis Mariæ & & omnium Sanctorum, secundum quod eadem Dei genitrix nobis visa est præcepisse. Conferimus igitur eidem loco de rebus a Deo nobis collatis, ad sustentationem, ut diximus, fratrum ibidem loci famulantium, locum nostrum quod dicitur *Villa-pinta*, & ecclesiam in honorem S. Johannis-Baptistæ constructam, cum omni integritate, quantumcumque in ipso loco jure proprietatis modo nostra est possessio; & aliud prædium quod dicitur *Villa-manna*, in contiguo superioris prædicti situatum, cum omni integritate, cum mancipia utriusque sexus, cum domibus, ædificiis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, cultum & incultum, quæstum & acquirendum, totum ab integro memorato monasterio Soricinii ad cunctas ejusdem monasterii necessitates consulendas perpetualiter ad habendum delegamus. Et hanc nostram C authoritatem sub nomine ac evictionis gratia fieri volumus, per quam præcipimus ut nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate in possessiones memorati monasterii, quæ deinceps divina pietas in jure ipsius sancti loci voluerit augeri, ullas illicitas occasiones requirere nullo unquam tempore audeat; sed liceat ordinato abbati suisque successoribus sub immunitatis nostræ vel successorum nostrorum defensione quieto ordine possidere. Et cœnobium illud nulli alterius ecclesiæ juri præterquam Romanæ subjaceat ditioni. Et quando quidem divina vocatione a nobis ordinatus abbas vel successor ejus ab hac luce migraverit, perpetuo secundum regulam S. Benedicti per hanc nostram authoritatem & consensum licentiam habeant eligendi abbates; quatenus ipsi monachi qui ibidem Deo famulari videntur pro securitate totius regni nostri & incolumitate conjugis atque prolis D Domini misericordiam exorare valeant. Et ut hæc authoritas nostris & futuris temporibus maneat inconcussa, manu nostra subsignavimus & annuli impressione signari jussimus. Signum Pippini gloriosissimi regis. Johannes diaconus ad vicem Dragni recognovit. Data septimo calendas Septembris, anno Christo propitio secundo domini Pippini regis, indictione septima. Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

II.

Charta electionis Raimundi monachi Soricinensis in abbatem ejusdem cœnobii. Ex autogr. Soricin.

QUANTA sit Omnipotentis Dei clementia, & quam multæ miserationes ejus lætificantes corda sperantium in eo, nulla sufficit vel mens percipere, 1071.

vel lingua eloqui: qui ubique præsens, ubique memor ecclesiæ suæ, quam sibi salutari sanguine adquisivit, clamantium ad se preces non aspernatur; sed de præparato habitaculo suo respiciens super timentes eum, in necessitatibus contulit, in angustiis eis auxiliatur. Unde etiam Soricinensi ecclesiæ dexteram adjutorii sui porrigere dignatus est: quæ cum Patris esset orbata regimine, & quasi mariti solatio mulier destituta, per decem fere annos vidua permaneret, complacuit fratribus loci, monachis videlicet ejusdem cœnobii, ut fusis ad Deum orationibus precarentur; quatinus ipse, qui verus fidelium consolator est, talem illis permitteret abbatem eligere, qui eos secundum regularia præcepta ad viam veritatis sciret erudire. Invenere igitur divino disponente consilio fratrem quemdam nomine Raimundum virum bonæ conversationis, atque monachilis ordinis amatorem, qui morum probitate, & utriusque doctrina legis honestissime pollebat: quod cum indicassent domno Froterio venerabili Nemausorum episcopo, qui multum eamdem diligebat ecclesiam pro magnitudine sacrarum reliquiarum, quas procul dubio ibidem noverat esse; qui etiam consilio & ope plurima sæpe beneficia supradictæ contulit ecclesiæ: respondit idem sibi multum placere, quoniam frater ille, quem sibi pastorem cupiebant, & regulariter commisso sibi gregi præesse sciret, & esurientibus filiorum animabus pabulum sacræ prædicationis exhibere. Electus est ergo suprascriptus iste frater Raimundus & consecratus in abbatem in civitate Tolosa, in basilica sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, consilio domini Alexandri papæ, atque Hugonis *Blanc* Romanæ sedis cardinalis, contensu etiam & voluntate domni Durandi Tolosæ civitatis antistitis: qui divina gratia commotus dedit & concessit, & laudavit & confirmavit Domino Deo & beatæ Mariæ monasterii Soricinensis, & abbati Soricinensi Raimundo scilicet prænominato, & monachis ipsius loci præsentibus & futuris, omnes ecclesias & possessiones ecclesiarum, quas milites & laici Tolosanæ diœcesis, sive nostræ potestatis, quocumque modo tenent vel acquisierunt ab abbate vel a monachis monasterii Soricinensis, aut abstulerunt ut recuperent eas abbas & monachi quocumque modo potuerint, & recuperatas teneant & possideant omni tempore, cum omnibus prorsus pertinentiis suis, & regant ad honorem Dei & beatæ Mariæ, & ecclesiæ sancti Stephani. Signum Froterius Nemausensis ecclesiæ pontifex. Signum domni Raimundi abbatis sancti Papuli. Signum Isarni præpositi sancti Saturnini. Signum Isarni Gamalberti. Signum Ugonis Escafredi. Signum Isarni Guilaberti. Anno ab Incarnatione Domini M. LXXI, XVIII kalend. Septemb. regnante Philippo rege Francorum. Ato Raimundus hanc cartam scripsit.

III.

Ex autogr. Soricinensi.

Charta Amelii episcopi Tolosani pro abbate & monachis Soricinii.

1106. NOTUM sit omnibus quod Amelius gratia Dei Tolosanæ sedis episcopus, & Arnaldus Raimundi ecclesiæ S. Stephani præpositus, & Bernardus de Podio Laurentii archidiaconus, donaverunt & laudaverunt ecclesiæ B. Mariæ Soricinensis monasterii, & abbati Petro & monachis ipsius loci præsentibus & futuris, ut ecclesiam beati Martini, quod vocant *Tornadors*, mutarent & transferrent juxta castrum Podii Laurentii, in locum quem ostendit eis abbas & monachi. Hunc locum domnus Amelius episcopus manu sua signavit & benedixit, ubi ecclesiam beati Martini fabricarent, & cimiterium, ubi mortuorum corpora sepelirent. Præceperuntque abbati & monachis ut mittant ibi monachos & clericos qui ipsam ecclesiam bene ædificent & regant cum capella de Castro, & cum omnibus pertinentiis suis, ad honorem Dei & beatæ Mariæ, & ecclesiæ S. Stephani servent canonicam obedientiam. Tunc abbas & monachi fecerunt sicut præceptum fuerat illis a senioribus, & miserunt Pontium *de Baure* monachum & Bernardum Pontium capellanum. Supradictum donum & laudamentum fuit factum V cal. Januarii, in die solemnitatis sanctorum Innocentium, anno ab Incarnatione Domini M. CVI. Signum Petri abbatis. S. Ato Isarni monachus. S. Bernardus monachus. Signum Pontius monachus. Sig. Bernardus Pontii capellanus. Sig✝num Bego de Podii Laurentii. Sig✝num Petrus Gausberti. Sig✝num Pontius Raimundi. Signum Bernardus de Monte-Auguerio, & fratres ejus Sicardus & Bego. Sig✝num Arnaldus.

IV.

Soricinensis abbas quamdam terram cedit ad tempus.

DOMPNUS Petrus abbas, cum consilio fratrum Soricinensium, Hugoni de sancto Paulo & filio ejus Bernardo Hugoni, illam terram quam Bernardus de Soricinio sanctæ Mariæ, quando se monachum fecit, reliquit, concedunt, ita tamen ut post illorum mortem sanctæ Mariæ remaneat. Testes fuere Poncius, Guillelmus sacristanus, Raimundus *de Caherac* monachus, Bernardus Poncius capellanus. Actum anno ab Incarnatione M. CXIV, mense Jun. 1114.

V.

Bernardus vicecomes cum uxore sua Cecilia & filiis suis Rogerio & Raymundo, tradit abbatiam S. Mariæ Soricinensis Rogerio abbati Moissacensi instaurandam & reformandam.

Ex archivis regiis Fuxi, jussu DD. Colb. transcriptum.

REX regum & dominus dominantium, potestas potestatum, dat notitiam servis suis qualiter possint pervenire ad Deum. Igitur ego Bernardus vicecomes fateor me reum esse & culpabilem in omnibus viis meis & insuper de ecclesiis quæ in potestate mea sunt male ordinatæ, quarum una est monasterium S. Mariæ Soracensis quæ modo videtur seculariter stare; idcirco ego volens ut ibi regula S. Benedicti possit observari & teneri, volo adjutorium post Deum domni Rogerii abbatis & monachorum Moissiacensium, & dono ordinationem, ego Bernardus Ato vicecomes, & uxor mea Cecilia & filii mei Rogerius & Raymundus præfati monasterii S. Mariæ Soricensis Domino Deo & beatis apostolis Petro & Paulo, & monasterio Moissiaco, ut deinceps ordinetur secundum regulam sancti Benedicti intus & foris per manum domni abbatis Moissiacensis & fratrum Moissiacensium, quandiu voluerint bene ordinare. Ordinamus itaque ut nullus comes Tolosanus ibi ullum dominium habeat nisi solus Bernardus vicecomes & progenies illius. Anno ab Incarnatione Domini M. CXIX facta carta ista in mense Maio, sub die feria quinta, regnante domino Ludovico rege. Signum domni Arnaldi abbatis Cellæ-Modulfii. S. Bernardi Adebaldi, S. Bertrandi de Maisinore. S. Guilaberti *de Jaurac*. S. Bernardus Bonfilius. S. Bertrandus. S. Pontius *de Auriac*. S. Raimundi *de Rocafort*, & multi alii. 1119.

VI.

Excerptum bullæ datæ in gratiam Soricinii.

CALIXTUS papa secundus Amelii Tolosani episcopi, Petrique Soricinensis abbatis petitionibus innuens, beatæ Mariæ Soricinense monasterium cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub Apostolicæ sedis tutelam suscipit, & contra pravorum hominum nequitiam protectionis suæ patrocinio communit, 1120.

statuens ut quæcumque bona, quascumque possessiones idem cœnobium legitime possidet, aut in futurum, largiente Deo, juste atque canonice adipisci poterit, firma ipsi Petro ejusque successoribus & illibata permaneant. In quibus, inquit, hæc propriis nominibus exprimenda duximus, ipsam villam Soricinensem cum ecclesiis S. Martini & S. Michaëlis, necnon decimis, oblationibus & aliis ad eam pertinentibus; ecclesiam sancti Vincentii *de Gandels*, sanctæ Mariæ *de Blan*, sancti Martini de Podio Laurentii, sancti Petri de Poditio, sancti Anatolii, sancti Salvii, sancti Saturnini de Cadicio, sancti Martini de Maderio, sancti Pardulfi, sancti Stephani de Cocoringo, cum earum pertinentiis; villam de Palajaco cum ecclesiis sancti Martini & sancti Joannis, ecclesiam sancti Martini de Superio, sanctæ Mariæ *du Cauce*, sancti Genesii *de Peirenhx*; villam Pictam cum ecclesia sancti Joannis & omnibus ad ipsam pertinentibus; villam Mauri in Auscienfi pago, monasterium sancti Petri Cellamedulsi cum appendiciis suis. Obeunte te ejusdem loci abbate, inquit pontifex, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quilibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam præviderit eligendum. Datum apud castellum Avinionum per manum Grisogoni sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliotecarii, secundo nonas Julii, indict. XIII, Dominicæ Incarnationis anno M. CXX, pontificatus nostri secundo.

Abbatum electio.

VII.

Donum abbatiæ Soricinensi collatum.

1132. BERNARDUS & Petrus de la Plajola fratres, Domino Deo & beatæ Mariæ, & Arnaldo *de Villaborais*, abbati & Monachis Soricinensibus, totum quod habent in cimiterio ecclesiæ sancti Saturnini de Brulia & in capellania ejusdem ecclesiæ ac in rebus ad eam pertinentibus, largiuntur. Abbas autem & monachi quinque solidos Tolosanos eis conferunt. Actum IV kal Martii, anno Dominicæ Incarnationis M. CXXXII.

VIII.

P. abbas Soricinensis de fratrum consensu unum sacerdotem instituit qui diebus singulis sacra perageret pro remedio animæ Alfonsi filii regis.

1252. NOVERINT universi quod nos P. divina miseratione abbas monasterii Soricinensis, & nos Petrus prior claustri, & P. camerarius, & B. infirmarius, & A. sacrista, & Ar. Raymundi prior de Masenis, & J. prior sancti Pauli, & G. de Vallibus, & P. Amblardi, & B. *Roserguas*, & Bartholomæus, & A. de Bairco, & Sicardus monachi ejusdem monasterii, per nos & per totum conventum nostrum præsentium testimonio recognoscimus quod illustris princeps dominus Alfonsus filius regis Franciæ Dei gratia comes Pictavensis & Tholosæ, marchio Provinciæ, dedit in ecclesia & concessit ac ad feudum reduxit ipsius monasterii redditus, usque ad valorem tantum octo librarum Turonensium in locis tam specialibus quam feodalibus prædicti monasterii, videlicet Soricini, Duriforiis & Rupefortis, quos percipiebat vel percipere debebat usque ad prædictam summam ratione hæreticæ pravitatis. Nos igitur abbas & conventus prædicti in remunerationem hujus eleemosynæ instituimus perpetuo unum sacerdotem qui specialiter pro eodem domino comite & ejus progenitoribus ac eorum successoribus in suorum remissionem peccatorum, missam quotidie celebret & inserviat filio Virginis gloriosæ. Actum est hoc in capitulo monasterii antedicti, anno Domini millesimo

A ducentesimo quinquagesimo secundo, decimo tertio kalendas Augusti; & ad majorem hujus rei firmitatem nos sæpedicti abbas & conventus præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam.

IX.

Limitatio diœcesis Vaurensis per Johannem papam XXII.

AD perpetuam rei memoriam. Cum illius cujus perfecta sunt opera vices licet immeriti geramus in terris, eum imitari pro viribus nos convenit, ut ea quæ ad ipsius laudem & gloriam pia dispositione cœpimus ad debitæ continuationis exitum perducamus. Sane pridem ad divini cultus augmentum B piis intendentes affectibus, & ad salutem populi quem dudum in civitate & quondam diœcesi Tholosana sic multiplicavit Altissimus, quod per unum antistitem salubriter gubernari non poterat, quin potius ad ejus requiem (forte regimen) exigente messis multitudine ac latitudine diœcesis requirente pluribus operariis opus erat, paternis desideriis anhelantes, ex iis & aliis causis quæ nostrum & fratrum nostrorum animos ad id rationabiliter induxerunt, de fratrum nostrorum concordi consilio & apostolicæ plenitudine potestatis, ad laudem Dei fideliumque salutem Tholosanam diœcesim auctoritate apostolica in quinque diœceses per distinguendos limites dividentes, præter ecclesiam Tholosanam quam in archiepiscopalem seu metropolitanam duximus erigendam, & quam habere C volumus suam propriam & distinctam diœcesim certis finibus limitandam, in subscriptis quatuor villis quatuor cathedrales ecclesias de novo duximus erigendas, unam videlicet in civitate Montis-Albani tunc villa quondam diœcesis Caturcensis, cui addiceretur certa pars dictæ quondam diœcesis Tholosanæ, ac de sancto Papulo, de Lumberiaco, ac de Rivis de Robenia existentibus in dicta quondam diœcesi Tholosana; quas quidem quatuor ecclesias cum earum diœcesibus limitandis, una cum Appamiarum ecclesia & diœcesi suffraganeas ipsius ecclesiæ Tholosanæ ac de provincia Tholosana in perpetuum fore decernimus, & jure metropolitico subjecimus eas illi; de bonis quoque ac redditibus dicti quondam episcopatus Tholosani, quibus abundabat, ipsi Tholosano tanquam solemniori D & majori dignitate pollenti decem millia, & singulis aliis quatuor prædictis ecclesiis, Appamiarum excepta cui de ipsis bonis dicti quondam episcopatus Tholosani ultra illa quæ habebat antea, certam assignavimus portionem * spiritualibus nostris litteris jam distinctam, cum facultates non haberent episcopali correspondentes honori, singula quinque millia librarum turonensium parvorum annui & perpetui redditus concedenda duximus, ac etiam deputanda ab eorum præsulibus qui pro tempore forent, præter redditus & proventus ac jura quæ ad prædictas ecclesias & conventus sive capitula earum antea pertinebant, de quibus ad honorem Dei & ipsarum ecclesiarum commodum disposuimus, sicut adhuc disponimus ordinare percipienda in rebus & locis cuilibet magis E adjacentibus & vicinis, juxta distinctionem seu limitationem diœcesum singularum, ut præscribitur faciendam, residuo bonorum, redditüum, proventuum & jurium episcopatus Tholosani prædicti, quod superesset, facta, ut præmissum est, assignatione de illis, dispositioni nostræ & sedi apostolicæ reservato. Deinde vero ad nostram fide dignam relationem perducta notitia, quod præter portiones quas tam eidem Tholosanæ, quam aliis ecclesiis supradictis, ut prædicitur, decrevimus assignandas, magna & innumerosa ipsorum redditüum copia remanebat, nos ad amplioris divini cultus augmentum, ad ulteriorem ipsius quondam diœcesis Tholosanæ divisionem, cum nondum juxta eandem ordinationem nostram

1318.

* Forte specialibus

essent ex ea dictæ limitatæ diœceses, procedentes, in villis de Vauro & de Mirapisce tunc de dicta quondam Tholosana diœcesi existentibus, duas ecclesias cathedrales, quas suffraganeas ejusdem ecclesiæ Tholosanæ, & de ipsa Tholosana provincia de consilio & auctoritate prædictis decernimus fore perpetuo & eas jure metropolitico subjecimus illi, duximus erigendas, ac utrique ipsarum Mirapicensis & Vaurensis ecclesiarum, cum facultates non haberent episcopali correspondentes honori, singula quinque millia librarum turonensium parvorum annui & perpetui redditus de bonis quondam dicti episcopatus Tholosani percipienda per earum præsules qui essent pro tempore in perpetuum duximus deputanda, prout hoc in diversis aliis nostris super hæc confectis literis plenius & seriosius continetur. Cum autem .... de ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis, castris, villis, territoriis, terrarum possessionibus, juribus, jurisdictionibus spiritualibus & temporalibus, aliisque redditibus & proventibus ecclesiasticis dicti quondam episcopatus seu diœcesis Tholosanæ, & in quibus unicuique dictarum ecclesiarum sic erectarum de novo proprie possent deputari & limitari diœceses, & concessorum summa prædictorum redditum assignari per sufficientes & fide dignas personas, per quas super his specialiter inquiri mandavimus plenarie informari volentes, quod tam utiliter cœpimus ad debitum finem deducere .... ac per hoc ad separationem, limitationem & distinctionem dictæ quondam diœcesis Tholosanæ per partes, & assignationem tam diœcesis quam dictorum redditimum ecclesiæ prædictæ de Vauro specialiter faciendam in Dei nomine procedentes, volumus de consilio & auctoritate prædictis, ac ex certa nostra scientia & ejusdem plenitudine potestatis decernimus, ut loca, castra, seu villæ, ecclesiæ, monasteria, prioratus, redditus & alia infra scripta, videlicet de sancto Leoncio, de Rampalmario, de sancto Amano, de Bello-castello, de Villa-nova, de Viveriis, de Gambono, de Rupe-vitali, de sancto Germerio, de Jonqueriis, de sancto Pardulpho, de Luquo cum temporalitate ipsius loci de Mesenchis, de Monte-jovio, de Podininderio, de Blano, de Crucilla, de Texodio, de Magrino, de sancto Paulo, de Pradis, de Rovetetho & Orariis, de Plana-silva, de Guitalenciis, de Camboneto, de Condato, de Assoali, de Dombano, de Verdala, de Escossenchis, de sancta Cecilia, de Frosento. de Alto-pullo, de sancto Amantio, & de Nemoribus, ita quod in ecclesia ipsius villæ de Nemoribus, in qua ad dilectas in Christo filias abbatissam & conventum monasterii de Veteri-muro, præsentatio perpetui vicarii qui curam gerat ipsius, & assignatio reddituum ex quibus idem vicarius incumbentia sibi onera supportare valeat, pertinent, episcopus Vaurensis qui est & pro tempore fuerit illam partem reddituum recipiet, quam quondam Tholosanus episcopus recipere consuevit, redditus quoque & territoria seu decimalia, scilicet de Landis, de Rocca, de Novo-manso, de Tropiaco, de nostra domina de Bolerio, de S. Jaro, de Brugeria, de Lungana & Oratione, de Massaco, de S. Martino, de Castelario, de S. Alano & Calmo, de S. Genesio & Paulino, de Ragato, de Montepellano, de Algarnis, de Frillaco, de Guarigueta, de S. Lupo, de sancto Martino prope podium Laurentii, de S. Petro, de S. Jacobo, de Tortiaco, de Acrisolio & Floraco, necnon monasterium de Soricinio, prioratus sanctæ fidis, *al. ecclesiæ* ac ecclesia dicti loci de Soricinio, S. Petri de Calvo-raco, de Podio-Ursino, de Duro-forti, de Vauro, de Gandelis, de Bella-serra, de Cathusaco, de S. Amantio prope Soricinium, de Poderio, de Gardiola, de S. Avito, de Empenho, de sancto Germano, de Cadicio, de S. Salvio, de Viterba, de Arsontibus, de Baugeria, de Viveriis, de Guitalenchis, de S. paulo, de S. Lupo, de Maseriis,

A de Massaco, de Paulino & Pibranis, de Algarnis, de Podio-Laurentio & de Acutis, ac de S. Affricano nunciis quæ de dicta quondam diœcesi cum omnibus aliis ecclesiis, parochiis, capellis, territoriis, decimis seu decimariis, juribus & pertinentiis earumdem, monasteriis quoque ac prioratibus, hospitalibus secularibus & regularibus, ac jurisdictionibus consistentibus intra fines seu terminos ecclesiarum parochialium, monasteriorum, prioratuum & territoriorum prædictorum, sint ex nunc & esse debeant in perpetuum diœcesis Vaurensis, ac ipsi Vaurensi ecclesiæ in suam diœcesim deputamus ac etiam assignamus, ipsamque diœcesim taliter limitatam ac etiam deputatam episcopo Vaurensi qui est & pro tempore, fuerit ordinario episcopali jure subjicimus; volentes B ac etiam decernentes ut quidquid in eadem diœcesi præfatæ Vaurensis ecclesiæ ut prædicitur assignatæ præeminentiæ, majoritatis, jurisdictionis & exercitii juris spiritualis prælibato quondam episcopo & ecclesiæ Tholosanæ nunciisque competit, competat de cætero Vaurensi & ecclesiæ prælibatis, & nihilominus quæcumque bona, jura, redditus & proventus præfatus quondam Tholosanus episcopus in civitatem Vaurensem, & hujus sua sic deputata diœcesi habuit hactenus & percepit, & habere & percipere debuit, vel quomodolibet spectabant ad eum, in quibuscumque consistant, & quocumque nomine censeantur, jura cum infra scriptis redditibus & proventibus spectantibus olim ad quemdam priorem de Vauro, quos sibi fore magis adjacentes & accommodos ex fide C digna relatione percepimus, videlicet domibus ipsius quondam prioratus de Vauro cum pertinentiis suis, ac toto prato ipsius, & tota decima feni cum portionibus vinorum de Bathallos & Vinea Rancusia, & alberga hominum censualium ad dictum quondam prioratum hactenus pertinentibus, medietate quoque dumtaxat reddituum firmorum de Vauro, nemorum, censuum frumenti & avenæ, cyrogrillorum & gallinarum, censualium & laudimiorum, obliarum seu censuum ad dictum prioratum Vauri & capitulum ecclesiæ Vaurensis pro indiviso spectantium, ac redditibus & proventibus omnibus prioratus sancti Martini de Castellono dictæ Vaurensis diœcesis cum pertinentiis suis, prout ad priorem ipsius prioratus de S. Martino hactenus pertinebant pro dicta summa quinque millium librarum, quas eisdem mensæ & D episcopo Vaurensi per alias nostras, ut prædicitur, certi tenoris litteras decrevimus assignari, deputamus ac etiam assignamus episcopali mensæ Vaurensi & episcopo prælibatis, exceptis jurisdictione temporali, seu temporalitate quas dictus quondam Tholosanus episcopus in prædictis castris, villis seu locis ante hujus divisionem habebat, quam prædictæ ecclesiæ Tholosanæ ex certa nostra scientia volumus integraliter remanere, ac infra scriptis redditibus & proventibus, videlicet medietate censuum & obliarum ipsius quondam prioratus de Vauro, medietate frumenti & avenæ censualis, & gallinarum cyrogrillorum censualium, & laudimiorum dictorum censuum, medietate firmorum de Vauro & redituum nemorum cum tota decima hortalitiorum de Vauro, & bladorum de E Junqueriis, ac decimis, ac redditibus bladi & vini & carnalagiorum partis dicti quondam prioris de Vauro in loco de S. Alano & Calmo prout pertinebat ad ipsum, redditibus quoque de Lugano & Oratione, de Massaco, de S. Martino, de Castlario, de sancto Alano & Calmo, de S. Genesio, de Paulino, de Piribrano, de Bugato, ac redditibus vinorum de Montepellano & S. Martini de Castlario, redditibus etiam de Algarnis, de Foissaco, de Guarrigueta, de S. Lupo, de S. Martino prope podium Laurentium, de S. Petro & S. Jacobo, de Tortiaco, de Acrofolio & Floraco pertinentibus olim in locis prædictis ad mensam quondam ipsius episcopi Tholosani, quos capitulo ecclesiæ Vaurensis prædictæ ad Dei

honorem & divini cultus augmentum pro præbendis instituendis in ea per alias nostras certi tenoris litteras duximus deputandos, ordinario episcopali jure in omnibus semper salvo. Cæterum ne hujus limitatio & assignatio nostra dictorum redditum consistentium infra eamdem Vaurensem diœcesim limitatam, exceptis prædictis redditibus assignatis, ut prædicitur, capitulo prælibato, facta episcopo & ecclesiæ antedictis ex eo perpetuis futuris temporibus valeat impugnari, quod prædicti redditus & proventus per nos episcopo & ecclesiæ prædictis taliter assignati plus aut minus valerent, quam dicta quinque millia librarum monetæ prædictæ, pro quibus eosdem redditus & proventus præfatæ Vaurensis ecclesiæ episcopatui duximus assignandos, & de quibus eos ex certa nostra scientia decrevimus fore contentos; volumus & præsentium tenore decernimus de consilio & auctoritate prædictis, quod si hujus deputatio & assignatio nostra ultra prædictam summam quinque millium librarum modo vel aliàs fuerint valere repertæ, nihil prorsus ab eisdem episcopo & ecclesia Vaurensi de hujus majori valentia per aliquem peti vel exigi valeat quomodolibet, aut deduci, sed totum in ipsius Vaurensis episcopalis commodum mensæ cedat, aut si forte reperiantur minus prædicta valere, nihil tamen petere possit vel exigere debeat ultra illa, non obstantibus quibuscumque litteris nostris super hoc habitis quorumcumque tenorum existant, quas quatenus huic ordinationi nostræ possent esse contrariæ juribus vacuamus omnino, & nullius fore decernimus firmitatis. Has igitur limitationum, deputationum & assignationum nostras sic factas litteras salubriter & utiliter ordinatas perpetuis esse valituras temporibus, & robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate prædicta districtius inhibemus, ne aliquis cujuscumque præeminentiæ, ordinis, conditionis aut status existat, etiamsi archiepiscopali præfulgeat dignitate, hujus limitationem, deputationem, assignationem & ordinationem nostras, seu aliqua vel aliquod de contentis in eis quovis quæsito colore, vel modo, sive causa vel occasione qualibet adinventis turbare seu quomodolibet impedire præsumat. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Nulli ergo liceat nostrarum limitationis, ordinationis, deputationis, &c. infringere, &c. Datum Avenioni 8 kal. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

X.

Bulla papæ Johannis XXII pro ordinatione capituli ecclesiæ Vaurensis. Eadem est ac præcedens col. 238, ch. XIII, pro capitulo Mirapicensi, exceptis quæ sequuntur.

ITAQUE ecclesiarum, seu prioratuum sanctæ Fidis juxta Vaurum ad priores dicti loci monasterii Conchensis, ordinis sancti Benedicti, Rhutenensis diœcesis, de Acutis ad archidiaconum veteris Moresii in ecclesia Tolosana, de Massaco, de Algarnis, de Paulino & Pibranis, necnon territoriorum seu decimariorum de Luganno & Oratione, de S. Alano & Calmio, de sancto Genesio, de Bugato, de Montepelano juxta Vaurum, de sancto Marino de Carlario, de Foyssaco, de Guarrigueta, de sancto Lupo, de sancto Martino prope Podium-Laurentium, de sancto Petro & sancto Jacobo de Tortraco, de Acrofolio & Floyraco, ad episcopum quondam Tolosanum dudum antedictorum episcopatus & redituum divisionem spectantium, omnes reditus & proventus qualescumque, & in quibuscumque rebus consistant, ac medietatem pro indiviso cum episcopo Vaurensi, cujus mensæ aliam medietatem assignavimus, censuum seu obliarum tam in pecunia quam in blado consistentium, & etiam medietatem gallinarum cyrogrillorum, laudimiorum, nemorum & Furnorum de Vauro, totam decimam hortaliciorum de Vauro, decimamque reditus bladi, vini & carnalagii de sancto Alano & Calmio & de Junqueriis, prout priores de Vauro dudum in dictis locis consueverunt recipere & habere, capitulo ipsius Vaurensis ecclesiæ ejusque mensæ de fratrum ipsorum consilio authoritate apostolica pro valore & æstimatione duorum millium librarum Turonensium parvorum concedimus, donamus & in perpetuum assignamus.

X I.

Bulla Johannis papæ XXII qua præposito & capitulo Vaurensi potestatem facit ecclesiæ suæ bona ad libitum administrandi. *Ex mss. cod. reg. Bibl. Sorb. n.° 81.*

JOHANNES episcopus servus servorum Dei 1332.
dilectis filiis præposito & capitulo ecclesiæ Vaurensis salutem & apostolicam benedictionem. Dudum ad divini cultus augmentum & salutem populi quem in civitate & diœcesi Tholosana sic multiplicarat Altissimus, quod ad ejus regimen, exigente messis multitudine, ac latitudine diœcesis requirente, pluribus operariis opus erat, paternis desideriis anhelantes ex his & aliis causis quæ nostrum & fratrum nostrorum animos ad id rationabiliter induxerunt, episcopatum quondam Tholosanum cujus opulentia copiosa poterat pluribus episcopis abunde sufficere, de fratrum ipsorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in certas civitates & diœceses dividentes, ut videlicet præter civitatem Tholosanam, cujus cathedralem ecclesiam in metropolitanam ereximus, & quam habere voluimus suam propriam & distinctam diœcesim auctoritate apostolica limitatam, in villa Vaurensi & nonnullis aliis villis tunc dictæ Tholosanæ diœcesis, quarumquamlibet insignivimus vocabulo civitatis, essent singulæ, quas ibi tunc creavimus ecclesiæ cathedrales singulas separatas diœceses certis distinctas limitibus obtinentes; dictam Vaurensem ecclesiam in cathedralem duximus erigendam, sibi de idoneo præsule providentes, ac attendentes quod solus ipse præsul sibi incumbens onus portare non poterat, ad solidam & plenam ecclesiæ prædictæ structuram superesse conspeximus sustentatorias erigi debere columnas, viros videlicet virtutibus præditos, qui cum ipso præsule quasi cum quodam capite unum corpus effecti, non solum illi tanquam membra capiti cohærentes, sed & sibi participato labore circa imminentis executionem regiminis seduli cooperatores adessent, propter quod in eadem ecclesia Vaurensi de consilio & auctoritate prædictis duodecim canonicorum numerum capitulum facientium in eadem, quorum unus esset præpositus, alius archidiaconus, alius vero sacrista, aliusque præcentor constituendum duximus & etiam ordinandum, nonnulla alia pro ejusdem divini cultus augmento & decore ejusdem Vaurensis ecclesiæ in ea salubriter & provide ordinantes, prout in litteris nostris inde confectis plenius & seriosius continetur. Verum quia sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, in litteris nostris super * erectione ejusdem ecclesiæ vestræ confectis continetur expresse quod canonici & alii ministri ejusdem ecclesiæ thesaurum ipsius inter se dividere vel sibi appropriare aliquatenus non præsumant, alioquin pœnas incurrant expressas in litteris memoratis, & propterea iidem canonici & ministri a prosecutione utilitatum & melioratione dictæ ecclesiæ forsitan retrahuntur, nobis pro parte vestra fuit humiliter supplicatum ut providere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur ut vestræ circumspectionis industria tam ecclesiæ vestræ quam vobis esse valeat profutura, & ne, quod absit, dicti canonici & alii ministri ejusdem ecclesiæ a melioratione & prosecutione præfatis ulterius retrahantur, vobis apostolica

* al. creatione

apoſtolica auctoritate concedimus, quod de fructibus & redditibus poſſeſſionum & bonorum immobilium dictæ eccleſiæ veſtræ per vos licite hactenus etiam de ipſo theſauro acquiſitorum & in poſterum acquirendorum abſque dictarum pœnarum incurſione vel metu poſſitis libere diſponere & etiam ordinare ac etiam diſpenſare, prout utilitati veſtræ & ejuſdem eccleſiæ videritis expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni decimo kalendas Februarii, pontificatus noſtri anno decimo ſeptimo.

X I I.

Electio Sicardi de Brugayroſio licentiati in decretis in epiſcopum Vaurenſem

1383. IN Dei nomine amen. Anno Incarnationis ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo tertio, indictione ſexta, die vero undecima menſis Septembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Clementis digna Dei providentia papæ ſeptimi anno quinto. Noverint univerſi quod vacante Vaurenſi eccleſia per obitum bonæ memoriæ reverendi in Chriſto patris domini Roberti de Villanuro quondam epiſcopi, ac ejuſdem corpore tradito eccleſiaſticæ ſepulturæ; venerabiles & circumſpecti viri domini Aldebertus Decani ſacriſta, Joannes Berengarii, Guillelmus Galarini, Raimundus Galterii, Joannes Textoris, Guillelmus Ruffi, & Petrus Friconis, omnes unanimiter volentes juxta juris diſpoſitionem eccleſiæ viduatæ providere de paſtore, ne ob defectum paſtoris lupus rapax gregem dominicum invadat, aut eccleſia in ſuis facultatibus diſpendia patiatur, ad electionem ſeu poſtulationem futuri pontificis procedere decreverunt; & omnes, excepto dicto domino Petro Friconis, qui infirmitate guttæ detentus præſentialiter in capitulo cum aliis intereſſe non poterat, licet ſuum conſenſum & ſuam voluntatem expreſſerit & declaraverit, prout infra, omnes in quam domini prænominati convenientes in unum poſt citationem abſentium canonice factam, & ipſis abſentibus die conſtituto ad intereſſendum & eligendum, quæ fuerat n nna menſis prædicti, expectatis, & termino ad eligendum dato prorogato ex ſuperabundanti uſque ad diem undecimam ſupra ſcriptam; cum nullus alius compareret, præſentibus omnibus, qui electioni celebrandæ debuerunt, voluerunt & potuerunt commode intereſſe, poſt miſſam Sancti-Spiritus ſolemniter dictam, & tracta campana ut moris eſt, in capella beati Stephani protomartyris, ubi ſuum capitulum tenere conſueverunt capitulantes & capitulum facientes, inceperunt de electione futuri tractare pontificis aſſumendi, & poſt diverſos & varios inter eos habitos tractatus, tandem placuit eis omnibus & ſingulis per viam ſcrutinii dictæ eccleſiæ viduatæ providere de paſtore, & illico poteſtatem & autoritatem dederunt venerabilibus viris dominis Joanni Berengarii, & Guillelmo Galarini eorum concanonicis, ut vota ſingulorum ſecreto, & ſigillatim ſua, & aliorum diligenter inquirerent, & in ſcriptis redacta mox publicarent in communi, & tam numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum collatione per ipſos habita diligenti illum unus eorum ſcrutatorum de conſenſu & voluntate alterius, ac vice ſua, & illorum eligeret, in quem ipſi ſcrutatores invenirent omnes vel majorem partem & saniorem capituli conſenſiſſe, & electionem in omnium præſentia ſolemniter publicarent. Tandem prænominati ſcrutatores ſecreto & ſigillatim vota ſingulorum diligenter inquiſierunt, & primo dominus Guillelmus Galarini unus ex ſcrutatoribus requiſivit dominum Joannem

A Berengarii conſcrutatorem medio juramento ut eligeret vel poſtularet virum bonum & idoneum ad honorem Dei & eccleſiæ Vaurenſis ac populi ſubjecti, prout ſecundum Deum & puram conſcientiam ſciret expedire, qui quidem dominus Joannes in virtute juramenti prius præſtiti & ſecundum conſcientiam puram dixit ſic, ego in dominum Sicardum de Brugayroſio licentiatum in decretis, virum providum, diſcretum & honeſtum conſentio, & ipſum eligo in epiſcopum & paſtorem eccleſiæ Vaurenſis; deinde prædictus dominus Joannes Berengarii vice verſa & modo quo ſupra ipſe fuerat interrogatus requiſivit dominum Guillelmum Galarini medio juramento ut eligeret vel poſtularet & illum quem ſciret & crederet ſecundum Deum & conſcientiam, idoneum regi- B gimini eccleſiæ antedictæ, & dictus dominus Guillelmus in virtute dicti juramenti dixit, ego eligo prædictum dominum Sicardum de Brugayroſio tanquam idoneum & bene meritum in epiſcopum & paſtorem eccleſiæ Vaurenſis antedictæ. Subſequenter requiſiverunt Dominum Aldebertum Decani ſacriſtam ſub juramento & formis prædictis, qui dixit, ego nomino & poſtulo reverendum in Chriſto patrem dominum Bertrandum nunc epiſcopum Forojulienſem tanquam idoneum & multis virtutibus commendatum. Poſtque & incontinenti modo quo ſupra requiſiverunt dominum Raymundum Galterii ut eligeret vel poſtularet ut ſupra, qui ibidem dixit, ego nomino & eligo dominum Sicardum de Brugayroſio tanquam idoneum & ſufficientem regimini C eccleſiæ antedictæ. Item requiſiverunt dominum Joannem Textoris modo & forma ſuperius declaratis, qui nominavit & elegit dominum Sicardum de Brugayroſio tanquam idoneum & ſufficientem regimini eccleſiæ prædictæ. Deinde modis & formis quibus ſupra requiſiverunt dominum Guillelmum Ruffi ut eligeret vel poſtularet, qui in ſua conſcientia tanquam bene meritum & idoneum, ac regimini eccleſiæ Vaurenſis ſufficientiſſimum elegit reverendum in Chriſto patrem dominum Aſtorgium de Galliaco domini noſtri papæ prothonotarium. Demum de voluntate & expreſſo conſenſu omnium & ſingulorum prænominatorum volentium voluntatem & conſenſum ſcire domini Petri Friconis abſentis a capitulo, & in domo ſua prope eccleſiam ſituata D propter ægritudinem prædictam intereſſe non valentem quem eligeret vel poſtularet, & in quem ſua vota dirigeret, dicti domini ſcrutatores ad dictum dominum Petrum Friconis acceſſerunt, & eum in domo ſua exiſtentem juramento medio & ſub forma ſuperius expreſſata requiſiverunt ut eligeret vel poſtularet illum quem ſciret juxta Deum & conſcientiam præfatæ eccleſiæ expedire, qui in periculo animæ ſuæ dixit; ego eligo dominum Sicardum de Brugayroſio tanquam bene meritum & idoneum regimini eccleſiæ antedictæ; quibus ita peractis & omnibus ſcriptis per manum mei notarii infra ſcripti redactis, prænominati domini ſcrutatores redierunt in capitulum antedictum, & mox in præſentia omnium prænominatorum contra-nominatorum vota ſingulorum publicarunt in communi, & habita inter eos collatione E numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, illico de voluntate & conſenſu omnium, prænominatus D. Joannes Berengarii dixit, ego Joannes Berengarii, vice mei, & omnium aliorum in electione jus habentium, quorum ſubſcriptiones inferius continentur, & ex poteſtate mihi & collegæ meo conceſſa, invocata Sancti Spiritus gratia, dominum Sicardum de Brugayroſio licentiatum in decretis in quem ego & domini Guillelmus Galarini, Raimundus Galteri, Joannes Textoris & Petrus Friconis convenimus, in noſtrum & eccleſiæ noſtræ eligo epiſcopum & paſtorem, & ipſam electionem in ſcriptis & ſolemniter publico in communi, & incontinenti præmiſſis omnibus ſicut prædictum eſt peractis,

omnes unanimiter, *te Deum laudamus*, more solito, alta voce, intrantes chorum solemniter decantarunt. Postque & incontinenti peractis præmissis de voluntate & expresso consensu omnium prænominatorum dominorum canonicorum, videlicet Aldeberti Decani sacristæ, Joannis Berengarii, Guillelmi Galarini, Raimundi Galterii, Joannis Textoris, Guillelmi Ruffi, & Petri Friconis ad præsentandum prædictam electionem dicto domino Sicardo in domo episcopali existenti, & ad ejus consensum requirendum & expresse habendum fuerunt deputati prænominati domini scrutatores, videlicet Joannes Berengarii & Guillelmus Galarini, qui mox juxta ordinationem dicti capituli domum episcopalem intraverunt, ubi tunc erat dictus dominus Sicardus, & in præsentia ejusdem domini Sicardi personaliter constituti eidem domino Sicardo decretum electionis de ipso celebratæ ad ecclesiam Vaurensem denuntiaverunt & præsentaverunt, & petierunt ab eodem suppliciter nomine capituli Vaurensis ut ipsi electioni de ipso factæ suum præstaret assensum; dictus vero dominus Sicardus post plura verba per quæ se excusare nitebatur, finaliter respondit, quod quantum divinæ placebat Majestati, prædictæ electioni consentiebat ad honorem & laudem summæ & individuæ Trinitatis & totius collegii supernorum. ✠ Ego Joannes Berengarii Vaurensis canonicus suprascriptis omnibus & singulis interfui, consensi & consentio, ac manu propria subscribo & signo. ✠ ego Guillelmus de Galarino canonicus Vaurensis suprascriptis omnibus & singulis interfui, consensi & consentio, ac manu propria subscribo & signo. ✠ ego Raimundus Galteri canonicus Vaurensis suprascriptis omnibus & singulis consensi & consentio, ac manu propria subsigno & subscribo. ✠ ego Petrus Friconis canonicus Vaurensis supra scriptis omnibus & singulis consensi & consentio, ac manu propria me subscribo & signo. ✠ Ego Joannes Textoris canonicus Vaurensis suprascriptis omnibus & singulis consensi & consentio, ac manu propria me subscribo & signo. ✠

Et ego Petrus Aymerici aliàs de sancto Lenunco presbyter civitatis Vaurensis publicus auctoritate apostolica & imperiali notarius, præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, agerentur & fierent interfui, eaque omnia & singula recepi & scripsi, & signum meum quo utor auctoritate apostolica & imperiali huic præsenti instrumento electionis apposui, & signavi requisitus & rogatus in fidem & testimonium veritatis.

XIII.

Ex cod. mss. Biblioth. reg. n.° 81.

Egidius Vaurensis episcopus exsecutioni mandat bullam Clementis VII qua jubet ecclesiam parrochialem de Frotzeno annecti mensæ capitulari.

1388. EGIDIUS miseratione divina episcopus Vaurensis audientiæ literarum contradictarum domini nostri papæ auditor, ipsiusque domini nostri referendarius, commissarius & executor unicus ad infra scripta a sede apostolica specialiter deputatus, venerabilibus viris præposito & capitulo, singulisque canonicis & personis nostræ ecclesiæ Vaurensis, ac omnibus aliis & singulis quorum interest vel intererit communiter vel divisim, & quos infra scriptum negotium tangit vel tangere poterit quomodolibet in futurum, quocumque nomine seu titulo censeantur, salutem in Domino, & mandatis nostris imo verius apostolicis firmiter obedire. Litteras SS. in Christo patris & domini nostri domini Clementis divina providentia papæ septimi ejus vera bulla plumbea cum cordula canapis more Romanæ curiæ bullatas, sanas & integras omnique prorsus vitio & suspicione carentes nobis pro parte dictorum præpositi & capituli præsentatas, nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recepisse, quarum tenor sequitur in hæc verba. Clemens episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Egidio episcopo Vaurensi salutem & apostolicam benedictionem. Merita devotionis dilectorum filiorum præpositi & capituli tuæ Vaurensis ecclesiæ exposcunt, ut ipsos paterna benevolentia prosequentes illam eis libenter gratiam impendamus quam ipsorum commoditatibus fore conspicimus opportunam. Sane petitio pro parte dictorum præpositi & capituli nobis nuper exhibita, continebat quod fructus, redditus & proventus dictæ ecclesiæ propter guerras quæ in partibus illis, proh dolor! diutius viguerunt, adeo diminuti existunt, quod pro sustentatione canonicorum & aliarum personarum ecclesiasticarum servitorumque dictæ ecclesiæ, qui divinis inibi vacant obsequiis, & pro supportatione onerum aliorum sibi incumbentium sufficere non possint, propter quod divinum officium diminuitur & quotidie diminueretur, nisi eis super hoc de remedio provideatur opportuno. Quare pro parte dictorum præpositi & capituli nobis fuit humiliter supplicatum ut pro hujusmodi oneribus facilius supportandis parrochialem ecclesiam S. Petri de Frotzeno tuæ diœcesis quam venerabilis frater noster Bertrandus episcopus Ostiensis, ex concessione & dispensatione apostolicæ sedis obtinet eis & dictæ ecclesiæ annectere & unire de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes eisdem præposito & capitulo ut prædicta & alia eis onera incumbentia valeant commodius supportare, quantum cum Deo possumus providere, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ de qua fiduciam gerimus in Domino specialem per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus tu sive in Romana curia, sive extra illam constitutus fueris, parrochialem ecclesiam supradictam cum omnibus sibi annexis & aliis juribus & pertinentiis suis, eisdem capitulo & ecclesiæ apostolica auctoritate in perpetuum unias, incorpores & annectas, ita quod cedente vel decedente dicto episcopo, vel dictam ecclesiam alias etiam apud sedem apostolicam dimittente, liceat eisdem capitulo vel ipsorum procuratori corporalem possessionem parrochialis ecclesiæ, annexorum, jurium & pertinentiarum prædictorum auctoritate propria apprehendere & tenere, ipsamque ecclesiam cum dictis annexis licite in perpetuum retinere, fructusque ipsorum in supportationem dictorum onerum ac utilitatem ipsius Vaurensis ecclesiæ convertere valeant, cujuscumque licentia minime requisita, reservata tamen & assignata parte de ipsius ecclesiæ parrochialis proventibus pro perpetuo vicario per te instituendo & in ea domino servituro portione congrua, ex qua idem vicarius valeat commode sustentari, episcopalia jura solvere, aliaque sibi incumbentia onera supportare, non obstantibus constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi ecclesiis, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras & processus habitos per easdem ad dictam parochialem ecclesiam volumus non extendi, sed & nullum per hoc eis quoad assecutionem ecclesiarum & beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuscumque privilegiis, indulgentiis & litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque tenoribus totis habenda sit in nostris litteris mentio specialis, & insuper tibi sive in eadem curia vel extra illam, ut præfertur, constitutus fueris dictam vicariam instituendi, illamque post institutionem hujusmodi alicui personæ idoneæ conferendi & de illa providendi, ac etiam ad honorem

Dei & utilitatem ecclesiæ ac vicariæ prædictorum salubria statuta edendi & ordinationes faciendi, de quibus cum peritorum consilio tuæ conscientiæ videbitur expedire, plenam & liberam concedimus eadem auctoritate facultatem, decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum apud rupem *Maureon* Avinionensis diœcesis, nono kalendas Septembris, pontificatus anno nono. Post quarum quidem litterarum apostolicarum præsentationem & receptionem fuimus pro parte dictorum præpositi & capituli nostræ ecclesiæ Vaurensis cum instantia debita requisiti, ut ad executionem ipsarum & contentorum in eis procedere curaremus juxta ipsarum continentiam & tenorem. Nos igitur Egidius episcopus Vaurensis, commissarius & executor præfatus de omnibus & singulis in dictis litteris apostolicis contentis informati ad plenum, habitisque cum peritis consilio & deliberatione maturis, volentesque mandatum apostolicum supradictum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur, auctoritate apostolica nobis, ut præmittitur, commissa, & qua fungimur in hac parte supradictam parrochialem ecclesiam S. Petri de Frozeno nostræ Vaurensis diœcesis, quam reverendissimus in Christo pater & dominus dominus Bertrandus miseratione divina episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ curiæ cardinalis ex concessione & dispensatione sedis apostolicæ obtinet de præsenti, cum omnibus sibi annexis & aliis juribus & pertinentiis suis, capitulo & ecclesiæ nostræ Vaurensi præfatis in perpetuum univimus & incorporavimus, ac tenore præsentium unimus & incorporamus, ac annectimus meliori modo & forma quibus possumus juxta potestatem nobis per prædictas litteras attributam, ita quod cedente vel decedente præfato domino episcopo Ostiensi cardinali, aut prædictam parrochialem ecclesiam alias etiam apud sedem apostolicam quomodolibet dimittente, liceat vobis præfatis præposito & capitulo vel procuratori vestro corporalem possessionem dictæ parrochialis ecclesiæ, ac universorum annexorum, juriumque & pertinentiarum ejusdem auctoritate propria apprehendere & tenere, ipsamque ecclesiam parrochialem cum dictis suis annexis, juribus & pertinentiis licite in perpetuum retinere, ac fructus ejusdem parrochialis ecclesiæ ac annexarum, jurium & pertinentiarum ipsius in supportationem onerum nostræ ecclesiæ Vaurensis & capituli ejusdem ac utilitatem ipsius Vaurensis ecclesiæ, salvis tamen omnibus infra dicendis convertere, cujuscumque alterius licentia minime requisita. Cæterum quia propter unionem hujusmodi modo præmisso factam nolumus quod animarum cura seu Dei servitium negligatur, seu quod ipsa ecclesia debitis serviciis defraudetur, idcirco maturo ac deliberato præhabito consilio vicariam perpetuam ac vicarium perpetuum qui curam animarum & ea quæ ad divinum cultum & ecclesiasticorum sacramentorum ministrationem pertinent in ecclesia & annexis prædictis * valeat exercere auctoritate apostolica prædicta nobis in hac parte commissa statuendos & ordinandos duximus, ac ordinamus & statuimus per præsentes. Porro quia temporalia sine spiritualibus stare non possunt auctoritate qua supra pro dote perpetua & portione canonica prædictæ vicariæ perpetuæ, & vicario in ea per nos instituendo, & eo qui pro tempore erit, ea quæ proxime sequuntur per vicariam & vicarium antedictos perpetuo possidenda, habenda & tenenda, damus, concedimus & etiam assignamus. Et in primis vicariæ & vicario prædictis pro dote & portione hujusmodi assignamus manuale ipsius ecclesiæ & annexarum ejusdem, & omnia quæ appellatione manualis in illis partibus de jure vel consuetudine, aut more seu usu communi loquendi patriæ continentur seu contineri solent. Item domum seu habitationem presbyteralem ecclesiæ

* al. habeat

A prædictæ S. Petri cum horto illius, & cum aliis universis juribus & pertinentiis ejusdem quæ vicariæ atque vicario prælibatis pro dote & portione hujusmodi etiam perpetuo eadem auctoritate concedimus & etiam assignamus. Item vicariæ & vicario antedictis pro dote & portione hujusmodi eadem auctoritate omnium aliorum fructuum, obventionum, redditunm & proventuum ad dictam parrochialem ecclesiam & ejus annexas pro tempore quomodolibet pertinentium in decimis, vel carnalagiis majoribus seu grossioribus, aut minoribus seu minutis, aut censibus vel deveriis annuis pensionibus, & quibuscumque aliis consistentium mediam partem damus, concedimus & annectimus & etiam perpetuo annexamus. Terras vero & possessiones alias ad dictam ecclesiam seu ejus B annexas pertinentes, necnon etiam reliquam mediam partem fructuum, redditiuum & proventuum prædictorum ad prædictum capitulum ecclesiæ nostræ Vaurensis & mensam capitularem ejusdem eadem auctoritate volumus perpetuo pertinere, sic quod capitulum atque vicarius fructus, redditus & proventus hujusmodi pro æquis portionibus, salvis præmissis, inter se dividere teneantur. Nos tamen eadem auctoritate statuimus & ordinamus quod vicarius pro tempore habeat omnia onera consueta prædictæ parrochialis ecclesiæ & annexarum suarum supportare. Collationem autem & plenam dispositionem dictæ vicariæ, & institutionem, destitutionem, punitionem & correctionem vicarii pro tempore vicariæ ejusdem, necnon jura episcopalia quocumque jure, usu, statuto, C more, consuetudine vel privilegio nobis ac futuris pro tempore Vaurensibus episcopis debita, illibata & integra nobis & successoribus nostris reservamus, quæ omnia per vicarium ipsum solvi volumus ac etiam ordinamus. Verum ne propter defectum vicarii qui pro tempore fuerit, ecclesia prædicta & ejus annexæ . . . . . in spiritualibus & præsertim in cultu & officio divino aut sacramentorum administratione detrimentum aliquod patiantur, nos ad honorem Dei & utilitatem ecclesiæ, annexarum & vicariæ prædictarum de consilio peritorum secundum traditam nobis per dictas literas apostolicas facultatem, auctoritate apostolica supradicta statuimus quod prædicta vicaria non nisi personæ idoneæ quæ saltem vicesimum quintum ætatis suæ annum attigerit, & quæ sit in D sacro presbyteratus ordine actualiter constituta, conferri possit, & si contigerit alteri personæ quæ non sit ejusmodi prædictam vicariam pro tempore de facto conferri, aut alias talem personam ad hujusmodi vicariam quomodolibet promoveri provisio seu promotio hujusmodi ipso jure viribus non subsistat. Item etiam virtute litterarum apostolicarum prædictarum nobis, ut præmittitur, directarum auctoritate apostolica etiam de consilio peritorum statuimus quod vicarius prædictæ parrochialis ecclesiæ, ut præmittitur unitæ, in prædicta ecclesia seu ejus annexis, seu in earum parrochiis continuam & personalem residentiam facere teneatur. Et quod si cessante dispensatione legitima de statuto hujusmodi, de verbo ad verbum plenam & expressam faciente mentionem, vicarius E ipse qui erit pro tempore a prædicta ecclesia se absentaverit per sex menses & ultra, lapsis prædictis sex mensibus, si ulterius hujusmodi absentia duraverit, omnes & singuli fructus, redditus & proventus dictæ vicariæ per nos pro dote & portione canonica eidem superius assignata, lapsis dictis sex mensibus obvenientes pro dicto ulteriori tempore ad prædictum nostrum capitulum Vaurense & ejus mensam capitularem devolvi debeant ipso jure, qui medio tempore ipsi ecclesiæ & ejus annexis in cultu & officio divino, ac sacramentorum administratione, & onerum omnium supportatione, ad nostrum vel successoris nostri arbitrium per temporalem vicarium habeant providere, salvo quod capitulum nostrum seu ejus officiarii sua propria auctoritate non recipiant dictos fructus,

reddiius & proventus, si, ut prædicitur, ad eos devolvantur, sed in hoc auctoritatem & licentiam nostram vel successorum nostrorum expectent, alias omni jure ...... noverint se privatos, & ad mensam nostram vel successoris nostri pro tempore ipso jure fructus, proventus & redditus hujusmodi devolvantur, nisi aliud specialiter & expresse in dicta dispensatione caveatur, facta etiam in eadem dispensatione quantum ad hoc de verbo ad verbum de statuto hujusmodi mentione, & alier dispensatio hujusmodi ipso jure viribus non subsistat. Et si vicarius ipse qui erat pro tempore per annum continuum a prædicta personali & continua residentia cessaverit, omni jure sibi in dicta vicaria competenti sit omnino & ipso jure privatus, & per nos vel successorem nostrum pro tempore alteri personæ idoneæ quæ vicesimum B quintum ætatis suæ annum attigerit, & in sacro presbyteratus ordine fuerit actualiter constituta libere conferatur: nobis tamen & successoribus ecclesiæ nostræ Vaurensis pro tempore episcopis dispensandi super prædicto statuto facultatem retinemus & etiam reservamus, ipsos tamen successores nostros obnixius obsecrantes, ne sine causa magna, evidenti & necessaria adversus prædictum statutum quoquomodo dispensent. Adjicientes nihilominus in statuto prædicto, & auctoritate prædicta etiam statuentes, quod prædicta vicaria cum quocumque beneficio alio continuam vel personalem residentiam requirente, etiamsi nec illi cura animarum immineat, neque dignitas neque personatus existat, quoquomodo retineri non possit, & quod si hujusmodi vicario pro tempore C tale beneficium conferatur, per illius assecutionem pacificam vacet hujusmodi vicaria ipso jure, & per nos vel successores nostros alteri personæ idoneæ & tali, ut prædiximus, libere conferatur. Si vero habenti tale beneficium vicariam hujusmodi conferri contigerit, & post assecutionen pacificam ipsius vicario prædictum beneficium cum vicaria ipsa per sex menses retinuerit fructus percipiens, ex utroque, omni jure sibi in vicaria hujusmodi competente sit eo ipso de facto privatus, & personæ alteri idoneæ tali, ut prædiximus, per nos vel successores nostros pro tempore libere conferatur, adversus statutum hujusmodi nulla dispensatione profutura, nisi præsens nostra ordinatio fuerit in ea expressa de verbo ad verbum, prout superius est expressum. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præsentes nostras lit- D teras processum nostrum hujusmodi in se continentes exinde fieri, & per notarios publicos infra scriptos scribi, signari, publicari, & in hanc publicam formam redigi mandavimus, nostrique sigilli fecimus appensione muniri. Datum & actum Avenione in domo habitationis nostræ, sub anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo octuagesimo octavo, indictione undecima, & die Jovis secunda mensis Julii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri Clementis divina providentia papæ septimi anno decimo. Præsentibus venerabilibus & circumspectis viris dominis Guillelmo de Ortolario, Egidio de Curtibus, Cumano Chovati & Roberto de Freta sacri palatii causarum auditoribus, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et ego E Gaufridus Ducis clericus Maclovienfis diœcesis publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, ac reverendi in Christo patris & domini domini Egidii episcopi auditoris, referendarii, commissarii & executoris præfati scriba, præmissis omnibus & singulis, dum, sicut præmittitur, fierent & agerentur una cum venerabili viro magistro Petro de Spineto notario publico infra scripto, & testibus prænominatis, præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, & in notam recepi, de qua hoc præsens publicum instrumentum per alium scriptum in hanc formam publicam redegi, hicque me manu propria subscripsi, & signo meo consueto una cum appensione sigilli A domini episcopi & executoris præfati signavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum, requisitus & rogatus.

Et ego Petrus de Spineto clericus Redonensis diœcesis ..... una cum venerabili viro magistro Gaufrido Ducis, &c. ut supra.

XIV.

Bulla Clementis papæ VII qua episcopo Vaurensi permittit fructus & proventus episcopatus oppignerare ad certam usque summam. *Ex cod. ciuat.*

CLEMENS episcopus servus servorum Dei 1393. venerabili fratri episcopo Vaurensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum tu in summa trium millium ducentorum & quinquaginta Francorum auri diversis de causis & rationibus cameræ apostolicæ tenearis, & eidem cameræ absque mutui contractu satisfacere nequeas de præsenti, nos attendentes quod præfata camera gravia habet expensarum onera supportare, tuis supplicationibus inclinati fraternitati tuæ contrahendi mutuum cum dilecto filio Johanne Carentionis de Luca mercatore Avenionensi propter hoc usque ad summam prædictam tuo & Vaurensis ecclesiæ nomine, ac te & successores tuos episcopos Vaurenses & ecclesiam prædictam, ejusque bona mobilia & immobilia, fructus, redditus & proventus, jura, obventiones & emolumenta præsentia & futura usque ad summam hujusmodi propterea dicto Johanni usuris cessantibus obligandi ac renunciandi de duabus diætis edictis in concilio generali, & felicis recordationis Bonifacii papæ octavi prædecessoris nostri .... qua cavetur ne quis extra suam civitatem & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam diætam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, & quibuscumque aliis constitutionibus a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, & beneficio restitutionis in integrum, omnibus litteris & privilegiis apostolicis impetratis & etiam impetrandis, ac omni juris canonici & civilis auxilio, & conventioni judicum & locorum, si ejusdem Johannis nomine super his litteras apostolicas contigerit impetrari, necnon omnibus aliis exceptionibus per quas contra eumdem Johannem tu dictique successores tui posseris in posterum vos tueri, plenam & liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem. Volumus & insuper tibi concedimus quod tu & successores tui præfato Johanni hujusmodi pecuniam de bonis dictæ ecclesiæ solvere, ac damna, expensas & interesse reficere teneamini, si in termino qui ad hoc de tuo & ipsius Johannis consensu constitutus fuerit, eadem pecunia non exiterit soluta. Cæterum ne in hoc usurarum vorago vindicet sibi locum nostræ intentionis existit, quod tu & successores ac ecclesia prædicti tua seu sua vel ipsius bona, ex nostris litteris, per quidpiam fraudis, seu calliditatis astutiam sub quovis verborum colore per usuras aliquas obligare nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cautiones, & recognitiones seu promissiones per eas, seu earum auctoritate vel occasione factas, quoad obligationes usurarum hujusmodi decernentes irritas & inanes, ac nullius existere firmitatis, eisque nihilominus, quoad præmissa omnia quæ usurarum pravitatem non sapiunt, in suo robore duraturis, nec usurarum prætextu malitiose aliquatenus impugnandis. Datum Avinione tertio nonas Maii, pontificatus nostri anno quinto decimo.

A

X V.

Ex cod. mss. laudato.

Litteræ dimissoriæ Caroli regis VI in gratiam Gerardi canonici & syndici capituli Vaurensis.

1408. *CHARLES, par la grâce de Dieu, Roi de France: A notre amé & féal Chancelier, à nos amés & féaux Conseillers & Maistres des Requestes de notre hostel, maistres Jean de Bassay & Guillaume Boisratier, commis de par nous à recevoir les présentations des prélats & autres gens d'eglise de nos royaumes & Dalphiné, par nous n'agueres convoqués pour avoir advis & conseil sur le fait de l'union de nostre mere saincte eglise; & à tous nos autres Justiciers & Officiers, ou à leurs lieutenans; Salut & dilection. Reçue avons l'humble supplication de nos bien amés le chapitre de l'eglise de Lavaur* B *au province de Thoulouse, contenant que ils, comme vrays obeissans à nos mandemens, aient envoyé maistre Gerard syndic, licentié en loys, & chanoine de ladite eglise de Lavaur, leur procureur, souffisamment fondé pour lesdits de chapitre en ceste nostre presente bonne ville de Paris, au mois d'Aoust dernièrement passé, auquel mois ou premier jour d'icelui, nous par nos lettres l'avions mandé estre pour ledit fait ou union en nostredite ville de Paris, & ledit premier jour ou autre dudit mois ledit maistre Gerard s'est présenté en personne par-devant vous nos commis, & il soit ainsi que depuis lesdites presentations & receptions, certaines nouvelles seroient survenues audit maistre Gerard, par lesquelles il soit necessité pour le bien de ladite eglise, de s'en retourner au plustot que faire se* C *pourra, pour quoi il ne peut pas bonnement vaquer audit conseil, comme bien faire le voulsist, & pour ce nous ait humblement fait supplier que, attendu ce que dit est, & qu'il a substitué procureurs legitimes & souffisans en son lieu, pour & au nom de ladite eglise, par vertu du pouvoir à lui donné & commis en cette partie par ladite eglise, lesquels seront audit conseil, nous lui veuillons donner congié & licence de soy departir de Paris sans paine ou amende, & de soy transporter à ladite eglise, pour ce est-il que nous, les choses dessusdites considerées, & en faveur de ladite eglise, nous avons & tenons ledit maistre Gerard syndic pour excusé, au nom & comme procureur de ladite eglise, de non estre audit conseil en sa personne, & lui avons donné & donnons de grace especiale par ces presentes, congié & licence de s'en aller toutefois qui* D *lui plaira, parmi ce qu'il laisse procureur substitut souffisant, & y donne au nom de lui & pour soi représenter audit conseil pour ladite eglise, ayant pouvoir de faire ès choses qui se fairont en icelui conseil, autant comme lui-même ou souffisant procureur pour ledit chapitre seroit & faire pourroit se present y estoit en sa personne: Si vous mandons & commandons, & à chacun de vous, si comme à lui appartiendra, que de nostre presente grace, congié & licence, faites, souffrés & laisses joir & user ledit maistre Gerard syndic, au nom desdits de chapitre, sans le molester ou souffrir estre molesté, ou empêchié audit nom dudit chapitre, par quelsconques commissaires, commis ou à commettre sur ledit fait en la temporalité, ne autres biens quelconques desdits de chapitre, pour occasion de non avoir été audit conseil; mais se ladite temporalité ou* E *autres biens quelconques desdits chapitre, & maistre Gerard syndic, estoient pour ce prins, saisis, arrêtés ou empêchiés en aucune manière, pour ou à fin de ce que dit est, les mettés ou faites mettre tantost & sans délai à plaine délivrance. Car ainsi nous plaist-il être fait, & auxdits de chapitre de l'eglise de Lavaur l'avons octroyé & octroyons de grace espécial se mestier est par ces presentes, nonobstant quelsconques ordonnances, mandemens, deffenses & lettres subreptices empetrées ou à empêtrer à ce contraires. Donné à Paris le dixième jour de septembre, l'an de grace mil quatre cent & huit, & de notre regne le vingt & huitieme.* Et plus bas est escript, *Par le Roy, à la relation du Conseil, &* Signé *B. S.t Omer.*

X V I.

Bulla Eugenii IV pro confirmatione fructuum decimalium parrochiæ de Junqueriis a Johanne episcopo Vaurensi mensæ capitulari attributorum. *Ex cod. citato.*

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio abbati monasterii sancti Saturnini Tholosani salutem & apostolicam benedictionem. 1432. Sedis apostolicæ circumspecta benignitas justis consuevit desideriis favorabiliter annuere, & ea quæ pro animarum salute necnon divini cultus augmento processisse comperit, libenter apostolici consovet muniminis firmitate. Sane pro parte dilectorum filiorum capituli Vaurensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum dudum felicis recordationis Johannes papa XXII prædecessor noster, qui ecclesiam Vaurensem, quæ tunc prioratus conventualis erat, in cathedralem erexerat, plurima pro sustentatione canonicorum, hebdomadariorum & capellanorum necnon aliorum illius ministrorum, ut commodius in ea divinis possent intendere obsequiis, facultates & bona mensæ capitulari dictæ ecclesiæ super plerisque decimalibus nonnullorum ecclesiasticorum Vaurensis diœcesis fructibus inter præpositum, archidiaconum, sacristam & cantorem dictæ ecclesiæ, qui pro tempore forent, necnon alios illius canonicos & ministros distribuenda assignavit. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, licet venerabilis frater noster Johannes episcopus & nonnulli ejus prædecessores qui antea fuerunt Vaurenses episcopi quosdam fructus decimales parrochialis ecclesiæ de Junqueriis ejusdem diœcesis, qui etiam dictæ mensæ per præfatum prædecessorem nostrum assignati fuerant, ab aliquibus citra temporibus levaverint & perceperint, ipse tamen episcopus diligenti per ipsum super eo quod fructus decimales parrochialis ecclesiæ hujusmodi dictæ mensæ, ut præfertur, assignati sunt, informatione recepta, & per hujusmodi capitulum desuper instantius requisitus fructus parrochialis ecclesiæ hujusmodi dictæ mensæ per hujusmodi capitulum in illius usus perpetuo convertendos reliquit, dimisit & assignavit, & investivit etiam de eisdem, prout in instrumentis publicis desuper confectis, ipsius Johannis episcopi sigillis muniris dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictorum capituli nobis fuit humiliter supplicatum ut assignationibus, dimissioni & investituræ prædictis, necnon aliis in dictis instrumentis contentis pro firmiori illorum subsistentia robur apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque qui de præmissis certam notitiam non habemus hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus assignationes, dimissionem & investituram prædictas, si & postquam tibi de illis legitime constiterit, ac alia in instrumentis contenta hujusmodi, prout rationabilia fuerint auctoritate nostra approbes & confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnat. Domin. millesimo quadringentesimo tricesimo secundo, kalendas Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

X V I I.

Historia Joannis Boucherii episcopi Vaurensis. *Ex historia mss. Castren. Cartusiæ.*

ANNO M. CCCCLIV, 11 Septembris, nobilis domina Catharina Loysa, Guillelmi quondam de Bruis vidua, quo in monachos Bellovisenses æstu ferveret, extrema testamenti lege, priusquam esset mortem obitura, prodidit. Hæc ab extremis regni hujus Britannis per R. in Christo patrem dominum Joannem Boucherium Vauri episcopum in hanc *Circa 1458.*

regionem adducta, & aliquandiu cum illo indecenter conversata, post susceptam inde prolem masculam, cui nomen Heliæ de Brisindium fuit, eodem domino in se reverso, & ad Deum per monasterium nostrum & patrum ejus exempla & monita totis compuncti cordis & animi medullis converso, quæ secuta fuerat errantem, imitata est pœnitentem, lavitque lacrimis corporis maculas criminis, & carne quidem ab episcopi contubernio avulsa, ne amplius cum illo peccaret, Escossentum nuper a se pro parte comparatum cum filio recessit, pariterque cum episcopo mentis cultu & cordis affectu conventum amborum conversionis auctorem prosecuta, placandum sibi numen & amicos in æternis tabernaculis faciendos de mammona iniquitatis Bellovisienses monachos fidos & fervidos apud Deum oratores proposuit. Cumque ad illos præsul corpore sæpius accederet, & vix inde recederet, illa forti ut mortis nexu dilectionis quam nullæ extinguere potuerunt aquæ, quandiu superfuit, illis illigata continue remansit, & quo illos amore pariter & honore prosequeretur, postremis illius diei tabulis declaravit, quibus corpori suo sepulturam apud Bellovisum elegit, & post quam plurima ecclesiis, monasteriis & pauperibus Christi legata, moniliaque sua in missas & orationes curandas distributa, monachos Bellovisius donariis in pecunia, libris & varia æris ligniqué liniquè supellectile affecit. Ecclesiam eorum una ædicula in divæ Cæciliæ memoriam a latere aquilonis juxta divi Martini sacellum ampliari ac centum viginti scutorum pretio extrui voluit. Argentea diversi generis vasa pondo sexdecim marcarum in calices conflandos, uno ex illis septem marcis constante, consecravit. Fargensem divæ Mariæ ædem nobis subditam cancellis ante chorum ferreis suo stemmate insignitis munivit, pecuniaque in eam rem & ornamentis honoravit, conventui crucem argenteam marcæ dimidium appendentem & quinque venerandæ crucis Christi frustis radiantem, nudamque dominationis quam Escossensi habebat proprietatem donavit, eandemque filio suo sine legitima prole morienti substitutam fecit priori procuratorique testamenti sui executionem, filii quoque sui educationem, tutelam & gubernationem omnimodam commisit. Quid plura? totam se suaque piis operibus Deo & nobis reservato, naturæ solius in filium jure impendit 17 Augusti 1455, diem clausit, & apud nos sepulturam meruit, ibi curata est religiose a patribus nostris, christianum dormit somnum cum illis. Postera die post reconditum corpus conditum quoque fuit inventarium rerum ejus, in cujus prolixa serie ac copiosa varietate videre est divitias rerum seculi, magis autem gratiæ Dei, qua agente, factum est mirabiliter ut pro iniquitate quæ in hujus peccatricis pectore prius abundavit, in ejus postmodum conversæ corde justitia superabundarit.

ANNO M. CCCCLVIII 6 Sept. efflatur nobis odor memoriæ unguenti compositionis velut suavissimæ R. in Christo patris domini Joannis Boucherii Vaurensium episcopi, qui per dominam Catharinam Loysam quam plurima ordine numero ac modo quem in ejus actis anni 1454 retuli conventui nostro providit bona, per se vero majora contulit, cum se quidem totum illi addixit, mores suos in melius ad illius exempla & hortamenta commutavit, seque sic ad illius gratiam comparavit ut & domicilium illic sibi statuerit, & vix inde nec nisi cum labore avelli posset, dicente sibi intus domino & foris monasterii patre, *ite ad oves vestras*, ibat igitur & redibat, eundoque ac redeundo Bellovisensium non minus quam Vaurensium patrem amantissimum & provisorem studiosissimum sese ostendebat. Quanta fecerit in Vaurensi ecclesia non attinet ad me referre, quæ vero nobis largitus est in pecunia, vestibus, ædificiis alioque apparatu, ne ingrati animi nota inuramur, dignum est recensere, ac primo quidem sibi in aquilonari domus parte juxta Icthyotrophium præparavit & a fundamentis erexit mansionem septis, conte, horto, xysto, coquina, aula & cubiculis a solido monasterii separatis compositam, ubi composito maris æstu cordis anchoram demittebat, & in statione jam secura totus ad cynosuram maris stellam conversus in castitate ac silentio monachum tam sancte quam in caritate ac sollicitudine apud Vaurenses episcopum exhibebat, unde & post illius obitum locus ille quamdiu in ædibus substitit Vauri nomen apud nostrates obtinuit, nunc autem deleto de superficie terræ toto ædificio, cum nihil omnino illius supersit, vocabuli quoque modus evanuit, non satis illi fuit privatas sibi ædes extruxisse, duas illis velut colonias addidit, cum in majori claustro cellam uni monacho extulit, & alteram converso juxta communem hortum præparavit, Domino autem Deo ædem quadro lapide ac fornice structam, picturis ornatam, calice, casulis omnique sacro in libris ac vestibus instrumento apprime confectam in aquilonari ecclesiæ parte juxta Cæcilianam dominæ Loyiæ capellam vivens erexit, moribundus vero hinc trecentas quinquaginta libras inde 150 in Escossensis fabrica impendendas legavit, multaque alia vivens & moriens larga manu beneficia nobis impendit, quorum præcipuum est unitum nobis ejus opera sanctæ Cæciliæ Montanearum pro media rectoris quarta scilicet totius parte beneficium. Pro quo vel maxime quia nulla unquam temporis vi nobis auferetur, ideo nomen ejus & memoria nulla unquam oblivione a nostris vel mentibus vel tabulis delenda remanebunt.

XVIII.

Bulla Pii papæ II qua facultatem dat officiali Vaurensi uniendi parrochias sancti Leontii & sancti Martini de Massaco mensæ capitulari sub certis conditionibus. *Ex cod. ms. Biblioth. reg. n.° 81.*

PIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio officiali Vaurensi salutem & apostolicam benedictionem. In eminentis dignitatis specula superna licet immeriti dispositione vocati, votis gerimus, ut tenemur, quod per solertia nostræ provisionis auspicia ecclesiis præsertim cathedralibus quibuslibet honor debitus accedat, & in eisdem dignitates, necnon canonicatus & præbendas, & alia officia seu beneficia ecclesiastica pro tempore obtinentibus, prout dignitatum & aliorum beneficiorum hujusmodi qualitas exigit, facultates respondeant condecentes. Sane pro parte dilectorum filiorum præpositi & capituli ecclesiæ Vaurensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet mensa capitularis ecclesiæ Vaurensis, quæ quidem ecclesia per felicis recordationis Johannem papam XXII prædecessorem nostrum in cathedralem erecta, & in ea episcopus pro capite, duodecim canonici, quatuor hebdomadarii, octo clerici perpetui, & chorei ad nutum capituli dictæ ecclesiæ removendi similiter octo instituti fuerunt, pro sustentatione præmissorum de summa annui redditus duarum millium librarum turonensium parvorum ab ejus primæva fundatione hujusmodi dotata fuerit, tamen causantibus guerris, mortalitatibus & aliis sinistris eventibus, quæ partes illas diutius afflixerunt, mensa prædicta ad tantam fructuum & proventuum diminutionem devenit, quod vix singulæ præbendæ ipsius ecclesiæ medietatem dotis seu annui redditus per dictum prædecessorem olim assignatæ & deputatæ, ut præfertur, valent annuatim; & sicut eadem petitio subjungebat, si eidem mensæ S. Leontii & S. Martini de Massaco parrochiales ecclesiæ Vaurensis diœcesis unirentur, annecterentur & incorporarentur, ex hoc præpositus & capitulum præfati in suis necessitatibus magnum susciperent relevamen, & ad id venerabilis frater noster Johannes episcopus Vaurensis, quantum 1463.

ad eum ſpectat, conſentire paratus exiſteret. Quare pro parte præpoſiti & capituli prædictorum aſſerentium quod fructus menſæ capitularis ad medietatem illius antiqui valoris, ut præfertur, reducti ſunt mille, ac S. Leontii quinquaginta, & S. Martini parrochialium eccleſiarum prædictarum fructus, redditus & proventus quadraginta librarum turonenſium parvorum ſimilium ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut parrochiales eccleſias prædictas ex nunc, ſeu alias, cum vacaverint eidem menſæ capitulari perpetuo unire, annectere & incorporare de benignitate apoſtolica dignaremur: & ſicut accepimus dilectus filius Martialis Champaignaci rector S. Leontii ad finem quod unio, annexio & incorporatio præfatæ eccleſiæ S. Leontii ſortiatur effectum, illam quam obtinet ſponte & libere reſignare proponat. Nos igitur votis ipſius Martialis in hac parte favorabiliter annuentes, ac tam præpoſiti ac capituli indigentiis, quam Martialis præfatorum, ne ex reſignatione hujuſmodi nimium diſpendium patiatur, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, ac aliàs de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus quatenus ſi eſt ita, ab eodem Martiale vel procuratore ſuo ad hoc ab eo ſpecialiter conſtituto reſignationem hujuſmodi, ſi illam in tuis manibus facere voluerit, ut præfertur auctoritate noſtra hac vice dumtaxat recipias & admittas, eaque per te recepta & admiſſa, vocatis quorum intereſt, S. Leontii & S. Martini parrochiales eccleſias hujuſmodi cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem menſæ capitulari perpetuo unias, incorpores & annectas, necnon eidem Martiali ſuper fructibus, redditibus & proventibus dictæ parrochialis eccleſiæ S. Leontii penſionem annuam viginti quinque ſcutorum novorum auri de Francia in illis partibus curſum habentium, per eoſdem præpoſitum & capitulum pro tempore exiſtentes, eidem Martiali, quoad vixerit, vel ſaltem donec, & quouſque de aliquo beneficio cum cura vel ſine cura per eoſdem capitulum vel alium collatorem præfato Martiali proviſum fuerit, vel procuratori ſuo legitimo in locis & terminis, ac ſub cenſuris & pœnis in talibus apponi ſolitis, & ad id per te de partium conſenſu ſtatuendis, annis ſingulis integre perſolvendam reſervare, conſtituere & aſſignare eadem auctoritate procures, faciens eidem Martiali juxta reſervationis, conſtitutionis & aſſignationis earumdem, ſi illas feceris, tenorem, penſionem prædictam realiter & cum effectu perſolvi & etiam aſſignari; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo; ita quod ſancti Leontii, cum per reſignationem hujuſmodi vacaverit, A etiamſi actu quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona vacet, ex tunc, & ſancti Martini eccleſias prædictas, cedente vel decedente illius moderno rectore, aut illam aliàs quomodolibet dimittente, liceat præpoſito & capitulo præfatis per ſe, vel alium ſeu alios corporalem parrochialium eccleſiarum, juriumque & pertinentiarum prædictorum, poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere & perpetuo retinere, ac illarum fructus, redditus & proventus, reſervatis ex eis pro ſingulis perpetuis vicariis in ſingulis parrochialibus eccleſiis hujuſmodi per epiſcopum Vaurenſem pro tempore exiſtentem inſtituendis, de quibus congrue ſuſtentari, epiſcopalia jura ſolvere, & alia ipſis & cuilibet B ipſorum pro tempore incumbentia onera ſupportare commode valeant, congruis portionibus, in ſuos menſæ capitularis & eccleſiarum parrochialium hujuſmodi uſum & utilitatem convertere, diœceſani loci & cujuſcumque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac dictæ eccleſiæ Vaurenſis juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales vel generales apoſtolicæ C ſedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras & proceſſus habitos per eaſdem & quæcumque inde ſecuta, ad dictas parrochiales eccleſias volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuſlibet aliis privilegiis indultis & litteris apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio D ſpecialis, proviſo quod parrochiales eccleſiæ prædictæ debitis propterea non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur. Attente quoque provideas ne in reſignatione hujuſmodi, ſi fiat ex parte Martialis & præpoſiti ac capituli prædictorum, aliqua pravitas interveniat ſeu etiam corruptela. nos enim ſi unionem, annexionem & incorporationem hujuſmodi vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Tibure, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, decimo kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno quinto.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ TREVIRENSIS.

I.

Justinianus imperator a S. Nicetio sollicitatur ad abjiciendam hæresim.

563. IN novissimis temporibus jam, ut sermo evangelicus prædixit, prospicimus, & cum tempus nostrum sit paratum, tamen finem, ut scriptura denuntiavit, venire sentimus. Sed beatus ille homo, quem, cum venerit Christus, invenerit ipsum vigilantem. Sol verteretur in tenebras ab oriente, id est, ab alto, hoc est a vita sancta. In integro mundo splendebas ut sol; & cum omnes inde gratia Domini rectores ecclesiæ cuncti consilii ipsius gauderemus, devulgante fama ex lapsu vestro, ad quem nunquam pervenire debuimus, contristati & humiliati usque in terra sumus. Dulcis noster Justiniane! quis te sic decepit? Quis, ut talia prosequereris, suasit? Quis, ut Christum purum hominem fatereris, docuit? Quis, ut in judæ consortium te transcriberes, circumvenit? Quis, ut illum, qui dixit: *Ego a Patre exivi, & veni in hunc mundum per circumcisionem, per baptismum, per passionem*, ut crederes, dedocuit? Quis, qui cor miserum non habebas ante, repente oppressit? Quis, ut, quod patres quos venerari debuisti, ad cædes, ad diversas cruces mitteres, provocavit? Quis, ut illa propter quæ Christus crucifixus est, & apostoli omnes pertulerunt, destrueres, provocavit? Quis, ut quod jam semel, bis & tertio ab omnibus rectoribus ecclesiæ condemnatum fuerat, velles adorare, commonuit? Nestorii & Eutychis, ut diximus, jam anathematizata quotiens atque quotiens, ut te de ipsa interimeres, quis imperavit? ille, ille qui Adam, ut contingeret arborem vitæ, suasit, qui studio suo mortem adinvenit, circumvenit; qui Judam, cum Christum purum hominem fecit, & pro homine tradidit, in ignem quem præparavit Deus diabolo & angelis ejus, misit. Dulcis & dulcis noster Justiniane? rememorare quæ promisisti, cum baptizatus es, quid per singula te credere dixisti? unum filium manentem in duabus substantiis, cum Patre & Spiritu Sancto, non duos Christos testatus es. Cum excessisti, quid fecisti? quid tibi præparasti? discute & bene te prospice, & vide si non in loco perditionis te obligasti? Adhuc si vis, vivis: si vis, revertendo gaudes. *Convertimini*, inquit, *ad me, & convertar ad vos*. Patres a quibus benedictionem exspectare debuisti, in exilium transmisisti. Tu, cum in ultima ætate tua componere & conjungere te ad Redemptorem tuum debuisti, ipse te, & non alter, sed tu & te & tuos decepisti. Cum Lactantius, ut dicit, presbyter, loca sancta per Gallias propter Domini misericordiam visitaret, ante nos apparuit, quæ legis, deprecavimus & per Jesum Christum Redemptorem nostrum conjuravimus. Ergo litteris præsentibus Dominum nostrum conjuramus, insuper & contestamur, ut & tu revertaris, & quantos perire suasisti in horrenda persecutione, revertere provoces. Quod si non feceris, sit judex ille inter nos & te, se quantum citius, cui tu honores tulisti (abstulisti) & purum hominem fecisti, cum legisti: *Ego & Pater unum sumus*; sed talis Pater qualis & Filius, quia ita Pater ut Filius. Quoniam verum est, quomodo ad circumcisionem veniendo, ad baptismum, ad martyrium, meliora reprobantur in eo, qui Deus & Creator omnium esse convincitur. Festina, festina, sed protinus. Nam si te sic ultimus dies invenerit, qualis nunc hodie appares, descendes ad inferiora terræ, & ad partes vulpium eris. Lætatur sancta Ecclesia de regressu tuo, gaudere nos in ultimo seculo positos facias, quos lugere post lætitiam

A de perditione tua fecisti. Ne dicas vel in corde tuo: feci, feci; vici vici: victus est & vinctus, sed inde unde filius Diaboli & inimicus justitiæ. Nam totum tibi sit, quod tota Italia, integra Africa, Hispania vel Gallia conjunctæ nomen tuum cum deperditione tua plorant, anathematisant. Et si non, quæ docuisti destruxeris, & publica voce clamaveris: erravi, erravi; peccavi, anathema Nestorius, anathema Eutiches, cum ipsis te ad supplicia sempiterna tradidisti. Salutamus plurimum, conjurantes per Patrem & Filium & Spiritum-Sanctum, per illum qui in uno trinus apparet, & in tribus unus agnoscitur, ut te de horrenda secta & abominabili persecutione removeas, & illos, qui te suadente in ipsam ceciderunt, ad meliorem
B viam venire studeas.

II.

Sanctus Nicetius hortatur Clodosvindam reginam Longobardorum ut Alboinum maritum ad Catholicam fidem convertat.

DOMINÆ Clementissimæ in Christo filiæ 565.
Clodosvindæ reginæ Nicetius peccator. Cum legatos vestros per Francorum reges, germanos tuos, ire conspicimus, de prosperitate vestra sollicitii sumus; sed alia inde audimus quæ semper sonare, etiam & resonare confitemur: quam magna, quam alta, quam laudabilis, quam utilis, quam humana vel munifica,
C quomodo de pauperibus sollicita, quomodo de religione * astuta; quomodo in cuncto populo pia * tuenda
conversatione splendida. Ille hoc porro concedat, qui spiritum sapientiæ & intellectus jam dedit. Gaudemus ex hoc, gaudere nos Christus faciat de Alboino rege quem habes, & de felicitate sua triumphare. Stupentes sumus, cum gentes illum tremunt, cum reges venerationem impendunt, cum potestates sine cessatione laudant; cum etiam ipse * imperiis ipsum * Deus
præponit, quod animæ remedium non festinus requirit. Scriptum legimus: *quærite primum regnum Dei, & omnia apponentur*. Qui sic, quemadmodum ille, fulget fama, miror quod de regno Dei & animæ suæ salute nihil investigare studet; sed illos recipit, illis acquiescit, qui potius animam in gehennam
D perdunt, quam ad vitam salutis adducunt. Duos Deos esse prædicant, alium in Deitate Patrem, alterum in Deitate, sed pro creatura Filium. Cum scriptura dicat: *Ego sum Salvator, & non est alius præter me*. Te Domina Clodosvinda per tremendum diem judicii conjuro ut hanc epistolam & bene legas, & bene illi & frequenter exponere studeas; & ut ipsum interroges: quis est Salvator? Patrem dicunt esse Salvatorem, an Filium? quomodo duos esse, cum unus est, & alius non est, denuntiant? si dicent Filium, ergo pater Salvator non est. Et si dixerint Patrem, ergo Filius non est Salvator, quia salvare, qui Salvator non est, nullum potest. Si dixerint, duo sunt Salvatores, istud scriptum nunquam invenient, nisi: *Ego*
E *& Pater unum sumus*, hoc est Pater in Filio & cum Filio, & Filius in Patre & cum Patre. Deus præ magnitudine & splendore ab homine videri non potest, qui tantum grandis, tantum fulgens, tantum etiam igneus est. Legimus, in circuitu cœli & terræ tabernaculum ejus, quod etiam præ ista magnitudine & splendore ab homine videri non potest. Expressit de se, quem semper habuit apud se, qui latibulum sibi de carne fecit; & ideo scriptura dicit *posuit tenebras latibulum suum*. Ideoque in evangelio ait verbum Dei, quod Joannes dicit, quia in principio erat Verbum: *Verbum caro factum est*, & quod de Maria erat, sic

sic illud apud se junxit, ut esset unum. Et per scripturam dixit: *Ego ex Patre exivi, & veni in hunc mundum*. In quadragesimo septimo psalmo dixit: *distribuite gradus ejus*. Ejus dixit, non eorum: quoniam unus esse, sed nec solus, apertissime scitur, *ut enarretis in progenie altera*. Nam in die resurrectionis nec narrare, nec apparere poterit, qui Trinitatem in unitate non crediderit. Et pro eo omnis militia angelorum per singulos dies clamat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Zebaoth*. Non tres Sancti, sed ter Sanctum dixit Dominum Deum Zebaoth, Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus: unus Sanctus, sicut unus Dominus. Unde & Johannes Evangelista dixit: *ipse est qui est, & qui erat & qui venturus erat Salvator*. Si ter nominavero, gradus esse videntur. Cum Patrem audis nomine, major esse videtur; & ideo dixit: *Pater* B *major est me;* sed nomine tantum: In Deitate autem evidentissime per Christum & per apostolos ejus unus esse agnoscitur. Quia ipse, cum a discipulo interrogaretur: *Domine, ostende nobis Patrem*. Et ille: *me vides, & de Patre interrogas!* vides, quia in Trinitate invocatur, & in una Deitate esse invenitur. Cum Patrem audis, sine Filio esse non credas; cum audis Filium, cum Patre esse non dubites. Nec dubites tres in personis, cum unus in Deitate esse agnoscitur. Et ideo ad discipulos dixit: *ite, baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. In nomine dixit, non in nominibus, quia unam Deitatem dixit, non tres. Spiritus autem Sanctus separari non potest, quoniam unde esse scitur gratia Dei, inde donum Dei esse cognoscitur. Ab eo spirant bona omnia, sicut C apostolus dixit: *tu solus Altissimus in omni terra Salvator*. Jesu Nave ipsum conspexit & ideo dixit: *noster es, an adversariorum!* ille autem respondens ait: *Ego sum qui sum, & alius præter me non est*. Abraham, qui dicitur amicus Dei, & probatur, tres vidit, & unum credidit; cum tres adorat, Trinitatem, sicut dixi, commemorat; cum unum in domum intrare deprecatur, unam potestatem denuntiat. Nam Moysi quoties dixit: *Ego sum qui sum, & alius præter me non est*. Quid nos ire per singula necesse est! ad duodecim discipulos, quos habuit, veniamus. Quia ipsi Gothi hodie ipsis venerationem impendunt, & reliquias eorum furtim tollunt. Sed nihil illi habent, quia fidem illorum ad nulla præsumunt. Quid est, quod in basilicis eorum corpora ipsorum hodie venerantur, non ingrediuntur! Quid est, quod nihil ibidem præsumere D audent, nisi furtive, ut canes a foris. Animas decipiunt. Cum illis rex Alboinus sibi demittat, & ad domini Petri, Pauli, Joannis, vel reliquorum Sanctorum limina perducatur, ibidem missas facere, si audent, deliberent. Sed non audent, quia domini Petri discipuli non apparent, & contrarii Christi esse probantur. Quia quod per crucem ipse redemit, infelices inveniuntur. Qua causa venena eorum talis rex, & talis ætas percipit! hic, si lubet ad dominum Martinum per festivitatem suam, quam undecima die facit November, ipsos mittat, & ibi, si audent, aliquid præsumant, ubi cæcos hodie illuminari conspicimus, ubi surdos auditum, & multos sanitatem accipere. Nam quid dicam de leprosis, aut de aliis quam plurimis, qui quamacunque debilitate percussi sunt, E ibidem per singulos annos alii & alii sanantur! Fortasse dicunt, confingunt vel cæcos, qui cæci a nativitate esse videntur. Quid dicunt, cum inde illuminatos conspicimus, & ad propria, Deo miserante, sanos reverti videmus! Nam quid dicam adhuc de domino Germano [a], Hilario [b], vel Lupo [c] episcopis! ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere vobis valeo. Ubi tribulantes, id est, dæmonia habentes in aëra suspensi torquentur, & dominos, quos dixi, esse confitentur! Nunquid in ecclesiis eorum sic faciunt! non faciunt, quia Deum & dominos Sanctos ibi habitare non sentiunt. Dæmon dæmonem non exorcisat. Nam ubi Sancti habitant, Dæmon vagari non

[a] Autissiodorensi
[b] Pictaviensi
[c] Trecensi

A dimittitur. Ideo fit ut locus, ubi Deus est, ostendatur. Quid de domino Remigio [d], & de domino Medardo [e] episcopis, quos tu, credo, vidisti! non possumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Audisti ab avia tua, domina bonæ memoriæ Rodhildi, qualiter in Franciam venerit, quomodo dominum Clodovæum ad legem Catholicam adduxerit. Et cum esset homo astutissimus, noluit acquiescere, antequam vera agnosceret. Cum ista, quæ supradixi, probata cognovit, humilis ad domini Martini limina cecidit, & baptizari se sine mora permisit. Qui baptizatus quanta in Alaricum vel Gundobaldum reges fecerit, audisti; qualia bona vel filii ejus in seculo possederunt, non ignoratis. Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus rex esse dicitur, talis fama, quem mundus sic præponit, quare non convertitur! aut quare tardus ad requirendam viam salutis apparet! Deus bone qui es Sanctorum gloria & omnium salus, tu te in illum mitte. Et tu domina Clodosuinda, cum verbum facis, solatium tribue ut omnes de tali stella, de tali gemma sic gaudeamus, qualiter Deo placere possimus. Saluto tantum quantum valeo, deprecor ut otiosa non sis; incessanter clama, incessanter canta. Audisti dictum: *Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem*. Nam scias, prima salus, prima remissio est, qui converti fecerit peccatorem ab errore suo. Vigila, vigila, quia Deum propitium habes. Rogo ut sic agas ut & gentem Longobardorum fortem super inimicos facias, & nos de salute tua vel viri tui gaudere concedas.

[d] Remensi
[e] Suessionensi

III.

Caseguidiuense monasterium a Sigeberto III rege fundatur.

SIGEBERTUS rex Francorum viro illustri Grimoaldo Majoridomus. Singulariter ac per cuncta feliciter ad mercedis nostræ augmentum credimus pertinere, si larga munera Summi Dei Omnipotentis devota mente offerre non dubitemus, quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, quando ex propria voluntate compendia servorum Dei destinare non dubitat. Ideoque de devotione animæ nostræ, cum consilio magnificorum apostolicorum Cuniberti, Gudonis, vel illustrium virorum Grimoaldi, Bobonis, Adalgisili, monasterium regulare in honore patroni nostri Petri, Pauli, Johannis, vel cæterorum Martyrum, in terra nostra silva Arduennense, in loco qui dicitur *Casegongindinus*, quem Selomires fluvius cingere videtur, & ex nostræ largitatis munere juxta patrum traditionem cœnobium volumus construere, & ibidem Deo auspice Remaclum abbatem constituimus, qualiter ibidem secundum ordinem & monita antiquorum patrum conversari debeant: sic tamen ut de ipsa castra vel ripa fluminis in directum levas tres de nostra silva Uriacinse cum ipsa venna dominica, quæ dicitur Arnulfi, cum Probardo de Badone vel junioribus eorum, qui ibidem servire videntur, die præsente concessimus ad possidendum. Similiter de suo ipso castro ex alia silva dominica, alias tres levas, & in directum item tres levas, necnon & aliam venellam in fluvio nuncupante Alisna, ubi illa petra pro quadrata est. Hæc omnia ad usus eorum servorum Dei ex unitate nostra visi sumus condonasse; ut habeant, possideant, suisque posteris spiritualibus derelinquant, ut potius eis delectet attentius pio domino preces incessabiliter fundere. Et ut præceptio firma atque inviolata permaneat, manus nostræ subscriptionibus subter eam roborari decrevimus.

Circa 644.

IV.

Sigebertus III Francorum rex poſſeſſiones eccleſiæ Trevirenſis ab improborum injuriis vindicat.

653. IN nomine Domini amen. Sigebertus, divina favente gratia, Francorum rex. Quoniam adoptionem filiorum Dei præſtolamur, ad quam per pacem attingitur, teneamus pacem invicem, & in omnes; Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur: ubi enim altercationis invicem diſpendium incurrit, ibi pacis reſidet diſſidium, quæ eccleſiarum gratioſam fovet & incrementat quietem. Igitur noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium & futurorum notitia, qualiter de cellis beatorum Hilarii, quæ modo cella S. Maximini dicitur, ac beati Eucharii in prædio S. Petri Trevericæ urbis ædificata, quas dominus genitor noſter Dagobertus Chriſtianiſſimus rex, prædeceſſorum ſuorum mores ſequens, ad eccleſiam ſancti Petri Trevericæ urbis, regiæ poteſtatis jure, tradiderat, ac perpetua ſtabilitate firmaverat, Modoaldus ejuſdem eccleſiæ venerabilis archiepiſcopus in generali palatio noſtro querelosis ſe precibus proclamavit, plangens eas ab malis graſſatoribus, quorum dux quidam nomine Hattus eſt, contra libitum ſuum ſuorumque fidelium uſurpatas, ac de ſupradicta eccleſia violenter abſtractas. At nos per omnia omnem præfati Hatti ac ſuorum per ordinem recollentes fallaciam, jam callidiatibus detectis, querimoniam illius veram eſſe agnovimus. *Atque poſt hæc.* Ut autem præſens noſtræ reformationis ſcriptum inviolabile per ſuccedentia tempora in Dei nomine obtineat ſtabilitatem, propria manu cum duce Martino ac Cuniberto archiepiſcopo Colonienſi, ac Remaclo epiſcopo Trajectenſi ſubter eam firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Data Aquiſgrani idibus Maii, anno Dominicæ Incarnationis DCLIII. Sigebertus Francorum rex. Cunibertus archiepiſcopus Colonienſis. Remaclus epiſcopus Trajectenſis.

V.

Privilegium Numeriani archiepiſcopi conceſſum monaſterio S. Deodati in monte Vogaſo.

Circa 664. DOMINIS ſanctis & ſummi culminis apici pontificaliſque cathedræ ſpeculæ præſidentibus in Chriſto fratribus, Childulpho, Giſſoaldo, Eborino epiſcopis comprovincialibus Numerianus archiepiſcopus ſupplex & fidelis veſter præſumit mittere ſalutem. Licet & nos antiquitus regulam conſtitutam ſalubri obſervatione cuſtodire conveniat; tamen ut veſtra proviſione tractante fiat, conſtituimus ut hoc quod ſacris deliberationibus non derogat, intrepida obſervatione obſervetur. Et quia venerabilis vir Deodatus epiſcopus, religioſa poſtulatione aurium noſtrarum intima penetravit, viſceralis pietatis affectu ita cor noſtrum intrinſecus mollivit ut petita dumtaxat non cedere, ſed libentiſſime non impleſſe noſtris animis irreligioſum fore putare. Sancti igitur deſiderii ardore ſuccenſus ſupradictus Deodatus epiſcopus cœnobii ſepta in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ vel ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſociorum eorum & ſancti Eucharii, Materni & Maximini & omnium ſociorum eorum & S. Mauritii, Exuperii & Candidi, vel ſociorum eorum, baſilicas intra eremi ſecretum locum, nuncupante Galilæa, quod prius Juncturas vocabatur, ſupra flumen Murtæ & Raurobacco, in proprietate autem ſua, quam ex fiſci largitate promeruit, monaſterium conſtruxit, ubi monachos & peregrinos ſub regula beati Benedicti & ſancti Columbani abbatis collocavit, & noſtræ vilitatis extremitatem ſupplici deprecatione popoſcit, ut nos fratreſque noſtri illi eccleſiæ ibidem deberemus

A privilegium impertire; & ne hoc nos improbæ deliberationis inſtinctu ſacerdotalis poſteritas æſtimet decreviſſe, cum etiam ſub hujuſmodi norma tam de inhabitatoribus, quam a quibuſcunque ibidem aliquid delegatum eſt, eatenus fuerit factum. Inde ergo nos & fratres noſtri abbates & preſbyteri & clerici conſpiratione una & conſenſu jam dicti viri poſtulationi annuentes, hoc ab omnibus nobis decretum eſt, ut quidquid prædictis monaſteriis & monachis ſub evangelica religione viventibus ab ipſo venerabili patre Deodato epiſcopo, & a reliquis chriſtianis viris & feminis, aut regio munere ſeu a quibuſlibet hominibus ibidem collatum fuerit miniſterii, & de ſacris voluminibus & quod propriis laboribus poterint addere & multiplicare, aut quæcunque ad ornatum noſcuntur ibidem pertinere, præſentibus vitæ noſtræ

B temporibus ſucceſſorumque noſtrorum, nullus exinde aliquid pontificum, abbatum, preſbyterorum, & clericorum, ſeu archidiaconorum aut regalis ſublimitas, ſuis uſibus audeat uſurpare aut minuere. Et cum ſæpe dictus Deodatus epiſcopus, qui eſt pater ipſius monaſterii, de hoc ſeculo evocatus, illum, quem unanimiter omnis congregatio illa ex ſemetipſis optimæ regulæ conceptu elegerit, ſeniorem & abbatem ſibi inſtituat. Et ſi eis opportunum fuerit, eccleſiam benedicendam & ſacros ordines percipiendos, a quocunque pontifice decreverint, licentiam habeant expetendi, nulluſque de eodem monaſterio, ſeu de parochiis aut cæteris monaſteriis abſque ulla regula & privilegiis viventibus, muneris cauſa audeat ſperare & auferre,

C & niſi invitatus ab abbate & totius unanimitatis congregatione, liceat ei monaſterii ipſius atterere ſepta. Si ergo ab eis pontifex communiter poſtulatus, pro ipſorum utilitate acceſſerit, quod ipſe abbas aut congregatio ſua ſancta elegerit, ita fiat, & celebratis ac peractis divinis myſteriis mox abſque ullo requiſito dono ſtudeat abire. Quatenus monachi, qui ſolitarii nuncupantur, de percepta quiete valeant juvante Domino per tempora exultare, & ſub ipſa ſancta regula viventes, beatorumque vitam patrum ſectantes, pro ſtatu eccleſiæ Catholicæ, & pro deſiderabili ſalute Childerici glorioſi principis, plenius Dominum valeant exorare. Et ſi aliquid ipſi monachi quantulumcunque de religione indebite egerint, ſecundum ſupradictam regulam domni Benedicti, & ſancti Columbani abbatis, & a proprio objurgantur abbate;

D & ſi, quod abſit, talis inter abbatem & monachos diſſenſio aliqua & murmur conſurgere videatur, qualis minime ab eodem abbate ibidem ſedari poſſit, tunc miſſus epiſcopus eorum, ad alios abbates, qui ejuſmodi regulam tenent, conveniant in ipſo monaſterio, ſcandalumque deprimant ſententia regulari; quia nihil de canonica autoritate convellitur, quidquid domeſticis fidei pro quiete tranquillitatis tribuitur. Quod ſi quis invenitur auſus, quæ ſuperius ſunt comprehenſa, temerario ſpiritu violare, a divina ultione proſtratus reatui anathematis ſubjiciatur, & inſuper iram Omnipotentis Dei incurrat, omniumque Sanctorum. Ut ergo privilegium hoc in nullo poſſit convelli, ſed præſenti tempore futuroque Chriſto Domino protegente incorruptum valeat perdurare, ac firmiſſimis

E ſubſiſtat vigoribus, manu noſtra & fratrum noſtrorum epiſcoporum & abbatum, vel preſbyterorum & archidiaconorum ſubſcriptionibus roboratur, & inſuper fratribus noſtris venerabilibus viris Blidoaldo preſbytero, Ilhaino diacono, quo perpetuo maneat inviolatum, deſtinavimus ad confirmandum. Signum Numeriani archiepiſcopi, qui hoc fieri præceptum. ..... Signum Dragobodi epiſcopi. S. Grotgrani. S. Baldoni epiſcopi. S. Dodoni epiſ. S. Chroabaldi epiſ. S. Gariberti archidiaconi. S. Prodagii epiſcopi. Ego Filbertus rogatus ſcripſi.

VI.

Adela filia Dagoberti regis condit suum testamentum in gratiam parthenonis Palatioli.

690. ADELA in Christo Domino sacrata abbatissa, Dagoberti regis quondam filia. Cum pervulgatum, notumque bonis omnibus sit, quemadmodum nos monasterium in villa, quæ dicitur Palatiolum, in ripa positum fluminis Mosellæ, quod ipsum a Pippino majore domus Treviris permutatione quæsivimus, honorique S. Mariæ Virginis, Genitricis Domini nostri Jesu-Christi, & beatorum Petri & Pauli, cæterorumque Sanctorum jam dudum ad proprii monasterii usum extruximus, in eoque monacharum cœtum, disciplina & regula sancti Benedicti viventium aggregavimus, faciendum denique nobis visum est, ut has vitæ degendæ necessarias opes, quas de propriis hactenus largitæ sumus, testamenti etiam præsenti pagina confirmaremus.

Legamus itaque & donamus huic, quod diximus, monasterio villam nostram, quæ dicitur Palatiolum, in qua cœnobium esse constructum videtur, idque cum omni integritate, tam domibus, ædificiis, additamentis, casis, curtibus, mansis, mancipiis, quam vineis, campis, pratis, silvis, adjacentibus, farinariis, aquis aquarumque decursibus, & omnibus iis quæ ad ipsam pertinere villam constat.

Addi volumus his prædium Scripnasium in pago Mosao situm, ad ipsius Mosæ fluminis ripam, omnesque possessiones ejus villæ, uno duntaxat quadraginta jugerum agro excepto, quem Insulæ nomine appellatum, jam ante dulcissimo filio Alberico donavimus. Similiter a Deiparæ Matris hoc monasterio possideri prædia ea omnia volo, quæ in Bietbergis, Bessancioque sita, quæque a dulcissima germana mea Regentrude dato pretio comparavi. Rursus portiones meas villarum Enchiariaci, Ursiaci, Caimetarum his adjicio, quæ ad Mosellam omnes sitæ sunt.

Quibus adjungi res etiam eas, facultatesque placet, quæ in prædio Regimoseti a Feronio filio Tullonis justæ mihi venditionis titulo quondam obtigere. Accedunt etiam his possessiones Baldelingis, quæ in pago sitæ Betensi, & a Ganciofrido & Wigerico emptæ, in jus peculiumque meum redactæ sunt: item quæ in prædio Machariaco a Bertonio mihi donata. Hæc omnia tribuo, donoque. Ad extremum id quoque de sententia congregationis memoratæ statuimus, ut, quidquid opum possessionumque in monasterium hoc ipsum contulimus, id in archiepiscoporum ecclesiæ Trevericæ semper sit arbitrio atque tutela.

Datum kal. Aprilis, anno XII Theoderici regis.

VII.

Fundatio abbatiæ Epternacensis per Irminam abbatissam Horrei.

698. DOMINO sancto ac venerabili in Christo Patri Willibrordo episcopo Irmina in Christo Deo sacrata abbatissa. Dum ab omnibus non habetur incognitum, quod ego, inspirante misericordia Christi, pro consilio virorum apostolicorum, patrum nostrorum, Domini Basini & domini Leotwini episcoporum, seu & pro consensu sororum nostrarum Christo servientium, quæ nobiscum sunt congregatæ, basilicas in nomine S. Trinitatis, vel in honore gloriosissimæ Virginis Mariæ genitricis Domini nostri Jesu-Christi, seu & beatissimorum apostolorum Petri & Pauli, vel cæterorum Sanctorum, in villa mea propria, quæ vocatur *Epternacus*, sita super fluvio Sura,

A seu & monasteriolum ibidem ad monachos peregrinos conversandum, vel..... pauperes ibidem alimoniam petendum, pro divino respectu, vel pro animæ meæ remedio construxi. Et dum sanctitas & dilectio vestra erga me vel monasterium meum assidue agitur, igitur decrevi apud animum meum ut vos de rebus meis propriis in aliquo consolari deberem; quod ita spontanea voluntate feci: idcirco dono vobis, donatumque esse volo, memoratas basilicas Sanctorum, ad gubernandum vel dominandum. Itemque dono vobis ad supradicta loca Sanctorum, portionem meam in ipsa villa Epternaco, hoc est, quantumcunque ex successione paterna vel materna mihi obvenit, tam in domibus quam ædificiis, mansis, mancipiis, vineis, terris, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aqua-
B rumque decursibus, seu & pastores vaccarios, porcarios, verveccarios, cum gregibus eorum, vel cum appendiciis suis, id est, Badalingo, Mathosovillare, exceptis hominibus illis, quos per epistolas nostras ingenuos relaxavimus. Similiter dono vobis, vel ad supradictas basilicas vineæ pedeturam unam in monte Viennensi cum vinitore nomine Alifrido, cum omni peculiari suo. Ista omnia, ut dixi, ad ista loca Sanctorum, vel vobis a die præsenti tradimus atque transfundimus ad gubernandum vel ad dominandum, ea ratione ut quidquid de re superius memorata in Dei nomine facere volueritis, liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Nam si quis contra hanc chartulam donationis meæ venire tentaverit, inferat fisco auri libras decem, argenti pondo viginti,
C manente nihilominus firmitate. Actum Treviris, sub die kalend. Novembris, anno IV domini nostri Childeberti regis. Ego Huncio in Christi nomine presbyter hanc chartulam donationis, jubente domina mea Irmina perscripsi: & ipsa subter manu propria una cum testibus firmavit, & qui subscripserunt, in præsenti rogavit. Ego Irmina in Christi nomine hanc donationem relegi. Basinus episcopus. Leodowinus episcopus. Theodefridus presbyter. Waltharius diaconus. Gangbertus presbyter. Hudobertus presbyter.

VIII.

Testamentum S. Irminæ abbatissæ Horrensis in gratiam monasterii Epternacensis.

D ANNO quarto domini nostri Childeberti regis, sub die calendas Decembris. In nomine Patris & filii & Spiritus-Sancti. Ego Irmina in Christi nomine Deo sacrata, ac si indigna, gratia Domini abbatissa, sana quidem, Deo propitio, mente sanoque consilio, testamentum meum fieri rogavi, idque fratri in Christo meo Huncioni presbytero scribendum commisi. 698.

Idcirco dono a die præsenti, pro remedio animæ meæ, vel pro mercedis meæ augmento in æterna beatitudine, vel retributione ad basilicam, quæ est in nomine S. Trinitatis, vel in honore S. Mariæ genitricis Domini nostri Jesu-Christi, vel B. apostolorum Petri & Pauli, seu cæterorum Sanctorum, quæ est in villa
E nostra Epternaco constructa, sita super fluvium Sura, ubi dominus noster, & pater in Christo Willibrordus episcopus rector & gubernator esse videtur, donatumque esse volo, hoc est in ipsa villa Epternachon, quantumcunque ibidem ex successione paterna vel materna mihi obvenit ad integrum, tam domibus quam ædificiis, casis, mansis, mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, cum appenditiis omnibus, vel adjacentiis suis Baidelingo, Mattholfingo, vel portione mea in Oxenvillare, omnia ista cum adjacentiis eorum una cum pastoribus, vaccariis, porcariis, bovicariis, cum gregibus eorum, vel omni peculio promiscuo ad sæpe fata loca Sanctorum, vel ad monasteriolum

ibidem constructum in Dei nomine volo esse donatum, A exceptis hominibus illis, quos per epistolas nostras ingenuos relaxavi, quorum vocabula sunt, Garario, Cumloaldo, Achilde, Theofrido filio, Aldsrido, Clodoare, Raocare, Warelinde, Bacelinde, Grauceleba, Gundulfo. Isti toti denominati, annis singulis unusquisque eorum in luminaribus unam libram ceræ, ad supradicta loca Sanctorum in ipsa villa Epternaco constructa ad Nativitatem Domini reddere, vel dissolvere studeant.

Similiter dono ad jam dicta loca Sanctorum vineæ pedaturam unam in monte Viennense cum vinitore nomine Alithsredo, cum omni peculiari suo. Ista omnia, ut superius intimavi, ad memorata loca Sanctorum a die præsenti per præsentem paginam testamenti nostri tradimus atque transfundimus per- B petualiter in Dei nomine possidendum. Hæc sunt, quæ testamento meo annectere volui: si quæ lituræ vel caraxaturæ adjectionis factæ sunt, ego feci, fierique jussi, dum mihi mea sæpius recensetur voluntas. Nam si quis contra hoc meum testamentum venire tentaverit, aut aliquid irrumpere voluerit, sit anathema, maranatha, indissolubili vinculo in æternum damnatus, & sit lepra percussus Naaman Syri; & insuper inferat fisco auri libram, argenti pondo duo, & nihilominus præsens testamentum firma stabilitate permaneat. Actum Treberi die, & regno suprascripto. Ego Huncio in Christi nomine presbyter, rogante & jubente domina mea Irmina abbatissa hoc testamentum perscripsi, & ipsa subter manu propria, una cum testibus, firmavit. Ego Irmina hoc testamentum C meum relegi. Basinus episcopus. Ego Leodwinus episcopus. Ego Theodefridus. Gundebertus. Bettwinus. Adelbertus. Trasebertus. Garibertus. Garebertus. Audobertus. Waltarius.

IX.

Fundatio monasterii Prumiensis.

720. IN nomine Deitatis sanctæ Trinitatis. Ego Bertrada seu Berta, seu & filius meus Charibertus recogitans molimina peccaminum nostrorum, ut parva pro magnis, terrena pro cœlestibus, caduca pro futuris, in ara Summi Dei Omnipotentis offerre mereamur, ut ab ipsis sublevatæ adipiscamur jugi miserationum domicilii Dei. Idcirco desiderio desideramus circa fluvio Prumia monasterio ædificare; D quod ita & fecimus in honore sanctæ Mariæ & sancti Petri & S. Pauli, S. Johannis & S. Martini, ut sub cœnobio vel regulari ordine ibidem debeant monachi conversare, & pro peccatis nostris die noctuque Domini misericordia adtentius exorare, ut a noxiis sceleribus nostris & filiis meis defunctis mereamur emundare. Propterea donamus ad monasterio, qui vocatur Prumia, de forete nostra de ipso monasterio fuso aqua desuetus illo exarte usque in ipso vado in Prumia, & de ipso vado, indricto usque in Melina flumen, deinde per Melina fuso aqua usque ubi nobis obtingit legitimo, usque ad Winardo curte usque ad illa marca, qui nobis obtingit; & ad stipendia ipsorum servorum Dei donamus de villas nostras, id sunt de Romairo villa de nostra portione medietate, E & de Prumia medietate similiter. Ad Saaingas in Mossisi super fluvio Mosella totum, de Bursis, quidquid est de nostra parte, totum; & de Blancio, quidquid nobis obtingit, totum; Bertelingos nostra parte tota donamus, donatumque in perpetuum esse volumus, villas superius nominatas ad monasterio Prumia, in honore peculiaris patronis nostris sanctæ Mariæ, Petri & Pauli & sancti Martini, seu cæterorum Sanctorum, quorum pignora ibidem in ipso loco venerare noscuntur, ubi Angloaldus Christo auspice præesse dignoscitur. Hoc sunt villas nostras superius nominatas cum omni integritate eorum; hoc sunt salli cum widriscapis, casis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, silvis, mancipiis, accolabus, vestibus, utensilibus, vineis cultis & incultis, mansionibus, mobilibus & immobilibus, vel quidquid in ipsis antecessores nostri ibidem tenuerunt, & nos a die præsente tenere visi sumus, totum & ad integrum, sicut superius dixi, ad jam dicto monasterio pro animæ nostræ & filiis meis defunctis remedium vel æterna retributione donamus atque transfundimus, de jure nostro in jure & dominatione ipsorum servorum Dei, ut ibidem perpetualiter proficiat eis in augmentis, & a die præsente ipsi servi Dei, qui in ipsa loca ordine sancta contemplare videntur, jam dictas villas habeant, teneant atque possideant & eorum posteris spiritalibus derelinquant ad possidendum, vel quidquid de ipsa facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero nos, aut ullus de hæredibus nostris, aut proheredes, vel quislibet opposita persona contra hunc testamentum a nos factum venire tentaverit, aut hoc immutare voluerit, quod futurum esse non credimus, imprimitus iram Dei Omnipotentis incurrat, & sancto Petro qui tenet claves regni cœlorum, & sancto Paulo, cum quo apostolis Domini, seu & cæterorum Sanctorum sic macrescat in radice, ut non florescat in ramis, & si rami ei evenerint, ad nihilum deveniant, tanquam anathematus in radium solis; & quod repetit, nullam unquam tempore evindicare non valeat, sed inanis & vacuus cum ipsis maledictionibus perseveret, & adhuc pro totius firmitatem, ac si parva munuscula nostra, quæ Deum obtulimus, inlæsa perseveret, & insuper juxta legem conditoris, quod principes sanxerunt, inferat nobis auri libras X, argenti pondera XX. Et sic nec quoque factum nostrum ullum tempore irrumpere valeat, sed præsens testamentum, a nos factum, omni tempore firmius permaneat. Unde & nos ipsam cartulam donationis a die præsenti fieri rogavimus, & manus nostras subter decrevimus affirmare, & viris magnificis affirmare rogavimus. Facta cartula donationis publice in villa Prumia, sub die quod fecit mensis Junius dies viginti tres, anno primo regni domini nostri Theoderici regis. Signum Bertradane, quæ hanc cartolam fieri rogavit, manu sua facto. Ego Charibertus subscripsi. Ego Bernarius subcripsi. Signum Chrodolandæ. Ego Theodericus subscripsi.

X.

Testamentum S. Willibrordi in favorem monasterii Epternacensis.

IN Christi nomine. Oportet christianos viam veri- 726. tatis agnoscere, per quam Creatori suo digno meritis suis servire possint, aut oblatio eleemosynarum eorum, & devotio perveniat ad salutem: ipso Summo dicente: *date & dabitur vobis; & facite eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Idcirco ego in Dei nomine Clemens Willibrordus episcopus cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata mea possum abluere, & donante Domino ad æterna gaudia pervenire, dono a die præsenti, donatumque esse perennibus temporibus volo, hoc est, ad monasterium Epternacum, quod est constructum super fluvio Sura, in pago Bedensi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & SS. Petri & Pauli apostolorum, & S. Johannis-Baptistæ, vel cæterorum Sanctorum, ubi ego ipse Clemens Willibrordus custos, vel gubernator præesse videor, &, si Christo placet, corpus meum ibidem requiescere debet.

Hoc est quod dono, vel trado ad ipsum sanctum locum Epternacum omnem rem vel villas seu mancipia, quæ mihi ingenui Franci, pro amore eorum & salute, tradiderunt vel condonaverunt.

A Similiter illas res, quas dominus Pipinus mihi condonavit, vel delegavit, seu matrona sua Plictrudis, sive filius suus dominus noster Carolus, major domus: quas res ipsas dominus Carolus, & genitor Pipinus, tam me vivente, quam de ista vita migrante, pro eorum mercede condonaverunt.

Et illas alias res ex parte denomino, vel homines, qui mihi eas tradiderunt, vel delegaverunt, id est, ut hæc scriptura solemniter, pro temporum serie, confirmare debeat: & hi sunt homines nominibus his nominati.

Rohingus mihi condonavit, vel tradidit ecclesiam aliquam, quæ est constructa in Antuerpo castello, super fluvio Scalde, in pago Renensium, cum appendiciis suis; villas denominatas his nominibus: *Bacwalde*, *Winnelincheime*, *Furgalare*, & in ipso B castello Antwerpo tertiam partem de illo teloneo.

Et Heribaldus clericus mihi condonabat, & tradidit ecclesiam aliam in pago Marsum, ubi Mosa intrat in mare, cum appendiciis suis, & mariscum, unde berbices nascuntur.

Et Angilbaldus mihi condonabat vel tradidit villam quæ vocatur *Wadradoch*, in pago Taxandro, super flumine Duthmala.

Et Ansbaldus mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in villa, quæ vocatur *Busloth*, in pago Taxandrio.

Et Berethinda, Deo sacrata femina, mihi condonabat vel tradebat omnem portionem suam in villa *Bobanschot* in pago Taxandrio. C

Et Henricus mihi condonabat in villa, quæ vocatur *Pieplo*.

Et Engelbertus mihi quondam donabat vel tradebat mihi omnem portionem suam in villa, quæ vocatur *Hinesloten*, in pago Taxandrio.

Item quod Engelbertus mihi condonabat, vel tradebat villam, quæ vocatur *Diosna*, in pago Taxandrio, super flumine Digena.

Et Thietbaldus mihi condonabat, vel tradebat ecclesiam aliquam, quæ est in villa Montnahim, quæ *Araride*, vocatur, cum appendiciis suis.

Et illuster vir Hedenus mihi condonabat, vel tradebat omnem portionem suam in villa, quæ vocatur *Aimistadi*, super fluvio Wielheo, in pago Turingasines. D

Superius nominatas vel scriptas res ego Clemens Willibrordus trado atque transfundo ad illam casam Dei superius nominatam Epternacum, vel ad illam sanctam congregationem fratrum ibidem Deo servientium, ea ratione vero, ut quidquid de iisdem rebus superius nominatis facere decreverint, in omnibus habeant potestatem faciendi, ut & ibidem omni tempore pro nostra mercede, vel seniore nostro Carolo, majore domus, seu eorum hominum, qui mihi suas res tradiderunt, proficiant in augmentis.

Et illud placuit nobis inserendum: Si fuerit ullus de heredibus, vel pro heredibus meis, seu qualibet opposita aut extranea persona, seu judiciaria potestas, quæ contra hoc testamentum, vel donationem meam, quam ego Clemens Willibrordus episcopus sana E mente plenoque consilio, & devotione integra fieri jussi, venire aut agere, vel eam infringere voluerit, & si ista charta ei ostensa ad relegendum fuerit præsentata, se ipse exinde compescere noluerit, in primis iram Dei Omnipotentis incurrat, & sanctorum Angelorum, & ab omnibus ecclesiis, vel consortio Christianorum efficiatur extraneus, & habeat partem cum Juda, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos deglutivit: & insuper inferat cum socio fisco auri libras decem, argenti pondo quinquaginta coactus exsolvat, & quod repetit evindicare non valeat. Actum anno VI, regnante Theodorico rege.

XI.

Pipinus rex confirmat possessiones ecclesiæ Trevirensis.

IN nomine Domini Dei Æterni & Salvatoris Domini nostri Jesu-Christi. Pipinus divina ordinante providentia rex Francorum. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & necessitates ecclesiasticas ad petitiones sacerdotum nostrorum relevamus juvamine, atque regali tueamur munimine, id nobis & ad mortalem vitam temporalem transigendam, & ad æternam felicitatem obtinendam, profuturum liquido credimus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum sagacitas, quia vir venerabilis Wiomadus sanctæ Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus obtulit obtutibus nostris præceptum anteriorum regum Francorum, in quo erat insertum, quod prædecessores nostri, videlicet Francorum, omnes res, quascunque boni & sancti viri pro divinæ contemplationis intuitu ad partem sancti Petri Trevirensis ecclesiæ relegaverunt, suorum auctoritatibus confirmaverunt, quatenus eorum regnum superno auxilio tueretur, & postmodum cum Christo rege regum regnarent in cœlis. Pro rei firmitate vero idem præfatus præsul Wiomadus postulavit celsitudinem nostram ut paternum, seu prædecessorum regum, morem sequentes, hujuscemodi nostræ authoritatis præceptum ob amorem Dei & reverentiam sancti Petri de eisdem rebus fieri juberemus; cujus petitioni libenter consensum præbuimus, & hoc nostræ authoritatis præceptum erga ipsam ecclesiam pro divini cultus amore, & animæ nostræ remedio, fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus ut omnes facultates, vel res ad ecclesiam sancti Petri Trevericæ urbis pertinentes, scilicet cellam sancti Maximini, quæ in territorio sancti Petri principis Apostolorum constructa, & ecclesias S. Paulini & S. Eucharii, & monasterium sanctæ Mariæ, quod dominus Modoaltus pontifex eidem ecclesiæ in territorio sancti Petri a fundamento construxit, quod vocatur *Orea*, & ecclesiam sancti Martini in pago Ambitivo constructam, & cæteras basilicas, castella, vicos, villas, vineas, silvas, homines, & quidquid Deo donante ad eandem ecclesiam deinceps augmenti citra Renum & Ligerum fluvium, in regno nostro sistentia, omnia, sub jure & potestate sancti Petri Trevirensis ecclesiæ ejusque pontificis perpetualiter mancipata permaneant. Præterea pari modo statuimus ut nullus ex publicis judicibus, vel aliquis ex judiciaria potestate in monasteria, ecclesias, castella, vicos vel agros, loca seu reliquas possessiones prædictæ ecclesiæ tam ultra, quam juxta Rhenum vel Ligerum fluvium, in pagis vel territoriis, infra potestatem regni nostri, memorata possidet ecclesia, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda aut tributa, aut conjectos aliquos exigendos, aut mansiones vel parratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distringendos, neque injustas exactiones requirendas, vel theloneum exigendum, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere nequaquam præsumant; sed liceat memorato præsuli suisque successoribus omnia præfata monasteria, villas, vicos & castella cum suis adjacentibus integrum perpetuo tempore, pro remedio animæ nostræ, seu parentum nostrorum, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere mandato, atque pro incolumitate nostra & conjugis, ac prolis, seu etiam totius regni, a Deo nobis collati, & ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, una cum clero & populo sibi subiecto, immensam clementiam jugiter exorare. Et quidquid 761.

de præfatæ rebus ecclesiæ jus fisci exigere poterat, integrum eidem concessimus ecclesiæ scilicet, ut perpetuo tempore ei ad peragendum Dei servitium, augmentum & supplementum fiat. Hanc itaque authoritatem nostri præcepti, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & nostris videlicet præsentibus & futuris temporibus verius credatur, & diligentius a successoribus nostris conservetur, ea manu propria subter firmavimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Pipini percellentissimi regis. Ego Joseph subdiaconus ad vicem *Wulfart* recognovi. Data XV kalendas Julii, indictione XIII, anno nono regnante inclito rege. Actum Tulpiacko in Dei nomine feliciter, amen.

XII.

Alia charta de fundatione abbatiæ Prumiensis.

762. PIPINUS rex Francorum vir illustris. Quia divina nos providentia in solium regni venisse manifestum est, oportet ea in Dei nomine exerceri, in quibus potius gratiam atque voluntatem Altissimi consequi valeamus. Meminimus enim ipsius evangelii, in quo ait: *qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse introibit in regnum cœlorum.* Et quia reges ex Deo regnant, nobisque gentes & regna pro sua misericordia ad gubernandum commisit, providendum, ut & sublimes rectores simus inopibus, & pauperes pro amore Christi regnare atque educare non negligamus. Deus etenim Moysi legislatori tabernaculum propitiatorii ordinare præcepit; Salomonem quoque regem templum in nomine ipsius ædificatum, scimus auro lapidibusque exornasse. Nos enim, quamvis non ita magna eisdem exæquare valeamus, tamen, quod facilius possumus, ex propriis facultatibus, quas habemus, Domino cooperante, eidem offerre desideramus, quia nihil, ut ait Apostolus, in hunc mundum intulimus, nec, quia ex eo quidquam efferre poterimus, sed illud ad animæ salutem credimus proficere, quidquid devota mente de rebus transitoriis Domino videmur distribuere. Igitur dum notum est omnibus tam propinquis, quam exteris nationibus, nos & conjugem nostram Bertradam in amore sancti Salvatoris, necnon & sanctæ Dei genitricis Mariæ, atque beatorum principum Apostolorum Petri & Pauli, vel S. Johannis-Baptistæ, seu martyrum S. Stephani, Dionysii & Mauritii, & confessorum Martini, Vedasti, atque Germani, monasterium in re proprietatis nostræ ædificare, quod est positum infra terminos Bidense atque Ardennæ, ubi rivulus, qui dicitur *Berdenbach*, ingreditur in Prumiam, in ipsius vero monasterii ecclesia de Sandaliis Domini nostri Jesu-Christi, necnon ipsius genitricis Mariæ cæterorumque Sanctorum, quorum jam supra fecimus mentionem, visi fuimus recondere reliquias, atque ibidem constituimus monachos, qui sub sanctæ conversationis norma, vel secundum præcedentium patrum . . . . . debeant omnino exerceri, quatenus, ut qui monachi solitarii nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, & sub sancta regula viventes & beatorum patrum vitam sectantes pro statu ecclesiæ & longævitate regni nostri, necnon ut uxore & filiis nostris populoque catholico, Christo præsule debeant plenius Domini misericordiam exorare. Providendum est tamen, ut dum a nobis pro amore Christi ipsum monasterium a novo opere constat esse fundatum, qualiter pertractemus, qualiter deinceps sacerdotes atque monachi, qui ibidem aderunt, vivere vel consolationem atque tranquillitatem habere debeant, & nequaquam dispersis ovibus pastor inveniat, qui gregem suum providendum commisit nobis, sed adjuncti simul possint Deo Omnipotenti diu noctuque laudes referre. Idcirco inspirante nobis superna gratia

A donamus pariter & ego & conjux mea Bertrada ad ipsum sacratissimum locum, quem in honore sancti Salvatoris vel S. Mariæ construximus, res proprietatis nostræ in pago *Charos*, villa quæ dicitur *Rumeresheim*, tam illam portionem, quæ de genitore meo Carolo mihi advenit, quam & illam portionem ipsius Bertradæ, quam genitor suus Herebertus ei in dote dereliquit, cum appendiciis, vel omni integritate sua, præter aliqua mancipia his nominibus: Wucdramno, Arnulpho, Crodoaldo, Wanulfo, Ghiorino, Chrodramno, Wulfrido, Tuncrado, Adalberto, Berenghiso, Offredo, Matalfredo, Walafredo, Madalfredo, Airoino, Arefredo, Adalivo, *Umnelin de Bertelinde*, Gunberto, *Harelinde, Wnilde* seu *Charde*, Sigfrido, Ratleo, Dulodulfo & Lufo, Mulfo, B *Ratgard de Gerolinde*, *Hildoarance*, *Wineade*, *Aznarate*, *Alpelinde*, *Magnelinde*, *Zebelinde*. Hæc igitur mancipia ad nostrum opus retinuimus, in reliquo vero ipsam villam cum omni integritate sua ad ipsum sanctum locum tradimus atque transfundimus, in cujus termino ipsum monasterium sancti Salvatoris est fundatum, & illam mansionem super Prumiam, ubi rivulus, qui dicitur *Escutmisbach*, confluit in Prumiam, qui est constructus super terminum prædictæ villæ. Similiter donamus ad jam dictum monasterium in pago Mullense, super fluvium Mosellæ, villas nostras his nominibus 1. Meringum, 2. Scoacum una cum merito & terminis vel appendiciis suis. Similiter donamus ad ipsum monasterium villam nostram in pago Eflinse 4. Sarabodis villa una cum C soliditate, terminis atque appendiciis suis, sicut a Garaberto possessa fuit. Tradimus alia duo loca in Carasco ad idem monasterium *Wathit-Lendorp* & *Birgisburias* cum omnibus adjacentiis suis & appendiciis. Similiter donamus in pago Riboariensi illam portionem in 5 *Reginbach*, quam vasallus noster Aglibertus per beneficium habuit, & genitor meus Carolus mihi reliquit in allodem, & illam aliam portionem in ipsa villa, quam Heribertus uxori meæ Bertradæ in allodem dimisit. Confirmamus etiam ibidem & illas res quæ antea ad ipsam ecclesiam per instrumenta chartarum ibidem delegatæ fuerunt, cum omni integritate earum. Tradimus igitur ad ipsum sacratissimum locum superius comprehensum cellam jure proprietatis nostræ in pago Spirensi, quæ est constructa in honore sancti Medardi, cum D villis & appendiciis suis, quem Herlibandus & Weolentio, necnon Bagulfus mihi tradiderunt, totum & ad integrum, tam ecclesiæ ministeria, quam & alias res ibidem pertinentes. Donamus etiam ad ipsum monasterium cellam aliam, quæ dicitur *Casleoca*, quæ est posita infra terminos Sensiaco, & est in honore sancti Petri constructa, cum omnibus adjacentiis vel appendiciis suis. Confirmamus igitur & tertiam cellam ad ipsum sanctum locum, quæ dicitur *Ruivinio* in pago Lomense super fluvium Mosæ, quæ constructa est in honore S. Mariæ, cum omni merito & appendiciis suis. Ea videlicet conditione supra scriptas res, tam villas quam & cellas, cum omni integritate eorum ad ipsum monasterium confirmamus, id est una cum terris, domibus, ædificiis, E accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, greges cum pastoribus, omnia & ex omnibus, a die præsenti, & deinceps absque ullius impedimento, omni tempore supradictæ res ad ipsum monasterium jam sæpe dictum S. Salvatoris proficiant in augmentis. Ita tamen volumus, ut ipsum monasterium sancti Salvatoris, seu res quæ ad ipsum monasterium pertinent, tam quæ ex autoritate nostra sunt confirmatæ, quam quæ a Deum timentibus in antea fuerint collaturæ, in nostra sint potestate vel defensione seu heredum nostrorum, & ipsa congregatio, quam in ipsum monasterium intromisimus, seu & abbas nomine

Assuerus aut successores ejusdem, dum sub sancta regula ibidem Deo auxiliante militare voluerint. Nos de alia congregatione abbatem, nec monachum contra nostrum ordinem non intromittimus, nec hæredes nostri. Et quia ipsum monasterium ab omni secularium cura securum esse volumus, oportet ut nostræ clementiæ provisio de futura quiete fratrum ibidem manentium salubri disponat ordinatione, quatenus in Dei servitio gratia ejus suffragante perseverent. Nos etiam ex autoritate nostra vobis concedimus, ut de congregatione domini Romani & Wolfranni episcoporum, quos in hoc cœnobio sancti Salvatoris congregavimus, quando abbas de hac vita migraverit, una cum consensu nostro & vestro abbatem de ipsa congregatione vobis regulariter eligere debeatis. Et ut vos pro remedio animæ nostræ & conjugis prolisque nostræ & successorum nostrorum, & pro stabilitate totius imperii a Deo nobis concessi, & ejus gratuita misericordia in æternum conservanda perenniter Domini Salvatoris nostri Jesu-Christi misericordiam implorare delectet, atque in ipsius laudibus die noctèque perseverare, & remotis temporalium meditationibus, supernorum gaudiorum contemplationi, mente libera intendere, præcipimus, ut nulla præjudicia atque gravamina a nullo episcoporum seu secularium inferantur, & heredes nostri per nullas artes dum ipsi monachi regulariter & fideliter a parte nostra vel hæredum nostrorum, ibidem conservare videntur, heredes nostri ipsos in cœnobio nostro protegant, sicut visi sunt. Deo autore ipsum locum constituimus, sic usque in æternum inconvulsus permaneat, pro augmento animæ nostræ, vel hæredum nostrorum. Et ut hæc autoritas nostra firmior habeatur, vel in perpetuum melius conservetur, manu propria decrevimus roborare. Ego Pipinus & conjux mea Bertrada. Signum ✠ Karoli filii mei consentientis. Signum ✠ Carolimanni filii sui consentientis. Signum ✠ Genebaudi episcopi. Signum ✠ Gaurleni epis. Signum ✠ Fulcarii episcopi. Signum ✠ Adalfredi episcopi. Signum ✠ Wulfranni episcopi. Signum ✠ Megingaudi episcopi. Signum ✠ Bertelini epis. Signum ✠ Basini episcopi. Signum ✠ Wiemadi episcopi. Signum Droconi comit. Signum Theodardi comit. Signum Warini comit. Signum Welantl comit. Signum Bangulfi comit. Signum Gerhardi comit. Signum Troaniæ comit. Signum Waltarii comit. Signum Herloini comit. Signum Warini comit. Signum ✠ Gumberti comitis. In Dei nomine Bradilo recognovit & subscripsit. Acta mense Augusti, die XIII, an. XI, regnante Pipino glorioso rege. Actum Trisgodros villa publica in Dei nomine feliciter, amen.

XIII.

Carolomannus rex justitiam reddit monasterio Prumiensi de loco Benutfeld.

770. KAROLOMANNUS gratia Dei rex Francorum vir inluster. Regalem quidem exoramus clementiam & animos fidelium nostrorum adortamus, si circa eos, qui tam erga genitore nostro, quam & nos illibatam fidem & veram fidelitatem usque nunc exercuerunt, petitionis illorum in quo nostris auribus patefecerunt, & animos illorum, quos nunc in nostrum habemus dominium delectabilem & amabilem, circa nostrum servitium de die in diem hilariores atque promptiores esse scimus. Ideoque fidelis, Deo propitio, noster inluster vir Dirodoinus comes palatii nostri clementiam regni Deo adjuvante nostri innotuit, dicendo eo quod antecessores quondam nostri Deo instituti reges, per strumenta seriem cartarum, ad genealogia sua vel subsequente ipsius progenie, per eorum auctoritates, eorumque manus roboratas, vel confirmationes regum indulsissent, atque in jure eorum potestate confirmassent silva A aliqua in loco, qui dicitur *Benutfelt*, infra centina Belslango, infra vasta Ardenna, & cessionis regum in præsentia nostra de ipsa silva retulit ad relegendum, & innotuit nobis ut peractores iniquiter ipsa silva ex parte invasissent, & genitor meus Pippinus gloriosissimus rex prædicto Diradoino vel suis gamaladionis de ipsa silva manu vestita fecisset, dum de hac causa sic ante nos fuit ratio deducta, & suam vel suis gamaladionis tam per veragos homines, quamque per confirmationis regum cognovimus, justitiam ei reddimus de loco, qui dicitur *Benezvelt*, de illa fontana, quæ in ipsa villa est, infra unamquamque partem debeant habere quantum ad nos pertinet, & actoris nostri antea cum vel suis gamaladionis injuste contradixerunt, & infra banno fuit una vena B de ipsa fontana in circuitu per loca diversa, quæ de nostra parte judicis nostri iniquiter ipsis contradixerunt. Jubemus ut ab hac die ipsa silva de jam dictis partibus nostris, quam & futuris temporibus, ut nullus judex publicus de partibus nostris ullo unquam tempore abstrahere, nec minuere neque contradicere non debeat de ipsa silva infra, ipsa vena de unaquaque parte, tam in silvis quamque in terris, agris peruissis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, adjunctis, adjacentiis, omnia & ex omnibus sub integritate, sicut jam diximus, debeat habere ipse Dirodoinus vel sui gamaladionis, quamque & posteritas eorum evindicatum, & elidicatum, & quidquid de ipsa silva facere voluerint, ex nostra auctoritate habeant, teneant, atque possi- C deant, & suis posteris ad possidendum relinquant, sicut diximus, quidquid exinde voluerint ex nostra auctoritate liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora melius conservetur, manu nostra propria subter eam decrevimus roborare, & de anulo nostro jussimus sigillare. Signum ✠ Karolomanni gloriosi regis: Mainarius recognovi. Data in mense Maio, anno secundo regni nostri. Actum *Brocmagad*, Palatio publico, in Dei nomine feliciter. Amen.

XIV.

Immunitas a Carolo-magno Prumiensi abbatiæ concessa.

D CAROLUS gratia Dei Francorum rex & Longobardorum, ac patricius Romanorum, &c. 775. omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, domesticis, vicariis, centenariis, vel omnes missos nostros discurrentes. Maximum augere credimus regni nostri munimentum, si beneficia opportuna * loca Sanctorum vel ecclesiarum benevola delibe- * ad ratione concedimus, ac Domino protegente, feliciter perdurare confidimus. Igitur noverit solertia vestra, qualiter nos ad monasterium, quod dicitur Prumia, quod bonæ memoriæ dominus & genitor noster Pipinus quondam rex in honore S. Salvatoris a novo construxit opere, ubi Assuerus abba præesse videtur, tale beneficium pro æterna remuneratione visi fuimus indulsisse, & villas ipsius sancti loci, quas moderno tem- E pore, aut nostro, aut cujuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in jure ipsius monasterii, ejusque rectoribus voluerit diva pietas amplificare, nullus judex publicus absque jussione nostra vel heredum nostrorum ad causas audiendo, aut freda undique exigendo, nec fidejussores tollendo, nec scaras, vel mansionaticos, seu conjectos, tam de carrigio, quamque de parafredos, judiciaria potestas quoque tempore non præsumat ingredere; sed hoc ad ipsum monasterium, ejusque rectoribus concessimus, ut sub emunitatis nomine, vel defensione nostra, seu heredum nostrorum debeant quieti residere. Similiter concessimus ad eundem sanctum locum, ut homines, qui super terram ipsius monasterii tam franci, quam & ecclesiastici

commanere videantur, ut nullum heribannum, vel A bannum solvere non debeant: sed pro mercedis nostræ augmento ad ipsum sanctum locum sit concessum, atque indultum. Statuentes ergo jubemus, ut neque vos, neque juniores, successoresque vestri, neque ulla publica judicia, aut potestas ullo unquam tempore in villis ubicumque in regna nostra ipsius monasterii Prumiensis, aut regia, aut privatorum largitate conlatas, aut quæ in antea fuerunt, Christo propitio, conlaturas, ad audiendas altercationes ingredere, aut freda de quaslibet causas exigere, nec mansiones, aut paratas, vel fidejussores tollendo, nec scaras, vel conjectos tam de carrigio, quamque qui sunt infra agros, vel fines, seu super terram prædicti monasterii commanentes, fiscos, aut freda, aut undecunque potuerat sperare ex nostra indulgentia, pro B futura salute, in luminaribus ipsius supra scripti monasterii per manus agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini, & animæ nostræ remedium, seu nostra subsequenti progenie, plena devotione ad ipsum monasterium in honore sancti Salvatoris indulsimus, nec regalis sublimitas, nec cujuslibet judicum sæva cupiditas refragare tempteiur. Et ut hæc autoritas tam præsentibus, quam futuris temporibus inviolata, Deo adjutore, permaneat, manus nostræ subscriptionibus infra roborare decrevimus, atque de annulo nostro sigillare jussimus. Signum domini gloriosissimi Caroli regis. Datum in mense Novembris anno octavo, secundo regni nostri. Actum Theodonis villa publica in Dei nomine feliciter, amen.

X V.

Epistola Alcuini ad Rigbodum pontificem Trevirensem, cognomine Macharium.

Circa 777. Pio patri & amico carissimo Machario monacho & pontifici, Flaccus Albinus in caritate Christi salutem. Quod Deus conjunxit, seculum non separat. Ecce qui venit ignem mittere in corda suorum, ille faciat ardere, quod incendit. Nec flumina infidelitatis obruent ignem, qui in altari Dei diu noctuque ardere præcipitur. Nec alienum quislibet audeat ignem portare in tabernaculum spiritale, ne occidatur ab eo, qui suum semper ardere jussit. Quis est ignis Dei, nisi caritas? & quis alienus, nisi amor seculi? ideo duo servati sunt ex filiis Aaron propter duo præcepta caritatis, & duo perierunt propter seculi amorem, & amatorem illius. Optimam partem sibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea. Amemus quod non auferetur, fugiamus quod auferri potest. Impium est diligentem non diligere, & retribuenti non retribuere. Quid retribuit nobis Deus? retribuit nobis pro malis nostris bona sua: retribuemus ei pro bonis suis bona nostra: quæ sunt bona nostra, nisi ut diligamus eum, & mandata ejus observemus? quæ sunt mandata ejus, nisi ut diligamus invicem? in his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Cur ista tam longo repetita principio, nisi ut scias ardorem cordis mei? pene mihi melius esset te pauperem habere præsentem, quam divitem absentem. Quid mihi divitiæ, si non habeo quem amo, si non confidero quem desidero? tua potentia est mihi miseria: ubi est dulcissimum inter nos colloquium, ubi sacrarum litterarum studium desiderabile? ubi læta facies, quam conspicere solebam? ubi communio caritatis, quam fraternus amor hinc inde exercuit? ubi saltim memoria nominis nostri? Ecce totus præterit annus, quo nec litterarum consolatio oculis advenit, nec salutationis officium auribus insonuit. Quid peccavit pater, ut a filio oblivisceretur, quid magister, ut discipulus neglexerit eum? forte exaltatio seculi dedignata est nomen magistri in illo, aut peregrinatio mea viluit in oculis tuis, aut amor Maronis tulit memoriam mei. O mihi si nomen esset Virgilius! tum semper ante oculos luderem tuos, A & mea dicta tota pertractares intentione, & juxta proverbium illius essem apud te.

Tunc felix nimium, quo non felicior ullus. Quid faciam? an meam doleo infelicitatem, quia non sum quem diligis? an tuam laudo sapientiam, quia diligis illum qui non est? Flaccus recessit, Virgilius accessit, & in locum magistri nidificat Maro. Hoc dolens dictavi, vel propter oblivionem mei, vel propter absentiam tui, paululum ferociori pumice cartam terens, ut vel iratus aliquid rescriberes. Quia bos lassus fortius figit ungulam, incipe vel defendere te, vel me offendere, ut intelligam studium, in quo otium istius anni exercuisti. Et quo thesauro cor impleris tuum, pande nobis, ut tecum gaudeamus in bono tuo. Utinam evangelia quatuor, non Æneides duo- B decim, compleant pectus tuum, ut te avehat quadriga ad cœlestis regni palatium, ubi est honor indeficiens, & regnum sempiternum, ubi pro me intercedere, credo, memineris, quia, ut illuc venires, exhortari gaudebam.

X V I.

Donatio Karolomanni Epternacensi monasterio confirmata a Carolo magno.

Carolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum ac patricius Romanorum. Quidquid enim locis Sanctorum venerabilium ob amorem Domini cedimus vel confirmamus, hoc nobis ad C mercedem vel retributionem æternam pertinere confidimus. *Circa 794.*

Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter vir venerabilis Berneradus sanctæ Senonensis ecclesiæ archiepiscopus, qui est rector monasterii, ubi sanctus Willibrordus corpore requiescit, quod est situm in loco Epternaco, clementiæ regni nostri innotuit, eo quod bonæ memoriæ Karolomannus quondam germanus noster, pro mercedis suæ augmento, villas aliquas in pago Bedense, in loco nuncupante * *Droise* super fluvium Salmana, & officinas super Lilera, una cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus totum, & ad integrum, quidquid ad ipsa D loca legibus pertinere videtur, ad prædictum monasterium visus fuit condonare; sed negligentia eveniente, nequaquam cartula concessionis ipsius germani nostri exinde accepta fuisset. Unde asserit jam dictus Berneradus archiepiscopus ipsas res quieto ordine ad partes jam dicti monasterii tenere: sed pro rei totius firmitate, petiit a celsitudine nostra ut hoc nos denuo in eleemosina nostra, & jam dicti germani nostri per nostram autoritatem erga ipsum sanctum locum concedere, atque confirmare deberemus. * *Drof.*

Cujus petitionem pro divino intuitu, & reverentia ipsius sancti loci, nolumus denegare, sed in omnibus pro mercedis nostræ augmento, hoc concessisse, atque confirmasse cognoscite. Quapropter per præsens decrevimus atque jubemus per præceptum ut E nullus quislibet de fidelibus nostris, neque ex judiciaria potestate ullo unquam tempore ante memorato Bernerado archiepiscopo, neque successoribus qui fuerint rectores monasterii S. Willibrordi, de jam dictis rebus inquietare, aut calumniam generare, aut aliquid abstrahere, nec minuere ullo unquam tempore præsumatur, sed pro mercedis nostræ augmento, & animæ germani nostri Karolomanni regis ad jam dictum sanctum locum nostris futurisque temporibus, Christo auspice, per manum legentium eorum in luminaribus ipsius ecclesiæ, seu stipendiis servorum Dei, qui ibidem Deo famulare videntur, perenniter proficiant in augmentis.

Et ut hæc autoritas inviolata, Deo adjutore, omni tempore

tempore valeat perdurare, manu propria subter roborare decrevimus, & de anulo nostro sigillare.

Signum Caroli gloriosi regis.

XVII.

Ludovicus pius monasterium S. Maximini eximit ab omni dominatione, liberamque facultatem abbatis eligendi tribuit.

Circa 814. HLUDOVICUS gratia Dei rex Francorum & Longobardorum & patricius Romanorum. Si quieti monasteriorum providemus, hoc nobis & regni nostri diutinam stabilitatem conciliabit, & beatorum pauperum spiritu mercede donabit. Quapropter omnis regni nostri unanimitas noverit quod nos venerandi *Helisachar* familiaris nostri & abbatis cœnobii sanctissimi confessoris Maximini protectoris nostri postulationem percepimus, qualiter pii genitoris nostri Karoli, jure prænominati magni, factum sequentes, jam dictum monasterium privilegiis nostræ quoque autoritatis roboraremus; quam petitionem cum mansuetudine suscepimus, & fieri autoritative præcepimus. Decrevimus namque, & omnibus post nos futuris denunciamus præfatum locum sub nostro sequentiumque regum manere dominatu, veluti prioribus temporibus in ditione regum mansisse dinoscitur, nulli unquam loco subjaceat, nullius personæ dominationem patiatur, electionem etiam abbatis concedimus monachorum arbitrio, cum videlicet, qui vitæ ac sapientiæ merito secundum regulam probabilis invenitur, eligendi. Mancipia insuper & prædia, vel cunctam monasterii substantiam abbatis potestatem permittimus, & ad fratrum solummodo conductum, ne sanctæ religionis status deficiat, liberam vendendi & commutandi habeant nostræ autoritatis licentiam; quatenus sine indigentia, sed cum tranquillitate & pace Dominum pro salute nostra jugiter exorent. Et ut hæc autoritas inviolata perduret, manu propria firmavimus, & sigilli nostri impressione signari jussimus.

XVIII.

Immunitas Ludovici Pii imperatoris indulta Ecclesiæ Trevirensi.

816. IN nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi. Ludovicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quoddam conferimus beneficii, & necessitates ecclesiasticas ad petitiones sacerdotum nostro relevamus juvamine, atque imperiali tuemur munimine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam felicitatem obtinendam profuturum liquido credimus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam & futurorum sagacitas, quod vir venerabilis * Henricus sanctæ Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis domini & genitoris nostri bonæ memoriæ Caroli piissimi Augusti, in quam erat insertum, quod non solum idem genitor noster, verum etiam prædecessores ejus, reges videlicet Francorum, ecclesiæ sancti Petri principis Apostolorum, cui authore Deo ipse archiepiscopus præest, sub suo nomine & defensione cum monasteriis & cellulis, basilicis, vicis, castellis ad eandem sedem pertinentibus, & rebus vel hominibus ad se aspicientibus, sub immunitatis nomine & tuitionis defensione consistere fecerant, videlicet ut nullus per malbobergos nec per aliqua ingenia ejusdem ecclesiæ homines admallaret, neque freda aut theloneos exigere aut paratas in eorum, vel privatas audientias exactare præsumerent. Pro rei vero firmitate postulavit nobis præfatus Heti archiepiscopus, ut paternum seu prædecessorum nostrorum regum morem sequentes hujuscemodi nostræ immunitatis præceptum ob amorem Dei & reverentiam sancti Petri erga ipsam ecclesiam fieri censeremus; cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hæc nostræ authoritatis præceptum erga ipsam ecclesiam immunitatis & tuitionis gratia pro divini cultus amore & animæ nostræ remedio fieri decrevimus, per quod præcipimus & jubemus, ut nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate, in monasteria, ecclesias, castella, vicos, villas, loca, & agros seu reliquas possessiones prædictæ ecclesiæ, quas moderno tempore juste & legaliter tam ultra, quam juxta Rhenum, vel circa Ligerim in pagis vel territoriis infra ditionem imperii nostri memorata tenet & possidet ecclesia, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda aut tributa aut conjectos aliquos exigendos, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ distringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat, neque theloneum exigere, quemadmodum in præcepto domini & genitoris nostri continetur; sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ sancti Petri cum omnibus suis subjectis, & rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio, atque pro incolumitate nostra, conjugis ac prolium, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati, & ejus clementissima miseratione per immensum conservandi una cum clero & populo sibi subjecto Deum exorare, &c. Hanc itaque authoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius credatur, & diligentius conservetur, etiam manu propria subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Ludovici serenissimi imperatoris. Durandus diaconus ad vicem *Helysachar* recognovit. Datum VI kal. Septembris, anno Christo propitio tertio imperii Ludovici piissimi Augusti. Indictione X. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

* Hettinus

XIX.

Litteræ Hetti archiepiscopi Trevirensis ad Frotharium Tullensem episcopum.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Hetti misericordia Dei archiepiscopus diœceseos Trevirensis, nec non legatus Ludovici serenissimi imperatoris, venerabili fratri Frothario Tullensi episcopo æternam salutem. Notum sit tibi, quia terribile imperium ad nos pervenit domini imperatoris, ut omnibus notum faciamus, qui in nostra legatione manere videntur, quatenus universi se præparent, qualiter proficisci valeant ad bellum in Italiam, quoniam insidiante Sathana Bernardus rex disponit rebellare illi; propterea tibi mandamus atque præcipimus de verbo domini Imperatoris, ut solerti sagacitate provideas cum summa festinatione omnibus abbatibus, abbatissis, comitibus, vasallis dominicis vel cuncto populo parochiæ tuæ, quibus convenit militiam regiæ potestati exhibere, quatenus omnes præparati sint, ut si vespere absque ulla tarditate proficiscantur in partes Italiæ, quia dominus Imperator suum iter præparat, ut quanto citius poterit, in partes illas una cum fidelibus suis pergat. 817.

XX.

Commutatio inter Hetti archiepiscopum & Marcuardum abbatem Prumiensem a Lothario laudata.

846. IN nomine Domini nostri Jesu-Christi Dei æterni. Hlotharius divina ordinante providentia imperator Augustus. Dum utilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ pio favore consulimus, morem exsequimur prædecessorum nostrorum, idque ad profectum totius imperii a Deo nobis commissi congruere haudquaquam diffidimus. Proinde noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium scilicet & futurorum, prudens solertia, quia venerabilis Marcuardus abba Prumiensis monasterii suggessit mansuetudini nostræ, humiliter implorans ut commutationem quamdam, quam pro communi utilitate cum archiepiscopo Trevirensis ecclesiæ, per licentiam nostræ auctoritatis inter se fecerunt, præcepto serenitatis nostræ corroboraremus. Dedit igitur jam dictus venerabilis abbas Marcuardus ex rebus sancti Salvatoris venerabili Hetti archiepiscopo *Ekkilevicsroth*, & de terra pro recompensatione hujus rei recepit de manu & potestate jam dicti archiepiscopi Hetti ex jure proprietatis suæ quemdam porprisum locum, qui dicitur *Scindalasheim* juxta Caldebrunam, cum omnibus finibus suis & adjacentiis; ea scilicet ratione, ut deinceps utraque pars, quod accepit, habeat, teneat, atque possideat, & quidquid legaliter exinde facere voluerit, libero inde in omnibus perfruatur arbitrio faciendi quidquid elegerit: ita ut ultra nequaquam a die præsenti & deinceps his commutationibus neuter unquam repetere, nec aliquam calumniam generare præsumat. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum per futura tempora firmum & inviolabilem obtineat vigorem, manu subter firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Hlotharii serenissimi Augusti. Ercamboldus ad vicem Hilduini recognovit. Data calend. Januarii, anno Christo propitio imperii domini Hlotharii piissimi Augusti in Italia XXVI, in Francia VI, indict. VIIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXI.

Lotharius imperator eligit suam sepulturam in monasterio Prumiensi.

855. IN nomine Domini nostri Jesu-Christi Dei æterni. Hlotharius divina præveniente providentia imperator Augustus. Satis imperiali congruit excellentiæ, tanto copiosiores votis & exercitiis opifici & exaltatori suo laudes gratesque rependere, quanto constat præ cæteris eminentiori pollere dignitate, quia tunc superni regni poterit adipisci hereditatem, si loca Sanctorum divino cultui mancipata condignis muneribus ditare & sublimare studuerit. Proinde omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum, noverit universitas, quia nos pro amore Dei Omnipotentis, & animæ nostræ sempiterna remuneratione villam juris nostri, quæ consistit in pago Ribuariensi, Albiniacum vocabulo, cum omnibus juste & legaliter ad se pertinentibus, monasterio Prumiacensi, quod est dedicatum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu-Christi, ubi domino jubente corpore jacere volumus, ad luminaria concinnanda vel componenda contulimus ac delegamus, quatenus ibi deserviant atque consistant, sed pro integra soliditate & firmissima stabilitate hos excellentiæ nostræ apices fieri censuimus, per quos præfatam villam Albiniacum prænominato S. Salvatoris cœnobio ob emolumentum animæ nostræ, cum universis ad se pertinentibus, terris videlicet cultis &

A incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, exitibus & regressibus, nec non & mancipiis utriusque sexus inibi aspicientibus, sicut protulimus, ad luminaria diligentissime custodienda & concinnanda, per prolixa annorum curricula tribuimus ac delegamus. Ea namque scilicet conditione, ut nullus successorum nostrorum, filius scilicet ac nepos, vel quilibet ex regia dignitate, eandem villam a potestate prædicti sancti loci subtrahere præsumat, nec ullus ejusdem monasterii rector a prædicto officio eam auferendi, vel cuiquam beneficiendi licentiam habeat. Quod si quispiam, aliqua ductus cupiditate, hoc votum nostrum sincerum atque præceptum disrumpere aut violare conaverit, iram indignationemque atque offensam cuncti Omni-
B potentis Dei atque omnium Sanctorum se incurrere cognoscat, & nobis pro opere pio, affectu perfecto, æterna & immarcessibilis maneat retributio. Hæc vero nostræ largitionis præceptio, ut per futura tempora stabilis ac firma & rata perseveret, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Hlotharii serenissimi Augusti. Hercamboldus notarius ad vicem Hilduini recognovit. Data XIII calend. Octobris, anno Christo propitio imperii domni Hlotharii piissimi atque serenissimi Augusti in Italia XXXVI, & in Francia XVI, indict. IIII. Actum Scolinare palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

XXII.

C *Epistola Teutgaudi archiepiscopi, qua Hegilonem ad loca sancta peregrinantem Carolo Calvo commendat.*

GLORIOSISSIMO & a Deo coronato magno & pacifico regi Karolo, & omnibus beatissimis præsulibus, cæterisque in gradibus ecclesiasticis ordinatis & universis in regno ejus secularem administrantibus dignitatem, seu cunctis fidelibus Domini nostri Jesu-Christi adventum diligentibus, Teotgaudus humillimus Trevirorum archiepiscopus plenam pacem, & perpetui gaudii optabilem implorat salutem. Quia sæpe fieri solet ut magni viri, summa religionis arce conspicui, virtutum robore prævalidi, armis justitiæ accincti, castitatis candore insigniti, sapientiæ decore
D præfulgidi, migrandi de suis locis concipiant amorem, quo per talem occasionem humanam possint subterfugere laudem, & minoris meriti æstimentur ab extraneis, qui granditer honorificabuntur a nobis. Plurima quippe sunt istiusmodi occasionis veteris & novi testamenti hortamenta, & evidentissima præ oculis documenta; quæ vobis, quia satis agnita esse non ambiguimus, opportunius ea præterimus. Hac igitur felicissima consuetudine & saluberrima doctrina commonitus quidam frater nobis charissimus, & cunctis benevolentibus nomine Hegilo, qui diœcesanus noster erat, in nostra videlicet diœcesi nutritus & tonsus, sacroque dogmate sanctarum scripturarum plenissime eruditus & honestissime conversatus, atque in ecclesia nobis commissa ad sacerdotii dignitatem fuerat pro-
E motus, licentiam a nobis petiit, ut more canonico absolutione suscepta, & largita sibi benedictione tutius atque securius loca Sanctorum visitare, & ad vestram præsentiam liberius ac familiarius accedere valeret, ad quemcunque ex vobis illum itineris varietas perduxisset. Itaque nos petitioni ejus assensum tribuentes, & venerationi illius consentientes, acquievimus consentiendo, quod secundum Deum desiderare videbatur. Quocirca suppliciter deprecamur, & obnixe deposcimus humanitatem vestram ut honorabiliter susceptum, sicut Dei templum, & habitaculum Spiritus Sancti, vel uti mansionem sanctæ Trinitatis, quemadmodum pretiosissimum membrum Christi, sicuti auctum dono & largitate septiformis gratiæ

Circa 860.

Dei, quocunque pervenerit, sive modico, seu largiori spatio apud vos moraturus, benigne tractetis, humane exhibeatis: ut Christum in eo suscipientes, prout rogamus, fideliter pro illo, meritum munificentiæ vestræ acquiratis æternaliter. Denique cum propter memorabilem justificationum ipsius prærogativam, has vobis pacificas litteras porrigere decerneremus, opere pretium fore arbitrati sumus ut græca quoque elementa ex nomine Patris π. & Filii υ. & Spiritus Sancti α. primam quoque litteram ex nomine B. Petri apostoli π. & Amen in fine insereremus, cum lineris nihilominus græcis summam illarum demonstrantibus ΦΞΑ. ut per hoc vobis evidentius luceret honorificentia ejus quem exoramus, præfixis apicibus sanctæ Trinitatis; ut sacrosancta Trinitas illum ubique conservet, muniat atque defendat, intercedente beato Petro apostolo. ΑΜΗΝ vero in extremo apponere studuimus, optantes ut iter illius salubriter dirigatur, oculis divinæ Majestatis efficiatur acceptabile, receptibile Sanctis, & memorabile in æternum, per Dominum nostrum Jesum-Christum. Hac ratione in hac epistola græca elementa posuimus, non ut canonicam formatam formaremus, sed ut eidem jam intimato Hegiloni prospera per elementa indita precaremur: valete. Dextera Dei Patris, per quem facta sunt secula, religionem vestram tueatur, & bonam impleat voluntatem juxta desiderium vestrum, omnes fideles & cuncti beatissimi fratres cum rege Karolo, a rege omnium regum pro magnis meritis in perpetuum coronandi. Amen.

XXIII.

Teutgaudus & clerus Trevirensis a Nicolao I absolvuntur a juramento.

861. AUCTORITATEM venerabilium prædecessorum nostrorum secuti, & nominatim beatissimi papæ & martyris Alexandri quinti a beato Petro, ab omnibus juramentis, & cujuscunque modi obligationibus, quibus illi sese, coacti violentia impiorum, obligaverunt, absolvimus; & ne illa serventur, vetuimus, tam præfatum archiepiscopum Trevirensem, quam ejus præpositum, & omnes, qui tunc temporis capti, se illis quoquo modo obligaverunt, neque ullam eos proinde infamiam, aut calumniam, aut a suis bonis sequestrationem unquam, autore Deo & sanctis Apostolis, & nostris prædecessoribus sustinere permittimus, sicut per prophetam Dominus dicit: *dissolve colligationes impietatis*. Quin etiam præfato fratri nostro, filiisque Trevirensis ecclesiæ, illiusque defensoribus hæc in mandatis damus, ut spirituali simul & materiali gladio tam diu malignos illos, illorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones vel quæcunque res ecclesiasticæ, hoc facto vel quocunque pacto distractæ, seu direptæ sunt, revocentur.

XXIV.

Jus mercati & monetæ abbatiæ Prumiensi a rege Lothario concessum in Romari-villa.

861. IN nomine Omnipotentis Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi Hlotharius divina præveniente clementia rex. Si utilitatibus ecclesiarum Dei studiosius providentiam adhibemus, morem exequimur piissimorum regum, idque ad emolumentum animæ nostræ prodesse minime ambigimus. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, ac nostrorum, præsentium videlicet & futurorum, noverit industria quia Ansboldus Prumiacensis monasterii abba nostris serenissimis innotuit auribus, quod ipse locus propter mercati & monetæ longinquitatem non modicum patitur discrimen: inde petiit clementiam magnitudinis nostræ, ut licentiam in loco qui vocatur Romarivilla, non procul ab eodem monasterio sito, mercatum & monetam ad utilitatem ejusdem loci fieri non dedignaremus. Cujus petitioni ob reverentiam Domini & Salvatoris nostri Jesu-Christi, & remedium animæ nostræ libenter adquiescentes, has nostræ petitionis litteras fieri decrevimus, per quas statuentes decernimus, atque jubemus ut abhinc in antea in prædicto loco mercatum habeant more humano, & moneta ad bonos & meros denarios perficiendum fiat, & nulla pars publica inde teloniuni vel aliquam exactionem exigat, sed in utilitatibus ejusdem sancti loci, vel fratrum ibidem Deo militantium in futuro perseveret.

Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas inviolabilis perseveret, de annulo nostro subter jussimus sigillare, & manu propria firmavimus.

Signum Hlotharii gloriosissimi regis. Rotmundus notarius recognovit & scripsit. Data v cal. Augusti, anno Christo propitio regni domini Hlotharii regis VI, indict. IX. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen.

XXV.

Sententia depositionis lata in Teudgaudum Trevirensem & Guntharium Coloniensem.

TEUGUALDUM Trevirensem, & primatem Belgicæ provinciæ, & Guntharium Agrippinæ coloniæ archiepiscopos, nunc coram nobis & sancta synodo sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharii regis, & duarum mulierum ejus Thebergæ scilicet & Gualdradæ recognoverint & judicaverint, scriptum super hoc propriis manibus roboratum offerentes, nihil se plus vel minus aut aliter egisse ore proprio multis coram positis testibus affirmantes, & sententiam, quam a sede apostolica in Engeltrudam uxorem Bosonis sanctissimus frater noster Mediolanensis archiepiscopus Thado, & cæteri episcopi nostri petiverant emittendam, & nos divino succensi zelo sub anathematis attestatione canonice protuleramus, publice se viva voce violasse confitentes: in quibus omnibus invenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse: ab omni judicamus sacerdotii officio manere penitus alienos: & ideo Sancti Spiritus judicio, & beati Petri per nos authoritate episcopatus exutos regimine consistere definientes. Prædictis autem depositis licentiam concedimus ecclesiam ingrediendi & communicandi sicut laicis, & loquendi suas utilitates, non autem turbas concitandi vel scandalum solicitandi illis tribuimus facultatem. Quantum autem ad episcopale ministerium specialiter pertinet, etiam nulla eis sit licentia contingendi, sicut nos cum sancta synodo jam decrevisse constat. 863.

XXVI.

Carolus Calvus immunitatem a teloneis tribuit monasterio Prumiensi in regno suo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus Dei gratia rex. Omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, vel omnibus rempublicam procurantibus notum sit, quia vir venerabilis *Egil* monasterii Prumiæ quondam abba, quod est constructum in honore S. Salvatoris, veniens in nostram præsentiam ostendit nobis auctoritatem præceptionis domini & genitoris nostri Ludovici piissimi imperatoris Augusti, in qua continebatur, ut ubicumque in ejus imperio pro utilitate vel stipendio monachorum ibidem Deo famulantium homines illorum in quamcunque partem negotiandi 864.

gratia, sive cum navibus, aut cum carris, aut A saumariis abiissent, nemo telonium ab illis exigere præsumeret. Petiit ergo idem religiosus vir, ut pro amore Dei & reverentia ipsius sancti loci, nostram auctoritatem firmitatis gratia superadderemus. Cujus precibus placuit nobis libenter aurem accommodare, & hoc nostræ auctoritatis præceptum eis fieri, per quod jubemus atque decernimus ut neque vos, neque juniores aut successores vestri, nec quælibet ulla judiciaria potestas illis aut hominibus eorum, qui pro necessitate & utilitate ipsorum discurrunt, nullum telonium, nec rotaticum, nec pontaticum, nec pulveraticum, nec salutaticum, nec cespaticum exigere, aut exactare præsumat: sed, sicut diximus, liceat eis per regnum a Deo nobis conlatum secure & quiete absque alicujus contrarietate abire & redire, & ad B quemcunque locum ipsi aut homines eorum accessum habuerint, per nos defensi, atque quieti permaneant. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & ab omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris diligentius conservetur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari. Signum Caroli gloriosi regis ✠. Hildiboldus notarius ad vicem Ludovici recognovit. Data IV kal. Augusti, indictione XII, anno XXV, regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum Remis in Dei nomine feliciter, amen.

XXVII.

Ex antiquo Breviario monasterii Juviniaci.

Relatio translationis reliquiarum S. Scholasticæ in abbatiam Juviniacensem.

Circa 874.

QUI miranda opera Sanctorum quæ per eos Dominus gessit, scriptis ad memoriam & utilitatem legentium commendat, Deum utique glorificat qui mirabiliter per Sanctos suos magna & miranda operatur, quia absque eo nullus Sanctorum mirabilia operatur, unde & ipse Dominus in evangelio apostolis dicit, *sine me nihil potestis facere.* Nam quod mirabilis Deus in Sanctis suis psalmista testatur, *mirabilis Deus,* inquit, *in Sanctis suis;* quia vero opera Dei miranda narrare debeamus, Angelus Raphael nos instruxit qui Thobiam & filium ejus ad benedicendum Dominum hortans, ait, *benedicite Dominum cæli, & coram omnibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam, nam sacramentum regis celare bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum.* Quia igitur in præcedentibus hujus scedulæ breviter lucideque prælibatum est qualiter vel quo tempore, vel a quibus corpora Sanctorum, Benedicti scilicet & sororis ejus sanctæ Scholasticæ, a Beneventanis partibus in regione Galliæ, in partes Aurelianenses & Cynomannicos translata sunt; nunc referendum est quomodo, & quo studio atque industria ejusdem S. Scholasticæ pignora in Cynomannica civitate translata sunt a nobilissimæ dignitatis imperatrice Richilde in monasterio Givigniaco, quod eidem Richildi originaliter a progenitoribus obvenit situm in pago Waberinse; aggrediar igitur, & quid mihi veracium ore relatum est enarrare, Deo juvante, curabo.

ANNO Incarnationis Domini nostri Jesu-Christi DCCCLXXIV translata sunt pignora sanctæ virginis tuæ Scholasticæ in supradicto monasterio Givigniaco a jam dicta regina Richilde sexto idus Junias. Quo vero ordine, quave industria curiositate id egerit jam fata matrona, sicut ab ipsius ore comperimus, & aliorum qui cum ea id egerunt, referre conabor. Diebus sanctis Quadragesimæ erat præcelsus imperator domnus Carolus cum supradicta imperatrice Richilde commorans in monasterio S. Dionysii, cupiens inibi more solito sanctos dies transigere; quadam die sedentibus ad prandium venit lector juxta consuetudinem ad legendum, attulit autem librum Dyalogorum, cumque legisset ventum est ad locum in quo refertur quod sanctus Benedictus visitandi gratia veniens ad sororem sicut solebat in anno, & cum ad monasterium reverti cuperet, & a sorore rogaretur ut ipsa nocte cum ea Domino vacaret, nil valuit obtinere; jam vero preces tacite fudit, pluviamque magnam cum coruscationibus a Domino impetravit, sicque fratrem suum invitum retinuit, dicens, quod a te impetrare non potui, rogavi Dominum & exaudivit me & impetravi, sicque in Dei laudibus & allocutionibus divinis totam noctem pervigilem duxerunt. Cumque regina prudentissima hanc lectionem audisset, tanto amore Virginis accensa est ut nil sibi boni adesse crederet si non pignora ejusdem Virginis promereri posset, & in honore ejus basilicam & monasterium strueret in rebus sibi a parentibus originaliter relictis, qua de causa adiit Goislenum venerabilem abbatem fratremque ejus Goifridum, in quorum tutela Cynomannica civitas erat posita, postulans ab eis ut eorum obsidio & adjutorio corpus beatæ Virginis adipisci mereretur, illi vero hoc omni modis abnegaverunt, dicentes id se nullo pacto perficere posse. Regina itaque eorum dictis contradicentes nullatenus quievit, sed Dei misericordiam & sanctæ Virginis adjutorium implorabat ut voti sui compos fieri mereretur, tunc sese genibus imperatoris advolvit, cum crebrius deprecatur ut quia a Goisleno & Goifredo id obtinere non valuit quod petiit, ipse imperator ageret cum Roberto venerabili episcopo ejusdem civitatis ut voti sui compos & desiderii fieri mereretur; C imperatore vero diu differente, illa crebrius cum precibus institit donec sponsionem imperatoris promeruit ut si Dei voluntas sanctæque Virginis assensus adforet id omnimodis adimplere satageret. Contigit autem ut præfatus rex eotempore Andegavis in expeditione contra Paganos pergere, & regina post eum Cynomannis deveniret reditum regis inibi præstolatura. Rege vero Andegavis demorante regina non immemor voti sui cepit sedulo præfatum Robertum episcopum rogare atque omnimodis insistere ut sibi pignora S. Virginis largiri dignaretur, quatinus cujus reliquiæ negligentius custodiebantur propter Paganorum incursionem quorum scelere ipsum monasterium concrematum ..... videbatur, ipsa regina in tutiori loco monasterium instrueret, & diligenti cura eadem pignora inibi faceret custodiri atque venerari. Sed prædictus episcopus diu D distulit hæsitans super hac re, simulque dicens se nescire quo in loco in ipsa basilica sancta Virgo sepulta foret, præfata vero regina precibus importunis ipsum episcopum quotidie aggrediens, non ante distulit preces fundere donec sponsionem episcopi promeruit ut si voluntas Domini & sanctæ virginis Scholasticæ adforet votum ejus adimpleret. Quid multa! itur ad basilicam quasi orationis gratia, re autem vera ut desiderium reginæ adimpleretur, venientes autem illuc paucis retentis in domo cæteris egressis quæsitum est ubi suspicio erat sacri loculi minimeque inventum; custos vero ejusdem loci genere Scotus qui hoc secretum sciebat, & a præfata regina neque ab episcopo blanditiis potuit deliniri ut rei veritatem ediceret. Tunc præfata regina minis eum E aggressa est, dicens eum membrorum evulsione mutilandum nisi secretum manifestaret, tunc ostendit locum sub altari, in quo altius fodientes in terræ sinu inveniunt desideratum thesaurum reconditum, tunc gratias agentes Deo laudabant Dominum qui justa petentes exaudire dignatur. Levantes itaque sancta ossa majorem ossium partem idem episcopus reginæ contulit, reliqua quæ remanserunt iterum clausit ne id plebs Cenomanica sentiret, & in murmur & in seditionem verteretur. Ipsa sancta ossa sudario regina involuta sinui proprio commisit, furtumque laudabile abscondit ferente ante eos quodam aulico reliquias usque in civitatem in basilica publica. Tunc regina voti sui compos effecta transtulit eadem membra

ad monasterium prædictum, condignaque basilica A instructa ibi sancta membra cum hymnis & cereis choroque psallentium sunt humata, ubi plurimæ patuerunt & patent virtutes quas Dominus Jesus-Christus ob merita S. virginis Scholasticæ manifestanda operare dignatur. De quibus virtutibus pauca annotavimus, plurima prætermisimus, ut & tantæ Virginis merita in paucis fierent nota & in plurimis fastidium legentibus tolleretur.

XXVIII.

Epistola Johannis VIII papæ ad Bertulfum archiepiscopum Trevirensem.

878. VENERABILI archiepiscopo Bertulfo Trevirensi. Ecclesiastica exigente utilitate, quoniam Deo duce causæ ad Galliarum partes venire commodum duximus: quapropter fraternitatem vestram necessario commonere studemus, ut secundum cœlitus sibi sapientiam datam frequenti adhortatione suggeras Ludovico regi aliisque confratribus, ut ad nostræ medioeritatis colloquium atque generalem synodum, juxta Christi voluntatem, apud Trecas congregatam venire non omittat: vel si aliqua necessitate prædictus rex præpeditus fuerit, &, ut non optamus, properare distulerit ad locum prædictum, quo cum Ludovico rege locuturi sumus, nomine tenus destinet: quatenus sub cuncta celeritate regum filiis congregatis, totius christianitatis, Dei gratia duce, consulere communiter valeamus utilitati.

XXIX.

Williherius abbas S. Maximini præficitur capellæ regiæ Francofurtensi.

880. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hludovicus divina favente gratia rex. Si locis Deo dicatis nostræ regiæ potestatis compendium impenderimus, hoc nobis ad æternæ retributionis præmia capessenda profuturum liquido credimus. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum industria, qualiter piissimus genitor noster ob amorem Domini, & suæ mercedis augmento tradidit, tradita sque firmavit quasdam res proprietatis D suæ ad capellam suam ad Francofurt, quæ est constructa in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, hoc est, capellam ad *Cufstein*, & illud monasterium ad Ufella; & illam ecclesiam in villa, quæ vocatur *Steti*; & illam ecclesiam ad *Plageflat*, & illam villam, quæ dicitur *Pargilla*, cum ecclesia & decima ad eam pertinente, sicut eam Rutkerus in beneficium habuit; & illam ecclesiam ad *Sprendilingun* cum illo manso, qui ad eam pertinet; & illam ecclesiam ad *Biscofesheim* cum omni decimatione, cum mancipiis ad eam pertinentibus, & quod Rutkerus habuit in villa *Seckibah*; & illam ecclesiam ad *Suenheim* cum omni decimatione, cum mancipiis & terris ad eam pertinentibus, & tres mansos ad *Gelstrebach*; & illam capellam ad *Nerenstein*, cum omnibus ad eam pertinentibus, sicut eam Aaron E ibi in beneficium habuit; & illam villam, quæ dicitur *Kadelcamf*, cum omnibus appendiciis; & illam capellam in Bunna, & sicut Herinh in beneficium habuit in Osternaha, & quod Ruodlind ad ipsam capellam tradidit, scripto confirmavit. Has itaque præscriptas res cum omni integritate, id est cum omnibus ad eas pertinentibus, in domibus, ædificiis, mancipiis, campis, agris, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus ad jam dictam capellam pius genitor noster tradidit, atque transfudit, ut deinceps perpetualiter ad Dei servitium peragendum ibi permaneant absque ullius contradicentis obstaculo; & constituit ut in eodem loco ad serviendum Domino consistant clerici A XII, exceptis presbyteris, qui in locis illuc pertinentibus Domino famulantur. Et hi omnes de præscriptis rebus habeant stipendia necessaria, & ab illo abbate, cui ipsa capella commissa fuerit, nulla unquam hostilis expeditio exigatur. Insuper etiam præcepit ut abbas Williherius, cui ipsa capella commissa est, diebus vitæ suæ eam securiter habeat, cum omnibus ad eam pertinentibus; nec ullus inde ei quidquam inferre præsumat, sicut regiæ partis tunc in beneficium habere visus fuit, cum omnibus præscriptis & jure ac legitime ad ea pertinentibus, in decimationibus seu aliis appendiciis. Nos igitur paternæ traditioni consentientes jussimus fieri hoc nostræ consensionis præscriptum, per quod volumus, atque præcipimus ut sicut pius genitor noster præscripta omnia constituit B atque firmavit, ita deinceps firmata atque stabilita permaneant absque ullius contradicentis aut inquietantis obstaculo. Et ut hæc consensionis nostræ autoritas firmior habeatur, ac per futura tempora a fidelibus nostris melius credatur & diligentius observetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Ludovici serenissimi regis. Arnolfus cancellarius ad vicem Luitberti archicapellani recognovi. Data XV kalend. Decemb. anno Incarn. Domini DCCCLXXX, indict. XIII, anno V regni Ludovici serenissimi regis. Actum Francofurt, in Dei nomine feliciter. Amen.

XXX.

C *Zuentiboldus rex jus monetæ tribuit abbatiæ Prumiensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Zuentiboldus divina clementia rex. Si pro Domini nostri Jesu-Christi amore & Sanctorum reverentia utilitatibus servorum Dei consulimus, & quiddam locis Deo dicatis conferimus beneficii, id nobis ad regni superno nutu concessi stabilitatem, & ad promerendam æternæ beatitudinis felicitatem procul dubio credimus profuturum. Omnium ergo fidelium nostrorum præsentium & futurorum noverit solertia, quia nos ad novum monasterium in pago Riwerense situm venientes, cogitavimus, ut pro eleemosina domni genitoris nostri, ac pro nostra nostræque conjugis remuneratione, aliqua nostræ liberalitatis munificentia illud augmentaretur. Statuimus itaque quatenus nostra nostrorumque licentia in eodem loco mercatum habeatur, & publica fiat moneta & de telonio ipsius mercati duas partes ad beatum Chrysanthum & Dariam, quorum corpora ibidem quiescunt, perpetualiter concessimus. Unde & hos nostra mansuetudo apices fieri jussit, per quos enixius præcipiendo sancimus ut duæ partes telonei atque moneta, sicut dictum est, ad sanctum Chrysantum & Dariam absque aliqua ullius repetitione aut contradictione perenniter traditæ veniant, & in eorum jure & eorum ministrorum dispositione consistant. Et ut hæc nostræ largitionis authoritas firmiorem in Dei nomine fine tenus obtineat stabilitatis vigorem, manu propria subter eam firmavimus, & sigilli nostri impressione adsignari jussimus. Signum domini Zuentipoldi piissimi regis. Walker notarius ad vicem Ratbodi archiepiscopi archiquecancellarii recognovit. Data idibus Nov. anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCVIII, anno vero domini Zuentipoldi gloriosi regis indictione II. Actum Treviris civitate in Dei nomine feliciter. Amen. 898.

XXXI.

Ratbodus archiepiscopus cum civitate Trevirensi a potestate comitum eximitur.

899. IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Zwendeboldus divina præveniente clementia rex. Si juxta morem antecessorum nostrorum ecclesias, res ac familias nostræ miserationis tuitione solvamus, per Sanctorum patrocinia primum nobis ex hoc a pio remunerante Deo incunctanter credimus recompensari. Quocirca omnium nostrorum fidelium præsentium & futurorum noverit solertia quod Richquinus & Widiatus venerandi comites nostri indicantes nobis, homines sancti Petri, in civitate manentes, de nostro frequenti adventu magnam incommoditatem ac dispendium pati, nostram deprecati sunt celsitudinem, ut ab hujuscemodi oppressione nostra liberarentur & salvarentur tuitione. Quorum petitionem ob amorem Dei & reverentiam sancti Petri, nec non pro dilectione Rathbodi venerandi pontificis libenter auscultantes, hoc nostræ serenitatis præceptum fieri jussimus, per quod obnixe præcipimus, firmiterque sancimus, ut nemo nostris nostrorumque successorum temporibus, in domibus prædictorum hominum, videlicet sancti Petri Treviris manentium, mansionem accipere, nisi quem episcopus jusserit; neque ullam eis quispiam in eorum mansionibus incommoditatem ulterius facere præsumat, neque ullam cogantur solvere expensam. Præcipimus quoque, ac nostræ autoritatis imperio penitus interdicimus, ut nullus ex regia ac comitis parte, neque ulla judiciaria potestas, in villis ejusdem sancti Petri placitum habere, aut aliquod districtum in eis ulló modo sine assensu & voluntate episcopi facere conetur. Si autem aliquis contra hoc nostrum præceptum faciens, in domibus eorum mansionem accepit, aut aliquid inde abstulerit, iram Dei incurrat, & episcopo X libras solvere compellatur. Et ut hæc dicti autoritas rata & stabilis per futura maneat tempora, manu propria eam subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Walterus recognovit. Data Treviris, anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCIX.

XXXII.

Epistola formata Ratbodi archiepiscopi ad episcopum Metensem.

906. IN nomine π Patris & υ Filii & α Spiritus Sancti. Ratbodus sanctæ Trevirensis ecclesiæ, ac plebis ipsius humilis famulus Rotberto reverendæ sanctæ Metensis ecclesiæ antistiti, in Christo principe pastorum mensuram cum gaudio prosperitatis & perpetuitatis gloriam. Decreta Sanctorum trecentorum decem & octo patrum Nicææ constitutorum saluberrima servantes, Deo dignam piamque fraternitatem vestram canonice aggredimur, & sub nomine formatæ epistolæ reverenter vestram sanctitatem adimus, vobis videlicet intimando, quia præsenti presbytero nostro nomine Giblemaro, has dimissorias dedimus litteras; E quem in nostra diœcesi ecclesiastice educatum, de ordine clericatus ad presbyteratus proveximus gradum, ut his canonicis munitus apicibus, cum nostra licentia ei in vestra parœcia, sub defensione & regimine vestræ charæ dilectionis, degere liceat; illumque in sinu sanctæ matris ecclesiæ canonice fovendum ac regendum vobis committimus. Hanc ergo epistolam græcis litteris hinc inde munire decrevimus, & annulo ecclesiæ nostræ bullare censuimus. Christus pastorum princeps interventu B. Petri, cui specialiter ovile dominicum commissum est, fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis conservet incolumem. ΑΜΗΝ. summa horum MCDXXXIX. Π. Υ. Α. Π. Ρ.

A Ο. Σ. Υ. Θ. ΑΜΗΝ. Data Treviris id. Octob. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVI, indictione IX. Π. Υ. Α. Π. Δ. Α. Ρ. Δ. Θ.

XXXIII.

Carolus Simplex firmat possessiones S. Maximini.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus 912. divina propitiante clementia rex Francorum, & vir illustris. Cum igitur a nostræ sublimitatis gratia postulentur, ea videlicet, quæ ratione opportuna adfore videntur, animo nos decet libenti concedere, & petitiones flagitantium congrua proportione adimplere. Quamobrem omnibus sanctæ Dei ecclesiæ B fidelibus, nostrisque tam præsentibus, quam futuris, venerabilem comitem atque beati Maximini cœnobii, cujus gleba Treviris in suburbio quiescit, abbatem celsitudinis nostræ adiisse clementiam, & intulisse auribus nostris, supra fati sancti Maximini monachos quasdam res juste olim possidere, quæ ob negligentiam prædecessorum abbatum, cupiditatemque malorum hominum, habebantur subtractæ, quasque ipse, cum præfatum locum ad regendum largiremur, loco illi reddiderat, flagitans ut de istis præfatis rebus, & ex illis, quæ victui eorum deputatæ erant, de quibus quoque illis Arnolfus rex præceptum largitus est, nostro instaurantes præcepto, ac nostræ corroborationis insigniremus edicto. Cujus justam petitionem libenter implentes, hæc loca illis ad suam peculiaritatem perpetualiter habenda, ut ex his victum C & habitum consequantur, pro nostræ animæ absolutione concessimus: hoc est Appula, & *Verneskem*, Alsontia, *Furnifeld*, *Brecenhem*, Brechina, *Ascobach*, Holshusa, in Moguntia capella una, Rivanacha, Loavia, Genireshusa, Decima, Butiliaco, Cannis, Embilado, Tavena, Simera, Bessiaco, Vilare, Luciaco, Bisanga, Wimari-ecclesia, Crusta, Scranna, cum omnibus abbatiæ S. Maximini salicis decimationibus, quas concedimus in usus hospitum, peregrinorum & pauperum. Jussimus hoc quoque præsens præceptum inde conscribi, per quod decernimus atque firmissime jubemus ut ipsi fratres prælibata loca cum omnibus pertinentiis sub eorum cura teneant, atque secure & quiete juxta suum arbitrium illis potiantur; & nec nobis, neque illi, qui hanc abbatiam tenuerit, D aliquod servitium impendant: excepto hoc, quod more solito benedictionem suam illi offerent, qui ipsi monasterio præsit, potestatemque teneant, super ipsas res suum præpositum specialiter constituere, cumque pari modo, si bene officium præpositur æ suæ non expleat, degradare. Et ut hoc præceptum nostro munimine roboratum perpetualiter firmum & stabile perseveret, manu nostra illud firmavimus, annuloque nostro consignare præcepimus.

Signum Caroli regis gloriosissimi.

Hugo, regiæ dignitatis notarius, ad vicem Henrici archiepiscopi subnotavit. Datum kal. Januarii, indictione XIIII, anno XIX regnante Carolo rege gloriosissimo, redintegrante XIX, largiore vero hereditate indepta I.

Actum Metis civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXIV.

Carolus Simplex annuit ut clerus & populus archiepiscopum eligant.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis & unicæ 913. Deitatis. Carolus divina præordinante providentia gloriosus rex. Cum totum sanctæ Dei ecclesiæ corpus sacerdotali provisione & administratione regalique tuitione procurari, unumque sentire concorditer regia majestas cum ministris Domini debeat, æquum fore

censemus, pontificum nostrorum petitionibus pro ecclesiasticis negotiis supplicantium assensum præbere, quorum orationibus nos & regni nostri statum incunctanter credimus suffragari. Omnium ergo Christianæ religionis nostrorumque fidelium præsentium & futurorum noverit industria, quod Ratbodus venerabilis sanctæ Trevirensis sedis metropolitanus archiquecapellanus noster, ut providus bonusque pastor in posterum prævidens, & ecclesiæ sibi commissæ futuræ utilitati consulens, nostram poposcit celsitudinem, quatenus de eligendis post ejus discessum episcopis nostræ autoritatis privilegium sedi suæ concederemus: cujus piæ petitioni pro divino intuitu & reverentia beati Petri, nec non pro illius dilectione & fidelitate liberam acquiescentes, præsentium apicum nostrorum privilegium fieri jussimus, enixius præcipientes, & B perpetuæ firmitatis inviolabili stabilitate sancientes, ut post hujus antistitis obitum, quemcunque Trevirensis clerus & populus de propriis ejusdem ecclesiæ filiis pari consensu elegerit, absque ulla cujuslibet contradictione ille Deo favente eis detur episcopus, nec ulterius contra eorum libitum, contraque canonicam autoritatem quemcunque non optatæ personæ cogantur suscipere pastorem; & si forte, quod futurum minime creditur, in ipsa ecclesia talis inveniri non poterit, qui hujusmodi honori aptus sit mancipari, nec propterea infracto privilegio nostro illis denegetur electio, sed potius a regali majestate suscipiant, quemcunque voluerint aliunde eligere. Si hoc quoque evenit, quod in quorumdam episcoporum electionibus jam contigisse dignoscitur, ut vota eligentium C divisa dissenserint, ei parti, in qua clerus & melioris intentionis viri consenserint, quod in causam gregisque dominici salvationem quærere comprobantur, regalis faveat autoritas & secundum eorum electionem super eos optatus constituatur antistes. Et ut hæc nostri privilegii autoritas per cuncta succedentia tempora firmiorem in Dei nomine obtineat perpetuæ firmitatis vigorem, & a nostris successoribus inviolabili tenore servetur, manu propria subtus eam firmavimus, & sigilli nostri impressione jussimus adnotari. Signum Caroli serenissimi regis. Gozlinus notarius ad vicem Ratbodi archiepiscopi summique cancellarii recognovit. Et data idus Aug. indictione prima, anno XXI, regnante Carolo rege glorisissimo, reintegrante XVI, largiore vero hereditate indepta II. Actum Theodonis D villa, in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXV.

Carolus Simplex rogante Rutgero ecclesiæ Trevirensi reddit abbatiam S. Servatii.

919. CAROLUS, divina propitiante clementia, rex Francorum ..... Noverit omnium fidelium industria, quoniam vir venerabilis Rutgerus Treverensis ecclesiæ archiepiscopus, sæpius plangendo adiit celsitudinem nostram, dicens quod abbatia S. Servatii, quæ est constructa in Trajecto, in comitatu *Maseland*, quam dedit per suum præceptum sibi commissæ Treverensi ecclesiæ Arnulphus rex, sed violentia E Raginheri comitis, & filii ejus Gisilberti a prædicta Treverensi ecclesia jam olim injuste ablata. Ergo ad caussas nostras ejus proclamationem mittens, judicio scabinorum palatii, & attestatione fidelium omnium nostrorum, ipsam abbatiam S. Petro, in cujus honore est constructa Treverensis ecclesia, & prænominato præsuli reddidimus ..... Et ut hæc notitia firmior habeatur, sigillo nostri palatii eam roborari jussimus. Hæc sunt nomina eorum qui præfatum contulerunt judicium, videlicet episcoporum Wifridus, Dido, Rauhertus, Abbo, Stephanus. Sed & comitum, Matfridus, Sigardus, Otto, Fulbertus, Christianus, Erkengerus, Isembardus, Hungerus, Ecfridus, Ermenfridus, item Walterus. Nec non & scabinorum, A Blidulphus, Regnardus, Adelbertus, Sigebertus, Witierus, Adelbardus, Rübertus, Bernacrus, Volmarus, Roricus, Oikerus, Ingrannus, Betto, Engilbertus, Sunnus, Filbertus, Isuuardus. Rathbodus notarius, præcipiente rege Carolo, hanc notitiam scripsit. Data id. Junii, indictione VIII, an. XXVII, regnante rege Carolo, redintegrante XXII, largiore vero hereditate indepta VII. Actum Heristal palatio.

XXXVI.

Diploma Caroli Simplicis de re eadem.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus divina largiente misericordia rex Francorum. Si 919.
servorum Dei petitionibus aurem libenter accomodamus, divini cultus amore regium decenter morem exsequimur, ac vitæ æternæ præmia propter hoc adipisci veraciter credimus. Quocirca comperiat omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorum videlicet præsentium & futurorum solertia, quoniam archipræsul venerabilis Treverensis ecclesiæ Rutgerus nostræ serenitatis culmen adiit, conquerens quod abbatiam quandam, quæ est constructa super flumen Mosam, in loco Trajectus nuncupato, ubi requiescit corpus sanctissimi confessoris Servatii, Arnulfus quondam rex, deprecante Ratbodo prædictæ ecclesiæ pridem archiepiscopo, delegaverat sancto Petro ad cathedram Treverensem, idque sanctionis præceptum confirmare studuit; sed irruentibus diversis contrarietatibus, a potestate ejusdem sedis Reginerus pridem comes eandem abbatiam violenter substraxit, & reclamante dicto Ratbodo apud regem Zuendeboldum, illam reddere pulsus est sancto Petro. Verum Zuendeboldo peremto, iterum a Raginero pervasa est, ac post illum ab ejus filio Gisilberto pari violentia hactenus negatur reddere. Cujus petitionem fore salubrem cognoscentes, consensu episcoporum nostrorum & judicio comitum, seu aliorum fidelium supradictam abbatiam in Trajecto super flumine Mosa sitam, in comitatu vero Hasbacensi in conspectu nostro & præsentia principum nostrorum ipsimet prælibato archiepiscopo reddere imperavimus pro amore Dei. Ita duntaxat ut a nobis restitutam S. Petro usibusque sanctæ Trevirensis ecclesiæ, abhinc in futurum nullus valeat eam subtrahere vel dividere exinde; sed nostræ pietatis munere ipse archipræsul Rutgerus & ejus successores memoratam sæpe abbatiam habeant, teneant cum villis, mancipiis utriusque sexus, & omnibus rebus juste ibidem pertinentibus, & earumdem rerum exactionibus & omnia ad se pertinentia regant & disponant pro suæ utilitatis studio, sicut priorum regum auctoritates patefaciunt. Hanc igitur abbatiam reddendam nostræ auctoritatis præcepto archipræsuli Rutgero & suæ ecclesiæ manu propria roboravimus, & annuli nostri impressione insigniri jussimus. Signum Caroli regis gloriosissimi, Gozelinus notarius ad vicem Rutkeri archipræsulis summique cancellarii recognovit. Data VII id. Julii, indict. VIII, anno regni Caroli inclyti regis XXVIII, redintegrante XXIII, largiore vero hereditate indepta VIII. Actum in villa Theodonis.

XXXVII.

Privilegia abbatiæ Prumiensis a Carolo Simplice confirmantur.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus divina favente clementia rex, &c. Si erga loca 920.
divinis cultibus mancipata curam & diligentiam adhibemus, parentumque nostrorum, ac decessorum instituta non solum firmamus, verum etiam augmentare satagimus, id nobis in æternæ remunerationis retributione profuturum confidimus veraciter. Quapropter omnibus sanctæ Dei ecclesiæ nostrisque

fidelibus, præsentibus videlicet & futuris cognitum A esse volumus, quoniam inclytus & venerabilis Richarius abba Prumiensis monasterii, quod divinæ memoriæ Pipinus quondam rex Francorum proatavus noster, suggestu & consensu Bertradæ augustæ conjugis suæ, in honore Domini & Salvatoris mundi ejusque Matris sanctissimæ genitricis Mariæ, in juris sui proprietate a fundamentis construxit, una cum collegio monachorum sub eo regulariter degentium, adiit serenitatis nostræ clementiam, deprecans ut munimenta & auctoritates augustorum ab ipso scilicet Pipino. *Et infra*, quæ super tenore ac statu præfati monasterii suis præceptis ac edictis roborarunt, eadem nos innovare, & regali auctoritate confirmare denuo dignaremur. Quorum petitionibus libentissime annuentes, propositique sui constantiam in divinis excubiis indefessam B fore cognoscentes, decrevimus ita fieri, & jussimus hoc præsens muniminis nostri præceptum, per quod cognoscant omnes fideles Dei, & nostri, tam præsentes, quam futuri, quoniam quidquid de statu prædicti loci, cunctorumque ad illud pertinentium universi decessores nostri serenissimi augusti utiliter perfecteque sanxerunt, id inconvulsum ac stabile, modisque omnibus manere cunctas per successiones; decernimus igitur secundum præceptum & edictum præclarissimi præfati regis Pipini, omniumque successorum ejus augustorum auctoritatem, privilegium sit monachis prædicti cœnobii, eligendi sibi abbatem, more solito, de congregatione, nec aliunde recipiendi rectorem, vel potestatem alicujus personæ: sed in C eadem electione vigeat cum nostro consensu, atque consilio seniorum de ipsa congregatione, sapientiorumque probitas, & humilis suggestio. Volumus prætcrea, sicque decernimus ut res, villæ, cellæ atque possessiones, in quibuscunque sitæ sint provinciis, & præfato subditæ servire debent loco, sub defensione nostræ tuitionis atque mundiburdio ab omni exactione, ac discussione cujuspiam immunes & intactæ semper consistant; nullus in eis comes, sive aliqua judiciaria potestas, eorumque aliquis, qui rempublicam administrare debent, locum habeant tenendi audientiam, vel placitum; ab eis exigendi freda, parafredos, conjectos, vehiculos alicujus mundi, requirendi bannum vel heribannum, tam a servientibus & colonis, qui per eadem passim resident D territoria, quam etiam a liberis, & de eisdem beneficia habentibus; quod sic censuit Carolus de eis imperator maximus, filius Pipini regis, omnesque post eum usque ad hæc tempora reges & augusti. Et ut abbas suos advocatos habeat licentiam statuendi sine regis præsentia in cujuscunque comitiis mallum voluerit. Quidquid vero jus fisci de supra dictis rebus ad regios usus ministrorumque ejus exigere poterit, ad luminaria ejusdem ecclesiæ, ac recreationis indigentium, sicuti ab eis est concessum, & nos in sempiternum concedimus. De teloniis quoque, cunctis etiam occasionalibus, exactionibus, quemadmodum constat præfinitum a supradictis regibus, præcipiendo decernimus, ne quis exigere præsumat ab eorum ministris E & missis, qui ob diversas causas, ac necessitates discurrunt per loca diversa; sed neque ab ullo de tota familia sancti Salvatoris, nullo mercatu regni nostri, portuque navali, vel naulum requiratur, vel telonium, sintque semper & ubique ab hujusmodi exactoribus, & exactione immunes & securi, quocunque locorum ditionis nostræ potuerint pervenire. Placuit etiam nobis interserere illud, ut si aliquid minus reperitur de imperialibus & dictis regalibusque præceptis vel instrumentis cartarum, per quæ loco supradicto a nobilium filiis res legaliter sibi collatæ, quod concrematione incendii facti per irruptionem Paganorum, seu aliqua negligentia, vel nimia vetustate deperiisse probatur, nullus contra locum illum, ejusque privilegia, aliquas repetitiones, aut occasiones propter hujusmodi rem movere deinceps præsumat; sed quodcunque loco illi secundum legem a quocunque conlatum est, hactenusque sine repetitione possedit, jugiter absque contradictione possideat. Et si aliqua exinde per pravitatem pravorum hominum sint subducta, vel subtracta, repetendi ea liberam habeant facultatem. Inter liberales donationes, quas decessores nostri reges loco eidem contulerunt, reperietur hoc ab eis esse concessum, quatenus, si rectores ejus utile judicaverint, mercatum statuant in quocunque potestatis suæ loco voluerint, propriique numismatis percussuram monetam ex regali regia haberent auctoritate licentiam, quod & nos, si sic abbas necessarium duxerit, libenter annuimus, & auctoritate nostra roboramus, sitque locus ille sub tutamine, vel emunitate nostræ defensionis, sicut fuisse probatur sub omni, qui ante nos fuerunt, regum tuitione: & quia rex non dedignatur cœlestis loci illius esse possessor, rex terrenus, in quantum valet, ad vicem ejus, hujus studeat infatigabilis esse defensor, quatenus milites Christi ibi degentes pro nobis, atque omnibus ad nos pertinentibus, continuas preces & laudes diu noctuque Deo persolvere certent. Et ut hæc liberalitatis nostræ institutio firmiorem obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, annulique nostri impressione sigillari jussimus. Signum Caroli gloriosi regis ✠. Dantlinus notarius ad vicem Rotgarii archiepiscopi, summique cancellarii recognovi. Data XIII kalend. Septemb. indictione octava, regnante Carolo rege, redintegrante XXII, largiore vero hereditate IX. Actum in pago Arduennaria, in villa nuncupata *Longramp*.

XXXVIII.

Rotgerus archiepiscopus facit permutationem.

IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu- 929.
Christi. Ruthgerus sanctæ Trevericæ sedis archiepiscopus. Omnibus notum esse volumus quod quidam vir vocabulo Albertus ad nos veniens poposcit ut quasdam res de proprietate S. Petri in pago *Heilizacen.* jacentes de rebus sive proprietatibus per commutationem acquirere posset. Nos ergo missos nostros, Waltercherum vasallum nostrum, & cum illo Qualterum, Rodingum, & Albuinum famulos nostros, illuc direximus, qui perspectis & inquisitis omnibus renunciaverunt nobis nihil aliud ibi esse, nisi mansum indominicatum & alios mansos IX absolutos, absque ullo homine. De pratis autem ad carratas V: considerantes itaque & intelligentes res longe positas ecclesiæ nostræ minus utiles, secundum statuta * Agiecensis concilii, per consilium nostrorum fidelium, clericorum atque laicorum, supradicti viri petitioni assensum præbere decrevimus. Dedit itaque Albertus supradictus de rebus suæ proprietatis legitima traditione absque cujuslibet condictione ad altare S. Petri in domo cum omni integritate quidquid visus est habere in comitatu Bedensi, & villa vocabulo Bevera, rurales videlicet cum ædificiorum structuris, pomeria, vineas, terras arabiles, & partem silvæ atque molendinum unum. In eorum ergo recompensatione dedimus de altari & proprietate S. Petri, per manum Walteri advocati nostri, atque tradidimus cum omni integritate, quidquid in supra nominato pago Heilizacensi, in comitatu Nortgowa & villa nomine *Senebredde*, domnus sanctus Petrus habuisse dinoscitur in mansis, cum capellula una & prædicto, & universis adjacentiis, ad eosdem mansos pertinentibus; sub ea nimirum conditionis ratione ut unaquæque pars quæ accepit, teneat, & absque ulla repetitione quieta securitate, & perpetua stabilitate possideat, cum stipulatione subnixa. Signum Rotgeri præstantissimi archiepiscopi. Lambertus notarius scripsit & subscripsit. Actum Treviris, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIX, anno vero domini Henrici serenissimi regis VI, super regnum quondam Lotharii indictione II.

* Agathensis

XXXIX.

XXXIX.

Privilegium Ottonis I imperatoris Rothberto archiepiscopo tributum.

947. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina auxiliante clementia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum solertia, quod Trevericus archiepiscopus Rothertus veniens deputatus est, ut causa tuitionis suæ ecclesiæ, nostræ majestatis præceptum daremus, quin potius innovaremus; quod ut facilius ac justius impetrare posset, præcessoris nostri regis ac imperatoris augusti Ludovici præceptum coram detulit, ut juxta inscriptionem illius, id ipsum imitando, nostro præcepto firmaremus; si quidem illo perlecto coram omnibus, dum resideremus in palatio Francofurth justitiæ causa, judicatumque esset a circumsedentibus juridicis, hoc ratum ac insolubile permaneret, conveniunt postea ad nos una cum prælibato archiepiscopo, qui affuerunt episcopi & proceres Palatini, postulantes eadem regia nostra authoritate roborari, dicentes nos non minoris genere inesse apud Deum illo, qui primo dedit, & sua autoritate firmavit. Quorum petitionibus assensum præbuimus, & nostræ authoritatis simul & tuitionis præceptum pro Dei amore & animæ remedio fieri decrevimus, per quod præcipimus, & omnino interdicimus ut abhinc nullus judex publicus, vel quilibet alius ex judiciaria potestate comes, ingredi habeat potestatem causa legalis justitiæ, vel causa adunandi placiti, in villis & in locis ejusdem ecclesiæ Trevirensis, sitis infra ditionem regni & imperii nostri; neque familia ecclesiæ ipsius ad causas eorum audiendas veniat, aut conjectos aliquos, aut tributa vel freda exsolvat, vel solvere cogatur, aut ad aliquod castelli opus ab executionibus vectigalium impellatur, ne per has illicitas occasiones, sicut aliquando actum est, constringatur, sed sufficiat comitem ac advocatum S. Trevirensis ecclesiæ, aut in privatis aut publicis negotiis justitiam de familia reddat, vel exigat infra comitatum, in mallidicis locis, sed sola hæc potestas super eandem familiam ejusdem ecclesiæ archiepiscopo sit collata, & cui indulserit. Similiter quoque teloneum ejusdem familiæ dimittimus juxta Rhenum & Mosellam fluvios, tam cis, quam citra, & omnibus locis regni nostri, ubicunque telonea exiguntur, quocunque vehiculo pergant; sicuti & dimissum in præceptis regalibus a prædecessoribus nostris invenimus; ita, ut supra soluti, teloneum a nemine cogantur solvere, nec in castellis, nec in villis: nam, quia antiquitate ac vetustate præcedit alias nostri regni ecclesias, gratuletur se specialiter accepisse privilegium. Si quidem liceat memorato præsuli, suisque successoribus, remota hujusmodi inquietudine, res subjectas, cum hominibus se aspicientibus vel pertinentibus, quieto ordine disponere, & nostro imperio fideliter parere. Et ut hæc nostræ concessionis authoritas firma & stabilis permaneat, manu nostra firmavimus, annuloque nostro signari jussimus. Signum domini Ottonis invictissimi regis. *Brun* cancellarius ad vicem Rotberti archicapellani recognovi. Data VI kal. Februarii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLVII, indict. V, regnante pio rege Ottone anno XI. Actum Franckenfurt in Domino amen.

XL.

Agapitus II papa confirmat immunitatem monasterii S. Maximini.

950. AGAPITUS servus servorum Dei, reverentissimo abbati Willario, totius caritatis exhibitionem in Christo. Nuntios vestræ almitatis ad sacrorum apostolorum limina, pariterque nostram apostolicam

A dignitatem directos, Asolfum videlicet atque Guntharium cum magna benevolentia suscepimus ac illorum legationem præsenti omni Romano clero clementer audivimus. Scimus vero ipsis referentibus sæpe ac multum vos vexatos a Ruotberto, quamvis in hoc minime, in aliis tamen venerabili archiepiscopo, eo quod vobis commissum monasterium sibi commissæ ecclesiæ vellet subdere injuste, nisi vos tuerentur hinc justum judicium ex regia dignitate serenissimi Otthonis prolatum, inde cartæ Caroli magni, atque aliorum antiquorum regum in medio recitatæ. Ergo omnis ordo Romani cleri, annuente nostra apostolica dignitate, decrevit, ut super monasterio vestro, dico autem illo, quod in vicino Trevirensium murorum in honore sancti Johannis Evangelistæ fundatum,
B sanctis sanctorum confessorum Maximini, Agritii, atque Nicetii corporibus dicatum, immobiles permaneant sententiæ in cartis conscriptæ, Otthonis regis præcessorumque ejus, regum Francorum videlicet, ut in præsenti & in posterum sub regia tantum potestate permaneat, neque unquam ulli alteri personæ subjaceat, excepto abbati, quem ejusdem monasterii fratres communi concordia secundum regulam elegerint. Si vero prædictus archiepiscopus, aut aliquis successorum ejus, seu alius quilibet fratrum, qui sunt, vel erunt in eodem monasterio, quietem impie, crudeliterque turbaverit, nisi primo præsenti conscriptione ac deinde ab apostolica dignitate ammonitus resipiscat, non ut pastor, sed sicut mercenarius tractetur. Idcirco si in tam pertinaci duritia perstiterit, ad ultimum nostra
C apostolica auctoritate excommunicetur, & insuper bonis regibus, ac ducibus, justisque judicibus resistentibus compos voti sui nunquam fiat. Scriptum per manus scrinarii S. Romanæ ecclesiæ. Data II kal. Martii, indictione VIII. Bene valete.

XLI.

Litteræ Henrici archiepiscopi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum 960. sit omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris, qualiter ego Henricus divina annuente clementia Trevericæ sedis præsul adveniens in villam *Marisch*, terminationemque sanctæ matris ecclesiæ in eadem villa constructæ multis annorum curriculis ascriptam
D requirens, maxima ex parte in diebus antecessoris mei huc illucque decisam, negligentiaque subtractam reperi. Rogatu itaque monachorum Deo sanctoque Maximino famulantium, quorum utilitati eandem ecclesiam scimus a comite Nithado, & conjuge ejus Erhanfrida donatam, placuit ingenuorum tam clericorum, quam & laicorum cum nostra authoritate ibidem fieri conventum, & eandem terminationem ab ecclesia prædicta ex parte mutilatam, tantorum fidelium adunari ac roborari testimoniis, quod & factum est. Quapropter visum est eandem terminationem anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLX, indictione vero III, fidelium, ut diximus, testimoniis conquisitam, scriptis etiam assignari, & locorum adjacentium notari vocabulis. Descriptio itaque ter-
E minationis hæc est: a *Merelebac* usque ad *Ratpretresroth*, a *Ratpretresrothe* usque *Vischebach*, a *Vischebach* usque *Ischa*, ab *Ischa* usque *Calambach*, a *Calambach* usque *Heimensiburud*, ab *Heimensiburud* usque *Beiresroth*, a *Beiresrothe* usque *Wesistein*, a *Wesisteine* usque *Stalbach*, a *Stalbach* usque *Bisiceromarckun*, a *Bisiceromarckun* usque *Ulinabach*, ab *Ulinabach* usque *Pitigeromarcun*, a *Pitigeromarcun* usque *Diesenbach*, a *Diesenbach* usque *Engilishart*, ab *Engilishart* usque *Mencebach*, a *Mencebach* usque *Buedolestein*, a *Buedolestein* usque *Dutilunbrunnum*, a *Dutilunbrunnum* usque *Wiwere*, a *Wiwere* usque *Szerdeslegen*, a *Szerdeslegen* usque *Mache* & *Houmbuch*, ab *Houmbuch* usque *Thiemeresberch*, a *Thiemeresberch* usque *Heidin-*

brunnum, ab *Heidinbrunnum* usque *Frithegarddunbroele*, a *Fridegardunbroele* usque *Glodabach*, a *Glodabach* usque *Thietfurt* & *Merelebach*.

XLII.

Abbas sancti Maximini ab Ottone I imperatore constituitur capellanus imperatricis.

962. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otho divina favente clementia imperator augustus. Quamvis omnium ecclesiarum Dei curam nos oporteat gerere, præcipue tamen, & specialius illius ecclesiæ profectum, & honorem augere, & confirmare dignum duximus, de qua & per quam regni nostri & imperii corroboratur status, & per quam conjectalem nostram, more prædecessorum nostrorum, dotali lege nobis associare, & in regnum & imperium sublimare debemus. Quapropter fidelium nostrorum, tam præsentium, quam futurorum, magnitudini notum esse volumus, qualiter nos pie salubriterque de nostri statu regni tractantes, devotamque sollicitudinem prædecessorum nostrorum regum & imperatorum, Constantini videlicet sanctæ Helenæ filii, nec non Theodosii, Mauritii, Dagoberti, Pipini, sed & magni Caroli, aliorumque post illos usque ad nos, imitari cupientes, Adelheidam conjugem nostram dilectissimam cum abbatia S. Johannis Evangelistæ, quæ in suburbio Trevirorum sita est, ubi S. Maximinus pretiosissimus confessor corpore quiescit, cum omnibus ecclesiis & possessionibus ad eam, in quibuscunque locis, juste & legaliter pertinentibus, sicut antea, cum nuptiali fœdere & regali consecratione eam nobis associaremus in regnum ultra montes, in Galliæ partibus, ita nunc & in hac Romana urbe, sanctissimo viro Johanne summo & universali papa D. Petri apostoli vicem gerente, & per apostolicæ suæ autoritatis privilegium confirmante cum præfata abbatia, sicut primitus in regnum, ita & nunc in imperium dotamus, sublimamus & corroboramus, præcipientes videlicet, & per hoc nostræ authoritatis privilegium firmissime decernentes ut idem locus, cui venerabilis vir Willikerus abbas jam præesse dinoscitur, a regni dote quacunque arte, vel ingenio nunquam avellatur, nec alicui sedi vel ecclesiæ, vel alicui ecclesiasticæ sive mundanæ personæ, famula, aut appendex unquam subjaceat, sed sicut sub prædecessorum nostrorum mundiburdio, & defensione, & apostolicæ sedis dotata munimine, ab omni perturbationis molestia libera semper & immunis permaneat. Decernimus etiam, atque constituimus ut præfatus abbas, omnesque sui successores prædictæ conjugi nostræ, Adelheidæ scilicet imperatrici, aliisque post illam reginis, & imperatricibus ad capellam, ad mensam in curia regia serviant, & servitium, quod in secundo semper anno de eadem abbatia, dictante justitia, daturi sunt, sibi exhibeant. Ipsi vero, quotiescunque ad regalem curiam venerint, de regia mensa pascantur, & inter curiales, & domesticos regis & reginæ, qui regis cibo vescuntur, non infimi semper habeantur, prout decet illum sacratissimum locum, & provisores ac ministros illius ecclesiæ, per quam cuncti reges & imperatores per vicissitudines temporum cum suis conjugibus in regnum & imperium semper confirmabuntur. Statuimus insuper, & hac nostra imperiali authoritate ad præbendam fratrum in ante dicto monasterio Deo Sanctisque ejus servientibus corroborare decrevimus, quicquid sub antecessoribus nostris Constantino, Dagoberto, Pipino, Karolo, Arnolfo, & Henrico patre nostro ad nostra usque tempora ad peculiaritatem illorum in ecclesiis aut locis subter notatis pertinere videbatur, ut ex his victum atque vestitum consequantur, hoc est *Apula*, *Suaucheim*, *Everneshheim*, *Mannendal*, *Narheim*, *Buzinheim*, *Alsantia*, *Secringesfeld*, *Ukineshheim*, *Basinbah*, *Siemera*,

A *Guntheresbusum*, *Buosbah*, *Holshusun*, *Folemaresbach*, *Rivenaha*, *Loavia*, *Vindingun*, *Ochisheim*, *Ratheresdorff*, *Bustat*, *Meisbrath*, *Ebeno*, decima, vallis cum suis pertinentiis, *Markedeth*, *Daleheim*, *Liniche*, *Mierske*, *Everunga*, *Fula*, & quod in pago Salnense vel civitate Metensi, vel circumcirca in villa *Wilere*, in vineis aut agris habere videntur; vel in pago *Nahgowe* in his ecclesiis, *Gozolvesheim*, *Albucko*, *Wieldistein*, *Wienheim*, aut juxta Mosellam *Diedenhoven*; sive quod ultra Rhenum in curte, quæ *Prichina* vocatur, cum omnibus ad eam pertinentibus, sanctus Maximinus habere videtur, *Murmirdinga & Drundildinga*, quæ ad cellam in Tavena aspicere probantur. Hæc igitur loca & possessiones, & omnes S. Maximini ecclesias cum decimis & salicis decimationibus ad præbendam
B fratrum, & ad usus hospitum, peregrinorum ac pauperum delegamus & corroboramus. Et ut nullus successorum nostrorum, regum vel imperatorum, neque abbas aliquam de prædictis curtem vel ecclesiam cuiquam beneficiare præsumat, per hoc nostræ authoritatis præceptum firmissime præcipimus. Et ut hoc, quod ad honorem regni nostri & imperii, & ad utilitatem ejusdem loci statuimus, firmum semper, & stabile permaneat, cartam hanc inde conscribi, & sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domini Otthonis magni & invictissimi imperatoris augusti.

Liudolfus cancellarius ad vicem Willihelmi recognovi. Data anno Dominicæ Incarn. DCCCCLXII, indictione V, anno imperii domni Otthonis I, regni
C vero serenissimi regis Othonis filii ejus II. Actum Romæ in Dei nomine feliciter. Amen.

XLIII.

Castellum Luciliburgense per commutationem initam cum abbate S. Maximini obvenit Sigifrido comiti.

IN nomine Unigeniti Filii Dei. Notum sit omnibus 963.
populis in Christum credentibus, tam præsentibus quam venturis, clericis atque laicis, quod Sigifridus comes de nobili genere natus, castellum quod dicitur *Lucilinburhut* in proprietatem desiderans adipisci, perrexit ad dominum Brunonem archiepiscopum, fratrem videlicet imperatoris Otthonis, qui tunc
D principatum totius regni post ipsum tenebat, eique suum desiderium manifestavit. Cujus scilicet archiepiscopi accepto consilio, & impetrata licentia, ab eo venit ad abbatem Wikerum, & ad reliquos sancti Maximini monachos, in quorum prædio idem castellum fuerat positum, petens ut ei liceret cum suo allodio illud commutare: quod abbas libenter una cum fratribus consentiens placuit, atque convenit inter eos, ut res pro ambarum partium opportunitate commutaremus. Dedit itaque præfatus comes ad sanctum Maximinum de rebus suæ proprietatis legali traditione mansum unum, & dimidium cum servis censualibus in comitatu Giselberti comitis, in pago Ardenne, in villa quæ dicitur Viulna. Accepit a prædicto abbate, consentiente monachorum con-
E gregatione, supra nominatum castellum cum exitibus & reditibus, & omnibus terris ab alveo fluminis Alsuntiæ usque ad illos veteres truncos qui stant ante munitionem ejusdem castelli, secundum quod protenditur in longum & latum. Igitur posita est hæc eadem munitio in pago Methingowi, in comitatu Godefridi comitis super ripam Alsuntiæ fluminis. Factum est itaque concambium istud ea constitutione, ut utraque persona, abbatis videlicet & comitis, ex eo quod accepit, habeat in perpetuum liberam & apertam potestatem tenendi, tradendi, vendendi, vel quidquid exinde voluerit facere, absque ullius hominis contradictione. Acta est namque hæc traditio publice in civitate Trevirensium, in monasterio memorati

patroni, in die Palmarum, XV kal. Maii, adstante abbate Wikero, simulque Hilderado ejusdem cœnobii advocato, & aliis quam plurimis testibus, monachis, canonicis & laicis. Signum domni Brunonis archiepiscopi, qui hoc concambium legaliter fieri jussit. Signum Henrici Trevirorum archimandritæ, qui consilio istius rei per omnia interfuit. Sig. Alolfi præpositi. Signum Ramuoldi decani. Sig. Sandradi cellerarii. Sig. Adelungi monachi. Sig. Christiani mon. Sig. Gerberni mon. Sig. Herimberti mon. Signum Willeri mon. Sig. Wolmari mon. Sig. Hildradi mon. Sig. Warneri mon. Item nomina laicorum. Signum Friderici Lotharinsium ducis, cujus consensu & collaudatione opus istud peractum est. Sig. Luithardi. Sig. Norperti. Sig. Sarachonis. Sig. Adalberti. Sig. Gersonis. Sig. Tangradi. Sig. Anselmi. Sig. Walteri. Sig. Harperti. Sig. Ruotperti. Sig. Thietperti. Sig. Thietfridi. Facta est igitur hujus cartæ conscriptio, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIII, indictione VI, regni Othonis regis III, & patris sui Cæsaris principatum tenentis II.

X L I V.

Otto I imperator Benedictinos restituit in abbatia Epternacensi.

971. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Imperio nostro pace amplificato gratum Deo munus recompensare nos credimus, si cultum ejus & servitium plerisque in locis collapsum ad pristinum religionis renovare studeamus statum. Unde audivimus monasterium esse in regno nostro, in quo beatus Willibrordus requiescit, quod ipse a piissimo rege Pippino datis prædiis construxerat, & quod ipse princeps & ejus filius Carolus scriptis privilegiis sub potestate succedentium regum manere firmaverat. Hoc itaque pravitate cujusdam Carolomanni invasoris sic fuerat destructum, ut monachi inde expulsi, & canonici sint intromissi. Hortatu igitur venerandi comitis Sigisfridi fidelis nostri, in eodem monasterio monachicæ vitæ religionem innovare decrevimus, præficientes ei venerabilem virum Ravangerum abbatem, qui monachis in regulari proposito præsit & prosit.

Addidimus etiam nostræ autoritatis privilegium, per quod firmiter decernimus ut ipse locus sicut sub antecessorum nostrorum manserat, ita sub nostra & successorum nostrorum perseveret defensione, nullusque ei aliquam violentiam vel subreptionem possessionum ad monachorum stipendia pertinentium inferre præsumat. Dedimus insuper electionem fratribus eligendi abbatem, quemcunque religiosæ vitæ congruum sibi invenire voluerint. Et ut hæc nostræ largitatis concessio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, hoc idem præceptum propria manu firmavimus, & sigilli nostri impressione assignari jussimus.

Signum domini Ottonis magni & invicti imperatoris augusti. Willigisus cancellarius ad vicem Rodberti archicapellani recognovi. Datum idus Martii, anno Dominicæ Incarnationis * DCCCCLXXIIII, indict. II, anno vero regni domini domini Ottonis XXXIII, imperii autem XII. Actum Magadaburg.

* Melius DCCCCLXXI

X L V.

Monasterium sancti Martini Benedictinis a Theodorico archipresule restituitur, laudante Benedicto papa VII.

975. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Benedictus episcopus servus servorum Dei. Charissimis nobis in Christo fratribus, universis episcopis ac A totius dignitatis & ordinis catholicis viris, præsentibus scilicet & futuris perpetuam salutem. Quia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia disponente, B. Petri Apostolorum principis sacratissimam sedem pastoraleque in curam dominici gregis ministerium suscepimus, necessarium nobis salubreque perspicimus, omnium ecclesiarum diligentissimam sollicitudinem instanter habere, quatenus nostra procurante diligentia in sanctæ religionis augmento pacem, quietem atque defensionem adversus omnium machinationes nostra auctoritate fínetenus possideant. Unde omnium, tam præsentium quam futurorum, nosse volumus sanctitatem & industriam, quod Theodorico dilectissimo fratre nostro sanctæ Trevirensis ecclesiæ archiepiscopo veniente Romam causa orationis ad beatorum Apos- B tolorum limina, eodem narrante, comperimus quoddam monasterium, ubi sanctus Magnerius corpore requiescit, suæ sedis, sicut religione, ita quibusdam possessionibus, usque in sua tempora ab inimicis Dei fuisse destitutum; quod possessionibus prioribus necessariisque omnibus renovans, ac renovatum suæ suorumque comprovincialium episcoporum excommunicatione confirmans, quo sanctæ religionis status major firmiorque fieret, in eodem monachos, ut prius Deo famulantes collocavit, præficiens eidem loco abbatem Engelbertum, cujus diligentia non solum locus possit in melius reparari, verum religio in dies felicius perfectiusque augmentaretur. Unde quia in eodem loco laudabilis probatur monachica conversatio, ne id, quod venerabilis noster coepis- C copus Theodoricus causa sanctæ religionis suæque salutis restauravit, per aliquam sibi succedentium archiepiscoporum, seu per alicujus terreni potestatem dominii possit destrui, per hujus apostolici nostri privilegii, atque sanctæ Romanæ synodi validissimam constitutionem placuit statuere decretum, quatenus idem abbas cunctique ejus successores in monachica conversatione inibi Deo militanti privilegium insularum ad vicem episcopi, quod ex traditione sancti Magnerici (ut in ipsius vita legitur) abbatibus constat institutum, perpetuo obtineant; & eundem locum cum omnibus illic pertinentibus, videlicet ecclesiis, villis cunctisque appendiciis, absque ullius contradictione seu inquietudine cum omni pace possideant. Eo vero ex hac decedente vita, quatenus monasterio ex eadem congregatione abbas juxta D regularia S. Benedicti monita constituatur, placuit nostræ apostolicæ sanctionis ponere decretum. Quod si ex eadem congregatione (quod absit) persona conveniens monachicis institutis minime reperitur, cum consensu archiepiscopi ex eadem diœcesi abbas monasterio præficiatur. Contra hanc ergo Apostolorum constitutionem quam abbati monasterioque statuimus, si quis hominum quolibet modo agere præsumpserit, & quod juste & canonice a nobis in plena synodo decretum est, in aliquo modo infringere tentaverit, sciat se Dei Omnipotentis & prædicti B. Petri Apostolorum principis omniumque Sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnatum & anathematisatum, atque divinæ iræ jaculo perpetualiter confossum, cum omnibus impiis æterno supplicio E deputatum. Qui vero hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire, adimplere fideliter studuerit, benedictionis gratiam & misericordiæ plenitudinem in cœlestibus castris inter electorum numerum efficaciter a Domino consequi mereatur. Scriptum per manus Stephani notarii & regionarii, & scrinarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Januario, indict. III. Bene valete. Data XV kalend. Februarii per manum Widonis episcopi & bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ. Anno, Deo propitio, pontificatus domini Benedicti sanctissimi papæ, imperante domino piissimo semper augusto Ottone a Deo coronato, magno imperatore, anno VII, indictione III.

XLVI.

Immunitas S. Maximini a Johanne XV papa confirmatur.

987. JOHANNES episcopus servus servorum Dei, venerabili abbati amabili nobis in Christo filio Ogoni benedictionem apostolicam. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus, benevola compassione subvenire, & religioso voto assensum impertiri; a summo enim opifice nos ex hoc præmium accepturos speramus, si ecclesias ad ejus cultum præparatas nostra industria in melius statuere laboramus. Igitur tuæ religioni assensum præbentes, autoritate apostolici præcepti decernimus, ut congregatio Deo sanctoque Maximino deserviens, sicuti B a carissimo filio nostro rege Otthone, cæterisque regibus vel imperatoribus Francorum, tuo cœnobio concessum est, liberam deinceps habeant potestatem creandi inter se, quem secundum Deum sibi elegerint abbatem, nec aliqua quælibet dignitatis persona infra monasterium, nisi a te vel a successore tuo invitatur, quicquam pro suo libitu ordinare vel exercere præsumat. Interdicimus etiam apostolico præcepto, ne cui unquam ecclesiæ vel sedi, concambio vel aliquo ingenio subdatur, sed tali libertate & immunitate, sicut Prumiense monasterium cæteraque regalia loca, inoffense & perpetualiter fruatur; ipse vero locus monasterii perenniter sub mundiburdio regum & imperatorum, filiorum sanctæ Romanæ ecclesiæ, apostolico præcepto jubemus, ut maneat; nulli C unquam personæ beneficiarius aut invadendus pateat, sed ad usus & tranquillitatem monachorum ibidem absque ullius contradictione liber permaneat. Ad cumulum quoque vel augmentum monasticæ tranquillitatis adjicimus, ne quis cujuslibet dignitatis persona, vel aliquis successorum tuorum spiritu maligno seductus, quiddam vel minimum alienare præsumat, tam ex his quæ modo monasterio tuo collata sunt, quam ex his quæ cæteri fideles in dies collaturi sunt. Si quis autem (quod absit) nefario ausu præsumpserit ea quæ ad utilitatem jam dicti venerabilis monasterii statuta sunt infringere, aut in quoquam violare, sciat se authoritate Omnipotentis Dei, per interventionem beati Petri Apostolorum principis, cujus vice fungimur, & nostræ authoritatis D apostolicæ constitutionem & suffraganeorum episcoporum, anathematis vinculo inextricabiliter innodatum. Scriptum per manus Theophili Latini notarii & regionarii, atque scrinarii S. R. E. in mense Januario, indictione XV. Bene valete. Datum VI id. Januarii, per manum Joannis episcopi & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, pontificatus domini Joannis summi pontificis & universalis episcopi XVI, in sacrario ecclesiæ sancti Petri Apostolorum principis, anno Domini nostri Jesu-Christi DCCCCLXXXVII.

XLVII.

Facultas cudendæ monetæ data abbati Epternacensi.

E

992. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Si regia dignitas pro divino amore aliquid ecclesiarum utilitatibus confert, id ad statum præsentis vitæ & æternæ beatitudinis præmium liquido sibi profuturum credit.

Quapropter omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet atque futurorum, pateat industriæ qualiter nos, & interventu fidelis nostri Sigifridi comitis, Ravangero Epternacensis ecclesiæ venerabili abbati concessimus ut in eodem loco Epternaco faciat monetam, in qua nummi probabiles, sicut in aliis locis regiæ potestati subditis percutiantur, ad usum A ecclesiæ suæ, & monachorum Deo sanctoque Willibrordo confessori die noctuque ibi servientium. Et ut eadem moneta deinceps sub perpetuo jure ecclesiæ supradictæ, & abbatis adhuc in carne viventis, successorumque illius sine beneficiario usu consistat, nullaque persona magna sive parva, clericalis aut laicalis, super eam dehinc aliquam potestatem habeat, nisi prædictus Ravangerus abbas, suique successores & monachi Deo ibi & sancto Willibrordo servituri ad ecclesiæ suæ ornamentum, & præbendæ suæ augmentum; ea videlicet ratione ut eos pro nostra salute, & pro remedio animarum beatæ memoriæ avi nostri Ottonis, & ejus æquivoci genitoris nostri imperatorum augustorum, ac pro genitrice nostra Theophana imperatrice augusta, omniumque fidelium defunctorum Deum amplius delectet exorare. Et ut hæc nostræ concessionis autoritas præsenti ac futuro tempore firma consistat, hoc nostræ dominationis præceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signari jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum domini Ottonis gloriosissimi regis. Hildibaldus episcopus & cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovi.

Datum III nonas Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCII, indict. V, anno autem Ottonis regnantis nono. Actum Aquisgrani feliciter.

XLVIII.

Donatio tributa Ravangero abbati Epternacensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto 997.
divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si fidelium nostrorum petitionibus quorumlibet obsecundantes, nosque horum scilicet apprime necessitudini subrogantes quo specialius ac devotius in divino cultu sollicitos ac promtos perspeximus, ut apostolica monet sententia, hujusmodi nos instituens, dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Ideo notum omnibus præsentibus & futuris fidelibus nostris fieri volumus, qualiter postulationi clari illustrisque abbatis Ravangeri, de monasterio sancti Clementis Willibrordi, quod situm est Epternaci, annuentes, suæ ejusdem loci congregationi, præsentibus posterisque monachis concessimus locum habitationis integrum scilicet curtile, apud sedem Aquisgrani palatii nostri, in loco qui dicitur *Guddinga*, ut ipsi cœnobitæ Epternacenses Deo sanctoque Clementi Willibrordo infatigabiliter servientes habeant, teneant & possideant; ea tamen ratione ut annis singulis in ærario domini imperatoris augusti hora constituta II persolvantur nummi.

Concessimus etiam eisdem fratribus quoddam prædiolum olim ab eis per vim abstractum annos per multos in pago Ribuanensi quod dicitur *Bergh:* & in alio loco notissimo qui vocatur *Blidrighe*, ut in eis corpus supradictæ congregationis in æternum lætetur, quod multos viduatum per annos, ab amicis seculi hujus rapinam lacrymabatur. Petiit etiam nos comes Sigifridus, supradicti monasterii advocatus sibi licuisse locum quemdam nominatum *Munderchinga* in pago Wavariensi, de accepto beneficio regalis donationis, monachis eisdem adscribendo subjici, quod ut perageret, imperiali autoritate fieri decrevimus. Et ut hæc autoritas futuris temporibus inconvulsa permaneat, non solum scribere jussimus, sed etiam sigilli nostri impressione subter eam signavimus.

Signum domini Ottonis tertii Romanorum imperatoris augusti. Hildebaldus episcopus & cancellarius ad vicem Willigisi archicancellarii recognovi. Data

ſecundo idus Octobris, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVII, indict. XI, anno autem tertii Ottonis regnantis XIV, imperii vero II. Actum Aquiſgrani palatio feliciter, amen.

XLIX.

Jus mercati & monetæ monaſterio S. Maximini conceſſum in villa Billich.

Circa 1000. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ottho Dei gratia Romanorum imperator auguſtus. Si locis divino cultui mancipatis alicujus honoris & augmentationis ſupplimentum præbuerimus, divinitus nos remunerari procul dubio credimus. Quapropter omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium, præſentium ac futurorum, ſolers comperiat ſagacitas, quoniam nos ob remedium animæ noſtræ, & parentum noſtrorum Otfrado reverendo abbati de S. Maximino ſuiſque ſucceſſoribus largiti ſumus, conceſſimus ac perdonavimus jus, poteſtatem ſecuramque licentiam, mercatum ac monetam conſtituendi, tali legitimæ ſecuritatis ordine, ut idem abbas, quam ipſe, quam & ſui ſucceſſores in ſua liberali poteſtate teneat, regat & perpetualiter habeat idem mercatum cum moneta & theloneo, ac totius reipublicæ ſunctione ac diſpoſitione in quadam villa *Billich* dicta, ad abbatiam S. Maximini pertinente, in pago quoque *Muſelgowi*, & in comitatu Becelini comitis ſita. Proinde volumus & imperialiter edicimus ut homines præſentes futurique omnes, prædictum mercatum viſitantes cum omni pace illuc eant, redeant, comparent, & quidquid illis placuerit, ſicut in aliis publicis mercatis, vendent. Quicunque autem hujus noſtræ authoritatis, conceſſionis & poteſtativæ perdonationis contradictor & violator in aliqua re exſtiterit, ſciat ſe componere noſtrum bannum, ita ſicut ille qui mercato Moguncia, Coloniæ & Treviris confracto & contiminato damnatus fuerit. Et ut hæc noſtra imperialis donatio ſtabilis permaneat, hanc paginam inde conſcriptam manu propria corroborantes, ſigillantes præcepimus.

Signum domini Otthonis Cæſaris invicti.

Actum in Angolneim curia, anno regni domini Otthonis III VIII, in Dei nomine feliciter. Amen.

L.

Poppo archiepiſcopus curtem Confluentiam ab imperatore Henrico II nanciſcitur.

1018. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina ſavente clementia Romanorum imperator auguſtus. Si venerabilia eccleſiarum Dei loca alicujus doni commodo ſublimare ſtuduerimus, nobis id regnique noſtri ſtatui profuturum eſſe minime dubitamus. Quapropter noverit omnium Chriſti fidelium noſtrorumque univerſitas, qualiter nos pro remedio animæ noſtræ, nec non dilectiſſimæ conjugis noſtræ, Cunigundæ videlicet imperatricis auguſtæ, Trevirenſi eccleſiæ, cui venerabilis archiepiſcopus Poppo præeſſe videtur, quandam noſtri juris curtem nomine Confluentiam, & abbatiam ſitam in pago *Trichire*, in comitatu vero Bertholdi comitis, cum theloneo & moneta, & cum omnibus eorum pertinentiis, areis, ædificiis, mancipiis utriuſque ſexus, agris, paſcuis, vineis, pratis, ſilvis, venationibus, aquis aquarumve decurſibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, mobilibus & immobilibus, ſeu cum omni utilitate, quæ ullatenus aut ſcribi aut notari poſſit, tradimus atque firmiter donamus. Et ut hæc noſtræ authoritatis pagina ſtabilis & inconvulſa omni permaneat ævo, eam manu propria roborantes ſigilli impreſſione juſſimus inſigniri. Signum domini Henrici

A Romanorum invictiſſimi imperatoris auguſti. Guntherius cancellarius vice Erchenbaldi archicapellani recognovi. Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti M. XVIII, indictione I, anno regni domini Henrici Romanorum invictiſſimi imperatoris auguſti XVII, imperii autem V. Actum Boderebrunnen feliciter, amen.

LI.

Variæ donationes factæ monaſterio S. Mathiæ.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Quoniam illas ſolummodo poſſeſſiones credo in æternum manſuras, quas pro Dei amore aliquis expendeat ſeliciter, idcirco ego Adalbero Dei gratia præpoſitus B S. Paulini Trevirenſis, dominus de Ruxheio, de Serico, *de Sarburgh* & *de Berncaſtel*, certiſſima fide credens ſecundum ſcripturam, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſinis redimi poſſe peccata; quia præſens vita ſtatum neſcit præſtare beatum, cum ſit inæqualis, nunc lucida, nunc pluvialis, timens inſtabilitatem loci, & perſonarum attendens mutationes rerum aſſiduas, vitamque hominis non eſſe diuturnam, ignorans quid craſtina dies pariat, illum, qui redditurus eſt unicuique, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum, mihi placare deſiderans. Idcirco Deo, cui omnia debentur, pro animabus parentum meorum, & pro peccatis meis maximis, quibus Deum ultionum, perſonas eccleſiaſticas, monaſteria nimis graviter offendi, curtes ipſorum deſtruendo, & deprædando bona ipſorum, aliquid de meis proprietatibus, quas C ipſo jubente Deo habere juſſus ſum, offerre diſponens ſanus & incolumis, quia ſatis Deo carum non eſt, qui illi hoc dat, quo ipſe perfrui non poteſt, trado ac tradidi, lego & legavi villas meas *Nenniche*, *Palecte*, *Dilmere* & *Heleſelt*. Item villas meas proprias *Hintre*, *Balderingen*, *Lampaden*, & ea attinentia, & curtem meam *Bermeroth*, beatis patronis & dominis meis Euchario, Valerio & Materno, cum paſcuis ovium & pecorum in terminis villarum prædictarum *Wiltinck* videlicet & *Emmelde*; quæ paſcua prædicta venerabilis abbas Bertolfus ſancti Eucharii mihi ſupplicavit in præſentia S. patris & domini Popponis archiepiſcopi Trevirenſis, ut eas ſpecificarem, & expedirem in terminis prædictarum villarum, *Wiltinck* videlicet & *Emmelde*; ego vero dictus præpoſitus Deum habens D præ oculis & juſtitiam, curtem abbatis ſæpe dictam expedivi in hunc modum. 1036.

Paſcua curtis prædictæ *Bermeroth* extenduntur in terminis illorum *de Wiltinck* uſque ad magnam ſilvam illorum *de Wiltinck*, & ad arborem quæ vulgariter dicitur *Melbaum*. Item paſcua curtis ſæpe dictæ, in terminis illorum *de Emmelde*, extenduntur uſque ad rivulum qui deſcendit de monte *Pillinck* & de monte *Buyſſris*, juxta vineas eorum *de Emmelde*, mediante cenſu, quæ curia prædicta foreſtariis & villicis *de Wiltinck* & *Emmelde* paſtoribus, & villico ab antiquo ſolebat perſolvi, in ſignum perpetuæ poſſeſſionis paſcuorum prædictorum. Item jura & exactiones venationum, quas ego & anteceſſores mei apud E prædictas villas habere videbantur, *Wiltinck* videlicet & *Emmelde*, pro paſcuis prædictis & propter ſuffragia beatorum Eucharii, Valerii & Materni werpivi & aſeſtucavi, ad petitionem abbatis prædicti Bertolſi.

Ut autem hæc donatio ſive legatum, ſive collatio a me facta robur habeat perpetuæ firmitatis, & inconvulſa omni ævo & tempore valeat permanere, ſigillum reverendi patris ac domini noſtri Popponis, Dei gratia Trevirorum archiepiſcopi, ad meam ſupplicationem & humilem petitionem præſentibus una cum ſigillo meo eſt appenſum.

Et nos Poppo Dei gratia Trevirenſis archiepiſcopus jam dictus, ad rogationem & petitionem venerabilis

viri Adelberonis præpositi sancti Paulini Trevirensis, sigillum nostrum duximus apponendum præsentibus & apposuimus in testimonium veritatis. Acta autem hæc donatio solemniter in ecclesia Trevirensi, præsente venerabili domino Poppone archiepiscopo Trevirensi, Theodorico episcopo Metensi secundo, Bertolfo abbate prædicti monasterii, Godefrido duce, Gerhardo comite, Bertolfo comite, Friderico comite, ejusque fratribus Sigilberto & Theodorico, Hermanno comite, & duobus Arnolfis, uno de Salmana, altero *de Negelbach*, & multis aliis prælatis, clericis & laicis. Anno Dominicæ Incarnationis M. XXXVI, indict. III, Conrado serenissimo imperatore imperante, episcopatus autem domini Popponis archiepiscopi Trevirensis XX.

L I I.

Adelbertus marchio Lotharingiæ donum indulget abbatiæ S. Mathiæ.

1037. IN nomine Domini, amen. Mortalium facta, ne simul cum memoria hominum fragili labantur, scripturæ apicibus solent perennari. Nos igitur Adelbertus marchio Lotharingiæ, & Juditha uxor mea, universis tam præsentibus quam futuris, has litteras visuris seu legi audituris, volumus esse notum quod sancti David prophetæ verbis incitati & moti, dicentis: *dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria;* nostrorum parentum vestigia imitari volentes, qui ob cœlestis regis gratiæ obtentum de terrenis facultatibus sibi commissis divinitusque indultis, ecclesiæ plurima contulerunt, saluti nostræ similiter consulere cupientes, aliquid in gazophilacium Domini cum vidua paupere mittere studentes, famulantibus in domo Domini subscripta decrevimus conferre. Quapropter ob reverentiam sanctorum Mathiæ apostoli, Eucharii, Valerii & Materni, discipulorum Domini nostri Jesu-Christi, vivi & sani mente & corpore communi manu, voluntate libera, sine omni hæsitationis contradictione, villam nostram *Mamendorff*, cum ecclesiis, decimis, curtibus, ædificiis, familiis, mancipiis utriusque sexus, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus in flumine (quod ibidem transit a loco, ubi duo fontes oriuntur, supra villam *Selewiggen*, quorum fontium unus dicitur *Oppenburnen*, alius *Milburnen*, ut nullus in confluxu eorundem fontium aliquod ædificium construere præsumat sine abbatis & conventus consensu usque ad locum illum, ubi dictorum fontium confluxus fluit in magnum flumen *Sare*) vicis, viis & inviis, exitibus & reditibus, terris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, ac cum universis appendiciis & adjacentiis suis, monasterio prædictorum sanctorum, extra muros Trevirenses sito, conferimus, tradimus & donamus manu communi, per præsentes inter vivos, perpetuo tenendam, quiete & possidendam; volentes, & stabili testamento confirmantes ut nullus archiepiscoporum, episcoporum, ducum, comitum, nepotum seu heredum nostrorum in villa prædicta seu ejus attinentiis superius expressis, sibi aliquod jus in gravamen & præjudicium monasterii præfati possit usurpare, aut de cætero valeat vindicare. Præterea decimam nostram in viis cum omni jure & attinentiis suis; item decimas villarum nostrarum, videlicet *Deveckingen, Beringen, Gundelvingen, Bettingen, Selvingen, Gerlevingen* cum omni jure & attinentiis suis. Item decimam in *Beterfdorff* cum omni jure & attinentiis suis; item villam *Wegingen* cum decima ibidem; item villam nostram *Weiskirch* cum decima ibidem, & cum omni jure & attinentiis suis, item cunes nostras in *Couse* & *Berencastell* super Mosellam, cum omni allodio & jure ad ipsas pertinente; item villas nostras *Munserville*, *Læncamp* cum omni jure & attinentiis suis, similiter donamus monasterio sanctorum prædictorum Mathiæ apostoli, Eucharii, Valerii & Materni pontificum, discipulorum Domini nostri Jesu-Christi, nulla usurpatione de cætero ab aliquibus personis, cujuscunque conditionis existant, exceptis personis in monasterio prædicto degentibus, aliquatenus occupandas. Volumus insuper ut anniversarium nostrum & parentum nostrorum in monasterio jam dicto perpetuo solemniter peragatur. Si quis igitur violentia aut fraude aliqua supradicta monasterio memorato a nobis collata auferre præsumpserit, divinam sentiet vindictam, & pro illicito & temerario ausu auri libras centum ad fiscum regium componat, irrita tamen manente istarum rerum ecclesiasticarum alienatione. Facta autem est hæc donatio solemniter in synodo sancta venerabilis S. Popponis archiepiscopi Trevirensis, præsente ipso archiepiscopo Poppone, Theodorico episcopo Metensi secundo, & Bertolpho abbate prædicti monasterii, & multis aliis prælatis, clericis & laicis. Regnante serenissimo Conrado imp. IV idus Junii, pontificatus autem domini Benedicti [a] VIII papæ anno [b] II. In cujus rei memoriam & robur præsentibus duximus appendenda sigilla nostra. Datum anno Domini M. XXXVII, in ecclesia Trevirensi, mense Junio.

[a] IX. [b] V.

L I I I.

Commutatio facta inter archiepiscopum Trevirensem & comitem de Arlo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Eberhardus gratia Dei Trevirorum archiepiscopus quamvis indignus. Noverit omnis ordo ecclesiasticus, imo omnis populus christianus & qui est & qui venturus est conventionem sive precariam, qua cum comite Waldramo de Arlo, & uxore ejus Adhelcide convenimus, annuente & suggerente serenissimo, victoriosissimo & christianissimo domino nostro Henrico rege III imperatore secundo, villas nostras imo ecclesiæ nostræ *Bussawilre, Merceche, Fuhde, Ossima, Evesche, Serveche, Bureche, Eile, Machera, Miena, Billiche, Sulime, Aule, Jerang, Palenzela*, excepta congregatione sanctæ Dei genitricis Mariæ in eadem villa serviente, omnibusque ad eamdem congregationem jure pertinentibus, omnes has villas & ad eas pertinentia cum omni integritate & utilitate, quali nos ad nostros possedimus usus, exceptis servientibus, nec non venatoribus, piscatoribus, fabris, comentariis, architectis sive latomis nostris eorumque beneficiis, Walramo de Arlo & uxori ipsius Adelheidæ in precariam dedimus, cum legitima advocati nostri astipulatione cleri, militiæ & filiorum ecclesiæ nostræ præsentia, consilio atque favore. 1052.

E contra prædictus Walramus & conjux ipsius Adelheidis prædia in *Obtimedine* & in *Pulicha, Canida, Retherodt, Lemona, Cuberna, Alcana, Langenfelt, Bucho, Enerich, Rigila*, & villis circumjacentibus ad prænotata prædia pertinentia & prædia quæ possidebant in Trogona & circa rivum Trogonæ fluvii, cum ecclesiis, areis, vineis, molendinis, agris, pratis, silvis, venationibus, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, mancipiis utriusque sexus, cum banno & constrictu inquisitis & inquirendis, & omni utilitate quæ vel haberi vel excogitari potest, & tali potestate, constrictu quali vel antecessores illorum vel ipsi post illos possidebant, cum adstipulatione justa & consensu filiorum suorum ad principale altare sancti Petri in proprietatem tradiderunt. Hac videlicet conventione ut quousque viverent supra nominatis ecclesiæ nostræ prædiis quæ in precariam acceperant, liberrime uterentur. Post eorum vero mortem tantum ad filios eorum Walramum & Fulconem hæc eadem precaria transiret. Eis vero de hac vita discedentibus, cessante penitus precaria, & cessante, sive heredum, sive affinium, sive

successorum eorum potestate in hæc prescripta ecclesiæ nostræ bona, omni controversia sive inclamatione sopita, in jus, ditionem, usus & utilitatem Trevericæ ecclesiæ, ejusdemque ecclesiæ episcopi rediret; simulque ea prædia quæ S. Petro in proprietatem comes Walramus & uxor ejus dederunt, & cum astipulatione, ut dictum est, & consensu filiorum ipsorum supradictorum tradiderunt in ecclesiæ nostræ proprietate & potestate, quiete, secure atque liberrime perpetualiter manerent.

Præterea quoddam prædium in Egla, item & aliud in Corricha sæpe dictis Walramo & uxori ipsius concessimus, hac videlicet pactione ut prædia in Mandernacha & circumjacentibus villis ad illa pertinentia, injuste illis ablata, si requirere possent, S. Petro traderent: si vero acquirere non possent, ipsi & post mortem ipsorum quicunque filiorum eorum Walramus sive Folco alterum superviverent, ea ipsa bona in Egla & Corricha in finem vitæ suæ habeat, & episcopo Trivericæ sedis hoc inde servitium faciat, scilicet XL scutatos ex ista parte Alpium; & si iter episcopi vel regia expeditio ultra Alpes fuerit, XX mittat. Et ut hæc conventionis & precariæ pagina firma & inconcussa permaneat, sigilli nostri impressione eam firmavimus.

Data anno Incarnationis Dominicæ M. LII, indictione V. Hi testes qui interfuerunt Ruricus corepiscopus, Arnoldus corepiscopus, Ruricus præpositus, Gerramus præpositus, Adalbero presbyter, Hugo præpositus, Godescalcus, Werenbertus, Reginerus, Rutaldus laici, Arnoldus de Salmana, Arnoldus *de Arstein*, Bezelinus *de Ham*, Adalbero *de Madelberc, Odelbrecht de Stalle, Dietfrid* advocatus, Anselmus *Bern*, Anselmus *Hartman*, Eberhardus archiepiscopus.

L I V.

Ebherhardus archiepiscopus tribuit possessiones ecclesiæ S. Simeonis.

1052. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Eberhardus peccator sanctissimorum Trevirensis metropolitanæ archipræsulum successione indignus, notum esse cupio omnibus nostris, imo omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus, traditionem quam cum consensu atque favore, imo consilio ecclesiæ nostræ meliorum sancto Simeoni solemniter legali & aucthorali jure gentium feci. Quoniam nobis & Walramo comiti de Arlo, conjugique ejus dominæ Alheydæ, de precaria quam fecimus, convenit bonum quod sanctus Simeon in Egela primo ab urbe Treverica milliario habuit, supradicto comiti & uxori ejus, ea conventione quam charta de eadem precaria, & pactione facta edocet, concessimus, ea ratione ut prædicto domino confessori bonum & majus & utilius redderemus. Memores igitur pactionis nostræ, tradidimus tibi, sanctissime confessor & patrone noster Simeon, ea bona quæ nobis in Lyemana provenerunt ex traditione comitis Walrami & uxoris ejus, ea utilitate & potestate qua ad nostram manum tenuimus, scilicet cum utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, agris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, cum lapsu qui est in Mosella; hac addita & confirmata conventione, ut post obitum Walrami & uxoris ejus Alheydis, nec non filiorum eorum Walrami & Falckonis, cum bona nostra quæ in precarium acceperunt, ad ecclesiæ nostræ potestatem & utilitatem, sicut constitutum est, redibunt, prædium tunc in Egla absque omni contradictione, in tuos atque congregationis tuæ usus liberrime atque integerrime recipias, & utraque bona in Egla & in Liemena libere, quiete & securissime perpetualiter habeas. Et ut hæc traditionis nostræ charta sit aucthorabilior, sigilli nostri impressione eam roboravimus; quisquis tentaverit infringere, anathema sit. Data Treviris, anno Dominicæ Incarnationis M. LII, indictione quinta, regnante Henrico rege tertio, imperante secundo. Testes sunt Rambertus præpositus in domo sancti Petri, Germanus præpositus, Ruricus præpositus, Godeschaltus presbyter, Luzzo presbyter, Regenherus subdiaconus. Laici: Udalbertus *de Stable*, *Bern de Virneburg*, Anselmus *de Dudelindorff*, *Arnold* de Salmana, *Diefrit* advocatus, *Anselhin* de Conza, Hartmannus, *Sygebodo*, *Sygemar*, *Ezzelin*.

L V.

Prædium ab Udone archiepiscopo ecclesiæ sancti Simeonis assignatum.

SANCTÆ & individuæ Trinitatis gratia præveniente meritum, ego Udo, sanctorum patrum indignus successione, Trevirorum archiepiscopus, notum fieri cupio tam futuris quam præsentibus cunctis in Christo fidelibus, quod quidam nobilis homo, Hugo scilicet *de Hachenvels*, pro commodo præsenti, & futuro animæ remedio, prædium quod in villa *Olckebach* habebat, sancto Simeoni & ejusdem sancti confessoris loco Deo servientibus donavit & vendidit, & pretium venditionis per manum Burchardi venerabilis prænominatæ ecclesiæ præpositi, ducentas & decem marchas argenti accepit. Sicut igitur præfatum prædium idem Hugo, quasi novale & noviter in usum redactum, liberum, absolutum ab omni alterius conditione, solo proprietatis & servitutis suæ jure tenuerat, ita beato Dei confessori & ministris ejus in perpetuam securitatem, stabilitatem, famulatum & servitutem donavit, tradidit & confirmavit; ita videlicet, ut nullus advocatus, nullus omnino secularis officiarius aliquid ibi audeat invadere aut disponere, sed omnis actio vel exactio, aut quæcunque disponendi vel ordinandi, dandi vel accipiendi fuerit opportunitas vel necessitas, omnino in sancto ecclesiæ, præpositi vel nuntiorum ejus arbitrio & potestate consistat. Cum autem nostri sit juris & pontificalis officii indubitata potestas, ea quæ antiquitus nulli presbytero subjecta vel atterminata fuerunt, dandi vel atterminandi, quo voluntas nostra decreverit, decimationem de præfato prædio, quam prænominatus Hugo ex consensu meliorum nostrorum, quo volebat, dabat, & in fratrum usus, sive Christi pauperum distribuebat; nos pro Dei amore, & animæ nostræ salvatione, ut omnino prædictum prædium beato Simeoni integrum & absolutum ab omni alterius jure maneret, concessimus, & manu propria cum advocato nostro comite Reymbaldo ad sanctum quod ad viri sancti corpus situm est, altare dedimus, & legali traditione, cum nullus contradiceret, tertio acclamantibus banno nostro confirmavimus. Ut autem hæc talis traditio firma & stabilis & inconvulsa ecclesiæ Dei permaneat, hanc hujus traditionis chartam sigilli nostri impressione, & eandem banni pontificalis allegatione corroboravimus, certa interposita definitione, ut si quis malevolus laicus, vel, quod absit, clericus hanc constitutionem a nobis fideliter actam, perpetuo stabilitam mutare vel pervertere studuerit, insolubili anathemate alligatus, Diabolo & angelis incendii ejus associatus, nunquam nisi satisfactione condigna ab infernalibus pœnis absolvatur. Signum Udonis archipræsulis. Signum Arnoldi Majoris-domus præpositi. Signum Burchardi præpositi. Signum Ungeri chori episcopi. Signum Thiebaldi capellani. Signum præpositi Diecellini *de Revengeresburg*. Signum Gunzelini decani. Signum Uzonis presbyteri. Signum Constantini diaconi. Signum Adelberonis custodis. Signum Henrici comitis *de Lach*. Signum Diepaldi de Naga. Signum Stephani *de Spainheim*. Signum Adelberonis de Duna. Sig. Cunonis & Adelberonis *de Madelberg*. Signum Everhardi de Stegna. Signum Adelberti *de* 1075.

Merckedeshelm. Sig. Adalberti vice domini. Signum *Hartman de Seleim*. Signum Baldevini. Signum *Cosluz*. Signum Sansonis. Signum Rudevini. Data Treviris in monasterio S. Simeonis, ante ipsum sacri corporis altare, anno Dominicæ Incarnationis M. LXXV, indictione XIII, anno octavo pontificatus domini piissimi Udonis archiepiscopi.

L V I.

Epistola Egilberti archiepiscopi adversus Gregorium papam VII conviciis referta.

1082. PATRIBUS, non fratribus, dominis, non amicis, Egilbertus designatus episcopus Trevirensis ecclesiæ, devotissimas in Christo orationes. Ferre sententiam contra apostolicum non est tutum; imo insanum & omnino nefarium aliquid audere in illum qui in vice S. Petri fungitur legatione ipsius Christi. Ipse autem qui invasit sedem apostolicam, qui inaudita laudatione effertur, qui profanis novitatibus studet, amplo nomine delectatur; quem neque Christianum appellarem, quia non habet Christi characterem, & pacem & caritatem quam Christus suis militibus impressit, qua Christus suos notavit: non occurrere contra hunc, magnum sanctæ Matris ecclesiæ est periculum, & plane contra Deum. Quis itaque nescit, ex hoc, quasi fonte omnis dissensionis, & capite omnis schismatis, exclusa pace ecclesiæ, discordiam totius mundi emersisse! Quis, inquam, non videt per hunc, quasi signiferum, tantum sanguinem mundi effusum! De multis rationibus, qui non sequitur Christum, nequeo vere appellare Christianum, ita certe nec papam quem video toties & tam manifestum homicidam. En bonus, & sanctus papa, cujus consiliis, cujus instinctu & ductu membra Christi tot & tam perditis modis sint dilacerata. En bonus pastor, qui in illos tanta crudelitate grassatur, pro quibus Christus in cruce pependit, quos ipse proprio sanguine redemit. En verus pontifex & verus sacerdos, qui dubitat, si illud quod sumitur in Dominica mensa, sit verum corpus & sanguis Christi. Nihil certe ita est impium & nefarium, nihil ita est detestabile & execrabile quod ipse non curet, dum alios contra regem armet, dum alios ad bellum quod ipse omnibus intendit, excitet. Inter has multiplices calamitates & miserias quas patitur & conqueritur sancta ecclesia, mihi quoque illa est ab eo tam superba quam violenta injuria. Cum igitur Treviris pari consensu tam cleri quam plebis essem electus episcopus, etiam eo non impediente, nullam culpam obtendente, fere per biennium consecrationem habere non potui, omnibus ejusdem ecclesiæ filiis & suffraganeis intercedentibus, & inusitatam suæ metropolis viduitatem multum querentibus: nihil etiam profuit sincerus introitus & legitima electio, nihil valuit apud illum consona authoritas episcoporum, & studiosa loci intercessio. Ut taceam mea, ut prætermittam privata; quam malus & non purus introitus ejus qui minatus est, pervenit ad perditissima exempla. Ne plus per hoc sancta, quæ vix modo trahit extremum spiritum, periclitetur ecclesia, ex me dico, quod nullam ejus obedientiam posthinc servabo, neque meo judicio non amplius sedebit in loco, & in vice sancti Petri, quem ipse non sequitur, obstupenda abusione novitatis suæ & inauditi decreti.

L V I I.

Litteræ Conradi primi comitis Luxemburgensis quibus conditur cœnobium Munsteriense.

1083. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego Conradus comes, licet sero, inspiratione divinæ gratiæ ad pœnitentiam provocatus, eleemosynis & cæteris pietatis operibus peccata mea redimere statui, quæ & vitio humanæ fragilitatis, & ex officio secularis dignitatis contraxi, & qui nec dum juxta præceptum Domini ex integro potui cuncta relinquere, decrevi saltem aliquam partem possessionum mearum Christo tribuere. Cœpi itaque in monte hoc ubi nullus patrum meorum prius adoravit, domum Domini in honorem & venerationem Apostolorum principis a fundamentis construere, in qua monachorum turmulam sub norma B. Benedicti militaturos institui, & de rebus meis quantum ad præsens visum fuit, ecclesiæ ipsi absque calumnia alicujus hominis seu advocatiæ, præter me & successores meos libere contradidi, & eandem traditionem ob confirmationem posteris meis profuturam, ne violenter beneficia fratrum subripiant, in chartula hac denotavi. Dedi scilicet eidem ecclesiæ in perpetuam dotem mansum unum indominicatum, & quatuor vestitos, & montem a turre extrema usque ad aquam cum banno, & aquam a ponte sancti Udalrici usque ad rupem Moronis, cum omnibus usibus suis, & liberam piscaturam pro velle infra & supra, cum molendinis & furnis. Tradidi etiam quatuor familias, & in silva præsenti quæ dicitur Andevanna, nec non & *Santweiler* silva, quocunque loco fuerint necessaria, sive in pascendis porcis aut aliis animalibus, & ligna & materiam ad omnia ædificia, sine respectu reditus aut census; familiam quoque in villa quæ dicitur *Cecingen*, cum omnibus quæ possident, & apud Marseium pratum spatiosum, cum omni usurario, sicut hactenus est a me possessum. Et apud Gozingiam villam, familiam & terram, cum omnibus quæ ibi habeo fratribus concessi, ad montem Cunonis Luzonem & fratres ejus cum possessionibus suis; apud Matheis, allodium & familiam, ubicumque sint, excepto Amalrico & Ramberto cum his quæ possident. Curtim quæ dicitur *Pris* cum familia & redditibus; villam *Radinges* cum familia & redditibus; ecclesiam *de Furen* cum adjacenti decima; ecclesiam de Lenda cum tribus partibus decimæ, ita sane ut quod feodatum est hereditarie, deficientibus filiis fratres possideant; ecclesiam *de Rodt*, ecclesiam *de Santweiler*: quæ omnia, ut magis rata essent, acta sunt, annuente uxore mea Clementia cum filiis & filiabus nostris, in præsentia domini Metensis episcopi Hermanni, vicarii apostolicæ sedis, affirmationibus banni ipsius, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octuagesimo tertio, II nonas Julii, indictione sexta, sub testimonio virorum nobilium quorum nomina hæc sunt, Ramboldus, Becelinus, Thiedo, Ricardus, Bertrannus, Albertus, in die consecrationis cryptæ. Quicunque ergo ex rebus hic annotatis, temere, vi vel fraude rapuerit quidquam, sit anathema, maranata, sitque in perpetua damnatione cum Dathan & Abiron, & filiis Chore. Fiat. Fiat. Fiat.

L V I I I.

Fundatio monasterii Lacensis per Henricum comitem Palatinum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus comes Palatinus Reni & dominus de Lacu, ad muniendam quietem humilium spiritu notum facio cunctis Christi nostrique fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod cum absque liberis essem, annuente & cooperante uxore mea Adleide, pro remedio animæ meæ & æternæ vitæ consecutione in patrimonio meo, scilicet *Lache*, in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ sanctique Nicolai monasterium regulæ monasticæ cultoribus incolendum fundavi, propriisque bonis dotavi, sub præsentia & cognitione domini Hielberti venerabilis Trevirorum archiepiscopi. Advocatum vero non alium quam meipsum, quandiu vixero, huic cœnobio constituo: post mortem 1093.

vero

vero meam, quem fratres præfati monasterii, sive A ex privignis meis, sive in provincia, viribus & benignitate sed & subveniendi opportunitate magis idoneum providerint, ejusdem monasterii familiis & possessionibus præficiatur advocatus, quod dicitur *Dinctvant*. Si tamen hoc decretum & subscriptum se observaturum esse promiserit, videlicet si bona ecclesiæ viriliter tueri, & familiam ejus clementer & humane tractare voluerit. Noverit itaque omnino sibi observandum, ne advocatiam vel conjugi in dotem, vel alicui in beneficium dare præsumat, nec alium pro se substituat, cum sciat in hujus honores se hereditario jure non contingere, sed hanc provisionem pro remedio animæ suæ ad tutelam monasterii de manu abbatis se suscipere. Præterea nec aliquando in bonis ecclesiæ hospitando, ecclesiam vel familiam B ejus, graves nec injusta servitia ab ea neque violentas exactiones, quas precarias vocant, aliquando exigat: in cujus advocati negotio non alius minister neque vicarius neque subadvocatus præerit, nisi qui villicus abbatis fuerit. Nunquam ad publicum placitum considebit, nisi a fratribus, si res ita poposcerit, invitatus fuerit. Cum invitatus venerit, serviatur ei, quod & honori ejus sit congruum, & pati possit ecclesia, ne vel sumtuum ejus vel comitatus nimietate contristetur: ita vero agat, & tam pium, tam modestum tamque benignum fratribus & familiis eorum se exhibeat, ut dignus honore sui nominis existat, & pro officio fideliter administrato remunerationem a Christo, beata Maria interveniente suscipiat. Quod si timoris Dei oblitus, quos fovere debuerat, violenter oppresserit, C & admonitus infra sex hebdomadas non satisfecerit, tandem ecclesiastico anathemate percussus advocatiam amittat, & alium fratres potentia, modestia & defendendi possibilitate utilem & efficacem sibi eligant, qui sub prædicta conditione ipsam advocatiam administraturus suscipiat. De cætero desidero & quantum de mortuo vivens possum, firmiter statuo ut ubicunque in provincia vita excessero, nusquam nisi in præfato monasterio sepeliar. Idem de advocatis omnibus & de uxore mea fieri volo & constituo. Ne autem quisquam heredum meorum & successorum aliquam injuriam Domino Deo & beatæ Mariæ quandoque inferre intendat, de bonis a me huic monasterio collatis, ea nominatim supponi placuit, quæ & episcopali banno confirmari facimus, scilicet D *Crust* cum ecclesia, *Bedendorff* & *Heymbach*, & eorum adjacentia *Belle*, *Reide*, *Alckane*, *Willenburg*. Hæc, inquam, beatæ Mariæ tradidi cum omnibus appenditiis, id est cum utriusque sexus mancipiis, ædificiis, areis, exitibus & reditibus, agris quæsitis & inquirendis, pratis, pascuis, viis & inviis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, vineis, vinetis, silvis atque cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini millesimo nonagesimo tertio, indictione prima, regnante serenissimo imperatore Henrico tertio, anno autem regni ejus tricesimo octavo, pontificatus vero domini Hielberti Treverorum archiepiscopi quarto decimo. Ut autem hæc nostra traditio firma & inviolabilis in perpetuum E permaneat, chartam hanc inde conscriptam sigilli nostri impressione insigniri fecimus. Hujus constitutionis testes sunt, dominus meus Hielbertus Trever. archiepisc. Sigefridus privignus meus, Henricus dux *de Lembergh*, Wilhelmus comes *de Lutzelenburg*, cognati mei, Walramus & frater ejus Volcko comites de Arlo, Dudo comes *de Luremburg*, Hermannus comes *de Vievenburg*, Messridus comes *de Wiede* & frater ejus Richwinus *de Kempenich*, Burchardus *de Oelbruck* & frater ejus Henricus, Reinboldus *de Ijssenburg*, Wolkoldus *de Broel*, &c.

LIX.

Privilegium ab Urbano II Juviniacensi abbatiæ indultum.

URBANUS servus servorum Dei, dilectæ filiæ 1096. Galburgi abbatissæ monasterii Juviniacensis, & cæteris quæ post eam regulariter in ejusdem monasterii regimine substituendæ sunt. Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum ecclesiarum statu satagere, & earum maxime quæ ejus sedi specialius adhærent, & tanquam proprio jure subjectæ sunt, quieti, auxiliante Domino, providere. Quapropter filia in Christo charissima Galburgis, devotionis tuæ precibus clementer annuimus, & beatæ Scholasticæ virginis monasterium, cui, Domino authore præsides, apud villam quæ Juveniacum dicitur, constitutum, sub apostolicæ sedis protectionem specialiter confovendum præsentis decreti auctoritate suscipimus. Quod videlicet monasterium egregiæ memoriæ Bonifacius marchio, & ejus uxor Beatrix, cum insigni filia sua domina Matilde, beato Petro & episcopis sanctæ Romanæ ecclesiæ obtulerunt. Per præsentis igitur privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quævis bona a prædictis principibus eidem monasterio data, firma & illibata semper permaneant: ipsa videlicet Juveniacensis villa integra cum utrisque medietatibus suis, quarum alteram præfatus marchio & ejus conjux in vita sua, alteram post obitum eorum comitissa Mathildis beatæ Scholasticæ tradidisse cognoscitur: Remonis villa cum pertinentiis & redditibus: medietas villæ Verinoli magni, Yreia cum duabus ecclesiis: Bosonis villa cum appendiciis suis: minus virolinum totum: in villa Visinoli mansi duodecim: in Marceio tres mansi cum ecclesia: in Cimenceyo terra cum quarta parte ecclesiæ: in Hastoit mansi quatuor & tertia pars ecclesiæ cum molendino: in Betrui mansi duo cum ecclesia: in Vellanis mansi duo & semis, sexta pars mansi ecclesiæ & molendini & piscationis: in Gualkeringi mansus unus: apud Ase juxta Masenceium terræ: apud alium Ase quarta pars mansi: apud Nemachicon mansus: apud Ham mansus cum quarta parte ecclesiæ & molendini. Confirmamus etiam vobis ecclesiam de Surreio cum allodio & mancipiis, novem perticata vinearum Læsura, quadraginta & septem diurnata boum in Remonivilla, quæ tua prudentia ab Arluino pretio comparavit. Quidquid præterea idem monasterium beatæ Scholasticæ juste possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, ratum vobis illibatumque servari sancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradicti cœnobii congregationem temere perturbare aut ejus possessiones auferre, aut oblata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Trevirensis ecclesiæ canonica reverentia. Obeunte te nunc ejusdem loci abbatissa, vel earum quæcunque post te in ejusdem loci regimine successerint, nulla ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur, sed quam sorores communi consensu, vel sororum pars consilii sanioris secundum Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendam, adhibito etiam diœcesani episcopi consilio, si catholicus religiosusque extiterit, ut jam omnino non liceat infra abbatiam ipsam aliquid violentiæ vel pravæ consuetudinis vendicare, aut gravaminis quidquam, quod ancillarum Domini Dei quieti impediat, irrogare. Advocatum quoque ejusdem loci non alium fore statuimus, nisi quem monasterio utilem abbatissa cum religiosarum suarum voluntate

poposcerit. Nec ipsi, aut abbatissæ, nec alicui loci ipsius ministro facultas sit ecclesiæ bona vel in feudum personis secularibus dare, vel sub censum redigere, vel modis quibuslibet alienare. Nullum præterea clericum in monasterio vestro ministrare permittimus, nisi de regularium canonicorum numero quos apud beati Momani ecclesiam religionis vestræ sollicitudo constituit, quibus delegatum ex vestrarum facultatum portionibus victum, ne qua in posterum persona subtrahere audeat, interdicimus. Ad indicium autem perceptæ a Romana ecclesia libertatis, Virdunensis monetæ sex argenteos quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in crastinum ecclesiastica secularisve persona hujus decreti paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, B potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Datum in monasterio S. Ægidii apud vallem Flavianum per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, decimo quarto cal. Aug. indict. quarta, Incarnationis Dominicæ an. M. XCVI, pontificatus autem domni Urbani secundi PP. IX.

L X.

Epistola Theotfridi abbatis Epernacensis ad Henricum IV imperatorem.

Circa 1101. GLORIOSISSIMO domino suo imperatori augusto Henrico, gratia Dei id quod est Thiotfridus intimum & devotissimum orationis obsequium, & quidquid in cœlo & in terra est optimum. Nulla omnino, Domine mi, possum exprimere facundia quanta cor meum exhilarastis lætitia, cum nuper Leodio per proprias manus regias meæ exiguitatis vestram dignatus estis commendare animam, pro summis & maximis regiæ magnificentiæ muneribus. Tantæ dignationis vestræ pignus meis retuli D fratribus, & vestri memoriam in imis eorum recondidi visceribus: sed, O & præsidium & dulce decus meum, cœptam in nos perficite gratiam, & quia videtis quod Christus Dominus in vobis Christo suo complet sua per Isaïam promissa: *ego ante ibo & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*, in nobis ultimis illius servis ejus honorare magnificentiam per tyrannidem ablatas in *Hollant* ecclesias, quas æternæ memoriæ genitor vester Henricus sancto Willibrordo Moguntiæ, papa assidente nono Leone, dedit, reddi facile nostræ ecclesiæ, & hoc regio munere nostræ paupertati consulite. Vale.

L X I.

Instrumentum fundationis abbatiæ Springirsbacensis. E

1107. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Bruno Dei gratia archiepiscopus ecclesiæ Trevirensis, omnibus tam futuris quam modo viventibus, in Christo notum esse cupimus, qualiter bonæ quædam memoriæ femina, Benigna nomine, bonis parentibus orta, mortuo, cui nupserat, Rudgero marito suo, ad ecclesiæ limina confugere, Deoque viduitatem suam dicare cum omnibus quæ pro anima sua dare posset, constituit. Itaque bonum ac Deo placitum cogitans, locum solitarium pro ritu suo aptum eligere, cellam in episcopatu nostro in silva *Contel*, in loco qui vocatur *Thermunt*, in ea parte silvæ quæ sua erat, licentia & permissione Sigefridi Palatini comitis, A ad honorem Domini Salvatoris construxit, in qua clericos canonicos seculo abrenuntiantes, quorum parens Deus est, secundum instituta regulæ a beato Augustino conscriptæ locari voluit, quorum consilio & præcepto reliquum suæ vitæ duceret & admissa corrigeret. Cum igitur rogatu ipsius ad consecrationem ejusdem cellæ venissemus, destinavit eam cum omnibus quæ illuc contulit, in præsentia Palatini comitis, & omnium qui aderant, ecclesiæ beati Petri Treviris contradere & subjectam facere, quod ita factum est. Nam cum nos postea in villa altera pro nostris negotiis una cum nostris fidelibus, videlicet ipso Palatino comite & aliis multis convenissemus, tradidit eamdem cellam B. Petro per manum ejusdem domini sui, advocati videlicet ecclesiæ nostræ majoris, quem etiam cellæ advocatum a nobis constitui rogavit, in præsentia Richardi fratris sui, filiorumque suorum & filiarum, maritorum nullo contradicente, nullo prohibente. Ut autem traditio ejus secundum leges ecclesiasticas rata semperque esset & inconvulsa, Treviris eam in generali synodo nostra tertia confirmavit, ubi rursum tradidit eandem cellam ad altare B. Petri per manum sæpe dicti Palatini comitis Sigefridi, adstantibus & adstipulantibus Richardo fratre suo, filiis filiarumque maritis, determinata donatione sua: videlicet, ut in eo loco nullus habeat coepiscopus aliquis vel decanus tractandi negotii potestatem; sed si quid forte, quod absit, ortum fuerit, quod a fratribus definiri non possit, ad episcopum referatur; ipsi autem inter se abbatem libere C eligant, & archiepiscopo Trevirensi (si in gratia & communione pontificis fuerit) consecrandum repræsentent; nullus etiam, nisi juxta electionem ipsorum, advocatus constituatur; nullus ex hereditate advocatiam ejus loci quærat, nisi fratrum adsit petitio. Proinde hanc ejus traditionem factam & banno nostro confirmatam, si quis (quod tamen minime credimus) infringere & infirmare, commutare vi vel arte, aut aliquo malo ingenio voluerit, fiat ei, & sicut Judæ traditori, sicut Dathan & Abyron, disperiat de terra memoria ejus, cum judicatur, exeat condemnatus, comedat eum vermis qui non moritur, urat eum ignis qui non extinguitur. Acta sunt hæc Treviris anno Dominicæ Incarnationis M. CVII, indict. XV, regnante Henrico Romanorum imp. V, anno regni ejus secundo, episcopatus nostri VI, in generali synodo, testibus his, Ramberto majoris ecclesiæ nostræ præposito, Godefrido coepiscopo & præposito, Theodorico coepiscopo; capellanis Marcuardo, Burchardo, Widegone, Sigebodone; laicis liberis: Sigefrido comite Palatino, per cujus manum hæc facta sunt, Henrico comite *de Lemburg*, Willelmo comite *de Lucelinburg*, Theodoro de Ara, Adalberto *de Dille*, Emechone *de Schmideburg*, Ludovico *de Arenstein*, Gerlaco *de Romersdorff*, Adalberone *de Daun*, Hermanno *de Wirneburg*, Simone & Adelberone *de Machelburg*, Hessone *de Ruttig*, Wirico *de Wallerwert*. Ministerialibus nostris, Lodovico, Guildolpho, Aurito, Rudolfo; item Ludovico, Friderico, Engelberto. Ministerialibus autem Palatini comitis, Richardo fratre ejusdem supra memoratæ mulieris, Godefrido filio ejus; filiarum maritis Dudechino, Theodorico, Wernero, Hermanno, Giselberto, Wisellino, Richolpho, Meginhardo, Titmaro, Baldewino, Conrado, Henrico; item Wernero; & aliis quamplurimis laicis & clericis astantibus & constipulantibus.

L X I I.

Sigefridus comes Palatinus cœptam ab Henrico Vitrico fundationem Laci perficit. Dipl. Trev. t. I, p. 492.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Sifridus gratia Dei comes Palatinus, notum esse volo fidelibus qualiter & a quibus ecclesia, quæ vocatur 1112.

Lacus, constructa sit, & libertati tradita. Prædecessor & dominus meus Henricus comes Palatinus, exhortante uxore sua Adelheide matre mea, prædictam ecclesiam ædificare cupiens, fundamentum ejus tantummodo posuit, & jam morte imminente, sicut bonorum suorum, ita hujus quoque laboris ecclesiæ scilicet perficiendæ heredem me instituit. Quod primum quidem ut pote juvenis neglexi, postmodum vero pœnitentia ductus, quod neglexeram, devotissime corrigere studui. Itaque castellum ecclesiæ vicinum quieti fratrum prospiciens destruxi, & bona ad ipsum prius pertinentia fratribus ibi Deo & beatæ Mariæ famulantibus tradidi, ipsumque locum cum omnibus appendiciis suis Haffligeniensis cœnobii abbati & successoribus suis perpetuo regendum tradidi, ea videlicet consideratione, ut quia uterque locus in allodio meo situs erat, unius ejusdemque abbatis gubernaretur providentia. Cum vero præsens abbas vel successores sui vocante Domino de seculo transierint, aliqui fratrum, qui apud Lacum ad hoc idonei erunt, ad communis abbatis electionem Haffligenium occurrant: nisi forte aliquis vel scandali vel perturbationis imminentis metus obstiterit, propter quem adventum ipsorum conventus Haffligeniensis exspectare non possit. Quod si hæc vel alia quælibet rationabilis causa impedierit, propter quam ad communem electionem non occurrerint, quemcunque Haffligenienses patres boni testimonii zelo Dei secundum canonicam & privilegii sui institutionem elegerint, hunc & ipsi debita conveneratione tanquam patrem spiritualem suscipiant, & ipse utrique loco sicut & prædecessor suus gubernando præsideat. Si autem aliquando in ovile Christi peccatis exigentibus aliquis, non dico abbas, sed tyrannus, quod absit, simoniace & per secularem potentiam violenter subintroiverit, illum nullatenus suscipiant, illi subjectionem nullam exhibeant. Quin imo quotquot ex fratribus de conventu Haffligeniensi invasoris illius pestiferam communionem declinantes ad eos confugerint, cum gaudio suscipiant, & pro facultate loci tanquam propria viscera foveant, donec propitiatio divina gregem suum respiciat, ac idoneum pastorem ei provideat: advocatum vero non alium quam meipsum, quandiu vixero, ecclesiæ constituo. Me autem defuncto, cuicunque filiorum meorum, vel in posterum cuicunque heredum meorum bona mea Lacum circumjacentia obvenerint, hunc advocatum sibi fratres assumant: si tamen decretum a me constitutum & hic subscriptum observaturum se esse promiserit, si bona ecclesiæ viriliter tueri & familiam ejus clementer & humane tractare voluerit. Noverit itaque omnimodo sibi observandum, ne advocatiam vel conjugi suæ in dotem, vel alicui in beneficium dare præsumat, ne alium pro se substituat, ne aliquando in bonis ecclesiæ hospitando, ecclesiam vel familiam gravet, ne servitia ab eo, ne injustas exactiones, quas precarias vocant, aliquando exigat. De placitis autem ad advocatum jure pertinentibus, ubi abbas duos nummos acceperit, tertius ejus erit: in quo tamen suscipiendo vel in alio quolibet negotio cum familia ecclesiæ peragendo nullus alius minister advocati, neque vicarius, neque subadvocatus præerit, nisi ille solummodo qui villicus abbatis fuerit, ad placitum autem nunquam veniet, nunquam consedebit: nisi a fratribus, si res ita poposcerit, invitatus fuerit, cum vero invitatus venerit, subscriptum tantum servitium a fratribus habebit duo maldre ad panem vespere & unum mane, ad pabulum equorum decem maldre hyeme, quinque æstate; duos porcos quinque solidorum vespere, unum triginta denariorum mane, hamam vini vespere, dimidiam mane. Ita autem agat, & tam pium, tam modestum tamque benignum, fratribus & familiæ se exhibeat, ut & honore nominis sui dignus existat, & pro officio fideliter administrato æternam a Christo remunerationem beata Maria interveniente suscipiat. Quod si timoris Dei oblitus, quos fovere debuerat, violenter oppresserit, & admonitus infra sex hebdomadas non satisfecerit, tandem apostolico anathemate percussus advocatiam amittat, & de propinquis ejus idoneum sibi fratres eligant, qui sub prædicta conditione eam administraturus suscipiat. Præterea desidero & quantum demortuo vivens possum firmiter statuo ut ubicunque in provincia vita excessero, nusquam nisi in eadem ecclesia sepeliar. Idem de uxore mea & filiis nostris, & de advocatis omnibus & advocatorum proximis fieri maxime volo & constituo. Ne autem quisquam heredum vel successorum meorum aliquam injuriam Domino Deo & beatæ Mariæ quandoque inferre intendat, de bonis a domino meo Henrico Palatino comite, & a me quoque sibi collatis ea nominatim supponi mihi placuit. Ipse quidem tradidit & episcoporum atque electorum sacerdotum banno confirmari fecit. *Kruft* cum ecclesia, *Bella*, *Reide*, *Alkene*, *Willeberg*. Ego vero donationem ejus confirmando renovavi, & insuper quatuor milites *de Croth*, *Hoverhoffe* & *Meylem de Brabant* addidi, & banno similiter & probatis testibus confirmavi. Hæc inquam B. Mariæ tradidimus cum omnibus appendiciis suis, id est, cum utriusque sexus mancipiis, ædificiis, areis, exitibus & reditibus, agris quæsitis & inquirendis, pratis, pascuis, viis & inviis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, vineis, vinetis, silvis, & cum omni utilitate quæ ullo modo inde provenire poterit. Ut autem hæc nostra traditio firma, inviolabilis in perpetuum permaneat, hanc chartam inde conscriptam nostri sigilli impressione insigniri fecimus. Postremo ut nullum scrupulum dimittam determinandum est quid ei in venatione concessimus, tam abbas quam advocatus sibi venari poterunt. Hujus rei testes sunt, Hermannus comes *de Verneburg*, & Ratro de eodem castello, Matfridus comes & frater ejus Richwinus, Burchardus *de Oreburg*, Folcoldus *de Brule*, & filius ejus Warnerus, Embrico, Reinoldus, Berno *de Thure*, Emmicho *de Pulsterstorff*.

LXIII.

Henricus comes Lucemburgi confirmat fundationem monasterii B. Mariæ de Lucemburgo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego 1122.
Wilhelmus comes de Lucemburgo cupiens imitari beatæ memoriæ patrem meum Conradum comitem, & perficere quod ipse incœpit, vel potius bona voluntate implevit, oratorium secus prædictum castrum ab eo fundatum, & ordini monachorum deputatum, rebusque suis, quemadmodum placuit ditatum, liberum esse sub tuitione apostolica statui. Quapropter in memoriam libertatis aureum unum Romæ ad altare S. Petri omni anno in die Palmarum, sive in cœna Domini, offerri constituimus, quem videlicet aureum indictione prima, anno quinto beati secundi Calixti papæ coram ipso apostolico per manum comitis Hermanni offerendum transmisimus, quem etiam obtulit in die qua consecratum est altare beati apostoli Petri. Ergo quia nostris temporibus idem monasterium est perfectum, ut pater meus ipsum locum omnino liberum facere disposuit, ego, ut superius dictum est, desiderans implere votum patris mei, consilio domni archiepiscopi Brunonis Trevirensis & bonorum virorum, liberum abbatem illic esse constituimus, ita sane ut baculum pastoralem super altare accipiat. Statuimus autem ut abbatem a modo aliunde non habeant, si in eodem loco per gratiam Dei dignus quisquam poterit inveniri; si vero, quod absit, ibi repertus non fuerit, consilio bonorum virorum alibi idoneum accipiant, remota omni laicali electione. Advocatum in eadem abbatia esse

prohibemus, sed si forte injuria aliqua inibi Deo servientibus illata fuerit, a nobis, sive a posteris nostris justitia requiratur, & nihil pro hac re nobis debetur. Dominus autem hujus castri nullum gravamen eis inferat, nec de placitis vel de hominibus eorum se intromittat, nullamque pretii existimationem a bannalibus eorum exigat, nec homines eorum hospitando vastet. Si bannalis eorum pacem fregerit, vel latrocinium fecerit, extraneus quoque si super bannum eorum fugerit, prædictus dominus sine licentia abbatis, & conductu ministerialis ipsius, capere eum non poterit, & si se redemerit abbas duas partes, dominus autem tertiam partem accipiat. Si quis vero extraneus, cujuscunque homo bannalis existat, fuerit sic superbus, ut censum suum persolvere neglexerit, ministerialis abbatis legali judicio domum ejus obserabit; si contentiosus permanserit, idem comiti proclamabit, qui justitiam faciens, ipse tertiam partem, abbas vero duas partes accipiet. Si denique annuale mercatum vel forum super bannum ipsius loci stabilitum fuerit, thelonium, vel alios redditus mercati vel fori accipient. Si autem in eodem mercato vel foro quisquam proclamaverit aliquid, unde justitia fieri debeat, si pugna campi, id est, duelli adjudicata fuerit, in curia abbatis fiet, & ipse abbas duas partes, comes vero tertiam partem accipiet. Cuncta igitur quæ a beato patre meo inibi Deo famulantibus donata sunt, vel postea a nobilibus, sive ab aliis fidelibus attributa, quin etiam attribuenda sunt, libera esse omnino & rata confirmamus. Hæc autem sunt quæ eis inviolata conservari decernimus: scilicet dotem ejusdem ecclesiæ, mansum unum indominicatum, & quatuor mansos vestitos, & montem, & planitiem ab extrema turri usque ad aquam decurrentem in circuitu montis, ipsam etiam aquam a ponte S. Odalrici usque ad rupem Moronis, cum omnibus usibus suis, & liberam piscaturam pro velle, supra & infra cum molendinis, quatuor etiam familias, hoc est, familiam in villa quæ dicitur *Cezingen* cum omnibus quæ possident, & apud Cozingiam-villam familiam & terram quæ ibi habentur; ad montem Cunonis Luzonem, & fratres ejus, cum possessionibus suis; apud Mathæis allodium & familiam, ubicunque sint, excepto Amalrico, & Ranuluto cum possessionibus suis; & apud Mascium pratum spatiosum cum omni usuario, sicut a patre meo datum est. Accipiant etiam omnia necessaria in silva præsenti quæ dicitur Andevenna, & in silva *Sandweiler*, quocunque loco fuerint, sive in pascendis porcis aut aliis animalibus, & ligna, & materiam ad omnia ædificia, sine respectu reditus aut census; curtem quæ dicitur *Pris* cum banno & familia, & omnibus redditibus eis concedo, sicuti etiam a patre meo datam eidem loco novi; villam *Rodenges* cum banno, cum familia & omnibus redditibus; ecclesiam *de Furen* cum omni adjacenti decima; ecclesiam *de Leude* cum tribus partibus decimæ; ecclesiam *de Rode*; ecclesiam *de Santweiler*. Hæc omnia eidem cœnobio donata sunt a patre meo in die dedicationis cryptæ, anno Incarnationis Dominicæ M. LXXXIII, annuente matre mea Clementia & fratribus meis, in præsentia domni Hermanni Metensis episcopi, sub testimonio nobilium virorum quorum nomina hæc sunt, Raimboldus, Becelinus, Thiedo, Richardus, Bertrandus, Albertus.

Postea vero cum pater meus in via Hierosolimitana defunctus & sepultus, post duos annos inde translatus, & quarto anno in prædicta crypta esset tumulatus, venerabilis mater mea eodem die allodium, quod dicitur *Merre*, Christo & ejus Genitrici, assensu filiorum suorum dedit; itemque aliud *Schesledinges* nomine, in campis, pratis & silvis cum familia non modica. Testes quoque hujus donationis sunt Theobaldus, Godefridus, Berlannius, Lambertus, Becelinus, Richardus, Raimboldus, Ancelmus. Omnia igitur quæ a patre meo donata sunt, & a matre mea

A Clementia post ipsius decessum oblata sunt, sive fideles quique pro animabus suis ipsi loco obtulerint, seu a nobis nunc ad honorem ejusdem ecclesiæ constituuntur, illibata, & absque ulla calumnia permaneant. Quicunque autem ipsis injuriam irrogaverint, & vi sive fraude, quod eorum est, abstulerint, ab advocato eorum Petro apostolo excommunicentur a præsenti ecclesia & a regno cœlorum, nisi restituerint. Hujus confirmationis & supradictæ constitutionis nostræ chartam, ego & filius meus Conradus super altare ipsius cœnobii sigillatam posuimus, in præsentia domni Folmari primi abbatis, & fratrum cum eo degentium, & nobilium virorum quorum nomina hæc sunt, Hermannus comes de Salmis, Godefridus comes de Ursi-monte. Item Godefridus

B comes *de Esch*, Gerardus de Roccio, Cono *de Aldenges*, Rodulphus *de Caneke*, Theodoricus *de Bourscheidt*. Item Theodoricus *de Vixepach*, Udo, Albertus *de Pris*, Vezelo advocatus, Udo, Humbertus, Godefridus. Item Godefridus, Wigericus, Sigisfredus & multi alii qui interfuerunt.

L X I V.

Litteræ Godefridi archiepiscopi.

NOTUM esse volo fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod ego Godefridus Trevirorum archiepiscopus, consilio vicedomini mei Ludewici & cæterorum fidelium meorum, Cristano & Diefrido filiis Alteni de Gracha veterem censum, id est duos *Circa 1124.*

C solidos ad ministerium villici *de Berncastel* pertinentes, & quatuor ficulas vini, & duo sombra siliginis, & duos denarios, ad ministerium villici de Altreia pertinentes, condonavi in æternum; sumens ab eis novem particulas vinearum in Gracha, quarum quinque villicus super *Berncastel* in suam, & villicus de Altreya quatuor in suam restaurationem recepit. Hoc ut ratum, inconvulsum permaneat, hanc nostræ confirmationis cartam sigillo nostro insigniri & banno confirmari placuit. Hujus rei fuerunt testes Ludewicus vicedominus, Hermannus villicus super *Berncastel*, Wiericus villicus de Altreya, Diepezo *de Loncamp*, Petrus & Hubertus de Munzelavilla, Wigandus de Walena, Hermannus de Vileina, Rudolphus de Bunmaga, Irnbertus & filius ejus Hubertus *Bermut*,

D Echertus de Gracha, Wido, Irembertus, Miregul, Godefridus, Alburch de Arec.

L X V.

Confirmatio fundationis Aureæ-vallis in ipso dedicationis die ab Ottone comite de Cisnei *facta.* *Ex ipso autographo.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, anno ab Incarnatione Domini M. CXXIV, indict. III, pridie cal. Octobris dedicata est ecclesia in honorem sanctæ & perpetuæ Virginis Mariæ in Aurea-valle, a domno venerabili episcopo Heinrico Virdunensi, jussu & petitu domni archiepiscopi Trevirorum Godefridi, primo anno suæ ordinationis, regnante *1124.*

E Heinrico hujus nominis quarto, anno secundo reconciliationis inter regnum & sacerdotium, cujus dedicationi ecclesiæ interfuit Otto comes *de Cisnei* cum sua uxore Adalade & filiis suis, domno scilicet Frederico Remensis ecclesiæ præposito, & Alberto post patrem comite, & aliis quam plurimis nobilibus & liberis hominibus, qui comes prædictus in præsentia omnium qui aderant, terram possessionis in qua ipsa ecclesia constructa est, cum appendiciis inferius divisis Deo & S. Mariæ libera manu conjugis & filiorum assensu, sub testimonio præsentis domni episcopi Heinrici Virdunensis & omnium clericorum monachorum, militum & servientium, sine retentione alicujus juris vel occasionis advocationis omnium

eorum quæ tunc possidebant vel possessuri erant fratres ibidem Deo servientes, concessit & sui auctoritate sigilli confirmavit, ita libere & absolute quomodo pater suus Arnulfus fecerat jussu Mauldis marcionissæ cujus erat fundamentum illius loci. Hæc sunt autem quæ tunc divisa sunt, totum *Alsait* usque ad viam *de Issers* quæ vadit ad ortum aquæ in Villire usque ad quatuor furnos, terram venatoris Arnulfi, & sicut via tendit de Gemengis ad aquam *Asim*, a ripa supra quam sita est ecclesia usque ad alodium *de Viler* ubi tria flumina conveniunt. Ista & alia quam plurima contulit Otto comes prædictæ ecclesiæ in dedicationis die ejus, ita libere sicut pater suus Arnulfus comes pridem contulerat jussu marcionissæ Mauldis. Censum etiam feminarum de Casa-petra & censum de uno manso apud Surinis, in ipso autem dedicationis die sub dote dedit idem liberalis comes, mansum unum cujus pars una adjacet apud *Morsul* & alia apud *Chervis*, & cum hoc servum unum & ancillam quorum nomina sunt Lambertus & Beva, dedit etiam cum his & alios scilicet Lambertum, fabrum, Aynardum, Seyjardum, Dodonem, Rodulfum cum familia sua, Ewidem cum familia sua, medietatem etiam molindini apud sanctam Mariam; concessit etiam Deo & S Mariæ idem comes Otto, astipulantibus uxore & filiis, ut quisquis vellet converti de seculo ad locum supradictum, liberam haberet facultatem quicquid possidebat ipsi dare loco, vel alius quis, sive liber, sive servus aliquid ex suo dare voluerit ratum confirmavit. Quidam etiam vir clarissimus Cono dedit partem alodii sui a tribus videlicet fluminibus usque ad alodium *de Blennei*, & totum aquæ cursum Villire ad molendinum faciendum secundum prædictam divisionem, sine respectu alicujus advocationis, tradidit etiam decimam ejusdem alodii per manus prædicti pontificis. In die ipso etiam dedicationis quædam mulier *Dedadesant* quidquid hereditatis habebat apud *Walansart* dedit per manum comitis; similiter & Gilla *de Viler* dedit S. Mariæ duo jugera apud *Morei*. Huic concessioni omnium supra scriptorum interfuere testes domnus episcopus Virdunensis, Heinricus consecrator ipsius loci, Hugo, Rodulfus, Petrus, Theodericus, clerici; Renardus decanus, Lodoicus *de Chisney*, Cono *de Viler*, Theodericus, Achardus, Arnulfus, Roricus, & alii quam plures liberi & nobiles.

LXVI.

Meginerus archiepiscopus confirmat dotationem claustri Schiffenburg.

1129. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Meigenerus Trevirorum Dei gratia archiepiscopus notum esse volo Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod domina Clementia venerabilis comitissa, consensu filii sui comitis Wilhelmi & filiæ Irmesendis, locum *Schiffinburg*, cum XVII nominatis mansis, in decimatione & omni integritate, quorum duo siti sunt in *Cunrades-Rod*, S. Petro legali traditione dedit, hac ratione & jure, ut nec ipsa nec sui hæredes deinceps aliquam proprietatem in eo habeant præter solam advocatiam, in quam tamen advocativo respectu nullus debet venire non vocatus. Præpositura in electione fratrum erit, nisi, quod Deus avertat, inter eos super ea dissensio fuerit, tunc dominus archiepiscopus saniori parte fauturus electioni providebit. Et ut hoc inconvulsum & ratum permaneat, hanc confirmationis cartam sigillo meo insigniri & banno corroborari placuit. Acta sunt hæc Treviris XV kal. Julii, anno Dominicæ Incarnationis M. CXXVIIII, ordinationis autem meæ II, testibus subtitulatis. . . . . .

LXVII.

Gerardus abbas S. Maximini accusatus de simonia ab Innocentio II papa citatur.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, Gerardo abbati sancti Maximini salutem & apostolicam benedictionem. Sicut nos ea quæ de filiis audivimus bene acta lætificant, ita nihilominus sinistra contristant. Latores sic quidem præsentium, Henricus presbyter & Egelolfus, ad nostram præsentiam venientes, personam tuam de simoniaca hæresi accusarunt, adjicientes etiam quod monasterium B. Maximini in temporalibus opulentum thesauris & ornamentis suis, postposito Dei timore & reverentia, spoliaveris, & ad nihilum pene redegeris. Quæ omnia, quoniam indiscussa seu etiam impunita præterire non possumus nec debemus, præsentium auctoritate mandamus tibi atque præcipimus, quatinus proxima Dominica qua cantatur *misericordia Domini*, omni occasione seu tergiversatione summota, nostro te conspectui repræsentes, super his omnibus, aut etiam aliis quæ tibi objicientur, sufficienter respondere paratus. Prohibemus autem, & omnimodis interdicimus ne interim bona monasterii distrahas aut impignores, vel supradictis personis, aut eorum sociis, ullam contrarietatem aut molestiam inferas. Data Pisis III calend. Novembris. 1133.

LXVIII.

Litteræ fundationis claustri Hemmerodiensis per Alberonem archiepiscopum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adalbero Dei gratia Trevirorum archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus, præsentibus & futuris Christi fidelibus pacem & gaudium in Domino. 1138. Quoniam multis intervenientibus causis a suscepti regiminis cura interdum necessitate magis quam voluntate ad exteriora rapimur, visum est nobis expedire ad salutem (quandoquidem pro nostris nostrorumque excessibus sibi non sufficimus veniam apud Deum impetrare) illorum quærere adjutorium, qui exuti a seculi sarcina, liberas Deo offerre possunt orationes. Inspirante igitur clementia divina, quæ justa desideria movet & promovet, & ad effectum producit, assumpsimus in Claravalle monasticæ professionis viros religiosos secundum regulam beati Benedicti viventes in opus salutis & gratiæ, annuente hoc venerabili domino & amantissimo patre nostro Bernardo ejusdem loci abbate, eosque locavimus in loco quodam solitario episcopii nostri, qui *Winterbach* dicitur, infra terminum curtis nostræ Cordulæ, quem de manu Lodoyci camerarii nostri idcirco redemimus, ut circumjacens terra absoluta, tam culta quam inculta, præter dominicalem illorum usibus in perpetuum deserviret. Eam vero, quæ absoluta non fuit, & a mansionariis possidebatur, æqua commutatione acquisitam, libera traditione illis delegavimus. Verum quoniam ad habitandum illic fratribus locus ille angustus erat, & minus secretus, transtulimus illos in vastiorem solitudinem ejusdem silvæ, quæ *Kylewald* dicitur, super fluvium Salmanam, cujus partem quæ de possessione B. Petri fuit, de manu laica mancipatum, libere cum omni integritate perpetuo illis possidendum concessimus, & locum illum Claustrum appellari fecimus, ob amorem & reverentiam prædicti venerabilis abbatis, qui hoc ei vocabulum imposuit, præterea quasdam vineas nostræ potestatis in Withlica, foris villam, in loco qui dicitur Vallis, sitas, eadem libertate qua cætera, etiam & has contulimus, remittentes eis tributum & decimam, quæ ante, dum a rusticis colebantur, nobis & antecessoribus nostris

exinde persolvebantur. Has supra nominatas possessiones videlicet *Winterbach*, *Haymerrode*, cum omnibus suis usuariis, silvis & pascuis, & vineas designatas in Withlicha, aliasque vineas in Chemetam, cum domo & appendentibus sibi rebus, a Crathone presbytero nostro studio acquisitas, nec non & vineas quas habent in Coverna & in *Ludendesdorff*, & ea quæ possident in *Hornave*, sed & omnia, quæcunque illis sive a nobis, sive ab aliis per manum nostram collata sunt, vel adhuc habituri sunt sive ex liberalitate regum, pontificum, nobilium oblatione, cæterorumque fidelium sive emptione aut justa acquisitione in terris, silvis, pratis, vineis, aquis aquarumque decursibus, dilecto filio nostro Randulpho ejusdem loci primo abbati, ejusdemque successoribus regulariter substituendis, & fratribus illic Deo servientibus perpetuo tenenda concedimus; & ut inviolabiliter & inconcusse teneant, præsentis paginæ scripto & sigilli nostri impressione sub testimonio Christi confirmamus. Quod si quis temeraria præsumptione hanc nostræ confirmationis paginam infringere tentaverit, & in aliquo prædictos pauperes Christi conturbare, sciat se Omnipotentis Dei iram incurrere, & maledictionis sententiæ in perpetuum, nisi resipiscat, subjacere. Testes affuerunt Warnerus Monasteriensis episcopus, Wybaldus Stabulensis abbas, Godefridus Pruniensis abbas, Constantinus Aureæ-vallis abbas, Richardus Sprinckersbacensis abbas, Rainaldus abbas S. Martini, Godefridus præpositus S. Petri majoris ecclesiæ, Folmarus decanus, Arnulphus archidiac. Wernerus magister scholarum, Ebrardus cantor, Ludolphus, Anselmus, Hermannus, canonici. Laici vero, Gerlachus *de Isenburgh*, & Reimbardus frater ejus, Eberardus de Petra, Fredelo *de Bruch*. Ministeriales, Ludovicus camerarius, Engelbertus & frater ejus, Fridericus, Erfo. Acta sunt hæc Treviris, anno ab Incarnatione Domini M. CXXXVIII, pontificatus domini Alberonis Trevirorum archiepiscopi & apostolicæ sedis legati VII, Conradi Romanorum regis II primo, indictione XV, epacta XVIII, concurrente VI.

L X I X.

Bulla Innocentii II pro monasterio Aureæ-vallis.

1141. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Constantino, abbati monasterii B. Mariæ Aureæ-vallis, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Apostolici moderaminis convenit clementiæ religiosos diligere & eorum loca pia protectione munire; dignum namque & honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur & apostolicæ sedis patrocinio foveamus. Ea propter dilecte in Domino fili Constantine, tuis rationalibus postulationibus clementer annuimus, & supradictum monasterium cui Deo authore præesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus vel laicus decimas a vobis exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat jam dictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius Catholicæ ecclesiæ episcopus.
Ego Conradus Sabin. episcopus.
Ego Gregorius diac. card. SS. Sergii & Bacchi.
Ego Albertus Albanensis episcopus.
Ego Stephanus Prænestinus episcopus.
Ego Otto diaconus cardinalis sancti Georgii ad Velum-aureum.
Ego Gerardus presbyter cardinalis sanctæ Crucis in Jerusalem.
Ego Octavianus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.
Ego Martinus presbyter card. tituli S. Stephani in Cœlio monte.
Ego Boëtius presbyter card. tituli S. Clementis.
Ego Petrus presbyter card. tituli Pastoris.
Ego Goizo presbyter card. tituli S. Cæciliæ.
Ego Thomas presbyter card. tituli Vestinæ.

Datum Laterani per manum Americi S. R. E. diac. cardinalis & cancell. II idus Aprilis, indict. IIII, Incarnationis Dominicæ anno M. CXLI, pontificatus vero D. Innocentii PP. II anno XII.

L X X.

Hillinus archiepiscopus ratam habet fundationem abbatiæ Arnsteiniensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hillinus Trevirorum archiepiscopus, & apostolicæ sedis legatus. Si in sacrosanctis evangeliorum libris mulier vidua in gazophylacium duo minuta mittens, a domino, eo quod nihil sibi retinuerit, plus aliis, qui etsi majora, non tamen omnia sua obtulere, laudata est; multo magis nos eos, qui se suaque fideli devotione relinquentes divinis per omnia mancipaverunt obsequiis, honorare & diligere, atque ex injuncto nobis divinitus pontificatus ac legationis officio manutenere debemus, & contra omnes injuriosorum incursus defensare, & communire, quantum possumus, ut nos quoque bonis eorum operibus studio nostro cooperatores remunerationis perpetuæ cum ipsis participare queamus. Quapropter notum facimus tam futuris, quam præsentibus, quod illustris comes Ludovicus una cum præclara conjuge sua Guda temporibus venerandæ memoriæ prædecessoris nostri domini Alberonis castrum suum, quod dicitur *Arenstein*, una cum omni allodio suo, pro cœlestis regni amore abdicantes B. Dei genitrici Mariæ sanctoque Nicolao prompta voluntate obtulerunt, & ut ibidem vita canonica secundum regulam S. Augustini, & ordinem Præmonstratæ domus in perpetuum servetur, disposuerunt; procedente vero tempore, ordinatis jam inibi fratribus, locum ipsum cum omnibus pertinentiis suis ecclesiæ B. Petri, cui nos Deo authore præsidemus, hortatu ejusdem prædecessoris nostri absque omni census pensione contradiderunt, & ab eo pro recompensatione tantæ devotionis quædam bona, quæ 1156.

prius ipse Ludovicus ab archiepiscopatu Trevirensi in feudum habuerat, jure proprietatis perpetuo possidenda receperunt. Nos igitur justis eorum petitionibus annuentes sub nostra tuitione & sedis apostolicæ, cui legationis gratia in Teutonico regno subministramus, defensione, eundem locum cum omnibus prædiis & possessionibus, vel quibuslibet bonis hactenus sibi contraditis, vel deinceps justa ratione tradendis, defensandum suscipimus. Has itaque possessiones præfatæ ecclesiæ in *Arenstein* privilegii nostri authoritate communimus: videlicet *Bubænheim*, quod est in pago Wormaciensi, cum ecclesia, decimis & hominibus, cunctisque redditibus ejus; ita quod nulli seculari potestati subjaceat. In archiepiscopatu Moguntino in villa *Wisze* triginta mansus, & claustrum in *Gousmersheim* cum omnibus appendiciis ejus. Item B in archiepiscopatu nostro in villa *Hattenhusen* octo mansus; in *Weltroidt* quatuor mansus, & villam *Gozemerode*, cum omni jure præter duos mansus; in *Bronnenbach* unum mansum & curtim *Holdenruck* cum omni jure, & *Salscheidt* cum omni decima; in *Singhoben* tres mansus, in villa *Newe* & *Breme* vineas, agros, silvas, & decimam selectæ terræ in *Campe;* curiam & vineas item ecclesiæ S. Margarethæ in *Arenstein* legitima donatione contradidit. Præterea curtim *Sellbach*, ecclesiam *de Kirchdorff*, quæ præfatus prædecessor noster piæ memoriæ Albero eidem ecclesiæ in *Arenstein* contulit, nos quoque pro remissione peccatorum nostrorum, & omnium successorum nostrorum archiepiscoporum ad usus fratrum inibi Deo servientium contradimus, cum C omni jure & integritate, cum hominibus scilicet ac decimis universis ad ecclesiam *Kirchdorff* pertinentibus, ipsamque ecclesiam sicut & illam B. Margarethæ in *Arenstein*, a jure synodali, & ab omni servitio archiepiscopi, archidiaconi vel decani penitus emancipamus, & omnem decimam utriusque parochiæ ex integro concedimus. Et sicut ab antecessore nostro indultum esse cognoscimus, si quæ bona fratrum infra nostrum episcopatum de loco ad locum transferri contigerit, ab omni telonii vel vectigalis onere esse absoluta statuimus. Hoc quoque confirmamus, ut nullus aliquo tempore supra prædicta bona constituatur advocatus, sed solummodo sub nostro protectionis munimine, sive successorum nostrorum, tuta consistant. De cætero sancimus ut nullus unquam abbas D ibi constituatur, nisi quem communiter libero consensu fratrum conventus elegerit. Si quis igitur, quod absit, contra hujus nostræ constitutionis paginam temerario ausu venire tentaverit, severissimam divinæ indignationis ultionem persentiat, & timendæ anathematis sententiæ subjaceat, donec condigna satisfactione resipiscat; conservatoribus autem hujus nostræ confirmationis vita, salus, pax & gaudium permaneat, amen. Testes hujus rei sunt Godefridus Majoris-domus præpositus, diaconus. Rudolphus decanus & archidiaconus. Alexander archidiaconus. Bruno archidiaconus, & S. Florini in Confluentia præpositus. Johannes archidiaconus. Conradus præpositus sancti Paulini. Baldricus Majoris-domus scholasticus, & S. Simeonis præpositus. Rupertus de Palatiolo præpositus. Eustachius abbas in *Arnstein*. Sigerus abbas E de S. Maximino. Bertolphus abbas sancti Eucharii. Ludovicus de S. Maria veteri abbas. Godefridus abbas S. Martini. Richardus abbas *de Springirsbach*. Weihinarius abbas *de Luneche*. Wolframus abbas *de Wadengozinge*. Henricus abbas *de Rommersdorff*. Hildelinus abbas de Schonaugia. Wichmannus abbas *de Grunawe*. Henricus comes *de Luzelenburch*. Albertus comes *de Chiny*. Sigfridus comes de Vianda. Cuno *de Maelberg*. Wilhelmus marschalcus. Gerardus *de Hasch*. Hermannus de Palatio. Fridericus de Marceto. Fridericus aureus. Acta sunt hæc Treviris IV kal. Novembris, anno Divinæ Incarnationis M. CLVI, indictione IV, epacta VII. Anno pontificatus venerabilis Hillini Trevirorum archiepiscopi, & apostolicæ sedis legati IV, feliciter. Amen.

LXXI.

Monasterium S. Vitoni petente Arnoldo Trevirensi pontifice reformat monasterium Munsteriense.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Arnoldus Dei gratia Trevirorum humilis minister omnibus Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Noverit omnium tam futura quam præsens ætas, quod cum monasterium sanctæ Mariæ in *Lucelebore* tam in monasticæ religionis disciplina, quam in temporalibus bonis, peccatis exigentibus, pene defecisset, tam a nobis quam a dilecto filio nostro Henrico comite *de Lucelebore* constitutum est qualiter idem monasterium in utroque defectu reparari potuisset. Igitur post longam & diuturnam hujus rei considerationem, tandem ex consilio & petitione jam dicti filii nostri comitis *de Lucelebourc*, nec non & consilio & assensu charissimi fratris nostri Arnoldi Virdunensis ecclesiæ electi, & personarum ecclesiæ ejusdem, nihilominus etiam consilio & exhortatione personarum ecclesiæ nostræ præpositarum, videlicet archidiaconorum, abbatum & aliarum personarum religiosarum, consensu etiam fratrum *de Lucelebore* taliter est provisum, ut quia ecclesia sancti Vitoni Virdunensis ad supplendum prædicti monasterii defectum, tam in his quæ ad divinum cultum pertinent, quam quæ ad præsentis vitæ sunt, necessitatem pollere videbatur, abbas qui nunc in ecclesia sancti Vitoni præest electus, vel quicunque futuris temporibus ibidem canonice substituetur, idem etiam monasterio in *Lucelebore* præsit, salvo per omnia jure & auctoritate sacrosanctæ matris nostræ Romanæ ecclesiæ, salvis etiam privilegiis jam dicti monasterii; hoc uno excepto, quod cum libertatem electionis hactenus habuerint per se, hanc deinceps pari electionis jure una cum fratribus sancti Vitoni in capitulo ejusdem loci pariter & concorditer debent habere. Nihilominus itaque jure & debito respectu sanctæ Trevirensis ecclesiæ conservato taliter propositum est & statutum ut quicumque in prænominata ecclesia S. Vitoni futuro postmodum tempore canonice fuerit electus, antequam investituram vel consecrationem de manu domini Virdunensis accipiat, accepto baculo pastorali super altare B. Mariæ in *Lucelebore* archiepiscopo Trevirensi se repræsentet, curam animarum de manu ipsius de monasterio *de Lucelebore* recipiat, factaque secundum morem ecclesiæ Trevirensis subscriptione, obedientiam faciat, conductusque ab archidiacono ad sedem suam in *Lucelebore*, rediensque cum literis archiepiscopi ad ecclesiam Virdunensem, tunc demum ab episcopo Virdunensi consecrandus, illic in consecratione sua subscriptionem & obedientiam ecclesiæ Trevirensi factam, manifeste coram ecclesia profiteatur & recognoscat. Ne autem futuris temporibus de electione abbatis quæstio vel error generetur, definitum est ut fratres *de Lucelebore* a fratribus sancti Vitoni electionis tempore invitati debent illuc ad eligendum convenire, vel personam vel personas idoneas de ecclesia cum litteris ecclesiæ illuc pro se destinare. Cautum quoque est & statutum ut idem abbas ad generalem synodum archiepiscopi Trevirensis tanquam suus abbas rite veniat, & debita jura in omnibus & per omnia exsolvat. Ut autem hæc rata & inconvulsa in perpetuum maneant, hanc inde cartam conscribi, & testibus, qui interfuerunt, adnotatis, sigilli nostri munimento eam fecimus corroborari, & ad majorem fidei assertionem & perpetuam hujus privilegii firmitatem, sigillo majori ecclesiæ sancti Petri Trevirensis apposito, inscriptis nominibus personarum ecclesiæ quæ huic facto assensum præbuerant, illud in æternum dignum duximus

1178.

confirmare, salvo per omnia jure pastoris illius loci. Si qua igitur ecclesiastica vel secularis persona huic facto contraire voluerit, vel temere illud immutare præsumpserit, indignationem Dei Omnipotentis incurrat, & in extremo examine, nisi resipuerit, districtæ ultioni subjaceat. Hæc sunt nomina testium qui interfuerunt, Rodulfus ecclesiæ Trevirensis major præpositus & archidiaconus, Johannes major decanus & archidiaconus, Folmarus archidiaconus & magister scolarum, Ludoycus Epternacensis & sancti Eucharii, Conradus sancti Maximini, Rembaldus S. Mariæ, Oliverus sancti Martini, Godefridus *de Sprinkerbach*, Gisslebertus de Claustro, Arnulphus sancti Pauli Virdunensis abbas, abbas de Castellione, Albertus præpositus S. Paulini, Gerardus præpositus sanctæ Mariæ in palatio, Wezelo cantor, aliæque plures personæ de ecclesia Trevirensi. Testes laici, Guerlarus comes de Vadeveia, Johannes de Roseio, Willelmus *de Helfenstein*. Acta sunt hæc Treviri in palatio, assidente nobis & suffragante domino Arnoldo Virdunensis ecclesiæ venerabili electo. Anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXVIII, indictione XI, concurrente VI, epacta nulla. Regente & gubernante sanctam Romanam & apostolicam ecclesiam domino Alexandro summo pontifice & universali papa. Anno papatus ejus XIV, regnante serenissimo domino Friderico imperatore. Anno quoque pontificatus nostri VIII, feliciter.

LXXII.

Arnoldus archipræsul donnum impertitur monasterio Hemmerodiensi.

1181. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Arnoldus Dei gratia Trevirorum humilis minister, dilecto filio Gilliberto abbati de Claustro, omibusque successoribus ejus ibidem canonice substituendis, fratribus illic Deo militantibus in perpetuum. Quoniam quæ in tempore fiunt, plerumque variantur cum tempore, necesse est hominum factis, quæ ad perpetuam stabilitatem fiunt, scriptura fidem adhibere, ne longioris processu temporis vel ab humana memoria possint deleri, sive arte vel ingenio alicujus in irritum revocari. Noverit igitur omnium fidelium tam futura quam præsens ætas, quod nos allodium quorumdam nobilium, Gerlaci videlicet & Henrici *de Isenburgh* fratrum, in *Lungscheidt*, & in locis illuc pertinentibus ab omni jure advocatiæ liberum & absolutum, & universum jus, quod illic habebant in agris, in pratis, in silvis, in aquis & utriusque sexus mancipiis, propriis rebus nostris justa comparavimus emptione, & eadem proprietate, jure, quo ipsi illud possidebant, liberum ab eis recepimus. Cumque decem annis sine ulla interruptione quietis in nostro usu & dominio idem allodium libere, ut proprium, possedissemus, nos pro salute animæ nostræ, & in spe retributionis æternæ monasterio S. Mariæ de Claustro libera & perpetua donatione illud tradidimus, quatenus quotidiana nostri memoria, & dum in hac vita vivimus, & post mortem in benedictione, & fratrum oratione illic perpetuo habeatur. Ut autem donatio ista firma in perpetuum maneat & inconcussa, præsenti scripto eam confirmamus & sigilli nostri impressione signamus. Si quis ergo deinceps hanc nostram confirmationem infringere vel aliquo modo imminuere præsumpserit, anathema sit, & Omnipotentis Dei iram incurrat, & a participatione corporis & sanguinis Domini & Salvatoris nostri, & a liminibus ecclesiæ alienus existat, & in tremendo Dei examine se damnandum sciat, nisi cum plenissima redditione & congrua satisfactione veniam adipisci mereatur. Hujus rei testes Rudolfus major præpositus, Johannes decanus, Folmarus magister scholarum & archidiaconus, Ludovicus abbas S. Eucharii, Gerardus præpositus S. Simeonis, Wilhelmus de Coverna, Fridericus de . . . . Emricho magister scholarum S. Simeonis, Wernerus custos S. Simeonis, Henricus de Ato. Laici, Hugo de Indagine, Walterus de Palatio, Jacobus & Reinerus de Palatio, Albertus dapifer. Acta sunt hæc Treviris, anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXI, epacta III, concurrente III, indict. XIV.

LXXIII.

Fundatio nobilis parthenonis in inferiori Prumia.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Gerhardus divina favente misericordia sanctæ Prumiensis ecclesiæ humilis minister, universis Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus salutem, quod est in Christo Jesu. Quod ad honorem & ad utilitatem Deo servientium pie a nobis & rationabiliter factum est, memoriæ litterarum digne commendare duximus, quatenus & per hoc res gesta necessariæ sibi firmitatis robur in præsenti obtineat, & omnibus calumniandi occasio in futuro conquiescat. Cum enim certum sit brevem & momentaneum præsentis vitæ statum, quandoquidem non habemus hic manentem civitatem, compedit nobis, operibus bonis vigilanter insudare, ut ad cœlestem patriam & civitatem æternaliter manentem pervenire valeamus. Placuit itaque nostræ discretioni, Deo servientes, cujuscunque sint ordinis, in charitate non ficta diligere, & in necessitate rerum temporalium, in quantum possimus, Domino auxiliante sustentare. Inde est, quod quandam nobilem mulierem linea consanguinitatis proximam, habitu, voto & conversatione honestam monialem, Sophiam nomine, abbatissam dictam & consecratam, in partes nostras cum paucis sororibus eidem subjectis venientem benigne suscepimus. Quæ relictis cognatis & amicis, terraque nationis suæ, interea sibi suisque aliquantum aliena, in pace & quiete omnibus diebus vitæ suæ Deo servire devotissime desiderans, nostræ nostrorumque amicorum prudentiæ, tuitioni atque consilio humiliter se supposuit. Nos vero tam devotæ mentis ejus considerantes desiderium, & immutabile in sexu fragili propositum admirantes, situm voluntati ejus satis congruum juxta capellam cujusdam curiæ, quæ inferior Prumia nuncupatur, & eandem capellam nostram cum appendiciis ex integro, & beneficium atque allodium cujusdam hominis nostri, ab heredibus legitimis in manus nostras voluntarie resignatum, consilio fidelium nostrorum in perpetualiter donavimus; ipsa vero tres virgines valde parvas, jam dicti beneficii & allodii heredes, solita sibi pietate adjunxit, quas maternæ dilectionis affectu sub regulari disciplina sui ordinis serviendum Deo erudire studiose curavit; capellam quoque in quotidiano servitio Dei tum neglectam venerabiliter reformavit. Nos igitur ancillæ ejusdem Christi principiis congaudentes, cum prædicto loco duas matres ecclesias *Mering* & *Romersheim*, cum filiabus earum, prælatæ abbatissæ, & his, qui post ipsam futuræ sunt, perpetuo jure possidendas tradidimus, salvo per omnia & intacto jure, quod ad præbendam Prumiensium monachorum ex antiqua constitutione pertinere cognoscitur, simul servitio, quod abbati de ecclesia utraque debetur. De cætero abbatissa quemcunque ad commoditatem suam inde ordinare potuerit, suis & cœnobii sui usibus accrescet. Nihilominus & arbusta, quæ sunt in colle, quæ dicitur *Cammerforst*, ei concessimus, ita ut sex denarios inde annuatim solvat. Locum quoque ei molendino idoneum construendo donavimus; quod cum ædificatum fuerit, quinque maldros siliginis exinde per annos singulos abbati reddet. De cætero soror mea Adelheidis comitissa *de Molbach* venerabilis vidua, de allodio, quod a proavo, avo & patre legitime possederat, partem unam, videlicet villulam, quæ *Heyeravid* appellatur, 1190.

cum

A cum omnibus appendiciis, mancipiis, agris, pratis & silvis, exceptis inbeneficiatis pro salute animæ suæ suique mariti, & natorum omniumque successorum suorum, ad serviendum Deo gloriosæque Virgini Mariæ & sanctis Martyribus Gordiano & Epimacho in perpetuum devotissime eidem loco donavit, & me successoresque meos, sanctæque ecclesiæ Prumiensis abbates, advocatos & defensores auctoritate & gratia Omnipotentis Dei solemniter instituit. Præterea de decima in *Neunkirchen* quatuor modros tritici, sex modros siliginis, viginti modros avenæ, monialibus in eadem capella Domino servientibus singulis annis ante diem Natalis Domini nostri Jesu-Christi, sine omni impedimento persolvi, firmiter & multum devote instituit. Nos igitur cum prædicta comitissa & pluribus honestis viris ante altare supradictorum Martyrum B venientes, sub stola vinculo anathematis confirmavimus, quod nulli unquam hominum hoc mutare vel infringere liceat, sed rata & inconvulsa in perpetuum permaneant. Si quis autem hanc nostræ institutionis confirmationem violare, mutare vel infringere præsumpserit, vel attentaverit, perpetuo anathema sit, iramque & indignationem beatissimæ Virginis Mariæ incurrat, & inevitabilem Filii ejus Domini nostri Jesu-Christi vindictam æternaliter sentiat, nisi humiliter & tempestive resipiscat. Ex multis assistentibus quorumdam nomina in testimonium conscribi fecimus: Gerhardus ecclesiæ sancti Salvatoris decanus, Bertramus custos, Cuno cantor, Bertholinus præpositus ecclesiæ S. Mariæ, Bertramus C decanus, Theodoricus scholasticus, Bertramus custos, & plures ecclesiæ ministeriales. Hæc acta sunt, & sigillo S. Salvatoris, & nostro & comitissæ insignita, anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXXX, indict. VII, epacta XII, regnante domino Henrico gloriosi imperatoris Friderici filio feliciter.

LXXIV.

Epistola abbatis Gemblacensis ad abbatem sancti Eucharii, qua petit participationem suffragiorum.

Circa 1192. DOMINO & patri dilectissimo G. Dei gratia sancti Eucharii abbati, quicquid fidelis amicus amico optare potest dulcius & salubrius. Quoniam D aures vestras pluribus occupatas audiendis verbis quasi adulatoriis aut superfluis occupare duco inutile: ea quæ erga me aguntur vel acta sunt, si scire vobis placet, narrabit vobis præsentium lator dilectus noster W. ecclesiæ nostræ custos, per quem & vos nobis vestra intimare poteritis. Sed unum est quod, quia ore ad os non possum, per litteras enixius precor, quatenus in sanctis orationibus vestris mei memor esse dignemini, & communionem beneficiorum, quæ apud vos fiunt, & societatem, quam abbas prædecessor vester mihi benigne concessit, vos quoque clementer recognoscere dignemini, ut si forte finem meum, quia jam in ultima ætate positus sum, audieritis, de me, quod de fratre faciatis. E Enixius autem precor, ut quod vobis, si in potestate vestra causam tamen haberetis, juste impendi velletis, id abbati Florinensi in vestro posse, quod, Deo gratias, multum est, impendatis, videlicet ut in curia archiepiscopi & fratris vestri archidiaconi justas partes ecclesiæ tueamini, nec persecutorum ejus assultus prævalere patiamini. Vos autem reverende pater, districtum examen judicii, in quo stabitis, pro vobis, & pro curæ vestræ commissis rationem redditurus, semper metuentem & caventem, longo tempore Omnipotens Deus in anima & in corpore tueatur incolumem, ad honorem suum, & profectum vestri & ecclesiarum, quas regitis, & ad exemplum bonorum, qui vos voluerint imitari. Amen.

LXXV.

Responsio Gaufridi abbatis sancti Eucharii ad abbatem Gemblacensem.

REVERENDISSIMO in Christo amico venerabili viro Guiberto G. Dei gratia dictus abbas S. Eucharii salutem in eo, qui est salus omnium expectantium eum in veritate. Fraternitatem vestram scire volumus & firmiter tenere, quod ad obsequium & reverentiam vestram promptissimam & intensam semper habuerimus voluntatem, & licet vestra præsentia carnis sistat ab oculis, memoria tamen dilectionis vestræ cordis semper inhæret oculo: unde societatem & fraternitatem, quam temporibus bonæ memoriæ abbatis Ludovici prædecessoris nostri in ecclesia nostra suscepistis, vobis recognoscimus, & omnium bonorum, quæ circa nos fiunt, sicut uni fratrum nostrorum plenam concedimus participationem. Valete.

LXXVI.

Licentia facta Gerardo de Rennenburg *construendi monasterium S. Catharinæ.*

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, 1208. Micthildis olim comitissa Seinensis in Domino salutem. Noverit universitas vestra de nostra voluntate & de nostro consensu & assensu esse, quod nobilis vir Gerardus *de Rennenburg*, & Benedicta sua uxor, claustrum monialium ordinis Cisterciensis inchoet & construat apud sanctam Catharinam, in loco qui dicitur *Hargarden* in terra nostra. In cujus rei testimonium, præsentes literas eidem dedimus, nostro sigillo munitas. Anno, &c.

LXXVII.

Privilegium Johannis archiepiscopi pro ecclesia S. Simeonis.

EGO Johannes Divina gratia Trevirorum archiepiscopus omnibus hanc paginam inspecturis Circa 1212. in perpetuum. Universitati notum facimus quod cum comes de Castris a quibusdam bonis ecclesiæ S. Simeonis in villis, scilicet *Grache*, *Berencastel*, *Cure*, *Lysure*, *Kestenee* sub advocatia sua supra Mosellam constitutis, graves & injuriosas exegisset exactiones, nos ad eorum quæstionis instantiam sæpissime fatigati, hujus rei firmitatem quampluries sumus perscrutati; veritate igitur primo per Theodericum *de Crove*, post per Richardum de Palatio fideles nostros, ad ultimum per propriam personam bis vel amplius a rusticis & propinquis diligentius inquisita, prædictam S. Simeonis ecclesiam ab omni exactione liberam invenimus & absolutam. Hanc autem veritatem, quam omnibus cupimus esse notoriam, ne quis temere præsumat infringere, sub districta anathematis sententia litterarum nostrarum testimonio, & sigilli nostri munimine confirmamus. Hujus veritatis testes sunt hi: Conradus Majoris ecclesiæ præpositus & archidiaconus, Theodericus major Trevirensis archidiaconus & sancti Paulini præpositus, Johannes archidiaconus, Ottovinus archidiaconus & scholasticus, Cuno Majoris ecclesiæ cantor, Ingebrandus thesaurarius. Canonici: Cuno *de Novient*, Gilbertus *de Zoluure*, Ernestus, Borchardus S. Paulini decanus, Hugo cantor, Fridericus custos. Ministeriales: Petrus de Marceto, Jacobus *de Düne*, Theodericus *de Crove*, Richardus de Palatio, Henricus *Lenherre*, Wilhilmus de Archa, Cuno dictus advocatus in Confluentia.

LXXVIII.

Societas inter capitulum Majoris ecclesiæ Trevirensis & monasterium S. Maximini sancita.

Circa 1225. DEI gratia præpositus, decanus, totumque Majoris ecclesiæ capitulum dilectis in Christo fratribus, viro provido & discreto Bartholomæo abbati S. Maximini Trever. & eorum successoribus in perpetuum. Cum vestrum monasterium sit membrum nobile ecclesiæ Trevirensis propter magnæ antiquitatis dignitatem, & loci religionem, nobis debitum honorem libenter impendimus, & vos in nostram assumimus fraternitatem, ita ut obitus fratrum vestrorum de cætero celebrare debeamus ut nostrorum, vobis, & dilecte F. abba, vestrisque successoribus hunc tribuimus honorem, ut quando placuerit in refectorio nostro sedere valeatis, cum prælatis refectionem sumentes, quantum largitor omnium bonorum Deus, eo nobis tempore ministrabit. Anniversarium & diem obitus vestri D. abbatis celebrabimus cum debita solemnitate. Supplicamus etiam discretioni vestræ, quatenus intuitu divinæ remunerationis, nostrorum defunctorum obitus celebretis de cætero ut vestrorum, &c.

LXXIX.

Cura spiritalis parthenonis Pontis-Leonis creditur Hemmenrodensi abbati.

1233. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio abbati Clarevallensi salutem & apostolicam benedictionem. Dilectarum in Christo filiarum abbatissæ, ac sororum Pontis-Leonis, Trevirensis diœcesis devotis precibus inclinati: devotioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus ipsas per dilectum filium abbatem sanctæ Hemmenrode Cist. ord. Trevir. diœcesis facias bis annis singulis visitari, earum confessiones audiri, ac pœnitentias salutares injungi, nec non in statuis regularibus informari, juxta ejusdem ord. constituta. Datum Spolete VI kal. Julii, pontificatus nostri, anno sexto.

LXXX.

Diversæ acquisitiones factæ per Theodoricum II archiepiscopum.

Circa 1235. EGO Theodoricus Dei gratia Trevirorum archiepiscopus notum facimus hoc scriptum inspecturis, quod nos dedimus Ruperto filio Henrici *de Nassouwe* LX marcas Colonien. XII sol. pro marca computatis, pro allodio suo, quod habuit *Ditze*, & in superiori *Lainstein*, in vineis, agris, pratis & silvis; sive etiam titulo pignoris ea possideat bona sua, pro supradictis denariis nobis obligavit, eadem a nobis recipiens in feodo, quod *Burglehn* dicitur, ita ut pro tali feodo in castro *Montabur* residentiam faciat anno integro, nobis & posteris nostris, juxta sacramentum nobis super hoc præstitum, illud fideliter custodiendo, hoc modo: ut si a castro nostro recesserit, eadem bona ad nos libere revertentur. Dedimus etiam personis infra scriptis pecuniam subscriptam, pro qua allodia eorum infra scripta in feodum castrense castri *Montabur* modo simili pro se & suis heredibus receperunt. Videlicet Gerho *de Deremback* L marcas Colonienf. pro duobus mansis jacentibus apud *Hildegerode* & duobus mansis & molendino apud *Buling*. Item Hermanno *de Bedendorff* XXX marcas Colonien. pro domo & curia sua apud *Horicheim*, & duobus vineis in superiori *Kamerthe*. Hæc feuda cedent tam filiabus quam filiis, quamdiu nobis fecerint, quod de jure tenentur, & sicut superius est pronunciatum. Item Anselmo *de Hoilbach* XL marcas Colonien. pro allodio suo in *Hoilbach*. Item Conrado de Widergio XXV marcas pro vinea apud S. Georgium, & pro allodio suo in Widergis. Item Dytardo *de Possendorff* LX marcas Colonienses pro bonis suis in *Dreise*. Item Hermanno & Sifrido fratribus *de Hademar* L marcas pro omni allodio suo in Confluentia. Item Ludovico *de Urencede* XXV marcas pro domo, curia & aliis bonis, quæ habent *Urencede*. Item Henrico Herren. L marcas pro allodio suo, quod habet *Horicheim*, pro domo & curia & vineis in *Horicheim*, & quidquid ibidem habere dinoscitur uxor sua Edelindis, a nobis in feodo receperunt hæc præmissa. Item Wildichio XL marcas Colonienses pro vinea sita ad S. Georgium, pro area quadam & domibus, quas habet in vico, qui *Scir* dicitur. Item Wilhelmo *de Helffenstein* L marcas pro curia sua in *Mulenheim*. Item Friderico *Cerpenne* XXV marcas pro allodio suo in *Hesilbach*. Item Henrico *de Lainstein* L marcas pro allodio quod habet Winegoldis *Hagen*, & pro vinea sua apud *Lorpach*. Item Cunoni LX marcas pro medietate sua domus apud atrium S. Mariæ. Item Reinardo XL marcas pro curia sua apud *Veldin*. Item Guntramo X marcas pro bonis suis in Confluentia. Item domino Manthone XL marcas pro bonis suis in *Derembach*. Item Didone XL marcas pro bonis suis in *Luidinstorp*. Item Johanni *de Stuppach* XV marcas pro bonis suis in *Hasilbach*. Item Syfrido & Gerlaco fratribus C marcas pro bonis suis in *Stassel*. Item Sybodoni XL marcas pro curia sua in *Heide* cum suis appendiciis. Item Gerlaco XL marcas pro bonis suis juxta *Walrisheim* & ejus confiniis. Item obligavimus decimam nostram in *Horicheim* Hugoni & Henrico *Stocheim* pro C marcis. Item dedimus Enolfo filio Henrici XL marcas pro allodio suo in *Wirnilonwe* & *Selibach*,; & hæc omnia in feudum castri *Montabur*, ut est dictum.

Item anno Domini M. CCXXXV dedit dominus Heidenricus filius *Spedin de Lympurg* ad pignus pro feodo, quod concessit ei Th. archidiaconus Trev. bona in *Lympurg* sita, & reliqua bona in *Deisserne*, & alia bona in *Sinderbach*, & simili modo bona in *Boumheim*, & bona in *Vessibach*, & etiam homines in *Meisveldin*, & bona in *Lintere*, & etiam domum & ortum in *Lympurg*, & bona in *Nentirshusen*.

Item comites *de Nassouwe* Henricus & Rupertus promiserunt domino archidiacono, fide interposita, quod talem deberent habere comitem Palatinum, qui homines illos, quos domino archiepiscopo memorato vendidit comes Rupertus, quos ipsi ab eodem Palatino tenent, & ipse Palatinus ab archiepiscopo, idem Palatinus domino archiepiscopo resignet eosdem, quod adimplere debent a Purificatione proxima instante ad annum; quod si non fecerint, ipsi comites Henricus & Rupertus Confluentiam intrabunt, ita quod alter eorum nunquam inde exeat, nisi de voluntate & licentia domini archiepiscopi, usque dum hæc omnia fuerunt adimpleta.

LXXXI.

Fundatio parthenonis B. Mariæ Differdengensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Alexander *de Zolure* omnibus in perpetuum. Quoniam brevis est vita hominis super terram, qui post egressum ex hac vita nihil reportat secum præter peccata æterno incendio punienda, vel bonorum operum merita mercede interminabili remuneranda fidelis quilibet, dum suæ potestatis est velle & nolle præcipuum aliquid operari debet inspirante Domino inchoandum, & eodem adjuvante feliciter consummandum, cujus suffragio speciali ascribi valeat numero electorum. Notum igitur esse volo tam præsentibus 1235.

quam futuris, quod cum ego de assensu venerabilis Theodorici Trevirorum archiepiscopi loci diœcesani in quadam parte allodii mei, in loco videlicet qui vulgariter dicitur *fons beatæ Mariæ*, sito apud *Differtingen* villam meam nuper fabricam erexerim in honore beatæ Virginis dedicandam novella plantatione sanctimonialium ordinis Cisterciensis ibidem collocata, ejusdem loci promotioni pro viribus meis cupiens providere, ipsi liberaliter divinæ remunerationis intuitu, de assensu uxoris meæ Hadewidis, de rebus a Deo mihi collatis, quæ subscripta sunt, contuli, ab eodem jure proprietatis in perpetuum sine contradictione qualibet possidenda. Locum videlicet dictæ fabricæ & ambitus ipsius, item curiam & bona tam in agris quam in silvis sita apud *Hosterborne*, ad meam proprietatem pertinentia, juxta limitationem ibidem factam, pro quorum emptione domino Jacobo *de Kuns*, a quo ea prius feodali jure tenueram, & dominæ comitissæ *de Lucelburen*, a qua idem Jacobus eadem bona eodem jure habuerat, allodium meum in *Euringen* assignavi. Item molendinum & vivarium in *Differtingen*, ad meam pertinens proprietatem, ita tamen ut vivario uti valeam, quoad vivo. Item carratam boni vini singulis annis persolvendam in autumno de redditibus in *Keyle*, ad meam proprietatem pertinentibus, a me ipso, vel a quocunque heredum, vel quovis alio mihi in eodem allodio succedente. Item molendinum meum in *Thuntingen*, cum prato *de Holdingen*, & aliis proprietatibus attinentibus eidem molendino. Item duos mansos in *Redingen* meæ advocatiæ, quorum proprietatem a domino Godefrido *de Peppingen*, & a Philippo de Monte S. Martini militibus comparavi, loco contuli memorato, juri advocatiæ quod in eisdem habui penitus renuntiando. Item loco supradicto concessi ut in silvis meis ubicunque sitis, ligna secet ad ædificia, sive usibus aliis quibuscunque necessaria, & quod tam pratis meis quam terra mea quacunque utatur libere ad suorum animalium nutrimenta. Hæc vero quæ prædicta sunt bona loco præfato contuli in præsenti & in perpetuum, sicut prædictum est possidenda. Quæ autem scripta sunt contuli eidem loco possidenda post mortem meam, si ea egestate compulsus ante mortem meam non vendidero, & ab hoc seculo migravero sine prole: videlicet familiam meam mihi servili conditione adnexam in Zelobrio & in Kar. Item omnia bona mea ad meam proprietatem, sive allodium pertinentia tam in *Vispach* quam in *Keyle*, & *de Ottingen* quæ specialiter emi a canonicis Trevirensibus S. Paulini. Ne autem hæc donatio ab aliquo heredum vel successorum meorum, aut quovis alio ausu temerario impugnari valeat, vel infringi præsens scriptum inde confectum loco tradidi memorato, venerabilis patris præfati Theodorici Trevirorum archiepiscopi & Trevirensis ecclesiæ, nec non & mei sigillorum munimine roboratum. Actum anno Domini M. CCXXXV, mense Maio.

LXXXII.

Arnoldus abbatiæ Clarifontis eadem privilegia tribuit, quibus gaudent alia monasteria ordinis Cisterciensis.

1251. ARNOLDUS Dei gratia Trevirorum archiepiscopus, universis præsentes litteras inspecturis in perpetuum. Cum & plantare sacram religionem, & fovere plantatam modis omnibus, ex officii nostri debito teneamur, quoddam novum claustrum, situm prope *Arlons*, quod piæ recordationis Irmengardis comitissa Lucenburgensis suis sumptibus devotissime inchoavit, ac dilecta in Christo nobilis Margareta comitissa Lucelenburgensis feliciter consummavit, ejusdem comitissæ justis precibus inclinati, claustrum ipsum, & personas ibidem Deo in ordine Cisterciensi famulantes, illo perpetuo libertatis & exemptionis gaudere concedimus privilegio, quo & reliqua Cisterciensis ordinis claustra gaudere dinoscuntur. Quod ut ratum permaneat & perpetua firmitate vallatum, præsentes litteras nostro, & capituli Trevirensis consensu super his adhibentes, sigillis fecimus roborari. Actum & datum Treviris, anno Domini M. CCLI, kalend. Octobris.

LXXXIII.

Fundatio Angelicæ-Portæ.

IN nomine Domini amen. Notum sit universis 1272.
Christi fidelibus, quod Emelricus miles *de Munrean* advocatus & dominus fundi, qui dicitur *Leinherre* in *Fanckel*, ob spem retributionis æternæ contulit monasterio in *Cumerle*, quidquid proprii habuit super aquam, quæ flumen dicitur; videlicet curiam & locum, in quo claustrum nunc est situm, quod dicitur Angelica-porta, & vineam in *Fanckel*, cum omni jure suo, quod ipse possedit, cum aqua, cum pascuis & jure & nemore, ut conventum ibidem ponerent, & claustrum initiarent, quia ipsi hoc innotuit, quod servitium Deo gratum ibidem deberet exhiberi, & sic missæ sunt sorores aliquæ in locum; sed cum non proficerent, ad propria redierunt. Vir autem nobilis Philippus dominus *de Victenbergh*, qui in proprio fundo in Ardania initiaverat ecclesiam, & tres filias suas ibidem locaverat, videns istum locum magis convenientem, comparavit cum duabus (villis) de Cummeda pro XXX marcis, & una arce in Bacharaco, & ibidem transtulit prædictas filias suas cum aliis sororibus, anno Domini M. CCLXII, cal. Febr. & cooperante Domino conventum ordinavit, cum consensu & voluntate filiorum prædicti Emelrici, videlicet Philippi & Emelrici militum & advocatorum in *Franckel*. Prædictæ vero sorores usque ad id tempus fuerunt in ordine Prædicatorum, sed quia ordo non recepit eas, ad Præmonstratensem ordinem se converterunt, subdentes se abbati Steinfeldensi, & in die B. Augustini, anno M. CCLXXII, solemnem professionem in manum D. Corvini abbatis Steinfeldensis fecerunt. Postea vero cum D. Henricus Trev. archiepiscopus de curia Romana rediret, suo negotio perfecto, commisit eas Cunrado abbati de Seina & suis successoribus in temporalibus & spiritualibus regendas, anno ut supra M. CCLXXII.

LXXXIV.

Licentia facta monialibus Juviniaci in bonis parentum succedendi.

NICOLAUS episcopus servus servorum Dei 1279.
dilectis in Christo filiabus abbatissæ & conventui monasterii de Juvigneio ordinis sancti Benedicti Treverensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus benignum impertientes assensum, autoritate vobis præsentium indulgemus ut possessiones & alia bona mobilia & immobilia, quæ personas liberas sororum ad monasterium vestrum mundi relicta vanitate convolantium, professionem facientium in eodem, si remansissent in seculo, jure successionis vel aliquocunque justo titulo contigissent, & ipsæ potuissent libere aliis elargiri, feudalibus duntaxat exceptis, petere, recipere ac retinere libere valeatis, sine juris præjudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, II nonas Januarii, pontificatus nostri anno II.

LXXXV.

Boemundus archiepiscopus Trevirensis confirmat Joanni de Cabilone, domino de Allato, custodiam monasterii sancti Eugendi Jurensis; & jus monetam cudendi.

1291. NOS Boemundus miseratione divina Trevirorum archiepiscopus, ad universorum notitiam tenore præsentium cupimus pervenire, quod nos consideratis meritorum insigniis nobilis viri domini Joannis de Cabilone militis, domini de Allato, gratias, indulgentias, seu concessiones sibi & heredibus suis factis per illustrem dominum Rodulphum Dei gratia Romanorum regem semper augustum, nomine feodi possidendas a prædicto domino Romanorum rege & successoribus suis Romanor. regibus qui pro tempore fuerint; videlicet quod dictus dominus Joannes gardiam seu custodiam monasterii sancti Eugendi dicti de Juria, ac membrorum ejusdem monasterii, cum juridictione & omnibus juribus quæ ipse dominus rex ac prædecessores sui in monasterio prædicto & membris ejus hactenus habuerunt seu habere debuerunt; & quod ipse dominus Joannes possit monetam ad valorem denariorum Parisiensium, sive minus in denariis & obolis, prout sibi placuerit, cudere in suis terminis & districtibus suis, ubi & quando voluerit & sibi videbitur expedire, approbamus, consentimus, & præsentium testimonio confirmamus; in cujus rei testimonium præsentes litteras inde conscribi, & sigilli nostri munimine jussimus communiri. Actum & datum apud [a] *Fraultemvourt*, nono kal. Julii, anno Domini M.° CC.° nonagesimo primo.

[a] *Forsan* Franckenfurt, *Francofurti ad Mœnum.*

LXXXVI.

Boemundus archiepiscopus Trevirensis confirmat Johanni domino de Cabilone & Allato, pedagium castri Joigne *in comitatu Burgundiæ.*

1291. NOS Boemundus miseratione divina Trevirorum archiepiscopus, ad universorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire, quod nos considerantes meritorum insignia & servitia gratuita quibus vir nobilis Johannes dominus de Cabilone, dominus de Allato, erga Romanum imperium enituit & in futurum poterit enitere, gratias, indulgentias, seu concessiones sibi & heredibus suis factas per illustrem dominum nostrum Rodulphum Dei gratia Romanorum regem semper augustum, videlicet super eo quod dominus rex prædictus sua & imperii auctoritate pedagium castri *de Joigne* augmentavit, ut idem dominus Joannes mercatoribus & aliis transeuntibus per dictum castrum *de Joigne*, per quod publica strata dirigitur juxta posse proinde ac de securo conductu, quia ex antiquo pedagio in dicto castro recipi consueto dictus dominus Joannes onera conductus non poterat commode supportare, & quia prædictus dominus Romanus rex sua & imperii auctoritate prædicto domino Johanni & heredibus suis dedit & concessit quod ipsi de qualibet bala, sacco vel saccis, trossello & trossellis, fardello vel fardellis continentibus quantitatem unius balæ vel circiter, pannorum, lanorum, pellium, nec non & totarum mercium transeuntibus per archiepiscopatus Bisuntinum, Lugdunensem, Viennensem, & episcopatum Valentinens. perpetuo recipiant & habeant nomine pedagii vel conductus, undecumque fuerint, decem saltem [b] Lauzan. denariorum prædicta omnia eidem domino Joanni & heredibus suis in feodum assignando, prout hæc omnia in litteris inde confectis sigillo regio sigillatis plenius continetur, approbamus, consentimus, & præsentium testimonio confirmamus; in cujus rei testimonium præsentes litteras inde conscribi, & sigilli nostri munimine jussimus communiri. Actum & datum III.° kal. Junii, anno Domini M.° CC.° nonagesimo primo.

[b] id est *Lausannensium.*

LXXXVII.

Confœderatio inter Dytherum archiepiscopum & oppidanos Trevirenses.

FRATER Dietherus Dei gratia Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus, nec non scabini, consules, totaque communitas civitatis Trevirensis, universis ad quos præsentes pervenerint, salutem, ad notitiam veritatis. Noveritis quod nos simul pro unione inter nos habenda & conficienda, mediante consilio maturo concordavimus modis, pactis, conditionibus infra scriptis. In primis videlicet, quod nos scabini, consules, totaque communitas civitatis supradictæ juvabimus dictum reverendum dominum nostrum dominum Dietherum archiepiscopum Trevirensem ubique in archiepiscopatu Trevirensi, circa partes Rheni, cum 300 armatis hominum contra quoscunque, scilicet aut ecclesiæ Trevirensi, aut episcopatui injuriantes, & justitiam facere denegantes; quindecim tamen diebus continuis computandis a tempore quo dicti treceni simul exierint, sint parati nostris propriis sumptibus & expensis. Quibus quindecim diebus elapsis, si dictus dominus noster archiepiscopus nostri indigebit ulterius, & ex tunc expensas nobis remanere debentibus, numero trecentorum prædicto, sicut aliis in exercitu seu expeditione existentibus, ministrabit. Sic tamen, quod dictus dominus noster dominus D. archiepiscopus per suas patentes litteras vocare teneatur nos, & suo exercitui & expeditioni personaliter interesse. Vice versa nos prædictus frater Dietherus archiepiscopus Trevirensis dictos scabinos, consules, atque communitatem civitatis Trevirensis nostræ prædictæ, cum toto nostro posse, requisiti patentibus literis eorumdem, contra quoscunque dictæ civitati Trevirensi injuriantes, ac ab ea jus recipere denegantes, & specialiter contra Richardum dominum de Duna, & Johannem dictum *Prandom*, & eorum quoscunque adjutores, juvabimus nostris sumptibus & expensis, apertis sibi archiepiscopatus nostri Trevirensis castris & munitionibus quibuslibet, quotiens eis necesse fuerit. Et tunc guerra vel guerris a dicta civitate nostra Trevirensi incepta aut inceptis, vel incipiendis infra terminum subscriptum, poterunt dicti scabini, consules, & communitas se juvare, & guerram occurrentem ducere, sine hominum numeri determinatione, hominibus solum nostris, in dictis castris & munitionibus existentibus, expensis nostris & sumptibus sustentandis. Item de guerris cœptis aut incipiendis infra subscriptum terminum a dictis scabinis, consulibus ac communitate civitatis nostræ prædictæ, vel etiam a nobis archiepiscopo prædicto, nos idem archiepiscopus non poterimus pacem aut treugas facere, nisi nobis & nostris coadjutoribus hinc inde inclusis; nec ipsi poterunt de suis guerris pacem aut treugas facere, nisi nobis & nostris coadjutoribus hinc inde inclusis. Item prædicta ordinatio, pacta & unio perdurabunt inter nos archiepiscopum, scabinos, consules atque communitatem prædictos hinc ad biennium; hoc salvo, quod si guerræ vel guerra nunc cœptæ vel cœpta, aut etiam incipienda tempore dicti biennii, infra ipsum biennium non fuerint extinctæ seu concordatæ cum effectu, ex tunc tamen post dictum biennium lapsum non poterit de eisdem pax aut treuga fieri, nisi nobis atque scabinis, consulibus atque communitate prædicta, nec non nostris hinc inde coadjutoribus inclusis, sicut supra. Et quidem, si nos archiepiscopus prædictus castrum dictum *Schwartzemberg* reædificare decreverimus, ex nunc acceptamus, & volumus ut prædicti scabini, consules 1304.

& communitas nobis ad aliquod suffragium quo ad hoc non teneantur. Hanc autem unionem, ordinationem, pacta & alia, modis quibus supra jacent, nos frater Dietherus Dei gratia archiepiscopus prædictus pro nobis; nec non nos scabini, consules, totaque communitas civitatis ejusdem pro nobis similiter, promittimus bona fide hinc inde inviolabiliter observare, & in nullo contravenire. Appendentes nos archiepiscopus prædictus pro nobis sigillum nostrum, & nos scabini, consules totaque communitas civitatis prædictæ sigillum ejusdem nostræ civitatis pro nobis his præsentibus, in præmissorum omnium testimonium & evidentiam pleniorem. Datum & actum anno Domini M. CCCIV, feria IV post festum Decollationis B. Joannis-Baptistæ. Præsentibus honorabilibus viris & discretis dominis Isenbardo thesaurario ecclesiæ Trevirensis, & N. N. multis aliis testibus.

LXXXVIII.

Balduinus archiepiscopus Carthusienses instituit juxta Trevirim & Confluentiam.

1331. IN nomine Domini amen. Balduinus Dei gratia sanctæ sedis Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri imperii per Galliam archicancellarius, ad perpetuam rei memoriam. Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quoque varientur humana; præsertim cum evidens pietas vel urgens necessitas id exposcit. Ecclesia sic quidem montis S. Beati prope Confluentiam, nostræ diœcesis, olim sacra nigrorum monachorum religione fuerat instituta, sed personæ ipsius, exorbitantes ab ordine, ante nostrum adventum archiepiscopalem longis temporibus, religionis cultoribus, & bonorum ipsius distractione ipsam reliquerant deformatam, ac penitus dissolutam. Disponente itaque Deo, archiepiscopale regimen adepti, præ cæteris ecclesiis & monasteriis, ejusdem ecclesiæ destructioni paterno compatientes affectu, diutinam nostri animi vigilantiam super eo convertentes, in collegiatam ecclesiam, dignitatum & canonicorum secularium, juxta ordinarium ecclesiæ nostræ Trevirensis, in divinis officiis & consuetudinibus, capituli modum, reductis prioribus, & adjunctis aliis bonis immobilibus, ipsa ecclesia tunc per nos solenniter est erecta, collationibus hujusmodi dignitatum, canonicatuum ac aliorum beneficiorum juri episcopali reservatis: ut ad honorem Dei & ecclesiæ suæ sanctæ, personæ perfectiores ibi instituerentur, pro cultu divini nominis ampliando. Cumque dicti decanus, & canonici propter nimiam exilitatem redditUum, & loci solitudinem, residentiam personalem, ad deserviendum in eadem ecclesia personaliter, sicut eos institueramus, & nostra ferebatur intentio, continuare nequirent, voluntarios labores subivimus, & cogitatus revolvimus infinitos. Tandem plurium sapientum communicato consilio, ad reducendam ipsam ecclesiam in aliquam religionis observantiam, nostra mens resedit, ad quod loci dicti montis religio primitus instituta, & reliquiarum Sanctorum plurium in eo collocatio nos maxime induxerunt. Inter cæteras autem religiones sanctas Carthusiensium ordinem pluribus invenimus sanctis operibus præfulgere, habentes quidem proprium in communi unde vivant, & de extrinsecus cura non indigentes, ut tota mentis contemplatione serviant soli Deo, &c. *Post quæ cum aliquo usufructu bonorum ad dies vitæ canonicis indulto, ab officiis ejusdem loci illos liberasset, subjicit:* instituimus nunc de cætero, perpetuo in dictum locum, ecclesiam seu monasterium S. Beati ordinem Carthusiensem per fratres ipsius ordinis perpetuo observandum, cum privilegiis, indulgentiis, indultis; & libertatibus omnibus ipsi ordini concessis, & in futurum concedendis. Præfatum insuper locum, ecclesiam seu monasterium montis S. Beati, una cum domibus, muris, ædificiis, curtibus, hortis, vineis, agris, aquis, aquarumve decursibus, exitibus, introitibus, censibus, redditibus, proventibus: specialiter etiam jure utendi incisione & deductione arborum, & jure in nemoribus Confluentinis, & aliis, nec non omnibus juribus, rebus, ac pertinentiis eorumdem universis, ac jure possessionis, proprietatis, & quasi præfato ordini Carthusiensium, ex nunc perpetuo donatione perfecta, irrevocabili, ac inter vivos, donamus & conferimus, atque in eundem transferimus per præsentes. Reservamus tamen nobis de prædictis redditibus percipiendi, pro domo ejusdem ordinis prope Trevirim, per nos noviter disposita, numerum fratrum in ipsis domibus instituendi, nec non super orationibus, memoriis & anniversariis faciendis, ordinandi potestatem, si, & prout viderimus expedire. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum una cum sigillo capituli nostri Trevirensis, cujus assensus præmissis omnibus intervenit, ad preces nostras his litteris sunt appensæ. Et nos præpositus, decanus & capitulum ecclesiæ Trevirensis sigillum capituli nostri, in testimonium consensus ad præmissa, ad preces dicti D. N. archiepiscopi recognoscimus præsentibus appendisse. Datum anno Domini M. CCCXXXI, die XVIII mensis Augusti.

LXXXIX.

Boemundus II accedit ad pacem generalem.

BOEMUNDUS Dei gratia, &c. &c. Notum facimus universis tenore præsentium, quod pacem generalem in partibus Lotharingiæ, per serenissimum principem & dominum nostrum dominum Carolum Romanorum imperatorem semper augustum, & Bohemiæ regem, dominum nostrum generosum, alias autem susceptatorem infularum imperialium, instauratam, in qua singulariter nostram Treverensem ecclesiam comprehendit, eo modo & forma, quæ in litteris super hoc concessis expressa, & per ipsum dominum nostrum imperatorem, & alios principes, comites, barones, civitates & nobiles sigillorum suorum appensione firmata est, de speciali jussu & mandato dicti domini nostri imperatoris quoad nos & nostram ecclesiam in suis finibus & terminis, bona fide, sub debito juramenti promittimus nos firmaturam, dolo & fraude penitus exclusis; nominantes pro nobis in hac parte gubernatoribus Reinboldum de Saraponte militem fratrem, & magistrum Thomam de S. Johanne familiarem; in promissis omnibus nostro pontificalis dignitatis ordine semper salvo. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Metis die III Januarii, anno Domini M. CCCLVI, secundum stylum scribendi in nostris civitate & diœcesi Trevirensi. 1357.

XC.

Usus ornamentorum pontificalium abbati Munsteriensi permissus.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Mathiæ abbati Munsteriensi sanctæ Mariæ Luxemburgensi, ordinis sancti Benedicti, Trevirensis diœcesis. Sinceræ devotionis affectum, quo nos & Romanam ecclesiam revereris, ac monasticæ religionis observantiam, quam in tuo monasterio vigere fide digna relatione percepimus, attendentes, dignum ducimus ut in his maxime per quæ ipsi monasterio honor accrescat votis tuis (quantum cum Deo possumus) favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos charissimi in Domino filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper augusti, & Bohemiæ 1365.

regis illustris, ac tuis supplicationibus inclinati, tibi A & successoribus abbatibus dicti monasterii, qui pro tempore fuerint, authoritate apostolica tenore præsentium indulgemus ut tu & illi mitra & annulo, sandaliis & aliis insigniis pontificalibus uti, & in missa & mensa solemnem benedictionem facere locis tamen & horis, ac temporibus congruis libere valeatis, dummodo in benedictione ipsa aliquis antistes vel legatus sedis apostolicæ non sit præsens. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione XIV calendas Julii, pontificatus nostri anno tertio.

X C I.

Cuno archiepiscopus permittit ut unus e monachis S. Maximini intersit annuis placitis.

1367. NOS Cuno, &c. notum facimus universis & singulis, quod durante administratione abbatiæ sancti Maximini, nobis commissa, nostri est & erit consensus & voluntatis, ut in annuis judiciis omnibus & singulis ad ipsam abbatiam pertinentibus, vulgariter *Jahrgeding* nuncupatis, conventus monasterii ejusdem unum possit habere monachum præsentem, juxta officiatum vel officiatos, qui pro tempore erit vel erunt in eisdem, propter hoc tamen abbati, seu successori suo aut abbatiæ aliquod præjudicium nolumus generari, aut conventui eidem novam consuetudinem suboriri. In quorum testimonium sigillum nostrum secretum præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCCLXVI, XI die Februarii, secundum morem scribendi in diœcesi nostra Trevirensi.

X C I I.

Wernerus vicarium suum instituit episcopum Ascalonensem.

1416. WERNERUS Dei gratia sanctæ Trevirensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri Romani imperii per Galliam & regnum Arelatense archicancellarius, reverendo in Christo patri domino Wilhelmo episcopo Ascalonensi, salutem & sinceram in Domino caritatem. Quia aliis arduis præpediti negotiis executioni pontificalis officii de præsenti intendere non valemus, atque etiam reverendus in Christo pater, dominus Conradus episcopus Azotensis, in pontificalibus vicarius generalis, infirmitate gravatus, hujusmodi officium exercere non valens de præsenti, citra ejusdem nostri vicarii revocationem, vobis præsentium tenore committimus, ac facultatem & licentiam concedimus, dictum pontificale officium infra nostras civitatem & diœcesim, & usque ad nostram revocationem, exercendi, sacrum Chrisma, oleum Catechumenorum ac infirmorum conficiendi, ordines majores & minores celebrandi & conferendi, in fronte chrismandi, ac alia ecclesiastica sacramenta conficiendi atque conferendi; ecclesias, altaria & cemiteria violata reconciliandi, abbatibus & abbatissis munus benedictionis impendendi, virgines benedicendi, pœnitentes reconciliandi, calices & alia varia vasa & ornamenta ecclesiastica benedicendi; & alia quæ consecrationis mysterium requirunt, & in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, exercendi, exsequendi & faciendi, & quæmet agere, exsequi & facere possemus, si præmissis interessemus. Ecclesiarum seu altarium de novo fundatorum seu fundandorum consecrationem, ac ea, quæ jurisdictionis existunt, nobis & illis, quibus hoc specialiter vel generaliter duxerimus committendum reservantes. Datum *Erenbreitstein* XII die mensis Aprilis, anno Domini M. CCCCXVI.

X C I I I.

Jacobus archiepiscopus marchionatum de Arluno in feudum tradit duci Luxemburgensi.

JACOBUS Dei gratia sanctæ Trevirensis ecclesiæ 1455. archiepiscopus, &c. Notum facimus universis, quod nos ratione ducatus Luzenburgensis contulimus & concessimus in feudum serenissimo principi Ladislao Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ regi, Austriæ & Luzenburg. duci, nec non Moraviæ, Lusaciæ marchioni, domino coelectori & amico nostro charissimo marchionatum de Arluno, cum suis attinentiis universis; item officium supremum B marschallatus nostri & ecclesiæ nostræ Treveren. cum ipsius officii juribus, onere & honore; item septuaginta duas matrices ecclesias cum juribus patronatus, decimis & aliis earum pertinentiis, & quidquid præfatus rex obtinet, seu alii ulterius ab eo obtinent in terminis earumdem; item advocatias super curias & bona monasterii S. Maximini extra muros Treviren. sive in manibus & potestate ipsius regis & ducatus Luxenburgen. ipse advocatiæ adhuc teneantur, sive alii eas vel aliquas earum, ab ipso tenere ulterius dinoscantur. Item oppidum *Bidburg*, prout in litteris, super feudo ejusdem oppidi inter nostros antecessores archiepiscopos & ducatum Luzenburgen. specialiter confectis, plenius continetur. Quodque præfatus rex Ladislaus, & sui hæredes C duces Luzenburgenses, præmissa omnia & singula a nobis nostrisque successoribus, & ecclesia Treviren. recipere & tenere debebunt in feudum perpetuis successivis temporibus cum onere fidelitatis, & aliis de dictis feudis de consuetudine vel de jure. Testes his rebus fuerunt nobiles & generosi consiliarii nostri Philippus *de Sirck* præpositus ecclesiæ Treverensis, Gerhardus comes *de Seyne*, Hermannus comes *de Lyningen* & *Rupusgen*, Johannes *de Pirmont* marschallus, Wilhelmus *de Eltz* magister curiæ nostræ, Eberhardus *de Arcken*, Johannes *de Helffenstein* & Johannes *de Esch*. Datum Viennæ die XV mensis Martii, nostro sub secreto præsentibus appenso. Anno M. CCCCLV.

X C I V.

D *Administratio monasterii S. Martini abbati tollitur tribusque aliis abbatibus committitur.*

JOHANNES Dei gratia sanctæ Trevirensis ecclesiæ 1465. archiepiscopus, ac sacri Romani imperii per Galliam & regnum Arelatense archicancellarius & princeps elector, venerabilibus ac religiosis devotis nostris dilectis Anthonio sancti Maximini, Johanni sancti Mathiæ, & Henrico Marie ad Martyres extra civitatem nostram Treviren. abbatibus salutem in Domino. Cum etenim parti nostræ sollicitudinis, ad quam vocati sumus, maxime monasteriis, aliisque locis religiosis, ut ea debitis & spiritualibus & temporalibus regiminibus & administrationibus regantur E & gubernentur, superintendere incumbat, quare nostrum animum & mentem ad monasterium sancti Martini in dicta civitate nostra situm direximus, quod, proh dolor! jam multis annis a bono regimine & administratione destitutum fuit, ex quo quam plurima reddituum, censuum, debitorumque contractorum discrimina sunt exorta, quæ quidem nisi ipsis in brevi obviaretur, præfatum monasterium in totalem desolationem deducerent. Quapropter, ut his medelam adhibere possemus, venerabilis, religiosus, maxime devotus, nobis dilectus Mathias abbas monasterii ejusdem sua libera ac spontanea voluntate omne regimen & administrationem in spiritualibus & temporalibus, ad nostrum optatum, abbatiali tamen titulo

sibi reservato, cessit, libereque ad manus nostras A resignando renunciavit, quemadmodum hæc & alia in quibusdam litteris desuper confectis plenius continentur. Sic itaque nostri erit officii sæpe fato monasterio de idoneis gubernatoribus & administratoribus providere, idcirco de vestris peritia, circumspectione, legalitate, devotione & industria plurimum confidentes, vobis memorati monasterii sancti Martini regimen & administrationem, quas hactenus abbates ibidem habere consueverunt, penitus & in totum auctoritate nostra ordinaria committere duximus, harumque tenore in Dei nomine committimus, tradimus atque consignamus. Quamobrem omnibus & singulis prætacti monasterii fratribus, familiaribus, debitoribus, pensionariis, aut quarumcunque rerum obnoxiis, aliisque quibuscunque, tam regularibus B quam secularibus personis, præfato monasterio quovis modo astrictis, sub excommunicationis pœna districte præcipientes mandamus, ut vobis tanquam administratoribus & gubernatoribus, ac de universis & singulis fructibus, redditibus, censibus, emolumentis, proventibus & obventionibus quibuscunque præfati monasterii quocunque nomine nuncupari possent, respondeant, easque vobis tradant atque persolvant, proviso tamen, quod de his, quæ ratione hujuscemodi commissæ administrationis levaveritis aut recipietis, & in utilitatem aut necessitatem prædicti monasterii aut personarum ejusdem exposueritis, de quibus etiam vobis potestatem harum serie damus, vestramque conscientiam in eisdem oneramus, debitis temporibus congruam reddatis rationem. Datum Palatioli in die C S. Stephani inventionis. Anno M. CCCCLXV.

X C V.

Partheno Reclusarum in villa Vallersheim *regendus creditur abbati Hemmenrodensi.*

1469. JOHANNES Dei gratia Treverensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri Romani imperii per Galliam, &c. archicancellarius ac princeps Elector. Venerabili ac religioso in Christo devoto nobis ac dilecto abbati monasterii in *Hemmenrod*, ordinis Cistertiensis, Trevir. diœc. salutem in Domino sempiternam. De tuo religionis commendabili zelo & observantiæ, singularem habentes in Domino fiduciam, devotas in D Christo dilectas Reclusas apud *Vallersheym* nostræ diœcesis, tuæ tutelæ & protectioni committimus, quatenus videlicet reclusis ipsis in spiritualibus & temporalibus fideliter præesse debeas, prout saluti animarum suarum noveris expedire. Rebelles & inobedientes, quæ salutaribus tuis monitis & mandatis parere contempserint sive renuerint obedire, censura ecclesiastica, seu alia qua convenit cohertione compescendo. Datum Confluentiæ nostro sub sigillo præsentibus appenso, XII mensis Februarii, anno M. CCCCLXIX, secundum stylum scribendi per nostras civitatem & diœcesim Trevirensem.

X C V I.

Societas renovata inter monasteria S. Mathiæ E *& S. Martini.*

1492. NOS Johannes abbas, prior & totus conventus monasterii sancti Martini Trevirensis, ordinis S. Benedicti in notitiam deducimus per præsentes, quod olim eandem habuimus fraternitatem cum fratribus monasterii S. Mathiæ circa Trevirim prædicti ordinis, qualem adhuc servamus cum fratribus monasteriorum S. Maximini & B. Mariæ ad Martyres, hanc videlicet: quod pro quolibet defuncto fratre eorumdem monasteriorum primo missam conventualiter cantamus, similiter & vigilias defunctorum persolvimus. Secundo quivis sacerdotum pro eodem singulariter tres missas legit; non sacerdos vero unum psalterium vel tria officia defunctorum IX lectionum citius persolvit, quæ singula pro nobis eodem modo facere dignoscuntur: sed cum supradicti monasterii S. Mathiæ fratres nobis singulariter sint confœderati, quam fratres aliorum præscriptorum monasteriorum, eo quod nos pene omnes de eodem monasterio istic missi simus, idcirco nos abbas, prior & conventus supra nominati unanimi consensu conclusimus, quod præscripta fraternitas inter nos & successores nostros, & religiosos fratres monasterii S. Mathiæ præscripti se ad infra scripta extendet: scilicet, quod pro quolibet defuncto fratre seu patre monasterii S. Mathiæ sæpe dicti celebrabimus 1.° conventualiter missam & vigilias defunctorum; dein quilibet sacerdotum privatim 10 missas, & quilibet non sacerdotum duo psalteria Davidica citius persolvet, quæ singula fratres & patres monasterii S. Mathiæ sæpe dicti nobis & successoribus nostris simili modo per omnia facere tenebuntur, quemadmodum in litteris nobis ab eisdem traditis continetur.

In quorum robur & testimonium secretum conventus nostri monasterii his literis duximus appendendum. Datis anno ab Incarnatione Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, undecimo kalendas mensis Martii, secundum stilum Trevirensem.

X C V I I.

Usus ornamentorum pontificalium a Leone X papa concessus Himmenrodensi abbati.

LEO episcopus servus servorum Dei, dilecto filio 1519. suo Wilhelmo abbati in *Hemmenrode*, ordinis Cistercienfis, Trevirensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Exposcit tuæ devotionis quam ad nos & Romanam geris ecclesiam sinceritas & religionis promeretur honestas, ut tam te quem speciali dilectione prosequimur, quam monasterium in *Hemmenrode*, Cisterciensis ordinis, Trevirensis diœcesis, cui præesse dinosceris, & successores tuos ipsius monasterii abbates pro tempore existentes congruis favoribus, gratiis & honoribus attollamus. Hinc est quod nos te, qui huc usque ut prædecessores ejusdem monasterii abbates baculo pastorali, ac chirotecis ac annulis pontificalibus ex antiqua consuetudine hactenus usi fuistis, a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu & successores tui præfati monasterii abbates etiam mitra, sandaliis & aliis pontificalibus insigniis uti libere & licite possitis, tibi & successoribus tuis præfatis, auctoritate apostolica, tenore præsentium de specialis gratiæ dono indulgemus, non obstantibus felicis recordationis Alexandri papæ IV prædecessoris nostri, quæ incipit: *Abbates, &c.* aliisque constitutionibus apostolicis ac ordinationibus monasterii & ordinis Prædicatorum juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo nono, III calendas Martii, pontificatus nostri anno septimo.

XCVIII.

Litteræ Caroli V de everſione monaſterii ſancti Maximini, in quibus abbas nuncupatur Princeps imperii.

1523. SERENISSIME princeps, perdilecte frater & vicarie. Aut illuſtriſſime princeps, dilecte patrue & vicarie. Etiam reverendiſſimi, illuſtriſſimi, illuſtres, nobiles, honorabiles, eruditi & dilecti fideles. Veſtra dilectio, & vos ſine dubio ſcitis, qualiter honorabiles nobis & imperio fideles N. conſules & magiſtratus civitatis Trevirenſis reverendum noſtrum & imperii principem, & dilectum devotum Vincentium abbatem & conventum monaſterii S. Maximini juxta Treviros, multis modis & præcipue illius monaſterium læſerint, præterea quoque partes utrimque eorum noſtræ imperialis cameræ judicibus & aſſeſſoribus in litigium venerunt. Quia vero nos omnibus conſideratis judicamus quod prædicti abbatis & conventus monaſterium per Trevirenſes everſione ac alioqui injuſte tale damnum tulerit, & vero nos dictum monaſterium (tanquam antiquiſſimam anteceſſorum noſtrorum in ſacro imperio honorificam & laudabilem fundationem & monumentum) ſingulari gratia ac favore proſequimur, & graviter ſentiamus dictum monaſterium durante noſtro regimine hoc modo everti & concidere. Hinc petimus a V. D. & a vobis ſingulari cura & ſerio mandantes ut noſtro nomine apud dictæ noſtræ cameræ judices & aſſeſſores diligenter & ſerio ordinetis & curetis, & ad hoc intendatis, ut memorato abbati & conventui contra prædictos illos Trevirenſes, quod juſtum decernatur idque promptiſſime, atque etiam in cauſa ſimpliciter ſummarie, & de plano ſicut in hoc & ſimilibus caſibus fieri convenit, procedatur; & præterea eundem abbatem & conventum in omnibus illius occurrentibus negotiis ita commendatum habeatis, ut & ipſe & illius monaſterium iterum in priſtinum eſſe & ſtatum reducatur & reſtituatur. In hoc præſtabit nobis D. V. voſque cæteri rem gratiſſimam & ſeriam noſtram voluntatem. Datum in urbe noſtra Valliſoletana 20 menſis Auguſti, anno M. DXXIII, regni noſtri quinto.

XCIX.

Breve Pauli V ad ducem Lotharingiæ de abbatiſſa Juviniacenſi.

1608. PAULUS papa V dilecte fili nobilis vir ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Gratificati ſumus nobilitati tuæ in eo quod deſiderare te vidimus in A poſtulatione novæ abbatiſſæ monaſterii *de Juvigny*, ordinis S. Benedicti. Nam plurimum valuit apud nos teſtimonium quod de probitate ac virtute dilectæ in Chriſto filiæ Gabrielæ *de Livron* ſororis in eodem monaſterio nobis perhibuiſti. Pergrata nobis fuit hæc occaſio innovandi ſigna veteris noſtræ erga te paternæ charitatis, & gratiſſimum nobis ſemper erit, quoties cum Domino id ipſum præſtare poterimus. Nam diligimus nobilitatem tuam ex animo ob zelum Catholicæ religionis tuendæ & amplificandæ, quo te incenſum eſſe ſcimus. Augeat in te Dominus dona ſuæ divinæ gratiæ, & nos tibi peramanter benedicimus. Datum Tuſculi ſub annulo piſcatoris, VII idus Maii M. DCVIII, pontificatus noſtri anno tertio.

C.

Archiepiſcopus Trevirenſ. intercedit erectioni eccleſiæ B *cathedralis in oppido Nanceiano.*

PHILIPPUS Chriſtophorus Dei gratia archiepiſcopus Trevirenſis ac princeps elector, epiſcopus Spirenſis, & adminiſtrator Prumienſis perpetuus & præpoſitus Weiſſemburgenſis, &c. 1627.

Honorabiles ac devoti nobis dilecti. Intelleximus ex litteris veſtris quænam per ſereniſſimum ducem Lotharingiæ apud S. D. N. pro erectione eccleſiæ cathedralis in oppido ſuo Nanceiano ſollicitentur, cujus rei rumor cum non ita pridem ad nos delatus fuerit, ſollicitudini & muneri noſtro non defuimus, ſed per agentes noſtros in urbe noſtrum jus, quod eo ipſo maximopere periclitari prævidimus, ita deduci curavimus, & tales oppoſuimus motivas, & reſponſum fuerit quod in præjudicium noſtrum & metropolitici juris noſtri, nobis inſciis vel auditis, nihil decernetur. Et ſicut in illa ſedula vigilantia continuabimus: ita C etiam veſtrum erit non minus invigilare: & quæ præterea remedia opportune viſa fuerint non ſolum illa nobiſcum communicare, verum etiam ſuo loco & per perſonas idoneas ita exponere, ut tam nos quam eccleſia veſtra, de quorum jure maxime agitur, ſecuri eſſe poſſimus, voſque de cætero favore & gratia complectemur. Data in civitate noſtra Confluentina, die XXVI Aprilis, anno Domini M. DCXXVII.

Philippus Chriſtophorus archiepiſcopus Trevirenſis.

INSTRUMENTA

INSTRUMENTA ECCLESIÆ METENSIS.

I.

Ex cartario S. Arnulphi.

Arnulphus dux filius Drogonis plurima dat S. Arnulpho.

706. EGO Arnulphus dux post patrem meum Drogonem, villam meam Creanto concedo post mortem patris mei Drogonis, & sic fiat secundum istam litteram quæ sic describitur. Sagaciter antiquorum solertia utiliter satis provisum est posterorum memoriæ litteris mandare, si quis sibi & animæ suæ consulens aliquid ecclesiæ Dei de rebus suis propriis vel ante mortem vel in ipsa morte contulerit. Quapropter noverit futura ætas, quia ego Arnulphus gratia Dei post genitorem meum Drogonem domni avi mei gloriosi principis Pipini filium, Burgondiorum dux, hujus vitæ instabilitatem perpendens, & quia gloria mundi velut fenum arescit, & cogitans de remedio animæ meæ, ut post mortem inveniam vitam, petii a venerabili viro Luitberto abbate monasterii juxta civitatem Metensem siti, quod dicitur ad sanctos Apostolos, ubi atavus meus gloriosus Christi confessor sanctus Arnulphus, a quo & nomen & originem duco, in corpore requiescit, ut mihi quoque in eodem cœnobio locus sepulturæ donaretur juxta genitorem meum prædictum Drogonem & germanum meum Hugonem sacerdotem, quoniam ibi omnis pene parentela mea amore pii prædecessoris nostri & parentis sancti Arnulphi ducta sepulturam delegit. Quod mihi idem venerabilis abbas Luitbertus benigne concessit. Ideoque & ego pro hujusmodi benevolentia, & ut anima mea hereditatem in cœlis cum pio patre nostro sæpe nominando S. Arnulpho habere mereatur, dono donatumque in perpetuum volo ad ipsum locum prædium meum Floriacum dictum situm in pago Vabrinse, in comitatu Scarponensi, mansum videlicet indominicatum, cum ædificiis supra positis & mancipiis utriusque sexus ad ipsum prædium pertinentibus, & quicquid in ipso allodio vel ipse vel antecessores mei visi sumus habuisse, tam in campis cultisque & incultis, quam in silvis, pratis, vineis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, farinariis, quadrupedibus, mobilibus & immobilibus, vel quicquid ullo modo dici aut nominari potest. Dono etiam in Liedesvilla mansum indominicatum cum ædificio desuper sito, juxtaque hunc mansum alium mansionarium cum terris aratoriis ad dies plus minus viginti duos, & quartariis duobus, pratoque ad falces tres. Item in Beraldi villa cuminas indominicatas tres quæ ita jacent; una in ipsa Beraldivilla, alia in loco qui dicitur Marconis pratum, tertia in loco dicto Amolberti campus, cum quartariis septem & silva minuta ad dies viginti in loco qui dicitur *Boverez* silva: pratum quoque in ipsa villa ad falces tres, & alio loco dicto in Triberis, & Marchei pratum ad falces sexaginta. Dono insuper in villa Mariolas quicquid post fratrem meum bonæ memoriæ Godefridum hereditate mihi obvenit, id est terram aratoriam indominicatam plus quam jugera ducenta: pratum etiam ad falces triginta & silvam minutam ad dies nonaginta. Hæc & omnia ad hæc pertinentia ad ipsum locum dono, trado & de meo jure in potestatem servorum Dei inibi commanentium, totum ad integrum ea lege qua ego hæc hactenus possedi, idem cum omni integritate & absque ullius alterius domini participatione transfundo ut ipsi servi Dei ea firmiter a die præsenti & deinceps teneant, possideant, & liberam habeant facultatem faciendi de eis quicquid ad utilitatem sui & ipsius basilicæ proficere viderint. Quod si quis, quod absit, & quod futurum non credo, A de posteris nostris, aut quæcumque alia persona vel potestas contra hanc donationem nostram aliquid violentiæ facere voluerit, & prædium ipsum vel ad ipsum aliquid pertinens auferre ab eodem sancto loco tentaverit, vel aliquid injustæ dominationis sibi in his quæ solide damus usurpare conatus fuerit, noverit se in die judicii de his coram justo judice rationem redditurum, & partem maledictionis æternæ cum Datham & Abiron, & Juda proditore habiturum. Nos tamen ut hæc donatio nostra firma in perpetuum valeat & maneat, testamentum hoc litteris firmatum manu propria roboramus. Actum publice in villa Oppila sub die quinto kal. Julii, anno ab Incarnatione Domini septingentesimo sexto, indictione quarta, regnante Childeberto rege, anno regni ipsius B decimo. Ego Arnulphus hanc donationem litteris traditam manu propria signavi & firmavi. Signum Milonis comitis. S. Widonis comitis. S. Eramberti comitis. S. Lamberti comitis. S. Warneri comitis. S. Emizonis scabini. S. Vozelonis. S. Thieduini. S. Fulecadi. S. Amelii. S. Ursonis. S. Remigii.

II.

Ex S. Arnulphi cartario.

Hugo sacerdos Arnulphi ducis germanus dat villam Vigiacum monasterio S. Arnulphi.

EGO Hugo Metensis primicerius, sacerdos humilis 715.
& germanus meus vir illuster Arnulphus dux, C nec non Pipinus & Godefridus istud assentaverunt in hunc modum & secundum tenorem istius litteræ. In nomine Christi, sub die octavo kalendas Julii, anno quinto regni domini Dagoberti regis, Quoties ut solet humana fragilitas aliqua persona de hac luce migraverit, oportet suos heredes de ipsius facultate pro animæ suæ remedio ad loca Sanctorum delegare, ut in eis in æterna beatitudine pro hac re merces accrescat. Ideo nos in Dei nomine Hugo sacerdos humilis & germanus meus illuster vir Arnulphus dux, nec non Pipinus & Godefridus, dum contigit ut genitor noster illuster vir Drogo quondam de hac luce migraret, nostra fuit petitio ad venerabilem virum Luitbertum abbatem de basilica sanctorum apostolorum quæ est foris murum Metis civitate constructa, D ubi avus noster dominus Arnulphus in corpore requiescit, ut ibidem jam dictum genitorem nostrum Drogonem sepelire deberemus, & ipse Luitbertus benigno animo visus fuit præstitisse. Ideo nos tam pro ipso loco sepulturæ, quam & pro remedio animæ prædicti genitoris nostri, villam nuncupatam * Vigiacum sitam in pago Metense, quam ipse genitor suus avus noster Pipinus suo munere concessit, ipsam villam ad basilicam sanctorum Apostolorum clericis vel pauperibus alimoniam ibidem accipientibus, aut lectoribus inibi deservientibus, a die præsenti per hanc cartulam donationis visi fuimus concessisse; hoc est tam infra murum quam & foris murum Metis civitate, cum terris, domibus, basilicis, ædificiis, accolis, E mancipiis, libertis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, farinariis, appendiciis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus cum omni integritate seu adjacentiis ad se aspicientibus vel pertinentibus, vel omni genere quadrupedum, quicquid in ipsa villa Pipinus & prædictus genitor noster visi fuerunt tenuisse vel possedisse, ipse abbas vel successores sui ad partem supra scriptæ basilicæ hoc habeant, teneant atque possideant, & quicquid in opportunitatem ipsius basilicæ exinde facere decreverint libero in omnibus potiantur arbitrio. Et si, quod non credimus esse venturum, si nos ipsi aut ullus de heredibus aut pro heredibus nostris, vel

* Vigy.

quæcumque opposita persona contra hanc paginam delegationis sive testamenti ambulare præsumpserit, aut aliquam causam exinde removere tentaverit, in primis iram Dei Omnipotentis incurrat, & a liminibus Sanctorum efficiatur extraneus, & sic marcescat in radice, ut nunquam florescat in ramis, & insuper componat intra ipsam basilicam & sacraissimo fisco auri libras quinque argenti pondera decem, & quod repetit evindicare non possit: sed præsens delegatio sive testamentum omni tempore plenissimam obtineat firmitatem stipulatione subnixa. Actum Metis publice, sub die & tempore quo supra. Hugo etsi peccator sacerdos hanc delegationem sive testamentum a me factum firmavi, Arnulphus dux hoc testamentum consentiens.

Nota. Quatuor hæc instrumenta ex archivis monasterii sancti Arnulphi Metensis eruta, & a Martino *Meurisse* in sua episcoporum Metensium historia, ex qua illa hausimus, transcripta, non videntur authentica, sed tantum fragmenta chartarum quarumdam, in quibus donationes factæ huic monasterio historice recensentur. In iis enim desiderantur & stilus & forma usitata in instrumentis horum temporum: genealogiis insistitur, falsa quædam inferuntur, ut v. g. de Hugone sacerdote quem negant ecclesiæ Metensis primicerium fuisse recentioris historiæ Metensis doctissimi scriptores. Denique turbatur aliquando rerum ordo, ut in fronte ponantur quæ ad calcem pertinent, & vicissim.

III.

Ex cartario Gorziensi.

Carta donationis factæ a rege Pipino monasterio Gorziensi.

752. *al.* 761. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Pipinus divina favente gratia rex. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ubique Deo deservientium fratrum ob honorem Domini nostri Jesu-Christi pia devotione augmentamus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad mercedem vel stabilitatem regni in nomine Dei pertinere confidimus, & profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula felicius transigenda nec non & beatitudinis præmia securius obtinenda non dubitamus. Quapropter precibus venerabilis Chrodegandi archiepiscopi admoniti donamus ex rebus nostri juris in pago Inìensi & in comitatu Scarponensi, in villa quæ Domnobusilla vocatur mansos sex, & ecclesiam cum decimatione & omni integritate ejusdem villæ ad locum sanctorum Petri & Pauli, sanctique Gorgonii eximii martyris, ubi Gorzia fluviolus consurgit, eo scilicet rationis tenore ut deinceps nostris futurisque temporibus potestatem habeant monachi in ipso loco manentes de præfatis rebus ordinandi legitimo duntaxat jure, de suis usibus quicquid rationabiliter voluerint vel elegerint facere, ut pro mercedis nostræ augmento attentius Domini implorent misericordiam. Et ut hæc nostræ donationis confirmatio futuris temporibus firmior habeatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Actum anno * DCCLII ab Incarnatione Domini. Sig. gloriosissimi Pipini regis. Sig. Angelramni. Sig. Gondefridi. Sig. Alberti. Sig. Wizelini. Sig. Johannis capellani præfati regis.

** al.* DCCLXI

IV.

Ex Gorziensi cartario.

Charta Chrodegangi Metensis episcopi pro monasterio Gorziensi.

763. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Ego Chrodegangus ac si indignus si non opere, vel nomine gratia Dei Metensis episcopus una cum commeatu & voluntate illustrissimi viri Pipini inclyti regis senioris nostri, & cum consensu omnium parium nostrorum episcoporum, abbatum, presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, vel omnis cleri nostri, seu etiam hominum S. Stephani ecclesiæ Metensis, vel illorum laicorum bonorum qui ibidem in servitio S. Stephani esse videntur: cogitavi casu humanæ fragilitatis qualiter peccata nostra donante Domino possumus abluere, & ad æterna gaudia pervenire. Idcirco donamus de rebus sancti Stephani ad illam basilicam S. Petri & S. Stephani, & S. Pauli vel cæterorum Sanctorum, quam nos Deo auxiliante a novo ædificavimus in fine Haldiniaca, in pago Scarponensi ubi Gorzia fluviolus consurgit, & ad ipsam cellam quam ibidem construximus & ad opus servorum Dei habitantium condonamus ibidem per paginam hanc testamenti, unde illi monachi vel pauperes ibidem victum & vestitum, vel aliam consolationem possint habere, hoc est curtem S. Stephani Holomnam in pago *Pertuise*, cum omni integritate & omnes adjacentias suas ad eamdem pertinentes. Donamus etiam ibidem *Wasnao* in Campania, cum omni integritate sua & omnes adjacentias suas ad eamdem pertinentes, quicquid ibidem pars ecclesiæ S. Stephani visa est habere. Donamus etiam ibidem Cipponi villam & Wasnao villam, & Bertaldo curtem in pago *Wambrinse*, cum omnibus adjacentiis earum vel aliis quæ ad ipsas obtingunt cum omni integritate ad integrum. Similiter donamus ibidem Bonone curtem, Cincilone-villam in ipso Wambrinse pago, cum omni integritate eorum. Donamus etiam in pago Wormatiense illam basilicam quæ est in Paterni-villa constructa, vel quicquid ad ipsam basilicam legibus obtingit, seu & illam decimam de vino vel de annona vel de aliis fructibus, quicquid in ipsa Paterni-villa annis singulis est collectum. Similiter donamus in pago *Magnise* in villa Pomaria sortes cum vinitore, vel illam vineam quam ipse vinitor facit, seu & illud decimum de vino vel de annona, quicquid in ipsa curte annis singulis est collectum. Donamus & ibidem in Subtinore vico atria cum sessu suo ubi dominium ipsi fratres possint habere. Similiter donamus ibidem *Martiniago* in Campania servos duos cum sortibus eorum qui ipsorum verveces custodiant, seu & illam decimam de vino vel de annona de *Arsinago* & *Bocinnago* quæ ibidem annis singulis est collecta. Donamus etiam ibidem in Metis vineas duas, & donamus ibidem illam cellam quam Dodo antea habuit antequam illam cellam S. Stephanus habuisset, & ista omnia supra nominata totum & ad integrum hoc volumus quod ad casam S. Petri omni tempore proficiat in augmentis. Si quis vero ex successoribus nostris vel dominis meis prædicti cleri Metensis, seu quælibet persona extra hoc testamentum meum venire tentaverit, aut aliquid exinde facere voluerit absque mea voluntate, dum maledicere nolo, nihilominus noverit se in tremendo die judicii ante tribunal Christi motum ex hoc causaturum. Et ut omni tempore hæc pagina testamenti valeat inconvulsa, actum est hoc Metis publice, anno ab Incarnatione Domini DCCLXIII, indict. VII, epact. XXIII. concurr. an. IV regni Pipini gloriosissimi regis, 25 die Maii.

Nota. In hoc instrumento vitiosæ sunt omnes fere notæ chronicæ, qui error in amanuenses & exscriptores refundi debet, cum perierint omnes primigeniæ chartæ, mancis quarumdam & mendosis descriptionibus exceptis: & sane non ideo minus probatur Mabillonio aliisque rei antiquariæ peritis, cum aliunde constet a Chrodegango fundatore immensis prædiis cumulatum fuisse istud cœnobium annis 754. 756. 757. 763 & 765.

V.

Ex cartario Gorziensi.

Alia ejusdem pro monasterio eodem Gorziensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Omnibus Christi fidelibus bonis ditari perennibus. Grodegangus Metensis urbis archiepiscopus servorum Dei ultimus & pontificali officio indignus. Ego Grodegangus una cum voluntate illustrissimi Pipini incliti Francorum regis, & cum consensu omnium parium nostrorum episcoporum, abbatum, presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, vel omni clero, seu & hominibus S. Stephani Metensis ecclesiæ; cogitavi 765.

casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata nostra donante Domino possimus abluere, & ad æterna gaudia pervenire. Idcirco donamus de rebus nostris quas jure hereditario possidere videmur, ad illam basilicam sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & sanctorum martyrum Stephani & Gorgonii, vel cæterorum Sanctorum, quam nos Deo auxiliante a novo ædificavimus in loco qui dicitur Gorzia, ubi ejusdem nominis fluviolus consurgit in pago Scarponense, & ad opus servorum Dei illic habitantium; confirmantes per hanc paginam testamenti, unde fratres ibi degentes victum & vestitum vel aliam consolationem possint habere: scilicet in pago Wormaciensi basilicam unam in Paterni villa, in honore sanctæ Mariæ conditam, & quicquid ad ipsam basilicam legibus obtingit in omni decima de vino vel B de annona aliisque fructibus, quicquid in ipsa villa singulis annis fuerit collectum. Damus quoque curtem indominicatam cum casa & aliis ædificiis superpositis, aut servis & ancillis, & vinearum particulis indominicatis ad octo jurnalia: de terra arabili, ad unam sationem jurnalia quatuordecim; ad aliam sationem septem & dimidium exceptis aucingis. Singuli autem mansi binas aucingas habent; molendinum unum cum tribus jurnalibus, aclam unam solventem denarios decem. In eadem villa damus septem mansos & dimidium (solvit unusquisque denarios triginta; sunt in summa solidi decem & octo & denarii octo) angariam usque ad flumen Savæ, aut pro redemptione denarios decem. Pro opere quatuordecim dierum redimendo denarios octo, pullos quinque, ova quadraginta octo, carratas lignorum quinque. Prædictos C mansos damus cum omni servitio nobis debito. Debent autem curtim indominicatam muro circumdare, vineas vallo munire, vigilare, lectos dare, arare, semina de curte accipere, metere & in horreum ducere atque triturare, horreum cooperire, in vindemiis torcular verrere & aquare, fimum curtis in campos educere, aquam molendinariam mundare, palos dare, domum ipsam ædificare & cooperire, avenam de silva quæ ad villam *Isinbure* pertinet ad Paterni villam angariare. In eadem Paterni villa in curte indominicata cippus habeant, & si quis mundilionum sancti Gorgonii de rectitudine sua quicquam facere noluerit, ab advocato & ministeriali in cippum projiciatur & se justificare cogatur. Damus in villa D *Dagosbesher* unum mansum & duo jurnalia vinearum (solvit solidos quinque, pullos duos, ova duodecim, & nullum aliud servitium.) Iterum in ipsa villa dimidium mansum & tria jurnalia vinearum (solvit denarios triginta, pullos duos, ova duodecim.) Iterum dimidium mansum qui solvit denarios quindecim & nihil aliud. In *Hosloven* burdus dimidium mansum tenet qui solvit denarios triginta & nihil aliud. Item damus in villa *Flamersheim* ecclesiam in honore sancti Gorgonii conditam ad quam respicit unum mansum & tres partes vineæ (solvit libram unam, decimas quoque omnium rerum totius villæ:) curtem indominicatam cum casa & aliis ædificiis superpositis, cum mancipiis, cum terra indominicata, culta & inculta: cum pratis ac vineis, & cum banno & omni servitio nobis debito, hoc est cum tauro & verre & E ariete. Ad terram indominicatam pertinent quatuor mansi & dimidius cum aucingis suis. Unusquisque duodecim aucingas habet inter arabilem terram & vineas quorum servitium tale est. Debent omni nocte vigilare ipsasque vigilias cum clava invicem notificare, lectos dare, curtim sepire, vineas quoque sepire, quod vulgo dicitur *mannere*, arare, semina de *Isinbure* adducere, metere & in horreum ducere, item horreum cooperire; si combustum fuerit ad ejus restaurationem per unam leugam ligna advehere, & reædificare, fœnum secare & in horreum ducere, torcular verrere & aquare, angariam usque ad flumen Sare, aut pro redemptione decem denarios. Unus-

A quisque mansus solvit in Pascha denarios triginta, pullos quinque, ova quadraginta octo: In Nativitate Domini quatuor carratas lignorum & quatuor . . . . . in secundo semper anno debent ad molendinum *Patersheim* tredecim denarios quod vulgo dicitur *Asthelbline*: si molendinum quocumque modo defecerit occidentalem parietem reædificare. Ultra rivulum in campo qui dicitur *Mers*, si quis vendiderit aut cambiverit jugerum de terra quæ dicitur *Limsta*, dabit inde ad curtem duodecim denarios & advocato sex. De illa autem terra nullus audeat allodium facere. Singulis annis eligant rustici duos forestarios ad custodiendos campos fideliter, & primo anno constituantur a curte, secundo ab advocato, tertio ab ipsis rusticis: ipsique forestarii omnibus annis persolvant ad curtem duodecim denarios & advocato sex. Quicumque mansum vel aclam de terra nostra possederit moriens bovem unum ad curtem dabit, quod vulgo dicitur *Herdocho*; aut si bovem non habuerit, duodecim denarios persolvet. De tauro autem & verre & ariete de quibus supra diximus hæc rectitudo est. Si quis taurum, verrem aut arietem in vinea sua vel agro invenerit, non moleste sed modeste illum ejiciat: si quis debilitaverit aut occiderit, damnum restituet, insuper ad curtem dabit quinque solidos & advocato triginta denarios. In ipsa villa *Flammersheim*, in curte indominicata cippus habeant. Et quia villam cum toto banno tradimus, quicumque bannum fregerit, sive in agro, sive in villa, persolvat ad curtem quinque solidos & advocato triginta denarios. Si persolvere noluerit in cippum mittatur. De omnibus mundilionibus quos in Wormaciensi regione damus, veniunt quinque solidi & octo denarii in missa sancti Martini; & in anno tria placita non jussa in *Flammersheim* curte requirunt. Si neglexerint, advocatus & ministerialis ad eorum domos ibunt & constringent. Item in villa *Isimbure* damus ecclesiam unam in honore sancti Gorgonii conditam, cum omni decimatione totius parochiæ, ad quam respicit unus mansus & duæ particulæ vineæ (solvit solidos sex) curtem indominicatam cum casa & horreo, cum terra culta & inculta, pratum unum & quartam partem silvæ quæ est *Stamp* cum banno & omni rectitudine ad silvam pertinente. Si quis bannum infregerit, dabit ad curtem qninque solidos & advocato triginta denarios. Si noluerit in cippum mittatur. In eadem parochia damus septem mansos ad curtem pertinentes (solvit unusquisque triginta denarios & quatuor carratas lignorum, quarum duas ad curtem *Isinbure*, reliquas ad *Paterni villam* devehet) cum palis molendinariis & verubus, & reliquum omne servitium, quemadmodum illi de *Patersheim*.

Si quis vero ex successoribus nostris vel dominis meis cleri Metensis, seu qualibet persona contra hoc testamentum meum fecerit, judicio Dei Omnipotentis, omniumque Sanctorum ejus æternæ ultioni subjacebit. Et ut omni tempore hæc pagina testamenti mei maneat inconvulsa, more antiquorum sigilli nostri & principum idem consentientium adnotari & corroborari subtercuravimus. Grodegangus peccator archiepiscopus. S. Grisonis Majoris-domus fratris domini Pipini regis. S. Carli filii regis. S. Hildradi ducis. S. Rodingi comitis. S. Hamedei advocati. S. Guaisonis. S. Norgandi. S. Zachariæ. S. Theoderici. S. Dudonis, S. Milonis. S. Angelmasi. S. Agnardi abbatis. S. Jacobi abbatis. S. Bonnoli abbatis. Sig. Andreæ. S. Gondulfi. S. Prumberti. S. Grimaldi. S. Azonis. S. Uradi. Si quis autem ex successoribus nostris vel quibuscumque personis hoc testamentum in aliquo irruperit, iram Dei Omnipotentis incurrat, insuper ad monasterium inferat auri libras tres, argenti sex advocato.

Ego frater a Deo datus recognovi & scripsi. Actum Metis publice, anno ab Incarnatione Domini

DCCLXV, indictione tertia, epacta vigesima quinta, concurrente prima, vigesima quinta, (*al.* vigesima) die mensis Maii, luna ipsius diei trigesima, anno quarto (addendum decimo) regni Pipini senioris.

VI.

Ex cartario Gorziensi.

Angilrannus Metensis episcopus dat cœnobio Gorziensi Warangesi-villam.

770. IN nomine Domini, Angilrannus gratia Dei Metensis archiepiscopus. Pastorale quidem exercemus officium si oves nobis a Deo commissas, in quantum per vires Omnipotentis suppetit, undique conspicimus ut alimoniam tam spiritualem quam corporalem habere non desinant. Et si de rebus ecclesiæ quæ nobis ad regendum vel gubernandum tradita est, ecclesiis vel monasteriis ad eamdem pertinentibus vel aspicientibus pro opportunitate servorum Dei vel pauperum aliquid impertimur, nihil contra auctoritatem canonicam vel instituta patrum agere æstimamus. Ideoque pro divino intuitu vel animæ nostræ remedio, una cum consensu clericorum vel laicorum fidelium ecclesiæ sancti Stephani, cui auctore Deo præesse videmur, donamus ad monasterium sancti Petri, in loco qui vocatur Gorzia, quod bonæ memoriæ antecessor quondam noster domnus Chodegangus archiepiscopus a novo ædificavit, vel ad illam sanctam congregationem monachorum inibi consistentium, ubi inclytus ac præclarus videlicet martyr sanctus Gorgonius in corpore requiescit, vel ubi Theutmarus abbas sub manu nostra præesse videtur, donatumque in perpetuum volumus esse & plena animi devotione confirmamus, hoc est in pago Calvomontense villam nuncupatam Warangesi-villa, cum adjacentiis vel appendicibus seu opportunitatibus suis, cum terris, campis, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, mancipiis, litis, accolabus, pecuniis, peculiis utriusque sexus generis vel ætatis, cum integro termino solidoque statu facta omnia & ex omnibus totum & ad integrum, quantumcumque ad ipsam villam aspicere vel pertinere videtur, ad ipsum monasterium, vel ad ipsos fratres volumus esse donatum. Simili modo donamus in ipso pago rem illam in Manico curte quam Haribertus ad partem sancti Stephani condonavit, & modo tenet filius suus nomine Chrotecharius per precariam. Similiter donamus in ipso pago rem illam in Rehensacoldo curte quam Beto ad partem sancti Stephani delegavit & ipse modo per precariam tenet, seu & fortem illam in ipsa villa, quam Vibollagus per beneficium sancti Stephani vel nostrum tenere videtur. Simili conditione donamus in ipso pago rem illam in villa Acciago, una cum illa ecclesia inibi constructa, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, quam Aglebertus filius Marcelli per beneficium sancti Stephani vel nostrum visus est habere. Donamus etiam rem illam in ipso pago cognominante Nodulfo, quam Ilduinus per beneficium S. Stephani vel nostrum habere videtur: nec non & illam rem in villa Buxarias quam usque nunc Gondolanus per beneficium sancti Stephani visus fuit tenere: ad ipsum monasterium sit delegata vel data. Similiter donamus res illas in ipso pago in loco nuncupato Haldulfo curtem & ad Burtiloni villam quas Maurotus per suum testamentum ad partem S. Stephani condonavit. Simili modo donamus res illas in ipso pago Calvomontensi quas Harbertus & Warnildis ad partem sancti Stephani per suum testamentum delegaverunt, & modo ipsa Warnildis per precariam habere videtur in loco nuncupante Areas seu & Niguie monte: ad ipsam casam Dei proficiant in augmentum. Similiter donamus res illas in ipso pago ad Tlebas super fluvium Cernone, quas Suibardus ad sanctum Stephanum

Theomarus

A dedit. Simili conditione donamus in pago *Suggentinse* villam nuncupatam Childufo villa quam nunc Otto comes per beneficium sancti Stephani vel nostrum habere videtur, una cum illa sorte quam Gonthadus ad sanctum Stephanum dedit, & ipse modo per precariam tenet. Hæc omnia superius comprehensa, tam in terris, domibus, ædificiis, campis, pratis, vineis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, mancipiis, litis, accolabus, adjacentiis, appendiciis, cum integris terminis solidisque statis eorum ad eas res pertinentibus vel aspicientibus, ad ipsum jam fatum monasterium vel ipsos fratres proficiant in augmentis, ut eos melius delectet pro nobis vel inclytis regibus nostris Karolo atque Karolomanno, seu stabilitate B regni Francorum & successoribus nostris Domini misericordiam attentius exorare. Et quisquis ex istis hominibus superius nominatis, vel aliis quibuslibet de rebus superius intimatis per beneficium S. Stephani vel per precarias ad censum habere videntur, illum censum quem usque nunc in domum ad opus nostrum dederunt, deinceps in antea ipsum censum ad ipsum sæpe dictum monasterium vel ad ipsos fratres persolvant. Et cum de hac luce decesserint & dies obitus eorum advenerit, post eorum discessum ipsas res cum omni superposito, absque ullius contradictione vel judicis vel pontificum successorumque nostrorum expectata traditione, ipsi fratres in suam recipiant potestatem. Precorque successores dominosve meos, & per sanctam Trinitatem adjurare præsumo ut facta mea C sic in ævum perdurare permittant, sicut ipsi habent velle ut gesta eorum in perpetuum perseverent. Actum super fluvium Mose, in loco qui vocatur Fontaitas, anno ab Incarnatione Domini DCCLXX, indictione VIII, &c.

Ego Angilrannus peccator episcopus hoc testamentum a me factum relegi & subscripsi. Ego Grimaldus abbas sub. Ego Helborardus abbas sub. Ego Goso abbas sub. Ego Sigilbertus abbas sub. Fredalius peccator chorepiscopus sub. Stephanus presbyter sub. Andreas sub. Donatus sub. Ego Rocfridus sub. Sigil. Widigangi. Haymaldius sub. Dodonus sub. Hardonino sub. Hildelbodo sub. Adulpho sub. Ego Ynasco jussus a domino & pontifice meo Angilranno hoc testamentum scripsi & D subscripsi.

VII.

Aliud testamentum domni Angilranni de Faho & Gaudiaco datis monasterio Gorziensi.

Ex eodem cartario.

CUM Christus unicus filius Patris qui cum Patre & Spiritu Sancto cuncta creavit ex nihilo, non dedignatus sit animam pro ovibus suis ponere, & acquisitas proprio cruore servo sibi credito tradidit custodiendas; & si cui committantur, perspicere ac solerti studio pervigilare debet ut gregem sibi commissum, in quantum ipse qui tradidit ei vires tribuere dignabitur, non negligendo necessaria omnia tam spiritualia quam & temporalia impendere studeat, ut talentum sibi creditum cum usuris Domino suo E repræsentet. Ideo ego in Dei nomine Angilrannus gratia Dei Metensis urbis episcopus, pro divino intuitu & vel animæ nostræ remedio seu pro æterna retributione, una cum consensu cleri vel laicorum fidelium S. Stephani protomartyris peculiaris patroni nostri, cui ecclesiæ auctore Christo præesse dignoscimur, donamus ad monasterium Gorziæ quod subjacet ipsi ecclesiæ S. Stephani, quod prædecessor noster bonæ recordationis domnus Chrodegangus archiepiscopus in honore sancti Petri vel cæterorum Sanctorum a novo ædificavit, & turbam monachorum sub sancta norma vitam degentium coacervavit, vel ubi sanctus Gorgonius præclarus videlicet martyr in corpore quiescit, & ubi Theomarus abbas sub 770.

manu nostra rector esse videtur; hoc est res illas de ratione sancti Stephani, id est in pago Bedinse villam nuncupatam *Faho*, quam nunc per beneficium sancti Stephani vel nostrum Fredelaigus vassus domini Karolimanni regis per precariam nostram tenere videtur, nec non & villam aliam de ratione ipsius sancti Stephani sitam in pago Wabrinse, cognominatam *Gaudiaco*, quam Godfridus similiter homo dominicus per beneficium sancti Stephani vel nostrum per precariam tenere videtur; ad ipsum jam fatum monasterium vel ad illam sanctam congregationem inibi vitam degentem volumus esse donatum: hoc est in terris, domibus, ædificiis, campis, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, mancipiis, litis, accolabus, adjacentiis, appendiciis, cum integris terminis solidisque statis earum ad easdem villas jam fatas *Faho & Gaudiaco* aspicientibus vel pertinentibus, ad partem S. Petri, vel S. Gorgonii, seu ad ipsos fratres proficiat in augmentis, ut eos melius delectet pro nobis vel inclyto rege nostro seu stabilitate regni Francorum, & successoribus nostris Domini misericordiam attentius exorare. Et illum censum quem usque nunc ipse Fredelaigus, vel Godfridus ad partem S. Stephani vel nobis dederunt, ipsum ad partem ipsius monasterii vel ad ipsos fratres annis singulis persolvant. Et cum ipsi de hac luce discesserint, ipsi fratres ipsas jam fatas villas cum omni superposito absque ullius contradictione vel judicis aut pontificum successorumque nostrorum expectata traditione, in eorum recipiant potestatem. Quæso namque successores patresque meos episcopos, & per inseparabilem Trinitatem adjuvare præsumo ut facta mea sic in ævum perdurare permittant, sicut ipsi habent velle ut gesta eorum per tempora prolixa conserventur. Anno ab Incarnatione Domini DCCLXX. Ego in Dei nomine Angilrannus peccator episcopus hanc epistolam cessionis a me factam relegi & subscripsi. Agnardus S. Ego Optarius acsi indignus presbyter S. Heboradus abbas S. Arthecarius archidiaconus S. Andreas S. Giso abbas S. Huvinodo S. Harimandus notarius S. Ego Ynasco intimus (F. indignus) diaconus jussus a domino & pontifice meo Angilranno hanc epistolam cessionis scripsi & subscripsi.

VIII.

Ex cartario Gorziensi.

Diploma Caroli magni quo fundationem monasterii Gorziensis & prædia ipsi a Chrodegango tributa confirmat.

Circa 770.

CAROLUS Dei gratia rex Francorum vir illustris, omnibus episcopis, abbatibus, comitibus etiam missis, atque universis fidelibus nostris tam præsentibus quam futuris. Si petitiones sacerdotum atque servorum Dei, in quo nostris auribus suggesserunt, ad effectum perducimus, regiam mansuetudinem exercemus, utque pro salute animæ & stabilitate regni nostri Domini misericordiam exorent eorum animos exhortamur. Igitur solertia vestra noverit venerabilem virum Theotmarum abbatem ad nostram advenisse præsentiam, qui detulit nobis privilegium sanctæ recordationis Chrodegangi archiepiscopi Metensis urbis, quod circa monasterium Gorziæ ibi usque ad finem seculi habitantibus conscripserat, ubi legebatur insertum qualiter per consensum & voluntatem domini & genitoris nostri Pipini quondam regis, etiam & de consensu suorum sacerdotum & clericorum, supradictum monasterium in nominibus apostolorum Petri & Pauli constat ædificatum, ubi & postea sanctissimi corpus Gorgonii Roma delatum condidit, ea scilicet conditione ut in ipso monasterio monachi secundum ordinem & regulam S. Benedicti perpetuis temporibus viveret, atque pro se & pro aliis Domini misericordiam indesinenter exorarent. Tamen ad confirmandum hujus boni operis * cœptum cognovimus diversas res ad eumdem sanctum locum præfatum episcopum delegasse atque ita confirmasse ut deinceps nec ab ipso episcopo suo sive successoribus & archidiaconis, seu cæteris ecclesiæ coadjutoribus aliquo tempore fuisset irruptum. Unde asserit præfatus Theotmarus abbas suique monachi hoc privilegium confirmatum & hæc omnia quieto ordine se possidere. Sed pro pietatis studiis petiit celsitudinem nostram ut circa præfatum monasterium ejusque rectores nostram denique confirmationem pro mercedis augmento conscribere atque confirmare vellemus: cujus petitionem denegare nequivimus, sed libenti animo hanc præstitisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes enim jubemus ut inspectum jam dictum privilegium, sicut per eumdem declaratur, sicut ab ipso episcopo per consensum & voluntatem domini genitoris nostri, seu sacerdotum ac clericorum factum est, quod sanctissimi episcopi in publica confirmaverunt synodo, ita cum Dei & nostra gratia sit in omnibus confirmatum, & neque a pontificibus Metensium, aut reliquis ejusdem ecclesiæ rectoribus ea quæ in hoc privilegio continentur confracta, nec quoquo modo aliquando perrupta sint; sed sicut præfatus pontifex pro laude & servitio Cunctipotentis ad præfatum sanctum locum ordinavit, pro communi scilicet sua regnique atque Francorum mercede nostris & futuris temporibus perduret, quatenus melius delectet ejusdem ecclesiæ rectores cum ipsa sancta turba monachorum pro salute patriæ, vel stabilitate regni nostri Domini misericordiam deprecari. Signum Karoli gloriosissimi regis.

* In exemplari legitur *certamen*, nullo sensu.

IX.

Ex cartario Gorziensi.

Præceptum Caroli regis Angelranno Metensi episcopo concessum.

776.

CAROLUS Dei gratia rex Francorum & Longobardorum vir illustris, ducibus, comitibus, domesticis vel omnibus agentibus, tam ultra quam citra Renum, Rodanum & Ligerim consistentibus, tam præsentibus quam & futuris. Juvante Domino qui nos in solium regni instituit, illud ad augmentum vel stabilitatem regni nostri procul dubio credimus in Dei nomine pertinere, si petitiones sacerdotum vel ecclesiarum Dei de rectis postulationibus quas in nostris auribus patefecerint, perducimus ad effectum; ideoque vir apostolicus domnus & pater noster Angilrannus episcopus sanctæ ecclesiæ Metensis pontifex, præceptiones regum, prædecessorum, antecessorum nostrorum eorum manibus roboratas nobis protulit recensendas, ubi generaliter cognovimus esse insertum quod antecessoribus suis tale fuisset jam a longo tempore indultum beneficium, ut nullus ex judicibus publicas in curtes ipsius ecclesiæ Metensis & domni Stephani patroni nostri, seu basilicas infra ipsam urbem constructas vel infra ipsam parochiam, tam monasteria, vicos vel castella ad eandem aspicientia ingredi non præsumerent aut aliquod ibidem generare detrimentum, nec homines eorum per mallos byrgos publicos, nec per audientias nullus deberet admallare, aut per aliqua iniqua ingenia præsumeret condemnare, nec freta vel teloneos exactare aut aliquos paratos facere, sed in eorum privatas audientias agentes ipsius ecclesiæ unicuique de reputatis conditionibus directum facerent & ab aliis simulque percipere veritatem, & ubi feodum ipsi agentes aut reliqui homines memoratæ ecclesiæ acciperent, freta ad ipsa loca Sanctorum deberent Christo præsule proficere in augmentum. Pari modo & si homines eorum pro quolibet excessu cujuscunque feodum dissolvebant, fretus qui exinde in publicum sperare potuerit ad ipsas ecclesias fuisset concessus, unde

petiit supra scriptus pontifex ut eum suamque ecclesiam vel monasteria, castella vel vicos ad eandem pertinentes vel aspicientes, de hac re plenius nostra auctoritas in Dei nomine confirmaret, cujus postulationem pro divino intuitu vel reverentia ipsorum locorum sanctorum, seu fidei suæ respectu, vel mercedis nostræ augmento gratanti animo præstitisse & in omnibus confirmasse, & a novo concessisse cognoscite; jubemus namque ut quidquid constat tam in villis, domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, acolabus utriusque generis, sexus vel ætatis, cum integris terminis solidoque statu earum, tam ex munificentia regum, reginarum, quam id quod per venditiones, donationes, commutationes cessionesque titulis, vel per qualibet instrumenta cartarum, aut qualibet ingenium legibus ad ipsam ecclesiam domni Stephani, vel alias ecclesias quæ sub ipsa urbe Metensi, vel in parochias ipsius pontificis constructæ esse videntur, fuit delegatum, & ad præsens pars ipsarum ecclesiarum cernitur possidere vel dominari, per hanc auctoritatem nostram in id ipsis ecclesiis, vel memorato pontifici vel abbatibus suis eorumque successoribus plenius in Dei nomine confirmatum atque concessum esse cognoscite. Præcipientes enim jubemus ut neque vos neque juniores seu successores vestri in curtes ipsius ecclesiæ, vel memorati pontificis aut abbatum suorum, vel monasteriorum, castellorum, vicorum, tam ultra quam citra Renum, Rodanum & Ligerim, vel ad præfatam civitatem Metensem, aut in pagos vel parrochias suas, & monasteria seu cellas, vel omnibus ecclesiis ad eandem pertinentibus vel aspicientibus, nulla freta nec teloneos vel conjectos, aut summutas vel aliquos paratos faciendum, vel qualecunque ingenium ad aliquod detrimentum generare penitus ingredi non deberetis, si gratiam meam vobis in omnibus optatis habere propiciam. Illud addi placuit scribendum ut de tribus causis de hoste publico, hoc est de banno nostro quando publicitus promovetur, & uuacta vel pontos componendum illi homines bene ingenui qui de suo capite bene ingenui immunes esse videntur, qui super terras ipsius ecclesiæ vel ipsius pontificis aut abbatibus suis cummanere noscuntur. Si in aliquo exinde de istis tribus causis negligentes apparuerint, exinde cum judicibus nostris deducant rationes, sed non amplius vel minus, in reliquo vero pro mercedis nostræ augmento sub emunitate ipsi sunt conservati ut ad ipsam casam proficiant in augmentis, & ipsa emunitas quæ a nobis vel ab antecessoribus patribus nostris fuit concessa, circa memoratam ecclesiam domni Stephani, vel præfata monasteria, vel castella, vicos, pagos, parrochias vel abbatias quæ ad ipsum pontificem aspicere videntur, perenniter maneat inconvulsa vel conservata, qualiter ipsum pontificem seu clerum, vel pauperes ibidem alimoniam sperantes plenius delectet Domini misericordiam attentius exorare, & dummodo per anteriores præceptiones a longo tempore ipsa emunitas circa ipsam ecclesiam vel basilicas, seu monasteria, vicos vel parrochias sub tempore præcedentium regum semper fuit conservata, & nos ad præsens pro animæ nostræ remedio vel retributione æterna in id ipsa ecclesia domni Stephani, ubi suus sacratissimus sanguis vivus esse videtur, per nostram præceptionem firmavimus atque concessimus ut quicumque hoc de judicibus nostris, aut quislibet refragare aut irrumpere, vel immutare voluerit, iram trinæ Majestatis vel omnium Sanctorum, ubi ipse pontifex vel abbates sui deserviunt, incurrat, & gratiam nostram nullo unquam tempore possit habere, sed magis a vobis vel successoribus vestris sub integra emunitate omni tempore modis omnibus conservetur, qualiter gratiam nostram, ut diximus, valeatis habere propiciam. Quam vero auctoritatem pro rei totius firmitate ut

A omni tempore maneat inconvulsa, manus nostræ signaculis infra decrevimus in Dei nomine roborare.

R

Signum K A V S Karoli gloriosissimi regis, data

L

XI cal. Februarii, anno 7.° & 1.° regni nostri. Actum Carisiaco an. ab Incarnatione Domini DCCLXXVI.

X.

Diploma Caroli magni in gratiam S. Arnulphi Metensis.

Ex archiv. S. Arnulphi.

783.

CAROLUS Dei gratia rex Francorum & Longobardorum, ac patricius Romanorum. B Quicquid enim locis Sanctorum venerabilium ob amorem Domini nostri Jesu-Christi concedimus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad mercedem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini præsentium & futurorum, qualiter nos in eleemosyna dilectissimæ conjugis nostræ Hildegardæ reginæ, ad basilicam quæ est constructa in honore sancti Jacobi apostoli, vel cæterorum Beatorum, ubi scilicet Arnulphus pretiosus corpore requiescit, villam nostram nuncupatam * Camenetum, sitam in ducato Mossinse, in comitato Metense, una cum appenditiis & ecclesiis quæ ad ipsam villam pertinere videntur, cum omni integritate, tam terris, C domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, omnia & ex omnibus per hanc nostram authoritatem concedimus vel condonamus perpetualiter ad possidendum. Quam villam cum omnibus suis adjacentiis ideo specialiter in ipso sancto loco concedimus, ut exinde pro remedio prædictæ conjugis nostræ continue die noctuque luminaria ad ejus sepulchrum fieri debeant. Et quia scimus multa quæ prius studiose fiunt, postea refrigescente charitate in negligentiam devenire; idcirco interdicimus omnibus abbatibus sive custodibus ejusdem venerabilis loci, & per divinum eos obtestamur examen, ut jam fatam villam nunquam præsumant alicui beneficio tribuere, nec per precariam, ut fieri assolet, præbere, nec ad ullum omnino istius seculi usum inflectere, D sed ut diximus pro remedio animæ ipsius dilectæ conjugis nostræ Hildegardæ, ad ipsum sanctum locum luminaria incessabiliter fiant. Et quod ex eisdem luminaribus superfuerit, illi exinde præordinati ab ipsis custodibus alantur qui pro sæpe fatæ dilectæ nostræ conjugis anima missas quotidie faciant, vel psalmodiam & preces in conspectu Domini jugiter effundant. Si quis autem ex abbatibus venerandi istius loci hanc nostram voluntatem violare præsumpserit, æternam effugere non valeat damnationem, & beatum adversum se Arnulphum non adjutorem, sed potius sentiat accusatorem. Sed & servos Dei qui ad hoc opus præordinati fuerint per individuum sanctæ Trinitatis nomen adjuramus ut nullam negligentiam faciant, quin, ut præmissum est, continue in orationibus & E missarum solemniis & psalmodiis studiose instent. Omnes autem nostros qui futuri sunt per Christum Dei filium redemptorem omnium adjuramus & exposcimus successores, sive cujuscumque ordinis judices, ut nullus hoc quod statuimus audeat irrumpere, & quolibet modo aliter quam volumus immutare. Quod si quis eorum facere tentaverit, quicquid ipse statuerit, a suo sentiat adversario convelli, & insuper judicium sit nobiscum habiturus coram justissimo judice. Et ut hæc authoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus melius conservetur, manu propria subtus adnotavimus & de annulo nostro sigillare jussimus. Data kalendas Maïas, anno quinto decimo, & nono regni nostri, ab Incarnatione autem Domini

* Alias Camnitium, Chemnot.

nostri Jesu-Christi anno septingentesimo octogesimo tertio, in die Ascensionis Dominicæ, in cujus vigiliis ipsa dulcissima conjux nostra obiit, in anno * duodecimo conjunctionis nostræ. Actum Theodone villa, palatio nostro, in Dei nomine feliciter, indictione sexta.

* *Al.* tertiodecimo.

Post signum seu monogramma Caroli gloriosissimi regis, Ercambaldus ad vicem Radonis subscripsit. *Nota.* Huic diplomati opponunt quidam critici quod non solum quasdam contineat imprecationes, sed etiam annus Incarnationis Dominicæ septingentesimus octogesimus tertius & indictio sexta contra receptum morem apponantur. « Et id quidem insolitum fateor, inquit » Mabillonius, Annal. Bened. tom. II, lib. XXV, pag. 265; sed » tamen haud satis validum duco ad rejiciendum diploma, quod » omnino authenticum, tametsi destitutum sigillo, & Carolino » tempore Carolinisque characteribus scriptum legimus in archivo sancti Arnulphi monasterii, in cujus gratiam conditum est. »

X I.

Ex archivo Gorziensi.

Diploma Ludovici imperatoris in gratiam monasterii Gorziensis.

815. IN nomine Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu-Christi, amen. Ludovicus divina ordinante clementia imperator augustus. Cum justum esse constat ut regalis atque imperialis potestas his aliquod munus impertiat, quorum necessitas hoc postulare comprobatur; cumque non minus æquitatis ordo videtur exigere, ut his eadem potentia liberius aurem accommodet, & eorum petitiones ad effectum perducat, quorum fideli famulatu manifesta devotionis obsequia demonstrantur: idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum sagacitati, qualiter suggerente atque petente Madephrido fideli nostro, res quasdam Theodemarus proprietatis suæ, quæ sunt in pago Scarponensi, in fine Theodalciaga, & in fine Scammusa, & in fine Helimninciaga, & in fine Audomaga, & in fine Absolomaga, & in fine Munalaburicuse, & in fine Halaricunise, & in fine Cunsolomaga, & in fine Dodomaga, & in fine Bedeonecuse, & in fine Banomaga, id est tam mansis, casis, casulis, cum omnibus ædificiis desuper positis, campis, pratis, vineis, silvis, cultis & incultis, aquis aquarumve decursibus, quicquid ab hac die Hertemannus visus fuit habere & potestatem habuit, totum & ad integrum ad partem S. Stephani, vel S. Petri, vel S. Gorgonii, vel ad ipsum monasterium Gorziæ condonavit ad tempus Optario abbati, & accepit in precariam in pago Scarponensi, & in fine Banomaga, vel in ipsa villa Banonocurte, sicut & ipsa precaria docet, totum & ad integrum. Postea venit Magulphus episcopus atque abbas de ipso monasterio, & voluit ipsam precariam cassare. Tunc Hartmannus comes ad nostram accessit clementiam, deprecans ut ipsam precariam quam a supra memorato abbate Optario acceperat, per nostram mandeburdam & licentiam diebus vitæ suæ, sicut inter eos convenerat, habere potuisset, cujus petitionibus domus Dei utilitatem considerantes, captato fidelium nostrorum consilio annuimus: & ideo hanc nostræ authoritatis largitionem prædicto fideli nostro Hartmanno, ex petitione Madephridi fidelis nostri ac cæterorum fieri decrevimus, per quam statuimus atque sanximus ut res superius scriptas, quas tam ipse Hartmannus ad ipsam Casam-Dei dedit, quam etiam illas quas in precariam accepit, per hoc majestatis nostræ præceptum, seu per dictam conventionem, diebus vitæ suæ secure possideat: & nullus exinde pontificum, in quibuslibet rebus vel corporibus aliquid minuendi jus habeat; sed quicquid ibidem accrescere, immeliorare vel attrahere voluerit, ac si liberos proprios ex rebus memoratis haberet, eo fieri decernere satagat; ita tamen ut per singulos annorum recursus persolvat in censum ad festivitatem ipsius beati martyris Gorgonii, quod est V idus Septembris, solidos quinque denarios, aut quantum de cera pretio tanto comparata patefaciat. Quod si de ipso censu negligens aut tardus extiterit, emendato neglecto quod tenet teneat. Post discessum vero suum, quando sic Deus voluerit, ipsæ res bene actæ ac melioratæ absque ulla contradictione vel judicis assignatione ad jam fatum monasterium redeant. Hoc vero authoritas clementiæ nostræ ut immobilis & inconvulsa permaneat, manu nostra subter firmavimus, & bullæ nostræ impressione signari jussimus. Signum Hludovici serenissimi regis. Ego Durandus diaconus ad vicem Helizacar recognovi. Data X calend. Aprilis, anno ab Incarnatione Domini DCCCXV, indict. VIII, epacta VII, anno vero II regni Hludovici imperatoris. Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

X I I.

Ex archivo S. Arnulphi.

Diploma Lotharii imperatoris sancto Arnulpho dantis Rumiliacum.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi Dei æterni, Lotharius divina ordinante providentia imperator augustus. 855. Si locis divino cultui mancipatis quippiam muneris conferimus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem promerendam profuturum liquido scimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris tam præsentibus quam futuris, quia ob emolumentum remediumque animæ domini & genitoris nostri recolendæ memoriæ Ludovici piissimi augusti, quatenus copiosior cœlestis suffragii opitulatio Sanctorumque multiplicior indesinenter intercessio ei adsit; complacuit serenitatis nostræ magnificentiæ, quia constat illum in monasterio S. Arnulphi confessoris Christi, ubi præsenti tempore Drogo venerabilis archiepiscopus avunculus noster præesse dignoscitur, quod est constructum haud longe a mœnibus Mediomatricæ urbis, humatum detineri, quemdam fiscum nostrum * Rumeliacum nomine qui est in pago Metensi intrajacens comitatus Mossensis confinio, & Salnensis comitatus atque Calvomontensis, eidem sancto loco concedere, & de nostro jure in jus ac potestatem ejus solenni more transferre. Memoratum denique fiscum cum domibus, ecclesiis cæterisque ædificiis, mancipiis utriusque sexus & ætatis, vineis, terris, cultis & incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, exitibus & regressibus, cum omni integritate, quicquid enumerari vel nominari jure potest ad prædictum fiscum legaliter pertinens, sicut Stephanus hactenus habuisse dignoscitur, ut superius fatum est, memorato sancto loco tradimus atque delegamus. Sed ut eadem liberalitatis nostræ largitio nostris futurisque temporibus firmiorem valeret obtinere vigorem, & genitori nostro, propitio dato abundantior existeret beatitudo, hanc authoritatis nostræ scripturam circa memoratum monasterium ejusque rectores fieri jussimus, per quam decernimus atque sancimus ut res præscriptas ob divinum amorem eidem sancto loco a nobis solemni donatione collatas, jure ecclesiastico possideant, & quicquid de eis vel in eis disponere, ordinare aut facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem, quatenus servos Dei inibi divino Numini famulantes, pro genitoris nostri absolutione, nobisque conjuge ac prole nostra, ac pro stabilitate totius imperii a Deo nobis commissi, divinam misericordiam attentius exorare delectet. Et ut hoc nostræ collationis authoritas firmior habeatur, & per futura tempora diligentius conservetur, manu propria nostra subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Data idibus Augusti, anno Christo propitio imperii domini Lotharii pii imperatoris decimo quinto,

* Rumilly.

indictione tertia. Actum Moguntia civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

Luitbrandus diaconus ad vicem Luitberti archicapellani recognovi.

XIII.

Ex archivo S. Arnulphi.

Carolus Calvus rex dat S. Arnulpho capellam in villa Jussiaca.

869. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Quicquid pro amore Dei Sanctorumque reverentia agimus, profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula securius transeunda, & ad futuræ beatitudinis præmia felicius obtinenda non dubitamus. Comperiat igitur omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque præsentium ac futurorum solertia, quia ob Dei & sancti Arnulphi præcipui confessoris atque pontificis amorem & honorem, libuit celsitudini nostræ ad deprecationem charissimi nobis filii nostri Karolomanni reverendi abbatis, quamdam capellam in pago Mossensi in villa * Jussiaca, in honorem sancti Hilarii confessoris fundatam & dedicatam cum suis appendicibus, cunctisque sibi pertinentibus rebus & mancipiis, ecclesiæ præfati sancti Arnulphi ad luminaria inibi continenda & vinum sacrificio ministrandum, pro nostrorum absolutione peccaminum largiri & largiendo, eam habendam & canonice ordinandam confirmare. Unde hoc altitudinis nostræ præceptum fieri, eidemque loco sancto dari jussimus, per quod præfatam capellam cum domibus, ædificiis, viridariis, hortis, vineis, terris, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, vel ad eamdem capellam juste & legaliter pertinentibus, plena integritate eidem ecclesiæ perpetim habendam & canonice ordinandam largimur, delegamus & confirmamus: ita ut nulli rectorum ipsius monasterii liceat ex eisdem rebus quicquam subtrahere aut minuere, aut in alios, præter quos constituimus, usus retorquere; quatenus canonici ipsius monasterii liberius devotiusque pro nobis, conjuge & prole, totiusque regni nostri statu continuis precibus Dei misericordiam implorent. Ut autem hæc nostræ largitionis authoritas inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione sigillari jussimus. Data quinto iduum Septembrium, indictione secunda, anno trigesimo regnante Carolo gloriosissimo rege, & primo in successione regni Hlotarii. Actum Metis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

* Jussy.

XIV.

Ex archivo S. Arnulphi.

Charta Ludovici Germaniæ regis qua confirmat seu restituit S. Arnulpho Rumiliacum, datque illi jus portionem quamdam vini colligendi in navibus Mosellanis.

875. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus divina favente gratia rex. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ibique Deo degentium fratrum ob amorem Dei pia devotione augmentamus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad mercedem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus, & profuturum nobis ad præsentis vitæ curricula felicius transienda, necnon & beatitudinis præmia felicius obtinenda non dubitamus. Quocirca comperiat omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum solertia, quia fratres ex cœnobio sanctorum apostolorum Joannis, Jacobi & Philippi, nec non & beatissimi confessoris Christi Arnulphi atavi nostri, post obitum Adventii ejusdem ecclesiæ episcopi nostram adeuntes clementiam reclamando innotuerunt quod substantia & victus illorum minus deerant necessaria. Unde deprecantes nostram clementiam ut pro amore & reverentia Sanctorum inibi Deo quiescentium, largitas nostra ex rebus eidem ecclesiæ collatis olimque sublatis & ab antecessoribus nostris ibidem dicatis restitueremus, & restituta in augmentum substantiæ, victus ac vestimenti, pro remedio animæ genitoris nostri nostræque & sobolis nostræ deinceps ad emolumentum proficerent. Quorum petitionibus libenter acquiescentes, quia ipsa ecclesia in nostris manibus habebatur, per consensum ac consultum Bertulphi Trevirensis ecclesiæ archiepiscopi cæterorumque fidelium nostrorum, ad eorumdem fratrum usus revocavimus, ac præcepto nostræ authoritatis constituimus capellam ex villa Rumiliaco in honore S. Martini cum omni sua integritate, sicuti quondam Stephanus & Engobertus habuerunt, scilicet ecclesiis, mansis, cum fortibus, terris, pratis, vineis, mancipiis, farinariis, silvis, cultis & incultis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, exitibus & regressibus, omniaque jure ac rationabiliter ad se pertinentia: super hæc ad vinaticum supra dictæ ecclesiæ sancti Arnulphi, * jus Mosellani navis, quantum ibi de ratione sancti Arnulphi videtur habere, ad eamdem ecclesiam in qua corpus domini genitoris nostri divæque memoriæ constat esse sepultum; omnia superius denominata nostris confirmamus edictis cum omni decimatione ipsius ecclesiæ quæ in dominio habetur: eo scilicet rationis tenore ut deinceps nostris futurisque temporibus potestatem habeant ipsi canonici ordinandi legitimo duntaxat jure, de suis usibus quicquid rationabiliter una cum prælato elegerint, & nulla regia vel episcopalis potestas hoc nostræ auctoritatis præceptum frangere audeat, sed ut superius dictum est pro mercedis nostræ augmento ac genitoris nostri sobolisque nostræ attentius Domini implorent misericordiam. Et ut hæc nostræ augmentationis confirmatio futuris temporibus stabilior ac firmior habeatur, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione jussimus assignari. Data octavo kalendas Decembris, anno trigesimo octavo regni Ludovici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, & adeptionis regni Lotharii sexto, indictione octava. Actum Metis civitate in suburbio ad sanctum Arnulphum, in Dei nomine feliciter. Amen.

Bechardus ad vicem Agilmari recognovi.

* *Nota.* In hac carta voces *jus Mosellam navis* quas sic restituunt autores recentis historiæ Metensis, lib. 11, pag. 627, & quibus sensum sat idoneum affingunt ibidem, legerat Meurissius ex quo cartam transcripsimus *Lus Mesellam navis*, nullo prorsus sensu. At si conjecturis dare locum licet, nonne potior esset lectio *jus Mosellanæ navis!*

XV.

Carta Arnulfi regis qua dat villam Ares *abbatiæ sancti Arnulfi.*

Ex archivo S. Arnulphi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Arnulfus divina favente gratia rex. Quicquid enim locis divino cultui mancipatis, atque in his Domino devotis mentibus famulantibus ob amorem Dei pia devotione augmentamus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem promerendam nec non & stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus, & profuturum nobis ad præsentis vitæ spatia felicius transeunda non dubitamus. Quocirca comperiat omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium præsentium scilicet & futurorum, ac procerum nostrorum industria, quia canonici ex monasterio sancti Arnulfi præcipui confessoris Christi, suas litteras ad nostram direxerunt clementiam, deprecantes celsitudinem culminis nostri ut in honore beati Arnulfi quasdam res juris ac proprietatis nostræ, hoc est in pago & comitatu Metensi seu Scarponense in villa quæ dicitur * *Ares*, mansos regales decem eis ad communem 892.

* Ars-sur-Moselle.

communem substantiam victus illorum concederemus. Nos autem pro amore Dei & reverentia sancti Arnulfi petitionibus eorum aurem benigne accommodantes, & deprecationibus Reginhardi missi illorum satisfacientes, decrevimus ita fieri, easdemque res in supradicta villa *Aves* consistentes pro remedio animæ christianissimi avi ac genitoris nostri nostraque æterna remuneratione cum omni integritate, quidquid ibidem habuimus ad prædictum monasterium sancti Arnulfi in usus canonicorum illic Deo famulantium ad proprium donamus, & per hoc muniminis nostri præceptum confirmamus, in mansis videlicet, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, curtilibus, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & regressibus, quæsitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus, & cum universis ad eosdem mansos jure legitimeque pertinentibus; ita videlicet ut fratres prædicti monasterii nunc & deinceps omni tempore ex eisdem rebus liberrima fruantur potestate, prout eis more ecclesiastico placuerit, ad sui peculiaris utilitatem universa disponere vel ordinare absque ullius potestativi ordinis inquietudine. Et ut hæc largitionis nostræ auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur ac diligentius observetur, manu nostra eam firmavimus, annuloque nostro sigillari jussimus. Data VII kalendas Maii, anno ab Incarnatione Domini DCCCXCII, indictione nona, anno quinto regni Arnulfi piissimi regis. Actum * Reganesburc in Dei nomine feliciter. Amen.

* Ratisbonæ.

XVI.

Ex archivo S. Arnulphi.

Carta Bennonis seu Benedicti Metensis episcopi, qua declarat illustrem feminam Rothildim cum suis filiis quædam prædia dedisse ad partem ecclesiæ S. Arnulphi seu S. Stephani.

Circa 923. IN Christi nomine, Benedictus sanctæ Metensis ecclesiæ præsul humilis. Notum sit omnibus fidelibus sancti Stephani seu sancti Arnulphi qualiter illustris femina Rothildis nomine & filii ejus dederunt nobis ad partem ecclesiæ sancti Arnulphi seu sancti Stephani, quasdam res proprietatis eorum, hoc est in pago Salninse in *Racheringas* vocata villa, dimidiam ecclesiam in honore sancti Leodegarii dicatam, cum decimis ad se pertinentibus, & in ipsa fine de terris arabilibus anzingas septem & jornale unum, de vineis in quibus colligi potest, modios quindecim, prata ad colligendum fenum carra undecim: & in alio loco in ipso pago, in *Vermeringas* vocata villa, seu in ipsa fine de terris arabilibus anzingas quatuor & dimidiam, prata ad colligendum fenum carra quinque, de silva minuta anzingam unam. Hæc autem omnia nobis ad partem sancti Stephani vel sancti Arnulphi dederunt, ut per cartulam testamenti affirmaverunt. Postea vero illorum fuit petitio & nostra decrevit voluntas ut per consultum fratrum in cella sancti Arnulphi Domino militantium, eis beneficiare deberemus; quod & ita fecimus tam ipsas res quas dederunt, quamque & de ratione sancti Stephani seu sancti Arnulphi capellam unam intra muros Metis civitatis in honore sancti Victoris consecratam, cum decimis ad se pertinentibus, & de vineis ad ipsam capellam aspicientibus, in corovio conjacentibus ad colligendum vinum carradam unam, & in omnibus adjacentiis, in terris & mansis ad ipsam capellam aspicientibus. Eo rationis tenore ut quamdiu ipsa Rothildis & prædicti filii ejus vixerint, easdem res omnes per beneficium nostrum seu successorum nostrorum sub usu fructuario in precaria quieto ordine valeant habere & excolere, jureque legitimo uti, & nullam habeant potestatem quicquam exinde minuendi aut alienandi, sed magis emeliorandi & augmentandi. & proinde annis singulis super altare sancti Arnulphi in festivitate ejus, quæ est mediante mense Augusto, in censum de argento denarios duodecim persolvere studeant, & fratribus ejusdem loci de frumento modium unum & denarios duodecim dare debeant. Et si de ipso censu tardi aut negligentes exstiterint, cum legis sanctione illud restituant, sed ipsam precariam propterea non perdant. Post decessum vero eorum, quando quidem Deus voluerit, prædictæ res omnes emelioratæ, & cum omni superposito, absque alicujus contradictione, vel judicis assignatione, ad partem ecclesiæ sancti Stephani seu sancti Arnulphi omnimodis revertantur.

XVII.

Ex eodem archivo.

Carta Othonis regis qua probat monachos Benedictinos in monasterio sancti Arnulphi loco canonicorum regularium ab Adelberone Metensi episcopo inductos.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina ordinante clementia rex. Noverit omnium 941. fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum industria, qualiter Adelbero Metensis sedis antistes venerabilis nostram adiit sublimitatem, nobis referens quod canonici sancti Arnulphi monasterii in ejus episcopatu consistentes, posthabita canonicæ regulæ conversatione laico more vivere maluerunt: quos dum idem episcopus antedictus post crebberrimas ammonitiones, incorrigibiles esse cognovit, consilio totius cleri sui eos inde potius expelli quam inhonestam inibi ducere vitam decrevit. Prælibati autem canonici pro hoc ad nos proclamationem fecerunt. Verum inutilem eam considerantes, flagitationibus prælibati episcopi nostri cæterorumque fidelium nostrorum obtemperantes, regia potestate sancimus ut congregata inibi Domino famulantium honesta congregatione, ex hoc in antea, monachica ibi perpetualiter vita ducatur. Et ut hæc præcepti nostri authoritas inviolabilis æternaliter perduret, manu nostra subtus illud firmavimus, & annuli nostri impressione corroborari præcipimus. Data quarto idus Januarii, anno Incarnationis Domini nongentesimo quadragesimo primo, indictione decima quarta, anno domini Otthonis sexto. Actum in Vranconcurt. In Dei nomine amen.

Signum domini Ottonis regis.

Bruno cancellarius & archicapellanus recognovi.

XVIII.

Ex archivo eodem.

Adelbero primus Metensis episcopus regulam & monachos sancti Benedicti in monasterio sancti Arnulphi instituit.

TOTIUS ordo expedit æquitatis, quo in omni 942. statu & habitu, si qua manent justo correcta moderamine, instantius in augmento promoveantur summo, nec minus justo, quæ videntur pessundari atque reformari mensura librationis. Idcirco ego indignus Adelbero, sanctæ sedis Metensium episcopus, operæ pretium duxi, ut qui diu mihi commissa in torporis negligentia cuncta duxeram, saltem aliqua quæ corrigere valerem & congruebat, sagaci providerem industria. Itaque monasterium cunctis notum, scilicet beati Arnulphi, in quo videbatur coadunatio clericorum, utque veridice dicam, & sub testimonio totius ecclesiæ, Acefalorum sub specie canonicorum regulæ existere, succrevit ardor summi desiderii, ut qui illorum mores & vitam incorrigibilem noveram (namque & hoc experientia diversarum ammonitionum antea cum nostris experieram suffraganeis) quo potioribus & vitæ præstantissimis ipsius loci prebendam converterem disciplinis: hujus si

quidem deliberationis summa fuit, ut eos inde expellerem, & Deo authore, vitam instituerem monasticam, nisi se ipsos sanctæ illius subderent vitæ. Sed hoc quasi despectui habentes, ut erant uniti cœtu, maluerunt esse pares in imperfectionum consensu. Denique consultu nostrorum clericorum, scilicet abbatum utriusque ordinis, atque fidelium laïcorum, præfecimus ibi abbatem * Arbertum nomine, cujus institutionibus in reliquum adventantes, inibi eodem quo definivimus ordine, scilicet monastico, erudirentur. Quapropter furoris stimulo velut de paternis redditibus accensi, quidam eorum adierunt regem seniorem nostrum, scilicet Ottonem, vanam super hoc garrientes declamationem, quod injuste proprium abstulissem, & veluti hereditarium locum; cumque ut egeram præfato seniori totum indicassem, illorum floccipendens rationem, ut sapiens & justus rex, ne in reliquum querimoniis inibi Deo famulantium molestarentur invidorum, tunc & ipse quod feceram confirmavit, testamento regiæ authoritatis præcipiens ut pari consensu ad corroborationis authoritatem identidem nostra sentiret ecclesia. Quod juxta desiderii ardorem exequens, ut dehinc, sicut statuimus, maneret cum consensu ducis nostri, Ottonis videlicet, totiusque ecclesiæ nostræ hoc præceptum confirmationis scriptum manibus propriis roboravimus, & roborandum tam prædicto duci, quam coepiscopis nostris fidelibus dedimus; in Deum & propter Deum omnes successores nostros humiliter postulans, ut sicut diffinivimus, utque volunt, sua quæ diffinierint rata habere, consentiant nostra. Actum Metis publice, sub die idus Martii, indictione decima quinta, concurrente quinto, anno decimo tertio adeptionis episcopatus domini & venerabilis episcopi Adelberonis. Hoc testamentum fuit coram cunctis in palatio recitatum, & ab omnibus voluntarie corroboratum.

* Aliter Ansterum, Ansteum.

Adelbero humilis episcopus ecclesiæ Metensis subscripsi.

Gozlinus episcopus Tullensis propria manu subscripsi.

Everinus primicerius. Blidulfus abbas. Gonterus abbas. Geoffridus archidiaconus. Anterus archidiaconus. Sigiboddo custos. Enalvus decanus. Valdradus cantor. Teucardus presbyter. Otto dux. Adelbertus comes. Rodulphus comes. Gorlinus comes. Meingrandus comes. Hamedeus comes palatii. Roisridus. Lambertus & cæteri numero 56. Ego Adelardus cancellarius subscripsi.

XIX.

Ex eodem archivo & eodem circiter tempore.

Altera ejusdem Adelberonis carta qua plurima S. Arnulpho prædia & privilegia largitur.

IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu-Christi. Si circa monasteria Domino Deo consecrata & a patribus constructa, qui ad cœlorum regna transtulerunt patrimonia pastoris cura magna debet invigilare solertia, ne caulæ Domini gregis illi a Christo collatæ paternarum legum operumque patiantur detrimentum, nihilominus erga sibi subditos sibique commissos, & spirituali simul & corporali insudare oportet negotio, ne Deo militantibus ulla dominari videatur inopia, maxime super his qui evangelicam & apostolicam sequentes vitam & doctrinam arctioris vitæ normam & sanctæ conversationis arripiunt viam. Ergo noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium præsentium videlicet & futurorum industria, nos ob amorem Domini nostri Jesu-Christi loca sancta in nostra parochia sita, in quantum Domini gratia largiri dignatur, ad prioris vitæ sanctitatem attrahere velle, scilicet ut jugum Christi quod est suave & onus illius quod est leve suscipiant homines ad imaginem Dei facti, & Christi paupertatem imitando ejusque vestigia sequendo Sanctorum cœtibus admixti valeant sine fine lætari. Consultu itaque venerabilium virorum episcoporum videlicet & abbatum, nec non & ecclesiæ nostræ clericorum ac fidelium laïcorum ordinavimus, favente Dei clementia, regulam beati Benedicti in cœnobio gloriosissimi confessoris Christi Arnulphi, ubi sacratissimum ejus corpus humatum est, quod est in suburbio civitatis nostræ, ut Dei famuli inibi degentes, pro totius mundi piaculis, nec non pro populo nostro & civitate, Domini misericordiam assiduis precibus exorent: nos quoque ac successores nostri usque in finem seculi, post turbinosam vitam sine qua non possumus esse in civitate, valeamus ad portum monasterii aliquandiu cum Dei famulis recreari, ac suavia vitæ æternæ colloquia degustando refici. Sed quoniam monasterium non potest esse absque rectore, petivimus dominum Agenoldum Gorziensis monasterii abbatem ut virum ex monasterii sui fratribus eidem sancto loco præficeret, quod & fecit. Misimus ergo ibi fratrem quemdam nomine * Ansteum nobis satis dilectum, cujus institutionibus ac documentis omnium fratrum inibi sub regula beati Benedicti degentium vita imbueretur. Et quoniam isdem locus adhuc minus est idoneus huic ordini, scilicet monachorum, propter officinas & multas alias res quæ monasterio conveniunt, idcirco placet cum omnium fidelium nostrorum tam clericorum quam laïcorum consultu & voluntate aliquod auxilium eidem sancto loco impendere; quodque olim Drogo hujus sanctæ Metensis sedis quondam venerabilis archiepiscopus, qui ob amorem domini nostri Jesu-Christi, & beatissimi Arnulphi confessoris ipsius eumdem locum relevare & exaltare voluit, in tantum ut ecclesiam ejusdem loci nobiliter ornaret ac excelsius sublimaret; claustrum quoque inibi causa monachorum ædificaret, sed mortis intercurrente obstaculo juxta bonum desiderium suum perficere nequiverit, nos qui ipsius loco positi sumus implere optamus. Quocirca secundum placitum nostrum nostrorumque fidelium donamus in die ordinationis supra memorati viri Anstei scilicet abbatis ad eumdem locum, terram in circuitu ejusdem monasterii conjacentem, atque de nostro jure in illorum jus perpetuo tradimus habendam, de qua terra sunt mansa undecim, quinque quidem vestita, alia vero sex manent absa. Bannum vero eidem loco tali tradimus conditione, ut si quis super eamdem terram fur vel sanguinis effusor deprehensus fuerit, per officiales loci discutiatur, neque a nostris ministralibus, nisi eis tradentibus, poterit in jus trahi: mox tamen ut in publica via quæ dicitur regia, devenerit, a nostris captus secundum leges adjudicabitur. Nec non ad victualia quotidiana fratribus comparanda, concedimus eis per totum annum bannalem tabernam in ipsa villa, officialium nostrorum omni prorsus remota molestia. Integrum ergo eis bannum excepto viæ regiæ concedimus. Hæc ergo omnia cum omnibus vineis in circuitu positis & ut claret cunctis jam prope desertis tradimus ex integro ad prædictum locum, quatenus habeant unde nos aliosque supervenientes hospites non solum spirituali, verum etiam & corporali cibo reficere possint. Concedimus etiam ad eumdem locum censum de annuale mercato quod est in festivitate prædicti egregii sancti videlicet confessoris Christi Arnulphi cum omni integritate perpetualiter, ut habeant unde vestimenta comparare possint, ne necessitate vestimentorum compulsi opus sit illis foras evagare, quod minime expedit animabus eorum. Statuimus quoque ad usus fratrum in prædicto sancto loco militantium, quamdam daglam in finibus villæ nostræ sitam, nomine *Purnedo*, ubi etiam mundiliones plurimi beati Arnulphi commanent, atque commanentes eamdem supradictam daglam legitima sanctione custodiunt ac procurant, quatenus a præsenti

* Aliter Aribertum vel Arbertum.

die & deinceps supra memorati servi Dei inibi degentes teneant, possideant, liberamque in omnibus habeant potestatem quicquid ex illa voluerint, agendi. Quæ omnia ut firmius apud posteros nostros rata & inconvulsa maneant, dominus & serenissimus imperator petitu nostro, præceptum authoritatis suæ statuit, ac sigilli sui impressione firmavit. Petimus igitur humiliter omnibus successoribus nostris per charitatem Domini nostri Jesu-Christi, ut de his omnibus nihil a prædicto monasterio unquam abstrahere præsumant vel minuere, sed potius ex sua parte augmentare studeant. Et sicut volunt ut ea quæ statuerint perpetualiter maneant, ita & nostra æternaliter manere consentiant, quatenus Omnipotentis Dei miserante clementia in extremo examine mecum a Domino mereantur audire: *Euge serve bone & fidelis quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Et ut hoc largitionis nostræ testamentum nullo unquam tempore ab aliquo violetur omnium fidelium nostrorum authoritate roborantes, manu propria nostri nominis monogramma subtus signavimus.

Adelbero sanctæ Metensis ecclesiæ humilis episcopus subscripsi.

S. Everini primicerii. S. Gontheri archidiaconi. S. Godefridi archidiaconi. S. Sigiboddonis custodis. S. Enadvi decani. S. Valdradis cantoris. S. Theudardi presbyteri. S. Ricardi presbyteri. S. Rinualdi presbyteri. S. Taneradi presbyteri. S. Ursonis diaconi. Sig. Wigerici diaconi. S. Hamedei comitis palatii. S. Folmari. S. Raimbaldi & cæterorum num. 37. Ego Adelardus cancellarius scripsi.

X X.

Ex archivo S. Arnulphi.

Diploma Othonis regis quo Benedictinis in monasterium S. Arnulphi inductis quidquid antea possidebant canonici ejusdem loci confirmat.

949. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia rex. Si locis divino cultui mancipatis quippiam muneris conferimus id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem capessendam profuturum liquido scimus. Ideo noverit omnium tam præsentium quam futurorum fidelium nostrorum sagacitas, qualiter quidam abbas Ansterus nomine de monasterio S. Arnulphi, quod est situm in suburbio Metensis civitatis, in quo idem beatus requiescit Arnulphus, adiit serenitatis nostræ celsitudinem per venerabilem Moguntiacæ sedis archiepiscopum Fridericum cum voluntate & consensu Adelberonis reverendi jam dictæ ecclesiæ Metensis pontificis, deprecans ut de villis ad mensam monachorum Deo & sancto Arnulpho in suo monasterio militantium pertinentibus nostræ authoritatis præceptum facere juberemus. De quo videlicet monasterio jam pridem statueramus per præceptum nostræ authoritatis, ut regula beati Benedicti perpetuo ab eisdem monachis observaretur, & pro nobis ac pro statu regni nostri apud Domini clementiam fideliter interveniretur. Cujus petitionibus autem nostræ sublimitatis libenter accommodantes per hoc nostræ firmitatis judicium statuimus ut ad præsentis vitæ subsidium has villas jure firmissimo habeant, teneant atque possideant, videlicet Camineum & quidquid ibi aspicit, Maceriolas & quidquid ibi aspicit, & quidquid Arnulphus rex in villa quæ dicitur Arx dedit; similiter villam quæ dicitur Nugaredus, censum & de mercato annuali in festivitate sancti Arnulphi, cum terra & hominibus in circuitu monasterii. Et quia cœtus monachorum pluribus indiget, si quid inspirante Deo præfatus Adelbero episcopus addere voluerit, aut quis successorum ejus, per hoc præceptum nostræ concessionis, ut per succedentium temporum curricula firmius in Dei nomine veriusque credatur, manu propria nostra firmavimus, & annuli nostri impressione corroborari præcepimus. Data tertio idus Junii, anno Domini nongentesimo quadragesimo nono, indictione tertia, regnante serenissimo rege Otthone anno decimo tertio. Actum in Gylenheim in Domino feliciter. Amen.

X X I.

Ex eodem archivo.

Eva comitissa dat villam suam Layum monasterio S. Arnulphi Metensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quidquid sanctorum locis pro Dei amore confertur, profuturum sibi & ad præsentia securius transeunda & ad æterna feliciter obtinenda, a fidelibus non dubitatur. Notum sit igitur præsentium & futurorum solertiæ qualiter ego Eva comitissa & filius meus Udelricus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, in eleemosyna dilectissimi conjugis mei Hugonis nobilissimi comitis, filiique nostri dulcissimi æque strenui comitis Arnulphi, ab impiis & inimicis sanctæ ecclesiæ in primævo juventutis suæ flore pro justitia Dei quam exequebatur, impie trucidati, ad basilicam beatissimi confessoris Christi Arnulphi villam meam Layum, a prædicto seniore meo mihi datam dotis jure, sitam in comitatu Calvomontinse, condonaverim & confirmaverim perpetuo possidendam, una, cum appendiciis ejus omnibus, ecclesia scilicet, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, rectitudine pontis super fluvium *Murt* siti, aquarumque decursibus, piscatura bannali, molendinis, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus: exceptis quatuor hominibus, Folquino videlicet, Beraldo, Hiliero & Genione cum suis omnibus. Forestam nihilominus quæ dicitur *Heis* cum integro banno eidem loco concedimus in omnes usus cum redditibus suis, id est croada & suffusa quas debent solvere, quicumque de adjacentibus exinde voluerint focariam de mortua silva habere, & plaustra ad aratra sua, stabula etiam facere. Decernimus etiam ut quinque mansi separatim cum decimis suis ad luminaria ecclesiæ habeantur ministranda. Quam villam specialius ipsi beatissimo pontifici Arnulpho idcirco volui delegare, quod isdem venerandus antistes, de cujus germine reges Francorum strenuissimi prodiere, in eadem villa præsentis exordium suscepit vitæ, & quia filii mei ab ipso ducebant originem ex paterno genere. Quapropter placuit mihi & amicis fidelibusque nostris prædictum Arnulphum filium meum in præfati confessoris basilica tumulari, ut a quo ducebat originem carnis, ejus protegeretur & meritis, cæterisque ejus parentibus provenirel munus æternæ salutis. Utque hoc efficeretur, venerabilis Adelberonis Metensium episcopi, meique consanguinei devotio me provocavit, qui in eodem loco, auctoritate & præcepto domini Ottonis imperatoris, monachos sub regula sancti Benedicti primus instituit conservari. Itaque prædictam villam Deo & beato Arnulpho famulantibus, perpetualiter absque ulla contradictione concedo possidere: eo tamen tenore, ut dum advixerimus ego & filius meus Udelricus archiepiscopus Remorum, nostris serviat usibus, libramque argenti singulis annis vitæ nostræ in festo sancti prædicti Arnulphi persolvamus. Post decessum vero nostrum, ea lege qua & nos eamdem villam possedimus, ad monasterii redeat usus, scilicet cum omni integritate, absque ullius hominis, nisi solius Dei advocatione. Igitur per Christum Dei filium redemptorem omnium adjuramus & exposcimus omnes homines præsentes & futuros cujuscumque ordinis, principes & judices nostros, insuper quicumque futuri sunt heredes, ut nullus prædictam villam Layum tollat, alienet, abstrahat nec per precariam, nec per beneficium, nec per concambium, nec per ullum ingenium, ab altare beati Arnulphi & mensa fratrum monachorum. Quodsi quis eorum

contra hæc facere temptaverit, quidquid ipse statuerit, a suo sentiat adversario convelli, & insuper judicium nobiscum sit habiturus coram Deo judice justissimo, beatumque Arnulphum habeat omni tempore adversarium. Et ut hæc donatio firma stabilisque permaneat, subnixa stipulatione nobilium regni consignavimus, filiique nostri domni Udelrici archiepiscopi Remorum sigillo corroboravimus. Actum Metis publice, sub die XVII kalendarum Septembrium, in præsentia domni Adelberonis Metensium episcopi, anno ab Incarnatione Domini DCCCCL, indictione VIII, regnante domno glorioso Ottone, anno imperii ejusdem XVII feliciter. Ego Adelbero sanctæ Metensis ecclesiæ sedis episcopus subscripsi, anno præsulatus nostri XXIIII, & anathemate roboravi. Signum Friderici ducis. Signum Sigifridi comitis. Signum Gisleberti comitis. Signum Thieberti comitis Palatini. Signum Folmari. Sig. Raimbaldi. Signum Rotfridi. Signum Waldonis. Sig. Berengeri. Signum Meingaudi. Signum Adalberti. Signum Thietbaldi. Signum Adam.

XXII.

Carta Othonis regis pro reformatione monialium S. Petri Metensis.

960. IN nomine sanctæ atque individuæ Trinitatis, Otto divina providente clementia rex Lotharingensium, Francorum atque Germanensium. Si locis divino cultui mancipatis quidpiam muneris conferimus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem capessendam profuturum scimus. Ideo noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ conventus, præsentium scilicet & futurorum, qualiter compater noster Adelbero, egregius videlicet sanctæ Metensis ecclesiæ præsul, una cum germano suo Friderico duce, adierunt nostram serenitatem super quodam ditionis nostræ monasterio, infra muros jam dictæ civitatis, in honorem principis Apostolorum constructo, ab antiquis Majoris monasterii nomine nuncupato; supplicantes ut nostræ authoritatis facere quoddam imperassemus præceptum, quatenus nostræ corroborationis authoritate, sanctimonialibus jam dicti monasterii, secundum sancti patris Benedicti instituta, sub regula vel abbatissa liceret militare. Quorum petitionibus quia nefas fuit resistere, ratum duximus assensum præbere, præsertim cum ejusdem loci privilegio prodente Theoderici regis tempore, sub abbatissa vel regulæ districtione constet eas arduam vitam duxisse. Ergo prout prædicti fideles nostri petierunt, regia munificentia corroboravimus, corroboratumque imperavimus, quod videlicet dicti loci abbatissa, quæ regimen prædicti monasterii in præsenti tempore moderari dignoscitur, domna videlicet Hawidis, cum omnibus sibi in præsenti adhærentibus, & in futuro succedentibus, tam prælatis quam subjectis, in monacharum ordine cogantur permanere. Sed quia fragilitas humanæ vitæ, & infirmioris sexus præcipue, sine stipendio indigentis naturæ, iter præsentis vitæ nequaquam valet transmeare, ut prædictæ monachæ sine gravi labore Domino possint militare, ac pro nobis atque successoribus nostris alacrius intercedere, tam ea quæ ante observationem regulæ, quam nostris temporibus, ut prætaxavimus, iterum inchoare cœperunt, tam etiam ea quæ postea a nobis vel fidelibus nostris, qui ejusdem abbatiæ beneficium nobis annuentibus possident vel possessuri sunt, addita fuerint, ut sine contradictione vel violentia cujuslibet fidelium nostrorum perpetualiter teneant, præsentis præcepti assertione volumus corroborari: præcipientes insuper ut de iis quæ præsens carta in præsenti tempore eas cum nostra assertione testatur possidere, nullo modo eis licitum sit quidpiam alicujus beneficio aut in precaria tribuere, sed totum, ut indigent, in suos aut suorum possideant usus. Congruum ergo duximus huic cartæ inserere quæ in præsenti tempore videntur possidere; hoc est in comitatu Scarponensi villam Nogaredum dictam, cum ecclesia & manso indominicato, & omnibus ad eam inspicientibus: similiter in eodem comitatu Baïonis villam & Wandelevillam, cum ecclesiis & omnibus appenditiis. In comitatu quoque Calmutensi villam Argenteras dictam, cum manso indominicato & omnibus ad eum pertinentibus: necnon in comitatu judicii Petræ villare & villare, atque Scimari curtem. In pago etiam Wavrinsi villas Frenzeïas & villare, atque *Sennet* cum omni integritate. In comitatu Ardenensi villam Argilinga, medietatem ecclesiæ cum manso indominicato, & omnibus quæ ex rebus jam dicti monasterii ibidem haberi dignoscuntur. In comitatu Metensi villam *Burneu* cum omnibus suis appenditiis. In comitatu Vosagiensi Fragesa villare & Everonis villam, sed & ecclesias totius abbatiæ. Idem de villa Vindera dicta & de capella *Prisgney*, & de Tullao & de Sinteriaco, & *de Lutanges* & de Totalinga, & de Hervini villa & *de Madasstat*, & de sancti Petri monte, & de Bosonis curte, & de Busseriis majoribus & de domni Petri curte. Decimationem etiam indominicatam volumus concedere ad portam monasterii totius abbatiæ conservandam, videlicet tam ad indigentiam pauperum vel peregrinorum, quam etiam ad usus supervenientium hospitum. Et quia jam dictæ sanctimoniales a tempore Theoderici regis privilegii authoritatem propriæ electionis habent, potestatem eis concedimus eligendi advocatum prout indiguerint, nec non & abbatissam secundum Dei timorem & sanctæ regulæ institutionem. Et ut hoc præsens nostræ authoritatis præceptum firmiorem in omnibus obtineat vigorem, manu propria subtus firmavimus, & annuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum domini Ottonis invictissimi regis.

Rudolphus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovit.

Datum tertio nonas Junii, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo, indictione tertia, anno domini Ottonis invictissimi regis vigesimo quinto. Actum Coloniæ.

XXIII.

Theodericus Metensis episcopus villam Vigiacum & alia quædam restituit monasterio S. Arnulphi. Ex S. Arnulphi archivo.

THEODERICUS sanctæ Metensis ecclesiæ Christi favente clementia præsul. Notum habeat omnium ecclesiæ universalis fidelium industria, quia cum ex divina dignatione huic sanctæ sedi noviter promoti essemus, abbas seu fratres sancti Arnulfi nostræ intimaverunt solertiæ, quod post obitum domni Adelberonis pii decessoris nostri, dum divæ memoriæ domnus Bruno archiepiscopus, in quo regni tunc procuratio incumbebat, sedem vacuam tempore aliquanto disponeret, villam quandam nomine Vigiacum, quæ juris quidem monasterii fuerat, sed longo jam retro tempore in beneficio secularium cesserat, ex larga ipsius munificentia percepissent; accedente ad hoc eorum supplicatione unanimi, & nostræ quoque clementiæ autoritate, id plenius roboratum mererentur solidius deinceps obtinere. Quorum justissimam perpendentes petitionem, quia de prædicta villa, testamento in eodem loco hactenus recondito, Drogus quondam dux Pipinum majorem domus genitorem repræsentans, ecclesiam ipsam heredem fecerat, ubi etiam vita functus tumulum promeruit: considerantes quoque omnia quæ sunt justa & quæ pia nos consentire oportere, tam pro intuitu divini nominis, quam pro mercede æternæ retributionis, & nostrorum parentum promerenda in æternis mansionibus salute, reddimus & concedimus tam nostræ potestatis auctoritate, quam consultu & consensu nostrorum fidelium,

Circa 965.

A prædictam villam fratribus sub sancto patrono nostro Arnulpho degentibus, ut statuto die solatium refectionis ipsis inde exhibeatur, pro obtentu requiei æternæ supra memorati piæ memoriæ domni Brunonis sobrini nostri, & fratruelis nostri Eberhardi, quos viventes specialius diliximus, & vita functos attentius Deo commendare curamus. Pari & ratione villam Reumagam quam in initio nostræ promotionis a Johanne quondam venerando abbate terris ecclesiæ nostræ attenuatis in beneficium promerueramus, eidem loco redonamus in perpetuo possidendam; nostros sub obtestatione Patris & Filii & Spiritus Sancti, & omnium Sanctorum ammonentes posteros, ut sicut a se concessa rata & perpetua permanere voluerint, ita nostra quoque Dei amore concessa inviolata conservent, scientes & vera fide retinentes, quia si B huic scripto corroboratæ largitionis nostræ pia devotione & ipsi assenserint, nobiscum in æterna retributione participes erunt.

XXIV.

Carta Othonis regis in gratiam S. Symphoriani.

992. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia rex. Si ecclesias Dei de nostra regia munificentia exaltaverimus, id procul dubio ad æternæ beatitudinis præmia capienda, ac præsentis vitæ & regni nostri statum nobis profuturum credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet ac futurorum noverit industria quomodo Adalbero Metensis ecclesiæ venerabilis C episcopus ad nos venit, dicens quod abbatiam quandam foras muros Metis civitatis sitam, jam longo tempore destructam, pro Dei amore & sancti Symphoriani martyris noviter cœpit reædificare, humiliter deprecans nostram excellentiam ut eamdem abbatiam cum suis pertinentiis nostræ authoritatis præceptione confirmemus. Nos vero ob interventum dilectæ aviæ nostræ Adalheidis videlicet imperatricis augustæ piæ, petitioni illius benignum assensum præbentes, eidem abbatiæ sancti Symphoriani omnia loca a regibus vel imperatoribus, vel ab aliis religiosis personis antea unquam tradita, vel quæ jam ipse dilectus Adalbero episcopus illuc moderno tempore adauxit & adhuc addere desiderat, aliorumque Dei fidelium bona voluntas adjungere studuerit, regia denuo nostra D munificentia donamus atque confirmamus, ea videlicet ratione, ut abbas primus nomine Singenius Hyberniensis natione, quem ipse prælibatus episcopus tunc temporis ibi constituit, suique successores Hybernienses monachos habeant quamdiu sic esse poterit, & si defuerint ibi monachi de Hybernia, de quibuscumque nationibus semper ibi monachi habeantur, & nostri nominis animæque nostræ, parentumque nostrorum, & præsentis episcopi successorumque illius memoria ibi nunquam deficiat. Et ut hæc confirmatio nostræ authoritatis per futura succedentium temporum curricula inconvulsa permaneat, hoc nostræ dominationis præceptum inde descriptum sigilli nostri impressione signari jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroborari. Signum domini Ottonis E gloriosissimi regis. Hildebaldus episcopus & cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovi. Datum octavo kalendas Februarii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCII, indictione V, anno autem tertii Ottonis regnantis nono. Actum Francofuort feliciter. Amen.

XXV.

Adalbero II quatuor mansos in villa Villare dicta attribuit monasterio S. Arnulphi.

ADELBERO gratia Dei sanctæ Metensis ecclesiæ pontifex quibusvis. Dum cura pastoralis nos undecunque sollicitaret commissi officii utilitati pro viribus incumbere, ac talenti crediti lucra dominico conspectui præsentanda gradus impositus dum vacat nummulariis divinis erogare suaderet, idque præcipue conarer ut subditos quos bonos inveneram, suggestione debita adjutorium rebus necessariis divine humaneque exhibendo meliores efficerem; contigit me pari gratia ad locum corpore sancti Arnulfi venerabilem devenisse, monachorumque statum vitamque diligenti sollicitudine discutiens, reperi eos quidem secundum beati patris Benedicti instituta bene vivere ac sanctorum patrum decreta servare. Sagacius vero adhuc idem investigans, in aliquibus maiorum consuetudinibus eos deviare comperi, quod corrigere & ad proprium iter deviantes reducere omnino elaboravi. Querebantur autem loci fratres illud negligentiarum quod oculos meos & ut puto divinos offendebat, ex rerum penuria accidisse, & ego sic se rem habere perpendi. Mecum igitur pertractans ac post rem fidelibus nostris communicans, sanxi paupertati eorum succurrendum, ut (quia ad hoc conventus monachorum cæterorumque ordinum coadunantur) pro statu regni, pro sanctæ ecclesiæ stabilitate Domino libere & absque molestia deserviant, & ut pro nostris excessibus speciali devotione precibus infatigabilibus insistere possint, attribui illis in pago Scarponensi in villa Villare dicta, quatuor mansos cum appenditiis, ecclesiamque inibi sitam, in honore S. Martini dicatam. Et ut hoc firmius credatur scripturæ, consilio fidelium nostrorum committere studuimus. Et ut hujusmodi præscriptionem ratam & inconvulsam tam præsentes fideles quam affuturi successores nobis nostro velle condiscant manere, sicut ipsi sua quælibet digna facta a cunctis sibi succedentibus voluerint ac præjudicaverint fore incontaminata, nostra manu confirmatam nunquam discindi annuant æque submonemus atque precamur.

XXVI.

Bulla Leonis papæ IX in qua declarat se dedicasse ecclesiam sancti Arnulphi, & multa privilegia contulisse abbati & fratribus ejusdem monasterii. Ex archivo S. Arnulphi.

LEO episcopus servus servorum Dei, ecclesiæ in honorem beati Joannis Evangelistæ sanctique 1049. Arnulfi confessoris Christi a nobis specialiter dedicatæ, & per eam venerabili Warino abbati suisque successoribus monachis etiam inibi Deo famulantibus salutem & apostolicam benedictionem. Quamvis omnium ecclesiarum Dei curam semper gerere debeamus, illis tamen quibus divina eo cooperante clementia, sanctæ benedictionis manum imponimus, propensiori cura & vigilantiori studio prospicere debemus in omnibus. Quapropter fidelium Christi tam præsentium quam futurorum solertiam ignorare nolumus, qualiter nos a venerabili confratre nostro Adelberone Metensi episcopo ad ipsam civitatem solemniter invitati, inter alia quæ ibi divina favente gratia ad correctionem perduximus, monasterium sancti Arnulfi confessoris Christi pretiosissimi, rogatu præfati abbatis Warini, in memoriam beati Joannis apostoli ac prænominati sancti Arnulfi confessoris Christi, quinto idus Octobris Christo consecravimus. Huic igitur dignitati aliam dignitatem cupientes adjicere, privilegium auctoritatis nostræ præfatæ non negamus ecclesiæ: volumus itaque & sacra primæ sedis auctoritate sancimus ut eadem ecclesia & ipsa sacro-sancta Domini mensa in honore ipsius a nobis dedicata tale privilegium inviolabiliter obtineat, ut præter episcopos & abbates, ac septem ejusdem cœnobii sacerdotes, & tres canonicos de domo sancti Stephani, primicerium, decanum & chorepiscopum primum, ad ipsum principale altare nullus unquam missas celebrare præsumat, nisi & alia religiosa persona quæ postulatione & consensu abbatis aut fratrum ad illud

A reverenter accedat. Præcipimus etiam ut nullus archiepiscopus vel episcopus super idem altare quandiu inviolatum est, manum suam temere superponat, vel pro quacunque occasione sacro-sanctum redemptionis nostræ mysterium ibi intercludere vel prohibere præsumat; sed si homicidium vel tale quid ibi, quod absit, peccatis contigerit exigentibus, a Romanæ sedis præsule, vel quibus ipse injunxerit discutiendum ac determinandum esse censemus. Sed & annale ibi mercatum quotannis in anniversaria dedicationis ipsius festivitate, per assensum dilectissimi filii nostri domni Henrici tertii regis, secundi vero imperatoris, in eodem loco haberi decrevimus; & ut eadem dedicatio ibi semper festive celebretur ab omnibus non minori auctoritate jubemus. Constituimus etiam & paterna B dilectione, Warine abbas tibi tuisque successoribus in perpetuum concedimus ut in sacra ejusdem dedicationis die aliisque præcipuis festivitatibus, in missarum celebratione sandaliis & dalmatica utamini, fraternitatem vestram commonentes ut cum augmento hujusmodi honoris, augeatur in vobis amor Altissimi. Ad cumulum quoque vel augmentum monasticæ religionis adjicimus ut ecclesiæ, villæ, & possessiones quas serenissimi Romanæ ecclesiæ filii reges & imperatores Karolus scilicet magnus, Ludovicus pius, Arnulfus, Hendeboldus, Otto, Conrardus eidem loco pia devotione contulerunt, aut ab aliis Christi fidelibus tradita privilegii sui auctoritate firmaverunt, usibus abbatis ac fratrum inibi Domino famulantium perpetualiter deserviant, & ad præbendam illorum C absque omni contradictione integra semper & inconvulsa permaneant. Hoc est Mareolas, Arx, Jussiacum cum ecclesia & decimatione; Floriacum etiam & Flaviniacum, Nugaredum & Vigiacum; triginta etiam mansi cum ecclesia & decimatione in villa sive curia quæ vocatur Rumeliacum; præterea vero Maurivilla & vicus Dei-villare, & Tiliacum, Caminetum vero & Buxeriam quod Hildigardis regina cum ecclesia & decimatione, silvis & vineis, aquis aquarumque decursibus, molendinis etiam jam factis, vel in quocunque loco juxta Saliam fluvium, infra bannum ejusdem curiæ sibi placuerit per villicos fratrum semper transponendis & faciendis, ad præfatum sæpius contulit locum. Pomeriolum etiam cum D quo & per quod ecclesiastico more ipsum sæpe dictum dotavimus monasterium. Sed & Laium castrum quod quædam Eva comitissa, cum silva quæ vocatur *Heis*, & cum omni utilitate vel suffusa ejusdem silvæ, cum ponte etiam & piscatione circa *Murt* fluvium, ad præbendam delegaverat fratrum. Bivera etiam Assidelinde comitissa eidem loco traditum, sed Conrardi gloriosissimi imperatoris auctoritate firmatum: sed & * Navis quidem vicum juxta Mosellam fluvium a Dagoberto rege traditum & corroboratum, vel quicquid in inferioribus partibus in Coloniensi episcopatu ad prædictum pertinet cœnobium: hæc autem omnia præbendæ ecclesiæ fratrum hac nostra apostolica præceptione delegamus & confirmamus in perpetuum. Præterea vero ecclesiam imo abbatiolam sancti E Felicis ipsi loco adjacentem, ubi primus ejusdem Mettensis ecclesiæ pastor beatus Clemens corpore quiescit, quam præfatus venerabilis episcopus Adelbero a prædecessore suo quodam æque Adelberone vocato, pro prædicta curia Rumeliacum nuncupata, sancto Arnulfo in concambium datam esse narravit, & cartis testando monstravit. Hanc quippe abbatiam cum domibus, agris, silvis ac vineis, & cum omnibus appendiciis suis, ex auctoritate beati Petri & nostra ejus indigni vicarii, rogatu prædicti Adelberonis episcopi ac Warini abbatis cœnobio S. Arnulfi ea ratione firmamus, quatinus præfatus abbas aut fratres eorumque successores sub ipsorum cura perpetualiter eam teneant atque possideant, nullusque ibi ulterius

* Vide cartam Ludovici Germaniæ regis, ubi locus fere similis ita forte legendus & intelligendus.

pastoralem virgam quoquomodo suscipere sive portare præsumat: sed abbas sancti Arnulfi per suos aliosque religiosos fratres quicquid ibi ordinandum sit, semper ordinet atque disponat: illud videlicet semper studens, illud attendens ut sicut ipse suique fratres in suis usibus aliquantum inde relevari desiderant, ita eumdem locum assiduo sui famulatu semper venerari & frequentare non desistant. Hanc igitur abbatiam cum omnibus ad eam juste & legaliter pertinentibus, insuper etiam villas, ecclesias ac possessiones quas antea prænominavimus, sæpe dicto sancti Arnulfi cœnobio ac fratribus ibi Deo famulantibus taliter delegamus ac confirmamus, ut nullus imperator aut rex, nullus archiepiscopus vel episcopus, nullus dux, nullus comes vel vicecomes, sed nec aliqua persona magna vel parva, in eisdem rebus aliquam eis injustitiam sive violentiam inferre audeat, vel aliquem advocatum, nisi abbas aut fratres pro qualitate temporum vel diversitate locorum alicubi petierint, eis ponere præsumat: sed sicut reges & imperatores, episcopi etiam aliique fideles eadem bona illuc pia devotione contulerunt, ita diversis eorum usibus salva semper & inconvulsa permaneant. Quisquis autem sibi ad præsens timens & in futurum præcavens hanc sacram nostræ confirmationis paginam servare conatur, per gratiam Omnipotentis Dei nostra semper apostolica benedictione muniatur; qui vero in aliquo eam violare vel temerare præsumpserit, divini anathematis vinculo percussus, beatum Petrum Apostolorum principem cum omnibus Sanctis contrarium sibi sentiat, & tamen id quod fecerit irritum sit & ratum non permaneat: sed abbas ipsius loci ac fratres a serenissimis Romanæ ecclesiæ filiis regibus scilicet ac imperatoribus inde judicium & justitiam quærant. Si autem in hoc minus profecerint, id honoris & hoc singulare a nobis privilegium semper obtineant, ut sicut in eodem monasterio pro nostræ consecrationis lætantur beneficio, sic a Romana sede contra omnes adversitates apostolicæ defensionis perpetuo semper muniantur auxilio. Data quinto idus Octobris per manus Udonis sanctæ Apostolicæ sedis cancellarii & bibliothecarii, & Tullensis primicerii, anno domini Leonis noni papæ primo, indictione secunda, anno vero Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo nono. Eberhardus Treverorum archiepiscopus subscripsit. S. Hugo Chrysopolitanorum archipræsul. S. Adelbero Metensium episcopus. S. Udo Leucorum episcopus. S. Alinardus Lugdunensium episcopus. S. Humbertus cardinalis & episcopus Sylvæ candidæ. S. Theodericus Virdunensis episcopus. S. Johannes, &c.

XXVII.

Diploma Henrici III imperatoris quo possessiones ecclesiæ cathedralis S. Stephani Metensis ad preces Adelberonis episcopi confirmat & sub imperiali protectione ponit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum imperator 1052.
augustus. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & necessitates ecclesiasticas juxta petitiones sacerdotum nostro relevamus juvamine atque imperiali tuemur munimine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Noverit interea sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrûm tam præsentium quam & futurorum, qualiter vir venerabilis tertius Adelbero sanctæ Metensis ecclesiæ episcopus obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis antecessorum nostrorum regum, Caroli imperatoris, seu Ludovici filii ejus, ac Ottonum imperatorum, in qua erat insertum quod non solum iidem antecessores

nostri, verum etiam prædecessores eorum reges videlicet Francorum, ecclesiam sancti Stephani protomartyris, cujus nomine & honore ipsa dicata est ecclesia, cui etiam, auctore Deo, ipse Adelbero episcopus præest, sub suo nomine & defensione, cum monasteriis & cellulis, vicis & castellis sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus consistere fecerant, & earum immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset ecclesia. Sed pro rei firmitate postulavit excellentiam culminis nostri ut prædecessorum nostrorum regum ceu imperatorum pietatem sequentes, hujuscemodi nostræ immunitatis præceptum ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti loci circa ipsam ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitionem benigne suscipientes ob amorem Dei & reverentiam sancti protomartyris Christi Stephani, libenter assensum usquequaque libuit præbere. Quapropter volumus atque decernimus ut omnes res ejusdem ecclesiæ cum hominibus juste sibi subjectis sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus, aut quilibet ordinis reipublicæ procurator ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, castella, vicos, parochias, villas vel agros tam ultra quam extra Rhenum & Rhodanum, ceu reliquas possessiones quas vel nunc in quibuslibet provinciis aut territoriis imperii nostri juste & legaliter tenet, vel deinceps in jure ipsius ecclesiæ Dei pietas voluerit augeri, ingredi præsumat. Neque freda aut mansionem, vel paratas exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes distringere, nec ullas publicas sanctiones aut retributiones vel inlicitas occasiones requirere, quibus prædicta ecclesia sibique subjecti aliquod injuste patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat qui id faciendi inlicitam potestatem sibi attribuere audeat: sed liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ cum omnibus sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere & nostro fideliter parere imperio, atque pro nostra incolumitate ceu etiam totius imperii a Deo nobis collati & ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, una cum abbatibus & reliquis ordinibus, populoque sibi subjecto, Dei immensam clementiam jugiter exorare. Et quidquid de præfatæ rebus ecclesiæ jus nostri exigere poterat in integrum eidem concessimus ecclesiæ, scilicet ut perpetuo tempore ejus ad peragendum Dei servitium, augmentum & supplementum fiat, specialiter tam de fredis, conjectis atque teloneis navalibus, cæterisque omnibus teloneis, & de cunctis ad eamdem ecclesiam jure & legaliter pertinentibus, sicut antecessores nostri constituerant, ita & nos nostra imperiali auctoritate modis omnibus confirmamus. Et ut hæc nostra imperialis confirmatio stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc chartam inde conscriptam manuque propria, ut subtus videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Datum quarto idus Maii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta. Anno autem domini Heinrici tertii regis, imperatoris secundi, ordinationis ejus vigesimo quarto, regni vero decimo tertio, imperii autem sexto, in nomine Domini. Actum Argentinæ feliciter. Amen.

Signum domini Heinrici tertii regis invictissimi secundi Romanorum imperatoris augusti. Winitherius cancellarius vice Luitbaldi archicancellarii & archiepiscopi recognovit.

XXVIII.

Aliud diploma ejusdem Henrici imperatoris in gratiam canonicorum S. Stephani & S. Pauli Metensis ecclesiæ.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. 1056.
Notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ, nostrisque fidelibus tam futuris quam præsentibus, quia Adelbero venerabilis Metensium præsul nostram clementiam adiit postulans ut filiis suis canonicis sancti Stephani & sancti Pauli, privilegium quod illis antecessores sui de rebus sancti Pauli & de libertate eorum statuerunt, & ipse renovaverat, nos imperiali auctoritate confirmaremus. Cujus justæ petitioni condescendentes ob interventum dilectæ conjugis nostræ imperatricis Agnetis, nec non filii nostri Henrici quarti regis, prædictis canonicis concedimus & confirmamus, videlicet ut electionem primicerii faciant, sive decani, cantoris, libraris atque custodis ecclesiæ sancti Stephani: ut circas & vigilias non faciant propter perpetuas ecclesiæ observantias, nisi in obsidione civitatis: ut ab exigendis & ab accommodandis ad itinera episcoporum cavallis omnino liberi sint: ut in propriis mansionibus eorum nulla transeuntium aut supervenientium, nec in ipso adventu regio, absque ipsorum voluntate habeantur hospitia, nec ulla potestas pro aliquo facto in eas violenter intrare præsumat: ut in quocumque banno canonici vineas habent, sine licentia vindemient, quia omnes pariter a monasterio & nisi per licentiam egredi non debent: ideoque bannos, ut alii, observare non possunt: ut neque famuli fratrum infra claustrum servientes, neque præbendarii singulorum pro ullo facto bannum ad civitatem emendent; sed si forte aliquod tale commiserunt, ipsimet domno episcopo de suis hominibus justitiam faciant: ut defunctis fratribus episcopi res suas diripere non debeant, etiamsi aliquod ministerium episcopi habuerint, sed omnia sua illis libere disponere liceat. Porro si divino judicio aliquis fratrum subita, ut sæpe fit, morte præventus de suis ordinare non poterit, totum mobile ejus communi fratrum consilio ad salutem animæ ejus disponatur. Percussuram propriæ monetæ apud Sarburc habeant libere, sic tamen ut pondere & puritate argenti a Metensi non discrepet. In omnibus autem mansis sancti Pauli nemo lectos accipiat nisi ministerialis fratrum. Postremo quidquid hactenus possederunt, vel deinceps, Deo donante, acquisierint, sive ad dominicatum suum teneant, sive alicui fratrum in beneficium detur; nemo inde canonicum vel advocatum ejus ad placitum stringat; sed omni inquietudine remota, omnia sua possideant, quatenus liberius in ipso sacro loco deinceps Deo militent, & pro nobis & pro successoribus nostris, sive regibus sive imperatoribus devotissime solum Dominum Jesum exorare valeant. Et ut hujus dictæ nostræ imperialis confirmationis auctoritas stabilis & inviolata omni succedentis temporis ævo permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria subter corroborantes bulla nostra, ut infra videbitur, insigniri jussimus. Datum quarto kalendas Martii, anno Incarnationis millesimo quinquagesimo sexto, indictione octava; anno autem domini Heinrici tertii regis, imperatoris autem secundi, ordinationis ejus vigesimo septimo, regni quidem decimo septimo, imperii vero decimo. Actum Confluentiæ in Dei nomine feliciter. Amen.

XXIX.

Carta Adalberonis III Metensis episcopi qua societatem instituit inter canonicos S. Stephani & S. Salvatoris.

1056. ADALBERO Dei favente gratia Metensis ecclesiæ episcopus, omnibus tam in ecclesia S. Stephani quam in ecclesia S. Salvatoris canonicis in perpetuum. Licet ecclesiæ Dei quas ipse sui sanguinis effusione redemit atque consecravit, per universum mundum videantur esse divisæ & dispersæ, tamen una in sanctitate, una in religione, una in vinculo caritatis & dilectionis debent esse. Quia ipse vocat eam in canticis
Cantic. 6. canticorum sponsam suam dicens: *una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ.* Et quoniam a Domino nostro Salvatore Jesu-Christo hujus sacro-sanctæ ecclesiæ minister sum constitutus, oportet me talentum ab ipso commissum non in sudario ligare, sed ad lucrum dare, ut cum in novissimo magni judicii die a me petierit, cum lucro valeam sibi repræsentare ejusque beatam vocem audire:
Matt. 25. *Euge serve bone & fidelis quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Ego igitur quia de promissione Domini nullatenus diffido, sed in misericordia ejus plurimum confido, in honore ipsius Salvatoris monasterium ædificavi, & canonicos qui Deo inibi sub regula canonica perpetuis temporibus militarent articulavi: devotione etiam summa instituens & sub observatione obedientiæ vobis vestrisque successoribus præcipiens ut vester conventus tam sancti Stephani quam sancti Salvatoris sit unius ejusdemque regulæ & libertatis. Si quando vero necessitas exegerit, vos canonici de sancto Salvatore ad altare beati Stephani divina officia celebretis, & vos fratres sancti Stephani ad altare sancti Salvatoris hoc idem faciatis. Similiter diaconi & subdiaconi in suo officio faciant. De cætero in ecclesiarum stationibus vos canonici de sancto Stephano duos de fratribus sancti Salvatoris habeatis, & ad stationes congregationum si voluerint, sint omnes ad missam, & vobiscum caritative reficiantur. Capitulum vestrum, si opus fuerit, sit commune præcipue in Prima & Completorio. Signo pulsante in ecclesia sancti Salvatoris pro defuncto fratre, curator vel hebdomadarius vester cum quibusdam fratribus veniant ad sanctum Salvatorem & commendent animam fratris, & campanæ utriusque vestræ ecclesiæ pro defuncto simul pulsentur, & per totam diem, donec exequiæ celebrentur unanimes sitis in ejus sepultura. Hoc idem faciatis fratres sancti Salvatoris versa vice fratribus sancti Stephani: in serviciis eorum semper fratres sancti Salvatoris sint vobiscum, & a redemptione servitiorum nullatenus separentur. Hanc si quidem institutionem, Spiritus Sancti cooperante gratia, ordinatam & formatam nostra auctoritate vobis vestrisque successoribus amodo & usque in sempiternum præcipimus tenendam. Et ne aliquis hanc violare præsumat, modis omnibus prohibemus, & sub anathematis vinculo jubemus.

XXX.

* Augny. *Adalbero dat ecclesiam in villa* Equiniaco Richero abbati S. Symphoriani, ut eam olim dirutam ræedificet, & ibidem Dei servitium innovet.*

1056. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis sempiternæque Deitatis. Ego Adelbero sanctæ Metensis ecclesiæ Dei gratia humilis episcopus, omnibus successoribus meis episcopis aliisque ecclesiarum Dei rectoribus, sed & omnibus fidelibus Christianis tam præsentibus quam posteris salutem. Notum esse volumus quia vir laudabilis vitæ domnus Richerus

A quem ecclesiæ beati martyris Symphoriani, Deo disponente, abbatem constituimus, cum in ecclesiis divinisque serviciis innovandis ampliandisque nostrum sciret propositum, a nostra humilitate expetiit, ut ecclesiam beati Johannis in villa cui vocabulum Equiniacum, olim quidem dirutam & Dei servitio destitutam, ita ecclesiæ B. Symphoriani contraderem, ut sibi eam reædificare & Dei servitium ibidem innovare, monachosque inibi ad serviendum Deo liceret congregare. Nos autem super hujusmodi petitione, fidelium nostrorum tam clericorum quam & laïcorum liberalium nostrorum consilio habito, religioso abbati satisfacere ejusque petitioni assensum præbere decrevimus, sperantes nos apud æquissimum judicem præmium habituros, si & ecclesiæ beati
B Symphoriani utile aliquid conferre, & divinum officium in quibus non erat locis possemus innovare. Præfato ergo abbati nec non & beato sæpe dicto martyri concessimus ecclesiam in villa Equiniaco, ut & ibidem monachi habitent qui pro nostris excessibus Deum exorent, ipsamque ecclesiam cum tota sua integritate deinceps possideant, & presbyterum pro eis vicarium, personam scilicet idoneam ad parrochiæ ejusdem regimen provideant. Ut ergo hoc nostræ humilitatis statutum integrum inconvulsumque maneat, Metis illud in plena synodo recitari, nostra auctoritate firmari, & sigillo nostri nominis fecimus insigniri. Actum Metis publice, anno incarnati Verbi millesimo quinquagesimo sexto, indictione decima, regnante Henrico rege, anno
C regni ejus secundo, favente Folmaro comite omnique palatii nostri senatu, signantibus subscriptis testibus. Signum Richeri abbatis qui ut fieret expetiit. Signum Alberti primicerii. Sig. Folmari archidiaconi. Signum Johannis thesaurarii. Signum Gervoldi archicapellani. Signum Folmari comitis. Signum Roffridi. Signum Moffridi. Signum Odilonis. Sig. Sigiberti. Signum Theoderici. Sig. Wazelini judicis. Sig. Amalberti scabionis. Signum Hugonis. Ego Blidulphus decanus & cancellarius recognovi.

XXXI.

Confirmatio quorumdam jurium facta monasterio S. Trudonis ab Adalberone episcopo.

D IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, qualiter 1069.
dominus Theodericus Mediomatricæ sedis episcopus, in cœnobio sancti Trudonis per aliquot dies vel tempus moratus, & ibi in ægritudinem incidens, ad extremum perveniens, cum consilio amicorum suorum donavit eidem ecclesiæ & fratribus inibi Deo servientibus *scrutum* ejusdem oppidi, hoc est potestatem ponere & deponere illum qui materiam faceret unde levarentur cerevisiæ, & de singulis cerevisiis quæ brasicarentur in oppido nostro, sex picarios ad opus fratrum suscipere, quod ad servitium suum & antecessorum suorum pertinebat. Hoc autem ad remedium animæ suæ & aliorum antecessorum suorum fecit, quatenus memoria eorum non sicut ante, sed perfectius &
E stabilius permaneret. Hoc ego Adelbero successor ejus, & cognatione & ordine quamvis immeritus, in loco supradicto constitutus, advertens, simulque causam & necessitatem pro qua prædicti fratres hoc ab eodem domino meo episcopo expostulabant, considerans, scilicet ut eorum potus qui hactenus vilior habebatur, postea quodam modo melioraretur, decrevi manuscripti auctoritate notare meoque sigillo signare domino abbati Adelardo secundo loci illius, cæterisque fratribus hoc idem postulantibus, quatenus hoc nullus successorum meorum infringere audeat, quod ipse ad remedium animæ suæ prædicto Sancto sibique famulantibus contulit. Ego quoque causa animæ meæ hoc firmavi. Quicumque ergo &c... ille detrimento faciat

faciat animæ suæ. Actum est hoc in cœnobio prædicti sancti Trudonis, anno ab Incarnatione Domini M. LX . . . .* indictione XIII, regnante rege Henrico III, anno regni ejus IIII, anno episcopatus ejusdem domini Adelberonis XIII, coram idoneis testibus quorum nomina subter notata sunt. Nomina Nobilium. Sign. advocati ducis Frederici. Sign. subadvocati comitis Othonis. Signum Folmari comitis. Sig. Herimanni comitis. Sig. Richuini. S. Bardonis. S. Herimanni. S. Walberti. S. Ausfridi. S. Theoderici. S. Crachii. S. Vasonis. S. Othonis. S. Gunzelini. Nomina Plebeiorum de familia. Signum Raimundi. S. Lamberti. S. Wichmanni. S. Everardi. S. Ascolphi. S. Lizeconis. S. Stephani. S. Lideconis. S. Ruthardi. Ego Raimundus ad vicem domini Asonis cancellarii scripsi & subscripsi.

* Lege M. LXIX.

XXXII.

Carta Herimanni episcopi in gratiam S. Arnulfi.

Circa 1075. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Herimannus gratia Dei S. Metensis præsul ecclesiæ, cunctis tam præsentibus quam futuris fidelibus, misericordias Domini in æternum cantare. Quia beatitudo Sanctorum constat & de munere gratiæ & de retributione justitiæ, innitendum est unicuique fidelium omnimoda sollicitudine qualiter in spe atque actione utriusque pertingere possit ad gaudia perennis vitæ. Et quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, idcirco modis omnibus est bene agendum secundum quod scriptum est, *quodcunque potest manus tua facere, instanter operare.* Nos ergo hæc atque his similia in sanctorum Patrum sententiis prudenter salubriterque dicta approbantes, totiusque veritatis firmitate subnixa ratione apertissima perpendentes, postquam autore Deo promoti sumus in hujus sanctæ Metensis sedis pontificio, cum nostræ mentis interiori discussione, tum religiosorum pia collocutione, cæpimus sollicitius reminisci salutis nostræ animæ. Cumque ad hoc bene profutura occurrisset Domini sententia qua dicitur: *date eleemosynam & omnia munda sunt vobis*, supervenit nobis cunctis carissimus & omnibus carissimis præferendus venerabilis vir nomine Walo abbas cœnobii sancti Arnulfi quondam memorandi atque semper venerandi mediomatricorum urbis episcopi, cui ut aliquid de humana nobilitate loquamur, Karolus magnus imperator ac patricius Romanorum in generationis linea quadri nepos extitit. Ut vero fit, cum inter nos atque prædictum abbatem de multis sermo esset ortus, conquestus est quod ab improbis hominibus multa pateretur dispendia prædictus locus, addens annale mercatum quorumdam factione, qui suum lucrum deputant, si aliis dispendium inferant, impræsentiarum male sublatum temporibus nostri prædecessoris sanctæ memoriæ Adelberonis jam quadriennio habitum in dedicatione ipsius ecclesiæ. Unde nos cupientes protendere opus misericordiæ in salutem nostræ animæ atque in commodum ecclesiæ, precibus ipsius abbatis nec non religiosissimæ atque virginis Deo consecratæ inibi reclusæ domnæ nomine Hodiernæ omniumque fratrum pia supplicatione, atque unanimi consensu nostrorum fidelium, restituimus & reddidimus ipsum forum in solemnitate ipsius dedicationis perpetualiter habendum. Ut igitur nos pii operis exsecutores mereamur cœlestis regni fieri participes, quidquid nostri juris in ipso foro habere comperimus, nil nobis relinquentes, totum servientibus Deo inibi fratribus contulimus, deputatis decem solidis inter primicerium, thesaurarium atque canonicos sancti Stephani, & advocatum civitatis; quorum quidem quinque dantur pro restitutione nummorum qui sibi conferuntur de privatis mercatis octo dierum. Alii nihilominus dantur quinque, ut non exacuant in se

A dentem invidiæ in bonis proventibus fratrum, sed gaudeant cum gaudentibus, ut fiat quod scriptum est: *quod vultis ut faciant vobis homines & vos eadem facite illis.* Præterea jam dictus advocatus seorsum item accipit decem solidos, & tres decani atque scabinio ternos solidos singuli in mercedem sui officii, quatinus neque inferri a quolibet, neque sinant injustitiam vel injuriam pati quemlibet. Extra hos denique triginta & duos solidos, nulli sit omnino vel exigendi vel retinendi iniqua præsumptio. Si qua vero injustitia, ut in talibus assolet, vel injuria contigerit, summam pretii quam lex pro vindicta culpæ exegerit, nullo renitente abbas accipere debebit. Obsecramus tandem cunctos post nos venturos pontifices per omnes Domini miserationes & per auctoB ritatem duodecim Apostolorum, præsertim sancti Johannis dilectissimi Domini, cujus in præfato monasterio Deus habetur & veneratur, ut confirmatum est inibi autoritate beati noni Leonis papæ, & per amorem omnium Sanctorum, nec non & obtestamur per nostram quam a Deo accepimus potestatem, ut neque a se, neque a quolibet irritum fieri permittant istud opus misericordiæ, quod scripto præsenti & auctoritate nostræ manus nominibusque nostrorum fidelium confirmamus. Ego Herimannus Metensis ecclesiæ præsul signavi. Signum primicerii Adelberonis. S. Richerii archidiaconi. S. Gervoldi archidiaconi. S. Udelrici archidiaconi. S. Johannis ærarii. S. Folmari comitis. S. Cuonradi comitis. S. Herimanni comitis. S. Udonis comitis. S. Rothfridi de Prisneio. S. Cuononis de Tincher. S. BurC chardi advocati. S. Johannis primi scabinionis. Sig. Alerici. S. abbatis Walonis.

XXXIII.

Stephanus Metensis episcopus dat S. Arnulpho quemdam locum nomine Falt *ad petitionem Bertranni abbatis.*

IN nomine Domini Jesu-Christi, Stephanus sanctæ Metensis ecclesiæ Dei gratia episcopus omnibus successoribus suis munus perpetuæ salutis. Sicut sola virtus charitatis fuit ut Deus sublimis homo fieret humilis, sic eadem virtute associamur dignitati Angelicæ. Cum ergo cunctos hujus virtutis facies D spectet, tamen hos maxime qui sacerdotali præeminent dignitate. Ipsa vero virtus charitatis per compassionem proximi acquiritur ac nutritur, videlicet ut quibus abundamus, impertiri studeamus minus habentibus. Noverit igitur præsentium futurorumque solertia fidelium, quod dilectus noster filius Bertramnus abbas cœnobii S. Arnulphi præsentiam nostram adierit, quemdamque locum nomine *Falt*, qui est situs in foreste nostra prope villam nostram Rumeliacum, sibi & fratribus Deo & S. Arnulpho famulantibus concedi a nobis postulaverit. Cujus petitioni devote annuimus, quia & ipsa postulatio subnixa erat ratione, quod jam scilicet a quodam eorum monacho constructa videbatur ibi esse capella in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, & quod E idem abbas ibidem religiosos fratres cupiebat deputare. Concedimus ergo fratribus Deo & beato Arnulpho servientibus in eadem foreste, officinas monachis congruas ædificare, hortos facere, molendinum construere, sua pecora vel animalia illic stabulare. Præter hæc concedimus eis terram de ipsa foreste ad arandum centum jornales ad unamquamque saisonem, & ad pratum faciendum libere & sine respectu alicujus juris vel redditus. Hæc autem concessio imo donatio facta est per me & Conradum Rumeliaci advocatum in manus Folmari comitis. Et idem comes hoc donum suscipiens reddidit solemniter super altare sancti Arnulphi & in manibus abbatis & fratrum loci. Obsecramus itaque ac obtestamur omnes nostros

1126.

successores ut hoc nostræ largitionis munus non mutilent nec infringant, nec ab aliquo infringi permittant, pro certo scientes quod quisquis boni operis intentionem in alterum diligit & roborat, æternæ sibi mercedem remunerationis parat, sicut e contrario pœnam, qui maligno consilio depravatus mentem a bono incœpto retardat. Ut igitur supradicta maneant apud posteros nostros firma, sigillo ex more nostro roboravimus, anathemate confirmavimus, testes idoneos adhibuimus quorum nomina hæc sunt, Folmarus comes nostræ civitatis. Fridericus comes de Sarbruche. Godefridus comes de Casta. Folmarus de Wilrise. Theodericus & Odelricus frater ejus de Asinantia. Johannes dapifer noster. Albertus pincerna. Waltherus mareschalcus. Data per manus Amalrici cancellarii quarto idus Novembris. Sign. domini episcopi Stephani. Ego Adelbero primicerius subscripsi & collaudavi. Richerus decanus subs. Adelbero archidiaconus subscripsi. Gerardus cantor subs. Albertus capellanus subs. Theodericus cantor subs. Actum Metis publice anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo sexto, indictione quarta, regnante Hlothario, primo anno regni ejus, ordinationis nostræ anno quinto feliciter.

XXXIV.

Carta Stephani in gratiam canonicorum sancti Salvatoris.

1130. STEPHANUS Dei favente gratia sanctæ Metensis ecclesiæ episcopus, &c.... Ecclesiæ si quidem S. Salvatoris & fratribus ibidem Deo Salvatori militantibus in posterum providentes, omnes redditus sive quæstus quos habemus apud *Marsal* de sessis seu patellis quæ pertinent ad alodium quod nuncupatur *Higneicourt*, quod dominus Adalbero felicis memoriæ Leodiensis episcopus pro remedio animæ suæ præfatæ ecclesiæ contulit, nos pro æterna retributione ad ...... prædictorum fratrum in hodierna die habendos concedimus & tradimus. Præterea concedimus eis ut quot sesses vel sessiones in prædicto alodio construere voluerint, tot nullo contradicente apud *Marsal* construant, de quibus omnes redditus sive quæstus eis concedimus, &c... Testes autem sunt Adelbero Metensis archidiaconus. Richerus decanus. Hugo magister. Eppo cantor. Warnerius canonicus & capellanus. Rocelinus, Richerus, Richardus canonici. De laïcis, comes Folmarus Metensis advocatus. Comes Rainaldus. Comes Fridericus Otto *de Gueroldisicy*. Reinerus miles. Albertus Metensis advocatus. Bertrannus magister scabinorum. Walterus camerarius. Johannes dapifer. Gerardus pincerna. Actum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo. Anno primo imperii Lotharii feliciter imperantis. Stephano Metensi episcopo anno * duodecimo præsidente. Data per manum Lebaldi vice cancellarii.

* *Lege* undecimo *vel* decimo.

XXXV.

Aliæ concessiones factæ ab eodem episcopo iisdem canonicis.

1137. STEPHANUS Dei favente misericordia sanctæ Metensis ecclesiæ episcopus, &c.... Ecclesiæ sancti Salvatoris & fratrum ibidem Deo servientium petitionibus paterno affectu condescendimus, & ad reparanda ecclesiæ tecta vel ædificia ecclesiam sancti Jacobi, quæ est sita in præfatæ ecclesiæ atrio cum omnibus appendiciis suis, & ecclesiam S. Mariæ quæ est extra muros urbis, similiter libere & integre concedimus & in perpetuum damus. Novimus enim quod venerabilis frater noster episcopus Adalbero felicis memoriæ, qui eamdem ecclesiam cum magna devotione construxit, nullum beneficium ad reparationem illius contulit, quia in ipsa ædificatione feliciter ad Dominum migravit, &c... & quoniam gratia Dei & amore præfati Adalberonis eamdem ecclesiam satis tenere diligimus, utilitati ejus & fratrum quieti in futurum providentes, ecclesiam *de Espainges* cum appendiciis, & quæ possident, vel quæ in antea, Deo opitulante possessuri sunt nostra autoritate confirmamus & sigilli nostri impressione corroboramus, &c... Testes autem sunt Richerus S. Stephani decanus. Galterus magister & archidiaconus. Philippus archidiaconus. Gerardus cantor & præpositus. Hugo magister. Alius Hugo magister. Rocelinus, Azo, Albertus, Walterus S. Stephani canonici. De laïcis, comes Folmarus. Comes Rainaldus, Raimbaldus de Ruengis. Theodericus *de Florcy*. Albertus Metensis judex. Johannes dapifer. Gerardus pincerna. Walterus camerarius. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo septimo, indictione quinta, regnante Lothario gloriosissimo imperatore, Stephano Metensi episcopo anno decimo octavo præsidente. Scripta per manum Lebaldi ad vicem domini Theoderici cancellarii.

XXXVI.

Donatio facta monasterio Gorziensi a Stephano episcopo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Stephanus Dei gratia Metensis episcopus Isembaldo ecclesiæ Circa 1140.
Gorziensis abbati & fratribus inibi Deo servientibus, eorumque successoribus in perpetuum. Fidei & dilectionis constantia quam vos dilecti in Christo fratres & prædecessores vestri nobis nostrisque prædecessoribus exhibere consuevit, speciali quodam nos indesinenter vobis obligavit affectu, & ad petitionum vestrarum exauditionem reddidit promptiores. Inde est quod vestris postulationibus assensum paterne inclinantes, totum ambitum atrii apud *Petresheim*, & cuncta quæ piæ memoriæ dominus Poppo prædecessor noster vobis & fratribus ibi Deo servientibus & in perpetuum servituris, concessit & confirmavit, nos quoque nostra auctoritate vobis concedimus & confirmamus, consilio & assensu Metensis ecclesiæ communicato statuentes, ut non solum a prænominato prædecessore nostro ibi vobis collata libera & quieta possessione teneatis, verum etiam quascumque alias terras in agris aut pascuis, in cultis seu incultis locis ad nos & beatum Stephanum Metensem pertinentibus ibidem fidelium Christi pro sua & suorum salute vobis contulit aut postmodum est collatura devotio, in ea libertate perpetuo possideatis, ut inde nec exactiones, nec jura aut servitia aliqua solvatis, nec placita observetis, sed libera & omnimodo quieta gaudeatis possessione, quatenus liberius divino possitis vacare servitio. Nemo autem nos de mensa nostra quicquam recidere, aut ab ecclesia Metensi aliquid alienare concessione tali arbitretur; præsertim cum ecclesia Gorziensis prima camera sit Metensis episcopi, & principale membrum ecclesiæ Metensis. Ut ergo hæc nostri prædecessoris nostraque donatio rata postmodum & inconvulsa permaneat, non solum nostri impressione sigilli, verum etiam testium subscriptione corroborare eam curavimus; statuentes, ut quisquis eam infringere præsumpserit, anathematis vinculo, donec condigne resipuerit, permaneat innodatus.

XXXVII.

Alia jura eidem monasterio restituta auctoritate ejusdem præsulis.

STEPHANUS Dei gratia Metensis episcopus, Circa 1140.
dilecto filio Isembaldo abbati & aliis S. Gorziensis ecclesiæ fratribus, & ejus eorumque successoribus

in perpetuum. Sicut in exordio crescentis ecclesiæ fideles animæ terrena patrimonia ad cœlestes thesauros transferentes, ecclesiarum possessiones de suis facultatibus ampliabant, ita e contrario, maxime istis temporibus, flagitiosi homines, quæ sua sunt quærentes non quæ Jesu-Christi, collata olim ecclesiis beneficia occupare & earum jura infringere non verentur; unde factum est ut propter hujusmodi injurias crebro vobis illatas, quærimoniæ non semel in auribus nostris depositæ, nos tandem Gorziam venire compulerunt: ubi cum de jure vestro & de injuriis vobis factis nostra investigaret sedulitas, tandem ab hominibus curiæ illius sub debitæ fidelitatis obtestatione summonitis, hoc inter cætera ad jus vestrum pertinentia relatum est, quod bannum totius villæ, & tabernæ, & forum & furni specialiter & indominicate ad ecclesiam vestram pertinerent. Et quoniam plerique de hominibus sancti Gorgonii in prædicta villa furnos proprios injuste construxisse confessi sunt, ipsi ædificatores in præsentia nostra de statu prædicto eos destruxerunt. Propterea dilectissimi, ut jus vestrum posteris manifestius appareret sanctitati vestræ, paginam nostræ testificationis indulsimus. Et ne similem invasionem de cætero sentiatis, collatæ nobis a Domino potestatis auctoritate interdicimus. Quæcumque enim persona huic nostræ auctoritatis munimento præsumpserit obviare, perpetui anathematis vinculum & æternæ damnationis sententiam, donec resipiscat, se intelligat incurrisse. Testes sunt Gobertus de Asperomonte, Gerardus *de Custorcy*, Boemundus de Novocastro,* Albertus de . . . . . Richardus *de Rimport*, Matthæus *de Jussey*, Richardus & Henricus fratres de Castello.

Desunt notæ cronicæ in duabus superioribus cartis, sed cum ad Isembaldum abbatem qui circa annum 1140 cœnobio Gorziensi præerat, dirigantur, eas ad id circiter temporis referri posse judicavimus.

XXXVIII.

Compositio facta inter monasteria Justi-montis & sanctæ Crucis ordinis Præmonstratensis de titulo abbatiali ab utroque vindicato & obtento.

1161. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Stephanus Dei gratia Metensis ecclesiæ episcopus, Stephano abbati sanctæ Crucis, & ejus fratribus eorumque successoribus in perpetuum. Paternæ traditionis æmulatrix posteritas ejus mutuata est vicem cujus sortita est successionem. Quemadmodum enim antiquorum solertia quod infirmari noluit, cautione firmavit, ita & modernorum æmulatio id ipsum vicariæ successionis legitimum reservavit sibi in pluribus profuturum. Ea propter ego Stephanus sanctæ Metensis ecclesiæ humilis minister dispositum habens pro modo, pro loco, pro tempore servorum Dei negotiis insudare, studere paci, propulsare inquietationes, causas eorum terminare, terminatas memoriæ posterorum scripto commendare curavi, ne cum occasu temporum cadat memoria rerum gestarum. Inde est quod præsenti cautione notum facio tam præsentibus quam futuris, quod fratres Justi-montis locum & locum qui dicitur sancta Crux inhabitantes in hoc convenerunt & pari unanimitate consenserunt, ut uterque præfatus locus abbatiæ nomine insigniretur. Hoc itaque suum ipsorumque propositum patribus Præmonstratensis ordinis, quorum auxilio res effectui mancipari debebat, denuntiantes beneplacitum eorum & assensum, desiderio petentium examinato, & ampliatione sanctæ religionis inspecta, obtinuerunt. Quorum etiam ordinatione prædicti fratres cuique loco certas possessiones pari voto assignarunt, & quod utrique ecclesiæ sigillatim fuit assignatum, generalis capituli Præmonstratensium abbatum authoritate confirmatum est. Ego igitur quia mei officii est piis assistere desideriis, benevolum justis eorum petitionibus præbui assensum, & utrique domui suum abbatem, fratrum petitione designavi. Tibi itaque dilecte fili in Christo Stephane sanctæ Crucis abbas, & fratribus sub regula beati Augustini, secundum tenorem Præmonstratensium consuetudinum inibi degentibus, tuisque & ipsorum successoribus prætaxatum locum sanctæ Crucis cum assignatis appendiciis, sicut in sequenti subnotata sunt, confirmo, videlicet locum ipsum de Buris, & censum quem dedit vobis Albertus advocatus per manum nostram; terram quoque præfato loco adjacentem quam dedit vobis Richardus *de Rimport*: grangiam de Cordo cum pertinentiis suis: grangiam de sancti Petri fonte cum pertinentiis suis: locum etiam qui dicitur vallis sanctæ Mariæ, quem dedit vobis Walterus de Ventous qui cognominabatur Paganus, eo tamen tenore, ut singulis annis nostræ majori ecclesiæ persolveretis aureum unum, vel duodecim nummos Metensis monetæ. Et sciendum quod conventus Majoris ecclesiæ hanc dignitatem in hoc loco retinuit, ut si ibi abbatia fundaretur, abbas a primicerio, communi consilio conventus, baculum pastoralem acciperet. Ut autem hæc nostræ subscriptionis pagina rata & inconvulsa permaneat, episcopali authoritate & sigilli mei impressione communio. Testes Theodoricus primicerius. Simon decanus. Archidiaconi Rocelinus, Hugo, Fridericus. Magister Hugo. Richerus præpositus sancti Salvatoris. Anselmus. Warnerus capellanus. Albero de Parvi & omnis ecclesiæ conventus. Albertus abbas sancti Gorgonii. Letaldus abbas sancti Martini. Robertus abbas sancti Vincentii. Simon abbas sancti Arnulphi. Johannes abbas sancti Clementis. Elberthus abbas sancti Symphoriani. Si qua igitur, &c... Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo centesimo sexagesimo primo, indictione nona, epacta vigesima secunda, concurrente sexto. Data per manum Fulconis cancellarii tertio calendas Maii.

XXXIX.

Stephanus Metensis episcopus probat & confirmat erectionem ecclesiæ S. Theobaldi in canonicam.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Stephanus sanctæ Metensis ecclesiæ præsul humilimus, universis ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Reverendorum sanctorum patrum auctoritatem diligenter observantes, & eorum documentis salubribus memoriter invigilantes, inter cætera beneficiorum opera, quibus a terrenis ad cœlestia, a temporalibus ad spiritualia, a transitoriis ad æterna felici commercio pervenitur, ad obtinendum æternæ beatitudinis præmium sanctarum ecclesiarum instaurationem nobis plurimum valere confidimus. Unde volumus ad præsentium sed & futurorum pervenire notitiam, quod quidam clerici in civitate Metensi divino inspirati consilio novam canonicam construere cupientes, ecclesiam sancti Theobaldi juxta muros Metensis civitatis sitam, ubi id facere possint, elegerunt, & eidem ecclesiæ * patrocinia sua, se ipsos pauperes, causa Dei facientes, ut successores suos ditarent, contulerunt. Verum quia id sine consilio & assensu abbatissæ & conventus sanctæ Glodesindis Metensis facere non poterant, maxime cum jam dicta ecclesia S. Theobaldi in fundo S. Glodesindis esset constructa, abbatissam & conventum sanctæ Glodesindis adierunt diligenter obnixe rogantes quod abbatissa & conventus eis ecclesiam sancti Theobaldi & sex solidos Metenses quos terræ sitæ juxta ecclesiam sancti Theobaldi, ecclesiæ sanctæ Glodesindis debebant, causa Dei conferrent. Agnes vero abbatissa & conventus eorum bonum & laudabile consilium considerantes, præbuerunt eorum petitionibus facilem assensum, eisque ecclesiam sancti Theobaldi & census prædictos concesserunt; ita tamen quod dicti canonici 1163.

* Forte patrimonia.

in festo sanctæ Glodesindis, singulis annis in perpetuum, aureum unum qui duodecim denarios Metenses valeat, eidem ecclesiæ sanctæ Glodesindis in censu persolvant. Nec est tacendum quod præfati canonici sancti Theobaldi, adjuncto sibi abbatissæ eique succedentium abbatissarum consilio, liberam habebunt eligendi præpositum potestatem; ita sane quod electus præpositus ab abbatissa vel sibi succedentibus, si dignus fuerit, semper recipiat investituram; si vero visus fuerit omnino indignus, abbatissæ licebit manum retrahere, & electionem factam cassare. Illud quoque sciendum est quod si supradicti canonici, mortuo præposito, infra quadraginta dies alium præpositum dignum & idoneum non elegerint, abbatissa, elapso quadraginta dierum spatio, liberam habebit eligendi & instituendi præpositum facultatem. Ut igitur pactiones istæ ratæ sint & firmæ, nec ab aliquo posterorum infringi possint aut immutari, nos eas sigillo nostro in testimonium veritatis communiri fecimus & confirmari. Hujus rei testes sunt Theoricus Metensis primicerius. Simon decanus. Folco Metensis cancellarius. Fridericus archidiaconus. Rogerius præpositus S. Salvatoris. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo tertio, indictione XI, epacta XIIII, concurrente primo, ciclo lunari secundo, X cal. Aprilis.

X L.

Carta Bertranni episcopi de electione scabini.

1179. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Bertrannus Dei gratia Metensis episcopus, clero & populo Metensi in perpetuum. Quibus pontificalis officii curam divina credidit ordinatio, administrationi suæ ea intendere diligentia tenentur, ut acceptum a Domino talentum non abscondant in terra, sed dare nummulariis, & cum lucro ita studeant reportare, quatenus in districti examinis die audire mereantur: *euge serve bone & fidelis.* Hanc sane parabolam in ipsa promotionis nostræ recentia tanto sollicitius ad mentem reducentes, quia hinc blanditur præmiis, hinc pœnis terret & tenebras illas gehennales pigris & negligentibus serius minatur; in magisterio scabinatus consuetudinem diuturnitatis, quam ecclesiæ damnosam, gravem pauperibus totique terræ Metensi antiquitate nostra perniciosam didicimus extitisse, cleri nostri ac aliorum prudentum ac religiosorum, simulque militum & civium communicato consilio necessaria correctione permutavimus: ipsum de cætero magisterium annuum fore statuentes, ut stabilitate officii cessante, consueta pariter cessaret insolentia, & futuri postmodum scabini justius & humanius agerent potestatem, quam se anno exacto non ambigerent amissuros. Nihilominus etiam fidelium nostrorum precibus devicti, electionem scabini quam clerus simul & populus celebrare consueverant, ut occasiones dissensionis partium quæ plerumque sequi solet multitudinem præscinderemus, sex in perpetuum concessimus personis, videlicet Primicerio, Gorziensi, sancti Vincentii, sancti Arnulphi, sancti Clementis, sanctique Symphoriani abbatibus, qui in civitate quotannis in festo sancti Benedicti, videlicet duodecimo calendas Aprilis convenientes, tactis sacrosanctis evangeliis, sacramentum præstabunt se fide bona & de conscientiæ suæ puritate illum electuros quem magis huic officio vita, scientia & moribus idoneum crediderint, & reipublicæ utiliorem. Si qui horum forte defuerint, non eo minus ab his qui præsentes erunt fiet electio suumque habebit progressum. Eligetur autem indifferenter cujuslibet status homo, & tam miles quam civis in civitate vel in aliquo suburbiorum manens, sola conditione servili excepta. Quemcumque ad hanc annuam sollicitudinem eligi contigerit, non aliter eam poterit refutare, nisi ipsum

A peregrinationis Hierosolimitanæ signum prius accepisse constiterit. Facta electione, episcopo præsentabitur electus ei facturus hominium & investituram ab ipso recepturus. Deinde in cleri & populi præsentia primo jurabit quod ipse post anni illius evolutionem idem tempore nullo resumat officium, & quia munera excæcant etiam prudentes & corda justorum non nunquam subvertunt; secundo præstabit juramentum quod pro danda vel non danda, pro manutenenda aut differenda, vel aliquo modo provehenda sententia, nullum pretii genus per se ipsum vel per interpositam personam accipiat, & cum a norma æquitatis non amor, non odium, nec aliqua hujusmodi occasio aliquando deflectat. Tertio erit sacramentum quod bona fide & vigilanti solertia

B episcopi, ecclesiarum, orphanorum & viduarum, & tam pauperum quam divitum jura illæsa servabit, & quod judicium, cum ab ipso justo ordine & modo postulabitur, pronuntiare non differet, nisi forte incertitudo vel ignorantia ei fuerit impedimento. Si super quæstione proposita aliqua ei hæsitatio occurrerit, consulet eos quorum in tali casu regi & instrui debet consilio, & per illos certificatus absque moræ alicujus annexione justam proferet sententiam. Jurabit etiam quod de feodis ad scabinatum pertinentibus nullum alienare præsumat. Si forte episcopus in festo beati Benedicti non aderit, non ideo differetur electio, nec eo minus tam ipsi quam ecclesiis cæterisque ordine prænotato fidelitatem jurabit electus, & plenarie administrabit usque ad ejus præsentiam, tunc

C præstato ei hominio donum recipiet. Si anno suo nondum expleto scabinum decedere vel per invalitudinem aut, quod absit, propter aliquem excessum suum amoveri ab administratione contigerit, infra octo dies eligetur alius qui residuum anni illius cum toto anno sequenti exsequetur. Post factam fidelitatem & præstito ordine præmisso juramento, faciat hominium primicerio, nullum ab eo feodum recepturus, quia beneficium ab episcopo descendens ad alium jam fuerat, cum hæc agerentur translatum. Consequenter abbatibus, abbatissis, & si qui sunt alii, a quibus de novo vel antiquo jure feodum aliquod recipere debet, hominio obligabitur. Hæc igitur fidelium nostrorum & præcipue ecclesiarum & pauperum multis supplicationibus multaque instantia impetrata a nobis & zelo charitatis pro communi commodo desideratæ

D exsecutioni mandata, ut rata permaneant & nulla postmodum levitate rescindantur, litteris exprimi fecimus & chyrographi fideli custodiæ commendari, ambasque chyrographi partes nostro ac primicerii, simulque ecclesiarum nostrarum & civium sigillo contra malignantium insidias communiri. Nec est silentio prætereundum nos una cum abbatibus cæterisque qui plurimi aderant presbyteris illos a sanctæ matris ecclesiæ gremio segregasse, & lucernis accensis perpetui anathematis vinculo, donec condigne resipuerint, innodasse qui hanc nostram constitutionem infringere eique aliunde contraire temptaverint, nisi forte processu temporis salubriori consilio & communi deliberatione addi vel demi aliquid, vel in melius commutari, præsentibus aut futuris pla-

E cuerit. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini millesimo centesimo septuagesimo nono, duodecimo kalendas Aprilis, indictione decima tertia, concurrente vero... epacta vigesima secunda; anno electionis simul & consecrationis domini Bertranni primo, domino Friderico Romanorum imperatore regnante feliciter. Testes Hugo primicerius cum universo Metensis ecclesiæ capitulo, Petrus Gorziensis, Willelmus sancti Vincentii, Burchardus S. Arnulphi, Daniel S. Symphoriani, Johannes S. Clementis abbates; Petrus advocatus, Pontius dapifer, Rodulphus pincerna, & alii milites multi, & tam clericorum quam civium Metensium universitas.

XLI.

Conradus episcopus ad petitionem canonicorum sancti Stephani jus quoddam eis concedit in civitate Metensi.

1214. CONRADUS Dei gratia Metensis episcopus, Imperialis aulæ cancellarius, universis ad quorum notitiam præsentes litteræ pervenerint. Certum fieri volumus, quod nobis in civitate nostra Metensi cum domino nostro Friderico illustri Romanorum rege consistentibus, conquesti sunt canonici Majoris-ecclesiæ Metensis, & Simon advocatus, de quibusdam hominibus de Hoyo & aliis qui teloneum in civitate Metensi negotiantes eis solvere renuebant, qui homines ideo immunes & liberos a teloneo se debere esse dicebant quod in eadem civitate domos haberent. Sed e contra præfati canonici & advocatus proponebant non ideo eos esse liberos a solutione telonei quod domos haberent in civitate Metensi, cum non facerent in ea ignem & fumum, nec eorum uxores & familiæ ibidem manerent, nec ipsi in eadem civitate sicut alii cives facerent excubias. Hujus rei judicium dominus noster supradictus Romanorum rex fidelibus suis ibidem existentibus commisit Theoderico archiepiscopo Trevirensi & Theobaldo duci Lotharingiæ, qui habito super hoc plurimorum nobilium ac prudentum consilio, ibidem in præsentia domini regis & nostra hoc tulerunt judicium; quod licet præfati homines haberent in urbe Metensi domos, nihilominus debitores essent telonei, cum in eadem civitate nec ignem nec fumum facerent, nec eorum uxores & familiæ ibidem manerent, nec ipsi in eadem civitate sicut alii cives facerent excubias. Cui judicio idcirco libentius & securius nostrum assensum & approbationem impertivimus, quia illud de procerum multorum consilio & assensu, atque approbatione tam clericorum quam laïcorum, & Simonis Fulconis ejus anni magistri scabini Metensis & aliorum scabinorum cum summa deliberatione cognovimus promulgatum. Acta sunt hæc sub sigillo nostro anno millesimo ducentesimo decimo quarto, mense Decembri, quarto calendas Januarii, præsentibus comite *de Hermcheftalin*, Warnero *de Bolande*, *Merbodone* & aliis quam plurimis.

XLII.

Altera concessio facta ab eodem episcopo Conrado Metensi capitulo.

1220. CONRADUS Dei gratia Metensis episcopus, Imperialis aulæ cancellarius, omnibus præsentes litteras inspecturis, earum veritati fidem adhibere. Universitati vestræ notum fieri volumus quod nos partem illam telonei quæ thesaurariæ Metensis ecclesiæ solebat esse annexa, capitulo nostro Metensi concessimus pro remedio animæ nostræ in perpetuum possidendam, ita quod ex ea & aliis redditibus ad hoc acquisitis & acquirendis inter fratres qui horis canonicis intererunt, quotidiana fiat distributio. Ne autem quis hanc nostræ piæ liberalitatis donationem possit infringere, præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno millesimo ducentesimo vigesimo, pontificatus nostri anno octavo.

XLIII.

Fratres prædicatores Metis instituuntur.

1221. CONRADUS Dei gratia Metensis episcopus, Imperialis aulæ cancellarius, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum teste beato Gregorio summum bonum quod in hac vita A possit haberi, sit zelus animarum, & hoc duce, Spiritu Sancto inspirante & disponente sicut credimus, & multorum est opinio bonorum, constitutus sit a domino papa & confirmatus ordo fratrum Prædicatorum, laudabilis, cum nihil de sua prædicatione vel in ea nisi lucrum tantummodo requirat animarum; vobis notum facimus quod fratres prædicti ordinis in gratiam & favorem nostrum, ac sub tutela atque protectione nostra devote recipimus. Scientes itaque quod si in civitate Metensi aliquam eorum ordo haberet mansionem, cohabitatio ipsorum non tantum laïcis in prædicationibus, sed & clericis in sacris lectionibus esset plurimum profutura, exemplo domini papæ qui eis Romæ domum contulit, & multorum archiepiscoporum ac episcoporum, vobis B salutaribus monitis suademus, ut ipsis ad locum habendum in quo secundum ordinis sui formam intra civitatem prioratum construere valeant, consilium & auxilium præbeatis, eisdem fratribus in civitate Metensi prioratum ædificandi potestatem concedentes. Datum Metis decimo calendas Maii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, imperante Friderico secundo, pontifice maximo Honorio tertio universali ecclesiæ præsidente, sub domino Gerardo *Angeboure* civium Metensium magistro.

XLIV.

Jacobus Metensis episcopus dat capitulo sancti Salvatoris medietatem decimarum ecclesiæ C de Huesanges.

JACOBUS Dei gratia Metensis episcopus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. 1249. Universitati vestræ notum facimus quod dominus Henricus miles filius nobilis viri domini de Asse, laude & assensu ejusdem domini Roberti patris sui, jus patronatus ecclesiæ *de Huesanges* quod habebat cum Godefrido *de Estancelis* burgense *de Luceborc*, & medietatem decimarum grossarum & minutarum, & omnium proventuum ejusdem ecclesiæ & appendiciorum suorum, quam medietatem possidebat cum eodemque tenebat de comite de Salmis in Ardenna in feodum & hominium, reddidit in manus ipsius comitis, ut inde suam faceret voluntatem. Idem vero comes omnia prædicta quæ tenebat D a nobis in feodum & hominium, in manus nostras similiter reddidit, ut super his nostram voluntatem faceremus. Nos vero attendentes quod fructus præbendarum ecclesiæ sancti Salvatoris Metensis sunt tenues, omnia supradicta decano & capitulo ejusdem ecclesiæ sancti Salvatoris Metensis in augmentationem præbendarum suarum, divinæ pietatis intuitu contulimus liberaliter & benigne. In cujus rei testimonium præsentes litteras eisdem decano & capitulo concessimus sigilli nostri munitione roboratas. Actum Metis anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, mense Augusto, in octava beati protomartyris Stephani.

XLV.

E *Fundatio ecclesiæ collegiatæ de Homburgo a Jacobo Metensi episcopo.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Jacobus Dei favente gratia Metensis ecclesiæ episcopus, 1254. in Homburgo canonicis in perpetuum. Licet ecclesiæ Dei, quas ipse sui sanguinis effusione redemit atque consecravit per universum mundum, videantur esse diversæ & dispersæ, tamen una in sanctitate, una in religione, una in vinculo charitatis & dilectionis debent esse: quia ipse vocat eam in Canticis Canticorum sponsam suam, dicens: *una est columba mea, electa mea; una est matri suæ, electa genitrici suæ*, Et quoniam a Domino nostro Jesu-Christo, universalis

ecclesiæ, sive omnium ecclesiarum nostræ diœcesis ministri sumus constituti, oportet nos talentum ab ipso commissum non in sudario ligare, sed ad lucrum dare, ut cum in novissimo magni judicii die a nobis petierit, cum lucro valeamus sibi repræsentare, ejusque beatam vocem audire. Nos igitur, quia de promissione Domini nullatenus diffidimus, sed in misericordia ejus plurimum confidimus, in honore suæ sanctissimæ Genitricis & beati Stephani protomartyris monasterium apud *Hombourg* castrum ædificare incepimus, & tredecim canonicos qui Deo inibi sub regula canonica perpetuis temporibus militarent, intitulavimus *Devotione summa*, & sub observatione obedientiæ ibidem sexdecim præbendas instituentes, & præpositum, decanum, cantorem ac custodem. Quæ præbendæ tredecim debent cedere tredecim canonicis; tres vero residuæ præpositura, decanatui, cantoriæ & custodiæ. Ita quod præposito pro fructibus suæ præbendæ & præpositura, fructus unius præbendæ & dimidiæ; decano pro fructibus decanatus, fructus præbendæ & dimidiæ; cantori pro fructibus suæ cantoriæ, fructus præbendæ & dimidiæ; custodi similiter pro fructibus custodiæ, fructus unius præbendæ & dimidiæ tribuantur. Insuper statuentes ut omnes canonici continuam & personalem residentiam faciant in ipsa ecclesia per totum annum, præter præpositum. Et quicumque occasione alterius beneficii alibi per aliquod tempus fecerit residentiam, non solum fructibus præbendæ suæ in Homburgo sit privatus, sed & ipsa canonia. Collatio autem præbendarum præpositura, decanatus, cantoriæ & custodiæ ad episcopum loci & ad suos successores pertinebit; investitura præbendarum ad præpositum. Et non potest nec debet alicui conferri præpositura dictæ ecclesiæ ab episcopo, nisi sit canonicus Majoris ecclesiæ Metensis. Cantor vero debet servire in choro & regere ipsum, prout cantor S. Salvatoris Metensis, cum ea authoritate & jurisdictione, prout cantor regit ipsum chorum; statuentes quod ipsum capitulum *de Hombourg* ea libertate gaudeat qua ecclesia sancti Theobaldi Metensis. Hanc siquidem institutionem Spiritus Sancti gratia cooperante ordinatam & factam nostra auctoritate vobis vestrisque successoribus amodo & usque in sempiternum præcipimus tenendam & observandam. Et ne quis hanc violare præsumat, omnibus modis prohibemus, & sub anathemate vinctum habemus. Cunctis autem observantibus sit pax æterna, salus continua, vita longæva, quatenus cum dies magni judicii advenerit, inter sanctos & electos Dei resuscitari mereantur per eum qui vivit & regnat per infinita secula seculorum. Amen. Ut igitur hæc nostra constitutio & impræsentiarum sit stabilis, & a generatione in generationem permaneat inconvulsa, præsentibus eam litteris commendare curavimus & sigilli nostri impressione communire. Actum Metis, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto.

X L V I.

Fundatio alterius collegiatæ in ecclesia parochiali apud Sarrebourg *ab eodem Jacobo Metensi episcopo.*

1256. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Jacobus miseratione divina Metensis episcopus, universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, perpetuam in Domino salutem. Licet ecclesiæ Dei . . . . & . . . . (ut in præcedenti). Nos igitur de divina confidentes clementia, intendentesque ministros in ecclesia Dei pro possibilitate nostra laudabiliter ampliare, ut divini cultus nominis tanto laudabilius augeatur, in ecclesia parochiali apud *Sarebourg* nostræ diœcesis, considerantes loci aptitudinem ac devotionem fidelium tam clericorum quam laïcorum ad hoc favorabiliter accedentem, ad honorem Dei ejusque beatissimæ Genitricis & beati protomartyris Stephani, canonicos seculares instituimus & intitulamus, qui ibidem de cætero sub canoniali observantia, tam in habitu ecclesiastico quam divino officio, secundum constitutiones & consuetudines ecclesiæ S. Theobaldi Metensis, perpetuis temporibus Domino devote studeant famulari. Volumus etiam & statuimus ut præpositum, decanum, cantorem, custodem & scholasticum habeant, qui curam gerant & officia sua in ipsa ecclesia exerceant, prout eædem personæ in aliis collegiatis canonicorum ecclesiis exercent, & consuetum est ab antiquo. Electiones tam præpositi, decani, cantoris, custodis & scholastici, quam canonicorum in eadem ecclesia, ad capitulum ipsius ecclesiæ specialiter spectabunt. Investitura vero præbendarum ad ipsum præpositum pertinebit; nec poterit aliquis ibidem in præpositum eligi vel assumi, nisi sit canonicus Majoris ecclesiæ Metensis: adjicientes ut eadem ecclesia *de Sarebourg* & capitulum ejusdem eadem libertate, & eisdem immunitatibus qua vel quibus dicta ecclesia sancti Theobaldi & capitulum ejusdem muniti existunt, seu hactenus gaudere consueverunt, per omnia in perpetuum gaudeant & fruantur. Hanc si quidem institutionem, Sancti Spiritus cooperante gratia, a nobis laudabiliter ordinatam & factam volumus & districte præcipimus de cætero tenendam, ac perpetuo & inviolabiliter observandam. Et ne quis eam infringere præsumat, vel ausu temerario ei contraire, sub interminatione anathematis prohibemus. Si quid etiam ejusmodi institutioni seu ordinationi adjiciendum, vel in melius immutandum fuerit, illud dispositioni nostræ in posterum reservamus. Ut igitur institutio nostra stabilis & firma permaneat, præsentibus litteris eam commendare curavimus, & sigilli nostri munimine roborare. Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto.

X L V I I.

Litteræ Bonifacii papæ VIII de electione Gerardi in episcopum Metensem.

BONIFACIUS episcopus servus servorum Dei, 1297.
dilectis filiis clero & populo civitatis & diœcesis Metensis salutem & apostolicam benedictionem. In supremæ dignitatis specula licet immeriti, disponente Domino constituti, curis continuis angimur & pulsamur insultibus successivis, ut de personis talibus provideatur ecclesiis pastoribus viduatis, quarum industria & virtute eædem ecclesiæ in suis juribus & libertatibus conserventur, reddatur tranquillior cleri status & commodis salutis & gaudii plebs lætetur. Sane dudum Metensi ecclesia per obitum bonæ memoriæ Buchardi Metensis episcopi pastoris regimine destituta, dilecti filii decanus & capitulum ejusdem ecclesiæ, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt & potuerunt commode interesse, die ad eligendum præfixa, insimul convenerunt, & post diversos tractatus super hoc ab eis habitos, qui non habuerunt effectum, deliberaverunt per viam scrutinii procedere ad provisionem faciendam eidem ecclesiæ de pastore. Sicque nonnulli ex eis, Theobaldum de Barro ipsius ecclesiæ canonicum elegerunt; aliqui vero venerabilem fratrem nostrum Ferricum Aurelianensem episcopum, in Metensem episcopum postularunt. Hujusmodi autem electionis & postulationis negotio per appellationem ad sedem Apostolicam devoluto, ipsoque negotio coram nobis exposito, dilectus Theobaldus sponte ac libere in nostris manibus resignavit jus omne, si quod sibi ex præfata electione fuerat acquisitum, nosque hujusmodi resignatione recepta, prædictam postulationem non duximus admittendam. De ipsius igitur ecclesiæ

ordinatione ne diu viduitatis subjaceret incommodis sollicite cogitantes, ac cupientes illum eidem ecclesiæ per nostræ operationis studium præesse pontificem, de quo certam haberemus notitiam, quod ipsum clara suorum meritorum insignia redimirent, nec dubia esset ipsius charitas erga plebem suo regimini commendandam, & in cujus fida fide recumberet securitas subditorum, in dilectum filium Gerardum electum Metensem, archidiaconum Brabantiæ in ecclesia Cameracensi, in quem prædicta concurrere fide dignorum fama referente didicimus, qua sic in multiplicatione virtutum extollitur, quod de eo apud nos & fratres nostros odor crevit aromatum, quemque nobis & eisdem fratribus de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia, spiritualium & temporalium providentia ..... laudabilia testimonia comprobarunt, B direximus oculos mentis nostræ. Quapropter gregi dominico speciali volentes diligentia providere, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, eumdem archidiaconum prædictæ Metensi ecclesiæ præfecimus in episcopum & pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem ecclesia, Deo authore, per suæ industriæ ac circumspectionis fructuosum studium præservabitur a dispendiis, & spiritualibus ac temporalibus proficiet incrementis. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem electo tanquam patri & pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, exhibeatis ei obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejusque salubria monita & mandata suscipiatis devote, ac efficaciter C adimplere curetis, ita quod ipse in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens patrem invenisse benevolum gaudeatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum, octavo calendas Maii, pontificatus nostri anno tertio.

XLVIII.

Ademari Metensis episcopi ordinatio spectans ad canonicos S. Theobaldi.

1330. ADEMARUS Dei & sanctæ sedis Apostolicæ gratia Metensis episcopus, dilectis nobis in Christo decano & capitulo, ac personis singularibus ecclesiæ collegiatæ sancti Theobaldi prope muros Metenses salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum dudum propter defectus notabiles quos prædicta ecclesia, præsertim in spiritualibus patiebatur, D salubriter reparandos, actusque & mores vestros in melius reformandos, inter cætera deliberatione provida statutum fuerit & salubriter ordinatum quod videlicet ad abolendam quamdam consuetudinem, quin immo potius corruptelam quæ in ipsa vestra ecclesia pullularat, secundum quam canonicis ejusdem ecclesiæ pro debitis suis publice & nominatim excommunicatis existentibus in claustro, quando celebrabantur divina in eadem ecclesia, contra Deum & justitiam dabantur denarii distributionum cum omnibus aliis proventibus præbendarum suarum, sicuti & aliis canonicis in eadem ecclesia & choro existentibus, & divina celebrantibus in eadem, & cum his taliter excommunicatis in claustro stagium faciebant, & in capitulo vocem E habebant: vobis prænominatis decano & capitulo sub certis pœnis, sub certisque modo & forma inhibitum extiterit ne in posterum deliberarentur sive traderentur alicui canonico publice & nominatim excommunicato aliqui denarii seu proventus ecclesiastici præbendæ suæ, quamdiu sic ligatus extiterit, nisi doceret se ante omnem excommunicationis sententiam in se latam legitime & ex causa probabili appellasse. Cujusmodi ordinationi & inhibitioni tanquam justæ & rationabili expressum præbuistis assensum: quæ etiam laudabilis ordinatio cum quibusdam aliis per vos provide ordinatis, per piæ recordationis dominum Ludovicum de Pictavia carissimum patruum

A nostrum, prædecessorem nostrum quondam Metensem episcopum sub certarum adjectione pœnarum fuit ex certa scientia confirmata, prout hæc omnia & singula in litteris & processibus super hoc factis & habitis latius & plenius vidimus contineri. Et licet præmissa justa, sancta atque rationabilia censeantur, & a vobis debeant inviolabiliter observari, nihilominus ex quorumdam fide dignorum veridica relatione nuper ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli vestrum tanquam canes ad vomitum redeuntes prædictam ordinationem laudabilem ex quæsitis coloribus violare & infringere moliantur, qui licet publice & nominatim sint & esse dicantur majoris excommunicationis sententia innodati, denarios tamen distributionum quotidianarum & alios suarum præbendarum proventus recipere, imo magis usurpare conantur, pœnas & sententias in præmissis appositas atque latas incurrere damnabiliter non verentes. Ne itaque præmissa frustratoria seu delusoria videantur, neve etiam per hoc nervus disciplinæ ecclesiasticæ disrumpatur, vobis decano prædicto & capitulo sub interminatione divini judicii, ac in virtute sanctæ obedientiæ injungimus, committimus & mandamus quatenus quæcumque in prædictis litteris & processibus continentur, faciatis vice & authoritate nostra sub pœnis & sententiis ibidem adjectis ab omnibus & singulis canonicis ipsius ecclesiæ inviolabiliter observari; ipsas sententias & pœnas juxta præmissarum tenorem contra inobedientes, contradictores & rebelles prædicta authoritate sollicite exsequentes. Quod si forte, quod absit, aliqui de canonicis memoratis in sua malitia pertinaciter obstinati prædictas sententias ausu temerario contempserint, & disciplinæ bonum retrorsum abjecerint, officiali nostro Metensi præcipimus, mandamus & committimus in his scriptis, quatenus postquam ipse a vobis super hoc fuerit requisitus, contra hujusmodi inobedientes, contradictores & rebelles ad aggravationem dictarum pœnarum & sententiarum vice & authoritate qua supra constanter procedat, prout ipsorum protervitas exigit, & sibi ut in præmissis videbitur opportunum. Cujusmodi sententias & processus faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, si necesse fuerit, firmiter observari. In cujus rei testimonium atque robur sigillum nostrum præsentibus litteris est appensum. Actum & datum anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo, feria quinta post Dominicam qua canitur *Quasimodo*.

XLIX.

Carolus IV rex Romanorum & Bohemiæ confirmat jura & privilegia tam episcopi quam capituli Metensis.

CAROLUS Dei gratia Romanorum rex semper 1346. augustus, & Bohemiæ rex, venerabili Ademario episcopo Metensi, nostro & sacri imperii principi, consanguineo nostro carissimo, tuisque successoribus episcopis Metensibus salutem & omne bonum. Tuæ devotionis promptitudo quam ad nos E & Romanum imperium hactenus habuisse dignosceris, nos inducit ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Tuis igitur justis supplicationibus inclinati tibi tuæque ecclesiæ Metensi, nec non capitulo ipsius ecclesiæ Metensis, ac tuis & dicti capituli posteris omnes donationes factas, ac omnia & singula privilegia, jura, libertates, immunitates & concessiones quascunque eidem capitulo tuæque ecclesiæ, & tuis prædecessoribus episcopis Metensibus, per Romanos imperatores seu reges, sub quavis forma verborum concessa & concessas, data & datas hactenus authoritate regia ex certa scientia confirmamus, approbamus & innovamus per præsentes. In cujus rei testimonium præsentes scribi & sigillo majestatis nostræ

regiæ mandavimus communiri. Datum in Theonis-villa, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, quinto idus Decembris, regnorum nostrorum anno primo.

L.

Sententia excommunicationis a Theoderico episcopo lata in justitiarios, consiliarios & rectores civitatis Metensis.

1373. THEODERICUS Dei & sanctæ sedis Apostolicæ gratia Metensis episcopus, universis & singulis abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, cantoribus, thesaurariis, custodibus, archipresbyteris, canonicis, capitulis, gardianis, prioribus, rectoribus, presbyteris, curatis & non curatis, omnibusque & singulis beneficiatis tam majoris quam aliarum ecclesiarum ac monasteriorum civitatis & diœcesis nostræ Metensis, salutem in Domino. Quod olim regulariter clericis laïcos infestos tradit antiquitas temporum præsentium experimenta declarant manifeste, præsertim cum ipsi laïci finibus suis non contenti ad illicita fræna sua relaxant. Nuper siquidem nociva experientia dilucidante ac fama publica divulgante, cum multorum querelis nobis subditorum præsertim subscriptorum ad nostrum noveritis pervenisse auditum quod Theobaldus *Bataillot*, Jannetus *Chausson*, domnus Nicolaus *Baudoche*, domnus Jacobus *li Gournay*, Joannes *Paporel*, Colignonnus *de Metry*, Hugo *Binnequin*, Bouquinnel *Baudoche*, Emericus *Noiron*, Colignonnus *Raquillon*, domnus Nicolaus *Mometel*, Ferretus *Fessaul* & Arnoldus *Fessaul*, justiciarii nostræ civitatis Metensis, de scitu, voluntate, consensu & assensu consiliariorum, officiatorum nostrorum, ac communitatis ipsius civitatis, non attendentes quod laïcis in clericos est interdicta potestas, Dei timore postposito, immemores juramenti de non offendendo personas ecclesiasticas, & contra libertatem ecclesiasticam non faciendo, per eos corporaliter emissi, in eorum creatione nobis præstiti, & a singulis justiciariis pro tempore existentibus præstari consueti, fratrem Petrum *Toppeti* monachum monasterii sancti Clementis extra muros Metenses ordinis S. Benedicti, de anno & mense præsentibus in carrera publica, inter ipsam ecclesiam & palatium civitatis Metensis, populo ibidem ad vocem præconis ipsius communitatis convocato, propria auctoritate banniverunt & proscripserunt contra constitutionem felicis recordationis domini Urbani papæ quinti, contra bannientes, relegantes seu proscribentes personas ecclesiasticas, pontificatus sui anno sexto conditam, & per vos devotos nostros decanum & capitulum ecclesiæ nostræ Metensis, seu ad procurationem vestram in ipsa ecclesia Metensi ac aliis locis publicis ipsius civitatis solemniter publicatam de anno proxime præterito, & taliter quod nec ipsi justiciarii, consiliarii nostri ac communitas ipsius civitatis, nec aliquis vestrum quibus præsentes nostræ litteræ diriguntur, de ipsius non publicatione seu notitia se poterunt aliqualiter excusare. Similiter vero iidem justiciarii prædicti consentientibus seu ratum habentibus quibus supra, fama publica licet clamante & experientia docente omnes incolas ipsius civitatis Metensis in loco prædicto, populo ibidem ad vocem præconis convocato, sub bannitionis & proscriptionis & aliis pœnis pecuniariis publice & alta voce prohibuerunt ne venerabili viro domino Thielmanno abbati monasterii sancti Naboris Metensis diœcesis in aliquo participarent, ipsum hospitando, seu sibi vendendo, alias ab eo emendo, seu aliam communicationem habendo cum eodem; habitationes insuper religiosarum dominarum abbatissarum monasteriorum sanctæ Glodesindis, beatæ Mariæ Virginis & sancti Petri Metensium publice cum violentia intraverunt, & bona ac res monasteriorum eorumdem in eisdem habitationibus reperta violenter rapuerunt, extraxerunt, & eas & eorum monasteria, eisdem bonis & rebus taliter extractis, de facto spoliaverunt, multosque alios presbyteros & personas ecclesiasticas bannierunt & talliaverunt, nec non bannire & talliare de facto non verentur. Propter quod non est dubium ipsos pœnas contra hujusmodi sacrilegii patratores per decreta patrum editas, & præsertim propter bannitionem prædictam pœnam constitutam a domino Urbano, de qua supra fit mentio, damnabiliter incurrisse ipso facto, &c. . . . . dictos igitur Theobaldum, Jannetum, domnum Nicolaum, domnum Jacobum, Joannem, &c. . . . . justiciarios, consiliarios & rectores ipsius civitatis Metensis, omnes & singulos excommunicationis sententiam incurrisse, civitatemque Metensem ecclesiastico subjacere interdicto, juxta mentem dictæ constitutionis declaravimus, & per præsentes declaramus. Quæ omnia & singula vobis omnibus & singulis, & cujuslibet vestrum præsentibus denuntiamus, intimamus & insinuamus, mandantes ut dictos justiciarios, consiliarios & rectores civitatis prædictæ tanquam excommunicatos publice teneatis, ipsosque singulariter singulos nominatim & in specie, prout eorum nomina noveritis, excommunicatos, ac ipsam civitatem ecclesiastico subjacere interdicto, singulis diebus festivis publice nuntietis, ecclesiasticumque interdictum successive in ipsa civitate observetis tandiu donec a prædictis sententiis meruerint beneficium absolutionis obtinere, & donec de præmissis satisfecerint competenter.

Citabitis nihilominus dictos justiciarios quos & nos præsentibus citamus, ut die lunæ proxima compareant coram nobis apud Vicum, hora sexta, ad dicendum & allegandum causam rationabilem, si quam habeant, quare in perjurium non debeant declarari incidisse, pro eo quod præmissa attemptare præsumpserint contra eorum juramenta per eos præstita, ut superius est expressum. In quorum omnium & singulorum testimonium præsentem nostrum processum per Joannem *Thiery* notarium publicum subscriptum scribi & publicari mandavimus, & nostri fecimus sigilli appensione communiri. Actum apud Vicum castrum nostrum Metensis diœcesis, in aula nostra Theoderici episcopi prædicti, anno ab Incarnatione Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, die vigesima mensis Junii, hora Tertiarum, vel parum post, indictione undecima, & pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini domini Gregorii papæ undecimi anno tertio, præsentibus honorabili viro magistro Conrado *Utelmar* canonico sancti Petri extra muros Moguntinenses, Joanne decano ecclesiæ de Homburgo, Joanne de Rodemach sigillifero curiæ Metensis prædictæ diœcesis, & pluribus aliis testibus fide dignis ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

L I.

Epistola Eugenii IV ad clerum & populum Metensem adversus concilium Basileense.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis decano & capitulo ecclesiæ Metensis ac clero, nec non magistro scabinorum & tredecim juratis, cæterisque rectoribus ac civibus civitatis Metensis, salutem & apostolicam benedictionem. Etsi non dubitemus quæ scripturi sumus jam dudum ad vestram pervenisse notitiam, quoniam Basiliensis synagogæ iniquitas cœlum & terras quasi sodoma suo clamore complevit: tamen cum ejus venena etiam fidei fundamenta conentur evertere, tacere aut dissimulare non possumus, verum & providere compellimur, quo saluti religionis & fidei consulamus, 1441.

consulamus, scientes instituendi summi pontificii in evangelica lege causam eam potissimam extitisse, ne fidei lædatur integritas, vos ad tantæ impietati occurrendum excitare compellimur, ut zelo justitiæ & veritatis indui, sacrilegis Basiliensium ausibus, sicut & professionis vestræ ratio exigit, viriliter resistatis, ne adinventionibus suis evangelii veritatem corrumpere molientes, contra stabilitæ & ab initio prædicatæ fidei fundamenta, plerosque indoctos simplicesque seducant. Prævidebat apostolus Paulus qui spiritum Dei se habere sentiebat talia hominum futura portenta, quibus in periculum ecclesia traheretur: propterea ad Timotheum scribens præsentes futurosque commonebat, dicens: *hoc autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, cæci, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita.* Et ne ob tantam malitiam esset de Domini misericordia desperandum quod veritati falsitas & pietati prævaleret impietas, consolabatur fideles, dicens: *quemadmodum autem Jamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* Hos novissimos dies dilectissimi impræsentiarum adesse sentimus, tempora periculosissima imminere cernentes, quibus filio perditionis & mortis præparetur ingressus, nisi opportune novis adinventionibus occurratur. Quando enim periculosiora tempora ecclesiæ Dei instare potuerunt, quam cum uno impetu totius fidei fundamenta quatiuntur! quod fieri necesse est cum sedes Apostolica impetitur, quæ catholicæ fidei & religionis est custos. Quis enim Christi baptismate consecratus possit ignorare vel debeat, ad fidei pertinere substantiam & inter credibilia quodam modo origine esse primarium, ut unam sanctam Catholicam & Apostolicam confiteamur ecclesiam! Quis porro non intelligat hanc ecclesiæ unitatem Basiliensi impietate violari, cum aut duas supremas introducunt in Dei ecclesia potestates, aut si unam tantum esse contendant, auctoritatis supremum apicem a sede Apostolica evacuare conantur? quod & evangelio & fidei hactenus observatæ, ac omnium sanctorum doctrinæ & veræ rationi penitus contradicit. Quis enim evangelii vel surdus auditor ignoret beatissimo Petro omnium Apostolorum principi gregis dominici curam fuisse mandatam, & ipsum in universali ecclesia & super universalem ecclesiam dispersam per orbem terrarum, vel concilialiter congregatam, fuisse supremum pontificem constitutum, ut Jesu Christi Domini nostri vice cum suis successoribus fungeretur, omni auctoritate & potestate munitus, quæ usque in finem seculi ecclesiæ necessaria videretur! hoc non tantum Catholica credit ecclesia, verum etiam hi qui nondum colla Christi evangelio subdiderunt: opinantur enim & sentiunt quod Romanus pontifex supremus Hierarcha sit totius populi Christiani, ut super universam ecclesiam Christi vice fungatur, ac plenariam obtineat potestatem. Hanc non poterunt impiorum machinamenta convellere, quamvis ad tempus impugnare sinantur. Quoniam quod Dei filius in assumpta humanitate fundavit, ordinavit, erexit, cœlum & terra omnisque creatura immutare non poterunt. Legant ista cæci & in clarissimo lumine non videntes, evangelicas litteras, concilia in Orientali & Occidentali ecclesia celebrata percurrant, sanctissimos doctores quos Apostolicæ sedis & quintæ synodi apud Constantinopolim celebratæ probavit auctoritas, diligenter inquirant: scrutentur propinquiorum temporum magistros atque doctores, quibus ducibus nobis scripturarum arcana

A & sanctorum doctorum sententiæ claruerunt, invenient universa ad hanc intelligentiam consonare. Longum nimis esset pro epistolari angustia cuncta percurrere, ut in conspectu singula hanc rem spectantia poneremur. Verum quoniam, ut ait Apostolus, *scientibus legem loquimur & sapientiam loquimur inter perfectos, silentio illa transimus.* In hanc vero impietatem ea ratione deciderunt isti evangelii corruptores, quod intelligentiam scripturarum non a Catholicis sanctisque doctoribus, sed ab Hæresiarchis atque schismaticis vindicare voluerunt. Quas enim scripturas perverse intellectas illi ad robur erroris sui sumendas esse crediderunt, eisdem isti per omnia se munire contendunt. Fuerunt Novatiani atque Donatistæ nefandorum schismatum & hæresum inven-

B tores, quibusdam scripturarum locis suis erroribus blandientes, Basilienses harum genimina viperarum eadem ad robur suæ impietatis adsciscunt. Quo enim majore robore se munire conantur quam quod ubi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi sum ego in medio illorum! Hinc se habere Sancti Spiritus præsentiam profitentur, hinc se dicunt errare non posse, hinc sibi in Christi ecclesia apicem auctoritatis usurpant. Et quo alio capite Novatiani suum schisma munierunt! Testis est martyr gloriosissimus Cyprianus in eo opere in quo de unitate disseruit, cujus quanta fuerit in ecclesia Dei auctoritas, testis est contra Pelagianos Aurelius Augustinus, dicit ergo ut ejus verba ponamus: nec se quidam vana interpretatione decipiant quod dixerit Dominus, *ubicunque fuerint*

C *duo vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum:* corruptores evangelii atque interpretes falsi extrema ponunt & superiora prætereunt, partis memores & partem subdole comprimentes. Dominus enim cum discipulis suis unanimitatem suaderet & pacem, dico, inquit, vobis, *quoniam si duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis a Patre meo qui in cælis est; ubicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum*, ostendens non multitudini sed unanimitati deprecantium plurimum tribui; ut si, secundum quod mandavit & monuit, duo aut tres collecti unanimiter oraverint, impetrare possint de Dei majestate quod postulant, *ubicunque fuerint duo aut tres, ego*, inquit, *cum eis sum*, cum simplicibus scilicet atque pacatis,

D cum Deum timentibus & Dei præcepta servantibus, cum his duobus vel tribus esse se dixit, quomodo & cum tribus pueris in camino ignis fuit, quomodo cum duobus Apostolis in custodia clausis, quia simplices, quia unanimes erant, ipse affuit, ipsos, resolutis carceris claustris, ut verbum quod fideliter prædicabant multitudini traderent, ad forum rursus imposuit. Quando ergo in præceptis suis Dominus ponit & dicit, *ubi fuerint duo aut tres, ego cum eis sum*, exprobrat discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse se cum duobus aut tribus concordibus, quam cum diffidentibus pluribus, plusque impetrari posse paucorum concordi prece, quam discordi oratione multorum. Hæc sunt verba gloriosissimi martyris Cypriani, non tantum Africanis atque Occidentalibus, verum etiam, ut

E Augustinus inquit, Orientalibus ecclesiis, fama prædicante & scripta ejus longe lateque diffundente notissimi. Ex quibus clarissime datur intelligi quanta omnium Schismaticorum extet impietas, qui id ad robur sui erroris inducunt, cum pateat nullam ex his verbis potestatem jurisdictionis fuisse concessam, sed quod unanimiter orantium expressa sint monita. Eant ergo Basilienses isti seductores atque vaniloqui cum Novatianis in tenebras suas, & nisi resipiscant, pariter cum ipsis æterno igne consumantur. Donatistæ etiam cum in Africa schisma fecissent, & apud se veram Christi ecclesiam manere dixissent, eodem se corruptæ intelligentiæ capite muniebant, nec non Hæresiarchæ illi atque Schismatici qui Johanne XXII

prædecessore nostro in sede Apostolica præsidente, schisma fecerunt, & Petrum de Corvario in idolum erexerunt, iniquitatem suam hac eadem radice munierunt. Fuerunt impietatis illius diabolicæ fundatores Marsilius de Padua, Johannes de Genduno, Guillelmus Ocham, aliique nonnulli qui non tantum sui temporis, sed etiam futuri seculi homines venenarunt, unde procedit omnis corruptela præsentium, quod desertis sacris doctoribus, qui illuminaverunt ecclesiam Dei, sed ad Hæresiarchas & Schismaticos contulerunt. Quam ergo Basilienses horum imitatores in scripturis divinis sacrisque doctoribus possent habere intelligentiam, nisi quam de magistrorum suorum venenatis fontibus ebibissent? fuerunt Hæresiarchæ illi cum doctrinis suis per Apostolicam sedem anathematis mucrone percussi, qui terrarum ubique fugitantes in quodam angulo latuerunt, & in hæresi contumaciter perseverantes, diem ultimum obierunt, partem sortiti cum Dathan & Abiron, quos pro magnitudine sceleris viventes infernus absorbuit. Horum Basilienses inhærendo vestigiis par in Dei ecclesia schismatis scandalum pepererunt, & nunc circumlatrare non desinunt, quo imitatores sui erroris acquirant. Obviandum ergo fore censuimus & omni cum diligentia vigilandum ne isti profanorum dogmatum assertores in ecclesiam Dei virus suæ impietatis effundant, una est enim vera fides, & nisi una esse non potest, nec in ea quicquam potest minui vel augeri, dicente Apostolo, quoniam unus Deus, una fides, unum baptisma; una est etiam ecclesia Catholica in omni terrarum orbe diffusa, unaque est plenitudo ecclesiasticæ potestatis in beato Petro Apostolorum principe collocata, quæ eadem nec major aut minor in suis successoribus usque in finem seculi perseverat. Quod potuit Petrus, hoc Sylvester, hoc Leo, hoc cæteri potuere pontifices, & quod illi potuere nos possumus. Nec si in prædecessoribus nostris Apostolica sedes conciliis auctoritatem præstare consuevit & legitime facta firmare, perperam vero & inique actitata damnare, temporibus nostris debet ab hac auctoritate cecidisse. Nam & si sumus impares meritis, non tamen imparis potestatis. Aliud enim, inquit beatissimus Leo, sunt merita præsulum, aliud sunt jura & privilegia sedium. Dedit Nicænæ synodo auctoritatem beatissimus Silvester, synodo convocando, præsidentes vice sua ibidem destinando, gestis concilialibus firmitatem roburque præstando. Extant ad ipsum Nicænæ synodi litteræ, quibus Patres cum summa humilitate deposcunt ut ibidem gesta Apostolicæ sedis auctoritate confirmet. Extant ipsius litteræ quibus in synodo Romæ celebrata, habito diligenti discursionis examine, Nicænæ synodi gesta confirmat. Pariter beatæ memoriæ Cælestinus primam Ephesinam synodum apostolica auctoritate firmavit, nomine suo certos ibi statuens præsides. Cum vero Nestoriana peste damnata, Eutichiana insurrexisset impietas, & ad illam funditus abolendam secundo apud Ephesum, Theodosii junioris tempore, synodus vocaretur, cum beatissimus Leo apostolica auctoritate firmavit, missis Julio episcopo, Renato presbytero, Hilario diacono qui suo nomine præsiderent. Cumque Dioscorus Alexandrinus antistes eam synodum ad approbationem Eutichiani erroris & arte traxisset, & Apostolicis præsidentibus vim quo subscriberent inferre voluisset, ac fugam subire coegisset, beatissimus Leo dictam synodum universalem atque plenariam & auctoritate apostolica convocatam, sed a vera fide & ecclesiasticis regulis deviantem, eadem auctoritate submovit, & damnatis impiæ factionis auctoribus, Chalcedonensem synodum in correptionem illius convocavit, in qua eliminata Eutichiani erroris insania, Dioscorus pro sua temeritate & impietate mulctatus est. Ad eam synodum missi sunt Paschasinus & Lucentius episcopi, Bonifacius & Basilius presbyteri, qui sedis apostolicæ nomine præsiderent. Verum

A cum terminato consilio acta synodalia confirmari auctoritate apostolica Patres synodi humiliter postulassent, beatissimus Leo ea duntaxat censuit confirmanda quæ ad materiam fidei pertinerent. Quod autem Constantinopolitanæ sedi in Alexandrinæ & Antiochenæ præjudicium fuisset indultum, quamvis in ea re præsidentes suo nomine subscripsissent, tanquam indignum injustumque rejecit, asserens eam synodum ad extinguendam solum hæresim ac confirmationem fidei catholicæ congregatam, & præsidentibus suis facultatem in ea sola re fuisse concessam. Ex quibus evidenter elucet consilia plenaria semper auctoritatem a sede Apostolica suscepisse, nec sine illa aliquid virtutis aut roboris habuisse, & de ipsis judicandi apud eamdem semper facultatem judiciumque resedisse. Gesta etiam ecclesiastica percurrenti

B clarissime datur intueri convocatas synodos persæpe magnis simultatibus & dissensionibus laborasse, nisique affuisset apostolicæ sedis auctoritas, ecclesiam magno discidii vulnere perituram, multis excellentissimis & in ecclesia Dei præstantissimis Patribus iniqua factione pereuntibus, quæ ita se habere beatissimo Gelasio referente cognoscimus, dicit enim ad episcopos per Dardaniam constitutos: cuncta per mundum novit ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, ut pote quæ de omni ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Si quidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Sed nec illa præterimus quod Apostolica

C sedes sine ulla synodo præcedente solvendi quos synodus inique damnaverat, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportuerit, facultatem habuerit. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes Apostolica quæ damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Johannem C. P. synodus etiam Catholicorum præsulum certe damnavit, quem simili modo sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctum Flavianum pontificum Græcorum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat Dioscorum secundæ sedis præsulem sua auctoritate damnavit, & impiam secundam synodum Ephe-

D sinam non consentiendo sola submovit, ac pro veritate ut synodus Chalcedonensis fieret sola decrevit: in qua pontificibus innumeris qui in latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostravit, quam congregatio quæ ibi pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta: quoniam sicut id quod prima sedes non probaverat constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, ecclesia tota suscepit. Nonne beatissimus Gelasius Basiliensium frontes atque oculos evidentissima rerum demonstratione confodit! & nisi in clarissimo solis jubare cæci esse persistant, coguntur advertere quanto errore teneantur! Verum quod Hieronymus scribit in illis dubitamus impleri, hæreticum hominem post primam

E aut secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, & delinquit proprio judicio condemnatus. Cæterum si quis generales synodos Occidentalis ecclesiæ mente percurrat, inveniet Apostolicam sedem non modo auctoritatem roburque eis dedisse, verum in eis semper magisterium judiciumque tenuisse. Celebravit Alexander tertius unam Lateranensem synodum, aliam Innocentius tertius, Remensem Eugenius tertius, Lugdunensem unam Innocentius quartus, aliam Gregorius decimus, Viennensem unam Clemens quintus, plures præterea ante istas diversi celebravere pontifices, verum in omnibus ea sola robur habuere quæ Apostolicæ sedis sanxit auctoritas, cum scirent Patres in synodis

congregati gesta synodalia firmitatem ab Apostolicæ sedis auctoritate suscipere, in qua Dominus totius ecclesiæ posuit principatum. Denique omnia decreta synodica declarandi, interpretandi, dispensandi a Christianæ religionis exordio apud Apostolicam sedem semper mansit auctoritas, nulla per quamcunque synodum potestate concessa, sed ex sola plenitudine potestatis in B. Petro Domini & Salvatoris nostri voce collatæ. Ut enim inquit Nicolaus secundus ad Mediolanenses, Romanam ecclesiam solus ipse fundavit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni simul & cœlestis imperii jura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum quo constructum est cœlum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa Romanam fundavit ecclesiam. Illius certe privilegio utitur, illius auctoritate fulcitur: unde non dubium est quin quisquis cuilibet ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam faciat; qui autem Romanæ ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur, & cum ille notetur injustus, hic est dicendus hæreticus; fidem quippe violat qui adversus illam agit quæ mater est fidei, & illi contumax invenitur, quam universis ecclesiis prætulisse cognoscitur. Et Nicolaus primus ad Michaëlem imperatorem Græcorum inquit: Romanæ ecclesiæ privilegia Christi ore in beato Petro firmata, in ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta ecclesia jugiter venerata nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit humanus non valet amovere conatus, & quod Deus statuit, firmum validumque consistit. Itaque plurimum peccat qui Dei ordinationi tentat resistere. Privilegia, inquam, istius sedis perpetua sunt, divinitus radicata atque plantata sunt, impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt, quæ ante imperium nostrum fuerunt & permanent Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post nos & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, non cessabunt immutilata subsistere. Videtis, dilecti filii, quod prædecessores nostri vere catholici sanctique pontifices de sedis Apostolicæ auctoritate tenuerunt; videtis quid sacra concilia Orientalis & Occidentalis ecclesiæ verbo & opere docuerunt. Cum ergo una & eadem a beato Petro in suis successoribus perseveret auctoritas, satis admirari de Basiliensium impietate non possumus, qui Apostolicæ sedis auctoritatem quæ jam mille & quadringentis annis intemerata permansit, nostris diebus temerare & mutilare contendunt, & quod beatissimus Leo in submovenda secunda Ephesina synodo & Chalcedonensi substituenda potuit & perfecit, nos in Basiliensi submovenda & Ferrariensi substituenda non potuisse submurmurant, cum tamen tales & tantæ causæ ejus translationis extiterint, ut majores in ecclesia Dei esse non possent, sicut Basilienses ipsi, cum concilium ibidem nostra auctoritate vigeret, decreto publice edito sunt professi. Aiunt enim nihil felicius aut gloriosius ecclesiæ Dei posse contingere, quam quod tot populi Orientalis ecclesiæ, qui numerositate sua fere Occidentalis ecclesiæ populos adæquarent, nobiscum in ejusdem fidei unitate jungerentur; nihilque salubrius ab exordio nascentis ecclesiæ Christiano populo contigisse, quam quod tam diuturnum schisma de medio tolleretur; nihil denique omittendum dicebant esse, quo tantæ rei fine frueremur, & non tantum caducam hujus mundi substantiam, sed animam debere simul & corpus impendi. Demonstrant his verbis Basilienses quanta cæcitate teneantur, quantaque sit sui sceleris magnitudo, dum rem tanto præconio tamque sublimi prædicatione laudatam, in posterum tam imprudenter & tam impie impedire conati sunt, nefandum schisma, quod, ut ait Augustinus, omnia sacrilegia excedit, in Occidentali ecclesia suscitantes, ne schisma Orientalis ecclesiæ de medio tolleretur. O quantum mentita est iniquitas sibi! pollicebantur orbi terrarum magno & insigni titulo Spiritus Sancti quem congregationis suæ profitebantur auctorem, se ad Christiani populi pacem unitatemque collectos, verum patris sui Belial semitas incedentes adunata dividere, collecta dispergere omni vigilantia studuerunt, abominandum desolationis idolum in Dei ecclesia statuentes. Cæterum & ante translationem nostram ipsamet Basiliensis synodus se ipsam per decretum synodale transtulerat, saniori parte concilii, ad quam deligendi loci pro Græcis auctoritas jure fuerat devoluta, translationem hujus modi faciente, nostrorum etiam præsidentium & nostra auctoritate fungentium accedente consensu, huic translationi oratores Græcorum Basileæ per id temporis commorantes præstitere consensum, clare prospicientes alia via haberi non posse sanctæ unionis effectum, idque publice protestantes. Propterea nobis Bononiæ supplicarunt ut translationi prædictæ auctoritatem adjicientes, rem ipsam quæ per alium expediri non posse videbantur, exequi dignaremur. Quod tandem cum maximis laboribus & expensis, Deo adjuvante perfecimus. Nos ergo consequenti tempore concilium illud apostolica auctoritate transtulimus multis & rationabilibus & notoriis causis ita fieri exigentibus, prout in decreto Bononiæ per nos edito plenius continetur. Ex ea congregatione concilii quantus ecclesiæ honor & fructus accesserit, etiam hostes tam sancti operis credimus non latere: secuta est enim Græcorum unio multis ante seculis concupita: sublatum etiam est illud Armenorum schisma diuturnum, qui fere mille annis, & Græci quasi quingentis a Romanæ ecclesiæ obedientia & devotione discesserant. Cupierunt Patrum nostrorum secula ista perspicere, sed minime potuerunt inscrutabili providentia Dei hoc nostris temporibus reservante, cui immortales gratias agimus, quod impræsentiarum videamus impletum. Aderit, ut confidimus, misericordia ejus, præstabitque ut his sanctis operibus aliisque secuturis hostes omnis boni operis erubescant, ac simul confundantur & pereant. Verum quia sibi de Constantiensis concilii auctoritate blandiuntur, oportere perspicimus ut eorum in hac parte perfidiam demonstremus. Nemini dubium esse confidimus quin totius ecclesiæ una sit fides, nec possit aut potuerit per ulla tempora variari. Si ergo decretum a patribus obedientiæ Johannis XXIII tempore schismatis Constantiæ editum continet veritatem, oportet evangelio, sacris doctoribus, conciliisque concordet, debet ergo ex illis intelligentiam sumere, & quasi firmamento stabili cohærere. Nam nisi sanctorum doctorum intelligentiæ, ecclesiasticis regulis diffinitionibusque concordet, non potest veritate muniri. Clamat autem unanimi consensu sanctorum turba doctorum beatissimum Petrum a Domino super universam Christi ecclesiam supremum constitutum esse pastorem, sibi plenaria potestate concessa. Hoc Cyprianus, hoc Ambrosius, hoc Hieronymus, hoc Augustinus, hoc Gregorius, hoc Johannes-Chrysostomus, hoc Cyrillus, hoc beatissimus Leo tenuere, & denique omnibus sacris doctoribus vox ista communis est: hoc idem Orientis Occidentisque superiora concilia verbo & opere evidentissime docuere, & supremum apicem potestatis in sede apostolica collocatum eximiæ laudis præconio tradidere; hoc omnis schola Theologorum qui proximioribus floruere temporibus, qui semper catholice sancteque vixerunt, & ecclesiæ Dei doctrinæ & fidei fluenta ingentia tradiderunt, unanimi consensu & voce professi sunt. Isti, ut utamur verbis Augustini contra Julianum, sunt viri docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas fatuitates, in quibus non possunt Basilienses invenire quod * spernant.

* F. sperant.

Si episcopalis synodus ex toto orbe convocaretur, mirum si tales possent illic faciliter sedere, quia nec isti uno tempore floruerunt; sed fideles & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorum distantias, sicut ei placuit atque expedire judicat, ipse dispensat. Oportet ergo decretum illud sanctorum doctrinæ & fidei convenire, & quod de sedis apostolicæ auctoritate super universam ecclesiam docuerunt, unanimi fide & sententia comprobare, quoniam quicquid veritati isti catholicæ contradicit, alienum a fide esse necesse est. Necesse est ergo talem decreto illi intelligentiam dari ut veritati huic, a catholicæ ac christianæ religionis exordio perseveranter usque in hæc tempora prædicatæ, sine hæsitatione concordet. Quod si ad discrepantem ab hac veritate intelligentiam protrahatur, sicut Basilienses pro sua impietate contendunt, necesse est omnem hujusmodi sensum existimare falsissimum & veritati catholicæ repugnantem. Quis enim tam injustus rerum existimator inveniri poterit, qui non intelligat quoscumque taliter opinantes false erroneeque sentire, cum necesse sit ut tot Patrum sententiæ, qui superiori tempore in ecclesia floruerunt, nisi veræ esse non possint? Quemcumque ergo sensum sanctorum Patrum intelligentiæ repugnantem falsum atque perversum esse necesse est. Nec sibi Basilienses de nomine sui concilii blandiantur, nam nisi scripturis divinis sacrisque doctoribus synodalia decreta concordent, nulla atque irrita censeantur oportet. Nonne beatus Augustinus duo Africana concilia, in quibus magnus episcoporum numerus legitur assuisse, & in altero beatissimus Cyprianus magis existimavit super rebaptizandis hæreticis a veritate deviasse, quam consuetudinem ecclesiæ usque in ea tempora conservatam tenuisse! Nec dedignentur de suo errore reprehendi, sed audiant beatissimum Augustinum de unico baptismo contra Donatistas; ait enim, quis autem nesciat sanctam scripturam canonicam tam veteris quam novi testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel rectum sit quicquid in ea scriptum esse constiterit! episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem doctioremque prudentiam, & per concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritate quæ fiunt in universo orbe Christiano sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typo sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate christiana! Cæterum ut aliquid de decreti illius Constantiæ editi qualitate tangamus, constat per id temporis ecclesiam tribus obedientiis fuisse divisam. Constat enim synodum illam hunc habuisse progressum, ut in sui principio Johannis XXIII obedientia sola convenerit, post aliquantum temporis Gregorii, ultimo Benedicti, quæ christianitatis pars non modica erat. Ante tempus conventionis suæ plenarium non fuit concilium, nec prius activata quasi synodi generalis aut plenariæ auctoritate suscepit. Itaque oporteret ipsis convenientibus primo ab obedientia Gregorii, deinde ab obedientia Benedicti novum concilium convocari, tuncque universa ecclesia concurrente plenariæ sydodi rem & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum temporis a patribus ibidem considentibus actum est, universæ ecclesiæ non debet adscribi, sed eis tantum qui ibidem consedebant, & unius tantum obedientiæ synodum faciebant. Nec tamen hi omnes in eam sententiam concurrerunt, sed nonnulli reclamavere graviores, qui strepenti multitudine superati, sicut his novissimis temporibus quibus carnales exuberant passiones, factum esse manifestum est, audiri nequiverunt. Nec propterea Constantiensis concilii conclusio revocatur in dubium, qua schismatis diuturni fetore depulso actum est, ut ecclesia uno capite & Christi vicario potiretur, quoniam decreto illo etiam non edito non minus eliminari schisma potuisset. Cæterum nec plenaria synodus quovis tempore congregata apostolicæ sedis auctoritatem valuisset infringere, quoniam sicut Jesu-Christi Domini nostri fuit eam instituere, ita ad eum solum destituere aut minuere pertinebat. Cum ergo in conciliis etiam legitime congregatis possint variæ affectiones & diversæ contingere simultates, quibus in periculum traheretur ecclesia, ut beatissimus Leo & plerique prædecessores nostri magistra experientia didicerunt, & nos qui vivimus & residui sumus manibus pedibusque palpamus, non potuit aliqua universalis synodi constitutione decerni, ut in nullum eventum posset Romanus pontifex congregatam synodum summovere nec posset se ipsum hujus legis vinculo eximere sine gravi salutis suæ dispendio, sine sedis apostolicæ præjudicio, sine fidei & universæ ecclesiæ gravissimo inevitabilique periculo. Nec hoc statuit Constantiense concilium, sed generali lege decrevit synodum non debere transferri, necessitatis aut evidentis utilitatis articulum non excludens. Videtis, dilecti filii, quæ inimicus salutis humanæ his novissimis temporibus venena seminaverit, ut universam ecclesiam vulneraret, & ipsum Christi corpus, quod sub ipsa passione crucifixores scindere nequiverunt, crudelissime laceraret. Videtis hoc calle patefacto, omnibus hæresibus aditum aperiri, apostolicæ sedis auctoritate contempta, quæ omnes effugare consuevit. Occurendum est, dilecti filii, & omni studio resistendum, ut venena ista depereant. Vos ergo quos non tantum titulus christianitatis, verum etiam professionis astringit, adeste catholicæ fidei, adeste veritati, adeste apostolicæ sedi quæ magistra & mater est fidei, adeste illi quæ totius orbis in fide instituit & fundavit ecclesias, adeste illi quæ vestri est auctor honoris, vestræ est origo dignitatis. Illi rependite vicem, illi affectum reddite filialem. Milites Christi estis, quoniam fidei militatis. Contra has ergo hostis insidias vigilem exhibete militiam. Adeste fortiter, adeste constanter, nec juxta Apostolum peregrinis doctrinis & variis abducamini, ut fundatissima fides a christianæ religionis exordio prædicata, a sanctis doctoribus declarata, a sacris synodis observata, in sua integritate permaneat, & impiorum adinventiones garrulæ & aniles fabulæ conticescant, ab eo coronam immarcessibilem percepturi, cujus ecclesia tam turpiter & impie laceratur, & in cujus sanctis litteris legitur, *qui autem ad justitiam erudiunt alios, lucebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, tertio decimo kal. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

L I I.

Potestas facta duobus procuratoribus a Conrado episcopo Metensi tractandi de restitutione villæ Spinalli cum rege Christianissimo Carolo VII.

CONRADUS Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus Metensis, universis & singulis præsentes litteras inspecturis salutem. Noveritis quod cum nos nuper pro recuperatione villæ & banni de Spinallo, una cum suis juribus, jurisdictionibus, dominiis & pertinentiis universis Tullensis diœcesis ad mensam nostram episcopalem Metensem, a tanto tempore & per tantum tempus, cujus initii seu contrarii hominum memoria non existit, jure dominii & 1453.

proprietatis, vel quavis alia ratione etiam & ad casam nostræ Metensis ecclesiæ legitime spectantibus & pertinentibus, a nostra & dictæ ecclesiæ obedientia & subjectione ab octo annis citra substractis, & a Christianissimo Francorum rege detentis: nec non pro illorum ad jus & proprietatem dictæ nostræ ecclesiæ, mediante Dei auxilio, reductione & repositione, dilectos nostros nepotes Johannem *Bayer* Treverensis & Metensis ecclesiarum archidiaconum, & Henricum *Bayer* militem procuratores nostros legitimos, ad pro nobis & nomine nostro, de & super querela & controversia, quæ inter præfatum Christianissimum regem ex una, & nos de & super villa & banno, juribusque, jurisdictionibus, dominiis & pertinentiis prædictis, ipsorumque recuperatione, ac eorum occasione ex altera partibus moveri speratur, una cum suis incidentibus, emergentibus, dependentibus & connexis in nonnullos reverendissimos in Christo patres & dominos dominos sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales tanquam arbitros, arbitratores & amicabiles compositores condescendum & compromittendum modo & forma in nostris desuper confectis procuratorii mandati literis contentis & declaratis, fecerimus, constituerimus & ordinaverimus: venerabiles & dilecti fratres nostri decanus & capitulum prædictæ ecclesiæ nostræ quam plurimum affectantes hujusmodi recuperationem ad effectum debitum pervenire, ad nostram instantem petitionem eis desuper factam, præfatos nepotes nostros etiam in suas legitimas procurationes, ad pro eis & eorum nominibus hujusmodi compromisso & arbitramento juxta & secundum formam procuratorii nostri mandati inieudum & fiendum, consentiendum, & consensum suum pariter & assensum in quantum eos tangit & concernit, præstandum, etiam modo & forma in suis literis desuper confectis fecerint, constituerint & ordinaverint. Hinc si quidem fuit & est quod nos considerantes dubios judiciorum eventus, confidentes tamen in Domino, & bono jure nostro & dictæ ecclesiæ nostræ, volentesque nihilominus eosdem decanum & capitulum propter hoc indemnes reddere, relevare & conservare, si contingeret, quod absit, aliquam sententiam vel condemnationem ferri, aut in aliquibus expensis, pœnis, interesse, damnis aut aliis pecuniarum summis nos & eos conjunctim vel divisim præmissorum occasione condemnari, vel eos in aliquo qualitercumque vexari, perturbari, & damnificari vel molestari: ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, sicut tenemur & efficaciter obligamur, promittimus per præsentes in verbo prælato pro nobis & successoribus nostris Metensibus episcopis, decanum & capitulum supradictos, ac eorum quemlibet indemnes & immunes conservare, ac eos relevare ab omni expensarum onere aliisque damnis, pecuniarum summis, vexationibus, perturbationibus & molestationibus, &c. . . . In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes literas exinde fieri, sigillique nostri una cum signeto manuali secretarii nostri subscripti fecimus appensione communiri. Datum in domo nostra episcopali Metensi, anno ab Incarnatione Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, die Sabbati decima mensis Martii.

L I I I.

Dominus Georgius episcopatus & ecclesiæ Metensis generalis coadjutor a Conrado eligitur.

1457. Nos Conradus Dei & sedis Apostolicæ gratia Metensis episcopus, universis & singulis has præsentes nostras literas inspecturis, lecturis & audituris salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod nos debite considerantes vitam humanam potissime in senibus & provectis ætate dubiam esse & incertam; & desiderantes quantum in nobis est obviare futuris indemnitatibus subditorum nostrorum ecclesiæ & episcopatus nostri Metensis, maxime propter sincerum amorem & singularem affectionem quos ad ecclesiam & episcopatum prædictos gerimus, qui quidem episcopatus prolixus, dominiosus & laboriosus est, & qui viro maxime in spiritualibus & temporalibus provido, potenti, circumspecto & discreto indiget, qui diversis & bonis mediis illum cum summa prudentia & experta discretione regat, protegat & defendat; quemadmodum nos Domino disponente spatio annorum quadraginta trium vel circa reximus, gubernavimus & defendimus, redimendo & recuperando plurima dominia, membra & possessiones ejusdem episcopatus, quæ pro gravibus & magnis pecuniarum summis per nostros prædecessores impignoratæ & impignorata fuerant, & pro quibus, vicibus reiteratis posuimus corpus nostrum atque parentum & amicorum nostrorum in maximis periculis, tædiis, vigiliis & angustiis, in defendendis, manutenendis & recuperandis dictis villis, castris, fortaliciis, membris & possessionibus ejusdem, ac ad resistendum & obviandum adversariis & inimicis nostris & dictæ ecclesiæ, ac eorum insultibus importunis, qui posse tenus nituntur damnificare, usurpare & molestare dictum nostrum episcopatum, quibus necesse est omnino obviare & vigiliis resistere opportunis, prout huc usque quantum in nobis fuit, fecimus cum gravibus oneribus, sumptibus & expensis, novit Deus. Considerantes etiam quod propter graves & insupportabiles labores, vigilias & angustias quos & quas ad causam dicti nostri episcopatus, retroactis temporibus, sustulimus atque supportavimus, & etiam principaliter quia nos ut supra dictum est, jam amodo senili ætate ponderosus & debilis efficimur regimini, administrationi & defensioni prædicti nostri episcopatus & dominiorum ejusdem, sicut temporibus efluxis fecimus, & adhuc facere vellemus, si nobis possibile esset, sicut in eundo, veniendo, prosequendo, litigando, resistendo, defendendo & manutenendo jura & dominia ejusdem episcopatus & subditorum ejusdem, intendere non valemus. Et ut his periculis & inconvenientiis quæ contingere possent, obvietur, ac debita & necessaria provisio adhibeatur; quodque etiam prædicta dominia, castra, villæ, membra, possessiones, & patria una cum subditis ejusdem melius & securius præserventur, custodiantur & manuteneantur contra inimicos, qui propter nostram senectutem & debilitatem vel alias possent nos in futurum invadere, vexare & molestare; & ne per defectum debitæ provisionis episcopatus & subditorum prædictorum sequatur destitutio, pia consideratione, caritate, amore & dilectione, quibus ad dictam ecclesiam afficimur & ex debito tenemur moti deliberavimus, determinavimus, ac matura magnatum & nobilium nostri episcopatus ac peritorum deliberatione, maturoque tam ecclesiasticorum quam secularium habito desuper consilio, decrevimus, conclusimusque esse necessarium, conveniens & utile nos habere coadjutorem in spiritualibus & temporalibus per nos de consensu nostri capituli assumendum, deputandum, committendum & ordinandum, qui onera, regimen & administrationem, ac dictum nostrum episcopatum & subditos ejusdem defendendi, præservandi, regendi & gubernandi habeat potestatem. Et propterea nos Conradus episcopus supradictus matura deliberatione, ut præfertur, præhabita ac ex causis supradictis sponte & libere confidentes ad plenum de probitate, industria & habilitate illustris principis domini Georgii marchionis Badensis, canonici Coloniensis, in nostrum & dictorum ecclesiæ & episcopatus Metensis generalem coadjutorem in spiritualibus & temporalibus, & gubernatorem, manuburnum & administratorem, de consensu nostri capituli prædicti assumimus, constituimus, &c. . . .

Datum & actum in oppido nostro de Vico nostræ A diœcesis, sub anno ab Incarnatione Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, indictione quinta, die vero quinta mensis Octobris.

L I V.

Breve Pii II papæ ad proconsules, consules & communitatem civitatis Metensis.

1462. PIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis proconsulibus, consulibus & communitati civitatis Metensis salutem & apostolicam benedictionem. Scripsimus alias vobis super provisione per nos facta ecclesiæ Moguntinensis de persona dilecti filii Adolphi *de Nassaw*, quæ nostrum & apostolicæ B sedis honorem ac debitum vestrum concernere visa sunt. Dubitantes autem ne forte litteræ nostræ hujusmodi ad vos pervenerint, iterum scribendum vobis duximus, quod intelleximus non sine amaritudine mentis nobilem virum Fridericum comitem Palatinum Rheni, quem antea dileximus plurimum, & Catholicum principem esse putavimus, mutata nunc mente non sine infamia sua & domus, in reprobum sensum esse conversum. Asseritur quippe nobis ipsum, licet conscius sit quam juste iniquitatis filius Dietherus *de Isembourg* Moguntinensi sit privatus ecclesia, vi tamen & armis contra provisionem apostolicam in personam præfati Adolfi *de Nassaw* per sedem apostolicam factam consurgere, & castra quædam atque oppida ejusdem ecclesiæ in mercedem infamis C peccati pactum fuisse. Ferre nos offensionem hujusmodi nec debemus nec possumus. Non enim est nostra, sed Dei, sed sedis Romanæ, sed universalis ecclesiæ, cujus est nobis cura commissa. Debetis pro vestro debito non deesse defensioni justitiæ: sic enim officium bonorum virorum & verorum Catholicorum postulat. Hortamur itaque vos in Domino, & per obedientiam quam debetis nobis requirimus, insuper mandamus sub excommunicationis latæ sententiæ nec non interdicti in hujusmodi civitate, aut in terris & locis vobis subjectis, amissionisque omnium & singulorum privilegiorum ac quorumcumque ecclesiasticorum feudorum, nec non maledictionis ecclesiasticæ pœnis, quas nos contravenientes ipso facto incurrere volumus, quatenus ipsi Diethero privato, D adhærentibusque & complicibus ac sequacibus suis quocumque nomine censeantur, & quacumque dignitate præfulgeant, neque consilium, neque auxilium, neque favorem, neque assistentiam ullam, nec denique suffragium aliquod verbo, vel scripto, vel opere recto vel indirecto, aut aliquo quæsito colore impendatis impendive faciatis. Quin imo sub eisdem pœnis ipsi Adolfo *de Nassaw* & adhærentibus ac fautoribus suis illico & sine mora cum omnipotentia assistatis, & pro honore nostro ac pro salute Moguntinensis ecclesiæ illum constantissime juvetis. Facietis rem placentem Deo, dignam catholico populo, & nobis admodum caram, qui pro bono publico & ad corrigendum malignantium pravitatem remedia hujusmodi quærimus. Et nihilominus vos ab omnibus & singulis E unionibus, confœderationibus, pactis, promissionibus, feudis, homagiis & vinculis quibuscumque etiam juramento roboratis, quibus forsitan præfatis Diethero aut Friderico comiti Palatino, seu illis in præmissis adhærentibus quomodolibet astricti & obligati estis, quamdiu provisionem apostolicam præfatam evidenter defenderitis, & iidem Dietherus ac Palatinus ac complices eamdem oppugnarint, absolvimus & absolutos censemus, vosque præmissorum occasione aliquam pœnam non incurrisse, aut in futurum minime incurrere, neque ullam a vobis per ipsos seu quemvis alium exigi, aut ad solvendum coarctari posse decernimus & declaramus per præsentes. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, pridie kalendas Maii, pontificatus nostri anno quarto, &c. . . . . .

L V.

Decretum capituli Metensis de translatione sua ad Pontem-Montionis.

DECANUS & capitulum ecclesiæ Metensis, 1462. primicerio nostro notorie absente, universis & singulis præsentes litteras inspecturis, visuris, lecturis & audituris salutem in Domino sempiternam & præsentibus fidem indubiam adhibere. Universitati vestræ notum facimus quod cum nuper domini justitiarii, cives & gubernatores civitatis Metensis, ex eo quod eorum ordinationi in præjudicium libertatis ecclesiasticæ & detrimentum animarum nostrarum & ecclesiæ nostræ læsionem non modicam, occasione nonnullorum mandatorum apostolicorum eis directorum adhærere, & eorum voluntati parere recusavimus, prout nec debebamus nec tenebamur, nec absque conscientiæ nostræ læsione & status nostri periculo, eorum petitioni, & in nostri superioris Romani pontificis contemptum in his acquiescere licite poteramus: certa statuta sive proclamationes, ordinationes & mandata minus justa & rationabilia ecclesiam nostram Metensem, personas nostras ac libertatem ecclesiasticam, nostraque & dictæ ecclesiæ nostræ jura plurimum offensiva, nec quoquomodo toleranda, contra nos nostrosque familiares res & bona nostra, nobisque in hac parte adhærentes, die Veneris, quæ fuit nona dies præsentis mensis Julii anni subscripti, in civitate Metensi & ante prædictam ecclesiam, ac in loco ubi publica eorum edicta, proclamationes & criminosorum proscriptiones seu bannitiones fieri consueverunt, per suos ad hoc deputatos proclamari fecerunt & mandarunt, per quæ alimenta & alia vitæ necessaria per suos & dictæ civitatis subditos indirecte nobis subtrahebantur. Quorum edictorum sive proclamationum per nostros deputatos petita copia denegata extitit. Non valentes illa salvis juramento dictæ ecclesiæ præstito & conscientia nostris cum dissimulatione pertransire, ac propter lites & controversias quæ prædictorum occasione oriri poterant in futurum, ac etiam pro corporum nostrorum & libertatis ecclesiasticæ conservatione, aliisque causis rationabilibus animum nostrum moventibus suis loco & tempore declarandis: personas nostras, vicarios, capellanos & clericos, cæterosque officiarios, locumque nostrum capitularem, imo verius ipsum capitulum cum omnibus & singulis causis & negotiis in eodem jam inchoatis, in aliis & dicto capitulo tractandis cum divino servitio, ab hora tertiarum crastina, quæ erit dies Jovis quinta decima ejusdem mensis Julii anni subscripti, in antea ad locum Pontis-Montionis Metensis diœcesis, apud ecclesiam S. Antonii dicti loci transtulimus & ex nunc transferimus per præsentes. Quæ omnia & singula universis nostris concanonicis & aliis quorum interest, intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum, intimamus, insinuamus & notificamus, ac ad eorum & cujuslibet eorum notitiam deducimus & deduci volumus per præsentes. Inhibentes propterea omnibus & singulis prædictis concanonicis nostris sub pœnis a capitulo nostro inferri consuetis, ne alibi quam in dicto nostro translato capitulo, nobiscumque de rebus ecclesiæ nostræ aut subditorum ejusdem tractare seu negotiari præsumant. Alioquin in irritum attentata revocabimus, ac ad eorum punitionem procedemus justitia mediante, &c. . . . . Datum in capitulo nostro Metensi nobis inibi capitulariter congregatis & capitulantibus & ad sonum campanæ convocatis, sub anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, indictione decima, die vero Mercurii decima quinta mensis Julii, pontificatus sanctissimi in Christo

patris & domini nostri domini Pii divina providentia papæ secundi anno quarto.

L V I.

Ludovicus XI Francorum rex decanum & capitulum ecclesiæ Metensis sub regiam protectionem suscipit.

1462. *LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France; à tous ceux qui ces présentes Lettres verront, salut. Sçavoir faisons que à la supplication & requeste de nos très-chers & bien aymez les Doyen & Chapitre de l'église de Metz, qui sur ce nous ont suppliez & requis, & mesmement pour consideration de ce que ladite église est fondée par feu de glorieuse mémoire le Roi Charlemagne, en son vivant Empereur & Roi de France; afin aussi que nous soyons participants ez prières & bienfaits en ladite église, & pour autres justes causes & considerations à ce nous mouvantes, nous avons lesdits Doyen & Chapitre de Metz, ensemble tous leurs familiers & serviteurs, possessions & biens quelconques, tant en chef qu'en membres, pris, mis & recueillis; prenons, mettons & recueillons par ces présentes, & chacun d'eux en & soubs notre protection & sauvegarde especial, à la conservation de leur droit tant seulement. Et leur avons ordonné & député, ordonnons & députons par eesdites présentes pour gardiens, nos Baillifs de Vermandois & de Vitry, & leurs Lieutenans, & chacun d'eux qui sur ce sera requis, pour les garder & défendre de toutes ruines, violences, oppressions, molestations & nouvelletés indues. Et voulons qu'en signe d'icelle notre sauvegarde, ils mettent ou facent mettre & apposer nos panonceaux & bastons royaux en & sur leurs maisons, manoirs, possessions & biens quelconques, tant patrimoniaux comme ecclésiastiques, & que notredite sauvegarde ils signifient ou facent signifier ès lieux & aux personnes qu'il appartiendra, & dont ils seront requis, en faisant ou faisant faire inhibitions & défenses de par nous, à tous ceux qu'il appartiendra, sur certaines & grandes peines à nous appliquer, que auxdits Doyen & Chapitre de Metz, leurs familiers, serviteurs, ne à aucun d'eux ils ne mesfacent ou facent mesfaire en corps ne en biens, en quelque maniere que ce soit. Et si aucune chose avoit esté ou estoit faite contre, ne au préjudice de nostredite sauvegarde, qu'ils la reparent ou facent reparer & mestre sans delay au premier estat & deub. Car ainsy nous plaist-il estre fait, & ausdits suppliants l'avons octroyé & octroyons par ces présentes, ausquelles, en tesmoing de ce nous avons fait mettre notre sceau. Donné en notre cité de Bayeux le vingt-quatrieme d'Août, l'an mil quatre cent soixante-deux, & de notre regne le deuxieme.*

L V I I.

Brevia duo apostolica ad regem & cancellarium Franciæ Petrum de Morvilliers, *in quibus gratulatur eis pontifex ob amplexatam ecclesiæ Metensis tutelam.*

CARISSIME in Christo fili, salutem. Intelleximus tuam serenitatem, ut decet Christianissimum regem, summo desiderio amplexatam esse defensionem & tutelam ecclesiæ Metensis suorumque jurium, quæ superioribus annis per cives occupata & conculcata exiterunt; quodque pro sublevanda & recuperanda libertate ecclesiastica, ecclesiam præfatam in tuam salvam gardiam suscepisti. Quæ res plurimum nobis placet, & bonum animum voluntatemque serenitatis tuæ in Domino commendamus, exhortamurque tuam celsitudinem, ut in hac laudabili dispositione perseveres, & ecclesiam prædictam quæ nobilis & insignis est, & a claris progenitoribus tuis fundata existit, omni favore & præsidio protegas & defendas, nec permittas ejus jura conculcari aut usurpari. Quod ad honorem sublimitatis tuæ apud homines cedet, apud Deum vero ad meritum & gloriam.

Ad cancellarium Franciæ Petrum Moranvillier.

DILECTE fili salutem. Scribimus ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem illustrem, commendantes suam serenitatem de bonis operibus ac de favoribus & subsidiis quæ præstitit ecclesiæ Metensi, eam protegendo in suis juribus & libertatibus, ac in suam salvam gardiam recipiendo, quæ res cum nobis, qui libertatem ecclesiasticam ubique conservari cupimus, merito sit gratissima, hortamur in Domino tuam devotionem, ut regiam serenitatem in bono ac laudabili proposito confirmare studeas, eamque inducere ut ecclesiam prædictam ejusque jura & libertatem commendata habeat & defendat. Quod Deo & nobis in primis gratum erit, & tuæ devotioni ad laudem & honorem cedet.

L V I I I.

Decretum Friderici III imperatoris in gratiam capituli Metensis adversus scabinos & rectores ejusdem civitatis.

FRIDERICUS divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hungariæ, 1462.
Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex; ac Austriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ dux, comesque Tirolis, &c. honorabilibus scabinis, justitiariis & rectoribus civitatis Metensis nostris & imperii sacri fidelibus dilectis, gratiam nostram cæsaream & omne bonum. Honorabiles atque fideles dilecti gravi insinuatione accepimus quod quamvis a pluribus retroactis annis, vos tum potentia, tum exquisitis vestris adinventionibus ecclesiasticam libertatem in dicta civitate nostra Metensi multifarie depresseritis, clerum illius & subditos ac eorum bona in servitutem vestram redigendo, privilegia ipsis a sede apostolica, nobis & divis Romanorum imperatoribus, & regibus prædecessoribus nostris aliisque concessa annihilando & infringendo, ad gabellarum & talliarum solutionem, portarum custodias & cætera vulgi onera angariando, presbyteros, clericos & ecclesiasticas personas carceribus mancipando & mulctando, de decimis & aliis spiritualibus licet de facto cognoscendo, personas eorum ad forum vestrum vetitum trahendo, plurimaque alia tam juri quam æquitati dissona, & in processu causæ & causarum hujusmodi suis loco & tempore specificanda perperam committendo: nihilominus tamen his minime contenti, sed mala malis accumulando, novissime occasione a quodam mandato & processu contra Fridericum Rheni Palatinum & Dietherum *de Isemburg* a sede apostolica in favorem venerabilis Adolfi *de Nassaw* electi & confirmati Moguntinensis, nostri & sacri imperii principis electoris, emanato sumpto non solum mandato huic apostolico hujusmodi parere recusaveritis, quin imo præfatos clerum & personas illius ne illi obedire auderent & præsumerent conati fuistis coercere. Nam ut in dicta nobis facta insinuatione subjungebatur, cum clerus prædictus juramentorum debito atque conscientia compunctus, uti tenebatur, mandatis apostolicis supradictis parere niteretur, vos horrendum quoddam edictum in sæpe dicta nostra Metensi civitate, populi multitudine congregata, & loco ubi facinorosi præscribi solent & relegari, fecistis publicari, ut nisi infra septem dies vobis contra mandatum apostolicum hujusmodi adhærerent & jungerentur, extra vestri protectionem se sisterent, officiorum vestrorum præsidibus sive justitiariis, ne ipsis justitiam, vitæ alimenta, debita quoque obsequia præstarent, & insuper ne debitores

ipsis credita persolverent, mercatoribus ne venderent, A laboratoribus ne prædia colerent, notariis ne bona & contractus reciperent, colonis ne fructus excrescentes colligerent & redderent, neque ipsis clericis in aliquo servirent, districtius inhibendo. Nos itaque rem hanc tam scelestam, si foret, conniventibus oculis præterire non valentes, vos scabinos, justitiarios & rectores civitatis nostræ Metensis præfatæ, authoritate nostra Romana Cæsarea requirimus & monemus vos, sub amissionis omnium & singulorum privilegiorum & libertatum vestrarum a nobis, divis Romanorum imperatoribus & regibus per vos sive prædecessorum vestrorum quemlibet obtentorum, nec non centum librarum auri puri ærario nostri fisci applicandarum pœnis, districtius præcipiendo mandantes, quatenus infra novem dierum spatium publi- B cationem seu insinuationem præsentium vobis desuper factam proxime sequentium, supra nominatum clerum illiusque prælatos, personas, conjunctos & familiares, quemadmodum edicti hujusmodi promulgationis tempore, & ante id in civitate nostra prædicta morabantur & degebant, ecclesiastica libertate, privilegiis, juribus, immunitatibus & laudabili consuetudine eorum ab antiquo observari solitis, absque ulla offensa, quantum in vobis est, degere & morari sinatis & permittatis; domos, res, bona, familiam, prout forsan ablata sunt & alienata cum pertinentiis eorum ipsis & cuilibet eorum integre restituendo, vel saltem sexagesima tertia die publicationem sive insinuationem prædictam immediate sequente, si dies ipsa sexagesima tertia juridica fuerit, alioquin proxima die juridica imme- C diate tunc sequente, coram nobis vel deputando ad hoc per nos judice in curia nostra imperiali, ubi nos aut eumdem ad causam hujusmodi judicem pro tribunali sedere contigerit, legitime compareatis, quare ad præmissa non teneamini causas rationabiles, si quæ sunt allegaturi, alioquin vos in pœnas prædictas damnabiliter incidisse declarari visuri & audituri. Præterea ne facilitas veniæ cæteris in antea incentivum tribuat taliter delinquendi, ac ut justitia debitum suum sortiatur effectum, vos scabinos, justitiarios & rectores supradictos præsentium tenore hortamur & monemus quatenus sexagesima tertia die publicationem præsentium mandati nostri immediate sequente, si dies ipsa sexagesima tertia juridica fuerit, & nos vel commissarius noster in hac parte forsitan deputandus pro D tribunali sederimus aut sederit, alioquin proxima die juridica ex tunc immediate sequente, qua nos vel eumdem nostrum subrogandum commissarium ad jura reddenda in imperiali nostra curia præsidere contigerit; quorum sexaginta trium dierum viginti unum pro primo, viginti unum pro secundo, & reliquos viginti unum dies pro tertio & peremptorio termino vobis præfigimus & assignamus, legitime compareatis, imperialis nostri fisci procuratori, nostri & sacri imperii vice, præmissorum omnium & singulorum occasione, de justitia responsuri, testificantes vos omnes & singulos prædictos, quod sive in citationis hujusmodi termino, ut præmissum est, comparueritis, aut non; nos nihilominus, vel subrogandus ipse noster commissarius in præmissis omnibus & singulis ad dicti procuratoris fiscalis instantiam & E invocationem, prout justum fuerit, procedemus aut procedet, contumacia vestra in aliquo non obstante. Datum Viennæ, die penultima mensis Septembris, sub nostri imperialis sigilli impressione, anno Domini millesimo quadringentesimo secundo, regnorum nostrorum Romani vigesimo tertio, imperii undecimo, Hungariæ vero quarto.

L I X.

Pii papæ II bulla excommunicationis latæ adversus magistrum scabinum, tredecim justitiarios & rectores civitatis Metensis.

PIUS episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Si prodiens ex iniquitatis adipe 1462. sceleratorum execranda improbitas tantam in se susceperit temeritatis audaciam, ut quia aquam maledictionis bibentes, ecclesias & ecclesiasticas personas persequi non desistant, eo rigorosius adversus ipsos adultrix est amplectenda correctio, ac dispendiis ecclesiarum & personarum hujusmodi occurrendum, ut culpæ condignus succedat aculeus, & ne impunita delinquendi præsumptio aliis blandiatur. Sane clamosa insinuatione & fama publica præcedente non sine animi perturbatione intelleximus quod pridem magister scabinus, tredecim justitiarii, proconsules, consules, gubernatores & communitas civitatis Metensis, qui a nobis & quibusdam mandatis nostris eis directis honorem sedis apostolicæ concernentibus, ac excommunicationis, interdicti & alias pœnas in se continentibus, quamdam frivolam, nullam & improbam appellationem interposuerunt, iniquo animo ferentes quod dilecti filii decanus & capitulum majoris, & nonnulli S. Salvatoris & S. Theobaldi, ac B. Mariæ Rotundæ Metensium ecclesiarum canonici adhærere & secum eis jungere recusarunt, prout merito recusare debebant, statuta, ordinationes & proclamationes contra libertatem ecclesiasticam & contra dictos decanum & capitulum fieri jusserunt in locis in quibus criminosi & malefactores banniri consueverunt, videlicet ne aliqui sub gravibus pœnis decano & capitulo prædictis eorumque familiaribus quæcumque alimenta vel victualia seu vitæ necessaria ministrare, vendere, aut cum eis in aliquo humanitatis usu participare; nec justitiarii dictæ civitatis eis justitiam ministrare, nullique eorum vineas seu terras aut prædia colere, nec eorum domos locare præsumerent: notariis quoque Amanciis, ne aliquos contractus in eorum favorem reciperent, ac debitoribus ipsorum, ne eis aliqua debita solverent, nec quascumque possessiones, prata, vineas, terras, piscarias, stagna locatione vel emptione reciperent; ne quis etiam blada vel vina eorum existentia recolligeret; nec non alia quam plurima nefanda proclamari fecerant, propter quæ præfati decanus & capitulum cum suis chorialibus coacti fuerunt eorum ecclesiam relinquere, & ad oppidum Pontis-Montionis Metensis diœcesis se transferre, non sine maxima perturbatione populi Metensis, ipsorumque decani & capituli gravissimo præjudicio. Nos igitur ad quos pertinet super his adhibere nostræ vigilantiæ curam, attendentes quod præmissa fuerunt & sunt mali exempli, & etiam in nostrum & prædictæ sedis contemptum processerunt; & propterea nolentes, prout nec velle debemus, ea impunita remanere; statuta, ordinationes & proclamationes hujusmodi fuisse & esse temerarias, illicitas, iniquas, indebitas & injustas, ipsisque illas fuisse & publicasse seu publicare minime licuisse neque licere: ac magistrum scabinum, tredecim justitiarios, proconsules, consules & gubernatores prædictos etiam nominatim, excommunicationes ac omnes alias & singulas sententias & pœnas a jure & prædecessoribus nostris Romanis pontificibus in tales latas incurrisse & illis legitime innodatos fore authoritate apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia declaramus, dictasque proclamationes & banna tanquam erronea, & contra libertatem ecclesiasticam de facto emanata, eadem authoritate revocamus, irritamus & annullamus, ac pro nullis & infectis haberi volumus: dictamque civitatem, ac terras & loca eis subdita ex nunc, & alia ad quæ dictos excommunicatos aut aliquem eorum declinare

declinare contigerit, ecclesiastico supponimus interdicto, ac illi subjacere declaramus, illudque post publicationem ipsius interdicti sub pœnis irregularitatis & privationis omnium & singulorum dignitatum, personatuum, administrationum, beneficiorum & officiorum suorum, quos & quæ violatores dicti interdicti obtinent, incurrere volumus ipso facto, & strictissime volumus observari: eosque magistrum scabinum, tredecim justitiarios, & gubernatores omnibus & singulis privilegiis quæ a sede apostolica, nec non feudis quæ a quibusve ecclesiis, monasteriis & locis ecclesiasticis obtinent, perpetuo privamus & penitus destituimus. Et volumus eosdem magistrum scabinum justitiarios & gubernatores tandiu excommunicatos, & civitatem ac suburbia interdicta publicari & denuntiari, donec magister scabinus, tredecim justitiarii, proconsules, consules, gubernatores & communitas hujusmodi cognoscentes errorem, absolutionis beneficium a nobis, vel a sede prædicta, vel eisdem decano & capitulo, quibus super hac potestatem omnimodam authoritate apostolica concedimus, meruerint obtinere; ac de damnis & interesse propterea passis decano & capitulo hujusmodi satisfecerint competenter, &c. Datum Puricæ, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, sexto kalendas Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

L X.

Fridericus III imperator ecclesiæ Metensi jura & privilegia a prædecessoribus suis concessa confirmat.

1473. FRIDERICUS divina favente clementia Romanorum imperator, &c. honorabilibus ac devotis nobis sincere dilectis primicerio, decano & capitulo ecclesiæ Metensis, &c. Pro parte sane vestra nobis porrecta petitio continebat, quod quamvis ecclesia Metensis a divis Romanorum regibus & imperatoribus quamplurimis privilegiis, juribus & bonis dotata & fundata existat, & præsertim per divæ memoriæ Henricum III, Henricum IV, nec non Fridericum II ac Carolum IV Romanorum reges provisum fuerit, ut primicerius, decanus, capitulum ac ipsius ecclesiæ personæ circas & vigilias in civitate nostra Metensi facere non teneantur, casu tantum obsidionis dempto, & quod in eorum propriis domibus & mansionibus transeuntium sive supervenientium, etiam in adventu regis, absque eorum consensu nulla habeantur hospitia; & præterea ut nullus omnino judex, aut quicumque reipublicæ officiarius, ad audiendum more judiciorum causas, in castella, vicos, villas vel agros ipsius ecclesiæ ingredi, aut homines in illis commorantes ingenuos servosque distringere, aut ullas publicas functiones, redhibitiones, vel illicitas exactiones requirere, exigere vel extorquere præsumeret, quibus dicta ecclesia ejusve personæ, aut homines illi subjecti damni aliquid sive incommodi paterentur; & quidquid de ipsius ecclesiæ rebus jure imperiali exigi possit, ipsi ecclesiæ perpetuo donatum, ac etiam diversa privilegia concessa sint, prout hæc & alia in privilegiis dictorum prædecessorum nostrorum, ac etiam in bullis confirmatoriis Honorii II, Innocentii II & Alexandri IV summorum pontificum, in quibus castella, villæ & bona specificate sunt expressa, plenius continetur. Denique, quamvis ecclesia Metensis dictis juribus & privilegiis usa & gavisa fuisse allegetur, nihilo tamen minus plerique procuratores & principum & nobilium officiarii, Dei ecclesiarumque abjecta reverentia, variis ingeniis contra dicta privilegia & jura molientes, in castella, villas & loca ecclesiæ Metensis jurisdictionem, querelas simplices, & appellationum causas per subditos ecclesiæ præsentatas & interpositas audire, recipere

A & de eis cognoscere, prohibitiones & edicta, exactiones & tallias in subditos ecclesiæ usurpare, facere, requirere & extorquere conentur; unde quo magis in antea hujusmodi privilegia majori nitantur robore, prædictisque juribus, immunitatibus & privilegiis pacifice uti & gaudere possint, nobis pro vestra parte fuit humiliter supplicatum, ut ea omnia & singula ex cæsarea benignitate nostra gratiose confirmaremus. Nos vero justa petentibus annuere volentes, divæque memoriæ prædecessorum nostrorum permoti exemplo, omnia & singula privilegia, libertates & immunitates supradictas dictæ ecclesiæ Metensi, ac primicerio, decano & capitulo, ejusque personis per prædecessores nostros Romanorum imperatores sive reges concessas ratificamus, approbamus & confirmamus, & in quantum opus est de novo tenore præsentium concedimus B & renovamus: ita ut primicerius, decanus & capitulum ejusque personæ hujusmodi juribus & immunitatibus uti, frui & pacifice gaudere possint & valeant, contradictione cujusquam non obstante. Statuentes præterea, & hoc edicto in perpetuum valituro districte præcipiendo mandantes, ne quis in antea modestiæ pudorisve ignarus, præfatos primicerium, decanum totumque capitulum, ac ecclesiæ Metensis personas in præjudicium prædictorum jurium & privilegiorum aut alterius eorum, vigiliis, custodiis, circuitionibus, casu obsidionis excepto aut etiam hospitalitatis, talliis, exactione quacumque vexare, molestare, exigere vel cogere possit aut valeat, nec etiam jurisdictionem aliquam civilem, criminalem, sive mixtam per viam C querelæ, sive appellationis in homines, loca, villas, castella & vicos dictæ ecclesiæ exercere præsumat, sub Omnipotentis Dei nostrique indignationis, & præterea quinquaginta marcarum auri puri pœna, pro dimidia ærario nostro, pro alia vero usibus ecclesiæ Metensis applicanda, quam temere contrafaciens eo ipso se noverit incursurum; si quid vero a quocumque contra factum fuerit, idipsum irritum & nunc decernentes præsentium sub nostri imperialis majestatis sigilli appensione testimonio litterarum. Datum Metis die vigesima quarta Septembris, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, regnorum nostrorum Romani trigesimo quarto, imperii vigesimo secundo, Hungariæ vero quinto decimo.

L X I.

D Concordatum inter Robertum episcopum & capitulum ecclesiæ Metensis.

NOUS Robert, par la misération divine, du tiltre de saint Apollinaire de la sainte église Romaine, 1553. *cardinal vulgairement appellé* de Lenoncourt, *evesque de Metz, prince regalien du saint Empire, &c.... Par la teneur des presentes connoissons & confessons avoir vendu en censive annuelle & perpetuelle, pour nous & nos successeurs evesques dudit Metz, aux venerables seigneurs Primicier, Doyen & Chapitre de notre grande église de Metz, la somme de soixante livres, monnoye dudit Metz; & ce à raison & pour cause de la somme de douze cent livres dite monnoye, qu'ils nous ont réel-* E *lement presté, baillé & délivré pour employer au rachapt du coing de notredite monnoye, qui étoit de long temps engagé par nos prédécesseurs evesques, aux maistre Eschevin, Trezes, Comtes-jurés & Communauté de ladite cité: lequel coing, au moyen dudit prest, nous avons cejourd'hui rachepté & retiré pour le grand profit, bien & utilité de notredite église. Dont pour sureté & reconnoissance du plaisir que nous ont fait lesdits venerables en cet endroit, nous leur avons vendu, donné & assigné, vendons, donnons & assignons par ces présentes, lesdites soixante livres monnoye que dessus, de censive annuelle & perpetuelle, à les avoir, prendre & recevoir sur les plus clairs deniers de tout le revenu de notredit evesché, & signamment & expressément sur notre eau de Longeville*

lez ledit Metz. Et en défaut, refus ou délay de payement A *de ladite censive par nous ou aucuns de nos successeurs Evesques, voulons & entendons que le rachapt & retrait dudit coing vienne au profit & émolument desdits sieurs Venerables & de leurdit Chapitre, pour la moitié, tout ainsi que ladite somme de douze cent livres, par eux, comme dit est, à nous délivrée, a fait la moitié dudit rachapt que nous avons cejourd'hui fait dudit coing de notredite monnoye: & qu'ils jouissent entierement de la moitié du profit & émolument dudit coing, jusques à l'entiere satisfaction de ladite somme, & tant & si longuement que l'on les aura satisfaits de toute la censive escheue ou delaissée à payer, si ainsi le veulent lors lesdits Venerables, ou trouvent que cela soit à l'avantage d'eux ou de leur Chapitre, dont nous leur en avons laissé & laissons l'option par ces présentes. Et nous ont aussi* B *lesdits sieurs Venerables fait la grace, & à nosdits successeurs, de pouvoir rachepter ladite censive toutes & quantes fois que bon nous semblera, en leur rendant tout à une fois la somme desdites douze cent livres telles que dessus, monnoye coursable au change dudit Metz, tous arrérages toutesfois à eux préalablement payés, si aucuns en y avoit à payer; en quoi faisant ils nous rendront les présentes cassées & de nulle valeur. Et si avons promis pour nous & nosdits successeurs, tenir & avoir pour agréable, ferme & stable à toujours-mais le contenu de cesdites présentes: & pour l'accomplissement & observation d'icelui en avons obligé & obligeons tous & chacun les biens de notredit evesché, meubles & immeubles, présens & à venir; renonçant à tout ce que l'on sçauroit dire, proposer, alléguer & arguer au* C *contraire, & à tous droits qui pourroient empescher ce présent vendage ou assignation de censive. Et nous Primicier, Doyen & Chapitre de la grande église de Metz, ayant pour agréable le contenu ci-dessus, avons consenti & consentons par cesdites présentes, que le rachapt perpétuel de ladite censive, tel que dessus, se puisse faire par monseigneur reverendissime à présent notre evesque ou par ses successeurs evesques, pour ladite somme de douze cent livres dite monnoye. Et en signe de vérité avons avec le séel de mondit seigneur notre evesque, fait mettre & apposer le nostre. Et entendons, tant mondit seigneur que nous, que la moitié & premier terme du payement de la susdite censive, escheoira au jour de Pasques prochain, & l'autre moitié & second terme à la Saint Remy ensuivant, & ainsi toujours continuant d'an en an* D *& de terme en terme: & de ces présentes ont été expédiées deux lettres, l'une pour mondit seigneur, & l'autre pour nous. Fait & donné en notre maison episcopale de Metz le septième jour d'octobre, l'an mil cinq cents cinquante-trois.*

L X I I.

Carolus cardinalis a Lotharingia administrator perpetuus rerum temporalium ecclesiæ Metensis, & Franciscus *de Beauquerre* episcopus Henrico II Francorum regi universum civitatis dominium dant & cedunt.

1556. *CHARLES, par la providence divine, du tiltre de S. Apollinaire de la sainte église Romaine, prestre-cardinal de Lorraine, archevesque-duc de Reims, premier pair de France, légat né du S. Siége apostolique, gouverneur & administrateur perpetuel de tout le revenu & temporel de l'evesché de Metz & pays Messin, prince-regalien du S. Empire par concession & réservation du S. Siége apostolique, abbé & seigneur de Gorze: & François de Beauquerre, evesque de Metz, à tous présens & à venir, salut. Sçavoir faisons que considerant que notre cité & principauté a pris sa source & commencement de la monarchie & couronne des Très-Chrestiens roys de France, lesquels de tout temps ont porté singuliere affection continuelle, de pere en fils, & de successeurs en successeurs, au bien, grandeur & conservation d'icelle, jusques au regne de tres-haut, tres-puissant, tres-victorieux & tres-chrestien roy Henry second à présent regnant, lequel desirant non-seulement ensuivre, mais surmonter & passer de bienfaits envers notredite cité, la mémoire & recommandation de tous ses prédecesseurs, voyant notredite cité & principauté en danger de ruine & subversion, tant à cause des erreurs contre la sainte foy & religion, commençants à se semer entre nos subjets, que pour les entreprises d'aucuns princes estrangers qui faisoient grandes préparations afin de la réduire en leur subjection; pour la deffendre & purger desdites erreurs, & ramener aux anciennes & louables institutions de la sainte Eglise Romaine, le Tres-Chrestien roy, avec une puissante armée, seroit venu en nos pays & seigneuries, & auroit reçu en sa protection & deffense notredite cité, & depuis remis toutes choses en si bon estat, que notre Seigneur y est présentement servy & honoré, nous obéys de nos subjects, & eux sous la protection de sa force & justice, possédants leurs ames & biens temporels en toute seureté & liberté. Pour ces causes, en recognoissance desdits bienfaits, & que sans la garde & protection dudit Tres Chrestien roy, n'avons moyen de supporter la despense requise pour la deffense & soustenement de ladite ville & principauté de Metz, & sans son appuy serions en plus grand danger que jamais, de renchcoir esdits maux, avons audit Tres-Chrestien roy, du consentement & à l'humble supplication de nosdits subjects, donné, cedé & transporté, donnons, cedons & transportons par donation pure, franche, perpetuelle & irrévocable, pour lui & ses successeurs roys de France, notredite cité de Metz, hommes, vassaux, subjects, jurisdictions, droit de monnoye, dignités, priviléges, prérogatives, & toutes autres choses & droits à nous appartenants en & au-dedans de ladite cité de Metz, enclos & en ban-lieu, sans rien en excepter, retenir ou reserver, &c. . . .*

L X I I I.

Superiori donationi consentiunt decanus & canonici Metenses.

NOUS Primcier, Doyen, Chanoines & Chapitre de l'eglise cathedrale monsieur saint Estienne de Metz; à tous presens & à venir, salut. Sçavoir faisons qu'après avoir ouy & entendu la lecture de la donation faite par les reverendissime & illustrissime cardinal de Lorraine par reservation apostolique, prince regalien de l'Empire, & administrateur perpetuel du temporel de l'evesché de Metz; & monsieur messire François, à présent evesque dudit Metz, au tres-haut, tres-puissant, tres-victorieux & tres-chrestien roy de France Henry second à présent regnant, des cité, hommes, vassaux, sujects, jurisdiction, droit de monnoye, dignités, priviléges, prérogatives, & de toutes autres choses, & droits appartenants en & au-dedans de la cité, enclos & ban-lieue de Metz, en date du mois de janvier mil cinq cents cinquante-six, signée de leurs mains, & scellée de leurs sceaux, à nous présentée de leur part par reverend pere en Dieu monsieur messire Nicolas de Pelevé, evesque d'Amiens, vicaire général dudit sieur reverendissime, conseiller & maistre ordinaire des requestes de l'hostel dudit seigneur: & avoir par luy pleinement entendu le zèle & l'affection que lesdits seigneurs cardinal & evesque ont de conserver, maintenir & accroistre en ladite cité, la religion catholique, decrets, conciles & constitutions de l'Eglise Romaine, & d'extirper d'icelle toutes erreurs & mauvaises doctrines, desquelles pour lejourd'hui plusieurs lieux sont contaminés, qui est la cause qui a premierement meu & invité lesdits seigneurs cardinal & evesque à faire ladite donation audit roy Tres-Chrestien: Nous, sur ce capitulairement appellés, convoqués & assemblés, requis de donner notre consentement sur ladite donation, eue sur ce meure & grande délibération, avons icelle donation, cession & transport 1556.

consenty, loué & approuvé, consentons, louons & approuvons, aux charges & conditions y contenues, & sous le bon plaisir de notre saint pere le Pape & nos aveus. Et néantmoins pour plus grande asseurance de la conservation & entretenement de ladite cité sous la religion catholique, saints conciles & constitutions de l'Eglise Romaine, supplions à la majesté dudit seigneur roy, que tous magistrats, juges & officiers qui seront par cy-après par luy mis, establis & préposés à l'administration du gouvernement & justice temporelle de ladite cité de Metz, soient auparavant attestés par-devant l'evesque qui pour lors sera audit Metz, ou par-devant son vicaire, par tel nombre de personnes, & en telle forme qu'il advisera, estre catholiques, fideles & observateurs des commandemens de Dieu & de ladite sainte eglise Romaine, tels tenus & communement reputés. Ledit consentement ainsi par nous fait & donné pour le regard des choses appartenantes ausdits seigneurs cardinal & evesque respectivement, & sans préjudice toutesfois de tous nos droits, seigneuries, supériorité, jurisdictions, exemptions, privileges & prérogatives, & de nostre chapitre, habituez & subjects d'iceluy; & encore de tous accords, traitez & conventions par cy-devant faits au profit de nostredit chapitre, eglise & subjects, avec les administrateurs de ladite cité. Ausquels droits, exemptions, jurisdictions, privileges, prerogatives, conventions & accords, n'avons par ce présent notredit consentement voulu & entendu, ne voulons & n'entendons aucunement desroger, mais iceux nous estre entierement entretenus de point en point, sans y contrevenir, pour en jouyr par nous & nosdits habituez & sujects à l'advenir, ainsi que avons bien & deuement fait par le passé. En tesmoing de ce avons fait mettre le grand seel de nostredit chapitre à ces présentes souscrites de notre secretaire, qui furent faites & passées à Metz, au lieu accoustumé de tenir nostredit chapitre, le douzieme jour du mois de mars, l'an de l'Incarnation de notre Seigneur mil cinq cents cinquante-six.

L X I V.

Oppidani consules eamdem donationem laudant & approbant.

1556. *POUR ce est-il que nous le maistre Eschevin, sieurs de son Conseil & Trezes de la justice estant pour ce assemblés, & ayant trouvé ledit don estre profitable pour le service de Sa Majesté, & utile à ladite cité, declarons que pour le corps de la cité, & en tant que mestier est ou seroit, nous avons ratifié, & par ces présentes ratifions & avons agréable ledit don, acceptation d'icelluy, declaration & approbation qui en a été faite au Conseil de Sa Majesté par nosdits deputez: & pour perpetuelle memoire & observation dudit don, avons fait mettre à ces présentes le seel de ladite ville, & icelles signer par notre Greffier. Fait au Palais de Metz le huitieme jour de Janvier mil cinq cents cinquante-six. Ainsi signé Michel Praillon, maistre eschevin, ceux de son Conseil, Mathelin Lefebvre, Humbert Leraille, Collignon Malgray, Mangin Bachelle, J. Braquenier, Jean Desermonge, D. Rollin, Jacquemin Remion, Henry Jeulnes, Jean Orchtheluff, J. d'Han, Jean de Montigny, les sieurs Trezes, Pierre Coppat, P. de la Maixe, Thomas Mondregut, Wiriat Burthin, Jean Guillaume, Didier de Viller, Thiriat le Collon, J. Figuye, Abraguiniez, Andreu de Vigneulle, Pierron Philippe, Pierron Pierrat. Et scellées sur double queue en parchemin de cire verte du sceau de la ville.*

L X V.

Litteræ Caroli IX regis ad dominum *d'Auzances* Metensem præfectum de quibusdam cleri expostulationibus.

MONSIEUR D'AUZANCES, ceux du clergé de Metz m'ont remontré plusieurs choses en la présence du Président Senneton, dont ils se plaignent, entre autres, des lettres qu'ils disent leur avoir esté escrites, par lesquelles il leur est deffendu de proceder à l'élection des benefices; en quoy je crois que vous aurés suivy mon intention qui ne tend qu'au bien d'eux, repos & seureté de ladite ville. Il y a aussi trois autres points qui touchent la prébende qui est maintenant en litige, les appellations qu'ils pretendent pouvoir faire à la Chambre Imperiale, & le droit de Tourneu, desquels j'ay mis à leur rendre résolution quand mon cousin le mareschal de Vieilleville sera par-deçà, pour en estre instruit mieux que personne qui y soit. A quoy je pourvoiray de sorte qu'ils auront occasion d'estre contents: ayant bien voulu cependant vous en advertir, & encore d'autres plaintes que lesdits sieurs du Clergé m'ont faites touchant le fait de la religion, à sçavoir des imprimeries, escholes, mariages de Prêtres, & autres choses contenues par les articles dont je vous envoye la copie, contraires, ainsy qu'ils disent, au reglement que mondit cousin le mareschal y avoit mis. Et d'autant que je ne veux rien être innové ne changé en l'ordre par luy estably, je vous prie, Monsieur d'Auzances, pourvoir pour ce regard, que tout soit remis & observé comme il estoit cy-devant: & lorsque mondit cousin le mareschal sera ici, comme je luy ay mandé se y trouver au plustost, & que j'auray pris advis sur le tout, je vous en feray sçavoir mon intention, afin qu'estant mieux instruit, les choses passent comme je le desire; priant Dieu, monsieur d'Auzances, vous donner ce que vous desirés. Escrit à Blois le dixieme jour de decembre mil cinq cent soixante-cinq. Ainsi Signé *CHARLES.* 1565.

L X V I.

Edictum Caroli IX regis de unica religione Catholica in civitate Metensi observanda.

CHARLES, PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE: A tous ceux qui ces présentes Lettres verront; SALUT. Comme notre intention ait toujous esté & soit encor de présent, d'entretenir & conserver la ville de Metz & pays Messin, manants & habitants desdits ville & pays (à la protection desquels nous avons succédé après le decès de deffunt notre très-cher & très-honoré seigneur & pere, que Dieu absolve) aux mesmes estat & libertés qu'ils estoient, lorsque ledit deffunct nostre pere les receut en sa protection, & spécialement pour le regard de la religion; sçavoir faisons que nous, desirants continuer toutes choses en l'estat qu'elles estoient lorsque notredit feu seigneur & pere reçeut lesdits ville & pays en sa protection; considerants qu'il n'y avoit autre exercice de la religion que de la Catholique, & que l'altération & changement depuis advenus, ont esté par la malice du temps & durant notre minorité: voulants à cela pourvoir & remettre le tout à son premier estat, avons dit & déclaré, disons & déclarons par ces présentes, que notre intention est que esdits ville & pays n'y ait autre exercice de religion que de la Catholique, sans qu'il soit loisible ne permis à aucuns habitants desdits ville & pays compris en ladite protection, faire autre exercice, ny entretenir escholes à l'instruction de leurs enfans. Ce que de tant que nous avons sur eux & chacun d'eux, pouvoir & authorité, nous leur deffendons par cesdites présentes, par lesquelles nous donnons en mandement à nostre très-cher & amé cousin le sieur de Vielleville, comte de Durestal, Mareschal de France, Gouverneur & notre Lieutenant 1569.

general esdits ville de Metz & pays Messin, ou à celuy qui commande en son absence; & au Président par nous commis en ladite ville, que nos présents vouloir & intention ils fassent entendre & garder par tous les lieux & endroits desdits ville & pays de ladite protection, les faisant bien & diligemment observer de point en point, selon notre intention, sans les enfraindre, & procéder contre les infracteurs par les peines qui y escheoiront & que le cas le requerra; CAR TEL EST NOTRE PLAISIR; *en tesmoing de quoi nous avons fait mettre notre scel à cesdites présentes.* DONNÉ *à Metz le sixième jour d'avril, l'an de grace mil cinq cent soixante-neuf, & de notre regne le neufvieme. Ainsi signé sur le reply, par le Roy, en son Conseil.* DE L'AUBESPINE. *Et scellé du grand scel de cire jaune sur double queue.*

Et le jeudy septième dudit mois d'Avril mil cinq cent soixante-neuf, lesdites lettres de déclaration ont esté leues & publiées par moy soubsigné greffier de l'audience de monsieur le Président de Metz, au logis de mondit sieur le Mareschal & par son commandement, présents monsieur de Theval, Lieutenant général du Roy, en l'absence de mondit sieur le Mareschal; & mondit sieur le Président, le sieur Mathelin Lefebvre, maistre Eschevin de ladite ville de Metz, accompagné des sieurs de son conseil & Trezes de la justice, présents; & en présence de plusieurs habitants de ladite ville, tant de l'une que de l'autre religion, pour ce mandez au logis. Et le mesme jour ont esté leues & publiées en la Chambre desdits sieurs Trezes, où assistoient mondit sieur le Président, ledit sieur maistre Eschevin, sieurs de son conseil, & Trezes de la justice: & a esté ordonné qu'elles seroient enregistrées au greffe de mondit sieur le Président, ensemble au greffe de la ville; & qu'elles seroient publiées par les places, lieux publics & carrefours de ladite ville accoustumés à faire cris. Et à ceste fin ont esté baillées à Roch-Balthazar Escuyer, Lieutenant de M. le Prevost de l'Hostel, qui a fait faire ladite publication esdites places, l'an & jour que dessus.

LXVII.

Litteræ Caroli IX regis ad Metenses magistratus.

1570. *CHERS & bons amys, nous avons receu la lettre que nous avez escrite du huitième de ce mois, par le sieur de Genicourt présent porteur, par laquelle vous nous priez & requerez que sans avoir égard aux poursuites & requisitions qui nous seront faites par aucuns habitans de la ville de Metz faisant profession de la nouvelle religion en icelle ville & pays Messin, ains vous maintenir en la jouyssance de la déclaration que nous vous fismes expedier l'année passée: en quoy nous estimons que vous n'estes meus d'autre desir que de celuy que vous avez à la conservation du repos d'icelle ville, ce que vous vous pouvez asseurer que nous conforterons toujours autant qu'il nous sera possible, & ne donnerons autune permission à ceux de ladite religion, d'en faire l'exercice en ladite ville, pour plusieurs grandes & dignes considerations; & la bonne volonté que nous avons de faire toujours tout ce que nous pourrons, pour, en cet endroit, vous maintenir & conserver au mesme estat que vous estiez lorsque vous fustes mis sous la protection du feu Roy nostre très-honoré seigneur & pere. Qui est tout ce que nous avons à respondre à vostredite lettre, & l'endroit où nous supplions le Créateur, chers & bons amys, qu'il vous ait en sa sainte garde. Escrit à Escouen le seixieme jour d'octobre mil cinq cents septante. Ainsi signé* CHARLES. *Et plus bas, pour Secretaire,* BRULART. *Et sur le dos, A nos chers & bons amys les maistre Eschevin, Conseil & Trezes de la ville de Metz.*

LXVIII.

Ejusdem regis litteræ ad capitulum ecclesiæ Metensis.

CHERS & bons amys, nous avons receu vostre lettre du sixieme de ce mois, par laquelle vous nous priez de ne permettre, quelque instance qui nous puisse estre faite de la part de ceux de la nouvelle religion prétendue réformée, qu'il soit fait aucun exercice d'icelle religion en la ville de Metz, chose à quoy nous sommes entièrement résolus pour plusieurs bons respects & considerations; si bien que vous pouvez tenir asseurez que pour ce regard vous demeurerez au mesme estat où vous estes pour le présent, sans que ledit exercice se fasse en icelle; estant tout ce que nous vous pouvons respondre, & l'endroit où nous prions Dieu, chers & bons amys, qu'il vous ayt en sa sainte garde. Escrit à Escouen le dix-septième jour d'octobre mil cinq cent septante. Ainsi signé CHARLES. *Et plus bas, pour Secretaire,* BRULART. *Et sur le dos: A nos chers & bons amys les sieurs du chapitre saint Estienne de la grande eglise de la cité de Metz.* 1570.

LXIX.

Henrici III regis edictum de una religione Catholica in urbe & universa regione Metensi conservanda.

HENRY, PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE POLOGNE: *A tous ceux qui ces présentes Lettres verront,* SALUT. *Comme notre intention a toujours esté & soit encores à présent, suivant mesme ce qui fut déclaré le sixieme jour d'Avril mil cinq cents soixante neuf, par le feu roy Charles, de bonne & heureuse memoire, notre très-cher seigneur & frere, d'entretenir & conserver la ville de Metz & pays Messin, manants & habitants desdits ville & pays, au mesme estat & liberté qu'elle estoit lorsque le feu roy Henry nostre tres-honoré seigneur & pere entra en ladite ville, & specialement pour le regard de la religion; sçavoir faisons que nous, desirants continuer toutes choses en l'estat qu'elles estoient lors; & considerants qu'il n'y avoit autre exercice de religion que celuy de la Catholique, & que l'altération & changement depuis advenus, ont esté par la malice du temps & durant la minorité du feu roy notredit frere: voulant à ce pourvoir & remettre le tout en son premier estat, avons dit & déclaré, disons & déclarons par ces presentes, que nostre intention & volonté est que esdits ville & pays Messin n'y ait autre exercice de religion que de la Catholique, Apostolique & Romaine, sans qu'il soit loisible ny permis à aucuns habitants desdits ville & pays, faire autre exercice de religion, ny entretenir escholes à l'instruction de leurs enfans; ce que nous leur avons & à chacun d'eux inhibé & deffendu, inhibons & deffendons de la pleine puissance, pouvoir & auctorité que nous avons sur eux. Pour les mesmes causes & considerations nous avons aujourd'huy dit & déclaré, disons & déclarons par cesdites présentes, que notre intention est que les Officiers, tant de justice, police, finances que autres, qui ont fait & font profession d'autre religion que de la Catholique, establie esdits ville & pays Messin, depuis que le feu roy nostredit seigneur & pere entra dans ladite ville, soyent interdits & se déportent de l'exercice de leurs estats & offices, desquels nous les avons en ce cas deschargé & deschargeons; voulant que en leur lieu & places il soit estably autres personnages de ladite religion Catholique, Apostolique & Romaine, capables & suffisans, n'estoit que ceux qui sont maintenant pourvus desdites charges & offices, se voulsissent reduire à ladite religion Catholique. Ce que faisant dans un mois après la publication de ces présentes, en abjurant par-devant leur evesque ou ses vicaires, ladite religion nouvelle, & faisant profession d'icelle religion Catholique, & y perseverans, ils seront maintenus & conservés en leursdits estat.* SI DONNONS 1585.

EN MANDEMENT par ces présentes, à nostre très-cher & aymé cousin le duc d'Espernon, Pair & Colonel de France, Gouverneur & nostre Lieutenant général esdits ville & pays Messin, Verdun & pays Verdunois, ou à celuy & ceux qui y commandent en son absence; & au Président par nous commis en ladite ville, que nos présents vouloir & intention ils facent entendre & garder par tous les lieux & endroits desdits ville & pays Messin, les faisant bien & diligemment observer de point en point, selon nostre intention, sans les enfraindre en quelque sorte & maniere que ce soit, & procéder contre ceux qui y contreviendront par les peines qui y escherront & que au cas appartient: CAR TEL EST NOTRE PLAISIR; en tesmoing de quoy nous avons signé ces présentes de nostre main, & à icelles fait mettre & apposer nostre séel. DONNÉ à Paris le vingt-troisieme jour d'Aoust, l'an de grace mil cinq cents quatre-vingt & cinq, & de notre regne le douzieme. Signé *HENRY*. Et sur le reply, *par le Roy. BRULART.*

L X X.

Litteræ patentes Henrici IV regis quibus ordinat quædam ad religionem spectantia in urbe & regione Metensi.

1597. *HENRY, PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A tous ceux qu'il appartiendra; SALUT. Par nos Lettres patentes du vingt-unième jour de décembre dernier, en conséquence d'autres nos Lettres du vingt-troisieme jour de may mil cinq cents nonante-deux, pour les considerations contenues & amplement deduites en l'une & en l'autre; nous avons déclaré & ordonné que nosdites premieres Lettres sortant leur plein & entier effect, les gentilshommes, citoyens, bourgeois & habitants de la ville de Metz, faisants profession de la religion prétendue réformée, seroient, comme nous les avons par icelles remis & restablis en l'exercice libre de leurdite religion au-dedans de ladite ville, en leurs estats & offices, & au lieu par eux construit pour ledit exercice; pour du tout jouyr comme ils faisoient auparavant les interdictions qui leur en ont esté faites. Sur quoy nos très-chers & bien aymés les Evesques, Clergé, Noblesse & citoyens catholiques de la mesme ville, nous ayant par leurs deputez fait représenter les promesses & asseurances que nous leur avons données à nostre advenement à ceste Couronne, de ne rien changer ou innover à l'estat auquel nous les avons trouvez, les recevant, comme nos prédecesseurs, en nostre protection, ains sous la faveur d'icelle les y maintenir & conserver; & fait entendre d'ailleurs combien estoit périlleux & peu convenable au repos de ladite ville, de remettre & restablir la division de l'exercice de religion parmy eux en mesme lieu & temps, dont il ne pourroit réussir qu'un scandale suffisant pour esmouvoir & provoquer les uns & les autres à sedition. A quoi ayant égard, & voulant retrancher, autant qu'il sera possible, toutes occasions de divisions tumultueuses & préjudiciables au repos que nous desirons sur toutes choses demeurer permanent indifferemment entre nos sujets de l'une & l'autre religion sous la protection de cette Couronne & liberté de nos Edits. NOUS, pour les considerations susdites & autres plus particulierement specifiées ès remonstrances que nous avons receues desdits evesque, clergé & citoyens catholiques dudit Metz, après les avoir meurement considerées en nostre Conseil, par l'advis des Princes, Seigneurs, Officiers de nostre Couronne, & autres de nostre Conseil, y estant, avons dit, declaré & ordonné; disons, declarons & ordonnons par ces presentes, voulons & nous plaist, que lesdits nobles, citoyens, bourgeois & habitants dudit Metz, faisant profession de ladite religion prétendue réformée, fassent & ayent le libre exercice d'icelle seulement dans le retranchement de ladite ville, en l'enclos duquel sera par eux & à leurs despens, construit & fait édifier autre bastiment qu'ils jugeront nécessaire & propre à leurdit exercice, que celuy qui est à présent basty dans ladite ville, que nous voulons aussi & ordonnons estre osté, desmoly & reédifié dans ledit retranchement, sans qu'ores ne à l'advenir il se fasse hors d'iceluy & au surplus de ladite ville, aucun exercice de ladite religion prétendue réformée. SI DONNONS EN MANDEMENT à nostre très-cher & bien aymé cousin le duc d'Espernon, Gouverneur & nostre Lieutenant général à Metz & au pays Messin, & en son absence au sieur de Sobolle, Commandant pour nostre service en ladite ville & nostre citadelle de Metz, & nostre Lieutenant audit gouvernement; & à nostre amé & féal Conseiller en nostre Conseil d'Estat, maistre Jacques Viart, Président en nostre justice establie en ladite ville; & en son absence, à maistre Denys sieur de Batilly, par nous commis à l'exercice de nostredite justice, sous & en l'absence dudit Viart; que ces presentes ils fassent publier, registrer & entierement suivre, garder & observer, cessant chacun en droit soy, & faisant cesser tous troubles & empeschemens à ce contraires; & iceux, si aucuns estoient, ils fassent promptement reparer & remettre en son estat & deu: enjoignant à nostre Procureur audit Metz, de tenir la main & apporter toute la facilité qui sera possible à l'exécution de ces presentes, nonobstant quelconques autres nos Edits, Ordonnances, Déclarations, Mandemens & Lettres à ce contraires, ausquelles & à la dérogatoire des dérogatoires y contenues, nous avons dérogé & dérogeons par ces présentes: CAR TEL EST NOTRE PLAISIR; en tesmoing de quoy nous avons fait mettre notre séel à cesdites presentes. DONNÉ à Paris le douzieme jour de mars, l'an de grace mil cinq cents quatre-vingt-dix-sept, & de nostre regne le huitieme.*

L X X I.

Litteræ Henrici IV regis ad decanum Metensem.

MONSIEUR le Doyen, je ne veux laisser escouler l'occasion du voyage que fait le sieur de 1607.
Montigny à Metz, sans vous faire sçavoir combien je vous sçay de bon gré du service signalé que vous m'avez rendu en l'élection que vous & vos confreres du chapitre de Metz avez faite de la personne du marquis de Verneuil mon fils, pour estre admis à l'evesché de Metz; sçachant que votre prudence, authorité & diligence a de beaucoup aydé & favorisé cette affaire, le bon succez duquel je vous attribue particulierement, & à la créance que vous avez entre ceux dudit Chapitre, lesquels je sçay par vostre exemple avoir esté grandement excitez & fortifiez en ladite élection, de laquelle vous recevrez du fruit en general, mais sur-tout en vostre particulier condignement à vos merites, en toutes les occasions qui s'en pourront offrir. Ce que ledit sieur de Montigny vous declarera plus particulierement de ma part, auquel me remettant, je prie Dieu qu'il vous ayt, Monsieur le Doyen, en sa sainte garde. Escrit à Paris le quatrieme jour de decembre mil six cent sept. Ainsi signé *HENRY*. Et plus bas, *POTIER.*

L X X I I.

Litteræ capituli Metensis ad Henricum IV regem.

SIRE, nous ne pouvons que regretter feu Mon- 1607.
seigneur le cardinal de Lorraine nostre evesque, que Dieu absolve; mais aussi nous ne pouvons taire l'extreme contentement que nous avons d'avoir eu de quoy tesmoigner à vostre Majesté par un effet signalé, le desir qu'avions de luy rendre quelque notable service. Il est succédé, graces à Dieu, puisque nostre eglise aura le bonheur d'estre soustenue & honorée d'un pasteur & prélat que nous sçavons vous devoir estre agréable, honorable à nostre eglise, & utile à tout le peuple Messin. En toutes nos actions nous n'avons butté qu'au bien de vostre service, sçachant bien que c'étoit le vrai & unique

moyen pour nous conserver l'honneur de vos bonnes grâces, pour soustenir la grandeur de ce bel & grand evesché, & nous maintenir en la jouyssance des privileges & authoritez de nostre eglise, comme les sieurs Grand-archidiacre & Escholastres nos confreres, que nous envoyons exprès le representer à vostre Majesté, le diront, & tout ce qui s'est passé pour l'asseurance des villes & places dudit evesché, & pour le repos de nostre eglise, en laquelle nous prions Dieu incessamment qu'il lui plaise, Sire, conserver vostre Majesté longuement en grandeur, santé & prosperité. De Metz le vingt-huitieme de decembre, l'an de notre Seigneur mil six cent sept.

LXXIII.

Respondet rex Henricus IV capitulo Metensi.

1608. *Tres-chers & bien-amez. Les Grand-archidiacre & Escholastre vos confreres, nous ont representé tout ce qui s'est passé par-delà depuis la vacation de l'evesché. En quoy nous recognoissons qu'ayant eu premierement le service de Dieu devant les yeux, & puis nostre contentement & le bien dudit evesché, vous avés esté guidés d'une si bonne intention, & vous estes si dignement & sagement conduits que vous avez satisfait à vostre devoir envers sa Majesté divine, & avez bien merité de nous & de tous ceux qui ont interest à la conservation & grandeur dudit evesché. Aussi, outre les grâces & benedictions qui suivent tousjours les bonnes œuvres, & le gré & les louanges que vous en devés attendre, vous pouvés vous asseurer qu'en toutes occasions, & particulierement en ce qui touche vos privileges & la dignité & authorité de vostre eglise, vous ressentirés les effets de nostre protection & particuliere bienveillance, laquelle nous nous promettons que vous nous donnerés de plus en plus subjet de vous continuer, comme nous voulons faire, ainsi que nous avons déclaré à vosdits confreres, ausquels nous avons aussi dit comme nous approuvons ce que vous avés fait pour la seureté des places dudit evesché & le repos de vostredite eglise. Et parce que nous avons ferme créance qu'ils ne manqueront pas de vous rapporter fidelement tout ce que nous leur avons fait entendre de nostre déliberation sur les occurrences qui se sont présentées, & intention sur celles qui se peuvent offrir, nous nous en remettons à eux, & ne serons ceste nostre plus longue, que pour prier Dieu qu'il vous ayt, très-chers & bien-amez, en sa sainte garde. Escrit à Paris le treizieme jour de Fevrier mil six cent huit. Signé* HENRY. Et plus bas, Potier. *Et sur le dos: A nos très-chers & bien-amez les Doyen, Chanoines & Chapitre de l'eglise Cathedrale de Metz.*

LXXIV.

Henricus IV postulat a capitulo electionem cardinalis *de Givry* in episcopum Metensem, donec adolescat Henricus *de Bourbon* jam ab eodem capitulo postulatus & electus.

1608. *Très-chers & bien-amez. Depuis avoir envoyé à Rome la postulation par vous faite en faveur de nostre fils naturel le marquis de Verneuil, pour estre pourveu de l'evesché de Metz, par la mort de deffunt nostre neveu le Cardinal Charles de Lorraine; nous avons eu advis que sa Sainteté en avoit fait difficulté: & neantmoins sur l'instance qui lui en a esté faite de nostre part, elle s'est résolue de la recevoir. S'arrestant toutesfois à l'aage de nostredit fils, elle veut & entend que vostredite postulation & election se fasse pour pourvoir nostre cousin le cardinal de Givry dudit evesché de Metz. Et pour le regard de nostredit fils, elle accorde dès maintenant de luy octroyer provisions & bulles apostoliques, pour, advenant le deceds de nostredit cousin, ou qu'il cède ledit evesché, avant que nostredit fils ayt l'aage legitime, ou qu'il en soit dispensé, avoir dès l'instant l'accès & entrée audit evesché, & l'en fera dès-à-present comme pour lors evesque & pasteur, lui en donnant la cure & administration, sans qu'il soit besoin de la en avant, à nostredit fils, d'obtenir autres bulles que celles que sadite Sainteté a agréable de luy octroyer presentement; ayant sadite Sainteté trouvé bon aussi, selon qu'elle a cogneu que nous le desirions, & l'instance particulière & fort pressée que nous luy en avons fait faire, qu'advenant la vacation dudit evesché, avant que nostredit fils ayt l'aage ou soit dispensé, que l'administration du spirituel & du temporel vous seroit reservée; & de vous deputer dès-à-present, comme pour lors, à l'une & à l'autre, avec toutes les facultez qui de droit & de coustume peuvent appartenir aux Administrateurs ainsi deputez, & ce jusques à l'aage ou dispense susdite. Il est donc bien à propos pour d'autant accélerer l'effet de la résolution de sadite Sainteté, que vous fassiez vostre élection & postulation pour la promotion de nostredit cousin le Cardinal de Givry, conforme à ce que nous vous mandons de ce que sadite Sainteté veut faire pour nostredit fils, vous fondant sur la consideration du bas aage d'iceluy, & sur l'attente & desir que vous avez de son institution audit evesché, quand il aura l'aage capable, ou en sera dispensé; ce que nous nous promettons de vous avec non moins de soin, d'affection & de diligence que vous nous en avez desja tesmoigné dès le commencement de ceste affaire, le bon succez de laquelle nous croions que vous souhaitez autant que nous-mesmes, dont nous aurons une perpétuelle ressouvenance, pour, en toutes occasions, vous faire paroistre combien nous vous en sçaurons de gré. Sur ce nous prierons Dieu qu'il vous ayt, très-chers & bien amez, en sa sainte & digne garde. Escrit à Paris le dixieme jour de may mil six cent huit. Ainsi* signé HENRY. Et plus bas, Potier.

LXXV.

Litteræ cardinalis de Givry *ad omnes & singulos abbates, priores & priorissas diœcesis Metensis de quorumdam usuum emendatione.*

Annas *d'Escars* Dei & sanctæ sedis Apostolicæ gratia titulo sanctæ Susannæ S. R. E. presbyter cardinalis *de Givry* nuncupatus, episcopus Metensis, sacri imperii princeps, omnibus & singulis abbatibus, prioribus & priorissis cujuscumque ordinis nostræ Metensis diœcesis, salutem in Domino. Pastoralis cura quam erga oves nobis creditas, præcipue vero Deo sacras impendere debemus, invitat nos ad ipsarum salutem modis omnibus maxime convenientibus procurandam. Cum igitur ad aures nostras pervenerit nonnulla in domibus & monasteriis vestris contigisse, & in dies contingere, quæ emendatione aliqua indigeant, in qua omni moderatione uti decrevimus, visum est nobis id quam commodissime fieri posse, si de fundationibus, statutis, privilegiis ac professionum vestrarum regulis nobis innotuerit. Quapropter vobis omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus infra quindecim dies a die notitiæ præsentium, omnia & singula instrumenta fundationum, statutorum, privilegiorum & professionum vestrarum nobis aut secretario concilii nostri spiritualis exhibeatis; sin minus coram nobis compareatis ad dicendum causas, quare hujusmodi mandatis nostris parere differatis. Datum Metis, in palatio nostro episcopali, die vigesima prima mensis Novembris, anno Domini millesimo sexcentesimo nono. Annas *d'Escars* cardinalis *de Givry*. 1609.
Simphorian. Murignuri secretarius.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ TULLENSIS.

I.

Privilegium Johannis IV papæ pro monasterio Romarici-montis.

DILECTISSIMIS fratribus universis episcopis per Galliam constitutis, Joannes episcopus servus servorum Dei. Quanquam priscæ regulæ decreta doceant quæ oportet perenniter custodiri consueta, & patrum indiminute servari; attamen nos super hæc regulariter decernentes, vota supplicantium & maxime ortodoxa fide fulgentium, in omnibus debent effectui mancipari, quatenus eorum devotio apostolicis inviolata permaneat institutis.

Circa 640. QUONIAM igitur excellentissimus filius noster Clotarius * rex Francorum, pia & religiosa devotione perspiciens, suis nos scriptis postulasse dignoscitur, ut apostolicæ sedis privilegium impertiremur, beati Petri apostolorum principis, in loco qui dicitur *Montis-Romarici,* quod vir venerabilis Romaricus, post abrenuntiationem seculi, & ardenter arreptum jugum Christi, sanctis studiis fervens & jam largitate regia fultus, monasterium construxisse comperitur, in quo non parvam congregationem, tum monachorum, tum sanctimonialium instituens, etiam se cum eis paribus piæ devotionis studiis sociavit, & postmodum idem venerabilis pater per multorum annorum intervalla pastorali dignitate sublimatus, cum etiam multis monachis & sororibus commoratus uno regulæ spiritu superna inspiratione prævenitus, pium viriliter exhibendo famulatum, strenue perseveravit in Dei laudibus. Nostram itaque jam præfatus abbas præsentiam accedens humiliter imploravit, ut privilegium apostolicæ sedis in eodem monasterio concederemus, quod salubriter annuentes maxime domestico fidei, & spe certa futurorum bonorum fulgenti, hoc privilegium perenni authoritate servandum libenter indulsimus. Nec enim nova postulantium est authoritas privilegii largiendi, dum profecto cuncti retro apostolicæ sedis præsules, non solum subditione nostra constitutis, sed etiam in cæteris longe regionibus, postulata semper indulgenda sanxerunt, præsertim in regione Francorum, dum profecto cuncta usque ad fines terræ & occeani terminum, sub beati Petri principis Apostolorum ditione consistant, & oportet omnes omnino medullitus obedire, quæ per beati Petri authoritatem apostolica sedes postulata dinoscitur indulgere. Ergo antedicti patris & præsertim interventu excellentissimi filii nostri prædicti regis, super hoc litteris expetiti, postulata concessimus; interdicentes omnibus episcopis vicinis vel procul a prædicto monasterio constitutis, nihil usurpare, nihil contingere, quæ subter tenor hujus privilegii & norma decernit; ut videlicet episcopus, quem mater monasterii vel cuncta congregatio voluerit, ad celebranda Missarum solemnia, aut benedictione abbatissæ, vel etiam tabularum in quibus Missæ debeant celebrari, habeat facultatem in idem monasterium ingrediendi, tantum ad pii opus ministerii; quo peracto nihil contingens, sed omnia gratis peragens, ad propria mox regredi non moretur; nihil (sicut diximus) usurpans de rebus monasterii, non de sacris altaribus, non de ornamentis, non de vasis, neque de sacris voluminibus, neque quicquam majus exiguumve, seu ne concupiscere attentet, quia si privata concupiscere satis est noxium, quanto magis sacra auferre aut desiderare, & omnino mancipare, Deo est inimicum! Interdicentes etiam episcopo, in cujus parochia est prædictum monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem præsentis decreti pia postulatione indulti quicquam attentet, vel ejus successores præsumant prohibita contingere. Chrisma igitur, vel quidquid ad sacra misteria pertinet, si a matre monasterii fuerit postulatum, a quo providerit spiritali patre, modis omnibus censemus annuendum; & ut superius dictum est & sæpe dicendum est, nullam potestatem convenit habere episcopos in eodem monasterio, neque in rebus, vel in ordinandis personis, excepto quem cuncta congregatio elegerit, post mortem matris monasterii, ut debeat ordinari. Super hæc neque presbyteros, neque diaconos, nec quamlibet personam in eodem monasterio habere ullo modo potestatem, nec quidquam immutare vel agere, cognoscentes, quia sub apostolica sede, id est beati Petri apostoli, ex prædicti regis consensu & præfati patris postulatione dinoscitur præsentis privilegii indulta concedere. Rogatus vero episcopus a matre monasterii vel a cuncta congregatione, suam exhibeat præsentiam; non tamen penitus, ad secreta monasterii accedere non præsumat, ne quietam sororum vitam, quæ solitaria propter Deum studia peragere decreverunt, frequens sacerdotum insolentia perturbare videatur; quatenus pie viventes, & diuturnis meditationibus in Dei laudibus conversantes, pro excellentissimi regis & fundatoris pia devotione assidue Dominum deprecari non cessent; si autem (quod non optamus) sorores in eodem monasterio constitutæ, tepide in Dei amore, aut institutis patrum torpentes quandoque conspiciuntur existere; secundum regulas patrum, ab abbatissa, id est, a matre monasterii corrigantur. Si autem & ipsa abbatissa in torpore institutæ patrum regulæ fuerit deprehensa, in aliquam vel sinistram partem inclinata, a sede apostolica, sub cujus ditione consistit, instituimus corrigendam. Nec enim cuiquam episcopo damus licentiam sub obtentu reprehensionis alicujus, in monasterio suam extendere ditionem, sed ejus capiti, id est apostolicæ sedi, si certe zelo Dei, & instinctu pietatis nititur, suis epistolis debebit suggerere, ut quid pontifici Romanæ & apostolicæ sedis placuerit, juxta suam prudentiam provideat disponendum. Quo facto tunc irreprehensibiles videntur existere, cum ad caput eorum, id est apostolicam sedem, videntur quæ vera conspexerint nuntiare, & non semetipsos in eorum læsione vel machinatione quicquam immergere; quod siquidem calliditate aliqua, vel avaritiæ instigatione, quidquam de prohibitis præsumpserit attentandum, vel contra superius decreta, quoquomodo obviandum, primum quidem sui ordinis gradu & dignitate privabitur, & ex beati Petri apostoli authoritate, qui ligandi solvendique in cœlo & in terra meruit potestatem, sit a participatione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu-Christi defraudandus, & tunc demum indignationi etiam excellentissimi, qui tunc temporis fuerit, regis, nihilominus submittendus; quatenus & quæ statuta sunt perpetua possint diffinitione manere, & temeratores præsentis decreti de sua temeritate, pœnis multiplicibus subjacere. Bene valete.

* Chlodovæus II.

I I.

Præceptum Caroli-Magni de commutatione facta inter Angelrannum Metensem & Bornonem Tullensem episcopos, qui Barno desideratur in serie episcoporum Tullensium.

CAROLUS Dei gratia rex Francorum ac Longobardorum, ac patricius Romanorum omnibus 788.
fidelibus nostris præsentibus & futuris. Si hoc quod rectores ecclesiæ pro opportunitate venerabilium locorum inter se commutant, nostris oraculis confir-

mavimus, regiam consuetudinem exercemus, & id in postmodum jure firmissimo mansurum esse credimus. Igitur notum sit omnium vestrum magnitudine qualiter venerabiles viri Angelrannus Metensis ecclesiæ archiepiscopus atque capellanus palatii nostri, necnon & Borno Tullensis ecclesiæ episcopus in nostram accesserint præsentiam, asserentes se pro opportunitate ambarum partium ecclesiarum res aliquas inter se concamasse, unde & ipsas commutationes bonorum hominum manibus roboratas in præsenti ostenderunt relegendas, ubi cognovimus qualiter dedit Borno Tullensis ecclesiæ episcopus ad partem S. Stephani vel S. Petri monasterii Gorziensis, res aliquas de ratione ipsius ecclesiæ Tullensis, ecclesiæ S. Stephani vel S. Apri in pago Vongensi, in loco qui vocatur Stilonio, quidquid pars ipsius ecclesiæ in prædicto loco visa est possedisse vel tenuisse, cum omni integritate vel soliditate sua; similiter e contra in compensu dedit jam fatus Angelrannus Metensis ecclesiæ archiepiscopus, res aliquas de ratione ecclesiæ S. Stephani Metensis vel S. Stephani monasterii Gorziensis in pago Suggentensi, in loco qui vocatur Siavolo mansus, quas Alpaidis quondam femina ad partem ipsius monasterii S. Petri tradidit vel delegavit, cum omni integritate vel soliditate earum, quidquid pars ipsius monasterii in jam fato loco visa est possedisse, sed pro integra firmitate jam dicti viri petierunt celsitudinem nostram, ut hoc per nostram auctoritatem confirmare deberemus: quorum nos petitionibus gratanti animo ita præstitisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut quidquid pars alteri contulit parti, aut e contra in compensu recepit ab hac die per hanc nostram confirmationem habeant potestatem habendi, tenendi, dandi, commutandi, vel quidquid exinde unusquisque quod a pari suo accepit, ad profectum earumdem ecclesiarum exercere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi, & neque a prædictis venerabilibus viris, neque ab eorum successoribus ullo unquam tempore ipsæ commutationes violentur, unde & duas confirmationes uno tempore conscriptas fieri jussimus, quas & manu propria firmavimus & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Caroli gloriosissimi regis.

Data tertio idus Junii, anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXVIII, indictione XI, epacta IX, concurrente II.° anno vero Caroli regis 20.

III.

Ex ipso autog. S. Apri.

Frotharius episcopus Tullensis instaurationi sancti Apri maxime studens, omnes possessiones ejusdem loci confirmat, & quædam decernit ad regularem disciplinam spectantia.

Circa 836.

OMNIBUS orthodoxis sacro-sanctæ ecclesiæ gubernatoribus, & omnibus veræ religionis veræque fidei cultoribus, præsentibus atque futuris, FROTHARIUS misericordia Dei Leuchorum urbis episcopus. Perspicue cognoscimus & certa lege tenemus, quod pro cunctis bonæ actionis studiis & spiritalibus animarum curis corona nobis & merces a Deo præparetur in cœlis. Unde sicut cœpta justorum bona a nobis sunt quotidie solidanda atque fovenda, ita & anima solerter corrigenda, & ad statum rectitudinis sollicitudine pervigili revocanda: præsertim cum nobis divina providentia custodiam animarum & regimen contulerit ecclesiarum, quibus oves suas alimentis vitalibus pascere perdita requirendo, abjecta reducendo, & quæ vigent diligentius educando præcepit. Hæc ergo me considerante inter cætera sollicitudinis meæ studia occurrit animo, quod in cellula suburbii nostri, quæ meritis & sepultura beati Apri effulget, monachos quondam regularibus disciplinis effloruisse viderim; sed hujusmodi exercitia ob inertiam quorumdam rectorum, & diminutionem rerum temporalium paulatim deficiendo, pristinæ probitatis amiserunt ritum. Quam religionem supernæ retributionis intuitu meis inibi cupiens recuperare diebus, præsentiæ domini nostri Hludovici Cæsaris Augusti rem retuli, & cum ejus auctoritate atque consilio prædictum locum ad pristinos usus revocavi, monachos illic sacræ religionis constituens, qui negotiis spiritalibus vacarent, & pro utilitate regni ejus, totiusque sanctæ ecclesiæ statu divinam incessanter clementiam exorarent. Verum ne eandem regularem custodiam ob inopiam terrenarum rerum unquam tepescere contingat, contigit ut prius, confirmamus eorum usibus villas quæ hactenus eis utcunque deservierunt, id est vicum S. Apri, cum omnibus quæ ad eum pertinent, vineis, terris, pratis, silvis, farinariis, & servitoribus: sed & appenditia ejus, id est Camiacum cum omni integritate sua, Auronis mansum cum omni integritate, vinearum scilicet, pascuarum, agrorum & silvarum, nec minus & vineas Alnodi ex ejusdem beneficio, in monte qui *Bar* dicitur, constitutas. Vineas quoque quasdam in Briviniaco, mansum etiam in Saponariis, & mansum in Gavalongis, Farinarium in Nasio: sed & mansum sancti Maximini cum fonte ejus quod ante fores monasterii consistit, quod & ad eandem portam concedimus. Item villulam quæ dicitur *Vitiliagus*, item villenas ex integro, itemque Alanum cum omnibus appenditiis suis, excepta capella quæ est in columbario, & cum omnibus servitoribus, exceptis ministeriis quorumdam, qui pro terris quibus utuntur, eidem monasterio deserviunt: pro ratione vero sui capitis nostris usibus ministeria impendunt. Sic & Salsurias cum omni suo appenditio, excepto quorumdam ministerio, qui simili conditione tenentur. His quoque addimus villam Stephani, excepta basilica ejusdem, quam villam pro commutatione alterius villæ ad eandem cellam respicientis, quæ dicitur *Boniriacus*, illic restituimus. Addimus quoque Siglini-curtem, præter Grimaldi vicinium, & præter basilicam in Crepiaco. Adnectimus siccumvidum, præter capellam, Mannonis curtem ex integro, Stadonis, Bladenaco, & Masellos; quidquid etiam in fine Orchadensi de parte sancti Apri habetur. Martiniacum quoque Vulberti post discessum ejus, a quo per precariam tenetur. Sed & mansum in Bauniaco ex toto, quem Silvester per precariam tenet. Nihilominus duo mansa in Mediano vico, ubi salinæ eorum usibus fiunt, quæ & eis Christophora quondam dedit. Statuimus denique ut ex cunctis villis reliquis beati Apri, excepta Babanivilla, medietas decimæ frugum vel animalium ad portam monasterii detur. Ex Briviriaco vero tam de dominicis vineis, quam & de beneficialibus omnibus decimæ monasterio ex integro dentur. Ex beneficiis autem clausuræ & ædificia tectorum juxta facultatem sui circa monasterium construantur. Damus quoque illis in villa quæ dicitur *Petra*, ex piscatoria nostra unaquaque hebdomada duas noctes; hæc quidem illis concedimus, & quidquid eidem templo vel eisdem fratribus pro qualibet re oblatum fuerit, eorum usibus deputamus. Constituimus vero pro his dona nobis per singulos annos in festivitate B. Apri exhiberi, id est convivium ibidem peragendum, equum pretii solidorum triginta, aut pro equo XXX solidos, clypeum quoque & lanceam, sed & coria duo, totidemque cilicia; nec non & tempore militiæ angariam, quæ tamen nostris stipendiis oneretur; & si boves reduci potuerint, monasterio restituantur. Nam & de rebus villarum adhuc augere illic volumus, cum occasio se apta præbuerit. Præterea decernimus ut eidem cœnobio abba præficiatur, qui secundum regulam beati Benedicti præesse & prodesse utiliter queat. Quoties autem quilibet abbatum ab hac luce ibidem migraverit, electio successoris ejus ex eadem congregatione ab episcopo fiat. Sin vero inter eos electio

electio digna effici nequiverit, ex alia qualibet congregatione idoneus abba expetatur. Jubemus igitur, & universo cœtu venerabilium pontificum annuente, præcipimus, ac sub invocatione divini nominis contestamur unumquemque antistitum successorum nostrorum, ne unquam de hac præscripta facultate fratrum, quam illis per hoc testamentum concessimus, immo reddidimus, vel adhuc reddituri sumus, subtrahere quicquam vel diminuere præsumat; neque ipsam aliquando congregationem exordinare, vel injuste perturbare audeat. Sed quotiens ei venire ad eos placuerit, causa caritatis & piæ sollicitudinis veniat: & si qua inter eos ordinanda vel corrigenda sunt, clementer ac secundum Deum ordinare vel corrigere studeat. Itemque unicuique abbatum eidem congregationi præficiendorum omnimodis interdicimus, & sub contestatione divinæ invocationis prohibemus, ne prædictam cellam quolibet ingenio aut machinatione vel per se, vel per ullam objectam personam ab episcopii potestate subtrahere vel submovere moliatur: sed salva libertate monasticæ religionis urbi Leuchorum absque ulla contradictione semper maneat subjecta atque conjuncta. Causam autem utriusque conditionis post Deum unicuique regi qui huic regno præfuerit, corrigendam committimus, si vel prædictæ urbis antistitis horum quippiam subtrahere voluerit, aut prædicti cœnobii abba adversus dominationem antistitis aliquid machinari tentaverit. Si quis tamen eorum iniqua cupiditate persuasus, hanc ordinationem nostram, pro amore Dei & retributione cœlesti a nobis constitutam, infringere aut violare tentaverit, iram Dei Omnipotentis incurrat, & pœnam sempiternæ damnationis inremediabiliter persolvat, nec sit illi pars cum Deo in retributione justorum, sed habeat partem cum principe tenebrarum in participatione iniquorum, feratque judicium divinæ ultionis, transfixus anathemate perpetuæ maledictionis. Imprecationem autem anathematis hujus, quam auctoritate canonica & apostolica proferimus, omnino consequetur, qui hujus privilegii violator extiterit: quam etiam absque nostra imprecatione consequeretur, sententiis divinis pro crimine suæ cupiditatis undique perculsus. Unde cupimus illum semper meliora eligere, ne pereat damnatus: sed in æternum potius exultet pro præmio bonæ actionis cœlesti prorsus recompensatione donatus. Privilegium vero istud a singulis pontificibus successoribus nostris, quin etiam & a regibus renovari deposcimus, ut ejus integritas a nullo violari queat, sed ab omnibus munita & roborata indissolubilis jugiter & fixa permaneat.

✠ Ego Frotharius episcopus hoc privilegium a me ordinatum relegi & subscripsi, canonicisque nostris consentientibus subscribendum tradidi.

✠ Ego Liutmundus primicerius subscripsi. ✠ Ego Berhardus presbyter subscripsi. ✠ Ego Gautsarius presbyter sacræ ecclesiæ custos subscripsi. ✠ Ego Arengaudus presbyter & bibliothecarius subscripsi. ✠ Ego Joel presbyter subscripsi. ✠ Ego Vuinibertus presbyter subscripsi. ✠ Ego Nivulfus presbyter subscripsi. ✠ Ego Hilindeus presbyter subscripsi. ✠ Ego Everardus presbyter subscripsi. ✠ Ego Elmenus presbyter subscripsi. ✠ Ego Vinerannus presbyter subscripsi. ✠ Ego Osteridus presbyter subscripsi. ✠ Ego Rodraus presbyter subscripsi. ✠ Ego Waltbertus presbyter subscripsi. ✠ Heripato presbyter subscripsi. ✠ Ego Pius presbyter subscripsi.

✠ Ego Heribertus levita subscripsi. ✠ Ego Ermentrannus levita subscripsi. ✠ Ego Leudoenus diaconus subscripsi. ✠ Ego Custardus diaconus subscripsi. ✠ Ego Gentsarius diaconus subscripsi. ✠ Ego Bernefredus diaconus subscripsi. ✠ Ego Beraldus diaconus subscripsi. ✠ Ego Achirius notarius subdiaconus subscripsi. ✠ Ego Bernarius diaconus subscripsi. ✠ Ego Ratbertus diaconus subscripsi.

IV.

Carta Frotarii episcopi de terminis ecclesiæ S. Maximini. *Ex archivo S. Apri.*

OMNIBUS hujus sanctæ sedis Tullensis ecclesiæ filiis & fratribus tam futuris quam præsentibus, FROTHARIUS misericordia Dei episcopus. 838.
Perspicue cognoscimus & certa lege tenemus quod pro cunctis bonæ actionis studiis & spiritualibus animarum curis, corona nobis & merces a Deo præparatur in cœlis: unde sicut cœpta justorum bona a nobis sunt quotidie solidanda atque sovenda: ita & amissa solerter corrigenda & ad statum rectitudinis sollicitudine pervigili revocanda. Præsertim cum nobis divina providentia custodiam animarum & regimen contulerit ecclesiarum, quibus oves suas alimentis vitalibus pascere, perdita requirendo, abjecta reducendo, & quæ vigent diligentius educando præcepit. Proinde notum esse volumus vestræ dilectioni, quatenus cellam S. Apri ab ordine religionis destitutam rebusque omnibus nudatam, Deo annuente, ac domno & piissimo Cæsare Augusto consulente & autorisante ad regularis normæ rectitudinem perduxerimus, rebus quibusdam antea sublatis, redditis, quas etiam cupimus augmentari, si occasio se apta præbuerit. Sed quoniam prava mens semel concepta difficile deserit raptores earumdem rerum a sua cupiditate non facile potuerunt avelli; unde compulsi monachi prædicti monasterii nostram adierunt præsentiam, inter multas querimonias hanc maxime deferentes, quod ab adjacentibus suburbanis parrochiis molestarentur, volentibus parrochiam ecclesiæ S. Maximini ante fores ipsius monasterii positæ, a nobis autem eidem loco cum suis appendititiis redditæ, a terminis antiquitus constitutis detruncare, & parrochianos ejus suis quibusque finibus applicare. Quam eorum querimoniam ad synodum referentes & subtiliter investigantes testimonio multorum tam clericorum quam laicorum qui antiquiores videbantur, reperimus prædictam basilicam sub titulo matricis ecclesiæ antiquitus consecratam, qui etiam cum sacramento probaverunt, se veraciter scire ipsam parrochiam infra suburbium a priscis temporibus ita determinatam ut a muris urbis & porta australi, atque a fluviolo Angruscia qui medium suburbium interluit, quicquid hac meta concluditur usque ad summum vici S. Apri, prædictæ matrici ecclesiæ more parochiali legaliter sine præjudicio foret subjectum: ea tamen lege, ut si ipsi parrochiani de terra S. Stephani aliquid extra præfinitum terminum excolerent, ad titulum S. Johannis debitam decimationem redderent. Extra suburbium autem quia legitimæ determinationes definiri non poterant, ubicumque sua proveniret pars, sine controversia acciperet. Hoc ergo testimonio ancipiti submota sententia decernimus, & consulto totius synodi statuimus, ut secundum præfixum terminum prædicta ecclesia jus parrochiale in perpetuo possideat. Obsecramus autem ac sub invocatione nominis divini obtestamur unumquemque antistitum successorum nostrorum, ne in aliquo prædictam determinationem violari patiatur, ut dum particeps sit nostræ bonæ voluntatis, sit & remunerationis. Si quis vero, quod non credimus, contra hoc testamentum nostrum venire tentaverit, aut hoc decretum violare vel calumniari, sive definita removere, feriatur judicio divinæ ultionis sub judicio perpetui anathematis. Quod ut magis fixum & stabile æternaliter maneat, manu propria firmavimus & confidentibus nobis firmandum tradidimus. Ego Frotarius episcopus a me facto testamento relegi & subscripsi.

Ego Luitmundus primicerius subscripsi. Ego Berhardus presbyter subscripsi. Ego Hautsarius presbyter subscripsi. Ego Nivulfus presbyter subscripsi. Ego Johel presbyter subscripsi. Ego Arengaudus presbyter & bibliothecarius subscripsi. Ego Ermentrannus levita subscripsi. Ego Eullardus diaconus subscripsi. Ego Herbertus levita subscripsi.

Actum Tullo, in plenaria synodo, sub die iduum Octob. anno ab Incarn. Dominica DCCCXXXVIII, indictione I, imperante Hludovico serenissimo Augusto, anno XXV.

V.

Ex archivo S. Mansueti.

Præceptum Lotharii imperatoris de ecclesia sancti Amantii Berardo Tullensi corepiscopo concessa.

845. IN nomine Domini nostri Jesu-Christi Dei æterni, Hlotharius divina ordinante providentia imperator Augustus. Cum imperialis excellentia unius fidelis sui rationabilibus precibus aurem suæ pietatis accommodat & ad effectum perducit, non solum ipsius, verum etiam ceterorum fidelium devotionem erga se sinceriorem reddit. Igitur comperiat omnium fidelium sanctæ ecclesiæ ac nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, quia BERARDUS venerabilis Tullensis ecclesiæ corepiscopus ad nostram accedens majestatem, deprecatus est ut ei quasdam res nostræ proprietatis in pago Tullensi consistentes concederemus ad proprium. Cujus postulationi libenter adquiescentes hos excellentiæ nostræ apices decrevimus fieri, per quos jam fato BERARDO in memorato pago, non longe a mœnibus præfatæ urbis, ecclesiam nostri juris quæ in honore & nomine S. Amantii constructa atque dicata habetur cum manso uno ad eum pertinentem, qui terminatur ab utrisque lateribus a pervio publico & a frontibus ex mansis S. Apri, cum cæteris appenditiis, scilicet cum domibus cæterisque ædificiis, terris cultis & incultis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, vel cum cæteris adjacentiis, concedimus ad proprium, & de nostro jure in jus ac dominationem illius transfundimus: ita videlicet ut quidquid ab hodierno die & deinceps ex ea facere, ordinare atque disponere voluerit, liberum ac firmissimum in omnibus haberet potestatem, sicut & de reliquis rebus sui juris in nostra manens fidelitate. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Hlotharii serenissimi Augusti.

Hrodmundus rogatus ad vicem Hilduini recognovi.

Data XVII calendas Februarii, anno Christo propitio domni Hlotharii pii imperatoris in Italia XXVI & in Francia VI, indictione 8.

Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine feliciter amen.

VI.

Ex archivo Tull.

Privilegium Arnolfi regis concessum episcopo Tullensi Arnoldo, contra comites Stephanum, Gerardum & Matfredum, qui multa mala in episcopio exercuerant.

Circa 888. ARNOLFUS divina favente clementia Romanorum rex. Quoniam sanctarum ecclesiarum defensorem nos constituit Dominus Omnipotens, bene constructas regere, desolatas consolari, destructas restituere. Si ejus voluntatem in illis disponendis & subveniendis adimpleverimus, perpetuam felicitatem nobis futuram esse non dubitamus. Quapropter notum fieri volumus præsentibus & futuris,

A quod in redditu nostro de Longobardia vir venerabilis Arnaldus S. Tullensis ecclesiæ episcopus nobis Constanciæ occurrens, lacrymabiliter conquestus est quod comes Stephanus & Gerardus frater suus, & Matfridus super possessiones Tullensis ecclesiæ nimiam malitiam exercuerant, & fere totam terram rapinis & incendiis ad exterminium deduxerant. Pro monasterio S. Mauritii & S. Apri, quod sub nomine advocatiæ sui juris falso per hereditatem esse asserebant. Præter hoc munitiones castelli infra quatuor leugas ab urbe contra statutum a tempore Dagoberti regis ædificaverant, per quas ex toto perierat libertas antiqua civitatis, quam cum banno regali ex integro omnes Tullenses episcopos a regno nostro jure perpetuo manifestum est possidere. Unde queri-

B moniæ præfati episcopi compatientes, injuriam suam nobis propriam reputavimus, & præfatos malefactores ad præsentiam nostram commoneri fecimus: qui venientes juxta Warnanciam per milliare unum ab urbe, angarias ferentes, veniam postulantes usque ad pedes Arnoldi episcopi Tullensis qui nobiscum aderat, ipsas angarias deposuerunt, & DCC libras argenti pro capitalibus ablatis Arnaldo episcopo restituerunt, & libertatem civitati se servaturos juraverunt, nostræ etiam ditioni se & sua tradiderant. Præterea interventu dilecti filii nostri Zuenzobeldi & Vilronendi ducis, & præfati episcopi antiquam libertatem a glorioso rege Dagoberto nos corroborando perpetuo observare præcipimus, scilicet ut infra 4 leugas ab urbe Tullensi nulla munitio castel-

C laris ædificata maneat, excepta immunitate Liberduni, quod proprium tutamen civitatis est & locus pacis, in quo sanctus Eucharius martyr veneratur, & obsessus a Vandalis remansit indestructus, ubi Deus excitando potentiam suam salvos fecit multos, & Vandali passi ruinam magnam perierunt propter iniquitates suas. Nullus unquam posteritatis nostræ nec secularis potentiæ veniat qui libertatem istam infringere possit, sed hujus præcepti auctoritas nullam patiatur detrimoniam, & firma stabilisque perseveret illæsa. Datum, &c.

VII.

Sigideus abbas S. Apri Framirium filium nobilis feminæ Archilindis recipit in monachum.

D NOVERIT omnium fidelium posteritas, & sanctæ Dei ecclesiæ tam præsentis temporis quam futuri præclara successio, venisse quamdam feminam nomine Archilindem, secundum seculi dignitatem parentibus & genere inclitam, ad misericordiam S. Apri & abbatis Sigidei, qui prævisionem duplicem tenebat loci, dicens se unicum filium suum nomine Framirium, sub religione S. Benedicti cum aliis monachis Deo velle militari. Quod prædictus abbas fideliter annuens, efficaciter complens benigne suscepit, aluit, & usque ad intelligibilem ætatem perduxit. Ipse vero prædictus monachus juvenili robore adultus, a sancta religione diabolico instinctu vacuefactus, dum seculo fidem disponit dare, rursum correptus a matre ad locum reducitur, simulque 916.

E pro stabilitate filii sui & præbenda loci, & pro suæ remedio animæ, dedit, tradidit, & legali vestitura firmavit ad locum ipsum quidquid ad tertiam partem pertinet ecclesiæ Saponariis positæ, quam ipsa contra fratres suos Legisum & Dauvinum jure hereditario in parte sua possidebat. Præfatus denique abbas, consensu monachorum suorum, augmentationem & provectum loci desiderans, pro eo quod idem ipse locus alodum aliud inibi possidebat, cum consilio Rotlandi primicerii, Hetdonis archidiaconi, istas conventiones ostendit & indicavit episcopo DROGONI. Ipse vero nobilissimus pastor, ne quis ex heredibus aut successoribus loco sacrato aliquam vim aut fortitudinem inferre in posterum præsumeret, hanc

conscriptionis memoriam fieri præcepit, & signo suo fideliumque suorum roborari præcepit. Signum Rotlandi primicerii, S. Hetdonis archidiaconi, Sig. abbatis Sigidei, Ingelranni archidiaconi, S. Allonis archidiaconi, S. Wandelini, S. Hugonis, S. Walerici, S. Fulconi, S. Berengarii, S. Laremanni, S. Rotberti. Data sub die nonas Novembres, anno IIII, regnante Carolo in Francia, anno vero Dominicæ Incarnationis DCCCCXVI, indict. IIII. Ego Rotlandus cancellarius ad vicem abbatis Sigidei scripsi & subscripsi.

VIII.

Rembertus abbas Senoniensis litteras obtinet ab Adalberone Metensi episcopo.

938. IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Adalbero sanctæ Mediomatricis ecclesiæ humilis præsul. Agnoscat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum successorum industria, quod Rembertus venerabilis abbas una cum omni congregatione B. Petri Apostolorum principis Senonensis monasterii, nostram adiit clementiam deprecando, ut quod prædecessores nostri de rebus S. Stephani eidem cœnobio contulerunt, & benigne in futuro permansurum statuerunt .... firmaremus: scilicet ecclesiam sitam in villa nuncupata episcopi villa * in comitatu Albense vel Albensi, cum mansis novem ad eamdem pertinentibus. Insuper etiam decreverunt ut si quis ex familia beati Petri uxorem ingenuam almi protomartyris Stephani duxerit, filios filiasque procreaverit, censum cum omni servitio eidem præfato monasterio conferant. Idcirco nos pro divino intuitu vel animæ nostræ remedio, seu pro æterna retributione renovamus manuque propria firmamus, &c. Et ut hæc nostræ auctoritatis atque augmentationis decretum inconvulsam a suis temporibus obtineat firmitatem, manu propria illud superius firmavimus, fideliumque nostrorum manibus hoc ipsum roborari pariter jussimus. Actum Metis publice III kal. Januarii, an. 3 regnante Othone rege feliciter, indict. .... Signum Domini Adalberonis gloriosi pontificis, qui hanc notitiam fieri jussit. ✠ Beatricis ducissæ. ✠ Teudebaldi comitis palatii. ✠ Varneri abbatis. ✠ Item Varneri. ✠ Stephani primicerii. ✠ Gibuini decani. ✠ Vigerici cantoris. ✠ Et Vigerici custodis. Et paulo inferius: Ego Latbaldus ad vicem Lothardi cancellarii scripsi atque recognovi. Quibus quidem litteris impressum est sigillum prædicti Adalberonis pontificis, anno 938.

* Vacqueville.

IX.

Ex autographo S. Apri.

S. Gauzelinus dedit monachis S. Apri ecclesiam sitam in Columbario-villa.

941. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, GAUZLINUS humilis Leuchorum episcopus. Quia summus pastor Dominus noster Jesus-Christus ad hoc in sancta sua ecclesia præsules constituit, ut vice sua eam disponant atque ad æternum provehant regnum. Oportet unicuique pastorum solerter invigilare quatenus pro viribus locis quibus præsunt, distribuant necessaria, ne forte ob indigentiam deviet aliquis a suo ordine; & ideo notum esse volumus omnibus successoribus nostris, quia postquam locum sancti Apri, Dei præveniente gratia, ad regularem relevavimus statum diligenter inquirentes cognovimus, quia sub venerabili abbate ARCHEMBALDO quem eidem loco præposueramus, & grex Domini gradatim cresceret, & substantia monasterii valde effugeret nec posset vivere de rebus ejusdem ecclesiæ, unde diutius pertractantes, tandem communi nostrorum fidelium consensu, tam clericorum quam laicorum adjunximus præbendæ monachorum, eccle-

A siam sitam in Columbario-villa, ea integritate qua eam habuerant in beneficio Vido & fratres ejus Nitzo. Quibus etiam humillime injunximus ut anniversarium obitus nostri devotissime recolentes, ex hac datione nostra sibi sumerent refectionem. Rogamus igitur ex caritate Dei omnes successores nostros ut præfatum locum, quandiu in regulari actione permanserit, suis largitionibus sustentent, & hanc concessionem nostram ita inviolabiliter custodiant sicut & suas auctoritates post se voluerunt incorruptas haberi. Quibus etiam sist de æquitate magni judicis promittimus, quia si ea quæ petimus cum sollicitudine impleverint, sicut spopondi, in perpetuum ab ipso recepturi sunt præmium, ac si illi ipsum monasterium suo penitus labore ad hanc religionem
B promoverent. Quod si suadente cupiditate aut aliqua occasione, imminuerint vel violaverint, sciant se sine dubio ab eodem æternali damnari gehenna, pro cujus amore hæc acta sunt, quod si non resipuerint, petant ipsi Deo famulantes proclamando regiam sedem. Ut autem hæc donatio nostra permanentem obtineat vigorem quam fecimus de ecclesia in Columbario, quæ longo tempore ab ecclesia S. Apri fuerat abstracta, manu propria eam firmavimus, & manibus clericorum ac nobilium laicorum nostrorum id ipsum agere complacuit. Acta Tullo XI cal. Januarii, regnante Ottone rege, ordinationis nostræ anno XVIIII.

✝ Gauzlini episcopi.	✝ Evrardi archidiaconi.	✝ Vidonis vicedomini.	✝ Bernefridi majoris.
C Odelrici archiepiscopi.	Girardi archid.	✝ Rotgeri advocati.	Warneri.
Berhardi primicerii.	Gisardi archid.		Anslei.
	Theodinei.	Nitfonis.	Walteri.
Barengerii archidiaconi.	Rnefridi.	Everelmi.	*Item.* Warneri.
	Brieri.	Bensons.	
Varnerii archidiaconi.	Grimaldi.	Angelberti.	
Item. Varnerii sacerdotis.	Gribaldi archid.	Angelbaldi.	
	Germari.	Gauzberti.	
Guntardi sacerdotis.	Humber archidiaconi.		
Walheri sacerdotis.	Rageneri.		
Remigii sacerdotis.	Ramieri.		
D Albrici sacerd.			
Herlaldi archiclavi.			

Siricus infimus Levitarum scripsit & subscripsit.

X.

Diploma Othonis regis in gratiam monasterii Senoniensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ottho divina concedente clementia rex. Notum sit omnibus sanctæ ecclesiæ amatoribus, præsentibus atque 948.
futuris, qualiter venerabilis sanctæ Metensis ecclesiæ episcopus, Adalbero nomine, nostram adiit supplicans regalitatem, ut nostræ auctoritatis munimine quoddam
E privilegium, jam ab antiquo Childerico rege cuidam Gundelberto episcopo concessum supra monasterium, quod a novo in honore B. Mariæ Virginis, sancti Petri principis Apostolorum, silva Vosago vocata, in loco Senonico dicto, prope fluvio Rabodoni construxit: denuo ut hoc ident renovaremus firmaremusque monasterium. Hujus vero petitionem benigne suscipientes jussimus inde hoc præsens immunitatis præceptum conscribi; per quod volumus firmiterque jubemus ut a modo & deinceps omni tempore illud privilegium præfati Childerici regis, nostræ auctoritatis munimine firmissimum & inconvulsum, sine ullius contradictionis obstaculo, per succedentium temporum curricula perduret. Ita vero

ut hæc omnia quæ ad præscriptum monasterium, A hujus auctoritatis præcepto, & ad stipendium illorum concessit fratrum, qui inibi Deo sanctæque Mariæ almæ Virgini, sub regula B. Benedicti die noctuque indesinenter militant, securo persistant, terminis vel marchiis aut confiniis hic inferius subnotatis; id est Peium-villare cum Almaregas usque in summas campanias, &c. Et ut hæc auctoritate nostra firma permaneant, manu nostra firmavimus, & annuli nostri impressione insigniri præcepimus. Signum domini Othonis invictissimi regis. Bruncancellarius ad vicem Roberti archicapellani recognovi. Data III id. Junii, an. Dominicæ Incarnationis DCCCCXLVIII, indict. IV, regnante serenissimo rege Othone, anno XIII. Actum Ingileinheim in Domino feliciter, amen.

X I.

Ex autographo.

Carta fundationis prioratus de Bainivilla a S. Apro dependentis.

Circa 957. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Arnulfus famulus Dei considerans debere me omne studium & omnem laborem impendere quatinus anima mea pœnas effugere & salutem posset consequi æternam, tractavi apud me de his quæ Deus mihi & antecessoribus meis contulerat, famulorum Christi usibus delegans, animæ meæ redemtionem consequerer. Unde & domni GAUZLINI pontificis auctoritate & collaudatione, quoddam famulorum Dei monasterium construxi in ipsis prædiis meis, C in pago Segintise, hoc omnino affirmans & definiens, ut idem locus subjectus sit monasterio sancti Apri & abbati ipsius loci. Hæc autem ad ipsum locum qui est in honore S. Salvatoris nec non & sancti Mauricii sociorumque ejus statim ad præsens destinavi, in eo scilicet loco qui est Bainivilla, quæcumque videlicet ibi adquisivi in aquis, pratis, terris & vineis, ab Adelberto mansum unum in ipsa villa, quem tenet Karedus & Grimbertus, quos ibi pariter dedi, & de infantibus Caredi medietatem; alodum quoque quem emi a Marenno sacerdote, & alium alodum quem emi a quadam femina Hasdrada nomine, & medietatem alodi Odonvidis, Beraldum quoque & Bligerum cum alodo & uxoribus & medietate infantium eorum; sed & de silva quæ mihi hereditaria erat D pertinens ad Bainivillam medietatem concessi. Ad Schinonis vallem, molendinum dimidium, & medietatem vineæ. Piscationem Innaudis integrum, & censum molendini, quem Isembertus tenet, silvam etiam cum uno prato in loco qui dicitur Troctulfivilla, ubi sunt heredes Widaldus & Agelmus, simulque medietatem prati quod vocatur magnum pratum, pertinens ad sæpe dictam Bainivillam. Nec non concessi inibi mulierem Andelenam cum infantibus suis, Tieradam cum infantibus suis, Ermenaidam cum infantibus suis, & alios homines ad ipsum alodium appendentes, quorum nomina hæc sunt, Amalbertum cum uxore & infantibus, & Adonem cum uxore & infantibus, & Zondradam cum infantibus suis. Infantes etiam Teutberge, & Flavisiacam, E & Teutbertum & fratres ejus cum sorore sua. Hos & omnia quæ supradicta sunt eo tenore ibi tradidi, ut exceptis his quæ ad præsens ibi deputavi, in vita mea mihi serviant, & post decessum meum ad ipsum locum servitium suum persolvant & ipsorum posteritas. Quod si extra potestatem aut intus fuerint, terram non habentes masculi quinque denarios, & mulieres tres persolvant. In Calmontinse pago quoque dedit ad jam dictum locum Vuazila nobilis femina dimidium mansum & quintam partem silvæ Ternæ nomine, respicientem ad Vollai curtem. In eodem comitatu dedit Rodineus dimidium mansum ad eumdem locum pro se & filia sua Grantenao dimidium mansum. Præterea contuli alodum in Leobodi villa, quicquid scilicet a me in eodem loco possidebatur, hoc est dimidiam ecclesiam, terras, mancipia, cum omni integritate, excepto manso uno, quem tenet Teutbertus & Cristiani filius. Silvam etiam unam ad eamdem villam pertinentem ex integro, & aliam dimidiam; silvam quoque Rodinei exarti dimidiam. Adwaldinivilla duos mansos, & Roherum cum uxore sua & infantibus, & fortem illius. Rotlandum similiter, Winirannum similiter, terram Hunaldi similiter, nec non & arationes quas tenent isti quatuor homines, & de silva quæ vocatur plana silva meam tertiam partem. Amalricum quoque cum uxore & infantibus suis. Hæc autem omnia dedi, firmavi, tradidi, & stabilia esse, sicut ad Dei opus volo. Tenore illo nullatenus mutato, sed observata regulæ S. Benedicti B institutione .... sicut sæpe dicti abbates monasterii S. Apri ordinationi sit subjectus: obtestans cum invocatione Creatoris mei, ut nemo aut heredum meorum, aut quorumcumque cupidorum avaritia tentet ex his aliquid subtrahere: quod si præsumpserit, æternis .... ogatur suppliciis facti sui præmium recipere, & a parentibus meis hoc omnino contradicatur. De quibus etiam parentibus meis, si aliquis causa devotionis & salutis animæ suæ in hoc loco se suscipi petierit, non denegetur introitus. Sed & si utilis & dignus pro vitæ suæ merito inventus fuerit, & abbati visum fuerit, etiam provisor ejus constituatur. Si autem contrarius religioni & utilitatibus ipsius locelli fuerit, ut noxius repellatur. Sin autem, quod absit, aut episcopus, aut abbas monasticam religionem funditus destruere voluerit, tunc proximi mei omnia recipiant: infantes scilicet sororis meæ, seu etiam Mageneri, Drogonis, Ripaldi, Rodulfi & Albrici. Ut vero hæc omnia penitus corroborata essent, hanc scripturam fieri volui, atque manu mea & manu principum ac multorum nobilium in mallo publico firmari studui.

✠ S. Friderici ducis, S. Henrici, S. Teutberti scabini, Zerardi, Teduini, Widonis comitis, Terselini comitis, Odilonis, Folcoini, Folmari, Rodulfi, Ripaldi, Adelberti, Mageneri.

X I I.

Diploma Ottonis I pro Buxeriensi monasterio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina clementia rex, universis omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris, notum facimus quod egregius Tullensis ecclesiæ pastor Goselinus, una cum dilectissimæ conjugis nostræ Adalheidæ subventu pro quodam loco *Buxier* dicto, nostram adierit serenitatem, quo ibi constructam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ ecclesiam, in qua divinos cultus sanctimoniales sub regularibus institutis conatu & exhortatione prædicti episcopi jam cœperunt Domino exhibere nostri præcepti privilegio, firmaremus. Cujus petitioni quia ecclesiæ christianæ normam & sublimitatem præjudicavit, consentientes nostræ autoritatis præcepto, quo a fidelibus præsentibus & in futuro succedentibus stabile permaneat, signavimus, locaque ad ipsam ecclesiam pertinentia, vel ab ipso episcopo seu ab aliis Dei cultoribus in sustentationem victus ipsis quæ ibidem Domino militant concessa, nulli aut in beneficium donentur, aut aliquo modo subtrahantur. Volumus ideoque in præsenti quæsita loca, quæ & in futuro sunt inquirenda, firmius possideant, subnotari jussimus. In comitatu Scarponensi *(a)* ecclesiam Leverdunensem quam dedit prædictus episcopus Gozelinus, & quæ ad illam pertinent tam in terris quam in pratis, vineis, mancipiis utriusque sexus, ecclesiam denique dedit idem episcopus in eodem comitatu in villa Sasyriaco *(b)*, & quidquid ad illam pertinet cum quadam vinea. Berhardus abbas dedit quandam

960.

(a) Charpaigne.

(b) Saizerey.

ecclesiam in Geruenvilla in comitatu Bedensi, super A fluvium Mosam, quam emit a Geberto, & quidquid ad eam pertinet, seu quandam vineam suam in monte Barrisino in comitatu Tullensi. Dedit etiam quandam ecclesiam Garbrega filia Framberti in quodam monte, in honorem sancti Remigii dedicata; in comitatu Sanctensi, cum pratis, terris & omnibus ibidem pertinentibus, & ad Aciacum. Dedit Frambertus terras, prata & vineas, servientes utriusque sexus, pro filiabus suis Emma & Thiedrada. Prædium etiam dedit Villelmus nobilis vir, jacentem in Dahervilla, cum terris, pratis & vineis, & servientibus utriusque sexus. Odelricus etiam abbas dedit ecclesiam in comitatu Sanctensi, Vizilienseni nomine, & quidquid ad eam pertinet, tam in terris quam in pratis & servientibus utriusque sexus, & B quoddam farinarium & omnia quæ Hocedo presbyter possidebat in villa Buxeriensi. Prædium quoque dedit Hersindis in Portiriaci curte *(c)*. Urso dedit prædium in Murici curte. Hubertus dedit prædium in villa *Besange*, Hademarus mansum cum vinea in comitatu Saluensi. Dedit Waltherus prædium *Wolchesindes* villa. Abbatissam etiam quam sibi voluerint liberum arbitrium eligendi habeant. Et ut hæc constitutio a cunctis fidelibus firmius observetur, hoc præceptum nostrum manu propria firmavimus, annulique nostri impressione munivimus. Sigillum domini Ottonis invictissimi regis. Linduisus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovi. Data anno Incarnationis Domini DCCCCLX, indictione III, regni Ottonis piissimi regis XXV, pridie C nonas Junii.

XIII.

Dispositio S. Gerardi episcopi in favorem ecclesiæ cathedralis Tullensis.

971. IN nomine æterni Creatoris ac Redemptoris generis humani, Gerardus dono divinæ dignationis hujus sanctæ Leuchorum sedis, episcopus ejusdem sedis dilectissimis in Deo filiis & fratribus tam præsentibus quam futuris. Cœlestis misericordiæ magnitudinem & amorem considerantes, perspicue cognoscimus & vera fide tenemus quod pro bonæ actionis studiis cum spiritualibus animarum curis, corona nobis a Deo gloriosa & merces præparetur in cœlis. Unde D sicut destituta sanctæ religionis loca charitative sunt corrigenda, & ad statum rectitudinis & quietis Christi cura pervigili revocanda, ita & cœpta bona virorum Dei a nobis quotidie solidanda & paterne fovenda, præsertim cum nobis divina dignatio custodiam animarum & requiem contulerit ecclesiarum, quibus oves suas vitalibus alimentis pascere bene incœpta confirmando, perdita restaurando, diligenter educando præcepit. Hoc ergo nobis considerantibus inter cætera sollicitudinis nostræ studia nobis a Deo innotesci contigit, quod piissimi nostri præcedentes imperatores & reges omnia acquisita vel acquirenda ad præbendam vestram pertinentia, vobis fratribus, Deo sanctæque Virginis Mariæ genitricis illius, sanctoque protomartyri Stephano famulantibus libere confirmaverunt, scilicet Carolus imperator per præ- E decessorem nostrum piæ recordationis Arnaldum, & Arnulphus rex per antecessores fratres nostros proprio pastore tunc temporis orbatos, & filius ejus & heres Zuenzebaldus rex, & piissimus Ludovicus rex. Horum sanctam intentionem conspicientes, & aliquantulam portionem in eorum mercede devotionis adipisci cupientes, serenissimam majestatem domini Ottonis imperatoris adivimus, & eadem ab ipso confirmari suppliciter rogavimus, quæ favente Deo quiete complevimus. Quapropter & nos ex parte Dei Omnipotentis, & nostra ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ Jesu-Christi Domini nostri primum statuimus xenia omnino destruentes, quæ a præsulibus antecessoribus nostris pro dandis præbendis quasi pro jure exigebantur; donationem etiam præbendarum omnino vestræ dispositioni respectu misericordiæ Dei res pro augmento religionis in perpetuum tradidimus, ut de cætero nullus successorum nostrorum hæc exigere vel infringere præsumat, sed in ditione tantum vestra consistat, ut quibuscunque velitis, absentibus etiam episcopis succedentibus nobis, canonice tribuatis, ita ut a vobis carissimi in virtute Spiritus-Sancti damnatum ejiciatis Simonem, cujus pecunia cum eo permanet in perditionem, nullus primicerius, nullus decanus, cantor, librarius, thesaurarius vobis constituatur, nisi prius a vobis sine violentia canonice eligatur. Præbendarum etiam donationem primicerio, decano & vestro consilio concedimus, thesaurum ecclesiæ dispositioni vestræ ad honorem Dei & utilitatem ecclesiæ vestræ relinquimus, cujus custodes & officiales tam clericos quam laicos ab omni banno & dominatione, excepta vestra vel eorum prælati liberos effecimus. Mansiones vestras etiam proprias, quæ infra vel extra civitatem consistunt, nulla persona causa hospitalitatis, vel alicujus dominationis inquietare præsumat, absque vestra grata licentia. Res fratrum vestrorum defunctorum nullus successorum nostrorum diripere unquam præsumat, etiamsi ministerium eorum habuerint, sed illis omnia sua libere disponere liceat. Si autem aliquo casu de suis ordinare non poterit, totum mobile ejus ad salutem animæ suæ vestro communi consilio disponatur. Ab omni banno & potestate sius immunes & liberi, nec non in aliqua re bannum observetis, nisi canonici scilicet decani vel præpositi vestri, famuli vestro in claustro vel in propriis mansionibus servientes, neque præbendarii singulorum pro ullo facto bannum aliquem emendent. Sed si forte aliquid commiserint, ipsimet domno episcopo cæterisque congruentibus justitiam de suis faciant. Villas autem vestras omnes cum omnibus appendiciis earum, & mancipia & res per deserta loca conjacentes ad præbendam vestram pertinentes infra etiam civitatem vel extra mansos, terras, vineas, autoritate Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, & gloriosæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, sanctique protomartyris Stephani, omniumque Sanctorum, vobis confirmamus ut de cætero nullus successorum nostrorum de omnibus supra institutis calumniam inferat, sed vestro tantum proprio & libero arbitrio disponantur, usibusque vestris & necessitatibus omni etiam seculari potestate seclusa jure perpetuo famulentur. Decimas vestras quas indominicatas dicimus de civitate Tull. ex annona, vino, fœno, de villa Scrupulo, de Luciaco, de sancto Germano, de Babauvilla-ponte & pariter de Magnavilla, de Buneciaco, de Cupedonia, de Barro, de Salumeo, de Archarii monasterio, de Panciaco, de Christiani monasterio, de Walshadivilla, de Bumaci curte, de Salleio, de Boniaco, pro salute animæ nostræ ad sustentationem vestram & pauperum vobis perpetuo concessimus, & unum hospitem in unaquaque villa cum mansu uno ab omni banno liberum, quemcunque vobis illius decimationis elegeritis ministrum, hæc omnia superius comprehensa, acquisita vel acquirenda, vobis legitime sine calumnia collata, & autoritatibus apostolicorum sanctæ recordationis scilicet Johannis & Benedicti, confirmata perpetualiter maneant, & nostrarum communem animarum profectum per gratiam Dei perficiant, nec aliquis successorum nostrorum, neque dux, neque comes, nec aliquis reipublicæ executor vel qualiscunque exactor, hæc minutare, aut quacunque maligna vel callida tergiversatione infringere præsumat, sed totum in ditionem vestram consistat.

Quicunque autem hujus piæ nostræ devotionis & institutionis opere vel consensu, sine condigna satisfactione violator perstiterit, illum anathematis

nostri gladio transfixum cum sacrilego Juda proditore & nequissimo Caypha interfectore Salvatoris Jesu-Christi Domini nostri, perpetuæ maledictionis igni committimus, qui paratus est Diabolo & angelis ejus. Qui vero custos & observator extiterit, illum in die judicii ad dexteram Filii Dei in gloriosa sede Matris sedentis nobiscum invitamus ad audiendam & suscipiendam beatam & desideratam vocem illius: *venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, amen.* Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXI, ordinationis nostræ X, imperii domini Ottonis 37, regnante duce Frederico, Actum Tulli in plenaria synodo, VI id. Octob.

✠ Grimaldi primicerii.	✠ Bernizonis advocati.
✠ Amelardi decani.	✠ Harieti majoris.
✠ Herberti archidiaconi.	✠ Walteri scabini Tull.
✠ Hildebaldi archidiaconi.	✠ Frederici ducis.
✠ Jonæ cantoris.	✠ Odelrici de Mirervalt.
✠ Sendebaldi comitis Tul.	✠ Lodovici de Cammaccio.
✠ Felcomanni de Asmantia.	✠ Richardi de Castiniaco.
	✠ Beraldi de Vindopera.

Ego Heribertus sanctæ Tullensis ecclesiæ cancellarius signavi & subscripsi.

XIV.

Ex autographo.

Carta S. Gerardi episcopi Tullensis pro sancto Mansueto.

974. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, divina disponente clementia GERARDUS humilis Leuchorum præsul. Notum sit cunctis Christi fidei cultoribus dedisse nos ac perpetuo jure tradidisse loco B. Petri in honore dicato, quo veneratur corpus magnifici Mansueti primi pastoris nostri, tenenti & amanti nostro sudore religionem monasticæ vitæ, villas *Angeriacum* & *Molisiacum*, quas acquisivimus super ODELRICUM archiepiscopum, de prædiis videlicet ipsius pro precaria Babanis villæ tempore domni Brunonis archiepiscopi: quin etiam præcepto imperatoris hæc & cætera ei loco pertinentia indidimus. Postmodum vero nostræ ditioni iterato redactas, aliquando tempore loco privatas idem ter pius pastor quasi condolens penuriam sibi famulantium monachorum, eas cum grandi violentia & manu potestativa a nobis exemit. Nam quodam febris nimiæ languore pervasus, ad extrema etiam deductus tandiu nimis attriti sumus angoribus, dum mens compulsa est reddere audacia quæ præsumsisset auferre, & ut vera fatear baculus domni languorem fugavit. Unde cum consultu nostrorum fidelium monachorum, canonicorum & laicorum pristinam donationem iterato hac carta renovantes, pro remedio nostræ ac salute corporis & animæ hujus insuper sedis præcedentium & succedentium pontificum, & ut terni egentes cotidie monachile stipendium, inde cum ablutione & solito solatio pedum inibi percipiant, pro nostro etiam anniversario nostrisque tricesimis auctorisamus ac perpetuali lege diffinimus & delegamus eidem sancto loco jam dictas villas possidendas perpetuo, cum omnibus appendiciis precario jure acquisitis, cum omni integritate, videlicet terris cultis & incultis, aquis aquarumque decursibus, piscatione, pratis, vineis, silvis, molendinis, hominibus utriusque sexus quam plurimis desuper commanentibus atque adjacentibus, orantes posterorum ministrum & reliquorum ordinum benivolentiam, ac sub invocatione divini nominis contestamur, ut sicut sua decreta rata continuare exoptent, sic inventa stabiliant. Igitur omnis hæc auctorisans & sic haberi annuens, quam nos corpore recipimus pro reditione supradictarum rerum suavitatis portionem ipse jugiter possideat. Destructor vero & infractor consentanei quoque & quoquomodo complere non solum eamdem corporis quam passi sumus patiatur molestiam, verum multiplicem & variam atque inauditam continuamque sustineat passionem, ac demum iram Dei Omnipotentis incurrat, ac pœnam sempiternæ damnationis irremediabiliter percipiat: nec sit illi pars cum Deo in retributione justorum, sed habeat partem & societatem cum impiissimo principe tenebrarum, sustineatque judicium ultionis æternæ condemnationis, omnium sanctarum cœlestium Virtutum maledictione & excommunicatione, sitque anathema, maranatha, id est pereat in adventu secundo Domini nostri JESU-CHRISTI, donec resipiscat a sua prava intentione, & corrigat pravitatem cupiditatis suæ. Imprecante etiam B. Petro Apostolorum principe, cui data est potestas ligandi & solvendi in cœlo & in terra, ipso Domino dicente: *tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; & quæcumque ligaveris super terram erunt ligata in cœlis, & quæcumque solveris super terram erunt soluta & in cœlis;* & B. Mansueto patrono nostro, cujus meritis & intercessione cotidie pioque venientium diversi fugantur animarum corporumque languores, atque infirmitates multiplices. Ut autem hujus constitutionis nostræ series firmior habeatur, potioremque in Dei nomine vigorem firmitatis perenniter obtinere mereatur, manu propria eam subterfirmavimus, omniumque nostrorum fidelium monachorum, videlicet canonicorum, laicorum, cæterorumque omnium acclamantium auctoritate corroborari præsentialiter decrevimus.

Actum Tulli publice, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIIII, indictione II, ordinationis nostræ XII, mense Maio.

XV.

Carta S. Gerardi episcopi Tullensis Rotberto abbati S. Mansueti concessa.

Ex autographo.

OMNIPOTENTIS Dei clementia Gerhardus Leuchorum humilis præsul. Noverit sancta 986.
Dei ecclesia, præsentis scilicet temporis & futuri, quod quidam abbas monasterii S. Petri apostoli & S. Mansueti pontificis nomine Ruotbertus, & fratres sibi commissi nos supplices adierint, orantes, ut ad supplementum prædicti loci aliquid nostra sibi prospiceret bonitas. Quorum votis & rebus consilientes, voluntate & consiliis fidelium nostrorum clericorum videlicet, monachorum atque laicorum, dedimus pro pace & quiete regum ac populorum, pro remedio animæ nostræ nostrorumque præcessorum successorumque, ecclesiam villæ quæ dicitur *Andeleris:* ut sine ullius census pensione, excepto altaris perpetuo teneant. Omnes nobis succedentes pontifices, sub testificatione sanctæ Trinitatis omniumque Sanctorum commonentes & deprecantes: ut sicut sua volunt decreta servari inconcussa: ita hanc nostram donationem permanere inconvulsam. Si quis autem, quod absit, nec nos futurum credimus, hanc prævaricari voluerit, metuat primo judicium æterni Dei iramque B. Petri apostoli, & sanctissimi Mansueti ejusdem loci protectoris. Nos quoque licet peccatores illi interdicimus mensam æterni convivii, ligantes vinculo anathematis. Ut autem hæc donatio perpetuo firmissima maneat, hanc inde notitiam fieri voluimus, & nostra nostrorum manu firmavimus.

✠ Sign. Gerhardi episcopi. ✠ S. Rotberti. PP. ✠ S. Erimfridi decani & archidiaconi. S. Lantberti archidiaconi. ✠ S. Ruotberti abbatis S. Apri. Sig. Warnerii comitis. S. Richardi comitis. S. Northerti.

Acta dataque Tulli publice, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXVI, indictione XIIII, regnante Ottone anno VII, sub Christo.

XVI.

Ex cartario Senoniensi.

Adalberonis Metensis episcopi decretum adversus Girardum comitem Senoniensis monasterii advocatum.

1000. INDIVIDUÆ Trinitatis decreto præordinante, ADALBERO humilis præsul sanctæ Metensis ecclesiæ, cunctis filiis matris catholicæ. Cupiens esse ante Dei oculos quod humano ore dicor, & aliquotenus merito existere quod extitisse officio videor, scilicet episcopus & pastor, in diebus meæ dispensationis contra fas & jus venire tentantibus consentire vereor, illis præcipue qui sua, non quæ sunt Jesu Christi deprehenduntur quærere, atque ut hoc efficiam quavis arte, nec ab oppressione pauperum Christi curam manus inhibere. Quia ergo mercenarii est sub præsentia injusti raptoris fugisse, non locum mutando, sed injustitiam vidisse & tacuisse, etiam præsenti scripto intimare volui aliqua ex parte vigilantiam pastoralitatis nostræ, non ut inde privatam aucuper gloriam, sed posterorum sustentem causam. Igitur notitiam præsentium & futurorum non effugiat, quod idoneus vir SUTHARDUS Senoniensis cœnobii abbas, præsentiæ nostræ graves sæpe numero fecerit querimonias super sui advocati GERARDI comitis injustitiis & violentia ex Turestein. Nam invito abbate eodem aliquoties placita in possessiunculis monasterii denunciabat, homines sacramento sibi adstringebat, exactiones faciebat, intra claustra monachorum, cum uxore, cum canibus, atque suis lixis commanebat, nec a deprædatione abbatiæ interdum abstinebat; tandem præfatus abbas tanto constrictus articulo, assumtis fratribus sanioris consilii, in præsentia ipsius GIRARDI talia deplanxit mihi in plenaria fidelium nostrorum corte, recitato etiam regis CHILDERICI privilegio, quod ratum fore promulgaverat illi loco. Quapropter considerans majorem ipsius abbatiæ portionem a decessoribus meis coepiscopis olim a præbenda fratrum abscissam & evendicatam, decrevi ut secundum privilegii sui stipulationem pacifice possideret, quæ reliqua illis erat, particulam. Insuper generali cortis meæ judicio, ubi etiam THEODERICUS tunc sanctæ sedis nostræ primus scabinus, examinandum duxi quid expectare deberet quicumque advocatus ipsius loci, cui nihil omnino fuit judicatum extra beneficium sibi delegatum, nisi forte ab abbate invitatus ad aliquam controversiam terminandam, tunc accipiet ex justitiis tertiam. Quod & ipse ratum per omnia censui, & præfatum advocatum ab inceptis compescui, & præsenti testamento sub interminatione anathematis annotari jussi, & manu nostra subscribi, contestans posteros, ut quemadmodum cupiunt sua secundum Deum statuta a posteris servari, sic hanc nostræ parvitatis cautionem non permittant a quoquam cassari. S. domni Adalberonis junioris sanctæ Mediomatricæ dioceseos pontificis. S. Suthardi abbatis præfati loci. Data anno Incarnationis Dominicæ M. indictione XII, regnante Ottone principe glorioso tertio. Ego Humbertus ipsius cœnobii tunc præpositus recognovi.

XVII.

Transactio inter Bertoldum episcopum & Odelricum militem & uxorem ejus Vodam.

1019. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Bertoldus sanctæ Tullensis ecclesiæ præsul. Noverint omnes præsentes atque futuri, quod adierit nos quidam miles nomine Odelricus, petens sibi dari quasdam res nostræ ecclesiæ more precario daturus e contra nobis de rebus suæ propriæ hereditatis,
A cujus petitionibus benigne annuentes, consultu fidelium nostrorum utriusque ordinis contulimus ei quod petierat, abbatiam scilicet sancti Martini & ecclesiam de Pauniaco, ecclesiam *de Longor*, ecclesiam de Trondolis, ecclesiam *de Buoch*, ecclesiam de Sorbeio, excepto obedientias quæ ad presbyteros pertinent, usu fructuario & more precario tempore vitæ suæ & conjugis Vodæ nomine, ita tamen ut si conjunx ejus denominata eum supervixerit, & cum consilio Tullensis episcopi facere voluerit; scilicet aut in viduitate permanere, aut virum alium suo honori sibi parem ducere, habeat easdem præfatas res ecclesiæ, diebus vitæ suæ. Quod si sine voluntate & consilio episcopi ejusdem fecerit, datas sibi res ecclesiæ perdat, & sua quæ dederat ulterius ei
B repetere non liceat. E contra præfatus Odelricus & conjunx ejus Voda reddiderunt nostræ ecclesiæ perpetuo habendum castrum de Pauniaco sine ulla ratione atque convenione. Tradiderunt etiam prædium de Pauniaca villa in legitima precaria quantum illorum fuerat; in omnibus rebus, servis & ancillis, terris cultis & incultis, & anzingis, vineis, pratis, pascuis, & tertiam partem silvæ de Haseio. Similiter dederunt prædium de Vallibus & prædium *de Longor*, quantum illorum fuerat; prædium etiam de Mascio sicut eorum erat, & quantum prædii in Laio & in Orchadis, ipse aut servi de Pauniaco & *de Longor* continere videbantur, cum omnibus rebus videlicet servis & ancillis, terris cultis & incultis, condaminis indominicatis & anzingis, &c. Prædium aut aliquam adquisitionem habebunt prosequendum ad posses-
C sionem nostræ prædictæ ecclesiæ, excepto ea quæ sunt in *Buoch*, sicut sepes cingunt villam, & ea quæ sunt in Vertiseio & in Alneto, & ea omnia quæ sunt in Manileto. Ut ex his præfatis prædiis omnibus, in servis & ancillis, in terris & vineis, silvis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumque piscationibus; in banno interius & exterius, & in omni possessione per manus & ad præsens in sua vestitura nostra habeat ecclesia. Post discessum vero illorum cuncta quæ supra notata sunt, absque ulla diminutione & contradictione ad partem & possessionem nostram veniat ecclesiæ. His finitis . . . . . . quod si pro servire fideliter voluerit, sicut cæteri milites nostri & assiduus mansionator in castello nostro Trociaco fuerit nullo modo eum perdat. Si
D autem assidue in eo maneat custodiendo castellum, & milites nostros in eo manentes fors consiliare voluerit, & de via nostra & honore nostro convictus remanserit, judicio fidelium nostrorum beneficium & castelli receptionem perdat. . . . . verum ut in dies seculi firma & stabilis permaneat hæc commutatio, chirographum fieri decrevimus corroboratum testimonio fidelium nostrorum infra nominandorum; ut si forte ipse Odelricus aut uxor ejus destruere aut removere tentaverint, centum libras auri persolvat, & tunc per juncta linea chirographi, & testibus in palam productis convictus discedat. Et quod factum est fixum & stabile in æternum permaneat. S. domni Bertholdi præsulis qui hunc chirographum fieri
E decrevit. S. Heriberti primicerii. S. Odelrici archidiaconi. S. Gozelini archidiaconi, item Odelrici archidiaconi. S. Raimbaldi comitis. S. Vinderici comitis. S. Riquini comitis. S. Luduici comitis patris ejus, item Luduici filii ejus. S. Theodorici fratris ejus. S. Rodulfi. S. Varneri fratris ejus. S. Theodorici filii Vindrici comitis & Valteri fratris ejus. S. Odelrici filii Odelrici comitis. S. Arnulfi. S. Odelrici de Pauniaco, cui chirographo hic denotatur. S. Vulfoaldi, Varini, Richardi, Tetzelini, Blidulfi, Ailulfi, Mannonis, Folmari, Varini, Joannis. S. Burchardi. S. Hugonis. |S. Humbei. S. Valtheri & filii ejus Valfridi. S. Lamberti & fratris ejus Valfridi. S. Valtheri. S. Abilini. S. Anselmi. S. Haimonis. S. Valteri

parvi. S. Herimanni. S. Vuindrici. S. Humberti. S. Stephani. S. Ottonis. S. Rainardi. S. Hugonis. S. Rodulfi. S. Bosonis. S. Tefridi. S. Gumberti. S. Ebroini. S. Rotberti. S. Rainardi. S. Hugonis. S. Hattonis. S. Northerti. S. Tizelini. S. Adalberti. S. Ansceri. S. Albrici. S. Litaldi. S. Heinrici advocati nostri. Actum Tulli publice, anno Incarnationis Dominicæ millesimo nono decimo, regnante Henrico imperatore augusto, indictione II, duce Deoderico & Friderico filio ejus.

XVIII.

Præceptum Godefridi & Hermanni comitum de institutione sanctimonialium in Lunaris-villensi S. Remigii monasterio.

1034. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, GODEFRIDUS & HERMANNUS comites catholici. Commonemur censura piorum exhortati gestis, ut ea quæ ad augmentum nostri pertinent, ecclesiæ solliciti instemus, quo tam nobis quam successoribus nostris proveniat solatium, & ecclesia ipsa sumat incrementum. Notum itaque sit omnibus ecclesiæ cultoribus tam præsentibus quam futuris, quod cum paterna dispositione quoddam monasterium in loco Lunaris-villæ in honore S. Remigii construeretur, ubi ut duo militare studerent, monachos pater apposuit. Nunc vero monachos illos violatores & direptores S. ecclesiæ perspicientes, catholico consensu ab hoc loco pepulimus; & ne domus ista Dei ab ullo grege fidelium evacuetur, abbatissæ ADELIDI & gregi monialium hunc locum procurandum concedimus: quem etiam locum proprio deputantes proficere prædio, concedimus bona infra notata: mansus scilicet II ibi jacentes, molendina II, altare S. Remigii cum decimis & appendiciis suis, nec non & pontem inibi jacentem, & pontem Ondevillæ. Itaque hæc atque alia bona eidem ecclesiæ pro remedio animarum nostrarum tradidimus habenda, scilicet Hernadi vicum cum ecclesia, omnibusque suis appendiciis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursionibus. *Aldenk* etiam vicum cum omnibus appendiciis suis. Ad *Pecin* autem curtim quinque mansus, cum duabus partibus capellæ tradimus. Ad *Wioth* quatuor mansus cum saltu. Ad Fremonvillam sex mansus cum ecclesia. Apud vicum Aëneum unum cum duobus sessibus. Ad hæc enim dedimus decimam omnium prædiorum nostrorum, ea tamen ratione, ut in perpetuum moniales regulariter viventes inibi habeantur. Si quis hæc tentaverit præscripta permutare, & moniales inibi positas deviare, ante tribunal Christi adsistat damnatus, atque inferni baratro conclusus. Anno Incarnationis Dominicæ M. XXXIV, indictione VI, regnante rege Henrico, Brunone existente episcopo.

XIX.

Ex autographo sancti Mansueti.

Carta Brunonis episcopi de dono ecclesiæ Paterniaci villæ Dodoni abbati S. Mansueti.

1037. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, BRUNO Dei gratia Leuchorum præsul gaudere cunctis fidelibus. Cum pietatis opus præferatur cunctis actibus, nimirum constat diligi a Deo quicunque secundum possibilitatem confert miseris misericordiæ opem, quod maxime rectoribus ecclesiæ omni est admittendum sollicitudine, quatinus de terrenis sibi rebus collatis non perferant indigere quibus invigilant causa custodiæ; idcirco nos nostræ ditionis loco sancti videlicet Mansueti hujus urbis primi antistitis pignoribus & nomine insignito, volentes tam per nostrum quam per quorumcunque possemus subvenire adjutorium, egimus ut etiam divæ memoriæ CONRADUS augustus erga prædictum locum magnæ devotionis extiterit, & quædam xenia auri argentique ob suæ redemptionem animæ sæpius direxerit, inde hujus principis horiamento prædecessorumque nostrorum beati præcipue Gerardi inducti exemplo, cupientesque nostri benevolentiam animi fratres apud jam dictum locum servientes experiri, contulimus quædam nobis modica sibi tamen visa ut comperimus magnifica, postque curamus intimare nobis succedentibus interventu dilectissimi DODONIS quem illuc præfecimus curæ domini gregis, nos cum altari tradidisse ecclesiam *Paterniaci* villæ super Mosam fluvium sitæ. Omnes præterea ecclesias cum altaribus ad eundem locum pertinentibus, sic eas in perpetuum reddimus habendas, ut non liceat cuilibet successorum nostrorum ex illis redemptiones exigere, nullique absque consensu abbatis ad officium celebrandum committere: decrevimus etiam consiliante præscripto abbate, omnes presbyteros hujus abbatiæ qui matrem ecclesiam tenent, duodecim, qui vero capellam, sex nummos in festivitate beati Mansueti solvere, unde convenientes ob devotionem corporis sumant sustentationem. Addidimus præterea quidquid STEPHANUS Segintensis filius TICTEZELINI de domno Brictio pro nostra nobis obtulit requirenda gratia, quatuor videlicet alodos, primum in hac civitate, secundum apud *Rigneium*, tertium apud *Bisionem* montem, quartum in *Poniaci* villa super Mosellam fluvium sitæ, undecimamque partem in ecclesia ejusdem villæ: quicunque vero pravitate stimulatus cupiditatis, consilium vel vim præbuerit auferendi, exactorque extiterit nostræ donationis, vivens careat cunctorum Christianorum societate, & sacri corporis Christi communione; defunctus quidem habeat perpetuæ damnationis maledictum. Hujus itaque cautio munificentiæ ut nequeat in carne futuris latere nostra manu signum subnotavimus Crucis, & in oratorio beatorum Petri & Mansueti laudata est nostrorum acclamatione fidelium eorum quoque signata, multorumque est nobilium tam clericorum quam laicorum testimonio corroborata.

Ego Bruno huic testamento signum Crucis subscribo ✠ annuloque nostræ ecclesiæ consigno.

✠ Signum abbatis Dodonis ejusdem loci.
✠ Herberti abbatis loci S. Apri.
✠ Lamberti abbatis Mediani monasterii.
✠ Bercherii abbatis Senoniensis.
✠ Udonis primicerii.
✠ Adelberonis archidiaconi.
✠ Stephani archidiaconi.
✠ Lamberti archidiaconi.
✠ Humberti decani.
✠ Henrici canonici.
✠ Arnulfi canonici.
✠ Richardi canonici.
✠ Rainardi comitis.
✠ Arnulfi de Igneio.
✠ Arnulfi de Soreceio.
✠ Haimonis de Brixeio.
✠ Sigifredi advocati.
✠ Warnerii Villici.
✠ Hyldemodi scabinii.
✠ Albrici scabinii.

Actum publice in ecclesia beati Petri apostoli sanctique Mansueti, III non. Sept. scilicet festivitate ejusdem patris, an. Incarnat. Dominicæ M. XXXVII, indict. VI, anno regni Chuonradi XIIII, imperii vero XI.

XX.

XX.

Ex autographo S. Apri.

Judicium a Brunone episcopo Tullensi redditum in gratiam Raingardis viduæ.

Circa 1040.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, summæ & incomprehensibilis Deitatis & Majestatis. Dum dispensatio sanctæ matris ecclesiæ credita videtur exiguitati nostræ, vigilanti sollicitudine incumbit quæque ecclesiastica fideli distributione ordinare: quatinus & in dispensatione commissum exhibeamus ministerium, & a summo Pastore exinde expectemus præmium repromissum. Proinde ego BRUNO sola Christi gratia præveniente antistes sanctæ Tullensis sedis, volo notum fieri tam præsentibus quam etiam posteris, quod domnus BERTOLDUS episcopus, dominus & prædecessor meus, hujus ecclesiæ augmentator & defensor promtissimus ob incursiones quas aliquando cum comite WALFRIDO exercebat quidam ingenuus nomine DAQUINUS, alodium quod idem Daquinus apud Saponarias possidebat jure hereditario potenti manu invasit, atque redegit suo dominio. Et quamvis ille Daquinus postmodum præsumta luisset proprio sanguine, tamen prædictus dominus meus quod semel arripuerat retinuit in sua ditione. Unde factum est, ut vidua nomine Raingardis, quæ relicta fuerat sæpe dicto milite interfecto frequenter interpellaret hujus sedis consultores pro præfato alodo reposcens dotalitium quo nuptiali conditione copulata fuerat viro. Exuto autem domno BERTOLDO mortalibus rebus, cum successisset præsul Herimannus, ipsum alodum viduis lamentationibus calumniatum præsenti contradictione male solidum tradidit ecclesiæ S. Mansueti ob dedicationem ipsius oratorii. Decursis itaque suis temporibus, cum finem vivendi indeptus fuisset domnus HERIMANNUS, rursum pulsare cœpit aures nostras vidualis querimonia rediviva, & me qui noviter susceperam ecclesiæ regimina obtestare, ut sibi facerem judicium cum justitia, satis sobria & non aspernabili propositione utrumque offerens, scilicet aut hoc ipsum jurando probaret comes Tullensis cum advocato & cæteris moderatoribus legum ipsius urbis, & ipsa postmodum non solum cederet, verum etiam auctoritatem præberet soliditati, aut certe si refugerent probare sibi dotalitium suum jurisjurandi lege concederent. Hac objectione devicti fideles nostri, licet damna nostræ partis sufferrent inviti, tamen injusto sacramento timuerunt implicari. Nec vero ultra potui vel debui legibus reluctari: sed inito consilio cum prædictis fidelibus nostris, judicavi res non æque subtractas, nequaquam debere misceri rebus ecclesiasticis. Tunc indixi ut illa testibus productis, haberet potestatem probare sibi jurejurando legaliter fundum sui dotalitii. Illico reconsignatis veracibus & idoneis viris, id est, Odelricum filium Walfridi comitis; item, Odalricum *de Mirauvalt*, Gombertum, Norbertum, Reimbaldum, Daquinum atque Odonem, constanti deliberatione quod inde leges dictabant explevit. Sicque restitui ei quæ aliquando sua fuerant, id est ecclesiam ex integro de Saponariis, cum francali manso suo aliorsum sito, & cætera quæ sui juris olim ibidem extiterant. In eadem vero villa erat possessio satis melior S. Apri monachis, qui statim obtulerunt in præstaria eamdem possessionem sæpe dictæ viduæ, eo rationis tenore, ut herede uno post se tantum adhibito, filio videlicet suo Herberto qui huic sanctæ ecclesiæ deservit sub proposito canonico, teneret hereditatem S. Apri cum suo alodo: ita duntaxat ut post depositionem ipsorum rediret ad monachos jure præstariæ utraque possessio. Quod illa cum filiis suis cæterisque amicis contulit, & incumbens consilio cujusdam fratris ex loco sancti Apri, qui prædictum filium suum, dum adhuc canonicus esset, nutrierat a primis annis, partim amore ejus ducta, quia pariter consanguineus erat. Altiori vero respectu ne nos offenderet, cujus benignitate sua recuperaverat, sese filiosque suos ad prælibatas inclinavit conhibentias. Dehinc utrobique mediante concordia cum fuisset utrimque laudata ipsa præstaria, post expletas jure legum traditiones mutuas, poposcerunt pariter ut ad stabilimentum futuræ quietis & firmitatis nostra auctoritate interponeretur mediatrix hujus chirographi præsens carta. Contra quam ne quisquam adversarius calumniator ultra accedere audeat, præcedente signatione nostra, signatorum subsequentium confirmatione solidetur subnixa. S. Brunonis episcopi, S. Herberti primicerii, S. Herberti archidiaconi, S. Rainaldi comitis, S. Odelrici comitis, S. alterius Odelrici comitis, S. Henrici advocati, S. Gomberti, S. Norberti, S. Raimbaldi, S. Daquini, S. Oddonis.

XXI.

Privilegium Leonis IX papæ Dodoni abbati S. Mansueti inscriptum.

LEO episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Dodoni abbati monasterii sancti Mansueti, quod in suburbio nostræ civitatis Tulli situm est, ejusque successoribus regulariter promovendis in posterum. Sicut rationi contraria procul est abjicienda petitio, ita in his quæ bene desiderantur, effectum negari non convenit, tuis igitur, fili in Christo carissime, precibus annuentes ad perpetuam vestri monasterii pacem ac stabilitatem, præsentis decreti stabilitate sancimus ut in eo non episcopus, non alia quævis persona gravamen vel quampiam vexationem exercendi jus habeat, nec de reditibus, rebus vel cartis, de villis vel de cellis, sive de omnibus illi pertinentibus quocunque modo, qualibet exquisitione minuere, vel dolorem aut immiscionem aliquam facere præsumat, sicut in beati Gerardi chirographis & antiquis ipsius loci privilegiis continetur. Ut autem fratres inibi servientes Domino liberius vacent, mansum integrum in quo idem situm est monasterium, vel quicquid infra parochiam hodie juste possidet sive in futurum possederit, ab omni banno seculari liberum & quietum, ab omni exactione immune, sub ea divisione quæ in supradicti episcopi chirographo est descripta, possideant. Confirmamus etiam cellam apud Mediumvicum, cellam de Monte-Barro cum parochia sua, ecclesiam de Germaio, ecclesiam de Boneio cum capella *de Ormenhons*, ecclesiam *de Odelincourt*, ecclesiam de Parneio, ecclesiam de Bladiniaco, ecclesiam de Marceio, ecclesiam de Tuliaco, ecclesiam *de Purnes*, ecclesiam *de Boeruns*, ecclesiam *de Andelives*, ecclesiam de Serto, ecclesiam *de Limers*, cum omnibus appenditiis vestris, cum altaribus & decimis, ut nullo modo cuicunque personæ ex prædictis rebus liceat minuere vel auferre, neque ecclesiam sive capellam infra supradictos terminos ausus sit construere. Confirmamus similiter vobis omnes villas vestras, videlicet Angeriacum cum piscaria integra in omni usu & banno, Molosiacum, Sessiacum & alterum Sessiacum cum silva & banno, Julliacum, sartum cum silva & banno. Gibonis mansum, *Purnes*, Germaium cum silva & banno, & cum omnibus mancipiis utriusque sexus ad prædictas villas pertinentibus: præterea quæcunque idem cœnobium hodie juste possidet, sive in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus illibataque permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel

1050.

temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si quis sane principum, sacerdotum, judicum atque secularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate irrecuperabiliter careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel illa quæ ab illo male ablata sunt restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu-Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis recipiant, B & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen, amen.

Ego Leo Catholicæ ecclesiæ episcopus.

Anno Incarnationis Domini M. L, indictione IIII, data Tulli in Majori ecclesia XI cal. Novemb. per manum Udonis Tullensis ecclesiæ primicerii, cancellarii & bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno apostolatus domini Leonis IX papæ II, episcopatus Tullensis XXVI.

XXII.

Fundatio Portus-suavis.

1051. LEO episcopus servus servorum Dei, omnibus C ortodoxis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ gubernatoribus, & omnibus veræ religionis veræque fidei cultoribus, præsentibus & futuris. Perspicue cognoscimus, & certa lege tenemus, quod pro cunctis bonæ actionis studiis & spiritualibus animæ incrementis, corona nobis a Deo & merces præparetur in cœlis: unde sicut destituta sanctæ religionis loca solerter sunt corrigenda, & ad statum rectitudinis sollicitudine pervigili revocanda, ita & cœpta in seipsum bona a nobis sunt cœnobia solidanda atque fovenda, præsertim cum nobis divina providentia custodiam animarum & regimen contulerit ecclesiarum, quibus oves suas vitalibus alimentis pascere, bene incepta confirmando, & quæ vigent diligentius educando, præcepit. Hæc ergo me considerante, D dum initio nostræ ordinationis fui Dei dono Leucorum præsul electus; interea sollicitudinis meæ studio mihi innotesci contigit, quod prædecessor meus dominus venerabilis Bertholdus, quoddam cœnobium ex pontificalis præbendæ sumptibus, in villa quæ Portus-suavis dicitur, construere cœperit, sed sine præreptus, bonum opus ad finem usque minime provexerit; cujus sanctam intentionem conspiciens, & aliquantulam portionem in ejus mercede devotionis adipisci cupiens, cœptum laborem Christo favente perexplere studui, cœtumque sanctimonialium Deo ibidem serviturarum congregavi, & locum in veneratione gloriosæ Virginis genitricis Mariæ ac sanctæ virginis Mennæ ibidem corpore quiescentis consecravi: postquam autem ad onus apostolatus sanctæ Romanæ sedis fui evocatus Dei dispensatione, E contigit me fines Galliarum revisere, pro sancta Dei corroboranda religione; dumque in sanctæ Dei Tullensis ecclesiæ sede remorarer, quam adhuc retinebam in nostræ ditionis ordinatione, adiit nostram præsentiam *Berrena abbatissa* ejusdem cœnobii, poscens res a nobis vel ab aliis Deo devotis collatas, nostra apostolica authoritate corroborari. Ejus petitionem utilem fore cernentes, confirmavimus, eidem loco sancti Petri authoritate cuncta quæ dudum delegavimus, scilicet viginti duos mansos & semis in eadem villa Portus-suavis, cum banno & districtu, & quidquid ibidem possidemus in silvis & pratis, aquarum decursibus, terris cultis & incultis; tria etiam

A molendina in ipsa villa, & ecclesiam sancti Mauritii cum capella sancti Andreæ, de quibus nullus census, nullumque servitium alicui debet solvi: ecclesiam de (a) Babainvilla cum capella de (b) Xuilleyo, & capellam de (c) Mazeriis; medietatem ecclesiæ de (d) Saviniaco, & medietatem capellæ de (e) Sampiniaco; medietatem ecclesiæ de (f) Morlanicurte, capellam de (g) Lagniaco, ad (h) Faveriis; medietatem ecclesiæ & dimidium mansum allodii cum servis & ancillis. Concedimus etiam altaria prædictarum ecclesiarum absque ullius pretii redemptione in futuris temporibus perpetuis possidere; tertiam partem terræ de (i) Cauleyo cum dimidio banno; quatuor vineas ad (k) Domnum-germanum & vinum decani; ad Stafledevillare mansum unum, ad (l) grandem Frasinum dimidium mansum. Confirmamus quoque eidem loco illa quæ post constructionem ipsius cœnobii prædicta abbatissa suo studioso labore acquisivit. Ad (m) Humberticurtem tres quartarios & dimidium molendinum quem dedit ipsi monasterio Dado miles. Ad Bactris dimidium mansum, & silvam apud (n) Valdoniscurtem, quam dedit Mansedis uxor Windrici; ad Bossevini-frontum tres quartarios cum silva & pratis, quæ dedit Odilla uxor Elbonis, inter Domnum-Martinum & Molicurte, mansumque quem dedit Riquinus quondam; ad Luldam quartarium vinum quem dedit Vindiscordis uxor Baralli de Vendopera; ad (o) Domnum-Martinum super aquam axandum quartarium & semis, & tres partes medietatis ecclesiæ; medietatem ecclesiæ de (p) Puteolis & altare ejus, & quartarium alodii de Puteolis, quem dedit Radulphus pro uxore sua. Præterea decernimus ut eidem cœnobio præficiatur abbatissa, quæ secundum regulam sancti Benedicti præesse & prodesse queat. Quoties qualibet abbatissa ab hac luce migraverit, ab eisdem, laude episcopi, digna eligatur abbatissa. Sin vero inter eas electio digna effici nequierit, ex alia qualibet congregatione idonea abbatissa expetatur. Inhibemus igitur & universo coetu præsentium fidelium annuente præcipimus, ac sub invocatione divini nominis contestamur unumquemque antistitem ipsius sedis, successorum videlicet nostrorum, ne unquam de hac præscripta facultate ancillarum Dei, quam illis per testamentum concessimus, subtrahere quicquam vel diminuere præsumat, neque ipsam aliquando congregationem exordinare vel injuste perturbare audeat, sed quoties ei ad eas venire placuerit causa caritatis & piæ sollicitudinis, veniat; & si qua inter eas ordinanda vel corrigenda sunt, clementer ac secundum Deum ordinare vel corrigere studeat. Si quis tamen eorum iniqua cupiditate persuasus, hanc ordinationem nostram a nobis constitutam infringere aut violare tentaverit, iram Dei Omnipotentis incurrat, ac pœnam sempiternæ damnationis irremediabiliter persolvat, nec sit illi pars cum Deo in retributione justorum, sed habeat partem cum principe tenebrarum, feratque judicium divinæ ultionis, transfixus anathemate perpetuæ maledictionis. Qui vero pio intuitu hujus privilegii nostri custos & observator extiterit, a Domino Deo gratiam consequatur, & æternæ gloriæ particeps efficiatur. *In cujus bullæ circulo est scriptum: misericordia Domini plena est terra. Et in medio circuli: Leo papa. Postea magnum B. L. pro subscriptione.* Datum calendis Octobris per manum Petri diaconi, bibliothecarii & cancellarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, anno II domini Leonis papæ IX, indict. III, cum plumbo & chorda in pergameno.

(a) Bainville. (b) Xuilly. (c) Maizieres. (d) Sepaigny. (e) Champougny. (f) Morlaincourt. (g) Lagny. (h) Favieres. (i) Chauloy. (k) Domgermain. (l) Frenel-la-grande. (m) Humbercourt ou Ambacourt. (n) Vauldoncourt. (o) Dommartin. (p) Puisieux.

XXIII.

Ex autographo.

Carta Udonis episcopi Tull. Dodonem abbatem & monasterium S. Mansueti sub sua protectione suscipientis, atque advocatos expellentis, &c.

1054. IN nomine æterni Dei Creatoris ac Redemptoris humani generis, UDO dono divinæ dignationis humilis sanctæ Leuchorum sedis episcopus, cunctis catholico nomine gloriantibus. Quamvis constet lex in initio orbis hominem nisi solius Dei parere injuriis, multis tamen rebus id deinceps abnuentibus dispositum est, ut secundum diversitatem hominum subirent quidam dominandi principatum, ut qui nollet amore justitiæ, corrigeretur ultionis asperitate. B Sed cum hujusmodi permissæ licentiæ potestatem nonnulli verterent in severitatem, contigit ut & subjecti detrimentum & prælati incurrerent reatum: propter quod & vindicem Deum. Nos vero ut Dei gratia præcurrente nostræque plebis favore favente sublimati honore pontificii dedimus operam corrigere commissa per incuriam, notificante domno abbate DODONE didicimus S. Mansueti quosdam protectores loci magis obfuisse quam profuisse. Considerantes ergo nos minime immunes existere culpæ immo etiam pœnæ, si cujuslibet amor nobis fiat ad bene agendum terror, utile judicavimus, consentientibus nostris qui aderant fidelibus, jam dictum S. Mansueti locum nostra sub cura retinere, nullumque præter nos velle advocatum habere. C Idcirco quibusdam qui videbantur defensores existere ablatis ecclesiis trium villarum, scilicet Bilmiaci, Ladii & Ragniaci restituimus sancto postmodum habendas perpetuo. Obsecramus autem post nos hanc sedem recturos, ut nostræ benevolentiæ fautores dignentur hujus restitutionis esse corroboratores. Si vero cuilibet antistiti nostro successori non fuerit licitum intendere ratiociniis querelarum, præponat ad præsens talem huic negotio qui non requirat se mercedis remunerari dono. Præterea decernimus & sub divina auctoritate interdicimus nullum successorum nostrorum amodo ecclesias, sive data altaria præfato loco vendere, quia non constat eleemosyna nisi præsentis vitæ careat vicissitudinis gratia. Super hanc denique misericordiam de suis rebus indultam, D contulimus medietatem decimarum proxime Barri villæ, & quemdam alodum apud Wahonis curtim, ut fiat, donec vixerimus, nostræ ordinationis commemoratio, ac post obitum die depositionis nostræ animæ annuatim absolutio. Oramus igitur & obtestamur per tremendam divinæ potestatis justitiam, omnes qui hanc sanctam post nos recturi estis sedem, ut incertæ vitæ ob nostræ parvitatis decretum, quod juste a nobis videtur factum, & divinæ auctoritatis sententia roboratum, nostra etiam manu nostræque ecclesiæ consensu adjudicatum sive subscriptum, nullo modo faciatis irritum; sed vestræ semper pietatis censura subnixum, inviolabile maneat in ævum. Cæterum si quispiam mente perculsus ad tam illicita fuerit prorumpere ausus, vestra pastorali E auctoritate, ut dignum est, coerceatur; & nisi digne pœnitendo vel ecclesiæ cujus pervasor extiterit satisfaciendo suam correxerit pravitatem, perpetuæ maledictionis incurrat damnationem, nec habeat cum Sanctis aliquam partem, quorum non timuit invadere possessionem.

Ego Udo episcopus huic constituto faveo, & signo crucis corroborando subscribo ✠ annuloque nostræ ecclesiæ consigno.

✠ Dodonis abbatis S. Mansueti.
✠ Herberti abbatis loci S. Apri.
✠ Alberti abbatis de S. Michaële.
✠ Bercherii abbatis Senoniensis.

A ✠ Adelberonis primicerii hujus sedis.
✠ Melonis primicerii Virdunensis.
✠ Rainardi archidiaconi.
✠ Stephani archidiaconi.
✠ Lamberti archidiaconi.
✠ Rotberti archidiaconi
✠ Benzelini archidiaconi.
✠ Oddrici archidiaconi.
✠ Arnulfi comitis Tullensis.
✠ Lodouvici comitis.
✠ Haimonis.
✠ Milonis.
B ✠ Arnulfi de Soretis.
✠ Everardi.
✠ Besonis.
✠ Hugonis vicedomini.

Actum publice in Leucha sede, in plenaria synodo, tertio nonas Junii, anno Incarnationis Dominicæ M. LIIII, indictione VII, ordinationis nostræ III, imperante Heinrico tertio, anno regni ejus XIII, imperii vero VIII.

Ego Walterius indignus levita atque ecclesiæ beati Stephani cancellarius scripsi & publice relegi.

XXIV.

C *Erectio abbatiæ Castenensis in diœcesi Tullensi.* *Ex cartario Molismensi.*

Circa 1070.

POST obitum ducissæ Hadevuidis quæ ecclesiam Castenensem in honore S. Petri construxerat, monachosque ibi Molismenses sub cura & regimine abbatis ejusdem cœnobii, Roberti nomine, locaverat, dux Teodericus filius ejus eundem locum Castenense qui sibi a matre devenerat, cupiens pio affectu amplificare terrenis simulque spiritalibus incrementis, presente & favente venerabili Tullensium pontifice Pibone & clero ejus, impetravit a supradicto abbate dari sibi tot monachos qui secundum possibilitatem loci ordinem tenerent, & inter eos unum qui cæteris pastor & abbas ordinaretur. Statutum est etiam ab eisdem ut electus baculum pastoralem in eodem loco sancti Petri ab altari nemine dante reciperet, cum D quo in locum sibi ab episcopo Tullensium constitutum benedictionem percepturus adveniret, subjectionem & obedientiam juxta morem abbatum ejusdem diœceseos promittens. Si vero post ordinationem suam aliter quam debeat, & contra regulam se habuerit, & cognito hoc ab abbate Molismensi fuerit, per se, si potest, sin autem ordinate advocato episcopo utrique quod male fuerat resecare & corrigere curabunt; quod si ad notitiam episcopi priusquam ad abbatis Molismensis vitia ejus pervenerint, litteris aut nuncio tempore opportuno ad ratiocinium istius accersire studebit; abbas vero super incuriam & negligentiam hoc differre visus fuerit, & culpa hujus magis magisque claruerit, episcopus suo circummanentium abbatum judicio in sede sua aut in E capitulo illius examinationem culparum habebit: igitur si evidentibus culpis in tantum enormitas ejus excreverit, nequaquam abbatis Molismensis aut episcopi Tullensis præjudicio gravabitur, sed canonico judicio & legali definitione examinatus, juste in loco suo requiescet, aut culpabilis repertus, alius ab abbate Molismensi electus loco ejus ordinandus substituetur. Definitum est etiam ut post mortem hujus primi abbatis Castenensis ecclesiæ, si inter fratres ejusdem ecclesiæ successor ejus reperiri potest, ab eodem consilio Molismensis abbatis eligatur; sin autem a claustro Molismensi assumatur, quod de primo & secundo statuimus, de reliquis successoribus in omnibus fieri decernimus, eodem modo & de

monachis qui sub ejus regimine positi fuerint; si rebelles contra eum exstiterint insuper Molismensium abbas ad eundem locum conductus, & ab utrisque commonitu se minime correxerint, ad Molismense claustrum reducantur, & alii loco ipsorum Castenensi ecclesiæ reddantur: cum autem Molismensium abbas ad eundem locum invitatus aut aliquo casu supervenerit, congruo tempore & honore quantum cupit recipiatur, de ecclesia quoque quoniam parrochialis fuerat antiquitus, ne frequenti populorum conventu fratres ibidem Deo mancipati molestiam paterentur, assentiente episcopo definitum est ut loco ejus alia fabricaretur legali dote & atrio ut mos est ecclesiarum informata, in qua presbyter cum populo suo deinceps ut vicarius abbatis easdem quas in priori ecclesia vices ageret, ita tamen ut nulli monachorum absque licentia & conductu presbyteri liceat ex parrochianis aliquem ad sepeliendum recipere: obeunte autem presbytero qui nunc præest eidem ecclesiæ, loco ejus alius vicario modo abbas episcopo ad suscipiendum curam animarum conducet, hujus vero cœnobii advocationem dux sibi & successoribus suis quibus castrum Castenense deveniret retinuit, non ut ipse aut ullus heredum suorum aliquid terreni commodi exinde acciperet, sed ut res ecclesiæ ubicunque opus esset sua tuitione deffenderetur.

XXV.

Compositio inter Fridericum Comitem Tullensem & Vidonem Abbatem Sancti Apri.

1071. FREDERICUS, Dei gratia præeunte & subsequente, civitatis Leucorum comes. Si actus nostros justicia moderante libramus, cum res ecclesiæ æquitatis luce disponimus, dignam vicissitudinem ab æterno remuneratore in præsenti & futuro nobis rependi speramus; quapropter noverit universitas fidelium præsentium & succedentium, quod pauperes meæ potestatis de villa Oscada, quam in beneficio jure comitatus ex parte domini mei venerabilis Pibonis Leuchorum urbis episcopi teneo, ante mei præsentiam querimoniam attulerunt super hominibus Sancti Apri de villa quæ dicitur Videliacus, quod quædam prata in banno meæ prædictæ villæ posita super Mosellam fluvium, vocato Hoya silva, injuste tenerent, & pauperibus meis violenter abstulissent, & rectius esse eis prædicta prata restitui debere, quam homines Sancti Apri pro ulla diutina & violenti retentione possidere; qua querimonia ante meos fideles & meliores hujus urbis diligenter ventilata, cognovi veridico relatu quod homines Sancti Apri temporibus Gozilini hujus sedis præsulis & Leudebaldi comitis, locum ubi prædicta prata jacent, a potestativa manu prædicti comitis & advocati villæ Oscadæ susceperunt, & denominatum xenium persolverunt, ac annualem censum statuerunt, & locum illum de silva colendo in pratum redegerunt, & sub comitibus meis antecessoribus Raimbaldo & Rainaldo majore, ejusque filio Rainaldo juniore meo socero, prædicta prata solide absque refragatione vel proclamatione tenuerunt; statutum censum annuatim persolverunt; & idcirco justius esset ut homines S. Apri prædicta prata sub solito censu tenerent, quam homines Oscadæ villæ ea ad possidendum dimitterent: itaque prædicta querimonia & responsione in judicio meorum scabineorum de Oscada villa, & meliorum civitatis posita, judicaverunt ut si septem homines de Videliaco possent sacramento probare ita ratione fuisse, & nullus vellet eis legitime obstare, homines Sancti Apri prædicta prata ad solitum censum tenerent; & si qua exinde negligentia contingeret ad bannum Oscadæ villæ rationem redderent; quæ causa est secundum judicium ab hominibus Sancti Apri probata, & banno misso

A legitime confirmata. Et ut hæc res in sequentibus temporibus sit stabilita, communi consilio decrevimus ego Fredericus comes & Vido abbas congregationis Sancti Apri, ut exinde hoc chirographum fieret, ne qua in posterum denunciatio fieret per ullius calumniam, sed rata & stabilis in perpetuum permaneret. S. Frederici comitis, S. Vidonis abbatis, S. Widrici præpositi, S. Lamberti archidiaconi, S. Odelrici archidiaconi, S. Hugonis archidiaconi, S. Haimonis comitis, S. Everardi comitis, S. Gilliberti filii ejus, S. Henrici advocati civitatis Leuchorum, S. Ottonis, Alberti, Valteri, Vulnerari, Hincmari villici, Henrici scabinei, Gilberti & Vanini filii ejus, advocatorum tertiæ partis villæ Oscadæ, Abel villici, Alardi scabinei de Oscada; B aliorum scabineorum, Arefridi, Heberti, Giraldi, Henrici, Reineri, Hugberti, Stephani advocati *ex parte Sancti Apri, sub duce Theodorico*, Stephani villici de Videliaco qui primum juravit; Renardi scabinei, Sereni, Leutbodi, Maccardi, Godonis, Odelrici de Naneio, Valteri de Brisseio, Richeri, Roberti; acta anno ab incarnatione Domini millesimo septuagesimo primo indictione IX, regnante Henrico I, quindecimo anno regni ejus, domino Pibone Leuchorum præsule, duce Theodorico.

XXVI.

Carta Pibonis Episcopi Tullensis pro ecclesia Sancti Deodati.

C IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. PIBO, Dei gratia, sanctæ Tullensis ecclesiæ episcopus, universis in Christo renatis. Christi pacem & regnum amor futuræ patriæ, qui in filiorum Dei cordibus plurimum exæstuat de præsentis ecclesiæ cura & administratione vigilanter deliberat, tantoque potentius eam fovet & amplectitur, quo agnoscit quia eo quod suspirat, non alio modo felicius pervenitur: & nos ergo pro ratione nostri officii in iis quæ ad nos pertinent satagentes, ecclesiæ quoque Sancti Deodati, quæ in tuitione nostra similem curam impendimus, ecclesiamque de S. Remigii monte, quam dux Theodoricus diu per invasiones obtinuerat, tempore Reimbaldi præfatæ ecclesiæ præ- D positi, synodali judicio & canonicali auctoritate, ipsius quoque præpositi legali comprobatione recuperatam præbendæ fratrum in perpetuum concessimus: quia vero ejusdem ecclesiæ frater episcopus fui altare acquisitæ ecclesiæ in memoriam mei obitus per singulos annos eodem jure, eademque integritate qua tenuimus fratribus ibi servientibus perpetuo tenendum tradimus: verum quia caritati invident caritatis inimici, bonisque institutis pars adversa reluctatur, decernimus, ut quisquis hoc decretum turbaverit, nostro anathemate percussus, iram justi judicii sentiat. Præsentem itaque descriptionem nostra auctoritate confirmamus, testimonio etiam fidelium nostrorum roborari censuimus. Signum Pibonis episcopi, S. Ricuini primicerii, S. Reimbaldi E archidiaconi & S. Deodati præpositi, S. Stephani archidiaconi, S. Hugonis archidiaconi, S. Gotberti cantoris, S. Alberonis cantoris, S. Thromari abbatis S. Mansueti, S. Widrici abbatis, S. Apri, S. Bertrici abbatis Mediani monasterii, S. Rainaldi comitis, S. Varini advocati, S. Letfridi, S. Henrici de S. Vedusto, S. Gilberti villici.

(margin: 1076.)

XXVII.

Fundatio monasterii Sancti Leonis Tullensis.

Ex autographo.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. De Scripturis evangelicis & apostolicis permoniti, pii reges, religiosi pontifices, cæterique christiani 1091.

principes, quorum cor dilatatum est in caritatis latitudine & rerum suarum multimoda possessione, ipsi quidem solent ecclesias ædificare, congregationes Sanctorum adunare, stipendia necessaria suppeditare, omnique sufficientia locupletare. Ego autem Luctulfus, humilis clericus, Tullensis ecclesiæ claustri decanus, quamvis nulla rerum possessione subnixus, animatus sum tamen æmulari tam grande propositum, quadam magnanimitate bonæ spei quotidie interpellante adversus pusillanimitatem meam, & incessanter sugillante timidum animum meum. Qua in re, prudentia hujus mundi taxans sumptus operis & rationis, nequaquam committetur vel contemnat pusillitatem meam, quia Dei munificentia semper fidus comes bonæ voluntatis, in quo omnia possibilia credenti, inceptum meum conducit & perducet ad bonam efficientiam. Si quidem ego positus inter spem & curas, Hugoni comiti filio comitis Henrici, sicut eram ei notissimus, hanc voluntatem meam & sollicitudinem exposui. Vir autem Domini fidelis, spiritu Dei intrinsecus corde tactus, in hæc mihi verba respondit, sese curarum mearum futurum socium, & suscepti laboris indefessum cooperatorem, immo principem, si in honorem beati Leonis papæ, Tullensis episcopi, inibi cenobium dedicarem, & circa illud xenodochium pauperum ædificarem, ut quoad viverent ipse & uxor sua, pro incolumitate & prosperitate eorum fieret ibi quotidiana oratio; cum appositi essent ad patres suos, tunc quoque impensius deberetur animabus suis & patrum suorum ecclesiastica memoria, & prodesset pauperum benigne subministrata refectio. Quod quidem ego Luctulfus gratanter assensi. Igitur ipse comes & sua comitissa, & ego communicato consilio adivimus episcopum Tullensem virum piæ memoriæ venerabilem Pibonem, ecclesiarum Dei amatorem, omni bono incepto congratulantem & cooperantem. Sanctus itaque sacerdos, audito consilio pie ammiratus secularis viri devotionem, sacerdotali ammonitione excitat, & confirmat bene compunctam mentem, & ipse eidem operi multum se promisit auxiliaturum, quamvis tunc temporis sibi esset in manibus opus grande, qui ædificabat turrim ante prothomartyris principale oratorium. Habebat autem idem piissimus comes Hugo magnum & antiquum beneficium de eodem venerabili episcopo: ex hoc beneficio quandam villam quam dicunt Martini-montem avulsam, uterque comes & comitissa de manu sua emisit, & exclusa hereditaria postulatione omnium successorum, in manum dominicam episcopi reposuit. Item Gerardus de Briseio filius Walfridi, capita hominum utriusque sexus, quotquot in eadem villa habuit commanentes, quos de episcopo in beneficio tenebat, in dominicam manum episcopi reposuit. Ipse similiter egregius pontifex quotquot homines in eadem villa commanentes ad mensam suam pertinentes habebat, ad integritatem doni de victu suo emisit. Quæ villa cum redintegrata membris suis & indominicata fuisset, venerabilis episcopus Pibo, consilio & assensu eorumdem comitum, super altare S. Stephani quieta & solida traditione eam imposuit, divinum & humanum contestatus auxilium, ut eadem villa id est Martini-mons, cum ecclesia & suis appenditiis, altari S. Stephani appenderet, & cum ædificatum esset cœnobium, & aliquot cœnobitæ adunati, usibus eorum deserviret. Addidit etiam mansos in civitate, qui appendebant ad beneficium ejusdem villæ, censos duobus solidis. Acquisivi præterea ego Luctulfus ecclesiam de Wandelini villa, cum omni integritate dotis ejusdem ecclesiæ, de comitissa Richiza, quæ etiam dedit unum hominem, cum duabus quartis unius mansi; eo pacto ut censum suæ terræ quem debebat ad bannum, solveret ad altare nostri cœnobii, & sic maneret quiete in banno villæ. His ita dispositis,

A deerat adhuc mansus in quo ecclesia & xenodochia & illis appenditia receptacula possent construi; quem piissimus antistes ipse sua caritate ammonitus, statim contulit; quod longum & latum non solum ad ædificia, sed etiam ad olera largissime suppeditanda sufficit. Ecclesia igitur ædificata, congruisque receptaculis, ego Luctulfus visitationem Dei & auxilium ejus eidem loco præsidere indubitanter præcepi; ideoque fiducialiter præsumens de benevolentia Omnipotentis, quosdam sanctos qui venditis patrimoniis, & in pauperes erogatis, in monte Rumberch religiose degebant, multis precibus ambitos sollicitavi, & episcopali auctoritate invitatos demum ad me traxi, ut apostolicam vitam, scilicet primitias Christianæ religionis, sicut prius in monte, ita quoque in nostro
B cœnobio ducerent sub regula & conscriptione sancti Augustini: salutare namque & congruum simbolum videbatur, ut una civitas tria perfectiora membra Christianæ religionis contineret, videlicet canonicos suas proprias possessiones obtinentes, & monachos sub regula S. Benedicti laneis nigrantes, & candidos Nazarcos apostolicam vitam ducentes; ut quisquis converti vellet ad Dominum, in hac una civitate appositum haberet quidquid arctioris religionis eum delectaret. Igitur hii sancti viri perfecte viventes in tranquilla sinceritate sui propositi, delectabili odore sanctæ conversationis suæ multos secularium utriusque sexus converti ad sequendum pauperem Christum allexerunt, & illectos quosdam ad contubernium suum attraxerunt. De quibus Petrus filius Dodonis
C se ipsum & vineam suam contulit, item Walterus filius Bereri juvenis clericus, sicut & Petrus se ipsum cum vineis & manso suo contulit. Item Robertus clericus de Luceio se ipsum & vineas cœnobio nostro contulit. Item Warnuldis virgo Christi se ipsam eorum præbendæ & disciplinæ contradidit, & aliquot jugera arvi & vineam apud Scrupulas contulit, quam ego vel emendo vel cum fratre suo commutando postea augmentavi; item vineam in Barro-monte de clerico Tiecelino emi. Item alodium apud *Focaucourt* a quadam matrona nomine Aia, sicut habebat hereditario jure ab antecessoribus suis, per integritatem mea pecunia comparavi. Officia puella soror Hugonis vineas & duo jugera terræ contulit. Quidam etiam timentes Deum
D gratuita benevolentia aliquanta jugera passim contulerunt, quæ per singulos donatores & per singula loca enumerare ne fatigarem synodales aures, operosum putavi. Post hæc ego Luctulfus videns multiplicata & multiplicanda bona Sanctorum, & reputans quoniam apud inprobos mores non est satis tuta per se propter innocentiam suam probitas justorum sine patrocinio magnorum, boni consului donata superius conscripta, & in posterum donanda, ne quis temerator audeat aliquid eorum avellere, synodali auctoritate sub anathemate confirmare, & immunitatem in qua vivat nostra congregatio secundum regulam S. Augustini, breviter describere: videlicet ut nostri canonici sicut sunt suæ & ab aliis dissimilis regulæ, ita liceat illis absque censura aliorum, vel canonicorum vel monachorum, sub episcopali obe-
E dientia suo privato jure vivere. Priorem suum ipsi sibi eligant, ipsi sibi præficiant; curam animarum ab episcopo suo priori expostulent & accipiant: delicta eorum, quæ divina virtus prohibeat, nullus primicerius, nullus decanus, nullus abbas judicare præsumat, nisi prior ipsorum vel episcopus seu inobedientia vel necessitas illum invitat. In festivitatibus majoris ecclesiæ, sive aliarum ecclesiarum, ad stationes vel ad sepulturas magnorum extra atrium suum nullus eos appellet vel cogat, sed vita eorum, sicut est singularis, secreta tranquillitate se contineat. Ego Pibo Tullensis ecclesiæ antistes, in plena synodo residens, quæsivi a synodali corona si emunitatem canonicorum S. Augustini, quæ superius descripta

est, qui canonici degunt in cœnobio quod ædificavit A frater Luctulfus extra muros civitatis, si illam laudaret & firmari postularet, aut si aliquid donorum quispiam infringere proclamaret, quæ superius promulgata, cum omnes favorabiliter excepissent & firmari postularent; ego quoque spontanea commonitus voluntate, addidi ex meo dono perpetualiter illos habere hoc juris, quod habet episcopus super altare de Wandelini villa, & super altare de Martinimonte, excepto quod censum debeant persolvere. Item donavi eis licentiam & auctoritatem, ut in suo atrio possint sepulturam constituere, in qua sive plebeios sive nobiles, quicunque postulabunt, sepeliri ab eis concessionem meam habeant eos suscipere, & in suscipiendis nullus abbas, nullus presbyter pro conterminio suo audeat eos perturbare vel contristare. B Hæc omnia superius descripta & donata & fidelium devotione in posterum donanda, ego Pibo Tullensis episopus volo & jubeo manere rata & inconvulsa, & episcopali auctoritate sub anathemate synodali judicio confirmo observanda. Hæc faciat Dominus, & hæc addat, respondit universa corona. Signum Pibonis episcopi *(locus sigilli.)* S. Hugonis primicerii. Signum Ricuini archidiaconi. S. Alberonis archidiaconi, S. Stephani archidiaconi. S. Hugonis archidiaconi. *Item* S. Hugonis archidiaconi. S. Tiecelini archidiaconi. S. Luctulfi decani. S. Hugonis cantoris. Et S. Stephani Rufi. S. Teoderici. S. Angeheri. S. Deodati.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo primo, indictione XV, VI idus Octobris, C confirmata est & signata hujus privilegii carta a domno Pibone venerabili episcopo, præsidente in synodo plenaria.

XXVIII.

Ex autographo.

Confirmatio fundationis abbatiæ sancti Leonis per capitulum ecclesiæ Tullensis.

1091. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, fratres Tullensis capituli parrochianis S. Tullensis ecclesiæ tam præsentibus quam futuris æternam in Christo benedictionem. Quoniam non leviter a memoria labitur quod litteris mandatur, nec facile violatur quod scripto auctoritatis solidatur: ea propter quod factum est, nostris diebus dignum memoria ad D sciendum, ad tenendum litteris nostris posteris mandamus. Felicis namque memoriæ LUCTULFUS ecclesiæ nostræ decanus, ecclesiam beati Leonis in suburbio Tullensi, in fundo ecclesiæ nostræ, assensu nostro, assensu etiam Pibonis venerabilis episcopi fundavit, ibique candidos Nazareos ad militandum Deo sub regula beati Augustini collocavit. Sed quia prædicta ecclesia in fundo ecclesiæ nostræ fundata est, a nobis laudatum est, confirmatum est ut canonici S. Leonis in capitulo suo abbatem libere, canonice, sine contradictione vel præsentia alicujus secularis vel ecclesiasticæ personæ eligerent, & electum capitulo nostro pro fundo repræsentarent. Electus vero per pastorale baculum super altare beatæ Mariæ positum, non per manum alicujus fundum susciperet, & sic demum consecrandus ad E episcopum per nos procederet. Ne quis vero temerarius huic facto rationabili & benevolo detrectaret, vel ex aliqua parte excrustare vellet quod rationabiliter factum est, scripto commisimus, & sigillo ecclesiæ nostræ signavimus. S. Theobaldi abbatis S. Mansueti. S. Durandi abbatis S. Apri. S. Petri decani majoris ecclesiæ. S. Hugonis archidiaconi *de Gundricurt*. S. Roberti cantoris & archidiaconi. S. Hugonis albi. S. Hugonis Rufi. S. Stephani archidiaconorum. S. Ulrici cancellarii. S. Albrici capellani.

XXIX.

Ex autographo.

Carta fundationis prioratus Sancti Theobaldi Amerevillæ, sub Thetmaro abbate Sancti Mansueti.

PIBO, Dei gratia, ecclesiæ Tullensis indignus 1094. episcopus, universis tam futuris quam præsentibus temporalem salutem & æternis ditari muneribus. Quia non omnium hominum ad patriam redeundi eadem est possibilitas vel voluntas; sed sicut dicit Apostolus, *unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.* Alii Dei misericordia operante terrenorum possessione, vel etiam appetitu nudati, cum adversario vias hominum obsidente audaces luctamen ineunt, nonnulli eorum quæ perdere timent sarcina prægravati, quamvis timidi ad certamen veniunt, & quod ex propriæ imbecillitatis conscientia desperant, Sanctorum qui jam cum Deo regnant orationibus, & eorum qui hic spiritualiter vivunt fulcimento ne succumbant, vel si ceciderint ne collidantur expetunt. Justissima recompensatione ex his quæ vel tandem relinquere habent necessarium eorum usibus largientes felici commercio pro perituris æterna commutant. Inter quos HUGO & frater ejus HAIMO in silva de Amerelli villa quandam partem certis confiniis a toto corpore disjunctam B. Mansueto & fratribus in ejusdem cœnobio commorantibus communiter tradiderunt. Nam quicquid est inter viam mercatoriam & viam veterem quæ est desuper vallem usque ad ripam fluminis & usque ad silvulam de Flaviniaco eorum devotio heredibus suis assentientibus prædicto cœnobio contulit, & ut ibidem cella constructa monachi statuerentur, qui pro eorum & reliquorum excessibus Domino jugiter supplicarent, ab abbate qui tunc erat obtinuit. Ad quorum sumtus necessarios junior frater HAYMO gravi languore decubans, quidquid in eadem Amerelli villa habebat & apud Asmantium, & in villa quæ dicitur *Saphi*, & alodium de Sendruviler cum conductu ecclesiæ in mancipiis, in cultis & incultis supra dicto confessori concessit & in eodem cœnobio abjurato seculo monachi habitum suscepit. Postmodum frater senior HUGO partem suam in prædictis villis omnino sicut possidebat eidem cellulæ dedit: nec non consilio & instinctu suæ uxoris alia quædam addidit. In eadem Amerelli villa duos quartarios & manentes & uxores eorum & filios cum dimidio banno villæ & districto, & cum omni debito. Totam terram de Mizon cultam & incultam, & in aqua piscatorem unum, redecimationem portus & piscium. Apud Monasteriolum duos quartarios cum manentibus & eorum uxoribus & filiis, in omni usu de dominico labore totam decimationem, panis & vini decimationem, dimidiam de crusillis. Similiter apud Kelegiam duos quartarios & habitatores cum omni jure debito. Totum alodium de Serungis in silvis, in agris, in pratis, in cunctis usuariis. Huic dono interfuerunt liberi homines & ad testificandum idonei, Drogo junior de Bosani villa, Widricus de Strana, Paulinus, Odelricus de Ferertici, Hugo de Buxeriis, Hugo de Claromonte. Et ne temporalium stipendiorum inopia fratres in hac cellula conversantes divino servitio minus intentos faceret, vel a proposito penitus revocaret, supra dicti cœnobii abbas fidelium & fratrum suorum consilio nonnulla subscripta hac conditione adjunxit: ut si aliquo divinæ dispositionis nutu destructioni subjacerent, omnia ibidem deputata beato Mansueto capitaliter restituantur. Apud Haserium novem quartarios, apud Avios duos quartarios, apud domnum Basolum quicquid DROGO DE *ESTRAINES* dedit S. Mansueto in eadem

villa pro anima ſua & anteceſſorum ſuorum & præbenda filii ſui, domum videlicet lapideam contiguam parieti eccleſiæ & homines ad ipſum allodium pertinentes, ALBERTUM & quicquid poſſidebat in terris, pratis, ſilvis, molendinis & in cunctis uſuariis. HERIMANNUS de S. Chriſtophoro dedit beato Manſueto apud novum caſtrum quartarium unum in manſis, manſionibus, in terris cultis & incultis, ſervis & ancillis. Quia vero gradus altior a ruina non defenditur, ſed interdum gravius præcipitat, nos qui nulla meritorum prærogativa ſuffragante ſancti Manſueti vices indigne tenemus, ut eodem porrigente manum de lacu miſeriæ & de luto fœcis poſſimus reſurgere, & eo protegente quæque periculoſe imminentia devitare, viſum eſt nobis non incongruum cleri noſtri conſilio & hortamine de noſtro jure huic cellæ profuturum aliquid recidere. Denique ad domni abbatis TEMARI petitionem illum locum certis limitibus terminatum cum cella, annuente archidiacono & decano, aſſentientibus etiam canonicis ſancti Gengulphi cum præpoſito, in quorum parochiali eſt territorio, ab omni ſubjectione illius matris eccleſiæ liberum reddimus, omnem decimationem cujuſcumque rei intra deſcriptos terminos cellæ concedimus omnes advenas, niſi ſint de ipſa parrochia, qui in jam dicto loco manſionem acceperint, a jugo antiquioris eccleſiæ abſolutos eſſe omnino decernimus. Et ut contra hæc ſtatuta nulla aliquando exurgere audeat violenta improbitas, omnes qui de his donatis aliquid ſubtraxerint, vinculo anathematis innodamus, ut decurſione temporum ab humana memoria nihil horum poſſit excidere vel augeri, hac ſcriptura firmamus, ut confundatur & obmuteſcat omnis invida & repens judicialis calumnia tam noſtræ imaginis notiſſima aſſignatione, quam talium virorum quibus non credere nefas eſt ſubnixa teſtificatione roboramus. S. Pibonis epiſcopi, S. Themari abbatis ſancti Manſueti, S. Soheri abbatis ſancti Leonis, S. Hugonis primicerii, S. Luctulfi decani, S. Riquini archidiaconi, S. Brunonis archidiaconi & præpoſiti, S. Adelberonis archidiaconi, S. Stephani archidiaconi, S. Hugonis archidiaconi, S. Treclini archidiaconi, S. Adelberonis concellarii.

Iſta quidem peracta ſunt in Tullenſi ſede, in eccleſia majore, VIII calendas Martii, in capite Jejuniorum, audiente clero & innumera plebis multitudine. Anno ab Incarnatione Domini M. XCIIII, ordinationis vero noſtræ XXIIII, indict. II, feria IV, concurrente V, luna III, epacta I.

XXX.

Ex autographo ſancti Manſueti.

Carta domini Pibonis epiſcopi Tullenſis de cella ſancti Jacobi cujus origo deſcribitur, & poſſeſſiones confirmat S. Manſueto.

1097. UNIVERSIS Chriſtianæ religionis cultoribus, PIBO Tullenſis eccleſiæ Dei gratia diſpenſator, ſalutem & ſimplicis veritatis integram auctionem. Pietatis & bonæ actionis officia tanto magis appetere & amplecti debet omnium fidelium devota affectio, quanto magis non aſpernabilem honeſtæ opinionis odorem longe & late diffundunt, & deſiderabilem animarum vivificationem, & poſtmodum corporum reparationem efficaciter operantur. Unde nos quos ſummus ille pater familias, utinam non ad judicium, in domo ſua ſpeculatores poſuit, eo propenſius in hujus ſtadii curſu legitime certando convenit reliquos anteire, quo non ſolum de nobis, verum etiam de omnibus quos regendos & corrigendos ſuſcepimus, ſi deſidioſi apparuerimus, tandem ille qui commiſit, iratus exiget rationem. Audito itaque & accepto apoſtolicæ prædicationis præconio, quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio, cujuſdam pauperis

A & exulis preces cum alacritate ſuſcepimus, & ad ejus petitionem, interveniente GRIMBALDO abbate, in cujus tutela ſe & ſua omnino commendaverat, eccleſiam quam ipſe in monte Syon ædificaverat, cleri noſtri conſilio dedicavimus. Hic etenim pauper URSUS natione Beneventanus, multorum locorum oportunitatibus exploratis, prædictum montem propoſito ſuo congruum remotæ converſationi ſuæ perelegit, reliquias S. Jacobi apoſtoli, quas ſecum habere credebat, ibidem depoſuit, ab illis qui eum temporaliter quaſi beneficium poſſidebant, licentiam incolendi obtinuit: ſed cum pro reliquiarum reverentia & novitate loci, innumerabilis populorum turba illuc conflueret, divino munere idem pauper ſublevatus, & frequentiſſima circum manentium B viſitatione & impulſu confortatus, eccleſiam qualem potuit, illic conſtruxit; locum illum ſicut olim inhabitatum eſſe putatur, & adhuc aggere lapidum quaſi muro clauditur, apud illos in quorum poteſtate erat, ut eccleſiæ & in ea Domino ſervientibus dedicationis tempore, noſtro aſſenſu traderetur effecit, quam beato Manſueto, ſicut in ea monachi ſtabilirentur, perpetuo poſſidendam per manum noſtram tradidit. Cum vero fratres & loci incolæ pro ejus ariditate infra proprios terminos aquam neceſſariam non haberent, aditum ad fontem quæ eſt in deſcenſum montis, illorum veſania in quorum alodio erat, humanitate poſtpoſita per violentiam interclusit. Qui pro ea inſpiratione divina correcti, VIDRICUS ſcilicet de Sionna cum uxore & filiis, UDELRICUS C & AHELINUS terram in qua fons eſt, & in qua vinea poſtea facta eſt, & quidquid habebant in monte, eidem cellulæ conceſſerunt. Dedit etiam huic eccleſiæ ALBRICUS de Haynolvilla pro animabus patris ſui FRAMBERTI & matris ſuæ DADÆ & fratris ſui THEODERICI qui ibidem ſepulti ſunt, medietatem totius fundi quæ pater ejus habuit in villa Roſſoil. cum 4 manſis, manſionibus & dimidium molendinum, cum duobus hominibus, Herberto, Seyardo, & femina Wigerda, & fere duas partes ſylvæ, quæ eſt in auſtrali parte ejuſdem montis. Valtherus *de Monz* dedit quartarium terræ & quinque curtos manſos, in quibus ſunt duo fontes uſui villæ valde neceſſarii; & Thebaldum cum uxore & filiis, cum fundo proprio, uſque ad LX jugera. Frater ejus Haymo addidit huic dono unum quarterium, & D Richardum cum alodio. Præterea contulit huic loco domnus Albricus abbas quidquid comes Haymo beato Manſueto in eadem villa dederat, videlicet medietatem decimarum, & Drogonem cum fundo, uxorem autem ejus & filios; conjugem Bernardi filii ejus dedit comes Humbertus de Claromonte. Gerardus *de Corcelles* dedit beato Jacobo in villa Syonna curtum manſum, in quo eſt molendinum quod vocant Atalenum, & quidquid alodii habebat in eadem villa, in qua Atho & uxor ejus dederunt dimidium manſum & pratum dimidium, quod portat quatuor carratas feni & quidquid alodii habebant in monte. Hugo quondam ..... camerarius dedit in eadem villa ſeptem curtos manſos, & mancipia Erundum, Benzehelinum, Bernardum, cum uxo- E ribus & filiis, & reliquis utriuſque ſexus, & manſum in quo eſt molendinum, & terras & prata integre huic manſo appendentia, conſentientibus nepotibus ſuis duobus fratribus Albrico milite & Hugone ſacerdote, accepto a Thiemaro abbate centum ſolidorum pretio, & a jam dicto Hugone recepto ſervo & ancilla, cum infantibus & duobus curtis manſis hac conditione retentis. Preſbyter tota vita, ſingulis annis denarium inde perſolvet, quod eo defuncto reliquo alodio redintegrabit; ſimiliter & de milite, ſi ſine herede legitimo morietur. Widricus & Albricus de Paterniaco, annitente eodem Hugone, dederunt funditus in villa eadem quidquid poſſidebant, & in Paterniaco ſervum Hardenum. Rodulfus de Sarceio

& uxor ejus dederunt duodecim jugera. Drogo, Reinerus, Heinricus fratres in villa Syonna dederunt unum quartarium. Apud *Monz* in *Estraes* ad præsens totius fundi sui hoc pacto medietatem, ut si absque legitimis filiis de hac vita decesserint, pars reliqua priorem sequatur. In eadem villa Heinricus presbyter vineam unam, & Malbertus quidquid in villa habebat. Addita fuit etiam ad usus fratrum dispensante domno abbate Thiemaro, ecclesia *de Bu* quam dedit Walfridus. Alodium de Buris quod dedit Angilberus. Alodium de Lizei villa, quod dedit S. Mansueto Morundus de Aquosa, & Rodulfus de Germineio. Alodium de Allini villa, cum mancipiis utriusque sexus, quod dedit Vidricus *de Deus Leuvart*. Alodium *de Lisou* quod dedit Baldowinus. Alodium *de Sulz* quod dedit Walterus. Alodium *de Scroltmunt* quod dedit Robertus & uxor ejus, pro se & animabus fratrum suorum. Apud Marceium IIII.ª pars alodii Widrici, quam dedit ipse in omni usu: addidit insuper servum & ancillam, cum filiis & fundo. Alodium quod dedit Odelricus *de Munh* & uxor ejus apud *Bunnecourt*. Nos vero de temporali hujus ecclesiæ cremento, & maxime de spirituali multorum provectu gratulantes, libertati fratrum & quieti in posterum prospicientes, ut omnem sollicitudinem eis penitus absciderernus, altare sancti Germani de Syonna, consentiente & laudante Riquino archidiacono, & Hugone presbytero, qui tunc altare habebat, hac conditione concessimus, ut quandiu presbyter viveret, VI denarios inde persolveret; post ejus mortem per manum abbatis disponendum sine controversia ecclesia possideret. Dedimus etiam Warinum & uxorem ejus receptam a Joffrido, de cujus erat beneficio. Ut autem hæc nulla vetustate abolita, in præsentiam revocata, si opus fuerit, humana possit innovari memoria huic scripto mandavimus, ut omnium oblatrantium nostra auctoritate temeraria obtundatur improbitas, propriæ imaginis impressione signamus. Si quis de his quæ jam adquisivit, vel quæ adhuc ecclesia ista juste adquisierit, imminuere temptaverit, ab omni congregatione christiana semotum esse præcipimus; usque ad dignam satisfactionem anathematis vinculo innexum esse eo quo possumus & debemus rigore decernimus; nostro & probabilium virorum qui affuerunt, testimonio subscripto roboramus. Signum Pibonis episcopi. Signum Riquini archidiaconi. S. Albonis cancellarii. S. Herberti decani. S. Hugonis presbyteri. Signum Bosonis presbyteri. S. Bilini presbyteri, qui etiam huic ecclesiæ duo prata contulit. Signum Milonis de cujus beneficio erat mons supradictus. Signum Oudelrici de Briscio. S. Walteri & Haymonis fratrum. Sig. Cuononis. Sig. Albrici. Sig. Hugonis. Sig. Drogonis. Sig. domni Thiemari abbatis. sancti Mansueti. S. Widrici abbatis. S. Apri. S. Hugonis primicerii. Sig. Liutulfi decani. Sig. Alberonis. Sig. Stephani. S. Hugonis. S. Thiebaldi monachi.

Anno ab Incarnatione Domini M. XCVII, indictione V, epacta IIII, concurrente III.°, luna XI, IIII cal. Aprilis. Peracta sunt hæc in Tullensi sede, in ecclesia majore, audiente & vidente clero cum universa multitudine plebis, feliciter, amen.

XXXI.

Carta fundationis prioratus de Leronis villa sub Theotmaro S. Mansueti abbate.

PIBO Dei gratia Leuchorum episcopus, sanctæ matris ecclesiæ fratribus & filiis integritatem in Domino perpetuæ dilectionis & pacis. Dispensationis nobis a Deo commissæ pastoralisque sollicitudinis nos hortatur vigilantia, commissis nobis gregibus imitanda prætendere bonæ operationis exempla, quatenus aliis ex benefactis venerationis accrescat A gloria: aliis vero & eorum imitatione beatitudo perveniat sempiterna. Notificamus igitur tam posteris quam præsentibus, laudabilem in Christo devotionem egregii viri FRAIMERI, qui sollicitus de sua suorumque antecessorum vel successorum salute, in vita sua ex proprio jure servorum Dei usibus elegit ministrare, ut felici commercio pro terrenis cœlestia, pro perituris æterna posset salubriter commutare. Primo siquidem anno quo celebris frequentia Hierosolymitani increvit itineris, Deo inspirante commotus, partim quoque vigili adhortatione præmonitus, compulsus etiam precibus filii sui RAIMBERTI in eodem itinere tunc pro Deo peregrinaturi, ibidemque postea ipso disponente felicem exitum habituri, medietatem ecclesiæ de Leronis villa, quam in propria B tenebat providentia S. Mansueto per manum nostram tradidit. Reliquam vero partem suis usibus aliquandiu reservavit. Abbas autem loci domnus THEOTMARUS, ejus devotionem paterne comprobavit, & tam se quam filium suum peregrinaturum ex impensis ecclesiæ plurimum juvit. Verumtamen idem FRAIMERUS ut bene cœpta fine meliori concluderet, divino respectu attactus, se contra jus ecclesiasticum tandiu bona ecclesiæ sub militari habitu tenuisse pœnituit, & assentiente ALBRICO filio suo, nobis quoque adnitentibus, cæterisque heredibus annuentibus reliquam partem ecclesiæ prædicto loco de cætero redonavit: ea videlicet conditione ut vivens præbenda fratrum & orationibus potiretur, & dum vellet etiam in monachatu susciperetur: C moriens quoque pro hoc ipso honorifice sepeliretur. Definivit etiam ut nulli in posterum abbatum supradictam ecclesiam aut alicui in beneficio tradere, aut pro ullo alio negotio commutare liceret; sed præbendæ & cellario fratrum in memoriam datoris perpetuo deserviret. Nos autem ut saluti animæ nostræ in posterum, fratrum quoque utilitatibus prospicientes, & in aliorum benefactis portionem aliquam habere cupientes, altare & fundum ecclesiæ quod ad nos pertinebat assensu cleri nostri eidem loco contulimus, ut his aliisque beneficiis servis Dei ibidem degentibus memoriam nostri commendabilem efficeremus. Episcopali præterea auctoritate memorato viro suggerente decrevimus, ut de dotalitio ejusdem ecclesiæ nemo fraudulenta occasione aliquid minuere præsumeret vel D auderet, sed sicut antiquitus possederat vel possessura erat, ita deinceps fratribus quibus data fuerat integro perseveraret. Et ne tam nostra quam prædicti viri devotio aliqua posterorum calumnia vel oblatrantium improbitate quandoque valeat transmutari, hanc cartam conscribi jussimus in signum monimenti, quam etiam sub interminatione anathematis impressione propriæ imaginis, signis quoque & testimonio fidelium nostrorum censuimus roborari. S. Pibonis episcopi. Signum Theotmari abbatis S. Mansueti. S. Widrici abbatis. S. Apri. S. Riquini primicerii. S. Brunonis archidiaconi præpositi S. Gengulfi. S. Alberonis archidiaconi. S. Stephani archidiaconi. S. Alberonis cancellarii. S. Reinaldi comitis. Sig. Odelrici comitis de Brixcio. S. Frameri. S. Albrici filii ejus. S. Dadonis generi ejus. S. Walterii de E Purneriaco. S. Haiberti de Rigneio. S. Widonis de Briscio. S. Henrici advocati. S. Guarini filii ejus. S. Henrici de S. Vedasto. S. Sigifridi. S. Goberti camerarii. S. Reinaldi pincernæ. S. Odonis de sancti Basuli monte. S. Dadonis fratris ejus.

Acta sunt hæc Tulli, in plenaria synodo, in majore ecclesia, circumstante cleri plebisque multitudine numerosa, anno ab Incarnatione Domini M. CI, indictione VIIII, epacta nulla. Henrico rege, pontifice Pibone, Theoderico duce, Rainardo comite, apud nos regnante Domino Jesu Christo in secula seculorum, feliciter, amen.

XXXII.

Ex cartario Corziensi.

Carta Pibonis episcopi Tullensis de consecratione ecclesiæ de Porto.

1101. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, omnibus Christianæ fidei cultoribus. Pibo gratia Dei Tullensis ecclesiæ episcopus, in vinculo pacis uniri ut possint Christo incorporari supernorum civium societas, quod quibusque commoditatibus exuberet humani ingenii facultas evolvere gestiens succumbit, cum scriptum sit: *in cor hominis non ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se*, ad quam variarum gradibus virtutum devotioni fidelium facilis patet progressus, veritate attestante quæ ait: *jugum enim meum suave est & onus meum leve;* sed caritatis virtus cujus opus in proximi dilectione perpenditur, velut quodam privilegio specialem introducendi obtinet dignitatem, spe igitur illius desiderabilis societatis & fraternæ dilectionis amore, homines de Porto toties raptorum sevitia & fere omnibus casibus expositos, non sine grandi dolore recolentes intervallo quippe & frequenti intercurrentis fluvii magnitudine a monasterio divisi, nec prout erat dignum sacris pasci misteriis, nec necessitatis tempore in atrio poterant habere refugium, ecclesiam quam piæ memoriæ abbas Henricus eis ædificare concesserat, in eadem libertate quam antiquitus & nostri temporis obtinet mater ecclesia Warengensi villæ, scilicet a censu & omni exactione immunem cleri nostri consilio consecravimus homines ejusdem villæ; præpositus tali dispensatione juramento astrinxit ne propter vicinam ecclesiam a servitio fratrum liberiores se crederent, ne decimas vel cæteros reditus minuerent, sed licet in atrio habitarent, quidquid antiqua consuetudine solíti erant absque refragatione persolverent, si alicujus necessitatis causa ibidem Missam audire vellent, vicarium monasterii familiaritas vel obsequium interpellaret. Sin autem ad monasterium sicut prius convenirent, & præpositus qualiter ibi divinum obsequium ageretur ordinaret; si quidem ad locum illum de pastorali cura nihil attinet, sed velut quodlibet altare monasterii hoc fratrum dispositioni concessimus. Præpositus ibidem custodem deputabit, qui si quid fidelium devotio Deo sanctoque Nicolao præsentaverit, in usus fratrum fideliter servet, nisi quod vicario monasterii oblationis quæ quidem in Missa ad manum offeretur mediam partem tribuet. Videtur etiam idoneum vestræ insinuare dilectioni, quod præfata ecclesia Warengisvillæ antiquitus possidet mediam partem decimarum de novem quartariis Delherimontis quicunque eos colat. Possidet etiam in parochiis circumjacentibus de omnibus corvadis suis omnem decimationem, de Ancingis mediam partem: apud villam autem & apud Mannonis curtem, & apud Bellois de Crovadis & Ancingis suis omnem decimationem, & de aliis terris ad eandem ecclesiam pertinentibus mediam partem: hæc ne vetustatis situ aboleret oblivio scripto memoriæ commendare curavimus, quod autem misericordia quidem cooperante caritatis affectu impendimus, ne quis successorum immutare præsumat, pontificali auctoritate sub anathematis vinculo cum sigilli nostri impressione confirmare decrevimus, addito etiam probabilium virorum testimonio, quorum nomina subnotantur. Signum domni Pibonis episcopi. Signum Riquini primicerii. Signum Brunonis cardinalis archidiaconi. Signum Stephani ejusdem archidiaconi. S. Raimbaldi archidiaconi. S. Hugonis archidiaconi. S. Thizelini archidiaconi. S. Alberonis cancellarii. S. Albrici capellani. S. Vidrici abbatis S. Apri. S. Temari abbatis S. Mansueti. S. Seheri abbatis S Leonis. S. Odelrici abbatis S. Michaëlis. S. Hubini decani. S. Theoderici ducis. S. Gerardi fratris ejus. S. comitis Reinardi. S. Odelrici de Brissci. S. Petri filii ejus. S. Morundi de Altirei. S. Teoderici de Hancei. Acta Tulli in majori ecclesia, in plena synodo, V idus Octobris, anno ab incarnatione Domini M. CI, indictione VIIII, anno ordinationis nostræ XXXII, interveniente domno Adelone ejusdem loci præposito.

XXXIII.

Ex autographo sancti Mansueti.

Carta Riquini episcopi Tullensis de ecclesia sancti Florentini quam S. Mansueto confirmat.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Riquinus, Dei gratia sanctæ Tullensis ecclesiæ minister & servus, universis hujus sanctæ sedis fratribus & filiis servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Summopere vigilandum est rectoribus ecclesiarum ut infatigabilis ardore desiderii fideliter elaborent in cultura vineæ agrique dominici, quatenus veniente summo Patre familias sub tempore messis & vindemiæ, cum fructu multiplici servi non segnes & desides, sed parati & vigiles valeant inveniri, ad cujus piæ intentionis propositum utile est & necessarium sanctorum prædecessorum exempla semper oculis imitanda proponere, quorum sectantes vestigia rectos gressus in via Dei dirigere, beatique & immaculati in lege Domini studeant ambulare. Sanctus denique prædecessor noster Gerardus cui vita fuit splendor clarissimus orbi erga reparationem ecclesiarum Dei devotionem extendens pii desiderii sui, in parochia villæ domni Germani revelatione divina oratoriolum construxit in honore beati Florentini, quod secundo cal. Augusti persolemniter dedicavit, & ab omni censu & servitio auctoritate pontificali liberum perpetualiter constituit, abbatique sancti Mansueti primi pontificis & protectoris nostri disponendum & providendum commisit, cujus sancti & apostolici præsulis ecclesiam, quoad vixit, speciali prærogativa dilectionis, quantum potuit, restruxit, coluit & provexit; fideles autem qui adsuerunt ad dotem altaris beati Florentini hæc prædia contulerunt, Vidradus jornale unum in Hungoni valle, Humbertus jornale unum in Lamberti Boscho, Lierna jornale dimidium in confiniis S. Apri, Gobertus jornale unum in Grandi-campo, Hildinus jornale unum in confinio Wauræ, Erlevaldus jornale unum super Malheni vallem, Andrada jornale I in Faurili, Gundenus jornale I in confinio S. Medardi, Nortaudus jornale unum in Lamberti boscho, Lantrannus ibidem jornale I, Avenildis jornale dimidium in Rovei pratis, Saviardis jornale dimidium in Roves pratis, Genulfus jornale dimidium in prato Gileranni, Winibertus jornale unum in confiniis sancti Apri, Norgaudus partem prati ad carradam feni, Gerbaldus partem vineæ ante hostium ipsius ecclesiæ, Fulcherudis vineam unam ad duo modia vini, Girhildis partem vineæ ad duo modia vini, Albricus partem vineæ ad unum modium, Ermenaldus partem terræ in loco ubi oratorium ipsius Sancti situm est. Dedit Asperus VI pedes terræ, Hildincus sex, Gubaldus VI, Hilpierus sex. Succedenti tempore cum præesset ecclesiæ beati Mansueti dilectus filius noster abbas Theomarus vir honestate morum vitæque religione merito venerandus, mulier quædam Deo devota nomine Bertrada, mutato seculari habitu remotius vivere proposuit, prædictamque beati Florentini ecclesiam veterno jam situ deciduam reparare instituit, & ad hoc interventu jam dicti abbatis consilium & opem nostri patrocinii requisivit quod supplicibus lacrymis non tam emeruit quam extorsit, prædecessoris itaque nostri sancti videlicet Gerardi imitatores effecti, sæpe dictam beati Florentini ecclesiam iterato Theomaro abbati studiosius contuendam reccommendavimus, quam solito tenore ab omni censu & servitio liberam

1112.

esse perpetualiter reconsignavimus; de cætero non tam licentiam damus quam pastorali admonitione monemus ut quibuscumque banni nostri hominibus placuerit res vel prædia conferendi eidem ecclesiæ liberam habeant facultatem. Præterea dominus & consanguineus noster Petrus qui jure hereditario villam de Chalamis a nobis tenebat in beneficio, piæ compassionis succensus desiderio concessit fratribus ibidem demorantibus usum villæ communiter in omnibus, in pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, exitibus & reditibus. Si quis vero de censuali terra aliquid ecclesiæ conferre voluerit, ministeriales villæ a procuratore loci debitum censum simpliciter requirant, & de reliquo nullam deinceps loco vexationem vel inquietudinis molestiam inferant. Cæterum si, quod absit, locus idem aliquando quocumque casu in neglectum devenerit, omnia ad eundem locum pertinentia ecclesia beati Mansueti possideat, donec miserante Deo reparatus in priorem statum resurgat; hæc denique sunt quæ temporibus nostris eidem ecclesiæ quique fideles contulerunt. Riquinus..............................

....

....

Cum itaque sit necessarium vineam dominicam non tantum excolere, sed etiam sepi & maceria præmunire ad capiendas vulpeculas quæ demoliuntur vineas. Ad evitandas videlicet calumniatorum adversantium molestias, omnia quæ jam præfata sancti Florentini ecclesia acquisivit vel deinceps devota donatione fidelium adquisierit, ut rata & inconcussa permaneant, sub præsenti testamento pontificali auctoritate & anathemate confirmamus, præsentemque descriptionem nostro munitam sigillo, signis & testimonio nostrorum fidelium roborandam contradimus. Sig. Riquini episcopi. S. Theomari abbatis S. Mansueti. S. Widrici abbatis S. Apri. S. Raimbaldi archidiaconi. S. Stephani archidiaconi. S. Hugonis Calvi archidiaconi. S. Gotberti archid. S. Alberonis cancellarii. S. Bernefridi decani. S. Rainardi comitis. S. Petri de Briseio. S. Widonis & Valteri de Briseio. Acta sunt hæc Tulli in ecclesia majori, in generali synodo. Anno ab Incarnatione Domini M. CXII, indictione IIII, epacta XX, concurrente secundo, imperante Henrico IIII, duce Theoderico, comite Rainardo. Anno ordinationis nostræ v.° regnante per secula Domino Jesu-Christo feliciter, amen.

XXXIV.

1118. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Riquinus divina dispositione Tullensium dispensator, universis hujus sanctæ sedis fratribus & filiis pacis & salutis perpetuitatem in vinculo karitatis. Summæ devotionis instantia nos invigilare convenit necessitatibus subditorum quibus commissæ dispensationis mercedem summus Paterfamilias pro diversitate retribuet meritorum. Pium siquidem & salutare est eos a nobis necessariis sumptibus pro tempore sustentari, quorum jugi interventu apud districti clementiam judicii confidimus relevari. Innotescat igitur tam posteris quam præsentibus, quoniam interventu domni Theomari abbatis venerabilis, ecclesiam beati Mansueti ab ineunte ætate dilexi & excolui, cujus abbatis precibus hujus ecclesiæ tunc temporis existens primicerius dedi S. Mansueto Girbertum famulum meum cum filia, & mansum infra suburbium, cum vineis & omni hereditate & suppellectile sua, tum pro remedio animæ meæ, tum quia pater, mater, frater etiam & progenitores mei in eadem ecclesia locum obtinent sepulturæ. Postmodum vero incumbente jam nobis propensiori cura pontificalis regiminis, dedimus apud Gibbonis mansum duas feminas cum infantibus pertinentes ad Blaniacum, Emmam videlicet uxorem Bernefridi

A clerici, & Gonzam uxorem Hugonis fratris ejus. Confirmamus etiam eidem loco duas partes unius mansi, &c. [hic enumerantur omnes possessiones quas confirmat.] Si qua sane ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, ream se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Hoc autem testa-
B mentum nostro & probabilium virorum testimonio qui affuerunt subscripto roboramus. S. D. Riquini episcopi. S. Theomari abbatis S. Mansueti. S. Widrici abbatis S. Apri. S. Stephani primicerii. S. Berengarii decani. S. Haymonis archid. S. Hugonis archid. S. Thiecelini archid. S. Goberti archid. & cantoris. S. Hugonis archidiaconi. S. Adelberonis cancellarii. S. Hunaldi magistri. S. Rainardi comitis & filii ejus Frederici. S. Petri de Brisseio. S. Ebali de Munforte. Sig. Henrici advocati. Sig. Valteri *de Gundricourt*. S. Henrici de S. Vedasto. S. Petri cognomento Pagani. S. Hugonis de Vedo & filiorum ejus Valteri & Folmari & Gisleberti villici. S. Henrici villici S. Mansueti. S. Rodulfi scabinii, & omnium minis-trorum, sed & omnis familiæ S. Mansueti, qui inter-
C fuerunt pluribus collatis supra memoratis.

Anno ab Incarn. Domini M. CXVIII, indict. XI, epacta XXVI, concurrente I.°, luna XXIII, XVI cal. Julii, peracta sunt hæc in Tullensi sede, in capitulo S. Stephani, residente pontifice & abbatibus & archidiaconis supra nominatis, & multis canonicis faventibus & assentientibus, feliciter, amen.

XXXV.

Riquinus venerabilis Leuchorum episcopus confirmat S. Mansueto ecclesiam S. Dodonis. — *Ex autographo sancti Mansueti.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. 1122.
RIQUINUS Dei misericordia sanctæ Tullensis
D ecclesiæ minister & servus, universis Christianæ professionis cultoribus. Commutare feliciter pro terrenis cœlestia, pro perituris æterna, felix est ante Deum sinceræ intentionis affectus, quem feliciori piæ devotionis studio felicissimus bonæ operationis comitatur effectus. Nos etiam quibus præcipue ad lucrum commissa sunt dominicæ talenta pecuniæ, segnioribus convenit imitandos proponere, quos perseveranti animo in bono proposito probamus & amplectimur instantius permanere. Ad exemplum itaque imitationis notificamus præsentibus & posteris, quoniam instinctu Theomari abbatis S. Mansueti dilecti filii nostri, venerunt ad nos vir illustris WIDRICUS DE DOMNA-BASULA cum filio suo THEODERICO, & IDA venerabilis matrona cum HAYMONE filio, dederuntque per manum nostram
E S. Mansueto ecclesiam in proprio constructam alodio, consecratam in honore S. Dodonis martyris a domno Pibone pontifice felici prædecessore nostro. Atrium siquidem ejusdem ecclesiæ, quod eatenus angustius erat, idem pontifex ex propria terra quam juxta habebat dilatavit, determinavit limitibus, & cimiterium benedixit. Eandem siquidem ecclesiam HAYMO & THEODERICUS BAUDUS DE DOMNA-BASULA progenitores eorum ex propriis sumptibus dedicari fecerant, duosque terræ quartarios ad dotem altaris contulerant, pontificali auctoritate a prædicto præsule concessa sibi & heredibus suis libera potestate, ut VIII tantum nummos sancto prothomartyri pro censu persolverent, & cuicunque ecclesiæ vellent

nostræ duntaxat diœcesis, eam libere & absolute sicut liberam contraderent. Nostris denique temporibus prædicto VIDRICO & IDA, heredibusque eorum supplicantibus constituimus ut prænominatus abbas S. Mansueti in sua eam providentia susciperet, & quidquid habebat S. Mansuetus in villa de Domna-Basula, ad præbendam fratrum inibi degentium converteret & augeret. Enim vero Drogo de Strena dederat S. Mansueto VII terræ quartarios & dimidium in termino de Domna-Basula, & portionem quam habebat in eadem ecclesia, integram videlicet decimam hominum ad se pertinentium, & partem decimarum quam accipiebat ab hominibus sancti Gorgonii, qui morantur in eadem villa. Dedit etiam domum lapideam eidem ecclesiæ contiguam, cum solario constituto infra eandem ecclesiam. Dedit B etiam Albertum cum uxore & filiis, & Assulfum, & VI virgas molendini, & communem usum in aquis, silvis & pascuis, insistente postmodum abbate. Prædicti Vidricus & Ida, & heredes eorum quædam jugera atrio S. Dodonis contigua sancto Mansueto contulerunt, & ad construenda ædificia translata eminus publica semita ambitum loci dilataverunt. Adjecerunt præterea quidquid habebant in ecclesia de Domna-Basula in decimis, tam de proprio alodio quam de externis hominibus, oblationibus & eleemosynis; conductum etiam presbyteri & medietatem eulogiarum matricularii. Prædicti viri Widricus & Theodericus filius ejus, Ida, Haymo, Rodulfus & Ermentrudis heredes ejus, Gerardus *de Vitrimont*, assensu uxoris suæ Leuchardis, & Herimanni filii C sui, aliorumque heredum suorum, dederunt nobis portiones vinearum & mansuum sicuti possidebant. Dedit etiam Haymo nobis pro anima Rodulphi fratris sui scabellum vineæ quod in vicino possidebat, & tres partes terræ incultæ, quam in rivulis habebat. Assentientibus deinde dominis totius alodii, & ministerialibus concessum est, ut tam fratres loci, quam universi advenæ vel indigenæ, qui devotione Sancti ibidem ad manendum convenirent, reliquorum hominum more, ejusdem villæ in pascuis, silvis, aquis communem usum haberent, nec propter hoc respectum aliquem servitii vel consuetudinis, vel dominis vel ministris exhiberent. Hoc igitur piæ devotionis institutum ut inviolabile persistat, sub anathemate pontificali auctoritate firmavimus; signis etiam & D testimonio nostrorum fidelium roborandum contradimus. S. Theomari abbatis S. Mansueti. S. Petri abbatis S. Apri. S. Stephani archidiaconi. S. Haymonis archidiaconi. Signum Hugonis Rufi archid. S. Hugonis Gundri Curtensis archid. S. Hugonis Albi archid. Confirmatum est testamentum hoc in generali synodo, anno ab Incarnatione Domini M. CXXII, indictione XV, epacta XI, concurrente VI.°, ordinationis nostræ XV, regnante per sæcula Domino nostro Jesu-Christo.

XXXVI.

Carta fundationis prioratus sancti Theobaldi de Belmonte.

1122. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Cœlestis gratia suorum semper mentibus quæ bona sunt aspirans, HUGONEM dominum castri *de Bolmont* hac devotione animavit ut in territorio ejusdem castri ecclesiam & cellam cœnobio sancti Michaëlis appendentem collocaret, & ad usus fratrum Deo inibi serviturorum de possessionibus suis attribueret. Assignavit igitur huic beneficio terram quæ inter fluvium & callem publicum jacet usque in Moheri vallem, domum Dei infra villam cum omnibus possessionibus ejus, duos homines Lorlannum & Gillebertum cum possessionibus suis, fratribus & omnibus ad eos pertinentibus, usum silvarum, cam- A porum, aquarum, pratorum & pascuarum totius banni libens concessit. Dedit etiam & concessit piscaturam totius aquæ & banni, & relaxationem thelonei in omnibus locis & usibus; Lancerna quoque avia comitis *de Clermont* ibidem attribuit X jornales. De his igitur omnibus prædictus HUGO fecit ratam donationem Deo & S. Michaëli per manum bonæ memoriæ prædecessoris mei PIBONIS Tullensis episcopi, qui episcopus de eadem donatione ecclesiam S. Michaëlis investivit per manum UDELRICI abbatis. Exstructa itaque aliquantula parte oratorii, & modica ut pote recenter habitatione composita; fratres inibi de cœnobio S. Michaëlis collocati sunt: quibus in ecclesiæ ædificatione per aliquantum temporis desudantibus, & venerabili prædecessore meo PIBONE prædicto, abbate etiam UDELRICO interim viam universæ carnis ingressis, opus illud meis temporibus Deo annuente completum est. Ego igitur RIQUINUS ad benedicendam ecclesiam illam adductus benedixi, & primum eadem donatione qua prædecessor meus ULDERICUM abbatem investiverat, ego quoque coram idoneis testibus abbatem LAUZONEM, qui illi successerat investivi. Additis etiam donationibus quæ ipso die consecrationis eidem ecclesiæ collatæ sunt: videlicet a prædicti Hugonis uxore X jornales cum uno molendino, ab Evardo II jornales, & ab Hugone II. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini M. CXXII, concurrente VI, epacta XI, indictione XV, X cal. Martii. Testibus his præsentibus & subtitulatis, Pontius & Girardus filiaster ejus, Hugo comes *de Risnel*, & Arnulfus filius ejus, Rodulfus, Walterus, Albricus, Hugo, Henricus, Hugo & Ulricus, Walo, Girardus, Odo, Wiricus & alii multi nobiles & liberi. Horum omnium laude & voluntate præscriptas donationes laudavimus, & præsenti scripto confirmavimus. Confirmamus etiam eidem ecclesiæ alodium *de Boverounes*, quicquid ibidem collatum est, a liberis hominibus *de Bolmunt*, in terris, pratis, aquis, silvis & uno molendino, & servis & ancillis. Confirmamus etiam mediam partem totius allodii *de Manne* in omnibus modis & usibus. Confirmamus etiam eidem ecclesiæ ecclesiam *de Mannes*. Confirmamus etiam libertatem quam ab abbatissa A. & ecclesia sanctæ Mariæ Laudunensis pro terra & possessione fundi ipsius, quam inhabitant sub censu duorum solidorum Tullensium, consecuti sunt monachi inhabitantes inibi, de quibus solidis nummos XII persolvent fratres de Domo-Dei & XII monachi. Præterea lites & contentiones quæ inter parrochiam *de Gonnencort* & parrochiam *de Hislau* pro termino prædictæ ecclesiæ fuerat nos sopivimus; & ut in pace & quiete sine respectu alicujus presbyteri monachi ecclesiam suam habentes possiderent, nos in plena synodo censendo statuimus. Si qua sane ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam ire præsumpserit, legis Dei maledictiones incurrat, & nisi resipuerit æterno anathemate subjaceat.

E

XXXVII.

Carta Riquini qui monachos S. Mansueti in ecclesia S. Christophori tum postea in ecclesia S. Nicolai collocavit, &c. *Ex autographo sancti Mansueti.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris 1123. & Filii & Spiritus Sancti. Riquinus Dei gratia Tullensium minister & servus, universis sanctæ Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ filiis & fratribus, decurso stadio temporalis & corruptibilis vitæ æternæ immortalitatis bravium obtinere. * Qui spe felici apud Deum fidelis quisque dispensator optatæ remunerationis est adepturus præmium, vigilandum nobis est sedula & infatigabili intentione, commissarum

* Quoniam

nobis ecclesiarum bona dispersa congregare, perplexa revolvere, & quæ male distracta sunt æquitatis censura ad jus proprium resignare. Tempore denique prædecessoris nostri felicis memoriæ Pibonis episcopi, Theodoricus dux infra terminum ecclesiæ S. martyris Christophori oppidum ædificare instituit, ecclesiam inibi super dotalitium ecclesiæ præfatæ construxit, quam a prædicto pontifice in honore sancti Nicolai consecrari obtinuit, quam tamen consecrationem, quantum in se fuit vicarius qui tunc tenebat altare sancti Christophori, a parte contradixit. Memoratus enim pontifex tanti principis partim precibus, partim persuasionibus delinitus, minusque caute sibi & juri in hac parte prospiciens ecclesiam quam inconsiderate consecraverat ad injuriam matris ecclesiæ, inconsideratius ea libertate donavit ut homines undecunque venientes qui in novo burgo manerent, ibidem primitias, decimas, eleemosynas & oblationes persolverent, & sine aliquo respectu vel subjectione anterioris ecclesiæ juxta consuetudinem parrochialium ecclesiarum, baptisma, sepulturam & synodum, & quæcunque ad Dei cultum pertinent, in ecclesia sancti Nicolai liberaliter obtinerent, verumtamen id perperam factum multis tunc temporis patenter innotuit, sed quia tantis ex æquo reniti potestatibus, nec facultas, nec constantia fuit proclamante postmodum abbate sancti Mansueti querimonia distracti juris ad nostrum usque tempus excrevit. Modernis siquidem diebus Herimannus & uxor ejus Adda, cum filiis & coheredibus suis, dederunt S. Mansueto quod videbantur habere in ecclesia S. Christophori de novo castello, altare vero obtinuit abbas consensu archidiaconi ab antecessore nostro. Hanc itaque ecclesiam a fundamentis reædificatam precibus Theomari abbatis venerabilis solemniter dedicavimus; & ne aliqua deinceps potens persona infra terminos parrochiarum sancti Mansueti diœcesis alterius monachos ad habitandum introducat, pontificali edicto vetuimus, privilegio quoque libertatis inde conscripto sub vinculo anathematis, sicut debemus, id ipsum ex tunc & modo perpetualiter inhibemus. Enim vero duce Theodorico jam facto ex medio filius ejus dux Sigismundus & uxor ejus Adheleidis ducissa memorabilis honori successerunt, qui juventutis flore vernantes minus consulte votum concesserunt, & parum quod rectum erat discernentes ecclesiam beati Nicolai sanctæ Mariæ Molisinensi tradere cogitaverunt, fratresque Molisinenses ibidem contra fas introducere proposuerunt; quod cum ad nostram fuisset perlatum notitiam tantam justitiæ jacturam, sicut decebat, impatienter tulimus, dilectosque nobis principes ut ab inconsulto proposito resipiscerent, tum consilii adhortatione, tum interdicti austeritate constanter admonuimus, abbati propterea Molisinensi & fratribus ejus literis sigillatis & vigore rationis mandavimus ut se suosque ab hac injuria compesceret, quoniam sanctioni legum & authoritati canonum obviaret, si terminos a patribus constitutos transgrediens jus ecclesiæ sancti Mansueti usurparet. De cætero ut locum interim vacuum nobis evidentius manciparemus, monachos S. Mansueti apud ecclesiam sancti Christophori delegari censuimus. Providentia autem Dei & mutatio dexteræ excelsi prospexit tandem devotioni sollicitudinis & desiderii nostri, quoniam inspirante Deo & sancto Mansueto nostro etiam vigili correcti consilio, dux & ducissa omnibus bonis memoria digna votum quod indiscrete concesserant, in melius transtulerunt, & ecclesiam sancti Nicolai per manum nostram S. Mansueto resignaverunt, ea videlicet conditione ut ecclesiam ipsam in cœnobium transferremus, fratres ecclesiæ sancti Mansueti ad Deo deserviendum inibi collocaremus, & ad sumptus fratrum ibidem degentium, & bonis ecclesiæ sancti Mansueti, prout nobis competens & necessarium videretur, adjiceremus. Contulimus igitur

A permissione abbatis & fratrum ecclesiam S. Christophori cum appendiciis suis, capellam *de Hunacourt* cum appenditiis suis, alodium *de Batalencourt*, alodium de Basallia in omni usu, alodium *de Monz* in Estrais in omni usu, in vineis, agris, pratis, ædificiis, hortis, terris cultis & incultis, alodium de Eurivilla in omni usu & appendiciis suis; harum incrementa possessionum dux & ducissa Deo & hominibus acceptabilis placide laudaverunt, & tam fratribus quam hominibus ad se pertinentibus communem usum villæ & banni Novi-castri, in aquis, silvis, pascuis, & omnibus necessariis generaliter & liberaliter concesserunt. Porro Valtherus vicarius qui per Theodoricum ducem ecclesiam sancti Nicolai male occupaverat, correptus a nobis resipuit, ecclesiam
B reddidit, indulgentiam delicti satisfactione publica petiit & accepit; nos igitur ut bene cœpta melius perficeremus, assentiente duce & ducissa, piæ devotionis fidelium & nostrorum tam clericorum quam laicorum consilio, altare sancti Nicolai cum dotalitio integre & absolute dedimus sancto Mansueto; abbas autem & fratres pro tanto beneficio suppliciter gratias referentes pia vicissitudine constituerunt ut prior sancti Nicolai, quoad vixerimus in ordinatione nostra, ad monumentum hujus beneficii mensæ fratrum sancti Mansueti tres solidos annuatim persolvat, post obitum vero in anniversario nostro id ipsum semper pro remedio animæ nostræ devotius perficiat; & quoniam periculosum est si quid alter sanxerit, alter destruat, precibus ducis & ducissæ sæpius memorandæ sancivimus & decernimus, ut quandoquidem
C ecclesia sancti Nicolai ad ditionem sancti Mansueti redacta est, juste jam & legitime in ea libertate qua donata est a prædecessore nostro deinceps permaneat, baptisma, synodum, sepulturam, & quæcunque ad Dei cultum pertinent, sine respectu & subjectione anterioris ecclesiæ, liberaliter obtineat, omnesque qui novam villam habitaturi conveniant S. Nicolao more reliquarum parrochiarum, primitias, decimas, eleemosynas & oblationes persolvant. Statuimus etiam ut abbas sancti Mansueti eligendi & constituendi vicarium quemcumque voluerit in ecclesia S. Nicolai potestatem habeat, qui præsentatus archidiacono, & confirmatus in concilio, de omnibus redditibus ecclesiæ & eleemosynis parrochiarum duntaxat sancti
D Nicolai tertiam partem accipiat, & de censu ecclesiæ tertiam partem persolvat; si aliquis pro eleemosyna vivens vel moriens fundum dederit, illum ecclesia integre possidebit; si de aliis parrochiis mortuus ad sepeliendum delatus fuerit, inde vicarius pro diurno victu sex tantum nummos habebit.

Verum ne aliquid de iis quæ hactenus distinximus quidquam temere audeat immutare, minuere, violare, hujus descriptionis momento sub anathematis interminatione omnimodis prohibemus, quam pontificali sigillo confirmantes signis & testimonio nostrorum fidelium roborandam contradimus. Signum Riquini episcopi. S. Theomari abbatis S. Mansueti. S. Petri abbatis sancti Apri. S. Stephani primicerii. S. Haymonis archidiaconi. S. Hugonis archidiaconi.
E S. Goiberti archidiaconi. S. Malberti decani.

Anno ab Incarnatione Domini M. CXXIII, ordinationis vero nostræ XVI, epacta XXII, luna XVIII, XVII calend. Julii, in plenaria synodo fuit hæc carta publice recitata, generaliter approbata, legitime roborata.

XXXVIII.

Bulla Callixti II papæ ad Antonium abbatem Senoniensem.

CALLIXTUS episcopus servus servorum Dei, 1123.
dilecto in Christo Filio Antonio abbati monasterii Senonensis quod in Tullensi parochia situm est,

tuis igitur, fili in Christo, charissime Antoni abba, justis petitionibus annuentes statuimus, &c. ut illibata permaneant, in quibus hæc propriis visa sunt vocabulis exprimenda. Ecclesiam Vipodicellæ, &c. ecclesiam de Plania, ecclesiam S. Johannis, ecclesiam S. Mauricii Senonensis, &c. ecclesiam de Stopax, ecclesiam Episcopi villæ, ecclesiam Danuebrii, &c. Sane advocatum loci vestri quicunque per Metensem episcopum constitutus fuerit, &c. delegato advocatis beneficio contentum esse præcipimus, &c. cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, & apud districtum judicem præmia æterna pacis inveniant, amen, amen, amen. Datum Laterani per manum Hugonis sanctæ Romanæ ecclesiæ subd. card. IV non. Aprilis, indict. I, Incarnationis Dominicæ an. M. CXXIII, pontificatus autem domini Calixti II papæ anno V.

XXXIX.

Recognitio injustæ exactionis servitii annalis per episcopum Metensem ab abbatia Senoniensi extortæ.

1125. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quia ego Stephanus Metensis episcopus cum a domo Senoniensi ejusdemque domus abbate annale servitium exigerem, abbas Antonius præfixa sibi die requisitum servitium non a domo sed a banno Senoniensi debere impendi, idoneis testibus productis sufficienter probavit; assignavit præterea quod duæ partes ejusdem servitii totius banni Senoniensis attestatione ibidem essent assumendæ; tertia vero pars in banno Vipodicellæ & de Plania esset colligenda. Actum est hoc apud Senonas, IV non. April. ab Incarnatione anno M. CXXV, indict. I, concurrente III, epacta VII. Hujus rei testes sunt Theodericus primicerius, Richerus decanus sancti Stephani, Philippus archidiaconus, Milo abbas Mediani monasterii, Rainaldus comes de Barro, Fridericus frater ejus *de Ferrette*, Henricus comes *de Salm*, & advocatus ejusdem loci, &c. & plures alii.

XL.

Fundatio prioratus S. Stephani de Danobrio * *ab abbate Senonensi dependentis.*

* *Vulgo* Deneuvre. *Ex cartulario Senonensi.*

1126. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Stephanus divina favente clementia sanctæ Metensis ecclesiæ episcopus, dilecto in Christo filio Antonio Senoniensis cœnobii abbati ejusque successoribus gratiam & salutem. Episcopalis officii cura quam Dei omnium bonorum provisoris gratia suscepimus, personas religiosas diligere, earumque utilitati sedulo providere nos ammonet. Piæ orationes siquidem ac merita devotarum personarum, & hic vitam præsentem cum tranquillitate agere, & in futuro beatæ vitæ felicitate nos assequi fiducialiter speramus, sicut enim illos qui religionem impugnant, servorumque Dei quietem perturbant, digna supplicii pœna tanquam reos mortis punitura consequitur; ita e contrario eos qui religioni congaudentes applaudunt atque religiosorum virorum commoditati pie intendunt, æternæ felicitatis præmia tanquam Dei filios manere manifestum est; sicut, inquam, hostes religionis absque ullo remedio cum Diabolo in perpetuum sunt perituri, sic e contra religionis fautores cum Christo sunt sine fine regnaturi: tibi igitur, Antoni fili charissime, abba Senoniensis, fratribusque tuis nec non successoribus, locum juxta castrum nostrum quod dicitur Danobrium, pro remissione peccatorum meorum animæque meæ salute pontificali munere in perpetuum contradimus, in quo ecclesiam in honore beati Stephani protomartyris, nec non claustrum cum diversis officinis servorum Dei quieti necessariis atque competentibus auxilii nostri operibus te ædificare volumus, hortum quoque cum prato & duobus mansis contiguis in eodem loco tibi tuisque successoribus donamus, addentes alios quatuor, duos quidem apud Episcopi villam, alios vero apud Nothonis curtem, ad eorum scilicet sustentationem fratrum qui in ipsa cella Deo servituri sunt, banno insuper nostro in aquis, in nemoribus, in pascuis tibi tuisque successoribus uti concedimus, tali videlicet tenore quatenus fratres tui in prædicta cella commanentes, suos proprios piscatores ad libitum in aquis nostris habeant, & ligna de nostris nemoribus ad ignem, ad ædificia, postremo ad omnem usum pariter tollant, & pascuis nostris ipsorum animalia quemadmodum nostra passim utantur, præterea viginti solidos quos pervigilibus castri nostri, scilicet Danobrii, pro custodia quæ vulgo Waita dicitur, ecclesia tua singulis solvere solebat, tibi tuisque successoribus ex hodierna die & deinceps omnino remittimus, quidquid etiam salis seu pecuniæ, aut cujuscunque rei, propter sedes sulmarias quas ecclesia tua apud vicum possidet, pontificali fisco annuatim solvebatur vel solvi poscebatur, tibi tuæque ecclesiæ atque tuis successoribus ex hodierna die & deinceps dono perpetuo remittimus atque donamus, ita videlicet ut nec quisquam Metensis episcopus, nec aliquis ejus minister, ac demum nulla persona quicquam a te vel a successoribus tuis, sive a quibuslibet personis propter ipsas sedes requirat, sed potius sint liberæ & absolutæ ab omni juridictione Metensis episcopi atque ministrorum ejus; item quinque solidos quos locus tuus pro quadam furca quæ vulgo Ciconia dicitur, supra puteum vici sita Metensi episcopo singulis annis solvebat, tibi tuisque successoribus munere perpetuo largimur; hæc tamen universa quæ superius enumeravimus, tibi tuæque ecclesiæ, cunctis & successoribus tuis dono stabili contulimus, ad eorum scilicet fratrum sustentationem atque usum, qui in sæpe dicta cella Deo atque protomartyri beato Stephano servituri sunt. Suppliciter itaque universos successores meos exoro, atque per cœli & terræ visibilium omnium & invisibilium creatorem obsecro, quatenus hæc quæ sancita scriptis atque privilegio sub anathematis interpositione confirmamus, custodire & conservare illibata per omnia studeant, sicut ipsi sua decreta ab omnibus & per omnia custodienda atque conservanda fore voluerint. Si qua igitur persona ecclesiastica seu secularis, contra hanc nostræ constitutionis paginam temere insurgere temptaverit, atque hoc nostrum privilegium aliquatenus violare, quod non credimus, præsumpserit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, reus se divino existere judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini ac Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat; cunctis autem hoc nostrum privilegium fideliter custodientibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & in futuro beatæ vitæ præmia inveniant, amen, amen, amen. Signum domni Stephani Metensis episcopi, nepotis Calixti papæ secundi: hujus rei testes affuerunt tam clerici quam laici, Adelbero primicerius & archidiaconus, Otto præpositus S. Salvatoris, Harlandus magister scolarum, Albertus capellanus, Hugo & Simon canonici, Adelbero archipresbyter, Adelo abbas Mauri monasterii, Albertus præpositus sancti Deodati, Herimannus comes & advocatus Senoniensis, comes Hodefridus de Castello, Theodericus comes de Montebiliarth, Conradus comes de Petra-Perceya, Albricus, Hisslebertus. Datum Senoniæ publice sexto calendas Januarii, anno ab Incarnatione

Domini nostri Jesu-Christi M. CXXVI, indictione V.ª A epacta VI, concurrente V.º regnante Lothario gloriosissimo rege anno 2.º regni ejus, comite Folmaro præfecturam Metis agente, judice Alberto, Theoderico scabione. Ego Humbertus vice domni Almarici cancellarii scripsi.

XLI.

Fundatio prioratus villæ * de Lorching *pro 20 monachis Senonensibus.*

* *Vulgo* Lonjuin. *Ex cartulario Senonensi.*

1128. IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Stephanus sanctæ Dei Metensis ecclesiæ episcopus, omnibus Catholicæ fidei professoribus in perpetuum. Divina nos ideo gratia ad hanc dignitatem pontificalem sublimari, uti credimus, voluit ut statum ecclesiarum B in sui dignitate pro posse nostro regere & deffendere debeamus, & cum Dei adjutorio ad incrementum earum summopere laboremus. Ea propter notum sit omnibus fidelibus tam posteris quam præsentibus, quod domnus Bencelinus *de Truckestein* cum uxore sua Matilda & Cuonone filio, & filiabus suis, Gerardus (*F.* Guidone) etiam nepos ipsius Bencelini, Albertus *de Lorching*, Ebroinus Siefridus, Albertus de Folmari rupe, Albertus quoque de Darneio, cum fratre suo Guidone canonico, consensu & consilio sororum suarum, fundum & conductum ecclesiæ *de Lorchinges* Deo & beato Petro Senoniensis cœnobii per manum nostram pro remissione peccatorum suorum in perpetuum concesserunt. Nos etiam, quoniam ecclesiam præfati cœnobii propter religionem loci diligimus, C & sanctitatem nominatissimi abbatis Antonii necessitati fratrum in præmissa villa Deo servientium, consulere quantulumcunque cupientes, nec non & pro remissione peccatorum nostrorum, presbyteratum ecclesiæ præscriptæ villæ, curam scilicet animarum & quidquid ad sacerdotem pertinet, prænominato abbati & fratribus suis, & omnibus successoribus in æternum concessimus: & ne a quoquam cassaretur, rogatu & precibus suprascriptorum liberorum virorum, sub anathematis interpositione, sigillo nostro roboravimus; eo tamen tenore quatenus in ecclesiæ præfatæ villæ fratres Senonienses, qui Deo deservirent, viginti haberentur. Præterea præfatus vir Bencelinus quidquid alodii in præfata parochia, in pratis, in campis, in nemoribus, cum mancipiis, & quidquid demum jure hereditario ibidem possi- D debat, sæpe dictæ Senoniensi ecclesiæ in omni prorsus usu pro remedio animæ suæ contulit, ad usum eorum videlicet fratrum, qui ibi Deo jugi famulatione servirent. Præfati quoque fratres Albertus & Guido omne alodium quod in banno prædictæ villæ jure hereditario sibi competebat, & ipsi pari modo eidem ecclesiæ Senoniensi libere pro salute sua tradiderunt. Ebroinus quoque & ipse quidquid in eodem banno possidebat sæpe dictæ ecclesiæ concessit & tradidit. Quicunque autem, quod hoc scripto sanximus, violare seu vi, seu circumventione aliqua præsumpserit, sententia anathematis alligatus habeatur, donec ad satisfactionem venerit, & quemadmodum statuimus, jus violatum ecclesiæ restituere in integrum curaverit. Hujus rei testes sunt Albero E primicerius & archidiaconus Metensis ecclesiæ, Richerus decanus, Philippus archidiaconus, magister Barlandus, magister Otto, Theodericus cancellarius, Gerardus cantor, Guido custos, Albero *Patrée* & Galtherus archipresbyteri, Johannes dapifer, & quamplures alii tam clerici quam laici. Actum Metis publice, anno Dominicæ Incarnationis M. CXXVIII, indictione V.ª, epacta XVII.

XLII.

Alodium de Pareia restitutum monasterio Senoniensi.

STEPHANUS sanctæ Metensis ecclesiæ gratia episcopus. Notum fieri volumus quod quædam 1130. nobilis domina Leucardis *de Bassimont* quoddam suum allodium in eadem villa situm contulit & tradidit beato protomartyri Stephano ad censum videlicet, &c. Postea vero accepit virum dominum Albertum de Danubrio qui erat de familia beati Stephani; dum ambo vixerunt, quiete allodium illud tenuerunt, & censum super altare sancti Stephani persolverunt: tandem domina illa defuncta venit dominus Sichardus de Parreia, & occupavit allodium illud injuste & violenter. Quod postquam ad notitiam nostram pervenit, sicut debuimus & justitia exigebat & ratio, eum commonuimus: & quia de injuria satisfacere noluit, ipsum pro excommunicato habuimus. Postea vero recognoscens se esse damnatum, præfatum allodium in manus nostras reddidit, restitutis etiam cum satisfactione capitalibus, &c. Nos vero Senoniensi ecclesiæ, tum pro devotione ejusdem loci abbatis Antonii venerabilis fratris nostri, tum pro sanctitate fratrum ibidem Deo regulariter viventium providere cupientes, præfatum allodium, laudante & consentiente Gerardo & uxore sua, præfato abbati ad usum ejusdem cœnobii tradidimus & concedimus, & sigilli nostri impressione corroboravimus. Signum D. Alberonis archidiaconi. Signum Alberti archipresbyteri. Signum comitis Hermanni & filii ejus Hermanni. Sig. Simonis & Balduini de Parreia, &c. anno 1130.

XLIII.

Charta Henrici venerabilis episcopi Tullensis de cella Novi-castri dependente a monasterio S. Mansueti.

Ex autographo S. Mansueti Tull.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris 1131. & Filii & Spiritus-Sancti. HEINRICUS Dei gratia sanctæ Tullensis ecclesiæ minister & servus, universis sanctæ matris ecclesiæ filiis & fratribus, divinæ protectionis prosperari successibus, felicibus virtutum incrementis ecclesiasticæ professionis augetur progenies, dum devoti filii religiosorum patrum imitatores effecti, non solum fidei, sed & meriti satagunt fieri coheredes. Venerabilium itaque prædecessorum nostrorum exemplis invitati, ac ipsi cum eisdem æternæ retributionis optantes perennitate beari, quæcunque eos erga cultum ecclesiarum strenue novimus peregisse, studii nostri est non minuere sed augere, & ad perpetuum memoriæ monumentum auctoritate pontificali canonice roborari. Prædecessor itaque noster beatæ memoriæ RIQUINUS episcopus, cum SIMONE duce ac ejus serenissima conjuge ducissa ADELEIDE, de salute animæ sæpe repetito consilio insistente præcipue abbate THEOTMARO, tum monitis, tum adhortationibus obtinuit, quatenus capellam S. Nicolai de Novo-castello pro remedio animarum suarum & antecessorum suorum conferrent B. Mansueto: ideo præsertim quia ecclesia sancti Christophori beati Mansueti erat, infra cujus terminos capella prædicta fundata consistebat. Incongruum denique videbatur, sicut dux & ducissa proponebant, alterius diœcesis monachos in ea introduci, maxime cum congregatio B. Mansueti religione polleret & ordine B. Benedicti. Salubri igitur percepto consilio dux & ducissa prædictam capellam sancti Nicolai sancto Mansueto per manum episcopi contulerunt, & fratres sancti Mansueti ad serviendum Deo ibidem introduxerunt. Præterea pro gratia prædictorum principum, laudandæ eorum devotionis augens beneficium, prædictus episcopus

altare sancti Nicolai laude & assensu totius cleri B. Mansueto in præsentia eorum donavit, & cum ante capella esset, in matrem ecclesiam transtulit, baptisma, sepulturam, synodum, & omnia quæ ad matrem ecclesiam pertinent ibidem concessit; ab omnibus etiam redditibus, debitis & exactionibus pontificalibus, præter censum tantum in perpetuum liberam effecit. Verum quia locus ille prærupti montis aptatus angustiis, mansionibus monachorum, sicut patet, non satis est habilis, consecrando vero cimiterio brevis & congestus lapidum durus & difficilis, urgente necessitate, & præcipue propter devitandum popularem tumultum provisum est in vicino construi, quod & quieti fratrum existat idoneum & amplior area appareat ad cimiterium dilatandum, & quoniam, sicut prædiximus, in eo positum est studium intentionis & industriæ nostræ ut benefacta prædecessorum studeamus non minuere sed augere, quatinus in orationibus fratrum ibidem Deo servientium optatum Deo propitiante percipiamus beneficium, cœnobium prædictum, ubicunque fuerit, ab omni censu pontificali debito, ab omni exactione liberum fieri decrevimus, salva tantum justitia pontificis & archidiaconi, si atrium, quod absit, aut ecclesiam illam quoquomodo contigerit violari. Portionem autem vicarii ita constituimus ut prædicto cœnobio neque pro vivis, neque pro mortuis obnoxius vel onerosus existat, sed de omnibus oblationibus, eleemosynis, confessionibus, & quibuscunque redditibus & exitibus ecclesiæ beati Nicolai vicarius tertiam partem accipiat, & de censu ecclesiæ tertiam partem persolvat; si qua sane persona vivens vel moriens, fundum pro anima sua contulerit illud, ecclesia absque divisione possidebit. Tempore prædicti prædecessoris nostri Riquini episcopi, vir illustris Fulcho de S. Desiderio contulit S. Mansueto & ecclesiæ beati Nicolai medietatem alodii *de Batenalicort* in omni usu, in mansis, pratis, campis, silvis, servis & ancillis; & medietatem alodii *de Basallies*, reliquam vero medietatem ad tempus sibi ufusfructuario reservavit, quam medietatem postmodum in præsentia nostri per manum ducis sub testimonio nobilium virorum super altare sancti Nicolai perdonavit, ea videlicet conditione ut quandiu vixerit necessaria victus & vestitus ab ecclesia S. Nicolai acciperet. Helvidis comitissa Vedani montis dedit ecclesiæ S. Nicolai Bercennam uxorem Acelini *de Barelanicort*. Prædictus pontifex Riquinus, tempore Tiemari abbatis, dedit ecclesiæ beati Mansueti apud Marceium duas mulieres sorores, Theodoram videlicet uxorem Gerardi, & Mariam uxorem Hugonis nepotis ejus, receptas a Rogerio Jonis-villæ cujus erant beneficio felicis memoriæ Pibonis hujus sedis episcopi. Varnerus de Ragneivilla & Stephanus filius Warini nepos ejus, cæterique heredes ipsorum, tam pro se quam pro animabus antecessorum suorum, ecclesiam sancti Christophori cum capella *de Unacurt* beato Mansueto liberaliter uti possidebant tradiderunt. Prædictus vero episcopus altaria earumdem precatu Hugonis Calvi archidiaconi qui ea in beneficio tenebat, laude & assensu Riquini tunc archidiaconi, postea episcopi, sancto Mansueto devotissime donavit. Nos igitur, ut diximus, benefacta augmentare & quieti fratrum consulere cupientes, statuimus ut vicarius qui Hugoni presbytero successerit, qui de prædicti Varneri stirpe fuerat, ac investituram fundi & altaris ab abbate habuerit, de omnibus redditibus, tam in eleemosynis quam in oblationibus pro vivis & defunctis, de decimis majoribus & minutis in omni usu tertiam partem, fratres vero duas accipiant, & de censibus earumdem duas partes præter tertiam persolvat. Exactiones vero quæ ad episcopum & ad archidiaconum pertinent, palefridum videlicet, circationes, concilium & licentiam presbyter solus persolvat, ministros in ecclesiis & decimatores communiter ponant, & de servitio quod exinde acceperint monachi duas partes, tertiam presbyter habeat. In festivitate beati Mansueti pro capella sancti Nicolai presbyter VI nummos, pro ecclesia S. Christophori duodecim, & pro capella de *Unacurt* VI denarios ad mensam fratrum persolvat, & refectionem ipso die ab eadem recipiat.

Et quoniam ratum esse debet quidquid pontificalis dignitas canonica auctoritate decernit, omnia quæ hactenus prælibavimus firma & intemerata permanere synodali censura & ecclesiastico rigore sancimus, & violatores horum sub anathemate perpetua maledictione damnamus, præsensque testamentum nostro sigillo insignitum, signis & testimonio nostrorum fidelium roborandum contradimus.

Sig. Henrici episcopi. S. Rainaldi abbatis sancti Mansueti. S. Durandi abb. sancti Apri. S. Hugonis abbatis sancti Salvatoris. S. Jocelmi abbatis Calmosiacensis. S. Petri decani. S. Haymonis archidiaconi. S. Hugonis archidiaconi. S. Stephani archidiaconi. S. Goiberti archidiaconi. S. Henrici archidiaconi. S. Olderici cancellarii. S. Hugonis magistri. S. Johannis decani. S. Malberti. S. Frederici comitis. S. Petri de Brisseio. S. Alberti. S. Theoderici de Magdalis. S. Henrici advocati. S. Henrici de sancto Vedasto, & Fulchonii filii ejus.

Acta sunt hæc Tulli, anno ab Incarnatione Domini M. CXXXI, ordinationis vero nostræ IIII.° indict. IX, epacta XX, concurrente III.°, luna XV; in plenaria synodo fuit hæc charta publice recitata, generaliter approbata, legitime roborata.

XLIV.

Carta fundationis abbatiæ de Escuraio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Ego Gauffridus dominus Jonvillæ, laude & assensu filii mei Gauffridi, ob remedium animæ meæ & parentum meorum, fundans ecclesiam *de Escurey*, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, libere dedi Deo & eidem ecclesiæ, fratribusque ibidem Deo servientibus, tam præsentibus quam futuris, terram meam seu allodium meum, cum nemoribus, sicut metæ a me designatæ & impositæ ostendunt. Concessi etiam eis vanam pasturam pecoribus & animalibus eorum, glandem quoque & fagenam ad pastum porcorum, & usuaria in omni terra mea, & piscaturam extra banna mea. Et si aliquod damnum alicui intulerint, absque ulla exactione forefacta, juxta æstimationem duorum aut trium legalium testium ei restituent. Et ut hoc donum firmum & ratum in posterum remaneat, scripto mandavi, & sigilli mei appositione munivi, & hoc ipsum carta & sigillo episcopali confirmari volui, subnotatis nominibus eorum qui hæc viderunt & audierunt. Sigillum domini Guidonis Cathalonensis episcopi. S. Gerardi cancellarii. S. Constancii sacerdotis. Testes laici, Stephanus, Walterus, Beroldus, Amoricus, Petrus *de Moster*, Hugo.

Circa 1132.

XLV.

Henrici episcopi Tullensis diploma de fundatione cellæ Bellæ-vallis.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis, omnibus filiis Catholicæ matris, Henricus Leuchorum episcopus, salutem in eo in quo est vera salus. Qua ratione, quave libertate comes GERARDUS patruus meus & comitissa HELVIDIS cum filiis suis HUGONE & OLDERICO comitibus Bellam-vallem dederint Deo & Mediano monasterio, & de hac donatione scriptis, cartis & multorum adhuc superstitum testimoniis sine ambiguitate cognoscentes hoc præsenti scripto reserimus, ut eamdem donationem nostra quoque sententia 1134.

& auctoritate nobis a Deo præstita Medio monasterio A confirmemus. Via rectior magisque trita Hardiniacensi petens forum de Murini-villa in introitu nemoris statim occurrentis bipartitur, ad dextram via vergens ad rivulum Mohereium transit, & ascendens colliculum per terram Vaholdi rivum usque pertendit. Sinistra vero per viam vetustam progrediens ad locum qui Petrosa dicitur, publico aggeri super viculum qui Portus dicitur se inserit, & sic in Vaholdi rivi vado ad dextram viam unde divisio fuerat redit. Fundum igitur qui interjacet hiis viis ex eo loco quo dividuntur usque ad eum quo se in Vohaldi rivi vado revertuntur, pro remedio animarum suarum parentumque, S. Dei genitrici semperque Virgini Mariæ, sanctoque Petro, sancto quoque Hydulfo, discipuloque ipsius S. Spinulo ex integro tradiderunt. B Cellæ vero in ipso fundo cœptæ, & monachis quos inibi ad serviendum abbas Mediani monasterii statuerit decimas dederunt castelli *Rancort*, Valeriis & Porti, & separatim decimas termini ipsius Bellæ-vallis designati absque participatione cujuslibet vel presbyteri, per manum domni PIBONIS sedis hujus cui nunc Deo auctore præsideo tunc venerabilis episcopi, ipso domno Pibone id ipsum concedente & statuente, & decimas prædicti termini a decimis ecclesiæ Murinivillæ solis monachis separante, medietatem quoque dotalitiorum ejusdem ecclesiæ Murinivillæ ipsis attribuente. Dederunt quoque apud prædictum portum super Mosellam molendinum, medietatem Chocium qui vulgo Salmones vocantur, in ascensu tantummodo captorum sibi retinentes. C Usum silvæ pascuæque per totum alodium Murinivillæ, nonamque partem ex omnibus indominicaturis ejusdem villæ, duos quoque modios vini de reditu silvæ, rivulum Mohereium bannalem eis fecerunt in Mosella communem & æqualem secum piscationem concesserunt. In saltu centum porcos impinguandos monachi mittent, & si suos non habuerint quos voluerint ut pastinatum habeant, quicumque de sua familia fundum vel aliud aliquid monachis & Bellævalli donare voluerit, libere dabit. Si quis infra terminum superius duabus viis determinatum feodum vel terram censualem habuit, aliam reddiderunt, & bannum vallis liberum & quietum eis fecerunt; & quoniam vallis strictior est & minus apta pratis, alibi tantum pratorum daturos se spoponderunt, quantum sufficere octonis bobus, & totidem vaccis, tribus D caballis & quatuor asinis, servitia vel pacta quæcunque sibi vel suis venatoribus, vel forestariis, vel quibuscumque suis officialibus Pisonis curta atque Tresonis ad medium monasterium pertinentes exhibere solebant, & omnem advocationem in perpetuum remiserunt. Super omnibus vero quæ dederunt, nullam sibi potestatem nec advocationem retinuerunt. Si quid tamen injuriæ abbas ibi factum emendare per se nequiverit, auxilio eorum emendabitur; sed summa quæstus & vadii fuerit, abbatis tantum & monachorum voluntati & utilitati mancipabitur. Post non multum vero temporis quo hæc acta sunt, supradictus comes GERARDUS infirmitate qua & mortuus est jam gravatus, dedit sæpe dictæ cellæ Bellæ-vallis, per manum Riquini venerabilis prædecessoris nostri, duas E ecclesias Murinivillæ scilicet atque Puris, & tres solidos quos ei solvebat in festo sancti Stephani, pro ecclesia Purensi presbyter Purensis; qui etiam venerabilis pontifex constituit ut duas partes decimarum prædictarum ecclesiarum monachi habeant, tertiam partem presbyter accipiat, exceptis indominicatis ecclesiæ Purensis, quæ absque participatione cujuslibet presbyteri solis data sunt monachis; procedenti etiam tempore supradicta HELVIDIS venerabilis comitissa pro remedio suorum peccaminum concessit prædictæ cellæ ecclesiam *Dummart*, eo tenore & ea libertate qua noscitur eam tenuisse hæc patris matrisque suæ dona comes HUGO de Vadani-monte me præsente renovavit, & die quo majorem basilicam Bellæ-vallis consecravimus super sacras reliquias ante ostium basilicæ addita servi & ancillæ quadrantisque terræ donatione propria manu posuit. Quisquis igitur deinceps has descriptas comitum donationes abbati & monachis Medii cœnobii infregerit, & majorem basilicam cellæ Bellæ-vallis in honore sanctæ Crucis & SS. genitricis semperque Virginis Mariæ & omnium Sanctorum a nobis consecratam, & atrium ejusdem basilicæ violaverit, donec resipuerit & legitime satisfecerit, anathema sit. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. CXXXIIII, indictione XII, imperante pio Lothario Romanorum Augusto, & fratre ipsius Simone duce Lotharingiæ.

XLVI.

Donationes factæ monasterio Belli-prati ab episcopis Metensi & Tullensi confirmatæ.

EGO Henricus, Dei gratia Leuchorum episcopus, 1135. notifico & confirmo præsenti scripto donationes factas ecclesiæ Belli-prati. Imprimis Folmarus comes Metensis & uxor ejus, & filii omnes & filiæ, dederunt sedem & vallem ipsius abbatiæ, & terram *de Hamermasnil*, totum quoque nemus quod dicitur *Frahais* in latitudine ex integro; in longitudine vero, sicut tenditur & transit grandem rivum; & nemus quod vocatur *Mogens*, & vadit versus Murtem, usque ad vadum sub Monullis; item per totum nemus Mondonii glandes ad porcos, & usuaria ad Marrimandum, & ignes abbatiæ, & grangiarum per totum insuper bannum de Mortesnæ, & Lunaris-villæ, pasturas & piscationes, vias & usuaria ad Marrimandum, & ignes abbatiæ & grangiarum. Testes Everardus *de Humburg*, Petrus *de Mosterol*, Galterus *de Gilleberviller*, Carolus *de Marches*, & Hecelo nepos ejus; Ebalus & Alardus fratres. Item præfatus comes, Folmarus comes Metensis, & uxor sua, & filii omnes, & filia, dederunt eidem ecclesiæ alodium *de Morillonmasnil*; Folmarus similiter comitis Godefridi particeps ejusdem alodii; testis Petrus *de Mosterol*, Besellinus *de Turchestein*, Everardus *de Huneburg*, Theodoricus *de Blehers*. Et quoniam Albericus *de Solmerroche* eo tempore advocatiam de Mortesna tenebat ipse, ipse quoque quidquid juris super tota donatione comitis habebat, totum cum filio suo Odoeno concessit. Testes ipse comes Theodoricus *de Dumbasle*, Theodoricus Novivillaris, Carolus *de Marchesse*, Hecelo nepos ejus, Ebalus & Alardus fratres, Galterus similiter *de Gillibelviller*, assensu uxoris suæ, & filiorum & filiarum, dedit eidem ecclesiæ terras quas habebat in vicinia, & alodium *de Martinbosc*, & pasturas per omnem terram suam & Marrimare. Testes Reimbaldus frater ejus, Albertus de sancto Germano, & Fridericus frater Alberti: qui Fridericus concessit usuaria nemorum, & pasturas per totum bannum capellæ. Testes Folmarus comes Metensis, Galterus *de Gillebelviller*, Hecelo *de Marchesse*. Idem Galterus *de Gillebelviller*, assensu uxoris suæ & filiorum & filiarum, donavit eidem ecclesiæ totum feodum *de Clusentanes*, id est, totam terram, totas decimas, totum nemus, sub censu quinque solidorum Tullensium, apud *Clusentanes* in festo S. Johannis persolvendorum. Testes Boimundus *de Rainereiviller*, Garnerus *de Mojan*, Theodericus de Aitinvilla, frater ejusdem Galteri. Albericus presbyter de Mortesna concessit præfatæ ecclesiæ totas decimas de omni possessione per totum territorium & bannum de Mortesna, assensu nostro, & Hugonis archidiaconi & decani, sub censu quatuor Tullensium; quos si infra annum accipere voluerit, dabuntur ei, sed post annum non requiret ab eis. Assensu etiam nostro, & præfati archidiaconi & decani, concessit Hugo presbyter de Capella totas decimas per totum territorium

territorium & bannum ipsius capellæ, sub fundi quatuor Tullensium censu. Hugo comes de Gademonte, assensu conjugis suæ & omnium filiorum, dedit ipsi ecclesiæ totum nemus ex integro, quod dicitur Hundescis. Testes Fridericus & Guillelmus *de Gilleberviller*, Fridericus de sancto Germano, Galterus *de Blainville*. Ego quoque Stephanus, Dei gratia Metensis episcopus, notifico præsenti scripto, & sigillo confirmo, me concessisse omnes donationes quas Folmarus comes Metensis homo meus fecit eidem ecclesiæ, in terris, pascuis, nemoribus, glandibus, piscationibus, & quidquid feodati mei, ad utilitatem ipsius ecclesiæ & grangiarum ejus dederunt aut daturi sunt.

Si quis igitur in hæc ita confirmata manum mittens, prædicti cœnobii fratribus injuriam irrogarit, oblationesque fidelium violaverit, hic talis utriusque pontificis ore, qui ea quæ in charta continentur confirmaverunt, & utriusque sedis authoritate anathematis maledicto condemnetur, donec & ablata restituat, & de illata contumelia satisfactione facta, gratiam & absolutionem promereri possit a Deo & a sancta ejus ecclesia, cujus jura temerare non formidavit. Anno ab Incarn. Domini M. CXXXV.

XLVII.

Pacta inter Henricum episcopum & Fredericum comitem Tullensem ab Innocentio II confirmata.

1136. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Henrico Leucorum episcopo ejusque successoribus canonice promovendis in perpetuum. Statuta fratrum nostrorum sicut irrationabilia debemus ecclesiasticæ disciplinæ moderatione corrigere, ita nihilominus convenit eorum bene gesta firmare. Quamobrem venerabilis frater Henrice episcope pacem & concordiam quæ post multas guerras & labores atque expensas inter se & nobilem virum Fredericum comitem Tull. in præsentia venerabilium fratrum nostrorum Tituini episcopi sanctæ Rufinæ tunc apostolicæ sedis legati, Alberonis Treverensis archiepiscopi & suffraganeorum suorum, Stephani videlicet Metensis, Alberonis Virdunensis episcoporum nec non aliorum nobilium principum, videlicet Simonis ducis, Adeleidis ducissæ uxoris suæ, Rainaldi Barrensium comitis, Galteri de Gundricurte, Odonis de Melanio, & Petri de Brisseio, Rutile in Treverensi parochia facta est, præsentis scripti pagina confirmamus, & futuris temporibus ratam manere decernimus, ita scilicet ut de hospitalitate seu consuetudine quam præfatus comes Fredericus in præbenda fratrum Tullensis ecclesiæ sibi usurpare contra justitiam nitebatur, nihil sibi deinceps ex debito audeat vendicare; verumtamen si prædictus comes Vischeriaci in præbenda fratrum bis in anno cum septem vel decem militibus tantum hospitari voluerit id ipsum ei minime negabitur, sed fratres ejusdem loci sustinebunt, nec eum exinde molestabunt, si in domo fratrum hospitium susceperit, si ministerialium amministratione procurari voluerit, si nullam exactionem in eadem villa vel per se vel per alios fecerit. Cæterum si ipse hoc transgredi vel violare præsumpserit, jam dicti fratres id ipsum ab eo per justitiam exquirere possint. Præterea si quando necesse fuerit, & idem comes a decano vel præposito postulaverit, in præbenda fratrum semel in anno cum septem vel decem militibus tantum tertium hospitium ei dabitur. Si vero ingruerit necessitas, & nec decanum nec præpositum ad obtinendum hospitium habere poterit, hospitium ipsum per ministralium manus accipiat, & servitium competens quod ei exhibitum fuerit cum gratiarum actione suscipiat; quod si comes aliter quam supra scriptum est fecerit, & conventionem laudatam coram præfatis episcopis atque principibus violaverit, aut exactionem aliquam vel violentiam in villis fratrum supradictorum exercuerit, si servitia sufferentiæ canonicorum antedicta, & eo modo quo sunt determinata per manus ministerialium non susceperit, hospitia quæ non ex debito aut justitia, sed per sufferentiam fratrum accipiebat prorsus amittat, & hoc tamdiu stare poterit quamdiu ipse amicitiam fratribus debitam observaverit. Decernimus ergo ut neque præfato comiti, neque alicui hominum liceat te vel successores tuos seu Tull. ecclesiam aut canonicos super hoc temere infestare, aut aliquid ultra id quod prædictum est, a te vel ab ipsis exigere, sed potius ipse statutis hospitiis contentus existat, & Tullensis ecclesia & canonici ab ipsius infestatione de cætero liberi maneant & quieti. Si quis autem hujus nostræ confirmationis paginam sciens, contra eam venire tentaverit temere, secundo tertiove commonitus, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiatur, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu-Christi alienus fiat. Conservantes autem Omnipotentis Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli gratiam consequantur.

Data Pisis per manum Almerici S. R. ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, VIII idus Junii, indict. XIII * Incarn. Dominicæ, an. M. CXXXVI, pontificatus domni Innocentii papæ II anno 6.°

* Forte XIV.

XLVIII.

Bulla Innocentii papæ II ad Gualterum abbatem Senoniensem.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto Gualtero abbati Senonensis cœnobii 1139.
ejusque successoribus, &c. Hujus rei gratia, dilecte in Domino fili Gualtere abba, tuis & venerabilis fratris nostri Stephani Metensis episcopi postulationibus clementer annuimus, & monasterium sancti Stephani, vulgo *le Monier*, situm juxta castrum Danubrium, ejusdem largitione atque institutione libere concessum ibidem servituris in perpetuum, & a fratre nostro Lethuino sanctæ Ruffinæ protunc apostolicæ sedis legato, præfati episcopi aliorumque religiosorum virorum interventione consecratum, cui auctore Domino præsides, nostri favoris munimine roboraremus, &c. Statuentes ut quascunque possessiones, &c. firmæ tibi tuisque successoribus permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: hortum cum prato, bannum vestrum in aquis, in nemoribus, in pascuis, juxta quod ab eodem bonæ memoriæ episcopo vobis concessum est, &c. Relaxationem viginti solidorum pro Varta castri Danubrii, sedes salinarias ab omni reditu cujuscunque rei absolutas, relaxationem quinque solidorum pro furca ciconia supra puteum sita vico Metensi, ecclesiam de Ramberti-villa, cum conductu & decimis tam majoribus quam minoribus; allodium *de Bossemont*, & quartam partem ecclesiæ quam quidam Siccardus reddidit ipsi cœnobio in manu prænominati episcopi; & quadrantem allodii quod idem Siccardus cum uxore sua eidem ecclesiæ legitime donavit; in Fontiniaco, medietatem integram allodii totius, quod fuit bonæ memoriæ Arnoldi, &c. Innocentius papa secundus. Ego Gerardus presbyter cardinalis sanctæ Crucis in Jerusalem. Ego Lucas presbyter cardinalis SS. Johannis & Pauli, & plures alii cardinales, &c. Datum Laterani per manum Almerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, IV kal. Maii, indict. II an. M. CXXXIX, pontific. domni Innocentii papæ II an. X.

XLIX.

Ex autographo S. Apri.

S. Bernardus mediator inter monachos Luxovienses & monachos S. Apri super ecclesiam & decimas Galdonis-curtis.

Circa 1140.

HÆC est compositio inter Lexoviensem & sancti Apri abbates de ecclesia Galdonis-curtis. Ego Bernardus Claravallensis vocatus abbas, cum domnus papa causam Luxoviensis & S. Apri abbatum commisit decidendam eidem causæ per concordiam hoc modo finem imposui. Statutum est ut illi de S. Apro universam decimam Galdonis-curtis habeant, ipsam vero ecclesiam & omnia præter decimas ad eam pertinentia Luxovienses possideant, remittentes si quid juris habuerint in ecclesia Bodonis-villæ quam tenebant illi de S. Apro, omnes autem annuales census quos ecclesia Galdonis-curtis debet tam episcopo quam ministris ejus, illi de sancto Apro singulis annis ex integro persolvant. Hoc autem factum est consilio venerabilium Godefridi Lingonensis, & Hattonis Trecensis episcoporum, & aliorum religiosorum virorum qui ad hoc ipsum acciti sunt a nobis, quorum nomina sunt hæc, Guillelmus abbas, S. Martini Trecensis, Balduinus abbas Castellionis, Stephanus abbas Trium-fontium, Balduinus abbas Cristæ, Guido abbas Cari-loci.

L.

Bulla Lucii II ad Juditham Romaricensem abbatissam.

1144. LUCIUS episcopus, servus servorum Dei dilectis in Christo filiabus Judith abbatissæ Romaricensis monasterii, ejusve sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis. . . . .

M. . . . . Licet ex injuncto nobis officio ecclesiarum omnium curam gerere debeamus, pro illis tamen ecclesiis, quæ ad jus beati Petri specialiter pertinent, nos convenit sollicitiores existere, & earum quieti & utilitati diligenti studio providere. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris rationabilibus postulationibus gratum præbentes assensum, Romaricense monasterium in quo divino mancipatæ estis obsequio, D sub apostolicæ sedis tutela protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuimus enim ut idem cœnobium, juxta venerabilia prædecessorum nostrorum decreta, sub speciali semper apostolicæ sedis jure persistat. Quæcunque etiam idem monasterium in præsentiarum juste & legitime possidet sive in futurum, concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, auxiliante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque succedentibus, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: territorium quod habet Romaricense monasterium Adacei, & redditus de Madesinei quos guirpuit Guillelmus *de Arches*, villa de Guoherii, *Candary* punctum, *Landricurt*, *Basonicurt*, *Guillonvillart*, & terras de Madesmei, mansum E in civitate Tullensi quem tenuit Hugo *de Gundricurt*, vineas quas habetis in Barro, terram quam habetis in territorio Tullensi. Ut autem in monialium recessibus populari conventui accessus non pateat, ab episcopo aliquo missas publicas inibi celebrari, aut rerum ejusdem loci dispositionem fieri prohibemus, nisi ab eo quem ad hoc ejusdem loci abbatissa vel sororum conventus invitaverit, chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocunque catholico malueritis suscipiatis episcopo, qui nimirum gratiam & commu-

A nionem sedis apostolicæ habeat; & si aliquando rogatus episcopus monasterium accesserit, non liceat vel de ornamentis vel de vasis ac quibuslibet rebus quidquam sibi vel magnum vel exiguum usurpare, sed neque archiepiscopos, neque archidiaconos, neque ipsum diœcesanum episcopum, neque personam quamlibet, in eodem monasterio potentiam exercere permittimus. Prohibemus etiam ne infra unam leucam a monasterio liceat alicui invadere aliquem, vel ejus res. Obeunte vero te, nunc ejus loci abbatissa vel qualibet earum quæ post te successerint, nulla illic aliqua subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi Dei timorem & beati Benedicti regulam elegerint, electa vero ob percipienda benedictionis mysteria Romano pontifici præsentetur, quæ si forte a regulari tramite deviaverit, B apostolicæ sedis correctionibus subjacebit. Episcopus autem sine Romani pontificis licentia adversus eam exercere aliquam animadversionem non præsumat. Ad indicium autem perceptas a Romana ecclesia libertates infra quatuor annorum spatium, cum Rustrolino pallio equum candidum nobis nostrisque successoribus persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino omnium liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur utilitati earum pro quarum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva apostolicæ sedis auctoritate. Si quis igitur in futurum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut marchio, comes, vicecomes, judex, seu aliqua eccle- C siastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam, sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisve dignitate careat, illaque. . . . . . judicio existat. . . . . & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem de venerabili loco sua jura servantibus sit pax Domini J. C. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Lucius Catholicæ ecclesiæ episcopus.
Ego Conradus Sabiniensis episcopus.
Ego Theodeurinus sanctæ Rufinæ episcopus.
Ego Alberius Ostiensis episcopus.
Ego Gregorius diaconus cardinalis SS. Sergii & Bacchi.
Ego Otto diaconus cardinalis Sabellii ad Velum-aureum.
Ego Guido diaconus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani.
Ego Gerardus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Damme.
Ego Thomas presbyter cardinalis S. Vestinæ.
Ego Imarys Tusculanus episcopus.
Ego Theobaldus presbyter cardinalis S. Praxedis.
Ego Numerius presbyter cardinalis S. Stephani in Cælio-monte.
Ego Gelibertus presbyter cardinalis S. Marii.

Datum Laterani per manum Barronis capellani & scriptoris, XI cal. Aprilis, indict. VII, Incarnationis Dominicæ anno M. CXLIII, pontificatus vero domini Lucii papæ anno primo.

L I.

Privilegium archiepiscopi Trevirensis pro monasterio Senoniensi.

1145. EGO Albero gratia Dei Trevirorum archiepiscopus dilectis filiis Humberto abbati Senonensis monasterii, ejusque fratribus, &c. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus clementer annuimus, & fratris & corepiscopi nostri Stephani Metensis ecclesiæ privilegio de rebus vestris testimonium & firmamentum tribuentes, ea sub beati Petri & nostra protectione suscepimus, &c. statuentes ut quascunque possessiones quas idem monasterium in pago Remereville possidet, firmæ vobis permaneant. In præfata namque Remereville dux Simon Nanceii quatuor quadrantes & conductum ecclesiæ pro remedio animæ suæ præfato monasterio in eleemosynam donavit. Cunegundis autem matrona pro se & pro filio suo Gualfrido qui in præfato monasterio monachus factus est, tres quadrantes in eleemosynam dedit. Simon autem Parreiæ miles in præfata villa quatuor quadrantes in eleemosynam dedit. Hamedeus etiam miles *de Tincherey* & uxor sua, tres quadrantes & partem decimarum ejusdem villæ, & quidquid præfata ecclesia a prædecessoribus suis possidebat, &c. in eleemosynam dederunt. Fratres vero ipsius monasterii eidem Hamedeo duodecim libras Tullensis monetæ pro charitate donaverunt. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat præfatam ecclesiam perturbare, &c. Hujus autem rei testes sunt Hillinus decanus ecclesiæ Trevirensis, Sigerus abbas sancti Maximini, Durandus abbas Belli-campi, Hugo prior ejusdem loci, Hembaldus abbas Gorziensis, Hembardus abbas sancti Vincentii, Henricus abbas sancti Symphoriani, Simon abbas sancti Clementis, Henricus comes de Salenis. Facta sunt hæc Metis, apud S. Stephanum, kal. Novemb. an. M. CXLV, indict. VIII, epact. XXV, concurr. VII.

L I I.

Ex autographo sancti Mansueti.

Henricus venerabilis episcopus Tullensis confirmat donationes factas in restauratione prioratus S. Donati. Abbati S. Mansueti Rainaldo in præsenti charta enarratur initium illius cœnobii & origo.

1147. IN nomine Patris & filii & Spiritus Sancti, universis sanctæ ecclesiæ filiis & fratribus. H. dispensatione divina S. Tullensis ecclesiæ minister & servus, vitæ præsentis semitam inoffenso pede transire, ut ad claritatis æternæ patriam valeant pervenire. Commissarum nobis ecclesiarum sollicitudini tanto propensius nos oportet insistere, quanto certiores sumus in die revelationis & iræ nos de earum cremento vel detrimento æquissimo judici districtius respondere. Felicium denique prædecessorum nostrorum exemplo, curæ nobis est ecclesiam beati Mansueti continuo frequentare studio, quem nobis apostolum datum gloriamur in Domino, quam intus & extra rebus & possessionibus decrevimus ampliare, scriptis etiam & privilegiis firmissime præmunire. Pervenit itaque ad notitiam nostram, nos etiam memoriæ notificamus fidelium, antiquo tempore donatum, virtute insignem, professione monachum, congregatione Wandalorum immani telorum turbine contritum & defossum, triumphali sanguine, voluntarium pro Deo pertulisse martyrium, & circa Mortensem fluvium juxta pervium publicum providentia divinæ dispositionis obtinuisse sepulchrum; ubi infirmi variis afflicti languoribus, precis salutaris promerentur effectum. Quædam denique matrona diutina cæcitate confecta, revelatione divina lumen ibidem recepit,

A & basilicam parvam super tumbam sancti Martyris propriis sumptibus construxit, quæ usque ad tempora Theoderici viri illustris de donna Basula annosa vetustate jam fere prolapsa permansit. Quam ille resolidans prout licuit, reparavit, & a domno Pibone Tullensi pontifice felici prædecessore nostro, ut eam dedicaret obtinuit. Qui etiam pontifex partem arcæ ibidem adjacentem ad dotalitium altaris contulit; ea videlicet ratione ut ibidem Deo servientes dotalitium sub suo dominio possiderent. Si vero locus daretur neglectui, homines S. Stephani *de Priaviler* illud trium obolorum respectu retinerent. Sub eadem tempestate ecclesiæ B. Mansueti præsidente Teomaro probatæ conversationis abbate, nobiles viri de domna Basula prædictum abbatem unanimiter convenerunt, B quatenus locum S. Donati sub sua providentia disponendum susciperet, & tam de his quæ jam sanctus Mansuetus in domna Basula habebat, quam de his quæ deinceps devotio fidelium collatura esset, eundem locum proveheret & augmentaret. Abbas itaque viso loco, de Dei confisus adjutorio, septem quartarios terræ & dimidium, quos Drogo de Strena & ejus uxor Teseia, & Widricus filius ejus dederat S. Mansueto pro anima sua, & pro præbenda Walterii filii sui, sextam scilicet partem totius allodii de donna Basula, sicut in omni usu possidebat, a banno S. Petri usque ad bannum S. Gorgonii, in silvis, pratis, agris, in aquis aquarumque decursibus, exitibus & reditibus, molendino, in ecclesia, in atrio & extra atrium, domum lapideam juxta ecclesiam, in ministris ecclesiæ, C in decimis, oblationibus, eleemosynis, custodibus messium, in vineis, piscatione, servis & ancillis, ad usum fratrum ibidem Deo servientium assignavit. Widricus & Theodericus filius ejus dederunt quidquid antiquitus jure hereditario habebant in ecclesia de domna Basula, in decimis, oblationibus, eleemosynis; & quidquid ipsi vel homines eorum tenebant in vineis desertis apud *Prinviler*, & duas partes terræ ad ingressum, exitum atrii ecclesiæ S. Donati; & partem quam habebant in prato juxta ecclesiam & juxta viam publicam. Matrona venerabilis Ida, defuncto jam Drogone viro suo, assistentibus & annuentibus filiis suis Haimone & Rodulfo, dedit S. Donato pro anima sua antecessorumque & successorum salute, tria jugera terræ juxta ecclesiam, unum D ex una parte, & duo ex altera, secus viam publicam, & quidquid habebat ibidem in atrio vel extra atrium, & quidquid in omni usu habebant in ecclesia de domna Basula; ita tamen ut quod ad ecclesiam pertinet, Ida filia ejus sanctimonialis Romarici-montis in vita sua respectu gerbarum duarum usualiter retineret; post transitum vero ejus illud ecclesia sancti Donati absolute possideret. Gerardus de Vitri-monte & Leucardis uxor ejus, concessu filiorum suorum Herimanni & Bartholomei, & aliorum heredum, dederunt quidquid habebant in atrio & juxta atrium S. Donati, & quidquid habebant in omni usu in ecclesia de domna Basula tempore Theomari venerandi abbatis beati Mansueti, assistentibus Widrico & Theoderico filio suo, Ida & Haimone filio suo, Gerardo cum uxore sua Leucarde, & duobus filiis E suis Herimanno & Bartholomeo, generaliter concessum & constitutum est, ut homines tam advenæ quam indigenæ qui sine calumnia dominorum suorum erga sanctum Donatum habitaturi accederent, more aliorum hominum in banno habitantium liberum usum in silvis, aquis & pascuis obtinerent. Specialiter autem domnus Haymo pro se & suis hominibus concessit, ut si animalia S. Donati indominicata aliquam lesuram casu infra bannum suum auferrent, nec damnum restituerent, nec banni justitia persolverent, suo etiam tempore custodem messium in banno ponerent; æditutum vero ecclesiæ annuatim, si vellent, consilio presbyteri commutare. Novissime temporibus nostris, interventu S. martyris, clemens misericordia Dei de

cœlo in terram prospexit, tandemque diu desiderato provisore ecclesiam suam extulit & provexit, cujus ad hoc notificare proponimus industriam, ut post mortem laboriosi ejus certaminis, posteris commendemus memoriam. Clericus quidam nomine Hugo regressus noviter ex itinere Jerosolymitano, dilectissimo filio nostro Rainaldo abbati sancti Mansueti intentionem cordis sui aperuit, dicens se voluntatem quidem habere aliquando sub monastica professione Deo posse militare, sed prius in aliquo solitario loco adolescentiam, mores & vitam suam velle laboriosius exercere. Abbas igitur optato diutius destitutus solatio, quasi divinitus accepto consilio, locum sancti Donati ei ostendit, quem in ipso aditu tanta penuria, tanta exiguitate, procuratorum negligentia exinanitum invenit, ut vix spatio noctis unius & diei inventis ibi sumptibus valeret recreari. Ante aram S. Martyris prostratus, totis se viribus, Deo præsidiante, obsequiis ejusdem ecclesiæ Sancti se invigilare promisit. Quod brevi tempore complere maturavit, sciens etenim scriptum: *hilarem datorem diligit Deus*, hospitalitati se devotus expandit; unde tam advenas quam indigenas ad devotionem Sancti & amorem, fidelis dispensator attraxit & illexit. Virtute præterea constantiæ roboratus in Domino, veterem ecclesiam, quæ satis parva & nulla erat, a fundamentis destruxit, & brachio Dei sustentante, ampliorem, longiorem & sublimiorem, ut patens est, reædificavit. Deinde augmentandis possessionibus ad victum servis Dei necessarium applicavit animum, apposuit laborem, sensum simul & censum. Quidam etiam propter reverentiam Sancti, & benevolentiam viri, gratis terras cultas & incultas ecclesiæ contulerunt, quidam pretio vendiderunt. Ida prædicta matrona, mater Haimonis de domna Basula defuncta, quatuor jugera terræ juxta ecclesiam dedit S. Donato pro anima sua. Præfatus Haimo jam dicti clerici amplexatus benivolentiam, & collaudans industriam, totum desiderium animi sui ad devotionem & reverentiam ecclesiæ sanctorum Mansueti & Donati transtulit, eorumque clementiam se in rebus necessariis multotiens expertum esse retulit. Ermendrudis siquidem ejus soror, uxor Cononis, ipsius animata consilio, duas partes terræ sancto Donato pro anima sua dedit. Haimo pro anima fratris sui Rodulfi, Matildis etiam soror ejus, cum Varino filio suo, Cono cum omnibus heredibus suis, dederunt partes suas quas habebant in Ritvilis. Fundum molendini ad *Brodelavisin* dedit Haimo S. Donato, quod redemit clericus Hugo L solidis a domno Theoderico, qui illud habebat in vadimonio. Cono dedit nobis V partem fundi quam habebat in eodem molendino, quæ pro XX solidis erat in vadimonio; dedit præterea idem Haymo pro anima fratris sui Rodulfi scabellum vineæ apud domnam Basulam, & Cono tria scabella & tria capitella. Dederunt etiam Haymo, Cono & Varinus, & omnes heredes communiter quidquid habebant in desertis vineis *Aprinviler*. Dedit etiam Cono quartarium quod Gunderviardus tenuit, quod pro decem solidis erat in vadimonio. Cono dedit nobis V partem fundi quam habebat in eodem molendino, quæ pro XXX solidis erat in vadimonio. Pro Hugone filio Cononis, quando factus est monachus, dederunt sancto Dodoni quartam partem quæ hereditati ejus competebat, de alodio de domna Basula, & quod Haimo restituit pro commutatione alodii *de Bingil*, in omni usu & in banno. Inter Isembaudum abbatem S. Gorgonii, & Theomarum abbatem S. Mansueti facta est commixtio de infantibus Alberti. Præterea Theodericus filius Teoderici de S. Hilario profecturus Jerosolymam, laude & assensu omnium heredum suorum IIII quartarios terræ pro remedio animæ suæ & pro præbenda fratris sui Odovini apud *Manuncurt* sancto Mansueto dedit; quod Rainaldus abbas sancto Donato assignavit. Oidericus etiam *de Arch*, nepos prædicti Cononis, pro remedio animæ suæ antecessorumque suorum, quartarium apud *Derivile* S. Donato tradidit. Bona ergo voluntate animi jam sæpe dictus Haimo succensus, Jerosolymitanæ viæ iter peragraturus dimidietatem alodii sui, quod in domna Baiula possidebat, in omni usu, videlicet in banno, servis & ancillis, terris cultis & incultis, pratis, vineis, silvis, aquis aquarumque decursibus, & omnibus appenditiis, laude & assensu omnium heredum suorum per manum nostram coram idoneis testibus sancto Mansueto contulit. Nos vero super his omnibus bannum Dei canonica censura & pontificalis excommunicationis sententia imponimus, ut nulla ecclesiastica secularisve persona aliquid ex his temere minuere, infringere, usurpare vel violare præsumat, alioquin æterni judicis districtioni subjaceat, donec digne Deo & ecclesiæ satisfaciens resipiscat. Ad posterorum siquidem cautelam & munimentum præsentis descriptionis monimentum conscribi censuimus, quod signis & testimonio nostrorum fidelium roborandum contradimus. Sig. Henrici Tullensis episcopi. S. Rainaldi abbatis sancti Mansueti. S. Hugonis abbatis sancti Apri. S. abbatis Siebaldi S. Leonis. S. Stephani decani. S. Hugonis Albi & archidiaconi. Signum Haimonis archidiaconi. S. Hugonis Rufi archidiaconi. S. Henrici advocati. S. Heinrici *de Jencenuas*. S. Theoderici & Hinfridri fratrum *de Mandles*. S. Theoderici. S. Petri & filii ejus de domna Basula. S. Gerardi *d'Arc*. S. Varini de domna Basula. S. Drogonis fratris ejus & Sigifridi de Francavilla. S. Valtheri decani *de Port*. S. Valteri cancellarii.

Acta sunt hæc Tulli, an. ab Incarnatione Domini M. CXXXXVII, indictione X.ª, epacta XVII, concurrente II.°, regnante Conrado imperatore.

LIII.

Henrici episcopi Tullensis instrumentum de altari de domna Basula quod largitur monachis S. Mansueti antequam propositum iter Jerosolymitanum aggrediatur. *Ex autographo sancti Mansueti.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. HENRICUS sanctæ Tullensis ecclesiæ minister & servus, universis Christianæ fidei cultoribus. Per 1147.
semitam justitiæ bene procedere non devio calle ut ad æternæ felicitatis gaudia mereantur pertingere, pervigili studio a pravorum seu malorum incursibus cura pontificalis Deo militantium possessiones, quantum facultas a Domino concessa præstat, debet tueri aut protegere. Ego vero minime hoc in quibusdam peregisse recolens, desiderio aggrediendi Jerosolymitanam viam succensus, hactenus mala perpetrata curavi in melius corrigere, sperans enim interventu beati Mansueti fratrumque in ipsius monasterio Deo servientium orationibus posse fulciri, vel ut memoria mei in hoc itinere evidentius possit haberi inter eos aut si me contigerit ad exitum vitæ meæ propinquari ut diligentius meo exequias præbeant funeri, altare de domna Basula quod per plurima labentis ævi intervalla possedi, eis absolute tribuo, nec non liberam potestatem inducendi vicarium concedo, ea ratione ut sacerdos ecclesiæ prædicti altaris annuatim XII nummos persolvat sancto Mansueto. Henricus advocatus eodem succensus desiderio, communi assensu filiorum omniumque heredum suorum molendinum in Daciani insula S. Mansueto tribuit. Garnerus vero auctor prædicti molendini, ipsa die qua collatum est molendinum fratribus ecclesiæ beati Mansueti, concessit quod ipse ipsiusque successor heres gratis videlicet absque emolumento annonam Sancti reciperet & remitteret. Præterea prædictus advocatus proprium alodium suum *de Tranblecurt*

dedit S. Mansueto: littus autem molendini *de Grannel* quod injuste calumniabatur jurique suo mancipari nitebatur, assensu omnium heredum suorum sancto Mansueto condonavit Henricus *de Checinval*, eadem bona voluntate animi accensus, permissione uxoris suæ Agnetis, filiique sui Hugonis, quartarium terræ apud Barlevile sancto Mansueto tribuit. Hyntfridus sororius ipsius Heinrici similiter ibidem unum contulit. Pro Galtero quoque fratre suo de milite monacho facto in eadem villa prædictus Hyntfridus, & Theodericus frater ejus de Magdalis aliud quartarium dederunt. Heinrici prædicti advocati soror, cognominata Blancha, pro remedio animæ suæ & Vidonis mariti sui, antecessorumque suorum apud Rineium quartarium terræ S. Mansueto donavit. Idem vero Heinricus advocatus pro anima uxoris suæ Gersindis super Mosellam ante insulam *de Buezpas* campum VI jugerum terræ beato Mansueto tradidit. Nos vero super his omnibus bannum Dei canonica censura, & pontificalis excommunicationis sententia, imponimus, ut nulla ecclesiastica secularisve persona aliquid ex his temere minuere, infringere, usurpare vel violare præsumat. Quod si quis trangressus fuerit, iram Dei incurrat, & nostræ excommunicationis sententiæ subjaceat, donec digne Deo & ecclesiæ satisfaciens resipiscat. Ad posterorum siquidem munimentum præsens fieri decrevimus cirographum, quod signis & testimonio nostrorum fidelium corroborandum contradimus. Signum Heinrici episcopi. S. Rainaldi abbatis ecclesiæ beati Mansueti. S. Hugonis abbatis sancti Apri. S. Siebaldi abbatis sancti Leonis. Sig. Stephani decani. S. Hugonis Albi archidiaconi. Sig. Haimonis archidiaconi de Brixeio. S. Hugonis Rufi archidiaconi. S. Heinrici archidiaconi. S. Heinrici advocati. S. Heinrici *de Checinval*. S. Sigifridi de Francha-villa. S. Fulconis de S. Vedasto. S. Hugonis villici. S. Walterii cancellarii. S. Walteri decani de Portu.

Acta sunt hæc Tulli, anno ab Incarnatione Domini M. CXLVII, indictione X, concurrente II.°, epacta XVII, IIII cal. Junii, regnante Conrado imperatore, pontificante Eugenio summo pontifice.

L I V.

Jura advocatorum abbatiæ S. Apri a Matheo duce Lotharingiæ ordinata.

1150. EGO Matheus Lotharingorum dux & marchio, Hugoni venerabili abbati S. Apri, & fratribus cum eo Deo militantibus tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Ordinator & protector omnium Deus ideo nobis concessit potestatem martialis gladii, ut Christi pauperes qui ecclesiis sanctis sub nostra tuitione libentius divino vacarent cultui, & quod eis nostro studio proveniret ad pacem & quietem, hoc favente divina clementia animæ nostræ conferret remedium & salutem; hanc igitur ex injuncto officio habentes sollicitudinem cum crebro audirem lacrimabilem quærimoniam prædicti abbatis & suæ ecclesiæ, de advocatis per nos in custodiam eorum constitutis nullatenus potuimus sustinere, nam consilio fidelium nostrorum & maxime antiquorum, jus utrumque tam abbatis quam advocatorum nostrorum apicibus dignum duximus adsignare & confirmare quicquid in subscriptione notabitur. Quicquid ex antiquorum notitia in veritate recognitum audivimus, hoc jus habent advocati in curiis abbatis, exceptis tribus videlicet Saxuriis, Martiniaco & *Dumbrez*. In festo sancti Martini debetur quartallus avenæ, cum pullo uno, cum denario uno & cum pane uno, per singulas domos quibus possibilitas dandi fuerit accipient, exceptis his qui sunt de familia abbatis, videlicet ministerialibus & feodatis. Saxurienses vero debent quartallum avenæ & obolum cum pane, Illi de Martiniaco quilibet panem. Illi *de Dombrez* quilibet gallinam. Item si forte advocati causa proprii negotii aut placitandi aut transitorie, in villis venerint, in domo propria abbatis descendent, nisi abbas veniat descensurus, ibi vero vivent de propriis reditibus, sive de justitiis ministerii tam usque ad V solid. accedent & ministrabitur eis super portionem tertiæ partis justitiarum quæ ad eos pertinent, nihil ultra item de furto aut banno fracto. Si abbas vel ipsi placitaverint, sive ambo pariter hac de causa convenerint, de duabus, de tertia parte vivent. De reliquo vero abbas duas partes habebit, advocatus tertiam. Item si villicus loco abbatis pro se pro minori facto, aliquam placitaverit nihil accipient. Ut ergo ratum hoc permaneat sigilli nostri impressione roboramus & confirmamus. Hujus autem confirmationis nostræ testes sunt domina ducissa Alleidis mater mea, uxor mea Berta ducissa, Theodoricus frater meus junior, Albertus de Darnei, Drogo de Nanceio, Godefridus *de Bredixe*, Gerardus advocatus *de Bruières*, Viardus *de Ribuville*, Folmorus *de Mesons*. Anno Domini M. CL, in curia nostra Castiniaca.

L V.

Carta de futura translatione abbatiæ de Insula.

Ex cartulario. Circa 1150.

EGO Albertus Dei gratia Virdunensis episcopus, præsentibus pariter & futuris notifico quod Rainerus de Aspero-monte, & uxor ejus Helvidis, concedentibus filiis eorum tunc militibus Abelino, Vidrico, Ulrico, cæterisque filiis & filiabus eorum, territorium *de Anglecurt*, sicut prædecessor eorum Ulricus videlicet de Insula & uxor ejus Mathildis bonæ memoriæ, Eustachio Monasteriensi abbati, ad abbatiam construendam, in terris, pratis, silvis, aquis, & etiam decimis & omnibus proficuis, dederat in eleemosynam jure perpetuo cum omni libertate possidendum, Hugoni abbati & fratribus ejusdem loci iterato concessit pro grangia ubicunque transferatur abbatia, tali duntaxat conditione quod ipse Rainerus & uxor ejus Helvydis & Ulricus filius eorum in abbatia sepulturam habebunt si voluerint, & tantum obsequii pro unoquoque eorum defuncto persolvent fratres quantum pro uno monachorum. Testes Herbertus presbyter, Gobertus, Johannes Jocelinus de Aspero-monte, Guiterus de Scriniis, Alexander de Brachio.

L V I.

Datur Henrico episcopo Tullensi locus de Melchia ut ibi abbatia de Insula construatur.

Ex cartulario.

EGO Odo Dei gratia Tullensis ecclesiæ cantor & archidiaconus, tam futuris quam præsentibus notum fieri volo ecclesiam de Melchia cujus filiam capellam Condatensem constat esse, sicut veridica circummanentium tam clericorum quam laicorum attestatio confirmat, cum dote & decima, cæterisque omnibus appenditiis, Henrico episcopo & Waltero archidiacono avunculo meo quorum juris erat proprium eidem ecclesiæ inducere pastorem, ecclesiæ de Insula ut ibi abbatia construeretur perpetua donatione confirmasse. Hanc donationem iterato laudo & concedo, & manu tenere promitto, insuper & sigilli mei impressione confirmo. Testes Gemmo abbas sancti Benedicti, Haymo quondam abbas de Vallibus, Albericus Tullensis canonicus & capellanus, Varinus decanus de Loppeio, Gilbertus sacerdos *de Wavincort*, Simon canonicus S. Theobaldi Metensis, Radulphus clericus dictus præpositus, Petrus clericus de Salamanna.

LVII.

Litteræ Henrici episcopi de juribus quæ monachi S. Apri habent in cella de Gondricourt.

1151. HENRICUS Dei misericordia Tullensis episcopus, venerabili Hugoni abbati sancti Apri nostræ civitatis, eidem in perpetuum successoribus officii nostri est pacem subditorum nostrorum indefesso quærere studio, eorumque perpetuam tranquillitatem pia in omne tempus procurare diligentia, unde tuam, in Christo dilecte, petitionem debito affectu suscipientes possessiones, jura cellæ quam apud *Gondricort* tuum possidet cœnobium præsenti scripto assignare, nostraque autoritate roborare decrevimus; confirmamus itaque tibi ad usus monachorum in prædicta cella in futurum Domino famulantium parochiale altare, ipsamque parochialem ecclesiam cum omni integritate ac libertate perpetuo possidendam, videlicet omnes decimas, oblationes, sepulturas; ex his omnibus vicarius quarta parte investietur a te in decimis sive indominicatis Domini. In eleemosynis parrochianorum tantum sine dono fundi. In donationibus sive luminaribus, vicarius aut in parte sua habebit oblationes mulierum quæ purificantur post partum, confessiones, oblationes puerperis suscipiendis, benedictiones nuptiarum...... Si qua ergo in posterum ecclesiastica secularisve personna præscriptarum tam a nobis quam ab aliis concessionum, scienter aliquando tenorem infregerit, aut aliquid nefanda temeritate immutare seu convellere studuerit, divinæ animadversionis nostrique anathematis, donec satisfaciat, sententiam habeat; pax autem sit conservantibus, & gratia etiam pie tuentibus. Johannis abbatis S. Mansueti, Sebaudi S. Leonis abbatis, Hugonis decani, Haimonis archid. Henrici archid. Hugonis archid. Bononis archid. Haimonis magistri archid. Rorici archid. Hodonis *de Molans*, Hugonis, Valteri de S. Amantio. Anno ab Incarnatione Domini M. CLI, indictione VIII, epacta I, concurrente VII.°, regnante Conrado imperatore, ordinationis suæ 26, in sede Tullensi generaliter recitata, legitime confirmata, data per manum Valteri cancellarii.

LVIII.

Concordia restituta inter Mathæum ducem Lotharingiæ & monasterium Romarici-montis in concilio Trevirensi.

1152. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hellinus Dei gratia Trevirensis archiepiscopus, dilectæ filiæ Judith, eadem gratia abbatissæ Romaricensi, & sororibus in posterum. Quærimonias tuas contra ducem Mathæum jam per tempora multa agitatas, & tandem secundum præceptum domini papæ coram episcopis & abbatibus, & principibus terræ a nobis deffinitas, utile duximus tibi, & ecclesiæ tuæ sigillo nostro, & authoritate tam nostra quam suffraganeorum nostrorum diligenter munire. De diversis igitur quærimoniis assensu communi statuistis quod capitulum vestrum liberam electionem habebit, de præpositis & de cancellariis præficiendis, & dux electioni illi celerem præbebit assensum, salvo jure suo. Si autem persona quæcumque electa postmodum ecclesiæ inutilis fuerit, ipsa voce capituli, qua præstituta fuit, deponetur. Quibusdam vero præpositis beneficia & redditus suos, unde vivere debent, quos ab ecclesia tenent, alicui in feudum dare non licebit, neque dux feodizare eos coget; immo etiam dare & accipere in fide & veritate prohibebit. Quando autem præpositus Vosagi & cancellarii in potestatibus placituum tenere voluerint, laudante & assentiente advocato, diem placitandi præfigere debent. Summam autem quæstus definient præpositus & cancellarii,

A consilio & assensu advocati, consilio tamen ministri ecclesiæ præcedente. Tallias autem, quas ipse dux & advocati sui injuste super homines ecclesiæ facere consueverant, penitus guirpiverunt. Clerici & ecclesiales, & res eorum a duce & ab advocatis, & a venatoribus non inquietabuntur; sed in nobili libertate, ut dignum est, in pace remanebunt. Servitium vero quod venatores ab ecclesialibus exigebant, ex toto dimissum est. Dominus autem dux vel ministri sui non cogent homines ecclesiæ exire extra bannum suum ad placitandum, neque dux quempiam hominum ecclesiæ absque abbatia placitabit. De omni autem quæstu super homines sumpto, in omni negotio & in omni proventu ecclesia medietatem recipiet. Advocati vero in potestatibus avenam non

B recipient, nisi pastione cum fidelitate renunciata, & nisi ecclesia plenarie avenam suam ad cervisiandum primo acceperit. Vaccas vero, quas nuper advocati injuste in potestatibus accipere in Natale Domini consueverant, penitus amodo non accipient. Suppositi vero & subadvocati qui a duce & ab advocatis injuste substituebantur, amodo radicitus extirpantur. Super mundiculos vero minister ecclesiæ & advocatus placitum tenere debent, & ecclesia totum censum habebit, nisi in duabus potestatibus, videlicet campi & archarum, in quibus non nisi dimidia pars census est ecclesiæ, quæstus vero ubique dimidium est ecclesiæ; idem vero de placito fabrorum, ecclesia videlicet medietatem quæstus recipiet. Quando vero dux in quolibet castrorum suorum morabitur, de

C suo vivet: si vero per terram transiens, ad quamlibet ecclesiæ curiam pernoctaverit, villicus de communi quæstu per curiam cum fidelitate sumpto, eum procurabit, & hoc semel in anno, & in mane recedet. Si vero advocati per curias aliquando pernoctaverint, de jure suo vivent. Qui si forte in aliquo pacem istam infregerint, nisi ammoniti a duce infra sex septimanas ablata restituerint, dux terram eorum saisibit, eisque prohibebit ne in eis aliquid accipiant, donec ecclesiæ satisfecerint. Insuper ex præcepto domini papæ sub vinculo anathematis nexi tenebuntur, donec resipuerint & ecclesiæ satisfecerint. Forum vero Archarum esse concedimus, ita ut absque omni dolo & absque multa adquisitione, & absque omni genere exactionis teneatur. De tabernis relatione fidelium discussum est quod in tertio anno in XXX duabus potesta-

D tibus dux vinum suum vendet solo obolo carius, quod vinum rustici debent deducere & infra abbatiam accipere, & in loco nominato solo die expectare. Apud *Girbespath* medietatem veneraciarum & quæstus in placitis & avenam recuperavimus. Usuagium nemorum recognovit dux & concessit hominibus ecclesiæ ubi antiquitus habere solebant ex ratione fidelium. Si vero postmodum dux terram nostram aliquibus minis, aliqua exactione, aliqua precatione, vel alicujus extorsionis genere oppresserit, vel aliquam supradictarum pactionum, aut per se aut per advocatos suos infregerit, quotiescumque ecclesia reclamaverit, absque omni retractione ipse cum suis & cum terra sua vinculo anathematis iterum nexus teneatur, nisi

E ammonitus vel reprehensus infra quadraginta dies pœnituerit & satisfecerit, ipso duce in hunc modum concedente. Ego Mathæus Dei patientia Lotharingorum dux & marchio, ductus pœnitentia, spe retributionis æternæ, in his in quibus læseram Romaricensem ecclesiam, consilio religiosorum virorum clericorum & laicorum, cum Romaricensi ecclesia feci præscriptam compositionem, & posui in sacratam manum domini archiepiscopi, & cartam Trevirensi & Tullensi ecclesiæ inde feci, quod hoc bona fide servabo; & si aliquando, quod absit, per me vel per meos fuerit contra hoc factum, nisi infra quadraginta dies, si ammonitus fuero, satisfaciam, & ablata restituam, meo assensu Trevirensis & Tullensis ecclesia in me & in terram meam sine judicio dent

anathematis sententiam. Hujus compositionis testes sunt, Stephanus Metensis episcopus, Henricus Tullensis episcopus, Albero Verdunensis episcopus, domnus Godefridus præpositus ecclesiæ sancti Petri. Arnulphus, Alexander, Bruno, Trevirenses archidiaconi. Henricus cantor. Baldricus magister scolaris. Sigerius abbas S. Maximini. Bertolfus abbas sancti Eucharii. Richardus abbas *de Sprinhirbach*. Philippus decanus Metensis. Roscelinus archidiaconus. Hugo magister scolaris. Richerius præpositus S. Salvatoris. Albertus primicerius Virdunensis. Willelmus decanus. Richardus archidiaconus. Andræas archidiaconus. Isembaldus abbas Gorziensis. Manegaldus abbas S. Michaëlis. Hugo Albus, decanus & archidiaconus Tullensis. Henricus archidiaconus. Magister Haimo archidiaconus. Roricus archidiaconus Cisterciensis ordinis. Raunulfus abbas de Claustro. Renardus abbas Morimondensis. Milo abbas de Crista. Odo abbas Belli-prati. Richardus abbas de Vallibus. Romaricensis ecclesiæ testes sunt, Theobaldus præpositus. Cono cancellarius. Petrus cancellarius. Magister Widricus Salsuriensis. Theodericus de Domno-Martini. Magister Hagano. Nobiles & milites, Henricus dux *de Lenburc*. Henricus comes *de Namur*. Henricus comes *de Salm*. Fridericus comes *de Viann*. Gosuinus comes *de Facermont*. Folmarus comes *de Cast*. Albertus comes Chianensis. Conradus comes Salvagii. Ulricus comes de Aira. De familia S. Petri, Engerlbtus & Fridericus frater ejus. Isembardus & Guillelmus frater ejus. Hermannus & Galterus frater ejus. De palatio, Theodericus *de Romont*. Ulricus *de Sampinn*. Hi duo cum duce erant. Magister Bovo Tullensis archidiac. Roricus abbas Calmociacensis. Durannus abbas Bellicampi. Actum autem est hoc anno ab Incarnatione Domini M.° C.° LII.°, epacta XII.°, indictione XV.°, concurrente II.°. Data Treviris per manum Hellini Trevirensis archiepiscopi, XVII kal. Sept.

LIX.

Litteræ Adriani IV ad Juditham abbatissam Romarici-montis.

1157. ADRIANUS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Judith Romaricensis monasterii abbatissæ, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris regulam professis.

Licet ex injuncto nobis officio omnium ecclesiarum curam gerere debeamus, pro illis tamen ecclesiis quæ ad jus beati Petri specialiter pertinent, nos convenit sollicitiores existere; ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris rationabilibus postulationibus gratum præbentes assensum, Romaricense monasterium in quo divino mancipatæ estis officio, sub apostolicæ sedis tutela & protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, & statuimus, cum ut idem monasterium, juxta venerabilia prædecessorum nostrorum decreta sub speciali semper apostolicæ sedis jure persistat: quæcunque etiam idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, sub aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque succedentibus, & illibata permaneant, ex quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: territorium quod habet Romaricense monasterium A docei & redditus de Mandasmei quos guirpuit Guillelmus *de Arches*, villam *de Goherey Candarau*, punctum *Gaudricourt, Bussoncourt, Guislovillard*, & terras de Mandasmei, mansum in civitate Tullensi, quem tenuit Hugo *de Gondricourt*, vineas quas habetis in Barro, terram quam habetis in territorio Tullensi. Ut autem in monialium recessibus populari conventui accessus non pateat, ab aliquo episcopo missas publicas celebrari, aut rerum ejusdem loci dispositionem fieri prohibemus, nisi ab

A eo quem ad hæc ejusdem loci abbatissa vel sororum conventus invitaverit. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium vel basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocunque malueritis suscipiatis episcopo, qui nimirum gratiam & communionem sedis apostolicæ habeat. Etsi aliquando rogatus episcopus ad monasterium accesserit, non liceat vel de ornamentis, vel de vasis, aut quibuslibet rebus quidquam sibi vel magnum vel exiguum usurpare; sed neque archiepiscopus, neque archidiaconus, neque ipsum diœcesanum episcopum, neque personam quamlibet in eodem monasterio potentiam exercere permittimus. Prohibemus etiam ne infra unam leugam a monasterio liceat alicui quæcunque invadere, vel bona ejus
B auferre. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel qualibet earum quæ post te successerint, nulla illic aliqua subreptione, astutia vel violentia præponatur, nisi quam sorores communi (ex cap. 64 regulæ S. patris Benedicti) consensu, aut pars sanioris consilii secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam providerint eligendam; electa vero ob percipienda benedictionis mysteria Romano pontifici præsentetur quæ si forte a regulari tramite deviaverit, apostolicæ sedis correctionibus subjacebit: episcopus autem sine Romani pontificis licentia adversus eam exercere animadversionem aliquam non præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, & ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere,
C seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnino & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolicæ sedis authoritate. Ad indicium autem perceptæ a Romana sede libertatis infra quatuor annorum spatium cum astrolino pallio, equum candidum nobis nostrisque successoribus persolvetis. Si quis igitur in futurum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut marchio, comes, vicecomes, judex, seu aliqua ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam, sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate
D careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri, & Redemptoris Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem venerabili loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Manfredus presbyter cardinalis S. Sabinæ.

Ego Julius presbyter cardin. tituli S. Marcelli.

Ego Hubaldus presbyter cardin. tituli S. Luciæ.

Ego Astaldus presbyter cardin. tituli S. Priscæ.

Ego Gerardus presbyter cardin. tituli S. Stephani.

E Ego Joannes presbyter cardin. tituli SS. Joannis & Pauli, tituli Damassi.

Ego Henricus presbyter cardin. tituli SS. Nerei & Achillei.

Ego Joannes presbyter cardin. tituli SS. Siluri atque Martini, tituli Equi.

Ego Idebrandus presbyter cardin. tituli basilicæ 12 Apostolorum.

Ego Adrianus apostolicæ ecclesiæ episcopus.

Ego Gregorius Sabinensis episcopus.

Ego Odo diaconus cardinalis sancti Georgii ad Velum aureum.

Ego Guido diac. card. S. Mariæ in Porticu.

Ego Odo diaconus cardin. S. Nicolai in carcere Tulliano. A

Ego Bonadies diaconus cardin. S. Angeli.

Ego Ardicio diaconus cardin. S. Theodori.

Ego Boso diaconus cardin. sanctorum Cosmæ & Damiani.

Ego Albertus diaconus cardin. S. Adriani.

Datum Lat. per manum Rolandi sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancell. III nonas Junii, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno M. CLVII, pontificatus vero domini Adriani papæ IIII anno 3.°

L X.

Charta fundationis abbatiæ Belli-campi.

1157. HILLINUS Dei gratia Trevirensis humilis minister & servus, apostolicæ sedis legatus, dilectis fratribus Durando abbati ecclesiæ Belli-campi, ejusque fratribus tam futuris quam præsentibus canonicam vitam professis in sancta ac Deo placita conversatione vitam finire. Quotiens a nobis illud petitur quod rationi & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter, dilecti filii in Domino fratres, vestris precibus justisque postulationibus inclinati clementer annuimus, & possessiones vestræ ecclesiæ collatas præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quæcunque possessiones, quæcunque bona in terris cultis & incultis, silvis aut pascuis, a venerabili prædecessore C nostro archiepiscopo Alberone, loci vestri fundatore, seu a nobili viro Petro germano ejus, nec non etiam a Beatrice nepte sua & filiis ejus Seguino & Gerardo, seu ab eorum familia, vel ab aliis vestræ ecclesiæ collata sunt rationabiliter, quæcunque etiam ab eis, vel ab aliis Dei fidelibus justis modis conferentur, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hoc congruum duximus propriis exprimenda vocabulis: quicquid scilicet prædictus
Montreuil. archiepiscopus Albero in allodio *de Mosterivil*, in quoslibet usus suos, terris cultis & incultis, silvis, vineis, pratis, banno, districto, servis & ancillis, quos pro sua vobis devotione donavit eodem jure & eadem libertate qua ipse hæc eadem possidebat, altare *de Mosteruel* D parochiale, & quidquid ad presbyteratum pertinebat, quod utique rogatu prædicti archiepiscopi venerabilis frater noster Henricus Tullensis episcopus, assensu Hugonis archidiaconi & totius suæ ecclesiæ vobis contulit, salvo nimirum censu sex nummorum Tullensis monetæ in authomnali synodo a vobis archi-
Zencourt. diacono persolvendo. Allodium de Isencourt, cum omnibus utilitatibus suis. Nec non etiam ecclesiam ejusdem loci cum decimis, in eadem libertate habenda & possidenda qua hæc omnia ipse possidebat. Allo-
(a) Wassoncourt. dium cum parte decimarum *de (a) Wassoncourt* cum uno molendino. Allodium de *(b)* Villare. Allodium
(b) Viler. *de Hassay*, salvo censu quatuor nummorum ecclesiæ S. Mansueti, in festo ejusdem annualiter a vobis persolvendo. Præterea quicquid prædictus Petrus ger- E manus ejusdem archiepiscopi in præfatis allodiis habuit & ecclesiæ vestræ concessit. Præter hæc omnia allo-
(c) Marenviler-sur-la-Velouze. dium *de (c) Malenviller* cum ecclesia & altari & decimis. Allodium *de Wolferet*, allodium *de Hulenville*, allodium cum familia *de Hagneville*, medietate quoque decimarum & utilitatibus ejusdem allodii, allodium *de Bassompont* cum omnibus utilitatibus ejus, allodium
(d) Rozelieur. de *(d)* Roscolis, quod dedit dominus Albertus decanus S. Deodati, per manum piæ memoriæ papæ Eugenii, ita integre sicut ipse & pater suus possedit. Præterea allodium *de Battanviller* quod vobis contulit dompnus Petrus frater archiepiscopi Alberonis, constitutus Hierosolymis, teste Henrico Tullensi episcopo, Richardo *de Chameiges*, Simone *de Parroya*, Olrico *de Nouiller*, & quibusdam aliis de familia ejusdem nobilis viri Petri, ea integritate qua illud ipse possederat. Allodium de *(e)* Charneyaco, ecclesiam de *(f)* Dompnalibaria, & altare & decimas, cessum molendini super Mosellam quod vobis contulerunt dompnus Theodoricus & Olricus frater ejus, cum piscatione per totum bannum eorum; duos cessus apud Vicum *(g)*, decimas ecclesiæ *de Velacourt (h)*, cum conductu, quas vobis contulerunt Gerardus advocatus, & Varnerus frater ejus in præsentia nostra & Henrici Tullensis episcopi, ea libertate ac tenore qua ipsi prædecessores eorum tenuerunt, testibus his qui interfuerunt Rorico archidiacono, & multis aliis. Sed quia controversia intercessit inter nos & archi- B diaconum Roricum, de præbenda presbyteri, idem Roricus, assensu vestro, in præsentia episcopi, testibus magistro Bonone, & decanis tribus Balduino Spinalensi, Madrico *de Florémont*, Valtero *de Port*, concessit vobis duas partes decimarum, duas partes oblationum & sepulturarum, & omnium ad altare pertinentium, super his pasturam quam vobis concessit comes Hugo Vademontis, & postea Gerardus filius ejus ejus per totum bannum *de (i) Murenville*, si vero pastione damnum unquam pecora vestra, negligentia pastorum intulerint absque damno, damnum restituetis. Idem vobis concessit Olricus filius Alberici de *(k)* Archis in banno suo de *(l)* Clausuris; hæc omnia prædicta authoritate dompni papæ & nostra vobis confirmamus, statuentes ut si quis de his aliquid refringere præsumpserit, a communione sanctæ Dei ecclesiæ separetur, donec congrua emendatione satisfecerit. Datum Treviris in synodo authomnali, anno ab Incarnatione Domini M. CLVII, testibus episcopo Virdunensi Alberto, dompno præposito Godefrido, dompno Brunone archidiacono, Alexandro archidiacono, Johanne archid. Valdrico magistro scolarum, Henrico cantore, magistro Benone, dompno Conrado præposito sancti Paulini, Sigero abbate sancti Memii, Bercolfo abbate sancti Eucharii, multisque aliis religiosis viris.

(e) Charmoir. (f) Dammolivierre. (g) Vic. (h) Vilacourt. (i) Marinville. (k) Arche. (l) Clayeures.

L X I.

Henricus Leuchorum episcopus confirmat fundationem Belli-prati, designatque tempus & modum fundationis.

Ex autographo.

1157. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Leuchorum episcopus, universis fidelibus qui sunt & qui futuri sunt in Domino in perpetuum. Quoniam pastoralis officii sollicitudo nobis incumbit, ratio postulat ut filiis adoptionis provideamus subsidia vitæ temporalis, quorum meritis quotidie, cooperante gratia Dei, panis angelorum ministratur in cœlis. Nunc igitur omnis generatio rectorum memoriter teneat, quod de illo collegio Sanctorum Cisterciensis ordinis, qui monasticæ disciplinæ religionem in antiquum florem conversatione mirabili revocarunt, religiosi fratres auctoritate Morimundensis abbatis missi venerunt, velut examen sanctarum apum mellificandi gratia mansionem idoneam sibi nostris in partibus avidius perquirentes, quos vir nobilis quidem genere, sed morum nobilitate multo generosior Folmarus comes Metensis, cum summa devotione sicut angelos Dei suscepit. Et quoniam viri virtutis voluntaria paupertate pauperis Jesu stigmata suis in corporibus circumferebant, ut in desertis ac spinosis locis habitantes, amaritudinem crucis & asperitatem pœnitentiæ sanctæ seculis omnibus celebrem prædicarent; idcirco data est eis ab eodem comite, secundum suum desiderium, heremi vastitas ad habitandum in valle sylvestri satis & horrida subtus *Hamermasnil*, supra fluvium Murtem, quatinus ubi prius fremitus & ululatus ferarum frequentes

frequenter sonabat in auribus hominum, ibi deinceps in psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus crebrius resonaret gratiarum actio & vox laudis in auribus Angelorum. Anno igitur ab Incarnat. M. CXXXV, indictione XIII, concurrente I.°, III.° cal. Martii, vallis illa sylvestris facta est mansio Sanctorum horum, qui cogitatione & aviditate conversantur in cœlis. Nam spinis & vepribus extirpatis, constructa est ibi abbatia Cisterciensis ordinis in honorem sanctissimæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ; quæ scilicet abbatia ex amenitate loci congruum sortita nomen, Bellum-pratum vocatur usque in hodiernum diem. Crevit in benedictionibus hæc oliva fructifera coram Deo & hominibus, & prosperata est; & consurgentibus ibi servorum Dei habitaculis, ex tunc a laudibus divinis habitantes in his non cessarunt, quippe qui in devotione melliflua Sancti-Spiritus corpora sua diuturno cruciare martyrio didicerunt in jejuniis, in vigiliis, in laboribus multis, in orationibus continuis, gemitibus inenarrabilibus, misericordiam Dei Altissimi pro sua vel benefactorum suorum salute jugiter interpellantes; cumque floreret ibi mirabiliter mirabilis illa beati Benedicti abbatis disciplina, fideles quique circummanentes, fervore devotionis accensi pro sustentatione pauperum Christo inibi servientium, de suis certatim prædiis fideliter offerebant, prædicto viro nobili Folmaro comite taliter inchoante. Et quoniam præfata donatio de feodo comitis erat, quod ab episcopo Metensi tenebat, idcirco comes contentionis seminarium posteris auferre desiderans, de alodio suo apud *Putelenges* eidem episcopo conferens satisfecit, quod itidem ab eodem in feodum recipiens, ejusdem pontificis auctoritate feodum illud super quod abbatiam fundaverat, in liberum alodium commutavit. Igitur prædictus vir illustris comes & conjux ejus femina felicis memoriæ comitissa Mathildis, sed & filii eorum Folmarus & Hugo, nec non & filiæ Clementia, Agnes & Aelidis, devotioni suæ satisfacientes, adhuc cum præfata eleemosyna dederunt etiam terram *de Hamermasnil*, quidquid videlicet habebant a ripa Murtis, usque ad *Martinbois*, & a *Frabais* versus bannum capellæ; nemus quoque quod dicitur *Frabais*, latitudine ex integro, longitudine vero sicut tenditur, & transit grandem rivum & nemus quod dicitur *Moyens*, & vadit versus Murtem, usque ad vadum de Moncellis. Dederunt & in reliquo nemoris quod dicitur *Moyens*, & per totum nemus Mondonii pastiones porcorum & usuaria lignorum ad omnes usus abbatiæ & grangiarum, aquæ piscaturam a termino qui dividit bannum *de Chenevers* & Lunaris-villæ, usque ad Moncellas, ubi nullum omnino sibi vel suis usum retinuerunt. Per totum vero bannum Mortesne & Lunaris-villæ dederunt pasturas, piscaturas, vias, & usuaria ligna ad Marrimandum & ignes abbatiæ & grangiarum, & hæc usuaria concesserunt per totum alodium suum & feodum; & si cui damnum fuerit illatum, capitali tantum restituto, de cætero sit pax. Dederunt etiam fratribus præfatæ domus alodium *de Morillunmasnil*, quidquid in dominicatu habebant, & quidquid ab hominibus suis poterant inde conquirere. Quarum omnium donationum testes fuerunt Everardus *de Huneburg*, Bencelinus *de Turkestein*, Petrus *de Mosterol*, Walterus *de Gilleberviler*, Karler *de Marches*, Hecelo nepos ejus, Ebalus & Alardus fratres. Secutus deinde vir illustris & S. Dei ecclesiæ cultor & amator devotus Folmarus comes Castellensis, heredibus suis collaudantibus & confirmantibus, quoniam ipse erat particeps alodii *de Morillunmasnil*, ipsum alodium cum omni integritate & libertate donavit ecclesiæ jam dictæ in eleemosynam, sicut incipit a viosola, & dividitur a banno *de Haidunviler*, & tendens sursum, claudit Sargunmeis, & ascendens Rubeum montem, girat secus stratam publicam, & ducit ad metam lapideam, versus *Suainviler*. Deinde sicut collis *de Chermoi* descendit ad antiquam quercum & metam lapideam, sicut vergit secus grossum nemus ad cornu *de Chermoy*, & sic flectitur versus molendinum sub *Chantehui*, deinde per tractum fluminis ascendit ad bannum *de Baidunviler*. Infra terminos hos in beneficio comitum supradictorum constructa est grangia quæ *Campell.* vocatur, cui donationi comes idem Castellensis addidit in territorio de Moncellis, sicut rivus exiens *de Beys*, venit versus villam, & vocatur rivus *Lileneysuns*, qui rivus sicut dividit versus Bellum-pratum, medietatem terrarum & pratorum in omni usu & fructu dedit ipse comes. Ita tamen ut permissione fratrum possessores census constitutos eidem persolvant ecclesiæ, concessit & idem comes fratribus prædictæ domus per totum alodium suum & feodum, vias, usuaria lignorum, & pasturas animalium, & piscaturas aquarum; & si cui animalia in pascuis damnum intulerint, sine justitiæ occasione damnum recompensetur. Donationum comitis ibi testes sunt Bencelinus *de Turkestein*, Everardus *de Huneburg*, Petrus *de Mosterol*, Theodericus *de Blcheres*, Albertus & Simon *de Weheviler*, Herno de Lunaris-villa. Petrus vero *de Mosterol*, qui in supradicto territorio de Moncellis super alteram medietatem tertiam partem advocationis jure tenebat, ipsam tertiam partem in terris & pratis, sicut rivus *Lileneysuns*, dividit, consensu heredum suorum, & consensu comitis Metensis Hugonis, dedit in eleemosynam; ita scilicet ut possessores debitum censum persolvant ecclesiæ. Idem quoque Petrus dedit quidquid pertinebat ad illum in territorio *de Morillunmasnil*: quod autem fratres prædictæ domus habent ex parte illius, hoc dedit sub censu quinque denariorum & oboli. Testes Durannus abbas Belli-campi, Theodericus de Novovillari, Valterus *de Gilleberviler*, Theodericus de Dunbassa, Arembertus de Lunaris-villa, Albertus vero *de Folmertache*, qui advocaturam de Mortesna tenebat, quidquid ad jus suum pertinebat in donis comitis præfati, una cum Odoeno filio suo, servis Dei concessit, & contulit in eleemosynam. Testes Folmarus comes Metensis, Hugo filius ejus, Theodericus *de Novoviler*, Theodericus de Donbassa, Carolus *de Marches*, Ebalus & Alardus. Veniens deinde filius Folmari comitis, comes Hugo Metensis, juvenis quidem ætate, sed morum maturitate grandævus, & paternarum virtutum verus heres existens, donationes parentum confirmavit, insuper & donavit eidem ecclesiæ ultra Murtem versus Moncellam, inter duas aquas, quidquid pertinebat ad bannum de Mortesne, in silvis & pratis, sub censu sex denariorum perpetuo possidendum. Testes Theodericus *de Novoviler*, Galterus *de Gilleberviler*, Karolus *de Marches*, Ebalus & Alardus, Albertus & Erno, & Arembertus de Lunari-villa. Fridericus de sancto Germano & Theodericus de Castenето, consensu Symonis ducis, & consensu heredum suorum, dederunt eidem ecclesiæ quidquid habebant versus abbatiam & versus bannum Mortesne, ab initio factitii alvei, ubi egreditur de Murcio, & a lapide qui est ultra Lupellum, & sicut cæteræ metæ designant, sub censu sex denariorum. Dederunt etiam per totum bannum capellæ, & per totum alodium suum & feodum, vias, usuaria lignorum, & pasturas animalium: quod si damnum fecerint, sine justitia damnum recompensabitur. Testes Folmarus comes Metensis, Walterus *de Gilleberviler*, Theodericus frater ejus, Hecelo *de Marches*, Galterus *de Gilleberviler*; assensu uxoris suæ & filiorum ac filiæ, contulit eidem ecclesiæ terras quas habebat in vicinia abbatiæ, & quidquid habebat alodii in valle *de Martinbois*, sicut collis jacit aquam in vallem & nemus supra grangiam, versus abbatiam, & per omnem terram suam, usuaria lignorum, & pasturas animalium. Testes Raimbaldus frater ejus, Albertus

de S. Germano, & Fridericus frater ejus, Simon de Parosâ, Johannes *de Gilleberviler*, Velso *de Ramberviler*, Albertus Esperonis, Theobertus *de Landcicort*, Hugo presbyter de Capella, Rodulfus frater ejus, Wirricus presbyter, & Rodulfus frater ejus, Habertus & Richerus *de Mainwe*, Carolus *de Marches* dederunt eidem ecclesiæ quidquid habebant circa abbatiam, & in alodio *de Martinbois*. Testes Petrus *de Jeroinmasnil*, Theodericus Villicus, Theodericus *Achatanz*. Nos autem cum sancta synodo Tullensi præfatas donationes cum cæteris possessionibus ipsius ecclesiæ sub S. Stephani protectione suscipimus, & auctoritatis nostræ privilegio confirmamus, eo quod domus ipsa tam in pio caritatis & piæ conversationis exemplo florens, ab omnibus procul & prope plurimum collaudetur. Consurgentes excommunicamus omnem hominem qui in donis antedictis, vel raptor violentus, vel fraudulentus subtractor & detentor extiterit, quem scilicet a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu-Christi, vel a sanctæ matris ecclesiæ gremio segregamus; & sicut extinguitur lucerna de manibus nostris projecta, sic ante Dominum in die judicii lucerna ejus cadat exstincta, ne possit videre gloriam Dei, sed cum reprobis projiciatur in tenebras exteriores, nisi ecclesiæ Dei juste restituat quod injuste præsumpsit auferre. Fiat, fiat, amen. Anno Dominicæ Incarnationis M. CLVII, concur . . . . indictione V.ª, Adriano summo pontifice sanctam Romanam ecclesiam gubernante feliciter. S. Hugonis archidiaconi. S. Petri archid. S. Henrici archid. S. Haimonis archidiaconi.

L X I I.

Fundatio abbatiæ de Claro-loco.

1159. EGO MATHÆUS Dei gratia dux & marchio Lotharingiæ, cum uxore ducissa Berta, & filiis meis Mathæo atque Friderico, cum cæteris, & fratre meo Roberto, dedi Deo & B. Virgini Mariæ, & domno Vidrico abbati Clari-loci, & fratribus ibidem Deo famulantibus, locum illum qui quondam vocabatur Amelum, nunc autem nuncupatur CLARUS-LOCUS, me autem hoc nomen illi imponente ad abbatiam duodecim monachorum clericorum cum abbate, & de laicis quantum necesse fuerit, constructam in honore & auctoritate Domini nostri Jesu-Christi, & beatissimæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Joannis-Baptistæ, necnon beatorum apostolorum Petri & Pauli, & Andreæ: dedi etiam eis pascua ibidem omni generi animalium, exceptis ovibus & capris, & usualia ad omnia necessaria. Facta territorii divisione, ut firma maneat usque in finem seculi ista donatio, feci metas lapideas figi, quatenus nulli liceat ullatenus avellere vel transgredi sine assensu meo; incipiens a Menevalle figendo metas pluribus in locis, per viam usque ad vallem quæ descendit in pratum subtus monasterium, circuiens totum territorium abbatiæ, sicut ascenditur, per vallem juxta nemus, donec veniatur ad superiores fontes, & inde perveniatur ad supradictam Menevallem. Hac intentione jussi hoc privilegium fieri, & metas lapideas figi, quatenus quicquid in eo scriptum est ratum permaneat in perpetuum. Et si forte fratres ibidem Deo servientes, scienter vel ignoranter ultra hæc quæ eis concessi seu concessero, sine licentia mea dilataverint, correcti a me semel & iterum, si emendare noluerint, si quid molestiæ pro hoc excessu eis intulero, nulli sententiæ judiciali subjacere voluero. Factum est autem hoc donum IV nonas Martii, anno ab Incarnatione Domini M. CLIX, concurrente tertio, indict. VII, epacta nulla, Friderico imperatore regnante, Henrico episcopo Tullensi ecclesiam regente. Hujus doni testes sunt domnus Lambertus abbas Belli-prati, domnus Drogo abbas

A Boni-gardi, Theodoricus, Gobertus conversi, Simon princeps Clarimontis, Hodomus *de Moilem*, Balduinus *de Lay*, Albertus *de Rosnel*, Hermandus de Nanceio, Paulinus de Moreio, Letardus de Gondalvilla milites, Bono, Hugo, Simon venatores, Walterus villicus de Nanceio, Gerardus quondam villicus, Hugo & Sarracenus custodes nemoris. Dedi etiam ego & ducissa & filii mei, Deo & S. Mariæ, & domno Vidrico abbati Clari-loci, & fratribus ibidem Deo servientibus, vineam quam tenebat a me Simon de Tullo miles, & Helwidis uxor ejus in Cancennali; hujus doni testes sunt Samson Medicus clericus, Drogo de Nanceio, Constantinus, Hermannus, Otto, Bono, Vicello milites. Eandem vineam quam a duce tenebant, in
B Cancennali, Simon miles de Tullo & Helwidis ejus uxor dederunt Deo & S. Mariæ, & domno Vidrico abbati Clari-loci, & fratribus ibidem Deo famulantibus, pro salute animarum suarum, & parentum suorum. Hujus donationis testes sunt Sigifridus abbas S. Leonis, Stephanus canonicus, & Hugo pater ejus, Sigifridus advocatus, Petrus vicecomes, Walverus *de Janelons*. Hæc omnia quæ in hoc privilegio scripta sunt dedi in eleemosynam pro prædictis nostris, & pro salute nostra & animabus parentum nostrorum, & matrum, & omnium antecessorum nostrorum: & ne quis hanc eleemosynam audeat temere calumniari, vel aliquam injuriam fratribus Deo hoc in loco servientibus inferre, sigilli mei auctoritate confirmavi. In cujus visionis testimonium sigillum curiæ Tul-
C lensis præsentibus est appensum. Datum anno & die supradictis.

L X I I I.

Litteræ Henrici episcopi de libertate ecclesiæ paræcialis S. Mansueti.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris 1163. & Filii & Spiritus-Sancti. Henricus Dei gratia Leuchorum minister & servus, dilecto filio suo Johanni abbati S. Mansueti ejusque successoribus, & cæteris fratribus sub regula beati Benedicti ibidem Deo militantibus in posterum. Pastoralis officii cura exigente gregi nostro vigilantes debemus incumbere, & talentum nobis a Deo commissum fideliter erogando amicos qui nos recipiant in æterna tabernacula
D utile & salubre est nobis acquirere. Ea propter saluti nostræ providendo, utilitati fratrum beati Mansueti consulentes & versutiis hominum præsentium & posterorum occurrentes, ut totius exactionis injustæ & calumniæ occasio in perpetuum præamputetur, & omnia ad pacem & unitatem de cætero referantur; Johanni abbati & ipsi ecclesiæ, assensu & voluntate domni Theodorici nepotis nostri archidiaconi civitatis, reddimus Albricum presbyterum parochiæ S. Mansueti cum suis successoribus ex parte nostra & archidiaconi & archipresbyteri liberum, eo videlicet tenore quod quidquid juris & debitæ subjectionis in eo ex dignitate pontificali habebamus; quatenus ab ipso abbate suisque posteris qui ibidem fuerint ordinandi vicarii, ipsam curam
E suscipiant, ita tamen quod archidiaconus & archipresbyter ecclesiasticam justitiam, cum opportunum fuerit, super parochianos exerceant, præter ministeriales scilicet villicum decanum & scabinionem, & famulos ecclesiæ feodatos & præbendarios, quotidiana ab ecclesia sumentes stipendia, a quibus si forte in causa animæ in aliquo fuerit erratum, præsenti abbati & futuris dimittimus corrigendum. Presbyter vero ab abbate consilio fratrum suorum præeunte gratia divina ad parochiam vocatus investitura curæ de manu abbatis suscepta, præbenda quam ei pro vicaria sua instituerit absque reluctatione contentus erit. Quod si ultra quam quod ordinatum est quæsierit, & supra hoc controversia vel aliqua

molestia emerserit, si animo intus resipiscere voluerit, hanc altercationem amore vel judicio rescindere in abbatis sit plenaria potestate & dispositione, cui vice pontificis de culpis & negligentiis suis presbyterum decrevimus respondere. Pro hac vero libertate presbyterorum super parochiam S. Mansueti concessa, in anniversario nostro singulis annis septem solidos ad mensam monachorum & refectionem pauperum ab abbate suisque posteris persolvi constituimus. Decernimus etiam causa nostræ salutis & memoriæ, ut terras & vineas censuales & decimales ad præfatam ecclesiam pertinentes quicunque tenuerint; si debitos census certis diebus sive temporibus persolvere ex aliqua protervitate dissimulaverint, ante altare beati Mansueti eos ad satisfactionem vocare; & si post tertiam vocationem venire neglexerint, vel præsentati satisfacere justitiæ aliqua dolositate subterfugerint, sententiam excommunicationis in eos proferre. Hanc igitur donationem superius ita distinctam ad ipsius confirmationem per præsentia scripta sigilli nostri impressione signata successoribus nostris mandamus suppliciter eos in Domino deputantes, ut morem quem sibi ab aliis exhiberi vellent, juxta illud (quæcunque vultis ut vobis faciant homines, & vos facite illis) debito fraternitatis affectu nobis impendant: donumque & statutum nostrum ratum & inconcussum teneant, & teneri ecclesiastica censura coerceant. His etiam addimus Albrici sutoris statum omnino liberum. Si qua vero ecclesiastica secularisve persona hanc institutionis nostræ paginam temerario ausu infringere vel perturbare præsumpserit, a gremio sanctæ matris ecclesiæ, authoritate beati Petri apostoli & vicarii ejus beati Mansueti, & nostra eam segregamus, ac perpetuæ maledictioni cum Datan & Abiron, qui vivi a terra fuerunt absorpti subjacere censemus; conservantibus autem hæc sit pax & exultatio tam in hoc quam in futuro seculo. Hanc præsentem descriptionem nostro munitam sigillo signis & testimonio nostrorum fidelium roborandam contradimus. Signum Henrici episcopi. Sig. Hugonis abbatis sancti Apri. Sig. Johannis abbatis sancti Mansueti. S. Sigifridi abbatis sancti Leonis. S. Haimonis decani & archidiaconi. S. Theoderici præpositi sancti Gengulphi & archidiaconi. S. Petri cantoris & archidiaconi. S. Odonis thesaurarii & archidiaconi. Signum Albrici capellani & archidiaconi. S. Haimonis archidiaconi. S. Walterii cancellarii. S. Rosridi magistri. S. Ainardi canonici. S. Paulini decani. Sig. Gengulphi. Sig. Lamberti canonici. S. Gengulphi. S. Theodorici canonici. S. Gengulphi de Sellei. S. Viviani archipresbyteri civitatis. S. Richardi scabinionis. Signum Albrici presbyteri sancti Mansueti. Sig. Henrici presbyteri sancti Amantii. S. Mathæi ducis. S. Simonis filii ejus. S. Sigifridi advocati. S. Henrici *de Chacinval*. S. Hugonis filii ejus. Acta sunt hæc Tulli, in ecclesia majori beati prothomartyris Stephani, idibus Octobris, multis religiosis viris & laicis personis nobilibus assidentibus, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio, indictione duodecima, concurrente primo, imperatore Friderico semperque augusto regnante, pontificante domno Henrico.

LXIV.

Confirmatio fundationis & possessionum monasterii Altæ-silvæ per Petrum episcopum Tullensem.

1176. IN nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti. Petrus Dei gratia Leuchorum episcopus, universis fidelibus in Domino salutem in perpetuum. Quoniam pastoralis officii sollicitudo nobis incumbit, idcirco ratio postulat ut filiis adoptionis provideamus subsidia vitæ temporalis, quorum meritis quotidie cooperante gratia Dei panis Angelorum ministratur in cœlis,

A Nunc igitur omnis generatio rectorum memoriter teneat, quod de illo collegio Sanctorum Cisterciensis ordinis qui monasticæ disciplinæ religionem in antiquum florem conversatione mirabili revocarunt, religiosi fratres auctoritate sanctorum patrum missi venerunt veluti examen apum mellificandi gratia mansionem idoneam sibi nostris in partibus avidius perquirentes. Quos continuo comitissa de Salmis Agnes femina videlicet venerabilis & illustris, & filii ejus comes Henricus & comes Hermannus, nobiles quidem genere, sed morum nobilitate multo generosiores, cum summa devotione sicut Angelos Dei susceperunt. Et quoniam viri virtutis voluntaria paupertate pauperis jam stigmata suis in corporibus circumferebant, ut in desertis ac spinosis locis habitantes amaritudinem crucis & asperitatem pœnitentiæ B sanctæ seculis omnibus celebrem prædicarent: idcirco data est eis a prædicta comitissa & a filiis ejus, secundum suum desiderium, heremi vallitas ad habitandum in montanis locis scilicet arduis & asperis super fluvium Veososam, quatenus ubi prius fremitus & ululatus ferarum frequenter sonabat in auribus hominum, ibi deinceps in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus crebrius resonaret gratiarum actio & vox laudis in auribus Angelorum. Anno igitur ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo facta est in montibus illis mansio sanctorum horum qui cogitatione & aviditate conversantur in cœlis. Nam spinis & vepribus extirpatis constructa est ibi abbatia Cisterciensis ordinis in C honorem sanctissimæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ. Cujus abbatiæ fundamenta fundata sunt in montibus sanctis, quæ videlicet abbatia ex locis montuosis & silvestribus congruum sortita nomen, Alta-silva vocatur usque in hodiernum diem. Crevit in benedictionibus hæc oliva fructifera & prosperata est, & consurgentibus ibi servorum habitaculis, ex tunc a laudibus divinis habitantes in his non cessarunt. Quippe qui in devotione melliflua Sancti-Spiritus corpora sua dicuntur diuturno martyrio cruciare didicerunt in jejuniis, in vigiliis, in laboribus multis, in orationibus continuis, gemitibus inenarrabilibus misericordiam Dei altissimi pro sua vel benefactorum suorum salute jugiter interpellantes. Cumque ibi floreat mirabiliter mirabilis illa beati Benedicti abbatis disciplina, fideles quique circum- D manentes favore devotionis accensi pro sustentatione pauperum Christo inibi servientium de suis certatim prædia fideliter offerebant. Prædicta comitissa nobili cum suis filiis taliter inchoante. Donatio quorum talis fuit. Dederunt quicquid habebant in parrochia Tranchonis villa, in silvis, in pratis, in terris cultis & incultis, in pasturis & cæteris usuariis, & terras francorum hominum suorum desertas inibi & incultas simili libertate jure perpetuo concesserunt. Hanc donationem concesserunt & dederunt comes Conradus & uxor illius Hadewidis & filius ejus Hugo (plures enim liberos tunc temporis non habebat). Porro prædicti viri nobiles retinuerunt sibi partem quamdam adjacentis silvæ a via scilicet quæ ducit de Gimutineis versus Syreis & supra ad aquilonem, E de reliquo totum ad austrum eidem domui concesserunt. In qua tamen silva sicut in omni donatione castri *de Languesteym* omnia usuaria contulerunt, pasturas scilicet quorumlibet animalium, ligna ad marrimandum & ad ignes abbatiæ & grangiarum. Horum omnium testes sunt domnus Stephanus Metensis episcopus, Leudo & Gerardus abbates, Albertus *de Maalinviller*, Hugo *de Theobalmaisnil*, Cono & Helias de Giverovilla, Wirricus *de Musnei*, Martinus *de Languesteym*, Mainardus de Veisosa. Præterea bonæ memoriæ dominus Stephanus Metensis episcopus concessit & confirmavit eidem ecclesiæ quidquid ibidem possidebat in omni usu & fructu. Comes quoque Folmarus Metensis & uxor

illius ac filii, & Becelinus *de Turkesteym* & Cono filius ejus, Acelinus quoque *de Valterenges* & Beo de Bussieia qui illud beneficium in feudum & hominium susceperant quod ab eodem episcopo descendebat. Hi omnes de manu in manum feudum resignantes in manum domini episcopi deposuerunt, & ipse hoc in liberam & legitimam eleemosynam cum omni integritate donavit & confirmavit eidem ecclesiæ perpetuo possidendum. Testes sunt Albertus *de Maulainviler*, Lambertus *de Dusborg*, Holdevaldus, Raymbaldus de Fromonis-villa, Sigefridus, Arnenardus, Henguedzo, Grimaldus, Arnulphus. Cumque domus hæc diuturna paupertate fatigata usque ad hæc nostra tempora cucurrisset, comes Henricus de Salmis, filius prædicti comitis Henrici, juvenis quidem ætate sed morum maturitate grandævus, & ipsius ecclesiæ cultor & amator devotus, paternam donationem non solum laudavit sed insuper adjecit & concessit quicquid homines sui dare vel vendere voluerunt eidem ecclesiæ, & usuaria cum pasturis per totam terram suam quam non habet vel quam adquirere poterit amodo & in reliquum. Testes sunt Petrus abbas Belli-prati, Gerardus sacerdos *de Brumaisnil*, Raynardus de Altainvilla, Rainerus *de Noulant*. Confirmamus itidem eidem ecclesiæ omnem decimationem terrarum suarum quæ sunt in finagio duarum grangiarum *de Graciuns* & de Viminincis quæ pertinent ad ecclesiam de Fromanis-villæ, duas videlicet partes cum parte tertia sub censu duodecim denariorum Metensium, sicut in chartis ejusdem ecclesiæ continetur. Testes sunt Lambertus abbas Belli-prati, Henricus comes de Salmis, Raynardus advocatus, Rodulfus *de Valterenges*, Philippus presbyter, Fridericus de Danubrio, *Harduiz*, Hesso *de Ruspes*, Cono, Willerus. Nos quoque qui aliorum donationes confirmamus dignum videtur ut in augmentum ejusdem ecclesiæ de nostro beneficio quod fratres rationabiliter postulant benigne conferamus. Communicato igitur consilio cum fidelibus nostris conferimus & confirmamus fratribus Altæ-silvæ quicquid censuali jure possident in terris, in pratis, quod per manus nostras, vel ministerialium nostrorum constat illis esse collatum, & per totum bannum Badonis-monasterii pasturas ad omnia cujuslibet generis animalia, excepta glande porcorum, quæ animalia si cui damnum intulerunt sine juris satisfactione damnum restaurabitur. Confirmamus etiam illis lapidicinam quam habent in terra nostra ad omnes usus abbatiæ & grangiarum, ejus ligna quoque ad marrimandum in silvis nostris & ad ignes abbatiæ & grangiarum, & cætera usuaria per totum bannum in terris, in silvis, in pratis, in aquis, ut hæc in eleemosynam legitimam habeant & libere possideant a modo usque in sempiternum. Abbatiam ipsam denique cujus ecclesiam cum suis altaribus consecramus, & grangias ipsius quæ sunt in episcopatu nostro, cum omnibus appendiciis & pertinentiis suis, & cum omnibus his quæ ipsi fratres sub testibus idoneis aut chartis legitimis in præsentiarum possident, confirmantes omnes possessiones ipsius domus sicut atria ecclesiæ liberas esse statuimus. In quibus ut nulli hominum liceat aliquid rapere vel furari, aut hominem occidere, capere, spoliare vel verberare, auctoritate Dei & nostra penitus interdicimus. Super omnes hæc integra & illibata custodientes sit pax & benedictio copiosa descendat & super Israel Dei.

Si quis autem temerario ausu hoc nostræ confirmationis privilegium infringere præsumpserit, ut de his quæ sub protectione pontificali suscepimus & sigilli nostri impressione confirmavimus, aliquid vel violenter eripere vel fraudulenter subtrahere conetur, ipsum a sacratissimo corpore & sanguine Domini Dei nostri Jesu-Christi, & a sanctæ Matris ecclesiæ membris segregamus & excommunicamus: & sicut extinguitur lucerna de manibus nostris projecta, sic lucerna ejus in die judicii ante Deum cadat extincta ne possit videre gloriam Dei, sed cum reprobis projiciatur in tenebras exteriores, nisi ecclesiæ Dei juste restituat quod injuste præsumpsit auferre, & digne de cætero Deo nobisque satisfaciat. Fiat, fiat. Amen, amen.

Hujus confirmationis cooperatores & testes fuerunt Fridericus archidiaconus & decanus, Odo archidiaconus & thesaurarius, Theodericus archidiaconus, Herimannus abbas Mediani-monasterii, Henricus abbas Morimundi, Petrus abbas Belli prati, Walterus abbas Regiæ-vallis, Constantinus abbas *de Bongart*. Actum legitime, publice recitatum, canonice confirmatum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo sexto, indictione nona, concurrente quarto, epacta septima. Data per manus Theoderici sanctæ Tullensis ecclesiæ archidiaconi & cancellarii. Actum feliciter.

LXV.

Litteræ protectionis & tuitionis Simonis ducis Lotharingiæ in gratiam abbatiæ Belli-prati.

SIMON Dei gratia Lotharingiæ dux & marchio, 1176.
fidelibus universis salutem & pacem in perpetuum. Sancta mater Ecclesia, cum sit periclitantibus portus salutis & porta vitæ, quæ super petram jam firmiter est ædificata, ut portæ inferi non possint adversus eam prævalere; ipsa a fidelibus debet tanto devotionis honore custodiri, quanto sine illa nullus honore dignus ante oculos Dei possit inveniri. Et quoniam omnes Christianæ religionis principatus & potestates in ipsa sanctificantur, ut per ipsam principes Christiani salvi fiant; idcirco dignum & justum est ut princeps devotus ecclesiis custodiendis invigilet, quatenus per ecclesiæ merita mereatur inter principes connumerari, qui facti sunt cives Sanctorum & domestici Dei. Ego igitur Simon dux, ducis Lotharingiæ Mathæi filius, licet justo desiderio & vocatione legitima virorum nobilium terræ, & hereditario jure patri meo successerim in ducatum, tamen aspirante gratia Dei, meritis & precibus Sanctorum horum qui in ecclesia Dei religiose conversantur, me sentio in honorem sublimatum. Inde est quod coram Deo profiteor hodie me fore filium ecclesiæ fidelem ac devotum, & ad ecclesiastica negotia promovenda me debitorem esse cognosco. Quippe cum esse debeam pro posse meo defensor ecclesiarum, pauperum recreator, protector orphanorum, & viduarum consolator, ut ipsi non tantum pro me, sed etiam pro anima patris mei possint eo attentius apud misericordem judicem intercedere, quo fuerint a crudelitate tyrannorum facti securiores. Anno enim ab Incarnatione Domini M. CLXXVI, indictione IX, idus Maii, die videlicet Ascensionis, pater meus Lotharingiæ dux & marchio Mathæus, viam universæ carnis ingressus valefecit seculo & sollicitudinibus ejus, & me multis curarum nexibus irretitum dereliquit. Quocirca ratio dictat, ut ad ecclesiastica suffragia confugiam, & per orationes Sanctorum mihi necessarium postulem patrocinium. Est ergo in provincia nostra sacri Cistercienfis ordinis abbatia quæ vocatur BELLUM-PRATUM, quam pater meus & mater mea pio devotionis obsequio colere consueverunt & venerari, pro honestate scilicet & religiosa conversatione virorum illustrium inhabitantium in ea. Ego autem quamvis sim paternæ probitati inferior, in hoc tamen tam bono proposito patrissans, eandem ecclesiam simili devotionis affectu venerari, simili protectionis umbraculo consovere, simili tuitionis clypeo contra malignantes in illa defensare desidero. Hinc est quod habito consilio salubri cum fidelibus meis, ejusdem ecclesiæ fundos sub mea protectione suscipiens, recognosco & confirmo

eidem omnes possessiones quas infra ducatum & potestatem meam hodie possidere dignoscitur, & quidquid feodati mei pro animarum suarum salute contulerunt ibidem, & cætera omnia quæ vel patris mei, vel aliorum principum privilegiis constat esse præmunita. De his vero quæ in dominicatu meo videor habere, quæ videlicet specialiter spectant ad me, quod pater meus contulerat ante, & ego confero fratribus prædictæ domus, per totam terram meam pedagium, teloneum, jus emptionis & venditionis quarumlibet rerum venalium in quolibet foro, liberos transitus eundo & redeundo, & conductum meum fratribus ipsis & animalibus eorum. Vanam quoque pasturam quibuslibet animalibus eorum per terram meam transeuntibus, & cætera usualia necessaria, excepto quod si alicui damnum fuerit illatum, damni quantitas sui juris satisfactione compensetur. Hæc & alia humanitatis obsequia prædictæ domui, cum tota devotione conferens, irrefragabili definitione constituo, quatenus in eadem ecclesia privilegia patris mei perpetuo cum omni integritate & libertate conserventur illæsa: quoniam divinæ sapientiæ sublimis ratio probat, quod justo judicio privabitur hereditate paterna, qui paternas eleemosynas scienter & impie præsumit infringere. Quapropter ut ego sim de cætero frater conscriptus, & particeps omnium beneficiorum Beili-prati, habeamque in vita & in morte quantum unus de filiis ipsius ecclesiæ professis, præsens privilegium sigilli mei impressione signatum super altare S. Mariæ devotus offero, rationabili determinatione constituens, ut si quis de his qui nostro juri subjecti sunt, hoc nostræ confirmationis decretum, temeraria præsumptione violaverit, sicut honoris & dignitatis suæ reus, & Domino suo infidelis in curia nostra judicetur, & prorsus habeat ecclesia quicquid in hoc privilegio continetur. Hoc addito, quod feudati mei si quid dare voluerint in eleemosynam de feudis suis, unde servitium meum, nec redditus mei decrescant; & illi liberam habeant potestatem dandi, & ecclesia recipiendi & possidendi amodo & usque in sempiternum. Testes sunt Robertus patruus meus, Theodoricus de Roncurte, Drogo de Nancei, Wilricus de Novo villari, Constantinetus de Fontaneto, Simon Senescallus frater ejus, Ebalus *d'Espinal*, Garnerus frater ejus, Theodoricus de Saussuris. Actum anno M. CLXXVI. Datum per manum Galterii notarii, apud Gundulphi-villam, ducatus Simonis ducis & marchionis anno primo.

L X V I.

Instrumentum fundationis ecclesiæ sancti Eucharii de Liberduno.

1186. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Petrus per Dei gratiam Leuchorum minister humilis, universis in Christo pie viventibus de virtute in virtutem proficisci, ut videatur Deus Deorum in Syon. Bonum principium fine posse concludere optimo sola Dei benignitas præstare potest & altitudo. Ea disponente, Liberdunum antiquum Tullensis ecclesiæ castrum reædificavimus, & eadem gubernante, canonicos seculares in ecclesia B. Eucharii servituros, ibidem instituimus, & quantum facultates nostræ patiebantur, præbendam eis procuravimus. Verum quia sine diligenti cultore parum crescit novella plantatio, nostram nobis excolere necesse est, ut de die in diem felici proficiat incremento. Ecclesiam itaque *de Moignevile*, ecclesiam de Longaville & de Tathneio, ecclesiam *de Maleinmont*, ecclesiam de Saleio, ecclesiam de Chauseio & de domno Germano & *de Charmes*, salvo per omnia tam episcopi jure quam archidiaconorum ecclesiæ præfatæ beati Eucharii conferimus, & eas usibus canonicorum perpetuo deputatas auctoritate pontificali confirmamus. Addimus etiam ad ejusdem præbendæ augmentum

A IIII mansos in foro Tullensi juxta mensas nummulariorum, alia quoque a fidelibus nostris tam clericis quam laicis, ecclesiæ prædictæ collata, sub præsentis scripti munimine comprehendimus, & per anathematis edictum inconcusse possidenda sancimus. Ex dono Letardi de Troceio vineam apud Brureium, & IIII falcatas prati apud Paigneium, & VI jugera terræ apud Troceium. Ex dono Frederici fratris nostri V solidos de una domorum *à la Planche* apud Banseium infra octavas Epiphaniæ annuatim solvendas. Ex dono Johannis militis de Moreio pratum apud *Gemellovile*, datum pro anima Johannis filii sui. Ex dono Belianæ Radulfi de Pariete IIII jugera terræ Tulli apud Furcas. Ex dono Theoderici præpositi *de Bleinou* duodecim denarios de vinea *de* B *Heneiclous* in festo B. Eucharii annuatim solvendos.

Possessiones præfatas tam pie quam devote a nobis vel ab aliis ecclesiæ beati Eucharii collatas, vel etiam in posterum conferendas, sub Dei ac sacratissimæ virginis & beatorum Apostolorum protectione, & nostra & Tullensis ecclesiæ recipimus; & ne aliquis eas perturbare, imminuere vel aliquo injusto modo alienare præsumat, sub anathematis interdicto prohibemus, & quicumque ausu temerario hoc nostræ devotionis institutum infringere præsumpserit, anathematis gladio transfixus, suppliciis deputetur æternis. Data Tulli per manum Theoderici cancellarii, anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXVI, indict. IIII, concurrente II.°, epacta XXVIII, XVI cal. Junii, personarum Tullensium testimonio & signis approbata. C S. Ricardi abbatis sancti Apri. S. Theoderici abbatis sancti Mansueti. S. Stephani abbatis sancti Leonis. Sig. Frederici decani & præpositi sancti Eucharii. S. Ricardi abbatis Belli-campi. S. Hugonis primicerii Metensis & archidiaconi Tullensis. Sig. Odonis de Vadoni-monte archidiaconi. S. Alberici capellani & archidiaconi. S. Haimonis archidiaconi. Sig. Hugonis archidiaconi. Sig. Hugonis decani S. Gengulfi.

L X V I I.

Fundatio seu confirmatio Alteriensis monasterii ordinis S. Augustini.

D BERTRANNUS Dei gratia sanctæ Metensis ecclesiæ episcopus, omnibus Catholicæ ecclesiæ 1187. cultoribus tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Pontificalis sollicitudinis cura per Dei misericordiam nobis commissa nos hortatur & ammonet, quatenus circa Dei loca & præcipue in quibus viri religiosi regulariter degunt, & pie & juste Deo deserviunt, sollicitudinem habeamus, & pro remedio animæ nostræ & antecessorum nostrorum de rebus nostris subsidium gratanter eis impendere studeamus. Insuper quæcumque ibidem ad præbendas fratrum a fidelibus oblata sive tradita fuerint emtione seu manuum suarum labore, vel justa acquisitione ad eosdem transierint, perpetua stabilitate sigilli nostri impressione, quam testium assignatione locis quibus collata esse perhibentur, confirmare & corroborare nos oportet. Quapropter in nomine sanctæ & indi- E viduæ Trinitatis notum fieri volumus tam legentibus quam audientibus, pro salute animæ nostræ & prædecessorum nostrorum pontificum & propinquorum, juxta petitionem venerabilis fratris nostri WIDERICI abbatis, nos concessisse & confirmasse eidem abbati fratribusque sub regula B. Augustini, eorumque successoribus sub eadem Deo militantibus, locum qui nuncupatur Altericum, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & B. Nicolai confessoris, cum decimis & omnibus appenditiis in silvis & aquis, per terminos designatos, scilicet per duos Chillimontes, per montem Alteriaci, per Chermini gutturam usque *Mortesme;* ex alia quidem parte per vadum Sapinei usque *Mossor* similiter, & cunctas terras apud *Nunsai,*

censum minime solventes cum pasturis totius banni *de Remberviller*, & piscaturam aquæ quæ *Mortesme* dicitur inter *Messour* & *Baldenchamp*, quiete & absque omni circumadjacentium inquietatione possidendam, nostra statuentes auctoritate, ut nullus infra has metas contra vestram voluntatem piscari præsumat; nostri autem proprii piscatores quotiens in Vosagum nos vel successores nostri venicmus, si eos servitii nostri necessitas compulerit, ibi sicut & aliis ejusdem aquæ partibus piscandi liberam habebunt potestatem. Nec est silentio prætereundum quod nos Castores & bannum loci hujus in nostra manu retinuimus; statuentes quod si quis nobis in captura piscium injuriam intulerit, salvo capitali vestro, justitia nostra & advocati erit. Concessimus etiam tam vobis quam vestris in perpetuum successoribus sedem molendini in banno *Nozoncourt*, & conductus aquæ per pratum nostrum, quantum molendino necessarium fuerit; locum quoque qui *Wandelbert-zolf* dicitur, cum decimis & pasturis banni *de Nozoncourt* perpetuo jure tenendum, ad usum prædictorum fratrum sive successorum eorum, duodecim nummos Metenses ecclesiæ Metensis singulis annis post festivitatem Omnium-sanctorum in sancta synodo persolventium possidendas. Si qua vero in finibus ejus scilicet Alteriaci ad ædificationem sint in omnibus usibus utilia, nullo prohibente sive contradicente sumantur, donno Theoderico *de Ramberviller* ejusdem loci advocato, cum cæteris ministris annuentibus & laudantibus; similiter & dimidium molendini *de Anglemont* sub censu unius denarii. Præterea pratum quod est inter pratum Tyaldi & pratum *Hennix* juxta *Araseen*, sub censu sex denariorum in festivitate B. Remigii sive in octavis villico *de Ramberviller* persolvendorum, & decimam quam tenent a Guillermo milite fratre Richaldi *de Diviler*, ubicumque fratres Alteriaci laboraverint in banno *de Ramberviller*, sub censu sex denariorum in festivitate B. Remigii sive in octavis eidem Guillelmo & successoribus ejus persolvendorum. Nec est prætereundum quod dominus Theodericus advocatus *de Remberviller*, allodium quod habebat apud *Vy* prædictis fratribus sine contradictione similiter concessit; & dominus vero Wirricus junior *de Spinal*, paternis inhærens vestigiis terram quam apud *Nozoncour* pater suus Werricus Alteriacensi ecclesiæ pro salute sua & prædecessorum suorum salute concesserat, dedit & concessit: additis tamen ab ipso paternæ donationi decem jornalibus, pro quibus & pro reliqua terra sex denarii quotannis villico ejus in festo beati Remigii persolventur; nihilominus quoque pater & filius præmemorato loco decimationes de propriis fratrum laboribus concesserunt, qui videlicet in horreo in prætaxata terra sito colligentur. Similiter molendinum nostrum quod est in banno *de Nozoncour*, supra molendinum prædictæ ecclesiæ, & pratum quod est inter utrumque molendinum, sub censu viginti sestalium frumenti, in festo B. Remigii quolibet anno, sive in octavis persolvendorum perpetuo concedimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Hæc itaque & quidquid amodo prænotata ecclesia sive fratres in ea Deo servientes juste atque canonice acquirere potuerint, rata & inconvulsa permaneant, tam testium subscriptione, quam sigilli nostri impressione confirmamus. Nec non hujus nostræ donationis violatores anathematis vinculo, nisi resipuerint & condigne satisfecerint, innodamus. Testes Hugo primicerius, Willelmus circator, magister Robertus, Grossus Richardus, Robertus Brabantinus, Albertus *de Crespey*, Albertus *de Chableix*, canonici Metenses, Haqueno, Bonivalelus presbyteri, Pontius dapifer, Radulfus pincerna, Fulco *de Batellei*, Theodericus *de Hatton-chastel*, Theodericus, Balduinus de Nubrio milites, Renaudus *de Deulley*, & alii quam plures. Acta sunt hæc anno Incarn. Domin. M. CLXXXVII, indictione, epacta, concurrente anno, pontificatus nostri anno VII, domino Urbano papa III principante, domino Friderico imperante, & ejus filio Henrico regnante feliciter.

Nota quod in pluribus cartis episcopi Metenses dicuntur fundatores Alteriensis monasterii.

LXVIII.

Compositio inter Simonem Lotharingiæ ducem & Romaricensem ecclesiam ab Odone Tullensi episcopo firmata.

IN nomine Patris. Odo Dei permissione Leuchorum episcopus, omnibus in Christo viventibus 1194.
cœlestia pro terrenis feliciter commutare. Cum sæpissime de factis hominum oriatur quæstio scrupulosa, nisi ex scripto testimoniali vel linguis testium ad memoriam reducantur certitudines. Noverint tam præsentes quam posteri modum pacis & compositionem inter dominum Simonem ducem Lotharingiæ & Romaricensem ecclesiam æquanimiter confirmatam. Contigit enim præfatum ducem, perverso eum instimulante consilio, ecclesiæ Romaricensi multas injurias & gravamina infinita intulisse. Quod prædicti loci abbatissa, nomine Clementia, impatienter sustinens, cum super hoc a sede apostolica litteras justitiæ sufficienter impetrasset, tandem in domini Johannis archiepiscopi Treverensis præsentiam suam suique lacrymabilem deposuit querimoniam capituli. Qui ex injuncto sibi officio pastoratus & mandato summi pontificis ad audiinæ querimoniæ justitiam compulsus exhibendam, in sua synodo generali ducem prænominatum & totam terram suam interdicere attemptavit. Nos vero controversiam quæ inter ducem & ecclesiam Romaricensem versabatur ægra mente ferentes, litteris justitiæ a domino Treverensi nobis delegatis & auditis, diem .... domino duci & Romaricensi abbatissæ utriusque assensu in Romaricensi ecclesia denominavimus. Ad quem diem venientes, utrisque partibus convocatis, cum prudentium virorum comitatu de pace inter eos reformanda in hunc modum pertractavimus quod ab utraque parte quatuor electis personis, & nostro superaddito consilio, ex parte ecclesiæ, H. Metensi primicerio, Alberto Metensi decano, Stephano Clariloci abbate, Humberto Calmosiaci abbate; ex parte vero ducis, Humberto abbate Belli prati, Simone Medii-monasterii abbate, domino Roberto *de Florange*, Gerardo qui cognominatur *Ligras*, qui habito consilio & formam pacis ad invicem conferentes, in hæc tandem convenimus, dicentes ut quascunque litteras abbatissa Romaricensis contra ducem impetrasset, in manu nostra resignaret; & si forte dux aliquas sibi litteras perquisisset contra Romaricensem ecclesiam futuras, cassatæ penitus irritarentur. Dicto nostro adjicimus & Romaricensis ecclesiæ libertas juxta privilegiorum suorum & cartarum tenorem inviolata de cætero permaneret, & tota Romaricensis villa suam antiquam inviolabiliter haberet libertatem, ita quod quicunque in villa Romaricensi vellet permanere, juxta banni consuetudinem se haberet, & omnes commissiones hominum quocunque modo in villa Romaricensi habitus dux guerpiret quod in nostra fecit præsentia. Præterea in dicto retulimus quod dux de tubadvocatis contra ecclesiam facientibus omne ecclesiæ justitiam pro posse suo faceret cum ab ecclesia super eorum injuriis esset requisitus, hoc autem totum a nobis pacem componentibus prolatum unanimiter sine contradictione ab utraque parte est concessum. Scire etiam volumus universos quod lectam in omnium qui affuerunt in audientia cartam domini Petri Tullensis episcopi sigillo, simul & sigillo ducis Simonis consignatam. Ipse dux Simon approbavit recognitam, memoriæ etiam ipsius redu-

ximus cartam quam sigillo Domini Hillini Treverensis archiepiscopi confirmatam ipse dux recognovit, ita quod nullo modo dux alienandi fundos ab ecclesia Romaricensi aliquam haberet potestatem. Ut hoc firmum, ratum permaneret & inviolabile, nostri sigilli impressione confirmavimus. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CXCIV, in festo beati Lucæ Evangelistæ, in ipsa die post plenaria inter ducem & ecclesiam Romaricensem in hunc modum reformata est, quod de omnibus injuriis ad diem usque præfatam in ecclesiam commissis suum in facie ecclesiæ ventum recognoscens, quærens humiliter absolutionem, ab ecclesia fuit absolutus. Nomina testium qui dictæ compositioni interfuerunt hæc sequuntur: Hugo Metensis decanus, Fridericus decanus Tullensis, Giraldus *de Valdemont* archid. Guillelmus *de Roffal* magister Domus-Dei, Amicus Metensis canonicus, Theodoricus notarius, Humbertus abbas Belli-prati, Stephanus abbas Clari-loci, Humbertus abbas Calmosiaci, Simon abbas Medii-monasterii, dominus Robertus *de Florenges*, Girardus *Ligras*, Simon *de Parroye*, Matthæus comes Tullensis, & mater ejus ducissa, dominus Terricus *de Lasure*, dominus Simon *de Montmaisons*, Balduinus *de Maudrin*, decana Romaricensis, domina Clementia *de Vuis*, & totum capitulum.

LXIX.

Matthæus comes Tullensis dat ecclesiæ Tullensi x solidos annuatim percipiendos in mutatione majoris portarii civitatis Tullensis.

Circa 1200. EGO Matthæus Tullensis comes universis pernotum facio quod pro salute mea & uxoris meæ Beatricis Tullensis comitissæ, laude & assensu domini Matthæi venerabilis Tullensium electi, & præfatæ uxoris meæ & heredum meorum, contuli in eleemosynam sanctæ Tullensis ecclesiæ, decem solidos quos habebam de redditu annuatim in mutatione majoris portarii in civitate Tullensi, pro quibus decem solidis celebrabitur solemne officium exequiarum, & missæ in anniversario prænominatæ uxoris meæ venerabilis Tullensium comitissæ. Ne igitur hæc eadem eleemosyna in oblivionem incidat, sigillis fecimus communiri. Signum Matthæi Tull. com. Sig. abbatis Clari-loci. Sig. abbatis Regiæ-vallis. Sig. abbatis Miræ-vallis.

LXX.

Litteræ Odonis de Sorceio episcopi Tullensis de prioratu de Mervaville *in fundo monasterii Senoniensis.*

1224. ODei gratia Tullensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in eo qui salus est omnium. Licet piis locis pium teneamur impendere auxilium pro illis maxime sollicitos nos esse convenit quæ prædecessorum nostrorum inchoata sunt temporibus, ut diebus nostris ad perfectionem aliquam perducantur. Inde est quod cellam in fundo Senoniensis ecclesiæ apud *Mervaville* prædecessorum nostrorum temporibus inceptam, nec adhuc perfectam perfici cupimus; volumus etiam quod Senoniensis ecclesia prædictam cellam ea libertate & consuetudine possideat, qua libertate & consuetudine cellæ aliæ in diœcesi nostra gaudere dinoscuntur. Datum Tulli, anno Domini M. CCXXIV, mense Septembri, in vigilia beati Michaëlis archangeli.

LXXI.

Fundatio prioratus de Mervaville *a monasterio Senonensi pendentis.*

NE labantur cum tempore gesta fidelium, poni 1242.
solent in lingua testium, & scripturæ memoria perennari. Noverint igitur tam præsentes quam futuri quod ego Katherina ducissa Lothoringiæ & marchiæ, pro salute mea & dilecti viri mei illustris ducis Lothoringiæ & marchiæ, nec non puerorum nostrorum, contuli & conferi omnia quæ prædecessores nostros contulerunt & donaverunt omnia quæ habebant in banno *de Mervaville* & in banno *de Revilles*, ecclesiæ sanctæ Mariæ *de Mervaville*. Et ego Katherina ducissa & marche, de voluntate & consensu prædicti viri mei Mathæi ducis Lothoringiæ, donamus & conferamus pro lampade sanctæ Mariæ *de Mervaville* illuminandam, & in eleemosinam puram & in perpetuum possidendam, omnia quæcumque habebant in banno *de Mervaville* & in banno *de Revilles*, in ecclesia & in terito *de Mervaville*. Et quia de amissione amicorum suorum augebatur monasterio Senoniensi æternaliter possidenda. Sed quia dictus locus *de Mervaville* tam longo tempore in desolatione redactus, inhabitabilis factus est, nisi in privilegiis Senoniensibus de eo loco & donatione facta associatus junctusque haberetur; quidam qui se ipsius territorii esse jactant heredes, merito hii hanc nostram ecclesiam super hoc molestare & vexare valerent. Sed Deo donante, ipsius Genitrice procurante, testimonium certum & verum repertum est, inventi quippe, excepto testimoniorum privilegio, viri sapientes & discreti, fideque digni presbyteri, nobiles, clerici & laici, tam senes quam juvenes, qui supradictis & inferius adnotatis pro ecclesia sanctæ Mariæ *de Mervaville* contra obsistentes & opponentes obsistere volentes, fidele testimonium perhibuere, qui acertive dixerunt quod quidquid inter ruvillum quæ Saxarum dicitur, & ruvillum *de Revilles*, usque ad Romon fontes territorii continetur a fontibus dictorum ruvillorum usque ad Mortam fluvium decurrentium totum ab heredibus *de Mervaville* beato Petro Senoniensi perpetualiter possidendum solemniter collocatum est. Et igitur quia ad narrationem & expositionem miraculorum præcelsæ genitricis Dei Mariæ in loco sacro *de Mervaville* ab ipsa Regina cœli factorum mentem dirigimus; ne mireris, quæso lector, si aliqua quæ prope locum istum sita sunt, quæ a fidelibus monasterio Senoniensi pie sunt collocata, huic nostro opusculo inseramus, quia tunc audientibus erunt gratiora quanto prius nescientibus erant viliora. Fuit itaque tempore supradicti reverendi patris Stephani Metensis episcopi, quædam nobilis matrona & fidelissima christiana de Castro quod proprio nomine castrum *de Wiviers* vocitatur, Cunegundis appellata. Hæc duos filios habuit, de maritali thoro genuit, quorum unus Gospertus vocabatur, alter vero Theodoricus, qui ad perfectam ætatem venientes, milites *de Revilles* effecti sunt, & tam honeste in militia perseveraverunt ut nobilitatem decorarent; sed occulto Dei judicio de medio sublati sunt, in capitulo Senoniensi monasterii sepulti sunt: christianissima autem & famosissima eorum mater videns se viri solatio & filiorum adjutorio ita derepente destitutam, soli Deo placere desiderans quomodo poterat, vigiliis, jejuniis, orationibus & largissimis eleemosynis jugiter insistens, salutem propriam in remissione peccatorum suorum & omnibus progenitoribus suis, viro etiam proprio & filiis suis incessanter de cœlo postulabat, etiam talibus ut diximus beneficiis non contenta sciens se vitam universæ carnis quandoque ingressuram, cuncta sua patrimonia, decimas & terrenas possessiones suas ad cœlestes thesauros conferre decrevit,

explorans itaque sancta loca in quibus viri religiosi Majestati divinæ sublimius & devotius serviebant, non modicas partes prædiorum suorum, ut apud divinam Majestatem sui suorumque memoraremur, devotissime conferre maturavit, interque ipsa devotissima matrona monasterio Senoniensi in solitudine Vosagii sito præ cæteris ecclesiis largius est partita. Superaddidit præterea alia dona, scilicet allodium quæ in banno Spinalensi in diversis locis suum est, domos, terras, prata, nemora, viridaria & mancipia, quæ omnia & plura alia ecclesia *de Mervaville* hactenus possidet, & nullam vendendi nec donandi, nisi in monasterio Senon. vel prioratus sanctæ Mariæ *de Mervaville;* & si aliquis vult vendere, non poterit venundare nisi per modum vardium & pro medio pretio quod potest valere, & per licentiam & sigillum prioratus sanctæ Mariæ *de Mervaville*, & non aliud, & dictus prior quo illo tempore erit, habebit ante omnia pro medio pretio totiens & quotiens voluerit. Contulit ergo denique domina Cunegundis partem suam, scilicet mediam partem quam habet cum domina Katherina ducissa Lotoringiæ & marchiæ, cum alia pars in dicto banno *de Revilles*, cum banno suo prope *Mervaville* est sua; quæ etiam Senon. ecclesia pariter cum suis habitatoribus eo tempore quo *Mervaville* quasi inhabitabilis jacebat fertur fuisse desolatam. Quæ omnia & singula prius memorata & præscripta alodia, prædia, domos, terras, prata, viridaria & decimas quæ nobis spectant in dicto banno *de Reulles* & *Mervaville*, & ego Katherina ducissa Lothoringiæ & marchiæ, & ego etiam domina Cunegundis *de Wiviers* contulimus, conferimus & donavimus, conferamus & donamus ecclesiæ Senon. & ecclesiæ beatæ Mariæ *de Mervaville*, in eleemosinam puram & perpetuam imperpetuumque possidendam; & ut hoc ratum & inconcussum permaneat priori & monachis in ecclesia B. Mariæ *de Mervaville* servientibus per præsentes volumus & præcipimus, & si successores nostri hoc facere noluerint, plures recusarent vel obtinuerent nos & successores nostros nec in præsentia dicto banno *de Reulles* quod est apud *Mervaville*, quod tenemus in feodo Metensis episcopi devestimus, denudamus & exuimus, relinquentes omnia jura & decimas quæ olim ecclesiæ parochialis in dicto banno *de Mervaville* suæ quod nobis solvebantur. Et prior S. Mariæ *de Mervaville*, tanquam beneficii illius collator tenetur providere curato, & nos relinquimus & donamus & conferamus, & omnia alia jura quæ nobis spectare videntur in dictis bannis & aliis locis prænominatis ecclesiæ Senoniensis imperpetuum tenenda, habenda & possidenda, ne hujus donationis stabilitas vacillet in posterum, sed sit perpetuo valitura. Ego igitur Katherina ducissa Lothoringiæ & marchiæ, ut hiis præsentibus fides adhibeatur, præsentem paginam sigillo meo & sigillo domini reverendissimi patris nostri Stephani Metensis episcopi feci consignari & communiri. Et si quis vero malignantium pag nam istam violare attentaverit excommunicamus, agravamus & anathematisamus, vinculo mortis, quoadusque resipiscat, innodetur & alligetur. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, mense Februarii.

LXXII.

Gerardus archidiaconus Tullen. recognoscit nullum jus a se haberi super quibusdam parochiis ab abbatia sancti Salvatoris dependentibus.

1245. GERARDUS archidiaconus Tullensis omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum fieri volumus universis, quod cum nos impeteremus coram judicibus a domino papa delegatis, virum honestum & religiosum abbatem S. Salvatoris Vogiensis, & conventum ejusdem loci, A pro vicariis nobis ab ipsis repræsentandis, & a venerabili patre episcopo Tullensi instituendis, ad ecclesias *de Barbon*, *Harbouey*, *Dum-Evre* & de Cireis, & quasdam alias in confinio dictorum locorum sitas, quæ ad ipsos ab antiquo spectare dignoscuntur. Nos eorum privilegiis, cartis & monumentis, ac ipsorum possessione pacifica quinquagenaria videlicet & amplius, quæ idem super his habebant, diligenter intellectis & inspectis, querelam ipsam iisdem remisimus, confitentes tam coram ipsis judicibus, quam coram venerabili patre Tullensi episcopo, & etiam quibuscumque, de consilio bonorum & jurisperitorum recognoscentes quod secundum quod ipsi per sua legitima documenta, quæ ab ipsis episcopis & a decano & capitulo, & etiam a domino papa B habebant, docuerunt & probare curaverunt, nullum jus pro repræsentatione & institutione talibus habeamus, & si quid juris & facti habebamus, illud pie & devote, & sine conditione qualibet in perpetuum contulimus & concessimus: In cujus rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro præfatis abbati & conventui concessimus roboratam. Datum anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, mense Decembri.

LXXIII.

Comitatus urbis Tullensis perpetuo episcopatui unitus.

NOUS GILES, par la grace de Dieu, évesque de Toul, & le chapitre de cette même église, 1261.
C *faisons sçavoir à tous, que nous avons par commun consens, ordonné & ordonnons, encor que le comté de Toul que nous davantdits evesques avons aquesté, demeure perpetuellement au domaine de l'evêché de Toul, aussy que on ne le puisse ne vendre ne donner, ne fier à autruy, ne en tout ne en partie; & eette ordonnance avons nous promis & ereantei à tenir & à varder par nos sarmens, & à tousjours; en temoignage de laquelle ehose nous avons mis nos seels en ces presentes Lettres, que furent faites quand li miliaire couroit par mil deux cents & soixante & un ans, au mois de Decembre.*

LXXIV.

Venditio comitatus urbis Tullensis facta episcopo Tullensi.

D *JE FERRIS, duc de Lorraine, & marquis, fais* 1261.
sçavoir à tous, que j'ai aquité & vendu à l'honorable pere & seigneur Gilon, par la grace de Dieu, evesque de Toul, lou comté de Toul que j'avois acheté à Ocdon eomte de Toul, & tout ce que j'avois de droit au devantdit eomté, & en fiez & en homaiges qui y appendent, & en toutes autres choses appendentes audit comté, pour douz mils & cinq cents livres de . . . . fors, avec VI cents livres de fors que le devantdit evesque avoit sur le comté devantdit; ainsi qu'à la Paque qui est prochainement à venir, ledit evesque me doit payer einq cents livres, & à l'autre Pasque au chef de l'an après, autres cinq cents livres, tant que li devantdite somme de deux E *mils & cinq cents livres, soit payée entierement; & lui ay promis à vuarantir le devantdit comté & ce qui y append, ainsi comme il est dessus devisé, vers toutes gens qui à droit voudront venir, tant que droit porte & l'en doit faire, tenant & ees choses lui aije promis & creanté à tenir par mon serment. En temoignage de laquelle chose je lui ai donné ces Lettres seellées de mon seel, que furent faites quant le milliare eouroit par mil CC & soixante & un ans, au mois de Novembre.*

LXXV.

LXXV.

Litteræ de eadem venditione.

JE ODES, sire de Fontenois dit Queins de Toul, fais sçavoir à tous, que ie le marchie que li noble Ber Messire Ferris, duc de Lorraine, & marchi, ait faicte à l'honorable pere & seigneur Gilon, par la grace de Dieu, evesque de Toul, si comme dou comté de Toul que le devantdit duc avoit acheté à moy, lequel il li ait vendu pour douz mils & cinq cents livres de... fors avec les vi cents livres que i'avois sus emprunté au davantier ledit evesque, loz & creant & acquit ledit comté & le vandaige, ainsi comme il est fait, & promet par mon serment que ie iamais n'en venray encontre. En temoignage de laquelle chose ces Lettres sont scellées des scels les honorables barons.... par la grace de Dieu, evesque de Metz, & Ferris duc de Lorraine, & marquis, & de mon scel; lesquelles furent faites l'an que li miliare couroit par mil CC & soixante & un ans, au mois de Janvier.

LXXVI.

Ex autographo. *Carta Gilonis episcopi Tullensis de translatione reliquiarum in monasterium S. Hoildis.*

1266. G. Dei gratia Tullensis episcopus, universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum, oportet nos diem messionis extremæ misericorditer operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere valeamus, firmam spem fiduciamque tenentes. Quoniam qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus & metet vitam æternam. Cum igitur nobis innotuerit quod frater Johannes monachus Clarevallensis de Flandria attulerit tria corpora Sanctorum de legione Thebæorum, scilicet duos martyres, & unam sacram Virginem de numero undecim millium Virginum, ex parte nobilis dominæ Marguaritæ comitissæ Flandriæ, ad monasterium S. Hoildis nostræ diœcesis, in quo monasterio filia dictæ comitissæ Johannæ, quondam Barri-ducis comitissa honorifice est sepulta, nos attendentes Sanctorum merita, & devotionem ac religionem abbatissæ & monialium prædictarum, omnibus vere pœnitentibus & confessis qui ad dictum monasterium, maxime in festivitatibus Sanctorum dictæ ecclesiæ venerit ad venerationem sanctarum reliquiarum ejusdem loci, nec non ad orationes faciendas, pias eleemosynas ac grata subsidia largientur, de Omnipotentis Dei misericordia, gloriosissimæ virginis Mariæ beatique protomartyris Stephani, & omnium Sanctorum meritis confidentes, XL dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum anno Domini M. CCLXVI.

LXXVII.

Electio Conradi episcopi Tullensis.

1278. NICOLAUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis populo civitatis & diœcesis Tullensis salutem & apostolicam benedictionem.

In supremæ dignitatis specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, curis continuis angimur, & pulsamur insultibus successivis, ut de personis talibus provideatur ecclesiis pastoribus viduatis, quarum industria & virtute eædem ecclesiæ in suis juribus & libertatibus conserventur, reddatur tranquillior cleri status, & commodis salutis & gaudii plebs lætetur. Sane vacante dudum ecclesia Tullensi

A per obitum bonæ memoriæ Gilonis episcopi Tullensis, primo de quodam Johanne de Fonteneto ipsius ecclesiæ canonico, qui hujusmodi electionis prosequendo negotium apud sedem apostolicam diem clausit extremum, & postmodum de Rogero archidiacono de Portu in eadem ecclesia fuerunt electiones inibi celebratæ. Opponentibus itaque se quibusdam ex canonicis ecclesiæ prædictæ hujusmodi electioni factæ de archidiacono supradicto, super ipso negotio ad sedem ipsam deducto, exstitit apud sedem eamdem diutius litigatum: & tandem eodem archidiacono libere resignante, omne jus quod sibi ex electione hujusmodi competebat, nos ea vice provisionem ejusdem ecclesiæ nobis duximus reservandam, & paterna volentes sollicitudine præcavere B ne ipsa ecclesia dispendia prolixioris vacationis incurrat, ad personam dilecti filii fratris CONRADI electi Tullensis, quam odor famæ nobis reddidit acceptam, cum habeatur vir vitæ laudabilis, litterarum scientia præditus, discretionis maturitate conspicuus, præclarus meritis, & alias in spiritualibus & temporalibus circumspectus, aciem mentis nostræ convertimus. Sperantes quoque quod ad eamdem ecclesiam salubri dante Domino regimine gubernabit: ipsaque utilis præsidio munita pastoris optatis affluet incrementis, eumdem fratrem CONRADUM tunc magistrum ordinis fratrum minorum superioris Alamaniæ, licet absentem, prædictæ Tullensi ecclesiæ, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in episcopum præfecimus & pastorem, C administrationem ejusdem ecclesiæ sibi spiritualiter & temporaliter plenarie committentes. Quocirca universitatem vestram monemus & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eumdem electum devote recipientes & honeste tractantes, ejus salubribus mandatis & monitis intendatis: ita quod ipsi in vobis filios devotionis invenisse lætetur: vosque in eo patrem habeatis assidue gratiosum. Datum Viterbii IIII nonas Octobris, pontificatus nostri anno II.

LXXVIII.

Conventio facta per episcopum Cabilonensem & religiosas Romaricenses super ecclesiam de Melloto.

D NOS Felicitas dicta Loreta divina providentia abbatissa monasterii Romaricensis, ad ecclesiam 1291. Romanam nullo medio pertinentis, Tullensis diœcesis, ordinis sancti Benedicti, totusque ejusdem loci conventus. Notum facimus universis præsentes literas inspecturis, quod cum inter nos ex una parte, & reverendum patrem ac dominum Guillelmum Dei gratia Cabilonensem episcopum ex altera, mota foret materia quæstionis super domo Dei de Melloto, ad nos & monasterium nostrum Romaricense spectante ab antiquo cum suis pertinentiis universis. Tandem interveniente bonorum consilio & deliberatione super hoc præhabita, pensata in hoc utilitate monasterii nostri prædicti & Domus-Dei prædictæ, de bonorum consilio inter nos, de consensu capituli Cabilonensis E exitit supradicta controversia terminata in modum qui sequitur. Quod primitus facta divisione bonorum nostrorum & dictæ domus, de bonorum consilio una pars ipsorum bonorum assignabitur hospitali, de qua cum suis servitoribus sustentetur, & sustentari valeat competenter; reliqua vero remanebunt monasterio nostro Romaricensi prædicto tenenda & possidenda perpetuo, pacifice & quiete. Ita quod episcopus Cabilonensis qui pro tempore fuerit, in ea parte quæ nostro Romaricensi monasterio assignabitur nihil sibi penitus vendicabit. Volumus insuper nos abbatissa & conventus prædicti, quod licet pro ea parte quæ dicto hospitali assignabitur rector domus prædictæ episcopo respondeat in spiritualibus,

nobis tamen tanquam patronis dictæ domus rector prædictus de temporalibus respondere teneatur; & si, quod absit, pars assignata hospitali, processu temporis non sufficeret ad sustentationem hospitalis & servitorum ipsius, quod super parte Romaricensi monasterio assignata, nulla augmentatio possit peti. Item actum est quod ecclesia de Meliceyo & hospitale prædictum cum parte sibi assignata ad invicem uniantur; ita quod nos abbatissa & conventus prædicti eamdem personam episcopo Cabilonensi ad ecclesiam & hospitale prædictum cum vacaverint præsentabimus; ut qui rector erit ecclesiæ, sit rector hospitalis prædicti. Super idoneitatem vero rectoris præsentandi credere habebit dominus episcopus Cabilonensis qui pro tempore fuerit, litteris ordinarii præsentati seu ejus officialis sede vacante, vel episcopo in remotis agente. In dictis vero ecclesia & hospitali, prædictis sic unitis dominus episcopus Cabilonensis habebit omne jus episcopale & eidem erunt subjecta: ita tamen quod si contingat dominum episcopum prædictum visitare ecclesiam & hospitale prædictos, pro his duobus simul unitis & junctis ratione procurationis sit contentus sex libris Turonensium semel in anno eidem episcopo persolvendis. Dato etiam quod in eodem anno dictam ecclesiam & hospitale prædictum ex causa pluries visitaret communiter vel divisim; & si in anno personaliter non visitaverit nihil habebit. Item rector præsentatus a nobis, abbatissa & conventu prædictis, & institutus a dicto episcopo in ecclesia & hospitali prædictis, habebit secum in eisdem tres presbyteros & duos clericos ad minus de bonis hospitalis & ecclesiæ præbendatos, a nobis abbatissa & conventu præsentatos, & a rectore institutos, nec aliquos poterit ibi ponere vel instituere dominus episcopus, nec rector præbendarios sine nostro consensu & præsentatione dato: & cum hospitalis & ecclesiæ prædictorum excrescerent facultates, & pro servitoribus ponendis ibidem ad nos quotiens necesse fuerit & facultas se obtulerit, recurratur; & numerus servitorum, si excrescerent facultates per nos augmentetur: & si deliquerint sive rector sive præbendati, poterunt ab ipso episcopo Cabilonensi pro suis culpis & excessibus removeri, si hoc culpæ qualitas poposcerit, salva nobis in omnibus præsentatione supradicta quotienscumque & quoquomodo ecclesiam & hospitale prædictos vacare continget & quotienscumque alicujus præbendati præbenda vacabit, quoquomodo nos abbatissa & conventus prædicti mittamus alium idoneum, & missum a nobis tenebitur rector instituere & recipere ad præbendam consensu episcopi, vel assensu minime requisito, salvo in omnibus quod ecclesia de Meliceyo non fraudetur in aliquo servitoribus consuetis & obsequiis dictorum; retenta gesta nobis abbatissæ prædictæ de triennio in triennium, si nos contigerit personaliter ad dictum hospitale declinare, retento & uno denario aureo decem solidorum Turonensium parvorum valente, nobis abbatissæ & conventui singulis annis persolvendo a rectore dicti hospitalis apud Romaricum montem in dimissione Apostolorum in signum subjectionis & census. Actum est etiam & concordatum & pactum quod Cabilonensis episcopus nihil de bonis seu de possessionibus dicto hospitali assignatis & in posterum acquirendis sibi vel ecclesiæ suæ possit acquirere absque nostra licentia vel consensu. Actum est etiam, concordatum & pactum quod dominus Cabilonensis episcopus in parte quam detinet dux Burgundiæ nihil possit sibi acquirere sine consensu expresso abbatissæ & conventus prædictorum; sed tantum hospitali & monasterio secundum determinationem infra scriptam. Item quod rector hospitalis & ecclesiæ prædictorum de possessionibus dicti hospitalis nihil possit vendere, diminuere, distrahere, seu alicui ad vitam conferre sine consensu expresso abbatissæ & conventus prædictorum.

A Actum est etiam, concordatum & pactum inter nos abbatissam & conventum prædictos, & episcopum, de consensu capituli Cabilonensis, quod si permissione divina & episcopi prædicti adjutorio pars per ducem Burgundiæ detenta ad proprietatem nostri monasterii rediret quoquomodo, hospitale in illa quartam partem haberet, & quartam partem in omnibus missionibus, expensis & impensis factis per dictas religiosas causa acquisitionis poneret, & residuum possideret monasterium nostrum prædictum eo modo quo possideremus alia bona quæ ibi habemus. Et ut est superius prænotatum, est etiam pactum & concordatum inter nos & episcopum supradictum, quod si dicta concordia per curiam Romanam & archiepiscopum Lugdunensem, prout melius & commodius fieri B poterit confirmanda in expensis nostris & hospitalis pro tertia parte procuretur. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris sunt appensa. Actum & datum anno Domini M. CCLXXXXI, mensis Julii.

LXXIX.

Litteræ Johannis episcopi Tullensis de monta Tullensi.

Nous Jehans, par la grace de Dieu, evesques de Toul, faisons savoir à tous ceaux qui ces presentes Lettres varrons & orrons, que nous Simonin, dit cuict citain de Toul, present & consentant, avons fait & establi, faisons & estaublissons warde & mastre de faire C *nostre monnoye de Toul, en la meniere & en la forme que ci-aipres est contenues, c'est à savoir que li denier de ladite monoie doient estre de trente & douz soulz de Toulloiz ou marc, & de sept soulz de loy, liquel sept soulz de loy doient estre ajoustei avent lou marc de fin argent; & la loy & lou marc ajoustei ensemble, ensi cum devant est dit, doient contenir & faire trente & neuf soulz de nostre monoie de Toul, & d'icel point doit estre continuée & permenée nostredite monoie, & de chescun mare monoiei de ladite monoie, doit on panre oct deniers Toulloiz, desquels nos averons cinc deniers, & li devant dit Symonins averat troiz deniers, permi cen que il soignerait & aminiflerait fers monaige, & essa, & autres choses que mestier seront à faire ladite monoiè, fors l'ostel de la monoie, que nous li soingnons. Et se li diz Symonins* D *maistres & warde de ladite monoie messaiscit, ou par faucetei, ou par autre meniere de messait, il charroit en tel poine cum à messait effierreit, & en apartanroit à nous & nostre justice la cognitions & la punicions, & ait renuncie & renunce lidiz Symonins, quant à ceu, à toutes borgesies, à tous avouemans, à toutes gardez & dessanses, & veult & consent lidiz Symonins, que se il faisoit borgesie ou awoemant, alours que disons nous, ou cil se metoit en autre garde que en la nostre, jusqu'à ceu que il aveust randui raison & fait son devoir envers nous, qu'il perdist tous ses biens-moubles & non moubles, partout où qu'il fuissient, & qu'il nous soient & fuissient acquis, & la borgesie, li awoemens, & les gardes nè li valuissient rien, & que nous & nostre justice aussiens tout ades, la cognition & la punicion de son messait.* E *Et li Simonins diz cuict dessus nommei ai pris & reçeu la warde & la maistrie de ladite monnoie, en la meniere & en la forme dessusdites, suz les poines, par tous les poins & les menieres desuz devisees, & les promas & ai promis par sollempnel stipulation, & par mon fairement corporalement fait sur sainte avangiles, à tenir & à warder fermement, sans aler contre, & en oblige à mon segnour l'avesque devantdit moi & la moie chose. En tesmoignage de veritei, nous Jehans evesque & Symonins dessusdiz, avons mis nos seelz à ces presentes Lettres, & avons pries & requis à honorables hommes Jaques de Clermont grand doyen, Jehan d'Arguel grant provot de Saint-Die, Henry de Faucoignox, Jehan dit Patin arehediacres, & Jean de Boulemont chantre de l'eglise de Toul, temoingnages appeleis aux choses* 1296.

dessusdites, qu'ils meissent lour saelz en ces presentes Lettres. Et nous Jaques doiens, Jehans grans prevons, Henri & Jehans arcediacre, Jehans chantre devantdit, avons mis nos saels en ces presentes Lettres, à la priere & à la requeste de nostre segnour l'avesque, & de Symonin devantdit, que furent faite l'an de grace mil dous cens quatre-vins-saze, le jeudi apres la Nativité nostre Segnour.

LXXX.

Fidei sacramentum episcopo Tullensi ab abbate S. Leonis præstitum.

1315. IN nomine Domini, amen. Per hoc præsens publicum instrumentum pateat universis coram reverendo in Christo patre ac domino domino Johanne Dei gratia Tullensi episcopo, sedente in aula superiori domus episcopatus Tullensis, in præsentia magistri Gerardi de Nanceio clerici, imperiali authoritate notarii ad hoc specialiter vocati & rogati, & testium subscriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum, religiosus vir frater Fourquardus *de Secours*, electus in abbatem & confirmatum, monasterii sancti Leonis extra muros Tulli, ordinis sancti Augustini, Tullensis diœcesis, juravit ad sancta Dei evangelia fidelitate & obedientia debita dicto reverendo patri & successoribus suis observare quod contra reverendum patrem & successores suos nullum auxilium seu defensionem alicujus domini temporalis in futurum nullatenus advocabit, & idem observabit quæ in juramento solito fidelitatis continetur. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini M. CCCXV.°, 12.° mensis Augusti, circa horam tertiam, indictione XIII, sede apostolica vacante, ut dicitur, in aula supradicta, præsentibus discretis viris domino Joanne archidiacono de Vosago, & magistro in curia Tullensi, Joanne *d'Averville* officiali curiæ Tullensis, &c. vocatis & rogatis.

LXXXI.

Ex autographo S. Mansueti Tull.

Abbates Metenses purgant Haymonem abbatem S. Mansueti Tullensis apud cardinalem judicem deputatum a summo pontifice de quibusdam falsis accusationibus.

1343. REVERENDO in Christo patri ac domino domino Guillelmo miseratione divina titulo sancti Stephani in Cælio-monte presbytero cardinali, judici a SS. in Christo patre ac domino domino sacro sanctæ universalis ecclesiæ summo pontifice, dato in causa accusationis quam nonnulli accusatores movent, ut dicitur, seu movere intendunt contra religiosum virum fratrem Haymonem abbatem monasterii sancti Mansueti extra muros Tullenses, ordinis S. Benedicti. Alexander S. Arnulphi, Guillelmus S. Clementis, Symon S. Symphoriani extra muros Metenses, ac Andreas S. Martini ante Metas, ordinis prædicti monasteriorum abbates, orationes in Domino ac reverentiam cum devotione humili subjectivam.

Cum pater reverendissime ex relatione quorumdam nuper didicimus quod prædictus frater Haymo super certis criminibus & delictis per quosdam accusatores apud S. sedem apostolicam sit delatus, nos eidem fraterno compatientes affectu, de ipso vestræ paternitati & aliis quorum interest hoc testimonium perhibemus, quod ipse a tempore adepti regiminis monasterii antedicti, prout audivimus, per ejus laudabilem prudentiam & sollicitudinem circunspectam prædictum monasterium in spiritualibus & temporalibus gloriose ac feliciter gubernavit, & licet ipsum monasterium fuerit quamplurimum dissensionum fluctibus agitatum, ipse abbas adeo se virtute fortitudinis & conscientiæ roboravit, quod, Domino protegente, guerrarum evasit pericula, & persecutionum tempora ex industria speciali æquanimiter toleravit, ita quod suis temporibus prædictum monasterium nec fuit bonis temporalibus destitutum, nec divinis cultibus desolatum, super quibus omnibus & aliis laude dignis idem abbas apud bonos & graves in partibus multipliciter commendatur, & hoc vestræ reverendissimæ paternitati sub attestatione divini Numinis super hiis testimonium perhibemus, & cum totius humilitatis officio & devotionis studio tenore præsentium intimamus æternum, Patris Filius vestram reverendissimam paternitatem incrementis felecibus protegat & conservet. Datum Metis, sub sigillis nostris, anno Domini M. CCCXLIII ab Incarnatione, vigesima-quarta die mensis Februarii.

LXXXII.

Ex archivo S. Leonis.

Epistola Ferrici de Morhanges *abbatis S. Leonis Tullensis ad priores & curatos suos, qua invitat unumquemque ad procurandam reparationem monasterii destructi, ut assignato tempore omnes conveniant.*

NOS frater Ferricus *de Moranges*, Domini Dei patientia abbas monasterii sancti Leonis extra muros Tullenses, ordinis S. Augustini, dilectis confratribus & curatis nostris priori prioratus de Larzicuria, curato ejusdem, priori prioratus de Bellincuria, priori prioratus de S. Hilario, priori prioratus de Wandelinvilla, priori prioratus de Nais, priori prioratus de Rocha prope Tullum, curatisque de Sallemaria, de Petra-ficta, de nova-villa, de Buquilleyo, cæterisque curatis & prioribus, nobis & dicto nostro monasterio subjectis, salutem ab omnium Salvatore sempiternam, & sinceræ dilectionis affectum. 1370.

Licet hostis humani generis nostræ semper invidus charitatis insufflet quantum potest quod dulcedo dilectionis qua invicem jungimur amarescat, nos tamen qui eum cognoscimus esse talem hostem, qui non potest vincere non volentem & consentientem, debemus sincera & integra resistere voluntate, ac etiam amorem, qui inter nos est, timore solito conservare; nam quia scriptum est: *res est solliciti plena timoris amor.* Dolentes itaque & cum amaritudine cordis referentes occasionem destructionis & desolationis ecclesiæ nostræ principalis nec non dicti nostri monasterii, quod quidem maligno spiritu arte diabolica ex casu fortuito & per quem in nihilum est redactum & combustum; & cum nos super hoc de aliquo remedio subvenire teneamur, oportuno mediante consilio sapientumque ne deterius pro vobis inde contingat. Idcirco vobis cuilibet omnibus & singulis, auctoritate nostra, in virtute S. obedientiæ & sub excommunicationis pœna, quam in vos & unumquemlibet ferimus, monitione tamen canonica præmissa, nisi feceritis quod mandamus & præcipimus, quatenus vos & quilibet vestrum in solidum, infra diem synodi beati Lucæ evangelistæ proxime futurum, vel ex tunc & expresse infra diem crastinum dicti festi, apud villam de Libduno, Tullensis diœcesis, personaliter accedatis ad videndum & consulendum quod super regimine nostræ ecclesiæ prædictæ faciemus facereque debemus, nec non ad procedendum ulterius in eodem negotio, prout nobis melius videbitur expedire, alioquin nos contra vos & quemlibet vestrum procedemus, prout fuerit rationis. Datum sigillo nostro quo utimur in hac parte, anno Domini M. CCCLXX, die post festum S. Dionysii.

LXXXIII.

Ex autographo. Belli-prati.

Mandatum abbatis Cisterciensis factum abbati Belli-prati de providendo abbatiæ Altæ-silvæ diec. Tull. vacanti per apostasiam ultimi abbatis.

1434. FRATER Johannes abbas Cistercii venerabili & in Christo nobis charissimo coabbati nostro monasterii de Bello-prato Tullensi sinceram in Domino caritatem & diligentiam in commissis. Quia sufficienter sumus informati quod monasterium de Alta-silva de præsenti pastoris seu abbatis est solatio destitutum, quodque coabbas noster de Theoloco ejusdem monasterii immediatus pater abbas hactenus neglexit & adhuc plus debito negligit eidem monasterio de abbate sufficienti & idoneo providere, propter quod ipsum monasterium ad tantam, proh dolor! est deductum desolationem, quod cultus divinus ibidem prorsus cessat, observantiæ regulares totaliter omittuntur, bona ejusdem dissipantur & dilapidantur, & nisi festinanter circa ipsius regimen per debitæ provisionis remedium festinaremus occurrere, verisimiliter formidandum est ne locus iste solemnis, qui olim fuit & vocabatur Domus-Dei, efficiatur spelunca latronum, totaliterque profanus & inhabitabilis permaneat, in enorme scandalum & dedecus ordinis nostri, sed etiam in lamentabilem totius ecclesiastici status confusionem. Hinc est quod nos prædictis & aliis quibuscunque scandalis in eodem ordine nostro emergentibus, prout ex officio nobis incumbit, per debitæ provisionis remedium volentes occurrere, nec propter defectus & negligentias prædicti coabbatis aut aliorum quorumcunque abbatum ipsius ordinis nostri, quæcunque monasteria quantumlibet ipsis subdita propter defectum providendi eisdem tempore debito, de abbatibus idoneis & sufficientibus periculo desolationis in spiritualibus & temporalibus permittere exponi volentes aut intendentes, sed potius eisdem quantum cum Deo poterimus, cupientes subvenire tenore præsentium nostra nostrique generalis capituli auctoritate plenaria qua fungimur, vobis in virtute salutaris obedientiæ & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna quam in his scriptis in vos ferimus, si nostris, quod absit, neglexeritis seu omiseritis parere mandatis. Districte præcipiendo mandamus quatinus ad præfatum monasterium de Alta-sylva quanto celerius post receptionem præsentium commode poteritis personaliter accedentes, ibidem vocatis ejusdem monasterii religiosis & aliis qui propter hoc fuerint evocandi, palam & publice auctoritate prædicta excommunicetis, excommunicatosque denuntietis fratrem *Thiriot* qui novissime abbatui dicti monasterii cessit, nuncque in statu apostasiæ damnabiliter vagatur per mundum; nec non fratrem Milsum qui similiter apostata & excommunicatus discurrens per mundum, temerarie & contra omnia jura tam divina quam humana prædictique ordinis tam apostolica quam regularia statuta de facto se damnabiliter intrusit in dictum monasterium, seque gerit pro abbate ipsius monasterii virtute cujusdam institutionis nuper ut dicitur per quemdam religiosum ejusdem ordinis qui se gerit pro abbate Clari-loci de persona ipsius Milsus extra dictum monasterium irrationabiliter & indebite factæ, eundem Milsum pronuntiantes & declarantes auctoritate prædicta dudum ab abbatiali dignitate ipsius monasterii, suis exigentibus demeritis, fuisse & esse legitime privatum & depositum, nec potuisse vel posse per præfatum religiosum de Alta-silva absque nostra seu nostri generalis capituli dispensatione speciali, inhibentes sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus & singulis prædicti monasterii de Alta-silva regularibus personis, ne de cætero prædictum fratrem Milsum apostatam & excommunicatum pro suo abbate quovis modo teneant, seu ipsum in suo monasterio recipiant, vel cum ipso participent, nisi duntaxat in casibus a jure permissis, neque permittant quod de proventibus, censibus, juribus aut emolumentis quibuscunque ad dictum monasterium pertinentibus rescunque recipiat vel se intromittat de eisdem. Porro quia idem monasterium absque jactura irreparabili diuturniori vacationi subjacere non potest, idcirco defectus & negligentias prædicti coabbatis de Theoloco auctoritate prædicta supplentes, volumus & rursus vobis sub pœnis præcipimus antedictis, quod auctoritate prædicta indilate provideatis eidem monasterio de abbate sufficienti & idoneo, per cujus circunspectionem & industriam idem monasterium in spiritalibus & temporalibus, prout fieri necesse est, valeat relevari & reformari; eidem per vos instituendo regimen & administrationem ejusdem monasterii in spiritalibus & temporalibus committentes, ac reverentiam & obedientiam secundum ordinis nostri instituta, recepto tamen ab eo fidelitatis juramento, sibi facientes ab omnibus & singulis ipsius monasterii de Alta-silva personis regularibus exhiberi, omnibus autem & singulis prædicti monasterii de Alta-silva personis regularibus in virtute salutaris obedientiæ & sub pœnis antedictis firmiter in mandatis damus, quatenus in præmissis . . . ea tangentibus seu quomodolibet dependentibus ab eisdem vobis pareant tanquam nobis humiliter & devote. De his vero quæ feceritis in præmissis fidelem & integram quantocius nobis mittere non omittatis certificationem. Datum Basileæ, sub appensione sigilli nostri, die XXVIII mensis Maii, anno Domini M. CCCCXXXIIII.

LXXXIV.

Rogat Renatus Siciliæ rex papam ut Antonium episcopum ad Morinensem sedem transferatur.

SANCTISSIME, &c. sanctitatem vestram non latere arbitramur quænam controversia jam diutius agitetur inter Antonium de Novo-castro electum confirmatum in episcopum Tullensem, & magistrum Joannem *de Lambale* super eodem episcopatu. Cui quidem controversiæ, cum magnates dominique loci & diœcesis Tullensis Antonium ipsum minime gratum habeant nec acceptum, nondum finis imponi posse videtur, sed potius per multos etiam annos protrahi in maximum ipsarum partium dispendium, ecclesiæque & episcopatus Tullensis, tum etiam ducatus Bari detrimentum & jacturam; unicum tantum, beatissime pater, occurrit remedium, ut scilicet controversia ipsa aliquo condecenti tolleretur remedio, & pax illi & silentium imponeretur; quod opportune se offerre videtur, quandoquidem Henricus de Lothoringia Morinensis episcopus affinis noster carissimus suorum propinquorum & amicorum consilio eumdem ipsum suum Morinensem episcopatum cum eodem Tullensi episcopatu, dummodo S. V. placeat, permutare statuit, cum pluribus de causis, tum maxime eo quod aëris intemperies ipsius loci & episcopatus Morinensis qui prope mare Occeanum situs est, complexioni salutique suæ multum disconveniat atque adversetur propter ventorum qui illic vigent frigiditatem: aëer vero illius loci & episcopatus Tullensis, in quo Henricus ipse sua juventute educatus fuit, satis sibi temperatus videatur & bene conveniens, tum etiam propinquorum ipsorum & amicorum suorum illic commorantium gratia, quibuscum deinceps vitam agere cupit, retenta tamen sibi pensione condecenti super fructibus & emolumentis dicti episcopatus Morinensis, quamdiu vixerit, prout S. V. judicaverit, qua mediante permutatione controversiæ præfatæ finis facile imponi posse videtur. Supplicamus propterea S. V. quanto humilius atque studiosius possumus, ut cum ex causis 1471.

præfatis, tum etiam intuitu amoris nostri, quod id magnopere cupimus, permutationem ipsam sicut profertur faciendam, recipere & admittere, prædictisque partibus litteras apostolicas super ea re opportunas concedere, atque pensionem ipsam super præfati Morinensis episcopatus fructibus & emolumentis creare, illamque eidem Henrico constituere & assignare dignetur & velit. Quod si S. V. pro sua innata benignitate, proque sua in nos gratia effecerit, non modo incolumitati illius nostri ducatus Bari, sed etiam ipsius Tullensis ecclesiæ episcopatusque optime consulet, & nos id singularissimæ cujusdam gratiæ loco ab E. S. V. procul dubio accipiemus. Almam personam vestram, &c. Datum apud arcem civitatis nostræ Andegavis, die quarto mensis Julii, anno Domini millesimo CCCCLXXI.

LXXXV.

Litteræ ejusdem ad sacrum Collegium.

1471. REVERENDISSIMI in Christo patres & domini amici nostri carissimi. Scribimus impræsentiarum ad summum pontificem in favorem Henrici de Lothoringia Morinensis episcopi affinis nostri carissimi. Summam litterarum nostrarum cognoscent R. P. V. ex exemplo illarum his incluso. Et cum rem ipsam de qua supplicamus impetrare magnopere cupimus, neque id quod in manu R. P. V. positum est ignoramus, rogamus propterea easdem studiosissime, atque ita ut majori studio, diligentia, aut animi labore rogare non possimus, ut tum ex causis in præfato litterarum exemplo contentis, tum nostri contemplatione & amore, tum etiam ex humanitatis officio rem eamdem ita commendatam suscipere atque habere velitis, ut quod pro Henrico ipso affini nostro petimus ad votum consequamur. Rem quidem effecerint R. P. V. quantum dicit quæ nobis gratissimam, eritemurque profecto eisdem suo loco gratitudinis officium reddere. Datum apud arcem civitatis nostræ Andegavis, die quarto mensis Julii, anno Domini M. CCCCLXXI.

LXXXVI.

Abbatia S. Salvatoris e Vosago ad prioratum de Domno-Apro ex consensu Lotharingiæ ducis transfertur.

1570. *CHARLES, par la grace de Dieu, duc de Calabre, Lorraine, Bar & Gueldres, &c. Comme dès bien long-temps le monastere & siege de S. Sauveur en Vosges, situé & assis en nos pays, & soub nostre souveraineté, & duquel nous & nos predecesseurs avons toujours eu la garde & protection souveraine, ait esté par la malignité des temps, & la diversité des Sectes qui depuis cinquante ans en-ça se sont eslevées contre la foy & relligion Catholique, saccagé, bruslé & reduit en desolation; & tout recemment en l'année mil cinq cents soixante & huit, il soit par hostilité & passage des gens de guerre estants lors soub la charge d'aucuns seigneurs ennemis profès de ladite relligion Catholique, tellement esté entuiné par feu, qu'il est impossible aux Abbé & Religieux d'icelui le pouvoir reédifier, & encore moins y pourroient suffire les rentes & revenus provenants de la fondation & dotation de ladite abbaye, au moyen de quoy demeureroit le saint & divin service sans y estre celebré, & les Religieux espars & separés sans avoir lieux commode pour se retirer & vaquer aux charges & oraisons qu'ils sont attenus par leur profession & vocation, si donc n'estoit qu'il leur fut provu de quelque bon & opportun remede. Sur quoy Reverend pere en Dieu, Damp Nicolas Malriat, à présent abbé de ladite abbaye & monastere de S. Sauveur, s'auroit par supplication retiré vers nostre S.t Pere, & lui faire entendre la desolation & ruine que dessus; même la bonne volonté & desir qu'il auroit de retirer & contenir sesdits Religieux* A *tout en un, & pour ce faire, transporter le siege de l'abbaye de S. Sauveur en un petit prieuré qu'il a près de nostre ville de Blamont, communement appelé* le prieuré de Dom-Évre, *où avec le temps & l'aide de Dieu il espéroit faire reédifier & bastir une eglise, & accomoder lesdits Religieux du logis & autres choses propres à leur estat & profession, ce que nostre S.t Pere lui auroit benignement accordé. Mais il craint qu'il ne puisse & ne lui soit loisible ce faire, sans en avoir de nous la permission, comme sieur gardien & souverain desdits lieux de S. Sauveur & Dom-évre; nous suppliant à ce vouloir prester nostre autorité & consentement: Sçavoir faisons que nous, les choses que dessus considerées.... avons, pour nous & nos successeurs ducs, permis & permettons audit Damp Nicolas Malriat & ses successeurs en ladite abbaye, de pouvoir transferer & transporter* B *icelle dudit lieu de S. Sauveur en Vosges, audit prieuré de Dom-évre, & illecques faire bastir & edifier, de telle grandeur & estendue que bon lui semblera, ensemble dortoir, chambres & autres logis qu'il verra & connoîtra estre plus commodes pour y habiter & contenir sesdits Religieux & personnes necessaires à leur service & ministere. Et pour ce faire avons octroyé & octroyons audit Abbé qu'il puisse s'accommoder du chemin public passant auprès de la petite chapelle dudit Prieuré; à condition toutefois qu'il fera incontinent redresser un autre grand chemin par-dessus sa vigne, &c. Donné à Luneville le quatorze Mai mille cinq cens soixante & dix.*

LXXXVII.

C ### *Bulla Pauli V pro erigendo monasterio ordinis S. Benedicti in urbe Nanceiana.*

PAULUS, &c. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum superiorum & monachorum ipsius ordinis congregationis SS. Vitoni & Hydulphi, ad instar congregationis Montis-Cassinensis, alias sanctæ Justinæ Paduanæ petitio continebat superiores & monachi dictæ congregationis in diversis dicti loci ordinis monasteriis in Lotharingia consistentibus de mandato apostolico institutæ, cuique nos aliam ecclesiam dicti prioratus Bellævallis, una cum illius supellectili sacra, ac omnibus ornamentis & paramentis ecclesiasticis, nec non D quibusdam ædificiis & bonis pro quorumdam ejusdem congregationis monachorum sustentatione auctoritate prædicta concessimus, in puritate mentis & spiritus humilitate sub suavi regularis observantiæ dictæ congregationis jugo præpotenti Deo assidue famulantes, ac indefesso mentis & corporis studio, orationibus, jejuniis, vigiliis, spiritualibus exerciciis intendentes odorem bonæ famæ, longe lateque diffundant; in dicto vero oppido quod totius Lotharingiæ caput & satis amplum, nec non situs pulchritudine palatiorum & ædium etiam sacrarum tam secularium quam regularium magnificentia, aëris salubritate, annonæ & & aliarum rerum ad humanæ vitæ usum necessariarum copia & commercio, procerum quoque, equitum, nobilium ac aliorum opibus & divitiis affluentium virorum frequentia, populique multitudine, om- E nium aliorum ducatus Lotharingiæ oppidorum celeberrimum existit, & in quo duces Lotharingiæ pro tempore existentes residere consueverunt, nullum ordinis & congregationis prædictorum monasterium institutum reperiatur; si igitur in dicto oppido unum prædictæ congregationis monasterium eadem auctoritate perpetuo erigeretur & institueretur, ac pro illius congrua & competenti dote, onerumque illi incumbentium supportatione, dictus prioratus cum illi annexis ac omnibus juribus & pertinentiis suis dictæ congregationi etiam perpetuo uniretur & incorporaretur, aliaque infra scripta fierent & ordinarentur procul dubio divinus cultus & dicta congregatio non modicum exinde susciperent 1616.

incrementum. Quare pro parte tam superiorum & monachorum prædictorum, quam dilectorum filiorum nobilis viri Henrici Lotharingiæ & Barri ducis, & Petri *Rozet* abbatis monasterii sancti Agerici Virdunensis ordinis & diœcesis hujusmodi per dictos superiores ad effectum infra scriptum deputati, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eis in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum hujusmodi supplicationibus inclinati eisdem superioribus & monachis, ut in dicto oppido & situ ad id congruo, unum ordinis & congregationis hujusmodi monasterium, cum claustro, refectorio, dormitorio, cæmiterio, area, hortis, hostalitiis aliisque membris & officinis necessariis & opportunis, construi facere libere & licite possint & valeant, dicta auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus & impartimur, ipsumque monasterium postquam sic constructum fuerit in monasterium ordinis & congregationis hujusmodi sub invocatione seu denominatione aut nuncupatione superioribus & monachis prædictis benevisa pro perpetuis usu & habitatione unius abbatis seu prioris juxta regularia dictæ congregationis instituta eligendi, ac duodecim saltem ejusdem congregationis monachorum, qui habitum per aliorum dictæ congregationis monasteriorum monachos gestari solitum suscipere, & elapso probationis anno professionem per eosdem emitti consuetam expresse emittere, ritusque mores & instituta regularia dictæ congregationis servare, nec non divinis laudibus insistere libere & licite possint, sine alicujus præjudicio autoritate & tenore præmissis perpetuo erigimus & instituimus, ac pro illius sic erecti & instituti, congrua & competenti dote, illiusque abbatis seu prioris & monachorum pro tempore existentium sustentatione onerumque illi incumbentium supportatione prioratum prædictum qui cura & conventu forsan caret, & a monasterio sancti Hidulphi ordinis & congregationis prædictorum etiam nullius seu dictæ diœcesis dependet, quovis modo cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus & pertinentiis suis, & si ad id non suffecerint, tot alia proprietates & bona stabilia ex illis quæ abbates & priores & monachi monasteriorum dictæ congregationis possident, usque ad valorem annuum ducentorum ducatorum auri de camera similium, & non ultra ei perpetuo donare teneantur & possint, ex quorum omnium fructibus & proventibus annuis, abbas seu prior & monachi in monasterio, ut præfertur construendo pro tempore existentes, commode sustentari atque onera perferre possint, nec non omnia & singula alia proprietates, bona, census, reditus, jura obventiones & emolumenta eidem monasterio, ut præfertur, erigendo perpetuo vel ad tempus per quoscumque elargienda & eroganda ex nunc prout ex tunc, & e contra postquam sic elargita & donata, assignata & erogata fuerint congregationi prædictæ iisdem perpetuo eisdem autoritate & tenore unimus, annectimus & incorporamus, ac etiam respective applicamus & appropriamus. Ita quod liceat illius ac monasterii sic construendi superioribus corporalem realem & actualem illorum omnium possessionem per se vel alium seu alios eorumdem congregationis & monasterii construendi nomine propria autoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, fructusque quoque reditus & proventus, jura obventiones & emolumenta ex eis provenientia quæcumque perpetuo exigere, levare, recuperare, locare & arrendare, ac in communes monasterii sic construendi usus & necessitates convertere, diœcesani loci, vel cujuscunque alterius licentia desuper minime requisita, decernentes, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexto decimo, 4.° cal. Januarii, pontificatus nostri anno 12.

LXXXVIII.

Breve Gregorii papæ XV ad episcopum Tullensem de reformandis canonicis regularibus.

GREGORIUS papa XV, venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Cupientes ut in monasteriis canonicorum regularium ordinis S. Augustini in Lotharingiæ & Barri ducatibus existentibus, ecclesiastica regularisque disciplina, ubi collapsa est, restituatur, & ubi conservata est, constantius perseveret, motu proprio non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, fraternitati tuæ de cujus integritate, fide, prudentia, & Catholicæ religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus & mandamus ut tanquam noster & sedis apostolicæ delegatus, omnia & singula canonicorum regularium dicti ordinis monasteria, eorumque priores, canonicos & personas & exempta, ac nobis & sedi apostolicæ immediate subjecta in dictis ducatibus existentia tam in capite quam in membris semel tandem auctoritate nostra visites & reformes, ac in eorum statum, consuetudines, vitam, mores, ritus & disciplinam tam conjunctim quam divisim diligenter inquiras, nec non evangelicæ & apostolicæ doctrinæ sacrorumque canonum & generalium conciliorum partim Tridentini decretis ac sanctorum patrum traditionibus, regularibusque dicti ordinis institutis apostolica auctoritate confirmatis inhærendo, quæcunque mutatione, correctione, emendatione, renovatione, revocatione ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas, ac & de novo condas, condita sacris canonibus & concilii Tridentini decretis ac regularibus institutis præscriptis non repugnantia confirmes, abusus quoscunque tollas, bonas & laudabiles institutiones, ac in primis divinum cultum ecclesiasticamque disciplinam & observantiam regulares, ubicumque exciderint, modis congruis restituas; si aliquos in aliquo delinquentes repereris, eos juxta canonicas sanctiones & regularia dicti ordinis instituta punias & castiges, contradictores quoslibet & rebelles, eisque auxilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæsito colore, ingenio vel pretextu præstantes, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis & conditionis extiterint, per censuras & pœnas ecclesiasticas aliaque opportuna juris & facti remedia cogas & compellas, aliaque in præmissis & circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facias, dicas, geras & exequaris: super quibus omnibus & singulis plenam, liberam & amplam facultatem & auctoritatem tenore præsentium concedimus & impartimur. Mandantes propterea omnibus & singulis ad quos spectat, ut tibi in præmissis omnibus & singulis prompte pareant & obediant, tuaque salubria monita & mandata suscipiant humiliter & efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem ut si quæ graviora in hujusmodi visitatione repereris, illa nec non informationes omnes in hujusmodi visitatione sumendas, subtus sigillo clausas, ad nos quamprimum diligenter transmittas, ut quod in illis statuendum sit, matura consultatione adhibita, decernamus; non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac monasteriorum ordinis hujusmodi & juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis

1621.

quoque indultis & litteris apostolicis sub quibuscunque tenore & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis eorum omnium tenore præsentibus pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem, sub annulo piscatoris, die x Julii M. DCXXI, pontificatus nostri anno primo.

LXXXIX.

Episcopo Tullensi sese offerunt strictiorem observantiam secuturi plures canonici regulares, quos disciplinæ R. P. Forerii subjicit.

1623. JOHANNES Porcellettus Maillanæus, Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus & comes Tullensis, & ad monasteriorum ordinis canonicorum regularium S. Augustini in Lotharingiæ & Barri ducatibus existentium visitationem & reformationem a sede apostolica delegatus, universis & singulis præsentes litteras inspecturis & audituris salutem in Domino sempiternam. Cum ex injuncto nobis a sanctissimo domino nostro Gregorio papa XV, per breve sanctitatis suæ dato Romæ apud S. Mariam majorem, sub annulo piscatoris, die 10 Julii, anno 1621, pontificatus ejusdem sanctissimi domini nostri anno 1, mandatoque officio animum visitationi & reformationi præfatorum monasteriorum intenderemus, suavissima Dei providentia disponente occurrit nobis ratio quæ opportunissima visitationis hujus fini futura judicabatur, ut plantæ se novæ offerrent juxta primum ordinis spiritum & institutum educandæ, cujus surculi in omnia nobis commissa monasteria divina favente clementia in posterum inserantur. Itaque cum fervore devotionis accensi dilecti nobis religiosi viri domini Perpetuus *Maret* presbyter professus S. Petri-montis, Claudius *Marc* presbyter professus S. Remigii de Lunaris-villa, Nicolaus *Dombrot* subdiaconus professus de Bello-campo, Nicolaus *Manseau* subdiaconus professus de Calmosiaco, Clemens *Philippe* subdiaconus, & Nicolaus *Noel* clericus S. Petri-montis, præfati ordinis, præparatis a Domino mentibus se nobis obtulerint, regularem hujusmodi ordinis exactamque observantiam probaturi. Nos hodierna celebratæ Purificationis intemeratæ semper Virginis genitricis Dei, sub cujus auspiciis & patrocinio negotium aggredimur, tam laudabile propositum consovere volentes juxta eorum desideria commissa nobis authoritate admittimus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Insuper de religionis zelo, pietate, doctrina & religiosa conversatione, atque in regulis & ritibus præfati instituti experientia venerabilis viri domini Petri *Fourier* ejusdem ordinis canonici professi, & ecclesiæ parochialis de Mattaincuria diœcesis nostræ rectoris, plenam in Domino fiduciam habentes, illum præfatorum religiosorum & aliorum, qui se illis posthac adjungere volent, curæ institutioni & probationi in regulari & exacta secundum primum ordinis spiritum observantia, in virtute sanctæ obedientiæ commisimus & mandavimus, committimus & mandamus per præsentes monasterium hujusmodi noviciatui prope diem certum assignaturi. Decernimus autem & declaramus quod per hæc nulli præfatorum seu aliorum qui cum ipsis probari voluerint, ullum fiat præjudicium quoad præbendas, loca, ordinationes & præcedentias quæ in monasteriis in quibus ad habitum vel professionem regularem admissi sunt, habuerunt vel habere potuerunt, quorum jus in ipsis salvum omnino & integrum remanet & reservatum, non obstantibus dictorum monasteriorum constitutionibus, consuetudinibus vel statutis, aut dictarum præbendarum locorumque & præcedentiarum aliter factis dispositionibus cæterisque contrariis cujuscunque. Atque in finem præmissorum nostrorum, commissionis, mandati, assignationis & decreti præsentes litteras manu propria signatas sigillo nostro secreto muniri jussimus, & per publicum auctoritate apostolica notarium infra scriptum, infra Missarum solemnia publicari in ecclesia monasterii S. Mariæ majoris de Pontismossione, Præmonstratensis ordinis, præfatæ nostræ diœcesis, anno Domini M. DCXXIII, die Februarii secunda.

X C.

Reformatio canonicorum regularium a papa Urbano VIII approbata.

URBANUS P. P. VIII. Ad perpetuam rei memoriam in supremo apostolatus solio, meritis 1625.
licet imparibus divina dispositione præsidentes, inter multiplices pastoralis officii curas, ad ea per quæ divinus cultus & devotio, regularisque disciplinæ observantia in quibuslibet monasteriis conserventur, majoraque in dies suscipiant incrementa, sollicitis studiis intendimus, atque his quæ propterea pie & provide facta fuisse dicuntur, libenter cum a nobis petitur, apostolici muniminis adjicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque sicut dilecti filii prior ac canonici regulares congregationis Salvatoris nostri in ducatu Lotharingiæ nobis nuper exponi fecerunt, in sancti Remigii oppidi de Luncvilla Tullensis diœcesis, aliisque ejusdem congregationis monasteriis in dicto ducatu existentibus ad omnipotentis Dei laudem, ac illarum partium populorum ædificationem, feliciorenque monasteriorum hujusmodi progressum, reformatio juxta illorum primæva instituta a sede apostolica approbata, introducta sit, & propterea illam, quo firmius subsistat, exactiusque observetur, apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri aliasque sibi ut infra indulgeri summopere desiderent. Nos pium prioris & canonicorum præfatorum desiderium hujusmodi plurimum in Domino commendantes, eorumque votis quantum cum Domino possumus annuere, ac illos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, reformationem in monasterio hujusmodi, ut præfertur, introductam cum omnibus inde secutis apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, ac insuper priori & canonicis præfatis quod divina officia juxta ritum Romanæ ecclesiæ celebrare, nec non secundum regulam & instituta ordinis sancti Augustini, & præsertim quod ad trium votorum substantialium, paupertatis scilicet ac castitatis & obedientiæ emissionem & observantiam, ita ut quicquam proprii & particularis habere nullatenus possint, vivere, divinisque insistere; qui vero ad Christi fidelium confessiones audiendas ab ordinariis locorum idonei reperti & approbati fuerint, quod confessiones hujusmodi audire, sacramenta ecclesiæ ministrare, nec non verbum Dei de eorumdem ordinariorum licentia, ac cum illorum respective benedictione prædicare, juventutem in doctrina Christiana ac

bonis moribus instruere, aliaque omnia & singula quæ pro spirituali eorum populorum fructu atque progressu, animarumque salute ac reformationis hujusmodi incremento & conservatione magis necessaria & opportuna videbuntur facere, statuere & ordinare libere & licite possint & valeant, & tenore præsentium concedimus & indulgemus. Decernentes reformationem hujusmodi in dictis monasteriis a modernis & pro tempore existentibus illorum canonicis & personis firmiter & inviolabiliter observari debere, præsentesque literas, & in eis contenta quæcunque valida, firma & efficacia existere & fore, ac priori & canonicis præfatis in omnibus & per omnia plenissime suffragari, ac irritum & inane, si secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis quibuscunque. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die XXIX Novembris, anno M. DCXXV, pontificatus nostri anno 3.°

X C I.

Erectio congregationis monachorum Benedictinorum pro fovendis ac firmandis legibus institutis in parthenone de Consolatione Nanceii condito.

1631. URBANUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio officiali venerabilis fratris nostri episcopi Tullensis, salutem & apostolicam benedictionem. Ex debito nostri pastoralis officii ad ea libenter intendimus, per quæ regularis vitæ institutio a SS. viris tam pie & religiose inventa & constituta conserventur, & si quid deperire inceperit, Domino concedente, reformationem & restaurationem suscipiat, ac in suum pristinum reflorescat statum, uberiores fructus bonorum operum in dies accrescant, & personæ Domino, secundum dictæ regulæ puritatem, famulantes, animarum suarum salutem, Domino miserante, facilius consequi, & cæteris Christi fidelibus vitæ ac morum exemplo proficere valeant ad salutem, ac in his ejusdem officii nostri partes etiam per novorum monasteriorum ac congregationum erectionem & institutionem favorabiliter interponi mandamus, prout Christianorum principum ac personarum generis nobilitate pollentium vota id a nobis exposcunt, & nos conspicimus in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ Catharinæ a Lotharingia modernæ abbatissæ collegiatæ ecclesiæ sedi apostolicæ immediate subjectæ S. Petri oppidi de Romarico monte nullius seu Tullensis diœcesis, in qua propter illius abbatissam pro tempore existentem ordinem S. Benedicti profiteri solitam, & canonissas illius, nonnulli etiam canonici seculares canonicatus & præbendas inibi obtinentes esse dignoscuntur, ordinem ipsum expresse professi & professæ petitio continebat, quod ipsa Catharina abbatissa ferventiori in dies devotionis affectu erga eundem S. Benedictum ducta, ac pro nominis illius exaltatione & gloria, nec non strictæ illius antiquæ regulæ observantiæ splendoris restauratione non mediocriter anxia, proinde considerans quantum ceciderit, & quasi penitus extinctus remanserit strictæ hujusmodi & punctualis observantiæ ab ipso S. Benedicto præscriptæ regulæ decor & splendor, quo factum fuit ut ipsa regula per novas & diversas constitutiones & modificationes successu temporum introductas subversa & quasi prorsus sublata existat in magnum totius ordinis detrimentum. Propterea ipsa pio restituendæ hujusmodi regulæ desiderio ducta, monasterium monialium abbatiam nuncupatum B. Mariæ Consolationis dicti ordinis, in oppido novo Nanceii, Tullensis diœcesis, de suis ac dilectæ etiam in Christo filiæ Margaretæ etiam a Lotharingia ipsius Catharinæ abbatissæ, ex

A fratre neptis & dilecti filii nobilis viri Caroli Moderni ducis Lotharingiæ sororis germanæ, cui alias quod ipsa Catharina abbatissa cedente vel decedente eam abbatissatui ecclesiæ sancti Petri hujusmodi præesse desinenter liceret sibi ad illum liberos habere accessum & ingressum apostolica auctoritate indultum fuit, patrimonialibus & propriis bonis in tot censibus, redditibus, proprietatibus ac aliis stabilibus, quorum annuus valor ascendit ad summam mille & quingentorum Francorum monetæ Lotharingiæ vel circiter dotavit, illudque ac ejus ecclesiam per eam constructam sacra & prophana suppellectile cum officinis, membris & pertinentiis necessariis pro una abbatissa & duodecim numerariis inibi futuris monialibus, quæ juxta regularia dicti ordinis instituta, sub illius
B regulari habitu stricte, punctualiter & ad literam vivere teneantur sufficienter instrui, & subinde illud in ejusdem ordinis monasterium per loci ordinarium, apostolica auctoritate sibi ea in parte delegata perpetuo erigi & institui obtinuit. Successive eadem Catharina abbatissa pie perpendens in præfato monasterio strictam & punctualem ejusdem regulæ observantiam stabiliri & perpetuo inviolatam remanere vix aut ne vix quidem posse, nisi prævia aliquot monasteriorum monachorum ordinis ac strictæ & punctualis observantiæ regulæ hujusmodi, quæ congregationem unam reformatam seu strictæ & omnimodæ observantiæ ejusdem regulæ nuncupandam constituant, & abbatissa & moniales in eo pro tempore introductæ unius visitatoris generalis
C ut infra eligendi superioritati, visitationi ac jurisdictioni subsint, erectione & institutione in præfato oppido Nanceii, ac prope & extra septa monasterii primodicti unam sub S. Romarici, & dilectus filius nobilis vir Franciscus dux Lotharingiæ, ejusdem Catharinæ abbatissæ frater germanus, ad ipsius Catharinæ abbatissæ instantiam in oppido Pontis sancti Vincentii dictæ Tullensis diœcesis alterum sancto Bernardo dicatum monachorum dicti ordinis, qui strictam & punctualem observantiam hujusmodi amplecti tenerentur, cum ecclesiis, claustris, membris & officinis necessariis & opportunis respective fundaverunt seu construi fecerunt, illisque & eorum cuilibet pro eorum dote redditum annuum mille & quingentorum Francorum monetæ hujusmodi, de eorum respective propriis & laicalibus bonis, & de
D quibus dicta Catharina abbatissa quoad se legitime disponere potest, vere, realiter ac perpetuo donarunt & assignarunt, seu donare & assignare intendunt. Quare pro parte Francisci ducis & Catharinæ abbatissæ præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus secundo & ultimo dicta monasteria in duo monachorum ordinis strictæ regulæ sancti Benedicti hujusmodi observantiæ monasteria, una cum primo dicto monasterio, simul unam congregationem sub titulo, ex denominatione strictæ & omnimodæ observantiæ S. Benedicti constituentia ut infra erigere & instituere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui ut ecclesiasticus ordo regulari observantia vitæ sanctimonia & virtutum claritate nostris potis-
E simum temporibus adeo præfulgeat, ut singuli utriusque sexus Christi fideles eorum exemplari & austera vita ædificati, per viam salutis in hoc seculo gradientes ad cœlestia regna mereantur pervenire sinceris desideramus affectibus. Franciscum ducem & Catharinam abbatissam præfatos, ac eorum quemlibet a quibus vis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctæ

R.

R. ecclesiæ cardinalium negotiis regularium præpositorum discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus secundo & ultimo dicta monasteria si tamen & postquam omnibus suis numeris & partibus absoluta sacraque & profana suppellectile munita fuerint, ac Catharina abbatissa & Franciscus dux præfati redditum annuum tutum & securum ter mille Francorum præfatorum, mille & quingentorum videlicet pro quolibet ex monasteriis hujusmodi, vere & realiter & cum effectu, ac valide & perpetuo respective donaverint & assignaverint, ut præfatur, & non antea nec alias in duo monasteria per duos priores regenda & gubernanda sub ordine & regula ejusdem S. Benedicti, juxta præscriptum regulæ ejusdem & sacrorum decretorum electiva cum ecclesiis, campanilibus, campanis, cæmeteriis, claustris, refectoriis, dormitoriis, hortis, hortalitiis, cæterisque officinis & membris necessariis & opportunis pro usu & habitatione duorum priorum qui iisdem privilegiis, gratiis, concessionibus, & indultis tam specialibus quam temporalibus quibus abbates aliorum monasteriorum dicti ordinis, de jure, usu, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, si tamen illa sunt in usu & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus & concilii Trid. decretis apostolicisque constitutionibus, & dicti ordinis antiquo rigori non repugnent, citraque usum mitræ & insignium pontificalium, uti potiri & gaudere possint, nec non competentis numeri tot monachorum qui ad conventualitatem in quolibet monasteriorum ut infra erigendorum exercendam, & divina officia psallenda & decantanda, ac onera eis incumbentia supportanda sufficiant, inibique juxta ejusdem ordinis instituta prima & vivendi norma rigorem sub regulari habitu perpetuum Altissimo exhibeant famulatum, divinisque laudibus insistant, ac unam congregationem instituant sub titulo & denominatione strictæ & omnimodæ observantiæ regulæ sancti Benedicti, hujusmodi & sine ulla prorsus alicujus constitutionis regulam præfatam alterantis seu moderantis admixtione, ita quod congregatio ipsa dictam regulam juxta rigorem litteræ tam in persolvendis suis horis, statutis officiis, quam regularibus muniis obeundis distributione temporis divini officii, lectionis, laboris, refectionis & somni capiendi integraliter & præcise servet; ac quæcunque monasterii dicti ordinis tam virorum quam mulierum, dictam regulam strictam & juxta rigorem literæ deinceps perpetuis futuris temporibus servare cupientium, non tamen ea quæ jam alicui sub alteri subsunt congregationi, nec ejusdem ordinis prioratus conventuales sibi ipsi aggregare & recipere possit, ac tam supradictorum quam aliorum aggregandorum, ut præfatur, vel de novo sub ipsa congregatione, & directione ejusdem canonice erigendorum curam & gubernium suscipiat, in ipsis quoque hujus & congregationis monasterii singulo quoque anno procedi debeat ad electionem unius visitatoris generalis ex gremio unius ex iis monasteriis quæ virorum fuerint; ipse vero visitator generalis etiam singulo quoque anno dicta monasteria tam in capitibus quam in membris visitare debeat & teneatur, corrigens & reformans quæ correctionis & reformationis officio viderit indigere, ipseque idem dictæ congregationis præses existat, nec non superioritatem & omnimodam jurisdictionem in ipsa capita & membra habeat, non tamen ultra triennium continuum per celebrationem annalis electionis munus visitatoris hujusmodi sustinere, aut ad id eligi valeat, & si ipsum in functione dicti muneris ac etiam in iis quæ etiam extra munus ex se & ex sui natura delicta censentur, delinquere seu deficere aliquando contingat, & ipse post debitas monitiones prioribus seu superioribus pro tempore existentibus dictorum monasteriorum factas se non corrigat, ferri ac denun-

A tiari possit ad ordinarium Tullensem, privative quoad omnes alios ordinarios, qui tanquam protector dictorum monasteriorum ipsum ab officio seu munere visitatoris hujusmodi ordinaria sua auctoritate deponat & amoveat, & post depositionem hujusmodi seu amotionem ad alterius electionem ab ipsis monachis procedi possit; quodque ipsa Catharina & pro tempore existente abbatissa primodicti monasterii, nec non prioribus aliorum monasteriorum supradictorum, non tamen collativorum quæ dictæ congregationi aggregari & uniri contigerit, cedentibus vel decedentibus ad electionem abbatissarum, priorum & abbatum regimini & administrationi monasteriorum eorumdem præficiendorum rite & juxta canonica decreta procedatur, ipsæque ac ipsi de gremio B conventuum, monasteriorum quorum erunt, aut saltem de congregatione hujusmodi & non aliunde eligi & postulari possint; & si contigerit aliquos seu aliquas ex superioribus hujusmodi crimen aliquod perpetrare, & de ipso post inquisitionem a visitatore generali pro tempore existente factam, si in culpa vere reperiantur ab ipso visitatore generali, de consilio aliorum superiorum dictorum monasteriorum & sex seniorum monachorum privati seu privatæ declarentur & remaneant; ac quod singulis annis priores pro tempore existentes primodictorum monasteriorum & aliorum, ut præfatur, aggregandorum congregari debeant in secundo dicto monasterio aut alibi, prout magis expedire videbitur, una cum discreto uno ab unoquoque conventu monasteriorum congregationis C hujusmodi eligendo, ibique habitis prius litteris ex memorialibus abbatissæ pro tempore existentis & unius discretæ primo dicti monasterii tractetur diligenter de reformatione ordinis & regulari observantia ponctualis illius rigoris, de negotiis universalibus totius congregationis hujusmodi & particularibus cujuscunque monasterii ejusdem. Item quod secundo dictum monasterium confessarios, concionatores aliosque ministros ad tot missas in primo dicto monasterio quod necessitas exegerit celebrandas, necessarios ab ipso visitatore generali eligendos, & ab ipso ac etiam ordinario loci approbandos eidem prædicto monasterio, dummodo propterea secundo dictum monasterium nullum in divinis detrimentum patiatur, sed in eo sufficiens monachorum numerus ad divina inibi persolvenda semper remaneat, suppeditare & D subministrare teneatur perpetuo sine congregationis SS. Vitoni & Hydulphi dicti ordinis & cujuscunque alterius præjudicio, ac servata forma decreti felicis recordationis Clementis P. VIII, super novarum domorum regularium erectione editi, & per piæ memoriæ P. Gregorii XV, etiam prædecessorem nostrum innovati & extensi, & dummodo etiam congregatio erigenda hujusmodi primitivam & strictiorem S. Benedicti regulam & illius rigorem ponctualem ad litteram in omnibus & per omnia vere & realiter observet, & adimpleat cum effectu, nullaque alia ejusdem ordinis congregatio paris rigoris in eodem dominio instituta sit authoritate nostra erigas & instituas, illisque sic erectis & institutis pro eorum & cujuslibet eorum dote, illorumque priorum & E monachorum pro tempore existentium sustentatione, nec non onerum illis incumbentium supportatione, redditum annuum ter mille Francorum hujusmodi, mille & quingentorum videlicet pro quolibet monasteriorum erigendorum hujusmodi per Catharinam abbatissam & Franciscum ducem, ut præfatur, assignatum seu assignandum, ac omnia & singula tam mobilia quam immobilia bona quæ quomodolibet nuncupata, per quoscunque Christi fideles ipsis monasteriis erigendis donata & assignata, seu donanda & assignanda, vel etiam per viam testamenti, codicillorum, aut etiam inter vivos, seu causa mortis donationum, & aliarum dispositionum legitime relinquenda, ita quod liceat prioribus & conventibus

monasteriorum erigendorum hujusmodi illorum omnium postquam donata, assignata, vel relicta fuerint, per se vel alium seu alios eorum & monasteriorum erigendorum hujusmodi nominibus, corporalem realem & actualem possessionem propria authoritate libere apprehendere & apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus & proventus, jura, obventiones & emolumenta ex eis provenientia quæcunque percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare, regere, & juxta eorum regularia instituta præfata administrare, ac in suos communes monasteriorum & conventuum, & illarum ecclesiarum & sacristiarum usus & utilitatem, onerumque illis incumbentium supportatione convertere diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper non requisita, eadem authoritate nostra perpetuo applices & appropries, ipsisque monasteriis sic erigendis postquam erecta & instituta fuerint, nec non illorum pro tempore existentibus prioribus & monachis, ac ministris officialibus & personis, eorumque rebus & bonis, quod omnibus & singulis privilegiis, facultatibus, prærogativis, gratiis, concessionibus & indultis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia virorum & mulierum præfati ordinis S. Benedicti monasteria, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter & æque principaliter, & absque ulla prorsus differentia, quatenus illa sive in usu & non revocata, nec sub ulla revocatione comprehensa, sacrisque canonibus & decretis ac antiquo rigori hujusmodi non adversentur & non alias, citraque usum mitræ & insignium pontificalium, ut præfatur, uti, frui, potiri & gaudere libere & licite valeant; & insuper monasteria sic erigenda nec non 1.° dictum monialium monasterium ac quæcunque monasteria tam virorum quam mulierum sub præfata regula militantium, & eamdem regulam strictam & juxta rigorem litteræ servare cupientium, quæ præfatæ congregationi juxta præsentium tenorem aggregari & uniri contigerit, illorumque priores & abbatissas & abbates, & monachos & moniales, ac personas quascunque, & eorum bona a gubernio, regimine & administratione, correctione, visitatione, obedientia, superioritate ac jurisdictione ordinariorum locorum, præterquam in supradicto ac etiam in aliis casibus in quibus per concil. Trid. decreta ordinariis locorum, tanquam sedis apostolicæ delegatis etiam in exemptos jurisdictio tribuitur, & servata in iis forma constitutionis Gregorii prædecessoris hujusmodi quæ incipit *inscrutabili*, & non aliter dicta authoritate nostra eximas & liberes, ac gubernio & regimini, administrationi, correctioni, visitationi, obedientiæ, superioritati, ac omnimodæ jurisdictioni præfati visitatoris generalis similiter perpetuo subjicias & supponas, ac insuper ut dilectus filius modernus prior prioratus conventualis S. Lazari Cisterciensis ordinis, Suessionensis diœcesis, in quo viget arctior vel par observantia præfatæ regulæ S. Benedicti, per se vel aliquem seu aliquos ex suis monachis, quem aut quos ad id duxerit deputandum seu deputandos ad id voluntarios in strictioris regulæ hujusmodi institutis se conformando, monasteria erigenda hujusmodi in suis primordiis, & donec ipsis superiores aliqui præfecti fuerint, & non ultra regere & administrare, inibique novitios admittere, & juxta strictam omnimodam præfatæ regulæ S. Benedicti observantiam educare & dirigere, ac eorumdem possessiones regulares, servatis tamen servandis, recipere possint & valeant, licentiam & facultatem dicta autoritate nostra concedas & indulgeas, præsentes quoque litteras semper & perpetuo validas & efficaces esse & fore, neque sub quibus eis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos & successores nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, sedemque præfatam sub quibus eis verborum expressionibus & formis pro tempore quomodolibet factis nullatenus unquam comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacunque posteriori datas per priores & monachos pro tempore existentes monasteriorum sic erigendorum, quandocunque eligenda concessas esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, sicque per quoscunque judices causarum palatii apostolici, auditores & S. R. ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos & vice legatos, dictæque sedis nuncios judicari & definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane eadem autoritate nostra decernas, non obstantibus præmissis ac quibusvis apostolicis etiam in provincialibus, universalibusque conciliis, editis specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, ac monasteriorum & ordinum præfatorum, nec non prioratus S. Lazari hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo primo, III idus Aprilis, pontificatus nostri anno octavo. Sic signatum supra plicam H. Odan, loco plumbi cum cordula alba serica appensi.

XCII.

Testamentum Catharinæ a Lotharingia Romarici-montis & Consolationis B. Mariæ abbatissæ.

Au nom de la Très-sainte Trinité, Père, Fils & Saint-Esprit.

Nous Catherine de Lorraine, abbesse de Remiremont & de Notre-Dame de la Consolation, fondatrice à la parfaite Observance, de l'ordre du glorieux P. S. Benoît, à la Villeneuve de Nanci, avec la dispense & permission de feu notre S. P. Urbain VIII, cognoissant qu'il n'y a rien de plus certain que la mort, ni de plus incertain que l'heure d'icelle; en mon bon sens & santé, je déclare & fais mon testament de mes dernieres volontés. Et premier je rends mon ame à Dieu qui me l'a prêtée, & mon corps à la terre, voulant que mon corps, après ma mort, soit enterré à mon église, en la sepulture où mes cheres filles sont enterrées, sans aucune ceremonie que selon qui se pratique auxdites sœurs; & ne sçachant si Dieu me voudra donner la consolation de mourir à mondit couvent de Nanci, entre les bras de mesdites filles, j'ordonne & declare qu'après ma mort il ne se fasse aucune ouverture de mon corps, qu'une incision à l'endroit de mon cœur pour l'en tirer, & le faire mettre dans une boette de plomb, pour être porté à mondit couvent de Nanci, pour être posé à l'une des chapelles de madite église, telle que mesdites sœurs trouveront le plus propre, devant l'image de la Sainte Vierge que j'ai fait porter à l'eglise de la ville de Remiremont, voulant & entendant qu'elle soit mise pour table d'autel à ladite eglise, laquelle des chapelles mesdites sœurs trouveront la plus commode, faisant poser mon cœur dans le pavé devant ledit autel de ladite chapelle, un quarré de marbre dessus. 1636.

Tout ce qui se trouvera à mondit monastere de Notre-Dame de la Consolation, duquel je suis premiere abbesse & fondatrice, après ma mort, je le donne à mesdites religieuses & à l'abbaye, pour en faire selon leur propre, & en disposer à leur necessité & profit, comme mes

heritieres, non-seulement de ce qui s'y trouvera, mais de tout & un chacun des biens qui m'appartiennent & m'appartiendront à l'heure de mon deceds. Les charge de payer les gages de mes domestiques, qui est deux mille francs à mon medecin Valette, 100 francs à mon apoticaire Fagotin, & à mes autres domestiques selon que l'on les paye tous les ans. Que si Sa Majesté fait payer, comme je croye que sa bonté & son equité & la justice me le fait esperer, & que prosternée à ses pieds je lui en supplie en toute humilité, selon qui se trouvera que Sadite Majesté me doit de mes rentes & appanage que j'avois en la Lorraine, duquel, depuis l'année que Sadite Majesté est entrée en Lorraine, je ne touche aucune rente, j'ordonne à mesdites religieuses d'en payer mes dettes, & de payer desdits deniers qu'elles en toucheront, à Valette mon medecin, quatre mille francs, à mon apoticaire Fagotin mille, à Claude Henry mon pannetier, à François mon cuisinier, & Griliot mon laquais, chacun cinq cents francs, afin de prier Dieu pour mon ame. J'oubliois le sieur de la Vizé, à qui je dois six cents francs, lorsqu'il sortit de mon service pour aller servir madame & tres-chere niece altesse R. à laquelle, si je luy ay jamais rendu service qu'il luy en peut être recommandable, je luy supplie en toute humilité de le temoigner par la sollicitation qu'elle seroit de faire payer a mesdites religieuses de l'abbaye de Notre-Dame de Consolation de Nanci-la-neuve, ce qui sera reconnu m'être deu des non-jouissances des rentes que S. M. a levé depuis qu'il a entré en Lorraine. Desquels deniers j'en donne six mille frans aux Capucins de la province de Lorraine, qu'ils employeront à leur necessité, & aussi pour me faire participer à leurs prieres: mille aux peres Capucins de Saint Jacques de ce lieu, pour être participante à leurs prieres: mille à la paroisse de l'eglise de la ville de Remiremont, pour être participante à leurs prieres: mille à la chapelle de Saint Charles, pour y faire faire l'office de Saint Charles, & y prier Dieu pour mon ame: cinq cents audit hôpital de Remiremont, pour y dire une messe tous les ans, à tel jour qu'il plaira à Dieu m'appeler de ce monde: six cents frans pour une fois, aux pauvres de la ville de Remiremont & de la Senechaussée: mille frans à ma folle, que l'on met en rente pour l'aider à vivre, celle qui la prendra, jouira de la rente. Ce qui restera au surplus, soit mis entre les mains de mes religieuses pour payer mes dettes, je dis mes dettes bien reconnues, & pour les aider à achever leur bâtiment, & leur faire quelques petits fonds pour les aider à vivre.

Je supplie S. A. R. madame la duchesse d'Orléans de vouloir accepter la qualité que je lui supplie au nom de Dieu, d'être l'executrice de ce mien testament & de mes volontés; & pour aide je supplie M. le Nonce d'aprefent qui est en ce royaume, de me faire l'honneur d'en vouloir prendre la charge, recommandant & à S. A. R. & à mondit sieur, de ne me desnier cette grace, & de vouloir prendre en leur protection mes pauvres religieuses, & de ne permettre l'ouverture de mon corps, si ce n'est pour en tirer mon cœur; & afin de ne donner d'incommodité & la puanteur qui en pourroit A *provenir le transportant à Nanci, je supplie qu'il soit mis dans mon cercueil & la chaux pour porter mes os à mon couvent de Nanci. Je vous rends graces, o mon Dieu! de ce qu'il vous a plu me permettre d'ecrire & de signer de ma main ce mien testament, ce Dimanche penultieme de Decembre 1636; me reservant, si je vis, d'y pouvoir faire un codicile.* Signé *CATHERINE DE LORRAINE.*

XCIII.

Au nom de la Très-Sainte Trinité, Père, Fils & Saint-Esprit.

B *CEJOURD'HUY 13 de May, en mon bon sens & santé, je Catherine de Lorraine, je rescris ce codicile, par lequel je declare que je veux & entends que mesdites filles vivent à jamais dans la parfaite observance de la regle de Saint Benoît, pour jouir de tout ce que je declare cy-dessus leur donner; & pour ce faire j'ordonne que tant qu'il plaira aux R. peres Benedictins Anglois de leur accorder un de leur pere qui demeurera au couvent, & leurs peres Benedictins Anglois du prieuré desdits peres de Douloyart, ne voulant qui leur change ni innove aucune des pratiques de l'observance; au contraire je veux & entends qu'il les maintienne en ladite pratique & observance, comme aussi les religieux, qu'il reçoive & fasse recevoir des novices pour remplir les deux prieurés qui sont bâtis,* C *& qu'il en ait la charge; je dis le P. Visiteur, conformement selon la bulle de l'érection; suppliant l'altesse de madame Royale ma très-chere niece, d'en avoir un très-grand soin, que tout ce qui est ecrit dans cette feuille soit observé, & qu'il ne soit rien changé à mesdites volontés; comme aussi j'en requiers M.^r ledit Nonce d'y tenir la main, afin que ces pauvres filles ayent toujours plus le moyen de faire leur salut, & que ce grand ordre du glorieux Saint Benoît, soit reconnu & honoré. Bref, si dès cette heure étoit la volonté de mon Dieu, que je donnasse mon cœur, mon ame & ma vie, pour la faire reconnoître, je la donnerois, finissant en rendant grace à mon Dieu qui m'a fait religieuse professe de ce grand ordre, demandant à Sa divine M. pardon de tous les manquemens que j'y ai faits; ordonnant* D *à mes deux sœurs qui sont auprès de moi, soudain mon deceds, de prier le R. P. Fabien de les mener à M. le Nonce pour les conduire à sadite altesse R. pour ouvrir cedit papier, afin de leur faire voir mes volontés ecrites & signées de ma main, où ils verront la permission du feu Pape pour treter Catherine de Lorraine. Depuis cet ecrit, Claude Henri est sorti de mon service, je n'enteuns de ne luy rien donner, mais à Nicolas qui est mon domestique à present, ce que j'ay dû luy donner à sa place; & à Gascon mon apoticaire, deux cents frans pour ses gages, je dis de Lorraine. Ce 3 Janvier 1648.* Signé *CATHERINE DE LORRAINE. En lieu du pere Fabien, ce sera mon pere Confesseur de present.*

1648

INSTRUMENTA ECCLESIÆ VIRDUNENSIS.

I.

Dado episcopus Virdunensis plurimas res, quas inter abbatiam Montis-falconis, suæ ecclesiæ a rege Arnulfo traditas recenset.

893. ANNO ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi DCCCXCIII, regnante vero domino Arnulfo gloriosissimo rege, anno quinto, nostræ autem ordinationis 13, indictione 9. Ego Dado Virdunensis ecclesiæ episcopus, cœpi tractare in animo meo varios præsentis seculi casus, & priorum pontificum facta ad memoriam reducere, & eorum a nostræ ecclesiæ fidelibus sedulo ac salubriter investigare. Dominus igitur Hatto antecessor noster fuit temporibus Lotharii imperatoris, & item Lotharii filii ejus, & pervenit usque ad annum primum Caroli regis, qui pontifex venerandus multa memoria digna contulit ecclesiæ: de quibus pauca stylo commendare commodum duximus. Obtinuit namque apud regem Lotharium res per multa loca jacentes, id est in comitatu Virdunensi, Alberavillam, &c. Idem etiam venerabilis episcopus istam novam basilicam inchoavit, sed a successore ejus, avunculo videlicet nostro domino Berhardo episcopo, honorifice perfecta est. Qui etiam temporibus Caroli regimen istius ecclesiæ suscepit, & usque ad tempus Ludovici Germanici regis eam feliciter gubernavit. Iste inclytus pastor dominus Berhardus avunculus videlicet noster, in ecclesiasticis disciplinis ultra quam credi, vel fieri possit, ferventissimus extitit, & episcopale ministerium, & religiosam vitam admodum diligens, quamplurima isti ecclesiæ contulit, quæ nunc zelo ejus æternaliter testimonium perhibent. In basilica S. Petri & S. Vitoni posuit canonicos octo, & dedit illis res quæ ad ipsam ecclesiam pertinent, sicut eas tunc in suo dominatu habebat: decimam quoque arietum qui ad nostrum opus ex Brasensi centenæ congruis temporibus accipiuntur. Dedit etiam ad ipsum altare, unum sacerdotale vestimentum auro ornatum. Nos etiam qui divina dispositione ejus successor & ipsi domini Lodoici regis post avunculum nostrum istam ecclesiam gubernandam suscepimus, & post mortem ejusdem dominum Carolum fratrem ipsius imperatorem suscepimus, & usque ad tempus domini Arnulfi gloriosissimi regis, nepotis scilicet eorum, jam pervenimus, quicquid mihi commissæ ecclesiæ in rebus & familiis, in omnibus ornamentis ecclesiasticis, Domino adjuvante, addere potui, huic operi addere saluberrimum duxi. Hæc omnia solemni more supradictæ ecclesiæ dominus Carolus imperator delegavit, atque ad habendum perenniter concessit, Arnulfus quoque gloriosissimus rex dedit in proprium per auctoritatis suæ præceptum supradictæ ecclesiæ abbatiam, quæ vocatur Montis-falconis, quæ est in honore sancti Germani constructa, & in comitatu Dolinensi est sita, cum omnibus & sibi pertinentibus.

I I.

Ex autographo sancti Michaëlis.

Litteræ de destructione cujusdam capellæ injuste constructæ in loco nuncupato Masiriaco, &c.

943. IN nomine Salvatoris nostri Jesu-Christi. Notum maneat omnibus christianæ fidei cultoribus, qualiter actum sit de quadam capella injuste constructa in loco nuncupato Masiriaco super fluviolum Mattis, quam potestas beati Stephani Metis civitatis ex villa quæ vocatur Novi-sartis nuper irrationabiliter & contra legem canonicæ auctoritatis constru-

A xerunt, auferre cupientes partem decimæ Aciacensis ecclesiæ, quæ jure illi debebatur ex die quo primum fundata est. Widricus enim quidam comes depravatus consilio quorumdam iniquorum hominum fieri jussit præfatam capellam, ex cujus indignæ constructionis facto mox proclamatio facta est; sicque veniens Ludelmus Tullensis episcopus ad eumdem locum, nolarium ipsius capellæ evertit, campanas cum vestibus sacerdotalibus secum detulit, ipsam capellam anathematisavit secundum ecclesiasticam auctoritatem, omnesque qui ad prædictum locum deinceps attenderent, a liminibus catholicæ ecclesiæ repulit. Quam rem Drogo episcopus successor ipsius in synodo sancta nihilominus verbis & excommunicationibus confirmavit, & tali ordine præscripta capella in omni B tempore detenta est & proclamata juste, donec ipsa res ad certum devenit finem in præsentia Gauzelini Tullensis episcopi & Alberonis Metensis præsulis. Nam cum inde temporibus illorum contentio longa facta fuisset, rursus Gauzelinus episcopus eandem ecclesiam destruxit, domum magis canum quam sanctarum reliquiarum esse destinavit. Quæ contentio jussu Ottonis & Roberti archiepiscopi ad talem tandem pervenit finem, in villa Aciaco simul convenientes sæpe fati episcopi Gauzelinus & Adalbero cum suis ex utraque parte archidiaconibus & ministris ecclesiarum, septem presbyteros ex utraque parte jurare fecerunt ut ex hoc vera dicerent. Quod sacramentum peractum omnes una voce dixerunt injuste capellam C fuisse structam, & decimam ab ecclesia S. Michaëlis Aciaci villæ ablatam. Sicque judicio episcoporum, archidiaconorum, presbyterorum, nobilium & ignobilium virorum, Braunsinus, presbyter Novi-sartis addidit pervadium Gonsaldo presbytero ecclesiæ S. Martini ipsam decimam & Letardo præposito cœnobii almi S. Michaëlis, & ipsa capella a fundamentis destructa est, æternaliter ecclesiastico more damnata ne unquam instauretur, nec decima a præfata ecclesia auferatur. Hac ergo contentione legaliter finita, decretum est ab episcopis & ab omnibus qui in eodem conventu fuerunt ut inde scriptum tale factum esset, in quo posteri recognoscerent qualiter sub hac refactum fuisset; quod scriptum utrique episcopi fieri jusserunt. Si quis præfatam capellam D temerarius instaurare voluerit & scriptum hoc infringere conaverit, excommunicatione perpetuali damnetur, & bannum ecclesiasticum atque regium persolvat. Signum episcoporum Gauzlini & Adelberonis. Signum Evorini primicerii & archidiaconi Ursionis. S. Blidulphi abbatis. S. Wlfridi & Erardi primicerii & archidiaconi S. Evrardi archidiaconi. S. Varnerii, Barnefridi, Berengarii, Gisardi; nomina testium Winigii presbyteri, Heiredi, Teutgodi, Erpaldi, Ranerii, Villerardi, Guirardi & cæterorum. Signa nobilium virorum Hamedei, Haimonis, Rotfredi, Lamberti, Ragenbaldi, Sarigisi, Widonis, Hugonis, Humberti, Angelli, Bovonis, Grinardi, Teutmeri, Bosonis. Signa ignobilium, Rotmari, E Rotberti, Heldulfi, Harioli, Girardi, Bertradi, Salaconis, Bollini, Dodonis, Leutmundi, Ibaldi, Brandaldi, Vidonis, item Dodonis, Manegradi, Hadoeri. Actum publice in atrio S. Martini Aciacæ villæ, XIII cal. Aug. anno VIII regni Ludovici, anno I.° Ottonis, Roberto archiepiscopo, Ottone duce. Ego Odo cancellarius scripsi & subscripsi.

III.

Charta Berengarii, quarti post Berthaldum Virdunensis episcopi, pro monachorum in sancti Vitoni monasterium inductione, loco clericorum.

952. NOVERIT omnium Catholicorum tam præsentium quam futurorum industria, quod ego Berengarius S. Virdunensis ecclesiæ nomine non merito episcopus, anno meæ ordinationis duodecimo, memor nostræ ecclesiæ fratrum, quorum maxima pars dominica verba sæpius sequebatur dicentia: *vendite quæ possidetis & date eleemosynam, & habebitis thesaurum in cælo; & sequimini me fugientes terrena & amantes cælestia*, nostræ congregationis locum deseruere & monachicam vitam sumentes cœnobia extra nostram parochiam tentabant adire, ne postmodum nostra ecclesia de proprio thesauro suo pateretur damnum, favente seniore nostro gloriosissimo rege Othone ac Conrado Lotharii regni duce magnifico, congregatisque nostræ ecclsiæ fidelibus clericis & laïcis, pari voto atque communi consultu decrevimus in nostro episcopio quoddam monasterium, Domino annuente, stabilire, in quo nostræ ecclesiæ fratres activam vitam fugientes, contemplativæ vitæ solatium futuris temporibus valerent invenire. Tunc communi consilio evocavimus domnum Humbertum religiosum abbatem, qui ab ipsis infantiæ rudimentis in nostra ecclesia fuerat educatus & præbenda nostræ canonicæ perfruitus, nostri etiam episcopii baptisatus atque parochianus, donec infra scriptum aliorum fratrum exemplum sequutus, pro æterna retributione monachicam vitam sumpsit, ac communi cleri & plebis concordia & eorum nostrorum canonicorum, qui tum temporis monachicam aliorsum nitebantur accipere vitam, concessimus ei quoddam monasterium ad constituendam congregationem monachorum in honore S. Petri Apostolorum principis stabilitum, in quo requiescunt corpora SS. confessorum atque episcoporum Vitoni, Pulcronii, Possessoris, Firmini atque Madelrei, cum omnibus rebus ad eamdem abbatiam pertinentibus. Aspiciunt ad istud monasterium juxta Scanciam mansa sex & dimidium, molendina 4 cum banno ipsius villæ, &c. (omisi enumerationem bonorum). Hæc omnia pro salute animæ nostræ nostrorumque peccatorum absolutione tradidimus loca, & firma auctoritate & ratione nostra confirmamus, corroboramus atque stabilimus, successorumque nostrorum paternam largitatem flagitantes ut erga præfatum locum pium animum semper habentes, quæ pro animarum redemptione fecimus, rata esse sinant, quæ dedimus non minuant, insuper de suis addere studeant ita conservantes nostra sicuti & sua quæque perenniter manere voluerint decreta. Si quis vero vel pontifex vel princeps diabolico spiritu incitatus hæc aliquo modo subtrahere vel dissipare voluerit, nostro in primis anathemate percussus, centumque maledictionibus involutus, Dathan quoque & Abiron socius factus, iram Dei omnipotentis incurrat, atque æternis mancipatus incendiis inexpiabiles apud inferos pœnas luat. Ut autem hæc nostræ authoritatis traditio firmiorem vigorem obtineat, nostrorum fidelium manibus præsentialiter corroborari decrevimus. Anno Incarn. Dominicæ DCCCCLII, indict. IX, conc. V, epacta XXII. Hæc charta confirmata, corroborata atque conscripta est, præsidente Romanæ ecclesiæ papa Adriano anno sexto, regnante Othone imperatore augusto, anno regni sui in Italia primo, in Francia decimo sexto, episcopatus vero nostri duodecimo. Ego Berengarius præsul indignus subscripsi. Sign. Humberti abbatis, Vodonis abbatis, Bernerii præpositi, Alardi præpositi, &c.

IV.

Carta fundationis collegiatæ S. Petri ecclesiæ in pago Virdunensi sub Wigfrido episcopo.

NOSCAT omnium fidelium clericorum & laïcorum tam præsentium quam & futurorum industria, quod ego Hildegundis comitissa, anno ordinationis domni Wicfridi S. Virdunensis ecclesiæ antistitis, primo reminiscens vocem Domini dicentis, *facite eleemosynam & omnia munda sunt vobis*, pro remedio animæ meæ & animæ filii mei Rodulfi, nec non & pro absolutione parentum meorum, stabilivi duodecim canonicos in ecclesia S. Petri, 959.
B in pago & comitatu Virdunensi sita, & ecclesiæ S. Mariæ omniumque canonicorum Virdunicæ sedis testimonio, quatinus per succedentia tempora inibi tam ipsi quam successores sui Deo valeant servire, & pro animabus nostris clementiam Dei continuatim studeant implorare; quapropter usibus illorum præfatam ecclesiam S. Petri cum omni decimatione sua atque abbatia in eadem villa Amella nominata conjacente ex rebus nostræ proprietatis concessimus, de qua sunt mansi VIII, cum mancipiis utriusque sexus, & silvam ad saginandum porcos centum: dedimus illis præterea servientes VIII & molendina duo in eadem villa sita; simili etiam modo dedimus victui illorum villam unam Grimineiam vocatam, in eodem pago Waprensi & comitatu Virdunensi
C cum ecclesia in honore S. Mariæ stabilita, & molendino uno & silva, & mancipiis utriusque sexus, & pratis & omnibus adjacentiis ad eandem villam pertinentibus; pari etiam modo dedimus eis in eodem pago & comitatu ecclesiam unam in honore S. Martini constructam, cum pratis & cultura ad eandem ecclesiam pertinente; dedimus etiam illis in pago & comitatu Mosllinsi de terra vinifera, mansos V cum mancipiis utriusque sexus, de quibus mansis conjacent ad Bodingias duo & ad Adingias unus, & ad Morsingias unus, & ad fontes unus, & ad Valdonis curtem pratum unum & campum unum: & ut hoc notitiæ testamentum firmum permaneat, manu propria illud firmavimus, & manibus domni Wilefridi episcopi suorumque fidelium
D clericorum & laïcorum roborandum esse decrevimus, cum stipulatione subnixa. Actum anno ab Incarn. Domini DCCCCLIX, anno XXIII regni Otthonis imperatoris. Testes Rodulfus, Berardus, Betto, Goibertus, Bernerus, Fredericus, Adelardus, Ledowinus, Milo, Tedericus, Gillebertus, Almarus, Dod. Girvardus, Rainardus, Algerus. Signum domnæ Hildegundis quæ hoc notitiæ testamentum fieri & firmare rogavit. Signum domni Wicfridi episcopi, Eriwoldus cancellarius scripsit & subscripsit.

V.

Carta Wigfridi episcopi Virdunensis ecclesiam S. Amantii & S. Sulpicii, aliaque monasterio S. Vitoni concedentis. Ex cartario S. Vitoni.

E IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, universorum creatricis atque moderatricis Wikridus sanctæ Virdunensis ecclesiæ episcopus ac plebis Dei famulus. Circa 968.
Supernæ dispensationis pietate agitur quotienscumque cuilibet mortalium circa salutem suam aliquid bonæ actionis providere conceditur, maxime in his quæ ad cultum religionis sive ad reparanda Sanctorum loca pertinere videntur: quæ siquidem cura vel sollicitudo cotidiana nobis specialiter a summo pastore injungitur, qui pastores ecclesiæ non nostris meritis, sed divinæ dignationis clementia nominamur. Unde etiam universis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus tam præsentibus quam secuturis quoque testatione notum

esse volumus, quod quemdam in suburbio nostro A locum in honore S. Petri consecratum, beati vero Vitoni confessoris Christi corporali præsentia sublimatum, ceptum quidem in religionis gratiam invenimus, sed competentium rerum facultatibus, quæ ad custodiendum sanctitatis pertinent cultum, minus idonee structum fuisse perspeximus. Ideoque divinæ inspirationis instinctu præmoniti, & ne deperire in eo loco posset sanctitatis olim suscepta religio, simul uniti cum fidelium nostrorum consensus unanimitate, qui eumdem locum pio affectu a primordio visi sunt coluisse secundum apostolum audientes, & bonam semper illic voluntatem habentes ad victualem substantiam sub regula S. patris Benedicti Deo servientium monachorum, nostræ largitatis munere res quasdam illic decrevimus tradere quatenus absque penuria B fratres in sancta conversatione vivere, & regularem ordinem, Deo miserante, possent perenniter observare. Dedimus itaque eis ecclesiam S. Amantii in prospectu ejusdem cœnobii viandi vicinitate contiguam, cum his omnibus quæ ad eamdem pertinere videntur. Ecclesiam etiam S. Supplicii in villa quæ dicitur Marva, super fluvium Mosæ positam, & quidquid ad eam respicit, vineam Novæ-villæ, Radherii quoque curtem, Gillamæque curtem super fluvium Heyram secus utrimque, in fine scilicet silvæ Arguinæ sitas, cum suis ipsarum ecclesiis atque utriusque sexus mancipiis, molendinis, pratis, aquis aquarumque decursibus, silvis, pascuis, terris cultis & incultis, sive etiam quæ Francorum fidelium manu tradita industriæ nostræ vigilantia in ejusdem C loci possessionem probantur esse subjecta, id est Gundulfi-villam dono Rodulfi quondam militis nostri infra Wabram sita, ab Amellæ castro non longe distantem, cum medietate ecclesiæ, mansoque indominicato, mancipiis utriusque sexus, pratis, silvis, agris, pascuis, & cæteris illic pertinentibus. Hæc omnia supradicto loco firma ratione tradidimus, & tradentibus auctoritate nostra libenter inniti voluimus, ut monachi libera facultate divinis mancipentur obsequiis, & in ore eorum recordatio perenniter conservetur nostri memorialis, successorumque nostrorum paternam largitatem flagitantes, ut erga præfatum locum pium animum semper habentes, quæ pro redemptione animarum fecimus rata esse sinant, quæ dedimus non minuant, insuper de suis D potiora addere studeant: ita conservantes nostra sicut & sua, quæque perenniter manere voluerint decreta. Si quis vero vel pontifex vel princeps diabolico spiritu citatus, hæc aliquo modo subtrahere vel dissipare voluerit, nostro in primis communi anathemate perculsus, centumque maledictionibus involutus, Datan quoque & Abiron socius factus, iram Dei omnipotentis incurrat, atque æternis mancipatus incendiis inexpiabiles apud inferos pœnas luat. Ut autem hæc nostræ auctoritatis traditio firmiorem rigorem obtineat, & per succedentia tempora inviolabiliter permaneat, omnium nostrorum fidelium manibus præsentialiter corroborari decrevimus. Et quia pictura murorum fratres ejusdem loci nobis suggesserunt, pro quiete eorum præsentes nostra auctoritate firmamus, ut sicut ab hominibus E banni aliæ consuetudines, ita & hoc opus ab eis per propositum abbatiæ exigatur. Ego Wigfridus præsul indignus subscripsi. Sig. domni Adelmari ejusdem loci abbatis. S. Vodonis abbatis. S. domni Berardi abbatis. S. Bernerii præpositi. S. Adelardi præpositi, cæterorumque clericorum & monachorum huic cartæ devote faventium. S. Gotfridi comitis. S. Givardi. S. Adhelardi.

VI.

Carta Wigfridi episcopi Virdunensis de dono ecclesiæ Petri-villæ facto S. Vitono. *Ex cartario S. Vitoni.*

IN nomine S. & individuæ Trinitatis, WIGFRIDUS sanctæ Virdunensis ecclesiæ pastor & præsul indignus, sanctis successoribus suis omnibusque ecclesiæ fidelibus. 967. Nos qui temporalibus sufficimus & ad votum nostri temporalia cuncta contrahimus minus quam usus est in quæstu lucri perpetui & adquisitione æterni gaudii laboramus: quæquam his caducis & momentaneis dissimilia sint & disparia, ille verus magnitudinis & misericordiarum Dei scrutator probavit dicens, *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod Deus in se perseverantibus preparavit.* Verbi gratia, ut punctus ad amplitudinem cœli, momentum ad millena dierum millia, sic falsa hæc & transitoria, ad felicitatem & quietem perpetuam comparata. Trajicitur de die in diem hora unicuique mortalium ad tempus non ad æternitatem divina dispositione concessa, & securi jam ad radicem posita, quid superventura sit dies paritura, si mox, si hodie, si cras, si perendie mors infesta æquo pede turres regum & pauperum tuguria pulsans, humile pariter adcelsum involvens caput affutura sit, nullus scit, nemo nisi Deo præmonstrante qui noverit. His aliquamdisper experrecti satiusque communi cum multo nobis gratis a Domino Jesu-Christo concessa sint, ipsi de suis sibique famulantibus ultro aliqua offerre operi fore pretium duximus. In hoc enim verus Deus & homo hominem transcendit omni modo, gratiora enim sunt sua sibi dona relata, quam alicui nostrum aliena collata. Huc accedit ut quid rerum sit, quod dicere gestimus liquidius audientibus intentemus. Monasterium sancti Petri Apostolorum principis in vico & vicinia nostræ civitatis situm, a BERENGARIO episcopo divæ memoriæ decessore nostro honorifice inceptum & gloriosius consummatum, ubi etiam corpus domni & confessoris Christi Vitoni per multis, Deo gratias, adornatum quiescit miraculis. omni post ordinationem nostram amore coluimus, cogenteque nos & stimulante caritate & prudentia dilecti abbatis nostri ADELARDI, post virum videlicet sanctissimum HUMBERTUM religionis incentorem, & ejusdem loci post domnum episcopum fundatorem, secundi ope quantulocumque potuimus sustentare, utcumque curavimus & curamus. Inde victui fratrum ibidem Deo religiose servientium, pro remedio animæ nostræ & spe immortalis vitæ, & pro requie decessorum nostrorum simul & successorum, ecclesiam in Petri-villa locatam, cum decima nostro usui nostræque episcopali potestati synodali jure publice palamque omnibus adquisitam, cum manso mancipiisque & omni integritate, ita ut in die consecrationis ejusdem ecclesiæ, teste clero & populo sancitum est, pia devotione conferimus: ea videlicet conditione ut etiamnum dum hoc seculo vivimus, quo voluerint utantur usu. Post sequestrationem vero corporis & animæ vigilia & die anniversarii nostri victus eis inde pro dispositione abbatis copiosius amministretur. Si quis vero hujus sedis episcoporum, Deum non respiciens, nec humilem benivolentiam nostram, hancque imminuere & annullare statuerit non me hæc a ferculis suis abstraxisse, sed nostra nostrorumque diligentia ecclesiæ accumulasse jure & judicio noverit, seque moriturum fore cautus sit. Anno incarnationis Domini nostri Jesu-Christi DCCCCLXVII, indictione X: regnante Ottone imperatore augusto, præsidente huic ecclesiæ Wigfrido episcopo, stipulatione hujus cartæ Signum Wigfridi episcopi. Sig. Godefridi comitis. S. Givardi laïci. S. Constantini. S. Rotgeri. S. Richardi. S. Rodulfi. S. Dudonis.

S. Milonis. S. Adelardi abbatis. S. Humberti abbatis. Sig. Heredonis abbatis. S. Ermenrici presbyteri. S. Arnulfi decani. S. Bernerii primicerii. S. Milonis abbatis. S. Amalrici decani. S. Wildeberti capellani. S. Hadebaldi economi. S. Richeri archid. S. Amalrici archid. S. Warmundi hospitalis. S. Heriberti decani. S. Johannis. S. Riculfi. Ego Reynerius ad vicem Bernerii archicancellarii recognovi.

VII.

Ex autographo archivis episcopatus Metensis.

Carta fundationis prioratus de Amella auctoritate Remberti Virdunensis episcopi sub Sigifrido abbate Gorziensi.

1032. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego REMBERTUS Virdunensis ecclesiæ humilis episcopus, notum esse volo omnibus successoribus meis pontificibus & cunctis hujus sanctæ sedis fidelibus, domnum SIGIFRIDUM abbatem Gorziensis cœnobii quod in Metensi vicinio & diœcesi situm est me suppliciter exorasse, ut meo assensu & auxilio posset in villa quæ dicitur AMELLA nostræ diœcesi subdita, ad laudem & servitium Dei monachos collocare & regularem institutionem confirmare. Considerans igitur hanc ejus petitionem divinæ voluntati concordare, simulque metuens animæ periculum incurrere, si ejus desiderio contraire præsumerem. Sperans vero participem me præmii affuturum, si ei cooperator existerem, libenter assensum præbui, & ut id rite & ordinate quantocius fieret, Deo annuente, exhortator simul & auxiliator extiti. Quia vero monachicæ religioni inquietudo plurimum obesse solet, altare cum ecclesia, in qua monachi Deo deserviunt & deinceps servituri sunt in præsentia nostri cleri & totius sanctæ synodi, ea libertate qua alia monasteria prædita sunt donamus, ut scilicet nihil inde quoquam præter eam quam monachi episcopo debent subjectionem exigatur. Obsequium autem quod hactenus in prædicta S. Petri ecclesia in baptizando sive missas celebrando a presbytero loci ipsius populo exhibebatur, amodo in ecclesia S. Martini quæ vicina est a vicario monachorum exhibendum statuimus, & synodali auctoritate confirmamus; utque hæc nemo deinceps infringere præsumat, sub anathematis interdictione tam modernos quam posteros exoramus, ea dumtaxat conditione interposita, ut prædictum monachicum ordinem nullus episcopus vel abbas exinde auferre aut velit aut possit. Quod si, quod absit, contigerit, & altare ad pristinam redemtionem & locus ipse ad antiquam redeat subjectionem.

Actum publice Virduni, in legali synodo, VIII idus Septembris, anno ab Incarnatione Domini M. XXXII, indictione XV, regnante nobilissimo imperatore CONRADO anno VIIII regni ejus, imperii autem V; anno quoque filii ejus HENRICI IIII, duce FREDERICO, comite GOTFRIDO, testibus DUDONE primicerio, Rodulfo, Frogero, Willelmo archidiaconis, Theoderico, Dudone, Winclando, Albrico, Thietgero, Leudone. Ego Reginundus cancellarius recognovi.

VIII.

Altare de Vivariis ab archiepiscopo Remensi monasterio S. Vitoni concessum.

1040. EGO Wido gratuito Dei munere Remorum archiepiscopus innotescere volo cunctis præsentibus & futuris ecclesiæ nostræ fidelibus, quod altare de Vivariis tradiderim cœnobio beati Petri sanctique Vitoni in suburbio Virdunensi in dando accepta occasione hujusmodi. Richardus abbas & fratres ejusdem cœnobii questi sunt apud me, quod antecessor meus domnus Œbalus injuste abstulerit monetam Mosomensem de cœnobio supradicto, quam legaliter tenebant ex dono imperatoris Henrici, interventu quoque Herimanni comitis cujus beneficium extiterat, hanc enim suæ monetæ Remensi conjunxerat, de qua re sæpius conventus a domno abbate Richardo ac fratribus ejus cum timuissem reddere quam repetebant monetam, ne viderer mutilare nostræ utilitatis commodum & Remensem monetam imminuendo viliorem facere, habito consilio cum clericis fidelibus & laicis nostris pro restauratione monetæ Mosomensis, & quia Deus honoratur in servis suis personæ ab eis præsentatæ altare supradictum tradidi, dato tenore hujusce privilegii ut persona defuncta alteri personæ ad opus monachorum altare reddatur absque omni pecunia, talisque sit personarum successio per secula. Hoc decretum auctoritatis nostræ præcepti conscriptione studuimus confirmare. Ne quis amodo præsumat violare, sed & si quis temptaverit, videat ne sibi januas cœli clauserit, quod janitori injuriam res ejus auferendo intulerit. Signum Vidonis archiepiscopi. S. Harduini. S. Gontranni. S. Pichardi. S. Gerardi. S. Rogeri. S. Odalrici. S. Seiberti. S. Herimanni. S. Widrici. Anno ab Incarnatione Domini M. XL, indictione VIII. Actum Remus, regnante Heinrico rege anno secundo, episcopatus D. Vidonis anno VII.

IX.

Privilegium Henrici III Romanorum regis monasterii S. Agerici Virdunensis fundationem confirmantis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia rex Romanorum. Si res 1041.
sanctarum ecclesiarum nostræ auctoritatis firmamento stabilire studuerimus, retributionem sine fine mansuram nos recepturos minime dubitamus. Quapropter omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium & nostrorum tam præsentium quam futurorum universitati notum fieri dignum duximus, quod nos ob interventum ac petitionem RICHARDI Virdunensis episcopi, nec non & BALDERICI abbatis, monasterio in honore beatorum Confessorum videlicet Martini atque Agerici constituto, quod RAIMBERTUS ejusdem loci venerabilis episcopus divina misericordia perculsus, consilio & consensu nostri genitoris, scilicet CHUONRADI bonæ memoriæ imperatoris, ab ipsis fundamentis ædificavit, & cui prædictum BALDERICUM primum abbatem præfecit, omnes res ab eodem episcopo REMBERTO eidem monasterio pro salute animæ suæ concessas, videlicet in eadem civitate Virdunensi mansos II & curtilia XXXI, molendinum I, Filieres cum ecclesia & mansis XV, atque mancipiis utriusque sexus, & silva & duobus pratis atque duobus molendinis; in villa Balereis capellam cum manso I & pratis III; apud Lupinum montem mansos VI & VI curtilia; in villa Cigniolis, videlicet in pago Barrensium ecclesiam cum mansis III, Mundrico curte mansos II cum pratis III & silva, in Civinzei-villa mansum I cum III curtilibus & pratis II; in villa Hunonis mansum I cum prato & curtile I; in villa Madrey dimidium mansum cum prato & curtili I; in Castri-villa pratum I & vineas II, ac dimidium mansum cum silva; in Parnei-villa vineas VII; in Hunrico monte dimidium mansum & integrum, & curtilia quatuor & pratum I; in Heldonis villa quartam partem unius mansi; in Betelani villa bonaria quinque & curtile I, & pratum I & silvam. Hæc omnia cum omnibus suis pertinentiis nostra præceptali auctoritate confirmamus & corroboramus. Et ut hujus nostræ confirmationis firmamentum omni tempore inconvulsa permaneat, & ab omnibus verius credatur & diligentius observetur, manu propria præsentem paginam firmantes sigilli

nostri impressione jussimus insigniri. Data idibus Februarii, indictione IX, anno Dominicæ Incarnationis M. XLI, anno autem domni Henrici tertii, ordinationis ejus decimo tertio, regni vero secundo. Actum Trajecti feliciter, amen.

✠ Signum domni Henrici tertii.

Eberhardus cancellarius vice Hardonis archicancellarii recognovi.

X.

Privilegium monasterio sancti Mauri Virdunensis a Leone IX papa concessum.

1049. LEO episcopus servus servorum Dei, Fratri Theoderico Virdunensis ecclesiæ præsuli suisque successoribus in perpetuum. Si devotis Dei fidelium petitionibus assensum dederimus, videlicet ut res sanctarum ecclesiarum eorum procuratione commissas, unde duplæ refectionis pastu sustentari debeat grex dominicus nostri apostolici privilegii auctoritate firmare debuimus, universalis sanctæ ecclesiæ statui profuturum minime dubitamus: immo ab ipso divinæ misericordiæ fonte large remunerari credimus. Unde omnium Catholicorum Deoque placentium universitas noverit jam dicti Theoderici dilectissimi præsulis consensu, & Avæ abbatissæ pio precum interventu, locum in suburbio Virdunensi, juxta rivulum Scaniæ situm, & in honore sancti Johannis-Baptistæ & S. Johannis Evangelistæ consecratum, ubi sanctorum Mauri, Salvini atque Aratoris corpora ab ejusdem urbis venerantur incolis, quæ Heimo episcopus renovavit & instruxit propter aquæ commoditates, ac moniales quas ibi sub monastica regula ordinavit, usualia sua omnia intra finis loci ipsius habere possent me apostolicæ auctoritatis munimine firmare, ne quicquid idem episcopus cæterorumque Dei fidelium pia devotio ibidem contulerat ab aliquo sanctæ ecclesiæ inimico posthac violari contingat, res autem ecclesiæ eidem pertinentes quas confirmare statuimus præsentis descriptionis pagina demonstrari, videlicet villam Calvum-montem & omnia ei pertinentia, villam Marf..... & quidquid ad eam pertinere videtur, Hattonis masnile, Callon villam, Bilegium cum vineis & familia, Amalgisi villam, Adasc cum omnibus sibi pertinentibus, Gundrici curtem similiter, ad Labriam mansos novem cum familia, Bellei curtem ad Briodorum mansos novem cum molendino & ejus appendiciis, in Molengeia curte mansos VII cum farinario, in Samongeia mansos duos & dimidium, ad Grimaldi curtem mansos XI cum farinario, subtus Leodium, in loco qui dicitur ad sanctum Remigium, VII mansos cum ecclesia; subtus Virdunum Novam-villam ad Tullidam VIIII mansos & dimidium; Petri-villam in Arduenna ad villam quæ dicitur Nervia mansos decem cum familia; ad Properiam decimam cum omnibus indominicaturis; in Franculfi-villam ecclesiam unam, ad Sampiniacum I, ad S. Julianum I, in Mandris unam, ad villam I, ad Cassum unam cum capella, ad Ymbeiam unam, ad Trogium unam, ad Ranserias unam, ad Malameias unam, ad Prodagium unam, ad Arberevillam unam & quartarios quinque cum piscaria, ad Domnum-petrum unam, ad Braz unam, ad Louon-montem unam, ad Ornam unam, ad Unfli-villam unam, ad Romannas unam, ad Pilon unam capellam S. Lamberti in civitate & S. Medardum ipsius abbatiæ ecclesiæ adjacentem, ad S. Hilarium piscariam cum manso unam, in Samongeia piscariam unam, teloneum in civitate infra muros mansos duarum librarum, molendina duo subtus novum pontem in Floraco super fluvium Airam mansos XII comitissa Oda eidem ecclesiæ in qua & sepulta est contulit, & ad domnum Johannem mansos XII cum ecclesia supra Cosantiam, & prædium quod adquisivit in Lovon-montem *de Braibant*; ecclesiam in honore sanctæ Crucis quam Heimo episcopus rebus undequaque adquisitis dilatavit canonicis inibi constituis, qui hebdomadarii in jam dicto monasterio divinis inserviant monasterio, nec canonicam nisi ab abbatissa recipiant. Earum autem rerum hæc sunt nomina ad Romanias mansos IIII & dimidium cum banno, ad Azennam bannum & sylvam, ad Villam mansum unum cum molendino, ad Crucem alodem cum sylva, ad Casson curtem mansum dimidium, ad Aldevi-villam alodem juxta civitatem heminas III ad Aldeberi pontem I, ad Dodam-vallem I, ad Domar-vallem I, ad Elnam quartarios sex infra muros duas vineas, ad Ronneivillam mansos duos & quartarios tres mansos, in civitate qui solvunt solidos VIIII clibanum unum, ad Novam-villam mansum unum & dimidium. Hæc nostra omnia quæ præscriptio continet iam urbana quam rustica, in ædificiis, vineis, pratis, sylvis, campis cultis & incultis, utriusque sexus mancipiis, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscariis, ecclesiis, capellis, sicuti jure & legaliter atque canonice ad hoc monasterium pertinent, ita vobis successoribusque vestris cedimus episcopis & confirmamus in perpetuum, ita quod ad altaria ecclesiarum in episcopio vestro sitarum, sicut eis concessisti nulli liceat aliam introducere personam, nisi quam ex sororum suarum consilio abbatissa conduxerit, eligendi vero abbatissam secundum Dei timorem & canonum decreta liberam ipsis concedimus facultatem; sed si controversia orta fuerit ad episcopum pertinebit, ut sicut bonus pastor idoneam ecclesiæ illi provideat personam, vel de sua vel de alterius diocesi. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostrum apostolicum privilegium extiterit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, Apostolorumque principis petri & nostra anathemate innodatum, ut a regno Dei fiat alienus atque Judæ traditoris Domini nostri Jesu-Christi socius in Inferno, & excommunicationi subjaceat, donec resipiscens ad satisfactionem & congruam emendationem venerit; qui vero pio intuitu curator & observator hujus nostri apostolici privilegii extiterit, benedictionis gratiam & cœlestis regni gaudium a Domino nostro Jesu-Christo consequi mereatur in secula seculorum, amen.

Datum VIIII cal. Novembris per manus Petri diaconi, bibliothecarii & cancellarii S. Apostolicæ sedis, anno domni Leonis VIIII papæ primo, indictione tertia.

X I.

Carta Richardi abbatis in qua fit mentio Lethardi comitis, imperatoris Conradi consanguinei, apud S. Vitonum facti monachi.

EGO Richardus abbas nomine tenus domni Fingenii successor quamvis indignus, quasdam commutationes quæ factæ sunt nostro tempore de nostris hominibus ad locum nostrum pertinentibus, huic schedulæ ob memoriam posterorum qui post nos futuri sunt inserere dignum duxi, quo memoriale perpetuum sit nostris in posterum potestatem, etenim quæ vocatur Bailodium nobilissimus comes LOTHARIUS antequam efficeretur monachus tradidit nostro loco in perpetuum, CONRADI imperatoris nepos & consanguineus, qui etiam postea pro salute animæ suæ inibi monachus est effectus. Post traditionem vero potestatis hujus, perpetratum est quoddam homicidium in finibus ipsius, pro qua re quamplurimi hac & illac dispersi sunt, sicut contingere sæpius solet quamplurlbus mortalibus; unde quidam homo nomine Harvardus, cum uxore sua Celsa filiaque nomine Ava compulsus est exire a regione ipsa, quoniam de illorum qui hominem occiderant fuerat *Circa 1050.*

fuerat parentela, nec tamen conscius in perpetratione ipsa. Veniens ergo in civitate ista cum uxore & filia, a domno LETHARDO, quoniam adhuc erat in seculo, commendatus est in advocatiam cuidam nobilissimo militi ARNULFO de Hattonis castello, qui postea est monachus in S. Paulo. Prædictus ergo comes Lethardus tempore episcopi Haimonis sub me monachus effectus, petiit & petendo obtinuit, quatenus prædictum hominem cum uxore & filia habitare permitteret in Holdonis villa, quoniam quædam pars terræ illius tunc temporis nostræ ecclesiæ fuerat data & nobis comparata. In hac ergo manserunt cum sua propagine, filiosque & filias genuerunt, ut habet seculum sese. Avam namque filiam eorum accepit Bernuinus in conjugium, & de ipsis exierunt duo fratres Marbcio & Robertus, nec non Angelsuidis atque Constantia ipsorum sorores. Angelsuidis accepit virum nomine Constantium, ex qua genuit duos filios Gillebertum & Sarvardum. Constantiam vero post legitimam uxorem jam defunctam, lecto suo, ut sibi visum est, copulavit & conjunxit Arnulfus clericus frater Sarvardi militis, & quotannis advixit censum ipsius mulieris per villicos absque ulla contradictione seu de sua femina S. Vitonus accepit, ideoque filiæque quas ex ipso genuit jure matrem debent sequi, sicut sancit lex Romana atque Salica.

XII.

Carta Theoderici comitis sepulturam apud sanctum Vitonum sub Richardo abbate eligentis.

Circa 1050. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quicumque Christianorum fidelium Dei ædificare domum, vel etiam temporalium rerum suarum loca Sanctorum in Divini nominis portionem ampliare ac sublimare electa decreverit, æternæ procul dubio remunerationis mercedem ab ipso omnium retributore bonorum recepturus erit. Ex hoc enim potissimum lucri præmium a conditore omnium Domino sine dubio promerebimur, si venerabilia Sanctorum opportune ordinata ad ampliorem agrorum fructum bonorum usibus fuerint augmentata. Debitum est omni Christiano, unicuique fideli viro, post innumera facinorum delicta, saluberrimam Dei misericordiam de adquisitis reditibus mercari, Dominica attentius rememorans verba. *Vendite quæ possidetis*, inquit, *& date pauperibus, & habebitis thesaurum in cælo.* Quod ego THEODERICUS comes perpendens sollicite pro animæ meæ remedio affiniumque meorum, per manus RAMBERTI episcopi & GOZELONIS ducis, & militum AMALRICI & WENELANDI & ROTHARDI, tradidi loco B. Petri Apostolorum principis, ubi requiescunt corpora SS. Vitoni, Sanctini, Pulcronii, Possessoris & Madelvei, juris mei fundum, scilicet ecclesiam de Metionis regali traditione. Ipso loco præest domnus abbas RICHARDUS, cujus sanctitate, Sanctorumque intercessionibus, hæcque eleemosyna confisus corpus meum ibi sepeliendum devovi. Quod si quis, aliqua potens vel suspecta persona contra hanc donationem perverso & maligno corde insurgere voluerit, & eam quodam modo infringere tentaverit, in primitus iram Dei incurrat, & cum Juda traditore inferni pœnas sustineat. Testes hujus traditionis qui affuerunt sunt hi, Gerulsus, Leudo, Johannes, Drogo, Albertus, Riculsus, Ilembaldus.

XIII.

Privilegium Leonis papæ IX fundationem sancti Agerici confirmantis.

1051. LEO episcopus servus servorum Dei, ecclesiæ SS. confessorum Martini & Agerici, & per eam BALDERICO abbati suisque successoribus,

A eorumque monachis Deo inibi perpetuo famulaturis, æternam in Domino salutem. Convenit apostolico moderamini, ut ecclesiastico prudenter ac sapienter in omnibus provideatur honori, ne si, quod absit, summi pontificis præcesserit incuria, aliorum pastorum ad deteriora magis quam meliora declivium grex & pabula male tractentur desidia. Quapropter precibus THEODERICI Virdunensis episcopi idem bonæ conversationis prædictus abbas fidelis ecclesiæ suæ provisor ad nos satis humiliter ac decenter veniens, hoc nostræ apostolicæ auctoritatis privilegium sibi rogavit & obtinuit. Taliter ergo justæ petitioni accommodato assensu, bona omnia, quæ a quibuscumque Christi fidelibus præfatæ ecclesiæ concessa vel umquam concedenda sunt, & nominatim illa
B quæ sine alicujus contradictione & libera omnino potestate bonæ memoriæ RAIMBERTUS Virdunensis episcopus contradidit, & de quibus apud monasterium S. Pauli ad eamdem civitatem situm facere cœpit stabile concambium, quod & venerabilis ejus successor RICHARDUS, ob charitatem Dei & memoriam antecessoris sui qui ecclesiam illam monachorum incepit, & Domino miserante elaboravit, hac sacra nostræ apostolicæ confirmationis pagina corroboramus, & firma stare sancimus. Præterea præcipimus & sancta primæ sedis auctoritate prohibemus, ut nullus imperator, nullus rex, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicecomes, nullus advocatus, sed neque archiepiscopus, episcopus vel aliqua ecclesiastici ordinis seu mundanæ
C conditionis magna parvaque persona in hanc constitutionem insurgere audeat. Si quis autem animæ suæ futurum detrimentum non timens, nec saluti suæ præcavere culpam de infringendo privilegio seu perverse immutando incautus incurrerit, sciat se statim, nisi cito resipuerit, insanabili percussum jaculo divini anathematis. Qui vero salutaria nostra præcepta & consilia debita subjectione & sibi proficua humilitate servaverit, prospera commoditate salutis, & dono accumuletur apostolicæ benedictionis.

Data IIII idus Januarii per manum Vidonis Tullensis ecclesiæ primicerii, & sanctæ & apostolicæ sedis cancellarii & bibliothecarii, anno domni Leonis IX papæ III, indictione III.

D

XIV.

Theodericus episcopus Virdunensis dat abbati S. Michaëlis post dedicationem factam ecclesiæ duo altaria. Ex autographo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit 1078.
præsentibus & futuris, quod ego THEODERICUS ecclesiæ Virdunensis episcopus, ecclesiæ S. Michaëlis quiddam quod mei juris erat pro loci dilectione & ALBERTI ejusdem loci abbatis amore, & animæ meæ salute & servitio Rohardi mei capellani concessi, quod, ne irritum fieret, ad memoriam posterorum testamento transmittere procuravi. In renovatione ecclesiæ cripta jam ædificata ad eam dedicandam cum domno Trevirensi archiepiscopo Udone &
E Tullensi episcopo Udone adveni, & ad restitutionis ecclesiæ auxilium altare ecclesiæ quæ ibidem est in suburbio ei cœnobio perpetuo habendum tradidi, & id petitione Milonis primicerii, Heinrici archidiaconi, Gepuini vicedomini, Lamberti celerarii feci, prædictum igitur altare sub omni integritate ecclesiæ S. Michaëlis liberum esse permisi, ut exceptis exeniis nihil ultra pro eo exigeretur, sed sine omni pretio secundum abbatis voluntatem sacerdos inibi collocaretur, supradicto etiam abbate terris exempto successor ejus domnus abbas Soifridus nos adiit, pro cujus dilectione & animæ meæ salute, & communi fidelium meorum tam canonicorum quam laïcorum consilio & petitione eamdem traditionem renovari &

confirmari placuit, addito insuper altari ecclesiæ A
Troniaci quod eadem lege qua & supradictum altare eidem cœnobio perpetuo habendum tradidi, & sub omni integritate ecclesiæ S. Michaëlis liberum esse concessi, ut exceptis exeniis nihil ultra pro eo exigatur, sed sine omni pretio secundum voluntatem abbatis sacerdos inibi collocetur; ut autem hæc nostra utrorumque altarium traditio sit rata, & omnium successorum meorum permissione probata, sub vinculo anathematis hoc meo signo adnotavi, eorum qui interfuerunt testimonio & signis confirmari placuit. S. Rodulphi abbatis. S. MILONIS primicerii. S. RICHERII decani & cancellarii. S. Lamberti archidiaconi. S. Rodulphi scholastici. S. Bosonis capellani.

S. Gerardi archidiaconi. S. Stephani cancellarii. B
S. Hinguonis militis. S. Letardi militis. S. Benzelini judicis. S. Hugonis albi.

Actum publice Virduni tertio idus Decembris, anno ab Incarnatione Domini M. LXXVIII, indictione secunda, regnante rege Heinrico quarto, Theoderico episcopo qui hanc cartam fieri jussit, anno episcopatus ejus trigesimo septimo.

X V.

Diploma Henrici imperatoris pro Theoderico episcopo Virdunensi.

1086. IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia tertius Romanorum imperator augustus, omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus qualiter nos dilecto patri nostro Virdunensi episcopo Teoderico, ob fidele servitium ipsius, ac per interventum fidelium nostrorum Hammanburgensis archiepiscopi, Liemari Lausannensis episcopi, Burchardi nec non cancellarii nostri Herimanni & capellani nostri Johannis, ad usum suum & in proprietatem S. Mariæ Virdunensis ea prædia dedimus, quæ comitissæ Mathildis fuerant, & in potestatem nostram seu proprietatem lege & judiciario jure pervenerant, videlicet Musacum majus & minus, & Satiniacum; confirmamus etiam illi abbatiam Juviniaci, castellum Mireuvaldi cum foreste quæ dicitur Wauria, & curtem quæ dicitur Bonum-villare, duce advocato & marito Godefrido Beatricis matris ejus, per manus nobilium Gotberti, Rosfridi, Isembardi sibi & ecclesiæ suæ traditum & investitum, antequam comitissa Mathildis rea fuisset majestatis imperialis; confirmamus Puteivillare, prædium Arei ab eodem Godefrido datum, Gemmacum a Godefrido juniori filio ejus pro remedio utriusque datum, curtem Macram, curtem Duriam nostræ proprietatis a Johanne cujus erat beneficium, pecunia sua redempta, pro anima nostri Heinrici imperatoris patris & devota interventione matris Agnetis sibi & ecclesiæ suæ donatam; alodium quod dicitur Helefchi, cum ecclesia & omnibus appenditiis suis datum, Romæ acquisitum Sutriæ manu & regia carta confirmatum; Alodium Heinrici *de Asche* apud Lesuram super ripam Mosellæ situm, consensu matris & filiorum sibi & ecclesiæ suæ traditum, omnia tempore suo & antecessorum suorum acquisita confirmamus; prædia a duce Godefrido & a filio ejus tradita confirmamus; prædia supra nominata comitissæ Mathildis facta nostri juris, postquam judicata est rea majestatis imperialis, donamus & corroboramus, cum omnibus appenditiis suis, terris cultis, incultis, areis, ædificiis, mancipiis, campis, silvis, viis, inviis quæsitis, inquirendis, pascuis venatione, piscatione, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, exitibus & reditibus, seu cum omni utilitate quæ ullo modo inde potest vel poterit provenire; & ut hæc nostræ donationis auctoritas omni ævo stabilis & inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi quam sicut infra videtur manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Signum domni Heinrici tertii Romanorum imperatoris augusti.

Data cal. Junii, anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXVI, indict. VIII, anno autem domni Heinrici imperatoris regni quidem XXX, imperii autem secundo. Actum Metis in Christi nomine, feliciter, amen.

Hermannus cancellarius vice Wezelonis archicancellarii recognovit.

X V I.

Carta fundationis cellæ Barrensis a Pibone episcopo Tullensi.

IN nomine sanctæ Trinitatis & individuæ unitatis. 1088.
Universi nos pastores dicimur qui religionis multiplicandæ sollicitudinem semper a Domino circumferre jubemur, magna cordis alacritate debemus suscipere, si quem de sanctitatis desiderium in cordibus subjectorum nostrorum cernimus fructificare: quod ego Dei gratia Tullensis episcopus nomine Pibo in venerabili Sophia Barrensi comitissa reperiens vehementer exultavi, & ne flamma concepti desiderii rursus in ea tempore frigeret aliquo exhortationis meæ subministrare curavi. Cellulam quippe monachorum in parrochia nostra, scilicet apud Barrivillam placuit sibi ædificare, & cœnobio S. Michaëlis
C in episcopatu Virdunensi super mosam subjectam facere, ut ex eodem cœnobio fratres prædictæ cellæ providerentur, qui nocturnis laudibus atque diurnis summo regi Christo famularentur. Placuit etiam nobis ut in aliquo mulieris ejus tam sanctæ devotioni subveniremus, & fratribus ibi famulantibus ex eis quæ ecclesiæ nostræ pertinent suffragium aliquod misericorditer impenderemus. Igitur habito communi consilio fratrum nostrorum, videlicet Tullensis ecclesiæ, dedimus S. Michaëli altare apud eandem Barri-villam in honore S. Mariæ semper virginis consecratum, ea tamen conventione interposita ut Theodericus ipsius ecclesiæ pastor tota vita sua pastoris privilegium retineret, nisi Dei amore & monachorum dilectione spontaneus relinquere vellet. Post hunc vero Theodericum dotem cum decimis,
D luminaria cum eleemosynis & oblationibus, sine omni diminutione vel alterius participatione monachis concessimus, sic tamen ut congruam personam abbas vel fratres archidiacono & consilio repræsentet, quæ curam animarum ab episcopo suscipiat, & redditus statutis temporibus ecclesiæ Tullensi persolvat, ab omni alio debito libera a nobis constituitur, ne fratres inibi Domino servientes alterius debiti ratione sollicitentur. Hujus ecclesiæ donum in cœnobio S. Michaëlis super altare quoddam parvulum consecratum fecimus, & præcepimus ut ad prædictam cellulam transferrem quoquo modo ibi perpetuum memoriale veritatis hujus retineretur; ad hanc vero certitudinem comprobandam testes idonei tam laïci quam clerici hic annotati continentur,
E quorum testimonio rei veritas, si aliquando in dubium venerit, posteris manifestetur. Primus videlicet Ricuinus, Stephanus, Hugo archidiaconi Tullenses, Theomarus, Albertus capellani episcopi, Theodericus decanus, item Theodericus Barrensis, Rainardus, Robertus & capellani comitissæ, Vrezelo, Albricus, Trevalo milites autem Barrenses; hii præsentes fuerunt Theodericus castellanus, Vido, Petrus, Isembardus, Berouvardus, Harvinus de Monciaco, item Harvinus, Rainaldus, Witerus, Valterus casati sancti Michaëlis, Theobaldus, Viricus, Erlebaudus, Ancherus, præsente etiam domno ejusdem cœnobii abbate Seyfrido, cum fratribus suis quorum hic nomina continentur, Urricus prior, Wadolphus,

Maingaldus, Ornatus, Dudo, Richardus, Warmundus. Actum anno ab Incarnatione Domini M. LXXXVIII, indictione XI, concurrente VI.° vere intrante epacta, cal. Sept. feria VII. Quod ego Dei gratia Tullensis episcopus Pibo, præsentibus ecclesiæ subscriptis fratribus libens ordinavi, cartam inde fieri præcepi quam proprio sigillo signavi & corroboravi, anathematis vinculo constringens omnes personas quæ fratribus inibi Deo servientibus aliquid ex omnibus quæ eis concessimus, qualibet occasione impedire, subtrahere vel minuere tentaverint, & benefactum quod eis devoto animo & amore spontaneo, nec non probabilium personarum tam clericorum quam laïcorum, tam virorum quam mulierum petitione præstitimus, ulterius contradicere præsumpserint omnibus aut........ qui eisdem fratribus sive rerum sive verborum consolationibus aliquid præstiterint suffragium, pax & gaudium, & vita cum Christo Domino nostro in secula seculorum, amen.

XVII.

Duæ ecclesiæ, una in monte S. Martini, altera in Villari, itemque capella, abbatiæ S. Vitoni traditæ.

1096. IN Dei omnipotentis nomine. Noverint omnes præsentes & futuri, quod ego Albertus comes *de Misau* tradiderim beato Petro, sanctoque Vitono de Virduno, per manus venerabilis Rodulfi abbatis, duas juris mei ecclesias, unam in monte S. Martini, & alteram in Villari, & capellam *de Longui*, cum omnibus pertinentiis suis, videlicet utriusque sexus familiis, terris cultis & incultis, pratis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, eo tenore ut monachi Deo inibi famulantes, in perpetuum sine aliqua calumnia vel contradictione quiete eas possideant, ordinent atque disponant, meique memoriam hac eleemosyna sustentati de cætero habeant. Feci autem hanc traditionem Metis, in monasterio S. Clementis, VI idus Maii, multis utriusque ordinis astantibus, & pro amore prædicti abbatis multa devotione huic traditioni faventibus, anno Incarnationis Dominicæ M. XCVI, indictione quarta, concurrente uno, epacta XXIII: & ut hæc traditionis cartula rata habeatur & firma, per succedentia tempora, crucis ✠ Dominicæ eam charactere signavi, & testibus signandam tradidi. Signum Alberti comitis. Signum Raimbaldi de Muceio. Sig. Theoderici de Crusteio. Signum Ludovici de Sanceio. Signum Riquini *de Longui*. Signum Godefridi de monte sancti Martini. Signum Wafridi *de Bu*. Ego Ambertus capellanus jussu senioris mei Alberti comitis, scripsi & subscripsi, petitione fratrum ibi manentium.

XVIII.

Ejusdem donationis confirmatio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ermensendis comitissa Namucensis, notum esse volo omnibus Christi fidelibus utriusque sexus & ordinis, ætatis & conditionis, tam præsentibus quam futuris, me legitima traditione contulisse ecclesiæ beatorum Petri & Pauli, sanctique Vitoni, quæ est sita in suburbio Virdunensis civitatis, ecclesiam mei juris quæ vocatur mons sancti Martini, cum omnibus pertinentiis suis, tum pro remedio animæ meæ, tum pro senioris mei comitis Alberti piæ mercedis recompensatione. Nam idem memorabilis senior meus eidem cœnobio eandem ecclesiam per manus abbatis Rodulfi tradidit. *Quatenus in eod m loco fratres honori & servitio Dei congruentes constituerentur*, qui sui memoriam apud Deum semper haberent, quibus etiam a præsule Treverensi Angelberto nomine, in plenaria synodo census ecclesiæ & altaris, & medietatem omnium oblationum & eleemosynarum, cum dote ipsius ecclesiæ ad supplementum victus eorum, ex parte beneficii sancti Petri liberalissime obtinuit, quæ omnia ego a domino Brunone venerabili archiepiscopo gratanter perpetua sanctione postea confirmata recepi. Tradidi & ecclesiam de Villari victui eorum, & tertiam partem decimarum quæ mei juris erant, & medietatem oblationum & eleemosynarum a memorato pontifice eis obtinuit. Decimam quoque de culturis meis & pratis, & integro eorum usui pia devotione adnectere placuit. Contuli etiam capellam meam indominicatam *de Longui*, ut sicut mei proprii juris erat, sic & eorum perpetuo juri inserviat, nec aliqua aliquando cujus modi persona sine eorum permissione de ea se intromittat, aut molestiam in aliquo eis inferre præsumat. Simili modo Jocellus *de Fontois* cum uxore & filiis, per manum meam tradidit eis capellam sui juris quæ dicitur mons sancti Remigii, cum dote sua quam eatenus tenuerat, quatenus eorum usibus sine alicujus molestia vel controversia ipsius capellæ reditus & oblationes ex toto deserviant. Et ipsi fratres quotiens libuerit divina mysteria ibi celebrent. Quartarium allodii *ad Zones* dono Herimanni, & duas falcatas prati dono Vodescaldi. Allodium Eiviruini in silvis, campis, pratis & nemoribus in *Glabai*, & ad *Harcherenges*. Dimidium quartarium ad *Lucei* dono Wicholdi. Sex jugeres allodii ad *Cerceis*, dono Hadvidis, tres alias dono Winebrandi, duas alias quas tenet Guido. Quartarium unum & semis in eadem villa, & duos indominicates quartarios ad *Vals*, & ad *Cerseis* dimidium. Quartarium unum qui pertinet ad servitium capellæ *de Longui*, & alium quartarium & semis ad Longui-villam. In *Glabai* novem quartarios, ad *Sepimont* duos & semis, ad *Obenges* dimidium, inter *Asz* & *Baroncourt* unum, ad *Ragiscurt* unum, ad *Odonges* unum, ad *Albrisart* unum, ad *Romans* unum, ad Villare duos. Est & apud Atilii terra quædam quæ solvit decimam singulis annis, molendinum unum ad *Mininuuchz* dono Theoderici *de Lucei*, ecclesiam *de Tornei* quæ singulis annis pro parte decimæ solvit XII denarios dono Rainerii *de Asz*. Hæc omnia liberalissima devotione trado & concedo, & signo meo fidelium que meorum confirmo. Signum domni mei Godefridi comitis & filii mei Henrici comitis. S. Hugonis filii Folmari comitis. S. Everardi filii Ainlfi comitis. S. Anselmi advocati. S. Hugonis *de Longui*. S. Anselmi & Raineri fratris ejus. S. Rorici. S. Hugonis & Gualteri fratrum. S. Varsilii & aliorum multorum tam nobilium quam vernaculorum. Signum Raineri capellani.

XIX.

Instrumentum Richeri episcopi Virdunensis, quo conceditur ecclesiæ S. Michaëlis jus cudendi monetam. *Ex autographo sancti Michaëlis.*

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis suorum commodis provide consulentis, & non solum ad æterna sed & ad temporalia salubriter prospicientis. 1099. Ego Richerus S. Virdunensis ecclesiæ episcopus, ob animæ meæ remedium utilitates amplectens Domino famulantium, precatu & servitio domni abbatis Udalrici & conventus, medianibus domno abbate S. Vitoni RODULFO & domno LANZONE abbate S. Vincentii Mettensis, aliisque quampluribus, ecclesiæ S. Michaëlis monetam villæ ipsius in jus æternum contradidi, atque donationem inde in capella S. Benedicti publice feci, in qua datione hæ conditiones dignoscuntur habitæ, ut videlicet loci ipsius abbas libere pro suo arbitrio quemcunque monetæ præferat, qui ab ipso vel ejus mentio Virdunum perductus coram camerario fidelitatem tam de pondere

quam de exagio, hoc est de metalli sinceritate rite faciat, & sic ab ipso vestituram & instrumenta percussuræ, id est cuneos suscipiat, cui & singulis annis in Natali Domini V solidos pro eulogiis nihilque cuiquam aliud pendat, qui monetarius, si de præfatis id est de pondere & exagio infamatus fuerit, Virduni coram camerario causam suam prosequetur, ibique legitimo examine si expurgare nequiverit, satisfactionem justitiæ tam episcopo quam abbati exequetur. Quod si admonitus id facere detrectaverit, siquidem S. Michaëlis homo est, abbas eum aut coget aut invitum judicio memorato tradet, aut si hoc illo rebellante vel effugiente non valet, de rebus ipsius prout in suo banno vel potestate repererit tantum accipiet; unde & episcopalis justitia debitum secundum ipsius clementiam suppleat & suum ipse non amittat, nec ulterius post hanc rebellionem eum in moneta nisi pacato & annuente episcopo suscipiat; sin vero S. Mariæ homo est, cuncta hæc conversa vice ab episcopo erga abbatem actitanda erunt, ut scilicet de rebelli & refugo tam sibi quam abbati prædicto modo justitiam extorqueat, nec deinceps eum in ullam monetarum suarum absque nutu abbatis admittat; quod si monetam mutari atque renovari contigerit, quod quidem cum abbatis consilio & assensu faciendum erit, præfatus monetarius Virdunum veniens bullas seu cuneos a camerario recipiet, atque pro æstimatione ac sententia comparium suorum, quæ summa ei pro sua parte vel pro commodi ratione adjudicata vel indicta fuerit, hanc abbas cum ipso pariter usque ad misericordiam exsolvere curabit: ut vero hæc rata, inconcussa & perpetim intemerata perdurent, hoc cautionis cyrographum sigilli nostri impressione roboravimus, & sub Omnipotentis Trinitatis auctoritate cum perpetui anathematis interminatione statuimus ut nec episcopo nec advocato vel cuiquam mortalium hoc infringere vel immutare, sive in beneficium alicui dare liceat, alioquin si quis secus egerit, æternæ maledictionis sententiæ subjaceat, & divinæ animadversionis pondus inevitabiliter subeat. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. XCVIIII, indictione VII, epacta XXVI, concurrente IIII.° Testes autem hi fuerunt præsentes THEODERICUS primicerius, RICHERUS decanus, Gerulfus camerarius, Azelinus cantor; de laïcis, Ernebaldus judex, Gozelo *Debraz*, Nanterus decanus; de fratribus ecclesiæ, Albertus prior, Wadulfus, Herbertus, Arnulfus de Casatis, Theobaldus, Viricus, Imfridus.

X X.

Ex ipso autographo S. Michaëlis.

Theodericus comes ecclesiam B. Mariæ apud Asinangiæ-villam quam tenuerant clerici & improba conversatione infamaverant, abbati S. Michaëlis largitur.

1102. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis confirmetur opus nostræ descriptionis. Qui se filios esse cognoscunt eandem matrem suam de bonis suis in terris amplificare student, ut heredes regni cœlorum fieri valeant, quorum vestigia ego Theodericus sequens, licet peccator, tamen comes nomine tenus ut inter filios ejusdem ecclesiæ computari merear, cœnobium S. Michaëlis multiplicare mihi cupienti placuit ut de meo aliquid in eleemosynam ecclesiæ S. Michaëlis & monachis ibidem Deo servientibus, quos ut patronos pie fovere debeo largirer, quatinus erga Dei benevolentiam animæ meæ devotiores existerent, & pro antecessoribus meis ibidem tumulatis & heredibus meis Deo devotius supplicarent. Hæc mihi visitatione Altissimi ut credo cogitanti ecclesiam in honore S. Mariæ constructam apud Asinangiæ-villam, quam clerici nullius ammonitionis hortamenta recipientes infamaverant sua conversatione,

A ad id perficiendum disposui. Sed mihi desideratæ oblationi effectum differenti apud *Altikirch* ægrotare cœpi, timens vero ne morte superveniente oblivioni daretur mea devotio, visitationem abbatis S. Michaëlis expetii, & in præsentia multorum ecclesiam quam supradixi, quam ei antea obtuleram, ex integro cum omnibus appendititiis ea libertate qua habebatur sancto Michaëli & sibi perpetualiter in eleemosyna donavi, & quoniam eidem ecclesiæ S. Mariæ calicem unum & alia multa abstuleram, pro restauratione eorum & salute animæ meæ quicquid in villa Sucelingis nostræ ditionis erat simili modo tradidi, hanc ipsam autem donationem quæ sub testificatione multorum facta est, rogavi abbatem ut super altare prædicti archangeli deferret, & sub persona mei & eorum B descriptione qui præsentes fuerunt scripto memoriæ mandaret, & sigillo S. Michaëlis sigillaret. Hujus donationis interfuerunt testes hi, comitissa Ermintrudis & filius ejus, Lodovicus & Wiricus *de Belram*, & Warinus de Monciaco, & Raynaldus de Al... & Warinus de Salemana, & Walo advocatus Montis-Beliart, & frater ejus Hugo, & Theodericus de Guerimon.... & fratres ejus Hugo & Henricus, & Raymboldus canonicus *de Altikirch*, & Theodericus de Asmingia, & Raynerus, & Haymo *de Rich*, & Balduinus de Aspero-monte. Actum publice apud *Altikirch*, anno ab Incarnatione Domini M. CII, concurrente II, indictione X, epacta nulla, regnante Henrico imperatore, in præsentia domni abbatis Udalrici & monachorum suorum, Alberti capellani C & Alberti præpositi Merodori.

X X I.

Fundatio Caladiæ ab Alberone episcopo confirmata.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adelbero divina favente misericordia sanctæ Virdunensis ecclesiæ episcopus, omnibus successoribus & cunctis hujus diœcesis fidelibus à Deo nobis creditæ dispensationis cura commoniti, & præcipue sollicitante nos scriptura quæ dicit: *quodcunque potest manus tua instanter operare*. Et illud Apostoli: *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime* D *autem ad domesticos fidei*. Dignum duximus servorum Dei necessitatibus pro posse subvenire, & pro tempore justis eorum petitionibus obedire. Unde venerabilis fratris nostri Hugonis abbatis de Calladia & fratrum suorum petitione commoti, decrevimus præsentibus & futuris omnibus præsenti scripto justificare, qualiter idem locus a decessore nostro domino Henrico episcopo ordini monastico, Dei cooperante clementia veraciter est consecratus. Igitur cum eumdem locum dominus Robertus cum fratre suo Riquino quorumdam hortatu incolere delegisset, præcavens in hoc ipsum non sibi sufficere assensum nobilis matronæ Machildis & filii ejus Walteri de Vienna, quorum ditioni idem locus subjacebat, memoratum episcopum Henricum super hoc convenit. Tunc episcopo E favente, & eo maxima instantia elaborante, adjunctis cum comite Raynaldo quamplurimis nobilibus viris in capitulo beatæ Mariæ, memoratus Walterus cum matre in manus domini sui Balduini *de Belrain* cum reddidit, Balduinus vero in manus comitis, comes autem in manus episcopi; & vero episcopus assensu omnium tam majorum quam minorum clericorum & laïcorum dominum Robertum de eo canonice investivit, eo tenore ut in toto confinio Arbrevillæ suis usibus necessaria licenter sibi vindicaret tam in pasturis quam in culturis, sive structuris & ædificiis, eidemque per aliquot annos incœpto labori insisteret. Episcopus eundem Robertum ecclesiæ * Belloacenci abbatem præfecit. Tunc Riquinus fratris solatio destitutus, eo volente, & episcopo

Circa 1130.

* Belli-loci.

assentiente, dominum Guidonem abbatem de Tribus-fontanis cum memorato Waltero adiit, & ut sui ordinis fratres illuc mittere dignaretur multa prece obtinuit. Cum autem constituta sibi ab episcopo die uterque abbas ad locum venisset, episcopus alias occupatus, Hugonem ecclesiæ suæ apochrysiarium ad eos misit, qui vice sua, secundum quod Virduni dispositum fuerat, suo testimonio eundem locum prædicto Guidoni abbati canonice confirmaret, hoc priori concessioni augmentando, ut quidquid infra duarum publicarum viarum spatium continetur, unius videlicet quæ Viennam ducit, alterius vero quæ via Gibborum dicitur, a corylo quæ in summitate ipsarum viarum est, usque ad aquam quæ Bima vocatur, in reliquis autem plenarium usum possideret. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. C X X V I I, indictione V, epacta VI, pontificante in ecclesia Romana domino papa Honorio II, imperante in imperio Romanorum Lothario. Testibus domino abbate Roberto & fratre ejus Riquino, Hugone Waltero, Gerardo & aliis multis. Hæc ergo omnia, ut acta sunt, privilegii hujus authoritate confirmamus & corroboramus, & sigilli nostri expressione signamus, testibusque signanda tradimus ex parte Dei & B. virginis Mariæ omniumque simul Sanctorum, & nostro anathematis vinculo innodamus, donec resipiscant, omnes qui contraire ausi fuerint, consonantibus vero sit benigne, de suis augmentantibus gratia, pax & misericordia a Domino in præsens retribuatur, & in futuro felicitas æterna recompensetur. Sigillum domini Adalberonis præsulis. S. Willelmi decani. S. Richeri archidiaconi. S. Richardi archidiaconi. S. Johannis archidiaconi. S. Stephani cantoris. S. Hugonis apochrysiarii. S. Johannis capellani. Ego Herelmus scripsi & subscripsi.

X X I I.

Ex cartulario.

Carta fundationis abbatiæ canonicorum de Insula.

Circa 1144.

DOMINO suo & patri L. Dei gratia universalis ecclesiæ summo pontifici, A. Virdunensium minister indignus voluntariam debitæ subjectionis obedientiam præsentes litteras per præsentis vobis latoris manus transmittimus, rogantes ut hæc nostræ sanctionis pagina in usus pauperum Christi delegata, a vestra paternitate laudata, sigilli etiam vestri auctoritate roboretur. Albero Virdunensis episcopus Eustachio venerabili abbati monasteriensi & canonicis ibidem Deo servientibus in perpetuum. Cum constet ad officium pontificis pertinere ut sponsam Christi quæ est ecclesia, sponso Christo mundam & immaculatam exhibeat, necesse est ut paci ejus non solum præsenti sed etiam futuræ omni circumspectione provideat, hujus itaque pacis gratia quod nostrum est dissimulare nolumus, videlicet æterna quærentibus temporalia pacificare, & quæ vel emptione vel voto per manus fidelium in jura transeunt ecclesiarum, ad eorum petitionem quibus conferuntur modis omnibus confirmare. Notum sit igitur omnibus tam futuris quam præsentibus, quod Ulricus de Insula cum uxore sua Mathilde, per manum nostram dedit ecclesiæ quæ Monasterium dicitur, suscipiente venerabili abbate Eustachio, omnem terram cum pratis & omnibus usibus pertinentibus ad fines *Englecurt*, exceptis croceis & terris vel pratis quæ jure hereditario sive beneficiario ab aliis possidentur. Item in finibus *Suluncurt* ducenta jornalia assensu comitum Rainaldi Barrensis, Friderici Tullensis & Dudonis de Claro-monte, Raineri de Aspero-monte & uxoris suæ Helvydis, Gaufridi, Hastei & uxoris ejus Helvydis. Præterea prædictus Ulricus concessit eisdem fratribus ut quocunque tempore terras vel prata de finibus *Englecurt*, quæ in aliena manu sunt, quacunque legitima causa acquirere potuerint, cum omni libertate possideant: hujus beneficii testes assignamus. Signum Alberti primicerii. S. Guillelmi decani. S. Johannis. S. Richardi. S. Andreæ archidiaconorum. S. Petri cantoris. S. Emelini scolaris. Sig. Henrici comitis. Sig. Widonis manducatoris. S. Valteri de Montibus. S. Hugonis *de Grisincurt*, S. Milonis *de Ussuncurt*. Hæc igitur omnia ut in perpetuum rata sint, sigillo nostro firmamus, & ne quis ea temerare præsumat, sub anathemate prohibemus.

X X I I I.

Insula reformatur a monachis Cisterciensibus.

Ex cartulario.

NOVERINT omnes tam futuri quam præsentes, quod in ecclesia S. Mariæ de Insula, post translationem canonicorum, monachi S. Benedicti ad reformandum ordinem succedentes, omnibus pacatis calumniis, partim precibus, partim muneribus, allodium de Vaudonis-curia liberum & absolutum ab omnibus costumiis, a domino Wiardo cognomine Foatia, & ab omnibus heredibus & coheredibus ejus, persolvendo singulis annis ad festivitatem B. Johannis X solid. receperint; & ut in perpetuis temporibus inviolata conservetur concordia, scripto sigillo Alberonis episcopi Virdunensis commendaverint confirmato: hujus igitur conventionis testes sunt Girardus castellanus, Gaufridus de Montione, Ancherus de Hona, magister Falco, Josbertus presbyter.

X X I V.

Locus Caherii a capitulo Remensi datus abbati Caladiæ ad abbatiam ibi construendam.

NOTUM sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod nos fratres S. Mariæ Remensis ecclesiæ divino instinctu potestatem de Caherio, 1147.
quam antiquo tenore possederamus, omnino liberam & ex integro possidendam in terris cultis & incultis, in silvis, in pratis, in pascuis, in aquis, & in universis ad eamdem potestatem pertinentibus, præter homines capitalitios, domino Guntero abbati de Chaladia, & fratribus ibidem sub regula S. Benedicti Deo servientibus, devota fide & unanimi omnium nostrum voluntate in pleno capitulo, ad abbatiam sui ordinis ibi construendam concessimus. Ita quidem quod singulis annis in secunda Dominica adventus Domini, quadraginta solidos Remensis monetæ fratres in eadem abbatia commanentes nobis in hac urbe censualiter persolvent, & idem plene suffragium singulis fratribus nostris defunctis misericorditer impendent, quod suis decedentibus impendere solent, quod si aliquo eventu prædictus ille locus a fratribus hujus ordinis derelictus fuerit, tota ex integro ejusdem loci potestas ad jus nostrum & ad antiquum tenorem libere revertatur. Ut autem hæc concessio nostra firma in posterum & inconcussa permaneat, sub cyrographo & fratrum nostrorum testimonio sigilli nostri authoritate firmare curavimus. Testes sunt Boso archidiaconus, Bartholomæus archidiaconus, Drogo præpositus, Leo decanus, Gregorius cantor, Henricus, Legerus, Rogerus, Haymo presbyteri; Simon, Raginerus, Almaricus, Hugo, Joffridus diaconi; Sichardus, Rogerus, Guido, Fulco subdiaconi. Actum Remis, anno Incarnati Verbi M. C X L V I I, indict. VIII, regnante Ludovico Francorum rege anno II, archiepiscopatus autem D. Samsonis anno VII.

XXV.

Monachi sancti Michaëlis protectionem summi pontificis implorant.

Circa 1150. SUB alas vestræ protectionis, reverendissime domne & pater misericordissime, nos curæ vestræ pusillus grex, & oves pascuæ vestræ a facie inimici confugimus, & ante pedes majestatis vestræ prostrati, lacrymabilem calamitatis nostræ querimoniam deponimus. Regnantibus Childeberto, Sigeberti & Brunichildis filio, & ejusdem filio Theoderico, ecclesia nostra a quodam nobili duce Wolfando fundata fuit, & eo sine liberis decedente sub tuitione ipsorum regum (quorum sedes regia metis erat) & succedentium regum vel imperatorum permansit: quorum largitionibus augmentata, privilegiis roborata, defensione protecta, libertatis suæ tenorem conservavit usque ad tempora Otthonis imperatoris. Tunc siquidem quidam dux Lotharingiæ Fredericus tutelam ipsius ecclesiæ, quæ eatenus regum & imperatorum fuerat, in dominium sibi usurpavit, de tertia parte prædiorum ecclesiæ castrum suum Barrense, quod exstruxerat, casavit, nimirum facile subjugans terram sibi vicinam, & a tutela regis longe remotam. Ex tunc ergo jam per quatuor successionum gradus, tutelam vel dominium ecclesiæ nostræ posteri ejus obtinuerunt. Qui non contenti supradicta tertiatione, etiam de duabus residuis partibus, quoniam plures villas militibus in beneficia distribuerunt: nostri quoque temporis comes Raynaldus, qui quinto illis gradu successit (quod majores sui nunquam fecerant) pecuniarum rapinas, quas vulgus talliatas vocant, per terram nostram primus agere cœpit, homines incarcerare, vi & suppliciis sua extorquere ad firmanda castella sua, cum suis sumptibus cogere, nimis frequenter per terram nostram dietare, nec suis sed pauperum sumptibus vivere. Postremo tota terra nostra plus quam sua omnibus modis abuti, & hanc tyrannidem filio suo Raynaldo qui nunc est dereliquit, contestans tamen ei publice se hæc omnia injuste egisse. At ille malitiam patris in tantum supergressus est, ut homines nostri oppressionem ejus ferre non valentes, villas nobis vacuas reliquerint. Reliqui nostra nobis solvere vel non possunt, vel contemnunt, illum solum timentes, illi soli servientes. Cumque sedis apostolicæ justitiam superiore anno adversus eum expetissemus, supra hoc ultra modum indignatus, & apostolica nobis nihil adhuc proficiente, immo officiente, & malitia oppressoris quotidie ingravescente, tam pene præ inopia rei familiaris domum vacuam deserturi hanc unam adhuc spem suscipimus, ut quia Deo providente apostolicas vices suscipere meruistis, apostolicæ potestatis virga oppressorem nostrum coerceatis.

XXVI.

Protectionis litteræ sedis apostolicæ in favorem abbatis & monasterii S. Michaëlis.

Circa 1150. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Stephano Metensi, Alberoni Virdunensi, Henrico Tullensi, salutem & apostolicam benedictionem. Quanto refrigescente charitate multorum pravi homines ex divino judicio in episcopatibus vestris abundant, tanto a vobis qui provisionis & regiminis illic officium meruistis, in virtute verbi Domini, eis est attentius obviandum. Dilecti filii * M. abbatis S. Michaëlis gravem nuper querelam accepimus, quod comes Raynaldus eum & ecclesiam ei commissam multipliciter inquietat, & bona ejus diripere, hominesque ipsius, illicitis exactionibus, angariis & pressuris affligere non

* Manegaudi

A desistit. Per apostolica itaque vobis scripta mandamus, quatenus eundem comitem districtius moneatis, ut a prædicti filii nostri & ecclesiæ suæ infestatione desistat, injuste ablata restituat, irrogata damna resarciat, & homines ejus nullis indebitis exactionibus aut servitiis de cætero fatigare præsumat. Si autem moniis vestris obedire contempserit, ecclesiastica censura eum taliter coercete, ut antedictus abbas ad nos pro defectu justitiæ clamare de cætero non cogatur. Datum Signiæ octavo kalendas Junii.

XXVII.

Carta fundationis monasterii beatæ Mariæ de Castellione ordinis Cisterciensis, diœcesis Virdunensis.

B

AD laudem & gloriam Dei. Ego Adalbero Dei gratia Virdunensis humilis episcopus, notum facio omnibus S. ecclesiæ fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod divino instinctu fratres de loco qui vocatur Claustrum in episcopatum nostrum adduxi; & quia in suo loco terra ad colendum ad sustentationem pauperum Christi ibi commorantium minus eis sufficiebat, consilio ecclesiæ nostræ & fidelium nostrorum, ut eorum beneficio participes essemus, quædam eis assignavimus in territorio Maginiensi pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum, & eorum qui eadem bona ecclesiæ nostræ contulerant: unde præfati milites Christi commodius C secundum ordinem eorum sustentari possent, videlicet *Wisberstorp*, Spissum-villare, *Bures* & quod habuimus in Longa-villa, nec non & alia loca deserta, & quidquid juris nostri erat infra cruces, quas prædicti fratres nostro nostrorumque consilio & laude usque ad grossam Wapram posuerunt. Præterea per totam terram curiæ Maginiensis, id est in silvis, campis, pratis, aquis, ad ædificandum, ad comburendum, ad pastum quorumlibet animalium, usuaria ipsis fratribus libera donatione & absque omni retentione concessimus, excepto si homines S. Mariæ infra metas fratrum furem aliquem aut raptorem comprehenderent, debitam facerent justitiam; advocatiam autem, quantum terræ infra leugam unam continet, Heisbertus advocatus qui eam antea beneficio hereditario possidebat, consentiente & collau- D dante uxore sua Elisabeth, & filiis suis Alberto & Rainardo, videntibus hæc & attestantibus Alberto primicerio, Willelmo decano, Richardo, Andræa, Johanne archidiaconis, Dudone de Claro-monte, pro remedio animæ suæ & prædecessorum suorum per manum nostram liberam ipsis concessit. Simili quoque modo Gobertus de Aspero-monte cum uxore sua Aleide & filiastro suo Waltero, id est Petri filio *de Miroalt*, eandem terram ipsis fratribus liberam & absolutam concesserunt, quidquid deinceps de annuali conventione sua quam usu hereditario super curiam Maginensem possidebant contingeret hoc idem prænominatis testibus attestantibus. Porro Sigardus de Duseio, collaudantibus uxore sua Ermengarde & filio suo Urrico, ipsis donavit per E manum nostram quidquid incultum in silvis, pratis in Longa-villa, nec non garbagiam & praragiam, & quidquid juris per totam terram eorum habuit, teste Alberto primicerio, Andrea archidiacono, Pagano de Muceio, Alberto filio Heiberti, Varnero *de Colommiers*. Denique sive ista, sive quæcunque in posterum per Dei misericordiam in episcopatu nostro ab hominibus S. Mariæ vel ab aliis fidelibus Dei juste acquirere poterunt, auctoritate Dei & nostra ipsis benigne concedimus, & sigilli nostri impressione roboramus; & ne aliquod gravamen ab aliquo patiantur, sub anathemate interdicimus. Quod si quis, quod absit, secus egerit, in extremo judicio se damnari sciat, nisi præsumptionem suam

1153.

digna satisfactione corripiat. Testes autem hujus rei sunt Albertus primicerius, Wilhelmus decanus, Johannes, Richardus, Andreas archidiaconi, Petrus cantor, Emmelinus scholasticus, Cono abbas sancti Vitoni, Theodoricus abbas sancti Pauli, Heyricus abbas sancti Mauritii Bellogiensis, Gonterus abbas de Caladia. Laïci vero Gobertus de Aspero-monte, Heybertus advocatus cum filiis suis Alberto & Reinardo, Robertus de Confluentia, Dudo de Claromonte, de Ministerialibus quoque Bartholomeus, Eymaldus; custodientibus hæc vita & pax, amen.

Acta sunt hæc anno Domini M. CLIII.

XXVIII.

Investitura data Alberto episcopo Virdunensi ab imperatore Friderico.

1156. BENEFICIUM itaque comitatus & Marchiæ, quod recolendæ memoriæ Otho Romanorum imperator augustus Heimoni Virdunensi episcopo & successoribus eius, & per eum Virdunensi ecclesiæ quondam donavit, nos eodem spiritu & eadem firmitate constante tibi ecclesiæque Virdunensi ac tuis posteris confirmavimus, eodem etiam jure & forma donationis valiturum, prout a præfato imperatore Othone jam dicto antecessori tuo Heymoni & cæteris episcopis in processu temporum, nomen & dignitatem episcopalem subituris dignoscitur esse præstitutum, videlicet ut tu & tui successores liberam in posterum habeatis potestatem eundem comitatum in usus ecclesiæ tenendi, comitem eligendi, absque ullo hereditario jure ponendi, habendi seu quidquid libuerit faciendi atque modis omnibus disponendi, bannum, teloneum, monetam & districtum civitatis in omnibus causis criminalibus & civilibus pleno jure tibi & successoribus tuis habenda concedimus; Valdentiam quoque castrum cum advocatia & banno & curiam quæ molendinum dicitur, cum suis pertinentiis; Volsfer-villare cum advocatia & banno & cæteris pertinentiis; Beumoldriam cum banno & advocatia & suis pertinentiis; curiam S. Medardi cum banno & advocatia & suis pertinentiis; curiam Yupiliæ cum banno & advocatia & cæteris pertinentiis; castrum *Dieu-leonnard* cum banno & advocatia; bannum & advocatiam de monte S. Vitoni; fundum ecclesiæ S. Germani Montis-falconis cum banno & advocatia & cæteris pertinentiis; castrum unæ Troivillæ, Viennam castrum, Claromontem castrum, Dunum castrum cum foresto; *Mirenault* castrum Septiniacum, Hatronis castrum cum foresto, Sempiniacum castrum: & si quod tibi & terræ tuæ necessarium fore perspexeris aliud præsidium authoritatis nostræ concessione construere liceat infra terminos tuos; ut autem hujus nostræ confirmationis statutum omni ævo inviolabiliter permaneat, hanc inde chartam conscribi & nostra aurea bulla insigniri volumus, &c. Datum Columbariæ XVI calendas Septembris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo sexto, indictione IV, regnante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo augusto, anno regni ejus IV.° imperii vero II.

XXIX.

Epistola Arnoldi episcopi ad Metensem & Tullensem præsules in gratiam abbatis S. Michaëlis.

1175. A. Dei gratia Treviorum humilis minister, venerabilibus fratribus & amicis carissimis P. Leuchorum, A. Virdunensis ecclesiæ episcopus, salutem & fraternam dilectionem. Conquestus est nobis dilectus in Christo filius noster abbas S, Michaëlis, quod cum monasterium ipsius ex antiqua & longa institutione comiti de Barro, de jure advocatiæ tertiam partem universæ terræ quam idem monasterium habebat dimiserit, & adhuc dimittat, ea conditione ut monasterium duarum partium plenum & singulare dominium habeat, sine quolibet ejusdem comitis impedimento; ipse comes Barri sua portione sibi assignata minime contentus, ad duas etiam partes quæ soli monasterio B. Michaëlis specialiter assignatæ fuerant manus extenderit; & tandem de duabus illis partibus sub specie feodi alienaverit & monasterio abstulerit, quod duodecim virorum hominium suscepit. Quoniam igitur hoc omnino justitiæ contrarium esse dignoscitur, & unumquemque nostrum in re tam necessaria docet alteri modis omnibus cooperari; dilectioni vestræ mandamus ac præcipimus quatenus viros illos qui præfati monasterii bona auctoritate prædicti comitis injuste detinent, ut eadem bona monasterio in pace dimittant diligenter commoneatis. Et si post vestram commonitionem hoc facere contempserint, omni occasione remota eos excommunicatos publice denuncietis, terrasque ipsorum sub interdicto ponatis.

XXX.

Richardus episcopus Virdun. munificum se præbet erga monasterium Castellionis.

1163. AD laudem & gloriam omnipotentis Dei. Ego Richardus Virdunensis electus, notum facio omnibus ecclesiæ fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod petitione domini Hillini Trevirensis archiepiscopi, apostolicæ sedis legati, ex consilio fidelium nostrorum Gilleberto abbati & fratribus de Castellione, ut eorum beneficio participes essemus, locum quemdam qui Castellio appellatur, pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum, ad construendam abbatiam concessimus, & præterea grangiam *de Wiberstap* cum appenditiis suis, nec non & usuaria per totam curiam Maginientem, in silvis, campis, pratis, aquis, silvis, ad comburendum, ad ædificandum, ad pastum quorumlibet animalium, sicut beatæ memoriæ prædecessor noster Adelbero episcopus memoratis fratribus concesserat & scripto suo confirmaverat, & nos benigne concedimus & sigilli nostri impressione roboramus; & ne aliquando gravamen ab aliquo patiantur, sub anathemate interdicimus. Testes Bartholomæus abbas sancti Pauli, Willelmus decanus & archid. Richardus archid. Arnulfus thesaurarius, Robertus cantor, Remigius cellerarius, Roricus sacerdos, Richerus diaconus, Galterus, Hugo, Christianus, Milo subdiaconi; Theoricus, Crescens, Richardus de Moranvilla, Rodulfus camerarius.

XXXI.

Episcopus idem præfato monasterio factam donationem confirmat.

AD laudem & gloriam omnipotentis Dei. Ego Richardus Dei patientia Virdunensis electus, notum facio omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus, quod Ludovicus comes Chiniacensis, Gobertus de Aspero-monte, Gualterus *de Mirowalt*, Galterus *de Herlons*, Rainaldus & Albertus Virdunenses advocati, Raimbaldus de Aspero-monte, Punzardus *de Dun*, Heribertus, Jordanus de Mutceio, Philippus de Basileia, Theobaldus *de Cons*, Gobertus *de Spincourt*, Hugo & Letardus *de Jemmaiz*, pro remedio animarum suarum per manum nostram concesserunt Gilleberto abbati & fratribus de Castellulo, libera donatione & absque ulla retentione, quidquid juris habebant in illo loco, in quo abbatia eorum construitur, attestantibus hoc episcopis Theoderico Metensi & Richardo Virdunensi, Alberto Gorzienzi, Bartholomæo sancti Pauli, Conone sancti Vitoni

abbatibus, Willelmo decano, Richardo de Sampeneio A archidiacono, Roberto camore, Achardo magistro scholarum, Hugone de Euduis, Wirrico de Yvodio, Rorico *de Longuion*, Gaufrido de Grandi-prato, Burchardo de Crispeio, Radulfo *de Surcourt*, Theoderico, Crescente, Theoderico *de Braz*, Herardo de Buscio, Ottone *de Sanz*.

XXXII.

Sententia suspensionis ab archiepiscopo in Hugonem S. Vitoni abbatem lata.

Circa 1187. F. Dei gratia Trevirorum archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, dilectis filiis A. primicerio, R. archidiacono & magistro, P. decano Virdunensis B ecclesiæ, salutem & paternam dilectionem. Cum ad cognoscendum statum abbatiæ S. Vitoni Virdunensis, tam abbatem quam monachos ejusdem loci, quinta feria post Dominicam qua cantatur *invocavit me*, convocassemus, abbas ante diem licentiam a nobis impetravit, asserens se cum monachis composuisse; ad quam nihilominus monachi venientes, & abbatis assertionem falsam esse dicentes, graves & acerrimas de ipso deposuere querelas. Ipse vero licet aliam ei diem de nostra indulgentia constituissemus, venire supersedit, nuncium quemdam ut eum excusaret transmittens, qui nullam aliam, nisi quod imparatus esset & venire non posset, prætendens excusationem, alium impetrare terminum attentavit. Nos autem saluti nostræ & indemnitati ecclesiæ consulere volentes, quia opinione & fama multorum nobis constitit C quod bona ecclesiæ dilaberentur, abbatem ab administratione temporalium suspendimus; quo suspenso, suus ad apostolicam sedem audientiam nuncius appellavit. Quia igitur de industria vestra præ omnibus aliis confidimus, rogamus vos & monemus attentius, districte vobis injungentes, quatinus decanum sanctæ Mariæ-Magdalenæ, & magistrum Godefridum vobiscum si potestis ducentes, ad prædictam accedatis abbatiam, & ibi provisores idoneos tam in exterioribus quam interioribus consilio monachorum de ipsis ordinare sollicite curetis.

XXXIII.

Collatio ecclesiæ de Dagonvilla cum tertia parte D decimæ facta ecclesiæ & canonicis de Linceio.

1197. NICOLAUS Dei gratia sancti Michaëlis dictus abbas, & capituli totius universitas, omnibus in Christo pie viventibus veritati testimonium perhibere ex humanæ conditionis fragilitate contingere consuevit, ut ea quæ celebri digna sunt recordatione, in cæcitatem oblivionis processu temporum non detrudamur; ad removendam oblivionis hujus caliginem, remedium unicum inventum est, ut ea quæ bene fiunt tenacitati literarum inserantur, præsentis paginæ tenori commendavimus ut quod Agnes venerabilis Barrensis comitissa ecclesiam de Linceio divino ammonitu intuitu, pro remedio animæ suæ & prædecessorum suorum, in honore sacratissimæ virginis E Mariæ & beati Apri fundasset, & canonicos in ea constituisset; nos bono operi suo aspirantes, quia dignum est ab ecclesiis antiquioribus novellas ad cultum Dei plantari ecclesias divino pietatis ducti intuitu, ad petitionem ipsius venerabilissimæ Agnetis comitissæ & Th. filii ejus illustris comitis Barrensis jus patronatus, & ecclesiam Dagonvillæ cum tertia parte decimarum, salvo jure & possessione decimarum illarum quas ecclesia beati Michaëlis ab antiquis possidet temporibus, ecclesiæ de Linceio contulimus & in perpetuum concessimus possidere. Ne vero caritativæ huic donationi malitiosi alicujus malignitas alicujus calumniæ vel contradictionis scrupulum præsumat opponere, ut inviolabile permaneat quod communi assensu ordinavimus, præsentem paginam sigillorum nostrorum impressione confirmavimus, & memorati tam mater comitissa quam filius comes sigillorum suorum appositione præsens scriptum roboraverunt. Hæc autem facta sunt & ordinata anno ab Incarnatione Domini M.° C.° nonagesimo septimo.

XXXIV.

Transactio a Goberto de Aspero-monte facta inter Ludovicum abbatem sancti Vitoni & Stephanum de Bello-ramo.

IN nomine Patris & filii & Spiritus-Sancti. Ego Gobertus de Aspero-monte dominus, notum 1223. facio universis tam præsentibus quam futuris, quod Ludovicus Dei providentia abbas sancti Vitoni, & dominus Stephanus de Bello-ramo, & Varnerus suus filius posuerunt parroium ad Assisiam taliter; Quod homo qui non habebit pecudem trahentem annuatim ad festum sancti Remigii persolvet domino XII. d. & unam quartam bladi usque ad Natale Domini, medietatem frumenti & medietatem avenæ. Et homo qui habet pecudes de unaquaque trahentium, persolvet annuatim ad festum sancti Remigii domino X.I.I. d. & unam quartam bladi, medietatem frumenti & medietatem avenæ usque ad Natale Domini persolvendam. Ovis quæ habet lac persolvet domino I. d. & unusquisque debet domino unam genulare feni usque ad Pascha. Et si dominus illud fenum usque ad Pascha non acceperit, homo per terminum illius anni non tenetur reddere, & quoties dominus in villam venire voluerit quisque equorum domini erit immunis pro obolo in feno; & qui decanus erit tunc debet quærere per villam culcitras & pulvinaria ad lectum faciendum, & qui accommodare noluerit si decanus per fiduciam retulerit, persolvet domino X.I.I. d. si alter dementiit ad alterum, & scabinus retulerit, dementitor persolvet domino X.I.I. d. & si alter de pugno percusserit alterum, persolvet domino V.I.I. s. & V.I. d. & si de pugno sanguinem fecerit, persolvet domino X.V. s. sanguis factus cum armis molutis L. s. persolvet domino; si alter ira vel odio membrum alterius absciderit, in voluntate domini positus erit, & si interficit corpus suum & omnis sua substantia erit ad voluntatem domini. Si dominus habet segetes in villa debent ei colligere, & si dominus non habet segetes in villa extra villam non debet ducere nec accommodare, & prata domini apud *Essaule* debent falsiare & fenare ad sumtum domini; & si dominus in propria persona vadit in chevasseam & submoneat, debent secum ire in prima nocte ad suos sumptus, & postea ad sumptum domini; nec dominus potest eos accommodare, sed pargia villæ adhuc remanet secundum mores antiquos, & omnes mores abbatis S. Vitoni habebat in villa prædicta, adhuc habet & homines erga sanctum Vitonum. In illa assisia percipit abbas sancti Vitoni medietatem & dominus Stephanus de Bello-ramo alteram medietatem, sed in propriis hominibus domini Stephani habet adhuc S. Vitonus talia jura & tale usuarium quale solebat habere, & illam libertatem quam villicus & decanus in villa solebant habere, illam libertatem adhuc possident. Quæque domus debet domino duas gallinas, ad Natale Domini unam, ad Pascha unam scilicet abbati sancti Vitoni & domino Stephano de Bello-ramo & heredibus suis; & si domini prænominati in ista assisia usurpabant adversus homines, homines monstrarent domino ad confirmationem cujus hæc præsens pagina peraratur, & dominus injurias hominibus illatas infra quadraginta dies faceret emendari; in cujus rei testimonium sigillo meo & sigillo Ludovici abbatis S. Vitoni & domini Stephani de Bello-ramo fecimus

fecimus præsentem paginam communiri. Actum anno Domini M.° CC.° XX.° tertio, mense Maio, in crastino sanctæ Potencianæ.

XXXV.

Monasterium S. Nicolai de Prato in protectionem sanctæ sedis suscipitur.

1224. CONRADUS miseratione divina Portuensis & sanctæ Rufinæ episcopus, apostolicæ sedis legatus, dilectis in Christo priori & fratribus sancti Nicolai de Prato Virdunensi salutem in Christo Jesu Domino nostro. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Quapropter dilecti in Christo vestris justis precibus inclinati, cum omnibus bonis vestris, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futuro præstante Domino justis modis poteritis adipisci, vos sub sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ & nostra protectione suscipimus: specialiter domum vestram cum omnibus pertinentiis suis, nec non *de Mescreignes* & *de Donnevou* ecclesiarum personatus: quæ omnia Johannes nunc Metensis, tunc autem Virdunensis episcopus, vobis pia contulit libertate, vobis & per vos dictæ domui vestræ auctoritate legationis nostræ qua fungimur, confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Metim, IV calendas Decembris, pontificatus domini Honorii papæ III anno IX, anno Domini M. CCXXIV.

XXXVI.

Privilegium Johannis Metensis episcopi, quondam Virdunensis, de fundatione monasterii sancti Nicolai de Prato ab ipso facta.

1226. JOHANNES Dei gratia Metensis episcopus, omnibus ad quos præsens pagina pervenerit, audire & credere quod testatur. Quoniam ea quæ scripto traduntur, a memoria de facili non recedunt, universis nostræ benignitatis præsenti scripto significamus, quod cum adhuc ecclesiæ Virdunensi præsideremus, divina providente clementia, quandam ecclesiam a primis ædificare cœpimus fundamentis juxta Virdunum in loco qui Pratum episcopi solebat appellari, in honore B. Nicolai & sub ordine sancti Victoris, habitoque bonorum & jurisperitorum consilio ad sustentationem fratrum ibidem Deo servientium pia & provida deliberatione contulimus in dotem dictæ novæ ecclesiæ, ob salutem animæ nostræ & successorum nostrorum, totum pratum in quo eadem sita est ecclesia: quod vix viginti solidos Pruvinenses nobis vel prædecessoribus nostris, sicut veraciter didiceramus aliquando, singulis annis valuerat: contulimus etiam omnes census omnium domorum seu aliarum rerum censualium, quæ in eodem prato sunt, vel de cætero fient; medietatem etiam hallæ fori & furni, si ea in eodem prato fieri contingat, & omnium proventuum ei quacunque occasione ibidem provenientium: justitiis tamen & emendis in omnibus & per omnia nobis & successoribus nostris retentis. Contulimus etiam dictæ ecclesiæ ad fratrum sustentationem, ecclesias *de Donnevou* & *de Mescreignes*, cum earum appendiciis: quarum donatio ad nos pleno jure pertinebit, & etiam parochialem ejusdem loci, cum omnibus ipsius proventibus. Ut autem prænominatæ donationes futuris temporibus ratæ sint & stabiles, in testimonium

A veritatis præsens scriptum sigillo nostro patet communitum. Datum anno Domini M. CCXXVI, mense Januario.

XXXVII.

Rodulfus episcopus, Johannis successor, eamdem fundationem confirmat.

R. miseratione divina Virdunensis electus, omnibus tam futuris quam præsentibus ad quos præsens pagina pervenerit, audire & credere quod testatur. 1226.
Quoniam per humanæ fragilitatis inconstantiam, quæ pie geruntur a memoria dilabuntur, operæ pretium est ut quæ perpetuari desiderantur, scripturarum
B fideli testimonio commendentur; ut quæ vivæ vocis probationem non sapiunt, per instrumentorum assertionem lucidius declarentur. Cum igitur venerabilis in Christo pater prædecessor noster Johannes Dei gratia Metensis episcopus, cum adhuc ecclesiæ Virdunensi præsideret, inspirante divina clementia ecclesiam quamdam a primis fundamentis cœperit ædificare juxta Virdunum, in loco qui nuncupari solebat Pratum episcopi, pia ductus intentione consideravit, quod parum prodesset murorum & tectorum exaltatio, nisi ibidem deservientes haberent unde possent sustentari. Dictus itaque prædecessor noster in talento sibi commisso sic negotiari desiderans, ut in gaudium Domini sui mereretur intromitti, ob salutem animæ suæ & successorum suorum dictæ
C ecclesiæ in honore B. Nicolai & sub ordine beati Victoris fundatæ contulit ipsum pratum, in quo videlicet eadem sita est ecclesia, omnes etiam census domorum omnium quæ in eodem prato factæ sunt, vel de cætero fient, medietatem hallæ & fori & furni, & omnium proventuum ex quacunque occasione provenientium, justitiis tamen & emendis in omnibus & per omnia sibi & suis successoribus retentis; ad sustentationem etiam fratrum dicti loci contulit ecclesias *de Donnevou* & *de Mescreignes* cum earum appendiciis, quarum donatio ad ipsum pleno jure pertinebat, ejusdem etiam loci parochiam. Nos igitur præfati prædecessoris nostri pia vestigia sequentes, prædictorum omnium collationem ratam habemus & firmam, dictæ ecclesiæ conferentes &
D concedentes prædicta in perpetuum pacifice possidenda. Datum anno Domini M. CCXXVI, mense Januario.

XXXVIII.

Hortatio summi pontificis ad præsules, ut sorores pœnitentes ordinis B. Magdalenæ adjuvent in construendis monasteriis.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis & episcopis ad quos literæ.... pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Etsi ex injuncto nobis apostolatus officio Christi fideles omnes diligere teneamur ac ipsorum procurare salutem, sorores tamen pœnitentes ordinis B. Mariæ-Magdalenæ & majori 1247.
E prosequi favore debemus, quo mundi vanitate penitus abdicata devotiori placere student Domini famulatu, hinc est quod cum dilectus filius præpositus & conventus sororum ipsarum nobis exponere curaverunt claustra construere cupiant, ut eorum religio laudabile suscipere valeat auctore Domino incrementum, universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatinus eis construendi claustra hujusmodi, in quibus pœnitentes ipsæ animarum suarum salutem liberius consequantur, singuli vestrum in vestris diœcesibus concedatis, prout expedire videritis, sine juris alieni præjudicio liberam facultatem, ita quod exinde grande possitis consequi prœmium

apud Deum, noſque devotionem veſtram dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Lugduni nonis Martii, pontificatus noſtri anno IV.

XXXIX.

Papa conſervat ſanctimonialibus B. Magdalenæ eaſdem indulgentias quibus fruebantur, priuſquam ordinem S. Victoris pariſienſis ſuſcepiſſent.

1256. ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus abbatiſſæ & conventui, monaſterii S. Mariæ-Magdalenæ in inſula Virdunenſi, ordinis S. Victoris Pariſienſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota quæ a rationis tramite non diſcordant effectu proſequente complere; cum igitur ſicut petitio veſtra nobis exhibita continebat vobis ante aſſumptionem ordinis ſancti Victoris in ordine ſororum pœnitentium exiſtentibus, plures indulgentiæ fuerint ab apoſtolica ſede conceſſæ, nos veſtris ſupplicationibus inclinati, ut indulgentiis ipſis vobis conceſſis in eodem ordine pœnitentium uti libere valeatis exiſtentes in dicto ordine S. Victoris, dummodo inſtitutis ejus non obvient, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ XII cal. Julii, pontificatus noſtri anno II.°

XL.

Supplicatio capituli Virdunenſis in gratiam Ulrici recens in epiſcopum electi.

1272. SANCTISSIMO P. ac D. D. Gregorio divina providentia ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, Joſredus primicerius, Thomas decanus, totumque capitulum Virdunenſe, pedum oſcula beatorum. Cum R. P. noſter Trevirenſis archiepiſcopus, noſter metropolitanus ea quæ ſpectant ad pontificale obſequium, ad præſens nequeat exercere, neceſſe habent ſubditi noſtræ matris Virdunenſis eccleſiæ ad illam generalem & piam matrem recurrere cum expedit, quæ, diſponente Domino, eſt omnium aliarum eccleſiarum domina & magiſtra, quæ nemini ſe ipſam poſcenti claudit gremium, ſed omnibus implorantibus modo debito ejus ſubſidium, ſe benignam exhibet ac etiam liberalem. Hinc eſt quod nos pro venerabili viro domino Ulrico noſtro Virdunenſi, quaſi per inſpirationem divinam unanimiter & concorditer electo ac etiam confirmato, ſanctitati veſtræ duximus humillime ſupplicandum ab eadem divinæ pietatis intuitu expoſcentes, quatenus eundem dominum electum ſuper eo quod ad ipſam perſonaliter non adiit, habens benignitate qua convenit excuſatum propter intenſos æſtivos calores, quibus ſe ſine periculo proprii corporis, cum ſit maturæ ætatis, non potuit exponere, & quia Virdunenſis eccleſia eſt in medio perverſæ nationis poſita, ejuſque ſubditi & vicini habent intra civitatem Virdunenſem & diœceſim, & provinciam Trevirenſem, multas guerras atque diſcordias, dignetur eidem dare licentiam per ſuas litteras, ut ab aliquo epiſcopo vel archiepiſcopo ſedis apoſtolicæ gratiam obtinente, ſe faciat ad preſbyteratus ordinem promoveri, deinde adjuncto competentium epiſcoporum numero debito in epiſcopum conſecrari, ut ſic conſummato matrimonio inter ipſum dominum electum & noſtram Virdunenſem eccleſiam, valeat ipſe plene exhibere epiſcopale ſolatium atque ſervitium ipſi ſponſæ ſuæ & clero & populo ſibi creditis, quotiens fuerit opportunum, maxime cum in tota Trevirenſi provincia non ſit niſi unicus epiſcopus qui præmiſſa valeat exercere; in cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Virduni, feria ſexta poſt feſtum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, an. Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

XLI.

Societas inter monaſterium Hornbacenſe diœceſis Metenſis nunc deſtructum & cœnobium ſancti Michaëlis. *Ex autographo ſancti Michaëlis.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, amen. 1274.
Cum rerum eventus varii & inopinati multotiens circa propoſitum hominum accidere ſoleant, ut qui jam vivit incolumis ſanum ſe cras nequeat æſtimare, & nullus de propriis virtutibus valeat gloriari. Hugo divina miſeratione abbas, totuſque conventus monaſterii Hornbacenſis ordinis S. Benedicti, Metenſis diœceſis, viris religioſis eorum confratribus in Chriſto ſibi chariſſimis, eadem miſeritanione W. abbati totique conventui monaſterii ſancti Michaëlis, Virdunenſis diœceſis, ejuſdem ordinis, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus, piæ devotioni veſtræ qua Deum & monaſterium noſtrum diligitis in Domino congaudentes ac viciſſitudinem rependere cupientes, ſtatuimus, ordinavimus & decrevimus in capitulo noſtro ut deinceps veſtra dilectio ſive devotio erga Deum & ſanctam religionem & prædictum noſtrum monaſterium vehementius exardeſcat, vos recipere ad confraternitatis vinculum tam ad vitam miſericorditer quam poſt mortem, videlicet ut ſi quis de fratribus veſtris apud nos manere voluerit vel miſſus fuerit litteris miſſoriis ab abbate & conventu ſuo habitis apud nos, colligatur in omnibus neceſſariis ſicut unus de nobis humane & miſericorditer procurandus donec fuerit revocatus; item pro fratribus veſtris decedentibus mutuas exequias facere promittimus, in campanarum compulſationibus, orationibus, vigiliis, miſſis, eleemoſynis, & ſicut fieri ſolet ſecundum noſtræ domus conſuetudinem, pro fratribus noſtris qui ſunt de noſtræ domus gremio, in ſpeciali dum ipſorum obitus nobis fuerit intimatus, & ut vos nobis in eadem obligatione mutua ſitis obligati pariter & aſtricti; in cujus rei teſtimonium & ut ſtabile permaneat in futurum, præſens ſcriptum ſigillis noſtris dedimus roboratum. Anno Domini M. CCLXXIV, menſe Decembri.

XLII.

Bonifacius papa VIII Bellilocenſem abbatiam ordini Cluniacenſi adnectit.

BONIFACIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, 1302.
dilectis filiis Cluniac. & Belli-loci in Argona Cluniacenſis ordinis monaſteriorum abbatibus eorumque conventibus Matiſconenſis & Virdunenſis diœceſibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent & illibata perſiſtere, & ne in recidivæ contemptionis ſcrupulum relabantur, apoſtolico convenit præſidio communiri. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat quod cum nos pridem veſtra & monaſteriorum ac ordinis veſtrorum ſalubria commoda promovere volentes, monaſterium veſtrum, filii, abbas & conventus Belli-loci, tunc ordinis S. Benedicti, cum omnibus membris ac bonis juribus & pertinentiis ſuis ubilibet conſtitutis, nec non & abbati & monachis, & perſonis ejuſdem monaſterii & membrorum qui tunc degebant & in futurum degerent, in eiſdem ipſis tamen membris, bonis, juribus & pertinentiis in ejuſdem monaſterii Belli-

loci proprietate manentibus, vobis, filii abbas & conventus Cluniacensis, ac ordini vestro per nostras sub certa forma litteras concesserimus, subjecerimus, incorporaverimus & annexaverimus, de apostolicæ plenitudine potestatis certis modis & forma tenendis, tam in electione abbatis dicti monasterii Belli-loci, cum illud abbate quoquomodo carere contingeret, quam aliis observantiis in eisdem litteris designatis; tandem inter vos super modis, forma & observantiis hujusmodi materia dissensionis exorta, demum mediantibus bonis viris super hiis ad hujusmodi pacis concordiam & compositionem amicabilem, dum tamen de beneplacito apostolicæ sedis procederet, devenistis. Ut videlicet tum in receptione monachorum facienda de novo, quam contractibus aliisque negotiis imminentibus in eodem monasterio Belli-loci, consensus vester prædicti conventus Belli-loci requiratur & habeatur, prout fieri hactenus consuevit, nihil in iis penitus immutato, & quod nullus monachus de Cluniaco possit mitti ad dictum monasterium Belli-loci moraturus in eo, sine consensu Cluniacensis & Belli-loci abbatum, qui pro tempore fuerint, requisitione, voluntate pariter & consensu. Et quod nullus monachus ejusdem monasterii Belli-loci per eosdem abbates qui ut præmittitur pro tempore fuerint, aut eorum aliquem, seu deffinitores vel visitatores ipsius Cluniacensis ordinis, possit pro negligentiis, excessibus seu delictis suis ad monasterium Cluniacense vel ejus membra mitti, vel ibi puniri, nisi incorrigibilis aut rebellis; & quod administrationes & officia obedientiæ vulgariter nuncupata, regenda & gerenda per monachos ipsius monasterii Belli-loci diminui nequeant aut mutari, sed ita permaneant sicut exstitit hactenus consuetum. Quodque monachi ejusdem monasterii Belli-loci habitum quem gestare consueverunt ante annexionem hujusmodi, consistentem in froccis & cucullis, ut verbis vestris utamur, admodum Cluniacensium monachorum deferre non cogentur inviti. Porro si quando in eodem monasterio Belli-loci de abbate imminebit electio facienda, vos dicti conventus Belli-loci ad quos hujusmodi electio libere pertinebit, statim postquam de vacatione ipsius monasterii Belli-loci vobis constiterit, terminum octo dierum tantummodo assignabitis ad electionem hujusmodi celebrandam. Quo adveniente duo ex vobis ipsique duo alios quinque de vestro gremio eligere teneamini electores, qui quidem quinque vel eorum tres juramento ab ipsis quinque primo corporaliter præstito, quod in personam idoneam præficiendam in abbatem ipsius monasterii Belli-loci conatibus totis convenient, eligendi seu nominandi personam hujusmodi de dicto gremio vel aliunde, aut etiam ex se ipsis in abbatem ipsius monasterii Belli-loci potestatem habeant per illam diem qua eadem potestas eisdem quinque electoribus per vos infra terminum ipsum concessa fuerit, & per totam aliam sequentem usque ad noctis tenebras duraturam, sicque Cluniacensis abbas qui ut prædicitur pro tempore fuerit, præsentatam sibi electionem hujusmodi taliter vel etiam per inspirationem divinam, absque alia forma canonica vel juris solemnitate factam, qui quantocius commode fieri poterit, postquam ejusmodi electus eidem electioni consenserit, ipsi abbati Cluniacensi præsentari debebit, confirmare ac electum taliter in abbatem dicti monasterii Belli-loci præficere, nisi aliud obsistat canonicum teneatur. Si vero hujusmodi quinque vel eorum tres electores infra dictum terminum, ut præmittitur, minime concordarent, vel etiam si forte in dicto monasterio Belli-loci non invenirentur qui infra terminum ipsum vellent in se formam eligendi suscipere supradictam ex tunc illa vice provisio de abbate facienda ipsi monasterio Belli-loci ad dictum abbatem Cluniacensem, qui ut præmittitur pro tempore fuerit, devolvetur. Sed interim vos prædicti abbas & conventus Cluniacensis in quibus bonis mobilibus ad administrationem abbatis qui pro tempore fuerit, & vestri dicti conventus ejusdem monasterii Belli-loci spectantibus, sive communia sive discreta fuerint, nullum jus ratione vacationis hujusmodi possitis contendere vos habere: quinimo ea omnia penes ipsum monasterium Belli-loci remaneant convertenda seu disponenda, prout extitit consuetum; vos quoque prædicti abbas & conventus Belli-loci ad observationem statutorum seu deffinitionum Cluniacensis capituli generalis, nisi quatenus respexerint reformationem & conservationem dicti ordinis, non teneamini, nec ad id per abbatem Cluniacensem qui ut præmittitur pro tempore fuerit, vel per aliquem alium de ipso ordine, possitis quomodolibet coarctari, remanente nihilominus quoad alia omnia in eisdem libertate ac subjectione in quibus sunt alii abbates & conventus dicti ordinis, nec aliqua alia onera quam ipsi abbates & conventus ejusdem ordinis subituri, nulla præterea sedis apostolicæ vel alia privilegia præsentia vel futura, vobis prædicti abbas & conventus Cluniac. vel ordini supradicto, aut vestrum aliquibus vel alicui concessa vel in posterum concedenda huic compositioni obstare, non per dictas partes vel earum aliquam præscribi quomodolibet contra compositionem valeant prælibatam, cæteris aliis contentis in præfatis nostris litteris ac privilegiis apostolicis, vel quibuscunque aliis in suo robore duraturis; nos igitur vestris supplicationibus inclinati prædictam compositionem ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, idibus Martii, pontificatus nostri anno octavo.

XLIII.

Jura olim concessa ab abbate S. Vitoni Virdun. confirmat Robertus dux Barri.

ROBERT, duc de Bar, marquis du Pont, seigneur de Cassel: A tous ceux qui ces Lettres verront, salut. Sçavoir faisons que nous, les ordonnances des assises faites, & les libertés, droits & francsises données & octroiées à la ville, hommes & habitans de Paroy, par feux dom Loys, jaidis abbé de Saint Vanne de Verdun, mes. Estienne de Belraim & Varnier son fils, dont il nous est asparu par lettres scellées des scels de feu mes. Robert, jaidis seigneur d'Aspremont, dudit feu abbé & dudit feu mes. Estienne, parmy lesquelles ces presentes sont ennexées, de notre certaine science & grace specialle, en la forme que contenu est es dittes lettres, avons confermées & confermons par ces presentes, comme sues du ressort & souveraineté de laditte ville, pour diceux ordonnances, droits, libertez & francsises joir & user les hommes & habitans d'icelle, en la manierre que mieulx en ont useu; en tesmoing de ce nous avons fait sceller ces presentes de notre scel, sauf en autres choses nostre, & lautruy en toutes. Donné à Bar le dix-neuviesme jour de Mai, l'an mil CCC quatre-vingt & dix-huit. Par monf. le Duc, en son Conseil. CLAVIN. 1398.

XLIV.

Epistola principis Caroli a Lotharingia ad summum pontificem.

SERIUS omnino quam sperabam, quamque apud me certe constitueram cogor, sanctitati vestræ pastoralis officii mei in hoc episcopatu & 1610.

comitatu Virdunensi administrando rationem reddere. Quo enim minus antehac id præstiterim multæ fuerunt causæ, multa impedimenta, nec levia illa certe, nec obscura. Nam cum anno M. DCX, divina adspirante bonitate sanctitatis vestræ singulari prærogativa, & illustrissimi principis ERICI a Lotharingia patrui mei libera sane & ultronea concessione, ad hujus episcopatus & comitatus sedem evectus fuissem, nec per ætatem adhuc plene illam integreque mihi liceret administrare, placuit sanctitati vestræ, ita ejus curæ partes dividere, ut temporalis regiminis potestate mihi relicta, spiritualis administrationis provinciam procurandam reverendissimo Tullensi episcopo Johanni Porcelleto crederet atque committeret. Quo in munere obeundo usque adeo strenue diligenterque se gessit, ut toto tempore, quo illius curam egit (quod biennii admodum fuit) omnes gravi & studiosi pastoris numeros facile expleverit, exinde vero cum utriusque muneris auctoritas ac potestas a sanctitate vestra mihi collata fuisset, ut non pateret quicquam a me desiderari, quod ad absolutam meæ provinciæ curam exercendam, vel necessarium vel commodum videretur, sacris ordinibus sum insignitus, & paucis post diebus, etsi ob defectum ætatis sacri canones nondum permitterent, vestræ sanctitatis gratia, dispensatione & indulto, consecrationis munus die Dominica quæ erat penultima mensis Octob. anni M. DCXVI, ab illustrissimo principe Erico a Lotharingia patruo meo, nuper Virdunensi episcopo, sacrum missæ officium cele-

A brante in insigni ecclesia collegiata sancti Georgii Nanceii, Tullensis diœcesis, sanctæ sedi immediate subjecta, loci diœcesani ad hoc expresse accedente consensu, & præstito prius a me fidelitatis debitæ solito juramento, juxta formam a vestra sanctitate specialiter transmissam, nec non servatis aliis formalitatibus in talibus consuetis, accitis & assistentibus reverendissimis in Christo patribus & dominis Adamo *Petz* episcopo Tripolitano Argentinæ ecclesiæ suffraganeo, ac Ludovico *Tavagny* episcopo Christopolitano suffraganeo Tullensi, & S. Apri prope Tullum abbate recepi. Quo facto sum in civitatem Virdunensem regressus, ubi e vestigio cœtum quemdam spiritualem, quem rationum conscientiæ consilium vocant, institui ex viris ecclesiasticis tum religiosis

B tum secularibus, pro ætatis ac doctrinæ laude conspicuis conflatum, in quo graviores de rebus ad animarum salutem pertinentibus difficultates agitarentur simul & deciderentur. Postmodum synodum diœcesanam jam aliquandiu intermissam indixi, & in ea quod meum officium esse deberent in colenda Domini vinea, meæ licet insufficienti commissa custodiæ, & quæ vestra sanctitas tamquam communis parens hac in parte a me reposceret, sermone ad populum in cathedrali ecclesia Virdunensi habito declaravi, sanciens qua potui cura & diligentia decretis & constitutionibus latis & promulgatis, omnia quæ ad Dei gloriam & animarum salutem, ac cleri & populi reformationem, officiique mei rationem intellexi, &c.

INDEX

INDEX GENERALIS.

A

B

BARDONENCHE

C

F

FAURI

G

J

JOCULATORE

M

MARCONMO

N

O

VALLE-SECURA

W.

X

Y

Z

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM.

A

B

C

D

E

F

S

INDEX

INDEX DECANORUM, PRÆPOSITORUM ET PRIMICERIORUM.

A

B

C

INDEX ABBATUM, ABBATISSARUM ET PRIORUM.

A

Bernardus

Colonia

G

K

M

Nicolaus

Q

R

Robertus

DE L'IMPRIMERIE ROYALE.

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM AD ALIOS TOMOS PERTINENTIUM.

MATISCONENSES

DECANI ET PRÆPOSITI AD ALIOS TOMOS SPECTANTES.

ABBATES, ABBATISSÆ ET PRIORES.

AD ALIOS TOMOS SPECTANTES.

D

E

F

N

O

P

Prateæ,